Bibliothèque numérique
medic@

Zacutus, Abraham. Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum medicorum mentem explicatur…

Lugduni : J. A. Huguetan, 1643.

BIUM

(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?01678

ZACVTI LVSITANI OPERVM

Tomus posterior.

©BIUM

ZACVTI

LVSITANI

OPERVM

Tomus posterior.

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,

MEDICI, ET PHILOSOPHI PRÆSTANTISSIMI,

PRAXIS HISTORIARVM:

IN QVA MORBORVM OMNIVM INTERNORVM curatio, ad Principum Medicorum mentem explicatur: grauiora dubia ventilantur ac reſoluuntur: Practicæ denique Obſeruationes permultæ ſuis locis inſpergiuntur.

1.678

FACULTE DE MEDECINE DE LYON BIBLIOTHEQUE

Præmittitur INTROITVS MEDICI AD PRAXIN: necnon PHARMACOPOEA elegantiſſima.

Acceßit PRAXIS MEDICA ADMIRANDA, *ab ipſomet Auctore non parum de nouo locupletata: In qua Exempla rara, mirabilia, monſtroſa, circa abditas morborum cauſas, ſigna, euentûs, atque curationes proponuntur.*

Editio poſtrema à mendis correctiſſima.



1.678

LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
viâ Mercatoriâ, ad inſigne Sphæræ.

M. DC. XLIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



ILLVSTRISmo POTENTISSIMO QVE DOMINO,

D. NICOLAO DE NEVFVILLE,

MARCHIONI DE VILLEROY,

&c. Sanctioris Consilij Regis Consiliario, centum cataphractorum equitum Præfecto, Lugdunensium, Forisiensium, & Bellojocensium Proregi vigilantissimo.

MAGNA Galliæ, & Portugalliæ affinitas est, siue antiqua tempora spectes siue noua, (PROREX ILLVSTRISSIME.) Ex multis argumentis vnum produco, Gallia primum Regem Lusitaniæ olim dedit, & nunc nouum restituit.

Inde ille antiquus amor Lusitanorum in Gallos tanquam in Patronos, & Gallorum in Lusitanos tanquam in socios; nec leue fundamentum eius amoris est morum similitudo; tam similis est Lusitanus Gallo, quàm dissimilis Hispano; neque hæc incerta amoris mensura est, tantùm amat Galliam Lusitanus quantum odit Hispaniam.

Nec extinxit illud odium in Hispaniam seruitus Lusitaniæ, sed illud auxit; nec imminuit amorem erga Galliam, sed promouit; sub Ludouici

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 5 sur 927

patrocinio excuſſit Luſitania ſeruitutem dum recuperauit Regem ; quantum ſit hoc beneficium, teſtata eſt nuper publicis gaudiis, & nunc teſtatur publicis lacrymis amittere ſe in Ludouico quod amiſerat in Sebaſtiano, niſi retineret in Ioanne quarto

Ex ea vtriuſque Gentis affinitate illud accidit, vt Gallus appellat ad Luſitaniam, quaſi ad Portum, & Luſitanus ad Galliam quaſi ad aſylum: neuter peregrinus eſt quia vterque amicus, neuter hoſpes extra patriam, quia ex quo vtrique communis eſt amicitia, vtrique eadem eſt & communis patria.

Atque hæc eſt prima ratio cur Zacutus homo Luſitanus imploret patrocinium tuum, PROREX ILLVSTRISIME ; ex quo Rex Galliæ ſuſcepit Luſitaniæ patrocinium, omnes Proreges ſuos conſtituit Luſitanorum patronos, propterea Gallum ſe credit Zacutus ſub Ludouico Rege, & Lugdunenſem ſub te Prorege.

Altera quædam cauſa eſt cur amet patrocinium tuum ; luſtraſti exteras prouincias, exploraſti mores, tentaſti ingenia, tantúmque ex eruditis itineribus ſapientiæ reportaſti, vt omnium ferè regnorum popularis eſſe poſſis; neque vlla natio apud te peregrina eſt, quia feciſti omnes domeſticas ; præcipuo tamen iure Luſitania tua eſt, quia & fuit olim, & nunc eſt Gallica.

Tertia

Tertia ratio Zacuti propria eſt, & acuta ;nulla ſcientia ignota tibi eſt, didiciſti omnes, vel te omnes didicerunt, ingenio es adeò acuto, vt Prorex animorum nec tantùm corporum eſſe poſſis. Illuſtre ſanè Lugduni priuilegium, habere Proregem qui Gubernator hominum eſſe poſſit, & Prorex ſcientiarum, ſingulari tamen iure Medicina tua eſt, quia tota eſt publica, & tota tua, debes Medicis recuperatam ſemel vitam, debebis Zacuto diu ſeruatam, tueberis illum, tuebitur te, mutuum erit vtriuſque patrocinium, & commune beneficium.

Hactenus acutæ Zacuti rationes, vna minùs ſubtilis eſt,& tamen mea: dum te omnes Lugdunenſes colunt vt Proregem, & amant vt Patrem, ego vtrumque teſtari volui publicis typis, & priuatis ; vigebit hoc teſtimonium quandiu hi characteres durabunt, quos obſequij ſui & amoris teſtes offert.

Addictiſſimus & humillimus ſeruus

IOAN. ANTON. HVGVETAN.

Priuilege

Priuilege du Roy.

LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers, & Officiers qu'il appartiendra, Salut : Noſtre amé IEAN ANTOINE HVGVETAN, Marchand Libraire de noſtre ville de Lyon, Nous a fait dire & remonſtrer qu'il auroit recueilly & recherché auec beaucoup de peine & frais, toutes les Oeuures de ZACVTVS LVSITANVS, tres-fameux Medecin, leſquelles ayans eſté deſia imprimées en Hollande, & ayant trouué pluſieurs fautes & erreurs dans l'impreſſion deſdites Oeuures, qu'il a fait exactement & auec grands ſoins & deſpences corriger; Il deſireroit pour l'vtilité du public les faire reimprimer, mais d'autant qu'il craint que quelques autres Libraires ne les vouluſſent imprimer, ce qui luy cauſeroit vne perte notable : Il Nous a tres-humblement requis luy octroyer nos lettres ſur ce neceſſaires : A CES CAVSES deſirans fauorablement traicter ledit Expoſant, & qu'il ne ſoit fruſtré des fruicts de ſon labeur, luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes d'imprimer, vendre & debiter ledit Liure, en quelle façon, forme & charactere qu'il voudra; Faiſans tres-expreſſes inhibitions & defences à tous Libraires, Imprimeurs & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer leſdites Oeuures, toutes enſemble, ny ſeparément, ny meſme en faire aucun abregé, ſans le conſentement & permiſſion dudit expoſant, pendant l'eſpace de ſix ans, à peine de confiſcation des Exemplaires, & de trois mille liures d'amende, applicables vn tiers à Nous, vn tiers aux pauures enfermez de noſtre ville de Lyon, & l'autre tiers, & tous les deſpens, dommages, & Intereſts enuers ledit Expoſant : A la charge d'en mettre deux Exemplaires en noſtre Bibliotheque publique, & vn en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant que les expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes : Du contenu deſquelles, Nous vous mandons que vous faſſiez iouïr plainement & paiſiblement l'Expoſant, ſans ſouffrir qu'il luy ſoit donné aucun trouble ny empeſchement. VOVLONS auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdites Oeuures, copie ou extraict des preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjouſtée, & aux copies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires, ſans demander autre permiſſion; CAR tel eſt noſtre plaiſir, Nonobſtant oppoſition ou appellation quelconque, & ſans preiudice d'icelles, pour leſquelles ne Voulons qu'il ſoit differé, Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. DONNE' à Lyon, le vingtieſme iour de Septembre, l'an de grace, mil ſix cens quarante-deux, & de noſtre Regne le trente-troiſieſme, Par le Roy en ſon Conſeil. Signé, MASCLARY.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Ce preſent Volume a eſté acheué d'imprimer le 1. Aouſt 1643.

ZACVTI

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,
DE PRAXI HISTORIARVM
AD CANDIDVM LECTOREM,
PRÆFATIO.

DVO esse Medicinæ crura, ERVDITISSIME LECTOR, rationem & experientiam, passim Galenus inculcat. In ratione explicandâ, arduis & difficillimis quæstionibus enucleandis, & circa theoriam vniuersam, cunctáque ferè illius partes describendas, ingenium meum hactenus es expertus. Nunc *Praxin vniuersalem Historiarum* inspicias, atque legas, in qua compendioso ordine, imò affabrè, & distinctè proponitur curatio omnium morborum, internorum, qui in superioribus sex, *De Medicorum Principum Historia*, libris describuntur, & corpus humanum miserrimè premunt, atque fatigant; hoc enim argumentum ad totius operis integritatem solùm deesse videbatur. Sicut enim elegans domus debet esse ornata tecto, atque fastigio: sic illud opus Reipublicæ Medicæ perutile, grauissimísque difficultatibus illustratum, sine praxi, & particulari medendi methodo, inerme erat futurum, mutilum, ac prorsus rude. Et licèt in hac longæuitate mea, cui iam vacatio, & otium, tanquam confectis stipendiis debebatur, onus quoddam mihi veterano militi, & tot studiorum laboribus emacerato graue sit, post tot, támque celebres viros, qui ante me, de methodo curatiua elegantissimè conscripserunt, aliquid monumentis tradere, tamen spero praxin hanc, non solùm tyronibus, sed expertissimis, & quasi duplicariis, à quibus est altiùs ad eruditionem facta progressio, (nî opinione aberro) expectatissimam fore, &, quod confido, iucundissimam, quia singula decerpant, breuiore itinere complectantur, & velut per semitam ad terminum contendentes, ex hac neruosa & elaborata medendi methodo, citra rixam, aut cum Neotericis controuersiam vllam (cum illis enim sæpe in superioribus libris pugnauimus vsque ad rauim) diuitem sibi gazam comparare queant. Delineamus autem *Praxin*, longæuo iam freti experimento, simplici stilo, ne Lectori dictionis elegantiâ tenebras offundamus; at non inconditè, aut indigestè, sed graphicè, & per partes suas, à capite vsque

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 9 sur 927

©BIUM

ad pedes exorsi, ordinem Historiarum sequentes, Principum doctrina sola, quam peramanter nimis obseruamus, innixi, vt sic quisque vnumquemque morbum, facilè, breuitérque reperire possit, omissis plurimis remediorum formulis, ab auctoribus passim propositis, ne citra necessitatem cramben recoctam repetamus. In hac ergo *Praxi* nihil remanebit intactum, quod ad exactam morborum (penes suas causas, signa, præsagia) theoriam, methodúmque conducere posse videatur, ita vt sæpe sub vno affectu, alios etiam ad idem institutum necessarios mira breuitate comprehendamus. Atque vt rem complectamur paucis, quicquid lectione dignum est, stilus in vnum rediget corpus, variis in calce cuiusque capitis practicis obseruationibus ornatum. Eo tamen modo omnia sunt disposita, vt nec prorsus nimiùm excrescant, & tædium pariant, nec ita sint breuia, vt fiant obscuriora. Ergo in hac frugifera praxi te exerceas rogo, ad quam explanandum, Deo Maximo inprimis auspice, patrono, & fautore, vela pandimus.

VIRI

VIRI CLARISSIMI

D. IACOBI ROSALES HEBRÆI HAMBVRGENSIS,

MATHEMATICI, PHILOSOPHI,
ac Medicinæ Doctoris, armatura Medica:

HOC EST

Modus addiſcendæ Medicinæ, per Zacutinas Hiſtorias, earúmque Praxin.

SVMMARIVM.

Num. 1. *Appoſitè Medicina in theoricam, & practicam diuidi poteſt.*
2. *Theorica à Magiſtris, & libris perfectè doceri valet.*
3. *Praxis diuiditur in generalem & particularem: generalis exponitur, & quomodo acquirì debeat oſtenditur.*
4. *Praxis particularis, quæ, vt actualis, vera praxis dicitur, ſolùm per experientiã acquiritur.*
5. *Diuiſio experientiæ, in perfectam, & imperfectam: & natura imperfectæ declaratur.*
6. *Breuiter, prout omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, experientia Perfecta elucidatur, quæ maximè Medicinæ inſeruit.*
7. *Quomodo actualis praxis Medica, potiùs à ſenſibus per vtramque experientiam, quàm à mente vniuerſaliter percipiatur.*
8. *Experientiæ (perfectæ) Empiricorum diuiſio in propriam, & hiſtoricam: propriæque noſtra aſſenſio duobus notandis limitatæ ingeritur.*
9. *Primum notandum noſtrum, quòd propria experientia non detur, niſi præcedente vniuerſalium cognitione, tam in praxi generali, quàm in Theorica.*
10. *Secundum notandum, quòd illis ſuppoſitis, adhuc indiget initiatus Magiſtro, qui de propria experientia eum informet.*
11. *Error Pſeudo-Medicorum in prædictis, & Hiſpanica de his laudabilis Medica Inſtitutio.*
12. *Hiſtorica experientia expenditur, & eius neceſſitas in praxi actuali declaratur.*
13. *Celeberrimi Doctoris* Zacuti Luſitani *Commentaria in Medicorum Principum Hiſtorias, toti Medicinæ valde vtilia, neceſſaria exiſtere: & quare Hiſtorias Chirurgicas præſtantiſſimus Archiater prætermiſerit.*

1. MEDICINA, penes Ariſtotelem, & Galenum, propriè ſcientia eſt, & ars ex factiuarum genere, vt explicant doctiſſimi viri: iuxta verò noſtram oculatiorem ſpeculationem, (*exerc.med.1.part.2 ſect.1.* vbi hæc exactiùs à nobis tractantur,) ars ſuperioris ordinis, quæ ſub ſe ſcientiæ & artis propriè dictarum, habitum contineat, quamuis impropriè in Theoricam, & Practicam diuidatur, vt notarunt aliqui, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 11 sur 927

Vidus *lib. Instit.* 1. Appositè tamen ista vocabula ei possumus applicare, vt multi ex Philosophis quoque fatentur, Scot. *quæst. 4. Prolog. sent.* & Auicenna, vt seipsum declarat *in initio suæ Metaphysicæ.* Siquidem Medicina, quæcumque facultas ea sit, habet aliquid, quod priùs ab intellectu intelligi, & generaliter circa subiectum generale, sub ipsa intellectione exponi debet: & præter hoc etiam obtinet aliquid, quod postea particulariter in subiecto particulari à sensibus cognosci, & tractari conuenit. Hoc enim omnibus artibus proprium est. Iam verò illud, vt pars communis, & generali, vel lato vocabuli significatu, Theorica dici potest. Istud verò, vt pars particularis, vel eadem vocabuli licentia dicetur Practica, quia in homine & subiecto particulari à sensibus percipitur, & tractatur, vt Conimbricenses explicant *in proœm. Phys. quæst. 3. art. 3.* Quinetiam Practica generalis (cùm praxis, vel ars, in illam, & actualem diuidatur, vt mox dicemus,) in vnaquaque arte cùm opus non exerceat, etsi id doceat exerceri, quia subiectum generale, in quo operetur, supponit, vel ob id ad Theoricam reduci potest, vt Conimbric. de ea loquentes inquiunt, ac interim medendi regulas (pertractando) proximè non curat; & hanc posse vtcunque Theoricam appellari. Sed quamuis hæc praxis generalis, ad vtramque potentiam, intellectiuam & sensitiuam pertinere dicatur (vt de tota Medicina aliqui sunt arbitrati) nihil in Medicinam ipsam peccaretur; neque enim Medici in his, cùm sint artifices sensibiles, scrupulosè procedunt, vt nomina à Medicinæ parentibus vsurpata, quasi impropria reiiciant. Namque præterquam Philosophi eadem Medicis concedunt, necessariam & commodam rebus Medicinæ tractandis, distinctionem afferunt: ideò vt nos quoque iisdem in sequentibus, habita criticorum venia, vti liceat nominibus, postulamus, vt quæ à nobis exponi debent, sub iisdem clariora euadant. Quomodo autem vtramque, atque omnem Medicinæ partem studiosus acquirere possit, nobis dicitur *Medica Armatura*, atque in hac sectione breuiter, neque enim ad id opus est multis, idipsum perdocebimus.

2. Generalis, communis, seu Theorica Medicinæ pars in Scholis, à Magistris priùs accipi debet, dum hæc per se dictant, vel exponendo Auicennam, vel Galenum, de his tractantes, vt est in more, apud aliquas Academias. Deinde ad autores accedendum est, & præcipuè Galenum & Auicennam, sub quibus omnis doctrina iacet clara perspicua, & necessaria. Vltimò, si libet, consulantur Neoterici, in libris sub nomine Theoricæ, Institutionũ, Pathologiæ, Physiologiæ, & similium, quoniam exinde hæc prima pars Medicinæ acquiri debet, neque eam aliter percipi, aut ab homine haberi posse existimamus, nisi à Magistris primùm doceatur, (si perfectè percipienda est,) & deinde quoque à libris (qui etsi muti in voce, viui in scriptis Magistri reputantur) ipsa tandem, quasi reminiscendo comparetur: aduertendum tamen ducimus euenire posse, vt ex libris sine præceptore aliquis ediscat Medicinæ partem generalem totam, sed hoc rarò, & non nisi heroïcis ingeniis accidere potest.

3. Altera Medicinæ pars, concessa diuisione, quæ Praxis dicitur, duplex existit, generalis vna, particularis, siue actualis, altera. Generalis, circa subiectum generale curandum versatur: siue est illa, quæ hominem in communi, particulari aliqua affectione correptum, respicit & speculatur, quod vt faciat, generalem curandi modum, siue curandi methodum, per suas indicationes, & præcepta describit; deinde morbos, membratim cum causis adiunctis, & symptomatis, quæ vnicuique hominis membro superueniunt, explicat, & remedia quibus curari debent, affert & exponit, vnde Therapeutica, & pars curatiua dicitur, sed (vti dicebam) semper generalis extat: & veluti Theorica, hominem in communi, vt subiectum generale, cognoscendum habet, in eóque, quatenus sanitati & morbo subiicitur, cognoscendo versatur; ita generalis praxis eundem hominem, subiectúmque generale obtinet, quatenus rebus præter naturam, causâ, morbo, & symptomate, iam est correptum,

correptum, atque in eo operatur, vt ſanitatem amiſſam introducat, morbúmque expellat. Quapropter hæc praxis, à Magiſtris quoque & libris edoceri valet: eſt enim veriſſimum axioma, omnem facultatem, quæ ſubiectum commune reſpicit, ſiue ad intelligendum, ſiue ad operandum, ſolùm perfectè ab externo docente introduci, illuminari, ac edoceri poſſe, atque ita eius præceptionem ad intellectum, vel ſpeculatiuum, vel practicum pertinere, vt per hæc verba Philoſophorum ſectis, circa animæ eſſentiam facultatémque ſatisfaciamus) intellectus enim ab externo docente perficitur, ſiue in veluti tabula raſa ſit, vt voluit Ariſtoteles, ſiue innatas ſecum ſpecies rerum habeat, vt noſtra fert ſententia, námque aliter anima non eſſet immortalis. Quomodocunque ſit, ſemper indiget externo auxilio, illóque proprios habitus, vel operatiuos, vel intellectiuos acquiret: atque ita accidit ei in generali Medicinæ praxi, quæ cùm ad intellectum pertineat, in Scholis à Magiſtris, & Profeſſoribus tractari, & doceri poteſt. Quod equidem fit ſecundum cuiuſlibet Academiæ inſtituta, explicando alicuius Archiatri practicam, vel morbos ipſos à capite vſque ad pedes, per ſe exponendo. Hoc idem in libris practicis auctores paſſim declarant, quorum magna copia vbique reperitur. In Galeni operibus deeſt equidem liber de morbis ſingularum partium à capite ad pedes, vnà cum cauſis, ſignis, & curatione, quem practicæ generali, maximè neceſſarium exiſtere certum eſt; ſed facilè, ex ipſis Galeni ſcriptis hunc ipſum colligere licet, vt nos facere inſtituimus. Nihilominus Galenus ipſe ſcientiſſimè practicam generalem, pro omnibus affectibus, in *Libris methodi medendi*, & *de arte curatiua ad Glauconem*, conſcripſit: quos vtinam recentiores, iterum atque iterum perlegerent, deuoratis, & intellectis primùm *Libris de locis affectis*, & *diff. febrium*, quoniam exinde perfectè praxin generalem curandi, ediſcerent: indicationes curatrices, & præcepta artis adipiſcerentur; quibus in particularibus, actualíque praxi vtendo, veri Medici munere fungerentur. Aſt cùm poſthabito fonte, & neglecta viuarum aquarum ſcaturigine, quam in Hippocrate & Galeno exiſtere certum eſt, ad riuulos turbidæ, ac cœnoſæ aquæ accedant, vt laboribus & ſtudiis parcant, fucatam, & falſam praxin ſibi arrogant, quæ ſaltem neceſſariis præceptis careat; vt videre eſt apud ipſos neotericorum, de morborum curatione libros: qui omnes vera methodo, neceſſariíſque indicationibus & præceptis maiori ex parte deſtituuntur. Admoneo igitur Medicinæ ſtudioſos, vt praxin generalem ex locupletiſſimo diſcant Galeno, qui clarè, diſtinctè, & plenè eam expoſuit, docuit, nobíſque reliquit. Ego etiam in *exercitationibus Medicinæ praxis*, hanc eandem medendi Galeni methodum particularibus affectionibus generaliter applico, & curationem per ſua præcepta doceo, vt in illis videbis.

4. Sed quamuis Medicus hanc generalem partem curatiuam perfectè calleat, non totam neceſſariam praxin ſibi comparaſſe imaginetur, quoniam adhuc opus habet praxi particulari, quæ vt actualis, præcipuè in Medico deſideratur: & propriè praxis ſola dici meretur, cùm ipſa ſolùm artis finem attingat. Eſt enim praxis particularis, ſiue actualis, quæ circa homines particulares, vtpote Calliam, Socratem, quorum ſanitas aut conſeruari, aut reſtitui poſtulat, iam opere ipſo verſatur: neque enim in hac praxi, homo in communi curatur, ſed iſte, vel ille. Cùm autem iſte Callias, vel ille Socrates, neque in Scholas, neque in libros adduci poſſint, efficitur vt hæc Medicinæ pars perfectè ſcribi nequeat: neque aliter, niſi per experientiam acquiri, ac edoceri valeat, cùm non ſola ratione, aut diſputatione, ſed vſu fiat Medicus ſicut gubernator, & agricola: quandoquidem vnaquæque ars (ex Ariſtot. *lib. 1. diuin. initio*) ſuum opus præſtat in aliquo particulari: hoc autem non ratione aut ſcriptis, ſed ſenſu, & exercitatione comprehenditur: fit citharœdus ſæpe citharam pulſando. Si alterum deſit, vſus vel doctrina, Ariſtoteles magis laudat expertum, quàm doctum: ſtultum enim eſſe ait, ex ſolis ſcriptis imperare. Nos autem alibi hoc explicuimus fuſiùs: nunc quomodo praxis iſta actualis acquiratur, percurramus. Igitur cùm hæc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 13 sur 927

actualis praxis, vera praxis exiſtat, atque inde à ſenſibus, & opere dependeat, & ab ipſa totius artis finis proficiſcatur, cùm proximè curet, operæpretium me facturum duxi, ſi quomodo ea ab experientia acquiratur, breuiter expoſuerim.

5. Igitur per experientiam propriè, & impropriè, vel perfectam, & imperfectam ita vocatam, intelligere licet, vt in diſputatione de origine Medicinæ, & omnium ſcientiarum, à nobis fuit declaratum, *exerc. med.* 1. *part.* 1. *ſect.* 1. *&* 2. ex quo loco ea tantùm, quæ huic noſtræ doctrinæ neceſſaria videbuntur, hîc breuiter repetemus. Cùm igitur Medicina, praxi propriè dicta, actuali conſtet, vt dictum eſt, indiget experientia imperfecta, quæ nihil aliud eſt, quàm obſeruatio, & perceptio à ſenſibus externis, & internis circa ſingularia, atque ideò apprehenſiuæ potentiæ tribuitur, háncque ipſam Ariſtoteles aliqua bruta poſſidere tradit, 1. *metaph.* 1. Porrò huius apprehenſiuæ potentiæ beneficio, ſingularia in ipſis obſeruationibus perfecta cognoſcere ſolemus: námque cùm obſeruatio multos ſenſus, vel ſenſationes obſeruet, neceſſaria exiſtit ad particulares affectus cognoſcendos; quapropter cùm aliquã rem, vel eius effectum percipimus, & ſentimus, eam experiri, & obſeruare dicimur: atque ita hæc experientia latam vocabuli ſignificationem obtinet; cùm propriè obſeruatio potiùs dici debeat. Sed vtcunque ſit, ea, vt valde neceſſaria, requiritur in qualibet operatiua arte, & maximè medica; vbi non ſolùm homo particularis, qui curatur, & eius affectiones, ſed & omnia, per quæ mederi volumus, obſeruari, & per ſenſus perfectè cognoſci debent.

6. Sed propter artis excellentiam, cùm ſit ordinis ſuperioris, vt ſæpe diximus, non ſufficit, vt in aliis artibus, ſola rerum obſeruatio, & imperfecta experientia, ſed opus eſt, vt ſedulò quoque adhibeamus perfectam experientiam, quæ habitus iudicatiuus, ex multorum particularium collatione, ſuper eundem affectum, productus extat: atque illo habitu iudicamus ita rem habere in ſingulis, vt in quibuſdam certis ſumus experti: pérque illud reddimur prompti ad iudicandum, hunc effectum ſolere à tali cauſa prodire. Quare hæc experientia in homine ſolo, & non in quolibet, ſed in heroïco ingenio reperitur, & omnium artium inuentrix apud auctores prædicatur. Ego autem eam, huius Medicinæ partis lucem, &, vt cum Galeno loquar, ſubſtentaculum, & alterum neceſſarium, quo gradiatur, crus exiſtere, omnibus inculcare ſoleo: cùm non ſolùm in ſingularibus ſe exerceat, in illíſque cognoſcendis, promptum, firmúmque iudicium adhibeat, ſed etiam aliquid vlteriùs addat: quod eſt, vt ipſorum multorum ſingularium, & obſeruationum recordetur, & cum iiſdem circumſtantiis inter ſe conferat, vt ſimilem curationem verbi gratia adhibere poſſit. Atque in iſta, quam diximus collatione, perfectæ experientiæ eſſentia conſiſtit. Si enim ſingularia inter ſe non conferantur, ſed ipſa per ſe conſiderentur, non perfectæ experientiæ, ſed obſeruationis, & impropriæ experientiæ nomen ſortitur.

7. Atque ob hæc, quæ modò expoſuimus, vtraque experientia, & præcipuè perfecta, quam potiùs in ſequentibus, per hoc nomen intelligere volo, Medicinæ praxin artifici conciliare poteſt. Neque eſt alia via, per quam ad praxin, partémque Medicinæ particularem, & curatiuam rectè peruenire poſſimus, niſi per experientiam, & hoc eſt quod Philoſophi aſſerunt, ad cognitionem rerum particularium, vtilius eſſe ſe exercere in harum actionibus, per experientiam, quod Practici faciunt, quàm mentem adhibere in cognitione cauſarum, per ſcientiam, vel vniuerſalium perceptionem, quod Theorici agunt. Denique res particulares potiùs à ſenſibus in ipſo effectu, & à poſteriori cognoſcuntur, quàm à mente in ipſarum idea, vel cauſis, à priori intelliguntur: hæc enim noſtræ cognitioni remotiora, illa verò proximiora exiſtunt, & hæc eſt Ariſtotelis ſententia, dum ait 1. *Metaph.* 1. expertos magis rem attingere, quàm qui rationem ſine experientia habent. His ita breuiter prælibatis, (nam cætera *in illa exercitatione* pleniùs examinantur,) quomodo per vnam, atque alteram experientiam Medicinæ praxis acquiratur, breuiter explicemus.

8. Empi

8. Empirici, quorum ſententiam Galenus fuſiùs explicat, atque in opere ipſo, ſiue pro acquirenda Medicinæ praxi, inſequitur, duplicem experientiam conſtituebant, vnam propriam, & alteram Hiſtoricam. Propriam vocabant, quum vnuſquiſque ex proprio intuitu, per ſuas obſeruationes, ſibi eam comparabat, atque illud quod ſæpius iuuare viſum eſt, memoriæ tradebat; ídque præceptum artis fidele vocabant. Vbi duo notari debent, quibus admiſſis, nos quoque Empiricis aſſentimur, vt per hanc propriam experientiam, praxin Medicam acquiri poſſe cum illis affirmemus.

9. Primum eſt, vt antequam Medicinæ ſtudioſus ad praxin, & experientiam, ex intuitu proprio percipiendam admittatur, generalem Medicinæ partem, quam etiam Theoricam vocari diximus, perfectè calleat: & praxin quoque generalem anteà agnoſcat, vt deinde ad obſeruationem, propriámque experientiam accedendo, fructus veros, qui erunt cognitiones adæquatæ circa illa ſingularia, decerpere poſſit: Et ratio huius eſt manifeſta, quia ordo addiſcendarũ artium incipit ab vniuerſalibus, vt ab illis, quibus potentialiter ſingularia continentur: & cùm non ſit ars ſine theorematis, & præceptis, quæ vniuerſalibus conſtant, efficitur vt ſine illis non poſſimus nos in particularibus exercere: ars autem ſine præceptis, eſt cæca, & viam ſui operis ignorans. Vnde Galenus *9.meth.cap.6.* ait: *Pro comperto habentes, non licere vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi methodum quandam habueris per vniuerſalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris.* Atque hæc probant, praxin, quam generalem diximus, quæ methodus quoque vocatur, priùs addiſcendam eſſe, antequàm quilibet ſe in particularibus exerceat. De Theorica, præter id quod dictum eſt, patet etiam, quoniam noſtræ Medicinæ ſubiectum corpus adeſt humanum, cuius non perfunctoria, ſed penitiſſima cognitio requiritur: Nam præterquàm quòd præceptum eſt Philoſophicum, vt quilibet artifex cognoſcat ſubiectum operationis, in quod agat, ſaltem in quantum operi ſuo conducit, in Medicina hoc exactiùs, & cum maiori claritate, adipiſci conuenit; cùm ſanitatem, Medicinæ vnicum finem, non artifex ſolùm introducat, ſed multoties à natura perficiatur: vnde naturam morborum medicatricem vocat Hippocrates: & rectè id Valleſius *6.epid.ſect.5.com.1.* aduertit, aiens: *Nullus morbus poteſt perfectè ſanari ope ſolius artis, ſed neceſſe eſt vt natura ſanitatem ægrotantis perficiat: vnde Medici vocantur naturæ miniſtri.* Quare huiuſmodi naturam, proprietatem, & opera, potiùs exactè cognoſcere oportet, vt in parte Theorica docetur) vt ſubiectum, & cooperatrix cum artifice facultas, ſimul cognoſcatur. Aliter cùm quiſpiam abſque huiuſmodi cognitione, ad particulares obſeruationes, & propriam experientiam deueniet, vt anteà ſine præceptis, ſic nunc quoque (dico) ſine iſtis cæcutiet: & operibus naturæ, vel morbi, ſi ea non intelliget, ſæpius perturbabitur? neque effectuum cauſam noſcet, vt dicebát Ariſtot. *loco citato,* inquiens: *Quia per artem,* (id eſt per generalem artis cognitionem) *ſcimus cauſam; per experientiam* (id eſt per propriam obſeruationẽ, abſque artis generali perceptione,) *minimè.* Iam verò quantum cauſarum cognitio, Medico praxin exercenti, neceſſaria ſit, omnibus patere exiſtimo, cùm ex cauſarum ablatione curatio affectus dependeat. Habita igitur huius Artis vniuerſalium cognitione, dum homo in particularibus ſe exercet, vel in obſeruationibus, vel in experientia, promptitudinem, & facilitatem acquirit, qua illa, quæ vel Theoricæ, vel Praxis generalis ope, in intellectu vniuerſaliter habebat, promptè in particularibus ſenſibiliter percipiat, videat, cognoſcat, quibus perfectus, & abſolutus artifex redditur.

10. Secundum notandum, quod addendum ſententiæ Empiricorum duxeram, illud eſt, quòd propria experientia intelligatur illa, quam ſub Magiſtro, eiúſque lateri adiunctus Medicus tyro exercet, non autem ea, quam quiſque ex proprio intuitu, abſque præceptoris periti, & experti Medici præſentia, ſibi acquirit. Etenim homo viribus naturæ, vt ſibi non potuit artem de nouo inuenire, abſque externo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 15 sur 927

auxilio, & docente, vt alibi oſtendimus, ita praxin ipſam comparare non valet, ſine eo qui viam doceat, & inter vnum atque alterum ſimilem, primo intuitu, ſed diuerſum, tum eſſentia, tum cauſis, effectum diſtinguere, & cognoſcere oſtendat: quod in noſtra arte ſæpe ſæpiùs accidit. Cùm igitur ipſa Medicina, & præcipuè curatiua, naturæ labyrinthæa varietate, & obſcuris latebris abdita ſit, indiget equidem Dædalo demonſtrante, vt effectus naturales, & illos, qui præter naturam ſunt, & cuinam morbo, vel cauſæ pertineant, inexpertum doceat impropria experientia, vt deinde habitu iudicatiuo, acquiſito promptè, ſimilia intelligere queat: alioquin ſemper fallax (vt illic demonſtrauimus,) experientia propria erit. Deinceps verò hæc propria experientia, quò maior, & maturior in vnoquoque fuerit, firmius & clarius iudicium efficit, & minimè difficile: ipſa verò plus certitudinis poſſeſſori ſuo quotidie conciliabit; vnde Medicus, quò ſenior, & expertior, eò doctior, & curationibus aptior, dummodò memoria firmiter retineat quæ vidit, & rectè expertus eſt.

11. Verumenimverò horum duorum notabilium, quæ diximus, defectu noſtri æui Empiricos admirari non deſino, qui ab Hoſpitalibus, ſiue ægrotis, (quos vulgi deceptione, & propria impoſtura, vt quondam Theſſalus Romæ, Galeno nullos obtinente, curandos multos ſuſceperunt,) experientiam & artem, ſibi iam comparaſſe gloriantur: cùm tam ob rerum generalium cognitionis defectum, quàm ob particularium non exactam perceptionem, & docti Magiſtri alienationem, potiùs Pſeudoartifices exiſtant, atque nunquam veri Medici euadere poſſint, cùm fundamentum, & tota armatura ad hanc militiam illis prorſus deſit. Quapropter vt huic vitio, apud plures nationes maximè graſſanti, Hiſpanorum Medica Reſpublica ſuccurreret, lege ſanciuit, ne Medicinæ initiatis curandi licentia tribuatur, nî priùs eos lateri docti, & experti Medici adiunctos, duos integros annos in videndis ægris, ſimul conſumpſiſſe, poſt promotionem Academicam, & exhauſtam, per ſexennium, Theoriam, liquidò conſtiterit: Sic enim propriâ experientia hanc artis partem, quæ particularis praxis dicitur, acquirere poſſe ſibi perſuadent.

12. Hiſtorica experientia eſt illa, quæ à maioribus exactiſſimè acquiſita, nobis multa exempla proponit, quibus in ſimilibus caſibus, eodem modo noſtros ægrotos regere poſſimus. Atque hæc ipſa, quamuis apud particulares ægros olim fuerit exercitata, aliquid ta men habet praxis generalis, dum tandem ſcribitur, & veluti exempla offerendo, nobis imitanda proponitur; atque ideò non ſolùm initiatis, ſed proiectis in arte, & expertis Medicis, valde quoque neceſſaria eſt: quoniam in ſe continet majorum obſeruationes, multorúmque morborum dexteras relationes, & ex arte curationes, vt pote ab Archiatris ſapientiſſimis exercitas: vnde ex illis, multorum morborum, & caſuum rarorum notitiam habebit quilibet doctus: & exinde cum ſuis obſeruationibus factâ collatione, perfectam experientiam ſibi comparare poterit: cùm præcipua therapeutica præcepta, ex huiuſmodi ſcriptis, & experientiis, ſi non eruuntur, vt ego exiſtimo, ſaltem confirmentur, & Medicum idoneum reddant, vt tutò & audacter illis vti, & ſuis particularibus applicare poſſit. Etenim noſtra ars in ipſis particularibus, vbi ſe exercet, ita perplexum, & dubium artificem facit, dum morborum, & ſymptomatum inſultum varium, & fortaſſe nunquam ſibi viſum in praxi conſpicit, vt quò ſe vertat, & quomodo curationem (ſi ex arte, & non cæcè, vt multi faciunt, agendum eſt) aggredi poſſit, ignorata fortaſſe cauſa, penitus neſciat. Sed ſi vnum, vel alterum ex Archiatris, & Medicinæ luminibus, collegam ſibi in curatione inueniſſet, ô quantum gauderet! quantam lucem rebus, & cognoſcendis & faciendis, conſequeretur! iámque adhibita inter vtrumque conſultatione, de ægri ſtatu, & remediis, tutiùs deliberati poterit. Sed in Medicorum Principum Hiſtoria, quandoquidem eos viuos conſulere nequit, ipſorum conſilium ſibi adhibebit Medicus. Cùm igitur praxin exercenti Medico, ægrotus

neceſſariò

neceſſariò occurrat, cui ſimilis aliquis è Medicorum Principibus, in aliqua ipſorum hiſtoria extiterit, iam in ſuam conſultationem adhibebit illum Archiatrum, qui ſimilem affectionem hiſtoricè exhibet: atque adhibito experimento imitatorio, ſimili modo procedet. Eſt enim experimentum imitatorium, illud quod ab hiſtoria aliquando elicitur; congruus nempe de re ſimili ad ſimilem tranſitus: aliqualis etenim ſimilitudo in affectibus, ſufficere videtur, vt eodem ferè modo curari queant, veluti cum Gallica lues ob ſimilitudinem cum Morphæa, remediis iiſdem illuc tranſlatis euincitur. Quantò magis quòd in Medicorum Hiſtoriis, eædemmetipſæ affectiones, cum iiſdem cauſis, & ſymptomatis, ſæpe ſæpiùs inueniuntur, cum illis, quas quotidie praxin actualem exercendo conſpicimus. Quapropter eas continuè legere conuenit, & omnes memoriæ tradere, vt illis Medicus practicus, tot & tantis talium virorum exemplis abundans, exercitatior & doctior euadat, & in propria curatione ſuum Archiatrum in conſilium habeat, vt anteà dixeram, & ſuper libros Epidemiôn Hippocratis, in præfatione doctiſſimorum ſuorum commentariorum, Valleſius de ipſomet Hippocrate aſſerit.

13. Cùm autem hæ hiſtoriæ diſperſæ apud varios auctores, & multoties obſcuræ, antiquitate, & naturæ inuolucris abditæ ſint, ecce doctiſſimus, & veluti alter Archiater, ZACVTVS LVSITANVS, has palantes Hiſtorias ordine miro, à capite vſque ad pedes repoſitas collegit, commentariis illuſtrauit, obſcura enodauit, controuerſias diremit, Galeni doctrinam ſaniſſimam defendit, mentem Principum aperuit, dubia & falſa euulſit, in vtraque Medicinæ parte Theoricam luci Galenicæ reſtituendo, & Praxin maiorum obſeruationibus adaugendo, ita vt totum hoc DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA Zacutinum opus vniuerſam Medicinam ab omni ſorditie mundam, ab omni parte excultam, & perpolitam complectatur, neque aliquid pro tota Medicina addiſcenda, & Armatura Medica, noſtro, & grauiſſimorum auctorum iudicio, ei vlteriùs deeſſe videatur. Deinde ne Hiſtoriis Praxis particularis deeſſet, eam hic Auctor ſcientiſſimus quinque libris comprehendit graphicè, ſolerter, & ingenuè, in quibus morborum naturam, cauſas adiunctas, ſigna, præſagium, & curationem enodat, practicis quæſtionibus, & obſeruationibus vtiliſſimis illuſtrat, & exornat. HISTORIAS ergo ZACVTINAS, ſicut & *earum praxin* & aureolos *praxis Admirandæ* libros lege, relege, perlege, atque ſæpius euolue, ibi enim tuo deſiderio ſatisfacies & veram artem conſequi valebis.

Sed inquies, vbi ſunt *Principum Chirurgorum Hiſtoriæ*, quas ille tribus libris proponere, & interpretari *libro primo ſuarum Hiſtoriarum* eſt pollicitus, quæ Medicis, & Chirurgis ſunt vtiles valde. Quare doctiſſimus ZACVTVS eas præteriit? Anne Chirurgiam à Medicina artem diuerſam exiſtimauit? minimè quidem. Sed quia in Hiſtoriis Medicis poliendis hactenus neruosè inſudans totus fuit, vir grauis annis, & multo iam defeſſus labore vſque adeò hoc negotium perficere non potuit. ZACVTVS autem eas prætermiſit, fortè vt noſtro muneri opus Chirurgicum relinqueretur, quod equidem libenter explicandum ſuſcipiemus, & Diuino aſpirante Numine perficiemus. Sunt enim plures Chirurgicæ Hiſtoriæ in monumentis Hippocratis, Galeni, Celſi, Pauli, Auicennæ, Auenzoaris, Halyabbatis, & aliorum. Quod opus, vt Zacutinis hiſtoriis, quaſi illarum ſupplementum adiungatur, noſtráque cum tanti viri nomine memoria vbique extet, & de eo gloriam (ſi fas eſt viro bono ita dicere) nobis manaturam credimus. Cui operi, *ſupplementum Chirurgicum ad opera præſtantiſſimi Zacuti*, nomen imponemus.

CLARIS

©BIUM

CLARISS. VIRORVM EPISTOLÆ AD ZACVTVM LVSITANVM DE SVA HISTORIARVM PRAXI.

Eruditissimo atque præclarissimo viro, D. Zacuto Lusitano, Doctori Medico Amstelodamensi, Renatus Moreau Professor Regius, Christianissimi Regis Consiliarius, & Scholarum Censor.

NON opinor aberrabo, (Vir eruditissime) si, vt Didymum Alexandrinum Hesychius, sic te ego χαλκέντερον & adamantinum dixerim, διὰ τὴν πρὸς τὰ βίβλια ἐπιμονήν. Quis enim non miretur, ea te ætate libros legere, colligere, & edere in qua cæteri penè deficientibus omnibus corporis organis, & ipsis cæcutientibus oculis ab omni studio penitus abstinent? Præmium senectutis quies est, vt ipsæ leges monent, quæ maiorem annis sexaginta otio reddunt. Vacat ætas ista muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri.

Miles depositis annosus secubat armis,
Grandæuique negant ducere aratra boues.
Putris & in vacua requiescit nauis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat.

Tu tamen graui ista ætate, quæ à morte non solet longè abesse, ea studia excolis, quibus sustinendis integrum humanæ vitæ curriculum impar esse solet. Infinitos auctores legisse, hominis est delitias in varia lectione quærentis: ex illis selegisse, quæ pulcherrima & obseruatu dignissima, viri est prudentis magis quàm curiosi: sed ad publicam omnium salutem singula ea digessisse, & ex incertis obseruationibus, ac infidis plerumque relationibus certa & indubitata præcepta deduxisse, hominis est supra vulgum sapientis. Vt à me alienum est conuiciandi vitium, sic odiosum est adulandi studium, quòd illud humanitatis nostræ, hoc grauitatis indignum arbitremur: quod ideò dixi, ne quis putet tibi me adulari, si te ex lectione & selectione multarum grauissimarúmque rerum, & ex admirabili illa Historiarum tuarum, & Obseruationum compositione & digestione, virum incomparabilem vocauero. Non est fortassis nouum, quosdam totam vitam triuisse in librorum lectione, ad quos non secus quàm ad deambulationes & rusticationes quasdam diuertunt. Scio plurimos in colligendis locis communibus, velut in condendis thesauris, quos posteris relinquerent, totos desudauisse. Sed qui frugaliter infinitos Auctores legerit, qui vtiliter decerpserit, qui prudenter æquè ac sapienter digesserit, & ad vsum medicum reuocauerit, hoc sæculo præter Zacutum agnosco neminem. Medicarum tuarum Historiarum sex libri, opus vt arduum, & laboris immensi, sic admirandum, & iudicij exacti. Neque iudicium solum in eo obseruo, quo senes temperari & commendari solent, vtpote qui ad omnia alia ætate sapiant rectiùs, vt ait Comicus, sed prætereà inexhaustæ memoriæ fundum, cuius tamen penuria senectus laborat, siue quòd senes propter decrementum in continuo sunt defluxu, siue quia ob siccitatem species rerũ nequeuut retinere. Hoc propria me docet experientia, qui in dies singulos minui & extingui sentio memoriam,

qua

©BIUM

qua non mediocri aliàs valere gloriabar. Animaduertóque inter ætatis quinquagenariæ vitia viſum in proximis, memoriam in remotis, hoc eſt, in olim lectis paulatim deficere. At tibi viuax & ſuperſtes memoria, cuius exempla in tota Hiſtoriarum ſerie illuceſcunt, deſignat te nihil habere, Leontini Gorgiæ inſtar, quod incuſes ſenectutem. Quæ εὐδαιμονία καὶ εὐμοιρία τῆ φύσεως, omnibus conceſſa non eſt, ſed ſapientibus ſolis, quorum mens, docente Sophocle, diuina luce nutrita eſt:

ἐκ ὅτου γῆρας ἦλθ' σοφῶν, ἐν οἷς ὁ νοῦς
θεία ξυνέστι ἡμέρα τεθραμμένος.

Atque vt in hortis ac viridariis fructiferæ arbores in quincuncem digeſtæ, lætioris licèt & lautioris prouentus, ſolæ non oblectant, ſed etiam inanes floſculi per areolas & puluillos diſperſi: ſic in tuo illo opere, non ſola laudantur ſeria, & momenti grauioris medica documenta, ſed elegantes pleræque & amœnæ digreſſiones de Philologia & Philoſophia vniuerſa, quarum commiſtione, & velut intercalatione, legentium animi mirum in modum recreantur. Sed audio flumen ingenij tui illis Hiſtoriarum circulis non circumſcribi, meditaríque te nouum opus de vſu medendi, omniúmque morborum curationis methodum aggredi, non modò ex fontibus veterum & recentium Medicorum hauſtam, ſed ex propriis experimentis & obſeruationibus depromptam. Eam vtinã tam accuratam & exactam nobis exhibeas, vt deinceps nobis nihil ſit deſiderandum. Nemo Medicorum non calcauit hoc iter: plerique Medicinam auſpicantur ab hoc ſcriptionis genere: cúmque vix tres aut quatuor ægritudinum ſpecies viderint, aut de cæterarum præſidiis cenſoria quadam auctoritate definire. Lepida capita! quæ de capite hominum tam leuiter & temerè decernunt. Implent totas paginas remediorum formulis, quas nullo ordine ex diuerſis auctoribus compilarunt, neglectis indicationibus, ex quibus neceſſaria remedia depromuntur. Hinc inde colligunt compoſitiones medicamentorum, quas nemo probus in vſum vnquam reuocauit. Ab illis nec probata, nec experta, nec inuentu, paratúque facilia, nec benigna aut domeſtica annotantur: ſed exotica, pretioſa, operoſa, ſpagyrica, ſuperſtitioſa, præſtigiatoria, dictu quoque nefanda & abominanda. Sanguinem humanum ſorbendum propinant: hauriendam exhibent lochiorum ſaniem: carnes humanas variis artificiis adulteratas, & in diuerſas formas immutatas edendas, bibendáſue præbent: nequidem ab vrinis, ſtercoribus, inteſtinorum lumbricis, pediculíſque abſtinent, quos nemo videat ſine nauſea, nemo niſi furioſus deuoret: ſuſpendunt è collo araneos: fœtidiſſimas matulas imponunt vmbilico, & apponunt ori: ſperma ipſum recens ouo ſorbili permiſtum deglutiendum dant, tam impia & ſceleſta, quàm putida & horrenda medicatione. Non loquor cætera, quæ tu (ZAEVTE DOCTISSIME) diligenter vitabis, & fugienda monebis. Cùm enim à quadraginta annis, quibus Medicinam exerces, experientiam doctrinæ adiunxeris, nugas iſtas & mera deliria à tuis ſcriptis exterminabis, & in indicationibus Galenicis conſiſtens, pauca præſidia, ſed facillima, probatiſſima, familiariſſima præſcribes. Expecto à te, vt quæ in Hippocrate & Galeno deficiunt, ſuppleas; quæ in Auctoribus barbaris ſuperuacanea ſunt, circumcîdas; quæ in nonnullis confuſanea & obſcura, illuſtres; quæ in aliis deprauatè ſcripta, & perperam poſita, interpreteris; quæ in Chymiſtis & nouatoribus audacter & temerè præſcripta, caſtiges: ſic fiet vt abſolutam & perfectam omnibus numeris medendi methodum habituri ſimus, non modò humano generi ſalutarem, ſed nomini tuo ad æternitatem propagando glorioſam. Vale. Datum Lutetiæ Pariſiorum, quarto nonas Iun. anno reparatæ ſalutis humanæ, 1639.

Franciſcus

©BIUM

Franciſcus Pererius, Goanæ ciuitatis Orientalis ſtipendiarius, & Illuſtriſs. Diui Antonij à Gama, Proregis India Orientalis Archiater. Zacuto Luſitano, S.

POſtquam profectus ab Olyſippone, vaſti illius, & indignantis Oceani incolas, quos vel Orbis domitor Hercules expauit, alacri, & inuicto animo noſter Prorex Gama intrepidè ſulcauit, & alij mecum ſocij in eadem naui Indica oneraria, vela dabant læti, & ſpumam ſalis ære ruebant. Ego in meo cubiculo inſiſtens, & abditus, contemplabar, quàm pulchra eſſet maris immenſitas ad aſpectum, quàm fœcunda ad procreandam ſobolem, tot piſcium, & innatantium belluarum copiis abundans, rurſus hac conſideratione ſepoſita, conſulebam amicos, hoc eſt, libros, inter quos tuus liber de Medicorum Principum Hiſtoria primus, quem recenter emiſſum ex Antuerpia Olyſippone emi, lætitiam ingeſſit ſummam, & adeò mentem meam ad plenum erudiuit, vt certò affirmare poſſim, te vnum eſſe in Medicina primum: nam ſi codices, & teſtimonia vera Galeni incurſu Barbarorum, vel omnia pereant, pro cunctis te habeat Medica Schola, ſecura quaſi nihil amiſerit, quę libentiſſimè legat, imitetur, & colat. Accedens ad Goam, totius Indiæ Orientalis metropolim, non me ab eius lectione deterrent occupationes multæ. Auidi per literas te cæteros in lucem emiſiſſe, fac & inſuda, chariſſime Zacute, vt Illuſtriſſ. Domino D. Diego Ioan. à Sylua Olyſipponenſi, domus Regiæ Oeconomo, maximo Mecænati meo eos tranſmittas; ilicò enim lucem meam aſpicient, quorum pellucida doctrina doctior factus, ſæuientium morborum inſultus dexterrimè coërcebo. Valę præſtantiſſime vir, & me tuis literis ex Amſtelodamo ad me miſſis, ſingulis annis illuminare non ceſſes. Ex Goana ciuitate ſemper Auguſta, menſe Maij, anno 1635.

Ludouicus Nonnius Antuerpienſis. Zacuto Luſitano.

DIfficili valetudine impeditus non potui hactenus amiciſsimis tuis reſpondere, ſed cùm benignior Hygeia tandem me reſpexerit, & pulſo languore paulatim priſtinus vigor redierit, animus manum iuſsit operari, & calamum ſumere, vt ſcias me valere, & viuere, tibíque perpetuò deuinctiſsimum fore. Libros tuos de Medicorum Principum Hiſtoria, vt iuſſeras, clariſsimo, doctiſsimo Doctori Franciſco Pacio, Sereniſsimi Principis Archiatro miſi, qui auro contrà illos æſtimat, atque ingenij tui acrimoniam, & ſingularem eruditionem multo cum verborum honore extollit, petiítque plura exemplaria, vt in Hiſpaniam ad primarios Regis Medicos mittantur, vt ſciant noſtro Septentrioni non deeſſe ſuos Æſculapios. Optaret autem, vt & Praxin pari filo attexas, vt opus tuum omnibus numeris abſolutum ſit; nam quantum in Medicinæ hac parte excellas, libri tui de Praxi Medica admiranda nuper euulgati abundè docent. Quare ſeriò te hortabor, vt quam nactus es Spartam ornare velis, & quæſtionibus illuſtribus, quas peritè enodas, eam ad vmbilicum perducas. Vno verbo dicam, Aquila es in nubibus, quæ acutiſsima acie omnia explorat, & penetrat. Iterum enixè à te expoſtulo, vt pergas nos beare doctiſsimis tuis ſcriptis, quæ

Canęſcent ſęclis innumerabilibus:

cùm ſint vtilia, polita, terſa, acuta, & fermentata ſatis, quæ

Non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Vale, Medicorum Phœnix, ac me ama. Antuerpiæ, 1638. 9. menſis Decembris.

Ioannes

Ioannes Delgadilho de Robles, Mexicanæ Scholæ Profeſſor primarius, Zacuto Luſitano. S.

NImio amore legendi libros doctos animus meus exardeſcit, quare ex remotiſſimis regionibus illos exquiro. Ecce Hiſpalenſis Bibliopola hoc anno miſit mihi Hiſtorias tuas cum Praxi admiranda agglutinatas. Deus bone! quàm vberrimâ, & ſucculentâ doctrinâ ſunt refertæ, quàm perſpicuæ, quàm elegantes, & vtiles? Eiâ age eruditiſſime Zacute, earum Praxin citò euulgandam cura, & ad Hiſpanos mitte, vt hac ratione ad nos allata, eius diſciplina imbuti, miſeros ægros, tot, tantíſque malis obſitos iuuare poſſimus. Interim Dominus ad hos ſtudiorum labores ferendos in aliorum gratiam, te diu ſeruet incolumem. Vale clariſſime Doctor. Ex Mexicana Academia, anno 1635. die verò 8. menſis Martij.

Ishaac Lupus Conſtantinopolitanus, Legatorum omnium apud Turcarum Imperatorem Medicus ordinarius.

EX Venetiis allata ſunt Hiſtoriarum tuarum viginti exemplaria, quæ illicò diſtracta fuére, cùm ſint ſummis laudum præconiis celebranda. O! quàm ſubtiliter arguis, grauiter diſſertas, quæſtiones medullas, & ſenſum Medicorum Principum verè extricas. Supereſt, vt Praxin Hiſtoriarum extemplò euulgandam cures, quæ recipietur à doctis gratiſſimè. Vale, & me, licèt longo interuallo à te diſtantem ama, foue, & tuis dulciſſimis literis conſaluta. Conſtantinopoli, 16. Iulij 1637.

Clariſſimo & experientiſſ. viro, Dn. Zacuto Luſitano, Medico Celeberrimo, S. D. P. Sereniſſimi Daniæ, Noruegiæ, &c. Regis Perſonæ Medicus, Iacobus Fabricius, Eccleſiæ Cathedralis Arrhoſienſis Prælatus, inque Vniuerſitate Roſtochienſi Collegij Medici Senior, ac Profeſſor Ordinarius, ac Primarius.

ADmirari debeo, & meritò magnopere admiror, (ZACVTE EXPERIENTISSIME) beneuolentiam erga me tuam, ſingularémque humanitatem, quam literis ad D. Danielem à Caſtro, mihi planè cognitam atque perſpectam reddere voluiſti. Laudo igitur ingenium, moréſque tuos, nec ipſos vnquam amare, & aliis omni tempore prædicare deſinam. Salutauit verò ille me tuo nomine diligenter, vt eſt vtriuſque noſtrum amator ardentiſſimus, & huiuſmodi officiorum, quæ propria ſunt ingenuorum hominum, obſeruantiſſimus; neque potui me viciſſim continere, quin protinus ad te aliquid literarum ipſemet exararem, vt quem ſemper, ex quo primitus præclara tui ingenij monumenta vidi, propter optimarum rerum incredibilem ſcientiam, diuinam illorum, quæ legiſti, memoriam, accuratiſſimum omnium ordinem, colui & amaui, hicce in te adfectus meus tibi plenè innoteſceret, quem & (cùm ob locorum diſtantiam præſens explicare intercludar) vbiuis in animo meo firmum nunquam non tuebor, conaturus ſi non alia ratione, tamen crebriori ſcriptione te quauis occaſione ſalutare, vt vtrimque, amicitiam hanc noſtram conſeruare, & in vſque vitæ terminum fideliter propagare queamus. Vt autem nunc aliquid tibi ad communia noſtra pertinens ſtudia exponam, non poſſum non vehementer laudare difficilem tuum, ne dicam improbum, in tot legendis autoribus laborem, incredibilem induſtriam, & indicibilem iudicandi dexteritatem: neque enim vllibi vagari, vel laſciuire, vt quorundam fert pernicitas, ſed tibi perpetuò

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 21 sur 927

conſtans per aliena veſtigia ita excurrere voluiſti, vt antiquorum repertis plurima noua, & lectori iucundiſsima addere, dubia enodare, erroneas opiniones eradicare, imò penitus profligare, multorum proteruiam coërcere, & rectam veterum viam laudabili, & paucis imitabili exemplo tenere, reuerà videaris, planè alienus ab iis, qui vetuſtatis decreta, ſæpe minùs dextrè intellecta, mordicus apprehendunt, neque inde vel latum digitum, licèt Iuniorum experimentis contrarium doceatur, ſecedere audent. Probamus meritò veteres, & grato animo illorum inuentis adhæremus; ſed ſunt illi inſtar Gygantum, quorum humeris nos iam impoſiti, multò longiùs ſpectamus, & ab iis parum obſeruata rimamur, ínque humanæ vitæ vſum decenter flectimus. Videmus quantum auiculæ illæ, quibus cælum & ſolum omne peruium dedit Natura, degenerent, poſtquam in caueas detruſæ ſunt, vt alienis, non ſuis moribus adſueſcant: Ita ſi ad alienum præſcriptum etiam ſolertiſſimi adigantur, ſegniores ſubinde fiunt, & inertia, quaſi præmanſo viuentes, iacent. Quare ego imitationem quidem vtilem, ac ſalutarem imbecillis, ac primùm promouentibus ingeniis ſemper exiſtimaui; quomodo ſerperaſtra, vt inquit Varro, damus infantibus, ne vari, aut compernes fiant, dum adhuc ingredi condiſcunt, quibus adultos etiam vti quàm probroſum, imò ridiculum videatur. Sicut ergo aliquando natandum eſt ſine cortice, ita non ſemper ductoribus, tanquam pædagogis nitendum, ne, quod Athenienſibus obiecit hoſpes Ægyptius, pueri ſemper deprehendamur. Vias & ſemitas, quæ ad forum perducant, non quærunt niſi peregrini homines. Neque tamen hoc dixerim, quòd alieno conſilio vti turpe putem, cùm Græcorum prouerbio ſcitum ſit, πολὺ βελτίω ἱερόν τι εἶναι, ſed quòd non per ſe aliquando ſapere, & ex aliorum ſemper vel iudicio, vel imitatione pendere, fœdiſſimum arbitrer. Quiſque enim eam ſtudiorum ſuorum rationem ſequi debet, quæ maximè oblectet, inuitet, alliciat; neque vnum eſt omnium palatum. Quis verò eſt, qui guſtum ſuum meliùs agnoſcat, quàm ille ipſe qui ſibi propinat, nullo indigens præguſtatore; præſertim cùm iam multa delibauit pocula, multáſque vt Comicus ait, releuit ſerias. Non aliter, qua ratione in perlegendis euoluendíſque Antiquorum monumentis, vtendum ſit, vt certiùs, ac tenaciùs memoriæ inſideant, quiſque per ſe, quo eſt ingenij acumine, faciliùs, quàm ex alio (præſertim ſi antea multa perfunctus fuerit lectione) intelliget. Omnia quidem excutienda arbitror, vt ex aliis quid ſequamur; ex aliis quid non ſequamur, ſed fugiamus & vitemus, obſeruare poſſimus. Nihil ominino reſpuendum ſtudioſo homini, quãdo nullus liber tam malus, vt Plinius dixit, ex quo boni aliquid erui non queat. Nuſquam fertiliores ſegetes aſſerunt coloni noſtri, quàm in ſterquiliniis naſci. Seruandum tamen eſt ſine exceptione illud Senecæ præceptum, vt multùm legamus, non multa; éſtque modus in rebus ſaluberrimus, ſtudiíſque immorandum, non immoriendum, ne mens rerum multitudine auocetur, vel opprimatur. Denique & optima quæque ſeligenda ſunt, quod fieri haud poteſt, niſi cuncta attigerimus: in his incumbendum, hæc iterum atque iterum expolienda. Nihil enim lubricum magis homini dedit Natura, quàm memoriam: hanc iacturam ſola aſſiduitas & diligentia ſarcire valet. Ego quidquid lego, quidquid meditor, quidquid inuenio aut comminiſcor, ita omne in arcanis animi recondo, quaſi mox ad vſum humanarum actionum expoſiturus Ac quoniam arduum nimis reor, hæc omnia ſeorſim excerpere, quædam ſanè in commentarium refero, aut peculiari pagella exſcribens, in primis ſi quæ digna aliqua animaduerſione, memoriæ ſepono. Quem modum & morem, niſi fallor, laborioſiſsime Zacute, etiam penès te hactenus fuiſſe, & ſtudioſiſsimè etiam nunc obſeruaui, docent tot à te, decurſu paucorum annorum edita, humano generi perquàm vtiliſsima commentaria, quibus ineffabilem, & totius literati orbis amore ac fauore digniſsimam diligentiam, tuámque rem Medicam altiùs promouendi ſingularem

larem ſolertiam, quàm maximè clarè omnium bonorum & eruditorum oculis exponis, eorúmque voto vſque adeò plenè ſatisfacis, vt ab alio plus, vel fructuoſius quidpiam præſtari, aut publicari poſſe, ne quidem cogitare liceat: neque dubito, quin hæc tua virtus, olim etiam à funere, tam illuſtris futura ſit, vt tuomet ipſius ſplendore contentus, alienas laudes nequaquam deſideres, quomodo te, vir optime, in ſummis quamuis laboribus conſtitutum, fortunatiſſimum dixerim, & ſi ex benefactis cuiuſquam genium metiri oporteat, ego te Diis immortalibus gratiſſimum putauerim, vtpote à quo tot & tanta in Medicos proficiſcuntur emolumenta, quibus enarrandis etiam diſertiſſimus impar audiat. Vires tibi vegetas opto, vt tanto oneri ferendo diutiſſimè ſuperſtes, & quod rectiſſimè cœpiſti, eadem induſtria & ſedulitate continues, ac ad optatiſſimum finem perducas. Amabo verò te, mi Zacute, ſi ad Chirurgica quoque deſcendere, & veluti internorum morborum Hiſtorias ex Medicorum Principibus excerptas hactenus, etiam deinceps externorum prodere, & publico dare, poſt Praxin Hiſtoriarum elegantiſſimam, *Chirurgorum Principum Hiſtorias* nequaquam recuſaueris. Tantæ tuæ erga rem Medicam benignitatis memoriam, nulla vnquam dies abolebit. Ipſemet autem, ſi fortaſſis non ſatis idoneus tuorum laborum laudator videbor, ſedulus illorum admirator perennabo, & quod non potero prædicatione, id honeſto ſilentio aſſequar, vt omnes intelligant, me ingenio tuo faſces ſubmittere, tuíſque laudibus neutiquam ſufficere, ídque libentiſſimè, meritiſſiméque fateri. Quod verò maius præmium, honeſtiúſque exantlatorum laborum obtineri poteſt, quàm laus & teſtimonium clarorum ac doctorum virorum, immortaléque etiam poſt funera nomen? Hoc ergo, celeberrime mi Zacute, age, & ad hanc vnam rem grandi paſſu, vt facis, enitere, tuíſque lucubrationibus porrò Medicos beare perge, neque vlla tibi eueniat, adeò inſtans & importuna auocatio, quæ tam generoſos conatus tuos interpellet. Vale, & me tuis virtutibus ac meritis addictum, tua amicitia dignum exiſtima. Ego viciſsim, ſi quid vnquam tua cauſa me efficere poſſe putabis, paratiſſimus ero, ídque mihi duntaxat audacter imperato. Iterum vale & ſalue plurimùm. Dabam Tychopoli Holſatorum, menſis Nouembr. die 17. Anni Iuliani currentis 40.

Perſpicaciſsime, Operoſiſsime, Acutiſsime, ingenio, & exercitatione, quæ non datur imitari, ſolertiſsime, Medicorum decus.

DIffiterer clam te verba, tuis laudibus centuplo minora, en merita tua, en ineffabilem doctrinam, quibus equidem alios caperet ſatietas, ieiunè tuas delinearem virtutes, delaſſato potiùs, quàm ſatiato ore proferre. Iam verò coràm, quid audeo? Ah demens ego quid temerè tento? an inani conatu, me maiores ſpargere voces? Præſtaret in faucibus raucum ſonum hæſiſſe, quàm ſacrum tuum nomen profana lingua proſtituiſſe: at equidem tuum laudari non potuiſſe eſt, meum laudare te voluiſſe: Cingite Medicinæ alumni venerando Zacuto ſerta, colligamus roſas, texamus corollas, Zacutus dicendo diſertus, diſputando argutus, definiendo ſolidus, curando prouidus, plurium ſalus, omnium gaudium; cur ingratum ſummos honores tibi ſuperſtiti decernere minimè enititur ſæculum, cuius aliquando deſinentis viuere, futurum deſiderio tenebitur anxio, atque fruetur in poſterum memoria non moritura tui. Sed hæc eſt miſerorum mortalium conditio, præſentem te nunc minùs curare, donec abſente tum admirentur, tum venerentur. Méne elucubrando prouidere edoctũ, gloriam nullo æuo caſuram, operum tuorum ignorem? quorum (inquam) operum, ordinem concinnũ obiectare, congrua verba inculcare, graues ſententias inſinuare, congerie argutiarũ congerere, fruſtra duco. Quãdo igitur immortalitate te cogitare cogito, da mihi inclyte Zacute, quod opto, vt nominis mei in tuis ſcriptis memineris

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 23 sur 927

deinceps: fac ne recuſes, ſic me humo ſublatum putem, vbi monumentis nunquam perituris tuis, id inſertum plurics videam. Vale. Dabam Hamburgi, Kalendis Aprilis, 1640.

Tuæ facundiſſimæ doctrinæ admirator

Binjamin Muſſaphia,
Vulgò Dionyſius dictus.

Celeberrimo artis Iatricæ Magiſtro, Zacuto Luſitano, Medico expertiſſimo, & ſummè obſeruando, Doctor
Samuel Dilectus, S.

QVoties (Præclariſſime vir) eruditiſſima opera tua lectito, toties magis demiror! video namque ingenij tui dotes ſimul cum firmitudine memoriæ coniunctas, theoreticas diſputationes, & inextricabiles difficultates à te facillimo negotio enodatas circumſpicio, contemplor practica conſilia, & obſeruationes miras, rationibus non inefficacibus illuſtratas, imò recta curandi methodo ſplendentes & ſucculenta doctrina refertas. Quid de ſex Hiſtoriarum tomis proferam, qui tanta refulgent elegantia, tanta adintegrantur eruditione, tanta ſcatent auctorum lectione? His perſuaſus, creditu puto difficile, per multa temporum curricula ab intellectu humano, etſi ingenuo, aliqua tuis operibus digniora, vel præſtantiora poſſe emitti in lucem, quæ Medicorum animos ita ſuauiter demulceant. Quis enim vel veteranus Dux, tantam potuit vnquam humeris ſuis machinam ſuſtinere? Si enim ad antiquitatem oculorum aciem conuertamus. Poſt Græcos, & Arabes, totius Medicæ ſcientiæ Zacutum inueniemus theſaurum. Si à recentioribus aliquid haurire velimus, omnia ad vnguem ex hoc ſcaturiente fonte emanant, & reconduntur. Ceſſent ergo tot ingeniorum offuſcatores libri, in exiliúmque mittatur tanta ſcriptorum caterua, noſtráque glorietur feliciſſima ætas, cùm iam ſub vnius Zacuti, auctoris tanti, & ab omnibus applauſu ſummo excepti vexillo, ſatis, ſupérque ſufficiat militari, qui in ſuis politiſſimis, & vtiliſſimis Hiſtoriis praxim cum theoria mirè deſcripſit. Meritò ergo illum per Europæas Academias, ab eruditiſſimis Profeſſoribus, & peritiſſimis practicis, audio tantis laudum præconiis celebratum. O ſingularis phœnix! qui ſtudij amore tantopere flagras, & perpetuis vigiliis indefeſſíque laboris æſtro exardeſcis, vt ex cineribus tuis infinita Doctorum ſuſcitetur progenies. O liberalis Pelicane! qui ſanguinis laudabilis præcipuum vitæ fomitem, communi eruditorum victui libenter impertiris. Perge igitur noſtri æui fulgentiſſime Sol, Hebraicæ gentis ſingulare ornamentum, Philoſophiæ denique, ac Medicinæ Anteceſſor digniſſime, & quæ vltrà polliceris, quæſo in lucem prodeant, quibus immortale eruditionis tuæ nomen, & fama indelebilis perſonent in æternum. Vale. Venetiis, 10. die Auguſti, Anno 1640.

Zacuto Luſitano, Medicorum Clariſsimo.

NIhil vnquam mihi fuit antiquius, ZACVTE Doctiſsime, ſæculi decus, ornamentum Reipublicæ Literariæ; nihil (ita vitam) optatius quàm cum Clariſſimis doctrina viris amicitiam iungere: tecum verò, quem doctrinæ præſtantia maximi ſemper feci, quem præ clariſſimis, præque diuinis *De Medica Hiſtoria libris* colui ſemper, & obſeruaui, amicitiæ vinculo iungi, in votis iam inde ab eo tempore mihi fuit, quo celebritas nominis tui, famáque conſtans & illuſtris, vniuerſam

Europam

Europam peragrata, Romæ consedit. Sed Deus adfuit meis votis: dum id animo voluo, ecce tibi Dom Vincentius Noguera, vir generis nobilitate, morum integritate Latina, Græca, Hebraïca Literatura, omni denique doctrinarum genere clarissimus, qui vltrò tuam offert amicitiam, salutémque adiungit tuis verbis. O me beatum! O me felicem! qui vestra benignitate talem amicitiæ thesaurum nactus sum, quem vix animo, verbis nunquam expetere ausus fuissem. Sed est ZACVTE Clarissime, vt pro singulari doctrina tua, pro ea, qua apud omnes Europæ Academias polles fama ac celebritate, à te petam, in ipso amicitiæ limine, vt quod me tibi amore & obsequio coniunxit, perennè augeas: nempe vt præclarissima tua scripta, quæ me in amorem & admirationem tui rapuerunt, perpetuis tuis lucubrationibus excolas, & exornes: Septimum verò Historiarũ volumen, seu primum Praxis Historiarum quod habes præ manibus elaborandum, vt quàm citissimè, gestientibus nobis, & Europa vniuersa auidè exposcente, typis committas, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, méque tuæ doctrinæ, famæ, nominísque celebritati addictissimum esse, tibi persuade. Romæ, III. Idus Iul. CIↃ. D C. X L I.

Petrus Seruius Publicus Theoricæ Medicinæ Professor Ordin. & Pontificis Max. Domus Medicus.

Perillustri, ac Excellentiss. Dom. Domino Zacuto Lusitano, Phys. ac Medicinæ Doctori eximio, Benedictus Maghettus Asitij Patritius, ac Illustr. Ciuitatis Anconæ primus Physicus. S. D. P.

TVos, Praxin scilicet Medicam admirandam, séxque Historiarum Medicorum Principum libros ab amico commodatos legi, relegíque, maxima profectò cum iucunditate: cùm enim non solùm inuentionem, ordinem, paraphrasim, obseruationes, dubitationes, quæstionésque enucleatè tractatas animaduerterim, sed etiam verborum proprietatem, concinnitatem, phrases, elocutionem disertissimam considerauerim, coactus sum proferre, te priscos æquasse, & neotericos superasse: Hisce etenim tuis in libris, procerum Medicinæ parentum sententias, verbáque interpretatus es cæteris clariùs, veritatíque consoniùs, & quod caput est, eosdem à Neotericorum calumniis, falsísque obiurgationibus doctè, subtiliter, concinnéque vindicasti, defendisti, & in populos omnes euolare fecisti. Quare me haud continere valui, quin te hisce meis literis exinde saluere iuberem, tibíque gratulater: Equidem ipse inde à 41. annis, quibus diuersis Vmbriæ, Hetruriæ, & Piscени in Ciuitatibus, Sostro Publico Medicinam feci, qui pari gressu tecum congredi possit cognoui neminem. Teneris igitur ZACVTE doctissime, Deo gratias agere, & habere, qui te perspicaci dotauit ingenio, dicendi facundiam tibi largè largitus est, vitámque longam & incolumem benignè concessit; vnde de te meritò dici potest, venit, vidit, & vicit: tenerísque pari passu, quam citiùs Historiarum Praxin, cæteráque promissa opera, ad Dei gloriam, tui laudem, ac totius Reipublicæ Medicæ vtilitatem, in lucem emittere. Progredere incessanter. Interim Nestoreos vt concedat annos, Deum enixè oratum volo, & hoc subsequens Anagramma exinde furtim, dum Praxin hac in populosissima ciuitate exerceo, contextum, læta fronte, hilaríque animo accipere exoro, ingeniolíque mei tenuitatem ne respicias amabo, sed animi candorem, quo te summo prosequor amore. Vale Medicorum decus, méque mutuiter amare ne te pigeat, iterum iterúmque oro. Vale iterum & salue. Anconæ x. Kal. Martias, CIↃ IↃ CXLI.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 25 sur 927

Zacuto Lusitano, Medico incomparabili, Ioannes Ionstonus, Medicus, & inclytæ Academiæ Francofurtensis Professor Ordinarius.

HIstoriæ tuæ, ZACVTE Eminentissime, ita summorum Medicorum totius orbis animos inflammarunt, vt nihil aliud cogitent, quàm eas legere, reuidere, memoriæ mandare, & rectè, meo iudicio, id faciunt: nam qui ZACVTI opera legit, Galenum legit: ea enim solùm ex facundissimis huius auctoris, aliorum Principum Medicorum sententiis illustribus, oraculísque sunt hausta. Atque pro procerum tutelâ, & doctrinâ ita strenuè dimicas, & facies tuas Herculeas contra nouatorum tela disponis, vt breui temporis momento, ea irrita reddas, exanguia, & penè nulla! O Hebraicæ, imò Lusitanæ familiæ sidus splendidissimum! O Medici chori fulgentissimum iubar! O literatorum vnicum asylum! Vigent bella, Bellona fremit, Mars sæuit, maior pars orbis ad arma concurrit, Medici velut exanimes iacent, imò languidi torpent, & inertes. Medicina flocci fit, præcipiti lapsu ruit. Tu eam hoc modo infeliciter humi prostratam erigis, illius alumnos ad studendum accendis, & eruditissimis scriptis tuis beas, & refocillas. Maximas tibi gratias præsto, quòd in tuis operibus, de meis admirandis ita rectè sentias; cùm ita sit, incultum hactenus me habui, modò tuo suffragio euectus, aliquid me scire existimabo. Vale ZACVTE, ter acutissime, & Ionstonum tuum literis tuis consalutare singulis nundinis velis, obnixè precor. Ex inclyta Francofurtensi ciuitate, 14. die Augusti, Anno 1641.

Doctor Daniel de Luna, Illustrissimi Principis Stanislai à Koniecpoli, Castellani Cracouiensis, exercituúmque Regni Poloniæ, supremi Generalis. Zacuto Lusitano, S.

INcredibili sanè gaudio, me Atticæ literæ tuæ affecerunt, quando ab hospite charo, & desiderabili, longè chariores, & desiderabiliores oblatas vidi: cùm te optatissimâ aura, felicissimáque Minerua fruentem conspiciam. In illis tot perhumanis titulis me exaggeras, non videor eam meruisse laudem, vt & falsò, at à viro omnium laudatissimo merear laudari. Rectos rectè suo vtentes officio decet collaudare, inter quos tu venis enumerandus, nunquam satis pro meritis, encomiis celebratus, vt studiorum tuorum monumenta, nunquam interitura, sponte sua testantur. Ob hanc causam te Apollinis triumphali curru ouantem intueor, sublimi ferientem sidera vertice, comitante Musarum choro, Principúmque Medicorum cœtu, pleniſſimis, vt aiunt, tibiis iactantium, lætantium, buccinantiúmque in tui laudes, vt Te Phœbus ornet, plectat adorea Apollinari, digna tanto præmia contribuens conatu. Quare? quia aduersus omnium proiectam audaciam pro Principum defensione, imò pro veritatis amore, hostilibus gladiis dimicasti, superastíque. Micuit potiùs ridentis fulgor pacis, veritatis, benignitatis tuæ radius enituit, Phœbus splenduit sapientiæ. Non est ergo quòd Doctorum calculum spectes, cùm te, omnis Medicorum Schola, facilè Principem Principum Medicorum vnanimiter iuret. Ideò non possunt non, te omnes consulere: nam gloria est, multos discordes per te concordi pace frui téque vnico duce, de tot in Palæstra literaria strenuissimis militibus, exercitatissimísque ducibus, non leuis hastæ belli doctis, agonis sorte ferè ancipiti, planè instructis, victoriam reportasse, quasi effœta pharetra recéptas, directissimas argumentorum sagittas, animosè reiecisti, abiecistíque glorioſiùs. Assumpsisti prouinciam magnam, incognitam, in qua viæ adsunt Dædaleis labyrinthis obscuriores, in quibus ancipites in triuio hæserunt viatores. Adfuisti tu viarum monstra-

tor,

©BIUM

Crito.
Calliſtus.
Conſtantinus.
Carycles.
Cteſias.
Dioſcorides Anazarbæus.
Diocles.
Damaſcenus.
Damocrates.
Diogenes Apolloniata.
Demetrius.
Domnus.
Eraſiſtratus.
Eudemus ſenior.
Galenus.
Guido Cauliacenſis.
Hippocrates Cous.
Herophilus.
Hermes.
Heraclides Tarentinus.
Hamech.
Haly Abbas.
Haly Rhodoam.
Heraclides.
Herodotius.
Heras.
Ishaac Iſraëlita.
Ioannes Vigonius.
Ieſu Haly.
Ioannitius.
Lycus.
Lucius.
Mantias.
Moſchio.
Meſuë.
Mneſitheus.
Menecrates.
Marinus.
Marcellus Empiricus.
Nicander.
Nicolaus Myrepſus.
Oribaſius Sardianus.
Paulus Ægineta.
Paccius.
Pelops.
Poſſidonius.
Philagrius.
Philotheus.
Platearius.
Philomelus.
Polybius.
Pſellus.
Quintus.
Quintus Serenus Sammonicus.
Rabbi Moſſes de Ægypto.
Rhaſius.
Rufus.
Rufus Epheſius.
Sabinus.
Scribonius Largus.
Simeon Sethi.
Saladinus.
Serapio.
Soranus Epheſius.
Soranus.
Trotula.
Themiſon.
Thucydides.

SCRIPTORES VARII.

Philoſophi Veteres.

Priſcis illis temporibus Philoſophia cum Medicina valde erat coniuncta, Quamobrem Veneranda antiquitas multi fecit viros philoſophandi peritia, & aliarum ſcientiarum facundia claros, in quorum monumentis plurima repoſita ſunt præcepta ad curandos morbos vtiliſsima. Præter Philoſophos extant Oratores, Philologi, Hiſtorici, Poëtæ, Varij, ex quorum facundiſsima ſegete plurima remedia deprompſimus in noſtrum horreum, ſcitu non indigna. De horum cœtu ſunt.

ARiſtoteles.
Anthippus.
Anaxagoras.
Ariſtophanes.
Antiphanes.
Ariſtoxenus.
Aulus Gellius.
Albertus Magnus.
Agellius.
Æſchines.
Alcæus.
Antiſthenes.
Aphrodiſæus.
Ariſtarchus.
Apulejus.
Amphicrates.
Ænius.
Bion.
Cato.
Callimachus.
Cleobulus.
Clinias Pythagoricus.
Chryſippus.
Cornelius Tacitus.
Columella.
Catullus.
Demoſthenes.
Democritus.
Diogenes,
Diogenes Laërtius.
Euripides.
Epictetus.
Empedocles.
Florus.
Heſiodus.
Homerus.
Heraclitus.
Horatius Flaccus.
Iamblichus.
Iſocrates.
Iuuenalis.
Iſidorus.
Lucillius.
Lucretius.
Liuius.
Martialis.
M. T. Cicero.
Macrobius.
Menander,
Muſæus.
Nymphodorus.
Nicoſtratus.
Ouidius.
Olympiodorus.
Pauſanias.
Plato.
Plutarchus.
Praxagoras.
Pythagoras.
Parmenides.
Pindarus.
Plinius vterque.
Plotinus.
Palladius.
Porphyrius.
Plautus.
Philoſtratus.
Perſius.
Procopius.
Philaretus.
Propertius.
Ptolemæus.
Quintus Curtius.
Quintilianus.
Quintilianus Auus.
Seneca.
Socrates.
Spartianus.
Solinus.
Statius.
Salluſtius.
Suidas.
Sophocles.
Stobæus.
Strabo.
Theophraſtus.
Terentius.
Theocritus.
Varro.
Valerius Maximus.
Vitruuius.
Virgilius.
Xenocrates.
Xenophon.
Zeno.

TOTIVS

©BIUM

TOTIVS OPERIS DIVISIO.

Introitus Medici ad praxin in generalia præcepta distributus. pag. 1
Pharmacopœa selectioribus medicamentorum formulis exornata. pag. 75
LIBER I. *Praxis Historiarum curationem morborum capitis proponens.* pag. 137
II. *De curatione morborum agit, qui vitales, & naturales partes infestant.* pag. 262
III. *De curatione morborum muliebrium graphicè disceptat.* pag. 447
IV. *Curationem febrium vbertim describit.* pag. 521
V. & VLT. *Curationem symptomatum febrium affabrè delineat.* pag. 609

SYNOPSIS

SYNOPSIS PRÆCEPTORVM,

QVÆ IN INTROITV MEDICI

Ad Praxin continentur.

PRÆCEPT. PRIMVM. MEdicvs sit diuini Numinis cultor. Pag. 1
II. Medicus vestitu ornetur decoro. 2
III. Nõ sit verbosus,& loquax. 3
IV. Non sit auarus. ibid.
V. De mercede non paciscatur. 4
VI. Non sit inuidus. ibid.
VII. Non sit superbus,& arrogans. ibid.
VIII. Non sit contumax. 5
IX. Fateatur errores. ibid.
X. Non persistat in errore, imò admonitus libenter,& vtiliter patiatur corrigi. ibid.
XI. In gerendis odoribus sibi temperet. 6
XII. Sit sciens & natura prudens. ibid.
XIII. Sit studiosus. 7
XIV. Habeat libros, sed paucos. 8
XV. Optimis vtatur auctoribus. 9
XVI. Caueat à curatione morbi desperati. 10
XVII. Caueat à falsis pollicitationibus. 11
XVIII. Paruum morbum non attollat. ibid.
XIX. Magnum morbum non parui faciat. ibid.
XX. Amet consultationes. ibid.
XXI. Paucos ad curandum assumat ægros. 12
XXII. In nominibus inquirendis multam operam non impendat. ibid.
XXIII. Nihil aggrediatur temerè. 13
XXIV. Nihil contemnat. ibid.
XXV. Non differat morbos. ibid.
XXVI. Cautè præsagiat. ibid.
XXVII. Fugiat à Chymicis, & documenta eorum parui faciat. 14
XXVIII. Rationalem profiteatur artem. 15
XXIX. Ratione vtatur semper,& experimento. 17
XXX. In captanda occasione sit solicitus. ibid.
XXXI. Inspiciat subiectum, circa quod versatur, nobilissimum. 18
XXXII. Sanitatem,vt primarium scopũ attẽdat. 19
XXXIII. Rectè teneat in quã difficili arte versetur. 20
XXXIV. Generoso animo vulgi calũnias cõtẽnat. 21
XXXV. Aliquando ægris gratificetur. 24
XXXVI. Curet citò,tutò,& iucundè. ibid.
XXXVII. A rectitudine non recedat, licèt non appareat iuuamentum. 25
XXXVIII. Rectitudinẽ in euacuationibus obseruet. ib.
XXXIX. Rectis indicationibus nixus,veráque fretus methodo, naturam rectè operantem imitetur. 25
XL. Si natura non mouet, necesse est, vt euacuet. 26
XLI. Si natura mouet,aut mouit,ab euacuatione cessare debet. 27
XLII. In diebus decretoriis non euacuet. ibid.
XLIII. Horam, in qua magna administranda sunt remedia,obseruet. 29
XLIV. A validis medicamentis purgantibus abstineat. 30
XLV. Ante purgãtis medicamẽti administrationẽ, corpus pluribus ingeniis præparet. 31
XLVI. In omnibus à mediocritate non recedat. 33
XLVII. Ad euacuationes tempus aptum eligat. 34
XLVIII. Ad purgationem Astrorum mutationes obseruet. ibid.
XLIX. In frigidis,& calidis tẽperaturis,& humoribus,cautè per venæ sectionẽ euacuet. 36
L. Videat attentè,quæ corporis habitudo maiores ferat euacuationes. 37
LI. Pro euacuatione celebranda consuetudinem obseruet. 38
LII. Ad euacuationem, humoris qualitatem obseruet. 39
LIII. Humoris vergentiam, & inclinationem rectè perpendat. 40
LIV. Locum, per quem euacuatio est facienda, animaduertat. ibid.
LV. Tempus in quo vacuatio fieri debet, contempletur. 41
LVI. In omnibus vacuationibus mensuram, & quantitatem obseruet. 42
LVII. Non omnem morbum suo medicetur contrario. 43
LVIII. Corpora sana, & temperata vsu similium conseruet; intemperata verò, & lapsa, modico contrariorum vsu reducat. ibid.
LIX. Humorem peccantem per partem principem,& affectam non deferat. 46
LX. Mutet ægros de terra in terram. 47
LXI. Naturam vt primarium sanitatis opificem semper iuuet. ibid.
LXII. Robur facultatum obseruet diligenter. 48
LXIII. Locos affectos agnoscat. 50
LXIV. Primarium affectum agnoscat. 54
LXV. Si nõ cognouerit morbũ,subtiliet regimẽ. 55
LXVI. A iuuantibus, & nocentibus, pro remediis adhibendis indicationem sumat. ibid.
LXVII. Rectè teneat quantum in vnaquaque regione remedia euarient. 56
LXVIII. Ad id quod magis vrget attendat. 58
LXIX. Vacuationes symptomaticas non omnino flocci faciat. 59
LXX. Fortia symptomata in statu contingentia generosè non pertimescat. 60
LXXI. Inter omnia symptomata priùs dolorem sedet. 63
LXXII. Vigiliæ citissimè opem ferat. 64
LXXIII. Nõ nisi vacuato corpore,à parte euacuet. ib.
LXXIV. Rectè attendat, quantum interfit curare morbos virorum,& fœminarum. 67
LXXV. In curandis morbis grauidarum strenuam operam impendat. 68
LXXVI. In curandis morbis puerorum, & senum sit cautus. 69
LXXVII. Rectè cognoscat, quàm cautè debeat tractare morbos infantium. ibid.
LXXVIII. In arte anatomica sit apprimè instructus. 70
LXIX. In Chirurgica facultate sit versatus. 71
LXXX. Pharmaceuticæ artis sit studiosus, & callens. 72

Indicem eorum quæ in Pharmacopœa aguntur habes, pag. 73. 74.

SYLLABVS MORBORVM, DE QVIBVS IN TOTA HISTORIARVM PRAXI AGITVR.

IN LIBRO PRIMO.

De capitis affectibus.

CAP. I. DE Alopecia. Pag. 137
II. De Achoribus & Tinea. 139
III. De Cephalalgia. 140
IV. De Phrenitide. 148
V. De Lethargo. 165
De Caro. 173
De Comate. 174
De Typhomania. ibid.
De Catalepsi. 175
VI. De Epilepsia. ibid.
VII. De Apoplexia. 187
VIII. De Melancholia. 194
De Melancholia hypochondriaca. 208
De Amore insano. 211
De Incubo. 213
IX. De Memoria amissa. 214
X. De Paralysi. 220
De Stupore. 229
De Oris tortura. 231
De Gulæ paralysi. 233
De Linguæ paralysi. 234
De Paralysi particulari. 235
XI. De Conuulsione. ibid.
XII. De Vertigine. 243
XIII. De Ophthalmia. 246
XIV. De Aurium inflammatione. 255
XV. De Olfactus læsione. 259
XVI. & VLT. De Dentium dolore. 260

IN LIBRO SECVNDO.

De curatione morborum vitales ac naturales partes infestantium. 262

CAP. I. DE Morbo Gallico. 265
II. De Angina. 280
III. De Pleuritide. 290
IV. De Peripneumonia. 315
V. De Aphonia. 323
VI. De sanguinis sputo. 330
VII. De difficili respiratione. 341
VIII. De palpitatione cordis. 354
IX. De Syncope. 360
X. De Phthisi. 369
XI. De Empyemate. 378
XII. De ventriculi debilitate. 387
XIII. De hepatis inflammatione. 407
XIV. De hepatica affectione. 417
XV. De Hydrope. 424
XVI. De lapide renum, & vesicæ. 434
XVII. De Diabete. 443

IN LIBRO TERTIO.

De morborum muliebrium curatione. 448

CAP. I. DE excellentia fœminei sexus. 448
II. De difficultate, & periculo muliebrium morborum. 449
III. De numero muliebrium morborum. 450
IV. De curatione lethalium muliebrium morborum. 451
V. De prouidentia Medici in curandis morbis fœminarum. ibid.
VI. De sanguine Menstruo. 453
VII. De semine. 458
VIII. De lacte. 470
IX. De regimine Menstruatæ. 474
X. De menstrui suppressione. 479
XI. De menstruis immodicis. 486
De muliebri profluuio. 491
XII. De vteri strangulatu. 492
XIII. De vteri procidentia. 497
XIV. De vteri inflammatione. 498
XV. De regimine prægnantis. 500
De pica prægnantium. 505
XVI. De mola. 506
XVII. De fœtu mortuo. 508
XVIII. De regimine enixæ. 509
XIX. De secunda derelicta. 511
XX. De torminibus à partu. 515
XXI. De regimine infantis. 517
XXII. De electione nutricis. 518
XXIII. De lactis correctione. 519

IN LIBRO QVARTO.

De febrium curatione generali. 520

CAP. I. DE aëre febrientibus accommodato. 521
II. De decubitu febricitantium. 524
III. De regimine febricitantium. 525
IV. De forma victus. 529
V. De quantitate victus. 531
VI. De qualitate victus. 532
VII. De tempore vniuersali exhibendi cibum. 536
VIII. De tempore particulari offerendi cibum. 539
IX. De numero & ordine cibationis. 540
X. De potus vsu, & vtilitate. 541
XI. De tempore exhibendi potum. 543
XII. De somno. 544
XIII. De motu, & quiete. 546

XIV. De

XIV. De clyſtere, & glande. ibid.
XV. De phlebotomia. 548
XVI. De concoctione humoris. 556
XVII. De purgatione. 560

De Febrium curatione particulari.

XVIII. De febre diaria. 563
XIX. De febre ſanguinea imputri. 564
XX. De febre ſanguinea putri. 570
XXI. De febre ardente. 573
XXII. De Tertiana exquiſita. 577
XXIII. De Tertiana notha. 581
XXIV. De Semitertiana. 583
XXV. De Quotidiana. 585
XXVI. De febre quartana. 592
XXVII. De febre hectica. 596
XXVIII. De peſte. 601
De febre peſtilente. 606
De febre maligna, puncticulari. ibid.

IN LIBRO QVINTO, & VLT.

CAPVT PRIMVM.

De ſymptomatis præcedentibus febres.

NVM. 1. LAſſitudo. 609
2 Dolor capitis. 611
3 Sudor ſuperfluus. 614
4 Nauſea, vomitus. 616
5 Cibi faſtidium. 618
6 Diarrhœa. 619
7 Cholera. 622
8 Sternutatio importuna. 623
9 Dorſi incendium. 624

CAPVT SECVNDVM.

De ſymptomatis cum febre pronatis.

NVM. 1. COlicus dolor. 635
2 Iliacus dolor. 626
3 Hæmorrhoïdes. 629
4 Hæmorrhagia. ibid.
5 Tuſſis, Catarrhus. 631
6 Dyſenteria. 634
7 Icterus. 636
8 Lachrymarum fluxus. 637
9 Fames canina. 640
10 Læſio guſtus. 641
11 Ventriculi dolor. 644
12 Sitis immodica. ibid.
13 Animi deliquium, & ſyncope. 645
14 Cordis palpitatio. ibid.
15 Verminatio. ibid.
16 Rigor. 647
17 Conuulſio. ibid.

CAPVT VLTIMVM.

De ſymptomatis quæ in medio & fine febrium inſultu ingraueſcunt.

NVM. 1 STilla ſanguinis è naribus. 648
2 Vigilia immodica. 649
3 Difficultas reſpirandi. 650
4 Difficultas deglutiendi. ibid.
5 Frigiditas extremorum. 651
6 Dorſi incendium. ibid.
7 Somnus profundus. ibid.
8 Parotides. 652
9 Lienteria. 653
10 Cœliaca. 655

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 31 sur 927

INDEX QVÆSTIONVM TOTIVS OPERIS.

Quæstiones Introitus Medici ad Praxin.

QVÆST. PRIMA. VTRVM Medicus debeat esse diuini Numinis cultor. Pag. 1

2 Vtrum loquacitas in Medico laudanda. 3
3 Vtrum auaritia in Medico vituperanda. ibid.
4 Vtrum præmium à Medico expetendum. 4
5 Vtrum inuidia in Medico notanda. ibid.
6 Vtrum errores à Medico confitendi. 5
7 Vtrum decorum sit Medico suorum errorum reprehensionem generosè ferre. ibid.
8 Vtrum Medicus debeat esse natura prudens. 6
9 Vtrũ Medicus studij debeat esse obseruátissimus. 7
10 Vtrum multitudo librorũ Medico obesse possit. 8
11 Vtrum optimi solùm auctores à Medico legendi. 9
12 Vtrum conclamati morbi à Medico tractandi. 10
13 Vtrum dignum sit Medico plura polliceri. 11
14 Vtrum magnus morbus contemnendus. ibid.
15 Vtrum Medicorum consultatio optima. ibid.
16 Vtrum pauci ægri ad curationem simul sint assumendi. 12
17 Vtrum de nominibus disceptandum. ibid.
18 Vtrum temeritas à Medico eliminanda. 13
19 Vtrum omnia à Medico contemplanda. ibid.
20 Vtrum cautè præsagiendum. ibid.
21 Vtrum Chymica auxilia à Medicorum schola explodenda. 14
22 Vtrum disciplina dogmatica præstet Empiricæ. 15
23 Vtrum occasio à Medico amplectenda. 17
24 Vtrum corpus humanũ sit Medicinæ subiectũ. ibid.
25 Vtrum sanitas sit primarius Medici scopus. 18
26 Vtrum Medicina sit ars difficilis. 20
27 Vtrum Medicina sit scientia, vel ars. ibid. c. 2
28 Vtrum Medicina sit scientia præstans, & necessaria. ibid. & 21
29 Vtrum vulgi calumniæ à Medico generoso contemnendæ. ibid.
30 Vtrum aliquando ægris gratificandum. 22
31 Vtrum curatio celer, possit esse tuta. ibid.
32 Vtrum rectitudo à Medico semper obseruanda. 23
33 Vtrum rectitudo in recta partium positione consistat. ibid.
34 Vtrum natura à Medico semper imitanda. 25
35 Vtrum mouente natura, aliquid à Medico mouendum. 27
36 Vtrum in die critico vacuatio celebranda. ibid.
37 Vtrum hora dici pro exercendis remediis contemplanda. 29
38 Vtrum à validis medicamentis abstinendum. 30
39 Vtrum ante purgationem, corpus præparandum. 31
40 Vtrum in corporibus paratis ad diarrhœã, ante purgationem præparatio præcedere debeat. 32. c. 2. a
41 Vtrum in corporibus diarrhœæ obnoxiis, vomitoria medicamenta cum solutiuis permiscenda. ibid.
42 Vtrum in corporibus paratis ad vomitũ, vomitoria cum expurgantibus per aluũ, permiscẽda. ibid. e
43 Vtrũ Trauli cũ præmeditatione expurgãdi. 33. c. 1. a
44 Vtrum ante purgationem, balneum administrandum. ibid. e
45 Vtrum ante purgationem, corpus tenui victu præparandum. c. 2. a. b
46 Vtrum à Medico in exercendis auxiliis mediocritas seruanda. 33. c. 2. c
47 Vtrum à Medico pro celebrandis præsidiis opportunum tempus eligendum. 34
48 Vtrum ad purgationem, astrorum mutationes obseruandæ. ibid. c. 2. e
49 Vtrum crescente, an decrescente luna, corpus expurgandum. 35. c. 1. c
50 Vtrum in temperamento calido, vel frigido cautè phlebotomia celebranda. 36. c. 2. a
51 Vtrum corpora gracilia & rara, facilius quàm crassa & densa, vacuationes tolerent. 37.
52 Vtrum ad vacuationes consuetudo seruanda. 38
53 Vtrum ad vacuationem, humoris qualitas obseruanda. 39
54 Vtrum vergentia humoris à Medico contemplanda. 40
55 Vtrum locus per quem vacuatio fieri debet, à Medico inuestigandus. ibid. c. 2
56 Vtrum tempora morbi à Medico contemplanda. 41
57 Vtrum in omnibus vacuationibus semper obseruandus modus. 42
58 Vtrum concoctio ad purgationem requisita, debeat esse perfecta, vel manifesta. ibid. c. 1
59 Vtrum omnis morbus suo curetur contrario. 43. c. 1
60 Vtrum corpora temperata, vsu similium conseruanda. ibid. c. 2
61 Vtrum corpora intemperata, per contraria sint conseruanda. 44. c. 2. b
62 Vtrum per partem affectam, & principem vacuatio facienda. 46. c. 1
63 Vtrum pro curatione morborum interdum solum sit vertendum. 47. c. 1
64 Vtrum natura à Medico semper iuuanda. ibid. c. 2
65 Vtrum omnium facultatum robur à Medico sit perpendendum. 48. c. 2
66 Vtrum maius robur sit necessarium ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem. 49. c. 1, b
67 Vtrum locorum affectorum notitia à Medico plurimis ingeniis inquirenda. 50. c. 2
68 Vtrum Medico magis necessaria sit affectus, an affecti loci cognitio. 53. c. 2. e
69 Vtrum primogenius affectus à Medico cognoscendus, & à secundario distinguendus. 54. c. 1. e
70 Vtrum ignorato morbo Medicus possit aliquod auxilium præscribere. 55. c. 1
71 Vtrum à iuuantibus, & nocentibus curatiua indicatio desumenda. ibid. c. 2
72 Vtrũ pro varietate regionũ remedia variãda. 56. c. 2
73 Vtrum varietatis morborum in diuersis regionibus, aër ambiens causa sit. ibid.
74 Vtrum

74 Vtrũ ab aëre ſumatur indicatio ad curandũ. 53.c.1.e
75 Vtrum vrgentiori ſemper occurrendum. 58.c.1.e
76 Vtrum vacuationes ſymptomaticæ aliquando vtiles. 59.c.1
77 Vtrum ſymptomata in ſtatu contingentia generoſo Medico pertimeſcenda. 60.c.2.d
78 Vtrum in ſtatu morbi omnia fortiora. 61.c.1.b
79 Vtrum dolori inter omnia ſymptomata citiùs ſuccurrendum. 63.c.1
80 Vtrum præſente dolore vacuatio extrema celebranda. c.2.b
81 Vtrum vigiliæ illicò opitulandum. 64.c.1
82 Vtrum vacuatio à parte affecta celebranda. ibid.c.2
83 Vtrum abſtergentia ſint calida, vel frigida. 66.c.2
84 Vtrum curatio muliebrium morborum à virilibus differat. 67.c.1.e
85 Vtrum curatio grauidarum ſit difficilis. 68.c.1
86 Vtrum in ſenibus, & pueris cautè remedia adminiſtranda. 69.c.1
87 Vtrum infantiles morbi ad curandum ſint difficiles. ibid.c.2
88 Vtrum infantibus acuto morbo correptis, ſcarificatio, & purgatio ſint ex vſu. ibid.
89 Vtrum ars Anatomica Medico neceſſaria. 70.c.2
90 Vtrum Medicus in Chirurgica facultate debeat eſſe verſatus. 71.c.1.e
91 Vtrum Medicus, artis pharmaceuticæ debeat eſſe peritus. 72

Quæſtiones in Pharmacopœa propoſitæ.

1 VTrum radices hyeme colligendæ. 77.c.1.e
2 Vtrum caules, folia, & flores medio vere legendi. 80.c.1
3 Vtrum ſemen rectè diuidatur in manifeſtum, & occultum. c.2.b
4 Vtrum animæ plantarum ſint diuiſibiles. ibid.c
5 Vtrum fructus ſemper maturi ſint colligendi. ibid.e
6 Vtrum liquores, ſucci, liquamenta, Gummi, Reſinæ, & lachrymæ, ſolo nomine, an re ipſa inter ſe diſtinguantur. 81.c.1.a
7 Vtrum liquor decoctus cum Rhabarbaro curandis morbis ſit ex vſu. c.2.a
8 Vtrum doſis Rhabarbari à Meſue præſcripta ſit ſemper obſeruanda. ibid.e
9 Vtrũ Rhabarbarũ, & Rhaponticũ ſint idẽ. 82.c.1.b
10 Vtrum noſtrum Rhabarbarum Græcis fuerit incognitum. ibid.d
11 Vtrum Rhabarbarũ ſit graue cum raritate ſua. c.2.b
12 Vtrum Rhabarbarum tenuiſſimè triturãdum. ibid.d
13 Vtrum Rhabarbari infuſio ſit decoctione præſtantior. ibid.e
14 Vtrum Rhabarbarum coctione indigeat. ibid.
15 Vtrum Rhabarbarum magis purget in ſubſtantia, quàm in infuſo. 83.c.1.a
16 Vtrum Rhabarbarum grauidis concedendum. ib.b
17 Vtrum Rhabarbarum in pleuritide, aliiſque affectionibus thoracis propinandum. ibid.d
18 Vtrum pulpa caſſiæ fiſtularis correctione indigeat. 84.c.1.a
19 Vtrũ pulpa caſſiæ fiſtularis grauidis offerenda. ib.b
20 Vtrum pulpa caſſiæ ſit diuretica. ibid.c
21 Vtrum aqua ſtillatitia ex floribus pulpæ caſſiæ ad curandas febres vtilis ſit. ibid.d
22 Vtrum cortex pulpæ caſſiæ menſtrua prouocet. c.2.a
23 Vtrum Dioſcoridis, & Plinij phœnicobalanus ſit Arabum tamarindus. ibid.d
24 Vtrum Tamarindi in principio febrium putridarum poſſint concedi. 85.c.1.a
25 Vtrum ſcammonium, virus redolere debeat. c.2.d
26 Vtrũ ſcammonio correcto ſemper vtendũ. 86.c.1.b
27 Vtrum ſcammonium ſit præparandum, & coquendum in pomo. c.2.a
28 Vtrum Aloë vniuerſum corpus expurget. 87.c.2.a
29 Vtrum Aloë lædat hepar. ibid.b
30 Vtrum Aloë hyeme exhibenda. ibid.c
31 Vtrum Aloë aperiat ora venarum. ibid.d
32 Vtrum Aloë à cibo ſumpta, vtilis ſit. 88.c.1.c
33 Vtrũ Aloë in ſoporoſis affectibus cõcedenda. ibid.e
34 Vtrum Aloë correctione indigeat. c.2.a
35 Vtrum Aloë lauanda. ibid.b
36 Vtrum antiqui Myrobalanos cognouerint. 90.c.1.a
37 Vtrum Myrobalani diuerſarum arborum ſint fructus. ibid.b
38 Vtrum ſerum lactis ſit frigidum, an calidum. ibid.a
39 Vtrum ſerum lactis aliquando pro morborum curatione chalybeandum. ibid.b
40 Vtrum ſenna à Græcis fuerit cognita. 98.c.2.a
41 Vtrum ſennæ foliis maior purgandi vis, quàm folliculis inſit. ibid.c
42 Vtrum ſenna debilitet ventriculum. ibid.

QVÆSTIONES LIBRI PRIMI
Praxis Hiſtoriarum.

QVÆST. PRIMA. VTrum defluuium pilorum, ſit morbus, an ſymptoma. 138.c.1.a
2 Vtrum Alopecia ſit difficilior ad curandum, quàm Ophiaſis. c.2.a
3 Vtrum pueri inter reliquas ætates ſint tineæ magis obnoxij. 139.c.2.c
4 Vtrum Tinea ſit affectus contagioſus. ibid.e
5 Vtrum cerebrum ſentiat. 143.c.1.a
6 Vtrum dolor ita per conſenſum in parte poſſit concitari, quin pars alia dolens intemperiem, vel continui ſolutionem patiatur. 144.c.1.b
7 Vtrum externi capitis dolores ad oculorum radices porrigantur. 145.c.1.c
8 Vtrum dolor capitis permanens, ſit ſymptoma, an morbus. ibid.c.2.e
9 Vtrum vinum in cephalæa concedẽdum. 142.c.2.b
Vtrum poſt ſyrupos bilioſum humorem præparantes ſomnus concedendus. 146.c.1.a
10 Vtrum ius gallinæ inſulſum, die purgationis commodè offerendum. ibid.b
11 Vtrum catapotia in capitis affectibus poſt cœnam exibenda. c.2.c
12 Vtrum ſyrupi ex aceto parati in cephalalgia melancholica poſſint offerri. 147.c.2.b
13 Vtrum Phrenitis ſit inflammatio ſicca, an humida. 149.c.1.b
14 Vtrum cerebrum poſſit inflammari. ibid.d
15 Vtrum Phrenitis ſit potiùs inflammatio cerebri, vel membranarum eius. c.2.d
16 Vtrum periculoſior ſit inflammatio cerebri, vel membranarum eius. 150.c.1.d
17 Vtrum delirij variæ ſint differentiæ, & gradus. ib.e
18 Vtrum facultates principes plures ſint conſtituendæ. c.2.d
19 Vtrum ſenſus communis in numero facultatum Principum ſit reponendus. 151.c.1.a
20 Vtrum ad numerum facultatum Principum reminiſcentia ſit referenda. c.2.b
21 Vtrum facultates rectrices ſedibus diſtinguantur. 152.c.1.a
12 Vtrum Principes animæ facultates per organa operentur. ibid.e
23 Vtrum Phrenitis à bilioſo humore, vel à ſanguine generetur. 153.c.1.e
24 Vtrũ inflammatio ex ſolo ſãguine oriatur. c.2.c
25 Vtrum ſigna imminentis, & præſentis phrenitidis, à Galeno tradita, ſint vera. 155.c.1.b

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 33 sur 927

26 Vtrum Galenus phrenitidem veram à falsa rectè distinxerit. 156.c.2.e
27 Vtrum à phrenitide respiratio magna, & rara sit inseparabilis. 157.c.2.d
28 Vtrum mutatio phrenitidis in Lethargum aliquando ad bonum terminetur. 158.c.2.b
29 Vtrum pro phrenitidis curatione vtilis sit aër luminosus, an obscurus. 159.c.1.a
30 Vtrum vinum phreniticis concedendum. ibid.e
31 Vtrum in phrenitide phlebotomia celebranda.c.2.d
32 Vtrum ante sectionem maiorum venarum, venæ sectio in fronte in phrenitide exequenda. 160. c.2.c
33 Vtrum in initio phrenitidis, aliarúmque inflammationum repellentia admouenda. 161.c.2.b
34 Vtrum in principio omnium inflammationum semper repellentia imponenda. 162.c.1.a
35 Vtrum in augmento phrenitidis repellentia superent resoluentia. ibid.c.2.c
36 Vtrum in statu æqualis portio resoluentium & repellentium sit admouenda. ibid.c
37 Vtrum in declinatione inflammationum resoluentia semper applicanda. ibid.e
38 Vtrum repellentia vacuent à parte. 163.c.1.d
39 Vtrum in phrenitide oxyrhodinum,actu frigidum, vel calidum sit admouendum. c.2.d
40 Vtrum in phrenitide purgatio celebranda.164.c.1.e
41 Vtrum inflammatio sit de essentia Lethargi. 165. c.2.a
42 Vtrum locus affectus in Lethargo, sit cerebrum, an ventriculi eius. ibid.e
43 Vtrum in Lethargo cerebrum afficiatur perpetuò per essentiam, an aliquando per consensum. 166.c.1.a
44 Vtrum intemperies in Lethargo requisita,sit calida, vel frigida. ibid.
45 Vtrum in Lethargo pituita plus humida qualitate officiat, quàm frigida. 167.c.1.e
46 Vtrum in Lethargo pituita necessaria putrescat. c.2 b
47 Vtrum pulsus Lethargicorum sit intercurrens. 168. c.2.c
48 Vtrum delirium sit signum pathognomonicum Lethargi. 169.c.1.c
49 Vtrum cremor amygdalarum in soporosis affectibus concedi possit. 171.c.2.b
50 Vtrum vini potus in Lethargo sit ex vsu. ibid.d
51 Vtrum in Lethargo venæ sectio celebranda. 172. c.1.a
52 Vtrum sit assignandum coma criticum. 174.c.1.e
53 Vtrum Typhomania sit affectio media inter Phrenitidem, & Lethargum. c.2.e
54 Vtrum soporem vigilantem necessariò febris comitetur. 175.c.1.d
55 Vtrum Epilepsia sit conuulsio, an motus conuulsiuus. 175.c.2.d
56 Vtrum motus in Epilepsia sit naturalis, an præter naturam. 176 c.1.c
57 Vtrum cerebrum in Epilepsia patiatur,vt pars similaris, an instrumentalis. c.2.a
58 Vtrum conuulsio in Epilepsia,ad conuulsionem ex inanitione,vel repletione sit referenda. ibid.d
59 Vtrum in Epilepsia ventriculus anterior, medius, vel posterior afficiatur. 177.c.1.a
60 Vtrum spiritus animalis in cerebri ventriculis, an in reti mirabili generetur. ibid.c
61 Vtrum prima Epilepsiæ species à Galeno rectè constituatur. 178.c.1.e
62 Vtrum secunda Epilepsiæ species à Galeno tradita sit admittenda. c.2.a
63 Vtrum Epilepsia à crasso,an tenui humore oriatur. ibid.d
64 Vtrum immaterialis, nudáque qualitas possit esse Epilepsiæ causa. 179.c.2.b
65 Vtrum Epilepsia à sanguine gigni possit. ibid.d
66 Vtrum in Epileptica accessione semper adsit ventriculorum cerebri obstructio. 180.c.1.b
67 Vtrum Epilepsia pituitosa sit frequentior melancholica. 181.c.1.a
68 Vtrum Epilepsia melancholica pituitosâ sit perniciosior. ibid.c.1.c
69 Vtrum infantes, pueri, adolescentes, aut senes, Epilepsiæ sint magis obnoxij. ibid.c.1.e
70 Vtrum Epilepsia sit affectio hæreditaria. c.2.b
71 Vtrum Epilepsia sit morbus acutus. 182.c.1.c
72 Vtrum Epilepsia ætatis mutatione sanetur. ibid.d
73 Vtrum pueri ad calidiorem ætatem accedentes, ab Epilepsia consanescant. c.2.a
74 Vtrum Epilepsia sit viris magis familiaris, quàm fœminis. ibid.e
75 Vtrum Epileptica accessione præsente, sanguis emittendus. 183.c.2.c
76 Vtrum Venus Epilepticis concedi possit. 184.c.1.c
77 Vtrum in Epilepticis sanguis è cubito, vel talo extrahendus. c.2.c
78 Vtrum apium pro curanda Epilepsia sit vtile. 185. c.1.a
79 Vtrum suffitus lapidis Gagatis possit esse contra Epilepsiam antidotum. 186.c.1.c
80 Vtrum Apoplexiæ definitio à Galeno tradita, sit optima. 188.c.1.a
81 Vtrum respiratio in Apoplexia ab aliqua virtute superstite celebretur. c.2.b
82 Vtrum in Apoplexia ventres magis afficiantur, quàm corpus cerebri. ibid.e
83 Vtrum Apoplexiæ differentiæ rectè à Galeno sint enumeratæ. 189.c.1.e
84 Vtrum à pessima, & desperata Apoplexia aliquis euadere possit. c.2.d
85 Vtrum citra vllam respirationem,& pulsum viuant Apoplectici. 190.c.1.a
86 Vtrum causæ Apoplexiæ à Galeno assignatæ sint solùm admittendæ. c.2.b
87 Vtrum carotidum arteriarum,vel iugularium venarum sectio, vel compressio Apoplexiam subitò inducat. ibid.e
88 Vtrum flatus nebulosus Apoplexiæ causa immediata esse possit. 191.c.1.e
89 Vtrum immateriale frigus Apoplexiam excitare possit. c.2.d
90 Vtrum supinus decubitus Apoplexiam possit inducere. 192.c.1.a
91 Vtrum Apoplectici non reuocentur in vitam, in quorum ore spuma apparet. c.2.b
92 Vtrum in Apoplexiæ accessione cucurbitulæ hypochondriis imponendæ. 193.c.1.c
93 Vtrum in Apoplexia clysteres ex vino sint accommodi. ibid.e
Vtrum sternutatoria ante totius corporis vacuationem in paroxysmo apoplectico imperanda.ibid.
94 Vtrum theriaca, & odora medicamenta ante totius prouidentiam, palato, & naribus admouenda. c.2.a
95 Vtrum antimonium in accessione Apoplectica exhibendum. ibid.d
96 Vtrum in melancholia cerebrum,an cor efficiatur. 194.c.2.c
97 Vtrum omnes potentiæ rectrices in melancholia lædantur. 195 c.1.d
98 Vtrum melancholici, res iucundas,vt tristes percipiant, & eas fugiant. c.2.b
99 Vtrum melancholia in cerebro generetur.196.c.2.a
100 Vtrum è pituita proximè, & immediatè melancholia generetur. ibid.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 34 sur 927

101 Vtrum Galenus ex habitu, temperatura, & conſtitutione corporis, rectè collegerit, an melancholicus ſanguis in vniuerſo corpore, vel cerebro coaceruetur. 197.c.2.d
102 Vtrum ex euacuatione retenta, & alimenti melancholici vſu, verè iudicauerit Galenus, an melancholicus humor in toto, vel in cerebro cumuletur. 198.c.2. c
103 Vtrum ex anteacto vitæ regimine cognoſci poſſit, an melancholicus ſanguis in cerebro, vel in toto corpore abundet. 199.c.1.c
104 Vtrum ex cura per venæ ſectionem tentatiua agnoſci poſſit, an melancholicus ſanguis in toto, vel in cerebro redundet. col.2.c
105 Vtrum Melancholia ſit humor. 200.c.1.c
106 Vtrum melancholicus ſuccus ſit ſanguinis fæx, differátque à bile atra, & denigrato ſanguine. 201.col. 1.b
107 Vtrum melancholicus ſuccus acidus ſit. ibid.d.
108 Vtrum atra bilis acida ſit. ibid.col.2.a
109 Vtrum omnis atra bilis exuſta, à prædominio calida ſit, vel frigida. ibid.c
110 Vtrum omnis atra bilis ex ſucco melancholico ſit deterior eâ, quæ ex flaua bile generatur. 202. c.1.a
111 Vtrum fermentatio terræ facta ab atra bile, à calore vel frigore oriatur. ibid.e
112 Vtrum in iecore, & corpore temperato plus generetur ſucci melancholici, quàm in frigido, & ſicco. col.2.e
113 Vtrum variæ, & veluti infinitæ melancholicorum imaginationes, vni melancholici ſucci naturæ ſint referendæ. 204.c.1.a
114 Vtrum timor, & mœſtitia à Melancholicis ſint inſeparabiles. col.2.c
115 Vtrum humor melancholicus, ſolo temperamento, vel colore, metus, & mœſtitiæ cauſa ſit. 205.c.1.e
116 Vtrum bilioſa temperatura ad generandum ſuccum melancholicum ſit aptiſſima. 206.c.2.b
117 Vtrum melancholia ſit morbus periculoſus. ibid.d
118 Vtrum melancholici ſint ſapientes. ibid.e
119 Vtrum ſanguis ad prudentiam plus conferat melancholiâ. 207.c.2.a
120 Vtrum Galenus Melancholiæ hypochondriacæ naturam, & ſigna rectè deſcripſerit. 208.c.2.b
121 Vtrum melancholia hypochondriaca ex pylori inflammatione oriatur. 209.c.1.b
122 Vtrum in hypochondriaco affectu neceſſariò adſit obſtructio. 210.c.a
123 Vtrum hypochondriaci pulſationem magnam in meſenterio perſentiant. ibid.b
124 Vtrum præcipua amoris ſedes in oculis ſit conſtituenda. 211.c.1.d
125 Vtrum ſenes mente, iuuenes memoriâ polleant. 214.c.2.c
126 Vtrum Galenus in inueſtiganda ſede memoriæ læſæ, meritò Archigenem reprehendat. 215. c.1.c
127 Vtrum memoria, principéſque aliæ animæ actiones ad corporis offenſam lædantur. col.2.d
128 Vtrum memoria ab exuperante frigore perpetuò lædatur. 216.c.2.d
129 Vtrum ab exceſſu paſſiuarum memoria poſſit oblædi. 217.c.2.a
130 Vtrum ſigna memoriæ ex frigore læſæ, ex ſomno, & vigilia, Galenus rectè collegerit. 218. c.1.a
131 Vtrum ab excretis per nares, & os verè iudicauerit Galenus memoriam à frigore lædi. 218.c.1.e
132 Vtrum ex præcedente vitæ regimine memoriam à frigore lædi Galen. ſcienter ſtatuerit. col.2.b
133 Vtrum nerui definito à Galeno tradita ſit optima. 220.c.1.c
134 Vtrum omnis neruus ſit natura ſiccus. col.2.d
135 Vtrum nerui ſint ſicciores arteriis. 221.c.1.d
136 Vtrum neruus temperamento frigidus ſit. ibid.e
137 Vtrum neruus ſit organum tactus. col.2.a
138 Vtrum neruus deferens ſenſum, deferat etiam motum, & è conuerſo. 222.c.1.a
139 Vtrum facultas ſenſitiua & motiua ſint vna, vel diuerſæ. ibid.e
140 Vtrum facultates ſenſitiuæ inter ſe ſint diſtinctæ. col. 2. b
141 Vtrum ſpiritûs qui ad organa ſenſuum mittuntur, facultatem illi organo accommodatam deferant, an ſolùm expetantur, vt inſtrumenta facultatis per neruos diſtributæ. ibid.e
142 Vtrum genuina, & naturalis cerebri temperatura ſit frigida, an calida. 223.c.1.d
143 Vtrum affectio in qua motus ſeruatur, illæſo ſenſu, dicenda ſit reſolutio. 224.c.1.e
144 Vtrum paralyſis ad obſtructionem ſolùm, an ad omne morbi genus ſequi poſſit. col.2.d
145 Vtrum paralyſis à carnis intemperamento aliquando oriatur. 225.c.1.a
146 Vtrum Galenus paralyſim ab apoplexia rectè diſtinxerit. col.2.b
147 Vtrum membrum paralyticum extenuetur. ibid.e
148 Vtrum paralyſis dextra frequentior ſiniſtrâ. 226. col. 1. b.
149 Vtrum paralyſis in vna tantùm corporis medietate fieri poſſit. ibid.e
150 Vtrum paralyſis vnius lateris citiùs ſanetur, quàm paralyſis vnius membri. col.2.a
151 Vtrum paralyſis dextra ſit periculoſior ſiniſtrâ. ibid.b
152 Vtrum in paralyſi vinum concedendum. 227. c.1.d
153 Vtrum in paralyſi cum febre coniuncta, priùs curanda ſit febris quàm paralyſis. col.2.e
154 Vtrum in paralyſi ſequuta ad apoplexiam, è latere affecto, an ſano, ſanguis ſit detrahendus. 228.c.1.c
155 Vtrum in paralyſi ex retenti menſtruis orta, vena in talo ſecanda. ibid.d
156 Vtrum ſola intemperies frigida, & humida ad ſtuporis generationem concurrat. 230.c.1.b
157 Vtrum Torpedo occultâ, an manifeſtâ qualitate torporem inducat. ibid.d
158 Vtrum ſtupor ſit propria neruorum paſſio. col.2.b
159 Vtrum in conuulſione caninâ pars ægra ad ſe ſanam trahat, an è contra. 232.c.1.c
160 Vtrum gula paralyſi infeſtetur. 233.col.2.a
161 Vtrum deglutitio, muſculorum, vel œſophagi ope peragatur. ibid.c
162 Vtrum conuulſionis definitio à Galeno tradita, ſit perfecta. 236.c.1.a
163 Vtrum conuulſio ſit morbus, vel ſymptoma. ibid.e
164 Vtrum conuulſio ſolis neruis ſit referenda. col. 2. c
165 Vtrum ſub conuulſione, oris tortura poſſit comprehendi. ibid.e
166 Vtrum ſub conuulſione, palpitatio, tremor, & rigor comprehendantur? 237.c.1.a
167 Vtrum conuulſio à paralyſi diſtinguatur. ibid.c
168 Vtrum tres conuulſionis ſpecies à Galeno aſſignatæ, ſolùm ſint aſſignandæ. col.2.b
169 Vtrum tetanus ſit vera conuulſionis ſpecies. 238. c.1.b
170 Vtrum in tetano pars conuulſa, an quieta moueatur. c.2.c
171 Vtrum ſolùm ſint admittendæ conuulſionis differentiæ ab Hippocrate aſſignatæ. 239.c.1.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 35 sur 927

172 Vtrum conuulsio ex ictu, vulnere, vel punctura nerui, ad conuulsionem ex inanitione vel repletione sit referenda. 239.c.2.b
173 Vtrum ab humida solùm,& pituitosa materia nerui conuellantur. ibid.e
174 Vtrum conuulsionis causa ex inanitione,sit positiua,vel priuatiua siccitas. 240.c.1.b
175 Vtrum hectici conuulsione tenentur. col.2.e
176 Vtrum conuulsio ex frigiditate congelante generetur. 241.c.1.a
177 Vtrum frigus immodicum per se,an ex accidenti conuulsionem excitet. c
178 Vtrum conuulsio sit plena doloris affectio. 241. c. 2. d
179 Vtrum conuulsio sicca sit humidâ deterior. 242. c. 1.b
180 Vtrum conuulsio sicca, sit periculosior, & magis proportionalis in adultis, pueris, vel senibus. ibid.c
181 Vtrum pueri ex vigiliis, pauore, & luctu in conuulsionem incurrant. col.2.b
182 Vtrum faciliùs succurratur conuulsioni ortæ ex inanitione,vel repletione. ibid.c
183 Vtrum vertigo, & scotomia sint passiones valde diuersæ. 245.c.2.c
184 Vtrum inordinatus humorum,& spirituum motus sit vertiginis causa. 244.c.1.d
185 Vtrum procatarcticæ causæ possint vertiginem inducere. col.2.e
186 Vtrum in vertigine tenebricosa,clysteres à capite reuellere possint. 245.c.2.c
187 Vtrum oculi inter varias nostri corporis partes diuersis morborum generibus infestentur.246. c. 1. a
188 Vtrum amplitudo pupillæ perpetuò visui incommodet; angustia verò vtilis sit. 247.c.1.b
189 Vtrum albuginei humoris crassities, & coloris alteratio visionem peruertant. ibid.e
190 Vtrum spiritus copia ad longinquam visionem commoda sit. col.2.e
191 Vtrum Ophthalmia sit morbus contagiosus. 249. c.2.e
192 Vtrum in Ophthalmia supinus decubitus sit præstantior. 250.c.1.e
193 Vtrum rasio,vel tonsio pilorum conferat ophthalmicis. ibid.
194 Vtrum oculus mediis coloribus recreetur. col.2.e
195 Vtrum oculus extremis coloribus lædatur. 251. c. 1. d
196 Vtrum excellens albedo, vel nigredo visui officiant. col.2.e
197 Vtrum ruber color oculum inflammet. 252. c. 1. b
198 Vtrum acida, & dulcia in ophthalmiæ curatione reprobanda. ibid.d
199 Vtrum in omni Ophthalmia vena secunda. col. 2. b
200 Vtrum in Ophthalmia, inferiores, vel superiores venæ feriendæ. ibid.d
201 Vtrum errhina medicamenta in oculorum affectibus sint ex vsu. 253.c.1.b
202 Vtrum lac dolentibus oculis instillandum.col.2.c
203 Vtrum in curatione ophthalmiæ magis præstet albumen oui, quàm lac. ibid.e
204 Vtrum oleum in affectibus oculorum aliquando apponendum. 254.c.1.e
205 Vtrum intra aurium partes internas possit generari inflammatio. 255.c.1.b
206 Vtrum aurium dolor sit dolore oculorum magis periculosus. 256.c.1.a
207 Vtrum ab aurium inflammatione natu minores citiùs intereant senioribus. ibid.e
208 Vtrum in inflammatione aurium semper lenia medicamenta applicanda. col.2.d
209 Vtrum in inflammatione aurium vacuatio per vomitum celebranda. 257.c.1.b
210 Vtrum in inflammatione aurium, medicamenta tepida,seu calida,intra aures infundenda.ibid.d
211 Vtrum acetum in aurium inflammatione intra aures instillandum. 257.c.2.b
212 Vtrum in inflammatione aurium stupefacientia intra aures immittenda. 258.c.1.a
213 Vtrum signa puris collecti in aure interdum Medicos deludant. ibid.d
214 Vtrum odoratus noxa, cerebro, vel naribus adscribenda. 259.c.1.a
215 Vtrum dentes sint ossa. 260.c.2.e
216 Vtrum dentes possint intumescere,& inflammari. 259.2.col.2.a
217 Vtrum dentes frigidis,& siccis conseruentur.260. c.1.e

QVÆSTIONES Libri II.

QVÆST. PRIMA. Vtrum certa possit assignari morbi Gallici definitio. 265.c.1.b
2 Vtrum morbus Gallicus sit venenatus. col.2.a
3 Vtrum sedes, & minera huius mali, sit cerebrum, cor,iecur, aut cutis. ibid.e
4 Vtrum morbus Gallicus sit vniuersalis. 266.c.1.c
5 Vtrum morbus Gallicus cum omni morbo possit complicari. ibid.e
6 Vtrum potissima, & immediata huius morbi causa sit contagium venenosum. col.2.d
7 Vtrum morbus Gallicus,sit morbus calidus,an frigidus. 267.c.1.a
8 Vtrum Gonorrhœa virulenta à communi gonorrhœa distinguatur. ibid.e
9 Vtrum dolores Gallici à cæteris doloribus distinguantur. col.2.b
10 Vtrum febris Gallica sit putrida, & aliquando in hecticam commigret. ibid.e
11 Vtrum morbus Gallicus sit hæreditarius. 268. c.1.e
12 Vtrum morbus Gallicus illæsis filiis transeat in nepotes. ibid.e
13 Vtrum morbus Gallicus diu possit latere intra corpus circa noxam. col.2.a
14 Vtrum fœminæ huic morbo viris sint magis obnoxiæ. ibid.c
15 Vtrum iuuenes senibus faciliùs hoc morbo tententur.
16 Vtrum aliqua pars in corpore sit assignanda, à qua Gallicum venenum ferociùs insoleſcat. e
17 Vtrum possit assignari aliquod auxilium, quod homines à morbo Gallico præseruet. 269.c.1.c
18 Vtrum complicatio morbi Gallici cum morbis acutis, sit difficilior ad curandum, quàm cum diuturnis. ibid.e
19 Vtrum morbus Gallicus citra Antidota possit persanari. 270.c.1.b
20 Vtrum lignum Indicum sit calidum, an temperatum. ibid.d
21 Vtrum aliqua medicamenta roborantia in decocto ligni permiscenda. col.2.d
22 Vtrum medicamenta expurgantia in decocto sudorifico permiscenda. 271.c.1.a
23 Vtrum medicamenta sudorifica interdum in vino coquenda. b
24 Vtrum præsente febri,sudorifica sint celebranda.d
25 Vtrum

25 Vtrum morbus Gallicus vomitionis ope possit extirpari. col.2.d
26 Vtrum Mercurius sit venenum. 272.col.2.b
27 Vtrum multiplex Argenti viui genus sit assignandum. ibid.c.
28 Vtrum Mercurius sit frigidum, vel calidum. d.
29 Vtrum mercurialia vnguenta, ieiuno, an pasto ventriculo applicanda. 273.c.1.c
30 Vtrum tempore quo apponuntur vnguenta, vel post ea, medicamenta per aluum expurgantia, sint offerenda. 274.c.1.a
31 Vtrum habentes vlcera in ore, vel gutture, vnguentis mercurialibus curandi. c
32 Vtrum Mercurius à proprietate humorem euacuet per sputum? col. 2.c
33 Vtrum idem æger, bis, & ter, vnguentis mercurialibus possit curari. 275.c.1.a
34 Vtrum in præseruatione morbi Gallici fontanellæ vtiles sint. 278.c 1.6
35 Vtrum balnea ex morbo Gallico curatos à recidiua præseruent. ibid.e
36 Vtrum balnea naturalia pro præseruatione huius morbi sint ex vsu. col.2.a
37 Vtrum pueri lactantes morbo Gallico correpti similibus antidotis curandi. c
38 Vtrum infantes, quorum fratres Gallica lue ab vtero contracta sunt emortui, ab ea, artis ope præseruari possint. d
39 Vtrum grauidæ alexipharmacis præsidiis curandæ. 279.c.1.a
40 Vtrum Angina in gutture solùm, & faucibus excitetur. 280.c.1.c
41 Vtrum guttur, vel fauces possint faciliùs inflammari. col.2.a
42 Vtrum quatuor Anginæ differentiæ sint solùm constituendæ. c
43 Vtrum penes periculi magnitudinem in tria tantùm membra diuidatur angina. d.
44 Vtrum vltra alias differentias, etiam sit admittenda facta ex luxatione vertebraruta. e
45 Vtrum vagans illa Hippocratis angina à varia luxationis causa sit concitam. 281.c.2.d
46 Vtrum angina orta ex circulari & recta luxatione sit deterior ea, quę ab angulosa, & obliqua concitatur. 282.c.1.b
47 Vtrum fluxio ex qua fit angina, sit pituitosa, vel biliosa. c
48 Vtrum à melancholia angina possit concitari. col.2.a
49 Vtrum detur Angina frigida. c
50 Vtrum aër frigidus humidus, an calidus & siccus anginam generet. c
51 Vtrum reperiantur alimenta quæ suapte natura anginam generent. 283.c.1.a
52 Vtrum in biliosa angina vehementiora adsint symptomata, quàm in sanguinea. 283.c.1.c
53 Vtrum in angina difficilis respiratio semper reperiatur. c
54 Vtrum in angina grauissima, adsit semper respiratio sublimis. col.2.a
55 Vtrum pulsus in angina sit durus, paruus, frequens, & inæqualis. ibid.e
56 Vtrum in angina semper adsit febris. 284.c.1.b
57 Vtrum angina sit morbus acutissimus. d
58 Vtrum angina pituitosa omnium sit securissima. col.2.a
59 Vtrum angina pituitosa inter omnes citiùs iudicetur. c
60 Vtrum anginosi non referantur in vitam, quibus spuma circa os apparet. e
61 Vtrum angina magis vere, & autumno, quàm hyeme, vel æstate insolescat. 285.c.1.b
62 Vtrum viri, & iuuenes, frequentiùs fœminis, pueris, & senibus angina premantur. c
63 Vtrum euanescentia tumoris in angina semper sit pernicioſa. col.2.a
64 Vtrum somnus in anginæ initio vtilis sit. 286. c.2.a
65 Vtrum in angina sectio venarum sit ex vsu. b
66 Vtrum sectio venarum sub lingua in Angina vtilis sit. e
67 Vtrum vrgente necessitate, sectio venarum sub lingua, ante alias vacuationes aliquando possit celebrari. 287.c.1.b
68 Vtrum in suffocante angina laryngotomia interdum exercenda. c
69 Vtrum in initio anginæ gargarismata merè repellentia sint ex vsu. col.2.8
70 Vtrum in pituitosa angina magis necessarius sit repellentium gargarismatum vsus, quàm in biliosa, vel sanguinea. 288.c.1.a
71 Vtrum repellentia composita sint præferenda simplicibus. c
72 Vtrum mollibus, rarisque corporibus, mitiora repellentia, quàm durioribus admouenda. e
73 Vtrum mororum succus in omni tempore anginæ vtilis sit. col.2.c
74 Vtrum in angina repellentia per partem externam admouenda. 289.c.1.b
75 Vtrum nidus hirundinum in angina extrà appositus, vtilis sit. c
76 Vtrum inflammatio sit de essentia pleuritidis. 290 c.1.b
77 Vtrum in thorace œdema possit enasci. d
78 Vtrum ex inflammatione musculorum internorum intercostalium exquisita pleuritis concitetur. col.2.a
79 Vtrum exquisita pleuritis ex septi transuersi inflammatione oriatur. d
80 Vtrum inflammatio mediastini, vera pleuritis sit dicenda. 291.c.1.b
81 Vtrum detur aliquod signum pleuritidem notham ab exquisita distinguens. d
82 Vtrum pleuritis rectè diuidatur in siccam, & humidam. 292.c.1.a
83 Vtrum deterius sit crudum esse humorem, ac coctum, non tamen expui. col.2.a
84 Vtrum pleuritis rectè diuidatur in ascendentem, & descendentem. b
85 Vtrum pleuritis ab omni humore generetur. d
86 Vtrum aquilonia constiturio concitet pleuritidem. 293.c.2.d
87 Vtrum aquilonia tempestas factâ compressione in cerebro pleuritidem concitet. e
88 Vtrum vini potus pleuritidem generet. col.2.c
89 Vtrum musti, aut vini nouelli nimius vsus pleuritidem concitet. c
90 Vtrum in pleuritide dolor punctorius reperiatur semper. 294.c.1.b
91 Vtrum pulsatorius dolor sit etiam pleuritidis signum. e
92 Vtrum pleura versus aliquam partem, pulsu, & arteriis priuetur. col.2.c
93 Vtrum in pleuritide dolor aliquando grauis esse possit. 295.c.1.b
94 Vtrum febris continua ferè semper à pleuritide exquisita sit inseparabilis. c
95 Vtrum in pleuritide pulsus præter celeritatem, & frequentiam, etiam magnitudinem acquirat. col.2.c
96 Vtrum pulsus in pleuritide sit insigniter durus. d
97 Vtrum omnis inflammatio pulsum induret. e
98 Vtrum pulsus in pleuritide sit inæqualis. 296. c.1.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 37 sur 927

99 Vtrum tuſſis ſit perpetuum ſymptoma pleuritidis. col.2.b
100 Vtrum noxa pleuræ poſſit eſſe tuſſis cauſa, quin communicetur pulmoni. 297.c.1.a
101 Vtrum difficilis reſpiratio ſit ſignum pathognomonicum pleuritidis. c
102 Vtrum inflammata ſola interna membrana leuior ſit decubitus in latus affectum. 298.c.1.c
103 Vtrum diſtinguatur rectè febris in pleuritide eueniens, in febrem morbum, & ſymptoma. col.2.e
104 Vtrum ſecundùm Galeni doctrinam ſputum à ſpuitione diſtinguatur. 299.c.1.a
105 Vtrum ex ſputi colore non ſolùm affectus ipſe, ſed pars affecta indicetur. d
106 Vtrum ſputum nigrum melancholicam pleuritidem ſignificet. col.2.e
107 Vtrum ſputum album, & ſpumoſum, pleuritidis pituitoſæ ſit indicium. ibid.
108 Vtrum pleuritis exquiſita à flatu generari poſſit, & à falſa, ſpuriáque diſtinguatur. 300.c.1.a
109 Vtrum pleuritis ab hepatis inflammatione diſtinguatur. d
110 Vtrum facilis ſit diſtinctio pleuritidis à peripneumonia. 301.c.1.b
111 Vtrum pleuritici acceſſiones tertianarias patiantur. e
112 Vtrum inflammatis internis muſculis intercoſtalibus maior dolor adſit, quàm inflammata pleura. col.2.c
113 Vtrum ex bile vehementior dolor, quàm ex ſanguine concitetur. 302.c.1.a
114 Vtrum pleuritis ſiniſtra ſit frequentior dextrâ. b
115 Vtrum pleuritis dextra ſit periculoſior ſiniſtrâ. c.
116 Vtrum pleuritis ſicca aliquando periculum non inducat. e
117 Vtrum pleuritis hyeme frequentiùs infeſtet. ibid.
118 Vtrum pituitoſi rarò pleuritide corripiantur. col.2.b
119 Vtrum iuuenes, inclinantes, vel ſenes frequenti pleuritidi magis ſint obnoxij. ibid.
120 Vtrum fœminæ viris pleuritide frequentiùs capiantur. d
121 Vtrum alui fluxus in pleuritide poſſit eſſe vtilis. e
122 Vtrum ad bonum ſputum plures ſint requiſitæ conditiones. 303.c.1.c.
123 Vtrum ſputum rubrum ſit crudum. e
124 Vtrum ſputum nigrum ſit peius glutinoſo, viridi, ſpumoſo. col.2.b
125 Vtrum coctio in vrina in pleuritide certam ſalutem portendat. 304.c.1.c
126 Vtrum pleuritis autumno ſit longior, quàm æſtate, aut vere. e
127 Vtrum pleuritis ſit breuior in iuuene, puero, vel ſene. col.2.a
128 Vtrum hæmorrhagia pleuritidi familiaris. c
129 Vtrum pulſus valde durus in pleuritide mortem præſagiat. e
130 Vtrum permutatio pleuritidis in peripneumoniam ſit peſſima. 305.c.1.a
131 Vtrum dies conuerſionis pleuritidis ad ſuppurationem, debeant numerari ab initio pleuritidis, an ſputi. col.2.a
132 Vtrum pleuritici ſuper latus ægrum, an oppoſitum debeant cubare. 306.c.1.a
133 Vtrum ſint plures indicationes quantitatem alimenti in pleuritide variantes. b
134 Vtrum apparente ſputo craſſiùs cibandum. c
135 Vtrum ptiſſana aliquando in pleuritide reprobanda. col.2.a
136 Vtrum in pleuritide ptiſſana ſit farre præſtantior. c
137 Vtrum ptiſſana ex hordeo confecta ſit anteponenda triticeæ. d
138 Vtrum ptiſſana humorem ex thorace abſtergat. e
139 Vtrum mulſa, & apomel in pleuritide concedi poſſint. 307.c.1.b
140 Vtrum oxymel in pleuritide offerendum. c.2.b
141 Vtrum ſemina frigida maiora pleuritidi ſint vtilia. e
142 Vtrum oua in pleuritide concedenda. 308.c.1.a
143 Vtrum teſticuli gallorum pleuriticis offerendi. e
144 Vtrum potus actu frigidus pleuriticis offerendus. c.2.a
145 Vtrum vinum pleuriticis concedi poſſit. e
146 Vtrum vinum ante coctionem exhibendum. 309.c.1.a
147 Vtrum in omni pleuritide vena ſit ſecanda. e
148 Vtrum præſente cacochymia etiam in pleuritide ſanguis emittendus. e
149 Vtrum in pleuritide ex eodem latere ſit ſemper ferienda vena. 309.c.2.a
150 Vtrum in peſtilenti & venenoſa pleuritide à ſuperioribus partibus ſit hauriendus ſanguis. ibid. e
151 Vtrum ad mutationem coloris ſit vacuandus ſanguis. 310.c.1.a
152 Vtrum ſolùm in pleuritide, aliiſque inflammationibus internis hæc coloris mutatio ſit ſpectanda. ibid.e
153 Vtrum extracto ſanguine vitiato ſtatim ſit cohibenda vacuatio. col.2.b
154 Vtrum in pleuritide pituitoſa ſit ſanguinis mutatio expectanda. e
155 Vtrum in pleuritide vſque ad animi deliquium ſit ſanguis emittendus. 311.c.1.b
156 Vtrum ſuper partem affectam cucurbitula ſcarificata, in initio, ante totius corporis vacuationem affigenda. ibid.e
157 Vtrum in pleuritide purgatio celebranda. col.2.d
158 Vtrum in deſcendente pleuritide ſanguinis miſſio in principio facta ſit vtilior purgatione. 312.c.1.a
159 Vtrum agaricum pleuriticis offerendum. col.2.a
160 Vtrum repellentia in pleuritide ſuper partem affectam imponenda. ibid.d
161 Vtrum in pleuritide aliquando ſtupefacientia offerenda. 313.c.1.e
162 Vtrum in vrgentiſſimo dolore pleuritico vtilius ſit ſtupefacientia in potum aſſumere, an extrà ſuper partem dolentem apponere. col.2.b
163 Vtrum pulmoniæ eſſentia in inflammatione conſiſtat. 315.c.1.e
164 Vtrum motus continuus pulmonis, ipſius inflammationem concitare poſſit. col.2.b
165 Vtrum pulmo à propria vi moueatur. c
166 Vtrum laxa pulmonis ſubſtantia, & humiditas natiua in eo inflammationem concitent. 317.c.1.a
167 Vtrum calidiſſimus ſanguis, quo nutritur pulmo, ipſum inflammet, & exiccet. col.2.b
168 Vtrum humiditates pulmonem irrigantes ipſum reddant humidiorem, quàm ſit huius natura. d
169 Vtrum pulmonia ab omnibus humoribus generetur. 318.c.1.a
170 Vtrum pulmo ſit doloris expers. ibid.
171 Vtrum in pulmonia pulſus interdum poſſit adeſſe durus. col.2.c
172 Vtrum pulmonia à pleuritide diſtinguatur. 319.col.1.d
173 Vtrum maxillarum rubedo ſit proprium inflammati

mati pulmonis indicium. col.2.a
174 Vtrum peripneumonici ſpiritu ſublimi laborent. 320.c.1.a
175 Vtrum peripneumonia pituitoſa ſit frequentior biliosa. ibid.b
176 Vtrum peripneumonia pituitoſa ſit deterior,& periculoſior biliosa. col.2.d
177 Vtrum permutatio pulmoniæ in pleuritidem ſit reprobanda. 321.c.1.b
178 Vtrum fiſtulæ, & abſceſſus facti in ſuperioribus partibus in pulmonia, ſint præferendi illis,qui in inferioribus partibus enaſcuntur. ibid.d
179 Vtrum pulmonia ſit breuior,& acutior pleuritide. col.2.d
180 Vtrum pulmonis inflammatio in parte dextra generata ſit periculoſior quàm ea quæ fit in ſiniſtra. e
181 Vtrum ſemper è directo laborantis pulmonis vena ſecanda. 322.c.1.d
182 Vtrum definitio vocis ab Ariſtotele poſita,ſit rectè tradita. 323.c.1.a
183 Vtrum aër expiratus ſit vocis materia. ibid. d
184 Vtrum larynx ſit potiſſimum vocis inſtrumentum. col.2.b
185 Vtrum ſermo differat à voce. d
186 Vtrum ſoli homini data ſit facultas conficiendi ſermonem. 324.col.1.e
187 Vtrum animantia voces habentia ſuis vocibus ſuos conceptus communicent. 324.c.2.e
188 Vtrum loquendi principium à cerebro emanet. 325.c.1.b
189 Vtrum vocis, & ſermonis exercitatio ad plurimos vſus,& ad valetudinem tuendam valde conducat. ibid.d.
190 Vtrum vox à variis cauſis poſſit oblædi. col.2.c
191 Vtrum balbuties ſermonem vitiare poſſit. 326. col.1.e
192 Vtrum quinque actionum ſpecies à Galeno prolatæ ad locutionem neceſſariæ ſint. 327.c.1.c
193 Vtrum ex quinque actionum vitio poſſit vocis offenſa deprehendi. col.2.a
194 Vtrum in aphonia vomitus prouocandus. 329. col.1.a
195 Vtrum in aphonia,interna brachij vena ſemper ſit ſecanda. ibid.c
196 Vtrum Arteriacum medicamentum differat à bechico. col.2.c
197 Vtrum omnis ſanguinis excretio toto genere ſit præter naturam. 330.c.2.e
198 Vtrum ſanguis è variis partibus corporis excerni poſſit. 331.c.e
199 Vtrum tres hæmoptoiſis differentiæ à Galeno rectè conſtituantur. col.2.a
200 Vtrum flatus venas rumpere poſſit. e
201 Vtrum flatus in qualibet noſtri corporis parte colligi poſſint. 332.c.1.c
202 Vtrum frigidi aëris occurſus venas frangat. col. 2. b
203 Vtrum dimiſſum exercitium hæmoptoiſim conciter. ibid.d
204 Vtrum ſanguis à capite, vel gurgulione defluens, propriis ſignis internoſci poſſit. 333.c.1.d
205 Vtrum ſanguis ex pectore, vel pulmone excretus, colore,& modo ſubſtantiæ differat. ibid.e
206 Vtrum ſanguis ex pulmone reiectus, ſit copioſus. col.2.b
207 Vtrum ſanguis è pulmone eiectus ſemper ſit ſpumoſus. col.2.c
208 Vtrum ſpumæ ſanguinis ex pulmone educti aliqua vera ſit aſſignanda cauſa. ibid.e
209 Vtrum ſanguis ex pectore erumpens, perpetuò ſit craſſus,grumoſus,& ater. 334.c.1.b
210 Vtrum in thoracica hæmorrhagia vehementior concitetur tuſſis,quàm in pulmonica. d
211 Vtrum ex dolore,thoracica hæmorrhagia à pulmonica diſtinguatur. e
212 Vtrum vaſa ſenſu aliquo prædita ſint. col.2.b
213 Vtrum omnis ſanguinis excretio facta per ſuperiora, reproba ſit. 335.c.1.b
214 Vtrum hæmorrhagia pulmonica, præſertim ob eroſionem concitata, cæteris ſit periculoſior. ibid.d
215 Vtrum vomitus ſanguinis ſine febre, ſit ſalutaris; cum febre verò,periculoſus. col.2.c
216 Vtrum viri, an fœminæ hæmoptoiſi frequentiùs premantur. d
217 Vtrum ſomnus hæmoptoiſi nocuus ſit. 336. col. 1.b
218 Vtrum in hæmoptoiſi omnes animi paſſiones interdicendæ. d
219 Vtrum inedia hæmoptoïſi vtilis ſit. col.2.a
220 Vtrum acerba alimenta hæmoptoicis ſemper offerenda. ibid.e
221 Vtrum in hæmoptoiſi acerbis attenuantia permiſcenda. 337.c.1.d
222 Vtrum amylum in ſanguinis ſputo offerendum. col.2.a
223 Vtrum in ſanguinis ſputo iterata phlebotomia celebranda. 338. c.1.a
224 Vtrum in ſanguinis ſputo è talo ſit hauriendus ſanguis. ibid.d.
225 Vtrum medicamenta pro curanda hæmoptoiſi, actu frigida ſint offerenda. col.2.c
226 Vtrum poſca ſanguinem ſpuentibus ſit vtilis. ibid.e
227 Vtrũ in immodico sãguinis fluore illicò ab initio validiſſimis adſtringentibus vtendũ. 339.c.1.c
228 Vtrum adſtringentia pectori admouenda. d
229 Vtrum in hæmoptoiſi adſtringentia actu frigida, vel calida thoraci applicanda. col.2.b
230 Vtrum definitio reſpirationis à Galeno tradita, ſit optima. 341.c.1.b
231 Vtrum definitio difficilis reſpirationis rectè à Galeno proponatur. ibid.d
232 Vtrum aſthmatis definitio,vt recta ſit admittenda. col.2.a
233 Vtrum aſthma, ſit difficilis reſpiratio. e
234 Vtrum variæ dyſpnœæ ſpecies ſint conſtituendæ. e
235 Vtrum doctrina Galeni circa differentias difficilis reſpirationis poſſit admitti. 342.1.e
236 Vtrum præter ſimplices difficilis reſpirationis differentias,aliæ compoſitæ ſint adnumerandæ. col.2.e
237 Vtrum doctrina Galeni circa compoſitas difficilis reſpirationis ſpecies,ſit vera. 343.c.1.e
238 Vtrum flatus difficultatem reſpirationis facere poſſint. 344.c.2.c
239 Vtrum pulmonis ſicca intemperies inter difficilis reſpirationis cauſas ſit reponenda? d
240 Vtrum à ſola pituita aſthma generari poſſit. e
241 Vtrum præter durum tuberculum in pulmone genitum, alij etiam abſceſſus coctiles inter aſthmatis cauſas numerandi. 345.c.1.a
242 Vtrum ex vteri ſuffocatione difficilis reſpiratio poſſit concitari. b
243 Vtrum ex vitiata reſpiratione poſſit affecta ſedes indicari. d
244 Vtrum difficilis reſpiratio,vel calorem adauctum, vel organi reſpiratorij anguſtiam, vel facultatem imbecillem ſignificet. col.2.e
245 Vtrum ex pulſu differentiæ illæ magnæ reſpirationis poſſint explorari. 346.col.2.a
246 Vtrum caloris exceſſus potiùs ex inſpiratione, quàm

quàm expiratione ſit venandus. ibid.e
247 Vtrum ex motu pinnarum, facultatis reſpiratoriæ debilitas ſit colligenda. 347.c.1.c
248 Vtrum differentia difficilis reſpirationis ortæ ex debilitate, à duabus relinquis ex calore, & anguſtia, ſignis poſſit diſtingui. col.2.b
249 Vtrum orthopnoici meliùs reſpirent erecti, quàm decumbentes. 348.c.1.a
250 Vtrum duæ dyſpnœæ ſpecies, ex calore, & organorum anguſtia, à debilitate orta, penes magnitudinem, celeritatem, & frequentiam diſtinguantur. col.2.d
251 Vtrum ſtertor aſthmatis proprium ſit ſignum. 349.c.1.b
252 Vtrum reſpiratio parua, & rara inter difficilis reſpirationis differentias compoſitas, ſit omnium peſſima. ibid.c
253 Vtrum fœminæ difficultati ſpirandi ſint magis obnoxiæ viris. col.2.c
254 Vtrum iuuenes frequentiùs in difficultatem ſpirandi incurrant, quàm pueri, & ſenes. e
255 Vtrum difficulter reſpirantes, & aſthmatici, capite eleuato, an ſubmiſſo debeant dormire. 350. col.2.a
256 Vtrum Venus difficulter ſpirantibus, vtilis. 351 c.1.a
257 Vtrum vomitus in acceſſione aſthmatica prouocandus. ibid.c
258 Vtrum ſanguinis miſſio in acceſſione aſthmatica ſit vtilis. d
259 Vtrum purgatio in acceſſione aſthmatica, ſalubris ſit. col.2.a
260 Vtrum copioſus potus aſthmaticis conueniat. ib, c
261 Vtrum ius galli veteris, aſthmaticis prodeſſe poſſit. 352.c.1.e
262 Vtrum aſthmaticis arſenicum in potum offerendum. col.2.e
263 Vtrum cor ſit omnium membrorum calidiſſimum. 354
264 Vtrum cor ſit ſpiritu vitali calidius. col.2.e
265 Vtrum cor ſit humidum. 355.c.1.d
266 Vtrum ſerum pericardij ſit naturale, vel præter naturam. col.2.a
267 Vtrum pinguedo circa cor generetur. b
268 Vtrum in corde pinguedo à calido, vel frigido generetur. ibid.c
269 Vtrum palpitatio cordis differat ab eius tremore. 357.c.2.b
270 Vtrum idiopathica cordis palpitatio à ſympathica differat. ibid.d
271 Vtrum palpitationis, plures externæ cauſæ ſint aſſignandæ. 358.c.1.c
272 Vtrum tempore frigido, & hyemali palpitatio ampliùs inſoleſcat, quàm calido, & æſtiuo. col.2.a
273 Vtrum mœſti, & timidi palpitationi ſint obnoxij. ibid.e
274 Vtrum in palpitatione venæ ſectio ex brachio, vel talo ſit adminiſtranda. 359.c.1.c
275 Vtrum ſyncopes definitio à Galeno tradita, omnium ſit optima. 360.c.2.c
276 Vtrum exolutio virtutis, animi deliquium, & ſyncope inter ſe diſtinguantur. ibid.e
277 Vtrum animi deliquium, & ſyncope penes maiorem, vel minorem debilitatem ad eandem facultatem pertinentem, inter ſe diſtinguantur. 361.c.1.e
278 Vtrum pars potiſſimùm affecta in ſyncope, ſit cor. 362.col.2.b
279 Vtrum ſyncope facultatis pulſificæ, vel alterius in corde reſidentis ſit ſympтoma. ibid d
280 Vtrum ſyncope potius ad facultatem pulſificam, vel generatiuam ſpirituum pertineat. 363. c.1.a
281 Vtrum dolor inter ſyncopes cauſas ſit annumerandus? ibid.c
282 Vtrum triſtitia ſyncopen concitare poſſit. d
283 Vtrum ex gaudio, & vigilia oriatur ſyncope. e
284 Vtrum febris hectica, ardens, colliquans, ſyncopes ſit cauſa. col.2.b
285 Vtrum immodica vacuatio, vel repletio, ſyncopen concitent. ibid.
286 Vtrum venena inter ſyncopes cauſas numeranda. ibid. e
287 Vtrum vermes ſyncopen excitare poſſint. 364. col.1.a
288 Vtrum conflictatio oris ventriculi ſyncopen accerſat. ibid.c
289 Vtrum ſudor immodicus ſyncopen concitet. col.2.a
290 Vtrum ſudor frigidus, tenax, & craſſus à ſyncope ſit inſeparabilis. 365.c.1.a
291 Vtrum ſyncope deterior ſit cenſenda, quæ à propriis cordis morbis excitatur, quàm illa quæ per conſenſum aliarum partium ortum ducit. col.2.a
292 Vtrum ſyncope orta ex ſolutione continui in corde, omnium ſit peſſima. b
293 Vtrum ſyncope orta ex intemperie cordis, periculoſior ſit ea, quæ ex morbis partium inſtrumentalium concitatur. d
294 Vtrum buglоſſum in ſyncope, & aliis cordis affectibus ſit ex vſu. 366.c.2.b
295 Vtrum præſente ſyncopali acceſſione, ſanguis ſit detrahendus. 367.c.1.a
296 Vtrum ſyncope oppreſſis cerebrum ſuillum concedendum. 368.c.1.a
297 Vtrum vlcera pulmonis, ab aliis thoracis vlceribus diſtinguantur. 369.c.2.c
298 Vtrum phthiſici ſint appellandi, quibus ex pectoris, vel aſperæ arteriæ diuturno vlcere adeſt corporis conſumptio, cum tuſſicula quadam, & febre lenta. 370.c.1.e
299 Vtrum phthiſis multiplex ſit acceptio. col.2.a
300 Vtrum phthiſis, & tabes ad conuertentiam dicantur. b
301 Vtrum phthiſici longo tempore viuere poſſint. c
302 Vtrum pus ad ſpatium thoracis effuſum, phthiſin concitet. 371.c.1.c
303 Vtrum acris catarrhus phthiſin progignat. d
304 Vtrum à ſiccitate poſſit oriri phthiſis. col.2.a
305 Vtrum vera, exquiſitáque phthiſis ſine ſputo purulento poſſit conſiſtere. ibid.c
306 Vtrum purulentum ſputum à pituita craſſa, certis ſignis poſſit diſtingui. 372.c.1.b
307 Vtrum febris phthiſicorum, putrida ſit, vel hectica. col.2.a
308 Vtrum mox cum generatione purulenti vlceris in pulmone, an proceſſu temporis hectica inuadat febris. ibid.c
309 Vtrum à phthiſi febris ſit inſeparabilis. ibid.d
310 Vtrum phthiſici pulſus ſit durus. 373.c.1.b
311 Vtrum difficilis reſpiratio perpetuò phthiſin comitetur. d
312 Vtrum in phthiſicis capillorum defluuium adſit. d
313 Vtrum vlcera pulmonis curationem admittant. col.2.a
314 Vtrum thoracis vlcera ſint inſanabilia. 314.c.a
315 Vtrum in pueris vlcera pulmonis citiùs ſanentur. b
316 Vtrum vlcera ſubſtantiæ pulmonis faciliùs curentur, quàm vaſorum. d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 40 sur 927

317 Vtrum phthisis sit morbus hæreditarius. col.1.b
318 Vtrum phthisis sit morbus contagiosus. c
319 Vtrum fœminæ viris faciliùs in phthisin incidant. 375.c.1.c
320 Vtrum autumnus inter anni tempora, corpora phthisi magis reddat obnoxia. 375.c.1.e
321 Vtrum sitilla caro assa phthisicis possit concedi. col.2.e
322 Vtrum phlebotomia phthisicis sit vtilis. 376.c.1.e
323 Vtrum phthisicis expurgatio per aluum commoda. col.2.a
324 Vtrum phthisici validis medicamentis expurgandi. ibid.d
325 Vtrum balnea phthisicis conferre queant. e
326 Vtrum balneum ex lacte phthisicis accommodum. 377.c.1.b
327 Vtrum pus à thorace ad pulmonem transsumi possit. 378.c.2.b
328 Vtrum possit assignari via certa, per quam pus è cauitate thoracis in pulmonem transferatur. 379.c.1.e
329 Vtrum vulnerati non repurgato pure per partem externam fiant empyematici. col.2.e
330 Vtrum empyematici moriantur ex non repurgato pure. 380.c.1.a
331 Vtrum suppuratorum febris, hectica sit, an putrida. col.2.e
332 Vtrum ab empyemate febris sit inseparabilis. ibid.
333 Vtrum suppuratorum febris grauiùs noctu, quàm de die infestet. 381.c.1.c
334 Vtrum sudores empyicis familiares. col.2.c
335 Vtrum oculorum cauitas, & vnguium curuitas perpetuò empyicos comitentur. d
336 Vtrum tussicula arida à suppuratione inseparabilis. 382.col.1.a
337 Vtrum genarum rubor, empyematis sit indicium. ibid.b
338 Vtrum summorum digitorum calor inter indicia empyematis sit reponendus. c
339 Vtrum pedum tumor sit empyematis indicium. ibid.e
340 Vtrum inappetentia sit proprium suppurationis symptoma. col.2.a
341 Vtrum pustulæ in corpore apparentes empyema demonstrent. ibid.d
342 Vtrum præter Hippocratica, alia etiam adsint suppurationis signa. e
343 Vtrum inter signa suppurationis sit annumerandus rigor. 383.c.1.c
344 Vtrum pondus in thorace perceptum sit suppurationis indicium. ibid.e
345 Vtrum empyema in vno thoracis latere consistere possit, quin alteri communicetur. c.2.a
346 Vtrum Medico necessarium, & vtile sit, cognoscere suppurationis initium. e
347 Vtrum febris remissio, & cibi appetentia post rupturam in suppuratis salutem portendant. 384.c.1.c
348 Vtrum sitis carentia, pus bonum, & aluus exigua & constans, ad bonum iudicent. c.2.a
349 Vtrum suppurati post ruptionem cum pessimis signis intereant. c
350 Vtrum purulenta materia thoracis cauitate contenta per sputum periculosiùs, quàm per infernam regionem expurgetur. e
351 Vtrum empyema falsum sit periculosius vero. 385.c.1.a
352 Vtrum in curatione empyematis, indicatio sumenda sit à febre, an à suppuratione. 385.c.1.a
353 Vtrum in empyemate phlebotomia aliquando vtilis. c
354 Vtrum lac in empyemate sit ex vsu. 386.c.1.b
355 Vtrum sectione, vel vstione inter tertiam, & quartam costam celebrata, empyici pectus aperire liceat. e
Vtrum ad faustam coctionem ventriculi, necessaria sit alimenti præparatio in ore. 387.c.e
356 Vtrum actio ventriculi ad vitam magis necessaria sit actione iecoris. col.2.e
357 Vtrum ventriculus principaliùs concoquat proprio calore, an calore partium vicinarum. 388. col.1.e
358 Vtrum ventriculus in gratiam propriæ nutritionis, an in commodum aliarum partium operetur semper. c.2.d
359 Vtrum ventriculus inter coquendum, vera nutritione nutriatur chylo. 390.c.2.b
360 Vtrum à debilitate ventriculi plurium symptomatum aceruus excitari possit. 392.c.1.a
361 Vtrum abolita, aut corrupta appetentia, ad debilitatem oris ventriculi sit referenda. ibid.e
362 Vtrum Cardialgia inter effectus peculiares debilitatis ventriculi numeretur. 393.c.1.b
363 Vtrum ventriculi concoctio rectè à Galeno definiatur. col.2.a
364 Vtrum causa proxima coctionis sit natiuus calor. d
365 Vtrum coctio à digestione distinguatur. 394. c.1.a
366 Vtrum causa debilis coctionis ventriculi, ex inopia succi melancholici ad ventriculum delati oriatur. d
367 Vtrum pellente liene, an potiùs attrahente stomacho, ad iuuandam coctionem, in ventriculum succus melancholicus deferatur. c.2.e
368 Vtrum coctionis tria sint symptomata. 395.c.1.b
369 Vtrum excrementa, ventriculi coctionem interturbent. d
Vtrum ventriculo nequaquam affecto possit lædi concoctio. e
370 Vtrum alimentum calori, vel resolutioni proportionandum. col.2.d
371 Vtrum satietas vitiet coctionem. 396.col.1.c
372 Vtrum fames coctionem perturbet. d
373 Vtrum satietas, aut inedia magis sit sanitati ventriculi molesta. e
374 Vtrum panis esus, stomachum roboret, & coctionem iuuet. col.2.b
375 Vtrùm panis minus grauet ventriculum, & faciliùs coquatur, quàm caro. e
376 Vtrum repletio panis magis debilitet ventriculum repletione carnis. 397.c.1.e
377 Vtrum panis recenter extractus magis vitiet coctionem, quàm pridianus. col.2.b
378 Vtrum vinum coctionem ventriculi impediat. e
379 Vtrum mutatio repentina in cibo, & potu coctionem perturbet. 398.c.1.b
380 Vtrum magis lædat ventriculum, mutatio in potu, an in cibo. c
381 Vtrum plus ventriculo obsit mutatio vini nigri ad album, quàm albi ad nigrum. e
382 Vtrum somnus diurnus debilis coctionis causa sit. col.2.a
383 Vtrum vespertinus, meridianúsque somnus coctionem ventriculi interturbet. ibid.e
384 Vtrum immodica vigilia ventriculum perturbet. 399.c.1.c
385 Vtrum motus post prandium, coctioni ventriculi vtilis sit. d
386 Vtrum mutatio insueta à motu ad quietem, plus coctionem offendat, quàm à quiete ad motum. col.2.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 41 sur 927

387 Vtrum fæcalia excrementa retenta coctionem perturbent. 400.c.1.e
388 Vtrum omnis intemperies concoctionis actum deiiciat. col.2.a
389 Vtrum cruditas acida à frigiditate oriatur semper. 401.c.1.a
390 Vtrum ſemper cauſa acidi ructus ſit frigiditas. b
391 Vtrum ructus acidus frequentiùs poſt prandium, vel poſt cœnam ſuperueniat. col.2.e
392 Vtrum Galenus ſigna cruditatis nidoroſæ, & acidæ rectè diſtinxerit. 402.c.1.b
393 Vtrum ſignis cognoſci poſſit, an humor, vel intemperies, cruditatis cauſa ſit. e
394 Vtrum imbecillitas ventriculi ex humore quolibet prognata, ſignis cognoſci poſſit. col.2.e
395 Vtrum cruditas acida in calidis naturis, ſit deterior nidoroſâ. 403.c.1.b
496 Vtrum ex ventriculi debilitate omne genus morbi poſſit enaſci. ibid.
397 Vtrum hectica ventriculi incurabilis ſit. e
398 Vtrum hieræ vſus ad expurgandos omnes humores ventriculo affixos, vtilis ſit. col.2.b
399 Vtrum ad euacuandos humores ventriculi tunicis impactos, cum melle ſit conficienda. d
400 Vtrum in vitiis ventriculi hiera certa quantitate offerenda. e
401 Vtrum purgantia medicamenta hieræ ſint addenda. 404.c.1.b
402 Vtrum hiera ventriculum roboret. d
403 Vtrum præſente febri, aut calida ſicca intemperie ventriculi, hiera ſit porrigenda. col.2.e
404 Vtrum emplaſtra firmantia ventriculum, anteriori, vel poſteriori parti ſint admouenda. 405.c.1.d
405 Vtrum ſtomachica emplaſtra, exiſtente cibo in ventriculo, ſint interdicenda? ibid.e
406 Vtrum toto deuorationis tempore, emplaſtra roborantia ventriculum ſint arcenda. col.2.b
407 Vtrum remedia tepida ventriculum debilitent. ibid. d
408 Vtrum malagmata irrigationibus pro roborando ventriculo ſint præferenda. 406.c.1.b
409 Vtrum pro curando frigido intemperamento ventriculi, Diatrionpipereon vtile ſit. ibid.d
410 Vtrum Diatrionpipereon in nidoroſa cruditate poſſit concedi. col.2.a
411 Vtrum iecur ſit membrum inter nobiles noſtri corporis partes præſtantiſſimum. 407.c.2.d
412 Vtrum iecur ſit ſanguis concretus. 408.c.1.b
413 Vtrum iecur calidum ſit. d
414 Vtrum iecur ſit humidum. col.2.b
415 Vtrum naturales potentiæ inditæ ita ſint, vt abſque ſubſidio aliunde expectato operationes ſuas poſſint exercere. e
416 Vtrum conueniant inter ſeſe, & aſſimilentur, vt Galenus voluit, facultates altrices naturales, & illa quæ magneti ineſt ad attrahendum ferrum. 409.c.2.c
417 Vtrum citra inflammationem, ſimplex, nudáque intemperies calida in hepate ſit concedenda. 410.col.2.c
418 Vtrum intemperantia calida ſola in iecore diu duret. 411.col.2.e
419 Vtrum ex intemperantia calida, ſimplici, vel compoſita inflammatio in iecore poſſit progigni. 413.c.1.a
420 Vtrum œdema pituitoſum in iecore innaſcatur. b
421 Vtrum à bile æruginoſa hepar poſſit inflammari. ibid.c
422 Vtrum iecoris, inflammatio ab inflammatione muſculorum abdominis tactu diſtinguatur. col.2.b
423 Vtrum in inflammatione muſculorum abdominis, primò tactui recti ſeſe repræſentent, vt voluit Galenus. e
424 Vtrum febris in inflammatione iecoris ſemper ſit acuta. 414.c.e
425 Vtrum in inflammatione hepatis, pulſus ſit durus, vel mollis. col.2.d
426 Vtrum ventris conſtrictio iecoris inflammationem comitetur. e
427 Vtrum iecoris inflammatio conſiſtens in parte conuexa, ſit periculoſior eâ quæ in parte concaua affligit. 415.col.1.a
428 Vtrum in omni tempore huius inflammationis adſtringentia ſemper ſint permiſcenda. col.2.a
429 Vtrum in initio inflammationis hepatis, diſcutientia, aut repellentia ſint admouenda. c
430 Vtrum diuerſæ partes hepatis inflammatæ diuerſis præſidiis ſint curandæ. ibid.e
431 Vtrum in inflammatione iecoris purgantia medicamenta cum cibis permiſcenda. 416.c.1.c
432 Vtrum hepatica affectio propriè dicatur, in qua rubida proluuies apparet. 417.c.1.d
433 Vtrum hepatica affectio ſit etiam venarum paſſio. col.2.c
434 Vtrum venæ ſanguificent. 418.c.1.b
435 Vtrum rubedo in ſanguine à iecore, vel venis emanet. col.2.b
436 Vtrum communis illa facultas, ac illi ſeruientes miniſtræ in vſum totius operantes, concedendæ ſint in iecore, venis, corde, diſtinctæ à propriis, per quas hæc membra aluntur. ibid.e
437 Vtrum lotiua deiectio à frigido, ſplendens à calido oriatur iecoris intemperamento. 420.c.1.a
438 Vtrum rubida proluuies ſit firmum imbecillis facultatis ſanguificantis ſignum. ibid.e
439 Vtrum in hepatica affectione deiectio ſemper appareat multa, & liquida. col.2.c
440 Vtrum in hepatica affectione venæ ſectio ſit ex vſu. 421.c.1.e
441 Vtrum in hepatica affectione balneum vtile ſit. col.2.e
442 Vtrum in hepatica affectione narcotica medicamenta offerenda. 422.c.1.c
443 Vtrum in vera hepatica affectione dulcia ſint ex vſu. col.2.a
444 Vtrum cochleæ à proprietate iecur infirmum roboret. 423.c.1.c
445 Vtrum iecur lupinum à tota ſubſtantia hepar debile roboret. ibid.c
446 Vtrum Hydropis definitio ſit rectè tradita. 424.c.1.c
447 Vtrum Hydrops ex læſo hepate ſemper emanet ibid.e
448 Vtrum omnes hydropis ſpecies perpetuò à frigida oriantur hepatis intemperie. 425.col.1.a
449 Vtrum tres tantùm ſint hydropis ſpecies. ibid.e
450 Vtrum ex aliis humoribus, præterquam à pituita, ſeroſo humore, & flatu hydrops generari poſſit. col.2.c
451 Vtrum ſeroſus humor à iecore tranſlatus inter peritonæum, & omentum, hydropis cauſa ſit. ibid.d
452 Vtrum in variis hydropis ſpeciebus in diuerſo loco aqua colligatur. 426.c.1.e
Vtrum varius ſit modus collectionis aquæ in hydrope. c.2.a
453 Vtrum in omni hydrope pedum tumor reperiatur. 427.c.1.a
Vtrum ſitis clamoſa neceſſariò hydropicos comitetur. ibid.e

454 Vtrum

454 Vtrum aluus dura in hydrope conſpiciatur. col.2.d
455 Vtrum œdema circa ventrem proprium ſit hydropicorum indicium. 428.c.1.a
456 Vtrum febris ab hydrope ſit inſeparabilis. d
457 Vtrum in hydrope pulſus ſit durus. e
458 Vtrum Aſcites ſit periculoſior Tympanite,& Anaſarca. col.2.b
459 Vtrum tuſſis hydropi ſuperueniens,mala ſit. 429. col.2.c
460 Vtrum tuſſis in hydrope per conſenſum iecoris eueniens, ab ea quæ fit primariò affecto thorace,ſignis poſſit diſtingui. 430.c.1.b
461 Vtrum alui fluxus in hydrope reprobus ſit. e
462 Vtrum ſenes, vel pueri , hydropi ſint magis obnoxij. col.2.b
463 Vtrum calculus,ſit morbus,an cauſa morbi. 434 c.1.c
464 Vtrum arenæ,& calculi in interiori renum cauo, vel in propria ſubſtantia generentur. 435. c.1.a
465 Vtrum calculi cauſa materialis ſit materia craſſa, viſcoſa,& lenta. ibid.d
466 Vtrum decubitus ſuper dorſum calculi, generationi materiam præſtet. col 2.c
467 Vtrum vſus perdicis calculum poſſit generare. 436.c.1.a
468 Vtrum lactis vſus in cauſis calculi ſit annumerandus. c
469 Vtrum nephriticus dolor à ciborum repletione exacerbetur. col.2.b
470 Vtrum arenæ ſubſidentes , veſicæ calculum portendant. 437.c.1.d
471 Vtrum ſubſidentia arenoſa,certum , & firmum ſit calculi indicium. col.2.a
472 Vtrum calculus renum,vel veſicæ ſit morbus hæreditarius. ibid.d
473 Vtrum calculus ex hæreditate contractus, incurabilis ſit. e
474 Vtrum nephriticus dolor cæterorum viſcerum doloribus ſit intenſior. 438.c.1.c
475 Vtrum vrina arenoſa , homines à calculis magis ſecuros reddat. col.2.a
476 Vtrum aluus laxa præſeruet à calculo. ibid.c
477 Vtrum calculus renum ſit morbus grauiſſimus. ibid.e.
478 Vtrum caſeus à victu calculoſorum ſit eliminandus. 439.c.1.d
479 Vtrum clyſteres in dolore nephritico ſint medicamentis purgantibus præferendi. col.2.b
480 Vtrum in dolore nephritico ſit vena ſcanda. c
481 Vtrum in dolore nephritico , in poplite , vel gibbero ſit ſecanda vena. ibid.e
482 Vtrum diabetica paſſio ad ſolos renes ſit referenda. 443.c.1.c
483 Vtrum diabetes ſubitò , vel paulatim generetur. col.2.c
484 Vtrum Galenus diabetem caninæ appetentiæ rectè comparauerit. ibid.c
485 Vtrum deglutitio ſit actio animalis, & tractio renum à caua,naturalis. 444.c.1.b
486 Vtrum à calida renum intemperie diabetes perpetuò oriatur. 445.col.1.d
487 Vtrum omnes facultates in diabete ſint oblæſæ. col.2.c

QVÆSTIONES Libri III.

QVÆST. PRIMA. VTrum fœminæ prudentia,& excellentia ſint præſtantiores viris. pag.448. c.1.b

2 Vtrum muliebres morbi virilibus ſint grauiores,& curatu difficiles. 449.c.1.c
3 Vtrum morbi muliebres ſint admirabiles , diuini. 450.c.1.d
4 Vtrum feminæ pluribus morbis ſint obnoxiæ, quàm viri. col.2.a
5 Vtrum lethales morbi fœminarum ſint à Medico tractandi. 451.c 1.b
6 Vtrum Medicus in curatione fœminarum , plus quàm in aliis debeat eſſe prouidus,diligens , & expertus. 452.c.1.a
7 Vtrum ſanguinis menſtrui definitio à Galeno tradita,ſit optima. 453.c.1.e
8 Vtrum generatio menſtrui,à caliditate,vel frigiditate ortum ducat. col.2.c
9 Vtrum ſanguis confluat in vteri capacitatem per reſudationem , an vaſorum reſerationem.454. c.1.a
10 Vtrum fœmineo corpori ſalubrius eſſet , ſanguinem quotidie per vterum excerni. ibid.
11 Vtrum periodica menſtruorum excretio,ad ſolum Lunæ motum ſit referenda. ibid.e
12 Vtrum ſanguis menſtruus ſit benignus, & purus. col.2.d col.2.d
13 Vtrum fœminæ inter cætera animalia , menſtruas purgationes copioſiores habeant. 455.c.2.d
14 Vtrum certum poſſit aſſignari tempus eruptionis menſtruorum. ibid.e
15 Vtrum menſtruorum quantitas certa poſſit aſſignari. 456.c.1.a
16 Vtrum quantitas diſcreta puerperij certa poſſit deſcribi. e
17 Vtrum quantitas continua puerperij certò poſſit dignoſci. col.2.d
18 Vtrum ſanguis lochij deterior ſit , & venenoſior ſanguine menſtruo. ibid.e
19 Vtrum poſſint aſſignari viæ , per quas menſtruus ſanguis in vterum prolabitur , & ab eo extrà erumpit. 457.c.1.e
20 Vtrum ſenſim , & paulatim ſingulis diebus à toto corpore,an ſubitò , ſemel , & confertim confluat ſanguis in vterum , menſtruam purgationem effecturus. col.2.b
21 Vtrum ſanguis menſtruas purgationes effecturus,colligatur in vtero,ipſo attrahente,an natura tranſmittente. ibid.e
22 Vtrum ad vteri nutritionem menſtruum ſanguinem natura tranſmittat. 458.c.1.a
23 Vtrum fœminæ , quibus menſtrua nunquam fluxerunt , innoxiè viuere poſſint. ibid.b.
24 Vtrum fœmina citra menſtrua concipere poſſit. e
25 Vtrum ſeminis definitio à Galeno tradita , ſit optima. ibid.e
26 Vtrum ſeminis ſubſtantia ſpirituoſa ex multiplici ſpiritu componatur. col.2.d
27 Vtrum ex parte ſeminis craſſa , partes ſpermaticæ generentur. 459.c.1 e
28 Vtrum ab aliqua facultate fiat attractio ſanguinis, pro integra formatione partium ſpermaticarum. col.2.d
30 Vtrum ſeminis ſubſtantia ſit homogenea, vel hetetogenea. 460.c.1.b

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 43 sur 927

©BIUM

31 Vtrum pars ſpirituoſa ſeminis, ab aliquo agente poſſit corrumpi. col.2.a
32 Vtrum facultas in ſemine reperta, ab aliis qualitatibus diſtinguatur. 462.c.1.c
33 Vtrum ſemen concurrens ad generationem ſubſtantialem fœturæ, concurrat inſtrumentaliter, vel tantùm diſpoſitiuè in genere cauſæ materialis. 463.c.1.d
34 Vtrum ſubſtantia à prima cauſa, vel à generante in virtute ſeminis, principaliter producatur. 464.c.1.e
35 Vtrum ſemen ſit colliquamentum, vel excrementum. col.2.d.
36 Vtrum ſemen ſit animatum. 466.col.1.b
37 Vtrum ſemen ab omnibus noſtri corporis partibus decidatur. col.2.a
38 Vtrum ſemen, verum, & prolificum, ſolùm in teſtibus, an verò in omnibus noſtri corporis partibus ſpermaticis generetur. 468.c.1.d
39 Vtrum ſemen verum ſpecie diſtinguatur ab eo, quo partes ſpermaticæ nutriuntur. col.2.b
40 Vtrum in venis, & arteriis ſpermaticis, verum ſemen generetur. d
41 Vtrum teſtes ad ſolum conficiendum ſemen ſint creati. 469.c.1.a
42 Vtrum mulier citra congreſſum viri poſſit concipere. col.2.a
43 Vtrum ſeminis excretio ſit naturalis, vel animalis. 470.c.2.b
44 Vtrum mamillæ lac generent. c
45 Vtrum lac ſit ſanguis ſuperfluus, mutatus, & dealbatus in mammis. ibid.e
46 Vtrum lac fiat ex ſanguine puro. 471.c.1.b
47 Vtrum lac fiat ex pinguedine omenti. ibid.e
48 Vtrum lac per coctionem, an ſolùm per coloris immutationem generetur. col.2.d
49 Vtrum in viuiparis ſolùm generetur lac. 472.c.1.c
50 Vtrum poſſit aſſignari aliqua pars in vtero, à qua pro lacte conficiendo, ſanguis in mammas regurgitet. ibid.e
51 Vtrum puellus in lucem editus, naturali inſtinctu, naturæ impetu, vel facultate formatiua inſtructus lac exugat. col.2.e
52 Vtrum commodius eſſet ſanguine extra vterum ali puellum, non lacte. 473.c.2.b
53 Vtrum lac ante conceptum poſſit generari. 474.c.1.e
54 Vtrum Medicus menſtruatæ maximam curam gerere debeat. col.2.e
55 Vtrum fluentibus menſtruis, aër debeat parari calidus, frigidus, vel temperatus. 475.c.1.c
56 Vtrum acetoſa menſtruatis prodeſſe poſſint. ibidem.e
57 Vtrum butyrum menſtruatis ſit ex vſu. col.2.e
58 Vtrum menſtruatis carnis viperinæ eſus, vtilis ſit. 476.c.1.b
59 Vtrum aſſa menſtruatis ſint magis concedenda elixis. ibid.d
60 Vtrum menſtruatis vinum offerendum. col.2.e
61 Vtrum menſtruatis exercitium ſit ſalubre. 477.c.1.d
62 Vtrum clyſter actu fluente menſtruo poſſit admitti. e
63 Vtrum veneris vſus menſtruatis ſalubris ſit. col.2.c
64 Vtrum actu fluente menſtruo, ſanguinis miſſio ſit aliquando celebranda. ibid.e
65 Vtrum venæ ſectio ex talo celebrata, menſtruo actu fluente, illud prouocet, vel retineat. 478.c.1.e
66 Vtrum animi pathemata menſtruatis nocere poſſint. 479.c.1.a
67 Vtrum menſtrui ſuppreſſio, cæterorum ſymptomatum inſtar, ſemper ex morbo naſcatur. c.2.b
68 Vtrum aſſignari poſſint cauſæ ſecundùm naturam menſtrua retinentes. 480.c.1.a
69 Vtrum plures cauſæ menſtrua occultantes, ad vnum enchiridion poſſint reduci. ibid.d
70 Vtrum ab intemperie vteri calida, menſtrua ſuppriman tur. 481.c.1.a
71 Vtrum ſuppreſſam menſtruam purgationem perpetuò febris comitetur. col.2.a
72 Vtrum ex menſtruis ſuppreſſis, maior dolor concitetur in ſyncipite, quàm occipite. 482.c.1.a
73 Vtrum ſuperflua menſtrui purgatio, ipſius retentione ſit periculoſior. ibid.d
74 Vtrum in omni menſium retentione, ſit venæ ſectio celebranda. col.2.d
75 Vtrum ad prouocanda menſtrua, vena ſit ſecanda ante, an poſt menſtruationis tempus. 483.c.1.c
76 Vtrum ferri, an chalybis vſus, ad prouocanda menſtrua, magis vtilis ſit. 484.c.1.d
77 Vtrum varius ſit modus præparandi, & aſſumendi chalybem, pro mouendis menſtruis. col.2.d
78 Vtrũ cum chalybe cardiaca permiſcẽda. 485.c.1.d
79 Vtrum cum chalybe expurgantia per aluum permiſcenda. col.2.a
80 Vtrum aſſignari poſſint vaſa, per quæ immodicus ſanguis confluat ad vterum. 487.c.1.b
81 Vtrum immodicus ſanguinis per vterum fluor, ſemper ad actionem læſam facultatis expultricis conſequatur. e
82 Vtrum ex variis cauſis, poſſit immodica ſanguinis excretio contingere. ibid.e
83 Vtrum variis modis ſanguis ab vtero erumpere poſſit. col.2.d
84 Vtrum ſanguinis per vterum immodica vacuatio, ſola artificioſa coniectura poſſit deprehendi. 488.c.1.b
85 Vtrum ex immodica ſanguinis vacuatione menſtrua, faciliùs ſequatur hydrops, quàm ex ea, quæ poſt partum contingit. 489.c.1.a
86 Vtrum immodicus ſanguinis fluxus, febrem concitet. e
87 Vtrum in immodico ſanguinis fluxu per vterum, artus ſuperiores, vel inferiores fricandi. col.2.b
88 Vtrum cucurbitula ſcarificata ſub mammis apponenda. ibid.e
89 Vtrum ſtercus aſininum, vel equinum in immodico ſanguinis fluxu, ſit offerendum. 490.c.2.c
90 Vtrum omnes ab vtero affectus, ſub nomine ſuffocationis vteri poſſint comprehendi. 493.c.1.a
91 Vtrum vteri ſtrangulatio, morbus ſit frigidus, an calidus. ibid.d
92 Vtrum vteri ſtrangulatio præter ſanguinem, & ſemen retentum, ab aliis etiam cauſis poſſit concitari. col.2.b
93 Vtrum vterus odoribus moueatur. 495.c.1.a
94 Vtrum in vteri ſtrangulatu, venæ ſectio in acceſſione celebranda. 495.c.2.c
95 Vtrum ſuffumigia in hoc affectu viroſa, pro fœtidis aſſumenda. 496.c.2.c
96 Vtrum à ſemine fetento, vteri inflammatio poſſit concitari. 499.c.1.a
97 Vtrum in vteri inflammatione, commodius ſit venam ſecare in brachio vel in crure. col.2.b
98 Vtrum morbi grauidarum ſint graues, difficiles, lethales. 500.c.1.d
99 Vtrum in grauidis aluus prouocanda. 501.c.1.b
100 Vtrum grauida exercitanda. ibid.e
101 Vtrũ balneũ vtero gerentibus poſſit concedi. c.2.e
102 Vtrum caput grauidarum ſit vngendum, aut lauandum. 502.c.1.a
103 Vtrũ veneris vſus vtero gerentibus ſalubris ſit. ib.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 44 sur 927

105 Vtrum grauidæ ab animi affectibus præcauendæ. ibid.e
106 Vtrum acuta grauidis offerenda. col.2.e
107 Vtrum amara grauidis concedenda. 503.c.2.a
108 Vtrum vini potus vtero gerentibus vtilis sit. 504. c.1.b
109 Vtrum sit præstantius ad roborandum vterum, & ventriculum in grauidis, electuarium ex margaritis Auicennæ, an Diamargaritum frigidum. col.2.c
110 Vtrum cor, & cæteræ partes in grauidis roborandæ. 505.c.1.a
111 Vtrum sola mulier molam concipiat. 507 c.1.a
112 Vtrum venæ sectio è talo pro curatione molæ vtilis sit. col.2.e
113 Vtrum figura ad pariendum varia sit. 510.c.1.c
114 Vtrum enixæ naribus odores admouendi. col. 2.b
115 Vtrum membrana chorion necessariò contineatur intra vterum, fœtu extra ipsum emisso. 511. c.2.d
116 Vtrum secundinarum retentio, sit morbus in numero addito. 512.c.2.b
117 Vtrum secundinarum retentio à bonis odoribus, gelidæ potu possit concitari. 513.c.1.e
118 Vtrum ex secundinarum retentione, si extrahi non possint, necessariò mors subsequatur. col.2.e
119 Vtrum ad resectionem vmbilici, multum tempus sit differendum. 514.c.1.d
120 Vtrum tussis, & sternutamentum pro secundarum expulsione, sint ex vsu. ibid.e
121 Vtrum suffitus aromatum secundinas expellat. col.2.e
122 Vtrum tormina post partum sint continua, an per interualla exacerbentur. 515.c.1.d
123 Vtrum primiparis tormina à partu contingant. 516.c.2.b
124 Vtrum vmbilicus sit resecandus, & sale eius corpus inspergendum. 517.c.2.a
125 Vtrum post lactationem, pluribus circunstantiis opus sit, ad infantis educationem. 518.c.1.a
126 Vtrum alter cibus à lacte infanti sit propinandus. c
127 Vtrum ad electionem nutricis, plures necessariæ conditiones sint animaduertendæ. col.2.e
128 Vtrum lactis abundantia corrigenda. 519.c.2.d

QVÆSTIONES Libri IV.

Qvæst. Prima. Vtrum aër in curandis febribus, summam potestatem obtineat. pag. 521. c.1.b
2 Vtrum aër mundus, & purus, pro febrium curatione vtilis sit. col.2.b
3 Vtrum aër luminosus in febribus eligendus. 522. c.1.c
4 Vtrum cubiculi splendor, noxios febrientium halitus dissoluat. col.2.a
5 Vtrum aër pro curatione febrium, sit eligendus frigidus. 523.c.1.c
6 Vtrum aër frigidus febrientibus vtilis sit. col.2.a
7 Vtrum aër humidus, febricitantibus sit saluberrimus. ibid.c
8 Vtrum aër in febribus, ita possit parari humidus, vt non semper exiccet. ibid.e
9 Vtrũ aër rebus odoratis possit refrigerari. 524.c.1.c
10 Vtrum domus febrientium refrigeranda sit lentisci ramis. col.2.b
11 Vtrum febrientes in latus debeant decumbere. ibid.c
12 Vtrum febrientes super latus dextrum vel sinistrum debeant decumbere. 525.c.1.b
13 Vtrum supinus decubitus in febrientibus reprobetur. ibid.d
14 Vtrum supinus decubitus in febrientibus semper sit lethalis. col.2.a
15 Vtrum pronus decubitus in febrientibus reprobus. b
16 Vtrum decliuis decubitus, vt pessimus condemnandus. ibid.d
17 Vtrum præscribere victum vnicuique febri accommodum sit difficile. 526.c.1.a
18 Vtrum febrientes minùs sint cibandi sanis. ibid.d.
19 Vtrum victus in extremo tenuissimus febricitantibus, & aliis ægris consulendus. col.2.b
20 Vtrum concurrentibus duabus indicationibus, virium, & morbi, virium dignitas maxima sit habenda. 527.c.1.d
21 Vtrum præsente febre ad sustinendam inediam, temperamentum frigidum, & humidum sit aptissimum. col.2.c
22 Vtrum fructus, & olera ante coctionem febricitantibus concedi possint. 528.c.2.e
23 Vtrum amylum febrientibus offerendum. 529. c.1.e
24 Vtrum Galenus victus rationem rectè definiat. col.2.e
25 Vtrum pluribus numeris vniuersa victus ratio absoluatur. 530.c.2.a
26 Vtrum victus diuisio à Galeno tradita, sit optima. ibid.c.
27 Vtrum in febricitantibus varia quantitas sit statuenda in exhibendo cibo. 531.c.1.e
28 Vtrum in ægris æstate vel hyeme liberatior cibus exhibendus. 531.c.2.b
29 Vtrum victus humidus febrientibus vtilis sit. 532. c.2.c
30 Vtrum qualitas victus debeat esse contraria febri, an eius causæ. 533.c.1.c
31 Vtrum in præscribenda qualitate victus in febrientibus, indicatio quæ sumitur à morbo, sit præstantior indicatione quæ sumitur à virtute. col.2.c
32 Vtrum possit assignari gradus virtutis imbecillis quæ possit restitui per cibum. 534.c.1.a
33 Vtrum in febribus vtilius sit minuere cibum in quantitate, an in qualitate. ibid.b
34 Vtrum olera in febrientibus præstent alimentum exiguæ qualitatis. c
35 Vtrum canones antiquorum, præscribentes victum febricitantibus, nostro æuo sint obseruandi. e
36 Vtrum in febribus maius peccatum sit in victu recedere per tenuitatem, an per crassitiem. col. 2.e
37 Vtrum in morbi statu vniuersali, victus tenuissimus semper exhibendus. 536.c.2.c
38 Vtrum in principio morbi vniuersali, aliquando tenuior victus, & in statu plenus sit offerendus. 537.c.1.c
39 Vtrum in febribus præscribendus sit victus in ordine ad statum, vel declinationem. col.2.d
40 Vtrum certis signis Medicus possit cognoscere, num virtus possit durare vsque ad statum. 538. c.1.d
41 Vtrum facultas requisita vt æger possit durare vsque ad statum, sit animalis, naturalis, an vitalis. col.2.c
42 Vtrum cibus in febrium accessione, vel exacerbatione omnino sit interdicendus. 539.c.1.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 45 sur 927

43 Vtrum in declinatione prioris acceſſionis,in continuis per ſubingreſſum acceſſionum, ſit porrigendus cibus. col.2.c
44 Vtrum natura exhibito alimento,à coctione cauſæ morbificæ diſtrahi poſſit. 540.c.1.c
45 Vtrum in febricitantibus, varius ſit ordo in aſſumendo cibo. col.2.d
46 Vtrum aquæ potus ad ſatietatem vſque, ſecùs in febribus poſſit concedi. 542.c.1.b
47 Vtrum ob aquæ potum,febris ſanguinea, & biliosa poſſit degenerare in pituitoſam. col.2.c
48 Vtrum in febribus continuis, aquæ potus ſit concedendus in declinatione,vel ſtatu. 543.c.1.d
49 Vtrum cereuiſiæ potus,in curatione febrium poſſit admitti. 544.c.1.a
50 Vtrum plures errores ab ægris, & ſanis in potu, vel cibo committantur. ibid.d
51 Vtrum peccatum in potu ſit deterius, quàm in cibo. ibid.
52 Vtrum immoderantia in aqua, ſit deterior, quàm in vino. ibid.e
53 Vtrum ſomnus, in omni tempore febris vtilis ſit. col.2.b
54 Vtrum motus, & quies febricitantibus conferre poſſint. 546.c.1.b
55 Vtrum clyſter admixto ſale, in febribus imperandus. col.2.b
56 Vtrum clyſteres acuti, aliquando in febribus infundendi. 547.c.1.a
57 Vtrum febriens ad recipiendum clyſterem,debeat eſſe ſupinus,an ad latus decumbens. ibid.e
58 Vtrum maiores vires efflagitent clyſteres, quàm glandes. col.2.c
59 Vtrum in omnibus febribus, ſanguinis miſſio vtilis ſit. 548.c.1.c
60 Vtrum venæ ſectio, in principio febrium acutarum celebranda. ibid.col.2.
61 Vtrum venæ ſectio,in omnibus febribus non acutis in principio ſit exercenda. 549.c.2.a
62 Vtrum in pura cacochymia,ſanguinis miſſio poſſit eſſe ex vſu. 550.c.1.d
63 Vtrum in plenitudine quoad vaſa, liberaliùs ſit ſanguis emittendus,quàm in plenitudine quoad vires. 551.c.1.b
64 Vtrum affectus, in genere expetentes in febribus venæ ſectionem,ſint ſolùm tres. 552.c.2.b
65 Vtrum ad celebrandam venæ ſectionem, tres ſcopi ſint neceſſarij. 553.c.2.d
66 Vtrum per magnitudinem morbi,acuties ſit intelligenda. 554.c.1.c
67 Vtrum citra plenitudinem, ſanguinis miſſio poſſit celebrari. col.2.a
68 Vtrum in febribus, omnium facultatum robur ſit obſeruandum ad venæ ſectionem. 555.c.1.a
69 Vtrum plures ſcopi in febribus, præter tres ab Hippocrate propoſitos, ad venæ ſectionem ſint contemplandi. c.2.a
70 Vtrum morbi magnitudo,& virium robur,perpetuò,& per ſe,ſolùm indicent venæ ſectionem. 556.c.1.a
71 Vtrum humores in febribus ſint ante purgationem concoquendi. col.2.e
72 Vtrum in febribus,ad purgationem neceſſaria ſit concoctio obſcura, manifeſta, vel perfecta. 557.c.2.a
73 Vtrum coctio humoris putridi, ſit diuerſa à coctione humoris ſemiputridi. 558.c.1.b
74 Vtrum ſyrupi,ante concoctionem in febribus, ad concoctionem humoris noxij,ſint concedendi, c.2.d
75 Vtrum in humoribus craſſis ſyrupi extenuantes ſint ex vſu. 559.c.1.b
76 Vtrum oxymel, præparandis humoribus craſſis, vtile ſit. ibid.d
77 Vtrum ſyrupi præparantes humores in febribus putridis,ferè ſint calidi. ibid.e
78 Vtrum ſyrupi adſtringentes,pro humoribus putridis concoquendis, ante coctionem concedi poſſint. col.2.b
79 Vtrum in febribus,ante vacuationem, ſyrupi attenuantes,& aperientes poſſint eſſe ex vſu. 560.c.1.a
80 Vtrum quantitas ſyruporum certa poſſit deſcribi. c
81 Vtrum præter coctionem intentam à natura, in humoribus putridis expellendis, inducat ipſa qualitates præparantes ad expulſionem. ibid. c
82 Vtrum in febribus putridis, purgatio ſit celebranda. col.2.d
83 Vtrum medicamenta purgantia, præter turgentiam,vrgentiam,aut malignitatem, in initio febrium putridarum, materia ſolum exiſtente multa,tutò poſſint concedi. 561.c.1.d
84 Vtrum pulſus ſynochi imputris ſit æqualis. 564.c.2.c
85 Vtrum in ſynocho imputri, pulſus adſit vehemens. ibid.e
86 Vtrum pulſus in ſynocho, ſit minùs vehemens, quàm in cauſo. 565.col.1.a
87 Vtrum ſynochus quarto die finiatur. ibid.d
88 Vtrum ſynochus cæterorum morborum ritu,quatuor tempora percurrat. col.2.a
89 Vtrum in continente ſanguinea, debili exiſtente virtute, loco phlebotomiæ manus, ſit ſecanda vena in fronte. 569.c.2.a
90 Vtrum in febre ſanguinea, loco phlebotomæ, purgatio ſit adminiſtranda. ibid.d
91 Vtrum in omni febre, ſaltem minorandi gratia, ſanguinem mittere expediat. 570.c.1.b
92 Vtrum in omni febre, & morbo, ſanguinem aliqua ratione mittere conueniat. ibid.d
93 Vtrum febris ſanguinea, ſit ſimplex vel compoſita. 571.c.1.a
94 Vtrum ſanguis,& alij humores intra venas, & extra eas putreſcant. col.2.d
95 Vtrum febris ardens,æſtate generata,fiat per attractionem, vel depulſionem bilis. 573.c.1.d.
96 Vtrum ſitis inſatiabilis, & ardentiſſimus calor, ſint ſigna pathognomonica febris ardentis. col.2.6.
97 Vtrum tremores in febribus ardentibus facti, delirio ſoluantur. 574.c.2.d
98 Vtrum in febre ardente, vacuatio per ſanguinis miſſionem debeat celebrari. 575.c.1.e
99 Vtrum balneum in ardenti notha, magis conueniat, quàm in exquiſita. 577.c.1.a
100 Vtrum cauſus à tertiana continua diſtinguatur. col.2.b
101 Vtrum tertiana exquiſita, à bile ſincera generetur. d
102 Vtrum ad tertianæ exquiſitæ generationem, non ſolùm bilis ſit neceſſaria, ſed concurſus rerum gignentium bilem. 578.col.1.c
103 Vtrum in tertiana exquiſita, rigor validus appareat. col.2.a
104 Vtrum in tertiana exquiſita,pulſus ſit paruus, tardus,rarus,& debilis. d
105 Vtrum pulſus tertianæ careat omni inæqualitate, excepta febrili. 579.c.1.a
106 Vtrum inæqualitas febrilis, in aliquem finem à natura ſit intenta. c
107 Vtrum calor tertianæ exquiſitæ à calore febrium ardentium diſtinguatur. col.2.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 46 sur 927

108 Vtrum in tertiana exquisita, vrina aliquando appareat alba, & cruda. ibid.e
109 Vtrum duratio tertianæ exquisitæ, duodecim horas transcendat. 580.c.1.a
110 Vtrum lactuca cruda, in tertiana exquisita concedenda. c.2.b
111 Vtrum curatio tertianæ continuæ, & tertianæ duplicis, sit eadem, cum curatione tertianæ exquisitæ. 581.c.1.a
112 Vtrum vitellina bilis, flaua sit. c.2.a
113 Vtrum vitellina bilis sit crassa, & ex flaua bile præassata generetur. ibid.b
114 Vtrum vitellina bilis, ouo crudo, recenti, vel cocto similis sit. d
115 Vtrum vitellina bilis ex pituita cum bile mixta generetur. 582.c.1.a
116 Vtrum in tertiana notha, vtilior sit tenuior victus, quàm in exquisita. 583.c.1.c
117 Vtrum in tertiana notha, nostro æuo, nutriendus sit æger alternis diebus. c.2.a
118 Vtrum febris composita ex tertiana continua, & quotidiana intermittente, sit dicenda vera semitertiana. c.2.b
119 Vtrum semitertiana sit horrifica. 584.c.1.c
120 Vtrum semitertianam necessariò crebri horrores comitentur. ibid.e
121 Vtrum semitertiana sit febris continua. c.2.c
122 Vtrum semitertiana sit morbus acutus. ibid.d
123 Vtrum pituitæ differentiæ, ternario numero comprehendantur. 585.c.2.c
124 Vtrum ex omni pituita, quotidiana ortum ducat. e
125 Vtrum in quotidiana, pulsus debilis, & tardus existat. 587.c.1.c
126 Vtrum in quotidiana, interuallum omnino à febre liberum euadat. c.2.d
127 Vtrum quotidiana diurna longior, & deterior sit nocturna. 590.c.1.b
128 Vtrum in initio quotidianæ, victus tenuis sit offerendus. c.2.a
129 Vtrum in quotidiana, phlebotomia in die pari, vel impari sit celebranda. ibid.c
130 Vtrum in quotidiana orta à pituita quauis, præparantia eadem, sint offerenda. d
131 Vtrum in quotidiana, diuretica ante vacuationem concedenda. e
132 Vtrum febris latica, differat à quotidiana. 591.c.2.a
133 Vtrum febris latica similis sit hecticæ. b
134 Vtrum Lipyria, inter pituitosas intermittentes febres numeranda. 592.c.1.b
135 Vtrum pulsus in inuasione quartanæ minor sit quàm in inuasione aliarum febrium. 593.c.1.a
136 Vtrum in interuallo quartanæ, aliquod relinquatur vestigium febrile. ibid.c
137 Vtrum tempore interualli, æger dicatur laborare quartana. ibid.d
138 Vtrum quartana sit securissima. c.2.e
139 Vtrum quartana sit longissima. 594.c.1.b
140 Vtrum in victu quartanæ, variæ conditiones sint assignandæ. ibid.e
141 Vtrum in quartana sanguinis missio vtilis sit. c.2.d
142 Vtrum in quartana, purgatio in principio possit administrari. 595.c.1.b
143 Vtrum quartanariis reproba cibaria sint concedenda. c.2.b
144 Vtrum definitio febris hecticæ, à Galeno tradita, sit verissima. 596.c.1.e
145 Vtrum Galenus affectum, in futurum, fientem, & factum meliùs, quàm Archigenes diuiserit. c.2.e
146 Vtrum calor hecticus sit factus, & æqualis. 597.c.1.e
147 Vtrum essentia febris hecticæ, in calore, & siccitate consistat. c.2.d
148 Vtrum febris hectica, in communi diuidatur in hecticam absolutè, & in hecticam marasmodem. 598.c.2.a
149 Vtrum à variis causis secundùm Galeni doctrinam possit secundùm totam sui substantiam alterari aër. 601.c.2.a
150 Vtrum inquinamentum, & semen pestis, ad conuertentiam dicantur. ibid.c
151 Vtrum præter causas pestis à Galeno propositas, aliæ etiam ab Arabibus, & Astrologis sint assignandæ. 602.c.2.a
152 Vtrum apparentes ignes, stellæ in cœlo, pestem præsagiant. 603.c.2.c
153 Vtrum hyems sicca, pestilentes morbos portendat. 604.c.1.a
154 Vtrum præseruatio à peste sit possibilis. ibid.e
155 Vtrum allia, ad pestis præseruationem, in cibis sint admittenda. c.2.e
156 Vtrum ad præseruationem pestis, necessaria sit sanguinis missio. 605.c.1.a
157 Vtrum in peste, purgatio decernenda sit, an omittenda. ibid.c
158 Vtrum febris maligna, à putrida, & pestilenti distinguatur. 607.c.1.b
159 Vtrum in puncticulis, ad præsagium plures conditiones sint assignandæ. 608.c.2.d

QVÆSTIONES
Libri quinti, & Vltimi.

QVÆST. PRIMA. VTrum corpus sponte laxum, sit neutrum. 609.c.2
2 Vtrum detur aliquando corpus quod neque sanum sit, neque ægrum. 610.c.2.b
3 Vtrum omni lassitudini, citò remedia administranda. ibid.
4 Vtrum dolores febribus superuenientes, omnes sint calidi. 611.c.2.d
5 Vtrum in omni dolore capitis, Oxyrhodinum semper imponendum. ibid.
6 Vtrum dispositiones frigidæ perpetuò à causis frigidis, an verò à causis calidis generentur. 612.c.1.a
7 Vtrum in omni dolore capitis oxyrhodinum semper imponendum. c.2.e
8 Vtrum phlebotomia in omni capitis dolore celebranda. 613.c.1.c
9 Vtrum in omni dolore capitis, purgatio vtiliter concedi possit. ibid.e
10 Vtrum vomitus in dolore capitis vtilis sit. c.2.b
11 Vtrum sudor, & vrina eundem habeant generationis modum. 614.c.1.e
12 Vtrum sudor sit vacuatio naturalis. c.2.b
13 Vtrum sudoris causa efficiens, & finalis sit assignanda. 615.c.1.a
14 Vtrum optimus, vel bonus sudor ferè semper, in febribus ad bonum iudicer. ibid.d
15 Vtrum superfluus sudor, secundùm varias causas diuersimodè curandus sit. c.2.d
16 Vtrum nausea, & vomitus ad conuertentiam dicantur. 616.c.1.d
17 Vtrum vomitus superfluus in ægris, semper sit periculosus. c.2.b
18 Vtrum vomitus morbos integrè iudicare possit. c
19 Vtrum fames sit sensus diuulsionis in ore ventriculi percepta. 618.c.1.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 47 sur 927

20 Vtrum fames sit affectus naturalis, an præter naturam. ibid.d
21 Vtrum in diarrhœa, venter inferior solùm afficiatur. 620.c.1.a
22 Vtrum alui fluxus, à cholera sit inseparabilis. 622. c.1.c
23 Vtrum cholerica passio, orta à causa externa, minùs sit periculosa, quàm quæ oritur à causa interna. col.2.c
24 Vtrum sternutamentum, plurimis morbis remedio sit. 623.c.2.c
25 Vtrum intestina, facultates habeant communes naturales. 625.c.1.c
26 Vtrum intensior dolor adsit in iliaco, quàm in colico dolore. 627.c.1.a
27 Vtrum in ileo, fæces per vomitum excernantur. ibid.e
28 Vtrum in ileo nulla prorsus deiectio reddatur. c.2.d
29 Vtrum in vniuersum, affectus, quos profluuium sanguinis sequitur, tres sint, vasorum erosio, ruptio, & apertio. 629.c.2.c
30 Vtrum excretionis sanguinis tres causæ internæ sint constituendæ. d
31 Vtrum affectus ex hæmorrhagia sequutus, vario modo sit cognoscendus. 630.c.1.b
32 Vtrum inter omnes hæmorrhagias, ea quæ fit per nares sit minùs periculosa. c
33 Vtrum in sanguinis fluxu, curatio ab adstringentibus, an ab affectus, & causæ prouidentia sit incipienda. ibid.e
34 Vtrum tussis sit vehemens efflatio. 631.c.1.d
35 Vtrum tussis à facultate animali, vel naturali perficiatur. c.2.a
36 Vtrum in catarrho, debitus victus ordo in sex rebus non naturalibus obseruandus. 633.c.1.c
37 Vtrum in catarrho calido, fluxus retentio necessaria sit. c.2
38 Vtrum tempus exulcerationis intestinorum, à quocunque humore factæ, sit certum, & determinatum. 634.c.2.e
39 Vtrum dysenteria, facta ab atra bile, omnium sit pessima. 635.c.1.c
40 Vtrum Galenus in enumeratione morbi regij, sit diminutus. 636.c.2.e
41 Vtrum ex viscerum perturbatione, eleuatis vaporibus, lachrymæ generentur. 638.c.2.b
42 Vtrum solus homo lachrymetur. d
43 Vtrum in febrientibus lachrymæ appareant. 639. c.1.c
44 Vtrum immodica portio melancholiæ, ab splene ad ventriculi os præternaturalitet transmissa, famem caninam excitet. 640.c.1.d
45 Vtrum ventriculus frigidus magis appetat, quàm concoquat, calidus verò, è contra. c.2.b
46 Vtrum gustus organum, sit insipidum. 641.c.2.c
47 Vtrum gustus animalibus varius erit concessus. 642. c.1.a
48 Vtrum lingua, gustus organum sit constituenda. ibid.c
49 Vtrum saporum differentiæ, octonario numero comprehendantur. c.2.a
50 Vtrum sapor pinguis, seu vnctuosus idem significent. ibid.d
51 Vtrum acetosus sapor, idem sit, atque acidus. 643. c.1.a
52 Vtrum sapores singuli, vario modo sint explorandi. b
53 Vtrum varij sapores varia temperamenta sortiantur. d
54 Vtrum ex variis de causis minuatur, vel auferatur gustus. c.2.a
55 Vtrum tres in vniuersum assignandæ sint lumbricorum species. 645.c.2.d
56 Vtrum ex tribus vermium speciebus, quæ sit frequentior. 646.c.1.a
57 Vtrum inter ætates, pueritia & adolescentia, ad vermium generationem, sint aptiores, infantia, & senectute. ibid.d
58 Vtrum vermes ob aliquem vsum generentur. ibid.e
59 Vtrum vermes pariant. c.2.a
60 Vtrum ex tribus speciebus, quæ deterior. b
61 Vtrum vermes ad sui excretionem, coctionem prærequirant. ibid.c
62 Vtrum difficilior sit curatio vermium, præsente febre, quàm citra ipsam. 647.c.1.a
63 Vtrum stilla sanguinis semper reproba sit. 648. c.1.c
64 Vtrum superstillatio pessima. c.2.e
65 Vtrum stilla atri sanguinis, sit peior stilla sanguinis rubri. 649.c.1.b
66 Vtrum vigilia immodica corpora extenuet. c.2.c
67 Vtrum difficultas respirandi in febribus, à pluribus causis ortum ducat. 650.c.1.d
68 Vtrum lienteria ex intestinorum læuitate oriatur. 653 c.1.e
69 Vtrum lienteria ad intestinorum exulcerationem subsequatur. c.2.d
70 Vtrum lienteria ex debilitate retentricis oborta, ex omni intemperie gigni possit. c.2.e
71 Vtrum lienteria sit passio ventriculi, an intestinorum. ibid.
72 Vtrum lienteria expultricis, vel alteratricis sit passio. 654.c.1.b
73 vtrum lienteria sit morbus acutissimus. c.2.a

LEMMATA

LEMMATA OBSERVATIONVM PRAXIS HISTORIARVM.

OBSERVATIONES Libri I.

OBSERV. 1. Apeciæ remedia præstantissima. Pag. 139. col. 1. b

2 Inueterata tinea, oleo bombacino curata. 140. c. 2. a

3 Contumaci cephalææ, præsidia vtilissima. 148. c. 2. c

4 Phrenitidi confirmatæ, & conciliando somno auxilium optimum. 165. c. 1. c

5 Lethargus, cauterio retro aures sanatus. 173. c. 1. a

6 Epilepsia ex grumoso sanguine in collo vesicæ retento, eo excreto, curatur. 187. c. 2. b

7 In Apoplexia curanda, sanguinis detractionis vtilitas mira. 194. c. 1. b

8 Ad conciliandum somnum, emplastrum mirabile. 208. c. 1. e

9 Electuarium ex chalybe, ad hypochondriacos egregium. 210. c. 2. c

10 Ad præseruationem incubi præsidium certum. 214. c. 1. b

11 Remedia pro conseruanda memoria expertissima, & propè diuina. 219. c. 1. d

12 Præsidium ad comparandam memoriam, singulare. ibid. c. 2. d

13 Ad Paralysim, vnguentum admirandum. 229. c. 2. a

14 Pro curanda resolutione, pilulæ eximiæ. b

15 Ad resolutionem, frigidósque neruorum affectus syrupus vtilissimus. d

16 Stupor, cauterio curatus. 231. c. 2. c

17 Ad oris torturam, præsidia salutifera. 233. c. 1. c

18 Ad penis Paralysim, insessus proficuus. 235. c. 1. e

19 Conuulsio orta ex scabie intempestiuè suppressa, ea artificio reuersa sanatur. 243. c. 1. d

20 Vertigo admiranda ex auris regione enata, cauterio pone aures affixo, omnino curatur. 246. c. 1. b

21 Ad inueteratam Ophthalmiam, vnguentum eximium. 254. c. 2. c

22 Ad Opthalmiam contumacem, aqua mirabilis efficaciæ. ibid. e

23 Aurium sæua inflammatio, hirudinum suctu curatur. 258. c. 2. d

24 Errhinum, læso olfactui efficacissimum. 260. c. 1. c

25 Dentium dolor ex calculo supra dentem prognato, eiúsque curatio. 261. c. 1. c

OBSERVATIONES Libri II.

OBSERV. 1. Aqua ad conferendas reliquias morbi Gallici mirabilis. 279. col. 1. e

2 Vinum sanctum pretiosum, ex inuentione nostra, clemens, tutum, partes principes roborans, suauiter euacuans. c. 2. b

3 Aqua magistralis vtilissima, pro illis præsertim qui ex Gallico morbo occultè curari desiderant. ibid. d

4 Pilulæ aureæ, ad refrænandam Mercurij malitiam efficaces. 280. c. 1. a

5 Canina Angina, hirudinum sub lingua suctu, curatur. 289. c. 2. b

6 Pleuritis sæua, copiosissima venæsectione curata. 313. c. 2. b

7 Pleuritidi pituitosæ curandæ, syrupus eximius. ibid. d

8 Vnguentum pro pleuritide curanda vtilissimum. 314. c. 1. b

9 Pleuritis biliosa, venæ saluatellæ sectione curata. ibid. c

10 Pleuritis contumax, cauterio super partem dolentem apposito, curatur. c. 2. a

11 Pleuritis in sphacelum mutata, lethalis. c

12 Dolor ossis sterni pro pleuritide curatus, excreto per os lumbrico, euanescit. d

13 Pleuritis in abscessum externum, & fistulam lethalem terminata. e

14 Pleuritis exquisita, sanguinis mictu critico soluta. 315. c. 1. b

15 Peripneumonia, hæmorrhagia copiosa iudicata. 322. c. 2. d

16 Pro aphonia curanda, pileus vtilissimus. 330. c. 1. a

17 Ad restituendam vocem, arteriacum medicamentum eximium. ibid. d

18 Aphonia ex vtero orta, copiosa venæ sectione curata.

curata. c.2.a
19 Syrupus pro compeſcendo ſanguinis fluxu, præſtantißimus. 339.c.2.b
20 Aqua ſtillatitia, pro retinendo ſanguinis fluxu, mirabilis. ibid.e
21 Vomitus ſanguinis ex interuallis recurrens, hominem à pluribus morbis immunem reddidit. 340.c.1.a
22 Sanguinis ſputum criticum. c
23 Ex nimio riſu, ſanguinis ſputum, tabes, mors. ibid.e
24 Ptyaliſmus cruentus, ſanguinis miſſione ex talo, & hirudinum ſuctu leuatur. c.2.c
25 Importunum Aſthma, cauterio in capitis ambitu, & nucha perſanatur. 353.c.1.e
26 Orthopnœa ex leuium arteriarum pulmonis obſtructione ex flatu craſſo ſuborta, ebeni decocto curata. c.2.b
27 Ad Aſthma ex flatu ſubortum, electuarium mirabile. ibid.e
28 Importuna Orthopnœa, noctuæ puluere curata. 354.c.1.b
29 Pro palpitante corde, ſacculus eximius. 360. c.1.a
30 Ex purulentis teſtibus palpitatio ſuborta, fonticulis infra inguina excitatis, ex toto perſanatur. ibid.d
31 Palpitatio ſubitò internecans, ex abdita cauſa prognata. c.2.b
32 Syncope ex vermibus admiranda, allij ope curatur. 368.c.1.e
33 Syncope ex interuallis recurrens, cum pulſus omnimoda inæqualitate coniuncta, ructu, & ebeni ope curata. c.2.c
34 Syncope ex alui fluxu maligno, colliquante ſuborta, electuario cryſtallino curata. 369. c.1.a
35 Ex continuo fluxu puris per anum, quidam Gallico morbo infectus, in ſyncopen incidens ſæpius, fonticulis, & ebeno curatur. ibid.e
36 Prodigioſa tabes, lacte, & eius balneo curata. 377.c.1.c
37 Phthiſici aëris exiccantis ope, in longum tempus interdum vitam producunt. c.2.a
38 Phthiſis deplorata, limacum ſtillatitio liquore perſanatur. ibid.b
39 Pro phthiſi curanda, aqua mirabilis efficaciæ. d
40 Phthiſicus, excitata fiſtula, iuxta os ſternum, in longum tempus vitam protraxit. 378. c.1.b
41 Verum empyema, teſtudinum ſyrupo, & ebeni decocto, curatur. 386.c.1.d
42 Ad frigidam ventriculi intemperiem, roborandum ſtomachum diſcutiendos flatus, promouendam coctionem, pituitoſos humores vacuandos, pilulæ eximiæ. 407.c.1.a
43 Ad debilem ventriculum ex frigida cauſa, vinum mirabilis efficaciæ. c
44 Frigidioribus ventriculi affectibus, vnguentum pretioſiſsimum. d
45 Ad debilem ventriculum à cauſa calida, portulaca præſtantißima. c.2.a
46 Iecoris inflammatio ſæua immani dolore affligens, hirudinibus circa partem affectam admotis, perſanatur. 417.c.1.a
47 Electuarium è Rhapontico paratum pro hepatica affectione, præſtantißimum. 423.c.2.a
48 Electuarium pro nimio fluxu hepatico, vtiliſſimum. c
49 Aqua ſtillatitia hepatis animalium, ad affectionem hepaticam, mirabilis. 424.c.1.a
50 Ad cuacuandos humores aquoſos, aqua ſtillatitia mirabilis efficaciæ. 43 .c.1.e
51 Conſerua ex Bryonia pro hydrope curando, præſtantißima. c.2.b
52 Vinum ebulinum, & ſambucinum ad aquas hydropicorum educendas, eximium. d
53 Hydropicus deſperatus perforatis iliis, vi naturæ, euacuata copioſa aqua, præter omnium ſpem conſaneſcit. e
54 Aqua inter cutem laborans, liberaliſſimo vſus aquæ marinæ potu, copioſo alui fluxu ſuborto, liberatus. 434.c.1.b
55 Conſerua ex ligno nephritico pro præſeruatione, & curatione calculi præſtantißima. 442. c.1.a
56 Calculorum incredibilis numerus diu citra noxam excretus. ibid.e
57 Sabulum quotidie excretum per vrinam in copia multa. c.2.a
58 In fœmina repertus miræ magnitudinis lapis.b
59 Suppreßionis vrinæ cauſa rariſſima. c
60 Vermes viui in renibus inuenti, eorum abſceſſum ſimulantes. d
61 Diabetes, frigidiſsimo balneo, curatus. 446. c.1.d

OBSERVATIONES Libri III.

Observ.1. AD prouocanda menſtrua, aqua ſtillatitia, eximia. 485.c.2.e
2 Ad mouenda menſtrua, vterúmque roborandum, ſyrupus eximius. 486.c.1.b
3 Ad ciendа menſtrua remedium facile, & inauditum. ibid.e
4 Menſtrua per vteri labra emanantia. c.2.a
5 Menſtrua per pollicem ſiniſtrum pedis erumpentia. ibid.c
6 Pilulæ ad ſupprimendum ſanguinis fluxum, eximiæ. 491.c.1.e
7 Muliebri profluuio curando, emplaſtrum eximium. 492.c.2.c
8 Vteri ſtrangulatio ferociſsima, à peregrina cauſa prognata. 497.c.1.a
9 Vteri ſuffocatio ab infrequenti cauſa originem ducens. ibid.e
10 Pro præſeruatione ab vteri ſtrangulatu, pilulæ hyſtericæ præſtantiſsimæ. c.2.b

11 Ad

12 Ad firmandum vterum in ſitu ſuo, emplaſtrum excellens. 498.c.2.a
12 In inflammatione vteri, cucurbitula ſcarificata ſuper pubem, remedium celebre. 500.c.1.b
13 Culcitra ad roborandum fœtum vtiliſſima. 505.c.1.e
14 Conſerua, ad molliendam grauidarum aluum, vtiliſſima. col.2.b
15 Cataplaſma ad expurgandas vtero gentes egregium. 505.c.2.d
16 Pilulæ ad picam grauidarum mirabiles. 506.col.2.a
17 Ad expellendam molam, pilulæ eximiæ. 508.col.1.e
18 Mola admiranda intra quatuor horas interficiens. col.2.a
19 Mola in vtero duodecim annos perdurans. ibid.c
20 Peſſarium ad extrahendum fœtum mortuum, præſtantiſſimum. 509.c.2.a
21 Pro extrahendo fœtu mortuo, ſecretum facile, & expertum. b
22 Ad præſeruandas enixas, ne in morbos labantur, ſyrupus eximius. 511.c.1.d
23 Ad expellendas ſecundas, puluis præſtantiſſimus. 515.c.2.a
24 Pro torminibus à partu, remedium expertum. 517.c.1.e
25 Antidotum ad præſeruandos infantes ab epilepſia, ante lactationem offerendum. 518.c.2.i
26 Ad lactis defectum, electuarium egregium. 520.c.2.b

OBSERVATIONES
Libri IV.

OBSERV. 1. Diariæ ex ſolis ardore, curatio illuſtris. 564.c.1.a
2 Continens febris, nullis artis præſidiis cedens, vomitui cruento copioſo ex toto ſuccubuit. 570.c.2.c
3 Rarum ſynochi genus, quarto die interficiens. 572.c.2.d
4 Ad abſumendas febris ardentis reliquias, conſerua mirabilis efficaciæ. 577.c.1.c
5 Ad refrigerandum iecur, humoremque bilioſum clementer euacuandum, electuarium eximium. 581.c.1.b
6 Ad Tertianam notham productam, aqua ſtillatitia mirabilis. 583.c.1.c
7 Semitertiana, ſudorificis ex radice Chynæ, ex toto ſuccumbens. 585.c.1.b
8 Ad quotidianam, aliaſque febres productas, facile, ſed vtile auxilium. 591.c.1.e
9 Expurgantia in quartana intempeſtiuè oblata, immedicabilem noxam, & mortem afferunt. 595.c.1.e
10 Ad quartanam contumacem, ſaluatellæ ſectio in pede, mirabilis. 596.c.1.b
11 Pro hectica curanda, vnguentum ex caſia præſtantiſsimum. 600.c.2.d
12 Electuarium ad peſtem domandam efficaciſſimum. 606.c.1.a

OBSERVATIONES
Libri V. & VLT.

OBSERV. 1. AD laſſitudinem ab exercitio ortam, vnguentum præſtantiſsimum. 611.c.2
2 Ad calidum capitis dolorem, emplaſtrum præſtantiſſimum. 613.c.2.c
3 Ad dolorem capitis frigidum, emplaſtrum excellens. d
4 Pro dolore capitis diuturno, fontanella in ſinciput excitata, mirabilis. 614.c.1.a
5 Intenſus capitis dolor, febri ſuperueniens, hæmorragiâ conſanescit. ibid.d
6 Ad cohibendum ſudorem, vnguentum præſtantiſſimum. 616.c.d
7 Ad coërcendum vomitum, pilulæ eximiæ. 617.c.2.e
8 Ad compeſcendum vomitum cataplaſma vtiliſſimum. ibid.e
9 Bilioſus vomitus importunus, ſaluatellæ dextræ ſectione curatus. 618.c.2.b
10 Ad cibi faſtidium ex frigiditate, pilulæ optimæ. 619.c.2.a
11 Ad cibi faſtidium ex calore, cataplaſma vtile. ibid.b
12 Ad fluxum alui compeſcendum, potus ſtillatitius mirabilis efficaciæ. 622.c.1.a
13 Emplaſtrum contra alui fluxum, celeberrimum.c
14 Contra choleram, ſyrupus præſtantiſſimus. 623.c.1.c
15 Sternutatio continua, narcotico curata. 624.c.1.b
16 Ad dorſi incendium, ſyrupus de niue cum ſero lactis eximius. col.2.d
17 Ad colicum dolorem à flatu, emplaſtrum celebre. 626.c.2.c
18 Ad dolorem iliacum ex ſtercore indurato, remedium certum. 628.c.1.e
19 Pro dolore iliaco ex reſiccata fæce, præſidium expertum. col.2.b
20 Dolor iliacus ex inflammatione ſubortus, celebri cataplaſmate curatus. ibid.d
21 Pro ſedando dolore hæmorrhoïdum, remedium certum. 629.c.1.e
22 Ad compeſcendum nimium hæmorrhoïdum fluxum ſyrupus eximius. col.2.a
23 Prodigioſa narium hæmorrhagia, amuleto ſanata. 630.c.2.e
24 Syrupus tuſſi inueteratæ vtiliſsimus. 634.col.1.a
25 Pro dyſenteria, pilulæ vtiliſsimæ. 636.c.1.a
26 Ad auriginem, pediculorum vſus vtiliſsimus. 638.c.2.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 51 sur 927

©BIUM

27 *Copioſus lacrymarum fluxus, ſetone ad nucham indito, curatur.* 639.c.2.b
28 *Lacrymarum effluuium ſalſum, balneo capiti adminiſtrato, conquieſcit.* ibid.d
29 *Ad famem caninam ex frigiditate ſubortam, vinum generoſum præſtantiſſimum.* 641. c.2.a
30 *Contra læſionem guſtus, ſyrupus expertus.* 643. c.2.e
31 *Ad ventriculi dolorem ex cauſa calida prognatum, ſyrupus eximius.* 644.c.1.d
32 *Ad dolorem ventriculi, ex frigido ſucco, & flatu ſubortum, in chronicis febribus puluis vtiliſsimus.* c.2.a
33 *Loch ad ſedandam ſitim vtiliſsimum.* 645.c.1.b
34 *Ad animi deliquium & ſyncopen vnguentum perutile.* e
35 *Ad palpitationem cordis in febribus ortam, electuarium optimum.* c.2.b
36 *Ad enecandos vermes, in febribus malignis potio vtiliſsima.* 647.c.1.e
37 *Ad febrientes verminoſos, puluis vtiliſsimus.* d
38 *Vermis monſtroſus.* e
39 *Pilula ad rigoriferos inſultus ſalutaris.* c.2.d
40 *Puluis ad terrificos rigores vltiſsimus.* ibid.
41 *Stilla ſanguinis in febribus, ferè funeſta.* 649. c.2.a
42 *Ad deſperatam vigiliam pilula opiata vtiliſsima.* 650.c.1.c
43 *Ad difficultatem deglutiendi, ex ſiccitate obortam, vnguentum optimum.* c.2.d
44 *Ad reuocandum calorem ad partes, potio vtiliſsima.* 651.c.1.d
45 *Ad dorſi incendium, remedium ſingulare.* c.2.b
46 *Lethargus cauterio in plantis pedum excitato, curatur.* 652.c.2.d
47 *Ad lienteriam, ex imbecillitate retentricis, emplaſtrum egregium.* 653



ZACVTI

ZACVTI LVSITANI, INTROITVS MEDICI AD PRAXIN:

In quo præcepta LXXX. generalia, ad veram medendi methodum summè necessaria, proponuntur.

PRÆLOQVIVM.

QVID QVID non docet meliùs curare, sophisticum est, & ab arte alienum, dicebat diuinissimus Galenus, *lib.*1. *Prorrhet. sect.*1. *com.*17. Ad curationem rectè exercendam, & ad procellosos irruentium morborum insultûs declinandos, multis, prudens & peritus Medicus opus habet cautionibus, & circumstantiis, quæ tum sunt iucundæ, nec fructuosæ minùs. Nulla enim est scientia, quæ artificem magis cautum requirat, quàm Medicina, in qua tot morborum monstra contingunt, immanes sæuientium symptomatum propullulant syrtes, & ægrorum diuersa temperamenta, naturæ, mores, conditiones existunt, quibuscum generosus Medicus, & arte Hippocratica dignus, strenuè, veluti cum septemplici Hydra, bellum gerens, pluribus machinis, hoc est, rationis & prudentiæ documentis mirè instructus, dimicabit. Hæc ergo antequam ad praxin delineandam accedam, ante oculos proponam, vt sic Lectorum animos incendam, & in eis elementa hæc, tanquam aculeos quosdam cogitationum relinquam infixos, ne Medicinæ nauis scopulis allisa confringi possit, aut hoc tempestuoso mari iactata naufragium faciat. Quare boni agricolæ instar, priùs noxias herbas, & vitia medicorum resecabo: immittam deinde semen, & excolam, quò crescat deinde latiùs, & vberiorem nobis segetem præstet, vt deinceps patulis arbores medicæ luxurient frondibus, & ambitu veluti fornicato amœnissima medico curaturo in posterum texant vmbracula.

PRÆCEPTVM I.

Medicus (qui ex Hip. mente *lib. de decenti ornatu, num.*4. est Deo æqualis) *sit Diuini numinis cultor.*

MORTALIVM sapientissimus, *lib. Eccles. in princip.* sic profatur, *Initium sapientiæ, timor Domini.* Et priùs prædixit Regius Psaltes *Psalmo* 3. *Radius sapientia est Deum timere:* & Psalmo 118. *Domine bonitatem, & scientiam, & sapientiam doce me.* Hoc modo Hippocrates *lib. de decenti ornatu, n.*6. dicit, quòd Medicina Deos valdè reuerenter habeat: & Plato *in Timæo* compotes mentis eos esse testatur, qui in principio alicuius operis Deos inuocare solent; quia, vt dicebat *idem quarto de legibus libro: Deus quidem (ô viri) quemadmodum veteri prouerbio fertur, principium, finem, ac medium continens, rectum peragit cursum secundum naturam circumiens.* Quare *omnium rerum humanarum*, dicit Cicero *in Orat. in Vatin. à Diis immortalibus sumenda esse principia.*

Sic Plato magis vniuersè & piè, *in epist. ad Dio.* omnibus in rebus, & dicendis, & cogitãdis, principium à Deo semper esse sumendũ asseuerat. Et Chrysip. apud Plutarch. *lib. de Stoic. repug.* profitetur, aliud iustitiæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 53 sur 927

principium, aliam originem non posse reperiri, quàm à Ioue, & communi natura petiram; & hinc necesse omnia ista nos ordiri, cùm de rebus vel bonis, vel malis oratio est habenda. Et Pind. *oda 1. Pyth. A Diis molimina omnia mortalibus virtutibus, & lingua eximij, & manibus fortes nascuntur:* proœmia enim sumpta à Diis, posita sunt cum illius viri admirandis virtutibus.

Si igitur omne, ac totum, Deus, quidni, vt omnia bene eueniant mortalibus, orandus, & ab eo capiendum initium? Sic Græci: at de Romanorum more, testem locupletiorem Cicerone non possum laudare, qui de eo pluribus locis aut loquitur, aut indicat. *Act. 6. in Verr.* vsitata proœmia fuisse Oratoribus significat, Deos precandi, initio suarum orationum: idem notat Valerius Maximus *in præfat. suorum librorum.* Quod institutum è more antiquo ductum, obseruant multi ad illud carmen *Æneid.*

— Dij nostra incepta secundent.

& exemplum affert Cat. *in orationibus:* & ad illud *Æneid.* 11.

Præfatus Diuos, solio Rex insit ab alto.

Sic Mart. Capella *lib. 2. epist. symm. epist. 107. An si nobis scribenda sit forensis oratio, Iouem, cæterósque Deos Cat. lege præfamur.* Sic in aliis concionibus ad populum, exempla sunt apud Tit. Liuium *lib. 39.* in comitiis, apud Cic. *initio orationis pro L. Murena.* Sic Ouid. *lib. 5. Metamorph.*

— Priscóque Deos de more precatus.

Hoc modo Galenus, non vt Gentilis; sed vt prudens & pius, *lib. 3. de vsu part. 10. post. med.* in Conditorem nostrum, verum hymnum componit, eius bonitatem, sapientiam, & admirabilem virtutem collaudans, quia cultu conuenienti exornauit omnia, nihilque suis beneficiis priuatum esse voluit, hoc perfectissimæ bonitatis est specimen hymnis celebrandum: nam efficere quo pacto omnia in mundo sublunari adornentur, summæ est sapientiæ; effecisse autem omnia quæ voluit, virtutis est inuictæ ac insuperabilis. Ne igitur mireris Solem (inquit ipse) aut Lunam, & vniuersam aliorum astrorum seriem summo artificio dispositam esse, néue te attonitum magnitudo eorum, vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuitionum certa descriptio reddat adeò, vt si inferiora hæc comparaueris, parua tibi videantur esse, & omni ornatu carere: etenim sapientiam, & virtutem, & prouidentiam hîc quoque similem inuenies.

Deinde ab omnibus inuocandus Deus, vt ait Plutarch. *lib. de superst.* non pura, & recta lingua victimæ, sed puro, & recto ore precantis. Quapropter Cauius interpretationem scribens legum, & ius vrbis Romæ, à Deo, vt veri bonique omnis fonte, & omnis iuris, & æqui auctore reperit, quia ita in remediis malorum initia maximè probantur. Hoc modo celebris auctor Auicenna, principium suæ medicinæ incipiens, Deum reuerebatur, dum sic ait: *Inprimis Deo gratias agamus, sicut sui ordinis celsitudo, & beneficij ipsius multitudo meretur, cuius misericordia super omnes Prophetas existunt.*

Hinc fit vt Medicus sit pius, & toto corde Deum redamans, cuius cor illi sacrandum, vt ipse omnes adiuuet actiones suas. Ita Plato *in Alcibiad.* & Xenoph. *l. 1.* scribunt, Deos magis placari propriis hymnis, quàm sacrificiis: nam internæ magis nobis sunt laudes, quàm victimæ. Quod argumentum sapienter Poëtæ in eo magis Philosophi, quàm Poëtæ pertractarunt, quòd videlicet Deus animum inspiciat, & hoc pio, & humili ipsum deprecari debeamus. Martialis epigrammatum scriptor, *lib. 10. epig. 73.*

Non quacunque manu victima cæsa litat.

Conuenit cum Martiali Ouidius *in epist. Acontij ad Cydippen.*

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

Hæc est causa, cur Deos cecinerint veteres Poëtæ, coli ac placari purâ conscientiâ, & tota *oda 23. lib. 3.* Horatius, & *2. fastor.* Naso:

— Pietas pro diuite grata est
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.

Rursus:

Nec quæ de parua pauper Diis libat acerra
Thura, minùs grandi quam data lance valent.

Tibullus, *lib. 4. ad Messalam:*

Paruáque cœlestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato Taurus cadit hostia cornu.

Sic Zaleucus *proœmió legum*, apud Stobæum *serm. 42.* cùm Deos esse colendos dixisset, vnumquemque studere, inquit oportere, vt ita comparet animum suum, purus vt sit ab omnibus vitiis; neque enim colitur Deus ab imputo homine, neque placatur sumptibus, aut capitur tragicis spectaculis, prauorum hominum instar, sed virtute, & instituto actionum honestarum, ac iustarum: nemo enim malus Deo charus.

Sic Isocrates *ad Nicoclem*, quum eũ fuisset adhortatus, suorum exẽplo maiorũ Deos coleret, subiecit: memineris tamen, hoc esse optimum sacrificium, & maximum cultum, si te quàm optimum, atque iustissimum exhibeas. Quare disertis verbis Cato paruus sic ait:

Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Idcircò *Prouerbior. 23.* ait sapiens: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* & *6. Deuter. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Cur? quia ab eo omne bonum, ab eo sanitas emanat, ab eo omnis medela. Probat Regius Vates *Psalm. 103. Ipse sanat omnes infirmitates tuas, & redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Quod & Annæ matris Samuelis cantico testatissimum fit, *1. Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Quare summa cum ratione Salomon confirmat, *Sapient. 16. Neque herba, neque malagma sanat, sed Domini sermo qui sanat omnia. Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem, deducis ad portas mortis, & reducis.* Quòd si subtrahat Dominus manum suam, etiamsi omnẽ impleas artẽ, si operosissima manu, omni labore, atq; studio mederi coneris, nihil proficies.

Idem prophetico ore ipse Rex, & Propheta Dauid, Dei spiritu afflatus cecinisse visus est: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem, turbabuntur.* Medicus ergo debet cor suum sacrare Deo, & ab eo enixè rogare, vt pro sua bonitate, atque beneficentia, ægros, quos præ manibus habet curandos, ad perfectam deducat sanitatem. *Solus Deus languores sanat, & de frugalitatis solio produxit in largitate medicinam, benedictus, gloriosus, & excelsus Creator,* inquit Mesuë *in præfatione sua.*

PRÆCEPTVM II.

Medicus vestitu ornetur decoro.

SApientissimus Medicorum *lib. 6. epid. sect. 4. text. 9.* sic profatur. *Introitus, sermones, vestes, tonsura, vngues, odores:* & *lib. de decenti ornatu, num. 1.* honestum in Medico exoptat vestitum. Sed ego temperare mihi non possum, quando hoc infelici sæculo Medicos cerno per plateas, & fora, magna arrogantia incedentes, pomposa veste indutos, qui magna celeritate communes locos voluunt, & in publico, priuatóque circulantur, barba ad vmbilicum vsque exporrecta: & iactabundi, ac glorioſi, de proposita quæstione quauis se posse ex tempore respondere prædicant.

Hæc immania monstra Reipublicæ valde infensa detestantur Anthippus Comicus apud Athenæum, & Antiphanes apud Stobæum, *serm. 36.* Quare barba, & pallium

pallium non faciunt Philoſophum: ſic enim Pallas non ineleganter luſit, conuerſus ab Alciato, & Thoma Moro, viris in æternum celebrandis:

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat,
Barbatus poſſit quin caper eſſe Plato.

Inſuper ſumptuoſæ veſtes, ac annuli deceptorij, non proſunt ægris, ſed Medicis his perſonatis, qui his verſutiis inſtructi, à rudi, ineptáque plebecula nummos exhauriunt, loculos corradunt, diuitias emungunt. Hoc egregio diſticho ſignificauit Lucillius:

Hermodoti hoc dogma eſt: quiſquis miſer indiget aere,
Philoſophi aſſumat pallia, diues erit.

Hoc modo Plutarchus *non longè à principio lib. de Oſir. & Iſid.* eos vocat barbatos, palliatos, loquaces: & abiit in prouerbium, illud Agellij *lib. 9. cap. 2. video barbam, pallium, & verba, Philoſophum non video.* Plures enim ferunt habitum, vel inſignia ſapientiæ, ſapientes autem verè non ſunt.

Caueat ergo Medicus, ne in ſuſpicionem ampulloſi artificis cadat, & ſophiſtæ, quem depingit ſuis coloribus Hip. *lib. de decenti ornatu, num. 2.* ſub his verbis: *Hi enim ſunt qui fora frequentant, ruditate, ac inſcitia ſua imponentes, & in circulis ciuitatum verſantes. Cognouerit autem quis eos ex veſtitu, & aliis lineamentis. Quamuis autem fuerint ſplendidè ornati, multò magis fugiendi ſunt, & à conſpicientibus odio habendi. Qui verò contrario modo ſe gerunt, homines recti iudicandi ſunt, quibus non eſt excogitatus apparatus, neque ſuperflua curioſitas. Ex veſtitu enim cognoſces, & decenti in ipſo ornatu, ac frugalitate, non ad ſuperfluitatem parato, ſed magis ad bonam opinionem, & meditationem, animúmque intra ſe compoſitum. Hi ſunt ſolertes, familiares, affabiles, temperati ad omnes, ad ſeditiones taciturni, ad tacendum animo obfirmato, & continentes, ad tempus appoſiti, ad occaſionem arripiendam accommodati, ad victum frugales, & contenti, patientes ad temporis expectationem, ad ſermones expediti, ſuauiloquentia vtentes, gratiis affecti, & gloria horum omnium corroborati, ad veritatem, ac demonſtrationem audentes, ac confiſi, &c.* Cæteri quum doctrina ſibi auctoritatem comparare nequeant, ſplendore auri, veſtium ſuperfluo cultu, ac ſeruorum turba, rude vulgus falſis imaginationibus alliciunt. Veſtis ergo, vt notat Gal. *loc. cit. epid.* eſto mediocris: neque valde ſumptuoſa, vt arrogantiam indicet; neque ſordida, & nimiùm vilis: nam à Medicis, ægri, non ornatum, ſed auxilium quærunt.

PRÆCEPTVM III.

Medicus non ſit verboſus & loquax.

REctiſſimè quidem docuit Celſus, *in proœmio: Eloquentia non curari morbos, ſed remediis.* Hæc aurea verba non attendunt, hoc noſtro in felici ſæculo, Medici quidam, qui verba arroganter magna celeritate præcipitant: nam aſſiduus, & præpoſterus ſermo (referente Nicoſtrato) olim, & nunc à grauioribus ſcriptoribus rigidè condemnatur: ſi enim qui plus loquitur, & garrit, eſſet ſapientior, hirundo eſſet ſapientiſſima, cui à Græcis, & Latinis garrulæ epitheton indi ſolet.

Hi contemptiſſimam faciunt Medicinam, & de illis loquitur Accurſius inſignis Iuriſconſultus, *Cod. de Medicis, l. parabolanos: Loquaciſſimi enim ſunt, & ita doctiſſimi vulgi ſententia habentur; re verò, & opere ſunt ineptiſſimi, & artem inter omnes ſummè honorandam, & à ſummo Deo hominibus conceſſam, dedecorant.* Ita Hip. *lib. de decenei ornatu, num. 9.* ſic profatur: *In ingreſſu verò meminiſſe oportet, & ſeſſionis, & habitus ſubmiſſi, amictus compoſiti, auctoritatis, breuiloquentiæ, vt nihil cum perturbatione facias.* Nam garrulus Medicus ægrotanti alter morbus. Medicus autem prudens debet eſſe grauis, verbis honeſtus, & parcus, quia loquacitas parùm videtur eſſe apta naturæ huius facultatis, quæ muta eſt. At cur mutā? Indicat Virg. 12. *Æneid.* de Iapide loquens, ſic apellatam, ſi cum muſica conferatur. Verſus ſunt Poëtæ ſummi:

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium, cytharámque dabat, celereſque ſagittas.
Ille, vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, vſúmque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Muta enim eſt ars medica, & Medici muti, hoc eſt, non linguaces, ac ſermone prodigi; hi enim ægris adſtantibus, & cæteris ſunt deriſui, & contemptui.

PRÆCEPTVM IV.

Medicus non ſit auarus.

DIuiniſſimus Hippocrates ſic profatur *in epiſtolis, num. 8. Miſera eſt profectò humana vita, quoniam per totam ipſam intolerabilis auaritia, velut hybernus ventus, diſtributa eſt, ac penetrauit: ad quam vtinam potiùs omnes Medici conueniſſent, quò grauiorem inſaniam morbum curarent, &c.* Hunc ergo infinitum morbum, plures conſumentem, deponat Medicus Hippocratica doctrina inſtructus. Hic enim facundus vir, inuicto animo, vocatus ab Rege Artaxerxe, ad curandam peſtem ſæuam, quæ immani militum, & animalium ſtrage, numeroſiſſimum exercitum penè extinxerat, propoſita auri & argenti copia, quantâ veller, & conceſſis honoribus, & dignitatibus ſummis, ita vt Optimatibus Perſarum æqualis foret, huiuſmodi conditionem recuſauit omnino, & Hyſtanidi Regis præfecto reſpondit hoc modo. *Ad epiſtolam quam miſiſti, à Rege veniſſe adſerens, remitte Regi quæ dico, quàm celerrimè ſcribens: quòd & victu, & veſtitu, & domo, & omnium ad vitam ſufficienti opulentia fruimur. Perſarum autem diuitiis vti, fas mihi non eſt: neque Barbaros homines à morbis liberare, quia hoſtes ſunt Græcorum.* Hactenus Hip. *in epiſt. num. 3.*

O eloquium tanto viro digniſſimum! O venerande ſenex! O auri contemptor ſtrenue! O diuinæ ſcientiæ Princeps! Cur ergo nos hunc ſanitatis patrem, dolorum curatorem eximium non imitabimur? imò ſpreta pecunia vili, ſanctè & piè ſacroſanctam Medicinam non exercebimus? Quid enim faciet miſera plebecula, tot, tantíſque malis obſita, cum Medico auaro? qui ſolum lucrum attendit, & auri ſacra fame correptus, & inſcatus, Tantali more, ſemper inops ſitit, & pecuniam tam ſuam, quàm alienam quæritat, & vt Ouidius cecinit 11. *Metam.*

——Diuéſque, miſéque:
Copia nulla famem releuat, ſitis arida guttur
Vrit, & inuiſo meritus torquetur ab auro.

Quare Plato *lib. 5. de legibus*, valde diuitem non poſſe virum eſſe bonum ſtatuit: & Bio apud Stobæũ *ſerm. 10.* argenti amorem, arcem improbitatis, vitij omnis eſſe metropolim, aſſeruit: & in Phædone Plato: *Bella omnia ac pugnas, ab hominibus pecuniæ geri cauſſa; nam nullum hominibus, quale argentum, malum. Numus eſt natus, hic & euertit vrbes, & homines domibus eiici compellit, bonum animum tranſuersè agit ad turpia, & quoduis flagitij genus mortales docet, & in omni re impius eſt.* Quare Hip. *lib. de decenti ornatu, n. 8.* ſapientem Medicum eſſe argenti contemptorem aſſeuerat. Idem ſignificauit Seneca *lib. 2. cont. 7.* & cum eo Valer. Maximus *lib. 4. c. 4.* Demum virtuti, aut Deo nunquam charus, cui charæ opes. Vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque bonæ artes ſatis pollent, omnia bona vilia ſunt: fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam, vt 1. *Metam. lib.* Ouidius canit:

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Ideò generoſus atque prudens Medicus, pecuniæ & opum infinito appetitu, vel inſatiabili libidine torqueri non debet: nam ex ea mutuæ hominum inter ſe rixæ, lites, bella, vexationes, fraudes, curæ, & ærumnoſæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 55 sur 927

solicitudines; quia, vt scitè Democritus enuntiauit: *Diuitiæ non possessæ affligunt, possessæ torquens curis, amissæ consumunt doloribus.* Ita Propertius *lib.3.*

Ergo sollicita tu causa, pecunia, vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula prebes,
Semina curarum de capite orta tuo.

PRÆCEPTVM V.

Medicus de mercede non paciscatur.

IMpium est, nec etiam morbo vrgente, de mercede paciſci. Id docuit Hipp. *lib. præceptionum, num.* 4. dum sic ait. *Qui enim bonus Medicus est, is per Iouem, fide magis, quam duritia medetur. Quare in principio totam affectionem indagare oportet, & quædam suggerere conducentia ad curationem, curaréque ægrotum, & non negligere. At verò remunerationis exigendæ acerbitatem absque præparante ad disciplinam cupiditate, hortor vt ne valdè inducas, sed ad opulentiam, & facultates respicias. Quandoque verò etiam gratis cures, ita vt gratitudinis memoriam potiorem, quàm præsentem existimationem auferas. Si verò occasio ferendæ opis se obtulerit, & peregrino, & egeno, maximè talibus opituleris. Si enim affuerit erga homines amor, adest etiam amor erga artem.* Hactenus pientissimus senex. Si verò hic suprà, *in eodem lib. num,* 3. à mercede incipiendum esse monet, intelligendus, quando ab aliqua Republica vocatur: alioqui in hac nobili arte, ignobile & indignum Medico est, imò impium & execrabile, de mercede deliberare: inditium quippe certissimum, quòd solùm ad lucrum, & non ad sanitatem ægri, collimat scopum; & sic auaritiæ notam incurret.

Demum Medicus Hippocraticus, honore & existimatione sit contentus, in eáque tanquam in mercede honestissima conquiescat. Cicero *lib. 16. epist. famil, epist.* 9. mercedem facit Medici, honorem: aptè ad *Ecclesiasticí* dictum, *cap.* 38. *Honora Medicum propter necessitatem:* & Hip. Abderitis scribit, se nunquam pro medicinæ vsu accepisse mercedem, quia, *Medicina libera est, & Deorum munus:* & plura scribit, quæ valeant contra amantes auri, & ideò crudeles Medicos: ac hanc laudis partem Ausonius patri suo Medico attribuit, hoc disticho:

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,
Officiúmque meum cum pietate fuit.

PRÆCEPTVM VI.

Medicus non sit inuidus.

SOlertissimus Medicorum *lib. de cognoscendis, curandísque animi affectibus, ferè per totum,* postquam plures detestatus est animi affectus, qui in Medicis magis sunt execrandi, nempe philautiam, contumaciam, iracundiam, auaritiam, cupiditatem, incontinentiam, libidinem, vanam gloriam, & honorem, vnam veritatem nudam in pectore gerens, de inuidia sic prædixit. *Inuidia est dolor ex alienis bonis conceptus, & est omnium vitiorum fœdissimum.*

Licèt enim, vt dicebat Antisthenes, inuidioso nihil inferat molestiæ; præcipuum tamen, & intestinum inuidi malum est. Nam sicuti rubigo ferrum, ita inuidia animum homniis, vbi insita est, consumit: & veriùs, vt viperas tradunt aliqui, ventre in quo genitæ sunt, corroso, nasci; eodem modo liuor oppressum exedit animum. Propterea Quintus Curtius inuidos homines, nil esse aliud scribit, quàm sua ipsorum tormenta: huius enim vitij stimulis agitati, & secundis amici rebus ingemiscentes excarnificantur. Quare Horatius *lib. 1. epist. ad Lollium:*

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.——

Quare hanc dementiam procul à se eliminet probus Medicus, qua nullum est pernicioſius crimen: vnde Silius Italicus, *lib. 17. de bello Punico:*

O dirum exitium mortalibus! ô nihil vnquam
Crescere, nec magnas patiens exsurgere laudes
Inuidia!——

Medicus enim si sapienti collegæ inuiderit, eius votum etsi rectum approbat nunquam; quare inuidentia malè affectus consultationes perturbat, & curationem peruertit. Ergo consule præstantissimum Philosophum, ac Medicum Galenum, qui *lib. de cognosc. anim. affect.* non de corporum modò, sed & de animorum perturbationibus moderandis, vitandísque peccatis præclarè disseruit.

PRÆCEPTTM VII.

Medicus non sit superbus, & arrogans.

NOn minus scitè, quàm doctè protulit Galenus *lib. 13. meth. cap. 16.* indelebile vitium esse superbiam, & magis si cum ignorantia sit coniuncta: nam vt rectè confirmat Claudianus:

Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Quia secum habet plura, eáque enormia vitia, velut concatenata, nempe *vanam gloriam, iactantiam, nouarum sectarum inuentionem, philautiam, ambitionem, curiositatem.*

His malis artibus imbuti plures, vel etiam veterani Medici, iisque albicantibus pilis præditi, in seriis consultationibus nugas agunt, alios parui faciunt, irridենt, contemnunt, quum iactantia vana à doctorum virorum candore abhorreat, & ab omni ingenuitate sit aliena nimis, quoniam vt scienter admodum notauit Seneca, *epist. 84. humilibus multa bona in arte contingunt.* Quapropter Medici insolentes, quibus solùm sua arridենt, sempérque aliena despiciunt, sunt ab ingenuorum cœtu eliminandi.

Detestabile enim vitium est Superbia, *Deo, & hominibus odibilis, Ecclesiastic. cap. 10.* imitandus ergo est Hip. quem summè laudat Galenus, *lib. de atra bile, cap. 7.* quòd fuerit verbis honestus. Quare Medicus tranquillo debet esse animo, & verè Philosopho digno, & ita probis dotibus debet esse munitus, & instructus, vt in eo sani habeant virtutis exemplum, ægri in letalibus morbis tutelam.

Superbis repletur flatibus caput, quibus mens obscuratur, turbatur, & caligine obducitur obscura, vsquedum sedatur motus: & sic Arist. *sect. 3. probl. 13.* melancholicos vocat superbos, quia ex subiecti dispositione flatibus abundant. Hoc etiam testatur Galenus *lib. de cognoscendis animi morbis, cap. 3.* & *lib. quòd animi mores, cap. 4.* Superbus enim sese inflat, distendit, auget, respirationem cohibet, quasi animi elationem, magnitudinémque sibi creditam imitari corporis tumefactione velit detento spiritu, distentus flatibus, turgidus, tumidus, non aliter ac rana Æsopi superbiens in bouem, illum imitari est aggressa respiratione cohibita, vt illius æquaret magnitudinem, adeò vt medio obcrepuerit corpore, effusis visceribus. Hinc superbos vocitamus tumidos, tumentes, non contentos termino proprio, & rationis lege seipsos exuperantes, *Deuteronom. 1. cap. Loquutus sum, & non audistis, sed aduersantes imperio Domini, tumentes superbia, ascendistis in montem:* & *cap. 13. Cunctúsque populus timebit, vt nullus posthea intumescat superbia.* Ex quibus satis constat hoc vitium quàm sit execrandum, & detestabile.

PRÆCE

PRÆCEPTVM VIII.

Medicus non ſit contumax.

PLinius *naturalis hiſtoriæ lib.29. cap.1.* ſingulari elo-
quio ſententiam refert: *in Medico contumaciam re-
periri, ne videatur alterius acceſſio*, quod vitium inuidiæ
eſt proximum: nam Medici ſuam obnixè ſententiam,
pertinacitérque non defendunt, niſi quia aliis ſunt
infenſi; vel quia ita philautia capiuntur, vt ſibi ſolùm
ſua placeant ſola:

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Quoniam vinci Medicum à doctiori non eſt iniuria. Nam:

Trophæum me ferre à forti viro, pulchrum eſt:
Sin autem vincar, vinci à tali nullum eſt probrum.

Ab indocto vinci, non eſt impoſſibile: vt enim optimè dicebat Quintus Curtius *lib.9. Nihil tam firmum eſt, cui non ſit periculum etiam ab inualido. Leo ipſe aliquando mi-
nimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit.* Quare Medicus non ſit ceruicoſus, ac pertinax, ſed blandè, ſine rixa ſocij votum, ſiquidem rectum ſit, amplectatur; hoc enim ingenij ingenui, & bene morigerati ſignum eſt manifeſtum.

PRÆCEPTVM IX.

Medicus fateatur errores.

PHiloſophorum ſapientiſſimus Seneca, *lib. de vit. beata, cap.33.* ſic profatur. *Curioſum nobis natura in-
genium dedit, & artis ſibi, ac pulchritudinis ſuæ conſcia,
ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura
fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta,
tam nitida, & non vno genere formoſa ſolitudini oſtenderet:
vt ſcias illam ſpectari voluiſſe, non tantùm aſpici.* Curioſum ergo animal homo, & plura rimatur, ingenióque penetrat, & peruoluit: éſtque reliquis animantibus prudentius, ex Rhodig. *lib.20. antiq. lect.12.* cui potiùs eſſe credendum ob multas cauſas, Ariſt. firmat, 30. *probl.5.* quia, vt monuit Cicero *lib.1. de legibus*, præter eum nullum eſt animal, quod habeat notitiam Dei.

Homo enim pollet ingenij aptitudine mira, cuius vi primo quoque tempore numeroſiſſimam rerum ſeriem percipere valet: pollet optima memoria, quam veriſſimè auctores celeberrimi theſaurum quendam rerum arbitrantur. Nec deeſt in pleriſque futurorum perſpicax inſpectio. Addita poſtremò loquendi poteſtas, inter cuncta ſummè mirabilis, & flexanima: abundat amplo doctrinæ gradu, & alias ſibi habet comites ſcientias, quarum ope impoſſibile videtur in errorem vnquam poſſe incidere.

Licèt autem hoc ita ſit, & hominis contemplationi occurrat admiratio prima bonitatis diuinæ, quæ munera præcipuè quatuor tanta eſt benignitate largita, vt nihil ei charius, nil fuiſſe penitius videatur; tamen homo eſt, & ſæpe deerrat: nam *ſolius Dei eſt, nec fallere, nec falli; hominis contrà, & fallere, & falli*, vt latè probauimus *lib.1. in com. hiſt.78.* maximè in arte coniecturali, in qua certitudo rarò reperitur, ſed artificioſa coniectura, quæ media eſt cognitio inter omnimodam ſcientiam, & omnifariam ignorantiam, ex Gal. *1. de loc. affect. cap.1.* & hæc proximè ad veritatem accedit, vt idem Galenus docuit *1. aph.12.* & in particularibus crebrò aberrat, quia ſimilitudine ducitur, quæ non ſolùm vulgares, ſed excellentes Medicos ſæpe fallit, ex Gal. *4. aph.2.* qui etiam *lib.2. de loc. c.5.* in ſeipſo patiente dolorem colicum, & putante eſſe renalem, deceptus eſt.

At hic vir ingenuus, conſtanti animo ſe deerraſſe libenter faſſus eſt, ne ſcilicet alij deciperentur eodem modo, quo ille priùs deceptus eſt; quæ confeſſio, pudoris, virtutis, & pietatis eſt plena, & præter plura quæ alibi notauimus loca, *libro* videlicet *1. Hiſtoriæ Princip. Med. comment. ad hiſtor.79.* ſufficiat repetere memorabilem illam ſententiam, à Medicis tantopere commendatam, elegantiſſimi Celſi, qui miris laudibus *lib.8. cap.4.* effert Hippocratem, quòd à futuris ſe eſſe deceptum fateri non erubeſcat, *more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: nam leuia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, magnáque nihilominùs habituro, conuenit etiam ſimplex erroris confeſſio, præcipuè verò in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur*; nequi decipiantur eadem ratione, qua quis eſt antea deceptus: quoniam *ſupra captum hominis eſt nunquam errare, ſolius artificis quam minimum*, dicebat Galenus, *lib.3 præſag.41.*

PRÆCEPTVM X.

Medicus non perſiſtat in errore, imò admonitus libenter, & vtiliter ab eruditis patiatur ſe corrigi.

SEruius Sulpicius, vir magnæ in iure ciuili auctoritatis, ſiue aliorum exemplo, ſiue priuato conſilio fretus, non exiſtimat turpe ſibi ad famam fore, vt librũ de notis Scæuolæ conſcriberet, non modò Antiſtitis in ea facultate, atque omnium Principis, verùm etiam præceptoris ſui. Cogitabat enim, neque id vitio poſſe dari ſibi, quòd publicæ vtilitatis cauſa ſuſciperet, neque iniuriam illi fieri qui reprehenderetur, ſi modò ritè reprehenderetur, quòd in ſe ipſo fuiſſet facturus, ſi modò errata ſua animaduertiſſet. Probè itaque Sulpicius, & ingenuè, ac verè Romanè. Quin ipſe quoque populus prudenter, & grato inuicem animo, qui factum huius non reprehenſione, ſed laude dignum, & gloria putauit, nec minore volumen hoc honore, quàm cætera proſecutus eſt. Nam præcepta aliqua doctrinæ tradere, cuilibet mediocribus ſaltem literis imbuto, promptum eſt: errores verò maximorum hominum deprehendere, id verò cùm doctiſſimi hominis eſt, tum opus vtiliſſimum, & quo nullum dici poſſit vtilius. Quis enim dubitat, non minùs agere, qui aurum, argentum, cæteráque metalla expurgat, quàm qui illa effodit? qui triticum mundat, quàm qui metit? qui pinus, amygdala, cæteráſque nuces ſeligit, quàm qui eaſdem legit? Ita enim qui emendat, (niſi pauciſſima ſint quæ emendat) non inferiorem exiſtimare debemus, quàm ipſum inuentorem: nec minorem ab illo, quàm ab hoc percipi fructum. Nec immeritò Plinius Iunior ad amicum ita ſcribit: *Ita enim magis credam cætera tibi placere, ſi quæ-
dam diſplicuiſſe cognouero.* Quomodo igitur non ſit beneficium id offerre, quod ſolet beneficij loco poſtulari? Quod ſi hoc non præſtatur, aut iam defunctis, aut tale beneficium reſpuentibus, profectò his præſtatur, ad quos ex ipſa magnorum operum emendatione, multa in primis vtilitas peruenit. Ideóque ab optimis quibúſque cuiuſlibet artis Profeſſoribus præceptum eſt, vt eorum ipſorum, quos diſcentibus ad imitationem proponunt, etiam vitia, ſi qua ſunt, oſtendant.

Hoc modo Ariſtoteles in Platone, Philoſophorum eloquentiſſimo, multa correxit & confutauit: & Cicero in Demoſthene, ex quo tamen (vt affirmat Quintilianus) tantus euaſit, quantus eſt. Hoc modo poſtulauit emendationem orationis ſuæ à Cornelio Tacito, amico ſuo, Plinius, & illius iudicio ſe ſubmittebat; & Tacitus illius epiſtolam 20. lib.7. mittit Luperio emendandam. Cicero, eloquentium prudentiſſimus, Tyronem libertum, ſuorum ſcriptorum canonem habebat, *epiſt. 17. lib.16.* & Cerulas illas miniatulas Attici extimeſcebat, *epiſt.11. lib.16.* Conſilium Horatij eſt, vt alienum iudicium, & ſententiam exquiramus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 57 sur 927

Tu nihil in vita tentes, faciáſque Minerua:
Id tibi iudicium eſt, ea mens, ſi quid tamen olim
Scripſeris, in Metij deſcendat iudicis aures,
Et patris, & noſtras.——

Ergo ſi Medicus præſertim ſenior, & quem experientia plurium annorũ decurſu fulcita ornauit, alium videat à curatione aberrantem, hunc amicè debet reprehendere, ne eius opinione alius confiſus, in eadem peccata incurrat: ſi diſſimulet, infidus eſt, & de amico ſuo malè meretur. Qui verò reprehenſionem accipit, ſi arrogantia ductus corrigi recuſet, inſolens eſt, & præſtabit ſibimet ipſi ſi emendetur: diſcutiendo enim, & attentiùs omnia conſiderando, & expendendo, iudicium ſuum acuet. Ex iis attende, quàm ſalubre conſilium deprompſerit Auic.4.1. *cap.1. in fin.* dum monet Medicum, *ne in errore moretur, licèt non appareat nocumentum:* etſi enim temerè in principio applicitis auxiliis noxa ſtatim non appareat, vel propter ignauiam remediorum, vel ob naturam morbi; tamen deinde damna ſequuntur irreparabilia, quæ difficilem poſtea habent correctionem: quare non eſt perſeuerandũ in errore, ſed remedium illicò mutandum.

PRÆCEPTVM XI.

Medicus in gerendis odoribus ſibi temperet.

ETſi Hippocrates *lib. citat. epid.6.* moneat Medicum vt vtatur odoribus, propterea quòd odor ægrotantes recreat cum ſuauitate ſummâ, quia *odor bonus roborat*, ſicut *grauis ſubuertit*, ex Galeno *lib.8. ſec. loc. cap. 2.* tamen in iis gerendis cautus debet eſſe Medicus, & prudens, maximè ſi curet in aula, aut Moniales inuiſat: nam in his fœminis ob otium, ſedentariam vitam, retentionem menſtruorum, quâ ferè ob multas cauſas laborant, & in illis ex naturæ lege in vtero abundant excrementa, illo percepto odore, vterus quaſi amens, ad ſuperas partes aſcendit; & ex retento, non ventilato, & ſic putrefacto ſanguine, cæteriſque recrementis vitioſis, in vtero, tanquam in cloaca, & totius corporis ſentina, ſtagnantibus, eleuatur aura deleteria, quæ veneni promptiſſimi inſtar viſcera premit, cor fatigat, ſtrangulat & quandoque ſequutâ apoplexiâ ſubitò extinguit.

Hac de cauſa poſt partum excurrente ſanguine menſtruo, lochiiſque fœtidiſſimis per vterum erumpentibus, ex odore chirothecarum ambaro delibutarum, quas Medicus oſtentationis cauſa manibus afferebat, quater vidi fœminas ſyncope arreptas, & poſt diem emortuas; tunc enim fluente ſanguine menſtruo ſuapte natura maligno, & incaleſcentibus genitalibus præ dolore, calore ſanguinis, canalibus internis apertioribus factis, & humoribus ampliùs attenuatis, vapores facillimè eleuantur, qui dira ſua vi innatum cordis calorem exoluunt. Quo pacto omnino ſibi caueat Medicus à gerendis odoribus, qui à tenui ſubſtantia eleuantur; hi enim potentiſſimè nares percellunt, vt odor Ambari, Moſchi, Zibethi, quum multa alia ſint, quibus Medicus politicus poſſit exornari: curétque omnino ne odorem tetrum ex aliqua parte emittat, vt ore, axillis, totóque corpore; & ſi quem emittat, auxiliis accommodatis perſanare conetur.

PRÆCEPTVM XII.

Medicus ſit ſciens, & natura prudens.

POëtarum eloquentiſſimus, & eloquentium ſapientiſſimus Homerus, *lib.* 1. *Odyſſeæ* 4. *verſu* 230. ſic cecinit:

Medicus verò vnuſquiſque peritus, ſupra omnes Homines.

A Vides optimum Medicum iure dici ab Homero ſcientem. Imò 4. *Iliados*, Medicum appellat hominem æqualem Deo, ſic enim Machaonem nuncupat, inquiens:

Hic autem in mediis aſtitit, æqualis Deo vir,
Statim autem ex cingulo bene compacto extraxit ſagittam.

Et *lib.*11. *Iliados:*

Medicus enim vir dignus præ multis aliis.

Hic ergo ſapientiâ cæteris hominibus antecellit: nam etſi in Ægypto, de quâ ſapiens hic vates loquebatur, non defuerint rhetores, poëtæ, aſtrologi, philoſophi, aliíque eruditi viri, Medici tamen erant ſapientiores: quia omnes facultates, celebrioréſque ſcientias addiſcebant, vt Medicinam inculpatè exercerent.
B Adeò enim facultas medica eſt præſtantiſſima, & nobiliſſima, vt ad eius integritatem, perfectúmque exercitium reliquæ ſcientiæ omnes, aut ſaltem præſtantiores aliquid conferant, ita vt ſine his præexiſtentibus illa acquiri non poſſit.

Quare perfectus Medicus (hic enim ſolùm ſuſtinet nomen Medici) non modò in Ægypto, ſed inter omnes homines, ſuper hos ſcientiâ antecellit: cùm nullus optimus Medicus eſſe poſſit, niſi qui & philoſophus fuerit naturalis, Moralis, Aſtronomus, Geometra, Arithmeticus, Coſmographus, Rhetoricus, Logicus, imò omni ingenua facultate ſit prædituς. Hoc ipſum proculdubio vidit Ariſtoteles, qui ſummè difficile eſſe ſtatuit, vt quiſpiam Medici veri, & perfecti nomen ſibi comparet, quum perarduum ſit tot diſciplinas illum poſſe nanciſci.
C

Medicum *natura prudentem* exoptat Galenus, *lib.8. meth. cap. 9.* Prudentia autem bipartitò diuiditur, ex philoſophorum mente: vna verſatur in omni vita bene inſtituenda ac regenda, quam illi virtutum reginam, vitæque magiſtram vocant: altera, propria eſt cuiuſuis artis & muneris, quæ ſcilicet facit, vt præcepta ſingularum artium, ad homines, ad tempora, ad loca, ad ſingulos euentus rectè accommodentur. Hinc illa docti, & prudentis orta diſtinctio eſt: *Docti* illi nominantur, qui vnam, vel plures ſcientias præceptionibus, & vſu compararunt: *Prudentes*, qui naturali quadam intelligentia præſtant. Quare doctrina
D atque ſcientia, eſt præceptionum & artis; prudentia, naturalis intelligentia, quæ doctrina iuuari poteſt, & diuturnis vitæ actionibus comparatur, vt ex Platonis Menone docemur. Cicero 2. *de inuentione*, definit prudentiam, rerum bonarum, & malarum, & vtrarumque ſcientiam: cuius partes ſunt Memoria, Intelligentia, Prouidentia.

Igitur prudentia, & ſapientia diſtinguuntur, quòd illa eſt vis effectrix, ſeu ipſa felicitatis hominis diſpoſitio, per quam iudicamus, quid faciendum, quid non faciendum. Sapientia eſt ſcientia eorum quæ ſunt, Ariſt. *lib.1. magnor. moral.* Sapientia quidem eſt circa ea quæ demonſtratione conſtant, & ſemper eodem modo ſunt: Prudentia non circa hæc, ſed circa ea quæ in
E mutatione verſantur, ſed ad vitam bene degendam conducibilia.

Plato duplicem hoc modo facit ſapientiam: alteram veram, alteram humanam & neceſſariam. Quam quidem prudentiam, Socrates cæterarum virtutum moderatricem, & quaſi aurigam eſſe ſtatuebat: Plato oculum: Ariſt. architectum: Xenophon, nullius virturis vſum abſque prudentia eſſe putabat. Vſum ipſius in vitæ curſu, ad omnes vitæ actiones pertinentem, explicat ex Platonis ſchola, Marſilius Ficinus *in argumento prioris Alcib.*

Alij ſapientiam cum virtute coniungunt, ita vt aſſerant, cognatam eſſe virtutem ſapientiæ; & illam quidem eſſe vigorem animi; hanc verò quaſi virtutis fructum, & condimentum. Quidquid enim virtus elaborat, ſapientia fruitur; & quod ſapientia ordinat, deliberat

berat, moderatur, virtus exequitur. Aut ſapientiam eſſe virtutis amorem, & à ſapore denominari, quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum, ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodo, & aſpera videbatur, eſſéque ſaporem boni confirmant.

Attende quantum priſci Prudentiam æſtimârint, & quàm diuinos illi attribuerint honores, vt videas quàm Medico ſit neceſſaria. Nam Caſſiodorus *lib. 6. variar. formula* 10. *Sola*, inquit, *prudentia eſt, quæ honores meretur, & rebus omnibus præponitur, quando in homine fœliciter inuenitur.* & Boëthius *lib. 2. de conſol. philoſ. cap. 1.* Neque enim quod ante oculos ſitum eſt, ſuffeceritt intueri: rerum exitus prudentia metitur: & Iamblichus *in epiſt. ad Aphæum*, prudentiam dominari ſcribit virtutibus, & ipſis omnibus vti, vt oculum intelligentem, ipſiſque modum atque ordinem præſcribere, & vt nos cum Deo communicemus efficere, atque vt vno verbo dicam, humana omnia gubernare.

Iphicrates apud Plutarch. *in Apopht.* ſapienter quid eſſet prudentia, explicuit; qui cùm à neſcio quo per iniuriam interrogaretur, quiſnam eſſet, quum neque arma, neque arcum haberet: reſpondit, ſe eum eſſe, qui his omnibus imperaret, atque vteretur. Prudentia enim neque aurum eſt, neque argentum, neque gloria, neque valetudo, neque diuitiæ, neque robur, neque pulchritudo; ſed quod rectè his omnibus poteſt vti, & horum quodque iucundum efficit, laude dignum, atque vtile

Quare prudentiâ Medicus ægrum gubernat, ſanitatem moderatur, præſidia præſcribit. Ita Plutarchus, *lib. de Fortuna*: *Neſtor conſilio potius, quàm viribus præſtare, melius eſſe affirmat*: & Oppian. *lib. 4. de Piſcatione*: *Neque roboris, neque formæ vlla extat vtilitas tanta, quanta prudentiæ; inanis autem imprudens fortitudo.* Titinnius apud Non. *Sapientiâ gubernator nauem torquet, non valentia.* Conuenit hîc illud Phocylidis: *Animantibus vniuerſis arma ſua dediſſe naturam, homini rationem, & orationem.* Magis illud Pythagoræ: *Robur, & murus, & arma ſapientis, prudentia.* Stob. *Serm.* 3. Titus Liuius *lib.* 8. *Multa quæ natura impedita ſunt, conſilio expediri.* Euripides.

Mens vna ſapiens plurium vincit manus.

Iſocrates ad Demonic. *Vis cum prudentia vtilis, abſque ea ſæpe damnoſa.* Ita Sapiens *Eccleſ.* 9. ſcribit: *Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, &c. Inuentúſque in ea vir pauper, & ſapiens & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam.* Quare rectè Menander: *Bonum maximum ſemper eſt prudentia.* Sapienter apud Non. Turpilium: *Verùm haud facile eſt venire illò, vbi ipſa ſapientia: ſpiſſum eſt iter, adipiſci haud poteris, niſi cum magna miſeria.* Ergo prudentiam Medicus in corde reſeruet, neque eam aſpernetur, licèt ſit plurimo labore comparata.

PRÆCEPTVM XIII.

Medicus ſit ſtudioſus.

SOlertiſſimus Medicorum, *lib. 3. de natural. facult. cap.* 10. ſic profatur. *Quiſquis enim noſſe quid ſupra vulgum debebit, ſtatim non natura modò, verùm etiam primis doctrinarum rudimentis multùm cæteris præſtet oportet. Idem, vbi iam adoleuerit, veritatis inſano quodam teneatur amore veluti afflatus: tum ſine vlla diei, noctiſue intermiſſione, properare, ac contendere, ea, quæ à clariſſimis veterum tradita ſunt, diſcere, eadémque vbi didicerit, iudicare: multóque tempore explorare, ac conſiderare, quæ rebus ſenſui patentibus conſentiant, quæque rurſus iiſdem diſſentiant: ac ſic illa quidem ſuſcipere, hæc reſpuere. Atque huic quidem admodum vtiles fore libellos noſtros ſpero, (erunt autem huius generis omnino pauci) reliquis opus hoc perinde fore ſuperfluum, ac ſi quis aſino fabulam narret.* &c.

Daturus ergo huîc ſcientiæ præſtantiſſimæ, atque vtiliſſimæ operam Medicus, vel iunior, vel veteranus, in animum ſuum velim priùs inducat, totam ſuam ætatem in hac nobiliſſima ſcientia eſſe conterendam: nam longa eſt, ardua, impenetrabilis, & quotidie in ea accidunt mirabilia, quæ in auctorum monumentis haud reperire licet, ſed diuinatione, maturo acutóque iudicio opus eſt. Iccircò Hip. longæuiſſimo fretus experimento, ſenex cùm eſſet, ad finem eius ſe non peruenisſe aſſeuerat, *in epiſtolis, epiſt.* 20.

Hinc fit, vt Medicus indefeſsè literis incumbere debeat, ſi optatum ſcientiæ finem comparare exoptet: dummodò intelligat, à me non probari eam ſtudendi rationem, quæ conſulit, vt Medicus in eo ſtudio conſeneſcat, deſerta praxi, cuius ope commodis Reipublicæ inſeruire debet: quoniam relictis ſeuerioribus ſcholarum, & partis theoricæ diſceptationibus, ad ea accedere debet, in iiſque explicandis vehementer inſudare, quæ hominibus ſunt profutura.

Qua de cauſa ſummoperè Callidis ſententiam in *Platonis Gorgia*, licèt à Socrate refutatam, amplector & laudo, qui cùm referenda noſtra omnia ſtudia ad Reipublicæ vſum, non ad ſolam duntaxat contemplationem cenſeat, vtilitati publicæ potiùs, quàm priuatæ voluit prouidere. Vnde præclarè factum à viris prudentiſſimis, doctiſſimiſque videmus, vt cùm tribus potiſſimùm rebus Reſpublica omnis teneatur, religione, legum obſeruatione, & ſanitate ciuium: tres omnino facultates, à quibus ea mutuantur, inſtitutæ ſint, vt extremæ, Iuriſprudentia, Theologia, & Medicina. Hæc inter illas non poſtremum occupat locum; ſine qua nemo rectè, nemo feliciter, nemo perfectè viuere poteſt.

Ergo id maximè in hac ſcientia tibi conandum eſt, vt quamcunque poſitam quæſtionem, adductis ex eius locis rationibus conſentaneis, tractare aptè, conuenienter, ac verè poſſis, ſi vel ſcribendum tibi ſit aliquando, vel quæ ab optimis quibúſque auctoribus ſcripta ſunt, ordine, via, rationéque intelligenda, & aliis explicanda ſint.

Qua hora ſit literis incumbendum, permulti præcepta collegere, ac moroſiùs fortaſſe, & difficiliùs quàm par ſit: à me autem hanc perbreuem ſtudendi rationem accipe, quam ſi ſequaris, non inutilem, vt ſpero, inuenies. Recto naturæ ordine, non nocturno tempore, ſed diurno, & præſertim matutino, literis eſſe inſudandum, ſic demonſtro: Primò, ab ipſo cælo: Secundò, ab elementis: Tertiò, ab humoribus: Quartò, ab ordine rerum: Quintò, à natura ſtomachi: Sextò, ab ſpiritibus: vltimò, à phantaſia.

A cœlo, ſic: Sol, Venus, atque Mercurius, contemplationi, atque eloquentiæ maximè fauent, qui paribus ferè paſſibus concurrentibus, aduentante nocte nos fugiunt; die verò, vel appropinquante, vel reſurgente, nos reuiſunt. Poſt verò ſolis ortum, in plagam cœli duodecimam, quæ carceri, tenebríſque ab Aſtrologis aſſignatur, repentè truduntur. Ergo qui velit acutiſſimè ſpeculari, inuentáque ſua eloquentiſſimè ſcribere, atque componere, non nocte, ſed quando ad nos accedunt, in ſtudia incumbendum eſt. Verùm hoc intelligendum eſt, ſomno nocturno legitimè peracto: nam, vt optimè notauit Celſus, *lib. 1. cap. 2. qui bene concoxit, manè tutò ſurget; qui parum, quieſcere debet*, &c.

Secunda ratio ab elementis, eſt firma: Sole orente tenuatur aër, mouetur, & claret: occidente contra; ſanguis autem & ſpiritus, motum qualitatémque aëris circumfuſi, naturáque ſimilis, ſequi neceſſariò compelluntur: ſanguis autem, ſicut aër, calidus & humidus eſt; ſpiritus autem lucidus, ſicut aër luce circumfuſus; ita enim ſimilis eſt aëri ſpiritus, vt ex ipſo nutriatur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 59 sur 927

Tertia ratio, quæ ab humoribus ducitur, est hæc. In aurora mouetur sanguis, & regnat, motúque attenuatur, rarefit, & claret; spiritus verò sanguinem sequi, imitaríque solent. Verùm accedente nocte, melancholia illa crassior & frigidior, atque pituita dominantur, quæ spiritus ad speculandum ineptissimos proculdubio reddunt.

Quarta ratio, quæ trahitur ab ordine rerum, hæc erit. Dies vigiliæ, nox somno tributa est. Quoniam cùm sol ad hemisphærium nostrum accedit, vel super ipsum incedit, radiis suis meatus corporis aperit, atque à centro ad circumferentiam humores, ac spiritus dilatat, quod quidem ad vigiliam, actionésque excitat, atque conducit. Contrà verò quando recedit, omnia coarctantur, quod naturali quodam ordine inuitat ad somnum, maximè post tertiam, aut quartam noctis partem. Quisquis igitur manè quidem dormitat, quando sol, mundúsque excitat; ad multam verò noctem vigilat, quando natura dormire iam, & à laboribus quescere iubet, hic absque dubio cùm ordini vniuersi, tum sibi ipsi repugnat, dum contrariis simul motibus perturbatur, atque distrahitur: sanè dum ab vniuerso mouetur ad extima, ipse se mouet ad intima. Ergo peruerso ordine, motibúsque contrariis, tum corpus totum, tum spiritus, ingeniúmque prorsus labefactatur.

Quinta, à natura stomachi. Stomachus diuturna diurni aëris actione, apertis poris admodum dilatatur, euolantibúsque spiritibus tandē valde debilitatur: Igitur subeunte nocte nouam spirituum copiam exigit, qua foueatur. Quapropter quicunque eo tempore contemplationes longas, & difficiles inchoat, ipsos ad caput spiritus retrahere nititur: hi verò distracti, neque stomacho satis, neque capiti faciunt. Maximè verò nocet, si post cœnam lucubrantes, diu eiusmodi studiis attentiùs incumbamus. Pluribus enim tunc ad concoquendum cibum spiritibus, multóque calore stomachus indiget. Hæc verò duo, lucubratione, studióque tali diuertuntur ad caput: quò fit vt neque cerebro, neque stomacho suppetant. Adde quòd caput ob huiusmodi motum, crassioribus cibi repletur vaporibus; atque cibus in stomacho à calore, & spiritu destitutus crudescit, & putret, vnde rursus caput opplet atque lædit. Denique qui noctu elucubrando concoctionem penitùs interruperat, idem dormiendo manè, excremētorum expulsionem diutiùs impedire compellitur: quod quidem tam ingenio, quàm corpori, Medici omnes obesse quamplurimùm arbitrantur. Meritò ergo, qui nocte contra naturam pro die, atque è conuerso, die rursus pro nocte vtuntur, tanquam noctuæ, ij etiam inuiti noctuas imitantur: vt quemadmodum illis sub solis lumine caligant oculi; ita & iis mentis acies, sub veritatis splendore caliget.

Sexta, ab spiritibus. Spiritus agitatione diurna præsertim subtilissimi quique denique resoluuntur. Nocte igitur pauci, crassique supersunt, literarum studiis ineptissimi. Contrà verò post somnum manè, spiritibus recreatis membrísque adeò corroboratis, vt minimo spirituum egeant adminiculo, multi subtilésque spiritus fouendis, regendísque parum admodum occupati.

Postrema ratio sic à phantasiæ natura deducitur. Phantasia, siue imaginatio, siue cogitatio, seu quouis alio nomine nuncupanda videtur, multis, longis, contrariis in vigilando imaginibus, cogitationibus, curísque distrahitur, atque turbatur; quæ quidem distractio, perturbatióque sequenti contemplationi tranquillam, serenámque mentem penitùs postulanti, nimiùm contraria est. Sola verò nocturna quiete agitatio illa sedatur, atque pacatur. Igitur accedente quidem nocte, semper perturbata mente; recedente verò, vt plurimùm mente tranquilla ad studia nos conferimus. Quicumque verò mente nimiùm agitata res ipsas iudicare conantur, ijnon aliter quàm illi, qui vertiginem patiuntur, omnia verti putant, quum ipsi vertantur.

Quo pacto scitè iubet Aristoteles *in Oeconomicis*, ante lucem surgere, asserítque id & ad corporis sanitatē, & ad philosopiæ studia prodesse quamplurimùm. Denique sacer ille vates Dauid, Omnipotentis tuba Dei, nunquam dicit vespere, sed manè semper atque diluculo, ad Deum canendum, se cythara, psalmísque surgere. Ex quibus constat liquidò, opportunè nostra nos studia exordiri, vel statim exoriente sole, vel vna hora saltem, vel duabus ad summum, ante solis exortum.

Certum tamen sit, vehementiùs in disciplinas liberales incumbenti, corpus languescere, robur minui, vires flaccescere & eneruari, ob contentionem discendi, ac meditandi assiduam, & nocturnas sæpe vigilias. Et nemo nescit moderationem adhibendam in omnibus; moderata enim durant: & tritum est, *Ne quid nimis*. Quare studiosos, pituitæ & atræ bili esse obnoxios, & debilitate cerebri, cordis & stomachi frequenter laborare, ob dictas causas, est certissimum.

PRÆCEPTVM XIV.

Medicus habeat libros, sed paucos.

RIgidus studiorum censor Seneca *epist.2.* hanc aream protulit sententiam: *Timeo ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitā agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamina tentantur. Non coalescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non possis, quantum habueris, sat est habere quantum legas. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quæ vbi varia sunt & diuersa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege: & siquando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi.* Hactenus philosophus summus.

Tumultuaria & promiscua lectio delectat, sed reproba: certa prodest. Quare non est distrahendus animus varietate auctorum, & sic sæpe multúmque eadem sunt relegenda. Vt enim qui semel aliquod oppidum preteruectus est, non omnes vrbis vicos, non ciuitatis mores, non hominum eius loci ingenia statim didicit: ita consilia, aut sententias, aut sermonis compositionem in auctore, quem semel percurristi, animaduertere statim non potuisti, sed in eo diu commorandum est, si velis altiùs introspicere.

Nam quemadmodum aiunt, amici sensum deprehendi non posse, priusquàm cum eo multos modios salis comedas: ita diu multúmque habendus est in manibus auctor, iterum atque iterum euoluendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiæ, illius verba insideant tibi: vt cùm opus est, non procul accersenda, aut quærenda sint, sed vltrò tibi se offerant. Contrà, quomodo varius & immodicus cibus, quia concoqui non potest, in crudos humores degenerat, qui non modò non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant: ita cùm multa legeris, fortassis fiet, vt confusam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit & obruet ingenium, quàm perpoliet. An non videmus pictores, cùm vultum alicuius depingunt, quàm sæpe respiciant ad exemplar? quàm con-

tentis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 60 sur 927

centis oculis singulas lineas contemplentur? ita nobis nunquam oculi aucrtendi erunt ab eo auctore, quem perdiscendum in manus accepimus, quémque imitandum aliquo modo duximus. Qui facilè ab vno auctore ad alium transiliunt, & per libros currunt potiùs, quàm lento pede gradiuntur, homines sunt curiosi magis, quàm studiosi, bonum tempus malè conterentes: quare eorum deploranda est amentia.

PRÆCEPTVM XV.

Medicus optimis vtatur auctoribus.

ARtis medicæ præcepta, prudenter & copiosè sunt à multis, tum antiquis, tum recentioribus collecta. Sed inter eos emicat Hippocrates Cous, totius Græciæ lumen, sapientia singulari Medicus, quem omnibus ferè calculis à veterum scientissimis ita approbatum, summísque elatum præconiis legimus, vt diuinum virum appellare non dubitent, præsertim in ea Medicinæ parte, quæ præsagiorum rationes complectitur.

Sed quia tanti auctoris breuitas, & obscuritas interpretem expostulat, adhibendi ij sunt, qui non tantùm eam tollant, sed eruditionem etiam augeant, & alant. Quare pre explicatione Coacarum prænotionum, eligendus Ludouicus Duretus, summo vir ingenio, quo nihil politius, nihil acutius: dummodò diu in eius lectione verseris: nam eius phrasis obscura, sed succulenta nimis. In Aphorismorum ambagibus extricandis plures cæcutiunt, si habueris otium, Musam consule; sin minùs, Laconicum lege paraphrastem Heurnium, neruosum Medicum, & doctum: & in libros priores vtere expositione Ambrosij Nonnij Lusitani, qui tricas & controuersias dilucidè emedullat. Epidemici libri maturum, & expertum Medicum exoptant: vnus adest mihi mille instar Vallesius, in cuius commentariis (meo, & doctiorum iudicio) totius, præsertim practicæ Medicinæ præcepta reposita esse reor. Huic adde elegantissimum Mercurialem, qui horum librorum historias graphicè exposuit.

Libros de morbis eximiè explicat Salius expertissimus. De ratione victus perdoctè Brasauolus. De aëre, aq. & loc. Septalius. De alimento Valesius, & Castrensis Lusitanus doctissimus: sed hic dum bellum generosè init cum Liceto, pro sui tutela plura permiscet, quæ addiscentium animos sæpe perturbant. Libros prognosticôn, sicut *lib. de medic. purg.* egregiè interpretatus est Christophorus à Vega. Librum de vulneribus Vidus Vidius, & eruditissimus Fallopius.

Galenus, sapientissimus homo, imò diuinus (meo iudicio) scriptor, perennis omnium scientiarum fons, omnium primus iacentem Hippocraticam disciplinam excitauit, & Hippocratis obscuritatem editis in eum commentariis illustrare conatus est, huius sensum & doctrinam diligentissimè sua Asiatica facundia exprimens, & ex suo ingenuo Marte elaboratissima opera, quibus cum summa vtimur vtilitate, locupletissima, & vastissima depromens. Magnus & admirabilis vir, quique ingenio & diligentia vinceret plurimos, nemini esset secundus, variarum etiam rerum cognitione eminentissimus; artificio verò omnes, qui post Hippocratem ex omni memoria, medicam artem illustrarunt, longo post se interuallo relinquens.

Quapropter non modò ei, qui Medicinam volet accuratè cognoscere, eius opera euoluenda, sed in illis interdiu, noctúque hærendum censeo.

Sed hic vir summus, etsi in multis diffusus sit, vt fœcundo suo genere dictionis, Hippocratica oracula obscura nimis explanarentur ad vnguem: tamen aliquibus libris sæpe est obscurus, & adiutricem interpretis manum expostulat. Obscuritas deprehenditur in libris de locis affectis, quos maturo consilio, cùm senescens esset, conscripsit, vigilantia summa. Hanc etiam obseruamus obscuritatem in arte parua, seu Medicinali, in qua omnia totius Medicinæ fundamenta continentur.

Ad horum librorum explicationem, in reuoluendis Iacobi Foroliuiensis, Hugonis, Thadæi, Dini, Turisani, & classicorum commentariis tempus non consumas: Accede ad vnum peritissimum Lusitanum Thomam à Veiga, qui hos libros, & duos *De diff. febrium*, solidè, doctè, & breuiter emedullat, Doctor eminentissimus, & nulli iuniorum secundus, omnium Medicorum voto habitus: hunc volue, lenta manu versa, meditator per moram, vt obscura eius sensa percipere queas: nam hic neruosus auctor vtitur Laconismo, & paucis multa comprehendit.

Libri de vsu partium diuini, plurimis ambiguitatum inuolucris sunt referti: ea ad vnquem plena fecit insignis Vesalius, vir excellentis ingenij, eloquio quidem Galeno ferè par, & omnes post eum facilè superans, sed qui dum suo diuino (vt ita dicã) ingenio, plura incognita patefacit, Magistrum ex industria mordet, iniuriis premit, & lacessit. Vt hæc euites, consule Institutiones egregias solertissimi Fallopij, & breue, at doctum compendium Realdi Columbi, in quo fabrica humani corporis exactè describitur. Si autem velis solertior fieri, consule quæstiones anatomicas Andreæ Laurentij, qui graphicè & eruditè satis eas proponit: neque aures accommodes Ioanni Riolano Filio, etsi doctissimo, qui *in præfat. lib. sui anatomici*, cui de Anthopographia titulum dedit, doctissimum Laurentium petulanter nimis coarguens, asserit in eius libris de historia anatomica tot adesse errores, quot philuras; quod scomma, quantum à Laurentij elegantia, facundia, ingenuitate, præstantique doctrina absit, nulli puto non manifestum.

Libros De causis, ac differentiis morborum, & symptomatum, diligentissimè explicuit acris ingenij vir, & ferè primi nominis Valleriola. Si velis quæstiones theoricas, & in scholis controuersas perscrutari, consule Vallesium in controuersiis, eximia doctrina Philosophum, & in Medicina auctorem longè clarissimum: hæ enim sunt ita succulentæ, vt nihil *suprà*.

Si totam ferè artem medicam vis animo attento perlustrare, adi acutissimum Fernelium; vix enim poterit quisquam vllum magis politum, elegantem, & lectu digniorem scriptorem in manus sumere: sed timeo ne suis phaleratis verbis, & dicendi calamistris, te à Principum mente distorqueat, & retrahat: dum enim sanam Galeni doctrinam sæpe disturbat, discentis ingenium perturbat, & in laqueos incidit nouis opinionibus irretitus, à quibus nec se, nec auditores extricare potuit. Huius ergo doctrina cum delectu admittenda; sicut & Argenterij, qui pruritu laborauit mordendi Galenum.

Adde quòd & Medici Hippocratem, & Galenum vt intelligant, Platonem debent adiungere, cuius videant in iis duobus auctoribus imaginem expressam: siquidem vt Galenus *in lib. de vtriusque decretis* refert, Hippocratem est Plato in plerisque imitatus, & Galenus Platonem vbique sequitur, Aristotelem verò nunquam. At Plato longè maturius, exercitatiúsque ingenium requirit, vtpote qui diuiniora, magísque recondita Philosophiæ tractet. Hunc igitur beatum pronunciemus, quando inter Latinos auctores, magnum sui imitatorem, & præclarissimum laudatorem, M. Tullium Ciceronem est adeptus.

Deinde Aristotelis, Theophrasti, Plinij, Plutarchi *in Symposiacis*, & Senecæ, De quæstionibus naturalibus monumenta sedulò euoluenda: nam agunt de stirpibus, animalibus, metallis, lapidibus, vt horum collatione vniuersa, illorum mens intelligatur perfectè: nam ex quibus maior vtilitas comparari potest, quàm

ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 61 sur 927

©BIUM

ex eorum cognitione, quorum est frequens in vita vsus & necessitas? si iucunditatem spectes, quænam rursus maior esse hac potest? si rerum denique peritiam; vnde obsecro quispiam vberiorem queat comparare? Quocircà ridere satis non possum eorum ineptiam, qui his neglectis ad Hip. & Galeni doctrinam sese conferunt, illorum doctrina destituti; quam dum negligunt, ipsi à se suæ inscitiæ pœnas satis magnas exigunt, dum se optimarum rerum cognitione priuant.

Qui bene est in Aristotelis doctrina versatus, sine dubio magnam Medicinæ notitiam est assequuturus. Fuit enim ille adeò diligens physices indagator, vt non solùm in ea, verùm in Medicina plura memoria dignissima conscripserit, & quæ alij priùs obscurè ac breuiter admodum exararunt, multis allegoriis & ænigmatibus inuoluta, ea ipse apertiùs demonstrauerit, affectata tamen in quibusdam breuitate, difficili ac lubrica: quo pacto aliquos interpretes adhibere conuenit, qui non tam eius omnem adimant difficultatem, quod fieri certè necesse est, quàm variarum etiam rerum cognitione lectorem imbuant. In librum ergo Meteororũ quartum, in quo perfectè agit de coctione, putredine, assatione, elixatione, torrefactione, combustione, maturatione, legendus eximius interpres Vallesius. In problematibus enucleandis insudarunt, Conciliator, Guastauinus, & nuper doctissimus Septalius: Ille obscurus est, & confusus; hic multa omisit; Septalius medicarum rerum, & naturalium omnem notitiam exactè complectitur. In animalium historiam, eleganter Edoardus Vvottonus Anglus.

In legendo & intelligendo Plinio, consulendus peritissimus Dalechampius, in quo, sicut in Solino interpretando, qui Plinium in compendium redegit, fuisse præcipuum clarissimum Claudium Salmasium, siue acumine differendi, siue eloquendi, vnanimi doctorum consensu sancitum est. Theophrastum fidè transtulit Daniel Heinsius, nostri gloria secli: explicuit politè Iulius Cæsar Scaliger; in quo enucleando plurimam meretur laudem Ioannes Bodæus Medicus Amstelodamensis solertissimus. Post Hip. & Gal. primum locum obtinuere Principes Latini, & Græci, vt Celsus, Aëtius, Paulus, Trallianus, Oribasius, Aretæus, Actuarius, Cælius Aurelianus, Scribonius Largus, qui vel illorum mentem explicuerunt ad vnguem, vel plura post ipsos non nisi cum laude addiderunt.

Inter Arabes primum locum Auicenna obtinet, qui Galeni monumenta in compendium redegit, acutissimi Gentilis scholiis & dubiis illustribus exornatus. Sequitur Rhasius ad Almansorem, cuius liber nonus est eximius, in quo de morbis internis pulchrè disceptat; eum exornarunt superioris sæculi Medici doctissimi, inter quos eminent Matthæus de Gradi, practicus peritus vocatus, alter Ioannes Harculanus; his annumerandus Leonardus Iacchinus, auctor sanè neruosus, & grauis. Opera Auenzoaris, & Colliget Auerrois vberrima doctrina sunt referta. Serapio ad vires simplicium cognoscendas vtilissimus. Ishaac dietæ cum commento Petri Hispani valde frugiferæ.

Controuersiæ Rorarij, optimæ. Obseruationes Valleriolæ, absolutæ. Schenckij necessariæ: nam in his celebrium auctorum rara exempla, sicut in Marcello Donato, abstrusæ lectionis viro, describuntur: nec nostras admirandas despicias obseruationes, sicut & Historias, in quibus Medicorum Principum doctrina examinatur ad viuum, & illustres quæstiones vbertim agitantur.

Consilia Solenandri sunt pulchra. Consultationes Montani, eximiæ. Centuriæ Amati vtiles, & varia lectione refertæ. De morbo Gallico, morbis mulierum, & indicationibus, Mercatus egit eximiè. De Indiæ vtriusque aromatibus, Carolus Clusius. De morbis puerorum, & venenis, Mercurialis. De re cibaria, & pisculenta materia luculenter doctissimus Ludouicus Nonnius; sicut & celebris Renatus Morellus, *in com.* regiminis Salernitani, qui mira instructus facundia illud opus ingenuè explicat, perficit, felicitat. De Scorbuto, Ronsseus. De re herbaria, Dioscorides inter omnes summè meretur: post eum Matthiolus palmam præripuit. In Arte Pharmaceutica Mesuë excellit, fidissimis expositoribus illustratus: cui si adscribas Antidotarium Ranodæi & Vveckeri, in viribus medicamentorum cognoscendis eris instructus: & si addas Nicolaum Fontanum, Medicum eruditissimum, qui institutiones Pharmaceuticas descripsit politissimè, magno solatio miseros ægros beabis.

In praxi exercenda elige Hollerium, cum expositione Dureti, Massariam, Donatum ab Altomari. In Chirurgica facultate primarij sunt Guido Cauliacensis, Paræus cum sociis, & Hildanus, in cuius centuriis chirurgicis rara, & vtilia exempla inuenies. Si verò animum tuum recreare velis, consule elegantissimum Paulum Zacchiam, *in politissimis suis quæstionibus medico-legalibus.* Et si ex non Medicis, medicinam tibi placeat haurire, eam breuiloquus, & ingeniosissimus patefecit Beuerouicius. Si verò ad Mathematicam disciplinam (sine qua perfectum non posse esse Medicum arbitrantur plures) velis accedere, consule Adrianum Metium in Academia Frisiorum Professorem eximium, *in suis libris De doctrina sphærica* elegantissimis. Demum pretiosa tua bibliotheca auctorum copia non oneretur, sed illustribus & primariis honoretur.

PRÆCEPTVM XVI.

Medicus caueat à curatione morbi desperati.

CAuliacensis Guido, qui in chirurgica facultate, post Hip. Galenum, & cæteros Principes, omnes alios artificio, longo interuallo superauit, *in præfat. generali apostematum* sic profatur: *Caue à malis curis, ne nomen mali Medici subeas.* Cùm enim morbi in triplici sint classe, leues, mediocres, & letales, illos natura persanat, vt ait Galenus 1. *de loc. cap.* 1. mediocres à Medico sunt tractandi, ne in letales abeant: hi vel sunt acuti vel chronici: acuti breui interimunt, quia acutie sua, & malignitate naturam superant: quando autem morbus prævalet, nullus est remedio locus, ex Hip. 4. *acut.* 22.

Letales, si sint chronici, & diu perseuerent, ferè desperati sunt, conclamati, & suapte natura immedicabiles, quique nulla arte, aut ope sanari queunt: hi sunt hæreditarij, vt natiua cæcitas, surditas, gibbositas, amentia, lepra, lithiasis, articulorum dolores, defectus membrorũ, morbi diuini, hectica senectutis, torridus marasmus, consummata ascites, arthritis nodosa, phthisis, vlceratus cancer, conuulsio ex inanitione, spacelus. Ab his ergo Medicus famæ suæ, & artis gloriæ consulens abstinere debet; nam ex horum morborum incurabilium curatione ferè semper ignominiam honoris loco reportat. Ita suadet Hip. *lib. de art. num.* 4. dicens: *Medicinam* esse, *morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi sunt, curationem non aggredi, cùm in confesso sit, quòd Medicina tales sanare non potest.* Idem etiam asseuerat Celsus *lib.* 5. *cap.* 26. *tit.* 1. dum sic ait: *Est enim prudentis hominis, primum eum qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem eius vt occisi, quem sors ipsius peremit, &c.*

PRÆCE

PRÆCEPTVM XVII.

Medicus caueat à falsis pollicitationibus.

MEdicum non esse de illorum numero, qui Agyrtarum more vulgus, præsertim indoctum, falsis promissis & imaginationibus, pecuniæ corradendæ causa, decipiunt, ipsamet Medici definitio palàm facit; nam Medicus artifex omnium nobilissimus, præstantissimus, vitæque hominum, ac publicæ salutis seruator maximè necessarius, est naturæ minister, vir Philosophus, hoc est, sapientiæ studiosus, rerum omnium naturæ scientissimus cultor, malorum depulsor, fidúsque sanitatis custos. Cur ergo Medicus tot ingenuis artibus instructus plura falsò pollicebitur, vt ægros & adstantes ineptè, & dolosè alliciat?

Rursus, si Medicus arte Hippocratica dignus, moribus debet esse admirabilis, modestia grauis, innocentia & vitæ integritate inculpatus, scientia venerandus, artis operibus, & exercitatione insignis, prudentia conspicuus, fide & taciturnitate ornatus, iustitia seuerus, à recto non deflectens, sedulitate alacris, amore & charitate in ægros inflammatus, post summum Deum humani generis seruator, vitæ moderator, morborum vindex, publicæ salutis vigilantissimus custos: cur ea quæ non potest præstare, pollicebitur, & adstantes vel inscitia, vel aucupandi turpis lucri causa decipiet?

Adde quòd persæpe finem non consequitur, hoc est, sanitatem, licèt perpetuò eam pro scopo intendat, & artis præsidiis paret: cur ergo salutem præsagiet falsò, morbum atrocem, & suapte natura immedicabilem cernens coniectura? quæ veritati proximiùs accedit, 1. *aph.* 12. & est media inter omnifariam scientiam, & omnimodam ignorantiam, vt docet Galenus *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 1. Deinde non omnes quos præ manibus habet, potest sanos facere, vt prædixit Hip. *lib.* 1. *progn. text.* 2. Sed sufficit facere id quod ratio & experientia suadent. Hoc modo excusat Galenus Hip. *lib.* 6. *epid. sect.* 8. *com. vlt.* quòd ipse applicitis præsidiis non profecerit, in curandis phaëtusa, & namysia, quibus ob retenta menstrua hispidum factum est corpus, & barba apparuit, dum sic ait. *Namysia verò non secus quàm phaëtusa, cuius facta est nuper mentio, quum nullum fructum, ex Medicorum opera tulisset, è vita excessit: nec potuit diu vitam producere. Non tamen hæc nos deterrere exempla debent, quominùs mulieribus ita affectis manum admoueamus: sed excitare potiùs, vt ingenium exacuamus, quò optata consequamur: siquidem tunc denique officio nostro functi sumus, cùm omnia effecimus, quæ ratio nobis suppeditat, & longus vsus, peritiáque commonstrat.*

Quapropter Medicus multa non polliceatur: licèt enim ars sit vndique absoluta & perfecta, tamen multoties aut artificum imperitia, aut infelici hominum qui curantur, sorte, aut rerum necessariarum defectu, aut quod maius est, ob partem curatu difficilem, & suapte natura debilem, aut in qua continuò humores de nouo generantur, accidit vt ea finem non consequatur, nec æger exactam sanitatem sibi comparet. Quare in pollicitationibus Medicus cautus sit oportet.

PRÆCEPTVM XVIII.

Medicus paruum morbum non attollat.

COrnelius Celsus, alter Latinus Hippocrates, *lib.* 5. *cap.* 26. *rubric.* 1. sic ait. *Est enim prudentis hominis, primum eum qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem eius, vt occisi, quem sors ipsius peremit. Deinde vbi grauis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur. Sed vt hæc prudenti viro conueniunt, sic rursus histrionis est, paruam rem attollere, quò plus præstitisse videatur.* Quo pacto irridendi sunt vel triuiales, vel auari Medici, qui turpis pecuniæ cupidine victi, miseris ægris morbum attollunt, vt ampliores nummos dolo malo pertenti corradere queant, vel vt præstantiores Medici habeantur, quòd peritia sua vel methodo certa, omnes è mortis faucibus liberarint. Hæc calliditas, vel deprauata Medicorum conditio grauissimum ægris damnum afferre solet: nam ægri timent, desperant, & animo consternati, vel viribus deficiunt, vel morbo curationem non adhibent, quia putant non posse sanari.

PRÆCEPTVM XIX.

Medicus magnum morbum non parui faciat.

SApientissimus Medicorum Magister *lib.* 6. *epid. sect.* 2. *com.* 43. sic inquit. *Quicunque enim in periculosis morbis, plusquam decet, ægrotantes hilares, & bonæ spei plenos reddunt, in multò maiorem coniiciunt tristitiam sequentibus diebus, quum aut in peius morbus cecidisse videtur, aut vltra promissa Medicorum producitur. Quietiam plures homines consisi, perinde ac sine periculo ægrotent, Medicis non obtemperant, &c.* & *lib.* 6. *sect.* 6. *com.* 11. sic ait. *Quare sæpe fit vt Medicus repentè ingressus, & morbi, & doloris leuationem esse factam, & adstantes lætos comperiat: ipse tamen lætari temerè non debet: sed quærere factáne sit iudicatio, aut abscessus eruperit; quorum nullum si factum inuenerit, sed ægroti oculos perturbatos, signáque delirij adesse intuebatur, tum magnum malum esse pronunciabit: tunc enim sedata quidem pleuritis est, sed ad perniciem, &c.*

Quare Medicus morbum magnum non parui faciet: nam sic in duo damna incurret, quia si fortè mors cõtingat, vel fefellisse, vel ignorasse videtur; & si à Medico morbus prædicetur paruus, æger præceptis non obtemperat; quare præpostero victus ordine vtens sæpe occumbit, & in Medicum postea culpa reiicitur: notum est autem apud doctrinam Gal. *lib. de theriac. ad Pamphilian. cap.* 4. & alibi sæpe, sola conuenienti victus ratione morbos perdifficiles sanari.

PRÆCEPTVM XX.

Medicus amet consultationes.

NEc verò indecorè se ille geret Medicus, qui in rei præsentis angustia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente, alios quoque accersere iusserit, quò ex communi consideratione, res circa ægrum inquirantur ac cognoscantur; & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem. *Nam in afflictionis assiduitate, augescente affectione, ob consilij inopiam, plurima ad rem præsentem effugiunt.* Et hæc Hippocrates *lib. præceptionum, num.* 7. Hoc oraculo monet Diuinus auctor, vt Medicus gaudeat, in curatione morbi grauissimi, sæpe secum habere colloquutorem, miti enim & diserta concertatione elicitur veritas. Qui enim alios non vult conuocare ad consilium, is vult solus esse in præsepe equus; quare à domo, & à curatione explodendus: quoniam cognitio, & curatio morborum res sunt difficiles; quare oportet vt earum veritas ex multorum voto eluceſcat. Deinde plus vident oculi, quàm oculus, 8. *Ethic.* 2. & doctissimus quisque sæpe obliuiscitur, & vnusquisque maiorem adhibet diligentiam, circumspiciens testes ignorantiæ suæ.

Medicorum enim consultatio, magni semper fuit ad curationem momenti: sic enim ægri præceptis Medicorum reddũtur obedientes; & si fortè mors aduenias, nullus illorum calumniam incurret; & quod plus est, æger citiùs curatur: & Medicorũ mores, doctrina, ingenium omnibus palàm fiunt. Hæc tamen debent fieri dummodò affines & domestici non admittantur: liberiùs

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 63 sur 927

liberiùs enim sic proferuntur sententiæ; & hoc modo iniores à perito & experto Medico corrigi possunt: & si fortè occupat mors, hæc ab adstantibus in illum non reiicitur, qui vel remedium proposuit, vel mordicus defendit. Quare consultationes ob has causas publicè non sunt celebrandæ, vt pluribus allatis rationibus grauissimi Medici in suis libris, de collegiandi ratione confirmarunt. Hi omnes optimum consilium esse rentur, vt vocentur plures, & vnus Protomedici vicem gerat, de illorum iudiciis sententiam ferens; quod Arist. probat, 3. *politic.* 4. de optimè gubernata republica, quod Reges, & magnates obseruant. Qui autem non potest, vni se committat electo.

PRÆCEPTVM XXI.

Medicus paucos ad curandum assumat ægros.

SApientissimè famigeratissimus protulit Celsus, *lib.* 3. *cap.* 4. *in med. ab vno Medico plures non posse vno tempore curari, etiamne artificem idoneum esse, qui non multum ab ægro recedit.* Quomodo enim fieri potest, vt quispiam tot curandis morbis diuersis occupatus, rectè victum instituat, symptomata inquirat, tempora morbi speculetur, statum morbi æstimet; præteritas, præsentes, futurasque vices contempletur; diem decubitûs memoriâ teneat, quum necesse sit non solùm semel in die, sed bis, ter, & sæpius ægrum vnum inuisere, quum acutus morbus vel momento temporis, maximas subitasque pariat immutationes? Nam summum conatum apponente natura, & noxium à se depellere contendente, humoréque partes principes oppugnante, varia accidunt symptomata, sæua & terroris plena, quibus si Medicus generoso animo præsentia suâ non reluctetur, veris auxiliis instructus, & vel intempestâ nocte accurrens, æger salubertimis præsidiis destitutus, extemplò occumbet. Qua ratione Medicus solùm decem ægros vno die curandos assumere debet.

PRÆCEPTVM XXII.

Medicus in nominibus inquirendis multam operam non impendat.

AGitatum à doctissimis scio, Vtrùm nominum inquisitio sit Medico necessaria. Et videtur quidem non posse excusari eorum disputationem: nam in disciplinis ferè omnibus de rebus agentibus, & potissimùm arte medica, quæstiones excitantur de dignoscenda varietate rerum subsimilium: cùm in diuisione eorum quæ subsimilia sunt, rerum scientia consistat, quemadmodum docuit Hipp. *lib. de officio medic. sect.* 1. *text.* 1. Propter quod commendauit Aristot. vt inquiratur numerus rerum, quæ affinitate quadam inter se conjunguntur: nisi enim rerum differentiæ disputando inquirantur, agnoscantúrque, innumeri ferè errores in scientiis contingent. Sed frustra rerum differentias inuestigare conabimur, nisi de nominibus disputatio iungatur, quæ inuentæ rerum varietati respondeat. Iccircò non modò in Medicina, sed in reliquis artibus, videntur necessariò agitandæ de nomine controuersiæ. Minor constat ex eo, quòd vniuscuiusque rei differentiæ ab artifice exploratæ, nomen etiam aptissimum, quo ab aliis distinguatur, exploretur, & imponatur, sed vno & eodem nomine omnes explicentur, licèt ipsæ res inter se diuersæ admodum sint, discentis tamen animus, dubius & incertus trahetur, nesciens res, aliàs inter se diuersas, discernendo agnoscere. Quare cogitur artifex etiam disputando indagare nomina rebus quadrantia; præsertim cùm maior sit illarum, quàm vocabulorum copia: idque Arist. *initio Metaph.* exequitur, longo sermone inquirens, sitne Metaphysica sapientia an potiùs scientia appellanda, ars, aut prudentia: nam postquàm habitûs intellectûs numerauit, singulorúmque discrimen constituit, disputationem subiungit de proprietate vocabulorum, curioséque ostendit, per quæ dicta nomina distinguerentur, ne res inter se diuersæ mutuò confunderentur, eodem vocabulo explicatæ. Ergo, &c.

Accedit, quòd plures errores in Medicina, & in Philosophia, ob nominum errata videmus accidere: hinc fit vt quidam ad diutinum puerperium, & ciendos menses siliquæ Ægyptiæ corticem exhibeant, nulla aperiendi, seu prouocandi facultate præditum, nisi quòd cognominatione ipsa decepti, quòd scilicet ea siliqua vulgò Cassiæ fistula dicatur; aromaticæ vires (quæ sola & fistulæ, & cassiæ nomen habet) simul cum nomine in illam transfundunt. Deinde quid Auicennæ *secundum canonem De Medicina*, tot ambagibus obscurauit: *Serapionem*, & alios probos auctores fœdauit, nisi quòd eorum interpretes vocum significationes parum habuerunt exploratas? Ex hoc fonte tot emanârunt errores circa Cardamomum, Apium maius, Eupatorium, Centaurium, Rha ponticum, infinitásque propemodum herbas, in quibus Medici, vel etiam doctissimi, sæpissimè peccarunt. Non igitur posthabenda sunt nomina, præsertim Medico, cum humanæ vitæ præiudicio in his aberranti.

Verùm licèt rerum doctrinæ, & disciplinæ citra verba tradi non possint, & pulchrum quidem sit congruis propriisque sermonibus conceptas animo sententias, & rerum differentias inuentas explicare; meritò tamen Galenus Medicos, & reliquos disciplinarum studiosos, à verbis, & nominum inquisitione dehortatur, sed vt solùm in rebus inquirendis, discernendis, & agnoscendis occupentur, hortatur, quia verborum exploratio à magis necessaria rerum inquisitione, quæ longissima est, diuertit: & si in illis indagandis vitam per se breuem consumamus, ad nullam artis perfectionem vnquam deueniemus.

Audi Galenum *lib.* 1. *Epid. sect.* 3. *com.* 5. dum sic ait: *Profectò hæc illa sunt, quæ illustrant prorsus & verè medicum. Sophistes verò dum de vocibus, & significatis contendit, suum, & discipulorum tempus consumit.* Et *lib.* 6. *meth. cap.* 1. sic inquit: *Cæterùm parum esse de nominibus solicitum debere eum, cui rerum scientiam inuenire sit propositum, sæpe iam diximus. Itaque huc potiùs nominibus neglectis properemus, quoniam non ex eorum exquisitâ impositione, sed ex appositis remediis ægro salus paritur.* Idem scribit 1. *de dif. puls. cap.* 1. & aliis in locis, in quibus exacta traditur doctrina de febribus tertiâ die exacerbantibus, ablatis nominibus causonis, tertianæ, & semitertianæ; de quorum significatis nonnulli integra volumina conscripserunt, provt refert Galenus *ibidem*, quos non immeritò refutat, quoniam hæc disceptatio rerum cognitionem impedit. Ideò pollicebatur Plato *in Timæo*, doctiores peruenturos homines ad senectutem, si rebus agnoscendis occupati perpetuò, verborum essent contemptores.

De rerum ergo essentia, & non de nominibus artifici curandum. Nec obstant rationes suprà adductæ: nam licèt rerum inuentæ differentiæ citra verba explicari non possint, vitari tamen possunt de nominum proprietate difficultates, vel imponendo cognitis inuentísque rebus, vsitata & communia nomina, vulgóque recepta, provt docet 3. *de diff. puls.* 1. vel accipiendo ab eo cum quo disputatur; vel compositâ citò de nomine pace, pro arbitrio constituatur, ne in longius procedat vocabuli controuersia, *lib. de diff. sympt.* 1. Hoc modo 1. *de loc. affect. cap.* 1. summè reprehendit Medicos, qui de nominum proprietate prolixas quæstiones excitabant, quum breuiùs ab illis se expedire potuissent. Nam *tunc homines res ipsas neglexerunt, quum nimio studio nomina inuestigare tentâ-*

runt,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 64 sur 927

runt, vt doctè propoſuit Galenus, 4. *de loc affect. cap.* 3. *ad fin.*

PRÆCEPTVM XXIII.

Medicus nihil aggrediatur temerè.

PRudétiſſimè Hippocrates *lib.* 6. *Epid. ſect.* 2. *text.* 25. nihil temerè, aut inconſideratè eſſe affirmandum aſſeuerat: & Galenus *in com.* hanc explicans ſententiam, nulli temerè credendum affirmat, ſed priùs ratione, verúmne, an falſum ſit, examinandum, quia incredibile eſt quod probatione caret, vt ipſe probat *lib.* 6. *Epid. ſect.* 4. *com.* 19. & 1. *Epid. ſect.* 1. *in præfatione*: tamen ſi quiſpiam Hippocraticam dictionem alio modo interpretetur, non errabit.

Nullum ergo præſidium Medicus temerè aggrediatur: quia nimia audacia, & citra præmeditationem præcipitatio, inconſtans iudicium ſignificat, & ignorantiam arguit in artifice: ſic enim ait Hip. *lib. de lege, num.* 3. *Imperitia verò malus theſaurus eſt, & infelices opes his qui eam repoſitam habent, & inſomnium, aut potiùs ſomnum diurnum, & maximè verum, alacritatis, fiduciæque, ac veræ exultationis expers, timiditatiſque, & audaciæ nutrix. Timiditas equidem impotentiam, audacia verò ignorantiam artis ſignificat, &c.* In Medico ergo temeritas, & in applicandis præſidiis audacia, execranda; nam inexperientiam arguit. Incauti enim iuuenes, & indocti ſenes hoc vitio tentantur perſæpe: Illi, quia futuros euentus tanquam inexperti ignorant, & citra ratiocinium, aut cautelam vllam in laqueos coniiciunt ægros, eos violentis auxiliis curantes, à quibus, nec ipſi, nec miſeri ægroti euadere poſſunt: Hi, quoniam citra auctorum lectionem, ſoli (vt ipſi rentur) fidentes experimento, quo iactabundi gloriantur, atrocibus præſidiis ægros excarnificant, quouſque debiles, & viribus reſoluti è vita diſcedant. Nec te decipiat ſententia Celſi, *lib.* 3. *cap.* 9. monentis, temerariis remediis aliquando eſſe vtendum, vt *quos ratio non iuuat, temeritas ſanat*: ibi enim de deſperatis, & conclamatis loquitur morbis, in quibus *melius eſt, anceps remedium experiri, quàm nullum*, vt ipſe dicebat *lib.* 2. *cap.* 10. *Quando ergo ſemel ægro moriendum eſt, à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile: quia melius eſt aliquid nos agentes periclitari, quàm ægrum ſpe adempta certò perire*, vt bellè dictabat Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 10.

PRÆCEPTVM XXIV.

Medicus nihil contemnat.

HIppocrates *lib.* 6. *Epid. ſect.* 2. *text.* 25. ſic profatur: *Nihil contemnere.* Galenus *in com.* triplici modo hoc elogium Medicis vtile futurum eſſe ſperat, ad librorum lectionem, ad vſum prægnoſcendi, & ad morborum curationes. De primo: Nulla quæ apud optimos auctores ſcripta ſunt, etiamſi videantur prima facie abſurda, contemni debent. De ſecundo: Nulla ſigna ſunt negligenda, etſi minima, ſed omnia conferenda ſunt in iudicium. De tertio: Nulla ſunt omittenda, quorum eſt vſus curationi neceſſarius, & ſalutaris. Iunge tu, nihil negligendum, quia nihil temerè, & ſine cauſa fit. Adde, quòd exiguum morbum non parui faciat: nam plurimi morbi initio mites apparent, quibus ſi remedia non adhibeas, inſoleſcunt, & tandem interficiunt. Multoties ſunt doloſi, & maligni, & videntur lenes; quum verò vergunt verſus ſtatum, vires ſuas pernicioſas oſtendunt, & viſcera interna occupant, quorum denique firmitudinem diſſoluunt.

PRÆCEPTVM XXV.

Medicus non differat morbos.

AB omni artifice alienare res dilatio eſt, & præcipuè in Medicina, vbi dilatio, vitæ periculum parit, inquit Hip. *lib. epiſtolar. ad Crateuam, num.* 18. Quare *auxiliari ne differas: nam ſemel pereunti nulla poſtea ſuffragia proſunt*, vt Meſuë dictauit *in præfatione ſua.* Quapropter multipliciter peccat Medicus, qui auxilia illicò non adhibet, & in præſentis rei anguſtia plura machinatur, vt citò morbus perſanetur. Iccircò *medicari in valdè acutis eadem die, tardare verò in talibus malum*, vt 4. *Aph. text.* 10. dicebat Hippocrates.

Turpe enim & indecorum eſt Medico in morbis præſertim qui præceps periculum minantur, differre auxilia: nam ſi humorem peccantem vel phlebotomia, vel purgatione, alióue auxilio non euacues, dolor partis augetur, febris caliditas increſcit, ſuffocantur vires, ſæuiunt ſympromata, & ad aliquam partem principem decumbunt ij, qui per corpus vagantur humores, & tandem vires onere preſſæ ſuccumbunt. Hinc dixit Hip. 1. *acut. text.* 8. quæ celeriter fieri debent, celeriter peragere oportet: ſi enim morbus vrget acutie ſua, antequàm radices agat, aut humor in partem principem decumbat, citiſſimè opitulari eſt neceſſe, quum morbi exitus planè ignoretur.

PRÆCEPTVM XXVI.

Medicus cautè præſagiat.

DIuinus Medicus *lib.* 1. *prognoſt. text.* 4. ſic cecinit: *Medicus morituros, euaſuróſque prænoſcens ac prænuncians, culpa vacabit.* Ideò præſagium in morbis eſt maximè laudandum, propter multas cauſas: ex omnibus enim Medicinæ partibus nulla eſt, quæ artis excellentiam, & Medici præſtantiam adeò oſtendat, vt ea quæ euentus præſagiendi rationem docet.

Hæc pars ad Medicum ſummè pertinet, neque eſt ſuperuacanea, & à Medicina aliena, vt aſſerebant Methodici, qui futurorum prædictionem, vaticinatorum, non Medicorum eſſe officium pertinaciter arbitrabantur, iuxta illud Plauti, *in Milite: Bonus vates peteras eſſe, quum quæ ſunt futura, videas.* Et apud Ciceronem *lib.* 2. *de legib. Interpretari effata incognita, fatidicorum & vatum exiſtit; & quæ futura præſentiunt, vaticinari, & diuinare dicuntur.* Ita Hip. *lib.* 1. *progn.* 1. Medicum vti prouidentia optimum eſſe aſſeuerat, quia ars præſagiendi magni eſt ad curationem momenti, quum ſine ea nullus Medicorum rectè curare poſſit, ex Galen. 10. *meth. cap.* 6. qui curationem ſemper dignotionem, prænotionémque conſequi affirmauit: quod confirmat *lib.* 1. *de officio med. com.* 2. 1. *acut.* 3. dum ſic ait: *Curationem propter ſeipſam à Medicis exerceri: dignotionem verò, atque prænotionem propter curationem.* Et ſubdit: *Quòd verò prænotio ad curationem quoque vtilis ſit, demonſtrauit in præfatione prognoſticorum Hip.* Et *lib. de conſtit. art. medica, cap.* 18. ſic inquit: *De præſagiis poſt hæc verba facturi ſumus, quoniam tum ad alia quædam, tum ad curationem potiſſimùm conducunt.*

Aliam vtilitatem, quæ ex prædictionibus accedit, deſcripſit Hip. 1. *progn.* 2. *Præſentiens enim, & prædicens coram agris, præſentia, præterita, & futura, quæque infirmi omittunt, enarrans, creditur agnoſcere magis ægrorum res; hinc audent homines magis ſe concredere Medico.* Præſagia enim ægros ad obtemperandum faciles reddunt, & tempus remediorum demonſtrant opportunum, ac denique Medicum à mortis crimine immunem faciunt.

Deinde alia eſt vtilitas, quæ ex prædictione emanat: quoniam Medicus præſagiendo, affectiones futuras anteuertit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 65 sur 927

teuerit, ſymptomatáque imminentia præcauet, & ſic præſeruationi eſt vtiliſſima, & præſtantiſſima: *Melius enim eſt, imminentem morbum præcauere, quàm factum curare*, ex Gal. *lib. 2. de facult. natural. cap.* 8. Quia præcautio tantò curatione eſt præſtantior, quantò *melius eſt morbos prorſus non ſentire, quàm à morbis liberari*, vt dicebat Galenus *lib. art. med. cap.* 19. & *lib. de ſanit. tuendi ad Thraſyb. c.* 30. & 31.

Verum quidem eſt, & à Galeni mente exhauſtum, partem artis præſagatricem ſummè eſſe Medico neceſſariam, ſed cùm difficillima ſit, & obſcuriſſima, fit vt plures, vel peritiſſimi Medici, in præſagiendo cæcutiant, & vacillent, maximè ſi morbus acutus grauiter infeſtet. Hoc prædixit Hip. 2. *Aph.* 28. dicens: *Acutorum morborum non eſſe certas prænunciationes ad ſalutem, vel mortem*, quoniam, vt dicebat Gal. *in com.* in acutis videtur Hippocrates non fidere prædictionibus, quia hæ aliquando fallunt: Non ergo ſunt certæ prænunciationes in morbis acutis, cùm aliquando (quamvis rarò) contingat Medicum optimum aberrare. Hoc autem fit propter ſubitam in iudicatione permutationem, quæ naturam ſequitur ſuccorum morbificorum, & quia humor noxius ex vno loco velociter transfertur ad alterum.

Licèt autem Medicus præſagiens, ſit præuiſæ mortis inſons, tamen ob plurima quæ præſagitionem intertubant, cautè præſagire debet: acutus enim morbus tot habet ad bonum, vel malum mutationes, quot habet autumnalis diei hora. Quare quæ erant in gaudio, mutantur ſæpe in triſtitiam, & pœnas.

Inſuper plures ſunt morbi, qui ab humoribus contrariis, & inſtabilibus ſcaturiunt, in quibus præſagia de ſalute & morte, ambigua ſunt & fallacia. Quod Galenus nos docuit, *lib. de art. med. conſtit. cap.* 18. in hunc modum ſcribens: *Nec ea quidem omnia, quæ ex morbi ratione proficiſcuntur, certò prænoſci poſſunt, quum repentè poſſit ſuperfluus quiſpiam ſuccus in corpore, interius in partem aliquam vitæ neceſſariam defluere: poſſit etiam contrà ab aliqua principe parte impelli ad ignobiliorem. Et ſubinde erit neceſſe, vt is qui in principem partem fertur, extremum periculum; qui verò ab ea repellitur, repentinam, inopinatámque ægrotanti ſalutem præſtet*, &c. Qua ratione in his morbis incerta eſt, & fallax prædicendi ars: & ſæpe hac de cauſa accidit, vt deſerti à Medicis conualeſcant, & contrà moriantur, de quibus Medicus erat ſecurus, vt præclarè prædixit Celſus *lib. 2. cap. 6.*

Accedit, quòd in morbis acutis incertæ ſunt prænũciationes ad ſalutem vel mortem, ob externas cauſas, quæ inopinatò ſuperuenire ſolent, & iudiciorum certitudinem corrumpunt: vt ſi quempiam ægrũ Medicus euaſurum prædixerit, qui poſtea infauſto ſuperueniente nuncio, nimia triſtitia affectus, moriatur. Aut ſi certa aliqua die ſoluendum morbum prænunciauerit; deinde ægrotante contra Medici preceptum in aliquo delinquente, aut ab aſſiſtentibus errato aliquo commiſſo, vltra deſtinatam diem prorogetur iudicium, ſi morbus ſalubris eſt; aut antè aduenias, ſi morbus eſt lethalis. His enim euenientibus, Galeno auctore *lib. de art. med. conſtit. cit.* nihil certum præſagire poſſumus. In quibus verò humores ſtabiles ſunt, nec de loco ad locum mouentur, ac præterea omnia circa ægrotantem rectè geruntur, nec aliquod erratum committitur, prædictiones certæ ſunt, nec fallunt. Quare prudens Medicus in acutis, & malignis morbis, ob dictas cauſas cautè præſagiat: ne ſi deinceps aliter accidat, ipſe ægro, & aſſtantibus deriſui ſit, & contemptui.

PRÆCEPTVM XXVII.

Medicus fugiat à Chymicis, & documenta eorum parui faciat.

AMpliſſimus ſeſe nobis oſtentat campus diſputandi contra Chymicos, & illorum documenta, ſed quia peculiaribus libris iuniorum peritiſſimi latiſſimè hoc negotium agitárunt, in eo licèt arduo explicando, ero breuiloquus. Sanguineis enim lachrymis deploranda eſſet calamitas hæc, ab iis qui Hippocratis, & Galeni filios ſe eſſe gloriantur, & horum magiſtrorum ſaniſſimam doctrinam, ex limpidiſſimis fontibus exhauſtam combibere ſolent, quòd Chymici, & alij, omnino aduerſam, & contrariam Hippocratis legibus obſeruantes diſciplinam, impunè, protervè, indecorè ſacroſanctam Medicinam, ſummum ac maximè venerandum Omnipotentis donum, dicteriis, facetiis, & præpoſteris auxiliis infament.

Quid enim magis diuerſum eſt à Gal. mente, magis execrandũ, magis humanæ ſaluti repugnans, quàm leges Theoph. Paracelſi, qui à Chymicis Chymiæ primus inuentor, & huius artis ſemideus vocitatur; cuius inſcitiam, ſuperbiam, iactantiam, contuamciam irridere ſatius eſt, qui ſuo genio ductus, limites Chymiæ excedens, de principiis diſputare, & in omnibus Philoſophiæ & Medicinæ partibus, noua dogmata inuehere conatur, abſurdiſſimis, & portentoſis opinionibus, proprio Marte inuentis, innixus.

Quid plura? Nonne hic Pſeudomedicus *lib. de tinctura phyſicorum, & in præfatione paragrani*, monet priſcos Medicos, & omnes gentes cuiuſcunque conditionis ſint, vt ſe tanquam arcanorum Monarcham, & totius philoſophiæ ducem ſequantur? O deliramentum elleboro dignum! Nonne tibi mouet cornicula riſum, quando eum audis, *lib. de peſtilitate, tract.* 2. vocantem omnes Medicos, non Doctores, ſed mendaces, & mendaciorum auctores? Nonne hanc peſtem effugies, quũ ſterquilinium euomit ex ore fœdo, hoc eſt, acerbiſſimis maledictis, Hip. Gal. Auicen. Academicos omnes, Arabes, iuniores inſectatur, & genuino, imò beluino odio antiquam Medicinam perſequitur? Hoc modo ſectatores eius, nequiſſimis, & vaniſſimis dicteriis imbuti, contra Ariſtot. atque Galenicos pleura effutiunt, & vocant eos materiales, elementares, ambulatores, Ariſtotelicos tenebriones, vulgares de ſchola homines, Thraſones Athenienſes, imò vaniſſimarum vanitatum defenſores appellant. Hoccine humanum factũ? Hoccine ferendum ab illis, qui ſuauiſſimum nectar, & ſaniſſima præcepta ex Principum ore perſæpe deguſtãt?

Apage, apage hoc peſtilentiſſimum venenum, à Galeni mente tam longè diuerſum! Fuge crudeles huius hominis mores, qui nefariis, ac diabolicis artibus, & magicis incantationibus inſtructus, Galenum temnit, Auicennam damnat, & ſanos auctores reſpuit. Auerſator medicaſtrum Hohenheim, ſeu ariolum Bombaſt, ex quo veſpæ Heraclienſe mel lambunt, ſuáque balſama, & mumias mutuantur. Dogmatica fragrantiùs ſpirant, amabiliùs recreant, feliciùs expetuntur, ſalubriùs ingeruntur. Deinde ſi hic omnium ſcientiarum fuit ignarus, cur ſectatores eius illum ſupra omnes mortales tantopere extollunt? Abeant ergo Chymici, malè feriati nebulones, qui eum in omnibus ſcientiis, diuinis, & humanis fuiſſe verſatiſſimum, temerariè, immò impudenter aſſerere auſi ſunt.

Dic mihi, quis erit tam inſanus, qui hæc tanquam vera prodat? Quis niſi amens ſibi perſuadebit, noctem non ex abſentia ſolis, ſed ex ortu ſtellarum nocturnarum fieri, quod ſcribit *lib. Meteor. cap.* 3. Quis credat, ſtellas quaſdam habere ſe inſtar cucurbitarum, & phialarum, & concauitatibus ſuis continere ſalem, ſulphur, & Mercurium; atque inde per operationem ætherei Vulcani, per emunctoria ventos emittere, non ſecus ac cùm flatus in corpore humano generantur, & per inferiorem ventrem excernũtur. Stulti ſunt, qui lutum & carbones habent in delitiis, hiſque torpet mens inſcia recti, qui volatilis, & arſenicalis auræ ſuffitu recreantur, & hæc vana tenebrionum idola amant, & venerantur.

Quid

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 66 sur 927

Quid quæſo magis abſurdum, quàm cum eodem aſſerere, *lib. cit. cap. 6.* pluuias non generari è vaporibus à terra in altum ſublatis, ſed eſſe quaſdam ſtellas, quarũ fructus ſint pluuiæ? Abſurdum quoque eſt, quod *lib. 1. Meteor. cap.* 10. ſcribit, ſtellas ſe purgare tum æſtiuas, tum hybernas, non per fulgura, ſed per corpora quæ excernunt, quæ ſtellas cadentes vocant: Cauſa eſt, inquit, quòd alimentum habent in firmamento, quod eſt elementum à quo ſuſtentantur: nihil enim eſt creatum, quod non quotidiano alimento egeat, vt homo. Ex quo conſequitur, eas ex ſuo elemento edere, & cibum capere. Iam quod cibo, & potu ſeruatur, excrementa quoque gignit: aluntur autem igne ſolo, ſicut homo ex terra, ex qua natus eſt.

Ridiculum eſt, imò cachinno dignum, homini hominis gerationem non tribuere: nam *lib. 1. de generatione ſtultorum*, ſtultiſſimè putat, hominem non plus ad hominis generationem conferre, quàm ruſticus qui triticum mandat terræ, ad tritici generationem; ſed Vulcano cuidam totam hanc generandi vim tribuit; in cuius abſentia Diſcipuli artis hominem fabricandi nondum ſatis periti, ſtultum efficiant; atque fabros illos non immortales, ſed breuiſſimæ vitæ ſtatuit. Inſuper, vt ſcientiam ſuam oſtentaret, in ſuis ſcriptis Germanico ſermone conſignatis, plura propoſuit nomina peregrina, vt vocabulorum nouitate aliquam ſapientiæ laudem captaret. Hinc libros ſuos decorauit his titulis. *Paragranum*, *Paramirum*. Occurrunt apud eum ſæpe nomina: *Pagoycum*, *Cagaſtricum*, *Iliaſtrum*, *Archæus*, *Relolleum*, *Cherionium*, *Eueſtrum*, *Vlech*, *Trarames*, *Turban*, *Leſſas*, *Suannar*, *Perenda*, *Zeuda*.

Deinde humores in corpore negat, & nihil niſi inania nomina eſſe dicit, Galenicóſque, humoriſtas appellat, nam in mundana anatomia plures reperiuntur ſalium, ſulphurum, & mercuriorum ſpecies. Ex ſale plurimos morbos ſalinos; ex ſulphure infinitos, vt febres, ex inflammationes; ex tartaro, tartareos oriri docet. Omnes morbos lapide ſuo (quem vocat) philoſophico, curari poſſe affirmat. Compoſitionis medicamentorum cauſas reiicere conatur; vulgatúmque medendi, & medicamenta præparandi modum reprobat obnixè.

Si ergo tot monſtra, tot portenta finxit Paracelſus, tot deliramenta inuexit, & Galenum hoſtiliter eſt inſectatus; eiúſque ſequaces, in componendis medicamentis, in cognoſcendis, & curandis morbis mille nugas adſtruunt, inſano veluti furore perciti: cur illorum medicamentis, citra rationem & experimentum inuentis, fidem præſtabimus, maximè cùm ſint ad libitum inuenta, & contra præcepta Hip. & Galeni celebrata. Horum ergo inanes ineptias, & ſophiſmata, quibus irretiti impunè homines interficiunt, contemne & profla.

PRÆCEPTVM XXVIII.

Medicus rationalem profiteatur artem.

RAtionalem Medicinam eſſe præſtantiorem Empirica, ex eo potiſſimùm coniectat Galenus *lib. 3. de loc. affect. cap. 3.* quòd hæc paucas admodum affectiones, & eas quæ crebrò, frequentérque eueniunt agnoſcat; illa autem non minùs raris, quàm frequentibus opem ferat, vtpote quæ omnium naturas, differentias, & cauſas, diſcurſu ac ratione inueſtigans, comprehendat tandem, vel ſcientifica cognitione, vel ſaltem artificioſa coniectura, certa quidem, & ad ſcientiam proximè accedente. Vt verò oſtendat, multò plures eſſe affectus, pluréſque læſæ actionis differentias, quàm Empiricus aſſequatur, præmittit *lib. cit.* actionem in quouis membro vitiari poſſe, non ſolùm affecta parte ſimilari, quæ in organo princeps eſt, & talis actionis agens, ſed ad vitium cuiuſcunque alterius, organum etiam componentis, imò ad inſtrumentalium partium affectus, vt v. g. læditur viſio, ob cryſtallini humoris, & cuiuſuis alterius partis oculi vitium: tum intemperamentum, qui morbus ſimilaris eſt, tum & ob quemcunque alium organicum, inſtrumentalémue morbum. Tunc ſic: Morbi intemperamenti, ſimilaréſue, qui in ſingulis partibus poſſunt accidere, octo ſunt; Organi multò plures, vt patet ex numeroſa illorum diuiſione, *lib. de diff. morbor.* & 3. *art. medic.* Compoſiti ex vtriſque, innumeri ferè, & ex illis quidem alij rarò, alij frequenter infeſtantes.

Cùm igitur Empirici notitiam ſolùm habeant ægritudinum, quas præ frequentia, ex ſæpe iterato euentu æſtimauerunt: negari non poteſt, plurimas ſubterfugere illorum cognitionem, ſolaſque has frequenter tractare poſſe; raras autem, tanquam ignotas, ne quidem attingere. Dogmaticæ autem diſciplinæ omnes ſubiacere, quæ omnium dignotionem aſſequitur, certam quidem & infallibilem, frequentium: rarò autem euenientium, ſcientificam nonnunquam; aliquando verò coniecturalem, vſque adeò tamen artificioſè, vt proximè ad veritatem accedat, vixque errare patiatur, non modò in locis, & affectibus dignoſcendis, ſed in curandis: cogniti ſiquidem affectûs curatio, nihil habet incertum aut fallax.

Quare etſi Me dicina ab Hip. *initio Acutor.* ars coniecturalis appelletur, & præſertim ea pars, quæ locorum, morborúmque occultorum cognitionem inquirit, dignotrix nempe, *lib. de plenitud. ad fin.* apertè *in cit. de loc. affect.* explicat, quanti ſit facienda ipſa artificialis coniectura, vtpote quæ magna ex parte vera ſit, raróque accidat ea mediante ſcopum non attingere. Atque ideò affectum locum ex læſa actione Galenus inueſtigat: deinde affectionem ipſam per ſcientificam, aut ſaltem artificioſam coniecturam: ac tandem ex vno & altero, aliiſque ſimul vtiliter conſideratis, tempore videlicet, ætate, cõſuetudine, &c. de quibus 1. *Aph.* 2. & 17. & *alibi*, acceptis curatiuis indicationibus, gloriatur ſe nihil feciſſe indecorum, nec vnquam tam in curando, qnàm in præſagiendo fuiſſe deceptum.

Nec ſanè aduerſatur iis, quòd 3. *progn. text. penult.* dicat: *ſupra captum hominis eſſe, nunquam hallucinari.* Non enim prædicere ſolebat, vt feſtinanter ſententiam ferre, quantumuis ab ægro & aſſiſtentibus laceſſitus, ſed vſque ad certitudinem, iudicium ſuſpendebat, ne parum tuta prædictione falleretur, 1. *de dieb. decretor. cap. vlt.* quo loco ſe nunquam erraſſe in prædicendo, apertè pronunciat.

Verùm quoniam rariſſimè, vel ferè nunquam coeunt illa, quæ requirũntur etiam ab ipſo Galeno *ibidem*, ne nos morborum præſagia deludant, multáque ſæpe interueniunt, quæ opinatum euentum impediunt, etiam præſentibus indiciis certis: (ſi talia poſſunt dici in arte medica coniecturæ) accipi poteſt dictum Galeni, ac ſi maiori ex parte veritatem fuiſſet aſſequutus in prædicendo, ac quàm minimum erraſſet, quod tamen ab artifice deſiderari, ipſemet docuit 3. *progn. ſuprà cit.*

Ex iis autem, quæ per totius vitæ decurſum ſibi ex animi voto euenêre, Medicos hortatur, vt ſi ex artis operibus glorioſi fieri cupiant, relictis Archigenis difficultatibus, methodum à ſe diuturno labore indagatam, ac tandem diligenti inquiſitione inuentam, vſu atque exercitatione comprobatam ſectentur, ſuæque ipſius doctrinæ ſtudioſiſſimè incumbant: ſic enim futurum, vt aliena opera, & induſtria vtentes, facili negotio aſſequantur, quæ difficillimè fuerunt inuenta: id quod etiam *lib. quòd optimus Medicus, cap. 4.* de Hip. ſcriptis teſtatur.

Illa igitur dogmatica eſt, & recta procedendi via, vt primùm ex vitiata actione ſedem inueſtigemus primariò affectam, vel illi conſentientem, nihil ampliùs curantes, an pars illa, cuius actio per conſenſum læſa eſt, pati dicenda ſit, an conſentire potiùs primario

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 67 sur 927

patienti; deinde dispositionem ipsam diligentissimè exploremus: ex illis siquidem, affecto scilicet loco, & affectione, cognitis, elicitur curatiua indicatio, generica saltem: particularis autem ab iis petenda, quæ particulariter insunt ægrotanti, natura nempe, consuetudine, ætate, &c.

Sed vtra illarum præstantior sit, magisque præferenda, Empirica, an Dogmatica, etiam expendendum est: & supposito eundem esse vtriusque scopum, sanitatem nempe, idémque munus cognoscendi ea, quibus sanitas ipsa amissa recuperetur, remedia scilicet, auxiliáue quibus præsens conseruetur, hoc est, salubrè victus ratione: Tota diuersitatis ratio in eo sita est, quòd non conueniunt, vnde petenda sit illorũ cognitio, quæ Medicum, ad propositum sibi finem consequendum, scire oportet.

Empirici quidem iudicium negligentes, solam experientiam sufficere contendunt, quibus potissimùm fauent huiusmodi fundamenta. Primò. Eo modo quo omnes ferè artes ad suos vsus trahuntur, potest etiã trahi Medicina, quæ vna etiam ex illis est. Sed artium reliquarum artifices solo vsu, & exercitatione docentur rectè operari suis instrumentis, non curantes illorum facultates, nec quo ingenio, industriáue fuerint inuenta. Igitur solus etiam vsus & experimentum sufficient, vt Medicus suis medicamentis instruatur, possitque debitè ægritudines curare, quantumuis ignoret calidáne sint, an frigida remedia, quáue facultate prædita.

Quòd si contendas, oportere non modò Medicum, sed artifices omnes suorum instrumentorum virtutes cognitas habere: Dic, medicamentorum virtutes potiùs experimento, quàm methodo & discursu comparari: nam *lib. de affectionibus*, apertè scribit, pharmaca non ex intelligentia, sed fortuna reperiri, nec magis ab artificibus, quàm idiotis. Quare Galenus 4. *sec. genera, cap. 5. Medicamenta*, inquit, *certò & accuratè sine experientia cognosci nequaquam possunt*: quod *cap. 9. lib. 3. simpl.* multis exemplis confirmat, & *lib. 4 cap. 23.* suadet, illorum vires, vtpote à methodo & ratione alienas, per experientiam inueniendas esse. Quo pacto reperta fuit herba illa sanguinem educens, vt memorat Galenus *lib. de purgant. medic. facult. cap. 4.*

Secundò. Iisdemmet auxiliis in simili ægritudine curanda vtitur Empiricus, quibus & Dogmaticus, corporis, & temporis natura, regione, ætate, consuetudine, & reliquis simul obseruatis, *lib. de sectis, cap. 4.* Sed illa faciliùs multò, breuiori & vtiliori compendio ab Empiricis præcipiuntur, & inueniuntur. Ergo illorum secta præferenda videtur, in arte præsertim longissima, & tam præcipiti agendi occasione, qualis ferè omnium morborum est. Minor constat, quoniam Empiricus, vbi morbus, vel symptomata apparent, remedia sibi iam cognita & experta, sine vlla alia difficultate applicat: non sic autem Dogmaticus, sed longo & inutili dispendio, à symptomatis ad morbi naturam progreditur, à qua tandem remediorum facultates petit, sæpe probabilibus, incertísque mediis nixus.

Tertia. Artes, imò & scientiæ experimento generantur: nam citra experientiam temerè nostra vita progreditur, docente Platone *in Gorgia*, & approbante Aristotele 1. *Metaphys.* 1. quod nec diffitetur Galenus *lib. de subfigurat. empirica, cap. 2.* Igitur experimentales erunt perfecti artifices. Ex consequenti, &c.

Verùm longè præstantiores esse Dogmaticos, nec cum eis posse comparari Empiricos, vsque adeò euidens est, vt probatione non indigeat: sed nec illæ quidem desunt euidentissimæ, quarum prima est. Experimentum non potest acquiri, nisi eorum, quæ sæpe similique modo contigêre, *lib. de sect. c. 2.* & *de subfigurat. empir. cap. 2.* Atqui omnium membrorum affectiones, simplices, & compositæ, tam similarium, quàm instrumentalium partium, in concursus redigi non possunt; nec omnes crebrò frequentérque accidere. Igitur possibile non est, vt omnium comparetur experimentum, sed frequentium tantùm; atque ita plurium morborum nec cognitionem, nec curationem assequitur, vel attingit Empiricus: præterquam quòd in frequentibus, fallax semper erit illius experimentum, vtpote quod ratione, methodo, & iudicio sit destitutum; non sic autem Dogmatici discursus & ratiocinatio, cùm in omni genere morborũ, vel scientifica sit, vel si cõiecturalis, adeò artificiosa, vt magna ex parte certitudinem afferat.

Secunda. Frequentium ægritudinum nonnullæ plerunque inuadunt sine concursu symptomatum, nec nisi coniectura, tentatiuáque curatione possunt dignosci. Sed solus Dogmaticus hac via procedendo, potest, quam quærit, notitiam comparare. Ergo plurimùm præstat etiam in iis, quæ considerat Empiricus. Minor ostenditur. Ille tentantis remedij potentiam agnoscens, eam cum sequente opere iungere, & conferre potest, indéque facilè coniicere, quantum tentando deliquerit, vel profecerit; ac tandem à iuuantibus, & nocentibus, morbi cognitionem assequi, & totam curationem instituere: minimè verò Empiricus, cui remediorum naturæ prorsus sunt incognitæ.

Quòd autem in morbis frequentibus etiam agnitio rationalis excedat, probatur: quoniam cùm ad eiusdem affectus curationem, plurima similis generis remedia dentur, alia aliis fortiora, imbecilioráue, non licet inter curandum temerè inordinatéque quod libet applicare. At Empiricus vires auxiliorum ignorans, nullo delectu quodcunque ad curationem adhibet; ita vt si à primo res non eueniat, nesciat quò transeundum, sed casu, & fortuna ad alterius opem confugit, eo quòd ab effectu, & opere subsequuto non colligit, num excesserit, vel diminutus fuerit. Dogmaticus verò omnia perscrutans, singuláque conferens, ex facta in corpore mutatione ab admoto remedio, planè colligit, qualinam deinceps vtendum sit. Ergo, &c.

Denique si nihil certiùs curationem edocet, quàm ipsamet ægritudo, quippe quæ cùm res sit præternaturalis, protinus sui remotionem per contraria indicat, quî non præferetur Medicus, qui ab illius essentia, & natura cognitis auxilia petit, & curandi modum exactè callet? Quare, &c.

Iam verò rationalem inuentionem remediorum, multis nominibus experimentali præstare, constat ex Gal. *lib. 3. de loc. cap. 3.* & *lib. 6. cap. 1. de compos. medicam. secund. loc.* tum quia medicamenta, quæ methodo reperiuntur, omnibus eadem ratione prosunt, non sic autem quæ experimento, vt ipse testatur *lib. 9 de placit. cap 6.* & *3. sec. gener. cap. 2.* tum quia absque ratione experimentum infirmum est, *cit. de placit.* nec eo solo, ex medicamento in medicamentũ, nec ex affectu in affectum transire licet, *3. meth. 2.* Ergo tam in ægritudinum agnitione, quàm curatione, remediorum inuentione, & modo applicandi, longè excedit Dogmatica disciplina.

Neque vrgent Empiricorum fundamenta. Primo namque satis respondetur, negatione minoris: Necesse siquidem est, vt dicebatur, artifices omnes non modò suos vsus, sed inuentionem, & facultatem suorum instrumentorum ad commodum vsum, aptéque & variè pro necessitate operandum agnoscere, alioquî etiam sui proprij vsus erunt ignari. Insuper, quomodo faber ferram aliquando laxabit, interdum contrahet & tendet, nonnunquam inflectet, nisi nouerit ferram ipsam ita variè affectam, ad varios quos intendit vsus, esse accommodam, & pro singulis variè adaptari? Sic nisi Medicus medicamentorum potentias cognouerit, & num ad partem infrigidandam, aut calefaciendam, & quantùm prosint; nec commodè illis vtetur, nec pro affectus varietate vim medicamenti remittens laxare, aut augens intendere sciet.

Ad id verò, quod obiiciebatur ex Hip. & Gal. asserẽtibus, non methodo ratiocinationéue, sed experimento

potiùs

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 68 sur 927

potiùs medicamentorum facultates agnoſci: Dicendum eſt, eos de medicamentis loqui, quæ à tota ſubſtantia agunt; horum enim vires, & occultas proprietates à methodo eſſe alienas, ſoláque experientia inueniri, *lib.13. meth. cap.6.* & *1. ſecund. gener. cap.16.* edocuit: non aliter ac propria, conuenientiſſimáque alimenta, quia à tota ſubſtantia, illiúſque conuenientia operari dicuntur, *6. de ſanit.tuend. cap.3.* ſolo experimento cognoſcuntur, vt *ibidem* ſcribit Galenus, & *4. acut. 89.* Illá tamen quæ ſola qualitate operantur, dubium non eſt, ratione, iudicióque cognoſci, ab odore, colore, ſapore, ex adductis locis, & innumeris aliis; quamuis ad exactam illorum dignotionem, experimentum etiam requiratur, *3. ſimpl.9. & 4. cap. vlt.*

Porrò aduertendum eſt, quòd licèt medicamentorum proprietates caſu, fortuna, & experimento reperiri dicantur, non iudicio, ſeu ratione, ea tamen excludenda non eſt ab eorum cognitione. A caſu enim, fortuna, & animantium imitatione, initium experientiæ deducitur: vera tamen experiendi ratio, perfectio, ipſáque experientiæ fides, & conſtantia acquiritur ratione, à qua etiam petenda eſt conueniens illis vtendi methodus. Siquidem non vtcunque ſors tulerit, ſine arte & iudicio, ad morborum curationem adhibendæ ſunt prædictæ facultates experimento inuentæ, quemadmodum nec ſine hoc in vſum trahere oportet medicamenta per ratiocinationem cognita; non minùs ſiquidem manca eſt ratio experimento deſtituta, quàm experimentum ratione, & methodo carens.

Ad ſecundum: fatemur quidem Dogmaticum longa illa via incedere, prolixóque circuitu: ex eo tamen cùm plurimas aſſequatur commoditates, certioremque ſui muneris ſcopum, præferendus eſt Empirico, qui diminutus, ſit incertus, dum breuis eſſe laborat.

Ad tertium, negandum antecedens: Quamuis enim experientia, eo quòd ſingularium eſt, circa quæ fit operatio, plurimùm ad operandum ſeruiat, *10. Metaph.1.* & *2. ethic.2.* Gal. *9. meth.6.* & alibi, multò tamen inferior eſt arte, *1. Metaph. cit.* nec ſufficiens ad artem conſtituendam. Medicinam verò noſtram dogmaticam, rationalémve, duobus conſtare integrarique, ſcilicet vera agendi methodo, ſed ratione, per quam quidquid agendum ſit, iudicatur; & experimento, à quo illa quæ diſcurſu & ratiocinatione inueniuntur, fidem accipiunt, quóque edocemur ex arte exactè operari, manifeſtum eſt ex Hipp. & Gal. in ipſo artis veſtibulo, 1. nempe *Aph.1.* & *lib. introduct. cap.2.* & *6.* vbi vniuerſaliter ſcribit, non licere vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi duobus neceſſariis inſtrumentis, methodo ſcilicet per vniuerſalia theoremata, principiis philoſophiæ, ac ratione inuenta, *3. criſ.8.* & *proœmio epid. ad fin.* & circa particularia exercitatione. Quòd ſi *cap.2. de ſubfigurat. empirica* aſſeruit, medicam artem ſola experientia conſtitutam eſſe, ex empiricorum, non propria ſententia fuiſſe loquutum intellige. Vtrum verò horum principiorum præcipuum ſit, experimentum, an ratio; & cui magis fidendum, latè diſceptauimus *lib.3. de Hiſt. Medic. Princip. in com. hiſt.37.*

PRÆCEPTVM XXIX.

Medicus rationalis ratione vtatur ſemper, & experimento.

DVo ſunt organa, quorum vſu artes & ſcientiæ ſolent comparari, ratio ſcilicet, & experimentum, ex Gal. *1. Aph.1.* & *3. meth.cap.2.* & experimentum nihil aliud eſt, quàm comprehenſio, obſeruatio, & memoria eius, quod ſæpe & eodem modo fit, ex Gal. *lib. de optim. ſect. ad Thraſybul. cap.2.* & *lib. de hiſt. philoſoph. in med.* & eſt idem cum experientia, niſi quod docente Gal. *lib. de ſubfigurat. empiric. cap.2 in med.* experimentum ex multis experientiis conflatur, ſicut ex experimentis ars. Quare docente Ariſt. *lib.1. Metaph.1.* & *lib.2. poſter. cap. vlt.* experientia ex ſenſu fit; & ſic experiri nihil eſt aliud, quàm id quod nondum conſtat, opere tentare.

Eſt autem experimentum periculoſum, ob multas cauſas: prima, ex Gal. *1. Aph. com. 1.* propter materiæ, circa quam verſatur, dignitatem: ſecunda, propter eiuſdem materiæ varietatem: tertia, propter errorem artificis non opportunè remedia adhibentis: quarta, ob naturam rerum, & præſidiorum, à quibus experimenta deſumuntur. Adde indiuiduales proprietates.

Vt ergo experientia fiat, tria aduertenda eſſe docet Galenus, *lib.3. de temp. cap.5.* & *lib.1. ſimpl. cap.2.* Primò, vt medicina tepida applicetur, & carens exceſſu omni externæ qualitatis. Secundò, vt experiatur in homine temperato, & ſimplicem ægritudinem patiente. Tertiò, vt diſtinguantur affectus per ſe, & affectus per accidens, qui ab eo medicamento oriri conſueuerunt. Quod multò intimiùs rimatur Auic. *2. canon. tract.1. c.2.* dum ſeptem obſeruanda eſſe docet, quæ ad prædicta tria facilè referuntur.

Quapropter cùm experimentum ſit fallax & periculoſum, & longum temporis interuallum, & multas conditiones, vt rectè fiat, requirat, ideò artem longam reddit, ſiue per doctrinam, ſiue per inuentionem ars acquiratur, cùm ſemper experimenta ſint neceſſaria; licèt multò citiùs poſt inuentionem artis aſſequantur, quia iudicium eſt etiam difficile; vbi Galenus *in com.* per iudicium duo intelligit, vel rationem, per quam ea, quæ facienda ſunt ſecundùm Hip. iudicamus: vel ſecundùm Empiricos, iudicationem eorum, quæ per experientiam inuenta ſunt: hoc ſequitur operationem, illud verò præcedit. Poſſumus etiam per iudicium intelligere rationes, quibus artes inuenimus, & inuentas confirmamus, & quibus veritatem omnium, quæ ſub arte continentur, iudicamus. Cùm ergo in vnaquaque arte experimentum, & ratio ſint neceſſaria, & quocunque modo accipiatur iudicium, difficile ſit, ad id comparandum, ratione & experimento vtatur eſt neceſſe, & coniecturis firmiſſimis innitatur rationi proximis, vt ſic finem intentum conſequi poſſit.

PRÆCEPTVM XXX.

Medicus in captanda occaſione ſit ſollicitus.

INuehuntur plures priſci in Hippocratem, *lib.1. Aph. text.1.* ſed iniquè, cùm negligenter tantùm Coum ſenem legerint, quòd ineptè occaſionem eſſe præcipitem promulgârit; quum ibi moneat Medicos, vt in ea captanda ſint induſtrij. Quanti autem ſit hoc præceptum ad artem momenti, inueniet, qui non ignorat, occaſionem nihil aliud eſſe, quàm *opportunitatem alicuius rei, quæ habet idoneum tempus faciendi, vel non faciendi*, vt docet Cicero *lib.5. de inuent.* vel eſſe opportunum tempus ad aliquid faciendum, vt idem docet *lib.1. de off. non longè à principio*, quæ adeò præceps eſt, vt non ſolùm vulgares Medici, ſed & celebres in ea hallucinentur, ex Gal. *1. ad Glauc.1. in princ.* Ob hoc dicebat Hip. *in epiſt. ad Crateuam, num.19. Ab omni quidem arte alienares dilatio eſt, verùm maximè in Medicina, in qua dilatio, vitæ periculum parit:* quod ſolùm Hip. propter præcipitem occaſionem affirmauit.

Hac ratione *in lib. de morb. ſacro, in fin.* docet, Medicum in ſingulis debere occaſionem agnoſcere: nam vt *in fine illius libri* docet, qui occaſionem cognouerit, citra expiamenta, incantationes, & alias abſurditates, morbos curabit: nihil enim eſt in arte medica, quod auxiliari poſſit, niſi opportunè fuerit adhibitum.

Inuentor huius occaſionis Medicus eſt, docente Galeno, *6. epid. ſect.5. com.1. ad med.* Eſt, enim præceps, quoniam, vt Galen. docuit *Aph.1.* noſtrum corpus perpetuò diſſoluitur; & tum à cauſis internis, tum externis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 69 sur 927

immutatur, & in eodem ſtatu nunquam permanet, ob plures cauſas, quas proponit Galenus *lib. 1. de ſanit. tu. cap. 5. ad fin. §. ſanè iudicium euidentiſſimum eſt, &c.* Prima eſt continua corporis per omnes ætates ad ſiccitatem mutatio, vt *loc. cit. cap. 2. poſt med.* & *lib. de marasmo, cap. 4.* Gal. edocuit. Secunda ſumitur ex fame, ſiti, cibo, potu, quiete, animi affectibus, & aliis, quæ corpus diuerſimodè alterant, & humidum primigenium exhauriunt. Hoc modo Galen. *1. de dieb. decret. cap. 11.* reprehendit Medicos, qui occaſionem minimè cognoſcentes, illicò præſidia parant, qui quoties accedunt ad ægros, toties peccant.

Hinc priſci premendam eſſe occaſionem docuerunt, quia fugaciſſimæ rei & admodum mutabilis, Protei inſtar, ſymbolum eſt, de quo *Odyſſ. 4.* dicebat Homerus:

Vos premite, & vinclis magis arctè ſtringite captum.

Hinc enim & vulgò fertur verſiculus:

Fronte capillata eſt, poſthac occaſio calua.

Fugacitatem hanc expreſſit Auſonius Latino epigram. *De occaſione*, & Poſidippus Græcè, vt in *Adagior. lib.* reperies: quod ſimulacrum indicat figura, volubili rotæ pennatis inſiſtens pedibus, vertigine citatiſſima, ſemet in orbem circumagens, priori capitis parte capillatum, vt prehendi poſſit, caluum poſteriore, ne prehendi poſſit.

Eam ergo elegantiſſimè deſcribit Auſonius *epigram. 12.*

Cuius opus? Phidiæ qui ſignum Pallados, eius
Quique Iouem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quia talaria habes? Volucris ſum, Mercurius quæ
Fortunare ſolet, tardo ego, quum volui.
Crine tegis faciem: Cognoſci nolo. Sed heus tu
Occipiti caluo es: Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo, quæ ſis:
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum: Siquando volaui,
Hac manet, hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Denique occaſionem nemo præſentem agnoſcit, niſi ille qui iudicio, & experimento excellit: nam vt rectè medicinam facias, aduerte, quòd rectè medendi momentanea interdum eſt occaſio: quare in præcipiti morbo debent omnia Medico comperta eſſe, quò illicò illi reſiſtat, nec medendi occaſio elabatur. Porrò in rebus humanis bene aut malè procurandis, occaſio plurimum habet momenti. Sapienter Heſiodus *2. par. dier. & oper.* relicto mediocritatis præcepto, occaſionem in omnibus eſſe bonam aſſeuerat. Vegetius *lib. 3. de re militari, cap. 26. Occaſio in prælio amplius ſolet iuuare, quàm virtus.* Et Plutarchus *in Nicia*, eum narrat & ſe, & exercitum perdidiſſe, quòd occaſionem rerum gerendarum gubernatricem negligeret. Quo fit vt Phocylides præcipiat ſeruiendum tempori, id eſt occaſioni; & apud Suidam Sophocles: *Hominibus quocunque in negotio, tanquam magiſter maximus eſt occaſio:* quam opportunè Medicus vt captet eſt neceſſe, ſi ad Hippocratis methodum morbos perſanare intendit.

PRÆCEPTVM XXXI.

Medicus inſpiciat ſubiectum, circa quod verſatur, nobiliſſimum.

SVbiectum Medicinæ eſſe corpus humanum, plurimis in locis teſtatur Galenus, præſertim *3. meth. cap. 7.* dicens: *Non curatur homo in communi, ſed vnuſquiſque noſtrùm.* Quare optimè dicebat Hip. *lib. de veteri Medicina, num. 36. impoſſibile eſſe, Medicinam intelligere, qui hominem non cognouerit.* Subſcribit Auicenna *1. 1. cap. 2.* dum ſic ait: *Quoniam corpus humanum Medicinæ ſubiectum dicimus, &c.* Huius ergo diſpoſitiones ſunt ſanitas, & ægritudo: nam id debet eſſe ſubiectum, circa quod artifex operatur, & de quo paſſiones demonſtrantur, & quod idem manens varias mutationes ſubit, & quo nihil clarius in ea ſcientia ſit, *1. poſt. 1.* Hoc autem eſſe corpus humanum, latè Galenus probauit, *lib. 1. Aph. 1.* dum experimentum retur eſſe periculoſum, ob materiæ dignitatem: neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, & coria, ita artis medicinalis, ſicuti aliarum materia ſunt; in quibus multis modis impunè licet experiri, & circa materiam exercitari in omni theorematum meditatione, quod in lignis fabri lignarij faciunt, in coriis coriarij. Ligna enim, & corium, ſi malè tractando deſtruxeris, nullum exinde periculum: in corpore autem humano illa experiri, quæ non ſunt ſcientiâ comprobata, non eſt citra periculum, quum mala experientia ad totius animalis interitum finiatur.

Deinde Medicus in curando, hominis dignitatem contempletur ſemper, qui cæteris animantibus ſummè antecellit. Hoc affirmat vniuerſa Theologorum opinio, perſpicacior Philoſophorum ſententia, Medicorem ſolertiſſimum ingenium, & cæterorum Politicorum turba id teſtatur manifeſtè. Hi omnes humani corporis fabricam, & excellentiam ſuſpicientes, in huius contemplatione mentis aciem pertinaciùs defigendam eſſe ſuadebant: quippe in quo, tanquam parua tabella, mundi totius forma, effigieſque adumbrata cerneretur, & omnia, quæcunque rerum vniuerſitas ampliſſimo ſuo ſinu coërcet, tanquam in ſpeculo quodam reluceſcerent.

Hinc factum eſt, vt veteres ſcientiſſimi hominem vocauerint Horizontem corporeorum, & incorporeorum, vniuerſi exemplar; Mercurius Triſmegiſtus miraculum magnum, animal adorandum & venerandum, Deum mortalem; alij denique Microcoſmum appellarint, & veteſtiſſimus Philoſophorum Zoroaſter, admirabilem eius ſtructuram contemplatus, diuinum quidpiam in eo ineſſe exiſtimarit. Et quid mirum? Propheticum illud omnes nouimus: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me.*

Hic profectò eſt tam eximius, vt cùm ad duas res natus ſit, ad intelligendum, & agendum, tam felicibus pernoſcatur productus auſpiciis, vt non elementis modò velocitate miſceatur, & acumine mentis deſcendat in maris profunda, ſed omnia planè illi colluceſcant, nec cœlum videatur altiſſimum, ſed velut è proximo, mentis ſagacitate id ſuæ ſubiiciat contemplationi, intueatur, miretur.

Deinde corpori humano nihil deeſt ad perfectionem. Hic verò quòd inter omnia ratione polleat, ac intelligentia, organum habuit, cui reliqua vniuerſa nequeant comparari. Datæ namque manus ſunt, quæ armorum omnium vicem implent, præſtóque ſunt mirabili diuinitatis prouidentia, ad perficiendum quidquid ratio dictat. Inſuper homo res eſt, quam natura cæteris intentiùs, curioſiúſque amplexatur, producítque veluti quiddam abſolutius, & perfectius creatura quauis, quæ cœli ambitu continetur. Cæterùm corporis conſtitutio, ac membrorum compactior diſtributio, cuncta ſaltem excedit mixta animata.

Inſuper, ſiquid rebus in magnis conari laudabile eſt, ita nobis quoque licebit citra vllam arrogantiæ ſuſpicionem, reconditam illam, veram, & veluti ineffabilem hominis excellentiam, altiori menti indagine perſcrutari: nam in corporea hominis conſtitutione plura potiſſimùm elucent, cuiuſmodi in alio animalium nullo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 70 sur 927

nullo reperies: aut ſiquid ineſſe videatur, eius tamen vix ſit tenuiſſimum veſtigium.

Hæc tria præcipuè deprehenduntur: erecta corporis conſtitutio, manus, oratio, ad quam tamen certis de cauſis vultum reducimus, qui itidem ſolius hominis eſt. His igitur tribus, tria quoque in animo hominis reſpondeant oportet: & erectæ quidem corporis conſtitutioni facultas animi reſpondet, quæ nuda rerum cognitione paſcitur, neque vſpiam in iis contemplandis aliò conuertitur. Hæc autem partitam illam, & auctam (vt ait Theophraſtus) Philoſophiam peperit, rerum diuinarum cognitionis cupiditate incenſam. Quo quidem nomine comprehenduntur non ea ſolùm, quæ de Deo quæri ſolent, ſed etiam quæ de natura mundi, de rebus ſuperis, de cauſis ventorum; vno verbo ea omnia, quæ vel prima, vel ſecunda Philoſophia profitetur; etiam quæ Mathematici ſuis diſciplinis complexi ſunt.

Manibus vtitur, quarum ope plures artes exercet. Oratione, & vultu multa in homine demonſtrantur: cuius ſcientia inter cætera animalia eſt ſublimis, ſiue architectonicum prudentiæ genus, in ſupremo faſtigio ſedens, ac legibus Rempublicam inſtituens, ſiue ſenatorium, ſiue forenſe, ſiue œconomicum ſpectes. Quoniam igitur quædam prudentiæ pars affectibus, animíque motibus comprimendis dedita eſt; ij verò in oculis, in fronte, denique in vultu ſe proferunt, ideò vultum ad orationem, & iſtam animi vim practicam reuocabimus.

Sed age, de naturali animi noſtri contemplatione, ad rerum cognitionem, cuius exteriorem notam in erecta corporis conſtitutione repoſuimus, viros ſapientes audiamus, ac primò eum, cui nulla ſapientiæ pars obſcura fuit, Ariſtotelem. Is 4. *de partib. animal.* hominem ſolùm iccircò erectum eſſe, ſcribit, quia diuinam habeat naturam; eius autem ſit ſapere, & contemplari. Hinc fit, vt nulla propoſita vtilitate, ſed ſæpe etiam magno cum rei familiaris, & valetudinis diſpendio, ſummo tamen ſtudio homines ferantur. Teſtis eſt Cicero 5. *de finib. Tantus eſt*, inquit, *innatus omnibus cognitionis amor, & ſcientiæ, vt nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento rapiatur.*

Omnium dilucidiſſimè rem hanc decernit Seneca, *De otio ſapient. cap. 32. Si quis*, inquit, *ſeipſum conſulat, videbit quantam cupiditatem habeat ignota noſcendi, quàm ad omnes fabulas excitetur! Nauigant quidam, & labobores peregrinationis longiſſimæ vna mercede perpetiuntur, aliquid abditum, remotúmque cognoſcendi. Hæc res ad ſpectacula populos contrahit, hæc cogit præcluſa rimari, ſecretiora exquirere, antiquitates euoluere, mores barbararum audire gentium. Curioſum nobis natura ingenium dedit; & artis ſibi, ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis rerum miraculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa, ſolitudini oſtenderet.*

Iam verò manus reſpondere facultati operum architectatrici, Anaxagoras, qui antea etiam laudatus eſt, teſtis producatur. Is enim rogatus, quamobrem homo animal ſit ad opera & machinas faciendas ſolertiſſimum? reſpondit, quia manus habuit. Imò prout eum corrigit Ariſtoteles, & ex eo Galenus, contrario potiùs modo ſe res habet, quia enim homo ea eſt ſolertia præditus, ideò manus habet.

De Oratione autem, quam ad omnes ſe prudentiæ partes explicare diximus, vel ex eo perſpicitur, quòd rerum harum intelligentes, vno ore Rhetorices miniſtram eſſe fatentur Politicen. Atqui hæc nihil eſt aliud, quàm prudentiæ totius generalis quædam methodus. Hac pollet præcipuè homo, qua velut veſtitu quodam mentis, vt grauis profert auctor Syneſius, in publicum ipſe prodit, & exornatur.

Vltimò. Homo à cæteris animantibus differt, quia gloriæ, & honoris ſtimulis agitatur euidentiſſimè: ſoli ſiquidem homini peculiares ſunt vires, functionéſque ad gloriam; reliquis autem animantibus, aut prorſus denegatæ, aut illis tenuiſſimum quoddam illarum eſt veſtigium. Illis enim ſuæ in animo vires functionéſque reſpondent, ad quarum perficiendam dignitatem tum ab ipſa magiſtra natura impellimur: tum etiam, ſi eius immemores aliquando reddamur, ſacroſancto Apollinis oraculo concitamur.

Verùm, vt in his ſtudiis & diſciplinis magis adhuc excelleremus, neque vnquam languori, aut deſidiæ nos traderemus, eadem ſolers & ſagax natura aliud quippiam animis etiam noſtris impreſſit, dies noctéſque nos ad præclara hæc munera inflammauit, & in noſtro pectore ad iſta quæ diximus, concitatiùs perſequenda, honoris ſtudium, tanquam calcaria quædam, ingenerauit. Neque mirandum ampliùs, ſapientiſſimum Xenophontem in hac naturalis honoris appetitione, & præſtantiæ cupiditate, præcipuam etiam hominis ab aliis animantibus differentiam poſuiſſe. Quare ſi homo eſt inter cætera animantia nobiliſſimus, cùm ægrotat, ad eius curationem Medicus pluribus debet vti machinis, & præſidiis, vt tam diuinum animal ad ſuam moderationem, ſymmetriámque reſtituat.

PRÆCEPTVM XXXII.

Medicus ſanitatem, vt primarium ſcopum attendat.

SAnitatem eſſe Medicinæ primarium obiectum ex electiſſimis compertum nobis auctoribus eſt; inter quos emicat Auicenna, qui 1. 1. *doct.* 1. ſic profatur: *Medicina eſt ſcientia, qua habita ſanitas conſeruatur, & amiſſa recuperatur.* Cùm enim ſanitas ſit diſpoſitio naturalis ea, per quam corpus in ea complexione, compoſitione, & vnitate conſiſtat, vt ex ea incolumes oriantur operationes, ex Gal. *lib.* 1. *de ſanit. tuend. cap.* 5. & Auer. 7. *Phyſ. com.* 17. & conſiſtat in quadam ſymmetria, & temperamento; & Medicus corpus à præternaturali & morboſo ſtatu, ad naturalem & mediocrem conetur reducere; neceſſe eſt, vt hæc ipſa ſit, ad quam ceu ad ſcopum, omnem reliquam ſuam referat conſiderationem: eſt enim Medicinæ finis, ſanitatis poſſeſſio, vt *lib. de ſect. cap.* 4. docuit Galenus.

Hic ergo finis, nempe ſanitas, eſt omnium vtiliſſimus ac præſtantiſſimus, præſupponens in corpore temperantiam, mediocritatem, pulchritudinem, proportionem quandam inter quatuor qualitates terminatam. Quare cùm ſanitas humani generis fluxa ſit, & fragilis, plurimíſque mutationibus obnoxia, eam oportet vt Medicus reſarciat, & à tot iniuriis defendat, & tutetur.

Plurima ergo veluti in numerato habeat, vt contemperantiam calidi & frigidi, ſicci & humidi, & naturalem membrorum œconomiam, in quibus ſanitas conſiſtit, conſeruet; nam corruptiones in nobis, ex quibus oriuntur morbi, vel ſunt neceſſariæ & innatæ, quæ ex nobis ipſis profluunt, originem & initium à primordiis generationis noſtræ, ſanguine ſcilicet, & ſemine protrahentes. Aliæ naturales ſunt, & ex ariditate reſolutionéque humidi primigenij ſcaturiunt. Aliæ exteriores, quæ corpori aduenium, quarum vna inſeparabilis eſt, ſempérque aſſiſtens, & continens nos aër, qui nos perpetuò immutat atque alterat.

Corruptio non neceſſariò per tempora quædam inordinatè copulata, corporibus oritur, calefaciendo, frigefaciendóque immoderatè, aut etiam arefaciendo, humectandóque, aut frangendo, conuellendo, perforando, articulos tranſmutando. Quare ſerie continua & ineuitabili, ſenſim magis ac magis areſcimus, donec decurſus ad ſtatum fiat: hinc omnibus areſcentibus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 71 sur 927

©BIUM

organis, actiones longè deteriùs perficiuntur, reddimur etiam tenuiores, demúmque nimia siccitate aucta consenescimus, ac membra corrugato corpore ritubant inualida.

Ergo omnibus modis curet Medicus, vt corpus nostrum simplici illa sanitate, optima & perfecta fruatur, vt inducatur dispositio secundùm naturam, quæ actionem adminiculando coadiuuet, vt sic non flaccescant vires, custodiantur spiritus, floreátque corpus nulla redundantia infestum, & cibo potúque moderato refectum, & instauratum, in pristinum veluti reducatur temperamentum. Quòd si Medicus non semper finem artis consequitur, hoc non ex artis imperfectione accidit: *neque enim oportet, vt omnes quos Medicus præ manibus habet, sanos faciat*, ex Hip. 1. *progn.* 3. sed sufficit facere id, quod ratio & experientia suadent. Audi Galenum 6. *epid. sect.* 8. *comm. vlt. Namysia verò, non secus quàm Phaëtusa, cuius facta est nuper mentio, cùm nullum fructum ex Medicorum opera tulisset, è vita excessit, nec potuit diu vitam producere. Non tamen hæc nos deterrere exempla debent, quominùs mulieribus ita affectis manum admoueamus, sed excitare potiùs, vt ingenium exacuamus, quò optata consequamur: siquidem tunc denique officio nostro functi sumus, cùm omnia efficimus, quæ ratio nobis suppeditat, & longus vsus peritiáque commonstrat.*

Hinc factum est, vt Pyrrhus qui Epirotis imperauit, quíque post Alexandrum rei militaris prudentissimus est iudicatus, vbi immolaturus templa inuiserat, non regni ampliorem modum, non de hoste victoriam præsignem, neque gloriam illustriorem, aut diuitias, aut id genus aliqua, quibus mortales plerique attoniti inhiant, sed sanitatem modò à Diis comprecari solitus esset, ceu parte hac constituta, prosperiùs cessura viderentur omnia. Nam si toto sinu sese affundat Fortunæ afflatus, absit tamen valetudo recta, nullum illinc profluit emolumentum quod iuuet: quoniam, vt rectè inquit Horatius *lib.* 1. *epist.* sanitate nihil melius, neque commodius in hac vita;

Si ventri bene, si lateri est, pedibus tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Ob hanc causam, vt notat Rhodigin. *lib.* 22. *lect. antiq. cap.* 2. in Sicyonia erat sanitatis simulacrum celebriter cultum, quod vix tamen comparebat, passim illi à mulieribus capillis dicatis, quos Deæ honori resecari, moris illarum fuit.

Quid inculpata sanitate desiderabilius vel dici, vel excogitari potest? Nihil. Quæ opes diurno, nocturnóque labore congestæ, animum, vel corpus oblectare possunt, dum morborum torturis miseris excruciamur, ac tabescimus? Quis Regum, qui ciuium, aut denique agricolarum sine tanto sanitatis bono, ne dicam felix, sed alacris saltem esse potest? Ex his conclude, nullius Reipublicæ fœlicitatem absque Medicorum consiliis, & opera subsistere diu posse, & plurimùm laudandum esse Medicum, qui in suis medicationibus nihil aliud præter sanitatem intendit, ac procurat, dum plurima medicamina ex variis & propemodum infinitis, sub stelligero macrocosmi orbe nascentibus, composita, in hunc scopum, & finem machinatur.

PRÆCEPTVM XXXIII.

Medicus rectè teneat in quàm difficili arte versetur.

MEdicus prudens, & arte Hippocratica dignus, vt diligentiùs, laboréque strenuo medicetur, aduertat quòd circa artem difficillimam versetur, vt sic nonnisi maturo consilio, summorum Medicorum præceptis instructus, ad praxin exercendam accedat. Sed antequam difficultates Medicinæ describamus, oportet inquirere quid sit Ars. Definit enim eam Arist. *lib.* 6. *Ethic. cap.* 4. dicens, *esse habitum recta cum ratione aliquid efficientem.* Galenus tamen *in introduct. cap.* 5. aliter definit, nimirum quòd sit *collectio, siue comprehensio multarum rerum, ad vtilitatem vitæ spectantium comparata*: quæ multiplex est docente Galeno, *lib. de const. art. medic. cap.* 2. & 3. & *lib. de sanit. ad Trasybul. cap.* 30. Nam aliæ sunt artes speculatiuæ, solùm in contemplatione sitæ, vt Arithmetica, & Geometria: aliæ verò in actione consistunt, nullum tamen postea opus relinquunt quod ostendere possint, vt ars præconum & saltatorum: aliæ verò comparatoriæ dicuntur, quæ nihil efficiunt, optimam tamen operam nauant vt aliquid acquirant, vt ars piscatoria, & venatoria: tandem aliæ sunt factiuæ, quæ opus aliquod relinquunt, veluti ars ædificatoria, & fabrilis. Rursus factiuæ sunt in duplici differentia, aliæ quidem de nouo opus componunt, vt textoria; aliæ verò res disruptas corrigunt & emendant, vt vestium ars sartoria.

Medicina ex factiuarum genere existit, earum scilicet quæ opus iam factum corrigunt & illustrant, propterea quòd Medicina non efficit corpus humanum, circa quod operatur, quum hoc sit opus Dei, & naturæ, sed ipsum restaurat, tuetur, & fouet, & in eo sanitatem procurat, naturæque ope & auxilio restituit, vt *citatis locis, & lib. de sanit. ad Trasybul. cap.* 26. licèt enim natura auxilietur semper, crises moliatur, & sit morborum medicatrix, ex Hip. & Gal. *lib* 6. *epid. sect.* 5. *text.* 1. non ex eo ars medica frustranea est: nam sicut natura morbis medetur, sic etiam ars medica, & Medicus; morbi enim parui solùm à natura curantur, magni externis indigent auxiliis, vt notat Gal. 1. *de loc. affect. c.* 2. *ad fin.* in quibus ars medica necessaria est, quæ Medicum doceat inuenire auxilia, & occasionem offerendi ipsa, quæ tamen per se, nec morbos, nec causas morborum, citra naturæ opem remouere queunt; quinimò impetum, & motus initium illi tribuunt, reliqua verò per se efficit natura, ex Galen. *lib. de optima sect. ad Trasybulum, c.* 41. Quare Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *in med.* dicebat: *Curans enim, sicut sciuisti, non est Medicus: nam Medicus est artis minister, faciens peruenire instrumenta ad virtutem, &c.*

Quamuis autem medica ars sit effectiua, Architectonica tamen, & imperatrix est: imperat enim culinariæ, pharmaceuticæ, & reliquis omnibus artibus medica auxilia parantibus, ex Gal. *lib. de sanit. ad Toras. b. cap.* 43. Ob hanc causam dicebat Gal. 6. *epid. com. cit.* quòd eandem rationem habeat Medicus ad artifices illi auxilia parantes, quam habet Architectus ad cæmentarios, lignarios, & alios: quapropter siue per artem, quamuis intelligamus, siue solam medicam, de qua hoc loco sermonem instituimus, difficilis est; quam esse artem probat Hipp. 1. *Aph.* 1. & *lib. de lege, num.* 1. §. *Medicina omnium artium nobilissima*, &c. subscribunt *Plinius lib.* 24. *nat. hist. in proœm.* & Gal. 1. *meth.* 1.

Licèt autem lato modo Medicina dicatur ars, & sæpe scientia, & ars à Galeno nuncupetur, *lib. de optim. sect. ad Thrasibul. cap.* 1. & *lib. de constit. art. med. cap.* 1. & & *lib.* 9. *Meth.* 6. confundit scientiam cum arte, §. *non licere vllius artis scientiam nanciscì per vniuersalia vocata theoremata, quin in particularibus exemplis te exerceas, &c.* & hoc modo Medicina erit ars, quum in ea plurima artificiosa coniecturâ, alia verò scientificè agitentur, ex Gal. *lib. de plenit. cap. vlt.* Hoc modo Aphrodisæus *lib.* 2. *probl. in proœmio*, dixit Medicinam in se consideratam scientiam esse, quum certa, firma, & immutabilis sit, dum autem commercium habet cum materia, artem esse, cùm sua firmitate spolietur. Etsi autem hæc vera sint, loquentibus nobis in generali artis, & scientiæ significato, tamen si exquisitè, & propriè scientia accipiatur, Medicina scientia est.

Patet primò, quia omnis scientia ex perpetuis, & externis principiis constat, ex Arist. 1. *post.* 7. hæc autem

est

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 72 sur 927

eſt Medicina, vt vnicè inſinuat Galen. *lib. de optim. ſect. ad Thraſybul. cap.* 4. quorum proprietatem aſſignat *eodem lib. cap.* 1. Neque dicas Medicinam ſæpe coniecturalem appellari; hoc enim non ex præceptis habet, quæ perpetua ſunt, ſed potiùs ex actione, & medentium opera, quæ euentum ancipitem ſortiuntur, *eodem lib. cap.* 4. *§. quamobrem errant illi, &c.*

Secundò. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, 1. *poſt.* 2. & 6. *Ethic.* 3. illius enim propriæ ſunt naturalis philoſophiæ concluſiones, ex Ariſt. *lib. de ſenſ. & ſenſil. cap.* 1. *§. natura igitur, &c.*

Tertiò. Medicina ſub naturali Philoſophia collocatur, & hæc eſt ſcientia, 6. *Metaph. cap.* 1. & *lib.* 11. *cap.* 3. Ergo & illa.

Vltimò. Omnis ſcientia debet habere proprium ſubiectum, & paſſionem quæ de ſubiecto demonſtretur, 1. *poſt.* 23. At Medicina habet ſubiectum, quod eſt corpus humanum, 1. *aph.* 1. eius autem paſſio eſt, eſſe ſuſceptiuum ſanitatis, & ægritudinis, &c.

Medicinæ difficultatem arguunt plura. Primum, quòd à pluribus linguis exculta ſit, & ab aliis ad alias traducta, & ſic neceſſe ſit euoluere plurimos libros diuerſarum linguarum, Latinæ, Græciæ, Hebraïcæ. Secundum, quòd cum homines ſimul, & medicamenta mutentur per tempora, & regiones, neceſſe eſt non vti ſimpliciter ſcriptis, ſed pro varia hominum forte, diuersè vti. Tertium, quòd oportet totam artem habere in numerato: non enim ſubitus, & acutus morbus præſtat inducias conſulendi auctores, hinc factum eſt vt plures ſcripſerint compendia: exigunt enim res medicæ examen multum ob difficultatem, & pondus, & rurſus ſummam breuitatem, ob memoriæ promptæ neceſſitatem. Quartum, quòd poſt plurimam lectionem, ex prima cauſa; poſt cautiſſimam lectionem, ex ſecunda; poſt immenſam difficultatem lecta memorandi, non rectè curabit Medicus, antequam adhibeat crus alterum exercitationis multæ. Vltimum, quòd poſt hæc omnia nihil faciet Medicus, niſi ſibi adiunxerit alias artes miniſtras rectè operantes, quæ ſunt ars pharmaceutica, coquinaria, obſtetricandi, clyſteres infundendi, venas aperiendi, & ſcarificandi, quæ Medicinæ famulantur, ex Gal. 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 1. quæ ſi non ſint prompræ & certæ, Medicum, & ægrum præcipitant. Sicut enim quiuis doctus artifex cum prauis inſtrumentis prauè operatur; ita Medicus peritus & diligens, vbi ij miniſtri ſunt ignari, & indoctè munia ſua exercent, rarò ſcopum ferit, & ægros in ſanitatem reducit.

PRÆCEPTVM XXXIV.

Medicus doctus generoſo animo vulgi calumnias contemnat.

NOn ceſſat ignarum vulgus, inani quadam ac futili opinione turgeſcens, Medicos reprehendere, imò damnare ob cauſas multas, quia vanam putat Medicinam, quòd plus noxæ afferat quàm vtilitatis; & cùm in cæteris artibus de ſola præſtantia artificis dubitetur, in hac & de arte, & de artifice. Soluendæ igitur primùm vulgi obiectiones, deinde veritas firmanda.

Obiectio prima. Quamplurimi ſanantur à morbis difficillimis citra Medici opem. Quare par eſt credere, quòd quando curati ſanantur, hoc magis fortuna, vel Dei voluntate contingat, & ſic abiit in prouerbium: *fati opere, non Medici.* Secunda. Quòd frequentiſſimè peccent ægri apud Medicos, quod non ita fieret, ſi ars eſſet morbum ſanans. Tertia. Quòd abſtinent à grauibus morbis, in quibus ſolis arte opus erat, nam natura leues perſanat. Quarta. Medici vel peritiſſimi non agnoſcunt morbos, cùm poſt ægri mortem, de morbi ſpecie diſceptent. Quinta. Contrariæ ſententiæ illorum de quouis ægroto, indicant artis vanitatem & incertitudinem: maximè quia illi ſunt aliorum famæ detractores; nam docti carpunt indoctos, vt rudes, & cùm ab indoctiſſimo etiam multi ſanentur, & ab illis, moriantur, & experimentum eruditionis ſuæ patefacere nequeant, fit vt quod opere præſtare non poſſunt, per maledicentiam venentur. Imperiti verò præſtantes Medicos continuò conuitiis furtim laceſſunt. Sexta. Quòd nulla artium fuerit inconſtantior, quum tamen nulla ſit magis expetita, & ſic annis 600. exploſa à Romanis eſt, vt refert Plinius *lib.* 29. *in proœmio.* Septima. Quòd in ea controuerſiæ, & ſectæ ſint innumeræ, quæ ambitionem ſapiunt cum vitæ periculo. Vltima. Quòd maxima pars orbis Medicina careat, quod non eueniret, ſi illa tam vtilis eſſet, & neceſſaria.

Sed hæc futilia ſunt, ridicula, & planè nulla. Contrarium enim docet Hip. *lib. de lege, num.* 1. dum ſic ait: *Medicina omnium artium præclariſſima eſt: verùm propter ignorantiam eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis iudicat, & habet, iam eò res deuenit, vt omnium artium longè viliſſima cenſeatur, &c.* Vides vt Hip. vulgarium ruditatem condemnet, qui ita ſunt dementes, vt indoctos probent, & eruditos premere non ceſſent, imò & ipſum Hippocratem mirabilem reſpuant & contemnant, ſic enim ille habet, *lib.* 1. *de articul. text.* 3. *Ego quum in eam partem procidiſſe articulum negarem, propterea & à Medicis, & à vulgo malè audiui: vnus enim habitus ſum ignarus, cæterique omnes periti, vixque perſuadere illis potui rem ita ſe habere, &c.*

Medicina ergo *morbos ab ægris in totum tollit, & morborum vehementes impetus obtundit, & eorum qui à morbis victi ſunt, curationem non aggreditur, quum id in confeſſo ſit, quòd Medicina tales ſanare non poteſt,* vt ait Hip. *lib. de art. num.* 4. Quare prima obiectio ſoluenda: nam hæc ſolùm artis maieſtatem oſtendit; nam qui ſanatur, quia commiſit ſe Medico, non poteſt dici ſanatus à fortuna, ſed à Medico ideò ſanitatem eſt adeptus, quoniam illius præceptis obtemperauit. Qui autem ſanatus eſt ſine Medico, ipſe artis veritatem patefacit: nam cùm pro ſui ſalute aliquid effecerit, conualuit ſine Medico, non tamen ſine Medicina. Licèt enim plures partem artis medicamentariam excludant, diæteticam tamen, quæ commoda victus ratione perficitur, nemo non amplectitur.

Ad ſecundam dic. Qui pereunt, vel quia Medicus non rectè imperat, vel quia æger illi non paret: verò ſimilius autem eſt, quòd æger ſenſu ductus non obediat Medico, quàm quòd hic peritus, & experimento dexterrimus malè præceperit. Ergo rationabilius eſt ægrum culpare, quàm Medicum.

Ad tertiam dic. Natura cuiuſuis rei, & ars ſtatutos terminos habent potentiæ ſuæ; nam infinitum abhorrent. Ergo quemadmodum accuſare naturam rei, quòd non poſſit vltra ſua inſtrumenta, deliramentum eſt: ita & artem. Ergo morborum genera tria: leues ſola natura ſanat, deploratos nec ars Medici, & ij plurimi ab arte ſanantur, & non à ſola natura.

Ad quartam dic. Morbi quidam ſunt manifeſti, in in quibus non eſt magna diſceptatio Medici: alij ſunt interni, quos ille nullis ſignis cognoſcere poteſt, ſed cùm ſola ratione ducatur, quæ non rarò anceps eſt, fit vt multoties fallatur: & hoc artis ignominiam, aut incertitudinem non arguit; ſolius enim Dei eſt nec fallere nec falli, hominum autem ſæpe fallere & falli; quia ſupra captum hominis eſt nunquam errare, quàm minimum ſolius artificis eſt, vt *locis ſuprà citatis* docuit Galenus.

Ad quintam dic. Si alij artifices, vt Iuriſperiti, & Theologi; data conſultandi mora ſæpe diuerſa reſpondent, quid facient Medici, quibus non demonſtrantur affectus,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 73 sur 927

©BIUM

affectus, & ferè ex tempore respondent, quod Galeno 9. *de placit.* 4. & Platoni *in Timæo*, valde difficile est.

Ad sextam dic. Plurima pars orbis caret Medicis, caret etiam mechanicis pluribus valde necessariis, & multi etiam legibus; sed ij sunt veluti rudes, nec literas noscunt, nec disciplinas, vt magna pars Orientis, & Africæ. Quòd autem nulla ars fuerit inconstantior, in causa est, quia non potest, sicut cæteræ, ostendere vtilitatem suam ex effectu; siquidem ex non curatis multi sanantur, ex curatis aliqui moriuntur.

Si verò Roma expulit Medicos, deinde culpam agnoscens Medicinæ soli maiorem mercedem instituit, quàm reliquis Professoribus simul. Quod verò plures habeat controuersias, & sectas, quàm aliæ artes, causa est, quia nititur præsertim rationibus: cæteræ, quia solo sensu indicantur, simplices sunt, & rationibus non euariant. Ergo vulgi calumniæ à Medico contemnendæ: nam si doctus hic sit & expertus, leuem morbum sanat, quia facit breuiorem; mediocrem ex toto persanat, & facit ne in grauissimum commigret; qui si sit periculosus factus, cum lethalem esse pronunciat. Quare Medicina magni facienda est, quia omnium est ars præstantissima, & conseruationi humanæ vitæ maximè necessaria.

PRÆCEPTVM XXXV.

Medicus aliquando ægris gratificetur.

ILlustrissimus Medicus Hippocrates, in hunc modum scripsit, *lib. 6. epid. sect. 4. text. 8. Laborantibus gratia.* Hoc est, aliquando gratiam ægris concedere debemus: & vt Galenus *in com.* explicuit. *Laborantibus aliquid, oblectamenti causa, gratificari videtur Hip. Omnia enim libentius, atque suauius assumpta, etsi paulò deteriore natura sint, melius concoquimus: longè verò vtilissimum ægrotis est, assumptos cibos, & potus rectè confici:* nam vt dicebat 2. *alim.* 23. *suauia stomacho sunt gratiora:* suauibus autem omnibus id inest, quemadmodum insuauibus, vt ventriculum resupinent, ac subuertant, & ad vomendum incitent. Et *cap.* 28. sic ait: *Quod suauius est, facilius iis quæ ex æquo sunt salubria, concoquitur.* Repetit. 8. *sec. loc.* 3.

Idem confirmat Hip. 2. *Aph.* 38. dicens: *Parum deterior cibus ac potus, suauior tamen, melioribus quidem, sed minùs suauibus est præferendus.* Et Galenus *in com.* sic interpretatur: *Non ob id solùm hoc est faciendum, vt ægro gratificemur, sed etiam quia vtilius ipsi existit. Nam quæcunque cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & facilius concoquit: sicut illa quæ displicent, refugit, vnde & nauseæ, & flatus, & fluctuationes subsequuntur, &c.*

Suauia enim, & cum auiditate assumpta, recreant animum, quia sunt familiaria & conuenientia. Quantum autem in potu, & cibo iuuet familiaritas, ostendit Galenus *lib. 6. de sanit. tuenda, cap. 3.* dum sic ait: *Ac maximam quidem vim habet, ad ea quæ eduntur bibuntúrque, non in ventre modò, sed etiam toto corpore conficienda, totius substantiæ conuenientia, cuius ratione nutrimenta in animalibus, & varia, & speciebus multùm inter se diuersa habentur, quum nulla similitudo sit eius, quod ex palea & herbis accedit, ei quod ex ossibus & carnibus: nulla societas eius quod ex pane est, cum eo quod ex cicuta, & veratro; nam & hæc animantium quibusdam nutrimenta sunt.* Probat 4. *meth.* 7. & 3. *temperam. cap.* 2.

Deinde suauia, & cum delectatione, & iucunditate assumpta leuant ægrum, & animum ad cætera proba edulia appetenda excitant, ventriculúmque appetentiorem reddunt, vbi ex eis noxam non admodum magni momenti futuram esse Medicus perspiciat, imò facilè reparari posse speret, alimentúmque non sit crassum ac valenter nutriens, quod ab imbelli ægrotantis ventriculo concoqui nequeat, sítque corpus à maiori humoris copia vacuatum; si enim impurum corpus est, impensè nocet, quia *impura corpora quantò magis nutris, tantò magis ladis.* 2. *Aph.* 10. & 7. *Aph.* 67. *Cibus, vt sano robur, sic febrienti morbus.*

Gratificandum ergo est ægris, & parum deterior potus & cibus aliquando concedendus; quia ex indulgentia inposterum quandoque redduntur obsequentissimi, quæ diuturnam concupiscentiam erigit in diuturno morbo. Hoc modo 1. *acut.* 27. pleuritico non admittente ptissanam, concedit pisces pelagicos: & 1. *ad Glauc. cap.* 9. exquisita tertiana laboranti non delicato, solam ptissanam exhibet, vsque ad statum; delicatiori autem oua, porcinos pedes, suillam discoctam, olera, fructus; in delicatis enim non est adulatio, sed necessitas.

Ob hanc causam experti Medici in peste, ac febribus malignis, in quibus ob deiectas vires, & ventriculi languorem summum ægri alimenta abhorrent, & vis appetens ex venenata, malignáque aura ex fœdis, vitiosísque humoribus eleuata, vehementer est labefactata, ac veluti morticinium patitur, vt verbis vtar Galeni 6. *Aph.* 1. alimenta suauia, parum tamen deteriora concedunt, quorum iterato vsu roboratus, & recreatus ventriculus, optima postea appetit, & robustiores factæ vires causam morbificam concoquunt, & per varias regiones excernunt.

Et non solùm in acutis, sed etiam in chronicis morbis, hoc felicissimo experimento est compertum: tantámque potestatem in curandis illis, ciborum obtinet suauitas, vt ij vel etiam alimentis reprobis concessis, miraculi instar sanentur. Sic Quartanarij esu carnis porcinæ, aut oblatis prauis eduliis conualescunt, vt quos operosa medentium manus, remediorum administratio crebra, & alia cum ratione celebrata non potuerint sanare, suauita cibi morbum suapte natura rebellem, ex toto eradicet.

Neque dubites in morbo contumaci, & nullis auxiliis cedente, dubiam aliquando, & suspectam offerre diætam, quoniam, vt bellè Celsus confirmat *lib. 3. cap. 7. quos ratio non iuuat, temeritas sanat.* Quare etsi Galenus 1. *ad Glaucon. cap. de quartana*, ægros hoc morbo detentos à prauis eduliis abstinendos moneat, intelligendus est, quando humor non est concoctus; nam apparente concoctione in vrina, ea offerre licet ob causas dictas, quorum ope recrata natura contra morbum valenter insurgat, & peccantem materiam in corporis latebris pertinaciter adhærescentem concoquat, & expellat. Hæc est causa, ob quam plures oblatis prauis eduliis conualuerunt, alij sunt emortui; quia in his non aderat humoris concoctio, in aliis maximè. Demum, vt semel concludam, in gratificando ægris seruanda est mediocritas quædam: ex æquo enim reprobantur, & lædunt in Medico, crudelitas, & adulatio; hanc summopere detestatur Galenus *lib. 1. Meth.* 1. quia pro scopo habet lucrum, & vtilitatem ægri minimè respicit.

PRÆCEPTVM XXXVI.

Medicus curet ciò, tutò, & iucundè.

DOctissimus Medicorum *lib. 1. acut. text. 8.* sic profatur: *Quæ celeriter fieri debent, celeriter peragere oportet.* Quando enim morbus est vehemens, suáque sæuitie periculum minatur, à leuibus & morosis inchoare auxiliis, inutile est, vt dicebat Gal. quia *extremis morbis, extrema remedia optima sunt*, ex Hip. 1. *Aph.* 6. Vehementi enim morbo non potest nisi vehemens auxilium succurrere, ex Celso *lib. 2. cap. 11. in fin.* nam si morbus est sine periculo, sola sufficit diæta, & natura sæpe persanat, ex Gal. 1. *de loc.* 1. & dicebat Auic. 4. 1. *cap.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 74 sur 927

cap.1.in fin.§.& scias quòd non omnis repletio, seu complexionis malitia suo medicatur contrario, sed sæpe sufficit multa regiminis bonitas. Quando verò est acutus & grauis, citò auxilia celebranda, antequam superet naturam, quam vbi deuicerit, æger nullum postea remedium habet, vt prædixit Hip. *4.acut.22.*

Hoc monebat Celsus *lib. 3.cap.4.* officium Medici esse, vt celeriter, vt tutò, vt iucundè curet: & sicut in morbis subitum exitium minantibus, est necessaria subita remediorum applicatio; sic in illis qui præbent inducias, periculosa est festinatio nimia. Quare inter cæteras præferenda est, quæ sit tuta: ita dicebat Galenus *12.meth.1. Esto autem terminus, quem non transgredietur is, qui ex arte morbos generosè oppugnat, vt tutò medicetur: qui autem vltra progreditur, crudelis hominis officium facit, qui simul cum morbo vitam quoque hominis aufert.*

Hoc modo in morbis diuturnis paulatim præsidia administranda, vt dicebat Hip. *6.epid. sect. 2. text. 26. remedia contraria adhibere, & interquiescere:* & sic remissè pugnandum cum morbo, vt æger sufficere queat vsque ad statum: nam debile agens longo tempore applicitum opus facit, securiùs tamen; quod autem validum, cum periculo solet operari, monente Galeno *4. simp.17.*

Curatio ergo vt tuta sit, ex Galeno *lib.14. meth.cap.* 23. tribus constare debet: primò, vt absolutionem operis consequatur; alterum, vt si cubi hunc non consequaris, saltem cubantem non lædas; tertium, vt vitium non facilè reuertatur; sic dicebat Hip. *1. epid. sect. 2. text. 10. Exerceto circa morbos duo, vt prosis, & nequid noceas.* Sit autem iucunda, hoc est, cum oblectamento ægri celebrata, quando videlicet Medicus gratificatur ægro, non solùm in cibo & potu, vt suprà ex Hip. & Galeni mente monuimus, sed medicamentis & cubiculo in quo decumbit, & iis omnibus quæ oculis obiiciuntur, & sermonibus, & odoribus, & lecti mollitie, & omni alia re quæ ægro placeat, & illi grata sit, hilaritatem & lætitiam pariat.

PRÆCEPTVM XXXVII.

Medicus à rectitudine non recedat, etsi non appareat iuuamentum.

AD Hippocratis oraculum, ac Auicennæ axioma, accedendum modò est. Ille enim *lib.2. Aph. 52.* sic proponit: *Omnia secundùm rationem facienti, si non succedant secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, suppetente quod ab initio probaueris.* Auicenna *4.1. in fin.* sic retulit: *Caue ne à rectitudine recedas, licèt non appareat iuuamentum.* Quum enim Medicus pluribus pro morbi curatione exactè consideratis, & morbo, causáque illius rectè contemplata, vtilitatem euidentem ex remediis non perspexerit, hæc permutare non debet, sed in iisdem perseuerare oportet: nam reperiuntur morbi rebelles, qui solùm post longum tempus auxiliis medicis succumbunt, & ij ab humoribus vitiosis, flatibúsque crassioribus ortum ducunt, ex Gal. *lib. 2. sec.loc.1.rub.10.* Sicuti enim aqua super lapidem durum sæpiùs cadens, hunc excauat; sic morbi pertinaces ex diuturna remediorum applicatione iuuari solent.

Hac de causa, etsi ab is quæ rectè visa sunt non appareat vtilitas, ad alia transeundum non est, imò multoties ex præsidiis secundùm rationem adhibitis subsequitur noxa, vt experimur in paralysi, Asthmate, Epilepsia, & aliis ægritudinibus frigidis, in quibus in principio agitata, & commota causa vi calefacientium medicamentorum ægroti peiùs habent; quæ sicuti tempestatem illam concitare solent, sic tandem remouent, & maximè iuuant. Ita experimur in morbo Gallico, in quo sudorifica smilacis asperæ, radicis chynæ, & aliorum simplicium ope celebrata, nocere videntur, tamen non ob hæc à prædicta curatione est recedendum. Ex his inferes, quantum sint vituperandi, qui ægrotos suos sæpe inuisentes, permanente eadem morbi dispositione, diuersis remediis macerant, quos coarguit Galenus *1.de dieb.decret.cap.* 11. quia quoties accedunt ad ægros, toties peccant. Quando autem auxiliorum immutatio salubris sit, legas *1.lib.Hist. Princ. Medic.in com.hist.3.*

PRÆCEPTVM XXXVIII.

Medicus rectitudinem in euacuationibus obseruet.

TAnta est potentia rectitudinis in vacuationibus celebrandis, vt ea quæ vel ab arte, vel à natura, per indirectum tramitem fit, inutilis iudicetur, noxia, & nullius vsus. Omnia hæc Hip. & Galeni auctoritatibus plana faciam. Galenus *lib. de curand. ration. per sang.mis.cap. 26. in fin.* sic inquit: *Porrò tam perspicuum sæpe, celeréque remedium, quæ è directo affectis partibus venæ secantur, afferunt, vt & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpenumerò obstupescant.* Hoc modo oculorum persæpe dolores grauissimos, è directo venæ, quam humoralem vocant, sectio, intra horæ vnius spatiũ cõpescuit: *& c.15.eiusdẽ libri*, sic: *Quibuscunq; sanguinis eruptio accidit, summum id commodum laborantibus affert, quòd in rectũ fiat: quibus verò contrà euenit, nihil iuuat, aut etiã interdũ nocet, quòd vires scilicet citra morbi leuamen deiiciat, atque exoluat. Non enim in liene turgente, ex dextra nare erumpens sanguis; nec in iecore, ex sinistra, vllam fert vtilitatem. Sed & reuulsio quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit: quibus contrà, haud etiam:* dicebat *lib. de sang.mis.cap. 15.* quod affirmat *lib. 1. ad Glauc.cap.14.& 3.crisi.cap.4.*

Nonne Hippocratis doctrinam æmulatur, qui *lib.6. epid.sect.2.text. 12.* sic ait: *Secundum rectum, & costarum dolor, & præcordiorum contentiones, & lienis elationes, & ex næribus eruptiones, & aures secundùm rectum: horum plurima huiusmodi, & in oculos.* Et Galenus *in com.* sic ait: *Hanc lectionem, & medicinalem, & dilucidam approbo.*

Deinde in omnibus morbis curandis semper obseruat rectitudinem: nam si reuulsio est administranda, ea è directo celebrari debet; sic enim habet *lib. de curand. rat. per sang.mis.cap.15. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula, clarè, celeritérque sistitur sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpens. Porrò reuulsionis causa si venam seces, in directè quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissimè cõspicuam videbis vtilitatem: at si contrà seces, nihil profuerit.* Repetit *5. meth.3.& cap.3.* sic ait. *Cæterùm non contemnenda vena sectio est tanquam non sit auxilium reuulsorum, quum me sæpenumerò conspexeritis, in valida sanguinis è naribus eruptione, ea vsum, repentè fluxionem sedasse: expedit autem secare in cubito venam, si ex dextra nare prorumpat sanguis, in brachio dextro; sin ex altera, in sinistro,* &c.

Si quæris reuulsionem cum vacuatione & deriuatione permixtam, è directo esse celebrandam innuit *lib. 13.meth.cap. 11.* Iecinoris exemplo, dum sic ait: *Ergo pariter tum reuellendus, tum educandus, qui ad iecur fluit sanguis, est, interna in dextro cubito secta vena, propterea quòd è regione, & ampla via, cum vena quæ caua dicitur, societatem habet:* edoctus ab Hip. qui *lib.4.acut. text. 73. Si dolor in pleuritide, vel peripneumonia sursum penetrauerit, vel clauiculam, vel mammam, vel brachium, venam brachij internam secundam* monet, *quâ dolor afficit parte.* Quam doctrinam dilucidè proposuit, *lib. de sang. mis. cap.16.* dum sic profatur: *Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe vtilitatem attulit: quæ verò ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certè post temporis interuallum,* &c.

Cùm enim Rectitudo sit consensus, siue aspectus quidam

quidam rectus inter partes vnius lateris, à recta metho-
do recedit, qui putans seruare rectitudinem, à latere
opposito, & sano sanguinem exhaurit, vt latè contra
plurium iuniorum decreta probaui, *lib.2. Hist.Princip.
Medic. in com.hist.* 19. posito exemplo in pleuritide.
Hoc modò Auic.4.1. *cap.*3. sic inquit: *Quod si materia
in dextra capitis parte sit, non ad infimum pedis sinistri,
sed dextri est protrahenda.* Nam si hanc methodum se-
quamur, imitabimur naturam rectè operantem, quæ
quando crisim molitur per abscessum, sanguinis flu-
xum, aut aliam vacuationem, semper recto tramite in-
cedit, & secundùm rectum.

Oseruatur autem hæc rectitudo non solùm in fluxu
humorum, sed vaporum: nam læsa parte vteri dextra
dolet dextra pars capitis, ex Gal. 6.*epid. sect.*2. *com.*2. si
caput ex ventriculo malè habet, dolet frons; ex iecore,
dextrum latus; ex liene, sinistrum; ex renibus, occiput,
brachia, crura. Obseruatur etiam in communicatio-
ne simplicis qualitatis: refrigerato enim rene dextro,
crus dextrum alget, ex Hippoc. & Galen.6.*epid. sect.* 1.
text. 6.

Euidenter hoc animaduertitur in plurimis: vteri
enim pars dextra est sinistra calidior, & testis dexter
ad sinistrum collatus, propter hepatis rectitudinem, ex
Gal. 14. *de vsu part.* 7. Resolutio frequenter medieta-
tem corporis exactam corripit illæsâ reliquâ; & tamen
humor illabitur à tertio, & quarto cerebri ventriculis,
in quibus non est dextrià sinistro secretio. Hoc modo
excandescente iecore, crustosa scabies in manu dextra
apparet; si liene ardente, in sinistra.

Cur verò tantum possit rectitudo, & vacuationes
factæ secundùm rectum, citiùs & vtiliùs euacuent à
parte affecta, dubium arduum est: pro cuius solutio-
ne varij variè respondent, & inprimis qui acutiùs ra-
tiocinantur, hanc rectitudinem in filamentis oblongis,
& rectis esse constituendam persuasère sibi, quia ea
pars in qua vena secatur, quando filamenta recta, &
oblonga extendit vsque ad partem affectam, ita vt
vtrique sint communia, dicitur seruare rectitudinem,
quia habet communionem, & consensum fibrarum
rectarum.

Hæc sententia à multis defenditur: *primò*, quia
sicuti natura destinauit fibras obliquas retentioni, &
transuersas expulsioni, sic rectas attractioni, & vena
secta funditur sanguis, quia recto fibrarum cursu attra-
hitur, quod videtur notasse Cornelius Celsus, qui
*lib.2.cap.*10. suppresso sanguine post venæ sectionem,
non ampliùs fundi, quia non attrahitur, confirmat;
neque enim alia ratione ante venæ sectionem adhi-
bentur frictiones, balnea, & vincula, nisi vt hæc attra-
ctio possit adiuuari.

Secundò, quia venæ, & reliquæ partes attrahunt
sanguinem, & humores, veluti magnes attrahit ferrum.
At magnes non attrahit obliquè, sed secundùm re-
ctum. Ergo. Experimur enim magnetem rectè attra-
here acum; & post illam, alias & plures alias: eodem
modo, recto fibrarum cursu, venæ attrahunt sangui-
nem, quousque attractio partem affectam attingat.

Tertiò. Sanguis & humores, quum sint liquidi, &
fluxiles instar aquæ rectè fluunt. Sed aqua dum fluit
per tabulas, & in flumine, effluit recto fibrarum cur-
su, & non obliquè. Ergo sanguis per venas decur-
rens, eodem modo cursum suum conficiet. Quare
in hac rectarum fibrarum communione rectitudo est
constituenda.

Verùm hæc opinio est erroris plena: Nam venâ se-
ctâ non effunditur sanguis, quia attrahitur: venæ enim,
& partes solùm propter indigentiam attrahunt, quam
non habet pars in qua secatur vena, cùm statim de no-
uo sanguis adueniat. Deinde partes non attrahunt, nisi
quod conueniens est: quomodo igitur ea pars, in qua
vena secatur, sanguinem vitiosum, & corruptum po-
terit attrahere? Insuper, partes non solent attrahere
impetuosè, sed paulatim: quo ergo pacto vena secta
poterit effundi sanguis velociter, si sensim attrahitur.
Postremò, si ex venæ sectione inaniuntur partes in-
teriores, quum sint validiores in attrahendo, & alimen-
to indigeant, impedient attractionem partis in qua ve-
na secatur.

Ergo potiùs dicendum est, vena secta sanguinem
emitti, vel quia ab aliis partibus transmittitur, irritata
expultrice propter dolorem loci secti, vel ob fricti-
nes, & vincula. Nec solùm hac ratione effluit, sed cùm
sit liquidus, proprio termino contineri nequit intra ve-
nas: vel ex aliis partibus aduenit sanguis, ne detur va-
cuum, sicque seruet continuitatem suam; & quando
reliquæ partes indigent, cùm non transmittant, sed
retineant, sponte supprimitur. Sic etiam quando cras-
sus est, & viscidus, adhæret, & lentore suo effluere ne-
quit, & sic eius motus cessare solet, & tunc ne detur
vacuum, venæ sponte concidunt.

Denique hæc opinio conuincitur manifestè, quia Ga-
lenus 14. *meth.* 8. docet, reuulsionem faciendam esse,
sumpta indicatione, non ex substantia partium, sed ex
situ: & *lib.* 13. *meth.*7. euacuationem, & modum eua-
cuandi non esse petendum ex partibus similaribus, sed
instrumentariis asseuerat. Igitur reuulsio, deriuatio, &
euacuatio, quæ partium rectitudinem requirunt, se-
cundùm rectum fibrarum cursum fieri non debent,
quum sint partes similares, sed secundùm consensum
partium instrumentalium, ad quas pertinet situs, in quo
rectitudo reperitur.

Vltimò, huius opinionis falsitas deprehenditur ex
anatome: nam in inflammatione iecoris parum inter-
esset secare axillarem dextram, aut sinistram, contra
Galeni doctrinam, quia tam illa, quàm hæc æqualem
communionem fibrarum cum iecore seruant: & in-
flammato liene, vtiliter secaretur axillaris dextra; nam
si axillaris sinistra iuuat, est mediante iecore, & vena
portæ, sed sicuti axillaris sinistra inanit iecur, sic etiam
& dextra: & in inflammato vtero, & genu, Galen.2.*ad
Glauc.* 2. venam in cubito secare consuluit seruata re-
ctitudine: *&* 13. *meth.cap* 5. manu laborante scarificat
crus, quum nulla fibrarum rectarum communio inter
prædictas partes obseruetur; assiduè enim fibrarum re-
ctitudo, ob multiplices venarum diuisiones interrum-
pitur. Eodem modo inflammato iecore sanguinis flu-
xus commendatur ex nare dextra, & vituperatur ex nare
sinistra, propter rectitudinem, quæ inter has partes nul-
lo modo obseruatur.

Alij aliter sentire videntur, nempe rectitudinem
nihil aliud esse quàm rectum tramitem, seu partium
positionem rectam. Hoc placitum deducunt ex Galeni
mente, 1.*de rat.vict.com.*29. & *lib.*14.*de vsu part.*7. & 6.
*epid.sect.*2.*com.*14. quibus locis eas partes seruare recti-
tudinem affirmat, quæ non solùm intra idem latus
eundem situm sortiuntur, sed secundùm longitudi-
nem, ita vt rectitudo nihil aliud sit, quàm obseruatio
longitudinis in eodem latere.

Corruit horum sententia: nam manifestè repugnat
Galeno, 3. *de fract. com.*10. rectitudinem non solùm se-
cundùm longitudinem, sed secundùm latitudinem ob-
seruari affirmanti. Deinde Galenus *lib.*13. *meth. cap.* 5.
altero crure malè habente alterum scarificare præcipit,
quum inter cor, & crus non seruetur rectitudo secun-
dùm longitudinem, sed latitudinem; quam obseruauit
Hip.5. *Aph.*68. dum posteriore capitis parte dolente,
venæ sectionem in fronte administrat.

Alij rectitudinem constituendam esse, in consensu
partium per communes venas, arbitrantur, quæ proxi-
mè ab eodem trunco deducuntur: quæ sententia col-
ligi potest ex Gal. *lib.de sang. mis.*19. *in princip.* & 2.*ad
Glauc. cap.*2. & aliis locis, in quibus vacuationem esse
celebrandam, per communes, & consentientes venas
asseuerat.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 76 sur 927

©BIUM

asseuerat. Cui opinioni repugnat Galenus, 2. *ad Glauc.* 2. & alibi, qui in genu, cæteríſque inferioribus partibus inflammatis, venas in cubito ſecat, & inflammata manu venam ſecat in crure. At venæ cubiti, & crurum, prædictam communionem non ſeruant, quum ab eodem trunco non oriantur. Deinde ſequeretur, quòd inflammato brachio vtiliter ſecaretur axillaris alterius brachij, quia vtraque axillaris ab eodem trunco deducitur.

Quare ſtatuendum eſt, rectitudinem conſiſtere in meatibus, ſeu poris, quibus totum corpus eſt perforatum, qui ſecundùm corporis longitudinem à natura diſtributi ſunt, non ſecundùm latitudinem, quibus humores & vapores, & deorſum deſcendunt, & ſurſum aſcendunt, qui in viuentibus ſatis patent, in cadaueribus autem ob frigiditatem, natiuíque caloris abſentiam, ſunt occulti, contracti, & anguſti.

Magna enim fuit naturæ prouidentia, quæ rerum conſeruationis ſolicita, non ſolùm viuentium caducitati ſeminum creatione proſpexit, vt pro iis quæ perierunt alia denuò ſubſtituantur; ſed animalia etiam, & plurima duplicia conſtituit, vt ſi ab externis iniuriis vna pars pereat, altera ſuperſit. Idcircò gemini ſunt oculi, aures, brachia, crura, & reliqua, ita vt duo quaſi animalia in vnum coniuncta videantur. Seminibus etiam duplicitate conſuluit, fabæ, cicera, triticum, & cerealia ferè omnia, manifeſtam habent ſeparationem, vel per intercedentem membranulam, vel per ſolam appoſitionem ſine agglutinatione, ita vt duo latera non ſint inter ſe continua; & hæc duplicitas in ſolis iis deficit, in quibus paruitas diuiſionem non tolerat; diuiſionis tamen defectum multiplicitate compenſauit, quod in milio, & in piſcium ſeminibus apparet. Propter hanc duplicitatem, vnaquæque medietas, ſuos habet ductus, ab alia diſtinctos, qui propterea in rectum protrahuntur.

Hæc meatuum rectitudo in plurimis ſit manifeſta: nam in cerebri, teſtiúmque medulla, ductus quidam tanquam alueoli ſanguine pleni conſpiciuntur, exiſtimantibus quibuſdam vaſa eſſe, quæ tamen non ſunt, ſed ſecundùm rectitudinem foramina alendis partibus, communicandiſque per rectum materiis creata. Deinde hos canales in plāris inſpicere licet: ligna enim omnia per longum nullo findes negotio; tranſuerſum, nonniſi plurimo. Ex quibus euidentibus exemplis palàm fit, quid rectitudo in vacuationibus operetur, & quam ob cauſam.

Pro colophône adde, ob id tātopere prodeſſe ſectionem baſilicæ dextræ in iecoris inflammatione, quia ſeruatur rectitudo pororum, & inclinatio humoris. Ex iis deduces, non rectè exiſtimaſſe plures, putantes hoc accidere, non quòd huius venæ ſectio, inaniat iecur, ſed quia cor refrigeretur: cùm enim cor intermediet inter iecur, & baſilicam, nulla vtilitas comparari poteſt ex ſectione baſilicæ, ad iecoris humores euacuandos; quoniam etſi cor mediet, falſum eſt cor priùs inaniri: caua enim quamprimùm dextrum cordis ventriculum ſubit, finditur ſecundùm longitudinem, cui fiſſuræ oſtiola præſunt, per quæ cor non attrahit ſanguinem niſi tempore quo dilatatur: Quare phlebotomia baſilicæ, tempore conſtrictionis, cordis clauſis oſtiolis, rectè poteſt euacuare ex caua, & non ex corde.

PRÆCEPTVM XXXIX.

Medicus rectis indicationibus nixus, veráque fretus methodo, naturam rectè operantem imitetur.

CElebratiſſima ab Hip. ſententia eſt lata, *lib. 1. Aph. 21. Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, eò ducere oportet.* Nam natura eſt omnium opifex, ait Hip. *6. epid. ſect. 5. text. 1.* & morborum medicatrix, *cit. lib. ſect. 5. text. 1.* Medicus verò miniſter, *lib. 1. epid. ſect. 2. text. 51.* & refert Gal. *in art. med. cap. 77.* Quo pacto decorum eſt huic, illius recta veſtigia ſequi, quum ſit docta, iuſta, erudita, artificioſa, animalium prouida, atque ſolicita, vt 5. *de vſu part. cap. 9.* diſertè confirmat Galenus: ſingulis enim partibus quod ſuum eſt diſtribuit, nec vtitur eruditione. Argumento eſt recenter ab vtero excluſus puellus, qui ſine doctore arrepta papillæ lac ſugit è mamilla: eſt enim admirabili partium nexu, firmitudine, forma, atque vſu architecta natura, vt neque ad vſum accommodatius quidpiam, neque ad ſpeciem & ornatum pulchrius ſpectari poſſit. Eius ſolicitudinem, & curam manifeſtè demonſtrant ea, quæ in lethalibus morbis, pro corporis tutela, adhibito conamine multo molitur, per varias noſtri corporis regiones noxio humore expulſo; nam malum ſentiens mederi ſummoperè geſtit, conſiderans ne temeritate magis, quàm conſilio, & vt facilitate magis, quàm violentiá medeatur, vt prædixit Hip. *lib. de arte, num. 20.*

Hæc appetentiam excitat, ciborum concoctionem, diſtributionem, tandémque alimoniam præſtat, excrementa per aluum, vrinas, mucum, ſcreatum, ſordes, & inſenſilem perſpirationem deducit. Hæc ſomnum conciliat, & ad vigiliam rurſus reuocat, in morbis criſes facit, laborem quiete reſarcit, in vulneribus coalitum generat, in fractis oſſibus ferruminationem. Hæc ſublimioribus operibus intenta, diuinitatis veluti particeps effecta, principes, rectricéſque potentias in cerebro ſitas mouet, & vt ſemel concludam, vitam, corpúſque ſtrenuè tuetur, dum noxia declinat, & neceſſaria ſummo ſtudio ſubminiſtrat.

Quid multa? nónne natura eſt ars diuina, ex Platone, in locis multis? & omnia hominum cauſa conſtruxit, & ſine arte docta, corporis partes fingens perficiénſque, efficit vt ipſæ citra doctrinam proprias actiones aggrediantur? Quare eius operatio eſt ineffabilis, recondita, longéque noſtra cognitione profundior. Hinc vocatur animalium ſeruatrix, morborum finitrix, & decretrix; quod enim conueniens eſt, ſeruat; quod alienum eſt, ſeparat; & nihil ſuperuacuum, aut temerè committit, nec vllo tempore in animalibus eſt otioſa, aut ceſſat; & motibus vtitur ordinatis, vbi valida eſt, & humori dominatur, propriáſque efficit operationes, vt firmat Galenus 3. *de criſib. cap. 10.*

Deinde Natura noſtra moderamine gaudet, & ſic tantum appetit, quantum concoquit, ex Gal. *in art. med. cap. 85.* quam ſummè admiratur Hip. quia nihil fruſtra vnquam efficit, & maximè ſolicita eſt, vt ne deficiat aliquid, atque vt ſuperfluum nihil creet, vt docuit Galenus 1. *de vſu part. cap. 23.* cogitátque ſemper, vt ſuum opificium (homo nempe) fiat immortale, 14. *de vſu part. cap. 2.* & ſic mirabili curá, & prouidentia partes præcipuas ſemper cōtegit, 2. *de vſu part. 7.* & in reliquis, ſemper coctionem, agglutinationem, aſſimilationem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionémque operatur, 1. *Aph. 3.*

Hinc fit, vt quantum quiſpiam ab hac natura recedit, quæ in ſymmetria, & temperamento conſiſtit, tantum ægrotet: ſi paruus eſt receſſus, morbus eſt paruus; ſimultus, maior; ſi valde multus, lethalis eſt, vt 7. *Aph. vlt.* dictauit Galenus. Nam quod præter naturam eſt, quantum receſſit ab eo quod ſecundùm naturam, tantam habet prauitatem, vt 7. *Aph. 64.* docuit Galenus.

Quare de natura ſciat Medicus, inquit ſummus Hip. *lib. de veteri medicina, num. 36.* & omni ſtudio annitatur, vt cognoſcat, ſi modò aliquid eorum quæ fieri debent, rectè præſtare velit, quia naturæ ſcientia eſt Medico neceſſaria, *in eodem lib. num. cit.* naturæque motum animaduertat; & ſi is bonus ſit, eum iuuet, vt conſulit Galenus 1. *Aph. 21.* & eam rectè operantem imitetur, vt 1. *Aph. 2.* Galenus confirmat.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 77 sur 927

Hanc ergo rectè operantem sequamur, certa methodo, & rectis indicationibus instructi: est enim methodus, via quædam recta, ordinata, & vniuersalis curationis morborum, vt constat ex Gal. 4. *meth. cap.* 4. & *lib.* 6. *epid. sect.* 3. *com.* 20. Hæc ab Hip. cœpit inquiri, perspiciens tamen nondum exactè absolutam perfecit Galenus, vt ipse inquit 1. *meth. vlt.* & 7. *lib. cap.* 2. & 9. *lib. cap.* 8.

Hæc methodus per indicationes perficitur, vt idem Galenus inquit, 2. *meth. cap.* 7. Et 3. *meth. cap.* 2. explicat quid sit Indicatio, & à quo sit sumenda, docens, indicationem esse inuentionem eorum, quæ agenda sunt. Et *lib.* 2. *meth. cit.* sic definit: *est repræsentatio, ac demonstratio remediorum quæ expediunt pro morbi curatione.* Et quamis remedia possint inueniri non sola indicatione, aut experientia, sed ratiocinio & analogismo, vt Gal. docet *lib. de optima sect. ad Thrasybul. cap.* 10. & 11. tamen id quod inuenitur indicatione, in præcedenti aliquo significatum est, hoc est, simul percipitur cum natura rei, quæ indicat sine ratiocinio, & experientia.

Tertiò definitur Indicatio à Galeno: *comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis.* Et cùm duplex sit indicatio, altera quæ sumitur ab affectu præter naturam, curatoria dicta; altera conseruatoria, quæ sumitur ab eo quod est secundùm naturam, & definitio tradita vtrique ex æquo conuenire nequeat: idcircò *lib.* 3. *meth. cap.* 1. aliam definitionem communem proponit, ita vt sit Indicatio, qua cum rebus percipiendis, simul id quod vtile est, percipitur.

Et cùm indicatio à pluribus depromatur, vt *lib.* 8. *meth.* docuit Galenus, primam & communissimam desumi à natura morbi, docuit 3. *meth. cap.* 1. sed hæc inartificiosa est, quia minimam artis partem continet: nam scire quid sit agendum, non est difficile; sed quibus rationibus id fiat, hoc ad artem pertinet: quam doctrinam iterum inculcat, *lib.* 6. *meth. cap.* 1. Atque de his primis, & communissimis indicationibus intelligendus est Hip. *lib. de flatib. in princip.* §. *Huius enim artis solùm, hæc prima indicatio est veluti initium, vnde medendi ratio emanat:* quatenus præscribit contrarietatem, auctore Gal. 11. *meth. cap.* 2. *in princip.* qua contrarietate diuisa & distincta, particulares indicationes consurgunt, quibus morbi curatio perficitur, ex Gal. 2. *meth. cap.* 7. *in init.* dum inquit: *Ergo primùm, quæ generalis, communisque morborum omnium indicatio sit, inuestigandum est: ab hac deinde ad alias speciatim descendendum.*

Non mediocris est antinomia à paucis animaduersa, quæ est in Galeni 3. *meth.* 1. & *lib. de optim. sect. ad Thrasybul. cap.* 23. 24. & 25. in quibus locis contra Methodicos contendit probare, morbos, ea quæ agenda sunt, non indicare. Hanc in hunc modum dissolue. In morbis factis, qui iam à causa non dependent, tota agendorum ratio ab ipsis est petenda. In morbis tamen qui pendent à causa in generatione, & conseruatione, quales sunt fientes, tunc agendorum ratio à causa petenda, quia ipsa remota, breui cessat affectus, vt Galenus dicebat 2. *prorrhet.* 17. Quod sanè intelligendum est, modò affectus sit mediocris, & vires constent: nam quando est magnus, & vires incipiunt dissolui, ad morbi vehementiam reprimendam festinare debemus, vt docuit Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 1. & tunc affectus est qui potissimùm indicat.

PRÆCEPTVM XL.

Medicus si natura non mouet, necesse est vt euacuet.

INter plurimas propositiones, quas sapienter admodum *in capite aureo septimo*, 1. 4. *tract.* 2. protulit expertissimus Auicenna, quædam est non incelebris, ex Hip. Galenique sacrariis deprompta, quæ sic habet: *Et si natura non mouet, moue tu motu conuenienti motui eius: & si ipsa mouet, aut mouit, tunc dimitte eam, & operationem eius.* Hanc propositionem primus inculcat Hip. *lib.* 1. *Aph.* 21. dicens: *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere oportet.* In cuius explicatione notat Galenus, ea indigere vacuatione à Medico facta, quæ neque iudicantur, neque integrè sunt iudicata. Contingit autem naturam interdum post coctionem non euacuare, vel quia debilis est, vel humor non valde molestat, vel non est via aperta: tunc Medicus cogitur vacuatione vti, in qua motum naturæ sequi debet, & humoris inclinationem, modò humor in partem, & locum conuenientem inclinet, vt *loco cit.* Galenus notauit.

Hæc conuenientia exposulat conditiones plures, vt idem aduertit Auic. 4. 1. *cap.* 3. *ad princip.* §. *& tertia est membrum, &c.* Prima, quòd locus per quem debet fieri euacuatio, seruet rectitudinem cum ea parte, in qua humor vacuandus continetur. Secunda, quòd locus ille sit ignobilior. Tertia, quòd locus ille naturaliter sit consuetus recipere humorem ex loco euacuandum. Quarta, quòd in eo loco aliquis diuturnus morbus non sit fixus: hoc modo, vlcere existente in vesica, aut intestinis, per vrinam, aut per aluum non est vacuatio tentanda. Quinta, quòd pars per quam debet geri vacuatio, alicui ægritudini periculosiori non sit obnoxia: veluti in his, qui facili negotio solent incidere in angi-
nam, aut peripneumoniam, non est vtendum medicamentis, quæ euacuant per palatum; neque apophlegmatismis in oculorum morbis; neque vacuatio per aluum est tentanda in his, qui leui occasione in diarrhœam, aut dysenteriam incidunt, vt explicuit Galenus *lib.* 7. *meth. cap.* 11. & hoc significauit Galenus, 1. *Aph.* 21. *in fin.* dicens: *Oportet autem Medicum naturæ motum animaduertere: & siquidem idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari, & cooperari; si verò contrarius & noxius, hunc prohibere, transferre, atque diuertere oportet.*

His ergo conditionibus, & præceptis munitus Medicus, motum naturæ iuuabit, & vacuabit cautè & securè in vltima parte status, quæ est principium declinationis, quando iam coctio est perfecta, & ex lege naturæ, ad concoctos & separatos humores expellendos, facultas expultrix insurgit, vt notauit Gal. 3. *de dieb. decret. cap.* 8. & 4. *de præsag. ex pulsib. vlt. in fin.* Quo tempore si non aggreditur operationē suam, vel quia languet, vel impedita est; tunc relicta in corpore excrementa cùm sint inutilia nutritioni, nec possit vltrà à natura gubernari, de nouo putrescunt, & morbos concitant, ideò euacuationem requirunt: *Quæ enim relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt,* 2. *Aph.* 12. Quare Medicus cùm non solùm sit imitator naturæ, sed illius opifex principalis, humores illos concoctos debet expurgare, sicuti natura solebat quando robusta erat, & non impedita.

Verùm aduersus hanc doctrinam videtur esse, quod scribit Hip. 4. *aph.* 41. vbi à sudore in somno euenienti iubet, corpus per alias regiones, sanguinis missionis & purgationis ope, non per cutem esse vacuandum. Dic in hoc exemplo, necessariam esse vacuationem per sanguinis missionem, & per purgationem, quia illa vacuatio quæ fit cum sudore, non fit per conuenientem regionem: hic enim sudor à somno factus copiosus, copiam & crassitiem humoris significat, cuius sola tenuior pars per sudorem vacuatur, crassiore intus remanente, quæ magnis indiget auxiliis: per morbos enim auctos, aliquando ob copiam sudores emanant non critici; non aliter ac hypostases in vrinis apparent, quum adhuc cruditatis plena sunt omnia: hic enim sudor citra causam manifestam apparet, & est contra naturam, quo pacto prouocandus non est.

PRÆCE

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 78 sur 927

©BIUM

PRÆCEPTVM XLI.

Medicus, ſi natura mouet, aut mouit, ab euacuatione ceſſare debet.

AVicenna ſolertiſſimus auctor, *cit. loco* propoſuit axioma aliud, ex quo ad praxin plurima commoda ſubſequuntur. *Si natura mouet, aut mouit, dimitte eam, & operationem eius.* Hoc oraculum primus omniũ conſcripſit Hip. *lib.6. epid. ſect.2. text. 9.* & *lib.1. Aph. tex. 20. Quæ iudicantur, aut iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet.* Vberrimus explanator *in com.* ſic prædixit: *Vbi igitur vel integra iudicatio facta eſt, vel adhuc ſit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: vbi verò non integrè iudicatur, id quod deficit ſupplere nos conuenit.*

Sed quæres quæ ſit hæc perfecta, & indeficiens vacuatio? Dic ex Gal. *in com.* eſſe illam, cui nullus numerus deficit iudicatorius, quæ nempe fit per regionem inferiorem, & per quã noxius humor vacuatur, recto tramite, cum tolerantia, cum coctione, & in die decretorio. Hæc enim omnia adeſſe conuenit perfectæ iudicationi, cui ſiquid horum vel plura deficiant, neque abſoluta, neque integra fuerit iudicatio.

Quare quando integrum iudicium à natura eſt factum, vel dum fit, nihil à Medico eſt agendum præter victus rationem, ſed totum negotium eſt naturæ permittendum, vt eximiè explicat Galenus *in com.* Quia ſi vacuatio à natura facta tollit cauſam morbi, & morbum, fruſtra & inutiliter applicantur auxilia: nam vis infertur naturæ. Hanc doctrinam proponit etiam Galenus *lib.9.meth.cap.5. parum ante fin.* dum ſic ait: *Quòd ſi tempore mittendi ſanguinis, menſes moueri contingat, aut hæmorrois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu ipſe ſatis fore videbitur, vt quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permites: ſin minus, tantum ipſe detrahes, quò ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas.* Si enim imperfectum motum naturæ non perficiamus, relictus humor in corpore recidiuas facere conſueuit, ex oraculo ſenis, 2. *Aph.*12. Iuxta hanc doctrinam, quando natura aliquem abſceſſum imperfectè molitur, eius motum ſolemus adiuuare, voto Galeni muniti, qui 3. *ſect. loc. cap.* 2. in parotidibus, quando piger eſt motus naturæ, in parte inflammata admouet calefacientia, attrahentia, imò cucurbitulas, vt humor in profundo latitans noxius foràs attrahatur.

Licèt autem hæc doctrina vera ſit, habet tamen contra ſe celebrem Galeni locum, 1. *ad Glauc. 14. ad princip.* dum ſic ait. *Sed neque ſi fuerit febris cum alui profluuio, alia eſt opus vacuatione, etſi non ſit pro multitudinis ratione: quicumque enim vel ſanguinem mittere, vel purgare tentarit, ij in maiora pericula ægrum duxerunt.* Facit etiam locus Hip. 4. *acut.* 116. dum ait: *Fluente aluo ſanguinem non detrahes, quia ſi poſt venæ ſectionem perſeueret fluxus, naturam proſternes.* Obſtat etiam ſententia Auic. 4. 1. *cap.*3. dicentis: *Soluere ventrem ſupra ventris fluxum, valde timoroſum eſt.*

Neque explices Galenum, iuxta eius ſententiam 9. *meth.*5. *cit.* ita vt ſit ſenſus, quando in febre adeſt fluxus alui, licèt morbi magnitudini non ſit ſatis, & quãtitati redundantiæ, ſi tamen inſpecto fluxus impetu ſperamus poſſe ſufficere, tunc totum negotium naturæ, eſt permittendum, ſoláque illa vacuatione contentus Medicus abſtinebit.

Nam ſi verè & propriè locus Galeni attendatur, hæc interpretatio non ſatisfacit, quia ibi eſt ſermo de alui fluxu ſymptomatico; agit enim de febribus cum ſymptomatis: in quo, vt diarrhœa bilioſa, & dyſenteria, ſæpe neceſſaria eſt non ſolùm ſanguinis miſſio ad reuellendam, & ad minuendam materiam morbi, ſed etiam purgatio, præſertim ea quæ fit cum rhabarbaro toſto, & aliis medicamentis, quæ ſigillant inteſtina, & adſtrictione facta peccantem humorem per aluum clementer expurgant.

Plures condemnant Galeni dictũ, 4. *acut. cit.* cùm ait: *Si poſt ſanguinis detractionem perſeueret fluxus, virtutem proſternit:* quia ſimiliter in ſanguinis fluxionibus, in doloribus, in febribus, venæ ſectio non eſſet vtilis; nã ſæpe hæc ſymptomata poſt venæ ſectionem perſeuerant, & interdum vehementiora fiunt, ex quorum ſæuitie ampliùs diſſoluuntur vires. Ergo Hip. & Galeni ſententia debet explicari, vt præſente alui fluxu ſanguis parcè emittatur, & purgatio in minori quantitate adminiſtretur: nam ſi ſæuiente hoc ſymptomate pro multitudinis ratione vacuemus, æger geminata vacuatione præceps ruet in mortem. De quo argumento lege pulchra, *lib. 2. hiſt.*81.

Aduerte tamen, quòd licèt alui fluxus ſymptomaticus in ratione cauſæ vtilis ſit, quia tamen apparet in principio, morbo exiſtente crudo, adiũuandus non eſt, quia humor non eſt concoctus, nec paratus eductioni, ſed oportet humorem reſiduum concoquere, & præparare, & poſtea expellere: in fluxu tamen critico, quando imperfectè fit, quum humor ſit iam concoctus, portionem humoris relictam celerrimè extra corpus expellere eſt neceſſe; nam ſi Medicus hoc præſtet, motum naturæ imperfectum adiuuabit, & corpus ab humoris ſarcina, aliiſque imminentibus damnis tutum reddet.

PRÆCEPTVM XLII.

Medicus in die decretorio non euacuet.

SCientiſſimi Hippocratis veriſſima ſententia eſt, *lib. 2. Aph.*29. promulgata: *In ſtatu melius eſſe quietem habere.* Et hoc obſeruandum eſſe ob duas cauſas prædixit vberrimus interpres, *in com.* Altera, quia tunc maximè fiunt coctiones, quare tunc eſt occupata natura, & ſic non eſt impedienda, diſſoluenda, aut venæ ſectione, purgatione, aliiſque auxiliis violentis diſtrahenda. Secunda, quia eo tempore facultas animalis eſt maximè defatigata: licèt enim per morbos facultates omnes fatiſcant, aut diſſoluantur, ob ſui vehementiam, ſymptomata, inediam, & vacuantia auxilia; patitur tamen magis facultas animalis, & promptiùs reſoluitur; ſpiritu enim animali, tanquã inſtrumento vtitur, qui cùm tenuiſſimus ſit, facillimè exhalat, & reſoluitur; & hæc faclutas eſt, quæ purgationi maximè inſeruit, quia hæc non ſolùm naturali facultate, ſed animali completur, & omnes facultates ita inter ſe ſunt connexæ, vt vna facta debiliori cæteræ flacceſcant, ex Gal. *9.meth.cap.*10. Quæ ſententia potiùs de acutis, quã chronicis morbis eſt intelligenda: in illis enim amplius ſpiritus diſſipantur, atque debilitantur viſcera, in quibus hæ facultates ſedem habent; præſertim cùm acuti morbi à calidis, & tenuibus oriãtur humoribus, ex quibus elati vapores ſurſum, cerebrum, & neruoſum genus conuellunt. Quare in ſtatu morbi, in quo coctiones fiunt, 3. *Criſ.* 4. præſidia magna celebrãda non ſunt.

Hanc rectam methodũ æmulatus Auic. 4. 1. *cap.* 20. ſic inquit; *Phlebotomia quoque, & vacuatio ventris non eſt facienda in die, nec motu agritudinis.* Licèt enim in die decretorio, nec fiat, nec exſpectetur criſis; tamen à phlebotomia, & purgatione Medicus abſtinere debet. Quamuis enim in ea criſis non fiat, apparet tamen mutatio aliqua, etſi occulta: quod experimento conſtat in cranij fracturis, & affectionibus aliis; quam ſanè mutationem Medicus aduertere debet: argumento eſt, quòd in illis diebus multò grauiora ſymptomata ægrotantibus eueniunt, præſertim cùm oporteat prudentem Medicũ famæ ſuæ cõſulere, & apud vulgus compertũ ſit, has vacuationes in diebus decretoriis celebratas, noxias eſſe ob cauſas dictas. Ergo ab illis ſuperſedendum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 79 sur 927

est,maximè si decretorius dies sit indicatus, vt prædixit Hip.*lib.4. Aph.71.*dicens: *Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubra quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione.*

Neque ab hac sententia recedas, si videas Hippoc. *in epidemicis libris passim,quarto,septimo,decimo quarto,& vigesimo die,* sanguinis missionem, & purgationē exercentem,& Gal.*4.acut.76.*qui non solùm quintā die,sed quarta pharmacum concedit;præsertim cùm *9. meth.c. 5.*sanguinis missionem in omni tempore morbi exequendam esse imperet, quoniam non numero dierum, sed vni virium robori attendendum sit.

Si enim horum auctorum mens ponderetur,inuenies ipsos has vacuationes cogente necessitate celebrasse: quoniam in die decretorio,siue iudicatio fiat,siue non, ab omni vacuatione abstinendum est.Hoc modo intelligi potest sententia Auic.*1.4.tract.2.c.7.*dicentis:*Et ne moueas in die paroxysmi,quantū tibi possibile est.*Nec enim diuersa ratio assignanda est in pugna vniuersali, qualis accidit in die decretorio, ac in particulari, qualis euenit in die accessionis;quod monuit etiam *2.4. tract. 2.cap.9.§.Et caue ne in die critico omnino moueas; quoniam vel iuuabit natura ad euacuationem, & ita superflua erit euacuatio;vel facies naturæ contrarietatem in parte,* id est, non vacuabit Medicus per partem conuenientem.

Deinde oportet, inquit Galen. *3. cris. 4.* crisim in idem tempus incidere cum accessione, quod notauit Hip.*4. Aph. 36.* cùm inquit: *Sudores febricitanti si inceperint, boni,tertio die,& quinto,& septimo,& nono,& vndecimo,& decimo quarto,& decimo septimo,& vigesimo:* taléque ferè dies sunt in quibus purgare non oportet, ne crisis impediatur, si per sudorem, vel sanguinis è naribus profluuium futura est; vel pluſquàm deceat promoueatur, proritetúrque, & vires prosternantur, si per alui deiectionem fieri debeat, exemplo hominis per decliuem locum currentis, qui si ab alio impellatur,antequam cursum peragat,in terram concidit, vel inuitus contrà conuallem defertur.

Contemplari deinde continentes febres, & internas inflammationes est necesse, & summopere præcauere oportet, ne die in qua illæ iudicari debent, deiectoria medicamenta propinemus,sed in illa potiùs in qua iudicium futurum non est:solent enim medica remedia crises præuertere,& deteriores reddere,aut in longum tempus prorogare,quemadmodum bellè docuit Galenus,de eodē argumento disceptans *lib.1.de dieb.decret. cap.11.* in hunc modum. *Appareat enim bonum euidenter in quarto die signum: nullius periculi circa egrotum sit suspicio:fieri non potest, quominùs septimo die fiat iudicium, si nihil extrinsecùs peccatum fuerit. Committuntur autem quædam peccata ab ipso egroto videlicet,quædam à Medicis his admirandis,putantibus,nisi quis introgressus ad egrum, deinde succingens se,vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit,vel adusserit,vel clysterem indiderit, vel venam inciderit,vel cucurbitulas adiunxerit,vel confricuerit, vel nutrierit,vel huiusmodi aliquid facitauerit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: hi enim quoties ad egrum accedunt, toties peccant.Non igitur iudicium in septimo die, ad quem paratum erat,fieri potest,tot interea cōmissis erroribus. Quādoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione cōtingit,interim tamē ab exterioribus peccatis circuitus seruare prohibetur,* Hæc Gal.ex cuius sermonis prælonga serie,sed diserta liquet apertè, quantum auxilia medica naturam rectè operantem interturbent, & futuras crises interpellent, eséque hanc præposteram auxiliorum administrationem,primariam causam, ob quam nostro sæculo non ita frequenter crises contingant.

Ex iis patet errare plurimos,qui venam secant in die decretorio,vel iudiciali:vt enim fugiendum, ne eo die fiat vacuatio per artem, quo iudicium facit natura; ita securè & purgationē, & venæ sectionem fieri posse arbitrantur quacunque die, etiamsi de numero crisimarū sit,modò iudicium non expectetur. Quorum votum à priscorum mente longè dissentit,nam præterquā quòd illi solùm cogente necessitate,& vrgente morbo,in die decretorio vel venam secare, vel expurgare ausi sunt, quo pacto *4.acut.* in pleuritide,affectu sanè periculoso imperarunt:quam certam notitiam habebimus, quod natura vllam vacuationem promouebit, & maxima ex errore noxa immineat? Quare satius est in sequentem diem purgans medicamentum offerre, aut ante diem validi decretorij exhibere, quàm illo oblato maximo discrimini ægrum subiicere.

Quapropter,si non vrgeat necessitas, melius est in diebus qui fortiter de morbis decernūt,à medicamēto abstinere:sunt autem hi,septimus,11.14.17.& 20. Quo pacto ne mireris Gal.qui quarto die pharmacum obtulit;nam hic dies inter eos qui frequenter iudicant, non recensetur:rarò enim accidit, vt quarto die crisis fiat, inquit Gal. *3. cris. cap. 4.* adeò vt videatur bis tantùm Archigenes in toto tempore vitæ suæ id obseruasse.

Sed supereſt dissoluendum argumentum, quod in præclaris Auicennæ monumentis lectitamus; & est quomodo tantus auctor,*1.4.tract.2. cap.7.* in die motus ægritudinis non esse vacuandum asserat, quia tunc est tempus quiescendi,& inquirendi somnum, si in decretorio,vbi adest crisis,(id est, vacuatio critica) non conuenit somnus? hic enim omnes vacuationes cohibet excepto sudore, quem magis prouocat, ex ipso Auic.*2.1.tract.2.cap.13.*Quare interdicendus somnus, cùm criticam vacuationem impediat.

Nec effugiunt vim argumenti, Auicennæ interpretes,dum per quietem, corporis quietem intelligunt; per somnum verò,animæ quietem interpretantur, hoc est, vt procuretur animi affectuum tranquillitas, nam hi naturæ opera vehementer interturbare solent:quoniam Auicenna simpliciter somnum pronunciat. Dic ergo,crisim sæpe sumi pro vacuatione, aliquando pro vacuatione præcedente, interdum pro subita morbi solutione quæ sequitur,vt *1.cris.1.* latè probauit Galenus.Quare Auicenna intelligendus est de crisi,pro perturbatione antecedente vacuationem, quo tempore symptomata vehementissima apparent, ex Hip.*2. Aph. 13.& 30.*quæ perturbatio & symptomata,cùm per validam pugnam naturæ aduersus causam morbificam concitentur,somnus tunc temporis maximè iuuat,quia roborat naturam,& vires reficit.Vel si explicueris Auicennam,de crisi in qua exspectatur sudor, quem somnus prouocat,non errabis.

Verùm antequam hinc discedamus, proponemus vnum præceptum ad praxim maximè necessarium. Vtrùm, quando natura in die critico tentat efficere aliquam vacuationem, non tamen integrè, liceat tunc Medico aliquid efficere? Et videtur faciendum esse, quia cùm natura sit irritata,& posita in motu, & meatus sint aperti, consentaneum videtur rationi, eadem die naturæ motū esse adiuuandū,simile aliquid faciendo;sic enim expeditiùs,& faciliùs cōplebitur vacuatio.

Ex altera parte contrarium videtur peragendum, quia solet natura remissè & imperfectè incipere,& postea conatum assumit: quare si eo tempore Medicus aliquid operetur,irritando, vel adiuuando, immodicè nocebit, nam naturam præcipitabit. Respondebis ita. Quando crisis fuit indicata, Medicus non debet in die critico,nec in eo qui ei proximus est, vacuare, sed solùm victus rationem instituere,ex Auic.*2.4.cap.ult.*quia motu contrario turbabit naturam. Si verò in die decretorio non exspectetur crisis, quia indicata non fuit, poterit Medicus magno auxilio vti.

Si verò natura incipit iudicationem, agit tamen ignavè & imperfectè,ipsam irritare,&leui aliquo auxilio opem ferre opus est; vt si illa vacuationem per aluum, pigrè tamen molitur, eadem die vel glande, vel leni clystere,vel miti pharmaco expedit vti; Sic si

tentet

tentet per vomitum, benignum vomitorium est porrigendum : Sic si sanguinis fluxum per nares expellere satagat, & minuta vacuatio fit, licet nasum scalpere, vnguibus fricare, vel calamo scisso, & in stellæ effigiem parato naturam proritare, vt copiosus deinde exitetur sanguinis fluxus. In die verò qui decretorium sequitur, quum iam certi sumus de naturæ motu, magna auxilia adhibere oportet, vt actio à natura incepta in die decretorio compleri possit. Hoc modo intelligenda est sententia laudatissima Auic. 2.4.*tract.*2. *cap.* 64. cùm inquit : *Et quando abbreuiatur euacuatio, postquam inceperit, oportet vt adiuuetur, &c.*

PRÆCEPTVM XLIII.

Medicus horam, in qua magna sunt administranda remedia, obseruet.

POstquam de die, in quo celebranda sunt auxilia magna, plura disseruimus, superest, vt de hora in qua & purgatio, & venæ sectio administrari debent, quæ sunt magna auxilia, 2. *Aph.* 29. *&* 2. *acut. com.* 10. discepremus. Electa hora ad purgandum est matutina, in regionibus calidis, & æstatis tempore ante Solis exortum ; in frigidis, & hyeme, post eius ortum, ex Auic. 4.1.*cap.*5. vt aër ad leuem quandam caliditatem declinet. Nec obstat Auic. 1.4. *tract.*2 *cap.* 7. qui frigidiorem horam diei eligit : nam per hanc temperatiorem intelligit. Quod si Auicennam intelligas, de febribus biliosis, in quibus aptior hora ad purgandum, frigidior existit, rectè dices, quæ ferè est matutina, quæ inter cæteras diei partes est temperata magis, & vires sunt post somnum valentes, depositisque excrementis promptiùs munia sua obeunt. At post cibum vis medicamenti exoluitur, cibus corrumpitur, & cùm medicamentum non possit ad intestina descendere, vomitu reiicitur, & purgatio redditur laboriosa.

Ob hanc causam ieiuno ventriculo medicamentũ purgans sumendum est, ne immoderato esculentorum humore potúue perfusus, medicamenti præsertim debilis vim obtũdat. Si verò sit aliquid quod impediat, aut ad purgandum summè impellat, tũc qualibet hora potest propinari pharmacũ, & debet. Si enim matutino tẽpore inuadat accessio, & nocturno remittatur, noctu medicamentum purgans est offerendum : ita 10. 3. *tract.*5.*cap.*2. pleuriticos soluendos esse noctu imperauit Princeps, quoniam noctis frigiditas, diei ingentissimum calorem contemperat. Hoc modo Galenus *lib.* 14.*meth.* 8. in quodam cui lingua tumefacta erat, vt hominis ore contineri non posset, vespere pilulas exhibuit, quoniam morbus erat grauissimus, & suffocationis imminebat periculum. In hunc modum Trallianus, *lib.*4. *cap.* 1 *tit. de sang. miss.* in angina suffocante, post basilicæ, & venarũ sub lingua sectionem, eodem die purgationem ex scammonio paratam imperauit.

At si curatio methodico ordine est agenda, & medicamentũ ieiuno ventriculo est propinandũ, cur contrariũ faciendũ docuit Auic. 4.1.*cap.*1.§. *Qui calide sunt temperaturæ, ac raræ contexturæ, & inbecillis stomachi, medicinam sumere statuũt, iis ante eam melius erit leue aliquid bibere, veluti aquam hordei, vel succum mali punici, &c.* Dic, quòd etsi cibus ante purgans medicamentũ oblatus à coctione pharmaci naturam distrahat, tamen in picrocholis, biliosis naturis, & raris, quæ ob medicamenti acrimoniam, & confluxum humoris ad ventriculum, facillimè in syncopen, & cardialgiam labuntur, tutius est ante assumptum pharmacum, offerre alimentum, quod in parua quantitate multum non faciat negotium naturæ, facilè coquatur, & os ventriculi maximè sensile roboret ac firmet, vt ius gallinæ cum omphacio, aut ptisanam cum granatorum succo, aut hepar gallinæ cum succo limonis delibutum, vel vt ait Auicenna, *loc. cit. offerenda mica panis tosta, vino irrorata.*

Ad horam, in qua venæsectio est celebranda, accedamus. Dirimit hoc dubium Auic. 4.1. *cap.* 20. *prope fin.* dũ sic ait : *Scito præterea quòd sanguinis missionis duplex est hora, electa, & necessaria : Electa, quæ fit in lumine diei, post digestionis complementum, & superfluitatum expulsionem. At hora necessaria, est hora qua fieri oportet, & quæ tardari non potest, & in qua res prohibitoria non attenditur.*

In lumine diei venæ sectio debet celebrari, quia ob solis accessum humores attenuati, & commoti, promptiùs vena secta effluere solent ; noctu autem ad interiores recurrunt corporis partes, & natura occupata & intenta ciborum coctioni, tum vitiosum sanguinem retinet, tum à coctione, facta phlebotomia, distrahitur.

Quare tunc debet celebrari, quãdo concoctio fuerit absoluta, ne incidamus in canonem Auic. 4 1.*cap.*20. *A minutione præterea tibi cauere debes super cibi repletionem, ne humorem crudum ad venas trahas, loco illius quem euacuasti, &c.* Nam si ventriculo cibo repleto sanguinem emiseris, venæ inanitæ rapient ex ventriculo cibos, ex quibus obstructio & putredo oriuntur ; quo pacto si necessaria est venæ sectio, differenda est quoüsque ventriculi coctio sit peracta, & cibi descendant ad intestina. Probat Auic. *eodem loco*, §. *Caue præterea tibi, ne satietatem nauseatiuam phlebotomes, &c.* Hoc modo Galenus 9.*meth.*4. in iuuene febri continẽti laborante, per duos dies venæsectionem distulit, ob eam quæ præcesserat concoctionis tarditatem. Ob hãc causam Auic. 1.4.*tract.*2.*c.*7. dicebat : *Et fac sequi phlebotomiam, solutionem ventris : &* c.40.*eiusdem tract.* dicebat : *Et cùm phlebotomaueris, non indigebit clystere.* Quare si cibus est semicoctus in ventriculo, aut succi adsunt semicrudi, ante phlebotomiam, aluus clystere, aut glande est proritanda.

Verùm non approbabis rationem Auic. ob rationes multas, quoniam si repleto ventriculo venæ sanguinis missione inanitæ necessariò raperent, sequeretur famelicos necessariò succis crudis repleri. Patet : nam quando esuriunt, venæ sunt inanitæ : igitur ante coctionem cibos rapient ex ventriculo. Deinde sequeretur, conualescentes refici non posse, quia cùm ratione præcedẽtis morbi exhausti sint & exangues, & partes ac venæ maximè indigeant, cibos rapient ex ventriculo, antequàm coquantur ; ex quibus non concoctis integrè, nec partes nutrientur, nec instaurabuntur vires : *non enim ex iis quæ comeduntur, & bibuntur fit nutritio, sed ex iis quæ probè in ventriculo concoquuntur*, auctore Galeno, *lib.*11.*meth.cap.*15.*ad fin.* Præterea Auicenna, 4. 1.*cap.* 20. §. *subtilitatem verò sensus habentes*, &c. præcipit, habentes os ventriculi valde sensile, & languidum, non esse phlebotomandos, antequam cibo assumpto ventriculus roboretur. Ergo post ciborum præassumptionem venæsectio reprobari non debet.

Porrò hæc Auicennæ dictionem minimè impugnat : neque enim sequitur famelicos, & conualescentes non posse rectè nutriri, quia quando ex interuallis modicum cibũ assumunt, ventriculus in retinendo redditur auarus, ita vt non permittat cibos ante coctionem à partibus trahi ; sed retinet quousque perfectè coquãtur, præsertim si sint grati ; deinde verò residuam partem, tanquã onerosam, partibus indigẽtibus concedit.

Auicenna verò *loc. cit.* non reprobat venæ sectionem post modicum cibum assumptum : si verò in magna quantitate concedatur, tunc ante coctionem à venis attrahitur. Neque solùm offerendus paucus cibus ante venæ sectionem, in ventriculo valde sensili, & languido, pro illius roboratione, & ne à bile ad ipsum fluente, vel in ipso existente lancinetur, sed etiam in iis quibus os ventris debile est, vt roboretur amplius, & tutiùs ad eam accedamus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 81 sur 927

Licèt autem ventriculo repleto non ſit ſecanda vena, non tamen propterea ipſo famelico exiſtente eſt celebranda, quia, vt inquit Hip. 2. *Aph.* 16. *vbi fames, laborandum non eſt*, in cuius *com.* ſermonem communem ad ſanos, & ægros propoſuit Galenus: *Sicut enim ſatis non eſt præcipienda vehemens aliqua motio ſimul cum inedia; ita nec ægris remedium aliquod magnum, quod vires debilitet.* Propterea 5. *meth.* 13. ſplendidæ cuidam mulieri, ſputo ſanguinis laboranti, ſanguinem mittere recuſauit, quia propter catarrhum triduanam inediam paſſa erat. Ob hanc cauſam Medici illi, qui cum Galeno nobilem Romanam extenuatiſſimam curabant, 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 19. ſanguinis miſſionem tantopere reformidabant, non ſolùm propter extenuationem, ſed ob inappetentiam, quæ inediæ cauſa eſſe ſolet. Ergo neque valde famelicis, neque ſupra modum repletis ſecanda eſt vena: in illis enim eam ſi exerceas, vires citra morbi leuamen deiicies, quo pacto ante eã cibũm boni ſucci, & facilis coctionis offerre eſt opus; in valde repletis recitata incommoda ſubſequuntur.

Si verò hoc in praxi eſt exercendum, cur contrarium obſeruâſſe Hippocratem legimus, *lib.* 4. *acut.* 75. dum ſic ait: *Clyſterem poſtea exhibebis, &c.* Quo loco priùs in pleuritide, *in text. antecedenti* 74. ſecat venam, quàm clyſterem indat? Dic, quia ſi morbus præbet inducias, priùs clyſter præcedere debet; ſi verò periculoſus eſt morbus, ſanguinis miſſio ante phlebotomiam commodior eſt; nam ſi aliter feceris, dolor partis inflammatæ augebitur, febris caliditas increſcet, & ad aliquam partem principem decumbent ij, qui per corpus vagantur humores. Hæc ſolutio tradita eſt priùs ab Hip. 4. *acut.* 21. vbi pleuritidis curationem proponens, (in libris enim acutorum, vt Gal. ait, ſub exemplo pleuritidis cætera comprehendit, 3. *acut.* 42. & 61.) priùs venam ſecat, deinde admouet clyſterem, quia pleuritis morbus eſt ſæuus, & lethalis, ſic enim ait: *Nam venæ ſectio in his præferenda venit, deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens & magnus fuerit morbus, &c.* Ex quibus colliges, quando enema debeat præcedere phlebotomiam, & quæ ſit venæ ſectionis, aut purgationis hora neceſſaria, aut electa.

PRÆCEPTVM XLIV.

Medicus à validis medicamentis purgantibus abſtineat.

HIppocratem, & Galenum, primos, eóſque ſcientiſſimos noſtræ artis conditores Medici accuſare non ceſſant, quòd in curandis, vel etiam acutis morbis, effrænibus & violentis medicamentis expurgantibus fuerint vſi, quæ quàm noxia ſint, calida, inflammantia, & naturam à coctione perturbent, allatis illorum teſtimoniis confirmauimus, *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medicor. hiſt.* 63. *q.* 31. & Gal. probat. 3. *ſimpl.* 24. & 4. *acut.* 7. & 2. *acut.* 11. & 1. *Aph.* 24. & *alibi paſſim.* Sed hi, hos tantos auctores citra rationem condemnant, ignorantes quàm diuino illi prædíti fuerint ingenio, cuius ope & auxilio, in his propinandis, ſolertiſſimo Marte, perſpicaciſſima mente, vigilantiſſima cura occaſionem obſeruabant, motus naturæ attendebant, hominũ temperamẽta ſcrutabantur, & cœli ſoliq; varietates rimabantur ad vnguem: quo pacto nunquam, aut rarò in propinãdis catharticis deerrâſſe, nullus ibit inficias, qui eorum monumenta penſitauerit ad vnguem.

Licèt autem illis comperta medicamenta fuerint clementia; tamen ad illorum regiones non in tanta copia ab Indiis afferebantur, vt Auicennæ, Serapionis, Meſuæ, & cæterorum Arabum, & noſtro ſæculo nunc copioſè conuehuntur: quo pacto cùm ſummo emerentur pretio, iis non ita frequenter vtebantur, & hoc modo illis eorum vires non ſatis erant compertæ.

Quapropter cùm noſtra clementia ab illis non eſſent ita prægnita, fortioribus vtebantur, vel etiam in morbis calidiſſimis, ſed ea adminiſtrabant cum cautela ſumma. *Prima.* In remiſſione febris, ſeu declinante morbo illa offerebant. Extat oraculum Hip. *lib. de med. purgant. num.* 4. ſub his verbis: *Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris: ſin minùs, ſaltem intra quatuordecim dies id non facito, &c.* Galenus *lib. quos, quil. & quando, ad fin.* Hip. mentem ſic confirmat. *Cùm ergo febris vehemens non ſit, ægrique naturam noueris, medicamentum dabis, elleborum nigrum, aut aliud quid ſimile, quorum eſt Diacolocynthidos appellata confectio, quam nunc vſitato nomine hieram, hoc eſt, ſacram appellant, &c.*

Secunda cautela. Offerebant expurgantia vehementia in parua quantitate, licèt enim *nihil artem noſtram magis coniecturalem faciat, quàm cuiuſque remedij quantitas*, vt aduertit Galenus, *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap.* 12. tamen ſemper in minori copia pharmaca propinabant, quàm plenitudo expoſtularet, quoniam *melius eſt infrà ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè vacuare*, vt docet Auic. 4. 1. *cap.* 3. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. dum per medicamentum forte debile inſtituendam eſſe curationem affirmat: forte, ex natura ſua, præſertim quum humor craſſus non cedat medicamento clementi; debile, quia in parua quantitate offertur.

Tertia cautela. Galenus rectè intellexit medicamenta, quibus ipſe vtebatur, eſſe calida, venenata, inflammantia. Nam hoc vt verũ ſuppoſuit in locis multis; ſic enim habet *lib.* 2. *acut.* 12. *Nempe purgantium omnium medicamentorum natura, corporum quæ purgantur, naturis contraria eſt, atque vt quiſpiam dixerit, lethalis, & deleteria.* Ob hanc cauſam in febribus vehementibus, & in partium internarum inflammationibus, ad venæſectionem frequentiùs accedit: Sic enim habet 2. *acut.* 11. *Vbi igitur non ſolùm acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt pleuritis, verùm & cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio; atque per ſectionem venæ vacuandum magis, etiamſi ad hypochondriũ dolor ſiniatur.* Et infrà ſic inquit: *Cùm igitur febris vehemens non fuerit, naturámque laborantis fueris expertus, ad medicamenti purgantis potum te conferes, &c.*

Quapropter præſente magna febre, à medicamentis fortibus abſtinebãt. Et ſi fortè in valido febris feruore ea offerebant, vel cum eis odorata miſcebant, ne ventriculi os, cùm ſit ſuapte natura maximè ſenſile, ab acrimonia medicamenti læderetur, & vt robuſtior factus ventriculus ipſum ad actum deducere poſſet: quomodo 2. *acut.* 11. veratrum propinat cum rebus odoratis permixtum: *Cùm enim purgantia omnia medicamenta, ventrem, præſertimque os ipſius, quod maximè tum neruoſum, tum ſenſibile exiſtit, affligant lædántque, ob id eorum quæ boni ſunt odoris, mixtio excogitata eſt, ne ſola ſincerá-que purgantium medicamentorum virtus os ventris tangat: nam odora ſtomachum roborant, ſicut fœtida ſubuertunt*, 8. *ſect. loc. cap.* 3. Deinde veteres cùm caliditatem horum medicamentorum perſpicerent, ea permixta cum ptiſana exhibebant. Hac ratione Trallianus *lib.* 4. 1. ægro ſuffocante angina correpto, ſcammonium obtulit cum ptiſana permixtum.

Quarta cautela. Scientiſſimi priſci, non ſolùm hæc effrænia medicamenta correcta priùs propinabant; ſed poſtquàm ea erant deuorata, aliquid ſuperbibendum porrigebãt, quod illorũ acrimoniam retunderet, & refrænaret. Sic habet Hip. *Vbi autem quis medicamentum ebibit, ptiſanam protinus ſorbendã dato:* quæ (vt ait Gal. *in com.*) *& detergere, & deorſum trahere quod via adhæret, & qualitatem medicamenti, quod his adhæret partibus, tum contemperare, tum permutare poteſt.* Et hoc modo Auic. 4. 1. *cap.* 5. aqua calida ſuperbibita pharmaci acrimoniã, & malignitatem corrigit. Noſtri horum exemplo

edocti

edocti, ius pulli, aut gallinæ cum ſaccharo, aut melle, aut aquam hordei cum ſaccharo, aut ſerum lactis propinant.

Vltima. Antiqui generoſa hæc, & fortia medicamenta adminiſtrabant, quoniam tempore Hipp. homines erant magis valentes, ob multas cauſas, quas recenſet Gal. *lib. 2. de fract. com. 27.* ſub his verbis: *Fallaciſſimum eſt veratrum dare, antequam corpus victu præparetur, cùm ſæpius non facile ſit, vt quales corpori ſuperſint ſucci, dignoſcantur. Hippocratis ſæculo veratrum album fortaſſe tuto ſumebatur, ob rationem victus eorum hominum, qui curabãtur: qui vitæ genus non otioſum ſequebantur, aut intemperans, ſed laborioſum, pauciſque alimentis erant contenti, ſic vt craſſos ſuccos nulla ratione contraherent. Neque enim nos latet fieri hos, cùm otio, tum abundantia. Quòd ſi vim æſtimaueris corporum eius ſæculi, quam ex eiuſmodi victu comparabant, magis adhuc dari veratrum permiſeris, cùm quæ vomitus affert incommoda, ferre homines illi facilè potuerint.* Accedit quòd noſtro æuo omnes ferè, ſint gulæ & ingluuiei dediti, & Veneri, cuius vſu magnopere vires eneruantur, & flacceſcunt.

Porrò etſi tanta prouidentia veteres in propinandis pharmacis fuerint vſi, tamen ab illis validis abſtinere ſatius eſt: *Turpis enim calamitas eſt medicamento dato hominem mori*, vt rectè prædixit Hip. *lib. de med. purgantib. num. 3.* Ob hanc cauſam ea porrigere, maximè in diſſuetis, eſt inutile, vt 4. 1. *cap. 5.* dicebat Auic. quoniam ſæpe reperitur inimicitia inter corporis naturam, & medicamentum purgans, ita vt ſit illi venenum. Quare 1. 3. *tract. 1. cap. 29. in princip.* monebat, non eſſe exhibendam medicinam ſolutiuam, niſi priùs Medicus de conſuetudine ægroti fiduciam habeat; quia medicina quæ ſoluit, interdum eſt via ad perniciem, & corruptionem. Hoc modo Gal. 2. *acut.* 11. medicamenti purgantis adminiſtrationem inutilem in morbis acutis aſſerebat, præſertim ſi non agnoſcitur ægrotantis natura, quia metus eſt ne plus iuſto euacuet; aut quòd non euacuet, ſed tantùm moueat; aut quòd difficulter euacuet; aut cum grauiſſimis ſymptomatibus, quæ omnia graues in morbis acutis pariunt offenſas.

Cautè ergò ſe gerat prudens Medicus in offerendis pharmacis: *Quod enim ſemel deuoratum eſt medicamentũ, quominùs omne deuoratum ſit, fieri non poteſt: nec poſſibile eſt vbi plus quàm conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre*, vt *lib. de ſang. miſſ. cap. 12.* notat Galenus: & *lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtrat. cap. 7.* confirmat dicens: *Medicus huius ſolius euacuationis liberam habet poteſtatem ſiſtendi quandocunque illi placuerit, aliorum autem nullius. Nam vbi dandum ſit aliquod medicamentum, ſiue deiectorium, ſiue vomitorium, ſiue vrinarum vacuatorium, aut thoracis, vel capitis purgatiuum, horum ſcilicet omnium prima exhibitio in tua poteſtate ſita eſt, cætera autem fortuna adminiſtratrice obtingunt. Ingens præterea in propinationibus pharmacorum purgantium periculum eſt, vel cùm dolore, morſibus, torminibus, refrigeratione, pulſuum euaneſcentia, ac animi defectu exprimitur, id quod in aluum attractum eſt, vel cùm corpus vehementer perturbatur, interimque paululum admodum vacuatur, aut euacuatio modum excedit: hoc enim ipſum tanquam omnium malorum extremum, in hac parte frequenter contingere ſolet: neque enim vt venæ inciſæ fluxum, ſuperimpoſito digito mox ſiſtes, ſic profluuium alui tibi ſiſtere licebit*, &c. Cautus ergò Medicus ſuperuenientium ſymptomatum metu perculſus, à propinandis validis pharmacis abſtineat.

PRÆCEPTVM XLV.

Medicus, ante purgantis medicamenti adminiſtrationem, corpus pluribus modis præparet.

REctè quidem Breuiloquus auctor *lib. 2. Aph. 9.* inſtruit Medicum curaturum, vt ſi corpora purgare voluerit, ea priùs fluida faciat, hoc eſt, vt ante purgationem præcedat coctio humoris, & illius præparatio, quæ in humorum inciſione, extenuatione, & viarum aperitione conſiſtit: Nam præter coctionem, quam maturationem vocat Auic. 1. . . *doct. 6 cap. 3. & 1. 4. tract. 2. cap. 7. §. digeſtio quidem, &c.* & quam expoſtulant priſci ad purgationem, cùm Hip. 1. *Aph.* 24. concocta medicari iubeat: item Gal. *in com.* & 1. *ad Glauc.* 11. Ætius *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 23.* Oribaſ. 7. *collect. 23.* medicamenta attenuantia ſunt offerenda, vt rectè Galenus monuit *lib. quos, quibus, & quando.*

Quare priuſquàm offeratur medicamentum, craſſos humores incidere, & tenaces ſecare oportet: quod præceptum ipſe obſeruauit 8. *meth. cap. 4.* agens de curatione obſtructionis, §. *vbi verò modicè euacuaueris, &c.* & ſic 1. *Aph. 24.* vtitur decocto pulegij, thymi, & origani, vt coquantur ſucci qui crudi ſunt, in quorum præſentia purgatio eſt inutilis, ex Hip. & Gal. 4. *acut.* 43. Cocto autem humore naturam habemus adminiculantem, 1. *Aph. 20.* quæ non poteſt expellere citra coctionem, 4. *Aph.* 22. nam cruda affectio non cedit, 4. *acut. 22.* & ſi tenentes purgationem, noxæ ſequuntur quas refert Galenus, 2. *Aph. 36. & 37.* & 2. *de criſ. 9.* de quo argumento plura diximus, *lib. 4. hiſt. Princ. Medic. in com. hiſt. 15. quæſt. 21.*

Rurſus plurima ſunt ante purgationem à Medico conſideranda, quæ recitat eleganter Auicenna 4. 1. *cap. 5.* & exhibendum pharmacum impediunt, niſi priùs corrigantur. Primum eſt faſtidium: ſecundum eſt viſcoſorum humorum copia: tertium, tenſio in hypochondriis: quartum, inflammatio interna: quintum, obſtructiones. De faſtidio loquamur primò.

Hoc prohibet purgationem. Nam faſtidio captus ſtatim euomit pharmacum ſumptum, quare euacuatio, (cùm non poſſit operari reiectum præproperè) impeditur. Neque obiicias Hip. 4. *Aph.* 17. medicamentum purgans conſulentè in cibi faſtidio: Quia ibi loquitur de vacuatione per vomitum; nos verò cum Auicenna, de medicamento per aluum ſoluente verba facimus.

Copia viſcoſorum humorum purgationem impedit. Qui enim tenaces & craſſos cibos aſſumpſerunt, viſcoſiſq; humoribus abundant, illis humores tenaces vaſorum parietibus ita tenaciter adhærent, vt pharmaco attrahenti non obediant, quum ſtabiles ſint ac fixi.

Tenſio in hypochondriis medicamentum purgans etiam interdicit. Nam hæc ex flatu craſſo, & nebuloſo originem ducit, cum humoribus craſſis permixto, vt Galenus eſt auctor 4. *Aph.* 73. *Etenim accidit tali murmure deſcendente ad lumborũ loca, vnà cum ipſo hypochondriorum tumorem deportari, vnde partibus, quæ hic ſunt, ex ipſo diſtentis prouenit dolor: deinde ita nonnunquam humore ad diſtributionem concitato, ſolus ſpiritus flatuoſus emittitur, nonnunquam verò vnà cum humore, &c.* Ratio eſt, quoniam flatuum copia tum eleuat pharmacum ſurſum, nec permittit illud inferiùs labi ad inteſtina; tum contorquet vias, ſiue meatus hypochondriorum, ob quam cauſam, nec virtus pharmaci, nec humores attrahendi liberè poſſunt tranſire.

Inflammatio interna etiam impedit medicamentum purgans, provt docuit Auic. 4. 1. *c.* 4. dicens: *Habentibus quoque in interioribus apoſtema, purgatio noxia eſt.* Præſertim ſi inflammatio in ventre, aut thorace excitetur: cùm enim humores non poſſint per alum educi, quin muſculi thoracis, & abdominis comprimantur, neceſſariò pars inflammata acriùs dolet, augetur fluxio, & inflammatio increſcit, ideò Galenus 1. *de diff. reſpirat. cap. 9.* affirmat, *partes inflammatas integra quiete indigere*; & 13. *Meth. cap. 6.* conſulit, ne crura inflammata moueantur.

Deinde inflammatis interioribus particulis humores ſunt commoti & concitati, qui ſi de nouo à medicamentis expurgantibus agitentur, promptiùs ad inflam-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 83 sur 927

matam partem attrahuntur,quæ ratione doloris,& caloris,commotos humores promptissimè susceptat, 13. *meth.*3.& alibi.Hoc modo in inflamatione ventriculi, & iecoris, medicamenta expurgantia reprobat, quoniam fluxionem conuocant ad partem affectam.

Insuper pertimescit Galenus medicamenta purgantia in viscerum inflammationibus, quia semper adest febris intensa, quæ ab acutis morbis est inseparabilis,5. *Aph.* 30. & 1. *acut.*8. Ob hanc causam in pleuritide magis commendat venæ sectionem, quàm purgationem;nam illa licèt sit minus auxilium,tutius tamen remedium est.Et sicut in inflammationibus thoracis vtimur linctibus, ad expurgandum per sputum id quod resudat ex inflammata parte; sic in ventris inflammationibus, clysteribus, & clementibus medicamentis vtendum est. Quando verò iam sedata est fluxio, & & humor in inflammata parte concoqui cœpit, tutior iam est medicamentorum vsus, vt præcipit obseruandum Galenus 13. *method. cap.* 15. de inflammatione iecoris.

Obstructiones etiam purgationem impediunt. Id quod, vt & allata documenta, clarè proposuit Galenus *lib.* 1. *Aph.* 24. dum sic ait: *Nam quicunque multa cruditate laborant, vel qui tenaces, ac crassos cibos assumpserunt: sicuti etiam quibus hypochondria distenta atque inflata sunt, atque supra modum calida atque ignea vrina existunt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio, omnes hi haudquaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet, & humores,quàm maximè fieri potest,esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes,& aparta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista antea paramus, quum quempiam sumus purgaturi, & hoc est quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo Aphorismo: Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere.*

Auicenna inter omnes 4.1.*cap.*5.proponens præcepta quæ Medicus obseruare debet, antequàm medicamentum propinet, & quibus modis ante purgationem regendus sit æger, sic ait: *Iam in præcedente sermone ostendimus, quando sit corpus præparandum ad recipiendum quod ventrem soluit, antequam purgetur, cum amplificatione pororum, & lenificatione naturæ, & propriè in egritudinibus frigidis: & ad summum,naturam mollificare antequam venter soluatur,est competens regula, in qua existit securitas, &c.* Qua sententia tradit ante purgationē præire debere mollificantia ventris, & humectantia, vt 4. *Aph.*13.docuit Hip.dum sic ait: *Qui non facilè per superiora purgantur,ad veratrum admittendi sunt, pleniore cibo,& quiete corporibus ante potionem humectatis.* Quapropter plurimo cibo, & quiete corpora ante purgationem præparare conatur Galenus *in com. Præhumectantur autem plurimo alimento,atque quiete. Et de quiete quidem clarum est:sicuti enim exercitia sunt apta natura exiccare,sic & quies humectare.*

Auicenna excepit ab hoc numero,eos qui facili negotio in fluxum incidunt.Metus enim est ne nimis copiosè & cum periculo purgetur æger, & superpurgatio accidat.Sic enim ait *loc.cit. Mollificatio ante purgationem præcedet,nisi in eo qui diarrhœa valde est aptus, ex hoc namque nihil est faciendum,quoniam esset causa superfluitatis quæ ei accidet, &c.* Quare monet vt pharmacis soluentibus ventrem,vomitoria medicamenta misceātur,vt horum ope purgantia per aluum retineantur, & hoc modo operationem efficiant commodiorem.

Attamen pro horum maiori explicatione, dubitabis primò:Vtrùm humorum concoctio,& canaliū apertio, sint præmittenda in corporibus obnoxiis diarrhœæ? Et pro parte negatiua hoc modo insurges: in his euitanda esse præparantia,quia humoré concitatiore motu faciunt decurrere ad aluū.Sed opposita pars est amplectenda: quoniam videtur etiam in his obseruandum illud axioma Hip.quo concocta, medicanda esse pronuntiat.Quoniam si humores crudi nō coquuntur, naturam non habemus adminiculantem, & vtile cum inutili excernitur. Quare vacuatio hæc circa humoris, & viarum præparationem celebrata, deiicit vires citra morbi leuamen. Contrà verò accidit, cùm humores crudi priùs præparati fuerint.Et hac de causa Auic. *loc. cit.*ante purgationem eorum qui valde diarrhœæ sunt obnoxij,non prohibet humoris concoctionem, sedsolùm ventris mollificationem,siue lubricitatem,vt ipsius verbis vtar.Ad aduersam autem rationem dic: Per coctionem augeri quidem fluxum noxij humoris, non autem vtilis,quinimò huius fluxus minuitur, quoniam coctionis beneficio natura humores vtiles ab inutilibus separat;& hos expellit,illos retinet, vt 1. *Aph. cit.* notauit Galenus.

Secundò maximam suggerit difficultatem huius sententia *loc.cit.*dū in subiectis diarrhœæ, permiscenda esse docet medicamenta vomitoria cum ventris solutiuis,quoniam hæc permixtio purgationem laboriosam reddit,& operationem interturbat. Hac de causa Hip. 4.*Aph.*5.æstate difficiles purgationes esse docuit, cùm vt ait Gal.*in com.*duo motus contrarij concurrant, alter extrorsum factus à calore ambientis, alter introrsum à pharmaco concitatus.Ob parem rationem vomitiuum medicamentum cum ventris solutiuo permiscendum non est;illud enim attrahit sursum,hoc deorsum,& sic laborioſa, & cum vehementibus symptomatibus purgatio concitatur: maximè quia *cap.*4.Auic. summè reprobat vsum pharmaci purgantis ex diuersis medicamentis compositi,vel diuersis temporibus oblati.Quare Galen.*lib.quos,quib.in fin. cap.* iubet vt medicamenta quæ permiscentur,sibi inuicem consentiant.Hoc modo in optima praxi, reprobandus est vsus medicamentorum clementium,cum iis quæ scammonium recipiunt: nam hæc priùs complent operationem suam, tardiùs verò benedicta.Neque obiicias, quòd hæc commixtio in pilulis approbatur,in quarum compositione clementia cum fortibus sunt permixta: nam in his ob fermentationem vtraque ad vnam contemperantiam sunt redacta,& iccircò vniformiter,& eodem tempore operationem suam perficiunt.

Difficile quæsitū,cuius explicatio veteres Auicennæ malè torsit interpretes. Nam si huius auctoris mens,vt ex contextu patet,explicetur, suspecta est mixtio medicamenti vomitorij cum solutiuo ventris, ob rationes dictas;nam periculum imminet,ne distrahatur natura, agitetur diuersimodè humor, & sæua symptomata superueniant, quæ difficilem deinde habeant correctionem.Dic ergò,per vomitoria, vel intelligenda esse potiùs adstringentia, & cohibentia fluxum, & roborantia ventriculum, (quod frequenter cum vtilitate experimūr), & hæc eundem vsum præstare ac vtilitatem, quàm permixtio vomitorij: vel dic, vomitoria esse permiscenda cum purgantibus per aluum, sed leuia, quæ naturam,& humores ad superiores partes aliquantulum disturbant:vt succus raphani, decoctum ipsius, aut semen ipsius in pharmaco comminutum.

Si autem quæras:Vtrùm quemadmodum in paratis ad fluxum natura iubet permiscere vomitiua cum soluentibus ventrem;ita oporteat in præparatis ad vomitum permiscerī solutiua ventris cum vomitoriis? Dic, hanc permixtionem necessariam non esse, maximè quia Auic. *cit. loc. cap. de vomitu*, non fecit huius permixtionis mentionem. Quare vtilius est, cum medicamento vomitum faciente permiscere, quæ vomitum cohibeant,qualia sunt adstringentia, grata ventriculo, & quæ iucundo suo sapore illum recreent.

Vltimò explicare oportet, qui sint diarrhœæ obnoxij;vt intelligamus illis validas vacuationes non esse celebrandas. Trauli igitur, vt inquit & docet Hip. 6. *Aph.*32. sunt ex iis, quæ facilè in fluxum ventris incidere

dere ſolent. Sic enim habet: *Balbi ab alui profluuio maximè capiuntur.* Et hanc ſententiam traducens Auic. 4.1.*cap.*5. ſic inquit: *Trauli quoque ſunt ex iis qui diarrhœa ſunt apparati: fortem igitur non tolerant medicinam; ipſorum tamē plurimi in diarrhœam incurrunt ex rheumatiſmis ſuorum capitum,&c.* quod priùs dictauit Galenus *in com.cit.Aph. Continget igitur iis qui ſunt balbi natura, alterum horum; aut cerebrum habere humidum, vel linguam, vel vtrumque: & cerebro quidem talem ſortito temperaturam, defluere ab eo par eſt humidas ſuperfluitates, atque inde fluentes in ventrem ſuſcipi, vnde & longis profluuiis homo capitur. Lingua verò admodum humida natura exiſtente, & ventriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram tunicam communem habeat cum lingua, imbecillémque ex humiditate. Ventriculi autem propria paſſio eſt diuturnum profluuium.* Trauli autem à Græcis, qui vocantur voces incipientes per T.& R.non poſſunt rectè pronunciare, ſed loco R.pronunciant L.Poſſunt etiam vocari Trauli, qui alias literas non rectè proferunt, ſed eas in alias commutant.

Ante purgationem præparat Auicenna corpus balneo: ſic enim habet *loc. cit. in princip. Balneum quoque ingredi, antequam ventris ſolutio fiat aliquantis diebus, eſt ex illis quæ ſubtiliant, ac benè præparant, niſi aliquid prohibuerit: & oportet quidem vt inter balneum, & hauſtum medicinæ paruum interueniat tempus.* Nam balneum aquæ dulcis moderatè calidæ, attenuat, liquefacit, fluidos reddit humores, aperit vias, lenit ventriculum, inteſtina, & vniuerſum corpus humectat. Ita dixit Galenus *6.epid. ſect. 5. com.* 29. aquæ dulcis balneum humores fundit, & ſiqua in parte contentum durúmque corpus fuerit, relaxat, atque emollit.

Neque te dimoueat *loc.cit.epid.*ab hac methodo, ſi videas Hippocratem hoc modo pronunciantē: *Veratrū epotum, ſi celeriùs purgare velis, lauare, aut cibum ſumere oportet.* Nā his verbis non vult, ab aſſumpto pharmaco ægrum in balneum eſſe mittendum; id enim alienum à ratione eſſet,& Galeno,ac Auicennæ aduerſum. Ille enim 3.*acut.*59.& 4.*Aph.*4. affirmat, ea quæ per ventrem ſubducuntur, balneum ſiſtere, vt pote ad corpus vniuerſum reuellens.Hic verò 4.1.*cap.*5.ſic ait: *Medicamento epoto nemo balneum ingrediatur,* quum materiam ad exteriora euocet,ac potiùs aluum ſiſtat. Mens ergo Hip.eſt,eum qui elleborum bibit, ſi velis vt celeriùs purgetur,antequam id bibat,comedere, aut balneo vti præcipe. Ita vt hoc vti oporteat per aliquot dies ante pharmacū:cùm autem dierum numerus certus non ſit, ſed ex Medici arbitrio præſcribi debeat, ſuffecerint dies tres,aut quatuor. Nam impediunt vſum balnei in purgandis multa:catarrhus, aptitudo ad inflāmationes internas,& ſanguinis profluuia, neruorum reſolutio,& alia quæ ex balneo exaſperantur valdè. Quare inter balneum, & medicamentū paruum temporis ſpatium intercedere debet.Nam per balneum corpus debilitatur, & humores ad exteriora mouentur. Breue verò debet eſſe tempus inter balneum, & pharmacum: nam ſi longum ſit,metus eſt ne interim humores magis craſſeſcant, & viæ obſtruantur. Quantum autem debeat intercedere tempus inter balneum, & pharmacum, explicat Rhaſis 6. *continent.cap.* 2. quòd debeat eſſe media hora.Sed congruentius eſt,vt ad minimum ſit ſpatium vnius diei, in quo reparentur ſpiritus ex balneo reſoluti,& humorum motus ad partes exteriores conquieſcant.

Sed multo negotio opus erit,vt Auicennā à calumnia tueamur, in balneo adminiſtrando ante purgationem: nam hoc, impurum corpus in plurima damna præcipitat, & humores intempeſtiuè exagitat, & in præſentia ſuccorum crudorum eſt noxium, 6.*Aph.* 31. & 4.*de ſanit.* 5. & ſic vt eſt apud Galenum 3. *acut.* 59. nōniſi euacuatis corporibus vtile eſt.Inſuper in corporis ſuperficiem attrahit humores, qui in aluū erant expurgandi,ex Gal.3.*acut.*62.Quare 7.*ſec.loc.cap.*1. illud alui profluium ſiſtere adnotauit; & ob hanc cauſam Auic.4.1.*c.* 7. in eo in quo ſuperfluit ventris purgatio, balneū laudat,ſic enim ait:*& ſi poteris, fac eum ſudare in balneo, aut vapore aquæ calidæ,&c.*Quare ſi per balneum, non intelligas balneum particulare,& ipſum de deobſtruente fotu,aut irrigatione hypochondriorum, interpreteris, cuius ope craſſi humores ante purgationem redduntur aptiores ad expurgationem, quomodo Auicennæ ſententia poſſit admitti,haud quaquam video.

Conueniens victus ratio etiam ad felicem purgationem eſt neceſſaria, vt probat Gal.2.*Aph.*9. qui ſibi difficiles purgationes non obtigiſſe affirmat, ob id quòd antequam deiectorium pharmacum propinaret, tenui victu fuiſſet vſus. Et *lib. de attenuante vict. rat. cap.*4.plurimos contumaces, ſanatúque difficiles morbos recenſet, quos ſolo victu attenuante ſanauerat. Quocirca præcipuum ad facilem purgationē comparandam,humoréſque ad eam diſponendos inſtrumentum, tenuis victus ratio exiſtit, quæ corpus peruium, patēnſque reddit, obſtructiones expedit, flatus diſcutit, excrementa mouet, crudos humores concoquit. Contrà victu craſſiore natura à morbi coctione auertitur,febris augetur, crudorū ſuccorum copia vbertim increſcit, obſtructiones augentur, & morbi cauſa fit maior.In hunc ſenſum intelligēdus eſt Hip.6.*epid.ſect.* 4.*text.*10. dum conſulit:*non ſaturari cibis, & impigrum eſſe ad labores.*Ex quo tranſtulit Ariſt. 1.*probl.*47.ſumma cum ratione inculcans, optimum eſſe cibum minuere, & augere laborem, quia non paruam ægrotandi anſam excrementorum copia præſtat, quæ tunc certè exultat, quum aut cibus ſupereſt,aut labor deeſt.

PRÆCEPTVM XLVI.

Medicus in omnibus à mediocritate non recedat.

MEdico in omnibus præſidiis adminiſtrandis, & præſertim in euacuantibus remediis, à mediocritate recedere non eſt decorum: id enim oraculo veluti Delphico confirmat Diuinus Hippoc. *lib. 2. Aph.* 52.*Plurimùm,* inquit, *atque repentè euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum: omne enim nimium naturæ inimicum; ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tum aliàs, tum cùm ab altero ad alterum fit tranſitus, &c.* Et Galenus *in com.* cauſam reddit, quia nimium omne cùm deſtruat commoderationem, vnà ſubſtantiam animalis diſſoluit.

Ergò oportet Medicum peritum eſſe parcum, & moderatum in vacuationibus. Nam noſtra natura in mediocritate conſiſtit, ſanitáſque ea maximè gaudet; & cùm corpus ab ea recedit,ægrotat. Eam auream vocat Horat.*lib.2.od.*10.

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus: caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Et meritò: cùm vbique maximè commendabilis ſit. Nam & iuſtitia non in lucris modò faciendis; ſed multò magis in appetitionibus moderandis, ſi modum ſeruet,præſtantior eſt. Ita Plato *lib. de Rep. 5. Fundamentum* (ait) *bene inſtitutæ Reipublicæ in mediocritate conſiſtit.* Hæc enim illa eſt,quæ vtilitates adfert maximas Rebuſpublicis, quum pernicioſiſſima ſit immoderatio. Ariſtoteles verò Præceptoris inſiſtens veſtigiis,*lib.* 4.*politicor.*10.tranquilliorem eſſe, & optabiliorem vitam ait,ciuium mediocrium quàm potentum, ac principum;*quoniam in confeſſo eſt,* inquit,*mediocritatē, ac medium eſſe optimum.* Sic conſtat bonorum fortunæ mediocrem poſſeſſionem, omnium eſſe optimam. Quocirca rectè Phocylides optauit mediocria, vt multis meliora:

meliora:& Plutarchus *in præceptis ſuis politicis*,exemplis & rationibus confirmat, dicens : ab opulentioribus & potentioribus Argiuorum, & Meſſeniorum , res Græcorum ſubuerſas,quòd neſciuiſſent quantum moderatum immoderato ſit melius.

Plato *in ſermone , qui Gorgias inſcribitur* , hac gnome præſtantiam celebrari demonſtrat mediocritatis , qui in *Theæt.* Protagoram laudat,mirè in omnibus mediocritatis bonum efferentem.Cleobuli eſt apophthegma Laërtio *lib.*1 auctore : *Mediocritas optima.* Et in aureo carmine Pythagor.*Omnium menſura,ſiue modus optimus; exceſſus autem vitandi,ceu miſeri.*Et Pindarus *Od.Olymp.* 13.*Conſentaneus eſt in quacunque re modus,quem ſcire opportunitas eſt maxima.* Vnde abiit in prouerbium : *Nequid nimis*.Quod Pythagoræ adſcribit Laërtius,& Soloni alij,Bianti Ariſt.Et illud eſt quod Horatius docuit *in epiſt.ad Piſones.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra,citráque,nequit conſiſtere rectum.

Ita Plautus *Panulo,act.*1.*ſcen.*2. *Modus optimus in rebus omnibus eſt habitus , nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.*Ita in *Anthol.Græca,lib.*1.*tit.*48. incertus poëta ſcripſit :

Immodicum ingratum eſt : & ſi prouerbia tangunt,
Non eſt mel,ſed fel,mel quoque,ſi nimium eſt.

Cõſentaneum huic illud Sapientis dictum,*Prouerb.*28. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi.* Et ſapienter apud Stobæum ſcripſit Euripides, *ſer.*22. *Mortalibus,maiora mediis pariunt morbos.* Et Cicero *de clar. Orat.* omnem virtutem eſſe mediocritatem decernit. Quam poſtea ſententiam amplexi ſunt Peripatetici : & ſummus eorum Princeps Ariſt.omnium optimè *libris Ethicis* demonſtrauit, medium virtutis verſari inter exceſſum & defectum,ſiue affectionum,ſiue actionum.

Plinius *lib.*11.*cap.vlt.Perniciosiſſimum eſt* , inquit , *in omni quidem vita , quod nimium.* Quare ſi mediocritas eſt ſeruanda in honoribus , voluptatibus , opibus, omnium bonorum genere,quæ fortunæ eſſe dicuntur; cur ea in medicamentis offerendis , in victu,potu,omníque euacuationum genere,à Medico perito non obſeruabitur? Hanc Galenus in pluribus ſuæ doctrinæ locis ſemper approbat. Sed duo liceat in medium adducere.Primus eſt *lib.*1.*de ſanit.tuend.cap.*6.*in fin.* dum ſic ait : *Quippe multos offendit id quoque non minimùm, multitudo nempe inſtratarum veſtium. Quinetiam ipſa quies, ſi ſit diuturnior , non parum moleſta eſſe ſolet:quando nullum animans immodico vllo delectatur , ſed ſemper medium modum expetit,&c.*Alter locus eſt *lib.*2.*de ſanit. tuend.cap.vlt.*in quo omnia, quæ adoleſcentibus adhibentur , moderata eſſe debere aſſeuerat , ſic enim ait: *Porrò huic ex omni genere mediocritas adhibenda eſt , ex frictione,exercitatione,balneo,cibo,ſomno , ita vt nec durior illi,nec mollior corporis habitus reddatur, &c.* Ergò ſi in omnibus ab hac mediocritate receſſerit Medicus, ægros præcipites dabit in mortem.

PRÆCEPTVM XLVII.

Medicus ad euacuationes tempus aptum eligat.

DIſertiſſimus Medicorum ſic prædixit 6.*Aph.* 47. *Quibus venæ ſectio, vel purgatio conuenit , hos Vere purgare , vel venam incidere oportet.* Quam ſententiam licet *lib.*1.*hiſt.Princip.Medicor.hiſt.*39.*&lib.* 3. *hiſt vlt.* ſatis expoſuerim,tamen iterum incudi reddam. Nam vt ex Aphoriſmi colligitur ſenſu , Ver , & Autumnus ſunt præcipua anni tempora , ad vacuationes accommodata. Nam Vere facultates omnes optimè valent,ſanguis abundat, humores ſunt tenues & fluxiles, & pro huius temporis clementia & temperie , corpus eſt in ſymmetria quadam conſtitutum. Autumnus eſt tempus non ita frigidum, vt hyems ; nec calidum , vt æſtas. Quare ſi vrget neceſſitas , in eo præcautio morborum poteſt celebrari : quia in omnibus veluti temperiem ſeruat.

Æſtate , & hyeme præſeruatio non eſt exercenda. Nam his temporibus vires ſunt debiles , attracto videlicet calore natiuo , à calore nimio ambientis , per aperitionem pororum ad partes externas.Hyeme canales præ frigore adſtricti,& concreti humores.Hæc omnia complexus eſt Auic.4.1.*cap.*3. dum ſic ait : *Tempus anni ſupra modum calidum aut frigidum, purgationem non admittit,&c.*Et *cap.*5.*cit.loc.*ſic ait *: In tempore etiam quo canis maior exoritur , necnon in eo quo niues in montibus conſident , in vehementi ſcilicet calore & frigore , non eſt purgationibus vtendum.* Nam *ſub cane , & ante canem difficiles ſunt purgationes*, 4.*Aph.* 5. Quocirca prudenter Auicen. 4. 1. *cap.* 5. hyeme deiectorio medicamento egenti,ventum obſeruare meridionalem præcipit:quia hoc flante,vt 2.1.*doct.*2. *cap.* 10. idem auctor teſtatur, corpora laxantur, ac patentiora redduntur, & humores fluxibiliores fiunt , ac tenuiores ; ex quibus facilior,ac felicior conſequitur purgatio. Quòd ſi Meſuë turbith aſſumenti Auſtrum vitare conſuluit,ob id eſt,quia cùm pharmacum hoc corpora maximè conturbet,& humores commoueat,ac exagitet,& caput aggrauet, veretur eam,quæ ab Auſtro accidit turbationem:dicente Hip. 3.*Aph.* 3.*Auſtrinos flatus auditum hebetare,caliginem viſui offundere,ac caput grauare.* Timet autem ne meatibus ab Auſtro plus iuſto laxatis,immodica ſequatur purgatio.Sed cur Borea flante,Meſuë myrobalanorum vſum prohibuerit,cauſa eſt, quia myrobalani comprimendo euacuant : & flatus ſimiliter Aquilonius corporis meatus,viáſque omnes,per quas purgatio fieri debet , condenſat atque conſtipat;quo fit,vt docente Hip.5. *Aph.* 3. aluos duras reddat. Quare ob duas cauſas ſimul copulatas,tanta aderit in corpore adſtrictio,vt inhibeatur purgatio. Poterit etiam Aquilonia conſtitutio , quum viget, fluxiones etiam comprimendo , & exprimendo concitare. Quapropter per hos flatus,qui promptè fluxionibus tentantur,purgandi non ſunt.

Cœli ergò ſtatus calidus & ſiccus , & nimiùm frigidus & humidus,purgationibus valdè renititur. Neque contra hæc obiicias, ab aëre nos ambiente indicationẽ ad curationem non deſumi.Primò,quia ex 3. *Meth.*1. abſurdum eſt aſſerere,aliud eſſe quod rationẽ curandi præſcribit,aliud quod curatur.Cùm igitur aër ambiens non curetur , ſed morbus , ille rectè inter indicantia non numerabitur. Dic , Galenum *loc. cit.* ſolùm loqui de illo,quod primò rationem curandi præſcribit,quale ſolùm eſt morbus qui curatur. Interim quamuis hic ſolus medicamentorum exhibendorum qualitatem determinet ; tamen alia ſunt , in quorum numero eſt aër ambiens , quæ quantitatem exhibendam indicent.

Deinde , aër ambiens eſt inſtrumentum , & materia Medici , qua ad conſeruationem ſanitatis , & curationem morborum vltiſſimè vtitur : Igitur non indicabit. Nam materia medica , & remedia indicantur , & non indicant.Dic ex Galen. 9. *meth. cap.* 7. omne illud , cuius conſideratio opus Medici euariat, indicare. Cùm igitur curatio , pro varietate temperamenti aëris nos ambientis , varietur , meritò hic inter indicantia numerabitur , maximè cùm nullum ſit inconueniens,quippiam ſub variis rationibus poſſe indicari , & indicare.

PRÆCEPTVM XLVIII.

Medicus ad purgationem, Aſtrorum mutationes obſeruet.

ETſi maxima plantarum , & ſtellarum vis & efficacia in hæc inferiora , réſque humanas aſtrorum curſu

curſu diſponi veteres fusè confirment, vt Macrob. 1. *Saturn.* 17. Cælius 17. *antiq.* 27. Plin. *lib.* 18. *cap.* 28. & alij, & nos de hoc argumento plura dixerimus *lib.* 2. *hiſt. Princip. Med. hiſt.* 66. tamen Lunam maximè vitam noſtram moderari, ciúſque motiones varias à Medico prudente eſſe obſeruandas, ratio dictat, & eius effectus planè demonſtrant.

Nam inter omnia ſidera, Luna ſummam, & admirabilem in hæc inferiora obtinet poteſtatem, & ea magnoperè non magnitudine, ſed vicinitate alterat. Quippe auctore Galeno, 3. *de dieb. decretor.* 2. fructus auget, & incraſſat, animantia implet, ſtatum tempus menſtruorum mulieribus conſeruat, comitialium circuitus cuſtodit, fruges adauget & maturat, ferarum occiſa corpora in tabem aſpectu ſuo reſoluit; ſomno ſub eius lumine ſopitis, dolorem capitis, & vultus pallorem conciliat; & in purgationibus, aut promouendis, aut ſiſtendis plurimùm prodeſt: quod ex vario cum planetis aliis aſpectu, ſeu cōcurſu eſt adepta.

Sol irrequietis curſibus, & ſpatiis inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem poſt ſe linquit ad requiem: & tum abſceſſu remotiore ad meridiem, tum acceſſu propiore ad ſeptentrionem, hyemis, & æſtatis viciſſitudines facit: vt hybernis humoribus, ac pruinis terra pinguéſcat; & æſtiuis caloribus, vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ ſunt in humidis incocta, ea feruefacta miteſcant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amiſſi, ac recepti luminis vicibus menſtrua ſpatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore ſuæ claritatis illuſtrat, vt æſtiua itinera, expeditiones, & opera ſine moleſtia ac labore confici poſſint, & alia commoda ſequantur, quæ norunt & expectant qui ruſticantur.

Quapropter periti rerum deprehendêre, increſcentis Lunæ ſpatia eſſe plantationibus velut decretoria: quoniam humoris exuperantiâ ſemen madeſcens celeriùs vendicet incrementa. Vbi verò deteritur lumen, cædi optimè materiam, vt quæ areſcat tunc, & attenuetur, propterea nec carie computreſcat. Cùm enim Luna humiditatibus præſit, frigidáque & humida natura ſit prædita, humida maximè exagitat. Quare Plinius *lib.* 2. *cap.* 41. ſic inquit: *Iam quidem lunari poteſtate oſtrearum, conchyliorúmque, & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui.* Idem Macrobius affirmat 7. *Saturnal.* 16. *Sicut Sol, vt maioris caloris, haurit humorem, ſic lunare lumen, in quo eſt non manifeſtus calor, ſed occultus tepor, magis diffundit humecta.*

Deinde, apud eundem *cap.* 11. *in ſomn. Scipionis:* ipſa eſt mortalium corporum, & auctrix, & conditrix, adeò vt nonnulla corpora ſub luminis eius acceſſu patiantur augmenta, & hac decreſcente minuantur. Hinc fit vt vitam noſtram præcipuè moderari Solem, deinde Lunam, ipſe affirmet *eodem loco, cap.* 19. Nam cùm ſint caducorum corporum hæc duo propria, ſentire, & creſcere: ſentiendi natura de ſole, creſcendi natura de lunari ad nos globoſitate peruenit. Sic vtriuſque luminis beneficio hæc nobis conſtat vita, qua fruimur.

Inſuper magnam eſſe poteſtatem Lunæ in hæc inferiora, hinc patet: quòd ea augeſcente medullæ in corpore increſcunt, eâ lumine deſtitutâ, corpora attenuata flacceſcunt. Hac ratione ex multorum mente præcipit Auic. 4. 1. *cap.* 21. vt *ventoſæ in principio menſis non apponantur, quum humores nondum commoti fuerint, nec excitati: neque in fine menſis, quoniam humores tunc ſunt minuti: ſed in medio menſis, quum humores ſint commoti, & in ſuo augmento, luminis in corpore Lunæ augmentum ſequentes; quo tempore augmentatur cerebrum in cranijs, & aqua in fluminibus acceſſionem & receſſionem habentibus, &c.*

Ob hanc cauſam quùm Luna impleri, ac inchoari incipit, tunc humidiorum morborum ſæuities inſoleſcit. Et licèt hoc tempore valde exaſperentur, in peiúſque ruant paralyſis, apoplexia, lethargus, ſtupor, hydrops, catarrhus, & alij frigidi affectus: tamen epileptici vehementiùs excruciantur, atque premuntur decreſcente Luna. Etſi autem epileptici, Lunatici communiſſimè dicantur: tamen hi ab aliis differunt in acceſſionum frequentia, ac grauitate. Quia quotieſcunque Luna cum Sole coit, vel in eius oppoſitione exiſtit, acceſſione prehenduntur.

Nec ſolùm ægrotorum corpora ab externis hiſce cauſis afficiuntur, ſed qui inculpata ſanitate fruuntur, Lunæ vires, effectúſque percipiunt. Verùm quò quis magis ab optima temperie deflexerit, eò promptiùs doloribus infeſtatur, atque auræ, Lunæque mutationibus fit obnoxius: præſertim ſi corpus vitioſis, putridiſque humoribus redundauerit. Sic Luna vel inchoata, vel plena atque in orbem circinata, flantéque vento rigido, muſculi, membranæ, nerui, panniculi, tendines rigeſcunt, & contracti doloribus acriùs concitantur.

Nec mireris. Nam ſunt qui in Luna animaduertunt mutationes ſeptem, vt facundus facundè ex multorum mente *lib.* 20. *lect. antiq. cap.* 7. conſcripſit Rhodiginus, & ob illas in ſubiecta corpora, habet poteſtatem miram: Ob quam, matrem mundi Ægyptij vocabant, à Sole grauidam factam, perennia generationis principia enixam demittere. Quin mirandi ſunt, quos ex ſe promit effectus. Minor eſt terra tricies nouies, auctore Ptolemæo, *lib.* 5. *Almageſti. cap.* 16. vel quadragies ter, ſi Copernicum ſequimur. Diſtat ab ea milliaribus Germanicis 44916. vel ſi Schreckenfuchſio fidem adhibemus, 28359. Lumen ſuum à Sole mutuatur: hinc varia illi facies, creſcens ſemper, aut ſeneſcens, aut modò curuata in cornua, modo æqua portione diuiſa, modò ſinuoſa, orbe pleno immenſa, aut ſubitò nulla, eadémque ſubitò prænitens, vt confirmat Plinius *lib.* 2. *cap.* 9. Ob has tam neceſſarias influentias, quibus Luna terram continuò beare ſolet, apud Hieremiam, omni ſcientiarum genere ad miraculum vſque doctum, Regina cæli ea memoratur.

Quapropter eius varias mutationes maximoperè Medici ad celebrandas vacuationes obſeruent eſt neceſſe. Hoc modo Hip. *lib. de aëre, loc. & aq. in locis multis,* magnas obſeruare iubet temporum mutationes, & ne pharmacum quiſquam volens det. Et Auic. 4. 1. *cit.* præcipit vt ventoſæ non apponantur in principio menſis, quoniam humores non ſunt commoti; nec in fine, quia tunc ſunt minuti. Quæ doctrina ſi in cucurbitulis eſt obſeruanda, multò magis in purgationibus, & ſanguinis miſſione: quia omnibus communis eſt cauſa, & ad maiora præſidia plures circumſtantiæ ſunt neceſſariæ, quàm ad minora.

Ob hæc inquires: Vtrùm in tempore plenilunij, aut nouilunij conueniat purgatio, & phlebotomia, vt Hip. & Auicenna ſuadent? Alij ab huiuſmodi mutationibus Lunæ, & ab ortu & occaſu ſiderum, non ſumi aliquam indicationem ad curationem, obnixè arbitrantur: Nam Galenus huius indicationis non meminit, cùm tamen omnes indicationes enumeret obſeruandas. Deinde, Aſtra non alia de cauſa indicant curationem, quàm per alterationes quæ in aëre fiunt: & ſi Hip. 4. *Aph.* 5. ſub cane, & ante canem prohibet vacuationes, non alia ratione id facit, niſi quia canicula ſiccat, & calefacit aërem vehementer, & intercedente aëre corpora noſtra, vt conſtat ex Galeno *in comm.* Igitur ſi coitio aſtrorum quidquam commodi, vel incommodi affert ad curationes, fiet id, quoniam noſtra corpora ab illis ita coëuntibus alterabuntur, media aëris alteratione. Sed non quælibet aëris alteratio ex hoc concurſu enata, omnibus indifferenter ad euacuationem eſt noxia;

ſed

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 87 sur 927

ſed aliis atque aliis erit vtilis. Nam neque refrigeratio, neque calefactio, neque alteratio quæpiam omnes iuuat, aut omnibus nocet, ſed omnia hæc iuxta ægrotantis naturam, regionem, ætatem, anni tempus, & morbi naturam iuuant, aut nocent. Ergo non ſimiliter in mutationibus Lunæ, & aſtrorum, debet prohiberi purgatio, aut phlebotomia.

Verumenimuerò, licèt Galenus mutationes Lunæ, aliorumque aſtrorum magnorum ortus & occaſus non obſeruet; non tamen proinde hæc indicatio prætermittenda eſt, cùm ſit momenti magni, & grauiſſimorum auctorum experimento comprobata, à quibus diſſentire nefas eſt. Cùm enim videamus Lunam, & alia aſtra in his inferioribus magnas mutationes producere, ſine aliqua notabili mutatione qualitatum primarum, quam inducant in aëre, & corporibus noſtris: ſeu, cùm in his inferioribus iuxta mutationes Lunæ, & aliorum ſiderum, magnas ſæpe fieri mutationes conſpiciamus, citra aliquam mutationem factam in manifeſto temperamento aëris, aut corporis noſtri: conſtat hinc vltra indicationem ſumptam ab aëris, & corporis temperamento, obſeruandam eſſe alteram indicationem à corporum ſuperiorum mutationibus deſumptam.

Vnde colliges, aliis temporibus, cùm præſeruationis cauſa, aut in miti morbo volumus exercere vacuationem aliquam, quæ per purgationem, aut phlebotomiam celebrari debet, ab ea abſtinendum eſſe, dummodò non adſit ex morbo, aut ex eius cauſa, vel ſymptomate indicatio aliqua quæ vrgeat, & remedij celeritatem efflagitet: Quæ ſi adſit, diutiùs cunctanda non eſt morbi grauiſſimi medela. Nam vt Aretæus docuit perbellè, 1. *de curat. morb. acut. cap.* 10. *Nulla morę in pleuriticis datur occaſio, quin protinus valenti remedio ſuccurramus. Febris enim peracuta ad pernicium properat; dolor quoque ſuccingentis coſtas membranæ in peius vrget; necnon & tuſſis pectus caputque concutiens, vires proterit.* Quod præceptum & de aliis acutis intelligendum, in quibus tardare malum eſt. Quod ſignificauit Hip. *cit. lib. de loc.* cùm dixit: *Ne pharmacum quiſquam volens det.*

Ergo ſi vrget neceſſitas, remedia magna quouis tempore ſunt celebranda. Si non vrget, in commodiorem diem longè ſeparatum à mutationibus Lunæ differenda. Neque negandum, ſuperiora ſæpe mutare aërem, & corpora noſtra, vi & proprietate ſui caloris, licèt calor, aut aliqua qualitas manifeſta non percipiantur in aëre, & corporibus noſtris. Experimento eſt, quòd ægri poſt mediam noctem ſolent quieſcere, & ob acceſſum Solis ad nos leuiùs habere, cùm tamen tunc temporis ſæpe adhuc vigeat frigus. Deinde ſtirpes ſenſato frigore in aëre, incipiente Februario germinant, non ob aliam cauſam, niſi quia tunc earum calor roboratur, non à calore ſenſato, (is enim tunc non adeſt) ſed à proprietate caloris ſolaris ad nos appropinquantis. Quare vltra indicationem ſumptam à temperamento aëris, & corporis noſtri, obſeruanda eſt altera indicatio, à mutatione quam inducunt corpora ſuperiora, nos benignè, aut malignè proprietate ſui caloris aſpicientia, deprompta, quam Philoſophi nomine influentiæ ſignificare videntur.

Percontaberis vltimò: An purgandum potiùs ſit, Luna creſcente, an decreſcente? Nam Auic. 4. 1. *c.* 21. cucurbitulis non vtitur, nec in principio, nec in fine menſis, ob rationes dictas: vnde idem videtur in ſanguinis miſſione & purgatione præceptum obſeruandum; nam in plenilunio humores ſunt commoti, & ad vacuandum parati. Dic, ſecurius eſſe Luna decreſcente hoc opus moliri. Quia etſi creſcente ipſa humores fluxiles ſint, tamen motus hic ad cutem factus, contrarius eſt illi, qui à medicamento excitatur; Sed in decremento humores vergunt ad interna, & pharmaci motum ſequuntur. Deinde, quamuis in plenilunio expeditior poſſit eſſe purgatio, tutior tamen non eſt; metus enim eſt ne humores commoti, aut præcipiti lapſu ruant in aluum, & ſuperueniat hypercatharſis; aut nimis ebullientes, in aliquam confluant corporis partem. Auicenna autem plenilunium obſeruat, quo loco agit de cucurbitulis: quarum operatio, à purgantis medicamenti actione eſt diuerſa; quia illæ à centro ad circumferentiam, purgatio ab hac ad illud attrahere ſolet.

PRÆCEPTVM XLIX.

Medicus in frigidis & calidis temperaturis & humoribus, cautè per venæ ſectionem euacuet.

IN calidis ſiccis temperaturis, & humoribus, cautè venam eſſe ſecandam, celebri quodam oraculo monuit Auicenna, 4. 1. *cap.* 20. dum ſic ait: *Et caue ne ægrum ad vnam duarum rerum perducas, ſcilicet cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem.* Nam impensè calida corpora & ſicca, à ſanguinis miſſione vehementer læduntur, & nimio extracto ſanguine fatiſcunt, & reſoluuntur: vt quibus virium robur non adſit, & quæ propter caloris exceſſum, & pororum amplitudinem, tenuitatem ſanguinis, & ſpirituum, promptiſſimè debilitentur, & in animi deliquium incidant, ita vt vix refici poſſint. Hæc enim corpora deficiente humido nutrimentali facillimè excandeſcunt. Quare ſi cogente neceſſitate in his ſecanda ſit vena, ſanguis parcè, & minùs quàm plenitudo expoſtulat, eſt emittendus: ne ſcilicet geminata vacuatione vires proſternantur, vt bellè dictabat Galenus *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. dum ſic ait: *Interierunt autem nonnulli, qui in calidis admodum conſtitutionibus non rectè euacuati ſunt. Ob hæc igitur, neque in locis ſupra modum calidis ſanguinem mittere audemus; ſed ſi regio ipſa, & temporis ſtatus conſentiunt, omnino abſtinemus: cum verò non conſentiunt, euacuamus quidem, ſed multò minùs, quam ſi neutrum prohiberet.* Quod ſignificauit Auic. per verbum *caue*, quaſi dicat, cautus ſis in tempore nimis calido, in quo vires valde ſunt reſolutæ, in mittendo ſanguine: vel ſi emittas, in minori quantitate miſſionem eam celebra. Sed quia in hoc argumento explicando inſudaui, *lib.* 1. *hiſt. Princip. Med. hiſt.* 63. *quæſt.* 30. iccircò me in mea mœnia recipio,

Nunc de venæ inciſione in temperaturis & humoribus frigidis celebranda ſermonem attexamus. De qua etſi *lib.* 1. *hiſt. PP. Med. in com. hiſt.* 5. & *lib.* 1. *hiſt.* 78. ſermonem fecerimus, vbertim tamen præſentis doctrinæ ſuauitate & delectatione animum tuum perfundes. Qui ergo in frigidi temperamenti, vel in pituitoſi humoris præſentia ſanguinem nimium, & citra præmeditationem effundit, Galeni priſcorúmque auctorum decreta contemnit, & ſibimet medicanti aduerſatur ſummè. Nam ſanguinis miſſio ſanguinem ſubtilem detrahit, qui paratior eſt fluxioni, craſſus verò in corpore relinquitur: Ita dixit Auic. 4. 1. *cap.* 3. *Cum ſanguis paucus eſt & bonus, humores autem craſſi & multi, à phlebotomia tibi cauere debes: num phlebotomia bonum rapit, malum relinquit.* Hoc pacto crudis humoribus abundantibus cautè euacuabis; edoctus à Galeno *lib. de ſang. miſſ. cap.* 11. tum quia vires adeſſe non poſſunt, cùm horum copiâ ſint obrutæ valde, tum quoniam extracto ſanguine, in quo calor perſeuerantiam habet, *eod. lib. cap.* 12. ipſi crudiores redduntur & frigidiores, & magis ſi febris acceſſerit. Quæ etſi ratione caloris prodeſſe videatur, cùm lentos humores extenuet, frigidos coquat, craſſos ſecet; tamen quia additur alia intemperantia ex calore febrili inducta, tunc maximè cauenda venæ ſectio. Metus enim eſt, ne geminata debilitate vires proſternantur.

Hoc

Hoc modo *lib. 12. method. cap.3.* tantoperè in febre syncopali,orta ex crudis succis , venæ sectionem pertimescit, dum sic ait : *Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet , cùm tamen vacuationem desiderent. Verùm nec sanguinis missionem , nec purgationem sustinent, vtpote quos sine his syncope subitò adoritur.* Id confirmat eleganter *lib.3. de sanit.tuend. cap.4.* quo loco , quando humores nimiùm frigidi sunt, & valde distant à natura sanguinis, tunc omnino venæ sectionem prohibet. Sic enim ait : *Vbi paululum vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est, audacter sanguis mittendus est : vbi plus, consideratiùs agendum : vbi plurimùm , in his nullus omnino mittendus est.* Quare, in locis supra modum frigidis,sanguinem mittere non audemus. Quòd si regio ipsa , & temporis status consentiant , omnino abstinemus.

PRÆCEPTVM L.

Medicus videat attentè quæ corporis habitudo maiores ferat euacuationes.

CORporis habitudinem ad euacuationes faciendas summoperè à Medico esse considerandam , non semel inculcat Galenus. Nam habilissimũ,quod neque gracile est , neque obesum , (quadratum vocat Celsus *lib.2.cap.1.*) vacuationes facilimè tolerat. Contrà corpora macilenta , seu immodicè gracilia , purgantium medicamẽtorum vires maximè renuunt,quippe quæ ab eorum praua qualitate concutiuntur;vtpote quæ promptè in solidas partes sese insinuet. Deinde his magna ex parte acrium humorum copia inest : quo fit vt eos molestæ torsiones miserè fatigent.Quo pacto 4.1.*cap.3.* monet Auicenna, vt si adsit aliquis imbellis & gracilis, qui multa flaua bile in sanguine abundet , ipsi exhibeantur medicamenta,quæ vrinam leuiter mouent , & euacuatio impediatur , offerantúrque alimenta , quæ sanguinem gignunt frigidum & humidum. Hoc enim modo illius humoris intemperantia corrigitur.

Nec solùm gracilitas omnium corporis partium,verùm & solius ventris inferioris , ad purgationem per aluum celebrandam,periculosa est,auctore Hip.2. *Aph.* 35.Nam oportet omnes, quæ infra thoracem sunt partes robustas esse , vt benè purgationibus seruiant,alioqui enim magna incommoda patientur. Si enim debiles sint, difficulter purgantium vim tolerabunt.

Deinde graciles,ad vacuationem factam per sanguinis missionem , sunt inepti,& ex ea nimiùm dissoluuntur , integrámque vacuationem minimè ferunt,ex Gal. authoritate,1.*ad Glauc.*14.Hæc enim corpora sanguine abundant biliosõ,& pauco,qui suaptè natura facillimè resoluitur. Quare in biliosis sanguis est extrahendus cum præmeditatione multa,ex Auic. 1. 1. *doct.4.cap.2. ad fin.* §. *debes autem scire,&c.* Ob hanc causam affirmat Galenus *6.de sanit.tuend. cap.3. post med. & cap.4.* calidis , & siccis naturis Venerem aduersissimam esse ; & inediam minimè ferre, 8.*meth.* 8. Ideò 10. *meth.5.* ante accessionem , imò vel in ipsa eos nutriendos esse , allata celeberrima historia , confirmat. Ergo si calidis & siccis corporibus aduersissima res inedia est , & febrium paratissima causa ; infestissima erit venæ sectio, aut purgatio.Et sic 1.*ad Glauc.cit.* in his corporibus, illorum præsidiorum loco , moderata inedia vtendum esse præcepit.

Instabis hoc modo:Corpora calida sicca habent ampla vasa,ex Gal.2.*de temp.4.ante med.* & *cap.6. sequenti, ante med.*præsente verò amplitudine vasorum,liberalis est exercenda phlebotomia. Dic primò : Quando vasa sunt angusta,quia non multum capere possunt , ideò parcè detrahendus sanguis : quando verò sunt ampla, etiamsi multum capiant,non tamen necessariò multum continent : nam interdum cum sanguine puro plurima bilis copia in corpore abundat , & tunc pareissimè est hauriendus sanguis. Dic secundò:quòd etiamsi semper amplitudo vasorum copiosam indicet vacuationem,sæpe tamen hæc ab aliis indicationibus superatur,quæ ad moderatam venæ sectionem hortantur.

Si verò roges,quibus signis calidum,siccúmque corpus sit cognoscendum, ea præscripsit Galenus , *lib. art. med.52.* & *2.de temp.6.* & *8.meth.1.* & *9. meth.15.* quæ omnia in compendium redigam. Sunt autem : efferuescentia, iracundia, oris amaritudo , deiecta appetentia , linguæ asperitas , narium ariditas , pulsus creber, velox,sitis ingens, aluus sicca ; stercus paucum, vrens; vrinæ igneæ , acres, flauæ, tenues, cum paucis contentis ; somnus paucus, leuis ; vigiliæ assiduæ,inquietudo; somnia ignis , splendoris, æstus , incendiorum, & rixarum. Hoc corpus biliosis morbis sæpe concutitur , tertiana , erysipelate , herpete , pustulis prurientibus, elatis , mordicantibus. Corporis color adest flauus, aut rufus , quandoque viridis : nam & color corporis humoris dominium ostendit , 1. *Aph.2.* & 4. *de sanit. tuend. cap.4.* Adest tempus æstiuum , regio calida sicca , viget aëris constitutio similis , seu eadem cum laborantis temperatura. Æger est iuuenis , victu calido , sicco , parco vsus est. Præcessêre curæ , vigiliæ, sollicitudo , ira , dolor, exercitium, vigilia, ieiunia, & inedia.

Quare si hæc omnia adsint,& pura biliosa cacochymia inualescat , sanguinis missio reproba est. Etenim quibus biliosus admodum sanguis in venis maioribus colligitur, aut in sanguinea massa sincerus sanguis paucus est , bilis verò plurimùm redundat , totáque etiam corporis moles , aut natura , aut viuendi consuetudine biliosa deprehenditur , iis summo cum virium detrimento vena secatur. Quandoquidem sanguine illo puro ac laudabili , qui exiguus erat , & quem natura ad partium corporis nutritionem velut thesaurum reseruabat , vnà cum bile vacuato , corpus quod alioqui parùm alebatur , & inopia alimenti contabescebat , in maximam perniciem redigitur , vt vel atrophiam , vel marasmum , vel aliud periculum graue incurrat.

Obesi , & qui habitu constant admodum pingui , à præsidiis magnis,aut quauis alia vacuatione, præsertim nimia sunt arcendi.Ita dixit Auic.4 1 *&* 20. §. *A phlebotomia tibi cauere debes, in corporibus fortis crassitiei, &c.* In his enim frigiditas præualet,quia pinguedinis moles venas comprimit , obstruit , & calorem innatum suffocat : hæc autem sanguine misso multò magis imminent , & corpore ampliùs refrigerato pituita redditur crudior , & difficiliùs coquitur. Hinc emanat plurium frigidorum morborum farrago , malus corporis habitus , hydrops , orthopnœa , & cætera vitia frigida scaturiunt ; quæ extincto vitali spiritu corpus tandem ad interitum deducunt.

Rara etiam corporis contextura facillimè euacuationibus offenditur , quia per eam plurimùm continuò substantiæ euaporat,atque resoluitur.Quare in iis parcè sanguis emittendus , & in minori quantitate purgans medicamentum porrigendum. Nam rarus corporis habitus , est vnus ex scopis, qui sanguinis missionem moderatur. Ita dicebat Gal. *lib.de sang. miss.cap.13. Minùs detrahendum est in pueris hac de causa , & in iis , quibus mollis, teneráque caro est, quales Galli.*

Hæc est causa celebratissima,ob quam in pueris parcè ante decimumquartum annum sanguinem detrahendum suadebat Gal.11.*meth.*14.& 4.*de rat.vict.*19 & 4. *meth.6.*sic enim ait : *Itaque si in puerum incidas , qui decimumquartum annum non attigit , propterea illi sanguis mitti non debet , quòd tantillis, cùm præsertim calidi ac humidi sint , plurimum corporis substantiæ quotidie defluat ac digeratur. Ita , quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat,id vltrò nobis ex curati corporis natura præstatur.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 89 sur 927

Corpora enim mollia, rara, laxa, sanguinem tenuem aceruare consueuerunt, qui per rarum corporis habitum facilè exhalat, resoluitur, ac dissipatur: quo pacto in his minus detrahendum est, quàm plenitudo commonet. Hoc nos docuit Galenus, *lib. de curand. rat. per sang. miss. cap.* 11. dum sic ait: *Porrò, quæ ex mulieribus albidiores sunt, sanguinem aceruare tenuem solent; quocircà adhibitis malleolorum scarificationibus maximè iuuantur: At quæ nigriores sunt, secta vena curato; crassiorem enim sanguinem, ac magis melancholicum colligunt. Carnosis verò & candidis paruæ insunt venæ, quibus malleolos scarificare, quàm venam secare præstiterit.* Idem confirmat Gal. 6. *sec. loc. cap.* 4. *rubric. vlt.* & 2. *per gener. cap.* 20. & 3. *meth. cap.* 7. & 2. *ad Glauc. cap.* 9. posito exemplo in corporibus fœminarum, eunuchorum, puerorum, ac eorum qui molli carne præditi sunt.

Ita monuit *lib.* 1. *ad Glauc.* 14. *post princip.* dum sic ait: *Eodem pariter modo, & corporis habitus considerare oportet. Nam qui densa & solida carne constant, his habitus haudquaquam facilis pati: quare non oportet vereri ipsos euacuare ex toto, siquidem & alia id iubent. Sed qui mollem, & diffluentem habent carnem, nimium in modum sunt ad patiendum habiles: quare, etsi omnia reliqua sanguinem esse minuendum persuadent, non tamen id facere audendum est, sed & aliis euacuationibus, quantum moderatè, & cautè fieri potest, vtendum:* quoniam ij humores tenues, cum raritate habitus aceruare consueuerunt, 2. *Aph.* 28. Pallidi verò, vel candidi, angusta vasa habentes, macilenti, eunuchi, parcissimè sunt euacuandi, quia vacuationes difficillimè tolerant.

Contrà quadrata corpora, carnosa, solida, bene compacta, calida, humida, sanguinea, facillimè ferunt euacuationes, in quibus simul cum humoris abundantia vires validæ sunt. Quare excepto optimo corporis temperamento, nullum aliud magis laudatur à Galeno, quàm calidũ & humidum, 6. *de sanit. tuend. cap.* 3. *ad fin.* nam hoc habet latas venas, & sanguinis copiam multam, à cibóque sine noxa diu abstinere potest, 2. *de temp.* 4. *cap.*

Non obstat Galenus 9. *meth. vlt.* qui corpora calida & humida non ferre vacuationem affirmat, siquidem mollem, & tenellam carnem habent, & facilè diffluntur: quæ omnia euacuationem impediunt, ex Gal. *in locis dictis*, & 1. *acut. com.* 44. *ante med.* Nam locus hic intelligendus est, quotiescunque humidum temperamentum cum corporis mollitie est coniunctum, vt in pueris. Quod etiam habet locũ in illis, qui etiam humidi sunt sine caloris excessu, vel frigiditate, vt sunt molles, albi, pingues, angustarum venarum, & pauci sanguinis, quorum substantia citò digeritur, & illorum spiritus ob defectum caloris promptè extinguitur; cuius munus est humiditatem gubernare, membra solidiora firmare, colorem viuidum reddere, vasa extendere, ampla facere, & copiosum alimentum distribuere: nos verò loquimur de iuuenibus, vel adolescentibus, cum Auic. 4. 1. *cap.* 3. musculosis, carnosis, & sanguineis, quorum caro solida est, & succulenta nimis. Ratione enim caloris solidescit, ac cogitur, & hi ad mediocre temperamentum proximè accedunt, 2. *Aph.* 44. in quibus copiosæ etiam vacuationes celebrari queunt, 2. *Aph.* 35. Colligitur hæc interpretatio ex Gal. *lib. de sang. miss.* 13. *in med.* §. *deinde considerandum, &c.* Et ex Oribasio *lib.* 7. *collect. cap.* 4. *ad init.* Cùm enim virium substantia, spiritu, carnosa specie, & partibus solidis compleatur, 11. *Meth. cap.* 3. & hæc in his superabundent, necessariò viribus pollent, & copiosum sanguinem generant. Vnde in his corporibus continentes febres solent generari, ex Gal. 9. *meth.* 3. & 13. *cap.* 4. Si verò aliqui hæc corpora copiosam vacuationem tolerare non posse asseuerent, intelligendi hac ratione; si cum humiditate vehementer caliditas increscat. Nam hæc corpora, auctore Galen. 9. *meth.* *cap.* 5. *post med.* ad digerendos corporis succos sunt aptissima.

PRÆCEPTVM LI.

Medicus in euacuatione celebranda consuetudinem obseruet.

MAximam esse potentiam consuetudinis pluribus allatis exemplis proposuimus *lib.* 6. *hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 18. Hàncque esse à Medico maximè obseruandam, *libro de consuetud. cap.* 1. explicauit Galenus, allata in medium historia Philosophi cuiusdam, qui causo correptus, cùm esset frigidæ potui inassuetus, imperantibus ipsis, ea epota interiit. Nam consuetudo summam vim habet in cibo, & potu, & eius quantitate, virtutibus, facultatibus naturalibus, medicamentis, exercitio, venenis, animi affectibus, euacuationibus, somno, vigilia, morbis, & multis aliis. Sic enim Hip. prædixit *lib.* 6. *epid. sect.* 8. *text.* 30. *Consuetudo, dum sani fuimus, attendenda, qualis in victu, vestitu, laboribus, somno, rebus venereis, & mente fuerit.*

Consueta enim minùs lædere solent, ex Galeno *lib. de consuet.* 3. & 9. *meth.* 16. Primò ratione signi, scilicet ex suauitate v. g. cibi percepta, quam rationabiliter ex consuetudine possumus colligere: familiaritatem enim inter cibum, & naturam eius qui assumit, significat. Ratione verò causæ, quia consueta mutant membra in similitudinem suam, ac proinde etiamsi mala sint, tamen non possunt multùm alterare corpus, nec momentaneè nocere. Ita, quod mirandum est, venena aliquando contingit verti in naturam nostram, eáque ob diuturnam consuetudinem, alimentum corpori præstare.

Deinde, sunt plures qui euacuationes abhorrent naturâ: Alij quouis exhibito medicamento purgante eximiè vacuantur & sufficienter: Quidam forti assumpto non purgantur. Naturæ autem tales particulares solùm experientia cognoscuntur, vt 3. *meth.* 3. testatur Galenus. Ad hæc, maximè est coniecturalis remediorum quantitas, 3. *meth.* 3. quæ nec doceri, nec scribi, nec rectè mente concipi potest, & quæ artem coniecturalem facit, *lib. de sang. miss.* 12. *in init.* Quare cùm illud non possimus assequi ratione, sed experimento; hoc autem non comparetur nisi ex consuetudine: meritò 4. 1. *cap.* 3. asserit Auicenna, dissuetudinem euacuandi, vacuationem prohibere; scilicet aut omnino, aut saltem ne fiat nisi cum maxima præmeditatione, cùm non sit aliquid quod vacuandi certitudinem præstet.

Obiicies ita: Consuetudo euacuandi, materiæ minorem copiam in corpore notat; dissuetudo maiorem. Secundò: Consuetudo medicamenta vertit in naturam assumentis, atque adeò consuetus non sufficienter expurgabitur. Nam expultrix irritata expellit, quæ irritatio in consueto non datur. Quare consuetudo potiùs videtur dissuadere vacuationem, quàm contrà.

Dic ad primum: Dissuetudinem ex se vacuationem prohibere; non verò, adiunctis aliis vacuationem maximè requirentibus. Nam tunc copiosior vacuatio facienda est; verùm reliquis paribus: hoc est, data paritate humorum in assueto, & dissueto, illum minori cum formidine vacuabimus. Quare in pari humorum redundantia, dissuetudo vacuandi vacuationem prohibet, quomodo *loc. cit.* Auicenna est intelligendus. Huius auctoris interpretes aliter mentem eius exponunt, at perperam. Quia concurrente aliquo signo vacuationem indicante cum dissuetudine, vt illi inquiunt, nihil noui doceret Auic. si tunc consuleret vacuationem in dissueto; contrà verò prohiberet. Quia etiam in assueto non concurrente signo euacuationem significante, non debet fieri vacuatio. Quare dicendum potiùs videtur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 90 sur 927

videtur, paruam vacuandi consuetudinem per se vacuationem prohibere, vt Auic. inquit; hoc est, per se, ipsam indicare vacuationem magno cum timore & cautela celebrandam.

Dic ad *secundum*: Consuetudinem non prohibere vacuationem simpliciter: sed ne fiat cum eodem pharmaco semper. Quia ab assueto medicamento non irritatur expultrix ad excernendū, cuius tamen ope simul cum pharmaci proprietate purgatio contingit: illud enim nunquam pro viribus operabitur, nisi expultrix vis ab eo irritetur, & ab eo stimulata noxios humores expellat; sed illud incommodum facilè vitatur, exhibito alio medicamento cui non fuerit assuetus. Præterea nunquam quis adeò medicamentis assuefit, vt iisdem eius expultrix non molestetur; minùs tamen quàm ab alio non assueto molestabitur, & ita minùs iis quàm à non assueto expurgabitur. Itaque ratio tantùm probat, in assueto homine non tantoperè medicamenta operari. Non tamen proinde, non esse euacuandum, concludit.

Ex iis inferes, maximè esse à Medico obseruandam consuetudinem, quoniam illius maxima est vis, vt docet Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap.* 14. Quo pacto *lib.* 13. *meth.* 11. inter indicationes ad euacuationem, etiam consuetudinem recenset. Et 3. *Aph.* 15. veretur, ne ex crebra purgatione quispiam in prauam consuetudinem incidat. Quod & Hip. etiam sensisse est visus, 1. *Aph.* 16. dum victum humidum non febricitantibus modò, sed & pueris, & aliis, qui ita cibari sunt assueti, vtilem scripsit. Quo quidem in loco Hippocrates, eam quæ à consuetudine sumitur, indicationem, parem ei quæ ab ætate præstatur, accepit. Quippe obseruare hanc iubet Hip. æquè ac proprium ætatis temperamentum. Vt hinc palàm fiat, & addiscamus, quanti sit periculi ægros à consuetis distrahere, eósque in contrarium statum mutare: præsertim si id repentè, atque immodicè celebretur. Ideò & à prognostico semper consuetudo excipitur, vt leges apud Hip. 1. *progn.* 11. 19. & 21.

PRÆCEPTVM LII.

Medicus ad euacuationem, humoris qualitatem obseruet.

NIhil est in medica facultate abstrusum, arduum & intricatum, quod illustrissimus Medicinæ Dictator, sua Asiatica facundia in suis monumentis non explicuerit. Nam cùm Hip. fidei Magistri sui dictionem exponeret, latam *lib. 6. epid. sect. 2. text.* 33. *Transitus aperiri, vt nares, & alia, quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, & vbi, & quando, & quantum oportet, vt sudores, & alia planè omnia*: sic *in com.* profatur: *Oportet enim, cùm euacuatio requiritur, non simpliciter ad ipsam accedere, sed priùs definiendum, qua ratione facienda sit, & quæ debeat esse euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & qua mensura.* Quod oraculum ob oculos proponas velim, sæpius mente collustres, ex pensísque his singulis seorsim, quantum Galenica hæc sit memorabilis sententia, & vsui maximè necessaria, decernas.

Eam vt proficuam valde, ad curationem transtulit more suo, & contemplatus est fidus Galeni Scholiastes Auicenna 4. 1. *c.* 3. §. *Scias præterea, quòd intentio in omni euacuatione est vna quinque rerum: qualitas humorum, vergentia, locus per quem euacuatio facienda est, tempus, & quantitas.* De omnibus singulatim disserendum.

Per qualitatē intelligimus, qualis, & quis humor sit euacuandus. Quod ipsum dupliciter ex variis signis cognoscitur. Hip. 1. *Aph.* 2. dignoscit ex regione, anni tempore, ætate, & morbis. Galenus *in com.* addit totius corporis colorem: 4. *Aph.* 2. addit symptomata, ægri naturam, vitæ industriam, victum, mestruas euacuationes. A Hip. *lib. 1. de morb. mulier. n.* 23. robur adnumerat, à Galeno non numeratum: & 4. *de sanit.* 4. addit Galenus pustulas, sudorem, & illius qualitatem, vrinam, calorem, frigus, consuetudinem generandi aliquem humorem, solitas excretiones omissas, exercitationes, lassitudines: & *lib. de plenit. vlt. ad fin.* addit somnum & insomnia, aspectum ægrotantis, famem, sitim.

His etiam addere oportet alia, ex similitudine vnius, corporis ad aliud, & morbis vulgariter, & pro tempore grassantibus. Nam si febres biliosæ vagantur, signum est quòd febris, de qua dubitas, est biliosa, ex Gal. *lib. 2. de crisib. cap.* 3. *ante med.* Ex quibus omnibus propria cuiusque humoris indicia accepit Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 7. Vt v. g. pituitam exuberare in corpore hæc ostendunt: distillatio ex capite in subiectas influēs B partes, & à pituita in ventriculum illapsa nausea, cibi fastidium, vomitio, animi defectus, coctricis debilitas, carnis laxitas, membrorum mollities. Agnoscitur deinde ex œdematosis, laxis, doloris expertibus tumoribus, & aliis morbis quotidianas accessiones habentibus. Præterea ex causis hunc humorem generantibus: quales sunt, victus ratio frigida & humida, & similis temperatura: ætas senilis, otium, vita sedentaria, studiorum & curarum expers: regio frigida humida: hyems pituitosorum humorum ferax. 1. *de natur. human.* 31. sensuum torpor, faciei color albicans, corpus graue, iners, facies tumida, lingua alba, mollis, assidua spuitio, sitis pauca, facilis famis tolerantia, propensio ad somnum, somnium frequens aquarum, pluuiarum, grandinis, niuis, C vel rerum humidarum.

Cognoscitur à posteriori, ex conferentia & tolerantia: de quibus vide Auic. 4. 1. *cap.* 3. & 14. *ad vltimum, &c.* & 2. 1. *doct.* 2. *c.* 7. Quod accepit ex Hip. 1. *Aph.* 2. 23. 25. & *lib.* 4. *Aph.* 2. & 3. Vbi *primò* notandum, quòd huiusmodi conferentia, & tolerantia, vt Auicenna docuit *locis citatis*, non statim sequi solet. Nam aliquando sequitur aliquod nocumentum, vel propter corporis, & humorum euacuandorum, aut medicamentorum naturam; quod priùs sedari debet, & tunc conferentia & tolerantia apparebunt.

Secundò notandum, quòd licèt semper ratione humoris peccantis qui euacuatur, sequatur conferentia & tolerantia, aliquando tamen multa illius portio intra D corpus relinquatur, aut partium debilitas diuturna, à qua de nouo produci solet: quorum ratione æger peiùs se habet, morbus increscit, & nulla subsequitur conferentia. Quo pacto debes Hipp. interpretari, *lib. 2. progn.* 51. dicentem: *Excretiones omnes malæ, quæ dolorem non sedant: pessimæ verò nigræ*: quia prauā in corpore dispositionem adesse significant, à qua screatio illa nigra de nouo producitur, copiosa etiam materia intùs relicta. Qua ratione 4. *Aph.* 21. dicebat Hip. deiectiones nigras pessimas esse. Sic etiam in principio morborum, & augmenti, aliqua pars humoris iam cocti licèt vacuetur, vel sanguis mittatur, adhuc tamen non videntur conferre. Nam relicta portione crassiore, & crudiore in corpore, morbus increscit, & exacerbatur.

Tertiò notabis, quòd non sit idem, vacuationem E conferre, & facilè tolerari, etiamsi aliqui id existiment: fortasse decepti, quòd hæc duo sæpe coniuncta reperiantur. Falluntur tamen primò, quoniam tolerantia facilis aut difficilis, magis consideratur in ipsa vacuatione, dum fit: conferentia verò, post exactam euacuationem. Secundò, quanquam hæc duo sæpissimè coniungantur, multoties tamen facilis tolerantia sine conferentia inuenitur. Nam frigidæ potus in æstuosissima febre suauissimus est, sed morbū crudiotem reddit. Plurima etiam sine molestia aguntur, quæ saluti vehementer obsunt. Et è conuerso pernicioſi humoris vacuatio conferre solet, sed difficulter fertur. Patet hoc in atra bile, quæ semper lethaliter excernitur, & cum grauissimis symptomatibus, sed aliquando

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 91 sur 927

confert, si præcedentibus signis coctionis excernatur. 4. *Aph.* 22. Sic aliæ vacuationes difficulter feruntur,& vehementer tamen conferunt. In hunc sensum intelligendus est Auic. 1.4.*tract.*2.*c.*63.dum plures,incipientes quartanas, acri medicamento purgantes, ipsas sustuliſſe asseuerat.

Vltimò notandum, quòd conferentia, & tolerantia non solùm medicamentum indicant exhibendum;sed etiam de illius recto iudicio testimonium præbent. Deinde,non tantùm humoris qui morbum infert, sed quandoque alterius cuiusque vacuatio conferre videtur, quando humores conculcati sunt, & valde obstruunt. Tunc enim quolibet humore vacuato, cæteris amplior locus conceditur.At hæc vacuatio etsi conferre videatur,vera conferentia non est;sed tantùm apparens,vt eleganter protulit Auic.1.3.*tract.* 4. *cap.* 20.*ad fin.*§.*non ergo seducat te iuuamentum*, &c.

PRÆCEPTVM LIII.

Medicus humoris vergentiam,& inclinationem rectè perpendat.

MIrabantur haud ita pridem nõnulli,quum pro expositione historiarum nostrarum, scitissimos, & multifariàm doctos politissimi Hippocratis aphorismos euolueremus, cur scientissimus vir *lib.* 1.*sent.* 21. humoris,non naturæ vergentiam & inclinationem expostulet, dum sic ait: *Quæ ducere oportet, quò maximè vergunt, per loca conferentia eò ducere.* Sed Gal.naturam intelligit, *in com. Hac* igitur, *per quam partem sint euacuanda,docet:ipsam scilicet partis naturam,& humoris propensionem.* Quando tamen non constat, qua in parte humores permanentiam habeant, humorum tantùm naturam,pro celebranda expurgatione debes contemplari: quod vniuersaliùs docuit Hip.*lib.*6.*epid. sect.* 2. *text.*15.dicens; *Quò,vnde, & propter quid.*

Hinc fit vt in omni euacuatione, siue à natura,siue ab arte celebrata, tria sint à Medico consideranda. *Primum*,quò fluit humor, aut in quam partem inclinet. Ex hoc documento elicitur ratio interpretandi mentem Hip.4.*Aph.* 4. 6. 7. 9. 17.& 20. quibus locis pro vergentia humoris vacuationem exercendam docet. Hac ratione ipse in ascendente pleuritide venam secat, descendente expurgat,2.*acut.*10.& 11.Sic enim *lib.* 6. *Aph.*22.dicebat.Est enim eius præceptum: *Secundùm quod humores repunt, facere euacuationes.* Idem docet 6. *epid. sect.* 2. *com.* 29. obseruatúrque ab Auicen. 4. 1. *cap.* 3.quandoquidem nauseam vomitu,ventris verò mordicationem, alui subductione persanat. Quod priùs obseruauit Galenus 6. *epid. cit. com.* 9. *in med.* §. *dicunt igitur vomitum.* Hoc modo Celsus *lib.* 1. *cap.*7. *in med.* §. *itaque si amari ructus cum dolore & grauitate præcordiorum sunt,ad vomitum quoque confugiendũ est.*

Secundò considerare oportet,vnde scilicet fluit humor; id est,partis natura. An sit nobilis, vel ignobilis, consentiens, & rectitudinem seruans, an contrà; & alia ex quibus partis natura dignoscitur, ex Auic. 4. 1. *cap.* 1. Semper enim via, per quam vacuatio facienda est,debet habere consensum cum parte,in qua humor est infixus,ex Gal.*lib.art.med.cap.*89.*post med.* §. *propriè autem,&c.*& *lib.*7.*meth. cap.* 8. dum de curatione ventriculi agit,quando humores in illius cauitate sunt impacti.Et *cap.*13.*sequenti.*Quare 4.*Aph.* 12. *in fin.* dicebat,solùm ea euomi naturâ suapte, quæ in ventriculo continentur.

Neque obstat idem Galenus *lib.quos,quib.cap.*3. docens humorem melancholicum semper per inferiora esse purgandum, etiamsi ventriculo adhæreat.Nam id pronunciauit, quia humor melancholicus ob ingentẽ grauitatem qua pollet,vt *lib.*4.*Aph.*9.innuit,inferiores ventriculi partes semper occupat,& sic in ipso prævalet indicatiõ ex propria propensione desumpta, magis quàm quæ à partis natura depromitur. Præsertim cùm ventriculus etiam per inferiora possit expurgari,ex Gal. 5.*meth.*11.*in med.*§.*hinc etiam fit,&c.* Hac etiam ratione in nephritide malleoli venam secat Hip. 6. *epid. sect.* 1.*text.* 6. Quæ doctrina latiùs multò à Galeno explicatur,*lib.*13.*meth. cap.* 11. Hoc modo Hip. 3. *prorrhet. tex.*33.dicebat:*Sanguinis profusiones,quæ ad latus diuersũ fiunt,omnes malæ.*Quoniam,vt inquit Galenus *lib.de rigore,c.* 5. *ad fin.* affectam partem non iuuant, & sanam lædunt. Quare vacuatio per non conuenientem regionem à natura intenta, est cohibenda, & ad contrarium reuellenda; vt docuit Hipp.*lib.*6.*epid.sect.*2. *text.* 29.dicens:*Reuellere, si quò non oportet, vergant.* Quod etiam *com.*33. *sequenti* ipse edocuit.

Tertiò considerare oportet, propter quid, scilicet fluat,an videlicet superante natura, vel superata. Nam aliquando ex humorum copia obruitur & suffocatur: aliquando solùm ipsorum qualitate pungitur & lacessitur.Ita intelligendus est Hippocrates 6. *epid. sect.* 2. *text.*9.dicens:*Alium succum,non qui exeat, ducere: Exeuntem verò,vnà effundere,facere simile,&c.*

PRÆCEPTVM LIV.

Medicus, locum per quem euacuatio est facienda, animaduertat.

QVinque esse conditiones obseruandas, vt per locum conuenientem vacuatio celebretur,4.1.*cap.* 3. Auicenna accuratè edocuit. Quarum prima est, vt rectitudo seruetur,quemadmodum suprà latè prædiximus.Secũda,vt illa pars per quã fit vacuatio,sit ignobilior,ex Gal.1.*Aph.* 21. sic nunquam humor ad membrum principale est attrahendus:de quâ conditione infrà plura.Tertia, vt illa pars sit illi vacuationi secundùm naturam destinata. Vt viæ per quas excurrit vrina,partem iecoris gibbam expurgant; aluus verò partem cauam. Quæ ergò aliter fiunt euacuationes,impediendæ sunt.Quare *lib.de loc.in hom. num.* 21. in morbis oculorum,vomitum prohibet.Et *lib.*6.*epid. sect.* 2. *text.*9 quæ sursum vergunt elata, per inferiora soluẽda esse affirmat. Quare si fluxiones incommodæ sunt, ad partes contrarias, & maximè distantes sunt reuellendæ,ex sententiâ Hip.*lib.de ossib.num.*23.& *lib.* 2.*de natur.human.text.*9.

Quarta conditio, vt in illa parte nulla sit ægritudo. Quia morbus augeretur,& virtus dissolueretur. Et sic 3.*meth.* 6.& 11.in inflammatione sedis, vel partis vicinæ,medicamenta prohibet deiectoria: in inflammatione verò vesicæ,aut colis medicamenta diuretica interdicit.Hanc sententiam confirmat Auic. 16.3.*tract.*1. *cap.* 3.*in med.* vbi in dysenteria materiam peccantem, vomitu euacuat:& Hipp.etiam 4.*Aph.*8.*Tabidos purgare per inferiora,cauentes superiora:*& 4.1.*cap.*28.Auic. repetit, §. *natura quoque.* Quoniam Medicus est imitator naturæ.1.*Aph.*2. Ergò si natura nunquam per partem debilem euacuat, nec etiam Medicus hanc vacuationem promouebit.

Aduertit tamen Auicen. quòd in hoc sit maximum discrimen. Nam Medicus non ita exactè vias cognoscit,sicut natura, per quas ipse humor debet expurgari. Quòd si obiicias, in dysenteria commendari rhabarbarum tostum, & myrobalanorum citrinorum cortices torrefactos:Dic,quòd etsi in hoc morbo vomitus vtilis sit, hæc medicamenta tosta cæterorum adstringentium instar, crassa sua vi intestina roborant,humores incrassant,& ad fluxum valde ineptos reddunt, & eos clementer per aluum expurgant. Quare maior est vtilitas ex robore inducto, quàm noxa ex attractione.

Vltima conditio est, quòd licèt secundùm conditiones

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 92 sur 927

tiones prædictas, locus euacuationi commodus sit, eligi tamen non debet, quando alicui morbo periculosiori fuerit obnoxius. Sic humor ad oculos fluens, ex Auic. 4. 1. *cap.* 3. non est ad os, vel palatum deducendus, quando huiusmodi partes, anginæ, vel alteri oris morbo fuerint obnoxiæ. Imò tunc oportet, inquit Auic. ne masticatoriis quidem admodum calidis vti, vt pipere, pyretrhro; sed potiùs mediocribus, vt thure, aut mastiche, quorum ope humor suauiter vacuatur.

Colliges ex his, quòd quando faciei partes laborant, ante totius corporis vacuationem non esse medicamẽta nimiùm infrigidantia admouenda, quæ humorem validè adstringant, & repellant: ne horum vi, noxius humor in altas cerebri partes refugiat, & damna grauissima pariat, lethales committat capitis morbos, & mortem subitam, quod frequenti experimento est compertum. Plurimos enim vidimus, quibus veris tempore, natura crisis quadam ratione expurgante corpora, pustulæ in tota facie, & capite sunt enatæ, ex quibus fœda emanabat colluuies: qui citra Medici consilium, aut præuiam vacuationem vllam, vnguenta ex minio, cerusa, pompholyge imponentes, aut partes vlceratas decoctis adstringentibus abluentes in feros morbos cerebri lapsi sunt, à quibus vix leuati reuixerunt. Alij sideratorum modo repentè vitam cum morte commutarunt.

Constat deinde, quòd quando in euacuationibus adest humorum propensio per loca conferentia, tunc vacuatio facilis sit, integra, & sine læsione vlla: tunc enim naturam adminiculantem habemus. Si verò vacuatio aliter fiat, natura resistit, humores commouentur, exacerbatur morbus, dissoluitur virtus, & alia incommoda deinceps subsequuntur.

Obiicies: Sic hoc verum est, quomodo Hip. 4. *Aph.* 41. & Auic. 2. 4. *tract.* 1. *c.* 68. plurimo sudore in somno apparente, non euacuant quò natura vergit, sed potiùs medicamentis expurganiibus, per contrarias partes humorem educere conantur? Dic: in prædicto exemplo expurgantium vsus est necessarius, quia illa vacuatio facta per sudorem, non est per conuenientem regionem celebrata. Hic enim sudor multus multitudinem, & crassitiem humoris significat. Qualis materia crassa non per sudoris vias, sed vacuatione per aluum est expellenda.

Si verò adhuc instes, & quæras quid sit faciendum, quando natura ad nullum determinatũ locum est propensa? Dic: quòd tunc liberum cuique sit, conferentem locum eligere; dummodò tamen naturæ robur, humoris peccantis naturam, quantitatem, & qualitatem exactè perpendat. Quando enim vires valent, humoréque sunt multi & crassi, commodè per intestina expurgantur. Si verò pauci, tenues, seroſi; per vrinam, aut sudorem. Sic etiam humor bilioſus per superiora: crassus, & melancholicus per inferiora vtiliùs educitur, 4. *Aph.* 9. Aëris hîc quoque temperies obseruanda, 4. *Aph.* 4. regio, cœli status, morbi natura, consuetudo, corporis habitus, 4. *Aph.* 6. 7. & 8. Hoc modo cutis densitas humorum crassorum transitum remoratur, 2. *de temp.* 6. *ad fin.* In raro habitu faciliùs per cutim expurgatur humor. Signa quinetiam mox apparentia, præsertim critica, naturæ motum & propensionem ostendunt: quomodo dicebat Hip. 1. *Aph.* 12. *Sed ex his quæ mox apparent, indicia sumuntur, &c.*

A ſpicamur; vel etiam existente materia cruda, purgationem posse celebrari, ex Principum mente disceptauimus *lib.* 4. *hist. PP. Med. hist.* 9. In furiosa, turgente in initio, eandem posse offerri cum commodo multo, dictauimus *lib. eod. hist.* 17. sæuiente humore maligno, aut pestilenti, in eodem principio, nulla expectata coctione, eandem saluberrimam esse, contra plures contendimus, *eodem lib. hist.* 48.

Cæteris humoribus exuperantibus, semper concocta materia esse exercendam purgationem, firmat Dictator 1. *Aph.* 22. cuius mentem *citatis locis* sumus interpretati luculenter. Vtrùm verò coctio ad purgationẽ requisita, debeat esse manifesta solùm, vel perfecta, nunc dubitandum. Illam sufficere probat Hipp. 4. *acut.* 43. hoc modo asseuerans: *Quibus in principio vrinæ nebulosæ, & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quòd si vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis: at si videatur, clysterem exhibebis. Tales autem ita curare confert.* Sed crassities post tenuitatem, solùm incipientem coctionem ostendit. Nebula etenim non est signum perfectæ coctionis, sed solùm manifestæ, ex Gal. 1. *de crisib.* 17. *ad fin.* Ergo manifesta coctio sufficit.

Secundò, humor non concoquitur secundùm omnes sui partes simul, sed successiuè, pars post partem, propter sui inæqualitatem: ita vt illa pars quæ est paratior, priùs concoquatur, & semper aliquid remaneat in declinatione coquendum, ex Gal. *lib. de tot. morb. temporib. cap.* 3. *in med.* sententiâ. Igitur non est necessaria perfecta coctio, sed cùm primùm aliqua pars concoquitur, statim debet expurgari. Quod opere obseruat Gal. 13. *meth. cap.* 15. §. *procedente autem tempore, &c.* quo loco in iecoris inflammatione, statim in augmento, quum primùm incipit concoctio, per aluum expurgat.

Tertiò, si non sufficeret manifesta coctio, quæ in augmento apparet, nullum esset tempus expurgationi opportunum. Patet sequela: quia in principio purgatio fieri non posset, cùm sit tempus cruditatis: neque in statu, quia tunc melius est quietem habere, 2. *Aph.* 29. Neque in declinatione: nam in ea morbus est deuictus, & iudicatus, & tunc æger non eget expurgatione: quia *quæ iudicantur, aut iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, sed sinere.* Ergo si expurgatio ab augmenti tempore excludatur, nullum ei tempus idoneum relinquitur, maximè quia nullus tempore declinationis emoritur, 3. *crisi.* 5.

Quartò. Sicut sanguinis missio si in principio omissa fuerit, ob timiditatem ægri, vel quia Medicus non est vocatus, in augmento celebrari potest vtiliter, ex Galeno *lib. de sang. miss. cap.* 20 *& lib.* 9 *meth. cap.* 20. *ante med.* §. *optimum igitur factu est, &c.* eadem prorsus ratione purgatio in augmento fieri poterit, præsertim si morbus sit magnus, & vitæ periculum immineat.

Ex aduerso obstat irrefragabilis diuini Senis sententia, *lib.* 1. *Aph.* 22. qua concoctam materiam esse medicandam asseuerat. Quo loco aduerte, Hippocratẽ non docuisse ea esse expurganda, quæ concoquuntur, sed quæ concocta sunt. Nam quando morbus concoquitur, manifesta quidem adest concoctio; quando verò perfecta, iam est concoctus. Igitur ad purgationem non est sufficiens manifesta concoctio, sed perfecta, quod docuit Gal. *lib.* 1. *Aph.* 24. & 1. *ad Glauc. cap.* 11.

Deinde ideò coctio ad purgationem desideratur, vt habeamus naturam adminiculantem. Sed natura non opitulatur vacuationi, nisi coctione perfecta: nam ipsa ordine recto cùm operatur, humorem non expellit, nisi perfectè coctum, & separatum. Ergo perfecta coctio necessaria est, quod & Gal. dicit 3. *de crisi. cap.* 6. *Tertiò*, in augmento natura est coctioni interna. Ergo non est impedienda aut interturbanda, neque medicamentorum exagitantium ope, neque vi exagitanda, vt 1. *Aph.* 7. & 8. monebat Galenus.

Solue tu hoc modo. Vel morbi sunt acuti, vel diu-

PRÆCEPTVM LV.

Medicus, tempus morbi, in quo vacuatio fieri debet, contempletur.

IN principio morbi, quando est humoris copia multa, quam in posterum naturam non posse deuincere su-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 93 sur 927

turni:In illis perfecta cõcoctio expectanda.Sicut enim natura nunquam perfectè iudicat,nisi in statu, peracta coctione: sic Medicus eius minister solùm post perfectam coctionem vacuabit. Si aliter fecerit, sæua symptomata sequentur, virtutis labor, animi deliquium, vertigo,nausea,tormina, & plura alia.Dic etiam:quòd quemadmodum aliquando natura vel propter morbi magnitudinem, illius malignitatem, vel aliud irritamentum, cogitur in augmento iudicare, *lib.1. crisi. 6.* eodem modo Medicus etiam in augmento, quando propter aliquam causam morbus minatur periculum, solùm manifesta coctione apparente, coactus necessitate expurgabit.

In morbis autem longis,in quibus tenacium & lentorum humorũ abundat copia multa, qui semel ob suã contumaciã expurgari nequeunt, præstat eos paulatim concoquere, & paulatim euacuare,vt docuit Auic.1.4. *tract.2.cap.55.ante med.§. ego verò non diligo in his, &c.* Nam ad paulatinam vacuationem manifesta concoctio sufficit:Et natura in huiumodi morbis rarò humorem ad vnam criticam expulsionem reseruat.Quo pacto interpretandus est Auic.1.4.*cit.cap.39.in med.§. & de solutiuis in principio eius, &c.*Neq; ex hoc distrahitur natura,aut interturbatur concoctio: quia *purgatio fit medicamento attrahente,& natura expellente*,1.*Aph.* 22. Et sic natura redditur humore fortior, & feliciùs concoquit, & promptiùs expellit. Quare ad *primum* argumẽtum, ex Hippoc. 1. *Aph.* 22.dic: ipsum loquutum fuisse de morbis, in quibus concoctio expectari debet; sic enim à natura fieri solet. Ad *alterum* dic:semper natura opem fert euacuationi illius partis humoris, quæ cocta est, in cuius gratiam purgatio exercetur.

Argumenta verò in principio adducta, sic dissolue:Ad *primum* ex Hip.4. *acut.*43.dic:quòd interdũ per vrinam crassam,Hippocrates soleat intelligere mediocrem,vt constat 4.*Aph.*77. & per nebulam aliquando intelligat sublimamentum; quæ manifestæ coctionis sunt signa, & morbum in statu esse demonstrant, de quibus eo loco est interpretandus Hip. Siquidem bilioſi humores facili negotio concoquuntur, ex Gal.1. *de crisi.cap.12.post.med.§.hac quoque causa est.*Quòd si de aliis morbis Hippocratem exponas, adhuc non contradicit: quia in illis perfecta concoctio necessaria non est.

Ad *secundum argumentum* dic:quòd quando materia est homogenea, simul secundùm omnem sui partem incipiat concoqui;vna tamen pars ob maiorem aptitudinem citiùs, quàm alia concoquatur, sed non expellatur:quia cùm sit cum aliis partibus confusa, adhuc à natura retinetur, quousque perfectè coquatur, & elaboretur.

Ad *tertium argumentum* dic:quòd tempus opportunũ purgationi in morbis, in quibus expectatur concoctio,sit pars postrema status, quia est principium declinationis, in quo natura iudicare solet. Sed quando ipsa non iudicat,tunc à Medico purgatio exercenda,vt docuit Auic.1.4.*tract.2.cap.7.post med.§. apud statum verò non moueas,&c.*Hinc constat, quòd licèt multoties sit materia expulsioni parata, non tamen expellatur, nisi natura à Medico adiuuetur: vel quia non irritatur expultrix, vel quia vires ex vi morbi,inedia, symptomatibus,sunt deiectæ valde.Et sic,licèt æger in declinatione vera & vniuersali non moriatur, occumbere tamen potest facta permutatione ex humoris reliquiis, quæ relictæ in corpore recediuas deinde facere consueuerunt,2.*Aph.*12.Quare etsi morbus soluatur, aliquando tamen soluto morbo purgatio administranda, si fortè aliqua portio humoris vitiosi in corpore relinquatur:quod cognoscere docet Hip.*6.epid.sect.2. text.* 19.&.20.

Ad *vltimum* dic: quòd quando morbus purgatione indiget, si hæc in principio fuerit prætermissa, vtiliter in augmento exercetur. Ex quibus inferes corollarium vnum. Purgationem in omnibus morbi temporibus posse celebrari.In principio,quando morbus turget,aut vrget. In augmento, in morbis qui paulatim concoquuntur,& paulatim soluuntur. In fine status,& in declinatione, in morbis qui à natura solent iudicari, quando ipsa non euacuat,vel morbosè operatur.

PRÆCEPTVM LVI.

Medicus in omnibus vacuationibus,modum & quantitatem obseruet.

MEdicum arte Hippocratica dignum, in omnibus vacuationibus,siue ab arte, siue à natura fiant, modum quendam esse obseruaturum, plurimis allatis sententiis confirmarunt prisci. Nam quantitas & mensura vacuationis, humoris prædominantis copiæ respondere debet. Cognoscitur autem humoris quantitas ex ætate,regione,temperamento,consuetudine, victu,& aliis,quæ suprà notauimus.Auicenna 4. *1.c.3.§. & quinta est mensuratio,&c.* ex robore virtutis, ac symptomatibus quæ sequuntur alias prægressas vacuationes,eam venandam esse docuit.

Proponit ergo exemplum Auic.*cit. loc.* in spasmo,id est,conuulsione ex repletione: quam doctrinam accepit à Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 14. Constituit etiam aliud exemplum Gal. *lib. de Ren. dignot. cap.4. ad init.*dicens, quòd in magno lapide renum sanguis in minori quantitate est extrahendus,quàm plenitudo postulat; quoniam aliquid in corpore debet absumi: & sic relinquendum esse aliquid naturæ & viribus, quæ in posterum ob symptomatum vehementiam fatiscunt.

In hunc sensum dicebat Auic.4 1.*cap.* 3. *quòd omnis superflua vacuatio syncopen afferat.* Hæc enim calefacit, inflammat, ebullitionem in humoribus concitat; non solùm ob agitationem spirituum, sed ob surgendi frequentiam, quæ lassitudinem parit, & insomnium, vt Hip.confirmat.2.*prog.*14.& Gal.docet 1.*de dif.feb. cap.* 3.Quare apud ipsum 8.*meth.5. in princip.* febrem concitat, & factam exacerbat. Quare *melius est residuum materiei relinquere,& infrà subsistere, quàm exquisitissimè vacuare*, dicebat Auic. 4. 1. *cap.* 3. Hinc fit vt nihil in medica facultate magis coniecturale sit, quàm cuiusque remedij quantitas,*lib.de sang.miss.cap.* 12. Et sic *ingens in propinationibus pharmacorum purgantium periculum est,quum vel non commouetur purgatio, vel quod in aluum attractum est,non facilè excernitur, vel cum dolore, morsibus,torminibus refrigeratione,pulsuum euanescentia,ac animi defectu exprimitur, vel cùm corpus vehementer perturbatur, interimque paulùm admodum euacuatur,aut euacuatio modum excedit; hoc enim ipsum tanquam malorum omnium extremum in hac parte frequenter contingere solet:* vt Galenus aduertit *lib. aduersus Erasistratum, cap.7.*

Quare semper modus est habendus in euacuationibus omnibus, & aliquid semper relinquendum naturæ;quæ leuata,deinceps concoquit quod concoqui est aptum,& excernit id quod potest excerni. Audi Galenum *lib.& cap.nuper.cit.aduersus Erasistratum*, dum sic ait:*Sit enim,si ita fors ferat, mediocris detractio trium heminarum:vbi si quatuor detraxeris, noxam maximam inferes:duas rursus si euacuaueris, commodabit quidem id satis, lesionis verò nihil afferet: licebit namque tibi vnam illam heminam,vel clysteribus,vel inedia,vel frictionibus, vel sudoribus exhaurire, præterquàm quòd & denuò detrahere si voles,non vetaberis,&c.* Quare in pharmacis exhibendis modum serua.

Quid referam de phlebotomia? *Ex qua copiosa aliqui in morbos inciderunt longos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Aliis, cùm immodicæ vacuationis noxas*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 94 sur 927

noxas ſarcire non potuiſſent, in omne reliquum vitæ tempus, totius corporis temperamentum redditum eſt frigidius. Ex qua refrigeratione facilè ex quauis occaſione læſi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt; alij ex eo ipſo in morbos inciderunt exitiales, aquam inter cutem, & orthopnœam, & iecineris, ac ventriculi imbecillitatem, & apoplexiam, & deliria: vt *lib. 9. meth. 10.* docuit Galenus.

Hoc modo ex immodica venæ ſectione, & vltra iuſtam quantitatem celebrata plurimos mors pro vacuatione occupauit, vt refert Galenus *lib. de ſang. miſſ. cap. 12.* Quo pacto ex Galeni præſcripto *9. meth. cap. 4. Vbi valida virtus ſubeſt, & ætas permittit, vſque ad animi defectum mittere expedit; vbi horum alterum non ſatis reſpondet, tutius eſt, quantùm ſatis viſum fuerit, tantùm principio detrahere: quod defuit iteratione ſupplere.*

Quapropter perbellè monebat Medicinæ Dictator Hip. *lib. 2. Aph. 52. Plurimum atque repentè euacuare, malum: nam omne nimium eſt inimicum naturæ*, quia hæc in ſymmetria conſiſtit. Hac ratione dicebat Gal. *lib. 12. meth. cap. 1. Eſto autem terminus in ægrotantibus, quem non præteribit is, qui ex arte morbum generosè oppugnat, vt tutò medicetur: qui autem vltrà progreditur, crudelis hominis officium facit, qui ſimul cum morbo vitam quoque hominis aufert.* Medicus ergo quantitatem euacuationis exactè contempletur, & ea menſura ſemper euacuet, vt vnà ſtudeat naturæ; morbúmque clàm, furtímque oppugnet.

PRÆCEPTVM LVII.

Medicus non omnem morbum ſuo ſemper medicetur contrario.

ETſi pronunciatum ſit vniuerſale: *Contrariorum contraria eſſe* remedia, vt *lib. 2. hiſt. 15.* latiùs adnotauimus: tamen Auic. *4. 1. cap. 1. in fine* ſic prædixit: *Amplius ſcire debes, quòd non omnis repletio, neque omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario, ex euacuatione, & oppoſitione: imò multoties ſufficit multa regiminis bonitas in repletione, & malitia complexionis, &c.* qui locus hoc modo eſt intelligendus. Non ſemper Medicus doctus morbum contrariis præſidiis perſanare tentabit, vt pluribus in locis & præſertim *lib. 2. Aph. 22.* cum Hippocrate Galenus ipſe confirmat: ſcilicet adæquatis, manifeſtis, & quæ per ſe talia ſunt. De quorum claſſe ſanguinis miſſio, & purgatio eſſe cenſentur.

Morbus ergo optimo victus regimine curandus, præſertim quando mitis eſt, & vires ſunt debiles, aliiſque ſex rebus non naturalibus tractandus. Quibuſdam enim ſufficit inedia, aliis exercitium, plurimis frictiones, multis balneum: hæc enim omnia ex accidenti euacuant, *4. Aph. 2.* Nam vt ait Galenus, *lib. 4. acut. 19. plethorica facta ſyndrome non ſemper ſanguinem mittimus, ſed & frictione, & balneis multis, & abſtinentia, quæ tribus vel quatuor diebus fiat, ad id, quod naturale eſt, reuocamus.*

Quare plenitudine præſente ſanguis non ſemper eſt emittendus: ex præſcripto Galeni *4. meth. 6.* dum ſic ait: *Nam & alia ratione ſi quis etiamnum ſanus, nec adhuc quicquam læſus, in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, non ſtatim huic ſanguinem mittere eſt neceſſe. Imò aliis ſatisfacit inedia, aliis cibi parcitas, aliis ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequentius balneum, vel multa frictio abundè fuit.* Repetit *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap. 10.*

Deinde non omnes morbi præſidiis illicò exagitandi ſunt, ſed commodo victus regimine tractandi. Licèt enim alimenta non ſint morbo contraria, tamen quoniam illorum interuentu virtus roboratur, dicitur curatio fieri à contrario. Tum quia vires validæ cum ſuis inſtrumentis effectiuè aduerſantur morbo, eíque vehementer reſiſtunt, & cauſam morbificam è corpore expellunt: tum quia, vt docet Celſus *lib. 3. cap. 4. Optimum medicamentum eſt cibus opportunè oblatus.* Itaq; vt docet Galenus *1. Aph. 17.* quando putridorum humorũ copia adeſt, alimenta contemperantia ſunt offerenda in quantitate multa, ſi victus poſſit tolerare. Hos enim purgare non conuenit, *2. Aph. 36.* victus regimen autem non contemnendas præſtat vtilitates, *infrà præcepto 65.* deſcribendas, & propoſitas à Damaſceno *in Aphoriſmis*: Celſ. *loc. cit.* Aëtio, *tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 37.* Alzaharau. *tract. 15. pract. cap. 1.* Raſi. *6. Aph. ad fin.* Halyab. *8. pract. vlt.* & Galeno *11. meth. cap. 15.*

PRÆCEPTVM LVIII.

Medicus corpora ſana & temperata, vſu ſimilium conſeruet: intemperata verò & lapſa modico contrariorum vſu reducat.

GRauis difficultas, inter Claſſicos nimis controuerſa, & ab iis agitata ſatis: inextricabilis, ob varias Galeni, & cæterorum ſententias ambiguas & dubias; ita vt natatore Delio egeant diligenti, acuto, forti. Illud igitur primò conſtet, quòd corpora temperata dum ſanitate fruuntur, temperata victus ratione gaudeant, ſimilibúſque in ſpecie & gradu conſeruanda ſint, vt perdoctè docuit Galenus *lib. 11. meth. cap. 3. in med.* & *lib. 1. de ſenit. tuend. cap. 11.* corporibus optimo temperamenro præditis, aërem optimè temperatum ſaluberrimum eſſe docet.

Id confirmat Gal. *lib. art. med. 86.* quo loco conſeruationem per ſimilia; reductionem verò, per contraria eſſe celebrandam aſſeuerat. *Et lib. de inæqual. intemp. cap. 6.* ſcribit: quòd *ſanitatis tutela per ſimilia perficitur*: probátque *5. de ſanit. tuend. cap. 10. in fin. & 11. in princip.* & *lib. 6. cap. 3. 8. meth. cap. vlt. in init.* & *3. meth. cap. 3. ante med. §. ſcire namque licet, &c.* Item *lib. 1. de ſanit. tuend. cap. 7. parum poſt med.* dum dicit, quòd corpora quæ ſecundùm naturam ſe habent, ſeruari debeant: ſeruatur enim vnumquodque ſimilibus, alteratur verò à contrariis.

Contrà ſic argumentor. Natura vbique ſimilibus gaudet & fruitur, corrumpitur verò à contrariis, auctore Gal. *3. Aph. 18.* & *lib. de inæqual. intemp. cit.* Ergo ſemper corpora lapſa ſeu intemperata ſimilibus ſeruãda ſunt. Confirmatur hoc, quia ſemper natura refugit contraria. Hoc modo animalia calidiſſima, in feruentiſſima gignuntur regione, & in ea diutiùs conſeruantur, vt leones, ac elephantes in Africa; in frigida verò regione moriuntur breui. Et calidæ plantæ in aëre calido meliùs ſe habẽt, & in frigido extinguuntur. Et piſces in aqua diutiùs viuunt, in aëre verò, & & terra citò moriuntur. Pueri natura humidiſſimi, humidis alimentis ſeruantur, *1. Aph. 16.* Et intra corporis partes, quædã bilioſo nutriuntur ſanguine, vt pulmo, *6. de vſu part. 10.* & *15. cap. 6.* Aliæ pituitoſo, vt cerebrum: quod ſimilitudinis ratione fit. Quæ enim alicui parti ſimilia ſunt, facilè in ipſius naturam tranſmutantur, quoniam ſimile ſemper ſuũ ſimile appetit. Hoc modo *terra ſqualente, auitum genius meliùs ſe habet*, vt docet Hip. *6. epid. ſect. 4. text. 26.* Quia, vt notat Galenus *in com.* cùm aues ſicciori temperamento ſint præditæ, ſicciori cibo & ſolidiori ſaniùs viuunt: contrà ſues, cùm temperamento ſint præditi humidiori, in cœno, humidioribúſque locis ſeſe volutant, & humidiori gaudent alimento. Ergo natura quæ intemperata eſt, vſu ſimilium poteſt conſeruari, quia iis maximè gaudet.

Sed pro altera parte adſunt rationes validæ. Conſtat enim ex oblatione ſimiliũ non fieri conſeruationem, ſed morbũ. Nam ſi bilioſus vino, exercitio, & calidis cibis vtatur, ſuo temperamento ſimilibus, ſummè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 95 sur 927

læditur,& febricitat,docente Gal.5.*de ſanit.*11.*in med.* A Quod etiam confirmat Ariſt.1.*probl.* 3. ex ſimili ſtatu morbos augeri affirmans. Idem colligitur ex 2.*Aph.* 34.Hip. *In morbis minus periclitantur,&c.* Nam ex ſimili,quamuis minori cauſa,faciliùs incidimus in morbos ſimiles.Hinc fit vt cor calidum,frigido aëre conſeruetur : manus , frigidæ ablutione roborentur : corpora temporum viciſſitudine gaudeant.

Confirmari hoc non inuenuſtè poteſt ex Galeno, 3. *Aph.*2.& 3.docente , quòd excepta optima temperie, quæ ſemper ſimilibus gaudet , reliquæ omnes intẽperaturæ ad contraria bene ſe habent,malè verò ad ſimilia.Rurſus *lib.6.de ſanit.tuend.cap.*3.*in med.*§.*in eo autem qui eſt in calido, &c.* naturis intemperatis contraria eſſe offerenda aſſeuerat; ne videlicet à ſimilibus in morbos B incidant.Et 1.*de ſanit.6.ad init.*monet , vt intemperantiæ intra limites ſanitatis corrigantur.Quo etiam pacto *in art.med.cap.*23.agens de oculis, affirmat , quòd à ſimilibus ſuæ temperaturæ facilè lædantur:à modico verò contrariorum vſu adiuuentur ſummè. Inſuper 5. *de ſanit.tuend.cap.*4.agens de victu ſenum,eos cibis calidis & humidis alit & fouet , qui illorum temperamento ſummè ſunt contrarij.Et *lib.art.med. cap.* 29.& 30.in corde per calorem lapſo,frequentem & magnam reſpirationem , ad copioſam aëris attractionem , tanquam vtilem exoptat. In frigido verò commendat anguſtam & raram.

Accedit Hip.auctoritas *lib.*3.*Aph.*1.dicentis:*Naturarum hæ quidem ad hyemem , hæ verò ad æſtatem bene , vel* C *malè ſe habent,&c.*Et Galen.*in com.* ſic ait. *Ad æſtatem igitur frigidæ & humidæ naturæ optimè habent; ad hyemem calidæ ſiccæ.*Adde quòd 7.*Ap.*59.Hipp.præcepit inediâ humida carne præditis,quia corpora exiccat. Et Galenus 3.*Aph.*3. ſoli corpori temperato , tuta & ſalubria ſimilia eſſe docuit;reliquis autem, contraria vtilia eſſe aſſeruit : repetítque 8.*meth.*9 §.*temperata verò ipſa,&c.* Quare Auerr.2.*part.Canticor.com.*6.calidum temperamentum in morbos labi calidiores , ſi vtatur calidis, pronunciat. Hoc modo ex mente Theophraſti , 1.*de cauſ.plantar.cap.*25.plantæ contrariæ in locis contrariis diuitiùs viuunt,& durant.

Quid plura ? Nonne ex mente Hipp. *6. epid. ſect.*4. *tex.*15. naturæ calidæ ſunt refrigerandæ aqua , vento D frigido, quiete ? Nonne Galenus *lib. de ſalubri diæta, com.*2.*& lib.de bonit.& vit. ſuccor. cap.* 10. §. *ad eundem planè modum,&c.*moderata eſſe conſeruanda : quæ verò modum excedunt , immutanda inculcat ? Nonne elegantiſſimus Celſus *lib.* 1. *cap.* 3. *in med.* intemperata corpora per contraria corrigenda docet?dum ſic ait: *Tenuis verò homo complere ſe debet,plenus extenuare,calidus refrigerare, frigidus calefacere , madens ſiccare , ſiccus madefacere,&c.*

Vltimò,hæc auctoritate Galeni confirmo, ex *lib. de ſanit.ad Thraſybulum,cap.*20.vbi docet,partem Medicinæ quæ curat,atque conſeruat , non differre inter ſe in quali, ſed in quanto. Nam vtraque eadem vitia corrigit:illa, maiora ; quæ præſeruat , minora. Sed ea pars quæ curat , ſemper incedit per contraria.Ergo eodem E modo pars quæ conſeruat, iiſdem vtetur. Sicuti enim pars quæ medetur , aufert inanitionem , repletionem , famem , ſitim , caliditatem , frigiditatem, quando à naturali ſtatu recedunt ; ſic ea pars quæ conſeruat,vitia, quæ intra limites ſanitatis adhuc perſeuerant , emendat. Ergo vtraque contrariis eſt celebranda.

Hanc minimè triuialem difficultatem Iuniorum peritiſſimi ventilarunt, ſed in eius expoſitione varios afferunt ſoluendi modos. Quidam enim naturas intemperatas per contraria remiſſa eſſe conſeruanda aſſerunt; quæ licèt ſint contraria , virtute tamen ſunt ſimilia, cùm conſeruent. Sed non exponunt rectè. Nam contrarium ſemper remittit,& in ſtatu naturali conſeruat.

Alij ſic ratiocinantur , aſſeuerántque naturas intemperatas à mediocritate parùm recedentes,vſu ſimilium eſſe conſeruandas : at verò ſi multùm à mediocritate recedant , per ſimilia non eſſe conſeruandas arbitrantur. Reiicitur ſententia hæc , quia natura intemperata , ſiue multùm ,ſiue parùm recedat , tempore ægritudinis , neutræ diſpoſitionis , aut quando homo negotiis non impeditur , per contraria immutari nequit, ſed vſu ſimilium eſt conſeruanda , vt Galenus docet 5. *de ſanit. cap.* 10.*in fin.& 11. in princip.* & 8. *meth. vlt.*

Plures ſic explicant , & naturam intẽperatam in calore,aut frigiditate , ſemper eſſe permutandam contrariis arbitrantur,quia ob efficaciam qualitatum, periclitantur ne in lapſum ſibi ſimilem incidant : intemperatam verò naturam in humiditate , & ſiccitate, vſu ſimilium poſſe conſeruari. Nam ob qualitatum ignauiam,nullum eſt periculum,quòd vſu ſimilium ægrotent. Corpora enim etſi humidiora & ſicciora reddantur,lædi non ſolent:indicio ſunt ætates.Reiicitur à Galeno 3.*Aph.*3.dicente, ſolam temperatam naturam, & ætatem ſimilibus bene affici;reliquas tamen intemperatas tam calidas quàm frigidas, tam humidas quàm ſiccas,à ſimilibus lædi,à contrariis iuuari.

Adeſt alius,qui inter Claſſicos primas tenet , qui in alimentis conſeruationem debere fieri ſtatuit per ſimilia,in aëre verò per contraria;ſuámque opinionem eſſe rectam,ex mente Rhaſis colligere nititur, qui 17.*cont.* *cap.*6.*in princ.*de aëre agens,affirmat , *quòd aër bonus ſit* C *omnibus bonus,quia temperatis conuenit,vt ſimilis;& intẽperatis,vt contrarius.* Et paulò infra ait , *quòd aër ſemper debeat eſſe,vt medicina.* Non placet reſponſio,quia conſeruatio per omnes ſex res non naturales celebrari debet,vt dilucidè *cap.*86.*art.med.*probauit Galen. Quod non negauit Auic.3.1.*doct.*4.*cap.* 1.*ante med.* §. *Sed & ſecundum poſſibile eſt, &c.* Quare citra rationem , hunc Auic.locum in confirmationem ſuę opinionis adducit. Nam licèt eo loco Auicen. ſolùm nutrien tium faciat mentionem ; aërem tamen quoque , tanquam præcipuum , &magis immutantem intelligit.

Vt verò huius aſſequi poſſis ſolutionem dubij,notabis hanc propoſitionẽ, *ſimilia ſimilibus cõſeruantur*;ſicut D & nonnullas alias, per ſe quidem veras eſſe non poſſe: attamen ob aliquod accidens vbique ad opus reduci. Nam in Philoſophorum iactatur ſcholis,quòd remiſsũ remittit intenſum:quod tamen non rarò fallit.Erit igitur prædictæ conſeruationis per ſimilia ratio , quia actio contraria fit. Quare ſi temperies permutanda non eſt , ſed in eodem ſtatu conſeruanda , omnino ſimilia adhibere oportet, quia ſimile non agit in ſimile, vt Philoſophi docent , & fatetur Auicen. 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 3. *parum poſt med.* §. *Nos namque pro certo ſcimus, &c.*

Veruntamen non ſemper ad conſeruationem ſimilia adhibere oportet ; quia ſimilitudo & voluptas rei ſimilis , in quantitate & qualitate facit excedere: hinc exceſſus & morbus. Quare Galenus *in art. med.* E *cap.* 60. dicebat , ventriculum ſiccum fieri ſitibundum , quia immodico ſiccorum alimentorum vſu ſiccitas augetur,& excitatur ſitis. Et *cap.* 60. docet frigidum ventriculum frigidis eructationibus eſſe obnoxium,quia ob ſimilitudinem immodicè vtitur alimentis frigidis.

Hæc eſt cauſa,quare ſerpentes,animalia alioqui calida,vt viperæ,tanto vini deſiderio flagrent,vt inebrientur,& ſic à venatoribus capiantur , vt refert Ariſt. 8. *de hiſt.animal.cap.* 8. Qua ratione Galenus *lib.* 6. *de ſanit. tuend.cap.*11.calidas temperaturas frigidis tuetur, quia in vſu ſimilium excedentes ægrotant facilè. Ita Primigenes Mytilenæus céleri curſu,& aliis rebus immodicè calidis vtebatur, dimiſſo balneo : quibus omnibus ſi modicè vteretur , conſeruaretur,

Secun

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 96 sur 927

Secundò, non oportet adhibere ſimilia, quia licèt ſimile non agat in ſimile, ambo tamen agunt in tertium. Et ſic lucerna addita lucernæ, magis illuminat mediũ, & ſi ignis igni addatur, magis illuminat. Quare Diocles apud Galenum 2. *Aph.* 34. dicebat, à ſimilibus morbos augeri, ſolui verò à contrariis. Repetitur idem dilucidè, 3. *Aph.* 3. confirmatúrque ab Ariſt. 1. *probl.* 3. docente cum Hip. 3. *Aph.* 1. mutationes temporum potiſſimùm parere morbos: licèt Diocles febrem ardentem hyberno tempore faciliùs curari, falsò tamen aſſeueret. Eadem ratione contrarium non ſemper perimit contrarium, ſed aliquando ex accidenti intendit.

Sic dicebat Hip. 1. *Aph.* 15. *Ventres hyeme & vere naturâ calidiſſimi ſunt.* Hoc pacto æſtate olera frigida naſcuntur, hyeme calida. Hac etiam cauſa aquæ puteales hyeme calent, æſtate verò frigent, ex Aphrodiſ. 4. *probl.* 55. Quare in conſeruandis intemperatis naturis, modicè contraria adhibere oportet, ſi receſſus ſit magnus. Hoc ſignificat Gal. 3. *Aph.* 3. & 18. Et ſic *in arte med. cap.* 13. de oculis dicebat, quòd modico contrariorum vſu adiuuentur, & hoc eſſe commune omni intemperaturæ affirmat. Et *cap.* 76. de ventriculo calidiore verba faciens, dicebat, quòd à frigidis nunquam lædatur, ſi iis vtatur modicè.

Hoc modo intelligendus Hip. 5. *Aph.* 18. vbi frigidum inimicum oſſibus dicit. Et *lib. 6. epid. ſect.* 4. *text.* 15. per calidas naturas, vehementer calidas intelligit. Hoc etiam pacto, cor calore excedens, frigido aëre conſeruatur. Ratio autem hæc eſſe poteſt communis, quoniam forma ad obeundas ſuas functiones, tale temperamentum requirens, mutuam impedit qualitatum actionem, ne ad victoriam fiat; quod multò magis forma poterit, vbi exceſſus inter qualitates fuerit paruus. Nam altera plurimùm recedente, periculum eſt ne contraria ſuperetur omnino; quare eſt fouenda. Hac ratione 5. *de ſanit. tuend.* 3. in conſeruatione actiuarum modicè contraria adhibet, non verò ad conſeruationem paſſiuarum. Hac etiam de cauſa temporum viciſſitudo plurimùm iuuat, quia ex hac contrarietate, quibus mixta conſtant, hæc viciſſim conſeruantur.

His vt vtilibus ſic iactis, hoc dubium ſic dirimendum puto. Cùm periculoſum & inutile ſit, naturas intemperatas vſu ſimilium in eodem ſtatu conſeruare, nec ſemper per æquata contraria ſit reductioni locus; ſatius eſt, intemperatas naturas modico contrariorum vſu præſeruare, ne in lapſus ſimiles incidant. Hoc intelligas velim, dummodò homines non ægrotent, neutri ſint, iter agant, aut aliis negotiis ſint impediti.

Vt verò hæc intimiùs intelligas, perpende omnibus rebus inſitum eſſe appetitum, vt ſuam conſtitutionem conſeruent, quo ſimilia attrahunt, & in ea ſponte ſua feruntur: aduerſa veluti corrumpentia fugiunt, & auerſantur. Hoc modo elementa ad ſua loca feruntur; volatilia, vt aërea, in aëre degere appetũt; piſces, quum ſint aquei, in aqua vitã exoptant; ſic enim optimè degunt, & conſeruantur. Neque hoc his ſolùm contingit, ſed & plantis. Nam nenuphar in aqua creſcit, & & cõſeruatur; aromata in regionibus calidis procreantur. At hic appetitus cùm ratione careat, non poteris metiri menſura in gradu & applicatione ſimilium, vt qui ſæpe modum excedit, quando intemperata eſt natura. Quare ex vſu ſimilium quæ intenſiora ſunt, non conſeruatur natura, ſed intemperantia & furor concitatur. Nam cùm ob exceſſum intemperamenti paratiſſima ſint, vt adauctæ naturæ limites ex vſu ſimilium egrediantur, quæ ſunt intenſiora, facilè lædi ſolent, & in morbos ſibi ſimiles incidere. Quare cùm naturæ intemperatæ morbis ſint expoſitæ, & ſanitatem habeant dubiam & momentaneam, eas in eodem ſtatu conſeruare, periculoſum eſt & inutile. Ideò modico contrariorum vſu ad temperiem optimam, & morbis minùs obnoxiam ſunt reducendæ.

Excipias ab hac reductione, cum Galeno 8. *meth. vlt.* & 5. *de ſanit. tuend.* 10. *in fin.* & 11. *in princip.* & *in art. med.* 86. corpora, quando ſibi diſplicent, aut ægrotant: quia tunc natura intemperata, ſiue parùm, ſeu multùm ab optima temperie recedat, in ea eſt conſeruanda. Nam cum ea, qualiſcunque ſit, conſeruatur, & exercet operationes ſuas ad corporis tutelã neceſſarias: quia curatio morbi nihil eſt aliud, quàm illius in priſtinum naturalem ſtatum mutatio, quæ auctore Galeno *cit. loc.* facilior eſt ad intemperiem naturalem, quàm ad temperiem optimam. Deinde cùm natura à contrariis reducentibus vim aliquam patiatur, ſi homo ægrotet, iter agat, negotiis diſtrahatur, curis interturbetur: tunc natura non eſt fatiganda contrariis, ſed conſuetis, & ſimilibus recreanda. Si aliter tentes, ægros debiles diſtractos opprimes, & hoc modo præpoſtero remediorum vſu, fatiſcentibus viribus, eos præcipites dabis in mortem.

Deinde quia in natiuis intemperantiis, ob exceſſum elementi prædominantis ab intrinſeco, qualitas intemperaturæ intenditur; vtile eſt & maximè neceſſarium, aſſiduo & modico contrariorum vſu ipſam remittere: ne videlicet in ſtatum præter naturam recidere poſſit: & hoc maximè obſeruandum eſt in naturis frigidis, aut calidis, quia ob efficaciam qualitatum hæ morbis videntur eſſe obnoxiæ. Ex qua doctrina ſoluitur omnis repugnantia, quam ex Galeni locis plures auctores elici poſſe perſuaſere ſibi.

Quare quod adduximus de partibus frigidis, & corde calido, hoc modo ſoluendum eſt. In partibus frigidis duplex aſſignatur temperamentum, alterum inſitum, ex elementorum miſcella contractum, frigidum videlicet: adſcititium aliud, ex influxu ſanguinis & ſpirituum, calidũ nempe, cuius ope frigidæ partes actu calent. Vtrumque eſt conſeruandum, quod perficitur, nec per calida tantùm, nec frigida tantùm: ſed per ea, quæ actu ſunt calida, & potẽtiã frigida: nam ſic vtriſq; conſulimus. In corde peculiaris eſt ratio, ob quam aëre frigido gaudeat, quia eſt natura calidiſſimum, perpetuóque mouetur, & ſic periclitatur ne plus iuſto inflãmetur, & in ſtatum præter naturam incidat, cuius noxa toti erat communis. Ob quam cauſam ſagaciſſima natura, vt cor ſanum in cuſtodia conſeruaret, non ſolùm aërem frigidũ conſuluit, ſed alia remedia ad illius tutelam eſt machinata: veluti cùm aquam in pericardio repoſuit, & ipſum cor obuallauit pinguedine multa.

Ad argumentum verò, quod de parte curatrice & conſeruatrice eſt adductum, dic: vtramque non differre in quali, ſed in quãto. Pars enim curatrix, circa morboſam conſtitutionem verſatur, quæ cùm ſit præter naturam, debet remoueri per contraria. Pars autem conſeruatrix, de naturali agit conſtitutione, quæ per ſimilia conſeruatur. Verùm cùm non ſemper in eodem ſtatu, nec ſecundùm qualitatem, nec ſubſtantiam permaneat, perpetuò alteratur & diſſoluitur. Quatenus ergo labitur à naturali ſtatu, & non eſt ſecundùm naturam affecta; vt ad ſuam naturam redeat, contraria requirit. Attamen quamuis ſic labatur, & limites ſanitatis egrediatur, à parte curatrice tamen diſtinguitur, quæ lapſus inſignes ſolùm reſpicit, qui actionem ſenſibiliter lædunt: Conſeruatrix verò pars circa exigua vitia verſatur, quæ operationem non lædunt, imò intra limites ſanitatis reperiuntur: & licèt non ſint præter naturam, omnino tamen naturalia non ſunt.

Sicuti natura temperata eſt conſeruanda per ſimilia, & intemperata per contraria; ſic ætas temperata ſimilibus eſt conſeruanda, intemperata contrariis permutanda, 4. *Aph.* 3. Ita puerilis, cùm ſit humida, ſimilibus

conſer

conseruanda. Sic enim pueri melius nutriuntur, citius accrescunt, diutius viuunt, 1. *de sanit. tuend.* 7. 1. *Aph.* 16. Senes contrà permutandi contrariis, vt melius degant, saniùs viuant. Nam oblatis calidis humidis vitæ principia reparantur. Hac ratione Galenus 5. *de sanit.* 2. eos calefaciendos, & humectandos esse asseuerat.

Vltimò, pro coronide dubium affine & coniunctum proponam, subtile tamen ac præstans, vt sic lectoris animus eius dulcissima recordatione recreetur; nam in eius explicatione ieiuna est lectio auctorum. Si temperamentum naturale, quod optimum est, debet conseruari per similia, quomodo poterit conseruari in ætate pueritiæ, si tunc humectatione opus est: & in iuuentute, si hæc ætas refrigerantia, & humectantia expostulat: & in senectute, quæ calefacientibus, & humectantibus eget? Quare apparet, quòd solùm in ætate adolescentiæ possit conseruari. Sic natura intemperata, quæcunque ea sit, non videtur quòd sit semper per contraria permutanda. Nam interdum temperies ætatis, naturali temperamento repugnat: vt v.g. natura frigida & humida, in ætate iuuentutis, & adolescentiæ. Si ergo vtriusque habenda est ratio, & vtraque, cùm intemperata sit, debet corrigi; videtur impossibile vtramque corrigere, cùm vna ab alia impediatur.

Pro solutione, Nota *primò*: quòd omnia illa, quæ conseruant naturam temperatam, intra latitudinem sui spatij alterando & permutando, dicuntur temperata, & similia: & sic sentiendum est de illis, quæ naturas intemperatas conseruant. Nam sicuti naturæ illæ in indiuisibili non consistunt, sed latitudinem habent; sic idem de causis conseruantibus est dicendum.

Nota *secundò*: Temperamentum ætatis vnum & idem esse cum naturali, & solùm distingui, quia temperamentum ætatis est temperamentum naturale, si secundùm habitudinem caloris ad humidum considereretur. Nam quia in pueritia cum calore abundat humiditas, vocatur calida & humida; in adolescentia, quia temperatur humiditas, vocatur temperata; in iuuentute, cùm permaneat caliditas, & imminuta sit humiditas, dicitur calida & sicca; in senectute, quia iam imminuta est caliditas, & simul siccitas est multùm adaucta, vocatur frigida & sicca. Itaque hoc temperamentum non absolutè & simpliciter tale dicitur, sed facta comparatione vnius ætatis ad aliam. Qui enim temperatus est, in omnibus ætatibus est temperatus; & qui per omnes ætates intemperatus est, per eas eandem intemperiem seruat. Verùm cùm temperamentum illud habeat latitudinem, quia in pueritia exuperat humiditas, tunc respectu aliarum ætatum puer vocatur humidus. Et sic de reliquis ætatibus sentiendum.

PRÆCEPTVM LIX.

Medicus humorem peccantem, per partem principem, vel affectam, non euacuet.

GRauem sententiam Auicennæ, omnis Medicorũ chorus laudat & amplectitur, qua *lib.* 1. *cap.* 1. docemur: *Non esse faciendum transitum humoris per principale membrum.* Cùm enim præceptum artis medicæ sit inuiolabile, vt per locum conuenientem, & excretionibus destinatum deferatur humor, siue ab arte, siue à natura vacuatione celebretur: iccircò si ille versus partem principem moueatur, huius motum prohibere oportet, & ad partem ignobilem, vel minoris momenti, auertere est necesse, ex Galeno *lib.* 7. *meth. cap.* 11. Si enim humor noxius in præcipua parte stabuletur, timor est ne adhærens, inflammationem, aut alium affectum committat inemendabilem: vel ab eius tetro & putrido vapore robur partis dissoluatur, & hoc modo accidant syncope, cardialgia, animi deliquium, & alia, quæ difficilem deinceps habent correctionem.

Sed obstant plura. Primùm: In inflammatione iecoris, & lienis, vtraq; axillaris secatur ad euacuandum & reuellendum. Sed tunc transit humor per cor. In affectibus capitis & oculorum, ad reuellendum salubris est vacuatio per aluum, ex cuius fluxu & vapore vitioso lancinatur cor. In continentibus & continuis, oblato medicamento expurgante humor ad iecur fertur, ex quo ad mesaraicas & intestina deriuatur. Hoc etiam modo suas facit vacuationes natura, quando vomica pulmonis per aluum, vel vrinã expurgatur, quod aliquando contingit, vt 6. *de loc. cap.* 4. docuit Galenus.

Respondent plures, quod humor putridus & corruptus non sit ad partem principem, tanquã ad terminum attrahendus, ob causas dictas: at verò rectè possit permitti, vt per illam transeat, sed non immoretur, ne cunctatione sua partis firmitudinem dissoluat. Non quadrat responsum, quia quando immodica adest hæmorrhagia, cucurbitulæ hypochondriis admouentur, reuulsionis causa. Similiter etiam timor repentinus incutitur, aut facies subitò frigida irroratur; vt scilicet retrocedat sanguis ad cor: sed tunc sanguis ad partem principem, tanquam ad terminum solet auerti.

Dic ergo, quòd quando humor caret vitio, & partes principes eo indigent ad custodiam sui, non sit inconueniens, si ad eas veluti ad terminum reuocetur; vt in nimio sanguinis fluxu non rarò contingit. Quando tamen humor est putris & noxius, si fieri potest, nullo modo ad eas est reuocandus. Verumtamen quando aliter fieri non potest, rectè per principem partem potest auerti, quia tunc maior est vtilitas noxâ.

Quòd autem per affectam partem humor noxius non sit vacuandus, pluribus confirmat exemplis Galenus *lib.* 13. *meth. cap.* 11. Hoc modo inflammatis intestinis, ventriculo, vtero, vrinæ vasis, pudibundis, purgatio per aluum reproba. Inflammatis faucibus, palato, linguâ, ore, apophlegmatisma noxium. Hac de causa renibus affectis, damnantur diuretica, & læso ventriculo, inutilia sunt quæ vomitum prouocant. Hac ratione vtero phlegmone tentato, temerarium est offerre quæ menstrua mouent. Demum in omnibus longissimè à parte, quæ fluxione tentari incipiat, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit.

Hoc tamen intelligas, dummodo affectus sit recens, & humor cõfluat. Nam si est diuturnus & inueteratus, tunc licet aliquando cum aliqua noxa, maiori tamen vtilitate, per locum affectum humorem peccantem expurgare. Hoc pacto in alui fluxu diuturno expurgantia exhibemus. Nam *fluxus fluxum curat*, vacuãdo causam, vt monuit Galenus 6. *epidem. sect.* 2. *com.* 9. Et Hip. 4. *acut.* 110. dum sic ait: *Si venter liquidus fuerit, bilisque excernatur, vexéntque tormina, & vomitus, & mordicationes, quiescere his optimum est, mulsam bibere, non vomere.* Et Galenus non solùm mediocriter in alui fluxu ventrem mulsâ subducit, sed valenter expurgat. Sic enim ait, *cit. acutor. loc. Qui autem in affectionibus huiusmodi sæpius valenter auxiliatur, is cacochymiam valente medicamento affatim expurgat, vires ægri, & habitum contemplatus, anni tempus, ætatem & constitutionem.*

Hac methodo nixus, affecta sede, non veretur expurgãtia per aluum, dũmodò in initio morbus non sit. Sic enim ait 4. *meth. cap.* 6. *Neque enim cùm vel circa sedem, vel aliquam vicinam partem initiũ plegmones incidit, purgantia admittes.* Nã tunc est timor, ne ad partem dolentem maiori impetu confluant succi, & geminatâ affectione vires prosternantur. Hoc modo per partem affectam sanguinem in initio non emittimus: nam tunc venæ sectio fluxionem auget; quam esse admittendam cessante fluxu, Galenus 4. *math. cap. nuper citato, in fin.* edocuit: *Ac si perpetuum est, quod ab eo didicimus,*

incipien

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 98 sur 927

incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse: fixam verò iam in laborante particula, vacuandam esse vel ab ipsa particula quæ affligitur, vel à maximè vicina: in promptu nobis & de sanguinis detractione colligere nunc est, quòd in principio hæc è longinquo, postea ab ipsis exulceratis partibus, sit molienda. Quia vacuato corpore, iam non est metus, vt humor ampliùs magna copia possit affluere, ita vt affectum exasperet.

Quare summa cum ratione in angina, post depositam plenitudinem, sectis brachiorum venis, eas quæ sunt sub lingua, secamus, ex Hip.4.*acut.*30.*In phrenitide, & dolore capitis diuturno, in fine, venam frontis tundimus*, ex Hip.5.*Aph.*68. & Gal.6.*epid. sect.*2.*com.* 10. In oris Gallicanis vlceribus diutinis, Mercurialia vnguenta artubus imponimus, quæ suapte natura humorem expurgant per os, & fluxionem conuocant. In recti intestini vlceribus Gallicis, iteratas potiones consulimus, quæ licèt humorem noxium deferant per aluum, cum aliqua noxa & damno; est tamen commodum maius, præsertim si affectus non sit in principio. Verùm, licèt hæc rectè fiant modo iam dicto, tamen non euertunt illud præceptum: Ne humor vacuetur per partem affectam.

PRÆCEPTVM LX.

Medicus in morbis longis mutet ægros de terra in terram.

DIuinissimus Senex sic profatur *lib.*6.*epid. sect.*5.*text.*20. *Solum vertere in morbis longis conuenit.* Galenus *in com.* sic interpretatur: *Siue nauigans, siue terrestre iter faciens quispiam, in alteram regionem migrauerit, vel motus in itinere, aut nauigatione, vel aëris mutatio proderit; & maximè cùm in aërem contrariæ temperaturæ discesserit. Contrariam autem dico, non solùm aëris propriæ ægrotanti regionis temperamento, sed etiam ipsi morbo. Nam si humidus morbus sit, in sicciorem aërem migrandum erit; si siccus, in humidiorem; eadem quoque ratione si calidus morbus sit, in frigidiorem; si frigidus, in calidiorem: similiter si calidus sit morbus & siccus, ad humidiorem, frigidioremque aërem abeundum est: sic & in reliquis coniugationibus.*

Auicenna Hippocratem & Galenum æmulatus, sic profatur, 4.1.*cap.*1.*prope fin. Et ex iis præterea, quæ huic modo medicationis sunt propinqua, est mutatio de terra ad terram, & de aëre ad aërem. Mutatio enim de ciuitate in ciuitatem, & de regione in regionem, recreat, delectat, vires reficit.* Deinde ob motum calor natiuus excitatur, qui robustior factus, causam morbi meliùs concoquit, & celeriùs discutit: dummodò aër sit morbo curando contrarius. Ob hanc causam Gal. *lib.*5.*meth. cap.*12. phthisicos mittebat ad montem Tabianum; quo loco aër siccior erat, & exiccandis vlceribus aptissimus. Et veteres mittebant eos in Ægyptum, ob nauigationem; quoniam aër marinus exsiccat vlcera. Hinc fit, vt ait Arist.23.*sect. probl.*8. vt qui se mari lauant, ocyùs resiccentur. Ita Plinius, qui scripsit quatuor libros de re medica, *cap. de phthisi*, summè laudat, vt tabidi viuant in saltibus, vbi pix nascitur; quia aër ille siccitate sua saluberrimus est, & vlcera exiccat.

Alij sententiam Hippocraticam sic exponunt: *Solum patrium vertere in morbis longis conuenit:* hoc est, quum quispiam extra suam patriam diu ægrotat, & non conualescit, optimum est vt in patriam redeat. Quæris causam? Prima sit, quoniam ægri ferè morosi sunt, tristes, melancholici, quibus nullum aliud suauius medicamen exhiberi poterit, quàm solatium, lætitia, hilaritas, cúmque amicis & familiaribus, cum quibus diu vixerunt, grata confabulatio.

Deinde amor patriæ est iucundus, voluptuosus, & ægros magis obedientes reddit. Nihil est dulcius patria, etiamsi quis longè diuitem domum terra in aliena habitet, vt *lib.*9. *Odyssea, versicul.*34. cecinit Homerus. Et Cicero *lib. de orator.*1.& 2.*de leg. Nos patria delectat, cuius tanta est vis, tanta natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxis, tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret.* Nimirum, vt idem ait, *Orat. in Catil.*4. *Patriæ solum cùm omnibus est charum, tum verò dulce, atque iucundum.*

Eam Plato 15. *de leg.* ait esse dominam ac Deam, quam mortales magis debent obseruare & colere, quàm matrem. Quare in suis legibus antiquus Ligislator Charondas, nihil patria dicit esse coniunctius. Quo pacto Cicero *lib. epist. fam.*11.*epist.*27. patriæ amicitiam esse omnibus præponendam affirmat: *Chari*, inquit, *sunt parentes, chari liberi, familiares, propinqui, sed omnes hos vincit patria.* Quod veterum testimoniis atque exemplis firmat Franciscus Petrarcha, *dialog.*15.*de vera sapientia:* qui præclarè *lib.*3.*rer. memor. tract.*2.*cap.*41. de patriæ amore agit. Lege & noua quædam, *in noua Langij Polyanthea.*

Deinde aër patrius & nutritius est connaturalis valde: & sicut maternum lac cæteris est præstantius, quia magis naturale; ita aër patrius, cuius ope in primordiis vitæ sumus adiuti, magis prodest, & propter cælestes influxus, quibus ab incunabulis vitam duximus, nos ampliùs roborat, & salubriùs afficit, etiam labascentes conseruat, & ab aliquo morbo affectos ad pristinum statum reducit.

Quòd si patrius aër sit morbo contrarius, ex præsidiorum numero vnum efficitur, vt Galenus ait *lib.*9. *meth. cap.*4. Si verò intemperatus est, & morbum fouet, non est laudandus. Sicuti lac maternum, quando est bonum, quia magis cognatum & familiare, præstantius est & conuenientius infanti: si autem sit vitiosum, minimè commendatur. Id quod dicebat Hip. *lib. de alim. n.*8. *Lac proprium, nociuum.* Nam intemperatæ naturæ ad loca similia malè se habent; ad contraria, benè. Ideò in regionem contrariam mutari debent, modò maximè intemperata non sit: quoniam ea mutatio periculosa est, præcipuè si repentè fiat.

In morbis acutis hæc mutatio est reproba valdè: in iis enim salubre est, iacere & quiescere. Nam si motus in lecto distrahit naturam à coctione, resoluit vires, corpus fatigat, 2.*Aph.*28. quantò magis motus de loco in locum? 4. *acut.* 48. Coctio enim perficitur quiete. Hoc modo plerique cùm cœpissent febricitare, ob motiones & exercitationes, acutissimis & exitialibus morbis fuerunt correpti, vt 3. *Aph.* 20. notauit Galenus. Excipias eos, qui in itinere ægrotant, qui aut spe inuisendi domum, aut quia deficit Medicus, possunt, coactè tamen, mutationem efficere.

PRÆCEPTVM LXI.

Medicus naturam, vt primarium sanitatis opificem, semper adiuuet.

NAturam nostram, quæ semper vtilitatem animantis intendit, à Medico esse adiuuandam, vt operationes suas rectè efficiat, vbertim Galenus proposuit, *lib. de opt. sect. ad Thrasybul. cap.*42. Auxilia enim medica per se morborum causas non eradicant, sed adminiculum naturæ requirunt. Illa enim solùm iuuant naturam, & ei impetum, motúmque vehementem præstant: natura verò reliqua perficit ac complet. Hoc modo Auic.1.4.*tract.*2.*cap.*8. dicit: *Curans verò; sicut scitisti, est virtus, non Medicus; quoniam Medicus est minister, faciens peruenire instrumenta ad virtutem.* Et *cit. loc. ad Thrasybul. cap.* 26. protulit idem Galenus: *Natura est primarius animalis opifex, quæ morbos soluit, & sanitatem restituit.* Hip.6.*epid. sect.*5.*text.*4. asseuerat: *Naturam esse morborum medicatricem:* & eam omnibus subuenire,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 99 sur 927

subuenire, docuit *lib.de aliment.num.*4.repetitque Galenus *lib.*1.*de dieb.decret.cap.*7. *ante med.*

Obiicit Galenus *in com.prædictæ sententiæ*,hoc modo: Si natura omnibus subuenit, & morborum est medicatrix; ars medica superflua est, & de medio tollenda. Præterea, Galenus *lib.*9. *meth.* 13. sic ait: *Prima igitur omnium indicatio est, quæ à virtute sumitur: verùm non sic prima, vt quæ curationem doceat, cùm ex numero curatricium indicationum non sit, verùm vitalium, siue quæ ad vitæ custodiam pertinent. Nam neque vt valeamus, nec vt à morbis liberemur, ab ea quicquam primùm desumimus, sed vt viuamus.* Ergo ea non est morborum medicatrix, si ab ea indicatio curatiua non est desumenda.

Gal. *cit.epid.* respondet obiectioni primæ,asseritque naturam morbo mederi. Hoc tamen non obstare, quominùs sit verum, artem medicam, & Medicos, morbos curare, sicut & præsidia medica. Sed in curatione quædam primum, alia secundum, alia tertium obtinent locum. Natura tempore & dignitate maximè & præcipuè auxiliatur morbis, primásque in curatione tenet; cùm sit principium intrinsecum conseruationis rerum; & morbus sit passio corruptiua, cui natura strenuè repugnat, ipsúmque debellat & superat, & vtens mediocritate quadam, tanquam aduersatrix morbo opponitur,vt bellè 11.*meth.*2.dictabat Galenus.

Obiicies, & meritò sanè: Si ars medica iuuat operationes naturæ, cur locum non obtinebit primum? Nam etiamsi auxilia medica morbis sint contraria, in morbum non primò feruntur, sed naturam, vt illorum ope hæc adiuta superior euadat & vincat. Et quamuis asserat Galenus 6. *meth.*8. & *lib.de const. art.med.*12. *in fin.* quædam fieri à natura, quæ non possint fieri ab arte, vt coctio, & carnis generatio: tamen plura alia fiunt ab arte, quæ non possunt fieri à natura, vt partium vulneratarum coniunctio, quæ futuris & ligaturis perficitur, articulorum luxatorum repositio, carnis crescentis ablatio, & inflammationis, quæ à natura persæpe excitatur, curatio. Ergo ars non est ministra naturæ, sed præcipua morborum medicatrix censenda.

Dic: Aliquid fieri ab arte, quod naturæ est impossibile: verùm ea opera nunquam ab arte perficiuntur, nisi interueniente natura; ea enim artificialia non sunt, sed naturalia. Nam partium coniunctio quæ futuris fit, nunquam est perfecta, nisi actio naturæ carnem-generantis accedat: nec articuli firmantur, quousque à natura robusti fiant: neque inflammatio, ob confluxum humorum incitata, curari potest, nisi partis inflammatæ natura, cum auxiliis ad soluendam inflammationem vnà concurreret.

Medicus sanitatis est causa, quatenus est artis minister, vt docet Galenus *lib.*1.*epid.sect.*2. *com.*51. Quum enim auxilia tempestiuè, in conuenienti quantitate & qualitate ministrat naturæ, artis instrumenta ad naturam peruenire facit, vt *cit. loc.* monuit Auicenna. Auxilia medica, licèt tempore & dignitate sint postrema, in operis exequutione sunt prima, súntque illa quæ primùm corpus alterant; & mediante eorum materia immutante, animal in sanitatem perducitur: quorum ope ars medica & Medicus operantur.

Sicuti ergo ars, & artifex non primùm mouent, sed interuentu auxiliorum: sic natura & primò, & per se, & sola mouet: nam sæpe sine auxiliis medicis morbos superat; concoquit enim,causam morbificam expellit, & remouendo ea quæ morbum fouent, corpus paulatim ad pristinum statum deducit. Et hoc non solùm in morbis mitibus (de quibus Galenus 1. *de loc.*2. *in fin. Soli illi morbi externo egent auxilio, quos natura ob magnitudinem vincere nequit*) experiuntur Medici, sed veritatem habet sententia hæc in grauioribus morbis;ex quorum classe febres acutæ, & inflammationes internæ esse censentur, vt docet Auerroës *lib.*7. *collig. cap.* 31. dum homines validos & ferinos, à morbis acutis posse fieri immunes, sine artis & Medici auxilio sponte sua, asseuerat. Quando tamen est impedita & languet, medicis auxiliis vacuantibus, alterantibus, & reficientibus eget, vt *lib. de ven. sect. cap.*4. *in fin.* docuit Galenus. Quando morbus est in habitu, qualis est febris hectica; quia non remanet inclinatio, nec aptitudo, vt partes in naturalem redeant statum, ab intrinseco solùm non sanatur: quia sanatio hæc à parte sana solùm præstatur, vt Arist.ait 7.*Metaph.*8. Exoptat ergo morbi habitualis curatio medica præsidia; licèt ab his solùm fieri nequeat, quia non est res artificialis, sed quæ à principio intrinseco emanare solet.

Ad secundam obiectionem, in initio propositam, dic: Virtutem primò & per se indicare sui custodiam & tutelam: ex accidenti tamen etiam curationem. Quum enim constat, auxilia medica vacuantia celebrari permittit, quorum ope & beneficio superantur morbi: quod Galenus *in calce prædicti capitis* insinuat, quum dicit: *Ex accidenti virtutis corroboratio ad affectus curationem conducit.* Quò enim robustior est, eò securiùs, & cum maiori audacia administrantur præsidia. Adde, quòd sicut quælibet res naturalis non solùm virtutem sortita est ad conseruationem sui, sed simul eam, qua contrariis corrumpentibus repugnet: sic necessariò animalia, quemadmodum susceperunt diuersas virtutes, quarum auxilio viuunt & conseruantur, sic etiam sortita sunt virtutes, quibus à contrariis aduersantibus secundariò se tuentur. Hoc modo intelligendus est Galenus *loc.cit.* quum inquit: *Non vt valeamus, nec vt à morbo liberemur, à virtute quicquam primò desumimus.*

PRÆCEPTVM LXII.

Medicus robur facultatum obseruet diligenter.

GVbernant animal tres diuersi inter se generis facultates, toti corpori ex suo quodam veluti fonte quæque distributa. Eas Plato animas vocat, propriam cuiusque substantiam inueniens. Est enim earum quædam ad nutriendum animal necessaria, ac cum stirpibus communis, quæ iecur veluti pro fonte habet: canales verò ab hoc in totum corpus sparsos, ipsas venas. Hanc seu appetitricem, seu naturalem, seu altricem voces, nihil interest: veluti nec si animam, aut facultatem. Altera est, quæ non modò vt stirpibus, aut vita præditis, sed etiam vt animantibus anima est insita. Hæc sedem in corde habet, ipso quoque insiti caloris quodam ceu fonte. Ab hoc fonte canales arteriæ sunt: vocatúrque hæc multis sanè nominibus. Nam & facultas siue virtus vitalis, & facultas siue virtus animosa, & anima vitalis, & anima animosa dicitur. Tertia anima ratiocinatrix, in cerebro domicilium habet. Ea voluntariis actionibus vnà cum sensibus præsidet. Vtitur & hac particulis quibusdam, ceu canalibus, nempe ipsis neruis, sensum motúmque per hos in totum animal transmittens. Ergo has facultates seruare, nihil planè est aliud, quàm vitam seruare. Siquidem monstratum est, qualibet earum amissa, reliquas quoque vnà perire. Hactenus diuinissimus Galenus 9.*meth.cap.*10.

Quare prudens Medicus facultatum robur præcipuè attendat oportet: nam hoc ad euacuationes summè necessarium est: Quare non erit extra rem proponere dubium, Vtrùm facultatum omnium robur ad vacuationem sit necessarium? Galenus solùm facultatis vitalis meminit in locis multis. Sic *lib. de sang.miss.cap.*8.*in med.*in senibus prohibet venæ sectionem, quia in illis virtus vitalis debilis est. Huius enim virtutis ope, animalia omnia opera exequuntur, 1. *acut.*44.*post med.* Qua ratione *lib.de sang.miss.*12.iubet, vt in extractione sanguinis vsque ad animi deliquium, pulsum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 100 sur 927

pulsum tangamus, ciúsque diminutiones animaduertamus. Si enim virtus pulsifica labitur, statim sanguis supprimendus est, ne vide licet pro animi deliquio mors occupet; quemadmodum plurimis contigisse vidit, 9. *meth.* 10. §. *Duos namque, &c.*

Huius robur non solùm præsens, sed imminens est obseruandum. Hac ratione homo bilioſus, cuius habitus facilè dissoluitur, æstiuo tempore constitutus, non tolerat venæ sectionem, nec purgationem. Hæc enim solùm sunt magna auxilia, 2. *Aph.* 29. Hoc modo 2. *sec. loc. cap.* 1. *rubric.* 6. *ante med.* in curatione doloris capitis ex ictu, exordiendum esse à venæ sectione, dummodò facultas vitalis non sit imbecilla, asseuerat. Et *lib. de sang. miss. cap.* 13. aduertit, quòd pulsus validus cum æqualitate, est minimè fallax robustarum virium signum.

Robur facultatis naturalis ad omnes vacuationes non est necessarium: nam in principio, morbo adhuc existente crudo, copiosè sanguis extrahitur; quo tempore de illius robore non constat, vt quod ex coctione deprehendatur, ex Galen. *lib. de sang. miss.* 6. *in med.* & 1. *ad Glauc.* 14. *in fin.* quæ tamen illo tempore non appareret. Deinde, si ex facultatis naturalis debilitate non lædatur facultas vitalis, sanguis extrahendus est; vt patet in hydrope, ex vacuatione consueta retenta, suborto: in quo Galenus 4 *acut.* 111. sanguinem extrahendum imperat.

Robur facultatis animalis ad euacuationem non est necessarium: multoties enim ad animi deliquium sanguis extrahitur, *lib. de sang. miss.* 12. & 9. *meth. cap.* 4. Nam cùm ægrotantes quiescere debeant, motu musculorum non egent, ac proinde nec facultate animali robusta, ex Gal. 7. *meth. vlt.* §. *Maxima est cordis officij dignitas, & ad obeundas actiones maximè necessaria, &c.* Quare in Apoplecticis & aliis cerebri affectibus, licèt animalis facultas languida sit; nihilominus tamen vacuationem exercemus. Quo pacto intelligitur Auic. 4. 1. *cap.* 3. §. *Quandoque plus eligimus casum alicuius virtutis, &c.* Maximè cùm sanguinis missio & purgatio ob eam causam debilitent, quoniam sanguinem & spiritum exhauriunt, quæ substantiæ maximè in vasis abundant.

Neque obstat Galenus 10. *meth. cap.* 1. *post med.* §. *Cùm autem in his examinandis, &c.* Quo loco solius naturalis facultatis meminit, & illius tantùm robur requirit. Nam ibi per naturalem, omnes tres intelligit, quia corporis naturam constituunt. Vel per naturalem, etiam intelligit vitalem. Nam cùm hæc distinguatur ab animali, vtpote quæ voluntaria est; ambæ dicuntur naturales, ex Galen. 2. *de sympt. caus.* 1.

Obiicies deinde Galenum *lib.* 11. *cap.* 9. Quo loco facultatem naturalem, cuius interuentu morbi concoquuntur & extirpantur, summè extollit: Quare necesse est vt ea ad humorum putridorum coctionem valeat; quæ si fuerit languida, interdicenda vacuatio est: nam ob euacuationem defatigata, morbum superare non poterit. Quare Galenus 2. *Aph.* 29. *ad finem*, robur huius facultatis ad euacuationes omnes plurimùm exoptat.

Vt verò huic obiectioni faciamus satis, aliqua sunt præmittenda, quæ Hippocratis Galenique doctrinam præclarè adornant. Ergo inter has facultates hic seruatur ordo, vt vna earum amissa, reliquæ deficiant. At in actionibus inest discrimen, cùm multò magis reliquæ compatiantur cordi, quàm cor ipsis: pereunte enim actione cordis, aliarum facultatum actiones perire est necesse; non contrà. Quod patet ex Galeni doctrina 2. *acut.* 47. vbi ait: *Velocissimæ accidunt mortes corde patiente, deinde effecto cerebro, tardissimæ ab hepate prodeunt.* Et sic intelligendus est Galenus *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 1.

Illud verò animaduertendum, quòd tam in conseruatione sanitatis, quàm in curatione ægritudinis in vniuersum, potissimùm facultate vitali simpliciter indigeamus; deinde naturali; vltimo loco, animali, respirationis gratia, ex Gal. 7. *meth.* 13. Cæterùm, pro curatione morbi materialis venosi generis; propter coctionem & expulsionem humoris, facultate naturali magis, quàm aliis robusta indigemus, ex Galen. 11. *meth.* 9.

At verò in morbis thoracis, non solùm facultatem naturalem robustam exoptamus, sed etiam animalem: quia humoris excretio, qui partes spiritales molestat, non fit à facultate naturali, sed ab animali per expuitionem perficitur. Quare 1. *progn.* 67. etsi multoties in pleuritide cæterisque thoracis affectibus, concoctus sit humor, attamen præ animalis facultatis debilitate non excernitur; ob quam causam creberrimè suppurati moriuntur, vt *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 3. docuit Galenus.

Ex quibus colliges corolloria plura. Primum, potissimam ad euacuationem indicationem à facultate vitali esse desumendam: deinde à naturali: vltimo loco ab animali. Cæterùm, si affectio propria & peculiaris iecur occupet, à facultate naturali robusta potior indicatio depromitur. Quemadmodum si morbus cerebrum potissimùm infestet, à facultate animali est elicienda indicatio. Hanc doctrinam eleganter docuit Galenus, *in compendio pulsuum, cap.* 21. *ad init.* §. *Magnam verò dixi habere vim, &c.*

Colliges deinde, Galenum de ope facultatis animalis etiam plurimùm fuisse solicitum; quia non solùm ægris ad respirationem, sed ad promptam facilémque excreationem est necessaria, 5. *de loc.* 3. Deinde ad facilem motum in lecto multùm iuuat; ex cuius debilitate plures, præsertim crassi & pingues, interire solent. Accedit quòd facultatis animalis læsio vehemens, periculosior est, & citiùs mortem infert, quàm facultatis naturalis noxa, 5. *de loc.* 1. Quare omnium facultatum robur, ad sanguinis missionem & purgationem est necessarium, sed præcipuè vitalis; deinde naturalis; omnium minimè animalis: quia vitalis est veluti forma reliquarum. Si verò Galenus, & alij prisci auctores solùm vitalis robur exoptant, illius principatum respiciunt, & quia certiores & euidentiores de se ex pulsu notas præstare solet.

Hinc colliges etiam, Medico vtile esse valde, ad celebrandam vacuationem, vires cum morbi magnitudine conferre. Si enim morbus est magnus, & robustæ vires, vniuersa morbi causa simul auferri potest. His enim scopis auctis, vacuatio liberalior celebranda. Si verò non ita vigeant vires, parca est exercenda, ex Gal. *lib. de sang. miss. cap.* 13. Quòd si vires valde imminutæ sint, & morbus sit grauis & periculosus, vt angina, & pleuritis; tunc parcissimè vacuandum, & alimentis boni succi, crebrò & modicè vires reficiendæ, paulatimque vacuatio exequenda. Et hæc est curatio, quam Medici per epicrasin vocant, vt notat Galen. *lib.* 9. *meth. cap.* 10. quando scilicet paulatim quod vitiosum est vacuatur, & pro eo quod salubre & optimum est, reponitur. Interdum tamen ita vires ad extremam debilitatem sunt redactæ, vt nec minimam vacuationem tolerare possint. Quare tunc eas iamiam labascentes solùm restaurare oportet. Ita docuit Galenus *lib.* 9. *meth. cap.* 13. dum sic ait: *Quòd si quem curare studes, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore quo vires reficimus, nihil aduersus morbum est faciendum. Quum autem conieceris, vt nihil aut parùm ex euacuatione sint ladenda, tunc est ad affectus curationem accedendum.*

Colliges vltimò, Medicos magno indigere iudicio & experientia, vt robur virtutis exactè agnoscant. Nam aliquando in magna virium penuria, vacuationes spõte, & in magna copia salubriter erumpunt, & Medici in ægris debilissimis vacuationes liberales exercent. Hoc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 101 sur 927

constat ex Hip. *lib. 3. epid. num. 2.* qui virum in Oeniadis tabescentem & consumptum persanauit, extracto in vtraque manu sanguine, quousque exanguis redderetur. Et ex Galeno, qui *6. epid. sect. 3. com. 29.* nobilem illam Romanam extenuissimam, suppressa menstrua, purgatione laborantem, copiosissima sanguinis missione persanauit. Et proprio exemplo firmauit Beniuenius *lib. de abdit. cap. 44.* Sed interdum vires, quæ constare videbantur, ex euacuatione exoluuntur.

Causæ autem plures sunt, ob quas virium robur difficulter cognoscitur. Prima, quia non solùm oportet cognoscere, an virtus debilis sit, sed etiam imbecillitatis causa debet agnosci. Nam quando ob inediam, vacuationem, aut insensibilem transpirationem vires labuntur, celerrimè vires reficiendæ: quando verò propter dolorem, vel morbi acumen virtus debilis est, vacuatio necessaria est. Ignorare autem, an virtus debilis sit propter aggrauationem & copiam, an ob vacuationem & per essentiam, indecorum est Medico, notante Galeno *2. acut. 48.* Quando enim posteriori modo debilitas adest, refectio optima est; si verò vires multa humoris copia sint grauatæ, obruræ, & ideò debiles, tunc vacuatio est salubris, vt *lib. 9. meth. 10.* aduertit Gal. Nam tunc magna, ex euacuatione, acquiritur vtilitas.

Potest & alia causa assignari: quia non solùm virtus ad præsentem euacuationem; sed ad alia inposterùm contingentia, tolerandum morbum, symptomata, & curationem constare debet, vt eleganter docuit Auicenna *4. 1. cap. 20. post princip. § & cùm ægritudo est habens triſim, &c.* Accedit, quòd difficile sit cognoscere, num virtus debilis sit per essentiam, vel aggrauationem. Nam signum illud in qualium pulsationum, positum à Galeno *2. de cauſ. pulſ. cap. 1. poſt med.* in aggrauatione non semper reperitur. Quare hanc pulsus inæqualitatem in magnitudine & paruitate, rarò animaduertere licet. Adde, quòd quia ex euacuatione repentè facultas debilis redditur, etiam huiusmodi inæqualitatem acquirit.

Denique rogabis: Si tantoperè facultatum, & præsertim vitalis robur ad euacuationem, contemplandum est, quomodo ad eam impediendam virium læsio & debilitas cognoscetur? Dic, hoc ex operationibus esse venandum. Nam cùm facultas & operatio correlatiua sint, ita vt quemadmodum se habent ad operationem, sic ad cognitionem: fit vt ex operationibus rectè cognoscantur. Sic docuit Galenus *lib. art. med. cap. 8. ad init. §. in operationibus verò, &c. lib. de diff. morbor. cap. 2. & lib. de conſt. art. med. 10.* Auic. *2. 1. doct. 3. cap. 1. ad initium*, §. *omne enim membrum, &c.* Probat 1. *1. doct. 6. cap. 1. in primis verbis*, quum inquit: *Virtutem & operationem adinuicem, &c.* Nam indicationes, quæ ab vrina & cæteris desumuntur, multoties fallaces sunt, vt monuit Galenus *3. epid. ſect. 2. com. 6.* Quo pacto *lib. 1. Aph. 12. ad init.* non solùm pulsum tangendum esse docet, ad cognoscendas vires, sed etiam alia contemplanda, & naturalia symptomata, & animalia: quæ Hipp. *1. progn. à text. 5. vſque ad 26.* exactè describit.

Porrò illud est verum, quòd robur in omni facultate sit obseruandum; sed præsertim in vitali, ad venæ sectionem & purgationem celebrandam. Quod ferè ex operationibus coniicies, vt rectè monuit Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. in fin.* dum sic ait: *Virtus igitur, quam Vitalem vocant, quam ex corde prodeuntem oſtendimus, ex pulſuum debilitate cognoſcitur. At quæ ex hepate oritur, ac Naturalis dicitur, ex ſanguineis egeſtionibus, ab initio aquoſis atque tenuibus, poſtmodum verò craſſis ad modum facis. At quæ ex cerebro originem ducit, quam præcipuè nonnulli Animalem appellant, ex motuum voluntariorum imbecillitate deprehenditur.* Et *lib. de ſang. miſſ. cap. 6.* sic ait: *Porrò di ſpenſantium nos facultatum infirmitatem ac robur, propriis indicari functionibus oſtendimus: arbitrariis quidem, ea quæ in neruis, & horum principio cerebro: pulſatiuis autem, ea quæ in arteriis & corde: at à functione, quæ in bona editur nutritione, aut nutritione abolita, tum colore bono aut malo, tertia facultas, nempe nutrix, quam à iecore proficiſci demonſtrauimus, agnitionem ſortita eſt, &c.*

Vltimò inquires: Vtrùm maius robur necessarium sit ad venæ sectionem, an ad purgationem? Dic, quòd si in vtroque auxilio adsit paritas, & vtraque vacuatio modum seruet, robustiores vires expostulat venæ sectio, quàm purgatio: quia illius præsidij ope sanguis & spiritus exhauriuntur, qui naturæ sunt familiares valde: sed purgationis beneficio humores vitiosi educuntur, qui alieni sunt à natura, & vtiliter vacuantur. Et venæ sectio indiscriminatim purum, sincerúmque sanguinem euacuat à venis, & citra electionem vllam; purgatio verò vitiosum & corruptum cum delectu attrahit. Hoc modo Galenus *5. de ſanit. 4.* iubet, vt quando venæ sectio impeditur ob timiditatem, ætatem, vel virtutis debilitatem, tunc largiùs aluus soluatur: quia purgatio minùs vires eneruat. Quare licèt sanguinis missio tutius remedium sit, *2. acut. 11. & lib. de ſang. miſſ. 12. & lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtratum.* & si parca sit, incertum non habeat euentum; tamen cum maiore virium dispendio celebratur, ob causam dictam.

PRÆCEPTVM LXIII.

Medicus locos affectos agnoscat.

NOn temerè expertissimus Galenus *lib. 1. de loc. affect. cap. 1.* exponit, quid per locos sit intelligendum. Quia cùm propositum esset ipsi tradere notitiam, qua cognosci possent laborantes loci, conueniens videbatur, vt illud primò explicaret, de quo erat futura disputatio. Recentiorum ergo, veterúmque Medicorũ testimonio, eo loco confirmat, per locos nonnisi corporis particulas esse intelligendas; deinde causam reddit, cur veteres tanta diligentia dignoscere studuerint affectiones corpori aduenire solitas: nimirum, quia pro partium varietate curationem ipsam variari contingit.

Quanta verò sit vtilitas ex cognitione affecti loci, ad curationem rectè instituendam, ex *lib. de meth.* passim petendum esse docet: præsertim ex *lib. 4. cap. 7. & lib. 7. cap. 13.* Neque satisfacit Galeno cognitio, vel doctrina quantumuis consummata, sed requirit etiam exercitationem. Sed aduertendum Medico est, quòd in hominis compositione eum constituit ordinem natura, vt scilicet formæ & structuræ partium cognitio præcedat; sequatur deinde contemplatio facultatum, & actionum quas ipsæ facultates edunt; tandem de vsu partium consideratio.

Ratio verò prædicti ordinis est, quia quemadmodum in parte composita seu organica, ex cognita eius compositione ad cognitionem actionis inueniendam deducimur: ita ex organici membri actione cognoscimus, quid singulæ partes componentes præstent in ipsa actione. Sic enim ex manus v. g. forma structuráque, manifestum nobis fit, ipsam apprehendendi gratia fuisse creatam, *1. de vſu part. 9.* Ex eo autem assequimur & venamur, quid in tali actione efficiant ossa, & quid vtilitatis præstent tendones ipsi: quid deinde faciant digiti, quid vngues, quid internodia, & sic de cæteris. Ex his autem tribus partibus, quibus humanæ compositionis contemplatio docetur, prima, quia dissectione comparatur, anatomica cognitio dicitur. In secunda inquiruntur actiones, simul & facultates, vnde illæ prodeunt, & ad quas referuntur. Tertia verò, quæ de vsu partium consideratio dicitur, commoditatem partium organum componentium, similarium scilicet, contemplatur, & in quo iuuent similarem illam, quæ in organi actione princeps est.

Vt verò plana & dilucidiora hæc sint omnia, tantoperè arti necessaria, plurima proponemus signa, ex

Galeni

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 102 sur 927

Galeni doctrina deprompta, quibus affecta ſedes ſit dignoſcenda. Hic enim auctor *lib. 1. de loc. affect. cap. 2. & 5.* exploſis inutilibus definitionibus ab antiquis excitatis, vt certam poſſet monſtrare viam cognoſcendi affectos locos, multa tradit indicia in hunc vſum. Commodè enim non poterat vera doctrina deſcribi, niſi priùs refutarentur errores, & ab illis addiſcentium animi detergerentur: *Impuris ſiquidem animis, nutrientes veróſque ſermones ſi offeras, non minùs nocebis, quam ſi impura nutrias corpora,* prout ipſe Galenus docet *1. ſimpl. cap. vlt.*

Itaque Galenus *loc. cit.* veterum erroribus tanquam ſpinis euulſis, quinque documenta tradit, ex quibus locus affectus potiſſimùm poſſit dignoſci: nempe à læſa actione; ab iis quæ excernuntur; à ſitu; doloris proprietate; & propriis accidentibus. Quamuis autem accidat interdum, vt ex indicio vno affectus locus, ſimul & affectio dignoſcatur, aut locus ipſe, & affectionis cauſa; ex prædictis tamen quinque documentis, exacta ſumitur notitia agnoſcendi affectam ſedem. Quòd ſi quædam inſeruntur ſigna, ad affectuum & cauſæ cognitionem facientia, fit propter mutam affinitatem, quæ datur inter affectum locum, affectionem, & cauſam.

Dignoſci verò laborantem locum ex vitiata actione aptè confirmat. Nam ſi vnaquæque actio in animantis corpore, peculiarem habet particulam ſibi dicatam, qua valente, integra & ſana, perficitur: proculdubio vitiari non poterit actio ipſa, niſi à ſanitate deficiat, & organum mutetur, talis actionis inſtrumentum. Atque ideò ex ea læſa, affecti loci notitia comparabitur. Appellat autem Galenus organum, cuius actio læſa conſpicitur, quomodolibet affectum. Quia cùm logica Archigenis contentio eſſet, lædi aliquando actionem, organo non ægro, nec habente paſſionem, ſed ſolùm illius vmbram; vt quando aliunde cauſa læſionis dependet: ne eiuſdem contentionis anſam iterum præberet, & de certo conſtaret; illud eo loco aſſumit, quod nemo inficiabitur, videlicet affectum eſſe quomodolibet organum, cuius actio læſa apparet, ſiue paſſum ſimpliciter, ſiue ægrum, ſiue veluti paſſione quadam adumbratum dicatur.

Subſequenter verò *in eodem capite* adiungit affectuum diuiſiones, à quibus & cognitio, & curatio variatur. Et primò quidem trimembrem diuiſionem Archigenis in medium proponit, propoſiturus aliam magis artificioſam, magiſque vtilem ad præſentem doctrinam. Triplicem itaque affectus differentiã agnoſcebat Archigenes: primam, cùm affectus adeò facilis eſt, vt ad cauſæ ablationem confeſtim quieſcat & ceſſet. Secundam, cùm ea ablata, adhuc permanet. Tertiam, cùm affectus ipſe producitur à cauſa non hærente, quem vmbram potiùs affectus vocabat. Vt cùm collecto in ore ventriculi excremento, vapores ad oculos eleuantur, à quibus imagines inducuntur, quales per ſuffuſiones apparent. Quemadmodum & vbi ſanguis per febres eſt è naribus fluxurus, de quibus Hipp. *3. prog. 32. & 35.*

In omni verò triplici affectus & actionis læſæ ſpecie, oſtendit organum pati & laborare. Nam & in tertia ſpecie, pars noxiam cauſam habet aliunde aduenientem. Ideò namque imaginibus infeſtatur oculus, quia reuerà etiam afficitur. Nam niſi aliquid noxium & præternaturale in ſe contineret, non magis illius, quàm aliarum partium actio læderetur. Quare ſi læditur, cauſam habet noxiam & præternaturalem, ratione cuius verè & propriè afficitur. Id quod rurſus confirmat Galenus Hippocratis teſtimonio, *4. Aph. 26.* vbi ex humore bilioſo ad aures confluente, ſequitur manifeſtè naſci paſſionem ex humore ad partem commigrante; idémque contigere in imaginibus oculorum, natis ex eleuatis ab ore ventriculi vaporibus.

Ab iis quæ excernuntur poſſe indicari affectum, Galenus multis propoſitis exemplis demonſtrat *loc. cit.*

A Quorum primum quidem, quod ex ſola anatomica peritia comparatur, ex cuiuſlibet partis eſſentiæ proprietate deſumitur. Per ſubſtantiæ autem proprietatem, ipſam rei ſubſtantiam intelligit, ex certa quadam quatuor elementorum mixtione conſtitutam; ratione cuius inter mixta vnumquodque tale eſt, quale euaſit: & inter membra aliud caro dicitur, aliud os, neruus aliud. Nimirum ob peculiarem certam quatuor qualitatum temperaturam & commixtionem, quam vnumquodque in ſua conſtitutione comparauit: vt ipſe Galenus *1. de vſu part. cap. 9.* perdoctè explicuit.

Primum ergo exemplum, eſt de bronchio pulmonis, quod ſi tuſſiendo expui contingat, maximum in pulmone vlcus, vel ab eroſione, vel à putredine natum
B eſſe coniicimus. Bronchion autem eſt, ex Galeno *7. de vſu part. cap. 4.* aſperæ arteriæ cartilago; ſeu corpus quoddam cartilagineum, componés aſperam arteriam, quod à faucibus incipit, & per collum ad pulmonem vſque deſcendit. Cùm autem in pulmone tria contineantur, ipſa ſcilicet carnis ſubſtantia, ligamenta, ſimul & bronchia quæ à ligamentis connectuntur: & caro naturâ quidem laxiſſima molliſſimáque ſit; bronchia autem ſolidiſſima duriſſimáque; ligamenta verò media in robore & ſoliditate: fit vt vbi noxia cauſa accedit, facilè pulmonis caro exulceretur, difficiliùs ligamenta, brõchia autem exulcerari non poſſint, quin animal moriatur. Cùm autem ligamenta ipſa connectant bronchia, ex illorum eroſione, diuiſioneque bronchion de-
C cidere & expui contingit.

Quoniam verò huiuſmodi ligamenta à duabus potiſſimùm cauſis rumpi diuidique poſſunt, vel à puris acrimonia, humoribuſque mordacibus erosa; vel ab humiditatum copia putrefacta: iccircò *loc. cit. de loc. affect.* aſſerit Galenus, quòd ſi bronchion tuſſiendo expuatur, indicium ſit, ingens vlcus exiſtere, vel ab eroſione, vel à putredine factum. Quòd autem ex eo pulmonis vlcus ſignificetur, inde conſtat, quia bronchij natura in alia corporis parte non continetur, à qua poſſit educi, niſi à pulmone ipſo. Nam contenta bronchia inter pharyngem, & pulmonem, multò maiora, craſſiora & duriora ſunt iis, quæ in pulmone exiſtunt. Quare nec erodi, nec exulcerari poſſunt, ita vt tuſſiendo viuente ani-
D mali expuantur. Ergo à pulmone ſolo eiici eſt neceſſe. Præſertim cùm illius ligamenta & bronchia exigua ſint, facilè ſic putreſcant & erodantur: & præterea quia exigua non poteſt pars illorum putreſcere, quin totum bronchium reiiciatur. Adde quòd cùm pulmo molliſſimus & humidiſſimus ſit, contingit facilè putreſcere, & ab humoribus acribus erodi. Nec enim poſſunt bronchia maiora, eorúmque vincula putredine, vel eroſione diſſolui, vt tuſſiendo eiiciantur; quin priùs moriatur animal. Suffocari enim eſt neceſſe, priùs quàm aliquid eorum per tuſſim excernatur. Atque ita ex eſſentiæ proprietate locum affectum ſignificari, propoſito exemplo confirmauit Galenus.

Deinde non modò ab eſſentiæ proprietate, ſed ex partis magnitudine laborans locus cognoſcendus eſt.
E Quod quidem ſignum, & dignoſcendi modus ex anatomia ſimiliter petendus eſt, vt *loc. cit.* retulit Galenus, & illud nonnullis exemplis confirmat. Primum eſt de vaſe pulmonis, ſi quis non exiguam, ſed notabilem vaſis potionem tuſſiendo excreuerit: illam à pulmone fuiſſe eductam proculdubio intelliget, qui anatomiæ imperitus non fuerit. Nimirum quoniam vaſa tantæ quantitatis in aſpera arteria non reperiuntur, ſed in pulmone ipſo.

Alterum exemplum eſt de inteſtinorum ſubſtantia, ſecundùm notabilem quantitatem excreta. Vt ſi quis v. g. in dyſenteria inteſtini tunicam excretam conſpexerit, latitudine & craſſitudine magnam: apertè conſtabit magnam exulcerationem in craſſioribus inteſtinis contineri. Quod ſi quæras, cur Galenus de morbi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 103 sur 927

proprietate loquens,& exempla, ab illa petita propoſiturus, alia interpoſuerit ex partium magnitudine deſumpta? Dic,illud feciſſe orationis affinitate ductum. Nam cùm propoſuerit bronchia, id eſt, vaſa aſperæ arteriæ, in collo ampla eſſe,in pulmone verò anguſta;non abs re adiecit, alia eſſe duo vaſorum genera, quæ in pulmone magna, in collo anguſta ſunt.

Inſuper alio exemplo de renum & veſicæ vlceribus, conatur eo loco oſtendere, eſſentiæ proprietatem poſſe monſtrare laborantem locum. Quæ enim ſubſtantiæ per vrinam excernuntur, diſtinguunt vlcera renum ab his quæ in veſica conſiſtunt: idque Hipp. teſtimonio confirmat,4. *Aph.76.& 81.* Vbi tamen Galenus fatetur, ſe nunquam conſpexiſſe carunculas à renibus excretas. De hoc autem opportuniùs egimus *lib.2.hiſt. PP.Med. hiſt.*141.

Propoſitis duobus modis ad affectos locos dignoſcendos,ex proprietate partis viſu cognitæ,& magnitudine petitis, alios deinde proſequitur *loco cit.* Galenus: Et primum deſumit ex iis, quæ ſecundùm naturam in partibus continentur:ſiue id contentum ſit pars alimenti, vt veſicæ vrina, inteſtinorum fæx, vaſorum ſanguis: ſiue membrum; quemadmodum v. g. cerebrum intra caluariæ membranam ,intra peritonæum inteſtinum. Secundum verò ex iis, quæ parti vitiatæ adnaſcuntur. Tertium denique ex contentis præter naturam in parte:nec enim eadem in omni parte oriuntur, ſed diuerſa in diuerſis. Et primum quidem dignoſcendi modum. ex contento ſecundùm naturam, exemplis quibuſdam confirmat: incipiens à quodam, qui cùm iuxta ſedem vulnere ſatis profundo fuiſſet affectus, quarta die notabilem vrinæ copiam per vulnus excreuit, cùm fuiſſet omnino ſuppreſſa, vbi primùm fuit vulneratus. Ex eo autem quod per vulnus vrinam excreuit, coniicere ſatis licebat, veſicam fuiſſe vulneratam, quam conſtat eſſe vrinæ receptaculum.

Alius deinde eſt modus cognoſcendi locum affectum, deſumptus ex iis quæ parti vitiatæ adnaſci ſolent. Nimirum, quia cùm adnata certam ſubſtantiæ proprietatem nanciſcantur,ex ea parte cui innaſcuntur, illius etiam naturam repræſentant. Aduerte autem, quòd per ea quæ partibus adnaſcuntur,non tantùm intelligenda ſint additamenta illa, ſiue adnexa, quæ portiones non ſunt partium in quibus naſcuntur; ſed etiam ea quæ partium illarum, à quibus abraduntur, veræ partes exiſtunt.Id quod exempla à Galeno propoſita manifeſtè demonſtrant. Sicut ergo ex rubigine apparente,quæ ſeneſcenti ferro ſolet adnaſci, intelligitur ſubſtare ferrum;ita ſi facto in capite vulnere fungus appareat, vulneratam eſſe cerebri membranam, duram ſcilicet meningem,indicium eſt, & corruptum eſſe os demonſtrat.

Sed ne quippiam relinquatur indeciſum,in Lectoris gratiam, ratio prioris exempli eſt reddenda. Nam fungus adnatum quoddam eſt, ſeu tumor quidam mollis & laxus, ex craſſorum humorum vapore in partibus vulneratis concreſcens,qui licèt in palpebris,& pudendis quandoque adnaſcatur,teſte Galeno 3. *epid. ſect. 3. com. 47. vſque ad 49.* frequentiùs tamen in capite oritur;& ſolùm vbi membrana cerebrum inuoluens ſcinditur vulneratúrque, atque primò ſciſſam eſſe membranam ſignificat. Quemadmodum enim in arborum truncis diuiſo cortice,craſſus halitus ſub cortice trunci coërcitus, confeſtim exiens, à continente denſatus, in fungi ſimilitudinem abit:ſic craſſus corporis vapor ſub cerebri membrana retentus, dato per vulnus exitu, in tumorem quendam mollem,laxúmque,extra caluariam erumpit & germinat. Non diſſimiles etiam in lucernis fungi oriri cernuntur, vbi fumi fuliginéſue à lucerna egredientes ab aëris craſſitie iuxta lucernam cohibentur. Amplificatæ enim circum flammam, quaſdam fungorum imagines imitantur,atque ita prædictam fuliginem ſic concretam Virgilius appellauit 1.*Georg.* & futuri imbris indicium eſſe dixit. Quod etiam Plinius tradidit *lib.*18.*natural. hiſt.cap.vlt.* Appellantur autem omnes dictæ excreſcentiæ ſiue tumores,fungi,ob ſimilitudinem quam habent cum fungis, qui in terra naſcuntur, & edi ſolent.

Alterum exemplum eſt de his, quæ præter naturam in oſſibus vitiatis adnaſcuntur. Vitiatum autem os,ſolet appellari carioſum: cùm ergo caries excidit, vitiatum eſſe os aliquod ſignificat. Alia verò quæ Galenus *loc.cit.* affert exempla, ſunt eorum, quæ de ipſis laborantibus partibus abraduntur. Ramentum enim,ſiue cruſtula ab aliqua parte excreta, eius loci vnde excernitur, exulcerationem ſignificat. Et quidem ſi cum vrina exeat, renum aut veſicæ, aut reliquorum vrinæ meatuum: de quo Hipp.4. *Aph.76.& 77.* Si autem tuſſiendo ramentum excernatur, aliquod inſtrumentorum reſpirationi inſeruientium vlceratum eſſe denotat: vt ſi vomendo, gulam, aut ventriculum: ſi cum deiectionibus, inteſtinum: cuius ramentum reiici in dyſenteria frequenter contingit.

Hactenus quatuor excretorum genera recenſuimus, membri ſcilicet proprietatem, magnitudinem, contentum ſecundùm naturam, & adnatum; & quatuor modos ab illis petitos, ad internos locos affectos dignoſcendos:quorum cognitio ex anatomica diſciplina dependet.Nunc aliud excretorum genus adiiciendum, à Galeno *cit.loc.* propoſitum,quod ex anatomia non addiſcitur, ſed præter naturam in quibuſdam partibus priuatim oritur & accreſcit. Huiuſmodi ſunt lapis, qui quidem exiens inſtrumenta vrinæ laborare ſignificat: lumbrici verò, inteſtina: pus tuſſi reiectum, pectus: denique ſanguinis grumus, vel prauus quicunque humor, illud corporis ſpatium affectum eſſe denotat, in quo continetur, vel vnde prodit: ſiue talis malignus humor per prauam victus rationem intra corpus naſcatur, quod frequenter contingit: ſiue extrinſecùs aduenìat: vt ſi à fera venenata, virus in corpus eiaculante aliquis ictus fuerit, vel venenum aſſumpſerit, vnde malus corporis habitus ſit contractus.

Quòd ſi quæras, quo pacto quintus hic modus inueſtigandi,diſtinguatur à quarto: quum adnata,à quibus quartus ille modus deſumitur, contenta ſint quædam præter naturam, quæ ad vltimum inſtitutum pertinent? Dic, diſtingui quidem ex eo, quia adnata præter naturam, de quibus in quarto modo,ita continentur in parte, vt illi etiam agglutinentur; quæ verò ad vltimum ſpectant, continentur tantùm, non affiguntur. A tertio verò differt quintus hic, quòd adnata de quibus in tertio, ſecundùm naturam ſint, & ex naturæ præſcripto in ſanis contineantur: hæc verò in ægris, & ex cauſa aliqua violenta & præternaturali genita ſint.

Accedamus ad reliquos modos, quibus locos affectos *loc.cit.* venari docet Galenus: qui poſtquam à læſa actione,& ab iis quæ excernuntur, illos dignoſci poſſe aſſeruit, conſequenter oſtendit propriis exemplis, indicandi varietates à ſitu depromptas. Non modò enim ſolus ſitus per ſe, patientem locum demonſtrat; vt laborare quidem iecur, ſi in dextro hypochondrio tumor aliquis durus appareat; lienem verò, ſi in ſiniſtro: verùm etiam vbi excreto, aut dolori iungitur. Idem namque excretum per varium ſitum exiens, nos de parte laborante certos facit: v. g. ſi ramentum, aut portio aliqua membranoſæ tunicæ excernatur, agnoſcimus quidem ex eo, exulcerationem aliquam in interna corporis parte exiſtere: quæ tamen ſit pars illa vlcerata, demonſtrat ſitus, per quem ramentum, ſeu fruſtulum tunicæ excernitur. Si enim per vomitum exeat,in ventriculo, aut gula ſubeſſe vlcus ſignificatur:

ſi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 104 sur 927

si tussiendo, in larynge & aspera arteria: si excreando, in faucibus. Quia cùm dictæ partes, & aliæ à Galeno numeratæ, membranosis tunicis constent, & per varias regiones se exonerent, excernántque sua contenta; partis situs per quem frustulum eiicitur, facilè indicat vbinam contineatur malum. Idem etiam ostendit situs, vbi dolori iungitur. Dolor siquidem quamcunque corporis partem occupauerit, in ea contineri affectum significat: atque adeò hæc significatio ad doloris situm referenda est.

Quare si ex his quæ per vomitum excernuntur, vlceris notæ appareant, ad locum quem infestat dolor, respicere oportet, ad hoc vt discernamus, quænam pars ab vlcere occupetur. Agnoscemus autē occupari ventriculum, si anterioribus, iuxta hypochondria, partibus dolor percipiatur. Complectitur enim ventriculus totam regionem inter iecur & lienem vacuam. Si verò in posterioribus, ad dorsum, dolor sentiatur, locus affectus est œsophagus, seu gula. Porrò si dolor non adsit, & appareant vlceris notæ, discernemus quidem illud in ventriculi ore, aut capacitate, aut gula contineri, acribus propinatis. Quæ si in ventriculi ore mordicationem excitent, illic deprehenditur esse vlcus: si autem infra os ipsius ventriculi mordicatio sentiatur, in fundo, amplitudinéque. Signum autem adiungit Rhasius 9. *ad Almans. cap. de vlcere ventriculi*, ad dignotionem vlcerati ventriculi, aut intestini; quòd ingestum velociùs ad ventriculum, quàm ad intestina accedit, citiúsque dolorem, aut mordicationem in illo efficiat: idémque eueniat in ventriculi ore, per comparationem ad spatium. Denique si in deuorata re, dolor percipiatur in transitu illo, qui à collo per thoracem versus posteriorem partem ad ventriculum terminatur, dubium non est gulam esse vlceratam. Gula enim spinæ incumbens & inhærens, per collum & thoracem vsque ad ventriculum porrecta, in illius ore terminatur: prout fusè docet Galenus 6. *de vsu part.* 1. 5. & 6. vbi rationem assignat, cur natura gulam spinæ alligauerit: nimirum, vt immobili niteretur, & cum positionit suæ stabilitate ita totum permearet thoracem, vt illius inanitatem non occuparet, nec aëris transitum, membrorúmque spiritalium motum impediret, quem vndequaque liberum esse oportebat.

Ex eo autem quòd talis sit gulæ situs, contingit vt percusso dorso, descendat alimenti portio, quæ ob suam crassitiem, aut maiorem quantitatem assumpta in transitu morabatur. Propter illud ipsum admonuit pulchré Galenus 13. *meth.* 17. *ad fin.* vt laborante gula, spinæ remedia imponantur; non autem anterioribus, quemadmodum fit in affectibus ventriculi: cuius os cùm antrorsum magis vergat, in illius morbis pectori sunt auxilia imponenda: tum propter situs vicinitatem, tum quia magis proficiant præsidia, eò quòd cùm pectus pars quædam carnosa sit, multò magis capax remedij est, quàm ossea spina. Et licèt ita medicandum sit, non tamen negligendum in affectibus ventriculi, auxilia nonnunquam dorso imponere. Euidenti namque experimento compertum est, profluuia multa ventriculi, impositis ad spinam remediis, breui tempore fuisse sanata: quæ tamen sedata non sunt, medicamentis ad anteriora applicitis.

Ex doloris proprietate, quartum indicium desumitur, cuius differentias proposui *lib.* 3. *hist. Princip. Medic. hist.* 28. Nunc illud notandum ex varietate doloris, varietatem locorum esse coniectandam: quod fusè *lib.* 2. *de loc. affectis* pertractat Galenus. Stupidum dolorem putauit Archigenes, in neruis duntaxat, & musculis fieri. In quo non parum errauit, licèt multa scripserit ad notitiam ex doloris speciebus consequendam. Huiusmodi autem lapsum tribus potissimùm rationibus Gal. condemnat. Quarum prima est: stupor, hoc est, sensus deperditio, aut difficultas illius, non solùm

A in neruis, sed & in reliquis corporis partibus; propter frigidum affectum fieri solet. Igitur non est propria neruorum passio, siquidem solis non conuenit. Secunda: Rarò experimur dolorem stupidum in musculis, ratissimè autem pulsantem, nec nisi in magnis inflammationibus, vt 2. *de loc. cap.* 3. probat apertè. Tertia: Quòd in eodem libro hunc dolorem, tanquam proprium affectum, modò ad neruos, modò ad musculos referat. Ergo perperam Archigenes dolorem stupidè pulsantem musculis attribuit, tanquam propriam illorum passionem, (propria siquidem, quæ sub scientias cadunt, perpetua sunt, vel saltem frequentia,) quum etiam ad carnis, vel vasorum refrigerationem referri debeat.

B Ita ex punctorio dolore membranas esse affectas possumus colligere: in quo ægri veluti pungi, & foraminibus pertúdi videntur. Huiusmodi doloris initium in ea membranæ parte est, vbi fit punctura, inde verò ad spatium magnum se circulatim diffundit. Similem experiri solemus in inflammatione illa membranæ costas succingentis, quæ pleuritis vocatur; cuius dolorem Medici ferè omnes consueuerunt appellare punctorium. Sic mordicans dolor pro causa habet calidum & mordicantem humorem, & sic de aliis.

Quintum denique documentum, quo in laborantis loci notitiam ducimur, à propriis symptomatibus elicitur. Nam cùm illa simul cum morbo inuadant, & incipiant, vt testatur Galenus 1. *crisi.* 5. planè, vbi aliquod

C symptoma proprium apparuerit, indicabit laborare partem, cuius proprium illud fuerit. Vt v.g. fastidium, affectum esse ventriculi os. Deiectiones carnium loturæ similes, imbecillam existere iecoris facultatem, præsertim retentricem; cuius peculiare symptoma esse docuit 1. *prorrhet. text.* 3. quæ quia tempore ad coctionem necessario alimenti succum continere non potuit, sequitur inconfecti sanguinis excretio.

Denique si rubræ appareant maxillæ, & reliqua adsint inflammationis signa, dubium non est, eam pulmonem occupare. Insignis namque rubor vtriusque venæ proprius est inflammati pulmonis. Fit autem, vaporibus sanguinis in pulmone putrentis, ob rectum sirum

C conscendentibus ad malas, ibique derentis. Cùm verò

D illarum carnes laxæ raræque sint, ipsius sanguinis colorem promptissimè imbibunt: cúmque tenuissima sint cute, per eam tanquam per vitrum, oculis ruborem repræsentant. Diximus ambarum maxillarum ruborem, non autem vnius tantùm, proprium peripneumonicis esse: quoniam sæpe accidit in longis paruisque febribus, genam vnam insigniter rubere, eam nempe in quā fortè æger aliquandiu decubuit; quæ quidem rubet ita, quia calor licèt exiguus, cùm tamen sepultus sit, & ex decubitu retentus, malam inflammat, & inflammando rubefacit. Apparet autem rubedo valde viuida, satisque euidens & manifesta, in his qui longo tempore febrierunt, propter contractum corporis pallorem ex

3 diuturna ægritudine: non sic verò in aliis, qui tamdiu non ægrotarunt; quia in illis sanguis toto corpore dif-

E fusus ebullit adhuc.

His ita explicatis; cùm Galenus *lib.* 1. *de loc. cap.* 1. proponat duo esse necessariò à Medico dignoscenda, vt curationem possit conuenienter instituere; affectionem scilicet, & locum affectum: quúmque in illorum cognitione vniuersam dignoscendi artem constituerit: occasionem præbet inquirendi, quodnam dictorum indicando præstet, cuiúsue magis vtilis sit, magisue necessaria ad curationem instituendam, affectúsne, an affecti loci cognitio? & requiri quidem vtriusque cognitionem, innumeris ferè locis à Galeno traditum est.

Nec sibi aduersatur, si *lib.* 1. *de meth. med.* duas curatrices indicationes numerauerit, à morboso scilicet, & sano membri temperamento desumptas. Et 1.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 105 sur 927

de loc. 1. curatricis summam; ex loco affecto, & affectus specie petendam esse doceat. Non, inquam, sibi contradicit, quia in ipsa natiui temperamenti cognitione, notitia laborantis membri comprehenditur, & contrà. Nam si omnis curatio, natiui in laborante temperamenti cognitionem requirit, partem ipsam laborantem prænosci necesse est. Atque ita affectus locus, parsue habet locum natiui temperamenti, & vna est vtriusque cognitio, vnáque & eadem curatiua indicatio ab vtroque desumpta.

Quo posito, ita ad propositam difficultatem respondendum videtur. Si vnum tantùm ex dictis duobus agnoscitur, alterum verò ignoratur, multò melius est ad curationem vtcunque instituendam, affectus, ægritudinisue speciem agnosci. Quòd si vtrumque Medico perspectum cognitúmque sit, præstantior est affecti loci, quàm affectus cognitio: quum plures curanti Medico indicationes præstentur, & plura exhibendorum remediorum præscripta ex ipso loco affecto, quàm ex affectus specie eliciantur.

Primum inde constat, quoniam ex ægritudinis specie, remedij primum genus demonstratur, quod scilicet contrarium sit, à quo solùm speratur curatio; verùm cùm non sufficiat ad ipsam exactè instituendam, ad alias particulares differentias descendere oportet, 1. *ad Glauc.* 1. quarum cognitio à morbi qualitate, quantumuis cognita, non traditur, & aliunde petenda est. Atque primò, licèt altero duorum ignorato, præstet agnosci affectus speciem, ex ea tamen cognita non potest instituti curatio.

Hoc euidentiùs sic ostenditur. Siquis agnoscat hominis viscera, v. g. excedenti calore vexari, protinus quidem intelligit frigidum remedium esse adhibendum: si tamen ignoret, num extraneus ille calor hepar, an renes, an magis ventriculum occupet, proculdubio non discernit quantum, qualéue remedium illud frigidum sit futurum; quia hæc pro varietate partis laborantis variantur. Deinde siquis intelligat morbum ex capite emanare, nec tamen illius naturam & causam agnoscat, num videlicet tumor sit, aut intemperies, vel frigida vel potiùs calida; proculdubio is nec genus auxilij discernit: nimirum, quia affectus speciem ignorat. Ergo illius cognitio ad curationem instituendam, magis quàm loci laborantis videtur necessaria, vbi alterum ignoratur.

Quod verò, si vtraque cognitio sciatur, laborantis loci cognitio cognitioni affectus præstet, constat ex Gal. *lib. art. med.* 94. vbi docet inuenire causam morborum salubrem, perinde quidem ex affectu, sæpius ex affecto loco. Deinde pro loci diuersitate, licèt morbi species non varietur, sed vna & eadem sit, magna fit remedij mutatio: vt manifestum est in pleuritidis, & cruris inflammati curatione. In quibus quidem affectibus, quantumuis specie non separentur, sed loco tantùm, summoperè variantur remedia. Ergo multò plura, magísque indiuidua, ad curationem instituendam, ex loci, quàm affectus dignotione eliciuntur: ex affectu enim illud tantùm in genere, contrarium scilicet depromitur.

PRÆCEPTVM LXIV.

Medicus primarium affectum agnoscat.

QVanta vtilitas accedat ex primarij affectus dignotione, ab illis qui per consensum fiunt, Galenus ostendit, *lib. 2. de loc. aff. cap. 9.* Nam ex hac internotione rectè animaduertunt artifices, cuinam parti remedia sint applicanda: illi scilicet, quæ primario affectu laborat: v. g. ventriculo, si illius consensu afficiatur cerebrum. Quum enim dispositio per consensum firma nondum sit, nec stabilis, ad primariæ curationem sanatur. Quòd si in proprium, & permanentem transierit, non modò ventriculo qui primariò laborat, sed capiti secundariò affecto adhibenda sunt auxilia: nulla ampliùs facta inquisitione, cerebrúmne, an potiùs eius membranæ afficiantur, quia nulla ex eo fit in curatione varietas, sed vtrobique capiti præsidia imponuntur.

Quare vbi saltem de toto organo constat, vt capite, vel oculo, quamuis de loco particulari affecto, ad essentiam morbi inquirendam, certi non simus, properandum est, nempe vt cognoscamus, qualenam sit applicandum remedium. A morbi siquidem specie & natura, qualitas auxilij indicatur, frigidúmne, an calidum esse debeat, humidum aut siccum, 2. *meth.* 7. & *lib.* 3. *cap.* 1. & 1. *de rat. vict. text.* 3. & 4. 1. *tract.* 2. *cap.* 7. & innumeris aliis in locis. Cùm ergo non varietur curatio ex eo quòd morbus in cerebro, vel meningibus contineatur, inutile prorsus erit Medico curaturo, cum Erasistrato, prout refert Galenus 7. *placit.* 3. in controuersiam vocare, in quonam loco princeps animæ pars contineatur. Non sic tamen, quin illud vtile & necessarium nobis sit, num in capite, vel potiùs corde resideat. De quo argumento sat multa Peripatetici, cum suo magistro Aristotele, & Auerroës 2. *collig. cap.* 9.

Quinque reperiuntur notæ, per quas distinguuntur proprij primigeniúque affectus, ab illis secundariis, qui consentientes dicuntur: & è conuerso. Prima: Propria primáque iudicatur affectio, quæ priùs accidit, quæque nulla alia præcedente fit. Secunda: Permanens, perpetuáque est, non per interualla inuadens. Tertia: Ad alterius sedationem non cessat, sed permanet altera ablata. Quarta: Omnia ferè habet talis ægritudinis propria accidentia, quibus exquisitè possit discerni. Quinta: In consensum trahit membra omnia, quæ ab ipso laborante oriuntur, & cum eo communicare solent. Contrà verò consentiens, secundaria & associata dicetur dispositio, cui alia in corpore præcessit, ad quam subsequuta fuit; continuò non molesta, sed quæ per quædam interualla ad alterius sedationem sedatur, ad abolitionem aboletur, increscit ad incrementum: nempe quia firmitudine & permanentia caret, suúmque esse habet adhuc in fieri, & ab efficiente causa; ac proinde nondum apparent omnia talis affectionis signa, vt per ea dignosci possit. Denique ad membrum per consensum laborans, non consentiunt omnia ab eo orta, ex Gal. *lib.* 1. *de loc. cap.* 5. & 2. *cap.* 9. & *lib. de const. art. med. cap.* 16. & Auic. 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. Quæ quidem documenta, sicut iuncta simul distinguunt sufficienter affectus illos: ita vnumquodque per se decipit, & in errorem trahit. Quod, præterquam quòd ex suprà dictis constat, manifestum etiam fit ex eo, quòd contingat nonnunquam priorem ægritudinem occultari, nec sensu percipi, quia fortè pars hebeti sensu prædita est: sentiri autem secundariam, & primariam iudicari. Vt v. g. si nausea moueatur, bilioso humore ad os ventriculi ascendente, qui tamen in ventriculi fundo absque percepta noxa præexiterat; idémque acres vapores ad caput demandans, in eo dolorem primò excitet: iudicabitur quidem primigenius affectus capitis, & illius consensu affici ventriculum, quia huius læsio posteriùs sentiatur, cùm hæc tamen propria sit & primaria; illa autem capitis, licèt priùs sensata, consentiens & secundaria: & sic de reliquis. Quare vni tantùm indicio minimè fidendum, sed omnibus simul pensatis rectè, de hac re iudicandum.

Oportet autem Medicum non solùm affectum locum indagare, distingueréque num per consensum, an per proprietatem afficiatur; sed etiam ipsius affectus causam diligenter considerare. Quemadmodum siquidem eadem præternaturalis affectio, sæpe plures partes inuadit: ita vnum idémque membrum, plurimis ægri-

tudinibus

rudinibus ex aduersis, contrariisque causis prodeuntibus, infestatur. Ac proinde distinguendæ omnino sunt, vt debitè applicitis auxiliis remoueantur. In exemplum affert delirium, vigilias, soporem, & carum: quæ licèt eiusdem loci, cerebri nempe symptomata sint, nec ratione loci dissideant, penès tamen causas à quibus excitantur, prorsus differunt. Vigilia namque & delirium, à calida; at verò comatosi soporiferique affectus, à frigida causa sunt. Id quod medicamentorum & ciborum testimoniis 2. *de loc. cap.* 9. confirmat Galenus. Ex quibus illa quæ frigida sunt, somnum stuporémque inducunt, vt mandragora, papauer, hyoscyamus, lactuca, modicè dilutum vinum, præsertim largiùs sumptum, quia minùs calidum est ad meracius collatum, & id genus alia: calida autem vigilias & impetuosos motus efficiunt. Quod apparet in phreneticis, & iis qui tenuissimo victu vtuntur. Inedia enim calefaciendo & exiccando vigilias inducit: vnde ieiunantes vigilare coguntur, sicut & illi, qui purum merúmque vinum liberaliter potant, præsertim si vetustum fuerit: excedente namque calore quo pollet, vigilare facit, & sitim etiam excitat; tantùm abest vt extinguat, 2. *acut.* 34. & 1. *de caus. sympt.* 7.

PRÆCEPTVM LXV.

Medicus, si non cognouerit morbum, subtiliet regimen.

VErùm haud ineptè fortasse videmur facturi, si hoc maximè loco tractare ac discutere adorti fuerimus, quod pluribus locis Auicenna proposuit quidem, sed inexpositum reliquit: fortè quia non erat eo loco occasio huius instituti causas indicare ad vnguem: Sic enim ait, 4. 1. *cap.* 1. *iuxta fin. Quando ignoraueris quid sit egritudo, dimitte eam naturæ, & non præcipitanter agas, quoniam vel ipsa natura morbum euincet, vel conspicuum reddet.* Et 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *non longè à principio* sic ait: *Et scias quòd non est tibi possibile curare febrem, nisi priùs cognoueris eam. Quòd si ignoras, subtilia regimen.*

Ita Galenus *lib.* 1. *de alim. facult. cap.* 1. affirmat, quòd *morborum cognitio remediorum sit materia*, quod 11. *meth.* 2. & 3. comprobauit. Et 5. *de sanit. tuend.* 14. inquit: *Nullo negotio inueniet remedia, qui cognouerit affectum.* Et Trallianus *lib.* 9. *cap.* 1. asserit, internotionem ægritudinis, rectæ curationis fundamentum esse. Quare si Medicus ignoret morbum, ad magna remedia non accedat, ne fortè aliquis error contingat, ex quo periculum immineat. Præceptum enim est inuiolabile Hippocraticum, latum *lib.* 6. *epid. sect.* 2. *text.* 50. *Te ad hoc exerceto in morbis, vt prosis, aut nequid noceas.*

Tunc enim debilia præsidia tentanda, aut saltem tenuis victus imperandus: ne videlicet natura à coctione distrahatur, si fortè liberaliter nutrias. Et victu tenui exhibito, morbus ampliùs patefit: & cibi abstinentia, sinceritate ac puriore reddito humore, huius vires meliùs se produnt. Bilioſis enim bilis efferuescit, & quasi ferocitate subsultat, quæ suo deinde furore febrem, oris amarorem, iracundiam, & alia symptomata excitat, quæ bilem adesse in corpore significant. Melancholicis proprius humor mœrorem & metum incutit, vigilias, terrorem, famem, oris aciditatem, hisque similia molitur. Pituitosis destillatio ex capite in subiectas partes illabitur, & pituita in ventriculum influens, nausea, cibi fastidio, vomitione, animi defectu, hisque similibus hominem lacessit. In magna quippe cibi potúsque parcimonia, vitiosus humor, aut in ventriculum irrumpit, aut propria sede solus & purus, ferociter insilit; consueta videlicet alimenti benignitate destitutus. Quapropter qui impuro sunt corpore, ægrè inediam ferunt. Quare si ignorato morbo constanter imperetur inedia, vel morbum hæc compescet, vel manifestabit. Leuis inedia bilem accendit, quam eandem tamen perseuerans extinguit, corpúsque refrigerat. Nam vitiosos humores exterit, suo modo concoquit, domat, & in vias deducit, per quas naturæ impulsu, aut artis beneficio à corpore expellantur. Demum cùm inedia sit species vacuationis: natura eius opera, maiori parte prauorum humorum denicta, reliquum superior concoquet, & per varias regiones expellet.

Sed vt verum fatear, video te hæsitantem, & in lubrico positum. Nam in propatulum referes plures morbos, in quibus ignorata causa, plura Medici machinantur pro curatione auxilia. Sic non cognita causa doloris fomenta adhibet oculis dolentibus Hipp. 6. *Aph.* 31. Eodem modo quando cognoscitur affectus, non tamen cognoscitur pars affecta, & causa illius dubia est, aliqua auxilia admouentur. Multoties enim certi non sunt Medici, vtrùm dolor sit nephriticus, an colicus: in cuius cognitione deceptus fuit Galenus ipse 2. *de loc.* 5. quum ij affectus inter se magnam habeant similitudinem, & affinitatem; & similitudines non modò vulgaribus Medicis, sed doctissimis errandi ansam præbeant, vt Galenus inquit, *loc. de loc. nuper cit.* Et tunc in doloris vrgentis angustiâ, clysteribus & fomentis anodynis vti coguntur.

Quare morbo ignorato, aliquod Medicus auxilium potest adhibere. Hoc modo fecisse Galenum legimus, *lib.* 12. *meth. cap.* 7 in quadragenario illo, quem tantoperè colicus dolor infestabat, calidis priùs adhibitis auxiliis, vt an à frigido, vel calido humore excitaretur dolor, certiùs cognosceret, quum tamen causam antea exactè non cognosceret. Nam quos morbos sola intemperies primarum committit qualitatum, ij non omnibus ita patent, nisi cùm plurimùm à naturali habitu pars recesserit, dicebat Galenus *lib. de diff. morb. cap.* 5.

Solue controuersiam hoc modo. Si morbus fuerit leuis, neque cognoscatur, aliquid Medicus agere potest: nempe diætam instituere. Quam ab illo posse præscribi, non negauit *ibi* Auicenna. Et hæc species est euacuationis. Ita docet Galenus *lib.* . *de cris. cap. vlt.* sub his verbis: *Optimum igitur est, si in primo statim die cognoscamus, & hoc iam millies fieri posse probauimus: si verò in hoc aliquando manifestè dignosci non possit, tunc coniecturam aliquam artificiosam habebimus, ex qua bonam victus rationem instituere incipiemus: exactam autem notitiam assequemur in secundo die, vel omnino in tertio, vel in quarto.*

Ex his constat manifestè, nihil debere agere Medicum, si morbus sit leuis, & inducias præbeat, præterquàm leuia auxilia offerre; vt sibiipsi dolore laboranti fecisse Galenum vidisti, clystere admisso & diæta. Qua imperata expectare licet, num natura vincat, an detegat morbum. Quæ si non vincat, & in detegendo illo nimis ferietur; tunc auxiliantibus erit explorandus morbus; & offerenda medicamenta, ex quorum administratione periculum ægrotanti non immineat. Nam temerè nihil tentandum, vt Hip. ait 6. *epid. sect.* 2. *text.* 25. Colliges deinde, quomodo prisci Medici omnes ac singuli, morbo ignorato, modò quicquam agendum esse, modò feriandum, statuisse visi sint.

PRÆCEPTVM LXVI.

Medicus à iuuantibus & nocentibus, pro remediis adhibendis, indicationem sumat.

VT superiùs dictata de mirabili diætæ, optimíque regiminis vtilitate innotescant ampliùs, celeberrimum in idem institutum addamus Galeni locum, ex 1. *lib. de loc. affectis, cap.* 4. quo facundissimus auctor, à iuuantibus & nocentibus etiam sumendam esse indicationem, scitè edocuit, dum sic ait: *Verùm conside-*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 107 sur 927

rare oportet, vtrùm illæsum sit hepar, an affectu quopiam laboret, & qualis sit ipsius affectus, vtrùm calidus, an frigidus. Haud secus de splene quoque: quippe ex horum omnium cõsideratione, simul cum quotidiana ciborũ potionúmque experientia, exquisitè poterit quis inuenire non solùm locum affectum, sed etiam ipsius dispositionem, &c. Et *infrà* sic inquit: *Igitur si idipsum quod molestat, nihil aliud fuerit quam intemperatura, calidam refrigerando, & frigidam calefaciendo illicò inueneris hominem. Neque nudam duntaxat opinionem, verùm etiam scientiam, & quidem haud obscuram susceptæ habebis coniecturæ; idque multò magis, si vtrinque ipsam examinaueris, refrigerantibus quidem tum medicamentis, tum victus ratione videndo hominem iuuari: calorificis verò lædi: vel contrà à calefacientibus quidem iuuari, à refrigerantibus autem lædi, &c.*

Illud ergo est obseruandum, vt quemadmodum in morbis etiam secundùm genus ignoratis, nec regimen curatiuum institui potest, nec remedium aliquod adhiberi: (nisi fortè detur commoderatum, explorandi gratia, & vt Medicus suam tegat ignorantiam, nec æger de sua salute desperet) sic in exactè cognitis & exploratis morbis, exequenda esse, quæcunque certa, firmáque & cognita signa indicant. Ita si ægritudo tantùm in specie ignoretur, v. c. si cognoscamus putridam esse febrem, non tamen cuius speciei, ob ignorantiam signorum quibus febris species dignoscuntur: illud tantùm agendum, quod ægritudo in suo genere indicat, regimen scilicet subtiliare. Quia ex eo, quòd morbus materialis sit, subtiliationem requirit. Et sic de aliis, quæ à putrida febre, & quocunque morbo in genere indicantur.

Quamuis autem secundùm indicationes à probabili coniectura desumptas, operari etiam oportet: tamen etiam atque etiam videat, vt ita consulat auxilia, vt periculum aliquod insigne ex suo opere non sequatur, si fortè contingat decipi in opinione de morbo habita: nominatim vehementia non adhibeat præsidia, nec in quantitate iusta; siquidem illud tantùm exercere licet, vbi morbus certus est, firmitérque cognitus: quamuis etiam tunc tutius sit à leuioribus & moderatis incipere; nedum vbi experiendi gratia remedia tentamus: cùm longè alia sit tentantis & experientis à curante conditio.

Hac cautela vsum fuisse Galenum 1. *de loc.* 4. *cit.* in historia cuiusdam ægri, proposita *lib.* 2. *hist. PP. Med. hist.* 91. colligimus. Cùm enim ex cruditate certò agnosceret affectum locum, quem cruditas ipsa monstrabat, esse ventriculum: ex nidoroso autem ructu calorem excedentem esse in causa: tamen ea moderatione orsus est curationem, vt omnibus prospectis, & ventriculo affecto, & calido intemperamento vnà succurreret. At tandem mordacem humorẽ immersum esse, & imbibitum fuisse tunicis coniiciens, (quia oblatis acribus medicamentis exasperabatur dolor, temperatis mitescebat) exhibita hiera, quæ ad hos humores ab intestinis educendos aptissima est, ægrum ad perfectam sanitatem deduxit. Ita cùm doloris causam, & eius quantitatem perspectam non haberet, pro dolore oculorum leniendo fomentis vsus est, 6. *Aph.* 31.

Vnum tamen aduertas quæso, quod cùm ex coniectura auxilia applicas, & viæ tentandi insistis, caueas omnino, ne æger, aut vulgus, Medici propositum agnoscat, quemadmodum cautè prudentérque admonuit Hipp. *lib. de decenti ornatu, num.* 3. Quòd si æger conscius sit, quòd Medicus ex incerta coniectura tentet remedia dicta, culpabitur, quasi experiri velit remedia cum alienæ vitæ discrimine: quod valde periculosum esse existimauit, 1. *Aph.* 1. licèt crebrò ita fieri necesse sit. Præterquàm quòd maximum auertitur incommodum, de Medici & artis grauitate, si cùm imperitis de vera morbi natura & curatione fabuletur, tentando scilicet & solicitè interrogando, non solùm de morbi origine, sed & de exhibito remedio in anteacto morbo, & num paulò ante præsentem, fuerit purgatus æger, & propter quam causam & dispositionem.

Quapropter pro affecto loco, & affectus specie dignoscenda, morborúmque occultorum notitia consequenda, plurima solicita interrogatione, & apta remediorum tentatione est opus, & notæ diligentissimè inquirendæ. Nam vt ipse eo loco significauit, frustrata alimenti concoctio, seu cruditas, cùm ventriculi non coquentis symptoma sit, 3. *de sympt. caus. cap.* 1. partem laborantem proculdubio indicat: nidorosus autem, vel acetosus ructus, causam & malum significat.

PRÆCEPTVM LXVII.

Medicus rectè teneat, quantùm in vnaquaque regione remedia euarient.

QVanta ex regionum varietate in morbis, moribus, viuendi genere, animalibus accidat varietas, Hip. *lib. de aëre, locis, & aquis*, eleganter ostendit. Sicut enim tempora anni variè alterant & immutant corpora nostra: sic regiones. Maxima enim est regionum cum anni temporibus comparatio, vt *lib.* 8. *de placit. cap.* 6. prædixit Galenus. Sicut enim hyeme redundat pituita, vere sanguis, æstate flaua bilis, autumno denique nigra: sic regio temperata, veri respondet; calida æstati; inæqualis calore & frigiditate, sed frigore & siccitate abundans, autumno; humida denique & frigida, hyemi.

Sic corpus optimè constitutum, in iis regionibus quæ à temperamenti modo recesserunt, gigni non potest: vt *lib.* 2. *de sanit. tuend. cap.* 7. *in principio*, dicit Galenus, & rario docet, & experientia suadet. Quippe sici, graciles, & veluti torrefacti, in æstuosis tractibus homines fiunt. Rursus frigidioris plagæ incolæ, inæquali temperamento visuntur, vt quibus exteriora frigeant, interiora, atque in his viscera immodicè caleant.

Hip. *lib. de aëre, loc. & aquis, num.* 57. sic ait: *Regio in qua quis nutritur, naturam ipsam permutat. Inuenias enim ferè semper & formam hominum, & mores, regionis naturæ compares.* Hoc modo ex regionibus, quantùm ad timiditatem & audaciam, voluptatem & laborem spectat, non paruam in moribus hominum extare differentiam certùm est, quasi affectus animi, motionis corporeæ affectionem, quam ex aëris continentis temperatura non parum contingit variari, subinde consequantur: vt 5. *de placit. cap.* 5. dicebat Galenus.

Hoc modo in variis regionibus, varij morbi contingunt, varia est hominum vita. Sic Arist. *lib. de breuit. & longit. vitæ*, & *sect.* 14 *probl.* plagarum calidarum & siccarum incolas diuturniorem vitam ducere, & paucissima habere excrementa affirmat; ex quibus maxima pars morborum. Aut quòd ætate progrediente simul etiam aut remedium morborum, aut iuuamentum etiam temperamenti ipsorum excessus, nempe frigoris & humoris accedit; quibus calori & siccitati admixtis, illud oritur in senectute temperamentum, quod vitam tam latè longéque propagare potest. Cùm tamen Vitruuius Septentrionales regiones cæteris salubritate, & vitæ longitudine anteponat. Cur autem? quia (vt suspicor) frigidiores calorem roborant interiorem, externo frigori resistentem.

Sed si librum Hipp. rimeris ad vnguem, inuenies magnum esse regionum discrimen ex earum situ. Nam regioni quæ in situ est versus calidos ventos, cuiusmodi sunt, qui inter brumalem solis exortum & occasum perflant, ei hos peculiares esse ventos: tutam autem esse à ventis septentrionalibus; & ibidem abundare aquas, sed quæ salem sapiant, neque altæ sint, & hyeme frigidæ, æstate calidæ: quod insalubritatis signum existit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 108 sur 927

exiſtit. Quæ verò ex oppoſito ſunt conſtitutæ, ad ventos frigidos, inter occaſum Solis æſtiuum, & orientem æſtiuum, & ipſis venti hi ſunt vernaculi: tutæ ab Auſtro & ventis calidis: Et aquæ ibidem duræ ac frigidæ, quæ ad dulcedinem vergunt. In his homines vegeti ac ſicci, moribus potiùs feris, quàm mitibus. Quæcunque autem inter æſtiuos, atque hybernos ſolis ortus, & quæcunque ex earum oppoſito ſitum habent, de his ita ſe habet. Quæ ad orientem ſolem, par eſt eſſe ſalubriores illis, quæ ad ſeptentrionem, & quæ ad calidos ventos, etiamſi vnum tantùm ſtadium interſit. Nam ſortiuntur aquas ſplendidas, odoratas, molles; amabiles vultus hominum, coloris optimi ac floridi, verno tempori ſimiles. Quæ ad occaſum collocantur, eæ ſunt morboſæ, aquis vtuntur minimè claris, vultus hominum decolores.

Sic *eodem libro* multùm aſſerit differre Aſiam ab Europa, quantum ſpectat ad naturam & vires omnium è terra naſcentium: itémque hominum. Hoc eſt, longè & pulchriora & maiora omnia naſcuntur in Aſia, quæ regio noſtra regione mitior, vt & homines; & cultiora omnia. Cauſa eſt anni temporum temperies: cùm tamen non omnia ſint in ea ita æqualia; vt ſanè nec in aliis regionibus tanta æqualitas, vt multis non ſit inæqualis. Quare tum ex ipſius regionis natura, tum ex diuerſis temporum mutationibus, & ex aëris varietate hæc accidit varietas, quæ alimenta diuerſimodè immutat, & hæc non ſolùm mores, ſed morbos diuerſæ naturæ progenerant.

Hac ratione qui frigida & humida loca occupant, ſunt capitones, obeſo corpore, labris tumidis, buccis protuberantibus. Pleræque regiones Pygmæos producunt, pumiliones, coactæque breuitatis homunculos. Aliæ gutturoſos, ſtrumiſque deformatos, ſimis naribus, varis repandiſque cruribus. Aliæ corpora ad phthiſim parant, ad ferinas tuſſes, & deſtillationes. Plures regiones corpora ad peſtem diſponunt. Quædam humores generant, ex quibus emanat elephantiaſis. In aliis accidit pilorum implexio intricata; qua affecti, prælongas capillorum tricas, & cincinnos mirificè intricatos, digiti ſæpe craſſitie, ex reliquo capitis & barbæ capillitio, ad humeros, pectus, & aliquando ad vmbilicum vſque demiſſos geſtare ſolent, aſpectu planè monſtrifico, & Gorgoneum caput præferente: qui affectus Polonis eſt familiaris, & iccircò illi Plicæ Polonicæ nomen eſt inditum.

Huius varietatis cauſa plerunque in controuerſiam vocata, vix tamen à quoquam ad plenum definita. Eam ego aërem eſſe reor, qui ob Solis acceſſum & receſſum, ac planetarum varium influxum, perfuſus calore, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, corpora noſtra afficit, & proſui ratione immutat. Ergo ſicut aër moderatus noſtri intimi caloris natiui eſt conſeruator optimus, ſic ſi calidus eſt, & à temperie deflectit, ſudorem æſtúmque parit, vrinam minuit, ſitim infert, coctionem perturbat, vires debilitat. Frigidus contrà refrigerat, denſat, adſtringit, coctionem, caloris intrò repercuſſu, róbuſtiorem facit. Humidus, corpus emollit, lenit, pigros facit, ingenio tardos. Siccus, corporis habitum reſoluit, excrementa minuit. Turbidus corpora prauis humoribus implet.

Aërem ergo contempletur Medicus, omnium harum viciſſitudinum auctorem. Nam & Galenus eum ex præſidiorum numero vnum eſſe, & inter ſcopos medicatorios, à quibus ſumuntur curatrices indicationes, reponendum aſſeruit, 9. *meth.* 14. Et habet rationem cauſæ ſine qua nec morbus tolli, nec ſanitas conſeruari poteſt; quia illius naturam nemo poteſt effugere: illum enim nolimus velimus, attrahimus, & præſenti cæli ſtatu vti cogimur.

At hæc ſententia vbique à Galeno aſſerta, patitur inſtantias multas. Primò, quia Galenus 3. *meth.* 1. *in principio. Abſurdum* (inquit) *eſt, aliud eſſe quod curatur, aliud quod curandi rationem præſcribit.* Sed aër non curatur. Ergo curationem non præſcribit. Secundò, Galenus, 9. *meth.* 14. aſſeuerat, aërem ambientem eſſe ex præſidiorum numero vnum, quando morbo eſt contrarius. Igitur non indicat curationem, ſed potiùs indicatur. Nam indicatio, quæ eſt remediorum apprehenſio, ſumitur ab eo quod indicat, videlicet à morbo. Igitur, ſi aër ambiens eſt remedium & iuuat, indicatur potiùs in curatione, quàm indicet ipſam.

Tertiò, ſi aër ambiens ſcopus eſſet medicatorius, maximè quia ſine eo morbus tolli non poſſet, & quia aëris materiam fugere non licet, in omnibus morbis eius obſeruatio neceſſaria eſſet. Sed hoc eſt falſum: quia morbi inſtrumentarij, aëre ad ſui curationem non egent. Præterea ſicuti morbus non curatur ſine aëre, ſic nec ſine potu & cibo, ſomno & vigilia. Igitur non ob hanc cauſam dicendum eſt, eum curandi rationem præſcribere.

Quartò, licèt per graues & acutos morbos non liceat aërem mutare; per leuiores tamen & diuturnos licet migrare de loco in locum, & de regione in regionem. Igitur non ſemper præſenti cœli ſtatu vti cogimur. Accedit, quòd multò grauius & difficilius ſit, noxas aquæ, quàm aëris corrigere; quia ferè tota regio eadem aqua abundat: in aëre verò magnam patitur diuerſitatem, quæ in eadem domo animaduertitur. Nam aliter ſe habet in loco ſublimi, aliter in loco profundo. Igitur curationem indicare non poteſt.

At rationes hæ, quibus aliqui Claſſicorum peritiſſimi Galenum condemnant, non ſunt tanti momenti, vt eius doctrinam deſerere cogant. Nam meritò ſcopos medicatorios in ternarium numerum redegit Galenus: in morboſum affectum, in naturalem affectum, & aërem ambientem. Morboſus affectus, cùm ſui ablationem indicet, primò & per ſe curandi rationem præſcribit. Naturalis affectus primò ſui conſeruationem, & ſic curandi normam indicat: quouſque videlicet ſit alterandum. Nam cùm curatio ſit immutatio morbi in naturalem ſtatum, ab alteratione ceſſandum non eſt, quouſque corpus redeat ad illum. Sicuti nec vltrà eſt progrediendum, ne morbi genus contrarium poſſit induci. Quare cùm curatio certam qualitatem & quantitatem remedij expoſtulet: ſicuti qualitas ſumitur ex morbo, ſic quantitas ex naturali affectu. Quantus enim eſt à naturali ſtatu receſſus, tantum remedium eſſe debet. Aër ambiens, primò & per ſe curationem non præſcribit, ſed ſecundariò, & ex accidenti. Quando enim aër ambiens ſimilis eſt morbo, auxiliorum vires eſſe augendas indicat, quia morbum fouet & auget.

Præterea, ſi aër ambiens in ſua natura conſideretur, & quia illius materia eſt maximè vitæ neceſſaria, ſine qua nec ſanitas, nec morbus reperitur, inter ſcopos medicatorios reponitur, ob hanc maximam ſui neceſſitatem. Reliquas enim auxiliorum materias fugere poſſumus, aërem verò minimè: Imò ſine ipſo nec momento temporis animalia viuunt, vt *lib. de flatib. num.* 6. elegantèr prædixit Hip. At verò ſine cibo, aut ſomno & vigilia, per duos, tres, aut plures dies. Ob hanc cauſam aërem vitæ, ſanitatis & morbi auctorem eſſe aſſeuerat. Quam ſententiam 1. *de diff. reſpirat. c.* 12. *poſt med.* & 6. *de loc. c.* 5. *poſt princip.* fusè explanat, dicens, impoſſibile eſſe reſpirationem à vita, & hanc à reſpiratione ſeparari.

Nec enim rationes plurimùm vrgent. Nam Galenus 3. *meth.* intelligendus eſt, de eo à quo prima indicatio ſumitur, quæ morbi eſt ablatio. Et ibi de communiſſima hac indicatione agit, quæ à morboſo affectu deſumitur; qui primò & per ſe curandi rationem præſcribit, & ideò curatur. At verò aër ambiens ſecundariò & ex accidenti curationem indicat.

Ad ſecundam dic: Non eſt inconueniens, idem ſub diuerſis rationibus indicatum eſſe, & indicare. At aër ambiens

©BIUM

ambiens in sua natura consideratus, tantùm curationem indicat; si verò consideretur quatenus adscititiam naturam solet habere, quæ morbo vel contraria, vel similis esse potest, tunc indicatum est, & inter auxilia medica, aut morbificas causas solet connumerari.

Ad tertiam dic: Aërem ambientem in transmutandis corporibus potentiorem esse cæteris rebus non naturalibus: quia assiduè alterat, perpetuò immutat, tenuitate sua vniuersum corpus peruadit, immediatè cordi occurrit, & alimenta in sui naturam transmutat.

Ad extremam dic: Aërem ambientem inter reliqua indicare curationem, non quia difficilius sit illius noxas corrigere, sed quia, velimus nolimus, aërem præsentem attrahimus.

Quare ob aëris varietatem in vnaquaque regione remedia euariant. In calidis, & frigidis regionibus cautè vacuandum, vt *suprà præcepto* 47. ex priscorum mente retulimus: in temperatis liberaliùs agendum. Et sic in vacuationibus vniuersalibus penès regiones varianda curatio est. Sic in particularibus ex victu, & ex aliis rebus non naturalibus est permutanda. Hoc præclaro elogio cecinit Celsus, *in præfatione sua*, dum hanc rem sic aptè confirmat: *Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Gallia. Quòd si morbos eadem causa facerent, vbique remedia quoque eadem esse debuissent.*

Hac ratione, experimento fidissimo compertum est, in quibusdam regionibus, vt Hispania, & Brasilienſi plaga, copiosè esse venam secandam. Nam in his ob soli cœlique temperiem, & alimenta vbertim nutrientia, sanguis abundat in corpore copia multa; & turgentibus venis, morbi ab eius multitudine ferè emanant, quem si secta iterum atque iterum vena emittere recuses, vel ægrotantes in grauiora coniicies pericula, vel natiuus ignis præ copia sanguinis, velut ignis congerie lignorum suffocatus, extinguetur. Contrario modo in septentrionali tractu parcè sanguis mittendus. Nam sanguis in corpore genitus est aquosus, qui nec ita valenter nutrit, nec vires roborat; & præ regionis frigore, alij humores serosi ex alimentis subfrigidis, & non ita succulentis pronati, in corpore abundant: qui magis purgante medicamento, quàm venæ sectione sunt extrahendi. Quòd si liberales in vtroque sexu, ætate, & temperamento vacuationes exerceas, phlebotomiæ ope; vel ægros ad frigidorum cruditatem, extracto sanguine, in quo calor perseuerantiam habet, deduces, quod summoperè Auic. timuit, 4. 1. *cap.* 20. vel exhausta & vacuata hac purissima substantia, plurimáque spirituum copia effusa ipsos præcipites dabis in mortem.

Hoc modo in plurimis regionibus, hæc vel illa vacuatio ob varietatem aëris magis confert. In hac vomitus; in illa, medicamentum per aluum expurgans; in alia, quod vrinam mouet; in plurimis, quod sudorem prouocet, est ex vsu: & sic de cæteris præsidiis iudicandum. Ob hanc causam in quadam regione, vt Brasilienſi, caro suilla febrientibus conceditur, vt salubris: quæ si Europæis ægrotantibus offeratur, nocebit eximiè. Quapropter Medici vsu edocti, eo vtuntur alimento & remedio in vnaquaque regione, quod experimento in pluribus feliciter contigisse obseruant. Cùm enim causæ morborum ob aëris varietatem variæ sint, diuersa remedia, & diuersam victus rationem, in diuersis regionibus celebrare oportet.

PRÆCEPTVM LXVIII.

Medicus, ad id quod magis vrget, attendat.

DVo sunt artis medicæ oracula, ab omnibus Medicis summa veneratione obseruanda. Primum est; *Contrariorum contraria sunt remedia.* Alterum: *Ad id quod magis vrget, curantis consilium dirigi debet, alio non neglecto.* Cùm enim generosi Medici institutum sit, periculum auertere, si possit, & ferocientium symptomatum sæuitiem retundere, fit vt vrgentiori opitulentur citissimè, quod vires promptiùs eneruat, & ex quo periculum confestim imminere certum est. Hoc dilucidè docuit Galenus *lib. 3. meth. cap. 9.* dum sic ait: *Nam affectus, vnde primùm, maximéque imminet periculum, hic primus curari debet.*

Hippocrates *lib. 5. Aph. text. 19.* sic inquit: *Quæcunque refrigerata sunt excalfacere oportet: exceptis iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.* Galenus *in com.* sic profatur: *Hoc quod nunc dictum est, haudquaquam euertit illud theorema, Contrariorum contraria esse remedia; de quo plenius diximus in eo tractatu, qui de arte curatiua inscribitur: in quo ostendimus, aliud esse theorema magis necessarium, illa priùs curari præcipiens, quæ magis vrgent, hoc est, quæ maius periculum afferunt, sicuti & nunc profluuium sanguinis.* Cùm enim sanguinis profluuium sit symptoma maximè verendum, ex quacunque parte educatur, quia sanguis elaboratissima est substantia, & plures spiritus resoluuntur: iccircò profluuio tanquam vrgentiori illicò obsistendum, incrassando & refrigerando, vt 7. *Aph.* 37. docuit Hip. *Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si verò cum febre, malum: curare verò acerbis & refrigerantibus.*

Quando enim indicationes contrariæ coniunguntur, studium omne adhibendum est, vt curetur id quod magis vrget, ex Gal. *lib. 7. meth. cap. 12. ante med.* & *1. ad Glauc. 14. ante med.* Et *11. meth. cap. 1.* posito exemplo in febre, cui causa contrariatur, edocuit, Idem constat ex *lib. 11. cap. 9. ad med.* §. *At si non vacuata priùs multitudine, &c.* Timet enim in curatione febris, quæ ex obstructione oritur, ne oblatis deobstruentibus, quæ suapte natura calida sunt, febris, vel putredo increscant. Quare hæc cum consilio summo sunt propinanda.

Legitimo enim modo si operemur, à causa incipienda curatio est; qua remota, symptomata cessant. Sed si hæc nimis vrgeant, & sua sæuitie vires prosternant, ab effectu exordiri curationem oportet. Vt v. g. si immodica vigilia, & grauis dolor ægrum corripiant; ex quorum immanitate facultates resoluantur: tunc symptomati veluti vrgentiori, opitulari debemus. Et hæc curatio illegitima & extraordinaria meritò est dicenda.

Exemplo sit, copia pituitæ in ventriculo congesta, à qua appetentia langueſcat, & calor minuatur, ita vt nihil concoquat, sed ex hac causa assumptum, crudum deiiciatur, aut vomitu reddatur. Causa expurgationem expostulat, sed excretio renuit. Quare roboranda sunt ventriculus & intestina; & eò magis si ab ipsa pituita ori ventriculi affixa, hæc pars lancinetur, & concitetur syncope, frigidique sudores emanent; tunc enim neglecta causa, affectui magis periculoso occurrendum, & sic curationis methodus inuertenda. Et si hæc pituita dolores truculentos conciet, tunc narcotica offerenda: quæ etsi frigiditate nimia obsint causæ, humorémque tenaciorem reddant, tamè melior est noxa, quàm mors, vt dicebat Gal. *lib. 12. meth. cap. vlt.* Quare qui methodum in omnibus nimiùm pertinaciter exquirit, pariter cum morbo plerunque hominem de medio tollit.

Ita si destillatio cum febre coniungatur, huic quæ citiùs est interemptura, neglecta destillatione, obuiandum, & sic feruor vacuantibus & refrigerantibus restinguendus. Hoc modo, si pleuritis è catarrho frigido emanet, illi priùs auxiliandum. Deinde si valde vrgeat malum, periculúmque minetur, tunc coacti necessitate, nulla præparatione præuia, nec obseruato ordine, omni conatu remedia afferre tentabimus. Hoc experimur oblatis opiatis, quando truculentus dolor ægrum infestat.

Hac

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 110 sur 927

Hac ratione non cum ſuſpicione futuri damni ex remedio illati, curam coactam molimur, ſed aliquando etiam cum certitudine. Vt ſi puncto muſculi capite, conuulſio, quæ nulla conuenientium medicamentorum vi leniatur, ſuperueniat; cogimur totum muſculum per tranſuerſum ſcindere: licèt certò ſciamus aliquam particulam motu priuatam remanſuram. Neruum etiam punctum, ſi conuulſiones & deliria comitentur, totum per tranſuerſum ſecamus, ſed non ſine graui damno. Ita cùm ex vena vel arteria ſanguis fluit immodicè, totum vas tranſuerſim incidimus, ſic periculum ex nimia hæmorrhagia imminens præcauemus.

Sed difficile eſt ſcire, quid faciendum ſit, ſi duo ſimul adſunt quæ grauiter vrgent? Dic, ſi duo pariter vrgeant, ſuperanti curationem adhibendam. Hac tamen conditione, ne quod reliquum eſt contemnas, monente Galeno 3. *de ſanit. cap.* 9. Quòd ſi pariter exuperent, ſtudio pari vtrique conſulendum. Sed quomodo hoc fiet? Si vtrumque eandem expoſtulat curationem, facilis eſt via. Hoc modo in muliere, quæ menſtruorum copia laborat cum diarrhœa, adſtringentia proſunt, vel per os aſſumpta, vel per clyſteres indita, aut per peſſaria applicita. Si contrariam curationem exigant, tunc per interualla ex æquo vtrique ſuccurrendum. Vt, ſi ob contentos in ventriculo humores, caput doleat, & ſimul ob eoſdem ad inteſtina fluentes, dyſenteria premat: tunc reuellendus eſt humor ad inferiora ratione cephalalgiæ; ſed dyſenteriæ cauſa, attrahendus ad ſuperiora. Et hoc per interualla agendum, dummodò vrgentiori magis ſuccurras, prout dolor vel capitis, vel inteſtinorum magis ægrum premit.

PRÆCEPTVM LXIX.

Medicus vacuationes ſymptomaticas non omnino flocci faciat.

SYmptomaticas vacuationes in principio morbi, crudo adhuc exiſtente humore, ſemper reprobandas eſſe, & ſic cohibendas, non iuuandas aut permittendas, diſſertant Medici. Nos ex priſcorum mente, quid de hac re ſentiendum ſit, determinabimus. Galenus, celebri quodam oraculo, ſemper eas condemnat, 4. *Aph.* 22. *Quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia caſus præter naturam earum, quæ ſunt in corpore, diſpoſitionum. Quo enim tempore à cauſis quidem morbum facientibus natura grauatur, adeſt tamen cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari eſt impoſſibile; ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt bona ſit criſis, ſiue iudicium.*

Cùm enim animal naturæ legibus gubernetur, ex Galeno 2. *de ſympt. cauſ. cap.* 1. & determinati ſint ac ordinati naturæ motus, *lib.* 3. *criſ. cap.* 10. *ad init.* & lex naturæ ſit, & ordo facultatum naturalium, vt facultas expultrix ante coctionem non operetur, ex Galeno 3. *de dieb. decretor. cap.* 8. *ad init.* rectè ſequitur, vacuationem factam morbo exiſtente crudo, non eſſe ex ordine & lege naturæ celebratam, ſed eſſe ſymptomaticam & præter naturam. Igitur quando natura ſibi conſtat, & nos rectè moderatur, & benè valet, quicquid vitioſum eſt, aut ſuperabundat, ex corpore poſt coctionem expellit: quando verò ante coctionem, & intempeſtiuè id facit, imbecillis eſt, & ſic reddita ignaua, humores retinere nequit, eoſque effluere ſinit. Eorum enim multitudine & prauitate laceſſita & irritata, etiamſi robuſta ſit, ante tempus expellit coacta, & leges proprias prætergrediens.

Hæc vacuatio in facultatis retentricis debilitatem reiici poteſt. Nam, vt inquit Galenus 6. *de loc. affect. cap.* 6. *parum poſt princip. In his qui præter naturam ſe habent, retentio quidem ob excretiuæ virtutis imbecillitatem, excretio verò ob retentricis facultatis infirmitatem euenit.* Quare hæ vacuationes in principio morbi meritò reprobantur, & neceſſariò lædere debent. Quod intelligens Hip. 2. *epid. ſect.* 2. *text.* 16. dicebat: *Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicationis.* Et 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 4. *Cruda verò, & incocta, & ad malos abſceſſus conuerſa, aut acriſias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas ſignificant.*

Quare non ſolùm cum Hippocrate 2. *Aph.* 12. poſſumus dicere: *Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium, recidiuas facere conſueuerunt.* Sed ea etiam quæ excernuntur, ſi ante coctionem excernantur, eaſdem excitare affirmabimus. Quod ipſe ſignificauit 2. *epid. ſect.* 1. dicens: *Quæ iudicata ſunt, & cruda, & non concocta, præiudicata recidiuas faciunt.* Horum omnium aſſignanda ratio. Vacuationes enim in principio morbi factæ, quum ſtant ab irritata natura, & non obſeruante ordinem, debent eſſe ſuperfluæ, vel diminutæ, vt docuit Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 64. §. *Quando ſuperfluit euacuatio, & nondum incepit digeſtio, tunc non eſt illud, cuius iuuamento eſt innitendum; & euacuatio debilis, pauca, per fluxum ſanguinis narium, aut ſudorem, ſignificat quòd natura mouit, & non potuit.* Quod confirmauit *cap.* 21. *antecedente*, §. *Et ſcias quòd ſigna criſis, quando aduenium ante ſtatum & coctionem, & ſequitur eam vacuatio multa, non oportet tunc vt in ea habeatur fiducia, quoniam natura ob humoris copiam, prauitatem, & debilitatem perturbata, aut non vacuabit, aut ſi fecerit, vacuatio erit immodica, quia ſeipſam continere non poterit.* Quod appoſitiſſimo exemplo *lib.* 3. *de dieb. decret. cap.* 8. Galenus confirmat, dum ſic ait: *Conſidera iam mihi tale quid in natura accidiſſe, quod hominibus natura infirmis contingit, qui à fortioribus quibuſdam irritati, pro neceſſitate impetum faciunt, inuadúntque eos, & imparati pugnantes ſuperantur. Quinetiam onus deponere quis volens, interim vel inuitus cum eo concidit.* Accedit alia cauſa, quòd natura in hac vacuatione vtile cum inutili excernat, 3. *de dieb. decret. cit.* quia ante coctionem ſeparatio facta non eſt, 2. *Aph.* 22. & agitat hæc vacuatio vires, ac perturbat coctionem, quæ quiete perficitur, ex Gal. 4. *acut.* 44.

Has ergo eſſe inutiles vacuationes probat Hipp. 4. *Aph.* 62. dicens: *Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.* Firmat Galenus 3. *epid. ſect.* 1. *com.* 5. *ad fin.* dum ſic ait: *Reduc in memoriam, ante concoctum morbum crebrò te audiuiſſe, nullum quemlibet abſceſſum proficere, nedum auriginoſum: Is enim impediri ſignificat bilem, quominùs ex viſcere expurgetur, & vacuetur per ventrem, vel propter obſtructionem eius, vel inflammationem. Morbo autem iam concocto, decretorie interim natura ad cutem excrementum reponet, cùm quorundam aliorum humorum, tum flauæ bilis.*

Quia verò ſub diſiunctione Hippocrates pronuntiat, decretoria non decernentia, vel mortem ſignificare, vel difficile iudicium; ſcitu dignum eſt, quo pacto iis præſentibus, hoc vel illud prædicere poſſimus? Dic, Hippocratem 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 47. poſt citatam ſententiam dixiſſe: *quid autem horum potiſſimùm erit, ex aliis conſiderato.* Eius mentem explicuit Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 64. adiiciens: *Et ſi fiant alia ſigna mala, ſignificant mortem: & ſi non fiant mala, ſignificant longitudinem.* Inter quæ ſigna bona & mala, virium robur & debilitas, potiſſimum locum habere videntur.

Verùm contra hanc Hipp. & Galeni doctrinam obſtant plura. Auicenna enim 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 4. docet, quòd quando in pleuritide apparet in principio alui fluxus, quem ipſe diuerſitatem vocat, ſit ſignũ bonum, imò res iuuans. Quod confirmari etiam poteſt ex Galeno 6. *Aph.* 16. dicente: *In mediocri morbo laterali, atque pulmonia, profluuium alui ſuperueniens poteſt prodeſſe interdum, ratione euacuationis; & magis cùm ſigna coctionis apparuerint.* Vbi notanter dixit: *& magis cùm ſigna coctionis apparuerint:*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 111 sur 927

apparuerint: quia etiam antequam appareant, prodesse A
potest: sed magis post coctionis signa.

Secundò, apud Hippocratem 2. *progn.* 67. *Abscessus, qui ad crura fiunt, in pulmoniis vehementibus ac periculosis, omnes vtiles sunt*: Quia, vt Galenus *in com.* ait, liberant à periculo pulmoniæ, etiam incocto humore: sed hoc fit cum claudicationis periculo. Tertiò, Parotides crudæ remanentes, febribus iudicatis, curatæ fuerunt excretionibus per aluum & vrinas. Quartò, Plures ægroti apud Hipp. sine signis coctionis sunt iudicati. Sic Meton 1. *epid. sect.* 3. *text.* 24. quinta die citra vrinæ coctionem fuit iudicatus, vt aduertit Galenus *in com.* Hoc modo mulier quædam trimestris grauida, *text.* 30. *sequenti*, quinta die cum cruditatis signis, imperfectam crisim habuit, quæ die decimaquarta perfectè est iudicata. B
Hoc modo Cherion 3. *epid. sect.* 2. *text.* 2. septimo iudicatus imperfectè, integrè vigesimo euasit: qui perpetuò habuit à principio deiectiones bilioſas, exiguas, sinceras.

Pro dubij solutione dic: Vacuationes & abscessus, euenientes quando humor est inconcoctus, semper tanquam signa perturbatæ naturæ reprobantur, & plerunque etiam damnantur, ratione causæ; quia vires dejiciunt. Attamen aliquando ratione causæ, si conferantur cum retentione humorum, præstant & laudantur: quia eorum ope noxius humor excernitur, & detracta copia leuatur natura, vt in materia turgente & multâ passim experimur, quæ si vsque ad coctionem reseruetur, interimit: nam vel copia sua suffocat naturam, vel in aliquod membrum princeps delata, C
concitat inflammationem, vel robur eius omnino dissoluit.

Iuuant autem aliquando hæ vacuationes symptomaticæ, si virium adfuerit robur, cuius causa crudum simul cum cocto possit expelli, quod notauit Auicena 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 80. Qua ratione icterus ante septimum, cum virtute robusta iuuare potest. Quod significauit Hipp. 4. *acut.* 81. dicens: *In bilioſa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus, morbum soluit; si verò absque rigore præter occasionem, pestiferum.* Vbi per verbum *cum rigore*, significat naturæ robur, quo postea, vel sudore, vel simili euacuatione reliquum humorem possit superare & excernere. Quare recipiendum est, quod profert Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 59. *Ictericiam ante digestionem, esse malum signum, nisi succurrat ei aluifluxus.* D

Reprobatur ergo vacuatio symptomatica, vt signum, licèt aliquando prodesse possit & commendetur, si conferatur cum retentione eorum humorum; quamuis absolutè ipsa vacuatio prauata sit. Hoc modo viridis deiectio post nigram, laudatur, quod significauit 2. *Aph.* 14. *In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.* Similiter ructus acidus, post longas læuitates intestinorum, probatur, 6. *Aph.* 1. Febris superueniens conuulsioni, 4. *Aph.* 57. Rigor ardenti febri, 4. *Aph.* 58. & alia, quæ licèt simpliciter praua sint, comparatiuè tamen laudantur, quia prædictos morbos soluere nata sunt. Meritò ergò Actuarius *lib.* 2. *meth.* 2. iudicium symptomaticum, bonum nunquam exitum habere docuit. Et Paulus *lib.* 2. *cap.* 8. signa critica esse ambigua & infida asseuerat, dum aliquando accidant in principio cum ægri damno. Proinde Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *nunquam fieri crisim in principio, nisi perniciosam* asseuerat, quia semper periculosam iudicationem portendit, 2. *acut.* 45. Vbi postquam vehementia symptomata Galenus recensuit, sic habet: *Hæc si initio apparuerint, delirium vehemens indicant, atque magna ex parte moriuntur ægri.* De his intelligendus Hipp. 2. *Aph.* 27. *His quæ sine ratione leuant, fidere non oportet.*

Sed cur parotides crudæ, curata fuerunt citata aluo? Dic, Galenum *in com.* illud valde mirari, tanquam rem nouam, & rarissimè contingentem: sed *rarò contingentia non tollunt veritatem problematum medicorum*, vt notat Galenus *lib. de fœtus formatione, cap.* 2. Abscessus autem in pulmonia vehementi, incocto morbo, adiuuit ægrum. Quidam interpretantur sententiam de abscessu in augmento morbi, quo tempore iam adest concoctio. Sed videtur concedenda de abscessu in principio; vtilis enim erit, cùm distrahat humorem noxium à viscere maximè principali. Ita & aliquæ aliæ vacuationes in principio vtiles erunt, vt vacuatio veneni assumpti, & humoris virgentis, aut pestilentis: Hæc enim omnia vtiliter vacuantur in principio. Nam si vsque ad coctionem retinerentur, interimerent.

Ob hanc causam Hippocrates, fluentem è naribus Metonis sanguinem, capitis lotionibus adiuuit. Testatur hoc ipsum *in com.* Galenus, cùm dixit: *Peruigilauit, delirauit, nugatus est: huius præstantissimum remedium docuit capitis lotionem; dixit enim in lib.* 3. *de rat. vict. in morb. acut.* 59. *caput non lauandum esse iis, quibus à naribus erumpit sanguis, nisi minus iusto fluat. Atqui erat iusto minus: siquidem perpetua erat vigilia, & delirium continuum.* Et hæc potior solutio, quàm interpretum asserentium, Metonis iudicium minùs perfectum fuisse, non-symptomaticum: nam quinto die suspensum apparuit in vrina, quod in genere bonum faciebat iudicium, quia cum signis fuit coctionis; imperfectum tamen, quod inde absoluta coctione fuerit celebratum. Sed hanc expositionem manifestè redarguit Galenus *in com.* Admiratus enim est, crudum morbum citra signa coctionis iudicatum fuisse, neque subsequutam recidiuam. Coctio enim apparens, prima est ac potissima bonæ crisis conditio, eaque in solo statu fit perfecta, vt 3. *crisi. cap.* 4. & alibi confirmat Galenus. Si verò vltimo loco inquiras, quid sit symptomatica euacuatio, & quid naturalis? Dic, quòd quando vacuatio nulla actione læsa contingit, & virium perstat robur, & cum vtilitate animalis fit, tunc est naturalis; contraria verò symptomatica, & præter naturam, ex Galen. *lib. de diff. sympt. cap. vlt.*

PRÆCEPTVM LXX.

Medicus fortia symptomata in statu contingentia generosè non pertimescat.

HIppocrates *lib.* 2. *Aph.* 13. sic cecinit: *Quibus crisis futura est, iis nox grauis ante accessionem; quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior existit.* Hoc loco Laconicè, vt solet, perturbationem quæ antecedit crisim, ante oculos proponit; quam grauia symptomata excitant, quæ vberrimus Paraphrastes ad plenum recensuit 3. *crisi. cap.* 2. in hunc modum: *Antecedit autem huiusmodi excretiones & abscessus, non mediocris perturbatio in corpore agrotantis. Nam & anxietates, & vigiliæ, & dementia, & graues somni, & difficiles anhelitus, & hallucinationes, vertigines, & difficiles sensus, dolores capitis, colli, & stomachi, & multorum aliorum membrorum: nonnullis verò aurium sonitus, & vanæ ante oculos apparent imagines, & lacryma inuoluntariæ effluunt, & vrina retinetur, & labrum inferius agitatur, aut aliquid tremulum fit: obliuio, & præsentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimùm accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisque intolerabilis sequitur; clamant, & saliunt sicuti furentes neque possunt in eodem situ decumbere.* E

Cur verò ante diem iudicatoriam hæc perturbatio excitetur? Dic, quia est maxima humoris cum natura pugna, & magno adhibito conatu ipsa morbum debellare satagit, & vires ad causam morbificam alterandam & expellendam assumens, humores agitat, ac mouet, qui irrequieto motu impulsi, ipsam deinde lacessunt, fatigat & premunt: quæ si robustior sit, & à sarcina humorum, auxiliorum ope leuata, & ipsi sint concocti & mites, superat & dominatrix euadit, & repentè (vt ait *cit. loc.* Galenus)

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 112 sur 927

Galenus) multis ſudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus inſequitur, aut venter ſubitò ſoluitur, aut abundans fit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt, vnde non paruus inuadit timor inſpicientes.

Hæc omnia, etſi horrenda & ſæua, Medicus generosè, & infracto animo contemnere debet: nam ſtabilia non ſunt, neque multùm durare conſueuerunt, vt 2. *Aph.* 27. diuinatur Hip. Vt enim *in com.* docuit Galenus: *Tantum abeſt, vt hæc malum aliquod ſignificent, vt nonnunquam bonum indicium, haud ita multò poſt futurum enuncient.* Quare in agone hoc, dum truculentorum ſymptomatũ exaſperatur procella, & ægro, & adſtantibus animum iniicere, vires roborare, & motum naturæ animaduertere & adiuuare oportet: quæ omnia cùm in ſtatu excitentur, quo tempore coctiones maximè fiunt, iccircò virtutem, vt expulſioni ſufficiat in poſterum, refocillare debemus.

Verùm, video te illicò quærentem, cur ſi in principio morbi cruditas adeſt, copia humorum abundat, illorum ſæuities inſoleſcit; hoc tempore ſymptomata non ſunt fortiora magis quàm in ſtatu, in quo coctio viget, cuius vi humorum malitia eſt edomita valde. Difficile quæſitum, præſertim cùm huic ſententiæ à diametro repugnet Hippocrates 2. *Aph.* 30. dicẽs: *Circa initia & fines, omnia mitiora: quum verò conſiſtunt ac vigent, omnia fortiora.* Firmat Galenus 1. *criſ. cap.* 8. & 10. quibus locis ſigna ſtatus eſſe vehementiam ſymptomatum, aſſeuerat. Hoc modo 1. *Aph.* 7. docet: quòd *vbi morbus peracutus eſt, ſtatim habeat extremos labores*, hoc eſt, fortiora ſymptomata & caſus, nempe vigilias, dolores, faſtidium, ſitim, & reliqua huiuſmodi; quæ ſtatim apparent, id eſt, circa primos quatuor dies ægros diuexant.

Cognoſcitur ergò ſtatus morbi per fortitudinem & vehementiam ſymptomatum. Hoc tamen ponit Galenus diſcrimen, quòd in morbis qui per criſim finiri debent, cognoſcitur per ſigna criſis, quæ in fine augmenti apparent: in illis verò qui criticè finiri non debent, ſed paulatim, per celeritatem, longitudinem, & magnitudinem acceſſionum ſtatus cognoſcitur. Ita Galenus 1. *criſ. cap.* 3. in morbis acutis ſtatũ plerunque comprehendere vnam vel alteram acceſſionem, rarò tres; in diuturnis verò poſſe comprehendere non ſolùm tres, ſed etiam plures aſſeuerat.

Hæc doctrina intricata ſatis, interpretis auxilium expoſtulat. Galenus enim 1. *criſ.* 10. docet cognoſcere ſtatum, per fortitudinem & vehementiam ſymptomatũ, quia ea de cauſa appellatur ſtatus, 1. *criſ. cap.* 8. vehementiſſima totius morbi pars; & *cap.* 10. vehementiſſimum ægritudinis tempus: & 1. *Aph.* 7. in peracutis morbis ſtatim, id eſt, in primis diebus eſſe vigorem, ſeu ſtatum, qui nihil aliud eſt, (inquit) quàm morbi, quantũ ad caſus attinet, ſummum. Sequitur Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 17. dicens: *Cùm exacerbationes ſtatim acceperint, & ſimiliter per omnia conſequenter contigerint, & concomitantia ſymptomata neque detraxerint, neque addiderint, tunc iam in vigore morbus eſſe dicatur: vigor enim vehementior morbi totius pars eſt, &c.*

Contra hanc doctrinam obſtat *primò*: Quia in principio pleuritidis ſymptomata ſunt fortiſſima, quæ in ſtatu miteſcunt, ex Gal. 1. *acut.* 33. *Secundò*: In ſtatu abſoluta & plena concoctio eſt, quum ſtatus definiatur 1. *criſ. cap.* 18. per ſummam coctionem. Sed quando datur ſumma concoctio, materia magis benigna eſt, & magis euicta: cum maiori autem materiæ benignitate, & maiori naturæ dominio ſupra ipſam, ſymptomata potiùs deberent minui; quàm augeri. Non erunt ergò in ſtatu vehementiora. *Tertiò*: Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 23. ſic ait: *Cum apparitione digeſtionis non fit febris fortificatio: & cum digeſtione apoſtematis non ſit dolor vehemens. Quartò*: Galenus *lib. de totius morb. temp. cap.* 3. ſic inquit. *Si fluxio in pus mutatur, minorem tumorem & tenſionem reddit, & eſt declinationis principium.* Ergo quando pus fit, minor adeſt tenſio, & minor dolor. *Quintò*: Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 10. ſic ait: *Cùm apoſtema ſit maturum, fortitudo febris, & doloris, & pulſus ſedatur.* Et 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 24. ſic: *In apoſtemate viſcerum, quando materia ſit ſanies, quieſcit calefactio fortis, & inflammatio, & quantò plus appropinquat ſtatus, tantò dolores minuuntur; & in principio vehementiores ſunt, quia tunc* (vt inquit) *rumpuntur parietes membrorum, vt humor coëat in vno loco.*

Antequam ab his laqueis te extrices, aduerte primò, ſymptomata in ſtatu eſſe vehementiſſima, & ſic per eorum vehementiam ipſum eſſe cognoſcendum. Sed hoc indiget conditionibus multis, quas ſi priùs non attendas, Galeni de hac re vniuerſa corruet doctrina. *Prima* eſt, quòd conferantur partes acceſſionum ſimiles, & ſic fortiora erunt ſymptomata ſtatus particularis in ſtatu vniuerſali; quàm ſymptomata ſtatus in principio, vel augmento vniuerſali; non erunt tamen fortiora ſymptomata principij particularis in ſtatu vniuerſali, quàm ſymptomata ſtatus particularis in principio, vel augmento vniuerſali.

Secunda conditio eſt, in quo morbo ante ſtatum adſit momentanea humoris morbifici, ſiue ab arte, ſiue à natura vacuatio. Nam in inflammationibus internis vt peripneumonia, & pleuritide, quia ab initio augmenti non parua comitatur expuitio, in ſtatu ſymptomata ſunt minora, 3. *acut. vlt.* Similiter etiam in iis morbis, in quibus in principio, vel augmento fiunt ab arte, vel natura vacuationes, ita vt in ſtatu morbificus humor ſit minor, quàm in principio, ſymptomata in ſtatu ſunt minora, quàm in principio. Hoc modo contingit in morbis ſubortis à materia reducibili ad benignum, in quibus materia minui incipit, quando incipit concoctio; & ſic tunc ſymptomata minui incipiũt, ita vt in ſtatu ſint minora quàm in principio.

Ex hac doctrina patet, quòd febris ſanguinea decreſcens ad hanc claſſem ſit reducenda, quia in ea apud ſtatum minor copia materiæ putreſcit, quàm in principio. *Tertia conditio* eſt, vt illud intelligatur de ſymptomatis communibus, quæ nempe ſequuntur cõflictum naturæ cum morbo; ex quo majore conatu ad coquendum, ſequitur maior ebullitio humorum, maior feruor & agitatio; quare hoc tempore increſcunt vigilia, dolor capitis, ſitis, delirium, alia ſymptomata communia: non verò de ſymptomatis propriis morbi, quæ illius eſſentiam ſequuntur. Quare ſymptomata communia ſemper in ſtatu fortiora ſunt, propria verò non ſemper.

His iactis facilè ſolues obiecta. Dic ad *Primum*, iuxta ſecundam conditionem: quòd ſymptomata non ſint fortiſſima in ſtatu morborum, in quibus ante illũ momentaneus datur materiæ morbificæ effluxus, quales ſunt pleuritis, & pulmonia. Ad *Secundum* dic: in plurimis morbis ita intendi putrefactionem & coctionem vſque ad ſtatum, vt in ſtatu cum maxima coctione detur maior putredo, quàm in principio: Velut in puris generatione contingit, quæ eſt alteratio ſimilis illi, quæ fit in venis in humoribus putreſcentibus, 1. *de diff. feb. cap.* 6. Quare non videtur à ratione alienum aſſerere, ſymptomata in ſtatu eſſe fortiora, quùm materia morbifiqua ſit magis putrefacta, quamuis etiã ſit magis cocta. Quòd autem in puris generatione, cum coctione etiam putrefactio intendatur, explicuimus *lib.* 4. *hiſt. Princip. Medic. hiſt.* 9. & deducitur ex Gal. 1. *progn. vlt.* & quia in pure ſimul reperitur fœtor, qui eſt indicium putredinis, 1. *progn. cit.* & ſimul reperitur albedo, & æqualitas, quæ per coctionem fiunt. Similiter ergò fiet in humoribus putreſcentibus in venis, cùm alterationes ſint inter ſe valde affines.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 113 sur 927

Nec vrget quod legimus, *lib.art.med.cap.89. Concoctionem facere cessare putredinem:* & sic quantùm coctio augetur, tantùm minui putredinem; quatenus non videtur, materiá in statu posse esse simul magis coctam, & magis putrefactam. Nam hic locus dupliciter potest intelligi: Vno modo de cóctione, quæ reductio est ad benignum, & debetur humori semiputrescenti, quæ incipientem putredinem ita corrigit, vt reddat humorem benignum, & vtilem nutritioni, vt 2. *Aph.* 17. Galenus confirmat, proposito exemplo in vino semiacescente: Hæc coctio facit cessare putredinem, imò eam tollit. Secundo modo potest explicari locus de alteratione, quæ debetur humori putrescenti, quæ humorem putrem ita corrigit & reprimit, vt ipsum impediat, ne ad vltimum putredinis gradum possit peruenire: & hæc coctio est veluti putredinis suppressio, quæ putredinem vltimam suapte natura lethalem cessare facit, cum qua putredo vsque ad certum gradum, & non ad vltimum potest augeri.

Ad Tertium dic: Auicennam intelligendum, quòd non sit fortificatio febris cum apparitione digestionis, id est, non intendi symptomata, imò minui, quando apparet digestio, id est, coctio in morbis, qui pendent ab humore reducibili ad benignum; quæ coctio humorem reddit nutritioni vtilem: in quibus morbis cum apparitione coctionis incipiunt symptomata minui, & in statu sunt minima.

Ad Quartum dic: Non esse legendum textum, vt Andernacus vertit: *Si fluxio in pus mutatur:* sed dicendum, *Si fluxio in pus est mutata.* Ad vltimum dic: Plures Auicennam carpere; arbitrantes illius sententiam fuisse, quòd quãdo humores in aliqua parte colliguntur, tunc fiat vehementissimus dolor, & febris magna; quum verò humor & sanies, & exitura appropinquat ad statum, tunc illa remittantur. Quæ dictio est contra Hip. 2. *Aph.* 47. nam quantò plus status appropinquat, tantò dolores augeri est necesse. Deinde eius rationem ficulneam esse putant, quia non solùm in principio, sed etiam in augmento & statu rumpuntur parietes membrorum, & ita soluitur cõtinuitas: in augmento quidem, ob fusionem humoris qui putrefit, *lib.de const.art.med.cit.* in statu, à parte nimis distentâ, ob vapores eleuatos in generatione puris, 2. *Aph.* 47. Accedit alia causa ad inducendum dolorem; ebullitio nempe & feruor materiæ, quæ in pus vertitur. Sed immeritò tanti auctoris dictum condemnant, & illius mentem in varios sensus distorquent. Neque enim ille vnquam in re tam leui, Hippocratem deferere ausus est: quia cùm apostema fit bene maturum, sedatur fortitudo febris & doloris; & in apostemate viscerum, (vt ipsius verbis vtamur) nempe inflammationibus thoracis, quando pus conficitur, dolores minuuntur, ac febris mitior fit, quia aliquid effatu dignum expuitur, 1. *acut.* 27. & magna pars humorum vacuatur per sputum, antequam morbus ad statum perueniat: quia eum ad vnam criticam expulsionem non reseruat natura, sed ruptis parietibus membrorum, hoc est, rarefactis poris partium, in quibus est circumscriptus, paulatim resudat per sputum, vt latè 1. *Aph.* 12. & *lib.de const.art. med.cap.* 18. docuit Galenus.

Ex dictis itaque patet, in statu symptomata communia vehementissima esse, vt dictauit Hip. 1. *Aph.* 7. ac proinde ex 3. *epid.sect.*1.*com.*8. in statu morborum, cessationem doloris, febris, ac aliorum symptomatum, deterrimum signum esse. Summam enim debilitatem virtutis, & innati caloris extinctionem portendit. Cessat enim natura præ imbecillitate à coctione, & à pugna, & videntur ægri leuari, & meliùs habere prope mortem, quum tamen ob multas causas citò occumbant: quas latè exposuimus *lib.3.hist.PP. Medic. hist.* 5.

Sed age deinde, & persequere argumentum hoc ad vmbiculum vsque. Si symptomata sequuntur morbũ, veluti vmbra corpus, & morbus in statu est mitior, quomodo symptomata in statu salubrium erunt fortiora? Major est manifesta. Minorem probat Galenus 2. *Aph.* 29. dum sic ait: *Dispositio siquidem ex quâ casus generantur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbum consistit, est fortior; verùm in iis qui saluari debent, mitior multò, quàm in morbi principio, &c.* Non sunt ergò symptomata in statu fortiora, quia tunc temporis morbus multò mitior est.

Dic: morbum tripliciter dici magnum, vt Galenus docet 4. *meth.* 6. primò, propter principatum partis affectæ: secundò, propter affectus magnitudinem, seu intentionem: tertiò, propter morem, seu malignitatem quam continet: quartò etiam dicitur magnus, *lib. de totius morb. temp.* 5. collatione facta ad vires. Quomodo remissa febris in sene debili, maior morbus est, quàm intensa febris in iuuene, & robusto. Ad dubitationem igitur dic *Primò*: si loquamur de magnitudine morbi penès simplicem essentiam, morbum in statu maiorem esse, vt constat ex *locis citatis*: nam tunc agitata materia à natura plures vapores putridi eleuantur, febrem intendentes.

Secundò: si loquamur de magnitudine morbi, collatione facta ad vires, dic morbum in statu minorem esse, quia licèt vires magis debilitatæ sint, quàm anteà, tamen morbus redditus est melior, & magis euictus à natura, quare huius proportio ad morbum maior est quàm antea. *Tertiò*: si loquamur de magnitudine penès morem & malignitatem, dic morbum in statu esse minorem; tunc enim benignior est, & melioris moris, vt 2. *Aph.* 29. & 30. docuit Galenus: morbi enim causa est superata, quare ab ea non adeò malignus orietur morbus.

Porrò etsi plurima contrà obiici possint, ea ex dictis commodè soluuntur. Vnius solùm argumenti dilutionem proponemus, quod est huiusmodi. In augmẽto & statu sæpe apparet sanguis magis putridus, quàm antè, & excrementa magis fœtent: Igitur tunc temporis morbus deterior erit. Dic, sæpe in statu deiici excrementa praua & putrefacta, quæ tamen eo tempore non putrefiunt, sed iam in augmento & principio erant putrefacta; quo tempore non excernebantur, quia erat otiosa facultas expultrix, quæ in statu valde operatur: quare retenta & difflari prohibita, maiorem tunc conceperunt labem & perniciem.

Dic secundò: Concedendum esse, in morbis periculosissimis coctionem & putrefactionem simul intendi, vsque ad principium status, quo fit vt tunc æger periculosissimè laboret; & excrementa quæ vacuatur vsque ad illud tempus, modò optima appareant, modò pessima, pro varietate partium humoris, in quarum aliis coctio superat, in aliis verò putrefactio: tamen vergente morbo ad statum vsque, coctio semper vincit. Ac proinde conferendo integrum statum ad vnumquodque ex aliis temporibus, verum est in illo morbum salubrem semper meliorem esse. Denique in morbis putridis saluberrimis, morbus deterior est periculosior in principio: in mediocribus verò, in augmento: in periculosissimis autem, in status principio. In vniuersum autem in fine status, quando victoria iam est à parte naturæ, morbus mitior est, & melior in causa sua, etsi symptomata eo tempore fortiora existant. In hunc sensum dicebat Galenus 3. *acut. com. vlt. Sapius affectio ipsa qua laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur*: vt in phlegmone obsessis particulis, in quibus cùm pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam iam confecto.

PRÆ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 114 sur 927

PRÆCEPTVM LXXI.

Medicus inter omnia ſymptomata, priùs dolorem ſedet.

NVllum eſt ſymptoma, quod ampliùs vires eneruet, premat atque fatiget, quàm dolor: qui ſi vehemens eſt, & diuturnus, naturam illicò proſternit & labefactat, ita vt ægri eius ſæuitie deuicti interdùm ſine pulſu reddantur, exanimésque fiant, auctore Galeno 2. *acut.* 48. Cùm enim hoc triſti, moleſto, & diro opprimitur ſympromate, id ſummo conatu expellere ſatagens, ſuas opes, ſanguinem nempe & ſpiritum, irrequietè mouet, ex quo corpus diuerſimodè alteratur: quare laſſantur vires, & ſpiritus ſuapte natura tenuiſſimi in motu reſoluuntur & euaneſcunt; ad quorum penuriam flacceſcunt potentiæ in operatione ſua, aliquãdo deficiunt ac extinguuntur. Deinde diſtracta natura ſoli dolori intenta, officinas coctionis deſerit, & hoc modo infauſtæ fiunt concoctiones, & tandem non nutritum corpus contabeſcit. Denique fluxiones concitat, febres & inflammationes parit, ex Galeno 13. *meth. cap.* 3. & alibi paſſim.

Ob hanc cauſam, curationem non tentes, antequam dolorem ſedes, vt hoc lenito recreentur vires, & alacriores factæ poſſint auxiliorum vim facilè tolerare. Præceptum eſt Auicennæ, locis multis, vt de vrgente dolore valde ſimus ſoliciti, & relicto morbo, ſoli huic opitulemur enixè: ſic enim habet 4. 1. *doct.* 5. *cap.* 1. *Quúmque ad diuerſum trahere volueris membri, à quo protrahis, dolorem prius ſeda.* Et infrà: *Quúmque ægritudo dolori coniuncta fuerit, aut cauſa ipſius eſt dolor, aut ægritudo eſt cauſa doloris, ſicut eſt percuſſio, aut caſus, incipies ſedare dolorem.*

Hoc intelligas, ſi dolor eſt ſæuus: nam tunc attrahit ad ſe curationem totam, & relicta cauſa illi obuiandum ſolùm, ex *Auic.* 4. 1. *cap.* 20. §. *tibi quoque cauere debes à phlebotomia, in hora fortis doloris.* Quare Gal. 2. *de vict. acut.* 1. pro curando dolore pleuritico priùs fomenta adhibet ante venæ ſectionem. Si verò eſt leuis vel mediocris, tunc cauſæ reſiſtendum, iuxta mentem Auicennæ, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *& quando dolor capitis coniungitur cum febre, dignior eſt curatio, febris, & non doloris.*

Si verò quæras, quibus præſidiis ſit dolori ſuccurrendum? Dic, quòd ea duplicia ſint, vel vniuerſalia, vel particularia: & hæc in duplici etiam differentia: Nam quædam anodyna ſunt, & ſenſum doloris auferunt, quia cauſam doloris reſoluunt, eámque ſua miti caliditate in halitus vertunt, rarefaciunt, digerunt, concoquunt. & imprimunt ſenſationem lenem & iucundam, vt *lib.* 5. *ſimpl. cap.* 19. aduertit Galenus. Qualia ſunt decocta, fomenta, olea, vnguenta, quæ parti dolenti vtiliter admouentur, compoſita ex medicamentis quæ modicè calefaciunt, reſoluunt, & euacuant: quorum formam diſcribunt Hip. *lib.* 2. *acut. in princip.* Gal. *lib.* 13. *meth. ferè per totum.*

Alia ſunt, quæ vocãtur propriè anodyna, quæ valida pollent frigiditate, condenſant, aſtringunt, impediunt vias per quas ſpiritus animalis ad partes ſentientes deferri debet, atque ita ablato ſenſu tollunt dolorem, quum ſit paſſio illius. Hæc dicuntur opiata, narcotica, & ſtupefacienta, quæ ſoporem afferunt, & torporem. Hæc vel intus aſſumuntur, & iniiciuntur per clyſteres, glandes: vel parti dolenti admouentur. Sed cùm ſint valde periculoſa, quia partis naturam lædunt, & illius calorem extinguunt frigiditate ſua; ſolùm vrgente neceſſitate concedi poſſunt, quando homo ob doloris ſæuitiam, vigiliam immodicam, immoderatam vacuationem, de vita periclitatur, vt Galenus 12. *meth.* 1. & 2. *ſec. loc. cap.* 1. *ſect.* 5. *in fin.* & 9. *ſecund. loc.* eleganter edocuit. Adhibendáque ſunt ſemper mitiora: & ſi ſint fortia, aſſumenda & imponenda, correcta cum iis, quæ illorum frigiditatem retundant: vt *ſupra citatis locis* aduertit Galenus; & nos *lib.* 1. *hiſt. PP. Medic. hiſtor.* 61. latè ex eius mente expoſuimus.

Inter vniuerſalia auxilia, quæ dolori ſuccurrunt, & cauſam doloris auferunt, ſunt plura. Huiuſmodi autem amotio non refertur ad dolorem, ſed ad cauſam, ſiue internam, ſiue externam. Quæ externa eſt, vt ardor Solis, frigus hyemis, telum, ictus, ſine vllo artificio vel cuitatur, vel aufertur: niſi vbi reconditur in corpore, vt ſagitta, pila plumbea, quam Chirurgiã euellere oportet. Interna cauſa, aut ab inanitione, aut à plenitudine oritur. Ob inanitatem exiccantur, conuelluntur, ac dolent noſtri corporis partes, niſi madefiant, atque impleantur. Plenitudo vel fit à ſubſtantia ſolida, vel flatu, vel humore. Illa manus operã detrahitur; medicamentis comminuitur, & excernitur cum vrina, vt calculus. Flatus diſſipatur in vapores, digerentibus. Humor aut qualitate vitioſus eſt, aut ſuperans quantitate. Vitium in qualitate curatur detractione humoris: quantitas nimia poſtulat primùm, vt prohibeamus ne nouo concurſu augeatur. Hoc opus præſtat auerſio, quam complent frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, clyſteres, & alia reuellentia præſidia, imò ſi vires conſtant, ſanguinis miſſio ſummo eſt auxilio.

Caue tamen ne præſente dolore, ſicut nec alio graui ſymptomate, quod vires deiiciat, copiosè euacues. Quod ſignificauit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 14. dum ſic ait: *Nec ſiquis ſimul diſtentione neruorum laborauerit, & ſanguinis eguerit miſſione, huic tantum ſemel mittere oportet, quantum exigit diſpoſitio: ſed aliquid etiam accidenti eſt relinquendum: cuius cauſa ſæpe ſudores euenium, & vigilia moleſtant, & vires ægri debilitantur. Ita etiam ſi vehementiſſimæ vigiliæ, aut dolor intenſus ægrotum infeſtant, cauendæ ſunt ſubitæ ac multæ vacuationes.*

Sed huic doctinæ Galeni, obſtat celebris contextus, 1. *Aph.* 23. vbi refert: *in maximis doloribus ſe nullum maius inueniſſe remedium, quam uſque ad animi deliquium euacuare: adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare conueniat.* Dic; Dolores in duplici ſunt differentia: alij ſunt recentes, & à calida cauſa concitati: alij antiqui & diuturni, qui à frigida cauſa emanant. Illi ſanguinis miſſione curantur; his optimum auxiliũ eſt purgatio parca. Nam *plitora ſanguinis miſſione curatur, frequenti balneo, exercitatione, frictione, degerentibus medicamentis, inedia: ſuccorum autem vitium, quod cacochymiam vocant, purgatione remouetur, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommoda*, vt 13. *meth. cap.* 6. monuit Galenus.

Solue ſecũdò. Quando dolor à cauſa externa originem ducit, vt ab ictu, caſu, percuſſione, intemperantia immateriali frigida, flatu; ſi ille vrgeat nimis, ſanguinis miſſionem eſſe vtilem, præſeruationis cauſa, ne pars dolens tentetur inflammatione, nulli eſt non manifeſtum: ſed hæc non debet eſſe copioſa, ſed parũa & iterata, ſic enim efficacior multò fit reuulſio. *Quanto enim maiorem in numerum particulares auxeris reuulſiones, tanto efficaciorem efficies*, dicebat Galenus *lib. de ſang. miſſ. cap.* 12. & 20. & *lib.* 8. *meth. cap.* 5. in cuius doloris præſentia, ſubitam & multam Galenus vacuationem interdixit, habito reſpectu ad debilitatem quam concitauit dolor. Quando verò dolor à cauſa interna emanat, & à ſanguinis feruentis multitudine, aut bilis exactè cum ſanguine permixtæ, ſcaturit; tunc copiosè, & vſque ad animi defectum eſt exhauriendus ſanguis. De illis doloribus loquitur, 1. *ad Glauconem*; de his. 1. *Aph.* commemorationem facit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 115 sur 927

PRÆCEPTVM LXXII.

Medicus vigiliæ citissimè opem ferat.

VIgilia per se à natura instituta est, non secus atque actio. Somnus non per se, sed ob necessitatem, vt reficiantur instrumenta, quibus vtuntur facultas sentiendi, & mouendi: quæ cùm non sint perpetuæ, vt corpora cœlestia, defatigantur cùm exercentur. Hoc pacto vigilia, sicut & somnus summè iuuat. Nam cùm per eam expandatur calor natiuus ad partes externas, qui antè per somnum erat intùs collectus, excrementa retenta ex coctione, emanant expurgantúrque, & eius ope animalia ad opera excitantur, roboratur calor, partes vigorem acquirunt, rectiùs distribuitur alimentum. Demum vigilia, si modica est, corpus in symmetria naturali conseruat, & in pristino statu salubri confirmat. Nam aufert ea incommoda, quæ ex profundo & immodico somno oriri consueuerunt: ad quem pigritia, torpor, segnities, obliuio, deprauata concoctio, pallor totius corporis, frigidi morbi, & demum mors consequuntur. Nam non expurgatis fuliginibus, & intrò coërcitis, innatus ignis (velut noster externus à multa lignorum strue) suffocatur & obruitur. Licèt autem *Somnus atque vigilia, vtraque si modum excedant, malum*, 2. *Aph.* 3. & 7. *com.* 68. Tamen somnus immodicus periculosior est immoderata vigilia: quia hæc interficit paulatim, resoluendo humidum, & exiccando corpus: somnus autem retentis excrementis subitò suffocando. Quare in modica somni, & vigiliæ vicissitudine vitæ nostræ duratio consistit.

Si verò vigilia immodica sit, noxas inemendabiles facit. Cùm enim, tum propter siccitatem, tum caliditatem primæ partis sentientis, id est cerebri, oriatur, ex Galeno *lib.* 1. *prorrhet. sect.* 2. *com.* 29. & ab intemperatura sicca, biliosique humoris abundantia originem ducat, 2. *Aph. com.* 3. ita si modum excedat, sanguis biliosior fit, 7. *Aph. com.* 18. excitantur conuulsiones, accidunt desipientiæ, siccitatis ratione, ex Gal. *eodem loco*, corpus attenuatur, 2. *Aph.* 28. Quare homines reddúntur graciles & magis aridi, 3. *de sanit. tuend.* 5. quia maximè euacuat & exiccat, 7. *Aph. com.* 18. vnde illud Ouidij *lib.* 1. *de art. amandi.*

Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes.

Imò vigiliæ plus nocent consistentibus, quàm iuuenibus, vt notauit Galenus *lib.* 3. *Aph. com.* 30. Eæ enim quidquid in nobis humidum & halituosum est, absumunt & dissipant, 12. *meth.* 2. Quare 6. *epid. sect.* 4. *text.* 26. dicitur hac de causa, *vigilia edax*. Edacem autem vocat, quòd edaces nos reddat, corpus digerendo ac dissipando. Nam insitus calor dum per vigilias exterius emicat, secum haud exiguam corporeæ substantiæ portionem educit; qua de causa corpora nostra dissoluit, consumit, ac perdit. Et hæc omnia facit caloris ratione, qui vigiliæ tempore in externis partibus viget. Quod 6. *epid. sect.* 4. *text.* 4. protulit Hip. *Vigilans calidior exterius, interius autem frigidior existit: dormiens, contrà.*

Si verò superflua est, timeri debet. Corporis enim vires prosternit, externas partes nimiùm calefacit, internas valde refrigerat: & ideò cruditates parit, cerebri & sensuum functiones debilitat, potentias naturales eneruat, pallorem inducit, maciem concitat, exiccat corpus, inflammationes internas exacerbat: & si febribus ardentibus superueniat, periculosa est, & exitium portendit, ex Gal. 1. *epid. sect.* 1. *com.* 75. denique menti plurimùm obest, delirium accersit, ac mortem adfert. Quare nullum est symptoma, quod in febribus phrenitidem celeriùs concitet, quàm vigilia. Cerebrum enim siccum & inanitum, vapores & humores ad se, cucurbitulæ instar, ex inferioribus partibus attrahendo, implet ac inflammat.

Hac ratione huic symptomati illicò auxiliares manus adhibere oportet, cerebrum refrigerando & humectando; exhibitis iis quæ vniuersum corpus refrigerent & humectent, vaporésque ex se emittant, qui cerebrum irrigent, madefaciant, obstruant, impleant, & sic somnum concitent. Quòd si non suffecerint, ad medicamenta soporifera & stupefacientia accedendum, quæ similes, imò fortiores sortiantur vires. Quorum omnium formulas, *tractatu de curatione symptomatum, quæ febribus superveniunt*, proponemus latè; *& in hoc tomo, cap.* 4. *de phrenitide.*

PRÆCEPTVM LXXIII.

Medicus, non nisi vacuato corpore, à parte affecta euacuet.

TOpica, seu particularia auxilia, non esse administranda ante totius corporis euacuationem, diximus *lib.* 1. *hist. PP. Med. hist.* 69. & celebri quodam elogio docuit Gal. *in art. med. c.* 95. dum sic ait: *Si igitur vniuersum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minimè vacuandum. Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si verò calfacientibus dispergere tentabimus, plus erit id quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Quòd si in eo elaborabimus, vt quod influxit retrocedat, plenum corpus non admittet. Ad hæc igitur ambo, totum corpus vacuare oportet: aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit.*

Præmissa ergo vniuersali vacuatione, à parte affecta vacuare, & humorem in ea impactum discutere, ac deriuare oportet. Hoc in vtroque magno experimur auxilio. Nam in angina, priusquàm venas sub lingua feriamus, ad aliarum venarum sectionem accedimus, vt monuit Hip. 4. *acut. text.* 30. & repetit Galenus 13. *meth. c.* 11. In phrenitide priùs venas in cubito secamus, antequam frontis venam incidamus, quia locale remedium est, vt notat Galenus 6. *epid. sect.* 2. *com.* 9. Sicuti nec syncipiti cucurbitulam scarificatam in capitis affectibus admouemus, quod in iis esse vtile auxilium, firmat Galenus *lib.* 5. *Aph.* 68. nisi quando totum corpus exquisitè vacuatū est. Et hoc modo secamus propriam & particularem venam, à qua pars ipsa fouetur, aut quæ ab eadem scaturit. Hoc modo cerebri calidis affectibus medemur, incisis illis venis quæ ponè aures sunt. In oculorum affectibus, sectis iis quæ sunt in angulis oculorum, aut impositis cucurbitis scarificatis in occipite, ceruice, humeris. Auribus inflammatis vena secta sub aure prodest. Iecore, & liene affectis vtraque saluatella vtilis est. Renibus affectis, vtero, vesica, tali sectio prodest. Quare valde præstat eam secare venam, quæ partem affectam respicit, aut ab ea scaturit.

Ideò præmissa vacuatione vniuersali, à parte affecta vacuare oportet, eámque peculiaribus remediis exhaurire opus est, dum vitiosus humor alicui parti insedit, siue in ea generetur, siue ab aliis in eam transmittatur. Hoc modo expurgamus Cerebrum, Ventriculum, Thoracem, Iecur, Splenem, & Vterum, medicamentis quæ peculiarem humorem attrahere nata sunt.

Itaque expurgamus Cerebrum, per proprias & peculiares vias, oculos, nares, aures, palatum, vt oraculo quodam prædixit Hipp. *lib.* 6. *Aph.* 10. *Capite dolenti, & circumdolenti, si pus, sanguis, aut aqua, per os, nares, aut aures effluat, morbum soluit.* Hæc enim sunt propria capitis emunctoria. Rarò tamen per oculos natura, nisi errans, excrementa pellit, partem nobilissimam, & vsui maximè necessariam præcauens. Ita nos per oculos nunquam ea attrahimus quæ cerebrū purgent: nam in meatibus angustis impacta materia, & commodum exitum non habens, vitia grauissima in oculis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 116 sur 927

oculis, imò & cæcitatem excitaret. Sicut nec per aures: Licèt enim natura ſeroſum excrementum per hanc partem expurget, vt cerebrum à bilioſo humore, ſiquis ibi ineſt, exoneret; tamen anguſti ſunt meatus, per quos citra periculum doloris, ſurditatis, aut alterius maioris vitij, nempe inflammationis, (quæ ſuapte natura in parte præſtanti, eximio ſenſu prædita, & maximum conſenſum cum cerebro habente, excitata, periculoſa eſt,) vacuari nequit: hoc tamen notato, ſi per hanc partem humorem natura expellere conetur, non abs re fore, vtmel roſaceum cum ſucco betæ, aut porri, admixto amygdalino, intra aures imponatur.

Quapropter patentes canales, vt nares, & palatum, aſſueti huic operi, ſunt accommodati valde. Quare cùm cerebrum frigidorum humorum copia turgeſcit, per has partes promptiſſimè vacuatur. Et hoc modo quæ per nares cerebrum exonerant, vocantur Errhina, ſeu caputpurgia: quæ naribus admota, acri ſua vi, & copia ad ventriculos cerebri accedunt, ſuóque calore, attenuant craſſum ſuccum, liquant, & proprietate quadam attrahunt: nam expultrix laceſſita humorem in cerebro impactum mouet, & foràs excutit. Licèt autem plurimæ dentur errhinorum differentiæ, quæ abſtergunt narium vlceta, ea conſolidant, carnem excreſcentem auferunt, adſtringunt, ſanguinem ſupprimunt; & indita intra nares, grato ſuo odore narium fœtorem perſanant; tamen ea propriè ſic appellantur, quæ ad expurgandos craſſos humores in ſinibus ventriculorum cerebri tenaciter infixos, intra nares admouentur, & in frigidis & ſoporoſis affectibus ſummoperè iuuant; vt Apoplexia, Epilepſia, Caro, Lethargo, & aliis, qui à frigida humida cerebri intemperie, cum affluxu pituitoſi, terreſtris & viſcoſi humoris copioſi, coniuncta, ortum ducunt, vt & in capitis dolore. Ita tamen vt ſemper morbi rationem habeamus, & ſi mitior, leniora; ſi ſæuior, fortiora imperentur.

Forma errhini liquidi mitioris:

℞. *Succi betæ, Braſſicæ, Cyclamini, an.* ℥iij. Miſce.

Fortioris:

℞. *Succi iréos, Marrubij, Cucumeris ſylueſtris, an.* ℥ij. *Pulueris nigellæ, Piperis, an.* ʒ1. *puluer. hellebori, Euphorbij, an.* ʒß. Miſce.

Forma errhini ſolidi mitioris:

℞. *Pulueris majoranæ, Saluiæ, Piperis, Caryophyl. Nucis moſchatæ, an.* ʒ1. *Terebinth. Ceræ, q. ſ.* Miſce, & fiant errhina, ſeu naſalia effigiem pyramidis referentia.

Forma fortioris hæc eſt:

℞. *Pulu. Pyretrhi, Piper. longi, Helleb. Caſtor. an. drach.* 1. *Terebinth. Ceræ, an. q. ſ.* Miſce, fiat Errhinum.

Sunt etiam plura hac forma conſtructa, & in nares indita, quæ peculiari quadam ratione & familiaritate, hunc vel illum humorem expurgant.

Purgans bilem ſic conficitur:

℞. *Succi Roſ. vnc.ß. Diagridij, drach.* 1. *Syrup. roſ. perſic. ex plurib. infuſ. parùm.* Miſce.

Si autem ſolidum & duriuſculũ velis efficere, (quod magis probo, quoniam per moram intra nares retentum, vehementiùs attrahit & expurgat: adde *pulueremRhab. cum farina hordei* permixtum.

Purgans pituitam hoc paratur modo.

℞. *Radic. Pyreth. Ireos, an vnc. j. Pulegij. Calaminth. Origan. an. M.* 1. *Agarici trochiſcat. vnc. iij. flor. Anthos, Stœchad. an. P.* 1. Fiat decoctio: In lib. 1. diſſolue, *Mellis anthoſati, Mellis ſcyllitici, an. vnc. iij.* Fiat Caputpurgium.

Quòd ſi efficacius ſit neceſſarium, tunc adde *Agaricum, Diagridium, vel colocynthidem, veratrum, vel ſuccum cucumeris aſinini.* Vel hoc modo:

℞. *Succi cucumeris Aſinini, vnc. ij. Agarici trochiſcat. drach. ij. vini, parum.* Fiat decoctio: In colatura diſſolue, *Mellis, q. ſ. Piperis, ſinapi an. drach.ß. Caſtorij, drach.* 1. *Nicotianæ; drach.ß.* Omnia in tenuiſſimum puluerem redacta, cum melle permiſceantur, quoad ſatis inſpiſſentur.

Si verò ducere velis melancholiam, permiſce medicamenta quæ hunc humorem à tota ſubſtantia expurgant: vt ſunt *Senna, Polypodium, Thymum, Epithymum, Myrobalani nigri, & veratrum nigrum.*

Apophlegmatiſmi vocantur medicamenta, quæ per os, & palatum pituitam euacuant. Ideò ſi his partibus indantur, maximum beneficium præſtant, & non ſolùm ex capite, ſed & ex ventriculo humorem tenacem educunt, ob communionem tunicæ, quæ ventrem & os ambit, vt notat Galenus 4. *acut. com.* 6. Vocantur etiam maſticatoria, quia dentibus manduntur, vel cũ eis dentes fricantur, os aut colluitur: & ideò appellantur etiam Gargariſmata, quorum omnium meminit etiam Galenus, *lib.* 5. *ſimpl. cap.* 19.

Hæc aut ſunt leuia, aut valida. Illa in leuibus affectibus vſurpanda, *vt Hyſſopus, Origanum, Thymũ, Pulegium, Cappares, Pyrethri radix, ſinapis ſemen, Eruca, Gentiana, Anethi ſemen, Valeriana, Galanga, paſſulæ, Ficus, ſambuci ſuccus, Cardamomum, & Baccæ lau.*

Horum forma eſto hæc:

℞. *Maſtich, Piper. Pyrethri, an.* ʒ1ß. *Macis, Zingiberis, Cortic. Capparis, an.* ʒi. *Vuar. paſſar.* ℥i. Mixta, pannóque lineo raro inuolura, ad horæ dimidium ante cibum mandantur.

Valida in affectibus grauioribus ſunt ex vſu, ſiúntq; ex medicamentis acribus, calidis, attrahentibus, & ſic humorem frigidum attenuant, incîdunt, attrahunt, & expultricem irritant; & hoc modo totum oris concauum ferientia, per emiſſaria palati pituitam copioſam à cerebro exhaurjunt, quæ ſenſim poſtea frequenti ſpuitione facilè excluditur. Horũ materia ſunt *Carthamus, Staphyſagria, radix ireos, Agaricus, radix Acori, Sinapi*: quæ omnia in globulos, vel trochiſcos conficta, vel tenui linteo obuoluta, & in nodulos efformata, ore detenta maſticantur.

Horum forma eſt hæc.

℞. *Radic. Ireos*, ʒij. *Piper. longi, Sinapi, Pyrethri, Agarici, an.* ʒ1. *Staphys agria,* ʒij. *Radic. Acori*, ʒ1. *Maſtic.* ʒ ij. *Piper. nigri.* ʒ1ß. *Nicotian.* ʒij. *Cardamom.* ʒij. Cum cera fiant paſtilli auellanæ magnitudine, manducentúrque ad horæ dimidium, ita vt pituita ſemper expuatur.

Ventriculus multis morbis opprimitur: quare pro eorum medela, varia medicamina ſunt neceſſaria. Abſtergentia proſunt, quando mucoſus humor huic parti tenaciter adhæreſcit. In quem vſum faciunt *Rhodomel, terebinthina, mel crudum, aloë.* Abluimus etiam, dum humoris vitioſi aut acris medicamenti reliquiæ ipſum infeſtant. Id efficiunt *ius pingue, aqua calida, hordei decoctum, ſerum lactis, Roſarum ſuccus.* Roboramus etiam ventriculum, quum debilis eſt, & intemperantia aliqua laborat, vel humor aliquis in ipſum ventriculi corpus, pancreas, aut venas meſaraicas inſeritur, dummodò ad cauitatem non pertingat: nam tũc vacuatione opus eſt, eáque potiùs per vomitum, quàm ventrem.

Hoc præſtabis medicamentis clementibus, (vehementia enim plus attrahunt ab ambitu, quàm ab eo pellant) eáq; in minori quantitate ob hanc cauſam offerre oportet. De quorum claſſe ſunt *Aloë, Rhabarbari ſubſtantia, Maſtichina pilulæ, & Hiera Galeni.* Quæ hoc modo facta fuerit expurgatio, partis huius præſtantis & toti communis, vires non reſoluet. Quòd ſi humor tenax, & mucoſus ventriculi tunicis ſit immerſus, tunc vtere medicamentis in forma ſolida, quippe quæ per moram detenta promptiùs euacuant.

Iecur dum humorum vitio opprimitur, vehementibus medicamentis vacuari non debet, & ea ſint liquidiora: nam ob viarum anguſtiam, & locorum intervalla, quibus à ventriculo diſtat, ſolida penetrare nequeũt; ac huius venæ, cùm ſint exiles, & obſtructione

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 117 sur 927

laborent, (quia lento succo sunt oppletæ) aperientia & roborantia medicamenta desiderant. Hoc opus efficiunt *Gramen, Intybi* omne genus, *Hepatica, Adiantum, Eupatorium,* quorum decoctis, succis, aut syrupis *Rhabarbarum,* aut *Agaricum* admiscere oportet. Verùm si aliqua cum humorum copia præstò sit intemperies, parare purgantia opus est ex iis, quæ calefaciant, aut refrigerent. Calida sunt *Asparagi, Apij, Petroselini, Fœniculique radices, Absinthium, Prassium, Chamædrys, Chamæpitys, sonchus odoratus, schœnanthum, & vua passa.* Calido & obstructo iecori prosunt *flores Cichorij; cordiales, capillus veneris, semina frigida,* & alia.

Lienem expurgantia medicamenta plura sunt. Sed si offeras fortia, humor terrestris renititur: si exhibeas leuia, eius crassities ea contemnit. Quare suauia primò propinanda, quæ terrenum hunc humorem emolliùt, liquant, attenuant, detergent, & per aluum deturbant. Sed attende num bilis retorrida exuperet; tunc enim moderatè frigida & humida remedio sunt, vt *Viola, Buglossa.* Si tamen fœculentus succus melancholicus infestet, moderatè calida & tenuium partium sunt vtilia, qualia sunt lupulus, *Cassuta, scolopendrium, radix Apij, cortex Tamarisci, capparis radicis cortices, Acori veri radix, vrtica, Centaurium,* & alia: Quibus oblatis, fortiora in minori quantitate, & sensim porrigenda, ne vehemētia illata partis robur dissoluatur, & humores terreni in viis lienis angustis stabulantes paulatim educi possint. Ita dixit Hip. *lib. 3. de morb. num. 60. Si verò spleneticus fuerit, neque purges lacte, neque suo sero, sed eo quod modicum ingestum, multum educat.*

Renes purgari per vrinam, docet Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap. 4. §. Igitur per vrinam expurgantur gibbæ hepatis partes, atque omnes quotquot sunt iis superiores, sicut renes, vesica, & vterus.* Quo pacto si Renes ex calida causa laborēt, præter vniuersales vacuationes, diuretica leuia expostulant: vt sunt *semina melonum, cucurbitæ, plantaginis.* Hæc enim modicam habent vim abstergendi, attenuandi, & refrigerandi, nec omnino per se; sed impropriè vocātur diuretica. Si verò frigido humore turgeant Renes, tunc fortiora exhibenda, quæ ipsos à spurcitie humoris abstergant, vt *Terebinthina, aqua Graminis, vinum album & aquosum,* ex Gal. 3. *Radix Petroselini & Asparagi,* & alia quæ tenuis sunt substantiæ, & facilè penetrant. De quo genere diureticorum meminit Actuarius 1. *de caus. vrinar. cap. 4.*

Thoracem expurgant, non solùm quæ per ventrem ducunt, verùm quæ per vrinas, vel quando affectus à venoso genere fouentur, vel quando (quod rarum tamen) per eam regionem euacuat natura: vt in vomica pulmonis, ac suppuratis thoracis affectibus notauit Galenus 6. *de loc. cap. 4.* Nam clementem purgationem in thoracis affectibus esse salubrem, ad expurganda excrementa quæ à vicinis partibus, & toto corpore cōfluunt, experimento fidissimo compertum est: vt ex *Cassiæ fistulæ interaneo liquore, Oleo amygdalarum dulcium commixto,* & aliis: *quæ supinus eger in ore diutissimè teneat, vt omnes quæ illic sunt partes, laxet remittatque, donec paulatim in arteriam asperam defluat, & sic partes exasperatas molliat, leniat ac dilatet,* vt 4. *meth. cap. 7. & lib. 5. eiusd. 12.* docuit Galenus.

Quando partes thoracis bilioso, calido, & tenui humore sunt infarctæ, liquidiora inutilia: lenta, vt Syrupi, & eclegmata, optima. Nam illa asperæ arteriæ partes festinanter prætereunt: hæc lentore suo diutiùs detenta, in asperam arteriam paulatim instillant, & humorem cassum ac tenacem in iisdem partibus pertinaciter impactum abstergunt & eradicant; vocantur à Galeno 7. *sec. loc. cap. 6.* tussicularia, Bechica, Arteriaca. Et hæc sunt attenuantia & abstergentia, quæ in diuturna tussi, ac difficultate spirandi frequenter experimur. Et licèt bechica, alia sint anodyna, concoquentia, discutientia, adstringentia, tamen illa propriè dicuntur, quæ abstergunt, incîdunt & viscosos humores in thorace contentos, excreationi per sputum aptos reddunt.

Sed non erit extra institutum, siquidem de abstergentibus thoracem sumus loquuti, vt de iis sermonem attexamus. Etsi enim plures de illorum differentiis multa tradiderint, de temperamento paucula disceptarunt. Hæc ergò ῥυπτικὰ (vt Græci vocāt, 5. *simpl. cap. 12.*) sunt in multiplici differentia. Nā quædam abstergentia dicuntur, quia sordes inhærentes fundunt: Alia abstergunt ratione siccitatis, ebibentes sordes, vt sal, & cinis: Plura abstergunt, quia asperitate suæ substantiæ extimas partes abradunt; cuiusmodi sunt parietaria, & alia, quæ vitra abstergunt.

Vltimò oleum, & lubrificantia faciunt ad abstersionem, & ideò induntur saponi. Quidam putant causam esse, quia oleum facit lubricare sordes: sed certius videtur ideò oleum admisceri saponi, quia lentore suo abstergentium commixtorum moram adauget, & hoc modo diutiùs adhærent sordibus, & sic hæ faciliùs excutiuntur. Deinde oleum materia est ad facultates alienas recipiendas commodissima. Alij aliam addunt rationem: misceri scilicet eum in sapone, quia lentore suo cineres & succos herbarum abstergentium coërcet, ne sua nimia tenuitate partes superficiales pertranseant, & ita potiùs incîdant, quàm abstergant. Tenuitas enim abstergentium debet esse moderata, præcipuè si caliditati fuerit adiuncta, quæ nullum frænum habet natura suapte.

De temperamento abstergentium hæsitant plures, qui illis esse essentiale arbitrantur, vt cum tenuitate substantiæ exiccandi vim habeant coniunctam: etsi alij virtutem abstergendi, ad frigiditatem esse referendam existiment, quia ex illorum classe multa frigida sunt. Sed deerrant: nam frigidi est constipare, & condensare, quæ autem abstergere debent, oportet vt quadantenus penetrent. Secundò, eadem sententia ostenditur à Galeno 5. *simpl. cit.* asserente, emplastica ab his quæ sordem nutriunt, & repurgantia, (id est, deobstruentia) ab his quæ tergent, solùm ratione maioris & minoris differre, & in substantiæ genere minimè esse diuersa. Cùm igitur deobstruentium natura à calore proficiscatur, ab eodem licèt remissiore, abstergentium vis & natura emanabunt.

Neq; obstat, quòd aliqua frigida habeant abstergendi vim, qualia sunt farina hordei, & fabarum. In his enim abstergēdi vis ratione superabundantis frigiditatis non oritur; sed ob partes aliquas calidas commixtas. Hoc ostendunt amara, quæ cùm calida sint, 4. *simpl.* 9. cum amaritudine frigiditatem obtinent exuperantiorem, vt cichorium, lactuca agrestis, & alia; in quibus amaritudo rationem sequitur partium calidarum commixtarum. Quæ varietas, & contrarietas penès facultates, in pluribus medicamentis inuenitur, etsi ad sensum simplicia appareant, 3. *simpl.* 14. Quin ita hoc verū est, vt 1. *alim.* 3. asserat Galenus, impossibile esse, aut perdifficile, inuenire vllum medicamentum, aut alimentum, quod sit vniusmodi, aut partes habeat homogeneas, & minimè inter se diuersas.

Sed si nulla actio emanat à proportione minoris inæqualitatis, vt constat ex philosophis, & in cichorio plus est de frigiditate impediente amarorem, quàm de calore, cuius effectus est amaror, quomodo magnam amaritudinem inducit? Dic: Axioma verū esse in rebus omnino similaribus: cæterùm in dissimiliaribus, qualia sunt omnia ferè medicamenta, sub vna forma totali, reperiri magnā partium varietatem & inæqualitatem, secundùm quam variè operentur, modò pro ratione illius, modò pro ratione alterius. Quemadmodum in medicamentis compositis etiam contingit, à quibus variæ operationes prodeunt, pro diuersitate simplicium, quæ in compositionem ingrediuntur.

Essentia

Essentia itaque facultatis abstergentis in eo consistit, vt sordes abluat in poris superficialibus contentas: ad quod requiritur in medicamentis abstergentibus, vt tenuitate substantiæ prædita sint, & partes membri cui applicantur, quadantenus penetrent. Et licèt ex abstergentibus medicamentis quædam calida sint, alia frigida; attamen astergendi vis perpetuò à calore quodam moderato emanat: cuius ratione & amygdalæ dulces inter abstergentia reponuntur, 5. *simpl.* 12. quo loco amaras abstergere & deobstruere; dulces verò abstergere, sed non deobstruere asseuerat: quare hoc nomine commendantur à Tralliano *lib.6.cap.1. de victu pleuriticorum.* Quod intelligendum puto, dummodò febris magna non sit; tunc enim reprobandæ. Nam ratione intemperaturæ suæ calefaciunt, & ex modo substantiæ, quum polleant humido pingui & oleoso, facilè inflammantur. Quapropter vsus amygdalati in omni febre reprobandus est.

Vterus expurgatur per pessaria, per clysteres, quos Metrenchytas vocamus, per suffitus, aut euaporationes. Cùm adsunt vlcera, ea abstergimus & abluimus clysteribus. Sed nostro æuo illorum loco vtimur syringe, & per eam decoctiones in vterũ, in varios vsus iniicimus. Suffimus, aut euaporamus, dum humores discutere, aut intemperiem auferre est animus. Verùm pessulis, seu pessariis antiqui vtebantur, & nostri nunc. Est autem pessulus, auctore Paulo *lib. 7. cap. 24.* lana carpta, ad formam magni digiti rotunda, in qua medicamenta excipiuntur, ac genitalibus mulierum induntur. De quorum differentiis, vtilitate, conficiendi modo, vtendi tempore, etsi loquuti simus *lib. 3. hist. PP. Med. in hist.* 2. modò dicendum tamen, pessulos multipliciter parari. Ad astringendum scil. & mẽstrua sistenda, ad consolidandum, emolliendum, dolorem sedandum: sed & ad repurgandum vterum à mucoso succo principatum obtinere, experimento mihi compertum est, in prouocandis menstruis, pituita vacuanda, irritanda natura, vteri cauitate laxiore reddenda: quibus comparatis, menstruæ purgationes tempestivè excurrunt. A mitioribus ergò ordiamur semper.

℞. Specier. Benedict. laxat. vnc. iij. Agarici trochiscat. drach. ij. Terebinth. parum, Succi Mercurialis, q. s. Formetur pessarium, ad formam suppositorij, quod filo obligatum, noctu subiiciatur.

Aliud:

℞. Myrrhæ, Sem. Nigell. an. drach. iij. Saluiæ, drach. ij. Castorij, drach. ß. pulu. Artemis. radic. Dauci, an. vnc. 1. Agarici, drach. 1. Terantur terenda, & obuoluta panno lineo subtilissimo, vtero supponantur. Fortiora construes, si addas *pulpam colocynthidos, radicem cyclamini, ellebori.*

Quando tamen obstructiones adsunt scirrhosæ, humores sunt crassi, terrestres, tunc exquisitè corpore vacuato, deriuationis & reuulsionis causa, eos per aluum infernam expurgare oportet. Vt fœminæ menstruorum omnimodam patiantur suppressionem, ob quam grauissima vteri suffocatione premantur, capitis dolore intolerabili, tremore, cordis angustia, anxietate, animi deliquio cum fluore albo mœstitia laborent diuturna, & cum delirio constitutæ sint in agone summo.

PRÆCEPTVM LXXIV.

Medicus rectè attendat, quantum intersit curare morbos virorum & fœminarum.

SOlertissimus Magister sic ait *lib. 1. de morb. mulierib. num. 76. Plurimùm differt muliebrium morborum, ac virilium curatio.* Viri enim sunt calidiores, & frigidiora expostulant auxilia: Fœminæ rariore pollent contextura, & molliore carne, & sunt debiliores. Viri solido constant corporis habitu, & magis compacto, & robustiores sunt, & sic fortioribus curantur auxiliis; Fœminæ, delicatulæ sunt, morosæ, nauseabundæ, auxilia renuunt, medicamenta abhorrent, his gratiæ agádæ, suauiora offerenda: purgatio administranda in bolis, pilulis: aliquando Martij panes purgatorij offerendi, bellaria, dulciaria, conseruæ, vinum, acetum, quæ cum acetario permixta leniter ventrem expurgent. Admouenda vmbilico medicamenta, quorum vires per poros cutis inconspicuos in viscera sese insinuent, & humorem per aluum clementer expellant. Hoc modo Medici, vt earum nauseabundo stomacho obseruiant, parant Ambrosia medicamenta, Moschata, Ambare delibuta, Nectarea, Analeptica, sicut Theriacalia, Alexiteria aromatica, Cardiaca, stomachica, hepatica, splenica, nephritica, & quod plus est, Hysterica.

Ab Hystera enim omnis propemodum morborum farrago, tanquam à perennissimo fonte scaturire solet, qui muliebre genus miserrimè torquet atque fatigat. Ita dulciloquus affirmat senex *lib. de loc. in homine, n. 59. Vteri muliebrium morborum causæ sunt.* Nam cùm vterus diuersam omnino obtineat sedem, & ob custodiam fœtus, ac meliorem coctionem intrò sit reclusus; & fœminæ mammillas habeant extrà prominulas, vt promptiùs & commodiùs infantes lac sugerent, & illis testes reconditos concesserit natura, fit vt ex hac genitalium varietate, situ, & figura, illæ varios patiantur affectus, sibíque solùm peculiares, qui viros corripuere nunquam.

Deinde ex vteri structura prodit menstruationis occasio diuersa, ex qua varia vitiorum fors emanat, in sterilitate, conceptione, conceptus formatione, retentione, partu, lactis defectu, & copia: quæ omnia ex fœminarum natura & sorte, peculiaríque sexus proprietate scaturiunt. Virgines ante purgationis tempus pluribus morbis vexantur, fiunt decolores, tentantur febri, obstructiones patiũtur, cephalalgiam: quum sanguis crassiusculus, qui paulatim congeritur in venis, ob angustiores vias in vtero stabuletur, & exire non potens, intus retentus & labe fœdatus, halitus ex se fundat noxios, partes superas conuellat, & concutiat, ex qua causa variæ conuulsiones, & animi pathemata oriuntur, quæ *lib. de virgin. morb.* Hippocrates doctè descripsit.

Quid proferã immanes ac monstrosos morbos, dum castè & pudicè viuunt, quos experiuntur ob semen retentũ, quum iam grandiores sunt factæ? Tunc enim semen turget, vterus genituram exposcit, & sic facilè ex seminis vbertate, & excrementorum copia in omnigenam morborum varietatem incidunt, & exquisitissimis symptomatis corripiuntur. Hinc tot Epilepsiæ, nauseæ, cibi fastidia, dolores, angustiæ, & alia innumera vitia, quæ ob hanc causam succrescere quotidie videmus: maximè quum nullum detur pharmacum, quod à proprietate, & electione semen attrahat: & si ad vitiosos humores expurgandos cathartica præscribas, commoto & non vacuato semine, die purgationis in animi deliquium incurrunt, mœstæ, tristes, & in extremam redactæ angustiam. Eandem cladem, sed non ita efficacem experiuntur viduæ, quæ antea viri consortio fruebantur: Nam ob meatuum laxitatem ex accessu viri, aut partu factam, non ita grauibus symptomatis opprimuntur.

Adde, quòd licèt nuptæ sint, & concubitu fruantur, tamen plures steriles sunt, frequenter abortiunt, aut si concipiunt & vetero gerunt, singulis mensibus sanguinem fundunt, aut aliena appetunt. Aliæ, cùm fœtum statuto tempore excludunt, symptomatis diris torquentur, patiuntur hæmorrhagiam, tormina, menstrui suppressionem. Quibusdam lac deficit, aliis superabun-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 119 sur 927

dat,& ob hanc causam graues mamillarum inflammationes experiuntur,vlcera, scirrhosos tumores, & alia quæ difficilem postea habent correctionem.

His causis, in fœminis vteri ratione, tam varia & cognitu difficilia mala emergunt.Nam hæc pars in earum morbis generandis tantæ efficaciæ existit, vt tota eorũ curatio in eo sit reposita. In vtero, velut in cloaca,putrescunt diuersimodè excrementa, & cum eis semen,& sanguis menstruus;quorum copia cùm nimiùm excrescit, superis partibus, cum quibus habet cognationem plurimam, per neruos, venas, & arterias, suas affectiones communicat, & eleuatis tetris venenatisque vaporibus, illas concutit, labefactat, & prosternit.

In viris quidem semen in testibus, & vasis seminariis abundat,sanguis fœculentus, & niger per hæmorrhoidum tubos excernitur: sed in illis hæ substantiæ non ita dira labe conspurcatæ existunt. Illi enim habent robustiorem calorem, cuius ope sanguis magis elaboratur, & semen est ampliùs concoctum. Quare etsi hac de causa premantur symptomatibus hystericis simillimis; tamen illa non ita sunt ferocia & vehementia,nec venenatæ naturæ specimen præbẽt.Exemplo tibi sit viduus ille apud Galenum *lib.6.de loc.affect. cap.5.* qui ob abstinentiam concubitus, mœstitia melancholica premebatur solùm. Quæ si adesset in fœminis, horrenda symptomata excitaret, cùm in his semen sit crudius,minùs elaboratum,& corruptioni magis obnoxium.

PRÆCEPTVM LXXV.

Medicus,in curandis morbis grauidarum strenuam operam impendat.

VTero ferentes,maximè quæ primiparæ sunt, delicatulæ,graciles, molli carne præditæ, cautè, & prudenter esse tractandas, nulli puto perito Medico non manifestum, & aliis qui attentè pensarint, quàm laboriosum,arduũ,difficile sit in earum curatione præsidia administrare. Cùm enim remedia triplicia sint, diætetica,chirurgica, & pharmaceutica; fit vt si ex his aliquod administres,plurimùm lædas. Nam *si parcè nutris,perditur fœtus:sin huius habita ratione, liberaliùs cibes, matrem in discrimen adducis*, vt eleganter protulit Gal. *1.epid.sect.3.com.30.*

Deinde Venæsectio in illis summè est periculosa: Sanguinem enim exhaurit, quo vacuato defraudatur fœtus pastu suo, & alimento denegato, sponte marcescit & perit. Hoc modo phlebotomiam interdixit Senex *5.Aph.31.*dũ sic ait: *Mulier sanguine misso abortit, & magis si fœtus sit maior.*Insuper si celebretur,in extrahendo sanguine Medicus cautus esse debet.Nam si sit effusa,eneruat vires, flaccidos cotyledones reddit, & concitatur abortus.Si sit parca,plenitudini non respondet,& sic non curatur morbus. Rursus,si celebretur in talo,præcipitat fœtum, mouet abortum.Si ex vena basilica, sanguinem attrahit à fonte caloris, spiritus extrahit, calorem resoluit, si ex mediana, aut humeraria sanguis detur, vehementi internæ inflammationi non æquè succurrit. Si cucurbitulas admoueas cum scarificatu, exhorrescunt plures, & ob timorem fiunt exanimes, vel in animi deliquium incurrunt, vnde reuocato ad arcem calore innato, & vteri claustra deserente, imbecillis retentrix fœtum retinere nequit;imò hic ante tempus excernitur, cum matris incommodo summo. Quare earum morbi si acuti sint, indies magis ac magis fiunt periculosi,& si sint chronici,eas tandem conficiunt, & ad extremum periculum deducunt: nec enim possunt Medici grauidis aliquod auxilium adhibere,vt bellè notabat Galenus *5.Aphor.com.55.*

Purgatio nocua est. Hanc idcircò veritus Hipp. 4. *Aph.*1.aiebat:*Vtero gerentes sunt medicãda,si materia turget,mẽse quarto,& vsque ad septimũ,sed hæ minùs:à iuniore autem fœtu, & seniore abstinere oportet.* Res enim plena periculi est, & difficillima, in vtero gerente purgationem exercere. Nam subtrahitur alimentum fœtui, ingens vacuatio spiritus,humores, & vterum conturbat, acetabulaque dissoluit,retentricem vteri, vimque fœtus,qua seipsum sustinet,imbecilliorem reddit. Quare turgente materia,solùm concedatur purgatio mensibus intermediis,non primis, neque postremis. Vteri enim acetabula,quibus fœtus vtero alligatur, primis mensibus mollissima sunt, postremis verò flaccida:vt exẽplo fructuum ad suas plantas Gal. *in com.* illustrat. Quare in principio cùm non bene adhæreant, quouis motu, vel perturbatione separantur: in fine verò cùm deficiat humiditas, facilè exiccantur. Nam humiditas benigna necessaria est ad fixionem illorum, quæ cùm à fœtu pro nutritione sit exhausta,ideò siccantur & elanguescunt acetabula, & continuitas separatur, quam nutrimentalem humiditatẽ etiam purgantia absumunt. Ad hæc,docente Galeno *2.acut.12.* omnium medicamentorum purgantium vis, deleteria est & venenosa, quam fœtus tolerare nequit, nisi rarò;vtpote si firmus fuerit,firmísque nexibus alligatus.Accedit,quòd deuorato medicamẽto,periculum est ne plus iusto euacues, ex Gal.*2.acut.11.* ad immodicum autem fluxum sequi solet abortus, *5.Aph.34.*maximè quia intestina maximum consensum cum vtero habent,& tenesmus, deiiciendique frequentia abortum concitat, *7. Aph. 27.* Quòd si asseras,musculos abdominis,qui comprimunt ventrem deiicientis, non posse absolui à compressione vteri,(nam & iisdem musculis solet iuuari partus naturalis)periculosam esse purgationem in omnibus mensibus,rectè concludes.

Quomodo ergò ab his salebris te extricabis, aut qua ratione grauidas acuto morbo correptas,his generosis auxiliis administratis persanabis? Dic, Victus in grauidis non sit tenuissimus, quia resoluit vires,prouocatq; abortum:nec sit plenus,quia auget morbum. Sit autem mediocris, vtrique indicationi succurrens, & si ad extremum declinare debet,ad plenum vergat:quia fœtura est species euacuationis,ex Gal.*lib. de ven. sect. aduers. Erasistratum, cap.* 5. Quare vtero gerentes tenuissimo victu tractandæ non sunt, ne deficiant vires, & non oblato alimento, ob inopiam pereat fœtus.

Simili modo de sanguinis missione proferendum: quia,nî maxima vrgeat necessitas,ex vena nigra sanguis est emittendus,& in minori quantitate, quàm affectus & plenitudo desiderant: quia aliquid relinquendum est fœturæ sanguinem absumenti. Quare vteri gestatio inter præcipuos sanguinis mittendi scopos non est connumeranda, sed inter illos, qui sanguinis extrahendi indicant quantitatem, vt optimè *lib.de curand. rat. per sang.miss.cap.9.*notauit Galenus.

Hoc modo in mediis mensibus,etiam non turgente materia,clementia medicamenta porrigenda, quæ vim non inferant naturæ, sed suauiter humorem moueant ad aluum,& citra agitationem vllam sensim expurgẽt: vt rheum, cassia fistularis, myrobalani,manna, tamarindi,succus rosarum, & earum infusio; quarum vim soluentem etsi Græci non agnouerint,præter Dioscor. *lib.1.c.42.§. oleum potum aluum soluit:* tamen eæ expurgant,præsertim Persicæ,seu Alexandrinæ, quæ non leuiter purgant; quibus pro solutiuo vtitur Auic.in cura febris phlegmaticæ,*1.4.tract.2.c.59.& c.41.* & in pica grauidarum,*21.3.tract.2.c.4.* Et hoc cum præmeditatione faciendũ, & in minore quantitate quàm affectus expostulat; mixtísque medicamentis roborantibus & odoratis,quæ recreent naturam, & vterum firment;& appositis vmbillico vnguentis & emplastris quæ vires nutriant, & fœtui vigorem concilient: de quo argumento sat multa diximus *lib.3.hist.PP.Med.hist.13.*

PRÆCE

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 120 sur 927

PRÆCEPTVM LXXVI.

Medicus, in curandis morbis puerorum, & senum, cautus sit.

DVo sunt hominum status, qui quando laborant, maximam Medici prudentiam in auxiliorū validorum administratione exoptant, pueri, & senes. Pueri molles sunt, rara carne prædita, facilè resoluuntur, & sanguinis missione facta flaccescunt & debilitantur. Hæc est causa, quæ Galenum coëgit vt crederet, nunquam, aut rarò in pueris ante 14. annum venam esse secandam; quia debiles sunt, & tantum auxilium ferre non possunt, maximè quia auctione, distributione, & nutritione cæteris ætatibus longè præstant, vt 1. *de sanit. cap. 5.* docuit Galenus: & hoc modo materiam facilè dissipant, coquunt, conuertunt, qua ex re vacuatione sortiuntur. Deinde continuum habent effluuium. per cutis poros raros celebratum. Quare quod ex arte exequendum erat, id ex curati corporis natura præstatur; iccircò in iis si sanguinem demas, geminata vacuatione vires prosternentur, vt 1. *ad Glauc.* 14. & 4. *acut.* 19. & 4. *meth.* 6. docuit Galenus. Ob hanc similiter causam in iis summa cum cautela esse purgationem administrandam certum est, quia vires illorum debiles tantum auxilium tolerare non possunt.

In senibus cautè esse venam secandam, ipsorum frigida & sicca temperies manifestè demonstrat. Quia exhausto sanguine, in quo calor noster perseuerantiam obtinet, siccantur ampliùs, frigefiunt, flaccescunt & resoluuntur. In his ergò mittendus est sanguis cum præmeditatione multa. In hunc sensum intelligendus est Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 14.* qui senes venæ sectionem citra noxam tolerare non posse, affirmauit. Hoc consilio edoctus Auic. 4. 1. *cap. 21. de ventosis*, cauet ne post sexagesimum annum cucurbitulæ administrentur, quia cruditatibus scatent. Plus enim ingerunt, & non rectè in ore contritum, & minus concoquunt.

At experimento fidissimo compertum est, Pueros acutis morbis correptos, rectè tolerare phlebotomiam: quæ si parca celebretur, eos à grauissimis morbis præseruat, præsertim si succulenti sint, bene nutriti, & habeant venas cocto sanguine plenas: in quibus sanguinem mittit vel etiam Galenus ipse moderatè. Quare si ob inordinatos motus post cibum, & quia plus assumunt præ ingluuie, quàm concoquere possint, crudis succis sint repleti, ac videantur renuere venæ sectionē: tamen si vrgeat interna inflammatio, rectè sanguis mitti potest: quia præstantior est indicatio quæ ab acutie morbi, quàm ea quæ ab habitu corporis desumitur; nam illa sanguinem mittēdum indicat, hæc detractionis demonstrat quantitatem, vt *lib. de sang. mis. cap. 9.* prędixit Galenus. Quare cùm per habitum non sufficiat innata vacuatio, nec respondeat plenitudini, externa celebranda, quæ venæsectione perficitur, si vires valeant, & robusti sint pueri: sin minùs vel per scarificatam cutem, vel per hirudines brachiis, aut hæmorrhoidibus affixis sanguis est exhauriendus. Nam harum vacuationum beneficio minùs eneruantur vires, quia non ita à visceribus sanguis attrahitur, in quibus spirituum copia abundat: & pueri caloris natiui, & facultatum naturalium firmitudine valent, 1. *Aph.* 15. Quod ergò per venæ sectionem fuerit detractum, minori negotio quàm aliæ ætates reparabunt.

Hæc vacuatio plenitudinem minuit, & citra virium dispendium morbum leuat, & venæ sectionis vires adæquat, illique proxima est, vt 1. *Aph.* 17. & 4. *de sanit. tuend.* 4. & *de scarificat. cap.* 3. & 2. *ad Glauc.* 7. & *lib. de sang. mis. cap.* 7. docuit Galenus, & firmauit Auic. 4. 1. *cap.* 21. & 22. Hoc modo maiori parte plenitudinis emissa, præstat ad vitiosi humoris vacuationem accedere, & sic in illis purgatio sensim & suauiter, pro virium tenore administranda clementibus medicamentis, quæ sarcinam crudorum humorum per aluum excernant.

Senes etiam redundant crudis succis, qui si exuperent cum sanguine, & febrem validam, vel inflammationem internam committant, & firmi sint, hos præstat venæsectione leuare: quia ea celebrata, tutò curantur, vt *lib. 2. cap. 10.* Celsus admonuit: subscripsit Galenus *lib. de sang. mis. cap. 7.* Attamen tam in his, quàm in pueris minùs semper detrahendum est, quàm plenitudo monet; quia *ætas annumeranda est velut accidens quoddam, quod prohibendi integram vacuationem vim habet, neque enim pueri, neque seniores hanc sine noxa tolerant. Quare hos, vbi dispositiones hortantur, non semel, neque ex toto, sed paulatim vacuare oportet, inediis moderatis, & frictionibus, & clysteribus mollibus, humectationibusque, & cataplasmatis, & balneis:* vt præclarè 1. *ad Glauc.* 14. Galenus edocuit. Ita de purgatione determinandum. Nam ij neque frequenter, neque copiosè vacuandi, etsi fortes sint, & in prima, cruda, viridique senecta constituti.

PRÆCEPTVM LXXVII.

Medicus rectè cognoscat, quàm cautè debeat tractare morbos infantium.

INfantes plurimis morbis esse obnoxios, per multas sententias *lib. 3. Aph.* docuit Hippocrates, & maximè toto dentitionis tempore. Quia ob hanc causam plurimis symptomatis ac morbis corripiuntur, & cùm cruciatibus, laboribus, doloribus, ventris fluxu, cibi fastidio, & febribus laborent, in maxima deinde pericula labuntur. Hæc cùm Medici conspiciunt, maiora damna timentes, & ex aliqua interna causa morbifica euenire arbitrantes, importunè applicant auxilia, & sic in grauia mala eos coniiciunt.

Et licèt tunc nullum præsidium sit administrandum, sed expectandum quousque dentes appareant: tamen si valetudinarij sint, & crucientur plurimùm, vomitu premantur, alui fluxu tententur, occupentur fastidio: ventriculo & intestinis opitulari oportet fomentis, inunctionibus, emplastris, quæ has partes firment & roborent, quorum formulas in singulis capitibus infrà proponemus.

At febris in iis maius negotium facessit, quæ ob hæc symptomata quotidie ampliùs adaucta, & ab apparatu morboso concitata, metum incutit, ne sensim furtimque sese insinuet in viscera, & mollissimam carnem depopuletur, humidúmque primigenium exhauriat, & habitualis facta, vel postea difficilè remedium habeat, vel ipsos tandem contabefaciendo interimat.

Hæc antequam radices agat, eliminanda est parcissima vacuatione aliqua. Sanguinis missio in tam tenella ætate interdicenda, quia virium robur nimiùm exhaurit. Si adsit conuulsio, aut alius grauissimus affectus, febris vrgeat, & infans succulentus sit, carnosus & bene nutritus; tunc cucurbitulæ scapulis cum scarificatu imponendæ, vel hæmorrhoidalibus venis hirudines affigendæ, vel, quod magis probo, scarificatio leuis in tibiis celebranda. Nam hæc auctore Galeno 2. *Aph.* 17. proxima est venæsectioni: & hoc auxilium apud Hispanos, pro curatione morborum qui infantes infestant, est vsitatissimum, & felicissimo experimento confirmatum.

Rectè autem nosti triplicem esse scarificationis differentiam; leuem, mediocrem, & profundam, apud Galenum 2. *ad Glauc. cap.* 7. cuius verba ad praxin vtilissima in medium proponam. *Tentaui autem sæpius mul-*

tas

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 121 sur 927

tas in superficie valdèque tenues scarificationes: contrario autem his modo alias profundiores magnas; & tertias, quæ medium tenebât in longitudine & profunditate. Quæ igitur in superficie fiebant, debile auxilium afferebant. Quæ verò longæ erant atque profundæ, plurimum quidem sanguinis exhauriebant, adeò vt ferè animi defectum afferrent: rursus verò ipsæ propriam curationem, veluti vulnera exigebant. Quæ autem harum ambarum medium tenebant, semper inueni ab inconuenientibus dictis esse remotas, atque ideò eas in vsu censui præferendas, &c. Quare ne dubites loco sectionis venæ, in infantibus post septimum mensem, si morbus vrgeat, eas exercere. Nam Rhasius *lib. de peste, cap. 4.* post quintum ætatis mensem illis cucurbitulas apponi, & sanguinem attrahi manifestè docuit. Et Auicenna *4. 1. cap. 21.* post annum cucurbitulas imponit.

Sed video plures ex Hispanis & Italis, qui brachia scarificant. Quod consilium, etsi non sit absonum, præsertim quando affectus grauis cerebrum occupat; quia ob viciniam cum vena caua, ex hac parte vacuatio celebrata, promptè sanguinem vitiosum exhaurit: tamen securius est venis brachiorum hirudines admouere, vt sic leni fuctu, & citra perturbationem, sanguinem attrahant: vel crura scarificare, quoniam hæc vacuatio distrahit à corde & visceribus, & non ita debilitat. Adde quòd succi crudi, qui ferè in hac ætate redundant, cum sanguine permixti, grauitate sua ad imas faciliùs descendunt corporis partes; maximè cùm tibiarum scarificatio in balneo calentis aquæ administretur, cuius ope vehementer fit ad eas partes attractio.

Si hæc non sint satis, nec alterantia & epithemata lumbis & jecori applicita, vt igneus calor mitescat, aut tempereturque de vacuatione vitiosi succi deliberandum. Sed expurgatio difficiliùs in iis celebratur; quia medicamenta vel renuunt, vel ob tenellam ætatem nõ ferunt, nec assumunt. Quare si id tentes, ea cautè, & parcè adhibe, non confertim, ne vires flaccidæ resolvantur. Non transcendas clementia, vt Mannam, syrupum rosar. nostrar. vel Persicar. ex infus. pluribus, mel Persicum, infusionem rosarum, lactis caprini serum. Aut si affectus ad frigiditatem aliquantulum vergat, miuam prunorum, quæ ex sena parari solet, offerre illis fas erit, quam lambendo assument; vel pulpæ cassiæ atramentum, aut pulpam saccharatorum tamarindorum. Sed cùm ob mentis impotentiam hæc assumere nequeunt, & recusant, pultes ex delecta hordei, vel tritici farina, dissoluta in aqua borraginis confici possunt, permixtæ cum manna, aut cassia, aut tamarindis, & loco sacchari syrupus solutiuus, vel Rhodomel misceantur ad ignem. Hoc enim artificio leniter, & citra molestiam, aut virium iacturam vllam aluus rumpitur.

Tutissimum est etiam in frigidis morbis, ventris doloribus & murmure, mulsam per cochlear per se, vel cum amygdalino ori infundere: vel serum lactis caprini. Sed experimento cognitum habeo pro mouenda aluo eorum, hoc vnguento totam inferioris ventris regionem illinire bis in die.

℞. Carnis pomorum acetosorum, ʒ ij. Olei amygdalar. dulcium, ℥ iij. Tartari vini albi, ʒ i. Pulu. fol. sen. ʒ iij. Vnguent. dialth. ʒiß. Misce, & cum adipe suillo aut butyro insulso, fiat vnguentum.

Aliud.

℞. Pul. Cas. recenter extract. ʒ ij. Pulp. tamarindor. ʒ iij. Pulp. prunor. pinguium ʒiß. Pulu. Rhab. tenuissimè pulueriſati ʒ i. Misceantur omnia, & cum olei violacei ʒiß. fiat Linimentum.

At si hæc omnia ex voto non respondeant, aut si infans nulla medicamenta assumere velit, tunc admittendum est celebre consilium Hip. *lib. 6. epid. sect. 5. text. 35.* qui sic ait: *Mulier, capra, elaterium aut cucumerem syluestrem comedentes, pueris purgatio.* Pro cuius textus expositione tam acriter contra plures disceptauimus *lib. 2. hist. PP. Med. hist. 31.* quo docet Hip. nutrices pro infantium laborantium curatione esse expurgandas. Nam hoc modo redditur lac purgatorium, & sic eo vtentes infantes, suauiter expurgantur.

Aliud consilium protulit Auicenna *1. 4. tract. 2. cap. 7.* dum sic ait: *& cùm infans lactans febricitat, oportet vt lac mulieris rectificetur.* Ergò ex Auicennæ præcepto, si infans putrida febre laboret, nihil aliud agendum, nisi lac nutricis corrigere. Lac enim conueniens non solùm alimentum & familiare, sed vtile medicamentum illis existit. Quare si infans febricitet vitio nutricis, cuius lac est vitiosum, vt *3. alim. 15.* proprio exemplo confirmat Galenus, tunc relicta illa nutrice, alia eligenda, quæ optimum præbeat alimentum. Quòd si illa mutari non possit, tunc accommoda victus ratione, venæ sectione, & purgatione attemperandum, vt sanguis remaneat sine vitio, & postea optimum lac generetur.

Si autem his non leuetur febris, paretur aqua stillatitia, cuius guttulæ aliquot deglutitæ leniter aluum deiiciant, febrem contemperant, & vires alunt.

℞. Pulp. caponis, lib. ß. Pulp. gal. ʒ iij. Acetos. M. iij. Radic. cichor. Borrag. Buglos. an. ʒ ij. Confect. hyacinth. ʒß. Flor. cordial. an. p. i. Folior. sen. ʒ v. Macera per idem in lib. iiij. aq. endiu. & ponantur omnia in vase vitreo, & distillentur. Huius dosis sit quotidie ab ℥ j. vsque ad ℥iß.

Alteram verò parabis, quæ est maioris momenti, & efficaciæ.

℞. Rhab. electi. ʒ iij. Fol. sen. ℥ß. Pulp. Cas. ℥ i. Tamarindor. ℥ß. Succi acetos. Pimpinel. an. ʒ ij Cardui benedict. p. i. Flor. cordial. an. ʒ iß. Conserue flor. rosar. Buglos. Cichor. Nymphæ, an. ℥ i. Sem. lactuc. Acetos. an. ʒ i. Ponantur omnia super ignem remissum tribus diebus, quantum sufficit vt leuiter ebulliant: deinde distilla in duplici vase, cuius distillationis quotidie potiges ʒß. cum ℥ i. *syrup. Viol. ex infus. pluribus.* Et si illis addas *confectionem Hyacinth. Electuarium de Gemmis*, aut *lapidem Bezoar Orientalem*, aqua distillatitia erit præstantior, & malignis pestilentibúsque febribus vtilior. Hoc modo Serapium potest confisci alterans & purgatorium, quod ipsi lambendo assumere possunt.

℞. Hord. p. ij. Tamarindor. ʒ ij. Acetos. Bugloss. Borrag. Pimpinel. an. M. i. Portulac. M. ij. Endiuiæ, M. iß. Flor. cordial. Nymphæ, an. p. ij. Sem. frig. maior. Acetos. an. ʒ ij. Folior. sen. ℥ß. Coquito ad lib. 1. adde in fin. decoctionis: *Rhab. electi. ʒ ij.* In expressione dissolue sacchar. albissimi lib. ß. & fiat syrupus mediocris consistentiæ.

Vel paretur sic.

℞. Succi pomor. redolent. Succi limon. Arantior. acidor. Cichorei, Pimpinel. Portulac. Acetos. an. ʒ ij. Folior. sen. ʒß. Flor. cordial. ʒ iij. Bulliant omnia cum lib. iij. aq. buglos. ad consumptionem succorum, & iniecta sacchar. sufficienti quantitate fiat secundùm artem syrupus.

PRÆCEPTVM LXXVIII.

Medicus, in arte Anatomica sit apprimè instructus.

VT verò peritus Medicus his vtilissimis præceptis imbutus, pro curandis ægris tempestivè, & maturo consilio ad praxin accedat, & finem artis consequatur, tria illi supersunt, citra quæ frustra laborem insumet. Primum est vt in Anatomica scientia sit satis instructus: Secundum, vt Chirurgica arte sit satis expertus: Tertium, vt Pharmaceuticæ disciplinæ sit studiosus. A primo sumamus exordium.

Anatome est certissimus dux, qui Medicum ad præclaram sui ipsius, id est, naturæ prænognitionem veluti manu

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 122 sur 927

manu ducit. Nam omnium partium figuram, magnitudinem, cauitates, ductus, numerum, situm, cum aliis connexionem, vsus, consensum diligentissimè artificiosa sectione rimatur, atque omnium vsum inuestigat. Quapropter Galenus *lib. 2. de loc. affect. cap. 1.* multis historiis confirmat: non posse quempiam locos affectos agnoscere, nisi in anatomica scientia sit satis exercitatus.

Partes enim externæ, (inquit ipse) & in corporis superficie constitutæ, sui notitiam, & malorum quæ illis accidunt, euidentiam sensibus præstant. Cùm enim mala oculis occurrant, & manibus contingantur, visus ipse in eis simul & locum, & affectus speciem agnoscit: ac proinde in externis malis dignoscendis, non est opus indiciis & notis. Assequitur namque visus aliquam mali speciem, licèt non semper ad infimam descendat; nam vlcus quidem cognoscit, non tamen omnes eius differentias: tactus verò similiter durum tumorem percipit, causam autem dignoscere non potest.

At verò qui visum planè effugiunt, & in corporis profundo latent, cognosci non possunt, nisi ab eo, qui non modò partium integram cognitionem habuerit, actionum & vtilitatis illarum simul, & totius doctrinæ Anatomicæ, sed & vsum & exercitationem calluerit ad vnguem. Nec enim satisfacit Galeno cognitio, vel doctrina quantumuis consummata, sed requirit etiam exercitationem; In quo illud quidem verè innuit, quod parùm proficiant doctrinæ ad vtendum inuentæ, nisi simul sit coniuncta exercitatio: quæ non ex libris, aut aliunde est petenda, sed ex continuo, frequentique dissectorum intuitu. Nam præterquàm quòd intellectus ex verbis assequi non potest ea omnia quæ sensus in suis obiectis percipiunt, tenaciùs firmiúsque visus memoriæ imprimit, affigítque res, quàm auditus. Cuius ratio est, quoniam vt memoria recordatióque rerum sensatarum habeatur, necessaria est continua cadauerum sectio; hæc autem magis visu, quàm auditu comparatur.

Magna est ergò, pro exercenda medicina, artis Anatomicæ præstantia, quam ob suam dignitatem & excellentiam, non solùm Medici consequi studuerunt, sed etiam nobilissimos Principes eam habuisse in deliciis, veterum monumenta confirmant. Propterea Alexandrum Magnum, Magnum Antoninum Imperatorem, aliósque magnanimos Reges hac suiipsius noscendi cupiditate, in ipso statim armorum strepitu, studiosè rem anatomicam excoluisse legimus: Boëthum, & Paulum Sergium Consules, Galeno olim Romæ sectionem publicè mollienti, adfuisse accepimus. Sic in Ægypto Reges corpora mortuorum ad scrutandos morbos propriis manibus dissecuisse, à Plinio assertum est *lib. 7. cap. 5.* Vtrùm verò hæc doctrina ad Medicum, vel Chirurgum spectet, latè diximus *lib. 6. hist. PP. Med. hist. 4.* quo loco breuiter, provt argumentum tantum expostulat, omnem artem anatomicam in compendium affabrè redegimus.

PRÆCEPTVM LXXIX.

Medicus, in Chirurgica facultate sit versatus.

POdalirium, Machaonémque Chirurgiam exercuisse, & Ducem Agamemnonem in bello Trojano sequutos, ferro & medicamentis medicinam militibus fecisse, scripsit Homerus *lib. 2. Iliad. 6.* Hippocratem in hac arte excelluisse plurimùm, & libros de Chirurgia conscripsisse eximios & elegantissimos, illi norunt, qui libros *de vulneribus capitis, De officina Medici, De fracturis, De articulis*, assiduè versant. Galenum, Chirurgicas operationes propriis manibus pertractasse, colligitur ex *lib. 6. meth. cap. vlt.* vbi se fracta ossa capitis terebrare voluisse scripsit, si perpetuò in Asia mansisset: sed cùm Romæ ageret, ciuitatis morem se insecutum fuisse testatus est, permissa iis quos Chirurgos vocant, maxima eiusceemodi operum parte. Hoc etiam constat ex *commentariis in Hip. lib. de Medici officio, de articul. ad Glauc. de tumorib. præter naturam; & sex prioribus methodi libris*, liquet abundè.

Licèt autem totam de continui solutione speculationem rectè callere oporteat Medicum: tamen nostro tempore, nisi ingens necessitas adsit, ab eiusmodi opera abstinere debet, vt docuit Hip. *in Iureiurando, num. 2.* dum sic ait: *Nec verò calculo laborantes secabo, sed viris Chirurgia operariis, eius rei faciendæ locum dabo.* Ita monuit Auenzoar. *lib. 2. Theizir. tract. 6. cap. 2.* dicens non esse *Medici* (vt ille inquit) *honorati, manibus operari, sed suis ministris officio relicto, medicina & cibo ægrotantibus auxilio esse.* Quare Galenus *lib. 1. de officio Medic. com. 5.* ministrum manibus operantem, Medico adiecit.

Deinde plurimùm differunt Medicus, & Chirurgus, quia sunt maximè diuersi artifices. *Chirurgus*, auctore Celso, *lib. 7. cap. 1. debet esse iuuenis, intrepidus, immisericors, manu stabili, nunquam intremiscente:* Medicus debet esse senex, blandus, mitis, iucundus, gratiosus. Manualis ergò operatio à Medico separanda, rectè tamen ab illo callenda; vt quum occasio adsit secandi, suendi, adurendi, euellendi, artus luxatos, ossáque suis sedibus mota reponendi, præstò adsit, non tanquà minister, sed præses, & veluti gubernator: qui eò tendat, vt Chirurgo tradat præcepta, quomodo se gerere debeat, circa tumores præter naturã, vulnera, vlcera, fracturas, & luxationes. Quare cùm tot celebres viri hanc artem suis laboribus & monumentis illustrarint, auxerint, locupletarint, necesse est vt Medicus eam exactè teneat; & veluti dux inter milites, ita ille inter Chirurgos ministros splendeat & antecellat.

Neque hoc à ratione videtur alienum: nam Medicina in tres partes diducta est; vt vna esset quæ victu: altera, quæ medicamentis: tertia, quæ manu medeatur, vt firmat Celsus *in proœmio lib. 1. & 7.* subscribit Galenus *1. acut. 6. & lib. introduct. cap. 7. & lib. art. medic. cap. 2.* Auic. 4. 1. & primùm omnium prædixit Hip. *lib. de decenti ornatu, num. 6. Artis medicæ curatiuæ, pars in Chirurgia, diæta, & pharmacorum exhibitione consistit.* Quia Medicinæ partes mutuam operam requirunt, tum quæ manu, tum quæ medicamentis, tum quæ victu medetur.

Et licèt Medicina sit ars ingenua, præstans, nobilissima, quam actu exercuerunt Principes, Magnates & Heroës, & difficilis ad addiscendum, cùm infinita sint morborum genera, quæ nec inueniri, nec demonstrari queunt, vt probat Plinius *lib. 26. cap. 1.* & refert Iuuenalis *Satyra 10.*

Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Promptius expediam quot amauerit Appia mœchos,
Quot Themison agros autumno occiderit vno.

Tamen Chirurgia valde necessaria est, nobilis, difficilis. Omnia enim quæ Omnipotens posuit sub pedibus hominis, & quæ superiorem regionem exornant, de his appositissimè disceptat. Quare qui hanc artem contemnunt, & de ea nullam mentionem faciunt, rudes sunt, & eam tanquam difficilem addiscere nequeunt, vt Oribasius firmat *in præfat. compendij Medicinæ.*

Hæc enim in artifice suo summam curam exoptat, indefessum studium, sedulam diligentiam, improbum laborem, tenacem memoriam. His igitur omnibus ornatus esse debet, qui Chirurgiæ tam arduam artem auspicaturus est, vt notat Soranus Ephesius *in Isagog. cap. 1.* Demum sicut Chirurgus debet esse Medicinæ peritus, sic Medicus Chirurgiam callere debet. Hoc confirmat Scribonius Largus *lib. de compos. medicam. cap. 200.* dum sic ait: *Ita implicitas Medicinæ partes inter se, & connexas esse constat, vt nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint.* Ex eo intelligitur, quòd neque

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 123 sur 927

neque Chirurgia sine Diætetica, neque hæc sine Pharmaceutica, id est, sine ea parte quæ medicamentorum vtilium vsum habet, perfici possint, sed aliæ ab aliis adiuuentur, & quasi consummentur.

PRÆCEPTVM LXXX. ET VLTIMVM.

Medicus Pharmaceuticæ artis sit studiosus & callens.

MEdicum rationalem, & Principum Medicorum doctrina delibutum, in pharmaceutica arte debere esse instructum, nullus it inficias. Nec enim remedia præscribere poterit, nisi medicamentorum facultates in numerato habeat. Quapropter succurrit hoc loco aliqua ex Medicorum solùm arcanis proponere, quæ pharmacorum tam simplicium, quàm compositorum vires, & vtilitatem patefaciant, omittentes plura quæ à Pharmacopolis opere practico indagantur, in quibus ad rauim vsque disceptant, de præparationum differentiis, lotione, purgatione medicamentorum, infusione, humectatione, aliisque infusionum differentiis, nutritione, maceratione, perfectione, digestione, trituratione, variis trituræ speciebus, coctione, assatione, frictione, vstione, extinctione, calefactione, insolatione, refrigeratione, putrefactione, fermentatione, dissolutione, liquatione, mollitione, duratione, siccatione, extractione, cribratione, colatione, filtratione, despumatione, conditura, salitura, fartura, distillatione, & aliis: De quibus omnibus illi in suis libris, Antidotariis, dispensatoriis, pharmacopœis luculentissimè dissertant.

Nos Pharmacopœam nostram intra Medicinæ aream describemus, eámque in VI. *Articulos* partiemur, propriis *Sectionibus* distinctos, aliquas pharmacorum formulas addentes, quæ in Hispania, & aliis regionibus, illustribúsque earum Officinis approbantur. In *primo* ergò *Articulo* vniuersalem doctrinam circa definitionem & diuisionem medicamenti adducimus. In *secundo*, quomodo debeant eligi, quo tempore, & qua ratione sint conseruanda, enarramus. In *tertio*, omnia medicamenta simplicia assignamus. In *quarto*, omnia composita enumeramus. In *quinto*, methodum componendi omnia medicamenta patefacimus. In *sexto*, compendium generale omnium Medicamentorum simplicium, quæ in Officina habentur, cum propria latitudine suarum qualitatum proponimus. Ita tamen breuiter omnia sunt disposita, vt nihil sit in medica facultate vsui practico necessarium, ex quo Medicus ad praxin sitibundus anhelans, ex hac lectione non mediocrem vtilitatem sibi comparet.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 124 sur 927

ZACVTI PHARMACOPOEA.

INDEX CAPITVM,

Quæ in Pharmacopœa proponuntur.

ARTICVLVS I.

De Medicamentorum diuiſione, & ponderibus, & menſuris.

ARTICVLVS II.

De rebus ex quibus omnia Medicamenta deſumuntur.

CAP. I. DE differentiis plantarum.
II. De radicibus.
III. De herbarum collectione.
IV. De fructibus & ſeminibus.
V. De ſuccis, liquoribus, Gummi, reſinis, lacte, & lachrymis.
VI De animalibus, & eorum partibus.

ARTICVLVS III.

De Medicamentis expurgantibus.

DISTINCTIO I.

De Medicamentis bilem expurgantibus.

CAP. I. DE Rhabarbaro.
II. De Caſſia fiſtulari.
III. De Tamarindis.
IV. De Scammonio.
V. De Aloë.
VI. De Manna.
VII. De Myrobalanis.
VIII. De Sero lactis.
IX. De Aſaro.

DISTINCTIO II.

De Simplicibus, purgantibus pituitam.

CAP. I. DE Turbith.
II. De Hermodactylis.
III. De Agarico.
IV. De Iride.
V. De Mechoaca.
VI. De Colocynthide.
VII. De Semine carthami.
VIII. De Euphorbio.
IX. De Eſula.
X. De Caſtoreo.
XI. De Galbano.
XII. De Sagapeno.
XIII. De Ammoniaco.
XIV. De Sarcocolla.
XV. De Opoponace.
XVI. De Reſina terebinthina.

DISTINCTIO III.

De Medicamentis ſimplicibus, expurgantibus melancholiam.

CAP. I. DE Elleboro.
II. De Lapide Lazuli.
III. De Polypodio.
IV. De Epithymo.
V. De Fumaria.
VI. De Senna.

ARTICVLVS IV.

DISTINCTIO I.

De Aquis.

CAP. I. DE Aquis infrigidantibus.
II. De Aquis concoquentibus pituitam.

DISTINCTIO II.

De Syrupis tam concoquentibus, quàm humores purgantibus.

CAP. I. DE Syrupis in communi.
II. De Syrupis bilem diſponentibus.
III. De Syrupis diſponentibus pituitam.
IV. De Syrupis diſponentibus melancholiam.
V. De Syrupis purgantibus bilem.
VI. De Syrupis purgantibus pituitam.
VII. De Syrupis purgantibus melancholiam.

DISTINCTIO III.

De Eclegmatis.

DISTINCTIO IV.

De electuariis purgantibus.

CAP. I. DE electuariis purgantibus bilem.
II. De electuariis purgantibus pituitam.
III. De electuariis purgantibus melancholiam.

DISTINCTIO V.

De Pilulis.

CAP. I. DE Pilulis purgantibus bilem.
II. De Pilulis purgantibus pituitam.
III. De Pilulis purgantibus melancholiam.
IV. De Pilulis varios humores purgantibus.
V. De Pulueribus expurgantibus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 125 sur 927

DISTINCTIO VI.

De confectionibus cordialibus.

Cap. I. De Confectionibus infrigidantibus.
II. De Confectionibus calefacientibus.
III. De Confectionibus opiatis.

DISTINCTIO VII.

De Conseruis.

Cap. I. De Conseruis in communi.
II. De Conseruis infrigidantibus.
III. De Conseruis calefacientibus.
IV. De Tabellis.

DISTINCTIO VIII.

De Trochiscis.

Cap. I. De Trochiscis refrigerantibus.
II. De Trochiscis calefacientibus.

DISTINCTIO IX.

De Oleis.

Cap. I. De Oleis infrigidantibus & adstringentibus.
II. De Oleis calidis.

DISTINCTIO X.

De Vnguentis.

Cap. I. De Vnguentis refrigerantibus.
II. De Vnguentis calefacientibus.

DISTINCTIO XI.

De Emplastris.

De Suppositoriis.
De Linimentis.
De Vnguentis.
De Ceratis & Emplastris.
De Cataplasmatis.
De Fotibus.
De Embrochis.
De Epithematibus.
De Cauteria potentiali.
De Vesicatoriis, seu sinapismis.
De Collyriis.
De Errhinis, seu sternutatoriis.
De Apophlegmatismis, seu masticatoriis.
De Gargarismatis.
De Dentifriciis.
De Sacculis.
De suffitu.
De Insessionibus.
De Balneis.

ARTICVLVS V.

De Methodo compositorum omnium medicamentorum, ad vsus medicos vtilitatem præstantium.

Caput vnic. De Apozematis.
De Clysteribus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

De gradibus qualitatum Medicamentorum, quæ in probata & instructa Officina reseruantur.

De qualitatibus Radicum.
Caulium.
Herbarum.
Florum.
Fructuum.
Seminum.
Gummi.
Resinarum.
Succorum.
Infusionum.
Inspissamentorum.
Farinarum.
Superfluitatum, & partium animalium.
Terrarum.
Mineralium,
Lapidum.
Medicamentorum aëreorum.
Medicamentorum aqueorum.
Ossium.
Corticum.
Liquorum.

ZACVTI

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 126 sur 927

ZACVTI LVSITANI,

PHARMACOPOEA ELEGANTISSIMA

variis dubiis, & selectioribus medicamentorum formulis exornata.

ARTICVLVS I.

De medicamentorum diuisione, & ponderibus, & mensuris.

INTER ea quæ assumuntur, alia sunt quæ nostram substantiam alterare possunt, neque ab ipsa alterationem aliquam patiuntur, vt sunt acini vuarum, nuclei cerasorum, & his similia: alia, quæ passivè se habent, & in nostram substantiam transmutantur, vt sunt Alimenta: Alia quæ nostram substantiam alterant, vt omnia ferè medicamenta. Quam definitionem etiam proponit Galenus *lib. 1. simp. cap. 1.* Sub qua venena etiam comprehenduntur, quæ non solùm alterant, sed etiam corrumpunt, & in aduersam naturam corpus deducunt, vt Arsenicum, Euphorbium, &c. Alia reperiuntur, quæ licèt in nostram substantiam conuerti queant, tamen ob vnam, vel duas qualitates, quibus nostram substantiam excedunt, illam alterant: & hæc sunt media inter alimenta & medicamenta, alimentaque medicamentosa appellantur, vt Borrago, cichorium, & his similia.

Medicamentum ergò de quo inpræsenti, aut est compositum, aut simplex: (Non loquor de compositione naturali, siquidem omnia medicamenta, ex quatuor elementis constantia; in hac consideratione simplicia dicuntur) compositum illud dicitur, quod artificialem compositionem admittit, vt Theriaca magna, Mithridatium, &c. quæ ex compositione & permixtione plurium, & diuersorum medicamentorum constant; quæ per proprias qualitates alterantur, & ipsorum formæ refractis qualitatibus corrumpuntur, vt quædam forma media resultet, quæ in se (etsi remissè) virtutes medicamentorum simplicium continet, & alias qualitates, quæ ex determinata permixtione ipsorum consurgunt.

Simplex medicamentum, per relationem dictum ad compositum, est illud, quod natura sua syncerum est, ex Gal. 1. *simpl. cit.* Hoc vel est purum elementum, vt aqua, ignis, aër, terra; vel est mixtum per compositionem naturalem, ex primordiis generationis, ob permixtionem elementorum acquisitam: quæ non in omnibus mixtis æqualiter concurrunt, ita vt in omnibus refractæ quoad pondus, remaneant qualitates primæ, sed nunc per vnam, nunc per duas qualitates ponderalem mensuram, & nostram substantiam excedunt, ita vt illarum ope alterare possint: quarum ratione medicamenta dicuntur calida, frigida, humida, &c. & ratione huius variæ permixtionis elementorum in mixtis repertæ.

Alia medicamenta habent facultates purgatrices, quarum auxilio diuersos humores purgant, vt Rhabarbarum. Alia, secundùm partes diuersas suas adstringunt & abstergunt, vt Brassica, lentes, Rosæ, &c. Horum

A quodliber medicamentorum, aut est fluidum, aut solidum; cuius ratione ponderatur, aut mensuratur.

Deinde Galenus *lib. 1 sec. gener. cap. 13.* dicit: *Mensuræ ponderales solidorum corporum grauitatem & mensuralem molem discernunt.* Et in *eodem capite* asserit, libram solidorum corporum ponderalem, & liquidorum mensuralem appellari. Ex qua doctina constat, medicamenta liquida per libram, & vnciam mensuralem mensuranda esse: & solida, lancibus & aliis vnciis ponderalibus pendenda. Præterquam quando Medici scribunt syrupi, vel vini, vel olei pondo, vncias duas, vel lb. ij. Nam tunc licèt liquida sint, ponderalibus vnciis sunt pedenda. Et hoc tam in remediis describendis, quàm distribuendis ratum est Galeno, *loco cit.* Quare vt 3. *sec. gener.* 3. ipse edocuit, libra ponderalis solidorum corporum est, & mensuralis liquido-
B rum.

Rursus libra ponderalis constat 12. vnciis: Vncia octo constat drachmis: drachma tribus constat scrupulis. Mensuralis libra aliis constat duodecim vnciis: Vncia verò sex drachmis: & drachma duobus scrupulis, quoniam solida maius obtinent pondus, quàm liquida. Nam illa sunt grauiora, atque ideò omne medicamentum quod per vnciam ponderalem metimur, eandem molem habet, sed diuersum pondus ob causam dictam; & quæ medicamenta per ponderalem vnciam metimur, idem pondus habent, at verò diuersam molem.

Medicamenta, tam solida quàm liquida, in hoc conueniunt, quòd tam libra mensuralis, quàm ponderalis 12. vnciis consteт: quod demonstrauit Galenus
C 3. *sec. gener.* 3. Maximum pondus quod habetur in officinis, est libra; quæ habet 12. vncias; & quælibet vncia drachmas octo; & drachma tres scrupulos: & scrupulus pendet duos obolos, vnus obolus, grana 2. Granum, autem est minimum pondus, quod habetur, & non debet esse tritici, hordei, aut alterius frugis, quia hæc pondere constant incerto: sed determinatum pondus debet habere, quale est apud aurifabros, quo omnes nationes vtuntur, quibus ponderibus mensurantur ea quæ exactè pondus requirunt. Plura tamen sunt quæ metiuntur Medici numero, fasciculo, pugillo, manipulo. Numero metiuntur grandiores fructus, vt pruna, ficus, &c. Manipulus est quantum quispiam manu potest comprehendere. Pugillus, quantum summitate omnium digitorum. Fasciculus, quantum
D mensura brachij capitur. Maxima etiam mensura quæ in officinis habetur, est libra mensuralis, respectu liquidorum: eius vncia habet sex drachmas, & drachma duos scrupulos. Notabis tamen quòd oleum minus pendeat cùm sit aëreum, & sic vas quo mensuratur, maiorem habet capacitatem. Secundo loco illud quo mensuratur aqua, & minùs illud quo mensurantur syrupi.

Ne verò in hoc enchiridio pharmaceutico aliquid ad exactam notitiam deesse possit, pondera recitata hoc modo describuntur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 127 sur 927

Libra — ℔.
Vncia — ℥.
Drachma — ʒ.
Scrupulus — ℈.
Granum — g̃.
Obolus — O.
Numerus — N.
Manipulus — M.
Fasciculus — F.
Pugillus — P.
Dimidium omnium. — ß.
Quarta pars — 4.
Quinta pars — 5.
Singulorum — an.

Ana enim multitudinem medicamentorum significat; & secundùm aliquos idem, ac æqualiter denotat. Quoniam verò persæpè in priscorum, præsertim Arabum monumentis aliæ notæ ponderum reperiuntur, quæ lectorem quandoque remorantur, ea in propatulum exponam.

Exagium, est pondus drachmæ cum dimidia: sex exagia faciunt vnciam vnam.
Solidum, idem atque exagium, solo nomine differens.
Aureus, est pondus drachmæ vnius cum dimidia, & est idem cum exagio, & solido.
Sextarius, est pondus libræ vnius cum semisse.
Cotula, est pondus habens libras duas & semissem.
Cotyla, habet nouem Vncias.
Lupinus, habet drachmas duas.
Obolus, est pondus medij scrupuli; vel secundùm alios est quinta pars vnius drachmæ.
Ghist, est pondus libræ vnius, cum dimidia.
Kirat, habet quatuor grana.
Hemina, est pondus libræ vnius, & vnciarum trium.
Chalcus, est pondus duorum granorum ciceris & quarta pars oboli, & duo oboli faciunt vnum scrupulum.
Safil, pondus est duorum sextariorum.
Ramich, est pondus sex kirat.
Charmes, est pondus vnius grani hordei.
Davic, est pondus sex granorum hordei, & secundùm alios trium granorum hordei.
Sacvarat, est pondus vnius aurei cum dimidio.
Anulasach, est pondus cõsimile illi, secundùm aliquos.
Arsinum, est pondus drachmæ semis.
Decamech, est pondus drachmæ vnius.
Darchiminum, est pondus drachmæ semis.
Bactath, est pondus nouem granorum.
Siliqua, est pondus quatuor granorum.
Bis siliqua, est duplicata siliqua.
Rasciim, est pondus scrupuli vnius, cum dimidio.
Cochlear, est minima pars omnium mensurarum.
Serat, est semiobolus.
Conchula, est drachma vna, & dimidia.
Cyathus, pendet drachmas decem.
Acetabulum, quarta pars heminę, põderat drachmas 24.
Bilibra, pendet sextarios duos.
Renix, habet sextarios quatuor.
Cina, pendet sextarios quinque.
Congius, ponderat sextarios sex, aut ℔. xij.
Metron, dicitur Latinè *mensura*, est nomen Græcum, ad omnes mensuras pertinens.
Modius, à modo dictus, capit sextarios duodecim.
Medimia, est mensura capiens sextarios duos.
Cadus, Latinè vocatur amphora, continens vrnas tres.
Vrna, à quibusdam dicitur *quartricium*, pro condendis defunctorum cadaueribus assuetum, recipit frumenti Italici modios tres.
Gomor, capit quindecim modios.
Corus, habet modios triginta.
Cema, est octaua vnciæ pars.
Holca, idem est quod Cema.

Numisma, vnus argenteus.
Denarius, qui est argenteus, est octaua pars vnciæ.
Cremissus, facit solidum aureum, & habet decimam octauam partem vnciæ.
Duella, habet duos solidos aureos.
Status, habet tres solidos aureos, aut drachmam vnam.
Quadrans, habet drachmas duas, aut scrupulos sex.
Dipondium habet duas libras.
Mna, Græcum nomen, habet drachmas centum, aut libram vnam, & drachmas quatuor.
Rotulus, est libra.
Oxybaphum, habet vncias duas, & drachmas duas.
Bessis, continet vncias octo.
Medimnus, capit chœnicas quadraginta septem.
Chœnix, Cotylas tres, vel sesquisextarium, seu libras duas, & quadrantem vnum, & vncias tres.
Ceramium, Italicum habet olei libras xc. Vini libras c, mellis libras cl.
Cheme, cochlearia duo, seu drachmas duas, scrupulum vnum, & grana quatuor, & quatuor quintas grani.
Mystrum, chemen vnam, & quartam eius partem, seu cochlearia duo cum dimidio, seu drachmas tres.
Taelntum, est maximum omnium ponderum. Minus talentum, pendet libras quinquaginta. Maius, libras 72. Maximum, lib. 120.
Centenarius dicitur pondus centum librarum.

ARTICVLVS II.

CAPVT I.

De rebus, ex quibus omnia Medicamenta desumuntur.

OMnia, quæ in vsus medicos apud Pharmacopolas reperiuntur, ex quinque rebus sunt deprompta: ex animalibus & eorum partibus; ex terra; ex aqua; ex aëre; & ex plantis. *Ab animalibus*, vel totis integris, vel ipsorum partibus, vel excrementis, medicamenta accipiuntur. Totis quidem, quia sæpè vulpem integram, vel catulum, vel erinaceum, vel ranam, vel lumbricos, vel cancros, vel alia animalia assumimus. Ex partibus verò animalium, v.g. iecur lupi, aut hœdi, pulmo vulpis, os de corde cerui, cranium humanum, adeps, sanguis, caro, medulla, testes castoris, vel castorium. Ab excrementis, vt cornua, vngues, pili, pennæ, cutis, fel, stercus, saliua, mel, oua, cera, lac, lana, sudor, & similia. Quo etiam genere vniones, moschum, zibettum, & alia huiusmodi comprehendimus.

Ex terra plura extrahuntur in vsus medicos valde necessaria: vt lapides pretiosi, matella, species terræ, Bolus armenus, terra sigillata, Cimolia, creta, Argilla, & similia. Lapides sunt, pumex, marchasita, magnes, gypsum, calx viua, lapis specularis, & alia huius generis. Metalla sunt aurum, argentum, stannum, plumbum, æs, ferrum, chalybs, antimonium seu stybium, cerusa, sulphur, alumen, atramentum sutorium, vtriusque salis genus, auripigmentum, arsenicum.

Ex aqua dulci, quæ sequuntur medicamenta, depromuntur. Aqua pluuialis, fontana, fluuialis, omniaque inde orta: vt lenticula aquatica, nymphæa, sisymbrium, aquatiliaque omnia animalia. Ex aqua salsa, sal, corallium, omnes piscium species, ossa sepiæ, spongię, aliaque marina penè infinita.

Ex Aëre prodeunt manna, mel aëreum, atque aliud roris genus, quod in vsus medicamentarios ingreditur, ob vires quas tum à sole, à quo sursum concitatur, tum ab aëre, in quo aliquamdiu immoratur, à plantis, in quibus consistit, accepit.

Ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 128 sur 927

Ex plantis, tum integris, tum ipſarum partibus, ſeu arbores ſint, ſeu arbuſculæ, ſeu herbæ, medicamenta deſuminus. Vt ſunt cichorium, biſmalua, malua, plantago, &c. Vtimur etiam pluribus, ex quibus plantæ ipſæ conſtituuntur, vt radice, medulla, ligno, cortice, ſurculis, caule, floribus, foliis, ſeminibus, fructu, ſuccis, lachrymis, gummi, reſinis, & muſco ipſo.

CAPVT II.

De differentiis plantarum.

TRia ſunt plantarum genera, vt docet Theophraſtus *lib. 1. de hiſt. plantar. c. 3.* ſcilicet arbor, frutex, & herba. Arbor eſt planta, quæ vnico trunco à radice ſurſum aſcendit, in cuius medio exeunt nodi, & cum magna difficultate frangitur. Arbuſcula eſt planta, plurimis truncis coniunctis & ramoſis prædita, & ſurſum aſcendit, vt hedera & rubus. Herbæ ſunt, quæ ſine trunco à radice aſcendunt ſolis foliis, quæ ſemina in extremitate producunt, vt cichorium, borrago, &c. Licèt verum ſit, eſſe aliquas herbas, quæ maximam copiam ramorum emittunt cum truncis, ſurculis, & foliis paruis, vt abſinthium & hyſſopus, quæ ſubfrutices appellantur, & ſunt mediæ inter arbores & herbas, quæ fruticum ramoſitatem habent, & eodem anno exeunt. Non nego aliquas herbas ob culturam, magnitudinem arborum acquirere, ſicut beta & malua, cuius contrarium contingit ob culturæ defectum, qua frutices fiunt, vt patet in myrto.

Verùm vt in medicos vſus ipſis poſſimus vti, neceſſe eſt cognoſcere, quando ſint eligendæ, in qua cœli diſpoſitione, quomodo ſint conſeruandæ, & in quibus locis reponendæ. Quæ omnia ſunt neceſſaria, non ſolùm vt commodè vtamur, verùm vt ex illis compoſita medicamenta parentur, vt Dioſcorides *in proœmio ſui operis* diſertè edocuit. Nam aliæ proſunt valde, ſi ſint recentes, vt thapſia, quæ ſi ſit recens, optima eſt, ex Gal. *1. ſec. loc. cap. 1.* contrà verò ſi antiqua, *3. ſec. gener. c. 6. & 7.* In quo vltimo capite ponit exemplum in euphorbio, quod ſi ſit antiquum, duplicatam quantitatem requirit, ac ſi eſſet recens.

Tempus etiam eſt contemplandum, in quo colligi debent, tam integræ, quàm per partes. Similiter earum ætates conſiderare debemus, & locum in quo conſeruari debent. His ergò cognitis, rectè cognoſcemus medicamenti ſimplicis optimam, vel malam diſpoſitionem, vt ex ipſo compoſitum parari poſſit. Quod non ſolùm de plantis, ſed de omnibus aliis medicamentis, ſimplicibúſque eſt intelligendum, de quibus *infrà* texenda oratio eſt.

CAPVT III.

De Radicibus.

VT plantarum partes connumeremus, à radicibus exordium ſummamus. *Radix eſt pars planta, terræ affixa, per quam ipſa alimentum attrahit*, vt docet Theophraſtus *lib. 1. de hiſt. plantar. cap. 2.* In radicum collectione magna differentia adeſt. Si enim illarum neceſſitas vrget, in quocunque tempore legi debent: ſi verò non adſit, tunc ad tempus determinatum reſeruandæ ſunt, quod ad ipſarum electionem commodum ſit. Quale autem tempus hoc ſit, etiam noſtro tempore controuertitur.

At plurium miſſis opinionibus, aſſerendum eſt, radicem eſſe colligendam in principio hyemis. Hoc enim tempore, neque ita dura & lignoſa eſt, ſicut illa quæ tempore æſtatis colligitur, in quo aliqui colligendam eſſe ſibi perſuadent: neque ita mollis & humida apparet, ſicuti illa quæ tempore veris, in quo alij colligendam eſſe rati ſunt. Quæ doctrina eſt intelligenda in illis plantis, in quibus radix antiqua ab vno in alium annum ſeruatur: quoniam herbarum quæ in vno anno pereunt, vt ſunt legumina, eligendæ ſunt radices, antequam ex ſe emittant caulem. Si enim in longum tempus protrahantur, ſicciores euadunt, & maximè indurantur. Neque ſunt audiendi, qui aſſerunt, radices veneficarum plantarum eſſe legendas, quando in iis naſcuntur cauliculi, quia eo tempore prædictæ plantæ minorem ſortiuntur venenoſitatem. Sed eligendæ ſunt, quando maiorem magnitudinem habent, maiorémque in propria natura perfectionem. Licèt enim verum ſit, tunc habere maiorem venenoſitatem, tamen Medicus methodum habet præſcriptam, cuius ope fretus, ipſarum deleteriam naturam retundere poſſit.

Cognoſces autem, radices debito tempore fuiſſe collectas, quòd ipſarum cortices, terſi & denſi apparent, neque ſunt rugoſi, tenues, craſſi, vt Galen. *lib. 1. de antidot. 23.* & Auicen. *lib. 2. tract. 1. cap. 1.* confirmat. Hoc etiam ex ſapore & odore venari licet. Radix in propria ſubſtantia, aut eſt ſimplex, aut compoſita. Compoſita, vt radix fœniculi, raphani, lactucæ, & aliæ, quæ corticem & medullam includunt. Simplex radix illa eſt, in qua non datur diſtinctio inter corticē, & medullam, ſed tota eſt eiuſdem ſubſtantiæ, homogenea, & vt plurimùm quandam cuticulam tenuem habet, quæ ipſam tegit: vt eſt radix ſcorzoneræ, lilij, & aliæ ſimiles. In radicibus autem, quæ habent diſtinctum corticem à medulla, ſolùm cortice vtimur, quia in ipſo præſtantior facultas medicamentoſa exiſtit, vt *lib. 2. de antidot. cap. 105.* Galenus adnotat. At verò ſi radix ſit vnius ſubſtantiæ, vtimur tota, leuiter ſublata cuticula.

In collectione radicum conſiderandum eſt, quòd ſi fuerit admodum craſſa, ac terrâ plena, lauari debet, minimè autem ſi ſubſtantiam tenuem ſortitur. Reſoluitur enim virtus, quæ in ipſius ſuperficie ſita eſt, vt oſtendit Meſuë, *in methodo vniuerſali, cap. de lotione.* Ideóque hæ vltimæ, panno humido leniter ſunt fricādæ. Exiccantur commodè radices, ſi craſſæ fuerint, abiectis medullis, radiis ſolaribus filo appenſæ, & nocturno tempore loco ſicco reponuntur. Si verò tenues fuerint ſubſtantia ſua, non radiis ſolaribus, ſed in loco calido & ſicco exiccari debent, ne earum virtus euaneſcat. Licèt verum ſit, quòd pro diuerſitate indigentiæ diuerſimodè exiccari ſoleant. Exiccatæ verò in locis moderatè calidis & ſiccis conſeruentur, vt Hippocrates *in epiſtola ad Crateuam* manifeſtè docuit, *num. 18.*

Circa radicum durationem varij varia protulerunt. Nos vtentes laconiſmo, hoc certum ſtatuimus, (quod intelligatur abſolutè de omnibus medicamentis) alias aliis, magis vel minùs durare radices, & tamdiu his nos vti poſſe, quamdiu in proprio vigore fuerint conſtitutæ. Hoc autem ex odore, ſapore, & modo ſubſtantiæ cognoſcitur, ex Gal. *1. ſec. loc. cap. 2.* Nam ſi antiquæ ſint, facilè franguntur, quum ſint rugoſæ, & cariem emittant, vt *1. de alimentor. facultat. cap. 11.* docuit Galenus.

CAPVT IV.

De herbarum collectione.

DE collectione foliorum, caulium, & florum, dubitant auctores, cùm quouis anno non ſolùm plantarum folia, ſed flores, ſemina, & fructus pereant, vt aduertit Theophraſtus, *lib. de ſubſtantia plantarum, c. 2.* Ad colligenda folia nonnulli aſſignant menſem Maij, tanquam tempus in quo ipſa naſcuntur: ſed ij non ex toto veritatem attingunt. Nam cùm in diuerſis temporibus Veris naſcantur folia, alia citiùs, tardiùs alia,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 129 sur 927

vt in *proœmio lib.* 1. docuit Dioscorides, posito exemplo non solùm in foliis, sed floribus & fructibus eiusdem arboris, ex qua hodie possumus colligere flores apertos omnino, aliis existentibus in principio apertionis, quod etiam in maturatione fructus eiusdem arboris animaduertitur. Si hæc differentia reperitur in eadem planta, quomodo tempus determinatum colligendi folia plantarum diuersarum specierum poterit assignari: quod de reliquis partibus illarum est dicendum.

Colliguntur autem folia herbarum, quando totam perfectionem acquisiuerunt in magnitudine & robore, & antequam ipsorum color mutetur, & in terram decidant. Hoc ferè contingit, quando flores apparere incipiunt in illis plantis, in quibus flores reperiuntur, vt docet Platearius *cap.* 20. *de Aristolochia.* Quæ doctrina deducta est ex mente Auicennæ *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. Post collectionem conseruantur in pellibus taurorum, vt docuit Galenus *lib.* 2. *per gener. cap. de Emplastro melino Heraclidis.*

Caules herbarum non sunt in Medicinæ vsu: quia postquam exiccantur, maximè lignosi apparent, & inepti ad hoc, vt aliquod medicamentum ex iis conficere possimus: ideóque particulare tempus in collectione ipsorum non exquirimus. Quando tamen virides existunt, saccharo coopertos illos conseruamus; quales sunt caules lactucæ. Et ex ipsis etiam educuntur lac, & lachrymæ: quod fieri debet, quando herbæ florere incipiunt, tunc enim totam suam perfectionem seruant & vigorem.

Flos, qui est gaudium plantæ, & futuri veris spes, vt notauit Hesiodus, colligitur, quando semiapertus est. Quod præceptum semper obseruandum, præterquàm in floribus rosarum. Quia quando colligimus rosas, ad medicamenta adstringētia conficienda, vt oleum omphacinum, tunc colliguntur quando aperiri incipiunt; eo enim tempore maiorem adstrictionem sortiuntur. Hora diei ad collectionem est parum ante meridiem, rore iam absumpto, alioquî propter extraneam humiditatem citò putrescent. Ex floribus magis excellunt, qui circa flumina, fontes, & stagna nascuntur, præstantiorem enim substantiam habent.

Exiccantur flores in locis moderatè calidis & siccis, ne ob vehementem calorem facilè eorum vis exhalet, aut propter summam humiditatem facilè putrescant. Optimè exiccantur in setaceis, debéntque æqualiter agitari, vt ex omni parte earum humiditas absumatur. Quamdiu durent flores, certum non est. Aliquando enim toto anno incorrupti seruantur: aliquando ipsum prætergrediuntur, vt sunt qui crassiorem habent substantiam, vt flores schœnanti. Cognoscitur optima dispositio ex odore, sapore, & debito modo substantiæ. Qui syluestres sunt, quum habeant terram densiorem meliores sunt. Præstantiores in eadem specie sunt, qui in magnitudine foliorum, & seminis abundantia, & optimo colore excedunt. Et vt meliùs conseruentur, abluendi non sunt.

CAPVT V.

De fructibus, & seminibus.

FRuctus est substantia composita ex carne & semine, vt docet Theophrastus *lib. de hist. plantar. cap.* 3. Ex his constat differentia, inter fructus, & ipsorum semina; quia omnes fructus, ex semine & carne tanquam partibus integrantibus componuntur. Atque ità fructus à suo semine distinguitur, tanquam totum à parte seorsim sumpta. Quare certum sit, compositum illud, quod ex carne pyri, & semine eius resultat, pyrum esse, & sic de reliquis. Consultò dixi à suo semine, quia dantur semina, quæ non sunt partes fructus, vt sunt semen apij, & fœniculi, &c.

Semen aut nascitur coopertum carne, vt patet in illo quod est pars fructus: aut coopertum cuticula, vt est semen ciceris, lenticulæ: aut nascitur nullo cooperimento contectum, vt semen fœniculi. Semen quod nascitur in fructu, colligitur quando fructus est maturus: quare eius perfectio ex fructuum perfectione cognoscitur. Semina, quæ diuersis tegumentis sunt cooperta, colligenda sunt quando ipsorum herbæ sunt exiccatæ, & illa in suis vaginis recondita, meliùs conseruantur. Semen verò, quod nullo tegumento est contectum, colligitur quando plenum existit, & exiccari incipit: alioqui cùm ipsius vis à sole resoluatur, inutile existeret, vt docet Auicenna *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6.

Hoc semen meliùs conseruatur papyro inuolutum, vt docuit Dioscorides *lib.* 1. *cap.* 5. in locisque frigidis & siccis reponendum, in quibus putredini minùs fit obnoxium, & citra ipsam tamdiu durat, quamdiu durius habuerit tegumentum: sic enim externis iniuriis maximè resistit. At eius duratio est ad quatuor annos. Cognoscitur eius perfectio ex odore, colore, sapore, & modo substantiæ; sicut eius vetustas, ex oppositis. Vtimur seminibus totis, si fuerint nuda: si verò cortice cooperta sint, remouenda sunt omnia, quæ ipsorum actiuitatem impediunt; siquidem virtus ipsorum intus est recluſa.

Neque me latet, aliquos diuidere semen in manifestum, & occultum. Affertur exemplum de semine manifesto, in dauco, & semine anethi. Nã semen manifestũ est, quod ad sensum patet; contrarium vocant occultum: & affertur exemplum in ramo ab arbore decerpto, vel auulso, qui virtute mediante germinat, & arbor producitur. Hæc virtus secundùm ipsos, semen occultum est. Sed hæc opinio mihi non arrisit vnquam, quia ista virtus nihil aliud est, præter virtutem vegetatiuam, quæ in arbore reperitur: & quando ramus erat continuus arbori, hæc virtus erat continua vegetabili arboris virtuti: at verò post separationem rami separata fuit illa virtus simul cum suo subiecto, siquidem extenditur ad extensionem illius. Et sicut albedo in tabella, si diuidatur in duas partes, iam non vna albedo, sed duæ reperiuntur, sic de vegetabili illa virtute pronunciandum.

Pro cuius maiori explicatione aduertendum, quòd animæ plantarũ sint extẽsæ & diuisibiles, & multò magis imbibitæ, quàm reliquæ animæ, & multò crassiori fruuntur humido ac viscosiori; & sic minoribus organis gaudent. In illis enim non reperiuntur membra principalia, quæ inuicem sibi consentiant & influant, quo influxu deficiente pereunt animalia. Ratione harũ dispositionum arbor postquam secatur, non solùm viuit, verùm in suo vigore apparet, & emittit folia & germina, quamdiu humidum sibi conueniens in ipsa reperitur. Quid ergò mirum, si ramus auulsus, & terræ affixus, per propriam vegetabilem virtutem, suæ durationis continuationem conseruet; præsertim cùm in terra habeat succum, ex quo non solùm alimentum, vt præsentem statum tueatur, verùm vt semina germinet, & radices producat, conficere potest. Quorsum ergò, aut ad quos medicos vsus hoc occultum semen assignandum?

Fructus colliguntur, quando rectè sunt maturi, vt docet Theophrastus 2. *de hist. plantar. c.* 6. quod in omnibus non vniuersim intelligendum. Nam quando ad conficienda medicamenta adstringentia, eos colligimus, hæc collectio ante perfectam maturationem fieri debet, vt Mesuë *cap. de oleo citoniorum*, absinthij, & myrti, qui hoc modo ad conficiendum emplastrum Diaphœnicon, dactylos immaturos exoptat. Pari modo colligimus fructus, quum eos diu incorruptos seruare est in animo, vt melones, poma, & alia. Maturitas cognoscitur ex eo, quòd si habeant corticem, facilè separetur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 130 sur 927

retur. Cognoſcitur etiam ex odore, ſapore, & modo ſubſtantiæ. Conſeruantur in locis calidis & ſiccis, præter caſſiam fiſtulam, & tamarindos; qui fructus, vt diu ſeruentur, loca humida amant: in iis enim meliùs illorum humiditas durat. In fructibus vtimur carne ſola: in ſeminibus verò quæ corticem ſortiuntur, vtimur ſolo ſemine.

CAPVT VI.

De ſuccis, liquoribus, gummi, reſinis, lacte, lachrymis.

INter humores ſeu liquores plantarum, alij ſucci appellantur, alij liquamenta, alij gummi, alij reſinæ, alij lac, alij lachrymæ; quæ ſubſtantiæ ſolo differunt nomine, & modo quo ex plantis erumpunt. Succi enim & liquamenta emanant, quia plantæ contuſæ, & in aliquo extraneo infuſæ poſtea exprimuntur. Reſinas & gũmi ſponte ferunt plantæ. Lac & lacrymæ prodeunt, quia ſcilicet ſcinduntur radices & caules, aut aliæ plantarũ partes. Differunt ſucci, & liquamenta; quia illi ex herbis viridibus exprimuntur; liquamenta verò ex herbis omnino ſiccis. At ſi virides tantam habent lignoſitatem, velut ſtœchas & roſmarinus, vt ex iis prodire nequeant, in aliquo liquore infunduntur.

Differunt liquamenta à ſuccis, quia præter dictam infuſionem coquuntur, colantur, exprimuntur, & inſpiſſantur, quæ omnia nec patiuntur, neque requirunt ſucci. Denique reſinæ, & gummi inter ſe differunt; quia gummi aqueam ſubſtantiam obtinent, reſinæ verò oleaginoſam, ex Galeno 7. *ſimpl.* 29. At ſunt tamen aliqua medicamenta, quæ mediam inter has ſubſtantias ſortiuntur naturam, vt eſt galbanum.

Aduerte primò, circa prædictam doctrinam, inter prædictos liquores, lachrymas, & lac, maiorem inter ſe habere conuenientiam. Nam lachrymæ, lac dicuntur, quando à plantis inſpiſſantur & inſtillantur, & ſimilem habent colorem cum lacte, vt ſcammonium, & reliqui liquores plantarum, qui lac dicuntur. Alij verò liquores, qui tranſparentes ſunt, & in modum aquæ exeunt, vt eſt illa ſubſtantia, quæ ex vitibus prodit, lachrymæ dicuntur, & tractu temporis ſpiſſantur, vt ſarcocolla, & in ſubſtantiam gummi conuertuntur.

Aduerte ſecundò, ſuccos maiorem partem virtutis plantarum obtinere, vt eorum ſapor demonſtrat. Ex his fit manifeſtum, quàm neceſſarium ſit cognoſcere, quãdo colligendæ ſunt plantæ, vt ex ipſis ſucci extrahi poſſint commodiùs. Nempe vt hoc ex radicibus rectè adminiſtretur, neceſſe eſt, vt plantæ tempore veris colligantur, quando folia emittere incipiunt. Ex foliis autem ſucci exprimuntur, quando caules adſunt. Ex herbis, quando florere incipiunt. Ex floribus & fructibus, quando ſunt omnino aperti & maturi. Semper tamen tempus clarum & ſplendidum eligendum, & non nebuloſum. Quare deſiccatæ plantæ in mortario lapideo reponuntur, & piſtillo ligneo conteruntur, vt ex ipſis expreſſis exeant ſucci.

Sunt tamen aliquæ, quæ maxima viſcoſitate præditæ ſunt, vt portulaca, borrago, & ſemperuiuum: & hoc modo ex ipſis ſumma cum difficultate exprimuntur ſucci, niſi poſt contuſionem in mortario, per tres, vel quatuor dies relinquantur: & inde poſtea coquuntur prædicti ſucci ad mediæ partis conſumptionem, colantur, & in vaſis vitreis cum aliquali olei portione reponuntur. Hoc obſeruandum in floribus & fructibus dictarum herbarum, ex quibus eodem modo depromũtur ſucci. Id etiam aliquibus ſuccis ex ſeminibus cõtingit, è quibus viſcoſi exeunt ſucci, & tunc dicuntur mucilagines: vt ſunt qui ex ſemine lini, fœnugræci, & pſyllij prodeunt: quorum libræ vni debentur quatuor aquæ, vel alterius humiditatis albæ, in qua per diem infrigidantur, & poſtea illa humiditas, quæ ſeminum viſcoſitatem accepit, vlteriùs calefiat & liqueſcat, vt colari poſſit. Et hoc modo ex Althæa ſuccus elicitur. Inter prædictos ſuccos numerantur liquores, qui ex ſeminibus exeunt oleaginoſis, vt ſunt amygdalæ. Et depromuntur hoc modo. Conteruntur ſemina cum aliqua humiditate, & poſtea fortiter exprimuntur, & liquor exiens, mucilago dicitur. Hæc liquamenta, emulſiones etiam appellantur.

Deinde vt ſucci conſeruentur, diuerſimodè diſponuntur. Nam qui plurimam habent ſubſtantiæ quantitatem in mixtione ſua, ab elemento terræ acquiſitam, coquuntur igne, vt ſunt ſucci prædictarum herbarum: qui verò ex floribus deducuntur, ſolùm Solis radiis exponuntur, quorum calore eorum extranea humiditas reſoluitur. Idem de ſuccis fructuum dicendum, quum excrementitiam humiditatem multam non habeant. Quãdo ſucci herbarũ putreſcunt, aliqualem fœtorem acquirunt: ſicut ſucci fructuum, qui quandam acetoſitatem ſibi comparant. Omnes fructus, & eorum ſucci ſingulis annis mutandi, ſicut & reliquarum partium plantarum: nam eorum virtus maximè reſoluitur, vt ex remiſſione coloris, ſaporis, & odoris comperimus.

Liquamenta, ſiue fiant ex totis plantis, ſiue ex earum partibus vim ſuam obtineant, quia infunduntur, exprimuntur, & inſpiſſantur, & ad formam mellis reducuntur, fiunt hoc modo. Plantæ, & earum partes infunduntur in aliqua ſubſtantia liquida, & poſtea tranſactis quinque diebus, per pannum lineum colantur, fortiter exprimuntur, & lento igne ad formam ſyrupi inſpiſſantur; vltimò radiis ſolaribus, vt perfectam mellis formam adipiſcantur, exponuntur.

Lachrymæ & lac, quæ ex ſciſſis truncis, & radicibus plantarum colliguntur, faciliùs inſpiſſantur, quum maiorem lentorem ſortiantur, & ſic ſine ſole & igne inſpiſſantur. Gummi colliguntur, poſtquam fructus plantæ cui adhærent, ſunt maturi. Decerpuntur gummi antequam totam amittant humiditatem, & in puluerem redigantur.

Adulterantur gummi, vt Tacamahaca, & opoponax, quia quando leguntur, ob plurimam humiditatem, permiſcentur cum ipſis aliqui cortices, quorum ratione impuri redduntur, à quibus facilè ſpoliantur, ſi in aqua feruenti infundantur, & poſtea in panno maximè raro inuoluantur, & vaſe terreo cooperto recludantur, quo deinceps aquæ feruentiſſimæ impoſito eius calore liqueſcit gummi, & vtile tranſcolatur, recrementitia portione in panno remanente, qui liquor vtilis lento igni admotus, paulatim corpulentiam acquirit.

At verò quando fuerint noua, & tempore æſtatis, difficulter conteruntur, ſicuti reſinæ & liquamenta, ideò neceſſarium eſt, vt rectè alicui medicamento applicentur, quod priùs aliquo liquore liqueſcat. Quod non ſolùm in his, verùm & in floribus, & ſeminibus contingit, quæ propter maximam tenacitatem difficulter conteruntur.

Gummi non habent determinatum tempus durationis ſuæ, licèt ferè tertium annum attingant. Reſinæ quæ poſt arborum germinationem prodeunt, plurimæ ſunt: & quamuis omnes virtute calorifica præditæ ſint; tamen terebinthina obtinet principatum. Quando communiter dicitur reſina, eam quæ à pinu diſtillat, intelligimus, quia communis & vulgaris exiſtit. Earum vetuſtas cognoſcitur, quia liquidæ indurantur, & quod plus eſt, rubrum colorem ſibi comparant.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 131 sur 927

CAPVT VII.

De animalibus, & eorum partibus.

ANimalia, aut sunt alimenta, ex quibus aliqua alimenta medicamentosa existunt, vt est perdix, & omnes aues montanæ, quibus in frigidis ægritudinibus vtimur. Aut sunt medicamenta, vt lupus, vulpis, & omnia animalia venenosa. Horum aliqua secundùm se tota, aliqua secundùm partes necessaria sunt, vt *cap.* 1. prædiximus. Eligenda sunt quando totam suam magnitudinem sortiuntur, & mediam habent ætatem, bono corporis habitu prædita sunt, optimâ fruuntur valetudine, & quæ neque ætate, aut ægritudine aliquâ sunt absumpta.

Partes animalium, si duræ existant, diutius conseruari possunt, præsertim si ex ipsis aliqua caro humida auferatur, quæ ipsis nocere potest. Contrà partes molles magnam diligentiam expostulant, vt conseruentur, quia ad medicinæ vsus tamdiu durant, quamdiu non putrescunt, quod ex colore, odore, sapore, & modo substantiæ deprehenditur. Conseruantur, quæ exiccari possunt, per exiccationem, vt iecur lupi, & pulmo vulpis postquàm vino, vel aliqua substantia simili fuerint ablutæ, ita tamen vt nimio calore non resiccentur, ne earum virtus euanescat. Postea cum absinthio inuoluuntur, & aliis rebus, quæ ipsas à vermibus conseruare possint. Quæ verò exiccari nequeunt, vt adeps hircinus, axungia anatis, lauantur & liquescunt, & postea colantur, & in aliquo loco moderatè calido conseruantur.

CAPVT VIII.

De Metallis.

MEdicamenta quæ ex metallis depromuntur, non solùm sumuntur ex iis, quæ in mineris inueniuntur, vt aurum, argentum, & ferrum; sed & ex iis, quæ in fornacibus conficiuntur, vt pompholyx, cadmia: similia etiam prædictis alia medicamenta mineralia vocantur, vt ceruſa. Hoc tamen discriminis inter metalla, & mineralia reperitur, quia metalla omnia liquescunt, non tamen omnia mineralia. Omnia hæc commodiora existunt, quando debitum modum substantiæ, optimúmque colorem participant. Hæc longissimo tempore perdurant, ex Galeno 1. *sect. loc. cap.* 1. Porrò hæc aut sunt acria per se, aut per aduſtionem; & illa quæ abluuntur, in duplici quantitate administrantur: iis verò, quæ ex propria natura acerrima sunt, in parua quantitate vtimur, & solùm in robustis naturis, & in morbis pertinacibus, qui aliis auxiliis non succumbunt. Sed quia agentes in particulari de reliquis medicamentis, ab aëre & aquâ desumptis, nonnulla quæ ipsis in generali conueniunt, dicturi sumus, iccircò eorum tractatio in aliud tempus differetur.

ARTICVLVS III.

PRæsens articulus in tres distinctiones diuiditur. In *prima* agemus, de medicamentis simplicibus bilem purgantibus. In *secunda*, de medicamentis pituitam educentibus. In *tertia*, de iis quæ attrahunt melancholiam. Quæ omnia quanti sint ad artem momenti, nullus ignorat. Quo pacto intelligimus, quàm immeritò, & indignè passim hodie Medici, ne dicã, Periti appellétur, qui solo Pharmacopœi voto innixi, in pharmaceuticæ artis principiis tam parum sunt versati, vt ea ne supremis quidem labris degustâsse, aut primoribus digitis attigisse videantur. Nam si scire non est verbis aliorum fidem adhibere, sed vim ac potestatem medicamentorum experimento cognoscere, quis affirmare poterit, se facultates agnoscere medicamentorum, quorum electionem & vires prorsus ignoret? Eas ergo in sequentibus breuissimè, prout argumentum tantum dici postulat, describemus.

Distinctio prima, de Medicamentis bilem expurgantibus.

CAPVT I.

De Rhabarbaro.

GEneroſum medicamentum est Rhabarbarum, & ad curandos humani corporis morbos valde necessarium: quod cùm sit radix, ex meridionali India & Barbaria in vniuersam Europam aduecta, ita clemens, & benignum pharmacum existit, vt nullum sit morbi genus, quod huius mitissimi medicamenti facultati mirabili non succumbat. Huius à Mesuë *tract. de simplicib. cap. de rhab.* tres constituuntur differentiæ: Indicum, quod Scenicum à Medicis vocatur; ab ipso verò Mesuë *rhaueſceni* dicitur: alterum Barbaricum: tertium Turcicum. Indicum ab India, vbi frequentissimè nascitur, appellatur; Barbarum à Barbaria nomen accepit. Turcicum omnium est infimum, sicut Indicum optimum: Barbaricum, medium locum vendicat, allatum ex Troglodytica Æthiopiæ, sub Ægypto, regione, quæ Marmarica ab antiquis fuit appellata, nunc verò Abissinorum nominatur.

Eligendum, *Indicum*: *Recens*: *Subnigrum, in rubrum declinans*: *Rarum cum grauitate sua*: *Fractum ex rufo, & glauco alternans*: *Mansum, vel aliquo liquore solutum, croci modo tingens.*

Recens dicendum est, quod nondum tres, aut quatuor annos excessit; per hoc enim tempus rectè potest seruari, præsertim si linteo cerato inuolutum, milio, vel psyllij semine recondatur.

Cognoscitur quòd sit recens & maturum, quando prædictis signis præditum est, & colorem habet maximè intensum. Si verò fuerit vetustum, habet simul cum colore remisso leuitatem. Quando verò Mesuës asserit, quòd sit subnigrum in rubedinem declinans, de exteriori cortice est intelligendum, minimè verò de partibus internis & profundis, in quibus color glaucus in rufum tendens reperitur. Duo enim accidentia, inter se repugnantia, in diuersis partibus eiusdem rei posse reperiri, certum est.

Aliquando incolæ prouinciarum, ex quibus conuehitur Rhabarbarum, hoc in aliqua substantia liquida infundunt, & post tempus sufficiens, facta expressione, extrahunt virtutem solutiuam, & conficiunt trochiscos, quorum vsu diuites & magnates expurgant; & deinceps in rhabarbaro sola remanet vis adstrictoria, inutilis, & ad expurgandum inepta. Cognoscitur adulteratio, quia leue est rhabarbarum, sapore adstringente, intensum nullum, sed remissum obtinens colorem.

Calidum est & siccum in secundo gradu, diuersis substantiis constans. Nam in superficie eius, reperitur virtus ignea & aërea, quæ facultatem expurgandi obtinet: in profundo latet terrea, & styptica, quæ incrassat & adstringit. Electiuè attrahit bilem, & deinde pituitam: quare cholagogum medicamentum est, sed adeò mite ac lene, vt roborando partes internas, suauissimè & citra molestiam expurget: éstque ita securum, vt in omni sexu, ætate & regione tutissimè possit administrari. Euacuat à ventriculo & hepate, sanguinem purgat, obstructiones liberat, & affectus inde sanat, Ictterum, hydropem, splenis tumorem, febres putridas, etiam diuturnas, & malignas, dolorem punctorium

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 132 sur 927

ctorium hypochondriorum aufert, & pluribus aliis morbis remedio eſt.

Quare cùm diuerſis partibus conſtet, diuerſimodè à Medicis adminiſtrari ſolet. Nam quando virtus ſoluiua eſt neceſſaria, id in liquore morbo curando accommodo infundimus, & infuſum præbemus ſubſtantia reiecta. Quando verò hac vti neceſſe eſt, ad incraſſandum, roborandum, & adſtringendum, id torrefacimus, vt aërea vi reſoluta, terrea relinquatur. Quando verò roborare, & expurgare opus eſt, Rhabarbarum in ſubſtantia exhibemus, vel modicè toſtum. Quæ omnia exemplis manifeſta euadent. Vtimur infuſo hoc modo.

℞. Rhab. infuſi per noctem in aq. cichor. ʒ j ß. *Reiecta manè ſubſtantia, adde Pulp. Caſſ. & cathol. an.* ʒ. iij. *Syrup. roſ. perſic. & violar. ex plurib. infuſionib. an.* ℥ j ß. *cum infuſione fiat potus.*

Vel hoc modo:

℞. Rhab. infuſi per noctem in decoct. Flor. cordial. facta in infuſione. ʒ. *V. fol. ſen. ſuper aquam cichor.* ℈ iiij. *Reiecta manè corpulentia, adde, Syr. de ſenna* ℥iij. *Diarrhod. Abbatis* ℈ j. *Miſce pro potu.*

Vel ſic:

℞. Rhab. ʒ ij. *Diacathol.* ℥ ß. *Sirup. roſ. perſicar. ex plurib. infuſ.* ʒ vj. *Infuſionis folior. ſen.* ℥ iiij. *Aq. fœnicul.* ℥ iiij. *Pulu. diarrhod. Abbat.* ʒß. Omnia in Balneo Mariæ reponãtur, & lento igne diſtillentur, donec vnciæ quinque liquoris emanent, quas delicatulis fœminis, ſenibus, debilibus, & vtero gerentibus offeres, imò pueris, qui cùm moroſi ſint, aliorum medicamentorum vim ferre non poſſunt: vel hunc liquorem cum aqua, vino, aut cereuiſia permiſcebis, vt ſic meliùs ſeſe inſinuet in partes, & feliciùs expurget.

Adminiſtratur etiam in ſubſtantia, permixtum cum aliis expurgantibus, in forma liquida, vel ſolida; vt ſi ex eo cum aliquo electuario fiant morſuli, quos bolos vocamus; & fiunt ſic:

℞. Rhab. puluerizati ℥ j. *Pulp. caſſ. recenter extracta* ℥ j. *cum ſaccharo, q. ſ. fiant boli.*

Offertur aliquando toſtũ, vt in diarrhœa biliosa, dyſenteria, & teneſmo, ſeu quolibet alio alui fluxu, vt cholera, cœliaca, & lienteria, vt homor peccans infixus in inteſtinis vacuetur, & partes internæ roborentur. Nam cùm per moderatam torrefactionem reſoluantur pãrtes aëreæ & igneæ, quæ ſua acrimonia vlceribus inteſtinorum nocere ſolent, remanet pars terrea & adſtringens, quæ adſtrictione ſua & compreſſione euacuat: ſi quæ verò caliditas ex igne acquiritur, facilè deinde ablutione euaneſcit. Formula eſto hæc.

℞. Rhab. toſti cum tragacantho ʒ j. *Ablue poſtea cum aqua capit. roſ. & plantagin. & reiecta lotione, adde, ſyrupi roſ. noſtrar. ex plurib. infuſionib.* ℥ i ß. *& cum aq. roſ. fiat hauſtus vnus.*

Vel ſic.

℞. Rhabar. elect. ʒ j. *torrefiat modicè, & deinde, abluatur aq. plantagin. cum ſyrupo myrtino. Fiant pilulæ, & deaurentur.*

Interdum iubent Medici, pro diuturnis morbis eradicandis, & obſtructionibus aperiendis, vti rhabarbaro maſticato, & ſic ſuccus cum ſubſtantia deglutitur; qui præterquam quòd parcè mouet aluum, mirum in modum viſcera roborat, & deobſtruit, præſertim ſi ieiuno ventre aſſumatur.

Fiunt etiam bellaria ex rhabarbaro, & ſic pro eodem vſu, contumacibus puerorum obſtructionibus, interficiendis vermibus, ſummo ſunt auxilio. Hoc modo rectè trituratum, & permixtum cum lacte, clyſteris forma inditum, miram pro cucurbitinis vermibus, qui in recto inteſtino generantur, & tenaciter ibi adhærent, præſtat.

Coquitur aqua cum Rhabarbaro craſſo modo puluerizato, quæ ad eradicandas febres prolixas, mirificè confert. Hoc modo in virgineo morbo, & in menſtrui ſuppreſſione, plurimùm præſtat hanc aquam pro communi potu haurire. Quòd ſi propter conſuetudinem ceruiſia vti liceat, quoniam hæc decoctionem non tolerat, quia illicò inſuauis euadit, & iniucunda, ideò per noctem in tepida ceruiſia infundatur panno raro inuolutum, & deinde facta expreſſione ceruiſia aſſumatur: & ſi poſt potum, exercitium imperetur ieiuno ventriculo, obſtructiones etiam ſcirrhoſas comminuit.

Sed dubitabis: Vtrùm liquor decoctus cum Rhabarbaro curandis morbis ſit ex vſu. Reſpondet Meſuë *cap. de Rhab.* negatiuè, §. *decoctio etiam ſimiliter reſoluit in eo virtutem, &c.* Dic: Decoctio fortis reſoluit virtutem, leuis acuit & vigorat. Solue ſecundò. Decoctio quæcunque ſit, reſoluit virtutem rhabarbari, ſed remanet in liquore in quo decoquitur.

Quare hoc auxilio, in delicatulis fœminis, debilibus, pueris, frequenter loco chalybis præparati vtor, cum commoditate ſumma: & ſi non adſit febris, infuſio fiat per noctem in vino, & quantitas Rhabarbari ſit ʒ. vna cum dimidia, ad libras tres aquæ, ad mediæ partis conſumptionem. Pro infuſione libræ duæ vel vini, vel ceruiſiæ, ſatis ſint.

Soleo ego facere extractum cholagogum hoc modo, quod in dictis affectibus, & corporibus eſt vtiliſſimum.

℞. Rhab. elect. ℥ ij. *cinnam. elect.* ʒ iij. Omnia in craſſiuſculum puluerem redacta, infundantur in aq. cichorij. Coque lento igne, quouſque inclinato vaſe aqua ſatis tincta ſecernatur, nouáque materiæ relictæ adiiciatur, quæ cùm ad ignem per vaporarium vitreum elicietur, in fundo vaſis craſſa rhabarbari ſubſtantia remanebit: quæ ad ſimiles morbos eſt eximia, ſi ʒ ß. quantitate offeratur in iure, vel liquore aliquo, vt rhodoſaccharo permixta.

Ex Rhabarbaro fiunt tabellæ pro hydrope, & morbis iecoris frigidis mirabiles, hoc modo:

℞. Rhab. ℥ ß. *Specier. Diacinnam. Dialacc. an.* ʒ j. *Radicis valerianæ, Helenij, Ebuli, an.* ʒ ij. *Medullæ ſem. cartham.* ʒ iiij. *Sem. aniſi, Fœnicul. an.* ʒ j. Cum ſaccharo, & ſyrupo de eupatorio fiant tabellæ.

Ex Rhabarbaro fiunt pulueres contra caſum. Nam ex ipſo, & vera Mumia, & rubia tinctorum, conficitur puluis, cuius aſſumitur ʒ j. cum decoctione papaueris erratici, aut bugloſſæ, vel cardui benedicti, & prouocatur ſudor, præſertim ſi æger priùs in lecto inuoluatur, in ſindone madefacto cum vino ſtyptico, actu calido. Nam prouocato ſomno, & ſudore, ægri conualeſcunt, ſæpe citra venam ſectam, tantoperè in caſu à Galeno commendatam, 4. *Meth.* 6. & 4. *acut.* 19. *& alibi.*

Sed quoniam in *hoc capite* de Rhabarbaro, plures ſeſe offerunt dubitationes, quæ Lectorem practicum remorari poſſent, in quibus explanandis iuniores non ſunt concordes, iccircò in hoc, ſicut in ſequentibus, eas enucleare ſuccinctè ſatius duxi.

Et primò. Vtrùm doſis Rhabarbari, à Meſuë præſcripta, ſit in praxi obſeruanda? Nam hic auctor *proprio capite* ſic ait: *Doſis infuſionis à drachma vna cum dimidia, vſque ad decem, pulueris verò à drachma vna vſque ad quatuor.* Sed videtur eſſe nimis excedens quantitas, nec poſſe ſine magno vitæ diſcrimine decem drachmas ſemel dari. Quare conueniens quantitas eſt: ſi contriti, ſeu corpulentiæ ipſius, à drachma vna ad drachmam vnam & ſemiſſem; infuſionis, à drachma vna & ſemiſſe ad drachmas duas porrigatur.

Interpres quidam Meſſuæ non inelegans, inquit, quòd vbi textus habet, datur expreſſum à drachma vna & ſemiſſe, ad drachmas decem, legendum eſſe, à ſeſquidrachma ad drachmas tres. Nam cenſet, non fuiſſe tam ſtupidum Meſuëm, vt drachmas decem offerret,

quemad

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 133 sur 927

quemadmodum in omnibus eius codicibus legitur: quæ mensura si Mesuæ placuisset à drachmis sex, septem, vel circiter ad drachmas decem scripsisset, non à draclima vna & dimidia, interuallo scilicet inter hæc immodico, nec Mesuæ consueto, vt cæteras doses intuenti apparet.

Hæc licèt rectè dicta sint, eius tamen censura dupliciter potest reprehendi: primò, quia non aduertit infuso, quàm contrito se maiorem purgandi vim tribuere; quandoquidem infusi tres drachmas poirigit, contriti verò quatuor, quod est Mesuæ ipsi aduersum. Secundò, quia quemadmodum restrinxit decem infusi drachmas ad tres, ita contriti quatuor, ad minorem multò quantitatem restringere deberet; quandoquidem non minus excedunt quatuor cõtriti drachmæ, quàm decem infusi. Quocirca quemadmodum ex iis sustulit septem, ita ex quatuor contriti debebat auferre duas, vel duas & semissem, quod non fecit. Quinimò tres infusi drachmæ licèt tolerari possint, tamen modum excedunt. Quare supradicta quantitas est iusta & certa.

Quæro secundò: Vtrùm Rhabarbarum & Rhaponticum, idem sint? Arduum quæsitum: nam plures affirmatiuè respondent: alij diuersas res esse sibi persuadent: quidam, in hac dirimenda lite, sibi non constant: cæteri Rhabarbarum cum Ponticõ idem genere esse; viribus tamen, colore, odore, pondere, soli & cœli ratione, nonnihil dissimile arbitrantur. Ego Rhabarbarum nostrum non esse Rhaponticum Græcorum, non ibo inficias: nam deiectoria facultas, color multùm luteus, odor nares feriens, substantia compacta, ariditas, amaritudo gustu percepta, ponderis grauitas, in nostro Rhabarbaro inueniuntur. Rhaponticum nullo odore commendatur, deiectionem non molitur: adstrictione quadam sola est præditum, nec amarorem, sed gustui subacrimoniam refert; non est aridum, sed lentiscinosum; non compactum, sed rarum; non multo croceo colore tingens, sed pallido languidùm; non ponderosum, sed admodum leue.

Ex quibus luce meridiana dilucidiùs patet, Rhabarbarum nostrum, & Rhaponticum Græcorum, res esse diuersas: Etsi aliqui idem esse solis tantùm naturalibus differre opinentur: quare Rhabarbarum nostrum, ideò odorum esse, quia siccum ad nos aduehatur: Dioscoridem verò, & Galenum de viridi fuisse loquutos rentur, quia, vt 7. *de caus. plantar.* 17. notat Theophrastus, quæ humiditate superflua abundant, donec ea absumatur, absque odore perseuerant. Sed veritatem hi non assequuntur, quia rhaponticum, tam viride, quàm siccum, inodorum est. Inferes ex dictis corollarium vnum: Rhapontici loco, non esse substituendum rhabarbarum in theriacæ compositione, vt omnes hactenus facere consueuerunt; quia hæc duo non tantùm qualitatibus, verùm facultatibus inter se longissimè differunt.

Quæro tertiò. Vtrùm Dioscorides, Galenus, & Auicenna, nostri Rhabarbari facultatem purgatricem ignorauerint? Respondeo affirmatiuè. Dioscorides enim *lib. 3. cap. 11.* illius non meminit, sed solũ de Rhapontico verba fecit, dum sic ait: *Rhaponticum epotum facit ad inflationes, stomachi imbecillitatem, & omne genus doloris, ad conuulsa, lienosos, hepaticos, tormina, ad renum, vesicæ, & pectoris vitia, aduersus intenta præcordia, & vuluæ mala, coxendicum dolores, sanguinis excreationes, suspiria, singultus, dysenterias, & cœliacorum affectus, contra febrium circuitus, & venenatorum morsus.* Quo loco solius adstringentis, & non purgatoriæ facultatis ipse meminit.

De Galeno idem pronunciandum. Neque fidem adhibeas Auerrhoi *lib. 5. colliget. tit. de Rhab.* qui inuehitur in ipsum & priscos omnes, quòd dixerint Rhabarbarum facultate tantùm adstringente, non etiam purgatrice pollere, ac si Dioscorides, Galenus, ac ipsis antiquiores id cognouerint. Et Auicenna, sub nomine Rhabarbari, de Rhapontico loquitur, neque vnquam scripsit suum Rhabarbarum facultate deiectoria pollere: neque plures suo rhabarbaro tribuit facultates, quàm qui eum præcesserant Medici, Rhapontico assignarunt: imò Auicenna 1. 3. in curatione fluxus ventris, absolutè inter frigida & adstringentia medicamenta, cum malicorio, galla, acacia, & aliis huiusmodi rhabarbarum enumerat: & *lib. 2. proprio cap. de rhab.* illius historiam describens, de Pontico verba facere, & Dioscoridem æmulari est visus. Solus Paulus legitimum nostræ ætatis rhabarbarum cognouit, *lib. 7. cap. 11.* in tribus compositionibus, quas eo loco descripsit: & *lib. 1. cap. 43.* quando offerens terebinthinam dormituris, ad deiiciendam aluum, adiecit: *At cùm magis subducere cogitamus, Rhei momentum admiscebimus.*

Quæro quartò: Vtrùm Rhabarbarum sit rarum cum grauitate sua? Nam hæc inter se videntur contraria: rarum enim est apud Galenum 1. *simpl. cap.* 13. cuius partes spatiis inanibus sunt interceptæ: & rarum est leue, ex Gal. *eodem cap* §. *Omnia huiusmodi fistulosa, & rara, velut pumex, & spongia, pondere esse leuia.* Quare si rhabarbarum rarum est, graue esse non poterit. Dic: Non esse aduersum Philosophiæ principiis, quidpiam posse esse rarum & ponderosum, quum latiùs pateat rarum, quàm leue; omne enim leue, rarum debet esse; non autem omne rarum, leue appellatur: quia aliqua reperiuntur, quæ licèt habeant raritatem, grauitatem etiam patiuntur, ita chalybis rarus est & grauis: hoc autem ex eius variis partibus, ignea & terrea, ex diuerso modo substantiæ & temperamenti emanat. Nam etsi aliqua ad sensum homogenea appareant, heterogenea tamen, & diuersæ rationis existunt. Quare cùm rarum non opponatur graui, sed denso, nihil mirum si Rhabarbarum possit esse rarum cum grauitate sua.

Quæro quintò: Vtrùm Rhabarbarum tenuissimè triturandum? Mesuë *in canonibus, vniuersalibus, tit. de trituratione*, sic ait: *Et Rhabarbarum quanto magis triturueris, tanto vigoriosius efficies.* Contrariam tamen protulit sententiam, *cap. de rhab.* dicens: *vehemens contritio resoluit virtutem.* Dic: Legitimum & integrum Rhabarbarum tolerat vehementem trituratioñem, laxum verò & rarum minimè: hoc enim valdè trituratum, ob calorem resoluentem ex motu & agitatione contractum, vim purgatoriã amittit. Dic secundò: Rhabarbarum nimis trituratum, fit vigoriosius ad adstringendum, & incrassandum: nam ex motu valido vis ignea exhalat expurgatrix, & remanet styptica & terrea, quæ ad roborandum ventriculum, coërcendum vomitum, & alui fluxum est præstantissima, si eius puluerem cum conserua rosarum antiqua, aut Miclera, conseruaue symphyti offeras, vel in potum cum liquore aliquo astringente propines, vel redigas in pilulas, vel deglutias.

Quæro sextò: Vtrùm Rhabarbari decoctio sit infusione præstantior? Dic hanc esse præstantiorem decocto. Nam eius ope vis medicamenti communicatur liquori; per coctionem verò euanescit. Cùm enim rhabarbarum, ignea, & aërea vi constet, hæc inter ebulliendum, cùm subtilior sit, & magis tenuis exhalat, & caloris coquentis ope in vaporem abit.

Quæro septimò: Vtrùm Rhabarbarum correctione indigeat? Mesuës eius vim cum Spica nardi refrænandam censuit. Alij hanc prætermittunt, quia clemens medicamentum est, & illa egere non videtur, tum quia vera caremus spica, nam ea quæ ad nos affertur, teterrimi odoris est, & ingrato sapore constat. Dic, quòd licèt Rhabarbarum castigatissimum sit, adeóque excellens medicamentum, vt membra cuncta roboret,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 134 sur 927

roboret, & per illud alia medicamenta refrænentur: tamen cùm ob terreſtrium partium miſcellam pigræ ſit actionis in purgando, eam ſpica, aut loco eius ſchœnanthum, partium ſuarum tenuitate accelerat. Et inter triturandum olei amygdalini guttulæ affunduntur, vt ſcilicet lentore ſuo partium tenuium, quæ in ſuperficie conſiſtunt, reſolutionem impediat.

Quæro octauò: Vtrùm Rhabarbarum magis purget in ſubſtantia, quàm in infuſo? Dic: etſi plures renuant, facilè hanc controuerſiam ex Meſuë decidi poſſe; hic enim permittit, dari liquorem in quo Rhabarbari drachmæ decem maduerint, cùm tamen contriti quatuor ad ſummum drachmas offerendas concedat. Quod rhabarbaro non eſt ſolùm peculiare, ſed potiùs commune omni medicamento, ſiue clementer, ſiue vehementer expurganti: æquam enim cuiuſque portionem validiùs longè purgare, per ſe totam deglutitam, quàm eius ſolum infuſum, vel decoctum, certa res eſt. Nam Rhabarbarum in ſubſtantia oblatum duobus purgat modis, ſoluendo nimirum, & comprimendo; in infuſione, vno præcipuè, videlicet ſoluendo: qui etiam modus in ſubſtantia reperitur, quum nunquam tota purgatrix vis in liquorem transfundatur.

Quæro nonò. Vtrùm Rhabarbarum grauidis concedendum? Firmat Meſuë *tract. de rhab.* qui pueris & prægnantibus turò id exhiberi poſſe confirmat. Nam roborat, acetabula firmat, clementer expurgat: neque timeas eius amarorem, ob quem plures illud interdicunt, quaſi eius vis fœtum interimat, vt Galenus firmat 8. *ſimp. cap. de cucumere agreſti.* Nam hoc non eſt exquiſitè amarum, vt Cedrea, aut Myrrha, ſed alias habet partes frigidas, quarum ratione firmat, ac refrigerat. Ita roſa, cichorium, & alia amara ſunt, quæ vtiliter grauidis conceduntur, quum non ſint exactè amara. Quo pacto non ſolùm cum aliis medicamentis permixtum in omni geſtationis tempore, ſed rhodoſaccharo inuolutum, aut per ſe commanſum conceſſi cum vtilitate ſumma, quando nauſeabundæ erant, morbis acutis, aut chronicis afflictæ, vel torminibus à flatu ſubortis opprimebantur valde.

Quæro vltimò: Vtrùm Rhabarbarum pleuriticis & aliis thoracis affectibus, poſſit eſſe ex vſu? Pro parte negatiua eſt vnum fortiſſimum telum: nam ſi tota ſalutis ſpes repoſita eſt, in pleuritidis medela, vt exeat rectè ſputum: ideò *ſi ſtatim in hoc morbo appareat, ipſum abbreuiat*, inquit Hip. 1. *Aph.* 12. & alibi, cum Galeno paſſim: & Rhabarbarum adſtringit, & ſputum cohibet, cur in thoracis affectibus erit propinandum? Dic: quia roborat & firmat partes, quæ factæ vigoroſiores, concoctum in thorace humorem promptè expellunt. Deinde eius ſtyptica vis plurimùm confert ad ſputi expurgationem, quia à partibus ſtypticis igneæ impelluntur, quæ ad remotiſſima loca accedentes citiùs attrahunt, & humorem in pleura impactum eradicant. Quantum autem modica adſtrictio iuuet ad penetrationem, oſtendit Galenus *lib. 6. ſimpl. tit. de roſaceo.*

Præterea, Auicenna in Aſthmate, ortò ex viſcida pituita, concedit Rhaponticum magis adſtringens: Ergo in pleuritide orta ex tenuiori humore, nempe flaua bile, non erit interdicendum Rhabarbarum minùs adſtringens. Vltimò, ſi Auic. *cap. de pleuritide*, alia magis adſtringentia offerre non veretur, vt endiuiam, & alia, cur hoc ab affectuum thoracis curatione erit ablegandum? Quare ſi id in hoc morbo in ſubſtantia obtuleris, non errabis, licèt præſtantius ſit eius infuſum cum Manna, aut pulpa caſſiæ permiſcere; hoc enim modo redditur his affectibus curandis valde proficuum.

CAPVT II.

De Caſsia Fiſtulari.

PLuribus nominibus decoratur hoc nobile medicamentum: licèt enim Dioſcoridi, Plinio, & Galeno fuerit ignotum, tamen à Græcis caſſia ſyringodes dicitur, id eſt fiſtulacea; Actuario, nigra; ab aliquibus arundo, ſeu canna Indica nominatur. Arbor eſt magna, iuglandis folio, fiſtulis prælongis ac teretibus, vtrinque faſtigiatis, colore rubro nigricantibus, duûm ferè pedum proceritate, nigra intus carne, guſtu prædulci, ligneis diſtinguentibus membranis: oſſibus ſiliquarum, intercurſantibus laminis intùs carnoſis.

Actuarius ita fructum caſſiæ fiſtularis eleganter deſcripſit. Fructus eſt oblongus, teres, concretum intus atramentum continens, coaleſcens ſerie, ſed ex interuallis, lignoſis, tenuibúſq; membranis ſeptum, immerſis oſſibus ſeminàriis, ſpecie, & figura non abſimilibus iis, quæ cognita nobis ſiliqua profert. Ea partim in India, partim in Ægypto naſcitur. Seritur etiam noſtro orbe; verùm fruſtra, nec ad frugem peruenit, & celeriter frigore opprimitur.

Eligitur. *Orientalis: Recens: Ponderoſa: Collucens, ſeu foris ſplendens: Perplena, ob idque grauis: In concuſſione non ſtrepentium granorum: Pinguis in pulpa.*

Auicenna *lib. 2. cap. 193.* & Meſuë *proprio cap.* eam in calido, & frigido temperiem ſeruare aſſeuerant. Cholagogum medicamentum eſt, & non ſolùm leniendi facultate præditum, ſed bilem aduſtam, incandeſcentem, & eam quæ in atram degenerauit, educit.

Clemens eſt medicamentum, & bilem, pituitámque ſuauiter euacuat. Offertur pueris, debilibus, longo morbo conſumptis, & aliis quibus potentius medicamentum propinari nequit, & reliquorum medicaminum vſum incandeſcens febris aſpernatur. Quare bilis flauæ acrimoniam retundit, reſoluit thoracis, ac pulmonis phlegmonas, arteriam aſperam lenit, & catarrhoſis defluxionibus calidis remedio eſt, & ſic pro curandis febribus ardentibus & malignis ſummo eſt in pretio.

Datur medulla eius à ſemi vncia ad vnciam vnam & ſemiſſem, parum ante paſtum: quod præceptum non ſolùm in caſſia, ſed in omnibus lenientibus eſt obſeruandum, vt docuit Galenus 2. *de alim. fac. tit. de moris, & tit. de prunis:* nam ſi hæc longiſſimè à cibo deuorentur, eorum facultas à calore ventriculi ſuperabitur, & quæ erat medicamentoſa, reddetur alimentoſa hac de cauſa.

Plurimis modis hoc medicamentum offerri ſolet: Nã vel affertur ex India, tota ipſa caſſia virens, & adhuc tenera, ſaccharo condita, quæ præſtantior eſt ad molliendam aluum, vel cum ſaccharo per ſe, vel aliis medicamentis permixta, boli inſtar permiſcetur, vel in liquorem redigitur, vel in clyſteres cum refrigerantibus decoctis inditur, vel cataplaſmatis lenientibus, & reſoluentibus additur. Hoc modo ſi articulares dolores à calida cauſa concitati infeſtent, articulis dolentibus emplaſtrum appones nulli ſecundum.

℞. *Pulp. Caſſ.* ℥ j. *Farinæ Fabar. Hord. an.* ℥ j. *Succi Apij, Succi citonior. an.* ʒiß. *Santalor. rubeor.* ʒiß. *Olei violar. Roſar. Nymphææ,* ʒj. Miſce fiat emplaſtrum.

Aliquando ſi dolor vrgeat, diſſoluitur in lacte muliebri, albumine oui, & roſacea. Si verò dolor ſit intenſus, diſſolues in decoctione radic. Mandragoræ, hyoſchyami, violar. hord. roſ. camomil. & abſintij: & additis vitellis ouorum, farina hordei, & granis viij. camph. aut vnguent. populei. ℥j. conficies cataplaſma.

Vtimur etiam ſumma cum vtilitate, emplaſtro facto

ex

ex pulpa cassiæ,& apio,quando iecur cum inflammatione, tumorem duritiémque aliqualem patitur. Nam post vniuersalia auxilia, iam declinante affectu parti tumenti imponimus: A

℞. *Pulp. cass.recenter extractæ* ℥ ij. *Succi Apij,q.s. vt fiat cataplasma.*

Aliqui farinam hordei; aut puluerem absinthij, addere solent.

Quæro primò: Vtrùm pulpa Cassiæ fistularis indigeat correctione? Dic, benignum medicamentum est hoc,& nulla correctione indiget, & sic in omni ætate tutò offerri potest. Sed notare debes, quòd flatulentũ est, & sua humiditate ventriculum relaxat, debilitat, subuertit, præsertim in iis qui hypochondriaca melancholia laborant, aut quibus venter flatu est distentus. Hanc flatulentiam non ab vliginoso, humidóve B loco, vbi ipsa cassia fuit reposita, sibi acciuit, vt rentur plures, sed ipsa cùm humore abundet, flatus excitat, & tormina natura suapte: quare corrigenda puluere diarrhod. Abbat. Aromatic. spicæ, cinnamom. anisi, præsertim si in bolos redigatur.

Quæro secundò: Vtrùm pulpa Cassiæ grauidis propinanda? Ex altera parte obstat ratio valida: quia humiditate sua vterum relaxat, cotyledones eneruat,& abortum concitat. Horum auctoritatem communis peritorum Medicorum infirmat vsus,qui felici euentu hoc lene medicamentum citra fœtus iacturam, obtulerunt vtero gerentibus,quæ ex eo à febribus ardentibus factæ sunt immunes. Deinde vis eius ad vterum non pertingit, quia à prima corporis regione, aut si admodum nitaris, ex secunda euacuat. Quòd si humiditate sua flatus eleuando ventriculum potest subuertere, eam aromatis permiscere carminantibus consultum est, vt sic eius flatulentia corrigatur. Innoxium enim medicamentum est, & tutissimè grauidis concedi potest, ex Auic. & Mesuë *cap. proprio*: subscribunt Rhasius 3.*ad Almans.*15. Halyab. 2.*pract.cap.* 38.Auerrhoës 5.*collig.cap.*55. Serapio *lib.de simpl.tract.* 1.*cap.*12.

Quæro tertiò: Vtrùm pulpa Cassiæ vi diuretica prædita sit? Inter omnia medicamenta vacuantia, nullum est quod magis renum squallorem attemperet, quàm hoc:sua enim mulcebri humiditate eorum calidam intemperiem persanat,quare in ardore vrinæ,renum phlogosi,& incendio,ac calculo renum, tam in præseruatione, quàm curatione mirabile est auxilium. Ex iis constat non esse audiendos, qui in his renum affectibus, sicut in inflammatione vesicæ, illud summoperè detestantur,quia licèt sit lene, est tamen diureticum, & humores quos ducit, ad renes & vesicam conuocat. Nam pulpa Cassiæ non habet virtutem humores prouocandi per vrinam, vt ipsi falsò sibi persuadent.

Quæro quartò: Vtrùm aqua stillatitia ex floribus pulpæ Cassiæ, vel conserua ex iis parata, ad curandas febres ardentes vtilis sit? Respondeo affirmatiuè, nam apud Indos hæc remedia pro bilio sis febribus summo sunt in pretio; præbent enim easdem ex se virtutes, quas ipsa cassia præstare solet: imò eminentiore quodam iuuandi modo eas sortitur.Iccircò hoc auxilium apud illos magni æstimatur: non solùm enim alterat, verùm clementer bilem adustam euacuat; quare pueris,grauidis,& debilibus præsidio est. Nec instes,quòd bilem generet, quum dulcis sit,quoniam plurima dulcia (dummodò exquisitam non sortiantur dulcedinem) in febribus administrantur, vt conseruæ omnes infrigidantes, quæ licèt ratione sacchari aliquantis- per calefaciant, ampliùs tamen iuuant, modicè leniendo & refrigerãdo. Hoc pacto aqua stillatitia maluarum, Violarum, & conserua ex earum floribus, etsi calida, in renum calida intemperie offertur: imò extractæ è borragine,bugloſſo,carduo benedicto,& aliis plantis, aquæ in febribus propinantur, quia citra manifestam caliditatem refrigerant. C D E

Quæro vltimò; Vtrùm cortex pulpæ Cassiæ menses prouocet? Prisci cassiam aromaticam, & odoratam vocabant eam, quam nos vsitato nomine cinnamomũ, seu cassiam ligneam vocamus: ita Galenus *lib. de theriac. ad Pison. cap.* 12. & 1. *de antidot. cap.* 13. & 14. affirmat. Hæc cùm sit tenuium partium, calida, aperiens,dilatet vias, humorem crassum extenuet, & calida cùm sit ac sicca, menses mouet, & in hunc vsum ab antiquis commendatur. Nominum ergo similitudine decepti quidam Iuniores, & non infimi gradus Medici, vulgaris huius nostræ Cassiæ fistulæ corticibus, ad mouendas menstruas purgationes vti solent, vel per se in vino, aliové aperiente decocto; vel conseruis, electuariis, tabellis permiscent: Quæ opinatio quàm ridicula sit, & pernicio sa, nemo non videt, qui has cassias inter se longo interuallo differre, aspectu, gustu, & olfactu non ignorat.

CAPVT III.

De Tamarindis.

TAmarindus ab Arabibus dactylus Indus vocatur, Latini oxyphœnicum,seu dactylum acidum nuncuparunt. Est fructus syluestris palmæ, folia salici similia habentis, qui ab ipsa arbore ante maturitatem colligitur. Est medicamentum Græcis incognitum, & post Galeni tempora repertum,vt 5. *collectaneor.* Auerrhoës notat. Accedit quòd Serapio *capite de Tamarindis*, nullum Græcum auctorem affert, qui de illis faciat commemorationem.

Eliguntur, *Subnigri*: *Splendentes*: *Teneri*: *Recentes*: *Viliis, seu radicibus quibusdam commixti*: *Pingues*: *Synceri*: *Dulcacidi, seu ex acido,& duci sapore permixti.*

Sale condîti ad nos adferuntur, & sic à putredine præseruantur.Sed cùm frigidi & sicci sint ordine secundo,febribúsque ardentibus summoperè prosint, in aqua oxalidis solent macerari, vt quicquid salsuginosum est,abluatur, & maior illis vis refrigerandi concilietur.

Clemens est medicamentũ,cuius dosis à duabus vnciis vsque ad quinque,à Mesuë præscribitur.Tamarindi suauiter bilem expurgant, vel per se, vel cum aliis medicamentis permixti: Quare eorum aciditas pulpæ Cassiæ admixto liquore refrænatur.In hunc modũ apparati concedi possunt grauidis:nam impermixti lædũt vterũ,quia hic ex acetosis malè habet,3.*acut.*39.sanguinis feruorem attemperant, bilis furorem compescunt, vomitum sistunt,sitim sedant, squallidũ corpus humectant:clysteris forma cũ refrigerante decocto dissoluti, cauma internum refrænant, ac hepatis ardorem mitigant. Demum pesti,febribus pestiferis,& malignis mirabiliter opitulantur. Quòd si ventriculus subfrigidus sit, tunc illis semen anisi, aut fœniculi addi debet.

Quæro primò: Vtrùm Dioscoridis & Plinij phœnicobalanus, sit Arabum Tamarindus? Narrat enim hic auctor,*lib.*12.*cap.* 22. Palmæ in Ægypto nascentis fructum esse viridem, & mali contonei odore præditum, & ante maturitatem colligi: quod firmat Dioscorides *lib.*1.*cap.* 124.Quo pacto plures priscorum, phœnicobalanum, quam Plinius *adipson* nuncupauit, esse oxyphœnicum sibi persuadent. Sed errant: nam diuersæ res sunt, si figuram, & vires quas ei *locis citatis* Dioscorides, & Plinius adscripsere, æstimaueris: quia ille scribit, fructum esse adstringentem, opitularique diarrhœæ, & fluxui muliebri; noster verò Tamarindus ventrem soluit, & expurgat. Deinde Phœnicobalanus Plinij nullum intus nucleum habet: noster verò nucleum luteum, diuersorúmque colorum sortitur; quorum alij contusi, alij integri;

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 136 sur 927

integri; omnes tamen vnà cum illorum carne in pastam redacti ad nos adferuntur, vt quotidianum confirmat experimentum. A

Quæro secundò: Vtrùm pulpa tamarindorum, vel illorum decoctum in principio febrium putridarum, & malignarum ægris tutò possint offerri? Respondeo affirmatiuè: nullum enim est auxilium, quod æquè in febribus putridis, & malignis, tutò possit propinari quàm hoc; nam febribus incendiosis remedio est, biliosi humoris caliditatem retúdit, veneno resistit, pestiferis & malignis febribus summè repugnat, siccitate sua putredinem arcet. Quo pacto illorum consilium mihi arrisit semper, qui cardiacas potiones sæuiente maligna putredine, tempore præsertim æstatis, ætate florente, ex medicamentis parant, in quæ pulpa ingreditur tamarindorum: quarum formula est hæc: B

℞. *Aq. scorzoneræ, cardui benedict. acetos. an.* ℔ j. *syrup. de acredine citri. granator. violac. an.* ℥ iij. *pulp. tamarindor.* ℥ j. *confect. Alchermes, theriac. an.* ʒ j. *confect. hyacinth.* ʒ ij. *lapidis Belzaar.* ℊ xx. *rasuræ vnicornu,* ℊ xij. *margaritar. præparat.* ℈ ß. *pulu. diamarg. frig.* ℈ j. ß. *succi limon.* ℥ ß. Misce fiat potus.

Apozematis etiam permiscetur eorum pulpa, vt corpus refrigeretur, delcteria qualitas refrænetur, & aluus modicè soluatur: vt sic: C

℞. *Hord.* P. ij. *cichor.* M. iij. *flor. borrag. bugloss. violar. an. an.* ʒ ij. *pimpinel. scabios. borrag. bugloss. an.* M. j. *sem. acetos. sem. citri. an.* ℥ ß. Infundantur in ℔ xij. aq. vsque ad consumptionem tertiæ partis, & facta expressione, Colaturæ adde: *Sacchari albi* ℥ ii. *tamarindor.* ℥ ii. *conserua. flor. nenuph. violar. ros. an.* ℥ j. Iterum omnia bulliant, & colentur, & fiat apozema.

Fit etiam conserua ex tamarindis, quæ pro febribus malignis, magno est ex vsu. D

℞. *Tamarindor.* ℥ ii. *hord.* P. v. *scordij, acetos. radic. scorzoneræ, & scabios. an* M. j. *conserua. fol. acetos. nymph. borrag. an.* ℥ ii. coque in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneat ℔ ß. adde: *Pulp. tamarindor.* ℥ j. *conserua. ros. violar. oxalidis nymphææ, bugloss. an.* ℥ ß. *conserua. scorzoner. citri, an.* ℥ j. *puluer. gentian. dictamni, quinque folij, terræ sigillatæ, boli armeni, ossis de corde cerui, diamarg. frig. an.* ℈ j. ß. *theriacæ,* ʒ j. *Mithridatij,* ʒ ß. *lapid. bezoartici,* gr. xv. Excipiantur omnia cum syrupo de succo limon. & granator. & secundùm artem addito saccharo fiat conserua, quæ præterquam quòd venenosam auram mirè castigat, iucunda est ob aciditatem, & palato maximam gratiam conciliat. E

Sed huic doctrinæ obstat celebris Galeni contextus, *lib. 1. de rat. vict. in morb. acut. com. 18.* qui in principio febrium putridarum reprobat frigida, & sicca: cùm enim adstringant, putredinem augent, impediunt transpirationem, humorem arctant, & resolutioni contumacem reddunt, sic enim ait Galenus: *Nemo siquidem adstringentibus vtitur cibis, nisi vel propter symptoma, quod animi deliquium inducat; vel propter immoderatum ventris profluuium: cogunt siquidem, constringúntque corpora, viásque tum distributionis, tum alimoniæ, tum eius quæ foràs fit, perspirationis, conniuere faciunt, quas reclusas, apertásque esse conducit, &c.* F

Dic, quòd acida, licèt adstringant, Galenus vetat in ratione alimenti, non medicamenti, quia ampliùs prosunt ob causas dictas, quàm adstrictione nocere queant. Solue secundò, Gal. prohibet frigida sicca, quæ partibus constant terrestribus, quarum ope siccant, adstringunt, repellunt, incrassant, & fluxiones impingũt; de quorum classe tamarindi non sunt, sicut nec cætera acida: hæc enim cum adstrictione, partium tenuitatem sortiuntur, imò cùm succum viscidum in ventre inuenerint, ipsum incîdunt, ac deorsum subducũt, vt 2. *de alim. facult. c.* 21. docuit Gal. Quare acidum penetrat, aperit, incîdit, diuidit, tenuat, terget, vt Mesuë est auctor, *lib. 1. theorem. 1.* nam acida frigiditas tenuium est partium, vt 4. *simpl. cap.* 8. edocuit Galenus.

CAPVT IV.

De Scammonio.

ETsi Scammonium, succum, herbam & lachrymam significet, tamen propriè pro herba accipiendum est, licèt apud Plinium *lib. 26. cap. 8. parum ante medium,* pro succo accipiatur cuiusdam herbæ è radice ramosæ. Est medicamentum adeò antiquum, vt nullus Medicorum id non agnoscat. Est fundamentum omnium electuariorum, & catapotiorum, effræne, & vehementissimum in purgando; adeò vt solis decem, vel duodecim granis exhibitum potentissimè expurget, licèt Dioscorides integram, drachmam ad debilem purgationem concedat. Quare dicendum est, aut in Dioscoride mendam subesse, aut scammonium quo nos vtimur, adulterio non carere. Quapropter enitendum summoperè, vt selectissimum Scammonium in Officinis reponatur, ne ab illius malitia compositiones aliæ vitientur.

Iccircò eligendum *Leue: nitidum: rarum: colore taurini glutinis: fractu tenerum: pulueratu facillimum: fungosum: odore bono, sed suo, non autem fœdo: fistulis tenuibus: Antiochenum.* Deterrimum, *Syriacum, vel Iudaicum: graue: densum: obscura nigredine.*

Plinius *loco cit.* bonum esse ait linguæ tactu lactescens; verùm & hoc adulterato lacte tithymali euenit, vt scribit Dioscorides; sed hoc gustu deprehendere licet, nam linguam exurit.

Cæterùm quia hoc medicamentum est effræne, turbat corpus, sitim concitat, viscera mala qualitate lancinat, tormina excitat, dysenteriam parit, ita vt à vasis sanguinem exhauriat: ideò noxis obuiandum est additis humidis, pinguibus, & lentis quæ illius acrimoniam obtundant, vt sunt tragacanthum, bdellium, oleum amygdalinum, psyllium, mastiche, cydonia mala pòst sumpta. Obest postremò Scammonium iecori, cordi, ventriculo, à totius substantiæ proprietate. Hoc vitium aboletur, si illi tum calida, tum frigida admisceantur medicamenta, quæ his partibus mirificam opem præstant, vt pulueres diarrhod. Abbatis, diamargarit. frigidi, vel trium santalorum: quarum specierum tabellæ altero à purgatione die ab ægro sunt sumendæ. Demum in malo cotoneo corrigitur, de qua re *infrà.*

Calidum medicamentum est, & siccum in tertio gradu, bilem purgat efficacissimè, & consequenter pituitam tenacem, lentam, quam ex remotissimis partibus attrahit validissimè. Habet etiam virtutem leniendi dolores frigidos capitis, & dentium, & hoc modo in Hemicrania, & Cephalalgia; cataplasmatis modo fronti, & temporibus admouetur, in hac forma:

℞. *Scammonij,* ʒ j. *myrrhæ, costi, an.* ʒ ij. *croci,* ʒ j. *succi agrestæ,* ℥ j. ß. *opij,* gr. iv. Omnia agitentur cum guttis aliquot aceti acerrimi, & vini albi, & cum albumine oui fiat cataplasma.

Sed circa eius electionem, Quæro primò: Vtrùm electum Scammonium virus redolere debeat? Cùm hoc medicamentum, solutiuum solutiuorum appelletur, quod maiorem efficaciam habeat, quàm reliqua quæ bilem expurgant, & ideò in diuturnis morbis, & acutis, per se, vel cum aliis medicamentis permixtum administretur, est necessarium, vt illud quod præparari debet, sit optimum, & præstantissimum. Ergo inter alias conditiones quas illi peculiariter attribuit Mesuës, est vt sit boni odoris, & non grauis, quam sententiam communis Medicorum amplectitur opinio. Quæri ergo potest, quomodo Plinius, tantus auctor *lib. 26. cap. 8.* Scammonium eligendum esse virus redolens, scripserit, quod quàm contrarium sit bono odori, nemo non videt.

Nec dici potest, per bonum odorem, illum esse intelligendum, qui illi conuenit secundùm genus suum:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 137 sur 927

nam etiam odores mali aliquibus medicamentis confi-
ciendis sunt vtiles, vt opopanacis, assæ fœtidæ, & alio-
rum: quia Scammonium non habet ingratum odo-
rem, nec ita grauem, vt virus redoleat. Dic ergo pri-
mò: quòd Plinius non asseuerat scammonium, virus
seu venenum redolere, sed esse venenosum. Licèt enim
omnibus violentis medicamentis hoc sit proprium, ex
Mesuë *theor.1.cap.2.can.4.* Auer. *5.collig.* Gal. *2. acut.11.*
Celso *lib.2. cap.12.* Huic tamen magis familiare est, &
naturale.

Hoo modo Dioscorides *lib.1.cap.prop.* affirmat, Ca-
storeum intus habere liquorem cerosum, odore gra-
uem, & virus redolentem, hoc est, venenosum: Pon-
ticum enim castoreum, esse venenatum, probat Strabo
lib.31.Geograph. & ita de eo sentit Virgilius, *1. Georgic.*
Virosáque ponto Castoria. Andromachus quum ad the-
riacæ compositionem viperas præpararet, asseuerat,
serpentum spinas virus redolere, hoc est esse vene-
nosas.

Deinde non repugnat quidpiam grauiter olere, &
habere iucundum odorem. Ita Dioscorides *lib.3. cap.*
107. dum loquitur de abrotano, & pulegio asserit, gra-
uiter olere, non sine quadam suauitate: & *in eodem lib.*
cap. 34. de saluia, hanc habere odorem iucundum, sed
grauem asseuerat. Et alij virosum odorem interpretan-
tur grauem, & hoc pacto apud Plinium, & Mesuëm
nulla est contradictio.

Quæro secundò: Vtrùm semper Scammonio cor-
recto sit vtendum? Dic. In duplici differentia sunt, &
dici debent medicamenta, quæ purgantia Medici ap-
pellare consueuerunt, alia enim latè, alia strictè & pro-
priè sic dicuntur. Illa appellantur, quæ quocúque modo
corpus nostrum à recrementitiis humoribus expurgant:
ex hoc censu sunt medicamenta, quæ mouent vrinam,
aut menstrua; quæ à pulmone, pectore, cerebro humo-
rem per sputum, & os euacuant. Hæc, presè appellan-
tur, quæ vacuando per vomitum, aut aluum peccantem
humorem extra corpus eliminant: vt Rhab. Elleborus,
vt firmat Galenus *lib.5.simpl.cap.19.*

Deinde: Hæc expostulant quandam præparationem
sibi propriam, vt elleborus exposcit eam factam in ra-
dice raphani, scylla, aceto: Agaricus in oxymelite, sale
gemmeo, aut vino in quo infundatur zingiber: Scam-
monium in citonio. Num verò hæc semper præcedere
debeat in scammonio, aut in aliis medicamentis forti-
bus & violentis, quando ea cum aliis permiscere cona-
mur ad componenda electuaria expurgantia, aut alia
medicamenta in forma solida, non leuis controuersia
est. Respondebis hoc modo. Omnia medicamenta pur-
gantia vehementia, quando sola & impermixta propi-
nantur, debent priùs propria sua præparatione corrigi,
& refrænari. Si verò cum aliis in compositionibus per-
misceantur, præparatione non indigent: nisi auctor
medicamenti, in quod expurgantia ingrediuntur, ea cla-
rissimis verbis præparata requirat, & exoptet.

Prima pars probatur facilè, ex Galeno, qui *lib.2.acut.*
11. sic ait: *At cùm purgantia omnia medicamenta, ven-*
trem, præsertimque os ipsius, quod maximè tum neruo-
sum, tum sensile existit, affligant lædántque, ob id eorum,
quæ boni sunt odoris, mixtio excogitata est, ne sola, sin-
cerâque purgantium medicamentorum virtus os ventris
tangat.

Deinde si semper in compositionibus permiscerен-
tur incorrecta, vana esset sententia plurium auctorum,
qui ad electuaria & solida expurgantia, ea præparata
assignant. Ita Mesuë in compositione electuarij Indi
minoris, psyllij, pilularum de lapide Armeno, aggrega-
tiuarum, expetit scammonium præparatum in pomo;
& in pilulis Alhandal, & in hiera Hermetis, vt ex Me-
suë patet *cap.de colocynthide.* Quare quotiescunque in
auctorum compositionibus legitur scammonium, non
præparatum intelligi debet. Ergo non verendum est,
in aliquibus compositionibus non correctum repone-
re, quoniam hoc, sicut & alia quæ vehementia sunt, ab
aliis medicamentis quæ compositionem ingrediuntur,
summoperè corrigitur & infrænatur.

Quæro tertiò: Vtrùm Scammonium sit præparan-
dum, & coquendum in pomo? Plures sunt modi, qui-
bus corrigi solet Scammonium: sed potissimus est,
quando coquitur in malo cotoneo, quem condiendi
modum Galenus proposuit, *in præfat. ad libros de alim.*
facultatibus. Nam mali cotonei partes, quæ circa semen
sunt, eximit; deinde cauitatem scammonio implet, &
malum ipsum postmodum triticea massa obuoluit, &
sic inuolutum in furno reponit, & assat. In qua præpa-
ratione purgatiuum euadit scammonium, & malum
ipsum expurgans redditur, imò & pasta triticea purgan-
di non mediocrem facultatem etiam adipiscitur, cuius
frustulum si animali cuipiam edendum offeras, dysen-
teria occupabitur. Cognosces autem perfectè esse con-
coctum, si per medium cotoneum tenuis palea trans-
uersaliter transmittatur: si enim liquidum iam est scam-
monium, sine impedimento palea pertranſit; sin minùs,
contrà: & iterum assandum cotoneum, ex quo extra-
hetur scammonium. Ex hoc trochisci parari solent,
quos Diagridion Officinæ vocare consueuerunt.

Neque fidem adhibeas Serapioni, *tract.de simpl. cap.*
103. dicenti Scammonium parandum esse, quum vten-
di tempus instat, eo quòd in malo cydonio coctum,
tempore virtutem amittit, & ignauum in operatione
redditur. Nam si non præparatum, auctore Mesuë, per
annos viginti, & ex eiusdem Serapionis sententia, per
triginta, vel quadraginta annos incolume perseueret:
cur præparatum per multum temporis spatium, citra
suæ substantiæ iacturam, non persistet? Maximè cùm ex
coctione crassius, ac densius euadat, & dissolutioni mi-
nùs obnoxium reddatur.

Si verò interroges, quo pacto cognoscemus, num
Pharmacopœi in cõpositionibus diagridium recipien-
tibus, imposuerint non præparatum scammonium?
Dic, fraudem illicò detegi, si pars aliqua compositi me-
dicamenti aqua diluatur: si enim ea diluta, vniuersa
portio dissoluatur, ita vt nulla eius portiuncula, non dis-
soluta, nec dura superſit, indicium est ipsam ex scam-
monio non correcto fuisse compositam: Si verò por-
tiunculæ aliquæ non dissolutæ restent, quæ digitorum
attritu duræ sentiantur, scammonium coctum in com-
positionem fuisse ingressum iudicabimus.

Percontaberis vltimò: Cur inter cætera poma coto-
neum eligitur à Galeno? Dic, quia hoc est crassius, &
densius, & ob ignis efficaciam non dissoluitur. Deinde
hac de causa, & adstrictione sua, vires medicamenti ne
exhalent, ampliùs conseruat. Vltimò, quia hoc pomum
est cardiacũ, venenóque maximè resistit, & ideò perni-
ciosam Scammonij vim infrænat, illiúsque acrimoniam
retundit. Philarchus *lib.6. hist.* apud Athenæum letha-
lium medicamentorum vim, cydoniorum fragantiâ he-
betari ait, pharicúmque præsentaneum venenum, inie-
ctum caniſtro, cydoniorum tantùm odorem redolente,
euanidum factum fuisse, & maleficam suam vim ami-
sisse, refert. Adeò denique efficax est hic fructus contra
venena, vt præstanti suo odore à ferarum noxiarum vi-
rulenta vi portantes immunes præseruet.

CAPVT V.

De Aloë.

ETsi Aloës in vniuersæ Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ
domibus ad ostentationem in fictilibus vasis ap-
pendatur; tamen eam ab Arabica, & Indica plurimùm
degenerare, amaritudo ipsa indicat, quæ in Orientali
valde præcellit. Huius triplex est species: alia enim dici-
tur Succotrina, quia adsportatur è Succotra, ciuitate
in

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 138 sur 927

in India valde insigni,& est omnium optima : eligitúrque *syncera : pinguis : nitida : glutinosa : transparens: arenularum, & calculorum expers : rufi coloris : attritu digitorum friabilis : iecinoris modo coacta : facilè liquescens: eximiæ amaritudinis : bono odore myrrham æmulante : licèt tota planta odore sit tetro.*

Alia vocatur Hepatica ob similitudinem,quam cum hepate seruat. Alia appellatur Caballina,quæ omnium est maximè infirma : & est *nigra : fractu contumax : obscura : faci simillima : odore tetro : arenosa : adulterium passa.*

Adulteratur autem Dioscoridis testimonio, *lib.3. cap.23.* gummi, & acaciâ, quod cognoscitur gustu, & olfactu : nam & amaritudo remittitur, & redolet rem cui est permixta.

Hoc medicamentum calefacit in fine vltimi gradus, & exiccat in tertio,ex Galeno *6. simpl. 22.* Constat ex partibus diuersis, amaris scilicet, & adstringentibus: adstringit quidem modicè, sed vehementer amara est. Ab his duabus naturis facultas purgatrix, & roborans emanant : nam illa, à natura eius amara, calida, & superficiaria ; roborans ab adstringente proficiscitur.

Vis eius cholagoga est, sed adeò debilis, vt teste Galeno *7. Meth.11.* regionem ventriculi, & intestinorum non transcendat, vel si admodum nitaris,loca tantùm, quæ in mesenterio sunt, contingat. Mesuë phlegmagogam esse refert, quatenus tenues & ichorosos humores in ventriculo impactos expurgat : nam, vt *8. sec. loc. cap. 2.* notauit Galenus, debilis huius medicamenti vis crassos humores ex ventriculo vacuare nequit.

Magnis laudum præconiis hoc medicamentum ab antiquis celebratur, quia plurimis morbis remedio est: sícque conuenienter administratur in iis, qui capitis molestia afficiuntur : vapores enim à ventriculo ad caput ascendentes retrahit citra molestiam vllam ; quare iuuat illos, quibus caput à ventriculo dolet. Ideóque offertur in vertigine, ophthalmia, suffusionibus, præsertim si ob ventriculi consensum oriantur. Prodest illis qui nidorulenta cruditate laborant. Opitulatur iis, qui præter rationem pallidi fiunt, & alui excrementa retinent. Medetur ictericis, & illis qui sine febre per somnum imaginationibus vexantur. Præseruat à putredine, & à peste; & ideò in constitutione pestilenti frequentissimè exhibetur. Sensus acuit, sanguinis profluuia sistit, vermes necat, maximè si clysteris forma infundatur hoc modo :

℞. Decoctionis menthæ siccæ, absinth. santonici, scordij, dictamni Cretensis, parietariæ, mercurialis, betæ, ℥ vj. rhodomel. syrup. de absinth. an. ℥ j. ß. aloës pulueriſatæ, ʒ ij. semin. Alexandrin. ʒ ß. misce pro Clysteri.

Pro eodem vsu imponitur vmbilico medicamentum, hac forma :

℞. Radic. dictamni Cretensis, centaureæ minoris, abrotani, an. M.j. farinæ lupinor. fellis taurini, an. ℥ j. olei de absinth. menthæ, an. ℥ j. aloës, ʒ ij. Misce pro linimento.

Pro remouendis suffusionibus, & absumendis humiditatibus,quæ ex oculis emanant,vacuato priùs corpore, sequens Collyrium administratur :

℞. Aq. fœniculi, euphrasiæ,an. ℥ iij. æruginis æris, ℊ vj. vitrioli albi, ϑ ß. aloës, ʒ j. Misce fiat Collyrium.

Imponitur etiam redacta in puluerem ad nebulas oculorum discutiendas :

℞. Aloës, tuthiæ præparat.an. ʒ j. sarcocol. nutritæ, ʒ ß. æruginis æris, ℊ iv. cortic. ouor. aceto macerator. ʒ ß. Misce, & tenuissimè triturentur.

Est etiam admirabilis, & vtilis admodum ad hæmorrhagiam compescendam ; quo auxilio arteriam vulneratam in gibbero fuisse consolidatam, appositò exemplo refert Galenus, *5. Meth. cap.7.*

℞. Aloës, ʒ j. ß. albumin. oui, Num. j. thuris, ʒ ß. pilorum leporis, q. s. Misce, & fiat Cataplasma.

Quæro primò : Vtrùm Aloë totum corpus euacuet? Nam Galenus eam inter medicamenta stercoraria reponit,*6. simpl. cap. de Aloë*,& Paulus *lib.7. cap.4.* ea clysteris loco vsus est, quando excrementa indurata intestinorum inuolucris adhærent. Habet etiam virtutem à tota substantia expurgandi bilem, vt *6. de sanit. tuend. cap.10. prope med.* & Paulus *loc. cit.* & Aëtius *tetrab. 1. serm.3. cap.24.* adnotarunt. Verùm hæc virtus debilis est, & solùm ventriculum ac intestina attingit, & si in maiori quantitate propinetur, solùm ad loca proxima ascendit,vt *7. Meth. 11.* & *8. sec. loc. cap.2.* notauit Galenus : & hæc est causa, quare humores glutinosos & crassos non educit.

Contrà facit Galenus, *lib. de theriac. ad Pison. cap.4.* Aloëm totum corpus expurgare affirmans : & Auic. *2. canon. cap. de Aloë*, excrementa biliosa, & melancholica educere contendit,cum Mesuë *cap. de Aloë*,qui eam caput mundificare asseuerat. Solue hoc modo. Aloë in exigua quantitate assumpta ; ex ventriculo & intestinis euacuat : in maiori quantitate oblata, à toto corpore humorem peccantem expurgat. Dic secundò, quòd cùm affectus capitis, & superiorum partium ferè per consensum à ventriculo oriantur,hoc expurgato,caput, & vniuersum corpus à recrementis euadent immunia.

Quæro secundò : Vtrùm Aloë lædat hepar ? Aloë medicamentorum purgantium præstantissima,ac excellentissima est : cùm enim cætera purgantia partes nostras principes, & facultates nostrum corpus dispensante, vel actionis vehementiâ lædant, vel nihil iuuent, Aloë sola eas partes imbecilles roborat,& ad functiones suas citra noxam vllam reducit, vt de ea firmant Plin. *lib. 17. cap. 4.* & Paulus *lib. 7. cap. 4.* & Mesuë hepar etiam iuuare contendit, eos reprehendens, qui illud ab ea lædi sibi persuasere.Si ergo hæc vera sunt, cur Auicenna *14.3. tract.4. cap.13. iuxta fin.* & vel ipse Mesuë, lædere hepar affirmant ? Dic : Aloë lædit hepar calidum : nam in calida & sicca iecinoris intemperie,præsertim immateriali, noxia est valde, vt *8. sec. loc. cap. 2.* docuit Galen. dicens infestissimam esse aloëm, etiam lotam, iis qui citra vitiatos humores, calida & sicca intemperie premuntur : proximam ab iis cladem experiuntur, qui siccam intemperiem habent cum frigiditate coniunctam ; ob quam potissimùm rationem in senibus eam interdicit, *5. de sanit. tuend. cap.9.* Vtilis verò iis est, qui in prima regione, & citra iecur, aquosi & ichorosi humoris copiam congessere : nam iuuat illos expurgans, & viscus manifestis qualitatibus roborans.

Quæro tertiò : Vtrùm Aloë aperiat ora venarum? Respondet Mesuë, *cap. prop. de Aloe. Et aperit ora venarum, apertione sanguinem manare faciente.* Dic tù: Aloëm non aperire orificia venarum, sed fluxum sanguinis sistere adstrictione sua. Hoc modo Galenus *5. Meth. cit.* componit medicamentum ex Aloë, quod hæmorrhagiam vehementer coërcet, & *7. sec. loc. cap.5.* & *lib.9. cap.4.* dysentericis, & hæmoptoïcis, ad compescendum sanguinis fluxum, aloëm præbet cum aliis medicamentis permixtam. Deinde *5. simpl. cap. 14.* asseuerat, medicamenta quæ venarum orificia aperiunt, debere esse crassa, acria, & ignea : de quorum genere Aloë non existit. Dic ergo,quòd sententia Mesuæ,est intelligenda de maligna Aloë,& adulterio contaminata : Vel ex accidenti hoc euenire, quatenus expurgat biliosa excrementa, quæ acrimonia sua aperiunt orificia venarum, quæ sunt in fede, vt Galenus *6. Aph.47.* edocuit : quod omnibus medicamentis expurgantibus commune est. Quare ferè omnes qui vtuntur Aloë frequenter, sanguinis fluxum per hæmorrhoïdes patiuntur.

Quæro quartò : Vtrùm hyeme exhibenda ? Mesuë

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 139 sur 927

negat: sed qua ratione munitus, ignoro prorsus: Quia cauenda magis videtur in temporibus calidis, cùm sit calida & sicca in gradu secundo, & sic magis nocere, quàm prodesse sit apta. Respondent plures, quia bilem euacuat, quæ hyeme non redundat. Sed ad mentem Mesuæ non respondent, quia pituitosos humores etiam expurgat, qui hyemis tempore inualescunt. Alij ob id prohibendam esse rentur, quia Hip. voto, vētres hyeme calidissimi sunt, quibus ipsa suo calore obest: sed ij ignorant præcepta Galeni, docētis 8. *Meth.* 9. à regione, anni tempore, & statu cœli, similium præsidiorum sumendam indicationem esse, siue homines valeant, siue ægrotent. Quocirca cùm hyems sit tempus per frigiditatem intemperatum, oportet manifestam qualitatem præsidiorum, illius manifestæ qualitati opponere. Hoc modo Hip. 1. *acut.* 43. Oxymel offert; hyeme calidum, æstate verò frigidum. Dic ergo, hyeme non esse offerēdam, quia tunc humores viscosi & crassi abundant, quos ipsa ob imbecillitatem educere nequit. Ita Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 64. timorosum esse iudicat; aloëm in potu in diebus frigidis exhibere; quandoque enim educit sanguinem solutione, qualiscunque sit aloë. Verba eius sunt: *Quando datur ad potandum in diebus frigoris, timetur, quòd faciat solutione exire sanguinem.* Sed qua ratione id proferat, plures se ignorare libenter fatentur. Dicerem hoc euenire, quia cùm ipsa debiliter soluat, humores lenti ab ea commoti hyemis tempore geniti, adhærent parietibus intestinorum, & sic retenti, & non ventilati, acriores redduntur & putrescunt, & abradentes intestina, dysenteriam inducunt; quam noxam non concitat æstate, aut vere, quia humores tunc tenuiores abundant, & facilè transpirant, & sensim per aluum vacuantur.

Quæro quintò: Vtrùm aloë à cibo sumpta possit esse ex vsu? Dubium hoc est arduum, imò scrutinio dignissimum: Nam pro parte vtraque obstant auctorum monumenta, & rationes firmæ. Auctor enim *libri Galeno adscripti, de simpl. medic.* sic scribit: *Alij post cœnam bina, aut trina grana aloës, ciceris magnitudine deuorāt, quoniam corpus procurat, & escam non corrumpit.* Subscribit Plinius *lib.* 27. *cap.* 4. *Si difficilius coquantur cibi, bibitur à cœna aloë, modico interuallo.*

Contrà firmat Paulus *lib.* 7. *cap.* 4. & 6 qui aloëm à cibo interdicit, tum quia impeditur assumpto cibo expurgatio, tum etiam quia escæ cum medicamentis permixtæ, corrumpuntur. Conciliabis hos auctores in hunc modum, Plinius aloëm modico interuallo à cibo elargiri disertissimè suadet, non vtique in notabili, & sufficiente quantitate ad expurgandum, sed valde exigua, ad firmandam, & iuuandam coctionem. Id profectò designauit palam Plinius, inquiens: *si difficilius coquantur cibi:* & auctor *libri de simplicibus*, grana bina, aut trina aloës, ciceris instar, à cœna propinat; quæ sanè quantitas minima roborare ventriculū, non tamen eum expurgare potis est. Quare si præsidia cætera ventriculum firmantia, commodè cum cibis permixta, quotidiè administrantur, ecquid illud iuuamentum non præstabit aloë, tam minima quantitate à cibo oblata? Si verò in magna quantitate sumatur à cibo, vt expurgare possit, proculdubio lædet, quia vt *lib. de dynamidiis, cap. de aloë* scriptum est, sic cibum corrumpit.

Quæro quintò: Vtrùm aloë in soporosis affectibus concedenda? Dioscorides enim *lib.* 3. *cap.* 23. *de aloë*, eam somnum allicere, experimento munitus confirmat. Subscribit Rhasius *lib.* 1. *contin. cap.* 8. §. *Non debet quis vti aloë, in cura lethargi, quia eius virtus inducit somnum.* Hinc fit vt plures damnentur, qui hieram lethargo affectis intrepidè propinant. Nec obstat, quòd calorifica medicamenta quæ sunt in hiera, potentiora sint ad inducendam vigiliam, quàm sola aloë ad prouocandum somnum: Nam exigua est portio aliorum medicamentorum in compositione hieræ, maximè verò aloës, quæ natura sua potiùs somnum inducit. Et hac ratione dicit Dioscorides *loc. cit. Natura aloës est spissare, exsiccare, somnum inducere, corpora densare.* Ergo aloë non liquando crassos succos, sed per se somnum allicit; partes enim præpingues humidas habet, quæ ad cerebrum permeant, & somnum mouent.

Quæro sextò: Vtrùm Aloë correctione indigeat? Aloë, auctore Plaulo *lib.* 7. *cap.* 4. non eget alio medicamento sibi permixto, quo od ipsius malitiam retundat, & refrænet, adeò securum & benignum medicamentum est, partésque nostri corporis tuetur ac firmat. Sed aduersatur huic sententiæ Galenus, 8. *sec. loc. cap.* 2. dicens, ex his quæ hieram ingrediuntur, mastichen, vt stomacho accommodam, & odoram, & quæ medicamentariam aloës vim frangere queat, admisceri: Cinnamomum verò, eadem gratia. Dic. Aloë duplici constat facultate, amara, & adstringente: Hæc stomacho grata est; illa infesta, & ventriculum subuertit: Quare hanc amaram, seu medicamentosam virtutem, nititur Galenus mastiche, & cinnamomo frænare, vt horum permixtione eius amaritudo remittatur, quam, medicamentosam vim Galenus *cit. loc.* appellat.

Quæro septimò: Vtrùm Aloë lauanda? Lauandam esse aloëm vbique passim protulit Galenus, sed quomodo lotio fieri debeat, non satis cōstat apud auctores. Vt verò hoc percipias, notabis quòd propter tres intentiones aloë abluenda est, vt docet Serapio *lib. de simpl. medic. facult. cap.* 201. Primò, vt separetur ab ipsa pars terrea ab arenosa, quod fit pro curandis affectib us oculorum. Secundò, vt auferatur ab ipsa virtus expurgatrix, & augeatur adstrictoria. Tertiò, vt facultas purgatiua intendatur. Simili ratione tribus modis inter se diuersis lauari solet Primus, ex sententia Galeni 8. *sec. loc. cap.* 2. & Mesuæ *cap. prop.* & fit hoc modo. Eligitur aloës libra vna, & puluerisata superinfunditur in dupla aquæ quātitate, fluuialis, vel fontanæ, & tempore æstatis ad solares radios collocatur, vsque quò imbibatur, & tota aqua resoluatur. Secundo modo, superinfunditur in dicta aqua, & derelicta per aliquod temporis spatium quieta, reiicitur residentia, & postea per linteum colatur, & radiis solaribus exponitur, quousque absumatur aqua. Hanc ablutionem, ea quæ purissima est, non exposcit. Tertio modo, vt virtus purgatiua augeatur, superinfunditur in decoctione medicamentorum solutiuorum, vt constat in pilulis alephanginis, vbi loco aquæ decoctio specierum admiscetur.

CAPVT VI.

De Manna.

INter aërea, Manna bilem purgat, quæ nihil est aliud quàm ros ex cœlo in plantas, & terram descendens, ab exhalationibus à terra, & aquis, Solis calore in die calida & sicca eleuatis, ac eiusdem caloris vi exactè extenuatis & coctis, & frigore sequentis noctis in minutissima grana, gummi, vel mastiches formam repræsentantia, concretis, vt docet Galenus 3. *de alim. facult. cap.* 39. *tit. de melle:* quo loco ipsum cognouisse Manna nostrum, quod valde differt à Manna Hebræorum, quod filiis Israël diuinitus est concessum, & à Galeno mel aëreum vocatur, *lib.* 6. *hist. PP. Medic. hist.* 8. probauimus latè.

Solùm constet, Mannam ad nos ex Oriente olim allatam esse perfectissimam. Hanc æmulatur, quæ ex Calabria, Italiæ prouincia ad nos affertur: habet enim omnes conditiones requisitas. Hæc Manna simpliciter dicitur, quæ ab aliis concreta appellatur, & nostrates Medici mastichinam, & granulosam nominant. Ita ait Serapio, *cap.* 11. dicens: *Tereniabin rorem esse è cœlo cadentem similem melli, & alio nomine roscidum mel vocari.* Constat nihilominus ex Auicenna, qui *lib.* 2. *cap.* 493. Mannam gummi modo concrescere, affirmante Galeno *loc. cit.* de

tereniabin

tereniabin peculiariter verba facere videtur: Nam id quod ait, agricolas coria ſuper terram extendere, & arbores excutere, & quod ab eis defluit excipere, ollaſque & fictilia vaſa melle implere, liquidæ mannæ potiùs conuenire eſt manifeſtum. Sed Serapio Tereniabin deſcribens, mel aëreum Galeni definire videtur.

Eligitur *Minutis granulis: pellucida: Grauis: alba, vel in luteum vergens: guſtu dulcis, vel ſuauis: intra annum ex plantis odoratis, hominique ſalubribus collecta.*

Calabrenſis omnibus præſtat; quapropter noſtro æuo tanti æſtimatur. Ex omnibus tamen, cadens ſuper folia primum obtinet locum; ſecundum, ſuper ramos, & arborum caudices collecta; tertium, quæ ſuper terram, & lapides defluit, vt multiplici experimento compertum eſt. De cuius generatione, differentiis, vſu vario, pulchra diximus, *lib. 6. hiſt. PP. Med. in com. hiſtor. cit.*

Manna temperamento ſymmetra eſt, ex Auic. & Meſuæ auctoritate. Serapio *cap. 45.* in actiuis primo ordine calidam, in paſſiuis temperatam eſſe ſcribit. Maiori pondere ſumitur, quàm caſſiæ interaneus liquor, adeò vt duabus vnciis poſſit exhiberi. Flauam bilem ſimplici ratione pellit. Propinari ſolet iis, qui certa ratione validius medicamentum aſpernantur. Denique pueris, & vtero gerentibus, quum & commodatis vocat, & neceſſitas vrget, exhiberi tutò poteſt, & illis qui præ malacia reliquorum medicamentorum vſum faſtidiunt. Guttur, thoracem, ventriculum lenit, abſterget, ſitim ſedat; & ſic pro curandis catharrhoſis defluxionibus eſt vtiliſſima. Prodeſt pleuritidi: peripneumonicos iuuat. Vterum à ſorditie expurgat, agarici diluto permixta: & ventriculum, ſi cum terebinthyna, au hiera ſimplici Galeni redigatur in bolos. Diluitur in iure gallinæ, pulli, aut accommodato aliquo liquore, & ſæpe cum medicamentis expurgantibus permiſcetur.

CAPVT VII.

De Myrobalanis.

MYrobalani, vt refert Actuarius *lib. de compoſ. med. tit. de Myrobalanor. generibus*, fructus nobiles ſunt, qui ad nos ex Ægypto, Syriáque deportantur, carne corporis compacta, oſſe intus lignoſo. Quinque illorum ſunt genera. Alij enim ſunt citrini, flaui ſeu lutei; alij Indi; nonnulli Bellerici; alij Chebuli; alij denique Emblici, ſeu empelici. Lutei ex herbaceo colore flauent, ſpiſſi, ponderoſi, exili nucleo, cutéque craſſa præditi. Indi colore cæruleo, ſolidi, ſine nucleo, oliuæ forma. Chebuli cæteris ampliores, grauiores, ex fuſco rubeſcentes, & carnoſi. Emblici cute oſſibus inhærente præditi, lapillorum inſtar, colore in cinereum vergente. Bellerici emblicis ſunt maiores, rotundi, pyri figuram æmulantes.

Flaui præſtant: *In viridi flaueſcentes: ponderoſi: infarcti carne multa, & denſa: craſſi corticis: exigui oſſis: & ſi frangantur, gummoſi.*

Eliguntur Chebuli: *Craſſiores: colore nigro purpuraſcente: cortice craſſo: qui in aquam coniecti fundum, citò petant.*

Nam hæc grauitas multam carnem, eámque compactam, & illorum magnitudinem conſequitur.

Excellunt Indi: *Maximè nigricantes: magni: craſſi: ponderoſi: nullo intus oſſiculo: confracti, in vnum compacti cernuntur.*

Emblici laudantur: *Maiores: craſſiores: denſiores: ponderoſiores: minus oſſium, quàm pulpæ habentes.*

Bellerici præferuntur: *Craſſi: denſi: graues: cortice craſſo præditi.*

In vniuerſum antecellunt magni, graues, præditi multa carne & denſa, bene habiti, corpulenti. Qui rara carne conſtant, languidi ſunt, & inſita facultate carent. Bellerici, & Emblici rarò inueniuntur: quare pro Bellericis, citrinis; pro Emblicis, Chebulis vti poſſumus.

Refrigerant ordine primo, & ſecundo exiccant. Dantur teſtimonio Actuarij, contritorum, ſeu in puluerem redactorum ad pondus duarum, vel trium drachmarum. Meſuë in iis exhibendis audacior fuit: nam citrinorum puluerem à drachmis duabus vſque ad quinque; maceratorum verò à drachmis quinque ad drachmas decem, ægris ſuis propinat: quæ quantitas excedit nimis; quare legendum eſt, à ſeſquidrachma ad drachmas tres.

Omnes Myrobalani mediocriter aluum ſubducunt, & clementer expurgant, miniméque vires deiiciunt, imò cor, ventriculum, hepar, corpúſque reliquum confirmant. Vnum tamen habent vitium, quòd incommodi ſunt iis qui obſtructionibus ſunt obnoxij; frigidi enim ſunt, terreſtres, & compreſſione arctant. Senectutem tamen remorantur iis, qui eis frequenter vtuntur, faciei colorem viuidum reddunt, ori iucundum colorem conciliant, hilaritatem afferunt, viſcera roborant, profluentibus hæmorrhoïdibus ſuccurrunt, bilis feruorem compeſcunt. Citrini corporis æſtum refringunt, oculis robur præſtant, & illorum caliginem, & ruborem diſcutiunt, & ſic medicamentis ocularibus permiſcentur. Indi melancholiam expurgant, ac triſtitiam abigunt, vacuando humorem nigrum, qui eius cauſa eſſe conſueuit: quartanæ medentur: lepræ, & cutis vitiis auxilio ſunt. Chebuli pituitam expurgant, oculorum aciem illuſtrant, pectus repurgant; aquæ inter cutem, & febribus longis præſidio ſunt. Emblici pituitam educunt, ventriculum firmant, vomitum compeſcunt, reſolutis neruis, & lethargicis affectionibus medentur. Bellerici purulentis opitulantur, ſanguinem ex hæmorrhoïdibus profluentem conſtringunt, capillos fluentes ſiſtunt, & eos denigrant, ſi cum melle, & oleo amygdalino conterantur.

Vtimur illis in ſubſtantia, ſed in minori quantitate, quàm ſit in infuſo, prout *ſuprà cap. de rhabarbaro* dictum eſt: Nam in ſubſtantia exhibiti, qualitate, & compreſſione vacuant; & ſic eorum doſis erit à ʒ j. vſque ad ʒ iij. vt hoc modo:

℞. *Diapruni, diacathol. an. ʒ ß. cortic. myrobalanor. citrinor. ʒ j. ß. ſyrup. roſ. pallid. ex plurib. infuſ. violar. ex plurib. infuſ. an. ʒ j. ß. miſce, & cum aqua borag. fiat potus.* Hic potus in febribus bilioſis eſt vtilis valde.

In infuſione adminiſtrantur hoc modo:

℞. *Cortic. myrobalanor. citrinor. ʒ iij. infunde in decoctione bugloſſæ per ſpatium duodecim horarum, & poſtea reiecta corpulentia, adde ſyrup. perſic. ex plurib. infuſ. ʒ iij. diacathol. ʒ j. puluueris diarrhod. ϑ ß. fiat potio.*

Mirificè iuuant in compeſcendis fluxibus alui, & præſertim ſi modicè torrefiant: nam hoc modo ignis ope acrimonia omnis eſt exuta, & ſiquod empyreuma remanſit, facilè deinde lotione euaneſcit.

℞. *Cortic. myrobalan. ex tribus generibus ipſorum, ʒ ij. torrefiant modicè cum tragacantho: & deinde abluantur aqua plantag. reiecta lotione, adde ſyrup. roſ. rubear. ex plurib. infuſ. ʒ ij. ß. & cum decoct. flor. cordial. & hypociſthidos, fiat potus.*

Hic potus eſt eximius pro dyſenteria, & omnibus bilioſis fluxionibus alui, quia euacuat, inteſtina roborat, & fluxum compeſcit.

Vtimur etiam illis in infuſione, pro bilioſo humore vacuando.

℞. *Cortic. myrobalanor. citrinor. ʒ iij. infunde in decoctione aq. bugloſſ. per noctem: poſtea reiecta corpulentia, adde pulp. caſſ. ʒ j. ſyrup. violar. ex pluribus infuſ. ʒ ij. ß. pulu. diarrhod. Abbat. ϑ ß. miſce pro potu.*

Summè etiam iuuant ad acuendum viſum, & ſic forma collyrij adminiſtrantur: oculos enim à proprietate roborant.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 141 sur 927

℞. Aq. Euphrasiæ, Chelidoniæ, Ros. Vini albi odoriferi, an. ℥ iij. ß. Cortic. Myrobalanor. citrinor. ℥ ij. Tuthiæ præparat. ℥ j. Sarcocol. nutritæ, ℥ ß. Æruginis æris, ℈ vj. Bulliant omnia in vase vitreo in cineribus calidis ad tertiæ partis consumptionem, serua.

Quæro primò: Vtrùm antiqui Myrobalanos cognouerint? Prisci Myrobalanos nostros non agnouerunt, qui aluum deiiciendi facultate pollent: nam veterum myrobalani osse carebant, nostri verò ea habent. Illis vtebantur ad vnguenta componenda, & sic glandem vnguentariam nuncupabant; nostrorum verò nullus est in medicina vsus ad vnguenta: quo pacto toto cœlo aberrant, qui contrariam sententiam defendere conantur: nostri enim mediocriter expurgant; glans autem vnguentaria hanc facultatem minimè sortitur.

Quæro secundò: Vtrùm omnes Myrobalani, diuersarum arborum sint fructus? Mesuë *tract. de simplicib. tit. de myrobalan.* plurimùm præfert opinionem, existimantium citrinos, Indos, & Chebulos, eiusdem arboris fructus esse, sola maturitate, vel immaturitate dissidentes: ita vt citrini sint immaturi, Indi vero maturi, & Chebuli eiusdem arboris secundi sint partus in eodem anno proficiscentes. Diuersarum tamen esse arborum fructus, verosimilius est, quòd eorum facultates, & opera sint diuersa: deinde illi forma, magnitudine, & colore inter se sunt dissimiles; quidam enim sunt rotundi, alij oblongi, quidam flaui existunt, alij nigri.

CAPVT VIII.

De Sero lactis.

ETsi plurima de sero lactis proposita sint *lib. 2. hist. PP. Medic in com. hist. 109.* tamen pro complemento huius operis aliqua sunt addēda: Nam biliosum humorem serum lactis purgat, & nitrosa, qua præditum est, qualitate, intestina deterget, abluit, irritat, præsertim si sumatur in quantitate magna, & præparatum cum iis medicamentis, quæ bilem expurgant.

Eligendum est serum lactis caprini: nam hoc temperatum est, maximè si capra sit nigra, cuius caro, & lac suauitatem corpori conciliant, vt testantur Auic. *lib. 2. tract. 2. cap.* 145. Mesuë *tract. 2. de simplicib. tit. de aqua lactis.* Rhasius *vlt. contin. tract. 2. cap.* 172. Aëtius *tetrab. 1. serm. 2. cap.* 88. Nam nigriora sunt suauiora, iucundiora, præstantiora, & melius cocta, ex Gal. *6. epid. sect. 2. com.* 44.

Laudatur quòd in vere extrahitur; eo enim tempore capræ herbis vtilibus vescuntur, ex quibus lac probum generatur. Minùs laudabile quod æstate colligitur; herbæ enim quibus pascuntur animalia sunt exuccæ, & pastores capris, vt maiorem lactis largiantur copiam, salem offerunt, & sic sitientes copiosiùs bibunt, & lac hac de causa generant serosum nimis, quod vitiosum est.

Aperit natura sua, serum, incidit, abstergit, deobstruit, & sine morsu operatur; & cùm sit quasi temperatum, vel parum ad frigidum & humidum declinet, est materia omnium medicamentorum: quare morbis frigidis, & calidis remedio est. Quapropter pro expurgando humore melancholico, macerantur in eo per noctem folia sennæ, epithymum, polypodium, radix ellebori, myrobalani Indi, lapis lazuli, fumaria, &c. Pro vacuando humore bilioso, rhab. pulpa cassiæ, flores cordiales, myrobalani citrini, conserua violacea, semina frigida. Pro pituitoso humore, turbith, Agaricum, mechoaca, ialapa, hermodactylus, radix iridis, myrobalani chebuli, emblici, colocynthis. Si volumus causam morbificam vacuare per vias vrinæ, in sero infundimus diuretica. Si calidam iecoris intemperiem remouere est in animo, illi permiscemus folia cichorij, lactucæ, bugloss. borag. &c. & sic per epicrasin curatio celebrari debet.

Quæro primò: Vtrùm serum frigidum sit, an calidum? Vetus quæstio est, & à Veterum, Iuniorúmque scientissimis disceptata: Nam Galenus in hac re varius fuisse videtur, 4. enim *simpl.* 17. frigidum esse confirmat: sicut contrà 10 *simpl. tit. de sero lactis*, & 3. *de alim.* 15. calidum statuit, cui tota Arabum schola fidem adhibet. Dic, serum frigidum esse, & humidum: Cùm enim ex tribus diuersis substantiis lac componatur, atque ex his butyrum quidem temperatum, caseosa pars ad frigoris latus inclinet, si serum calidum esset, vniuersa lactis substantia, calida potius, quàm frigida diceretur, quod quàm falsum sit, nemo non videt.

Deinde si serum calidum esset, quò serosius, eo esset calidius, cùm tamen asininum, quod maximè serosum est, valde sit frigidum, alioqui præ cæteris in hectica non eligeretur. Est ergo serum à prædominio frigidum, licèt caliditatem habeat perexiguam, à salsuginosis partibus, quibus ipsum scatet, comparatam. Hoc modo violam, maluam, atriplicem, cichorium, lentes, ferrum, vocant Medici frigida, quæ etsi caliditatem participent inæqualem, sunt tamen frigida. Arabes autem partes calidas respexerunt, sicut Græci frigidas, & hac de causa vario modo de seri temperamento sunt loquuti.

Quæro secundò: Vtrùm serum aliquando sit chalybeandum? A iecoris intemperamento calido diarrhœam, aut dysenteriam oriri biliosam, nouum non est, quando scilicet hæc pars igneum humorem, & acrem ad intestina transmittit: tunc si frigida exhibeas, vt feruidus iecoris calor attemperetur, relaxas, debilitas intestina, & aluum ampliùs moues. Ex hac etiam causa sanguinis sputum cum tussi aliquando emanat, quod vt curetur, incrassantia sunt ex vsu, præsertim quæ squallidum iecoris calorem corrigant, atque emendent. Sec cùm inter ea quæ refrigerant iecur, & natiua quadam sorte eius ardorem leniunt, sit lactis caprini serum, & hoc prouocet aluum, videtur huic vsui esse ineptum. Quare vt vtrique succurramus, id chalybeare præstat, vt sic reddatur magis adstringens, fluxui compescendo & calidæ intemperantiæ curandæ vtilius. Obtrudes forsan, quòd liquores, vt aqua, ceruisia, lac, aut vinum chalybeentur, vt tenues partes & serosæ, ignis vi absumantur: at verò serum solùm ex partibus serosis totum componitur. Dic, quòd ferrum, seu chalybs facultatem adstringentem liquori communicant, & sic serum promptiùs aluum compescit. Ita docuit Galenus 10. *simpl. tit. de sero lactis*, §. *Porrò vbi aliam quampiam facultatem desiccantem habuerit adiunctam, optimum est remedium dysenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionum. Eam accipit à lapidibus, qui decocto ipsi iniiciuntur igniti. At nos iectis ferreis in ipsum cylindris candentibus, eandem, aut etiam meliorem facultatem efficimus: nam ferrum adstringentis quoque facultatis est particeps, &c.* Quare ferrum adstrictoriam vim sero communicat. Hoc consilium multò antea præmeditauerat Hip. *lib. 7. epid.* qui dysenteriam sero chalybeato persanandam esse prædixit, dum sic ait: *Eratolai filius circa æquinoctium autumnale dysentericus fiebat, & febris tenebat. Egestiones alui erant biliosæ, tenues, multæ, & moderatè subcruentæ, dolor autem ventris vehemens. Vbi serum, & lac bibisset, silice candefacta immissa, dolores, & subcruentæ egestiones moderatiores fiebant, &c.* Ergo serum lactis chalybeatum in alui fluxu bilioso, aut ex obstructione profecto, offerendum est, quia serum hoc modo paratum adstringit, & roborat.

CAPVT

CAPVT IX.

De Aſaro.

ASarum non eſt Baccharis, etſi plures huius notæ in Aſarò reperiantur. Porrò hoc, vt referunt Plinius *lib.12. cap.13.* Dioſcorides *lib. 1. cap. 9.* Nardum ſilueſtre appellatur, quia nardi vim habere videtur, & ſic Aſaro pro nardo vti extra rationem non erit.

Eligi debet Meſuæ teſtimonio: *Magna radice, Aromatica: Sapore acri parum ſtyptico.*

Dioſcorides facit calidum in ſecundo, & ſiccum in tertio: etſi Auic. *lib.2. tract.2. cap.4.* tertio ordine calidum & ſiccum conſtituat. Galenus illi vim purgatricem non conceſſit; ſiquidem *lib.8. ſec. loc. cap.2.* in hiera picra aſarum recipiente, ſolam aloëm, vim purgatricem habere ſcripſit: quare Græci, menſtrua tantùm, & vrinas mouere confirmant. Purgat, Meſuæ ſententia, vomitu, alui deiectione, & vrina, bilem, & pituitam ſimul: iccircò articulorum doloribus remedio eſt, infuſum, vel aliter exhibitum. Deinde attenuat, diſcutit, deobſtruit; ſcirrhoſis hepatis, & lienis tumoribus opitulatur; febres putridas diuturnas, icterum, ac hydropem ſanat: & ideò muſtum illius radicibus conditum, ſi poſt tertium menſem propinetur, hydropem, & ſplenem perſanat.

DISTINCTIO II.

De ſimplicibus medicamentis purgantibus pituitam.

CAPVT I.

De Turbith.

TVrbith à lunioribus turpetum appellatur: & eſt radix herbæ lactariæ, folia ferulæ ſimilia habentis, vt ſcribit Meſuë *cap. proprio.* Actuarius Pityuſæ radicem eſſe dicit, antiquioribus Græcis Medicis incognitam. Nec eſt Dioſcoridis tripolium, vt plures ſunt opinati, quòd nullo ſit prædituum odore, nec guſtui acre agnoſcatur; & radix tripolij ſit acuta, guſtuique feruens, & odorata. Alij è thapſiæ radicibus exemptum eſſe opinantur: ſed errant, quia thapſia lacteo ſucco non turget; turbith autem è planta eximitur, quæ lacteo ſucco madet.

Eligi debet, *Gummoſum: Album: Vacuum. Arundinoſum: Cortice cineritio: Recens mediocriter: Fractu facile: In locis ſiccioribus euulſum.*

Improbatur *Flauum: Nigrum: Craſſum: Graue: Cortice criſpo: Confractum neruos oſtendens.*

Eius duo ſunt genera, vnum Orientale: aliud verò terræ patrio nomine appellatum, quod infirmum eſt, & nullo modo cum Orientali conferri poteſt; ſed ſi illud non adſit, hoc eſt vtendum.

Medicamentum eſt ſatis effræne, & violentum: Nam ſtomachum ad nauſeam ſubuertit, viſcera labefactat, corpus extenuat. Quapropter cum eo permiſcenda ſunt Aromata, & ſtomachica, quæ corporis vires confitment, vt piper, Gallia moſchata, Zinziber. Antea tamen quàm eo vtamur, cortex ille cineritius inutilis ad album vſque abradi debet.

Datur eius pulueris à Meſuë drachma vna ad drachmas duas; decocti verò à drachmis duabus ad drachmas tres. Ordine tertio calefacit. Pituitam validiſſimè attrahit, & hac de cauſa chronicis ægritudinibus mirè ſuccurrit, aquæ inter cutem, Elephanticis, morbo gallico vexatis, articulorum doloribus: & à remotiſſimis partibus excrementa educit.

CAPVT II.

De Hermodactylo.

DE Hermodactylo variæ ſunt opiniones: veriſimilior tamen eſt illorum, qui Colchici radicem eſſe exiſtimant. Hic tres habet differentias: alius eſt albus, alius ruber, alius niger. Optimus tres habet conditiones, vt ſit albus intus & extrà; craſſa & carnoſa ſubſtantia præditus; & mediocriter durus.

Eligitur, *Candidus: Corpulentus: Plenus: Grauis: Non carioſus.*

Naſcitur in montibus: colligitur in vere: ſiccatur in vmbra: & conſeruatur per annos tres. Eſt calidus, & ſiccus in ſecundi gradus principio. Conſtat humiditate excrementitia flatulenta, quæ ventriculum ſubuertit, & cogit ad vomitum, & ſic inter medicamenta venenoſa à Dioſcoride numeratur, *lib.4. cap.86.* Quare eo non eſt vtendum nec ſolo, neque aliis medicamentis permixto, niſi priùs maximè corrigatur medicamentis cardiacis, quæ illius malitiam refrænare queant: & ſic pilulæ de hermodactylis ſuſpectæ ſunt, & rarò in vſum ducendæ.

Poteſt hoc medicamentum offerri iis, qui vires ſatis robuſtas habent: Nam ad vacuandos humores pituitoſos eſt vtiliſſimum, quos à diſtantiſſimis partibus natiua quadam proprietate exhaurit. Offertur in morbis diuturnis, hydrope, morbo Gallico, doloribus articulorum. Necat, & abigit potentiſſimè pediculos. Offertur per os in ſubſtantia, aut infuſione. In ſubſtantia ſic:

℞. Cathol. Diaphœnic. an. ʒ ß. Pulu. Hermodactyl. ʒ i. Syrup. de ſen. ʒ ij. ß. Galliæ moſchatæ Meſ. ∋ i. Miſce, & cum decoct. Aniſi, Cinnamom. Flor. Cordial. fiat potus.

In infuſione adminiſtratur hoc modo.

℞. Electuar. Indi minoris, Diaphœnic. an. ʒ v. Syrup. roſ. perſ. ex ix. infuſ. ʒ iij. Pulu. diarrhod. Abbat. ∋ ß. Cum infuſione. ʒ ij. Hermodactylor. fiat potus.

Extrà admouetur in modum pulueris, ad abſtergenda vlcera putrida, & ad carnem ſordidam abſumendam. Imponitur emplaſtri forma ad ſedandos dolores articulorum, tophaceóſque tumores in iuncturis pertinaciter impactos reſoluendos.

℞. Micæ panis, Farinæ hord. an. ʒ i. ß. ſem. lini ʒ ij. Olei roſ. Amygdal. dulcium, an. ʒ j. Vitellor. ouor. num. ij. Pulu. Hermodactyl. ʒ ß. Miſce, & cum decoctione Camomil. Radic. Althææ, Melilot. fiat emplaſtrum.

In ſubſtantia adminiſtratur, à ʒ j. vſque ad ʒ j. ß. in infuſione, à ʒ ij. vſque ad ʒ ij. ß.

CAPVT III.

De Agarico.

ETſi Dioſcorides *lib. 3. cap. 1.* referens priſcorum ſententiam, aſſeueret Agaricum eſſe radicem, & ſecundùm alios fungum in arboribus enatum; tamen Plinius *lib.16. cap. 8.* aſſerit, Galliarum maximè glandiferas arbores agaricum ferre, eſſéque fungum candidum, odoratum, antidotis efficacem, in ſummis arboribus naſcentem, noctu relucentem. Quare Meſuë *tract. de ſimplicib.* dicit eſſe fungum, aut arborum putreſcentium apoſtema. Appellatur Agaricum, quia in Agaria Sarmatiæ prouincia gignitur.

Duæ à Dioſcoride eius proponuntur differentiæ, mas, & fœmina: neuter adulterium patitur, ex Gal. *1. de antidot. 14.*

Eligitur, *Fœmina: Rotundum: Album: Poroſum: Rarum valde: Frangi facile: Leue: Dulce primo guſtu, mox amarum: Stypticũ, præcipuè ſumma corporis ſuperficie.*

Malum his notis cognoſcitur: *Mas: Longum: Nigrum: Durum: Denſum: Graue: Et in fragmentis, ceu*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 143 sur 927

villos neruorum ostendens. Paulus *lib.7. cap.4.* Agaricum A eligit, quob albissimum est, vehementer fragile, non valde lignosum.

Agaricum, ex Arabum sententia, primo ordine est calidum, & secundo siccum. Medicina familiæ à priscis vocatur, vel quia toti membrorum familiæ opem ferat; vel quia ita innoxium est, vt cuicunque ex familia, nullo prorsus ætatis seruato discrimine, possit commodè offerri; vel quia familiare est, & nostri corporis partibus amicum. Mesuë eius puluerem ab vna drachma ad duas vsque dare permittit. Paulus duas drachmas exhibet cum melicrato. Sequitur Actuarius *lib. de compos. med. tit. de simpl. med. purgantib. §. Agaricum pituitam, & bilem, sed non celeriter pellit: dantur binæ drachmæ cum aqua mulsa, vel aceto mulso.* Galen. 7. *simpl.* pondere vnius drachmæ cum vino diluto potandum consulit. B

Pituitam valenter expurgat: cerebri affectibus mirificè opitulatur; pectus, & vterum expurgat. Quare valet contra antiquam cephalalgiam, vertiginem, morbum comitialem, lethargum, & alios pituitosos cerebri affectus. Sanat asthma, & spirandi difficultatem: icterum curat, cutis floridum colorem reddit. Attamen stomacho aduersatur, & ingrato amarore illius orificium præsertim eximio sensu præditum lædit, & sua leuitate innatans, subuersionem, nauseam, & vomitum concitat.

Mesuë ob id, variis modis corrigendum esse docet: sed optimus præparandi modus est cum oxymelite, zinzibere, & sale gemmeo, in hunc modum: C

℞. *Agarici*, ʒ iij. *zinziberis*, ʒ j. *salis gemmei*, ʒ ij. *oxymelitis, q. s.*

Sed hic modus præparandi cum sale gemmeo non videtur vtilis, quia ventriculo infestus est, cuius vires eneruat, etiamsi agarici vis eius permixtione acuatur. Quo pacto præstantior est eius correctio, quæ fit cum vino albo, in quo zinziber maceretur; & præparationem hanc fuisse traditam à Galeno, Mesuë *loc. cit.* inculcat, quem locum apud eum mihi videre non licuit, nisi dicamus eam esse, cuius ipse meminit, *6. sec. loc. cap.10.* quando ad vteri strangulatus vtile esse ait, agarici drachmam in potu ex vino acceptam exhibere: Nam hoc loco non videtur vinum offerre ad vteri suffocationem persanandam, sed ad corrigendum agaricum: Vinum enim in strangulatione vteri noxium est D valde, quia odoriferum, & sic ad superiores partes vterum conuocat, vt firmat Auic. *22. 3. tract. 1. cap. 19. in fin. §. Et caue ne ei des in potu vinum, quoniam aqua est conuenientior.*

Constat agaricum substantia duplici, aërea superficiaria, dulci primo gustu percepta; & terrea styptica, sed tenui, quia in hac exuperat vis ignea, à qua amaror scaturit. Ob has facultates, incidit, tenuat, deobstruit, flatus discutit, vermes necat. Est cardiacum medicamentum, & sic in theriacæ compositionem ingreditur. Quare intrò assumptum veneno reluctatur apprimè, & morsos, aut compunctos à bestiis frigore lædentibus strenuè iuuat, & extrà parti affectæ impositum, cum alexiteriis commixtum summè prodest, præsertim si E recens sit: nam inueteratum, & omni prorsus dulcedine orbatum, amaritudineque intensa constans, venenum pernicioſum est.

Pluribus modis administrari solet, in substantia, vel infusione: & quando in substantia, eius quantitas est à drachma vna vsque ad duas: in infusione verò est vsque ad drachmas quinque. Exemplum primi sit:

℞. *Agarici trochiscati cum vino zinziberis*, ʒ j. *diaphœnic.* ʒ j. *syrup. de senna* ʒ ij. ß. *pulu. diarrhod. Abbat.* ϑ j. *misce, & cum emulsione sem. carthami fiat potus.*

In iis verò qui sunt ad vomitum parati, commodius administratur, in infusione, & sine emulsione sem. carth. Et fit hoc modo:

℞. *Agarici trochiscat. cum vino zinzib. in ligatura facta supra decoctionem fol. sen.* ϑ ij. *reiecta mane corpulentia, adde syrup. de sen.* ʒ ij. *elect. Indi minor.* ʒ vj. *pulu. spicæ* ϑ ß. *misce, fiat potus.*

Offertur autem etiam instar formæ pilularum:

℞. *Agarici* ϑ ij. *hermodactylor.* ϑ ß. *aloës*, ϑ j. *cum q. v. diagridii, fiant pilulæ* vij. *& deorentur.*

Est mirabile auxilium ad prouocandum vomitum, si offeratur in principio accessionis quartanæ, assumptione veneni, & aliis affectibus quibus vomitus vtilis est.

℞. *Decoct. camomil. aneth. melilot. sem. raphan.* ʒ viij. *agarici trochiscat.* ʒ ij. *theriac. magnæ antiq.* ʒ j. *misce, tepidum offeratur.*

In colico dolore, & aliis cerebri frigidis affectibus summoperè prodest clysteris formâ inditum. B

℞. *Decoct. betæ, parietar. camomil. rutæ, pulegij, sem. fœnicul. melilot. sem. lin. saluiæ, betonicæ,* ʒ xij. *hieræ picræ, benedict. laxatiuæ, an.* ʒ v. *agarici trochiscat. hier. simpl. Gal. an.* ʒ ß. *salis gemmei* ϑ ij. *misce pro clystere.*

Inditur etiam intra vterum pessarij forma: Nam pituitam euacuat ex vtero, menstruaque remorata accelerat.

℞. *Antidoti Hæmagogi, theriac. magnæ, an.* ʒ j. *agarici trochiscat.* ʒ ß. *hier. simpl. Gal.* ϑ ij. *misce, & fiant pessaria, longitudine sex digitorum, filo appensa.*

CAPVT IV.

De Iride.

ETsi nomen Ireos de tota planta dicatur, nunc à Medicis pro radice sumitur. Est ergo radix lilij cærulei, cuius duas species cognouit Galen. 1. *de antid. cap.* 12. quarum quædam dicitur Illyrica, alia Lybica, seu Africana nuncupatur; & hæ inter se ita differunt, quantum à viuo corpore mortuum.

Eligitur, *pumila, & densa radice constans: frangenti contumax: subrufo colore: gustu amaro: odore perquam syncero: nullum prorsus situm redolente.*

Est calida, & sicca in tertio gradu. Pituitam crassam, & bilem illi admixtam, serosasque humiditates clementer euacuat; humorem viscidum & lentum, in pulmone & thorace concoquit, attenuat, ac proinde attrahit. Huius succus, ab Hydropicorum aluo, si per aliquot dies administretur per os, seroſos & aquoſos humores euacuat; & per nares immissus cerebri pituitam expurgat: quare inueteratis capitis affectibus remedio est. In Ischiade pro clystere administratur. In ore gestata, oris fœtorem emendat, & si coquatur in aceto, & cum ipso os abluatur, dentium dolorem remittit à frigida causa contractum. Strumas, & scirrhoſos tumores discutit. Ipsius decoctum menstrua mouet, & abortum concitat. At ventriculo noxia est, ideò mulsa, rhodomelite, mastiche, & spica corrigi solet. Intus, & extrà applicatur. Intus in substantia, aut in decoctione, aut succo: & quando in substantia, quantitas est à drachma vna ad drachmas tres, v.g. sic.

℞. *Pulu. radic. iridis* ʒ j. ß. *diacatholici*, ʒ j. *syrup. eupatorij.* ʒ ij. *misce, & cum emulsione*, ʒ iiij. *sem. carth. & cum* ϑ j *pulu. spicæ nardi, fiat potus.* E

Pro hydropicis administratur sic in succo:

℞. *Succi radic. iridis*, ʒ j. *pulu. spicæ nardi*, ϑ j. *aq. mulsa*, ʒ vij. *misce, fiat potus.*

Etiam mirabilis fit conserua pro vacuanda aqua hydropicorum, & alternis diebus propinatur per mensem, fitque hoc modo:

℞. *Radicis iridis excorticatæ*, ℔ j. *mellis* ʒ xiiij. *fiat conserua, eo modo quo fit conserua citoniorum.*

Non minoris vtilitatis est, tertio quoque die porrigere ægrotanti hoc decoctum:

℞. *Decoct. radicis iridis*, ʒ iiij. *mellis rosati* ʒ i. ß. *radic. ebuli.* ʒ ii. *Misce.*

Purgat

Purgat pari modo aquam hydropicorum hic potus:

℞. *Sem.cartham.conquaſſati,* ʒ iij. *radic.ireos,* ʒ j. *cinnamom.* ʒ ß. *infunde per noctem,in* ℥ iv. *ſeri lactis.*

Vtimur etiam hac radice ad vlcera ſordida mundificanda.

℞. *Rhodomel.* ʒ ß. *pulu.thuris, myrrhæ, iridis, an.* ʒ j. *Miſce.*

CAPVT V.

De Mechoaca.

RAdix eſt ante paucos annos reperta in prouincia Mechoaca dicta,ſimilis viti albæ, ſeu bryoniæ.

Eligi debet. *Alba: magna: ponderoſa: recens: inſipida: gummoſa.*

A Bryonia differt multùm, quia hæc radix,viridis,& ſicca,admodum acris eſt;Mechoaca verò eſt inſipida,& ſine acrimonia. Hoc medicamentum calidum eſt, & ſiccum in gradu ſecundo; & in qualitatibus ſecundis, contrariis partibus conſtat,ſolutiua nimirum,& adſtringente: quare partes non debilitat, verùm ipſas corroborat. Clemens medicamentum eſt,& ſic turò in omni ætate, ſexu,& temperamento,& quouistempore poteſt exhiberi.

Propinatur infuſa in vino,aqua,ceruiſia, aut liquore alio, ſemper tamen puluis aniſi,aut cinnamomi permiſcendus:nam flatus excitat,& quandoque ob hanc cauſam viſcera diſtendit:vel infunditur in vino, & reiectâ ſubſtantiâ infuſum exhibetur. Euacuat pituitam, quam incîdit, attenuat, atque viſcera deobſtruit. Quare conuenit in obſtructionibus hepatis, vteri, lienis, ventriculi,meſenterij, quas partes roborat; & earum intemperantiam frigidam corrigit. Propinatur in icteritia, cachexia, hydrope. Prodeſt in capitis affectibus frigidis, hemicrania, vertigine, epilepſia, diſtillationibus frigidis, articulorum doloribus, cardiaca paſſione, colico dolore, vrinæ ſuppreſſione, vteri ſtrangulatu,cutaneis morbis, difficultate ſpirandi,productis febribus,& præſertim in morbo Gallico. Doſis in ſubſtantia eſt vſque ad ʒ ij. & in infuſione vſque ad ʒ iij. conceditur, in forma pilularum.

℞. *Mechoacæ,* ʒ iij. *cum rhodomelite, fiant pilulæ.*

Vel fiunt tabellæ hoc modo.

℞. *Pulu.mechoacæ,* ʒ iij. *pulu. aromatic.roſ.aniſi, cinnamom.an.* ϑ j. *pulu.fol.ſen.hermodactyl.an.* ϑ j. ß. *ſacchari q. ſ.fiant tabellæ ſec.artem.*

Miſcetur etiam cum aliqua conſerua, vel roſacea, borrag.vel violacea.Vel in ſubſtantia.

℞. *Pulu.radic.mechoacæ,* ʒ j. *diacatholici,* ʒ v. *ſyrup. violar.ex* ix. *infuſ.* ℥ ii. ß. *miſce, cum aqua fœniculi, fiat potus.*

In infuſione ſic:

℞. *Pulu.mechoacæ, infuſa in infuſione* ʒ iv. *fol. ſen.* ʒ ij. *reiecta manè corpulentia, adde: diaphœnic.* ℥ j. *ſyrup. de ſenna,* ℥ ij. *miſce, fiat potus.*

Experimento autem cognoui, & fœliciſſimè vſus ſum in frigidis affectibus, præſertim in delicatulis,aqua ſtillatitia radicis huius, cuius vnciæ binæ mirè ventrem exonerant, & fit hoc modo:

℞. *Radicis mechoacæ minutim inciſæ,* ʒ viij. *fol.ſen.* ℥ ij. *aquæ vitæ ex generoſo vino,* ℔ iij. *aquæ ſtillatitiæ, flor.ſambuci,* ℥ iv. *aquæ ſtillatitiæ rad.ebulor.* ℥ ij. *Omnia in vaſe diſtillatorio per menſem includantur, & deinde diſtillentur in balneo Mariæ.*

Ialapa, alia eſt radix, quæ ex Occidentali India ad nos conuehitur, & à quadam Prouincia, Ialapa nominata nomenclaturam habet. Calidum medicamentum eſt, & ſiccum in gradu ſecundo. Hæc in eoſdem vſus adminiſtratur, & in iiſdem morbis eodem modo oblata maximam prærogatiuam ſortitur. Ex hac cum mechoaca fiunt tabellæ, quibus expurgantur qui alia medimenta renuunt.

℞. *Pulu.ialapæ,mechoacæ,an.* ʒ ij. *pulu.aromatic. diarrhod.Abbatis,diamoſchi dulcis,an.* ʒ j. *diambræ,Gallia moſchatæ meſ.confect.hyacinth.an.* ϑ ß. *cum ſacchari q.ſ.fiant tabellæ* xij. Quarum vna ab ægro quotidie aſſumatur: vel ſi aluus nimis reſpondeat,tertio quoque die offerri poteſt.

CAPVT VI.

De Colocynthide.

COlocynthis apud omnes notiſſima planta eſt,quæ, vt inquit Dioſcorides *lib.4. cap.*158. ſarmenta, & folia ſatiuo cucumeri ſimilia emittit, vehementer repentia: fructum in orbem circumactum,& in ſpeciem mediocris pilæ conglomeratum,ſummè amarum.Hæc, cucurbita ſyluestris,ab aliis fel terræ appellatur,ab Arabibus mors plantarum dicitur,eò quòd herbas ſibi vicinas veneni inſtar ſic internecat, vt vicina ſibi terra videatur aduſta. Duo igitur genera à Meſuë ponuntur, mas nimirum,& fœmina. Mas foris eſt lanuginoſus,nigricans,durus,ſubaſper,grauis.Fœmina contrariis qualitatibus eſt conſtituta.

Eligitur, *Fœmina: magna: exactè matura: alba:leuis, ſeu glabra: rara: leuis: quò enim leuior, eò melior:collecta ex agro laxo: arenoſo: libero: tempore autumni, cùm langueſcente virore cœperit in luteum mutari colorem: medulla interiori albiſſima: rara: leui.*

Mala eſt immatura, & dictis qualitatibus deſtituta. Peſſima,ac venenoſiſſima,quam tota vna planta vnicam produxit;ſed ea correcta meritò vti poſſumus, cùm valenter craſſos humores educat, & morbis contumacibus remedio ſit,præſertim ſi tenuiſſimè triturtetur:nam ſic eius vis malefica,dum multùm in puluerem euolat, obtunditur, & per inteſtina celeriùs permeat: quia ſi portiones quædam craſſiores ſenſu perceptæ ſumantur, ventriculi fibris adhærebunt, humoréque inibi reperto imbutæ tument, & exulcerant. Ita ſentit Paulus *lib.7. cap.4.* & Aüic. *lib.2. tract. 2. cap.* 127. ſic inquit: *Et oportet vt in eius contritione ad ſummum perueniatur, & non decipiatur aliquis credendo quòd ipſa ſit valde trita; pars enim eius minima in ſenſu,quum inuenit humiditatem, inflatur, & adhæret partibus ſtomachi, & inuolutionibus inteſtinorum, & apoſtemat. Quare oportet, vt cùm teritur, hydromel infundatur, deinde ſiccetur, & conteratur.*

Hoc medicamentum calefacit, & exiccat in gradu tertio.Hoc ita eſſe,acredo, inſignis amaror, & effrænis expurgandi vis apertè demonſtrant. In quantitate dubij ſunt auctores. Datur Meſuæ teſtimonio à ſiliquis ſex, ad decem. Actuarius ſcrupuli pondere exhibet. Dioſcorides quatuor obolorum quantitate offerendam eſſe docet.Sed violentum medicamentum eſt, corpúſque exagitat vehementer, cuius vehementia maſtiche, & Galliâ moſchatâ corrigenda eſt.

Pituitam validiſſimè euacuat, & ex neruoſis corporibus humorem craſſum exhaurit: quare plurimùm iuuat in capitis,thoracis, & articulorum morbis diuturnis. Balanis, & clyſteribus inditur,ſed frequentior eſt eius vſus in hiera diacolocynthidos. Per ſe ſola offerri non debet: nam fauces,& guttur vehementi incendio vexat,corpus inflammat, viſcera dolore conturbat, abradit inteſtina, ora venarum aperit, & dyſenteriam molitur. His damnis, lacte bubulo, & butyro recenti occurrendum eſt. Ideò correcta intus aſſumitur, & exterioribus partibus imponitur. Intus, in modum potus & pilularum.

℞. *Diacathol.Diaphœnic.an.* ℥ ß. *trochiſcor. alhandal.* ℈ iv. *ſyrup.de ſen.* ʒ ij. ß. *pulu.diarrhod. Abbat.* ϑ j. *miſce, cum aqua bugloſſ.fiat potus.*

In morbo Gallico,& Iſchiade,in modum pilularum offerri ſolet.

℞. *Pilular.cocciar.fumar.an.* ϑ ij. *trochiſcor. alhandal.*

℈ v.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 145 sur 927

ℊ v. *miſce, formentur pilulæ, & decorentur.*

Prodeſt etiam maximè oleum Colocynthidis iniectum intra aures, quando aurium dolor, & tinnitus ægrum infeſtant, quod fit exempta à fructu pulpa, & cauitate oleo repleta, ac mox in cineribus cum oleo aſſata. Hoc, præterquam quòd canitiem retardat, & nigros capillos reddit, omnibus neruoſarum partium doloribus ex frigiditate contractis remedio eſt.

Potentiſſimè vermes necat, forma emplaſtri vmbilico illita, vt:

℞. Aloës ʒ ij. ſemin. Alexandrini, colocynthid. an. ʒ j. pulu. abſinth. ʒ ß. fellis taurini, ℥ j. olei abſinth. ʒ ij. ß. mellis communis, ʒ ij. farin. lupinor. ϑ j. ſucci allij, ʒ ß. cornu ceruini præparat. ϑ j. miſce, & ſec. art. fiat linimentum.

CAPVT VII.

De ſemine Carthami.

INter alias ſpecies Carthami, domeſtica, ſeu ſatiua numeratur, cuius ſolo ſemine vtimur. Eſt calidum, & ſiccum in gradu ſecundo: cuius ſuccus emulſione extractus, & aliis rebus permixtus, pituitam, & ſeroſas humiditates hydropicorum euacuat, primam regionem exhaurit, & à pituitoſis humoribus repurgat, ſi exhibeatur cum aliis medicamentis, in decocto, vel infuſione. Prodeſt aſthmati, dolori colico, febribus diuturnis ex pituitoſo humore ſubortis, aſperam arteriam, & thoracem lenit. Per ſe aſſumitur ab ʒ j. vſque ad ʒ iij. At verò ſi aliis medicamentis admiſceatur, pro maiori, vel minori actiuitate illorum, eius quantitas minuitur, vel augetur. Ventriculum peruertit, & nauſeam concitat, ſed eius noxa corrigitur aniſo, galanga, cinnamomo, & cardamomo.

Probatur *Album: plenum: craſſum: planum: cortice tenaci conſtans: medulla pingui.*

CAPVT VIII.

De Euphorbio.

LIcèt Euphorbium rarò in vſu adminiſtretur à Medicis, quia calidiſſimum medicamentum eſt, & igneo feruore incendit, tamen aliquando in deſperatis morbis eo vti eſt opus, permixto cum aliis, quæ eius incendium refringant, & partes noſtri corporis tueantur. Hoc, eſt ſuccus facultate calidiſſimus plantæ cuiuſdam ſpinoſæ in Mauruſiorum terra naſcentis, vt inquit Galenus *lib. 9 ſec. loc. cap. 4.* Duo huius ſucci genera poſuit Dioſcorides, *lib. 3. cap. 78.* Vnum orobi magnitudine, quod ſarcocollæ modo emicat: alterum in ventriculis concreſcit, atque vitrum repræſentat.

Eligi debet *leue: fragile: clarum: colore pallido: acerrimum in ſapore, & odore.*

Vetus recenti eſt inferius. Cognoſcitur, ex Gal. *3. ſec. loc. cap. 4.* ſi flauius ſit, durius, pallidius, ſiccius. Durat probè ſeruatum vſque ad tertium annum. Vrentis facultatis eſt, & calidum, & ſiccum ordine quarto: quare rarò offertur per ſe, ſed correctum maſtiche, aut tragacantho. Arabes illi vim purgatricem aſſignarunt, edocti ab Actuario, qui *lib. de compoſ. medic. tit. de ſimpl. medicamentis purgantibus*, ſic ait: *Euphorbium pituitam ſubducit, ſed potius aquam. Eſt autem acerrimum, & maximè vi ignea flagrans; vnde colicis, & aluum frigidiorem habentibus datur; cæteros vehementer conturbat, ac ſitim maximè mouet. Nonnihil autem ex odoratis ſeminibus ei eſt miſcendum. Modus triobolaris ex aqua mulſa. Præſtat autem cum melle cocto in catapotia redigere.* Hoc affirmant Meſuë *prop. cap.* & Serapio *cap. 343.*

CAPVT IX.

De Eſula.

ESula ſpecies eſt herbarum lactariarum, cuius duæ differentiæ ab auctoribus aſſignantur, alia magna, alia parua. Illa conſtat radicibus rotundis, magnis, denſis, graui, ſiue craſſo cortice intectis. Parua, radiculis exiguis, tenui cortice obuolutis prædita eſt.

Eligitur *Parua: cortice radicis tenui: leui: friabili: ſubrubro, caſſiæ ligneæ modo: collecta veris initio: in vſum veniens poſt ſex menſes à collectione.*

Improbatur *Magna: recens: nigra: orta loco aliquo, prope thermas, vel propinquo ſerpentum cauernis.*

Magna ab vſu Medicinæ exploditur, quia Meſuæ auctoritate, eſt pernicioſa, viſcera exulcerat, & prorſus venenoſa eſt, & partibus præcipuis maximè eſt infeſta, quas promptiſſimè excoriat. Ob hanc cauſam in aceto priùs macerari debet, in quo cotonea mala, aut myrobalani priùs maduerint, vel efferueſcant. Alij per diem in lacte macerant, idque bis, aut ter permutant, vt eius ſiccitatem corrigant.

Calefacit hoc medicamentum ordine tertio, & ex mente Pauli *lib. 7. cap. de tithymalis*, gradu quarto, cùm eſula ſub tithymalorum genere contineatur. Datur à Meſuë cortex radicis, à ſiliquis duabus vſque ad ſiliquas ſeptem; lac verò à ſiliqua vna vſque ad tres. Strenuiſſimè purgat pituitam; ſeroſitates, & atram bilem à partibus diſtantiſſimis educit: quo pacto prodeſt hydropi, apoplexiæ, & omnibus vitiis, quæ à pituitoſis humoribus ſcaturiunt.

CAPVT X.

De Caſtoreo.

SI odori, guſtuique animum aduertas, procul dubio Caſtoreum humano generi infeſtiſſimum eſſe iudicabis: ſed adeò generoſum medicamentum eſt, vt Archigenes de eius vſu integrum librum conſcripſerit, vt *lib. 11. ſimpl.* retulit Galenus. Nam crudos, craſsóſque humores concoquit, & diſcutit; & plurimis perniciosiſſimis morbis remedio eſt, vt *3. ſec. loc. cap. 1.* ac *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 9.* Galenus & Plinius *lib. 32. cap. 3.* edocent; ita vt hoc ſolo præſidio ebibito, & exteriùs applicito plurimos à morte euaſiſſe affirment. Hoc modo in curatione lethargi id collaudat, *13. meth. cap. 21.* Pituitam enim per aluum expurgat, monente Galeno, *lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap. 3.* dicens: *Catapotia ex Caſtoreo aluum ſoluunt.*

Eſt autem Caſtor, animal amphibium, quod in terris, & aqua vitam ducit: Fiber à Latinis, Caſtor à Græcis appellatur, cuius deſcriptionem tradunt Dioſcorides *lib. 2. cap. 22.* Ariſt. *8. de hiſt. animal. cap. 5.* Cuius teſtes in vſum veniunt, & eligi debent: *Qui ex vno ortu conuexi ſunt: præditi intus liquore veluti ceroſo: odore graui, & virus redolente: guſtu acri, & mordente.*

Eſt calidum medicamentum in fine tertij, vſque ad quartum, & ſiccum in gradu ſecundo, ex Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 125.* Et propter vehementem calfaciendi vim opio permiſcetur, vt huius in refrigerando vehementiam retundat, vt *3. ſec. loc. cap. 1. & 8. eiuſd. cap. 13.* docuit Galenus. Deinde ſerpentum veneno remedio eſt, menſes mouet, partum accelerat, & veternoſos excitat, ſi intra nares eius puluis immittatur: Et in vteri ſtrangulatu mirificè iuuat naribus appoſitum; ſuo enim tetro odore vterum ad ſuperiores partes repentem, ad inferiores deturbat. Quapropter prudentes fœminæ frequenter hoc affectu vexatæ, ſacculum paruulum huius medicamenti puluere plenum in collo geſtare ſolent, & aſſiduè naribus apponunt, vt ſeſe à tanto malo præſeruare poſſint. Imponitur in declinatione lethargi,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 146 sur 927

©BIUM

thargi,ad humorem diſcutiendum in bregmate, oxyrrhodini forma hoc modo :

℞. *Olei camomil.* ℥ ij. ß. *caſtor.* ʒ j. *aceti ſcillitici,* ʒ ß. *miſce.*

Ad purgandum exhibetur,à ℊ.v.vſque ad xij. in lethargo, cæteriſque conuulſoriis affectibus, vel per ſe, vel diſſolutum cum capitalibus decoctis.

℞. *Maſſæ pilul.aggregat.& cochiar.an.* ʒ ß. *pulu. caſtorei,* ℊ. viij. *cum rhodomelite, fiant pilulæ* vij. *& deco-rentur.*

Vel ſic :

℞. *Decoct. fœnicul. petroſelini, aſparagi, hyſſopi, meliſſæ:* ℥ vj. *caſtorei,* ℊ.vij. *ſyrupi de ſtœchade* ℥ ij. *fiat hauſtus vnus.*

CAPVT XI.

De Galbano.

GAlbanum, ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ. Ferula è qua naſcitur,auctore Theophraſto *lib.* 9. *de hiſt.plant. cap.*7. Pacum barbaro nomine nuncupatur,vt referunt Dioſcorides *lib.*3.*cap.*79. Galenus *lib.*8. *ſimpl.*Plinius *lib.*12.*cap.*25.

Eligitur, *Cartilaginoſum : merum : thuris effigiem præbens : pingue : minimè lignoſum : graui odore : nec valde humidum : nec nimis aridum.*

Ob hunc grauem odorem ſtrangulatas ab vtero ſuſcitat,10.*ſec.loc.cap.vlt.* Quo fugari ſerpentes certum eſt, & eo accenſo culices exterminari, Plinius docuit *loc.cit.* Calefacit ordine tertio, & deſiccat ſecundo. Quare concoctorium,& diſcuſſorium medicamentum eſt,ex Gal.4.*ſec.loc.cap.*4. Et licèt auctores id purgandi facultatem obtinere non aſſeuerent, tamen iiſdem viribus, quibus cætera gummi pollere, apud me certum eſt, vt ſequentibus capitibus patebit manifeſtè.

CAPVT XII.

De Sagapeno.

SAgapenum,ab Arabibus dictum ſerapinum, ſuccus eſt ferulæ cuiuſdam panaci ſimilis, vt 1. *de antidot. cap.*11 & *lib.*2.*cap.*18. confirmat Galenus.

Probatur Dioſcoridis teſtimonio,*lib.*2.*cap.*77.*Tranſlucens : fuluo forinſecùs colore, & intus albo : guſtu acri: odore porri : leue : ſubſtantia craſſum.*

Eſt calidum in ordine tertio, & ſiccum in ſecundo. Solutione educit humores viſcoſos, vt firmat Meſuë,& præſertim ex pulmone;ſed per aluum craſſos vacuat,& ſic miſcetur cum pilulis expurgantibus,vt de colocynthide,euphorbio, & iis quæ de Sagapeno appellantur. Per ſe ſumptum offertur à drachma ſemiſſe, vſque ad drachmam vnam.

CAPVT XIII.

De Ammoniaco.

AMmoniacum ſuccus eſt ferulæ,quam iuxta Cyrenen Africa gignit, vt inquit Dioſcorides *lib.* 3. *cap.*8. Eſt calidum in prima parte tertij gradus, & ſiccum in primo. In emolliendo obtinet principatum, ex Galen.6.*ſec.gener.cap.*8. Purgat Serapionis auctoritate, *cap.* 258. pituitam viſcoſam, & confert aquæ citrinæ quando bibitur. Exhibetur eadem quantitate quâ Sagapenum.

Eligitur, *Benè coloratum : ligni, & calculorum expers: thuris ſimilitudine : minutis glebis : denſum : ſyncerum: nulla ſorde conſpurcatum : guſtu amarum.*

CAPVT XIV.

De Sarcocolla.

SArcocolla lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis,pollini thuris perſimilis, colore rufa, guſtu amara,vt ſcribunt Dioſcorides *lib.*3.*cap.*81. Gal.*lib.*8. *ſimpl.* Plinius *lib.*24.*cap.*14. Meſuës ſecundo ordine calidam eſſe, & minùs ſiccare dixit.

Probatur, *Thuris modo alba : calculorum expers : ſincera: amara.*

Datur à drachma vna vſque ad duas. Purgat pituitam craſſam,crudam,& humores alios viſcoſos, præcipuè à cerebro, neruis, iuncturis, articulis, pulmonibus. Quare Aſthmaticis, & tuſſientibus remedio eſt. Ophthalmiam,& alios oculorum morbos mirè iuuat,& nutrita aſinino lacte quinque dierum ſpatio, collyriis inditur, nam fluxiones maximè ſiſtit. Deinde ſarcocolla concoquit,& diſcutit,ex Gal.4.*ſec.loc.cap.*4. Quare vlceribus malignis medetur,ex Gal.*lib.*4.*ſec.gener.cap.*1.

CAPVT XV.

De Opopanace.

OPopanax eſt ſuccus herbæ, quæ panaces Heraclion dicitur.Conſtat foliis aſperis,in terra iacentibus, coloris herbacei, multùm ad ficulnea accedentibus, floribus anethi modo in vmbella diſpoſitis,odoratis, flauis; ſecto autem caule, digitis duobus,aut circiter ſupra radicem liquor effluit flauus,qui coagulatus eſt Opopanax.

Optimus autem eſt, *Quàm amariſſimus : internè albus, aut ſubfuluus : foris ad cxoci colorem inclinans : leuis : pinguis : friabilis, tener : ſtatim in aqua eliqueſcens, graui odore.*

Purgat Serapionis auctoritate, *cap.* 252. pituitam craſſam à remotis partibus, cerebro, neruis, ſenſoriis, thorace,iuncturis : ideò harum partium frigidis affectibus prodeſt,& tuſſi antiquæ,difficultati ſpirandi,iſchiadi, gonagræ, podagræ mirè opitulatur.

CAPVT XVI.

De Reſina terebinthina.

REſinæ à multiplicibus arboribus ſtillant, quæ numero ſeptenario comprehenduntur, terebinthus, lentiſcus, larix, pinus, abies, cupreſſus, & ſtrobylus: quare totidem reſinæ extrahuntur, terebinthina,laricina,pinea, picea,abietina,cupreſſina,ſtrobylina. Omnes hæ calefaciunt, exiccant, emolliunt, diſcutiunt, & expurgant,ex Gal.3.*ſec.gener.cap.*2.

Omnium moderatiſſima, & mitiſſima eſt terebinthina,ex Gal.1.*ſec.gener.*12. & 2.*eiuſd. cap.*2. Et iccircò alias in abſtergendo, & expurgando antecellit. Terebinthina ergo reſina, & abietina facillimè ventrem expurgant, ventriculum, iecur, lienem, pulmonem, vterum,renes,& veſicam ; quare in harum partium affectibus frigidis ſummo ſunt auxilio.

Eligitur, *Pura : pinguis : odorata : ſubrufa. : reſinoſa: ſplendeſcens : leuis.*

Exhibetur à drachmis duabus vſque ad vnciam vnam.Vario modo offerri ſolet,præſertim in renum,& thoracis vitiis, quippe vt firmat 5. *de ſanit. tuend.cap.*9. Galenus. *Reſina quæ vocatur terebinthina, non ſolùm pulmonem, verùm renes abſtergere, & vacuare poteſt,&c.*

Cùm verò ſit horrida, rarò per ſe ſola in potum exhibetur, & ſic vario modo propinari ſolet.Nam redigitur in bolos cum aliis electuariis,vel per ſe,vt ſic:

℞. *Terebinthinæ abietinæ,* ℥ j. *cum ſaccharo fiant boli.*

Vel:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 147 sur 927

Vel:

℞. *Pulp.cass.* ʒ iij. *terebinthin.* ʒ iv. *diaphœnic.* ʒ j. ß. *cum puluere glycyrrhizæ, fiant boli.*

Assumitur etiam dissoluta cum oleo amygdal. dulcium, vitello oui, & saccharo. Sed præsertim redigitur in pilulas, quæ maiori facilitate ab ægrotantibus assumuntur.

℞. *Terebinth. abietin.* ʒ j. *cum saccharo, & puluere glycyrrhizæ, fiant pilulæ ad modum ciceris.*

Aqua extracta è terebinthina in balneo Mariæ, est in dictos vsus vtilissima, sicut & oleum Chymica arte extractum. Vritur etiam in testa, & in puluerem redigitur, cuius drachma in vino, vel decocto appropriato, summam vtilitatem in abstergendis viis vrinæ, & repurgando sabulo afferre solet.

DISTINCTIO III.

De Medicamentis simplicibus purgantibus Melancholiam.

CAPVT I.

De Ellebore.

EX medicamentis, quibus vtebatur antiquitas ad expurgandum humorem melancholicum, primum locum vendicat elleborus, seu veratrum: & sic corpus vario modo præparabant priùs, vt constat ex Hip. *lib. de veratro*, Paulo *lib.* 7. Huius duplex est species, alius est albus, alius niger: ille non est in vsu, nam summa vehementia pollet, & malitia; grauissima enim concitat symptomata. Medicamentum est calidum & siccum in tertio.

Eligitur *Berte nigrum: corpulentum: plenum: tenui medulla constans: gustu acre: in lingua feruens.*

Corrigitur cinnamomo, fœniculo, anisso, mastiche, oxymelite, & passo. Solis robustis datur. Dosis puluerís à siliquis sex, vsque ad scrupulum vnum, vel duos. Vacuat vomitu, & secessu humorem melancholicum, & pituitam salsam. Est effræne medicamentum, & violenter operatur, ita vt aliquando conuulsionem concitet, vt colligitur ex Hip. 5. *Aph.* 1. Quare eius vsus solùm administrandus in corporibus validis, & in morbis rebellibus, & permixtus cum aliis medicamentis, quæ eius vires adaugeant, & eius vehementiam retundant.

Vtilissimum est medicamentum in melancholia, & mania, præcipuè si infundatur in sero lactis. Offertur in lepra, scabie, & omnibus affectibus cutaneis, qui ex humore melancholico, & pituita salsa ortum ducunt. In morbo Gallico summum est auxilium, quartanis febribus, erraticis, & diuturnis. Ex eo paratur Elleborismus pro dictis morbis proficuus. Sed cùm hic humor sit crassus, & terrenus, vt felicior contingat vacuatio, præsertim in quartana, securius est vt priùs humor per plures dies syrupo sequenti præparetur,

℞. *Adiant, fumar. absinth. melissophyl. artemisiæ, eupatorij, pulegij, thymi, sen. an.* M. j. *flor. betonic. borrag, bugloss. rorismarini, stœchad. epithym. an.* M. ß. *cortic. cichor. endiu. apij, fœnicul. asparag. rusci, pœoniæ, anonidis, eringij, angelic. bugloss. borag. doronici, an.* ʒ ß. *anisi,* ʒ vj. *cinnamom. elect.* ʒ j. *santalor. rubeor.* ʒ ij. *Omnia decoquantur sec. art. in sufficiente aq. quantitate, ad permanentiam medietatis. Quo facto decocto:*

℞. *Syrup. fumar, epithym. byzantin. de duab. radicib. cum aceto, an.* ʒ ß. *prædict. decoct.* ʒ iij. *Misce, fiat syrupus.*

Et cùm per plures dies fuerit assumptus, sequenti die propinetur elleborismus in modum potus, & fit hoc modo.

℞. *Rhab. elect.* ʒ j. ß. *cortic. radic. ellebor. nigri, purpureum florem ferentis,* ∂ v. *iunci odorati, zedoariæ, sem. pœoniæ decorticati, an.* ∂ ß. *vini optimi* ʒ ij. ß. *terenda terantur, & hæc omnia misceantur, & infundantur: & postea facta forti expressione, adde: cathol.* ʒ v. *confect. Hamech.* ʒ ij. *syrupi Saporis Regis,* ʒ j. *Misce.*

Assumitur etiam Elleborus in infusione, & in sero lactis, vt:

℞. *Seri lactis caprini extracti oxymelite,* ʒ viij. *in eo infundantur* ʒ ij. *flor. cordial. spicæ nardi,* ʒ ß. *cortic. radic. ellebori nigri,* ʒ j. ß. *facta manè colatura, adde: saccharí optimi* ʒ v. *Misce.*

Permiscetur etiam & administratur cum aliis medicamentis, vt eorum virtus augeatur.

℞. *Massæ pilul. agregat. cochiar. an.* ∂ ij. *pulu. ellebori nigri electi,* ℈ vj. *Misce, formentur quinque, & decorentur.*

CAPVT II.

De lapide Lazuli.

LApis Cyaneus vocatur Cæruleus, Officinæ lapidem Lazuli vocauere, Mesuës lapidem stellatum nominat, cuius originem duplicem esse tradidit Dioscorides, *lib. 5. cap. 56.* Vel enim in æraríis metallis effoditur, vel in arena littorali maris, in quibusdam cauatis specubus inuenitur.

Probatur *Aureis scintillis stellarum more emicans: colore admodum cæsti: lauis sine asperitate: purus, sine alterius lapidis miscella: grauis: fractu contumax: magnis frustis constans.*

Neque putes hunc lapidem venenum esse, propterea quòd facultatem habet putrefacientem, vstoriam, & exiccatoriam, ex Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 37.* Quæ omnia de non loto sunt intelligenda: bene enim ablutus plurimùm iuuat. Modum verò quo lauari debet, non explicant omnino auctores. Alij in vase lapideo, aqua ipsa mutata, aqua rosacea trigesies abluunt. Alij eluendum esse docet per quinquagenas vices. Sed tutius est ipsum abluere toties, donec aqua ipsa pura ab omni sorde, sapore, odoréque videatur exuta, vt de omni lapide, 2. *simpl.* 15. monuit faciendum Galen. ablutionis enim vi sordidiores partes seperantur, acriores diluuntur, ac temperantur. In qualibet lauatione, viginti quatuor horarum spatium absumi debet, ex Gal. 1 *sec. gener. cap.* 10.

Lapis hic calefacit ordine secundo, exiccat tertio. Dosis à ʒ j. ad ʒ ij. ß. Melancholiam, exustósque humores expurgat. Quare prodest melancholicis, maniæ, mœrori, ictero nigro. Præseruat à lepra. Incubo, & quartanæ febri remedio est. Animum hilarem facit, tristitiam abigit, corpus floridum conseruat; thoracem, & pulmonem à crassis humoribus repurgat.

Vtimur lapide Lazuli formâ pilularum, & vocantur pilulæ de lapide Lazuli.

℞. *Mass. pilul. de lapide Lazuli, pilul. fumar. an.* ∂ ij. *formentur* v. *& deaurentur.*

In potu etiam propinatur.

℞. *Lapidis Lazuli præparati,* ʒ ß. *cathol. confect. Hamech. an.* ʒ ß. *cum decoct. flor. cordial. fiat potus.*

Solet præterea nonnunquam administrari buccellarum forma.

℞. *Lapid. Lazuli præparati,* ʒ j. ß. *diasen.* ʒ j. *misce, cum saccharo, fiant boli.*

CAPVT III.

De Polypodio.

NOmen accepit hoc medicamentum à Polypo pisce, cum quo maximam habet similitudinem: Radix est cuiusdam herbæ habentis magnitudinem vnius palmi, quæ nascitur supra saxa, & circa radices, & super truncos arborum.

Eligitur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 148 sur 927

Eligitur *Quercinum: Magnum: Recens: Solidum: Nodoſum: Foris ex nigro rubeſcens: Colore intus herbaceo, vt piſtacium: Sapore dulci: Auſtero: Subamaro: Nonnihil aromatico.*

Eſt Medicamentum calidum, & ſiccum in ſecundo gradu, attenuat, incîdit, & eſt noſtræ naturæ familiare. Auxiliatur quartanariis, hæmorrhoïdibus, melancholicis affectibus; & pro morbo Gallico, & doloribus iuncturarum diuerſimodè adminiſtratur. Doſis ad ʒ j. Eius tamen virtus meliùs decoctione, quàm infuſione extrahitur. Infunditur in ſero lactis caprini in puluerem redactum, cum aliis medicamentis permixtum, pro cruditate ventriculi, & frigida ventriculi intemperie corrigenda.

℞. *Polypod. quercini,* ʒ j. *Epithym. Fol. ſen. Smilacis aſper. Ligni Guaiaci, an.* ʒ ß. *Ligni Aloës, Spicæ nardi, an.* ʒ j. ß. Omnia ſimul pulueriſentur, & huius puluueris ʒ j. ß. inſpergatur in ℥ iiij. iuris gallinæ, aut ſeri lactis caprini, & propinetur. In infuſione ſic adminiſtratur.

℞. *Polypod. quercini confracti, & infuſi in decoct. flor. cordial. facta ſuper infuſionem* ʒ iiij. *fol. ſen.* ʒ vj. *reiecta ſubſtantia, adde Diaphœnic. Diacathol. an.* ʒ ß. *Syrupi de ſenna,* ℥ iij. *Miſce pro potu.*

In decoctione meliùs paratur ſic:

℞. *Confect. Hamech.* ʒ. vj. *Diacathol. Pulpæ caſſ. an.* ʒ j. ß. *Syrupi de ſenna,* ℥ iij. *Cùm decoct. polypodij, fiat potus.*

Paratur etiam in apozematibus purgatiuis, pro dolore colico, cui maximè confert.

℞. *Polypod. quercini confracti,* ʒ j. *Fol. ſen. Epithymi, an.* ʒ v. *Sem. fœnicul. Aniſi, Cinnamom. an.* ʒ j. Miſce, & omnia immittantur in cauitatem galli gallinacei veteris, à quo priùs extractæ ſint partes interiores, quæ poſtea coquantur quouſque caro ab oſſibus ſeparetur, & de hoc iure tertio quoque die poſſunt offerri ℥ viij.

Poterunt in eundem vſum clyſteres parari.

℞. *Prædicti iuris,* ʒ x. *Benedict. Hier. picræ, an.* ℥ ß. *Olei anethin. Camomil. an.* ℥ j. ß. *Miſce pro clyſtere.*

CAPVT IV.

De Epithymo.

EPithymum eſt flos cuiuſdam plantæ, quæ naſcitur iuxta thymum, minutiſſimis ramis illi alligatæ, exqua eminenter exiſtit flos ipſe, ſicuti cuſcuta exiſtit ſupra lignum: vnde oritur illud commune prouerbium: *Epithymum ſupra thymum, & cuſcuta ſupra linum.* Hinc conſtat, quàm falſa nitantur opinione, qui putant epithymum eſſe ſupra linum, etſi ſit verum, aliquando naſci circa alias plantas, vt circa hyſſopum, licèt hoc non ſit ita efficax, ac illud quod iuxta thymum germinat.

Præſtantius epithymum colligitur in Apulia & Creta, ſed vbertim in Hiſpania, quod efficacius eſt. Eſt calidum, & ſiccum in tertio gradu, habet vim incîdendi, & attenuandi. Et medicamentum alexipharmacum, & maximam cum iecore, liene, & præſertim corde, cuius vires ſternuè tuetur, conuenientiam habet.

Euacuat à proprietate humorem melancholicum, & atram bilem cæteris medicamentis potentiùs excernit, idque facilè, & citra moleſtiam vllam. Prodeſt aduerſus melancholiam, epilepſiam, diuturnos capitis dolores: Confert cordis tremori, animi deliquio. Cunctis lienis affectionibus ſternuè opitulatur. Renum vitiis, & melancholia hyponchondriaca vexatis remedio eſt. Datur vtiliſſimè contra carcinomata, elephantiaſim, & vlcera maligna, quin & quartana detętos liberat.

Doſis in decoctione à drachmis quinq; vſque ad viginti, & puluueris eius à drachmis tribus vſque ad ſeptem. Vtimur in decoctione, aut infuſione hoc modo.

℞. *Epithymi infuſi per noctem in infuſione,* ʒ v. *fol. ſen. facta in decoct. fol. & flor. cordialium,* ʒ vj. *Facta colatura, adde Confect. hamech.* ʒ iij. *Pulp. caſſ. Diacathol. an* ʒ j. ß. *Syrup. de ſenna, De Epithymo, an* ℥ j. ß. *Miſce, fiat potus.*

Infunditur etiam in ſero lactis caprini, vel aliqua decoctione appropriata, vt ſuprà *cap. de Polypodio* dictum eſt.

CAPVT V.

De Fumaria.

FVmaria, quæ & fumus terræ vocatur, vt auctor eſt Dioſcorides, *lib. 4. cap. 95.* cum Plinio *lib. 25. cap. 13.* Herba eſt fruticoſa, prætenera, foliis coriandri, cineritij coloris, flore purpureo.

Eligitur *Viridis: Tenera: Foliis teneris, planis, non criſpis: Flore ſubviolaceo: medio Vere cum flore collecta.*

Eſt modicè calida, vt firmat Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 1. cap. de fumo terræ:* quare in febribus præſertim à ſucco pituitoſo, & melancholico ſubortis, tutò propinari poteſt. Meſuë in ſuperficie calidâ, in profundo modicè frigidam ſtatuit: & in hoc ſenſu intelligendus eſt Auic. qui *lib. 2. cap. 273.* illam frigidam eſſe, opinatur. Doſis ſucci eius, ab vncia dimidia ad vncias duas: Puluueris, à drachmis tribus ad drachmas quinque: Decocti, ab vnciis decem ad vncias quindecim.

Semper dulcoranda eſt ſaccharo, aut melle, vt eius amaror aliquantiſper poſſit retundi. Et cùm diuerſis partibus conſtet, nempe ſubſtantia amara, atque acerba, iccircò contrarios de ſe præſtat effectus: & ſic ob illam acrem facultatem attenuat, aperit, penetrat; ob acerbam ſtypticam, partes interiores roborat. Purgat bilem, ſalſòſque & aduſtos humores per aluum vacuat, & hoc modo cutaneis vitiis ſummè reſiſtit, & melancholicos affectus mirificè leuat; & maximè ſi ea cum ſenna, & polypodio in ſero lactis caprini priùs per noctem madeſcat.

℞. *Fumar. M. ß. Sennæ,* ʒ ß. *Polypod.* ʒ ij. *Epithymi,* ʒ ij. *Caryophyl.* ℈ x. Omnia contuſa leuiter, per integram noctem infundantur, in ℥ x. aut libra vna ſeri caprini. Cola manè, & cum ſaccharo propina.

Vel fiat hoc modo:

℞. *Succi fumar.* ℥ ij. ß. *Seri lactis caprini,* ʒ x. *Saccharı* ʒ ij. *Miſce pro vno hauſtu.*

Pro melancholicis hypochondriacis vtilis eſt hic potus, & inſanientibus. Opitulatur lepræ, ſcabiei, pruritui, impetigini, ſerpigini, febribus diuturnis, & à craſſo, terrenóque humore ſubortis. Balneum in quo decoquitur fumaria, ad prædictos affectus vtile eſt.

Soleo ego parare *Syrupum*, cui *de ſero lactis compoſitum*, titulum dedi, qui prædictis vitiis confert apprimè.

℞. *Seri lactis caprini benè depurati,* ℔. xx. *infunde per noctem in eo: Polypodij,* ʒ ij. *Epithym.* ℥ iij. *Sennæ,* ℔. ij. *Myrobalanor. Indor. contritor.* ℔. j. ß. *flor. cordial. an.* ℥. *Aniſi,* ʒ ij. *Cinnamomi elect.* ʒ iij. *Paſſular,* ℥ ij. *Prunor. excacinator.* ℔. j. *Fumariæ. M.* x. Bulliant omnia, quouſque abſumantur libræ duæ: Colaturæ adde: *Succi fumar. lib.* j. ß. Iterum coque lento igne, quouſque abſumatur ſuccus. Adde. *Sacchari q. ſ. & fiat ſect. art. ſyrupus.*

Cuius vnciæ quinque, aut ſex per ſe; aut vnciæ tres cum decocto aliquo melanagogo permixtæ, propinentur ieiuno ventriculo, quarum ope aluus mediocriter rumpetur, & corpus ab humore melancholico planè redderetur immune.

CAPVT VI.

De Senna.

NVllum eſt medicamentum, quod frequentiùs in vſu medicó vſurpetur ad mouendam aluum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 149 sur 927

quàm Senna, quæ est planta habens magnitudinem A vnius cubiti, & habens folia similia liquiritiæ, vel fœnugræci, quæ fabarum saporem redolent: flores ipsius emicant velut aurum, quibus folliculi, seu fuctus succedunt, qui falcatæ lunæ figuram habent, ita compressi, vt superior membrana inferiori cohærere videatur, qui tenui pediculo appensi prominent, vt auctor est Serapio, cap. 58. Matureſcentes paruo ventorum flatu facillimè discutiuntur. In his ergo semen continetur, adeò simile semini vuarum, vt primo occursu vnum ab alio discernere sit difficile. Ipsa planta colligitur in Apulia, Ægypto, & in Hispania, sed Ægyptia præstantior est. Tam foliis, quàm folliculis Medici vtuntur.

Eligitur autem folium *Oblongius: Acutius: Myrti* B *maioris effigie: Viridius etiam subalbido præstantius.*

Folliculus præstat *Recens: Completus: Seminibus amplis compressis: Coloréque ad liuidum, & subnigrum accedente præditus, cum adstrictione amarus.*

Hoc medicamentum est tutum, familiare, benignũ, & securè prægnantibus, & in quauis ætate concedi potest. Melancholiam, bilémque aduſtam, & pituitam salsam euacuat; & sic prodest in morbis longis, à pituita salsa, & melancholico humore subortis. Purgat præcipuè cerebrum, cor, iecur, & pulmonem, omnes sensus acuit, hilaritatem inducit, corpus incolume, & iuuenile conseruat. Quare illud variis modis parare Medici consueuerunt, & eo vtuntur ad abstergendum ventrem. Vt sic. C

℞. Pulp. cass. fistul. Carnis prunor. an. ʒ j. Vuar. passar. sine nucleis, ʒ ß. Sen. puluerisatæ, ʒ ß. Sem. anisi, Pulu. diarrhod. abbatis, an. ϑ j. Sacchari albi, quod sit satis vt fiat conserua.

Administratur etiam in iure gallinæ. Paratur etiam cum prunis passis hoc modo.

℞. Aq. bugloſ. ʒ xvj. In ipsa infundantur, Polyp. ʒ iij. Coquatur ad remanentiam vnius libræ, & postea in eo decocto fiat Emulsio ʒ iij. Sem. cartham. vt per ebullitionem permaneant ʒ x. & deinde in ipso decocto infundantur pruna passa madefacta, & enucleata, Num. vj. Sacchari, ʒiv. Bulliant iterum ad remanentiam ʒ v. & propinentur ægro.

Exhibetur etiam hoc medicamentum commo- D diùs in infusione, aliis medicamentis admixtum.

℞. Confect. Hamech, Cathol. an. ʒ ß. Syrup. de senna, ʒ iij. Misce, & cum infusione ʒ. v. fol. sen. fiat potus.

Offertur etiam in apozematibus, vel syrupis expurgantibus in morbis diuturnis.

℞. Syrup. Byzantini, Syrup. de duab. radic. cum aceto, an. ʒ j. Infusionis ʒ. iv. fol. sen. Misce, fiat potus.

Conficitur etiam syrupus præstantissimus pro affectibus melancholicis in hunc modum.

℞. Fol. sen. ʒ. vj. Zingiber. Cinnamomi, an. ʒ j. Flor. bugloſ. ʒ. ij. Infundantur in ʒ x. aquæ feruentis, aut seri caprini, in vase vitreo anguſti orificij, & occluso foramine, nullus penitus spirandi pateat exitus. His peractis, puluinari plumis anserinis farto, ignéque calefacto vas inuoluatur, reponatúrque in arca in qua pernoctare sinatur: sic enim conseruato calore, dilutum maceratorũ medicamentorũ facultatem omnem in se accipit, quòd manè expressum seruetur. E

Vtuntur etiã milites, & plebeij homines, & illi qui morbum Gallicum occultare volunt, hoc medicamento in puluerem redacto, & aliis permixto, quæ illius morbi malitiam infrænare queunt.

℞. Sennæ, ʒ j. Smilacis asperæ, ʒ ß. Triturentur tenuissimè, & cum pari Sacchari quantitate misceantur, & seruentur.

Huius puluueris possunt exhiberi ʒ ij. matutino tempore cum vino permixtæ, liquore aliquo, vel decocto smilacis asperæ, vel radicis chinarum, vel Ebeni: sic enim hic morbus sensim ac sensim mitescere solet.

Pro delicatulis fiunt tabellæ per se cum saccharo, & puluere sennæ, vel cum aliis medicamentis permixtæ.

℞. Sen. ʒ ij. Hermodactylor. ʒ j. Smilac. asper, ʒ j. ß. Radic. chinæ, ʒ ß. Cum saccharo fiant tabellæ.

Sed pro maiori explicatione, Quæro primò: Vtrùm Senna à Grecis fuerit cognita? Alij putant Grecorum Delphinium esse; alij Peplium esse rentur; quidam Empetron; plures coluteam Theophrasti esse arbitrãtur. Sed non est Delphinium: Nam hoc folio vestitur oblongo, tenui, repando; Senna verò orbiculari, & veluti fœnugræci rotundo: flos illi purpureus emicat; huic luteus. Senna tumidum ostendit folliculũ membraneum, in quo semen atrum, durum, vuarũ vinaceis proximum includitur; Delphinium verò siliquam profert, quæ semen exile, teres, milio simile concipit. Non esse peplium ex eo constat, quòd Senna siliquas, & in B his semen gerit; peplion minimè. Deinde peplion folio est portulacæ; senna fœnugræci. Ad hæc peplion lac habet, quo senna caret. Insuper Senna non est empetron, quia senna non habet folia lentis, nec salsa est, sed subamara; Empetron locis maritimis nascitur, & saxosis: præterquàm quòd senna quò magis mari appropinquat, eò amarior sentitur. Senna adhuc minùs est colutea Theophrasti: quia hæc arbor multis annis perdurat: senna, herba est, quæ paucis mensibus viuit. Ergo Senna ab antiquioribus nusquam fuit descripta, licèt à Iunioribus Græcis ea sit cognita: eam enim cognouit Actuarius *lib. 5. meth. cap.* 8. vbi nonnulla de ea conscripsit: de cuius facultate, & efficacia sat Arabes dixere vbertim.

C Quæro secundò: Vtrùm maior foliis, quàm folliculis purgandi vis insit? Mesuës folliculos foliis præfert, sed refragatur experientia, qua docemur folia in expurgando esse præstantiora: & licèt folliculi ob densiorem substantiam, & potentiam contentorum seminum, maiori videantur esse præditi expurgandi vi; tamen duabus infusionibus factis, vna ex puris folliculis, altera ex solis foliis, & deinde vtrisque æqua lance bibitis, manifestè deprehenditur maiorem efficaciam inesse foliis, quàm folliculis; & ideò nostro æuo contemnuntur, folia in frequenti vsu admittuntur.

Quæro tertiò: Vtrùm Senna debiliter ventriculum? Mesuës firmat. Obstat illius sententiæ sapor austerus, & subamarus, quæ qualitates stomachum firD mant, & roborant. Quare torminosum medicamentum non est, nisi sumentis natura flatibus gignendis sit accommoda, etsi tutius sit semper cum senna puluerem mastiches, anisi, cinnamomi permiscere: cum enim temperamento sit remissè calida & sicca, vt firmauit Serapio, *cap.* 58. excitat flatus, qui à debili, & imbecillo calore generãtur, ex Gal. 3. *de caus. sympt. cap.* 2. Et maximè si sennæ infusio offeratur, quæ flatus plus mouet, quàm decoctum; nam decoctio dissipat, quia tenues, & ignitæ partes exhalant.

ARTICVLVS IV.

PRæsens Articulus in vndecim distinctiones diuiditur. In prima, agemus de Aquis humores variè E disponentibus. In secunda, de Syrupis, tam disponentibus, quàm expurgantibus. In tertia, de Speciebus Loch varios vsus præstantibus. In quarta, de Electuariis, humores purgantibus. In quinta, de Pilulis in diuersos vsus confectis. In sexta, de Confectionibus. In septima, de Conseruis. In octaua, de Trochiscis tam purgantibus, quàm alterantibus. In nona, de Oleis. In decima, de vnguentis. In vndecima, de Emplastris.

DISTINCTIO I.

De Aquis.

PRæhabita doctrina de omnibus medicamẽtis simplicibus, quæ humores euacuãt, atque de aliis quæ in Officinis præstantiora habentur: (omniũ enim naturam, & potestatem recensere, propemodũ infinitum esset)

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 150 sur 927

eſſet) in hoc Articulo medicamentorum compoſitorum facultatem ſolidè explicabimus, ab illis quæ minorem compoſitionis apparatum expoſtulant, incipientes: Et primò de aquis.

AQVA eſt ſubſtantia quædam liquida, ab omni ſorde ſeparata, & propter ſimilitudinem quam habet cum elemento aqueo, aqua dicitur. Et licèt verum ſit, quòd medicamentorum ſimplicium decoctiones pro vſu medico præſtantiores ſint, quia eorum virtutes meliùs obtinent, tamen quia ægri moroſi illas aſſumere renuunt, inuenta fuit ars diſtillatoria, cuius ope & medio, non ſine labore, at cum vtilitate multa virtutes prædictorum medicamentorum extrahuntur, & conſeruantur; vt hoc modo ægrotantiũ palato ſuapte natura faſtidibundo indulgere poſſimus, quod in decoctionibus fieri non poteſt, quæ facilè corrũpuntur.

Aquæ ergo ſtillatitiæ ſub triplici differentia reponuntur. Aliæ ſunt alimentoſæ, quæ ex carnibus extrahuntur. Aliæ alimentoſæ, & medicamentoſæ, quæ ex prædictis carnibus cum aliis medicamentis admixtis extrahuntur. Aliæ ſunt ſimpliciter medicamentoſæ, ita vt illis ſolùm conueniat noſtram ſubſtantiam alterare: & hæ rurſus aut operantur primis qualitatibus, aut aliis. Omnes autem extrahuntur in vaſe plumbeo, aut æreo, aut vitreo, quòd Mariæ dicitur, & fit in duplici vaſe: Hoc enim modo vis rei quæ diſtillatur meliùs extrahitur, diutiùs durat, & nullum nocumentum affert; ſicut illa quæ in vaſe plumbeo aut æneo celebratur: malignam enim qualitatem medicamenta ex his vaſis acquirunt, & ſolùm per annum vis durat.

Inter has aquas aliæ humores calidos concoquũt, & præparant; aliæ pituitoſos; aliæ melancholicos. Omnes duobus modis ſolent adminiſtrari: Vel enim intus aſſumuntur, vel exterioribus partibus apponuntur. Quæ per os ſumuntur ad vſus diuerſos, variis modis adminiſtrari ſolent, ad attemperandos humores, aut ad remouendam intemperiem, inductam in partes ſolidas viuentium; Quæ ſi ſunt frigidæ, plurimas afferunt vtilitates: Aliquæ enim ſitim ſedant, aliquæ ventriculum à craſſa medicamenti purgantis portione abſtergunt, alia denique aliæ promittunt. Doſis ab vnciis quatuor vſque lib. vnam.

CAPVT I.

De Aquis infrigidantibus.

Aqua Scorzoneræ.] Hirci barbæ congener eſt herba, quam Scorzoneram appellat Hiſpania, quod Latinè viperinam, ſiue viperariam, aut ſerpentariam ſonat, ſic dicta quòd contra venena viperarum, aut ſerpentum efficax habeatur; nam Hiſpani viperam *ſcorzo* vocant. Noua hæc planta primùm inuenta in Catalonia, à quodam ſeruo Afro, à Ceruero Leridano viro nobili, pretio empto. Cum enim quidam meſſores in agro à viperis demorſi fuiſſent, is qui in Africa plantam hanc nouerat, propinato eius ſucco incolumes ſeruabat omnes, quotquot demorſi fuiſſent, ſed nemini plantam oſtendebat, ne lucro defraudaretur. Tandem cùm vafri homines locum obſeruaſſent, ex quo plantam deferebat, illuc profecti, eam ſunt nacti, reſciſſæ nuper herbæ reliquiis inuentis. Ea eruta, factóque ipſius periculo, euulgata res eſt, & ſcorzoneram appellarunt. Flos in Hiſpania Maio menſe prodit, in Germania ſeriùs. Foliorum, aut radicis ſuccus datur præſentaneo remedio potandus, aduerſus viperarum, cæterorũmque venenatorum animalium ictus.

Hæc aqua eximia mirabilem contra venena, venenatóſque morbos, peſtilentes, & malignos habet prærogatiuam, mirificè ſanguinem corrigit, ac putredinem delet, & cùm mitiùs infrigidet, calidam cordis & hepatis intemperiem arcet: bilis & ſanguinis incendium remouet; malignam qualitatem extinguit; & cardiaca natiua vi & efficacia, cordis & hepatis robur tuetur: nam copioſè ſpiritus generat, & purificat, & ideò febribus malignis, ac peſtiferis remedio eſt; cuius folia impoſita ſuper carbonem, aut abſceſſus peſtilentes, ſummo ſunt ex vſu.

Aqua Borraginis magis infrigidat quàm ſcorzoneræ, etſi à mediocritate per frigiditatem, & humiditatem parùm recedat. Habet facultatem corrigendi ſanguinem, putredinem malignam arcet, calidam intemperiem viſcerum perſanat, exhilarat, cerebrum & cor roborat, cutaneis affectibus opitulatur, & melancholicis morbis remedio eſt.

Aqua Bugloſſæ eaſdem facultates habet, ſed excellentiores quã aqua borraginis, licèt ſpecie ab ipſa non differat: neque tantam ſortitur humiditatem excrementitiam, quanta borragini conuenit propter culturam. Exhibetur in iiſdem affectibus, ſed illis præſtantiùs, efficaciúſque opitulatur.

Aqua Cichorij inter incidentes præualet, quia præter frigiditatem, cuius vi dictis præſtantior eſt, attenuat, aperit, deobſtruit. Argumento ſunt partes amaræ, quæ in ipſa reperiuntur. Quare vtilis eſt in febribus, quæ ex putredine bilis, & pituitæ originem ducũt, ac ſanguinis feruorem extinguit. Magnum conſenſum cũ iecore habet, ideò humores calidos in ipſo, renibus, & vtero impactos ad coctionem diſponit. Omnibus morbis hilioſis qui ex læſione hepatis emanant, mirè ſuccurrit.

Aqua Oxalidis, ſeu acetoſæ, æqualem vim habet in infrigidando, quã cichorij: magis tamen aperit, attenuat, & deoſtruit. Vtiliter offertur in bilioſis febribus ex putredine bilis & pituitæ pronatis, feruorem ſanguinis attemperat, malignæ qualitatis augmentum prohibet, & ideò mirificè prodeſt in malignis febribus. Lædit tamen vterum, & pectus. & in fœminis quæ in hyſtericas affectiones frequenter incidunt, ſicut in pleuritide, & aliis thoracis morbis eſt inutilis; vterum enim acore lædit, & humores per ſputum excernendos expelli prohibet.

Aqua Papaueris erratici infrigidat, aperit, conciliat ſomnum, contemperat humores, & impetuoſos eorum influxus prohibet; quare vtilis eſt in iis qui ceciderunt ex alto. Similis eſt *Aqua papaueris rubri*: Nam præterquam quòd eaſdem ſortitur dotes, eminenti quodam modo ſudorem prouocat, & ideò in pleuritide in ſeptimo die commodè offertur.

℞. *Aq. Papaver. rubri,* ℥ iiij. *Lapid. Bezoartici,* ℈. vj. *Sacchari* ℥j. *miſce, fiat hauſtus vnus, & tepidus ebibatur.*

Aqua Cucurbitæ infrigidat, bilis acrimoniam compeſcit, ſanguinis incendium extinguit, & humores calidos in renibus, ventre, & hepate, reliquiſque partibus interioribus ad coctionem præparat, faciei ardorem mitigat, eiúſque decorem conciliat, etſi pro præparatione humorum parum ſit in vſu.

Aqua Porculacæ infrigidat, incraſſat, tenues humores ad motum ineptos reddit. Vtilis eſt ſanguinis ſputo, & hæmorrhagia omni, febribus ardentibus, eryſipelate, cardialgia ex humore bilioſo ſuborta, nam cum ventriculo maximum obtinet conſenſum.

Aqua Lactucæ omnibus aliis præſtantior eſt, cùm in tertio gradu infrigidet; humores aduſtos contemperat, ipſos incraſſat, & mirandum in modum ſomnum conciliat: & ſic vtiliſſima eſt in phrenitide, ac ſuperflua vigilia: reſpicit cerebrum, & cor.

Aqua Plantaginis inter infrigidantes, & incraſſantes primum locum occupat, quia in ſecundo gradu infrigidat, & exiccat, & ſic omnes fluxiones reprimit, partes roborat; habet conſenſum cum renibus, in quibus (ſicut in toto copore) bilem diſponit, & calidam intemperiem aufert. Commoda eſt in vlceribus, præſertim Gallicatis: ea enim vehementer exiccat. Ponitur etiam in oxyrhodinis; quia repercuſſoria vi, medicamenti inſtar, humorem à parte inflammata repellit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 151 sur 927

Aqua capitum Rosarum, etsi cordialis non sit, tamen humores calidos attemperat, incrassat, ac fluxiones sistit; habet enim maiorem adstringendi vim: quare in diarrhœa, dysenteria, & immodico fluxu sanguinis ex omni parte emanante, vel per se, vel syrupis adstringentibus permixta, mirificè prodest.

Aqua Rosarum frigida est, & sicca, adstringit, & cardiaca est, incrassat, tenues humores attemperat; atque per qualitatem alexipharmacam, quam habet, veneno resistit, putredinem arcet, cor, & cerebrum roborat, ventriculum firmat, febribus malignis remedio est, repellit, & sic oxyrhodinis permiscetur: & cùm recreet cor, epithematibus permiscetur: & illita carpo, volis manuum, plantis pedum, & naribus indita, odore suo suauissimo spiritus recreat, & refocillat.

Aqua Solatri in prædictis morbis efficacioré sortitur facultatem; præparat humores calidos, præsertim exustos: caput, ventriculum, & renes respicit; vlcera sordida, & caua abstergit, exiccat, & carne implet.

Aqua Florum Nenupharis sanguinem superexcalfactum refrigerat, viscera omnia incendio occupata contemperat. Morbo regio, tussi calidæ, pleuritidi, & capitis dolori confert, sitim, & febrium pestilentialium calorem extinguit, & hecticæ medetur. Has, & similes vires sortiuntur *Aquæ Violarum, Semperuini, Fragorum, Ceraſorum acidorum*: Hæc enim præterquam quòd refrigerat, vitiis oculorum calidis remedio est, incîdit, attenuat, somnum conciliat, vtilis in febribus malignis, præsertim syrupis admixta.

Aqua Citoniorum frigida est, & sicca, cor & ventriculum roborat, veneno, venenosísque affectibus opitulatur, cibum in ventriculo retinet, vomitum compescit, alui fluorem sistit, & hæmorrhagiam vndequaque fluentem coërcet.

CAPVT II.

De Aquis concoquentibus pituitam.

AQua *Scabiosæ*, inter omnes aquas quæ pituitá concoquunt, maximè temperata existit, & cordialis est: quare mirum in modum opitulatur in cordis palpitatione; concoquit pituitam in pectore; & in frigidis eius affectionibus vtilis est, vt tussi, asthmate, orthopnœa. In febribus malignis summoperè præstat, nam cum lapide Belzaartico permixta sudorem prouocat. In cutaneis affectibus plurimùm iuuat, vt scabie, Elephantiasi, & aliis affectibus qui ex pituita salsa originem ducunt.

Aqua Melissæ magis cardiaca est, intensiùs calefacit, & attenuat; quare sudorem prouocat, thoracem, & asperam arteriam lenit, pituitam concoquit, corroborat cor; ideóque prodest in febre syncopali, quotidiana, in frigida cordis intemperie: cerebrum corroborat, memoriam deperditam restituit. Et prodest in omnibus melancholicis affectionibus, & cordis morbis auxiliatur apprimè.

Aqua Menthæ calefacit in secundo gradu, præparat pituitam, præcipuè in vtero, ac ventriculo, coctionem iuuat: vtilis est in vertigine, Epilepsia, & in omnibus frigidis cerebri affectionibus, quæ per consensum ventriculi excitantur, cum quo maximum consensum habet, sicut cum liene, ac hepate, quas partes roborat & firmat, habétque facultatem internecandi vermes.

Aqua Absinthij eodem gradu calida, disponit pituitam in hepate; quare omnibus hydropis speciebus opitulatur, cuius partis actionem perficit. Auxiliatur ventriculo, & illius vires confirmat, sistit vomitum, vermes intestinorum interficit; vtilis est in melancholia hypochondriaca, syncope humorali pituitosa; flatus mirificè discutit, & vehementer deobstruit.

Aqua Fœniculi eundem in calore habet gradum, attenuat, aperit, pituitam præparat, præcipuè in capite, & ventriculo; quas partes vehementer respicit. Habet etiam cognationem cum hepate, pectore, renibus, & vtero: vrinam, & menstruas purgationes prouocat; sitim remouet. Resoluit humores in tunicis oculorum impactos, & sic visum acuit, & frigidis oculorum vitiis opitulatur.

Aqua Apij paritatem seruat cum iisdem in calore, etsi habeat maiorem efficaciam in attenuando, & incîdendo: & sic aperit, deobstruit, & in hoc opere perficiendo inter omnes principatum obtinet. Pituitam præparat in vtero, renibus, liene, quarum partium obstructiones aufert, menstrua & vrinam prouocat.

Aqua Euphrasiæ calefacit in fine primi gradus: pituitosos humores præparat in toto corpore. Habet consensum cum hepate, quod viscus corroborat; & cum oculis, quorum affectiones mirificè leuat: nam visionem acuit, & lippitudinem sanat.

Aqua Stœchados calefacit, & exiccat in secundo gradu, & est vtilissima in omnibus frigidis cerebri affectibus: hanc partem roborat, memoriam adauget: omnes sensus acuit, viscidos & crassos humores concoquit, & attenuat: prodest epilepsiæ, lethargo, paralysi, vertigini, & cephalalgiæ.

Aqua Chelidoniæ, præter calorem quem habet in secundo gradu, virtutem habet resoluendi humores in tunicis oculorum impactos; quare visionem clarificat, nubeculas abstergit, atque ideò semper in forma collyrij administratur.

Aqua Naphæ, & quæ ex floribus Arantiorum, & citri extrahitur, habet calorem in gradu primo, attenuat, aperit, resoluit flatus, & inter omnes vim præcipuam obtinet alexipharmacam, ideóque habet magnam conuenientiam cum corde, cuius actiones summè roborat, spiritus vitales adauget, putredinem arcet: cerebrum firmat, omnes eius potentias acuit; apponitur naribus, carpo, volis manuum, & plantis pedum: suo enim fragrantissimo odore linquentes animo recreat, & syncope correptos excitat. Eius potus, coli & ventriculi dolores leuat, harúmque partium frigidam intemperiem mirum in modum persanat.

Aliæ sunt aquæ in probata Officina, quæ consimiles habent facultates, & seruant naturam earum rerum, à quibus extrahuntur. Aliæ conferunt affectibus capitis frigidis, vt Apoplexiæ, Epilepsiæ, paralysi, vt est *Aqua Betonicæ saluiæ, maioranæ, florum anthos, primulæ veris, florum liliorum conuallium.*

Aliæ concoquunt pituitam in thorace, & sic frigidis huius partis affectibus valde conducunt, vt tussi, catarrho, difficultati spirandi, vt est *Aqua Adianti, hyssopi, cardui benedicti, florum ireos, herbæ peti, nicotianæ vulgò dictæ, pulegij.*

Aliæ respiciunt ventriculum, flatus absumunt, ventris dolores leuant, vt est *Aqua Cinnamomi, chærefolij, serpilli, calendulæ.*

Aliæ excalfaciunt hepar, eiúsque frigidos affectus leuant; & sic conferunt hydropi, morbo regio, eius obstructioni, cirrho, & debilitati, vt est *Aqua Origani, centuarij, eupatorij.*

Splenem roborant, eiúsque morbis medentur, *Aqua Asplenij, aristolochiæ, gentianæ, nasturtij.*

Renes frigidis humoribus occupatos excalfaciunt, *Aqua Eruca, vrticæ, saxifragiæ, parietariæ, quinquefolij, raphani, enulæ, pimpinellæ.*

Vterum excalfaciunt, eius obstructiones auferunt, menstrua remorata accelerant, flatus absumunt, *Aqua Artemisiæ, sabinæ, leuistici, nepitæ, menthastri, calaminthæ.*

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 152 sur 927

CAPVT III.

De Aquis melancholiam concoquentibus.

Aqua Fumariæ in primo gradu calefacit, & humectat, ſanguinem corrigit, bilem aduſtam, pituitam ſalſam, & melancholiam attemperat; quare vtilis eſt in affectionibus, quæ ab his humoribus emanant. Habet conſenſum cum cerebro, ventriculo, iecore, & liene. Prodeſt cutaneis affectibus, & iecoris vitiis mirè auxiliatur.

Aqua Lupulorum eſt in actiuis temperata; in paſſiuis verò recedit per humiditatem in primo gradu. Præparat melancholiam; habet facultatem attenuandi, aperiendi, deobſtruendi: reſpicit cerebrum, hepar, & lienem; ſanguinem purificat, & cutis vitiis reſiſtit.

Aliæ ſunt aquæ, quæ bilem concoquunt in pectore, *vt Aſari.* Aliæ in ſplene, vt *Aquæ Cuſcutæ, Scolopendrij, Corticis, & foliorum Tamariſci, Thymi.*

CAPVT IV.

De Aquis ad varios vſus vtiliſſimis.

Aqua Hordei, etſi non fiat diſtillatione, ſed decoctione, inter ſtillatitias tamen connumeratur, & inter infrigidantes non minorem obtinet locum. Sanguinis, & bilis feruorem attemperat, & calidam cuiuſcunque partis intemperiem ſanat. Habet facultatem abſtergendi, quare ex vſu eſt in diarrhœa bilioſa, ac diſenteria; & alia vlcera ſordida, præſertim oris, & inteſtinorum mundificat, & exiccat. Vtiliter offertur in calidis inflammationibus thoracis, & ſic in pleuritide feliciſſimè adminiſtratur, maximè ſaccharo dulcorata, aut Syrupo violaceo permixta.

Aqua Scordij habet vim calefaciendi, & exiccandi in gradu ſecundo, etſi in qualitatibus ſecundis habeat contrarietatem quandam: Duplici enim conſtat facultate, adſtringente vna, aperiente alia: Illa ventriculum, & reliquas noſtri corporis partes corroborat; huius vi attenuat, aperit, incîdit, ſudorem mouet, & cùm vim alexipharmacam ſortiatur, ingreditur in decoctiones, quæ pro curandis febribus malignis parari ſolent; & in temperamento calido permiſcetur aliis aquis, quæ illius calorem refringere queunt.

Aqua Ceraſorum dulcium aliquantulum vergit ad frigiditatem, & maximè iuuat in epilepticis, pro eorum acceſſione remouenda, in os iniecta, & permixta cum lapide Belzaartico. Nec diſplicet pro huius morbi curatione eam adminiſtrare. Vtilis eſt etiam in ſyncope, & animi deliquio, quia animum exhilarat, & corroborat.

Aqua Aluminoſa refrigerat, exiccat, atque abſtergit: vtilis eſt in vlceribus virulentis, & corroſiuis pudendorum, præcipuè ex morbo Gallico contractis. Humorum enim fluxum ſiſtit, ipſorum malitiam retundit, atque ipſa vlcera ad cicatricem perducit. Vtiliter adhibetur ad inflammationes & herpetas, ex febre, & ſcabritiem delet, ſitque hoc modo.

℞. *Succor. plantagin. portulacæ, agreſtæ, Alumin. an.* ℔. j. *Albumin. ouor. Num.* xij. *Agitentur omnia ſimul rudicula, & poſtea diſtillentur in alembico.*

Aqua Lanfranci, denominationem ſumpſit ab inuentore ſuo, *cap.* 12. *ſuæ Chirurgiæ paruæ*, & refert Guidonem, qui ipſam magis completam deſcribit, *tract.* 4. *cap.* 4. & maiorem virtutem habet, ob maiorem efficaciam medicamentorum ex quibus componitur. Secundùm Guidonem calefacit, & vlcera abſtergit ſordida, & corroſiua; præcipuè genitalium partium, quæ in morbo Gallico frequentiſſima ſunt. Nunquam per os aſſumenda, ſed externis partibus applicanda, cùm ſit corroſiua, & cauſtici potentialis inſtar viſcera poſſit abradere. Deſcribitur hoc modo.

℞. *Viridis æris,* ℥ ij. *Auripigmenti,* ʒ j. *Aluminis,* ʒ ij. *Diſſolue in aq. roſ. Plantag. an. lib.* ij. ß.

Aqua vitæ, quæ eſt pars calida, vinoſa & tenuiſſima, ex vino rubro extracta, maximam habet calefaciendi vim, & exiccat validè, attenuat, incîdit, flatus diſcutit. Quare maximè vtilis eſt in dolore colico ex intemperie frigida concitato, qui ventriculum, hepar, & aliam quamlibet partem vehementer opprimit. Hæc vini ſubtiliſſima pars cuncta à corruptione vindicat: imò in corpus humanum iniecta omnem putredinem arcet; excitato calore natiuo, coctiones promouet, cunctis cruditatibus liberat, viuidam vim ſpirituum vitalium recreat, ventriculum calefacit; cerebrum humidius algoréque preſſum excitat, intellectum acuit, viſum lucidum efficit, memoriam reparat. Denique admiranda eſt aquæ vitæ potentia, & maxima poteſtas illorum liquorum pretioſiſſimorum, qui ab hac aqua per ſublimationem extrahuntur.

Sed maxima conſideratione debet propinari: & in quantitate modica: Nam ſi humores pituitoſi adſint, pars tenuis reſoluitur remanentè craſſa, quæ ipſis frigidior redditur: & aliquando caliditate ſua ipſos humores penetrare facit, & ita cogit, vt in ſubſtantia partis imbibantur, & ſic hac de cauſa grauiſſima excitantur ſymptomata.

Quando verò exterioribus partibus admouetur, tunc maiori ſecuritate, & vtilitate, Medici eius ope curationem aggrediuntur, vt in conuulſione ex repletione, & paralyſi, in quibus affectibus mirificam opem præſtat. Vtilis eſt etiam ad regenerandos pilos, quùm partes debiles illa abluuntur, quia dilatat poros, & materiam pilorum ad partes attrahit.

Vt verò efficacior euadat, ſolent quando ex vino extrahitur, in illa infundere medicamina varia, pro variis morbis qui curari debent: Nam pro roborando cerebro, macerant in ea ſaluiam, Betonicam, Maioranam. Pro firmando ventriculo, cinnamomum, Maſtichen, ſpicam, abſinthium. Pro regenerandis pilis, puluerem Abrotani, cortic. Auellanar. Cannarum, & alia huiuſmodi. Exemplum ſit hoc.

℞. *Caryophyllorum, Nucis Moſchatæ, Zingiberis, Galangæ, Piperis longi, Zedoariæ, Granorum Iuniperi, Corticum Arantiorum, Cortic. citriorum, Maioranæ, Roris marini, Menthæ, Baccar. lauri, Pulegij, Ariſtolochiæ rotundæ, Stœchados, Cardui Benedicti, Florum Primulæ veris, Roſar. rubear. Flor. ſambuci. Spicæ Nardi, Ligni Aloes, Cubebar. Cardamomi, Cinnamomi, Calami Aromatici, Saluiæ. Baſilici, Gentianæ, Calamenthi, Sãtalor. omnium, Radic. Acori, Radic. pæoniæ, Granor. pæoniæ, Macis, Nigellæ, Cornu ceruini, Raſuræ eboris, Chamædryos, Chamæpityos, Maſtiches, Thuris albi, Aloes hepaticæ, Myrrhæ, Flor. chamomil. Aneth. Artemiſiæ, Betonicæ, an.* ʒ iij. *Flor. borrag. Flor. bugloſ. Meliſſæ, Sem. aniſi, Fœniculi, Carui, an.* ʒ ij. *Specierum electuarij de gemmis, Diarrhod. Triaſantalor. Aromatic. roſ. an.* ʒ ß. *Specier. Diamoſch. dulcis, Diambræ, Diagemmæ, Theriacæ, Diacori, vn.* ℥ ß. *Flor. calendulæ, Radic. Bardanæ, Radic. filicis, an.* ʒ ß. *Chelidon. maioris,* ʒ ij. *Rab. elect.* ʒ j. ß. *Olei terebinth.* ℔. j.

Omnia ſuprà dicta puluerizata bene, ponãtur ſingula ſuo tẽpore in aqua vitæ optima, quæ facta ſit ex generoſiſſimo vino per alembicũ vitreum, & fermententur, incipiendo à vere, continuandóque per æſtatem: & obturetur exquiſitè vas vitreum, quod ſit capax viginti librarum aquæ vitæ, tunc verò cola, & ſerua. Quæ aqua pro cordis, ventriculi, & cerebri frigidis affectibus eſt pretioſiſſima, & tempore peſtis, vtiliſſima: corpus enim à corruptione, tetráque aura præſeruat.

Cognoſcitur præſtantia aquæ vitæ ex odore: nam quæ fragrantiſſima eſt, & ſuauiſſimum ex ſe ſpirat odorem, cæteris antecellit: ex hac fit aqua diſtillatitia pro articulorum doloribus, morbo attonito, & membrorum molificatione mirabilis.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 153 sur 927

℞. *Aq. ardentis ex vino optimo extracta*, ℔ ß. *Acori* A *præparati*, ʒ ij. *Flor. rorismarini*, ʒ j. *Folior. eiusdem, M.* ß. *Cinnamom. Ligni aloës, an.* ʒ j. *Macis, Cardamom. Cortic. citri, Caryophyl. an.* ʒ ß. *Spicæ Nardi*, ϑ j. *Zingiber.* ʒ j. *Stœchad.* ʒ ij. *Moschi, Ambræ, an.* ℊ. vj. Omnia simul diebus quinque macerentur, & distillentur.

Prodest deinde ad exiccanda vlcera, si paretur hoc modo.

℞. *Aq. vitæ*, ʒ iij. *Theriac.* ʒ j. *Distillentur in alembico, & quod distillat vlceri applicetur, superaspersis pulueribus aloës, Myrrhæ.*

Pro conciliando somno sic paratur.

B

℞. *Papaueris albi, Papauer. nigri, an.* ʒ ß. *Vini albi, Fellis leporis, an.* ʒ ij. *Aquæ vitæ*, ʒ iiij. Infundantur infundéda in aqu. vitæ per dies tres, & postea distillentur. Gutta vna permixta cum aliquo syrupo somnifero conciliat somnum per horam vnam. Duæ guttæ, per duas, & sic de singulis.

Contra hecticam, & phthisim sic conficitur.

℞. *Aq. vitæ generosæ*, ℔ iiij. *Panem triticeum calidum, Num.* 1. *Proiice hæc in alembicum spatio* 14. *dierum, postea distillentur, additis speciebus, Diamargarit. frig. Diambræ, Diarrhod. Abbatis, Dianthos, an.* ʒ ij. *Pulp. cass. extract. recenter, sacchari candi, an.* ʒ j. *Succi glycyrrhizæ*, ʒ ij. C *Rorismarini*, ʒ iij. *Moschi*, ʒ ß.

Aqua Ant-epileptica.

℞. *Radic. pæoniæ maris siccatarum*, ℔ ß. *Angelicæ, Aristoloch. longæ, Fraxinellæ, Fol. Origani Cretici, Rutæ, Saluiæ, an.* ʒ j. *Flor. Pæoniæ maris, Betonicæ, Lilior. conuallium: Rorismarini, Tiliæ, siccatorum, Sem. Ammeos Orientalis, Nigel. an.* ʒ j. ß. *Pæoniæ*, ʒ ij. *Cassiæ lignea, Cardamomi minoris, Nucis Moschatæ, Olei vitrioli, an.* ʒ. ij. Puluerandis crassè pulueratis, affundantur spiritus vini ℔ viij. macerentur per octiduum vase benè clauso, deinde colentur per setaceum densissimum, colatura seruetur in vitreo nimbo probè obturato. D

Hæc aqua, optima est procuranda Epilepsia, omnibúsque aliis frigidis cerebri morbis propulsandis, si cochlear vnum singulis diebus ieiuno ventriculo, & duabus horis post cœnam propinetur: nam roborat cerebrum, flatus discutit, humores crassos dissoluit.

Aqua Hysterica, summè præstat ad vteri flatus dissoluendos, & hanc partem mirandum in modum roborat, & vterum in suo loco conseruat, frigidámque illius intemperiem corrigit. Dosis ʒ j. diluculo, & postea somnus captandus saltem per semi horam. Fit hoc modo.

℞. *Radic. Bryoniæ siccatæ.* ʒ ij. *Fol. artemisiæ, Dictamni Cretici, Matricariæ, Nepitæ, Ocimi, Pulegij, Rutæ, Sabinæ in vmbra siccatorum, an.* ʒ ß. *Cortic. arantiorum exteriorum, siccatorum*, ʒ j. ß. *Myrrhæ, Castorei, an.* ʒ. iij. *Croci*, ʒ. j. Puluerata macerentur per octiduum in spiritus vini libris tribus, deinde colentur per setaceum densissimum: colatura seruetur in nimbo vitreo diligenter obturato. E

Aqua Cinnamomi, eximias obtinet facultates: nam frigidis omnibus affectibus est idonea, si ad duas tréue vncias, pro ætatis, temperamenti, morbi ratione exhibeatur. Stomachum, iecur, lienem, pulmonem, cor, cerebrum, neruósque roborat; visum acuit, cordis affectibus opitulatur; venenis, venenatísque ictibus, ac morsibus prodest: Halitus gratiam commendat; menstrua, ac lotium educit; nauseam sedat, flatus discutit, secundinas pellit, partum accelerat, vitalem facultatem recreat.

℞. *Cinnamomi optimi crassiusculè triti*, ℔ ß. *Aq. ros. fragrantissimæ, Vini albi generosi, an.* ℔ j. Misce, & per biduum relinque in vase occluso, deinde super cineres calidos distilla, & aquam serua.

Aqua Theriacalis, contra venena est vtilissima, quia facultates non solùm recreat, sed qualitatem omnem pestilentem, & venenatam oppugnat, & extinguit. Prodest syncopæ, palmo, ac animi deliquio: opitulatur vertigini, febribus malignis, lethargo, epilepsiæ, apoplexiæ, & paralysi.

℞. *Radic. gentianæ, Enulæ campanæ, Tormentillæ, Angelicæ, Imperatoriæ, an.* ʒ j. *Cyperi, Ireos Florentiæ, an.* ʒ vj. *Zedoariæ, Cortic. citri sicci, Arantiorum, Cinnamomi, Caryophyl. Cardui benedicti, Corymbor. Hederæ, Granorum Iuniperi, an.* ʒ ß. *Dictamni, Scordij, Melissæ, Calendulæ, an. M.* ß. Macerentur per diem integrum super cineres calidos cum *vini albi* ℔ vj. Die sequenti adde decoctionis, *Vlmariæ, Betonicæ, Nenupharis*, ℔ ij. Deinde bulliant parum lento igne, tum fiat expressio, in qua dissolue, & infunde per noctem, *Theriacæ*, ʒ iiij. Postea ponantur in alembico vitreo, & fiat distillatio in balneo Mariæ, & aqua distillata seruetur.

Aqua Ophthalmica, plurimis oculorum affectibus prodest, vt Amblyopiæ, caligini, visus debilitati, & hebetudini.

℞. *Succor. chelidoniæ, Fœniculi, Rutæ, Apij, Hormini, an.* ℔ ß. *Mellis*, ʒ iij. *Fellis hircini*, ʒ j. *Fellis caponum, Fellis gallinar. an.* ʒ ß. *Aloes*, ʒ vj. *Caryophyl. Nucis Moschatæ, Sarcocollæ, an.* ʒ vj. Ponantur omnia simul in alembico, distillentur, vase vitreo excipiantur, & aqua distillata seruetur.

Aqua ad oculorum ruborem efficacissima, lachrymas exiccat, tunicas roborat, vlcera sanat.

℞. *Vini albi, Aq. ros. an.* ℔ ß. *Tuthiæ præparat.* ʒ j. *Macis puluerat.* ʒ ß. Omnia misceantur in phiala bene obturata, & per tres hebdomadas insolentur.

Lac Virgineum quod fit à Guidone, *tract. 6. de antidot. appropriatis, cap.* 2. exiccat, & extergit postulas faciei, cutaneis affectibus prodest, albedinem faciei conciliat.

℞. *Aceti ex vino albissimo facti*, ℔ ß. *Lithargyrij dealbati*, ʒ ß. *Misce, & postea per ellychnium distilletur aqua ex vno vase in aliud.*

DISTINCTIO II.

De Syrupis, tam concoquentibus, quàm humores purgantibus.

CAPVT I.

De Syrupis in communi.

INter liquida medicamenta, quæ in modum potus assumuntur, numeratur Syrupus, qui idem significat, ac confectio ex succo in infusione, vel decoctione, aut instillatione alicuius plantæ, vel eius partis, & saccharo, aut melle: qui dicitur Simplex, ad differentiam illius, qui ex succo, vel decoctione, infusione, vel instillatione plurium medicamentorum conficitur, qui Compositus nuncupatur.

Apud Mesuëm idem significat Syruptus, ac iulep. Differunt tamen, quia Syrupus sæpe fit ex rebus amaris, & aliorum saporum; iulep verò ex rebus dulcibus. Deinde differunt, quia Syrupus aliquando cum saccharo, sæpe verò cum melle; at verò iulep semper ex saccharo constat. Differunt præterea ex modo confectionis, quia Syrupus coquitur magis, quàm iulep, ex instillatione aliorum ex quibus constat. Quando absolutè profertur iulep, intelligitur id quod saccharo, & aqua simplici conficitur parum coctis: eadem tamen vtilitates habet quàm syrupus.

Fit

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 154 sur 927

Fit ſyrupus, addendo quátitati liquoris æqualem partem ſacchari, vel mellis, vel vtriuſque, ita vt quatuor libræ ſucci roſarum ſuſcipiant quatuor libras ſacchari: licèt aliquando ſit ponenda in vaſe maior quantitas liquoris, qui debet concoqui, ad hoc vt conſumatur pars viſcoſa, & recrementitia quæ in ipſo continetur, ipsáque conſumpta, atque exiſtente ſucco in debita diſpoſitione, neceſſaria ad compoſitionem medicamenti, tunc admiſcetur ſaccharo: hoc autem contingit in ſyrupo borraginis, & portulacæ, & aliis huiuſmodi. Poſtea debet ſimul concoqui ſaccharum, & ſuccus, donec modum ſubſtantię acquirant, ita vt ſi applicetur alicui rei, inhærear cum aliquali fluxibilitate: ſic enim diutius conſeruatur ſyrupus, atque guſtui delectabilis exiſtit; quia ſaccharum in gratiam guſtus, & conſeruationis adminiſtratur.

Syrupus ad varias intentiones eſt paratus: ſed ea quæ præcipuè à Medico expetitur, eſt vt humor aptam diſpoſitionem ad purgationem ſibi comparet. Vt verò commodiùs vires ſuas exerat, debet offerri ventriculo ieiuno; ſic enim multò meliùs ab ipſo alteratur, & per vniuerſas corporis partes diſtribuitur: & tunc aquis ſolet permiſceri, ita vt duabus vnciis ſyrupi, tres aquæ reſpondeant. Propinatur autem ſyrupus per ſe ſolus, ad corroborandum caput, ſomnum conciliandum, leniendum thoracem, & fauces: ad menſtrua prouocanda, &c. in quibus exemplis quantitas determinata deſcribi non poteſt. Præſtantia ſyrupi ex odore, ſapore, & modo ſubſtantiæ, ſimul cum debita coctione cognoſcitur.

CAPVT II.

De Syrupis bilem diſponentibus.

Syrupus de Scorzonera, ſeu viperina, temperat ſanguinem, bilis feruorem compeſcit, præſertim in febribus malignis, & peſtilentibus, veneno reſiſtit, peſti ſuccurrit, & cutaneis, cordiſque affectibus remedio eſt, & fit hoc modo.

℞. *Radicum Scorzonere*, ℔. 1. *Aq. fontan.* ℔. vj. Mundentur à pelliculis radices, & mortario lapideo fricentur, infundantúrque aqua dicta die vno: poſtea ad medietatem coquantur: in colatura infunde ad maiorem cordis corroborationem, *Flor. cordial. an.* ʒij. *Cum* ℔. iij. *ſacchari, fiat ſyrupus.*

Syrupus Endiuiæ, infrigidat in ſecundo gradu: confert in morbis, qui ab humore bilioſo originem ducunt, attenuat, & aperit, habétque magnam cognationem cum hepate, ipſum deobſtruit, & renum calidam intemperiem ſedat.

Syrupus Oxalidis, conficitur ex ſucco acetoſæ, & ſaccharo: & maximè prodeſt in febribus ardentibus, malignis, peſtilentibus; & inflammationibus ventriculi mirè ſuccurrit: reſpicit ventriculum, & cor, ſitim ſedat, & ſingultum curat ex bilioſo humore prognatum.

Syrupus Acetoſus ſimplex, ita denominatur, provt diſtinguitur à ſyrupo de duabus radicibus cum aceto; & fit ex aceto vini albi, & ſaccharo. Infrigidat in ſecundo gradu, incîdit, attenuat, & maximè penetrat. Vtilis eſt in tertianis nothis, & aliis affectibus qui à bile craſſa ortum ducunt, cum pituita permixta: vrinam prouocat; ab vteri, renum, & veſicæ obſtructione liberat. Nocet hyſtericis fœminis, quia vterum dolore afficit.

Syrupus de acetoſitate limonum, ex ſaccharo, & ſucco limonum acidorum conficitur. Infrigidat in ſecundo gradu, incîdit, attenuat, attemperátque partes principes, ſed præcipuè cor ſua alexipharmaca vi, quia cætera membra etiam reſpicit, ideóque ſummè prodeſt in febribus ardentibus, & malignis; iecoris, renúmque calidam intemperiem aufert, & ipſos à lapidibus, & arenulis liberat; lapidem veſicæ frangit, vermes necat. Nocet vtero, ipſiúſque acetabula ferit, & pungit.

Syrupus de acetoſitate citri, potentior prædicto exiſtit in operatione ſua: quare maximam virtutem habet alexipharmacum, & cum maiori efficacia omnibus ſuprà dictis affectionibus eſt vtilior: inflammationes omnes ex bile ſubortas extinguit; ſed præſertim in tertiana, & febribus peſtilentibus eſt vtiliſſimus.

Syrupus de Agreſta, conficitur ex agreſta, ſeu ſucco vuarum immaturarum, & ſaccharo. Tertio gradu infrigidat, attenuat, incîdit, & bilem præparat in hepate, & ventriculo impactam; roborat, & excitat famem, quia ventriculum corrugat & comprimit, vomitum ſiſtit, ſitim lenit. Nocet vtero, cùm ob dictam cauſam illi aduerſetur valde.

De Syrupis adſtringentibus.

Syrupus Roſaceus, factus ex infuſione roſarum rubearum viridium, abſolutè roſaceus appellatur, ad differentiam illius, qui fit ex ſucco ipſarum roſarum cum melle, & ſaccharo, qui rhodomel ex melle, & ſaccharo dicitur. Simplex ſyrupus roſaceus habet vim infrigidandi in gradu ſecundo: adſtringit ventriculum; caput, & cor roborat; ſitim remouet, prodeſt maximè in febribus bilioſis, putredinem malignam remouet, fluxus omnes ex caliditate ſubortos ſiſtit, facultates naturales firmat.

Syrupus roſaceus ex roſis ſiccis, fit ex infuſione roſarum rubearum ſiccarum: & calidos humores attemperat, roborat ventriculum, inteſtina firmat, fluxus ex calore emanantes compeſcit. Quare prodeſt in diarrhœa bilioſa, & dyſenteria: & hæmorrhagiam ex quacunque parte emanantem coërcet; ſummúmque cum facultate animali, & naturali obtinet conſenſum.

Syrupus Granatorum, fit ex ſucco granatorum acidorum, & ſaccharo, & aliquando aliqua quantitas ſucci granatorum dulcium admiſcetur. Eſt guſtui gratus, ventriculum tuetur, ſitim aufert, prodeſt in febribus ardentibus, & malignis, quarum malignam putredinem mirè refrænat; tenues humores incraſſat, ad mediocrémque ſubſtantiam reducit.

Syrupus Citoniorum, fit ex ipſorum ſucco, & ſaccharo; Nam licèt aliquando ex ſucco citoniorum paretur cum melle, tunc tamen potiùs miua citoniorum appellatur. Infrigidat hic ſyrupus in gradu ſecundo: in omnibus alui fluxibus vtilis eſt, partes naturales roborat; quare iuuat in diarrhœa, & dyſenteria, appetitum concitat, vomitum & nauſeam remouet, & intemperantias calidas ventriculi arcet; ſomnum conciliat, vaporum mordacium exhalationem ad caput mirandum in modum prohibet.

Syrupus Myrtinus, fit ex fructu Myrti, & ſaccharo. Infrigidat in ſecundo gradu, adſtringit, & roborat ventriculum, vomitum & nauſeam ſiſtit; vtilis eſt in fluxionibus alui, ſanguinis ſputo; vteri, & aliarum partium hæmorrhagiâ, appetentiam excitat, maximam cum facultate naturali cognationem habet.

Syrupus Magiſtralis contra fluxus omnes, & immodicas ex quacunque parte hæmorrhagias, vomitum ſiſtit, nauſeam remouet, excellenter adſtringit, incraſſat, & canales comprimit, fitque hoc modo.

℞. *Succi plantagin. Succi verbenæ depuratæ, an.* ℔. ij. *Bulliant in eo gummi Arabici, Tragacanthi, Succi liquiritiæ, an.* ℥ iiij. *Mumiæ, Sanguinis Draconis, Boli armeni, an.* ʒj. ß. *Syrupi roſacei, q. ſ. vt fiat ſyrupus.*

Syrupus Symphyti, adſtringit, fluxus ſiſtit, vomitum retinet, hæmorrhagiam compeſcit.

℞. *Radic. & cymarum ſymphyti maioris, Herbæ Bellidis cum toto, an. partes tres: Betonicæ, Pimpinellæ, Plantagin. Polygoni,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 155 sur 927

lygoni,Scabiosæ, Tussilaginis, Flor.ros. rubear. an. partes. duas. Ex omnibus virentibus tusis exprimatur succus, coquatur, dispumetur:cuius libris tribus adde sacchari albi,℔.ij.ß. Coquatur in syrupum.

De Syrupis aperientibus.

Syrupus Diureticus Magistralis, diuturnis obstructionibus remedio est, vrinam mouet, calculum renum promouet, & vesicam à sabuloso humore repurgat.

℞.*Apij,Petroselin.Fœnicul.Anisi,Ameos,Dauci,Baucia,Pentaphylli Alexandrini,an.*℥. iij. *Asparagi, Brusci, Peucedani, Meu,Scolopendriæ,Capil.vener.Polytrichi,Capparis,Tamarisci,Seseleos, Granor. solis, Sem. Melon. Sem. Citrullor.Sem.cucumer.Sem. cucurbitæ, Saxifragiæ, Sem. citri, Lapidis spongiæ, Pulu.cicadarum, Amomi, Thymi, Chamæpityos,Ossium persicorum,Cardamomi, Ireos, Spicæ nardi,Caryophyl.Costi,Nucis moschatæ,an.*℥.iij. *Galangæ, Epithym.Filipendulæ,Pimpinel. Ciceris nigri, an.* ℥. j. ß. *Aquæ,Sacchari, q.s. Fiat syrupus secundum artem.*

Syrupus Raphani,obstructiones aperit,calculum frangit, & vrinam mouet.

℞.*Radic.raphan.satiui,& siluestris,an.*℥ j.*Saxifragiæ, Ruscі, Leuistici, Eringij, Anonidis,Petroselin.Fœnicul. an.* ℥ß.*Pimpinel.Pulegij,Betonic.Cymarum vrticæ, Nasturtij, Laueris,Callitrichi, an.M.*j. *Fructuum Alkekengi, Iuiubar.an.num.*xx.*Sem.Basilicon.Personatæ, Petroselin. Seseleos,Carui,Dauci,Lithospermi, Cortic. radic. lauri, Capparum,an.*℥.ij.*Vuar. passar. ab acinis purgatarum, Glycyrrhiz.an.*℥. vj. Coque in ℔. x. aq. ad consumptionem ℔.iiij.adde *Sacchari*,℔.iiij.*Mellis despumati*, ℔. ij. Fiat syrupus clarus, & condiatur cum *Nucis Moschatæ*, ℥ j ß.

Syrupus de scoria ferri simplex, deobstruit, aperit, attenuat, prouocat menstrua, vrinam mouet: vtilis est in febre alba,virginum fœdis coloribus, fœcundas reddit fœminas, firmat stomachum, viscera naturalia roborat.

℞.*Scoriæ ferri præparatæ*,℔.ß.*Passular.enucleatar.*℔.j. *Origani, Anisi,Croci,an.*℥ ß. Omnia infundantur in ℔. viij. aquæ triduò: coque quousque absumantur ℔. ij. Colaturæ adde sacchari ℔.iiij. & fiat syrupus.

Syrupus de scoria ferri compositus, easdem præstat vtilitates,sed in deobstruendo efficacior existit.

℞.*Aquæ borragin.*℔.vj.*Fol.capil.vener. Asplenij, an. M.*j.*Passular.sine granis,p.*ij. Coquantur ad medias,coletur: tunc recipe *Chalybis præparati*,℔. j. Igniatur, & sæpius extinguatur in prædicta colatura: adde *Syrupi borrag.Byzantini,Capil.Vener.an.*℥v.*Theriac. antiq. Mithridatij,an.*℥ iij.*Sacchari.q.s.*Iterum bulliat,& fiat iulapium.

Dosis ℥ iiij. ieiuno ventriculo. Quo assumpto si fiat validum exercitium, maximè per loca accliuia, & decliuia, pro dictis operationibus complendis erit efficacior.

De Syrupis incrassantibus.

Syrupus Violarum,fit ex succo violarum, vel infusione ipsarum, & minùs propriè ex decoctione ipsarum siccarum, & sacchаro; & licèt aliquando fiat ex conserua, tamen hoc est contra Mesuæ mentem. Infrigidat, & humectat in secundo gradu. Prodest in febribus, & distillationibus calidis: tenues, & calidos humores incrassat; sitim remouet, malignæ qualitati resistit;asperam arteriam,& pectus lenit;respicit cor,& cerebrum;faculratem animalem,& naturalem roborat; sputum facilitat,somnum conciliat, bilem concoquit, & siccum, squalidúmque corpus humectat: quare hac de causa in febribus hecticis tantopere commendatur.

Syrupus Nenupharis, fit ex infusione florum nenupharis. Infrigidat in secundo gradu, bilem attemperat, confert in febribus bilioſis, & malignis, somnum conciliat, & ob id in phrenitide summè iuuat; vim habet cardiacam, & venenosæ qualitati summè resistit.

Syrupus Althææ Magistralis, crassam pituitam, purulentámque saniem, & arenulas suauiter expurgat, & citra manifestum calorem, vrinæ ardorem mitigat.

℞.*Radicis Althææ,*℥ ij.*Cicer.rubeor.*℥j.*Radic.Graminis, Asparagi,Glycyrrhiz.mundæ,Vuar. passar. expurgatar. an.*℥ ß. *Summitat. Althææ, Maluæ, Parietar. Pimpinel. Plantagin.Adiant. an. M.* j. *Sem. frig. maior. Sem. frig. minor.an.* ℥. iij. Coque in ℔. vj. aquæ vsquequò absumantur libræ ij.adde *Sacchari albi*,℔.iiij. *Fiat sec.art. Syrupus.*

Syrupus de Tussilagine,tussi siccæ, atque orthopnœæ valde succurit.

℞.*Tussilagin.M.*j.*Capil.vener. M.* ij. *Hyssopi. M.*j. *Glycyrrhiz.* ℥ij. Coque in sufficienti aquæ quantitate sec.art.adde *Sacchari*, ℔.iij.*fiat syrupus.*

Syrupus Diacodion,tenues humores incrassat, fluxiones sistit, & distillationes coërcet, somnum conciliat, sanguinis sputo succurrit,tussi siccæ remedio est,fitque hoc modo.

℞.*Capit.papauer.Albi, Siliquarum dulcium, an.* ℥iij. *Radic.althææ,Glycyrrhiz.rasæ,an.*℥ij.*Coquantur in* ℔. xij. *aq. ad consumptionem tertiæ partis.* Colaturæ adde, *sacchari candi rubicundi*, ℔. vj. Coquantur ad consistentiam,seu syrupi spissi.

Syrupus iuiubarum, fit ex decoctione hord.liquiritiæ, & iuiubarum. Infrigidat,& humectat in gradu secundo, bilem incrassat, febrem remouet, somnum prouocat, humores tenues,& calidos in pectore concoquit.

Syrupus de Portulaca,fit ex ipsius succo, & sacchаro, qui infrigidat in tertio gradu, & minimè disponit materias calidas,ipsas incrassando,præcipuè in ventriculo, iecore,& pectore. Quare iuuat in omnibus calidis destillationibus ex capite in subiectas partes; & sic inter omnes primum locum habet in sputo sanguinis, febribus ardentibus, menstruis purgationibus immodicis, quando ex humore calido emanat.

Syrupus de Papauere,præstantiorem locum obtinet in infrigidando;calidos,& tenues humores incrassat,somnum conciliat,sitim extinguit,vapores acres,& mordaces ad cerebrum ascendentes reprimit.Quare prodest in paraphrenitide, immodica vigilia, catarrho calido, tussi sicca;thoracem, & asperam arteriam lenit;sputum prouocat,vtilis est in ardentibus febribus, & malignis, quando superflua vigilia ægros infestat. *Syrupus de papauere compositus*,ad eosdem morbos efficacior est, valet ad tussim siccam, phthisim,catarrhum,& insomniæ causam.

CAPVT II.

De Syrupis disponentibus pituitam.

Hydromel,seu aqua mulsa inter syrupos connumeratur,ab ipsis veteribus maximè vsitata, vt *lib.acut.* retulit Galenus. Fit ex vna parte mellis optimi,electi, atque antiqui, & ex octo partibus aquæ fontis, simul coctis vsque ad modum substantiæ julep, & loco vini conceditur. Vtilis est in morbis frigidis pectoris,cerebri,neruosarum partium; sitim quæ ex humore crasso, & viscoso oritur,aufert; saniem, & humores crassos in pectore pertinaciter impactos abstergit; & humores resoluit. Valde prodest in humoribus, qui vias vrinæ occuparunt, & in iis partibus lapidis generationem prohibet.

Syrupus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 156 sur 927

Syrupus de Paonia Magiſtralis, pituitam concoquit in cerebro; prodeſt Epilepſiæ; & cæteris cerebri, & neruorum partium affectibus ſummo eſt auxilio; fitque hoc modo.

℥. *Radic. Paoniæ*, ℔.j. *Coque in* ℔.vj. *aquæ ad mediætatis conſumptionem: Adde ſacchari* ℔.iij. *fiat ſyrupus.*

Syrupus de Betonica, prodeſt in omnibus frigidis capitis, & neruorum affectibus: & hoc modo paralyſi, vertigini, dolori capitis frigido, remedio eſt.

℥. *Succi Betonicæ depurati*, ℔.iij. *Sacchari albi*, ℔.j.ß. Coquantur in ſyrupi conſiſtentiam.

Syrupus de cinnamomo, flatus diſcutit, pituitam concoquit, roborat ventriculum, hepar firmat, & ſic frigidis ventriculi, & hepatis vitiis mirificè confert.

℥. *Miuæ citoniorum, Vel ſyrupi de corticibus citri*, ℔.ß. *Quintæ eſſentiæ cinnamomi*, ʒ. iij. *Miſce, fiat ſyrupus.*

Syrupus capillorum Veneris, fit ex decoctione capilli Veneris, & ſaccharo. A mediocritate parum recedit per calorem: pituitam præparat, attenuat; thoracem, & aſperam arteriam lenit; & in his partibus humores craſſos, & frigidos ad expulſionem diſponit: quare vtilis eſt in tuſſi antiqua, catarrho, pleuritide, menſes prouocat.

Syrupus Liquiritiæ, pituitam concoquit, calefacit in gradu ſecundo, fit ex decoctione liquiritiæ, capillorum Veneris, & hyſſopi cum ſaccharo. Reſpicit præcipuè thoracem, ſputum facillitat, tuſſim remouet, quando ex frigida deſtillatione originem ducit.

Syrupus de Hyſſopo, efficacior eſt: nam pituitoſos humores in thorace contentos per ſputum prouocat, & prodeſt in tuſſi antiqua, aſthmate, difficultate reſpirationis.

Syrupus de Praſſio, maximam efficaciam habet, vehementiùs calefacit, & attenuat; pituitam præſertim in pulmone abſtergit; & humores in cauitate thoracis tenaciter impactos per ſputum excernit: quare in tuſſi antiqua, aſthmate, difficultate reſpirationis vtilis eſt; & à proprietate omnem humorem putridum in cauitate thoracis exiſtentem repurgat, atque ipſum corroborat; & iccircò in empyemate ſaluberrimus cenſetur.

Oxymel ſimplex, fit ex quatuor partibus aquæ, & duabus mellis, & vna aceti vini albi. Calefacit in gradu ſecundo, valdè attenuat, digerit, abſtergit, & materiam craſſam, & viſcidam reſoluit. Offertur in febribus diuturnis, tertianis nothis, & quotidianis: mundificat palatum, & fauces: habet conſenſum cum ventriculo, ipſúmque roborat.

Oxymel ſcilliticum, cæteris maiorem efficaciam habet; componitur ex aceto ſcillitico, & aqua mulſa. Calefacit in gradu ſecundo, potenter attenuat; & humores frigidos, & craſſos incîdit, etſi in profundo corporis ſint impacti. Reſpicit caput, & ventriculum, quas partes roborat, confert in ſuppurata pleuritide, vehementer tuſſim excitat, atque mediâ ipsâ rumpitur abſceſſus; ſed cautè ipſo vtaris oportet, & cum aliis expectorantibus permixto.

Oxymel ſcilliticum compoſitum, potentiùs multò incîdit, tenuat, terget, obſtructa aperit; prodeſt in diuturnis quartanis, quotidianis; & ſuprà dictos affectus potentiùs perſanat.

℥. *Radic. apij, radic. fœniculi, an.* ʒ iiij. *radic. petroſelin. radic. ruſci, radic. aſparagi, ſem. apij, ſem. fœnicul. an.* ʒj. Coquantur in aquæ partib. vj. aut quantum ſufficit: colaturæ adde. *Aceti ſcillitici, p.i. mellis optimi deſpumati, p.ij. Fiat ſyrupus ſec. art.*

Rhodomel ſimpliciter dictum, fit ex ſucco roſarum rubearum, & melle. Aliud eſt, quod *rhodomel ex ſaccharo, & melle* appellatur, quod ex ſucco roſarum prædictarum, & æquali portione mellis, & ſacchari conficitur. Hoc habet vim calefaciendi in gradu ſecundo, attenuat, incîdit, pituitámque diſponit; & humores frigidos in ventriculo exiſtentes ſimul cum flatibus ab ipſis eleuatis reſoluit. Iccircò in cruditatibus ventriculi eſt vtilis, dolorem colicum perſanat, rugitus inteſtinorum aufert; confert in ſoporoſis affectionibus per conſenſum ventriculi ſubortis, quas partes corroborat, & ipſarum coctionem adauget. *Colatum* eaſdem vires ſortitur, & maximè conducit in vlceribus: nam ſordida vlcera, & putrida abſtergit, & carne citiſſimè implet.

Syrupus Byzantinus, efficitur ex ſuccis cichorij, Apij, borrag. lupulor. & ſaccharo. Calefacit in fine ſecundi, pituitam incîdit bili permixtam. Vtilis eſt in tertianis nothis, & morbis chronicis: habet conſenſum cum præcipuis partibus, menſes prouocat, aliqualiter mouet aluum, & in euacuatione per epicraſin maximè prodeſt.

Syrupus Abſinthij, calefacit in gradu ſecundo, pituitam præparat: vtiliſſimus eſt in omnibus affectionibus frigidis, malo corporis habitu, hydrope. Ventriculum roborat, abſumit flatus, crudos humores concoquit, coctionem adauget, vermes necat. Fit ex ſucco abſinthij pontici, & ſaccharo, & ſua adſtringenti vi appetentiam concitat, & aliqualiter pituitoſum, & crudum humorem per aluum expurgat.

Syrupus Fœniculi, intenſiùs calefacit, aperit, incîdit, attenuat. Conficitur ex ſucco fœniculi, & ſaccharo. Pituitam præparat præcipuè in capite: vtilis eſt in graui auditu, ſuffuſione, omnibus ſoporoſis affectionibus: caput, & ventriculum reſpicit, flatus abſumit, ructus leuat, & coctionem iuuat.

Syrupus de Stœchade fit ex decoctione florum illius, & melle. Calefacit in gradu ſecundo: maximè confert in omnibus frigidis affectionibus, præcipuè ſoporoſis, in epilepſia, paralyſi, conuulſione. Præterea ad omnes viſcerum obſtructiones commendatur: ſubſtantia enim tenui & ignea facilè aperit, neruos reſpicit, acuit ſenſus tam internos, quàm externos; & ſubſtantia terrea & ſtyptica, qua pollet, ipſa viſcera roborat, ſed præſertim iecur & lienem confirmat.

Syrupus de lacca Magiſtralis deſcribitur ab Auicenna, 1.4. *tract.4. cap.10. de curatione variolarum, & morbillorum*, in quibus morbis ſummè prodeſt, nam humores à centro ad circumferentiam attrahit, & exanthemata prouocat ad cutem. Offertur quando iam facta eſt efferueſcentia in ſanguine: antea enim maximè nocet. Eſt calidus in ſecundo gradu, & humores frigidos & glutinoſos, qui in viſceribus tenaciter adhærent, attenuat, liquat, & ad corporis ſuperficiem extrudit. Fitque hoc modo.

℥. *Ficuum pinguium*, ʒ. vij. *lentium excoriatar. laccæ, an.* ʒ iij. *tragacanthi, ſem. fœniculi, an.* ʒ ij. Coque in ℔.i. ß. aquæ vſque ad tertiæ partis conſumptionem, & cum ſaccharo fiat ſyrupus.

Syrupus de Artemiſia, duplex eſt *ſimplex*, & *compoſitus*. Ille eſt tantùm in vſu, calefacit in tertio gradu, aperit, attenuat, menſes mouet, verum roborat, & deobſtruit, fœtum mortuum expellit, partum accelerat, cum ſumma cautela eſt adminiſtrandus, quia abortum prouocat, fitque hoc modo.

℥. *Artemiſiæ, m.ij. pulegij, calamintha, origani, meliſſæ, dictamni cretici, perſicariæ, ſabinæ, amaraci, chamædryos, chamæpityos, perforatæ, comarum matricariæ, centaureæ minoris, rutæ, betonicæ, bugloſſæ, radic. fœnicul. apij, petroſelini, aſparagi, bruſci, radic. ſaxifragiæ, radic. enulæ campanæ, cyperi, radic. rubiæ tinctorum, ireos, radic. paoniæ, an.m.j. baccar. iuniperi, ſem. liguſtici, petroſelin. apij, aniſi, nigellæ, carpobalſami, coſti, radic. aſari, radic. pyrethri, caſſiæ lignea aromaticæ, cardamomi, calami aromatici, phu, id eſt, radicis eius, an.* ʒß. *Aquæ q.ſ. ſacchari*, ℔.iiij. Coquantur omnia magna diligentia ſecundùm artem, ne plus quàm neceſſe ſit aromata bulliant.

Neque

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 157 sur 927

Neque licet, vt quidam faciunt, mutare, vel minuere medicamenta: nam hæc, vel illorum succedanea, etsi cum labore, comparari queunt; maximè cum hominum salute nihil charius sit, vt 7. *meth.* 6. *in med.* eleganter dictabat Galenus.

Syrupus de duabus radicibus, duplex: alius appellatur *sine aceto*, quia sine eo fit; & solùm in eius compositionem ingrediuntur duæ radices ex diureticis, simul cum aliis rebus, ex quarum decoctione cum melle conficitur. Calefacit in gradu secundo, & attenuat; præparat pituitam; aperit, deostruit hepar, lienem, ventriculum; menses prouocat, vrinam & sudorem mouet; febribus ex crasso humore profectis strenuè opitulatur. Cum hepate, & vtero consensum habet. Quando administratur, debet Medicus vti hac particula. ℞. *Syrupi de duabus radicibus sine aceto*: alioquì si hoc modo non describitur, intelligitur cum aceto.

Syrupus de quinque radicibus, fit ex decoctione quinque radicum diureticarum, & aliorum medicamentorum, & saccharo: Alter verò cum aceto, & decocto prædictarum rerum, & melle paratur. Cum saccharo compositus, ad omnes morbos efficacior est, & in omnibus ferè affectionibus frigidis offertur; in asthmate, difficultate respirationis, paralysi, conuulsione ex repletione. Cum melle factus ad dictas ægritudines efficacior est, attenuat, incîdit, & vterum ab obstructione liberat, cuius flatus potenter resoluit.

Mina citoniorum cum aromate, & sine illo. Simplex, fit ex eorum succo, vino albo, & aliis rebus cum melle, vt Mesuë docet, calefacit in primo gradu, pituitam præparat, præcipuè in ventriculo atque hepate, quas partes roborat, & earum actiones adauget: absumit cruditates ventriculi, resoluit flatus, immodicum alui fluxum sistit, appetentiam excitat, vomitum reprimit. Aliquando fit cum aromatis, vt sunt cinnamomum, cardamomum maius, Caryophyllum, Zingiber, mastiche, lignum Aloës, Macis, & dicitur *mina citoniorum cum aromate*. Intensiùs calefacit, respicit cor, sed interdicenda vbi ægri corripiantur febri.

Syrupus de corticibus citri, cum aromate, & sine illo. Ex decoctione corticum citri, & aliarum rerum cum saccharo fit, duplex est: alter, qui absolutè, & simpliciter semper dicitur *Syrupus de corticibus citri*, & habet vim calfaciendi in gradu secundo, præparat pituitam, frigidam ventriculi intemperiem remouet; prodest in hydrope, cachexia, syncope; oris fœtorem corrigit; cerebrum, iecur, & ventriculum respicit, quarum partium coctionem iuuat: quæ omnia efficaciùs operatur, qui *de corticibus citri cum aromate* appellatur, & ex suprà dictis aromatis cum saccharo componitur.

Syrupus de Mentha, duplex est *simplex*, & *compositus*: hic ab illo differt, quia recipit Galliam moschatam, & licèt iisdem conferat morbis, efficaciùs tamen operatur. Vtilis est in cruditatibus ventriculi, & intestinorum flatu; immodicos eorum fluxus, non præsente febre, coërcet; remouet nauseam; vomitum coërcet; appetentiam excitat; vermes necat, roborat ventriculum, & cætera viscera confirmat.

CAPVT IV.

De Syrupis disponentibus Melancholiam.

Syrupus borraginis, etsi bilem adustam præparet cum duobus subsequentibus, & maximè conueniat in omnibus morbis, & febribus, maiorem tamen obtinet efficaciam in præparanda melancholia. Fit ex succo borraginis, & saccharo. Recedit à mediocritate aliquãtulum per calorem, & humiditatem: & cardiacam vim habet; quare malignam putredinem extinguit, purificat sanguinem, spiritus tam vitales, quàm animales reparat; cor, & cerebrum roborat; & ideò confert in febribus malignis, cordis palpitatione, syncope, cardiacis affectionibus, cutaneis morbis, & aliis qui ab humore melancholico originem ducunt.

Syrupus Buglossæ, non est tam in vsu: eodem modo paratur quo syrupus Borraginis, & easdem vires habet. Differunt solùm, quia Borrago est domestica, Buglossa verò est agrestis. *Syrupus Scorzoneræ* his similis est: sed contra melancholiam, & cordis affectus est excellentior, de quo suprà.

Syrupus Fumariæ, succum melancholicum præparat. Componitur ex succo ipsius, & saccharo; hyeme verò cum melle paratur. Recedit per calorem à mediocritate. Vtilis est in omnibus morbis à bile aduста, & pituita salsa subortis, vt quartana, scabie, lepra, pruritu, & aliis cutaneis affectibus. Prodest in morbo Gallico, hæmorrhoïdibus, melancholia morbo; ventriculum, & hepar roborat, aperit, & leniter aluum mouet.

Syrupus de Pomis, fit ex succo pomorum redolentium, & saccharo. Aliquantulum recedit à mediocritate per humiditatem, etsi in aliis sit maximè temperatus. Præparat humorem melancholicum, & sic morbis melancolicis, præcipuè ex bile aduста subortis, remedio est. Vtilis est in quartana, tremore cordis, lepra, cutis infectionibus, melancholia morbo: cerebrum ac cor respicit, & roborat, venenatis morbis opitulatur, malignis morbis resistit, vitales spiritus gignit; quare tempore pestis est summè commadatus.

Syrupus Lupulorum, ex ipsorum succo, & saccharo conficitur. Calefacit in primo gradu, concoquit melancholicum succum, & deobstruit: Vtilis est in ictero nigro, melancholia hypochondriaca, melancholicis affectionibus: respicit iecur, & lienem, quas partes vehementer roborat, & deobstruit, sitque hoc modo.

℞. *Succi ex germinibus tenellis lupulorum expressi, partes tres, sacchari, partes duas, fiat* Syrupus.

CAPVT V.

De Syrupis bilem purgantibus.

Syrupus de Rhabarbaro, clementer bilem vtramque per aluum excernit: vtilis est in febribus ardentibus, & biliosis, tertiana exquisita, ictero flauo, & morbis biliosis. Propinatur debilibus, pueris, & grauidis, & aliis qui aliorum medicamentorum vires ferre non possunt.

℞. *Rhab. optimi, fol. sen. an.* ℥ ij. *aq. betonic. cichorij, bugloss. an.* ℔ j. ß. Fiat omnium infusio per noctem: manè ebullitione, & expressione facta, adde *Syrup. ros. solut. compos.* ℥ iiij. & sec. art. fiat Syrupus.

Syrupus Violarum ex IX. *infusionibus*, fit ex tribus libris nouem infusionum violarum, & ex duabus sacchari. Infrigidat, & humectat in gradu secundo: debiliter bilem purgat, & eam clementer ex prima corporis regione, thorace, & vrinæ viis educit. Cardiacam vim habet, & ideò prodest in febribus malignis, pleuritide, catarrho calido, diabetica passione. Vtilis est debilibus, pueris, & vtero gerentibus, etsi in iis aliqui eius vsum pertimescant; quòd humiditate sua vteri acetabula emolliendo abortum concitare possit: sed in earum morbis curandis tutissimè, vt relaxet, offerri solet, quia non ea pollet humiditate, imò sua cardiaca vi vterum roborat. Dosis per se ab ℥ iij. vsque ad ℥ v.

Syrupus Persicus, fit ex aliquibus infusionibus prædictarum rosarum, & debita quantitate sacchari. Hic syrupus infrigidat in primo gradu, bilem purgat, & ideò in biliosis morbis administratur, & ex prima corporis regione, in maiori verò quantitate, ex secunda euacuat. Dosis est ad ℥ v.

Syrupus Rosarum Persicarum ex IX. *infusionibus*, fit ex nouem infusionibus prædictarum rosarum, & saccharo.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 158 sur 927

ro. Infrigidat in primo gradu, & valentiùs bilem in corporis profundo repoſitam, expurgat: Euacuat enim omnis roſa bilem, & aquas, & Alexandrina præter id pituitam, & materias communes in viis ductuum repertas, vt ex Auic. & frequenti conſtat experimento. Vtilis eſt in febribus ardentibus, & malignis, cardiaca vi pollet, reſpicit cor, & cerebrum, quas partes roborat. Doſis per ſe ab ʒ iij. vſque ad v.

Syrupus Roſarum Rubearum ex IX. *infuſionibus*, fit ex infuſione nouena roſarum rubearum. Infrigidat in primo gradu, & cum modica ſtypticitate bilem expurgat; ventriculum, & inteſtina roborat. Iccircò laudabiliter adminiſtratur in diarrhœa bilioſa, dyſenteria, teneſmo, quando cum aliquali corroboratione bilioſum humorem expurgare conamur, in quibus affectibus curandis mirabilis eſt; nam eſt medicamentum clemens, & valde lene. Doſis eadem.

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro. Infrigidat in gradu ſecundo. In hepatis obſtructionibus mirabiliter opitulatur. Incidit, attenuat, bilioſos humores expurgat cum pituita permixtos. Vtilis eſt in tertianis nothis, ac productis febribus, ſi præcedente vacuatione adminiſtretur. Aliquando fit hic Syrupus *cum duplicata portione rhabarbari*, & efficaciores vires habet, & in contumacibus iecoris, lienis, vteri obſtructionibus eſt efficaciſſimus. Doſis eadem cum ſuprà dictis.

Syrupus Regius Magiſtralis, clementer & ſine moleſtia, non bilem ſolùm: ſed alios humores exuperantes expurgat; quare vtiliſſimus eſt in febribus bilioſis, putridis, malignis: prodeſt debilibus naturis, ſenibus, grauidis, & ob cardiacam qualitatem peſti reſiſtit. Huius duplex eſt compoſitio, ſed ſecunda efficaciùs euacuat.

℞. *Fol. ſen.* ʒ j. *infunde in* ʒ x. *aq. fœniculi: adde infuſionis quintæ violar. infuſionis nouenæ roſ. Perſ. an.* ʒ iiij. *Saccari*, ℔ i. *fiat ſyrupus.*

Vel confice hoc modo.

℞. *Ex* IX. *infuſ. flor. violar. ex* IX. *infuſ. roſ. perſ. an.* ʒ iiij. *infuſionis* ʒ j. *fol. ſen. factæ in* ʒ xij. *aq. fœniculi, ad remanentiam* ʒ v. *emulſionis ſem. cartham. factæ in decoct. polypodij* ʒ iij. *Sacchari, q. ſ. fiat ſyrupus.*

CAPVT VI.

De Syrupis purgantibus pituitam.

Syrupus de Eupatorio, calefacit mediocriter. Prodeſt in omnibus frigidis affectionibus lienis, & aliarum partium nutritioni inſeruientium. Humores pituitoſos incîdit, & attenuat, deobſtruit, vrinam prouocat. Quotidianis febribus, diuturnis, hydropi, cachexiæ auxiliatur: coctionem ventriculi roborat, appetentiam excitat, flatus diſcutit, dolores ſedat. Habet maximam conuenientiam cum ventriculo, & ferè ſemper poſt vniuerſalem vacuationem adminiſtratur.

Syrupus de ſtœchade compoſitus, valentiùs operatur, quàm ſyrupus de ſtœchade ſimplex: Nam pituitam euacuat, facultatem animalem, & vitalem, ſed præcipuè cerebrum, & ventriculum reſpicit, quas partes à craſſo, & tenaci humore repurgat, & roborat.

Syrupus de Hermodactylis Magiſtralis, euacuat pituitam è capite, ventriculo, & iuncturis. Vtilis eſt in frigidis cerebri affectibus, dolore ventriculi & articulorum, fitque hoc modo.

℞. *Quinque radicum, an.* ʒ j. *ſem. 4. frigidor. maiorum, an.* ʒ j. ß. *hyſſopi, capillor. vener. Aſplenij, an. m.* ß. *violar. m.* j. ß. *flor. roriſmarmi, Borrag. an. m.* j. ß. *cyperi,* ʒ iij. *chamomillæ,* ʒ ij. *paſſular.* ʒ j. *ſennæ,* ʒ ij. *hermodactylor. cuſcutæ, an.* ʒ ß. *aniſi, fœnicul. carui, an.* ʒ ij. ß. *polypodij,* ʒ iij. *agarici,* ʒ ij. Coquantur in ℔ iij. aq. Colaturæ adde *Sacchari,* ℔ j. ß. *roſar.* ʒ j. *rhab.* ʒ iiij. ß. *turbith,* ʒ. iij. Hæc tenuiſſimè trita, & in panno ligata ſuſpendes in ſyrupo cocto ſec. artem.

Syrupus Diacnicu, eſt idoneus autumno, & hyemis, veríſque initio. Febribus longis, quotidianis, quartanis, & obſtructionibus viſcerũ, lienis, & iecoris, ex pituita, & craſſis humoribus generatis, necnon & aqua inter cutem laborantibus. Exhibetur pueris, & delicatulis fœminis ʒ j. cum ſyrupi roſar. ſolut. ſemuncia; adultis, & robuſtioribus vnciæ binæ ſatis ſunt, cum duabus vnciis aq. pulegij, thymi, aut decoctionis alicuius phlegmagogæ.

℞. *Adiant. hyſſopi, thymi, origani, chamædryos, chamæpityos, ſcolopendrij, bugloſ. an. m.* ß. *cuſcutæ, veſicariæ, an.* ʒ ß. *radic. angelicæ, glycyrrhizæ, fœniculi, apij, aſparagi, an.* ʒ. j. *corticis tamariſci,* ʒ ß. *polypodij,* ʒ j. ß. *ſem. aniſi, fœniculi, ameos, dauci, an.* ʒ ß. *ſem. cnici contuſi,* ʒ iiij. ß. *paſſular. enucleatar.* ʒ ij. *ſennæ Alexandrinæ,* ʒ j. ß. In iure decocti per noctem macerentur: adde. *Agarici trochiſcati,* ʒ ß. *zingiberis,* ʒ. j. *rhab.* ʒ. vj. Hæc ſequenti die colétur, valideque exprimantur: adde *Sacchari,* ℔ j. *ſyrup. roſ. ſolut. ſyrup. violac. ſolut. an.* ʒ ij. *ſyrupi aceroſi ſimplic.* ʒ ij. Miceantur, atque iterum modicè coquantur, dum ſatis ſpiſſeſcant.

Syrupus de ſpina infectoria, pituitam, & ſeroſos humores expurgat; quare eius vſus præcipuus eſt in cachexia, & hydrope, fitque hac forma.

℞. *Baccarum fruticis illius, quem ſpinam ceruinam vocant, circa finem Septembris, aut Octobris initio collectarum, quantitatem ſufficientem.* Contundantur in pila lapidea: deinde exprimendo colentur. Succus expreſſus coquatur lento igne, donec quarta pars abſumatur, atque iterum coletur.

℞. *Huius colati*, ℔ ij. *mellis deſpumati*, ʒ. xvj. coquantur ſimul, donec ſyrupi bene cocti conſiſtentiam acquirant, adiiciendo in fine: *Aniſi, Maſtiches, an.* ʒ. iij. *zingiberis, cinnamomi, caryophyllor. an.* ʒ. j. ß. Baccas ſemicontuſas quatuor diebus in fictili vitreato macerari per ſe loco calido permitto, & efficacior ſuccus reddetur. Cuius libras duas, ſacchari vel mellis libram vnam ſemis, decoquunt ad ſyrupi ſpiſſitudinem. Demum linteolo rariore colato, addunt cinnamomi, zingiberis, an. ʒ j. caryophyl. ʒ. ij. fiat Syrupus

CAPVT VII.

De Syrupis purgantibus melancholiam.

Syrupus è Pomis Regis Saporis, eſt vtilis ad omnes affectus melancholicos, maniam, melancholiam, ſyncopen, cutaneos morbos: cordis robur plurimùm auget, prodeſt etiam in obſtructionibus hepatis, & lienis, quas partes etiam reſpicit. Doſis ad vncias iiij.

Syrupus de fumaria compoſitus, ex decoctione fumariæ, & aliorum medicamentorum componitur, & diſtinguitur à ſyrupo fumariæ ſimplici, qui non expurgat. Compoſitus, ſeu maior calefacit in gradu ſecundo, euidenter extenuat, incîdit, deobſtruit, roborat. Vtilis eſt in omnibus morbis cutaneis ex humore melancholico aduſto, & pituita ſalſa pronatis. Hepar, & ventriculum reſpicit, quas partes ab humore melancholico repurgat.

Syrupus de Polypodio ſimplex Magiſtralis, optimus eſt in expurgando humore melancholico; hepar, lienem, & ventriculum ab humore aduſto repurgat. Vtilis eſt in cutaneis affectibus, & morbis melancholicis, fitque hoc modo.

℞. *Polypod. recentis,* ʒ iij. *bugloſ. melis. an.* ʒ j. *cyperi, calami aromatici, aſari, cortic. radic. cappar. an.* ʒ vj. *Sennæ, epithym. an.* ʒ ij. *ſem. endiu. lactuc. an.* ʒ ß. *ſem. ſclareolæ,* ʒ j. ß. *aq.* ℔ v. *mellis roſat.* ℔ ij. Craſſicuſculè terantur, & ſecundùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 159 sur 927

©BIUM

cundùm artem bulliant ad consumptionem duarum librarum, & cum melle fiat syrupus.

Vel fiat hoc modo.

℞. *Polypod.* ℔. j. *fumar. lupulor. an.* ℥j. ß. *cortic. myrobalanor. rhab. fol. sen. epithymi, an.* ℥ j. *flor. borrag. bugloss. violar. chamæpit. an.* ℥ ß. *glycyrrhiz. uuar. passar. an.* ʒ. iij. *succi fumar. lupulor. an.* ℔. ij. *sacchari*, ℔. iiij. *aq. communis*, ℔. x. Infundantur omnia per noctem, coquantur ad dimidium, & cum succis, & saccharo fiat syrupus.

Etiam fit *Syrupus de Polypodio compositus*, qui valentiùs prædictis affectibus auxiliatur.

℞. *Flor. bugloss. borrag. violar. rosar. an. m.* j. *epithym.* ℥iij. *cusciutæ*, ℥j. *glycyrrhiz. melissæ, an.* ʒ ij. *sem. fœnicul. anisi, an.* ʒ. iij. *prunor. n.* xx. *passular. purgatar.* ℥j. ß. *polypod.* ℥ ij. ß. *sen.* ℔. ß. *turbith. agarici, an.* ℥ ij. *myrobalanor. citrinor. nigrorum, an.* ℥ iiij. *succi borrag. lupulor. fumar. an.* ℔. iij. *infusionis rosar. solutiuæ* ℔. v. *sacchari, mellis, an.* ℔. iij. Infúdantur polypodij radices mundatæ, & contusæ in dictis liquoribus per diem, & noctem: deinde bulliant ad consumptionem mediæ partis: Cætera adde sec. art. colentur, & exprimantur, & cum saccharo, & melle fiat syrupus.

Syrupus de Epithymo. Fit secundùm Mesuëm: atram bilem similiter euacuat, scabiem inueteratam remouet, elephantiasis generationi resistit, in secundo gradu calefacit; validè attenuat, incîdit, atque deobstruit. Quare vtilis est in quartanis, & affectibus melancholicis. Occulta vulnera, fistulosa & sinuosa curat, morbum Gallicum pellit. Demum viribus syrupo de fumaria affinis est, sed maiorem sortitur calefaciendi vim, & vehementiùs expurgat. Huius forma est hæc.

℞. *Fol. sen. mundator.* ℥ viij. *sem. anisi, sem. fœnicul. dulcis, an.* ℥ ß. Macerentur per biduum in infusione multiplici Rosarum pallidarum, quod sit satis: Colaturæ expressæ adde, *sacchari albi*, ℔. ij. Coquantur in syrupum.

DISTINCTIO III.

De speciebus Lohoc, siue Eclegmatis.

CAPVT VNICVM.

SVnt & alia medicamenta, quæ maiorem consistentiam habent, quàm Syrupi; minorem verò quàm Electuaria, & vocantur Eclegmata, lohoc, seu linctus, quæ virtutem habent præparandi, & detergendi humores, qui in pectore, pulmone, & aspera arteria continentur, & solent administrari post vniuersales vacuationes, manè, interdiu, & noctu; & in ore assumpta, detentáque, paulatim in prædictas partes descendunt. Vtilia sunt in asthmate, tussi antiqua, & aliis harum partium affectionibus mirificè prosunt. Primum est *Lohoc Sanum, & expertum*, quod calefacit, & exiccat in primo gradu: prodest tussi antiquæ; persanat vocis raucedinem à pituita viscida, in aspera arteria, pulmone, aut thorace pertinaciter impacta, subortam. Dosis vsque ad vnciam vnam. Eosdem effectus de se promit *Lohoc de Pino*, quod calefacit in primo gradu, & per siccitatem parum recedit à mediocritate. Easdem vtilitates sortiuntur *Lohoc de Caulibus*, & *Lohoc de Pulmone vulpis*, quæ Eclegmata mirandum in modum prosunt in Phthisi, ac Empemate: Nam saniem ex pectore, & thorace repurgant: quod opus valentiùs efficiunt *Lohoc de Scilla*, & *Lohoc ad Asthma*, quorum descriptionem tradit Mesuë *tract. de Lohoc.*

Alia sunt Eclegmata, quæ calidis thoracis affectibus opitulantur; quia tussim, & gutturis asperitatem à catharrho calido, tenui (quem sputum liquidum indicat) persanant: humorem enim subtilem ad mediocrem crassitiem reducunt; conferunt febribus ardentibus, dolenti thoraci, pleuritidi. Huius classis est *Lohoc de Papauere* Mesuæ, vel illud quod describitur hoc modo à Galeno, & vocatur *Diacodion simplex Galeni.*

℞. *Capita papaueris albi, num.* xx. *aquæ pluuiæ, aut fontanæ*, ℔. iij. Macera horis viginti quatuor: pòst coque, donec capita contabuerint: cola, & adde, *Mellis*, ℔. ij. Coque ad iustam consistentiam.

Eandem efficaciam habet *Lohoc de Psyllio*, à Mesuë compositum.

Alia Eclegmata parantur ad adstringendum, & commendantur in sputo sanguinis, & in aliis immodicis sanguinis vacuationibus, quæ per partem superiorem, & inferiorem excernuntur. Exemplum est hoc.

℞. *Succi portulacæ*, ℔. ij. *trochisc. or. de terra lemnia*, ℥ij. *trochisc. or. de charabe, gummi Arabici, Sanguin. draconis, an.* ʒ. j. *lapid. Hæmatitis, pilor. leporis vstorum, an.* ϑ ij. *Sacchari albi*, ℔. j. *Fiat lohoc sec. art.*

Vel fiat hac forma.

℞. *Gummi arabici, tragacanthi, an.* ʒ. j. Infundantur in aqua rosacea, donec mucilago fiat: adde *Terræ lemniæ, boli armeni, lapid. hæmatitis, an.* ʒ. j. *conserua rosar. antiq. syrup. è ros. succis. an. q. s. fiat lohoc.*

DISTINCTIO IV.

De Electuariis purgantibus.

CAPVT I.

De Electuariis purgantibus bilem.

ELectuaria sic vocantur, quia fiunt ex rebus electis, & sunt in multiplici differentia: alia enim sunt solutiua, de quibus in præsenti; alia opiata, seu stupefacientia, sic dicta, quia in eorum compositionem opium ingreditur; & alia sunt cardiaca; alia verò parantur in varios vsus, de quibus sub nomine Confectionis *infrà* agemus.

Diaprunis simplex dicitur, ad differentiam illius in cuius compositionem ingreditur scammonium; & habet vim infrigidandi, & humectandi in gradu secundo: bilem, & adustos humores expurgat, præcipuè ex prima corporis regione, atque hepate: vtile est in febribus, & in omnibus morbis qui à biloso humore originem ducunt. Quare confert in febribus malignis, ardentibus, tertiana exquisita, pleuritide; & iuuat ante prandium, ad lubricandum ventrem in iis, qui habent restrictum, quantitate vnius vnciæ saccharo permixtum. Habet consensum cum pectore, & aspera arteria. Offertur cæterorum electuariorum modo, vel in forma buccellarum, vel potus. Dosis est vsque ad drachmas decem.

Diaprunis Laxatiuum in iisdem affectionibus confert, in quibus simplex; sed potentiùs euacuat, & à profundo corporis humores educit: quare in robustis corporibus, ætate florente, & morbo difficili propinari debet. Dosis est vsque ad ʒj. sed ferè semper cum aliis medicamentis admiscetur; quia cum aliquali perturbatione euacuat.

Electuarium de Psyllio tutò potest exhiberi: etsi enim in eius compositionem ingrediatur scammonium, ita tamen est correctum, vt sine noxa possit exhiberi. Habet facultatem infrigidandi, & humectandi in primo gradu; & humores biliosos, pituitæ præsertim, & aliis humoribus admixtos, euacuat. Ob hæc vtile est in obstructionibus; nam eas aperit, etsi in alto corporis sint impactæ: quare febres ab illis excitatas remouere solet, dolorem capitis curat, quando ex intemperie calida cum affluxu humoris ortum ducit. Attrahit humo-

res

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 160 sur 927

res vitioſos ab vtero, & ſic hyſtericis affectionibus ſuccurrit.

Electuarium Roſatum Meſuæ dicitur, ad differentiam illius quod componitur à Nicolao, & ex quauis noſtri corporis regione bilem purgat. Opitulatur febribus malignis, & ardentibus; conceditur ſimiliter in morbis articulorum, & pro purgandis humorum reliquiis eximiè prodeſt. Et licèt tam vtile ſit, aliqua tamen habet nocumenta, quæ Medicum cautum reddunt, ne illo indiſcriminatim vti poſſit: Cùm enim ſit valde aromaticum, fœminas hyſtericis affectibus obnoxias ſummoperè offendit, & fragranti odore vterum ad ſupernas partes conuocare ſolet. Quare eius electio, & præſtantia, ex nimio odore cognoſcitur, colore croceo, & modo ſubſtantiæ ad mellis conſiſtentiam redacto, & quòd ſcammonium digitis perſentiatur, quod in omnibus medicamentis, in quæ ſcammonium ingreditur, eſt animadũertendum. Doſis maior eſt ad ʒ x.

Electuarium de ſucco Roſarum Nicolai, maiorem habet prædictis omnibus purgandi efficaciam, atque non ita clemens medicamentum exiſtit: quare maiori cautela debet adminiſtrari, ob magnam perturbationem, quâ ſolet ex quauis corporis parte, bilem euacuare, præcipuè ex capite, & iuncturis. Confert articulorum doloribus, & cephalalgiæ, quando ex cauſa calida emanant, ſicuti in omnibus febribus, & morbis, qui ex eodem humore ortum ducunt. Doſis eſt vſque ad ʒ j.

Electuarium lenitiuum Rhaſis, vtile eſt in febribus humoralibus, & pleuritide, ſedat tuſſim, lenit pectus, mollit inteſtina, & eorum ſtypticitatem delet, facilè ſoluit, & ſine moleſtia vlla, ſitque hoc modo.

℞. *Paſſular. enucleatarum*, ʒ ij. *capil. vener. violar. hord. mundi, an.* M. j. *iuiubar. ſebeſten, an. num.* xx. *glycyrrhizæ raſæ, & contuſæ*, ʒ ß. *prunor. tamarindor. an.* ʒ vj. *ſen. polypodij, an.* ʒ ij. *mercurialis*, M. j. ß. Decoquantur ſec. art. in ſufficienti aqua: Cola, & in colatura diſſolue; *Pulp. caſſ. pulp. tamarindor. pulp. prunor. ſacchari optimi, ſacchari violati, an.* ʒ x j. *pulu. ſen.* ʒ iij. ß. Confice ſecundùm artem.

Electuarium lenitiuum de Manna, expurgat bilem, ſanguinem purificat, refrigerat hepar; vtile eſt ad febres humorales, malignas, & ardentes, & ex vniuerſo corpore omnes humores indiſcriminatim euacuat: ſitque hoc modo.

℞. *Capil. vener. ceterach, hepaticæ, an.* ʒ iij. *ſem. cucurbit. ſem. citrulli, ſem. melon. ſem. cucumeris, violar. an.* ʒ j. *prunor. damaſcenor. Num.* xx. Coquantur in aqua ad dimidias, deinde percolentur cum expreſſione: in colato diſſoluatur, *Mannæ optimæ, conſeruæ violar. pulp. caſſ. recenter extractæ, an.* ʒ j. *ſacchari albiſſimi*, ℔. iiij. Coquantur ad mellis conſiſtentiam. Poſtremò adiice ſequentes ſpecies: *Nucleorum ſem. melon. ſem. cucumeris, ſem. cucurbit. ſem. citrulli. flor. violar. flor. nenupharis, ſem. lactucæ, ſem. ſcariolæ, ſem. portulacæ, rhab. electi, folior. ſen. an.* ʒ j. His accuratè ſubactis conficitur Electuarium.

Similem facultatem obtinet *Diamanna Meſuæ*, & *Diacaſſia Meſuæ*. Vel harum loco fiat *Diacaſſia Magiſtralis*, hoc modo.

℞. *Iuiubar. prunor. capillor. vener. tamarindor. ſebeſten, violar. an.* M. j. Coquantur in aq. ſecundùm artem & in colatura diſſolue: *Pulp. caſſ.* ℔. x. *ſacchari albi*, ℔. v. Coquantur ad perfectam conſiſtentiam.

Vel fiat hoc modo.

℞. *Prunor. damaſcenor.* ʒ ij. *violar.* M. j. ß. *aq. puræ* ʒ xviij. Bulliant ad medietatis conſumptionem: cola, & in colatura diſſolue: *Pulp. caſſ.* ʒ vj. *pulp. tamarindor.* ʒ j. *mannæ elect.* ʒ ij. *ſyrup. violat* ʒ iiij. *ſacchari candi, penidis*, ʒ j. *ſacchari violati*, ʒ iiij. Confice ſecundùm artem.

Diacatholicon, eſt vulgare ſed vtile, quare nullo ferè electuario frequentius vtuntur Medici: euacuat tamen omnes humores, præcipuè bilem, melancholiam aduſtam, & tandem pituitam. Medicamentum familiariſſimum, quod ſine moleſtia, & periculo in omni ætate, ſtatu, & tempore tutò vel per os, vel per infuſa adminiſtrari poteſt. Confert acutis, & peracutis morbis, emollit, alterat, robur addit. Tecinoroſis, lienoſis, podagricis, arthriticis, tertianis, quartanis, quotidianis, doloribus capitis mirabiliter ſuccurrit. Doſis ab ʒ ß. vſque ad ʒ j. Eandem ferè vim expurgando ſortitur *Tryphera Perſica à Meſue* conſcripta, quæ præterquam quòd omnes humores indifferenter euacuat, confert febribus acutis, inflammationibus ſtomachi, hepaticis, & icteritiis ſitim mitigat, & morbos aduſtionis fieri prohibet. Caue tamen, caue & anguc peiùs, ne mechoacam in diacatholicum immittas: nam hoc electuarium acutis, & peracutis tam per os aſſumptum, quàm in clyſteria inditum, remedio eſt, at radix hæc cùm calida ſit nimis, & flatulenta, inflammat viſcera, incendit humores, bilem exacuit, & ventrem perturbat. Redarguendi ergo ſunt, qui hoc nobile electuarium tam præpoſtera methodo conficiunt.

CAPVT II.

De Electuariis purgantibus pituitam.

Diaphœnicon habet vim expurgandi pituitam bili admixtam, & inter ea quæ ſcammonium recipiunt, clementer operatur. Offertur in omnibus morbis frigidis, præcipuè dolore colico ex frigida cauſa contracto, in febribus longæ conſtitutionis, tertianis nothis, quotidianis. Doſis eſt vſque ad ʒ x. In potu, & in bolis adminiſtratur: Illo modo ſic.

℞. *Agarici trochiſcati cum vino zingiberis in ligatura*, ʒ j. *electuar. diaphœnic.* ʒ j. *ſyrup. ſolut. ex* ʒ x. *infuſ.* ʒ ij. ß. *cum emulſione* ʒ iiij. *ſem. cartham. &* ϑ j. *ſpicæ nardi, fiat potus.*

Vel hoc modo.

℞. *Rhab. elect. agarici trochiſcati in vino zingiberis, an.* ϑ ij. *fiat ligatura in infuſione* ʒ v. *fol. ſeu facta in emulſione, ſem. cartham. & reiecta corpulentia adde diaphœnic.* ʒ j. *ſyrup. roſ. perſic. ex plurib. infuſ.* ʒ ij. ß. *miſce pro hauſtu vno.*

Poſſunt etiam ex ipſo fieri morſuli, vt dictum eſt.

Electuarium Eleſcoph, ſeu *Epiſcopi*, eandem ferè facultatem habet purgandi bilem pituitæ admixtam, & conſequutione quadam atram bilem: & inter ea quæ recipiunt ſcammonium, eſt maximè correctum, atque ita ſine perturbatione feliciter operatur. Vtile eſt in dolore colico, febribus, & aliis morbis à pituita ſubortis. Reſpicit renes, iuncturas, & vterum, ex quibus partibus prædictos humores expurgat. Doſis vſque ad ʒ x. Hoc modo conficitur.

℞. *Elect. Eleſcoph, diaphœnic. an.* ʒ ß. *pulu. rhab.* ʒ j. *aniſi,* ϑ j. *miſce cum ſacharo fiant morſuli.*

In forma potus hoc modo.

℞. *Elect. Eleſcoph,* ʒ ij. *cathol.* ʒ iij. *ſyrup. ſennati,* ʒ iij. *pulu. diarrhod. abbatis,* ϑ j. Miſce, & cum emulſione ſem. carthami fiat potus.

Electuarium Indum minus, diſtinguitur à maiori, quod eſt in vſu. Præſens maiorem efficaciam obtinet, maioríque vi humores pituitoſos euacuat in quacunque parte corporis radicatos. Eſt vtile in ſuprà dictis morbis, & maximè in lethargo, dolore colico, & podagra. Doſis ad ʒ x.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 161 sur 927

Benedicta, rarò, aut ferè nunquam per os administratur, frequentiùs per clysteres pro vacuandis humoribus pituitosis bili permixtis, quamuis in remotissimis partibus tenaciter sint infixi. Offertur in dolore colico, frigidis renum affectionibus, vteri, & iuncturarum; ex quibus partibus muscosam pituitam educit, ac flatus discutit. Dosis si per os assumatur, est ad ʒ j. At verò in clysteribus, ad ʒ j. ß.

Electuarium pro clystere Magistrale, validissimè operatur, cùm sit medicamentum furiosum, atque effræne, atque ita magna perturbatione agit, & solùm in clysteribus administratur, & magna adhibita consideratione. Vtile est in vacuandis humoribus pituitosis, quamuis in distantissimis partibus pertinaciter sint impacti: In dolore colico, vteri, & iuncturarum, apoplexia, epilepsia, conuulsione, & aliis frigidis cerebri affectibus: componitúrque hoc modo.

℞. *Colocynthid. contusæ, polypodij contusi, centaurij minoris, pulegij, cucumeris asinini, an. m.* j. Coquantur in libris duabus aquæ ad consumptionem medietatis: & facta forti expressione, adde *Colocynthid. aloes, an.* ʒ j. *santalor. citrinor. santalor. rubeor. diagridij, an.* ʒ ß. *hier. picræ*, ℔ ß. Misce, fiat Electuarium secundùm artem. Dosis ad ʒ j. ß.

Diacarthamum, flauæ bili, & pituitæ educendæ mirificè conuenit. Datur à ʒ j. ß. vsque ad ʒ vj. fitque hoc modo.

℞. *Specier. diatragacanthi frigidi*, ʒ ß. *pulp. cydonior.* ʒ j. *pulp. carthami*, ʒ ß. *zingiber.* ʒ ij. *scammonij præparati*, ʒ iij. *turbith*, ʒ vj. *mannæ*, ʒ ij. *mellis rosac. colati, sacchar. candi, an.* ʒ j. *hermodactylor.* ʒ ß. *sachari albi*, ʒ x. ß. Fiat electuarium liquidium.

Hiera simplex Galeni, auctoris nomen refert, & ab ipso conficitur, 2. *de compos. sec. loc. cap.* 1. & *lib.* 7. *meth. cap.* 11. Pituitam purgat bili admixtam, præcipuè ex prima corporis regione, hepate, & vtero, quas partes simul cum capite roborat. Vtilis est in omnibus affectibus frigidis cerebri, per consensum ventriculi, & vteri subortis; & maximè pro remouendis cruditatibus ventriculi, cuius coctionem iuuat, & menstruas purgationes prouocat. Reseruatur in forma pulueris, atque etiam in forma electuarij: sed ob eximiam amaritudinem rarò administratur in potu, frequentiùs tamen in forma pilularum, buccellarum. In puluere exhibetur vsque ad ʒ iij. in forma verò electuarij, ad ʒ j. & ß. In forma pulueris, in dictis affectibus sic propinari solet, & pro enecandis vermibus.

℞. *Hier. simplic. Galeni*, ʒ iij. *sacchari, q. s. Fiant Morsuli.*

Hiera Picra composita, efficacissimum medicamentum est ad omnes contumaces morbos, qui ex pituitosis humoribus, crassis, & tenacibus emanant.

℞. *Colocynthid.* ʒ viij. *scillæ assatæ, agarici, ammoniaci, scammonij, cortic. radic. ellebor. nigri. stœchad. hyperici, pulegij, gentianæ, spicæ nardi, schœnanthi, an.* ʒ xvj. *polij montani, epithymi, polypod. bdellij, aloes, chamædryos, euphorbij, marrubij, cassiæ, an.* ʒ viij. *myrrhæ, sagapeni, croci, aristoloch. rotundæ, trium piperum, cinnamomi, opopanacis, castorij, petroselini, an.* ʒ iiij. Omnia tenuissimè contrita excipe melle ad specierum pondus.

Hiera Picra composita alia, ad eosdem morbos vtilissima, sed mirior: caput, deinde aures, oculos à diuersis humoribus repurgat; stomachum roborat, affectiones hepatis emendat, splenis duritiem emollit; renibus, vesicæ, & vtero prodest.

℞. *Cinnamomi, spicæ Indicæ, croci, schœnanthi, asari, xylocassiæ, xylobalsami, carpobalsami, violar. absinth. epithymi, agarici, rosar. turbith, colocynthid. masticches, an.* ℈ ij. *aloes non lotæ*, ʒ x. ℈ ij. *mellis despumati*, ʒ viij. Fiat electuarium, in vase fictili vitreato seruandum per annos duos.

Hiera diacolocynthidos, caput, ventriculum, & corpus reliquum purgat humore crasso, lento, & atra bile: ob id maniæ, melancholiæ, epilepsiæ, paralysi, spasmo cynico, vertigini confert, ac vlceribus malignis, fistulosis, cancro, elephantiæ: flatus quoque discutit, ventriculum roborat, coctionem firmat.

℞. *Stœchad. agarici, chamædryos, an.* ʒ x. *colocynthidos*, ʒ xx. *sagapeni, opopanacis, an.* ʒ viij. *petroselini, aristoloch. rotundæ, piperis albi, an.* ʒ v. *Cassiæ*, ʒ vij. *cinnamomi, croci, spicæ nardi, myrrhæ, polij, an.* ʒ iiij. *vini, mellis despumati, an. q. s.* Myrrham vino infunde, cætera tere, & melle despumato excipe.

Hiera Picra cum Agarico, dictis affectibus vtilis est, sed præcipuè flatus crassos cerebri, ventriculi, & corporis dissipat, ob hæc visioni imbecillæ confert, & sensuum reliquorum vires conseruat.

℞. *Specier. hier. simpl. sine aloë, agarici trochiscati, an.* ʒ ß. *aloës non lotæ*, ʒ j. *mellis despumati*, ʒ vj. Fiat Electuarium.

Hiera Logadij, ab auctore nomen accepit, vt Galenus *loc. cit.* edocuit, & efficacior multò est, maioríque vi operatur, & perturbatione, quàm cætera suprà citata. In dictis affectibus vtilis est, præcipuè neruorum; ex quibus, sicuti ex capite, liene, & vtero frigidos humores euacuat: & maximè confert in clysteribus ad reuellendum ex capite. Dosis est ad ʒ j. ex qua etiam parari possunt pessaria, cuiusmodi forma hæc est.

℞. *Colocynthid.* ʒ xx. *scillæ assatæ, agarici, ammoniaci, scammonij, cortic. radic. ellebor. nigri, hyperici, an.* ʒ j. *epithym. polypod. bdellij, aloës, chamædryos, marrubij, cassiæ, an.* ʒ j. *myrrhæ, piperis albi, nigri, cinnamomi, croci, opopanacis, castorij, petroselini, aristoloch. an.* ʒ ß. Mellis despumati ad pondus omnium.

Hiera Logadij alia fortissima, eradicat mala omnia diuturna ex melancholia facta, epilepsiam, vertiginem, conuulsiones, hemicraniam, elephantiam, impetiginem, lethargum. Prodest spumantibus, & linguam mordentibus, his qui lethalia venena sumpserunt, iecinorosis, pleuriticis, ischiadicis, & lumborum dolore infestatis: prouocat menstrua, & vitiosos humores educit.

℞. *Pulp. colocinthid. polypod. an.* ʒ ij. *euphorbij, polij montani, sem. thymelææ, an.* ℈ ß. g. vj. *absinth. myrrhæ, an.* ʒ j. g. xij. *centaurij. agarici, ammoniaci, folij, nardi Indicæ, scillæ, scammonij præparati, an.* ʒ j. *aloes, comar. thymi, cassiæ lignææ, chamædryos, bdellij, marrubij, an.* ℈ j. g. xiv. *cinnamom. opopanacis, castorij, aristoloch. longæ, trium piperum, croci, sagapeni, petroselini, an.* ʒ ß. *ellebori nigri, ellebor. albi, an.* g. vj. *mellis despumati*, ℔ j. ß. Conficet, vt decet.

Diaturbith maius, calefacit, ac pituitam ducit, præsertim eam quæ in ventriculo tenaciter est impacta.

℞. *Turbith albi, & gummosi*, ʒ x. *zingiberis*, ʒ v. *mastich.* ʒ. iij. *sacchari albi*, ʒ ij. ß. *mellis, q. s.* Fiat Electuarium.

Diaturbith minus, eosdem humores pituitosos ducit.

℞. *Turbith optimi*, ʒ j. *diagridij, zingiber. an.* ʒ iiij. *cinnamomi, caryophyllorum, an.* ʒ ij. *galangæ, piperis longi, macis, an.* ʒ j. *mellis*, ʒ viij. ʒ v. Fiat electuarium.

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 162 sur 927

CAPVT III.

De Electuariis purgantibus melancholiam.

Diasenna, habet vim maximam vacuandi humorem melancholicum, bilem aduſtam, & ſalſam pituitam, ex quacunque corporis parte. Eſt Electuarium vtile in omnibus affectionibus cutaneis, ab ipſis humoribus ſubortis. Habet admirabilem virtutem in melancholia morbo, lepra, febre quartana, & lue Gallica. Eſt ſecurum medicamentum. Doſis ad ʒj.ß.

Confectio Hamech, duplex eſt: alia *compoſita*, ſeu maior; alia *ſimplex*, ſeu minor. Illa fit cum ſcammonio, & colocynthide; ſimplex ſine illis paratur, & vocatur *Confectio Hamech ſine ſolutiuis*. Vtraque eoſdem morbos perſanat, & humores euacuat; ſed compoſita maiore vi, & perturbatione, & ſic eis doſis eſt ad ʒ j. Simplex verò vſq; ad ʒ j.ß. offertur, & debilioribus ægris imperatur. Caue ne ab hac cõfectione demas myrobalanos: Nam roborant ventriculum in melancholicis debiliſſimum, lætificant, cardiacam habent vim, & ſua adſtrictione iuuant ingredientium actuationem, & vitioſi humoris excretionem procurant. Et quod plus eſt, ſigillant ventriculum, & ſic exhalationem vaporum ad cerebrum impediunt.

Polypodium Magiſtrale, euacuat eoſdem humores clementer, & ſecurè, & ſic in iiſdem morbis vtiliter adminiſtratur.

℞. *Polypodij mundati*, ℔. ij. *mellis deſpumati*, ℔. vj. *aceti ſcillitici*, ℔. j. & ʒ ij. *zingiber.* ʒ vj. Fiat electuarium.

DISTINCTIO V.

De Pilulis.

CAPVT I.

De Pilulis purgantibus bilem.

Pilulæ à Græcis dicuntur Coccia, ab aliis grana, ſeu Catapotia. Alij à forma orbiculari, globos nuncupant, ſeu orbiculos. Deglutiuntur, ſeu deuorantur in forma ſolida, tum ob amarorem, quia ferè ex Aloë, colocynthide, & aliis conſtant medicamentis amaris; tum vt præ craſſitie, & ſoliditate detentæ in ventriculo, longiore tempore ad actum reducantur, & à partibus diſtantibus potentiùs per moram humorem attrahant, & expurgent.

Pilulæ Aureæ, ob excellentiam operationis, Aureæ appellantur, & ſine euidente læſione humorem bilioſum cum aliquali portione pituitæ euacuant. Hos humores præcipuè educunt ex capite, oculis, ventriculo, quarum partium actiones mirificè iuuant. Doſis ad ʒ j.ß.

Pilulæ Rhabarbari, euacuant bilem, & pituitam ex hepate, ventriculo, & corporis profundo: obſtructiones remouent, ipſáſque partes roborant; maximè conueniunt in tertianis nothis, febribus longis, & in aliis morbis qui ex humore bilioſo emanant, ſimul cum pituitoſo permixto, vt in ictero, hydrope. Doſis ad ʒ ij.

Pilulæ communes Rhaſis, bilem, & aliqualem pituitæ portionem, præcipuè ex ventriculo, hepate, & venis maioribus expurgant, quas partes mirè roborant, & à putredine præſeruant; quare tempore peſtis iis vtimur frequentiſſimè. Conſtant ex duabus partibus Aloës, vna parte Myrrhæ, atque alia parte Croci. Doſis ad ʒ.ij. Verùm tempore peſtis, earum vſus eſt in parua quantitate, ad præſeruandum, & vacuandum humores putridos per epicraſin, tertio quoque die: & ſic quantitas eſt ʒ ß. in aurora.

Pilulæ Aggregatiuæ, vniuerſaliter omnes humores, licèt primò bilem, deinde pituitam, & tandem humorem melancholicum, præcipuè ex partibus facultati animali, & naturali inſeruientibus euacuant. Proſunt diuturnis febribus: vitia capitis, ventriculi, & iecinoris remouent. Demum à toto corpore euacuant. *Maiores* compoſitæ à Meſuë, ſunt fortiores. *Minores*, ad eoſdem morbos profligandos plurimùm inſeruiunt.

Pilulæ ſine quibus, vtiliſſimæ ſunt ad vacuandos omnes humores ex capite, & organis ſenſuum externorum; iccircò in morbis oculorum, & aurium iuuant: curant ſuffuſionem, claritatem inducunt, viſum conſeruant, aurium tinnitui opitulantur eximiè.

Pilulæ Arabicæ, bilem, pituitam, & melancholiam euacuant, ſed præcipuè ex capite: ſenſus acuunt, memoriam conſeruant, ſuccurrunt ſurditati, vertigini, doloribus capitis, qui ex humore pituitoſo, & bilioſo emanant. Doſis ad ʒ j.ß.

Pilulæ Hermodactylorum, præcipuè humorem bilioſum, deinde pituitoſum euacuant ex toto corpore, articulis, iuncturis, partibus remotis. Doſis vſque ad ʒ j. ß.

Pilulæ Fumariæ, bilem aduſtam, & præcipuè pituitam ſalſam euacuant. Opitulantur omnibus affectionibus cutaneis, & in Gallica lue ſunt vtiliſſimæ. Doſis ad ʒ j. ß.

Pilulæ de Eupatorio fiunt à Meſuë, & proſunt in febribus intermittentibus bilioſis, morbo regio, hepatis obſtructione.

Pilulæ ad bilem in febribus, poſt quarum aſſumptionem imperandum vt æger bibat Syrupi Violacei ʒ j. vel duas cum pauca quantitate aquæ borraginis.

℞. *Rhab. elect.* ʒ ß. *cinnamom. ſpicæ an.* gr. vj. *tamarindor.* ϑ j. *ſucci apij* ϑ ß. *miſce, formentur Pilulæ, Num. ſeptem.*

CAPVT II.

De Pilulis purgantibus pituitam.

Pilulæ de Hiera, fiunt ex puluere hieræ ſimplicis Galeni, cum aliquo ſyrupo conueniente. Euacuant humores pituitoſos præcipuè ex prima corporis regione, & ferè ſemper adminiſtrantur pro celebranda euacuatione per epicraſin, in cruditate, & imbecillitate ventriculi. Flatus diſcutiunt, hanc partem roborant.

Pilulæ de Hiera cum Agarico, opem ferunt vitiis capitis, & neruorum, ſtomachíque cruditatibus auxiliantur egregiè.

℞. *Cinnamomi, nardi Indicæ, croci, ſchœnanthi, aſari, maſtiches, caſiæ, xylobalſami, carpobalſami, violarum, epithymi, colocinthidis, an.* ʒj. *agarici, turbith, an.* ʒ ij. *rhab. ſcammonij præparati, an.* ʒ ß. Cum vino albo, & theriaca confice. Doſis à ϑ j. ad ʒ j.

Pilulæ ex Colocynthide, pituitam à cerebro, & aliis neruoſis partibus euacuant: ob id conferunt dolori capitis ex frigore.

℞. *Colocynth. ſucci abſinth. an.* ʒ ß. *aloes, ſcammonij præparati, an.* ʒ j. *rhab. elect.* ʒ iiij. Trita omnia ſucco excipiantur.

Pilulæ ex ſex rebus, pituitam à cerebro, & aliis neruoſis partibus euacuant.

℞. *Aloes, ſcammonij, colocynthidis, agarici, bdellij, gummi arabici, rhab. an.* ʒ ß. Tere, fiat maſſa: Doſis à ϑ j. ad ʒ j.

Pilulæ contra catarrhum, vtiles ad vacuandum pituitoſos humores in capite contentos, qui continuò replent ipſum, & ad thoracis partes deſcendunt.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 163 sur 927

℞. *Aloës hepaticæ*, ʒj.gr.xv.*agarici*.ϑ.j.gr.iij.*mastich*. ϑß.*zingiber*.gr.v.*spicæ Indicæ*,gr.iiij.*salis gemmæ*,*trochisc. alhandal*, *an*, gr.iij. Cum syrupo de stœchade fiant pilulæ, Num. xxx. Dosis pilulæ tres,vel quinque in introitu lecti.

Pilulæ Epilepticæ Magistrales, ab Epilepsia præseruant,eámque iam factam persanant, atque capitis affectibus frigidis remedio sunt.

℞.*Cranij humani*, ʒ ij. *pulp. colocynth. trochiscor. alhandal*,*stœchadis arabic.castorij*,*an.* ʒ j. *Hier. Galeni*, ʒ iiij.*agarici*,*turpeti*, *an.*ʒj. Cum aqua pæoniæ,vel syrupo de stœchade fiant pilulæ.

Pilulæ Alephanginæ,ventriculum,cerebrum,& sensoria ab humoribus crassis, putribus,pituitosis repurgant, & harum partium dolorem mitigant, ventriculum roborant,coctionem iuuant.

Pilulæ Stomachicæ Mesuës, cerebrum, ventriculum, hepar, caput, iuncturas, à pituosis humoribus repurgant. Dosis vsque ad ʒ ij.Aliæ sunt Magistrales, quæ præter citatos effectus, ventriculum roborant, coctionem iuuant, appetentiam excitant. Vocantúrque *Pilulæ stomachicæ Magistrales*, fiúntque hoc modo.

℞.*Myrobalanor.citrinor.indorum*, *chebulor. an.* ʒ iij. *rosar.mastich.an.*ʒ ij.*cardamomi*,*ligni aloes*, *santali citrini*,*cubebar.caryophyllor. schœnanthi*, *nucis moschatæ*, *an.* ʒ ij.*rhab.*ʒß.*turbith*, ʒvij.*aloes*,*ad pondus omnium. Fiat massa*,*sec.art.*

Pilulæ ante cibum, *& post cibum*, sunt securæ, respiciunt stomachum, dantur constipatis, & iis qui sunt aluo adstricta, flatus resoluunt, pituitam absumunt.

℞.*Aloes*, ʒxxxiiij. *rhab.*ʒ j.ß.*ligni aloes*, *caryophyl. folij*,*mastich.xylobalsami*,*carpobalsami*, *croci*, *spicæ nardi*, *cassiæ lignææ*,*cinnamomi*,*cubebar. an.* ʒ. iij. Confice cum vino optimo.

Pilulæ Mastichinæ eandem facultatem habent.

Pilulæ de Hermodactylis,valent ad podagram, & frigidos iuncturarum dolores. Eandem vtilitatem præstant *Pilulæ Arthriticæ maiores*, *& minores*. Dosis à ʒ j. vsque ad ʒ ij.

Easdem vires habent cum suprà dictis, *Pilulæ fœtidæ maiores*, *& fœtidæ minores* : *pil. ex Sagapeno* : *ex opopanace* : *de sarcocolla*. Quæ omnes articulorum, & iuncturarum affectibus validissimè iuuant, & capitis frigidos morbos persanant.

Pilulæ Assaieret, euacuant humores pituitosos à capite, & ventriculo. Prosunt in harum partium cruditatibus, aurium tinnitu, vertigine, cephalalgia per consensum à ventriculo. Demum auxiliantur omnibus affectibus frigidis capitis, qui per sympathiam à ventriculo emanant. Describuntur ab Auicenna, *cap. de soda*.

℞. *Specier. hier. picræ Galeni*, ʒ ij. *mastich. myrobalanor.citrinor.an.*ʒ j. *aloes*,ʒß.*Succi maioranæ*, *q. s. Fiat massa*.

Pilulæ Cochiæ, fiunt à Rhasi, *lib. 9. ad Almansorem*, *cap. 1. de soda*. A toto corpore, præcipuéque à capite humores pituitosos euacuant. Quare prosunt in frigidis capitis affectibus,qui à crassis, & viscidis succis ortum ducunt.

Pilulæ lucis maiores, excrementa capitis pituitosa educunt, visum roborant. *Pilulæ lucis minores* eandem præstant vtilitatem, sed [illegible] anam bilem ampliùs euacuant.

CAPVT III.

De Pilulis purgantibus melancholiam.

Pilulæ Indæ affectibus melancholicis prosunt : cæterum non vlceratum,elephantiam, alphos nigros, cutaneos affectus, melancholiam morbum, & inde ortum timorem,& mœrorem, quartanam,ictcrum, splenis dolorem persanant.Dosis à ϑ ij.vsque ad ʒ j. Eandem facultatem sortiuntur : *Pilulæ de lapide Lazuli*, *& Pilulæ de lapide Armeno*.

CAPVT IV.

De Pilulis varios morbos curantibus.

Pilulæ de cynoglossa Mesuæ, valent ad catarrhum, coryzam, tussim, aliósque his consimiles affectus, sanguinem constringunt,alui profluium sistunt : quem vsum etiam complent *Pilulæ contra fluxum Nicolai*: *& Pilulæ ex opio Magistrales*, quæ hoc modo conficiuntur.

℞.*Opij*,*croci*,*cassiæ*,*an.*ʒß. *vini albi*, *q. s. misce*.

Pilulæ Bechicæ Mesuës prosunt ad tussim veterem, & siccam,gutturísque, & faucium asperitatem. A Rhasi fiunt hoc modo.

℞. *Amyli*, *tragacanthæ*, *amygdalar. purgatar. fabarum decorticatarum*, *sem. papaueris*, *capitum papauer. gummi arabici*, *boli armeni*, *an.* ʒ ij. *mucilaginis Psyllij*, *q. s.*

Pilulæ ad Asthmaticos Magistrales, difficultati respirandi opitulantur à crassis humoribus ortæ, & reliquis pectoris vitiis remedio sunt.

℞.*Specier.diatrag.frigid.penidiarum*,*an.*ʒß.*succi glycyrrhizæ*,ʒiij.*zingiber.*ij.*ireos*, ϑj.*sem.urticæ*, *hyssopi*, *flor. anthos*,*an.*ϑß.*croci*,*sulphur. an.* gr. vij. Cum Loch sano formetur massa.

Pilulæ aperientes Magistrales, optimæ sunt in hepatis, & lienis obstructione : prouocant vrinam, necnon menstrua mouent ; quare summa cum vtilitate offeruntur in febre alba, & virginum obstructionibus.

℞.*Trochiscor.de absinth. trochisc. de capparib. trochisc. de myrrha*,*an.*ϑj. *spicæ Indicæ*, *schœnanthi*, *an.* ʒ ß. *sem. apij*,*sem.petroselini*, *an.* ϑ j. Cum succo Apij, vel syrupo Byzantino, vel syrupo de Artemisia, fiant pilulæ paruæ.

Pilulæ Hydropicæ Magistrales,roborant hepar, aquosos humores expurgant,flatus discutiunt.

℞.*Hier.simplic.cum agarico* ʒß. *rhab.* ʒ ij. *nucis myristicæ*,*caryophyllor.an.*ϑß.*trochiscor.alhandal* ϑ j. *hepatis lupi*,ʒj.*eupatorij*, ϑ j.*succi radicis ireos*, ʒ iij. Fiat massa cum succo radicis sambuci.

Pilulæ de chalybe Magistrales, deobstruunt hepar,lienem,& vterum. Prouocant vrinam, menstruas purgationes mouent,roborant viscera, appetentiam excitant, coctionem iuuant,scirrho lienis, & hepatis mirabiliter opitulantur.

℞.*Chalybis præparati*, ʒ j. *rhab. elect.* ʒ j. ß. *specier. diarrhod.specier.Diacurcumæ*,*an.*ʒ.ß.*sem.dauci*, ʒ iij. *cinnamom.* ʒ. ß. *myrrhæ*, ʒ j. ß. *pulu. asplenij*, *eupatorij*, *artmisiæ*, *an.* ϑ j. Cum syrupo Byzantino, fiat massa.

Pilulæ Mercuriales, pollent contra morbum Gallicum:humorem crassum expurgant per sputum, sudorem,& alui profluuium : tophos resoluunt, dolores sedant,& malignam morbo Gallico insidentem qualitatem retundunt,atque refrænant.

℞. *Hydrargyrij extincti*, ϑ iij. *theriac. magnæ*,ʒiiij. *Diamarg.*ʒ ij.*aromatici rosati*,ʒ j.ß.*moschi*,ʒ. vij. *ambræ*, gr.x.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 164 sur 927

℈.x.*farinæ triticeæ*,℥.j.*foliorum auri*,*num.*viij. Miſce, & fiat maſſa cum ſyrupo fumariæ.

Pilulæ Imperiales Magiſtrales, debiliter ſoluunt, potenter corroborant ſtomachum, inteſtinorum frigiditatem reſoluunt, virtutes naturales muniunt, coctionem iuuant, ſanguinem, & ſpiritum purificant.

℞.*Cinnamomi*,*amomi*, *aniſi maſtich. Cardamomi minoris*, *zingiberis*, *zedoariæ*, *maceris*, *caryophyl. croci*, *cubebar.ligni aloës*,*turbith*, *mannæ*, *agarici*, *fol. ſen. ſpicæ Indicæ*,*myrobalan.citrinor.chebulor.Indor. bellericor.emblicorum*,*an.* ℈j.*Rhab.* ℥ j.*aloës*,℥ ij.*Syrupi roſati*,*q.ſ.* Miſce, fiat maſſa.

Pilulæ contra venena,parantur hoc modo.

℞. *Imperatoriæ*,*biſtortæ*,*tormentil.valerianæ*, *dictamni albi*,*carlinæ*,*ariſtoloch.rotundæ*,*gentianæ*, *agarici electi*, *ſalis gemmæ*,*an. partes æquales*, *ſuccí alliorum*, *capparum*, *q.ſ.* Miſce omnia, vt fiat tanquam paſta, quæ in vmbra ſiccetur, & ſeruetur ad vſum. Quando autem vti voles.

℞. *Huius paſtæ* ℥ ß. *Et cum ſuprà dictis ſuccis* fiant pilulæ.

CAPVT V.

De pulueribus vim purgandi habentibus.

PVluis *Ioannis Vigonis*, qui dicitur *Præcipitatum*, nomen accepit ab auctore, qui *lib.* 8. *Antidotarij*, *cap.* 13. in peſte hunc puluerem propinat. Sed dubitandum: Vtrùm intùs exhibitum, humores potenter expurget? Nam etſi ſit effræne medicamentum, habet tamen facultatem euacuandi humores viſcoſos, quos à diſtantiſſimis corporis partibus eradicat. Cauſticum eſt medicamentum, & ob id extrà apponitur in putridis vlceribus, ſic enim ſordida eorum labes abſtergitur. Quare ſolùm in robuſtis hominibus, & difficilibus morbis, maxima adhibita præmeditatione eſt propinandum, vt in Gallica lue, & doloribus iuncturarum, quoniam per vomitum, & alui deiectionem tenaces humores potentiſſimè euacuat. Permiſceri tamen debet iis, quæ eius vehementiam retundant, partéſque noſtri corporis præcipuas tueantur, & roborent.

Hoc modo oblatum in lethalibus morbis ſummè prodeſt. Imò Paulus *lib.* 7. *tit. de hydrargyrio*, ex quo cum aqua forti componitur, ileoſis exhibet. Subſcribunt Auic.*lib.* 2.*cap.*47. Vigo *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 20. & *lib.*5. *addit.*1. Quin Auic.4.4. *tract.* 2. *cap.* 5. Arſenicum, venenum pernicioſum, in fluxu ſanguinis præbet. §. *Et Arſenico eſt virtus mirabilis in omnibus*, *quæ ſunt neceſſaria de incarnatione*, *& reſolutione ſanguinis*, *&c.*

℞.*Conſeruæ violar.conſeruæroſ.an.* ℥ j. *pulu.aromatici*, *præcipitati*, ℈.v.Miſce.

Puluis Antimonij,ſeu *ſtibij præparati*,excellentes in vacuando corpore à vitioſis humoribus obtinet facultates. Licèt enim hæc vis vſque ad noſtrum ſæculum eſſet occulta,& à ſcientiſſimis illis Græcis ignorata; cùm ex eorum mente ſtibium ſolùm adſtringat,meatus obſtruat,refrigeret,exiccet, excreſcentiam in carne cohibeat, vlcera ad cicatricem perducat, recentia vulnera ſtrenuè glutinet, contra veteres canum morſus inſperſa farina,& contra ambuſta igni, cum adipe, ac ſpuma argenti,cerusáque,& cera:Emplaſtris quoque, & collyriis admiſceatur,ſordes, & vlcera oculorum expurget, ſanguinem ex cerebri membrana profluentem ſiſtat, & vſto plumbo ſimilis ſit: plurimas tamen virtutes admirandas obtinere à Medicorum peritiſſimis feliciſſimo experimento compertum eſt. Nam ſi rectè, & vt decet, præparatum ſit, & electum, hoc eſt, A croceo præditum colore, tranſparens, & ſine macula vlla, præſtantiſſimos de ſe promit effectus: Comitiali enim morbo, reſolutioni, diuturnis febribus, cordis palpitationi, aſthmaticis, colicis, peſtilenti lui, catarrho ad pulmonem deſcendenti, ſcabiei farinæ, elephantiaſi mirificè prodeſt; quoniam per vomitum, & alui deiectionem corpus ab omnibus excrementis expurgat. Sed in præparatione diligenter aduertere oportet, vt illud ſit certa quadam, & exquiſita ratione præparatum. Et licèt in ſubſtantia offeratur in quantitate granorum quinque cum Rhodoſaccharo permixtum, cui etiam Maſtiches momentum adiiciatur; tamen huius vſu eſt parum expertus,& hoc modo illud magno adhibito ſtudio, & maturo iudicio eſt in ſubſtantia offerendum. Aliqui vt eius effrænes vires retundant,& feliciter promoueant vacuationem,ſic componunt. B

℞.*Pulu.aloës* ℥ ß.*ſcammonij*, ℥. ß. *caryophyllor.* ℈ ß. *maſtich.*℥.ß.*roſar.liquiritiæ*,*an.*℥.ß. Fiat Maſſa cum a roſar.

Ex hac Maſſa: ℞. *Quantitatem trium cicerum*, *ſtibij præparati*,℈.iij.*cum aq.roſ.aut vino*,*fiant pilulæ tres*, *& decorentur.*

Sed præſtantior, & ſecurior eſt infuſio,quæ fit in vino albo,vel aliquo liquore, qui affectui curando ſit accommodatus.

℞. *Pulu.ſtibij præparati*, ℈. viij. *Infunde in* ℥ iij. *vini albi: Manè reiecta ſubſtantia ſtibij*,*proponitur infuſio*,*vna hora ante ſolis exortum.* C

Doſis in ſubſtantia ad ℈. v. in infuſo ad gr. viij.etſi aliqui; ſed nimis licentioſè, concedant ad ℥. ß.

Sed quia de hoc medicamento,quod mihi,& doctis, pró dictis morbis præſtantiſſimum eſſe,diuturna experientia ſemper viſum fuit,tam multæ adſunt controuerſiæ;de eius qualitate, & viribus quæramus nonnulla, lectiſſimis auribus prorſus non indigna. Primò:Vtrùm Stibium ſit lapis, vel metallum,vel medium minerale? Alij enim eſſe rem foſſilem aſſeuerant, quæ Marchaſitam,ſeu pyritem,vel lapidem plumbarium referat,magis tamen niteat,ceu argenti ſpuma, & proximè ad naturam plumbi accedat. Quidam medicamentum naturæ vitri non expers, ſplendidum, & pellucens inſtar vitri,rubrum pariter,ac fragile eſſe rentur.

Plinius *lib.*33.*cap.* 6. deſcribit ſtibium eſſe lapidem D ſpumæ candidæ,nitentíſque, non tamen tranſlucentis. Addunt quidam, quod à plumbo differat,quia teritur, & non funditur;at plumbum funditur, & non teritur. Sed horum ſententiam planè redarguit experimẽtum: Stibium enim vi ignis liqueſcit,cuilibet enim metallo, ſiue ferrum ſit,ſiue chalybs,in fictili fuſorio permixtú, ea celeriùs eliquádi præbet materiam:eam ob cauſam qui ferreos, ſphæricóſque globos bombardis imittendos è fuſo ferro conformant, ſtibium ferro admiſcent; ſecus nunquam ſanè,vt pro certo affirmant, id fluxum facturos. Sed media via incedere oportet:quia ſtibium eſt de genere foſſilium,quæ ſapiunt naturam,& metalli,& lapidis;quà enim liquatur, metallici;quà teritur & friatur,lapidei generis eſſe cenſetur. Quare remotum E ſtibij genus,eſt foſſile:propinquum,medium minerale, ſeu tale foſſile,quod quodammodo ſit & ſemilapis, & ſemimetallum;naturæ quippe vtriuſque particeps, tam lapideæ quàm metallicæ.

Quæro ſecundò: Vtrùm ſtibium ſit frigidum,vel calidum?Stibium,quod ex Plinij voto *loc.cit.* reperitur in argenti metallis,& fodinis pluribus, & præſertim in vena propria, vbi nihil aliud inuenitur quàm ſtibium, non defuere qui calidum conſtituerent: Illicò enim vel cum conſerua permixtum, vel in liquore infuſum, totum penetrat corpus,& validiſſima,ac maximè actiua facultate humorem peccantem per vtramque regionem deturbat.

Frigidum tamen eſſe, teſtantur operationes eius:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 165 sur 927

Adstringit enim, siccat, excrescentia cohibet, glutinat. Hinc Auicenna *lib. 2. canon. tract. 2. cap. 7.* illi attribuit vim adstringendi, refrigerádi, siccandi in secundo gradu: & priùs edocuit Dioscorid. *lib. 5. c. 53.* at quoto gradu, non explicat. Eidem, non explicato intensionis gradu, facultatem desiccantem, adscribit Galenus, *lib. 9. simpl. tit. de stimmi.* Quare in primis, & manifestis qualitatibus frigidum est, & siccum, terreum, cum aliqua aquei portione commixtum. De latitudine graduali est incerta sententia auctorum: alij enim vsque ad quartum frigiditatis, & siccitatis gradum ascendere sibi persuadent; sed Auicennæ voto potiùs inhærendum censeo. Quod verò tam violenter euacuet, & ocyssimè corpus penetret, in causa est portio acriú & sulphureárum partium, quibus est refertum, quarum ratione tam admirandas vires ex se prębet. Argumento est, quia vstú sulphur olet. Deinde particeps est Mercurij, tum quia superiora petit, plurésque operationes præstat, quas ille facere consueuit; tum quia non tam citò, tam vehementer, tam multos, tam crassos humores per vomitum, ac secessum expurgaret.

Quæro Tertiò: Vtrùm varius sit Stibij præparandi modus, & vsus? De proposita difficultate Dioscorides, *lib. 5. cap. 53.* ita habet. *Crematur stibium pinsita farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec in carbones crusta transierit. Amotum deinde ab igne, vetere vino, aut mulieris quæ marem peperit, lacte, restringitur. Crematur & carbonibus impositum, flatúque accenditur, donec igneścat: si enim diutiùs vratur, in plumbum transit. Lauatur æris, & cadmiæ modo: Quidam tamen quo plumbi recrementum modo lauatur, stibium hoc item lauant.* Hæc Dioscorides.

Plinius *lib. 33. cap. 6. Vritur*, inquit, *stibium offis bubuli fimi circumlitum in clibanis: deinde restinguitur mulierum lacte, teritúrque in mortariis, admixta aqua pluuiali. Ac subinde turbida transfunditur in æreum vas, & mundatur nitro. Fex eius intelligitur plumbosissima, quæque subsidet in mortario, abiicitúrque. Dein vas in quo turbida transfusa sunt, opertum linteo per noctem relinquitur, & postero die, quidquid innatat, effunditur, spongiáque tollitur. Quod ibi subsidit, flos intelligitur, ac linteolo interposito in Sole siccatur, non vt pereareścat: iterúmque in mortario teritur, & in pastillos diuiditur. Ante omnia autem vrendi modus necessarius est, ne plumbum fiat. Quidam non fimo vtuntur coquentes, sed adipe. Alij tritum in aqua triplici linteo saccant, & facem abiiciunt, idque quod defluxit, transfundunt, quidquid subsidat colligentes, emplastris quoque, & collyriis miscent.* Hæc Plinius. Ex quo loco duo torrendi stibij modi colliguntur: Vnus, quo inuoluebatur stibium bubulo fimo, igníque admotum exurebatur, mox restinguendum muliebri lacte. Alter, quo làrido incluſum supra carbones accendebatur, & adipe combusto, muliebri lacte restinguebatur.

Plerique probant hunc præparandi Antimonij modum. Primùm, Antimonium crudum in puluerem redigunt, & in vas fictile ad id destinatum ponunt, & ad ignem assant. Quo facto in tenuissimum pollinem redigunt, & igni rursus apponunt, & tamdiu coquunt, dum nullum ampliùs fumum emittat. Deinde vnciam Antimonij crudi, cum libra semisse assati commiscent, adiecta vnciæ medietate boracis, & omnia simul denuò coquunt, & in vsum reseruant.

Vsus, seu finis præparationis Antimonij, multiplex est. Primus, vt siquæ stibio ineſt malefica vis, eo modo ablata, vel correcta, minore deinceps periculo vsurpetur. Scitum enim apud Medicos, medicamenta, quæ naturæ nostræ aduersantur, corrigenda esse, vel mixtione, vel coctione, vel lotione, vel infusione, vel tritura. Mixtionis fructus illi sunt: primus, vt occultæ facultati, quæ tenuiorum fortasse sit partium, nonnunquam robur addamus. Secundus, vt adiungamus plura, quæ nostri corporis vires ab eorum iniuria vindicare queant. Tertius, vt meliora, & efficaciora reddamus, vt hoc modo partes distantissimas penetrare possint. Quartus, vt frigida calidis attemperentur, & è contrà. Quintus, vt symptomatis occurramus, quæ ex vsu horum medicamentorum sequi solent, vt sunt animi deliquium, cardiogmus, tormina, & alia, pro quibus euitándis, ad roborandú cor, & spiritus recreandos, res suaues permiscere solemus. In hunc finẽ inuẽta est coctio, quæ aut elixatione, aut assatione perficitur, quarum vtraque superfluum medicamentorum humorem minuit abundè. Lotio eandem, & longè perfectiorem sortitur facultatem, præsertim si aqua, contrariam vim medicamento quod lauatur, habeat. Maceratio, seu infusio idem ferè præstat, sed hoc tamen ampliùs, vt quæ infunduntur, vires suas liquori, cui sunt infusa, impertiantur. Denique triturâ illud assequimur, vt medicamenta meliùs inuicem permiscentur, vtque tenuiora reddita promptiùs per corpus deferantur. Hæc de corrigendis medicamentis sint satis, vt necessitas, modúsque præparandi antimonium, & qui inde fructus sperari queat, magis clareścat.

Quæro quartò: Vtrùm Stibium exteriùs applicitum medicamentum sit vtile? Galenus *lib. 6. de sanit. tuend. cap. 9.* sic respondet: *Oculis ipsis robur adiicies, si sicco collyrio, quod ex frigido lapide componitur, vtare, ac si palpebris specillo inducas, ne oculi membranam intus contingas: Ita namque mulieres quotidie faciunt, quum stibio oculis gratiam conciliant.* Deinde de stibiaco fuco sic loquitur Dioscorides, *lib. 5. cap. 53. Stibium*, inquit, *sunt qui, quòd oculos dilatet, platyophthalmon vocent: sunt & qui, quòd fœminæ eo vtantur, gynæcion, id est, muliebre appellent.* Plinius *lib. 33. cap. 6. Vis*, inquit, *principalis stibij est circa oculos: namque ideò etiam plerique platyophthalmon appellauere, quoniam in calliblepharis, mulierum dilatet oculos.*

Hunc fuisse antiquissimum morem apud mulieres Hebræorum, pingendi oculos stibio, sacri sæpe testantur codices. Nam *lib. 4. Regum, cap. 9.* dicitur: *Iezabel depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* Ezechielis autem 23. *Ecce venerunt*, inquit Propheta, *quibus te lauisti, & circumliniſti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri:* & Hieremiæ 4. legimus: *Cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.*

Deinde cùm duo sint Stibij genera, mas, & fœmina, magis probatur fœmina. Horridior est mas, scabrióreque, & minùs ponderosus, minúsque radians, & arenosior: fœmina contrà nitet, friabilis, fissuríque, non globis dehiscens. Illud autem esse probatissimum Stibium, quod maximè radiat fulgétque, & cùm frangitur, crustaceum videtur, nihil terræ, aut sordium habens, quódque facillimè frangitur, suprà citati auctores confirmarunt. Ex hoc plures Medici eliciunt per distillationem oleum, quod est rubrum, acutum valde, sulphur olet, & vim eius retinet, & ab aliis sanguis stibij nuncupatur, quod ad omnia vlcera serpentia, & maligna est præstantissimum, siccat enim, & omnem malignitatem aufert.

Alij sunt non contemnendi stibij vsus: Cuncta enim metalla à sordibus purgat, & aurum quidem maximè omnium; hoc enim innoxiè purificat, cætera corrumpit ac perdit. Aiunt artifices qui campanas conflant, has sonitum edere magis cõcinnum, magísque auribus gratum ac sonorum, si stibij nonnihil cęteris admisceatur metallis, dum vnà in fornace liquantur. Iis etiam expetitur, qui vasa è stanno conficiunt. Item iis, qui metallica faciunt, & poliunt specula. Illi quoque vtuntur stibio, qui imprimunt literas stanno, vel simili metallo ad perennitatem characterum. Idem illi faciunt, qui ex stanno conflant patinas, vt eæ sono lances argenteas æmulentur. Quibuslibet metallis, (vti suprà dicebams,)

in

in fictili fusorio permixtum, ea celeriùs eliquandi materiam præbet: quam ob causam, qui ferreos sphæricósque globos tormentis bellicis immittendos conformant, ferro admiscent stibium.

Quæro quintò: Vtrùm Stibium intus assumptum, sit venenum, an vtile medicamentum purgans? Licèt ab hac quæstione, quoad possum, breuissimè me expediam; tamen referam duas Medicorum opiniones, quæ cùm sint è diametro sibi oppositæ, eas in propatulum ponere satius duxi. Qui enim hoc medicamentum, deleterij, venenati, & pestiferi nomine infamant, his nituntur telis: Quia illo vtentes, vix ad primam senectam perueniunt, & labefactatis œconomiæ naturalis officinis immaturè pereunt: maximè cùm circumforanei Medici, temerè & audacter illud ægris offerant: eantum enim abest, (quod ipsi pleno ore affirmant) vt omnem impuritatem, singularis alexipharmaci instar, corpore tollat, & corpora ipsa viuida faciat, vt contrà summa exagitatione, & hypercatharsi, spiritibus resolutis, & vtilium humorum copia vacuata, corpus in summum discrimen adducat; cùm id pestiferum sit pharmacum, quod cùm natura, tanquam præsentaneum venenum, horreat, vt ab eius malitia liberetur, tantam molitur vacuationem: violentiâ enim, siue inimica qualitate adeò incitatur ventriculus, vt non absque periculo conetur, quidquid in eo est, aut ad ipsum affluit, exturbare. Et ne fortè putes, à virtute tractrice quadam hæc scaturire, qua præditum esse nullus hactenus Medicus edocuit: accedit, quòd ipsum non est naturæ vitri expers; & sic magis suspectum est, quia communi quadam deleteria virtute agit, non propria. Calor enim in eo concinnè præparato nullus, aut perpusillus est, sed temperamentum obtinet corpori nostro inimicum prorsus. Ergo erit venenum, sicut vitrum. Hoc tritum si obiicias cani deuorandum, eosdem ferè cum Antimonio præparato videbis effectus. Quomodo igitur natura nostra hanc duritiem, & vitream siccitatem dissoluet, & diluet?

Quòd verò stimmeos vsus non magis tutus sit, si intra corpus sumatur, quàm vel hydrargyri, vel sublimati, vel præcipitati, & similium, quæ venenosam obtinent naturam, noxiam, inutilem, & maleficam, sic confirmo: Nam si illi inest innata expurgatrix vis, cur Medicorum Principes Hip. Gal. Dioscorid. Auic. tam solertes, sagaces, & oculati, de ea non meminere? Et licèt olim, lapsis retrò sæculis, fuerit in vsu, exoleuit eo nomine, quòd naturam nullo fructu vehementiùs cõturbaret: paucissimis enim prodest, obest plurimis; multi namque exulceratis, ruptísque venis, huius pharmaci violentia, animam egere. Stibij vis est cremato plumbo æqualis, ex Dioscoride *lib. 5. cap.* 53. Imò est naturæ plumbeæ, nam cùm assatur, insuaui odore, quin intolerabili fœtore effumat. Insuper, sicut Arsenicum, calidum siccum in quarto gradu, est venenum: sic Stibium, frigidum siccum in quarto, cùm maximè remotum sit à calore naturali, dulci, benigno, humido. Deinde si argentum viuum est venenum, ex Dioscoride *lib. 5. cap.* 64. ita & stibium, quod illius est particeps, cuius ope tam citò, tam violenter, varios, crassos, lentósque humores per vomitum, ac per secessum expurgat.

Sed contraria opinio est amplectenda, quam experimentum, & ratio confirmant. Millies enim me curasse recordor melancholicos, maniacos, quartanarios, scabie ferina oppressos, morbis cutaneis, & aliis contumacibus morbis, vt obstructione, & febribus diuturnis detentos, qui postquam aliorum præsidiorum ope conualescere non potuerunt, huius solùm beneficio & potestate, pristinam sanitatem, vacuatis crassis, & melancholicis succis, sunt adepti. Nec dicas esse venenum: nam hoc naturæ humanæ adeò est infensum, vt ad eius intertium perpetuò tendat, nec ex eo boni quicquam redundet in illam: Atqui stibium ritè correctum, & conuenienti dosi propinatum, & fæces, & noxios humores citra ægri læsionem euocat.

Neque huic generoso medicamento notam inuras, vel ob manifestas qualitates, vel ex occulta proprietate; vel ex vehementia attractionis, quali in nos vtrumque sæuit elleborum; vel remouendo calorem vitæ, vt ea quæ sanguinem purgant. Non primum: est enim id medicamentum in primo solùm frigidum, & siccum in secundo gradu. Non secundum; namque latentes vires sola prodit experientia: At hæc non nisi optimos effectus arguit indies. Neque Galenus stibio, aut eo antiquiores Græci, venenatam naturam assignant, quæ si illi inesset, etiam è medica explodenda essent arte, cætera haud dubiè etiam pariter purgantia, vt scammonium, elleborum, elaterium, turpethum, colocynthis, & id genus alia, quibus antiqui vsi sunt, & nos frequentissimè vtimur. Namque rarum, & nullum fortè reperitur medicamentum, aluum electiuè subducens, quod venenatam vim non adipiscatur, quódque si sua vacuatione frustretur, peccantem humorem virosa non inficiat qualitate: quæ incommoda in stibium non cadunt, quòd & moderatè purget, & nullum inferat symptoma, quinimò quandoque placidè remaneat intus, esto, sua fuerit operatione frustratum.

Nostram sententiam non parum probat, quòd aduersariorum argumenta facilè dilui possint. Obiiciunt enim, stibium, vel nuperum medicamentum esse; vel si antiquius, at desuetudine iam abolitum. Dic. Si Theologia, si Philosophia, si cæteræ artes & disciplinæ, sua indies accipiunt incrementa, quidni fateamur idem euenire medendi arti, cuius illud est proprium: *Ars longa, vita breuis*? Moschus, Ambarum, Camphora, lapis Belzaar, Ebenum, China, Sarza, & sexcenta alia aromata Orientalia, & Occidentalia, antiquioribus Medicis fuere ignota, & nihilominus ingentes ægris vtilitates afferunt, & sæpius viam morti præcludunt. Sic *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Psalm.* 18. Sic dum truditur dies die, & nouæ pergunt interire Lunæ, veritas temporis filia facit, vt ætas ætate sit sapientior. Ad *Secundum* dic. Ea gradualis latitudo non est ita certa, vt non sit probabilior ea sententia, quæ vt diximus suprà, tribuit stibio pauciores frigoris, & siccitatis gradus. Ad *Tertium* dic: stibij facultatem illis nominibus esse planè suspectam. At ea suspicio prorsus purgatur, & congrua præparatione, & dosis modramine, sicque morti, & vitæ obuiam itur. Quare rude & crudum, veneni aliquid sapit: ritè præparatum, & moderata propinatum quantitate, innocuum est & salubre.

Quamuis hoc medicamentum sit mite & placidum, ante eius vsum aperiendæ sunt viæ, humores præparandi: varianda stibij dosis, pro diuersitate virium, temperamentorum, habituum, ætatis, morborum, anni temporum. Nec esset fortasse nisi tutissima cautio, (quando commodè fieri possit) ab hoc etiam medicamento, duobus solstitiis, æstiuo præsertim, abstinere, ob rationes traditas ab Hip. *lib. de aëre, aquis, & locis, text.* 30. Et vt semel concludam: Ab arte medica hoc medicamentum vtilissimum explodendum non est, sed in diuturnis morbis sæpius administrandum.

Vltimò quæres: Vtrùm Gutta Gamba vtile sit ad vacuandos humores medicamentum? Gutta Gamba nobile medicamentum est, & ad nos recenter allatum, cuius vsu & ope rebelles morbos profligari plures contestantur, & ego oculatissimus testis idem fateor, atque confirmo. Alij nouum gummi expurgans appellant. Plures Gummi Ghittæ nominarunt. Alij Gummi de Peru, vel de Goa, dicunt. An Gummi sit, vel concretus succus, certum non est, & cuius plantæ sit, hactenus latet. Certius est inter gummata esse recensendum, à visciditate resinosa deducto argumẽto: In mortario enim quando teritur, pistillo tenaciter adhæresci nec in pul-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 167 sur 927

uerem commodè redigi poteſt, niſi adſperſo ſacchari, aut aromatum momento. Deinde ſunt fruſtula quæ flammam concipiunt, & ardent accenſa thuris inſtar. Gummi eſt valde purum, nullis ſordibus infectum, flaui coloris, inſipidum, inodorum, & calidum in primo gradu. De prioribus duobus iudicant exactè guſtus, & odoratus.

Non deſunt, qui hoc gummi eſſe ſuccum reſinoſum è Rhabarbaro recenti artificioſè extractum, ſibi perſuadeant. Sed reclamat, quòd Rhabarbarum amariſſimum ex ſe fundat ſuccum; hoc verò Gummi eſt inſipidum, & è medicamento, ex mediocriter purgantium claſſe, gummi tantæ actiuitatis elici non poteſt, vt eius quatuor, vel quinque grana tantam vacuationem moliantur. Eodem modo coarguendi ſunt, qui hoc Gummi eſſe extractum ab Euphorbio, certa quadam præparatione arbitrantur: cùm hoc gummi ſit inſipidum, nec admodum acre; & non mordentem, ſed exiccantem vim habeat.

Hoc medicamentum ex ſe mirabiles fundit vires. Facilè aſſumitur, & ſine moleſtia euacuat: quare à delicatulis, moroſis, virginibus, pueris, mulierculis, tam enixè expetitur, & ab aliis qui aliorum medicamentorum horrido ſapore, & odore vehementer abſtinent; & quod plus eſt, vtero gerentibus obtuli perſæpe, rhodoſaccharo permixtum, quatuor granorum pondere; quæ cùm difficultate ſpirandi eſſent oppreſſæ, & aliæ cachexia laborarent, vacuato humore ſeroſo & tenui, ab his morbis immunes euaſerunt, & ſuo tempore fœtus nulla labe fœdatos in lucem emiſerunt.

Quid referam de aliis truculentis morbis, pro quibus debellandis hoc medicamentum eſt, ſiquod alterum auxilium, mirum. Facillimè enim, & ſine perturbatione vlla, aut torminibus, humores ſeroſos & tenues euacuat, & ex ventriculo craſſam, tenacémque pituitam eradicat per vomitum, & per alui ſeceſſum omnes alios indiſcriminatim deturbat.

Offertur quantitate ℈.iiij.v. vj. vij. Alij in vini, vel alicuius accommodati liquoris vnciis duabus per noctem macerant, & reiecta corpulentia præbent liquorem, & ægris nihil cibi propinant ante meridiem. Sed robuſtioribus gr.x. vel xij. in ſubſtantiâ: & xx. in infuſo poſſunt concedi. In pilulas redigo perſæpe, & ex ʒ ij. Aromatici roſati, & ℈. Gummi, duas paro, & eas ægrotanti diluculo libenter porrigo.

Vtile eſt hoc generoſum medicamentum, vel etiam ſæpius per interualla conceſſum, hydropi, cerebri frigidis affectibus, obſtructionibus ſcirrhoſis, arquato morbo, thoracis frigidis affectibus, ſuppreſſioni menſtrui, & vrinæ, diuturnis febribus, articulorum doloribus, oculorum vitiis, ſuffuſioni, aurium tinnitui, & ſurditati, cephalalgiæ, palpitationi cordis, melancholiæ omni. Demum nullum eſt tam ſæuum morbi genus, præcipuè frigidum, quod huius medicamenti ope non conſaneſcat.

DISTINCTIO VI.

De Confectionibus cordialibus.

CAPVT I.

De confectionibus infrigidantibus.

Margaritæ præparatæ inter electuaria connumerantur Confectiones, quæ in diuerſis ſubiectis ſolent adminiſtrari: & inter infrigidantes ſummè laudantur præparatæ Margaritæ, quæ ob cardiacam vim roborant cor, & reliquas partes principes nutritioni inſeruientes tuentur; ſanguinis, & bilis feruorem compeſcunt, malignam qualitatem retundunt. Ob has facultates eximias in febribus ardētibus, malignis, peſtiferis ſummo ſunt ex vſu. Doſis vſque ad ʒ iij. Non ſolùm autem miſcentur in cardiacis iulapiis, ſed diſſoluuntur in iure, liquore, aut vino; aut aſperguntur ſalſamentis, & epithematis induntur. In Iulapiis pro malignis febribus hoc modo.

℞. *Syrup. de ſcorzonera, Syrup. de corticib. citri, Syrup. de ſucco limon. Syrup. acetoſ. an.* ʒ j. ß. *Aq. ſcorzoneræ, Aq. Cardui benedict. an.* ℔ j. ß. *Aq. Acetoſ. Aq. roſ. an.* ʒ iij. *Confect. hyacinth. Confect. Alchermes, an.* ʒ j. ß. *Pulp. tamarindor. acetoſor.* ʒ ijj. *Margaritar. præparatar.* ʒ. ij. *Lapid. Belzaartici Orientalis,* ℈. xx. *Pulu. cornu cerui,* ℈. viij. *Raſur. Eboris, gr.* x. *Raſuræ vnicornu, gr.* iiij. *Succi limon.* ʒ ß. *Theriacæ magnæ,* ʒ j. *Miſce, fiat potus.*

Ex Margaritis fiunt ſacculi cordiales tempore peſtis, qui debent geſtari ſupra mamillam ſiniſtram, & fiunt hoc modo.

℞. *Margaritar. præparatar.* ʒ ij. *Cora. rubri, Santal. ruheor. Santalor. citrinor. Diamarg. frig. Diamarg. calidi, Raſuræ eboris, Cornu ceruini, Roſar. rubear. an.* ʒ. j. *Scordij,* ʒ i. ß. *Dictamni veri,* ʒ i. *Cinnamomi,* ʒ ß. *Boli armeni,* ϑ i. *Angelic. Zedoariæ, Caryophyl. an.* ϑ i. *Purpur.* ϑ ß. *Flor. Borrag. Flor. Bugloſ. Flor. violar. Flor. Nymphææ. an.* ϑ ß. *Lapid. Belzaartic.* ʒ i. Fiat puluis tenuiſſimus, qui excipiatur ſerico rubro, & bombace interpuncto, & fiat ſcutum.

Fiunt etiam Epithemata ex Margaritis, vel liquida, vel ſicca pro roborando corde: Liquida hoc modo.

℞. *Aq. ſtillatitiæ flor. Arantior.* ʒ ii. *Aq. roſ.* ʒ ß. *Succi Meliſſæ, Succi ſcabioſæ, Succi Cardui benedicti, an.* ʒ i. *Confect. hyacinth. Confect. Alchermes, an.* ʒ i. *Aceti roſ.* ʒ ß. *Vini odiferi,* ʒ j. *Pulueris ſantalor. rubeor. Margaritar. præparatar. an.* ʒ j. ß. Miſce, & cum ſerico purpureo cordi calidum epithema imponatur.

Siccum epithema hac forma conficies.

℞. *Conſeruæ flor. Nenuph. Conſeruæ Violac. an.* ʒ ii. *Theriac.* ʒ ß. *Confect. Alckermes, Confect. hyacinth. Margaritar. præparat. an.* ʒ i. ß. *Coral. rubri,* ϑ i. *Oſſis de corde cerui,* ϑ ß. *Camphoræ, gr.* ii. *Roſ.* ϑ ß. *Raſuræ eboris, gr.* viii. *Scordij, gr.* x. *Fol. auri. num.* x. Miſce omnia cum vini generoſi guttulis aliquot, & fiat epithema quod cū ſerico rubro cordi calidū applicetur.

Confectio Hyacinthorum, temperata eſt inter calorem, & frigiditatem: & habet præſtantiſſimam facultatem corroborandi cor, deinde ventriculum, & hepar; & ſua qualitate cardiaca, & alexipharmaca magnam quantitatem ſpirituum producit, & omnem venenificam qualitatem extinguit. Ob has admirandas virtutes venenoſis affectibus auxiliatur, præſertim febri peſtilenti, malignæ, & puncticulari, & omnibus animalium venenoſorum morſibus remedio eſt. Fit ſecundùm *Manipulum Medicinarum*, & eſt in vſu frequenti. Adminiſtratur diſſoluta in iure gallinæ, vino, iulapiis cardiacis. vel liquore aliquo. Doſis maior eſt vſque ad ʒ. i. ß.

Celeberrima eſt hæc Confectio, & ſic in pretio habenda: Nam Hyacinthus, ex mente Serapionis *tract. de ſimplic. cap.* 398. vi pollet contra venenum, triſtitiam fugat, terribilia abigit inſomnia, metum diſcutit, trementi cordi opitulatur, ſiue in annulo geſtetur, ita vt carnem tangat; ſiue ore ſugatur, vel in liquore infundatur, vel in puluerem redactus miſceatur cum Antidotis. Quare hæc confectio præcipuas noſtri corporis partes roborat, ſummis languoribus medetur, ſyncopticas exterminat acceſſiones, palpitationi cordis, aliiſque huius viſceris affectibus mirabiliter auxiliatur: ex multis autem deſcriptionibus quas plures proponunt, hanc ſemper fidiſſimo experimento vtiliſſimam adinueni.

℞. *Hya*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 168 sur 927

℞. *Hyacinth. elector. rubeor.* ℥ ß. *Sapphiror. Smaragdor. Margaritar. Serici crudi, an.* ϑ ij. *Boli armeni aq. roſ. loti, Terræ ſigillatæ, Dictâni, Tormentillæ, Carlinæ, Been albi, Been rubri, ſpicæ Nardi, an.* ʒ ij. *Nucleorum nucis Iuglandis minimè rancidorum, Troſchiſcor. de camphora, an.* ʒ j ß. *Granor. Tinctorum, Croci, Gentianæ, Myrrhæ, Roſar. rubear. Omnium ſantalor. Sem. Iuniperi, Raſuræ eboris, Cornu cerui vſti, an.* ʒ j. *Oſſis de corde cerui, Num.* ij. *Sem. citri mundati, Acetoſ. Bombacis; Portulacæ, an.* ʒ. ß. *ſem. Rutæ, Santonici, an.* ϑ j. *Ambari griſei,* ϑ ij. *Moſchi Orientalis,* ϑ iiij. *Bracteolarum auri, Argenti, an.* ϑ ij. Cum ſyrupo de ſucco limonum, & acredine citri, fiat Confectio.

Diamargaritum frigidum, hoc modo dicitur, ad differentiam calidi, quod non eſt in multo vſu: præſens verò componitur ex Nicolao; & habet facultatem infrigidandi, ſanguinis & bilis furuorem extinguit: habet maximam facultatem roborandi ventriculum, hepar, & cerebrum, & præcipuè cor; & ſic in magna copia ſpiritus vitales reſtaurat, ab omni putredine præſtantes partes tuetur, febribus malignis opitulatur, cardiacis affectionibus ſuccurrit, tremori cordis remedio eſt: debiles, & ex longo morbo conſumptos reficit. Doſis ad ʒ ii. Ferè ſicut reliquæ confectiones adminiſtratur, & in modum pulueris in Officinis habetur, & in tabellas efformatur. Vel poteſt infundi puluis in aquis, vel alimentis permiſceri, vel cordi epithematis modo apponi in dictis morbis.

℞. *Diamargar. frigidi, diatrium ſantalor. an.* ʒ ß. *olei de ſcorpionibus Matthioli, olei violar. an. quartar.* j. *axungiæ naphæ,* ʒ ß. *miſce.*

Ex puluere fit epithema hac forma.

℞. *Succi pomor. redolentium,* ʒ ij. *aq. acetoſ. aq. borrag. aq. Scorzoneræ, an.* ʒ iij. *aq. roſ. aq. naphæ, aq. mellis, an.* ʒ j. *pulueris diamarg. frig.* ʒ j. *croci,* ϑ j. *diambræ,* ʒ ß. *miſce.*

Diatragacanthum frigidum, lenit aſperam arteriam, ſputum facile reddit: in affectionibus calidis pectoris, & aſperæ arteriæ eſt vtile; tuſſi item calidæ, ac peripneumoniæ, quarum partium fluxus ſiſtit. Doſis ad ʒ ij. Et licèt ſeruetur in Officinis in puluere, frequenter in forma tabellarum offertur.

℞. *Specier. diatragacanthi frig.* ʒ ij. *ſacchari, q. ſ. fiant tabellæ ſec. art.*

Aliquando aliqua portio pulueris cum ſyrupo aliquo frigido permixta, & in modum pilularum efformata, in ore detinetur in dictos vſus.

Diatrion ſantalon, habet vim corroborandi ventriculum, cerebrum, & præcipuè hepar: & licèt aſtrictionem ſortiatur, tamen obſtructiones aperit, & pro mouenda calida intemperie febrium mirificè prodeſt, quia bilis, & ſanguinis æſtum compeſcit, appetitum ſuſcitat, vomitum arcet, & ſua cardiaca vi malignam qualitatem extinguit, præſertim ſi in forma tabellarum adminiſtretur. Permiſcetur cum ſyrupis, & Iulapiis cardiacis.

Electuarium de Gemmis ſine ſpeciebus, frigidum eſt: cor, cerebrum, & ventriculum roborat, & hepar, quarum partium coctiones maximè iuuat; & habet ſummam cum vtero ſympathiam: omnes partes interiores exhilarat, eáſque à maligna putredine tuetur: ſpiritus vitales, & animales auget; vires reſtaurat; vtiliſſimum eſt in omnibus morbis malignis; cordis tremori, ſyncopæ, melancholiæ morbo mirè ſuccurrit. Demum ob eximias facultates pretioſiſſimum medicamentum eſt. Etiam paratur à Meſſuë, *Electuarium de Gemmis cum ſpeciebus*, quod parum eſt in vſu, & calefacit ob ſpecies aromaticas, quas obtinet. Vtile eſt in omnibus prædictarum partium affectionibus frigidis.

Diapapauer, confert febrientibus, bilis & ſanguinis calidiſſimi incendium attemperat, ſomnum mirabiliter procurat, tuſſim compeſcit; acres & tenues humores, à capite ad aſperam arteriam, & fauces diſtillantes ſiſtit, & incraſſat. Phthiſicis, & hecticis prodeſt.

Diacodion, vigilantibus ſummoperè auxiliatur, ſubtiles humores ex capite ad pectus, & pulmonem defluentes incraſſat, tuſſim ferinam ſedat, alui profluuio auxiliatur, & ſanguini ex qualibet parte mananti confert apprimè.

Diapenidion ſine ſpeciebus, ad omnem thoracis noxam efficax eſt: prodeſt contra tuſſim, & vocis iacturam: confert tabidis, & purulenta excreantibus; lenit pectus, facile reddit ſputum; ſubtilium, & acrium humorum ad aſperam arteriam confluentium, mordacitatem contemperat.

Diarrhodon Abbatis parum calefacit; exiccat tamen, & mirabiliter ventriculum, hepar, & omnes partes interiores roborat, quarum coctionem iuuat. Confert in febribus, in quibus magna copia viget pituitæ, etſi ſit cum bilioſo humore permixta. Vtimur hac confectione in modum pulueris diſſoluti in iure gallinæ, aut aliquo iulapio cordiali, aut tabellarum modo. Extrà vtimur in vnguentis, aut epithematis, & paramus vnguentum confortatiuum, cuius vſu roboratur ventriculus, promouetur concoctio, diſcutiuntur flatus, excitatur appetentia.

℞. *Olei abſinth. & maſtichini, ol. de ſpica, & de mentha, an.* ʒ iii. *olei citoneor. & ol. roſ. completi, an.* ʒ ß. *pulu. diarrhod. abbatis,* ʒ j. *aromatici roſ.* ʒ ß. *maſtich. coral. rubri, ſpicæ, puluer. abſinth. an.* ϑ j. Miſce, & cum cera fiat vnguentum.

Confectio liberantis Magiſtralis, contra peſtem plurimùm valet, humores à corruptione præſeruat, & ne cor à peſtifero aëre lædatur, mirificè tuetur: confert omni veneno; peſtiferis; & malignis generosè auxiliatur. Intus, & extrà, inſtar reliquarum confectionum, adminiſtratur.

℞. *Radic. tormentil. ſem. acetoſ. ſem. endiu. coriandri præparati, ſem. citri, an.* ʒ j. ß. *ſantalor. omnium, dictamni albi. an.* ʒ j. *boli armeni præparati, terræ ſigillatæ, an.* ʒ ii. *eboris vſti, oſſis de cerde cerui, been albi, been rubri, doronici, cardamomi, cinnamomi, macis, ligni aloës, caſiæ lignea, croci, zedoariæ, an.* ʒ ß. *ſmaragdi, hyacinth. granati, ſerici crudi torrefacti, & inciſi, an.* ϑ i. *penidij. ſacchari candi, an.* ϑ ii. *flor. nenuph. flor. bugloſ. roſar. an.* ʒ i. *caphuræ,* gr. vii. *moſchi, ambræ, an.* gr. iii. *ſacchari albi, fiat electuarium.*

Confectio cordialis magiſtralis, præſeruat à peſte, febribus malignis auxiliatur, confert tremori cordis, ſyncopæ, animi deliquio; & corpus à corruptione tuetur.

℞. *Margaritar. eboris vſti, granator. cinnamomi, tormentillæ, boli armeni, an.* ʒ iii. *ſantalor. omnium, raſuræ eboris, vnicornu, an.* ʒ ii. *hyacinth. ſapphir. coral. rubri, coral. albi, carabes, valerianæ veræ, dictamni, zedoariæ, ligni aloës, an.* ʒ i. *terræ ſigillatæ,* ʒ ii. ϑ ii. *oſſis de corde cerui,* ϑ i. ß. *ſerici crudi modicè torrefacti,* ϑ ii. *been albi, been rubri, an.* ϑ ii. *fol. auri, Num.* v. *moſchi, ambræ, an.* gr. x. *ſacchari, q. ſ. fiat electuarium.*

Micleta, propter qualitatem frigidam vehementer adſtringit: quare calidam hepatis, ventriculi, & aliarum partium internarum intemperiem aufert, quarum actiones roborat, & omnes fluxus ſiſtit. Solet adminiſtrari in clyſteribus; aut per os; aut ventri per ſe, aut cum aliis medicamentis apponi. Per os poteſt propinari ad ʒ ß.

Electuarium de ſcoria ferri, refrigerat moderatè, ob qualitatem adſtringentem quam habet; ferrum enim, & calybs, frigidam & ſiccam facultatem ſortiuntur. Hac corroborat, incraſſat, obturat, fluxus ſiſtit diuturnos, & hæmorrhoidibus fluentibus, nimiæque hæmorrhagiæ, remedio eſt. Quare hæc confectio aſſumpta

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 169 sur 927

sumpta ex aliquoliquore adstringente est optima,& sic ea vtitur Rhasius, 9. *ad Almansor. cap. de hæmorrhoidibus.*

℞. *Aq. plantag. aq. capitum rosar. an.* ʒ ii. *electuar. de scoria ferri,* ʒ i. *misce.*

Et cùm metalla participent de sulphure, & argento viuo, quæ sunt omnium metallorum materia: ferrum cùm sit impurum, de illis substantiis plus obtinet; & sic ferrum duplici substantia constat, adstringente vna, aperiente alia. Huius vi deobstruit, attenuat, prouocat menses, & fœliciter confert fœminis, quæ ob vteri obstructionem menstrui suppressione laborant: quare cum chalybe permiscemus alia medicamenta quæ roborant, aperiunt, & attenuant, vt hoc modo.

℞. *Chalybis præparati,* ʒ i. *confect. diaxyloaloës, antidoti hæmagogi, mithridatij, an.* ϑ i. Cum syrupo capil. vener. & liquiritiæ, fiat confectio.

Alij alio modo id conficiunt, sed duobus modis fœliciter potest parari.

℞. *Sem. petroselini, dauci, specier. diacurcum. diarrhod. epithymi, an.* ʒ i. *cinnamom.* ϑ i. *chalybis præparat.* ʒ iiii. Cum melle optimo, despumato fiat electuarium. Dosis à ʒ ij. vsque ad iiij.

Vel confice hoc modo, pro robustis.

℞. *Specier. diarrhod. diacurcum. an.* ʒ i. *corticis rad. rumicis, rubeæ, sem. dauci, an.* ʒ i. ß. *caryophyl.* ʒ i. *chalybis præparat.* ʒ i. *mellis despumati, q. s. Fiat electuarium.*

CAPVT II.

De Confectionibus calefacientibus.

THeriaca *smaragdorum*, seu *limonata smaragdorum Magistralis*, pretiosissima confectio est. Nam præterquam quòd calefacit moderatè, habet magnam facultatem attenuandi, & roborandi cerebrum, ac neruos, quorum humiditates strenuè absumit. Respicit vterum, ventriculum, præcipuè cor, quarum partium frigidos morbos percurat. Summoperè iuuat in Epilepsia, præcipuè puerorum, in syrupo de stœchade, aut de pæonia dissoluta, aut in iure gallinæ, aut aqua cerasorum dulcium. Imperanda est facta iam vacuatione aliqua per clysteres; & celebrata reuulsione per frictiones crurum, ac vincula dolorifica, ob periculũ decubitus humoris ad cerebrum. Habet etiam hæc confectio facultatem mouendi menstruas purgationes: in quem vsum dissoluitur ex decocto aperiente, vel aqua apij, fœniculi, aut artemisiæ. Dosis ad ʒ. ii. fitque hoc modo.

℞. *Mellis limonum,* ℔ i. *smarador.* ʒ i. ß. *hyacinth.* ʒ i. *sem. pæonie, radic. pæoniæ, an.* ʒ iiii. *croci,* ʒ i. *cinnamomi,* ʒ i *sem. citri, dictamni cretensis, an.* ʒ vi. *sem. acetos.* ʒ iii, *visci quercini,* ʒ i. ß. *rasur. eboris,* i. *galangæ,* ʒ ii. *coral. rubri, pulueris purpuræ,* ʒ iii. misce, & cum melle limonum fiat confectio.

Aduertas tamen, quod mel limonum non est aliud, nisi syrupus limonum, si loco sacchari cum quo componitur hic syrupus, mel reponas.

Diamoschum dulce, facultatem habet calefaciendi in fine primi gradus, humores frigidos resoluit, præcipuas partes mirificè roborat, & coctiones omnium partium laudabiliter iuuat. Virtute alexipharmaca hæc confectio prædita est, & sic magnam spirituum vitalium quantitatem regenerat. Confert in cordis palpitatione, melancholia, epilepsia; conuulsione, oris tortura, capitis dolore, quando hi affectus ex causa frigida concitantur. Componitur in forma pulueris, à Mesuë *cap. proprio.* Dosis ad ʒ. ii. Vtimur hoc electuario intus assumpto, & dissoluto in liquore cardiaco: vel extrà in epithematibus, & vnguentis pro roborando corde imponimus.

Aromaticum rosatum intensiùs calefacit, magis tamen prædictas partes roborat, & earum actiones iuuat, aperit, attenuat, incîdit, omnes humores pituitosos, & humiditates superfluas absumit, sensus acuit. Vtile est in frigidis harum partium affectibus, præcipuè in peste, febre syncopali, hydrope, cruditate ventriculi, orta ob ventriculi, hepatis, & aliarum partium debilitatem frigidam. Eodem modo administratur. Dosis ad ʒ. ij.

Confectio Diaxyloaloës, calefacit, & exiccat in gradu secundo, & potentissimè roborat cor, cæteráque præstantia viscera tuetur ac defendit. Alexipharmaca est, malignam qualitatem remouet. Confert in paralysi, syncope, palpitatione cordis, morsu oris ventriculi, cruditate. Oris fœtorem emendat, & in modùm pulueris reseruatur aliquando. Dosis ad ʒ. ii.

Confectio Alkermes, vocatur à Mesuë, Electuarium de granis tinctoriis. Habet vim calefaciẽdi in fine gradus secundi. Vehementer corroborat cor, ipsum exhilarat, & omnes spiritus in magna quantitate regenerat, putredinem malignam aufert, & ab ipsa omnes partes interiores tuetur, ac præseruat. Confert in melancholia morbo, syncope, cordis palpitatione, febre pestifera, & maligna. Prodest aduersus venena, & contra virulentorum animalium morsus strenuum est auxilium. Dosis ad ʒ j.

Diambra, calefacit in gradu secundo: habet maximum consensum cum ventriculo, & vtero; quarum partium excrementitiam humiditatem absumit, flatus discutit, coctionem adauget; malignæ putredini, & corruptioni aduersatur; spiritus omnes à veneno, & tetris vitiis tuetur. Dosis ad ʒi. ß. Administratur intus, & extrà eodem modo, cæterarum confectionum instar; & in emplastris pro ventriculo permixta, huic parti summas vires conciliat.

Diascordium, facit ad morbos pestilentes; habetur loco theriacæ, præsertim in iis qui huius medicamenti vires non tolerant, vt pueri, & grauidæ; quare febribus malignis remedio est, venenis, & venenosis morbis aduersatur, vim vitalem suscitat, animalem roborat, & spiritus omnes in magna copia regignit.

Diamoschum amarum, calefacit in fine gradus secundi. Confert ad frigidos cerebri affectus sine febre: melancholiam, vertiginem, epilepsiam, resolutionem, oris torturam, cordis palpitationem, pulmonis affectus, & spiritandi difficultatem, ventriculi humores potenter absumit. Similes ferè facultates obtinent: *Diacorum, diacastorium, theriaca diatessaron, electuarium diapæonias.*

Aliæ sunt confectiones, quæ paratæ seruantur in Officinis, & similes his vires sortiuntur. Et appellantur: *Diazalanga, dianisum, diacyminum, musa Ænea, siue Zazenea Mesues, diacinnamomum, diatrion pipereon, rosata nouella, diazingiber.* Hæc omnia electuaria habent vim calfaciendi, & exiccandi: absumunt humores tenaces, frigidos in ventriculo tenaciter impactos; flatus discutiunt, coctionem iuuant, bonum odorem ori conciliant, dolori colico auxiliantur, febri quartana laborantibus conducunt, distributionem alimenti in corpus promouent, pituitæ putredinem prohibent, acido ructui medentur; actiones ventriculi, & iecoris à frigiditate impeditas, robustiores reddunt, easdémque emendant.

His adnumerari possunt, quia consimiles ferè habent facultates: *Pliris archonticon, electuarium ex citro Mesues, stryphera sarracenica Mesues, electuarium de baccis lauri Rhasis, electuarium de aromatibus Galeni, diacostum, Diadictamnum, diamoruſia Mesuës.*

Alia sunt electuaria, quæ calefaciant humores contentos in pectore, palatúmque & arterias purgent: quare conferunt asthmaticis, suspiriosis, & thoracis

vitiis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 170 sur 927

viriis mirabiliter opitulantur : cuiuſmodi ſunt : *Diahyſſopum, diapraſſium, diatragacanthum calidum, diathamaron, diaſulphur.*

Alia ſunt quæ vterum reſpiciunt, prouocant menſtrua, flatus diſcutiunt : iecinoroſis, ac hydropicis remedio ſunt, aperiunt, attenuant, vrinam mouent, valenter deobſtruunt, roborant, calefaciunt, coctionem iuuant, appetentiam ſuſcitant : videlicet *diacalamintha, diælacca maior, dialacca minor, diacurcuma magna, diacurcuma minor, diamyrrha, confectio rauedſeni Meſuæ.*

Diaſatyrium fit à Nicolao, & Meſuë, habet facultatem calefaciendi, plurimam ſeminis quantitatem generat, pollet contra veſicæ, & renum imbecillitatem; iis etiam auxilio eſt qui vrinam reddere nequeunt : venerem ſtimulat, eámque certa de cauſa ceſſantem erigit; quare pollet ad erectionem virgæ, & multiplicat deſiderium coëundi. Diſſoluitur in iure gallinæ, aut vino.

Antidotum Hæmagogum habet facultatem calefaciendi, attenuandi, incîdendi : menſtruas purgationes mouet, ſecundinas extrahit, abortum prouocat, vrinam expellit; lapidem renum, & veſicæ frangit; ſtranguriam ſanat, hepatis emphraxim curat, vomitum compeſcit, flatus abſumit, frigidam alicuius partis intemperiem ſanat. Doſis vſque ad ʒ j. ß. Adminiſtratur è variis decoctionibus accommodatis diſſolutum.

Electuarium Lithontribon, habet facultatem calefaciendi, incîdendi, attenuandi, abſumendi frigidos & craſſos humores, præſertim in viis renum, & vrinæ exiſtentes : lapidem veſicæ, & renum frangit, arenulas comminuit, ſorditiem vreterum abſtergit. Quare in prædictis affectibus maximè confert in vino diſſolutum, aqua, aut liquore aliquo affectui valde accommodo, & diuretico : non tamen adminiſtratur, niſi præcedente aliqua vacuatione vniuerſali, alioqui humores in vniuerſo corpore exiſtentes ad illas partes deducit. Doſis ad ʒ j. ß.

Confectio Anacardina, fit ex Meſuë, habet validiſſimam facultatem calefaciendi cerebrum, & neruos; quas partes vehementer roborat, humiditatéſque excrementitias tenaciter impactas diſſoluit : omnes ſenſus, tam internos, quàm externos acuit, ſed præſertim memoriam, in cuius gratiam, ſi rectè adminiſtretur, à Meſuë, & omnibus auctoribus commendatur; nam illam vocat, medicinam ſapientiæ. Veruntamen debet propinari maturo conſilio, atque maxima adhibita conſideratione. Vitanda in iis, qui partem habent aliquam principem vehementer calidam. Nec etiam eſt concedenda, niſi præcedentibus vacuationibus, ita vt nihil in corpore humoris redundantis remaneat; ſic enim ſine vllo incommodo maximam ſolet afferre vtilitatem : ſi enim intempeſtiuè offeratur, febrem, & alios morbos excitare poteſt. Hunc ergo ordinem in eius adminiſtratione ſeruare debemus.

Victus ratio in omnibus ſex rebus non naturalibus eſt obſeruanda, ita vt ad ſiccum declinet. Venter ſit mollis, & qui ipſam aſſumit, in hunc vſum ſpatio octo dierum ſequenti ſyrupo eſt præparandus.

℞. *Syrup. de ſtœchad. ſimplicis, rhodomel. ex melle, & ſaccharo, an.* ʒ j. *aq. fœniculi,* ʒ iij. *Miſce.*

Deinde expurgandus eſt hoc modo.

℞. *Syrup. de ſenna,* ʒ v. *infuſionis fol. ſen.* ʒ ij. *Miſce.*

Poſtea iterum diſponatur humor hoc ſyrupo.

℞. *Syrup. fœnicul. ſyrup. ſtœchad. ſimp. an.* ʒ j. *decoct. maioranæ, ſtœchados, betonicæ, radicis chinæ, radic. fœniculi, ſem. aniſi, ſem. fœnicul.* ʒ ij j. Miſce, & fiat potus.

Qua præhabita præparatione, iterum purgandus eſt ſequentibus pilulis.

℞. *Maſſ. pilul. cochiar. aggregatiu. de agarico, an.* ʒ ß. *formentur pilulæ* v. *& deglutiantur.*

Si tamen ante purgationem plenitudo adſit, venæ ſectio celebranda, & deinde ſpatio decem dierum hæc confectio eſt concedenda.

℞. *Confect. Anacardinæ, confect. Diaxyloaloës, an.* ʒ ß. *vini albi odoriferi, vel aquæ fœniculi, vel aq. cinnamomi, vel aq. betonicæ* ʒ iv. Aſſumatur ieiuno ventriculo, & aluinis excrementis priùs expurgatis.

Poſtea iterum purgandus eſt abſque præparatione, cum tabellis his.

℞. *Pulueris radic. mechoacæ, pulu. radic. ialapæ, myrobalanor. chebulor. an.* ʒ j. *pulu. diarrhod. Abbat. diamoſchi dulcis, aromatici. roſ. an.* ϑ ij. *diambræ, Galliæ moſchatæ Meſuæ, an.* ʒ ß. Miſce, & cum ſaccharo fiant ſex tabellæ.

Cùm verò his tabellis fuerit expurgatus, iterum accipiat vnam tabellam ex ſequentibus.

℞. *Pulu. diarrhod. Abbat. diacymin. aromatic. roſat. diamoſchi dulcis, an.* ʒ j. *diambræ,* ϑ j. Cum ſaccharo fiant tabellæ.

Quibus factis iterum accipiat duas, aut tres tabellas ex antecedentibus purgatiuis : poſt quarum aſſumptionem iterum accipiat confectionem Anacardinam, per ſpatium duodecim dierum, in propria doſi quam *infrà* deſcribam, & per totum hoc tempus naribus applicetur hoc pomum.

℞. *Pulu. betonicæ, maioranæ, roriſmarini, ſtœchados, calaminth. cinnamomi, maſtich. an.* ʒ iij. *piperis, galangæ, gingiberis, caryophyllor. an.* ʒ j. *caſtorei,* ϑ ij. *pulu. aromatic. roſat. diamoſchi dulcis,* ʒ ß. *ambari, moſchi, an.* gr. iv. Miſce, & ſec. art. fiat pomum odoriferum.

Similiter patiens quotidie debet quidpiam memoriæ mandare. Præterea quando legit aliquid, per noctem debet naribus apponi vnus, aut duo paſtilli ex ſequentibus.

℞. *Menthæ ſiccæ, pulegij, eufraſiæ, verbenæ, ſem. coriand. præparat. gallitrici, an.* ʒ j. *flor. roriſmar.* ʒ j. ß. *calami aromatic. cinnamomi, an.* ʒ ij. *caryophyl.* ʒ j. ß. *moſchi, ambræ, an.* gr. vj. *mellis Anacardini, ſtyracis calamitæ, an.* ʒ ß. Terantur, & in tenuem puluerem redigantur, & permixtis omnibus cum aq. fœniculi, fiant paſtilli ad formam nuclei palmulæ. Doſis eſt ʒ j. Aſſumitur diſſolutus in ʒ iv. Vini albi, vel decoctionis accommodatæ.

CAPVT III.

De Confectionibus opiatis.

ETſi Tripheræ variæ aliqualem recipiant opij quantitatem, eſt tamen in tam parua copia, vt aliorum medicamentorum vi earum virtus obſcuretur. Sequentia verò Opiata dicuntur, quia in ea magna quantitas opij ingreditur : quare ſumma conſideratione ſunt adminiſtranda, quia periculoſa ſymptomata ex ipſorum vſu intempeſtiuo ſequi ſolent.

Theriaca magna Andromachi, deſcribitur à Galeno *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 12. ex Andromachi auctoritate : eſt præſtantiſſimum medicamentum, & ſummis viribus pollet : nam præterquam quòd vim habet calefaciendi, incîdendi, attenuandi, deobſtruendi; ventriculum, & cor mirandum in modum roborat; hepar, & reliqua viſcera interna firmat, ac multo exceſſu robuſtiora reddit, atque à putredine præſeruat : & alexiteria facultate, qua abundat, vberem ſpirituum vitalium copiam regenerat, quos à veneno immunes reddit.

Theriaca eſt medicamentum ſtupefaciens, præſertim ſi recens ſit, quia tunc præualentem obtinet opij vim, ex Gal. 5. *meth.* 13. Quare ſummè prodeſt in vehementiſſimis doloribus à cauſa frigida concitatis, atque etiam in affectionibus ventriculi, cordis, & cerebri, lethargo, epilepſia, paralyſi, dolore colico. Sudorem, & menſes prouocat : vehementiſſimos quartanarum, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 171 sur 927

pituitosarum febrium rigores sedat: confert in animalium venenosorum morsibus: venenis frigidis mirè opitulatur. Intus, & extrà administratur. Intus dissoluta in liquore aliquo cardiaco, vel vino, vel in modum electuarij permixta cum aliis medicamentis alexipharmacis, quæ vires retundant: & sic vtilissimè offertur in peste, à qua summè corpora præseruat; & hoc modo febribus pestiferis, & malignis succurrit. Dosis vsque ad ʒ ij. Exterioribus verò partibus imponitur in epithematis, vulneribus inflictis à venenatis telis, vnguentis, tumoribus malignis, quia venenum domat, & vaporum venenosorum deleteriam qualitatem refringit, humoresque veneficos altis in corpore defixos radicibus foràs extrahit. Non debet offerri, nisi sex mensibus transactis post ipsius confectionem, vt sic opij vis aliorum medicamentorum permixtione per fermentationem mitescat, & infrænetur.

Mithridatium ita vocatur, quia Rex Mithridates id composuit, & eo frequentissimè vtebatur. Calefacit, exiccat, attenuat, incidit, obstructas vias potenter aperit; cerebrum, & reliquas interiores partes mirificè roborat; menstruas purgationes mouet, flatus discutit, vrinam prouocat, humores frigidos in capite existentes calefacit, & euacuat: quare confert, quàdo frigidi succi neruos obsident, & caput premũt. Vtile est in accessione epileptica, in qua ipso inungitur palatum. Feliciter administratur in peste, pestiferis, & venenatis morbis; in doloribus colicis, & ventriculi, à causa frigida concitatis; similiter etiam in vehementissimis doloribus gingiuarum, apponitur, ipsis inunctis, quia torporem inducit. Intus offertur dissolutum in liquore aliquo: extrà, cum oleo de scorpionibus admiscetur ad prouocandam vrinam & menstrua. Demum in suppositoriis, & pessariis imponitur. Dosis eius est ad ʒ. ij.

Philonium Romanum, à Philone est compositum: describitur à Galeno *lib. 1. sect. loc. cap. 4.* Refrigerat in tertio gradu, potenter torporem inducit, somnum profundum concitat: vtilissimum est in intensissimis doloribus, ad stupefaciendum sensum partis dolentis; nam sic stupefacto sensu partis, non ita intensè spiritus, & vires resoluuntur. Prodest in colicis doloribus frigidis, posthabita ratione causæ, etsi multò securius, quando dolor à causa calida ortũ ducit, vt 12. *Meth.* 11. docuit Galenus. Dissoluitur vel vino, vel aliquo liquore, vel decocto accommodo. Dosis ad ʒ j.

Philonium Persicum fit ex Mesuë *tract. de egritudinibus pectoris, & pulmonis, cap. 6. ad fin.* In eodem gradu infrigidat, etsi minorem stuporem inducat. Habet facultatem incrassandi, refrigerandi, reprimendi omnem sanguinis fluxum, à quacunque causa emanet, somnum conciliat, abortum impedit: Quare confert grauidis, quando tempore gestationis erumpunt menses, vt *loc. cit.* Mesuës aduertit. Vtile est in omni alui fluxu cum aliquo liquore dissolutum. Eosdem effectus, & facultates sortiuntur, *Requies Nicolai, athanasia magna.*

Condita verò apud Dulciarios variis modis præparantur. Conseruæ verò non solùm per primas, sed occultas qualitates nostrum corpus possunt alterare, & in ipso diuersas qualitates, atque virtutes producendo, ipsum à morboso apparatu immune reddere queunt.

CAPVT II.

De Conseruis infrigidantibus.

Saccharum Rosatum habet facultatem refrigerandi, roborandi ventriculum, cerebrum, hepar, & cor. Est cardiacum, leuiter adstringit, & maximè in calida hepatis intemperantia est in vsu. Absoluta vacuatione vniuersali, ad remouendam intemperiem, & roborandã facultatem naturalem expurgatione labefactatam, conceditur cũ aliqua aqua frigida, vt buglos. cichor. borraginis, quantitate ʒ ij. cum ℥ vj. aquæ. Hæc conserua si sit vetusta, habet facultatem adstringendi, incrassandi, & hoc modo est vtilissima in sputo sanguinis, & omni hæmorrhagia ex omni parte emanante. Confert in omni alui fluxu exhibita cum aqua, aut liquore adstringenti.

Conserua violarum duplex est: alia fit *cum vnguibus*, & hæc nullam, vel leuissimam purgandi habet facultatem, refrigerat multò magis, quàm prædicta, cerebrum, & cor roborat, pectus lenit, sanguinis & bilis feruorem extinguit. Vtilis est in ardentibus febribus, biliosis, malignis, quarum putredinem sua cardiaca vi mirandum in modum defendit, somnum conciliat, humectat corpus, melancholicis affectibus remedio est. Alia fit *sine vnguibus*, & cum saccharo concinnata, purgandi facultatem sortitur: vtilis est in iisdem morbis, & permixta cum sacharo Alexandrino, eius calorem remittit, & vim purgatricem adauget.

Sacharum Buglossatum, aut *Conserua Buglossæ* temperata est, suáque humiditate humores adustos contemperat, & cardiaca vi eos à putredine præseruat, cor exhilarat, roborat, melancholicis, & syncopticis remedio est: pesti, & febribus malignis succurrit. Easdem vires habet *Conserua Borraginis*, facta ex floribus Borraginis. Vtriusque dosis ad ʒ iij.

Conserua acetosa, præter frigiditatem quam inducit, habet potentiam incidendi, attenuandi, deobstruendi. Vtilis in febribus ardentibus, & malignis: est alexipharmaca, putredinem arcet, veneno assumpto præsidio est.

Similes vires habent: *Conserua de Ribes, conserua cerasorum acidorum, conserua ex acetositate citri, conserua ex acetositate limonum.*

Conserua Nenupharis, intensiùs refrigerat, tenues humores incrassat, somnum conciliat; ventriculum, cor, & cerebrum roborat. Dosis ad ʒ ij.

Similem facultatem habent, sed magis temperatam, ac cardiacam, quâ venenosis, & melancholicis morbis summè resistunt: *Radix Buglossæ saccharo condita, radix scorzoneræ, radix cichorij.*

Conserua cucurbitæ infrigidat, & roborat ventriculum, & hepar.

Eadem facultates sortiuntur: *Pruna saccharo condita, melo saccharo conditus, cucumis succharo incrustatus, poma saccharo incrustata.*

Caulis lactucæ saccharo conditus plurimis morbis calidis succurrit, & febribus ardentibus, & biliosis auxiliatur, somnum conciliat.

Conserua pyrorum refrigerat, ventriculum roborat ob adstrictionem, vomitum sistit, appetentiam excitat, alui profluuio, & nimiæ hæmorrhagiæ prodest.

Eandem facultatem obtinent, sed intensiorem, *Conserua citoniorum, conserua symphyti maioris, myrobalani saccharo conditi:* Etsi hi purgandi vim aliqualem sortiantur, & melancholiæ resistant vehementer.

CAPVT

DISTINCTIO VII.

De Conseruis.

CAPVT I.

De Conseruis in communi.

SVb nomine electuarij comprehenduntur etiam Condita, & conseruæ. Hæ vtplurimùm fiunt ex floribus, fructibus, & herbis minutim incisis, & contusis, & saccharo in tenuissimum puluerem redacto permixtis, & denique per aliquot dies soli appositis.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 172 sur 927

CAPVT III.

De Conſeruis calefacientibus.

Saccharum Roſatum Alexandrinum, parum calefacit, quia roſæ Alexandrinæ, ſeu Perſicæ, calidæ ſunt: habet facultatem vacuandi bilem, & ſeroſas humiditates, ex corporis regione prima. Clemens eſt medicamentum, tutum in pueris, vtero gerentibus, & aliis, qui fortia tolerare nequeunt: & cùm debiliter expurget, aliquando permiſcetur cum illo aliud medicamentum, quod vires eius adaugere queat, vt ſic.

℞. *Sacchar. roſ. Alexãdrini*, ℥ ij. *pulu. rhab.* ʒ j. Miſce.

Et ſi morbus frigidus ſit, copiáque ſeroſi humoris in corpore redundet, hoc modo.

℞. *Conſeru. roſ. Alexandrinæ*, ℥ ij. ß. *mechoacæ*, ʒ j. ß. *diagridij*, ℈. iij. Miſce.

Mel Roſatum Perſicum, vel *Rhodomel Perſicum*, fit ex roſis Alexandrinis, & melle. Calefacit, modicè ſeroſos humores, & pituitoſos; ex prima corporis regione expurgat. Prodeſt in cruditate ventriculi. *Mel Roſatum Hiſpanum*, ex melle, & roſis confectum debiliter expurgat, etſi maiorem habeat vim corroborandi ventriculum, hepar, atque cor; in quibus partibus humores frigidos abſumit, flatus diſcutit, cruditates aufert. Aliud fit cum melle & ſaccharo, & vocatur *Rhodomel ex ſaccharo, & melle*: & vtile eſt in iis, qui cum frigida ventriculi intemperie, calidam hepatis, aut aliarum partium patiuntur.

Conſerua ſtœchados, fit ex floribus ſtœchados, & ſaccharo. Calefacit in primo gradu, atenuat, incîdit craſſos, & tenaces humores. Reſpicit cerebrum, & partes neruoſas; ſenſus internos, & externos, memoriam acuit. Vtiliſſima eſt in affectibus frigidis cerebri, & neruorum, vt paralyſi, epilepſia, torpore, apoplexia, vertigine, cephalalgia. Doſis ad ʒ ij.

Similem huic facultatem habent, & in eiſdem morbis offeruntur *Conſerua florum roriſmarini, conſerua acori, betonicæ, enulæ Campanæ, flor. ſaluiæ, flor. lauendulæ, flor. arantiorum, flor. citri, conſeruæ maioranæ, meliſſæ, pæoniæ, primulæ veris, nucis moſchatæ, ζingiberis.*

Pectori, & pulmoni proſunt *Conſerua hyſſopi, & conſerua capilli Veneris.*

Stomachum roborant, flatus diſcutiunt, frigidos humores abſumunt, vomitum compeſcunt, coctionem iuuant, *Conſeruæ abſinthij, menthæ, meliſſophyli.*

Melancholiæ confert, affectibus cutaneis, ſudorem mouet, ſanguinem mundificat, deobſtruit, *Conſerua florum fumariæ.*

Morbum regium ſanat, hydropicis confert, *Conſerua florum ſambuci*

CAPVT IV.

De Tabellis.

Tabulæ Manus Chriſti Perlatæ, omnium facultatum imbecillitatem firmant, medentur ardentibus febribus, imaginationes falſas abolent. Demum Tabellæ hæ, ſicut & aliæ compoſitæ ex ſpeciebus confectionum quas *ſuprà* notauimus, eoſdem morbos perſanant, quibus confectiones auxiliari *ſuprà* prædiximus, vt ex hac ſcheda planum fit.

Tabellæ diambræ, diamoſchi dulcis, diamoſchi amari, diacymini, dianiſi, diacurcum. dialaccæ, de gemmis, diacodion, diapapaueris, diatragacanthi frigidi, diatragacanthi calidi, diahyſſopi, diapraſſij, aromatici roſati, diarrhodonis Abbatis, diapenidij, diamargaritonis calidi, diamargaritonis frigidi, diatrion ſantalon, diazingiberis.

Hoc modo ex aliis ſpeciebus poſſunt parari tabellæ, rotulæ, orbiculi, morſelli cum ſaccharo, & aliqua aqua appropriata, quibus frequenter vti poſſunt Medici pro variis morbis curandis, cum vtilitate ſumma.

DISTINCTIO VIII.

De Trochiſcis, ſeu Paſtillis.

Solidiora ſequuntur medicamenta, quæ Trochiſci dicuntur, & ſunt rotundi, aliquantulum depreſſi: fiunt ex ſaccharo aliquo modo inſpiſſato, & aqua; nam cùm hæc in modum pulueris deberent adminiſtrari, verumtamen diutius conſeruari nequeant, hoc modo longiori tempore incorrupta ſeruantur. Quædam refrigerant, alia excalfaciunt: aliqua virtutem obtinent ſolutiuam; plura in varios vſus efformantur: & ipſis vel vtimur in puluerem redactis, vel alio liquore, aut medicamentis commixtis.

CAPVT I.

De Trochiſcis refrigerantibus.

Trochiſci de ſpodio, refrigerant aliquantulum intenſiùs, & adſtringunt, ob idque in alui fluxionibus bilioſis, quando valde effluunt, ſunt perutiles: Nam præterquam quòd humorum acrimoniam retundunt, ventriculum, inteſtina, & reliquas interiores partes roborant, ac ſitim extingunt. Doſis ad ʒ j. Aſſumuntur cum aliquo liquore adſtringenti. Vſus eſt etiam in clyſteribus, qui ad contemperandam humorum acrimoniam, & coërcendam aluum ſunt vtiles. In eoſdem vſus parantur *Trochiſci de Berberis*, quibus eodem modo, & in iiſdem morbis vtendum eſt.

Trochiſci de Carabe, refrigerant ſanguinis & bilis feruorem, fluxus immodicos ſiſtunt, ſanguinis ex quacunque parte emanantis fluorem compeſcunt. Intus, & extrà applicantur, conſolidant vlcera pectoris, & pulmonis. Eaſdem vtilitates ſortiuntur, *Trochiſci de terra ſigillata, troch. ad fluxum Meſuæ, troch. de corallo Nicolai.*

Trochiſci de Alkekengi, fiunt ex Meſuë, & potenter refrigerant renes, & vrinæ vias; cuius ardorem mirabiliter compeſcunt, & prædictarum partium vlcera, & excoriationes ſanant, dolorémque ſedant. Diſſoluuntur in aqua maluarum, aut cucurbitæ.

Collyrium Album Rhaſis, habet vim infrigidandi, & humorum ad oculos confluentium acrimoniam mitigandi, quos roborat, & eorum fluxus coërcet ac ſiſtit, viſum acuit, & adminiſtratur in initio ophthalmiæ.

℞. *Aq. ceraſor. acidor. aq. plantagin. an.* ʒ ij. *collyrij albi Rhaſis, ſarcocollæ nutritæ, tutiæ præparatæ, an.* ℈ j. Miſce.

Paratur etiam cum opio, & ſic deſcribitur *Collyrium Album Rhaſis cum opio*, quod in prædictis, & aliis ad quaſcunque partes defluxionibus, in quibus vehemens dolor ægrum fatigat, eſt vtilem, calores partis nimium mitigat, ac ſenſum ſtupefacit. Proponitur à Rhaſio, *lib. 9. ad Almanſ. cap. de Ophthalmia.*

CAPVT II.

De Trochiſcis calefacientibus.

Trochiſci Diarrhodonis Meſuæ, (qui enim componuntur à Nicolao non ſunt in vſu) calefaciunt in gradu ſecundo, & habent maximam vim corroborandi ventriculum, & hepar, quarum partium coctiones mirè iuuant: vtiles ſunt in viſcerum affectionibus frigidis, febribus diuturnis, præcipuè quando aliqua bilis portio cum nimia pituitæ copia eſt permixta; & hi ſunt, qui in compoſitiones plures, à Meſuë deſcriptas, reponi debent. Doſis ad ʒ j.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ, calefaciunt in fine primi gradus, & aduerſus cerebri, ventriculi, cordis imbecillitatem proſunt eximiè: membra nutrientia multò efficiunt robuſtiora, oris fœtores remouent, vim cardiacam ſortiuntur. Adminiſtrantur intus, & extrà, aliis medicamentis permixti; vt ſic pro ventriculo.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 173 sur 927

℞. Olei maſtichini, ʒ v. pulu. abſinth. ligni aloës, ſpicæ nardi, an. ʒ j. coral. rubri, roſar. rubear. an. ʒ ß. aromatic. roſati, diatrion ſantalon, diamoſchi dulcis, an. ϑ j. diambræ, Galliæ moſchatæ Meſues, an. g̃. viij. Et cum ceræ ſ. q. paretur emplaſtrum ad ſcuti formam, extendatur in panno coccineo.

Pro vtero validiſſimum medicamentum eſt: nam non ſolùm roborat ipſum, ſed flatus abſumit, & vterum ad ſuperiores partes aſcendentem ſuo mirifico, & ſuaui odore ad ſuum locum reducit. Quare pro vtero roborando, ſic conficies *Emplaſtrum Magiſtrale*.

℞. Ladani depurati, gummi caranæ, gummi tacamacæ, ſtyracis liquidæ, an. ʒ ij. pulu. magnetis, ϑ j. galbani, ʒ j. ß. trochiſcor. Galliæ moſchatæ Meſuæ, ϑ j. Miſce, & fiat emplaſtrum pro vmbilico.

Doſis Galliæ per os, ad ʒ ß.

Trochiſci de Abſinthio, calefaciunt, ſed non ita intensè: ſortiuntur tamen vim adſtringentem, & roborantem ventriculum, hepar, & cor, quarum partium coctiones mirificè iuuant, obſtructiones remouent, frigidam intemperiem ſanant. Vtiles ſunt in febribus pituitoſis, cachexia, hydrope, vitiato vultus & corporis colore, deprauata coctione. Doſis ad ʒ j. Diſſoluuntur vino, aut aqua abſinthij.

Trochiſci de Eupatorio, calore intenſo pollent, cuius interuentu mirificè deobſtruunt hepar, lienem, meſenterium, quas partes præſtanter roborant. Proſunt in affectionibus frigidis: diuturnis febribus opitulantur. Doſis ad ʒ j. Offeruntur cum aliqua aqua, aut decoctione accommodata. Eandem propè facultatem habent, & in iiſdem morbis propinantur, *Trochiſchi de capparibus*, & *Trochiſci de lacca*.

Trochiſci de Myrrha, deſcribuntur à Rhaſio, *lib. 9. ad Almanſ. cap. de menſtrua purgatione ſuppreſſa*. Intenſiùs calefaciunt, attenuant vehementer, deobſtruunt, prouocant menſtrua, vterum calefaciunt, & roborant, diſſoluuntur in vino, aut aliqua decoctione accommodata.

CAPVT III.

De Trochiſcis purgantibus.

Trochiſci de Rhabarbaro. Præter calorem, quem inducunt, habent facultatem attenuandi, aperiendi, deobſtruendi hepar, ventriculum, & roborant cerebrum. Humorem bilioſum permixtum cum pituitoſo expurgant, ſeroſas humiditates euacuant, coctionem iuuant: febribus diuturnis, malo corporis habitui, & hydropi remedio ſunt. Doſis ad ʒ j. Vtimur ipſis intus cum liquore permixtis. Extrà etiam imponuntur, permixti cum medicamentis iecori accommodatis: hoc enim modo frigida huius viſceris intemperies corrigitur.

Trochiſci de Agarico, parantur in vino zingiberis: expurgant ſuccum pituitoſum, calefaciunt, exiccant in gradu primo: Hepar, ventriculum, atque vterum deobſtruunt, in quarum partium frigidis morbis ſunt vtiliſſimi, & febribus diuturnis maximè conferunt. Semper debent ſeruari recentes, quia virtus Agarici facilè reſoluitur.

Trochiſci Alhandal, habent efficaciſſimam facultatem vacuandi humores craſſos, frigidos, viſcidos, & ſeroſos, quos à diſtantiſſimis partibus eradicant: ſed cum eleo roſaceo, gummi Arabico, tragacanthi, bdellio ſint parati. Ipſa colocynthide ſalubriores ſunt. Doſis à g̃. vj. ad xij.

DISTINCTIO IX.

De Oleis.

CAPVT I.

De Oleis refrigerantibus, & adſtringentibus.

Oleum Roſaceum licèt refrigeret, parum tamen recedit à mediocritate. Habet facultatem adſtringendi, qua omnes noſtri corporis partes, præcipuè verò ventriculum roborat: fluxus calidos ſiſtit, dolores à calida cauſa ſubortos mitigat, repellit ſua adſtrictione humorem, maximè ſi ſit oleum oliuarum immaturarum, quod vocatur *Omphacinum*, quod ampliùs refrigerat, & adſtringit: vtrumque in clyſteribus permiſcetur; nam bilis, & ſanguinis caliditatem attemperat, & ſomnum conciliat.

Oleum Citoniorum intenſiùs refrigerat, & exiccat, atque validiſſima vi adſtringit: ideò corroborat ventriculum, & inteſtina, ſiſtit vomitum, alui profluuium coërcet, ſi ventriculus, vel vmbilicus eo illinantur; coctionem iuuat, excitat appetentiam. Eandem facultatem habent, *oleum Myrtinum*, & *Lentiſcinum*.

Refrigerat etiam, & incraſſat, *Oleum Violaceum*, quod eſt anodynum, omnes tumores à cauſa calida pronatos curat, ſomnum conciliat, pectus & aſperam arteriam lenit, renum ardorem temperat, iecoris calidam intemperiem perſanat.

Similes vires ſortiuntur, *Ol. nenupharis, melonis, cucurbitæ, cucumeris*.

Vehementiùs refrigerant, ſtupefaciunt, capitis ardorem auferunt, ſomnum conciliant: *Ol. populneum, ol. mandragoræ, hyoſcyami, de papauere, è ſemine lactucæ*.

CAPVT II.

De Oleis calidis.

Oleum Lumbricorum, temperatum ferè eſt, & debiliter calefacit, reſoluit, & dolores tam calidos, quàm frigidos mitigat: habet conſenſum cum glanduloſis partibus, quarum paruos tumores reſoluit. Magiſtraliter fit hoc modo.

℞. *Olei veteris*, ℔ ij. ß. *lumbricorum terreſtrium*, ℔ j. *priùs abluantur lumbrici*, ℔ j. *vini albi odoriferi, & abiecta lotione coquantur lumbrici cum oleo ad conſumptionem medietatis*.

Oleum Camomillæ, moderatè calefacit, reſoluit, dolores frigidos mitigat, reſpicit neruos: in clyſteribus vtile eſt pro colico dolore à cauſa frigida profecto.

Eandem ferè facultatem habent: *Oleum ſeminis lini, ol. ſeſaminum, ol. liliorum alborum, anethinum, nucum*.

Oleum amygdalarum dulcium, parum recedit à medio per calorem, magis tamen per humiditatem. Habet magnam vim ſedandi dolorem, atque leniendi pectus, & aſperam arteriam. Vtile eſt in pleuritide parti affectæ impoſitum: nam mirificè pectus emollit, flatus diſcutit, facile reddit ſputum. Vtiliter prodeſt in doloribus renum, ortis ab arenulis, & lapillo.

Oleum Ouorum, cutim expurgat, impetiginem, ſerpiginem, & alia cutis vitia perſanat, capillos regignit, phthiriaſes mala valetudine contractas tollit, ſcabritias cutis in facie emendat. Eiuſdem naturæ ſunt: *Oleum tartari, ol. ſambucinum, ol. frumenti*.

Oleum Formicarum, valet ad confortandum coitum, genitalibus illitum virgam erigit, teſtes roborat, & natiua quadam proprietate ſemen auget, & vaſa ſpermatica mirandum in modum efficit robuſtiora.

Oleum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 174 sur 927

Oleum Irinum, fit ex flore, & radice irēos. Terget, tenuat, coquit, potenter reſoluit: ideò dolores à frigido, aurium, hepatis, ſplenis, vteri, articulorum ſedat; phlegmonas coquendo ſuppurat, materias thoracis, & pulmonis coquit: Strumas diſſipat, tumores duros reſoluit, ſpaſmum emendat, narium fœtorem corrigit.

Oleum Apparitij Magiſtrale, habet vim calefaciendi, moderatè abſtergit & exiccat vlcera, & vulnera; quorum excrementitias humiditates abſumit, vlcera recentia ad propriam vnionem adducit, præcipuè ſi maximè calidum adminiſtretur; & ideò in Hiſpania frequentiſſimum remedium eſt; & eo Chirurgi feliciſſimè vtuntur. Et licèt plurimæ circumferantur deſcriptiones huius olei, pro vulneribus ſanandis propè diuini, tamen hæc eſt certa, & magis præſtans.

℞. *Flor. hyperici*, ℥ viij. *radic. valerian. cardui benedict. an.* ℥ iv. *tritici mundi*, ℥ v. Conterantur, & macerentur per diem, & noctem in ℔ iij. *vini albi odoriferi*, & ſequenti die miſce *olei antiqui, & elect.* ℔ iij. Et in olla noua fictili, & operculo probè contecta repoſita, bulliant ſimul lento igne ad vini, & aliarum humiditatum conſumptionem, ſemper agitando, ne herbæ vaſis fundo adhæreant. Facta expreſſione, & colatura, oleo adde *terebinth. abietin.* ℔ ij. Bulliant ambo lento igne in vaſe, vitreato probè obturato, per ſpatium quartæ partis horæ vnius. Semotis ab igne, parumque tepefactis iniice, ſpatulâ obuoluendo, *pulueris thuris optimi*, ℥ viij. Iterum ponantur ſuper lentum ignem, denuò agitando, & ferueant per tempus quartæ partis horæ: poſtea obturentur ſufficienter ſtragulis, ne virtus reſoluatur: & cùm frigeſcet, ſeruetur ad vſum. Quòd ſi primæ infuſioni addas *flor. roriſmarini, & centaureæ minoris*, *an.* ℥ j. Et quando oleum cum terebinthina miſcueris, addas ℔ ß. *olei lumbricorum*, præſtantius erit hoc Oleum, & pro vulneribus curandis magis excellens, & mirabile.

Oleum de ſcorpionibus, calefacit, humectat, emollit, deobſtruit, dolores frigidos ſedat, flatus diſcutit, vrinam prouocat, eius ſuppreſſionem curat, renum lapidem frangit, & in eius affectionibus frigidis vtile eſt, neruoſis partibus refrigeratis remedio eſt. Adminiſtratur in clyſteribus pro colico dolore curando: pro quo etiam, & prouocanda vrina, diſcutiendiſque flatibus, in parte externa imponitur, quia partes laxat, emollit, viaſque patentiores reddit.

Oleum de ſcorpionibus Mathioli, ab eodem auctore nomen accepit. Alexipharmacum eſt, vim habet calefaciendi, & reſoluendi, reſiſtit putredini, cor exhilarat, magnam ſpirituum quantitatem regenerat, cordis frigidam intemperiem remouet, habet maximum conſenſum cum vtero, & corde; & ſic in peſte, peſtiferis febribus, & malignis apponitur vnguenti modo ſupra ſiniſtrum cordis ventriculum: & ſi vehemens ardor inſit internus, oleo violaceo attemperatur. Reluctatur veneno cuiuſcunque ſortis illud ſit. In febribus peſtiferis cordi ſic apponitur.

℞. *Adipis naphæ*, ℥ j. *pulu. diamarg. frig. elect. de gemmis, diatrion ſantalon*, *an.* ℥ ß. *olei de ſcorpionibus Mathioli, olei violar. an.* quartar. j. Miſce, fiat linimentum.

Oleum Capparum, calefacit in gradu ſecundo, diſcutit flatus, obſtructiones remouet: habet maximum conſenſum cum liene; quare illius obſtructiones, ſicut & meſenterij ab humore frigido, & craſſo ſubortas optimè perſanat.

Eandem vtilitatem habet *Oleum amygdalarum amararum*, quod præſertim prodeſt ſurditati, ſibilo, & dolori aurium: prouocat vrinam, lenit neruorum duritiem, & facici maculas delet.

Oleum Abſinthij, calefacit, roborat potiſſimùm ventriculum, flatus diſcutit, appetentiam excitat, vomitum ſiſtit, vermes necat, obſtructiones aufert.

Conſimilis naturæ ſunt: *Oleum Maſtichinum, ol. menthæ, lentiſcinum, nardinum ſimplex, nardinum compoſitum.*

Oleum Naphæ, calefacit, habet vim alexipharmacam, qua cor roborat, ſpiritus vitales regenerat, malignam putredinem arcet. Habet conſenſum cum corde, reſpicit vterum, in quarum partium affectionibus frigidis ſummè præſtat. Opitulatur melancholicis, ſi regio cordis eo inungatur.

Oleum Rutaceum, intensè calefacit, potenter exiccat, flatus diſcutit. Vtile eſt in doloribus colicis, & iliacis, affectionibus item frigidis vteri; & ſic intus permiſcetur in clyſteribus, & extrà, per ſe, vel cum aliis medicamentis, quæ ſimilem naturam ſortiantur, imponitur.

Oleum Vulpinum validè calefacit, attenuat, reſoluit materias frigidas, præcipuè exiſtentes in cerebro, & in neruis; quas partes mirè reſpicit, & roborat. Ideò vtiliſſimum eſt in conuulſione ex repletione, paralyſi, iſchiade, omni genere arthritidis, artus enim firmat.

Similes vires ſortiuntur: *Oleum de croco, ol. de caſtoreo, ol. laurinum*: Sed omnibus his *oleum euphorbij* eſt fortius; quare ſolùm in modica quantitate, & affectu contumaci imponi debet.

Oleum Vitrioli habet intenſiſſimum calorem; quare non per ſe, ſed aliis medicamentis in parua quantitate permixtum, aſſumi debet, nam cauſticum medicamentum eſt. Apponitur hæmorrhoidibus tumentibus, & cæcis, quando dolor intolerabilis ægrum exercet, poſt cuius applicationem pars frigidiſſima aqua eſt abluenda, ne æger nimio dolore prematur. Intus aſſumptum prodeſt ventriculo debili, & nauſeabundo, illum corroborat, craſſos humores in eius tunicis tenaciter impactos reſoluit, & attenuat: confert in ſingultu, & colico dolore frigido: obſtructiones pellit hepatis, & lienis: febrium ardentium putredinem peſtilentiúmque malignitatem cohibet aciditate ſua. Vtere ſic:

℞. *Olei maſtiches, olei terebinth. an.* guttas xij. *olei vitrioli*, guttas iv. *aq. aniſi*, ℥ ij. Miſce, & propina.

Pro roborando ventriculo ſic:

℞. *Syrup. de mentha*, ℥ j. *aq. cinnamomi*, ℥ iv. *olei vitrioli* guttas iij. Miſce pro hauſtu vno.

Oleum Sulphuris, eſt efficaciſſimum ad abſumendas humiditates gingiuarum, & dentium: quare dentes mobiles firmat, & eorum ſordes abſtergit, ſcabiem curat, carnem generat, fiſtulas, & oris vlcera abſtergit, quæ gangrænas appellant, in quibus curandis maximè antecellit.

Oleum de lateribus, ſeu Philoſophorum, efficaciſſimam habet facultatem calefaciendi, exiccandi, penetrandi vſque ad diſtantiſſimas corporis partes; quare mirabiliter prodeſt in lethargo, & memoria deperdita. Prodeſt in frigidis cerebri affectibus, ſi eo ſutura coronalis, & tempora illinantur. Opitulatur paralyſi, & contumacibus neruorum affectionibus ſummo eſt auxilio.

Conſimilem ferè virtutem habent: *Oleum iuniperinum, aniſi, cinnamomi, caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, maceris, belzoini, terebinthinæ, de piperibus, coſtinum, ſalis, ex ſtyrace, ſaluiæ, meliſſæ, betonicæ, florum anthos, ligni guiaci, angelicæ, de thymo.*

Oleum liquidambar, eſt rufi coloris, elegans, odoratum, vulnera curat, & ſuprà dictas affectiones excellenti virtute perſanat. Epotum cum iure gallinæ aut vino, flatus diſcutit, tormina expellit, vrinam mouet, vteri obſtructiones aufert, viſcera roborat, lapidem veſicæ, & renum efficaciter expellit, dolori iliaco ſummè ſuccurrit.

Balſamũ mirabiles, & prope diuinas ex ſe præſtat facultates. Hoc aut interiùs aſſumitur, aut exteriùs apponitur, aut Chirurgicis medicamẽtis admiſcetur. Intus aſſumitur manè ieiuno vẽtriculo. Prodeſt aſthmaticis, vẽtriculi doloribus, menſes mouet, vt & peſſi modo ſubdirũ.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 175 sur 927

Dosis quatuor, aut quinque guttæ, in vino, aut liquore aliquo permixtæ. Deinde vesicæ tormentis remedio est, colorem bonum conciliat, viscera naturalia roborat, flatus discutit, Venerem prouocat, obstructiones aperit, renes, & vesicam à fabulosa materia repurgat, calculos excutit, iuuentam conseruat, phthisicos iuuat, fœcundas reddit fœminas, verum à sordities expurgat.

Exteriùs si apponatur, illitum omnes circuitus ex humore frigido emanantes tollit, tumores œdematosos discutit. Capiti illitum, cerebrum reficit, fouet, spiritus animales instaurat, paralysi succurrit: si eo vngantur cerebrum, ceruix, & spina tota, neruorum morbis, & contractioni est vtilissimum. Vnguenti modo supra stomachum impositum, coctionem iuuat, flatus discutit, obstructiones aufert, lienem induratum emollit, vrinam mouet, articulorum doloribus excellenti modo auxiliatur.

Chirurgicis præsidiis inditum, vtilissimum etiam est. Recentia enim vulnera sine suppuratione glutinat, præsertimque ea quæ neruis, & iuncturis sunt inflicta: nam ea ad cicatricem perducit, contractionémque prohibet. Antiqua vulnera mundificat. Insuper fidissimo experimento compertum est, summum esse auxilium in nimia hæmorragia ex quacunque parte emanante, si pars eo solo illinatur. Calidum & siccum est in gradu secundo, gustu est acuto, aliquantulum amaro, quare adstrictionis est particeps. Ex Peruana, & Occidentali plaga aduehitur, & inferius non est Ægyptiaco. Plura fiunt balsama artificialia, quæ ferè similes cum illo habent facultates.

DISTINCTIO X.

De Vnguentis.

CAPVT I.

De vnguentis refrigerantibus.

Vnguentum rosaceum, etsi parum, aut nihil refrigeret, inter omnia vnguenta obtinet principatum, quia sua adstrictione, & moderata temperie corroborat cerebrum, & ventriculum; nam harum partium calidam intemperiem, & dolores ab ipsa pronatos mirandum in modum lenit, ac persanat. Vtile est in quauis interna inflammatione ad impediendum calidi humoris defluxum. Confert in internarum partium intemperie calida, sed præsertim in phlogosi, & ardore renum præstans est auxilium. In erysipelate commodissimè administratur. In febribus squalidis summum est præsidium, si eo inungatur dorsum. Somnum cõciliat temporibus, naribus, & fronti illitum, & magis si opium ei sit permixtum, vt sic.

℞. *Vnguenti rosacei*, ℥ j. *opij dissoluti in lacte muliebri*, ℊ. v. *croci*, ℊ. iij. Misce.

Eandem vtilitatem præstat *Vnguentum refrigerans Galeni*, descriptum ab ipso, *lib.* 10 *Meth. cap.* 9. Quod licèt intensiorem frigiditatem participet, tamen in iisdem morbis, & eodem modo administratur.

Vnguentum resumptiuum Magistrale, habet facultatem refrigerandi, & humectandi, atque impediendi substantiæ resolutionem. In hectica febre est mirificum, si ex eo dorsum, & partes extremæ inungantur.

℞. *Olei sem. cucurbitæ, amygdal. dulcium, an.* ℥ j. *olei violar. olei nenupharis, an.* ℥ ß. *axungiæ gallinæ recentis, butyri vaccini recenter extracti, an.* ℥ ß. Axungiæ priùs abluantur aqua frigida per multum tempus, permutando aquam, & reiecta lotione adde: *Medullæ crurum vituli*, ℥ ij. *lactis muliebris recenter extracti*, ℥ j. ß. *mucilaginis sem. psyllij, mucilag. sem. citonior. mucilag. sem. lini, an.* ℥ j. *ceræ albæ*, q. s. Misce, & sec. art. fiat Vnguentum.

Vnguentum sanitalinum, componitur à Mesuë in modum ceroti. Infrigidat, & roborat hepar, cum quo maximam habet sympathiam: & sic in febribus biliosis, depositaiam plenitudine, epithematis modo superregionem iecoris imponitur, quando hoc viscus caumate opprimitur; huius enim præsidij ope hepar roboratum sanguinem frigidiusculum gignit.

Vnguentum plumbeum intensiùs refrigerat, ac vehementer exiccat. Vtile est in combustionibus post quinque dies transactos, cicatricem inducit, omnem calidam intemperiem remouet. Mirificum est remedium pro sedando dolore, & ardore hæmorrhoidum, maximè cum aqua rosacea permixtum.

Vnguentum litharg yrij, non ita exiccat, vt Plumbeum, sed æqualem habet frigiditatem: consolidat, & carnem generat, crustas abstergit, & scabiem rebellem persanat, & excoriationes à calore Solis, strictiore calceo, itinere, equitatione, frictione, & coïtu sanat.

Vnguentum pro scabie Magistrale, cum miti frigiditate deficcat, abstergit, remouet scabiem, & pustulas quasuis ex melancholico humore, & pituita salsa pronatas delet.

℞. *Terebinth. lotæ aq. ros. ar. butyri vaccini, loti aq. plantagin. an.* ℥ ij. *olei ros.* ℥ j. *succi limon. acidor.* ℥ ij. *vitellor. ouor.* N. ij. *argenti viui*, ʒ ß. Agitentur omnia, & sec. artem fiat Vnguentum.

Vel fiat hoc modo:

℞. *Terebinthin. butyri vaccini. an.* ℥ ij. Abluantur aq. rosar. adde: *Ceruse*, ℥ ß. *alumin. vsti*, ʒ j. *arsenici*, ϑ j. *succi limon. acidor.* ℥ ij. *vitellor. ouor.* N. ij. Misce, & sec. art. fiat Vnguentum.

Vnguentum Tuthiæ validè refrigerat, exiccat, malignam putredinem aufert. Vtile est vlceribus malignis, & virulentis, erysipelati vlcerato, vstionibus, cancro, gangrænæ, Gallicanis vlceribus: carnem generat, cicatricem inducit.

Vnguentum Populeum, vehementer refrigerat, & humectat: vtilissimum in conciliando somno, dolorem mitigat, ardorem ex igne excitatum lenit.

Vnguentum Comitissæ, habet præstantissimam facultatem adstringendi: vomitum sistit, fluxum compescit, hæmorrhagiam vteri refrænat, menstruas purgationes cohibet, & præsertim fœtum in vtero retinet.

Vnguentum stomachicum Magistrale, ventriculum & hepar roborat, frigidos harum partium dolores lenit, appetentiam excitat, coctionem iuuat, flatus discutit, nauseam aufert, vomitum sistit.

℞. *Olei absinth. ol. mastichini, & nardini, an.* ℥ j. *olei citonior. ol. menth. an.* ℥ ß. *ros. ar. rubear. coral. rubri, mastich. cinnamomi, agallochi, aromatici rosati, diarrhod. Abbatis, an.* ϑ j. *ceræ, q. s.* fiat Vnguentum.

Vnguentum de Minio, vtile est vlceribus malis, & antiquis, cicatricem inducit, glutinat, & carnem generat. Potentius est *Vnguentum de Minio Caphuratum*, quod fit hoc modo:

℞. *Minij triti*, ℥ iij. *litharg yrij*, ℥ ij. *ceruſſæ*, ℥ j. ß. *tuthiæ, caphuræ, an.* ʒ iij. *olei rosat.* ℔ j. ß. *ceræ albæ*, ℥ ij. Liquatam ceram cum oleo, lento igne permisce in mortario plumbeo, cum reliquis rebus tenuissimè tritis.

Vnguentum potabile, est vtilissimum ad consolidandum viscera interna, & sic prodest in casu ab alto: & hoc modo nauigantibus, & iter agentibus in precio est.

℞. *Butyri recentis sine sale*, ℔ iij. *rubiæ tinctorum, castorei, spermatis ceti, tormentillæ, an.* ℥ j. Bulliant simul cum vino odorifero ad vini consumptionem, & fiat Vnguentum.

Vnguentum ad Pediculos.

℞. *Semin. staphisagriæ*, ℥ ij. *ellebori albi*, ℥ j. *salis*, ʒ ij. *argenti viui*, ℥ ij. *aceti vini*, ℥ ij. *axungiæ porcinæ*, ℔ j. *olei laurini*, ℥ ix. *saponis Veneti*, ℔ ß. Misce, fiat Vnguentum.

Vnguentum

Vnguentum ad combuſtionem Magiſtrale, expertiſſimum eſt ad vſtionem, ex quacunque cauſa excitatam; quo ſolo partes ambuſtæ attemperantur, mitigatur incendium; humorum confluxus impeditur, ſedatur dolor, pars ad cicatricem perducitur.

℞. *Tunicæ exterioris, ſeu mediane, viridis ſambuci*, M.j. In tenuiſſimas partes diſſectæ priùs, bulliat in ℥ iv. *olei roſ.* adde *tuthiæ præparatæ*, ℥ ij. *ceræ albæ*, ℥ j. ß. Fiat Vnguentum lento igne, ſec. art.

Vnguentum oculare Magiſtrale, delet nubeculas oculorum, ardorem contemperat, fluxiones ſiſtit, dolorem lenit, inflammationi opitulatur.

℞. *Lapid. calaminaris præparati*, ℥ iij. *tuthiæ præparat.* ℥ j. *vitrioli albi, caphuræ, an.* ℈ ij. *vnguenti roſ.* ℔ j. Fiat Vnguentum.

Vel fiat hoc modo:

℞. *Butyri recentis*, ℥ iv. *ciræ albæ*, ℥ j. Liqua, & laua ſæpius aqua roſacea: & adde *Tuthiæ præparatæ*, ℥ ß. *caphuræ*, ℈ ij. Fiat Vnguentum.

Vnguentum ad vermes Magiſtrale, quo inferior regio illinitur.

℞. *Abſinth. abrotani, centaur. minoris, perſicariæ, foliorum perſic. arboris, lupini, radic. ebuli, an.* ℥ j. *ſucci porri*, ℥ ij. *naſturtij aquatici*, ℥ ij. *balauſtior.* ℥ ij. *olei abſinth.* ℔ j. ß. *ceræ, q. ſ.* Fiat Vnguentum.

Vnguentum ad Hæmorrhoïdes Magiſtrale.

℞. *Thuris*, ℥ ß. *lycij, myrrhæ, croci, an.* ℥ iij. *opij*, ℥ j. Decoquantur in lactis caprini ℥ iv. ad conſumptionem tertiæ partis, adde: *Mucilaginis pſyllij*, ℥ ß. *olei roſ.* ℥ ij. *vitellum ouj*, N. j. Miſce, fiat Vnguentum.

CAPVT II.

De Vnguentis calefacientibus.

VNguentum Dialthææ ſimplex, calefacit, reſoluit, emollit, humectat, dolorem ſedat. *Vnguentum Dialthææ compoſitum*, intenſiùs calefacit, efficaciùs reſoluit, humectat, emollit durities ab humore præſertim calido profectas.

Vnguentum Oeſypatum, ſeu vt Barbari vocant, *Hyſſopi humidi*, moderatè calefacit, intenſiùs humectat, reſoluit, dolorem aufert, humores craſſos, & induratos liquat, & ad fluxionem paratos reddit.

Vnguentum Pleuriticum, modicè calefacit, intenſiùs humectat, emollit, lenit pectus, ſputum facile reddit, dolorem ſedat. Vtiliſſimum eſt in pleuritide, tranſacto tamen principio, & celebratis vacuationibus vniuerſalibus, alioquí ſuo calore humores ad partem dolentem attrahit.

Vnguentum Aureum, in corporibus mollibus exiccat, concoquit, & carnem generat; in robuſtis, & denſis corporibus pus mouet. Fit hoc modo:

℞. *Cera*, ℥ v. *reſinæ*, quartar. j. *terebinthin.* ℔ j. *mellis*, quartar. ß. *maſtiches, thuris, ſarcocollæ, myrrhæ, aloës, croci, an.* ℥ ij. Fiat Vnguentum.

Vnguentum deoppilatiuum ſuccorum Magiſtrale, pro hepate, vtile eſt in obſtructionibus hepatis, meſenterij, & abdominis.

℞. *Succorum apij, fœniculi, abſinth. petroſelini, endiu. cichorij, an.* ℥ iv. *vini albi, aceti albi, an.* ℥ ij. ß. *olei communis*, ℥ xii. *olei amygdalar. amarar.* ℥ vi. Bulliant omnia ad conſumptionem olei, vini, & aceti, & cum cera fiat Vnguentum: adde, *Santalor. rubeor.* ℥ j. *ſpicæ, ſpodij, an.* ℥ ii. *in tenuem puluerem redacta.*

Vnguentum deoppilatiuum ſuccorum pro liene Magiſtrale.

℞. *Succi apij, & ſucci petroſelini, an.* ℥ iv. *pulu. agni caſti*, ℥ ii. *aceti albi*, ℥ i. ß. *olei de capparib. olei irini, amygdal. amarar. an.* ℥ viii. *radic. capparum, cortic. tamariſci, ſcolopendriæ, an.* ℥ iii. *ſchœnanthi*, ℥ i. ß. Coquantur olea cum ſuccis ad humiditatis conſumptionem. Coletur, & adde ceram, & reliqua in pollinem redacta, & fiat Vnguentum.

Vnguentum Naphæ, moderatum obtinet calorem: eſt alexipharmacum, & ſua qualitate malignam putredinem arcet, cor exhilarat, vitales ſpiritus generat. Vtile eſt in febribus malignis, peſte, ſyncope, cordis palpitatione, veneno, melancholia, thoracis læuæ parti impoſitum.

Vnguentum Agrippæ, calefacit in gradu ſecundo: habet virturem emolliendi, reſoluendi humores in neruis impactos, vrinam prouocat, dolorem ſedat, præcipuè in renibus à frigida cauſa ſubortum: vtile eſt ad hydropem, emollit ventrem, & humores aquoſos expellit per aluum, maximè ſi ſit permixtum cum oleo ſcorpionis: omnibus corporis œdematis ſuccurrit.

Vnguentum Marciatum reſoluit, calefacit humores frigidos in partibus præcipuè neruoſis contentos; quarum frigidos dolores lenit, atque ideò vtiliſſimum eſt in omnibus articulorum doloribus, morbo Gallico, ilij dolore, ſcirrho hepatis, & lienis, paralyticis, iſchiaticis: & ad omnes dolores, tumorem, duritiem, ſpaſmum, eſt præſtantiſſimum.

Vnguentum Aregon, iiſdem corporis vitiis frigidis auxiliatur: ſed maiorem habet conſenſum cum vtero, ipſum roborando, atque ad generationem præparando, quando fœmina à cauſa frigida ſterilis redditur; in quem vſum inungitur regio abdominis infra vmbilicum. Quin ex eo fiunt peſſaria, quæ vteri ori appoſita, conceptionem procurant.

Vnguentum Ebulorum Magiſtrale, eſt optimum pro tumore hydropicorum; nam ventri illitum, & œdematoſis partibus, reſoluit flatus, & tumorem tollit. Denique eſt vnicum ſubſidium pro articulorum doloribus, & præſertim pro dolore podagrico leuando, ſiue dolor à cauſa frigida, ſiue à calida oriatur: fitque hoc modo.

℞. *Succi radicis ebulorum*, ℥ ii. *bulliant in* ℥ viii. *olei camomil. vſque ad conſumptionem ſucci:* cum cera fiat Vnguentum, ablutum deinde cum guttulis aceti roſacei, aut generoſi vini.

Vnguentum pro morbo Gallico, diuerſimodè parari ſolet: etſi enim argentum viuum ſit Antidotum, cuius ope hic morbus domari ſolet: tamen vario modo conficiuntur ex eo vnguenta, pro varietate temperaturæ, & humoris. Commune ergo vnguentum, quod noſtro ſæculo adminiſtratur, eſt huiuſmodi.

℞. *Axungiæ ſuillæ ſine ſale*, ℥ iv. *axungiæ vaccinæ*, ℥ ii. *vnguenti Dialthææ compoſiti, vnguenti Agrip. olei laurini, ſtyracis liquidæ, an.* ℥ i. *theriac. magnæ antiquæ, Mithridatii, vnguenti Aregon, vnguent. Marciati, an.* ℥ ß. *argenti viui extincti ſaliua*, ℥ ii. Miſce, & ſecund. art. fiat Vnguentum.

Hoc in robuſtis corporibus, & in morbo Gallico à cauſa frigida concitato, vſum habet. Quòd ſi hic pertinax morbus corpora premat mollia, quæ temperamento calido ſint prædita, vtiliſſimum eſt hoc.

℞. *Axungiæ vaccinæ lotæ*, ℥ iv. *axungiæ ſuillæ inſulſæ, lotæ aq. roſ.* ℥ ii. *olei amygdalar. dulcium, lilior. albor. olei ſemin. an.* ℥ i. *vnguenti Agrip.* ℥ i. ß. *theriac. magnæ Andromachi*, ℥ i. ß. *vnguenti Aregonis, vnguenti Marciati, an.* ℥ i. ß. *argenti viui extincti*, ℥ i. ß. Miſce, & fiat ſec. art. Vnguentum.

Quibus poſt ſex menſes vtendum eſt, vt vis effrænis Mercurij, cæterorum medicamentorum permixtione

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 177 sur 927

dometur, ac miteſcat; & celebrata iam per vniuerſalia medicamenta vacuatione. Vnguentum debet imponi iuncturis brachiorum, & crurum. Caput nullo modo vngi debet, nec thorax, nec regio abdominis.

Vnguentum Mundificatiuum Apij, abſtergit vlcera, & carnem generat, præſertim in partibus neruoſis; fit hoc modo.

℞. *Rhodomel.* ℥ j. *ſucci apij*, ℥ ß. *farinæ hordei, parum.* Miſce.

Sed præſtantius eſt hoc.

℞. *Mellis roſati colati*, ℥ j. ß. *terebinthin. clarę*, ℥ iij. *ſucci apij, ſucci praſſij, an.* ℥ ß. *ſucci abſinthij*, ℥ ij. Coque ſimul, deinde adde: *Farinæ hord. farinæ fabar. an.* ℥ xj. *farinæ lupinor. farinæ orobi, an.* ℥ iij. *ſarcocollæ, myrrhæ, an.* ℥ j. ß. Reduc in puluerem, & fiat Vnguentum.

Eandem facultatem ſortitur, ſed minùs efficacem, *Vnguentum mediæ confectionis.*

Vnguentum Album, valet aduersùs vlcera, ſcabiem, & aduſtionem, ſi ſimplex ſit, & fiat ex oleo, ceruſſa, & cera. Si verò compoſitum, efficaciùs adſtringit, & glutinat, & fit hoc modo.

℞. *Ceruſſæ, lithargyrij, an.* ℥ vj. *plumbi vſti, ſcoriæ argenti, an.* ℥ ß. *maſtiches, thuris, an.* ℥ ij. ß. *olei roſ. aceti albi, q. ſ.* Miſce, fiat Vnguentum ſec. artem.

Vnguentum Baſilicum, digerit, maturat vlcera, praua apoſtemata mollificat, rumpit furunculos; recentibus capitis, & neruoſarum partium vulneribus, & vlceribus aptum exiſtit. Eaſdem facultates etſi remiſſas habet *Vnguentum Pallidum.*

Vnguentum Ægyptiacum perfectiùs à Guidone, quàm Meſuë componitur. Vehementer calefacit, potenter abſtergit vlcera ſordida, & fiſtulas antiquas, putridam carnem aufert, & ſic in ipſis vlceribus putridis maximè confert, præcipuè pudendorum. Diſſoluitur in aliqua aqua frigida, vt eius caliditas attemperetur, & acrimonia miteſcat, alioquî nimia ſua caliditate, & cauſtica vi corrodit, & ideò ante vniuerſales vacuationes adminiſtrari non debet; nam fluxiones concitat, inflammationes mouet, & vlcera curatu reddit difficiliora. Miſcebis hoc modo.

℞. *Vnguenti Ægyptiaci*, ℥ j. *aq. plantag.* ℥ ß. Miſce.

Vnguentum Apoſtolicum, efficax eſt contra vulnera, & vlcera difficilia, & fiſtulas: abſumit carnem mortuam, conſumptam reſtaurat, duram mollit, & plagas ſanat. Fitque hoc modo.

℞. *Cerę albę, terebinth. reſinę, ammoniaci, an.* ℥ xiv. *ariſtoloch. rotundę, thuris, bdellij, an.* ℥ vj. *myrrhę, galbani, an.* ℥ iv. *lithargyrij*, ℥ ix. *opopanacis, aruginis, an.* ℥ ij. *olei communis*, ℔ xij.

DISTINCTIO XI.

De Emplaſtris.

Emplaſtrum filij Zachariæ, calefacit in primo gradu, & moderatè reſoluit, lenit pectus, ſputum reddit facile, dolorem lateralem præcipuè ſedat; quare in pleuritide vtile eſt, ſedata priùs ad partem fluxione: nam huius ope emollitur humor atque reſoluitur. Etiam in teſticulis, & aliis partibus dolore tentatis præſtat eximiè.

Efficaciores vires habet præcipuè in doloribus neruorum, lienis, vteri, renum, & veſicæ, *Hyſſopi Cerotum*, quia duros, & tenaces humores diſſipat, tenuat, atque reſoluit.

Emplaſtrum Meliloti, calefacit, humectat, emollit, humores tenaces reſoluit, dolorem aufert. Vtile eſt in pleuritide, ad reſoluendos tenaces humores in parte affecta impactos; & ſic non eſt imponendum, niſi poſtquam totum corpus ſit vacuatum.

Emplaſtrum de Mucilaginibus, calefacit, humectat, reſoluit humores tenaces, & craſſos: & licèt variæ ſint eius deſcriptiones, noſtra, & præſtantior eſt hæc.

℞. *Olei ſemin. lini, olei camomil. olei lilior. albor. dialthæa ſimplicis, hyſſopi humidi, butyri vaccini, axungiæ gallinæ, axungiæ anſeris, medullæ cruris ceruini, medul. cruris vituli, axungiæ anguis, an.* ℥ ß. *mucilaginis althææ, ſem. lin. fœnugraci, maluar. an.* ℥ iv. *margaritar. præparat.* ℥ j. *ammoniaci, galbani, opopanacis, diſſolutorum in aceto ſcillitico, an.* ℥ ß. *ſagapeni*, ℥ ß. Miſce, & ſec. art. fiat Vnguentum: cui adde in fine, *croci puluerizati*, ℈ j. *aceti ſambucini*, quartar. j.

Emplaſtrum de nido hirundinis, ab omnibus, plurimis laudum præconiis condecoratur: quia ejus vi, & ope angina deſperata curari ſolet. Habet mirificam facultatem ad vacuandos humores ipſam efficientes: ipſos enim à partibus internis attrahit ad externas, & ſic ægrum à ſuffocatione reddit immunem, & reſpirationem facilem reddit. In principio non imponatur, ſed tranſacto fluxionis impetu; alioquî humorem ad inflammatas partes intempeſtiuè attrahit vehementiſſimè. Plures vario modo componunt, vtere tu illo ex deſcriptione noſtra.

℞. *Nidum hirundinis*, Fac eum in aqua ebullire diu: poſtea cum cribro cola: & cum colatura coquantur *radices lilij, maluauiſci, & bryoniæ, folia maluarum, violarum, parietariæ*: Piſtentur fortiter, & incorporentur cum eis: *fermenti valde acris, farinæ ſem. lini, an. q. ſ.* Bulliant, & in fine adde: *Olei veteris, axungiæ porcinæ inſulſæ, modicum*: Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum Diachylon ſimplex, hepatis durities, ſcirrhos lienis, ventriculi, & aliarum partium, imò ipſas ſtrumas emollit. *Compoſitum*, efficacius eſt, maturat apoſtemata, mollit durities, reſoluit, digerit, abſtergit ſaniem, phlegmonas ſanat, carnem generat. *Diachylon verò cum gummi*, fit quando addunrur bdellium, ſagapenum, & ammoniacum: nam tunc potentiùs emollit.

Emplaſtrum Apoſtolicum fit à Guidone, *tract. 7. cap. 1. de medicinis confortantibus.* Calefacit, reſoluit, abſtergit, confortat, & fracturas oſſium conſolidat.

Emplaſtrum Diaphœnicon Alexandri, parùm calefacit, plurimùm roborat ventrem inferiorem, & ideò vtile eſt in immodicis fluxionibus ventriculi, & inteſtinorum, vt diarrhæa, lienteria, cœliaca, cholera, dyſenteria, vomitu, muliebri profluuio.

Emplaſtrum oxycroceum Vigonis, prodeſt oſſibus fractis, partibus quæ dolore aliquo premuntur, duritiem denique omnem emollit & diſcutit, cicatrices attenuat, & læues reddit. Eandem virtutem habet *Confortatiuum Vigonis.*

Emplaſtrum ſtomachicum Magiſtrale, ſtomachum, & hepar confortat, & calefacit, coctiones iuuat, fluxus ſiſtit, appetentiam excitat, flatus reſoluit.

℞. *Ladani depurati, reſinæ pini, colophoniæ, an.* ℔ ß. *cerę*, ℥ iv. *pulueris abſinth. pulu. menthæ, pul. roſar. rubear. caryophyl. calami aromatici, agallochi, nucis moſchatæ, ſchœnanthi, maſtiches, an.* ℈ j. Miſce, & ſecundùm artem fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum pro matrice Magiſtrale, vteri imbecillitati ſuccurrit, eius procidentiam reprimit; hyſtericis affectibus remedio eſt, ſtrangulationi opitulatur, conceptionem iuuat, flatus diſcutit.

℞. *Radicis biſtortæ*, ℥ ß. *lapidis magnetis in pollinem redacti*, ℥ j. *lauendulæ, caſſiæ elect. caryophyl. macis, nucis moſchatæ, agallochi, thuris, alipta moſchatæ, an.* ℥ ij. *ladani, cerę flauæ, an.* ℥ iv. *reſinæ pini, picis Græcæ, an.* ℔ j. Fiat Emplaſtrum. Cui ad maiorem odoris ſuauitatem & vtilitatem, adde: *Ambari, moſchi, an.* ℈ ß.

Emplaſtrum de baccis lauri, calefacit, attenuat, & craſſos humores reſoluit, dolores mitigat, & ſic vtile eſt in doloribus renum, & inteſtinorum: flatus diſcutit, tumores induratos reſoluit.

Emplaſtrum contra rupturam Magiſtrale, magnam vim habet in rupturis, & in oſſium fracturis, quia roborat, adſtringit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 178 sur 927

adſtringit, exiccat, mirificè conſolidat, & peritonæum relaxatum ad ſuum locum reducit.

℞. *Scoriæ ferri præparatæ cum aceto, pulu. minij, an.* ʒ j. ß. *ſanguinis draconis, boli armeni, thuris, masticbes, terræ ſigillatæ, hypociſtidos, balauſtiorum, nucum cupreſſi, cortic. granator. an.* ʒ iij. *lapidis ſanguinarij, mumiæ, ſantalor. rubeor. gummi Arabici, an.* ʒ iij. *reſinæ, colophoniæ, q. ſ.* Miſce, fiat Emplaſtrum.

Eaſdem vires habet *Emplaſtrum de pelle Arietina*, quod etiam in aneuryſmate plurimùm iuuat.

Emplaſtrum de Ranis, ſeu *viperinum*, vlcera curat Gallicana, dummodò iam ſint mundificata, dolores iuncturarum à morbo Gallico manantes ſanat, ſcrophulas emollit, durities reſoluit. Quòd ſi addas duplam quantitatem argenti viui, efficacius multò erit.

Emplaſtrum Magiſtrale contra dolores articulorum, frigidos humores potenter reſoluit, dolores mitigat, præcipuè coxendicis, à frigido humore excitatos.

℞. *Picis naualis*, ℔ ij. *reſinæ, colophoniæ, ceræ, an.* ℔ ß. *baccar. lauri, ſulphuris viui, aniſi, croci, abſinth. pulegij, thuris, ſem. naſturtij, an.* ʒ ij. *caryophyl. cinnamomi, an.* ʒ j. *Zingiberis*, ʒ ij. *terebinthinæ, q. ſ.* Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Geminis, tam in vulneribus, quàm in vlceribus cicatricem inducit, attemperat, deſiccat, & ſic papillarum remouet ſciſſuras.

℞. *Olei roſacei*, ℔ ij. *ceruſæ*, ℔ iv. Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum Diapalma, cicatricem inducit, reſoluit ſimul, ac repercutit. Vtile in contuſionibus in primis diebus vino albo diſſolutum; & vltimis, oleo vetere, dummodò non reperiatur vulnus. Prodeſt in vſtionibus, ad formam vnguenti redactum, oleóque omphacino permixtum, & tunc perniones ſanat.

Triapharmacum Galeni, deſcribitur ab ipſo, *lib. 1. de compoſ. ſec. gener. cap. 7.* Exiccat efficaciter, quare vim habet curandi fiſtulas, & vlcera vſque ad cicatricem perſanat.

Eandem facultatem habet *Emplaſtrum de Gratia Dei*, quia facit naſci carnem in vulneribus, & conſolidat.

Emplaſtrum ceroneum, prodeſt ad omnem dolorem ſpathularum & pectoris, ex frigiditate; frigidos humores ſoluit, ſplenem emollit. Vtile eſt ad hydropem ex cauſa frigida hepatis contractum: vtero ſuperpoſitum, ipſius frigiditati reſiſtit.

Emplaſtrum Iſis fit à Galeno, *lib. 5. ſec. gener.* Capiti valde eſt accommodatum: chironia vlcera, & curatu difficilia ſanat: eſt etiam eruentis idoneum.

Emplaſtrum ex Gallia Moſchata Meſuës, totum ventrem inferiorem roborat, adſtringit, calefacit; quare alui fluxibus ex frigore contractis remedio eſt.

Emplaſtrum de centaurea, capitis vulneribus prodeſt. Efficacius eſt *Emplaſtrum de Betonica*, quod optimum eſt ad vniendas caluariæ fracturas. Deinde oſſa carne regit, ſquammas oſſium detrahit, & quæ in alto latent, foràs attrahit efficaciter, carnes amiſſas, duráſque reſtituit, vehementer abſtergit, digerit, & ſiccat.

ARTICVLVS V.

De Methodo compoſitorum omnium medicamentorum, ad vſus Medicos vtilitatem præſtantium.

CAPVT VNICVM.

Et primùm de Apozematis.

SVpereſt ſolùm differere, quomodo omnia medicamenta componantur, præter ſyrupum, potum, atque pilulas, de quibus ſatis *ſuprà*. Apozemata ergo, & decocta, etſi ex iiſdem componantur, maximè tamen inter ſe differunt: ſi quidem apozema ſaccharum in ſe recipit, decocta verò minimè. Vtraque tamen eaſdem præſtant vtilitates, quia in declinatione conceduntur, vt partium intemperies inducta auferatur, vt *lib. art. medic. cap.* 85. admonuit Galenus, dicens: *Vnamquamque cauſam priùs abſcindere oportet, deinde factam intemperiem curare.*

Intemperies varia eſt; nam alia eſt calida, frigida alia: quare hac ratione apozemata varia parari ſolent. Et ſunt concedenda matutino tempore, in remotione febris, vel declinatione acceſſionis. Quare aliud dicitur apozema bilioſum, quando humorem bilioſum præparat ad expulſionem: aliud dicitur phlegmaticum, quia in quacunque noſtri corporis parte pituitam diſponit, eámque calefacit, attenuat, incidit, aperit: aliud appellatur melancholicum, quod melancholiam diſponit.

Aliud appellatur pectorale, quia in thorace, & aſpera arteria humores præparat, ſputum facile reddit, & ideò vtile eſt in omnibus affectibus materialibus thoracis. Et vt omnia cognoſcantur rectè, verúſque modus componendi apozemata inquiratur, ea per exempla diſtinguamus. Sit ergo primum exemplum, de apozemate humorem bilioſum præparante.

℞. *Hord. mundi, & confracti*, P. j. *prunor. excacinator. vuar. paſſar. ſine acinis, an.* ʒ j. *cortic. radic. cichor. borrag. bugloſſ. radicis ſcorzoneræ, an.* P. j. *fol. lactuc. borrag. acetoſ. violar. an.* M. j. *ſem. frigidor. an.* P. j. *flor. cordial. an.* P. ß. Coquantur omnia ſecundùm artem, in ℔ ij. aq. fontanæ ad tertiæ partis conſumptionem: Colaturæ adde *ſacchari albi*, ʒ iv. *ſyrup. cichor. ſyrup. borrag. an.* ʒ iij. Miſce, & iterum parum bulliant pro apozemate.

Sit ſecundum exemplum, pro curatione tertianæ nothæ, & aliorum morborum, in quibus reperitur permixtio bilis cum pituita; nam attemperat, obſtructiones aperit, & ventrem lenit.

℞. *Hord. mundi*, P. j. *paſſular. ſine acinis, prunor. an.* ʒ j. *cortic. radic. bugloſſ. borraginis, cichorij, petroſelini, fœniculi, apij, an.* P. j. *fol. borrag. bugloſſ. cichor. capil. Vener. lupulor. petroſelin. an.* M. j. *ſem. frig. maior. fœnicul. aniſi, flor. cordial. bugloſſ. cichor. an.* P. j. Coque ſec. art. in ℔ ij. aq. ad tertias: colaturæ adde *Sacchari*, ʒ v. *ſyrup. Byzantini, ſyrup. cichor. an.* ʒ iij. Miſce, & iterum parum bulliant pro apozemate.

Tertium exemplum pro humore melancholico ſit hoc.

℞. *Cortic. radic. capparum, tamariſci, petroſelini, fumar. eupatorij, fœniculi, apij, cichor. borrag. an.* M. j. *paſſular. ſine acinis, prunor. ſine nucleis, an.* ʒ j. ß. *folior. eupatorij, capil. Vener. lupulor. fumar. aſplenij, bugloſſ. an.* M. j. *flor. bugloſſ. borrag. cichor. an.* P. j. *ſem. aniſi, fœniculi, an.* ʒ ß. Coquantur omnia ſecundùm artem, in ℔ viij. aq. ad tertias: adde, *Sacchari*, ʒ vj. *ſyrup. de duab. radicib. ſyrup. fumar. ſimplicis, an.* ʒ ij. Miſce pro apozemate.

Si tamen velis aliquod apozematum, purgatiuum efficere, in decoctione ſimul coquantur cum aliis rebus medicamenta purgantia, tam ſimplicia, quàm compoſita; quæ variis morbis auxilientur, & diuerſos humores euacuare nata ſint; vt v. g. in hoc apozemate diſponente melancholiam, poſſumus addere aliquem ſyrupum purgatiuum, hoc modo.

℞. *Syrup. de ſenna*, ʒ iij. *apozematis melancholici* ʒ iv. Miſce pro hauſtu vno.

Et ſic de cæteris.

De

De clysteribus.

A

Enema, ablutio, clyster idem significant: & est medicamentum sedi, & intestinis primò accommodatum; deinde ventriculo, lieni, renibus, vesicæ, mesenterio, & quod magis est, capiti appropriatum, à quo non rarò medio clystere fit reuulsio. Huius medicamenti plures sunt differentiæ: Alij enim sunt clysteres emollientes, attemperantes, vacuantes, purgantes, anodyni, abstergentes, adstringentes, sarcotici; & alij nuttientes.

Exemplum primi sit.

℞. *Decoct. maluar. prunor. enucleator. furfuris*, ℔ j. *sacchari albi*, ℥ j. *olei*, ℥ iij. *salis*, ʒ j. Misce, fiat clyster.

B

Exemplum attemperantis clysteris.

℞. *Decoct. borrag. lactuc. cichor. portulac.* ℔ j. *olei violar.* ℥ iij. *sacchari albi*, ℥ j. Misce pro clystere.

Exemplum euacuantis.

℞. *Maluar. prunor. enucleator. polypod. sem. cartham. fol. sen.* ℥ x. *diacathol.* ʒ x. *olei violar.* ℥ ij. Misce.

Exemplum anodyni.

℞. *Decoct. maluar. bismaluæ, fœnugræci, furfuris*, ℥ x. *butyri recentis, dialthææ simplicis, an.* ℥ ij. *olei sesamin. olei de semin. lini, olei amygdal. dulcium, an.* ℥ j. *salis*, ʒ j. Misce.

Exemplum abstergentis.

C

℞. *Decoct. hord.* ℔ j. *sacchari rubri*, ℥ j. ß. *rhodomel. syrup. rosac. an.* ℥ ß. Misce.

Exemplum adstringentis.

℞. *Decoct. plantagin. portulac. solatri*, ℔ j. *olei myrtin. syrup. rosac. siccar. an.* ℥ j. ß. Misce.

Exemplum sarcotici.

℞. *Decoct. plantag. portulac. lentium*, ℔ ß. *albumin. oui*, N. ij. *pulu. mastich. sanguin. Dracon. boli armeni, gummi tragacanthi, an.* ʒ j. ß. *ceræ, pinguedinis caprinæ, an.* ʒ ij. Misce.

Exemplum nutrientis.

℞. *Iuris gallinæ, iuris capon. an.* ℥ iv. *vitellor. ouor.* N. ij. *sacchari albi*, ℥ j. Misce.

Quantitas clysteris varia est pro hominum ætate, D natura, & conditione morborum; quia pueris, & debilibus minor quantitas conceditur, quàm adultis, & robustis: in affectibus colicis, lientericis, dysentericis, quando ob fœces induratas retinetur aluus, minor requiritur quantitas; maior autem ipsius clysteris, est libra vna.

Debet infundi tepidus; nam frigidus intestina, & neruosas partes vicinas oblædit. Debet similiter sensim, & paulatim administrari: qui enim subitò iniicitur, flatus eleuat, & ferè retineri nequit in intestinis, & sursum repit, & cruciatus intolerabiles concitat.

De Suppositoriis.

Glans, aut suppositorium formam cereæ candelæ E paruæ, ad longitudinem quatuor digitorum, speciémque rotundam refert. Paratur quando æger clysterem assumere recusat. Tribus modis fieri solet; aut ex melle tosto, & sale, & debile est; aliquando ex hiera, melle, & pulueribus purgantibus, & mediocre existit; interdum ex acribus medicamentis, vt scammonio, euphorbio, colocynthide, cum melle, aut aliquo expurgante electuario, & acre existit. Conficitur etiam ad longitudinem sex digitorum ex rebus prædictis, & à capite reuellit. Fiunt suppositoria ad longitudinem sex digitorum pro vtero, cum medicamentis accommodatis, ad corroborandum, ipsúmque expurgandum, & in hystericis affectibus ad reuellendum, quando morbus ob vteri consensum concitatur.

De Linimentis.

Linimentum, medicamentum est medium in consistentia inter Oleum, & Vnguentum. Paratur ex oleis, axungiis, & aliis similibus ad sedandos dolores, & intemperiem remouendam: habet tamen maiorem efficaciam, quàm oleum; & variè conficitur, pro diuersa morbi causa, & intemperie. Exemplum sit hoc.

℞. *Olei amygdal. dulcium, olei camomil. an.* ℥ ß. *vnguentum filij Zachariæ, axungiæ gallinæ, q. s.* Misce, fiat Linimentum.

De Vnguentis.

B Vnguentum, solidioris est sustantiæ, & maiores habet vires. Componitur pro diuerso vsu ex oleis, succis, plantarum partibus, & animalium, quæ coctionem accipiunt, & in puluerem redigi possunt. Fit etiam Vnguentum ex resinis, & gummi, cum cera semper, quæ est omnium vnguentorum materia. In eius compositione hic seruatur ordo, vt puluueris vnciæ vni; ceræ duæ; & olei octo respondeant.

De Ceratis, & Emplastris.

Emplastri, & Cerati tanta est affinitas, vt sæpe vnum pro alio substituatur. Ceratum est compositio vnguento durior, emplastro tamen mollior. Propria ceratorum materia, est cera, requirit enim maiorem quantitatem ceræ, à qua denominationem accepit; licèt minorem, quàm Emplastrum.

Emplastrum verò est compositio, quæ ex omnium medicamentorum specie consurgit, pinguium præcipuè, & succorum in vnum corpus crassum, viscosum, solidum, durum, & digitis adhærens concurrentium. Differentiæ verò emplastrorum ab eisdem rebus desumuntur, ex quibus vnguentorum varietas. Quantitas verò medicamentorum, quæ in emplastra concurrunt, vix describi potest, sed artificiali coniectura, inspiciendo ea medicamenta, quæ consistentiam & lentorem præbent, & considerando ex decoctione duritiem, aut D mollitiem, pro compositione necessariam. Notabis vltimò, quòd cera non conuenit in emplastris ladanum recipientibus.

De Cataplasmatis.

Emplastris minùs propriè dictis sunt similia Cataplasmata. His vtimur ad sedandos dolores absumendos præter naturam tumores, resoluendos flatus. Componuntur ex radicibus, foliis, fructibus, floribus, seminibus, herbis, succis, oleis, axungiis, medullis, farinis, & resinis. Horum alia sunt cocta, alia cruda. Cocta fiunt ex herbis coctis, & per setaceum transcolatis, additis oleo, & axungia. Cruda fiunt ex herbis contusis, aut eorum succis, oleo admixtis, & farina, & aliis pluribus, prout Medico visum fuerit. Medicamentorum quantitas indeterminata est, prout è mollibus, aut duris ipsa sint composita.

De Fotibus.

Fotus, euaporatio calida est, ad emolliendum, laxandum, dolorémque sedandum inuenta. Conficitur ex herbis, radicibus, seminibus, & floribus, in aqua, vel vino coctis, eisdem vires habentibus. Fotu vtimur ante aliorum medicamentorum vsum, vt cutis meatus laxentur, attenuentur humores, viæ ampliores reddantur, quod fit spongiâ, filtro, linteis, aut vesicâ. Hoc autem auxilium factis iam vniuersalibus vacuationibus celebratur.

De

De Embrochis.

Embrochia, eſt irrigatio ab alto facta ſupra partem affectam: ferè tamen ſupra ſuturam coronalem adminiſtratur in phrenitide, & aliis cerebri affectionibus: nam in ea parte cranium eſt tenuiſſimum, & futuræ laxiſſimæ, & ideò ad profundas cerebri ſedes citò medicamenta permeare poſſunt. Embrocha fit ex decoctione aquæ, vel vini, in quibus coquuntur radices, folia, ſemina, flores, fructus, ad tertiæ partis conſumptionem. Paratur etiam Embrocha ex lacte ad conciliandum ſomnum. Ab ea caue, quando fluxus ſanguinis adeſt, vel aderit: nam balneum, ſeu lotio capitis, fluxiones ſanguinis acriter irritat, ex Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 14. & 3. *acut.* 59.

De Epithematibus.

Epithema eſt compoſitio fotui, & embrochis ſimilis: fit ex aquis, ſuccis, atque pulueribus, quæ cordi, thoraci, & iecori ſunt aptiſſima; vinúmque additur penetrationis gratia, prout affectionis frigidæ, aut calidæ conditio efflagitat. Vtimureo in cordis, & aliarum partium principalium affectibus. Quando tamen maligna putredo cor fatigat, tunc epithemata conficimus ex alexipharmacis, cordi apponenda, quorum ſyluam *ſuprà* deſcripſimus.

De Cauterio Potentiali.

Hoc medicamentum ſua excellenti qualitate vrit, eſcharámque eleuat: quare cauterium potentiale appellatur; quia ante reductionem de potentia ad actum, prædictam qualitatem in potentia habebat, ad differentiam cauterij actualis. Huius medicamenti ope fit vacuatio à parte cui applicatur, deriuatio à propinquiori, & reuulſio à longinquo. Has operationes efficiunt omnia medicamenta, quæ corrodendo cutem, & carnem ſubiectam, continuum ſoluunt. Exemplum ſit huiuſmodi.

℞. *Arſenici ſublimati, opij, pulu. ſem. hyoſcyami, vnguenti populei, an.* ℈ j. Miſce. & fec. art. fiat Vnguentum.

De Veſicatoriis, ſeu Sinapiſmis.

Ex medicamentis acribus fiunt vnguenta, cataplaſmata, & emplaſtra, quæ cutem exulcerant, & veſicas eleuant, attrahendo à corporis profundo ad ſuperficiem, humores, ſanguinem, & ſpiritum. His vtimur, quando moribundas partes ad vitã reſtituere conamur: ſic enim ſimul cum calore etiam ſpiritus reuocantur. Semper lenia & mitia, debent præcedere fortia. Materia horum medicamentorum ſunt ſinapis, cantharides, bryonia, euphorbium, & alia ſimplicia, quæ terebinthinæ admixta, aut melli, prædictis partibus applicantur.

De Collyriis.

Collyrium eſt medicamentum oculis accommodatum. Triplex eſt differentia ipſius: Aliud eſt liquidum, quod ex ſuccis, mucilaginibus, & aquis paratur, in principio inflammationis oculorum, pro ſedando dolore, inflammatione, & fluxione ſiſtenda aptiſſimum. Aliud eſt ſiccum, vt eſt collyrium album Rhaſis. Aliud mellis conſiſtentiam obtinet, cuius beneficio humores in tunicis impacti reſoluuntur, & hoc ex diuerſis medicamentis conficitur.

De Errhinis, ſeu Sternutatoriis.

Hæc medicamenta naribus accommodantur, quorum vis ad cerebrum conuolans, humores in capite exiſtentes liquat, attenuat, & euacuat. Ex acribus medicamentis, & maximè irritantibus componuntur. Alia ſunt humida, quæ ex ſuccis herbarum, betæ videlicet, maioranæ, hyſſopi, & ſimilium fiunt; aut ex aliis decoctionibus permixtis cum euphorbio, pyrethro, nigellã, quæ tamen in pauca quantitate addi debent. Alia ſunt dura, ad conſiſtentiam emplaſtri, quæ ex prædictis medicamentis in puluerem redactis, mellique admixtis, pyramidis inſtar, conflantur.

De Apophlegmatiſmatis, ſeu Maſticatoriis.

Aliqua ſunt medicamenta, quæ aliquandiu in ore detenta, & aliquantulum maſticata, vires ſuas ad caput tranſmittunt, & per palatum pituitoſos humores eradicant. Componuntur ex acribus medicamentis. Proſunt in affectibus frigidis materialibus cerebri, & neruorum. Nocent iis affectionibus, quæ fauces, gulam, aſperam arteriam, & pulmonem exercent. Quatuor modis parantur. Primò, quando prædicta medicamenta acria puluerizantur melle permixta, pilularum, aut paſtillorum formâ. Secundò, quando intra linteum in ore detinentur, atque maſticantur. Tertiò, quando concoquuntur, atque ore detinentur. Quartò, quando aliquod medicamentum acre pituitam attrahens, vt galanga, & pyrethrum, citra alterius medicamenti permixtionem, ad quantitatem auellanæ ore continetur. Hæc medicamenta non debent applicari, priuſquàm totum corpus exquiſitiſſimè ſit euacuatum.

De Gargariſmatis.

Partibus oris, & faucium accommodantur gargariſmata, quorum vſu fluxio prohibetur, pars ab inflammatione præſeruatur, dolores ſedantur, vlcera curantur. Hæc dupliciter parari ſolent: primò, ex decocto herbarum, & aliarum rerum, quæ cum vino albo, rubro, & ſtyptico, aut decocto pectorali decoquuntur. Secundo modo fit ex aquis ſtillatitiis, per ſe, aut aliis rebus permixtis, vt videlicet ſyrupo, oximeliti ſimplici, aut diamoro, & aliis medicamentis ſimplicibus, vel compoſitis, pro curantis Medici arbitrio.

De Dentifriciis.

Pro dentibus abluendis, roborandis, confirmandis, atque detergendis fiunt dentifricia, ex medicamentis deſiccantibus, atque detergentibus. Hæc ſunt in duplici differentia: alia ſunt ſicca, quæ ex pulueribus craſſiuſculè tritis cum medicamentis ad formam peſſarij componuntur. Alia ſunt humida, quæ ferè ſemper ex inſtillatione adſtringentium, exiccantium, & abſtergentium fiunt, quibus odorifera permiſcenda.

De Sacculis.

Sacculus eſt compoſitio medicamentorum, quæ in ſacculum, ſeu marſupium congeruntur: & nihil aliud eſt Sacculus, niſi fotus aridus & ſiccus. Huius ea differentia eſt, qualis partis cui apponitur, à qua ſumit figuram, & medicamentorum diuerſitatem; quia ſi ſacculus ad caput paratur, capitalia erunt medicamenta, & ſic de reliquis partibus principalibus dicendum.

De Suffitu.

Suffitus, euaporatio eſt medicamentorum, ſubſtantiam humidam, viſcoſam, atque pinguem obtinentium. Illius duplex eſt differentia. Alius eſt ſiccus, qui trochiſcorum, vel pilularum formam habet, & componitur ex medicamentis, à quibus fumus eleuatur, vt gummi,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 181 sur 927

pice, resinis, cera. Alius est humidus, qui est decoctio medicamenti maximè calidi, in quo extinguitur lapis Pyrites, qui etiam extinguitur aliquando in aqua rutæ, vino, vel aceto. Est autem medicamentum fortissimum: at rectè administratum, vtile est in cerebri obstructionibus, pulmonum vlceribus, Asthmate, tussi antiqua, costarum doloribus, vteri, & aliarum partium affectibus inueteratis, & eradicationis difficilis, vt in Gallica lue.

De Insessionibus.

Insessio, est balneum dimidij corporis inferioris. Eius materia aliquando est aqua dulcis, sæpe decoctum herbarum, fructuum, radicum, seminum, & diuersarum rerum pro Medici arbitrio. Huius vsus, est in affectibus renum, vesicæ, vteri, & partium inferiorum.

De Balneis.

Balneum, est totius corporis vniuersalis fotus, tum sanitatis tuendæ gratia, tum etiam pro morbis persanandis remedium maximè necessarium. Duplex illius reperitur differentia: Aliud est à natura factum; quale est quod in mineris terræ reperitur, vt balneum sulphureum, aluminosum, nitrosum, & alia similia. Aliud verò est balneum artefactum, ex decocto radicum, seminum, florum, foliorum, & mineralium.

ARTICVLVS VLTIMVS.

De gradibus qualitatum medicamentorum, quæ in probata, & instructa Officina reseruantur.

NIhil est quod magis Medicum peritum instruat, quàm medicamentorum qualitas. Cùm enim contrariorum contraria sint remedia, oportet exactè qualitates remediorum percallere: Nam morbus calidus, frigidum remedium expostulat; frigidus, calidum; humidus, siccum; siccus, humidum. Quare ne in hoc compendio pharmaceutico quicquam desit in studiosorum gratiam, omnis generis medicamentorum facultates enumerabo, initium à temperatis desumens. Temperatum enim medicamentum est, quod elementorum temperaturam, eucrato (hoc est, temperato) hominis corpori similem obtinet, ita vt neque calefaciat, neque refrigeret, neque humectet, neque exiccet.

DE RADICIBVS.

Radices temperatæ.

Radix scorzoneræ. h.in 1.
Radix borraginis. h.in 1.
Radix bugloss æ temperata.

Radices calidæ in 1.

Radix smilacis asperæ. s. in 2.
Radix asparagi. s.in 2.
Radix valerianæ. s.in 3.
Radix pæoniæ. s.in 3.
Radix enulæ campanæ. s. in 2.
Radix mechoacæ. s.in 2.
Radix betonicæ. s.in 3.
Radix Chinæ. s.in 2.

Radices calidæ in 2.

Radix pastinacæ. h.in 2.
Radix rubiæ tinctorum. s. in 2.
Radix cyperi. s.in 2.
Radix fœniculi. s.in 2.
Radix rhabarbari. s. in 2.
Radix rhapontici. s.in 2.
Agaricum. s. in 2.
Radix liquiritiæ. h.in 2.
Radix calami aromatici. s.in 2.
Radix hermodactylor. s. in 3.

Radices calidæ in 3.

Radix zedoariæ. s.in 2.
Radix aristolochiæ longæ. s.in 3.
Radix aristoloch. rotundæ. s.in 3.
Radix pyrethri. s.in 4.
Turbith. s.in 3.
Radix iridis. s.in 3.
Radix eringij. s.in 3.
Radix veratri nigri. s.in 3.
Radix veratri albi. s. in 3.
Radix bruscí. s. in 3.
Radix costi. s.in 3.
Radix asari. s.in 3.
Radix gentianæ. s. in 3.
Radix filipendulæ. s.in 3.
Radix petroselini. s.in 2.
Radix peucedani. s.in 3.

Radices frigidæ in 1.

Radix cichorij. s.in 2.
Radix scariolæ. s.in 2.
Radix lactucæ. h.in 2.

DE CAVLIBVS.

Caules calidi in 2.

Ligni aloës. s.in 2.
Ligni renum. s.in 2.
Cinnamomi. s.in 2.
Calami aromatici. s. in 2.
Saxifragiæ. s.in 2.

Calidi in 3.

Lignum Indicum, seu sanctum. s.in 3.
Aspalathum. s.in 2.

Frigidi in 2.

Santali albi. s.in 2.
Santali citrini. s.in 2.
Santali rubei. s.in 2.

DE HERBIS.

Herbæ temperatæ.

Capillus Veneris. h.in 2.
Borrago. h.in 2.
Scorzonera. h.in 2.
Bugloss a. h.in 2.

Herbæ calidæ in 1.

Camomilla. s.in 1.
Absinthium. s.in 3.
Althæa. h.in 3.
Beta. h.in 3.
Brassica. s. in 2.
Scordium. s.in 2.
Asphodelus. s.in 2.
Betonica. s.in 2.
Agrimonia. s.in 2.
Lupulus. h.in 2.

Herbæ calidæ in 2.

Saluia. s.in 2.
Melissa. s.in 2.
Artemisia. s.in 2.
Scolopendrium. s.in 2.
Scabiosa. s.in 3.
Fumaria. s.in 2.
Melilotus. s.in 2.
Parietaria. h.in 2.
Peucedanum. s.in 2.
Pulegium. s.in 2.
Mentha. s.in 3.

Herbæ calidæ in 3.

Apium. s.in 2.
Petroselinum. s.in 2.
Chelidonium. s.in 3.
Anethum. s.in 2.
Serpillum. s.in 3.
Quinquefolium. s.in 2.
Trifolium. s.in 2.
Pulicaria. s.in 3.
Filipendula. s.in 3.
Thymus. s.in 3.
Centaurea maior. s.in 3.
Centaurea minor. s.in 3.
Stœchas. s.in 3.
Agnus castus. s.in 3.
Calamenthum. s.in 3.
Abrotanum. s.in 3.

Hyssopus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 182 sur 927

Hyſſopus. ſ.in 3. Chamædrys. ſ.in 2.
Hippoſelinum. ſ.in 3. Iuniperus. ſ.in 2.
Tamariſcus. ſ.in 3. Origanum. ſ.in 3.
Dictamnus Cretẽſis. ſ.in 2. Paſtinaca. ſ.in 3.
Imperatoria. ſ.in 3. Ruta ſatiua. ſ.in 3.

Herbæ calidæ in 4.

Allium. ſ.in 4. Naſturtium. ſ.in 3.
Cæpa cum humiditate excrementitia. Anacardus. ſ.in 3.
Tithymalus. ſ.in 4.
Scilla. ſ.in 3. Thapſia. ſ.in 4.
Ruta ſilueſtris. ſ.in 3.

Herbæ frigidæ in 1.

Malua. h.in 1. Cichorium. ſ.in 1.
Atriplex. h.in 2. Scariola. ſ.in 2.
Viola. h.in 2. Lactuca. h.in 2.

Herbæ frigidæ in 2.

Myrthus. ſ.in 2. Solanum hortenſe. h.in 2.
Semperuiuum. ſ.in 2. Plantago. ſ.in 2.

Herbæ frigidæ in 3.

Hyoſcyamus. h.in 3. Portulaca. h.in 2.
Solanũ ſomniferũ. h.in 3. Mandragora. h.in 3.

Herbæ frigidæ in 4.

Cicuta cum aliqua humiditate. Papauer rubrum. h.in 3.
Papauer nigrum. h.in 3.
Papauer album. h.in 3.

DE FLORIBVS.

Flores calidi in 1.

Abſinthium. ſ.in 3. Sambucus. ſ.in 3.
Chamæmelum. ſ.in 3.

Flores calidi in 2.

Anethum. ſ.in 2. Roſmarinus. ſ.in 3.
Melilotus. ſ.in 2. Epithymus. ſ.in 3.
Crocus. ſ.in 2.

Flores frigidi in 1.

Violæ. h.in 2. Nenupharis. ſ.in 2.
Bugloſſæ. h.in 1. Roſarum rubrarum. ſ.in 2.
Borraginis. h.in 2. Balauſtiorum. ſ.in 2.

DE FRVCTIBVS.

Fructus calidi in 1.

Amygdalæ dulces. h.in 1. Foliculi ſennæ. ſ.in 2.

Fructus calidi in 2.

Amygdal. amar. ſ.in 1. Paſſulæ. h.in 1.
Auellanæ. ſ.in 2. Poma redolentia. h.in 2.
Auellanæ Pineæ. h.in 1.

Fructus calidi in 3.

Nux Moſchata. ſ.in 3. Colocynthis. ſ.in 3.
Anacardi fructus. ſ.in 3.

Fructus frigidi in 1.

Caſſia Fiſtula. h.in 2. Citonia. ſ.in 3.
Pruna domeſtica. h.in 2. Pyrum. ſ.in 1.
Iuiubæ. h.in 2. Myrobalanus. ſ.in 2.
Tamarindi. h.in 2. Alkekengi. ſ.in 2.

DE SEMINIBVS.

Semina calida in 1.

Pæoniæ. ſ.in 3. Carthami. ſ.in 2.
Santonici. ſ.in 2.

Semina calida in 2.

Lini. h.in 2. Cardamomi maioris. ſ.in 2.
Fœnugræci. h.in 1. ſ.in 2.
Fumariæ. h.in 1. Anethi. ſ.in 2.
Dauci. ſ.in 2. Rapi. ſ.in 2.
Ocimi Caryophyllati. ſ.in 2. Raphani. ſ.in 2.
Vrticæ. ſ.in 2.

Semina calida in 3.

Coriandri. ſ.in 3. Agni caſti. ſ.in 3.
Iuniperi. ſ.in 2. Cuſcutæ. ſ.in 2.
Apij. ſ.in 2. Cymini. ſ.in 3.
Sinapis. ſ.in 3. Paſtinacæ. ſ.in 2.
Aniſi. ſ.in 3. Bruſci. ſ.in 3.
Petroſelini. ſ.in 3. Milij ſolis. ſ.in 3.
Nigellæ. ſ.in 3.

Semina calida in 4.

Nucis Moſchatæ. ſ.in 3. Staphiſagriæ. ſ.in 4.
Cubebæ. ſ.in 4. Naſturtij. ſ.in 4.
Piper longum. ſ.in 4. Piper album. ſ.in 4.
Piper nigrum. ſ.in 4. Caryophyllum. ſ.in 3.

Semina frigida in 1.

Scariolæ. ſ.in 1. Maluæ. ſ.in 2.
Acetoſæ. ſ.in 2.

Semina frigida in 2.

Berberis. ſ.in 3. Pſyllij. h.in 2.
Portulacæ. h.in 2.

Semina frigida in 3.

Melonis. h.in 2. Citoniorum. h.in 2.
Cucurbitæ. h.in 2. Citruli. h.in 2.
Plantaginis. ſ.in 3. Myrthi. ſ.in 3.
Cucumeris. ſ.in 3. Hyoſcyami. h.in 3.

Semina frigida in 4.

Papaueris albi. h.in 3. Papaueris erratici. h.in 2.
Papaueris nigri. h.in 3.

DE GVMMI, ET RESINIS.

Calida in 1.

Cãcami, ſeu Anime. ſ.in 2. Iuniperi. ſ.in 2.

Calida in 2.

Styrax. h.in 2. Thus. ſ.in 2.
Myrrha. ſ.in 2. Aſſa fœtida. ſ.in 2.
Sarcocolla. ſ.in 2. Opopanax. ſ.in 3.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 183 sur 927

Calida in 3.

Ammoniacum.	h.in 2.	Lacca.	ſ.in 2.
Galbanum.	ſ.in 2.	Gummi Elemi.	ſ.in 3.
Sagapenum.	ſ.in 3.		

Calida in 4.

Euphorbium. ſ.in 4.

Veræ Reſinæ calidæ in 1.

Maſtiche.	ſ.in 1.	Terebinthina abietina.	
Reſina pini.	ſ.in 1.	ſ.in 2.	
Pix Græca.	ſ.in 2.	Colophonia.	ſ.in 2.
Copal.	ſ.in 2.	Carana.	ſ.in 2.
Terebinthina.	ſ.in 2.	Tacamaca.	ſ.in 2.

De Succis, Infuſionibus, Inſpiſſamentis, ſeu ſuccis inſpiſſatis.

Succi calidi in 1.

Fumariæ.	h.in 2.	Pomorũ redolétiũ.	h.in 2.
Lupulorum.	h.in 2.	Nouenæ infuſiones roſ.	
Fœniculi.	ſ.in 3.	Perſ.	ſ.in 2.

Succi frigidi.

Cichorij.	ſ.in 2.	Nouenæ infuſiones roſ.	
Granator.	ſ.in 2.	rub.	ſ.in 2.
Violarum.	h.in 2.	Nouenæ infuſiones viola-	
Citoniorum.	ſ.in 2.	rum.	h.in 2.
Roſarum rubrarum.	ſ.in 2.		

Inſpiſſamenta calida in 1.

Liquiritiæ.	h.in 2.	Abſinthij.	h.in 3.
Lentiſci.	ſ.in 2.		

Calida in 2.

Centaureæ. ſ.in 3. Eupatorij. ſ.in 3.

Frigida in 2.

Myrrhi. ſ.in 2. Hypociſthidos. ſ.in 3.

DE FARINIS.

Farinæ calidæ in 1.

Fœnugræci.	ſ.in 1.	Tritici.	ſ.in 1.
Lini.	ſ.in 1.		

Farinæ calidæ in 2.

Lupinorum.	ſ.in 2.	Orobi.	ſ.in 2.
Fabarum.	ſ.in 2.		

Farinæ frigidæ in 2.

Hordei. ſ.in 2. Lentis. ſ.in 2. Farris, quod nihil aliud ſ.in 2. — eſt, quàm hordeum confractum, & excorticatum,

DE PARTIBVS, ET ſuperfluitatibus animalium.

Partes calidæ in 1.

Hepar lupi.	ſ.in 2.	Tunica interior ventri-	
Pulmo vulpis.	ſ.in 2.	culi gallinæ.	ſ.in 2.

Partes calidæ in 2.

Coagulum hœdi.	ſ.in 3.	Medulla oſſium vituli.	
Coagulum vituli.	ſ.in 3.	h.in 1.	
Coagulum leporis.	ſ.in 2.	Cerebri medulla.	ſ.in 2.
Sanguis hirci.	ſ.in 2.	Vaccæ medulla.	h.in 2.

Axungiæ calidæ in 1.

Gallinæ.	h.in 2.	Anſeris.	h.in 2.
Anatis.	h.in 1.	Cuniculi.	h.in 2.
Hœdi.	h.in 2.	Arietis.	h.in 2.

Calidæ in 2.

Suilla.	h.in 2.	Vulpis.	h.in 2.
Vrſi.	h.in 2.	Serpentis.	h.in 2.
Equi.	h.in 2.	Hominis.	h.in 1.

Calidæ in 3.

Caſtorij. ſ.in 3.

Superfluitates temperatæ.

Omne genus lactis.

Superfluitates calidæ in 1.

Serum lactis.	ſ.in 2.	Sericum crudum, &	
Butyrum.	h.in 2.	vſtum.	ſ.in 2.
Moſchus.	ſ.in 2.		

Calidæ in 2.

Mel.	ſ.in 3.	Fel capræ.	ſ.in 2.
Sanguis columbi.	h.in 2.	Fel leporis.	ſ.in 2.
Fel hircinum.	ſ.in 2.		

Calidæ in 3.

Fel tauri.	ſ.in 3.	Bouinum.	ſ.in 2.
Stercus lacerti.	ſ.in 3.	Caprinum.	ſ.in 2.
Stercus humanum.	ſ.in 2.		

DE SPECIEBVS TERRÆ, Mineralibus, & lapidibus.

Frigidæ in 1.

Terra ſigillata.	ſ.in 2.	Argilla.	ſ.in 2.
Creta.	ſ.in 2.	Bolus Armenus.	ſ.in 2.

Calidæ in 2.

Sal commune.	ſ.in 2.	Sal Indum.	ſ.in 2.
Sal gemmæ.	ſ.in 2.	Sal nitrum.	ſ.in 2.

Calidæ in 3.

Sulphur. ſ.in 3.

Calidæ in 4.

Alumen vtrumque. ſ.in 4. Arſenicum. ſ.in 4. Vitriolum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 184 sur 927

Vitriolum. ſ.in 4. Auripigmentum. ſ.in 4.

DE METALLIS.

Metalla temperata.

Argentum. Aurum.

Metalla frigida in 2.

Plumbum vſtum.	ſ.in 3.	Minium.	ſ.in 2.
Marchaſita.	ſ.in 2.	Argentum viuum.	ſ.in 3.
Ceruſſa.	ſ.in 2.	Argentum ſublimatum.	
Lithargyrium.	ſ.in 2.	ſ.in 4.	

Lapides frigidi in 2.

Margarita.	ſ.in 2.	Cryſtallus.	ſ.in 2.
Corallum album.	ſ.in 2.	Lapis Hæmatites.	ſ.in 2.
Corallum rubrum.	ſ.in 2.	Lapis ſanguinarius.	ſ.in 3.
Corallum nigrum.	ſ.in 2.	Magnes.	ſ.in 3.
Lapis Lazuli.	ſ.in 2.	Antimonium.	ſ.in 3.
Lapis Armenus.	ſ.in 3.	Marmor.	ſ.in 3.

Lapides Pretioſi.

Frigidi ſicci in 1.

Smaragdus.	Chryſolithus.
Sapphirus.	Amethyſtus.
Hyacinthus.	Chryſopraſus.
Granatus.	Chelidonius.
Rubinus.	Achates.
Sardonix.	Alectorius.
Topazius.	Corneolus.
Beryllus.	

Medicamenta aërea, & aquea.

Saccharum, & eius ſpecies, calidum, & humidum.
Mannæ, & eius ſpecies calidæ, & humidæ.
Ros aëreus calidus, & humidus.

Marina calida.

Alcyonium, ſiue ſpuma Maris.	ta Byzantia.
Flos ſalis.	Bitumen.
Sperma ceti.	Aſphaltum.
Ambra odorata.	Naphtha.
Vnguis odoratus, ſeu Bla-	Piſſaſphaltum.

Marina frigida.

Margaritæ, ſeu vniones.	Tellinarum.
Teſtæ Purpurarum.	Chamarum.
Buccinarum.	Cochlearum Marinarum.
Cionia.	Cancrorum.
Mitulorum.	

Oſſa.

Sunt frigida, ſicca, terreſtria.
Vnicornu, Græcis Monoceros dicitur.

Ebur.	Cranium humanum.
Cornu ceruinum.	Dens Apri.
Os de corde cerui.	Oſſa lupi.

Cortices calidi in 1.

Macer.	Aurantij.
Cortex Guiaici.	Mali citri.

A Tamariſci.

Calidi in 2.

Cinnamomum. Caparis cortex.

Calidi in 3.

Macis. Sambuci cortex.

Ligna calida.

Lignum Aloës.	Lignum Iuniperi.
Aſpalathum.	Viſcum.
B Buxus.	Xylocaſſia, Xylocinnamomum, ſaſſifragia Indica.
Lignum Guaiacum.	
Ebenus.	Lignum Nephriticum.

Ligna frigida.

Cupreſſus.	Tamarix, ſeu Myrica.
Lignum Ioti Arboris.	Lignum laricis.
Santalum.	

GENERALISSIMA deſcriptio.

C *De gradibus omnium medicamentorum, quæ in officina in vſu habentur.*

De medicamentis temperatis.

TEmperatum medicamentum illud dicitur, quod ſimilem temperato hominis corpori temperaturam obtinet, ita vt neque calefaciat, neque refrigeret, neque exiccet, neque humectet: cuiuſmodi ſunt.

Adiantum.	Lotus ſatiua.
Aſparagus.	Lycium.
Argenti ſpuma.	Lens.
Argenti recrementum.	Maſtiche.
Cadmia.	Myxa.
D Cera.	Oleum dulce.
Citri cortex.	Pinei Nuclei.
Eryngium.	Seſamum.
Faba.	Terra Chia.
Glycyrrhiza.	Terra Samia.
Graminis radix.	Trichomanes.
Lentiſcus.	Zizyphia.
Lini ſemen.	

Medicamenta calida in gradu primo.

Medicamentum in primo ordine calidum eſt, quod non euidenter excalfacit, vt.

Abſinthium.	Caſtanea.
E Aloë.	Chamæmelum.
Agaricum.	Eupatorium.
Althæa.	Flores populi.
Amygdalæ dulces.	Ladanum.
Beta.	Lithoſpermum.
Braſſica.	Malobathrum.
Bugloſſum.	Nuces virides.
Caſſuta.	Oryza.
Orobus.	Seſamum.
Propolis.	Spica nardi.
Quinquefolium.	Vuæ maturæ.
Saccharum.	Vinum nouum, ſeu muſtum.
Serum lactis.	

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 185 sur 927

Medicamenta calida in 2.

Secundum gradum sortiuntur quæ manifestè, & euidenter calefacere possunt, vt sunt.

Ambarum.
Anethum viride.
Apium.
Artemisia.
Balsamum.
Calamus aromaticus.
Carduus.
Chamæpitys.
Crocus.
Elaterium.
Eruum.
Ficus.
Fœnugræcum.
Galbanum.
Lotus siluestris.
Lychnis coronaria.
Marrubium.
Manna thuris.
Melissa.
Myrrha.
Myrrhis.
Nux Moschata.
Nuces siccæ.
Ocimum.
Peucedanum.
Pistachia.
Polium.
Pix arida.
Rapa.
Radix Rhodia.
Sal.
Scandyx.
Scilla.
Cicer.
Vinum.
Zedoaria.

Medicamenta calida in 3.

Tertio gradu adscribuntur medicamenta, quæ vehementer citra vstionem excalfaciunt, vt sunt.

Abrotanum.
Amomum.
Anacardum.
Anethum vstum.
Asarum.
Acori radix.
Anisum.
Conyza.
Colocynthys.
Dictamnus.
Dracunculus.
Elleborus vterque.
Epithymum.
Eruca.
Fœniculum.
Galanga.
Caryophyllum.
Helenium.
Hyssopum.
Iris.
Lolium.
Méum.
Mentha.
Menthastrum.
Nepeta.
Nigella.
Asphodelus.
Arum.
Amomum.
Carthamus.
Castoreum.
Calamintha.
Cedrus.
Origanum.
Ononis.
Opopanax.
Petroselinum.
Raphanus.
Ruta Hortensis.
Sabina.
Sisymbrium.
Serpillum.
Smymium.
Trifolium.
Thlaspi.
Thymus.
Tragoriganum.
Tripolium.
Trissago.
Vitex.
Vinum vetus.

Medicamenta calida in 4.

Adeò calefaciunt, vt escharam moliantur, & vrant, vt

Adarces.
Ampelopraſum.
Allium.
Calx.
Cedrinus liquor.
Cæpa.
Chalcitis.
Chalcanthum.
Cinis sarmentitius.
Misy.
Nasturtium.
Ochra.
Pityusa.
Porrum Agreste.
Pforicum.
Pulegium.
Pyrethrum.
Ranunculus.

A
Cinis siculneus.
Costus.
Euphorbium.
Granum Cnidium.
Lactaria.
Lanaria herba.
Laureola.
Lepidium.
Ruta syluestris.
Sandaracha.
Sardonia herba.
Sinapi.
Sory.
Struthium.
Tithymalus.
Testæ marinæ crematæ.

Medicamenta frigida in 1.

Sunt quæ nos refrigerant, non tamen euidenter, vt

B
Atriplex.
Acini vuæ.
Cotonea.
Citrij caro.
Gramen.
Hordeum.
Malua.
Milium.
Myrthus.
Orobanche.
Oxyphœnica.
Pruna.
Pyra.
Rosa.
Viola.

Medicamenta frigida in 2.

Nos manifestè refrigerant.

Acacia.
Alga Marina.
Chondrilla.
Cucurbita.
C Cucumis.
Pruna Damascena.
Endiuia.
Hypocisthis.
Lens palustris.
Mala persica.
Mala Armeniaca.
Pepo.
Plantago.
Polygonum.
Pulicaris Herba.
Rolanum hortense.

Medicamenta frigida in 3.

Vehementer refrigerant, vt

Caphura.
Papauer satiuum.
Portulaca.
Solanum somniferum.

Medicamenra frigida in 4.

Vehementer refrigerant, & calorem

D *extinguunt.*

Cicuta.
Fungi.
Opium.
Papauer Erraticum.
Papaueris succus.
Hyoscyamus.
Mandragora.

Medicamenta sicca in gradu primo.

Nos exiccant, non tamen euidenter.

Arum.
Castanea.
Hordeum.
Fœnugræcum.
E Manna thuris.
Malobathrum.
Myrtus.
Crocus.
Fœniculum.
Ocimum.
Orobanche.
Sesamum.
Saccharum.

Medicamenta sicca in 2.

Euidenter nos exiccant, vt

Agaricus.
Alga marina.
Amomum.
Amurca.
Apium montanum.
Balsamum.
Balaustium.
Lentes.
Lolium.
Lycium.
Mastiche.
Mentha.
Nardus Indica.
Nardus Celtica.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 186 sur 927

Burſa paſtoris.
Calamus aromaticus.
Dictamnum Creticum.
Elaterium.
Eruum.
Lepidium.
Phu.
Pix liquida.
Pix ſicca.
Saluia.
Scandyx.
Scolymus.

Medicamenta ſicca in 3.

Vehementer reſiccant, vt

Abſinthium.
Aloë.
Ammi.
Acetum.
Acacia.
Aſphodelus.
Caruum.
Chamæleon niger.
Chamæpitys.
Chamædrys.
Cuminum.
Coriandrum.
Conyza.
Cucumis ſylueſtris.
Leucas.
Moly.
Porrum capitatum.
Quinquefolium.
Sal.
Sabina.
Sanguis Draconis.
Sampſuchum.
Serpillum.
Seſeli.
Thymbra.
Thymus.
Trifolium.
Triſſago.

Medicamenta ſicca in 3.

Si inſigni calore, aut frigore aſſocientur ad 4. ordinem poſſunt reduci, vt

Adarces.
Cedrinus liquor.

A Allium.
Calx.
Et alia, quæ in 4. gradu excalfaciunt.

Medicamenta humida in 1.

Nos humectant, ſed non euidenter, vt

Bugloſſum.
Citri caro.
Glycyrrhyza.
Intybum.
Malua.
Rapa.
Satyrium.
Seſamum.
Helxine.

Medicamenta humida in 2.

B *Euidenter humectant.*

Atriplex.
Blitum.
Cucurbita.
Cucumis.
Lens paluſtris.
Melones.
Mala Armeniaca.
Pepones.
Perſica.
Pruna Damaſcena.
Portulaca.
Tamarindi.
Violæ.
Vua immatura.

Medicamenta humida in 3.

C *Vehementer humectant, vt*

Cucumis.
Cucurbita.
Lactucæ ſuccus.
Fungi.
Papauer ſatiuum.
Solanum ſomniferum.

FINIS.

ZACVTI

©BIUM

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,
PRAXIS HISTORIARVM.

LIBER PRIMVS,
DE CVRATIONE MORBORVM
Capitis agens.

A

CAPVT I.

De Alopecia.

INITO introitu, flores Medicinæ Practicæ præcerpamus, vt quadam apum imitatione, ex diuerſiſſimis ſuccis incomparabilis quidam conſurgat ſapor, qui faſtidientem ſtomachum reficiat, & appetentiam prouocet. Quare percommodum viſum eſt, de curatione morborum internorum, non exculcata quidem, & triuialibus Practicis recantata ſæpius, verùm ex ſecretioribus monumentis veterum ingeniorum, quorum votum ſemper ſumus ſequuti, & quæ nobis ſuis vigiliis lucem peperere, vellicatim quodammodo excerpta, tendentibus ad procinctum, qua poſſumus breuitate proferre; dummodò in principio vniuſcuiuſque morbi, eius definitionem, cauſam, ſigna, prognoſim, & curationem proponamus, caput deinde totum memorabili obſeruatione illuſtrantes.

Igitur, vt præfari deſinamus, euoluentibus nuper Galenicam doctrinam, obtulit ſeſe locus, ex *cap.* 18. *lib.* 14. *meth.* & 2. *de temp. cap.* 5. & *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap.* 5. vbi dicit, ex tertia coctione, quæ in ambitu corporis perficitur, duo ſupereſſe recrementa, alterum tenuius, craſſius alterum; quod etiam confirmat ipſe *lib.* 3. *meth. cap.* 3. *parum poſt princip.* illo omiſſo, quod inſenſibiliter per cutem diſcutitur, & exhalat. Craſſius excrementũ, vel eſt terreum non aduſtum, vel aduſtum quod fuligo dicitur: nã vt Gal. docet 7. *ſimp.* 83. *tit. de fuligine*, fuligo fit ex aduſtione partis terreſtris. Non aduſtum verò, eſt ſordes ea quæ in ſummo corpore colligitur. Id verò quod aduſtum eſt, fit materia pilorum, craſſus ſcilicet, & terreus vapor, qui cùm in anguſtis cutis foraminibus detinetur, & ibi infixus eſt, nec facilè intrò redit, nec extra cutim euacuatur, niſi ab alio foràs pellatur; & cùm hæc fuligo, multa ſit, & compacta, ob loci anguſtiam, & continuò generetur, oritur pilus ſub illa forma, quam oculis conſpicimus: dummodò intelligamus, quòd pilorum materia non omnino humiditate caret, alioqui in longitudinem non protenderetur, ſed in minimas partes frangeretur natura ſuapte.

Ex hac pilorum generatione conſtat, nulla ratione pilos inter partes noſtri corporis eſſe numerandos, cùm ab excrementis originem ducãt. Si autem quæras, quo pacto ab Auic. 1. 1. *doct.* 2. *cap.* 2. inter membra corporis recenſeantur? Dic, quòd Auicenna accipit membrum, pro eo omni quod corpori coniunctum eſt, etiamſi non viuat; & ſic agit de pilis, de ſanguine, pituita, & aliis huiuſmodi. Dic ſecundò, quòd multò magis ex profeſſo de illis agit Galenus *lib.* 3. *de temp. cap.* 5. quia ſigna ex pilis deſumpta, paruifacienda non ſunt, quia variis modis habitus corporis temperiem oſtendunt, velocitate ſcilicet naſcendi, tarditate, longitudine, breuitate, craſſitudine, tenuitate, denſitate, raritate, figura, duritie, ſitu, colore, denique & mollitie, vt ſcribit Ariſt 5. *de generat. animal.* 3.

Varij ſunt vſus pilorũ in corpore noſtro: nam primò confurunt ad ornatum; ita enim Ouidius 3. *de Arte:* B

Turpe pecus mutilum: turpis ſine gramine campus:
Et ſine fronde frutex; & ſine crine caput.

Deinde mole ſua ſubiectarum partium temperiem tutantur. Vltimò fuliginoſa excrementa expurgant: vt enim notauit Auerrhoës *lib.* 2. *collig. cap.* 8. prouidentiâ naturæ pili fuere creati, vt ſanguis dulcior relinqueretur in corpore, fuligine ab ipſis exhauſta: hoc enim modo agricolæ iuxta triticum, lupinos, & alia ſemina amara ſerere conſueuere, quæ aduſtam ad ſe partem attrahant, vt dulcior terra euadat. Ideò dicebat Gal. 11. *de vſu. part.* 14. pilos, materiam fuliginoſam ebibere, & forſan hac ratione ductus Raſius *lib.* 2. *cont. cap.* 4. & Auicenna 3. 3. *tract.* 1. *cap.* 9. in ophthalmia pilorum abſciſſionem commendant, quia humiditates exiccat, ad illorum nutrimentum materiâ attractâ, quòd pili C qui ſæpius reſecantur, ampliùs creſcant, & corpulentiores euadant, ad generationem eius quod deeſt feſtinante natura.

Definitio.

ALopecia eſt defluuium pilorum inæquale, & per areas factum, veluti vulpibus accidit: ita definit Galenus *lib.* 1. *de compoſ. medic. cap.* 1. firmat Paulus *lib.* 1. *cap.* 1. Nam decidunt pili ex cute capitis vel æqualiter, ita vt rariores in vniuerſum videantur, Græci vocant pilorum defluuium: vel inæqualiter, vt vulpibus cõtingit, & dicitur Alopecia; vel in ſpeciem ſerpentis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 189 sur 927

& appellatur Ophiasis. Naturalis verò capillorum interitus, qui senibus accidit, caluities nominatur. Sed hic, cùm naturaliter accidat, & cuitari nequeat, ad morbum non pertinet.

Sed quæres: *Vtrùm defluuium capillorum, sit morbus, an symptoma?* Dic: Plures referunt ad morbum in numero, quia deest aliquid ex his, quæ secundùm naturam adesse solent, veluti cùm euellitur dens, numerantúrque pili in partibus corporis, ex Arist. 3. *de hist. animal. cap.* 11. At cùm morbus sit constitutio quædam præter naturam primò lædens actiones, interitus pilorum cùm nullam proximè lædat, non potest rectè dici morbus; ita vt ab Auic. 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 6. referatur inter ea, quæ morbi videntur, & non sunt. Deinde pili eo modo inter partes nostri corporis numerantur, quo censentur à Theophrasto *lib.* 1. *de hist. plantar. c.* 1. folia partes plantarum. Præterea, pili nec viuunt, nec propriè nutriuntur, nec verarum partium instar in omnem dimensionem verè augentur: quare Gal. 14. *meth. cap.* 18. interitum earum rerum quæ verè partes sunt, morbum esse meritò pronunciauit. Insuper illorum defluuium non est morbi causa; nam etsi illi qui in capite, palpebris, & superciliis adsunt, quum decidunt, possunt esse alicuius morbi causa; in mento tamen, pube, & sub alis hoc non valet. Ergo casus pilorum ad symptoma, quod exiens mutatum dicitur, spectare videtur; effluit enim, quod retineri deberet.

Causa.

IN Alopecia totum ferè caput sine pilis conspicitur, in Ophiasi partes solùm illis priuãtur, & instar vestigiorum serpentis apparent, quare Ophiasis appellata. Cornelius Celsus *l. b. 6. cap.* 4. has affectiones appellat areas: quæ ab humoribus putridis oriuntur, & vitiatis, qui ita exedunt radices pilorum, & glutinosam fuliginem foraminibus cutis adhærentem exiccant, & absumunt, vt in summa pellicula primùm pili extenuentur, deinde decidant. Raritas cutis inter causas etiam numeranda, sicut & penuria materiæ fuliginosæ. Laxantur foramina ob caloris, & humiditatis excessum, ex Gal. 6. *epid. sect.* 5. *com.* 6. vel vbi desit materia obstruens, vt in senibus, quibus cùm minùs benè nutriuntur, contingit. Siccitas, vt in plantis, sic in pilis fit ex inopia, vel prauitate alimenti; nam cùm deest, neque nouum suppeditatur, hoc denegato, gluten ad pilorum radices affixum siccescit. Causam autem, cur in palpebris, & superciliis minùs decidant, proponit Galenus 11. *de vsu part.* 14. quia maximè infixi sunt, & magis glutinoso humore continentur, quàm in cute capitis. Humores vitiosi, & corrupti, vel à toto influunt, vel ab ipsa cute capitis corrumpuntur, quando diuturnis vlceribus est conspurcata: nam vel ad partem vlcerata confluunt, vel ab ipsa acriores reddũtur, ex Gal. 6. *Aph.* 45.

Signa.

INopia alimenti coniicitur ex reliquo corpore, quod minùs bene nutritur, vt accidit in phthisi, atrophia, & conualescentibus ex Hip. *lib.* 5. *Aph. tex.* 11. hanc causam etiam, interitus capillorum inæqualis, cum pilorum tenuitate demonstrat. Humorum corruptela cognoscitur ex anteacta vita, natura hominis, & anni tempore. Qui verò sit ille succus, qui capillorum radicem erodit, color cutis maximè ostendit: aliquibus enim mutata, albidior apparet, aliquibus nigrior aut pallidior, aliis rubra: quòd si cutis sit variegata, varios humores redundare demonstrat.

Præsagium.

SI vitium à siccitate, & inopia alimenti oriatur, difficilè curatur, præsertim si siccitas in habitu sit. Si verò praui succi gluten radicem erodant, facilè, aũt difficulter sanandum esse affectum, ex cutis frictione venaberis. Nam si celeriter rubeat, facilè sanabitur: si non nisi post multam frictionem, ægrè: si nullo modo ruborem contrahat, nunquam renascentur pili. Est grauis controuersia inter Auenzoarem, & Serapionem: *Vtrùm Alopecia sit difficilior ad curandum, quàm Ophiasis.* Ille enim *lib.* 1. *theizir. tract.* 1. *cap.* 4. Ophiasim curatu esse difficiliorem Alopecia affirmat: hic contrà statuit, *lib.* 1. *cap.* 1. Cuius sententiam veriorem esse reor, quia materia Alopeciæ est copiosior, & crassior, & sic medicamentis pertinaciter resistit. Auenzoarem verò intelligo, de ophiasi ex siccitate suborta, quæ suapte natura valde resistit, & veluti incurabilis est.

Curatio.

PIli cùm caput non solùm ornent, sed corpus ab iniuriis tutentur, restituendi sunt. Quòd si cutis raritas huic vitio occasionem præstet, adstringi debet medicamentis, quæ refrigerent & exiccent, quorum ope foramina fiant angustiora, & cutis ipsa firmetur, ita vt capillos ampliùs effluere non sinat. Ea autem non adeò adstringant, vt omnino à calore priuentur, cuius beneficio alimentum attrahatur ad cutem. In hunc vsum, cibos, & potiones offeres boni succi, facilis coctionis, & distributionis, præuia priùs capitis abrasione, & frictione, hoc enim modo medicamentorum vires ad radices pilorum penetrare queunt. Hunc vsum complent ladanum oleo lentiscino admixtum. Quòd si cutis laxitas magna sit, junge oleum myrtinum, quod magis stipticum est. Aliqui puluerem absinthij, & adianti permiscent, ex quibus parant linimentum, donec ad mellis crassitudinem perducatur, cui si addas cinerem stercoris caprini, muscarum, & apum combustarum, vtilissimum præsidium euadet.

Inter omnia hoc Linimentum est optimum.

℞. *Absinth. cortic. pinear. folior. myrti, adianti. cortico arundin. vstar. an.* M. ß. *thuris,* ʒ ij. *mastich.* ʒ iij. *myrrh.* ʒ j. ß. *gallar.* ʒ ij. Comburantur omnia: cineri adde, *ladani triti,* ʒ ij. *olei lentiscini, vini veteris, q. s.* fiat linimentum.

Si verò ob inopiam alimenti oriatur, reficiens victus consulendus, reuocandus sanguinis ad cutem frictione leni, & perfusione aquæ calidæ. Si praui succi exuperent, & gluten illud radicibus pilorum adhærens eroserint, tunc 1. *sec. loc. cap.* 1. monuit Galenus, vt medicamentum expurgans offeratur: *sic primùm totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitã ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigram trahit, coniectura redundantis humoris ex colore cutis facta.*

Instituta ergo victus commoda ratione, si sanguis vitiosus abundet, vena externa cubiti ferienda, quæ non solùm humorem ad caput fluentem auertit, sed fluxum deriuat. Præparantia administranda, quæ cuilibet exuperanti humori sint apta. Pilulæ vtiles ex Aloë, Scammonio, Colocynthide, Agarico. Bile redandante, hiera confert, sicut in præsentia atræ bilis, veratrum nigrum. His factis ad Errhina, & Masticatoria deueniendum, quæ humores crassos actu fouentes malùm è viciniori loco eradicent.

Leuis & recens Alopecia, mitia expostulat auxilia, vt sunt, adeps anserinus, amigdalæ amaræ, thus ex aceto. Si malũ est mediocre, mediocria cõueniũt, vt semen Erucæ, Rádix, vel cortex arũdinis vstæ, pix liquida, Cedri, stercus muriũ, adeps vrsinus vetustus. Cùm vitium est diuturnum, & ferè habituale, ad fortiora deueniendum, vt Euphorbium, adarce, thapsia, sinapi, sulphur, nasturtium, & alia, quæ omnia cum aceto acerrimo, & oleo laurino permiscentur ad linimenti formam; dummodò calidissimis medicamentis addas, vnguentum rosaceum, & vetustum oleum, vt sic eorum acrimonia mitescat.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 190 sur 927

miteſcat, ac temperetur. Horum omniũ hæc eſto forma.
℞. *Cineris Erinacei marini,* ʒ ij. *gallarum, amygdal. amarar. vſtar. an.* ʒ j. *muſcerdæ, thuris, an.* ʒ j. ß. Cum aceto diſſolue, & fiat linimentum.

Vel.

℞. *Fol. arundin.* ʒ ij. *muſcerdæ,* ʒ j. ß. *capil. vener. abſinth. an.* M. j. Comburantur omnia, & cum aceto acerrimo, & oleo lentiſcino fiat linimentum.

Vel.

℞. *Picis liquidæ, euphorbij, baccar. lauri, an.* ʒ ß. *ſulphuris viui, ellebor. albi, an.* ʒ j. Terantur omnia, & cum vnguento roſ. fiat linimentum.

Hæc omnia capite priùs raſo, & facta priùs frictione cum panno aſpero, aut ſuccò cæpæ, aut ſcillæ adminiſtrentur, vt hoc modo altiùs penetrent, & faciliùs ſanguinem ad partem attrahere queant.

OBSERVATIO.

Alopeciæ remedia præſtantiſſima.

AD Alopeciam, & capillorum defluuium, à vitioſis ſuccis corrumpentibus radices pilorũ enatum, (Madaroſin Græci vocant, Galeno teſte 6. *Aph.* 34.) remedium admirabile, omnibus ſui generis magis excellens, quo donec pili renaſcantur, fricetur affecta cutis, in pluribus ſum expertus, vel etiam in his qui ex fœda Gallica lue in hoc vitium inciderant: Nam hi habita priùs de toto prouidentia, & refracta venenata qualitate Antidotorum ope, aſſumptiſque ſudorificis, ex ſmilace aſpera, Ebeno, & radice Chinæ paratis; adminiſtratis Mercurialibus vnguentis; admotis ſuffumigiis, pilos craſſos, & longos in mento, totóque, capitis ambitu recuperarunt.

℞. *Stercoris muris, adrianti, abrotant, cortic. radic. arundinis, an. partes æquales, capil. homin.* ʒ ß. Comburantur omnia, & miſceantur cum ʒ iij. Adde, *Succi abrotani, ſucci matricariæ, ſcillæ, an.* ʒ j. *adipis vrſin.* ʒ iij. *olei tartari,* ʒ j. *olei lentiſcin.* ʒ j. ß. *ammoniaci diſſoluti in aceto,* ʒ j. *mellis,* ʒ j. *reſinæ pini,* ʒ v. *farinæ lupinorum, fœnugræci, an.* ʒ ij. *euphorb. thapſiæ, an.* ʒ j. *ſulphuris viui, veratri, an.* ʒ ß. Bulliant omnia ſimul, & fiat linimentum parti applicandum.

CAPVT II.

De Achoribus & Tinea.

Definitio.

VLcera manantia vocantur à Latinis, quæ à Græcis Achores: ſunt autem parui tumores in cute capitis, pluribus foraminibus pertuſi, ex quibus effluit ſanies quædam glutinoſa, & craſſa, auctore Celſo *lib.* 3. *cap.* 6. Vlcera verò ſicca dicuntur Tinea ab Auic. ſúntque vlcera cutem capitis, & capillos corrumpentia, ex quibus fœdum quoddam, & ſiccum tabum emanat, quæ cum cruſtis totum caput, & adſpectum deturpant. Alij fauum dicunt eſſe, cruſtoſam tineam, ex qua vitioſus humor erumpit fauo mellis ſimillimus, quam affectionem vocauit Celſus *lib.* 5. *cap.* 28 melicerida.

Cauſa.

AChorum cauſa, ſecundùm Galeni ſententiam, eſt humor acris, ſeroſus, mordax, craſſo admixtus: vel ſecundùm Paulum, nitroſus, & ſalſus. Tineæ verò cauſa eſt humor melancholicus, cui acris humiditas eſt permixta, quæ delata ad cutem, acrimonia ſua eam exulcerat. Remotæ verò cauſæ, & mediatæ, ſunt omnes quæ prauos humores, acres, & aduſtos gignere conſueuerunt, quorum catalogum legat qui velit apud Galenum, *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. Accedit quòd hi affectus præcipuè pueros infeſtant: Cùm enim voraces ſint, plura aſſumunt, quàm concoquere queant; deinde à cibo mouentur, & hoc modo alimentum crudum intempeſtiuè rapitur ad venas, 3. *progn.* 24. Hi ergo humores crudi à naturæ gremio derelicti, & non gubernati, putreſcunt, & redduntur acriores, & ſic exulcerant.

Signa.

IN Achoribus funditur ſanies acris, & mordax, lacti ſimilis; in fauis melli: accedit prurigo cum dolore. Cauſa ex cutis, & humoris exeuntis colore agnoſcitur. In Tinea apparent cruſtæ quædam aridæ, ſæpe cineritiæ, nigræ, virides, croceæ, ex quibus parum, aut nihil humoris excernitur, quæ iuxta peccantis humoris ideam varium colorem repræſentant, & cùm humor virulentus ſit, & mordax, pilorum radices erodit, & illorum defluuium ſequitur.

Præſagium.

HÆc vlcera praua ſunt; & maligniora cenſentur, quæ ſunt inueterata: Nam in Alopeciam, Ophiaſin, Lepram, & pityriaſim finiuntur, & præſertim ſi cutis appareat dura, teſtacea, & ſquãmæ plures craſſæ, furfurum inſtar, ex vlceribus emanent. Quæres primò; *Vtrùm ætas pueritiæ huic morbo plus ſit obnoxia, ſi pueri humidiſſimi ſunt, & hæc vlcera ab aduſto humore, acri, & mordace, inuentuti, & conſiſtenti ætatibus magis familiari, ortum ducunt?* Dic: quòd licèt cæteræ ætates hoc vitio etiam prehendantur, tamen pueri ab vtero contracta malitia in illud incidunt frequenter: Nam fœtus ſpurcis, fœdiſque repletur excrementis, quæ poſt partum natura ad caput, tanquam ad partem humidiſſimam tranſmittit. Fiunt autem hæc vlcera in recenter natis magis ſæua, & doloſa; quia mulierculæ, & imperiti Chirurgi adſtringentium præſidiorum vſu virulentum hunc humorem ad intimas cerebri ſedes repellunt, qui eo loco coërcitus, præterquam quòd innatũ calorem ſuffocat, ventriculos obſtruens, grauiſſimorũ morborum, vt Apoplexiæ, Epilepſiæ, & aliorum eſt cauſa. Hinc fit, vt natura magno conatu eum extrà expellere ſatagens, cacoëthica deinde concitet vlcera, & magis dira. Ob quam cauſam monuit Hip. *lib. de morb. ſacro, num.* 17. vt illis nullam præſtemus medicationem, quia à morbo attonito, ſacro, vertigine, paralyſi, aliiſque funeſtis malis pueros præſeruant. Sic enim ait: *Et quibuſcunque pueris exiſtentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſaliuoſi fiunt, ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facilè degunt: ſic enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat, & qui ſic purgati fuerint, comitiali ſiue ſacro morbo ferè non apprehenduntur. Qui verò mundi ſunt, & quibus neque vlcus vllum, neque mucus, neque ſaliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, ne ab hoc morbo corripiantur.*

Quæres ſecundò: *Vtrùm Tinea ſit affectus contagioſus?* Nam ſi ab his vlceribus nihil momentaneum effluit, imò vapor exhalans, eſt ſiccus, ad inficiendum ineptus, & minimè lentus, & ſic non hæret, permiſcetur, & immoratur in corpore inficiendo per tempus ſufficiens ad agendum? Dic: quòd licèt Tinea ab humore ſicco, & melancholico originem ducat, ita vt ſub *ſahafaxi ſicco* Arabes & plures alij cõprehenderint; tamen eſt affectus contactu, & fomite contagioſus: Ab vlceribus enim exurgit vapor ſufficiens ad inficiendum, qui etſi non ſit ita tenax & viſcidus, vt exhalat ab vlceribus manantibus; quæ achores dicunt, quum hæc magis ſordida ſint, & tabo plena; adhærere tamen vicinis corporibus poteſt, & ea afficere labe dira.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 191 sur 927

Curatio.

CVratio perficitur primò, si causam antecedentem extra corpus elimines purgatione accommoda: & si corpus sanguine abundet, & ætas permittat, vena secanda. Instituenda optima victus ratio, ita vt adulti ægri abstineant à cibis praui succi, acribus, frixis, salsis, lacte, piscibus, herbis, leguminibus, fructibus, potu crasso, Venere, & aliis quæ acres humores gignunt & adustos. Si sint infantes, curádæ nutrices. Habita de toto corpore prouidentia, ad topica accedendum: & si morbus sit in principio, ea sint repellentia, & adstringentia, permixta iis quæ moderatè exiccant, vt ex Archigene notauit Galenus, *lib.1.sec.loc.cap.* 8. quem *lib.3.cap.3.rubric.3.* sequutus est Paulus. De horum genere sunt cyperus, lentes, ladanum cum oleo myrtino, & modico vini permixta.

Ergo infantibus vitio exiguo affectis leuia auxilia satis sunt; inter quæ primatū obtinet decoctū foliorum nucis iuglandis: si tamen inueteraſcat malum, fortiora admouenda, quātò scilicet corpus robustius, aut magis adultum sit. Deinde si vlcera in extima solùm cutis superficie sita sint, mitia sunt ex vsu; sicut efficaciora, si profundo loco sint infixa. Leuia sunt, Enula Campana, Spodiū, Pompholyx, Creta, radix Lapathi acuti, Myrti baccæ, rubi folia, polygonum, decocta in adstringenti vino, vel permixta cum oleo ros. Citonior, Myrtil. Iuniperi, vel Amygdalar amararum: & extracto vnguento abluatur caput cum decocto Fumar. Betæ, Parietar. Enul. Sambuci, Absinth. Ebulorum, Marrubij, radic. Scabiosæ; & desuper imponatur aliud vnguentum ex pulu. radic. Cucum. agrestis, & axungia porcina insulsa: & natu grandioribus addatur puluis sulphur. sublimati, & Tartari vini albi, cum aq. ros.

Quòd si his auxiliis vlcera non exiccentur, & cerebrum humidissimum sit, consultissimum semper mihi visum fuit, vt humorē vacuemus, occiput ferro traiicere, vel eo loco fonticulum excitare, vt spiret cerebrum, & sordes virulenta paulatim vacuetur. Si verò vel ætas, vel vires id remedium non tolerent, retro aures in eundem vsum causticum medicamentum apponendum.

Sed cùm hic rebellis morbus medicamenta varia contemnat, ad fortiora præsertim in adultis accedere oporret.

℞. *Ceruſæ, litharg yrij, an.* ʒ v. *lixiuij de cinere vitis,* ʒ iij. *olei ros.* ℥ j. Fiat vnguentum.

Fortius paratur hoc modo:

℞. *Mastich.* ʒ ij. *auripigmenti,* ʒ j. *ceruſæ,* ʒ j. ß. *terræ cimoliæ* ʒ ij. Omnia redigantur in pulucrem, *adde terebinth.* ℔ ß. *olei,* ℔ ß. *ceræ* ℥ ij. Fiat vnguentum.

Demum plura ab auctoribus conscribuntur, ex quibus, me nullam vnquam vtilitatem percepisse ingenuè fateor. Accedo ergo ad mulierc ularum præsidium, quo plurimos fuisse citra noxā leuatos experimento fidelissimo compertum habeo. Nec mireris huc nos confugisse: nam Paulus *lib.3.c.5.rubric.2.* experimento muliebri se hemicraniam antiquam persanasse gloriatur. Illæ enim pileos ex pice liquida, cum terebinthina cōmixta, toti capiti imponunt per mensem, semel in die renouantes, aut alternis diebus, vel triduo, prout ætas fert, cuius remedij vsu cùm extrahitur pileus, secum defert pilos, & crustas illas eradicat, quousque totum caput redditur depile, & caluum. Neque timeas attractionem humoris ad vlceratam partem, aut cerebrum, ex qua (vt plures rētur) superueniunt epilepsia, apoplexia, cęcitas, & immanes alij capitis affectus: Nam si præcedat totius vacuatio cum optimo victus regimine coniūcta, hæc damna non contingunt; imò hic pileus piceatus, sinapismi instar, humores in cerebri latibulis pertinaciter infixos, euacuat ad extra, & radices pilorum extrahit cum glutine suo sordido, virulentiaque delibutas. Caluities verò deinde facili negotio persanatur, quia applicito vnguento pilos regenerante, ipsi in posterum crassi exoriuntur, producti, & satis firmi.

OBSERVATIO.

Inueterata tinea, oleo Bombacino curata.

LAborauerat puer quadrimus vlceribus admodum pertinacibus in toto capite, ex quibus melleus quidam humor ita acris, & mordax continuò emanabat, vt subiectam cutem exederet. Tandem temporis decursu ita siccata sunt vlcera, vt tota cutis depilis, testacea facta, in lapideam naturam ferè conuerteretur. Plurima facta auxilia, quæ tum humorem per aluum vacuarent, tum scirrhosos capitis tumores comminuerent. Cauterium occipiti affixum. Caustica medicamenta super vlceratas partes imposita, hirudines ex interuallis supra capitis superficiem applicitæ, quarum ope fæculentus sanguis est exhaustus. Ablutum caput decoctis quæ emollirent, & discuterent. At rebelle malum solùm impositō supra crustas duras oleo Bombacino succubuit. Est autem Bombax, seu Acanthium apud Dioscoridem *lib.3.cap.16.* (Latini Cottum, seu Gossipium dicunt) planta cubitalis, ramosa, brachiata, foliis vitis, sed minoribus, floribus luteis in medio purpuraſcentibus, qui post se nuculas relinquunt, quæ matureſcētes sponte dehiscunt, exitúmque parant liberum, mollissimæ, albissimæque lanugini intus editæ, vnà cum semine, quod vitiis pectoris, & pulmonis summo est ex vsu. Ex hoc semine fit oleum per expressionem tractum, pellucidum, aurei coloris, quod ad pustulas, & lentigines faciei est valde vtile, sed ad tineam, & vlcera capitis manantia esse efficacissimum, experimento compertum habeo: Nam si super vlceratam partem aliquot guttulas infundas quotidie, breui temporis spatio citra dolorem, causticī instar, sorditiem exiccat, putrilaginem absumit, abstergit mirificè, quousque tota cutis reddatur tersa, limpida, & probè munda.

CAPVT III.

De dolore Capitis.

Definitio.

DE dolore capitis, & eius causis, multa satis ex Philosophorum & Medicorum mente agitauimus, *lib.3.hist.PP.Med.in com. hist.* 28. nunc satis sit dicere, dolorem esse tristem sensum, sicut voluptatem sensum iucundum, vt *2.de loc.cap.2.& 2.1.doct.2.sum.2.c.19.* Galenus, & Auic. docuerunt: siue dolor pro causa doloris sumatur, vt accepit Hip. *2.Aph.6.& 6.epid.sect.1.text.8.* siue pro actu quo dolemus, vt contrariatur voluptati: Nam duobus modis sumitur, vt *7.de placit.cap.6.* ipse affirmat.

Ad generationem doloris, duo sunt necessaria: primùm, passio quædam violenta, subitò & celeriter facta: nam quod sensim & paulatim fit, latet; & quod ad suā naturam redit celeriter, iucundū est, vt *1.de caus.sympt.c.6.* docuit Galenus, quo loco interpretatur Hippocratē dicentem *lib.de loc.in homin.num.17. dum alteratur, & corrumpitur natura, dolores fiunt*: vbi per corruptionem, & alterationem, magnitudinem & celeritatem alterationis intelligit. Secundò requiritur, quòd hæc passio corporibus sensibilibus accidat, vt ait Galenus *12.meth.cap.7.* & *7.de placit.cap.6.* & *lib.de inaequal.intemp.cap.3.* dolorem citra sensum non fieri asseuerat, at sensus in alteratione consistit: ideò necesse est dolorem tunc fieri, quando partes mutantur; nam quando iam sunt mutatæ, non ampliùs dolent,

ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 192 sur 927

ex Gal. *lib. 3. de inæqual. intemp. cap. 3. & 1. de cauſ. ſympt. cap. 6.*

Quare, quod eo loco fusè docuimus, duplex eſt immediata cauſa doloris: ſolutio cõtinuitatis, & intemperies, quæ nunquã concitat dolorem, niſi ſolutionem cõtinuitatis habeat adiunctam. Aduerte deinde, quòd intemperies calida, aut frigida, per ſe & ſola poteſt dolorem efficere; ſunt enim qualitates maximè efficaces, & violenter immutant. Humida verò, & ſicca, contrà: quia ſunt qualitates ignauæ, materiales, & languidæ.

Illud autem facit dubitationem maximam: *Vtrùm cerebrum ſentiat?* Cur enim tam variæ cerebro tribuentur dolorum differentiæ, ſi illud non ſentit? Dic: Non eſſe cerebrum ſenſus omnino expers, apertè videtur Galenus ſignificare, *lib. 3. de loc. affect. cap. 9.* quo loco non ſolùm dum varias capitis partes numerat, in quibus oritur dolor, internas memorat, vbi cerebrum continetur; ſed expreſſis verbis aſſerit, ex cerebri, non aliter ac ex ventriculi natura plerunque euenire, vt ex leui cauſa doleant: & *lib. de inſtrum. odoratus, cap. 4.* ſenſum, & morſum illi concedit, quod & epilepticorum concuſſiones teſtantur; ſiquidem à mordente vapore, prauáve qualitate moleſtante cerebrum non irritaretur, & ſe vſque adeò contrahens tam vehementer non concuteretur, vniuerſum corpus trahendo in conſenſum, niſi ſentiret.

Non minùs etiam illi ſenſum ineſſe, oſtendit experimentum illorum, qui ex iniecto medicamento mordace aliquo ad ſuccos naribus hauriendos, in intimis cerebri morſum ſentiunt, de quo Galenus, *cit. de inſtrum. odorat.* Deinde cur non ſentiet membrum terreum, craſſum, atque adeò natura ſua tangibile, aptúmque à tangibilibus, aliiſque qualitatibus immutari. Demum & ſentiente vi exuberans, fónſque, & illius origo; propter quod Galenus 1. *de cauſ. ſympt.* negare illius ſenſum auſus non fuit.

Ariſtoteles è contrà 3. *de hiſt. animal. cap. 19.* medullã arbitratur eſſe inſenſibilem, imò etiam apud Galenũ legitur, *lib. de virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus*, non ſentire cerebrum, ſed tantùm eſſe ſenſuum ſenſibile: & 1. *de cauſ. ſymp. cit.* non ſentiendi organum, ſed ſenſoriorum ſenſorium pronunciat. Neque fundamenta deſunt, quibus hæc pars roboretur. Primò. Natura ſenſum conceſſit ad bonum, & incolumitatem animalium. At ſi cerebrum ſenſu polleret, in perpetuo dolore, & moleſtia viueret animal. Igitur decuit inſenſile omnino eſſe. Conſtat minor ex eo, quia calidos, acréſque corporis halitus à naturalibus officinis eleuatos, cõtinuò ſuſcepturũ erat. Ob cauſam verò ſimilem, ſine ſenſu creata ſunt oſſa, ſcilicet ne à grauitate, & corporis mole quã ſuſtinent, perennes ſuſciperent dolores.

Secundò. Quod de reliquis viſceribus in corporis profundo reconditis ſtatuitur, idem de cerebro probabiliter iudicandum. Sed aliorum viſcerum carnes natura ſenſu deſtituit. Igitur ad illorum ſimilitudinem idem credi poteſt de ſubſtantia cerebrali. Cuius fidem firmat experimentum, quia in caluariæ fractura preſſum cerebrum non dolet, cùm tamen dolere oporteret, & vehementer, ſi ſenſus particeps foret. Quòd ſi aliquando ſentitur dolere, circumdantium membranarum ratione euenire putandum eſt.

Neque ex *loc. cit. de loc. aff.* oppoſitum colligitur: de variis enim capitis partibus loquens, in quibus fit dolor, ſolas memorat internas, aut externas membranas, innuens ratione illarum, dolores ſentiri in cerebro, & qui in ipſo fiunt, illis eſſe referendos. Dicendum inſuper, per ſenſum panniculorum, mordicantem qualitatem percipere, & irritari ad epilepticas concuſſiones, & ſternutamenta. Iam verò ſcindi, & intemperari non eſt dubium, ſine ſenſu tamen, & dolore (licet placeat quibuſdam, tactum aliquem exiguum, & obſcurum habere, non minùs quàm cor, hepar, renes, & reliqua viſcera, cum Galeno *lib. de plenit. cap. 4.*) Nec mirum, communem eſſe ſenſus fontem, & ſingularium expers eſſe: vel quia fortè vim totam ad ſentiendum requiſitam non habet, nec impertitur, ſed tantùm qualitatem quandam cum ſpiritu, radio ſimilem, qua ſentiens potentia in organis exiſtens aptum efficitur ſentiendi inſtrumentum; vel quia deſtinatum eſt ad in ſe tantùm exercendum internorum ſenſuum actiones, ratiocinando, memorando, & cogitando, in aliis autem membris ſenſuum, & arbitrariarum motionum opera: quemadmodum Cor in ſe iram exercet; in reliquo corpore pulſationem: Hepar in ſe concupiſcentiam, in corpore alitionem per ſanguinis demandationem: Atque ideò fortè 1. *de cauſ. ſympt. cit.* non denegat Galenus cerebro ſenſum, ſed tantùm eſſe ſentiendi organum, & ſenſationes edere externorum ſenſuum affirmat, quod illius doctrinæ probabilius eſt, & magis conſonum: quamuis ſine contradictione, aut errore oppoſitum defendi, & reſponderi adductis fundamentis poſſit, à quo negotio nunc ſuperſedeo, ne tædioſus ſim: quia cerebrum non eſt medulla, vt vel ipſi Ariſtot. placuit, *lib. 2. de part. anim. 7.* & Plinio, *lib. 11. cap. 37.* quoniam coquendo dureſcit, & neque liquefieri, neque abſumi poteſt; medulla contrà.

Eſt ergo triplex Cephalalgiæ ſpecies, ſeu differentia, quam Arabes *ſodam* vocant, quarum quædam à Græcis Cephalalgia, à Latinis non aliter quàm capitis dolor nuncupatur, nomen ſiquidem ſumens ſimul ab affectu, & parte affecta, vt notat Galenus 2. *meth. cap. 2.* quæ eſt *reeens, & laborioſus ſenſus totius capitis, propter grauem, ſeu triſtem mutationem eius.* Differt ab altera ſpecie, Cephalæa dicta, quia hæc, eſt *grauis affectus, vehementer dolorificus, diuturnus, difficulter ſolubilis, per interualla inuadens, acceſſiones habens vehementiſſimas, epilepticarum inſtar:* vnde Cephalæa, hoc eſt, ſimpliciter & abſolutè capitalis affectio nominari conſueuit, in qua æger neque ſtrepitum, neque vocis vllius vehementiam, neque ſplendorem poteſt tolerare, ſed tranquilliratem amat. Hemicrania, eſt *affectio dolorosa iuxta dimidiam capitis partem, aliquando dextram, interdum ſiniſtram contingens.* Ex quibus conſtat, quomodo vtraſque differentias poſſimus inter ſe diſtinguere: nam Cephalalgia eſt leuis affectio; Cephalæa, grauis, totam capitis regionem occupans: Hemicrania verò dicitur, quando in dimidia capitis parte dolor exiſtit; quam doctrinam firmant Gal. 3. *de loc. cap. 9. 2. ſec. loc. cap. 2.* Auic. 1. 3. *tract. 2. cap. 35.* à quibus tam veteres, quàm recentes deprompſerunt.

Differentiæ.

GAlenus *lib. 3. de loc. affect. cit.* tres dolorum capitis colligit differentias: quarum prima, ex corporum natura & aptitudine elicitur, traditúrque per frequentiam, & infrequentiam dolendi. Quidam enim cerebro dolent, quia caput habent aptum, vt impleatur, ſimul & aptiſſimum corpus, vt impleat. Alij quidem non habent caput aptum, vt impleatur, ſed quod ob innatam imbecillitatem facillimè patiatur: his commune eſt, ſi victu prauo vtantur, in cephalæam incidere; nec enim ſufficit caput frequenter dolere, vt cephalæam patiantur, ſed requiritur etiam caput vniuerſum affici.

Secunda differentia ſumitur ex loco dolente: aut enim dolor intra caluariam infeſtat, in membranis nempe cerebrum inuoluentibus; aut extra hoc, in membrana caluariam ambiente, pericranio nuncupata. Huiuſmodi autem dolorũ differentiæ, non ſolùm communes ſunt his quibus caput vniuerſum, ſed & quibus etiam dimidium dolet. Poteſt verò interdum dimidia tantũ capitis pars, altera incolumi dolere ob ſagittalem ſuturam per longitudinem capitis ductam,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 193 sur 927

& vtramque partem illius diſtinguentem,ſub qua intra capitis oſſa, dicitur protendi linea medium cerebrum diuidens, vt eſt auctor ipſe Galenus 9.*de anatomic. adminiſtrat.cap.* 1.

Tertia differentia ſumitur ex parte affectà : aut enim fit per primogeniam affectionem, qui affectus dicitur idiopathia, cauſa in ipſo cerebro exiſtente; vel per conſenſum ab alio membro affecto, quo fit tranſmiſſo in cerebrũ, humore, vel vapore, aut ex cognatione partiũ, quam cum multis caput obtinet, aut propter ſimilitudinem,vel continuitatem: velut cùm nerui aliqua pars dolet,cerebrum ipſum condolet; qui affectus per conſenſum, dicitur ſympathia, quam cum ventriculo, iecore,vtero, renibus obſeruare ſolet.

Sed hoc loco agitanda commodè magna quæſtio eſt: *Vtrùm ita per conſenſum poſſit cephalæa, aut quiuis alius dolor in parte fieri, ſine eo quòd caput, vel pars alia dolens intemperiem, aut continui ſolutionem patiatur?* Putant nonnulli ſola doloris ſpecie communicata, naſci poſſe dolorem in remota, & diſtanti parte. Si enim ex præteriti doloris recordatione, & ſpecie ſæpe contriſtamur,ac dolemus,cur non ex communicata ad imaginationẽ ſpecie illius,qui actu, & pronunc affligit?

Deinde id quod dolet, anima eſt : igitur cùm ea in pede, ac in capite eadem ſit, non eſt cur ad pedis dolorem caput condolere non poſſit. *Tertiò.* Sæpe vulnerata parte naſcitur dolor in diſtanti, vt v.g in capite, ad pedis ſolutionem. Atqui ſolutio talis non communicatur capiti. Igitur citra corpoream cauſam, membrum immutantem, poterit in eo oriri dolor : atque ideò, vt ait Auicenna, in vulnerata veſica, mictus tempore, glans dolet, & caput ob validum iuncturarum dolorem.

Vltimò. Frequens eſt in pleuritide, iugulum, vel præcordium dolenti lateri conſentire; bile redundante in ventriculo,caput dolere ; cor deliquium pati, intermediis partibus omnino incolumibus. Sed nec ſolutio continui, nec intemperies poteſt communicari, aut ſentiri in diſtante, quin priùs in proximo. Ergo abſque illis cauſis, & qualibet earum, poterit fieri dolor, & condolere caput, non recipiens alterutram cauſam dolendi.

Sed longè verius eſt,non eſſe voluptatem, aut dolorem, vbi non ſentitur obiectum : Nam ſi affectus hi, ſunt ſenſationes, paſſionéſue quædam, quomodo poſſunt contingere in parte,ſine ſenſili alterante, immutantéque? Deinde vbi dolor, ibi & cauſa, ſicut & morbus, teſtante Hip. & Galeno. Ergo non erit dolor in parte, dolendi cauſa alibi exiſtente : & ex conſequenti, &c.

Nec obſtant fundaméta in contrarium adducta. Ad *primum* dic,quod licèt ibi ex ſola ſpecie, aut recordatione doloris, gaudium, & triſtitia in nobis oriantur, (eò quòd cùm ſimpliciter quædam ſint animæ affectiones, ſufficit illis inducendis ſpiritalis obiecti præſentia per recordationem,aut ſpeciem) non tamen dolor, & voluptas,quia affectiones quædã ſunt, propriæue corporis paſſiones,atque adeò corporeum agens requirũt in parte vbi fiunt : nec eſt ſufficiẽs imago,alioqui cùm ea totius doloris, memoriæ, & imaginationi imprimatur, opporteret ad cuiuſuis partis dolorem ſequi cephalalgiam, aut aliam in capite læſionem.

Ad *ſecundum* dic. Si ſufficit animæ vnitas in toto, oportet dolere totum,dolente qualibet parte, & ad pedis dolorem neceſſariò dolere manum. Quare, &c.

Ad *tertium* dic. Quamuis pedis ſolutio non communicaretur capiti, non proinde dolebit ſine alterutra dolendi cauſa : ea verò erit intemperies ab agitante, & interturbante dolore inducta. Cùm enim dolor ſyncopen, & febrem nonnunquam inducat, nihil mirum, ſi cephalalgiam agitatis humoribus, & ad caput aſcendentibus. Cur verò intermediæ partes ab eadem cauſa non doleant,in ſequenti dicetur.

Ad *vltimum* dic, Maiori admiſſa, minorem ſolue: ſæpe ad vnius partis dolorem, non proximam, ſed diſtantem condolere, vel quia intermediæ partes moleſtè non ſoluuntur,ſed remotæ, & extremæ; vel quia ad has ex loco primùm dolente intemperies dolorifica remittitur, mediis nihil mali perpeſſis. Poſſe verò vtrunque fieri inde euenit, quia cùm intermediæ partes contractioni cedant, moleſtè non ſoluuntur, atque ideò in iis moleſtia non ſentitur; percipitur autem in extremis ſolutio, & dolor,quia ibi maior eſt tenſionis vis ;& nihil ampliùs eſt quod cedat. Hinc in pleuritide iugulum, non mediæ partes dolenti lateri conſentiunt: vlceratæ veſicæ mictus tempore glans, quia licèt ad veſicæ dolorem ex vrinæ morſu, ob ſequentem horrorem totus colis colligatur, conuellatúrque, glans tamen manifeſto cum dolore, quia eſt extremum contractionis. Ob eandem cauſam in podagra, aut chiragra, ex nerui tenſione dolebit caput, vbi terminatur neruus, non brachium, aut humerus. In fame, morſus & anguſtia in ventriculo ſentitur,quia ibidem ceſſat membrorum tractio.

Iam verò intemperiem ad diſtantiam nonnunquam remitti,& ibi condolentiam efficere vicinis illæſis, fit vel ob diſtantis membri nobilitatem, propter quod ex bile ventriculi caput dolet; cor deliquium patitur mediis incolumibus : vel ob maiorem moram in remoto, vnde ex vapore magis caput dolet, quàm inferiora membra : Cauſa etiam erit aptitudo partis ; inde enim quibuſdam cerebrum : aliis pes, aut ventriculus ab aëre magis refrigeratur, ſcilicet prout vna, vel alia pars fuerit ex natura imbecillior, atque adeò ad patiendum aptior. Denique ex maiori diſtantis membri cõſenſu euenire poteſt,quòd magis in eo quàm in vicino nocumentum ſentiatur.

Cauſa.

ETſi plures cauſæ doloris capitis ab auctoribus proponantur, quæ ad generandum dolorem in vniuerſum neceſſariæ ſunt, habilitas videlicet, ſeu aptitudo recipientis capitis, & membrorum mandantium promptitudo : tamen eæ vel ſunt internæ,vel externæ. Soluit ergo continuum, & dolorem excitat præcipuè calor ſeparando, frigus, & ſiccitas cogendo: humor per ſe neque continuum ſoluit,neque dolorem affert, ſed quatenus verſatur in materia ſoluendi vim habente. Multitudo, & morſus materiæ alicuius præter naturam retentæ. Inſuper qualitates tota natura pugnantes aduerſus naturam noſtram, & vermes, & mortifera venena.

Deinde quæ euidentia ſunt,dolorem excitant, vt tela, ictus; ſuffitus ex odoribus, quæ multum vaporem, ſiue ſuauem,ſiue moleſtum exhalant ; eſculenta & poculenta, calida & humida, quæ ex ſe flatum emittunt, vt allia cæpa, porrum, fabæ,lacticinia, & vinum, quod ſuapte natura tentat caput, & ſi in magna copia ſumatur, ebrietatem excitat,& in vapores conuerſum, non ſolùm replet caput,diſtendit, & calefacit, ſed ſpiritus turbidos reddit, capitis dolorem inducit, ſenſum, & motum lædit, & actiones principes perturbat. Aduerte autem noxam factam ex vini potione, ob illius copiam, aut potentiam, aut cerebri imbecillitatem, aut capitis paruitatem, & ſyncipitis anguſtiam, in qua cerebrum concutitur,crapulam dici, Ariſt. 3.*ſect.probl.* 27. diſtinguit temulentiam ab ebrietate : nam in illa non eſt delirium, ſicuti in hac conſpicitur.

Inedia caput tentat, quod per ipſam praui ſucci ad ventriculum confluant, ex quibus vapores ad caput aſcendunt. Motus poſt cibum,vox acuta, retentio ſpiritus, vomitus,tuſſis, caſus, contuſio, punctura, æſtus, perfri

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 194 sur 927

perfrictio,lotio capitis,Venus immodica,maligna qualitas,vt in lue Gallica,ſomnus in domo recenter calce, vel gypſo illita, ſomnus in ſpelunca, ſub vmbra grauí iuglandis,ficus, oleandri, ad quæ ſequuntur capitis morbi validi, & in vi robuſta, catarrhus. Hæc enim omnia,ſicut & ſuccorum abundantia, dolorem parere poſſunt, & quiſpiam ex humoribus ſi exuperet. Sed præſertim vnitas ſoluitur ab acri humore,erodente,putri,bilioſo,ſalſo,& ab his quæ ſimilares partes erodunt, incîdunt,& diſtendunt, vt *lib.2.ſec.loc. cap.* 4. monuit Galenus.

Signa.

ALia etiam diuiſio ſuperiori adiungi poteſt, quæ traditur per materias, à quibus efficitur dolor: aut enim vaporoſus ſpiritus eſt, aut bilioſum excrementum in ore ventriculi aceruatum, indéque ad caput elatum, demum aut res quæuis alia, à qua caput ipſum repletur. Quæ verò ſint naturæ,à quibus caput eſt aptum vt replcatur, explicat Galenus 3.*de loc. affect. cap.cit.*eſſe illas,in quibus multus ſpiritus calidus,& vaporoſus generatur, aut bilioſa excrementa in ore ventriculi aceruantur.

Memoratas differentias his notis dignoſci docet: nam ſi intra caluariam dolor conſiſtat, ad oculorum radices neceſſariò pertinget: alioquî extra caluariam contineri affectum diiudicabis, cuius ratio eſt, quia cùm à cerebro, viſorij nerui, & oculorum tunica retiformis nuncupata;à pia,duráque matribus,vuea,& cornea,oriantur,nihil mirum ſi à cerebro, aut eius tunicis affectis,ad oculos malum protrahatur,vt 2.*ſec.loc.c.* 2. & 3.*de loc.cit.*monuit Galenus. Deinde quando dolor exterius pericranium, & externos capitis muſculos inuadit, compreſſa digitis cute capitis, ingraueſcit, & furit:interior verò minimè.

Diſſidium eſt: *Vtrùm externi capitis dolores ad oculorum radices porrigantur*? Nam videtur quòd ij eò ſæpè pertingant, quòd pericranium cui inſident, oculorum cauum ſuccingat. Sed obſtat huic rationi pro Galeni tutela, quòd licèt adnata oculi tunica pericranij ſit ſoboles,hebetioris tamen eſt ſenſus, cæteris oculi tunicis à meningibus ortum ducentibus. Adde quòd nulla ſint vaſa notatu digna, aut germina ſubinde magna, per quæ externa affectio eò ferri poſſit,niſi tantùm per continuationem ſimilarium partium. Non porrigitur itaque externus capitis dolor ad oculorum radices, niſi rarò, & præſertim vbi externus affectus meningibus internis communicatur per ſuturas. Conflatur namque pericranium,docente Galeno *lib.*8.*de vſu part.cap.*9.*ad fin.* coaleſcentibus ligamentis illis, quæ à dura meninge ortum ducunt, per ſuturáſque foràs procedunt, vt meninx cum caluaria connectatur.

A flatuoſo,calidóque vapore dolorem ortum ducere iudicabis,ſi tenſiuus ſit,hoc eſt,ſenſum tenſionis excitet; ſi mordax & pungitiuus,à bilioſis in ore ventriculi aceruatis excrementis, ex quibus acris vapor cerebrum petens mordacem excitat dolorem, qui grauis ſi fuerit,id eſt, ſi quidam grauitatis ſenſus in capite ſentiatur,à copia materiæ grauante oriri credendum eſt;& ſanguineam quidem venaberis,ex venarum tumore,& caliditate,faciei & oculorum rubedine, vita præhabita,epulis,& otio dedita, ſuppreſſa aliqua ſanguinea vacuatione, manifeſta temporum pulſatione, riſu frequenti, hilaritate, ſudore multo graueolente, vt hircis ineſſe ſolet; maximè ſi adſit febris, pulſus magnus, vrina rubra, anni tempus, locus calidior, ſomnus longior, & æger leuetur à frigidis & lædatur à calidis.

Bilem quidem dominari, & dolorem ab ea proficiſci intelliges,quia dolor eſt acutior, erodens citra grauitatem, cum ingenti capitis ardore. Accedit oris amaritudo,pallor faciei, pulſus velox, vigilia, vrina ruſſa, intenſa, aut crocea. Ætas, regio, anni tempus, & propria laborantis conſtitutio ad bilioſam naturam vergunt. Præceſſere cauſæ bilem generantes, vt inedia, ira, labor, vigilia, alimenta calida & ſicca, febris continua, aut ea quæ de tertianarum genere exiſtit.

Pituitæ redundantis ſigna ſunt, diſtillatio ex capite in ſubiectas partes;& à pituita in ventriculum illapſa, nauſea, cibi faſtidium,vomitio,animi defectio. Adeſt coctricis debilitas,vrina alba, carnis laxitas, membrorú mollitudo,ac frigiditas. Corpus laxis tumoribus infeſtatur,& quotidianis acceſſionibus premitur. Regio eſt frigida,ætas ſenilis, otium, & hyems,quæ frigidorum morborum ferax eſt, ex Hip.*lib. de nat. humana.* Torpor ſentitur in membris,albicat cutis color,tumeſcit facies, corpus graue,iners, ſputum aſſiduum, ſitis pauca.

Melancholiam arguunt color corporis niger, mœror,metus, terrores, oris ſapor ex acido & auſtero permixtus,appetentia immodica, ſomnus leuis; inſomnia turbulenta,vt mortis,cadauerum,ſepulchrorum; oculi limpidi,lucentes;aſpectus fixus,& terribilis;ſolitudinis deſiderium, taciturnitas, anteactum vitæ regimen, ad melancholicos humores diſponens. Ætas inclinat,tempus eſt autumni. Præceſſit ſuppreſſio hæmorrhoïdum, aut alterius vacuationis melancholicæ. Veneris appetentia,& alia adſunt,quæ Gal.3.*de loc. affect. cap.* 7. latè proponit.

Deinde ſi accidat dolor,propterea quòd caput ob innatam imbecillitatem ad patiendum ſit aptum, ex vini potu etiam non valde immodico, calidis odoribus, & aliis, alioquî ad dolorem inducendum parum efficacibus,facilè eum incurrunt. Neque abſurdum putat Galenus *cit.*3. *de loc.*exſtimare, ob acutum capitis ſenſum nonnunquam euenire, vt doloribus facilè infeſtetur. Sicut enim quidam ſunt, qui ventriculi os vſque adeò ſenſibile habent, vt nihil acre ferre poſſint ſine ingenti moleſtia: Alij è contrà tam inſenſile, vt etiam quæ turpiſſima ſunt, & abſurdiſſimæ qualitatis, quorum nec odorem quidem alij ſuſtinent,nullam illis excitent mordicationem: Sic inter hominum cerebra, tale aliquid poteſt reperiri, ac proinde leui de cauſa, & à quouis odore vehementer dolere, & affligi.

Dolor capitis per proprietatem, & primogeniam affectionem,continuò affligit;qui verò per conſenſum eſt,plerunque intermittit,aut cedit,aut creſcit.Quia in hoc ſemper iungitur alicuius membri læſio,à quo conſenſus in caput emanat. Frequenter caput ex conſenſu ventriculi dolet,vt Auic.docet 1.3.*tract.*2. *cap.* 15. & 2.2.*doct.*3.*cap.*2. quia maximus eſt inter cerebrum, & ventriculum conſenſus,ex Gal.3.*de locis affect. cap.*7.& 6.*Aph.*50.& 1.*de cauſ.ſympt.*7. tunc in ſyncipite dolor viget;ſicut ob rectitudinem ſitus hæc pars dolet,quando ob conſenſum cum vtero dolor excitatur,vt 6.*epid. ſect.*1.*com.*2.affirmat Galenus.Ob conſenſum lœnis,dolor ſentitur in parte ſiniſtra,ſi ob iecur,in dextra; ſi ob renes,in poſtica parte; ſi ob totius corporis conſenſum in febribus,totum caput dolet.

Indagandum: *Vtrùm dolor capitis permanens, ſit ſymptoma,vel morbus*? Hoc Galenus aſſeruit 1. *de loc.* 3. cui ſubſcribit Auic.2. 1. *doct. cap.* 1.*in fin.* dum ſic aſſt: *Et plerumque etiam ipſum accidens fit ægritudo,quemadmodum dolor capitis,qui ex febre accidit, quum quandoque figitur, & tamdiu ſit manſuus,donec fiat ægritudo, &c.* Sed hoc difficile videtur: Nam dolor, cùm ſit actio læſa,nullo modo poteſt eſſe morbus?Dic:Simile dubium eſt hoc illi, quod affertur de diuiſione febris in morbum, & ſymptoma,apud Gal.*lib.*1.*epid.ſect.*3.*com.*4.& 4. *Aph.* 73.& 7.*Aph.*42. Nam ſicut febris eſſentialiter conſiderata, ſemper eſt morbus; Medicè ſi contempletur, quando concernimus illius cognitionem, & curatio-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 195 sur 927

nem, vocatur symptoma, quando sequitur alium morbum; & tunc non eget peculiari curatione, quia curatur ad alterius affectus curationem, vt constat in febre, quæ internas sequitur inflammationes: vocatur tamen morbus, quando nullius partis affectum insequitur, & peculiari eget curatione. Eodem modo capitis dolor in sua essentia consideratus, quia fit per consensum alterius partis, vocatur accidens, & peculiari tunc non indiget curatione; quando tamen permanentem habet dispositionem, quia tunc peculiarem exigit curationem, ægritudo vocatur ab Auicenna.

Denique vt hæc ampliùs innotescant, attende quòd quando cerebrum ori ventriculi consentit, præcedunt præsertim nausea, vomitus, cibi fastidium, dolor, anxietas, quæ omnia humores redundare in ventriculi ore demonstrant. Sicut si flaua bilis è iecore in ventriculum excernatur cum oris amarore, siti, anxietate, inflatione, calore, & appetentia deiecta, per consensum hepatis caput dolere, certum est signum: & sic de humoribus cæteris.

Præsagium.

DOlor capitis posthabendus non est: Nam si cum febri est coniunctus, vel phrenitidis, vel surditatis, aut cæcitatis existit præludium. Si tamen citra febrem fit, & vehementer premit, grauissimos affectus portendit, distentiones neruorum, epilepsiam, lethargum, apoplexiã, paralysim, & alios, qui deinde auxiliis Medicis vix succumbunt. Insuper dolor capitis periculosissimis morbis adiungitur: Id equidem significauit Hip. 6. *Aph.* 51. dum inquit: *Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, ac sternunt, in septẽ diebus pereunt, nisi febris apprehẽderit:* & *lib.* 3. *progn.* 11. sic ait: *Capitis dolores vehementes, & continui cum febre, si quod ex indiciis exiterit exitiosis, lethales admodum sunt.* Quia cerebrum inflammari, vel aliquem alium magnum affectum pati demonstrant: atque hac ratione sola, huiusmodi dolores lethales existunt, non quòd ipsi sua vehementia mortem accersant, quemadmodum aurium, aut coli, aut oris ventriculi dolores facere solent, quia vt ait Galenus *lib.* 2. *sec. loc. c.* 1. *Ob capitis dolorem vehementem, nemo vnquam animi deliquio comprehensus mortuus est, nec seipsum occidit, quemadmodum quidam coli dolore vexati fecerunt:* & infrà scribit: *Vtcunque enim doleant, longè minor ij sorum est dolor, quam eorum qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore vexantur.* Verùm addit Hippocrates, hos dolores exitiosos admodum esse, non simpliciter, sed aliquo ex lethalibus accedente indicio, cuiusmodi est importuna vigilia, quæ omnem vehementem dolorem solet comitari, bilis prasinæ vomitus, deiectæ vires, perturbata vrina, inquietudo, & his similia, quorum numerum ipse *lib.* 2. *progn.* 56. latè conscripsit.

Curatio.

AD curationẽ antequam accedamus, aliqua prælibare oportet, non solùm dolori capitis curando, sed aliis affectibus summoperè necessaria: & primò sic. Aër non sit luminosus: nam 2. 4. *cap.* 33. dolentes effugiunt lumen. Vniuersaliter autem lumen non prohibetur ægris, sed splendor apud Hip. *lib. de Medico.* Remedium in dolore capitis præstantissimum est deambulatio ventriculo ieiuno, vel non statim à cibo, sed post horas tres, 2. *sec. loc. cap.* 1.

Caput matutino tempore pectinandum cum pectine de cornu arietis, aut eburneo: sit morosa, cùm resolutionum remedium sit. Pectinatio sit à parte posteriore ad anteriorem, è contra, aut transuersò; non semper ad vnam partem tendat pectinatio. Magna est vtilitas lotionis pedum: nam tam in præseruatione, quàm curatione mirè conducit. Quæ lotio, & frictio si sit morosa, non lenta, & in partibus extremis facta, est vtilior, quia ad attractionem materiei valde conducit, & reuulsio ad longinqua fit meliùs: nam ad extrema tendunt & venæ, & arteriæ: quod præsidium in illis ampliùs confert, qui ventrem habent adstrictum; vapores enim in his nocui retenti facilè ad caput exhalant.

Alimentum sit facilis coctionis, & distributionis, minimè caput tentans: Vitanda lacticinia, pisculenta, herbacea, legumina; nam flatuosa sunt. Allia, & mel, nocua. Inter cætera damnantur palmulæ, crocus, oliuæ nigræ; crassum enim succum præbent, oculis, & cerebro inimicum. Edulium ex lente, reprobum, ob eandem causam: si verò Rhasius 9. *ad Almans.* id concedit, intelligatur modicissimè. Coriandrum, & viride, & siccum commendauit Auic. 2. *canon. tract.* 5. *cap.* 11. in secunda mensa, quòd prohibeat vapores ad cerebrum ascendere: Hoc modo conceditur ab Auicen. 1. 3. *cap. de epilepsia*, & *lib. de remouendis nocumentis, tract.* 2. *cap. prop.* In hunc vsum bellaria facta ex ex coriandro conferunt. Aromata omnia inutilia, ex Hip. 5. *Aph.* 27.

Potus in calida causa sit aqua decocta hordeo, flore violarum, vel tenuis cereuisia: In frigida decoquatur anisso, cinnamomo, aut radice chinæ. *Vtrùm Vinum in cephalalgia concedendum:* dubium est. Cùm enim sit vaporosum, & flatulentum, vel etiam in frigidis capitis affectibus est à Galeno repudiatum, *lib.* 1. *ad Glaucon. cap.* 14. dum sic ait: *Sed aduertendum est, num sit aliquid quod prohibeat huiusmodi exhibitionem, veluti, si aliquod vnum ex visceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementiùs doluerit, aut passio aliqua quæ delirare cogat, adfuerit, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim, & quasi insanabilia ex potu vini in huiuscemodi affectibus nocumenta proueniunt, &c.* Hoc affirmat etiam *lib. cit. sec. loc.* subscribit Auicenna 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 9. Si verò Galenus paulò pòst concessit vinum tenuium partium, intellige parum, in declinatione, & album: Licèt enim hoc ob tenuitatem citissimè penetret, 3. *acut.* 3. & sic flatu suo caput diitendat, tamen cùm minùs calidum sit, 3. 1. *tract.* 2. *c.* 2. & 12. *meth. c.* 4. non ita calefacit, nec promptè euaporat; & sic hoc nomine conceditur febrientibus, 3. *acut.* 8. & quia expurgat bilem, citò enim permeat ad vesicam: sed cum cautela multa. Hoc modo nec in frigidis affectibus conceditur ab Auic. 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *Et in cerebri affectibus omitte vinum, quousque sanetur ager sanatione integra, & veniant super eum quatuor tempora.*

Somnus sit prolixus, hic enim narcotici medicamenti instar, cephalalgiæ strenuum est auxilium. Figura iacendi apud Aurelianum, si dolet totum caput, commodior est supina. Videtur causa, quia arteriæ soporariæ, per quas communicatur affectus, in anterioribus sunt, & sensus acutior. Si autem medietas dolet, supra eam censet decumbendum. Affectus tam animi, quàm corporis interdicendi, quia humores mouent, & perperuò turbant. Veneris vsus, incommodus.

Intemperantia calida immaterialis, curabitur aëre refrigerante, victu simili, abstinentia illorum quæ vniuersim in omni capitis dolore noxia sunt, qualia sunt durioris cibi masticatio, aromata omnia, agni casti semen, absinthij succus, myrrha, thus, hederæ corymbi, grana sabinæ, grana paradisi vocata, arbuti fructus, eruus, crocus, vt docent Gal. 3. *de loc.* 9. & *lib.* 2. *sec. loc. cap.* 1. Aurelianus *lib.* 1. *tardar. passion. cap.* 1. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 46. Auic. 3. 1. *tract.* 2. *cap.* 1.

Indicatio quæ ab affecta parte desumitur, magni solet esse momenti apud Galenum, 13. *meth. c.* 22. Quare Sinciput pro applicandis remediis est aptissimum; quia ibi cranium est tenuissimum, & rarissimum, & ob hanc causam citissimè penetrant medicamenta, & ob alias causas

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 196 sur 927

cauſas quas latè *lib.1.hiſt.PP.Med.in com.hiſt.*8. propoſuimus. Occiput ineptum: nam ex frigidis timetur noxa; ex calidis, parua vtilitas. Iccircò ſi ex inſolatu, ardoréve dolor capitis originem ducat, expedit huic parti admouere non ſolùm potentiâ, ſed actu frigida; & quæ cum frigida facultate, modicam adſtrictionem, & tenuium partium ſubſtantiam habeant adiunctam: nam ſic magis penetrant, 3. *ſimpl.*17. & membrum princeps roborant, 4.1.*cap.*1.

At hæc localia pharmaca, vt penetrent, neceſſe eſt vt detonſo, abraſóve capitei imponantur. Sed Aſclepiades negat, eo quòd tonſio attrahit ad locum tonſuræ: argumento eſt, quia poſt eam pili craſſeſcunt; deinde denſat cutem, quare tonſis præſertim poſt cibum, fluxionum morbi accidunt. Præterea ſi poſt tonſuram lanas imponimus pharmacis imbutas, multò magis præſtabit naturale tegmen pilorum. Quòd autem pili poſt craſſeſcant, cauſa eſt, quia in homine profundas habent radices, quare iuxta eas, craſſiores ſunt, 10. *probl.* 23. quæ pars inua, cùm ex tonſura reddatur ſumma, meritò craſſiores apparent pili. Num autem Auicenna 1.3. *tract.*2. *cap.*10. rectè præcipiat in hunc vſum radendum caput, qui tamen 1.4. *tract.*2. *cap.* 7. *in fin.* ſcripſit raſuram in febricitanti eſſe cauſam fortis febris, quia inſpiſſat cutem, & vapores reuertuntur, & fit fortis febris: & 2.4. *cap.*101. *in fin.* dixit, quòd in conualeſcente eſt cauſa recidiuæ, intelligendus eſt in affectu frigido; per calida enim emplaſtra, tollitur condenſatio facta à raſorio, vel nouacula.

Quare dum caput ab ardore dolet, æſtiuo præſertim tempore, conſonum eſt vt medicamenta capiti admouenda, ſint actu frigida. Neque aduerſatur ſententia Auenzoaris, 1. *theizir, tract.* 9. *cap.* 2. contrarium imperantis, tum ob nobilitatem cogitatiuæ ibi reſidentis, tũ ob maiorem coronalis cõmiſſuræ amplitudinem, & quia cerebrum eſt exangue, frigidum, & humidum, & facilè à frigidis offenditur. Nam hoc cùm naturaliter frigidum ſit, non incidit in calidum morbum, niſi à valida cauſa: adde quòd ob mollitiem facilè torretur. Quare non eſt timenda actualis frigiditas, vbi vis tolerat, hoc eſt, niſi ſit imbellis facultas, qualem habent pueri, fœminæ, eunuchi, & ſenes. De qua dubitatione infrà *cap. de phrenitide* proponemus plura.

Hac de cauſa in principio vtile eſt roſaceum, ex Apollonio apud Galenum, 2. *ſec. loc. cit.* Tral. *lib.*1. *c.* 10. impoſitum iuxta frontem, vbi piloſa capitis pars deſinit. Eligendum ex Archigene apud Gal. *loc. cit.* in præſentem vſum, quaſi præſtantius, roſaceum ex oleo crudo, quod Omotribes, ſeu Omphacinum vocant, citra ſalis admixtionem confectum. Nam in roſaceo conficiendo plures committuntur errores: nec enim ſuccum roſarum infundunt, nec æquant roſas oleo, nec quadraginta dierum ſpatio, & paulò plus ſoli exponunt, nec coquunt, nec lauant iuxta Meſuæ præceptum, nec eligunt oleum ſalis expers, quod *cit. loc.* commendat Galenus: & quod plus eſt, roſas in vaſe omittunt, vnde putrefactio. Cùm ergo oleum expreſſum cum nucleis calidum ſit, & magis adhuc ſalitum, 2. *ſimpl.* 6. ſequitur roſaceum ſolum, non eſſe ſufficiens refrigerando, & repellendo. Penetratio verò promouebitur, ſi aceti roſacei pauca quantitas admiſceatur cum aqua roſæ, ita vt huius ſint partes quatuor; roſacei duæ; aceti, vna. Quòd ſi ardor ſuperare videatur, refrigerantium vim intendere oportet, admiſcendo ſemperuiui, aut portulacæ, lactucæ, aut nymphææ ſuccum.

Proſunt Embrochæ, ſeu lauacra ex decocto Maluar. Violar. Pampinor. Vitium, Semperuiui, Roſar. flor. Nymph. Quòd ſi ſomnum conciliare opus eſt, addes folia lactuc. hyoſcyam. ſeu papaueris capita. Conferunt vnguenta, & cerata, qualia parat Alexander ad ſodã calidam, ex cera elota, roſaceo, addito aceto, & portulacæ ſucco. Recreant odoramenta frigida naribus indita.

A *Ꝛ. Flor. violar. roſ. rubicar. nenuphar. an.* ʒ ij. *camphor.* ℈ j. Cum gummi tragacantho in aqua roſar. diſſoluto, fiat pomum odoriferum.

Quòd ſi doloris vehementia vrgeat, aut peruigilium, ſtupor inducendus, impoſitis ſupra tempora, & intra nares iis, quæ ardorem attemperent, & ſomnum concilient, vt ſunt oleum Violat. Nenuph. Papauer. Vnguent. refrig. Roſac. Popul. permixta cum albumine oui, muccagine pſyllij, puluere coriandri, Camphora, & pauco opio. Interna refrigeratio procuranda aſſumptis refrigerantibus, potionibus, tabellis, conſeruis, & in intolerabili cruciatu, narcoticis, Diacodio, pilulis de cynogloſſa, Philonio, & aliis.

B *Intemperantia frigida immaterialis*, curabitur aëre calido, vel ſimilis arte paretur. Calida admouenda facultate, & actu, ea ſunt Chamæmelum, Ruta, Anethum, Hyſſopus, Betonica, Thymus, Pulegium, Saluia, & ſiquę alia, lauri folia, Mentha, Styrax, Belzoinum, Galanga, Piper, ex quibus parari poſſunt vnguenta, olea, cataplaſmata, lauacra, fomenta, euaporationes, ſuffitus, de quorum formulis infrà de intemperantia frigida cum materia.

A ſiccitate ſi oriatur dolor, tunc aër humidus vtilis eſt, ſomnus prolixus; immodicæ vacuationes nocent. Victus ſit humectans, balnea proſunt, irrigationes ſupra caput proficuæ ex humectantium herbarum decocto, lacte, oleis ſimilibus, amygdalino, violaceo, roſaceo,
C curcubitæ, addatis butyro inſulſo, aut pinguedine anſerina, gallinacea, vitulina.

A plethora ſi habeat ortum, obſeruatis præceptis quæ ſuprà tradidimus, media vena ſecanda, deinde cephalica: affigendæ ſcapulis cucurbitulæ, inciſa cute. Si ſuppreſſa ſit aliqua inferna vacuatio, ſaphena tundenda: loco eius, hirudinum ope ex mariſcis detrahendus ſanguis: tandem ad ſectionem venæ frontis accedendum, maximè ſi poſteriorem capitis partem dolor occupat, vt Hip. tradit, 5. *Aph.* 68. *Dolenti partem capitis poſteriorem, in fronte recta vena inciſa prodeſt.* Firmat Gal. 2. *ſec. loc. cap.* 2. Sicut ſi anterior pars doleat, affixa cucurbitula occipiti, remedio eſt. Hoc modo venula naſi ſecanda, & hirudines capiti, naribus, retro aures, & temporibus admouendæ. Localia ſincipiti imponenda.
D Purgatio clemens imperanda. Potiones offerendæ refrigerantes.

Cephalalgia biliosa curatur humidis & frigidis, præmiſſa venæ ſectione, quæ à parte affecta reuellat, ventilet, refrigeret, præſertim ſi bilis in ſanguinis præſentia abunder, & iecur igneum ac excandeſcens dolori fomitem præſtet. Humorem tamen bilioſum priùs attemperabis, eiúſque acrimoniam retundes, & præparabis potionibus, nõ modò actu frigidis, ſed & niue refrigeratis. Poſtea expurgabis illis medicamentis, quæ bilioſum humorem ſuauiter educunt: hæc ſunt Rheum, pulpæ caſſiæ interaneus liquor, tamarindi, myrobalani citrini, ſennæ Orientalis folia, Aloë, Pruna, Viola, Roſæ, Serum, Manna: dummodò aduertas, quòd caſſia cerebrum vapore replet, manna facilè bileſcit; quare pi-
E crocholis non eſt exhibenda. Rhabarbarum, ſiccum eſt, ſed exinfuſione in aqua endiuiæ, Violarum, ſeri, vel aliquo refrigerante decocto, hoc vitium facilè miteſcit. Conferunt ſyrupus violaceus, & roſaceus ex nouem infuſionibus, Diaprunum ſolitiuum, & alia ex quibus facilè poteris conficere conſeruas, bolos, tabellas. A purgatione ſi humoris reliquia ſuperſint, paulatim attemperabis, & expurgabis: poſtulat enim affectus ex mordenti humore progenitus, vt ea quæ contriſtant, euacuentur: ſi id omnino fieri nequeat, vt per epicraſin ſanetur, vt eleganter monebat Galenus 11. *meth. cap.* 8. Quòd ſi intolerabilis dolor hominem premat, & ex pervigilio vires debilitentur nimis, tunc opiata offerenda, quæ ingentem humorum caliditatem contemperent, acrimoniam refrænent, tenuitatem incraſſent

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 197 sur 927

crassent, vt *lib.* 12. *meth.* 1. & 8. docuit Galenus.

Sed antequam pergamus vltrà, duo inquiramus priùs. Primùm; *Vtrum post syrupos biliosum humorem præparantes, & alia alterantia medicamenta, sit dormiendum?* Dic, quòd per somnum præstantiùs concoquuntur, atque in halitus dissoluuntur in totum corpus, sed in caput potissimùm facilè permeant. Neque instes, superuacaneum esse, assumptis serapiis obdormiscere, quòd difficiliora cibaria edit ægrotus interdiu, quæ citra somnum concoquit: Nam hæ alterantes potiones moderato somno ita parantur, & in actum reducuntur, vt agiliùs in vniuersam corporis molem postea obrepant. Ita frigida medicamenta ab innato calore in actum reducuntur, quia in minutissimas partes secantur, sicque diuisa faciliùs penetrare possunt, & digeri, calida verò, tum quia coctione calidiora redduntur, tum quia diuiduntur & secatur, vt 3. *simp.* 20. dictauit Galenus. Quis autem dubitabit, hæc per somnum perfectiùs obiri? Hoc modo 6. *Aph.* 31. in curatione doloris oculorum, post meri potum extenuantis, & resoluentis, mox concedit somnum. Celsus *lib.* 3. *cap.* 7. *in fin.* post gelidæ potum, somnum imperat. Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap. de causonis cura*, post tamarindorum cum caphura decoctum, somnum procurat, ob rationes dictas.

Quæro secundò: *Vtrùm ius Gallinæ insulsum die purgationis commodè offerendum?* Nam si humor biliosus, furens, & acris à capite vacuandus est per ventriculum, & intestina, quomodo has partes tuebimur, & ab illius acrimonia defendemus, & extrà eliminabimus, ne os ventriculi maximè sensile vellicet, & intestina abradat, & pungat, nisi oblato contemperante potu, aliter Cardiogmus, animi deliquium, & funesta dysenteria verenda essent? Dic plura sunt apud priscos recitata, quæ hoc opus mirificè complere queunt. Primum, vt strenuum proposuit noster senex *in acutis suis*, vt medicamentorum effrænium, quibus ipse vtebatur ferè, acrimoniam attemperaret, & ad detergendum quod viæ adhæret, & erat ptissana proximè ab assumpto expurgante oblata, quam 2. *acut.* 12. summè extollit.

Nos autem hodierno tempore longè mitiora pharmaca nacti, eáque satis correcta, non ita eorum malignã qualitatem formidamus: quare mox eam non offeremus, ne fortè corrumpatur medicamento immixta, vel naturam à decenti operatione distrahat, aut vim medicamenti mitioris exoluat. Quare si mite propinetur cholagogum, non est æger reficiendus, quamdiu in visceribus medicaminis saporem senserit, & quamdiu sitis non vrget: vbi autem viscera resederunt, & iucunda facta sunt, sitisque infestare incipit, opportunum, eum qui purgatur, cibandi tempus instare, innuit Halyabbas, *lib.* 2. *pract. cap.* 56. *de regimine bibendi laxatiuum.* Communiter autem inter medicamentum, & cibi exhibitionem quatuor horarum interstitium interponi solet.

Quare in hunc vsum accommodata est ptissana, quę pharmaci reliquias eluat, simúlque deorsum impellat, & ventriculi interioria obliniens, omnem medicamenti qualitatem, tædiaque demulceat: quæ si rudiore saccharo sit dulcorata, plus deterget, & ad deducenda excrementa magis erit ex vsu. In hunc vsum iusculum pulli, aut gallinæ offerri solet, exiguum, & sine sale: salitum enim sitim excitat, & plus æquo retentum longiorem moram in ventriculo trahit, viásque cogit, atque coarctat, quod Auicennæ testimonio comprobatur, 4. 1. *cap.* 5 dicentis, *eum qui medicinam purgatricem sumpturus est, salis copia in eduliis suis vti non debere.* Deindè ius insulsum cùm insipidum sit, non retinetur, sed intestina abluit, lubricat, & celeriùs elabitur. Præterea sal vstus adstringit, & siccat, ex mente Galeni, 5. *simp. cap. de sale vsto.* Insuper sitim, quæ à purgatione inuadere solet, meliùs sedat, & sua pinguedine epicerasticum satis medicamentum est, & succorum acrimoniã ad intestina accurrentium infringit. Plures ius hoc condemnant, nî cum saccharo rubeo permisceatur, quasi album detergendi vim non habeat, quam illi concessit Galenus, 8. *meth. cap.* 4. & magis suaue, & temperatum est hoc, quàm rubeum, quod suo calore in biliosis febribus, vbi à purgatione nimium siti ventriculus æstuat, viscera inflammat.

Cephalgia pituitosa curatur aëre calido & sicco, victus ratione simili, quæ adeò in chronicis affectibus confert, vt solâ eâ sine alio medicamento plures fuerint curati, ex Gal. *lib. de attenuant. vict. rat. cap.* 1. & 2. *sec. loc. cap.* 2. Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. & 13. Præparetur humor pituitosus ad expurgationem serapiis calidis, attenuantibus, & similibus potionibus. Si verò pituitosa cacochymia sit impermixta, cauendum est à sectione venæ, ne extracto sanguine humores crudiores reddantur; nisi fortè sanguinis redundantia adsit, aut pituita salsa existat, aut vasorum capitis adsit contumax obstructio, aut doloris vehementia ad exhauriendum sanguinem, reuulsionis causâ, nos compellat. In his enim exemplis, ex detracto sanguine maior sequitur vtilitas noxâ.

Phlegmagoga optima sunt; Agaricus, mechoaca, polypodium, & carthamus, myrobalani chebuli, syrupus laxatiuus ros. pallidarum cum agarico, Rhodomel Persicum, pilulæ de Agarico, Arabicæ, Aggregat. Aureæ, Cocchiæ, fœtidæ, de sarcocolla. Sed forma solida præferri debet, quòd in ventriculo diutius morata à capite efficaciùs attrahat.

Præstabit tamen hîc perscrutari: *Vtrùm Catapotia in capitis affectibus sint post cœnam propinanda?* Auicenna *lib.* 5. *canon. tit. de pilulis aggregat. & de euphorbio*, catapotia caput expurgantia, noctu à cœna, interposita hora vna, aut altera exhibere consulit; Nam valentiùs sic medicamentum expurgans noxios à distantioribus locis succos attrahit, quia cum vapore alimenti, vis quoque medicamenti sursum effertur. Neque dicas cum Paulo *lib.* 7. *cap.* 4. & 6. quòd expurgantia medicamenta cibis permixta corrumpuntur, & eorum ope purgatio exoluitur: Nam hoc non est consonum menti Galeni, qui *lib.* 13. *meth. cap.* 15. in inflammatione iecoris Cnicum cibis admiscet, & vrticam, Mercurialem, Epithymum, Filiculam, & nigri veratri corticem. Cùm enim viæ sint angustæ, & obstructæ, per quas vix educitur humor, præsertim si crassus, & vstus fuerit, opus est cum medicamento cibum admiscere, tanquam vehiculum, vt iecur illud non respuat, sed potiùs attrahat, ob iucundum edulium, quod medicamentosa qualitate præditum est, & sensim quod noxium est, euacuet.

Sanè cibus qui medicamento permiscetur, haud laborantibus datur, vt vires reficiantur, sed vt medicamentum potiùs coadiuuet; vires enim facilè ex alimento post aliquod tempus adhibito, reuiuiscent. Adde quòd hæc damna non euenient, si duabus, aut tribus horis post cœnam, alimento iam quasi concocto, euaporante tamen, pilulę exhibeantur: nam si illicò post cibum eæ offerantur, quum ferè ex validis medicamentis parentur, ob cibi impedimentum ad actum non deducentur; nec alimentum ob medicamentum, à iecore, & venis attrahetur; imò alter alterius motum, & actionem impediet: facultates siquidem contrarias habent, & motus oppositos, cùm iecur alimoniam trahat à ventre, medicamentum in ventre contentum ad se à iecore, & venis alliciat. Quare hisce de causis pilulæ non illicò post cibum, sed tribus, quatuórve horis post eum sunt propinandæ.

Si tamen medicamenta renuat æger, serapium roborans, flatus discutiens, expurgans propinandum alternis diebus, vt sic sensim humor crassus vacuetur.

℞. *Ligni guaiaci*, ℥ iij. *radic. chin.* ℥ ij. *sinilacis asper.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 198 sur 927

æſper. ℥ j. *polypodij quercini*, ℥ j. *epithym.* ʒ iij. *hermodactylor.* ʒ iiij. *ſem. cartham.* ʒ ij. *turpethi gummoſi* ʒ j. *paſſular. corinthiacar.* ℥ j. *betonic. maioran. verben. an.* M. j. *flor. ſtœchad. roris marin. ſaluiæ, flor. cordial. an.* P. j. *ſen. Orientat.* ʒ iij. *aniſi ſem. fœnicul. cinnamom. an.* ʒ j. *agarici trochiſcat.* ʒ ij. Fiat decoctio in aquæ puriſſimæ, q. ſ. colaturæ adde ſacchari, aut mellis, q. ſ. & fiat ſec. art. vel ſyrupus breuis, vel ſyrupus longus, qui quantitate ℥ ij. per ſe, vel cum conuenienti decocto diluatur.

Si æger reſpuit potionem, amat conſeruam, hoc modo paretur.

℞. *Saluiæ, betonic. pulegij, ſtœchad. roris marini, an.* M. ß. *ſen. orientat.* ℥ ß. *polypod.* ʒ iiij. *ſem. cartham.* ʒ iij. *radic. chinæ*, ℥ j. *glycyrrhiz.* ℥ j. ß. *paſſular.* ℥ j. ß. *cinnamom. aniſi, an.* ʒ j. Coque ſec. art. in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneat ℔ ß. adde *Pulp. paſſular.* ℥ j. ß. *fol. ſen.* ʒ ij. *radic. chin.* ʒ iiij. *mechoac.* ʒ iij. *hermodactyl.* ʒ ij. *pulp. ſem. cartham.* ʒ iij. *mannæ* ℥ j. ß. *agarici*, ʒ j. *maſtich.* ℈ j. *tartari vini albi* ʒ iij. Puluerizanda puluerizentur, & excipiantur cum melle, & ſaccharo, ita vt ſecundùm artem fiat conſerua. Doſis ʒ ij. alternis diebus in aurora.

Stibium granor. trium pondere propinatum, mirabilem in expurgando obtinet facultatem, rhodoſaccharo permixtum, aut in vino, aut iure auis maceratum.

Poſt purgationem molienda ſunt, quæ intemperiem corrigant, cerebrum roborent, flatus diſcutiant, qualia ſunt Aromaticum roſatum, Diambra, Diamoſchus, Diagalanga. Diacoron, Theriaca, Mithridatium, conſerua Enulæ, florum ſtœchados, Roriſmarini, Zingiber condîtum, Bellaria ex aniſo, cinnamomo, & cortice citri ſaccharo condîti. Sudationes paratæ ex decocto Ebeni, Sarſæ parillæ, & Chinæ. Sulphureæ thermæ optimæ ſunt. Enemata acria conueniunt, glandes, frictiones, ligaturæ, & cucurbitulæ citra ſcarificationem, dorſo, & occipitio adhibitæ. Apophlegmatiſmata, gargariſmata, & errhina ſummè opitulantur, quæ humoris reliquias abſumant, intemperiem corrigant, cerebrum roborent. Odoramenta in hunc vſum ſunt vtilia.

℞. *Cortic. citri, fol. citri, maioran. betonicæ, an.* ʒ j. *flor. ſtœchad. ſalu. roriſmarin. an.* ʒ ß. *ſtyrac. calamit. ladani. lign. aloës, ſantalor. rubeor. an.* ℈ j. *maſtich. thuris, caryophyllor. macis, nucis moſchat. an.* ʒ ß. *balſami odoriferi* ℥ ß. *moſchi, ambræ griſeæ, an.* ℊ. v. Cum ſucco Maioran. aut Betonicæ, & tragacanthi cremore, fiat globulus iugiter manibus tractandus, aut naribus admouendus.

Ex iiſdem poſſunt parari lauacra, cum ſpongia capiti adhibenda, quibus vinum, aquam vitæ, & olea calida, & roborantia admiſcebis, vt oleum Belzuini, de ſtyrace, Laurinum, Coſtinum, & alia. Ex ipſis oleis fiunt vnguenta, ſincipiti, & temporibus imponenda. Confert etiam pileus, ſeu cucupha conſtructa ex pulueribus, qui roborandi, & diſcutiendi vi præditi ſunt.

℞. *Saluiæ, betonicæ, maioran. melliſſ. verben. Sampſuc. flor. anthos. ſtœchad. chamæmel. melilot. coriand. præparat. an.* ʒ ß. *diarrhod. abbat. aromatic. roſat. diamarg. frig.* ℈ j. *maſtich.* ʒ j. *cinnamom. aniſi, an.* ℈ ß. *cortic. citri, caryophyl. roſar. ſantalor. citrinor. an.* ʒ ß. *radic. cyper. ſem. pæoniæ, an.* ʒ j. *nucis moſchat. macis, ſem. angelic. cymin. fœnicul. an.* ℈ j. *diamoſch. diambræ, an.* ℈ ß. *rutæ ſiccæ, zedoariæ, valerianæ, dictamni, an.* ʒ ij. *moſchi, ambræ, an.* ℈ ß. Pulucriſanda puluerizentur, & immittantur inter ſericum, & ſericum rubrum, (Zendalum vocant) exiccata priùs ad vmbram, & aqua Naphæ, vel meliſſæ irrorata, & deinde ſuantur interpunctim ad formam pilei, qui caput continuò contegat, roboret, & muniat.

In ſæua, vehementique Cephalalgia, ad ſinapiſmos, & veſicatoria accedendum. Vel fonticulus in brachio, vel nucha aperiendus, vt horum remediorum ope humor continuò regenitus in capite, vel aliunde tranſmiſſus vacuetur. In quem vſum cauterium in ſincipite excitandum, & vſtiones in capitis circuitu celebrandæ: potenter enim humorem à profundo ad externas partes alliciunt.

Cephalalgia melancholica, curatur aëre humido, victu ſimili. Coquendus priùs humor eſt ante vacuationem: qui ſi ſit veluti fæx, ac ſanguinis limus phlebotomia extrahendus, aut maximè facta vacuatione per mariſcas, præcipuè ſi ab vtero, aut ex ſuppreſſa aliqua conſueta vacuatione dolor emanet. Si verò melancholia ex ſanguinis fæce, vel flaua bile præaſſatis ortum ducat, tunc præparandus iis, quæ atrabilarij ſucci feruorem attemperant, acrimoniam demulcent, eiúſque craſſitiem extenuant, vt ſtillatitiâ, vel decocto Violar. Borrag. Fumar. Lupulor. Paſſular. Thymi, Epithym. Pomor. redolent. adiectis ſyrupis, qui ex ſucco horum medicamentorum parari ſolent.

Sed arduum videtur dubium: *Vtrùm ſyrupi ex aceto parati, in cephalæa à ſucco melancholico pronata, ſint concedendi?* eo ſolùm nomine, quia humoris craſſitudinem attenuant, de quorum numero ſunt ſerapium è duabus radicibus cum aceto, oxymel ſimplex, aliáque id genus: Nam ab eis ſummopere abhorruit Hippocrates *lib. 3. acut. com. 38.* dum ſic ait: *Vt autem in ſumma dicatur, quæ ab aceto eſt acredo, picrocholis magis, quàm melancholicis prodeſt. Amara ſiquidem diſſoluuntur, deſciſcuntque in pituitam, cùm ab aceto in ſublime attolluntur, nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur:* & Galenus *in com.* confirmat, dicens: *Picrocholas naturas appellat Hip. quæ amarum ſibi contraxerunt ſuccum, cuius generis eſt flaua bilis, his idoneum eſſe ait acetum, quod melancholicis aduerſiſſimum exiſtit: nam bilem nigram acidam eſſe contingit, cùm ſcilicet præter naturam habente corpore, & ſyncera, & impermixta fuerit.* Et *lib. 1. ſimpl. cap. 33.* iis qui naturam ſortiti ſunt melancholicam, acetum ſummè nocere aſſeuerat. Subſcribit Auic. *1. 3. tract. 4 cap. de curatione melancholiæ, §. Et quidam laudauerunt, vt ſorbeat omni nocte acetum forte, & præcipuè acetum ſcilliticum: Nos autem timemus in eo malitiam ſcillæ, & aceti in hac ægritudine, niſi adſit fiducia, quòd materia ſit generata à cholera aduſta, quoniam eſt calida: Nam tunc acetum eſt magis iuuatiuum ei aliis rebus.* Quare acetum nocet omnibus affectibus melancholicis, niſi atra bilis exuſta calida, & acris, & potiſſimùm à bile retorrida genita ſit; vel exteriùs apponatur pro duris, ſcirrhoſiſque tumoribus emolliendis; vel penetrationis causâ, cum aliis permiſceatur, quæ ſimilem naturam nacta ſunt. In hunc vſum Gal. *14. meth. cap. 5.* & *2. ad Glaucon. cap. 4.* emplaſtris addit acetum. Illo modo Paulus *lib. 3. cap. 14.* in melancholia morbo aceti quàm acerrimi ſorbitiunculam, poſt omnem cibum porrigit: cum Aëtio *eodem capite*, vbi iam dormire velit æger, quando ſcilicet atra bilis peccat: ſecùs autem faciendum, quando melancholia frigida ſicca exuperat. Præparatus humor leuibus educendus medicamentis, quorum copiam lege *infrà, cap. de Melancholia.*

Cephalalgia à flutu ſuborta, curatur reſoluentibus, roborantibus, & aliis quæ intemperiem corrigunt, natiuum calorem refocillant, pituitoſos humores exhauriunt, quorum ſyluam ſuprà deſcripſimus. In quem vſum vtilis eſt cucurbitula ſicca, occipiti cum magna flamma admota, quam etiam ſincipiti affigere non eſt abs re.

Cephalalgia ab inflammatorio cerebri affectu concitata, curabitur, ſi inflammationi præſidia offeras, quæ *cap. de phrenitide*, & *lethargo, infrà* exquires. Si verò ea ſit ſignum decretorium criſim prænuntians, vt ait *3. criſ. vlt.* tunc pro illius remotione præſidia quærenda non ſunt, vt docet Galenus *1. ad Glauc. 15.* ſed ſolùm criſis futura remediis idoneis eſt iuuanda:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 199 sur 927

uanda: nam dolor sponte cessat, vt ait Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 30.

Cephalalgia ex deleteria qualitate, aut lue Venerea contracta, curanda est per ea, quæ veneficam qualitatem retundunt, qualia sunt Alexipharmaca. Si verò ex morbo Gallico concitetur, eam iis oppugnabimus, quæ à proprietate hanc hydram curare nata sunt, de quibus *lib.* 2. *cap.* 1. latè peragemus. Si *vermes* huic malo occasionem præstent, quos in anteriore capite nasci testatur Auic. 3. 1. *tract.* 1. *cap.* 3 qui morsu membranas pungunt, vellicant, feriunt, & tetro eleuato vapore cerebrum labefactant, ac spiritus resoluunt: tunc corpore, cerebróque purgatis, vermes interficientia, & expellentia, non modò per os, sed per nares immissa sunt vtilia, quæ reperies *lib.* 4. *de feb. sympt. tit. de vermibus.*

Cephalalgia per sympathiam ventriculi, curabitur, si bilis redundet in eius ore, & æger ad vomitum sit procliuis, excitato vomitu: si verò ea in imo sit infixa, purgatione per aluum celebrata, clystere, leni pharmaco, & postea Absinthij dilutum propinandum; vel hoc medicamento permixto præparatum serum lactis exhibendum. Si pituitosi succi in ventriculo innatent, vomitus prouocandus: & si in infima eius parte sint infixi, vel crassi, lentíque sint, ij attenuandi, & expurgandi; in quem vsum Hiera simplex vtilissima est, ex Galen. 11. *meth. cap.* 7. & 2. *sec. loc. cap.* 1. Pilulæ mastichinæ commodæ, sicut & agaricum, terebinthina cum modico puluere diarrhodonis, aut paratæ ex æquis portionibus Aloës, Rhab. Agaric. Mastich.

Cephalalgia per sympathiam à iecore, curabitur venæ sectione, si sanguis aut multus, aut præcalidus malo occasionem præstet. Purgatio clemens porrigenda. Balneum administrandum, sed priùs per plures dies serum lactis caprini offerendum, in quo per noctem Rhab. flores cordiales, Myrobalani citrini madescant. Epithemata iecori admouenda, saluatella dextra secanda. Sic etiamsi splenis, alteriúsve membri affectio cephalalgiam inducat, partem affectam primariò curabis.

Cephalalgia à toto corpore suborta, vt in febribus sæpe contingit, curatur venæ sectione, scarificatis cucurbitis dorso admotis, frictione, & ligatura partium extremarum, purgatione clementi per clysteres, & lenia medicamenta celebrata. Oxyrhodinum sincipiti imponendum, nî febris oriatur ex catarrho; illud enim prohibet illius coctionem, & resolutionem; vel ex vaporum crassorum copia oriatur, qui vel in cerebro generantur, vel ad id ex alia parte solent confluere.

Cephalalgia orta ex ebrietate, curatur duplici scopo, vacuatione, & refrigeratione: illa, si caput sit vaporibus & humoribus calidis repletum; quare tunc reuulsionis causâ venæ sectio celebranda, cucurbitulæ scapulis affigendæ. Hac, ingestis quæ refrigerandi vim habeant, & vaporum impetum ad caput retundant, vt sunt vomitus, refrigerantes potiones, ptissanæ cremor, panis ex aqua, interdicendum vinum. Capiti imponenda refrigerantia, & repellentia, vt rosaceum per se, vel cum aceto. Proprietate quadam ebrietati reluctantur Brassicæ folia aqua calida madefacta, & capiti circumdata, aut hederæ corymbi rosaceo malaxati. Imperanda quies. Prouocandus somnus. Declinante malo cum repellentibus discutientia permiscenda, & sic rosaceo addendum anethinum, aut chamæmelinum. Ebrietatem arcent olei vnciæ binæ præbibitæ, Amygdalæ amaræ ieiuno ventre esitatæ numero quinque, aut sex. Brassicæ cauliculi. Ipso iam bibito, ab ea præcauent brassicæ viridis, aut mali punici, aut cotonei succus. Eam factam extinguunt Centaurij decoctum, ceruinum cornu.

Cephalalgia ex casu, aut percussione, curatur venæ sectione, scarificatis cucurbitulis, quarum beneficio pars ab imminenti inflammatione præseruetur, purgatione per aluum, clystere. Repellentia in affecta parte imponenda. Si nuda contusio adsit, leniendus dolor imposito rosaceo cum myrtino: contusæ partes ad suppurationem, vel resolutionem præparandæ. Si verò *ex veteri consensu, aut imbecillitate cerebri, vel acutie sensus* ortum duxerit, ex superiùs dictis facilè quispiam curam colligere poterit, & explicant latè Galenus, 2. *sec. loc. cit.* & Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap. cit.*

Cephalæa, & cephalalgia eadem ferè causas habent, sola magnitudine euariantes. Hemicrania, affectio est dolorosa, diuturna, contumax, dimidiam capitis partem secundùm longitudinem, modò dextram, modò sinistram, occupans. Omnes hæ affectiones eadem expostulant auxilia. Vnum tamen habent præsidium, si spirituosa, præcalidáque substantia, suspicetur esse mali causa, quæ ferè in arteriis abundat, vt secentur arteriæ in temporibus, aut eæ quæ sunt ponè aures inurantur, vt *lib. de curand. rat. per sang. miss. cap.* 21. & 28. & *lib.* 13. *meth. cap. vlt.* docuit Galenus: de quo argumento ad Galeni mentem plura prædiximus, *lib.* 2. *hist. PP. Medic. in com. hist.* 43.

OBSERVATIO.

Contumaci Cephalææ, conserua vtilissima.

COntumax, & rebellis morbus est Cephalæa, qua cùm biennio immaniter premeretur iuuenis quidam, & pro roborando capite, absumendísque flatibus, & pituita plura esset expertus auxilia, quæ latè in hoc capite descripsimus, hac sola per mensem oblata conserua ab ea immunis euasit. Dosis vncia vna diluculo, & altera vncia tribus horis post cœnam, decocto smilacis asperæ superebibito.

℞. *Conseru. flor. saluiæ, borrag. anthos, an.* ℥ ij. *conserua fœcados* ℥ j. ß. *confect. alchermes, confect. hyacinth. an.* ℥ j. *theriac. magnæ, mithridatij, an.* ℥ ß. *theriac. smaragdor.* ʒ iij. *aromatici rosat. diamargarit. calidi, diamoschi dulcis, an.* ʒ iij. *pulu. galangæ, calami aromatici, cinnamom. an.* ʒ ß. *nucis moschatæ,* ϑ ij. *pulu. smilacis asper.* ℥ ß. *radic. chin.* ʒ iiij. *radic. paoniæ* ℥ ß. *sem. paoniæ.* ʒ ij. *ambræ* ʒ j. *moschi,* ϑ j. Excipiantur omnia cum melle, & syrupo de stœchade, & fiat confectio sec. art.

CAPVT IV.

De Phrenitide.

Definitio.

PHrenitis, hic affectus ab omnibus appellatur, quia in ipso phrena, hoc est mens læditur, ex Galeno *lib.* 1. *prorrhet. com.* 4. sumpta denominatione à symptomate, hoc est delirio, seu errore operationum; neque enim sequitur omne delirium, phrenitidem esse, quia alij plures sunt affectus, in quibus delirium citra phrenitidem concitatur, vt docet Galenus *lib.* 2. *de sympt. causis cap. vlt.* Nam quando delirium est sine febre, mania, aut melancholia vocatur, & solum delirium cum febre, phrenitis dicitur. Barbari hunc affectum, phrenesin vocant. Auicenna, *Carabitum*, Reliqui *Sirsen* calidum, sicut lethargum, *Sirsen* frigidum. Nec quodlibet delirium cum febre, phrenitis dicitur, sed illud tantùm, quod à principio morbi vsque ad eius solutionem est continuum: quod enim intermittit, ita vt ægri resipiscant, vt in accessionibus febrium contingit, non dicitur phrenitis, sed paraphrenitis. Præterea

ad

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 200 sur 927

ad concitandam phrenitidem, non debet eſſe ſolùm delirium perpetuum, & cum febre continua, verùm illius cauſa debet in cerebro conſiſtere.

Dupliciter ergo à Galeno phrenitis definitur: Libro 1. *prorrhet. ſect.* 1. *com.* 1. ſic definit: *Phrenitis eſt demen-tia continua cum acuta febre*: & *lib.* 2. *de ſympt. cauſ. cap. cit.* ſic definit: *Phrenitis eſt inflammatio cerebri, aut membra-narum eius ex calidis ſuccis genita.* Vtramque ergo defi-nitionem poſſumus adaptare hoc modo. *Phrenitis eſt inflammatio cerebri, aut membranarum eius, cum febre acu-ta, delirium perpetuum inferens.* Eam approbant Paulus *lib.* 3. *cap.* 6. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap. prop.* Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 1.

Sed cùm varium ſit ſignificatum inflammationis, in doctrina Galeni, inquirendum ſub qua ratione inflam-mationis, phrenitis comprehendatur: *Vtrùm ſit inflam-matio ſicca, an humida?* Galenus enim *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 1. & 13. *meth. cap.* 1. duplicem conſtituit inflamma-tionis differentiam: humidam, quæ ex calida fluxione membrum occupante contingit; ſiccam, quando nullo humore influente, calor naturalis igneſcit, & hæc velu-ti febris membri eſt dicenda.

Inflammatio humida ſumitur ſtrictè, pro tumore ca-lido, rubicundo, doloroſo, pulſatorio, renitente, origi-nem ducente ex ſanguine qualitate inculpabili, ſub-ſtantia mediocri, ſola tamen quantitate peccante, ob quam ex fortioribus ad debiles particulas cumulatim influens, ampla primò, deinde anguſta vaſa repler, quo-uſque ad intermedia ſpatia accedens, in eis impactus phlegmonen gignat, vt latè docuit Gal. *lib. de inæquali intemperie, cap.* 3. Minùs ſtrictè ſumitur inflammatio, pro tumore quem humor natura calidus generauit, ſi-ue is ſit ſanguis, ſiue bilis, ſiue vterque ſimul: quomodo non ſolùm appellamus exquiſitas inflammationes, ſed eryſipelata, carbunculos, & ex variis humoribus mixtas inflammationes. Latiſſimè ſumitur inflammatio, pro tumore omni, ſiue is à calido, ſiue frigido humore or-tum ducat. Neque dubites inflammationem à frigi-do humore poſſe concitari, qui retentus in parte, pro-hibitus ventilari, putreſcit, & calorem concipit, quod in internis inflammationibus, & præſertim pleuritide palàm fit, quæ à pituitoſo, aut melancholico humore ſcaturit. Quocunque modo ſumas inflammationem, ſemper phrenitis, inflammatio humida eſt, & ex affluxu humoris concitata, vt *lib.* 2. *hiſt. PP. Med. in com. Hiſt.* 23. latè probauimus.

Antequam verò ad alia properemus, dubitandum: *Vtrùm cerebrum poſſit inflammari*: Si enim inflammatio, tumor eſt præter naturam, membrum quod occupat, tumefaciens & extendens; cerebrum autem præ ſua mollitie nec tendi, nec tumere poteſt, quia nec diffluẽ-tem humorem retinere, quomodo inflammabitur? Niſi cerebri nomine meninges intelligas, in quibus tantùm fieri inflammationem putauit Serapio, negans eam tam cerebri ſubſtantiæ, quàm oſſibus: hæc enim quia duriſ-ſima, ac ſolidiſſima ſimiliter nequeunt tumere, & ex-tendi. Idem videtur ſentire Ishac, dum *ſect.* 4. *de feb. c.* 2. Phreneſim definit, calidum apoſtema naſcens in panniculo cerebri: nec multum diſſentit Auic. frequen-tiam negans, de qua tantùm intelligendi ſunt auctores vniuerſaliter loquentes.

Deinde, cùm docente Gal. *lib. de cauſ. ſympt. vlt.* & 4. *de cauſ. pul.* 14. Phrenitis ex calido ſucco, biliosóve ge-neretur humore; nec is quia tenuis, aut facilè effluens in laxo, mollique membro vllo pacto retineatur, non poterit ſaltem in ſubſtantia cerebrali gigni inflamma-tio, niſi fortè in meningibus; vnde immaterialis tantùm calor cerebro ipſi communicabitur, & mentis aliena-tionem inducet, quod ſignificare videtur Galenus, dum 4. *de cauſ. pul. cap.* 14. phrenitidem dixit ex menin-ge gigni, vel ſepto, & 2. *de cauſ. ſympt.* ex mordentibus, & calidis ſuccis, & ſæpe etiam ex calidiori cerebri in-temperie: quare Paulus inquit ex inflammatis oriri membranis, ſiue cerebro pariter inflammato, ſiue tan-tùm præter naturam incaleſcente.

Sed dubium non eſt, poſſe cerebri ſubſtantiam in-flammari, id quod præterquam quòd expreſſit Galenus *cit. de cauſ. ſympt.* & 11. *meth. cap.* 18. & alibi, dum phre-nitidem definit inflammationem cerebri, vel membra-narum eius, ſequuntur omnes, & conuincit ratio Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. & priùs docuit Galenus 5. *ſec. loc. c.* 8. qua affirmant cerebrum poſſe inflammari: quia omne illud quod nutritur, & augetur, eſt obnoxium & defe-ctui nutrimenti, & redundantiæ illius: & ſicuti propter defectum alimenti marceſcit, & exiccatur; ſic etiam ob immodicam alimenti copiam ſolet repleri, præterna-turaliter intumeſcere, & inflammationem pati; maximè cùm ſit laxum, molle, & patentibus præditum meati-bus, per quos vbertim alimentum attrahit, & fluxiones excipit.

Neque obſtat, quòd inflammatio ſit tumor, quem cerebrum non tolerat: Nam tumor non eſt de eſſentia inflammationis, vt patet in herpete, & eryſipelate, quæ ſunt inflammationes citra tumorem, & eminentiam, quoniam ſola intemperantia, meatuum repletio, & vni-tatis ſolutio inflammationem conſtituunt. Quòd ſi concedas tumorem eſſe de eſſentia inflammationis, nihil refert: cerebrum enim cùm ſit viſcidum, citra cor-ruptionem extendi poteſt, & ſolum ſcirrhum inter om-nes tumores non patitur; hic enim familiaris eſt parti-bus duris, ex Gal. 4. *de cauſ. puls.* 14. & nos de inflamma-tione loquimur, quæ ab affluente aliqua ſubſtantia cali-da originem ducit. Ex quo patet, quomodo poſſit ad ſenſum dilui primum fundamentum, quo ſibi oppoſi-tum perſuaſit Serapio.

Ad ſecundum. Vera, & exquiſita phrenitis oritur à bile, licèt non ſincera, vt ait Zoar 1. *theizir, tract.* 3. *c.* 5. ſed alio humori mixta, & potiſſimùm pituitæ capiti fa-miliari, Auicenna autem ex pura admittit, frequentiùs à bilioſo ſanguine; vtcunque tamen cùm prædominetur bilis ab ea ſimpliciter dicitur originem ducere. Quo-niam verò in molli, & laxo membro, quale cerebrum eſt, calidi, tenuéſque humores facillimè effluunt, non continentur, rarò contingit cerebri ſubſtantiam à bile inflammari, crebrò membranas, & inter eas tenuem, quidquid Serapio duriori addicat, & videatur ſentire Zoar *loc. cit.*

Percontaberis: *Vtrùm Phrenitis ſit potiùs inflammatio cerebri, vel membranarum eius?* Nam quamuis verum ita ſit, quòd frequentiùs membranæ, quàm cerebrum ipſum à bile inflammentur, primarióque in exquiſita phrenitide vtplurimùm efficiantur, fieri tamen non po-teſt, quin ſimul etiam cerebrum patiatur, tum quia aliter delirium non adeſſet; tum quia ſi tenuis meninx inflammetur, impoſſibile eſt cerebrum ſimul particeps non fieri: ſicut è conuerſo, 4. *de cauſ. puls. cap.* 9. Non ſic verò dura meninx, quia longiſſimè diſtat: non aliter ac in pleuritide, inflammata pleura ob loci ne-ceſſitatem neceſſariò conſentiunt intercoſtales, & è contra. Et propter hunc quidem conſenſum, inter ce-rebrum, & tenuem meningem, in qua magis frequens eſt phrenitis, definiuit Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cit.* cerebri ſcilicet, & membranæ phlegmonen, non quaſi neceſſa-rium ſit vtrumque pariter inflammari, id quod ſignifi-cauit Paulus *loc. cit.* ſed vtrumque, & vel bilem ſimul in-flammantem, vel ſaltem intemperantem calorem com-municari, alterutro tamen, vt diximus, neceſſariò in-flammato.

Nec poſſibile eſt Phrenitidẽ dari, ſine eo quòd bilis, vel cerebrum, vel vnam ſaltem ex membranis inflam-met. Nec verò ex 2. *de cauſ. ſympt.* oppoſitum colligitur, quum de mania loquitur, quæ ex immateriali calore naſci aliquando poteſt. Porrò etiamſi membranæ fre-quentiùs à bile, cerebrum à pituita crebriùs lædantur:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 201 sur 927

atque adeò hoc magis lethargo obnoxium sit; illæ contrà, phrenitidi, non tollit hoc etiam cerebrum à tenui, calidóque humore nonnunquam infestari, membranas à frigido. De cerebro expresè 4. *de cauſ. pulſ.* 8. dum cerebrum erysipelate tentari affirmat, & colligitur ex Hip. 5. *Aph.* 19. vbi morbos omnes in omnibus temporibus fieri affirmat, licèt in quibusdam magis, in aliis minùs: similiter de membris intelligendum. De membranis, 6. *Aph.* 33. *in com. & lib. de conſt. art. med.* 15. vbi eas à frigido etiam humore occupari docet, non minùs quàm cerebrum aliquando à calidis, quod non inficiantur auctores, qui proprio capite de cerebri erysipelate disceptarunt.

Obiicies primò. Si phrenitis, propria est cerebri affectio, saltem exquisita, frequentiùs illi debet accidere: nõ aliter quàm vera pleuritis, quia pleuræ propria & familiaris, illam primariò indicat inflammatam. Secundò, Membranæ frigidæ naturæ, potiùs à frigido sibi proportionali humore sunt aptæ crebriùs infestari. Tertiò. Si vsque adeò adhærent cerebrum, & tenuis meninx, quid obstabit quominùs bilis vtrinque communicetur, quommodóve sola simplex caliditas in cerebrum transibit; maximè si ob pleuræ cum intercostalibus internis vicinitatem, dicimus cum Galeno, perpetuò fluxionem ab vna in alteram partem communicari?

Dic ad primum. Si phrenitidis nomine delirium intelligas, perpetuò cerebrum, solúmque infestat, quia symptoma est in actione læsæ principis facultatis in cerebro residentis: si morbum ad quem sequitur, non oportet necessariò cerebrum primariò, aut perpetuò obsidere; quantumuis in exquisita pleuritide, pars à qua nomen sumpsit, primariò, & necessariò inflammata significetur.

Dic ad secundum. Membranæ licèt ratione sui temperamenti magis aptæ videantur à frigido pati; quia tamen densa illarum substantia crassis succis aditum non præbet, sed calidis & tenuibus, ab illis inflammantur frequentiùs, & proportionabiliter etiam in ordine ad compositionem, quam magis importat tumor, quàm intemperamentum, aut continui solutionem.

Dic ad tertium. Si inflammata membrana intemperies sola in cerebrum transit, fit propter illius mollitiẽ, & laxitatem, in qua tenues humores retineri non possunt: musculorum autem substantia, vt pote magis constans, suscipit, & aceruat in se, atque ideò simul cum pleura semper inflammantur, non sic cerebrum, cum membrana tenui, sed aliquando. Neque id negauit Galenus, dum 4. *de cauſ. pulſ. cit.* cerebri non meminit, sed solius membranæ inflammationem, definitiuit phrenitidem, qui de frequenti, non perpetua causa est intelligendus. *Num autem inflammatio ſit de eſſentia phrenitidis*, latè diximus, *lib. 2. hiſt. PP. Med. hiſt.* 23.

Vtrùm verò periculoſior ſit inflammatio cerebri, an membranarum? etiam dubitandum. Dic multò minùs esse crassæ; tenuis autem inflammatio, quia debilis, facilè paribilis, & maximè sensitiua, ingentes dolores inducit, & cùm vniuersam cerebri substantiam intimiùs permeet, & circumuoluat, vt monuit Gal. 8. *de vſu part. cap.* 8. summè periculosa est. At cùm cerebrum sit membrum nobilissimum, & multo plus humoris, quàm membrana recipiat, tæuiora eo inflammato symptomata sequuntur, & sic vitæ discrimen est euidentius: maximè quod dolor non deest, quum inuoluenti membranæ fluxionem illicò communicet.

Quia additum est in definitione, quòd phrenitis est inflammatio cerebri perpetuum delirium inferẽs, quærendum: *Vtrùm delirij varia ſint differentiæ, & gradus*? Delirium est error, seu motus depraua tus principum facultatum, vt *lib. de diff. ſympt. cap.* 3. *ad fin.* docuit Galenus. Hoc varias habet differentias: nam aliud est delirium phreniticum, aliud melancholicum, aliud maniacum, quorum diuersos gradus, diuersa tempora, ac diuersum modum *infrà* explicabimus.

Hæc enim deliria differunt inter se valde, quia melancholicum à succo melancolico generatur; Maniacum ab atra bile; phreniticum à bile, inflammante ortum ducit. Deinde inter se plurimùm distant, quantum videlicet distat bilis à melancholia, & atra bilis ab vtrisque.

Rursus delirij multiplex est gradus, penes maiorem, vel minorem intensionem, quos distinguere magni est momenti, vt sic rectum de salute, aut morte possit Medicus iudicium proferre. Qui gradus diuerso nomine designantur ab Hip. in locis multis. Primus ergo delirij gradus est, cùm Hip. profert, *parum delirabat*: quem alio loco explicuit, dicens: *nugatus eſt*; nonnunquam *ſermones, aut verba* dixit: & exprimit etiam, *parum mente conſtabat*; aut *aliquantulum delirabat*, vt constat ex *epid. ſect. 3. text. 19. in Hiſtoria Sileni*: Quæ sanè læsio de primo gradu desipientiæ explicanda est, quum non sit absolutè delirium, quia non vndequaque actio deprauata elucet, quo significato est Hip. 1. *epid. ſect. 3. text.* 18. 30. & 31.

Secundum gradum delirij explicuit dicens: *delirauit*, quia tunc manifesta est læsio facultatis in actione deprauata. Tertium delirij gradum expressit Hip. dicens: *planè delirauit*, significans hoc verbo extensionem, seu intensionem delirij, vt constat ex *eo*, 1. *epid. ſect. 3. text.* 30. Quartum delirij gradum explanat, dicens: *multùm delirauit*, quo maiorem adhuc, & intensiorem significat delirij modum, vt docet 1. *epid. ſect. 3. text.* 21. 22. 25. 28. & 29. Quintum & vltimum delirij gradum ostendit, dicens; *omnino delirauit*, vt constat ex ipso, 1. *epid. ſect. 3. text.* 18. & explicat alio nomine, *penitus delirauit*, vt patet ex ipso, *cit. epid. text.* 30. & alibi dicit, *multùm loquebatur, magnoperè deliravit, & ſibi imperare non poterat, clamabat, ita vt ſe continere non poſſet*, vt ex Hip. *cit. loc.* euidenter colligitur.

Sunt etiam alia verba, quibus frequenter Hip. vtitur ad explicandum delirium, & eius gradum, seu intẽsionem, quale est *ſine voce, taciturnitas, nihil loquitur*, vt constat 3. *epid. ſect. 2. text. 3.* Quibus verbis aliquando abolitam facultatis rectricis actionem ostendere nititur, interdum quantitatem delirij, eius speciem, ac facultatis læsionem, & modum eius.

Denique cùm delirium sit motus principum facultatum, penes quarum læsionem phrenitidis species Medici constituunt, perscrutandum: *Vtrùm facultates principes plures ſint conſtituendæ*: In qua dubitatione ita variæ sunt Philosophorum, & Medicorum sententiæ, vt eas in compendium redigere sit difficillimum. Auicenna 5. *natural. vlt.* & 4. *natural.* 2. quinque esse contendit: Prima, sensus communis, qui sensuum exteriorum sensationes percipit, & inter ipsas ponit distinctionem. Secunda, phantasia, quæ sensibilia percepta à sensu communi reseruat, & aliquid non agnoscit, quam ponit, quia non est eiusdem virtutis, obiecta comprehendere, & species reseruare. Tertia, imaginatiua, quæ percipit reseruata in phantasia, & ex illis componit entia, & non entia, non tamen iudicat, nam hoc opus est intellectus. Quarta, æstimatiua, quæ componit, & diuidit ea, quæ cognita fuerunt per imaginationem, & ex illis infert aliquando species non sensatas: & discernit quid conueniens, quid inconueniens sit, quid prosequendum, & amplectendum. Quinta, Memoria, quæ reseruat sensata per æstimatiuam illata, & composita; quæ virtus formas sensatas nec cognoscit, nec reseruat, nam hoc munus est phantasiæ.

Philosophus 2. *de anima*, 63. & 65. quinq; esse ordines potentiarum internarum confirmauit: Primus, apprehẽsio rerum sensibilium, & suarum sensationum per sensum communem. Secundus, perceptio & notitia illorũ sensibilium, in eorum absentia, quæ fit per phantasiam, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 202 sur 927

& notitia appellatur abſtractiua. Tertius, imaginabilium per imaginatricem, de qua 3. *de anim.* 55. affirmat, quòd nec eſt intellectus, neque ſcientia, & ſic imaginatio vt plurimùm eſt falſa, quia imaginamur ens, & non ens. Quartus, compoſitio rerum imaginatarum, quæ fit à virtute cogitatiua. Quintus, conſeruatio ſenſatarum ſpecierum, & non ſenſatarum, quæ operatio à facultate memoratrice præſtatur.

Vtrùm autem *ſenſus communis in numero facultatum principum ſit reponendus?* Quæſtio eſt celebris: quia plures vnam eſſe ſolam facultatem rectricẽ, nempe ſenſum communem aſſeuerant, quæ in relatione ad operationes diuerſas quas facit, appellatur phantaſia, imaginatio, & æſtimatiua, cogitatiua, & memoria. Admittendum autem eſſe ſenſum communem, conſtat primò ex Galeno, *lib. de diff. ſympt. cap.* 3. vbi poſtquam exteriorum ſenſuum ſymptomata eſt proſequutus, orationi adiecit: *Atque hæc ſunt functionum, quæ ad ſenſum pertinent, ſymptomata? quibus præterea duo non mediocris notæ addi debent, nempe vigilia, & veternus, quæ in primo omnium ſenſuum, qui communis quoque dicitur, conſiſtunt.* Quare ſenſum hunc primum, ac principem vocandum cenſuit, quòd externis ſenſibus, ceu famulatu multiplici ac vario vtatur, ipſéque inſtar Regis, ac Iudicis, pro tribunali ſedens, de omnibus quæ quinque illi ſenſus ſuis quinque officiis perfuncti annunciarint, pronunciat, cenſet, ac iudicat. Ac proinde Auerrhoës *lib. 3. de anima, com.* 149. re quidem ipſa vnum, ac ſimplicem, functione multiplicem ac varium eſſe rectè dixit: vnum quidem, vt iudicem; vt receptorem, multiplicem. Deinde hoc manifeſtè definitio ſomni demonſtrat ab ipſo Philoſopho confirmata, quippe ſomnus eſt vinculum primi ſenſorij, ſeu primi ſenſitiui, cuius officium eſt externorum ſenſuum ſenſationes percipere, quia ſenſibiles differentiæ, alia vi quàm ſenſibili, ſentiri percipíque non poſſunt.

Dic: Tres eſſe internas potentias, imaginationem, cogitationem, & memoriam, ex Gal. *lib. de diff. ſympt. c.* 3. & 1. *præſag.* 26. & 4. *de loc.* 1. & 7. *de placit.* 8. & 8. *de vſu part. c.* 6. qui modus eſt Medico vtilior. Patet, quia tot ſunt potentiæ, quot ſunt læſionum modi. Sed læſionis non ſunt plures modi, quàm tres, vt docet experientia. Rurſus. Nihil ex alteratione ſenſibilis aſſequeremur, niſi imaginatio, ratiocinatio, & memoria eius alterationem ſentiant.

Neque in numero facultatum principum reponas ſenſum communem. Nam is ſi admitteretur, maximè eſſet ad recipiendas ſpecies à ſenſibus exterioribus, percipiẽdáſque proprias ſenſuum interiorum ſenſationes. Sed hoc munus ab imaginatione perfici, nullum eſt inconueniens. Ergo, &c. Inſuper ſi eſſet admittendus ſenſus communis, aſſignaretur etiam organum ipſius, vel pars quædam cerebri, in qua vigeret eius operatio, ab aliis diſtincta, non eſt maior ratio de vna, quàm de alia potentia. Sed vſque adhuc nunquam fuit viſa læſio in organo ſenſus communis, diſtincta à læſionibus aliorum ſenſuum interiorum, vt ex Galeno, & Auic. conſtat. Ergo tres tantùm ſunt ſenſus interni, & tres tantùm principes operationes.

Si verò obiicias Gal. 1. *de cauſ. ſympt.* 8. & 7. *de placit. cit.* dicentem, ſenſum communem dari, qui omnia ſenſibilia exteriora ſentit. Dic, illum intelligendum eſſe, non de aliqua operatione diſtincta ab aliis tribus, ſed vel de imaginatione, quæ primò omnia ſenſilia exteriora recipit; vel de facultate animali delata per neruos ad ſenſationes, & motiones obeundas, quæ quidem communis eſt omnibus ſenſibus externis: cùm enim ſenſatio quæuis conſtet ex duobus, ſcilicet ex receptione imaginis, & cognitione ipſius: receptio fit in organo, cognitio verò fit à facultate animali. Ipſe enim Galenus tres tantùm eſſe facultates principes aſſeruit in locis dictis, & ſiquæ ſunt afixæ, ad has tres poſſunt reduci: vel per communem ſenſum intellige principium ſentiẽdi, id eſt cerebrum, quod expreſsè inſinuat 8. *de placit.* 7. quo loco ſenſum communem, cerebrum vocat; quod eleganter probari ex Gal. 2. *Aph.* 3. §. *Fit autem huiuſmodi ſomnus, refrigerato primo ſenſitiuo, hoc eſt, cerebro ipſo, &c.* Neque apud Hip. 2. *Aph.* 6. per mentem intelligas ſenſum communem, ſed cogitationem læſam: tunc enim licèt habeamus cauſam ſentiendi, tamen non ſentimus.

Obiicies primò. Nulla adeſt facultas memoratrix, quia conſeruare, non eſt agere. Dic, opus memoratricis non eſſe ſolam conſeruationem, ſed & ſenſum intentionum ſeruatarum; nam repræſentando illam intentionem cogitatrici, & indicando illam eſſe quæ priùs fuit imaginata, euidenter conſtat, memoratricem eſſe facultatem actiuam.

Obiicies ſecundò. Galenus 2. *de motu muſculor.* 8. ſic ait: *Pars animæ imaginatiuæ hæc eadem recordari videtur:* quare eadem erit potentia imaginatiua, & memoratiua. Dic: vult Galenus, reſpondere imaginatrici memoratricem; nam quæ maximo ſtudio imaginamur, diutius manent impreſſa in memoria: ad proportionem enim imaginationis obſcuræ, aut firmæ, ſequitur recordatio obſcura, aut firma.

Conſiderandum deinde eſt: *Vtrùm ad numerum facultatum principum reminiſcentia ſit referenda?* Philoſophorum, & Medicorum doctiſſimi, reminiſcentiam à memoria non differre ſibi perſuadent. Sed errant, quia reminiſcentia ad memorandi facultatem referenda non eſt, quemadmodum nec ad imaginandi, nec ad ſenſum communem, ſed ad ſuperiorem aliquam potentiam, hoc eſt, ad intellectricem, interdum verò ad cogitatricem. Nam, teſte Ariſtot. *in fin. lib. de memor. & reminiſcent.* ſolus homo inter cuncta animalia reminiſcitur; & reminiſci, ſyllogiſmus quidam eſt: Sed facere ſyllogiſmos, non eſt memoriæ opus: Quare nec reminiſci. Verùm ſi reminiſcentia fit per ſyllogiſmos particulares, ad cogitationem debet referri; ſi verò per vniuerſales, ad intellectum: Nam reminiſcentia quæ fit hoc modo per vniuerſales ſyllogiſmos, ratiocinatio quædam eſt. Eſt enim ratiocinatio, facultatis in nobis principis actio, quam ratiocinatricem, ſeu intellectricem vocamus. Ratiocinari ſiquidem dicimus, rem quamque, mentis ac rationis indagatione cognoſcere, atque complecti, déque eius natura, viribus ac poteſtate, proprietatibúſque, exactè, ac verè diſſerere, & quæ à mente iam exciderunt, deletáque ſunt, diſcurſu ac ſyllogiſmo iterum ad memoriam reuocare. Quæ omnia cùm à memoria longè diſtent, ſequitur hanc, & reminiſcentiam, non vnam eandémque eſſe, ſed diuerſas eſſe facultates; nec reminiſci, memoriæ eſſe opus: quia memoriæ eſt, recordari abſentium, vt res ſunt actę; reminiſci verò, eſt in ſeipſum reflecti, vt recordetur. Hinc Ariſt. *lib. de memor. & reminiſcent.* docuit, eos qui addiſcendi & apprehendendi promptitudine pollent, reminiſcentia multum, memoria verò parum valere.

Quapropter tres ſunt facultates rectrices, ex quarum læſione triplex phrenitidis ſpecies conſurgit. Nam ſunt alij phrenitici, qui illæſam habent imaginationem, cogitando tamen aberrant: quod illi contigit, qui referente Galeno 4. *de loc. affect. cap.* 1. obſeratis intus ianuis, proiecit per feneſtram ſingula vaſa, illáque ſuis nomenclaturis nominans, prætereuntes interrogabat, iuberéntne vt ea proiiceret. Ex quo intelligere licebat, nec imaginandi functionem fuiſſe læſam, nec nominum memoriam deletam.

Aliquando imaginatio deprauatur, abſque læſione cogitationis: quod non ſolùm in aliis, verùm in ſeipſo 4. *de loc. cap.* 1. expertum fuiſſe teſtatur; quum namque æſtate febre ardente laboraret, putarétque feſtucas atri coloris ex cubili eminere, & floccos ſimiliter

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 203 sur 927

in vestibus esse, eas auferre dum properaret, nihil sub digitis adductum inueniens, accuratiùs rursus, vehementiúsque id efficere conabatur, cùm verò audiuisset circumstantes dicentes, eum floccos auellere, & festucas colligere, illæsa adhuc in eo manente ratiocinandi facultate, ita rem habere, vt dicebant, statim intellexit. Lædi memoriam reliquis illæsis, patet ex Gal. 2. *de caus. sympt. vlt.* quo loco ex peste memoriam fuisse amissam, cæteris potentiis illæsis, proprio exemplo confirmat.

Quod sanè efficax argumentum est, ad probandum eas esse seiunctas, atque diuersas: sed quoniam hoc placitum ab aliquibus impugnatur, iccircò speculandum: *Vtrùm facultates rectrices sedibus distinguantur*? Nam varij varias defendunt opiniones, Medici, Philosophi, & Theologi: Nos verò sedibus disiungi, probabilius esse arbitramur, secundùm Principum mentem: Primò auctoritate Auic. 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 5. docentis, sedes & loca virtutum principalium in ventriculis celebrari: quod affirmat etiam 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. sequitur Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 2. *ad init.* vbi affirmat, quòd tres sunt phrenitidis differentiæ: alia, in qua læditur imaginatio, quæ in ventriculis cerebri anterioribus perficitur; alia, in qua læditur cogitatio, quæ in medio; & alia, in qua læditur memoria, quæ est in postremo: quod etiam asseruit Auer. *lib.* 2. *collig. cap.* 20. Hoc modo Galenus 4. *de loc.* 2. *post med.* §. *quòd si aliquando, &c.* asserit, operationes cogitatiuæ in medio cerebri ventriculo residere.

Secundò. Si huiusmodi functiones residerent in toto corpore cerebri, læsa vna reliquæ omnes læderentur: Nam cùm procedant ex modo substantiæ cerebri, simul cum temperamento, fit vt hoc læso reliquæ etiam lædantur. Sed hoc est contra Gal. *loc. cit. supra*, asserentis multoties lædi imaginationem, citra læsionem iudicij, & memoriæ, & è conuerso. Ergo, &c.

Tertiò. Ex vulneribus in diuersis partibus capitis illatis hoc fit manifestum: Nam anteriori cerebri parte læsa, læditur imaginatio; læsa parte media, læditur cogitatio; posteriori parte vulnerata, læditur memoria. Ergo in diuersis locis exercentur.

Quartò. Facultates distinguuntur per operationes, ex Arist. 2. *de anima, c.* 4. Sed vniuscuiusque operationis debet esse peculiare instrumentum. Ergo in ventriculis fiunt.

Quintò. Quæ specie distinguuntur, necessariò locis debent separari, ex Arist. *lib. cit. de anim. c.* 2. Sed prædictæ facultates differunt specie. Ergo locis debent distingui: & debent habere aliquod principium intrinsecum, per quod distinguantur, quoniam non possunt distingui per actus, quoniam hoc illis extrinsecum est. Ergo necessariò temperamentum diuersum in diuersis partibus cerebri est constituendum.

Sextò. Sensus externi habent diuersa organa. Ergo & interni; quum in vtriusque eadem sit ratio. Sed in cerebro non est diuersitas organorum, præter eam quæ in ventriculis animaduertitur. Ergo in illis exercentur.

Septimò. Ex Galeni decreto, *lib.* 7. *de placit. cit.* harum principum actionum instrumentum, spiritus est animalis. Ergo in ea cerebri parte potissimùm complementum suscipient, vbi absolutè elaboratorum spirituum amplior insidet abundantia. Hoc autem ex Galeni placito, in locis pluribus in ventriculis accidit. Aptissimè igitur principes actiones inibi collocantur: memoria in postica cerebri parte siccióre, magis compacta, & ad retentionem aptissima; imaginatiua in anteriori cerebri loco; ratio, in medio: nam anima organa corporea ad obeunda sua munia, requirit accommodata.

Vltimò. Si principes actiones in particularibus locis cerebri non magis fierent, sed ex æquo in omni eius parte, inde procul dubio sequeretur, quòd quibus imaginatio, vel memoria imbecillis extiterit, ratiocinatrix autem validissima, nusquam delirium, aut noxa in ratiocinatrice accidet, quin etiam prehendat cogitationem, & memoriam. Sed hoc euentus rerum summoperè refellit. Ergo. Sæpe enim conspicimus heroës, & Philosophos melancholiâ morbo oppressos, & rationem, quæ in ipsis maximè viget, oblædi, superstitibus memoria, & æstimatiua, cuius est de externis iudicare sensibus.

Alij etsi triplicem agnoscant phrenitidis differentiâ, ex læsione trium facultatum in cerebro residentium ortam, has non in ventriculis, sed in tota substantia cerebrali perfici arbitrantur, & hoc modo difficile non putant, sæpe lædi vnam illæsis reliquis. Primò: Sicut naturales facultates in eadem parte consistunt, læditur tamen vna aliis illæsis, propter vitium temperamenti, cui addicta est dicta facultas, 3. *de caus. sympt. vlt.* nam coctio fit calore, retentio siccitate, & sic de cæteris. Ita videmus sæpe, quòd in ventriculo, iecore, renibus læditur retentrix, roborata expultrice, & è conuerso. Hoc modo in canina fame roboratur appetentia, infirmata retentrice.

Secundò. Ex parte passi, non est æqua facilitas ad læsionem facultatum omnium, sicut labante ratione fit melancholia, & delirium in vna cogitatione, non in aliis. Et sicut præsente vniuersali causa interrumpente motum seminis, vt terrore, vel imaginatione valida, fit læsio in vna parte fœtus, quæ eo tempore minùs reniti potuit: & sicut calfaciens, pro varietate passi, inducit modò diariam, modò putridam, modò hecticam: Ita læso temperamento in cerebro accidit, vt hæc facultas magis, quàm alia lædatur.

Tertiò. Admodum rationale est, (inquiunt illi) licèt omnes facultates in toto cerebro perficiantur, excedere tamen imaginationem in infima parte cerebri, vbi idola recipiuntur à sensibus; creber enim accessus idolorum non permittit fixionem idolorum: cogitationem verò, & prudentiam magis in vertice perfici: reponi verò spectra in cerebello, separaríque cerebellum à cerebro, ne obuersentur perpetuò phantasmata cogitationi alia meditanti. Quo fit, vt licèt in toto cerebro sint omnes, præstantiùs tamen aliæ alibi perficiantur, & pro varietate partis cerebri affectæ sequatur læsio facultatis.

Suam opinionem rationibus muniunt, ac confirmant, Prima. Anima sentiens, seu ratiocinatrix in toto cerebro residet. Ergo eius facultates in toto perficientur, non in ventribus. Antecedens patet ex Gal. 3. *de loc.* 7. & 7. *de placit.* 3. Secundò. Ventres aëre implentur, perpetuò recipiunt materiam, transmittunt spiritum animalem in ipsis genitum, ex Gal. 8. *de vsu part. cap.* 10. Ergo ob continuum eorum motum, imagines in illis ad sensum permanere nequeunt. Tertia. Animalis spiritus talis dicitur, vt Galeno placet 7. *de placit. cit.* quia primum est animæ instrumentum. Ergo cùm is non solùm in cerebri finibus contineatur, verùm & in toto eius corpore, teste Gal. 8. *de vsu part. cap.* 13. superfluus hic esset, si principes facultates in cerebri ventriculis perficerentur, non eo vteretur anima, velut in aliis sensilibus, & motricibus functionibus facere solet. Sunt & alia pro hac opinione argumenta, quæ, sicut eorum dilutionem non propono, breuitatem affectans, quærat qui velit apud Recentiores à me citatos, *lib.* 1. *hist. P.P. Med. hist.* 12. Nam nobis sat sit monstrasse loca.

Illa verò circa definitionem phrenitidis est residua disceptatio: *Vtrùm principes animæ facultates per organa operentur*? Nam Philosophus 2. *de generat. animal.* 3. sic ait: *Mens sola diuina est, & nihil cum eius actione communicat actio corporalis.* Contrarium firmat Galenus 9. *de vsu part.* 4. *Demonstratum est ratiocinatricem habitare in cerebro*: & 7. *de placit.* 4. *Cerebrum per se imaginatur, memoratur,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 204 sur 927

memoratur, &c. Dic: Harum facultatum quaſdam eſſe communes brutis, vt memoria, imaginatio, æſtimatio; alias homini tantùm dicatas, vt cogitatio, intellectio, reminiſcentia. Igitur facultates tantùm homini attributæ, non fiunt per organa, ſunt enim hæ omnino materiæ expertes.

Rurſus. Virtutes organicæ deſtruuntur per ſe, & non apprehendunt ſe, & ſuum inſtrumentum, nec ſibi ſimile: intellectus verò apprehendit ſuam intellectionẽ. Inſuper. Poſt forte obiectum virtus organica non apprehendit debile, intellectus ex forti intelligibili meliùs apprehendit debile, & denudat intelligibile à menſura, & cæteris conditionibus materiæ, quod non faceret, ſi vteretur inſtrumento.

Adde, quòd cùm vtatur forma infinita, quæ eſt vniuerſale, caret inſtrumento. Deinde. Anima facit quædam ſine corpore, vt cùm ratiocinatur, vel reminiſcitur, ex Gal. *in introductorio, c.* 13. Quare non eſt reprobandus Galenus, ac ſi arbitretur virtutem cogitatiuam operari in corpore, quia cogitatiua vt homini attributa, non vtitur organo, ex Gal. 2. *de loc. cit.* Dictum autem Galeni, 9. *de vſu part.* intelligatur ratiocinari animam per cerebrum, non vt inſtrumento, ſed vt ſubiecto. Quo pacto autem Actuarius, 1. *de ſpirib. vlt.* animam intellectiuam pati affirmat, ſi non habet participationem? Dic, quòd non patitur per ſe, ſed per accidens.

Differentiæ.

PHrenitis, alia eſt exquiſita, quando nempe cerebrum, aut membranas occupat inflammatio; alia notha, quæ à ſepto inflammato originem ducit: nam hac parte inflammata delirium continuum adeſt, ob magnum ſepti cum cerebro conſenſum. Ab inflammante materia, etiam phrenitis dicitur exquiſita, quando ſcilicet bile flaua, vel pallida; vel à tenuiſſimo & feruentiſſimo ſanguine oritur, nulli alteri humori permixtis: Illegitima verò appellatur, quando ex bile, & pituita ſimul mixtis inflammatio conſurgit; quare affectio hæc ex lethargo, & phrenitide eſt compoſita, Typhomaniam Græci vocant.

Deinde pro bilis varietate, etiam phrenitidis differentiæ eliciuntur à Galeno, 3. *de loc. cap.* 7. Nam mitior aliquando fit, vehemens, aut ferina: hæc quidem, ſi à præaſſata bile generetur; vehemens, ſi à flaua, quæ pura & ſincera eſt bilis, magnò prædita calore, & acuitate, 1. *criſ.* 12. mitior, ſi à pallida: non enim ſincera exiſtit, ſed aquoſis humoribus permixta, ac proinde minoris acrimoniæ, ex Gal. 3. *acut.* 2. Inſuper ex delirio, & ſenſuum internorum læſione phrenitidis differentias colligit, *lib. de diff. ſympt. cap.* 3. Nam in pluribus ſola imaginatio læſa eſt, ratione, & memoria illæſis: alij ſola ratione aberrant, imaginationem, ac rationem illæſam habent: tertia eſt differentia, in qua imaginationis ſimul, & cogitationis error adeſt, ſeruatur tamen memoria, vt *ſuprà* ex Galeni mente confirmamus. Aliæ ſunt delirij differentiæ ab accidentibus deſumptæ, ob quas phrenitici alij hilares ſunt, & ridentes delirant; quidam feroces, aut triſtes: quas omnes differentias ex humoris varietate emanare certum eſt.

Cauſa.

CAuſa duplex eſt, externa, & interna. De hac dubium eſt non inutile: *Vtrùm phrenitis à bilioſo humore, vel à ſanguine generetur?* Quia Galenus *locis citatis*, à bilioſo humore hunc affectum oriri aſſeuerat; & pro varietate bilis, tres phrenitidis ſpecies conſtituit, magis, aut minùs periculoſas: ſic enim ait 3. *de loc. cap* 17. *poſt princ. Atque ob hanc cauſam phrenitis nonnunquam mitior eſt, quum videlicet à pallida bile ortum contraxit: aliquando vehementior, quum flaua bilis eam peperit; atque inſuper alia nonnunquam dementia occurrit ferina, flaua bile præaſſata.* Cuius rei traditur cauſa à Galeno, *lib.* 10. *ſimpl. tit. de felle*, quia bilis pallida minòrem retinet caliditatem, & acrimoniam: generatur namque ex humore ſeroſo, aut pituitoſo, flauæ bili admixto; & ſic flaua bilis eſt calidior: quæ ſi aſſetur, & obduretur, maiorem caliditatem, & acrimoniam conſequitur.

Galeni mentem confirmant ſigna, quæ phrenitidem comitantur, quæ à ſolo bilioſo humore originem ducunt: Vigilia immodica, febris arida, delirium ferox, ſqualor oculorum, & alia. Deinde, ex ſanguine non concitatur vigilia, ſed profundus ſomnus, aut propenſio ad dormiendum; & ſanguis eſt natura humidus; & delirium potiùs eſt cum riſu, quàm cum rixa; & febris non arida, ſed humida, & halituoſa exiſtit.

Si verò hæc vera ſunt, cur Auicenna, & cæteri Arabes à ſanguine phrenitidem oriri aſſeuerãt? quin Græci id etiam conteſtantur: Paulus enim ſic ait, *lib.* 7. *c.* 6. *de phrenitide, in princ. Cauſa morbi eſt, vel ſanguis ſuperans, vel bilioſus humor, &c.* Dic, nullam eſſe repugnantiam inter hos auctores, quoniam phrenitis aut generatur ex bile, aut ex ſanguine tenuiſſimo & feruentiſſimo, qui quidem non ſolùm in tenuitate, ſed calore, & acrimonia ad naturam bilis proximè accedit, & ideò pungit & irritat, flauæ bilis inſtar: ex quo ſanguine, 2. *ad Glauc.* 1. Galenus eryſipelatoſas inflammationes poſſe generari conceſſit.

Sed occaſione præſentis dubij accuratiùs examinandum: *Vtrùm inflammatio ex ſolo ſanguine oriatur?* Extant enim de hac re plura Galeni teſtimonia, quæ exactiori lima indigere videntur. Et primùm: Inflammatio propriè ſumpta, nihil eſt aliud quàm calidus quidam tumor, ex Gal. *lib. de tumorib. præt. naturam, cap.* 2. *&* 7. *&* 4. *Aph.* 34. *in com. &* 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 5. *&* 2. *de diff. reſpirat. cap.* 7. *& lib.* 1. *progn.* 27. *&* 29. vbi aſſerit appellari ab Hip. dolens œdema, ad differentiam aliorum tumorum præter naturam, quos omnes ſolebat œdemata vocare, vt refert ipſe Galenus, *lib. de officin. med. ſect.* 3. *com.* 30. *&* 5. *Aph.* 65. Sed ex quocunque humore ad partem aliquam decumbente, & in ea aceruato, putreſcentéque, poteſt generari calidus, dolénſque tumor. Ergo non eſt vniuerſaliter verum, fieri ex ſolo ſanguine inflammationem, ſiue ea pleuritis ſit, pulmonia, aut phrenitis; id quod ex ipſo Galeno confirmatur, 2. *criſ.* 12. quo loco eam ex omni poſſe procreari humore doctè confimat.

Secundò. Illa quæ à parte inflammata excernuntur, indicare ſolent humorum qualitates, & differentias, ex quibus fit inflammatio. Sed pleuriticorum ſputa, modò flaua, nonnunquam candida, & ſpumoſa apparent; ſicut & aliquando rubea, aut nigra, pro inflammatis humoris varietate, ex Gal. *lib. de conſt. art. med. cap.* 15. *&* 6. *Aph.* 35. Ergo non magis ex ſanguine, quàm ex quocunque alio humore in pleura aggregato, putrefactóque oritur pleuritis: Atque ideò Galenus, licèt aliquando inflammationem ab eryſipelate, ſcirrho, & œdemate ſeparauerit, prædictos tamen tumores omnes, ſi in pleura accidant, pleuritidis nomine non dedignatur.

Tertiò. Ex phreniticis, quidam rident, alij plorant, alij cogitabundi, alij furibundi ſunt. Atqui tam varij effectus ab vno, eodémque ſanguine fieri non poſſunt. Ergo etiam ab humoribus aliis naſcitur inflammatio: ſiquidem ex quocunque excedente ſæpe pleuritis, & phrenitis generantur, & frequenter pulmonia, ex calfacta, putrentéque pituita; quæ inflammationum ſpecies magis celebres, magiſque frequentes ſunt.

Veteres Medici inflammationis nomen vſurpabant pro omni partis ardore, vel incenſione etiam citra humoris influxum, & propriè inflammina appellabant,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 205 sur 927

vt refert Galenus, 6. *epid. sect. 4. com. 1. & 2. de fract. com.* 8. & 1. *ad Glauc. vlt.* & 5. *Aph.* 23. & 65. Nos inflammationem, phlegmonénve duplici modo sumimus: propriè & presse, & latè seu latissimè. Primo modo sumpta, illum tantùm tumorem comprehendit, qui ex benigno, & naturali sanguine ortum habet, appellatúrque exquisita, 2. *crisi. cap.* 2. quam solam inflammationis nomine dignabantur prisci, 1. *ad Glauc. in fin.* Secundo modo etiam herpetes, & erysipelata complectitur, 2. *ad Glauc. cap.* 1. Latissimè accipitur inflammatio pro tumore, qui ex omni humore fit: fieri autem posse ex omni, docet Galenus expresse, 2. *crisi.* 12. confirmátque flauum pleuriticorum sputum, indicans merè biliosum esse inflammantem humorem; rubeum, sanguinem; candidum & spumosum, pituitam; nigrum, melancholiam, sine permixtione vlla, *lib.* 2. *crisi. c.* 12. & 6. *Aph.* 33. Illud etiam varij phreniticorum affectus manifestum faciunt.

Aduertes deinde, quòd licèt inflammatio ex quocunque humore possit generari, non ideò tamen omnis tumor præter naturam cum inflammatione conuertitur. Neque humor qui in parte aceruatur, quomodocunque se habens, inflammationem facere potest, sed putrens, & excalfactus: In quo sanè à singulis aliis tumoribus, etiam à simili humore ortis distinguitur: bilis enim quamdiu putredinem non contrahit, erysipelas facit; pituita, œdema; melancholia, scirrhum. At postquam prædicti humores putredinem conceperunt, & ea concepta extraneum calorem corpori impertiunt, inflammationes efficiunt, biliosus quidem, erysipelatodes; melancholicus, scirrhosas; pituitosus, œdematosas, 2. *crisi.* 12.

Ex quibus *colliges primò*, non sibi aduersari Galenum, dum inflammationem separat ab aliis tumoribus præter naturam; nonnunquam omnes inflammationis nomine compellat. Quamdiu siquidem tumefaciens humor, putridus non est, œdema fit, erysipelas, vel scirrhus: inflammatio autem, vbi iam putredinem, & extraneum calorem concepit.

Colliges secundò, meritò 2. *de locis, cap.* 9. de omni inflammatione vniuersaliter asseruisse, esse calidam affectionem: Nam quamuis aliquando ex frigidis naturâ humoribus ortum habeat, quia tamen, antequam putreant, inflammationem non efficiunt, (non aliter, ac putrida febris ex putredine cuiuscunque humoris) calida affectio dicitur: per se quidem sæpe, quia materia calida est, vt sanguis, & bilis; semper verò ex accidenti, ratione extranei, putredinosíve caloris, qui in omni humore necessariò requiritur, ad hoc vt possit inflammationem efficere, quemadmodum dictum est.

Nec sanè dictis aduersatur, quod 2. *de loc.* 9. vniuersaliter scribit, ex affluente sanguine fieri: Non enim per sanguinem intellexit Galenus, quartum illum humorem à tribus reliquis distinctum, sed promiscuam illam vasorum materiam, à qua omnis oritur inflammatio, modò vno, modò alio humore putrescente, vel pluribus simul. Iam verò rubeus color, quem ad inflammationem nonnulli etiam requirunt, induci potest à putridi qualiscunque humoris feruore, excedentéque caliditate, cuius soboles est ipsa rubedo, 5. *Aph.* 23. & *lib. de tumorib. præter natur. cap.* 2. & 3. *de fract.* 8. Denique non obstat quod *suprà* dictum est, pleuritidis sputum, flauum, aut biliosum esse; peripneumoniæ autem, candidum, aut spumosum, ac si ab vno tantùm humore pleuritis, & peripneumonia orirentur: nam quamuis vnaquæque ex cuiusque humoris abundantia fieri possit, quum tamen frequentius sit pleuritidem à sanguine biliosо, pulmoniam à pituitoso generari, sine errore licet vniuersaliter pronunciare, huiusmodi sputa candida, & spumosa, pituitam significare.

Antecedentes, procatarcticæque causæ phrenitidis, illę sunt, quæ bilem, biliosúmque sanguinẽ accumulare queunt. Ex illis sunt, auctore Aureliano 1. *acut.* 2. temperamentum calidum & siccum, æger sit mente mobilis, iuuenis, vel etiam ad ætatem declinantem accedat: in iuuenili enim ætate bilis flaua progignitur; in declinante verò, genita in iuuentute seruatur. Iuuat aër calidus, & siccus, & tempus anni: nam æstatis, & autumni tempore homines in hunc morbum facillimè incidunt. Mora in balneo, & sole, exercitium immodicum, ira, curæ, ieiunium, studium assiduum, immodica vigilia, vini meracioris potus, rerum calidarum esus, consueta hæmorrhagia suppressa: hæc enim omnia bilem generant, & ortam summopere exacerbant.

Signa imminentis, incipientis, & confirmatæ, phrenitidis.

PLura sunt signa, quæ phrenitidem futuram præostendunt; alia, quæ præsentem adesse significant. Ea omnia dilucidè plana faciam. Galenus *lib.* 5. *de loc. affect. c.* 4. veræ phrenitidis indicia recenset, vigilias magna ex parte antecedentes, & cephalalgias, ex calidis succis cerebrum impetentibus, & ex eadem causa somnum variis imaginibus turbatum, ita vt inter dormiendum exurgant, & ceu œstro agitati vociferentur: effundant aliena verba: irrationabiliter obliuiscantur: velociter, ac temerariè respondeant: acutè febricitent: magnam & raram edant respirationem: potu exiguo vtantur: oculos nunc sanguineos, nunc squalidos præ se ferant; ex altero aliquando lachrymentur: lucem effugiant, nonnunquam tenebras: sanguis è naribus fluat: delirium paulatim, non repentè incipiat; non intermittat, sed continuò perseueret: turgeant in fronte venæ: Insuper & oculos, vel immotos habent, vel immodicè palpitantes; modò sine causa quiescunt, modò frequenter, & inordinatè mouentur, manibus præcipuè quas ferè nunquam habent immotas.

Deinde extrema inquirunt, stragula colligunt, festucas vellunt, floccos carpunt, frequenter excreant, caput concutiunt: alij oculos continuò abstergunt, dentes, aut nares; linguam præ siccitate exerunt, & vndique versãt; silent pertinaciter, aut immodicè, aut inordinatè loquuntur, sed tremula, submissa, & acuta voce obganniunt. Doloris causam habentes, non dolent, etiamsi pars affecta prematur. Denique vrinam albam, & decolorem emittunt, ex vniuersæ bilis raptu ad caput, 1. *prorrhet.* 4. & 4. *Aph.* 72.

Hæc, & alia plura phrenitidis indicia, colliges potissimùm ex Hip. & Galeno, *lib.* 1. *prorrhet.* & 5. *de loc. c.* 4. Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 2. Paulo *loc. cit.* Tralliano, *lib.* 1. *c.* 13. & aliis: ex quibus quidem nonnulla futuram phrenitidem prænuntiant, vt acuta, malignáque febris; rarò enim ab initio phrenitis inuadit, sed plurimis à quarta, aut quinta, aut sexta die incipit, aut adhuc seriùs ingraueſcente febre. Capitis grauitas, ac dolor vehemens præsertim circa occiput, ascendente halitu per posticam cerebri partem, ex copioso, feruentíque humore, qui ex arteria dorsi elatus, ebullitione sua altas partes perreptat. Vigilia importuna, quæ cerebrum exiccat & resoluit, & ad susciendos vapores ex partibus inferis aptum reddit, & sic cucurbitulæ ritu attrahit, absorbétque humores, & eleuatas fuligines exhaurit. Somnus manifestis imaginibus turbatus, quare insomniis exturbati, clamant, & exiliunt. Vrina repentè alba facta. Irrationalis obliuio edendi, bibendi, egerendi. Carentia sitis: nam licèt adsint causæ sitim concitantes, & calida siccáque affectione laborent, & linguam præ siccitate asperam habeant, tamen ab Hippoc. 3. *epid. sect.* 3. *text.* 44. dicuntur non siticulosi, & 1. *prorrhet. text.* 16. vocantur paucibibuli. In hunc sensum 2. *Aph.* 6. prædixit Hip. *Quicunque dolentes parte aliqua corporis, dolorẽ non sentiunt, his mens ægrotat.* Spiratio rara, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 206 sur 927

©BIUM

& magna: ſic enim dixit Hip. *lib. 1. prog. 24. ſpiritus, qui magnus inſpiratur, multóque interpoſito tempore, delirium ſignificat:* quare phrenitici ferè ſunt breuiſpiri.

Alia ſunt ſigna, quæ phrenitidem præſentem iam monſtrant, eámque propriam atque exquiſitam: & inter omnia paulatim incipiens, perſeueránſque delirium, quod verbis, vocibus, ſilentio, geſtibus, ac demum aliis actionibus multifariam ſeſe prodit ferox, ac ferinum. Accedit febris arida, & quæ citra notabilem mutationem ægrum opprimit: pulſus paruus, celer, creber, durus, neruoſus, ſubtrementi ſimilis, imò conuulſus. Lucis auerſatio, & aliquando tenebrarum fuga.

Horum omnium cauſa, & in ſignificando fides vt appareat, de aliquibus dubitandum, & quærendum: *Vtrùm ſigna imminentis & præſentis phrenitidis à Galeno tradita, ſint vera?* Nonnulla enim cauſam habent euidentem in ſignificanda futura, eáque germana phrenitide, vt peruigilium, ſomnium, cephalæa, obliuio, audax reſponſio: quæ omnia ex vaporibus acribus, irritantibus, & pungentibus cerebrum, & membranas, oriri non eſt dubium.

De reſpiratione autem magna, & rara ſic dicendum: Quamuis non omnis reſpiratio præmeditata ſit, omnis tamen imperata eſt; nec verò vt talis dicatur, neceſſarium eſt imaginationis imperium. ſentiri: facilitas ſiquidem actionum, conſuetudo, & animi in aliis rebus occupatio, plerunque faciunt, vt nec imperare nos, dum fit, ſentiamus, nec recordemur imperaſſe. Cur vero in delirantibus etiam detenta, & occupata imaginatio non imperet opus vſque adeò ad vitam neceſſarium, & per ſomnum etiam ſeruatum, quo tempore obruta eſt, & ab aliis functionibus prorſus vacat: cauſa eſt, nimia phantaſmatum quibus detinentur occupatio, propter quam, aut penitus obliuiſcuntur reſpirare, aut ſufficienter: vnde cùm iam valde vrgentur ob nimis auctum vſum, reſpirant multùm.

Ratio verò ob quam ipſi paucum bibant, eſto hæc: Nam etſi ſimiliter aliarum functionum obliuiſcantur, & rarò etiam bibant, non perinde tamen multùm: vel quia ſitis vehementia minùs quàm refrigerij vrget; vel quia ſitiens venter à vicinis partibus humidum trahit, & ſine potu prementi ſiti ſatisfacit: hinc enim ſitis ceſſat eam tolerantibus, ſimiliter & fames; videlicet ob tractionem, quæ à circumiacentibus membris fit ad ſitientem, fameſcentémue ventriculum: quod ſanè reſpirationi non euenit, nec enim eſt vnde externus aër ad pulmonis, & cordis refrigerium, quàm ſpirando attrahatur. Quidam putant, quòd parum bibant phrenitici, ex proprietate temperamenti cerebro inducti, euenire, ratione cuius aquam auerſentur; non aliter quàm à rabido cane contrahunt hydrophobiam, id eſt, aquæ metum, quæ ſpecies etiam quædam delirij nuncupatur. Alij ad aquæ faſtidium referunt, quo fortè capiuntur, ſicut etiam multis accidit cibos abhorrere; aut quia ſua phantaſia deluſi malum aliquod aquæ permixtum arbitrantur.

Vltra hæc. Contra ſigna tradita obiicies hoc modo. Si in cerebri malis, docente Galeno *lib. 3. cap. 7.* febris eſt ſymptoma quoddam, & potiùs ſubſequitur ad inflammationem, quomodo *5. de loc. cap. 4.* inter ſigna antecedentia phrenitidem, recenſetur? Deinde ferox reſponſum, ac irrationalis obliuio, principem facultatem iam eſſe læſam ſignificant. Igitur non minùs hæc, quàm expiratio illa, potúſque exiguus, inter ſigna præſentis phrenitidis reponenda ſunt, vt *1. prorrhet. 16.* & *2. prog. 24.* Hip. monet: neque enim ferocitas in paraphrenitide fit, ſed in exquiſita phrenitide; nec reſpirare obliuiſcuntur homines, cùm ſit opus ad vitam vſque adeò neceſſarium. Denique nec potare affectionem calidam, & ſiccam habentes, niſi quæ patiuntur, non intelligant, ex Galen. *3. epid. ſect. 3. com. 44.* & vt inquit Hipp. *2. Aph. cit.* qui talibus mens ægrotat, id eſt, iam actu vacillat.

Præterea. Non inſanit, aut aberrat mens, quum auerſatur ea quæ nociua ſunt & moleſta. Sed lux eſt infeſta, & ingrata oculis, habentibus inflammationem in cerebro. Igitur lucis auerſio non erit ſignum delirij. Minor patet, quia ex obſtructione inflammationis, & reſolutionis, quum exiguus ſpiritus ad oculos deferatur, debilitatur viſus, & multò magis à luce exiguos ſpiritus diſſipante, *1. prog. 10.* & *1. de cauſ. ſympt. 6.* & ideò laborantibus oculis nigredo grata, vtiliſque eſt, & ab Hip. commendata, *4. acut. 48.* in implacidis febribus, difficiliſque tolerantiæ, in mali ſubſidium, & moleſtiæ leuamen. Quòd ſi aliquando tenebras auerſantur laborantes, id etiam rationabiliter fit: quia enim oculis natura ſplendidiſſimis oppoſitæ ſunt, diu ferri non poſſunt, ſine eo quòd triſtent, & infeſtent.

Inſuper. Oculi ob nimias vigilias à quibus exiccantur, ſquallidi, concauíque redduntur, *1. prog. 8.* concreti, hoc eſt, immobiles, ob extinctionem virtutis, à qua muſculi mouentur, *6. epid. ſect. 1. com. 27.* palpitantes ex vaporibus in ipſos eleuatis, à quibus ſola paraphrenitis fieri poteſt. Ergo non poteſt ab illis monſtrari phrenitis, hoc eſt delirium cum febre, ex inflammatione, ac multitudine generata. Imò nec à rubris, lachrymantibúſque oculis, quia ſæpe ſanguinis è naribus profluuium ſignificant, *1. epid. ſect. 2. text. 80.* & *2. 4. tract. 1. cap. 23.* Inuoluntariæ lachrymæ aliquando potiùs mortem, quàm delirium portendunt, *1. prog. 10. 1. epid. cit. lib. 6. epid. ſect. 2. text. 21.* & *4. Aph. 52.*

Vltrà. Feſtucarum collectio fit propter apparitiones, ſeu viſa, à quibus deluduntur oculi, ex craſſo & opaco vapore, inter corneam, & glacialem obſcurante, *1. de cauſ. ſympt. cap. 2.* Sed huiuſmodi vitium oculorum eſt, non imaginationis. Igitur perperam docuit Galenus, ex eo delirium iudicari. Probatur minor, quia licèt imaginatio cum oculi errore conſentire videatur, iudicans adeſſe quæ falsò repræſentantur, ac intemperans manibus ad eorum euulſionem; decipitur tamen ex errore viſus, circa cuius, & reliquorum ſenſuum cognitiones negotiatur, & à quibus ſuarum actionum initium ſumit, atque inde nullam læſionem perpeſſa aberrat, *1. de cauſ. ſympt. cit.* vbi etiam in homine ſano, vel leui morbo oppreſſo fieri ſimiles deluſiones aſſeuerat.

Quinimò etiamſi demus lædi imaginatiuam ipſam in huiuſmodi vitiis, quum non minùs etiam læſa, aut ſaltem decepta credatur, vbi impoſſibilia fingit, aut ex aliquo obſtaculo parietem, v.g. argenteum iudicat, imò etiam in ſuffuſionis initio, floccos, culices, aut ſimilia oculis obuerſari, idque ſine vitæ diſcrimine, aut ſaltem magno morbo; cur ergo hæc tam lethalia erunt, aut mortem præſagient?

Rurſus. Si phrenitici aridam habent linguam, *1. prorrhet. 3.* & aſperam, *com. 16.* præ ſiccitate nimia, ratione cuius, quia moueri non poteſt, ſilent, vnde loquaces, & linguam ipſam exercentes, ac vndique verſantes, maximè cùm non ſitibundi ab Hipp. dicantur? Denique, ſi imaginationi ſemel conceptæ vſque adeò pertinaciter inhærent delirantes, vt vi nulla dimoueri queant, vnde tam varij effectus, vndéue tam crebras, & vehementes habent rationes, animali ſpiritu ferè inaniti?

Hæc in ſignis phrenitidis explicandis, mea opinione, licèt videantur obſcura, habent tamen explanationem commodam: dummodò tamen aduertas, quòd licèt nonnulla ex memoratis ſymptomata, ſoleant interdum phrenitidem antecedere, atque adeò futura prænunciare, non tollit hoc quominùs præſentem etiam ſimul demonſtrent, & confirment: ac tunc fortiora apparent, ob magnum iam, & confirmatum nocumentũ, ex bilis copia, cerebrum, vel meningem occupáte, inibíque imbibita, & impacta, vt loquitur Trallianus, phlegmonen

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 207 sur 927

iam constituente: nonnunquam verò consequuntur. Nec omnia necessariò, sed quæ tantùm propria, ac inseparabilia dicuntur; alia quandoque assistunt; non rarò inter sese variant.

Hoc modo acuta febris aliquando antecedit; perpetuò sequitur, & comitatur phrenitidem: quo nomine symptoma dicitur, 4. *Aph.* 73. & *lib. de diff. morb.* 5. Antecedunt etiam vigiliæ, ex Gal. 5. *de loc.* 4. mentis aberratio, 1. *prorrhet.* 15. audacia, 6. *epid. sect.* 1. *text. vlt.* ferocitas, *cit. prorrhet.* 25 & *lib.* 2. *eiusdem*, 25. cum ferocitate respondens, proximè ad phrenitidem accedit, maximè si natura modestus, compositúsque sit: & respirandi obliuio, (vnde magna & rara fit respiratio) bibendi, & aliorum, quæ quia ad vitam necessaria, nonnisi iam mente turbata solent effugere. At vbi firmata iam est, factáque phrenitis, ingraescunt vtplurimùm, fiúntque fortiora.

Iam verò auersio ingrati, noxiique luminis exiguos spiritus phreniticorum dissipantis, licèt sanæ mentis indicium videatur; vel inde tamen satis afflictam, & reliquis concurrentibus notis cerebrum inflammatione occupari significat, & aliquando interitum, 1. *progn.* 23. Quinimò lucem non effugiunt phrenetici, quasi diiudicantes noxia, siquidem pro lumine tenebras aliquando auersantur; sed propter visa & imagines, quibus tam in luce, quàm in tenebris, non sine magno rationis nocumento terrentur.

Immobilitas autem oculorum, cùm factæ conuulsionis argumentum sit: fientis, palpitatio, seu tremor; squallor, consumptionis, præsente acuto morbo absque graui noxa principis facultatis non eueniunt, 6. *epid. sect.* 1. *com. cit.* Nec quicquam obstat, ob inflammationem etiam cerebri euenire; ab eo siquidem inflammato conuellentes humores palpitationis causæ possunt descendere; & ab excedente calore humidum, & spiritus dissipari; atque excauari oculi; fieríque rubri, vel ex ipsa inflammationis materia, vel quia calor vehemens oculis etiam communicatur, vnde fit sanguinis tractio ad illorum venas, & rubefactio.

Lachrymantur, vel alter tantùm, ob defluentem humiditatem à cerebro, ex defectu retentiuæ, aut calore exiccante. Quòd si aliquando à lachrymis eruptio sanguinis per nares salubriter expectatur etiam in acutis, & periculosissimis morbis, his est, quibus signa non adsunt alia vel mortem indicantia, prout ipse expressit 1. *epid. cit.* Quod verò attinet, ad festucarum collectionem, fatemur quidem eam in phreniticis causam habere, fuligines, seu opacos halitus albugineum obsidentes, perinde ac in initio suffusionis solet accidere; aut imaginationes etiam clausis oculis, & in tenebris conceptas, quod in suffusionis visis non inuenies: siue autem obuersentur, siue non, sed concipiantur tantùm visa, ingens cerebri nocumentum, magnáque perturbatio rationis inde significatur; quin & euidens vitæ discrimen ex significata cerebri inflammatione: non enim ad præsentiam morbi acuti talia consequuntur visa, nisi ob summam humorum adustionem, multámque adusti humoris copiam, quæ quia intra caput contineri non potuit, ad oculos descendit, & delusiones parit. Quamuis autem in his quæ aquam in oculo portendunt, aliquando etiam vapor ad cerebrum accedat: cognoscuntur tamen tum ex morbi præsentia, aliisque phrenitidis indiciis; tum quia in lumine pariter, & in tenebris apparet: quæ verò suat oculorum passiones, tantùm in luce, vt diximus; nec in his euellendis imaginatio insistit: quia enim sana & incolumis, vanas putat formas falsò repræsentatas; è contrà vbi læsa existit, siue obseruentur oculis, siue tantùm concipiantur, adesse credit, & manus inordinatè, ac frequenter mouet, nunc ad faciem, nunc ad vestes, nunc ad parietem, scilicet vt colligat, carpat, & euellat, quæ sibi iudicat verè repræsentari, & iterata manuum gesticulatione assequatur; sed frustra, ac proinde non sine mentis perturbatione, quam manuum gesticulatio indicat, quia cùm membrum sit crebris motionibus destinatum, & vt ait Galenus 1. *de vsu part.* 4. organum organorum, suis motibus manus cerebro vicinissimæ, mouentis facultatis, ac cerebri statum denuntiant.

Cur verò phrenitici aliquando sileant, & abominentur loquelam, vt Auic. loquitur, (cùm plurimùm clament, rixentur, & immodicè loquantur) partim referendum est ad pertinaciam alienatæ mentis; partim ad virtutis defectum, vel impotentiam linguæ præ siccitate, aut vulnere quia ipsam exertant, non rarò mordent: exerunt autem, iactant, & versant, vel quia ratio adhuc sibi aliquantulum constans in ariditatis subsidium irrigari quærit; vel quia ex temerario iudicio, calore, & siccitate immodicis, ad irrationales, varios, atque inordinatos motus excitantur: qui licèt vehementes, constantes tamen non sunt, stabiles, aut diuturni, sed veluti furibunda quædam concitamenta, ab inflammato spiritu & siccitate neruorum commota, parum tamen persistentia ob indigentiam spirituum, & virium iacturam, cum quibus etiam stat suis phantasiis pertinaciter inhærere, nec quamdiu delirant, ab illis diuerti.

De Phrenitidis distinctione à similibus affectibus.

VT verò phreniticum delirium adesse cognoscamus, necesse est illud discriminare ab aliis deliriis, quæ in aliis affectibus contingere, experimento compertum est: Nam delirant maniaci, melancholici, paraphrenitici, & ij qui septi transuersi inflammatione premuntur. A mania distat phrenitis, quia in hac febris adest, 3. *epid. sect.* 3. *com.* 45. & 2. *de caus. sympt.* 5. in mania deest. In illa pulsus paruus est, & creber; in furore seu insania, maior. A melancholia faciliùs discernes phrenitidem: in illo enim affectu adest quies, mœror, mœstitia, & in vna aliqua re lapsus; in phrenitide vehemens motus, ferocia, saltus, & in omnibus delirium adest.

Distingues ex Gal. 5. *de loc. cap.* 4. phrenitidem veram à falsa, hoc est, à paraphrenitide, seu delirio, quod fit per acutas febres, internarúmque partium inflammationes, quia hoc non est perpetuum, sed in febrium declinatione cessat; at verò in vera phrenitide delirium est continuum. Deinde in paraphrenitide delirium subitò fit; in phrenitide verò paulatim. Vtriusque distinctionis hæc est causa. Nam in phreniticis, cùm causa semper maneat, assiduum est delirium, quousque inflammatio sit sedata; in paraphrenitide, quum fiat per insultus, & exacerbationes, declinante febri imminuitur, aut cessat. Insuper phrenitis repentè non fit, quia semper illius generationem præcedunt signa phrenitica, & cùm sit maximus affectus, magnam causam requirit, & maius tempus ad sui generationem præsupponit; paraphrenitis verò subitò fieri potest, quia eius causa subitò inuadit: cerebrum enim breui tempore incalescere potest, aut acres vapores suscipere.

Sed inquirendum: *Virum Galenus his duobus signis phrenitidem veram à falsa rectè distinxerit?* Nam priùs sequitur delirium ad inflammationem cerebri, quia priùs læditur mens, quàm ad septi, pleuræ, pulmonis, vel cuiusuis alterius membri; his enim inflammatis primò febris ob nocumentum vicino cordi statim cõmunicatum, deinde alienatio succedit, 10. 3. *cap.* 2. *de pleuritide.* Ergo magis subitò, magísque celeriter in vera. Quòd si dicatur subitò fieri in falsa, quia præcedente aliqua ægritudine aliorum membrorum euenit, absque

abſque vllo affecti cerebri, futuræque phrenitidis indidio, etiam ex Auic. & Aëtij ſententia, rarò phrenitis ab initio cum febre irruit, ſed ferè poſt quartam diem à febre.

Præterea. Quemadmodum ex humore qui paulatim in cerebro ad inflammandum aceruatur, paulatim ſequitur mentis perturbatio, ita etiam poteſt ſimiliter conſequi ex materia aliunde communicata; præterquã quòd frequentiùs inflammatio fit ex ſubito humoris confluxu ad partem, quàm ex paulatina congeſtione, vt conſtat ex *lib.art.med.cap.95.*

Deinde. Quemadmodum delirium per febres ardentes accidit, & ad earum vigorem increſcit: ita etiam ſaltem augeri poteſt ex febre veræ phrenitidis. Ergo pariter vtrobique ad febris remiſſionem ſaltem minuetur alienatio. Imò verò, quòd neceſſarium non ſit eam æquam, aut perpetuam eſſe in phrenitico, ſed quòd interrumpatur etiam, & æger nonnunquam ad mentem redeat, colligitur ex Hip.3.*epid.ſect.*1. *in hiſt. Ægroti tertij*, qui cùm phreniticus eſſet, ante morbi ſolutionem per interualla exactè intelligebat, vt apertè ait Auic. *loc.cit.* §. *Et quandoque abſcinditur, &c.*

Nec autem oportere etiam in paraphrenitide quieſcere omnino, ac intermitti delirium, id colligitur ex Galeno, 5. *de loc. cap.* 4. dum ait: *ex inflammato cerebro continuum eſt*: & conſtare inde videtur, tum quia ſi febris à qua oritur, continua ſit, nec exacerbationes habens, non eſt vnde intermittat; tum quia cùm accidens ſit inflammationis, non minùs quàm febris, & hæc cum inflammatione permaneat, præſertim viſceris, cur ſimiliter non perſeuerabit alienatio, & perinde ac inflãmato cerebro, cuius etiam ſymptoma eſt, maximè ſi perpetua fiat materiæ delatio ad caput, quod impoſſibile non eſt, ob membrorũ ſocietatem, & conſenſum.

Sed hæc etſi ardua ſint, non cogunt: Nã dicuntur paulatim delirare verè phrenitici, licèt priùs, quã delirantes ex inflãmato ſepto, quia vtplurimùm antecedit obliuio, ac mentis quædã alienatio, quinetiam aliquando floccorũ collectio, vt ſibi contigiſſe narrat Galenus, 4. *de loc.*2. demum & alia ſigna ægritudinis, non alterius membri, ſed cerebri propria. Perpetua autem eſt, nec interrupta dementia in vera phrenitide, quia cùm accidens ſit à vera inflãmatione inſeparabile, ſeu potiùs de eius eſſentia, ea durante perſeuerare oportet: quamuis enim febre, vel inflammatione ipſa inclinante, nonnunquam alienatio, vt inquit Auic. abſcindatur, id eſt, minuatur, non tamen momentaneo interuallo mentis compotes in totum fiunt. In falſa, (qualis erat illa. 3. *epid.*) magna ex parte per declinationem ad ſe redeunt, ceſſatque per intetualla delirium, præſertim eo tempore quo vaporum impetus ad caput non effumat; quod etiam inflammato ſepto fortè reperies, quamuis magis continuum, ac proinde minùs diſtans ab eo, quod in exquiſita phrenitide fit; Nam propter ſimilitudinem hanc, 4. *de cauſ. pulſ. vlt.* definiuit phrenitidem, inflammationem cerebri, vel ſepti, obiter non ſeparans, quæ inter ſeſe ſimillima ſunt in eo, per quod vera phrenitis à falſa diſtinguitur. Quòd ſi febris, quæ in communi dementia accidit, exacerbationes non habeat, ſed eundem tenorem obſeruet, non proinde perſeuerabit alienatio: tum quia fieri poterit, vt impetus vaporis ceſſet; tum quia non erit difficile alitus ipſos aſcendentes diuertere, atque ita delirium ceſſare: non ſic in cerebri inflammatione, de cuius eſſentia eſt, vel ſaltem proprium accidens, vt diximus.

Diſtinguitur phrenitis vera à phrenitide ſepti tranſuerſi, licèt in hac etiam delirium ſit continuum, quia in hac inflammatione ſepti, nihil in oculis conſpicitur, neque ſanguis è naribus diſtillat: reſpiratio eſt inæqualis, ita vt aliquando ſit exigua, & frequens; interdum anguſtioſa, & ſuſpirioſa, qualis apparet in olfacientibus, & ſuſpirantibus; in vera phrenitide eſt magna, & rara. Deinde in deſipientia ſepti dolent hypochondria, & intenduntur; in vera, calor viget magis circa caput, & faciem. In ſepti inflammatione deſunt omnia ſigna, quæ veram phrenitidem comitantur, de quibus *ſuprà*. Cur autem ſolo ſepto inflammato delirium perpetuum ſequatur, non verò inflammato ventriculo, corde, hepate, pleura, aut pulmone, fusè diximus *lib.2.hiſt. PP. Med. hiſt.* 24. quo loco maiorem ſympathiam cerebri cum ſepto, quàm cum dictis partibus, non eſſe poſitum in vicinia, & propinquitate, nec in analogia quæ exprimi nequit; ſed in maiore conſenſu, ratione neruorum, quia nerui ſepti propiùs principium attingunt, vt Galenus docuit 4. *de præſag. ex pulſib.* 5. determinauimus.

Denique diſtingues phrenitidem, penès materiæ inflammantis diuerſitatem: à ſanguine enim facta, fit cum riſu, & puerili ſaltatione: viſa, imaginatáque rubra ſunt, adeſt capitis grauitas, rubedo in facie apparet, ægri ſomnolenti ſunt, febréque ſynocho detinentur. Bilem præoſtendunt delirium cum audacia, rixa, & contentione, maior adeſt dolor, color faciei in pallorem vergit, viget peruigilium, febris eſt aridior, tactus mordacior, pulſus minor, crebrior, celerior: lingua aſpera, citrina. Ex præaſſata bile oriri ſignificant, ferox delirium, violentus furor; & alia aderunt, quæ *ſupra cap. de cephalalgia* prænotauimus. Si pituita, bili, aut ſanguini ſit permixta, mixta quoque erunt deliria, & ſymptomata.

Præſagium.

Hic affectus ex natura ſua acutiſſimus eſt, & exitialis, vt docet Galenus *lib.* 1. *epid. ſect.*3. *com.*1. *poſt princip.* non quaſi perpetuò, ſed quia frequentiùs interimat; nam & Demetrius apud Aurelianum, phrenitidem dixit eſſe delirationem vehementem cum febre, deſinentem in interfectionem celerem, aliquando & in ſanitatem; & Galenus 4. *Aph.* 72. dum teſtatur, ſe nullum vidiſſe phreniticum, qui cum alba, pellucidáque vrina euaſerit, innuit aliquos cum ea vrina, fuiſſe à phrenitide immunes, maximè ſi non ita deiectæ ſint vires: vt enim inquit Hip. 1. *prorrhet. ſect.*1. *text.*8. *Prædebilitatorum deſipientiæ, peſſimæ*, quia virtus debet eſſe robuſta, vt morbi coctioni inpoſterum poſſit ſufficere. In hunc ſenſum intelligendus eſt Galenus, *lib.* 10. *meth. cap.*5. dum in inflammationibus internis, ſpem totam eſſe collocandam in virium robore aſſeuerat.

Peſſimum quoque eſt, ſi reſpiratio perſeueret magna, & rara, quia delirium ferinum portendit, ex Hip. 1. *progn.*24. Sed dubitabis: *Vtrùm à phrenitide reſpiratio magna, & rara ſit inſeparabilis*? quia *cit. progn. libro, in com.* Galenus hanc reſpirationem eſſe delirij comitem confirmat, & probat 2. *de diff. reſpirat.* 2. & 3. plurimos in medium afferens ægros, quos refert, Hip. 1. *epid. ſect.* 3. cuius rei rationem aſſignat, 1. *de diff. reſpirat. cap.* 12. quam nos propoſuimus *ſuprà*, quo loco quærebatur, quare deliri reſpirent, mingant, aluum deiiciant, & bibant ex interuallis longis.

Sed hæc doctrina non eſt conſona menti Hippocratis. Hic enim *lib.*3. *epid. ſect.* 3. 76. in hiſtoria Pythionis, & *text.* 88. in hiſtoria vxoris Dealcis, hos ægrotos deliraſſe, & factos fuiſſe phreniticos refert, qui tamen non habuerunt reſpirationem magnam, & raram, ſed aliquibus diebus tenuem, & imminutam. Reſpondet Gal. *cap.*7. *eiuſdem lib. de diff. reſp.* quòd quando integritas, & ornatus reſpirationis à dolo delirio immutatur, tunc fit reſpiratio magna, & rara; quando autem immutatur à dolore, fit reſpiratio parua, & frequens, propter cauſam traditam, *cit. lib. cap.* 9. Verùm quando vtrumque ſimul concurrit, mixta fit alteratio, & vt

æqualiter,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 209 sur 927

æqualiter, aut inæqualiter concurrunt, sic magis ab vno, quàm ab alio respiratio alteratur: & quia in ægrotis, quos Hip. enumerat, adfuit mixtus affectus ex delirio, & dolore, ideò respiratio fuit mixta, quando enim vrgebat dolor, erat respiratio tenuis, & imminuta, nam tunc obscurabatur alteratio ex delirio excitata; contrà quando vrgebat delirium, & imminuebatur dolor, solùm immutatio respirationis delirij apparebat.

Contra hanc solutionem obstat ratio valida: Si enim adest delirium, dolor abesse debet: nam pro generatione doloris, opus est, vt potentiæ internæ sint attentæ, quæ præsente delirio maximè distrahuntur: ob hanc causam dicebat Hip. 2. *Aph.* 6. *Quicunque dolentes aliqua parte corporis, dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Hoc modo 4. *de loc.* 4. phrenitide absoluta detentos dispositionem dolorificam non percipere asseuerat; nec sitim, etsi linguam asperam, & siccam habeant, 1. *prorrhet.* 16. & *lib.* 2. *text.* 22. & 3. *epid. sect.* 4. *com.* 44. Igitur à dolore, & delirio nunquam potest respiratio immutari. Dic cum Galeno *loc. cit.* hoc modo. Delirium nunquam potest demoliri respirationem factam à dolore, nisi quando est delirium vehemens, & dolor leuis: Nam si dolor est vehemens, solet immutare respirationem ratione sui. Sic etiam quando dolor est moderatus, & delirium est mediocre, necessariò immutatur respiratio, ita vt illius alteratio appareat. At quando dolor est sæuus, & leue delirium, dolor respirationem immutat. Ex qua doctrina constat apertè, non omne delirium doloris generationem impedire, sed solùm quod est vehemens, & simul causa doloris leuis; nam quando hic est immanis, etiamsi delirium sit ferox, sensus internos, & externos aduertere cogit, vt percipiant alterationem tristem.

Paraphrenitis semper est malum signum, quia significat magnitudinem, & malignitatem affectus cui superuenit, vt 1. *progn.* 23. Hip. docet. Quare quando Hip. dixit 6. *Aph.* 53. *desipientias factas cum risu esse securiores*, intelligendum est, non quòd sint salutares, sed quòd minus periculum, quàm aliæ desipientiæ portendant: Omnis enim mentis alienatio, nî à potu vini, aut alia causa externa oriatur, est periculosa: verùm quia pro varietate humorum morbi sunt deteriores, aut securiores, vt monuit Gal. 2. *progn.* 46. & 6. *epid. sect.* 2. *com.* 38. iccircò cum risu factum delirium, vtpote à sanguine orum, est periculosum minùs; sanguinis enim proprium est mouere risum, & gaudium, vt docuit Auer. 3. *colleg. cap. penult.* subscribit Auic. 1. 3. *tr.* 3. *cap.* 2 *ante fin.*

Phrenitis denique mortiferum ferè est morbi genus propter continuam dementiam, vigiliam, alui, & vesicæ compressionem pertinacem, neruorum distensiones, crurum conuulsiones, & contractiones, syncopen, sed præcipuè ob partis affectæ præstantiam: moriuntur enim sæpe phrenitici subitò, perseuerante capitis, & ceruicis dolore, æruginosæ vomitiones superueniunt, aut adest conuulsio: illa enim extremæ adustionis; hæc ingentis siccitatis est soboles, vt eleganter monuit Galenus 1. *epid. sect.* 2. *text.* 52. 53. & 54.

Phrenitis etsi funestus morbus, aliquando tamen, etsi rarò, in sanitatem finitur, oborto sudore copioso; & vniuersali, maximè si criticus rigor præcedat, 1. *prorrhet.* 13. narium quoque hæmorrhagia salutaris est, firmante Galeno 3. *de crisi. cap.* 3. *in med.* dum sic ait: *Contingit autem aliquando, quòd etiam per sanguinem è naribus fluentem phrenitis certò finiatur*; Nam membranæ cerebri affectæ in phrenitide, cum narium venis vicinitatem seruant, humor sua grauitate descendit, tenuis & calidus facilè fluit, & aperit ora vasorum. Sanguinis fluxū per hæmorrhoides laudat Auic. quod præcipuè in illa phrenitidis specie est intelligendum, quæ ex melancholico sanguine, aut superassata flaua bile ortū ducit; in quem sensum protulit senex oraculū, 6. *Aph.* 21. *In-*

A *sanientibus si varices, vel hæmorrhoides superueniant, insaniæ solutio*: depellente natura ad partes ignobiles faculentum sanguinem, quo excreto delirium soluitur.

Phrenitis aliquando permutatur in typhomaniā, maniam, aut hecticam febrim; quando soluta phrenitide habitualis calor introducitur, ex Rhasio 1. *cont. tract.* 1. *cap.* 3. interdum in sphacelum, seu grangrænam; sicut enim partes exteriores inflammatione vehementi affectæ in gangrænam abeunt, ita aliquando, etsi rarò, internæ, præsertim si principes sint; hæ enim solùm principium mortificationis patiuntur, vt docuit Gal. 7. *Aph.* 50. has enim natura prudentissima ab exquisita putredine defendit. Hanc permutationem venaberis, si scintillæ ante oculos obseruentur, hypochondria retrahantur sursum, pupilla ob retractionem oculorum
B non appareat, ægri supini decumbant, tremore, vel conuulsione valde oppressi.

Vtrùm autem phrenitis aliquando ad bonum, in lethargum permutetur? etiam dubitandum. Permutatio hæc est frequentissima: accidit enim quando phrenitis est cataphoræ particeps, & à bile pituitæ permixta ortum ducit; nam tunc ab assante calore, parte tenuiori bilis resoluta, pituitæ crassior pars remanet, quæ lethargū committit. Deinde ex præsidiorum frigidorum appositione cerebrum refrigeratur, flauáque bilis, crassior & crudior redditur, & quamuis non mutetur in pituitam, (hoc enim impossibile est) huius tamen qualitates acquirit; quo fit vt sicut antea calore, & acrimonia facultatem animalem irritabat, sic modò qualitati-
C bus contrariis imbuta, illam consopiat, obtundat, & lethargum pariat. Hoc modo intelligendus est Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. quo loco agens de potu copioso aquæ frigidæ, huius ratione febrim biliosam, & sanguinem in phlegmaticam mutari asseuerat. Præterea. Sicuti febris pituitosa solet biliosæ superuenire, quia partes naturales ex diuturna febre languidiores factæ, natiuóque calore destitutæ, cibos concoquere rectè haud queunt, & sic crudorum humorum copia congeritur: pari ratione post phrenitidem excitatur lethargus, cerebro refrigerato, & imbecilliore reddito, quod cùm propriū alimentū cōficere nequeat, pituitosa excremēta gignit, ex quibus coërcitis, nec expurgatis lethargus excitatur.

Hanc permutationem cōcedit Gal. *lib.* 6. *epid. sect.* 6. *com* 8. dum enim interpretatur Hip. dicētem *pro quibus qui morbi*, id est, qui morbi vtiliter, vel inutiliter in alios
D se conuertant, sic ait: *Quemadmodū enim quartana comitialem sanat, & febris quæcunque conuulsionem, vel etiam destillationem, & suspirium: eodem pacto, oculorum phlegmonen, alui profluuium, leuitatem intestinorum acida eructatio, & lateris phlegmone pulmonariam, veternum phrenitis. Contrà verò non vtiliter phrenitis in lethargum. Cur ita? quia lethargus non est remedium phrenitidis, imò potius est magis lethalis, quàm si solus accideret, etiamsi sit morbus ignauior, & minus acutus: sunt enim vires ex pregressa phrenitide imbelles factæ.*

Curatio.

PHrenitidis curatio triplici perficitur scopo. Primus, fluentem materiam. Secundus, fluxam. Tertius symptomata superuenientia respicit. Sed antequam ad
E hæc exequenda accedamus, de sex rebus non naturalibus disceptandum. Aër, frigidus, humidúsque sit, vel natura, vel arte paratus; sed frigore non excedat, nam stipat cutem, & humoris exhalationem prohibet. Non sit prauus; hic enim capitis morbos progignit, quia solum cerebrum, & cor respirant; cor autem eximio calore, & facultate validissima, malitiam aëris domat, non cerebrum. Maleficus est, ex domo calce nuper illita, vel gypso, ex Galeno 1. *prorrhet.* 8. nam vapor hic, velut ex crasso carbonum fumo, periculum, & mortem sæpe inducit, monente Gal. 7. *de vsu part. cap.* 8.

§. *Existi*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 210 sur 927

§. *Exiſtimat enim propterea perire eos, qui in charoneis ſunt barathris, tum eos qui domos incolunt calce nuper illitas, aut qui ex quodam carbonum odore, & aliis generis eiuſdem extinguuntur, quòd ſpiritus præ tenuitate contineri corpore nequeant, &c.* Probat etiam *lib. de vtilit. reſpirat. cap. 4.*

De loco in quo debent iacere phrenitici, dubitant auctores; *Vtrùm vtilis ſit luminoſus, vel obſcurus?* Aſclepiades cum Paulo exoptat lucidum: Nam ſicut ſomnia vigilanti non fiunt, & lumen facis marceſcit ad ſolem; ſic phantaſmata interna in lumine euaneſcunt, & obſcurus terrorem inducit. Antiqui tenebroſum eligebat, quia hic ad quietem magis confert, & lux diſſoluit vires, quia diſtrahit. Hip. ſic docuit, 4. *acut.* 48. dum de febribus grauibus, & implacidis loquutus, ſic ait. *Decumbere autem in conclaui obſcuro debent, & lecto maximè molli, diúque decubitum tum ſuſtinere, & quàm minimè ſeſe proiicere, & iactare, nempe id tales maximè iuuat.* Et Galenus *in com.* ſic inquit: *Nam decubitum obſcurâ in domo, non tanquam maturatorium auxilium, ſed tanquam difficilis tolerantia, inquietationiſque, quæ ob moleſtiam, angoremque fit, correctorium voluit.* Aëtius ſic diſſoluit dubium: *Qui in tenebris deteriùs ſe habent, & magis delirant, & terrentur, in loco lucido conſtituantur; qui verò in luce magis efferanantur, habitent in loco obſcuro; at qui in tenebris, & luce æqualiter ſe habent, tunc pro diſpoſitione virtutis diſtinguendum: languidi in loco obſcuro; validi in claro reponantur: tenebræ enim conſeruant vires.* Si tamen generatim loquamur, eligendus locus mediocriter obſcurus: nimis lucidus mentem diſtrahit, ſpiritum diſſoluit; obſcurus terrorem incutit; moderatè lucidus non excitat, & quietem inducit.

Lectus firmandus, nec circumſtent picturæ, aut imagines; ab his enim ſolet excitari phantaſia, laceratur mens, & dum falſa pro veris accipiuntur, augetur inſania. Ægri arcendi ſunt à clamore, quia præterquam quòd grauat caput, & fluxionem accerſit, apud Haly 5. *pract.* 13. ſæpe hac de cauſa imminens criſis ceſſare conſueuit. Aſſiſtentes ſint familiares, qui eorum feroces impetus moderentur, & iniurias perferant libenter.

Victus ratio in phrenitide, non ſolùm debet eſſe refrigerans, & humectans, ſed tenuis à principio, deinde verò aliquantulum plenior, vt ad morbi vigorem ſufficiat; quia ob vigilias, & inordinatos motus maximè diſſoluuntur. Apud Auic. 16. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. nutriatur ſyrupo acetoſo. Si autem Trallianus acetum mulſum prohibet, mellis calorem timet: & quòd Auic. 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. acida dixit percutere membranas cerebri, negauit merum acetum, non ſyrupum acetoſum. In bilioſo tamen temperamento commodè admiſcentur humectantia.

Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 9. poſt duas horas à ſyrupo acetoſo præcipit ptiſſanam, vt abſtergatur quod inciſum fuit à ſyrupo. Haly autem *lib.* 3. *c.* 12. & *lib.* 5. *c.* 13. offert ſyrupum acetoſum poſt horas quatuor à ptiſſana, vt videlicet deferat alimentum ptiſſanæ, & hæc ſpatio intermedio coquatur in ſtomacho, & refrigeret. Ante ptiſſanam per horam non vetat acetoſum, vt ſtomachum à ſorde emundet, & viam paret ptiſſanæ nutrituræ; quæ conſideratio recipienda videtur.

Lactucas in febre valida concedit Trallianus, crudas in validiſſima Paulus. Amygdalatum laudat Haly, Auëzoar *lib.* 1. *Theizir, tract.* 3. *c.* 5. in melancholia cerebri ſummopere commendat. Haly præcipit, poſt euaſionem perſeuerandum eſſe, triginta, & tribus diebus in eodem victu, fortè legendum eſt, tribus. Auenzoar, & Aurelianus per multos dies eſſe obſeruandum præcipiunt exquiſitum victum, facillimè enim recidiuant.

Potus ſit aqua puriſſima, aut hordeo decocta, in qua infundatur biſcoctum, ex Haly: vel aliquid iulapij granatorum, vel acetoſi, vt monuit Alzaharauius. De vino, *Vtrùm phreniticis concedendum?* litigant auctores: quod ſi ſit pauciferum, dilutum, apparente coctione, in ſtomacho debili, aſſueto, ſomnum conciliat, & plurimùm commendat Trallianus. Nam ſi corpus eſt aridum, ait Paulus, vel non contingit alienatio, vel adueniens facilè aboletur, dummodò nulla ſeruens inflammatio, aut magnus calor præcordia vexet, quia cibi concoctionem, ac diſtributionem promouet, labaſcentes vires refocillat, ferocitatem corrigit, hilaritatem inducit.

Longè aliter ſenſit Galenus, *lib.* 1. *ad Glaucon.* 13. pro curatione ſyncopes ſic ſcribens: *Vinum eas quæ ex maximis vacuationibus ſunt diſſolutiones, curat: Sed maximè attendendum eſt, an aliquid ſit quod prohibeat vini exhibitionem, veluti ſi caput vehementius doluerit, aut pars aliqua ex præcipuis inflammationem patiatur, aut affectio aliqua adfuerit quæ delirare cogat, aut febris ardens in morbo crudo; magna enim, & ferè inſanabilia ex vini potu, in eiuſmodi affectibus nocumenta proueniunt.* Caput enim ſuo vapore tentat, conuellit neruos, viſcera inflammat, humores agitat, & ſic biliоſum humorem, qui eſt phrenitidis cauſa, exacerbat.

Dic tu. In declinatione phrenitidis, ſi ſyncope alia de cauſa inualeſcat, vel æger ſit imbellis, vinum tenue, aquoſum, oligophorum dictum, mediocri febre præſente, tutò poteſt concedi: quod in deſipientia, & capitis grauitate offert Hip. 3. *acut.* 41. dum ſic ait: *Quũ verò in huiuſmodi morbis ſortem capitis grauitatem, vel mentis læſionem ſuſpicatus fueris, à vino penitus eſt abſtinendum, aquámque dare oportet, vel vinum aquoſum, & prorſus inodorum.* Cauendum tamè ſemper eſt à vino polyphoro, ſeu multifero, quod eſt ſapore acre; præſtans odore, ſubſtantia tenue, & facultate generoſum: Nam promptè penetrat, 5. *Aph.* 5. caput, mentémque tentat, & propter caliditatem celeriter ad caput fertur, feruentéſque in corpore ſecum fert humores, vt cit. 3. *acut. in com.* docuit Galenus. Ex huius potu, præſertim nimio, igni correptus eſt, & oborto delirio emortuus Adoleſcens in Thaſo, 3. *epid. ſect.* 1. *text* 1. Nicodemus, *eodem lib. ſect.* 1. *text.* 81. & *text.* 87. Adoleſcens Melibœæ, epoto hoc, vitam cum morte commutarunt.

Somnus omni ingenio procurandus, cuius beneficio humor noxius concoquitur, cerebrum humectatur, deliria ſedantur. Aluus ſit mollis, & mollium enematum vſu lubrica ſeruetur. Cibus offeratur in febris, & delirij decremento. Ptiſſana eſt vtiliſſima, cuius cremor adiecto papauerino ſyrupo, cum guttulis limonis, aut agreſtæ ſummo eſt ex vſu. Vbi tamen peruigilium non cedit, licitum ſit cremorem ſeminum albi papaueris ptiſſanæ admiſcere.

De phlebotomia: *Vtrùm in hoc affectu ſit celebranda?* ſic deliberandum. Cùm hic affectus acutiſſimus ſit, illi ſtatim in initio occurrendum, quia ſæuiſſima excitat ſymptomata, quæ ex inflammatione cerebri emanant, Ab hac præcipua ſumenda indicatio eſt: ratio autem curationis partis quæ inflammatione laborat, in euacuatione humoris eam efficientis conſiſtit, auctore Galeno 13. *meth. cap.* 9. *& in art. med. cap.* 95. *poſt princip.* Intemperantia enim, tumor, ſoluta vnitas, quæ conſtituunt inflammationem, huius cauſâ remotâ ſimul remouentur, ideò peculiares indicationes non præſtant. Solùm in materia calidiſſima, Galen. 2. *ad Glauc.* 2. præter vacuationem, reuulſionem etiam exoptat: hæc tamen vacuatio fit aut tranſlato humore ad alias partes, aut per eandem vacuato. Illud, aut repellentibus perficitur, quæ inflammatæ parti apponi ſolent, quia cùm comprimant, adſtrictione ſua humorem noxium ad intimas partes repellunt; aut magnis præſidiis celebratis, ſanæ enim partes tunc attrahunt. Per eandem partem vacuatur, medicamentis reſoluentibus, aut facta apertione in eodem loco, aut in parte vicina.

Præter euacuationem humoris efficientis inflammationem,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 211 sur 927

mationem, fluxionem sistere oportet, vt si morbi generatio impediri non potest, illius incremenrum auertamus; ne videlicet in flammatio in magnitudinem momentaneam paulatim accrescat. Cùm ergo phrenitis sit inflammatio, quæ non subitò, sed pedetentim fit, & propter partis dignitatem multùm vrget, augmentum impediendum illico sectâ venenâ; id enim ante cætera auxilia protulit Galenus, *lib.* 13. *meth. cap.* 21. dum enim de phrenitidis medela ex professo disceptat, sic est loquutus: *Incidenda in tali affectu vena est, statim ab initio, si modo tam valens virtus sit, vt sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de secanda vena retulimus, sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio, in qua sit extremus calor, aut frigus.* Quam doctrinam Græci omnes, & Barbari ferè confirmant.

Si enim varios fines, & vtilitates, ob quas venæ sectio celebratur, contempleris, omnes in phlebotomia facta in phrenitide reperies: Nã illa, aut est remedium euacuatorium, & tunc adhibetur quando sanguis est inutilis naturæ, & peccat aut qualitate, quia putris est, aut quantitate, vt in plenitudine quoad vasa, & quoad vires. Aut est remedium reuulsorium, quod tunc fit, quando opus est impetum sanguinis, & aliorum humorum in aliam partem reuocare; & hæc venæ sectio præexistentem sanguinis copiam in corpore non requirit, quinimò in affectu plenitudini contrario adhibetur sæpe, vt *lib. de sang. mis. cap.* 11. & 4. *meth.* 6. & 4. *acut.* 19. docuit Galenus. Secatur etiam vena refrigerationis, & diffluationis gratia; nam phlebotomia ex accidenti refrigerat, quia substantiam calidam euacuat, vt 10. *meth. cap.* 10. monuit Galenus: sicut extractio substantiæ frigidæ calefacit, apud Auic. 2. 1. *doct.* 2. *sum.* 1. *cap.* 17. Secatur etiam vena ad leuandam naturam, quæ venæ sectio non solùm adhibetur in morbis sanguineis, sed quando in præsentia sanguinis alij humores redundant; de qua venæ sectione intelligendus est Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 15. §. *Leuata namque ea, quæ nostrum corpus regit, natura, &c.* & Auic. 4. 1. *cap.* 20. §. *Et multoties phlebotomia, licèt necessaria non sit, naturam secundum plurimum leuat.* Secatur etiam vena interdum, vt agnoscamus qualis sit sanguis qui in venis continetur, veluti Galenus exequendum præcepit 1. *ad Glauc. cap. de curat. quartanæ*, & 3. *de loc.* 7. *de curatione melancholiæ*: quod consilium in lepra peritissimi Medici valde commendant.

Quare in phrenitide sanguinea, vena secanda est, vt euacuet, & naturam leuet; & in phrenitide biliosa, vt reuellat, & refrigeret: Nam copia, vacuationem exposulat; intemperies, refrigerium: Vitiosi enim humores vnà cum sanguine permixti in venis reperiuntur, & prout erant, in veteri proportione increscunt, & tunc exit bilis calidissima cum sanguine permixta: & licèt illa remaneret in corpore, vacuato sanguine, maior est vtilitas quæ sequitur ex reuulsione, ope venæ sectionis celebratã, quæ potentissimè reuellit à parte præstante phlegmone obsessa, quàm sit damnum quod sequitur ex bile relicta. Notũ autem est inter reuellentia auxilia, phlebotomiam esse præcipuum, ex Gal. *lib. de sang. mis.* 11. 13. & alibi passim, prout prædiximus *lib.* 1. *hist. PP. Medic. hist.* 10. Sic præsente vtilitate reuulsionis, etiam in homine inanito præcipitur phlebotomia, 5. *meth.* 3. & in dolore validissimo, 1. *Aph.* 23. Sic concurrente indicatione magnitudinis morbi, qualis est phrenitis, vel præsentis, vel futuræ, summoperè hoc auxilium commendatur, 13. *meth. cit.*

Sed quæres primò: Cur *cit. meth.* Gallenus addit, *nisi adsit crudorum humorum copia*: & non dicit *acrium*, qui ferè in phrenitide redundant? Dic, quia crudi curantur coctione, quæ sanguine peragitur; biliosa autem, purgatione. Dic secundò. Crudi succi grauando, obturando canales, impediendo transitum spiritus, & sanguinis ad membra, natiuum calorem minuunt, ac deiiciunt vires; quæ damna non ita præstant biliosi, & acres, in quorum præsentia si venam aperias, non ita nocebis, imò corpus facta ventilatione eximiè leuabis.

Quæres secundò: Cur ibi dicit, *nisi obstet intemperantia continentis*, cùm *lib. de sang. mis.* 9. aëris intemperies venæ sectionem non impediat, sed quantitatem præscribat? Dic, Galenum *lib. de sang. mis.* conari reducere omnes indicationes mittendi sanguinis ad tres, iuxta 4. *acut.* 19. Nam frequentissima indicatio temperaturæ continentis magis indicat quantitatem mittendi sanguinis, quam ipsam missionem; rarò tamen de phlebotomia ipsa exequenda, vel prohibenda indicat.

Quæ vena sit aperienda in phrenitide, non satis constat. Aëtius secat mediam. Alij basilicam, quia bilis in hepate redundat. Plures ex saphæna, maioris reuulsionis gratia. Interna non est secanda, quia non ita ex superioribus partibus euacuat; monet enim *lib. de sang. mis.* 16. & 4. *de sanit.* 4. & 2. *acut. com.* 11. vt partibus supra iugulum laborantibus tundatur cephalica. At verò adstante phrenitide, ex talo celebrare phlebotomiam, absonum est, & ab arte alienum, quia humor fluxus impactus in parte præstante ex propinquiori loco vacuationem efflagitat.

Circa venæ sectionem tria sunt obseruanda; primũ, quòd foramen sectionis non sit amplum, & ligatura sit firma; nam ob delirium, & motus inordinatos, hæmorrhagiæ periculum imminet. Secundum, quòd vena secta tantum sanguinis non extrahatur, quantum plenitudo desiderat; relinquendum enim est aliquid symptomati vires dissoluenti, 1. *ad Glauc.* 14. superflua enim vigilia, irrequietus manuum, pedum, & totius corporis motus, inedia, vires vehementer prosternunt, vt 2. *Aph.* 28. fusè prædixit Galenus. Tertium videtur valde controuersum: *Vtrùm ante sectionem maiorum venarum, venæsectio in fronte sit celebranda?* Hoc enim confirmant Paulus, Trallianus, & Auic. asserentes, in phrenitico venam frontis esse secandam, quando ob vehementes motus brachiorum, in cubito vena secari non potest.

At hoc præceptum vltimum non videtur amplectendum, quia sectio venæ frontis est remedium locale, ex Galeno *lib.* 6. *epid. sect.* 2. *com.* 9. Quare ante totius corporis euacuationem, & in principio morbi imperandum non est; ad partem enim affectam fluxum adauget. Verùm si hanc doctrinam explanes de phrenitide, quæ fit ex permutatione alterius morbi, tunc ratione morbi præcedentis, fluxionis periculum non impendet, quia iam est vacuatum corpus. Dic tertiò, intelligendos esse hos auctores, quando materia iam tota fluxit. Dic vltimò, quòd secetur vena frontis, modò ante venæ sectionem, & eo tempore quo secatur, ad impediendam fluxionem, crura, & brachia fricentur, ligentur, vel (quod magis probo) cucurbitulæ scapulis apponantur cùm flamma multa.

Quòd si morbus vrgeat, & sufficienter sanguis venæsectionis ope sit extractus, virésque aliquãtisper flaccescant, tutissimũ est per hirudines venis hæmorrhoidalibus affixas sanguinem exhaurire, maximè si huius vacuationis suppressio morbo occasionem præstet. Vtilis est etiam extractio sanguinis per scarificatas cucurbitulas dorso affixas. Particulariùs verò ex vsu est ea, quæ in occipitio cum flamma multa, & scarificatu adhibetur, sicut quando bregmati apponitur. Summum confert commodum sectio venæ frontis, tantopere ab Hip. laudata, 5. *Aph.* 68. *Dolente parte capitis posteriore, in fronte recta vena incisa prodest.* Firmat Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis.* 19. §. *Sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores, leuare manifestè solet tusa in fronte vena.* Subscribit Auic. 4 1. *cap.* 20. Verùm cùm sit remediũ locale, ferè non debet celebrari, nisi post vniuersalem totius corporis vacuationem,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 212 sur 927

nem, vel purgationem: alioqui periculum eſt, ne partem conuocata fluxione immodicè repleat, & inflammationem augeat. Si tamen contingat, vt ob dictas cauſas aliæ in cubito venæ ſecari non poſſint, tunc factis priùs in cruribus validis ſcarificationibus, & vinculis doloriſicis, ſanguis ex eius ſectione copioſè fluat; plurimum enim leuamen afferre ſolet.

Vena etiam ſecatur in lepore naſi, & poſtea, vt feliciùs ſanguis emanet, venulæ adapertæ affigitur hirudo, cuius ſuctu ex intimis cerebri ſedibus ſanguis exhauritur vbertim. Quæ animalcula etiã imponuntur venis temporũ, ponè aures, & ſanguinem auidiſſimè exugũt. Vtiles etiam ligaturæ, & frictiones partium extremarũ: iteratæ cucurbitæ citra ſcarificationem, dorſo, & inferioribus partibus applicitæ, quibus locis veſicatoria aliqui imponũt, vt humor in profundo infixus extrahatur foràs, & ad infernas ſedes diſtrahatur: quod non probo; calefaciũt enim vehementer, & ſomnũ perturbant, maximè cũ cucurbitulæ hoc munus ſtrenuè complere poſſint, præſertim ſi ſint cum multa flãma agglutinatæ: eſt enim cucurbitula, vt 4. *meth. vlt.* ſcribit Galenus, inſtrumentũ ad violentum attractum à Medicis excogitatum, quod *lib.* 13. *meth. cap.* 6. confirmat Galenus.

Interim adminiſtranda ſunt, quæ humorum ebullitionem coërceant, impetuoſum motum compeſcant, bilis acrimoniam retundant, refrigerent, inraſſent, & malignam eius naturam refrænent; Notum eſt autem in doctrina Galeni, lata 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 21. & 2. *criſ.* 7. febres, quæ ex ingenti phlegmone partis præſtantis originem ducunt, eſſe malignas. Quare febres ex maximis inflammationibus ſepti, ventriculi, iecoris, pulmonis, cordis, & cerebri concitatæ, ſunt malignæ apud ipſum, 3. *epid. ſect.* 1. *in præfatione.* Ideò offerenda ſunt ægris iulapia, manè, & veſperi, quæ ſimiles vtilitates præſtent.

℞. *Confect. hyacinth.* ʒ ij. *confect. alchermes*, ʒ j. *ſyrup. granator. ſyrup. de acido citri, ſyrup. acetoſi, ſyrup. de ribes*, an. ʒ j. ß. *aq. acetoſ. aq. cardui benedict. aq. roſar. aq. endiu. an.* ʒ iiij. *pulp. tamarindor. acetoſor.* ʒ ij. *pul. ſantalor. rubeor.* ϑ j. *pulu. margaritar. præparat.* ʒ j. ß. *pulu. diamarg. frig.* ʒ ß. *lapidis belzaartic. oriental.* ℈. xx. *raſuræ eboris*, ℈. viij. *vnicornu veri*, gr. iiij. *oſſis de corde cerui.* gr. iij. *ſucci limon.* ʒ j. *bracteolar. auri*; *Num.* iiij. miſce, fiat potus.

In eundem vſum poteſt parari conſerua huiuſmodi: ℞. *Conſeru. nymphææ, conſeruæ violac. conſeruæ de ribes*, an. ʒ ij. *pulu. ſantalor. citrinor.* ʒ j. *margaritar. præparat. lapid. belzaartici*, an ϑ ß. *pul. diamarg. frig.* ϑ j. *confect. hyacinth.* ʒ j. miſce, fiat conditum.

Clyſteres indendi, qui reuellant, incraſſent refrigerent, ex decocto refrigerante, aut ſero lactis, aut ptiſanæ cremore, cum oleo nenupharino, viol. roſ. flore caſſiæ fiſtularis, elect. lenitiu. diaprun. ſimpl. aut diacarthol. ſaccharo, & oui vitello.

Ergo præcedente vniuerſali vacuatione per ſanguinis miſſionem, aut purgationem factam cum lenibus medicamentis, ad localia deueniendum. Hæc bregmati imponi debent: nam hàc feliciùs penetrant medicamenta, ſunt enim oſſa ſincipitis tenuia, & rara, ſuturæ laxiſſimæ, & iccircò non ſolùm medicamenti facultas, ſed ſubſtantia ſæpe introrſum adigitur, vt in ſeipſo expertus fuit Gal. 13. *meth. cap.* 22. Sub ſincipite frontem complector, ſed in hac parte ob frontis oſſeam conſtitutionem, infeliciùs penetrant medicamẽta: at ineptiſſimè occipiti applicita; hæc enim pars, dura craſsaque ſubſtantia conſtat, & ſpinalis medulla ex refrigerantium vſu læditur vehementer.

Galenus 13. *meth. cit.* ſic pronunciat; *Nam repellendus à capite humor eſt, quiſquis is fuerit.* Hoc oraculo commoti Medici, medicamenta quæ in phrenitide, capite priùs raſo, ſincipiti apponuntur, tepellentia vocarunt, ſeu repercuſſiua, quæ cùm frigida ſint, adſtringentia, ſicca, partem roborant ne recipiat, & influxũ humorum intrò repellunt: ſicut enim manus cùm comprimit ſpongiam aqua imbutam, aquam exprimit; ſic repellẽtia adſtrictione ſua introrſum humore fluentem exprimũt, & ipſum euacuant, partemque ab inflamatione præſeruant, vt Galenus docuit *art. med. cap.* 95. Quapropter cùm roſæ adſtringant, refrigerent, roborent, repellant, & has commoditates ſtrenuè compleant, omnia quæ ex illis parantur, conſimiles habere facultates ac virtutes neceſſe eſt, vt Oleum roſaceum, præſertim incompletum, Aqua roſarum ſtillatitia, Acetum roſaceum: Quare factum eſt, vt medicamentum repellens ſincipiti apponendum, Græcè appelletur oxyrhodinum; quod fit ex partibus quatuor aquæ roſaceæ, vel plantaginis; duabus olei roſacei, & aceti roſacei dimidia. Aliquando additur drachma dimidia ſantali rubri, quia hoc medicamentum ſimiles vires ſortitur, auctore Auicenna *lib.* 2. *tract.* 2 *cap.* 655. Hoc liquore imbutum ſubtile linteolum, crebris foraminibus perforatum, ſincipiti, ac temporibus applicetur, ac ſæpe innouetur. Et non ſolùm in phrenitide, ſed in aliis partium internarum inflammationibus vtiliter adminiſtratur.

Sed quia in hunc locum incidimus, agitandum eſt argumentum de repellentibus, nam ad phrenitidis curationem ſummè conducit. Et primò: *Vtrum in initio phrenitidis, aliarumque inflammationum repellentia applicanda*: Galenus enim *lib.* 6. *ſec. loc. cap.* 1. *ad init.* & *in med.* §. *quemadmodum enim initio*, &c. & *in art. med. cap.* 95. Auic. 1. 1. *cap.* 1. & 15. & 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. *ad init.* §. & *incipe cum repercuſſiuis*: & 4. 1. *cap.* 25. quibus locis vnanimiter aſſeuerant, ad incipientes inflammationes, medicamentis frigidis, & adſtringentibus vtendum eſſe, quæ repellentia, ſeu repercuſſiua vocantur; in declinatione verò medicamentis reſoluentibus; in augmento, & ſtatu, mixtis, ita tamen vt in augmento vincat repellentia, in ſtatu vtraque æqualia ſint. Hanc ſententiã confirmat Guido *tract.* 2. *de apoſtemat. doct.* 1. *cap.* 1. reddítque rationem, quia fluente humore repulſio eſt neceſſaria; & iam fluxo, reſolutio; quãdo verò tantũ influit, quantũ reſoluitur, tunc vtriuſque ratio habenda.

Sed quæres: Si Galenus 3. *ſimp.* 10. & *cit. ſec. loc.* & Auic. vtiliter docent, in principio inflammationum ſola repercuſſiua eſſe neceſſaria, & in declinatione ſola reſoluentia: quomodo Auic. 4. 1. *cap.* 25. in quibuſdam inflammationibus negat in principio purè adſtringentia, & in declinatione merè reſoluentia? Solet Galenus, & alij auctores, quod illis frequentiſſimum eſt, proponere vniuerſales propoſitiones, in ſe & ſimpliciter conſideratas veras, quæ tamen non debent produci ad opus ſine dearticulatione, & variari debent pro varietate illorum quæ ſimul concurrunt, quorum ad rectè curandum magna eſt conſideratio habenda.

Aduerte tamen, ex Galeno, 11. *meth.* 18. in inflammationibus cerebri, & membranarum eius, vtendum eſſe in principio adſtringentibus, ſicut in initio inflammationum aliorum membrorum: cæterùm tum adſtringentia, tum reſoluentia debere eſſe intenſiora, quàm affectus per ſe expoſtulet, indicatione ſumpta à ſitu partis affectæ, ad quam medicamentorum vis ob interpoſitam caluariam refracta accedit; quare tantum oportet vim medicamenti augere, quantum de ea in via remitti debet; iuxta Galeni doctrinam, 2. *ad Glauc.* 2. & 7. *meth. vlt.* Ob quam cauſam, 11. *meth. cit.* adſtringentibus iubet permiſcere medicamenta, quæ tenuibus partibus conſtent, quale eſt acetum, ad penetrationem; & ceſſante iam fluxu, ad diſcutiendum vtitur caſtorio, quod in aliarum inflammationum declinatione, ob magnum ipſius calorem minimè imponendum.

Conſtat deinde, in inflammationibus cerebri, repri-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 213 sur 927

mentia, vt magis necessaria, frequentiùs esse admouenda, quàm in aliarum partium inflammationibus: tum quia ad cerebrum, cùm in parte suprema corporis sit locatum, à toto calidi vapores feruntur celeriùs; tum quia inflamatio maximè est periculosa 1. *prog.* 26. imò 1. *de morb. num.* 4. ex necessitate lethalis.

Vtrùm verò *in principio omnium inflammationum repellentia semper apponenda*? dubium est. Licèt autem in initio internarum, & externarum inflammationum repellentia sint ex vsu; tamen sunt affectus nonnulli, quos ab ea lege excipias, sigillatim recensendi. Primus. Si locus affectus est emunctorium alicuius membri principis, aut huic valde propinquus, ex Gal. 6. *sec. loc. cap.* 1. Nam si tunc reprimentia imponas, coërcitus, & repulsus humor ad partem præstantem, illius calorem vel subitò extinguet, vel inflammationem concitabit, primario affectu grauiorem. Secundus. Si humor fluens prauus sit, & venenosus, 14 *meth. cap.* 2. Ideò in bubonibus & inflammatoriis affectibus pestilentibus, imponenda sunt, quæ malignum humorem foràs attrahant. Tertius. Quando fluens humor multus est, & valenter irruit: Nam vt Auic. ait, 2. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *parum post med.* §. *repercussio autem materiei, &c.* tunc repercussiua non proficiunt, quia aut humorem ad aliquod membrum recurrere faciunt, vel ipsum contumaciorem reddunt. Quartus. Quando corpus est plenum: tunc enim inutilis est repulsio, ex Gal. *in art. med.* 95. corpus enim plenum non admittit, quod à parte affecta repellitur: quare necesse est, vniuersalis vacuatio præcedat. Quintus. Quum inflammatio, vel tumor, crisis ratione contingunt, quæ omnia latissimè docuit Galenus, 3. *sec. loc. cap.* 2. *de parotidibus*, & 13. *meth. cap.* 6. Sextus. Si humor valde est crassus, & impactus. Septimus. Si humor in profundo corporis cõsistit, vt in ischiade: ita enim repercussiua humores ad partes internas detrudunt, & inflammationem augent.

Guido *loc. cit.* ampliùs addit: Quando vehemens viget dolor, cui anodyna, & non repellentia prosunt, quia illa demulcendo dolorem, phlegmones augmentum prohibent, ex Gal. 13. *meth. cap.* 8. *in fin.* & Auic. 1. 1. *cap.* 1. Quo tempore repellentia non solùm nocua sunt, sed & reliqua quæ humoris fluxum ante mitigationem doloris diuertunt, ex Auic. 4. 1. *cap.* 3. §. *quúmque ad diuersum trahere volueris, dolorem priùs seda.* Tanta enim est doloris in attrahendo vis, vt reliquis remediis adhibitis, nullâ æger vtilitatem possit percipere.

Octauus. Quando inflammatio à causa primitiua concitatur, ex Auic. 4. 1. *cap.* 25. Et licèt ab hac causa nulla sumatur indicatio ad curandum, quia non permanet, sed iam abiit, ex Gal. 9. *meth. cap.* 3. & nulla ratio possit assignari sufficiens, ob quam repellentia sint interdicenda, cùm affectus à causa externa ortum ducit, quia habenda est ratio fluentis humoris, vt phlegmones generatio, & augmentum impediatur; tamen sumitur indicatio à dispositione, quam causa primitiua reliquit. Quare cùm propter contusionem humor est valde impactus, malumus tumorem aliquantulum augere, quàm materiam illam dissolutioni omnino contumacem relinquere; nam quando humor crassus est, repellentiũ vsu resolutioni ineptior euadit. Sed si hoc verum est, quomodo intelligendus Galenus, 1. *feb.* 3. *in initio*, qui causam præincipientem multùm in curatione iuuare asseuerat, sic enim ait: *Rationales autem ad ipsius rei naturam venientes, quum indicationibus vtantur, ab illa ad futurorum præcognitionem, atque ad curationis inuentionem iuuantur.* Dic, explanandum esse, mediatè, & per accidens: Nam immediatè, & per se, à causâ procatarcticâ indicatio non est desumenda.

Vltimus. Quando pars debilis est, & languida: tunc enim repellẽtia frigiditate sua valde nocent. Hæc omnia sunt intelligenda de iis medicamentis, quæ verè & propriè repellentia dicuntur; quæ frigida sunt, sicca, & adstringentia: Alia verò, quæ largo modo repercussiua appellantur, quæ videlicet attemperando calorem extraneum, roborant innatum, vt noxam à se depellat; vel suo lentore meatus occludunt, & sic humori fluenti aditus intercipitur: Hæc in illis omnibus exemplis admoueri possunt, exceptis tribus, quando humor influens est malignus, aut iuxta emunctorium infigitur, aut inflammatio crisis ratione contingit. Ex quibus constat apertè, quòd in principio inflammationum purè repellentia sunt imponenda: licèt enim aliquis humor iam sit fluxus, hic tamen cùm non sit fixus, facilè repellentium vi potest retrocedere: Quare si in initio resoluentia admoueas, nocebis impensè; nam attrahendo humorem, influxio augebitur, & inflammatio accrescet.

Dubitabis deinde: *Vtrùm in augmento phrenitidis repellentia superent resoluentia*? Prisci *cit. loc.* vnanimiter consentiunt, quia hoc tempore in maiori copia fluit humor, quàm sit influxus. Obstat tamen Galenus, *lib. de totius morbi temporib. cap.* 3. *ad init.* docens inflammationis augmentum esse, quando humoris iam cessauit influxus. Ergo videtur quòd in augmento repercussiua sint inutilia. Solue. In augmento vehementior cessat influxus, sed semper ratione doloris adhuc vigentis, in partem suapte natura dolentem, & imbellem influit humor. Et licèt in augmento cessaret influxus, tamen cùm humor iam sit extra vasa effusus, & prohibitus transpirare, putrescat, maiorem calorem excitat, & dolorem vsque ad statum; qua de causa ad concalfactã particulam tunc confluit humor, qui repellentium ope ad interiores partes debet retrudi.

Agitandum verò est dubium huic doctrinæ consentaneum: *Vtrùm in statu æqualis portio resoluentium, & repellentium sit imponenda*? Nam hoc tempore plurima copia adest influentis humoris, & influxi; quare vtriusque ratio habenda. Obstat primò Galeni auctoritas, 13. *meth. cap.* 16. *post med.* affirmantis, in statu, & declinatione solùm medicamenta discutientia esse ex vsu, sic enim ait: *Sed etiam cùm nec affluat ampliùs quicquam, nec repelli quod in laborante particula continetur, possit, &c.* Dic, in statu quicquam non confluere notabile, respectu videlicet humoris, qui affatim in initio, & in maiori copia, in particulam phlegmone obsessam confluere solet. Quamuis autem in statu humores non sint in fluxu, tamen propter calorem, & dolorem partis inflammatæ, & ebullitionem humoris contenti, timor est ne applicitis resoluentibus, quæ calida sunt, defluxio augeatur, seu prouocetur: quare ad hoc cuitandum, cum resoluentibus æqualiter permiscere repellentia, optimum est. Hæc autem permixtio resoluentium, & repellentium in statu, æqualis requiritur non exquisitè: Nam in fine status maior permixtio resoluentium vtilis est; attamen cum quadam latitudine, ad alia tempora collatione facta, in quibus alterutrius illorum excessus est necessarius. Quemadmodum igitur in augmento requiritur permixtio resoluentium, quæ debet procedere increscendo vsque ad statum; ita in principio status, æqualis permixtio reprimentium, & resoluentium conuenit: in qua tamen permixtione resoluentia debent applicari crescendo vsque ad declinationem, in qua declinatione per se purè resoluentia conferunt apprimè.

Quæres vlteriùs: *Vtrum semper in declinatione inflammationum resoluentia sint ex vsu*? Solue hoc modo. In declinatione nihil influit, quare sola laxantia, & resoluentia sunt admouenda; dummodò tamen inflammatio in aliqua parte principe non consistat, cuius operatio est toti communis, & necessaria: tunc enim, vt constat ex Galeno 11. *meth.* 15. resoluentibus adstringentia sunt permiscenda, quæ partis præstantis vires roborant, quum laxantia eadem debilitent. Quòd si partis affectæ robur toti necessarium non sit, sola

resoluen

reſoluentia ſine adſtringentium permixtione ſunt admouenda; hæc enim certò ſanationem retardant. Hoc modo 11. *meth.* 16. colo, inteſtinis aliis, muſculis peritonæi, & ipſo peritonæo, atque vtero inflammatis, in declinatione adſtringentia interdicit; in affectibus verò ventriculi, & iecoris, perpetuò adſtringentia ſunt permiſcenda: nam in his membris robur virtutis reſolui perniciosiſſimum eſt.

In pectore, & renibus, medio modo incedendum: Nam in harum partium affectibus adſtringentia ſunt permiſcenda, vt robur partis conſeruetur, ſi pus educere ex pectore, aut pulmone ſit opus, vt in empyemate. Cauſa autem cur vterum, & veſicam inter ignobiles partes connumeret, pro quarum curatione eam roborandi prouidentiam non exoptat, eſt quia renes partem ſeroſam ſeparando, pectus reſpirando, in multam materiam validè operantur: & hoc, robur virtutis eflagitat: aliæ verò partes in exiguam materiam operantur, & ſic illarum robur non ita attentè à Medico contemplandum; ex harum enim debilitate noxa notabilis non emanat.

Inſtabis hoc modo. Si in parte inflammata præſtanti, cuius operatio prototo expetitur, ſemper cum reſoluentibus adſtringentia permiſcentur: cur 11. *meth.* 18. in declinatione inflammationis cerebri, non vtitur Galenus permiſtione adſtringentium, vt partis robur ſeruetur? Dic, cauſam eſſe, quia adſtringentia ſanationem certò retardant, quod in cerebri inflammatione, ob ſummum eius periculum, valde eſt noxium. Obiicies: Cerebrum, pars eſt præſtantior iecore, & ventriculo. Ergo magis illius, quàm horum, adſtringentibus tuendum eſt robur? Dic: Licèt officij cerebri dignitas ad vitam multò magis neceſſaria ſit, tamen eius robur non ita in morbo eſt neceſſarium, ſicut robur iecoris, & ventriculi, vt firmat Galenus, *lib. 7. meth. cap. vlt.* & *lib. 11. cap. 9.*

De liene maior eſt dubitatio, cùm ſit pars quæ pro toto operatur aſſiduè: tamen pro eius curatione non ſunt neceſſaria adſtringentia, ad illius robur cuſtodiendum, niſi in lienoſis, & abundantibus melancholia, 11. *meth.* 16. Si verò nullum atræ bilis excrementum adſit, aut nullo modo, aut parciſſimè adſtringendum, ratio dictat: licèt enim ſplen pro toto operetur, eius tamen operatio eſt in paucum excrementum expurgandum, & ideò non valdè robur expetitur, nì lienoſos excipias. Dixi, *valde*, quia in affectibus lienis, ſimpliciter, & ſemper, reſoluentibus adſtringentia permiſcere fas eſt, quod apertè conſtat ex Gal. 13. *met.* 16. hìc enim lienem ſolis relaxantibus non eſſe curandum aſſeuerat, & 9. *ſec. loc.* 2 in huius partis affectibus, naturalem ipſius viſceris diſpoſitionem, & firmitudinem cuſtodiendam eſſe non ſemel inculcat.

Inſuper perſcrutandum: *Vtrùm repellentia vacuent à parte?* Id equidem affirmat Galenus, lib. 13. *meth. cap. 6.* dum ſic ait: *Vacuatur autem quod impletum eſt, non modò medicamentis iis quæ digerunt, ſed etiam quæ adſtringunt, & refrigerant.* Quo fit vt compreſſis humoribus, & retrocedentibus repellentium ope, & adſtrictione, pars inflammata diſtenta exoneretur, præcipuè quia præcedente vniuerſali vacuatione, pars affecta robuſtior reddita, humores ad ſe fluentes ad alias partes inanitas trãſmittit, vt conſtat ex Gal. *in art. med. cap. 95.* Quare cùm repellentium medicamentorum vi, humor qui influebat retrocedat; tum etiam portio illius tenuis, qui iam non modò in vaſis partis affectæ, ſed etiam in poris illius continetur, ad alias partes tranſmittatur, meritò reprimentia vacuare humores contentos in parte inflammata aſſeuerat.

Reliquum eſt, vt rationibus oppoſitum ſuadentibus, faciamus ſatis. Ad primam. Frigida, qualia ſunt reprimentia, incraſſant humores, & condenſando meatus, illos vacuationi contumaces reddunt, quum tamen in omni vacuatione oporteat meatus fluxiles eſſe, vt vacuando humori exitus pateat liber, ex Hip. & Gal. 2. *Aph.* 9. Dic: Reprimentia non ſimul refrigerant partem affectam vndiquaque, ſed primò proximam partem cui applicantur, & ſua frigiditate veluti manu comprimũt, atque ita trudunt in alias partes, portionem humorum contentorum in parte affecta, licèt eos qui relinquuntur, incraſſent.

Ad Secundam. Humor qui continetur in parte inflammata, duobus tantùm modis vacuari poteſt, aut per reſolutionem, aut per expulſionem præcedente ſuppuratione; quorum neutrum à reprimentibus, & refrigerantibus perfici poteſt. Dic. Et modo ſuprà dicto, quo repellentia euacuant: ex qua ſolutione patet reſponſio ad ea, quæ obiici ſolent.

Ad Tertiam. In principio inflammationis externæ non conueniunt repellentia, quia repercuſſio non debet fieri à parte ignobili ad partem nobilem: interna autem pars, nobilis eſt; externa, ignobilis. Ita ex Hip. 6. *Aph.* 25. *Eryſipelas ſi vertatur ab exterioribus ad interiora, non eſt bonum.* Dic, partem nobilem aliam eſſe talem ſimpliciter, aliam comparatiuè tantùm: Quum igitur aſſeritur, ad partem nobilem non eſſe faciendam repulſionem, per partem nobilem, illam debemus intelligere, quæ ſimpliciter talis eſt, quæ non eſt quæuis pars interna. Hippocrates verò reprobauit retrocеſſum eryſipelatis ad interiora, id eſt, partes profundas, & principales, & eam fuiſſe mentem Hip. ex interpretatione Galeni *in com.* conſtat apertè.

Altioris verò doctrinæ cauſa indagandum: *Virùm Oxyrhodinum in phrenitide actu frigidum, vel calidum ſit imponendum?* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. de curatione phrenitidis*, Oxyrhodinum non debere eſſe actu frigidum, neque actu calidum affirmat: Nam præterquam quòd, vt ait *Auerrhoës 7. collect. cap.* 30. cerebrum, & eius membranæ ſunt partes exangues, & frigidæ, quibus frigidum, vtpote aduerſum, nocebit impensè, 5. *Aph.* 18. hoc denſat meatus, cogit, incraſſat, & humorem excerni prohibet. Actu verò calidum, feruorem conduplicat, attrahit, impedit ſomnum, & inflammationem auget.

Galenus contrariam tuetur ſententiam: ille enim *lib. 1. ad Glauc.* 15. dum curare nititur dolorem capitis, ex multitudine humoris moleſtati, ſic ait: *Vtendum verò oxyrhodino, & perfuſionibus, in affectu quidem crudiore, ac frigidiore, tepidis; in calidiore autem, & bilioſiore, frigidis,* & *lib. 2. ſec. loc. cap. 1. rubric.* 2. agens de oxyrhodino, in capitis dolore ex calida cauſa concitato actu frigidum, imò niue refrigeratum imponere conſulit: ſubſcribit Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 3. *de curatione phrenitidis.* Tantorum auctorum votum ratio ſatis confirmat: Nam ſi hoc auxilium adminiſtratur ad repellendam fluxionem, impetúmque irruentium humorum coërcendum, & capitis ardorem refrigerandum, actu frigidum debet imponi: Hoc enim modo applicitum, citiùs, & feliciùs complet operationem ſuam.

Diſſolues antinomiam hoc modo. Quando phrenitis, aut alius capitis calidus affectus vrget vehementia ſua, tum quia illius indicatio alias indicationes obſcurat, potiſſima ratio illius eſt habenda; & quia phrenitis in principio, in quo oxyrhodinum admouetur, ſemper vrget, tum propter fluxionis impetum ad cerebrũ, tum propter intemperantiam calidiſſimam, ideò in ea actu frigidum debet imponi. Ita Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap.* 48. in cephalæa ex fluxione bilioſa præcipit oxyrhodinum frigidiſſimum capiti adhibere: & 41. *antecedenti*, in capitis dolore ex ardore, eodem modo apponendum imperat. Adde quòd frigidum animalem facultatem conſopit, immodicum cerebri calorem obtundit, peruigilio, delirióque medetur, quæ ſymptomata totam ad ſe curationem auocant: Nam conſopire, & ſtupefacere principem facultatem oportet, cerebrum ſcilicet,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 215 sur 927

quod supra modum incaluit, refrigerando, monente Galeno, 13. *meth. cap.* 21. Si verò mitior est affectus, & reliquas indicationes non obscurat, tunc indicatio curatoria ab affectu, & aliis est desumenda, & hoc modo tum naturam, temperiem, ac anni tempus contemplantes, imponimus oxyrhodinum non calidum, nec frigidum, sed tepidum; sic enim indicationi prouidemus, & curatur morbus, & partis natura seruatur.

Verùm hæc doctrina, non est intelligenda de embrochis, & perfusionibus, quæ in eandem vtilitatem, & aliàs solent administrari; hæ enim torrentis instar, ex alto supra caput decidunt, & cum calore tepido solent adhiberi, vt promptiùs penetrent, & actuali debent pollere calore, cùm aceto careant, quo oxyrhodinum constat: etsi enim acetum per se phrenitidi aduersetur, miscetur tamen, quia eius ope medicamenta cætera ad penitiora perducuntur, vt notat Galenus *lib. 7. meth. cap. vlt.* Hoc modo Galenus 10. *meth. cap. 9.* dum vnguentum illud refrigerans parare docet, externis partibus in febre hectica admouendum, vt per conniuentes, arctásque præ siccitate vias pertransire possit, illi aceti tenuis, ac clari paululum admiscet; hoc enim modo magis adhuc tum refrigerans, tum humectans medicamentum efficies: rectè autem nôsti acidam frigiditatem tenuium esse partium, vt 4. *simpl.* 3. 14. 15. & alibi passim inculcat Galenus.

Sed cùm irrequieti phreniticorum motus, ac importunæ vigiliæ, vires valde deiiciant, necesse est somnum conciliare, & ad ea præsidia accedere quæ refrigerant, humorem biliosum contemperant, & stupefaciunt. Vtiles sunt embrochæ ex lacte præsertim vaccino paratæ: Nam hoc lentore suo emplasticum est, meliùs adhæret, repellit, refrigerat, & humectat. Inualescente affectu, Asininum tenuitate sua promptè penetrat; & celeriter vrgenti malo succurrit: Caprinum ab his extremis distat.

Fiat ergo distillatio per dimidiam horam ex alto, supra detonsum sinciput, ex decocto sequenti.

℞. *Hordei excoriati*, P. iij. *folior. salicis, maluar. violar. portulac. nymphææ, rosar. lactucæ*, *an.* M. j. *coriandri viridis*, M. ß. *semin. coriandri, sem. lactuc. solani, hyosciami, cicutæ, an.* ʒ iij. *radic. mandragoræ*, ʒ ij. *papaueris alb. & nigri, an.* ʒ iij. *chamæmel.* P. j.

Coque sec. art. in ℔. xij. aq. adde: *Olei ros.* ℔. ß. *olei chamæmel.* ʒ ij.

Vt verò narcotica vis horum medicamentorum reprimatur, eáque citiùs penetrent, in decocto permiscere oportet alia, quæ tenuium sint partium, & roborandi vires obtineant. Ex hoc decocto somnifero pedes, & manus perfundantur: & post lotionem, sinciput, & tempora vngantur oleo viol. ros. nenuph. papauer. vnguento populeo; & ex iis addito opio vnguentum conficies, intra nares, carpis, ac plantis pedum imponendum.

℞. *Olei ros. olei papauer. olei nymphææ, an.* ʒ j. *vnguent. popul.* ʒ ß. *opij*, ℈. iv. *croci*, ℈. v. *cum cera fiat vnguentum.*

In hunc vsum vtile est totum sinciput inungere lacte muliebri, recenter ab vbere extracto, & desuper imponere linteum oleis dictis intinctum. Ptissana cum succo sem. papauer. & coriandri, & syrupo papaueris permixtâ, summo est ex vsu. Quòd si hæc non sint satis, & non iuuent cantus, harmonia, modulationes, & currentium aquarum lenis susurrus, ad narcotica accedendum: quare prosunt requies Nicolai, Theriaca recens, Philonium Persicum, vel Romanum; quæ si dissoluas in iure pulli, vel stillatitia Buglos. & Cardiaca admisceas, vt species Diamarg. frig. Alcherm, Hyacinth. ex arte facies.

Accedamus ad medicamentum purgans: *Vtrùm in phrenitide sit exhibendum?* Si enim purgatio medicamentis benignis celebretur in principio, fluentem humorem, & fluxurum leniter reuellet, & hoc modo natura alacrior facta, aliqualem humorem impactum concoquet, & resoluet: quæ purgatio toto principij tempore offerenda, exhibitis etiam humorem biliosum electiuè expurgantibus, vt in prima, 2. 3. 4. 5. & 6. non sumpto scopo à numero dierum, sed à fluentis humoris impetu; habet enim purgatio reuellendi vim, sicvti venæ sectio. Quare Auic. 4. 1. *cap.* 25. agens de curatione inflammationis internæ, in initio minuendam esse materiam venæ sectione, & purgatione, manifestè concludit.

Ille verò humor, qui iam extra vasa impactus est, actu inflammationem efficiens, in initio expurgari non debet, vtpote vacuationi ineptus, sed potiùs coctio in eo expectanda: Nã quemadmodum arbores terræ affixæ non possunt euelli, nisi priùs terra separetur, sic ille humor in inflammatione infixus, resistens valde, fortia medicamenta efflagitat; quæ si offerantur, agitant, perturbant, & internos humores, vt viciniores, etiamsi à natura retineantur, euacuant: quare morbus augetur, inflammatio increscit, dissoluuntur vires, & putredo superior euadit.

Hoc modo intelligenda est celebris illa sententia Hip. 4. *Aph.* 22. Nam si inflammatio terminatur per resolutionem, humor ille inflammationem efficiens purgationem non indicat; sed tunc vtilia sunt resoluentia, quæ humores extenuent, atque meatus aperiant, vt nihil humoris relinquatur: si per suppurationem, iam humor ille inflammationis non est impactus, sed collectus, & circumscriptus, & si sit inflammatio externa, sectione, aut vstione apertio debet institui, per quam pus egredi possit. Si tamen inflammatio sit interna, facta iam humorum coctione, tunc per aluum & vrinam vacuatio celebranda, vt præcipit Galenus *lib.* 13. *meth. cap.* 15.

Obiicies hoc modo. Sicuti in inflãmatione externa, quando propter illius vehementiam, & malignitatem partis corruptio timetur, pars scarificatur, vt aliqua pars humoris vacuetur, & commodiùs pars possit diffiari; sic in inflammatione interna, vehementissima, & maligna, quando timetur corruptio, quum non possit aliqua portio humoris vacuari cute scarificata, necesse erit illam educere exhibito medicamento purgante, vt similiter pars transpiret. Dic. Si ita contingat, vt præsente maligna inflammatione partis corruptio imminear, tunc de cura coacta, purgante medicamento inflammatio minuenda, & pars leuanda, ne præ vehementia inflammationis innatus illius calor suffocetur, aut mortificationem patiatur. Lege quæ diximus, *lib.* 1. *Hist. Princip. Med. in com. Hist.* 63. *prope finem.*

His peractis, localia modicè resoluentia sinciputi admouere oportet: quare cum oleo rosaceo, chamæmelinum, vel anethinum permiscebimus; sicut in perfusionibus, serpillum, maioranam, anethum, & alia, simul cum rosis, vt hoc modo parti robur concilietur. Vehementer calida, vt castoreum, sunt suspecta in exquisita phrenitide; validè enim calfaciunt, & de nouo inflammationem concitant. In ea tamen phrenitide, quæ lethargi particeps est, calidiora possunt subministrari. Sic intelligendus est Galen. 13. *meth. cit. in fin.* quum in phrenitide vtendum esse castoreo edocuit.

Summa etiam commoditate, in statu, & declinatione, ad absumendum humorem, admouere oportet pulmonem arietis, aut hirci recenter extractum, aut catellos per dorsum apertos extractis intestinis, aut pullos gallinaceos, aut columbinos, quæ omnia suo moderato calore caput roborant, & humorem discutiunt.

Tria sunt symptomata, quibus mitigandis Medicus maximè incumbere debet. Primum, alui suppressio.

Secundum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 216 sur 927

Secundum, vrinæ retentio. Tertium, vigilia. Primo opitulaberis, oblatis modicè expurgantibus, aut clyſmatis ex decocto frigidorum medicamentorum paratis; quæ ſi non ſint ſatis, acribus ſuppoſitoriis vtitor. Secundo occurres fomentis, ſeu fotibus, pubi, & perinæo admotis, quorum præſidiorum ſyluam quæres *lib.4.tit. de vrinæ ſuppreſſione*, eo enim loco de febrium ſymptomatis agendum.

Quòd ſi vigilia excruciet, omni cura præſidiis dictis ſomnum conciliare oportet. In quem vſum pomum parandum, quod manu geſtatum, & odoratum, ægrum ad ſomnum mirificè inclinat.

℞. *Sem. lactuc. hyoſcyami, an.* ʒ ij. *ſem. papauer. albi,* ʒ iij. *coriandri non præparati,* ʒ j. ß. *ſuccor. betonic. thymi, an.* ʒ ij. *ſucci fol. papauer. albi, ſucci radic. mandragoræ, an.* ʒ j. Pulueriſentur pulueriſanda, & permixtis omnibus cum ladano fiat pomum.

Denique ſi hoc ſymptoma ampliùs infeſtet, conſulunt in eandem vtilitatem Paul. *lib.2.cap.42.* Auic. *1. 4. tract.2.cap.20.* & *1.3. tract.4. cap.5.* ægri ligare brachia, & crura, & multas lampades ardentes ante oculos proponere, quo tempore hominum multitudo alta voce, & ſtrepitu excitato confabuletur: & poſtquã æger tædio, & moleſtia fatigetur, ſubitò hæc omnia ceſſent: hoc enim modo ſomnus ſoler conciliari, ſic vt vigiliã prohibitione ſomni corrigatur, veluti cibi faſtidio, inedia, ex Auic. *13.3. tract.2.cap. de curatione caſus appetitus*, & priùs docuerat Hip. *6. epid. ſect. 4. text.17.* Cætera verò vigiliæ remedia, pete ex *lib.4. tract. de febrium ſymptomatis, tit. de vigilia.*

OBSERVATIO.

Phrenitidi confirmatæ, & conciliando ſomno, præſidium optimum.

INter ea quæ phrenitidi auxiliari ſolent præſidia, præ cæteris primatum ſomnus obtinet, adeò vt plerique hoc excitato conſaneſcant; huius enim beneficio vitioſus humor concoquitur, æſtuans cerebri calor miteſcit, ſpiritus regenerantur, recreantur vires, coctiones optimæ fiunt, excretio humorum promouetur, cietur vrina, & quod plus eſt, inflammatio reſoluitur. Laborauerat quidam vehementi cauſo, qui ob viſcerum inflammationem in paraphrenitidem, & ex hac in confirmatam phrenitidem incidit; & cùm omnia præſidia viginti dierum ſpatio eſſent celebrata, & inſomnis plures noctes traduceret, & veluti viribus exhauſtus, amens, & immorigerus ad fauces eſſet mortis deductus, in conciliando ſomno totum curationis cardinem repoſui: Plura paraui, tandem hoc ſolùm remedio per integrum diem obdormiſcens, expergefactus, & ad mentem rediens, refocillatis viribus ſanitatem integram eſt conſequutus.

℞. *Radic. mandragoræ, hyoſcyami, ſem. lactuc. portulac. coriandri viridis, an.* ʒ ij. *opij.* ϑ j. *philonij Perſic.* ʒ ij. Bulliant omnia in libris tribus vini albi ad conſumptionem duarum partium. Cola, ſerua.

Huius vini ſequens eſt vſus: Quando æger quieſcit, vel dormire cupit, ſæpe naribus odorem ſuſcipiat, & digitis in eo madidis nares intrò illinantur, tota facies abluatur, plantæ pedum, & volæ manuum lauentur. Quòd ſi parum aceti vino permiſceatur, erit præſtantius.

CAPVT V.

De Lethargo.

Definitio.

QVatuor ſunt affectus ſoporoſi: Coma, Caros, Catalepſis, & Lethargus. Hic à Græcis dicitur lethargia, à Latinis lethargus, aut veternus. Impoſitum eſt illi nomen à ſymptomate, quod comitatur, vt Auic. inquit, *1.3. tract.3. cap.7.* ab obliuione videlicet: Nam vt etymologia nominis oſtendit, Lethargus nihil aliud eſt, quàm Obliuio iners. Celſus *lib.3. cap. 20.* dicit Lethargum eſſe *marcorem, & inexpugnabilem dormiendi neceſſitatem.* Galenus *lib.13. meth. cap.21.* agens de Lethargo, dicit eſſe vitium ſecundùm ſpeciem phrenitidi contrarium. Arabes Sirſen frigidum vocant. Sed dubitatum à plurimis inuenio: *Vtrùm inflammatio ſit de eſſentia Lethargi?* Auic. *loc. cit.* ſic ait: *Lethargus, eſt tumor pituitoſus intra caluariam, inexpugnabilem penè dormiendi neceſſitatem afferens.* Patet apertè: quia Galenus *2. de cauſ. ſympt. vlt.* definit phrenitidem, per inflammationem cerebri, aut membranarum eius; & cùm phrenitis ſit affectus Lethargo contrarius, planè videtur Lethargum, eſſe tumorem frigidum. Rurſus. Gal. *4. de cauſ. pulſ. 14.* diſtinguens Lethargum à phrenitide, affirmat, quòd phrenitis ſit à flaua bile, & incipit à cerebro: vbi videtur inſinuare, quòd qualis eſt affectus tenuis meningis, talis eſt Lethargus cerebri.

Sed obſtat celeberrima Galeni auctoritas, *lib. 1. prorrhet.com.1.* quo loco videtur affirmare, Lethargum generari ex intemperie orta ex pituita cerebrum diluente: ſic enim ait: *Phrenitis exquiſita, & nullo alteri morbo permixta eſt, cùm flaua bilis locum, in quo reſidet anime princeps pars, prehenderit; Lethargus verò quum locum eundem diluerit, humectauerítque pituita, &c.* Deinde. Lethargi ſigna propria, ſunt ſomnus profundus, & febris continua. Sed hæc adeſſe poſſunt ſine inflammatione. Ergo inflammatio non eſt de eſſentia Lethargi.

Plures hanc tuentur opinionem. Alij in initio inflammationem non adeſſe putant, ſed augeſcente morbo, concurrentibus nimirum ad debilem partem humoribus, atque ita ſæpe cohiberi Lethargum auxiliis medicis antequam in tumorem euadat. Sed probabilior ſententia eſt, inflammationem neceſſariò adeſſe, vel etiam in incipiente Lethargo, in quo febris adeſt continua, cum ſomno profundo, & perpetuo delirio: at hæc non niſi à cauſa ſtabili, & fixa poſſunt emanare; pituita autem fluida eſt, & vario motu, huc & illuc in cerebri ſubſtantia conſiſtit, quæ cùm putris ſit, & acris, tenuior eſt, & viſciditatem momentaneam amittit, & niſi in loco circumſcribatur, prohibeatúrque diffluri, & inflammationem committat, ſuprà enarrata ſymptomata concitare nequit. Quod verò obiiciunt, non concludit: neque enim negamus ad Lethargi generationem, neceſſariam eſſe pituitam in cerebro, & intemperiem ab ipſa productam; verùm oportet, vt ipſa extra vaſa ducatur, & inflammationem concitet.

De loco affecto dubitant interpretes; *Vtrùm ſit cerebrum, vel ventriculi eius?* Alij meatus, vel tunicas addunt. Galenus *4. de cauſ. pulſ. cap.14.* diſtinguit Lethargum à phrenitide, quòd phrenitis incipit à tenui meninge; Lethargus verò à cerebro. Probat *3. de loc. cap. 5.* & *13. meth. cap. 21.* ſubſcribit Paulus, *lib. 3. cap. 9. §. locum eundem quem phrenitis, nempe cerebrum occupat, &c.* Confirmari hoc non in euidenter poteſt: Nam in hoc affectu adeſt rationis noxa, & memoriæ abolitio, vt *4. de loc. affect. cap. 5.* inculcat Galenus: cùm ergo principum functionum ſedes, cerebrum ſit, ipſarum noxas cerebrum pati eſt neceſſe. Adde quòd, ſicut bilis in phrenitide, cùm ſit tenuis, in laxa & molli cerebri ſubſtantia conſiſtere nequit, imò membranoſam meningem, & ſolidam permeare poteſt; ſic pituitoſus & craſſus humor membranas penetrare nequit, ſed in ipſius cerebri ſubſtantiam ſeſe inſinuat, & lentore ſuo ipſi tenaciſſimè adhæret.

In Lethargo patitur potiſſimùm pars poſtica; minùs

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 217 sur 927

media regio: minimè antica: maior enim est in hoc morbo memoriæ, rationisque noxa, quàm imaginationis; hæc siquidem diminutè, illæ abolitè læduntur. Quum enim facultates principes sedibus sint disiunctæ, earum operationes in diuersis locis perficiuntur: & Auerrhoës, *lib. 3. collig. cap. 40.* hoc modo explicuit dicens: *Si causa erit in toto cerebro, erunt tunc læsæ omnes virtutes: & si fuerit in loco proprio, erit tunc læsa virtus loci proprij: vt quando fuerit causa in prora cerebri, tunc erit læsa imaginatio; & quando fuerit in parte media, tunc erit læsa ratio, & cogitatio; & quando fuerit in parte posteriori, tunc erit læsa memoria, & conseruatio.*

Vtrùm verò *cerebrum in Lethargo afficiatur perpetuò per essentiam, an aliquando per consensum*, etiam explicandum. Hoc enim videtur affirmare Aëtius ex Archigenis, & Posidonij sententia; dum sic ait; *Lethargi principia duo sunt: quibusdam enim septum transuersum, & viscera primariò affecta, cerebrum ad consensum ducunt; in quibusdam verò cerebrum affectionem auspicatur, &c.* At verum est, cerebrum in Lethargo per essentiam pati: perpetua enim est principum functionum noxa, assidua etiam inexpugnabilis dormiendi necessitas; at in affectibus qui per consensum affligunt, symptomata intermittunt.

Quòd si septum transuersum, & viscera, quum primigenia affectione laborant, cerebrum in consensum trahunt, tunc verus Lethargus non excitatur: sicut enim in vigore febrium continuarum, & malignarum, ex trunco corporis eleuatis acribus, & exustis vaporibus ad cerebrum, fit paraphrenitis, & æger vigilia & delirio, quæ à crudiore sanguine scaturiunt, apprehenditur; sic in interpolatis, & continuis, vel accessionis, vel exacerbationis tempore crassior halitus conuolat in cerebrum, qui somnum profundum concitat, qui compatiente tandem cerebro veternum excitat. Cùm enim morbosus apparatus, ex aliqua pituitæ, aut humorum crudorum, vel crassorum copia originem ducit, dum incalescunt, & feruorem concipiunt humores, à se protinus halitus eructant crassos, densos, & caliginosos, quibus caput somno profundo grauari est necesse: maximè quòd pars aquosior humoris in cerebrum irruit, & cerebro, frigidi, & lenti vaporis mole obruto, æger promptissimè in inexpugnabilem somnum, & Lethargum labitur. Quare hoc modo viscera cerebrum in consensum trahunt: præsertim cùm viscidi humores in ventriculo sint immersi, quæ pars quàm mirum habeat cum cerebro consensum, nemo est qui nesciat.

Causa.

QVæstio est scitu non indigna: *Vtrùm intemperies requisita in Lethargo, sit calida vel frigida?* Nam intemperies materialis alicuius partis, cùm possit esse cum tumore præter naturam, & citra ipsum, videtur quòd in Lethargo cũ tumore, frigida sit statuenda. Id manifestè confirmat Gal. 2. *Aph. 9.* dum sic ait: *Fit autem huiusmodi somnus refrigerato primo sensitiuo, hoc est cerebro: quæ refrigeratio, cùm fortis fuerit, mixta quidem humiditati facit Lethargicas passiones.* Idem facit 3. *de loc. cap. 5.* quo loco memoriæ, & rationis abolitarum, non modò in Lethargo, sed in omnibus soporosis affectibus, necessariò frigidam esse intemperiem, quæ animalis actiones torpidas efficiat, asseuerat. Ergo intemperies, quæ cũ humiditate debet esse coniuncta, ad Lethargi cõstitutionem, debet esse frigida, & non calida.

Hoc multiplici non ineptè potest probari argumento. Primò. Senes per hyemem insalubriter degunt, quia debilis eorum calor, licèt aliquantulum in quantitate augeatur, multò tamen plus in qualitate remittitur, atque adeò nimis increscit intemperamentum. Quare quæcumque aliâ innati caloris copiâ destituta corpora, & frigidæ naturæ dicuntur, profundè dormiunt, hyeme pereunt, aut torpent, mortuisque similia quiescunt: Sole verò accedente, quoniam illius accessu, & præsentia calorem deficientem reparant, vigent, furiunt, motu irrequieto mouentur, & vigilant: non aliter ac plantæ vere frondescunt, florent, & germinant; hyeme verò marcescunt, ac foliis priuantur, quia caloris acrimonia, & quantitate deficiunt; non aliter ac exanguia animalia sine motu, & sensu iacent, quia ab hyemis sæuitie exiguus illorũ calor superatur.

Secundò. Frigus animal omnino pigrum, & ad motum reddit ineptum, ex Gal. *3. de loc. cap. 5. & 3. de caus. sympt. cap. 1. & 8. de placit. cap. 7.* & Auic. 1. 1. *doct. 6. cap. 2.* & Arist. 2. *de generat. animal. cap. 1.* Ideóque si nimiùm cũ humiditate excedit, lethargum inducit, qui nihil aliud est, quàm sensus, & motus priuatio, primóque sensorij refrigeratio, cerebri nempe; quod cùm natura frigidum sit, promptissimè infrigidatur, quemadmodum & reliquæ partes natura frigidissimæ. Hoc modo per hyemem somni profundissimi sunt, 1. *Aph. 15.* & rigores primò à frigidis membris, lumbis scilicet, dorso, & capite incipiunt, 6. *Aph. 39. & 6. epid. sect. 3. com. 19.* quia in illis citiùs frigiditas simul sentitur. Hinc deduces, calidam causam vigilias inducere, ad motúmque excitare; contrà verò frigidam inducere soporem, & pigritiam.

Tertiò: Auicenna 1. *3. tract. 2. cap. 4. & tract. 3. cap. 7.* Lethargiam esse apostema frigidum asseuerat. Ergo vult quòd in hoc affectu intemperantia frigida adsit. Neque asseras, hoc nomen *Lethargus*, aliquando sumi propriè, quo sensu solùm significat hanc affectionem, quæ ab aliis soporosis affectibus est distincta, à Catalepsi, Comate, & Caro; interdum sumi impropriè & latè, prout quamcunque soporosam affectionem comprehendit: Nam præterquam quòd hæc distinctio ad libitum est prolata, quocunque modo sumatur, semper intemperantiam frigidam importat. Deinde non obtrudas quòd Auicenna debet intelligi, ac si velit quòd Lethargus sit apostema frigidum, hoc est, ex humore frigido generatum, id est, ex pituita, quæ cùm putrescit, calorem acquirit: Sed licèt hoc verum sit, pituita ratione putredinis eum gradum caloris non acquirit, vt ob hanc causam à prædominio superet intemperantia calida, sed frigida.

Quartò. Lethargus est affectus phrenitidi secundùm speciem contrarius, ex Gal. 13. *meth. cap. 21.* Sed phrenitis præter inflammationem, habet sibi comitem calidam intemperiem. Ergo etiam Lethargus præter tumorem cerebri, habet frigidam intemperiem adiunctam, quæ intemperiei calidæ est contraria. Neque vim argumenti effugies, si instes, hoc non esse absolutè verum, quia phrenitis, & Lethargus sunt vitia solummodò secundùm speciem contraria: nam hæc contrarietas sufficit, vt contraria intemperantia in his affectibus reperiatur. Lethargus enim fit ex humore pituitoso; phrenitis, ex bilioso: in illo somnus adest immodicus; in hoc vigilia præter naturam. Ergo sicut in phrenitide calida inuenitur intemperies; sic in Lethargo, frigida. Quare hoc subterfugium, ex Galeni contextu deductũ, ficulneum est, & prorsus nullum: quia in Lethargo contraria symptomata adsunt, ingens obliuio, insensibilitas, immobilitas, somnus præter naturam, & omnium actionum animalium torpor; quæ omnia ex frigida, & non calida intemperie scaturiunt, & diuersa omnino sunt ab illis, quæ in phrenitide apparent. Si rursus obiicias, quòd hæc omnia symptomata non à frigida, sed humida intemperie ortum ducunt, non est obiectio vrgens; humiditas enim suapte natura pigra est, & iners in agendo, quæ si cum frigiditate non coniungatur, tam diros, & permanentes effectus edere non potest, vt infrà dicemus.

Quintò,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 218 sur 927

Quintò. Si Lethargus non eſſet intemperies frigida, ſed calida, ſequeretur, quòd tranſmutatio phrenitidis in Lethargum eſſet melior, quàm contrà. Patet ſequela: quia phrenitis ſine dubio affectus eſt magis calidus, quàm Lethargus, ſuppoſito quòd affectus calidus ſit. Sed mutatio phrenitidis in Lethargum non eſt melior, ſed deterior, quàm Lethargi in phrenitidem, vt Galenus docet, *6. epid. ſect. 6. com.* 8. Ergo Lethargus non poteſt eſſe intemperies calida, ſed frigida.

Sextò. Omnis curatio fit per contraria. Sed Lethargus curatur calidis medicamentis capiti adhibitis, & non frigidis, vt *cit. meth.* Galenus edocuit. Ergo in Lethargo intemperies frigida adeſt. Nec obſtat, quòd calida remedia non offerantur niſi ratione cauſæ, quæ cùm craſſa ſit, & viſcida, extenuationem, & inciſionem deſiderat; ob quam rationem Galenus *cit. meth.* pulegium, & origanum concocta in aceto, naribus admouere iubet, vt vapor à prædictis medicamentis ad cerebrum delatus, lentum humorem incîdat, & concoquat: hoc modo imperat faciendum Auicenna, *4. 1. cap. 14.* qui febres ex obſtructionibus pronatas, calidis, & attenuantibus medicamentis eſſe tractandas aſſeuerat: quæ methodus obſeruari debet in curandis hydropicis, & calculoſis, in quorum curatione hæc præſidia ſunt ex vſu. At hæc ſolutio, non eſt conſona menti Galeni, qui hæc, & alia applicat auxilia calida, non ſolùm cauſæ, ſed intemperiei quæ frigida eſt, habita ratione: ob quam cauſam Medici ducti, in hoc, & aliis ſoporoſis frigidis affectibus non ſolùm capiti calida, ſed exurentia admouent medicamina, vt viſcoſus & tenax humor ſecetur, & foràs extrahatur, frigidáque cerebri intemperies corrigi poſſit. Adde quòd in ſtatu, & declinatione Lethargi, nulla eſt habenda ratio cauſæ, ſed ſolùm morbi; vel ſaltem in his temporibus ratio cauſæ non vrget, quia ex naturæ lege iam debet eſſe concocta, & ideò tunc indicatio ſumenda eſt à morbo, & non à cauſa. Sed nihilominùs tunc applicant auctores capiti medicamenta calida, & non frigida. Ergo etiam ſumpta indicatione à morbo, hæc medicamenta debent eſſe calida, & non frigida: & ex conſequenti, morbus qui Lethargus eſt, intemperies erit frigida, & non calida.

Vltimò. Si Lethargus eſſet affectus calidus, ſequeretur quòd non poſſet dari affectus compoſitus ex phrenitide, & Lethargo, quityphomania dicitur. Hoc autem eſt falſum, & contra omnes auctores. Ergo falſum erit illud ex quo ſequitur. Probatur ſequela: quia ex intemperantia calida, quam in ſe includit phrenitis, & intemperantia calida ad Lethargum requiſita, non poteſt componi aliqua media ægritudo; quia hæ intemperantiæ in calore conſiſtunt, & quando duo calores in eodem ſubiecto reperiuntur, cùm ſint accidentia quæ ſolo numero differunt, neceſſariò debent facere vnum. Ergo compoſitio duarum ægritudinum non aderit, ſed vnus tantùm morbus reperietur: quod contrario modo accidet, ſi Lethargus frigidam, phrenitis calidam intemperantiam prærequirat.

Vtrùm pituita in Lethargo, plus frigida, quàm humida qualitate officiat? dignum eſt explicatione. Galenus *1. prorrhet. 1.* hunc affectum fieri teſtatur, quum pituita locùm, in quo princeps animæ pars reſidet, humectauerit, quaſi plus ab humiditate, quàm à frigiditate functiones in Lethargo oblædantur: & *4. de præſag. ex pulſib. cap. 8.* ſic ait: *Humidæ intemperaturæ cerebri, hominem comatoſum efficiunt; ſi ad illas acceſſerit febrilis calor, morbus appellatur Lethargus.* Idem probant Paulus *lib. 3. cap. 9.* Trallianus *lib. 3. cap. 9. §. Genuinus, ac germanus Lethargus, quemadmodum phrenitis, ſedem quidem habet cerebrum, materiam autem phrenitidi contrariam: Nam ex pituita ſuperante naſcitur, quæ ipſum humectat, & validè adeò madefacit, vt egri eorum quæ dicuntur, nequaquam memi-*

A *niſſe, ſed palpebris ſemper connniere velint; vel prorſus in ſoporem (qui Græcis caros dicitur) ab humiditate ſimul, & frigiditate, quæ ſpiritum animalem ſuffocat, & torpidum efficit, perducantur.* Hoc comprobauit Galenus *3. de cauſ. puls. cap. 9.* qui ſomnos præter naturam, ſimiles iis qui in comatibus, & Lethargis excitantur, ſicut à frigiditate, ſic etiam à copioſa in cerebro humiditate accidere profitetur. Neque hæc ſententia eſt oppoſita illi, quam Galenus inculcat, *2. de loc. affect. cap. vlt.* vbi omnes ſomnolentos, & ſoporoſos affectus, quotquot ſunt, à frigida cauſa emanare aſſeruit, quia textus eſt mendoſus, & deſiderantur verba, *vel humida.*

Hoc ex ſubſequentibus facilè conſicitur, quia pituita in Lethargo non ſolùm frigiditate, & humiditate
B officit, ſed quantitate premit, ſubſtantiæ modo, lentore, viſciditatéque obſtruens, animalis ſpiritus diffuſionem impediens, in anguſtis cerebri meatibus impacta, iis tenaciſſimè adhærens. Ita Paulus *loc. cit. ex pituita frigidiore, & humidiore cerebrum peruadente, Lethargum oriri* fatetur.

Vtrùm pituita in hoc affectu neceſſariò putreſcat? dubium eſt explicatu difficile: Nam ſi Lethargũ comitatur ſomnus profundus, & ex intemperie frigidiore, & humidiore cerebri generatur, potiùs ob putredinem, &
C acrimoniam ex ea conceptam inducetur calida intemperantia, & vigilabit æger; acris enim humor facultatem animalem irritat: ob hanc rationem ab humore bilioſo, & acri vigiliam excitari affirmat Galenus, *lib. 13. meth. cap. 21.*

Dices, non totam pituitam, ſed portionem illius putreſcere; reliquam verò à putredine intactam, cerebrum refrigerare, & ſoporem inducere: quoniam ſicuti pituita quæ non putruit, refrigerat, & ſomnum mouet; ſic etiam quæ putrida eſt, calefacit, irritat, & vigiliam concitat. Igitur in Lethargo debet reperiri coma vigil, non ſomnus profundus, quum cauſæ contrariæ ſomni & vigiliæ contingant. Hoc docuit Galenus *lib. 3. epid. ſect. 3. com. 16.* in hunc modum: *Coma vigiliis vacans ab humiditate didicißi, & refrigeratione fieri cerebri; vigilias comati non comixtas à ſiccitate, & calore. Nunc ergo cùm qui increuiſſent humores, humiditatem obtinerent exuperantem, verùm non eam tamen vniuerſam acrem, humi-*
D *ditas comatoſum affectum, acredo ex putredine induxit vigilias. Itaque cauſæ contrariæ contraria meritò ſymptomata peperere.*

Deinde ſi pituita non ſecundùm ſe totam putreſceret, ſed ſecundùm aliquam partem calefaceret cerebrum, & ſecundùm aliquam partem infrigidaret, ſequeretur quòd aliqua pars cerebri calefieret, aliqua infrigidaretur (nam quòd eadem pars cerebri calefiat, & infrigidetur, eſt impoſſibile, cùm nihil duobus motibus contrariis poſſit moueri.) Sed hic modus alterationis in diuerſis partibus cerebri non reperitur. Ergo hæc ſolutio reproba eſt. Probatur minor: Si enim illa diuerſa alteratio accideret, neceſſariò ſequeretur, quòd partes cerebri quæ calefierent, inclinarent ad vigiliam;
E partes verò quæ infrigidarentur, inclinarent ad ſomnum: & ex conſequenti cerebrum ſecundùm aliquas partes operabitur, vt in vigilia, & ſecundùm aliquas operabitur, vt in ſomno. Sed in Lethargo hoc non contingit, cùm in ipſo cerebrum ſecundùm omnes partes ſomno præter naturam ſit affectum, vt omnium ſenſuum internorum, & externorum actiones indicant manifeſtè, quæ in hoc affectu impeditæ ſunt, & valde remiſſæ. Ergo, &c.

Porrò pro ſolutione huius dubij, aduerte cum Galeno, *2. feb. cap. 6. in fin.* pituitam aut leuiter putreſcere, aut vehementer: Si illo modo, non ita accreſcit caliditas, vt frigiditatem obſcuret, ſed ſimul vtraque percipitur, vt conſtat in Epiala febre. Quando autem vehementer putreſcit, ita incaleſcere ſolet, vt frigiditatem exuperet, vt apparet in febre quotidiana. Attamen ſi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 219 sur 927

hoc, vel illo modo pituita putrescat, semper caliditas ex illius putredine concitata, mitis, vaporosáque percipitur, nisi manus aliquantulum immoretur, tunc enim aliqua acrimonia tactui occurrit, vt *lib. 2. feb. cap. 9. & 10.* notauit Galenus.

Quare pituita in cerebro putrescit, & hac ratione aliquem calorem acquirit, ille tamen exiguus est, & hoc modo pituita ita affecta adhuc remanet frigidior cerebro, & ex consequenti cerebrum non calefacit, sed potiùs infrigidat, & symptomata excitat, quæ à frigiditate, aut potiùs à leni caliditate emanare nullus dubitat; hæc enim præsertim cum humiditate coniuncta somnum non prohibet, sed potiùs inducit, vt *3. de loc. affect. cap. 5.* probauit Galenus, posito exemplo in balneis calidis, quo loco caliditatem cum humiditate somnum mouere asseuerat.

Si verò perconteris, quo pacto pituita leui putredine affecta possit producere febrem in corde, si cerebrum calefacere non potuit? Dic, quòd licèt pituita hæc remissiorem sortiatur calorem, quàm cor in naturali statu obtinet, tamen cor, viscus calidissimum, à calore vel remissiori facilè incenditur, & exardescens, ventilatione refrigerióque indigens, illicò glisci & excandescit, & febris producitur: quod non accidit in cerebro, quod etsi ad sui conseruationem, & spiritus animalis generationem, ventilatione indigeat, tamen non ita promptè inflammatur, nec calorem concipit febrilem, & durantem, qualis ad essentiam febris est necessarius.

Causæ immediatæ Lethargi, sunt omnes quæ pituitosum humorem gignere, & ad caput mouere nata sunt. Ex quibus primum occurrit frigidum humidum intemperamentum; ideò saliuosi, & senes, lethargo sunt obnoxij, ex Aureliano *lib. 2. acut. cap. 2.* Familiaris est etiam hic morbus ætati declinanti, ex Hip. *3. Aph. 30.* Acuti morbi diutius producti, Lethargum generant: calido namque tenuíque humore exhalante, crassior & frigidior portio supereſt, & terrestrior. Multoties accidit Lethargus, nullo præcedente affectu; quandoque verò post phrenitidem, humore tenui dissoluto, vel cerebro admotis remediis immodicè refrigerato: sed reproba est transmutatio hæc, quia natiuus calor tunc est penè exhaustus. Generant hunc affectum somnus, otium, Venus, balnea, crapula, alimenta vaporosa, vt lac, vinum crassum, lactucæ, & alia soporifera, quæ frigida facultate prædita sunt. Assiduus cæparum vsus Lethargum potissimùm concitat, apud Auicennam; ab hoc enim edulio succus gignitur crassus, pituitosus, caput tentans, & ad putrendum paratissimus, firmante Dioscoride *lib. 2. cap. 144.*

Discrimen Lethargi à consimilibus affectibus.

PLures sunt affectus, cum quibus Lethargus maximam seruat cognationem: sed ab illis hoc modo internoſces. Discernitur à memoria deperdita, quia in hac præter obliuionem, non est alia principum facultatum noxa; in Lethargo, & memoria, & ratio pereunt. Deinde in Lethargo febris adest, quæ in memoria deperdita nō sentitur. A caro; quia carotici sensu, motúq; priuantur, & puncti non excitantur; Lethargici expergefiunt, oculos aperiunt, loquuntur: & eos febris comitatur, carum autem non item, licèt aliquando in eo adsit febris, vt quum in malignarum febrium vigore inuadit. Ab Apoplexia: nam hac correpti sensu, & motu priuantur, & non excitantur, nisi quando soluitur morbus; Lethargici solent excitari. Deinde in Apoplexia læditur respiratio: in Lethargo minimè. Quibus etiam signis à Catalepsi differt. Ab Epilepsia: quoniam Epileptici inordinatis, conuulsiuis motibus quatiuntur; Lethargi iacent immoti, cadaueris instar, A syncope: in mutatione pulsus, & faciei. Ab vteri strangulatu: nam in hoc cerebrum secundùm sensus internos, & externos minùs læditur; quam noxam Lethargici maximè persentiscunt.

Signa.

SIgna huius affectus, sunt inexpugnabilis dormiendi necessitas: febris continua, & lenta: calor non admodum mordax: & adest tanta rerum obliuio, vt interoscitandum os claudere non recordentur; vrinā excernere admoniti, matellam nō postulent: & si minxerint, eam reddere obliuiscantur: aluus aliquando supprimitur: ignorantes sunt: sensibus hebetes: capillis fortiter distracti non dolent, stupore veluti oppressi: vniuersum corpus graue est: saliua ex ore effluit, & ob defluxum pituitæ ad fauces, & laryngem suffocari videntur. Vrina perturbata est, qualis est iumentorum; quoniam etiamsi Lethargus sit cerebri affectus, & humores conuolent ad cerebrum, & sic vrina deberet esse tenuis: quoniam tamen humor qui peccat in Lethargo est grauis, ideò magna pars illius in venis stabulatur, à quo vapores, & flatus eleuari, quum sint crassi, & discuti nequeant, perturbant vrinam.

Respiratio parua est, ob facultatis debilitatem: rara, ob imminutum vsum: Nam etiamsi ratione febris vsus respirationis augeatur, intemperies tamen frigida potentior est in imminuendo vsu. Pulsus est tardus, rarus, magnus, vndosus, inflatus, ob mollitiem arteriarum: hæ enim ob humiditatem, & copiam flatuum, molliores redduntur, & laxiores; qui pulsus magnus non est, sed magnitudinis speciem refert: languet enim facultas vitalis, & sic est etiam inæqualis, & intermittens, quia virtus est oppressa, vt *4. de caus. cap. 13.* Galenus affirmat.

Sed operæpretium, est circa pulsum Lethargicorum, difficilem in Galeni doctrina antinomiam enodare: *Vtrùm pulsus Lethargicorum, sit intercurrens?* Sic enim habet Galenus, *lib. 4. de caus. puls. cap. de pulsibus lethargi: Lethargum ex humore pituitoso oriri certum est, vnde meritò eius pulsus simillimus est pulsibus peripneumonicorum; verùm hoc tardior, quòd procul à corde remotum sit cerebrum. Iam verò etiam magis inæquales peripneumonicorum pulsus meritò esse, nec hoc quidem obscurum est, si prima retinuisti: vbi enim copia humorum facultatem grauat, tales pulsus fiunt, potissimùm si affectiones finitimæ sint cordi. Itaque intermittens est potiùs, quàm intercurrens pulsus Lethargicorum: Longè enim frigidior, & vt ita dicam, lethalior est lethargus quam peripneumonia. At frigido erat affectui proprius, facultatisque valde refrigeratæ pulsus intermittens, &c.* Ex quo loco constat, pulsum Lethargicorum esse intermittentem.

Ex altera parte videtur esse intercurrens, quum hic accidat sæpe in peripneumonia, cuius pulsum lethargicis esse simillimum suprà edocuit. Vt verò huius difficultatis pateat solutio, sic exaudi. Magnus est Lethargicorum pulsus, eò quòd respiratio impedita, & quadantenus difficilis est: proinde licèt affectus frigidus sit, à pituitoso nempe succo, quod respiratione complere natura non potuit, magnitudine pulsus resarcire molitur. Quippe vitalis facultas in iis salua manet, non quemadmodum animalis, impedita & obruta. Hinc fit vt pulsus, & anhelitus in hac affectione non proportionentur, quia nimirum impedimentum in respiratione adest.

Pro interpretatione verò sequentium verborum, aduertere oportet, ex *lib. 2. de præsag. ex pul. cap. 4. in princ.* omniū inæqualium pulsuum causas referri, aut ad instrumentorū obstructionem, compressionémve; aut ad humorum abundantiā ad facultatem collatam; aut tandem ad inæqualem intemperiem cordis, è quibus pro

inten

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 220 sur 927

©BIUM

intenſione, aut remiſſione variæ inæqualitatis differentiæ conſurgunt. Porrò ex facultatis imbecillitate ſola, nulla pulſibus poteſt accidere inæqualitas, niſi ſimul etiam ipſius cordis corpus inæquali intemperamento prematur, vel alia prædictarum cauſarum acceſſerit.

Cæterùm, quia *lib. 2. de cauſ. pulſ.* decretum Galenus reliquit, omnium inæqualium pulſuum intermittentem lõgè eſſe deterrimum, ſit vt ab allatis cauſis, quum vehementiſſimè facultatem opprimunt, emergat; ita vt ad expugnanda quæ moleſta ſunt, natura non inſurgat. Intercurrens autem, qui ex crebritate ſit inæquali, 2. *de præſag. ex pulſ.* 5. ab iiſdem, ſed remiſſioribus exoritur cauſis, ita vt decertet adhuc cum noxiis cauſis facultas. Hinc fit vt in criſibus ſæpe pulſum hunc reperiri Galenus aſſeueret.

Quare cùm in pulmonia viſcus affectum cum corde continens ſit, multiformis inde in pulſu generatur inæqualitas, quo fit vt modò intercurrat, modò intermittat, vt *lib. 4 de cauſ. pulſ. cap. proprio* Galenus affirmat. Verùm in lethargo intermittentes pulſus crebriùs cueniunt, quàm in pulmonia, quia longè lethalior eſt lethargus pulmoniâ: Nam cerebrum pulmonibus eſt nobilius, cui niſi ſuccurratur, celeriter iugulat, teſte Celſo. Ex his fit manifeſtum, pulſum Lethargicorum eſſe intermittentem, ſed ſimilem, ex doctrina Galeni, pulſui pulmoniæ, magnitudine, debilitate, & mollitie; quia vtraque affectio ex humore pituitoſo emanat: non tamen in tarditate, & raritate; quia lethargicorum pulſus ſunt tardiores: febris enim non eſt æquè acuta, pars affecta longiùs diſtat à corde, & affectio ſoporoſior exiſtit.

Occurrit vltimò hoc loco celebris controuerſia: *Vtrùm delirium ſit ſignum pathognomonicum Lethargi?* Et pro parte negatiua facit primò. Delirium eſt error, & motus deprauatus principum facultatum rectricum, quæcunque eæ ſint. Sed in Letargo omnes functiones aut diminuuntur, aut deperduntur, & non deprauantur, nec fiunt cum errore. Igitur in Lethargo delirium non adeſt. Maior eſt Gal. *lib. de diff. ſympt. cap. 3 & 2. de cauſ. ſympt. cap. vlt.* minor probatur: Nam in Lethargo imaginatio diminutè, & deficienter fit, & non cum errore, vt *cit. de diff. ſympt.* docuit Gal. memoria, & ratio deperduntur, ex Gal. 3. *de loc. cap. 5.* quam ſententiam ſequutus eſt Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 23.* Igitur, &c.

Secundò. Lethargus fit ex pituita refrigerante cerebrum, vt Galenus 13. *meth. cap. 21.* ex ſopore, & ſegnitie confirmat. Sed cauſa frigida non lædit actionem cum errore, ſed ſolùm minuit, aut tollit, quia frigiditas omnes partes in ſuis operationibus prohibet, paralyticum faciens, & mortificans, vt Auic. inquit 1. 1. *doct. 6. cap. 3.* extinguendo calorem, & ſpiritum, quæ ſunt actionum inſtrumenta; cauſa autem calida lædit actionem cum errore, quia agitat, permiſcet, & perturbat, vt ait Auic. 1. 3. *tract. 4. cap. 7. §. & quandoque humor eſt declinans ad diminutionem:* & *cap. 11. ſequenti, §. & cauſa in hoc non eſt nocumentum ex frigiditate: & cap. 12. §. & fortaſſe erit ex caliditate, cum ſiccitate.* Igitur in Lethargo, cùm ſit ægritudo frigida, non eſt delirium.

Tertiò. Deſipientia agnoſcitur, loquentibus, aut agentibus aliquid diſſonum rationi, ex Gal. 7. *Aph. 14. in init.* cùm non ſit alia ratio cognoſcendi delirium. Sed Lethargici, ſunt aphoni, & immobiles, ex Gal. *lib. de comat. c. 3.* Igitur non delirant. Quartò. Sequeretur Lethargicos eſſe phreniticos: Nam veteres, omnes qui erant mente læſi cum febre continua, phreniticos vocabant. Igitur ſi Lethargici delirant, quum habeant febrem continuam, erunt phrenitici; quod affirmare, abſurdum eſt.

Quintò. Galenus *lib. 2. de cauſ. ſympt. cap. vlt.* agens de delirio, inquit, omne delirium præter melancholicũ, ab humoribus calidis, mordentibus, & intemperie calida excitari. Igitur in Lethargo, quum ſit frigidus morbus, illius ratione delirium non excitabitur. Vltimò. Auctor *definitionum medic.* agens de typhomania, dicit huiuſmodi affectum vocandum eſſe Lethargum delirum, aut delirium Lethargicum. Ergo vel Lethargus idem eſt affectus cum typhomania, vel ſine delirio inuenitur.

Ex altera parte extat auctoritas Auicennæ, 1. 3. *tract. 3. cap. 8.* quo loco inter ſigna Lethargi reponit mixtionem rationis: & *tract. 4. ſeq. cap. 9.* docet, mentis alienationem oriri ex ſanguine putrefacto, & pituita putrefacta. Sed in Lethargo pituita putreſcit in cerebro. Igitur in eo neceſſariò reperitur delirium. Subſcribunt Halyab. 9. *theoric. cap. 1.* Iſhac, 4. *theoric. cap. 4.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 3.* qui Lethargicos, quum excitantur à ſomno, deliria loqui affirmat. Firmat Paulus *lib. 3. cap. 9. §. Lethargici ſunt obliuioſi, mente capti.* Hip. *lib. 2. de morbis in fin.* agens de Lethargo, *num. 70.* ſic ait: *Lethargicus nugas garrit, & vbi nugari deſierit, dormit.* Et *in Coacis prænotionibus, ante med.* ſic inquit: *Lethargici manibus contremiſcentes, poſtquam reſipuerint, colli dolorem ſentiunt.* Quare præſupponit Lethargicos deliraſſe. Et *in epiſtola ad Democritum, num. 30.* dum de inſania verba facit, homines inſanire non ſolùm à bile, ſed etiam à pituita, licèt ratio delirij ſit diuerſa, aſſeuerat. Annuit Galenus 13. *meth. 21.* quo loco poſtquàm prædixit, ex bile, ob caliditatem, vigiliam, & inordinatum motum excitari; & ex pituita, ob frigiditatem, torporem, & inſenſibilitatem, ex humoris vitio dementiam oriri confirmat. Sed humoris vitium eſt commune flauæ bili, & pituitæ putridæ, à qua Lethargus originem ducit. Ergo in Lethargo neceſſariò aderit delirium.

Secundò. Delirium oritur ex calido humore, & ex calida intemperantia. Sed pituita putreſcens euadit calida, & calidam intemperantiam inducit in cerebro. Igitur eſt cauſa delirij in Lethargo. Accedit quòd Galenus 3. *epid. ſect. 3. com. 45.* ab humoribus crudis poſſe fieri homines dementes aſſeuerat; quia quando putreſcũt, acrimoniam acquirunt cum calore. Igitur Lethargici neceſſariò delirabunt. Sic enim *loc. cit.* habet Galenus: *Non eſt igitur mirum, in corpore crudis collectis humoribus, comatoſos illos ſimul dementes euaſiſſe: comatoſos quidem ſimul ex multitudine, & frigore ſuccorum crudorum; dementes, quòd putreſcentes acredinem pariebant, & calorem.* Confirmatur vltimò, quia natura Lethargi repoſita eſt in inflammatione pituitoſa cerebri, ex qua delirium neceſſariò oriri certum eſt.

Vt verò exactè huius quæſtionis, & aliarum, quæ in argumento de delirio, vtili ſanè ad praxim, quæri ſolet, expoſitionem aſſequaris, aduertes primò. Actiones principes, quæ à ſolo cerebro exercentur, & inter omnes principatum retinent, in ſanis hominibus perfectiores, aut imperfectiores inueniri, pro modo ſubſtantiæ, & temperamenti cerebri, humorum conſtitutione, & capitis compoſitione. Nam ingenium, hoc eſt, perfectio intellectus, quæ celeritas mentis, aut promptitudo intellectus dici ſolet, & virtus inueniendi medium & cauſas, quæ ſolertia dicitur ab Ariſt. 1. *poſt. vlt.* ſequitur tenuem cerebri ſubſtantiam, *in art. med. c. 12.* Vbi per tenuem, non intelligit ſubſtantiam raram, tenuium partium, tranſparentem, quia cerebrum quodcunque ſemper eſt graue, craſſum, opacum, denſum, & ideò craſſi ſucci: ſed intelligit ſubſtantiam cerebri ex puriori materia factam, & magis attemperatam. Nam in hoc cerebro generantur ſpiritus tenues, mobiles, pellucidi, & exactè temperati, qui intellectus & aliarum operationum perfectioni inſeruiunt, ſpecies promptè recipiendo, celeriter imprimendo, & clarè eas repræſentando. Sic debet intelligi Galenus 8. *de vſu part. 13.* quum perfectionem intellectus non multitudini ſpiritus, ſed exacto illius temperamento acceptam eſſe referendam

ferendam asseuerat: Et quia ad horum spirituum generationem, non satis est talem esse cerebri substantiam, sed materia idonea simul expetitur; ideò Arist. 2. *de partib. animal.* 4. ea animalia sapientiora, & prudentiora appellat quæ sanguine tenui abundant.

Deinde duo sunt necessaria ad sapientiam: celeritas & promptitudo discursus, & graue iudicium de inuētis: & cùm flaua bilis faciat ad acumen, & celeritatem discursus; & succus melancholicus sit causa integritatis, & constantiæ, vt 1. *de natur. human. com.* 39. docuit Galenus; hinc fit vt ea constitutio, in qua humor melancholicus à flaua bile illustratur, ad perfectionem intellectus valde conferat. Et hoc modo intelligendus est Arist. 1. *probl.* 37. vbi quærit: quare omnes qui ingenio claruerunt, fuerunt melancholici; Hæc enim mixtio, non solùm propter siccitatem vtriusque humoris, & quietem quam inducit melancholia, valde confert; sed quia ex illis generatur spiritus animalis clarus, stabilis, & tenuissimus, qui diu sufficere potest.

Insuper perfectio intellectus, capitis dispositionem consequitur: nam quando caput nec magnum, nec paruum, sed mediocre, & bene figuratum est; & partem mediam, latam & amplam habet, ad perfectionem intellectus optimè facit. In capite paruo sæpe mens læditur; in magno etiam, nî fiat ob multitudinem materiæ, & virtutis robur, & tunc orta consentiunt, vt *lib. art. med. cap.* 11, Galenus explicuit.

Perfectio imaginationis, quam Galenus *loc. cit.* facilitatem addiscendi vocat, sequitur substantiam cerebri formarum facilè susceptiuam; & hæc est mollis: quæ enim mollia sūt, vt in exterioribus experimur, impressionem facilè suscipiunt; quare pueri promptè, senes difficilè addiscunt. Ob hanc causam in prouerbium abiit, *senem docere*, hoc est, frustra laborare. Hæc mollities ex natiua humiditate emanare debet, non excrementitia; hæc enim stupiditatis est causa.

Denique perfectio intellectus, capitis compositionem consequitur: Quibus enim pars anterior capitis ampla est, hi imaginatione pollent, & celeriter discunt. Perfecta tamen memoria substantiam cerebri firmam & stabilem expostulat; solida enim & dura, etsi difficulter recipiant, tenacissimè tamen retinent. Quare senes quæ à pueritia didicerunt, maximè meminisse solent, vt docet Plato *in Timæo post princip.* Decrepiti sunt obliuiosi, ob humiditatis excrementitiæ excessum, quæ cerebrum irrigat, & retentioni ineptissimum reddit.

Aduertes secundò. Harum actionum læsiones insignes in ægrotantibus reperiri, quæ symptomata sunt, & morborum effectus: & sicuti aliæ actiones tripliciter læduntur, ablatè, diminutè, aut deprauatè; sic hæ tripliciter eodem modo lædi solent: quia imaginatio interdum tollitur, vt in sopore; interdum imminuitur, vt in comate; interdum aberrat, vt in delirio, quia in his quæ ad sensitiuam notitiam pertinent, mendosè agit, vt quando aliquis frustra venatur muscas, aut manus ob oculos fert, vel pilos & stipulas euellit. Sic etiam cogitatio tripliciter læditur: interdum enim tollitur omnino, & hic affectus appellatur stultitia; aliquando imminuitur, & debilis fit, & vocatur hic affectus stoliditas, & fatuitas; sæpe corrumpitur, vt quando homo nihil agit, aut rationi consonum loquitur: nam loquitur, quæ non sunt dicenda: timet, quod non est timendum; sperat, quod non est sperandum; bonum iudicat esse malum, & vice versa: & hic affectus, delirium nuncupatur, vt *lib. de diff. sympt. cap.* 3. *in fin.* docuit Galenus.

Multoties homo imaginatione, & cogitatione constat, vt de rebus quas cognoscit, possit proponere, & discurrere: non occurrunt autem intellectui species, nec remanent, vt solent, & ideò nec proponere, nec discurrere potest; sed solùm circa res quæ extrinsecùs occurrunt, versatur, infantium instar: tunc læsio memoriæ, obliuio dicitur, quæ est ablata, aut imminuta actio memoriæ. Quando autem species rerum occurrunt intellectui, & imaginationi cum errore, tunc dicitur actio memoriæ corruptæ: quæ sanè admittenda est, cum Auer. 3. *collect.* 4. quia propter corruptionem memoriæ, & illius læsionem, intellectio lædi solet: intellectus enim actione memoriæ indiget; quia quales sunt species quas suppeditat memoria, sic solet agere, & magna ex parte circa species in memoria reseruatas illius actio versatur, & non solùm circa res quæ extrinsecùs occurrunt: quæ omnia eleganter proposuit Auic. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 7.

Aduertes tertiò. Has principes functiones lædi, aut ob diminutionem cerebri, aut ob extenuationem illius & colliquationem, & defectum spiritus animalis. Hac ratione experimur conualescentes ex morbis grauissimis, extenuato cerebro, sicut & reliquo corpore tabefacto, memoriam amittere; deinde facta corporis refectione prædictas actiones recuperare, vt Auic. docet, 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 7. §. *& quidam existimarunt, &c.* Firmat Rhasius *lib.* 1. *cont. tract.* 1. *cap.* 4.

Læduntur etiam ob intemperantiam cerebri, vt 3. *de loc.* 5. Galenus fusè edocuit, & Auic. *loc. cit. c.* 11. & 12. Intemperantia frigida tollit memoriam, & imminuit, quia tres sunt operationes ad memoriam necessariæ: prima est sigillatio, & impressio specierum memorabilium; secunda, est suppeditatio specierum ipsi intellectui, quæ non possunt repræsentari, sine spiritu, nec sine calore mouente spiritum: frigiditas verò impressionem, & suppeditationem impedit prædictam, dum spiritum motui ineptum reddit, & calorem minuit: sicut enim caliditas habet virtutem mouendi, sic frigiditas contrahit, & res immobiles præstat, vt 13. *probl.* 5. docuit Arist. cum Galeno 13. *meth.* 21. Quando hæc frigiditas humiditati coniungitur, tunc magis læditur memoria; ex illa enim non solùm prædictæ operationes læduntur, sed præterea tertia memoriæ operatio, nimirum retentio & conseruatio specierum, quæ modica siccitate gaudet, & perficitur; ideò cerebro humectato nimis, species non retinentur, sed delentur: hoc modo *loc. cit. ac sympt. causis*, obliuionem ob substantiam cerebri humidam fieri asseuerabat. Ex hac doctrina conciliabis diuersa Galeni loca, quæ si non explicentur hoc modo, repugnantiam includunt. Nam 3. *de loc.* 5. causam obliuionis, intemperantiam frigidam esse retur: In *arte* verò *medica* humidam intemperantiam assignat, hæc enim fluidam cerebri substantiam facit. Hanc doctrinam Medici, & Philosophi recipiunt, quia ex operationibus ad memoriam requisitis, prima, & secunda sunt, quæ maximè læduntur à frigiditate; vltima autem, quæ magis ab humiditate offenditur. Quando coniungitur frigiditas, læditur similiter memoria, ac si extrema sit siccitas, tunc enim species imprimi non possunt.

Galenus cum Auic. *loc. cit.* agnoscere docent, quando memoria lædatur ab humiditate, & quando à siccitate: Nam si humiditas sit causa obliuionis, palatum, oculi, & aures excrementis continuò madent; si siccitas, partes prædictæ excrementis vacant. Rursus præsente intemperantia humida adest subeth, & ægri res momentaneas, & quæ præcesserunt per aliquod tempus retinent, minimè tamen eas quæ iamdiu præcesserunt. In intemperantia ficca adest vigilia, & ægri, res quæ à longo tempore actæ, retinent. Quando intemperantia frigida affligit, adest vertigo, stupor, somnus. Et si intemperantia frigida ficca infestat, æger comate vigili apprehenditur. Hæ intemperantiæ sæpe cum materia vexant, interdum sine illa; ideò morbos melancholicos, & pituitosos insequuntur. Quare Gal. 2. *de caus. sympt. vlt.* affirmat, non rarò morbos qui in absceſſum transierunt, obliuionem, & stultitiam intulisse.

Item

Intemperantia calida;aut calida & ſicca ; aut calida & humida lædunt memoriam cum errore:ſi enim paruæ ſint,illius actionem imminuunt;ſi extremæ , actum virturis vnicuiuſque diſſoluunt, & præſertim calida & ſicca,quæ cùm exuperat,eſt cauſa , vt ſpiritus velociter moueri non poſſit. Similiter caliditas , præſertim cum humiditate coniuncta,plurimos vapores eleuat,quibus turbidi redduntur ſpiritus, & vtraque cauſa efficit, vt ſpecies imprimantur cum errore.

Eædem intemperantiæ ſunt cauſæ læſionis in cogitatione, & imaginatione:Nam intemperãtia frigida,ſiue ſola,ſiue adiuncta humiditati, ſiue ſiccitati, ſiue cum materia,ſiue ſine ipſa ,has potentias minuit , & tollit; eæ enim fieri nequeunt , niſi ſpecies in ſpiritu animali imprimantur, quo mediante potentiis ſuggeruntur , & clarè repræſentantur.Frigiditas verò hæc omnia impedit;aut tollit tenuitatem , raritatem , & tranſparentiam ſpirituum,& hoc modo craſſiores,pauciores , ac magis opaci redduntur.Intemperantia calida, ſiue ſit cum ſiccitate , ſiue humiditate , ſiue ſola , cogitationem , & imaginationem lædit cum errore : eſt enim cauſa , vt ſpecies permiſceantur , & confundantur ; nam motu inæquali,veloci,& inordinato ſpiritum mouet,agitat,& perturbat.

Inſtahis hoc modo. Melancholici delirant.At cauſa delirij nõ eſt calida, ſed frigida,nempe ſuccus melancholicus ſine putredine,& aduſtione,ex Gal.2. *de cauſ. ſympt. vlt.* Igitur intemperantia frigida cauſa eſt læſionis actionum cum errore. Dic cum Gal. *cit. de cauſ. ſympt.*& 3.*de loc.cap.7.in med.* in melancholicis , timorem,triſtitiam,& reliquas delirij ſpecies emanare , non ex temperatura cerebri,ſed ex colore humoris & vaporis,qui ſubſtantiam cerebri tenebroſam, & ſpiritus turbidos reddit : quare rerum ſpecies longè aliter repræſentantur, quàm ſint à parte rei:De quo argumento lege infrà *cap. de Melancholia.*

His, vt vtilibus præhabitis, ſit concluſio veriſſima, inter ſanctiones Hippocraticas reponenda:*In Lethargo imaginatio non ſolùm diminutè lædtur,ſed cum errore.* Patet,quia in Lethargo vtriuſque læſionis cauſa concurrit,adeſt enim intemperantia frigida , vt rentur omnes cum Gal.& Paulo:& conſtat ex obliuione, ſegnitie,ſopore,quæ hunc affectum comitantur,& intemperantiæ frigidæ ſunt effectus , & hæc ſui magnitudine actionem minuit, & eſt cauſa læſionis cum errore , quia in cerebro pituita putreſcit,& caliditatem adſcititiam acquirit,vt firmamus *ſuprà.*Lege Auicennam, 1.3.*tract.*4. *cap.*9.qui non ſolùm hanc concluſionem approbat , & amplectitur , ſed modum delirij explicuit. Ad argumenta verò pro contraria parte adducta , ex præmiſſis facilis erit ſolutio.

Præſagium.

LEthargus eſt morbus acutus,1.*acut.*8.& niſi occurratur,celeriter necat,ex Celſo *lib.*3.*cap.*20. Iudicationis terminum præſcripſit Hip.*lib.*2.*de morb. num.*70. dicens: *Lethargo correptos intra ſeptem dies interire : quòd ſi has effugerint,ſanos fieri.* Cælius 2.*acut.*1. Lethargum dicit phrenitide periculoſiorem, quia hic affectus ferè membranas cerebri occupat,ille ipſam cerebri ſubſtantiã.Qui à Lethargo liberantur,fit id tranſmiſſa materiã ad fauces,& retrò aures ſuborris parotidibus ; vt fiat Auic.1.3.*tract.*3.*cap.*8.*in fin.* dum ſic ait:*Cùmque fortiora fiunt accidentia Lethargia,& multiplicatur ſudor valde, eſt tunc perimens , propterea quòd ſudor deiicit virtutem: & cùm anthelitus dilatatur , & ſit bonus , & declinant accidentia , tunc tendit ad ſalutem ; & propriè ſi apparent apoſtemata poſt aurem, plurimùm enim criſis eius ſit per ea, &c.* Suppuratis enim parotidibus,humor qui in cerebri cauernulis retinetur,& eſt infixus , paulatim vacuatur. Inhunc modum intelligendum puto Hippocratem, qui in *Coacis prænotionibus*,& *lib.*3.*de morbis* ſcribit hoc modo : *Qui verò lethargicorum euadunt, purulenti magna ex parte ſunt*,hoc eſt,ſuppurantur,emiſſo videlicet pure per parotides. At hæc iudicatio certam ſalutis ſpem non pollicetur ; grauis enim eſt affectus , qui lethargo ſuperueniens validum virtutis robur expoſtulat , quæ ex prægreſſo lethargo eſt deiecta valde.Ob hanc cauſam reprobari ſolet ſolutio lethargi , ſuperueniente phrenitide,& ſic hæc tranſmutatio eſt periculoſa valde. Denique ſolui poteſt Lethargus , vacuatione facta per aluum,nares,& palatum , ſicut alij capitis affectus , ex Hip.6.*Aph.*10.

Curatio.

EX plurimis, quæ ſeſe offerunt in cura Lethargi obſeruanda,primum eſt optimam victus rationem inſtituere. Aër ſit calidus,& ſiccus; ſin minùs , arte paretur.Cubiculum ſit luminoſum,ac ſplendidum.Cibus ſit attenuans , & exquiſitè tenuis , quum hic affectus de genere acutorum ſit. Quod ſi morbus inclinet,victus craſſior concedi poteſt , maximè ſi vires debiles ſint. Vtilis eſt caro pullorum , perdicum , aut turturum nouarum, auiculatum montanarum,ptiſſana cum vitello oui,& oxymelite permixta. De cremore Amygdalarum diſſidium eſt : *Vtrùm in ſoporoſis affectibus poſſit concedi:* Offert Trallianus *lib.*1.*cap.*20. Sed reprobus eſt,ob cauſas multas : Copioſo enim vapore caput implet,humectat cerebrum , & hoc modo morboſam affectionem augere poteſt. Etſi enim dulces moderato calore præditæ ſint,vt ſcribit Paulus *lib.*7.*tit.de amygdalis*,tamen oleoſæ ſunt,ac pingues,vt nuces,ex Galeno *lib.*2.*alim.cap.*29.quo nomine inflammant , febrem augent ; & in ſopore à vaporibus ſanguineis ſuborto ſunt ſuſpectæ : pinguia enim citò inflammantur, & ad flammæ naturam proximè accedunt , ex Gal. 4. *de vſu part.*9.In hunc ſenſum protulit Hip.6.*epid. ſect.* 5.*text.* 14. *Bilioſum autem à pingui.* Si verò Trallianus hoc edulium in lethargo porrigit , in frigida affectione id facit , quia moderatè calefacit , & tenuitate ſua lentos humores quodammodo concoquit.

Potus ſit Aqua mulſa,aut aqua decocta aniſo,cinnamomo, ſemine fœniculi. De Vino maior eſt hæſitatio: *Vtrùm in Lethargo ſit eius vſus?* Hippocrates *lib.* 2. *de morbis,n.*70.id concedit: §.*Huic vinum album vinoſum poſtea bibendum dato,&c.* Aſclepiades apud Aurelianum , Lethargicis vinum porrigit,quia furor ex vino iis accedere nunquam poteſt , quippe quibus ſint omnes ſenſus apprehenſi , atque mentis vigor oppreſſus. Aëtius , & Celſus approbãt aquoſum,tenue,album,& ſubadſtringens :& ratio dictat : Nam vinum crudos humores concoquit,flatus diſcutit, roborat vires , & hoc modo frigidis affectibus,remedio eſt. Ex altera parte videtur reprobandum, quia intempeſtiuè ſemicrudos humores ad caput defert , tentat caput, febrem exacuit ,& eius vſum ſummopere interdixit Hip. *lib.*3. *de morb. num.*4. agens de lethargo:§.*& à vino abſtineat,&c.* Solues dubium,cum Tralliano *lib.*1.*cap.* 20. qui vini potum Lethargicis non denegat,eunte morbo in declinationem, ſic enim explicuit : *Vbi concoqui inceperit , nihil obſtat & lauare ipſos,& vini paulùm exhibere,præſertim à ſanguinis miſſione,ventris ſubductione,& mediocri totius corporis vacuatione.* Hoc modo Auic. 2.2.3.*tract.*2.*c.*7.in affectibus cerebri,in quibus reprobatur , vinum concedit in declinatione ipſa,quod licèt videatur nocere, quia vapores ad caput eleuat,tamen affectionem deinceps ſanat, calefaciendo,& exiccando,quam effecerat,vt 5.*Aph.*5. prædixit Galenus. Quare in modica quantitate,apparentéque coctione in vrina , exhibitum non parum confert : craſſos enim vapores attenuat , & humores ſomnum efficientes concoquit.

Deinde

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 223 sur 927

Deinde oportet humorem ad cerebrum fluentem reuellere, vinculis crurum, & brachiorum dolorificis, frictionibúsque vehementibus, quæ debent parari cum manibus vnctis priùs in oleo rutaceo, anethino, vel decoctione pulegij, origani, fol. lauri, stœchad. lauendulæ. Sed cùm inter reuellentia auxilia venæ sectio primas teneat, quærendum: *Vtrùm ea in Lethargo sit ex vsu?* Galenus 13. *meth. cap.* 21. eam confirmat, dum sic ait: *Itaque incidenda in talibus affectibus vena est, statim ab initio, si modò tam valens virtus sit, vt sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de secanda vena retulimus; sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio, in qua sit extremus calor, vel frigus.* Quam sententiam omnis ferè Medicorum Schola approbat & confirmat. Hoc enim modo fit commoda reuulsio humoris, ne in cerebrum confluere possit: Hæc enim pars calore affecta, oppressa dolore, inflammatione occupata, & sic imbellis reddita, facillimè fluxionem susceptat. Adde quòd præseruationis causâ sanguinem mittere præstat, alioqui vehemens expectabitur inflammatio in membro nobili.

Pro parte aduersa est auctoritas Galeni *lib. 3. crisi. cap. 3. §. Non tamen lethargus, aut peripneumonia fluxum sanguinis amant, &c.* Ergo Medicus in hoc affectu sanguinem extrahere non debet. Subscribit Mesues *cap. de Lethargo*, quia sanguinis missio refrigerat, ideóque humoris pituitosi copia augetur. Hac ratione in febri syncopali orta ex crudis succis, interdicit Galenus 12. *meth. cap.* 3. venæ sectionem: *§. Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet.* Nam *in copia crudorum succorum, vires non possunt esse valentes*, ex Gal. *lib. de sang. mis. cap.* 9. & magis si febris infestet, quia intemperantia addita intemperiei vehementer vires prosternit, vt docuit Galenus *eod. lib. de sang. mis. cap.* 10. *§. Crudis humoribus abundantibus, cautè vacuabis: & si febris accesserit, nequaquam.* Deinde confluens in cerebrum sanguis nihil incommodi afferre potest; sua enim caliditate pituitæ frigiditatem corriget, & tenuitate viscidam eius substantiam incidet.

Dic tu cum Galeno, in hoc affectu sanguinis missionem tutissimè posse celebrari, ob rationes dictas. Si verò fluxum sanguinis non esse vtilem in illo inculcat, loquitur habito respectu ad causam, quæ cùm sit pituitosus humor, & crassus, alui fluxu vtiliter vacuatur. Hanc esse optimam expositionem, ex dictis Auic. satis patet, 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. dum sic ait: *Et fluxus sanguinis narium in peripneumonia non confert, sicut in pleuritide, propter diuersitatem duarum materierum, &c.* Videlicet, quia humor in peripneumonia, & lethargo ferè crassus est, & pituitosus; ac proinde diuersus ab humore excitante pleuritidem, qui tenuior esse solet.

Si verò Mesuës hoc auxilium interdixit, intelligendus est, quando Lethargus ad alios subsequitur morbos: vires enim ex precedente morbo sunt exhaustæ nimis. Hoc saluberrimum consilium protulit Aretæus, 1. *acut.* 2. dum sic ait: *Si alteri morbo, vtpote phrenitidi succedat lethargus, venam ne soluito, neque aliunde multum sanguinem educito, sed ventrem subducito.* Quare si pituita in præsentia sanguinis redundet, salubris est phlebotomia, ex Gal. 4. *de sanit. tuend. cap.* 4. imò & ipse Galenus *lib. de sang. mis. cap.* 12. præsente crudorum humorum copia, iterum atque iterum, vel etiam ipso die sanguinem extrahere iubet. Iccircò secanda vena Cephalica, vel communis. Si verò vires debiles sint, præmisso reuellenti, eóque acri clystere, vel clementi pharmaco, celebratis asperis frictionibus crurum, & brachiorum, vinculisque dolorificis, hirudines marisci affigantur; reuellunt enim à capite potentissimè: sicut & cucurbitulæ humidæ, aut siccæ cum flamma multa spathulis, cruribus, natibus appositæ: hoc enim modo ventilatur cerebrum, fit præstantissima reuulsio, & humor in profundo capitis impactus foràs educitur. Quòd si malum exasperetur, inexpugnabilisque adsit dormiendi necessitas, è propinquiore parte sanguis mittatur, frontis vena secetur, aut quæ in lepore nasi sita est. Hirudines retrò aures imponantur: in quê etiá vsum cucurbitula occipiti admota cum scarificatu, vtilissima. Errhina, & sternutatoria valde prosunt, vt calore, & actimonia sua ægrũ soporosum excitent, humorem attenuent, & valida commotione cerebrum ab infarctu liberent. Iuuant piper, nigella, veratrum album, nicotiana, castoreum, sinapi, in puluerem redacta, & intra nares indita.

Duo supersunt præsidia huic morbo proficua valde, ea sunt oxyrhodinum, & purgatio: Illud approbat Galen. *cit. 13. meth. §. Repellendus enim humor à capite est, quisquis is fuerit: quæ sequuntur contraria sunt; nam in phrenitide necesse est stupefacere, in lethargo excitare.* Quare rasis pilis, bregmati repellens medicamentum imponendum iubet, actu tepidum; causa enim frigida est, & crassa. Quare primis diebus hac forma imponatur.

℞. *Olei ros.* ℥ ij. ß. *olei camomil.* ℥ j. ß. *aceti ros.* ℥ j. *pulu. santal. rubri,* ʒ j. misce.

Increscente verò morbo, addenda sunt extenuantia, calefacientia, & discutientia.

℞: *Olei ros. olei camomil. an.* ℥ ij. *castorij,* ʒ j. *aceti ros.* ℥ j. misce.

Hac ratione Paulus frigidorum medicamentorum noxam timens, mox ab initio caput irrigandum præcipit, iis quæ discutiant & resoluant, & medicamenta ad intimas cerebri sedes manuducant, vnáque roborent; quam facultatem præstat decoctum Serpylli, Thymi, Pulegij, Origani, Rutæ, Calaminthæ, Peucedani, si addas oleum ros. Camomil. & Castoreum.

Ante purgationem præparabis humorem calidis, & extenuantibus auxiliis: vt sunt syrupus de Hyssopo, de Betonica, de Stœchade, Rodomel, Hydromel, addito decocto Borrag. Thymi, Capil. Vener. Purgatio instituenda est iis, quæ modicùm ingesta multùm purgant, quia lethargicorum vires sopitæ pharmacorum assumptionem vehementer renuunt. Illa sint, quæ à cerebro humores pituitosos emungant, vt Agaricum, eius pilulæ, semen Carthami, Mechoaca, Pilulæ Cocchiæ, Aureæ, quæ si deglutiri non possint, dissoluantur in decocto phlegmagogo, vel aqua mulsa.

Cæterùm in purgatione aduertendum est, quòd cùm virtus animalis si consopita, & humor sit vacuationi contumax, in maiori quantitate medicamenta purgantia offerri debent, aut fortiora sunt eligenda. Secundùm hanc doctrinam Trallianus (quem sequuntur Mesuë, Auic. & alij Arabes peritissimi) præcipit pro medicamento purganti, vti Castoreo cum Diagridio, & propinat ϑ ij. Castorei, & ϑ j. Diagridij. Sed hæc dosis satis magna mihi videtur, ʒ ß. Castorei, & ϑ ß. Diagridij, ex quibus pilulæ tres confici possunt. Sed purgatio in lethargo, vel in initio vtilis est, cuius ope impeditur confluxus humorum in partẽ affectam, & hæc reuulsiua à Medicis appellatur; vel eradicatiua, quæ administrari debet, quando lethargi vehementia fuerit remissa. Sed cùm ij ob soporem, obliuionem, & delirium vix deglutire possint, loco purgationis, acuta clysteria, & glandes summo sunt ex vsu, quorum catalogum *cap. de Apoplexia* reperies: quo loco leges alia, quæ applicita palato, & linguæ humorem in capite contentum euacuent: simúlque vnguenta, fomenta, emplastra, quæ capiti abraso admoueri solent; quæ si nihil iuuent ad sinapismos accedendum, ex Gal. 13. *meth. cit.* & cauteria, sincipiti, & in ambitu capitis admouenda, quæ plurimam vtilitatem afferre citati asseuerant auctores: Nam attenuant humorem, per halitum digerunt, & potentissimè foràs educunt.

OBSER

OBSERVATIO.

Lethargus, cauterio retrò aures ſanatus.

ANglus quidam lethargo ita vehementer premebatur, vt ſenſibus veluti deſtitutus in horas moriturus ſperaretur. Huic præter vacuationes vniuerſales, clyſteres acutos, glandes acerrimas, ſternutatoria, medicamenta vacuantia per palatum, ſinapiſmi in tota ferè capitis ſuperficie excitati, ſed citra leuamen vllum. Tandem cùm hic contumax morbus aliquando ſanetur excitatis abſceſſibus retrò aures, ad locum hunc naturam, & humores reuocare omni ingenio ſum conatus. Hirudines in ea parte affixæ, cucurbitulæ cum ſcarificatu admotæ. Emplaſtra attrahentia applicita, facta ex Theriaca, Alliis, Cæpis, Pipere, Pyrethro, Caſtoreo, Euphorbio, cum aceto ſcillitico diſſolutis, admixtóque decocto ſaluiæ, maioranæ, ſtœchados, pulegij, betonicæ, & oleo rutaceo, vulpino, & de caſtor. Emplaſtrum ex ſcilla bregmati admotum. Sed cùm his rueret in deterius, cauteria duo bene ignita pone aures ſunt inuſta, ex quibus cùm biduo ichores emanarent, expergefactus, paulatim excreta per nares mucida pituita, in totum ſanus euaſit.

De Caro.

MOrbos Hiſtoriarum agitantes, hoc ſolùm obſeruabimus in noſtra praxi, vt aliquando alios affectus Laconicè proponamus, qui ſub illis, meritò comprehendi poſſunt; hoc enim modo perfectionem aſſequetur opus, ne lector ex aliis practicis quicquam poſſit emendicare. Quare de conſimili affectu agendum, qui à Græcis dicitur Caros, à Latinis ſopor, ab Auic. & Barbaris ſubeth. Definitur hoc modo. *Carus eſt profundus ſomnus, cum motus, ſenſus, & principum facultatum læſione, integra manente reſpiratione*, vt *lib. de diff. ſympt. cap. 3. ante fin.* docuit Galenus: qui *lib. 5. Aph. com. 5.* Caron appellat inſenſibilitatem, atque immobilitatem repentinam: quare eſt veluti paralyſis, & reſolutio imaginatricis facultatis. Probat *2. de articul. 21.* dicens, in Caro omnes animæ functiones lædi: quare eſt ſymptoma in genere abolitionis animalium actionum. Per inſenſibilitatem autem, non omnimodam intelligas: nam Rhaſis *9. ad Almanſ. cap. de ſubeth*, ſubethicum moueri, ſentiréque affirmauit; in hoc enim ab Apoplexia, conſimili affectu diſtinguitur.

In hoc affectu, vt inquit Gal. *4. de loc. cit.* læditur cerebrum ſecundùm partem anteriorem, & magis ſecundùm ventriculos, quàm ſecundùm ſubſtantiam. *Quòd ſi aliquando ſola anterior cerebri pars afficiatur, ſupremum ipſius ventrem ei conſentire neceſſe eſt, atque cogitandi quoque actiones vitiari; & qui ita affectus eſt, neque ſenſus, neque motionis munere fungitur: ſpirandi tamen facultas haudquaquam læditur, vocatúrque hic affectus Caros.* Ratio autem eſt, quia omnes ferè nerui, qui ſenſibus inſeruiunt, à parte anteriori dimanant, ſicut illi qui tactui, & motui ſunt deſtinati, à parte ſcaturiunt poſteriore, & ſpinali medulla. Si verò Galenus *5. de loc. 1.* non ſolùm in Apoplexia, ſed in ſopore, & Catalepſi lædi reſpirationem affirmat, quia thorax per hos affectus veluti vinculo adſtringitur, intelligi debet de ſopore quando intenditur, accidit ue in febris vigore & incendio, & tranſmutatur in Apoplexiam, aut cum ipſa copulatur: Nam in Caro difficilis reſpiratio non ſtatim ab initio inuadit, vt in Apoplexia, à qua eſt inſeparabilis.

Cauſa huius affectus quinario à Galen. *loc. cit. de loc.* numero comprehenditur. Prima, eſt intemperantia frigida & humida cerebri, ad quam ſequitur anteriorum cerebri ventriculorum obſtructio à craſſo frigido, viſcido, imputri tamen humore pronata. Ob quam cauſam illi ſunt obnoxij ſenes, ætas puerilis, temperamento frigido præditi, ventriculo debiles, ſaliuoſi, & quibus os ventris humiditatibus abundat; ab hac enim parte facilè cerebrum in conſortium ducitur. Iuuant anni tempus, regio, aëris intemperies. Vini etiam potus immodicus hoc vitium gignit, *3. de temp. 1.* nam merum, cerebrum percellit, ac debilitat.

Secunda cauſa, eſt inuſculorum temporalium compreſſio: quare vulnera temporum lethalia, ex Hip. *2. de articul. 10.* quia ſoporem, & apoplexiam inducunt, vt explicat Galenus *11. du vſu part. cap. 3.* Nam cerebrum conſortii lege ad ſui conſenſum facilè trahunt; hi enim muſculi neruos ſuſcipiunt à tertia coniugatione. Accedit arteria magna, quæ per tempora ad cerebrum excurrit: quare muſculorum temporalium inflammationes, deliria, ſpaſmum, & carum inducunt.

Tertia cauſa, eſt valida cerebri refrigeratio per acutos morbos in acceſſionum initio: tunc enim vaporum multitudo, præſertim ſi maligni ſint, ad cerebrum eleuatur, qui grauando, replendo, ſpiritus diſſoluendo, & fugando, ſoporem inducunt, ſiue ex vniuerſo corpore, vtero, aut ventriculo conuolent in cerebrum.

Quarta. Anteriorum cerebri ventriculorum, aut eius membranæ compreſſio: cùm enim cerebrum reſpiret, & pro contractione, & dilatatione inter tenuem, & duram meningem habeat ſpatium amplum, fit vt media compreſſione, facta aliquando ab incauto Chirurgo, cerebrum ventilatione priuetur, tranſitus ſpirituum denegetur, rectricum facultatum operationes ceſſent, innatus cerebri calor ſuffocetur. Ob hanc cauſam plures, qui ex alto præcipites in terram delabuntur, compreſſis cerebri ventriculis in carum ruunt. In hunc ſenſum intelligendus Hip. *7. Aph. text. 58.* dicens: *Quibus cerebrum commotum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri.*

Quinta. Doloris ſæuities, ex qua ſpiritus animales penè reſoluuntur, quibus euaneſcentibus facultates concidere eſt neceſſe. Hipp. *4. acut. 23.* vltra has cauſas aliam commemorat, nempe venarum interceptiones; tunc enim ob copiam ſuffocatur calor, & impedito tranſitu ſpirituum, frigeſcit cerebrum. Addendæ ſunt & aliæ, nempe vſus medicamentorum, quæ ſuapte natura ſomnum inducunt: hæc enim cerebri ſubſtantiam extremè refrigerant, vt Cicuta, Papauer, Mandragora, &c.

Signa. Diſtinguitur Carus à Lethargo, licèt in vtroque affectu adſit ſomnus profundus, grauis, difficulter excitabilis cum obliuione, ſegnitie, noxa memoriæ, ſtupore, & immobilitate, vt conſtat ex Actio, *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 5.* quia Lethargici quando excitantur, oculos aperiunt, & reſpondent; ſoporoſi contrà: nam excitati non reſpondent, quamuis ferias, pungas, & inclamites, ex Galen. *2. prorrhet. 29.* Deinde etſi humor peccans in vtroque affectu ſit idem, ex Paulo *lib. 3. cap. 9.* tamen in ſopore eſt magis craſſus, & viſcidus, ideóque ampliùs grauantur, & profundè dormiunt. Inſuper Lethargum ſubſequitur febris, quia pituita in cerebro putreſcit, quæ mitis eſt, cùm ſit pituitoſa; ſoporem verò antecedit febris, quæ mitior eſt. Differt ab Apoplexia, quia in hac, motu, & ſenſu animal priuatur, & non excitatur, niſi quando ſoluitur morbus; ſoporoſi verò ſolent excitari, & iterum obmutéſcunt. Præterea in Apoplexia læditur reſpiratio, in ſopore verò minimè. Differt ab vteri ſuffocatione, quia ſoporoſi ſecundùm ſenſus internos, & externos maximè læduntur, in ſtrangulatu verò vteri, quia non ita cerebrum laborat, minor læſio conſpicitur. Ab Epilepſia, quia in ea humor ventres omnes infeſtat. A Catalepſi, nam in hac poſterior cerebri pars afficitur. A Syncope, in hac enim pulſus ſunt obſcuri, languidi, & facies adeſt cadaueroſa; in Caro pulſus magnus, validus, faciei color floridus conſpicitur. Quapropter Carotici ſenſu, & motu orbantur, oculis perpetuò clauſis, reſpiratio eſt magna in vultu, & pulſu vix murario percipitur: febris aut nulla, aut debilis ſentitur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 225 sur 927

Præsagium. Periculosus affectus est Carus,& finitimus Apoplexiæ,si verò Gal.*lib.1.prorrhet.sect.2.text.29.* dubitat, an Caros vbique malus? cùm hunc affectum prauum esse confirmet in *Coacis*,intelligendus de profundo,longéque excitabili somno,præsertim in pueris, in quibus non vno die solùm, verùm quoque duobus ex ordine diebus perseuerans,magnũ attulit auxilium, *3.prog.com.1. Aliquando enim*,inquit ille,*pueruli per profundiorem, longioremque somnum, celeres in melius fecêre mutationes, ita vt criticæ euacuationis vicem in ipsis subeat.*

Curatio alia in paroxysmo, alia extra cum est celebranda, eritque similis illi, quam in accessione apoplexiæ,aut epilepsiæ exequendam diximus, & *sequenti cap.* proferemus. Quod si à crasso,viscidóque humore ortum ducat, instar lethargi extra accessionem curandus est æger,vt Aëtius monuit: sed ea sunt offerenda, quæ valentiora sint,& magis attenuent,& incidant. Si verò ob alias causas excitetur, vt à copia humoris, vel maligna aura in initio accessionis, vteri vitio in hysterica passione, vermibus, casu,percussione, nimia spirituum resolutione,venarum interceptione, narcotico medicamento, ebrietate, curatio suis locis proponetur.

De Comate, seu Cataphora.

PLura de soporosis diximus affectibus,supereſt vt de Comate, & Catalepsi breuiter disseramus. Coma definitur hoc modo: *Est deficiens, & imbecillis motus facultatis imaginatricis, magnam somni cupiditatem inducens.* Vel sic: *est delatio in somnum,non valentibus qui hoc symptomate occupantur,vigilantium munera obire.* Quare Coma nihil est aliud, quàm *profunda in somnum delatio, lib.de Comate,cap.2.* Symptoma est in genere animalium actionum absolutè læsarum, præ cæteris verò noxam subit imaginatio, ac subinde externæ sensationes. Pars affecta, cerebrum est, præcipuè secundùm anteriorem partem. Læditur illud quandoque per idiopathiam,vbi videlicet soporifera materia in cerebro est impacta; aliquandò per sympathiam, vbi alibi coërcitus humor solam vaporationem, qualitatémue ad cerebrum transmittit.

Causa est frigidus, & humidus succus,sicut calidus, & siccus peruigilij causa esse solet. Frigiditas, vel citra materiam sopori inferendo sat est,dum meatus cogit,& influxum impedit,sanguinem & spiritum crassefacit, & sic corpus immobile, stupidúmque reddit, 3. *de loc. cap.5.* Humiditas sola substantiæ affluxu soporem parit, dum mole cerebrum grauat, meatus obstruit, & torpore inducto membrorum substantiam laxat, *2. de loc.cap.vlt.lib.de plenitud.11. 4. de sanit.4. lib.1. de caus. sympt.vlt.1.prorrhet. com.1. & sect.3. com.76. & 3. epid. sect.3.com.63.& 4.de præsag.ex pulsib.cap.8.*

Signa sunt,somni prolixitas,& expergefactio difficilis:Nam ægri palpebras vix aperire possunt. Adest capitis grauitas,palpebrarum inflatio,albicans faciei,oculorum,& linguæ color,sputi copia,tactûs frigiditas, & mollis pulsus. Periculosum est symptoma tum per se, tum quia cari, lethargi, aut aliarum prauarum dispositionum est indicium.In intermittentibus febribus non adeò periculosum est, sicut in continuis, præsertim malignis; quum enim pituitosa cacochymia,aut sanguinis copia lenti ab ignea caliditate liquescunt,caput vaporibus replentur,& sopor sequitur ferè immedicabilis, qui solùm surditate superueniente,aut excitatis parotidibus confanescit.

Vtrùm autem *detur Coma criticum*? inquires.Galenus dubiũ persoluit hoc modo *lib.1. prorrhet.sect.2. com.29.* quo loco refert se vidisse in ægris quibusdam, qui tribus,vel quatuor deinceps diebus vigiles permanserant, difficilem excitatu somnum superuenientem, non vno die solùm, verùm quoque & duobus ex ordine diebus, magno ipsis commodo fuisse. In opere etiam *de crisibus*, inter signa critica sæpius coma ab eodem auctore recensetur. Deinde puerorum morbi per somnum iudicantur, vt 3. *prog.1.* Galenus confirmat: à vi enim valida puerorum concoctrice, qua pollent ex Gal.*1.de sanit.8.*& *3.de caus.sympt.3.* quæ tempore somni perfectiùs operatur, non solùm vitiosi humores resoluuntur, sed crassi coquuntur. Quare non est denegandum coma criticum. In hunc fortè sensum dicebat Hip. *in prorrhet. loc.cit. Caros an vbique malus*, cari nomine omnem profundum, & excitatu difficilem somnum intelligens.

Curatio similis est curationi Lethargi. Itaque cùm febri alicui malignæ,aut sortis alterius comatosus sopor accesserit,necesse est & humorem vacuare fluentem,& fluxurum reuellere, ne in cerebrum commigret, grauioribus damnis affecturus. Itaque si vires adsint, sanguinem protinus mittes, si sufficienter ratione febris præexistentis missus non fuerit. Sectio fiet ex mediana vena, aut ea quæ in carpo manus sita est, aut cucurbitulis veteris scarificatis,dorso,scapulis,vel occipiti applicitis. Si somnus profundior vrgeat, ex nasi,aut frontis venis sanguinem demes. Oxyrhodinum sincipiti admouebis: Crudos, & putrentes humores expurgabis; & cætera perages quæ in Lethargo proficua esse *supra* prædiximus.

De Comate vigili, seu Typhomania.

QVando æger comatosus est, & vigilat, affectum patitur ex lethargo, & phrenitide compositum, in quo ægri vigilare apertis oculis non valent, sed conniuent spe conciliandi somni; hunc tamen captare non possunt. Galenus *lib. de pulsib. ad tyron. cap.11.* & *4.de caus.puls.cap.15.* proprium illi nomen non indidit, etsi *3.de loc.cap.5.* vigilantem soporem nuncuparit:at *3. epid. sect. 3. com.39.* coma non somnolentum appellat. Trallianus *lib.1.cap.14.* falsum vocat lethargum. Paulus *lib.3.cap.6.& 10.* vigilans dicit coma.Ab Auicenna *3.1.tract.3. cap.12.* stupefactio peruigil,seu subeth, vel saharit. Ab auctore *lib.de def.medic.* Lethargus delirus, aut Lethargicum delirium.Hip.*lib.4.de morbis*,in historia serui Attici vocat stupidam insaniam. A veterum quibusdam nuncupatur Typhomania, vt Galenus *in exegesi*, & aliis locis auctor est.

Oritur hæc affectio ex variarum causarum permixtione, quum scilicet pituita, bilisque flaua permixta, in cerebro simul immoderatiùs exuperant; Bilis namque flaua si per se sola abundet, peruigilium, cum delirio, cum pituita soporem inducere nata est.Hinc fit vt quoties vterque humor in cerebro inualuerit,contraria hominem symptomata apprehendant, nempe, vt tum vigilet, desipiatque, tum leniter in somnum deferatur. Altera etiam causa huius affectus est statuenda, nempe sanguinis bilioſi copia: nam sanguis lentore suo, cerebro grauato,soporem gignit,ob bilis tamen permixtionem,irritat,pungit,& vigiliam concitat.Si verò contrarij humores æquis penè portionibus redundent, tunc exquisitè ex phrenitide, & lethargo mixta fit affectio,contrariaque symptomata æqualiter vrgent. Si verò aliter humor exuperet, præpollentis ratione,vel magis coma, vel magis vigilia ægrum corripuerit.

At quæstio est non indigna scitu:*Vtrùm Typhomania sit media affectio inter phrenitidem,& Lethargum?* Galenus *lib.de pulsib. ad tyrones, cap.11.* & *4. de caus.puls.cap.15.* dubitare videtur, vtrùm hæc affectio sit media inter affectiones illas, ea ratione, vt cum neutra in totum conueniat, an verò ambobus sit communis, quasi ex phrenitidis, & lethargi speciebus mixta:Illud Dialectici medium per extremorum negationem; hoc per extremorum participationem nuncupant. Sed Galenus *4. de caus.puls. cit.* in secunda notione mediam statuit, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 226 sur 927

& 3. *epid. sect.* 3. *com.* 39. medium dicit affectum inter dormientes, & vigilantes.

Verùm hoc non videtur vndequaque verum: quia somnus, & vigilia priuatiuè opponuntur. Atqui ex oppositis priuatiuè non fit forma media, quia priuationi non insunt gradus, quibus possit intendi, aut remitti. Igitur, &c. Dic tu primo modo, & concede, non reperiri affectum medium inter somnum, & vigiliam. Sicut enim datur somnus imperfectus, qui aliqua ex parte vigiliæ similis est, veluti quando dormiens loquitur, surgit, & mouetur: sic datur imperfecta vigilia, vt quando aliquis vigilans connuet oculis, & capite grauatur.

Solue secundò ad mentem Galeni, 3. *de loc. cap.* 5. dicentis, in cerebro interdum simul coniungi causas, & somni, & vigiliæ, quæ cùm sint contrariæ inter se, nihil mirum si ex somno, & vigilia medius affectus gignatur, & hoc modo soluitur ratio in contrarium adducta. Solue vltimò si dicas, somnum non esse priuationem vigiliæ, sed actionem naturæ illi contrariam.

Signa huius affectus sunt per se notissima. Nec enim correpti indicia habent, phrenitidi, & lethargo communia? Conniuent oculis, sed palpebras præ humiditatis copia attollere nequeunt, somnolenti sunt, & ad actiones prompti, sonum, vocémque audiunt, & si eos tangas, mox oculos eleuant, & aliquando expergefacti, fixo obtutu diutissimè in vnum locum intuentur. Si eos interroges, difficilè respondent, at loquuntur, & deliriant. Aluus, & vrina supprimuntur: & si fortè exeat, est tenuis, decolor, turbata interdum, & iumentorum instar. Demum signa apparent, lethargum, vel phrenitidem significantia, prout humor magis pituitosus est, vel acris.

Pulsus ambigunt inter illos, qui phreniticis ac lethargicis insunt, celeres sunt, ac frequentes, minùs tamen quàm phreniticorum; validiores, quàm qui lethargicis, languidiores, quàm qui phreniticis conueniunt. Languidissimi tamen sunt, tardi, rari, ac parui, quando appropinquante morte, ægri veluti moribundi animam efflare videntur, vt 3. *epid. sect.* 1. *com.* 7. pronunciat Galenus.

Vtrùm soporem vigilantem necessariò febris comitetur? controuersia est non exigua. Galenus 13. *meth.* 21. Catochum ex eorum affectuum genere esse inculcat, qui sine febre sunt, vt apoplexia, & caros. Auicenna 1. 3. *cap. de subeth*, hunc affectũ cum febre continua describit: & ratio dictat, quum ex lethargo, & phrenitide sit compositus, qui affectus assiduam febrem sibi comitem habent. Dic: Hunc affectum perpetuò febrem comitari, sed Galenus per Catochum, non vigilantem soporem, sed catalepsim intellexit, affectum omnino frigidum, & siccum, & febris prorsus expertem.

De præsagio, quid? Periculosus est affectus tum per se, tum quia in lethargum, & phrenitidem conuerti solet.

Curatio illicò est peragenda, iisdem remediis quibus in curatione phrenitidis, & lethargi vtendum esse *superiùs* monuimus: Nam si pituitosus exuperet humor, ad modum lethargi curandus est æger. Si vincat biliosus, vt phrenitici, regendi sunt ægri. Si ex æquo varij dominentur humores, scopus curationis eò tendat, vt contrarij humores extra corpus excernantur: quæ omnia prudentis, & periti Medici consilio sunt relinquenda.

De Catalepsi.

QVando æger repentè correptus, totus rigidus, ac veluti gelatus permanet, in eadem prorsus figura in qua prehensus est, patentibus, inconniuentibúsque oculis, hunc affectum veteres Catalepsim, Catochen, deprehensionem, detentionem, & congelationem nuncuparunt, ex Paulo *lib.* 3. *cap.* 10. & sic 2. *aph.* 3. & 4. *de loc.* 2. inter soporosos affectus à Galeno reponitur. Pars quæ afficitur, cerebrum est, & magis secundùm partem anteriorem.

Huius affectus essentia consistit in hoc; quòd sit symptoma in genere noxæ functionum principum facultatum, quæ veluti congelantur, denſato, & congelato illius organo & instrumento cerebro nimirum, & spiritu, qui veluti gelatur, & detinetur. Causa est intemperies frigida sicca cerebri, siue materialis, siue immaterialis. Quare humor melancholicus, aut alia causa interna, quæ cerebrum infrigidare, & exiccare potest, hunc affectum committit, vt immodica vigilia, cutæ, studia. Signa sunt, quòd æger tensus & rigidus manet, vt lignum: minimè sentit, aut mouetur, quia facultas animalis est consopita valde, & actiones principes læsæ sunt; respiratione illæsa. Cæterarum facultatum læsio, non est abolitio, sed debilitas quædam, qui impotentia, & sic aliqui vident, audiunt, recordantur eorum, quæ coram ipsis facta sunt, vt refert Galenus 2. *prorrhet.* 6. de quodam suo condiscipulo, qui simili affectione fuit oppressus. In iis aluus, & vrina ob sensus stupiditatem supprimuntur, respiratio debilis est, vt & pulsus. Rarus est affectus, caro periculosior & lethargo. Curandus eò modo, quo carus, sed fortioribus auxiliis, quia virtus nimiùm grauata est, & consopita.

CAPVT VI.

De Epilepsia.

Definitio.

EPilepsia est conuulsio vniuersalis, non perpetua, sed quæ ex longis accidit interuallis, vna cum sensus, & mentis læsione, vt 3. *de loc. affect. cap.* 7. Galenus explicuit.

Postquam enim superiori capite explanauerat præter memoratas conuulsionis species, tetanum, opisthotonum, & emprosthotonum, permanentes quidem, non motibus interruptas, à solo morbo factas, tertia admittenda est fiens, per temporum interualla inuadens, & ab agente natura prodiens: quare dubitant plurimi: *Vtrùm Epilepsia sit conuulsio, an motus conuulsiuus*? Nam videtur, quòd conuulsionis nomine intelligendus est motus conuulsioni similis, quo membra inuoluntariè concutiuntur, & veluti contrahuntur nerui versùs suam originem, cerebrum nempe, dum ipsum affectum se concutit, vt ea excutiat, quæ sibi noxia sunt, & molesta: quare illo loco latè conuulsionem accepit.

Hoc accidit in morbo comitiali, cuius sedem affectam colligit Galenus, ex descriptione *suprà* posita. Nam si in ea ratio simul, & sensus omnes læduntur, per quæ ab aliis conuulsionis speciebus differt, illud membrum per eam credendum est esse affectum, quod rationis domicilium est, sensuúmque omnium principium, atque adeò cerebrum: Inde enim nomen obtinet Epilepsia, hoc est supercomprehensio, quia superiores potentias, mentem pariter, & memoriam apprehendit, omnésque exulare facit; propter quod etiam sacra appellatur affectio, quasi cerebrum occupet, sacrum animæ templum, & principis facultatis sedem.

Cùm enim crassus, lentúsque succus spiritus vias in cerebri ventriculis obstruat, ad eius expulsionem seipsum quatiente cerebro, sequitur communis illa totius corporis conuulsio, vehemensque inducitur nocumentum, non solùm principum functionũ in cerebro ipso, sed & sensuum, & voluntariorum motuum in organis, præsertim cùm cerebrum ipsum primariò est affectum, & mox reliquæ neruosæ partes per consensum coafficiuntur; deinde cùm neruosarum partium aliqua primariò affecta, cerebrum in consensum ducit, & rursus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 227 sur 927

ab ipso cerebro vniuersum corpus conuellitur. Primam speciem vocant Medici Epilepsiam per essentiam: Secundam, appellant Analepsiam, quæ motus est totius corporis concussiuus cum sensus, & motus læsione: Tertia nominatur Catalepsia, quum consensu alicuius membri particularis symptomata insolescunt.

Quare licèt Medicorum omnium consensu, Epilepsia vocetur motus conuulsiuus; hic tamen ab illa longè differt: est enim inter Epilepsiæ species motus quidam ipsi persimilis, sed ab Epilepsia multis modis dissidet. Nam fit in membris motui voluntario inseruientibus, dum quadam concussione, & vibratione, epilepticis motibus persimili. Deinde hic motus fit citra obliuionem, & interiorum, ac exteriorum sensuum læsionem; Epilepsia verò è contra. Deinde motus conuulsiuus differt ab Epilepsia, quia in ea spuma per os excernitur; in motu conuulsiuo, minimè. Insuper in Epilepsia omnes corporis partes, aut plures conuelluntur; in hoc verò, vel omnes, vel aliquæ, vel vna tantùm.

Animaduertes Epilepsiam à conuulsione differre, licèt sit de genere eius: Conuulsio enim affectus est stabilis, permanens, quo partes præter voluntatis imperium ad suam originem retrahuntur; at verò in Epilepsia, ad omnem situs positionem membra flectuntur. Conuulsio oritur à solo morbo; Epilepsia, à natura irritata. Erit ergo Epilepsia motus quidam conuulsiuus membrorum, (ad eum enim placet motum epilepticum reducere,) in quo cerebri ventriculi, & corporis membra forti motu comprimuntur ad expellendum id, quod in cerebri ventriculis præternaturaliter noxium continetur: adéstque in eo motu sensus priuatio, & interiorum potentiarum læsio.

Insuper agitandum: *Vtrùm motus in Epilepsia, sit naturalis, vel præter naturam?* Nam si natura totius, & singularum partium, est morborum medicatrix, & illud perpetuò intendit quod vtile sit, & familiare, quî fieri potest, vt agente cerebro, & noxium fugiente, grauius malum, quale est Epilesia, sequatur? culpanda enim esset natura, tanquam auctor, & genitrix malorum. Rursus sequeretur Epilepticorum conuulsionem, esse motum naturalem, vtpote à natura factum, & ad noxij fugam, quum tamen deprauatus sit, & præternaturalis.

Dic: quòd licèt Natura, omnium ferè quæ in corpore vtiliter geruntur, tam in sanitate seruanda, quàm morbis propulsandis, sit agens potissimum, perpetuóque conetur vtilia prosequi, & noxia fugere; nec mediis in genere careat, scopo suo & intentioni accommodatis: sæpe tamen deficit & errat, ob interuenientes circumstantias, quas discernere, sui captus non est, quum sit rationis expers; atque ideò necesse est sæpe ab arte emendari, & illius correctione indigere. Vnde nihil mirum, si humorem in Epilepsia obstruentem nitens expellere, grauioris mali, inuita & nolens, occasionem præstet, imò auctor & causa existat; sicut etiam est inflammationis in parte dolente, symptomaticæ euacuationis, febris, & plurium malorum, dum alia nonnunquam minora propulsare conatur.

Adde quòd, nisi etiam in cerebro seipsum quatiente sequeretur noxa, minùs vrgeret difficultas, quantumuis aliis partibus nocumentum, & morbus superueniisset: nempe cùm particularis cuiusuis membri natura, de propriis commoditatibus solicita sit, & cum detrimento aliorum nitatur vnumquodque ea à se pellere, quibus molestatur. Nec verò tales operationes, quamuis à natura fiant, & noxij fugiendi gratia, simpliciter & absolutè naturales dixeris, vtpote à causa præternaturali ortas, & insigne nocumentum corpori afferentes.

De loco affecto, constans est Medicorum sententia, vnà cum suo magistro Galeno, *lib. 3. de loc. affect. cap. 7. & 8.* Cerebrum esse: quod vel cunctarum animalium functionum nocumenta conuincunt, quarum omnium sedes, cerebrum existit. *Vtrùm cerebrum patiatur in Epilepsia, vt pars similaris, an vt instrumentalis?* dubium est. Hip. enim *lib. 6. epid. sect. 8. text. 40.* sic ait: *Melancholici plerunque in morbum comitialem solent cadere; & è contra qui morbo comitiali afficiuntur, melancholici fiunt. Horum vtrumlibet magis vsuenit, vt in hanc, vel in illam partem infirmitas vergit: nam si in corpus, morbus comitialis hominem corripit; si in mentem, melancholicus efficitur.* Ex qua sententia colligitur, in Epilepsia cerebrum affici, vt instrumentalem partem.

Deinde Galenus *3. de loc. affectis, cap. 7.* agens de humore melancholico morbum comitialem efficiente, sic inquit: *Igitur vt crassus pituita succus, ita hic quoque Epilepticum morbum solet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri continetur, siue is medius sit, siue postremus.* Idem docet, *2. de caus. sympt. cap. vlt. §. Sicuti Apoplexia, & Epilepsia ex pituitosi succi multitudine, in ipsius cerebri ventriculis collecta gigni videntur, eoque fit, vt subitanea sit earum tam generatio, quàm discussio: quod accidere in corporum intemperie nullo modo potest.* Probat etiam *3. de loc. cap. cit. §. Velox eius discussio, crassum humorem vias spiritus in cerebri ventriculis obstruentem, hunc maximè affectum peperisse declarat:* & paulò infrà: §. *Sed à crasso semper humore, &c.* Ergo si Epilepsia ex obstructione originem ducit, & non ex intemperie, planè constat in Epilepsia cerebrum affici, non vt est similaris, sed instrumentalis pars.

Ex altera parte obstant plura, ex Galeni monumentis hausta. Nam ille eodem *lib. 3. de loc.* & apposita historia *lib. 1. cap. 15.* Trallianus, enarrant quosdam Epilepsia fuisse correptos, ob auram frigidam à tibia ad cerebrum vsque ascendentem. Sed per illam auram frigidam non communicatur humor crassus, qui cerebri ventriculos possit obstruere, sed nuda quædam intemperies frigida. Ergo in hac Epilepsia cerebrum est affectum intemperie, & non obstructione: ac per consequens cerebrum afficitur, vt pars similaris. Quod etiam non ineptè probari potest in Epilepsia, quæ ex venenosa, malignaque qualitate, ex vtero eleuata emanat, quo in loco computrescit menstruus sanguis, aut semen corrumpitur, ex quibus fœtidissimis substantiis vapores ascendunt ad cerebrũ tetri, maligni, horridi, qui ipsum lancinando, & pungendo concutiunt, & motus epilepticos cõuulsiuos frequenter excitant, vt in vteri strangulatu, morsúque animalis venenosi, aut assumpto aliquo veneno, frequenti experimento est compertum. Sed Epilepsia ex his causis profecta, ex nuda quadam, & occulta intemperie generatur, & non ex obstructione. Ergo tunc temporis cerebrum solum afficitur, vt similaris pars, & non vt instrumentum. Quòd si litem hanc dirimere velis, dic semper in Epilepsia affici cerebrum, vt pars instrumentalis: & hoc modo ad morbum in via semper referenda est, retento scilicet spiritu, qui in ventriculis cerebri continetur: quare semper in hoc morbo, siue per primariam affectionem, siue per consensum concitetur, obstructio adest, vt *infra* vberiùs exponemus.

Insurgit tamen hoc loco difficultas: *Vtrùm Conuulsio in morbo comitiali, ad conuulsionem ex inanitione, vel repletione sit referenda?* Galenus respondet hoc modo, *lib. 5. Aph. 70.* dum sic ait: *Quæ quidem fit ex euacuatione conuulsio, acutissima est, & pernicio sissima; ea verò quæ fit ex repletione neruosarum partium, qualis fit in morbo comitiali, neque acutissima, neque similiter periculosa.* Sed hæc doctrina obtinet veritatem in Epilepsia, quæ ex primaria cerebri affectione originem ducit, & ex crasso humore cerebrum, & neruos obstruente generatur. Cæterùm in morbo comitiali, qui cerebro per consensum affecto corpus vexat, conuulsio ad neutram conuulsionem est reducenda. Quæ solutio est ad Galeni mentẽ, *5. Aph. com. 1.* dum motum in Epilepsia repertum, similem esse illi asseuerat, quem in singultu fieri conspicimus, qui quidem motus deprauatus, tam cerebri quàm ventriculi,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 228 sur 927

ventriculi non est vera conuulsio: Arabes vocant conuulsionem improportionatam ad materiam; quam conuulsionem per cõsensum factam, non fuisse ab Hip. prætermissam, *eo loco* Gal. inculcat, illum de primis, & præcipuis conuulsionibus fuisse loquutum asseuerans.

Porrò dubium aliud insurgit grauissimum: *Vtrùm in epilepsia, ventriculus anterior, medius, vel posterior afficiatur?* Arabes, solos anteriores affici sibi persuadent: Gal. cuius doctrina maiori in pretio æstimanda, 3. *de loc. cit.* in hoc affectu non anteriorem ventriculum, sed medium, aut postremum affici arbitratur, sic enim inquit: *Crassum pituitæ succum, aut humorem melancholicum, comitialem morbum efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retineantur, siue is medius sit, siue postremus.*

Præterea spiritus animalis, ob cuius retentionem epilepsia solet concitari, in cerebri ventriculis præcipuè continetur, medio, & postremo. Ergo ad illorum affectionem morbus comitialis insurget, & non anteriorum; hi enim solùm præparant animales spiritus aliis ventriculis, & ipsi cerebro, & sunt veluti ductus, & canales ad cerebri excrementa pellenda, auctore Gal. 8. *de vsu part. cap.* 10. *in princ.* §. *Nec minùs quoque, &c.* Explicat eleganter 8. *de vsu part. cap.* 6. agens de vtilitate anteriorum cerebri ventriculorum; quo loco hos, esse olfactus instrumenta, & illorum ope superflua excerni, dictat vbertim: *Aliter enim* (inquit ipse) *perpetuo, aut frequenter cerebrum apoplexia esset oppressum.*

Sed video te obiicientem hoc modo? Cur possunt spiritus animales in cerebri vẽtriculis generari, ex quorum impedito transitu epilepsia excitatur, si illi in mirabili illo plexu ventres antecedente gignuntur? Quare dilucidè explicandum: *Vtrùm spiritus animalis in cerebri ventriculis, an in reti mirabili generetur?* Gal. enim 3. *de loc. cit.* asseuerat, animalem spiritum in cerebri ventriculis contineri, ac si ibi generaretur, vt per cerebri substãtiam, & reliqua membra distribuatur, quum illius generationem, 9. *de vsu part. c.* 4. plexui retiformi, seu mirabili attribuat, apertisque verbis testetur, spiritũ in reti illo bene confectum, in cerebrũ ipsum, quin & in ventriculos effluere, nec alibi posse meliùs elaborari; quod illius intorta, seu flexuosa indicat contextura, quam natura tribuit membris, à quibus exactam materiæ elaborationem exoptat, quia plexibus flexuosis diutius immoratur, & perfectiùs conficitur.

Neque asseras, animalem spiritum non in aliquo ex cerebri ventriculis, sed in mirabili plexu ventres antecedente generari, ibique vltimas dispositiones, & formam consequi substantialem, licèt postea simul genitus, & forma substantiali insignitus, in ventribus ipsis magis perficiatur: hoc est, perfectionem quandam accidentalem recipiat. Quod addes, vt Medicis satisfacias, apud quos spiritus omnis ad organum transmissus quandam subit alterationem, per quam ad talem virtutem determinatur, fitque proportionatum illius instrumentum, quum antea esset ad plures indifferens.

Neque in ea persistas opinione, inductus Galeni auctoritate, *lib. 9. cit.* tum ex eo, quia cùm internæ functiones in cerebri ventriculis edantur, in illis siquidem residerent facultates, impedirentur illarum actus, si ibidem generarentur spiritus; aggregarentur enim superfluitates, quæ in omni coctione necessariò separantur, quúmque exitum non habeant, permixtæ cum spiritu remanerent: vnde ipse vsque adeò purus, tenuis, & splendidus, qualis ad ratiocinationes, & discursus requiritur, non euaderet, ac proinde alibi produci oportuit. Hoc placitum firmabis similitudine externorum sensuum, qui in suas prodeunt actiones per animalem spiritum non in ipsis, sed alibi confectum.

Verùm sententia hæc manifestè repugnat Galeno, qui non solùm 3. *de loc. cit.* sed *lib.* 7. *de vsu part.* 8. & *lib.* 8. *cap.* 10. & *lib.* 7. *de placit.* 10. & pluribus aliis locis, apertè testatur, spiritum animalem non in retiformi plexu, imò potiùs in cerebri ventriculis confici, elaborari, & suam formam consequi. Nec desunt validiores rationes, quæ cogunt ita opinari. Prima. Tot coctiones requiruntur ad spiritus animalis generationem, quot necesse est subire alimentum, ad hoc vt membri formam adipiscatur. (Respondent enim inter sese mutuò spiritus animalis, & alimenti coctiones, prout colligitur ex Galen. 7. *de vsu part. cit.*) Sed alimentum nonnisi in tertia, quæ in poris membrorum fit, assequitur membri formam. Similiter ergo in tertia coctione accipiet spiritus formam substantialem. Quum verò primam subeat aër, ex quo materia præstatur, in pulmone; secundam in corde, cum arteriis; tertiam in cerebri ventriculis: ibi credendum est suam formam suscipere.

Secunda. Talis erit vsus reticularis illius plexus, qualis est aliorum qui in corpore reperiuntur. Atqui in testium, vberúmque plexibus substantiales formæ non præstantur, sed tantùm dispositiones, & aptitudines ad formas. Igitur nec in illo cerebri. Confirmatur: quoniam plexus nihil aliud est, quàm quoddam arteriarum aggregatum, intortum, & flexuosum, quæ ab aliis arteriis non differunt: si igitur aliæ non generant animalem, sed vitalem spiritum, cur illæ in plexu generabunt? Adde quòd cùm exiguus in homine sit, nec capax tantæ spirituum copiæ, quanta per tot sensuum, & motuum organa distribuenda requiritur, credi non potest illorum officina.

Neque obstat Galenus, *lib. 9. de vsu part.* solùm enim vult ibi disponi, & aptari spiritum in reti mirabili, quod non negamus. Minùs vrgent rationes cæteræ, quum enim secundùm Galenum 3. *de loc.* 7. & multis aliis in locis, in cerebri corpore contineantur potentiæ sensitiuæ internæ, corruunt aduersa fundamenta, & corruerent eâti, licèt in ventribus contineri assereremus: suos enim habent meatus ad nares euntes, per quos suas trãsmittunt superfluitates; maximè quòd valde exiguæ sunt illæ, quæ per vltimam spiritus coctionem separantur, facilè resolubiles, & euaporabiles. Iam verò extremos sensus spiritu vel alibi procreato, non cogit, alibi etiam fore procreandum illum, qui cerebro debet inseruire: illos enim aliunde instrumenta, quibus in opus prodirent, expectare decuit; non autem cerebrum, quod fons est & origo spiritus, animalisue virtutis, nisi velis in infinitum procedere: præsertim quòd etiam cor vtitur spiritu in seipso confecto.

Differentiæ.

GAlenus *cit.* 3. *de loc. affect.* eleganti sermone edocuit, tres esse epilepsiæ species, quibus omnibus commune est, Cerebrum, vtpote propriam & affectam sedem huiusce ægritudinis, laborare: vel primariò, vbi scilicet in cerebro ipso crassus humor consistens, ventriculos obstruit; vel oris ventriculi consensu, vbi scilicet vitiosus humor contineatur, & ab eo vapores sursum ad cerebrum eleuentur, illud in consensum nonnunquã rapientes. Denique aut à parte aliquâ alia corporis incipit affectus, & deinde ad cerebrum sensibiliter ascendit. Vnde tres describuntur morbi comitialis species, differentiæ, qualitates, seu genera: omnia enim hæc Gal. ab Arist. recedens, pro eodẽ vsurpat significato, & inter sese synonyma facit. Porrò tertiã interdũ accidere aliquot historiis confirmat, & argumẽto ex curãdi ratione desumpto conuincit, noxiũ aliquid ab affecta parte capiti communicari, in epilepsia per consensum: alioquin enim vincula partibus superioribus iniecta parum profuissent, nec euaderẽt quidam præsentiẽtes accessionem, capite curuato; insuper nec alij à feris commorsi, secta, vel vsta primaria parte: cuius contrariũ multorum experimento est comprobatum; nam non aliunde illa iuuare possunt, nisi quia vim mali ab vna

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 229 sur 927

parte in alias sibi proximas transire prohibeant; atque ita non modò epilepticis accessionibus, sed & venenosarum ferarum morsibus, ictibúsue magnum præstant auxilium.

Quid verò sit id, quod in hac epilepsiæ differentia, à loco primùm (vt ita dicam) affecto in cerebrum feratur, Pelopis Præceptoris testimonio, & morsus ferarum exemplo, ait esse, aut alterantem qualitatem, aut spiritalem quandam substantiam, auramue, quæ licèt exigua, moléque minima, facultate tamen ingens est, & quàm maxima ad nocendum. Nec mirum, inquit, vim vsque adeò validam, & pernicioſam exiguæ substantiæ ineſſe, siquidem exiguum satis est id, quod scorpius, phalangium, pastinacæ, & similes aliæ venenosissimæ, feræ tenuissimis aculeis in parte demorsa relinquunt quod tamen corpus afficit ingenti murarione, vt sæpe accidere conspicimus.

Posse autem intra corpus nostrum, venenum sponte innasci; à quo qualitas, vel spiritalis instar auræ, vim deferens deleteriam, per partes inter se continuas, & sibi mutuò subiectas celeriter in totum corpus, ac principes maximè partes transmittatur, & grauissima pariat symptomata, imò & quandoque perimat, aut morbos inducat lethales, ex eodem Pelope confirmat, elegantérque exponit modum & rationem, qua vis veneni à corporis superficie ad cerebrum vsque dilatetur, in scorpionis ictu, pastinacæ, hoc est, turturis marinæ, & Phalangij, quod genus quoddam aranei est valde venenosum, ac frequens super flumina, Barbaris Rutela, vulgò Tarantula: ex cuius morsu quàm varia, & admiranda sequantur accidentia, scribit Dioscorides, *lib. 2. cap. 56.*

Hoc etiam ostendit Galenus, quod prioribus Medicis non fuit exploratum, videlicet, cur in epilepsia per consensum, ad deleteriam qualitatem cerebro accedentem concussiones sequantur? Sequi autem, inquit, non alia de causa, quàm quòd concutiatur cerebrum, ad expellendum id, quod à parte primariò affecta ad ipsum fertur; non aliter ac singultu, qui motui conuulsiuo est similis, corripitur stomachus, vbi multo cibo deprauato molestatur. Ad cerebri verò concussionem necesse est neruos ab eo exortos concuti, id est, per intervalla conuelli, seu potiùs motu conuulsiuo infestari, non facta, & perpetua conuulsione, sed quæ finita epileptica accessione cesset. Ob hanc causam licet coniicere, siccas non esse ex mente Galeni, epilepticas conuulsiones; siccæ siquidem non ita celeriter fiunt, ac soluuntur, quod paulo pòst disputabitur.

Quòd sine sensu, & motu patiens, inquit Galenus *loc. cit.* repentè ceciderit, nec conuulsiuo, palpitantéque motu detineatur, à vehementi infrigidatione huiusmodi malum oriri credendum est, à qua lethargum, & carum accidere affirmat; apoplexiam autem à crasso potiùs, frigidóque humore obstruente, ac cerebri meatus confestim replente; aliter subitò euenire non posset.

Sed his iactis oportet speculari: *Vtrùm prima species epilepsiæ à Galeno rectè constituatur?* Epilepsia namque, præter abolitionem principum facultatum, importat totius concussionem cum repetitione accessionum. Atqui si huius mali causa in cerebro ipso per proprietatem contineretur, non cessaret accessio, nec rursus per intervalla rediret, imò perpetua foret, & sine intermissione durans donec penitus sanaretur. Igitur non rectè primam differentiam constituit, ex malo in ipso cerebro existente. Dic. Neganda est minor, tum quia licèt mali causa intra cerebrum ipsum consistat, non tamen ventriculos perpetuò afficiet, sed per quædam intervalla; tum quia necesse non est ibi continuò adesse, vt proprio affectu cerebrum laborare dicatur, imò nec in eo primùm generari, sed firmam esse, firmam, & stabilem: quanquam Galenus *loc. cit. de loc. affect.* eam solam epilepsiam videtur appellare cerebri propriam, cuius causa ex alia parte non ascendit, sed in ipso capite continetur.

Inquies deinde: *Vtrùm secunda epilepsiæ species à Galeno tradita, sit admittenda?* quia non magis à ventriculo, quàm à quauis alia corporis parte possunt ad cerebrum materiæ eleuari, à quibus fiat epilepsia: imò verò in fœminis frequentissimum est, non ventriculi, sed vteri consensu generari, vt *lib. 6. cap. 5. de loc. affectis* edocuit Galenus. Ergo perperam ventriculo addixit epilepsiam per consensum. Deinde per consensum laborant illi, qui noxio aliquo ex ignobili parte ad cerebrum delato, epilepticas patiuntur accessiones. Insufficienter igitur secundam, apposuit veluti à tertia specie distinctam.

Dic. Galenus per consensum vocat, quando alterius membri communicatione euenit, quo nomine non magis per consensum dicetur epilepsia illa, quæ ex ventriculo, quàm quæ ex quauis alia parte ad cerebrum mandante contingit: diuersas autem esse species consensus, & ob partium diuersitatem, à quibus humor, vel qualitas communicatur, certum est: & quia ab stomacho frequentissimum est, sicut & fœminas ex vtero: rarius, ex ignobilibus aliis membris, quibus tanta non datur cerebri communio. Tertiam verò à secunda distinxit non modò partium, sed & materiæ venenosæ ratione, à qua illa oritur, cuius generatio licèt etiam frequens non sit, quum rarò intra corpus venenum innascatur, ob periculi magnitudinem decuit peculiarem mentionem de illa facere, & tanquam diuersam à secunda constituere. Nec accusationem meretur Galenus, eò quòd consensus differentias omnes, iuxta partium mandantium varietatem non attulerit; satis enim fuit illas recensuisse, ad quas reliquæ ferè omnes possunt reuocari, maximè illa quæ ex vtero fit, vt apertiùs *lib. 6. de loc. cap. 5.* fatetur Galenus.

Causa.

COmitialis morbi causa est crassus, lentúsque humor: at cùm hic in duplici differentia sit, pituitosus videlicet, & melancholicus, non abs re à Gal. 3. *de loc. cit.* decretum est, quòd sicut crassus pituitæ succus, ita & is, qui atræ bilis naturam habet, comitialem morbum efficere soleat. Hoc confirmat Paulus *loc. cit.* qui comitialis morbi modò humorem pituitosum, modò melancholicum, esse causam asseuerauit. Hi igitur succi, cerebri meatus obstruentes, impedientésque animalem spiritum, qui in eisdem cerebri ventriculis continetur, quominùs possit exire, morbi comitialis auctores sunt.

Licèt autem in causa huius morbi constituenda constans sit Galeni opinio, quam Medici vnanimiter amplectuntur, tamen *Vtrùm epilepsia à crasso, an tenui humore oriatur semper?* hactenus magna auctorum contentione pugnatum est. Huius enim auctoris edictum non leues patitur difficultates, quas enucleare arduum est, & difficile. Vel enim oportet causam inducturam epilepsiam, esse humorem crassum, obstruentem ventriculos, aut necesse est quòd priùs in auram, leuémque flatum conuertatur. Denique aut sufficit nuda, immaterialisque qualitas. Non primum, quia sæpe accessiones maximè breues sunt, & frequenter repetentes; quod non contingeret, si occasio omnino foret crassus, viscosúsque humor; siquidem nec ita facilè discutitur, vt breuissimo tempore durare possit, nec quo se recipiat, semel à ventriculis excussus, vt rursus ram crebrò redeat: quoniam si ad vasa commigret, difficilè redibit; si ad cerebri corpus, apoplexiam, aut affectum alium necessariò generabit. Non secundum, quia præterquam quòd crassus humor simpliciter, asseritur

asseritur à Galeno huius morbi causa, sæpe accessiones diutissimè durant, indicantes in eo humoris crassitiem, & non alia de causa dicitur pituitosis naturis, senum, & puerorum ætatibus familiaris, nisi quia à pituita potissimùm oritur. Denique quòd non sufficiat qualitas absque humore, constare videtur ex eo, quoniam etiamsi immateriale intemperamentum, vt frigus v. g. aëris excedens possit conuulsionem inducere, & abolitionem principum facultatum, repetitionem tamen accessionum, nequaquam potest, quod ad epilepsiam requiritur, vt diximus: quomodo enim æquale, factúmque iam intemperamentum tam celeriter cessabit; rursus & tam crebrò redibit. Quare, &c.

Argues tu acutiùs hoc modo. Controuersum est, apud auctores, num oporteat humorem crassum epilepsiam inducturum, priùs in flatum conuerti, quod Aristoteli visum est *lib. de somno, & vigil. cap. 5.* relato ab Auic. 1.3. *tract. 5. cap. prop.* & confirmat Auerrhoës 3. *collect. cap. vlt.* ea potissimùm ratione, desumpta ex Rhasi, 1. *cont. cap. 6.* nempe quia si sine ventositate, aut vapore à frigidis crassis humoribus fieret, citò, subitóque non accideret, nec similiter, citò, subitóque dissolueretur.

Deinde sternutamentum, parua quædam epilepsia dicitur. Sed testante Galeno ipso 7. *Aph.* 51. superabundans in capite humor sternutamentum efficere non potest, nisi in ventum conuertatur. Igitur potiùs à distendente flatu, quàm ab humore crasso oriri credendum videtur. Id quod ex leui illa aura conscendente, de qua Galenus *cit. de loc.* & multis, qui epileptica accessione periêre, confirmari potest: cùm enim dissecarentur, nullam in cerebri ventriculis repletionem ostenderunt. Neque hæc sententia aduersa est Galeno, vel quia pituitæ, & melancholiæ flatus, cùm eorundem humorum sint soboles, eandem habent naturam, vel quia si initio *cap. cit. de loc. affectis*, proposuit à crasso humore obstruente fieri, non tamen simpliciter asseruit, sed veluti addubitans scripsit.

Verùm quamuis frequentior huius ægritudinis occasio, factæ per consensum à ventriculo, vtero, & aliis partibus, sit distendens vapor, aut acris tenuisque humor, cerebrum pungens, & ad concussionem excitans; rarior, crassus; infarciens & replens: negari tamen non potest, ab hoc etiam oriri eam, quæ per primariam fit affectionem: subitò siquidem obstruere potens est, & subitò discuti, vel attenuatus concussione & motu, vel crassus adhuc expelli à ventriculis per nares, aut palatum: quin imò in cerebro ipso, & eius meatibus: vnde sæpe comitialis morbus in apoplexiam commigrat, sicut hæc nonnunquam subitò in paralysim terminatur.

Deinde quia videtur difficile concedere, à crasso succo epilepsiam posse exoriri, siquidem non ita affatim, & repentè ad ventriculos cerebri decurrere potest, nec subinde subitò discuti: iccircò non solùm Galeni mentem patefaciam, & eius veritatem designabo, sed Auerrhoïs opinionem stare non posse comprobabo. Crassus enim, viscidúsque humor, potiùs quàm tenuis, & in flatum solutus, primigeniæ epilepsiæ causa existit, vt Galenus fatetur, hac potissima, & lucidissima ratione munitus. Pituitosus succus, crassus & lentus, crebriùs in cerebri ventriculis redundat: is dum pertingit neruorum orificia, qui ab ipsis ventriculis propagantur, & principium spinalis medullæ, ex Gal. 6. *epid. sect. 6. com. penult.* animalis facultatis affluentiam impedit ad exteriora corporis, ipsósque neruos, & cerebri substantiam proritat ad cõcussionem, vnde emergit vniuersalis conuulsio. Quia verò lenta hæc, crassáque pituita in ventriculis residens, orificiis neruorum finitima est, subitò sanè, & affatim inuadit affectus. Quippe cùm nerui acutioris sint sensus, cerebríque substantia hebetioris, tunc temporis potissimùm concussio superuenit, quum succus qualitate feriens, aut quantitate grauans, ipsam neruorum substantiam proritat, & ferit. Cæterùm quia propter lentorem, & crassitudinem, succi illi in nerui substantiam facilem ingressum non habent, fit quidem, vt affectio confestim quoque soluatur, discussa facili negotio pituita, quæ in neruorum substantiam aditum non habuit.

At hæc de primigenia duntaxat epilepsia, à Galeno fuisse prodita, intelligenda sunt: Nam quæ per ventriculi sit sympathiam, ab acri succo sæpe excitatur; quemadmodum quæ à particulari aliquo extremo membro, à nidore deterrimo, aut flatuoso spiritu per continuationem partium ad cerebrum delato. Sternutamentum verò, quia parua est quædam epilepsia, & breuissimè durans, nihil mirum si à solo flatu generetur; quanquam Auicenna vtramque causam adiungit: sed verisimile est crassum humorem à Galeno fuisse omissum, quia vtplurimùm à vapore excitatur.

Vtrùm immaterialis, nudáque qualitas possit esse epilepsiæ causa? etiam dubitandum. Auerrhoës negat, ex eo potissimùm, quia paroxysmus mali non esset, nec vllum haberet repetitionis ordinem, quem epilepsia includit; tum quia iuxta Galenum, 2. *feb. vlt.* periodicationis causa est motus materierum; tum quia si alicui contingat à frigido aëre, cui se exposuit, vel si euadat necessariò, rursus non repetet, vel contra epilepsiæ conditionem, difficillimè, aut nunquam remouebitur, eo quòd fixa quædam sit, & facta, ac veluti habitualis intemperies.

Galenus tamen apertis verbis, propositísque pluribus historiis, quas *lib. 1. Hist. PP. Medic.* sumus interpretati, testatur sæpe, ab humore in parte contento, communicari cerebro flatum, aut nudam qualitatem, morbi comitialis auctorem, quod verius multò est: non minùs siquidem maligna, prauáque qualitas cerebro impressa, circumscripta omni materia humorali, siue flatuosa, potest esse causa conuulsionis eius, quàm flatus, aut humor distendens: toties autem repetet accessio, quoties ad cerebrum ipsum peruenerit. Non sunt verò huiusmodi circuitus vsque adeò certi, & ordinati, quemadmodum illi qui in febribus contingunt; nec intemperamentum factum simpliciter, & æquale, quod facilè remoueri non possit, sed nudum, & immateriale, hoc est, citra humorem, cerebro impressum.

Sed de aliis humoribus quid dicendum? Bilioſum, etsi rarò, pungendo ac vellicando epilepsiam gignere posse, Grammatici illius historia manifestè confirmat, lata *5. de loc. cap. 6.* qui cùm inedia cruciaretur, progenito in ore ventriculi hoc humore, epilepsia premebatur; quam ad Galeni mentem, *lib. 1. Hist. PP. Medic. hist. 21.* exposuimus. *Vtrùm* autem *à sanguine gigni possit?* rogabis: siquidem Auicenna 1.3. *tract. 5. cap. 8.* ex quatuor humoribus epilepsiam oriri posse asseruit. Pituita, cùm crassus sit humor, citiùs obstruit, & ventriculos cerebri humectat, & quia maximè frigidus est humor, etiam irritat ventriculos cerebri ad expellendum. Eodem modo melancholicus succus, crassus cùm sit, obstruere potest. A bile, rarò affectus hic concitatur. A sanguine, videtur quòd nunquam; rarissimè enim accidit, vt extra vasa feratur, vt in ventriculorum cauitates confluat repentè, & cùm mitis sit naturæ, naturam non vellicat, lacessit, aut ferit.

Galenus tamen epilepsiam à sanguine ortam posse excitari, libenter fatetur *lib. 4. acut. com. 23.* dum sic ait: *Venarum interceptiones appellat, oppletiones quæ à copia exoriuntur. Cùm igitur supra modum oppletæ fuerint venæ, grauari virtutem est necesse, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam suffocationi quippiam simile patitur. Oriuntur siquidem epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ, &c.* Sanguis enim cùm copiosus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 231 sur 927

pioſus eſt,& ex aliqua cauſa extrinſeca agitatus,ſicut ex potu meracioris vini,aut valido exercitio, copia ſua venas intercipit,& occludit, irruénſque ad partes ſuperiores, cerebri vaſa ſubitò replet,quem naturæ grauem,& moleſtum natura expellere conatur, & forti motu conuulſiuo ad eius excretionem, & diſcuſſionem inſurgit; quod non fit in apoplexia,licèt ab eadem oriatur, quia in hac eſt ferè omnimoda venarum interceptio,& hoc modo ad expellendam noxam ſenſatam cerebrum ſeſe contrahere nequit. In epilepſia, cùm adſit aliqua venarum occluſio,& non tanta & talis,quâta & qualis adeſt in apoplexia,iccircò Cerebrum media contractione, & concuſſione noxam ſenſatam expellere ſatagit, præſertim verno tempore, quo præ calore fuſus & liquatus ſanguis, in cerebrum irruit. Hoc modo inter vernales morbos, epilepſia numeratur ab Hip.3.*Aph.*20. quia ſi corpus eſt ſanguine refertum,hic aduentante calore liquefit,& fuſus in cerebrum conuolans, epilepſiam parit.Ita Galenus *in com. Verùm ſi hominem pituita plenum vel flaua bile,vel atra,vel ſanguine ipſo,volueris exercere, ei morbum comitialem, aut apoplexiam exercitatione contrahes, &c.* Epilepſia ergo à ſanguine excitatur.

Denique illud ſilentio non eſt inuoluendum dubium: *Vtrùm in epileptica acceſſione ſemper adſit ventriculorum cerebri obſtructio?* Pro parte negatiua eſt fortiſſimum argumentum,quòd aliquando tenuiſſimo humore, nuda & immateriali qualitate, venenoſa, maligna concitetur, quæ nullo modo obſtruere poteſt. Deinde epileptica acceſſio fit propter expulſionem rei ſtimulantis. Sed aſſignari poteſt tenuiſſimus vapor,à ventriculo,vtero,& aliis partibus cerebro communicatus,ratione cuius moueantur ventriculi ad expellendum,ſine eo quod obſtruat. Ergo,&c. Inſuper,ſi adeſſet ſemper obſtructio, non communicaretur vis motiua partibus inferis,& membris. Sed in epilepſia adſunt animales motus fortiſſimi. Ergo, &c.

Sed antequam dubium reſoluas, aduerte apud Galenum 1.*de loc. affect.cap.*1. varias tradentem vrinæ ſuppreſſionis cauſas, tria deſcribi obſtructionum,ſeu conſtipationum genera; quarum vna dicitur attenuatoria, in qua meatus, latera, marginéſue, inuicem conniuent, coëúntque, vel propter tumorem aliquem præter naturam, vel ob nimiam partis, ſeu meatus ſiccitatem, quæ quidem denſando contrahit, atque adeò ſtipat, partémque parti facit adhærere,vt docet Galenus *lib.*8. *meth.cap.*2.& 9.*cap.*1. Secunda, carnoſa dicitur, fitque ob plenitudinem, parti,ſeu meatui intus adnaſcentem, vt tuberculum, verrucam, carbunculum. Tertia coarctatoria appellatur, quum ſcilicet meatus, ſeu cauitas aliunde impletur, nec ſubſtantia implens illi agglutinatur: hæc propriè à Galeno obſtructio appellatur, illiúſque cauſas enumerat, 1.*de loc.cit.* lapidem, ſanguinis grumum, pus,craſſum,lentúmque humorem aliunde confluentes.

Dic ergo,cauſam immediatam effectiuam huius affectus, eſſe obſtructionem ventriculorum cerebri: nulla enim alia cauſa poteſt epilepſiam concitare,niſi obſtructionem efficiat,ex Gal.3.*de loc.cap.*7.& Auic.1.3.*tract.* 5.*cap.*8. Sed in idiopathica epilepſia reperitur obſtructio coarctatoria, à craſſo, lento,terreſtri,multóque humore profecta: In ea verò quæ per conſenſum aliarum partium excitatur, adeſt attenuatoria, quum ad expellendam venenatam auram vniuerſo cerebro grauiter infenſam, comprimuntur cerebri ventriculi, & horum parietes concidunt, & conſtipantur;ex quibus priorum argumentorum ſolutio patet. Ad vltimum dic, obſtructionem in epilepſia omnimodam non reperiri, & in hoc diſtingui ab apoplexia, in qua ob totalem ventriculorum cerebri obſtructionem, nullo modo animalis facultas in partes ſubiectas influit; quare ſenſu,& motu animal priuatur.

Externæ cauſæ ſunt ferè innumeræ, quæ nempe craſſos humores in corpore gignunt, vt alimentorum pituitoſorum vſus. Hoc modo ingluuies, & nauſeatiua ſatietas grauiter noxia eſt. Vini, præſertim craſſi, fæculenti, generoſi, & meraci immodicus potus. Deficiens alimonia: nam ad inſanitum ventriculum bilis, omniſque vitioſa impuritas confluunt; & ſic os illius mordetur,ac lancinatur. Venus immodica, dum laceſſit cerebrum motu, agitatione, diſſolutione ſpirituum, hunc morbum concitat: ſicut otium, balnei aſſiduus vſus, diuturniæ vigiliæ, animi pathemata, terror repentinus, nuntium triſte,hortenda ſpectacula,mora in ſole,vapor hydrargyrij, & alia quæ peculiari quadam proprietate comitialem morbum arguunt, & ipſi obnoxios collabi vehementer cogunt.

Signa.

SIgna in tres diuiduntur claſſes: alia imminentem prænuntiant; alia præſentem indicant; alia ipſius differentias internoſcere docent. Antecedunt epilepſiam inuoluntaria animi,& corporis iactatio,dolor capitis, aurium ſonitus, vertigo, vigiliæ, ſomnus turbulentus, incubus, obliuio, torpor, corporis immobilitas, muſculorum ſaltus, membrorum tremores, venarum colli repletiones, anhelitus mutatio, ſenſuum hebetudo, pectoris conſtrictio, oculi ferocia, viſus obtenebratio. Acceſſione appropinquante, ante oculos ſplendores adſunt, difficilis auditus, fœdi odoris perceptio, ſermo inarticulatus, ſaliuæ fluor, nauſea moleſta, cardiogmos, vrina tenuis & cruda, pudendi tentigo, & inſtante acceſſione fragor quidam interior perſentitur.

Præſentem epilepſiam demonſtrant totius corporis conuulſio; rectricum potentiarum, externorúmque ſenſuum,& functionum interceptio. *Tunc ægri*, vt inquit Aretæus, *diuerſa membrorum diductione torquentur, illis ceruix incuruatur, caput variè diſtorquetur, mala rubentes palpitant, oculi extrà prominent, & immobiles reddantur, ipſorúmque adeſt inuerſio, palpebræ cum palpitatione frequenter debiſcunt.* Os contorquetur,lingua extrà prolabitur, quæ aliquando dentibus illiſa, quaſſatione vexatur, aliquando magno vulnere ſauciatur. Dentes clauiculati adeò ſunt, vt eos diducere ſit difficile. Aphoni ſunt, ſtertunt,& in gutture ſtridorẽ edunt. Sæuiente acceſſione, mutatio adeſt inſignis in pulſu, in magnitudine, vehementia, crebritate, celeritate,& duritie. Si tandem facultas ſit oppreſſa, apparet pulſus languidus,paruus,& creber; imò aliquando pulſus, & reſpirationis ceſſatio cernitur. In paroxyſmi decurſu ſpuma per os, & nares excernitur, ſtercus, vrina,& aliquando genitura inuoluntariè emittitur. Acceſſione ceſſante omnium geſtorum ignorantia, capitis grauitas, membrorum ſegnities, diſſolutio, ac languor, pallor, animi conſternatio.

Signa ad dignotionem differentiarum epilepſiæ, hæc ſunt:Pituitoſa cognoſcitur ex ſignis, quæ pituitam in corpore,& ventriculo redundare oſtendunt, ſicut & melancholica:de quibus fusè *ſuprà,cap.de cephalalgia.* A ventriculo oriri demõſtrant vẽtriculi ſubuerſio,nauſea, palpitatio,dolor,cibi faſtidiũ, vomitio pituitoſa:adſunt flatus, inflatio,murmur,circa hypochondria, ructus.

Hyſtericam epilepſiam præcedunt ſeminis,aut menſtrui retentio. Si verò ex aliquo membro per ſympathiam contingat, patiens repentem auram, qualitatemue venenatam perſentiſcit; ſed in his omnibus concuſſio non ita eſt valida,nec ſpuma circa os apparet. Si vermes epilepſiam concitant, ſomnus adeſt profundus, & in eo dentium ſtridor, narium pruritus, maxillæ rubor, cordis ſaltus, cardiogmos. Si abſceſſus, ſi carie corruptum os, ſi venenum, ſi vrinæ ſuppreſſæ anadrome, aut alia cauſa malum ingenerat, per propria ſigna cognoſces.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 232 sur 927

Præsagium.

DE præsagio plura sunt inuestiganda. Primum: *Vtrùm Epilepsia pituitosa sit frequentior melancholica?* Illud qui putant, in confirmationem adducunt Hippocratem, qui *lib. de morb. sacro, num.* 8. per pecudes manifestari hunc morbum asseuerat; si enim eis aperiatur cerebrum, humiditate plenum inueniri, ac si ex pituita hic morbus frequenter oriatur. Nec videtur dissentire ratio, quia si morbus est puerilis, frequentiùs continget ab illa materia, quæ pueris, & cerebro est magis proportionalis, vt manifestè constat ex Galeno, 2. *Aph.* 39. & aliunde passim; quum verò pituita sit huiusmodi, frequentiùs ab ea prodibit.

Qui oppositam sententiam tuentur Hippocr. etiam testimonio eam confirmant, 6. *epid.* 5. relato, vbi propriũ melancholicorum affectũ appellat: & 3. *Aph.* 22. morbum autumnalem, non hyemalem: & 6. *Aph.* 56. de apoplexia, & aliis loquens, de Epilepsia similiter intelligendus, vocat melancholicũ. Ratione autem sic probãt. Communis illa totius concussio, cum mẽtis, ac sensuum oblæsione, quæ datur in Epilepsia, occasionem habet humorẽ vel sua crassitie obstruentẽ, vel qualitate molestantem. Sed hæc in melancholico succo deterior est, quàm in pituitoso, illa multò durior, & rebellior. Ergo magis apta erit melancholia ad efficiendum comitialẽ morbum, & ex consequenti ab illa frequentiùs orietur.

Sed ratio tantùm concludit, dummodò melancholia in cerebro redunder, licèt in minori copia quàm pituita. Cùm autem hæc multò frequentior sit, & copiosior, multò probabilius fit, ab ea frequentiùs euenire morbum epilepticum, rariùs à melancholia; exceptis quibusdam naturis, & temporibus, in quibus humor ille, quia magis familiaris, magis redundabit, & consimiles morbos producet. Nec Hipp. comitialem, simpliciter melancholicum pronuntiauit, sed tantùm melancholicis magna ex parte accidere dixit, *in epid.* & 3. *Aph.* in autumno, quia melancholici succi est ferax.

Secundum: *Vtrùm* autem *Epilepsia melancholica sit pituitosa pernicioſior?* Respondeo affirmatiuè: cùm enim cerebro sit improportionalis, causam arguit vehementiorem, ac proinde periculosior censenda, & difficilioris curationis, iuxta sententiam Senis *in sæpe memorato Aphorismo.* Deinde multò plus distat melancholicus à natura, quàm pituitosus humor: hic enim tenuior est, neque adeò obstruens, & tanquam benignior, aptus in sanguinem, & membrum conuerti; ille è contra, etiam naturalis. (Nam si de præternaturali sit sermo, nemini dubium, quòd melancholia præter naturam sit peior.) Ergo grauior, & deterior erit melancholica Epilepsia. Confirmatur insuper. Inter morbos suapte natura longos, ille qui diutiùs protrahitur, cæteris paribus magis affligit, & incommodat laborantes. Atqui melancholia vtpote crassior, rebellior, & difficilior concoctu, chronicorum morborum longitudinem auget, crassitie, & coquendi difficultate, nec minus quàm pituita malitia, & qualitate molestante offendit, imò multò plus. Igitur, &c.

Tertium: *Vtrùm infantes, pueri, adolescentes, aut senes, Epilepsiæ magis sint obnoxij?* Puerilem, infantilémque ætatem in hanc affectionem magis esse pronam, patet, quia eo tempore cerebrum, neruosúmque genus debilia sunt, & excrementitia humiditate abundant, & maximè si in vtero cerebrum repurgatum non sit: Nam si ob virtutis impotentiam, aut humoris colluuiem, per varias corporis partes excrementa non excernantur, retenta in cerebro illuuies epilepsiæ materiam præstat. Quando verò in lucem eduntur, & purgatio procedit, tunc ab hoc sæuo malo redduntur immunes, iuxta oraculum Senis *lib. de morbo sacro, num.* 10. dicentis, eos ab hoc morbo superstites euasisse, quibus vlcera, pustulæ, & tumores in capite, & retrò aures exoriũtur: nam ij repurgata pituita quæ in vtero purgari debebat, facillimè degunt. Qui verò ab his excrementis puri non sunt, hanc cladem citissimè experiuntur.

Iuuenes huic malo obnoxij non sunt, nisi ex accidenti, ex victus, & vitæ incontinentia; Veneri enim, ingluuieique indulgent, & ob alia errata in sex rebus non naturalibus plurimam succorum crudorum copiam coaceruant. Senes epilepsia rarò tentantur: licèt enim crudus humor hac ætate vbertim generetur, tamen cùm vires inualidæ, sensim, ac sine sensu eum non concoquant, ipse accrescens completam facit obstructionem, vnde Apoplexia, quæ huic ætati magis est familiaris, ex Hip. 3. *Aph. vlt.*

Quartum: *Vtrùm Epilepsia, affectio sit hæreditaria?* Affirmatiuè respondet Hippocrates, *lib. de morb. sacro, num.* 6. dum sic ait: *Si enim ex pituitoso pituitosus, ex bilioso bilio sus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex splenico, siue lienoso, lienosus, quid prohibet vt cuius pater, & mater hoc morbo correpti fuerint, etiam posterorum, ac nepotum aliquis eo corripiatur. Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum.* Dari enim morbos hæreditarios diutino experimento est confirmatum, probátque Hip. *lib. de loc. aer. & aquis, num.* 36. §. *Quum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiátque vt ex caluis calui gignantur, ex cæsis cæsi, & vt plurimùm distortus distortum generet, eademque ratio sit circa reliquas formas, quid prohiberet, vt non ex Macrocephalis Macrocephali gignerentur, &c.* Galenus *lib. 6. Aph. com. 28. in fin.* dum morbos hæreditarios existere asseuerat, sic inquit: *Accedit & ad has causas, ob quas plerique incidunt in podagras, quòd multi & patres, & auos habuere podagricos, in quibus semen erat vitiatum, atque adeò posteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.* Probat Aphrodisæus *sect. 4. probl. 2.*

Morbus enim hæreditarius ille est, qui traducitur à parentibus in filios; hi enim succedunt parentibus non minùs morborum, quàm bonorum hæredes: surditas enim, mutitas, Arthritis, Nephritis, Epilepsia, Hemicrania, tabes, scabies, lepra, morbus Gallicus, cæcitas, sunt morbi hereditarij, qui ex primordiis generationis originem ducunt, & maximè ex semine, cuius magna est vis: nam etiamsi hoc ex omnibus corporis partibus non decidatur, sed ex solis testibus, in eo tamen vis residet formatiua, quæ omnium partium effigiem, & similitudinem continet, iuxta quam in fœtu partes integras, aut vitiosas effingit.

Porrò cùm hæc vis corporis formatrix residua sit in parentum membris, & sui similitudinem in testibus inducat, necessariò inducet non solùm similitudinem structuræ, & temperiei, ac modi substantiæ, idoneam ad actus, & ad formam, in qua species consistit; sed & materiæ, & qualitatum corporalium, quibus hanc similitudinem exquirimus. Hæc similis delineatio, ob calorem illum & spiritum in semine implantatum, qui cùm instrumentum sit formatiuæ facultatis, informatus structuræ parentis similem delineabit in genito. Quæ sanè delineatio, & individualis conditio, si ex genitoribus omnino sanis prodeat, sana quoque erit, & nulla in facultatem formatiuam infertur vis: Si verò membra parentis aliquo vitio insigniantur, cuius vestigium, fomes, aut sigillum in seminis materiam crassiorem traducatur, proculdubio facultatem ipsam formatiuam euertit à recto.

Contrahuntur etiam hæreditarij morbi à sanguine menstruo: si enim mulier dum vtero gerit, pleuritidem, aut grauem alium morbum est passa, fœtus ad illius generationem nascitur propensus. Quando morbus acutus est, quia leuiter impressus est, neque eo tempore ægrotantes generare possunt, à parentibus in filios non traducitur, nisi ille acutus morbus, ob alicuius partis vitiosam constitutionem frequenter oriatur. Quare

morbus

morbus chronicus hæreditarius est, quia magis fixus, & radicatus, & prælstat inducias & intermissionem, in qua ægri ob maius robur gignere queunt.

Hæreditarius morbus non traducitur actu, sed potentia: quum enim morbus est materialis, ad sui generationem non sufficit imbecillitas partis, & vitiosa illius constitutio, alioqui semper epileptici, & arthritici perpetuo morbo laborarent, cum in illis cum partium debilitate, vitiosa adsit constitutio; sed humoris excrementitij copia est necessaria, quæ cum primum in corpore inualescit, à robustioribus ad minus calidas transmittitur, ex Gal. 6. *de sanit. tuend. cap. 3. post princip.* Hinc fit vt toto tempore, quo corpus ab hac superflua succi colluuie est immune, morbi hæreditarij non generentur.

Quia verò optimo victus regimine, & præsidiis adhibitis impediri potest, ne similis vitiosus humor in corpore generetur, factum est vt hi morbi nec appareant, nec generentur, etiamsi partes languidæ existant. Cùm igitur à primordijs generationis fœtus tantùm imbecillitatem contrahat, solùm morbus hæreditarius potentia contrahitur; deinde verò cùm humores increscunt, & redundant, morbus actu patientem exercet. Si verò in vtero praui humores inualescunt, non solùm potentia, sed actu acquiritur. Ob hanc causam plures exeunt in lucem, morbo Gallico, & aliis morbis fœdati, & illicò accessiones epilepticas patiuntur diras: non enim repugnat dari morbum contractum ab vtero actu, vt *lib. de diff. morb. cap. 8. & 9.* confirmat Galenus; quando à morboso, imbecillóue patris, aut matris cerebro, simile quoque in filiis exprimatur. Nec solùm ab immediatis progenitoribus, sed & quandoque ab auis, ægra membrorum dispositio transfertur.

Quintum: *Vtrùm Epilepsia sit morbus acutus?* Galenus enim 5. *Aph.* 50. eam, morbū vocat acutum; §. *Sic etiam, si absque febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, conuulsio, tetanus, propter magnitudinem morbi, & vehementiam, impossibile est laborantem tu. adere, &c.* Subscribit Auic. 1. 4. *tract. 1. cap. 4.* Contrà Hip. *lib. de morb. sacro*, & Galenus ipse, *lib. 1. de crisib. cap. 4. §. Nam febris ardens, & morbus lateralis, & inflammatio pulmonis breuis temporis habent principium; morbus autem comitialis, & articularis, & coxendicum, & nephritides, longi temporis.* Soluc, & concilia hos auctores cum Celso, *lib. 3. cap. 23. de comitialis morbi curation.* Epilepsiam ante 14. diem morbum acutum esse, vbi eam transiit, acuti vim deponere. Sic enim habet: *Vbi tertio die cibus datus est, intermittere quartum, & inuicem alterum quemque, eadem hora cibi seruata, donec quatuordecim dies transierint, quos vbi morbus excessit, acuti vim deposuit. At si manet, curandus iam vt longus est, &c.*

Sextum: *Vtrùm Epilepsia ætatis mutatione sanetur?* Affirmatiue respondet Hip. *lib. 6. epid. sect. 1. text. 5.* dum sic ait: *Infantium fulgores cum pubertate nonnunquam mutationes habent, &c.* Et per infantium effulgescentias, intelligit Epilepsiam, quæ cùm ob frigidam, & humidam cerebri temperaturam oriatur, fit vt accedente pubertate, consanescat, quia totius corporis temperamentum ad siccius, calidiúsque conuertitur. Hoc docuit *lib. 5. Aph. 7. Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt:* quia cùm Epilepsia generetur à frigido crassoque humore, illi maximū auxilium præstat ætas, calidam & siccam habens temperaturam.

Neque asseras, morbum comitialem sola ætatis mutatione non solui, sed in alias ægritudines mutari, vt in renum dolorem, podagram, & similes affectus: nam Hip. ibi inquit: *cum pubertate mutationes habent, & alias. In renem dolor grauis, &c.* Deinde Morbi diuturni, qualis est comitialis morbus, rarò bene iudicantur, neque in totum solui solent, sed in alios morbos permutantur. Non placet responsio, quia vt *lib. super cit. epid. in fin. com.* Galenus asseruit, Epilepsia in pubertate in renum morbos non permutatur; in hac enim ætate vitium renum non accidit, sed circa primum senium: quemadmodum vesicæ lapis, in pueritia magis quàm in alia ætate generari solet.

Sed superest explicandum: *Vtrùm pueri accedentes ad ætatem calidiorem, ab Epilepsia consanescant?* Nam sensus Hippocraticæ sententiæ in eo consistit, quòd pueri morbo comitiali detenti, mutatione ætatis sanitatem accipiant, tum quia materia crassa & lenta, quæ epilepsiam generat, intra adolescentiam, & iuuentutem non generatur; tum quia si quæ ex pueritia remansit, caliditate in totum dissipatur, aut saltem minuitur.

Scitum autem est in doctrina Galeni, iuuenes & adolescentes, simpliciter & absolutè, pueris esse calidiores, sortirique calorem gradualiter intensiorem. Quæ sententia etsi à plurib⁹ tum veterum, tu iuniorum oppugnetur, (quod modò non disputo, ab iis satis superque exaustum) ea tamē mihi verior, & probabilior semper visa est: Galenus enim 2. *Aph.* 45. ætatem vigentem, qualis est adolescentia, vel iuuentus, calidam & siccam, collatione facta ad alias ætates, esse appellandam asseuerat. Præterea 3. *simpl. cap. 2.* iuuenem puero collatum calidiorem esse, sicut leo est calidior, homini collatus. Sed leo humanum calorem intentione vincit. Ergo & iuuenis puerum calore superabit. Deinde Gal. 1. *epid. sect. 2. com. 78.* dicit, adolescentiam, & iuuentutem ætates calidissimas esse. Et *cit. 6. epid. sect. 1. com. 5.* iuuenem esse absolutè calidiorem puero asseruit.

Rationes autem pro hac stabilienda opinione firmæ sunt. Prima. Sicut se habet calor febricitantis ad sanorum calorem, ita calor iuuenis, seu adolescentis ad puerorum calorem, ex Gal. 1. *Aph.* 14. Sed calor febrientis multò est intensior sanorum calore. Ergo & iuuenis calor respectu pueri. Secunda. Calor ætatis est intensior calore cuiusuis alterius temporis anni. Ergo & calor iuuenis respectu aliarum ætatum. Antecedens patet experimento. Consequentiam probat Galenus 3. *de caus. puls. cap. 5.* quo loco, eodem modo se habere calorem ætatis ad reliqua anni tempora, quo calor iuuentutis ad reliquas ætates, apertè testatur.

Tertia. Illa ætas erit calidior intensiuè, in qua pulsus, & respiratio maiores, & celeriores reperiuntur. Sed in adolescentia, & iuuentute pulsus est maior, & velocior, quàm in aliis ætatibus (quod similiter intelligendum est de respiratione.) Ergo, &c. Maior probatur, quia magnitudo, & paruitas pulsus, & respirationis, intensioni caloris, vel remissioni proportione respondent, ex Gal. 3. *de caus. pulsc.* & colligitur ex eodem, *lib. art. med. cap. 29.*

Quarta. Ille calor dicitur intensior, qui fortius & vehementius vrit, & exiccat. Sed ita se habet calor iuuentutis, respectu pueritiæ, vt patet ex pilorum nigredine, & cutis duritie, quæ duo in adolescentibus, & iuuenibus reperiuntur. Ergo. Vltima. Galenus 1. *de sanit. 15.* & 3. *cap. 7.* consulit senibus, vt vino vtantur, quod calidum est; quum tamen illud prohibeat adolescentibus, & iuuenibus, ne in lapsum eiusdem generis possint incidere. Quare Epilepsia potissimùm sanatur mutatione ætatis, id est, intra adolescentiam, & iuuentutem: & hoc ex illa causa accidere certum est, quia calor iuuenis absumere humiditates potens est, quas puerilis calor resoluere non potuit.

Septimum: *Vtrùm Epilepsia sit viris magis familiaris, quàm fœminis?* Ex vtraque parte decertant auctores. Celsus *lib. cit.* hoc vitium maribus esse magis familiare asseuerat. §. *Id genus sæuius viros, quàm fœminas occupat, &c.* Ex altera parte videtur rationi consonum, fœminas huic malo esse pronas magis; sedentariam enim vitam agunt, non exercentur, frigidiores sunt viris, & ob hanc causam succorum crudorum copiam coaceruant, & iccirco hoc morbo facilius tentantur, quia, vt ait Hip. *lib. de morbo sacro, num. 6. morbus sacer pituitosis natura oboritur, bilioſis verò non accidit.*

Solue

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 234 sur 927

Solue hoc modo: Epilepticis acceſſionibus fœminæ frequentiùs tentantur, ob vteri ſympathiam, ex ſemine, & menſtruo ſuppreſſis; ab his enim ſubſtantiis, in deleteriam, veneficamque qualitatem degenerantibus, eleuatur tetra aura, cerebro grauiter infenſa, quæ cerebrum, neruóſque lancinat, concutit, & ferit. In hunc ſenſum interpretandus Hippocrates, qui ab hac cauſa virgines, non ſolùm hyſtericas conuulſiones, ſed alia magis miſeranda mala pati, *toto lib. de virg. morbis*, non ſemel conteſtatur.

At Epilepſiam, quæ per proprietatem in cerebro generatur, in fœminis eſſe infrequentiorem, ratio dictat: Etſi enim ſint frigidiores, & humidiores viris, tamen hanc aquoſi humoris colluuiem ſingulis menſibus expurgant, cuius vacuationis ope à tanto morbo reddun- B tur immunes. Hoc probat Celſus *loc. cit.* §. *Interdum tamen cùm recens eſt, hominem conſumit; & ſæpe eum, ſi remedia non ſuſtulerunt, in pueris veneris, in puellis menſtruorum initium tollit, &c.* Quare ſi menſtrua vacuatio Epilepſiam factam ſanat, ab imminente præſeruabit. Hoc perdoctè explicuit Galenus *lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap. 5.* dum ſic ait: *Velim itaque audias veritatem ipſam, me præcone, tibi denunciantem, quòd mulier, ſi probè expurgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumoniis, ſed neque Epilepſiæ, neque Apoplexiæ obnoxia ſit, &c.* Quare *ſi menſtrua non fluant, ex vtero morbi contingunt*, vt *lib. 5. Aph. 57.* monuit Hippocrates.

In Epilepſiam promptè incidunt vertiginoſi, ex Gal. C 3. *Aph. 17.* §. *De vertiginibus autem quid dicere oportet? vtpote quæ proximæ ſunt morbis comitialibus, & iis quos Apolexias nominant:* Vertigo enim eſt veluti obtenebratio, quæ fit humoribus cum craſſo vapore per caput motis, & ideò præcedit Epilepſiam, & Apoplexiam. Non minùs qui incubo diu premuntur, in epilepſiam incidunt. Melancholici, præſertim qui hoc morbo per proprietatem tentantur, facilè in hoc vitium labuntur: extat in hanc rem Senis oraculum, *lib. 6. epid. ſect. 8. text. 40. Melancholici plerunque in morbum comitialem ſolent cadere; & contrà qui morbo comitiali afficiuntur, melancholici fiunt.*

Antiqua Epilepſia ægrè ſaneſcit. Sæua eſt, & rebellis, hæreditaria. Difficilis illa in qua totum corpus afficitur. D Praua, quam vertigo præceſſit. Fortis, quam anhelitus difficultas comitatur. Periculoſa, in qua æger ſubitò corruit cum clamore forti, dentium fragore, ſpuma copioſa, genituræ excretione, vrinæ, & ſtercoris fluore. Interficiens velociter, quæ ſymptomatum vehementiam, & paroxyſmorum frequentiam importat. Deſperata, quando mens grauiter eſt læſa, aut æger attonitus. Recens, & quæ contratia dictis, & mitiora ſymptomata habet, facilius curatur. Hæc aliquando, rariùs tamen, in paralyſim finitur, ex Hip. *4. acut. 27.* qui paralyſim ſequi, ſicut ad Apoplexiam, ſic ad Epilepſiam, conteſtatus eſt. Si verò *4. de loc. cap. 2.* contrarium aſſeuerat Galenus, de frequenti euentu intelligendus eſt, quia corporis vibratione, & concuſſione, humor noxius priùs diſſipatur, & abſumitur.

Curatio.

IN hoc affectu duplex medendi ratio inſurgit: Alia ſolùm circa corrigendam epilepticam acceſſionem verſatur; alia circa remouendam morboſam diſpoſitionem incumbit, quæ remanet poſt acceſſionem, ratione cuius noua acceſſio concitatur. Rurſus ſi hæc diſpoſitio in cerebro per propriam paſſionem fixa ſit, diuerſam expoſtulat curationem ab ea, quæ per conſenſum cum aliquo membro fuerit generata: & demum varia eſt huius morbi curatio, pro ratione humoris, qui illam efficere eſt aptus.

Pro remouenda ergo Epileptica acceſſione, conabi- A mur humorem, vel vaporem in ventriculis cerebri infixum diſtrahere, ac diſſoluere; oppreſſum animalem ſpiritum excitare; & impedire affluxum noui humoris, qui in cerebrum irruens eam conſeruat. Quare præſente acceſſione, vtiles ſunt inferiorum partium frictiones, fortes ligaturæ crurum, & bracchiorum, acres clyſteres, glandes validæ.

℞. *Hier. diacolocynthid. q. ſ. cum melle toſto, & ſale,* Fiant glandes.

Sic etiam poſſunt parari ex ſpeciebus alterius Hieræ compoſitæ cum melle.

Clyſteris acris forma eſto hæc.

℞. *Decoct. centaur. minoris, betæ, polypod. ſem. cartham. mercurialis, rutæ, ſummitat. ſtœchad. betonic. ſalu. ru-* B *tæ, roriſmarini, pæoniæ,* ℥ x. *olei rutæ, camomil.: an.* ℥ j. *mellis anthoſat.* ℥ j. *diaphœnic. electuar. Indi, benedict. laxatiu. an.* ʒ iij. *ſalis com.* ʒ j. Fiat Clyſter.

Quòd ſi acceſſio valida ſit, in decocto adiiciantur grana tria, aut quatuor trochiſcorum alhandal, aut drachma vna pilularum cocchiar. aut Agarici.

Ex vſu quoque ſunt cucurbitulæ, dorſo, ſcapulis, natibus, & ſuris primò affixæ aridæ; poſtea verò ingraueſcente paroxyſmo, ſcarificata cute. Os, & palatum cum Theriaca, & Mithridatio inungendum, vt peccans humor ad has partes inſtar ſpumæ confluens expellatur. Proſunt odoramenta ex calidis medicamentis parata, vt ſunt Ruta, Origanum, Maiorana, præcipuè ſi ad maiorem penetrationem, aceto acri, vel ſcillitico incoquantur. Sternutatoria ſunt optima ex puluere caſtorei, ſinapi, Nicotianæ, Ellebori, Pæoniæ, Myrrhæ, Aloë, Piperis. Clauiculati dentes, aperiendi manu, vel cochleari indito, ne craſſeſcente ſaliua, fuliginoſóque excremento retento, æger in ſuffocationis periculum incidat; quare exitu liberaliori facto cerebrum liberiùs ventilatur. Laudatur in os infundere aquam ſtillatitiam ceraſorum, hirundinum, aut picarum.

Quòd ſi hæc non ſufficiant, & acceſſionum ſæuarum frequentia æger de vita periclitetur, Epilepſiáque ſit finitima Apoplexiæ, & à copia ſanguinis pituitoſi, vel melancholici excitetur, quid vltrà factitandum? Hæſitant plures: *Vtrùm putreſcente acceſſione ſæua ſanguis ſit emittendus?* Dic in præcipiti caſu, ægróque conclamato, ſi plethora adſit ex ſanguinis vbertate pronata, ſanguinem eſſe mittendum, præſertim ſi cætera adſint, quæ ſanguinis miſſionem non dehortantur: nam vt prudenter aduertit Galenus *lib. 10. meth. cap. 10. Vbi ſemel ægro moriendum eſt, inutile eſt à leuibus inchoare præſidiis.* Et licèt auxilium dubium videatur, quia ægrum acceſſionum vehementia confractum debilitat, & naturam diſtrahit & interturbat, ne imminentibus acceſſionibus reſiſtere deinceps poſſit; tamen ſi ex ſanguinis copia ventriculos cerebri obſtruente excitetur, ſatius eſt ſarcinam leuare, & confluxum humoris auertere phlebotomiæ ope, quàm ſpe omni adempta laborantem certò perire. Quamobrem cunctandum non eſt, à communi, vel cephalica vena ſanguine exhaurire, dummodò in interuallo inter acceſſionem, & acceſſio- E nem celebretur, quum maior ſit vtilitas noxâ: licèt enim mittere ſanguinem in acceſſione, iugulare ſit, ex Celſo *lib. 2. cap. 10.* tamen in ea, de cura coacta, aliquando ad maius periculum euitandum, emittendus ſanguis.

Hoc præceptum primus omnium propoſuit Hip. *lib. 4. acut. 23.* dum ſic ait: *Quòd autem quis repentè obmuteſcat, id venarum interceptiones, occluſionéſque faciunt, ſi ſano abſque occaſione, vel forti alia cauſa id contigerit.* Exponit Galenus *in com.* hoc modo. *Venarum interceptiones appellat, oppletiones quæ à copia exoriuntur. Cùm igitur ſuprà modum oppletæ fuerint venæ, grauari virtutem eſt neceſſe, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam ſuffocationi quippiam ſimile patitur. Oriuntur ſiquidem Epilepſiæ, Apoplexiæ, & ſyncopæ cardiacæ.* Quaſi dicat, quando Epilepſia ex ſanguinis copia, vaſa

non

non solùm inferiora, sed superiora occupante, ortum duxerit, tunc venam secare oportet, sanguinémque auferre, inspecta secundùm habitum, ætatémque pluris, minorísue ratione.

Quare non in hora, sed die accessionis cunctandum non est, si plenitudo efflagitet, vel simplex, vel biliosa, aut melancholica, venæ sectionem exercere: Nullo enim præsidio citiùs, & promptiùs humor à capite fluens, fluxurus auertitur, & fluxus vacuatur, quàm hoc: maximè si ab vtero ex suppressis lochiis ingruat affectus: quo tempore in die accessionis ex talo sanguinem extrahere est conueniens, vtile, & necessarium; præsertim si ex suppresso menstruo, aut retentis hæmorrhoïdibus, aut alio humore ad superas partes restagnante, Epilepsia scaturiat; & aliqua adsit vacuatio sanguinea per nares, & os, quæ sanguinem in corpore redundare demonstret: tunc enim hæmorrhoïdibus hirudines affigere oportet, vt in cerebrum irruens humor trahatur deorsum; vel si vires desint, & iterum sanguinem mittere opus sit, crurum scarificatio ad normam Galeni, summo est ex vsu.

Pro curanda morbosa dispositione quæ remanet post epilepticam accessionem, quæ eam de nouo procreare nata est, in sex rebus non naturalibus hic seruetur ordo. Aër in actiuis sit temperatus, & ad caliditatem vergat; in passiuis siccus: sin minùs, arte paretur. Cibus non sit crassus, flatulentus, vaporosus, caput tentans. Vitanda pisculenta, lacticinia, oleracea, herbacea, legumina, ventrem adstringentia: carnes fugiendæ, quæ ventriculum conturbant, prauum, melancholicúmque succum pariunt, & occulta qualitate Epilepsiam excitant, quo nomine Hip. *lib. de morbo sacro, num.* 18. eas reprobat. Somnus sit moderatus; diurnus est reprobus, præcipuè post prandium; nam caput vaporibus replet. Exercitium sit moderatum: nam pituitosos humores concoquit, crassos vapores discutit, cuius loco frictiones sunt ex vsu, vt *lib. de puero Epileptico, cap.* 4. Galenus edocuit.

De venere magna est dissensio inter auctores: *Vtrùm in Epilepsia possit concedi?* Quum enim à Democrito parua Epilepsia nuncupetur, sic referente Galeno *lib.* 3. *epid. sect.* 1. *com.* 4. *prope fin.* cum Aul. Gellio 19. *noct. Attic.* 2. & Macrob. 1. *Saturnal. in fin.* in hoc morbo omnino interdicenda, quia stomachum labefactat, humores agitat, spiritus dissipat, vniuersum corpus debilitat, officinas coctionis eneruat, cerebrum summè deiicit, neruosum genus resoluit, quæ partes cùm frigidæ sint, ac exangues, veneris noxam oppidò persentiscunt: Ideò interrogatus Clinias Pythagoricus, quando exercere venerem tutò liceret? *Quotics*, inquit, *te ipso imbecillior cupis fieri.* In hunc sensum intelligendus Gal. *lib.* 6. *epid. sect.* 5. *com.* 26. dum sic ait: *Morbos increscentes eos intelligo, qui procedente tempore augentur, sempérque nisi prius soluantur, labuntur in peius, vt podagras, articulorum dolores, renum vitia, comitiales, melancholias, qui omnes coitu exacerbantur.*

Licèt autem hoc verum sit, tamen obstat Hippocr. sententia, lata *lib.* 6. *epid. sect.* 5. *text.* 23. *Venus morbis à pituita remedio est.* Quare si medicus, tempestiuúsque sit concubitus, Epilepticis prodesse potest, dummodò vires firmæ sint. Audi *loc. nuper cit.* Galenum: *Non cunctis ex pituita laborantibus, sed quibus vires firmæ sunt, veneris vsus prodest. Imbecilli namque ab ipsa in extremam imbecillitatem redacti magnopere ladentur: at qui viribus excellunt, non dissoluentur, sed contrà iuuabuntur, veneris vsu pituitæ copiam resiccante. Didicistis enim concubitum, quemadmodum & vigiliam exiccare, quoniam scilicet humores abundè digerant.*

Hoc est verissimum, maximè si Epilepsia ex retento semine oriatur, ex cuius suppressione plura damna euenire, imò neruorum distentiones, appositis exemplis confirmat Galenus *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 5. Nam quemadmodum à bile producti morbi, bilis vacuatione curantur, sic à semine geniti, seminis vacuatione consanescunt. Morbos autem à semine emanare, patet, quòd si retineatur, copia lædit; & licèt sit purissima substantia, & nobis familiaris, coërcita tamen in testibus, ac vasis seminariis, putret & corrumpitur, & prauam ex mora qualitatem acquirit, halitúsque ex se fundit tetros, deleterios, qui superas partes, & præsertim cerebrum ac neruos feriunt, conuellunt, & premunt, & sputi rabiosi, animaliúmque venenosorum morsus, imò præsentanei cuiusdam veneni instar, spiritus, & ignem internum extinguunt. Hinc ex vteri ergastulo, qui omnis impuritatis est sentina, variæ Epilepsiæ sortes consurgunt. Rectissimè ergo Hip. *lib. de virgin. morb. num. vlt.* consulit, virginum damna penè insuperabilia enumerans, vt fœminæ hæc vitia antea perpessæ cohabitent cum viris: & nuptias non exoptat solùm, vt conceptione, & partu sanguis per vteri claustra emanet, sed vt excernatur semen, ex quo tanquam ex primæuo fonte hæc vitia emanare, fidissimo experimento est compertum. Quæ verò damna Veneri attribuuntur, ea sunt duntaxat nimiæ: ita firmat Galenus, 3. *epid. sect.* 1. *com.* 4. *prope fin.* dum enim ea recenset, sic inquit: *Et Epicurum nunquam prodesse veneris vsum, præclarè agi, si non officiat: nam ista omnino ad ægrotantes ob immodicam venerem pertinent, non ad eos qui diuersam instituerunt rationem viuendi.*

Victus optimo regimine præscripto, ad vacuationem accedamus, quæramúsque: *Vtrùm in hoc affectu sanguis ex cubito, vel talo emittendus?* Galenus *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. ex professo de epilepsia disceptans, sanguinis missionis non fecit commemorationem vllam, fortè quia à frigida intemperie, crudisque humoribus ortum ducit. Approbant Celsus, Paulus, & Auicenna *locis citatis*, præsertim si ij succi in præsentia sanguinis redundent: sanguinis enim missio reuellit, deriuat, & euacuat, & repentem humorem in cerebrum deorsum deturbat.

De loco dissentiunt auctores. Nam illi ex cubito sanguinem esse fundendum præcipiunt, quia ex hac parte magis prompta vacuatio fit. Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 19. ex talo vacuandum imperat, dum sic ait: *Quamobrem podagricos ex cubito vacuato, comitialibus verò morbis, vertiginibúsque obnoxios, potius ex cruribus.* Sequitur Celsus *loc. cit.* dum sic inquit: *Quod ad Medicum verò pertinet, vltimum est iuxta talum, ex vtroque crure paululum sanguinis emittere.* Hi auctores facilè conciliari possunt, hoc modo: Confluente humore, potest deponi plenitudo ex communi vena; cessante fluxu, ex Cephalica vacuandũ. Ex talo reuulsio facta, plurimo est ex vsu, nihilominùs tamen cũ ex parte distantissima sanguis educitur, tardissimè eius vtilitas persentitur. Quare ex saphæna sanguis emissus, præcautionis gratia vtilis est, in iis qui certis temporum interuallis in Epilepsiam incidere solent; sic enim humor, qui ad cerebrum fluxurus est, longissimè auertitur, vt monuit Gal. Hoc etiam præceptum exercendũ est, quãdo ex retẽtione sanguinis mẽstrui, aut hæmorrhoïdalis ingruerit affectus, aut ex alia interna parte ortũ duxerit; nã tunc etiã hirudines hæmorrhoïdalibus venis affigendę. Quũ verò totus humor in capite fuerit impactus, tũc à venis sub lingua, & frontis, est extrahẽdus sanguis, appositis cucurbitulis dorso, natibus, suris, imò occipiti.

Facta vacuatione, sanguinis missionis ope, morbificus humor educendus, præuia præparatione: sed cùm humor sit crassus & tenax, iterum atque iterum concoquendus, & vacuandus, & hoc modo à debilioribus incipiendum. Præparantium materia varia est, pro humoris peccantis idea, & patientis natura, quorum siluam latè descripsimus *supra in pharmacopœa, tit. de aquis, decoctis, vel syrupis, qui pituitam, vel melancholiam in capite concoquunt*, & nunc proponemus breuiter.

Decocta

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 236 sur 927

Decocta, & ſtillatitiæ âquæ parantur ex Stœchade, Roremar. Betonic. Maioran. Saluia, Pæonia, citri ſemine, Meliſſa, Mentha, Cinnamom. Aniſi, & Fœnicul. Sem. Thym. Hyſſopo, Acoro, Origan. Puleg. Calamintha, Gentiana, Ariſtoloch. Scilla. His adiunges Hydromel, Rhodomel, Serapium de Betonic. Borrag. Pomis, Stœch. Hyſſop. Calaminth. Menth. fumo terræ, Capil. Vener. & Oxymel ſcilliticum, quod validè craſſum humorem attenuat, & viſcidum incidit.

Non prætereunda eſt hoc loco contradictio maxima, inter Trallianum, & Galenum: *Vtrum Apium pro curanda Epilepſia ſit ex vſu?* Ille enim *lib. 1. cap. 15.* illud condemnat, vt comitialibus occulta quadam vi infenſum: ſubſcribit Auic. 1. 3. *tract. 5. 11. §. Et alienet à ſe omnia olera, & propriè apium; etenim eſt ei proprietas commouendi Epilepſiam, &c.* Galenus *in documento pro puero Epileptico, cap. 4.* ipſum concedit. §. *Porrum, quinetiam interdum & apium, & ſmyrnium degustare conferet.* Quia, vt auctor eſt Dioſcorides *lib. 3. cap. 62. Hortenſis apij herba multa commoda præſtat: vrinam ciet: eius radicis decoctum, venenorum noxæ reſiſtit, inflationes diſcutit, theriacis quoque, ac tuſſis remediis miſcetur, menſes mouet, antidotis excalfactoriis inſeritur.*

Hac ratione concordes reddes auctores tantos. Apium hortenſe eſt vtile alimentum Epilepticis ob cauſas dictas; ſilueſtre verò, quod guſtus acerrimi eſt, & priuatim apium ruſticum, (Herbarij apium riſus vocant) ab Hiſtoricis Sardonia herba appellatur, noxium eſt, & aduerſum valde; hoc enim ſi edulio fuerit, veſcentibus neruos contrahit, & rictu ora diducit, quod Apiaſtrum ab aliis nuncupatur.

Ex hortenſi ergo poſſunt cum aliis medicamentis parari decocta, & ſyrupi, qui vim habeant attenuandi craſſos ſuccos, qui cùm concocti fuerint, educentur Agarico trochiſcato, Polypod. Mechoaca, Carthamo, Turpetho, Colocynth. Senna, Veratro nigro, Hiera ſimplici, aut compoſita. Quoniam verò tenax, terreſtriſve humor, ob ſui contumaciam ſemel vacuari non potuit, iterum atque iterum per epicraſin expurgandus. Quare ad Diacydonites purgatorium vario modo paratum accedere opus eſt, cuius multiplicem deſcriptionem propoſuere Aëtius *tetrab. 1. ſerm 3. cap. 92. 93.* & 100. & Æneas relatus à Galeno *2. ſec. loc. cap. 3. rubric. penult.*

Poſt quæ, ad apozemata phlegmagoga, & melanagoga accedere opus eſt, per interualla pluries repetenda. Exemplum phlegmagogæ potionis ſit hoc.

℞. *Hyſſopi, betonicæ, ſaluiæ, chamædryos, chamæpityos, an.* M. j. *radic. angelicæ, pæoniæ, enulæ, ireos, polypod. quercini, glycyrrhiz. ariſtoloc. rotundæ, an.* ʒ j. *folior. meliſſæ, abſinth. pontici, thymi, epithym. an.* M. j. ß. *cinnamom. ſem. aniſi, ſem. fœniculi, an.* ʒ ij. *flor. ſtœchad. anthos, geniſtæ, ſaluiæ, bugloſ. an.* P. j. *folior. ſen. oriental.* ʒ j. Fiat decoctio in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ ij. In colatura infunde: *Agarici in petia ligati* ʒ ß. Colaturæ adde: *ſyrup. de ſen.* ʒ iiij. *rhodomel. Perſici,* ʒ iij. Aromatizetur cum ʒ ß. nucis myriſticæ, & ∂. ij. electi Cinnamomi.

Exemplum potionis expurgantis humorem melancholicum.

℞. *Fol. ſen.* ʒ v. *polypod. epithym. an.* ʒ ß. *ſem. aniſi, fœnicul. cinnamom. an.* ʒ ß. *turpeth. cortic. ellebor. nigri, myrobal. Indor. myrobalanor. chebulor. an.* ʒ iij. *flor. anthos, violar. bugloſ. borragin. ſtœchad. an.* ʒ iij. *flor. ſaluiæ,* ʒ ij. ß. *flor. naphæ.* ʒ iiij. *paſſular. corinthiac.* ʒ iij. ß. Coque ſec. art. in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneat ℔ j. In colatura infunde, *Agarici in petia ligati,* ʒ ij. ß. *mechoacæ* ʒ ß. *turbith,* ʒ ij. *aniſi.* ʒ j. ß. *lapidis lazuli,* ʒ ij. Colaturæ fortiter factæ, adde *Syrup. fumar. maior. ſyrup. de polypod. ſyrup. de ſenna, ſyrup. de epithym. an.* ʒ ij. *ſyrup. roſ. Perſ. ex* ix. *infuſ.* ʒ iij. Omnia cum Sacchari q. ſ. deinceps bulliant, & ſeruentur vſui.

Quòd ſi per maiorem decoctionem, adiecta maiori ſacchari quantitate, velis parare ſyrupum longum, moroſis, & faſtidibundis ægris magnum ſolatium afferes. Doſis alternis diebus, ab vncia vna vſque ad vncias quatuor.

Stibium, optimum eſt in contumaci Epilepſia, cuius tria, vel quatuor grana cum rhodoſaccharo, vel infuſionem in vino porrigere poteris. Pilulæ optimæ ſunt cocchiæ, fœtidæ, & aliæ.

His celebratis, accedere opus eſt ad ea medicamenta, quæ humorum reliquias ſenſibiliter, aut per halitum digerunt, frigidam cerebri intemperiem corrigunt, neruoſum genus roborant. Præſtantiſſimum & vtiliſſimum decoctum Guaiaci, ſmilacis aſperæ, aut radicis Chynæ ad multos dies exhibitum: & ſudores ſemel, aut bis in die prouocandi.

Interna medicamenta optima ſunt, inter quæ humani cranij puluis, maris quidem, mari patienti, fœminæ verò, ægrotanti fœminę, exhibere fas eſt, cum aqua ſaluię, aut betonicę, ab ſcrupulo vſque ad drachmam vnam. Et ex tam multis hanc conſeruam parare licet:

℞. *Ariſtoloch. rotund.* ʒ ij. *ſalu. betonic. maioran. an.* M. ß. *ſem. pæoniæ, ſem. aniſi, ſem. fœniculi, cinnamom. an.* ʒ ß. *paſſular.* ʒ j. ß. *thym. epithym. polypod. ſem. cartham. an.* ʒ ij. *flor. anthos,* ʒ ij. *fol. ſen.* ʒ ß. Coque ſec. art. in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneat ℔ ß. In colatura infunde ſec. art. *Agaric.* ʒ ij. ß. *mechoac.* ß iij. Colaturæ adde: *Pulu. ſen.* ʒ iij. ß. *pulp. ſem. cartham.* ʒ iij. *pulu. radic. Chym. ebeni, ſmilac. aſper. an.* ʒ ij. *mechoacæ,* ʒ ij. ß. *theriac. mithridat. theriac. ſmaragdor. an.* ʒ ij. *raſuræ cornu cerui,* ∂. ij. *lapidis belzaar,* ℊ. xx. *tartari vini albi,* ʒ ij. *conſeruæ anthos, confect. hyacinth.* ʒ ß. *confect. Alkermes,* ʒ ij. ß. *ſem. citri, dictamni, an.* ʒ j. ß. *croci, viſci quercini, galangæ, an.* ʒ j. *cinnamom. aniſi, an.* ʒ j. *agallochi,* ʒ ij. Pulueriſanda pulueriſentur tenuiſſimè, & cum ſyrupo de ſuccolimon. & melle ſec. art. fiat Conſerua.

Si verò minori apparatu eam parare velis, confice hoc modo.

℞. *Mithridat. theriac. limonat. ſmaragdor. confect. hyacinth. an.* ʒ ij. *coral. præparat.* ʒ j. *viſci quercini,* ʒ j. ß. *cranij humani pulueriſat.* ∂ j. *radicis pæoniæ pulueriſat.* ʒ j. Cum rhodomel. omnia excipiantur, & fiat Confectio.

Galenus pro puero Epileptico ſcillinum mel, & oxymel extollit. Hæc etiam aqua ſtillatitia eſt optima.

℞. *Theriac. magnæ, theriac. ſmaragdor. confect. hyacinth. an.* ʒ ß. *mellis deſpumati* ʒ iij. *decoct. ſem. & rad. pæon. maris,* ʒ iiij. *ſucci abſinth.* ʒ ij. *ſaluiæ, betonic. hyſſopi, an.* M. ß. *flor. borrag. flor. bugloſ. anthos, ſtœchad. angelic. an.* P. j. *raſur. eboris, oſſis de corde cerui, coral. rubri, cinnamom. ligni aloes, craſſiuſculè triturator. an.* ʒ j. Fiat diſtillatio in duplici vaſe.

Propina ſtillatitium liquorem manè, & veſperi. Doſis pro puerulis cochlearia duo, quatuor pro adultioribus. Stillatitia ex cerāſis dulcibus plurimùm præſtat.

Cauteria inuſta, in brachiis, occipitio, ambitu capitis, coronali futura eſſe vtiliſſima, aut ſinapiſmos, veterum auctoritate ſancitum eſt: vitioſa enim materia veluti per fontes patentes emanans quotidie, ſenſim ac ſenſim exhauritur. Prodeſt etiam ſummoperè caput per particulares euacuationes immediatè repurgare ſternutatoriis, errhinis, apophlegmatiſmis, & maſticatoriis, vt humor vitioſus & peccans, per capitis emunctoria vacuetur. Primum celebratur, ſi immittas in nares perforatum calamum, plenum puluere Caſtorej, Nicotianæ, Sinapi, Ellebori, Euphorbij, & deinde exſufflando pellere. Errhinum cum parua ſyringe naribus immittitur, vel patiens abſorbere poterit per nares, fitque in hunc modum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 237 sur 927

℞. Decoct. sampsuchi, rutæ, hyssopi, summit. stœchad. ℥ vj. succi anagallidis, succi betæ, an. ℥ ß. pulu. castorej, ʒ ß. oxymel. scillitic. ℥ ß. Miscc.

Vel apophlegmatismus etiam parari poterit, qui ore detentus peccantem materiam à capite euacuet, fitque sub hac forma.

℞. Decoct. maioranæ, hyssopi, origani, pyrethri, piperis, ℔ß. j. mellis commun. ℥ ij. aceti scillitic. ℥ j. ß. Misce.

Poterit etiam pyrethri radix ore masticari, vt per palatum pituitosus succus ad os confluens vacuetur. Vel pastilli, seu orbiculi, qui masticatoria medicamenta appellantur, sic parari poterunt, vt ore detenti eundem vsum præstent.

℞. Maioranæ, pulegij, masticbes, an. ℥ j. galangæ, staphisag. an. ℥ ß. carnis passular. sine acinis ℥ j. cum cera, & oxymelite scillitico, formentur rotulæ ad modum lupinorum.

Pro roborando capite, frigidáque intemperie corrigenda, tempora, & coronalis sutura inungenda oleis ealidis, attenuantibus, & dissoluentibus: vt sunt oleum Irinum, Castorej, Euphorbij, Rutæ, Costin. Nardinum, Hyperici, de Nuce moschata, & alia, addito castorej puluere. In eadem parte potest parari decoctum ex ligno Guaiaco, salu. stœchad. maioran. Betonic. Pæon. cum vino albo, & aq. fontis.

Amuleta pro hoc propulsando morbo varia sunt, vt Pæoniæ radix collo suspensa, de qua historiam protulit Galenus *lib. 6. simpl. tit. de Pæonia*: quam nos sumus interpretati *lib. 1. Hist. Princ. Medic. Hist.* 22. Smaragdus, de cuius viribus admirandis satis plura pro hoc morbo curando *lib. 1. Histor. Princ. Medic. Hist. cit.* Corallium, Iaspis viridis, & plura alia.

Sed hoc loco non possum vltra progredi, quin priùs in medium proponam illustrem antinomiam: *Vtrùm suffitus lapidis Gagatis, possit esse contra Epilepsiam antidotum?* In quo dubio discordes sunt Principum sententiæ: Nam Dioscorides *lib. 5. cap. 103.* hunc lapidem suffitum, deprehẽdere sonticum morbum, hoc est, excitare assẽuerat. Trallianus *lib. 1. cap. 15. tit. Indicia quibus comitiales ignoscantur*, id confirmat. §. *Idem enim præstat lapis Gagates, igni priùs admotus, & naribus inditus, concidet enim, &c.* Probat Aëtius *tetrab. 2. serm. 2. cap. 14.* per hæc verba: *Arguunt comitialem morbum, & eo affectos collabi faciunt suffita, bitumen, lapis Gagates, &c.* subscribit Paulus *lib. 3. cap. 13.* iisdem verbis. Eandem sententiam firmat Plinius *lib. 36. cap. 18. §. deprehẽdit sonticum morbum suffitus, &c.* Cælius *lib. 1. tardar. passion. cap. 4. parum post princip.* inter plurima excitantia epilepsiam, hunc lapidem connumerat: §. *aut bdellij, aut lapidis Gagatis, vel bituminis, vel cornu ceruini.* Sequitur Aretæus *lib. 1. de caus. & signis diuturnor. morb. cap. 5.* qui suffitum rerum graueolentium, vt lapidis Gagatis odoratum, homines nonnullos prosternere, & in epilepsiam præcipites dare asseruit, sic enim ait: *Quibusdam igitur concidendi causa angor animi fuit, aliqui intentè fluminis decursum, aut rotam quæ circumuoluitur, aut turbinem qui in orbem agitur, conspicati; alios autem rerum graueolentium, aut Gagatis lapidis odoratus prostrauit.*

Contrariam sententiam defendunt, Auicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 322. de Gagate* §. *Cùm suffumigatur ex eo Epilepticus, confert ei*, & Mesuë *tract. de oleis, tit. de oleo ex Gagate*, in hunc modum pronuntians: *Oleum ex Gagate sacratum, dæmoniacis, epilepticis, paralyticis, spasmicis, tetanicis, arthriticis, ab vtero suffocatis saluberrimũ, &c.*

Hac solutione controuersiam explana. Concors scriptorum sensus est, gagatem esse sub genere lapidis. Ita scripsere Plinius, *lib. 36. cap. 19.* Dioscorides *loc. cit.* Solinus *cap. 35. Polyhistoris*, Galenus *lib. 9. simpl. cap. de gagate*, Isidorus *lib. 16. origin. cap. 14.* Eundem autem esse lapidem bituminosum, vel etiam bituminis genus facilè probatur, quandoquidem vstus bitumen olet, vt fatentur auctores *locis citatis*: nam adeò est bitumine plenus, vt accensus picis modo flagret, & fumum emittat nigerrimum.

Huius ergo vapor cùm graueolens sit, & fœtidus, & cerebro viciniſque partibus valde aduersus, tetro halitu ipsum ferit, lancinat, prosternit: quare fit vt concidentibus fortiter ventriculorum parietibus noxam sensatam excutere velit, sicque quasi colluctatione quadam, cerebro se quatiente, natura autem repugnante, Epilepsia fiat. Quare Gagatis suffitus concitat sonticum morbum; hîc autem ita à Plinio fuit appellatus, qui ita grauis est, vt solitas functiones impediret, quem qui pateretur, iustam excusationem habere putabatur, quo minùs in iudicium accîtus, veniret: quare breuiter sonticus morbus idem est, qui comitialis Dioscoridi.

Ergo Gagatis vsti suffitus suo sulphureo odore, vt ait Plinius, Epilepticam concitat accessionem. At verò si in tenuissimum puluerem assumatur, ab eo morbo præseruat: Nam siccitate qua pollet, ex Galeno *suprà*, caliditate moderata, & tenuitate, crassos humores attenuat, & superfluam absumendo humiditatem, Epilepsiam persanat: sinus enim contrahit, cruenta vulnera glutinat, & exiccat. Plinius *loc. cit.* sic ait: *Idem ex vino decoctus dentibus medetur, strumisque ceræ permixtus.* Dioscorid. *loc. cit. molliendi, discutiendique vires habet. Si igne inflammetur Gagates, meróque restinguatur, exhibeaturque id vinum cardiacis potandum, confestim leuantur, represso sudore, excitatóque arteriarum pulsu. Gagatem nonnulli ad pollinis tenuitatem terunt, septémque diebus continuis, colicis è vino propinant, drachmæ vnius pondere, & integram restituunt valetudinem.*

Solue secundò. Suffitus Gagatis suo horrendo odore Epilepsiam excitat; at verò eam ab vtero ẽnatam cæterorum graueolentium instar mirum in modum persanat: nam hæc quæ fœtidum habent odorem naribus apposita, hystericas curant affectiones, ex Galeno *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. prope fin. §. Sic quibus sursùm, aut in latus tractus est vterus, inguinibus, & coxis adhibebimus. Et naribus quidem ea, quæ fœtidissimum odorem habent, vtero autem odorata, &c.* Cur autem vterus suauibus odoribus delectetur, tetros refugiat, diximus *lib. 2. Hist. Princ. Medic. hist. 47.*

Si Epilepsia per consensum à ventriculo oriatur, acri bile ipsum lancinante, victus ratio refrigeratoria offeratur: inedia inutilis. Præparetur humor per contemperantia. Purgatio fiat per clementia, vt Rhéum, Aloën. Serum lactis vtile est. Sanguinis missio præstat ex iecoraria, & saluatella celebrata, vt iecur ventiletur, & ventriculus spiret. Quibus partibus roborantia imponenda.

Quòd si ob crassos humores vẽtriculo tenaciter impactos, oriatur malum, tunc roborandus ventriculus, vt illorum generatio impediatur, & auertatur ad alias partes confluxus, ex Gal. 5. *de loc. cap. 6.* Aëtio *tetrab. 2. serm. 2. cap. 17.* In hunc vsum pituitosi humores præparentur Rhodomel. Syrupo de Absinth. Oxymel. simpl. Purgetur Agarico, pilulis Cocchiis, de Hier. de Agarico. Clysteria reuellentia, optima. Vomitio vtilissima. Intus assumenda, quæ ventriculum calefaciant, cerebrum roborent. Vnguenta, emplastra, sacculi, fomenta, stomacho sunt imponenda.

Si ex vteri vitio per consensum emanet, methodus curatiua consistit in euacuatione peccantis humoris in vtero existentis, cuius ratione cerebrum compatitur; corrigenda vteri morbosa dispositio, euacuatione humoris, qui ab illo in cerebrum est transmissus. Sed cùm hic affectus per consensum vteri, ferè ex suppressione oriatur menstruæ purgationis, aut ex seminis exuberantia, aut retentione, aut aliquo alio vterino affectu, hic omnino remouendus est.

Si verò propter consensum cum aliis partibus extremis excitetur, dupliciter fieri potest: primò, quia in

parte

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 238 sur 927

parte prauus,& venenatus humor eſt genitus,à quo venenificus vapor cerebro communicatur, epilepticam acceſſionem effecturus; vel quia pars ab animali venenato icta eſt,à qua virulenta qualitas,alteratione per continuum facta in cerebrum irruens,epilepſiæ eſt auctor: tunc prohibere oportet,ne vapor,aut venenata qualitas cerebro communicentur;& ſic ſi ex ictu affectus originem ducat, pars icta ligabitur ſupra puncturam, iuxta Gal.conſilium,3.*de loc.*7. & parti cucurbitula imponetur ſcarificata;deſuperque emplaſtrum agglutinabitur, paratum ex alliis, aut cæpis contuſis, adiecta theriacæ portione: & ipſa theriaca in potum offeretur, aqua ſcorzoneræ,vel cardui benedicti diſſoluta.Si pars paruа ſit,eam abſcindere licet,antequam venenata aura in cor proſiliat. Si verò ex humore in parte genito eueniat,humor euocandus ad extrà,frictione,ligaturis,cucurbitulis, & cauterio.

Si ea tamen affectio in pueris accidat,in quibus frequenter euenire ſolet,eadem curatiua methodus inſtituenda;leuiora tamen debent adminiſtrari auxilia:nam puerile corpus eſt molle,rarum,debile,& fortium medicaminum vires non tolerat. Quòd ſi lactentes ſint, lac imprimis corrigatur, vel offeratur electum, quod multis modis præparari ſolet,vt *lib. 3. de infantium moderamine,& cuſtodia* latè proferemus.Quare habita prouidentia de nutrice,loco fonticuli,vel ſetonis, pars poſterior capitis ſuper nucham cauterizabitur, vt cum minori noxa humor peccans à cerebro vacuetur.

Si verò affectus hæreditarius non ſit,ferè in infantibus & pueris, ob pituitoſos humores ventriculi tunicis immerſos, nimiam ingluuiem, & cruditates, aut lac concretum euenire,ſolet; qua de cauſa praui vapores, ob maximum quem hæc pars habet conſenſum cum cerebro,in ipſum confluunt, & lancinando epilepſiam concitant. Quapropter præter medicamenta, quæ nutrici offerenda ſunt, molli clyſtere aluus eſt mouenda, vel plumaceola oleo, & ſale inuncta immitti poterit. Vel vtere hoc vnguento ſuper ventrem oppoſito,quod mirificè repurgat.

℞. *Succi mercurialis,ſucci ebulor.ſucci betæ,an.*℥ j.*olei lilior.dialthææſimplic.vnguenti agrip.an.*℥ j.ß.Bulliant ad conſumptionem ſuccorum, adde *fellis tauri,*℥ j.*turbith puluerizati*, ʒ j. Miſce, cum cera fiat Vnguentum.

Theriaca ſmaragdorum ſummè iuuat lacte diſſoluta, vel mamillis admota, vt ſugendo, eam cum lacte deglutiant.

Si ex concreto lacte fiat,offerenda quæ lac coagulatum diſſoluunt,& extra corpus pellunt,vt ſunt coagulum leporis, & hœdi, quæ in decoctione calamenthi diſſolues.Idem præſtat mel cum aliquali portione ſalis commixtum;hoc enim auxilium,ex Galeno 3.*alim.*14. prohibet,ne lac concreſcat,& concretum diſſoluit. Iuuat & Theriaca in eodem decocto diſſoluta. In quem vſum, & ventriculo, & vmbilico hoc emplaſtrum admouere,eſt vtile.

℞. *Fol. vlmi,*M.ij.*mercurialis,*M.ß. Decoquantur in vrina pueri, & poſtea contundantur: adde *Dialthææ ſimplic.butyri porcini,an.*℥ j.ß.Miſce.

Si vitium ſit hæreditarium, quum in lucem prodit, ante primam lactationem,& pluribus deinceps diebus, præſtat ieiuno ventriculo,duo, triáve cochlearia propinare ex oleo ſeſamino, aut amygdal.dulc. aut butyri recentis,cum ſaccharo exactè puluerizato; vitioſos enim humores in ventriculo contentos expurgat, qui retenti in caput impetum facere apti ſunt. Mel coctum,& deſpumatum,optimum eſt,vel mel pæoniatum.

Si puer prouectioris ſit ætatis, tunc ſanguis mittendus per ſcarificatas cucurbitulas cruribus adhibitas, aut affixis hirudinibus in ſede. Fontanella in occipitio candenti ferro aperienda. Antidota propinentur *ſuprà* deſcripta.Lapis Belzaarticus prodeſt cum aq.ſaluiæ,aut meliſſæ diſſolutus. Stillatitia ex ceraſis,aut ex radicib. pæoniæ, aut Tiliæ floribus. Vtilis ſuccus Rutæ cum melle. Lanuginoſi quidam vermiculi reperiuntur in Rubo, tres,aut quatuor deuorentur ex congruo liquore.Confectio de hyacinthis optima. Poteris in lacte, vel vtili liquore immiſcere hos puluiſculos.

℞. *Radic.pæoniæ maris,ſem. eiuſd.ſem.rutæ, radic. tormentil. coral.rubri præparat. viſci quercini, cranij humani, oſſis de corde cerui vſti, pullor. hirundin. cremator.an.*ʒ j. *vnicornu,lapidis belzaar,an.*ʒ ß.*vermium rubi, ſmaragdi præparat.an.*ϑ j.*fol.auri,num.*vij.*ambræ,* g. vij. Omnia in puluerem redigantur, & addito ſaccharo puluerizato ad pondus omnium ſeruentur vſui. Exhibe ſemel, aut bis in die quantitate cochlearis parui ex commodo liquore, aut hos pulueres cum melle permiſce, & lingendos præbe.

OBSERVATIO.

Epilepſia ex grumoſo ſanguine in collo veſicæ retento enata,eo excreto, curatur.

CVidam poſt nimium,& diuturnum ſanguinis per veſicam fluorem,vrina eſt omnino ſuppreſſa octiduo. Sed cùm in ſexto die, Epilepſia ſæua ſæpius premeretur, cum anguſtia ſumma, Medici ad curationem vocati,humorem craſſum,& viſcidum viis vrinariis impactum,& exitum vrinæ impedientē,cùm cauſam mali fortè arbitrarentur,venam primò in brachio,& deinde in talo ſecant,corpus expurgant,fomēta adhibent,diuretica propinant,& tandem in balneum ex medicamētis emollientibus paratum ægrum immittunt,& in medio balnei oleum terebinthinæ epotandum imperant. At ipſe,cùm animi deliquio oppreſſus,in horas moriturus ſperaretur,me, & alium ſocium ſeniorem conuocare iubet,qui negotio rectè penſato, in eam deuenimus coniecturam,quòd ex concreto, & grumoſo ſanguine vitium eſſet enatum. Sed vt certius haberemus experimentum, catheterem per virgam immittendum curauimus,edocti Galen: doctrina *lib.*1. *de loc.c.*1. cuius cuſpidi cùm ſanguinis pauxillum eſſet agglutinatum, præſidia ad retentionem vrinæ ex grumo,plura parauimus:Cardiaca obtulimus,& antidota;nam ex grumoſo ſanguine pulſus fit paruus,frequens,& æger cum anxietate reſoluitur,ex Gal.6.*de loc.c* 4. & *lib.de bonit. & vit. ſuccor.c.*4.Obtulimus theriacam,confectionem hyacinthorum,quantitate duarum drachmarum, cum vnciis quatuor aquæ milij ſolis. Tandem hoc potu cœpit excernere vrinam,etſi in quantitate exigua.

℞. *Coaguli leporis,*ʒ j.*coaguli hœdi,* ʒ ß. *aq. quinque radic.diureticar.*ʒ v. *ſyrupi capil. vener.* ʒ j. Miſce, fiat potus.

Cùm verò iterum ſuppreſſa omnino eſſet vrina, fomentm parauimus ex aceto acerrimo, quo actu calido, cùm pubes,interfemineum,inguina,& partes genitales, cum ſpongia, horæ ſpatio abluerentur, diſſoluris grumis,& per virgam excretis,in copia multa, biduo pluſquam viginti libras vrinæ,& concreti,nigríque ſanguinis tres excernens, ab angore, Epilepſia, & tantis anguſtiis immunis euaſit.

CAPVT VII.

De Apoplexia.

Definitio.

NVllus eſt morbus grauior Apoplexia: hoc illius nomen apertè ſignificat: Apoplexia enim vox Græca eſt, quæ percuſſionem ſignificat: quare Apoplectici vocantur quaſi percuſſi, ſumpta ſimilitudine ab animalibus, quæ in ſacrificiis ante aras cædebantur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 239 sur 927

quæ percussa statim in terram concidebant, A Celso *lib.3.cap.26.* morbus attonitus nuncupatur. Sideratio dicitur Aëtio, *tetrab.2.serm.2.cap.29.* Veteres enim fulmen esse sidus à cælo delapsum arbitrabantur, & quia fulmine percussi, statim cadunt, Apoplecticorum instar, ideò siderati vocantur. Nuncupatur etiam morbus magnus: sua enim magnitudine, acutie, periculo cæteros antecellit. In hunc sensum intelligendus est Auic. *1.4.tract. 2. cap. 2. A morbo magno raro fit euasio absque contractione membri:* & tam magnus est morbus, vt æger sola respiratione à mortuo differat.

Galenus *lib.2. Aph.42.* & *lib.de diff.sympt.cap.3.* & *2. de sympt.caus.c. 2. & 3. de loc.10.* hoc modo hunc affectum definit: *Apoplexia est priuatio motus, & sensus totius corporis, cum principum facultatum ablatione, repente incidens.* Sed duo circa definitionem diluendi sunt obices: Primùm, *Vtrùm Apoplexiæ definitio à Galeno tradita, sit optima?* & primò sic. Si cui ad cerebri ventres infligatur vulnus, is sine sensu aliquo, & motu concidet repentè. Sed Apoplexiam non habebit. Igitur insufficienter definitur, subita sensus, motúsque ablatio.

Nec definitionem à vitio liberabis, dicens, addendum esse vel cum Auic. propter oppilationem in omnibus ventriculis cerebri, & incursibus spirituum, &c. vel cum Galeno, ob impeditum transitum spirituum animaliũ, vtrumq; ex materia multa replente, oppilantéque: nam sæpe ex afflatu fulminis Apoplexia contingit; vnde etiam Hippocrati *lib.de glandulis*, sideratio appellatur. Nonnunquam ab externo, & vehementissimo frigore, cum Auicenna, & Barbaris: nec diffitetur Galenus *lib.de diff.morb. cap. 5.* Non minùs etiam Apoplexiam committit carotidum arteriarum sectio, vel compressio; attamen in prædictis occasionibus, nec datur repletio ventrium, nec virtutis animalis semper transitus impeditur.

Præterea in Catalepsi, & Caro, sensu & motu simul, & principalibus functionibus animal priuatur, ob frigidæ pituitæ, copiam, cerebri substantiam, ac ventres replentem, obstruentémque; affectiones tamen sunt ab Apoplexia longè diuersæ. Deinde si illæsa cerebri substantia, ventriculi omnino obstruantur, inducetur Apoplexia cum principum facultatum incolumitate; cur enim earum actiones auferentur, parte in qua continentur incolumni existente? Perperam igitur in definitione adiungitur, cum rectricis ablatione.

Insuper si virtutis animalis influxu efficitur respiratio, quomodo ea in Apoplexia seruatur, cerebri ventriculis omnino obstructis; aut qua vi pectus mouent Apoplectici ad respirandum? Denique si morbus est, & inter omnes grauissimus, *2. Aph.42.* cur symptoma definietur animalis actionis ablatæ.

Dic. Quamuis Apoplexia, prout omnimodam dicit meatuum cerebri obstructionem, morbus verè sit, atque adeò potiùs lædens functiones, quàm læsa actio; nihilominùs tamen etiá pro ipsa læsa actione assumitur, quo nomine dicitur symptoma functionis scilicet animalis ablatę, *lib.de diff.morb.c.3.* Quoniá verò ex sensuũ, & motuum priuatione quá inducit, notissima est, videlicet tanquam symptomata, aptè definitur sensuum, & motuum subita priuatio in corpore vniuerso, & simul & principum actionum, (præter respirationem) ob impeditum transitum virtutis, & spirituum animalium, ex omnimoda cerebri meatuum obstructione: siue ea obstructio à crassa pituita replente, quod frequentius est; seu à calida etiam materia, frigore, vel fulmine, de quo paulo pòst.

Fulmen, horrido ingentíque sonitu, bellici tormenti instar, retrahere facit spiritus, sanguinem & humores, atque in interioribus conculcans, obstructiones parit, & meatuum clausuras, tam cerebri, quàm cordis, atque adeò Apoplexias, syncopas, & grauissimos alios morbos est potens efficere. Iam verò in Catalepsi, seu congelatione, & Caro, etiamsi sensus, & motus priuentur, ex eadem, vel simili causa, citra tamen respirationis incommodum; præterquam quòd in huiusmodi affectionibus, sensus, & motus æqualiter non auferuntur; sed in Caro quidem somnus iungitur, & magis anteriores ventres, atque adeò sensus offenduntur; in Catalepsi, posteriores, & motus potiùs tolluntur. Quòd si tanta sit materia, quæ ventres omnes pariter repleat, & obstruat; aut quæuis alia causa in eisdem contenta, quæ omnes pariter offendat, impossibile erit cerebri substantiæ nocumentum non inducere, & principibus functionibus non priuare.

Ad postremam obiectionem dic, si primùm inquiras: *Vtrùm respiratio in Apoplexia ab aliqua virtute superstite celebretur?* Nam dubium est grauissimum, quomodo respirent Apoplectici, aut vnde vim habeant musculi respiratorij ad pectus agitandum, cerebri meatibus penitus obstructis, nullàque vi ab eo defluente. Quidam putant respirationis motum non esse simpliciter animalem, sed naturalem potiùs, & pectori insitum, licèt per sanitatem spiritibus à cerebro influentibus perficiatur, roboretúrque: quum igitur pectoris musculi vim insitam habeant, & spiritus innatos, qui ad tres, vel quatuor dies possunt perdurare, & thoracem ad respirandum attollere, nihil mirum, si cerebri viis occlusis, nullàque vi ab eo deriuata seruetur respiratio.

Cæterùm hi manifestè Galeno contradicunt, qui apertissimis verbis respirationis motum vndique animalem appellat, & per musculos fieri vult virtute à cerebro delata, præterquàm quòd monstrat experimentum, sectis, vel compressis neruis à cerebro ad pectus delapsis, confestim animal respiratione priuari.

Galenus *2. Aph.42.* ad necessitatem refert, quæ neruorum vim excitat ad operandum; sed qualis illa sit, aut vnde accedat, non satis explicuit. Dicendum ergo est, eam animalem esse, & à cerebro emanare. Quèadmodum enim per somnum, cerebri meatibus & neruis obstructis, musculisque omnibus feriantibus, soli respiratorij operantur, ob naturæ prouidentiam, quæ ne pereat respiratio à vita inseparabilis, neruos illi inseruientes, liberos apertósque seruat: ita in Apoplexia, magna cura & sollicitudine, eos, quoad fieri potest, ab obstructione saltem omnimoda tuetur. Quòd si obstruens causa naturæ conatum, & prouidentiam superet, cum respiratione simul vita auferetur. Quamuis autem exiguum sit id, quod in tanta cerebri obstructione potest ad pectoris musculos emanare, nec videatur sufficiens ad illud mouendum, mouet tamen quamuis difficulter, quoniam vis ipsa motrix, licèt debilis & exigua, & à necessitate, & à plurimo calore excitatur. Num verò carotidum arteriarum, aut iugularium venarum sectio, vel compressio, possit Apoplexiam committere, paulò pòst dicetur.

Cerebrum in Apoplexia esse affectum, insensibilitas, & immobilitas quæ toti corpori eueniunt, satis ostendunt, harum actionum principium esse valde oblæsum, *1. de caus.sympt.vlt.* & *5. Aph.5. in com.* Constat planè in Apoplexia malum in cerebro consistere, omnis motus ac sensus fonte communi: quod etiam docet *1. de caus. sympt.vlt.* & *lib.de inst.odorat.ad fin.* & *lib.de virtutib. nostrum corpus dispensantib. & alibi*; quicquid Aristot. *1. probl.9.* velit huiusmodi affectionem ad cor pertinere, tanquam neruorum omnium, sensuúmque, & motuum, originem.

Ex dictis constat, partem affectam Cerebrum esse, quod non tanquam pars similaris, patitur, sed quà organica existit. *Vtrùm* verò *in Apoplexia ventres magis afficiantur, quàm corpus cerebri?* apud Galenum controuersia est illustris, *3.* enim *de loc. affect. cap. 10.* obstructionem ventriculorum cerebri in Apoplexia esse maiorẽ, quàm in graui sopore, & comitiali manifestè asseruit, siquidem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 240 sur 927

ſiquidem in illa animalis facultas omnino, & conſummatè prohiberur ; in ſopore autem graui, & morbo comitiali non perinde. Quare 2. *Aph.* 42. obſtructionem ventriculorum cerebri potiſſimam Apoplexiæ cauſam conſtituit, minimè verò affectionem ſubſtantiæ cerebri. Contriam tamen ſententiam protulit ipſe, *lib.* 4. *de loc. affect. c.* 2. *Verùm in ſopore, & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus ; in Apoplexia corpus magis affici ſolet.*

Quòd autem magis ventres in Apoplexia afficiantur, quàm cerebri corpus, rationi conſentaneum eſt: ſiquidem Apoplexia morbus eſt in compoſitione, nempe obſtructio in cerebri ventriculis. Rem ita ſe habere, apertè indicat ſubita eius inuaſio ; Nam ſubitaneam meatuum obſtructionem à craſſo, viſcoſóque humore fieri conſtat, vt *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. docuit Galenus. Deinde ſi cerebrum ipſum quomodocunque incîdas, non priùs ſenſum & motum amittet animal, quàm ad aliquem ventriculum cerebri vulnus peruenerit, vt auctor eſt Galenus 7. *de placit. Hip.* & *Plat. cap.* 6. Cùm igitur apoplexia, abſoluta ſit priuatio ſenſus & motus, clarè liquet magis conſiſtere in affectione ventriculorum, quàm corporis cerebri.

Si verò contrarij loci contexturam, qui plurimos in præcipitia deduxit, attentè rimeris, oppoſitum minimè profiteur. Potiùs ergo ſenſit, in Apoplexia magis affici corpus cerebri, quàm in Epilepſia ; nam illa à maiori cauſa exoritur, nec valet corpus cerebri ad noxæ propulſationem inſurgere, vt in epilepſia, ſed magna ex parte deuictum ſuccumbit, id quod verborum ſeries manifeſtè oſtendit, cùm ita inquit: *In Epilepſia ventres magis, cerebri corpus minùs ; ſed in Apoplexia corpus magis affici ſolet*, videlicet quàm in Epilepſia, & non quàm ventres cerebri in eadem Apoplexia. Et hac veriſſima ſolutione, Galeni loca in veram reducimus amicitiam: Quare (vt receptui canam) in Apoplexia, mains nocumentum eſſe in ventriculis, ex Galeni mente liquidò conſtat.

Differentiæ.

GAlenus *lib.* 3. *de loc. cap.* 10. differentias, ſeu ſpecies colligit ex intenſione, vel remiſſione læſionis, quæ cernitur in reſpiratione: hæc enim cùm in Apoplexiæ morbo, (niſi acutiſſima ſit, & confeſtim interimens) ſola inter animales functiones ſeruetur, non illæſa tamen, ſed à ſana liberáque deficiens, iuxta triplicem reſpirandi varietatem tres numerat Apoplexiæ modos: Primum, in quo violentiſſima eſt, & intermittens reſpiratio: Secundum, mitiorem, in quo licèt intermittat, fiátque inæqualis, & inordinata, abeſt tamen ea violentia: Tertium, in quo iam aliquem ſeruat ordinem anhelitus, multòque debilior eſt, & curationem admittit. Adiungítque, non aliunde mori apoplecticos, niſi ob omnino priuatam reſpirationem, quæ à vita eſt prorſus inſeparabilis.

Sed examinandum: *Vtrùm Apoplexiæ differentiæ rectè à Galeno ſint numeratæ* ? Nam videtur, quòd ægritudinum ſpecies aptiùs eliciantur ex diuerſitate cauſarum, à quibus variatur curatio, quàm ex intenſione, vel remiſſione accidentium : Præterquam quòd magis, & minùs ſpeciem non variant: nec febres, nec quiuis alij morbi diuerſi conſtituuntur, niſi vel potiſſimùm ob diuerſas, à quibus fiunt, cauſas. Ergo, &c. Quòd ſi ex intenſione, vel remiſſione nocumenti, licet Apoplexiæ ſpecies colligere, duæ tantùm erant cum Hip. conſtituendæ, 2. *Aph.* 42. fortis nempe, & debilis ; & ſi ex varietate reſpirationis læſæ, plures: vna enim eſt, atque omnium peſſima, in qua anhelitus aufertur, tradita *in com. cit. Aph.* at verò 3. *de loc. cit.* omiſſa. Imò & cùm multò plures ſint læſæ reſpirationis differentiæ, aliáque grauiſſima ſymptomata in hoc morbo appareant, vt ſpuma, ratione cuius periculoſiſſimus iudicatur, 2. *Aph.* 43. cur ex illis tantùm tribus apoplexiæ ſpecies collegit ? Denique ſi violenta illa, validiſſimáque reſpiratio, in qua præter ſeptum, etiam totius pectoris muſculi coguntur operari, non fit niſi reſpirandi neceſſitate vehementer aucta ; 3. *epid. ſect.* 1. *aegro* 7. & 2. *Aph.* 42. in Apoplexia verò non eſt aucta refrigerij neceſſitas, quin potiùs diminuta, vt conſtat, & teſtatur Galenus *in com. cit. Aph.* vnde illa Apoplecticorum in reſpirando violentia?

Dic. Diuerſimodè ſolent Medici ægritudinum ſpecies numerare, & penès varia quibus diſtinguuntur, varias conſtituere diuiſiones: Apoplexiam autem ex tribus potiſſimùm diſtinguunt. Primùm, ex fine, & ſic duæ tantùm traduntur differentiæ, mortalis ſcilicet, & ſalubris; ſeu fortis, & debilis; vel curabilis, & incurabilis de quibus Hip. *Aph. relato.* Secundò, ex cauſa, à qua, cùm materialis ſit, aut immaterialis, ſimiles eliciuntur Apoplexiæ ſpecies, quæ pro materiæ varietate in illas poſſunt ſubdiuidi. Tertiò denique, ex ſymptomatum varietate, præſertim circa reſpirationem, ſecundùm quam conſiderationem quatuor conſtituuntur Apoplexiæ differentiæ, traditæ à Galeno *in com. cit. Aph.*

Licèt autem 3. *de loc. cit.* ſolas expreſſerit in quibus ſeruatur reſpiratio, prima tamen omnium peſſima, deſperata, & ſpiritum auferens, nec curationem admittens ex verbis Galeni colligitur, dum ait: *Poteſt etiam huius affectionis magnitudo, ex noxæ quam reſpirationi infert, vehementia diſcerni.* Quòd ſi plures reperiuntur nocumenti varietates in anhelitu Apoplecticorum, plures poterunt aſſignari Apoplexiæ modi; ſed illi vt magis frequentes, & euidentiores recenſentur, nec ex operis erat inſtituto omnes percurrere : ac proinde nihil mirum, ſi nonnulla ſubticuerit accidentia, à quibus etiam apoplexiæ magnitudo diſcernitur, vt ſpuma, &c.

Iam verò deficiens, & intermittens reſpiratio ſuffocationem indicat, qua detinentur Apoplectici, 3. *epid. ſect.* 2. *in com. aegrot.* 7. fit autem violentiſſima, omnibus muſculis thoracis operantibus, non ob neceſſitatem auctam, ſed ob virtutem imbecillem, & valde deficientem, 2. *Aph. cit.* Cùm enim præ imbecillitate, & virtutis defectu, vix poſſit moueri ſeptum, coguntur ſublimes, & reliqui omnes pectoris muſculi, in deficientis ſpiritus ſubſidium eleuari; cum quo parua adhuc eſt, & exigua talis reſpiratio: ſed vehemens, & magna apparet, tum quia ad oculum fieri conſpicitur, muſculis omnibus elquatis; tum quia ingrediens aër per anguſtos, obſtructóſque à pituitæ copia meatus ſtertere facit, atque adeò magnæ motionis phantaſiam inducit. Ex quibus patet argumenti ſolutio.

Illud etiam ſoluendum eſt: *Vtrùm à peſſima, & deſperata Apoplexia aliquis euadere poſſit* ? Nam ſi ex eo quòd reſpirationem auferat, omnino irreparabilis eſt, quomodo ſtare poſſunt auctorum teſtimonia referentium multos, qui eam Apoplexiam paſſi, in qua nec reſpiratio, nec pulſus ferè apparebant, fuiſſe reſtitutos? de quo Auicenna, & auctores paſſim citati à me, *lib.* 1. *Hiſt. PP. Medic. hiſt.* 54. nec diffitetur Galenus *infra lib.* 6. *c.* 5. de vteri apnœa, hoc eſt, de perdita reſpiratione loquens; imò referunt Valerius Maximus, & Plinius, nonnullos iam ſepeliendos, domum reductos, & aliquos ſepulturæ traditos, ex tumulo fuiſſe auditos, alios inuentos, reuolutos, ſcilicet quia peſſima illa apoplexia detenti, tanquam mortui ſepulti ſunt.

De euentu autem non immeritò dubitari poteſt, quum non ſemel docuerit Galenus, reſpirationem, ad vitam abſolutè neceſſariam eſſe, nec ſine hac poſſe modo aliquo conſtare, 3. *de loc. cap.* 10. & *lib.* 4. *cap.* 10. & *lib.* 6. *c.* 5. & 1. *de diff. reſpirat. c.* 4. Sed negari non poſſunt exempla ab auctoribus memorata, rara tamen cùm ſint, nec frequenter euenientia, Aphoriſmi veritatem non

euertunt,in quo Hip.vniuersaliter pronunciat, impossibilem reparationem in forti Apoplexia, qualis ea est in qua aufertur anhelitus:necessitates enim, & impossibilitates Hippocraticæ raros casus non excludunt ; nec artium theoremata sunt adeò perpetua, vt rebus se aliter habentibus aliquando non deficiant.

Quòd si quæras : *Vtrùm circa vllam respirationem & pulsum viuant Apoplectici?* Respondent plures,non aboleri penitus spirationem, sed exiguam, & quæ sensum lateat,superesse. Sed rectè iudicanti reclamant signa, quæ immotum omnino thoracem præstare affirmant:si enim carptæ lanæ tenuissimæ, aut gossypij flocculum, vel leuissimam plumam,aut accensam candelam prope os,& nares apponas, nullus planè motus deprehendetur. Alij poculum aqua plenum supra os ventriculi apponi suadent ;immotus enim , cessante prorsus respiratione, liquor seruatur. Quidam purissimum nitidissimúmque speculum,ori & naribus adaptant, quod si vel per aliquod spatium temporis approximes, nullam contrahet maculam. Quare nec sensibilis *, nec insensilis restat in deterrima Apoplexiæ specie respiratio.

Solue dupliciter,& primò cum Galeno, asserente in forti Apoplexia magnam corporis adesse refrigerationem,in qua calor innatus penè suffocatus,& extinctus, in penitioribus sedibus circa cor obrutus latet;cui valde exiguo, sola transpiratio , quæ per totam agitur cutem , satis est. Hoc ita esse ostendunt pulsus tardi, & rari, qui à facultate nimio onere oppressa, viscerúmque perfrigeratione insigni emanant. Hoc modo vtero suffocatas viuere, testis est locupletissimus Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* Solue secundò : Apoplectici viuunt sine respiratione vlla, non tamen sine cordis pulsu, qui vitæ quàm necessarius sit, indicant fœtus, qui cùm in vtero non respirent , cordis pulsu viuunt.

Distinctio Apoplexiæ à cognatis affectibus.

CVm verò aliqui affectus sint similes Apoplexiæ, inter hos differentia est constituenda : licèt enim Carus, Apoplexia , & Epilepsia sint inter se affines , eò quòd à frigido,crasso, aut omnino viscoso humore vt plurimùm fiant ; differunt tamen, quia in caro humor cerebri intemperiem auget;in Epilepsia autem, morsu & irritante qualitate lædit;in Apoplexia,quantitate obstruit & replet,afficitúrque cerebrum, tanquam instrumentum. Præterea in hac læditur manifestè respiratio, & creberrimè fit terminatio in paralysim , in illis minimè, aut perquam rarò.Insuper sopore finito maxima ex parte subsequitur sanitas : atque ideò Epilepsiam , medium appellat affectum inter apoplexiam , & carum, nempe quia nec expers est prauorum symptomatum, nec vtplurimùm in resolutionem finitur , & sæpe in sanitatem ; cùm tamen attonitus non rarò etiam citra paralysim interimat. Accedit, quòd in illa motus manent licèt deprauati , non omnino auferuntur, sicut in apoplexia , & caro : verùm in hoc , quia anteriores cerebri ventres magis patiuntur , quemadmodum etiam in omni somno , sensus potiùs tolluntur , non perinde motus.

Differt à Catalepsi , quia in hoc affectu oculi sunt aperti , & manet respiratio libera. Ab vteri strangulatu , nam in eo semper reperitur motus velocissimus, & respiratio non est ita violenta & difficilis , sicut in Apoplexia. A syncope , quia in hac non fit prædicta obstructio , neque aliqua in cerebro læsio. Deinde in syncope spiritus retrahitur ad cor ; in Apoplexia , spirituum ad sensus , motúsque organa transitus impeditur.

Causa.

ANimalium functionum ruinam euenire, à crasso, viscoso,aut multo humore, neruorum omnium, sensuúmque & motuum originem obstruente , impedientéque vim animalem , quominùs ad membra possit defluere,3.*de loc.*10. confirmat Galenus:repetit 2.*de caus. sympt.cap.vlt.*& *lib. de instrument. odoratus cap. vlt.* Vnde Auic.1.3.*tract. 5.cap. prop.* Apoplexiam definit, otiositatem membrorum à sensu , & motu,propter oppilationem. Sed cùm humor crassus in duplici sit differentia,alius sit pituitosus , melancholicus alter : ille, frequentissima huius morbi causa existit;ab hoc minùs frequenter generari testatur Hip. 6.*Aph.*56. dū sic ait: *In morbis melancholicis in hac pericula inciditur:stuporem corporis,vel conuulsionem,vel furorem, vel cacitatem significant :* & Galenus *in com.* sic inquit : *Fiunt quidem propter pituitosum humorem Apoplexiæ, fiunt autem & propter humorem melancholicum , quoniam communis vtrique est crassitudo:*& in sequenti *com.*57.hoc modo præfatur: *Non omnem Apoplexiam, sed nuper dictam tantummodò contingit aduenire eis,qui dictam agunt ætatem:quoniam in his maximè abundat atræ bilis humor,quemadmodum etiam in autumno.*

Sed videamus : *Vtrùm causæ Apoplexiæ à Galeno sint solùm admittendæ?*& primùm,aduersus huius morbi causam ab ipso allatam , vltra ea quæ paulò antè diximus de fulmine,vehementissimo frigore,iugularibus venis, & carotidibus,id est , illis arteriis quæ rectà sursum ad caput feruntur , & in profundissimis colli partibus abditæ sunt,plexum mirabilem conficientes,*6.de vsu part. cap.*2.quarum sectione, vel compressione Apoplexiam committi,præter Auic.colligi potest ex Hip.4. *acut.*23. non semper ex crassa pituita cerebri ventres , & substantiam replente generari,sed ex calida etiam materia, præsertim sanguine,ex ipso Gal.firmauimus, *lib.*1.*Hist. Princ.Medic.hist.*33.qui *lib.de curand. rat. per sang. miss. cap.*7.*ineunte vere sanguinem esse extrahendum suadet, illis qui promptè Apoplexiam incurrunt*, ac si à sanguine quoque inducatur,vel producatur : & colligitur ex Gal.4. *acut.* 27.

Deinde si ex cerebri ventribus omnino à pituita repletis oriretur , atque ideò animales actiones penitus auferret , Epilepsia , cuius causa secundùm Galenum , est immodica tantùm eorundem ventrium obstructio, easdem actiones minueret , non corrumperet , ac conuelleret. Insuper pueri maximè pituitosi, essent Apoplexiis valde obnoxij , & multo magis quàm senes; frequentiores siquidem esse oportet in naturis magis proportionatis , 3.*Aph.*16.& passim. Atqui Epilepsia animales actiones potiùs vitiat , aut corrumpit ; senes autem magis Apoplexia corripiuntur , 3. *Aph.* 31. Igitur , &c.

Dic,quòd quamuis Galenus 3.*de loc.*10.& 2.*de caus. sympt.vlt.& alibi*,tam Epilepsiam , quàm Apoplexiam, eo quòd subitò fiant , à crasso semper humore induci affirmet,non ab immateriali frigore, nudáve qualitate, reliquas omnes causas præter dictas excludens ; negari tamen non potest,multò plures dari huius morbi occasiones : sed illam ventrium & substantiæ repletionem, ex crassæ pituitæ multitudine in cerebro ipso collecta, esse multò frequentiorem , & vt talem fuisse à Galeno solam commemoratam. Verùm non tanquam perpetua recipienda est,cùm ipse non diffiteatur,& à sanguine,frigore, & aliis causis oriri : quòd si aliquando negat,est quia rarò fit : In artibus autem , quemadmodum nihil ferè perpetuum admittitur , sed semper fieri dicitur quod maiori ex parte contingit ; ita quæ rarò eueniunt,tanquam impossibilia , & nunquam contingentia pronunciantur.

Vtrùm autem *carotidum arteriarum , vel iugularium venarum*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 242 sur 927

venarum ſectio, vel compreſſio, Apoplexiam ſubitò inducat? quæret aliquis meritiſſimè: hoc enim inficiatur Galenus *2. de placit. cap. 6.* & oppoſitum manifeſto experimento oſtendit; ſiquidem licèt vaſa illa conſtringantur, aut præſcindantur, non ideò ſenſu & motu priuatur animal ſtatim: poſt aliquot enim horas non modò dictis actionibus priuari, ſed & mori poterit, vi penitus exoluta ob ſpirituum, & ſanguinis defectum in cerebro, cùm tamen ſubitò priuari oporteret, ſi iuxta Ariſtotelem, 1. *probl. 9. & alibi*, & Peripateticos, vis animalis, à corde per arterias cerebro, & corpori influeret. Sectio ergo carotidum, iugulariúmque venarum, quamuis impedimento ſit, ne ſpiritus & ſanguis ad cerebri ventriculos effundatur, ſenſus tamen & motus quamprimùm non aufert: (ſentit enim, & mouetur corpus per aliquod tempus, non ſolùm mediantibus ſpiritibus quos continet cerebrum, & diſtribuit, ſed interuentu illorum quos conficit, præſtita materia ab externo aëre, & occultis arteriis) cæterùm cùm ex ſanguinis, & ſpiritus vitalis inopia, cerebrum nimis infrigidetur, proximè Carus inducitur (vnde venæ illæ, & arteriæ carotides, ſoporales, & ſubethicæ nuncupantur) & ſenſus, motúſque aufertur reſpiratione incolumi: ea autem poſtea læſa, aut ablata, Apoplexia committitur, quam etiam nonnunquam oriri ex earundem carotidum obſtructione, ab vno, vel alio humore, præter apoplecticorum diſſectiones, oſtendunt Auicenna, Rhaſis, & ſequuntur interpretes.

At hæ, & ſimiles aliæ occaſiones raræ ſunt, atque ideò à Galeno omiſſæ; ex replente autem pituita, frequentes. Nec inde inferas, in Epilepſia animales actiones minuendas potiùs fore, quàm corrumpendas & vitiandas, cùm tamen Epileptici motus edant deprauatos, & validiores, quàm ſani, præter ſenſuum & mentis oblæſionem: Nam licèt ex eo rectè coniiciatur, in Epilepſia non integram dari ventrium cerebri obſtructionem, perfectámque meatuum occluſionem, quemadmodum in Apoplexia contingit; cùm tamen Epilepſia maiori ex parte à flatu, humoréve ſua qualitate offendente, ſtimulantéque, quàm quantitate replente oriatur: cúmque à morſu illo cerebrum ad expulſionem irritetur, & vehementer concutiatur, ſequuntur ad vibratum cerebrum validi illi, conuulſiui, & vitiati motus, potiùs quàm diminuti; in attonito morbo penitus ablati.

Verum igitur diſcrimen dictarum affectionum in eo potiſſimùm conſiſtit, quòd Epilepſiæ cauſa humor eſt potiùs qualitate lædens, in Apoplexia quantitate opplens: vnde in illa motus euadit deprauatus; in hac nullus prorſus. Quid verò ad Galenum dicendum, qui vtriuſque cauſam conſtituit craſſum humorem, in vna integrè, in altera dimidiatè obſtruentem, conſtat ex dictis ſuprà, *cap. de Epilepſia.*

Quamuis autem pituita craſſa, frequens aſſeratur Apoplexiæ cauſa, non ideò pueri quantumuis pituitoſi, erunt illi magis obnoxij quàm ſenes; pueris enim robuſta cùm ſit naturalis vis, integram obſtructionem non expectat, ſed aduerſus incipientem inſurgit, & validè nititur propellere, atque ideò potiùs Epilepſia corripiuntur, ſenes Apoplexia, quia torpida iam, & debilis vis ſuccumbit, nec ad pugnam excitatur. Rurſus cùm caput habeant infirmum, & magnam pituitæ copiam ob coctionis defectum ſoleant aceruare, vnde tuſſi, ſpirandi difficultate, & ſimilibus capiuntur, obſtructionibus cerebri, repletionibus, Apoplexiis valde ſunt obnoxij.

Aliæ etiam poſſunt eſſe cauſæ coniunctæ Apoplexiæ, ſed raræ, vt bilioſus humor, ex Gal. *lib. de cauſ. morb. cap. 3.* Non enim ſolùm obſtruit, quod craſſum, & viſcidum eſt; ſed tenue, quando confertim irruit, & ſubitò. *Vtrùm flatus nebuloſus Apoplexiæ immediata cauſa eſſe poſſit?* etiam dubitandum: à flatu enim, etſi craſſo, integrè, ſtabilitérque vniuerſos cerebri meatus occludi, videtur difficile. Sed obſtant auctoritates ſummorum virorum, quibus non aſſentiri nefas eſt: Hippocrates enim *lib. de flatibus, num. 19.* à craſſo flatu ſiderationem totius corporis, hoc eſt, Apoplexiam, quandoque generari confirmat: ſubſcribunt Valerius Maximus *lib. 9. cap. 11.* Liuius *lib. 23. Hiſtoriarum ab vrbe condita*: & atteſtantur multorum experimenta, qui carbonum fumo extincti ſunt. Quare conſtat, Apoplexiam non ſolùm obſtructis cerebri cauitatibus à materia craſſa generari, ſed intercepto ſpiritus animalis tranſitu à vapore craſſo, primariò oblæſo cerebro, deinde corde, partibúſque ſpiritualibus in conſenſum tractis; vapor enim ex carbonibus elatus craſſitie ſua obſtruit, canaléſque obturat.

Deinde aër inſpiratus per nares ſanitatis tempore, debet in ſufficienti copia, & quantitate hauriri; neceſſe eſt vt ſit temperatus, & conſiſtentiæ ſit tenuis, & mediocris, mitis, benignæ. At omnes hæ conditiones in craſſo vapore deficiunt, quia in anguſto loco vbi ferè iacent dormientes, hyberno tempore, feneſtris occluſis, paucus eſt aër, non temperatus, ſed igne accenſo quaſi flammatus, craſſior admixtione ſcilicet vaporis craſſioris carbonarij, infenſus, & toto genere aëreæ corporis noſtri ſubſtantiæ inimicus: fit autem carbo ex lignis viridibus in foſſa ſubterranea accenſis, móxque in proprio, & ſuo fumo extinctis, & ſuffocatis. Quo fit vt hic caliginoſus & craſſus vapor in cerebri ventriculos permeans, corpus immobile, & omni ſenſu orbatum reddat, neruorum videlicet principio intercepto. Ita ex carbonum fumo aliquos emori Galenus, *lib. 7. de vſu part. 8. & lib. de vtilitate reſpirat. cap. 4.* quia hic omnibus craſſior planè apparet. An verò ex hoc fumo, cor, partéſque vitales corrupto vitali ſpiritu, & denegato ſufficiente refrigerio; an cerebrum patiantur? Die, quòd etſi vitalia, naturalia, & animalia membra vitientur, magis tamen cerebrum oblæditur, & ſic Apoplectici, motu, & ſenſu deſtituti concidunt. Hoc docuit Haly *lib. 6. pract. cap. 4.* dicens: *Qui autem cum fumo fuerit ſuffocatus, & diſſolutus, ſi ab eius ore ſpuma exiuerit, nulla eſt ad eius ſalutem via.* Ex quo patet, fumum præcipuè cerebrum inuadere, Apoplexiámque committere, non cardiacam.

Cauſa etiam coniuncta poteſt eſſe ſanguis, qui ex ictu, percuſſione, vulnere, ruptis venis tenuis meningis, ſubitò ad cerebri ventriculos confluens, & craſſitie deinde ſua in grumum conuerſus, replet & obſtruit. *Vtrùm* tamen *immateriale frigus Apoplexiam poſſit excitare?* Quæſtio eſſe poteſt: quia intemperies vim obſtruendi non habet, & Apoplexia, quoniam repentè inuadit, & repentè ſoluitur, ab intemperie excitari non poteſt: hæc enim paulatim inducitur.

Dic, extremum frigus, vel citra materiam, generandæ Apoplexiæ occaſionem præbet: Etſi enim hæc ſolùm inducatur ab humore, qui ſubitò influens ventriculos obſtruit, & facultatis, ſpiritúſque animalis influxum prohibet; tamen cùm hic humor non ſolùm quantitate, ſed qualitate offendat, neceſſariò cerebri ſubſtantiam intemperat: quare aliquando intemperantia ſubſequitur, interdum præit, & antecedit. Iccircò vigente bruma, externum frigus validum, ſanguinem ſpiritúſque congelat, meatus arctat & concludit, calorem denique natiuum extinguit: nam ſi à vehementi frigore emortui ſunt pedes, ex Galen. *lib. de cauſ. morb. cap. 2.* reſoluto natiuo calore, cur cerebrum ſuapte natura exangue, laxum, molle, hac de cauſa ſimilem affectum pati poſſe negabimus? quod concedit Galenus *lib. de morb. diff. cap. 5.* qui quoſdam iter agentes in vehementi frigore, paſſos fuiſſe ſimilia ſymptomata apoplecticis, libenter confirmat. Deinde ſi aër æſtiuus, etſi calidiſſimus, frigidior eſt reſpectu caloris noſtri, & iccircò Galenus 8. *de vſu part.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 243 sur 927

cap. 2. monet, vt in curatione vulnerum cerebri, vel æſtatis tempore, prunas ardentes circumcircà imponamus, cur gelidiſſimus aër ſubitò per nares ingrediens, Apoplexiam, imò mortem, immobili ſpiritu animali reddito, non concitabit? A

Cauſæ externæ ſunt ſtrepitus magnus, crapulæ aſſiduæ, cruditates, conſtitutio aëris frigidiſſima, vehemens etiam caliditas liquans, & agitans, & ad caput humores attrahens. Familiaris morbus eſt hyemi, ſenibus, obeſis, pituitoſis, catharro vexatis, otioſis, inexercitatis, & iis qui aſſiduè ſanguinem mitti ſibi procurant, quia multa phlebotomia Apoplexiam accerſit, apud Auic. 4. 1. *cap.* 20.

At antequam ad ſigna accedamus, inquirendum: *Vtrùm decubitus ſupinus Apoplexiam poſſit inducere?* Veterum enim ſententias in hoc dubio video eſſe diſcordes. Hunc enim decubitum ſummè in *præſagiis* Hip. reprobat, *lib.* 1. *text.* 14. quia ſanitati maximè aduerſus; ab eo enim periculoſiſſimi eueniunt morbi, quemadmodum Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 9. his verbis ſcriptum reliquit. *Supinè autem dormire eſt malum, & ad multas præparans ægritudines, ſcilicet Apoplexiam, paralyſim, & incubum; quoniam ſuperfluitates ad poſteriora declinare facit: quare retinentur, nec per ſuos incedunt canales, qui in partibus ſunt anterioribus, ſicut nares, & palatum*: quod multò ante Auicennam docuit Galenus, *lib. de inſt. odorat. in fin.* & *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 4. dicebat, à decubitu ſupino nullum ſperari auxilium, quò faciliùs ad infernas partes ferantur alimenta. B C

Ex altera parte extat Auicennæ auctoritas, 18. 3. *tract.* 2. *cap.* 18. *prope med.* dum ſic ait: *Et dormire ſuper dorſum, eſt ex eis quæ lapidi conferunt.* Dic ergo, aſſiduum dormiendi vſum, Apoplexiam parere poſſe, ob dictam cauſam. Adde quòd homines ſupino hoc decubitu vſi, in fluxiones à capite in thoracem ſunt magis obnoxij, & humores ad renes promptiùs deducuntur, qui etiam immodicè ex eo ſitu caleſcunt: quare ab eo ſummè præcauere debent, qui in nephritidem, Aſthma, & diſtillationes proni ſunt.

Quòd ſi Auicenna decubitum ſupra dorſum conſulit iis, qui calculo veſicæ & renum premuntur, id de ſolo tempore exitus calculi intelligendum, ad quem ſupinus decubitus haud ſecus conferre poteſt, quàm feſtinus per ſcalas deſcenſus, & inæqualis equi vectio; quæ tamen eo morbo infeſtatis, extra paroxyſmum non leuiter nocent. In excludendo tamen calculo, in renibus, vel vreteribus, vel in collo veſicæ impacto, ſuper dorſum iacere, ob viarum laxitatem, calorem ampliorem, & celeriorem expulſionem, conferre aliquid poſſe, rationi conſonum videtur. D

Signa.

PRæcedunt hunc affectum ſubitus, acutúſque dolor capitis, venarum iugularium elatio, vertigo, ſplendores oculorum, externarum partium ſine ratione refrigeratio, totius corporis tremor, difficilis motus, dentium ſtridor in ſomno, tinnitus aurium, obliuio, ſtupor, ſomnus profundus, vrina veluti æruginoſa, atra, modica, & farinæ craſſiori ſimilia habens ſedimina. E

Quando præſens eſt, facillimè agnoſcitur: vox enim adimitur, loquela intercipitur, redditur homo immobilis, & inſenſilis; facultates enim tunc principes opprimuntur, otiantur, ceſſant: & cadaueris inſtar, clauſis oculis decumbit, cum colore plumbeo, & gelido articulorum torpore; pulſus eſt tardus, languidus, rarus, & inualeſcente affectu fit debilis, tardus, creber, ex Galeno 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 11. & 19.

Præſagium.

FOrtis Apoplexia ſanari non poteſt; leuis difficulter curationem admittit, ex Hip. 2. *Aph.* 42. & qui ab hac fiunt immunes, in paralyſim alterius lateris ferè incidunt, ex Gal. 4. *de loc.* 2. Paulo *lib.* 3. *cap.* 18. Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 27. Hyemale tempus huic vitio plus eſt obnoxium, 3. *Aph.* 23. præſertim ſi venti frigidi ſpirent, ac denſæ nebulæ cœlum obſideant. Hinc fit vt æſtiuæ Apoplexiæ, quæ adoleſcentes occupant, ſint periculoſæ magis, quia cauſæ magnitudinem arguunt, maximè quia hoc tempore, & ætate, corpus aëris multo refrigerio indiget, qui ob impeditam reſpirationem cùm hauriri nequeat, fit vt ſuffocati ægri breui intereant.

Eſt præterea notanda Hip. ſententia, 6. *Aph.* 51. *Quicunque ſani repentè capitis dolore corripiuntur, & muti fiunt, intra ſeptem dies pereunt, niſi febris ſuperuenerit.* Vltimò perſcrutandum: *Vtrùm Apoplectici non reuocentur in vitam, in quorum ore ſpuma apparet?* Hoc ita eſſe firmat Hippocrates, *lib.* 2. *Aph.* 43. ſic dicens: *Qui ſuffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamen mortui ſunt, non referuntur in vitam: quibus ſpuma circa os apparet.*

Sed contrà obſtant plurima. Primũ. Auicennæ auctoritas, 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 9. dum enim de præfocatis ex angina loquitur, ſic ait: *Cũ tamen quandoque accidat, vt præfocatus ſpumet aliquando, deinde ſanetur, &c.* Secundò. Spuma in Epileptici ore concreſcens, ipſum ab acceſſione facit immunem, materiæ illius morbificæ portione in ſpumam abeunte. Tertium. Si ſpuma in Apoplectici ore apparens, mortem indubitatam minaretur, illud eſſet, quia ob cohibitam commodam expirationem, & inſpirationem, calore feruorem inducente, in pulmone generaretur, & valido deinceps conatu, & agitatione perficeretur, & ad os vſque confluereret. Sed huiuſmodi cauſæ vndique accipi non poſſunt, cùm ea quæ à pulmone pelluntur, mediante tuſſi reiiciantur, & non aliter. Ergo ſpuma in Apoplectici ore percepta, mortis certitudinem non infert.

Dic primò cum Galeno *in com. cit. Aph.* quòd Aphoriſticæ ſententiæ ſunt omni ex parte veræ, licèt aliquando aliter, rarò tamen eueniant, vt *lib.* 6. *Aph. com.* 58. eleganter protulit Galenus. Dic ſecundò. Cum ſpuma pauca, aut alba Apoplecticos euadere poſſe; cum multa, flaua, aut cruenta, nequaquam: magna enim ſpumæ copia ſummum feruorem, maximam reſpirationis difficultatem, & extremum naturæ conatum oſtendit; color autem flauus, aut purpureus, ſpumam ex ipſa pulmonis ſubſtantia progigni ſignificant. Contraria verò argumenta ſic ſolue. Primò concilia Hip. cum Auic. ex ſolutione prima. Secundum extrica, ſi aſſeras in Epilepſia paruam obſtructionem adeſſe, ideóque cerebrum ſtrenuè concuri poſſe, & ſeſe comprimendo ſenſatam noxam excutere; quare humorem pituitoſum per os in modum ſpumæ foràs protrudit: quod ſecus in Apoplecticis accidit; nam ſpuma in iis ex innata humiditate ob feruidum calorem generatur. Tertium ſolue dicendo, prædicto *com.* Galenum affirmare, illa ex pulmonibus tuſſim mouere, quæ ſubitò, & ſimultaneè, non autem quæ ſenſim & paulatim excernuntur.

Curatio.

ETſi deſperatis non ſit adhibenda manus, ne infamemus præſidia quæ multis fuere ſaluti, vt notauit Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 9. tamen cùm ſalutis ſpes aliqua elucet, eáque dubia, melius eſt, præfato mortis periculo aliquid tentare, quàm ægrum ſpe omni adempta

adempta certò perire, vt idem monebat, *lib.* 10. *meth. cap.* 10. de qua re latè egimus, *lib.* 1. *Hiſt. PP. Medic. hiſt.* 63. *in fin.* Quare cùm morbus ſit atrox, exactè peracutus, intra paucos dies, ne dicam horas ſtrangulans, celeriter curandus eſt, remediáque inceſſanter peragenda. Pugnandum frictionibus, vinculis dolorificis, ſuppoſitoriis acutis, & cucurbitulis applicitis dorſo, ceruici, ſcapulis, ſuris, lumbis, natibus; hæ enim potentiſſimè à capite reuellunt.

Sanguinis miſſio, optimum præſidium eſt, præſertim ſi ſanguinis vel pituitoſi, vel melancholici copia adſit vaſa intercipiens: & vena in vtroque brachio ferienda Cephalica, ſi vires adſint; & hoc præſidium citiſſimè celebrandum, ne ſanguinis calore penè emoriente, & flacceſcentibus viribus, citra morbi leuamen phlebotomia deinceps vires proſternat. Si in altero laterum reſolutio adſit, à ſaniori ſanguis eſt emittendus, vel à vena frontis, aut naſi. Hæmorrhoïdibus hirudines affigendæ: quia Apoplecticis hæmorrhoïdes ſuperuenientes, bonum, vt *in Coacis* dicebat Hip. Illæ etiam retrò aures, & temporibus admouendæ, præcipuè ſi virium penuria adſit, & vitium ex atro ſanguine originem ducat. Ita ceruici, occipiti, bregmati cucurbitulæ ſcarificatæ profundiuſculè agglutinandæ: & in conclamato caſu iugulares venæ aperiendæ; de quarum venarum apertarum vtilitate in hoc morbo, & aliis ſæuiſſimis affectibus, ex quibus citiſſimum mortis periculum impendet, pulcha lege *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medic. hiſt.* 76.

Sed dubitabis meritò: *Vtrùm in Apoplexiæ acceſſione cucurbitulæ hypochondriis imponendæ.* Et pro parte affirmatiua validum argumentum eſt: Nam hoc auxilio validè humorem à capite deturbat, excitat apoplecticum, pituitoſum ſuccum attenuat. Id probat Galenus 7. *Aph.* 1. cucurbitulam ex toto corpore ſanguinem vehementer attrahere confirmans, quia eſt inſtrumentum ad violentum attractum à Medicis excogitatum, vt notauit Galenus 4. *meth. cap. vlt. in fin.* Obſtant tamen plura, quæ præſidium hoc diſſuadent. Si enim in initio celebretur, maximam noxam inferre poteſt; muſculi enim abdominis intenduntur, & difficiliorem reddunt reſpirationem: hinc fit, vt qui in tabidis, & aſthmaticis id genus remedij exercent, ægros in multa damna præcipites tradant. Neque obiicias Aëtium *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 27. eas imperaſſe, quia ille de earum admotione in paroxyſmo, non eſt intelligendus.

Quoniam verò Apoplectici ſine voce, & ſenſu decumbunt, & nihil deglutiunt, neceſſéque ſit vires reficere, præſertim animales, quæ illicò fatiſcunt natura ſuapte, iccircò ad cibum cogendi ſunt, & omni ingenio nutriendi; ſicque commodum eſt nutrientia emplaſtra ventri admouere, & ob hanc cauſam clyſteres nutrientes indere: quare alternatim expurgantia clyſteria, & nutrientia infundere oportet. Sed in hunc vſum videndum: *Vtrùm clyſteres ex vino in Apoplectica acceſſione vtiles ſint.* Vinum enim craſſos humores attenuat, lentos diſſoluit, flatus diſcutit, nutrit perbellè. Licèt autem hæc vera ſint; tamen à recta methodo recedunt, qui hoc auxilium Apoplecticis celebrandum imperant; plurima enim damna ex eius vſu ſubſequuntur: nam ex ventre ad caput vapor vini eleuatus ſoporem auget, cerebrum conturbat, & ſopit, mentique caliginem inducit.

Sternutatoria etiam optima ſunt; hæc enim motu, & concuſſu humores cerebri meatibus impactos valenter detrudunt. Non indignum dubium poterat de illis excitari: *Vtrùm ante totius corporis vacuationem, ea in paroxyſmo Apoplectico imperanda?* Licèt autem omnium conſenſu ea ſint vtilia ob cauſas dictas, tamen ſuſpecta ſunt, & valde noxia. Primò, quia humor efficiens Apoplexiam ſternutamento expurgari non poteſt, & præſertim ille qui in ſubſtantia cerebri firmiter eſt impactus. Secundò, quia capitis, & pectoris agitatione cerebrum humoribus ad ipſum attractis magis repletur: quare malum ingraueſcit, & obſtructio ventriculorum cerebri augetur; hinc fit vt ante expurgationem, hoc præſidium ſit ſuſpectum, & inutile.

In eundem vſum Apophlegmatiſmata parant, & naribus ac palato, calida medicamenta, & odorata imponunt, vt vis animalis excitetur, & craſſus humor diſcutiatur. Rogabis: *Vtrùm Theriaca, & odora medicamenta, ante totius prouidentiam, palato, & naribus admouenda?* Superiores rationes videntur cogere, quòd illa his partibus illinita conferant plurimùm: ſed meo voto ſuſpecta ſunt, & valde incommoda, quoniam in Theriaca, & Mithridatio, etiamſi diu ſeruentur, vis opij non perit omnino, cuius cauſa ſomnus non minuitur, imò augetur. Deinde prædicta medicamenta, ſunt compoſita ex adſtringentibus, vt Acacia, hypociſthide: frigidorum autem, & adſtringentium medicamentorum facultas, licèt ſit plurimùm retuſa, elucet tamen adhuc, & frigiditatis aliqualis veſtigia præbet, atque timor eſt, ne humor lentus adſtringentium vi coërcitus, ampliùs impingatur. Adde quòd hæc medicamenta plurimam vaporum copiam capiti ſubminiſtrãt, quamobrem ſymptomata increſcunt, quod faciunt odorata omnia, vt Diamoſchum, & Diambra, quoniam cerebrum ſuaues odores auidè excipit, præſertim ſi eſt malè affectum. Ergo horum loco propinari poſſunt ſcrupuli duo Caſtorei, aut Piperis, aut Zingiberis: hæc enim etſi calore ſuo vapores excitent, quia tamen ingrata ſunt, & iniucunda cerebro, minùs nocere poſſunt. Poſtquam autem cerebrum fuerit repurgatum, hæc tutò offerri poſſunt, illi enim ob vim morbi languido robur conciliant. Horum loco vtiliſſimæ ſunt aquæ Apoplecticæ, per cochlear in os inditæ, quæ craſſos humores extenuant, flatus diſcutiunt, obſtructionem auferunt.

Expurgantia optima ſunt, vt Agaricus trochiſcatus, Electuarium Indum, Hiera diacolocynthidos, præſertim ſi humor melancholicus dominetur; Mel roſaceum ſolutiuum cum agarico, & ſenna. Pilulæ ex Agarico, Aſſaiareth, cochiæ, fœtidæ, de Caſtoreo, Sarcocolla, Serapino, Euphorbio, Trochiſci Alhandal. Quæ diſſolui poſſunt aq. vitæ, meliſſæ, ſaluiæ, rutæ: & hæc in maiori quantitate exhibenda, quia virtus ſopita nonniſi valentioribus irritatur; & hoc modo oblata, à longinquis partibus humorem viſcidum eradicare nata ſunt.

De Antimonio maior eſt hæſitatio: *Vtrùm in acceſſione Apoſtolica ſit exhibendum*: Omnes ferè affirmant, quia hoc validum eſt, & ad educendos humores tenaces efficaciſſimum; & vel in infuſo, aut ſubſtantia commodiſſimè deglutiri poteſt, & per vtrumque ventrem ſeroſos humores, craſſos, terreſtres potentiſſimè euacuat. Dic, quòd licèt Antimonium præparatum ſit ſaluberimum medicamentum, miniméque venenoſum (de quo argumento latiùs *in Pharmacopœa* ſcripſimus plura) & ad rebelles morbos præcauendos, & curandos vtiliſſimum, diutinóque experimento confirmatum, maximè ſi ij à melancholico humore ortum duxerint: tamen cùm vehementer euacuet per vomitum, iccircò eius vſum in hac acceſſione reprobandum cenſeo; tunc enim vomitus ſummopere nocet, tum quòd æger in hoc motu ſeipſum adiuuare neſciat, tum quòd, cùm ſe erigere nequeat, potiùs ſuffocaretur. Accedit, quòd huius vacuationis vi humor à toto ad ſuperas conuolat partes, caput replet, & affectum conduplicat.

Sinapiſmi, ac Dropaces ſunt ſtrenua præſidia. Veſicantia brachiis, & femoribus adhibita ſummè iuuant. Candens ſartago, vel clipeus ignitus capiti admotus,

motus, quousque pili ægri vri videantur, miram vim habet: quo auxilio administrato, sequens ponatur vnguentum, vel emplastrum.

℞. *Olei rutæ, Ol. Laurini, de castorio, de pipere, an.* ℥ j. *olei euphorbij,* ℥ ß. *aq. vitæ,* ℥ j. ß. misce.

Et post dimidiam horam, imponatur sequens sinapismus, emplastri modo.

℞. *Olei costini, & olei de euphorbio, an.* ℥ ß. *euphorbij, castorei, an.* ℥ j. *trium piper. sulphuris, nucis mosch. atæ, sem. vrtic. serapini, pulu. sinapis, stercoris columbin. an.* ℥ ij. Adde *olei de laterib. Laurini, & de styrace calamit. an.* ℥ iij. Cum ficubus, & terebinth. fiat emplastrum, toti abraso capiti imponendum.

Cauteria in vniuerso capitis ambitu, præsertim in sutura coronali excitentur. In quibus omnibus exequendis, cautus sis oportet: dummodò intelligas, non esse extra methodum, vti violentis & temerariis remediis, iterum atque iterum applicitis; quoniam truculentus morbus leuia præsidia contemnit: nam, vt doctè monebat Celsus *lib. 3. cap. 9. quos ratio non iuuat, temeritas sanat.*

OBSERVATIO.

In Apoplexia curanda, sanguinis detractionis vtilitas mira.

QVantam vtilitatem pro curatione Apoplexiæ, afferat vel iam moribundis ægris sanguinis detractio, nulli puto non manifestum. Nam cætera reuellentia auxilia, frictiones acres, ligaturæ, siccæ cucurbitulæ, vix à remotis partibus humorem exhauriunt: Expurgantia etsi violenta, ad actum nequaquam reducuntur: quia natura consopita, & veluti emortua ad eorum actuationem non insurgit: Errhina, & reliqua quæ à cerebro humorem euacuant, emortuas veluti vires citra leuamen irritant. Sola sanguinis detractio est proficua, quam vel in pituitosa Apoplexia esse celebrandam, omnes ferè practici consentiunt. Quidam in florente ætate constitutus per altas scalas repentè cecidit: huic vena vna aut altera tenuis meningis, concussionis vehementiâ disrupta fuit, & sanguinis abundantia per nares sequuta, quo tempore loquebatur æger, sese mouebat, & ad oblata erat valde morigerus. Suppressa hæmorrhagia Apoplexia hominem inuasit. Remedia vnius diei spatio plura adhibita, clysteria varia, purgationes fortes, & reliqua reuellentia auxilia celebrata: sed cùm ex iis nullum iuuamentum persentiret, imò cadaueris instar in horas moriturus videretur, & sanguinem coërcitum ad ventriculos confluxisse in copia multa coniectarem, viréfque non essent deiectæ, sanguinem ab vtraque Cephaliça simul exhaurio; & post clysterem nutrientem injectum, iterum post quatuor horas à vena fontis parum sanguinis demo. His præsidiis leuata natura sanguinem per aures expellere satagit: & cùm post hanc vacuationem oculos aperiret, & manus moueret, naturam imitandam duxi, sed quo auxilio, id docuit Hip. *lib. 2. epid. sect. 6. §. ad auris dolorem cucurbitulam affigito, &c.* Qua ratione ex interuallis quater supra aures cucurbitulas imposui, quæ cùm cruorem prouocarent, contulère valde: sensim enim ac sine sensu riuuli sanguinei lentè per aures emanantes, ægrum funeri destinatum subleuarunt.

CAPVT VIII.

De Melancholia.

Definitio.

NOmen Melancholiæ à melancholico humore, qui est ipsius causa, deducitur, ex Gal. 2. *meth. cap. 2.* definitúrque hoc modo? *est delirium sine febre, cum metu & tristitia, ex melancholico humore in cerebro existente subortum.* Ita definit Paulus *lib. 3. cap. 14.* quæ definitio rectè explicat præsentem affectum: Nam illa particula, *delirium*, siue actio deprauata principum facultatum, ponitur loco generis. Per alteram *sine febre*, differt à phrenitide, quæ febrem assiduam sibi comitem habet; hoc tamen intellige, ex propria natura; nam per accidens ratione alterius affectus, febrem reperiri non est impossibile, vt patet in melancholia, quæ cum febre ardente, vel tertiana continua copulatur. Per timorem, & tristitiam differt delirium melancholicum à maniaco: Licèt enim Mania *sit mentis alienatio sine febre, ex humore melancholico in cerebro existente ortum ducens*; tamen non est cum timore, & mœstitia, sed cum audacia, temeritate, rixa, & pugna.

Quare huius affectus essentia in eo consistit, quòd sit symptoma in genere actionis læsæ facultatum principum: Melancholici enim iucunda, vt tristia; & minimè timenda, vt timorosa percipiunt, auctore Gal. 1. *de caus. sympt. cap. vlt.* & 3. *de loc. affect. cap. 7.* Illud autem symptoma morbum sequitur in temperamento, ex Hip. 6. *epid. sect. 8. text. 40.* vbi inquit: *Si humor melancholicus in corpus vergit, morbus comitialis hominem corripit; si in mentem, melancholicus efficitur.* Vbi nomine corporis, ventriculos cerebri intelligit, qui ab humore cùm magis obstruuntur, quàm cerebri substantia, Epilepsiam patiuntur: nomine mentis, ipsius cerebri temperiem intelligit, quæ quando ab humore melancholico peruertitur, præsens gignitur affectus: qui cùm ex eo eueniat, quòd cerebri temperies vitietur, quæ similiarium partium propria existit, fit vt cerebrum, prout est pars similaris, non verò vt pars organica, oblædatur.

At circa hanc definitionem Galeni, variæ dubitationes insurgunt. Et primò: *Vtrum in melancholia, cerebrum an cor afficiatur?* Partem affectam esse cerebri substantiam Galenus *cit. loc.* palàm contestatur. Interdum autem cerebrum malè afficitur primò & per se, ab humore melancholio in cerebro existente, siue hic humor in ipso cerebro, à calore immodico crassum sanguinem superaslante generetur, vt accidit in melancholia morbo, qui ad phrenitidem, vel febrem ardentem consequitur; siue aliunde in cerebrum confluxerit: & tunc melancholia morbus per primigniam affectionem nuncupatur. Aliquando cerebrum per consensum afficitur, vt quando à toto corpore humor melancholicus, vel ab aliqua parte vapores crassi, & tenebrosi in cerebrum conuolant, vt ventriculo, vasis mesaraicis, liene.

At licèt in hoc morbo cerebrum potissimùm afficiatur, hócque sufficiat ad huius affectus symptomata constituenda: tamen necesse est, vt noxam persentiscat cor, quod voluit Auic. 1. 3. *tract. 4. 18.* timor enim, & tristitia, veræ animi passiones, ad appetitum sensitiuum pertinent, qui cùm in corde suam sedem habeat, eius organum, nempe cor, lædi est necesse. Deinde Hip. *lid. de virgin. morb. num. 1. in fin.* scribit, virgines maturas viro ex menstrui suppressione in dementiam incurrere, terrores, ac timores, & reliqua symptomata, quia menstruus sanguis ad cor, & septum transuersum confluit vbertim.

Libenter tamen fatendum, non esse necessariam cordis indispositionem, ad timorem & tristitiam absolutè: sed sufficere, quòd à potentiis rectricibus, hoc vel illo modo obiecta cognoscantur, vt talem vel talem appetitûs passionem efficiant: quare appetitus residens in corde, in his animi affectibus non operatur, nisi præcedente rectricum cognitione; & sic necesse est, vt appetitus efficiat actum timoris, quòd aliquod malum cum spe euadendi illud, à potentia cognosci-

tiua

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 246 sur 927

tiua in cerebro exiſtente apprehendatur: quod ſimiliter de actu triſtitiæ dicendum eſt. Et, iccircò in melancholia non eſt læſum cor, niſi per ſubordinationem potentiarum, ex eo quòd tam appetitus, quàm potentiæ cognoſcitiuæ in eadem anima ſint radicatæ: ita Galenus *in art. med. cap. 29. & 30.*

Ex his conſtat, actionem læſam & depraua̅tam, oriri ratione morbi, in organo facultatum principum exiſtentis. Obiicies, morbum in cerebro exiſtentem, cùm ſit extrinſecus cordi, actionem appetitus lædere non poſſe in ipſo corde exiſtentis, neq; in genere cauſæ formalis, materialis, vel efficientis: Nã actio illa appetitus ab ipſo corde elicitur, & manet in ipſo. Ergo à morbo ipſi extrinſeco variari non poteſt: & ſic læſio illa appetitus, à morbo exiſtente in cerebro non eueniet. Dic. Actio illa læſa fit à facultate inuariata; ſuppoſita tamen variatione principum facultatum, à morbo in cerebro exiſtente, cui actio appetitus læſa tribuitur, qui cæco impetu fertur in illud, quod à potentia cogitatiua, vt conueniens proponitur, oppoſitum verò auerſatur. Si igitur ratione morbi in cerebro exiſtentis, aliquid à potentia cogitatiua percipitur deprauatè, & hoc modo appetitui proponatur, hic in ipſum ſic cognitum fertur: vt quando iucunda, vt triſtia percipiuntur, & appetitus ea auerſatur, tunc hæc actio eſt deprauata, ratione morbi cerebri, non quia organum appetitus, nempe cor, ſit vitiatum, ſed actio per ſubordinationem potentiarum læſa eſt.

Ad lòcum verò Hip. *lib. de virginum morbis*, Dic, per propoſitam ab auctore diſpoſitionem, fieri cor ac ſeptũ tranſuerſum, non ſedem affectus, ſed ſedem cauſarum affectus: non tamen dementiæ, mœrores, ac pauores conſurgent, niſi priùs vitium cerebro communicetur. Hac ratione ſeptum tranſuerſum, priſci phrenas, hoc eſt, mentem nuncuparunt. Facilem verò eſſe cerebri ad cordis affectus ſympathiam, præſertim in melancholica diſpoſitione, inde patet: Si enim melancolicum ſit cordis intemperamentum, illicò cerebrum compatitur, non ſolùm ſanguinis illuc aſcendentis ratione, ſed quia ex ſpiritu vitali turbido, animalis nebuloſus progignitur, huic enim ille materiam præſtat. Si autem melancholica diſpoſitio ſit in cerebro per primigeniam affectionem radicata, mœror, & timor continuò premunt ægrotantem, & progenerato ſpiritu atro, cor ad melancholicam intemperiem permutat. Quare ne mireris, quòd Auicenna dixerit, in melancholia cor eſſe affectum, quod licèt dicto modo ſit intelligendum, tamen ex huius auctoris mente hæc ægritudo ſolùm in cerebro confirmatur.

Age deinde, & perſcrutator: *Vtrùm omnes potentiæ rectrices in hoc affectu lædantur*? Cùm enim *ſuprà* dixerimus, melancholiam eſſe mentis alienationem, mentiſque nomine facultates principes intelligantur, meritò dubitabis, quæ facultas in hoc affectu ſit oblæſa. De imaginatiua nulla eſt hæſitatio, prout *lib. 1. hiſt. Princip. Medic. hiſt. 37.* ex Galeni, & Aëtij mente demonſtrauimus, & nunc ratione confirmo: Nam plurimi hoc morbo affecti, ſe exiſtimant eſſe gallos, alij ſe eſſe teſtas. Sed hoc eſt errare circa ſimplicia, cùm exiſtiment ſe eſſe id quod non ſunt. Ergo cùm error circa ſimplicia ad imaginatiuam ſpectet, in hoc affectu imaginatiua erit læſa.

Sed dices: Si hi non habent, quæ ſeipſos, teſtas, aut gallos repræſentent, quo pacto ſe ita affectos eſſe imaginantur? Dic, imaginatiuam ob deprauatum temperamentum, determinatas ſpecies diuerſarum rerum coniungere inter ſe, quæ ſic coniunctæ, illa monſtra repræſentant. Deinde, præter imaginationis læſionem, cogitatiuæ etiam noxam eſſe neceſſariam, efficaci ratione confirmo: Timor enim, & mœſtitia ſunt paſſiones appetitus ſenſitiui. Sed hic ad eas moueri non poteſt, præcedente ſolùm actu imaginatiuæ, niſi præcedat

A actus æſtimatiuæ. Ergo prædictæ paſſiones vt fiant, in æſtimatiua læſionem præſupponunt. Minorem ſic probo; Qui appetit, fertur in bonum cognitum, vt conueniens, ita vt non poſſit ferri in ipſum, niſi vt conueniens cognoſcatur. Sed non poteſt cognoſci vt conueniens, niſi ab æſtimatiua. Ergo. Vt appetitus fugiat v. g. obiectum iucundum, vt triſte & diſconueniens, neceſſe eſt quòd illud iucundum conueniens, ab æſtimatiua, vt triſte diſconueniens fuerit cognitum; quæ cognitio cùm ſit deprauata, læſionem in æſtimatiua neceſſariò ſupponit.

Inſuper pro certo affirmandum, præter læſionem imaginatiuæ, & æſtimatiuæ, ſæpe etiam memoriam eſſe oblæſam: & non ſolùm memoria, & æſtimatiua per
B conſenſum imaginatiuæ ſunt læſæ, ſed per primigeniam affectionem læſæ exiſtunt; omnes enim hæ potentiæ poſſunt lædi, ab humore melancholico in ipſarum organis producta intemperie: ſed hoc eſt lædi per primariam affectionem, cùm hæc læſio ſit à morbo in parte læſa exiſtente; ſiue enim potentiæ rectrices ſint in diuerſis locis cerebri collocatæ; ſiue in diuerſis locis magis eluceant, nihil impedit quominùs ab humore melancholico primariam intemperiem poſſint comparare, teſte Galeno *6. epid. ſect. 8. com. 15.*

Vlteriùs inquirendum: *Vtrùm melancholici res iucundas, vt triſtes percipiant, & eas fugiant*? Hoc enim videtur
C difficile: Nam ſpecies rei iucundæ non poteſt repræſentare, niſi rem iucundam. Ergo cùm ſpeciem rei iucundæ, melancholicus percipiat, eam vt iucundam percipiat eſt neceſſe. Antecedens patet: Quia ſpecies eſt naturalis imago, & ſimilitudo obiecti. Ergo ipſum, vt in ſe eſt, repræſentabit.

Satisfacies huic difficultati, dicendo: quòd propter determinatum temperamentum, æſtimatiua melancholicorum, ab ſpeciebus ſenſatis rerum iucundarum, elicit ſpecies inſenſatas diſconuenientiæ, per quas obiectum iucundum, vt diſconueniens & triſte percipitur, & ab appetitu auerſatur. Sicuti enim ouis viſo lupo fugit, quia nimirum ouis æſtimatiua ab ſpeciebus ſenſatis elicit inſenſatas diſconuenientiæ, ratione quarum ouis lupũ vt diſconuenientem fugit: ita in preſenti contingit
D affectu. Si verò ex te hoc modo dubium ſoluente, aliquis quærat: Cur vnius lupi æſtimatiua, viſo lupo, inſenſatas ſpecies diſconuenientiæ non eliciat; ouis autem viſo lupo eliciat? Reſpondebis, ouis æſtimatiuam, propter peculiare temperamentum, quo caret lupus, inſenſatas ſpecies elicere.

Verùm hæc ſolutio vnica ratione in præſenti conuincitur: Impoſſibile enim iudico, quòd æſtimatiua eliciat ſpecies inſenſatas diſconuenientiæ, ex ſpeciebus ſenſatis rerum iucundarum; & ſic probo: Res iucundæ nullo modo ſunt melancholicis diſconuenientes. Ergo ipſorum æſtimatiua non poterit elicere ex ipſis ſpecies inſenſatas diſconuenientiæ. Antecedens patet: probatur conſequentia: Nam nulla potentia poteſt elicere ſpeciem ab alia ſpecie, ni ſpecies quæ elicitur, contineatur
E in ſpecie à qua elicitur, ſaltem virtualiter. Sed ſpecies diſconuenientiæ nulla ratione continetur in ſpecie rei iucundæ. Ergo æſtimatiua ab ſpecie rei iucundæ, ſpeciem diſconuenientiæ non eliciet. Minorem probo hoc modo. Species rei iucundæ eſt naturalis imago, & ſimilitudo obiecti, & totum ſuum eſſe habet ab obiecto. Ergo cùm obiectum iucundum nulla ratione contineat diſconuenientiam, neque ipſius ſpecies illam obtinebit.

Neque ſimilitudo ouis reſpectu lupi habet paritatem: nam ſi ouis æſtimatiua viſo lupo elicit ſpeciem diſconuenientiæ, adeò hoc fit, quia obiectum diſconueniens eſt. Neque peculiare temperamentum melancholicorũ facit, vt æſtimatiua eliciat ſpeciem diſconuenientiæ ab ſpecie rei iucundæ, & conuenientis: alioqui

enim

enim reperiretur in specie repræsentatio disconue-
nientiæ, quæ nulli obiecto correspōderet: quod est
absurdum: cùm tota repræsentatio ab obiecto, nullo
verò modo à posteriori emanet.

Dic, quòd cùm species rerum tristium in potentia rectrice reseruatæ, à peculiari temperamento exsuscitentur adeò vehementer, vt cogitatiua perpetuò res tristes per tales species repræsentatas percipiat, hinc accidere, vt cogitatiua tot rebus tristibus percipiendis occupata, aliquod iucundum propositum de nouo, vt triste percipiat, ex eo quòd tot obiecta tristia potentiam totam ad se trahunt, vehementiúsque immutant, quàm obiectum iucundum. Ex quo fit, vt species rei iucundæ, & conuenientis, etsi rem & conuenientiam eius in se repræsentet, disconuenientia tamen per tot species repræsentata, perceptionem conuenientiæ vnius obiecti obscuret. Exemplum in promptu est: nam lapis quietus sub aqua mota absconditus, licèt speciem lapidis quieti ad visum immittat, non tamen percipitur, vt quietus, quia lapidis quies ab specie aquæ motæ supra lapidem existentis obscuratur. Hoc modo omnia obiecta alba v. g. à potentia visiua percipiuntur, vt colorata, si ante oculos vitrum reponatur, quia vitri color vehementiùs immutat: color enim, vehementior qualitas existit.

Percontaberis, quo pacto verum sit, læsionem cogitatiuæ consistere in eo, quòd species exsuscitentur à peculiari temperamento, si in cogitatiua species non reseruantur, sed in memoria tantùm, vel imaginatiua, vt ex principiis philosophiæ liquet apertè. Dic: Ad hoc vt cogitatiua actiones læsas eliciat, sufficit quòd species in imaginatiua, & memoria reseruatæ, à peculiari temperamento ad opus excitentur; ex quibus necessariò producitur in cogitatiua species, per quam deprauatè cogitatiua operatur.

Differentiæ Melancholiæ, ex parte affecta desumptæ.

GAlenus *lib. 3. de loc. affect. cap. 7* plura de melancholia selecta, miro quo erat præditus ingenio prodidit in lucem, quæ si in examen non trahantur, intellectu sunt difficilia, & obscura nimis. Duas ergo differentias melancholiæ proponit, quarum altera circumferri solet cerebri propria, altera totius consensu; sed meliùs, vna capitis propria, altera capitis, & totius. Quemadmodum enim in quibusdam ægritudinibus, contingit vniuersas corporis partes quæ oculis subiiciuntur, vna & eadem intemperie affici: in aliis verò temperamentum immutari vnius duntaxat partis, propterea quòd hæc ipsa intemperantem humorem sola recipit, vt in tumore quouis particularis membri, cruris scilicet erysipelate, mamillæ cancro, &c. Sic accidit interdum, vno & eodem melancholico temperamento cum reliquis totius corporis partibus cerebrum laborare, vbi scilicet vniuersus qui in venis est sanguis, efficitur melancholicus: nonnunquam verò cerebrum duntaxat, vel sanguine melancholico ad ipsum aliunde deriuato; vel reliquo totius noxa omnino vacante, alterato eo qui in cerebro existit, & facto ibidem melancholico, per flauæ bilis, aut atri sanguinis assationem.

Quo pacto duæ illæ emergunt Melancholiæ differentiæ, in quibus caput vel solum, vel simul cum toto afficitur; non aliter ac in externis vitiis contingit, quibus ceu manifestioribus, Galenus comparat interna, vt per illa, tanquam per notiora manifestentur; quod sæpe obseruat, nec est à mente Hip. alienum: solet enim res discursu & ratione exploratas, per ea quæ sensibus apparent confirmare, vt apud ipsum reperies passim.

His iactis adiungit eo loco Galenus, non parum habere momenti prædictam Melancholiæ distinctionem, ad curandi rationem, quoniam vbi melancholicus sanguis in vniuerso corpore continetur, à venæ sectione, quæ sanguinem vitiosum euacuet, curatio auspicanda: at si in solo cerebro redundet, ratione talis affectus necessaria non est sanguinis detractio, quamuis ob aliam causam (nempe præseruandi causa, vel quia fortè sanguis etiam in corpore superabundat) rectè possit vena secari; in cacochymia enim cum sanguinis abundantia, vtiliter mitti docuit, 4. *de sanit. tuend. cap. 4.*

Pro cuius doctrinæ explicatione dubitandum: *Vtrùm melancholia in cerebro generetur?* Si enim iecur est officina humorum creandorum, quomodo extra illud atra generari poterit, maximè per assationem, in cerebro vsque adeò frigido? & si à bile flaua, ac melancholia, quas solùm agnoscit atræ materias, cur etiá non à sanguine, qui tanquam suæ fæce calidior, paratior est, vt superasseturs, & in ipsam commigret, præsertim scribente nonnunquam ipso Galeno, vt quibusdam legitur, *6. epid. sect. 5. com. 25.* biliosum corpus simul, & sanguineum, fieri melancholicum, si supprimantur expurgationes. Et si adusta, salsáue pituita creat melancholica vitia, vt Elephantiasim & lepram, cur etiam illius non meminit?

Dic. Nullum est inconueniens, præternaturales humores etiam citra iecur creari, & per assationem, in membro naturâ frigido, immodicè inflammato: Iam verò licèt ex superassato sanguine atra generetur, nonnisi melancholiæ interuentu fit, hoc est, fæce & limo ipsius, vt colligitur ex *2. de rat. vict. com. 30. §. ex eodem verò assato, atque etiam crasso, atra. &c.* hoc est, ex melancholia in quam per assationem immediatè vertitur sanguis, penes sui partes crassiores, & ex ea in bilem atram, cuius duæ tantùm sunt sine medio materiæ, succus scilicet melancholicus, & bilis flaua.

Per sanguineum autem corpus, *lib. 6. epid. cit.* intelligendum est, melancholico sanguine refertum, qui ex hæmorrhoïdum suppressione ad partes superas regurgitat, de quâ ibi loquitur manifestè Galenus: non enim sanguis, absque eo quòd in bilem flauam, vel melancholiam vertatur, proximam præstat atræ materiam.

Vtrùm autem *è pituita, proximè & immediatè melancholia generetur?* dissidium est. Auicenna *1. 1. doct. 4. cap. 1.* manifestè sibi persuadet, è pituitoso succo atrá bilem, caloris adurentis, aut putrefacientis appulsu posse progigni, quia adustione, & putrefactione separatur humidum à sicco, & resoluitur, & remanet pars crassa, & terrena, frigida, sicca, quæ ob adustionem, caliditatem contraxit, acrimoniam, & nigredinem: caliditas enim extedens dum agit supra humidum, denigrat, & acrem caliditatem inducit. Experimento est, quòd post tertianas nothas, & febres pituitosas, quartanæ, & vitia melancholica superueniunt; cuius causa nulla alia reddi potest, nisi quia pituita transit in melancholiá per adustionem. Id prædixit Auic. *1. 4. tract. 2. cap. 60. §. Iam sciuisti, quòd melancholia præternaturalis, alia fit ex adustione sanguinis, alia bilis, alia phlegmatis, &c.* & *cap. 62.* diuersa ratione curat vtrasque, & Mesuë *cap. de quartana* sic ait: *Fit quartana succedens febri quotidianæ à pituita exusta:* & Rhasius *18. contin.* scribit, quòd quartana fit interdum ex pituita sicca salsa.

Sed huius dubij solutio hoc modo explicanda est. Pituitæ tres species præcipuæ assignantur à Galeno *2. de diff. feb. cap. 6.* Vitrea, dulcis, & salsa. Vitream frigidissimam, dulcem minùs, salsam autem pro salsuginis ratione, calidam, & siccam constituit. Duæ priores proximè, & immediatè non mutantur in atram bilem: Salsam verò proximè in eam commutari posse, sic confirmo. Sapor salsus ex commixtione partium

terre

terreſtrium ſubexuſtarum cum ſubſtantia dulci, aut inſipida concinnatur, vt Ariſt. 4. *probl. vlt.* edocuit. Cùm igitur plures ſint in pituita ſalſa partes terreſtriores exuſtæ, naturæ atræ bilis vehementer finitimæ, has per ampliorem exuſtionem, potiſſimùm cùm calidæ ſint & ſiccæ, in bilem atram facili negotio migrare poſſe, non eſt dubitandum.

Neque obſtat maxima diſtantia albi à nigro, ob quam alba ſubſtantia reddi non poteſt nigra, præſertim cùm viuente animali, eò non feratur caloris excandeſcentia, vt humores completè exurat, in cinerémque vertat: nam multæ reperiuntur candidiſſimæ ſubſtantiæ, quæ remiſſiori calori quàm ſit calor cordis, diu expoſitæ, atrum colorem induunt. Sed & intra corpus humanum, ex albo ſabulo, diu in renibus, aut veſica detento, caloris vi, ſabulum, aut calculum conflari nigrum videmus, nulla alia præter diutinam moram, & immodicum locorum calorem, accedente cauſa. Si ergo hæc eueniunt, quid obſtabit illud perinde pituitæ ſalſæ euenire poſſe?

Poteſt igitur pituita ſalſa in atram proximè migrare, idque per medios colores, acquiſito ſcilicet priùs cineritio, deinde ſubnigro. Conſpicimus enim pſoram à ſalſis ſuccis in elephantiaſim proximè interdum degenerare; exuſtione enim ampliùs craſſeſcit, tum in atram vertitur, quæ eſt proxima elephantiaſis cauſa. Quòd verò cæteræ pituitæ ſpecies frigidæ, in atram bilem proximè commutari non poſſint, probabilitate non vacat: Si enim excedentis caloris vi, è frigida pituita ſimplici, & nullo alio infecta ſucco, nonniſi albus calculus proximè producitur; multo rectiùs per actionem eiuſdem caloris, in eadem pituita manente adhuc humoris forma, albedo manebit, præſertim cùm frigidus is ſuccus, craſſus, & lentus, incendio ſit ineptiſſimus. Accedit præterea ob eximiam eius tenacitatem, & craſſitudinem, vt caloris tantam actionem non ferat, quin antequam calor mutetur, exolutis partibus tenuioribus, craſſiores relinquantur albæ, in mucoſam, aut gypſeam pituitam verſæ.

Inſtabis hoc modo. Calor temperatus ex pituita, facit ſanguinem, & immodicus ex ſanguine, facit atram bilem. Ergo immodicus ex pituita faciet atram bilem. Futilis obiectio: Nam per actionem intenſi caloris, & immodici, ſi non fit è frigida, & naturali pituita ſanguis, fieri tamen poteſt pituita mucoſa, & ampliùs agente calore gypſea; quippe quæ ab immodico calore indurata, non ad atrum, ſed album peruenit colorem: albus enim tophus, qui procul dubio pituita indurata eſt, in morbo articulari, è viſcida pituita, intempeſtiuo acrium, & calidorum pharmacorum vſu conflatur, vt docuit Galenus, 10. *ſec. loc. cap.* 2. Hæc eadem dura pituita in pectore nonnunquam, & ſpiritalibus partibus, validi caloris ope progignitur, vt conſtat ex Hiſtoria Gal. 4. *de loc. vlt.* illius, qui ex pulmone veluti grandinem expuebat.

Attamen multa ſunt quæ obiici poſſunt, quæ breuiter expendere oportet. Primum, quia Galenus *loc. cit.* agens de generatione atræ bilis, huius non conſtituit materiam, pituitam. Secundum, Gal. 2. *de facult. cap. vlt.* laudat ſententiam Eraſiſtati, qui præter ſanguinem, decem humorum differentias conſtituit, quinque bilis, vt conſtat. 10. *ſimpl. cap. de felle*, tres pituitæ, 2. *feb. 6.* & duas atræ bilis, alteram ex flaua bile, alteram ex melancholico ſucco. Si ergo atra bilis ex pituita generaretur, humorum differentiæ plures eſſent conſtituendæ. Tertium, quòd Gal. 3. *de loc.* 7. huius ſpeciei bilis, atræ haud meminerit. Quartum, quòd eodem loco tradat cerebri Epilepſiam, quæ à pituita fit, paratam in aliâ affectionem permutari, melancholiam verò haudquaquam efficere. Quintum, Galenus 1. *de facult.* 10. aſſeuerat, non fieri tranſitum de extremo ad extremum, niſi per medium: Patet in bile flaua, quæ antequam fiat atra, per multas ſpecies tranſit bilis præter naturam. Ergo pituita cùm magis diſtet ab atra bile; in hanc nonniſi mediis aliis humoribus tranſire poterit. Sextum. Pituita quando ab excedente calore immutatur, ſi eſt tenuis & aquea, inſenſibiliter reſoluitur; ſi tenax & craſſa, in tophos vertitur, lapides, & gypſeam; ſi non eſt tenax, putreſcit, & fit ſalſa: ſi eſt naturalis, & calor eſt potens, tunc elaboratur, & in ſanguinem conuertitur. Nullo ergo modo in atram tranſit. Vltimum. Ariſt. 4. *meteor.* 9. affirmat, aquea non poſſe aduri, nec denigrari. Ergo pituita cùm aqueam habeat naturam, denigrari non poteſt. Ita apud Galenum 2. *progn.* 46. ex pituita aſſata in thorace à torrente calore, exernitur pituita craſſa, glutinoſa, candida.

Sed non ob hæc Galeni doctrina deſerenda. Dic ad Primum. Galenus agens de generatione atræ bilis, frequentem materiam aſſignat, quæ eſt ſuccus melancholicus, aut flaua bilis; pituita verò ſalſa, rarò in atram tranſit. Hoc voluit ſignificare Auic. *loc. cit.* dum ſic inquit: *Cholera nigra generatur ex melancholia naturali, aut ex flaua bile, ex pituita autem rarò, & parum.* Secundum & tertium eodem modo perſolue. Ad quartum dic, quòd quãdo in cerebro pituita abundat pro Epilepſiæ generatione, impoſſibile ſit generari melancholiam, nî excellens caliditas adſit, quæ exurens pituitam, hanc ad atram commutet. Ad quintum dic. Verum eſſe, de extremo ad extremum non fieri tranſitum niſi per medium: ſed quantò plura ſunt media, tantò facilior eſt tranſmutatio. At interdum non reperitur medium, ſed vnicum tantùm. Ita Farina, quæ alba eſt, & Lana candida, & multa alia igni admota, ſine mediis coloribus denigrari ſolent, & ſiquis color medius eſt, eſt fuſcus, aut cineritius. Cùm ergo pituita ſalſa ſit cineritia, proximè & immediatè in atram bilem poterit tranſire. Neque perfectam nigredinem expectes in hac atra bile, neque ad hanc abſolutè neceſſaria eſt nigredo: ſed quæ ex melancholico ſucco fit, ſuapte ſponte nigro, nigerrima erit; ex ſanguine, poſt ipſam; minorem nigredinem habet, ex bile; pituitæ verò, diluiſſima quædam nigrities ſufficit, candoris plurimum habens. Ad ſextum patet ſolutio ex dictis. Vltimum ſolues ſi dicas, aquoſa omnino, quum nihil habeant terrenum quod reſiſtat, nec poſſe exuri, nec denigrari: contrà tamen accidit, ſi ea aliquid terrenum, & craſſum ſortiantur, de quorum numero eſſe pituitam ſalſam, nemo non videt; nam humidiſſima, vt aqua, & omnis terræ expertia, nequeunt vri, quoniam in his nihil eſt quod vſtionem ſuſtineat De pituita verò conſtat ſuperaſſari, craſſam, & glutinoſam reddi, quoniam terram continet, quæ ignem poteſt ſuſtinere.

Pergamus vltrà, & reliquas de hoc argumento quæſtiones vtiles explanemus. *Vtrùm Galenus ex habitu, temperatura, & conſtitutione corporis, rectè collegerit, an melancholicus ſanguis in vniuerſo corpore, vel cerebro coaceruetur?* Nam 3. *de loc. affect. cap.* 7. ex conſtitutione nigra, gracili, hirſura, latis venis prædita, melancholicum humorem in toto redundare aſſeuerat; è contrà, ſi ſit alba, pinguis, mollis, & anguſtis venis conſtet.

Verùm hæc videntur obſcura, ob rationes plures, & primò ſic: Humores videntur multiplicari in corpore, pro ratione conſimilis temperamenti à quo elaborantur. Atqui melancholiæ temperies frigida eſt, & ſicca. Ergo illius abundãtia magis accreſcet in frigida, ſiccáque natura. Sed huius conſtitutio alba eſt, modicè pinguis, anguſtis vaſis prædita, glabra, non hirſuta, *lib. art. med. cap.* 59. Igitur, &c. Confirmatur, quoniam balbi ſunt atrabilioſi, 2. *epid. ſect.* 6. *verſus princip.* & 11. *probl.* 38. horum autem natura, frigida & ſicca eſt. Quòd frigida, conſtat ex Gal. 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 78. vbi de blæſis: Quòd ſicca, elicitur ex eodem, 6. *Aph.* 32.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 249 sur 927

balbutiunt siquidem præ lingua breuitate, quæ anteriores dentes premere non potest, ad pronunciandum A. post T. Id autem ex siccitate accidere, præterquam quod fatetur *ibidem*, patet, quia siccitas prohibet linguam extendi; vnde balbutire facit, quemadmodum accidit his, quibus illa præ nimiâ oratione aruit. Igitur, &c. Adde quod candidi ab ortu, vt traditur, 2. *temp. cap. vlt.* melancholiam aceruant, & ad eam idoneos esse valde rubros, scribit 1. *prorrhet. sect. 2. com. 14.* & Auic. 1. 3. *tract. 4. cap. 18.* habentes cor excedenter calidum, & cerebrũ humidũ. At cum his stare potest, vt pingues, simul etiam sint molles, & angustarum venarum. Igitur, &c. Rursus, si ex melancholicis eduliis, vigiliis, curis, laboribus, tenui victu, vel suppressa excretione consueta, potest multiplicari melancholia in corpore, multiplicabitur etiam in non hirsuto, non gracili, non coloris atri, non habente venas angustas. Vnde incertum videtur, & fallax indicium ex habitu, & temperatura desumptum.

Obiectiones hoc modo facilè solui possunt. Quamuis iecoris temperamentum auctor humorum sit, & cuiuscunque partis temperies, agens illius excrementi, quod in illa aceruatur: cùm tamen ex cibis, non ex corpore, vt loquitur Galenus, 2. *de temp. cap. vlt.* humores, & excrementa fiant; nihil mirum, si nonnunquam corporis temperamento non respondeant, nempe quia ingesti cibi ab eo non vincuntur; & quia in frigido & sicco ab ortu, propter defectum qualitatum coquentium, caloris scilicet, & humiditatis alimentum non percoquitur, nec ad exactam sanguificationem perducitur, ante sanguinem manere fit necesse, hoc est, sub forma pituitæ, non melancholiæ, quia naturalis, cùm fæx sit & limus sanguinis, per maiorem coctionem, cum eo simul producitur; atra, per immodicam & excedentem, quæ asset & exurat. In frigido igitur & sicco à natura, quia parum sanguinis, parum etiam melancholiæ conficitur, sed naturalis quidem, 1. 1. *doct. 5. cap. 2.* quæ sanguinis proportione accrescit, in iecore caloris moderati: multa, & præternaturalis in exuperante calido, vniuersam ferè massam adurente, & temporis tractu in cinerem vertente, euanescente iam plurima ignea parte; atque adeò in frigido sicco temperamento ex tempore contracto, augetur magna ex parte melancholia. Quoniam verò cum huiusmodi habitu coëunt gracilitas, & hirsuties cum atro colore, ac venarum amplitudine, meritò Galenus ad hæc quatuor respicere docuit, vt ex illis coniiciamus, redundétne in toto crassus & fæculentus humor, quem apti sunt cumulare, qui talem sortiuntur constitutionem, non frigidam siccam ab ortu.

Neque obstat, quod de balbis obiiciebatur: non enim omnes atrabilioſi sunt, sed nonnulli tantùm ex illis, quorum balbuties causam habet calorem excedentem, ratione cuius balbutire dicuntur atrabilioſi; nempe quia præ imaginandi velocitate, cuius auctor est calor, & præcipuè in capite auctus, concepta rectè assequi nequeunt, quare præpediuntur, 11. *probl.* Colligitur idem ex Hip. 2. *epid.* dum melancholicam naturam describens habet: *Balbi, iracundi, celeri lingua præditi, &c.* qui sunt effectus caloris excedentis, nec stare possunt cum balbutie, nisi ab illo progeniti.

Quòd si Galenus 1. *epid.* blæsos numerat inter frigidas naturas, nobiscum non pugnat: Nec enim inficiamur, bulbutiem etiam prodire à frigiditate immodica, cuius præsentia musculi linguæ, vi & robore destituuntur, ad premendum requisito; sicut nec ab ipsius linguæ breuitate, siccitate, & largo cerebri humore, cuius gratia infantes, & ebrij balbutiunt: de quibus causis Galenus 6. *epid. cit.* Vnde, &c.

Iam verò candidi ob ortu, si melancholiam aceruãt, pauca admodum est, si conferatur ad nigros, hirsutos ex calore: prærubri autem his minùs; illis magis, quia calidiores: vstus siquidem sanguis præruber euadit, atque adeò aptiores sunt ad atram cumulandam, & fieri melancholici, quod vultus mœstitia indicat, 1. *prorrhet.* Denique si verum est quod scripsit Auicenna, dictis non repugnat: stat namque humidum esse cerebrum, atque adeò molle, debile, & magis ad melancholiam, & totum, gracile, hirsutum; cùm vnius membri temperies à totius sit longè diuersa, nec hanc ex illa rectè colligamus. 2. *de temp. vlt.* Sed cùm Auic. sententia in Hip. fundetur, 2. *epid. cit.* quem ita interpretatur cum Rhasi, 1. *contin. cap. 3.* sequitur Halyab. 9. *theoric. cap. 7.* cum aliis, dices ideò fuisse pronuntiatum ab Hip. atrabilioſos, balbos esse, iracundos, celeri lingua præditos, atque adeò in habente cor valde calidum, & cerebrum nimis humidum, aggregari melancholiam, quia in corde vehementer calido, cuius propria est iracundia, exuruntur humores; in cerebro excedenter humido, vnde balbuties, præ nimia humiditate facilè suscipiuntur, & coaceruantur.

Cur verò ita Hippocratem interpretetur, cùm is nunquam aduſtorum humorum originem cordi tribuerit, nec siccis morbis, & sibi improportionabilibus cerebrum natura humidissimum possit esse obnoxium, ea est ratio, quoniam vt diximus, balbuties, de qua Hip. *cit.* à cerebri humiditate non prodit, sed à calore potiùs linguam velociter impellente: ac proinde ex corporis habitu venandum, num melancholia in toto redundet, sitque homo per naturam atrabilioſus.

Quæro vlteriùs: *Vtrum ex vacuatione retenta, & alimenti melancholici vsu verè iudicauerit Galenus, an melancholicus humor in toto, an in cerebro cumuletur?* Ex retenta enim sanguinis melancholici vacuatione solita, hoc indicium esse petendum, patet: eo namque per consueta loca non vacuato, necesse fit per totum diffundi, & redundare, ac morbum melancholiæ efficere, 6. *epid. sect. 5. com. 25.* Quare rectè Hip. 6. *Aph. 11.* & Gal. *cit. epid. Melancholicis, hæmorrhoides superuenientes, bonum*, scilicet, quia per illas, fæx & limus sanguinis vacuatur.

Neque obiicias, verisimilius esse ex retenta aliqua vacuatione sanguinis melancholici repleri partem, quàm totum: nec enim ita facilè, & frequenter tanta aceruatur copia, quæ possit vltra modum per totum distribui, ita vt vniuersum repleat. Ergo ex menstruis, aut hæmorrhoïdibus cohibitis, perperam colligitur melancholia aucta in toto. Dic. Cùm totius vasa ampla sint, lata, & patentia, facilius in illis redundantia, quàm in parte susciepietur; ac proinde verisimilius indicium erit melancholiæ in toto auctæ, ex mensali, vel hæmorrhoïca retentione, aliáue quauis sanguinis melancholici, præsertim si diuturna fuerit.

Iam verò ex alimentis melancholicis, quorum copiam ibi proponit Galenus, hoc posse indicari, constat: nam si æger illis largiter fuisset vsus, non temerè iudicabitur, totum corpus esse simili humore refertum. Verùm contra hanc doctrinam hoc modo insurges. Terrea illa, crassa, & melancholica edulia, quæ memorat, licèt ex se talia sint, in quibusdam tamen naturis rectè confici possunt, & in bonum succum conuerti; non secus ac in aliis praui generantur humores, à tenuibus & probis alimentis. Igitur ex illis coniici non potest aceruari melancholiam.

Deinde, cur in ea augenda maiorem vim tribuit leporicæ carni, quàm bubulæ, hircinæ, & caprinæ, cùm calidior sit, & eam simpliciter pronunciet Gal. 3. *alim.* 2. multò melioris succi? Præterea, si lepus sanguinem habet tenuissimum, & inter pedestria suauissimũ, probissimúmque *cit. lib. cap. 18.* cur illius caro tam dissimilis credenda est? Insuper si legumina flatuosa sunt, atque adeò aërea, & à terræ natura valde aliena: Olera autem ferè omnia à tota substantia ad melancholiam inclinant, testante Auerrhoë 5. *collig. cap. 41.*

quom

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 250 sur 927

quomodo legumina vniuerſaliter conſtituit melancholica, & inter olera, ſolam Braſſicam? Quidue terreum habet vinum quantumuis craſſum, quod ſui, & corporis calore attenuari non poſſit, & in ſanguinem probiſſimum, cui ſimile eſt, conuerti?

Dic. Non deſinunt eſſe terrea, craſſa, & melancholica, quæ ex ſe talia ſunt, licèt in quibuſdam naturis magis, in aliis minùs. Nec vrget ſimilitudo proborum alimentorum: multò ſiquidem facilius eſt, & frequentius, proba quàm mala, in bona & meliora, commutari. Quod attinet ad leporicam carnem, multi putant ex ea plus melancholiæ ſeparatæ generari; at verò ex vaccina, & aliis frigidis melancholicis eduliis, multò plus craſſi, melancholicíque ſanguinis, ſcilicet ob attenuantis, & ſecernentis caloris copiam. Sed manifeſtè redarguuntur ex Galeno *loc. cit.* tribuente maiorem vim leporinæ, ad melancholiã in toto augendam: quod falſum omnino foret, ſi vaccina copioſiorem ſanguinem melancholicum gigneret. Nec obſtat, quòd hæc frigidior ſit, & craſſior, & ad ſimilem ſuccum multiplicandum accommodatior, quoniam ex valde terreis plus ſtercoris ad inteſtina, quàm melancholiæ ad hepar ſecedit: nec huius humoris copia cum frigido habitu ſimpliciter conuenit, vt diximus, & euidenter colligimus ex Gal. *loc. cit.* dum ait: *magis ex hircina, & taurina, quàm ex vaccina, & caprina augeri, & multò plus ex leporina.* Non exiguam autem præſtat incrementi occaſionem, permixtio aromatum quibus lepores parari ſolent; ac proinde non ſolùm maiorem copiam melancholici ſanguinis, ſed & craſſiorem gignit, cũ quo ſtat, & meliorem, quemadmodum de ſuilla ſcripſit Galenus, 3. *alim. cit.* Minùs obſtat, leporis ſanguinem tenuiſſimum eſſe, quò craſſam, & melancholicam non iudicemus carnem: nec enim ſemper cum ſanguine membra conueniunt, vt patet in frigida ſicca totius temperie, quæ humidi, & pituitoſi ferax eſt; & in vaccina carne cum ſucco ſuo collata, quæ cùm arida ſit, ius facit ſuauiſſimum. Nec mirum, quoniam ſicut illa quæ à toto abſcinduntur, totius naturam ſapiunt, ita quæ veluti purgatione quàdam ſecernuntur, tanquam aliena magis aduerſari, quàm amplexari oportet: Hinc iuxta dura oſſa caro dulcior, mollior, & ſuauior; vaccinũ lac butyro abundat, contra carnis naturã. Cur igitur cum tenuiſſimo leporis ſanguine, melãcholica, & craſſa non erit caro? Quam ſanè ſi in morbis longis admittit quandoque, pituitoſi ſunt indigentes exiccatione, non melancholici, quia lepore maximè offenduntur.

Iam verò legumina, præterquàm quòd flatu abundãt, melancholica, & terrena eſſe ex eo fit manifeſtum, quia ex terra per æſtatem vſta, arefactáque vltimò prodeunt: Olera autem omnia per naturam ad melancholiam declinare inficiamur, cùm potiùs ad aqueos, crudóſque ſuccos inclinent, quod omnibus ferè plantarum foliis commune eſt, vtpote primo vere ex madente adhuc terra prodeuntibus. Craſſum verò, nigrúmque vinum, cùm totum ferè tranſeat in ſanguinem, talem efficit, quale ipſum ex ſe eſt.

Sequitur illius quæſtionis diſputatio: *Vtrùm ex anteacto vitæ regimine cognoſci poſſit, an melancholicus ſanguis in cerebro, an in toto corpore abundet?* Nam 3. *de loc. affect.* 7. affirmat, ex reliquo anteactæ vitæ regimine, à quo corpus calidum & ſiccum redditur, atque adeò aſſantur humores, & in atram bilem conuertuntur, vt laboribus, ſolicitudinibus, vigiliis, &c. id coniectari; & ad firmandam coniecturam non parum habere momenti, præſentis, præteritique temporis ſtatum reſpicere, regionem, & laborantis ætatem, arbitratur, in quibuſdam ſiquidem magis, in aliis minùs ſuccus melancholicus procreatur.

Sed contrà facit vnum firmiſſimum argumentum, quòd labores, vigiliæ, & ſolicitudines, potiùs calefaciendi, quàm infrigidandi vim habeant: cùm igitur melancholia de genere frigidorum ſit, non bene coniectabimus eam in corpore redundare, quantumuis illa præceſſerint. De tempore verò, regione, & ætate quæri non immeritò poteſt, quænam inter illa magis apta ſint ad illius humoris multiplicationem.

Dic. Quæ corpus vehementer calefaciunt & exiccant, humores aſſando, in melancholicam, & terream conſiſtentiam commutant. De tempore manifeſtum eſt, ex Gal. 3. *Aph.* 20. *& alibi*, eſſe autumnale (non minùs quàm æſtiuum bilis, vernum ſanguinis, hyemale pituitæ) præ cæteris ferax melãcholiæ. Quum enim humores ab æſtate ſuperaſſatos excipiat, nec ad habitum corporis euacuet, & diffundat, ſed intra corpus contineat, 22. *cit. lib. in com.* eos ſua frigiditate incraſſans, & infrigidans, conuertit in melancholiam, & atram præſertim adauget; & non aliter coaceruari diximus in frigida ſicca temperatura, ex tempore contracta; calida tamen ſicca ex natura: licèt enim omnis inclinans, ad ſeipſum per antecedentes ætates collatus, frigidus & ſiccus ex tempore ſit; non omni tamen modo per inclinantem ætatem melacholia abundat, ſed vel maximè bilioſo per naturam, nempe quia in pituitoſo alimentum non perducitur ad exactam ſanguificationem, ideóque nec melancholia, ſanguinis fæx aceruabitur; in temperato, non excedit: in bilioſo autem, cùm per exceſſum aduratur, neceſſe eſt in declinante ætate, euaneſcentibus iam ad huiuſmodi reſolutionem magna ex parte ignis portionibus, plurimum terreum exuſtum manere, & atram accumulari. De ætate, & regione, illud ipſum quod de temperatura exiſtimandum.

Alia tamen quæſtio ſuperioribus adiicienda: *Vtrùm ex cura per venæ ſectionem tentatiua, cognoſci poſſit, an melancholicus ſanguis in toto, an in cerebro redundet?* Galenus *enim* 3. *de loc. cit.* ex hac curatione reliqua omnia confirmari aſſeuerat, plenámque, certam, & infallibilem fieri notitiam; ſi enim mediam venam ſeces, & effluens ſanguis melancholicus apparuerit, eum in toto abũdare fit euidentiſſimum, ac proinde audacter extrahendum pro ægrotantis viribus: quòd ſi tenuis exeat, protinus ſupprimendus, nec diutius fluere permittendus, putandúmque morbi occaſionem à melancholico ſanguine præſtari, non totius, ſed qui in ſolo cerebro abundet.

Obiicies ſic. Si quatuor priora, quæ hactenus ex Galeni doctrina protulimus, vera ſunt redundantis melancholiæ documenta, impoſſibile eſt ſecta vena, nigrum & infectum ſanguinem non exire. Ergo ſuperfluè additur quintum, ex tentante phlebotomia. Deinde, ſi ex menſium, vel hæmorrhoïdum ſuppreſſione, melancholicus ſanguis in toto redundet, poplitis, vel pedis vena priùs ſecunda venit, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 11. *&* 18. Ergo perperam Galenus iubet ſine diſtinctione ſecare cubitum; imò diminutè, non explicans, dextrúmne, an ſiniſtrum, quod maximè neceſſarium erat: nec minùs aberraſſe videtur, communem, nigrámue eligendo venam; quia ſicut in Mania, baſilica, ſiue iecoraria primùm ſecatur, ex Meſuë *cap. prop.* ita in Melancholia agendum; vtrobique enim iecoris vitio redundant in toto atrabilioſi humores, vel ſimpliciter melancholici. Igitur, &c. Demum frequentiſſimè accidit, vt depraua to ſanguine in venis abundante, ſubtilis primùm, & bonus extrahatur, ſequatur verò atrabiliarius, & corruptus. Ergo non eſt confeſtim ſupprimendus, licèt tenuis fluat, non niger & craſſus, ſed fluere permittendus, vt vtiliter ſuadet Auic. 1. 3. *cap. de cura Melancholiæ:* & ex conſequenti, &c.

Dic. Rhaſis 1. *contin. cap.* 3. totum ſanguinem putat fore nigrum, vbi melancholia redundat in toto, ideóque ſi facta melancholico phlebotomia, craſſus, & niger,

niger non exit, deceptum fuisse Medicum in opinione sua. Sed non tollit hoc, ad maiorem certitudinem, vt commendat Galenus, venam aperire, & cubiti primùm; etiam in melancholici sanguinis redundantia, ortâ à mensium, vel hæmorrhoidum suppressione diuturna, ad totius plenitudinem deponendam, præcipuè si magna fuerit: Et quamuis ipse *lib. de ven. sect.* sine distinctione loquatur, fortè intelligendus, vbi retentionem ipsam curare intendimus, nec ingens datur in superioribus plenitudo; *lib.* verò 3. *de loc. cit.* iubet communem secare, habito respectu ad totum, & ad caput ipsum affectum: ratione cuius, poterat etiam eligere humerariam, cephalicam, seu externam, & sinistri quidem brachij, quia in sinistra parte melancholia copiosior est. Basilica autem dextra in Mania secanda est, quia magis respicit affectus originem, iecur scilicet, cuius immodico calore humores assantur, & flaua bilis augetur, vtplurimùm Maniæ auctor, 6. *Aph.* 21. & 56; & 2. *de caus. symp. cap. vlt.*

Vltimò, quia versus interiora sanguis sæpe infectus existit, si signa adsint melancholici per corpus redundantis, præstat iuxta Auicennæ consilium, etiamsi tenuis, & fluidus fluere incipiat, non illicò supprimere: maximè quòd melancholicus vtpote crassus, & tardus ad mouendum, difficilè ad longinqua, & externa mandatur; propter quod suadent plures, posse securè diuerti ad propinqua, non sic calidos, & tenues.

Differentiæ Melancholiæ, ex parte humoris depromptæ.

MElancholiæ causas antequam proponam, satius duxi eius differentias, & circa has dubia ardua exponere: vt nihil relinquatur ignotum eorum, quæ ad probè curandum conferunt apprimè. Sed priùs proponendum, quòd duplex est melancholia, alia enim est naturalis, altera præter naturam: Illa in qualitatibus, & in substantia terræ similis est, est enim frigida & sicca, grauis, & crassa, & vocatur fæx, limus, & hypostasis sanguinis: nam qualis est amurca in oleo, & fæx in vinis crassioribus, talis est melancholia in sanguine; quare meritò ab Auic. sanguinis turbulentia nuncupatur, quando enim in debita proportione non miscetur, sanguinem turbat, & denigrat.

Est & altera melancholia præter naturam, quæ non generatur per residentiam, sed per adustionis viam, & sic in cinerem conuertitur: non quòd sit veluti cinis, qui ex lignis adustis generatur, cùm enim sit humor, non potest esse sine humiditate, tamen eam consistentiam acquirit caloris vehementia, quæ cum natura humoris compatitur. Hæc ex succo melancholico naturali adusto, & ex flaua bile assata generatur, media vitellina, porracea, æruginosa, & cærulea: & sicut putrefactio in termino, est corruptio, & mutat speciem; sic adustio, quando est vltima, solet mutare speciem, & sine causa vniuoca particulari, ex dispositione materiæ, effectus à causa naturali producitur. Hæc ex sanguine adusto etiam generatur: *Sanguis enim cùm aduritur, & putrescit, pars tenuis vertitur in bilem, & crassa in atram, 2. feb. 9. & 2. crisi. 12.* De his omnibus speciebus singulatim peragendum.

Et primò sic. *Vtrùm melancholia sit humor?* Nam si definitionem humoris contemplemur, qui nihil aliud est, quàm *substantia quædam humida, liquida, & fluida, 1. 1. doct. 4. cap. 1.* & ita oportuit esse vt in membra laberetur, inueniemus melancholiã non esse humorem, cùm frigidum siccum sortiatur temperamentum, nec humida, liquida, aut fluida sit. Nec satisfacies dicens, eam actu quidem humidam, ac fluidam esse, vi tamen, & potentia siccam; humores autem esse determinandos, non ab iis quæ actu, sed vi & potentia habent, 1. *de temp.* 9. & 2. *c.* 6. quemadmodum & vinum dicit siccum 8. *simpl. cap. prop.* & 5. *Aph.* 5. quoniam tale est potentia, licèt actu humidum. Nam etiam humorum temperamenta sæpe tactu inquirit, *lib. de nat. hum. com.* 32. ac si talia sint dicenda, qualia actu apparent, de quibus solùm tactus iudicat: & sæpe Galenus de vitreo humore loquens, frigidissimum appellauit, eò quòd tangenti frigidissimus apparuit: & 2. *Aph.* 21. & 3. *de caus. puls. vlt.* & 1. *acut.* 22. vinum etiam humidũ nuncupat, quia humiditatem habet actualem; ac si denominationem sortiantur res ab iis, quibus actualiter constant: quo pacto sæpe de medicamentis iudicat. Quare, &c.

Dic. Etiam humores illi, qui incinerati dicuntur, quandiu sub forma humoris permanent, fluidi sunt, & humidi: non enim per adustionem omni suo humore priuantur, instar lignorum cineris, sed ad summam humorum siccitatem perueniunt, cum quo stat, fluidos adhuc & liquidos existere actualiter; quod omnibus commune est, licèt inter eos quidam sint suapte natura, vi, & potentia sicci, quemadmodum alij, vi & potentia humidi: omnes tamen intra corpus, non aliter ac medicamenta in actum reducti sunt, vt sanguis calidus humidus; pituita, frigida humida; bilis, calida sicca; melancholia, frigida sicca: ac proinde Galenus cùm tactu explorat humorũ temperiem, & partium corporis, eámque esse pronunciat, quam sensu dignoscit, de humoribus agit prout intra corpus existunt, cùm verò vi & potentia tales appellat, extra corpus cõsiderat, licèt non eodem modo omnes è corpore prodeuntes sua temperamenta seruent. Sanguis enim quanquam vbi primùm egreditur, manifesto calore ebulliat, atque ita actu calorem præ se ferat, paulo pòst tamen concrescit, & in frigidũ siccum grumum commigrat, nullâ pristini temperamenti potentiâ relictâ. Atra, flauáque bilis, vomitu, aut secessu eiecta, actu fluida humidáque prodeunt, sicca autem solâ potentiâ: calor tamen in bile, & actu percipitur, & potentia manet, erodit enim & mordicat, etiam diu in felle seruata. Non minùs etiam frigiditas actu, imò & potentia in pituita seruatur, tacta siquidẽ refrigerat, & per febrem excalfacta, ac in vapores resoluta ad cutem accedens, innata frigoris potentia in frigidũ sudorẽ conuertitur.

Ex his ad argumentum: Si melancholiam intra corpus consideres, non solùm potentia, sed actu etiam frigida sicca dicenda, & cum ea simul liquida ac fluida substantia, qualis cùm deiicitur, apparet. Atque ideò, siue per illa definiantur humores, quæ actu habent, siue per illa quæ potentiâ, cùm eam etiam intra corpus retineant rectè definietur melancholia, frigidus siccus humor. Quòd si extra corpus humida tactu percipitur, satis est suapte natura siccam esse potentia, vt sicca simpliciter dicatur: humores enim, imò & medicamenta extra corpus, potiùs per ea, quæ vi & potentia habent, definientur, quàm per ea quæ tactu præ se ferunt, quoniam secundùm suas potentias, & qualitates agunt, ratione quarum medicamenta, hoc est, à qualitate agentia dicuntur. Et ita vbi Galenus vinum pro medicamento assumit, hoc est, prout intra corpus potest agere, illius temperiem immutãdo, calidum siccũ definit, quarum qualitatũ neutram ad tactũ ostendit; humidum autem, secundùm quod alimenti rationem subit, & à materia operatur. Siquando verò medicamenta talia appellat, qualia ad tactum apparent, non dissimiles erunt actuales, & potentiales qualitates.

Quare succus ater, quartus est humor, tum ab omni bile, tum à duobus reliquis humoribus distinctus, & corporis constitutioni, æquè atque ipsi, necessarius. Frigidus namque & siccus existens, materiam præstat opportunam nutriendis ossibus, neruis, venis, arteriis, cartilaginibus, membranis, & reliquis partibus simili temperamento præditis. Sed quid respondebis Hippocrati *lib. de genitura, num.* 5. succum atrum humorum numerum non referenti, dum sic air: *Sunt autem quatuor*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 252 sur 927

tuor humorum ſpecies, ſanguis, bilis, aqua, & phlegma: Nam *lib. de natura humana*, & ſæpe alibi, quatuor hos humores enumerat, ſanguinem, bilem flauam, bilem atram, & pituitam. Quare ne te anxium reddant ſententiæ plures, Hippocratis libris inſertæ, quæ ſi ad vltimum ducantur examen, quemuis lectorem ancipitem reddent, & maximè illa prolata in *lib. de genitura*, quem non eſſe Hip. Magni genuinum fœtum, ſed Hip. Theſſali filij, patet ex Galeno 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 29. qui librum *de morbis* eſſe adulterinum firmat, quòd auctor illius libri, nempe Theſſali filius, quatuor humores illis nominibus enumeret. Vel ſi per aquam quæ in liene continetur, melancholiam intelligas, rectè dubium perſolues, quoniam is ſuccus lienem obſtruens, aquam intercutem excitare ſolet.

Vtrùm melancholicus ſuccus ſit ſanguinis fæx, differátque à bile atrâ, & denigrato ſanguine? conſequenter eſt dubitandum. In ſanguinis generatione, humor qui ſupereminet floris inſtar, bilis appellatur; ſubſidet fæx ſeu ater ſuccus, qui melancholia dicitur, nam ſuccus melancholicus à fæce ſanguinis non eſt diuerſus. Neque dicas, quòd ſanguinis fæx, ſanguis eſt, nec diuerſam ab eo nanciſcitur naturam: & quòd melancholicus ſuccus, frigidus & ſiccus eſt; ſanguinis autem fæx, calida, & humida: quia & fæx vini, & olei, ſuorũ humorum naturâ agnoſcunt: & quòd ſanguinis fæx gelatur, ſicut & ſanguis ipſe; ſuccus autem melancholicus non gelatur: Nam ſicut fæx vini, vinum non eſt, nec olei, oleum; ita etiam limus ſanguinis ab ipſo ſanguine diſtat. Fæx autem vini, atque olei, frigida eſt & ſicca, niſi quatenus vini, aut olei aliqua ſubſtantia cum ipſis retinetur. Sanguinis præterea fæx, neq; gelatur, nec fibras habet.

Deinde longo diſcrimine inter ſe differunt, melancholicus ſuccus, bilis atra, & denigratus ſanguis, 4. *Aph.* 21. Negamus tamen hunc ad aliquam ex melancholiæ ſpeciebus referendũ eſſe, quum ab illis ſit valde diuerſus, non ſolùm nomine, ſed & re ipſa: ſanguis ſiquidem extra venas diſcedens, deſinit omnino eſſe humor, nec in alium quempiam conuertitur, ſed totus concreſcens migrat in grumum thrombúmue, à cuiuſuis humoris natura ſatis alienum, *lib. de atra bile, cap.* 2. Quare illius deiectio, iudicio, notis, & curatione ab aliis nigris plurimũ differt: Iudicio, quia nigratus ſanguis, quamuis præternaturalis ac prauus, ſæpe ſine periculo excernitur, 4. *Aph. cit.* Non ſic bilis atra, cuius excretio perpetuò exitialis eſt, maximè ſi ad morbi initium fiat; ſuccus autem melancholicus, dubius, & ſuſpectu, 2. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 37. & 2. *progn.* 46. & 48. Notis verò ſeparantur, quoniam ſolus ſanguis inter humores concreſcit, & inſpiſſatur, vbi effluxerit, 4. *de hiſt. animal. cap.* 19. & 2. *de partib. animal. cap.* 4. reliqua autem duo, liquida & fluida prodeunt, & talia etiam permanent, *lib. de atra bile, cap.* 3. Quibus autem indiciis bilis atra, & ſuccus melancholicus inter ſe diſtinguantur, colliges ex Gal. 3. *de loc.* 7. & *lib. de atra bile*, & 4. *Aph. cit.* & *lib.* 14. *meth. cap.* 2.

Vtrùm melancholicus ſuccus acidus ſit? controuerſum eſt in doctina Galeni, qui 3. *de loc. cit.* & 4. *Aph.* 21. illi acorem denegat. Contrà *lib.* 5. *de vſu part. cap.* 4. *in fin.* agens de recremento melancholico, dicit eſſe acerbũ, & acidum: & 3. *acut.* 38. non modò acidum eſſe huiuſmodi ſuccum, ſed plurimum acoris habere prædixit. Hæc repugnantia hoc modo ſoluenda. Melancholia cùm ſit frigida, ſicca, & terrena, neceſſariò acerba, & acida eſſe debet: verùm cùm ſit fæx ſanguinis, ab huius benignitate exui non poteſt, neque bilis, à dulcedine illius: & hac de cauſa aliquo modo obſcuratur, cùm illi ſapor ſanguinis ſit contrarius, *lib. de atra bile, cap.* 3. quo loco de ſucco melancholico, & eius excretione agens, non habere manifeſtam aciditatem aſſeuerat, quia à dulcedine ſanginis obſcuratur. Hoc ſignificauit Auic. aſſerens habere medium ſaporem inter dulcem, & acerbum. Quando autem melancholia ſanguinis dulcedine eſt deſtituta, qualis eſt illa, quæ ex liene poſt illius nutritionem confluit in ventriculum, veluti ſuperflua & excrementitia, hæc acida & acerba eſt manifeſtè.

Vtrum atra bilis accida ſit? Reſpondet Gal. 4. *Aph.* 23. hoc modo. Dum ſuccus melancholicus ſuam naturam ſeruat, & corpus rectè valet, ſanguinis dulcedine, cuius ipſe eſt limus & fæx, diluitur, vnde eius acor occultatur. Dum verò torretur, & atra bilis fit, ſanguinis dulcedine amiſſa, mordax fit velut acetum, tunc enim acorem ſincerum oſtendit, quem ante ob mixtionem non oſtendebat. Hoc modo bilis nigra accida eſt. 3. *acut. cit.* quum ſcilicet præter naturam habente corpore, & ſincera, & impermixta fuerit.

Aduertere tamen oportet in dignotione atræ bilis, nomine acoris non eſſe intelligendã guſtabilem qualitatem, ſed alteram innominatam, mouentem odoratum, atque guſtum, vt *lib.* 4. *ſimpl.* 22. monuit Galenus. Quòd autem atra bilis ex odoratu innoteſcat. *cit. de atra bile* ipſe confirmat. Deinde atra bilis acida eſt, non omnis, ſed ea quæ à ſucco melancholico eſt facta: nam quæ acerba, & auſtera ſunt, in acidum ſaporem, vlterius calfacta verti poſſunt; amara verò, aut dulcia, vſtione acida non reddũtur: Dulce enim vſtione amareſcit; amarum verò vſtione, aut non amittit amaritudinem, aut in ſalſum commutatur, quum nimirum aliquod aqueum cum ea permiſcetur.

Hoc loco aliam celebrem quæſtionem non diſſimulabo, quæ ad hoc negotium explicandum eſt vtiliſſima. *Vtrùm omnis atra bilis exuſta, à prædominio calida ſit, an frigida?* Auctores enim, qui caput de Maniæ curatione conſcripſerunt, quæ ab aduſta bile ſcaturit, remedia magis frigida, quàm calida offerenda imperarunt: & Alexander *lib.* 12. *cap. de quartana*, medicamenta frigidiſſima commendat, imò in Galenum inuehitur, qui 1. *ad Glauc. cap.* 11. omnem quartanam curandam eſſe calidiſſimis antidotis ſtatuerit.

Sed ante dubij ſolutionem, vnum aduerte tanquam indubitatum ex 9. *ſimpl. in proœmio*, res calidas, & acres per combuſtionem, (intellige abſolutam, & completam) ſeipſis calidiores non remanere, ſed terreſtriores; reſolutis nimirum hoc opere pluribus partibus tenuibus & calidis, relictis craſſioribus frigidis. Cæterùm frigidæ ſubſtantiæ, à combuſtione, ſeipſis minùs frigidæ manent, propterea quòd empyreuma relinqui neceſſe eſt. Ex iis conſtat, atram bilem ex ſucco melancholico exuſto, vel à ſanguine retorrido genitam, ſpatio temporis à prædominio frigidâ reddi, non obſtantibus igneis partibus ex incendio acquiſitis: licèt dum adhuc ſuccus aduritur, & per aliquod tempus poſt aduſtionem, partes calidæ ab ignitione relictæ ipſum planè calidum reddant: quippe cùm atra bilis illa in vaſis, neceſſariò cum ſero, & aliis ſuccis diu ſit permixta, neceſſe ferè eſt, vt ſpatio temporis quàm plurimas igneas, & tenuiores partes in ſeroſitate illa deponat, & tandem terreſtrior, frigidáque remaneat, vt cineri contingit. Præſertim cùm quotidie noua ſeroſitate ex aſſiduis potionibus permiſceatur.

Audi Galenum *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. *Non igitur ſicuti congelatus ſanguis, Græcè thrombos dicitur, ſanguine ſit perfrigerato, ſic etiam nigra bilis efficitur; ſed potiùs à ſanguine ſupra modum concocto, & efferueſcente, atra bilis efficitur: frigida quidem, eo quòd terrea; caloris autem particeps, ſicut cinis, & acetum.* Neque obiicias, nigram bilem tum acriorem, tum maligniorem eſſe flauâ, ac proinde calidiſſimâ: nam hoc veriſſimum eſt, dum adhuc humor aduritur, vel non multo interpoſito tempore ab aduſtione, præſertim ſi atra bilis è flaua materiam habeat; hanc enim omni tempore manere calidam, & acerrimam, cùm materiam habeat

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 253 sur 927

calidiſſimam, veriſimile eſt: ſed quòd tractu temporis ſpecies aliæ atræ bilis, frigidæ à prædominio reddi poſſint, nihil obſtat, licèt ſemper ſint caloris participes, vt acetum, & cinis. Exemplo ſit, quòd quartana à ſanguine exuſto laborantes, poſt concoctionem calidiſſimis antidotis non irritantur; imò iis adiuti ab eà immunes euadunt, quod non accideret, niſi bilis atra ſpatio temporis plures amitteret igneas partes calidas, craſſioribus frigidis relictis. Aſſignatur ergo aliqua bilis atra, magis frigida, quàm calida, multo tempore nempe ab exuſtione interpoſito.

Porrò è re medica hîc erit breuibus excutere: *Vtrùm atra bilis ex ſucco melancholico, ſit deterior ea quæ ex flaua bile generatur*? Galenus 6. *Aph.* 58. minùs prauum eſſe atram bilem ex ſucco melancholico, quàm ex flaua bile ortam, aſſeuerat, ſic enim ait: *Nam oportet ad memoriam reuocare ea, quæ in aliis locis de atra bile præfiniuimus, quòd quædam ex flaua bile peruſta gignitur, quæ omnium eſt peſſima; quæ verò ex ſanguinis veluti face fit, craſſiore quidem eſt quàm illa ſubſtantiâ, ſed multùm diſcedit ab illius malignitate, &c.* Ratio dictat, quia calidior eſt, magis penetrat, exulcerat, & corrumpit, & cùm abundantior ſit, ſui copia magis nocet.

Galeno aduerſatur Auerrhoës 1. *canticor.* 69. ea ſolùm nixus ratione, quòd atra bilis ex melancholico ſucco pronata craſſior ſit, & non ita permeet, & per moram lentore ſuo vehementiùs erodat, & exulceret. Dic, omnem bilem atram craſſitie pollere, eroſioni neceſſaria: nulla enim eſt tenuis, vt acetum. Quare licèt ea apud Galenum cenſeatur deterior, quæ qualitate eſt prauior, & efficacior: conciliabitur tamen Auerrhoës cum Galeno ſi cum Auicenna 1. 1. *cap.* 1. *de humoribus*, aſſeras ex bile generatam eſſe prauiorem, verùm ex ſucco melancholico ortam, eſſe ad curandum difficiliorem: ſic enim ait Auic. *Melancholia cholerica eſt, quæ eſt fortioris malitiæ, & velocioris corruptionis, verumtamen eſt ſuſceptibilior curationis, quàm illa*: & paucis interpoſitis ſubdit: *Tertia verò quæ minùs ſuper terram ebullit, & minùs in membra penetrat, tardiùs perimit; ſed ad reſoluendum, & ad maturandum, & medicationem recipiendum, magis eſt effrænis.* Quæ enim ex atra bile melancholica oriuntur mala, vt cancri, & alia huiuſmodi, leuibus auxiliis non cedunt, fortioribus verò exaſperantur, & inſoleſcunt.

Atra bilis deterrima eſt, ſplendet, rodit, vehementer adſtringit, terram fermentat, muſcas fugat, demum nullum animal, nec mures eam deguſtant. Splendor illi ineſt, quæ à ſucco melancholico generatur: nam quæ ab igne plurimùm paſſa ſunt, ignis conditionem aſſequuntur, & quum nigra ipſa reddantur, ſplendentem tamen accipiunt nigredinem, ex Gal. 4. *Aph.* 23. Nigrum verò quod à frigore naſcitur, & ignis vim non experitur, obſcurum, & turbulentum euadit. Hæc verò nigra bilis muſcas fugat, nec ad eam aliud ex domeſticis animantibus accedit, & tanquam venenum refugiunt. Ad melancholiam verò naturalem, ſeu ſanguinis limum, omnia iſtiuſmodi animantia alliciuntur, vt prandeant, & illa vtantur alimenti vice. Eſt enim in multis brutis ſagacitas, in dignoſcendo alimento, fugiendo veneno, & comparando ad ſuos morbos medicamento: Oues enim, & boues, gramine & ſaluratibus herbis paſcuntur, intactis tithymalo, atque oleandro venenatis. Hirundines chelidonium oculis imponunt, & nos docent, quanto hæc herba oculis lippientibus præſidio ſit.

Reſtat vnus extricandus ſcrupulus: *Vtrùm fermentatio terræ facta ab atra bile, à calore, an frigore oriatur*? Atram bilem quum exquiſita eſt, terram eleuare, atque fermentare dilucidè docuit Galenus, *lib. de atra bile; cap.* 3. & 14. *meth. cap.* 9. & 4. *Aph.* 23. Nam *fermentatio nihil aliud eſt, quàm ebullitio, ſeu efferueſcentia, quæ ob ſpiritum flatuoſum, qui in ampullas eleuatur, contingit*, vt ex mente Platonis *lib.* 1. *ſimpl.* 45. & 2. *prorrhet. com.* 40. Galenus confirmat. Hæc in aceto acerrimo, aut bile, effuſis ſuper terram manifeſtè conſpicitur, quæ cùm partes acutas, calidas ac tenues ſortiantur, ſubſtantiam craſſam, & terrenam penetrant, & extenuant, ac in ſpiritum conuertunt, à quo vnà cum materia terreſtri, & humida aceti, aut atræ bilis, fit illa intumeſcentia, aut eleuatio in bullas. Hinc Hip. vrinas craſſas, & turbidas, quæ bullis conſtant, fermentatas vocat, & panem appellamus fermentatum, quando farina permixta aquæ alicui fermento permiſcetur, & ſubigitur, maſſaque fit ſpongioſa, & in ampullas eleuata.

An verò fermentatio à calore, vel frigore emanet, explicatu difficile eſt, ſi Galeno fides eſt adhibenda, *lib.* 1. *ſimpl.* 30. dum ſic ait: *At non illo ex genere eſt, quam ob cauſam acetum terram fermentat. Licet enim nobis dicere quod nos lateat, ſicut talium problematum pleráque. Si verò quis prompte dicat, quia aut calidum, aut frigidum, (vtrumque enim dicunt) in ambiguas, obſcuráſque rationes ſeipſum coniiciet.* Dic, probabilius eſſe à calore eximio, ſubitò vertente materiam ſubiectam in flatum, fermentationem oriri. Flatus enim omnis, ſicut & ſpirituoſa omnis ſubſtantia, ob leuitatem, motionem quandam nanciſcitur, vt extrà erumpat, è re quæ fermentatur. Hæc contrà, ob craſſitiem ſubſtantiæ difficilem ſpiritui exitum præbens, ab ipſo ſpiritu, au flatu intumeſcit, cauatur, & ampullas, atque leuem quandam efferueſcentiam oſtendit. Ita dum atra bilis in terram effuſa eſt, in ea ſpirituoſa quædam motio fieri videtur, ei ſimilis, quam in feruente muſto fieri quotidie videmus.

Cauſa.

MElancholia ex ſucco melancholico, ſola quantitate peccante ferè originem ducit; qua de cauſa à Mania diſtinguitur, quæ ab exacta atra bile ſcaturit, vt *lib.* 2. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* prædixit Galenus: firmat *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. Quando ergo melancholicus humor in cerebri corpore abundat, melancholiam efficit; quemadmodum alter atræ bilis ſuccus, qui ex præuſtata flaua bile naſcitur, ferina deliramenta inducit, modò ſine febre, modò cum febre, in cerebri corpore abundans. Et licèt hæc ex ſucco melancholico aſſato etiam oriatur, vt *ſuprà* docuimus, tamen de illa ampliorem fecerunt commemorationem, vel quia frequentior materia atræ balis, flaua exiſtit, vel quia deterrimam maniæ differentiam, ferinam nempe attigerunt, quam à deterrima atræ bilis differentia emanare eſt veriſimile.

Cauſæ mediatæ ſunt illæ, quæ humorem melancholicum in corpore generant. Harum aliæ ſunt materiales, efficientes aliæ. De his dubitandum: *Vtrùm in iecore, & corpore temperato, plus generetur ſucci melancholici, quàm in frigido & ſicco*? Auicenna 1. 1. *doct.* 4. *cap.* 1. melancholiam generari à calore temperato affirmat. Ergo cùm hic calor in iecore temperato reperiatur, & non in frigido & ſicco, copioſiorem ſuccum producet in iecore temperato, quàm in frigido & ſicco.

Pro contraria parte validiſſima adſunt momenta rationum: Nam quantò agens ſimilius eſt effectui producendo, tantò faciliùs, & in maiori copia ipſum producit. Ergo cùm in iecore frigido & ſicco, cauſa efficiens ſucci melancholici, ſit magis ſimilis ſucco melancholico, quàm in iecore temperato, (ſuccus enim melancholicus, frigidus eſt & ſiccus) iecur frigidum & ſiccum maiorem copiam ſucci melancholici producet. Hac ratione Galenus in naturis, & ætatibus, tempore, & regione, frigidis & humidis, pituitam; & in contrariis flauam bilem generari affirmat.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 254 sur 927

mat. Hoc modo 6. *Aph.* 55 apud Hip. & Gal. in ſenili ætate morbi melancholici inſoleſcunt, quia huic ætati humor melancholicus maximè eſt affinis, quæ frigida eſt & ſicca. Et hinc 3. *Aph.* 22. in autumno, ægritudines melancholicæ repullulant, cùm ſint illi proportionales valde.

Deinde vrget & illud argumentum, confirmans quòd in iecore, non temperato, non frigido & ſicco, ſed calido ſicco, plus ſucci melancholici generetur. Galenus enim 2. *de facult. cap. vlt. ante med. cap. antecedenti, & alibi*, ſanguinem à moderato calore, & reliquos humores ab immoderato generari affirmat. Hoc modo, auctore Galeno 2. *acut.* 30. ex flaua bile, ab immodico calore magis calefacta, oritur melancholia. Ergo in iecore calido & ſicco, in quo valida adeſt caliditas, ſanguinem & bilem exurens, neceſſariò maior ſucci melancholici copia debet reperiri. Hoc confirmat Galenus apertè, *in cap.* 41. *art. med.* in iecore calido ſicco, ætate conſiſtente, plurimùm generari atræ bilis aſſeuerans: & *cap.* 59. agens de natura calida & ſicca, in inclinante ætate melancholiam fieri, & in ipſa ſanguinem melancholicum generari aſſeruit.

Nec ſatisfacies dubio huic difficili, ſi Auicennam exponere coneris, dicáſque pro illius tutela, ſuccum melancholicum generari à calore temperato, hoc eſt, ſibi conuenienti, & proportionali, qualis eſt temperatus ad iuſtitiam: licèt enim hoc verum ſit, difficultatem tamen minimè dirimit, cùm hoc cuilibet humori ſit commune, quia flaua bilis, & pituita hoc modo à calore temperato generantur.

Nec rectè mentem huius auctoris interpretaberis, ſi aſſeras, ſuccum melancholicum ab eodem calore temperato generari, à quo ſanguis: quare iecur temperatum, quod multum ſanguinem generat, plurimum etiam ſanguinem melancholicum procreabit, qui eſt fæx illius. Nam etiamſi melancholicus ſuccus ſit ſanguinis limus, à diſſimili actione & calore emanat. Neque verum eſt quod obiicitur, iecur plurimum ſanguinem generans, plurimum ſuccum melancholicum generare. Quantò enim ſanguinis purioris, & perfectioris maior quantitas excreſcit in corpore, tantò minùs fæcis exiſtit. Si ergo iecur temperatum ex eodem alimento plus generat ſanguinis perfecti, minùs in ipſo reperietur ſanguinis melancholici. Et ſicuti pro diuerſitate alimentorum, plus vnius, quàm alterius humoris generatur; ſic etiam pro diſpoſitione iecoris, & corporis, ex eodem alimento, humor qui eſt magis proportionalis iecori, in ampliori mole abundat: quoniam plures partes chyli, quæ in alios humores debebant tranſmutari, migrant in humorem iecori ſimillimum. Ergo iecur frigidum & ſiccum, ex eodem alimento, plus generabit ſucci melancholici, quàm temperatum.

Nec alia via vim dubij effugies, ſi affirmes, ſuccum melancholicum in propria, & peculiari iecoris actione non generari, ſed per modum ſubſidentiæ, & ſeparationis; pars enim craſſa & terrena chyli, iecoris elaborationem ſubterfugiens, cùm ſit grauis, ſubſidet, & hac ratione ſeparatur. Huic opinioni videtur fauere Galenus 2. *de facult. natur. cap. vlt. poſt med.* dum partem craſſam & turbulentam alimenti, iecoris actionem ſubterfugientem, à liene attrahi aſſeuerat.

Hæc opinio eſt falſa, quia ſuccus melancholicus non ex accidenti, ſed ex intentione naturæ, actione peculiari iecoris generatur: Ille enim non erat actu in cibo, ſed ſolùm potentia; nec in chylo, quia ſpecie diſtinctus eſt ab illo, vt ex colore, ſapore, modo ſubſtantiæ, & primis qualitatibus patet manifeſtè, ex quibus diſtinctio ſpecifica colligitur. Ergo ſi ſuccus melancholicus magis diſtat à chylo, quàm pituita, neceſſariò erit ſpecie diſtinctus ab illo; & in iecore, peculiari illius actione, formam illam acquirit, cùm generetur de nouo cæterarum rerum naturalium inſtar, quæ per actionem, & miſcellam humidi cum ſicco generantur, vt 4. *meteor. c.* 1. Ariſt. aduertit. Et licèt pars craſſa & terrena chyli, ex qua conficitur ſuccus melancholicus, eam non ſuſcipiat actionem, qua chylus tranſit in ſanguinem; eam tamen elaborationem recipit, quæ illius formæ introducendæ fuit neceſſaria.

Reſponde ergo hoc modo. Succus melancholicus generatur, aut per aduſtionem ex flaua bile, & ſanguine, ſicuti cinis ex lignis combuſtis; & tunc quia generatur ab immodico calore, plurima ſucci melancholici copia in iecore calido & ſicco, & in corpore calido & ſicco excreſcit, in quibus ætatibus pueritiæ, pubertatis, & adoleſcentiæ flaua bilis abundat; horum enim caliditas ob humiditatem ætatiuam inflammat, & non exurit. In ætate verò iuuentutis, & declinante, quia ob ſiccitatem acquiſitam caliditas magis exurit, tunc plus generatur ſucci melancholici, quàm flauæ bilis, vt *cap.* 41. *art. med.* notauit Galenus.

Ex iis explicabis locum *Galeni, 3. de ſympt. cauſ.* 2. dicentis: *Quando intemperies vertitur ad calidius, generatur & recrementum bilioſum, & melancholicum, eo modo quo alibi diximus.* Et melancholia hæc, licèt ſit per aduſtionem genita, fæcalis eſt, & ſubſidet; ſed quia nec putredinem, nec caliditatem exurentem conſeruat, cùm paulatim generetur, & paulatim extinguatur, illius caliditas naturalis eſt, etſi atra bilis à Galeno nuncupetur, quod nomen & naturali, & præternaturali commune exiſtit.

Alia eſt melancholia, quæ ſimul cum ſanguine, & aliis humoribus, in iecore, ex parte craſſa & terrena chyli, modica illius actione, per modum reſidentiæ generatur: quia verò non eſt tanta caliditas, quanta ad generationem flauæ bilis eſt neceſſaria; nec eſt temperata, qualis ad generationem ſanguinis requiritur, nec ita diminuta, ex qua oritur pituita; ſed media dicitur, & temperata, non abſolutè, ſed per abnegationem extremorum: iccircò flaua bilis, & ſanguis, calidiores ſunt ſucco melancholico, pituita frigidior ipſo, quantò aqua frigidior eſt terra.

Deinde licèt calor iecoris, & actio illius, vna & eadem ſit, ratione tamen effectus qui producitur, qui inæqualis & diuerſus, inæqualis etiam, & diuerſa vocatur: Ideò dicimus pituitam à calore diminuto; ſanguinem à calore temperato; flauam bilem à calore immodico; & ſuccum melancholicum à calore temperato, eo modo, quo diximus, generari.

Ex hac etiam doctrina conſtat, in iecore frigido ſicco plus ſucci melancholici generari, quàm generatur per modum reſidentiæ, modò iecur valde lapſum non ſit, & langueat: tunc enim non multiplicat humorem ſibi ſimilem, ſed diſſimilem, pituitoſum nempe; nam ob debilitatem facultatis alteratricis, & inopiam caloris innati, per diminutam coctionem excreſcit pituita. Hæc eſt cauſa, quare decrepiti, etſi frigidi ſicci, non melancholico, ſed pituitoſo ſucco redundent, auctore Galeno *lib. de vict. priuat. com.* 7. Contrà accidit primis, & ſecundis ſenibus, qui cùm robuſtiores ſint, & frigidam ac ſiccam intemperiem patiantur, ſucco melancholico ſcatent.

Inter cauſas externas, frigidus ſiccus aër, & inæqualis reponitur, maximè ſi poſt æſtatem feruidam contingat, & ſit paludoſus, & craſſus. Idem præſtant tenuis victus, labores, vigiliæ, ſolicitudines, curæ, ieiunia, concubitus abſtinentia, exardeſcens amor, timor, triſtitia, metus: carnes craſſæ, ſale conditæ, fumo induratæ, piſcium craſſorum eſus, oliuæ, cappares, legumina, & maximè lentes, caſeus vetuſtus, vina craſſa, nigra, de quibus omnibus fusè Galenus 3. *de loc. affect. cap.* 7. Inter omnia ſuppreſſio alicuius vacuationis melancholicæ,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 255 sur 927

vt hæmorrhoïdalis, & menstruæ. Si enim hic fæcalis sanguis excerni prohibeatur, pathemata melancholica excitat valenter.

Signa.

MVltifarias esse, & vix enumerabiles Melancholici delirij species, latè *cit. de loc.* explicuit Galenus, & nos pluribus in medium allatis Historiis exposuimus, *lib. 1. Hist. PP. Med. in com. Hist. 37.* Sed, *Vtrùm variæ, & infinitæ Melancholicorum imaginationes, vni melancholici succi naturæ sint referendæ?* scitu est difficile. Si enim vna est melancholici succi natura, vnum intemperamentum, à quo cerebrum si immutetur, oritur Melancholia, vnde tam variæ, támque diuersæ phantasiæ, & imaginandi læsiones.

In tam arduo dubio respondeo hoc modo. Omnifariæ sunt, incomprehensibiles imaginationes, & phantasiæ, quæ melancholicum humorem occupantem cerebrum, vmbræ modo comitantur, vt Trallianus loquitur, de quibus passim apud auctores. Vnde verò intra eandem morbi speciem, tam variè mens agitetur, & peregrinis, multiplicibúsq; phantasiis torqueatur, perinde subit mirari; ac multa alia, quæ præter cognitam, manifestámque rationem experimur, vt de multis in variis priscorum monumentis legimus, qui ab optimis pessimè, à pessimis rectè habuerunt: quidam enim ex rosæ odore in syncopen incidebant; ex cucumeribus alij, similibúsque, alioquin prauis, iuuabantur. Quemadmodum ergo horum, & aliorum similium effectuum causa, ad particulares indiuiduorum naturas refertur; sic phantasiæ multæ ad occultam melancholiæ proprietatem referendæ erunt: vt ex multis quæ adduci possent, hydrophobia, siue aquæ metus, ostendit manifestè; quo affectu miserè cruciantur ij, qui à rabido cane sunt commorsi: hic autem ad Melancholiæ speciem à veneno illo generatæ, est referendus, quod ex Ruffo antiquissimo Medico, & à Galeno sæpe commendato, scribit Paulus *lib. 5. suæ Medicinæ, cap. 3.*

Aliæ causam possunt habere, humoris aut vaporis qualitatem, vt si quis se putet fictile vas, ex melancholiæ siccitate per corpus sparsæ: quòd alius se putet tympanum corio tectum, ex curis ariditate, & sic de multis. Nempe quia vbi læsa est ratio, nec potens rerum differentias discernere, quæcunque percipit, insigni incremento ac magnitudine fingit, & iudicat maiora veris; id quod commune est dormientibus, & delirantibus.

Addi potest etiam, imaginationis occasionem posse quandoque esse speciem, quæ primùm, ac maximè fuit in imaginatione impressa. Nec indecens erit asserere, malignum spiritum huius morbi aliquando auctorem esse; atque ideò sæpe visos fuisse melancholicos, visis, & factis multa promere, quæ neque à causa naturali, neque præter naturam accidere possunt, & sunt impossibilia: vt nonnullos veluti diuino numine afflatos futura vaticinari, aut alieno sermone loqui; alios alioquin indoctos accessionis tempore, Astronomiam, Philosophiam, & Poëticam, tanquam à Musis infusam sine doctore callere, vt Aræteus *lib. 1. Chronion, cap. 5. de furore*, & alij auctores contestantur. Neque huius rei causam reiicias, in tam violenti, & atrocis humoris fuliginem, quæ in cerebrum delata peregrinam linguam extorquet; quo humore, remediorum ope, sopito ac expurgato, amentes ad saniorem mentem reduci experimur: Nam hoc argumento nihil est infirmius, quia huius humoris non est tanta vis, vt concitando spiritus, tum vitales, tum animales, tantum possit, vt linguâ loquamur quam non didicimus. Potiùs dicendum, dæmonem, qui omnia penè potest, deserere hospitium vetus, quia videt se non posse, quod poterat priùs. Neque enim Spiritus (quippe creaturæ, eóque finitæ potestatis) possunt quæ volunt; sed solùm illa quæ non exuperant vim naturæ. Subiecto igitur idoneo iis opus est, vt personam hanc agant. Homo verò per se, ac sine Dæmone tale nihil potest, qui in homine non compotè sui, sic regat instrumenta, vt exequantur non quæ homo, sed quæ ipse velit. Neque displicet si dicas, hæc ingeniosis potissimùm accidere; atque adeò in morbis aliquid emolimenti præbere docilitatem, quod multis tum Medicis, tum Philosophis visum est: quamuis Arist. 30. *probl.* 1. potiùs ad humorem melancholicum referat, cui diuinitatem quandam attribuit, ratione cuius melancholicos, sapientissimos pronunciat, & præ reliquis hominibus in omnibus excellentiores, de quo *infra.*

Deinde multa alia, & diuersa sunt delirio melancholicis familiaria, quorum Ruffus apud Aëtium conatur rationem reddere: Nam validam ciborum appetentiam, ad oris ventriculi frigiditatem reducit. Sic etiam assiduas cruditates, quia nempe succus ater ventrem refrigerando intemperat. Alui siccitatem, quæ plerunque ipsis adest, ad flatus circa præcordia consistentes, refert. Frequentem oculorum nictationem, labiorúmque crassitiem, ad flatum crassum. Atrum cutis colorem, ad atri humoris diffusionem. Sed præter multa, quibus premuntur Melancholici, perùigilium est, immodicam atri humoris siccitatem, & ichoris abundantis acrimoniam consequens.

Melancholicis omnibus communia sunt pathemata, metus nempe, & mœstitia; quare lugent, tristantur, quiescunt, soliciti sunt, & vix ad quæsita respondent. Validæ autem rationes sunt, quæ cogunt longè aliter sentire, & iccircò discerendum est: *Vtrùm timor, & mœstitia, à Melancholicis sint inseparabiles?* Mania enim, insania, seu furor, quædam est Melancholia, ex Gal. 3. *de loc. cap. 7.* docente varias fieri Melancholiæ species, pro varietate humoris, mitem scilicet, vehementem, & ferinam, per quam intelligitur mania: & 6. *Aph.* 21. insaniam, verè ac propriè Melancholiam appellat: & constat ex eo, quoniam ab eadem atra bile fiunt, & sub eadem specie delirij, quod sine febre est, continentur, 2. *de caus. sympt. vlt.* Sed maniaci seu furentes, nec timidi, nec mœsti sunt, quinimò iracundi, audacissimi, & percussores, sæpe cum gaudio, & voluptate; & vt inquit Aëtius *c. de Melancholia*, immodicus eis risus commouetur, hilaris est illis facies, assiduè canunt, & saliunt. Igitur mœstitia, & timor, non sunt omni Melancholiæ communia.

Confirmatur, quia tripudia, cantus, ioci, quibus crebrò Melancholici abundant; insuper & oris effigies, internæ animi lætitiæ veri sunt indices. Quare non est perpetua Melancholicis tristitia, quod apertè significauit Hip. 6. *Aph.* 53. dicens: *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores; quæ verò cum studio, periculosiores.* Hoc modo Auicenna 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 18. & Trallianus *cap. de Melancholia* testantur, reperiri multos qui perpetuo risu vel Democritum agunt. Iam verò hilares esse, amabiles, & tractabiles, nec meticulosos, videtur manifestum.

Præterea. Si tristitia, & metus semper Melancholicis adessent, perpetuò in Melancholia morbo, ratio, seu æstimatiua læderetur. Sed non minùs in hac, quàm in quibuslibet desipientiæ speciebus sæpe læditur imaginatio, ratione illæsa, vt constat *ex lib. de diff. symp. cap. 3.* Igitur, &c. Maior probatur, quia affectiones illæ, sicut amicitia, & odium tribuuntur æstimatiuæ. Ergo si inseparabile est ab omni Melancholico, sine causa tristari, & metuere, vt 3. *de loc.* & 6. *Aph.* 23. docuit Galenus, semper in Melancholia dabitur læsio cogitatiuæ: symptomata siquidem sunt illa, ad eius actionem deprauatam pertinentia.

Dic. Si Melancholia morbus largè sumatur, nempe pro desipientia sine febre, ab atra nigráue bile orta, maniam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 256 sur 927

niam etiam comprehendit: propriè tamen & ſtrictè accepta, ab illa valde diſtinguitur, non ſolùm ex parte cauſæ, ſed etiam accidentium, quæ longè ſeparata habet à mania; hæc enim cauſam habet acrem, mordacem, irritantem, & maligna acredine præditum humorem, 6. *Aph. com.* 56. & 2. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* hoc eſt, flauam bilem ſuperaſſatam, & per aduſtionem in atram verſam, ſed calentem adhuc, & furentem, vnde audacia, ferini mores, truculentia.

Nec rident Maniaci, vt inquit Trallianus, niſi ſanguis permixtus ſit: quare rectè ab ipſo Tralliano, dicitur intenſio Melancholiæ ad maiorem ferocitatem; à quibus ſatis diuerſa ſunt, metus, & mœſtitia, Melancholiæ ſymptomata. Cauſa etiam non ſimiliter eadem, ſed naturalis melancholia ex Auic. vel extincta iam, & in frigidam ſiccam conuerſa, atra generatur. Denique vt docet Galen. 3. *de loc.* & 2. *de cauſ. ſymp.* & 6. *Aph. citatis*, ex frigido ſicco cerebri temperamento ortum habet, niſi iam maniam ſapiat, ex Auic. cúmque craſſus ſit, & ater, tenebroſus, & obſcurus humor, metum inducit & triſtitiam, à qua nullus Melancholicus ſimpliciter abſoluitur.

Si verò quandoque gaudent, & immodico perfunduntur riſu, ob permixtum ſanguinem fit: per tempora tamen interualla ad ſolam triſtitiam redeunt, quæ ſanè vehemens non erit, ſi melancholicus ſuccus ſanguineo permiſceatur. Ob hæc Trallian. ait, ſi ſanguineo magnus quiſpiam mœror acceſſerit, ſanguinea oritur Melancholia, hoc eſt, ſine ingenti mœrore, imò cum intermiſſis quibuſdam lætitiæ ſignis, quæ ſanguinei humoris germina eſſe cenſentur.

Quòd ſi obiicias, immodicos illos riſus, cantus, & ſaltus magis atteſtari melancholiam, quàm ſanguinem; hoc ſiquidem dum ſani erant, multò plus redundante, non vſque adeò geſtiebant. Reſpondedum: Cùm alienati ſint, & mente orbati, humorum affectibus renitentem modum habere neſciunt. Inſuper leui de cauſa in gaudium, & admirationem rapiuntur, à quibus paſſionibus riſus commouetur: hinc enim pueri viris, & fatui ſapientibus plus rident. Verùm ſæpe melancholicus ſanguis, triſtitiæ, & metus auctor inflammatur, & aduritur; interim autem dum aduritur, ſplendet magis, & mentis tenebras illuminans ac diminuens, mœrorem, & alacritatem parit: ac proinde rident nonnunquam; ob melancholiæ tamen tenebroſitatem, inſeparabilem habent mœſtitiam: quam quia ſimul, & metum ſine cauſa concipiunt, ex qualiber re oblata, atque adeò circa viſa decipiuntur, depraua tam habent, & læſam imaginandi functionem, quam præſertim in hoc morbo affici *ſuprà* explicuimus: licèt etiam poſſit lædi æſtimatiua, cuius læſionem Auicenna à Melancholiæ definitione non excluſit, quanquam illæſa exiſtens poſſit ratiocinando errare, & ſuas paſſiones elicere ſine cauſa, ob depraua tum imaginationis iudicium.

Verùm etiam Priſcorum doctiſſimi dubitarunt: *Vtrùm humor melancholicus, ſolo temperamento, an colore, metus, & triſtitiæ cauſa ſit*: Galenus Melancholicorum timorem, ac triſtitiam, ad humoris nigredinem apertè reducit, ſic enim ait 3. *de loc. cap. cit.* *Sanè quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, niſi vel audaces admodum, vel docti fuerint, ſic atræ bilis calor, mentis ſedem tenebris ſimilem reddens, timorem efficit.* Repetit 2. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* ſic dicens: *Cæterùm, quòd ex atra bile, cùm principium rationalis animæ occupauit, timor, mœrorque, ac mortis expectatio accidant, nihil mirum: ſiquidem eorum quæ extrà corpus ſunt, nihil videmus, quod nos perinde terreat, ac tenebræ. Ergo cùm tenebræ rationalis animæ parti ſunt circumfuſæ, neceſſe eſt hominem timere, vt qui ſemper vnà cum corpore ſuo, timoris cauſam circumferat. Quod enim nobis extrinſecus fit, altiſſimis tenebris circumdatum nobis aërem ad tempus aliquod occupantibus, id Melancholiæ vitio laborantibus ab interno, & ipſo corpore contingit, ſcilicet vel ipſa nigra bile cerebrum occupante, vel aliqua Melancholici halitus exhalatione, vel in morbo, quem flatuoſum, & hypochondriacum vocant.* Hæc Galenus.

Etſi Galeno tam Græci, quàm Arabes aſſentiantur omnes, ſolus Auerrhoës eius doctrinam temnit & damnat, *lib. 3. collect. cap. 40.* dicens: *Et qui dicunt, quòd anima terretur propter humorem melancholicum nigrum, ſicut terretur homo in obſcuro, dicunt verba cantionum.* Quare pluribus rationibus innixus, inuehitur in Galenum. Primò ſic. Animæ actiones ſolùm læduntur ab iis quæ mutare poſſunt, & vitiare inſtrumenta, quibus afficiuntur. Sed color non eſt qualitas actiua. Ergo internarum functionum organa immutare non poteſt: & ex conſequenti, nec melancholiæ nigredo, metum & triſtitiam citra occaſionem efficere, quæ actiones ſunt principis facultatis læſæ: maximè quòd colores nonniſi in viſum agunt, & ſi aliquam poſſunt in corpore alterationem, vel paſſionem internam efficere, impoſſibile eſt ſine eo quòd ab externo ſenſu ſentiantur, ſine quo nihil ingreditur internos, aut ab illis ſentitur. Cùm igitur melancholici humoris nigredo interiùs latitet, nec videatur, timorem aut mœſtitiam incutere non poterit.

Rurſus. Melancholia, ex Galen. *cit. de locis*, morbus eſt intemperamenti in cerebro (fit enim vbi humor melancholicus ad animam vertitur, temperamentum immutando.) Atqui ſymptomata morbi conditionem ſequuntur. Igitur hæc potiùs ab intemperie humoris, quàm colore, & opacitate oriri credentur: præſertim quòd ipſomet Galeno auctore, animi mores & paſſiones, ſequuntur temperamenta, non colores.

Deinde. Si exteriores tenebræ, vtpote priuationes, in viſum non imprimunt, nec quia tales actu percipiuntur, quomodo interiorem immutabunt? Et ſi cæcus, eo quòd non videt, non magis tenebris quàm lumine triſtatur, & gaudet, quomodo inducetur terror ab obſcuro, & tenebroſo, quod tantùm eſt cauſa priuationis viſibilis in ſenſu viſus, & impedimentum viſionis? Denique ſi Melancholia propter tenebroſitatem contriſtaret, & timorem efficeret, ſanguis ſuo fulgore & luciditate, auctor eſſet lætitiæ, & audaciæ. Sed hoc nemo vnquam ſenſit. Igitur, &c.

Quòd autem melancholici humoris naturæ, & temperamento, adſcribenda non ſint prædicta ſymptomata, ex eo fit manifeſtum, quia ſæpe eſt ſanus ſenex, & ab illis accidentibus liber, cum ſicciori, frigidioréq; cerebri temperamento, quàm iuuenis melancholicus. Quare alia qualitas datur in illo humore, quæ dictorum ſymptomatum ſit cauſa. Poſſe verò hanc eſſe nigredinem, & tenebroſitatem, oſtenditur, quia ſicut ad externam viſionem medium illuſtratum requiritur, ita ad internorum ſenſuum actiones, ſpiritus clarus, lucidus, & ſplendidus (ſunt enim animales ſpiritus operantis naturæ inſtrumentum, & perſpicuitate ac lumine egent, quod à natura habent, ad rerum cognoſcendarum idola aptè recipienda, atque contemplenda.) Sed melancholiæ nigredo, & tenebræ, ſpirituum luciditatem, & ſplendorem obſcurant. Ergo efficient, quòd ſpecies in ſpiritu aptè non recipiantur, non ſub forma conuenientis, aut iuuatiui, ſed horrendi, aut nociui, ac proinde cauſa, erunt triſtitiæ & metus ſine cauſa, & quòd deprauatè moueatur ratio, vitiato ſibi proprio inſtrumento.

Dum ergo animales ſpiritus, ſimul & cerebri ſubſtantia, melancholici humoris nigredine inficiuntur, & obſcurantur, recipi cum mœrore externam ſpeciem fit neceſſe, atque ita, non aliter, metum ac triſtitiam inducit: Sequuntur namque huiuſmodi, & aliæ paſſiones, magis modum quo res repræſentantur, & concipiuntur, quàm quo ipſæ ſunt. Quare rectè Galenus prædicta

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 257 sur 927

cta symptomata retulit ad atræ bilis colorem, mentis sedem tenebris similem reddentem, & splendorem spirituum obscurantem: à quo non dissentit Auicenna, dum Melancoliam fieri, permutato spiritu splendido ad tenebras asseuerat.

Neque ad hanc symptomatum generationem, opus est colorem, aut opacitatem agere, sed sufficit spiritum suo lumine, & perspicuitate priuari, tenebrosúmq; fieri, ad hoc vt mens deprauatè moueatur: nam quemadmodum spirituum debitum temperamentum, calidum nempe & humidum, & eorum splendor, atque tenuitas ad lætitiam parat; contrà crassitudo, turbulentia, & obscuritas per se procliues ad mœstitiam, & timorem homines reddit, quod abundè comprobat Auicenna *lib. de virib. cordis, tract. 1. cap. 4.* Sicuti enim frigidum siccum temperamentum, è diametro humanæ naturæ est oppositum & aduersum; ita quoque instrumentorum animæ crassitudo, opacitas seu nigredo, naturali tenuitati, splendoríque decenti contraria est; proinde meritò naturæ etiam ita erit inimica, vt timorem atque mœstitiam inducat. Gaudet enim anima conuenientibus, dissonuenientia auersatur, & fugit.

Quòd si mauis, colorem agere, & agendo causam esse læsionis, ac per se immutare principum functionum organa, absurdum non erit, quin potiùs vero, & rationi consonum: quamuis enim color simpliciter, & absolutè actiua qualitas non dicatur; agit tamen, afficit & immutat, poténs que est actionis organa vitiare. Nam cùm inter ea aliqua non solùm elementorum mixtione, & similarium concentu, sed & raritate, densitate, splendore, obscuritate, aliisque qualitatibus ad primas sequutis pro cuiusque indigentia constent, quæ omnia temperamenti, seu naturæ appellatione Galenus comprehendit: nihil mirum si ad cuiusuis læsionem improportionentur, lædantúrque actiones; quod appareat in oculi morbis ex colore, & tenebrositate ortis. Imò verò sicut sæpe pars similaris in organo maiorem vsum præstat ad actionem, qualitate aliqua secundâ, quàm primâ, vt cornea magis perspicuitate, quàm temperamento visioni confert: ita aliquando maior sequitur læsio ex secunda immutata, sæpéque humores magis imprimunt secundis, quàm primis qualitatibus. Hinc sanguis splendore lætitiam inducit: melancholia, obscuritate mœstitiam, non penès frigidum aut calidum, sed penès luciditatem aut opacitatem, quod sanè potest efficere melancholiæ nigredo.

Iam verò ad id quod addebatur: symptomata scilicet ad morbum sequi: cúmque Melancholia sit morbus temperamenti, ad illud erat necesse sequi metum, & tristitiam Melancholicorum. Dic, fieri quidem symptoma omne, vel per se, vel per aliud; atque ita ad succi melancholici temperiem sequitur nigredo; ad hanc, cerebri, & spirituum obscuratio, opacitas & tenebrositas, mœstitiæ ac timoris causa. Vel aliter dic. Cùm temperamenti nomine, secundùm Galenum, natura omnis similaris comprehendatur, hoc est, quæcunque partibus similaribus insunt, seu primæ qualitates sint remissæ ac refractæ, seu quicquid ad illas debitè proportionatas consequitur; dubium non est lumen illud, & internam spirituum claritatem, temperamenti ratione euenire, atque adeò illius defectum priuationémque, ad quam notabilis sequitur actionum cerebri læsio, inter morbos temperamenti posse numerari: non aliter ac corneæ opacitatem, quam morbum temperamenti Galenus ipse appellat, nempe quia perspicuitate priuat, quæ ex elementorum mixtione corneæ à natura inest.

Nec verò vt internæ illæ passiones in nobis moueantur, necessarium omnino est colorem exteriùs percipi, extráque tenebras occurrere, sed sufficit mentem affici, & obscurari. Externæ autem tenebræ non contristant & terrent operando, visúmque mouendo; sed quia ad illarum præsentiam cuncta, horrida nigráque apparent, & oculi debita actione priuantur, pauor & mœror inducitur, pueris præsertim, timidis, & insipientibus. Quæ quia in cæco deficiunt, sicut non delectatur ad lucem, non metuit aut tristatur ad tenebras. Denique si sanguis purus & decoctus, lucidus, & diuino quodam præditus colore, (quemadmodum ex auctoritate Platonis testatur Galenus *4. de vsu part. cap. 4.*) lætitiæ est causa: sic melancholia sua nigredine & tenebrositate, tristitiæ & metus auctor est: cur ille splendore & lumine, oppositarum affectionum origo, & principium non creditur, quod auctores ferè omnes agnoscunt? An autem spiritus animales lucidi sint, iísque illuminatis potentiæ rectrices operentur, suo loco explicabitur.

Præsagium.

DIsceptandum; *Vtrùm biliosa temperatura ad melancholicum succum cumulandum sit aptissima?* Sanguinea, biliosáque temperatura, ætatis decursu ad melancholicos morbos est prona: ita pronunciauit Hip. *lib. 2. epid. sect. 3. tex. 25. Sanguineum, subbilioſúmque, acidum ructum faciens, fortasse autem & in atram bilem his terminabitur.* Repetit *6. epid. sect. 6. text. 27.* Biliosa quidem, quia bilis flaua exustione migrat in atram; sanguinea verò quia multo & crasso sanguine abundat, qui humori atro plurimam materiam subministrat. Hoc modo copiosa fæx ex multo, crassóque vino subsidet, ex Hip. *6. epid. sect. 6. text. 3.*, maximè si solita, cáque melancholica vacuatione defraudentur. In hunc sensum intelligendus Galenus *in art. med. 37. & 41.* in calido hepate flauam bilem abundare, quæ in consistenti ætate vergit in atram. Hac ratione hirsuti, macri, nigra cute præditi, & venis latis, ad hunc cõgerendum humorem sunt aptissimi. Nec nego exactè rubros in Melancholiam frequenter incurrere, quod dicebat *lib. 1. prorrhet. com. 2. Prærubrum Melancholiæ appositum.* Difficulter succum melancholicum congerunt molles, candidi, obesi, glabri, & tenuium venarum; hi enim ad pituitam cumulandam sunt idonei.

Potest verti in dubium: *Vtrùm Melancholia, sit morbus periculosus?* Hip. *lib. 1. de morbis, num. 4.* dum recenset morbos lethales, dubios, & non lethales, in postremorum catalogo Melancholiam reponit, dum sic ait: *Tales verò non lethales sunt, nisi quid ipsis accedat, affectiones fluidæ circa articulos; atra bilis, podagra, coxendicum morbus, &c.* Contrà facit firmissimum argumentum, quòd morbi Melancholici, & atrabilarij sunt pessimi, maligni, exitiales, vt cancer, lepra, & alij, qui licèt corporis occupent extimam superficiem, tamen sensim ac sine sensu corpus ad interitum deducunt. Quare periculo non vacabit Melancholia, si humor fæculentus eius causa fuerit impactus in parte præstanti: si enim cerebri ventres obturet, Epilepsiam; si substantiam infarciat, Apoplexiam; si neruos, conuulsionem; si opticos, cæcitatẽ excitat. Demum si ater hic humor nimis exustus malignam induat qualitatem, maniæ est auctor, vt *6. Aph. 56.* perbellè dictauit Hip. *In Melancholicis periculosi decubitus, vel apoplexiam corporis, vel conuulsionem, vel cæcitatem significant.* Auctoritati verò Hip. *lib. de morb.* respondẽ, quòd locus iste intelligendus est de Melancholia Hypochondriaca, quæ etsi diuturna & pextinax, non interficit. Vel dic cum Auenzoare *lib. 1. tract. 9. cap. de Melancholia*, hanc soli cerebro propriam, facilem habere curationem, si ater humor in arteriis, venísque cerebri coërcitus, nondum ad cerebri substantiam diffundatur; difficiliorem, si non modò vasa, sed & vniuersam cerebri molem occupet.

Vtrùm Melancholici sint sapientes? hoc loco à nobis enucleandum. Nam Arist. *lib. 30. prob. 1.* Omnes qui ingenio

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 258 sur 927

ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel in Republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, Melancholicos fuiſſe perhibet, quales Herculem, Aiacem, Bellerophontem, Lyſandrum, Empedoclem, Socratem, atque Platonem extitiſſe affirmat. Cur autem Melancholia ad prudentiam conferat, explicatu difficile eſt, quod Galenum non latuit: hic enim *lib. 1. de natura human. com.* 39. ſupponens animi mores corporis temperamentum ſequi, docet quòd animi acies, & intelligentia ab humore bilioſo emanet, quemadmodum conſtantia & firmitas à melancholico: Si ergo prædicti duo humores exactè attemperentur, hominem ſapientem reddunt, cùm ſapiens ille dicatur, qui facilè ac citò diſcurrit, ac grauiter decernit.

Adde, vtriuſque humoris ſiccitatem plurimùm ad perſpicuitatem conducere; quare Galenus *lib. quòd animi mores, cap. 5.* ex Heracliti ſententia aſſerebat, *ſplendor ſiccus, animus ſapientiſſimus.* At hæc ſiccitas non debet eſſe immoderata, delirium enim concitat & furorem, vt in phreniticis, & maniacis frequenter conſpicimus. Quantum autem excellentiæ ingeniorum conferat ſiccitas, priſci docuere: Quare Stobæus *ſerm. 5.* rectè pronunciat, ſiccam animam eſſe prudentiſſimam, & optimam: & Ariſtoteles *lib. 2. de partib. animal. cap. 4.* illas animas docet eſſe prudentiores, quæ natiua temperatione plus habent frigidi ac ſicci, vt ſunt apes: Et cùm nullum animal ſit humidius porco, nullum eſt quod minùs ingenio valeat; vt pingues & indoctos ciues ſuos Bœotos, ingenioſiſſimus Pindarus *Ode 6. Olymp.* ſues nominatos canat: vnde Bœoticum ingenium, pro rudi atque inculto, abiit in prouerbium.

Duplex eſt melancholiæ forma: naturalis vna, quæ fæx eſt ſanguinis, cuius temperatio, eſt frigida & ſicca, quæ ſecum adfert non minimum craſſæ ſubſtantiæ; quæ tantùm abeſt, vt ad ingenium valeat, vt etiam ſoluat in ſoporem, inducátque ſtuporem, & magnam pronitatem ad riſum, qui ſtuporis eſt ſignum. Altera eſt, quæ propriè eſt atra bilis, ſiue aduſta cholera, atque hæc etiam auctore Ariſtot. *loc. cit. Nunc quidem calefacit, nunc frigefacit, ſemper tamen ſicca eſt, delicatæque ac tenuis ſubſtantiæ, quæ non ſecus lucet, atque gemma quæ dicitur Achates.* Itaque quodammodo prælucet cerebro, eíque facem præfert, lucémque miniſtrat. Neque abeſt ab Heracliti dicto, Homeri hic verſus à paucis comprehenſus, *Iliad. 2. In igne verò conſilia creantur, & cogitationes virorum.* Et hoc fortaſſe veteres fabulosè voluerunt indicare, cùm Prometheum finxerunt ſimul cum igne ſapientiam ſuffuratum, vt *in Protag.* innuit Plato.

Ex dictis aſſequemur difficilis textus interpretationem, *lib. 6. epid. ſect. 5. text. 5.* quando Hip. inquit: *Anima hominis producitur vſque ad mortem; ſi autem igneſcat, ſimul cum morbo, & anima corpus depaſcitur.* Quæ ſententia non ſolùm de naturali calore, ſed etiam de ipſa mente poteſt explicari, cùm indies homines ſapientiores fiant: quæ ſi igne excanduerit, id eſt, ſi plus iuſto exiccetur, ſimul cum morbo, id eſt, ſenectute, vel cum delirio, & anima, id eſt, mente & intellectu, corpus depaſcitur, id eſt, abſumitur. Quare Lucretius, vt refert Lactantius *lib. 7. de diuino præmio*, dicebat, *animam creſcere in pueris vigere in iuuenibus, & in ſenibus minui*, quia intelligentia augetur, vel minuitur pro ætate.

Liquet etiam manifeſtè, meritò Galenum docuiſſe *lib. de conſuet. cap. 4.* ex ſententia Platonis, animæ exercitium debere eſſe moderatum, quemadmodum corporis. Exercetur autem anima memoratione, meditatione, inquiſitione, ac cogitatione, id eſt, ratiocinatione. Quare eleganter prædixit Hip. hoc modo, *lib. 6. epid. ſect. 5. text. 11. Animæ deambulatio, cogitatio hominibus*, per deambulationem exercitium intelligendo, vt Gal. *ibi.* Si ergo corpus moderatam, & contemperatam ſortiatur melancholiam, reliquos intemperatos, ſapientia, ingenio, & induſtria facilè ſuperabit.

Vtrùm autem ſanguis plus melancholiâ ad prudentiam conferat? etiam examinandum: Galenus enim *lib. 1. de natur. human. com.* 39. ſic ait: *Animi quidem acumen, & dexteritas à bilioſo humore prodit; ab atra bile conſtantia, & ſtabilitas; à ſanguine ſimplicitas, & ſtoliditas: vt pituita ad formandos mores inutilis ſit.* Contrà docuit Hip. *lib. de flatib. num. 20. Opinor autem inter omnia quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm ſanguinem.* Id quod (arbitror) hac ratione dixit: Cùm enim naturalis ſpirituum, congenita, opportuniſſimáque temperies, calida ſit & humida, hancque, & materiam à ſanguine potiùs, quàm ab alio ſucco ſibi comparent, fit vt ad prudentiam, cæteróſque actus principis facultatis ſanguis vehementer conferat. Debita namque tum quantitate, tum qualitate, animalis ſpiritus, tanquam aptum animæ inſtrumentum, ad actiones principes inſeruit. His dotibus præditus ſanguis ad prudentiam maximè confert, quia in decenti temperatura animæ inſtrumenta perpetuò conſeruat. Si verò eius ſit immoderata quantitas, vt in nimiùm ſanguineis, potiùs immodica humiditate mentem reddit hebetem, ſimplicem, & ſtolidam. Hoc modo pueri, ob inſtrumentorum immodicam humiditatem, inſipientes ſunt, quouſque ætatis incremento in ſicciorem cerebri temperiem labantur. Si verò interroges, an bilis vtraque, flaua nempe, & atra exuſta, ſanguini hoc in negotio excellant? Dic, abſolutè ad actus prudentiæ magis conferre ſanguinem, quia ſpirituum eſt magis accommoda materia; verùm ad meliores actus vtramque bilem eſſe magis præſtantem, non eſt denegandum.

Curatio.

TAm multa ſunt, quæ *capite de Melancholia*, circa victus rationem, & reliquas res non naturales ab auctoribus proponuntur, vt ſuperfluum ſit ea iterum in incudem vertere. Aër calidus ſit, & humidus, luminoſus. Mœſtitia, ſicut vanæ imaginationes variis ingeniis fugandæ, Somnus omni induſtria conciliandus, in cuius prouocatione totus curationis cardo conſiſtit: hic enim ſi prolixus, humectat corpus, roborat vires, & diuerſis phantaſmatibus animum irrequietum mitigat. Veneris parcus, & tempeſtiuus vſus permittendus, præſertim ſi ex ſemine retento, & corrupto ingruerit affectus, vt ex priſcorum, iuniorúmque mente firmauimus *lib. 3. Hiſtor. Princip. Med. hiſt. 9.* Aluus ſit lenis. Cibus ſit humidus, moderatè calidus, probi ſucci, concoctu facilis. Melancholica edulia vitanda, quorum catalogum latè 3. *de loc. 7.* Galenus proponit. Lacticinia interdicenda: flatuoſa enim ſunt, & corrumpuntur facilè. Vinum ſit album, lymphatum; craſſum, & nigrum interdicendum.

Sanguinis miſſionem in Melancholia à toto, ſummè eſſe vtilem, citati monuere auctores; cauma enim attemperatur, & humor melancholicus vacuatur, in cuius præſentia ſaluberrimam eſſe phlebotomiam, ex veterum penu prædiximus, *lib. 2. Hiſt. Princ. Med. hiſt. 78.* Ea ex gibbero celebretur, nî Melancholica aliqua vacuatio ſit retenta, quæ per hæmorrhoïdes, aut vterum celebrari ſolet: nam tunc è talo mittendus eſt ſanguis, vel in femoribus ſcarificatio profunda celebranda, ad Galeni mentem. Hirudines affixæ mariſcis non contemnendam vtilitatem attulere ſemper, quia in hoc auxilio adminiſtrando naturam rectè operantem imitamur, quæ excitato per has venas ſanguinis profluuio, melancholicos affectus perſanat, vt prædixit Dictator, *6. Aph. 11.*

Poſt ſanguinis miſſionem, præparetur humor ſerapiis, ac decoctis quæ melancholiam reſpiciunt. Deinde pharmaca

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 259 sur 927

pharmaca offerantur, quæ similem humorem per aluum vacuare nata sint: sed ea clementia sint; à fortioribus enim crassus, terrenúsque humor assiatur & excandescit. Potiones magis amplectendæ. Sicca medicamina, vt pilulæ, humoris siccitatem adaugent; quare eo nomine suspecta. Melanagoga ergo, alia sunt simplicia, alia composita. Illa sunt Senna, Epithym. Myrobal. Indi, Rolypod. Ellebor. niger. Composita sunt Confect. Hamech, Diasenna, Diacathol. Diacolocynthidos, Hiera Logadij, serapium de Epitymo, Senna, Polypod. Fumar, maior. Pilulæ si propinentur, sint Arabic. Indæ, de lapide Armeno, lazuli, Cyaneo. Ius galli antiqui ad purgandos humores melancholicos est efficacissimum, in cuius ventrem medicamenta Melanagoga immittantur. Ex quibus parari possunt Apozemata, quæ paulatinè vacuent. Horum materiæ sunt radices buglossæ vtriusque, scorzoneræ, cichor. Liquirit. Fœniculi, Asparag. capparum, & Tamarisci. Folia vtriusque buglos. Intybi, cichor. scabios. Capillor. Vener. Scolopend. Meliss. Fumar. Pimpinel. Cassuth. Thym. Acetos. Absinth. Aneth. Lupul. Passulæ Corinthiacæ, pruna enucleata, redolentia poma, sem. Anisi, Fœnicul. Melon. Cucurbit. Citrul. Cucum. Lactuc. Acetos. Papauer. albi, Flores Violar. Saluiæ, Arantior. Anthos, Stœchad. Rosar. Succi Pomor. redolent. Borrag. Bugloss. fumar. Lupulor. Purgantia immiscenda Polypod. Senna, Epithym. Myrobalan. Indi, necnon Chebuli, Citrini, Agaricum, Rhab. In inueterata Melancholia purgatio ex nigro Veratro salubris est, quæ robustis solùm offerenda.

Post hæc, duo sunt administranda magnæ vtilitatis præsidia. Primum est serum lactis ad multos dies, in quo per noctem dicta medicamenta madescant. Hoc enim, præterquam quòd humoris melancholici ferinam malitiam demulcet, & humectat, nigrum succum per aluum leniter deturbat. Alterum præsidium, est balneum dulcis aquæ tepidæ, aut solius, aut cum humectantibus medicamentis priùs decoctæ, vt sunt Viola, Malua, Folia Nenupharis, Fumaria.

Roboranda viscera: Firmandus ventriculus fomentis, vnguentis, sacculis, emplastris. Iecur Epithematis vngendum. Cor tuendum. In hunc vsum cardiaca, & lætificantia exhibenda, vt Mithridatium, lætificans Gal. & Rhasis, & aliæ confectiones cordiales assumendæ. Lapis Belzaarticus vtilissimus, & alia quæ aduersus Melancholiam passim proferuntur auxilia. Cerebrum humectant embrochæ, seu fotus ex lacte, & lotiones ex decocto humectante paratæ: & post ablutionem caput inungere oportet iis, quæ cerebri, humorisque siccitatem lenire queunt, vt sunt vnguenta facta ex oleo violaceo, Sem. Cucurbit. Papauer. Peruigilio illicò occurrendum remediis, quæ *cap. de Phrenitide* descripsimus. Si cætera non prosint, & Melancholia soli cerebro propria sit, vtile est Fontanellam in brachio, aut iuxta occiput aperire.

OBSERVATIO.

Ad conciliandum somnum, emplastrum mirabile.

NVllum est symptoma, quod Melancholicos amplius vexet atque fatiget, quàm vigilia; quæ corpus exiccat, spiritus resoluit, viresque comminuit: Somnus contrà humectat, instaurat, refocillat; quare omni ingenio prouocandus. At cùm siccitas valde resistat, & corrigatur per humectantia, quæ debilis sunt actiuitatis natura suapte, hinc fit vt somnus non tam facilè promoueri soleat. Quare cùm alia præsidia non prosunt, ex tam multis celebratis, hoc esse præstantissimum emplastrum, raso sincipiti appositum, firmissimo experimento adinueni.

℞. Coriandri viridis, fol. lactucæ, capit. papauer. portulac. hyoscyami, radic. mandragoræ, an. M.ß. *maluar. viol. an.* M.j. *hord.* P.ij. *flor. nenuphar.* ʒ ij. *saluiæ, betonic. an.* M.j. *flor. camomil.* ʒ j. *rosar.* ʒ ß. Fiat decoctio in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneat ℔ j. Collaturæ adde *Olei violar.* ʒ ij. *ol. papauer.* ʒ iij. *ol. nenuphar.* ʒ j. ß. *ol. camomil.* ʒ j. *pulu. Absinth. pulu. Betonic. an.* ʒ iij. *Aq. Lactucæ,* ʒ ij. *pulu. flor. nenuphar.* ʒ ij. *pulu. flor. camomil.* ʒ j. *pulu. betonic.* ʒ j. ß. *pulu. absinth.* ʒ ij. *pulu. rosar.* ʒ iij. *boli armen.* ʒ ij. ß. *santalor. rubeor. & citrinor. an.* ʒ j. ß. *vnguenti populei,* ʒ ij. *lactis muliebris,* ʒ iiij. *croci,* ℈. xij *philonij Persic.* ʒ ij. *opij,* ℈. x. *vitellor. ouor. num.* ij. *aq. ros. q. s.* Misce, fiat Cataplasma.

De Melancholia Hypochondriaca.

ETsi tractatio de Melancholia Hypochondriaca, ad partes naturales sit reducenda, tamen placet de ea modò disceptare, vt discursus hic omni ex parte sit absolutus. Quare imprimis quærendum: *Vtrùm Galenus Melancholiæ Hipochondriacæ naturam, & signa rectè descripserit?* Nullus est affectus, de quo ampliorem fecerint auctores commemorationem, quàm ille, qui quia ventriculi, Hypochondriorúmque consensu fit, Hypochondriacus solet appellari; & quoniam à flatibus incipit, à Barbaris flatuosa Melancholia, seu Mirachialis nuncupatur, non exiguam habens similitudinem cum ea Epilepsiæ specie, quæ à ventriculo oritur.

Galenus ergo *lib. 3. de loc. affect. cap. 7.* de hac tertia Melancholiæ differentia refert sententiâ Dioclis, eámque tanquam imperfectam confutat, nec singula symptomata huius affectus explicantem: licèt enim multa proposuisset, præcipua siluit, & à quibus Melancholicus affectus planè demonstratur, metum scilicet, & tristitiam ab Hip. non omissa, *6. Aph. 23.* Insuper, quia cùm cognosceret Diocles, ex ventriculo primùm affecto Hypochondriacam oriri, silentio tamen præteriit, quænam esset propositæ ægritudinis origo: nec cur ad illum desipientia, mentísque alienatio sequatur, & alia melancholica accidentia ausus fuit explicare, sed ea tantùm quæ per se manifesta erant, nec expositione indigebant.

Singula verò prosequitur Galenus: & primò docet, speciem hanc Melancholiæ ad inflammationem sequi ventriculi, vel partium iuxta ipsum in hypochondriaca regione existentium. Cúmque vitiosus sanguis in parte inflammata collectus, sit adustus, crassus, & melancholicus, vtpote à liene irruens, melancholici vapores ex eo, sursum ad cerebrum eleuantur, qui mentem interturbant, metum & tristitiam efficiunt, ac reliqua Melancholicorum symptomata; non aliter ac calidi vapores ad oculos eleuati, suffusionis sunt causæ, & doloris in capite.

Timoris, & mœstitiæ causam, refert ad humoris nigredinem, & tenebrositatem: adiungítque duo hæc perpetuò Melancholicos comitari, simul & imaginationis noxam; licèt non semper eundem læsionis modum, cùm intra eandem Melancholiæ speciem, varias, & ferè innumerabiles læsas imaginationes experiantur, quarum nonnullas in medium adducit.

Deinde quibus signis flatuosa, Hypochondriacáve Melancholia ab aliis speciebus differat, clarissimè demonstrat: Nam si præter metum & tristitiam, odium & auersionem hominum, quæ communia sunt omni Melancholiæ indicia, cruditates adsint, ructus acidi, præcordiorum æstus, flatus, rugitus, vehementes interdum ventriculi dolores, maximè post cibum, hypochóndriorum grauitas & tensio, sputum humidum, ídque multum; alui autem deiectione, vomitu, proba concoctione, ructibus alleuietur is qui laborat, dubium non est turgidam esse, flatuosam, ac Hypochondriacam vocatam affectionem: & melancholicum sanguinem in ventriculo,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 260 sur 927

ventriculo, veluti in parte inflammata, seu potiùs docente Paulo *lib.3.cap.14.* circa partes ad stomachum attinentes, mesenterium scilicet, & hypochondria phlegmonen contineri, ex qua, facta ad cerebrum euaporatione, eóque intemperato, ac tenebroso reddito, Melancholiam excitari est necesse.

Tunc verò licebit illud certissimè coniectari, si circa ventriculi regionem prima inceperint symptomata, ipsisque auctis Melancholica fuerint subsequuta. Quòd si ea quæ Melancholiæ propria sunt, metus scilicet, & tristitia, aucta & vehementia adfuerint, nullo interim prædictorum, vel exiguo, circa ventriculum apparente, manifestum est Cerebrum ipsum proprio affectu laborare, & in eo aceruatum esse, ac congestum melancholicum humorem. Quare dicendum est, rectè Galenum, rationem & causam symptomatum, quæ in Melancholia exoriuntur, protulisse.

Verùm explicanda sunt, quæ Galenus refert: *Vtrùm Melancholia hypochondriaca ex Pylori inflammatione oriatur*? Nam si hoc esset verum, febris in ea adesset. Atqui Melancholia omnis est quædam desipientia, delirium, seu mentis alienatio sine febre, ex Gal. 2. *de caus. symp. vlt.* Paul. *lib.3. cap.4.* Tral. *lib.1.cap.22.* Halyabbat. 9. *theoric.7.* vbi animi confusionem sine febre describit: & Aretæus, animi angorem in vna cogitatione defixum, absque febre, 1. *Chronion, cap. prop.* & Rhasis 9. *ad Almans.* & 1. *contin.* cum reliquis de Melancholia agentibus, nullam prorsus febris mentionem fecerunt. Igitur, &c.

Deinde, in inflammata parte exuperans reperitur, & consumens calor, quo præsente flatus non oriuntur, quia à diminuto tantùm fiunt, ab ingenti resoluuntur, 3. *de caus. sympt.* 2. neque acidi ructus fiunt, quia potiùs à frigiditate, 4. *simpl.* 12. nec cruditates fieri possunt; nec humidum sputum, & multum: quia symptomata sunt quæ à frigido emanant, non calido morbo. Ergo, &c.

Rursus. Ex sola delatione melancholiæ à liene ad ventriculum, vel mesaraïcas absque phlegmone, possunt tenebrosi, atríque vapores ad cerebrum eleuari, efficeréque mentis inconstantiam, cum metu & mœrore, 6. *de loc.* 1. Ergo perperam Galenus 3. *de loc.* 7. huius affectionis causam addixit inflammationi pylori, hoc est, inferioris oris ventriculi; præsertim cùm magis frequens sit à vitiato, obstructóque splene, melancholiæ receptaculo, huiusmodi malum proficisci, adeò vt testetur Auerrhoës 3. *collig. cap.* 40. sine eius communicatione rarò generari.

Dic. Cùm 3. *epid. sect.* 3. *com.* 45. scripserit Galenus, proprium insanientium esse, à febre liberum esse, vt febricitare phrenitícorum; & apertè variis in locis Melancholiam definierit, delirium sine febre: cúmque hæc, ex ipsius, & Medicorum omnium sententia, ab internis inflammationibus sit omnino inseparabilis, non leue tum Barbaris, tum Græcis attulit negotium, quomodo Hypochondriaca affectio à pylori phlegmone euenire posset, imò vel à calore, si adsunt cruditas, flatus, & sputi aciditas.

Ob hæc Rhasis 1. *contin. cap.* 3. potiùs credit, huius mali causam esse melancholiam multam, ab splene in ventriculum delatam, à quo ad cerebrum communicatæ fiunt Melancholica symptomata, & morbus. Neque probè colliges, à calore proficisci, eo quòd iuuetur frigidis & humidis: quoniam iuuamentum illud per accidens est, non omnino & eradicatiuè sanans, scilicet quia frigidis temperatur iecoris caliditas, & minuitur atræ generatio; humidis autem eius malitia obtunditur. Verba autem Galeni 3. *de loc. cit.* ad Dioclem contorqueantur, non quasi eiusdem fuerit sententiæ, quod aliqui putant consentientes cum Rhasi, non posse à pylori inflammatione nasci, cùm adsit sitis, ac febris carentia; nisi per inflammationem, non phlegmonen, tumorem, siue apostema intelligas, sed feruorem, immoderatúmque calorem, vt mos antiquis fuit inflammationem appellare, teste Gal. *lib. de diff. morbor. cap.* 12.

Cæterum reiicienda est interpretatio, quia nec Galenus *ibi*, nec auctores eo nomine sic vtuntur, & apertè suam proferunt sententiam. Auicenna 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 18. admittit quidem genus hoc Melancholiæ fieri ex phlegmone, modò à frigida, nonnunquam à calida materia generato, atque adeò febrem quandoque adesse, quod Galeno non repugnat, cùm tantùm velit in Melancholia, & Mania febrem necessariam non esse, nec perpetuam, quemadmodum in phrenitide. Auerrhoës 3. *collect. cap.* 40. idem ferè arbitratur, addens Melancholiam hanc, etiam cùm à calido apostemate oritur, febre carere, sicut accidit in declinatione; quo tempore extraneus calor iam non adest sufficiens ad excitandam febrem. Verùm hoc necessarium non est, quia oportuisset febrem, & dolorem præcedere, quod nec experientia ostendit, nec auctores testantur.

Quare dicendum, huius ægritudinis causam esse, vel melancholiæ delationem ex splene, cum Rhasi, & Galeno 6. *de loc. cap.* 1. vel ventriculi, aut mesaraïcarum, demùm aut cuiuscunque partis mesenterij tumorem, ex atro, crasso, adustóque sanguine, quod inflammationis nomine ex præsenti significatur. Licèt autem inflammatio, seu phlegmone strictè sumpta, prout ab aliis tumoribus distinguitur, sanguinem, & calidum apostema significet, *lib. de tumorib. præter naturam, cap.* 2. omnem etiam tumorem dicit, 2. *crisi.* 12. Cùm ergo ex sanguinis melancholici phlegmone huiusmodi affectio vtplurimùm oriatur, febrem necessariò non annectit.

Nec verò putes necessarium omnino esse, sanguinis immoderantiam in inani loco aceruari, ita vt partem in tumorem attollat, vt morbus hic generetur: sufficit enim quòd crassus, ater, & adustus humor per mesaraïcas, vel quamlibet aliam partem huius regionis spargatur, contineatúrque in excedente quantitate, tum quia inflammationis nomine, quamlibet excedentis sanguinis copiam, etiam in paruis membri vasis, Galenus comprehendit; tum quia experimento compertum est, hypochondriacos multos, factam & consistentem inflammationem non habere calidam, quia febre non laborant, siue frigidam, quemadmodum Auicenna testatur, vti *suprà*. Nec mirum, quoniam monstrante dissectione, etiam in paucis pleuriticorum tumores conspiciuntur. Erit igitur affectus quidam phlegmonæ similis, qualem scribit Galenus 8. *meth.* 5. nonnunquam in ventriculo consistere, in diaria ex cruditate. Ex dictis duabus causis, Galenus *in hoc capite*, & Paulus *loc. cit.* vnius tantùm, quia frequentissima, nempe ventriculi, vel mesaraïcarum inflammatio dicto modo explicata, meminerunt; ambas autem Auic. & Auerrhoës concesserunt, nec posteri negarunt.

Quomodo verò flatus, & alia symptomata frigida à calida causa possint oriri, non perinde explicant. Auerrhoës *cit.* eam refert ad extraneum calorem, à quo cùm lædatur, debilitetur, & resoluatur innatus, coctionis auctor, exactè alimentum non conficit, atque adeò cruditates fiunt, flatus, acores, & reliqua. Alij interea dum viget inflammatio, prædicta symptomata non dari, sed in inflammationis fine, quum iam calor in cibaria, vel chylum agens; paruus existit, cùm tamen illicò ab huius morbi initio flatus vigeant, vnde cruditates.

Dicendum ergo, quòd cùm affectio hæc ex ventriculi cruditate incipiat, propter quam lienis subinde fit obstructio, principio flatibus implentur partes ventriculo circumiacentes, & præsertim hypochondrium sinistrum; in quo etiam primùm grauitas & tensio, quod frequens est, sentitur: ex melancholico autem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 261 sur 927

sanguine ad quamuis illarum partium irruente, putrescentéque vapores eleuantur, qui præexistentium copiam adaugent. Rursus contentus sanguis, melancholicus est, ac proinde acidus, quid igitur mirum si ab eo inflammata membra vitientur in acorem? Denique melancholia ipsa licèt putrefacta, & calida, abundat quantitate partium frigidarum, ratione quarum potest symptomata frigida efficere.

Vtrùm verò *in Hypochondriacis affectibus necessariò adsit obstructio?* dignum est quæsitu. Diocles cognouit saltem in mesaraïcis venis: nam sanguis hoc loco crassior factus, aut quiuis alius humor terrestris, potest obstruere, præsertim si lentus sit, tunc enim pertinaciùs inhæret, & hoc modo à pylori calore flammeo redditus durior, obstruit: Argumento est, quòd alimentum corpori non distribuatur: quare Hypochondriaci, sunt pallidi, decolores, extenuati; non enim nutriuntur, quia alimentum ob internas harum partium obstructiones, ad membra aptè non penetrat.

Vtrùm Hypochondriaci pulsationem magnam in mesenterio persentiant? addubitant multi. Arteriæ enim subter præcordia pulsantes vehementer, in hoc affectu ab ipso laborante sentiuntur, & interdum citra contactum, de foris intuentibus pulsatio animaduertitur, quæ ex Hip. mente, 1. *lib. progn.* 28. perturbationem significat, aut delirium. Nam cùm hæc ob adurentem concitetur calorem, permultósque atrabilarios flatus, qui partem distendendo, pulsationem concitant, & sursum elati, caput implent: accedit alia causa, nempe arteriæ constrictio à glandulis, quas natura in mesenterio reposuit, vt sint fulcimentum vasorum, quæ per mesenterium copiosa disseminantur, ne scilicet in magnis, & violentis motibus disrumpantur. Hæc glandulosa corpora in Hypochondriacis, atro, melancholico, assatóque humore replétur, qui in vasis multiplicibus, quibus mesenterium abundat, propter eiusdem partis calidam intemperiem, continetur: vbi verò ita repleta fuerint vasa, sed præcipuè glandulosum illud corpus, quod insigniores, ac primas vasorum dissectiones suffulcit, comprimitur arteria magna, quæ iuxta venam cauam per dorsi medium versus sinistram partem perrepit; ex compressione autem arteriam attolli, & morum similem edere pulsationi, dixit Galenus 2. *de loc. cap.* 1.

Denique, vt in summa dicam, multiplicia sunt signa, quæ Hypochondriacam Melancholiam comitantur, varia, & quæ diuersimodè laborantem exercent, & à calida, ac frigida causa scaturiunt: Cùm enim hic morbus ex calida hepatis intemperie, ventriculi frigida emanet, adsitque hæc partium contraoperantia, nihil mirum si ex hoc inæquali fonte signa varia emanent, præter ea quæ *suprà* retulimus. Conspicitur vomitus crudi cibi, & subamaræ pituitæ. Adest ventriculi vehemens dolor. Suffocatio interdum premit, ob diaphragma ex multo, crasóque flatu compressum, à liberáque distentione impeditum. Visitur tensio in hypochondriis, quam eorundem grauitas; aut tumor mesenterij comitantur.

Si prævalet iecoris æstus, siti torquentur ægri, maxillarum rubedine, vigilia, vrinæ rubore, manuum & pedum calore, corporis colore pallido. Si superat frigida ventriculi intemperies, vrina est alba, somnus adest interruptus, laborans anxius est, pallidus, & à potu maximè læditur: timet, tristatur, alimentum abhorret, falsis importunísque imaginationibus vexatur. Demum nec oblatis frigidis, aut calidis medicamentis acquiescit.

Difficilis ad curandum morbus, quia ex inæquali minera profectus, & cùm fit habitualis & diuturnus, difficulter curatur; intemperies enim est in viscéribus penitiùs impressa, & altiùs radicata, quam euellere, arduum & laboriosum. Etenim si calida applicas, ignescit iecur; si frigida, tonus partium naturalium grauiter eneruatur. Hoc malum eos præcipuè premit atque fatigat, qui graciles, hirsuti, excarnes sunt natura suapte. Laborantes frequenter incidunt in viscerum obstructiones diras, ictérum, fœdum colorem, atrophiam, cachexiam, hydropem, vigiliam, melancholiam morbum, à quibus laboriosè sese inposterum possunt extricare.

In Curatione quatuor scopi obseruandi: Primus, atrum humorem vacuare. Secundus, flatus à capite eleuatos reuellere, & absumere. Tertius, viscera deobstruere, atque attemperare. Postremus, cordi, ac cerebro prouidere. Victus ratio eadem sit, quam *suprà* in Melancholia morbo descripsimus. Proba coctio procuretur. Aluus sit mollis. Somnus sit prolixus. Animi pathemata vitanda. Cœna sit leuis. Exercitium moderatum.

Prima regio inprimis clementi pharmaco expurganda. Sanguis extrahatur deinde è brachio, vel talo. Postea si lien melancholici humoris copia turgescit, hirudines mariscis affigendæ: ex his enim partibus sanguinis extractio maximum ægris leuamen afferre solet. Præparetur humor melanagogis, & similibus postea expurgetur. Cardiaca offerenda, Ventriculus firmandus. Roborandum iecur. Deobstruentia imperanda, inter quæ chalybeata medicamenta primas tenent. Serum lactis medicatum offerendum. Balnea aquæ dulcis summopere iuuant. Thermales aquæ, siquæ detergendi sine calore vim habent, optimæ sunt: vtiles sunt ex mineris chalcanti, & ferri.

OBSERVATIO.

Electuarium ex chalybe ad Hypochondriacos egregium.

NVllum est medicamentum, quod Melancholiæ flatuosæ magis conferat, quàm chalybs. Nam cùm ex diuersa natura prodeat hic affectus, exigit medicamina, quæ variam habeant, & diuersam operandi vim. Affectus hic mixtus est, & compositus, quocircà medicamenta quoque efflagitat composita. Insuper, pharmaca omnia os ventriculi oblædunt, quod in hoc morbo est affectum. Hanc præstantissimam efficaciam, pretiosi antidoti instar, ferrum sortitur, Adstrictione, & crassa qua constat substantia, roborat, & labascentem ventriculum, flaccidásque internas partes vigorat vehementer. Deobstruit, calida igneáque vi; nam omne metallum igneæ est substantiæ, & quò impurius, eò ampliùs: ab infarctu liberat, compescit vomitum, appetentiam concitat; demum cùm mixtæ sit substantiæ, mixtos producit effectus. Huic necesse est permiscere roborantia, deobstruentia, cardiaca, & quæ flatus absumere nata sunt: quas indicationes in hoc morbo summè esse necessarias, auctores vnanimiter contestantur. Inter omnia præcipuum obtinet locum Electuarium hoc, diutino à me experimento confirmatum. Vtere eo, (corpore priùs expurgato) quantitate ʒ ij. ieiuno ventriculo, superbibito hausto generosi vini, aut aquæ, quæ priùs sit decocta radice Chynæ, scorzoneræ; aut aperientis decocti. Et si vires valeant, post eius potum, non displicet exercitium spatio dimidiæ horæ celebratum.

℞. *Fol. sen. Oriental.* ʒ ß. *epithym. polypod. seminis cartham. an.* ʒ ij. *flor. borrag. flor. violar. flor. bugloss. an.* ʒ j. ß. *Corinthiac. passular.* ʒ ij. *prunor. sine acinis*, Num. x. *aniſi, sem. fœnicul. an.* ʒ i. *adianth.* M. j. ß. *eupatorij, asplenij, an.* M. j. *cortic. citri exiccati,* ʒ j. *Tamarisci,* M. ß. *myrobalanor. chebulor. myrobalanor. Indor. an.* ʒ iij. Coquantur omnia in aq. chalybeata, quousque remaneat ℔ j. In colatura infunde sec. art. *Rhab. elect.* ʒ ij. *agaric. trochiscat. in vino zingiber.* ʒ j. *hermodactylor.* ʒ j. *mechoacæ,* ʒ ij.

Omnia

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 262 sur 927

Omnia deinceps exprimantur: tum adde *Syrupi fumar. maior. chalybis subtilissimè triturati*, ʒ j. *confect. Alkermes, electuar. de gemmis, confect. Hyacinth. an.* ʒ iij. *margarit. præparat.* ʒ ij. *lapidis belzaartici*, ℈. xxx. *eboris in tenuissimum pollinem redacti*, ʒ ij. *flor. melissæ* ʒ ß. *pulu. Sennæ*, ʒ ij. *Tartari vini albi*, ʒ j. ß. *Theriac. Andromachi*, ʒ ij. ß. *Mithridatij*, ʒ j. ß. *aromatici rosat. Mes. diarrhodon. Abbat. an.* ʒ ß. *rubinor. præparat. granator. præparat. an.* ʒ j. *serici crudi*, ϑ ij. Omnia in puluerem tenuissimum redacta, cum foliis auri Num. xx. misceantur, & cum sacchari q. s. Fiat sec. art. Electuarium.

De Amore insano, siue Affectu Erotico.

DE insano amore, cùm sit affectus infrequens, pauca quædam proferemus verba, maximè quia illius sanatio sub Melancholiæ curatione comprehenditur. Quanta sit vis Amoris in rebus, satis explicant auctores prisci, neoterici satis explanant, & doctorum hominum consensus affirmat. Igitur quantum hic possit, ex Orphei, atque Hesiodi, & aliorum veterum Poëtarum carminibus patet: & docent Platonici, ac suis ipsi libris fusiùs, & accuratiùs demonstrant. Vnus Platonicorũ Principis sermo, quod *Conuiuium* inscribitur, huius rei testis est probatissimus. Platonica nolo repetere de magno Deo Amore, & admirando inter homines, vt Phædrus apud Platon. *in conuiuio* refert.

Ergo vrit videndo fœmina, certè passiuè, id est, dum videtur, dum aspicitur: nisi, si non aspiciatur, & aspiciat mulier, afficiat viros, & Basilisci serpentis instar sit; quod verum non est, nisi velimus fascinum oculo ferre mulierem. Hinc 1. Æneid.

Ardescitque tuendo Phœnissa.

Ipsa in se, quæ vrit virum: vnde Ouid. 4. *Heroïd. Epist.*

Vrit amor grauius, quò seriùs: vrimur intus,
Vrimur, & cæcum pectora vulnus habent.

& 4. Æneid.

——Est flamma medullas:

quæ & corpus Didonis præceps dedit in ignem.

Ecce tibi comparatam eius vim ign, iquo efficacius nihil in tota natura. Itaque plurima sunt exempla, eorum, qui sibi amoris causa manus intulere. Quare hoc ineuitabili Cupidinis arcu exagitatus homo, & videt, & perit, vt Ouid. *in Heroïd. Epistol.* asseuerat; nec dissimiliter Plaut. *Mercat. act. 2. scen. 1.* innuit. *Illic ego aspicio formam eximiam mulierem, quam ego postquam aspexi, non ita amo, vt sani solent homines, sed eodem pacto, vt insani solent.*

Oculis vrendi maior est vis, quàm ipsi igni: hic enim vrit eos qui tangunt; at formosi etiam procul intuentes accendunt, etiamsi non tangantur. Sed quærendum: *Vtrùm præcipua amoris sedes in oculis sit constituenda?* Philostratus sic inquit, *Epistol.* 50. *O! mala faciferi amoris, vnde mihi animum occupastis? Nonne videlicet ex oculis? sic & amor per arcem oculorum, non lignis, aut laterculis, sed solis palpebris munitam, inquietum paulatim animum ingreditur, celeriter quidem, vt alatus, liber verò vt nudus, inuictus vt iaculator. Primi nobis pulchritudinis facem extulistis.* Et Musæus *in Leandro*, cùm mortalium animos veluti sagittis, amore figi ceciniſſet, subiecit: *O amor, amor! qui per oculos instillas cupidinem.* Ob hanc rem in *Troade* suadetur Menelao, vt Helenam trucidet, nec videat, alioqui perdendus ipse.

Vis audire Philosophos, Oratores, Historicos, Theologos? Plato citatus *lib. 6. stromat.* in initio, *Amoris initium, visus:* & Plutarchus *lib. de amore: Capiendi amoris visus est ansa.* Isocrates *in encomio Helenæ*, de Theseo illam amante: *Illam vt vidit, tanto eius amore formæ est victus, vincere alios solitus.* Sic Aristænetus *lib. 2. epist. 2.* Quintilian. *in quadam declamatione: Oculi sunt tota nostra luxuria; hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt.* Apul. *lib. 10. Asini. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, meis medullis acerrimum commouent incendium.*

Clemens Alexandrinus *lib. pædagog. sui 3. cap. 5. & 11.* mirificè hoc argumentum potest illustrare: & *lib. de profect. morum*, Plut. ex Æschylo puellæ flagrantem nominauit oculum, & facilè nutibus deprehendi affirmat, moribus accommodans, quasi per oculum amor quo fuit vitiata, sese exerat. Sic Poëtæ Græci passim, formosas & pulchras mulieres in se aliorum trahere oculos, aut oculis alios trahere asseuerant. Ita Homerus *in Iliad. Vt vidit, vt prudentem ipsius animum circumualauit amor.* Euripides *Alcestide: Aufer per Deos ab oculis mulierem hanc, ne me capias volentem.*

Hinc sapiens illud Sapientissimi hominis consilium, *Eccl. 9. Ne respicias mulierem multiuolam*, id est, modò huc, modò illuc vagantem, seu potiùs instabilem & leuem, quod proprium est, ac maximè natiuum huius sexus vitium. Neque minùs doctè cecinit Iob. *cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine:* quasi docere vellet; non orituram, aut non nocituram, praui ac lasciui amoris in animo cogitationem, nisi liberiùs oculis vteretur, qui viam sternerent cogitationi. Exemplo sunt Filij Dei videntes filias hominum, vt scribitur *Gen. 6.* Exemplo Sichem, *Genes. 34.* Exemplo Samson, *Iudic. 15.* Exemplo Dauid, 2. *Reg. 11.* iure vt Anacreon amorum exercitum ex oculis ferire prædixerit.

In hunc sensum interpretanda est illa Pauli sententia, *lib. 3. cap. 17.* dicentis: *Solos oculos in amantibus contrahi, ac concidere.* Licèt enim vniuersi corporis atrophia, & squalor, cæteras nostri corporis partes opprimant, & absumant, tamen circa passionis initia, oculi resoluuntur priùs cæteris membris: nam caui fiunt, palpebræ ipsis continenter mouentur, cum risibilitate quadã, & voluptate oculos perfundente, quasi pulchrum aliquid aut delectabile intueantur, aut nouum iucundum audiant, dilecta nempe forma phantasiæ perpetuò obuersante: in his ergo motibus variis pinguedo liquatur, spiritúsque resoluuntur.

Oculi ergo miram in amatoriis affectibus potentiam obtinent. Hinc spiritu diuino afflatus Regius vates, sic Dominum deprecabatur, *Psal. 118. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem:* quoniam oculorum ministerio in animos hominum amor influit, sensim pedetentimque illabitur. Quare amantes, amentes visu fiunt: vnde verè scriptum, *Ierem. 9. ascendit mors per fenestras nostras*; fenestræ autem nostri sunt oculi, per ipsos enim anima respicit, quod exteriùs concupiscit. Oculi quippe multo igneo, & vt sic dicam, radioso spiritu nitent: quamobrem ad rei amatæ oculos radiorum iaciunt, qui cùm spiritus deuehant, vaporem illum vehementiùs incendunt: His incensus, & amati specie agitatus oculus, cor agitat, incendit, vrit cupiditate fruendi, dum vicissim ab amato suis oculis recipit aculeos: ita amoris veneno inficitur, iccircò plerique genus esse fascinationis conscribunt.

Ratio huius problematis esto hæc. Eiusmodi in homine gignuntur spiritus, cuiusmodi fuerit sanguis, & aër admissus, in præcordiis, purus enim puros creat spiritus, crassior crassiores; qui quidem vt perpetuò à cordis calore, magisque sincera sanguinis parte gignuntur, ita sanguinis à quo emanant, sequuntur naturam. Hi è corde in cerebrum delati, animales efficiuntur, tenuiores mobilioréque euadunt: hinc facilè per laxiores cerebri meatus transmittuntur, præsertim qui ad oculos deferuntur, qui omnium lucidissimi sunt, & nitidissimi, vt visionem efficiant, atque inde similes sibi radios per oculos, quasi per fenestras vitreas, mittant. Emissi ab oculis radij trahunt spiritalem illum vaporem, & quidẽ ignei, vt putauit Chrysippus, *lib. 15.*

de placit. phil. 4. vt in lippis apparet, & rubore affectis oculis, qui spectantis proximè oculos emissione radiorum similiter afficiunt, & affrictu, & contactu spiritali in bene affectis oculis similem gignunt morbum. Sic etiam & Arist. *lib. de somno, & vigilia*, obtutu mulierum menstruatarum, sanguineis quasi guttulis, & fœdo vapore, nitidissimum inficit speculum tradit: spiritus enim vapor est sanguinis, siue sanguis quidam tenuissimus: Ita amantes mutuo aspectu, alter alterius combibit amorem. Hinc *Æn.* 4. Virgilius:

At Regina graui iamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Ac si fascinata esset fingitur vulnus alere: cæco igni, id est, amantis ardenti desiderio vrgeri, & vri, ac tota furens vrbe vagari, vt fascinata. Ecce tibi antiquioris Poëtæ sententiam. Terent. *Eun. act.* 2. *scen.* 1. *Dij boni, quid hoc morbi est? adeóne homines immutari ex amore, vt non cognoscas eundem esse!* & paulo antè, *act.* 1. *scen. vlt. Dies, noctésque me ames, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me spectes, me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremò animus.* Nec mirum, cùm tenuem radium, leuissimúmque spiritum, tam citò, tam acriter, tam perniciosè animum perturbare, & à suo statu euertere constet: scimus enim morbos, vt pruritum, scabiem, elephantiasim, dysenteriam, lippitudinem, pestem contagione inficere, noxio vapore emisso, eóque spiritali, & qui aspectum effugit oculorum. Ita amantium spiritus calidiores & clariores, ob germanitatem & sympathiam naturarum, sibi mutuò blandiuntur, se mutuò alliciunt, ideóque auidè atque ardenter hauriuntur; & quia subtilissimi, citissimè interna permeant, & per venas & arterias in corpus vniuersum penetrant, vt qui calidissimi sint. Ita simili inficiuntur amantes tabe, hoc est, insana quadam libidine fruendi, quod physicè Lucretius expressit, *lib.* 4.

Hinc illi primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit guttam, & successit feruida cura.

Hoc modo ex amore incurrit amans ægritudinem, & vacat mente, vt euenit Antiocho, ob nouercæ amorem Stratonicæ, apud Val. Max. *lib.* 5. *cap.* 7. & fœminæ Pyladis amore captæ, apud Galenum *lib. de prænogn. ad Posthum. cap.* 6. & magis si pulchrum sit quod amatur: nam vt Plato ait *in Lyside: Omnium verò amor pulcherrimus, & quod maximè pulchrum, id it sum etiam omnium maximè amabile*, vt ait 3. *de Republ.* Plato: *Amor* enim *nihil aliud est, quàm desiderium pulchritudinis, scilicet potiunde, & immortalitatis*, vt ait *in conuiuio* Plato: & hæc putatur aurea amoris sagitta, qua amore ferit, qua amorem trahit.

Forma pulchra acutiùs quàm iaculum ferit, & per oculos in animum influit. Nónne Samson leone fortior, & saxo durior, qui & vnus, & nudus mille persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus? *Iudic.* 16. Nónne Dauid, secundùm cor Domini electus, postquam deambulans super tectum domus suæ, Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium? Nónne Salomon mortalium sapientissimus, ob amorem à Domino recessit, 3. *Reg.* 4. & 11. Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar sororis Amnon frater exarsit incendium, 1. *Reg.* 13. Sapienter, & politè quidam ita in Amorem lusit.

Quis puer hic? Veneris. Plena qua causa pharetra est?
Non bene prouisus certa quòd arma mouet.
Cur sine veste Deus? Simplex puer odit opertum.
Vnde puer? Pueros quòd facit ipse senes.
Quis pennas humeris dedit? Inconstantia. Quare
Nulla Deo frons est? Signa inimica fugit.
Qua sors eripuit lucem? Immoderata libido.
Cur macies? Vigilis cura, dolórque facit.
Quis cæcum præit? Ebrietas, sopor, otia, luxus.
Qui comites? Rixæ, bella, odia, opprobrium.
Qui cœlo dignati? Homines. Qua causa coëgit?
Mitior auctore est credita culpa Deo.
Heu genus in fraudem natum, & corda insicia veri,
Quouis, fásque scelus, si scelere abluimus!

Hoc cæco amore, corruptóque iudicio vexati plures, sese in insaniam præcipites dedere, & in mortem: ac sæpenumerò manus sibi violentas consciscunt, & fœdo mortis genere se perimunt. Hinc illud Ouidij:

A trabe sublimi triste pependit onus.

Est ergo amantium insania, *solicitudo Melancholica, ex immoderato amore profecta, ac pendens, variis subinde pathematibus animum exagitans*, ex Auic. 3. 1. *tract.* 4. *cap.* 23. Cuius causa, humor est atrabilarius, cerebrum intemperans, ac animales spiritus vitians: ex amore enim diuturno, corpus vigiliis, curis, solicitudine confectum exiccatur, ac tabescit, & hoc modo igneus, torridus, & atrabilarius sanguis progignitur, & in cerebri arcem conuolans, ibique stabulans, furorem & insaniam parit: quo pacto Auicenna hunc affectum Melancholicis morbis annumerat.

Sed rogabis cur hic morbus vocetur Heros? Dic, quòd hoc nomen aliqui, parum tamen Latini, dictum voluerunt à Germanica voce *Herr*, quæ Herum, siue dominum significat: grauiùs poterant à Latina deriuare Herus, siue Heres. Sed vide rationem horum: quoniam (inquiunt) hoc morbo potissimùm Heri, ac nobiles, & magnates vexantur: quasi verò non potuisset hæc esse ratio vera, si à voce Latina Herus, duxissent. Morbus autem est, cùm præ amore cuiuspiam in furorem quis vertitur. Malè tamen à nostris pronunciata est hæc vox, *Heros*, pro *eros* sine aspiratione. Nam & ridiculum, cùm solos magnates eo corripi affirmant. Quid? nónne etiam plebeij, atque abiecti quique homines amant, & amore insaniunt? Testes mihi Bucolici Theocriti, & Virgilij, Caprarij, Bubulci, Pastores, amore furentes Galatheæ, Daphnidis, Alexis, Hylæ, quos depereunt, & ita amore torquentur, vt fœdo mortis genere se perimant.

Legi quiscribant, hunc morbum ab Auic. 3. 1. *tract.* 4. *cap.* 24. Ischion vocari. Græca hæc vox, quæ significat crus, & coxendicem, ac neruum, qui eam femori committit, siue Ischis, quæ lumbum significat. Cur autem? quia femori conseruisse femur desiderium est amantium, siue potiùs amatorum. Vel si deriues hoc vocabulum à verbo Græco, ἰσχύω, quod est attenuare, & arefacere, non errabis, qui enim sic amore insaniunt, macie consumuntur. Hinc illud Virgil. 6. *Aneid.*

Hic quos durus amor crudeli tabe premit.

E Theocrit. *Idyll.* 1. *Vbi tandem fuistis ô Nymphæ, cùm Daphnis amore tabesceret?* & paulo pòst. *Quis te ita confecit, cuius verò amore adeò flagrans, siue incensus es?* Hoc enim morbo atroci, & fero oppressi, decolores sunt, exanimes, pallidi, graciles, excarnes, vt constat Gal. testimonio, *lib. cit. de prænogn. ad Posth.* & 1. *prog.* 2. Auic. *loc. cit.* Haly 9. *theoric.* 7. præ mœrore enim, vigilia, curis, & imaginationibus assiduis, viscera, & officinæ coctionis spiritu, natiuóque calore defraudatæ, cibum auersantur, nec amplectuntur; hácque ratione minùs fausta fit concoctio, & sic atrophia correpti marcescunt, & extenuantur.

Deinde spirationem habent raram, crebra suspiria emittunt; absente re amata pulsus fit paruus, debilis, & processu temporis durus, ea verò subitò conspecta, auditáue, au memorata, vegetus, sed inæqualis, & inordinatus euadit; quo tempore facies rubore suffunditur, spiratio increbescit, & vel nolentes animum pandunt. *De præsagio quid?* Si diu hic pertinax amor duret, migrat in insaniam & furorem, & hoc modo squalore, curis, vigiliis exiccatur corpus, sanguis arefit, aduritur, & in naturam abit melancholicam.

Curatio

Curatio tunc ea erit, quam *suprà* Melancholicis proficuam esse tradidimus. Attamen antequam hic vesanus amor radices agat, cura aggredienda: quia, vt magnus ille perbellè monebat amorum Magister, *lib. 16. Heroïdum.*

Dum nouus est, cœpto potiùs pugnemus amori,
Flamma recens parua sparsa resedit aqua.

& *lib. 1. de remedio amoris*, sic.

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires. —

Insuper si re amata potiri licitum est, id sufficiens præsidium erit; sin contrà, longissimè ablegandus æger, in hoc enim consilio totius curationis cardo consistit. Vin' tu remedia ad hunc improbum amorem ex animo funditus euertendum, præsentanea duo, è duobus Poëtis, qui quantum adferat noxæ experti sunt? Primus est Lucretius, qui cùm *lib.* 4. docuisset, eius initia è simulacris oriri, ac pendere formosi vultus, his versibus:

Couueniunt simulacra foris de corpore cuique,
Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris,
Qui ciet irritans loca turgida semine multo.

Mox amuletum contrà obiiciendum monuit, fugæ, & auersationis simulacrorum, quæ & incendunt, & pascunt amoris flammam.

Nam si abest, quod ames, præstò simulacra tamen sunt
Illius, & nomen dulce obuersatur ad aures,
Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris,
Abstergêre sibi, atque aliò conuertere mentem.

Rectè nosti quàm aspectus imprudens amoris sit origo. Accinentes Poëtas audi. Nam ita Propertius *lib. 3. elegiar. ad Cynthiam*?

Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Vitanda consuetudo. Sapienter enim Socrates apud Stobæum, *serm. 6. Ignem quidem ventus, amorem verò consuetudo accendit: Expelle ergo à te hanc feram, priusquàm vngues acuat, emittátque dentes.* Otium fugiendum, interdicenda solitudo. Venus aliquando cum modo habenda; huic enim insaniæ sæpe remedio est.

Si morbus sit pertinax, & vigiliæ infestent, ritu Melancholicorum curandi sunt. Victus sit humidus. Somnus prolixus. Offerantur alterantia, expurgantia, cardiaca. Imponantur capiti topica, quæ contra Melancholiam morbum sunt ex vsu. Serum lactis caprini medicatum, optimum est. Balneum aquæ dulcis, præstantissimum. Sin his non resipiscant, ad flagra, ac verbera veniendum.

De Incubo.

PRoximus Melancholiæ affectus est ille, per quem dormiens, grauem patitur anhelitus oppressionem, vocis, ac motus interceptionem, sensus stuporem, & inuadentis, incumbentísque sibi phantasmatis imaginationem. Incubus dicitur, à Græcis Ephialtes, vel ἐφιάλτης, hoc est, strangulator, seu suffocator nuncupatur. Hunc verò ita 12. *Æneid.* eleganter describit Virgilius:

Ac veluti in somnis oculos vbi languida pressit
Nocte quies, ne quicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba sequuntur.

Paulus *lib. 3. cap. 15.* breuiter proposuit hunc morbum. Symptoma est in genere noxæ facultatum animalium, motricis quidem generatim impeditæ, sensitricis dimi-

A nutæ, imaginatricis deprauatæ. Locus affectus, Cerebrum est, quum motus, ac sensus fons sit ac origo, quod vel per essentiam, aut per consensum inferiorum partium solet oblædi.

Causa multiplex est: coniuncta, antecedens, procatarctica. Illa, crassus est vapor, nebulosus & teter, & plerunque frigidus, qui animalis spiritus, influxúsque communicationem obstruendo intercipit. Differt ab Epilepsia, & Apoplexia, ex parte materiæ, loci affecti, obstructionis gradu. In Incubo, obstruens materia flatus est, non humor; pars affecta, posteriores potissimùm ventriculi, & qui non perfectam obstructionem patiuntur; contrà accidit in Apoplexia: In Epilepsia modò flatus, modò humor causa est.

B Antecedens causa, humor est pituitosus, aut melancholicus, qui interdum in ipso cerebro, sæpe in præcordiis, ventriculo, aut vtero, aut liene stabulatur, à quo ascendens vapor; cerebri meatus obstruit. Copia ciborum non superata, grauans ventriculum, ac septum comprimens, incubum concitat; sicut crassi, limosíque sanguinis plenitudo, circa venarum conceptacula, & spiritalia membra infixa, vt quotidie ex suppressis menstruis, aut hæmorrhoïdibus euenire conspicimus.

Procatarcticæ causæ, sunt ingluuies, crapula, otiosa vita, ciborum crassorum copia, somnus profundus mox post repletionem sequutus: Venus post cibum, aluus adstricta, aër frigidus; nam compressione media, va-

C pores & humores coërcet, qui retenti obstruunt, & spirituum ad inferiores partes influxum intercipiunt. Vermes hunc morbum promptissimè creant, dum venenosos halitus è ventriculo, & intestinis eructant, qui cerebrum opprimunt, ac spiritales partes lancinant.

Signa narrant Paulus *loc. cit.* Auic. 3. 1. *doct. 2. cap. 29.* quoniam in somno accidunt grauedo, anhelitus angustia, præfocatio, cum insomnio horribili coniuncta, ita vt ab hoste, vel cacodæmone æger se inuadi putet: tunc enim torpidus remanet, planè immobilis, & penè aphonus, qui deinde multo conatu, & accito præ anxietate calore, flatibúsque discussis, & apertis meati-

D bus excitatur. Expergefactus faciem sentit humectam, ceruicis grauedinem, & tussicula leui deinceps opprimitur.

Familiaris affectio pueris, frigidioribus naturis, crapulosis, gulæ deditis, otiosis, studiosis, in quibus cruditates redundant, & pituitosorum humorum copia affluit vbertim. Si rarò accidat, facilè curatur; si sit frequens, difficillimè, & grauissimos cerebri morbos præsagit, quod scribit Paulus *loc. cit. Cura itaque habenda est mali per initia: nam si diutius prorogetur, continuè per noctem incidens, magnum aliquem morbum nunciat, vt Apoplexiam, Insaniam, & morbum comitialem, cùm in caput huius vitij causa ferri cœperit:* adde in paralysim, translato nempe ad neruos humore. Imò mortem repentinam accersit, maximè si expergefacto ægro à paroxysmo, sudor circa caput, vultum, & ceruicem appareat; adsit pallidus, liuidúsue faciei color; cordis,

E & membrorum tremor coniungatur: hæc enim in sequenti apprehensione ægrum subitò moriturum certò demonstrant: quæ facultatum debilitatem summam, & crassum atrúmque humorem, vitæque principiis, & spiritibus summè infensum vigere significant.

Curationis scopi, flatus, & humoris vacuatio, & discussio, prohibere ne de nouo generentur, eos à cerebro distrahere, & cerebrum roborare. Pro quibus complendis instituendus victus, quem obseruandum esse *cap. de Epilepsi. & Melanch.* prædiximus. Aluus lenienda. Sanguis emittendus è brachio, nî menstrui sanguinis, aut hæmorrhoïdalis copia corpus fatiget, tunc enim è talo, femoribus, & appositis sedi hirudinibus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 265 sur 927

educendus. Præparandus humor. Phlegmagogis, & Melanagogis vacuandus. Post hæc à parte eradicandus Errhinis, Masticatoriis, & gargarismatis, quorum formulas *cap. de cephalalgia pituitosa* inquires. Abluendum caput roborantibus, deinde vigorandum pileis. Si malum proprietarium sit, sudores prouocandi cum decocto Ebeni, Smilacis asperæ, radicis Chinarum. Sin minùs, cauterium excitetur in nucha, vel brachio, vel vertice. Si malum circa initia sit, & ab inferiori parte originem ducat, tunc præseruandus æger similibus; fontanella in crure excitanda: & mandanti parti occurrendum, prout *cap. de Epilepsia* prædiximus. Cordis etiam summa cura est habenda: nam in hoc affectu ægrotantes palpitatione huius partis tentantur, & iccircò huic parti sacculis, vnguentis, epithematisque cardiacis prouidendum.

OBSERVATIO.

Ad præseruationem incubi præsidium certum.

INcubus, affectus est periculosus, & dirus, qui multoties Medici operam deludit. Quidam macilentus, & tristis, imaginationibus falsis in somno euenientibus valde obnoxius, tandem incubo miserrimè est occupatus, & exilis, ac decolor, omnibus tentatis à morbo euadere non potuit. Cui hoc mirabile fuit auxilium; nam singulis diebus in aurora, duabus horis ante pastum, assumebat pilulam vnam factam ex passula, exempto acino, intra cuius cauitatem erat repositum selectissimæ Aloës granum, ciceris parui instar, quantitate vnius scrupuli, & deinde ad solita munia rediens, interdiu, aliquando manè, interdum vesperi, placidè semel aut bis deponebat aluum. Quo auxilio per multos annos celebrato vix deinceps malum persensit. Quod remedium in hoc morbo, vertiginéque, primas tenere diutino experimento compertum habeo, præsertim in iis quibus cerebrum ob ventriculi consortium malè afficitur, in quibus partibus repurgandis, ac roborandis, Aloëm cætera medicamenta excellere prisci docuere, inter quos in hunc vsum eius laudes decantat Galenus *lib. 7. meth. 11.* & *8. sec. loc. 2.* & *2. sec. loc. tit. de iis, quibus caput ab stomacho dolet.*

CAPVT IX.

De Memoria amissa.

Definitio.

MEmoria, necessarium maximè vitæ bonum, & thesaurus eloquentiæ, ac tanquam lumen aliquod, res est ex omnibus partibus animi maximè delicata, & fragilis, in quam primùm senectus incurrit. Huius potentiæ est natura mirãda, cui subitò vetusta, ex longiore interuallo reuocata, ingerunt sese, atque exhibent, interim spõte, interim in ipsa agentibus nobis, ac meditãtibus, sæpe & interquiescentibus. Hanc in seipso eatenus florenter excelluisse scribit Seneca, vt non ad vsũ modò sufficeret, sed in miraculũ vsque procederet. Nam *duo millia nominum* (inquit) *recitata, quo ordine erant dicta referebam, ducentos quoque versus, ab vltimo incipiens recitabam.* Memoriæ vim admiratus M. Tullius, insigne putat diuinitatis argumentum: *Quid est,* inquit, *illud quo meminimus, aut quam vim habet, aut vnde? natura non est certè, nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima sit, animus, ignisue, nescio: quidquid sit, iurarem esse diuinum.* Est enim proma quædam cella, seu thesaurus eruditionis. Hæc propriè *est rei absentis per imaginis spectationem cum temporis præteriti cognitione repræsentatio, facta à memorandi facultate, stimulata ab imagine adseruata.*

Memoriæ munera sunt tria. Primum, cùm rerum simulacra, seu imagines per phantasiam certo quodam modo purgatæ, postea in postremo cerebri situ reconduntur. Secundum, cùm hæc eadem simulacra, quasi in thesauro recondita, diu tanquam habitus adseruantur, & insistunt, ita vt ipsa imaginum adseruatio, memoria sit. Tertium, quum quis affectionem illam, seu similitudinem rei alterius spectat & intuetur, cum temporis præteriti cognitione, quo facta est impressio. Et licèt hoc verum sit, tamen potentia quæ idola retinet; absolutè memoria nuncupatur.

Hinc fit vt illi sint apprehendendo, & discendo faciles, quicunque cerebri substantiam natiua constitutione moderatè humidam sortiuntur; sed tamen eorum quæ didicerunt, memores ad longum tempus non persistunt, talis enim cerebri substantia, vtpote mollis, rerum imagines facilè susceptat, eas verò diu non retinet, & quò magis humiditas dominatur, eò magis obliuiosos reddit. Qui verò siccam obtinent substantiam, tenaciter quæ didicerunt, retinent, etsi in apprehendendo difficiles sint, ac tardi: mollis enim nimiùm ac cerea, celeres ad percipiendum efficit; dura, contrà. Ex his patet interpretatio ad locum Galen. *lib. art. med. cap. 12.* docentis, facilitatem addiscendi à cerebri substantia formarum facilè susceptiua, obliuionem à fluida emanare.

Sed explicandum est axioma Arist. 30. *probl. 4. Vtrùm senes mente; iuuenes memoria polleant?* Philosophus aptè respondeti quæsito posse iudicat, dum dicit: *Mentem opus naturæ esse, & tanquam instrumentum, vt manus: quamobrem vt manu non possumus ab ipso statim ortu vti, sed cùm ætatis processu ipsam natura confirmauit; ita neque mente, nisi cùm perfecta, & absoluta est à natura, quod ferè in senectute contingit.* Diuersa ratio memoriæ: nam quemadmodum senis animus mille abundat rerum, quas longo annorum cursu, & diuturna experientia didicit, formis & similitudinibus; ita non admittit tam facilè nouas, cùm non sit in mente vacuus ipsis recipiendis locus. Contrà iuuenis animus non est tam multis impeditus figuris, & imaginibus rerum, qui tam breui spatio paucas potuerit colligere, iccircò recentes faciliore negotio admittit, ac si amplius esset in eius mente, liberiúsque spatium.

Aristoteles hoc ex eo probat, quòd meliùs ea memoriæ tradimus, & retinemus, quæ manè discimus, quàm quæ procedente in vesperam die, tanquam lassata, hebetatáque memoria iis, quæ nobis dies suppeditauit: manè scilicet vacua est sedes memoriæ, vesperi plena. Quæ ratio parũ fortasse videri poterit Philosophica. Neque enim formæ illæ sunt corporatæ, & cum materia concretæ, vt occupent locum. Non igitur possunt implere, aut vacuum sinere locum: imò quò magis exercetur memoria & excolitur, tantò etiam fit perfectior & capacior; contrà inculta hebescit, atque obtunditur.

Aliter ergo constat problematis explicatio, in quam ita ingredior. Senes magna, & multa pollent intelligentia, quòd sicciore sunt habitu, & constitutione cerebri; memoria tamen minima, quia parum habent humoris, ex quo ita cerebri duratur substantia, vt in ea simulacra imprimi non possint rerum, vt in cera duriore sigillum ægrè imprimi potest, quod mollis facili negotio recipit. Contrà fit in adolescentibus, & pueris, qui humidiore sunt temperatione cerebri, ideóque teneriore, ita parum intelligentia valent, quum valeant memoria, formis rerum quas didicerunt, altiùs, faciliúsque impressis. Quæ causa est, cur manè meliùs memoriæ mandemus, quàm aut noctu, aut inclinante die, quia manè cerebrum est humidius, propter

antecedentis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 266 sur 927

antecedentis noctis ſomnum; veſperi autem durius, aut ſiccum magis, propter totius diei vigiliam: ex quo eſt illud Hip. 5. *Aph. 27. qui ſiti nocturna afflictantur, iis ſomnus multùm prodeſt*, hum ectat enim carnes, & naturales cuiuſque roborat vires. Quod & Ariſt. prodidit 4. *probl. 5. Oportet*, inquit, *internum calorem eſſe, & humidum corpus, tale autem magis in ſomno, quàm in vigilia.* Vtraque ſolutio eſt probabilis.

His iactis, ad definitionem deperditæ memoriæ accedamus. *Cùm* itaque *quiſpiam omnium eorum, quæ priùs nouerat, oblitus fuerit, tunc memoriam deperditam eſſe fatemur*, adeò vt interdum eueniat, vt quidam eorum, & literarum, & artium in tantum obliti fuerint, vt ne nominum quidem ſuorum meminiſſent, vt *lib. de diff. ſympt. cap. 3. in fin. & 2. de cauſ. ſympt. cap. vlt.* Galenus admonuit: confirmant Plin. *lib. 1. nat. Hiſt. cap. 24.* Val. Max. *lib. 1. memorabil. vlt.* Partem, in qua princeps animæ vis continetur, eſſe affectam, nempe Cerebrum, teſtatur Galenus *lib. 3. de loc. cap. 3.* Cùm enim in hac affectione nullum affecti loci ſignum exiſtat, quod præcipuè eiuſdem ſit, neque adſit tumor, neque dolor, neque excretio, neque aliud ſignum tale, nec ea affectio, ſi ealuaria tantùm affecta ſit, fieri poſſit, velut quòd nec cerebrum ipſum ſecundùm eius ventriculos afficiatur, *loc. cit. de cauſ. ſympt.* Galenus affirmat, nam nec eius generatio, ſeu ſolutio, ſubitaria eſt: Relinquitur ergo iuxta eius doctrinam, quòd cerebrum ipſum ſecundùm proprium eius corpus, in quo principes exercentur functiones, ſit affectum.

Inueſtigandũ ergo: *Vtrùm Galenus in inueſtiganda ſede memoriæ læſæ, meritò Archigenem, reprehendat?* Lib. enim *cit. de loc. affect.* neceſſariam eſſe Medico curaturo affecti loci cognitionem, eámque nonnunquam ex læſa actione comparari prædicens, orditur particularem tractationem, à capite, in quo princeps animæ facultas, atque adeò memoria continetur, & in ipſo ingreſſu Archigenem refutat dupliciter. Primò, quia cùm ſe Dogmaticum profiteretur, præter illius ſectæ normas, ſine ordine, & delectu particularia auxilia iubebat adhiberi, antequam ex morbi natura & eſſentia vniuerſalem methodum eliceret, remediorúmque qualitates in genere explicaret.

Secundò, quoniam commendans ad inueniendum locum, cui eſſent imponenda auxilia, agnitionem affectæ ſedis, eam ipſam inter curandum non obſeruabat: cùm enim ſecundùm Ariſt. placita, memoriam, & principes omnes facultates in corde reſidere fateretur, in earũ læſione non cordi, ſed capiti remedia admouebat; atque ita in opere tollebat affecti loci agnoſcendi neceſſitatem, quam verbis ſummopere commendabat. Vtrumque autem longa verborum ſerie repetit, & confutat Galenus: & primùm ſic. Fieri poterat, quòd ex quacunque intemperie, & hac quidem materiali, vel ſine materia, memoriæ læſio, aut amiſſio, obliuio, aut deleta recordatio euenisſet. Atqui Archigenes ſine vllo ordine, ac delectu, non à morbi natura ad remedij inuentionem, nec ſumpta à loco affecto indicatione, in deperdita memoria, calefacientibus, & exiccantibus perpetuò vtebatur, innuens illius affectus cauſam, ſemper eſſe frigidam humidam cerebri, vel membranarum eius intemperiem. Igitur, &c.

Rurſus. Vbi alicuius facultatis actio læditur, parti in qua talis facultas reſidet, remedia ſunt adhibenda: Cùm igitur memoria principis facultatis ſit actio, quæ de Archigenis ſententia, in corde ſedem habet, eâ læſâ thoraci, non capiti erant applicanda. Sibi ergo manifeſtè contradicens, & aduerſus ſuæ ſectæ placita, capiti iuſſit adhiberi. Tertiò. Vel certa & ſcientifica ratione, Archigenes ceu Dogmaticus, inductus, capiti remedia applicauit, vel vt Empiricus, ab experientia non à ratione: Si primum, fateri cogebatur, ſedem, memoriæ eſſe caput; ſi ſecundum, quaſi contra rationem monſtraret experientia ipſam principem facultatem in capite contineri, per quam quidem manifeſtè mendacij cõuincitur, cùm principis animæ domicilium experimento citra rationis diſcurſum inueniri non poſſit, ac perperam ſe Dogmaticum profiteretur, reiecta ſiquidem ratione vera & ſcientifica, qua cordis partes tueri cogebatur, Dugnantem experientiam in opere ſequitur, capitis, non cordis prouidentiam habendo in memoriæ læſione.

Inſuper, quòd ea remediorum applicatio experimento inueniri non potuiſſet, conſtat ex eo, quia memoriæ ablatio, rariſſimus quidam affectus eſt; atque nec imitatio, nec experientia in eo fieri poteſt; nec tumorem, nec dolorem affert, nec alia ſigna, inſtar aliarum ægritudinum, quibus poſſit affecta ſedes deprehendi, & ſenſu diſcerni, præcipuè num in cerebro, corde, aut pede memoria ipſa locata ſit, quemadmodum nec in melancholia, phrenitide, mania, epilepſia, lethargo, catocho, ſopore, mentis, rationiſue affectibus.

Denique, ſi Archigeni admittas per experientiam fuiſſe prædicta remedia inuenta, ſimul & per illam non ſine ratione inueniri capiti eſſe applicanda, duo neceſſe eſt fateri: & inutilem eſſe dogmaticam ſectam, quæ rationem præfert experientiæ, cùm hæc citra illam curationes inueniat; ſimúlque noxiam & fallacem, ſiquidem rationis ductu, cui magis tribuit, certum locum affectum nõ attingit, ſed valde alienũ petit, cor nẽpe; cùm tamen experiẽtia, quam ipſe Archigenes tanquam certiorem ſequitur, monſtret eſſe caput. Quare vel ex ſua remediorum inuentione, applicationéque, manifeſtè conuincitur erraſſe, circa memoriæ, principalíſque facultatis domicilium, & per contumaciam à ſua de Cordis principatu ſententia recedere noluiſſe. Satius igitur fuiſſet firmiter aſſentiri, rationalem vim, eámque omnium principem, in cerebro; vitalem, atque iraſcibilem in corde; concupiſcibilem in iecore ſitam eſſe: & ab illis, tanquam à præſidibus quibuſdam, corpus noſtrum gubernari, quemadmodum firmiſſimis rationibus, ex Galeni mente, contra Peripateticos protulimus, *lib. 5. Hiſt. Princip. Medic. hiſt. 7.*

Cauſa.

Hic affectus ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium principum, in quo memorandi facultas non deprauata eſt, nec imbecilla reddita, ſed omnino abolita. Verùm cùm cuiuſuis ſymptomatis cauſa morbus ſit, ex Gal. *lib. de diff. ſympt. cap. 5.* eúmque præcedere ſit neceſſe: ad quem cerebri morbum ſequatur, inquirendum, & dubitandum: *Vtrùm memoria, principéſque aliæ animæ actiones, ad corporis offenſam lædantur.*

Galenus hanc quæſtionem agitauit diligenter, *lib. 3. de loc. cap. 5.* reiectis Archigenis argumentis, quo loco cerebrum in capite contentum, ſedem eſſe & domicilium principis facultatis, cogitantis, diſcurrentis, & memorantis, ſenſuúmque & motuum originem, & non ſolùm eſſe principale membrum, ſed principaliſſimum (dummodò membri principatus penès operis dignitatem conſideretur) aſſeuerat, & inuento in ratiocinantis animæ læſionibus (ſiue hæc ipſa in cerebro veluti imperator in arce, gubernator in naui, motor in mobili contineatur, ſiue quia forma ſit, aut cerebri temperamentum) cerebrum affectum eſſe, conſtat eam immutari ad corporis alterationem, ac proinde interdum lædi, à diuerſis præter naturam affectibus, vitiaríque eius functiones, & illas, quas principes appellamus, quantumuis ipſius animæ propriæ ſint, & per ſe, à corporeo organo independentes, vt *infrà* latiùs patebit.

Cùm autem vitio quouis propoſito, præter ſedem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 267 sur 927

affectam primò inuestigatam, & cognitam, necesse sit affectionis præternaturalis speciem, & causam dignoscere, ita vt quoad fieri possit, non à summis remotisque generibus, sed ab indiuiduis speciebus agendorum ratio eliciatur, prout ex Hip. commendat Galenus 1. *ad Glauc.* 1. & multis aliis in locis, primùm differentias numerat memoriæ, & rationis læsæ, traditurus subsequenter indicia, quibus singula dignoscantur.

Ergo cùm memoriam læsam esse fateamur, vbi quispiam eorum quæ antea nouerat, fuerit oblitus, vt *supra* ex Gal. mente protulimus, huiusmodi vitium dupliciter posse accidere edocuit, 3. *de loc.* 4. per se nempe, sine alterius coniunctione, aut simul etiam cum rationis noxa, quod frequentissimum est, & è conuerso; quemadmodum enim mentis, rationisue læsio (hoc est, illius partis, in qua mens & ratio consistit, explicante Paulo *lib.* 3. *cap.* 11.) sola aliquando incipit, ea autem nimis increscente, sequitur in memoria nocumentum; sic ad læsam memoriam succedit rationis defectus; quæ duo mala, obliuio scilicet, & mentis alienatio, vbi iunguntur, illud grauissimum efficiunt, quod fatuitas, seu stultitia appellatur, vt probant Gal. Paul. Aëtius, & reliqui.

Rursus memoriæ, ac rationis læsiones, aut per se affligunt, ceu absolutę affectiones; aut ad alios morbos, tanquam symptomata sequuntur, vt ad Lethargum, Carum, Cathochum, venosi generis morbos: non aliter ac febris ipsa, quæ aliquando morbus est, nonnunquam accidens alterius morbi. Sed hoc placitum difficultatem inuoluit maximam, quam *lib.* 2. *de loc. affect. cap.* 9. summo ingenio præditus proposuit Galenus, scilicet, quomodo fieri possit, vt memoria, principésque animæ nostræ partes per consensum afficiantur, eiúsque propriæ actiones ad corporis læsionem afficiantur, cuius adiutorio non fiunt.

Ea verò est ratio dubitandi, quoniam si rationalis anima à corpore separabilis est, & cum suis propriis potentiis omnino immaterialis, ac à corporis natura omnino aliena, cur patietur & immutabitur, affecto & immutato corpore? aut cur ab illo migrabit, nimis excalfacto, refrigerato, vel exiccato cerebro, quod solum intellectiuæ animæ domicilium esse existimauit? Et pro solutione huius difficultatis, quam ex professo mouet, *lib. quòd animi mores*, & vtrobique difficilé solutu esse putat, duas circa animæ essentiam, vnionémque cum corpore sententias recitat, Platonis vnam, alteram Arist. ex quibus probabilior quænam sit, licèt ipse Galenus non determinet, nec Platonẽ audeat impugnare, *cit. lib. quòd animi mores*, asserentem, rationalem animam esse immortalem, & corpori humano non vniri tanquam formam, sed tantùm vt motorem mobili, & gubernatorem naui, prout refellunt, & impugnant Philosophorum peritissimi Professores: iuxta eam tamen difficile solui posse retur, siquidem quemadmodum habitator nullam ex domus ruina noxam percipit; ita non mutabitur ad corporis mutationem, id quod nec pars est, nec quippiam illius, sed tantùm assistens gubernator, & motor: ac proinde principes, propriæque animæ actiones per consensum corporis non lædentur.

At verò secundùm Aristotelem, & Peripateticos, asserentes animam intellictiuam, tanquam formam corpori humano inesse, cùm illius essentia, sicut & cuiusuis animæ, temperies (inquit Galenus) quædam sit primarum quatuor qualitatum, nihil mirum si simul cum corpore immutetur, & ad illius læsionem afficiatur, vitientúrque illius actiones. Addit autem, quòd quamuis iuxta hanc Peripateticorum sententiam, facilis sit solutio ad prædictam difficultatem, necessariò tamen fatendum ex ea putat, rationalem animam simul cum corpore interire: tum quia quælibet temperatura, sit corruptibilis & mutabilis; tum quia formæ naturales A existentiam per se non habent, sed partes sunt rei existentis, ac proinde re desinente esse, illæ ampliùs existere nequeunt.

Cæterùm ne mireris Galenum, qui licèt in Medica facultate omnium consensu primas teneat, tamen circa animæ essentiam, modúmque essendi in corpore, haud rectè est Philosophatus. Patet, quia ipse nonnunquam rei magnitudine oppressus, ingenuè fatetur, se nescire quid ipsa sit, quomodóue per totum corpus diffundatur, vt liquet 5. *simpl.* 8. & 6. *epid. sect.* 5. *com.* 5. & alibi passim. Quibus locis se ignorare quid anima sit, nec de eius substantia vnquam ausum fuisse palàm quicquam pronuntiare, manifestè profert. Quapropter parum vrgent ea, quæ Galenus *lib.* 2. *de loc.* aduersus Platonem, & Arist. adducit, videlicet, si anima corpori assistit, tanquam gubernator naui, fieri non posse, vt propriæ illius actiones ad corporis læsionem vitientur, vt à corpore ægro migret: & si cum Peripateticis corporis forma asseratur, necessariò cum eo perituram. Nihil enim tale sequitur, imò verò posset corpori assistere, veluti motor mobili, gubernator naui, & ad corporis offensam compati, ac illius consensu inter agendum labi. Cùm enim intellectus noster, quandiu anima corpori immersa est & coniuncta, nonnisi per species ex phantasmatibus elicitas intelligat, ipsáque rerum idola, simulacráque in cerebro speculetur & contempletur: nihil mirum si impeditis, læsísque internorum sensuum organis in cerebro contentis, vitientur propriæ intellectus nostri actiones, quamuis anima, pars cerebri non sit, nec corporis forma: non aliter ac sæpe fallitur, & errat inter videndum oculus, quando aliquid fractum, in speculo, vel sole, in tremula metáque aqua intuetur; cùm tamen nec speculi, nec aquæ, oculus ipse pars sit, aut forma. Quemadmodum verò gubernator secedit à veteri diruptáque naui, tanquam sui muneris incapace; & habitator à domo inepta ad habitandum: sic à corpore ægro, nimísque vitiato cerebro, tanquam ab inepta sede, migrabit anima nostra.

Iam verò si secundùm Aristot. & Peripateticos, admittamus esse propriam, & veram formam, (quod indubitanter asserendum est) cùm certas dispositiones ex parte corporis requirat, ad hoc vt in ipso permaneat, & permanens aptè conuenientérque possit agere, nullum dubium relinquitur, posse in agendo labi, ad læsionem corporis, & præcipuè illius partis, cuius ministerio vtitur ad suas actiones, cerebri scilicet; simul & à corpore secedere vitio nimis increscente. Nec sanè sequitur, interituram animam nostram, cùm substantia quædam sit incorporea, temperamento superior & diuinior, & per se etiam subsistens, vtpote naturalium formarum perfectissima; quod nec ipse Galenus diffitetur, quanquam non fuerit assequutus: ac ideò à corpore separata existere, & operari poterit, ab organis corporeis seiuncta.

Proximum est, vt de causa memoriæ amissæ edisseramus: *Vtrùm perpetuò ab exuperante frigore oriatur*: Cùm enim prædictæ noxæ, symptomata quædam sint de genere læsionis principum functionum, in quibus memorandi, ratiocinandíque facultates abolitæ sunt, diminutæ, aut corruptæ, (si omnia hæc tria genera symptomatum actionis læsæ, in deprauata memoria reperiuntur, quod Galenus negat, *lib. de diff. sympt. cap.* 3.) cúmque cuiusuis symptomatis, morbus aliquis sit causa, *lib. de diff. morbor. cap.* 4. & 5. asserit Galenus huiusmodi passiones ab eadem præter naturam dispositione oriri, cerebri nempe intemperie, eáque omnino frigida; hæc enim functiones omnes torpidas, segnésque reddit, animales facultates stupefacit, ac motuum ineptitudinem inducit: quod animalia per frigus in latebris veluti mortua iacentia satis confirmant; simul & medicamenta, quibus refrigerandi inest facultas; atque etiam

frigida

frigida alimenta, quæ si in multa quantitate sumantur, non modò somnum profundum, sed cataphoras, hoc est, somni præternaturalis species, ac sensuum, omniúmque motuum priuationem nonnunquam inducunt, non secus ac calidæ causæ, vigilias, & inquietos morbos.

Fieri autem obliuionem ex frigida cerebri intemperie, præter Galenum 3. *de loc. cap.* 5. & 2. *de cauſ. ſympt. vlt.* docuit expresè Hip. *lib. de morb. ſacro, num.* 24. *Angitur autem homo, & inquietudine multa iactatur intempeſtiuè, dum cerebrum perfrigeratur, & præter conſuetudinem compingitur. Hoc verò à pituita perpetitur: ab hac autem affectione etiam obliuioſus euadit.* Et *in epiſt. num.* 30. *Triſtatur autem, & angitur homo, & præter temporis rationem obliuioſus fit, dum cerebrum à pituita refrigeratur.* Adiungit Galenus, quòd quemadmodum inter morbos, vigilias excitantes, primas obtinent calidæ intemperies: frigidæ autem inter morbos, qui somnos inducunt: sic humidæ, & siccæ secundum obtinent locum.

At contra hanc doctrinam obstant plura, eáque irrefragabilia argumenta. Firma, ac stabilis cerebri substantia annexam habet promptam, felicémque memoriam, 2. *art. medic. cap.* 12. Sed inter qualitates omnes, nulla magis ad constantiam & firmitudinem facit, quàm frigiditas. Ergo tantùm abest vt auferat, quin potiùs iuuet, confirmétque memoriam. Vnde *lib. de oculis, cap.* 2. *particul.* 2. scribitur, quòd instabilis fuisset memoria, nisi frigidum fuisset cerebrum, nempe quia frigiditas causa est permanentiæ & quietis, quæ non parum ad memoriam, & sapientiam conducit. *Quandiu* enim *cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo ſapit*, auctore Hipp. *lib. de morb. ſacro, num.* 22. & *lib. epiſt. num.* 30. Vel si frigiditas excedens, memoriæ & rationi aliquando nocet, saltem primum locum non habebit in nocendo, sed veluti alia intemperies immode rata.

Dic. Cùm necessarium fuerit, formas atque imagines rerum, quas externi sensus interioribus præbuerũt, simul & aliarum impressiones, ad quas se extendit ratio, in cerebro retineri & conseruari, vt etiam circa omnino distantes & abstractas res, internæ potentiæ negotiarentur; nec illud fieri possit sine eo, quòd effigies ipsæ spectráque imprimantur, & consignentur: duo ad memoriam, quatenus veluti passio quædam est & affectio, potissimùm exiguntur: impressio nempe speciei memorabilis, simul & retentio & conseruatio illius; quorum altero deficiente, deperdi, vel diminui memoriam, pro ratione defectus, est necesse.

Quoniam verò bona, facilísque formarum susceptio, ad humiditatem naturalem, ac cerebri mollitiem sequitur; retentio autem & conseruatio ad siccitatem, fit vt ex passiuis requiratur in cerebro, debita humidi cum sicco proportio, ad integram, probámque memoriam. Licèt enim 2. *art. medic. cap.* 12. attestari cerebri siccitati memoriam scribat, ibi tamen memoriam vocat Galenus, non facilem captum, sed diuturnam rerum conseruationem. Qualibet autem dictarum qualitatum immodicè excedente, aut susceptionem, aut retentionem, atque ita memoriam aliqua ex parte vitiari oportet: hinc pueris & senibus infirma, & inconstans esse dicitur. Illis, quòd imaginum impressionem seruare atque retinere; his, quia admittere & recipere non possint.

Iam verò quod ad actiuas attinet, quamuis frigus ad stabilitatem, quietem, & permanentiam faciat, expedit tamen quòd valde non excedat: immodicum enim, cùm spiritus crassos, hebetes, & tardos efficiat, simul & ipsam cerebri substantiam, non modò receptionem idolorum, & deportationem impedit, sed & actionem memorantis virtutis, mortificando calorem, & spiritus illi inseruientes: crassus siquidem, tardúsque, & hebes spiritus, nec omnino phantasmata susci-

A pit, vnde nec exactè, nec facilè defert, nec manifestè repræsentat, nec promptè cerebrum vndique permeat, vbi idola memoranda continentur. Nec dubium est in valde frigido, crasśoque cerebro similia impedimenta reperiri. Quare negari non potest, immoderatum frigus summopere obesse memoriæ, & vt passio dicitur, & vt actio, simul & aliis principibus facultatibus, quantumuis permansiuum sit, & quietum: nec enim immodica, tarda, & pigra quies ad sapientiam, aut memoriam facit: sed illa quæ immobilitati, & inconstantiæ aduersatur.

Vtrùm verò *ab exceſſu paſſiuarum, memoria ledi poſſit?* non erit abs re etiam controuertere: Nam difficile videtur, quod Galenus docuit, læsam memoriam pro causa habere frigidam omnino intemperiem: hoc B enim placitum hoc modo intelligendum arbitror. Si læsio vehemens sit, vt ex toto abolitio, aut ingens memoriæ defectus contingat, à frigore prorsus est; si minùs, etiam ab humiditatis, vel siccitatis immoderantia potest oriri. Cùm enim maiorem vim habeant actiuæ, & inter eas frigus, ad stupefaciendum, priuandum, & extinguendum, nihil mirum si grauiores illi lapsus ad frigiditatem referantur, cuius proprium est priuare & extinguere; sicut caloris vitiare: vt senum, & febricitantium experimento fit manifestum: His siquidem vitiantur imaginatio & ratio, ob idolorum perturbationem à calore; illis perit memoria, frigore stupefaciente, immobilitate, & prohibente ne species cerebri ad imaginationem moueantur. Posse C autem passiuas memoriæ etiam nocere, ex *suprà* dictis iam constat: sicut enim multa cerebri humiditas, causa est, ne impressa, semélque suscepta diutiùs durent; ita immodica siccitas facit, ne facilè imprimantur, affigantúrque, vt Auicenna, Paulus, & alij asseruere.

Nec obstat, quòd 2. *art. med. cit.* obliuionem fluidæ cerebri substantiæ sobolem esse inquit, atque ita etiam cerebri insignes lapsus à passiuis oriri: Nam si humiditas vsque adeò increscat, vt memoriæ interitum afferre possit, impossibile videtur non extinguere, vel saltem non minuere, suffocando innatum calorem; simul & frigiditatem saltem priuatiuè sumptam, annexam non habere.

D Nec obstat secundò, quòd à simplici humiditate nulli frigori adiuncta, inducuntur etiam somni profundi, & præternaturales, in quibus simul cum memoria, ratio aufertur magis, quàm in quouis alio morbo: Nam cùm in somno naturali, sic instituente natura, ita memoria & ratio otientur, ac deficiant, vt confestim expergefacto restituantur, non exigitur frigus, sed sufficit sola humiditas: maximè quòd non à sola humiditate, ratio & memoria impediuntur dormienti naturaliter; sed magis ab ipsa anima, spiritus retrahente ad animalis quietem, & collapsarum virium restaurationem. In morbosis autem affectibus, iisque grauibus, per quos principes ipsæ facultates abolentur, nec facilè reparantur, grauior causa requiritur, ex iuncto frigore diutiùs premente. Iam verò præternaturalis somnus, E licèt ab excedente humiditate fieri etiam possit, prout Galenus asseruit, leuior erit affectio, quàm si à coniuncto frigore oriatur.

Signa.

GAlenus *lib.* 3. *de loc. cap.* 5. non abs re egit de memoria, & ratione læsis, & deinde sermonem de somno inseruit, & à quibus induceretur, exposuit: nec solùm quidem, quia omnes affectiones sunt capiti peculiares, & ab iisdem ferè causis oriuntur; & quia per somnum etiam ratio, & memoria auferuntur: sed potissimùm quia ex somno, dignoscenda erat intemperies illorum symptomatum causa, num scilicet frigida sit, aut calida; nimis intensa, aut remissa; nuda,

aut

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 269 sur 927

aut materiæ iuncta; simplex, aut composita; ex siccitate, vel humiditate: quod omnino inuestigandum est, vt rectè possit curatio instituì.

Supposito ergo, quod *suprà* ostensum est, memoriæ, & rationis læsiones à frigida omnino intemperie oriri, præsertim si maximæ sint, tribus potissimùm indiciis venandam docet, illius frigidi intemperamenti speciem: Primum elicit ex somno, & vigilia. Secundum, ab excretis per nares, & os. Tertium, ex præcedente vitæ regimine, & natura causæ quæ præcessit, quæque morbo originem dedit.

Quærendum: *Vtrùm signa memoriæ à frigore læsæ, ex somno, & vigilia Galenus rectè collegerit?* Nam si docente ipso *lib. de plenitud. cap. vlt.* ex peculiaribus capitis, vt somno, vigilia; & ventriculi operibus, fame scilicet, & siti, & eorum defectu, cognoscitur cacochymia in toto corpore redundans: multo certiùs, & faciliùs in ipsius cerebri affectibus, redundantis intemperiei dignotio, à somno, & vigilia petenda est.

At instabis hoc modo. Quemadmodum frigus valde intensum potest somnum profundum efficere, ita & valde excedens humidum. Ergo ex eo quòd stolidus, vel obliuiosus sit vehementer somnolentus, non rectè colligemus, à frigida intemperie laborare, saltem simplici, & sine iuncta humiditate; maximè cùm frequens sit, à duabus illis qualitatibus simul iunctis comatosos affectus oriri, prout *suprà* dictum est.

Quòd autem nec à mediocri somnolentia, frigida significetur tantùm cerebri intemperies, & ea leuis, ostenditur ex eo, quoniam præterquam quòd ingentes memoriæ, vel rationis lapsus, de quibus est sermo, non leuem causam, sed vehementem arguunt; à modica humiditate cum frigore permixta, potest somnus ille mediocris induci, sicut immodicus, ab illis valde excedentibus. Denique si in deprauata, vel læsa memoria grauiter, frigida omnino adest intemperies, nec exigua, quia fieri non potest vt ea non indicetur, aut nequaquam somnolenti sint ægri, quomodo hi quod ad somnum attinet, secundùm naturam habebunt?

Dic. Quamuis simplex humiditas citra frigus, possit soporiferos affectus inducere, imò & rationis memoriæque læsiones, leues tamen erunt lapsus illi, vt diximus. Quum verò de maximis sit sermo, non humiditati, sed frigori potiùs excedenti sunt tribuendi; ac proinde in deperdita memoria ex graui somnolentia significabitur ingens cerebri refrigeratio. Licèt autem ab ea per se, sine alicuius permixtione, magna somnolentia fieri possit, quia tamen frequens est, à frigore & humiditate simul iunctis oriri, si in obliuione patiens fuerit valde somnolentus, certiùs coniiciemus compositam esse ex duabus illis qualitatibus cerebri intemperiem, eámque nimis excedentem: simplicem autem, hoc est, tantummodò frigidam, nec vsque adeò immoderatam, si modicè somnolentus sit; nec proinde tamen leuis est dicenda, si memoriam ex toto auferat, vel grauiter lædat. Quòd si nequaquam fuerit somnolentus, & memoriam abolitam habeat, vel notabiliter læsam, frigida & sicca cerebri dispositio indicabitur: quamuis enim frigiditas ad somnum inclinet, siccitas impedit, & vigilare facit. Vnde rectè Auic. 1.3. *tract.* 4. *cap.* 12. *si frigiditas*, inquit, *cum siccitate, significant insomnietas, & vigilia*, quod perinde est, ac nec somnolentum esse, nec vigilem.

Pergamus vlteriùs, & quæramus: *Vtrùm ab excretis per nares, & os, verè iudicauerit Galenus memoriam à frigore lædi?* Hoc enim causam videtur habere manifestam: cùm enim nares, & os, meatus sint expurgatorij, per quos cerebrum se soleat à redundante materia deonerare, nihil mirum si à purgatis per illos excrementis, aut nequaquam defluentibus, coniectura de capitis dispositione eliciatur.

Sed instabis hoc modo. Possibile est, quòd materia in capite redundet, nec per nares, aut os stillet: vel quia nimis crassa & impacta; vel quia per aures expurgetur; aut conuertatur in pilos, 1.3. *cap.* 8. Insufficienter igitur colligit Galenus, immateriale esse, & nudum intemperamentum ex defectu excrementorum, maximè in principio, in quo cruda existit materia, & nihil secundùm naturam excernitur.

Dic. Tunc demum (ait Auicenna, *adducto loco*) excrementorum inopia siccam, & immaterialem cerebri intemperiem significat, si caput simul leue existat. Horum verò quantitatem, & qualitatem si diligenter obserues, simul & causarum quæ præcesserunt, naturam, non modò exuperantiam & speciem intemperamenti, sed & num simplex sit, an alteri iunctum deprehendes. Excretio autem per aures, in præsenti subintelligenda est; nec fuit necesse de meatibus omnibus, sed de magis principalibus mentionem facere.

De tertio signo etiam dubitandum: *Vtrùm ex præcedenti vitæ regimine, memoriam à frigore lædi, Galenus rectè docuerit?* Præcedens enim victus ratio, & antecedentes causæ ad dignoscendum faciunt intemperamentum, quoniam tale relictum esse creditur, quales ipsæ præcesserunt. Sed in hunc modum argues. Sæpe causa præcedente calida, frigidus effectus oritur, & è contrà: ex insolatione enim frequentissimè catarrhi, & frigidæ destillationes generantur; calidæ autem, ex frigidi aëris occursu. Igitur fallax & incerta dignotio, quæ sumitur à præcedente causa, quantumuis morbo originem dederit.

Dic. Fatemur non semper cum sua causa effectum conuenire, imò ab ea non rarò esse diuersum, vt constat ex adductis, & multis aliis exemplis; frigus enim bilem in capite existentem constringens, & veluti manu exprimens, calidæ distillationis sæpe causa existit. Solis, & ambientis calor pituitam ad caput attrahens, vel in eo præexistentem dissoluens, liquefaciénsue, frigidas parit defluxiones. Cùm autem ab vno tantùm indicio, fidem, & certitudinem non expectemus, parum interest si aliquando per se deficiat, fallàxque & incertum sit.

Præsagium.

SI sano homini repentè memoria deficiat, summum damnum in cerebro pronunciat, & lethales huius partis affectus portendit, Apoplexiam, Lethargum, Epilepsiam, Paralysim, vt docent Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 23.* Rhasius *1. contin. tract. 10. cap. 2.* In morbo quoque, si aut familiarium ignorantia, aut factorum obliuio, cum rigore, vel post rigorem ingruat, prauum est signum; indicat enim natiuum calorem à symptomatica refrigeratione superatum. Demum memoriam ex morbo lædi, malum est, vt prædixit Hip. *1. prorrhet.* 26. quoniam reliquorum sensuum internorum, aut externorum iacturam præsagit.

Curatio.

SI frigida intemperantia cum humoris copia ægrum opprimat, quæ frequentior huius affectus causa est, curatio in victu, & sex rebus non naturalibus instituenda est, eo modo, quo *in cap. de dolore capitis*, & *Epilepsia pituitosa suprà* prædiximus. Victus sit calidus, siccus, extenuans, coctu facilis, non crassus, excrementosus, &c. Sanguinis missio reproba est: nam frigidorum humorum generationem conduplicat, spiritus resoluit, cerebrum debilitat, facultates animales eneruat; ni plethora adsit, & corpus sit robustum, & florens.

Humores

Humores præparandi medicamentis cephalicis, vt A
ſerapio de Betonica, Meliſſa, Saluia, Hyſſopo, Calamentho, Stœchade, cum aquis, vel decoctis ſimilibus. Pro purgatione vtiliter proſunt Agaricus, Mechoaca, Carthamum, Turbith, ſyrupus de Senna, Polypod. Epithym. Elect. Indum. Pilulæ de Agarico, Fœtidæ, Hiera magna. Conferunt vacuantia per epicraſin, quæ tenaces humores in capitis regione infixos exhauriant. Roborantia cerebrum, optima ſunt. Sudorifica ex Ebeno, radice chinæ, ſmilace aſpera, præſtantiſſima. Particulares vacuationes, per maſticatoria, errhina, & ſternutatoria, mirificè proſunt. Memoriam adaugent ex morbo deperditam Anacardina confectio, Theriaca, Mithridatium, Diambra, Diamoſchus, Aromaticum roſatum, conditum de ſtœchade ℥, Zinzi- B
ber conditum, Acorus, nux moſchata, conſerua floris ſaluiæ.

Lotiones capitis mirificè iuuant, factæ ex decocto ſaluiæ, Stœchad. maioran. Roriſmarini, Betonicæ, ſerpylli, Lauri, Acori, Cinnamomi, Cariophyl. Nucis moſchatæ. Poſt lauacrum vnge totum caput cum oleo de nuce moſchata, Ebeni, Aniſi, Lauri, Coſti, de piperib. Caſtor. Belzoin. Styrace, & aliis. Deinde veſtiatur caput cum pileo capitali roborante caput, cuius formam *cap. de Epilepſia* reperies. Cauterium in brachio, optimum.

Si ariditas frigiditati copuletur, vacuantia præſidia vitanda: amplectenda, quæ calefaciendi, & humectandi vires habent. Si ex debilitate, laboribus, curis, vi- C
tium emanet, victus ratio ſucculenta eſt idonea, quæ vires inſtauret, ac ſpirituoſam ſubſtantiam regeneret, prout *lib. 1. Hiſt. Princip. Med. hiſt. 43.* cum Galeno protulimus. Si ex ætate decrepita oriatur, ſola victus ratio imperanda.

OBSERVATIO.

Remedia pro conſeruanda memoria, expertißima, & propè diuina.

MEmoriam conſeruare, ac tenacem efficere in illis, qui debilem, vel nullam habeant; collapſam ex morbo, vel omino deperditam reſtituere, eſt diffi- D
cillimum, imò ſolius Dei, non humani ingenij opus. In cuius gratiam præſidium proponam, cuius ope plures ex natiuitate immemores, memores ſunt facti. Alij ex morbo omnino obliuioſi, priſtinam memoriam recuperarunt. Alij, qui licèt fœlicem haberent, miraculoſam deinceps huius auxilij beneficio nacti ſunt; quod celare, impium, & ingenuo homine indecorum ſum arbitratus.

Nam homo etſi craſſo polleat in- genio, & rudi intellectu, aſininæque (vt ita dicam) capacitatis ſit, per hoc experimentum breuiſſimo tempore ſcientiam acquiret certam, infinitam, promptiſſimam memoriam, & humanum captum ſuperantem. Hoc enim mirabiliter prodeſt Prædicatoribus, Profeſſoribus, Studioſis, viris conſultis, Oeconomis, exercitus præfectis, & E
aliis, quorum munus pendet ex memoria: quo antidoto, ſeu præſtantiſſimo remedio muniti, quicquic legerint, audierint, viderint, memoriter ſine labore tenere poterunt, præcisè de verbo ad verbum, pleniſſimè & perfectè. Sacra Biblia tota, Ius ciuile, gloſſas cum textu, Ariſtotelem, & quoſcunque libros legerint, vel audierint, retinebunt ſine difficultate vlla: & ſi mille nomina coràm illis ſint repetita, omnia eodem ordine, & retrogrado extemplò recitare poterunt, ita vt ne ſemel quidem in vllo impingant. Remedium conſiſtit in tribus, in gargariſmate, in hauſtu vini peculiariter præparati, & in vnguento, Gargariſmi forma, hæc eſt.

℞. *Pyrethri, origani, galangæ, Zingiber. carui, ſemin. plantagin. ſinapi*, an. ℥ ij. Omnia cum radicibus, & herbis in mortario piſtata, & contuſa, pone in olla noua, cum tribus quartariis aq. fontan. Bene operta bulliant ad ignem; inter ebulliendum, adde cochlear mellis, & nonnihil vini optimi. Coque ad conſumptionem duorum digitorum, cola, ſerua ad vſum. Cum hac aqua gargariza ſemel in menſe, decreſcente Luna, & calida detineatur aliquantulum in ore.

Vinum peculiariter præparatum ſic fit.

℞. *Zingib. piperis longi, an.* ℥ j. *galang. cariophyllor. cubebar. an.* ℥ ß. *nucis moſchat.* ℥ j. ß. Pulueriſentur omnia: puluerem pone intra ſacculum lineum. Deinde accipe *vini optimi*, ℔ ij. Pone in ollam nouam vitreatam, & deinde immerge ſacculum cum pulueri- B
bus. Bulliant omnia ſimul, bene obturato vaſe, ne inter bulliendum vllus vapor exeat, poſtea ſine quieſcere, donec vinum clareſcat.

De hoc vino bibe ſingulis auroris ieiunus per triduum, & iterum veſperi dormiturus, vnum bonum hauſtum. Quando manè biberis, ſi æſtas fuerit, abi ad Solem; ſi hyems, ad fornacem: & pecte caput diligenter. Quo facto caput laua vino albo Gallico, & poſtea ſume fruſtulum toſti panis triticei cum vino Hiſpanico, & tunc comede, ieiunáque ad veſperam: cœnabis deinde parcè admodum, & duabus, vel tribus horis à cœna prædictum hauſtum aſſume: poſtea dormi placidè, continua per triduum.

Vnguentum, hoc eſt.

℞. *Primulæ veris, meliſſæ herbæ cum floribus, an.* M. j. C
Contunde in mortario cum duobus cochlearibus olei oliuarum: pòſt adde partem octauam butyri recentis inſulſi, & miſce. Adiunge *Vini optimi, cochlearia quatuor, aq. bugloſſ. flor. ſaluiæ, flor. rutæ, chelidoniæ, an. cochlearia duo.* Bene miſce, coque ſuper carbones donec clareſcant, & deinde per aliquot dies inſola.

Hoc Vnguentum retinet integras vires per biennium. Eo poſt triduanam illam præparationem præuiam, inunge ceruicem, occiput, & tempora, tum caput bene contege, vt vnguentum operari poſſit. Hunc proceſſum itidem continua per triduum, repete illum ſingulis duobus menſibus ſemel, per vnum annum. Secundo anno quater inunge, per totum. Tertio anno D
nonniſi ſemel. Et Angelicam memoriam tibi comparabis, dummodò priùs totum corpus, aliquo medicamento leuiter expurges.

OBSERVATIO.

Præſidium ad comparandam memoriam tenacißimam, facile, & ſingulare.

AQua pretioſa; Herculea, cuius vis maxima eſt non ſolùm in roboranda memoria ad miraculum vſque, ita vt non opus ſit eandem rem, bis aut ter legere, ſed etiam corporis vires reſtaurat, & adauget ſupra quàm dici poteſt. Militem quoque imbuit ferocia, & audacia pluſquam humana. Conſiſtit in duobus, in vi- E
no peculiariter præparato, & in inunctione capitis. Vinum fit hoc modo:

℞. *Vini Rhenani, ſeu alterius generoſi, quantum vis:* In hoc per tres, aut quatuor dies in loco calido, ſeu vitro optimè cooperto proiice hæc ſimplicia.

℞. *Roriſmarini, meliſſæ, ſaluiæ, betonicæ, maioran. pulegij, an.* M. j. *flor. tiliæ, liliorum conuallium, an.* P. j. Omnia hæc immitte in cucurbitam, & diſtilla. Prodibit aqua limpidiſſima. Huius ſume aliquam partem, atque illa reple vitrum ampli orificij. Quo facto menſe Iunio, vel Iulio, quære tibi cumulum formicarum, atque illum aperi. Elige autem illum qui continet formicas maiores nigricantes, & in quibus nulla ſint ouа. Acetuum hunc formicarum baculo commoue, & immitte in vitrum cum aqua. Videbis aſcendentes formicas,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 271 sur 927

formicas, quas paulatim præcipitabis in vitrum, atque hac ratione colliges quinque, aut sex manipulos formicarum. Vitrum probè clausum colloca in sole, atque ibi relinque per decem, aut quatuordecim dies. Tunc porrò commoue formicas, illásque videbis in pastam, atque pulticulam quasi conuersas. Infunde portionem reliquam vini, & iterum relinque per triduum, demum distilla per arenam, aut balneum, & prodibit aqua clarissima, deinde oleum flauum; quod seorsim excipe, & serua tanquam secretum. Aquam verò per distillationem extractam infunde in vitrum, atque illi immitte sequentia.

℞. *Cinnamom. elect. confect. Anacardin. an.* ℥ j. *croci*, ʒ j. *moschi, ambari Grisei, an.* ϑ ß. Sicque relinque per triduum. Et hoc modo parabis aquam magnanimitatis summæ, & vtilitatis eximiæ. Huius vnum cochlear ieiunus per mensem hauri, & huius remedij mirabiles effectus experieris.

Vnguentum est huiusmodi.

℞. *Herbarum hederæ, stœchad. an. bonam partem*: Infunde mensuram vnam aq. fontanæ. Coque perbene vase clauso: deinde exprime herbas, & liquorem trasice per setaceum: illi verò adde aliquantulum terebinthinæ, quæ priùs abluta sit aqua maioran. & fiat linimentum. Hoc inunge frontem, occiput, ceruicem, tempore nocturno tribus horis post cœnam.

Ratio victus humida seruanda. Caueat ab aëre frigido, humido, nimis nebuloso, & turbulento. Ambulet capite bene cooperto, & vestibus rectè munitus, custoditisque pedibus per solum discurrat, frigidúmque lutum. Aër nimis calidus fugiendus, vel siccus, à sole, vel igne. Interdicantur alimenta coctu difficilia: offerantur, quæ salubrem generant sanguinem. Natiua quadam proprietate memoriæ obsunt lac, allium, cæpæ, porrum, legumina, fabæ, pisa, lentes, castaneæ, carnes, & haleces fumo induratæ, caseus tam recens, quàm siccus, cereuisia crassa, fæculenta, turbida, quæ consimiles spiritus, & sanguinem generat. Ebrietas, hostis est memoriæ acerrimus, somnus prolixus, præcipuè ab assumpto cibo; decubitus supra dorsum, exercitium nimium, & multò magis quies. Inter excreta, summè nocent nimia sanguinis, au seminis emissio. Validæ purgationes, inutiles. Lenes, & repetitæ, factæque cum medicamentis phlegmagogis, ante huius præsidij vsum, conferunt apprimè. Animi affectus, nocui, vt ira, tristitia, timor. Nocturnæ, & diuturnæ lucubrationes, reprobæ. Fugiendæ curæ, solicitudines, vigiliæ. Abdicanda ieiunia, & cætera omnia quæ spiritus minuunt, sanguinem exhauriunt, vires resoluunt. Vtere hoc remedio: nam est facile, iuuamenti magni, & à me fœlicissimè sæpius celebratum.

CAPVT X.

De Paralysi.

Definitio.

CVm Paralysis sit neruorum passio, placet primò aliqua de natura, & temperamento neruorum commentari, ex tam multis quæ Galenus de hoc negotio fusè disseruit. Et primò: *Vtrùm nerui definitio à Galeno tradita sit optima?* Hic enim: *lib. 15. de vsu part. cap. 1.* sumpto nerui vocabulo propriè & strictè, sic definit. *Est substantia quæ à cerebro, vel spinali medulla proœdit.* Non nego Medicos aliquando per neruosas partes, intelligere aliquas substantias, quæ cum neruis similitudinem habent, & conuenientiam, veluti sunt membranæ, vt docet Gal. *1. de motu muscul. c. 1.* quo loco tripartitam neruorum diuisionem proponit: Nam ligamenta, quæ ab ossibus, pro ipsorum vnione, & coarticulatione dimanant, etiam nerui dicuntur: similiter etiam aliæ substantiæ, quæ instar chordæ ex musculis deriuantur, vt tendines.

Nerus ergo hoc modo sumptus, *est pars similaris, genita ex substantia medullari, fibrosa, & membranosa, facta à facultate formatrice, gratia distributionis facultatis animalis.* Dicitur pars similaris, quoad sensum: qua ratione Galenus *lib. 1. de elem. cap. 8.* & alibi sæpe, neruum inter partes simplices connumerat, licèt secundùm rei naturam pars sit dissimilaris, cùm ex diuersis substantiis constet. Genitus fuit neruus ex substantia medullari, quæ illius propria substantia est, ex Galen. 3. *de anatomic. administ. cap. 11.* docente, propagines esse eiusdem substantiæ cum sua origine; cerebrum autem, & spinalis medulla, substantiæ medullares sunt, orta verò attestantur principiis. Iuxta hanc doctrinam intelligendus est Galenus 3. *de placit. cap. vlt.* vbi inquit, *quòd si secetur in totum medulla nerui, statim membrum immobile redditur.* Hoc modo explanetur præclarus ille contextus, *lib. 1. de motu muscul. cap. 1.* quo loco agens de neruis, inquit: *Neruum ita fieri ex substantia cerebri, vt neruus nihil aliud sit, quam cerebri substantia magis constipata, & duriuscula facta.*

Constat etiam neruus substantia fibrosa, 3. *de facult. natural. lib. vlt.* & 7. *de placit. cap. 9.* Sed animaduertas, quòd neruus desinit in fibras musculorum secundùm totam substantiam: Neruus verò constat ex substantia quadam simili fibris, ex semine genita; ita vt sit differentia inter fibras nerui, & inter fibras in quas resoluitur, & in musculorum insertionem degenerat. Componitur etiam ex substantia membranosa, hoc est, ex membranis quæ in ipso reperiuntur: Nerui enim duplicem sortiuntur membranam, primam, quæ substantiæ nerui proximior est, & ex pia cerebri matre dimanat; alteram, quæ ex dura cerebri meninge originem ducit. Sunt & alia in corpore, quæ ob neruorum similitudinem, neruosa dicuntur: hoc pacto vterum, vesicam, intestina, neruosa nuncupamus. Ex qua compositione patet, nerui substantiam esse spermaticam, & exanguem; quæ si secetur, instar seminalium regenerari nequit, ex Hip. 6. *Aph. 19. Quum distissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut gena particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.*

De temperamento Nerui: *Vtrùm omnis neruus sit natura siccus?* maxima est controuersia apud auctores: Nam Auicenna 1. 1. *cap. 2.* in catalogo siccorum reposuit neruos, tam motiuos, quàm sensitiuos: ea tamen distinctione adhibita, quòd licèt in frigiditate sensitiui parum distent à motiuis; nihilominus hi in siccitate magis accedunt, & sensitiui in passiuis proximi sunt temperaturæ cutis: quasi auctor hic gratissimus asserat, neruos motiuos minùs esse frigidos sensitiuis, & è conuerso, sensitiuos minùs esse siccos motiuis: motus enim ratione illi ampliùs incalescunt, & exiccantur, cùm motus in actione consistat, ad quam peragendam maiore robore, & firmitudine indigemus, ad quæ opera siccitas vtilis est, 3. *de sympt. caus. cap. 3.* Hinc factum est, quòd ad hoc vt nerui motiui essent robustiores, siccitate, & duritie indigeant. Contrà cernitur in sensitiuis, cùm sensus magis in passione consistat, & ad patiendum sufficiens dispositio in passo sit necessaria; ideò nerui sensitiui sunt molliores, & humidiores, quæ mollities ad species rerum suscipiendas vtilis est.

At contra hanc doctrinam obstat irrefragabilis Galeni auctoritas, *1. de temper. cap. vlt.* quo loco inter partes siccas reposuit neruos duros, motiuos; at verò neruos molles, sensitiuos, in humiditate, & siccitate mediam naturam sortiri asseuerat. Contrà legimus ipsum affirmasse, *lib. 2. de temper. cap. 3.* dum agens de

de partibus humidis, ſic ait: *Proxima cuti eſt mollium neruorum natura; duriores autem, in humido & ſicco ſecundùm cutis naturam ſe habent.* Perperam ergo Galenus, & Auicenna, de temperamento neruorum pronunciarunt, quum modò ſiccos, modò humidos, & iam cutis temperaturam habere in paſſiuis qualitatibus affirmarunt.

Grauis antinomia, & quæ peritiſſimos coëgit interpretes, vt textum eſſe corruptum affirmarent, & ſic pro neruis mollibus accipiendos eſſe duros, & pro duris molles, rati ſunt. Alij ſic eſſe legendum textum Galeni arbitrantur: *Mollium neruorum natura proxima eſt cuti, durorum neruorum natura, eandem non habet cum cute temperiem,* quia ſemper nerui per ſiccitatem à cutis temperamento recedunt, præſertim motiui: atque hanc eſſe cauſam ſibi perſuadent, ob quam Galenus *6. meth.* 2. & *lib. art. medic. cap.* 92. agens de vulneribus, & punctura neruorum, horum naturam contemplans, ſimilibus eſſe conſeruandam aſſeueret, & apponenda eſſe medicamenta quæ ſunt tenuium partium, & citra mordacitatem exiccare queunt.

Alij ob huius doctrinæ difficultatem, omiſſa Galeni, & Auic. ſententia, neruos motiuos reponunt inter partes ſiccas, & ſenſitiuos, inter partes humidas, quia ſicuti nerui motiui ſunt duriores cute, ita ſenſitiui, ea ſunt molliores. Adde quòd neruus eſt cerebro durior 1. *de motu muſcul.* 1. & 8. *de vſu part. cap.* 6. Quare ſicuti nerui oriuntur ex cerebro, ſic etiam ex ſpinali medulla; & ſicuti hæc eſt durior, & ſiccior ipſo cerebro, pari ratione & nerui ſpinalis medullæ, ſunt duriores & ſicciores ipſis neruis cerebri.

Sed hoc fundamentum corruit, quia oculari anatomes fidei omnino aduerſatur: conſtat enim à parte molliori cerebri oriri neruos duriores, quàm à parte duriore, ſi conſideremus, à parte anteriori cerebri oriri ſecundam coniugationem neruorum mouentium oculos, qui duriores ſunt; & à parte poſteriori oriri ſextam coniugationem neruorum, tribuentium ſenſum omnibus viſceribus, & partibus infra caput, qui molliores ſunt. Vt ergo contextus Galeni verus ſit, ipſum cum negatione lege: nam in illis verbis: *At verò duriores nerui ſecundùm naturam cutis ſe habent*, deficit particula *non*: & ſic explicatur textus: *At verò duriores nerui ſecundùm naturam cutis non ſe habent.* Si verò hoc modo conciliare Galenum recuſes, dic, quòd nerui duri ſecundùm naturam cutis ſe habent, quò enim ſunt duriores cute, tantò ſiccioris temperamenti ſunt.

Inquires: *An nerui ſint ſicciores arteriis*? nam Galenus *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 2. agens de curatione methodica, inquit neruoſas partes eſſe magis ſiccandas arterioſis, quia quò pars eſt ſiccior, remedium ex ſua natura ſiccius expoſtulat. Quare ex ſententia Galeni, nerui ſunt ſicciores arteriis. Dic, quòd Galenus hoc loco non intelligit neruos, ſed partes neruoſas, ob ſimilitudinem quam cum neruis habent, vt ſunt membranæ; hæ enim ſicciores ſunt neruis, vt Galenus 1. *de temper. cap. vlt.* edocuit.

Vtrùm verò *neruus temperamento frigidus ſit*? etiam diſſentiunt auctores. Dic, quòd ſi vnaquæque pars tantum habet de calore, quantum de ſanguine, videtur quòd omnis neruus ſummè frigidus ſit. Ad hoc, quoniam (vt Galenus docet, 1. *de temper. cap. vlt. poſt med.*) cutis temperata eſt, quia nimirum eſt media inter neruum, & carnem; conſtat manifeſtè quòd neruus frigidus ſit, & ſanguinis expers, caro verò calida ſit, & ſanguine referta. Reſponde, neruum frigidum eſſe, non verò ita frigere, vt os, cartilago, & ligamentum; neruus enim, etſi ſanguinis cõſpicui prorſus ſit expers, cùm nihil in eo rubri conſpiciatur, non tamen eſt expers ſanguinis inconſpicui, à quo omnia membra aluntur, maximè quia ſpiritum à cerebro recipit, à quo etiam incaleſcit.

Vt autem faciliùs curationem Paralyſis eſſequaris, perſcrutandum: *Vtrùm neruus ſit organum tactus*? Neruorum vtilitas triplex eſt, ex Gal. 5. *de vſu part. cap.* 9. quia quemadmodum in corpore tria ſunt organa, ſenſationis, motionis, & nutritionis, ita neruorum triplex eſt vſus: Primus, quia defert facultatem ad organa ſenſus. Secundus, quia defert facultatem ad organa motus. Tertius, propter aliquarum partium nutritionem: quoniam, vt Gal. *cit. loc.* aſſeruit, nerui etiam multam vtilitatem præſtant partibus, quorum ope hæ excrementa ſua foràs excernunt: licèt enim facultas expultrix ad hanc operationem, ſenſationem non prærequirat, vt patet in oſſibus; tamen in aliquibus partibus ſentientibus rei nociuæ ſenſus manifeſtè conſpicitur, vt renibus, ventriculo, veſica vrinaria. At hæc doctrina ita intelligenda eſt, vt primò, & per ſe nerui ſint neceſſarij propter organa ſenſus, & motus, ſecundariò autem ob nutritionis organa. Auicenna 1. 1. *doct.* 5. *cap.* 2. aliam addit vtilitatem, vt caro muſculoſa roboretur, & fortior fiat: nam neruus degenerat in fibras ſparſas per ſubſtantiam muſculi, & hac ratione muſculus ad motum fit magis paratus.

Nerui ideò ad ſenſum conferunt, & motum, quia facultatem præbent neceſſariam pro motione, & ſenſatione; nam quilibet neruus, eſt via, ſeu lator vtriuſque facultatis, vt *cit. loc.* docuit Auicen. Hoc modo eſt intelligenda Galeni doctrina, 2. *de motu muſcul. cap.* 1. vbi inquit, *neruis magnam eſſe vim à magno principio, videlicet à cerebro, communicatam.* Quemadmodum enim arteriæ ſanguinem arterialem à corde hauriunt, vt per omnes corporis partes diſtribuatur; ita nerui ex cerebro, veluti ex fonte, virtutem animalem muſculis, & aliis partibus ſentientibus deferunt, & hac ratione facultatis animalis delatores vocantur.

Ex hac eleganti doctrina, & digna animaduerſione, patet ratio, quare facultas animalis emanet à cerebro, non verò à neruis: quia licèt in his facultas hæc recipiatur, à cerebro originè ducens, tamen hæc non à propria ſubſtantia nerui emanat, in neruis enim pro receptione datur aptitudo, non verò pro emanatione. Simili modo de potentiis interioribus cerebri dicendum, quæ ſolùm in cerebro domicilium habent: quod in communicatione facultatis vitalis pulſificæ patet manifeſtè, quæ etſi à corde communicetur per arterias, non tamen ab ipſis emanat.

Deinde neruus non ſolùm defert facultatem animalem, verùm etiam eſt organum ſenſus tactus, quia in neruis exquiſita ſenſatio reperitur, facta à potentia tactiua, præſuppoſita immutatione, & alteratione extrinſeci ſenſibilis, ita vt neruus effectiuè ſenſationem eliciat. Quare neruus non ſolùm eſt via facultatis animalis, ſed etiam eſt organum efficiens ſenſationem: nullum enim eſt inconueniens, quòd eademmet pars ſit inſtrumentum actionis, & organum ſecundùm rationes diuerſas: & ſic neruus, quatenus eſt facultatis animalis delator, dicitur inſtrumentum; quatenus facultate ſenſitiua conſtat, eſt organum elicitiuum actionis tangendi, quod eleganter probat Galenus 7. *de anatomic. adminiſt. cap.* 8. vbi inquit, *quòd nerui molles ſunt apti ad ſenſum, duri verò ad motum*: quod non eſſet verum, ſi nerui tantùm eſſent facultatum delatores. Hoc tamen ita intelligas, vt reſpectu aliarum ſenſationum noſtri corporis, propter tactiuam potentiam ſolùm inſtrumentaliter concurrant, animalem facultatem deferentes, vt in neruis opticis patet, qui ad viſionem ſolùm neceſſarij, quia ſpiritus communicant, licèt viſio efficienter ab humore cryſtallino emanet, quod ſimiliter de ſenſu auditus, guſtus, & olfactus proferendum.

Pro illius celebris quæſtionis expoſitione, quam agitauimus, *lib.* 5. *Hiſtor. Princip. Medic. in com. hiſt.* 4. Vtrùm poſſit perire motus manente ſenſu, & è contra?

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 273 sur 927

curationi de paralysi tam necessaria, indaganda etiam hoc loco est alia: *Vtrùm neruus deferens sensum, deferat etiam motum, & è conuerso.* Huius dubitationis prior pars apertè colligitur ex Galeno, 1. *de loc. cap.* 6. & supposito, quod omnes concedunt, facultatem animalem, quæ à cerebro per neruos demandatur, esse auctorem sensus, & motus, sic arguo.

Motus ad sui actionem requirit abundatiorem vim, quàm sensus. Ergo nerui deferentes vim motricem, deferent etiam sensificam. Antecedens probatur; quia id in quo maior operatio reperitur, abundatiorem vim prærequiret. Sed in motu maior cernitur operatio, quàm in sensu. Ergo. Minor probatur: nam in motu reperitur contractio musculorum, quæ maior operatio est, quàm receptio specierum, quæ in sensu cernitur. Confirmatur, quia sentire, ex Gal. 1. *de caus. sympt. cap.* 5. & 2. *de anim.* 11. est quædam passio; motus verò actio: Ergo maior est operatio.

Quòd verò non omnis sentiens neruus motum præstet, sic confirmo: quia aliàs sequeretur, vim sensitiuam, & motiuam ad omnia demandari membra. Minor probatur: quia si per eosdem neruos demandarentur motus, sensus hic non posset amitti, illæso motu, & è conuerso; maximè quia neruus per se solus non est sufficiens ad exercendum motum, nisi musculis coniungatur. Ergo non omnis sentiens neruus motum præstabit; plurimi enim sunt nerui qui in musculos non implantantur, vt ex anatome constat. Ergo hi sensum, & non motum poterunt exercere.

Solue hoc modo. Si vis sensifica, & motiua per diuersos neruos demandetur, amitti potest motus manente sensu, non tamen vice versa. Priorem partem, præter Galeni auctoritatem *loc. cit.* ratio firmat. Facultas sensitiua, & motiua per diuersos neruos ad aliqua membra demandantur. Ergo bene potest amitti vna operatio manente alia; deperditio enim sensus & motus, à resolutione neruorum dependet, per quos facultas sentiendi, & mouendi defertur. Sed nerui deferentes sensum, sine motoriis resolui possunt. Ergo, &c.

Nec dicas, facultatem mouendi, & sentiendi per omnes neruos deferri, siquidem est virtus animalis: Licèt enim hoc verum sit, tamen eam per diuersos neruos defluere comprobamus: quia in aliquibus membris non exercetur motus, defectu musculorum, non virtutis. Deinde natura non solet tantam spirituum copiam ad partes sentientes emittere, quantam ad partes sentientes simul, & mouentes: maius enim ad motum localem, quàm ad sensum, robur est necessarium.

Partem posteriorem vlteriùs confirmo. Sensus exigua facultate animali peragi potest; motus nonnisi à vehementiore. Ergo sensus manente motu, nullo pacto poterit deperdi, bene vice versa. Neque obiicias motum siccitate neruorum perfici, vt patet in infantibus, qui ob eorum mollitiem non progrediuntur; sensum verò humiditatem exposcere: vnde sequitur, quòd si neruus sit valdè exiccatus, possit amitti sensus, manente motu. Neganda enim est sequela: nec enim adeò potest neruus exiccari, vt deperdatur sensus, manente motu. Quòd si supponas eum exiccari vehementer, tunc sensus, & motus deperdentur simul, necessariò enim neruus ob siccitatem maximam conuelletur, ac proinde nec sentiet conuulsus, nec mouebitur.

Proxima huic dubio quæstio est: *Vtrùm facultas sensitiua & motiua, sint vna, an diuersæ?* in qua difficultate soluenda digladiantur Medici. Nos diuersâ esse facultatem motiuam, & sensitiuam affirmamus. Probatur: nam si vnico influxu virtutis, facultas motiua, & sensitiua deferantur, nullus erit neruus sensus, qui etiam non sit motus, & è contra nullus neruus erit motiuus, quin etiam sit sensitiuus. Sed cùm operationes diuersæ sunt, quantumuis facultas videatur vna, non est vna, sed plures existimandæ.

Hac ratione Galenus *lib.* 2. *de præsag. ex puls. cap.* 8. distentionem, & contractionem in pulsibus, à duabus facultatibus fieri dixit, quarum vna contrahit, altera verò distendit cor, & arterias: indecens enim duxit, duabus operationibus vnam tribuere facultatem. Sic quamuis per eosdem neruos influxu quodam simultaneo, vis quæ mouet, & quæ sentit, deferatur à cerebro, eadem vis non est quæ vtramque facit operationem, sed vna est quæ sentit, altera quæ mouet. Quare non rectè colligunt quidam, ex Galen. 1. *de caus. sympt. cap.* 5. eadem vi motum, & sensum fieri, quoniam dixerit nonnunquam lædi motum, illæso sensu, quòd minùs virtutis influat, quàm vt sufficiat ad mouendum; tantum autem, vt valeat ad sentiendum.

Si verò roges: *Vtrùm facultates sensitiuæ inter se sint distinctæ?* Respondet perbellè Galenus *lib.* 8. *de vsu part. cap.* 6. dum sic ait: *Cùm igitur in capite quatuor sint instrumenta sensoria, oculi, aures, nares, & lingua, omniáque hæc ex cerebro sensus principium habeant, eáque saltem ratione similia appareant, inest tamen eis secundùm speciem dissimilitudo, non modo in ipsis sentiendi facultatibus, verùm etiam in corporibus per quæ facultates deferuntur: quandoquidem facultatum alia odorum, alia saporum, alia sonorum, alia colorum est diiudicatrix, &c.* Quid clarius in hac soluenda difficultate dici possit, prorsus non video. Neque siniſtrè interpreteris Galenum, dicásque loquutum fuisse de facultatibus vitalibus, quæ specie sunt distinctæ, & organis diuersis vtuntur: nam de animalibus facultatibus intelligendus est. Deinde facultas visiua communicatur per neruos primæ coniugationis, auditiua per neruos quintæ, & sic de cæteris sentiendum. Insuper visio, auditio, olfactio, gustatio, & tactio, operationes sunt diuersæ, quare à diuersis facultatibus fiant est necesse, licèt quoad sensum vna & simplex nobis videatur.

Hoc modo dum Sol gignit, viuificat, illuminat; & alia munia præstat, cuique harum operationum sua respondet facultas, quæ qualitas, & proprietas quædam actiua in ipso Sole est. Facultas qua illuminat, lux est; qua gignit, & viuificat, occultior est, ex operationibus solùm nobis nota. Vt ergo Sol luce sua illuminat, ita aliis facultatibus irradiat, & vniuersum alterat. Vtque ex luce illuminatio, sic ex aliis facultatibus generatio, viuificatio, & siquæ aliæ. Cerebrum similiter, aut anima quæ in eo residet, plures habet facultates & proprietates, mouendi, sentiendi, & intelligendi. Facultas intelligendi vna est, mouendi altera, sentiendi verò non est vna, sed multiplex, putà fingendi, cogitandi, & memorandi. Videndi insuper, audiendi, olfaciendi, gustandi, & tangendi. Quare tot operationes diuersæ, à diuersis facultatibus prodeant, est necesse. Anima ergo tot facultatibus ornata, vires suas distribuit alteratione quadam simultanea in instrumenta apta, vt hanc alterationem recipere queant.

Vtrùm spiritus qui ad organa sensuum mittuntur, facultatem solam illi organo accommodatam deferant, an solùm expetantur, vt instrumenta facultatis per neruos distributæ? etiam in dubium vertendum. In hac quæstione probabilius censeo, facultates sensuum magis immateriales, spiritibus purioribus, & splendidis communicari. Vim enim videndi habent visui spiritus, & eam aëri externo illuminato communicant. Si verò vim tangendi deferrent spiritus visui, extrà fieret tactio, non secus ac visio. Sed facultas tangendi, terrena admodum existens, aut spiritibus nequit communicari, aut obscuros, crassos, & turbulentos exoptat. Ad auditū

verò

verò ſpiritus deferri, qui vim adferant audiendi, A nec tam craſſos, quantum tactui, & guſtui eſſent opportuni; nec tam ſplendidos & æthereos, atque ij qui videndo ſunt accommodati, fidem facit ipſorum ſenſuum natura: Nam viſus igneus eſt & æthereus, auditus verò aëreus. Hinc apud Ariſt. 2. *de anim.* 8. auditus inſtrumentum ſtatuitur, aër quidam congenitus intra quandam membranam contentus, qui ab externo aëre ſonos deferente pulſatur, & vi auditoria, quam habet, eos apprehendit. Quid autem ſit aër hic ingenitus, quàm ſpiritus audiendo à natura deſtinatus, non video. Atqui cùm aër externus ſpiritum illum ferit, ſi alias facultates præter auditiuam ſpiritus is habeat, fiet neceſſariò, vt aërem bene aut malè olentem dignoſcat. Hoc autem minimè contingere cer- B nimus. Ergo ſpiritus qui ad auditum confluit, ſingularem facultatem defert. Quare & ad alios ſenſus, eum deferri ſpiritum, qualem ipſius ſenſus natura expoſtulat, rationabile eſt.

De officio neruorum, differentiis, ductu, & implantatione, ſat multa prædixit Galenus 7. *de vſu part.* 14. Numerus illorum in vtraque parte, tam dextra, quàm ſiniſtra, æqualis eſt, vt docet Galenus *lib. de diſſect. neruorum, cap.* 5. Si ab hac lege excipias neruum vltimum qui ab ſpinali medulla exoritur, quia ille ſolus ſine coniuge eſt; ſpinalis enim medulla iam in neruos fuit abſumpta. Hiſtoriam neruorum, & eorum coniugationes, lege apud Galenum *lib.* 9. *de vſu part. à cap.* 8. *vſque ad cap.* 15. & eas nos breuiter delineauimus *in noſtro* C *ſpicilegio anatomico, lib.* 6. *Hiſt. Princip. Med. in com. hiſt.* 4. *ſect.* 3. *tit. de nervis.*

Non patiar verò mihi illud ex animo excuti, quod tot Medicorum approbatione iam confirmatum eſt, Cerebrum eſſe frigidum, & frigido pituitoſóque alimento nutriri, ex quo cùm glutinoſus, lentúſque humor gignatur, neruos obſtruit, & influxum facultatis animalis impedit ad membra, & hoc modo Paralyſis generatur. Sed quoniam rerum naturalium veritas in occulto latet, & natura veritatem penitus abſtruſit, pro tam periculoſi affectus curatione, hanc inquirere, inueſtigare, rimari conuenit. Ideò excitanda hoc loco quæſtio eſt, in Scholis celebrata valde: *Vtrùm genuina, & naturalis cerebri temperatura, ſit ca-* D *lida, an frigida.* De actiuis qualitatibus loquor, cutis reſpectu, quia in paſſiuis eſſe humidũ libenter fatemur.

Solertiſſimus Philoſophus, *lib.* 2. *de part. animal. cap.* 7. cerebrum eſſe frigidum conſtanter affirmat: à natura enim conſtitutum eſt, vt immodicum calorem cordis attemperet, ipſúmque infrigidet; quare membranis præditum eſt, plurimis neruorum propaginibus, oſſibus duriſſimis contegitur, quæ omnes partes frigidæ ſunt, vt firmat Galenus 1. *de temper. cap. vlt.* & *lib.* 2. *cap.* 3. Omnia tamen hæc cute non humidiora modò ſunt, ſed frigidiora: vnóque verbo, omne exangue eſt frigidius ſanguine prædito. Probat etiam 3. *Aph.* 12. *poſt princip.* §. *quoniam cerebrum natura aptum eſt ad generandas pituitoſas ſuperfluitates, &c. Lib.* 5. *Aph.* 18. idem confirmat, dum enim aſſignat rationem illius E ſententiæ Hippocraticæ, cur frigidum ſit inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, & ſpinali medullæ, ſupponit partes natura ſua frigidas, citiùs, ac magis ab immodico frigido lædi; & adducit Hip. *in lib. de carnibus, num.* 4. dicentem *Cerebrum eſſe ſedem, & domicilium frigidi, & glutinoſi.* Deinde, Cerebrum alteratur, & lædituràmorbis ſuæ temperaturæ ſimilibus, vt Apoplexia, Epilepſia, Melancholia, Congelatione, & aliis ſoporoſis affectibus. Inſuper excrementa reiecta per os, naſum, & palatum, ſunt frigida & pituitoſa, quæ cerebri frigidum temperamentum oſtendunt euidenter: pars enim exanguis eſt, & ſubſtantia alba conſtat, & medullari, & ideò in omnibus cerebrum eſt priuatum ſanguine, ex Ariſt. 1. *de Hiſt. ani-* *mal. cap.* 16. Cur autem frigidum fuerit conſtitutum, proponit Auicenna 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. ne ſcilicet aſſiduis ſpirituum, & ſenſuum tam internorum, quàm externorum motionibus incaleſceret, & inflammaretur.

Galenus *lib.* 8. *de vſu part. cap.* 2. & 3. Ariſtotelis opinionem irridet, exiſtimantis cerebrum eſſe à natura conſtitutum, vt immodicum cordis calorem attemperet; quare eam pluribus rationibus oppugnat: Primò. Si hoc verum eſſet, debebat collocari in regione thoracis: nam oſſa cranij, & magna diſtantia ſitus, infrigidationẽ impediunt. Secundò. Si cerebrum quocunque tempore tangas, calidum inuenies, imò tempore æſtatis ab aëre attracto per nares, & os infrigidatur; quare in vulneribus capitis ab ipſo maximè læditur, ex Gal. *loc. cit.* Tertiò. Cor magis recedit per calorem à mediocritate, quàm cerebrum per frigiditatem. Ergo potiùs à corde calefieret. Ergo cerebrum non fuit factum propter cor, ſed propter diuiniores vſus, vt eius admirabilis compoſitio oſtendit.

Quoniam verò Galenus *cit. lib. de vſu part. cap.* 2. cerebrum calidum eſſe affirmat. §. *Atqui ſi aër cerebro eſſet calidior, haudquaquam ab eo refrigeraretur: nunc autem etiamſi æſtas fuerit, facilè refrigeratur, indigétque etiam tum foueri citiſſimè, tanquam non ſolùm id non ſit frigidum, ſed ne citra moleſtiam quidem, frigidæ ſubſtantiæ occurſum, &c.* & *infrà* ſic ait: *O Generoſiſſimi! tenuem meningæ caliditatem eſſe confitentes, audetis adhuc cerebrum pronuntiare frigidum? &c.* Galeni partes ſic confirmo.

Primò. Cerebrum habet multas venas, & arterias, & ſinus duræ meningis plenos ſanguine. Ergo calidum eſt. Nam vbi vaſorum reperitur copia, ſanguinis, ſpiritus, & caloris vbertas exiſtit. Secundò. Cerebrum reſpiratione media aërem attrahit, vt attemperetur, ex Gal. 8. *de vſu part. c.* 10. §. *Anteriores itaque duo, inſpirationem, expirationẽ efflationémque ex cerebro efficiunt: & lib. de vtilit. reſpir. vlt. poſt princ.* §. *Cùm enim arteriæ circa collum laqueo conſtringuntur, &c.* Ergo, &c. Nam finis reſpirationis eſt natiui caloris moderatio, & infrigidatio, ex Gal. *lib.* 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 5. Quare ſi reſpirat, refrigeretur eſt neceſſe.

Tertiò. Cerebrum generat ſpiritus animales ſuapte natura calidos, 7. *de placit. cap.* 3. Igitur, &c. Neque inſtes calorem ſpirituum animalium non eſſe tributum à cerebro, ſed ab ſpiritibus vitalibus calorem ſuum adhuc retinentibus, poſtquam in animales degenerant. Sed inſtantia nihil concludit, quia animalis non ſolùm ex vitali, ſed etiam ex aëre per reſpirationem attracto ad ipſum cerebrum generatur, vt monuit Galenus 12. *meth. cap.* 5. qui cùm coquatur, & in animalem ſpiritum tranſmutetur, cerebri calorem arguit manifeſtè, coctionem enim fieri à calore, 4 *meteor. c.* 2. Philoſophus firmat.

Quartò. Cerebrũ eſt principium motus animalis, & principium facultarum, quæ in cerebro operantur, mediante ſpiritu, & calore. Ergo. Probat Ariſt. *lib.* 3. *de anim. cap.* 1. aſſerens, nihil eſſe ſenſitiuum ſine caliditate, & motiuum ſine calore, 2. *de generat. animal. cap.* 1. *poſt princip.* Quintò. Cerebrum eſt pars ſpermatica ex ſemine generata, ex Gal. 1. *de ſem.* 8. Sed ſemen ſua natura eſt calidum, & igneum, 2. *de ſanit. cap.* 2. Ergo & ipſum cerebrum. Neque hanc rationem redarguas, quòd plures reperiantur partes ſpermaticæ, vt os, cartilago, ligamentum, & ſimilia, quæ reſoluta parte ſpirituoſa, tenui, & calida, remanent frigidæ, in quarum partium claſſe cerebrum reponitur. Quia ſemen calidum eſt, & igneum ex natura ſua. Ergo illa pars erit calidior, in qua ſemen magis integrum remanet, vt in cerebro, in quo exigua eſt ſeminis elaboratio, & apparet quaſi coagulatum ſemen.

Sextò. Cor calidius cognoſcitur ex multitudine pilorum in thorace. Sed caput eſt maximè piloſum. Septimò. Cerebrum ob ſitum rectum recipit vapores

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 275 sur 927

calidos à toto ascendentes, qui reddunt ipsum in ordine ad cutim calidum, quia tactus est rectus iudex calidi, & frigidi, 2. *de temper. cap.* 8. Quouis autem tempore cerebrum multò calidius aëre inuenitur, siue ruptum alicuius caput manibus curemus, siue etiam experiundi gratia animali cuiuis cranium exciderimus, deinde meningibus discissis tangere tentemus.

Vltimò. Morbi materiales improportionales, sunt deteriores, quàm proportionales, 2. *Aph.* 34. Sed morbi frigidi in cerebro sunt deteriores, quàm calidi. Ergo, &c. Minor probatur hoc modo: Ex triplici læsione actionis, quæ vnicuique parti potest accidere, actio abolita semper est deterior, cùm priuationem indicet. Sed morbi frigidi in cerebro actionem abolitam constituunt. Ergo. Maior patet, si consideremus actionem abolitam semper esse deteriorem. Minorem probat abolita memoria lethargicorum, priuatio sensus & motus in congelatione, & Catalepsi, & aliis frigidis affectibus. At verò morbi calidi cerebrum opprimentes, etsi sua natura pessimi sint, & lethales, 1. *prog.* 23. minorem læsionem inferunt, & ideò abolitam actionem non efficiunt.

Hæc fortasse argumenta potuerunt adducere Ishaac inter Barbaros Medicos præstantissimum, *lib. dietar. vniuersal. cap.* 4. vt asserat cerebrum ex se, suáque natura esse calidum, & humidum, quia induit naturam pinguedinis, & medullæ; sed ex accidenti frigidum euadere, ob immodicam ambientis frigiditatem. Quæ opinio Ishaac, in simili forma potest confirmari in ventriculo, qui tempore hyemis caloris copia abundat; sed ex accidenti, ratione frigidissimi aëris circumstantis, maiorem copiam pituitæ progenerat, quàm in aliis temporibus. Sed quia hæc opinio à plurimis doctissimis Auicennæ interpretibus iam est impugnata, & nos in impugnandis Medicorum sententiis in praxi non laboramus, eam dimittimus.

Infinitum enim esset propemodum, Medicorum sententias de hac re referre, & confutare. Quare firmiter assero, cerebrum consideratum præcisè, vt pars est similaris ac simplex, & solùm secundùm substantiam medullarem, esse frigidum. Si verò sumatur, vt est pars organica, vltra substantiam medullarem, plexum & multitudinem venarum, & arteriarum comprehendens, & deinde quatuor sinus duræ meningis copioso sanguine refertos, in ordine ad cutẽ calidum esse: quia excepto corde, in animantium corporibus nõ inuenitur aliud mẽbrum, quod habeat vẽtilationẽ, & moderationẽ mediante motu animali respirationis, & pulsus, præter cerebrũ: Quæ opera à natura esse intenta ob vapores, & fuligines, vt aliqui rentur, à ratione alienum est; cùm eadem ratione possimus dicere, in statu morboso cerebrum esse calidum, ratione inflammationis, aut alicuius calidi intemperamenti; maximè quia Gal. 8. *de vsu part.* 2. §. *O Generosissimi Medici!* &c. cerebrum constituens calidum, venarum, & arteriarum solùm meminit. Ergo cerebrum ex temperamento innato, & elementorum mixtione, frigidum est; ex coalteratione verò calidorum membrorum sibi vicinorum, ad calidum inclinat. Et hac distinctione vtriusque partis argumenta possunt admitti. Ob hæc, non mireris, si in cerebro frigido, & alimento frigido ac pituitoso nutrito, Paralysis, cæteríque frigidi morbi generentur. De cuius definitione tempus est, vt sermonem pertexamus, quæramúsque: *Vtrùm affectio in qua motus seruatur, illæso sensu, dicenda sit resolutio?* Paralysis dicta à Græcis, à Latinis resolutio, à Barbaris mollificatio nuncupatur, vt constat ex Auic. 2. 3. *tract.* 1. *c.* 2. Est ergo Paralysis, *priuatio sensus, & motus, in medietate corporis, vel in aliquibus, vel in aliqua tantùm parte ipsius*, vt docuit Galenus *lib.* 3. *de loc. cap.* 10. & 3. *progn. com.* 26. & 68. sequuntur Paulus *lib.* 3. *cap.* 18. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 28. Tral. *lib.* 1. *cap.* 16.

Paralysis, & Apoplexia, licèt affectiones inter se quodammodo sint similes, sensum & motum, etsi diuersimodè, auferentes; insuper & in causa conueniant; tamen multis discrepant. Quæ tamen pars in illis afficiatur, non perinde (inquit Gal. *cit. de loc.*) ac in cephalæa, & hemicrania sensu diiudicatur, sed ratione est opus: hac enim docemur, læsum esse neruorum principium, vbi illorum actiones in toto corpore reddunter vitiosæ. Cùm igitur in Apoplexia, sensus & motus, qui sunt neruorum actiones in toto corpore, simul cum anhelitus difficultate, auferantur, 2. *Aph.* 42. indicatur cerebrum primariò affectum, cuius propria est huiusmodi passio, & ex consequenti omnium membrorum, quæ cerebri influxu sentiunt, & mouentur.

Quòd si non in vniuerso, sed in altera tantùm corporis parte, dextra nimirum, aut sinistra, aut qualibet alia particulari, demum aut in omnibus infra ceruicem positis, sensum, & motum amitti contigerit, Paralysis fit: & vel spinalis medulla, à qua nerui omnes, præterquàm faciei, oriuntur, ad initium affici indicatur; vel ea nerui propago, quæ ad partem resolutam deferebat vim animalem à cerebro susceptam. Si verò cum toto corpore, vel etiam seorsim, pars aliqua faciei, sensu quoque, & motu priuatur, credendum est mali causam in ipso cerebro consistere, à quo non solùm medulla spinalis dicta, sed nerui per faciem dispersi deducuntur, de quo fusiùs *lib.* 12. & 13. *de vsu part.* & *lib.* 8. *de anatomic. administ.* disceptat Galenus.

Dic ergo, quòd nomen resolutio, vt vera dicatur, exquisita, & completa, vtrumque auferri est necesse, ita auctores suprà citati, & omnes ferè ex Galeno 3. *de loc. cit.* & 1. *de caus. sympt. cap.* 5. arbitrantur. Quòd si solus deperdatur motus in parte, resolutio simpliciter appellatur; non sic tamen, si solus sensus, sed vel ἀναίσθησις, hoc est, sensus expers, vel cum adiectione, sensus resolutionem patiens dicitur æger: ita ex Galeno *cit. de loc.* §. *Sequenti secundùm vulgarem, & magis receptam verbi significationem*, &c. Quamuis autem in toto fiat repentina sensus, & motus ablatio, si principes facultates in cerebro seruentur, paralysis erit, siue resolutio dicenda.

Causa.

EXpendendum primò: *Vtrùm Paralysis ad obstructionem solùm, an ad omne morbi genus sequi possit?* Galenus *lib.* 2. *de caus. sympt. cap.* 2. Paralysim ad aliquem morbum sequi confirmat, dum sic ait: *Motus conuulsionis à solo morbo fit, immobilitati, quæ in paralysi reperitur, non dissimiliter, ipsa enim morbi occasione incidit*: & paulò infrà scribit: quòd *ea quies quæ in paralysi cernitur, à solo morbo fit.* Morbus autem, ad quem sequitur symptoma, quod paralysis dicitur, non vnicus, sed multiplex est, quem eleganter describit Galenus *lib. de caus. sympt. cit.* cùm inquit: *Ostendimus autem neruum, vel frigore densatum, vel crassis, & lentis humoribus obstructum, vel à quapiam extrinseca caussa pressum, in torporem, & paralysim adduci*, &c. Idem asseruit 1. *de caus. sympt. cap.* 5. Quòd *causa continens*, siue proxima *dicti symptomatis*, (quod dicit priuationẽ sensus & motus) *est talis in neruo affectus, cuius occasione, à principio* (hoc est cerebro) *ad ipsũ virtus animalis transmitti prohibetur.* Quare cùm plurimæ sint causæ, à quibus potest impediri descensus facultatis animalis ad sentientes partes, præter obstructionẽ, hæc etsi frequentissima, non erit vniuersalis. Neruus enim potest obstrui, comprimi, constipari, refrigerari, tumorem pati præter naturam, & diuisionem: Nam si nerui secundùm latitudinem diuidantur, partes quæ sunt infra diuisionem, facultatem animalem à cerebro non recipiunt, & resoluuntur. Deinde ab intemperie frigida & humida,

&

& à craſſis humoribus ſuborta, quæ ſpiritus animales incraſſat, ad motum ſenſúmque ineptos reddit. Quare paralyſis ad omne morbi genus in intemperie, deprauata conformatione, & ſoluta vnitate ſequi poteſt. An autem à calida, & ſicca nerui intemperie aliquando oriatur, cuius ratione ita neruus denſari poteſt, & diſponi, vt animalem facultatem non recipiat, reſpondimus affirmatiuè, *lib. 1. Hiſtor. Princip. Med. in com. hiſt. 46.*

Vtrùm à carnis intemperamento aliquando oriatur? pauci annotarunt. Ad ſenſus enim, motúſque peragendos non minùs requiritur carnis, aut cuiuſuis rei mouendæ aptitudo, & incolumitas; quàm mandantis cerebri, & deferentis nerui. Sed fieri poteſt vt capite, medulla dorſali, & neruo omnino illæſis, caro ita intemperetur, vt ſentire, & moueri nequeat. Ergo à carnis intemperamento poteſt etiam oriri paralyſis: & ex conſequenti, non eſt ſemper illius cauſa, nerui, aut medullæ dorſalis obſtructio à Galeno aſſignata. Confirmatur, quoniam ampla arteria ligata ſtupefit membrum. Rurſus ab aëris frigore ſtupidè nonnunquam dolet, torpidéque mouetur. Sed hoc non accidit, niſi refrigerata carne. Igitur, &c.

Dic. Poſſibile non videtur, quòd frigus ex continente, vel ex negato arteriali ſanguine accedens, priùs, imò magis in frigidum neruum non imprimatur, denſando, & obſtruendo, quàm in carnem multò calidiorē, frigoríque ipſi magis reſiſtētem. Atque adeò quamuis carnis aptitudo, præter facultatis acceſsū, neceſſaria ſit ad animales functiones, vix, aut nunquam potiùs continget, vt reſoluatur membrum, citra nerui, aut ſpinalis medullæ, aut cerebri affectum: imò quantúuis intemperetur caro, ſi læſio neruorum abſit, continget Paralyſis. Hoc manifeſtum ſit febrientium, & hydropicorum exemplo, quibus eximiè calent, frigéntque membra, ſine ſenſus & motus læſione. Ad hæc, ſi accedens facultas, temperamentum non eſt, ſed qualitas quædam ſuperior, cur à carnis intemperie prohibebitur, cúrue cerebro, & neruo incolumi non communicabitur illæſa? Quod ſi admittas, quomodo paralyticum, reſolutúmve dicitur membrum, vi & ſpiritu animali non priuatum.

Cauſæ inducentes Paralyſim variæ ſunt. Obſtructio, à qua frequentiùs oritur, à frigidis & craſſis humoribus concitatur, vel etiam à calidis, quilibet enim humor ſua mole obſtructionem efficere poteſt. Compreſſio neruorum ab aliquo fit tumore præter naturam, vel ab aliqua extrinſeca re comprimente, ſicuti à ligatura immodica, & luxatione, in oſſibus, quæ neruis vicina ſunt, vt *4. de loc. 3.* Galenus affirmat. Solutio continui, ob rem ſcindentem: quare ad vulnus in parte neruoſa inflictum, aliquando Paralyſis ſubſequi ſolet. Intemperies frigida huius ſæpe eſt cauſa, quod patet exemplo iter agentium per niuoſa loca ſub rigente bruma. Plures etiam poſt immodicum exercitium, aëri frigidiſſimo ſe exponentes, aut iuxta ripas fluuiorum, aut in locis frigidis & humidis decumbentes, in Paralyſim lapſi ſunt. Alij, reſoluto ſpiritu animali, potentiúſque animalibus debilioribus factis, ex vigiliis importunis, inedia, Venere immodica & intempeſtiua, in hoc ſe vitium præcipites dedere. Aliquando hanc præcedunt apoplexia, epilepſia, ſtupor, capitis grauitas, vertigo, dolor colicus, ſuffocatio, retentio alicuius vacuationis conſuetæ, & præſertim ex capite, victus infrigidans & humectans, & alia quæ craſſos ſuccos in corpore gignere conſueuerunt.

Signa.

PAralyſis vt cognoſcatur, plura ſigna neceſſaria non ſunt: facilè enim ex priuatione ſenſus & motus cognoſcitur, quæ in medierate corporis, vel aliqua determinata parte animaduertitur. Pars ergo quæ afficitur, Cerebrum eſt, non tamen ſecundùm ſe totum, alioquî Apoplexia gigneretur. Pars in paralyſi primò affecta cognoſcenda: ſi enim hoc à Medico ignoretur, rectè curari non poterit, vt docuit Galenus *3. de loc. cap. 10.* quod ab illis ſolùm agnoſcetur, qui in anatome fuerint exercitati, ex Gal. *1. de loc. cap. 6.*

Ad huius rei cognitionem aliqua adſunt ſigna, prolata à Galeno *loc. cit.* & *3. de loc. 6.* & *lib. 4. cap. 4.* Cerebrum ergo ſecundùm medietatem læſum oſtendit, ſi ſimul cum dextra, vel ſiniſtra parte corporis, partes quoque faciei lateris affecti etiam reſoluantur, & ſenſu motúque priuentur. Cæterùm ſi dempta facie medietas corporis reſoluatur, circa principium ſpinalis medullæ affectum conſiſtere coniicies. Quòd ſi omnia inferiora membra, dempta facie reſoluantur, eodem in loco, hoc eſt, in principio ſpinalis medullæ vitium adeſſe cognoſces; hæc enim omnium neruorum, qui ſub facie exiſtunt, eſt communis origo. Quòd ſi contingat, quandam duntaxat determinatam partem eſſe reſolutam, ea inueſtiganda erit, à qua pars illa reſoluta neruos recipit.

At vtile erit inueſtigare: *Vtrùm Galenus Paralyſim ab Apoplexia rectè diſtinxerit?* Quia ſi in omnibus corporis partibus, ſenſus & motus repentinè auferantur, principibus tantùm facultatibus ſeruatis, fiet Paralyſis, ſiue reſolutio. Atqui nerui omnes ſenſum, & motum deperdunt. Igitur *3. de loc. cit.* perperam Galenus in eo diſtinxit paralyſim ab apoplexia, quòd hæc virtutis animalis ablationem dicat in toto, illa in parte tantùm. Dic, neruos omnes alterius partis, ſenſum & motum amittere, & tunc concitari Paralyſim vnius lateris: quòd ſi vtriúſque partis reſoluantur omnes, tunc etiam excitari Paralyſim vniuerſalem; à qua in multis differre Apoplexiam eſt notiſſimum: cùm enim tunc non ſolùm ventriculi cerebri, ſed corpus ipſum omnino obſtruatur; nulla ad cæteros neruos via patet, & impedito ſpirituum animalium influxu ad omnes partes, adeſt repentina loquelæ, vociſque interceptio, vniuerſi corporis inſenſibilitas, immobilitáſque innoteſcit; & cùm facultates principes otientur, ægri clauſis oculis cadaueris inſtar decumbunt, à mortuis ſolo pulſu, & reſpiratione diſſidentes.

Præſagium.

PAralyſis ab humoribus frigidis, & humidis frequenter generatur: quare non rarò hyemis tempore inſoleſcit, & ſenes premit, ex Auic. *2. 3. tract. 1. cap. 2. ante fin.* In quibus vix, aut nunquam curari ſolet, ob ipſorum imbecillitatem, aut continuam pituitæ generationem. Deinde frequenter accidere ſolet, poſt ſolutam apoplexiam, tranſmiſſa pituitoſa materia ad partes neruoſas, vt *4. de loc. 1.* docuit Galenus. Aliquando etiam ad colicum ſubſequitur dolorem, ex Paulo *lib. 3. cap. 18.* Et poſt vteri ſtrangulationem, ex Auic. *2. 3. tract. 1. c. 2. in fin.* Humor enim pituitoſus ab inteſtinis, vel vtero, ad neruoſas partes tranſmittitur. Sic enim ait Auic. *Ad paralyſim præterea fit mutatio ex epilepſia, & apoplexia, & colica; & ex præfocatione matricis, & febribus tēporalibus, ſecundùm ſemitam criſis.* Febris ſuperueniens paralyſi ſummopere prodeſt, ex Hip. *2. prorrhet. 50.* Eius enim ope frigidi humores abſumuntur, craſſi extenuantur, lenti coquuntur. Inſanabilis eſt Paralyſis, quæ à neruorum diuiſione oritur, vt *cit. loc.* Paulus animaduertit: Licèt enim poſt diuiſionem partes nerui diuiſi multoties vniantur, cæterùm quia medio quodam veluti callo hoc præſtatur, fit vt per callum, ſubſtantiam nempe duram & ineptam, facultas animalis non poſſit communicari.

Vtrùm membrum paralyticum extenuetur? propoſuit Auicenn. *2. 1. tract. 1. cap. 2. in fin.* dum ſic ait:

Et quodcunque membrorum mollificatorum, & paralyticorum secundùm colorem reliqui corporis existens, non minoratur, neque extenuatur, est de quo maior habēda est fiducia, quàm illud, quod est diuersum ab hoc, &c. Quare maxima est curationis spes, si partes resolutione occupatæ, in colore, & extenuatione non mutentur: At contrarium si accidat, signum est quòd partes non solùm facultate animali sint orbatæ, sed quòd naturalis, & vitalis quodammodo deficiant, quia prohibita spirituum transmissione, resolutam particulam non nutriri, tabescere, & refrigerari est necesse: quia in particulis otiantibus excrementa assiduè congeruntur, à quorum mole innatus calor opprimitur, & suffocatur, & sic debilior factus faustam coctionem vix assequitur, quia vt doctè aduertit Galenus *lib. 3. de offic. medic. com. 32. in princip. Macies partium, plerunque vel ex diuturna quiete proficiscitur. Exercitio* enim *partes roborantur, otio langueſcunt, & extenuantur*, vt Celsus *lib. 1. cap. 1.* edocuit. Illud auget calorem, dilatat vias, excrementa resoluit, & reserando meatus, partes transpirat; contrà verò membra inexercitata & quieta, extenuantur, gracilescunt, redduntur inualida.

Quærunt etiam: *Vtrùm Paralysis dextra sit frequentior sinistrâ?* Plures putant dextram esse frequentiorem, quia sicut dextrum latus calidius est, sic rarius, porosius, & motuum latiorum. Sed calor materias attrahit ad partem, in qua excedit; viarum latitudo, raritas, & porositas ad susciendas humiditates fluentes mirum in modum faciunt. Igitur dextrum latus magis, & frequentiùs replebitur sinistro. Deinde licèt demus sinistrum, propterea quòd debilius est, magis aptum esse vt repleatur: vbi plenum fuerit, excutiet & propellet, non in se, tum quia plenum, tum quia se exonerare intendit: in dextrum igitur vacuum & inanitum; atque adeò ibidem fiet crebriùs resolutio.

Sed improbabilis est sententia hæc, & in quam eadem possunt retorqueri fundamenta, iisdémque mediis confutari: Nam si dextræ partes in animalibus omnibus, maximéque omnium in homine, sicciores sunt, & calidiores sinistris, ex Arist. *3. de partib. animal. cap. 4.* humido morbo rariùs corripiuntur. Cùm ergo Paralysis talis sit, rariùs continget in dextris. Deinde partes dextræ sunt robustiores sinistris, auctore Aristotele *31. sect. probl. 13.* Ergo multò magis resistent, difficiliúsque morbis succumbent, præsertim improportionali, etiam considerato temperamento. Tertiò. Strictus, angustúsque locus patior est, vt frequentiùs obstruatur. Sed læuis maior, ex maiori frigiditate, adest angustia meatuum. In his igitur erit frequentior obstructio: & per consequens Paralysis. Denique sicut pars debilior, magis apta dicitur ad susciendum, *3. Aph. 12.* ita & frequentior ad ægrotandum. Ergo, &c.

Nec adductæ rationes quicquam ponderis habent: Non enim calor in dextris neruis tantus est, vt attrahat, aut porositatē, raritatémque efficiat ad facilè susciendum, cùm adhuc frigidi nobiliter sint, densi, & spissi; etsi frigiditatem habeant magis moderatam, quàm sinistri. Si verò hi debiliores sint, cur frequentiùs non patientur, aut qua vi in robustiores se poterunt exonerare? Quare dubium non est, non modò resolutionem. sed & quamuis alium frigidum affectum frequentiùs in sinistro, quàm in dextro latere concitari.

Verùm hîc duo per transennam inquires: Primum: *Vtrùm possit fieri resolutio in vna medietate corporis tantùm?* quod admiratur Galenus *8. de vsu part cap. 10.* Videtur hoc ipsum difficile, siquidem dorsalis medulla indiuisa est. Auicenna autem ostendit possibile esse, *2. 3. cap. 2. Paralysis verò proprium est illud, quòd de mollificatione est commune vni duarum partium corporis in longitudine.* Idem patefacit Galenus *lib. 1. de loc. affect. cap. vlt.* *Accidit autem interdum, vt dextra tantùm pars ipsius spinæ afficiatur, altera omnino illæsa; aut è contrario, vt illa manente integrâ, sinistra affectum sustineat: Atque hac ratione nonnunquam tota pars sinistra resoluitur, dextra illæsa manente; nonnunquam è contra, dextra pars afficitur, & resoluitur.* Dic, ex explorata dissectione duplicem meatum spinalis medullæ commonstrari, interspecto medio partitum, non aliter quàm in cerebro: quod cùm sit diuisum, & fluxiones fiant maiori ex parte secundùm rectum, *6. epid. sect. 2. text. 12.* iccircò resolutio frequens medietatem exactam corporis corripit, illæsa reliqua; & quod plus est, accidit in vno latere amitti sensum, in alio verò motum, quod experientia satis confirmat.

Dubitabis: *Vtrùm Paralysis vnius lateris citiùs sanetur, quàm particularis membri?* Dic, hoc videtur non posse admitti: quia in vno latere copiosior humor imbibitur, quàm in vno solo membro: quare humor semel infixus, præ copia difficiliùs absumetur. Sed non implicat, quia maior amplitudo meatus adest dorsalis, quàm neruorum; quare citiùs excutitur humor. Solue secundò. Nam per dorsalem ad vnum latus, copiosior adest facultatis influxus ad partes inferas, quàm ad particularem, qui licèt denegatus sit, & præ obstructione impeditus, tamen sagax natura partes resolutas fouere intendit robore suo; & illa magis, quoad potest, est solicita de toto, quàm de parte: quare appositò semper conatu maiorem noxam resarcire satagit.

Quæri etiam solet: *Vtrùm Paralysis dextra sit periculosior sinistra?* Si enim est proportionalis sinistro lateri, & frequentior, vt diximus, minùs periculosa videtur, iuxta celebre dictum Hip. *2. Aph. 34.* Deinde minori lapsu incidit in obstructionem, vt duo morbosam, pars stricta & angusta, quàm laxa & porosa. Cùm igitur sinistrum latus angustiores habeat meatus; dextrum è contra, maior morbus erit obstructio, vt duo morbosa, in dextro, quàm in sinistro: & per consequens paralysis dextra periculosior censenda est. Ad hæc, cùm dextrum robustius sit, à validiori causa ægrotare necesse est, ac proinde deteriorem esse illius paralysim; non minùs ac quiuis alius affectus robustioris partis, dicitur periculosior. Peiortamen creditur, ac periculosior sinistra, dummodò periculi nomine, curationis tarditatem, & difficultatem intelligas.

Suadetur primò sic, iuxta memoratam Auic. sententiam, *2. 3. cap. 2.* vbi partis sinistræ tremor constituitur deterior: & similiter coxendicis dolor, *22. 3. tract. 2. cap. 34.* Sed nulla ratio est, cur idem de paralysi non asseratur. Igitur, &c. Secundò. Morbus licèt ex se non magnus, imò & alio minor, in virtute debili, magnus & grauior efficitur. Atqui in sinistro virtus est debilior. Igitur in eo fiet deterior morbus, quamtumuis proportionalis, vt palalysis. Maior constat ex eo: quoniam cùm morbi curatio à vi ipsa speretur, si debilis sit, aut serò, aut non vincit, imò sæpe succumbit; atque ideò morbus ingraueſcit, & periculosior euadit, quàm alius in virtute robustiore, alioquî maior. Hinc sæpe minor debiles interficit, cùm robustæ vires multò maiorem superent. Hinc catarrhi, tusses, Arthritides, grauedines, raucedines, demum & frigidi omnes morbi in senibus non sanantur, vel difficillimè, *2. Aph. 40.* etsi proportionales, & minores, quàm in iuuenibus.

Tertiò. Si Galeno standum est, qui textum Hippocratis restrinxit ad solos morbos intemperamenti, quasi solùm in illis improportio sit periculosior: proportio autem, & consensus in morbis compositionis, tantum abest, vt periculum minuat, quin potiùs augeat, inductus ex eiusdem Hip. serie, *1. epid. sect. 1. com. 18.* Manifestè colligitur, deteriorem esse in sinistro latere paralysim, cùm ea nihil aliud sit, quàm nerui obstructio, atque adeò organicus, compositionisve morbus.

Diximus peiorem esse, hoc est, difficiliùs curari, non verò simpliciter & absolutè periculosiorem; quia si vitæ periculum spectetur, & periculum affectuum in se, frigidi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 278 sur 927

gidi in dextro, vtpote improportionales, & maiores, periculum maius inducunt; minus, in ſiniſtro: licèt diutius & ſeriùs curentur, propter frigidum illius intemperamentum. Non eſt verò idem, eſſe periculoſum atque tardum & difficile curatu, vt teſtatur Galenus *in eit. Aph. com.* explicans illud: *grauedines, & rancedines, &c.* Quandoque tamen etiam vitæ periculo ſpectato, ob debilem virtutem, proportionales euadunt deteriores.

Nec obſtat adductus Aphoriſmus, qui vt veritatem obtineat, neceſſe eſt quòd proportionalis, & improportionalis affectus in virtute, & reliquis conueniant; diſſideántque ſolùm in eo penes quod comparantur: alioquî non modò ratione virtutis, ſed & ob alias interuenientes cauſas, poteſt cuadere periculoſior proportionalis, vt *lib. 3. Hiſt. Princip. Medic. in com. hiſt.* 31. agitauimus. His autem non aduerſantur rationes pro dextra paralyſi adductæ, vt contemplanti patebit.

Curatio.

AEr, apud Aurelianum, ſit lucidus, & mediocriter calidus; potiſſimùm maritimus, apud Paulum. Nauigatio plures morbos chronicos ſanat, partim quia ſiccat ob ſalem, partim quia vomitibus inanit. Aër valde calidus, vt thermarum, & immiſſio in aquam marinam, non approbantur à Paulo, niſi poſt dies triginta. Memorandum ex Meſuë, ne poſt eiuſmodi ſiccantia ſequatur aliquid humectans, vt ſomnus, cibus, potus; corpus enim exiccatum facilè rehumeſcit: quare commodè præcipit Trallianus, ne poſt vſum frictionum vehementium, ſtatim ſequantur extremarum partium lotiones.

Cibi poſt aliquot dies à proprietate commendantur, palumbi apud Auenzoarem, *lib. 1. tract. 9. cap. 11.* & *lib. 2. tract. 1. cap. 15.* Cocta item capita leporum, ex ipſo *lib. 1. tract. 10. cap. 4.* Aſſata extollunt Auicenna, Meſuë, & reliqui, qui caput galli magni, & nigri commendant. Haly mel cum nucibus laudat. Demum cibus ſit calefaciens, extenuans, exiccans.

Potus ſit aqua mulſa, vel decocta cum ſyluia, ſemine aniſi, aut cinnamomi. Pluuialis minimùm noxia, quia ſubtilis, citò reſolubilis, ex Auic. *2. 3. cap.* 12. Videtur verior cauſa, quia non eſt plurimùm frigida, nec flatulenta, eſt enim maximè dulcis, concocta, & calida, *lib. de aëre, loc. & aq. num. 4.* Quare maximè alit olera, & piſces, ex Ariſt. 8. *de Hiſt. animal.* 9. Videtur alia cauſa, quòd minùs tentet neruos, parum enim penetrat ob ſtipticitatem, ex Gal. 7. *ſec. loc. cap.* 2. quare medicamenta à corruptione tuetur, *6. epid. ſect. 4. com.* 18.

De potu vini diſſentiunt auctores: *Vtrùm in hoc affectu concedendum?* Auicenna 2. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. ſic reſpondet: *Et ſcias quòd aqua melior eſt ei, quàm vinum: Vinum enim materias in neruos penetrare facit, & plurimum quidem ipſius quandoque aceſcit in corporibus eorum, & fit acetum. Acetum verò eſt ex rebus, quæ neruis ſunt nocibiliores.* Priùs docuit Galenus 6. *Aph.* 28. §. *Nocet autem potus multorum, & fortium vinorum, præcipuè cùm aliquis ea ieiunus potauerit; hæc enim neruoſam ſubſtantiam promptiſſimè offendunt.* Probat etiam 3. *de temper. cap.* 2. dum ſic ait: *Sic igitur & vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci poſſit, tantum abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat: quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græcè caros, & comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones, & tetani immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium.* Ergo ſi ſuperfluus vini potus reſolutionem neruorum generat, modicus eam factam fouebit, & conſeruabit.

Cauſam proponit *lib. 5. Aph. com.* 5. inquiens: *Solet autem neruos facilè replere vinum, vtpote calidum temperamento; tale ſiquidem natura prompte penetrat omnia, præſertim ſi non ita craſſis partibus conſtet,* quia noxios ſuccos in articulos & neruos facilè defert. In hunc ſenſum Auic. 22. 3. *tract. 2. cap. 7. in affectibus articulorum vini potum reformidat, & eum non eſſe præbendum inculcat, quouſque ſanetur æger ſanatione vltima, & veniant ſuper eum quatuor tempora.* Ex altera parte Galeni eſt auctoritas, *lib. 5. Aph. cit.* monentis, vinum neruoſis partibus affectis poſſe ex vſu, quia ſua qualitate neruos calefacit & exiccat, & frigidas affectiones ſanat. Imò & ipſe Auic. *cap. de cura paralyſis*, ſic ait: *Vinum antiquum paucum confert ægritudinibus neruorum frigidis.*

Aliqui, vt medicamentum, concedunt; vt alimentum, negant. Triuialis ſolutio: Si enim abſolutè vt medicamentum reprobatur; id eſſe reprobum, vt alimentum, inficiabitur nemo. Alij in calida cauſa vituperaſſe auctores eius potum arbitrantur, ſecùs in frigida. Quæ ſolutio à mente auctorum eſt aliena valde: verborum enim ſeries palàm oſtendit, de frigidis neruorum affectibus, illam fuiſſe traditam ſententiam. Dic tu, vini vſum in affectibus neruorum, & articulorum, magis nocere quàm iuuare, præterquam in vera declinatione, & corpore exquiſitè purgato: tunc enim fluxio eſt ſedata, corpus ſufficienter expurgatum, ſuccorum decubitus repreſſus; quo tempore ſi offeratur, prodeſt, quia materiam reſiduam concoquit, calefacit, diſcutit, & magis ſi ſit pauciferum, & auſterum, non enim tentat caput, *lib. de bonit. & vit. ſuccor. c. vlt.* & 3. *acut. com.* 3. Craſſa enim dulcia, quia magis replent, magis lædunt, 6. 4. *ſum. 2. cap.* 31. Neque tenue, fuluum, & & vetus, cùm in pauca quantitate fuerit aſſumptum, reprobandum: & hoc modo Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 4. cap. 33.* illud in arthritide à pituitoſa fluxione propinare videtur.

Phlebotomia vtilis eſt, ex Aëtio *tetrab. 2. ſerm. 2. c. 28.* ſi ſanguis in cauſa fuerit, vel ſaltem cum peccante humore redundauerit. Neque verò hoc ſolùm, ſed vires, anni tempus, & cætera contemplanda, quæ in aliis affectibus frigidis ſunt animaduertenda, cùm venæ ſectio inſigniter refrigeret, & facultas ex grauitate ſuccorum crudorum eſt imbecilla. Quare Trallianus, vel etiam in ſanguinea parum detrahit, quia morbus eſt diuturnus, & humorum craſſorum adeſt copia multa, quæ ſanguinis calorem ad coctionem efflagitant. Celebranda eſt ex latere oppoſito, & ſaniori. Media incidatur, quæ plenitudini ex æquo reſpondeat.

At circa ſanguinis miſſionem tria ſunt dubia pulcherrima. Primum: *Vtrùm in Paralyſi cum febre coniuncta, priùs curanda ſit febris, quàm paralyſis?* Auicenna 4. 1. *cap. vlt.* ſic ait: *Sicut ſi coniungatur ſynochus, & paralyſis: medicamur enim ſynochum extinguendo, & phlebotomando, & de paralyſi non curabimus.* Et 2. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. ſic ait: *Et ſcias, quòd quando aggregantur paralyſis, & febris in aliquo, tunc oportet vt poſtponatur paralyſis, & ſyrupus acetoſus cum geleniabin eſt conueniens medicamen in illa hora.* Repetit 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *Et quandoque aſſociatur febri paralyſis. Ergo curetur febris inprimis, & de eis quæ conueniunt illis, eſt ſyrupus acetoſus permixtus cum geleniabin, & aqua ciceris cum oleo, ſi tolerat febris.*

Primum documentum explicabis hoc modo. Poſſe complicari febrem cum paralyſi, nouum non eſt, imò euentus eſt diuturno experimento confirmatus. Si enim in genere venoſo, ſanguinis, vel humoris pituitoſi cum ſanguine permixti adſit copia multa, & in neruoſo genere pituitoſus humor exuperet, qui tranſitum influxus animalis ad partes ſubiectas intercipiat, nonne tunc febris cum paralyſi coniungetur? Quæ ſi ſit acuta, & ardens, magis periculoſa erit, & curatu difficilis, quàm intermittens: in illa enim contrariæ adſunt indicationes, cùm febris, refrigerantia & humectantia expoſtulet, reſolutioni valde aduerſa. Vtcunque ſit, ſi febris cuiuſcunque generis ſit, cum paralyſi complicetur, tunc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 279 sur 927

præcipuè, & principaliter curetur febris, quia magis A vrget; hæc enim plurimos interficit, apud Hip. 1. *acut.* 8. §. *Maximè verò laudauero Medicum, qui in morbis acutis, vi quorum plurimi internecantur, insigniter præ cæteris melius procedat. Sunt autem acuti morbi, quos prisci nominatim perstrinxerunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, & quicunque alij hos insequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt.* Quia vt monuit Galenus, 2. *de dieb. decretor.* 12. morbus acutus, periculosus est: quod firmat etiam 2. *Aph.* 19. *Sunt autem acutissimi, maximi, & grauissimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre*, ex Hip. 1. *epid. sect.* 3. *text.* 3. Quia hi auctore Galeno *in com.* pauco tempore decernunt, & cum periculo sunt coniuncti. Si ergo cum febre hac paralysis sit coniuncta, illa priùs curetur extinguentibus, & euacuantibus, non tamen para- B lysis negligenda. Extinguentia autem à Barbaris vocantur, extinctoria, hoc est, potiones, & syrupi extinguentes, id est, mitigantes febrem, & eius ardorem lenientes. Tunc etiam solius febris habita ratione, phlebotomia necessaria est, & liberaliùs celebranda.

Secundi documenti hæc est explanatio vera. Si febris cum paralysi coniungatur, offeratur syrupus acetosus cum geleniabin: vbi per geleniabin intelligit mel rosatum colatum, de quo agit *lib. 5. fun. 1. tract. 7. in init.* De syrupo verò acetoso agit *eadem gianna, tract. 6. antecid. in initio*, & 1. 4. *tract. 2. cap. 9. post med.* Illius verò acetositas cuius causa neruis nocere potest, mellis rosacei permixtione corrigitur, ac emendatur. Aqua verò ciceris, hoc est, ius ciceris cum oleo conuenit, & C addit, si febris toleret: Febris enim intensio interdum est tanta, vt nec ius ciceris, nec mel rosaceum, nisi cum summo detrimento offerri possint; sed tunc aliis remediis frigidioribus vti oportet, quæ febris ardorem demulceant: quo sedato, ad paralysis curationem est accedendum.

Dubium secundum est: *Vtrùm in paralysi sequuta ad apoplexiam, è latere affecto, an sano, sanguis sit detrahendus?* Apoplexiam finiri in paralysim, frequentissimum est, & firmant Galenus, 4. *de loc. cap.* 2. Paulus *lib. 3. cap.* 18. Aëtius *tetrab. 2. serm. 2. cap.* 27. Conatur enim natura noxium humorem excutere, & hoc modo ad alterutrum latus eum demittit, & paralysis excitatur. Hoc tempore periti Medici consilium est, humorem ad partem resolutione tentatam detrudere, vt sic iuuetur natura, & cerebrum à sarcina liberetur. Hoc exe- D quuntur ingeniis multis, cucurbitulis scapulis impositis, vnguentis, emplastris, & fomentis. Sed inter ea sanguinis missio obtinet principatum. Si tamen eam ex ægra parte celebres, humorem conuocas, & affectum exasperas. Ergo à sana sanguis est detrahendus, quia sic reuellis à parte, & à cerebro humorem exhauris. At contrariam sententiam libenter in praxi amplector: Cùm enim totius curationis cardo versetur, vt naturæ motum Medicus insequatur, ex affecta parte aperta vena maiorem molietur vtilitatem. Neque timeas attractionem humoris, quia venæ sectio vacuat ex venis, non ex neruis. Dubium tertium est: *Vtrùm in paralysi ex retentis menstruis orta, vena in talo sit secanda?* E Immanes morbos ex suppressa menstrua purgatione & præsertim post partum exoriri, testis est Galenus, *lib. de ven. sect. aduersus Erasistratum, cap.* 5. dum sic ait: *Velim itaque audias veritatem ipsam, me præcone, tibi denunciantem, quòd mulier si probè expurgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumoniis capiatur; sed neque epilepsiæ, neque apoplexiæ obnoxia sit; aut spirationis, vel vocis ablatione ritè purgata vllo tempore infestetur. Num verò menstruis fluentibus, aut phrenitide, aut lethargo, aut conuulsionibus, vel tremoribus, rigoribúsue mulier aliquanda correpta est? Num etiam vel melancholia laborantem, aut mania vexatam, aut quæ ex thorace spueret, vel vo- meret ex ventre sanguinem, aut cephalæa laborantem, aut synanche præfocatam, aut aliquibus id genus magnis, & vehementibus affectibus impetitam, cui menses rectè excernerentur, quandoque conspexisti? Verùm his retentis eam cuilibet malo implicari facile est, húicque rursum euacuationes medentur, &c.*

Quòd si ex menstrua purgatione retenta hæc oriũtur damna, quantò magis ex partu, ex quo ob hanc causam sæuissima scaturiunt damna. Hoc confirmat Galenus *lib. 3. epid. sect. 3. com. 73.* dum sic inquit: *Quippe menstruorum suppressio offendit, tamen non perinde ac si à partu supprimantur, officit, quòd non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem.* Repetit 1. *epid. sect. 3. com. 21.* & 3. *prorrhet.* 48. Demum tot excitantur morbi, quot sunt partes, in quas menstruus sanguis retentus retrocedit: Vterus enim cum omnibus corporis partibus summum obtinet consensum, & omnium muliebrium morborum causa est, apud Hip. *lib. de loc. in hom. num.* 59.

Quare si ad genus neruosum menstrua recurrant, concitatur paralysis, cui malo ex hac occasione prognato, sanguinis missio ex talo est præstantissima, quia venas exhaurit, successione quadam neruos inanit, & naturam irritat, vt ad suam originem humorem peccantem detrudat, & maximè si complicetur febris. Neque timeas humoris attractionem ad partem resolutam: Nam partes resolutæ non sunt primariò affectæ, sed cerebrum, & genus neruosum, cum quo vterus maximam habet sympathiam & cognationem. Quare si copia demat, sciſſis venis tali, ad suam originem retrahitur sanguis, & causa morbi foràs elliditur.

Facta venæ sectione, debet præparari humor ad expurgationem: & licèt humor difficilis coctionis, diuturna, & valida purgatione indigeat, tamen quando humor hic ob longinquitatem, vt in neruis, vel ob crassitiem, vt melancholia, vel lentorem, vt pituita, vix potest concoqui, vel euacuari, tutius est à fortibus abstinere medicamentis: Ea enim si exhibeas, virtus resoluitur, & absumitur tenuis pars humoris, lapidescente reliqua, & humor iam motus valida agitatione remediorum, in neruis magis impingitur. Quare à mitioribus exordiendum, præsertim in primis diebus. Præparetur ergo in initio hoc modo.

℞. *Rhodomel. syrup. de stœchad. simplican.* ℥ j. *aq. saluiæ, aquæ betonicæ, an.* ℥ j. ß. Misce.

Deinde purgetur humor cum pilulis de hiera, cochiis, aureis, vel electuario Indo, aut Diaphœnico. Et facta leui expurgatione, iterum cum fortioribus præparetur, vt v. g. cum hoc decocto.

℞. *Rutæ, stœchad. calaminth. pulegij, betonic. origani, hyssopi, costi, iuæ, maioranæ, meliss. bugloss. an.* ℥ ij. *radic. acori, apij, petroselini, cappar. cyperi, an.* ℥ j. *flor. roris marini, flor. bugloss. flor. borragin. flor. saluiæ, an.* ʒ j. ß. Coquantur omnia in sufficienti aq. quantitate, ad tertiæ partis consumptionem. Adde, *Mellis optimi, desumati* ℥ vj. Bulliant omnia parum, & seruentur vsui.

Huius decocti quolibet die manè, ieiuno ventriculo, sumantur vnciæ sex, spatio octo, aut decem dierum: & bibatur ita calidum, vt ventriculum ad vomitum non exciter, & desuper dormiat æger. Eodem decocto vtendum est ad syrupi formam redacto: assumi debent vnciæ binæ cum tribus aquæ mulsæ, vel distillationis betonicæ, & saluiæ, & ita sensim, ac sine sensu incipienda curatio est. Ita obseruauit Galenus *lib. 1. sec. loc. cap. de Alopecia.* Quo loco medicamentum exhibuit purgans per cochias pilulas, secundò per hieræ valentioris drachmas tres, tertiò per eiusdem drachmas quinque. Quantum interuallum interponendum sit purgationibus, explicuit Auenzoar *lib. 1. tract. 9. cap. 19.* dicens, quiescendum esse pro numero deiectionum. Galenus 1. *local. cit.* interponit dies tres. Rhasis interponit dies

septem,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 280 sur 927

ſeptem *lib. 1. contin. cap.* 20. Erit ergo coniecturale interuallum, quantum roborare vim imbecillem neruorum ſatis ſit.

Rectè vacuato corpore, oportet vt cerebrum per particulares purgationes vacuetur. Commendat Meſuë *cap. de vniuerſalibus morbis neruorum*, vt in morbo occipitis citiùs adhibeantur ſternutatoria, & errhina, quia magis diuertunt, quàm gargariſmata, & maſticatoria; in morbis autem ſincipitis, è contrario. Haly *cap. de paralyſi*, ſtatim poſt primam purgationem adhibet gargariſmata; ſternutatoria autem nonniſi poſt multas, licèt locus potiſſimùm affectus, ſit occiput, 2. 3. *cap.* 2. Dic: timet ſternutatoria propter agitationem.

De topicis parti reſolutæ admouendis, Auenzoar ſic determinat, *lib. 1. tract.* 10. *cap.* 9. refertque ob imbecillitatem neruorum, non eſſe applicanda valde calida, nec tranſeundum ſecundum gradum, & permiſcenda eſſe aromata ad roborandos neruos. Haly, ſi tempus eſt æſtas, vel æger non iuuatur à calidis, hæc eſſe cauenda intus, & extrà. Auicenna *cap.* 4. *in fin.* dixit, in declinatione oportere, vt miſceatur aliquid aſtringentium, ne facilè recidiuet. Paulus *loco cit.* confidit miti remedio ex artemiſia, & nepita. Omnibus commendatum eſt vulpinum oleum: & licèt Serapio *cap. de paralyſi*, in principio poſſe admoueri arbitretur, tamen Auic. 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. præcipit adhiberi in declinatione, quæ ex profundo attrahunt, quale eſſe oleum vulpinum, teſtatur Galenus *lib.* 11. *ſimpl. cap.* Cætera olea etiam optima ſunt, vt caſtorei, lumbricor. rutæ, camomil. Deinde ad valentiora accedendum.

℞. *Olei de caſtor. olei euphorb. ol. hypericon. de coſto, aniſi, terebinth. de piperib. vulpin. an. partes æquales aq. vitæ, ad pondus omnium.*

Et poſt vnctionem deſuper ponatur lana non lota, ſuffumigata cum pyrethro, thure, calamo aromatico, & ligno aloës.

Balneæ ex aqua calida, optima ſunt, in qua priùs coquantur Chamæmelum, Anethum, Melilotus, flœchas, roſmarinus, ſaluia, Betonica, Herba paralyſis, ſemen aniſi, cinnamomum, ſerpillum, Calamenthum, Pulegium. Balneum ex aqua vitis vtiliſſimum. Balnea ſulphurea, præſtantiſſima, quorum ope humores frigidi & humidi coquuntur, vacuantur, & partes neruoſæ, quæ erant relaxatæ, exiccantur & roborantur. Proſunt mirificè ſudores, prolecti decocto radicis chinarum, Ebeni, aut ſimilacis aſperæ.

Roborant cerebrum, & neruos Theriaca, Mithridatium, Diamoſchum dulce, Conſerua ſtœchados, & anthos. Vel ſimilis.

℞. *Theriac. magnæ, mithridatij, an.* ʒ iij. *conſeruæ radic. acori, conſeruæ zingiber. conſeruæ anthos, conſeruæ ſtœchados, conſeruæ flor. ſaluiæ, an.* ʒ j. *confect. Alkermes,* ʒ ij. *ſpecier. diamoſchi dulcis, aromatic. roſati, diagalang. diacinnamomi, dianiſi, an.* ʒ j. ß. *radic. pæoniæ maris,* ʒ ij. *ſem. aniſi, ſem. fœnicul. an.* ʒ j. *radicis chin.* ʒ iij. *radic. ſmilac. aſper.* ʒ ij. Omnia in tenuiſſimum puluerem redigantur, & excipiantur cum ſyrupo de corticibus citri, & melle roſaceo, & fiat Conſerua.

Quòd ſi prædicta præſidia non ſufficiant, conſultiſſimum eſt cauteria actualia, aut potentialia in parte poſteriore capitis excitare, vt frigidi humores abſumantur, roboretur cerebrum, & calefiat. Hoc auxilium ſummè approbat Aërius, *tetrab. 2. ſerm. 2. cap.* 28. dum ſic ait: *Ego etiam cruſtas inurere non dubitauerim, per ignem, aut per medicamentum: vnam quidem circa occipitis cauitatem, quo loco ſpinalis medulla initium habet; duas autem ab vtraque ipſius parte: tres, aut quatuor in vertice; vnam ex his in medio capitis, tres circum ipſam: vlceribus enim diutius fluidis permanentibus, non deſpero futuram reſtitutionem.* Demum ſi paralyſis oriatur ex luxatione vertebrarum, curabitur extenſione, repoſitione, deligatione, collocatione: pro quo opere conſulendus expertus Chirurgus. Quæ autem ſint luxationum differentiæ, & quæ magis periculoſa, lege *lib. 2. cap. 2. de Angina.*

OBSERVATIO.

PRo paralyſi vnguentum admirandum, cunctis neruorum frigidis affectibus omnium longè efficaciſſimum.

℞. *Sucti ſcillæ,* ʒ iv. *ſucci cucumeris ſilueſtris, ſucci rutæ, an.* ʒ j. *euphorb. caſtorei, ſagapeni, ammoniac. bdellij in aceto diſſolutorum, an.* ʒ j. ß. *myrrhæ, thuris, Pyrethri, nitri, an.* ʒ j. *olei ſambucin. olei terebinth. olei euphorb. an.* ʒ ß. Pulueriſentur ſubtiliter puluerizanda, & cum cera fiat vnguentum.

OBSERVATIO.

Pro curanda reſolutione, pilulæ eximiæ.

SI cætera non proſint præſidia, vel aliquæ humoris reliquiæ ſuperſint expurgandæ, vtiliſſimum eſt ex interuallis, drachmam vnam, aut ſcrupulos duos Pilularum ſequentium media nocte aſſumere: nam cerebrum, & neruos confirmant, craſſos coquunt ſuccos, flatus abſumunt, & clementer pituitam per aluum euacuant.

℞. *Aloës optim.* ʒ ij. *opopanacis, ſagapeni, ammoniac. bdellij, hermodactylor. an.* ʒ j. *ſucci cyclaminis, ſucci cucumeris agreſtis, an.* ϑ j. *piperis nigri, piperis longi, zingiber. an.* ʒ ß. *myrobalanor. chebulor.* ʒ j. *agarici elect.* ʒ j. ß. *ſcamnonij, turbith, rhab. an.* ʒ j. *ſpicæ, ſalis gemmæ, croci, mirrhæ, an.* ℈. vij. Infundantur in aceto, & omnia ſimul in puluerem redigantur, & cum ſucco caulium rubeorum fiat maſſa.

OBSERVATIO.

Ad reſolutionem, frigidóſque neruorum affectus, ſyrupus vtiliſsimus.

QVando reſolutio, cæteríque contumaces neruorum affectus, aliis auxiliis non ſuccumbunt; vel poſt celebratas vniuerſales vacuationes, humorum reliquias paulatim vacuare eſt in animo, hunc ſyrupum inter reliqua proficua remedia, primas obtinere, diutino vſu compertum habeo. Vtere diluculo, quantitate trium vnciarum, diſſoluatur cum aqua fœniculi, vel cum decoctione iuæ artheticæ, vel ſaluiæ, vel betonicæ.

℞. *Calamenth. abrotani, rutæ, betonicæ, polypodij, an.* ʒ j. *ſtœchad. rutæ, herbæ paralyſis, an.* ʒ ß. *radic. ſmilac. aſper. radic. chinæ, an.* ʒ j. *cortic. ligni ſancti,* ℔ ß. *folior. ſen.* ʒ ß. *ſem. carthami* ʒ iij. *epithym.* ʒ ß. *radic. bugloſſ. radic. borrag. radic. fœnicul. an.* ʒ j. *piperis nigri, macis, cinnam. nucis moſchat. pyrethri, an.* ϑ j. *hermodactylor.* ʒ ij. ß. Coquantur omnia in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ ij. in colatura infunde. *Agarici elect.* ʒ iij. *mechoac.* ʒ ß. *hermodactylor.* ʒ ij. ß. Colaturæ adde, *ſyrup. de ſtœchad. ſyrup. de ſenna, ſyrup. de polypod. an.* ʒ iij. Adde, *mellis, ſacchari, an. partes æquales.* Bulliant omnia ſecundùm artem, quouſque acquirant conſiſtentiam ſyrupi longi.

De Stupore.

STupor, qui etiam torpor à Latinis vocatur, ſymptoma tactus eſt, imminutus videlicet ſenſus, ex Galeno 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. Si verò ipſe 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. & Auer. 2. *collig.* 31. Stuporem inter depraua-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 281 sur 927

prauatos motus enumerant, deprauatæ actionis nomine intelligunt diminutam. Causæ sunt eæ, quæ efficiunt resolutionem, sed remissæ, & leniores. Galenus, 1. *de sympt. caus. cap.* 5, & 2 *de loc.* 2. esse insignem refrigerationem affirmat, quæ partibus, sensus & motus difficultatem inducit; ob quam causam ab eo rectissimè dictum est, *cit. de sympt. caus.* esse affectum ex sentiendi, & mouendi difficultate compositum. Differt tamen ab Hæmodia, quia hæc in dentibus duntaxat; ille verò in corpore toto, præcipuéque in artubus, extremísque corporis partibus contingit. Hæ enim partes à corde, & cerebro sunt remotæ, & desertæ à spiritibus facilè refrigerantur; & ad illas humores crassi confluunt præ grauitate sua, & obstruentes neruos, spirituum influxum intercipiunt.

Vtrum sola intemperies frigida humida, ad Stuporis generationem concurrat? dubium est. Gal. 2. *loc. cap.* 2. affirmatiuè respondet. Auerrhoës negat *cit. loc. collig.* qui impossibile non iudicat, interdum fieri ab intemperie calida, aliquando à sicca. Primò, quia omnis motus fit à temperie: Igitur ab omni intemperie vitiabitur. Deinde senes cùm sicci sint, facilè in stuporem incurrunt. Dic, temperiem, causam esse effectricem motus, vti mensura est caloris; quæ si deficiat, motum quoque deficere est necesse; si redundet, fieri motus deprauationem, non torporem, aut diminutum motum. Senes torpent ob frigiditatem, facultatis langorem, & præ frigore facultates habent consopitas valde.

Astrictio verò, compressio, seu condensatio ideò stuporem inducit, quia spirituum & facultatis transitum impedit. Vnde si multa sit, integráque obstructio, sequitur ex toto, sensus motúsque deperditio, nec pars ita affecta se mouere tentat, quia nequaquam potest. Quòd si non omnimoda fiat obstructio partis, spiritus quidem commeat, sed quia non in solita, sufficientíque quantitate, torpidè quidem fit sensus, & multò magis segniter motus, & is quidem cum dolore; quia quando stupida pars motum aggreditur, vis ipsa mouendi, per angustas, & non satis (ob obstructiones) parentes neruorum cauitates, impetuosè spiritus detrudit: spirituum autem delatio si libera non est, & expedita, sed cum impetu & vehementia facta, dolorem stupidum efficit.

Verùm inquires: *Vtrùm torpedo, occulta an manifesta qualitate stuporem inducat?* Torpedinis marinæ contactu stuporem contrahi, testis est Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap.* 5. dum sic ait: *Sunt qui putent, res quasdam solo tactu per qualitatis vim, ea quæ ipsis vicina sunt, alterare posse; idque planè videri in marina torpedine aiunt, vtpote cui tam vehemens sit potentia, vt per piscatoris tridentem, transmissa ad manum alteratione, totam reddat repentè torpidam.* Hanc enim si pede, vel manu palpes, vel leuissimè, totus contremisces, & fies stupidus, ita vt vix, aut nunquam partibus torpidis sensum restituas, etsi lotionibus, & vnguentis calidis diutius vtaris, prout plures experimento comprobarunt.

Non ergo frigida qualitate, sed ignota, & occulta hoc animal torporem inducit. Hoc significat apertè Arist. *lib. 9. de Histor. animal. cap.* 37. dicens. *Torpedo pisces quos appetit, afficit ea ipsa, quam suo in corpore continet facultate torpendi, atque ita tardos præ stupore capit, & vescitur. Abdit se in arena, & limo, tum pisces qui adnatantes obtorpuerunt, corripit, quam rem plerique à se conspectam retulerunt.* Transfert Plinius *lib. 9. cap.* 16. Sicut enim plura sunt animalia venenosa, quæ cum certis partibus antipathiam obtinent, & eas labefactant labe dira; sic torpedo ignota proprietate sensus mortificat, & extinguit. Similis vis creditur inesse ranis, ex quibus oleum componitur ad arthriticos, podagræque dolores ex caliditate prognatos, simul & ad somnum in febribus conciliandum, de quo Mesuë *in Antidotario, cap.* 4.

Signis facilè cognoscitur Stupor: Ægri enim illicò sentiunt in parte stupida formicationem, hoc est, formicarum morsum, vel aculeorum punctionem: Cùm enim in parte stupida, loco spirituum superfint vapores, si spiritus redire conentur ad loca stupefacta, inter ipsos & vapores fit conflictus quidam, qui formicationem hanc inducit. Deinde pondus sentitur in corpore toto.

De Præsagio, illud certum sit, Stuporem viam esse ad paralysim, si diu duret: id quod Galenus ait, 1. *de loc.* 2. & Arabes vnà confirmant. Vtrumque enim vitium ad neruos pertinet: & si parum obstruantur, stupor fit; sicut si maior sit obstructio, paralysis cõcitatur.

Sed maioris negotij est explicare. *Vtrùm Stupor sit propria neruorum passio?* Nam Arist. 3. *de hist. animal. cap.* 6. *Nullam partem stupore posse corripi, neruis orbatam asseuerat.* Sed vt arduum hoc dubium ventiletur, aduertendum est ex Gal. *loc. cit. de loc. affect.* Archigenem aliqua vtiliter protulisse de doloris speciebus, in eo tamen non parum erasse, quòd stupidum dolorem in neruis duntaxat fieri, atque adeò proprium esse illorum symptoma existimauerit. Aduersus quem disputat Galenus, triplici ratione munitus, quarum prima est. Stupor non solùm in neruis, sed in reliquis corporis partibus propter frigiditatem fieri solet. Ergo non est propria neruorum passio, siquidem solis non conuenit.

Si verò pro Archigene respondeas, reliquas partes nonnisi per neruos sensum obtinere, atq; adeò licèt refrigerari possint, non tamen sensu priuari, nisi ratione nerui; vnde & stupor, & stupidus dolor proprium manet neruorum symptoma. Insurgit Galenus, sequi ex eo non magis dolorem stupidum, quàm reliquas omnes dolorum species, dicendas esse neruorum proprias, cùm nullus dolor sine sensu fiat, imò sit quædam tristis sensatio, quæ neruis est peculiaris.

Secunda. Stupor, & dolor sub diuersis generibus collocantur. Igitur perperam enumerat stuporem inter doloris species, cùm illæ sint eiusdem rationis cum suo genere. Antecedens probatur, quoniam dolor de genere symptomatum est; stupor autem morbum dicit, non verò sensum, aut dolorem: Nam si ipsius etiam Hippocratis testimonio, 5. *Aph.* 28. *Mediocris stupor*, sensum hebetando, *dolorem soluit*, procul dubio stuporis nomen, nec sensum, nec dolorem importabit, aliàs à similibus destructio, & hebetatio fieret. Non est igitur dolor stupidus, simplex aliqua doloris species, sed frigida potiùs & dolorifica dispositio, id est, (non aliter ac inflammatum vlcus, de quo in *arte medica cap.* 92.) aggregatum quiddam ex dolore, & refrigeratione insigni: ad quam sequitur sensus, & motus difficultas: id quod stupor ipse significat, cùm medium quiddam sit, & via inter sanitatem, & paralysim, quam vehemens refrigeratio induxit, sicut & aliquando totalem infert membri mortificationem, vt nonnullis contigit, de quibus *lib. de diff. morbor. cap.* 5. meminit Galenus.

Tertia: Illud ipsum quod secunda confirmat. Nam genus ita in sua specie includitur, vt ab ea nunquam separetur. Sed non semper stupor habet annexum dolorem. Igitur non est numerandus inter doloris species. Minor ex eo constat: quia si pars aliqua, vel ob sui constrictionem, vel torpedinis contactum stupida, quiescat & otietur, dolore non infestatur, sed tantùm si moueri tentetur. His ergo putat Galenus euincere contra Archigenem, stupidum dolorem nec speciem vnam esse, nec proprium neruorum symptoma: ac proinde non posse neruum affectum indicare, sed tantùm frigidam quandam dispositionem, & dolorificam.

Cæterùm

Cæterùm non deſunt, quæ contra Galenum retorqueri, obtrudíque poſſint: & primùm. Non minùs in pulſatorio dolore ſtupor poteſt ad carnem, vel ad vaſa referri, quàm in ſtupido ſimpliciter. (Vtrobique enim ſtupor ipſe infrigidationem importat.) Sed *cap. 3. lib. 2. de loc.* de ſtupida pulſatione loquens: *Si ſtupidè*, inquit, *pulſet muſculus, ſcire licet diſpoſitionem in muſculi neruis conſiſtere.* Igitur ſibi contradicens, videtur *2. de loc. 2.* Archigenem reprehendere, eo quòd dixerit, ſtuporem eſſe propriam neruorum paſſionem: Maximè quòd improbabile videtur, poſſe carnem, aut cutem vſque adeò refrigerari, vt ſentiendi facultas minuatur, non refrigeretur autem neruus per carnem & cutem ſparſus, cùm illis ſit multò frigidior.

Auget verò probabilitatem & coniecturam, pati ſemper neceſſariò neruum, vbi dolor adeſt cum ſtupore, quoniam neruus dolens contrahitur: ad contractionem verò ſequitur denſatio; qua data licèt ſtupor ſit morbi ſpecies, non autem doloris, imò licèt diuerſas habeant rationes, non tollit hoc, poſſe ex dolore & ſtupore conſtitui quandam ſpeciem, ita vt ſtupor dolorem diuidat, & cum eo ſtupidum dolorem conſtituat, quantumuis dolor de ſtuporis eſſentia non ſit, nec illum ſemper comitetur, in quo ratio ſecunda, & tertia Galeni nitebatur: Genus enim ſecundùm eſſentiam ineſt ſpeciei, non autem differentiæ, quæ ipſum diuidit, ſicut nec differentia diuidens in genere eſſentiam: dolor autem ſtupidus inſeparabilem habet dolorem.

Quòd ſi adhuc pro Galeno quiſpiam contendat, non poſſe ex morbo, & ſymptomate vnam ſimplicem affectus ſpeciem conſtitui: Licèt illud apud Dialecticos verum ſit, Medicis tamen tanquam diuerſæ ſpecies meritò recipiũtur omnes dolorum varietates, quæ ab ægris proponuntur referuntúrque, ſiue illæ propriis generibus, maximéque propriis differentiis conſtent, ſiue non, dummodò illis locum, & affectum attingere poſſimus. Denique quomodo poſſibile eſt, vt moueri tentet pars, & ad motum ſequatur dolor, in his quibus pars ſtupefit propter conſtrictionem, & torpedinis contactum, quemadmodum in tertia ratione Galenus aſſumpſit? ſi enim tam exiguus ſpiritus commeat, vt nec ad ſenſum ſufficiat, nec ad motum, vnde cum dolore fit?

Nihilhominus tamen, quamuis negare non poſſimus, voluiſſe Galenum argutiorem ſe oſtendere Dialecticum, quàm Medico liceat: aduersùs Archigenem euincit, non eſſe ſtuporem propriam neruorum paſſionem, nec doloris ſpeciem, nec ex eo poſſe indicari neruos affectos. Nec verò obſtat, quòd *cap. 3. de loc.* ex ſtupore colligit neruos eſſe affectos, ac ſi proprium eſſet illorum ſymptoma: Nam ibi cùm ſtupidus fuiſſet ſimul, & pulſatorius dolor, non poterat ſtupor ad carnis, vel vaſorum refrigerationem referri, propter præſentem pulſationem, quæ partis calorem indicat. Quare neceſſe fuit, ex ſtupore arguere frigidi nerui dimidiam obſtructionem, illíque ſtuporem tribuere, non verò carni, aut vaſis, quamuis etiam alioquin ſtupefiant. Licèt verò præſens pulſatio calorem arguat in parte, non tollit rectè definiri ſtuporem per notabilem refrigerationem, quia etiam in caſu propoſito ea datur in neruo ſtupido.

Quòd ſi is quia frigidior, faciliùs quàm caro & cutis, poteſt infrigidari: nonnunquam tamen poteſt infrigidans cauſa, ad carnem, vel cutem tantùm accedere, atque adeò partes illas ſtupefacere: Vel ſi propter vicinitatem, neruum etiam infrigidet, & ſtupefaciat, non ideò ſtupor dici poterit neruorum proprius; ſicut nec etiam quantumuis neruus ſemper ad carnis, & membrorum dolorem dolens contrahatur, contractúſque denſetur, & ſtupefiat. Ac proinde rectè Galenus contra Archigenem obtinuit quod intendebat, non eſſe ſcilicet ſtuporem ad ſolos neruos referendum, quantumuis ab iis partes omnes ſenſum accipiant; nec dici poſſe doloris ſpeciem, cùm ſtupori, id eſt, inſigni refrigerationi dolor neceſſariò non inſit.

Quamuis autem concurſus ille, vel aggregatum ex dolore & ſtupore, ſemper habeat annexum dolorem, vnus tamen ſimplex affectus non eſt, ſed duo complicati, nempe frigidus ſimul, & dolorificus: vnde nec erit vna propria ſpecies alicuius vel ſymptomatis, vel morbi, ſed complexum quiddam ex vtroque; nec ſanè auctores de ſtupido dolore loquentes, vt Paulus *lib. 2. c. 4.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 100.* & reliqui, illius tanquam ſimplicis meminerunt. Ac proinde non videtur Dialectici leptologi arguendus Galenus, eo quòd non conceſſerit Archigeni, ſimplicem affectus ſpeciem appellare, id quod compoſitum, & multiplex erat: cùm Medici ſit vtroſque affectus diſcernere, & eos maximè qui ſeſe perpetuò non commitantur, & diuerſas aliquando curationes requirunt.

Ad vltimum. Torpor, cùm medium ſit inter ſanitatem, & paralyſim, non dicit omnimodam ſenſus, & motus ablationem, ſed potiùs vtriſuque difficultatem, *2. de loc. c. 3. & 1. de cauſ. ſympt. cap. 5.* Ac proinde nihil mirum, ſi torpida pars moueri tentet, imò & moueatur, licèt ſegniter, & difficulter.

Curatio. Stupor qui ſit à procatarctica cauſa, facilè curatur: Nam ſublata cauſa, ipſe aufertur. At cùm ſtupor ſit imperfecta paralyſis, ſi à cauſa interna ortum ducat, eadem illi, quæ paralyſi debetur curatio, ſed remiſſior: quare in eo præſidia clementiora, tam vniuerſalia, quàm particularia ſunt celebranda.

OBSERVATIO.

Stupor, cauterio curatus.

IVuenis quidam, robuſtus & fortis, crapulæ, gulæ, & otio nimis deditus, in dextræ partis validum adeò ſtuporem incidit, vt nî baculo fultus incederet, in terram rueret pronus. Cúmque metus eſſet, ne in paralyſim incideret, Medici varia præſidia miniſtrarunt. De horum genere ſunt purgationes iteratæ, fomenta, vnguenta roborantia, ſudorifica, & balnea naturalia. Sed cùm nihil proficeret, imò in pede toto, & brachio ſtupor ampliùs ingraueſceret, cũ frigiditate ſumma, hoc remedium mirificè profuit, cuius ope Peruani regni, & Africæ incolæ, refrigeratos, & toto corpore algidos, ſalubriter & ſine noxa perſanant: Nam partes torpidas, & veluti emortuas, nouaculis acutis candentibus, bis & ter, per interualla percutiunt, & ſcarificant; ex qua ſcarificatione ichores emanant, diſcutiuntur flatus, craſſi humores funduntur, meatus dilatantur, ſanguis cum calore attrahitur, & ſic roborantur partes. Vtere, quia ex ſe mirabilem ſemper præſtat vtilitatem.

De Oris tortura.

DIcitur hic affectus Oris tortura, à figura deprauata oris, quæ accidit in huiuſmodi affectu, & vocatur Conuulſio canina, ſumpta ſimilitudine à canibus, qui quando morſu minantur, os contorquent: at non ſolùm in hoc affectu os torquetur, ſed etiam oculus, naſus, & dimidium faciei. Quare ab Aëtio deſcribitur hoc modo. *Oris tortura nihil aliud eſt, quàm reſolutio muſculorum maxillarum, propter quam reſolutionem, os, naſus, oculus, & interdum tota altera pars faciei diſtorquetur.*

Cauſæ tum internæ, tum externæ, ſunt omnes quæ paralyſim concitant. Signis facilè cognoſcitur hoc malum, quia partes faciei videntur contortæ. Locus affectus mediatè eſt cerebrum, immediatè eſt muſculus,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 283 sur 927

lus, qui ab Anatomicis latus musculus appellatur. Sed Galenus hoc modo discernendos docet reliquarum facici partium affectus, *lib.4.de loc.affect.cap.2* Vbi enim vna tantùm, sensum, aut motum, vel vtrumque amittit, in ea solùm mali causa continetur, atque adeò proprius erit iudicandus affectus,& quidem similaris, aut instrumentalis, qui vel neruum ex tertia coniugatione transmissum occupat, vel particulã quandam ex componentibus affectam. Quòd si plures læsæ conspiciantur, considerandum est, num ex vno nernorum principio, aut pluribus,sensum motúmue pariter recipiant, vt ferè omnes faciei partes, quæ ex tertio neruorum pari, præter oculos,qui ex primo sensum, ex secundo motum sortiuntur; & linguam,cui aliunde etiam motus suppeditatur.

Si verò dextræ solùm, vel sinistræ faciei partes lædantur,certissimum est,neruũ ipsum primariò laborare: cerebrum verò ipsum, penes eam sui partem, vnde tertium oritur neruorũ par,si in vtroque faciei latere actiones deperdantur; nempe quia cùm cerebri partes continuæ inter se sint, vbi ipsum lædi contingit in vna coniugatione, vitium etiam infestat vicinam. Licèt verò vna & eadem coniugatio, prædictis faciei partibus, sensum & motum tribuat, neruorum tamen exortus, dextri,& sinistri, continui non sunt: atque ideò quamuis neruus ipse primariò afficiatur, si illæsa remaneat origo,non proinde dextræ simul, & sinistræ particulæ, motum & sensum amittent; cerebro autem affecto, non solùm ipsæ, sed & oculi, & aliæ etiam nonnunquam.

Adiungit demum Galenus 4. *de loc.2.*vbi musculus aliquis, siue per consensum, siue per proprietatem afficiatur, partem ex musculo affecto resolutam,hoc est, animali actione priuatam, in aduersam trahi: vt si labrum v.g. dextrum resoluatur, in sinistrum deflecti, intorquerique, & sic de cæteris. Quapropter in præsenti, ob repugnantes auctorum sententias, examinandum.

Vtrùm in Conuulsione canina pars ægra ad se sanam attrahat, aut è contra? Galenus *loc. cit.* & 3. *de loc.* 10. & *lib.de caus.morb.7.* profert apertè, Oris torturam vel ex paralysi, vel conuulsione musculorum faciei generari: & quòd quando fit ex paralysi,pars sana attrahat ad se ægram; in conuulsione autem, pars ægra trahat ad se sanam. Cuius euentus causa traditur à Galeno, affirmante musculos habere se tanquam equos; neruos autem tanquam habenas; animalem verò facultatem,tanquam aurigam,quæ equos mouet, & impellit: Partes autem in naturali situ, & figura, à musculis conseruantur: sic facies in figura recta à musculis continetur vtrinque contrahentibus. Si igitur eueniat vt musculi vnius lateris dissoluantur, faciem in alterum latus inclinare est necesse; quia à musculis illius lateris, vtpote potentioribus retrahitur, quod in habenis equorum experimur.

Quod verò pars resoluta ad sanam non attrahatur, contra Galenum ostenditur. Primò: quia sequeretur partem sanam contortam apparere, ex pondere resolutæ,si ad ipsam attrahatur. Sed illa quæ ægra est, & paralytica ob mollificationem, & laxitatem, suum situm immutat, & ipsamet intorquetur. Igitur, &c. Secundò.Oris tortura,ægritudo quædam est,& de genere instrumentalium. Ergo ea pars oris quæ contorta apparuerit, ipsamet diiudicanda est ægra, ac morbi causam in se continere: & ex consequenti, vbi tortura à resolutione oritur, aderit in parte resoluta, non in opposita sana, quemadmodum fit in ea quæ ab spasmo originem ducit. Tertiò. Si pars resoluta in aduersam sanam traheretur,& recta permaneret,esset dum membrum conatur moueri; quia tunc oppositus musculus contrahitur, & versus partem cui inest trahitur etiam paralytica, & tracta rectificatur, ducitúrque ad natiuum situm, à quo per sui relaxationem deflexerat. Sed licèt ita fieri demus, dum membrũ mouetur, eo quiescente trahetur, nec permanebit recta,cùm tamen toto ægritudinis tempore in eodem latere permaneat distorsio. Igitur,&c.

Quinimò tanta potest esse obstruentis humoris copia in resoluto latere, vt præ illius grauitate plus possit ad se versus trahendum, quàm opposita vis ex sani musculi actione. Ergo tunc potiùs sanæ ad ægram, quàm è conuerso fiet attractio: Vel saltem si par sit ægræ ex pondere,& sanæ à virtute momentum ad trahendum, in media quadam, & sana figura constituetur membrum, non inflectetur. Quare falsum videtur, apparere in paralytica tortura ad partem oppositam distrahi resolutam, & apparenti sanæ imponenda auxilia, quemadmodum contra Galenum putant Aëtius *tetrab. 2.serm.2.cap.*30.Auic. 2. 3. *cap.de tortura*, & alij.

Cæterùm meliùs cum Galeno Paulus *lib.3.suæ medic. cap.*18.vbi de paralysi agens,quæ in vnoquoque membro consistit: *In cynico*, inquit,*spasmo,hoc est,canina conuulsione, non eam maxillam quæ peruersa esse apparet, sed oppositam resolutione infestari.* Licèt scribat Aëtius,decipi qui ita arbitrantur, addens resolutæ parti adhibenda esse auxilia, non oppositæ; quod non inficiamur,quia cùm ægra sit ipsa resoluta,& vbi malum situm existit, quamuis recta & incolumis appareat, ei prouidendum, non sanæ, ad quam fit distractio, quæque manifestè torqueri conspicitur.

Quòd si Rhasius,Auicenna, & aliqui alij, applicitis in corrugata tortáque parte remediis, experimento testantur fuisse sanatam torturam: spasmosa fuit, non paralytica; vel si ex resolutione accidit,affecta etiam fuit pars altera faciei. Fieri enim potest, vt humor in motorios neruos vnius lateris decumbens, resolutionem ibidem faciat: in oppositò verò sensum tollat,superficiarios neruos sensui dicatos afficiens: quod significauit Auicenna,vbi *supra*, dicens,*partem faciei tortam sensu orbari.* Verùm illud,non vt perpetuum recipiẽdum, nam pars ex resolutione torta morbo vacat; aliquando, sed rarò ægra etiam est, simul cum resoluta: ac proinde tunc vtrique consulere oportet, præcipuè illi quæ sana & recta apparet,ac sine vitio figuræ deprehenditur, qualis est paralytica ipsa.

Nec oppositum cogunt opinari, rationes pro aduersa sententia adductæ: ad quarum primam negamus minorem; cùm enim resolutæ partis musculi obeundæ functioni idonei non sint, quomodo mouere poterunt, aut oppositam sanam ad se trahere, cuius accessu inflectatur, torqueatúrque? Quinimò cùm ipsius sanæ musculi nullo morbo impliciti existant, sed validi & potentes operari, necesse est ægram trahi, ac declinare ad sanam, & in hac deprauatam figuram demonstrari.

Ad secundam.Membrorum inuersiones,vitiáque figuræ, fiunt quandoque per se,seu,vt Gal.ait *cit.de caus. morbor.* primaria ratione,hoc est,per proprium affectum in parte existentem,cuius occasione figura deprauatur: aliquando per accidens,siue per consensum, nullo in torta parte affectu existente,qui deprauationis sit causa, cuiusmodi est Oris tortura ex resolutione; ac proinde nihil mirum, si in parte alioqui sana deprehendatur. Vbi tamen ex conuulsione oritur, contrarium omnino accidit; potiùs namque super ægram cadit, quia ad eam trahitur sana. Cùm enim in conuulsione, ægræ partis musculi à præternaturali causa validè contrahantur, consentiunt illi qui oppositæ sanæ inseruntur, simúlque cum ipsa trahuntur, & torquetur ægra, de quo Gal. 1. *de loc. & 4. citatis*, sed meliùs *cit.de caus. morb.*

Ad tertiam. Quandiu pars aliqua existit resoluta, in aduersam sanam sine intermissione distrahitur,seu membrum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 284 sur 927

brum moueri tentet, ſiue quieſcat; quia muſculo, cuius miniſterio trahitur, ineſt contrahi, non modò dum mouetur membrum, ſed & eo quieſcente, imò & dum muſculus ipſe quieſcit, & ſua actione priuatur; ſi enim ſcindatur in mortuo animali, illius partes colliguntur, retrahuntúrque, quamuis figura ex ea retractione longè diuerſa ſit à natiua: quare, &c. Poſſe verò grauitatem partis reſolutæ, alioqui debilioris, ſuperare tractionem ſanæ fortioris, & hanc potiùs ad illam, quàm è conuerſo aliquãdo trahi; vel propter vtriuſque æquabilitatem in trahendo, ſanæ videlicet, à virtute; ægræ, ab humore pariter in oppoſitum ſuo pondere trahente, in neutram fieri inuerſionem non negamus: ſed quia hoc rariſſimè accidit, nihil mirum ſi Galenus, priſcíque Medici id omiſerint.

Curatio eadem eſt cum curatione paralyſis, vt ſcribit Aurelianus *lib. 2. chron. cap. 2.* Sed aliqua hoc vitium habet remedia ſibi propria, quæ proponit Paulus *loc. cit.* Nempe vbi lingua reſoluta fuerit, venæ ipſius incidendæ ſunt. Cucurbitulæ mento admouendæ, & apophlegmatiſmis ex ſinapi vtendum eſt. Nucem myriſticam diligenter mandere, & ſputum prouocare, optimum eſt.

OBSERVATIO.

Ad Oris torturam, remedia ſalutifera.

NEruorum reſolutionibus, cunctíſque affectionibus frigidis, celerem, & validam calefactionem expoſtulantibus, nullum eſt præſtantius auxilium, & præſertim in ortis tortura, quàm ſuper partem affectam hoc lauacro, & vnguento ſæpiſſimè vti.

℞. *Radic. acori,* ℥ j. *radic. paoniæ,* ℥ ij. *betonicæ, ſampſuchi, meliſſæ, ſaluiæ, iuæ arthriticæ, chamædryos, chamepityos, primulæ veris, an. M.* j. *roris marini, flor. ſtœchad. an.* ℥ j. *alumin.* ʒ iij. *nitri,* ℥ ß. *ſulphuris viui tenuiſſimè pulueriſati,* ℥ j. *ſalis.* ℥ j. ß. Fiat omnium decoctio in ſufficienti aq. & vini generoſi quantitate, an. part. æquales, cola, ſerua.

Poſt ablutionem appone hoc Vnguentum neruoſis partibus, & toti faciei, labiis, & mento, cuius eſt vtilitas mira.

℞. *Saluiæ, maioranæ, an. M.* j. *flor. ſtœchad. flor. roris marini, an.* ʒ iij. *ligni aloës,* ℥ ij. *caryophyllor. cinnamom. galangæ, nucis moſchat. cubebar. pyrethri, an.* ʒ ij. *thuris, maſtich. an.* ℥ ß. *myrrhæ, caſtorei, an.* ℥ j. *baccar. lauri,* ʒ vj. *flor. lauri,* ℥ ß. *flor. lauendulæ, calami aromatici, acori, radic. valerian. an.* ʒ iij. Contunde omnia, repone in alembico, deſtillabit primò aqua, deinde oleum mellis modo: eo collecto, addes *Succi herbæ, paralyſis,* ℥ iij. *terebinthin. abietin.* ℥ iij. ß. Omnia bulliant, quouſque abſumatur ſuccus: Adde *olei aniſi,* ℥ ij. ß. *olei laurini, olei vulpini, an.* ℥ ij. *vnguenti aregon.* ℥ ß. *pinguedinis vrſi,* ℥ ß. *ſagapeni, opopanacis, an.* ℥ j. ß. *pulu. caſtor.* ʒ iij. *pulu. nucis moſchat. maſtich. ſaluiæ, ligni aloës, cinnamomi, an.* ʒ ß. Cum cera fiat Vnguentum.

De Gulæ Paralyſi.

GVla eſt via potus cibíque, *Aph. 17. & 4. de vſu part. cap. 5.* Neruoſa eſt in parte interna, & ſic ab iiſdem cauſis paralyſi afficitur. Et tunc ægrotantes cibaria, præſertim liquida nequeunt deuorare. Cúmque ea communiſſima ſit, primáque omnium via, qua ab ore ad ventriculum tanquam ad promptuarium quoddam, omni animali commune, fertur alimentum per ſingulas inde corporis partes diſtribuendum, ad reparationem eorum quæ continuò effluunt, non immeritò à veteribus Oeſophagi nomen obtinuit, *4. de vſu part. 5.* Quam partem duplici ſymptomatum genere infeſtari, altero, vt viam, cùm anguſtior fit illius meatus; altero, vt agens, vbi proprias actiones, deglutiendi ſcilicet, & vomendi perficere nequit, *lib. 5. de loc. cap. 5.* teſtatur Galenus.

Proximum his videtur, vt diſſeramus; *Vtrùm Gulæ paralyſi tentetur?* Quoniam Galenus *lib. 5. de cauſ. ſympt. cap. 2.* attractricis in ipſa facultatis tria eſſe ſymptomata aſſeuerat: Vel enim omnino cibos attrahere nequit, vocatúrque hoc ſymptoma reſolutio gulæ, Græcis dicta paralyſis; aut difficulter trahit cibos, appellatúrque ſymptoma iſtud, debilis tractio, fitque cùm gula incipit reſolui, nondum tamen planè reſoluta eſt; tertium ſymptoma, eſt deprauata tractio: De motibus autem deprauatis, *lib. de diff. ſympt. cap. 4.* egit eleganter Galenus, addens abolitam, vel diminutam tractricem ex gulæ reſolutione quandoque oriri. Sequitur Paulus *lib. 3. cap. 18. rubric. 4. §. Gutture autem reſoluto cucurbitulas mento agglutinabis, perungéſque medicamentis ex caſtoreo, ſagapeno, & liquore Parthico, &c.*

At dubitabis hoc modo: Quomodo gula paralyſi tentabitur, ſi hæc tantũ neruis conuenit, quibus gula caret? Præterea conſtat ex Galeno, *4. de vſu part. 5.* Attractionem œſophagi non neruorum, ſed rectarum potiùs fibrarum beneficio fieri. Ergo huius actionis læſio neruis parum commodè tribuetur. Nec dicas, cauſam reſolutionis gulæ, neruis qui ex ſexta cerebri coniugatione oriuntur, eſſe adſcribendam: quia nerui qui ad ventriculum deferuntur, non deglutitionis, ſed potiùs exquiſitioris ſenſus gratia creati ſunt.

Dic, Galenum tribuentem *loco cit. de cauſ. ſympt.* reſolutionem Gulæ, metaphoricè verbo paralyſis vſum fuiſſe. Neque obſtat huic doctrinæ Auicenna *1. 1. cap. vlt. & 16. 3. tract. 3. cap. 6.* inſinuans deglutitionem, etiam muſculorum, & animali ope peragi: quod colligitur ex Gal. *4. de loc. cap. 5.* vbi inter anginæ ſpecies retulit eam, in qua inflammati muſculi gulam circumdantes, vehementer deglutitionem impediunt: & firmat experimentum: nam & viſi ſunt quidam, qui ob reſolutionem eorum muſculorum, naturalibus facultatibus integris, ægrotarunt, alij perierunt; de qua reſolutione fit mentio apud Haly *9. theoric. cap. 24.* Vltimò confirmatur, quia tractrix naturalis ventriculi ſuo tempore operatur, & ceſſat, nempe cùm coctrix ſimul, & retentrix ſunt in operatione. Atqui etiam in media coctione, imò & in ipſo mouendi articulo, quo nihil minùs quàm tractionem ventriculus exequitur, vbi volumus, deuoramus. Igitur voluntati deglutitionem auferre nemo audebit. Non (inquam) obſtant hæc, quia licèt concedamus, deglutitionem partim pendere ex naturali facultate, partim ex animali, ac proinde motum quendam eſſe compoſitum; tamen quia Galenus *3. de cauſ. ſympt. cit.* tantùm tractricem conſiderat naturalem, ideò metaphoricè verbo paralyſis vtitur, quia facultas naturalis ſolis villis ſuas peragit functiones, non autem muſculis. Num verò deglutitio poſſit dici naturalis actio, *lib. 2. cap. 17. De diabete,* diſceptabimus.

Commodè annectenda hoc loco quæſtio eſt, ob ſuperiùs dicta: *Vtrùm deglutitio, muſculorum, vel œſophagi ope peragatur?* Primò. Deglutitio motus quidam eſt voluntarius, quo ingeſta ab ore pelluntur, pro arbitrio noſtro, in ventriculum, (quandiu ſiquidem libet alimentum in ore continemus, deuoramus vbi libet.) Atqui motui voluntario nonniſi muſculus præeſt. Ergo potiùs à ſubſtrato muſculo, quàm à gula fit deglutitio. Ergo gula non poteſt laborare, vt agens, ſed vt inſtrumentum.

Deinde cùm inter deglutiendum, alimentum deorſum per compreſſionem trudatur, potiùs expultricis, quàm tractricis opus videtur. Sed tunica exterior gulæ, circularium villorum contractione expulſioni inſeruit, *3. de natural. facult. 8.* Ergo perperam Galenus *5. de loc. cit.* & ſibi ipſi contradicens aſſeruit, perfici deglutitionem à gula, eáque interna, maximè cùm *cit.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 285 sur 927

de natural. facult. vtrique ſimul illud munus tribuerit. Quòd ſi demus, ambas vſui deglutiendi inſeruire, quomodo ſtabit cum eo, quod de externa ipſius gulæ membrana, 5. *de loc. cit.* docuit, (eam ſcilicet promouere expulſionem, quæ vomendo fit) ſi duorum contrariorum motuum idem agens eſſe non poteſt? Quinimò ſicut grauia ſponte, innata grauitate deſcendunt, nec vi aliqua trahente egent, cur ſua etiam alimenti grauitas non ſufficiet, vt ab ore in ventrem feratur, præſertim cùm aërem videamus, alioqui leuiſſimum, ſponte ſua ab excelſo loco deorſum ad pulmonem, cor, & arterias moueri, citra deferentis opem, neque enim ſolidum corpus eſt, quem ſuo adhæſu villi contracti trahant? Quare, &c.

Dic. Quamuis in degultitione operetur etiam muſculus ſupremam gulæ partem circumdans, (quicquid contradicant aliqui) non ille ſolùm agens eſt, ſed & œſophagus ipſe, cui potiſſimùm tribuitur; hic enim dum virtute ſua naturali tractrice eos villos contrahit, qui ſecundùm longitudinem protenduntur, deglutiendi opus facit, iuuante ſimul muſculo illo. Cùm verò in huiuſmodi motu non operetur ſola naturalis facultas, ſed & animalis, 1. 1. *doct. 6. cap. vlt.* & 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 1. Compoſitus quodámodo dicitur ex naturali, & voluntario, non ſecus quã feminis eiaculatio, & aliquãdo vrinæ excretio, cuius portio in pene relicta, ſphincteris contractione ſæpe propellitur, videlicet quiã circularis muſculus appoſitus meatui, ingredientis materiæ ingreſſum, vel egreſſum non prohibet, quin potiùs promouet per tempora.

Eſt verò tota deglutitio, quoddam tractionis opus, & à tunica etiam externa gulæ factum per oblongas fibras quibus tractiua ipſa naturalis ſuam actionem exercet. Quanquam negandum non videtur, quòd ſi ab ore contractio incipiat circularium villorum, ſaltem extimæ membranæ alimentum deorſum propellatur, atque adeò expultricis ope etiam deglutitio perficiatur, quicquid aliqui in tranſglutitione nequaquam operari expulſiuam ſibi perſuadeant.

Nec his, aut ſibiipſi aduerſatur Galenus, dum 5. *de loc. cit.* vnicuique membranæ ſuum vſum tribuit. 3. autem *de nat. facult.* ambarum vtrique applicat. Obiter enim *lib. de loc.* varios illarum vſus, & primarium tantùm cuiuſque expendit, non negans vtrique muneri ambas inſeruire; & dubium non eſt, poſſe diuerſarum fibrarum miniſterio, quin & iiſdem penes ordinem operis variè conſtitutis: Sufficit namque ad oppoſitos motus edendos, contrarietas in ſitu mouentium muſculorum, vel in ſitu corporis mouendi, licèt muſculi ipſi eodem operentur ſitu; denique vel in ordine operis partium villi moti. Quo pacto cùm extima gulæ membrana, orditur villorum circularium contractionem ab ore, deglutitioni inſeruit; vomitui, ſi ab orificio ventriculi. Quamuis autem aër ſine aliquo trahente ingrediatur, ne vacuum ſuccedat; nec arteriarum villi in eum per ſe ferantur, ſed in illarũ dilatationem, & pectoris muſculi in illius diſtentionem: non parum tamen faciunt ad aëris tractum, dum arteriarum motibus, & pectoris inſeruiunt, ad eos ſiquidem aëris ſequitur ingreſſus. Ex quibus ad quæſtionem propoſitam. Cognoſces hoc vitium, quia alimenta ægri tranſglutire nequeunt, præſertim liquida; quia vt deuorentur, maiori opus eſt compreſſione, qua caret gula reſoluta. Malum paralyſi finitimum, & iiſdem remediis curatur vniuerſalibus, & particularibus, & in gutture, & per totum collum applicitis.

De linguæ, veſicæ, inteſtini recti, & coli paralyſi.

COnſtat inter omnes, linguam inſtrumentum eſſe animalis, guſtui, & locutioni dicatam, ſimul eſſe tranſglutitionis adiutricem, *lib. finit. med. paulò poſt princip. de inſtrumento odoratus, cap. 2. 8. de vſu part.* 5, 1. *de cauſ. ſympt.* 4. 2. *de cauſ. pulſ.* 3. Auic. 6. 3. *tract.* 1. *cap.* 1. Auer. 2. *colleg.* 14. & aliis. Atque vt à ſaporibus alterari facilè poſſet, & omnium ſpecies facilè diſcerneret, eius ſubſtantiam raram, humidam, mollem, ac fungoſam fuiſſe creatam, *lib. finit. medic. & de inſt. odorat. cit. lib. introduct.* 11. & 3. *de alim. facult.* 5. Locutionis, & alterius muneris gratia, ad omnem partem facilè mobilem, ſtrictam in apice ad celeritatem, in radice latam ad firmitudinem, 11. *de vſu part.* 10. denique in motibus, & muſculis mirabilem, *lib. de fœt. format. cap.* 6. De quorum differentia, ortu, & proceſſu, *lib. de diſſect. muſculor. cap.* 14. & *de neruorum diſſectione, cap.* 8. ipſe fusè diſſeruit.

Cùm itaque duas potiſſimùm obtineat actiones, ſentiendi vnam, hoc eſt, guſtandi ſapores, mouendi alteram: duo neruorum genera, per quæ ſentiens, & mouens facultates commearent, linguæ ipſi natura inſeruit; molle vnum, ex tertio pari neruorum à cerebro ortorum, 4. *de loc. affect. cap.* 2. & *lib. de diſſect. neruor. cap.* 5. quo non ſolùm guſtandi, ſed & tangendi ſenſus tranſmittitur; (vtrumque enim, & per eundem neruum natura participat) alterum durum à ſeptima neruorum coniugatione, 4. *de loc. cit.* & *de neruorum diſſect.* 8. quo varios illos motus eſſet habitura. Molles namque eſſe oportuit ſenſorios neruos, vt facilè paterentur; firmos & duros motorios, vtpote ad agendum deſtinatos, ex Gal. *lib. de inſt. odorat.* 8. & 11. *de vſu part. cit.* & 9. *cap.* 8. & 16. *cap.* 3. vbi de guſtatoriis

Porrò lingua nonnunquam læditur, affectis nimirum ipſius muſculis, aut neruis vim deferentibus; interdum circa guſtandi, ac tangendi ſenſum. Sed crebriùs quidem guſtum, quàm tactum amittere, 4. *de loc. cit.* Galenus confirmat, nempe quia licèt vtriuſque ſenſus actio, iiſdem in lingua perficiatur neruis, vis tamen exactior ad guſtum requiritur, ideóque remanente tactu poteſt deperdi, & frequentiùs, & faciliùs. Requiri autem ad guſtum facultatem perfectiorem, quàm ad tactum, ex natura obiectorum colligitur: Cùm enim ea quæ tenuia ſunt, & exigua, difficiliùs ſentiantur, ac proinde ſenſum exigant magis acutum, ac perſpicacem, tangibilia autem terrea ſint, & aliis ſenſibilibus craſſiora; ſapores aqueæ naturæ, atque adeò tenuioris: ſequitur maiorem vim eſſe neceſſariam ad percipiendos ſapores, ſufficere hebetem, obtuſam, & craſſam ad tactum, qualis ſui obiecti natura, *lib. de inſtrum. odorat.* 2. 7. *de placit.* 5. & alibi.

Hinc mirum non eſt, ſi frequenter accidat guſtu priuari linguam, tactu omnino illæſo; quemadmodum ſæpe contingit, motu deperdito, tactum guſtúmque ſeruari, & è conuerſo, guſtu tactúque amiſſo, remanere motum. Si enim anterior pars afficiatur, vnde tertia prodit coniugatio neruorum, qui ad linguam deferunt ſenſum, perit ille, & motus omni noxa vacat, ſin autem laboret poſterior, à qua ſeptimum par oritur neruorum, præſtantium motum, iis perditur, ſine tactus aut guſtus læſione.

Addit tamen Galenus 4. *de loc. cap.* 2. tota cerebri parte poſteriori affecta, dextrum, & ſiniſtrum verſus, periculum imminere Apoplexiæ, hoc eſt, vniuerſalis reſolutionis, ſeu ablationis facultatis animalis in toto; Paraplegiæ autem, id eſt, reſolutionis in vno tantùm latere, ſi dextra tantùm, vel ſiniſtra afficiatur. Verũ inde nullum reliquis faciei partibus accedet nocumentum, ſed linguæ tantùm, quippe quæ ſola inter ipſas, à poſteriori cerebri parte, cũ membris ſub capite conſtitutis, neruos recipit motorios, alios ab anteriori: ac proinde ad huius læſionem, omnes faciei partes præter linguã, ſentiendi, ac mouendi actionibus priuabuntur, ſecundũ totam, aut dimidiã ſui partem, prout mali cauſa anteriorem eam cerebri regionem occupauerit. Si enim

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 286 sur 927

plenitudo medietatem tantùm illius obſtruat, in ſola dimidia facie, ſenſus & motus deperdetur, incolumi manente ratione: In tota verò, quin & in vniuerſo corpore, ſi vtraque medietas anterior afficiatur. Compatitur enim tunc medius cerebri ventriculus, cúmque ab eo cerebrum ipſum recipiat ſpiritum ad principes functiones, neceſſe eſt eas deficere, & primum ipſum ſenſorium ligari; vnde ſequitur in toto ſenſus motúſque priuatio.

Ex his patet, neruos ſeptimæ coniugationis in linguam inſertos, obſtructóſque craſſo mucoſóque ſucco, facultatis animalis influxum impedire, & hoc modo paralyſim linguæ excitari. Hac correpti ſermonem non explicant, ex Celſo *lib.* 4. *cap.* 2. & quandoque aphoni fiunt. Vitium eſt periculoſum, paralyſis vniuerſalis, aut Apoplexiæ prænuntium: Cui pro ſui curatione, præterquam quòd ea expoſtulat auxilia, quæ *ſupra* in paralyſi proficua eſſe protulimus; peculiariter conuenit cucurbitula ſcarificata, occipitio & mento affixa. Vtilis eſt ſanguinis detractio ex venis ſub lingua. Prodeſt veſicatorium ceruici appoſitum. Iuuant vnguenta roborantia, deobſtruentia, parti poſteriori ceruicis, aut retrò aures admota. Optimæ ſunt colluſiones oris, primò molles, deinde acres, paratæ ex decocto ſaluiæ, maioranæ, betonicæ, herbæ paralyſis, Nucis Moſchatæ, lupinorum, & reliquis.

Veſicam reſolui, nouum non eſt: nam neruoſa eſt, & ex iiſdem cauſis in hoc vitium labitur ſæpe: quo oppreſſi incontinenter vrinam emittunt: nam muſculus veſicam claudens eſt laxatus totus. Proſunt vniuerſalia præſidia quæ per extremam regionem ipſa ſuſceptat, ſed potiſſimùm iniectionibus per ſyringem, paratis ex oleis, & decoctis calidis, & roborantibus. Sed quia ab iis timor eſt, ne vlcus ſuperueniat, præſtantiora ſunt ea, quæ extrinſecùs adminiſtrari ſolét auxilia.

Rectum etiam inteſtinum reſolutione tentatur, quando videlicet muſculi ani ob dictas cauſas paralyſi afficiuntur. Hoc morbo correpti, alui excrementa inuitè, & continuò excernunt. Præſidia optima ſunt, præter totius prouidentiam, ſuffumigia, fomenta, inſeſſus, ex herbis, & vnguentis ſæpius repetitis. Sed hæc affectio peculiare habet præſidium, ex cucurbitula oſſi ſacro adhibita: quo loco remedia eſſe admouenda, peritiſſimi practici docuerunt.

Penis variis de cauſis reſoluitur, ob natationem, refrigerationem, vel equitationem nimiam: vel quando ex defluxu humoris, ad muſculos quibus extéditur, delapſi, reſoluitur. Huic affectioni, præter generalia auxilia, vtilia ſunt fomenta, ac vnguenta, coli reſoluto applicita. Sudorifica ex Ebeno, & ſmilace aſpera, ſunt optima. Thermales aquæ, proficuæ, quarum luto totam inungere pubem, ſummopere præſtat. Vinacea huic vitio maximam opem præſtant. Inſeſſus, ex dictis decoctis calidis, & roborantibus, ſunt ſalutiferi.

OBSERVATIO.

Ad penis paralyſim, inſeſſus proficuus.

STudioſus quidam, calidiſſimo præditus temperamento, cùm ſat diu, deferueſcente æſtiuo calore, fluuium natando percurriſſet, & ab aqua exiens, Lunaribus radiis nudus exponeretur, & hoc viginti ferè dierum ſpatio effeciſſet, tandem virile velut inſenſile, & ſine motu remanſit, molle, flaccidum, ad veneris congreſſus inhabile, & torpidum factum. Huic plura vniuerſalia, & particularia ſunt oblata auxilia, quæ roborarent, calorem parti inderent, & flatus diſcuterent: ſed cùm nihil proficeret, ad hoc præſtans auxilium acceſſit, cuius ope omnino ſanus euaſit. Fuit autem inſeſſus duodecim dierum ſpatio dilúculo celebratus, qui in hunc modum parabatur.

℞. *Aquæ vitæ*, ℔. vj. *vini generoſi, lib.* v. Coque in his liquoribus, *ſaluiæ*, ℥ j. *flor. ſtœchad.* ℥ ij. *acori*, ℥ ij. *alumin.* ℥ v. *nitri*, ℥ iij. *ſulphur. viui*, ℥ ß. *rutæ*, M. j. ß. *Pulegij, thym. origani, an.* M. ß. *radicis acori*, ℥ iij. *cinnamomi*, ℥ ij. *balſami veri, vel artificialis*, ℥ iij. *olei de liquidambar*, ℥ ij. *olei deſtillationis terebinth.* ℥ j. ß. *caſtorei*, ℥ ij. Bulliant omnia ad conſumptionem lib. ij. Cola, & vtere.

CAPVT XI.

De Conuulſione.

Definitio.

INgenioſiſſimus Galenus *lib.* 3. *de loc. cap.* 5. vehementer coarguit ſui temporis Medicos, qui neruos motorios in conuulſione non affici affirmabant, cùm hæc affectio propria ſit neruorum, qui motui voluntario ſunt deſtinati. Rurſus in vniuerſali totius corporis conuulſione eam partem eſſe affectam, quæ veluti in arbore caudex ramorum. omnium neruorum origo exiſtit, ipſe eo loco confirmat, quam eſſe cerebrum, aut ſpinalem medullam palàm agnoſcit. Ac proinde vbi vniuerſum corpus conuellitur, ſpinam, omnium neruorem fontem infra faciem exiſtentium, affectam ſedem putandum eſt: ſimul autem & cerebrum, communiſſimam omnium originem, ſi cum toto corpore facies quoque conuulſa videatur. Denique ſi membrum aliquod conuellatur, ea ſpinæ pars affecta erit, vnde nerui ad ipſam peruenientes deducuntur. Omnes enim neruos, vel è cerebro, vel ſpinali medulla oriri, præterquam quòd ex anatomica diſſectione planè conſtat, ſatis confirmat exercitatiſſimorum Medicorum vſus, qui cerebro, & ſpinæ prouident in conuulſione, & paralyſi, aliiſque neruorum paſſionibus, de alio membro affecto nullatenus curantes.

Porrò licèt cognita, & manifeſta res ſit, in totius corporis conuulſione ſedem affectam eſſe ſpinalis medullæ initium, dummodò faciei partes incolumes, illæſæque ſeruentur; cerebrum autem, ſi vnà cum toto corpore faciei muſculi quoque conuellantur: demum & in particulari conuulſione, neruum aut muſculum, qui partis motioni deputatus eſt, 3. *de loc. cap.* 5. & 1. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* 5. *Aph.* 5. & innumeris aliis in locis: Non eſt tamen curaturo Medico in affecti loci, & generica affectus cognitione quieſcendum, ſed quod non ſemel admonuit, oportet ſedulò vlteriùs procedere, particularem affectionis eſſentiam, & cauſam indagando.

Quorum ſingula explicanda nobis ſunt, & in examen trahenda. Et quoad primum, ſuppoſito eo, quod & Archigeni, & omnibus in confeſſo eſt, conuulſionem ad partes neruoſas ſpectare, & non aliter fieri, quã illarum contractione, quod & indicat ipſum nomen: quemadmodum in voluntario motu, qui ſecundùm naturam fit, muſculus, cuius vna tantùm eſt operatio, nempe longitudinis ſuæ contractio, à voluntate in cerebro iuxta neruorum principium ordinata, vim per neruos ſuſcipiens, verſus ſuam originem contrahitur, ſecum trahens partes quibus inhæret: ita in conuulſione. Commune namque eſt ſanis pariter, & conuulſis, inquit Galenus *lib. de trem. cap. vlt.* tendi muſculos, & ad propria initia retrahi, corporiſque cui inhærent, partes ſecum trahere.

Verùm in ſtatu naturali contrahitur muſculus, motúmque exequitur pro imperantis voluntatis arbitrio; inuoluntariè autem in ſtatu conuulſiuo, & præternaturali. Quare 6. *Aph.* 39. definitur Conuulſio,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 287 sur 927

passio inuoluntaria ad similem venientibus neruosis partibus in ea dispositionem, quam in motibus secundùm voluntatem factis assumebant. Huic ferè similes definitiones tradit, *lib. definit. medic. ad med. 2. de cauſ. ſympt. 2. lib. de palpit. ac tremor. cap. 2. vlt. & 3. epid. ſect. 1. com. 4. & alibi*: nec diſſentit Auic. *2. 3. cap. 5. de ſpaſmo.*

Cæterùm vt euidentior fiat conuulſionis natura, quærendum: *Vtrùm definitio Conuulſionis à Galeno tradita ſit perfecta*? Nam eam pluribus ſubiici difficultatibus ſemper ſum arbitratus. Primò. Si Conuulſio eſſet paſſio, non numeraretur inter morbos, permanentéſque affectus. Atqui de horum genere eſt, vt conſtat ex adductis locis. Igitur, &c.

Secundò. Præternaturalis affectio, tanquam propria referenda eſt illi membro, ad quod ſanitas pertinebat. Sed voluntarius motus, qui ſecundùm naturam fit, muſculo auctori tribuitur, 1. *de placit. vlt.* Igitur Conuulſio, quæ motum dicit deprauatum & innaturalem, non neruorum, ſed muſculi affectio dicenda eſt, quo pacto ab ipſo Galeno nuncupatur, 3. *epid. cit. 7. Aph. 3. & lib. de optim. ſect. cap. 18.* Nec dixeris, appellari neruorum paſſionem, vel quia muſculis conuenit per neruos potiſſimùm conuelli, vel quia partium neruoſarum appellatione muſculi etiam comprehenduntur, *lib. 2. de loc. cap. 2. & 5. Aph. 1.* Nam præterquam quòd in ſanitate, ad motum voluntarium exequendum contrahitur; ita præternaturalis conuulſionis motus ad ipſum ligamentum principaliter referendus eſt. Non patitur Galenus ipſe 1. *de placit. 8. & 10.* neruos propriè appellari, niſi eos qui à cerebro & ſpinali oriuntur medulla, & hos *lib. 3. de loc. cap. 6.* non ſolùm propria, ſed omnium ſententia pronunciauit affici in conuulſione.

Quòd ſi adhuc contendas, Galenum, vbi de conuulſione loquitur, corpora neruoſa appellare partes, quibus voluntarij motus perficiuntur, ac proinde muſculos comprehendiſſe, nec negaſſe ad eos, tanquã propriam paſſionem pertinere, quin illud expreſsè aſſeruiſſe, *lib. definit. med. 2. & de cauſ. ſympt. & aliis adductis locis.* Arguitur rurſus: Nam nec ventriculus, muſculus eſt, nec eius oſtiolum, vt ipſe demonſtrat 3. *de cauſ. ſympt. cap. 2.* deinde nec vaſa vteri, nec quæuis alia. Atqui *lib. de diff. ſympt. cap. 4. 5. Aph. 4.* etiam Hip. teſtimonio *lib. 6. 39. 7. Aph. 3.* dixit ſingultum, quandam eſſe ventriculi conuulſionem, & *lib. 6. c. 5.* in hyſtericis fœminis vteri vaſa conuelli, & *alibi*, vaſa ſimpliciter. Igitur, &c.

Tertiò. Si dextra pars faciei v.g. reſoluatur, ſiniſtra intorquetur, & ad contrariam partem inuoluntariè retrahitur. Attamen ſiniſtra illa pars non poteſt conuulſa appellari, cùm præter naturalem affectionem non habeat. Inſufficienter ergo definitur Conuulſio, inuoluntaria paſſio, &c. ſeu motus deprauatus partium neruoſarum. Inſuper. In tremore, palpitatione, & rigore, muſculoſæ partes inuoluntariè mouentur. Sed quodlibet dictorum ſymptomatum à conuulſione maximè differt. Igitur, &c.

Quartò. Tetanus, vna eſt ex præcipuis conuulſionis ſpeciebus. Atqui in tetano partes neruoſæ ad ſimilem non perueniunt diſpoſitionem, quam in motibus ſecundùm naturam aſſumebant. Igitur, &c. Probatur minor: Nam in motu ſecundùm naturam muſculus contrahitur, ſimul & membrum cui inſertus eſt; in tetano autem extenſum omnino exiſtit, non ad partem aliquam retractum, 4. *Aph. 57.* Igitur.

Pro ſolutione primi, inueſtigandum: *Vtrùm conuulſio ſit morbus, vel ſymptoma*? Cùm in conuulſione, vt diximus, nõ aliter nerui muſculique à cauſa præternaturali contrahantur, quàm cùm ad motum ſecundùm naturam voluntatis arbitrio contrahuntur: & vt loquitur Galenus 2. *cauſ. ſympt. 2.* in eam diſpoſitionem ducantur, in quam cùm pro naturæ lege ſe habebant, ab animali virtute ducebantur: Tria poſſunt in conuulſione potiſſimùm conſiderari: Nempe ipſa inuoluntaria partium neruoſarum contractio, quæ actio quædam læſa, motúſque illegitimus; ipſius læſionis cauſa; demum & membri inuoluntariè contracti diſpoſitio, hoc eſt, forma & vitioſa figura.

Si primo modo ſumatur Conuulſio, ſymptoma eſt in genere motiuæ actionis læſæ, illiúſque deprauatæ, *lib. de diff. ſympt. cap. 3. lib. 2. de cauſ. ſympt. 1. & 2.* Non abolitæ, quoniam etſi conuulſum membrum quieſcat, nec modo aliquo poſſit in oppoſitum moueri, non dicitur tamen abolita, quamdiu muſculus contractus exiſtit; ſicut nec ablata motricis vis operatio, in ſtante homine, extenſo & immoto brachio, de quibus paulò pòſt. At verò ſi Conuulſionis nomine, ipſa deprauati motus cauſa intelligatur, morbus eſt, iſque intemperamenti, ſeu complexionalis: Organicus autem, vel compoſitionis, ſi tertio modo ſumatur; dummodò ipſa figura, malàve compoſitio, in facto ſit, & non fiens: aliter enim non morbus, aut conuulſio ſimpliciter, ſed potiùs conuulſiuus motus, & paſſio dicenda erit, quam appellationem ſortiuntur, quę in fieri ſuam eſſentiam habent, *lib. de diff. ſympt. cap. 1.* De ea autem quæ & nunc fit conuulſione, ſeu potiùs motu conuulſiuo loquens Galenus, 3. *epid. ſect. 1. com. 4. ad med.* dixit, *non eſſe permanentem affectum, qualis œdema, inflammatio, & ſcirrhus, ſed veluti quandam tranſeuntem paſſionem.* Vnde ad primam difficultatem dicendum: vel paſſionis nomine ſubaudiendam eſſe affectionem præter naturam; vel in illa definitione Galeni, ſolum motum conuulſiuum deſcribi.

Pro explicatione ſecundi, videndum: *Vtrùm Conuulſio ſolos ad neruos ſit referenda*? Quemadmodum muſculi neruorum interuentu mouent, ita & per illos conuelluntur; cúmque ex Galeni ſententia neruorum fibræ, vel neruus, ſit pars princeps in muſculo, præcipuúſque ſuæ contractionis auctor in motu arbitrario naturali, 1 2. *de vſu part. cap. 3.* Nerui etiam ratione muſculi dicentur conuelli, ac proinde videbatur ſatis conuulſionem per neruos definiſſe, quorum ratione muſculi principaliter conuelluntur; vel (vt rectè dicebatur) per neruoſas partes intelligendæ ſunt omnes, quibus motus volũtarius perficitur, muſculus, nerui, tendines, & ligamenta, quibus ille conſtat & integratur, 3. *de loc. 6. & 5. Aph. 1.* Licèt alibi neruum ſtrictiùs ſumens, à ligamento, & tendine ſeparauerit: ab illis enim poteſt contrahi muſculus inuoluntariè, & affici conuulſione, quæ illius, tanquam adæquati ſubiecti, propria paſſio nuncupatur. Nec verò ſtomachus, vterus, aut vaſa propriè conuelluntur; ſed ea ſimilitudine, qua contrahi, & extendi apta ſunt, dicuntur etiam veluti cõuelli. Nec ſingultus vera eſt conuulſio, vt colligitur ex Hip. *5. Aph. 4. & 6. 39. & 3. de cauſ. ſympt. 2.* Quòd ſi aliquando ſingultum vocauit conuulſionem, ex aliorum loquitur ſententia, vt conſtat ex *cap. 4. lib. de diff. ſympt.* Vel metaphoricè, & impropriè accipiendum eſt.

Pro explicatione tertij inueſtigandum: *Vtrùm ſub conuulſione, Oris tortura comprehendi poſſit*? Si paſſionis nomine, in adducta definitione, affectio præter naturam audiatur, per eam excluditur retractio muſculi reſoluto oppoſiti: vnde ſicut pars ſana non dicitur conuulſa, ita nec in definitione comprehenſa. Vel aliter reſponde: cùm nerui vtrique parti faciei inſerti, faciem ipſam rectam ſtare faciant, non aliter ac equi caput, æquales habenæ fræni, nihil mirum ſi ad dextræ partis conuulſionem, facies ſiniſtra affici, & ſaltem per conſenſum dicatur conuelli, de quo conuulſionis genere meminit Galenus, 5. *Aph. 5.* Atque ita & in definito, & in definitione comprehendi poteſt. Si verò integra & ſana maneat, nec modo aliquo afficiatur, num intorqueatur, & per voluntatem in ſe contrahatur, ſuprà *de Oris tortura* ſermonem fecimus.

Vtrùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 288 sur 927

Vtrùm tremor, palpitatio, & rigor, ſub conuulſione comprehendantur? dubitabis: Licèt enim motus praui ſint, illegitimi, & vitioſi, *lib. de diff. ſympt. cap. 3. & 2. de cauſ. ſympt. cap. 1.* & illi quidem etiam inſtrumentorum, quibus arbitrariæ motiones obeuntur, hoc eſt, muſculorum, *lib. de tremor. cap. 2. & 3. epid. ſect. 1. com. 4. poſt med.* Non omnes tamen ſimpliciter inuoluntariæ dicuntur, nec omnes partium ſolùm neruoſarum: ac proinde ſicut affectiones quædam ſunt longè diuerſæ à conuulſione, ita in eius definitione non comprehenduntur. Tremor enim, quamuis inter proprias voluntariæ functionis læſiones numeretur, *2. de cauſ. ſympt. 2.* & quandoque à Galeno appelletur motus præter voluntatem, *cit. lib. de tremor. cap. 5.* cùm tamen à ſola cauſa præternaturali, à qua tantùm oritur conuulſio, non fiat, ſed ab ipſa etiam virtute; motus ſimpliciter inuoluntarius non erit, ſed arbitrarius potiùs, licèt non ſecundùm naturam, *2. de cauſ. ſympt. lib. de tremor. & 5. epid. citatis.* Voluntas enim eſt etiam irritata, & coacta.

Rurſus pars tremens, cùm à pondere, cauſáue præternaturali deorſum vergit, non contrahitur, nec ad eam peruenit diſpoſitionem, quam in motu ſecundùm naturam aſſumebat: & ſic nec motus eſt conuulſiuus, minúſque adhuc propriè ſumpta conuulſio, quia firma non eſt, facta, & interrupta diſpoſitio. Palpitatio autem ſimiliter excludenda ab illis affectionibus, quæ propriè inuoluntariæ dicuntur, non ex eo quòd ſimul à virtute fiat, ſed quia etiam his accidat partibus, quæ voluntariè non mouentur, *cap. 5. de tremore.* Quare à conuulſionis definitione reiicitur, & quia affectio inuoluntaria non eſt, & quia nec partium neruoſarum. Denique Rigoris motus, quanquam inuitis omnino rigentibus fiat, *lib. de trem. cap. 6.* in eo tamen habet ingreſſum virtus puncta & ſtimulata, præter alia diſcrimina, quibus à conuulſione, & tremore diſtinguitur.

Illud etiam facit dubitationem maximam: *Vtrùm Conuulſio à paralyſi diſtinguatur*? Si enim ab iiſdem ferè cauſis paralyſis, & conuulſio in partibus neruoſis fiunt, quomodo in conuulſione muſculus dicetur contrahi, & moueri, licèt præternaturaliter & inuoluntariè; in paralyſi autem mollificari, & immobilitari, *2. de cauſ. ſympt. cap. 2.*

Dic: In mollificatione ſeu paralyſi, cauſa præternaturalis, vel debilitas, membrum ſegne facit & pigrum ad ſenſum & motum, quoniam obſtruendo neruorum meatus, prohibet ſpirituum acceſſum, quia fortè materia magis penetrat, magíſque imbibitur: In Conuulſione autem neruos replens, diſtrahi facit in latum, & in longum contrahi, ſi humor ſit; ſi verò arida intemperies, exiccans & conſumens, in cauſa etiam eſt vt in ſeſe contrahantur, nec poſſint inflecti.

Sed cur in ſpaſmo ex repletione, humor etiam non obſtruit, & laxat; & in paralyſi non contrahit, ſi vtrobique pariter repletur neruus, & in eo imbibitur humor? Reſpondent quidam, etiam in conuulſione obſtrui neruum à replente humore, non tamen vſque adeò, vt vi omni priuetur; ac proinde non laxari membrum, nec omnino impediri motú, ſed tantùm deprauari: in paralyſi autem quia integrè obſtruitur, & vi tota neruus priuatur; laxatur, non contrahitur, nec modo aliquo mouetur.

Cæterùm non ſatisfacit ratio. Primò quia vbi integra vis non deperditur, non accidit inuoluntaria illa, & permanens contractio, conuulſio inquam; ſed tantùm ſenſûs & motus diminutio, hoc eſt, ſtupor. Secundò, quia ſupponit, in conuulſione non à cauſa præternaturali tantùm, ſed à reſidua facultate contrahi neruum, quod omnino falſum eſt, & Galeni doctrinæ aduerſum, *3. de loc. cap. 6. & 2. de cauſ. ſympt. 2.*

Potiùs ergo dicendum, vel ex diuerſitate humoris influentis, vel ex modo quo neruum afficit, contingere, vt aut per conuulſionem contrahatur, aut per paralyſim laxetur; Nam ſi neruis imbibita illa materia nimis craſſa non ſit, ſed tenuis, taliſque vt magis humectet quàm repleat, mollificationem facit, laxationem, & paralyſim; contractionem verò & ſpaſmum, ſi dura, replens, & infarciens. Rurſus, ſi humor intra neruorum poros recipiatur, & repleat, quum penes latitudinem diſtendat, ampliorémque faciat neruum, neceſſe fit, vt ſecundùm longitudinem contrahatur. Si autem non tam repleat & diſtendat, quàm emollíat, fibras ipſas laxat & mollificat.

Species.

OFfert ſeſe agitanda hoc loco celebris quæſtio: *Vtrùm ſpecies Conuulſionis à Galeno aſſignatæ, ſolùm ſint admittendæ*? Nam ipſe in locis multis tres conuulſionis ſpecies enumerat, ex ſitu deprauato petitas, videlicet Emproſthotonum, id eſt, tenſionem ad anteriora; Opiſthotonum, id eſt, tenſionem ad poſteriora; & Tetanum, id eſt, æqualem tenſionem, quæ ad neutram partem inclinat. Repetit *lib. de diff. ſympt. cap. 3. & de tremor. & palpitat. cap. vlt.*

Sed hæc diuiſio pluribus ſubiicitur difficultatibus. Si enim in illas tres rectè diuideretur conuulſio facta, & perpetua, omnes corporis muſculi poſſent antrorſum, & retrorſum conuelli ſimul, & æqualiter ad partem vtramque, (oportet ſiquidem generalem conuulſionis diuiſionem, omnibus conuenire partibus, quæ voluntarij motus, & ſecundùm naturam facti ſunt inſtrumenta.) Atqui prædicta diuiſio ſolas capitis conuulſiones comprehendit. Igitur, &c.

Deinde. Non minùs membra, ſurſum & deorſum, dextrorſum ac ſiniſtrorſum, quàm antè & retrò voluntariè mouentur. Igitur ſecundùm illas locorum differentias poterunt conuelli, & ex conſequenti diminuta eſt prædicta diuiſio, deficiénſque in quatuor ſpeciebus. Præterea. Si conuulſio quædam eſt contractio, in tetano autem pars manet recta & diſtenta, nec modo aliquo contrahitur, quo iure tetanus, hoc eſt, diſtentio, inter conuulſionis ſpecies numeratur: cùm potiùs conuulſioni opponatur, quemadmodum putauit Auicenna *2. 3. cap. 8.* Nec dixeris membrum tetano correptum ideò ſtabile eſſe & rectum, nec in alteram partem flecti, quoniam muſculorum villi vtrinque contrahuntur, atque adeò duplici conuulſione tenetur, ex qua ipſa diſtentio componitur: Nam præterquam quòd non tam facilè, quàm frequenter fortè accidit tetanus, dantur duæ vndique æquales contractiones, quales omnino requiruntur, vt pars tenſa erectáque ſimul, & immobilis permaneat; quinimò nec videntur poſſe dari in capite, in cuius poſteriori parte cùm multo plures nerui quàm in anteriori ſint, maior fit contractio verſus illam, atque ita anterior ſemper ad poſteriorē curuabitur. Adde, quòd ſine aliqua villorum contractione rectè poteſt membrum ſtare, tenſum, firmum, & immobile, nempe ſi neruorum humiditates vſque adeò indurentur, congelentúrque, vt nequaquam cedant, nec modo aliquo patiantur villos contrahi. Denique ſi conuulſio à voluntario motu ſola voluntatis abſentia differt, vt docet Galenus *6. Aph. 39.* & vt brachium v. g. diſtendatur, vna ſufficit externi muſculi imperata contractio, cur ad inuoluntariam diſtentionem vna etiam non ſufficiet à cauſa præternaturali facta?

Dic. Omnibus membris communes ſunt propoſitæ conuulſionis ſpecies, omniáque ſunt apta ſecundùm illas conuelli, & in tradita quidem diuiſione ſecatur omnium partium conuulſio in dictas tres: quoniam tamen in capite manifeſtiùs fiunt, ab eo eliciuntur exempla. Subtricuit autem Galenus conuulſionis differentias ad ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, vel quia propter ſitum neruorum, & ortum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 289 sur 927

©BIUM

ipsorum à cerebro, possibile non est secundùm eos modos corpus conuelli; vel quia rarum est, & difficillimum: de frequentibus verò, non de rarò contingentibus traduntur doctrinæ.

Sed inquiret hoc loco quispiam Hippocraticæ sectæ studiosus, cur rari sunt huiusmodi casus? Quoniam frequens etiam non est, nec necesse iuxta illas differentias, corporis nostri partes naturaliter moueri: proportionales autem morbi, id est, naturæ & consuetudini similes, solent esse propensiores, 2. *Aph.* 29. & 3. *Aph. lib.* passim. Facit etiam ad raritatem cuentus, quia vt caput v. g. ad dextrum inclinet, oportet internum musculum dextrum simul cum dextro interno conuelli; quod rarissimum est, quoniam conuellentes causæ, sicut & morbificæ omnes, loca inter se magis propinqua, magisque communicantia maiori ex parte occupant.

Vtrum autem Tetanus sit vera conuulsionis species? plures dubitarunt. At omissis aliorum sententiis respondendum est cum Galeno affirmatiuè, cùm sit conuulsio ex duplici contractione composita, ratione cuius membrum in neutram partem inclinat, sed stabile distentúmque manet, 4. *Aph.* 57. Nam si materia replens interni musculi villos, contrahit ipsos, & conuellit, cur æqualis humoris portio externos pariter occupans etiam non conuellet? Sed ex mutua hac vndique, & æquali villorum contractione membrum in nullam partem potest inflecti: remanebit igitur tensum & rectum, & duplici conuulsione tetanus constabit.

Deinde libera, & secundùm naturam distentio, in eo solùm, quòd secundùm volùtatem fiat, à conuulsiua & morbosa differt. Sed in distentione voluntaria, etiam quiescente homine, nec flexo, sic & in quouis membro datur voluntaria virtutis motricis actio, nempe musculi contractio. Hæc ergo similiter dabitur in morbosa, & præternaturali distẽtione distentæ & immobilis partis. Cúmque membrũ necessariò inflectatur versus vnam contractionem, vt distentum & rectum maneat, duæ omnino vtrinque requiruntur, & eæ quidem æquales: aliàs enim non fiet distentio, sed curuatio potiùs ad musculum, in quo maior fuerit conuulsio. Quòd si difficile est, duas vndique æquales coniungi, difficilis etiam erit tetani generatio.

Nec verò quidquam prohibet dari in capite, licèt pars eius posterior plures contineat neruos: Nam nihil cogit secundùm omnes necessariò conuelli; ac proinde rectè poterit anterior aliquando æqualiter contrahi, & illius tractioni resistere: Si tamen deficiat, euader opisthotonus. Iam verò humorem neruorum meatibus infarctum præ sui duritie posse impedire contractionem, atque ita conuulsione rigidum, & distentum efficere membrum, non est credibile, quinimò vix videtur imaginabile, vt ad tantã duritiem perueniat, quæ cõpressioni non cedat, nec patiatur materiam contineri, colligíque in eosdem meatus, factos per contractionem latiores, licèt penes longitudinem breuiores.

Denique non vrget quod addebatur, saltem non componi tetanum ex duabus conuulsionibus: quoniam arbitraria extensio sola externorum musculorum contractione perficitur; nec in alio differunt, quàm penès voluntarium, & inuoluntarium: In pluribus autem differrent, si tetanus ex duplici conuulsione integraretur; nam ita illud constituitur discrimen, vt etiã penès alia distingui non negetur. Ideò verò non sufficit vna conuulsio ad morbosam distentionem, quia in ea ita pars distenditur, vt inflecti non possit; non sic autem in extensione voluntaria, quamuis vtrobique immotum, & stabile maneat membrum.

Quòd si obiicias, non posse partem, aut morbo distentam, aut voluntate extensam pendentémque, dici posse immotam; quoniam sequeretur non dari musculorum contractiones in prædictis casibus, nec motricis actionem in stante homine, pendente aue, extensa manu, &c. Siquidem quando contrahuntur musculi, & operatur vis motrix, motus adest, & in motu censetur esse pars, licèt in vno eodémque loco maneat, ex ipso Galeno *lib. de tremor. cap.* 4. §. *quam immobilitatem esse putas, motus est.*

Dicendum veriùs, omnia dicta quiescere, & immota existere, ex Gal. 2. *de caus. sympt.* 2. & 1. *de motu muscul. cap.* 7. Cum eo tamen motum adesse, & contractionem simul, & in stante homine, pendente aue, extenso brachio, dari actionem motricis facultatis: Nisi enim, & quidem validè operarentur in illis exemplis, omnium ferè musculorum contractione, molem sustinendo, facilè corpus aut pars, suo pondere & grauitate deorsum ferretur, non in sublimi consisteret.

Nec mirum, si contracto musculo, agentéque facultate partem mouente, quiescat pars ipsa, quoniam sæpe etiam illa mouetur, otiante facultate & musculo, vt in exemplo corporis aut membri. Sicut ergo vis motrix, cuius operatio & munus est musculum contrahere, vel contractum conseruare, tunc membrum mouet, cùm musculum contrahit; & agendo etiam, sed contractum musculum conseruando, membrum quietum & immotum constituit: sic conuellens causa in distentione morbosa agit, contrahendo musculos, seu cõtractos conseruando. Vtrobique igitur datur operatio, contractio, & motus, non membri, sed musculi, à facultate, vel morbosa causa, etiam quamdiu contractus seruatur: succesiuè siquidem non minùs fieri dicuntur, res dum seruantur, quàm vbi plurimùm gignuntur: nam habent esse in continua productione consistens.

Vlteriùs quæres: *Vtrùm in Tetano pars conuulsa & quieta moueatur?* Dic, quòd licèt asseramus quiescere partem in tetano, ex memoratis, illud quoad sensum intelligendum est: Reuerà enim probabilius est, moueri contrariis, sed exiguis & sensum fugientibus motibus, grauitatis modò deorsum pellentis, modò virtutis musculiq; sursum attollentis opera, prout vnũquodque mouens, magis aut minùs augetur, vel diminuitur. Non enim credibile est, illius esse æquilibrij, & exactæ puritatis, quæ in puncto consistit, & per solum instans durat, vt sese mutuò omnino impediant: in quem sensum intelligendus Galenus, *lib. de trem. cap.* 4. dicens, *non ea solùm moueri, quæ moueri videntur, quinimò multa, quæ citra motum esse apparent.*

Nec ab ea sententia recedit Hip. citatus à Galeno, *vbi supra*, prohibens *lib. de vlcerib. num.* 2. stare in illis, imò & sedere, commendans otium & quietem, ac si statio & sessio. quietes non sint, ideóque lassitudines pariant: Et *lib.* 1. *progn. text.* 15. laudans in decumbente homine caput sublimius, pedes humiliores, &c. Quanquam huiusmodi motus veriùs ad virtutem & musculos, quàm ad corpus sint referendi.

Neque putes controuersiam verti de nomine, dum quæritur, vtrùm motus adsit, moueríque dicantur illa, quæ quiescere ad sensum conspiciuntur: Doctrina namque est, & ad curandum, & ad præsagiendum vtilissima: Intelligitur namque ex ea, decubitum illum in lecto naturalem, quem Galenus 1. *de motu muscul.* 7. Reclinationem appellat, & quo corpus quiescit, nec descendit, ideò ab Hip. laudari, quoniam agente animali facultate fit: illius autem collapsum, & interitum significari, si ad pedes labatur æger, corpore iam ferè terrea grauitate, nec resistente virtute. Quomodo verò curationi prosit, constat ex Hip. *cit. lib. de Vlceribus, num.* 2. §. *Stare autem vlceri minime conducit, præsertim siquis in crure vlcus habeat.*

Differen

©BIUM

Differentiæ.

Vtrùm ſolùm ſint admittendæ Conuulſionum differentiæ ab Hippocrate aſſignatæ? etiam agitandum. Cùm enim illæ, vel ex deprauati motus, vitiatæve figuræ varietate, vel ex diuerſitate cauſarum, quibus oritur conuulſio, eliciantur, de harum numero non ſatis conſtat inter auctores. Et Galenus quidem 3. *de loc. affect. cap.* 6. & 4. *Aph.* 57. & 5. *Aph.* 1. & 2. *de cauſ. ſympt.* 2. & *lib. de tremor. c. vlt.* & 8. *local.* 3. ex Hip. teſtimonio, duas tantùm ſpecies conſtituit, ex inanitione nempe, & repletione: quod prædictis locis, & 2. *de loc. cap.* 2. exemplo fidium confirmat, quæ non aliter quàm deſiccatæ ac inanitæ, aut humiditate repletæ, conuelluntur.

Verùm quòd plures aliæ ſint admittendæ, contendi poteſt, & fauent ipſius Galeni teſtimonia. 5. enim *Aph.* 1. præter duas illas ex defectu, & redundantia, tertiam ex morſu agnoſcit: Nam ſicut ſingultus, qui ab iiſdem ferè cauſis, quibus conuulſio, fit, 6. *Aph.* 39. ex ſolo morſu, prauáue qualitate moleſtiam inferente poteſt concitari; ita & conuulſio. Quinimò de facto accidit, vt maligna aliqua vi, ſiue ea qualitas ſit, ſiue ſpiritalis ſubſtantia, ad neruorum principium delata, cerebrum ipſum concutiatur contrahatúrque, ad noxium expellendum, ſimul & nerui ab ipſo originem ducentes: quo pacto fieri epilepſiam, quæ vniuerſalis quædam conuulſio eſt, docet Galenus *lib.* 3. *de loc. cap.* 7. Nec verò huiuſmodi conuulſionem ex inanitione, ſiccitatéve dixeris, quicquid alij velint. Nam licèt mordens pungénſque cauſa, ſicca ſit, potens inanitionē inducere circumſcripta tamen omni exiccatione, morſum & ſpaſmum inducit. Præterquam quòd non ſequitur, quòd ſi ſicca eſt neceſſariò vt ſiccans & inaniens faciat conuulſionem, cùm ſine ſiccitate pungere poſſit & nocere, efficeréque vt contrahantur nerui; atque ideò huiuſmodi conuulſionem Barbari Medici, ex Auic. 2. 3. *tract.* 5. *cap.* 1. Spaſmum ad materiam non proportionatum rectè appellarunt, ſcilicet quia nec ex materiæ redundantia, nec ex defectu originem ducit.

Ex iis videtur dicendum, præter illas duas ſpecies ex redundantia, vel inopia humoris, ſaltem tertiam per conſenſum genitam eſſe admittendam: Hippocratem autem, locutum tantùm fuiſſe de illa conuulſione, quæ per proprietatem neruorum fit, quæque permanens eſt & perpetua, non interrupta motibus, & à ſola morbifica cauſa prodiens. Hanc autem duplicem tantùm eſſe, & à repletione, vel inanitione neceſſariò oriri: Illam verò à morſu, vel praua aliqua qualitate, & in eo ab aliis diſtingui, quòd facta non ſit, & quieſcens, ſed fiens tantùm; & ab agente natura, non à ſolo morbo fiat: vnde potiùs conuulſiuum motum, quàm conuulſionem appellant.

Alij duas tantùm admittunt, neque illam ex morſu, ſiue per conſenſum, conuulſionem eſſe, aut motum verè conuulſiuum eſſe patiuntur: nempe, quia ſi docente Galeno 2. *de cauſ. ſympt.* 1. & 2. palpitationis, & conuulſionis motus ſolius morbi ſunt opera; in illa autem neruorum contractione, quæ à morſu, & per conſenſum fit, natura habet ingreſſum, contrahendo neruos, ad expellendum id à quo pungitur, aut moleſtatur: planè dici non poteſt conuulſio, illa contractio ex morſu: nec enim eſt inuoluntaria affectio, quoniam licèt ſine voluntate & libertate fiat, potentiæ tamen ſuapte natura liberæ, & virtutis animalis eſt actio; quod ſufficit, vt voluntaria dicatur, & à conuulſionis definitione reiiciatur.

Nec obſtat, à Galeno conuulſionem appellari, & tanquam ab illis diſtinctam, fuiſſe additam: Non enim de propria ac vera intelligendus, ſed ad eum modum, quo de ſingultu loquutus fuit, 6. *Aph.* 39. & *Aph.* 54. de luctuoſis ſuſpiriis ex frigore, dicens motus eſſe conuulſioni ſimiles. Minùs obſtat, peculiarem illius curationem *in methodo* docuiſſe, ac ſi vera eſſet conuulſio, & à reliquis diuerſa: Nam etiam illa contractio, quæ ex frigore inducitur, congelando aut exprimendo humidum, ſub conuulſione ex inanitione comprehenditur: ſeorſum autem traditur illius curatio, quia diuerſam poſtulabat, calorificis enim curanda erat; ſicut illa ex inanitione ſiccitatéve, humidis replentibus; ex repletione, vacuatione; ex morſu, lenientibus: non quòd omnes veræ ſint, & diuerſæ conuulſionis ſpecies, niſi tales velis appellari, quatenus curationes variant.

Quòd ſi mauis, tertiam illam ex morſu, per conſenſúmve adiicere, dices eam omiſiſſe Hippocratem, quia motus quidam eſt magis ex genere ſingultus, quàm ex his quos conuulſiones appellamus, nec de ea loqui Galenum 2. *de cauſ. ſympt. cit.* Poſſe tamen in definitione, tradita 6. *Aph.* 39. comprehendi, dummodò per motum inuoluntarium partium neruoſarum, non ſolùm illum qui à ſolo morbo, ſed illum etiam, qui à virtute non libera fit, intelligas.

Vtrùm Conuulſio ex ictu, vulnere, punctura nerui, ad conuulſionem ex inanitione, vel repletione, ſit referenda? dubium eſt. Et videtur quòd ſic, quia has cauſas ſequitur inflāmatio ſimplex, & ardor, neruoſas partes, cerebrúmque feriens; quare ab his cauſis propria ſubſtantia diſſipata, nerui & membranæ ſiccéſcunt, ac in ſeſe contrahuntur. Sed falſa eſt ratiocinatio hæc, quia in compunctionibus neruorum, quas mox conuulſio excipit, tam exiguo temporis ſpatio, ad tantam ſiccitatem neruoſam ſubſtantiam deueniſſe, vt inde conuellantur, non eſt credendum; præſertim cùm humor qui ob dolorem confluit, humidus ſit, & ſiccitas ad conuulſionem requiſita, ſit intenſa. Deinde, ſi hæc conuulſio à ſiccitate eſt, erit etiam inſanabilis. Sed hoc experimento eſt aduerſum. Ergo. Inſuper, ſi ex punctione nerui facta conuulſio, ad inanitionem eſſet referenda, qua ratione in ea ſiccíſſima medicamenta ex Euphorbio parata, & cætera valde ſicca, præſidio eſſe poterunt?

Dicendum ergo, quòd licèt Conuulſio hæc ex morſu, per conſenſúmve, fiens ſit & in motu, non facta nec perpetua, in factam tamen & propriam ſæpenumerò tranſit: verùm tunc iam ex morſu non eſt, quin potiùs ex repletione. Non enim punctus digitus v. g. poſtquam factam durantémve ſuſtinet contractionem, iam patitur morſum, ſed repletionem attracti, conuellentíſque humoris. Vel ſi totam velis auferre controuerſiam, dic, Hippocratem ſolùm protuliſſe conuulſionis cauſas, quæ magna ex parte contingunt: Galenum autem 5. *Aph.* 1. annuentem, nondum tertiam ſe inueniſſe conuulſionis cauſam, intelligendum eſſe eor de conuulſionibus illis, quæ omnino, & toto genere ſunt præter naturam, nec à cauſa pendent manifeſta; has enim nonniſi à repletione, aut inanitione oriri vſu obſeruatum eſt.

Cauſa.

QVæ ſit replens, & quæ inaniens cauſa, à quibus cōtrahuntur nerui, & duæ illæ celebratiſſimæ conuulſionis differentiæ inducuntur, quærendum deinceps, & dubitandum: *Vtrùm ab humida ſolùm & pituitoſa materia, nerui conuellantur?* Et Conuulſio quidem, quæ à repletione excitatur, licèt à pituitoſis, frigidis, & glutinoſis humoribus, quos neruoſa membra ſunt apta aggregare, vtplurimùm generetur, 2. *Aph.* 26. poteſt etiam à Melancholia, 6. *Aph.* 56. imò & à ſanguine fieri; ſiue inflammationem faciat in neruis, ſiue non, ſed tātùm replendo occupet. Niſi velis benignum ſanguinem non poſſe conuulſionem efficere: fit enim à quocunque craſſo humore neruos replente, & in tumorem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 291 sur 927

elevante, nempe quia in latum distrahit & extendit, A in longum contrahit, coarctat, & decurtat, denique & convellit.

Nec obstat, quod obiicit Auerrhoës, *lib. 3. collect. 33.* & scribit Auicenna, ab humida materia extendi aliquando & elongari nervos, non semper contrahi: Nam si tenuis sit, nec inflet repleátque nervorum poros, sed tantùm substantiam humectet, mollificabit, extendet, & elongabit, ac paralysim faciet.

Aduerte tamen, in paralysi necesse non esse, longitudinem nervorum ab humore occupari, sed obstrui tantùm meatum, per quem emanat facultas, prohiberique illius, & spirituum animalium commeatum. Quamuis enim resolutio à frigidis, & pituitosis humoribus fiat, & languorem importet, laxitatem, & mollificationem, hanc tamen efficit, non humoris, sed otij potiùs humiditas in parte resoluta coaceruata: In spasmo autem oportet nervos ipsos, & illorum poros ab humida materia occupari, cùm in eo pars ideò contracta existat, quia ab humoris crassitie, & copia, penes latitudinem extenditur. B

Maior est controuersia: *Vtrùm causa convulsionis ex inanitione, sit positiua, an priuatiua siccitas?* Et quòd à priuatiua, hoc est, humiditatis defectu, quem inanitionem appellamus, oriri non possit immediatè, ex eo potissimùm videtur constare, quia realis & positiuus effectus, per se ad causam realem debet referri. Ergo spasmus, cùm sit operatio & motus, adscribi nequaquam poterit priuationi.

Rursus. Inanita membrorum humiditate illud tantùm immediatè sequitur, nempe vacuitas, partiúmque distantia, & meatuum amplitudo. Sed ad hæc necesse non est partes ipsas inanitas in se colligi, concidere, & vniri, vt vacuum effugiant, aëris siquidem ingressu occupantur, & replentur. Ergo, &c. C

Denique. In senio, & marasmo confectis, ingens datur natiui humidi consumptio, nec ideò tamen conuelluntur. Ergo ipsa inanitio, humidæve substantiæ defectus, non videtur causa saltem per se, & immediata convulsionis, sed positiua siccitas, cuius proprium est contrahere, & corrugare; non aliter ac humiditatis, diffundere, extendere, ac fluidum facere.

Quòd si opponas ignis siccitatem, quæ rarefacit, dilatat, & extendit, potiùs quàm densat, & contrahit. Responderi poterit igneum siccum, cùm ad igneam formam disponat, illud proprium habere, ac proinde non inducere convulsionem; sed illius causam, solùm esse terream siccitatem, quæ membra nervosa inuadens, humidum, eiúsque partes substantiales educit, & incrassando, constringendo, ac corrugando tendere facit ad terream substantiam corpora ipsa nervosa, suapte natura terrea, ac proinde apta vt densentur, & facilè contrahantur. D

Licèt autem hæc sententia probabilitatem habere videatur, ab ea tamen dissuadent multa, nec parum nervosa argumenta. Et primò sic. Non minùs vna est eadémque specie, ignis & terræ siccitas, quàm aëris & ignis calor, aëris & aquæ humiditas. Ergo sicut vnus est specificus effectus caloris igni & aëri communis; idémque humiditatis in aëre & aqua: eadem similiter erunt, non diuersa & opposita opera, igneæ, & terreæ siccitatis. Atqui siccitas ignis, quantumuis humidum, eiúsque partes subtiles magis absumat, rarefacere dicitur, & attenuare, non densare & contrahere. Igitur nec terræ siccitas illud poterit efficere. E

Secundò. Si terreæ siccitatis esset, contrahere & corrugare, oporteret senes præ terrea ariditate in illis abundante convelli. Sed nec etiam decrepiti necessariò conuelluntur. Non est igitur proprium siccitatis, densare & constringere; sicut nec etiam igneę rarefacere, & dilatare: ign eae nim est siccitas, ab igne in corrigiam deriuata, igneáque illa quæ à febre inducitur, & contrahit tandem, densat, sæpéque conuulsionem facit.

Tertiò. Si positiua, auctáque siccitas, eáque terrea, sola esset per se causa conuulsionis; vbi nervos occupauerit, etiam sine humidi resolutione, conuelleret. Atqui conuulsio ex inanitione essentialiter dicit humidi defectum, & inopiam, 2. *Aph. 26.* & *lib. 5.* passim. Igitur.

Quare dicendum potiùs videtur huiusmodi conuulsionem ab ariditate priuatiua, hoc est, substantiæ humidæ defectu euenire, siue ad humidi diminutionem positiua siccitas increscat, siue non: id quod ex Galeno *prædictis locis* colligitur, hîc & alibi sæpe interpretante conuulsionem ex siccitate, id est, ex humidæ substantiæ resolutione & defectu: Vbi enim internum humidum absumitur & exhauritur, conniuent & concidunt in sese vicinæ partes vacuum fugientes; atque ideò si nervum etiam occupet nimia exiccatio, corruganter & contrahuntur partes, vt locum repleant humidi depasti, & sicca producitur conuulsio, siue ex inanitione. Est igitur illius occasio, humidæ substantiæ priuatio; immediata verò causa, partium concursus, & accessus, propter vacui fugam. Ex quo patet solutio primi argumenti in contrarium adducti.

Ad secundum. Si vndique vniformiter, æquè, ac sensim exhauritur humiditas, non concidunt partes, conniuent, aut in se colliguntur, nec aliqua cogit necessitas ad earum vnionem, nempe quia vacuitatem replet ingrediens aër, cui facilius patet ingressus per meatuum amplitudinem, ab humidi inanitione vndique relictam. Rursus. Vbi datur æqualis, & vniformis inanitio, non sucurritur vacuo partium ingressu, & quia vsque adeò celeriter vniri non possunt, vt illud euitent, & quia necessariò spatium aliquod erat intra corpus relinquendum, quod ab aëre repleretur. Meliùs igitur partes suis locis subsistent, & earum vacuitates aëre sufficiente.

Adde quòd non videtur maior ratio, cur magis hæc ad illam, quàm illa ad hanc recurrat: Aliter verò se res habet, quando humidum inæqualiter, & dispersè absumitur, tunc enim ex naturali appetitu cogitur inexhausta pars, gratiâ vitandi vacui, ad inanitam concurrere, & flecti, contrahi, ac corrugari. Iuuat autem huiusmodi contractionem, flexibilitatem, & descensum, inæqualitas & difformitas exiccationis; grauitat enim pars non absumpta, & facilè descendit, vt cum exiccata vniatur, à qua antea sustinebatur. Cùm verò in senibus, & marasmo confectis, humiditas vndique sit, & æqualiter depasta, nihil mirum si necessariò non conuellantur. Vnde ad tertium patet responsio.

Constat ergo quomodo à priuatiua siccitate oriatur sicca conuulsio. Neque obstat, quòd humiditas impediat, illius defectus iuuet voluntarium motum, vt patet in pueris, qui ad motum sunt inepti, ob membrorum mollitiem ex innata humiditate; quâ deficiente per ætatis decursum, agiles redduntur: & docet Galenus 3. *de caus. sympt. cap. 3.* instrumentum quò aridius est, magis præstare ad arbitrarium motum; ac proinde cùm illius nocumentum & læsionem importet spasmus, videatur non posse fieri à priuatiua siccitate, hoc est, humidi defectu: Nam sicut moderata siccitas ad motum facit, ita immodica, & valde excedens impedit; præ dũritie enim quam inducit, in causa est, vt vix inflecti possit membrum, atque ita ad siccam conuulsionem promptum reddit.

Occasione tamen arrepta, disceptandum est: *Vtrùm hectici conuulsione tententur?* Nam si à priuatiua siccitate, & humiditatis defectu conuulsio accidit, sequitur hecticos tertiæ speciei, seu marasmo consumptos posse convelli, cùm ij extremè sint sicci, & præ humoris inopia ad mortem accedant. Dic, relictis multorum sententiis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 292 sur 927

ſententiis, hoc non contingere, quia in hecticis minor adeſt ſiccitas, quàm in conuulſis: & licèt in illis omnes partes cum corde ſimul exiccentur, vt Galenus docet 1. *de diff. febr. c.* 9. quia tamen ſiccitas illa, cordi, & vniuerſo corpori communis eſt, ideò priùs peribit æger, quàm partes neruoſæ ad eam perueniant ſiccitatem, quæ ad conuulſionis generationem neceſſaria eſt.

Celebratur etiam in ſcholis illa quæſtio: *Vtrùm à frigiditate congelante conuulſio generetur*? Nam Galenus 12. *Meth. cap. vlt.* ex frigore contrahente, conuellentéque neruos ipſos, excitari poſſe aſſeuerat; quia frigus purum, & immateriale conſtringere poteſt, nulla facta in materia mutatione, penes defectum, aut exceſſum. Ita præter Galenum aſſeruit Hip. 4. *Aph.* 68. dum ſpiritum offendentem, qui refrigeratis inſtrumentis reſpirationis accidit, conuulſionem ſignificare ait, ac ſi à caloris extinctione, & refrigeratione oriatur.

Inſuper Galenus 6. *Aph.* 54. Conuulſionem ab ambientis immodico algore, qui neruos ſubierit, manifeſtè concedit, ſic enim ait: *Si enim frigus muſculos thoracis apprehenderit, vel etiam neruos, duritiem quædam inſtrumentis adueniet, & motus conuulſioni ſimilis.* Deinde 5. *Aph.* 17. ſic ait: *Frigidum autem conuulſiones, tetanos, &c.* & Galenus *in com.* ſic; *Immodicum ſcilicet frigidum hæc facit, conuulſiones, & tetanos ob neruorum refrigerationem: ſicut enim non oportet ipſorum ſubſtantiam ab immodico calore diſſolui, ſic neque vltra modum conuenientem refrigerari, & in vnum cogi, ac conſtringi.*

Galenus 4. *Aph.* 47. docet, quòd inter alia nerui ob frigiditatem tenduntur immodicam: repetit 5. *Aph.* 22. vnde diſquirere porrò ſubit: *Vtrùm immodicum frigus conuulſionem excitet*? An per ſe denſando, & contrahendo membrum; an quia difficilem diffiationem efficit, & ſic neruoſa corpora replentur, hoc eſt, an per ſe, an ex accidenti eam generet, Galenus explicuit, 6. *Aph.* 13. dum ſic ait: *Rigor autem & frigiditas, quia omnia neruoſa corpora efficiunt ad diffiandum difficilia, ſunt cauſa, vt hæc repleantur.* Quare conuulſio facta ex frigore, & ad inanitionem, & ad repletionem referri poteſt. Ad illam, quatenus immodicum eſt, & ſuccos à neruoſis partibus exprimit, ſícque conuulſionem ab inanitione creat; ſi verò eſt modicum, prohibita ventilatione, replet eos, & conuulſionem excitat ex repletione.

Neque inſtes, per ſe, & ſua natura frigidum conuulſiones facere, non quia vacuat, aut replet: Nam per ſe denſat, & conſtringit, 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 13. Nam quum denſat, ſi exuperat, media conſtrictione euacuat; ſi eſt modicum, mediante conſtipatione meatus denſat, & corrugat: ſícque neruoſa corpora non ventilata, & pituitoſis ſuccis referta conuelluntur. Quare non eſt conſtituenda alia differentia conuulſionis à frigore nata, præter duas ab Hip. & Galeno toties memoratas.

Si verò acriter contendas, ex Galeni mente, 12. *Meth. cit.* Nihil concludes. Eo enim loco primò numerat conuulſionem ex repletione; aliam ex ſiccitate, vel ex inanitione; aliam ex ingenti frigore: proponit modum, quo frigiditas conuulſionem excitat, firmatque hanc fieri, quia membrum, quale gelu efficitur. Sed gelu in rebus contractionem facit, non quia ipſas replet, aut exiccat, ſed per ſe, quia illas congelat. Ergo frigiditas in partibus neruoſis, per ſe congelando conuulſionis eſt auctor. Sed non aduertunt qui hæc proferunt, quòd frigus immodicum congelans, ſi non mortificat, & innatum ignem prorſus extinguit, operationem ſuam, mediante conſtrictione, & expreſſione facit.

Hactenus de immediatis cauſis conuulſionis: nunc de mediatis dicendum. Hæ ferè ſunt humores frigidi, craſſi, glutinoſi, 2. *Aph.* 26. qui neruis infixi, eos ſecundùm latitudinem extendunt, & ſecundùm longitudinem coarctant, licèt ab aliis humoribus oriri non ſit A denegandum, vt ſanguine, vel per ſe, vel inflammationem in partibus neruoſis excitante, 2. 1. *tract.* 1. *cap.* 5. Procatarcticæ cauſæ, & magis mediatæ ſunt illæ, quæ neruos debilitant, & ad humorum receptionem aptos reddunt, vt geſtatio alicuius magni ponderis, decubitus ſupra gelidam, ob has enim cauſas nerui alicuius partis vehementer extenduntur. Inter has ebrietas numerari debet; hæc enim cerebrum, & partes neruoſas maximè debilitat, & crudos humores producit. Ita docet Hip. 5. *Aph.* 5. *Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, conuulſus moritur.* Vinum enim facilè neruos penetrat, replet, conuellit, 3. *de temper.* 4.

Ex flatu craſſo neruos ſecundùm latitudinem extendente, conuulſio excitatur, 2. *de cauſ. ſympt.* 2. Dicítúrque conuulſio flatulenta, quæ conuulſionis differentia B ab ea quæ fit per repletionem, non eſt diſtincta: Flatus enim nebuloſus, & craſſus neruos replet, à quo ſæpe vrina ſupprimitur, indurantur fæces, ſpiritales canales coarctantur. Cauſæ conuulſionis ex inanitione ſunt omnes, quę humidam neruoſarum partium ſubſtantiam diſſoluunt, vt febres æſtuoſæ, & ardentes, productæ, labor nimius, vehemens exercitium, animi paſſiones, inedia diuturna, vigiliæ, curæ, ſolicitudines, ſanguinis aut alterius humoris vacuatio immoderata, ex Hip. 5. *Aph.* 3. 4. & alibi.

Signa.

C Onuulſio à Medico ſine aliqua difficultate cognoſcitur, ex membri conuulſi inuoluntaria retractione ad originem ſuam. Quomodo vna ſpecies ab alia ſit diſtinguenda, docuit Galenus *lib.* 3. *de loc. c.* 7. ſatis perſpicuè: Nam ex cauſæ varietate varia quoque illius curatio conſurgit. Ex præcedentibus enim facilè venaberis, num ex ſiccitate, an repletione ortum ducat. Si enim paulatim fiat, & præcedant ſuperiùs dictæ reſoluentes cauſæ, ex inanitione oriri probabile eſt. Si verò repentè fiat, ex repletione emanare coniectabimus, & hoc cauſæ prægreſſæ indicabunt. Illud tamen aduerte, quòd licèt ex ſiccitate ſit conuulſio, quæ ad febrem ſequitur acutam, 3. *progn.* 34. 2. *Aph.* 26. *lib.* 5. quinimò & ea quæ ad diuturnam, licèt non acutam, 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 24. Fit tamen nonnunquam, vt & materialis, D & ex repletione ſpaſmus, ad febrem ſequatur, liquata pituita, quæ ad neruos accedens & replens, contrahit ac conuellit, ex Auic. *loc. cit.* §. *Eſt & alius ſpaſmus qui accidit in febribus, & cum hoc non eſt vehementer malus, qui fit propterea quòd ipſæ faciunt currere aliquando materias in neruos, & muſculos, & propriè cùm corpus eſt plenum.* Addi poteſt & alia differentia, quòd in repletione dilatatur latitudo, & contrahitur longitudo; in ſicca tam longitudo, quàm latitudo contrahuntur, quia ſecundùm omnem dimenſionem nerui humiditas abſumitur.

Vtrùm conuulſio ſit plena doloris affectio? pauci explicarunt. Multò antea firmauit Galenus, *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 20. §. *nempe conuulſio plena eſt doloris affectio, &c.* E In hoc enim à paralyſi differt, quòd in hoc affectu deperditur omnino ſenſus, & motus: in conuulſione verò deprauatur motus, & non deperditur ſenſus. Nec dicas partes conuulſas & retractas, eandem ſeruare figuram & retractionem, quam in naturali ſtatu obtinebant: Nam ſi muſculi in conuulſione vltra menſuram naturalem retrahantur, tunc concitatur dolor, ob continui ſolutionem à cauſa replente productam, quæ ſecundùm latitudinem neruos violenter diſtendit.

Neque inſtes, quòd dolor ſentiri non poteſt in parte conuulſa, cùm hæc ſenſu priuetur, & facultatis animalis influxu ſit deſtituta, quoniam nerui ſint obſtructi à mucoſis ſuccis, & repleti, influxúmque impedire nati ſint: Nam obſtructio in neruis conuulſis eſt inæqualis, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 293 sur 927

©BIUM

& non ſecundùm totam nerui ſubſtantiam facta; quare plures partes in neruis peruiæ manent, & patentes, quæ influxum facultatis animalis recipere, & ſolutionem continui perſentire poſſunt. Quòd ſi nerui propter craſſitiem, & frigiditatem humoris, qui repletionem efficit, duri & ſcirrhoſi reddantur, tunc in partibus conuulſis non aderit dolor, quo tempore conuulſio cum paralyſi complicatur, & in neruoſis partibus ſimul cum retractione præter naturam, aderit ſenſus, & motus voluntarij priuatio.

Præſagium.

Vtrùm Conuulſio ſicca, humidâ ſit deterior? dubitant interpretes. Galenus 12. *meth. vltim. circa fin.* & 2. *Aph.* 26. Conuulſionem ex repletione, curationem admittere; ex inanitione verò eſſe inſanabilem aſſeuerat: hæc enim multo ad ſui curationem indiget tempore, 7. *meth.* 5. *in fin.* acuties autem, & vehementia ſymptomatum, tam diuturnum temporis interuallum non expectat, quinimò doloribus, ſyncope, vigiliis totum corpus abſumitur; & conficitur. Quare conuulſio ex cerebro læſo, vulnere, nimia ſanguinis profuſione ſuperflua purgatione, ardente febre, exitialis & penè inſanabilis eſt cenſenda, quia intemperies ſicca eſt omnium peſſima, vt 2. *de cauſ. ſympt.* 2. docuit Gal. difficilius eſſe exiſtimans, ſimplicium corporis particularum cuiuis, cùm ſicca eſt, humorem reſtituere, quàm eam, cùm humecta eſt, ſiccare. Vides vt in quacunque particula ſiccitas ſit difficilior? Cauſa eſt, quia ſiccitas eſt reſiſtiua multùm, & corrigitur per humiditatem, quæ in agendo pigra admodum eſt, & iners.

Rogabis: *Vtrùm Conuulſio ſicca ſit periculoſior, & magis proportionalis in pueris adultis, vel ſenibus?* Dic, in pueris minùs eſſe periculoſam: hi enim robore facultatis concoquentis conſtant. Deinde hæc Conuulſio refectione ſubſtantiæ humidæ indiget, quæ in pueris perfectior, quàm in aliis ætatibus fit. Neque obſtat, quòd ex ſiccitate facta conuulſio, illis ſit improportionalis valde, cùm humidi ſint; iuuenibus verò, & ſenibus proportionalis, cùm ſicciores ſint, 2. *Aph.* 34. Nam oraculum Hippocraticum de morbis materialibus eſt explicandum, à quorum cœtu longè abeſſe conuulſionem ex inanitione nemo non videt.

Adde, quòd licèt conuulſio ſicca ſenibus, & iuuenibus proportionalis ſit, pueris tamen virtualiter eſt maximè proportionalis; quia ob caliditatem & humiditatem ipſorum, partium mollitiem, neruorum debilitatem, à minori cauſa quàm iuuenes reſoluuntur, & ſic à minori cauſa exiccante in conuulſionem ex inanitione promptiſſimè incidunt, partim ob rationes dictas, partim ob alimentum, & viuendi modum; ſunt enim repleti crudis ſuccis, qui neruos laxiores reddunt, & laxitas impedit vberem tranſitum irradiationis, quæ fit à cerebro in ipſos. Ita docuit Hip. 3. *progn.* 34. §. *fiunt autem conuulſiones promptiſſimè quidem pueris quamprimùm editis, vſque ad ſeptimum annum.* Accedit, quòd nerui immodicè laxi non obediunt facultati per muſculos imperanti motum; in adultioribus verò nerui magis patent, minúſque obſtruuntur. Ob languorem ergo partium neruoſarum, 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 24. & *ſect.* 3. *com.* 25. excrementorum copiam, inordinatum viuendi modum, faciliùs à morbis corripiuntur puerorum nerui, & maximè lactantium, ob alimenti naturam, quæ neruos infrigidat, humectat, & obſtruit, præſertim ſi craſſum fuerit lac, & potiſſimùm à conuulſione, *lib.* 3. *Aph.* 25. Etſi enim duabus facultatibus corpus gubernantibus, vitali ſcilicet, & naturali robuſtiores exiſtant; in tertia tamen, quæ motum voluntarium præſtat, ob mollitiem, & nimiam neruorum & muſculorum imbecillitatem, imbecilliores habentur.

Adde vtramque conuulſionem eſſe pueris cõgruentiorem; humidam quidem, quia crudis humoribus ſcatent, & neruoſum genus habent imbecillum; ſiccam verò, quia in iuuenibus citiùs diſſipantur, dicente Gal. 9. *meth.* 17. *puerorum ſubſtantiam omnium facillimè digeri, ac diſſipari, propterea quòd omnium eſt humidiſſima, nullâ verò frigidior.* Quare non ſunt audiendi, qui iuuenibus propter ſiccius ætatis temperamentum, ſiccam conuulſionem eſſe congruentiorem arbitrantur, quia teſte Auic. 2. 3. *cap.* 5. pueri ab illa citiùs, quàm iuuenes liberantur: non euaderent autem, niſi eis cognatior eſſet, magiſque familiaris.

At quæres: *Vtrùm pueri ex vigiliis, pauore, & luctu in conuulſionem incurrant?* Hoc enim 3. *progn.* 34. prædixit Hippocrates, dum ſic ait: *Pueris autem conuulſiones accidunt, ſi vigilent, paueant, & lugeant.* Cauſam protulit Galenus 7. *Aph.* 18. *Ex vigiliis conuulſio, malum.* Vigilia euacuat, reſoluit, exiccat, & hoc modo abſumpta humiditate conuulſionem ex ſiccitate concitat. Deinde vigilia cerebrum reſolutis ſpiritibus debilitat, & ſic minuta coctione, aucta excrementa cruda, ad neruos tranſmiſſa, conuulſionem ex repletione pariunt.

Pauores infantibus accidere docuit Hip. 3. *Aph.* 24. Eos per ſomnum euenire teſtatur Auicenna, 3. 1. *doct.* 1. *cap.* 13. §. *infantibus inſomnia accidunt terribilia per ſomnum*, &c. Cauſa in promptu eſt, quia ex nimia cibi abundantia, eáque non concocta in ventriculo, ſed corrupta, vitioſi, crudi, tetríque halitus ad cerebrũ elati vapores, ſomnia concitant, & phantaſmata; & ſic pueri pauentes conuulſione occupantur, quia diffuſi ſpiritus ob pauorẽ ſubitò ſubmerguntur, & ad intima corporis reuocantur, quorum motum muſculi verſus principia ſua ſequuntur. Ita luctus quando intentè fit, ea tantùm ratione, quòd per ipſum humores colliquantur, & in muſculos defluunt, conuulſionis cauſa cenſetur.

Curatio.

Antequàm ad curationem vtriuſque conuulſionis accedamus, dubitandum: *Vtrùm facilius ſuccurratur conuulſioni, orta ex inanitione, an ex repletione?* Hip. 2. *Aph.* 22. ſic ait: *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat vacuatio; & quicunque ex vacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.* Sed diſſimilis eſt curatio: Nã difficiliùs curantur morbi ex inanitione, quàm ex repletione: In illis enim vires ſunt reſolutæ nimis, ſpiritus exhauſti, humidum primigenium abſumptum, & cùm multa alimenti appoſitione opus ſit, illud imbelles vires commutare nequeunt. Accedit, quòd per conniuentes vias, & occluſos præ ſiccitate meatus, alimentum diſtribui non poſſit, nec apponi. Et cùm humidum ad reparandas facultates optimum ſit, 2. *Aph.* 11. & *lib. de alimento, num. vlt.* hoc pigrum eſt, iners, & exiguæ actiuitatis, & ſiccitatem corrigere nequit: quod enim ſemel exiccatum eſt, deinceps humectari nequit.

Neque obſtat, quòd in morbis ex repletione plura ſunt remouẽda, morbus, & huius cauſa; in morbis verò ex inanitione ſolus morbus eſt profligandus. Nam hoc verum eſt, nî in virtute ſit diſparitas, quæ cùm in conuulſione ex inanitione ſit debilior, opera nutritionis præſtare non poterit. Accedit, quòd humoris noxij euacuatio faciliùs perficitur à Medico & venæ ſectione, & expurgante medicamento, quàm nutritio, in morbis ex inanitione præcipuè intenta à natura, poſſit auxiliis ad id aptis promoueri.

Ergo conuulſio ex inanitione curatur aëre humido, victu ſimili, in qua ampliùs alimentis reſtaurantibus, quàm medicamentis pugnandum eſt, ſicut in febre hectica præſcribemus. Balneum prodeſt eximiè. Lactis potus eſt ſaluberrimus. Vnctiones externæ parti adhibitæ, quæ partes emolliant, & deperditam humiditatem ſarciant, ſunt vtiliſſimæ. Demum vita omnis, & auxilia, velut hecticis inſtituenda ſunt.

Con

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 294 sur 927

Conuulſio ex repletione, eo modo quo paralyſis, curanda eſt. Quòd ſi fiat propter tumorem, eo curato euaneſcit. Si ex ictu ſcorponis venenoſi, pars icta amputanda, ex Galeno 3. *de loc.* 7. vrenda, vel arctiſſimè deliganda, ne venenum in altas ſerpat corporis partes; vel parti calida attrahentia medicamenta admouenda; vel caro ſcorpionis loco puncto affricanda, docente Galeno, *lib. de theriac. ad Piſon.* 16. Nam venenum externum à proprietate & ſimilitudine, internum foràs attrahere natum eſt.

Si ex flatu concitetur, vel refrigeratione torpida, ſtuporis ritu curanda eſt. Si ex æruginoſis vomitibus, clyſmatis, & purgationibus ex Rheo, & aliis cholagogis inſiſtendum. Si ex epoto veneno, alexiteria proſunt. Si ex luxatione oſſa luxata, in propriam ſedem reponenda; & ante hoc opus, mitigatoria & anodyna ſummè iuuant; horum enim ope, ab inflammatione præſeruatur pars. Si à vermibus originem ducat, eos enecantia, & expellentia ſatis ſunt. Si ab aliqua immodica vacuatione oriatur, ea totis viribus ſupprimi debet. Si ex vulnere contingat, quòd neruacea ſubſtantia ſit compuncta, aut eiuſdem partis inflammatio ſequatur, hæc inprimis eſt prohibenda: Si aliter feceris, timor eſt ne ob cerebri conſenſum, febris, deliria ſuperueniant, & conuulſiones. Quare tunc tenuiſſimo victu vtendum eſt, ſanguis demendus, neruorum germina oleo calente lumbricorum fouenda. Si tamen ſymptomata intendantur, & laborans in vitæ periculum labatur, coactus neceſſitate neruum præſcindes. Si ex punctura nerui eueniat conuulſio, vulnus latius reddes, & dilatato foramine, oleum de terebinthina infundes, & vlcus ad cicatricem tardiùs perduces. Quòd ſi hæc non ſint ſatis, neruum, & tendinem etiam præſcindes. Dummodò in omni conuulſione ſemper in mitigando dolore ſis intentus, ne vires debilitentur, & humorum copia ad conuulſam partem confluat continuò.

OBSERVATIO.

Conuulſio, orta ex ſcabie intempeſtiuè ſuppreſſa, ea artificio reuerſa, ſanatur.

INciderat iuuenis quidam in ſcabiem feram, qua cùm diutius premeretur immaniter, plurima, ex conſilio Medicorum, machinatus eſt auxilia, ſanguinis miſſionem, expurgantia pharmaca, balnea, & alia, quæ humorem aduſtum euacuarent, & foràs extruderent. Sed cùm iis nec tantillùm leuaretur, amici perſuaſu & monitis, vnguentum parat ex vnciis quatuor lithargyrij in oleo bene permixti, quo cùm ter totum corpus inungeret, ſubitò à fœda ſcabie omnino ſanus euaſit. Sed illi lætabundo, & ex toto (vt ſibi videbatur) perſanato, aliud contigit infortunium, nempe vrinæ ſuppreſſio, quam comitabatur ſitis ingens, ardor in toto corpore ſenſatus, vigilia, angor, deſperatio, inſolita mœſtitia, febris lenta, & motus conuulſiui in extremis partibus ex interuallis percepti. Medici, ex lithargyrio, quod extrà adhibitum rebantur eſte venenum, tanquam ex primæua origine omnia hæc mala ſcaturire putantes, alexiteria offerunt, ipſúmque lethargyrium ad partes extimas euocare conantur, hypocauſtis, ſudorificis, balneis, frictionibus, ſed incaſſum: æger enim iis calidis medicamentis applicitis, aſſiduè ruebat in peius. Vocati alij, & admiſſi in conſilium. Hi non ex lithargyrio, quod extrà appoſitum non eſt venenum, ex priſcorum mente, ſed ex humore, vi adſtrictoria medicamenti, ad principes & interiores ſedes conuerſo, & reſtagnante, eáſque inficiente labe dira, euenire, firmiter ſibi perſuaſere. Sic factum: Sanguinis miſſio, iterum adhibita, purgationes variæ celebratæ, quæ triſtem hunc humorem viſcera occupantem, per aluum excernerent. Multùm profuit lactis ſerum medicatum fumaria, eius ſyrupo maiore, pulpa caſſiæ, myrobalanis Indis, rhéo, foliis ſennæ, epithymo, polypodio, floribus cordialibus. Vtilis fuit impoſitio hirudinum ſuper mariſcas, ſaphenæ ſectio imperata, cauteria cruribus affixa, cardiaca exhibita, quę huius tetri humoris ſæuitiem domant. Adminiſtratum balneum. At cùm peruicax morbus iis non cederet auxiliis, neceſſe fuit ſuppreſſam vacuationem ad cutem reuocare. Picationes, ac frictiones, per ambitum corporis celebratæ. Affixæ cucurbitulæ. Ingreſſus eſt æger in fluuium vbi aderat hirudinum copia multa, quæ tenaciter cuti inhærentes largam in toto corpore hæmorrhagiam excitarunt. Sed cùm iis non cederet dirus affectus, iubeo vt cum ſcabioſo in eodem lecto accumbat, quod conſilium tanti fuit momenti, vt per contagium repullulante ſcabie in corpore vniuerſo, & expellente natura ad cutem humorem noxium, poſt menſem à tantis malis liber euaſerit. Quos ergo ratio non iuuat, Medici induſtria ſanat.

CAPVT XII.

De Vertigine.

Definitio.

AFfectus ille in quo res circumſpectæ, cerebrum, & corpus patientis videntur circumuolui, à Græcis *Dinos*, à Latinis *Vertigo* appellatur: & *quando viſa non ſolùm videntur rotari, ſed viſus obtenebratur*, & homo cadit, aut vacillat, & niſi alicui rei inniteretur, in ſolum rueret, dicitur à Græcis tenebricoſa vertigo. Nomen fuit impoſitum à parte affecta, & à ſymptomate: Nam vertigo eſt affectus verticis, in quo caput vertitur. Hæc eſt cauſa, ob quam Gal. 3. *de loc. c.* 8. eius definitionem omiſerit; ſatis enim indicat nomen, malum quoddam eſſe, in quo obtenebrationes, hebetudinéſque obuerſantur oculis, ac rotari omnia, & circumferri videntur.

Sed quæres: *Vtrùm Vertigo, & Scotomia, ſint paſſiones valde diuerſæ?* Nam conſtat ex Galeno 4. *de rat. vict.* 42. tunc fieri vertiginem, cùm imaginatur quiſpiam caput, & circumſtantia in orbem moueri; ſcotomiam autem, quando tenebricoſa ſimul fit viſio. Ergo perperam Galenus 3. *de loc. cit.* affectiones has confudit, & vni addixit alterius affectus. Rurſus. Vertigo etiam clauſis oculis ingruit, & ſymptoma quoddam eſt deprauatæ imaginationis, iudicantis moueri quieſcentia. Sed læſa, corruptáve imaginatio viſionem non interturbat, vt patet in phreniticis, & maniacis; neque in illa ſita eſt cauſa erroris in videndo. Inſufficienter igitur in vertiginis finitione iungitur tenebroſitas, hebetudóque viſus. Denique cur fiet error, & titubatio in viſu, ſi oculus conſtat, medium, & viſibile?

Dic: Aliquid ſupra vertiginem addit ſcotomia, viſus nempe obſcuritatem, & tenebras, ideóque non ſolùm imaginationis, ſed & viſus ſimul dicitur ſymptoma; vertigo imaginationis ſolius: fiunt autem prout mali cauſa magis in capite, aut ſolùm reſidet, vel in oculos ſimul inclinat. Atqui in vertigine caput, & adſtantia circumagi dunxat videntur; in ſcotomia ſimul cum capitis circumuerſione tenebricoſa fit viſio: vnde tenebricoſa appellatur vertigo, ab accidente nomen ſumens, quòd repentinas oculis tenebras ingerat, vt ait Aurelianus *lib. 1. chronion, cap. 2.*

Cùm verò tantam habeant coniunctionem inter ſe affectiones dictæ, nec in omnibus diſſideant, quandoque ſimul comprehenduntur, vt 3. *de loc. cit.* & 4. *Aph.* 17. Nonnunquam ſeparantur, vt 4. *acut. cit.* & ab Auicenna cum Barbaris. Nec verò cum quibuſdam putes, in ſcotomia, erroris in videndo, ſeu deprauatæ viſionis cauſam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 295 sur 927

cauſam in phantaſia locari: Cùm enim non in ea, ſed in oculo efficiatur viſio, ibidem vitium ſitum eſſe credendum, & in præcipua illius parte cryſtalloïde nimirum, vel quia animali ſpiritu illuſtratus non eſt, vel quia flatuoſus vapor inordinata motione præditus, ante eum obſeruatur, ac proinde deſtruitur nonnunquam repentè viſio, 4. *Aph. cit.* aliquando errat, & titubat. A

Adde, Vertiginem tenebricoſam non ſolùm eſſe ſymptoma facultatis imaginatricis, ſed viſoriæ, & motricis, in qua imaginatio deprauata non incipit à corrupta viſione: nam prior eſt, quia propter magnam noxam in cerebro perceptam, perterrita natura ſpiritum animalem retrahit ab inſtrumentis ſenſus, & motus. Deinde ſpiritus recta via ſolent communicari, & ob ſpirituum motum inordinatum influxus impeditur. B

Iunge, quòd ſpiritus & humores, turbulento & inæquali motu in his affectibus mouentur, vel in cauitatibus, aut venis, aut arteriis cerebri. Quare hic motus in cauſa eſt, vt rerum viſibilium ſpecies in ſpiritu receptæ repræſententur facultati imaginatrici, velut ſi emanarent à rebus quæ mouentur: Nam omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur, & neceſſe eſt (vt inquit Auic.) ad hoc vt de re viſibili iudicium feratur, res viſas moueri, aut oculum, aut ſpiritum animalem: nam cùm ſentiens mouetur, mutantur oppoſita, ſicuti cùm mouentur ſenſata, ſentiens mutatur.

Cauſa.

CVm vertiginoſi ſine cauſa externa, aut ſi hominem rotare videant, aut in curru rotam circumuerſari, denique aut in aqua vorticem circumagi, ſtatim vertigine corripiantur, adeò vt nonnunquam concidant, præſertim ſi vel ſemel in orbem moueantur, manifeſtum videtur, huius affectus cauſam non aliam eſſe, quàm inæqualem quendam & inordinatum motum, tum humorum, tum ſpirituum in cerebro: id quod ratione; & ſanorum exemplo demonſtrat. Non aliunde ſiquidem illis accidit vertigo, vbi frequenter circumuerſantur, niſi quia crebro in orbem motu, ſpiritus ſimul, & humores in cerebro vſque adeò agitantur, & inordinatè mouentur, vt nec hominem ſtare ſinant, nec externa apparere quieta, ſed ad ſimilem modum omnia videantur circumuolui. D

Sed dubitabis: *Vtrùm inordinatus humorum, & ſpirituum motus, ſit vertiginis cauſa?* Et inſurges hoc modo: Spiritus in viſione nihil aliud eſt, quàm medium quoddam ſpecierum, ſeu imaginum ſuſceptiuum. Atqui medij agitatio & motus, non infert phantaſiam obiecti immoti, quaſi moueatur. Ergo cauſa propter quam viſa in vertigine circumferri creduntur, non eſt motio, & agitatio ſpirituum. Minor nota eſt, quoniam aliquando medius aër agitatus efficeret, vt res omnino quieta iudicaretur, cuius contrarium experimur, quantumuis ſpiret, & impetuosè moueatur. Deinde, licèt homine in gyrum verſo, caput, & intra ipſum ſpiritus agitetur, homine tamen ipſo, & ſpiritu iam quieſcente, humores & ſpiritus firmantur, nec ampliùs circumuoluuntur. Atqui tunc temporis inuadit acceſſio vertiginoſa. Igitur illius cauſa non poteſt attribui humorum & ſpirituum motui. E

Dic: cùm iudicium fiat de rebus, non ſolùm prout ipſæ ſunt, ſed ſecundùm modum quo recipiuntur, vt viſile iudicetur motum, perinde erit ipſum, atque videns moueri, quod & ex Ariſtotele conſtat, 3. *de anima* paſſim, & manifeſto experimento. Si enim quidpiam vno tantùm oculo ſpectemus, & eo repentè clauſo, altero inſpiciamus, ſalire dicitur illud, & ſitum mutare. propterea quòd mutatus eſt oculus videns. Sic & nauigantium oculis quieſcens litus creditur diſcedere, quia recedit viſus. Quoniam verò in vertigine ſpiritus viſorius, qui non medium in viſione, ſed agens eſt, & inſtrumentum, circumuoluitur, nihil mirum ſi viſa itidem in orbem ferri exiſtimentur.

Quare licèt agitato & commoto aëre, res immota non cenſeatur moueri, non proinde ſequitur, ex motione ſpirituum imaginationem non induci motionis eius rei quæ ſentitur: nempe quoniam aër agens non eſt, ſed medium viſionis, ſpiritus è contra. Præterquam quòd etiam ex motione medij, res quieſcens moueri nonnunquam cenſetur, quia ſcilicet agitatione medij, fit vt à variis ſitibus ſpecies viſibilis ad oculos ferantur, quod cernere licet in iis qui tremulam aquam conſpiciunt, vt v.g. in nummo intra ipſam latente, qui moueri putatur immotus omnino exiſtēs, nempe quia mota ac agitata aquæ ſuperficie nummi ſpecies ad oculos rectà permeat, mutatur loca vnde viſorius radius progreditur. Cùm autem à variis diuerſiſque locis radius ad oculos fertur, in iiſdem etiam res locata exiſtimatur, atque adeò moueri; ſiquidem ſine eo quòd moueatur, in locis diuerſis eſſe non poteſt; quinimò & continente moto creditur nonnunquam moueri obiectum, & aliunde procedere quàm procedat, ſi imago abſolutè intentionalis non ſit, ſed realis & corporea, vt ſoni, odoris, &c.

Quapropter licèt ſpiritus medium tantùm foret in viſione, cùm diuerſus ſit recipiendi modus in aëre, & ſpiritu, (ex hoc ſiquidem moto, à variis ſitibus ſpecies accedere videtur, ad cognoſcentem potentiam) cauſa eſſet, vt immota res iudicaretur moueri, atque adeò proxima & immediata Vertiginis, & ſine qua non: Licèt enim quieſcente iam homine, poſt motum in circuitu, nonnunquam inuadat hoc malum, adhuc tamē ſpiritus ipſi, & humores intra corpus agitantur, & in orbem voluuntur, adeò namque inſtabilis eſt, fluxa, mobilis, & inconſtans illorum natura, vt concepto ſemel motionis initio, non ita facilè quieſcant & maneant, ſed vlteriùs moueri perſiſtant, vt Auicenna explicuit *loc. cit.* poſito exemplo in vaſe aquam continente commoto, ad cuius motum aqua intus contenta mouetur, & quieſcente vaſe ob eandem cauſam manet agitata. C

Ex his conſtat, cauſam internam vertiginis eſſe inordinatum motum ſpirituum, præſertim ſi hi flatuoſi ſint, & halituoſi, quem generari à debilitate caloris innati probat Galenus, 4. *acut.* 42. & 3 *de cauſ. ſympt. cap.* 2. §. *de halituoſis recrementis, &c.* De quo argumento plura dimus, *lib.* 3. *Hiſt. PP. Medic. in comm. Hiſt.* 21. Cauſa externa multiplex eſt. Prima eſt motus corporis in gyrum, vt in choreis accidit, quia ad motum corporis, humores & ſpiritus mouentur, & arrepto motionis impetu deinceps difficulter quieſcunt. Altera cauſa, eſt quando aliquis cadit ex alto, aut in corpore percutitur, tunc in vertiginem ſolet incidere: quemadmodum enim aqua percuſſa ſolet accidere motus tremulus, aut vndoſus, ſimili ratione, capite, aut toto animali percuſſo euenire ſolet, vt Auicenna inquit.

Vectio in curru, lectica, aut nauigio, eſt cauſa vertiginis, quia inæqualiter corpus mouent, ſurſum, deorſum, & ad latera. Inſpectio rerum, quæ circulariter, inæqualiter, aut impetu quodam mouentur, ſicut accidit intuentibus rotam molendini, curſus equorum, impetum aquarum fluentium, fluminum vortices. Cauſam attulit Auicenna, quia quando aliquis res prædictas inſpicit attentè, earum rerum imaginatio in animo figitur, & facultas imaginatrix cogit facultatem naturalem inæqualiter mouere humores & ſpiritus; facultates enim naturales ad nutum illius ſolent operari.

Rogabis: *Vtrùm procatarctica cauſa poſſint vertiginem inducere*: & videtur quòd non, niſi internas, & antecedentes moueant, ac corpus realiter immutent. Sed rotarum, vorticis in aqua, & ſimilium circumuerſatio, nullam alterationem in corpore efficiunt, nec mouere queunt ſpiritus & humores. Ergo nec acceſſionem vertiginis accerſere.

Dic:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 296 sur 927

Dic: Etiam motionem eorum quæ intra corpus sunt, sequitur accessio vertiginis, vbi rotarum accessionem conspicimus. Sicut enim ad horridi turpisque obiecti præsentiam, nausea & vomitus consequuntur; ad noxij & formidabilis conspectum, spirituum ab externis ad interna motus, ob conceptum timorem in imaginatione: sic ad rotæ visum, rotationis imaginatio, ad hanc, humorum & spirituum circumuolutio, ex innata doctrina, quà naturales in corpore actiones imaginationi obsequuntur.

Verùm faciliùs Aëtius *tetrab. 1. serm. 2. cap. 7. Cùm quis*, ait, *intuetur id quod in gyrum voluitur, in gyrum similiter oculos conuoluit*: (sequitur enim videndi instrumentum, id cuius inspectione tenetur) verso autem oculo, spiritus facilè mobilis cùm sit, voluitur vndique, & circummouetur, sumptóque ex leui occasione motionis principio, ob malum corporis habitum, & promptitudinem vertendi, non quiescit, sed progreditur in motu circulari, & inducitur vertigo.

Ex his causam intelliges, ob quam nauigantibus, & præsertim insuetis nausea moueatur: cùm enim montes, stirpes, terra, nubes, cælum illis agitari videantur, commouentur humores, & spiritus in corpore, excitatúrque vertigo, in qua quia caput afficitur, ventriculus, ob mutuum quem cum eo consensum habet, ad vomitum prouocatur; propter quod consilium est nauigantibus, quandiu consueti, & satis versati non sunt, ne mare spectent, & reliqua quæ illis moueri creduntur, quia corporis, & humorum motus ad vomitus, & deiectiones excitat. 4. *Aph.* 14. Deinde multus aquæ vapor inter respirandum attractus ventriculum adiens subuertit. Insuper litoris, & maris fœtor, vnde prope oram ferè, & nauigationis initium, nauseæ accidunt ac subuersiones.

Species.

GAlenus *lib. 3. de loc. affectis, cap. 8. in fin.* duas assignat Vertiginis species, vnam cerebro propriam, quum ob inæqualem illius intemperiem fit inordinatus hic, & turbulentus spirituum motus. Per consensum alteram, scilicet vbi à ventriculi ore, inquietus ille, calidus, & vaporosus spiritus ad cerebrum effertur. Vtramque autem propriis indiciis aptè distinguit, & contra Archigenem concludit, etiam in ea quæ per consensum fit, affici cerebrum, quod ille inficiabatur.

Has species inter se distingues: Nam primariò laborante cerebro, præcedunt, & comitantur quæ læsionem cerebri ostendunt, veluti sensuum læsio, capitis grauitas, & dolor, tinnitus aurium, propensio ad somnum, & ferè non intermittit, & ex leuissima causa exacerbatur. Oculorum caligo, & tenebrositas, olfactus gustúsque imminutio, & denique vehemens pulsatio in anterioribus capitis arteriis persentitur. Materiæ speciem ostendunt, quæ pituitam, bilem, melancholiam, aut sanguinem redundare in cerebro significant,

Vertigo per consensum cognoscitur prædictorum signorum defectu. Si à toto corpore consensus fiat, vt accidit in febribus, & ex suppressa aliqua vacuatione consueta, præsentia signa indicabunt, vrina tenuis est, & pauca, aluus dura, corpus torpet, & lassitudine premitur spontanea. Ex ventriculo oriri testantur vomitus, cibi fastidium, morsus ventriculi, deiecta appetentia, nausea, cruditates, & flatus. Si ex vtero, præcedit vteri suffocatio, dolor, rugitus, mensium suppressio, vel minutio. Si ex iecore, vel splene, peculiaria cuiusque membri aderunt symptomata.

Præsagium.

VErtigo, si recens est, & rara, periculo vacat; inueterata, & frequens, periculosa, præsertim si fuerit tenebricosa: Quare *6. de sanit. cap. 12. & 3. Aph. 17.* morbus magnus appellatur, & magnorum morborum prænuncia, vt furoris, melancholiæ, epilepsiæ, apoplexiæ: Cùm enim crebris accessionibus ægros fatiget, vehementem caloris, & virtutis imbecillitatem inducit, ex qua crudi, flatulenti, & crassi humores generantur, qui prædicti morbi occasionem præbent, & magis si vertigo tenebricosa existat, quam alicuius membri stupor, torpórue comitentur. Hip. *in Coacis* sic inquit: *Quibuscunque cephalalgiæ, & aurium tinnitus citra febrem, & tenebricosa vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, hos apoplecticos, vel epilepticos fore expecta.*

Auicenna *in fine capitis citati*, vertiginem solui superueniente sola asseuerat. Huius rei causa duplex existit: Prima, quia humores & vapores, qui erant vertiginis causa, à ventriculis cerebri ad membranas, & partes extimas transmutantur. Secunda, quia ad partem dolentem sanguis confluit, & spiritus, ex quorum cõfluxu, incalescente cerebro, vapores resoluuntur, qui vertigini materiam suppeditant.

Curatio.

VErtigo repetit per paroxysmos, & quotannis, vêre & autumno solet inuadere, iccircò curationem expostulat, & præcautionem. Accessione præsente, animi & corporis quies imperanda. Æger in obscuro loco reponendus. Brachiorum, & deinde crurum frictiones administrandæ. Vtendum est vinculis. Aluus statim clystere exoneranda. Offerenda sunt ea quæ roborant vires, & humorum spirituúmque agitationem compescunt, veluti est Rosa, viola, Nenuphar, aqua rosacea cum aceto. Odorata calida fugienda, somnus omni ingenio conciliandus. Si fortè protrahatur accessio, magna remedia optima sunt, & maximè si cerebrum per proprietatem laboret, de quorum genere sunt clysteres.

Verùm quia sunt plura, quæ hoc dissuadeant, agitandum: *Vtrùm in Vertigine tenebricosa clysteres a capite reuellere possint*: Nam Galenus 4. *Aph.* 2. eos ad solam intestinorum vacuationem esse inuentos asseuerat, eò enim integris viribus pertingunt, & fortasse vacuant, quæ in crassioribus intestinis sunt infixa, 13. *Meth. cap.* 17. Quare ad excernenda ea quæ in ventre sunt, illos admittit, 6. *epid. sect. 2. com.* 33. Iccircò 6. *de loc. cap.* 2. & 2. *ad Glauc. cap.* 6. In dysenteria læsis humilioribus intestinis, solùm iis vtitur, ita vt quot sunt intestinorum vitia, tot clysteria paret.

Obstant grauissima Galeni testimonia, quæ probant clysterum vsu humores in capite, aliísque distantissimis partibus posse vacuari. *Lib.* enim 2. *sec. loc. cap.* 1. *tit. de his quibus ab stomacho caput dolet*, sic ait: *Laudaui autem vacuationem per clysterem, non solùm propter euacuationem eorum, quæ in intestinis continentur, sed etiam ob reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur*: Et 4. *lib. cap.* 8. ad fluxiones oculorum validam ventris solutionem conducere asseuerat, siue per medicamentum purgans, siue per clysteres: quos vniuersalem vacuationem efficere docet, *in art. medic. cap.* 99. & eleganter confirmat *lib. 6. secund. loc. cap.* 1. Quare hanc controuersiam dissolues, si dicas lenes clysteres solùm primam corporis regionem vacuare posse; cæterùm fortes, ac validos, non solùm ex Mesaræo, & hepate, verùm ex distantissimis partibus attrahere, à priscorum doctissimis esse exaratum.

Cucurbitulæ scapulis admotæ summoperè præstant. Et si fortè ab aliqua suppressa vacuatione Vertigo concitetur, vsitata excretio prouocanda. Quare sanguinem mittere præstat, præseruationis, & reuulsionis causa à cruribus, maximè si menstrua sint suppressa, aut retentæ hæmorrhoides, vt *lib. de sang. miss. cap.* 10. & 19. Galenus explicuit. Si verò sanguinis vbertas vaporosi adsit in capite, tunc cephalicæ sectio remedio est, nisi ex flatu, aut

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 297 sur 927

humorum frigidorum copia originem ducat, tunc enim sanguinis missio vehementer nocet. Quando verò coniectura assequimur, in cerebro acrem, & calidum sanguinem redundare, tunc ex præcepto Galeni 3. *de loc. cit.* & 13. *meth. cap. vlt.* secandæ sunt arteriæ retrò aures, in temporibus, eligendáque ad sectionem est illa, quæ calidior est, eminentior, & magis pulsat. Solet enim hoc auxilium prodesse, quoniam tota arteria per transuersum dissecta, pars singula in se colligitur & contrahitur, vna sursum, altera deorsum conscendit, rursus intermedius locus cicatrice obducitur; vnde prohibetur ascensus calidi, vaporosique spiritus, & humoris, sanatúrque malum. Adde quòd propter sectionem arteriarum, partes externæ inopia laborant, & ideò coguntur à partibus internis attrahere, & hoc modo redundantiam absumunt. Commodam autem esse arteriotomiam in ægritudinibus plurimis, ex Galeni mente explanauimus, *lib. 2. Hist. Princ. Medic. in com. Hist.* 43. Si verò ab aliis humoribus, & partibus vertigo vel protopathica, vel idiopathica concitetur, tunc cætera sunt peragenda, veluti *in cap. de Cephalalgia* latè prædiximus.

OBSERVATIO.

Vertigo admiranda, ex auris regione enata, cauterio ponè aures affixo, omnino curata.

QVadragenarius, suapte natura ingluuiei deditus, & vini potus amantissimus, in hac consuetudine triduum perseuerans, nihil mali persensit. Eece aduentante vere, vertigine tenebricosa concussus, in publicum prodire recusat. Me vocat, & vt contra graue symptoma aliquod consulerem auxilium, rogat. Clysteres expurgantes impero, electuaria roborantia offero, quorum ope flatus dissolui, humoréque crudos vacuandos esse spero, iis adhibitis in pristinum rediit statum. Post quindecim dies murmur persensit intra aurem dextrã, quod dolor, tinnitus, & surditas sunt sequuta, quibus cùm spatio trium horarum velut stupidus premeretur immaniter, subsequuta vertigine in solum concidit, qui pluribus reuellentibus auxiliis restitui non potuit, donec per eandem aurem effluxisset, spurcæ & purulentæ materiæ copia, quæ sufficiens erat cochlear adimplere: & sic leuatus à vertigine, ad se rediit. At cùm accessio rediret ferox hebdomadis singulis, & timor esset ne in apoplexiam incurreret, plura ex vacuantium, & roborantium classe, sibi curauit facienda auxilia. Sudorifica ex Ebeno parata est expertus. In occipite permisit sibi fontanellam affigi. A quibus nullum fructum cùm perciperet, imò grauiùs & ferociùs symptomate tum infestaretur, suasu Medicorum cædendas arterias in tẽpore dextro curauit, venas sub lingua secuit, candenti ferramento in pluribus partibus caput inussit: sed omnia facta citra vtilitatem vilam. At cùm accessio ferè semper inciperet cum auris rugitu, & desineret ad vacuationem sordis per aurẽ emanãtis, caput per consensum ab aure laborare, mihi persuasi: sicque cucurbitulã magnam sæpius supra aurem imposui, sed citra leuamen vllũ. Caustica retrò aurem applicui, quorũ vi etsi ichores emanarent continuò, tamen affectus periculosiùs ingrauescebat, qui solùm fontanella excitata retrò aurem, profluente par eam vbertim sanie multa, miraculi instar conquieuit: quã æger, impositio cicere, vel pilula cerea, & admoto desuper emplastro Diapalma conseruabat.

CAPVT XIII.

De Ophthalmia.

DE oculi fabrica plura diximus Laconicè, *lib. 6. Hist. PP. Med. in spicilegio anatomico, sect. 3. in fin.* A De visus præstantia sat multa, *lib. 5. Hist. PP. Med. in com. Hist. 9.* Nunc pro coronide inquiro; *Vtrùm oculi inter omnes nostri corporis partes, variis morborum generibus infestentur?* Cùm enim Galenus *lib. 1. de caus. sympt. cap. 2.* symptomata recenseret, quæ in sensuum actionibus consistunt, in visu exemplum magis dilucidè proposuit, tanquam in magis nobili, & eo quidem qui plurium partium noxis est magis obuius. Nobilitas sumitur tum ex obiecto, quod est lux, pulchritudo, & ornamentum omnis visibilis creaturæ: tum ex modo operandi, per notionalem videlicet alterationem, quasi alter intellectus: tum ex potentia, qua & remotissima discernit, & plures, quàm reliqui sensus, differentias rerum ostendit.

Multis, iisque diuersis ægritudinibus premuntur B oculi nostri, quia in arce positi, ex Arist. *lib. de sensu & sensili, cap. 1.* Quorum gratia caput fuisse creatum, fatetur Galenus 8. *de vsu part. cap. 5.* Licèt enim aures semper pateant, anfractibus tamen externæ auriculæ mirè tuentur. Cùm ergo oculi plurimis constent particulis actioni videndi inseruientibus, vt sunt septem tunicæ, humores tres, duo nerui optici, sex musculi, palpebræ, quid mirum si ex hac partium oculos componentium varietate, auctores diuersorum morborum myriades efformarint, quos Galenus ad præcipua capita *citato loc.* reducit.

Videndi ergo actio lædítur, læsa facultate sensitrice, quæ per neruos mandatur ad oculos, in quibus fit visio. Afficiuntur cerebrum, & nerui. Horum quodlibet, vt pars similaris, afficitur ab intemperiebus octo. Vt C pars instrumentalis, obstructione, constipatione, tumore præter naturam. Vt similaris simul, & instrumentalis, continui solutione, quam cerebro accidere vita superstite, si vulnus ad cerebri ventriculos non accedat, 8. *de vsu part. cap. 10.* & 6. *Aph. 18.* exemplo pueri Smyrnæi Galenus confirmat. Si verò ventriculi perforantur, actiones cessare omnino est necesse, & animal perit.

Primum videndi instrumentum est crystalloïdes, siue crystallinus, aut glacialis humor, qui, si spectemus superiorem, inferiorem, & laterales partes, & in medio oculi: si verò consideremus positiones antrorsum, & retrorsum, ita ad anteriorem deuiat, vt non sit toti oculo concentricus. Figuram habet lenticularem anteriùs, posteriùs autem rotundam. Est viuens: est pars similaris, quamuis quatenus figuram certam requirit, dissimilaris dici possit. D

Vt pars similaris, ab octo intemperiebus lædítur: Licèt à siccitate, & eius concretione immodica glaucedo oriatur. Exsiccatur autem crystallinus, ob defectum albuginei, ex Gal. 10. *de vsu part. cap. 6.* Vt pars instrumentalis, dimouetur à sua sede, ob musculorum oculum mouentium conuulsionem, aut paralysim, strabositas ab Auicenna appellatur. Offenditur vt pars similaris, & instrumentalis, continui solutione: Continui solutio, cæcitatem inducit.

Lædítur etiam videndi actio, læsa aliqua ex his partibus, quæ primo instrumento inseruiunt. Foramen E vueæ est pupilla, sic accipi video à Galeno, ab Auicenna, à Rhasi, & ab omnibus magni nominis auctoribus. Galenus 1. *de causis sympt. cap. 2.* quadrifariam à propria natura mutari asseuerat, auctum scilicet, imminutum, diuulsum, & ruptum; firmárque amplitudinem foraminis, seu pupillæ, semper visui esse incommodam, quocunque tempore acciderit; imminutionem verò, seu angustiã non semper: Nam si natiua sit, & in vtero contracta, acutissimi visus occasio erit; Si verò postea euenerit, causam morbificam arguet, & prauam visionem efficiet, imò dilatatione magis nocet. Dilatatio, si à siccitate fiat, à parua siccitate fit: Si ab humiditate, fit ab absceſſibus, qui Galeno auctore, non difficulter curantur. Vocatur hic affectus, *Mydriasis*, quæ sine à

natiuitate

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 298 sur 927

©BIUM

natiuitate, ſiue accidente eueniat, viſioni nocet, tum quia parum commodè tota pupilla ſpiritu animali impletur, ſed diſſipari cogitur: tum quia ſpecies meliùs contractæ repræſentant: tum quia radij viſuales, non bene in pupilla dilatata, cuſpidem per quam fit viſio, efficiunt. At anguſtia à ſiccitate, fit exſiccata omnino tunica, vnde tabes, ſeu phthiſis pupillæ appellatur. Ab humiditate fit, humido tunicæ ſubſtantiam occupante. Reliquorum duorum, diuulſionis inquam, ac ruptionis foraminis, quocunque tempore fiant, neutrum, notatu dignam viſui noxam affert, quod Galenus experientia ipſa comprobatum ſibi eſſe teſtatur: dicit enim ſe vidiſſe ex parua Rhagoïdis procidentia detortam pupillam, poſt quam cicatrice fuit incluſa, nec tamen hominis viſum fuiſſe impeditum.

At quæres: *Vtrùm amplitudo pupillæ perpetuò viſioni incommodet, anguſtia verò naturalis vtilis ſit?* Cùm ſpiritus animalis per opticos ad humorem cryſtallinum demandetur ad viſionem peragendam, fit vt pupillam paulò ampliorem redditam, ſiue à natura, ſiue ex accidenti, implere nequeat; ſed diſſipatus infirmiorem viſionem reddit; nam virtus vnita fortior eſt ſeipſa diperſa. Hi conniuentibus oculis ferè omnia intuentur, & minora: Ne enim ſpiritus diffuſus à lumine externo diſſipetur, contrahunt palpebras; contracta autem pupilla rerum ſpecies ſub minori angulo recipiuntur, & hoc modo omnia minora apparent, & ſic minutas literas ſcribunt, 31. *probl.* 8. Anguſtia verò natiua pupillæ viſum acuit; ſpiritus enim magis vnitur, & fortiùs operatur. Accidentaria verò ſemper noxia, quia prauos affectus ſequitur, nempe defectum albuginei, & magnam corrugationem vueæ, quæ viſioni eſt inutilis.

Vuea ſiue rhagoïdes, quòd acinum vuæ, à quo pedunculus fuit extractus, referat, dicitur: & choroïdes, quia chorij in modum vaſa tunicarum fulcit. Hanc corripiunt phlegmone, duritiei ſenſu carens, tenſio à multitudine humorum ſubiectorum pronata. Hæc curatu facilia ex Galeno. Vnitatis etiam diuiſione afficitur, ex vulnere, & vlcere. Diuiſio ſi ſit magna, duo incommoda accedent: Concidet vuea ſupra pupillam: & ſpiritus à cerebro ad pupillam totus non accedet, ſed per vulnus effluet. Si ſit parua, per ſe viſioni nocebit.

Humor albugineus, ſeu aqueus etiam plura damna patitur: In illo enim eueniunt ſymptomata, quæ ad ſubſtantiæ totius humoris motionem, coloriſque alterationem conſequuntur: quare Gal. *loc. cit. de cauſ. ſympt.* craſſitiei in albugineo varietates oſtendit. Prima eſt, quæ exactam viſionem impedit, quum ſcilicet hæc craſſities modica eſt. Secunda eſt illa, quæ aliquando totam pupillam occupat, & tunc lædit æqualiter viſum, aliquando verò occupat latus vnum pupillæ, & tunc altero latere exactè videt, cæterùm pauca. Tertia craſſities eſt illa, quæ ſolùm centrum pupillæ occupat, partibus circumiacentibus puris manentibus, & tunc res feneſtratæ apparent. Quarta, cùm diuulſa craſſities volitat, & tunc muſcæ volantes apparent. Quinta, quando craſſities in vna parte quieſcit, & tunc ante oculos varia ſimulacra apparent.

Vtrùm autem albuginei craſſities, & coloris alteratio viſionem peruertant? dubium eſt. Cauſa prioris craſſitiei hæc aſſignanda, quia cùm exactiſſima viſio dicatur ea, quæ acuta eſt, & in remotiſſima potens, quæque rei viſibilis cuncta diſtincta diſcernit, partes nimirum, formam, quantitatem, colorem, & id genus alia, rectiſſimè à Galeno dictum eſt, craſſiorem aquei humoris conſiſtentiam, exactam adimere viſionem. Nam quod ad viſilium diſtantiam pertinet, craſſities prædicti humoris efficit, vt neque ea quæ procul abſunt, neque propinqua cernantur, illa ob medij ineptitudinem, ſpirituúmque viſionem efficientium impuritatem ac craſſitiem. Conſtat autem humorem albugineum, medium eſſe, per hunc enim imagines eorum quæ videntur, ad cryſtalloïdem deferuntur, quem tenuem, lucidum, & ſplendidum eſſe oportet. Deinde ex prædicti humoris craſſitie, ſpiritus viſionem efficientes, craſſiores fiunt, quos puros, & lucidos eſſe oportet. Quæ autem propinqua ſunt videri nequeunt, quia cùm ſpecies rerum per aqueum humorem craſſum ad cryſtallinum ferantur, fit vt cryſtallinus à prædictarum rerum ſpeciebus debiliter alteretur.

Cauſa ſecundæ craſſitiei eſt, quia cùm viſio non fiat niſi per medium lucidum, & perſpicuum, ſicut ſuffuſio viſum omnino prohibet, ita humor aqueus craſſus admodum factus. Si verò craſſities latus vnum pupillæ occupet, non foramen totum, reliquo latere exactè videt, cæterùm pauca, & diuerſis temporibus: cauſa huius eſt, quia viſionis conus redditus eſt anguſtior: Cùm enim res viſibiles per pyramides ad oculos perueniant, ſingulæque res ſingulas in oculo pyramides efforment, quarum baſis eſt res viſa, fit vt quò plures in oculo pyramides conueniant, eo plura vno intuitu videamus; quò verò pauciores, eò quoque pauciora. Cùm ergo craſſo corpore pupillam parte aliqua obſcurante, ea tantùm pupillæ pars, quæ huius corporis craſſi iniuriam non ſentit, ad pyramidum receptionem apta ſit, & hæc admodum ſit exigua, colligitur quòd anguſtiorem faciat, ſic vt plurium ſimul rerum imagines comprehendere non poſſit, ſed ſingulatim, ſingulas quaque, & non vnico intuitu cernere queat.

Cauſam tertiæ addit Galenus, *loc. cit.* inquiens: *Non quod in medio non cernitur, exciſum eſſe putat.* Cauſa quartæ, eſt motus humoris craſſi in prædicto humore exiſtentis. Vltimæ verò cauſa videtur eſſe, defectus diſtantiæ ſenſatæ rei ad ſenſorium. Deinde penuria, craſſitieſque ſpirituum, ob quas cauſas vana ob oculos, & inania ſimulachra oberrare videntur; quod plurimùm iis qui à ſomno excitantur contingit, tunc enim plurimi, craſſique vapores efferuntur ſurſum, varias imaginationes efficientes, præcipuè verò hoc accidit pueris, quia natura calidiſſimi, & humidiſſimi ſunt, ac ſomno longiſſimo vtuntur, cruditatibúſque ob voracitatem ſunt obnoxij.

Proſequitur deinde Galenus *loc. cit.* ea ſymptomata, quæ ad albuginei humoris coloris alterationem conſequuntur, dicens quòd ſi color eius fuerit immutatus, & ad fuſcum inclinet, veluti per nebulam, aut fumum, hominem videre efficiet; ſi verò ad alium quendam colorem vergat, huius imaginem iis quæ videntur præbebit, talia enim apparent viſa, quale eſt medium per quod cernimus. Si inſpicientibus nobis per vitrum aliquo colore infectum, per id conſpecta, eodem eſſe colore prædita iudicantur. Cùm ergo aqueus humor ſit veluti internum viſionis medium, colore eius mutato, mutari quoque quæ per ipſum cernuntur omnia, eſt neceſſe.

Ob ſpiritum diuerſimodè alteratum, lædi etiam viſum, *citato loc.* Galenus explicuit: ſpiritus enim multus exactam viſionem efficit, quæ in dilucidè, & è longinquo minima diſcernendo, conſiſtit. Si verò ſpiritus ſit paucus, ſed purus, quæ propè ſunt, exquiſitè diſcernit, quæ verò longiùs abſunt, non videt. Quòd ſi craſſus, ſeu nubilus ſimul, & multus fuerit, longiſſimè quidem videt, ſed non exquiſitè: quemadmodum ſi craſſus ſit, & exiguus, nec exquiſitè, nec longiſſimè videt.

Ex variis, abditioribúſque ſententiis, quibus artificioſiſſimus Galen. tam arduum caput, & obſcurum de cauſis ſymptomatum, in quo de viſu agitur, adornauit, hæc eſt præcipua, qua docet, & quærit: *Vtrùm ſpiritus copia ad longinquam viſionem vtilis ſit?* Et contra hanc doctrinam meritò quiſpiam inſurget. Primò, quia cauſa conſpiciendi remota, Ariſt. auctore, 5. *de generat. animal. cap.* 1. ſita eſt in ſitu oculi profundo, non in quantitate ſpirituum. Sic enim ait: *At vt procul cernatur, motúſque à longinquis viſilibus deueniat, cauſa ſitus eſt oculorum:*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 299 sur 927

©BIUM

quæ enim oculis prominentibus sunt, procul cernere ne- A *queunt. Quæ contrà intus in cauo oculos habent positos, longè aspicere possunt, quoniam motus in vastum non dissipatur, sed recto tramite meat.* Argumentum est in stellis, quæ ex puteo etiam per diem apparent. Similiter solis eclipses per oblongas pyramides papyraceas contemplantur.

Secundò. Si causa videndi remota, esset spiritus copia, sequeretur senes melius videre propinqua, quàm remota. Consequens est falsum. Ergo & antecedens. Probatur sequela, quia in senibus spiritus est exiguus. Minor verò experientia comprobatur. Tertiò. Causa conspiciendi remota in multi luminis externi interpositione consistit, vt patet in senibus, qui vt melius videant, visilia oculis admouent. Vltimò. Contra Galenum sic argues, concedentem spiritum multum, & pu- B rum exactè, & procul videre, cùm tamen apud Arist. 5. *de generat. animal. cit.* duo illa genera acutè videndi nulli simul contingant.

Dic pro tutela Galeni, exactam visionem pendere ex tribus, ex colore oculorum, situ, & spirituum constitutione. Ex colore quidem, optimus est caprinus, qualis est qui apparet in oculis caprarum, medius inter glaucum, & nigrum: Nam vt niger ob luminis interni inopiam non videt noctu; glaucus, ob copiam, interdiu: ita medius, ob luminis mediocritatem, vtrobique modicè, & sufficienter videt, vt testantur prisci, qui de coloribus oculorum eleganter conscripserunt, inter quos palmam præripuere Plutarchus *lib. de coloribus*, Theophrastus *eodem tit.* Arist. 2. *de anim.* & *lib. de sensu & sensili.* Auerrhoës *in com.* Aulus Gellius *lib.* 2. *noct. Atticar. cap.* 26. Hi enim de colorum ortu, causis, nomenclatura, significationibus, definitione, diuisione, & viribus, varia, ardua, & intricata satis literis commendarunt.

Ex situ, optimus est moderatus, non profundus, nec eminens: Ille enim etsi longinqua exactiùs videat, vt ex exemplis suprà allatis constat apertè, tamen quæcunque à lateribus sunt, minùs perspicit. At verò eminens, licèt ad lateralia visilia magis extendatur, tamen remota minùs exactè videt. Quare ad visionem præstat moderatus situs, in neutro enim momentaneè peccat, quamuis ab extremis constitutionibus in singulis vincatur. Hoc modo symmetrum temperamentum si cum intemperatis conferatur, laudatur magis. Ex constitutione spirituum exacta visio emanat; hi enim si sint puri, & multi, perfectam visionem efficiunt: nam multi D remota, puri verò minima diiudicant, in quibus integra visio consistit.

Nec obstat huic doctrinæ argumentum ab Arist. de sumptum: eo enim loco non docet omnes causas videndi remota, sicut nec Gal. 1. *de caus. sympt.* Eius enim institutum est quærere, quæ sequantur lapsum spirituum, & quonam modo spiritus visorius visionem imitari possit. Ad secundum dic, senes intra debitam distantiam melius videre remota propinquis: Causam tradit Arist. 31. *sect. probl.* 25. quia senes tantam habent in visu imbecillitatem, vt videre nequeant, nisi constituant visile in ea distantia, in qua radij ab ambobus oculis egredientes coëant: non coëunt autem, nisi E paulò remotiùs res constituatur, ideóque videnda ab oculis separant. Alij affirmant causam esse, quia senum spiritus crassus, multo lumine accedente, à remotis attenuatur. Sed hi non satisfaciunt, quia oporteret senem post conspectum remoti, facilè prospicere proxima, attenuato iam & præparato spiritu, cuius tamen oppositum experimur.

Certior tamen videtur, quæ ex Galeno deducitur, nempe quòd senes lumine interno destituti, multo externo indigeant: quò autem res est remotior, eò magis illuminatur, scilicet non occlusa via luci. Ideò senes videnda non solùm modicè ab oculis semouent, sed in eo situ constituunt, vt in eo incidant luminares radij, & ita eorum reflexio magis illustret oculum lumine defectum. Nec obstat, si dicas in senibus paucum reperiri spiritum, qui ad videnda longinqua non sufficit; nec enim absolutè remota videre dicimus, sed inter propinqua ea melius videre, quæ in ea distantia constituuntur, vt copiosum lumen intercedens appositè medium illuminet.

Ad tertium negandum est antecedens, si simpliciter, & absolutè intelligatur: Nam, vt constat ex dictis, causa conspiciendi remota, consistit in multo spiritu, & situ oculi profundo: si autem senes visilia oculis admouent, ex eo est, quia paucum lumen internum à lumine externo iuuatur. Cæterùm dubitabis, cur lusci è contra visilia oculis admoueant? Dic ex eo euenire, C quia cùm multo lumine interno abundent, copiam externi refugiunt, & sic oculis visilia adiungunt, vt obumbratum visile minùs illustretur: Perpetuò enim moderantia luminis, constantis ex interno & externo, commoda atque vtilis est; immoderantia verò officit. Ad vltimum argumentum dic, Arist. sensum *loc. cit.* esse, duo illa cum à variis causis emanent, non semper conuenire: non negat tamen, posse in eodem animali reperiri, videlicet vbi vtriusque causæ coïerint.

Cornea tunica etiam sua patitur symptomata: hæc, eadem est cum sclirotica, & à crassa cerebri membrana oritur. Sclirotica dicta ob duritiem, & crassitiem quam habet, antequam ad iridem accedat: in ea verò parte, qua iridem tegit, cornu, quod lucernis accommodatur, detersum & tenuatum refert, vnde Cornea. Symptomatum ergo causæ quæ in hac tunica eueniunt, sunt numero sex, vt *cit. loco de caus. sympt.* retulit Galenus. Prima, vbi citra humoris affluxum substantia corneæ, crassescit. Secunda, vbi eadem substantia densatur, porique eius angustantur, & tunc hebetudo visus excitatur: Si crassior sit cornea quàm par est, *Amblyopiam* efficit. Densitas ex cicatrice oritur, crassities ex corrugatione, quæ valde senibus est familiaris: nam, vt legimus 10. *de vsu part.* 5. incidentibus aliis super alias rugis, tunicaque ob eam causam duplicata, crassitiémque acquisititiam assumente, spirituque pauciore affluente proportione, oculi valde senibus impediuntur.

Tertia, vbi redditur humidior, siue vt pars similaris, quod accidit, quando humida laborat intemperie; siue instrumentalis, quod fit quando morbis ex fluxione natis opprimitur. Tunc non solùm hebetudo visus concitatur, sed æger quasi per tenebras, aut nebulas, aut vaporem aliquem, aut fumum videt; humiditas enim corneæ splendorem impedit.

Quarta, si humores ad corneam affluentes, non multitudine, sed colore peccent: tunc enim hallucinatio fit, quæ *Paroraſis* Græcè appellatur. Túmque pro coloris natura error in visu respondet. Aliquando propter vulnus paruum contingit: Si enim notatu dignum sit, aqueum humorem effundit, & cæcitas oritur, quæ immedicabilis est. Licèt enim Galenus viderit puerum stylo percussum, cui aqueus humor effluxit, & postea restaurato humore visum recuperauit, hoc rarum, imò incredibile appellat. Accidit hoc malum interdum ictericis, non omnibus, sed iis, quibus multa nimis atra bile cornea est madefacta. Fit etiam suggillatis, quibus propter contusionem sanguis è tenuibus venulis effunditur, & in guttulas quasdam concrescit, mox fit liuidus, postea nigrescit: à Galeno, & Paulo dicitur *hypoſphagma*, ab Aëtio *hypopyon*; seu *hypophthalmion*, ab aliis dicitur macula rubea, ab Auic. *Altarfati*, ab aliquibus sanguis mortuus.

Hypochyma, seu *suffuſio*, si ex ventriculi consensu fiat, agnoscitur ex signis traditis à Galeno, 4. *de loc. cap.* 2. Quando scilicet corpuscula volitantia ante oculos varia apparent, & moueri videntur: Græci, vt patet 1. *de caus. sympt. cap.* 2. phantasmata vocarunt. Latini, & Arabes, *Imagines*, de quibus disertè, ni opinione aberro, proposui

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 300 sur 927

propoſui non indigna ſcitu, *lib.5.Hiſt.Princip.Medic.in com.Hiſt.8.* Quod ſi citra corpora volantia impediatur viſus, tunc confirmata eſt magis, & inſtrumento indiget vt curetur. Hæc ab Arabibus dicitur *Aqua*, vulgò *Cataracta.*

Alius eſt affectus, à Græcis *Amauroſis* vocatus, à Barbaris dicitur *Gutta ſerena:* quando abſque manifeſta occaſione viſus deſtruitur, & illæſo apparente oculo, videndi actio aboletur omnino. Quod maluni ferè aduenit ipſa vi viſiua, vel in ſe, vel ob inſtrumentum per quod ad cryſtalloïdem fertur, viſualem videlicet neruum, laborante: & in eo obſtructionem adeſſe neruorũ opticorum, firmat Galen. *lib.cit.de cauſ.ſympt.cap.cit.*

Vitreo humori ſuæ etiam inſunt mala: Cùm enim huius munus ſit præcipuum, vt cryſtallinum nutriat, eúmque in ſua ſede confirmet, fit vt, ſi alimentum appoſitum, optimum non ſit, vel non ſufficiens, ſequatur viſionis impedimentum, imò cæcitas excitetur: Cryſtallinus enim proprio nutrimento orbatus; ſicceſcit, & ſpiritus abſumit internos. Si verò alimentum ſit craſſum & turbidum, tunc cryſtallinus reprobo nutrimento nutritus, ſuas operationes corrumpit. Similiter contingit vitium propter complexum, quando videlicet hic humor eſt ita latus & amplus, vt maiorem partem cryſtallini occupet, quàm conueniat.

Tunica Aranea cryſtallino obducitur, húncque humorem ab aqueo diſterminat. Eſt læuis, ac ſubtiliſſima, ne radiorum viſualium exitum impedire poſſit. Quare ſi diſrumpitur, vitiatur viſio, quia confunditur cryſtallinus cum aqueo: at ſi craſſeſcit, & peruia non eſt, viſio hebetatur, quia imagines confusè repræſentantur. Fractionis cauſæ ſunt vulnera, contuſiones, & erodentes humores. Illam craſſam faciunt craſſi humores, aut vapores, qui firmiter impacti, eius perſpicuitatem obſcurant.

Adnata reliquis tunicis forinſecùs adnaſcitur: dicitur *coniunctiua*, quia oculum reliquis partibus coniungit. Non vniuerſum oculum complectitur, ſed lateribus corneæ adhærens, cùm ad iridem accedit, tenuitate ſua euaneſcit. Hæc non accedit ad pupillam: ſícque eius phlegmone non nocet viſioni, quippe cryſtalloïdi non opponitur; per accidens nocet, quatenus dolor, & calor humores attrahunt, quibus ſpiritus, & humores tum cryſtallinus, tum aqueus conturbantur.

Quemadmodum *2.ad Glauc.cap.1.in princ.* duplex inflammatio à Galeno conſtituitur, altera ſicca, humida alia; ſic & Ophthalmia ſicca, dicitur *Xerophthalmia*; humida verò, propriè *Ophthalmia* nuncupatur. Hanc comitatur lachryma. Celſus lachrymæ pituitam addit: pro lachryma aquea humiditatem; pro pituita, craſſam palpebris adhærentem intelligit.

Per accidens verò huius tunicæ inflammatio viſionem lædit, & fit affectus vocatus *Taraxis*, factus à cauſa externa, vt puluere, & fumo pungente, oleo adhærente & inflammante, ſole humorem ad oculos ſtillante. Chemoſis eſt, cùm album oculi ſupra nigrum intumuit, vt nigro ſubſidente, & albo eminente, hiatus cuiuſdam ſimilitudo oriatur. Pterygium eſt tunicæ adnatæ neruoſa quædam excreſcentia, oriens ab alterutro oculi angulo, ſæpius à maiore ſiue interno, & rarò à minore, rariſſimè à ſuperna, infernáue parte, & ad pupillam accedens, eámque obtenebrans. Dicitur *vnguis*, ſiue *vngula*, quia, vt Celſus ait, humano vngui tunica fit ſimilis. Reliquos affectus qui apud auctores paſſim leguntur, ad prædictos facilè reduces, ne infinitus propemodum numerus lectorem obruat. Inter quos præcipuus eſt Ophthalmia, de cuius cauſis, ſignis, & prognoſi, ordinem Hiſtoriarum ſequentes, breuiter agemus.

Definitio.

OPhthalmia *4.ſec.loc.cap.2.* & *lib.de dif.morb. c.13. eſt inflammatio tunicæ adnatæ.* Haly cum Arabibus dicit eſſe apoſtema coniunctiuæ: eámque tripliciter diuidit, quarum primam aſſerit eſſe ſine apoſtemate, intellige apparente, ex Auic.3.3.*cap.7.* Apud hunc auctorem prima ſpecies eſt Ophthalmia non vera, Latinis *conturbatio* vocatur, quam Paulus *lib.3.cap.22.* definit eſſe, *humiditatem cum calore, & rubore præter naturam*: Nam ad ſenſatam noxam ex cauſa externa, commotæ venæ expellunt nonnihil ſeri ſanguinei ad oculum. Neque obſtat, quòd aliquando ab humore frigido oriatur, quia pulmoniam ortam à pituita appellauit inflammationem, *4.de cauſ.pulſ.12, & 15.* Et phrenitis ab omni humore putrente enata, inflammatio appellatur ab ipſo, *2. criſ.12.* In hoc vitio oculum eſſe affectum, & præſertim tunicam adnatam, ad ſenſum liquet.

Cauſa.

EX plenitudine totius corporis, ob quam adnata ipſa tunica repleta diſtenditur, ex influẽtium humorum acrimonia, ac morſu, Ophthalmiam concitari, *cit.ſec.loc.* Galenus confirmat. Sed ferè fit à ſanguine, quia calidi humores magis fluunt, & magis penetrant in membranam, & in anguſtas venas pericranij. Accedit, quòd frigida excrementa magis pellat cerebrum per palatum. Quod enim poteſt obiici, bilem per aures, pituitam per palatum, melancholiam per oculos purgari, non eſt vndequaque verum: & etiamſi cõcedatur, illud de lippitudine, non autem de humore inflãmante coniunctiuam, eſt intelligendum. Fit quandoque ex congeſtione citra defluxum, quia ex temperie vitiata oculi, ſanguis vitiatur adueniens, & oriuntur morbi, ſicut & febres, *2. feb.vlt.* Deinde quæuis intemperies partis corrumpens alimentum, poteſt replere poros, & tumorem inducere. Si autem auctores priſci cauſam tumorum dixerunt eſſe defluxum, explica frequentiſſimam.

Signa.

HVmor ſuperabundans ex propria cuiuſque humoris natura, & ſignis, facilè dignoſcitur, vt ætate, regione, aëris conſtitutione, corporis temperamento, ratione victus, ſtudio. Demum ſi ſanguis exuperet, facies, & oculus rubent, venæ amplæ erunt, tumor grauis, materia fluens eſt benigna, non acris. Si pituita, color erit ſubalbidus, grauitas magna, calor minor, ſic etiam non vrget valde dolor. Si bilis, aut ichor biliosus, dolor erit mordax, pungens, aderit in facie cum flauitie rubedo; lachrymæ paucæ, tenues, acres. Si ſanguis melancholicus, aderit grauitas cum offuſcatione, oculus erit maximè ſiccus. Si verò prædicta ſigna non adſint, & tamen dolor oculos exerceat, intumeſcant, & extendantur, adſit grauitas in capite, in auribus ſonitus, à flatu ſeu vapore diſtendente oriri hunc affectum, coniectabis.

Præſagium.

VTrùm *Ophthalmia ſit morbus contagioſus?* poteſt in dubium verti: Cùm enim morbus contagioſus, vt communicetur, requirat principium & ſeminarium, ídque vapor, ſeu fuligo putrida eſſe debeat, quæ ab oculis egreſſa, in aëre recepta oculos diſtantes inficit immediatè, vtpote molles, in ſuperficie conſtitutos, & nudos: & ſpiritus, vapórque exiens ſanam tunicam diſtantem penetrare nequeat, cùm dura ſit, ſolida, & denſa, fit vt Ophthalmia ad diſtans non poſſit communicari.

Pro contraria parte, eſt auctoritas Galeni *lib.1. feb. cap.2. §.Sicuti & quòd peſtilenti morbo laborantium conuerſatio, periculoſa, ne inde contagium contrahatur,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 301 sur 927

quemadmodum ex scabie, & lippitudine, &c. Probat 4. *de dif. puls. cap.* 1. §. *Sed vt psora, & lippitudine, qui propiùs accedunt, quidam corripiuntur, &c.* Est ergo hic affectus contagiosus, magis autem aspicienti, & adhuc magis insuero videre Ophthalmicos. Causa primi: nam legere literas ex atramento, plus nocet oculis, quàm habere illas præsentes, & intueri in lucem, aërem luminosum, vel solem; quæ experimenta magis consonant sententiæ Galeni, quòd illuminatio prodiens ab oculis videntis trahit ad oculos aspicientis multos vapores rei conspectæ, sicut & radius solaris plures atomos. Causa secundi, quia dissuetudo videndi Ophthalmicos, inducit timorem, ex quo oculus destitutus spiritu, periclitatur, & ita læditur à vapore Ophthalmici. Quare non erit mirandum, si oculi, humidi, molles, mobilissimi, & sic maximè patibiles, contagium suscipiant facilè ab oculis affectis: quæ est causa, vt oculus hanc affectionem citissimè contrahat, apud Arist. 7. *sect. probl. vlt.* & Alexand. 1. *probl.* 35. Nec coniunctiuæ duricies est impedimento, quominùs spiritus infectus possit communicari, quum sit tenuissimus, & ocyssimè permeet.

Aduertendum deinde, Ophthalmiam in frigido tempore, vel regione rariùs incidere, ægriùs sanari: Nam vniuersaliter 1. *prob.* 25. & 28. infrequenter ægrotamus hyeme, ob robur virtutis, & exercitia: particulariter autem ex morbis rheumaticis, rarissimè, quia humores concreti per angustos meatus fluunt difficulter. Ægriùs autem sanantur hyemales morbi: quia magnitudo causæ maior est, sicut in Athletis, & validis hominibus, maximè morbi soluendi per resolutionem, vt Ophthalmia.

Humida Ophthalmia est breuior sicca. Orta à causa externa, minùs periculosa, quàm quæ fit ab interna. Hoc significauit Auic. 3. 3. *tract.* 1. *cap.* 7. §. *Si initium Ophthalmiæ erit ex velaminibus intrinsecis, cura est difficilis. Omnis ægritudo quæ fit per communitatem velaminum exteriorum, cura est magis salua, &c.* Lippa statim in principio, cruditatis signum est, & diuturnam lippitudinem fore significat. Ophthalmia est velocioris status, in qua lachrymæ magis currunt, & quæ acutiorem habent mordicationem, ex Aëtio *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 1. Prominentes oculi, sicut magis à fumo læduntur, 31. *prob.* 5. ita faciliùs replentur ab humiditate. Demum lege Cornelium Celsum, *lib.* 6. *cap.* 6. qui plurima proponit signa, quibus & futuros euentus intelligere, & prædicere possimus.

Curatio.

AEr sit obscurus, ex Celso *loc. cit.* dum sic ait: *Ergo primo die loco obscuro cubare debet, sic vt à sermone quoque abstineat, &c.* Et priùs proposuit Gal. *lib. de medic. facilè parabilibus, cap.* 10. §. *Fugiant omnes acres odores, pulueres, fumum, splendorem tam lampadis, quàm solis.* Subscribit Rhasis 2. *contin. tract.* 2. *cap.* 2. §. *Sit domus ad tenebrositatem declinans, &c.* Præstat autem ne contorsio dolorem moueat, vt lectus ipse paretur sublimior parti superiori.

Controuersiola potest agitari breuiter: *Vtrùm in Ophthalmia supinus decubitus sit præstantior?* Nam Rhasis 2. *contin. cap. proprio de Ophthalmia*, laudat figuram cubantis supra læsum oculum: & 9. *ad Almans. cap. proprio*, supra sanum dicit esse præstantem. Iesu Haly *eodem cap.* supinum extollit. Hos auctores hoc modo concilia. Fluente humore primi duo accubitus meliores sunt: contrarium enim est posterius anteriori; sicut & dextrum sinistro. Sed vtilior est super dorsum, quoniam facilè transit morbus ad oculum sanum. Cessante autem fluxu meliùs paratur coctio ex accubitu supra oculum ægrum.

Maior difficultas est: *Vtrùm rasio aut tonsio pilorum conferat Ophthalmicis?* In huius enim dubij enodatione video priscos inter se aduersos. Galenus enim *lib.* 11. *de vsu part. cap.* 14. sic ait: *Non enim capilli conueniunt itidem viro, puero, & seni, neque etiam mulieri, neque æstate, aut hyeme, neque in loco calido, aut frigido, quemadmodum neque ei, qui Ophthalmia aut capite alioqui laborauit, &c.* Quare ex sententia Galeni, hoc affectu laborantibus pili non conueniunt; sed tondantur oportet, ex voto Auic. 3. 3. *tract.* 1. *cap.* 9. dum sic ait: *Et expedit, ne pili permittantur prolongari, quoniam valde sunt nocivi Ophthalmiæ.* Subscribit Rhasius *lib.* 2. *contin. cap.* 1. quia pilorum excisio humiditates exiccat, eæ enim in pilorum nutrimentum attrahuntur: & fuliginosi vapores à siccis excrementis elati, qui pilis materiam præstant, exhalant, & ad cutem auocantur, 1. *de temp. cap.* 5. §. *Si igitur quod transfluit, &c.* Experientia enim constat, pilos, & vngues, qui sæpius resecantur, in maiorem magnitudinem accrescere, & euadere corpulentiores, festinante natura resarcire quod abcissum est. Ergo pilos genitos ex sola necessitate materiæ redundantis, satius est attonderi ad sanitatem oculorum, siquidem vapores adusti retenti intra membranas, per continuitatem membranarum statim labuntur in oculos.

Ex aduersa parte obstat auctoritas Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *in fin.* dum sic ait: *Et rasio capitis est ex eis, quæ inspissant cutem eius: quare reuertuntur vapores, & fit fortis febris*, & 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 101. *in fin. de regimine conualescentis*, sic inquit: *Et abrasio cum nouacula nocet ei, propter illud cuius narratio præcessit.* Quare in febribus, & in morbis oculorũ non conuenit abrasio capitis: primò, quia ratione frigoris accedentis ad cutem, & ferri cum quo fit rasio, & frictionis asperæ fit obstructio, & densata cute prohibetur caput ventilari, & vapores acres retinentur, qui caput, cerebrum, & oculos inflammant. Secundò, in rasione fit leuis dolor, & huius ratione humorum attractio ad partes superas.

Dic, quòd pili in morbis capitis, & oculorum abraduntur in multos vsus. Primus est ille celebris apud Medicos, vt meliùs applicentur, & penetrent medicamenta; nam pili has operationes impediunt. Hunc edocuit Galenus 13. *meth. cap.* 22. *ad princip.* Dum enim modum proponit, quo medicamenta capiti, aut oculis sunt apponenda, sic ait: *Commodius autem etiam fuerit, si & cum infrictione id facias, aut tonsis capillis, aut planè abrasis, &c.* Firmat, & interpretatur Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. §. *Si autem vis vti epithematibus, & emplastris, & ægritudo est fortis temporalis, calida, siue frigida, oportet vt caput radatur: Illud enim est magis innatiuum, ad hoc vt medicina virtus in ipsum penetret.* Quapropter etsi corpus tunc sit impurum, & ex rasione confluxus humorum ad caput, & oculos sit verendus, tamen in phrenitide, aliisque capitis affectibus, vel etiam in initio, ob maius periculum euitandum, ob causam dictam est exercenda, quia vtilitas maior est quàm noxa. In Ophthalmia, in fine, iam deposita plenitudine, & vniuersalibus auxiliis administratis, vtilis est tonsio, quæ si non iuuet, rasio exequenda. In initio verò præstat aliquando eam consulere ægris, si ij assueuerint frequenter pilos remouere. Quare cùm consuetudo sit seruanda, eos prolongari non permittemus, alioquî increscet morbus, & dolor capitis opprimet vehementiùs. Ad argumenta verò ex dictis facilis est responsio.

Ab aëre, luce, & cæteris externis iniuriis tutantur oculi, impositio ante ipsos panno aliquo, vulgares sericum admouent. Sed quo colore debeat esse præditum, in quæstionem trahunt, quam nos hoc loco refricare consultum iudicamus. *Vtrùm oculus mediis coloribus recreetur?* Medios colores, præsertim cæruleum, & viridem oculis esse iucundissimos, apud Philosophos, & Medicos ratum est.

Ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 302 sur 927

©BIUM

Ex flauo, cæruleóque mixtus viror, omnium eſt colorum longè gratiſſimus, quòd excluſo pernicioſo rubore, è duobus tantùm conſurgat, quorum neuter viſui aduerſetur. Hic planè ad voluptatem datus videtur, vt illo ſeſe homines oblectent, atque oculos paſcant. Quamobrem herbæ, & plantæ, quas præcipuè oblectamenti cauſa Naturæ auctor inſtituit, iucundiſſimo virore perfuſæ conſpiciuntur. Hinc Philoſophus *ſect. 31. probl. 20.* teſtatur, cùm cæteras intuemur res, viſum fatiſcere, reddíque deteriorem; cùm verò viridès, & herbeſcentes inſpicimus, vt olera, & gramina, & alia his ſimilia, recreari, meliorémque euadere.

Obſeruauit hoc Plinius *lib. 37. cap. 5.* vbi de ſmaragdina viriditate. *Nullius*, inquit, *coloris aſpectus iucundior eſt: nam herbas quoque virentes, frondéſque auidè ſpectamus; ſmaragdos verò tantò libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu ſmaragdi recreatur acies: ſcalpentibúſque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt, ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent.* Hinc fit vt non citra rationem Medici rerum virentium aſpectum ad viſus conſulant recreationem.

Flauus præterea, ac cæruleus color ſuapte vi aſpectum attemperant, quod Galenus inprimis teſtatur, *lib. 10. de vſu part. cap. 3.* exemplo illorum, qui in albis coriis depingunt, à quibus viſus offendi ſolet: *Hi enim*, inquit, *colores fuſcos, & cæruleos iuxtà ponunt, in quos dum ſubinde oculos conuertunt, recreantur, & à labore, ac fatigatione releuantur.* Et ſanè tanta illa iucunditas, qua perfruimur, dum cælum intuemur, vt illuc ad ſui aſpectum, & contemplationem nos alliciat, argumento eſt eſſe cyaneum, vel cæruleum inter ſuauiſſimos colores reponendum.

Huius quæſiti cauſam aſſignat Ariſt. *31. probl. 20.* quòd hi colores modicè ſe conſpectui offerant. Dic tu hoc modo. Omnis ſenſus iuuatur ab iis, quæ ipſius temperiem, ac commoderationem tuentur, atque eiuſdem ſubſtantiæ ſunt familiaria; à contrariis autem læditur. Quare meritò cæruleus color eſt oculis iucundiſſimus, vt qui ſuo iucundo occurſu, & temperata natura viſum demulcet. Eſſe autem eundem colorem temperatum, ex eo patet, quia ex contrariis & extremis, rectè, inuicémque temperatis, & commixtis conſurgit, vt colligitur ex Platon. *in Tim.* Ob eandem cauſam viridis color viſum recreat: nam hic color, ex fului, & nigri mixtura conflatur.

Sed age deinde, & quære: *Vtrùm oculus extremis coloribus lædatur?* Extremos duos colores, album, atque atrum, Philoſophi omnes cum Plat. *in Tim.* oculis aduerſari ſunt concordes. Album autem aſpectui officere, omnium experientia eſt compertum: & Galenus *10. de vſu part. cap. 3.* illuſtribus exemplis confirmat militum, inprimis Xenophontis, qui per multam niuem iter facientes, non leuem iacturam oculorum acceperunt. Deinde illorum, qui à Dionyſio Siciliæ Tyranno, ex obſcuriſſimo carcere in ſplendidiſſimam domum calce illitam, & læuigatam adducti, ſubitò occæcati fuerunt, minimè ferentes repentinum luminis, atque exquiſiti candoris occurſum.

Hoc etiam confirmatur exemplo illorum, qui explicatis oculis fixiùs eclipſin ſolis intueri conati, viſu ſunt deſtituti. Et ob eam cauſam ſi quis oculis inconniuentibus velit intueri, oculos eum celeriter amiſſurum pronunciat ibidem Galenus, addens Ophthalmia laborantes luce redargui, ac lædi. Et *lib. de ſubſig. empir. cap. 5.* monet, album, & ſplendidum colorem lippientibus ſummè aduerſari. Præterea qui ad accenſas fornaces opus faciunt, quales ſunt qui ferrum cudunt, aut vitra conflant, aut metalla ſecernunt, plurimùm viſu hebetantur, ob continuum ignei fulgoris aſpectum, qui poſt aliquot annorum ſpatium, organum quoque ipſum, inſitámque organo facultatem peſſumdat. Quod ita eſſe, Albertus Magnus *lib. 2. de anim. tract. 3. cap. 13.* etiam aliis exemplis demonſtrat.

Quo autem modo albedo viſum diſgreget, hæſitarunt multi. Ariſt. *lib. 10. Met. text. 23.* ita definit, vt candor ſit color diſgregans viſum. Diſgregare autem viſum, nihil aliud eſt, quàm diſſipare ſpiritus viſorios, qui ad pupillam à cerebro confluunt; quæ diſſipatio tunc accidit, cùm lux, vel intenſus color internas oculi partes occupat. Oportet enim cauum oculi, quod choroïde, & vueâ continetur, omni tum lumine, tum colore liberum eſſe, vt ſenſus vigeat, & ritè proprio munere defungatur; nam ſi lumine, vel colore pars illa oculi præter naturæ modum ſit affecta, omnia confuſa quadam luce, vel tenui colore reſperſa conſpiciuntur.

Quare autem appulſu obiecti valdè candidi, & lucidi, hanc viſus diſſipationem patiamur: Ariſtot. *2. de anim. text. 123.* refert hunc effectum in ſenſibilem exuperationem ſuperantem vires. Ex quo fit, vt ratio inſtrumenti diſſoluatur, non ſecus atque concentus, nimia fidium intenſione. Apta enim organi compoſitio, quam propria functio poſtulat, non ſolùm in figura idonea, ſed etiam in exquiſita quadam primarum, ſecundarúmque qualitatum ſymmetria, ac moderatione, quam inſtrumenti rationem appellat Philoſophus, conſiſtit. Hanc verò cùm excellens ſenſibile penitus, aut ex parte labefactet, fit vt facultas ipſa organo inſidens pariter vitietur: eandem cauſam innuit ipſe Philoſophus *31. ſect. probl. 20.*

Alij Ariſt. interpretes ſic ratiocinantur, docéntque eam diſgregationem effici à luce, interuentu caloris, cuius illa eſt parens; Itémque ſuo modo à candore, qui ad lucem propè accedit: Exiſtimandum enim eſt, facta in centrum viſus radiorum collectione per infractionem, quæ accidit in humore aqueo, calorem quendam excitari, qui ſpiritus animales diſſipet, & cryſtalloïdis ſubſtantiam exſugat.

Albertus Magnus *lib. 2. de anim. tract. 3. cap. 13.* Sic philoſophatur: Lux, inquit, ſolis fortiſſima ſuper oculum ſphæricum, & politum, multas facit radiorum reflexiones ad medium oculi, vbi eſt humor glacialis, in quo ſigillantur formæ viſibilium; & reflexio illa calefacit, & diſſoluit humorem illum, & fortè conſumit, vel fortè fluere facit humidum alienum diſſolutum circa oculum, & tunc generat maculam in oculo, vel aliud impedimentum viſus inducit; & hæc eſt cauſa, quare lachrymantur oculi, quando aliquis excellens lucidum circumſpexerit.

Cùm verò contrariorum contraria ſit ratio, ſi candor viſum diſgregat, vtique illum nigredo colliget, quod docent Plato, & Ariſt. *loc. prædictis.* Nihilominùs, vt rectè notauit Albertus *lib. 2. de anim. tract. 4. cap. 9.* etiam ſuo modo officit aſpectui nigror, quatenus longiore eius intuitu ſpiritus ſeſe in intima abdunt, ac nimia frigiditate partes oculi coguntur, & conſtipantur. Hanc ob cauſam quoſdam videmus, obſcuro carcere, vel pauco temporis interuallo detentos, tantam oculorum contrahere hebetudinem, vt vix quidquam perſpiciant.

Si verò interroges: *Vtrùm excellens albedo, aut nigredo amplius viſui officiat?* Reſponde cum Galeno, album magis infeſtare nigro: quia album, ſeu ſplendidum tenui ſubſtantia conſtat, atque ad agendum eſt maximè idoneum, nigrum contrà, craſſiori, ideóque ad agendum minùs habile. Ob hanc cauſam Sol, (non obſtante, quòd ſubſtantiæ familiaritate viſui reſpondeat, ac illi cognatus ſit) propter tenuiorem ſuam eſſentiam, & actionis vehementiam, celerem noxam viſui infert: nam breuiſſimo tempore à Solis ſplendore viſus offenditur, adeò vt ab eo viſum diſſipari contingat, vt citatis exemplis probauimus *ſuprà*: Candoris

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 303 sur 927

©BIUM

enim, & lucis excellentis, ob naturæ similitudinem, eadem ad liberandum visum sunt incommoda. Non sic autem se res habet in tenebris, in iis namque quempiam diutius versari contingit, priusquam parem noxam visui inferant: sensim enim & paulatim, crassior, atque obscurior visus ab eis redditus extinguitur. Hinc fit vt albedo insignis per se, nigredo per accidens officiat.

At nequid de coloribus visui molestis, relinquatur indecisum, etiam dubitandum: *Vtrùm ruber color oculum inflammet?* Dic, quòd intuitu rerum rubrarum sanguis agitatur, commouetur, & furit: quare spuentibus sanguinem noxium est res rubras intueri, sicut commodum iis qui exanthematis laborant. Exemplo sunt animalia, quæ posito illis ob oculos puniceo colore efferantur, & in rabiem veluti agûtur, vt firmat Plutarchus *lib. de coniugalibus præceptis, ad finem.* Sed cur hæc inspectio mouet sanguinem ad exteriora, vt Auic. notat 1.1. *doct. 4. cap. 2. in fin. §. Sanguinem enim mouet, res intueri rubras: quapropter prohibemus, illum ex cuius naribus sanguis fluit, res splendorem habentes rubeum aspicere, &c.* Dic, similia attrahere similia nisi impediantur: quare cùm res fulgidæ, & rubræ sint splendidæ, & spiritus sint de natura lucis, mouentur ad ipsas; ad quorum motum, sanguinis motus consequitur. Solue secundò, quia imaginatio mouet sanguinem, facitque illum fluxilem ad obiectum placidum. Si verò quæras, num species in anima, imaginatio, vel affectio, aut actus possit esse causa realis permutationis in corpore? Dic quòd sic, in eodem indiuiduo, vt docet Galenus historiâ *lib. de theriac. ad Pison. cap. 14.* non tamen in alio corpore, vt opinatur Auic. *6. de anim. part. 4. cap. 4.* dicit enim quòd forma corroboratur in anima, & patitur ab ipsa forma ipsius materia, & ideò qui credit se conualescere, conualescit, & qui ægrotare, ægrotat; adeo quòd etiam in corpore alieno aliquando operatur anima, sicut in proprio, vt est operatio fascinantis, quia animæ nobili obedit quælibet materia mundi: inde fit vt nonnullos Medicos vocemus fortunatos, alios infortunatos. Hæc tamen opinio est difficilis, quia anima vnius corporis non habet communicationem cum anima alterius. Secundò, quia corporum cælestium cùm sint nobilissimæ formæ, materiam inferiorem non immutant, nisi intercedente actione corporea. Igitur multò minùs anima nostra sola imaginatione corpus alienum immutabit. Ergo his de causis color ruber obest ophthalmicis, & iis qui faciei erysipelate, vel reiectione per os cruenta laborant. Hoc enim colore conspecto, cernentis sanguis, calidissimis, iisque tenuissimis delatis spiritibus statim accurrit, igneścitque, & oculorum, faciéique inflammationes exasperantur.

Cibus in Opthalmicis non sit crassus, difficilis coctionis, & distributionis, minimè caput tentet, minuatur in cœna; vnicum enim malum habet magna cœna, quòd nocet oculis. Dubitabis circa victum: *Vtrùm acida, & dulcia in huius affectus curatione reprobanda,* vt acetum, mala punica, syrupus acetosus, cotoneorum succus, & his similia. Hæc reprobâtur à Mesuë, & Auicenna *3.3. tract. 1. cap. 9. in princip. §. Canon communis in regimine ophthalmiæ materialis, & reliquarum ægritudinum oculi materialium, est minoratio cibi, & alienatio omnis vaporosi, & alienatio comestionis acetosi, salsi, & acuti, &c.* Probantur à Rhasi *loc. cit.* & Iesu Haly *cap. de ophthalmia.* Concilia hoc modo. Valde acida copiosè assumpta, noxia sunt, quia mordent membrum valde sensile, membranásque: Parcè sumpta prosunt, sua enim modica adstrictione, humores, & vapores reprimunt, ne ad caput conuolent. Dulcia vitanda, ex consilio Rhasis, *lib. 9. ad Almans.* eo nomine, quòd calidum humorem, ac proinde euaporantem gignant. Num autem bilem magis, quàm sanguinem? Rhasis 4. *diuisionum*, inter causas phrenitidis sanguineæ, esum dulcium proponit. Ergo dulcia, crassa, in corpore modici caloris sanguinem gignunt, dactyli, caricæ, passulæ; dulcia autem tenuia in valido calore, bilem.

Potus sit aqua, ex Paulo *loc. cit.* eáque æstuante capite, hordeo decocta, Vinum reprobum in initio, vigente plenitudine; nam vapore suo caput tentat, replet, & inflammat. Si verò frigidiusculus sit humor, & crassus, ægérque in declinatione sit constitutus, & eius potui assuetus, à quo æger non lædatur, tunc vini potus, ex Hippocrat. & Galeni mente, *lib. 6. Aph. 31.* concedi potest; roborat enim vires, lentum & crassum humorem extenuat, discutit, & somnum mouet, & hoc modo robustior natura reddita, residuum concoquit & absumit. In poculo artificiosè se gerit Aëtius: *vt sit amplum, & conetur æger oculos inter potandum aperire: sic enim exoluta obstructione, & multa lachryma influente, à dolore liberabitur: statim enim laxatæ palpebræ, seipsis magis mobiles fiunt, ac leuiores.*

De phlebotomia plura diximus, *lib. 1. Hist. Princip. Med. in com. Hist. 53. 54.* Quo loco eam pro huius affectus curatione esse saluberrimam, ex priscorum mente firmauimus. Nunc dubitandum: *Vtrùm in omni Ophthalmia vena sit secanda?* Græci multoties spreta phlebotomia, purgationem imperant celebrandam. Sic consulit Hip. *6. Aph. 17.* dicens: *Lippientem corripi alui profluuio, bonum.* Subscribit Galenus, *13. meth. 11.* qui inflammationes oculorum purgatione per aluum persanasse gloriatur. Arabes cum suo magistro Auicenna *cit. loco*, in omni specie Ophthalmiæ sanguinem mittunt: *Et phlebotomia*, inquit Auic. *ex cephalica, est conueniens omnibus speciebus eius.* Dic. Sanguinis missio perpetuò conuenit etiam in cacochymia, quia præcipua intentio est reuellendi, & sedandi dolorem, quæ indicationes cum magnitudine morbi cõiunctæ plurimùm vrgent. Quare si inflammatio est magna, semper vena secanda, etiamsi à fluxu concitetur: Nam etiam in dolore à causa externa exorto, vt ictu, percussione, casu, &c. ad præseruandam partem ab inflammatione, reuulsionis causa, venæ sectionem consulit, *4. meth. 6.* & *4. acut. 19.* Hip. autem non prohibet venæ sectionem, sed post hanc celebratam, alui profluuium superueniens approbat, quia tum causa antecedens, tum coniuncta vacuatur. Quo autem pacto humor positus extra venas, ope expurgantis pharmaci possit per inferiorem regionem educi, *lib. 1. Hip. Princip. Med. in com. Hist. 55.* enucleauimus: quo sensu etiam Gal. est intelligendus.

Vtrùm autem inferiores, an superiores venæ sint tundendæ? etiam dubitandum. Serapio *cap. de Ophthalmia*, & Auicenna mittunt ex cephalica: Mesuës, & Rhasis *ad Almansorem*, ex saphæna. Solue tu breuiter hoc modo: Sectio venæ communicantis à loco affecto citiùs attrahit, non tamen æquè fluxum prohibet. Ob necessitatem ergo celeritatis in inflammationibus internis, incipimus à communicante; in externis doloribus, ab aduerso, vel remoto loco.

In Ophthalmia magna & sæua, ob periculum, & dolorem ab affecta parte priùs exhauriendus sanguis; imiti, licet à remotione incipere. Vel dic. Serapio in pauca plenitudine, gibberi venas feriendas docet: Reliqui in multa plethora ex talo vacuandum iubent, maximè si consueta vacuatio per hæmorrhoïdas, aut menstrua, sit suppressa, vel minuta: nam eam prima sanguinis detractione reuocare curabis, vacuato sanguine ex talo; sæpe enim licèt distantior videatur locus, longè vtilior existit, quia semper consultum fuit accedere ad originem, & originis principium.

Postquam totum corpus sufficienter vacuatum est, & caput adhuc humore calido repletum existit, sanguinem mittes ex ramo venæ cephalicæ in carpo, venis nasi, frontis, sub lingua, angulis oculorum, quò expiret commodiùs, quod in oculis ipsis infixum est. Cucurbitulæ scapulis, dorso, imò ceruici affixæ, & scarificatæ, citissimum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 304 sur 927

©BIUM

citiſſimum lippientibus oculis leuamen præſtant. Iuuant frictiones crurum, & brachiorum, lauacra, & ligaturæ, quorum beneficio humorum momentum trudatur deorſum.

Purgatio ſalubris eſt, iuxta humoris ideam celebrata. Sed redundante humore bilioſo, qui non in capite, ſed in hepate, & genere venoſo ſedem habet, priùs viſcera expurganda, deinde caput, & oculi: Secùs faciendum in pituitoſa Ophthalmia. Licèt autem forma ſolida in hunc vſum ſit commoda valde, quia ob moram in ventriculo, ſomni tempore offertur, & feliciùs à ſuperioribus partibus humorem peccantem eradicat; tamen ſi feruor adſit, febris, & capitis ardore crucientur ægri, ſecuriora ſunt electiua lenia, & quæ prohibent ne humores vehementiùs in partem irruant affectam: de horum cenſu ſunt Manna, Caſſia, Rhabarbarum. Cætera *cap. de dolore capitis* latè propoſui.

Quod attinet ad Syrupos, præponantur, ſi purgatio expectet coctionem. Vbi autem adhibentur affluente humore, multis placet commodè non ſolùm in hoc affectu, ſed in omni rheumatico, quod non præcedant ſyrupi: Si enim hi aſtringunt, purgationem prohibent; ſi laxant, augent fluxum. Quod eſſet verum, ſi intempeſtiuè, & citra præuiam phlebotomiam concedantur.

Non eſt quoque hoc loco, circa diuiſionem humoris à capite, & oculis, ſilenda diſceptatio, ad curandos oculorum morbos vtilis valde: *Vtrùm Errhina medicamenta in oculorum affectibus ſint vſui?* Quòd ſint reprobanda, facit argumentum fortiſſimum, quia humores ad oculos attrahunt, cùm per eoſdem poros deferantur ad angulos oculorum, & ad poros naſi. Sed hæc ratio non eſt ſufficiens, vt concedamus omnia caputpurgia omni tempore eſſe arcenda; nam aliquando adhibita non leue ad curationem momentum attulerunt.

Tam naſus, quàm palpebræ, oculi expurgationi in naturali ſtatu deſeruiunt, ob exquiſitum oculi ſenſum, teſte Galeno *lib. 1. de ſanit. tuend. cap. 18.* Quod ſi verum eſt, cur ſalubriter non licebit, materiam peccantem in oculorum affectibus, poſt exquiſitam expurgationem ad nares deriuare? Hoc præceptum priùs edocuit Hip. *lib. de loc. in hom. ante medium, num. 21.* ſic enim ait: *Si autem à carne & oſſe, muco inter os & carnem ſubſiſtente, fluxus ad oculos fiat, ex hoc manifeſtum ſit, quod inde proſtuit.* Et infrà ſic ait: *Quum autem in oculos paulatim fluxerit, & pruritum fecerit, ad nares medicamentum adhibebis.* In hunc ſenſum intelligendus eſt Galenus *lib. 6. epid. ſect. 2. com. 33.* dum in oculorum affectibus narium tranſitus apertos eſſe, edocuit cum Hippocrate. Hic enim ſic ait: *Tranſitus aperiri, vt nares.* At Galenus *in com.* ſic inquit: *Id per ſe quidem memoratu dignum eſt: Conducit enim omnes ſuperuacuorum excretorios meatus aperiri. Et cum ſuperioribus verbis coniungi poteſt, duplicem ſic vtilitatem præbens, propriam quidem in oculis Rhyade morbo vexatis, &c.* Eſt autem Rhyas, auctore Paulo *lib. 3. cap. 22. rubric. 20.* carunculæ in maiori angulo imminutio. Ergo ex mente Galeni, in oculorum affectibus nares aperire conuenit, hoc eſt, mucoſam materiam in oculorum tunicis impactam per nares, & earum canales excernere, iis medicamentis, quæ expurgare nata ſint. Poſuit autem exemplum in Rhyade, cæteros oculorum affectus ſubintelligens: nam ſub vno exemplo cætera comprehenduntur, ex Galen. 5. *Aph.* 33. & 1. *acut.* 33. & 3. *eiuſd. com.* 42.

Hinc profectò eſt, vt Introductorij, ſeu Medici auctor, (quem Herodotum eſſe fatetur Galenus, 6. *epid. ſect. 2. com.* 43.) *cap.* 25. diſertè ſcribat, iſthæc medicamenta, caput per os, aut nares expurgantia, propriè in affectibus capitis, & oculorum ſumi. Et Galenus 6. *de ſanit. tuend. cap.* 17. apertè oculis affectis hæc laudat medicamenta. Hoc etiam reſpiciens Hipp. *lib.* 7. *epid. poſt Cleomenis, & Coci hiſtoriam, num.* 37. ita prodidit: *Quibus fluxiones in oculis tenues, ac diuturnæ, ſi maturæ in nares proceſſerint, proſunt.* Quaſi dicat, ſi humor in oculis infixus, per nares, ſiue à natura, ſiue ab arte expurgetur, bonum. Quare poſt coctionem, atque exquiſitam totius, & capitis vacuationem, naſi fuſoria, præſertim leuia, in oculorum affectibus ſummoperè præſtant: Hoc enim tempore per eandem affectam partem vacuare, 2. *ad Glauc.* & alibi ſæpe nos docuit Galenus; & cò magis per viam proximam, quod vacuationis genus deriuationem rectius dixeris.

Localia eſſe imponenda patientibus oculis, ratio dictat: quæ cùm reprimentia ſint, ex Gal. 4. *ſec. loc. cap.* 2. partem roborant, acres humores contemperant, & partem à maiore inflammatione præſeruant. Sed in initio pauca medicamenta ſunt imponenda; nam ſi ſint adſtringentia, exaſperant, ac dolorem augent. Si calida, & tenuium partium, inflammant, & fluxionem accerſunt. Quare prudenter admonuit Haly *de regali diſpoſitione, cap. de Ophthalmia*, cum Serapione *prop. cap.* vt primis diebus nulla medicamina imponantur, quia oculus eſt nimij ſenſus, & facilis læſionis, & ideò multa medicamenta, & diuerſa, vel fortia in qualitate, euitanda ſunt, ſaltem in principio. Hoc præceptum obſeruat Celſus *loco cit.* §. *In ipſum verò oculum prima die, niſi immodica inflammatio eſt, nihil rectè coniicitur: Sæpe enim potiùs concitatur eo pituita, quàm minuitur.*

Suinmè commendatur à priſcis liquor oui, & à Galeno 13. *meth. cap.* 21. Humoris enim acredinem abſtergit, aſperitatem lenit, 4. *ſec. loc. cap.* 2. Ob modicam adſtrictionem roborat, repercutit, dolorem ſedat, ex lentore autem non citò defluit. Quod ergo *eod. cap. rubric.* 7. apud Galenum, *in fine* legitur, carere in totum vi abſterſoria, intelligatur propria facultate abſterſiua, quæ manat ex parte calida penetrante, ex humiditate tamen liquida acredinem deſcendentem eluit.

Deinde dubitandum: *Vtrùm lac dolentibus oculis inſtillandum?* Galenus 4. *ſec. loc. cit.* illud vehementer laudat. Subſcribit Auic. *vbi ſuprà.* §. *Non eſt conueniens, vt dimittatur diſtillatio lactis in oculo tempore longo, imò oportet vt renoueatur omni hora, &c.* Nam corrumpitur, & aceſcit. Inſtilletur ab vbere, & ſumatur ex iuuencula boni ſucci, 4. *ſec. loc. cit.* Addunt, vt ſit ex lactante fœminam, quia frigidius & humidius: Sitque à tertio menſe ad annum: recentius enim incoctum eſt; antiquius, craſſum, calidius. Medium temperat ardorem, dolorem lenit, ſqualentes oculos humectat.

At ſi hæc vera ſunt, quare Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 3. cap.* 10. tantoperè hoc auxilium condemnat? dum ſic ait: *Quidam porrò dolorem obtundere volentes, & caliditatem, & acrimoniam edulcare, lac pro ouo infundunt: decipiunt autem ſeipſos, ex ignorantia, pro paruo ſolatio, diuturnam affectionem ægro propinantes, &c.* Quaſi dicat, lac licèt dolorem leniat, cùm tamen ſit craſſi ſucci, humores arctat, & reſolutioni contumaces reddit, & ob hanc cauſam in longum tempus protrahitur morbus. Hi ergo auctores ſic ſunt interpretandi, vt Galenus loquatur de vrgente dolore, Aëtius de modico. Cùm enim vehementer hoc ſymptoma inſoleſcit, vires eneruat, deiicit, ac tandem capite debiliori reddito, & ad id plurima hac de cauſa humorum copia attracta, lethales ſequuntur oculorum, & capitis morbi, qui ſæpe ægros ad necem perducunt.

Quæres: *Vtrùm in curatione ophthalmiæ magis præſtet albumen oui, an lac?* Illud excellere firmat Aëtius *loc. cit.* §. *Rarefacit albumen oui meatus, & per viſcoſitatem facilè euacuat lachrymam, & meatus obducit, ac humorum acrimoniam contemperat, & ipſorum tenuitatem ad iuſtam ſpiſſitudinem tranſmutat, & omnem morboſam putredinem detergit.* Haly *cap. prop.* dixit, in hyeme, vel Ophthalmia frigidiore, lac; in æſtate, vel calidiore

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 305 sur 927

©BIUM

calidiore, albumen. Dic tu. Si materia est multa, A
præstat lac; quia timetur obstructio ab candido oui. Si pauca, præstat albumen; nam tunc incrassatio non timetur, & magis refrigerat. Solue tertiò cum Galeno 4. *sec. loc.cit.* dicente, lac magis, mitigare dolorem, ob multam lenitatem butyri, & absterſionem seri. Quare in magno dolore, siue ob acredinem, siue ob humoris copiam, præstat lac; in remissione, sufficit ouum.

Hæc medicamenta in omni Ophthalmia actu frigida imponantur, sicut in auribus calida, ex Mesuë: Oculi enim actuali frigiditate recreantur, sic enim prohibetur exhalatio spiritus, ad quam propter raritatem pronus est, ob quam vis medicamentorum etiam frigidorum penetrat. Nec obstat, quòd Mesuë fomenta B
calida oculis applicet: Intelligendus enim est de operatione medicamenti virtuali, siue repellente, siue digerente; in fomentis autem quæritur operatio caloris actualis. Dic secundò. Mesuë extrà imponit, non verò oculo infundit: de quo argumento lege quæ diximus, *lib.1.Hist.PP.Med.in com.Hist.56.*

Collyria tardentur ad tres dies, ex Auic. *loc.cit.* præsertim momentaneè adstringentia. In valde calida infundatur mucago psyllij cum aqua rosar. & lacte; & in calidiore, decoctum papaueris cum liquore oui. In augmenti initio repellentia cum resoluentibus misceantur, ita vt repellentis sit pars vna, resoluentis sint tres, ex camomil. vel meliloto, vel fœnugræco, vel collyrium album Rhasis sine opio, & sic ʒ j. ad lactis vnciam vnam. In statu fomenta ex decoctis resoluentibus, bis in die in dolore modico; in valido, quater, 4. *sec. loc.2.* Quo tempore magnificè auxiliatur, & tollit C
dolorem linteolum madefactum butyro insulso oculis impositum, 4. *sec. loc. cap.8. rubric.2.*

Frontalia, & oculorum emplastra aliquando suspecta sunt. Apponantur itaque post euacuationem, & in valido fluxu, 4. *sec. loc. cap.8. rubric.5.* Similaginis partes duæ, thuris vna cum albumine. Vel cochleæ tritæ cum albumine: Vel thus cum luteo oui asso duro. Toti autem oculo violæ cum rosacea. Vel medulla pomi assi cum rosacea. Vel ex Galeno *cap.8. rubric.4.* Oui luteum cum pauco vino, & croco.

Inter repulsoria auxilia mordacitatis expertia, pompholyx lota nulli est inferior, cessante fluxu, & vacuatione peracta, 4. *sec. loc.2.* Ex Serapionis censura pulueres sarcocollæ cum saccharo candо, & amylo cæteris præstant. Si adsit dolor, vtere collyrio albo Rhasis cum opio, vel caseo recenti pluries loto, tuso cum albumine oui, vel lacte cum croco. Si dolor magis vrgeat, impone succum coriandri cum lacte, vel polentam ex decocto capitum papaueris, vel foliis hyoscyami tusis cum vitello oui. D

Tandem in dolore corrodenti modicè narcotica prosunt: licèt vniuersaliter 12. *meth.1. & 8. & 6. Aph.* 31. Galenus damnare videatur. Sed id facit in principio, non vacuata causa: approbat Auic. *cit.loc.* sic dicens: *Et quandoque doloris vehementia facit necessariam stupefacientium adhibitionem, sicut succi pomorum mandragoræ, & lactucæ, & papaueris.* Quare si humor E
est subtilis, & corrosiuus, stupefacientia, extrà, & intra oculum imposita, summo infestante dolore, sunt vtilia, prout prædiximus *lib.1. Hist. PP. Medic. in com. Hist.56.*

Ad mitigandum dolorem, auctores oleum præsertim rosaceum oculis imponunt, quare dubitandum: *Vtrùm oleum in affectibus oculorum aliquando admittendum?* Vtiliter posse oculis imponi, rationes firmant: Nam si sit rosaceum, fluxiones reprimit, lenit dolorem, acres succos contemperat; & ita Alzaharauius 4. *pract. cap.25.* cum vitello oui, lacte muliebri permixtum id imponit. Dic. Si humorum impetus ad oculos vehemens sit, & dolor vrgeat, extrà impositum prodesse, ob causas dictas: Nunquam verò intra oculum vel per se, vel permixtum esse admouendum; nam lentore suo adhæresci, obstruit, facta obstructione calor oculi intus cohibetur, retentus exardescit, & inflammat.

Si perseueret affectus, & cæteris præsidiis resistat, tunc coniectura est, quòd sanguis calidiusculus in arteriis sit infixus: tunc ergo vtere consilio Galeni, 13. *meth.cap.vlt.* Rade, aut seca temporum arterias. Id docuit Auic. *loc.cit.* §. *Et fortasse non sufficit phlebotomia ex Cephalica, & est necessaria phlebotomia arteriæ temporis, & auris, ad abscindendam viam, per quam aduenit materia; & illud, quando materia aduenit oculo per arterias extrinsecas.* Quòd si suspectus sit arteriotomiæ vsus, in ea parte hirudines appone, ex Paulo *loc.cit. rub.2.* §. *At si humores in capite fuerint impacti, hirudines frontі, quà oculus dolet, adhibere oportet.*

Quod si neque iis succumbat affectio, tunc existimandum est humorem perpetuò de nouo generari, qui confluens in oculos, illos inflammet. Ita docuit Auic. *loc. cit. cap.6. Et scias quòd quando adest Ophthalmia, & oculi alteratio perseuerat cum cura recta, tunc causa eius est materia retenta in oculo, corrumpens nutrimentum.* Amplectere ergo consilium Auic. *eo loc.* dum sic ait: *Quandoque cauterium super verticem est necessarium, vt retineatur fluxus.* Omnibus enim inueteratis oculorum affectibus ex humorum influxu subortis, nullum est efficacius remedium cauterio in occipite, aut setaceo: quorum loco fontanellæ brachiis affixæ, aut vesicantia retrò aures, vel cauterium in sincipite excitatum satis sunt. Si autem ex crassiusculo, minúsque calido humore, oculi infestentur, ad roborandum caput & oculos, fluxionémque exiccandam, sudorifica parata ex radice chinæ, vel smilace aspera, aut Ebeno valde excellunt. Alia verò præsidia minùs efficacia passim inuenies apud auctores.

OBSERVATIO.

Ad inueteratam Ophthalmiam, vnguentum eximium.

AD exiccandas humiditates ad oculos à capite confluentes, simúlque valentissimè per canthos expurgandas, Vnguentum fit magistrale, nulli secundum, applicitum post totius, capitis, & oculorum vacuationem vniuersalem. Eo bis in die manè, & noctu, tribus horis post cœnam, palpebræ superiores leuiter illinantur: post horam, humoris serosi riuuli per angulum præsertim maiorem effluent vbertim.

℞. *Olei rosac.* ℥ iij. *aq.rosac.* ℥ ix. *camphor.* ʒ j. *tutiæ,* ϑ j. *mellis,* ℥ ij. *fellis hirci,* ℥ ß. *farinæ lupinorum,* ϑ j. ß. *aloës succotrin.* ʒ j. *sacchari candi,* ϑ j. ß. *succi marrubij, succi fœniculi, succi rutæ, an.* ℥ ß. *myrrhæ,* ℈.xv. *ammoniaci,* ʒ ß. *sarcocollæ,* ʒ j. ß. Pulueri satis pulueri-sandis, misce, & lento igne coque modicè, & cum pinguedine hircina, & arietina, ac momento ceræ, fiat secundùm artem Vnguentum.

OBSERVATIO.

Ad Ophthalmiam contumacem, aqua mirabilis efficaciæ.

OPhthalmiæ diuturnæ, cunctísque oculorum affectionibus, quæ ex nimia humiditate, crassísque humoribus & caliginosis scaturiunt, vt densitati, albugini, vngui, suffusioni, &c. Hanc aquam principatum obtinere diutino experimento compertum habeo, si corpore exquisitè vacuato, noctu solùm, tribus horis post pastum, intra oculum sex guttas eius instilles actu frigidas. Post duas enim horas, tanquam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 306 sur 927

©BIUM

tanquam è fonte perenni, manabunt ichores in copia multa.

℞. *Aloës*, ʒ iij. *rutæ, fœniculi, betonic. an.* M. ij. *verbenæ, tormentillæ, an.* M. j. *ſarcocollæ*, ʒ iij. *ſpumæ nitri*, ʒ ij. ß. *ſacchari candi*, ʒ iij. *ſyrupi roſacei*, ʒ iv. *vrinæ pueri impubis*, ℔ß. *ſtercoris lacerti*, ʒ iij. *marrubij*, M. iij. *euphraſiæ*, M. j. ß. *Zingiber. ſpicæ nardi, piperis longi, caryophyllor. tutiæ*, ʒ ij. *balſami*, ʒ iij. *mellis roſati*, ʒ ij. *viridis æris*, ʒ j. *lycij*, ϑ ij. *folior. raphani*, M. j. Pulueriſanda pulueriſentur, & miſceantur omnia, ac infundantur in vino albo generoſo, in vaſe deſtillatorio, addita quarta parte mellis optimi, decem dierum ſpatio, dummodò quotidie agitentur, & deinde ad ignem ponantur, & aqua quæ ex deſtillatione exierit, reſeruetur.

CAPVT XIV.

De aurium inflammatione.

Definitio.

AVris inflammatio, eſt tumor in profundo auris, ex calido humore pronatus. *Vtrùm intra aurium partes internas poſſit generari inflammatio?* dubium eſt difficile: Nam, vt cætera de fabrica aurium omittamus, auris interna, verum auditus organum, in oſſe petroſo ſitum habet, quam plures meatus conſtituunt. Et inprimis in extremo ſeptum adeſt membranoſum, quod tympanum vocant, quòd tympani modo tendatur. Hæc membrana tenuis eſt, denſa, ſicca, pellucida, exquiſitiſſimi ſenſus, ex Hip. *lib. de carnib.* Tenuis, vt ſonum, & externum aërem admittat facilè; denſa, vt externis iniuriis reſiſtat; ſicca, vt meliùs perſonet: atque hæc à portiuncula duræ meningis ortum ducit.

Poſt membranam conſpicuus eſt meatus ſecundus, quem Ariſtoteles cochleam vocat, alij peluim dicunt. Adſunt tria oſſicula, quæ ſolidiſſima ſunt, & cordæ tenuiſſimæ implicantur: viſitur neruus quintæ coniugationis à cerebro ad aurem productus: conſpicui etiam ſunt muſculi ita exiles, vt ferè ſenſum effugiant. Quare ſi hæc ſicca ſunt, venis expertia, & ob ſiccitatem ac duritiem humores non recipiunt, quomodo inflammari poterunt, & dilatari?

Ex altera parte conſtans eſt Medicorum opinio, in interna auris parte, abdita, & latente, coneitari poſſe inflammationem arbitrantium: Hanc enim eo loco enaſci concedit Galenus, *lib. 3. ſec. loc. cap. 1. in initio*, dum ſic ait: *Fiunt & auris dolores ex inflammatione, interdum quidem ſolius circa meatum cutis; interdum verò in profundo progreſſa, quando videlicet neruus auditorius ad inflammatam affectionem peruenit, &c.* Subſcribit Auic. 4. 3. *tract. 1. cap. 6. §. Et peruerſior dolorum auris eſt ille, qui eſt ex apoſtemate calido profundo inflammatiuo, &c.* Patet apertè: ſi enim in parte ſolùm externa poſſet generari inflammatio, nunquam hæc eſſet periculoſa, cùm pars externa, ſenſus ſit magis heberis, & cerebro non communicet. Quod eſt contra oraculum Hip. *lib. 3. prog. 13.* ſic dicentis: *Aurium autem dolor acutus cum febre continua, ac vehementi, difficilis eſt; periculum enim delirij, mortiſque imminet.* Quia vt Galenus monuit *in com. hæc pars præcipua eſt, & in qua neruus auditorius afficitur, non ex longo interuallo cerebro copulatus.* Hoc etiam demonſtrant acutiſſimus dolor, febris acuta, delirium, quæ omnia ad partes externas inflammatas ſubſequi non ſolent.

Ad obiecta facilis eſt reſponſio. Licèt enim hæ partes duræ ſint & membranoſæ, tamen à tenui humore inflammari poſſunt, qui earum ſolidam & denſam ſubſtantiam penetrat, ex Galen. 6. *Aph.* 33. Ex hoc inflammantur pleura, vnde pleuritis; & cerebri membranæ, & excitatur phrenitis, 2. *de cauſ. ſymp. cap. vlt.* Non æquè autem, inquit Galenus *lib. 6. Aph. cit.* membranæ, ac pulmo ſunt natura aptæ humores ſuſcipere: denſa ſiquidem membranarum eſt ſubſtantia, pulmo verò parte in omni rarus, ac laxus; quare huic promptum eſt omnes ſuſcipere humores, membranæ autem ſuccingenti bilioſos magis.

Cauſa.

INflammatio auris ferè ab humore à capite in eam confluente concitatur: is aliquando eſt ſanguis, ſæpe tenuis quidam feruidúſque humor, qui in auris profundum ita ſeſe inſinuat, & adhæret, vt primùm dolorem excitet, deinde violenter exaſperans, diſtendens, ac replens, tumorem generet. Alzaharauius *lib. pract. tract. 3. cap. 3.* cauſas enumerat in hunc modum: *Aut cauſæ ſunt extrinſecæ, aut intrinſecæ: ſi illæ, aut ex immodico calore emanant, vt nimio æſtu ſolis, approximatione ad ignem, aut ſi forte aliquod medicamentum calidum intra aures imponatur. Intrinſecæ, quando nimia ſanguinis repletio in cerebro abundat, quæ in neruum auditorium irruens inflammationem gignit.* Nam caput nimio humorum onere refertum, in partes ſibi ſubiectas, ſi ſunt debiles, eos detrudit, vt aures, oculos, frontem, labia, dentes, gingiuas, palatum, & alias ſibi vicinas; ſi verò hæ robuſtæ ſint, in debiliores, vtpote pectus, pulmonem, gargareonem, & ventriculum tranſmittit, vt probat Galenus 2. *feb.* 11. Cæterùm vtrùm à bile, aut pituitoſo ſanguine oriatur, ex anni tempore, præcedente victu, ætate, & cæteris coniicies, ex vehementiáque doloris, & eius acutie diligenter venaberis; hic enim perpetuò à feruido humore progignitur, vt animaduertunt Paulus, *lib. 3. cap. 22.* Trallian. *lib. 1. cap. 24.*

Signa.

DOlor vehemens ægrotantes premit, & magis ſi inflammatio in ſuppurationem commigret: nam tunc, vt Paulus ait *loc. cit.* grauitas, diſtentio, ſimúlque calor, & dolor pulſatilis ingraueſcunt. Dolor hic ad aures refertur, non tanquam auditus, ſed tanquam tactus ſymptoma: quippe tactus, auctore Galen. *lib. de diff. ſympt. cap. 3.* omnium ſenſuum inſtrumentis communis habetur, cùm aliorum quilibet ſuo duntaxat inſtrumento ſit contentus. Quæ verò veluti propria ſenſibilia auditum infeſtant, ſenſum quidem corrumpere poſſunt, mortem verò inferre nequeunt. Huiuſmodi ſunt terrifica tonitrua, machinarum bellicarum ſoni, tumultuoſi clamores: ab his enim omnibus auditus diſſoluitur euertitúrque, quemadmodum viſus à fulgure, & ſplendore ſolis. Excellens namque ſenſibile, dicebat Ariſt. 2. *de anim. cap. 2.* ſenſorium, corrumpere ſolet. Hoc probat Galenus *de cauſ. ſympt. cap. 6.* ſcribens, à terrifico tonitruo, nonnullos audiendi facultate priuatos, omnino ſurdos euaſiſſe; quo in loco aſperrimas, maximas, celerrimáſque voces auditum dolorificè afficere affirmat.

At Hipp. *in præſagio citato*, de hoc dolore non loquitur, ſed de eo tantùm, qui auditorium meatum, velut tactus inſtrumentum laceſſere ſolet. Nam ſi fortis eſt, pus fieri oſtendit. Deinde dolor hìc eſt ſæuior omni alio dolore auris, qui ab aliis cauſis emanat. Ita inquit Alzaharauius: *Signum apoſtematis, eſt fortis dolor, & eſt fortiſſimus omnium dolorum auris, & magis periculoſus, cum dolore totius frontis, & capitis, & febris.* Et infrà ait: *Signum humoris calidi eſt fortis calor, & inflammatio auris, & delectatio infirmi in frigore aëris: & quando concordant ad hoc ætas, complexio, & tempus, erit illud fortius.*

Inſuper inflammationem hanc comitantur febris acuta, & delirium: hæc enim ſigna non apparent in inflammatione in extrinſecùs auris conſpicuis articulis oborta

©BIUM

oborta, sed quando in intimo auditorio meatu premit, & fatigat: tunc enim promptè cerebrum consentit, & delirio ægri moriuntur; quia inflammatio in hac parte enascens est cum febri inseparabili, & propriè ad intellectus permixtionè perducit, ex Auic. *loc.cit.* Id significauit Auic. dicens: *Et si causa est dubellet, aut apostema calidum in ipso neruo, significant ipsum febris, & permixtio intellectus.*

Præsagium.

QVærendum primò: *Vtrùm Aurium dolor sit dolore oculorum magis periculosus?* Aures acutissimo sensu præditæ sunt ob causas dictas, & ideò enatus in iis dolor est magis perniciosus quàm oculorum dolor. Hoc probat Celsus *lib.6. cap.7. §. Ideóque ad aures transeundum est, quarum vsum proximum à luminibus natura nobis dedit. Sed in his aliquantò maius periculum est: nam vitia oculorum intra ipsos nocent; aurium inflammationes, doloréque interdum etiam ad dementiam, mortémque præcipitant*: Hic, præsertim si inflammatorius sit, acutissimus est, & incessanter ægrum affligit: qui enim à nuda intemperie, vel quauis alia causa, citra inflammationem contingit, aut sine febri lacessit, aut si febris adest, certè illa assidua non est. Qui verò cum vehementi, eadémque continua febre affligit, citra inflammationem nunquam consistit, cui cerebro consentiente delirium oboritur, & sæpe ineuitabilis sequitur mors. Quin & citra cerebri compassionem, solum ipsum dolorem per se, quando atrocissimus, velut ille, existit, sua vehementia & acerbitate ægrum interficere posse Galenus est auctor, 12. *meth. cap.1. & 2. de caus. sympt. cap.5. Quippe laborantes, & decolores apparent, & refrigerantur, & concutiuntur, rigore tremunt, pulsus minores redduntur, & abolentur, & tandem velut siderati, attonitique moriuntur.* Deinde ex oculorum doloribus non ita sæua mala, ac ex aurium acuto, pulsatili, & insigni dolore subcrescũt; ex hoc enim scaturiunt angor, anxietas, vigilia, sitis inexhausta, febris assidua, delirium, conuulsio, quæ omnia cùm fiant ab humore feruido, bilioso, neruum atque membranam in aurium cauitate positam inflammante, dolorem firmum, fixum, & iugiter cruciantem excitare solent. Ita Paulus *loc.cit.* scriptum reliquit: *Non enim mediocre periculum est, quòd cerebrum neruo, per quem facultas audiendi erogatur, inflammato, vicinum sit*: quoniam, vt ait Galenus *cit. loc. progn. Multi interimuntur propter dolores aurium, vehementer in consensum perducto cerebro: quocirca nonnulli ægri delirant, necnon aliqui derepentè moriuntur.* Quæ ferina symptomata cùm in dolore oculorum non contingant, hunc semper esse mitiorem, & minùs periculosum certum est. Hæc omnia difficilia, & summè periculosa damna leuamen susceptant, si ex aure pus effluat candidum, nam tunc *expectari potest iuuenem conualiturum, siquod aliud etiam bonum indicium superueniat*, vt inquit Hippocrat. *cit. progn.* Si enim humiditas aliqua loco puris emanet, bonum est signum, sicut si adsit morbi tolerãtia, mens constet, virtus sit valida, somnus sit placidus, appetitus alacris: Hæc enim omnia cum pure excreto salutis spem certò promittunt; quoniam, vt 5. *Aph.* 22. Galenus edocuit: *Vlceri pus generanti nihil mali aduenire potest.* Quod assequi difficile non erit, intelligenti suppurationem, coctionem quandam esse, quæ auctore Hipp. 6. *epid. sect.* 3. *text.* 7. perpetuò naturæ victoriam, salubrémque securitatem significat: Nam quidquid ad suppurationem ductum est, id recidiuam non efficit. Ipsa enim concoctio, indicatio simul, & excretio est.

Sed difficilis est explicatio illius oraculi Hippocratici, traditi, *lib.3. progn.14. Vtrùm ab aurium inflammatione, natu minores citius intereant senioribus?* Nam qui ex aurium inflammationibus moriuntur, ob doloris vehementiam, delirium, & febris magnitudinem intereunt. Hinc euenit illos qui nondum trigesimum quintum annum excesserunt, quos *citato loco* Hippocrates natu minores appellat, ab huiusmodi morbo magis periclitari; natu verò maiores, minùs, quoniam hi ob frigidum ætatis temperamentum, & sensus hebetudinem, nec doloris vehementia vexantur, nec delirio, & febris magnitudine prehẽduntur. Illi verò cùm caloris vbertate polleant, & molliores neruos habeant, promptè febres suscipiunt, & vehementer dolores persentiscunt: quoniam, vt ait Galenus *lib. quòd animi mores, cap.10.* adolescentium ætas, calida est, & sanguine affluens; senum, exiguo sanguine, & frigida: ac proinde in his non æquè, ac in adolescentibus, ob doloris, & febris magnitudinem mortes sequi solent, in quibus propter prædictorum malorum sæuitiem, interitus, suppurationem præoccupat inflammationis. Senibus verò non similiter delirium, aut acutæ febres fiunt; frigidum enim est illorum corpus, 1. *Aph.*14.

Vnum solùm obstat fortissimum telum, quòd pueri concoctrice valeant, & sic humorem in inflammatione contentum concoquant, ac præ maiore robore in pus vertant. Senes contrà, debiles, inermes, exangues, & præ innati caloris inopia & languore, vix sæuientium symptomatum insultus in hac inflammatione euenientium, possint tolerare, sed præ sæuitie mali deuicti citiùs occumbant. Dic. Iuniores celeriùs emori ex inflammatione auris internæ, quia cùm calidissimi sint, flamma semel excitata non ita facilè extinguitur, sed increscente febre, feruidioribúsque humoribus factis, & spiritibus ebullientibus excandescit corpus, & ad partem inflammatam decumbentibus, deteriores fiunt inflammationes, ac periculosiores, quæ occupato cerebro subitò interficiunt. In senibus hæc non ita funesta propullulant, quia illis parum calidi innati inest; *Calor* enim *præternaturalis, ramificatur ad proportionem caloris innati*, vt scitè docuit Auerrhoës 7. *collig. cap.*2.

Curatio.

CVm dolor ex inflammatione subortus, sit truculentus ac ferox, & hæc sit interficiens velociter, iccircò, vt inquit Celsus, magis inter initia protinus succurrendum. Quod intuens Hipp. 6. *epid. sect.*5. *text.* 13. dolori aurium tanquam malo partis exactissimè sentientis subuenire blandissimè consuluit, lana ex vnguento, aut oleo calente, digito inuoluta, deinde in aurem expressa, donec aliquid intus influat: hoc enim modo dolori opitulamur, & partem præseruamus, ne ob hanc causam humores à toto, & à cerebro attrahat nocentissimos.

Dubitabis tamen: *Vtrùm in inflammatione aurium semper lenia medicamenta applicanda?* Hoc enim ita esse exercendum, præstantia partis indicat manifestè, quæ sensu pollet exquisitissimo, & partium præstantium primati est continua. At contrà obiicies ex Galeno, qui *lib.3. sec. loc.cit.* in aurium doloribus, valentibus pharmacis vtitur, chalcitide nimirum, nitro, porri succo, vrina caprina, & aliis huiusmodi: Hoc verò non indicat loca hæc acuti esse sensus; nam quæ huiusmodi sunt, eorum vires similibus medicamentis doloribus resoluuntur. Qua de causa Galenus *lib. 7. meth. in fin.* partibus acutè sentientibus expedire dicit, nec confertim, nec semel valentibus auxiliis mederi, sed mitibus potiùs, & in tempore oblatis.

Dic, Galenum non vti his vehementibus medicamentis, quando dolor ex inflammatione emanat, sed quum à frigidis, & crassis humoribus ortum ducit: hæc enim succorum crassitudinem attenuant, eorum rigentem frigiditatem attemperant, & flatus crassos dissoluunt. Nec verendum, quòd hæc aurium neruosas partes

©BIUM

partes oblædant, priùs enim à qualitatibus humorum reſoluuntur, & non niſi refracta ad locum affectum perueniunt.

Ante omnia ſanguis mittendus eſt, ex Pauli decreto, è mediana, & poſtea cephalica eiuſdem lateris. Cucurbitulæ ſcapulis ſiccæ, & cum ſcarificatu adhibendæ, præſertim ſi adſint ſigna plenitudinis, vt faciei rubedo, grauitas capitis & frontis, cùm inclinat ſe, & vehementia percuſſionis: & ſi concordant ad hoc ætas, complexio, & tempus, erit tunc fortior, vt aduertit Alzaharauius *lib. pract. tract. 3. cap. 3.* Quòd ſi validus ſit dolor, aluus per clyſterem fortiùs ſubducatur, & ſanguis à cubito detrahatur. Iuuant etiam cætera reuellentia auxilia, vt frictiones, vincula, ligaturæ crurum, & brachiorum.

Poſt ſanguinis miſſionem medicamentum potandum, quod receſſum deorſum faciat, dicebat Hip. *lib. de loc. in hom. num. 20.* Exhibenda mitiſſima, quæ humoris acrimoniam attemperare, & modicè expurgare queant, vt Rhabarbarum, pulpæ caſſiæ interaneus liquor, Myrobalani citrini, ſyrupus violaceus ex pluribus infuſ. Ex quibus parantur decocta, clyſteria, & aliæ formulæ, quæ ſuauiter aluum proritant.

Vtrùm verò in hoc affectu vacuatio per vomitum celebranda? inter varia loca Hip. videtur eſſe controuerſia: Ille enim nuper *cit. loc. in hom.* ſic ait: *In aurium inflammatione medicamentum quod ſurſum expurget, non dandum; vomitus enim non auxiliatur.* Contrà ipſe *lib. 2. de articul. text. 51. Sed ſi homo facilè vomat, vomere debet, vt modicè exhauriatur.* Et Galenus *in com.* Hip. edictum non reprobat, imò varias afferens vomendi formulas, illius ſententiæ ſubſcribere videtur.

Dic, in inflammatione aurium inutilia eſſe medicamẽta, quæ vomitum mouent: Nam vt *5. meth. 3.* & alibi paſſim, ſcribit Galenus: *Reuulſio in iis quæ ſuprà ſunt, omnibus, deorſum ſemper agitur.* Hæc enim vacuatio violenta eſt, mouet corpus, & facta concuſſione humores ex inferis partibus facillimè confluunt in ſuperas. Caput fortiter agitatur, & comprimitur, & hoc modo accîto calore, ſucci liquantur, & ad aures debiles, ac dolore oppreſſas exprimuntur. Si verò Hip. 2. *de articul.* probat, intelligendus, quando dolor ex frigidis humoribus ab ſtomacho eleuatis ortum ducat; tunc enim præuia ſemper vacuatione per aluum, clemens vomitus concedi poteſt.

Quod à capite fluxio decumbat, tunc commodiſſimè cucurbitula cum ſcarificatu occipiti affigitur, naſi vena ſecatur, & leonicæ aperiuntur. Si tamen ſupprimantur menſtrua, vel hæmorrhoides ſint retentæ, prius è crure vacuationem moliri oportet, & facta ſufficiente ex his partibus vacuatione, citiùs quoad poſſumus, ad ſuperiorum venarum ſectionem accedere oportet.

De localibus illud quærendum: *Vtrùm medicamenta calida actu auribus infundenda?* Et videtur quòd hæc inſtillanda ſint calida, ſeu tepida, quæ nempe ad leniendum dolorem, & refrigerandum apponuntur, etiamſi æſtus ſit maximus: Aures enim frigidæ facilè à frigida intemperie offenduntur, & medicamenta frigida actu anfractuoſos, profundóſque aurium meatus permeare nequeunt, imò ſibipſis viam præcludunt. Ita docuit Galenus 3. *de loc.* 1. §. *Manifeſtum verò eſt, quicquid adhibetur mediocriter calidum eſſe oportere.* Accepit ab Hip. *lib. de affectionib. num. 3.* dum ſic ait: *Si auribus inciderit dolor, conducit multa calida lauare, & auribus fomentum adhibere*: Et *lib. de loc. in hom. num. 20. §. Et verò quem dolor affligit, medicamentum natura calidum, tepidum factum infundendum eſt.* Ex quo loco deſumpſit Paulus *loc. cit. rubric. 1. in fin. §. Calida verò omnia mediocriter eſſe conuenit, quæ auribus adhibentur.* Nam præterquam quòd balneum, & dulcis aquæ lauacrum humores acres attẽperat, vt manifeſto exemplo in doloribus oculorum Gal. ab Hip. edoctus confirmat, *lib. 6. Aph. 31.* Actu calidum balneum neruoſas partes minimè ferit. Subſcribit Meſuë *cap. de Ophthalmia*, dicens: *ſemper in Ophthalmia actu frigida eſſe imponenda, ſicut in auribus calida.* Quam medendi methodum eſſe ſecuriſſimam omnes vnanimiter confirmant.

Obſtat contextus Galeni 3. *ſec. loc. cit.* dum ſic ait: *Quidam verò frigidam aquam dolenti auri infundunt, & confeſtim quidem longè magis dolitant, paulò pòſt verò perfectè doloribus liberantur.* Ergo cum vtilitate, aqua frigida actu in aures infundi poteſt. Dic, eo loco Galenum ex aliorum mente fuiſſe loquutum. Dic ſecundò, in vehementiſſimis doloribus aurium, aliquando narcotica eſſe ex vſu, vt *infrà* dicemus: aquam verò frigidam hac vi præditam eſſe, teſtis eſt Galenus 12. *meth. 7.* qui ad colicum dolorem ex bile pronatum, potum gelidæ, tanquam narcoticum medicamentum offerendum curauit: Nam actualis aquæ frigiditas torporem, & inſenſibilitatem parti inducit.

Maior tamen dubitatio eſt de Aceto: *Vtrùm intra aures inſtillandum?* Negantem partem amplectitur Galenus 3. *acut. 39.* dum ſic ait: *Acetum vterum dolore afficit.* Quare ſi vterum lædit acetum, quantò magis aures, ſuapte natura neruoſas, ſiccas, exangues. Id equidem Galenus oſtendit *in com.* dum ſic ait: *Quòd acetum ſuapte natura neruos offendat, teſtatur experimentum: Nempe exangues ſunt, & ideò frigidi, faciléque ab iis quæ refrigerant ſimul, & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis. Læduntur præterea & à reliquis refrigerantibus omnibus, ſed ſubſtantia aceti, quæ tenuium eſt partium, in eorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes, vt ne minimum quidem ex iis illæſum maneat.*

Idem Galenus contrarium ſtatuit, *lib. 3. ſec. loc. cap. 1.* dum ſic ait: *Moderatæ inflammationes, & non pulſatiles, etiam per huiuſmodi pharmaca curantur, quale eſt acetum cum roſaceo tepefactum, vtriſque diligenter ſimul commixtis.* Probat etiam *lib. 13. meth. cap. 12. §. Auri verò etiamſi acetum cum roſaceo infundas, nihil offendes.* Nam acetum refrigerat, repellit, penetrat, & roborat, hócque modo partem à vehementiori inflammatione præſeruat.

Dic, quòd etſi acetum neruoſas partes ſua acrimonia feriat, & hoc modo ſolum in aures non ſit infundendum, tamen cum roſaceo permixtum, & in parua quantitate admodum nocere non poteſt. Hip. autem *lib. 3. acut.* cùm ſuo tempore plures videret committi errores ab ignaris Medicis: vnus enim tunc non reperiebatur Medicus verus, vt notauit mirabilis Auenzoar *lib. 3. ſua medicin. tract. 1. cap. 1.* Iccircò præcepta quædam vniuerſalia conſcripſit, vt poſteri ea matùro, prudentíque conſilio expenderent. Quare roſaceum acrimoniam temperat aceti, huiuſque vim penetrantem modica iuuat ſtipticitate ſua, lenit dolorem, bilioſi humoris efficaciam retundit. Adde quòd acetum non eſt vndequaque frigidum, imò, vt ſæpe alibi dictum eſt ex Galeni mente, contrariis facultatibus conſtat: Hoc enim, vt ſcitè monuit Galenus 4. *ſimpl. cap. 3.* ex putredine generationem ſortitur; quare caloris præter naturam empyreuma reſeruat: Nam etſi vinoſæ vini partes, dum ipſum in acerum tranſit, refrigerentur, aqueum tamẽ excrementum putreſcens, adſcititiam caliditatem obtinet, velut cætera omnia quæ putreſcunt: Quæ ſanè cuncta, ſi Gal. fidem adhibemus, *lib. de cauſ. morb. c. 2.* & *1. de diff. febr. cap. 7.* calidiora ob putredinem redduntur. Quare acetum non ita frigidum eſt, & adſtringens, vt neruos pungat, auriúmque purgamenta incraſſet, & reprimat.

Si dolor vehementer opprimat, ſtupefacientia ſunt

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 309 sur 927

©BIUM

ex vsu, Sed quæres: *Vtrùm ea intra aures infundenda?* Interdicenda esse dictat ratio : Nam cogunt nimia frigiditate humorem , vias arctant , auditum lædunt, neruos sensiles offendunt,& innatum calorem mortificant. Ex altera parte Galenus 3.*sec.loc.cap.*1.& 8.*c.* 3. *Rarò enim* , inquit , *hisce pharmacis cogimur vti , quum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur: sic ex opio collyria multis detrimento fuere , adeò vt ipsis debilem oculum reddiderint, & visus hebetudinem, auditus etiam grauitatem induxerint.* Quapropter si cætera anodyna non prosint , vt lac muliebre , succus coriandri, rosaceum,albumen oui,tunc ad narcotica deuenire necessitas cogit : etsi enim periculum sit in eorum vsu, melior est noxa,quàm mors,ex Gal.12. *meth. cap.* 1. *In initio* ergo (vt Paulus *cit. loco* edocuit) *si dolor violentus est,iis vtere,quæ leniter sensum stupefaciunt : non enim mediocre periculum est quòd cerebrum neruo per quem facultas audiendi erogatur , inflammato , vicinum sit.* In hunc vsum vtiliter infunditur decoctio papaueris , aut mandragoræ , & intra aurem vaporem eius susçipere commodum est. Si verò virium lapsus ex sæuitie doloris immineat,narcotica,correcta tamen, intra aures infunde. Paulus ita scribit: *Probè igitur hoc dolorem lenit. Opij pars vna,castorij partes duæ , cum lacte muliebri, vel oui albumine,aut vino dulci tepido instillantur.* Subscribit Serapio *tract.*2.*c.*12. Auic. *loc.cit.c.*8. sic ait. *Quúmque necessarium est aliquod narcoticum , magis incolume est sief Memithæ , quod cum aliquanto opio teratur , & misceatur cum lacte mulieris,& distilletur in aurem.*Galenus 3.*de loc. cit.æqualem partem opij , & castorij permiscet cum sapa, quia hæc magis, quàm vinum dulce dolorem sedat.* Quia tamen aures neruosæ, & exquisito sensu pollent,vigente dolore potiùs præstat , vt auditorius meatus lana molliſſima pharmaco narcotico delibuta foueatur , postea oleum è vitellis ouorum infundatur, quippe ad neruosarum omnium partium dolores demulcendos admirabilem vim sortitur,ex Zoaris placito,*lib.*2.*theizir, tract.* 5.*cap.*2.

Quòd si nulla præsidia prosint,& dolor , febris , ac alia symptomata pertinaciùs perseuerent, suppurationem adesse coniectabimus , túncque eam adiuuare oportet. Quare lenientibus admiscenda,quæ molliendi vires habeant,vt mucillago sem.cydoniorum,fœnugræci,sem.lin.Alth.cum medulla cruris vituli, & butyro. Deinde vacuato pure,vel à natura , vel ab arte cum instrumento ferreo,vtere abstergentibus, mundificantibus, glutinantibus,& exiccantibus,quæ operationes à perito Chirurgo commodè administrantur.

Sed restat vltimo loco perpulchra disceptatio:*Vtrùm signa puris collecti in aure , interdum Medicos deludant?* Chirurgi enim decipiuntur sæpe in cognitione veri: arbitrantur enim inflammationem in aure in pus conuerti,& pus adesse intus contentum,cùm tamen solùm sit humiditas quædam in loco collecta,ex lento,mucoſóque humore pronata, quæ circa neruos progignitur natura suapte. Hoc primus omnium docuit Hip. *lib.*2. *de art.text.*57. *Quandoquidem & ea tubercula,quæ ganglia dicuntur , cum humida sint, & mucosa carne contineantur, à multis aperiuntur , inde fluxiurum humorem putantibus. Medicum itaque in sectione animus fallit.* Et Galenus *in com.*sic ait : *Hæc enim ganglia circa cartilaginosas partes, & circa neruos, ex horum alimento increscunt, oriunturque ex humore glutinoso,ac mucoso : Hoc enim est propriũ neruorum alimentum.* Hoc explicuit *supra* sic dicens , *com.* 56.*In dignoscendo loco suppurante, vbi affecta pars tangenti moderate cedit,inibi sectione adhibita , contentum pus inuenitur. Quare Medici postquam eundem cedendi modum in quauis alia parte comprehenderint , putantes eam similiter suppurare,vt illæ quas prius intuiti fuerint ,venientes ad sectionem , errant. Isque error interdum duplex est , & quòd nullo modo ibi pus inueniatur , cùm hæc multò crassiora sint quàm opinentur, & quòd Medicis ea suppurare videantur quæ mucosum humorem in se continent;id quod euenit , quia huiusmodi humor,vt ipse ait,vbi tangatur,citò elabitur:contrahi autem solet in cartilagine , chordis , neruis , ac ligamentis.*

Hanc fallaciam enodat Hip.*lib.*6.*epid.sect.*5.*text.* 13. dum sic inquit : *Sin auris doleat , lana digito circumdata vnguen calidum infundito;deinde iniiciens in volam, lanam auri subiicito , vt ipsi aliquid effluere videatur : deinde in ignem proiicito , dolus.* Quasi diceret : quum multoties hæ humiditates in neruosis partibus enatæ, concoctæ, & ebullientes , suppurationem adesse Medico imponant,iccircò ne hic decipiatur , lanam in aurem intromittere,eámque in ignem proiicere iubet:Si enim hæc, aut liquor ex ea expressus , fœteat , pus intus adesse ostendit,cuius cognitio ob dictam causam fallax est,vt 3.*progn.* 14. prædixit Hippocrates. *Aurium dolor acutus cum febre continua , ac vehementi , difficilis est : periculum enim delirij,mortisque imminet. Quia igitur fallax hic locus est,citò etiam animaduertere omnia alia indicia à primo die necesse est.*

Ob hanc causam tantoperè attentus, & cautus fuit senex vigilantissimus, quia in pure cognoscendo totus salutis cardo consistit : Vt enim *loc.cit.progn. in sententia sequenti* prædixit , de aurium dolore inflammatorio loquutus:*Si enim ex auribus pus effluat candidum , expectari potest iuuenem conualiturum. Pus autem rectè distingues ab humiditatibus illis,si igni admoueas,quia illud fœtet, quum à putredinoso calore sit occupatũ.*Nec dicas,quòd ab igne putredinosus & fœtidus puris vapor absumetur, priusquàm nares feriat : Nam à re odorata, vel fœtida, inter ebulliendum halitus suauis , vel grauis exhalat. De illo scripsit Hip.*5.Aph.*28. *Suffitus aromatum muliebria ducit , & ad multa alia vtilis esset , nisi capitis faceret grauitatem.* De fœdo sic, *lib.*5. *Aph.* 11. *Qui tabe molestantur,si sputum quod extussiunt , graue olet iectum carbonibus , lethale.*

OBSERVATIO.

Aurium inflammatio sæua, Hirudinum suctu curata.

SVb auribus glandulæ sunt conspicuæ , insignes, & crassæ , in quas non solùm cerebrum , sed aures ob viciniam sua excrementa detrudunt. Ob hanc causam cùm cerebrum plurimis morbis vexetur , qui à crasso præsertim,& lento humore originem ducunt,ponè aures causticа,& vesicatoria admouemus,vt humor noxius ad hæc emunctoria attrahatur , ad quæ natura in naturali statu detrudere solebat. Ob hanc causam cùm iuuenis biliosus,& fortis, auris inflammatione truculenta laboraret , & in die sexto , delirio apprehensus , cum acutissima febre,anxietate,dolore immani , vigilia , siti inexhausta moriturus in horas speraretur, & omnia auxilia tam per sanguinis missionem,cucurbitulas,purgationes,clysteria,quàm varia anodyna intra aures indita, non iuuarent, & de narcoticis intra aures immittendis deliberarent Medici, solo hirudinum retrò aures suctu mitescere cœpit. Nam impositis quatuor iuxta aurem ægram , quæ erat sinistra , & sanguine vbertim extracto , cœpit loqui,obdormiuit, sudor placidus ex toto corpore emanans erupit,febris est minuta,& ita cessantibus symptomatis,paucis deinceps celebratis , à morte immunis est factus.

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 310 sur 927

©BIUM

CAPVT XV.

De Olfactus læſione.

Definitio.

LIcèt Olfactus inter cæteros ſenſus non ſit abſolutè neceſſarius, cùm citra eum commodè vitam traducere poſſimus, quia tamen humor qui in ſinibus cerebri infixus eſt, odoratum impediens, alias grauiſſimas ægritudines committere poteſt, iccircò eius curatio aggredienda. *Fit ergo olfactus læſio, quum nulli prorſus odores ſiue iucundi, ſiue moleſti, ſiue medij quantumuis excellentes percipiuntur.* Sed de loco affecto grauis eſt controuerſia inter auctores.

Vtrùm odoratus noxa, cerebro, vel naribus adſcribenda? Quòd Galenus *lib. 3. de loc. cap. vlt.* anxiè diſceptat. Et videtur affectio naribus propria, in quibus ſitum eſſe odoris inſtrumentum, *2. de anim. 9. 2. de part. animal. 16. & 5. de generat. anim. 2.* arbitratur Ariſtoteles, & contra Galenum contendit Auerrhoës *2. collect. 17.* Quorum partes ex his potiſſimùm fouentur. Externos ſenſus in vitæ ſubſidium datos ibi locari oportuit, vbi externa obiecta occurrunt, vt confeſtim ſentiantur, antequàm corpori noxam, quoad fieri poſſit, inducant; ideóque nuda creata ſunt ſenſoria, & in corporis ſuperficie locata: vnde igitur ſoli olfactui vſque adeò remotam, & occultam ſedem intra caluariam parauit.

Secundò. Odoratus vapor non poteſt per ſe ad caluariam meare, niſi per attractionem aëris, reſpirationis interuentu. Ergo ſi ibi lateret huiuſmodi ſenſus, non odorarentur animalia anhelitu deſtituta, quod omnino falſum eſt, vt conſtat in apibus, formicis, & aliis, nec diffiteretur Galenus. Igitur olfactus organum intra caluariam non eſt conſtituendum, nec illius læſio cerebro adſcribenda.

Tertiò. Si in cerebro olfactus organum contineretur, etiamſi nares obſtructæ, occluſæque forent, odoraremur, dum aër inter reſpirandum per os attrahitur. Rurſus, ſentiretur odor alimenti, quod in ore teritur, ac in ventriculo concoquitur, conſcendentibus halitibus ab ore per palatum, & à ventriculo per neruos in cerebrum. Atqui neutrum horum apparet. Igitur non in cerebro, ſed intra nares exiſtit olfaciendi inſtrumentum, nempe ſub interna meatuum membranula, cartilaginibus quibuſdam, veluti valuulis obducta & cooperta, quam quidem intrò inſpiranti foris aperiri, inſpiratione ceſſante claudi, atque adeò citra reſpirationem non fieri odoratum, Ariſtoteles vbi *ſupra* ſentit, citatus à Galeno *lib. de inſtrum. odorat. cap. 4.*

Denique, vel odoris locus intra cranium, ſunt anteriores cerebri portiones, quas Medici appellant caruncul as mamillares, ob ſimilitudinem, quam cum mamillarum capitibus habent; aut germina illa duo, quæ ex anterioribus cerebri ventriculis deduci, & ad caluariæ partem, vnde oritur naſus, deſcendere aſſeruntur, *lib. de inſtrum. odorat. 2.* Non primum, tum quia prædictæ cerebri portiones perforatæ non ſunt, tum quia in frontem, non in os ethmoides cribriforme, & colatorium dictum, ceſſant. Non ſecundum, quia duo neruorum ſurculi ad dictum os terminati, mediam cauitatem non habent, qua poſſit vis cum ſpiritu ad cerebrum, & odoratus vapor meare, vt ſentiatur. Igitur, &c.

His perſuaſus Auerrhoës perſiſtit in Ariſt. placito, licèt Galeni rationes ſint multò neruoſiores, & veluti ad oculum monſtrantes, non in naribus, ſed ſuprà, intra caluariam exiſtere odorandi ſenſorium. Ita *lib. de inſtrum. odorat. 8. de vſu part. 6. 1. de cauſ. ſympt. 4.* & alibi. Prima ratio. Natura quæ vſui, & functionibus partium inſtrumenta accommodare ſolet, per ſenſuum organa neruos diſtribuit, pro recipiendi obiecti tenuitate, & ſubtilitate. At odor naturam ſortitus eſt mediam inter aërem, & aquam, *cap. 2. de inſtrum. odorat. 7. de placit. 5. & 8. de vſu part. 6.* Quia odoratorios neruos oportebat eſſe medios inter eos qui auditui, & ſapori deſtinantur, quibus ſonus aëreus, & humidus ſapor percipiuntur. Sed nerui intra nares valde exigui ſunt, & ferè capillares, magiſque tactui, quàm olfactui inſeruientes. Non eſt igitur ille locus olfaciendi inſtrumentum.

Secundò. Senſorium communicare debet naturâ cũ ſenſibili, ad hoc vt ab illo facilè immutetur, & patiatur, quod omnino ad ſenſationem requiritur: Hinc enim tam varia ſenſuum organa conſtitui fuit neceſſe, licèt vna & eadem foret in omnibus vis ipſa ſentiens. Hinc viſus inſtrumentum, lucidum, purum, & ſplendidum; aëreum, auditus; guſtatus, humidum; terreum, tactus: nempe quia recipienda erant obiecta, naturæ vnicuique illorum ſimilis, vt ſcribit *lib. de inſtrum. odorat. 8. de vſu part. & 7. de placit. cit.* Sed odoris ſubſtantia vaporoſa eſt, non craſſa vt humor, nec ita tenuis vt aër. Ergo olfactus inſtrumentum quodammodo vapori ſimile eſſe oportuit, non durum & terreſtre, qualis eſt ea tunica naribus indita, atque adeò ab odoris natura valde aliena. Quare dici non poteſt in eadem exiſtere odorandi organum: & ex conſequenti nec in narium pyramide; oſſa enim quibus dicta tunica obducitur, non modò non odorandi, ſed nec tangendi, quidem ſenſum obtinuerunt, ex *cap. 3. eiuſdem lib.*

Tertiò. Vbi ſenſibile ſuo organo ſano, & non impedito debitè approximatur, procul dubio ſenſatio fit. At quamuis nares ipſæ vapore ſatis olente repleantur, nequaquam odoramur, niſi ſpiritu naribus priùs attracto, & ſurſum deferente odorem. Igitur illius ſenſus alibi ſuprà locatus exiſtit. Nec ſatisfacit, quod *2. de anim.* & *lib. de ſenſ. & ſenſib.* comminiſcitur Ariſt. ſcilicet in quibuſdam animalibus, iiſque reſpirantibus, odoratus inſtrumẽtum intra nares, operculo, veluti valuula tegi, & illud inſpirato aëre aperiri, non inſpirato claudi, atque ideò in illis citra inſpirationem non ſentiri odorem. Nam ſi ſenſus alij (viſu excepto) nudi, patentéſque ſunt creati, vt accedente obiecto quamprimùm ſentiant, & veluti in continua actione interdiu ſint, ad vſum & cuſtodiam vitæ, quorſum is, de quo agitur, ianuâ claudendus erat? Si vt quieſceret, nec ſemper niſi per interualla ſentiret, nihil magis naturæ intentioni aduerſatur, quàm ſenſuum actiones temporead eas deſtinato interrumpi: præterquam quòd ſat erat per ſomnum feriatio, cum aliis continuò operantibus, ac proinde magis indigentibus quiete. Si vt ita meliùs à periculo immune ſeruetur, intra nares latens ſatis tutum exiſtebat huiuſmodi organum, cùm tamen auditorium magis tenue ſit, vtpote aëreum, nec aliquo opercul o contectum.

Deinde ſi daretur operculum illud quod fingitur, in parte intra nares odorante, non minùs irruentis aëris impetu, quàm ſpiritu attracto aperiretur; atque ita agitato, & intra nares immiſſo aëre, per quem ſit effuſus odoratiſſimus liquor, ſentiretur odor, quod nequaquam experieris: imò etiamſi fiſtula liquorem aliquem odoratum in nares impetuosè exprimas, quantumuis mobilis illa valuula, quam demus, aperiatur, non antea ſenties, quàm vapor odoratus ſimul cum aëre per nares attracto, inſpirando meet ad caluariam, intra quam continetur odorandi inſtrumentum. Quæ autem pars in ea odoretur, dilucidè explicuimus, *lib. 1. Hiſt. Princ. Med. in com. Hiſt. 65.*

Nec erit operoſum, obiectis pro Ariſt. & Auerrhoë ſatisfacere. Et ad primũ. Ibi decuit ſenſuum organa locari, vbi obiectorũ impreſſiones accommodatiùs reciperentur, & receptæ noſcerentur: cúmque odoris impreſſio aptiſſimè fiat intra caluariam, ibidem oportuit

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 311 sur 927

©BIUM

poni odoris instrumentum, ad eúmque locum deduci neruos olfactorios: Non aliter ac pro loci varietate, in quo aliorum obiectorum spectra suscipiuntur, natura instrumenta constituit, quædam cerebro proxima, alia distantia, remotiora alia; & pro singulis neruos deduxit, modò intra caluariam, vt olfactorios, modò ad extimam superficiem, vt auditorios, & consequenter alios iuxta organi situm.

Ad secundum. Solùm agit Galenus de respirantibus, in quibus natura occultauit odoratum, quia inspirationis auxilio poterat odor deferri ad locum, in quo sentiendus erat. In animalibus autem, quæ respiratione orbantur, quia ea commoditate carebant, necesse fuit olfactum produci, & magis obuium fieri.

Ad tertium. Licèt negari non possit, per palatum, & nares, ad interiores cerebri ventriculos externum aërē commeare, ad spiritus animalis nutritionem, refrigerationem, & tenuitatem, simul & ad odorum perceptionem: cùm tamen palati meatus, per quem aër potissimùm ingreditur, quíque rectitudine respirationem potissimùm operatur, ad nares terminetur; illis obstructis, sicut exigua aëris portio, ita vel nullus odoris vapor, vel insufficiens, ad organum immutandum, sursum migrabit: imò verò licèt ascendat, cùm veluti compressus sit, & oris humore confusus, expressam imaginem, aptámve vt sentiatur, imprimere non potest. Vnde fit, vt non percipiatur odor illius quod in ore teritur, aut in ventriculo concoquitur.

Adde, cùm principale munus duorum foraminum, quæ in palato existunt, sit excrementorum cerebri purgatio, *lib. de instrum. odorat. cap. 2. & 8. de vsu part. cap. 6. & 7. lib. 9. cap. 3.* Necessarium autem officium, attractio aëris in cerebrum, ad vitam necessaria, & ad odorum dignotionem, ex Gal. *ibidem, & lib. introduct. cap. 11. & de vsu puls. cap. 4.* Nihil mirum, si parum sentiatur odor, aut nihil, vápote aliò, quàm per nares ingrediente; atque ideò olentium rerum semitam à quibusdam appellari, dicit Gal. *cit. de instrum. odorat. cap. 1.* Ad vltimum, patet argumenti solutio ex iis, quæ *lib. 1. Hist. Princip. Medic. loc. cit.* protulimus.

Causa.

ODorandi actio, cæterarum instar, tripliciter lædi potest, aboleri, imminui, deprauari, idque ex intemperie, mala compositione, solutione continui. Mala compositio, præsertim obstructio est, atque hæc præcipuè abolitæ, aut imminutæ est causa. Materia, quæ est potissima causa obstructionis, vel paulatim in cerebro ex infausta coctione colligitur, & ob crassitudinem, aut meatuum angustiam ad alias partes minùs præstantes excerni non potest; vel ad processus mamillares à cerebro transmittitur. Obstruuntur foramina duræ membranæ, quæ os ethmoides interiùs obducit, à materia multa, crassa, glutinosa, quemadmodum in coryza quotidie experimur.

Signa.

SIgna sunt manifesta satis: Æger enim se nullos odores percipere conqueritur, vel eos duntaxat, qui plurimùm excellunt, seu qui proximi sunt. Deinde sibi imperfectè vocem resonare agnoscit, quod pariter contingit de excrementorum excretione, quæ secundùm naturam per nares fieri consueuit. Præfuit aliquod vitium cerebri, vtpote intemperies frigida & humida, quæ huius affectionis frequens est causa, à qua lenti & glutinosi gignuntur humores. Præcesserunt morbi acuti, graues, & qui spiritibus exhaustis, & viribus resoluris, cerebrum summè debile reddiderunt, ob quam causam humida excrementa adaucta. Antecesserunt à capite destillationes, ob quas portio multa humoris mucosi in dictis partibus obstructionem peperit. De quibus inter omnes lege Paulum *lib. 3. cap. 24.* Auic. 5. 3. *tract. 1. cap. 5.* Rhas. 9. *ad Almans. cap. 4.*

Præsagium.

AFfectio hæc non despicienda, præsertim cùm anteriores cerebri ventriculi humore grauantur: Periculum enim est, ne grauibus inposterum æger corripiatur morbis, vt Caro, Epilepsia, Apoplexia. Humores enim frigidi ea parte collecti, & detenti, minam maximam minantur: intemperie enim magis adaucta ipsorum copia increscit, quæ etiam medium, & postremum ventriculum infarcire, & grauissimos cerebri morbos deinceps inferre potest, vt *lib. de instrumento odoratus, cap. 6. in fin.* protulit Galenus.

Curatio.

CVm humor qui cerebri ventriculos, siue colatorios meatus opplet, sit frigidus & crassus, victus, & cætera medicamenta sunt administranda, tam vniuersalia, quàm particularia, velut in curatione cephalalgiæ pituitosæ, & epilepsiæ celebranda esse determinauimus. Conferunt purgationes diuersimodè paratæ, dummodò priùs totum expurgetur, præuia phlebotomia, si sanguis redundare videatur; deinceps caput. Hoc roborandum est conseruis, tabellis, lauacris, & cucuphis. Vtendum medicamentis, quæ pituitosos humores per os educunt, Sternutatoria sunt vtilia. Suffitus conferunt; sicut & vnguenta calida intra nares immissa. Sudationes ex Ebeno valde prosunt. Sinapismus vsque ad frontem adhibendus. Fontanellæ in brachiis, & occipite proficuæ. Demum caput ipsum, per ea quæ naribus infunduntur, expurgandum. Si leuia non sufficiant, ad vehementiora accedendum.

OBSERVATIO.

Errhinum, læso olfactui efficacissimum.

OMnium, quæ aduersus læsum odoratum intra nares induntur, hoc Caput purgium, celebratis priùs vacuationibus vniuersalibus, longè efficacissimum censendum experimento fidissimo didici: quod non solùm in hoc affectu, verùm in aliis quoque vitiis cerebri periculosissimis summò est ex vsu.

℞. *Succorum marrubij, cucumeris agrestis, radicis ireos, an.* ʒ j. *Succorum fol. sampsuci, pulegij, saluiæ, an.* ʒ ß. *pulu. assæ fœtidæ, castor. caryophyll. calamenthi, nicotianæ electr. ellebori, an.* ʒ ß. *moschi odorati,* ϑ j. *ambari grisei,* g viij. Misce.

CAPVT VLTIMVM.

De dolore Dentium.

Definitio.

ODontalgia à Græcis vocatur dentium dolor, vt ait Galenus 2. *meth. cap. 2.* Fitque cùm dentes in propria substantia dolent. Sentire autem non est dubitandum, cùm hoc vnusquisque in seipso experiatur quotidie. Et Galenus testatur 5. *sec. loc. cap. 8. in princip.* cuius Historiam sumus interpretati *lib. 1. Hist. Princip. Med. hist. 67. & lib. 5. in com. hist. 10.* Sed quæres, an dentes sentiant? Quare breuiter priùs examinandum: *Vtrũ dentes sint ossa?* Et ne vagemur in incerto, solidas rationes solùm proferamus. Hip. 5. *Aph. 18.* ab ossibus dentes separat, *inimicum* esse *ossibus, & dentibus frigidum*, scribens, & cum eo Aristot. 3. *de hist. anim. cap. 9.* &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 312 sur 927

& Albertus 16. *de anim.tract.* 2.*cap.* 6. Galenus tamen *lib.de oſſib.cap.*5. Sophiſtas appellat, qui ſeparant.

Compone litem hoc modo. Dentes, & oſſa, genere ac materia, idem ſunt; differunt tamen nomine, ac ſpecie. Primo namque aſpectu apparet, in genere oſſium dentes eſſe, cùm multis differant: Primùm genere, ſiue origine potiùs: Nam oſſa omnia primo hominis ortu fiunt; menſibus poſt ortum multis, dentes. Oſſa vſque ad certum ætatis ſpatium, hoc eſt, 22. annum, vel circiter augentur; dentes toto vitæ tempore. Oſſa è corpore ſemel extracta nunquam renaſcuntur, & cùm franguntur, coagmentantur quidem, non oſſe tamen, ſed quodam quaſi gummi, quod oſſi eſt perſimile; at exempti dentes regerminant in maxillis. Oſſa cremantur igne, & conſumuntur; dentes nunquam, licèt putris pituitæ conficiantur tabo, vt *lib.*1.*cap.* 16. Plinius notauit. Oſſa in omnibus ferè animantibus, quibus quidē veſcuntur canes, plena ſunt medulla, & pinguedinem habent nonnullam, internam, & externam; dentes verò nullam: quæ cauſa eſt, vt eos appellet Celſus *lib.*8.*cap.*1. corpora duriſſima, quibus nihil ineſt frigidi, & non roduntur à canibus: Etſi Ariſtot.3. *de hiſt. animal.* 10. non omnia oſſa habere medullam confirmet, quod verum eſt; licèt non ſit negandum, in omnibus oſſibus, tam cauis quàm ſolidis, tam paruis quàm magnis reperiri ſuccum medulloſum, quo dentes carere certum eſt.

Nihil ergo mirum, ſi oſſa ſint inſenſilia, dentes verò ſentiant, cùm ab eorum numero ſeparentur. Illa enim ſi ſenſu pollerent, cùm continuis, & variis motibus agitentur, qui ſine ſenſu doloris exequi non poſſunt, in perpetuo dolore, & triſtitia vita hominum eſſet conſtituta. Quod & ex Anatome patet: nam ad cætera oſſa nulla neruorum portio pertingit, per eorum ſubſtantiam transfundenda; quamquam per illa nonnunquam (quemadmodum per capitis, ac vertebrarum oſſa) nerui tranſeunt, ſed aliorſum tamen ſenſum laturi.

At verò Dentes ſentiunt: Licèt enim horum in corpore multiplex ſit vſus, diuidant cibos, præparent ventriculo, vocis articulationi inſeruiant, vultum exornent, ad pugnam animalibus ſint tributi; tamen habent alium nō contemnendum vsū, vt cæterarum oris partium inſtar, ſapores diiudicent, & iccircò ſenſu ſunt præditi, quia genus neruorum molle illis ineſt, vt bellè confirmat Galenus *lib.* 16. *de vſu part.c.*2. ſic ſcribens; *Porrò genus alterum neruorum, molle ſcilicet, ventriculo ineſt, hepati, inteſtinis omnibus, ac viſceribus, quemadmodum & ex oſſibus omnibus, ſolis dentibus, tum quòd hi, iis quæ ſibi occurrunt, nudi ſint expoſiti, tum quòd ipſos vnà cum lingua ſentire oportebat, ac ſapores diſcernere, non aliter quàm cæteras oris particulas.* Dentes ergo euidentem ſentiendi vim habere, probat *lib. de oſſibus, cap.* 5. *in princip.* §. *Ex oſſibus dentes tantummodò, mollium cerebri neruorum participes ſunt, ob idque ſoli manifeſtè ſentiunt.*

Cauſa.

INter plurima tormenta, quibus concutiuntur dentes, maximum eſt dolor, ex Celſo *loc. cit.* Eóſque multiplici de cauſa hoc ſymptoma experiri, Galenus *cit. loco ſec. loc.* vbertim confirmat. Multoties enim ob inflammationem gingiuarum, vehementem dolorem perpetiuntur ipſi: confluente enim humore à toto, & à capite, in illas phlegmone obſeſſas, dentes ob viciniam afficiuntur. Interdum dolent ob affectum neruum, qui ex tertia coniugatione diſtributus omnibus dentibus, ad eorum radices ſubſternitur. Aliquando ſi ipſius dentis corpus fuerit affectum, aut inflammatione tentatum.

Verùm cùm difficile & arduum ſit concedere, dentes, corpora duriſſima & ſiccisſima, inflammatione poſſe tentari, ideò dubitandum, *Vtrùm dentes poſſint intumeſcere, & inflammari?* Auicenna enim 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 5. inflammationem ferè accidere membris mollibus aſſeuerat; & per hæc, intelligit omnia corporis membra, dempris cartilaginibus, & oſſibus: His autem cùm dentes ſint ſimiles in ſiccitate, & duritie, nec dilatari, extendi, intumeſcereve poterunt. Secundò. Dentes ob ſoliditatem, nec madefieri, nec humorem in ſe admittere queunt, vt patet in dente diu in aqua immerſo. Ergo intumeſcere nequeunt.

Tertiò. Si intumeſcerent, vel id eſſet ratione proprij alimenti, vel propriorum recrementorum, vel quia aliunde confluunt excrementa. Non primum, quia cùm dentium alimentum ſit terreum, in cauitatem illius, & non in propriam ſubſtantiam recipitur. Non ſecundum, nec tertium, quia hic eſt ordo partium noſtri corporis, vt ſemper partes duræ in molles ſuperflua tranſmittant, ex Gal. *lib. de cauſ. morbor. cap.* 6. Sed dens eſt pars noſtri corporis denſior. Ergo intumeſcere non poterit.

Verùm contraria opinio verior eſt, quam ſequitur Auic. 1. 1. *doct.* 1. *cap.* 5. & 7. 4. *tract.* 1. *cap.* 4. §. *Et quandoque eſt materia apoſtenans dentem ipſum, &c.* Et deducitur ex eodem Auicenna, 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. *in princip.* dum ſic ait: *Non enim eſt, quemadmodum quidam exiſtimant Medicorum, quòd cerebrum ipſum non apoſtematur, ſic ratiocinantes. Nam quod lene eſt ſicut cerebrum, & durum ſicut oſſa, non extenditur; & quod non extenditur, non apoſtematur. Hic autem ſermo eſt erroneus: & illud ideò, quoniam lene viſcoſum extenditur, & oſſa etiam apoſtemantur. Et Galenus illud confeſſus eſt; & nos monſtrabimus ſermonem de eo, in capitulo dentium. Imò dicimus, quòd omne quod nutritur, extenditur & augmentatur cum nutrimento; & ſimiliter eſt poſſibile, quòd extendatur & augmentetur cum ſuperfluitate: & illud eſt apoſtema.* Quare ſic arguit Auicenna: Quidquid alimento proprio, & genuino diſtendi poteſt, id etiam ab excrementis aliunde concurrentibus diſtendetur. Sed dentes à proprio alimento diſtenduntur, & augentur, vt patet experientia. Erg o ab alienis humoribus poterunt intumeſcere, & inflammationem pati, vt innuit Galenus *lib.* 5. *ſec. loc. cap.* 8. *rubric.* 1. dum ſic ſcribit: *cùm verò impoſſibile ſit, incrementum accipere citra nutrimentum, omnino duabus affectionibus his contrariis obnoxij erunt, inopiæ videlicet, & redundantiæ alimenti quod iis ſuppeditatur. Inopiâ igitur aridiores, & macriores, alimentúmque non ſentientes euadunt: Redundantia verò conſimilem in iis affectionem excitare poteſt, qualis eſt circa carnoſas partes inflammatio.* Ex quibus conſtat manifeſtè, dentes intumeſcere & inflammari poſſe, vt cenſet Trallianus *lib.*3.*cap.*10.

Ad argumenta facilis eſt reſponſio. Dic ad primum: Dentes etſi ſicciſſimi, diſtendi poſſunt. Ad ſecundū. Diuerſa ratio eſt in viuente animali, quàm demortuo: nam in illo dentes ſunt molliores, imò oſſa veluti cerea, præſertim in pueris, 2. *de temper. cap.* 2. *ad initium,* §. *Verùm tum oſſa, tum reliqua tota vnà cum his membra, quaſi cerea ſunt in infantibus, &c.* Adde, in viuentibus dentes meatibus conſtare etſi inſenſilibus, per quos tum humores admitti, tum excrementa poſſunt expelli; quinimò & per oſſa quandoque natura robuſta ſuperflua expellit, auctore Galeno 7. *Aph.* 54. §. *Etiamſi illa craſſiora ſint, & per anguſta foramina debeant permeare, & hoc modo, inquit ille, fiut per oſſa abſceſſus.* Ad tertiū dic, ex propriis recrementis, vel ex humoribus ex aliis partibus concurrentibus dentes intumeſcere, & inflammari poſſe. Neque obſtat, quòd auctores de inflammatione dentium, ſicut de aliarum partium tumoribus, peculiarē non fecerint commemorationem: quia hi in dentibus rarò eueniunt, vel ſub curatione aliorum tumorum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 313 sur 927

©BIUM

comprehendi possunt, solúmque in hoc differunt, quòd dentium tumores ob sui duritiem fortiora præsidia expostulent.

Causæ, quæ morbos dentium per consensum excitant, propria vitia sunt cerebri, neruorum, aut aliarum partium, quæ dentibus consentiunt, à quibus humores excipiunt. Sed præcipuè humores, quos ad eos cerebrũ transmittit, causa sunt eorum morborum, à quibus vnà cum gingiuis ipsi premi solent. Ex morbis per essentiam, quibus dentium materia, simul & gingiuarum obnoxia est: excessus primarum qualitatum numerantur, præsertim frigidus: cùm enim sint exangues, facilè à frigidis, tum cibis, tum potu, aëre, & externis frigidis alterantur; quo pacto ob debilitatem, & intemperiem illorum, attrahitur ab aliis partibus humor, qui dolorem excitat, ex Gal. 2. *feb.* 11. & 6. *de sanit. cap.* 9. Cæterùm cùm dolor symptoma sit, de eo dentes infestante, veluti de aliis doloribus dicendum est, qui ad intemperiem, solutam continuitatem, vel ad vtrumque sequi consueuere: quo fit vt & ipse dentium dolor, ex quacunque causa soluente continuum, ac intemperiem inæqualem progignente, concitari possit.

Signa.

OB hanc causam, si calida existat affectio, intensus aderit dolor, facies subrubra, & cætera cõsentient, vt temperamentum, ætas, anni tempus, regio, acris status, & præcedens victus. Si ex frigiditate, contraria percipiuntur. Si ab humiditate, ex humida vniuersi corporis temperatura, vita otiosa, dimisso exercitio, & cæteris facilè coniicies. Si ex sicca intemperie, intolerabilis dolor excitatur, aderit sitis, sputum erit paucum, præcessit vita laboriosa, tenuis diæta. Si verò cum intemperie humores etiam redundent, facilè eorum excessum venaberis, eo modo quo *in cap. de Cephalalgia* prędiximus.

Præsagium.

CVratio doloris dentium parui facienda non est: si enim est vehemens, plerumque concurrentibus humoribus ad ipsos ob dolorem, gingiuarum inflammatio excitatur, & sæpe guttur, fauces, & aliæ vicinæ partes inflammantur: maximéque quòd ratione doloris, vigiliæ eueniunt, febres generantur, spiritus resoluuntur, flaccescunt vires, & [illegible] natura, si diutiùs dolor perseueret, coctio infaũsta fit, & labascente virtute tabescunt ægri, & tandem exolutis facultatibus occumbunt; Nam, vt *loco cit.* admonuit Celsus, hic dolor maximis tormentis adnumerari debet, maximè si senes, aut imbelles exerceat, quorum pusillæ vires deuictæ citò occumbunt.

Curatio.

IN dentium curatione hoc priùs quæsitum volo: *Vtrùm dentes exsiccantibus, & frigidis conseruentur?* Dic. Hæc si excellenter frigida non sint, in curatione posse administrari certum est, à quorum vsu immodico dentes impensè lęduntur, 5. *Aph.* 18. Dentium quippe natura est terrena: terrenum autem frigidum est; quare si frigida qualitas exuperet, ipsos detrimentum pati est necesse. Dentes autem præcipuè sentiunt frigiditatem, apud Arist. 34. *sect. probiem.* 3. Cùm enim meatibus constent tenuibus, ab aduersis facilè lædũtur, præsertim ob neruos, qui exquisitè sentiunt, & à frigido intenso illicò perpetiuntur. Quo pacto Auic. 7. 3. *tract.* 1. *c.* 3. sic inquit: *Medicinæ dentium, aliæ sunt conseruatiuæ, & aliæ sunt curatiuæ. Et quia substantia dentium est sicca, tunc medicinæ conuenientes, quæ conseruant sanitatem, & reducunt eos ad illud quod oportet, secundum plurimum sunt medicinæ exsiccatiuæ.*

Neque obiicias, quòd Galenus *lib.* 5. *sec. loc. cap.* 8. intemperiem siccam dentibus accidere in senibus asseueret, quæ potiùs humidis, quàm siccis videtur curanda. At cùm affectus hic curari non possit, quia pars semel exsiccata, substantificè humectari nequeat, fit vt perpetuum sit Auicennæ theorema. Adde quòd Medico insudandum est, vt gingiuæ arctè dentes constringant; quod opus solùm adstringentibus, & exsiccantibus perficitur.

Si ergo ob calorem dentes doleant, conuenientia remedia locis nudis adhibenda, omnis mordacitatis expertia. In hunc vsum ea quæ tenuium partium sunt, intra indenda, vt vis ipsorum penetret in profundum. Lac asininum, suaue est & mulcebre, sicut & caprinum, vaccinum, &c. Oleum rosaceum, Myrteum cum pauco aceto albo permixtum. Papauerinum, & ex Nymphæa valde præstant. Conferunt, & excessum caloris retundunt succus lactucæ, portulacæ, endiuiæ, lenticulæ palustris, vmbilici veneris, aqua rosacea, flor. violar. quibus acetum ros. addere oportet: nî in dentibus erosio adsit, aut vlcus; ab eo enim sæuus dolor excitatur.

Frigoris excessus, alimenta & medicamenta, actu & potestate calida expostulat, vt sunt vinum generosum, aromaticum cum melle permixtum: decoctiones ex Ruta, Pulegio, pipere, cinnamomo, & nuce moschata, Galanga, Pyrethro, Radice Acori, pulegio, calamentho, Costo, Origano, serpyllo, Hyssopo, & staphisagria. Prodest vinum theriaca, aut mithridatio, aut diacalamentho dissolutum. Iuuat & collutio ex aqua ardente. Extrà admouentur olea calida, vt anethinum, costinum, laureum, irinum, & alia.

Humor qui naturæ modum vehementer excedat, medicamentis, & alimentis exsiccantibus absumendus. Opitulantur cornu ceruinum vstum, Myrrha, sal, Cinis ex ostreis combustis, siue pompholyx, cum quibus frequenter ita affecti dentes vnà cum gingiuis confricentur. Opitulatur decoctio facta ex gallis immaturis, Myrti baccis, Balaustiis, Malicorio, Foliis oliuæ, Plantaginis, nuce cupressi, quæ omnia in aceto non admodum acri, aut rubro & austero vino macerentur, aut decoquantur: Horum enim vsu, addito præsertim sale, & milio, humor absumetur, & laxi dentes firmabuntur.

Siccitas, si modum excedat, quamis difficilè superetur, corrigi etiam potest. Iuuant alimenta humida, ptissana, amylum, panis in iure carnium pinguium maceratus, oua sorbilia, vinum album, dulce, modicè dilutum. Ex medicamentis prodest per fusio, aquæ calidæ, collutio ex lacte, vel ex decocto maluæ, violæ, althææ, glycyrrhizæ. Inunctio ex oleo amygdalar. violar. pinguedine gallinacea, aut anserina. Quòd si duplex, non simplex qualitas in prædictis partibus mõdum naturæ excesserit, per præsidia iam expositа, sed inter se mixta, corrigenda est.

At si intemperiei, humorum redundantia associetur, tunc præter commodam sex rerum non naturalium administrationem, vtilia sunt repellentia, quorum vsu dentes roborantur, & prohibetur humor ne ad ipsos confluat, sed ad alias partes compellitur. Horum materiam præstabunt Galla, Malicorium, Balaustia, Rubus, Myrti folia, Alumen scissile. At in delicatis corporibus Omphacinum oleum, Rosaceum, aut Myrtinum satis sunt.

Itaque si humorum multitudo cum sanguinis præsentia peccet, sãguinis missio ex vsu erit, facta ex humeraria, Cephalica, venis sub lingua, aut eius detractio per scarificatas cucurbitas celebretur. Et si calidi humores redundent, expurgatio clemens instituatur, diuersimodè tamen parata. Sed quia ex defluxu frigidorum humorum à capite in dentes, hi plerumque dolore premuntur, vtere iis quæ totum, & caput expurgant, & deinde quæ efficaciùs humorem pituitosum eradicant, præsertim quæ in forma solida exhibentur. Roborandum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 314 sur 927

dum caput lotionibus, vnguentis, cucuphis. Sudorifica ex Ebeno administranda. Apophlegmatismata optima sunt, sicut & errhina, quæ mucosum humorem, antequam in nares confluat, exhauriunt. Fonticuli brachiis affixi laudantur. Dentes abstergantur à glutinoso succo, decocto facto ex Pyrethro, Aristolochia, Anetho, pulegio, radice Fœniculi, cortice capparis, costo, radice Angelicæ; quæ omnia priùs vino generoso, & quarta parte aceti macerentur, & deinde ad vsum coquantur.

Si vehemens vrgeat dolor, & vires imminui incipiant, stupefacientia non esse verenda, ad maius periculum euitandum, docuit Auicenna 7. 3. *tract.* 1. *cap.* 8. *de medicinis stupefactiuis*. Ea vel per os offerenda, vel dentibus admouenda, vt Philonium: *Namsi is, qui de dente suo conqueritur*, inquit Auicenna, *potat ipsum, & accipit ex ipso in ore suo, & dormit, maturatur egritudo eius, & quiescit dolor eius, &c.* Leuia primò administranda, & correcta cum iis, quæ illorum frigiditatem compescere possunt.

℞. *Opij, castorij, salis, an.* ℈. iiij. Fiat puluis, qui cera & guttulis olei Iuniperini excipiatur, & denti tepidè admoueatur. Verùm pro causæ varietate, alia interim immutare, aut adiicere licet.

OBSERVATIO.

Dentium dolor, ex calculo supra dentem prognato, excitatus, eiúsque curatio.

LApides in variis nostri corporis partibus innasci, ex auctorum penu proposuimus, *lib.* 1. *Hist. PP. Med. hist.* 70. In dentibus veros calculos generari, ex muco viscoso & lento, ob partis calorem vehementer tosto, indurato, & in lapidem solidissimum conuerso, nouissimum est, & à nullo hactenus literis promulgatum. Quinquagenaria, catarrhosis fluxionibus obnoxia, biennio, dolore dentium superiorum in parte læua, ita A quassa est immaniter, cum faciei tumore insigni, vt mori potiùs vellet, quàm tam sæuum tormentum tolerare, quo noctu premebatur magis. Illa in primo accessu, se habere prægrandem tumorem supra dentes, fatetur libenter, à quo adeò pungebatur, vt vigilans tota nocte decumbere cogeretur. Rei nouitate permotus, labrum superius eleuare conatus sum, existimans, fortè in gingiuis adesse tumorem scirrhosum, à quo aliquando hæc symptomata oriri consueuerunt. Deus bone! tumorem detego, acu eum attrecto, durissimum, imò saxeum inuenio, & à natura sciùi valde dissimilem, qui ita eminebat, vt oui mediocris adæquaret molem, narémque sinistrum occluderet, inspirationémque interciperet, B cùm esset læuis, colore cineritius. Stupefactus, voco socium Chirurgum peritum. Hic solùm ferro extrahendum esse sibi persuadet. Et ne ab humore glutinoso à cerebro descendente foueretur lapidosus tumor, néve à toto ad eum confluerét ob dolorem humor, fœminam sæpius expurgamus, præseruationis causa. Hoc facto, circumcirca emollientibus decoctis per mensem vsi sumus. Tandem forcipe dentato in hunc vsum parato, lapidem apprehendit Chirurgus, ita fortiter, vt reluctante fœmina, ac caput in varias figuras magna cum vi concutiente, in duas partes fuerit diuisus: qui ab omnibus accuratè conspectus, apparuit durissimus, solidus, & ad stateram appensus, binas cum drachmis C quinque vncias pependit. Quo omnino euulso dens apparuit integer, & quod mirandum est, nullo liuore, aut labe fœdatus: & ægra à dolore inposterum immunis euasit.

Sed de hoc libro satis: Longioris enim disputationis pertæsi, cogitamus vela contrahere, & ad secundùm Librum Praxis Historiarum sedulò properare, in quo proponetur curatio morborum internorum, qui partes vitales, & naturales infestant. Aspiret modò fauor Altissimi, cuius sapientia, potentia, & prouidentia totus personat orbis: Ab illo enim, & ad illum, & in illo, & per illum sunt omnia, & ille super omnia.

FINIS LIBRI PRIMI.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 315 sur 927

©BIUM

ZACVTI LVSITANI, PRAXIS HISTORIARVM. LIBER SECVNDVS.

DE CVRATIONE MORBORVM, VITALES, ac Naturales partes infeſtantium, agens.

PRÆLOQVIVM.

HVMANI corporis conſtitutionem, ac fabricam, cuncta ſaltem excedere mixta etiam animata, Ariſtoteles firmauit vbique. Homo enim res eſt, quam natura cæteris intentiùs, curioſiúſq; amplexatur, producítque veluti quiddam abſolutius, & perfectius quauis creaturâ, quæ cœli ambitu continetur. Illi enim etſi non inſit leonis robur, non leporis pernicitas, non piſcium in natando agilitas, non taurorum impetus, non canum ſagacitas; ineſt tamen prudentia, ineſt ratio, ineſt diuinior mens, qua vnicuique iſtorum dominatur ad ſatietatem, dum ſanitate fruitur incolumi, dum Cor, caloris innati conceptaculum, vitæ principium, ſpiritus ſedes, ſua munia dextrè exequitur, à cuius robore & firmitudine, cæterarum partium vigor fouetur & conſeruatur. Sicut enim in Rebuſpublicis vnus aliquis debet eſſe, cuius conſilio, & prudentiæ reliqua ſubiiciatur multitudo: alioqui multis cohabitantibus, & vnoquoque ſua commoda procurante, nullo negotio dilaberentur res, nî Princeps aliquis præſideret, qui publico bono, tanquam mitis parens conſuleret; & ſicut in corporum vniuerſitate corpus primum, id eſt, cœleſte, reliqua corpora quodam diuinæ prouidentiæ munere, ordinéque diſpenſat, atque moderatur: Sic inter membra corporis, vnum eſt præcipuum, cuius veluti nutu quodam reliqua agitantur, nempe Cor, cuius ignea & calorifica vi, ob aërem per inſpirationem attractum contemperata, reliquæ noſtri corporis partes gubernantur. Accedit Iecur, gratioſi humoris ſedes, & officina, membrum maximè præcipuum, cuius maximi agnoſcuntur effectus, ita vt ſi vita nobis contingat optabilis, & optima, Iecoris id virtute fieri ſtatuat Hippocrates. Quid de Liene proferam? qui parte læuâ ſitus aduerſùs iecur, ideò laxior molliórque eſt, ſpongiæ imagine, vt faciliùs ſanguinis craſſiorem ſecernendo, alliciendóque repurgaret fæculentiam, & hoc modo animal vigeret robuſtum, & floridum. Quid de Ventriculi præſtantia, & nobiliſſima facultate coquendi cibum, & tranſmutandi in chylum, conſcribam? In eundem enim finem datus homini venter, in quem & vniuerſis plantis radix. Nam quemadmodum radix plantam ſuſcepto exteriùs cibo nutrit; ſic & venter animal ipſum importato intrà alimento. Quid referam de Vtero, & genitalibus partibus, earúmque præſtantia, vſu, conſenſu cum cæteris? ob quem graues inſurgunt, periculoſi, funeſti,

©BIUM

funeſti, & intricati morbi, quorum cognitio, & curatio ſæpiſſimè Medicos delu dunt. Quid dicam de partibus noſtri corporis infimis, & extremis, quarum vſu, & ope animal operationes exequitur? Datæ namque ſunt Manus, vt alias admiran-das vtilitates prætermittam, quæ armorum omnium vicem impleant, præſtóque ſint mirabili Diuinitatis prouidentia, ad perficiendum quicquid ratio dictat. Pe-des verò vniuerſi corporis molem, fundamenti inſtar ſuſtentant, quorum benefi-cio, ac ſubſidio homo plurimas artes exercet. Harum ergo partium infortunia, ca-lamitates, morbos, quibus actiones nobiles perturbantur, & ſæpe penitus abolen-tur, ingenti cum ægri damno, ſimúlque tantorum malorum præſentanea auxilia, in hoc ſecundo libro diſcribere conſultum duxi. Tu, LECTOR INGENVE, quæ in diuerſis priſcis auctoribus exactiori lima perpendimus, expoliuimúſque, indul-genter, ac beneuolè amplectaris, obnixè rogo.

CAPVT I.

De Morbo Gallico.

Definitio.

VERVM quia iamdiu de curatione mor-borum, qui ſupremam arcem corporis oc-cupant, verba fecimus, perſequamur & flores reliquorum affectuum, qui partes vi-tales opprimunt, atque fatigant. At quoniam Fauces inter ſpiritales partes etiam connumerantur, quia per eas aër ingreditur, ſpiritus vitales nutriturus, iccircò ab hac parte orationem incipere conſultum mihi vi-ſum eſt. Hæ plurimis morbis, cum ore, gula, palato, pariſthmiis, etſi vexentur, apud Auic. tamen frequen-ter vlceribus, iiſque Gallicanis fœdantur: quæ omnia vitia hoc capite, ſub nomine morbi Gallici compre-henduntur, de cuius natura, origine, antiquitate, licèt *lib. 1. Hiſt. Princip. Med. in com. Hiſt. 73.* aliquas de-ſcripſerimus quæſtiones ſcitu non indignas, tamen hoc loco reliquas concernentes praxin, methodicè bre-uiculis capitibus proponemus.

At quærendum: *Vtrùm certa poſſit aſſignari morbi Gallici definitio?* Inuaſit hominum genus ex lue venerea quoddam vitium gonorrhœæ finitimum, quod iccircò fœdam, virulentámque gonorrhœam appella-mus. Alij morbum Gallicum, Neapolitanum, Itali-cum, Hiſpanicum, luem veneream, Variolam ma-gnam, Mentagram, vel pudendagram vocare conſue-uerunt. *Morbus* ergo *Gallicus eſt ſoluta continuitas, ab humoribus exuſtis per contagium ferè genita, à malignis quibuſdam puſtulis incipiens, pudenda plerunque, dein cor-poris reliquas partes exteriores, & caput præcipuè inficiens, poſtea intimas partes penetrans, dolores circa articulos, & oſſa, noctu præcipuè faciens, atque abſceſſus duros, in peſſima adeò vlcera, vt oſſa quoque plerunque vitient in longum tempus, deſinentes.* Vel hoc modo definies. *Lues venerea, eſt totius ſubſtantiæ morbus occultus, conta-gioſus, tuberculis, maculis, vlceribus, doloribus ſerpens, ſolo concubitu, aut alio impuro contactu contrahendus.* Vel ſic. *Morbus Gallicus eſt cutis corporis, vel extra morum ipſius vniuerſa defœdatio cum dolore.* Vel hoc modo. *Eſt puſtula, quæ ex varia humorum corruptione oborta, ob æris nimiam caliditatem & humiditatem, pudendum, & mentum, ſeu gutturis particulas primùm, dein reliquum corpus cum magno interdum dolore circumambit.*

Quare cùm hic morbus variis & horrendis ſtipa-tus ſit ſymptomatis, ita diuerſimodè affligit & premit, omnéſque noſtri corporis partes fatigat & laceſſit, vt A certa veluti definitione comprehendi non poſſit; quia omniuarius eſt, & inenarrabilis, doloſus, occultus, pertinax, importunus, & fortiſſimis auxiliis vix ſuccum-bens, imò pleroſque fraudulenta pernicie miſerri-mè perdens.

Vtrùm autem *ſit morbus venenatus?* deinceps expli-candum. Luem veneream eſſe morbum, ſatis patere arbitror; nam lædit actiones: inter ea verò quæ in noſtro corpore inueniuntur præter naturam, repo-nendus eſt, cùm ſit affectus primò, & per ſe actiones lædens, ex Galeno *lib. de diff. morb. cap. 1.* & cùm morbus ſit triplex, vel in intemperie, vel in deprauata compo-ſitione, vel in ſoluta vnitate, neceſſariò ſub aliquo comprehendi debet, vel ſub omnibus; quod probabi-lius eſt, etſi potiſſimùm ad morbum intemperamenti ſit reducendus. Licèt autem in eo reperiantur vlcera, quæ ſunt ſolutiones continui, & tumores vitiantes compoſitionem; ſemper tamen cum his omnibus con-B iunctum eſt intemperamentum, quod ad illius eſſen-tiam ſemper concurrit.

Vnum tamen aduertas quæſo: intemperamentum hoc non à prima, ſecunda, tertiáue qualitate emana-re, ſed vitioſa, & malefica, occulta, venenata, & inno-minata, quæ viſcerum naturam inquinat, actionum ſymmetriam labefactat & deſtruit, vitioſóſque in cor-pore gignit humores, & omni labe fœdatos, qui cùm in varias ſedes expirent atque reſtagnent, diuerſos & mirabiles in illis affectus excitant.

Neque inſtes, quòd qualitas hæc morbum Gallicum efficiens, cùm ſit innominata, erit etiam ignota: qua-re ſi non cognoſcitur, corrigi haud poterit. Dic, vi-tioſam qualitatem ratione non cognoſci, cùm ad ali-quod manifeſtum principium reduci non poſſit; co-gnoſci tamen experientia non eſt negandum, cùm cognita ſint remedia quibus hic morbus curari, & era-dicari ſolet, quæ à tota ſubſtantia, & abdita propria-C tate illi ſunt aduerſa & contraria, medentúrque non quia calida, frigida, humida, ſicca, ſed quia talia: alioqui alia medicamenta multò calidiora commo-diùs curationem perficerent, vt piper, Caſtoreum, py-rethrum, & alia, quàm Smilax aſpera, Radix Chinæ, Lignum Indum, quæ huic morbo mirificè opitulari, experientia, rerum omnium magiſtra, teſtatiſſimum facit.

Anxiè ſatis à Medicis dubitatum: *Vtrùm ſedes, & minera huius mali ſit cerebrum, cor, iecur, aut cutis?* Ce-rebrum eſſe, demonſtrant pilorum defluuium, talpæ in fronte enatæ; puſtulæ in facie variegatæ, & rotun-do ſchemate ſiccæ; pertinax cephalalgia, noctu præci-puè affligens; ſurditas, inflammationes oculorum; vl-cera in capite ſordida, nec non in gula, pariſthmiis, pa-lato, gingiuis, ore toto. Cor primariò oblædi, oſten-dunt febricula, cordis palmos, pulſuum debilitas. Omnes ferè Iecur eſſe contendunt, nec immeritò: in

hoc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 317 sur 927

hoc enim morbo depraua̅tur concoctio, nutritio non integrè perficitur, ægri pallidi fiunt, cachectici, extenuati, massa sanguinea putrilagine inficitur, pustulæ per totum corpus erumpunt, vrinæ perturbantur, adest in toto corpore pilorum defluuium: humor enim acris, salsus, & mordax, ex hepate calido, vel vitiosa qualitate infecto progenitus, radices pilorum exedit & erodit. Fœda gonorrhœa fatigat. Apparet scabies crustosa, & totius corporis ambitus verrucis, tuberculis, & nodis conspurcatur. Quapropter in hoc morbo sanguificationis officium euertitur: & hoc modo humores vitiosi generantur in copia multa, cum recrementorum vbertate permixti, qui hæc, & alia mira parhemata excitare solent: & (vt vno verbo dicam) non potest verè appellari morbus Gallicus, nisi praua, B venenataque qualitas iecori sit communicata. Sicuti enim ad hydropis generationem, intemperies frigida iecoris est necessaria, 4. *Aph.* 11. & sicuti febris non fit sine calore cordis præter naturam: eodem modo morbus Gallicus in esse perfecto constitui non potest, quousque qualitas illa vitiosa iecori, tanquam origini & principio humorum, sit impertita. Neque dicas, cutem esse partem præcipuè affectam, quia artus dolent, corporis superficies vniuersa vlceribus, tumoribus, & aliis pustulis conspurcatur: quia citra hæc, hic morbus affligit & premit; quæ si adsint, non cutem, sed genus venosum, aut iecur laborare planè ostendunt: à qua parte humores deleteria qualitate conspurcatos, in ambitum corporis, tanquam in emunctorium C confluere, est certissimum.

Ex his quæri potest: *Vtrùm morbus Gallicus sit vniuersalis?* Cui quæsito responderi posse affirmatiuè puto: Ille enim vniuersas partes occupat corporis nostri. Cùm enim deleteria qualitas iecori communicetur, in quo humores generantur pro earum nutritione necessarij, fit vt quemadmodum bene valente corpore, & iecore officio suo rectè fungente, humor laudabilis progerminat, corpus innoxiè aliturus: sic contrario modo accidit, si iecore debiliori facto, & officinis coctionis infirmatis, humor gignitur acris, putris, salsus, praua labe fœdatus; qui pro nutrimento si transmittatur ad caput, pilorum defluuium excitat; si in ossibus recipiatur, in illis tumores propullulant, quos D talpas, seu talparias vocitamus. Si verò partes internæ robustæ sint, & ad ambitum corporis superuacaneos humores detrudant; tunc pustulæ omnis generis in superficie apparent, & in ossibus tophi, seu nodi, ex crassiusculo & terreo succo prognati. Bubones etiam in inguine, ex concubitu venereo suborti, iecore ad has partes, vtpote debiles, fœdos humores detrudente, vel quia ratione alicuius vlceris partium genitalium enascuntur, ob dolorem, qui fluxioni occasionem præbet. In quibus partibus coërcitus, & non bene difflatus humor, suapte natura reprobus & nociuus, reciprocè vapore suo, & alteratione per continuum facta, inficit immaniter iecur ipsum, & vasa ipsa. Quare sæpe febris exoritur diaria, sed hæc non diu durat, quin sibi comitem putridam adsciscat: in quem sensum intelligendus est Hip. 4. *Aph.* 55. *Ex inguinum tumoribus omnes febres malæ, præter diariam.* E

Hoc suppositio non ineptè dubitant: *Vtrùm morbus Gallicus cum omni morbo possit complicari?* Nam si est affectus vniuersalis, cum omni coniungi posse negare haud possumus, quippe hoc accidit multipliciter: Nam aut affectus coniunguntur cum lue venerea similes in materia, vel in aliqua re, vt articularis morbus, externarum partium dolores à frigida capitis defluxione suborti, humidior & frigidior iecoris, ventriculi, aut lienis intemperies, à quibus dolores, obstructiones, & grauissimi morbi emanant, vt hydrops, epilepsia, stupor, paralysis, & alij diuturni. Sæpe hæc dira lues cum acutis complicatur, de quorum numero sunt A febres, & inflammationes internæ; frequentiùs enim lues venerea corripit corpora immunda, & vitiosis humoribus repleta, quàm temperata, & eusarca. Quæ omnia diligentem prouidentiam in Medico prærequirunt.

Causa.

MOrbus hic à diuersis causis emanat, quæ vel vniuersales sunt, vel particulares. Illa, est maxima cæli in caliditate & humiditate intemperies, aut malignus alicuius planetæ aspectus: hæc enim omnia ad putredinem disponunt. Particularis causa, vel est externa, vel interna: ob illam interdum Gallicum venenum venereo obscœno contrahitur concubitu, quod frequenter accidit: aliquando à nutrice, ab infante, sæpe solo osculo, sola vestium, aut indumentorum conuersatione, poculo, sed ferè ex concubitu emanat, & sic in pudendo praua illa qualitas recepta, sensim ac sine sensu vltrà progrediens, testes, & vasa seminaria inquinat, & furtim veluti in altas partes sese insinuat. At genitalia membra cum suapte natura calida sint & humida; & recipiendis excrementis assueta, frictione, agitatione, & motu ampliùs incalescunt, & hoc modo faciliùs virus susceptant.

Quando ex nutrice, aut osculis contrahitur, tunc lingua, cùm sit mollis, spongiosa, & laxa, & cum ea ob viciniam gingiuæ, palatum, & guttur, inficiuntur primò. Si ex infante virulentia eiaculetur, tunc mammillæ, & papillæ nutricum afficiuntur; & hac de causa virulento humore in altas sedes serpente, totum corpus deindè labe conspurcatur. Quapropter hunc morbum esse contagiosum contactu, & fomite, experimento fit manifestum. Num autem ad distans inficiat, agitauimus *lib. 2. Histor. Princip. Med. in com. Hist. cit.*

Causa interna, est virtutis debilitas, & hæc est causa, quare alij citiùs, alij tardiùs hoc morbo corripiantur. Secunda causa, est densitas corporis: qui enim molli, laxóque constant corporis habitu, facilè læduntur, promptiúsque contagium susceptant; qui densa carnis contextura pollent, difficillimè. Tertia causa est cacochymia, qua qui scatent, huic morbo obnoxij sunt, & in illis malum ampliùs efferatur. Nam morbosus apparatus habilitatem quandam præstat ad susciendum contagium.

Ex his solues dubiũ, quo quæri solet: *Vtrùm potissima, & immediata huius morbi causa, sit venenosum contagium?* Affectus enim hic non est de genere pestilentiũ, & sic plures non interficit; nec de genere vulgarium, & hac ratione plures non apprehendit, quia eius ratio, & causa potissima non consistit in his, in quibus communicant, nimirum in aëre, cibo, & potu, sed in adhæsũ & vicinia eius corporis quod labe infectũ est, solùm consistit: quam quidem id corpus susciperе faciliùs valet, in quo tria genera causarum concurrunt, nempe debilitas virtutis, cutis laxitas, & copia praui succi: Ex quo venefico contagio, tanquam ex vehementissima & efficacissima causa, acquisito præsertim fomite, & contactu, corpora tam temperata, bilioſa, pituitosa, melancholica, sanguinea, quàm robusta, vel debilia, corripi sæpe experimur.

Sed rogabis: Si vna est causa huius ferini morbi præcipua, cur tot symptomatum varietates in corpore conspicimus ab vna causa prognatas? Alij enim corripiuntur psora, Alopecia, pustulis, tumoribus, vlceribus, febri, & mille aliis accidentibus tentantur. At hæc omnia tam diuersa eueniunt ex materiei, cui coniungitur, copia, & alicuius particulæ apparatu: Aliis enim cutis est languida, & humor tenuis, qui è visceribus in corporis ambitum elatus, pustulas creat, & alios cutaneos affectus, præcipuè si crassiusculus sit: & pari ratione illi quibus caput, aut artus debilitate laborant,

ob

ob hanc causam facillimè fluxionem humorum ſuſcep- A tant, qui ſi pituitoſi ſint, diutinum; ſi tenues, acutum morbum concitare conſueuerunt.

Ex hoc capite emanat alia quæſtio: *Vtrùm morbus Gallicus, ſit morbus calidus, an frigidus?* Caliditatem oſtendunt vlcera in variis corporis partibus enata, febris, vrinæ ardor, profluuium materiæ acris & erodentis per virgam, tumores inflammatorij, vigilia. Frigiditatem demonſtrant dolores articulorum, nocturno præſertim tempore inuadentes; tumores ex pituitoſo, vel terreſtri humore prognati; artuum contractiones, viſcerum debilitas, reproba concoctio, pallor faciei, inflatio oculorum, cachexia, tinnitus aurium, diſtillatio, raucedo, morbi ſtatus longus. Quæ tam aduerſa ſigna, hunc morbum, nec calidum, nec frigidum, ſiccum, B aut humidum, aut bilioſum, pituitoſum, melancholicum, vel ſanguineum eſſe conteſtantur; ſed mixtum & compoſitum, in quo pro varietate humoris in corpore prædominantis, hic vel ille humor qui amplius exuperat, promptè inficitur. Quapropter morbus Gallicus totam maſſam ſanguineam ex æquo inficit, & pro diuerſitate corporis patientis, magis hunc humorem quàm alium inquinat: licèt pituita ſalſa, humoréſque aduſti & melancholici, frequentiùs hac lue fœdentur.

Signa.

PLurima ſunt ſigna huius morbi, dira, & terroris C plena, quæ in quatuor claſſes ab auctoribus diuiduntur, iuxta quatuor ſpecies, quibus inſignitur. Prima ſpecies eſt omnium leuiſſima, in qua pili capitis, & barbæ, citra aliam corporis affectionem decidunt; tunc enim virus in tenuiori corpore conſiſtit, quod per corporis ſumma ad pilorum radices diffunditur. Secunda paulò eſt deterior, in qua puris fœdi per virgam emanat profluuium, variis coloribus inſigniti. Vniuerſa cutis crebris maculis multùm extuberantibus repletur, modò rubris, modò flauis, quæ non ampliùs extinguuntur, quouſque morbi radix ſit euulſa. Hæc in tenuiſſimo ſanguine conſiſtit. Tertia eſt grauior, in qua adſunt immanes articulorum dolores, veſperi, noctúque præſertim ingraueſcentes, quoniam humor melancholicus, D à quo illi ſcaturiunt, hoc tempore efferatur & inualeſcit. Vlcera doloſa in gula, palato, pene, & vniuerſa corporis mole propullulant, ſicut ſcirrhoſa tubercula in eadem parte, & iuxta oſſa exoriuntur. Quarta eſt omnium deterrima, quando iam morbus inſoleſcens ſolidas partes adoritur, oſſa, vincula, membranas, & neruos, quæ poſtmodum carie occupantur. Æger febricula hecticæ inſtar opprimitur, cacoëthicis vlceribus, & vix ad cicatricem peruenientibus corpus conſpurcatur, & ſic vigiliis, diriſque cruciatibus corpus confectum & tabeſcens, paulatim diſſoluitur, & perit.

Sed dubitandum: *Vtrùm Gonorrhœa virulenta à communi gonorrhœa diſtinguatur?* Quod quæſitum curan- E tium malè torquet ingenia: Plures enim ſunt fœminæ, quæ alba patiuntur ex anteruallis per vterum purgamenta, quarum viri Gallica lue ſunt infecti, & vel ſemel curati, ſunt de ſanitate dubij, quæ ob materiæ fluxum ignorant, an tanto malo ſint detentæ. Rurſus viri hac ipſa de cauſa, cum multis recuſant inire concubitum, timentes, ne ex marito primo Gallica lue fœdato, & forſan malè curato, contagium reportarint. Quæ omnia peculiarem Medici diligentiam, & maturum conſilium, ad curandum prærequirunt.

Hanc ergo à communi ſeminis inuoluntaria profuſione plurimis ſignis diſtingues. In venereo enim, & contagioſo congreſſu, penis, & totius corporis, ac partium pudendarum pori, & meatus aperiuntur, & vapor ab inquinata fœmina aut viro eleuatus, in pudendum fœminæ aut viri, in vaſa ſpermatica, & teſtes, vterúmque ſeſe extendit, illorúmque conſtitutionem conſpurcat, & ſua maligna qualitate proſternit; quo fit vt alimentum ad partes demandatum, in fœdum virus degeneret, album, flauum, aut aliis coloribus inſignitum. In communi verò gonorrhœa, quæ fit laxatis, & imbecillioribus vaſis ſeminariis, exit ſemen album, aquoſum, & ſeroſius redditum.

Rurſum in hac nullus adeſt dolor, in virulenta ſentitur dolor, ardor vrget, maior vel minor, prout virus acrimoniæ plus, vel minùs particeps fuerit, quam in vaſis ſpermaticis prauè affectis contraxit: ex quo fit, vt ob acerrimum humorem per has partes, & penem decurrentem, eáſque exulcerantem, vlcera ſuccreſcant doloſa, fœtida, & quæ miſerrimè ægrotantes torquere ſolent. Accedit quòd virulenta gonorrhœa ſolùm ex concubitu obſcœno ortum ducit, communis verò citra hunc premit, & fatigat.

Vtrùm autem *dolores Gallici à cæteris doloribus diſtinguantur?* etiam diſſidium eſt. Illi enim cùm à mala qualitate ſcaturiant, diuerſimodè affligunt, ita vt in vna eadémque membrana variæ excitentur dolorum differentiæ, quod in aliis dolorum ſortibus non experimur. Deinde. Dolores reliqui diuturni, à frigida cauſa emanant; recentes, calidi ſunt, iuxta oraculum Senis, *lib. 6. epid. ſect. 7. text. 4.* dicentis: *Dolores antiqui, frigidi; noui verò, calidi.* At verò in doloribus Gallicis euenit contrà: Nam dolor ex frigida cauſa, ſæpe eſt acutiſſimus, mordaciſſimus, & intolerabilis, vt ſe abradi & exuri ſæpe referant ægrotantes, in quorum etiam curatione multoties experimur, dolorem calidum, mordacem & acerrimum, diuturnum eſſe, ac difficulter curationem ſuſcipere.

Inſuper reliqui dolores præſidiis contrariis, anodynis, & ſtupefacientibus conſanéſcunt; Gallici ſolis antidotis miteſcunt, ac leuantur, qualia ſunt quæ à proprietate alexipharmaca illis reluctantur. Gallicus dolor rarò fit cũ tumore; Arthriticus cum eo inuadit, in omnibus, aut pluribus partibus plerumque conſpicuo. Arthritici dolores, ſicut omnes aliæ articulariæ affectiones, vere & autumno magna ex parte mouentur, iuxta Senis oraculum, *6. Aph. 55.* Gallici, nullonon tempore. Præterea Gallicus dolor ſenſim, paulatímque ingruit; Articularis verò, ſubitò & confertim. Gallicus dolorem infert iuxta perioſtium, in intima particulæ regione; articularius in extimis, vbi tumor apparet, & in intimis etiam. Gallicus dolor frequenter caput exercet, etſi alios artus etiam premat ac fatiget; alij dolores articulares rarò, aut leuem capitis dolorem comitem habent. Gallicus ferè incipit poſt venereos bubones repercuſſos; articularius ex aliis cauſis emanat. Demum Gallicus veſperi, aut noctu præcipuè affligit, quia hoc tempore humor melancholicus, qui plerumque in hoc morbo exuperat, mouetur, & inſoleſcit; Arthriticus in omni parte diei, citra vllam remiſſionem exaſperatur, & inſoleſcit. Hæc ergo attento animo licet perpendere, ne ſimulata morbi natura Medicus fallatur, & ſpretis neceſſariis auxiliis in grauiora pericula ægros præcipitet.

Quæſtio eſt etiam ſcitu digniſſima: *Vtrùm febris Gallica ſit putrida, & aliquando in hecticam commigret?* Grauis diſceptatio, & magni ad praxin momenti: Nam in Gallica lue ſecur eſt mala qualitate affectum, nutritio fit infauſta, humores ſunt vitiati, ſanguis putrilagine infectus, & omnis maſſa ſanguinea, labe fœdata: quapropter ſi febris excitatur, ad putridam eſt reducenda, quæ vel intermittens, vel continua eſſe poteſt, prout humor hic vel ille, in vaſis vel extra vaſa, exuperet.

Quòd ſi diu duret, in hecticam poſſe tranſmutari, nulli eſt dubium, qui Galeni doctrinam examinet ad vnguem: Is enim *lib. 1. feb. c. 9. in fin.* ſic ait: *Aduenit au-*

rem:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 319 sur 927

tem ipsi cordi hæc passio, nonnunquam quidem ex seipsa, sicuti in excandescentiis, vehementibúsque tristitiis ac diuturnis: nonnunquam verò ex ardentibus febribus, & cæteris vel productis, & diuturnis. Sicut enim illæ vehementia sua & intentione, roridam substantiam absumunt, & corpus colliquant: sic diutinæ temporis spatio calorem durantem in partibus solidis imprimunt, cùm eas propriis humiditatibus orbatas magis ac magis efficiant. Accedunt dolores immanes, quibus hac lue infecti assiduè premuntur, patientes persæpe manantia, & fistulosa vlcera, à quibus pus exit in copia multa: quare corpus resoluitur, & extenuatur, & hectico calori susciendo redditur idoneum. Quæ omnia cum purulenta sint, calorem copiosum cordi præstare possunt, ita vt factum contrahat calorem, & subinde vniuersum corpus. Neque dicas, quòd Iecur potissimùm læditur, non partes solidæ: Nam si iecur calore & siccitate afficitur, quis dubitat temporis progressu illas calore hectico corripi posse? Neque obstat, quòd hic morbus sit frigidus, & veneni Gallici vis cum humoribus pituitosis maiorem habeat analogiam: Nam hoc difficultatem notat, non impossibilitatem: & hæc est causa, quare rarò febris Gallica in hecticam commigrat, sicut pituitosa febris, rariùs quàm bilioſa, in hecticam transmutatur, quia frigidi & humidi humores caloris actionem retardant, faciúntque ne in maiorem siccitatem relabatur corpus. Quare transmutatio Gallicæ febris in hecticam est possibilis, quemadmodum quotidiana, & aliæ tam continuæ, quàm intermittentes in hecticam finiuntur.

Præsagium.

VTrùm morbus Gallicus, sit hæreditarius? meritò addubitari potest. Dari morbos hæreditarios, nouum non est: Plures enim morbi è semine genitali excitantur, quod similem inferat in fœtum morbosam qualitatem, quam ipsum emissum à parentibus præ se tulerit. Hoc confirmat Hip. *lib. de genitur. de morb. sacr. de aër. & loc.* à morbosis animi parentibus morbosum prodit semen. Quare Auicenna 2.1. *doct* 2. *cap.*18. sic inquit: *Sunt morborum quidam, qui in semine hæreditantur, vt lepra, manantia vlcera, podagra, phthisis, Elephas, &c.* Negandum ergo non est, prauam in semine, & morbidam excretionem, qualitatémue occultam aliquam semen inficientem adesse, quæ in posteros similem labem intulerit; parentum enim vitia, vi seminis genitalis deriuantur, imò & notæ plures occultiores, siquæ in membris quibusdam insunt, quin filij, illorum gestus, motus, formam plerunque referunt. Hoc ita verum est, vt non solùm filij postquàm exierunt in lucem, sint morbi Gallici hæredes, sed ab vtero prodeant hac labe fœdati, vlceribus, & tumoribus per totum corpus respersi, simis naribus, oculis truncatis, extenuati, crustosa scabie infecti.

Consequutione quadam dubitandum: *Vtrùm morbus Gallicus illæsis filiis transeat in nepotes?* Difficile enim videtur, quodammodo, si character transit à patre in filium, pater Gallico morbo infectus licèt imprimat similem characterem in filium, hic tamen ita insignitus, non nascitur hoc morbo fœdatus, nepotem tamen generat lue venerea contaminatum? Nam vitiatum semen à vitiato corpore decisum, videtur necessariò fœtum vitiaturum, & vitium illud debere propagari ad secundam, vel vsque ad tertiam generationem, cùm hæ generationes ab vno principio tantùm ortum ducant. Huius euentus causa est, quòd vis formatrix, licèt habeat omnium paternorum simulacra, non æqualiter ab omnibus illis excitatur ad opus, sed à quibusdam magis, ab aliis minùs, aut nihil. Quo fit vt aliquando non excitetur ad formandum membrum morbidum, ac ex consequenti ea parte sanus euadet filius; aliquando verò patris affectum in filij simili membro gignat, & filium producat morbosum, ac patri similem: quod in nepotibus formaria vis contrario modo potest efficere.

Deinde argues: *Vtrùm hic morbus possit diu intra corpus latere citra noxam?* Dic, quòd si mala qualitas fuit impressa in parte ignobili, parum, aut nihil totum corpus immutat. Cæterùm licèt, nullum peculiare indicium in corpore relinquat, interim tamen non otiatur, neque quiescit venenum, vt 3. *epid. sect.* 3. *com.* 75. scribit Galenus, sed paulatim operatur, & immutat solida corporis membra, & ipsorum naturalem temperaturam peruertit. Quando tamen insigniter alterata est membri constitutio, tunc irritata natura id ad nobile detrudit, & repentè praua adsunt symptomata, vt *lib.* 1. *prorrhet. sect.* 2. *com.* 17. confirmat Galenus, posito exemplo in canis rabidi veneno. Sed in hoc nullum certum, & statutum tempus potest definiri: alij enim citiùs, quidam tardiùs, alij tardissimè in hunc affectum incidunt, cùm antea viderentur sani, & nulla labe fœdari, quod ex maiore, vel minore facultate agentis, & passuri corporis dispositione euenire puto, sine qua nihil sub cœlo agere potest, vt testatur Arist. *lib.* 2. *de anim. cap.* 2. & Galenus 1. *de diff. feb. cap.* 6. disertè edocuit.

De sexu hæsitatio est non exigua: *Vtrùm fœminæ huic morbo, quam viri sint magis obnoxiæ?* Illæ videntur Gallicum magis aduersari venenum: quia menstruas habent purgationes, & earum ope noxium extrà excutiunt. Sunt frigidiores, & ob hanc causam huius mali fomes per adstrictos, & angustos canales minùs penetrat. Ex altera parte, viri sunt robustiores, & occursantibus vitiis magis resistunt; & licèt calidiores sint, & ad seminaria contagij recipienda videantur magis proni, cùm in concubitu incalescant magis, & debilitentur, tamen cùm vterus sit omnis impuritatis receptaculum, fit vt promptiùs fœminæ contagium susceptent: morbosum enim semen virile hac de causa substantiam in vtero contentam, & vasa spermatica fœminarum citissimè conspurcat; quæ semel correptæ periculosiùs ægrotant, & difficiliùs curantur: aduenies enim menstruus sanguis, mox à vitiosa qualitate in vtero impressa corrumpitur; quare in gonnorhœam fœdam, ob debiliores vires, & deterrima vitia, deinceps facillimè incidunt.

De ætate etiam est disceptatio: *Vtrùm iuuenes senioribus facilius hoc morbo tententur?* Respondeo affirmatiuè: Illi enim in coitu magis incalescunt, libidine ampliùs tentantur, & ardentes magis in venerem ruunt; quare copiosus fit influxus spirituum ad genitalia, & ob ampliorem calorem ad susciendum venenum viæ fiunt patentiores. Contrà adultiores, præsertim senes qui frigidiores sunt, virile flaccidum habent, quod ad vteri penetralia, in quo loco venenum est reconditum ampliùs, vix pertingit, difficulter incalescunt, angustas vias sortiuntur, & hac ratione ad susciendum contagium valde sunt inepti.

Illud vltimò perscrutandum: *Vtrùm aliqua pars in corpore sit assignanda, à qua Gallicum venenum ferocius insoleſcat:* In capite si radicatur malum, eo solùm loco effrænes vires suas exercet, talpas, & ossis cariem creat, atroces dolores concitat. Si artus infestat, immiserabiliter ægros excitatis nodis, tuberculis, doloribus exercet. Si cutem occupat, in ea ferinam producit scabiem, pruritum, pustulas, porriginem, ficus, varos, furunculos, nattas, nodos, & alia quæ non tantùm totum corporis ambitum deturpant, verùm febrem generant, & in alia graniora vitia commigrant, vt lepram, vlcera manantia, ex quibus manante pure ægri resoluuntur, & contabescunt.

Vera

Vera hæc ſunt, & frequenti experimento confirmata. At omnium curatu periculoſiſſima, ac difficillima eſt morbi Gallici ſpecies, quæ à genitalibus partibus primò ſcaturit. Cùm enim has partes arripit venenum, in iis illicò puſtulam excitat, & vlcuſculum, & deinceps continuatione quadam viſcera omnia interna malâ qualitate, ſpurcóque vapore eleuato celerrimè coinquinat, ſpiritus conſpurcat, humores ſordidiores facit, ac tandem immiſericorditer partes omnino ſolidas adoritur. In pudendis enim vapor ille ſemel impactus, intus per fiſtuloſum neruum obrepens, vaſa ſpermatica malè afficit, & excitata gonorrhœa, turpiſſimè, ſubortis graniſſimis ſymptomatis, venas, arterias, & neruos labefactat, & maſſa ſanguinaria omni putrilagine polluta, & in diſtantiſſimas partes ſerpente veneno, totum corpus celerrimè noxam perſentit. Hac de cauſa bubones in inguine erumpunt, doloſa, cacoëthica & cancroſa vlcera in toto, oſſa caric exedunt. Hæc ſi in initio contemnantur, virus ocyſſimè in cerebrum ſeſe inſinuat, & damno meningibus & cranio communicato, dolores emergunt inſuperabiles. Quòd ſi rurſus maligni humores à capite ad medios artus deturbentur, vitio veluti in orbem redeunte, eadem & grauiora mala in partibus inferis propullulant. Quare à pudendis affectionem hanc deterrimam exoriri meritò ſtatuimus. Ex dictis conſtare arbitror, ex quatuor ſpeciebus, vlimam eſſe periculoſiſſimam: tertiam, periculoſam: ſecundam, minùs; mitiſſimam, eſſe primam.

Curatio.

Melius eſt, inquit Galenus *lib. 2. de nat. facult. cap. 8. imminentem morbum præcauere, quàm factum curare.* Quare ſatius eſt mortales ab hac terra lue præſeruare, quàm ea iam correptos curare. Ideircò diſceptandum: *Virium poſſit aſſignari aliquod auxilium, quod homines à morbo Gallico præſeruet?* Et videtur difficile hoc beneficium à Medicis poſſe præſtari: in congreſſu enim venereo, excitato calore ob motum, ſpiritibus & humoribus ebullientibus, meatibúſque patentioribus redditis, impoſſibile veluti eſt, poſſe inueniri remedium, quod contagij vim ex toto refringat & reprimat, ne partibus vicinis communicetur, aut in altas ſedes commigret.

Sed ſi hoc negotium attentiùs expendatur, inueniemus plures cautiones, & auxilia, quorum beneficio quiſpiam poſt concubitum, à Gallico veneno immunis euadat. Primò ergo, oportet vt poſt venerem, in qua non multùm immoretur, abluat totum pudendum aqua calida, denudato præputio, & hoc per octauam horæ partem faciendum, idque manè, & ſerò, bidui ſpatio. Hoc præſidio ſuperſtites à tanta labe perſæpe euadunt mulieres, panniculos ex goſſypio in calida aqua abundè madidos immittentes. Quòd ſi hæc præſtò non ſint, protinus genitalia vrina lauabis. Eadem aqua calida fouenda ſunt labia infantium lactantium, & nutricum papillæ. Balneum toti corpori adhibitum ſummoperè prodeſt, maximè ſi cum infecto vel neceſſitate coactus, vel inſcius quis cubauerit. Vinú etiam calidũ in hunc vſum mirificè confert. Verú aqua aliis liquoribus eſt præſtantior; reſoluit enim, ardorem temperat, mitigat dolorem, & non exiccat.

Curatio inſtituenda eſt vêre, vel autumno, ſi morbus inducias præſtat. Si tamen vrget, & in mora periculum adeſt, quocunque tempore poteſt celebrari, dummodò cubiculum rectè pateretur. Sed iure inquires: *Virium complicatio morbi Gallici cum morbis acutis, ſit difficilior ad curandum, quàm cum diuturnis?* Reſpondeo affirmatiuè: Si enim præſente ardenti febre auxilia Gallica adminiſtres, impensè nocebis, calorem febrilem exacues, calidam iecoris & viſcerum intemperiem adaugebis, dum abſumpta corporis humiditate corpus ad contabeſcentiam deduces. Quare neglecta indicatione, quæ ſumitur à morbo Gallico, acutus morbus ex quo plures occumbunt, 1. *acut.* 8. priùs eſt curandus, & pro exigentia acuti præſidia celebranda: maximè ſi interna ſæuiat inflammatio, qua exiſtente in corpore, licèt præſit in ipſo Gallicus apparatus, omnino acutiei inflammationis proſpiciendum, nulla de Gallico morbo commemoratione facta. Quare difficilior multò ad curandum eſt tunc morbi Gallici complicatio, quippe præſidia congruentia ad retundendam Gallici veneni malitiam offerre non poſſumus; & ob remedia vacuantia, pro acuti morbi medela neceſſaria, quæ ſuapte natura vires debilitant, doloréſque ac vigilias inducunt, Gallicus minuto calore natiuo, & ſpiritibus exhauſtis, vehementer inſoleſcit, & impoſterum eius curatio laborioſiſſima eſt, & ſolùm longo tempore perfici poteſt. Quòd ſi morbus ſit chronicus, & ex frigidis craſſiſque humoribus excitetur, vt hydrops, paralyſis, ſtupor, diſtillatio capitis frigida, arthritis, iecoris, ventriculi, aut lienis intemperies frigidior & humidior, vel alij contumaces & pernicioſi, ab eadem cauſa prognati, tunc ſecurior eſt curatio, quia ambo conſimilem prorſus curationem expoſtulant, ſiue eam per ſudationes, aut alium modum inſtituas.

Deinde in Gallicatis victus ratio eſt adhibenda initiante morbo, quæ putrilaginem corrigat, excrementitiam humiditatem abſumat, & vires ex venenoſa qualitate debiliores factas, roboret. Concedenda alimenta facilis coctionis, & diſtributionis. Electæ carnes, potiùs aſſæ, quàm elixæ. Oua recentia, hepata gallinarum. Vuæ paſſæ, amygdalæ toſtæ. Panis biſcoctus. Demum victus ad ſiccitatem vergere debet. Interdicenda lacticinia, piſces, carnes craſſæ, ſalitæ, & fumo induratæ, cæteráque praua edulia, quæ facilè in corpore corrumpuntur, obſtruunt, & negotium naturæ faceſſunt.

Victu inſtituto, antequam luis venereæ propriam curationem aggrediamur, corpus expurgandum, vt vitioſi humores deponantur: Sed priùs præparandi humores: cùm enim natura huius morbi pernicioſa humores exurat, partes debiliter, calorem naturalem imminuat, facultatem alteratricem lædat perpetuò, ob hanc cauſam ſemper in hoc morbo, humoris pituitoſi, & aduſti copia abundat. Quare medicamenta præparantia, & expurgantia, hos humores ſemper reſpicere debent: oblatis etiam antidotis, quæ aduerſus malam qualitatem virtutem ſortiuntur. In hunc vſum proſunt ſyrupus Borrag. Fumar. Cichor. Rhodomel, diluti cum aquis Borrag. Bugloſſ. Endiu. Fumar. Vel loco horum decoctum ſimile erit peruſile.

℞. *Similac. aſper. diuiſa, & contuſæ* ℥ij. *paſſular. ſine ſemine. p. i. capil. vener. fumar. lupulor. an. M. j. ſol. ſen. ſem. Cartham. an.* ℥j. ſi. Coque in ℔. iiij. aq. ad dimidiæ partis conſumptionem, ſoletur, & ſeruetur vſui.

Vel fiat hoc modo.

℞. *Ligni Indi,* ℔. ſ. *ſimilac. aſper.* ℔. vj. *ſcabioſ. ſtœchad. fumar. an. M* ij. Coque in ℔. xij. aq. ad dimidias. Colaturæ adde ſacchari ℔. i. & ſerua.

Corpus expurgandum pro humoris exuperantis diuerſitate: quare in præſentia humoris melancholici, vtiles ſunt pilulæ fœtidæ, Aggregat. de Agarico, quarum drachmæ addantur gr. iij pulu. cortic. radic. Ellebor. Nigri. Si prædominetur pituitoſus, proſunt cocchiæ, Aggreg. & de fumar. cum gr. iij. Trochiſcor. Alhandal. Si bilioſus humor infeſtet, pilulæ de Rhab. & Aureæ, ſatis ſunt, quibus gr. iij. Diagridij permiſcenda. Si verò æger magis potiones amet, parentur ex confect. Hamech. Cathol. electuar. Eleſcoph. Indo Minori, cum Syrupo de Senna, de Epithym. de Polypod. Fumar. Maiori, & decocto ſenæ, ſem. cartham. flor. cordial. paſſular. &c.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 321 sur 927

At ante purgationem, ad leuandam naturam, & transpirandum corpus si plenitudo adsit, sanguis est detrahendus in quantitate modica, ex parte dextras si laboret iecur; ex sinistra, si lien sit oblæsus. Quòd si pustulæ adsint, aut etiam scabies infestet, hirudines venis hæmorrhoidalibus apponere, non erit absre, quarum vsu fœcalis sanguis ad distantissimas propellitur corporis partes, ad quas ipse grauitate sua promptissimè ruit.

Expurgato corpore venepata qualitas morbo Gallico insidens debellanda. Hoc opus multis perficitur præsidiis. Quare hic morbus curatur. Primò, via quadam Regia. Secundò, per vomitum. Tertiò, per vnguenta, aut decocta ex Argento viuo parata. Quartò, per suffumigia. Quintò, per mitissima medicamenta Alexipharmaca, quæ reliquias humorum conterunt, & malignam qualitatem mirandum in modum retundunt. Vltimò debent corrigi symptomata fera, quæ ex hac hydra, tanquam ex antro Trophonio sæpe propullulant.

Inquires: *Vtrùm morbus Gallicus citra antidota possit persanari?* Respondeaffirmatiuè. Licèt autem in morbo hoc, deleteria & maligna qualitas adsit necessariò, quæ solùm è medicamentis à proprietate operantibus possit refrænari; tamen si recens, & leuis est, & virus in tenui corpore consistit, citra ea aliquando mitescit. Imò vehementi, & laborioſa exercitatione solet extirpari, vt ludo paruæ pilæ, armorum exercitatione, venatione, quarum operationum auxilio humorum reliquiæ discutiuntur, internæ partes roborantur, fœliciùs nutriuntur, & sensim ac sine sensu malam qualitatem deponunt.

Si verò vehementior sit, & neque his, neque expurgantibus succumbat, ad secundam curationis viã, quæ dicitur regia, accedemus: hanc ergo complent medicamenta Alexiteria, quæ antidoti instar malam humoris praui perniciem retundunt, vt sunt Lignum Indum, Ebenum dictum, Smilax Aspera, Radix Chinæ, & alia plura. At hæc ante totius corporis vacuationem non sunt administranda: cùm enim hæc vim habeant extenuandi, & prouocandi sudorem, si corpus impurum est, motus ab his medicamentis humor, & ad cutem irruens, obstructiones parit, febrem concitat, & transmisso humore ad caput, epilepsiam, aliósque capitis affectus progenerat.

De ligno Indo priùs agendum est, & quærendum: *Vtrùm calidum sit, an temperatum?* Dic calidum esse in gradu secundo: Nam præter sensibilem calorem, quem in nostro corpore progenerat, qui secundo gradui caloris tribuitur, ex Gal. 5. *simp. vlt.* etiam calore manifesto, quo pollet, incidit, attenuat, aperit, sudorem mouet. Neque dicas, quòd refrigerata calefacit, & refrigeret calefacta, quod temperati medicamenti proprium est, 2. *simpl. vlt.* ac proinde cum hoc medicamentum in corporibus calidis, & frigidis administretur, erit temperatum. Nam illud non conceditur, quia calidum, aut frigidum, sed principaliter quia habet qualitatem morbo Gallico à tota substantia valde aduersam. Hac de causa quando biliosis, & calidis naturis conceditur, debent permisceri aliqua medicamenta frigida, quæ illius calorem remittant; acte enim est, ac amarum, & ob hanc causam calefacit & exiccat.

Eligendum crassum, ac solidum, quia in eo maior actiuitas reperitur. Recens non antiquum, non carioſum; & ita reprobatur illud, quod in particulas dissectum, apparet spongioſum, & excauatum. Deinde debet esse lene, & nodositatibus carens, vt in eo virtus æqualiter recondatur. Cortice constet integro, non carioſo, sed odorifero. Medium eius colore sit præditum subnigro, eius verò circumferentia in albedinem, & pallorem declinet, & contractu linguæ in colorem croci mutetur, quia hoc magis reperitur in recenti, quàm in vetusto. Præferatur ponderoſum, & pingue, illud enim recentius est, & ab hoc igni admoto, aliquid humiditatis effluit necessariò.

Ex eo decoctum sic parari debet, vt pro qualibet eius vncia, aquæ libra addatur. Sed quoniam maior virtus in cortice est, huius vnciæ maior aquæ quantitas debet respondere, vt vis illius ampliùs aquæ communicetur. Illud non integrum, sed in minutissima frusta diuisum debet infundi, & parabitur decoctum hoc modo:

℞. *Ligni Indi*, ℔. 1. *cortic. eius* ℥ iiij. Infundantur in aquæ ℔. xx. spatio vnius diei, & reponatur vas super cineres, vel stercus, vel furfur, aut plumbeum vas optimè coopertum, vt caliditatem retineat: & postea lento igne decoquatur, aut in duplici vase, quæ vera elixatio est, & multò præstantius reddit decoctum: & interdum coquendum est ad consumptionem medietatis pro delicatis biliosis præsertim, in tempore calido; & facta decoctione coletur per pannum crassum, & seruetur in vase vitreo, aut vitreato, vel testaceo, non æneo, aut plumbeo, ne inde ex his metallis mala qualitas acquiratur: Et inter coquendum spuma remoueri debet; hæc enim pro curandis vlceribus, & pustulis exterioribus summè conducit.

Quantitas huius decocti definiri non potest: quia si æger fuerit languidus, vel puer, singulis vicibus ℔. ß. offerenda est, si robustus, libræ dimidiæ addendæ sunt vnciæ quatuor. Tempus sudoris certis præceptis describi nequit: aliquibus enim tres horæ tempore matutino, satis sunt; duæ verò vesperi; aliis sunt necessariæ quatuor, manè, vesperi verò tres. Idem obseruandum est in numero dierum, in quibus prouocatur sudor; quibusdã enim sufficiunt nouem dies, aliis 20. 30. & 40. Terminus enim sudorum, solùm penes remissionem symptomatum, videlicet dolorum, tumorum, & pustularum, præscribendus est.

Aliqui, vt potentius, & efficacius reddatur decoctum, addunt (quod maximè laudo) quartam partem corticis huius ligni. Alij Aristolochiam rotundam, quantitate vnciæ & dimidiæ, aut Carduum benedictum, quantitate M. 1. Hoc decoctum, si morbus vrgeat, quocunque tempore potest administrari, dummodò cubiculum rectè paretur, quia dilatio vitæ periculum parit. Si morbus inducias præstet, tunc ad cõmodius tempus, vernale, vel autumnale differenda curatio est. Tempus sudandi in morbo leui & recenti, ad 20. aut 30. dies: in diuturno, & graui, ad 40. produci debet. Hæc est causa, quare morbus Gallicus in principio radicitùs non extirpatur, quia ægri ad summum ad decem dies sudando accedunt.

Percontaberis, *Vtrùm aliqua medicamenta roborantia, in decocto permiscenda?* Lignum Indum, seu sanctum, non solùm in morbo Gallico, sed in aliis frigidis & humidis affectibus, mirabiles de se promit vires, vt in conuulsione, tremore, paralysi, vertigine, epilepsia, colico dolore, contumaci tussi, articulorum doloribus, discutiendis flatibus, emolliendis tumoribus duris, vteri strangulatu, debilitate ventriculi ex frigida & humida intemperie contracta. Ob hanc causam optimum consiliũ est, pro diuersitate morborũ, addere huic decocto aliqua simplicia, quæ partes affectas peculiariter respiciant, veluti in affectibus capitis, & neruorũ, Majoranam Saluiam, Rorem marin. Stœchad. In affectibus oculorũ, Euphrasiã, Chelidoniam. In Arthritide, chamæpit. chamædr. In morbis thoracis, Capil. Venet. Glycyrrhiz. Hyssop. montanũ, Prassium, & similia. In morbis iecoris, Cichorium, Eupator. Absinth. hord. In affectibus renum, semina frigida majora, Glycyrrhiz. In morbis lienis, Asplenium, & Radices capparum, aut Tamarisci. Hæc enim medicamenta, præterquam quòd sudorem non impediunt, partes

in

in morbo Gallico affectas, natiua quadam ſorte roborant, & medicamenti ſudorifici vires ad eas deducunt.

Vtrùm autem medicamenta expurgantia in decocto ſudorifico permiſcenda? dubium eſt. Video enim plures & non poſtremæ notæ viros, hanc praxin ſummè approbare, quòd horum vſu aluus ſingulis diebus reſpondeat; quum enim humor peccans ſit craſſus, terrenus, & grauis, non ita promptè poteſt accedere ad cutem, neq; facilè euacuari per ſudorem: In hunc vſum cum Ligno Indo, Smilace, Radice Chinæ, aut Saſſafras, infundenda volunt folia ſennæ, Epithymum, Polypodium, & alia, quæ terreſtrem humorem, qui ferè in hoc morbo redundat, per aluum vacuare nata ſint. At methodus hæc ſuſpecta eſt, & naturæ negotium faceſſit: duo enim motus contrarij non ita facilè ab ea tolerantur; imò perturbata, & ad diuerſas regiones inclinans, ſatagénſque ſimul humorem noxium, per ſudorem, & alui fluxum propellere, neutram operationem perficit. Quamobrem ſalubrius eſt, vel alternis diebus in hunc vſum clyſteribus lenibus proritare ventrem; vel intermedio tempore clemens offerre pharmacum, cuius ope excrementitius humor per aluum educatur, dummodò æger alera die poſt purgationem è ſudore quieſcat.

Verùm inquires: *Vtrùm medicamenta ſudorifica interdum in vino coquenda?* Plures valde laudant hoc decoctum: Nam vino vis ineſt mirabilis roborandi viſcera, pollet alexiteria vi, craſſos humores incîdit, obſtructiones aperit, tumores & nodos emollit, reſoluit tophos, cutis meatus laxat, penetrat magis, & vires medicamentorũ alexipharmacas citiſſimè ad affectas partes deducit, copioſiùs ſudorem mouet, & frigidis affectibus remedio eſt. Ex altera parte, hoc vinum, à Medicis Sanctum nuncupatum, maximè calefacit, febrim inducit, eſt amarum, & guſtui ingratum. Dic, lignum Guajacum fœliciter aliquando in vino decoqui: Si enim morbus diuturnus ſit, ſæuus, & decocto in aqua parato non ſuccumbat, ægérque habitet in regione frigida, ventriculum ſortiatur debilem, frigidis pituitoſiſque humoribus ſcateat, nulli dubium eſt, quin iſtis vinum hoc vtilitatem ex ſe prodat non aſpernabilem. Si verò contrariæ adſint indicationes, reprobum erit, & nullius vſus.

Maior verò eſt dubitatio: *Vtrùm præſente febri ſudorifica ſint celebranda?* Si enim eſt humoralis, iis oblatis excandeſcit valde; qua exacerbata timor eſt, ne alij grauiores morbi de nouo ſuccreſcant, & periculum vitæ immineat, vel in hecticam ipſa commigret. Inſuper ſi hac exiſtente, calida & reſoluentia præſidia, quæ huic contagioni proficua ſunt, exhibueris, in extenuationem, & retorridum maraſmum corpus deduces. Quid ergo faciendum in agone tanto? aut quibus auxiliis contabefactus æger à tanto morbo euadet immunis? Dic, quòd antequam ſudorifica propinentur, neceſſe eſt corpus calidum ſiccum, exuſtis humoribus plenum, frigidis medicamentis attemperare. Purgatio lenis adminiſtranda. Apozemata offerenda, quæ bilioſum, & calidum humorem leniter euacuent, facta ex ſero lactis caprini, in quo madeſcant flores cordiales, Pulpa Caſſiæ, Myrobalani citrini, Radix Chinæ, Smilax aſpera, aut cortex Guajaci, hordeum, radices ſcorzoneræ, Bugloſſ. Endiu. Borrag. Si corpus ſit ſqualidum & ſiccum, balnea priùs per aliquot dies adminiſtranda, vnguenta refrigerantia hepati admouenda. Ptiſana eſt optima, dummodò hordeum priùs coquatur in aqua, quæ fuit priùs Ebeno decocta. His celebratis, ad ſudationes accedendum, & decoctum non eſt parandum in aqua ſimplici, ſed Endiu. Borrag. Bugloſſ. aut Hordei. Si verò ægri macie Gallica contabeſcant, medicamenta coquenda ſunt in ſero actis caprini, ſeu quod magis laudo, in iure gallinæ, aut caponis, vt ſic hoc decocto alexipharmaco, & vires inſtaurante, tum venenum debellari, tum vires refici poſſint. In alternis diebus, & ſolùm ſemel in die, hora matutina excitandus ſudor, in quo non multis ſtragulis cooperti paruo temporis ſpatio immorari debent. Neque victus ratio ſit ita tenuis, & extenuans; vires enim debiles tantam victus parſimoniã ferre non poſſunt. Caro pulli aſſa offerenda, hepata gallinarum, oua ſorbilia, contuſa, ex electis carnibus extracta. Potus ſit aqua ſecunda, quæ paratur ex ligno iam decocto.

Vtimur etiam pro curatione huius morbi Sarza patilla, quæ à Dioſcoride *lib. 4. cap. 129.* Smilax aſpera vocatur, de qua etiam egit Galenus *7. ſimpl. tit. prop. de ſmilace aſpera.* Calefacit in primo gradu, exiccat verò in ſecundo. Eligi debet quæ in duritie mediocritatem ſeruat, ita vt non ſit nimis recens, quoniam eſt valde ventriculo ingrata, neque ſit carioſa, ita vt quando frangitur, puluerem ex ſe emittat. Hæc efficacem habet poteſtatem in reſoluendis nodis, comminuendis tophis, abſtergendis vlceribus faucium, pudendorum, capitis, & podicis. Eſt alixeteria, extenuat ſudorem prouocat, & morbis contagioſis, venenatiſque eximiè opitulatur: in qua, eadem victus ratio ſicca, idem modus, & ordo obſeruandus eſt, ſicuti in ligno Indo prædiximus. Huius radicis decoctum non ſolùm Gallico morbo, ſed aliis frigidis affectibus *ſuprà* citatis ſummè ſuccurrit.

Non ſolùm Ligno Indo, & Smilace aſpera vtimur, ſed radice Chinæ, quæ etſi tantam pro curatione huius morbi efficaciam non habeat, quia non ita potenter malignam eius qualitatem refrænat, tamen eſt præſidium gratius, & ſecurius, & tam tenuem victum non expoſtulat. Eſt ſicca in ſecundo ordine, & in actiuis temperata, & ſi ad eas declinat, ad modicum calorem deuergit. Huiuſmodi radix detrahitur ex quodam cannarum genere ad littora maris naſcenti, & radici noſtrarum cannarum ſimilis eſt. Eſt fungoſa, nodis plena, intus cum rufo colore albeſcens, exteriùs verò rubeſcens. Eſt eligenda grauis, ponderoſa, ſapore inſipida. Aliis morbis à Gallico vehementer ſuccurrit, in cuius adminiſtratione idem modus eſt obſeruandus.

Vtuntur Medici pro morbi Gallici, cæterorúmque frigidorum curatione, ligno quod vulgò vocatur Saſſafras, cuius corticis, & ligni vſus duntaxat in Medicina receptus ſit. Eſt calidum, & ſiccum in gradu ſecundo. In cuius decocto parando idem ordo ſeruandus, quem in ſuperioribus antidotis adminiſtrandis *ſuprà* docuimus.

Secundò curatur hic morbus per vomitum: quando enim præ ſui contumacia, purgationi iteratæ, ſudorificíſque auxiliis non ſuccumbit, tunc vtimur in robuſtis naturis medicamentis, quæ per vomitum expurgant hunc venenatum ſuccum. Sed rogabis: *Vtrùm hic morbus vomitionis ope poſſit extirpari?* Creditu enim difficile eſt; quòd à remotiſſimis partibus, nempe pudendo, & iuncturis, poſſit humor ad ventriculum remeare. Adde quòd hæc fortiſſima, & violenta vomitoria, etſi tenacem humorem per vomitum excernant, deleteriam tamen huius morbi qualitatem non retundunt, imò vehementia ſua, & acrimonia naturæ negotium faceſſunt, os ventriculi, & conſortij lege cor lancinant, fatigant, & premunt: hinc cordis palmos, ſyncope, cardialgia, virium proſtratio, & animi deliquium ſubſequuntur, ex quibus vires factæ inermes, ferendo morbo ſatis eſſe non poſſunt.

At hæc tanti remedij efficaciam non euertunt, quoniam morbi chronici à craſſis humoribus orti, vomitus ope conſaneſcunt, vt podagra, morbus comitialis, hydrops, melancholia, lepra, vt teſtis eſt Paulus *lib. 7. cap. 10.* Et licèt hi humores tenaces, & graues, cõmodiſſimè per inferiora vacuentur, tamen ſi hæc vacuatio paretur cum medicamentis electiuè expurgantibus, à diſtantibus regionibus citra noxam eos eradicant,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 323 sur 927

& per vomitum excernunt. Quamuis autem aliquan- A tisper os ventriculi oblædant, & corpus fatigent, melior est noxa quàm mors, 12.*meth.* 1. quæ ex hoc immani morbo vltrà serpente imminet certò: maximè cùm hæc aliis permisceantur cardiacis, quæ viscerum robur tuentur, & illorum malitiam innoxiè castigant. Accedit quòd vomitoria medicamenta, præterquam quòd terrestres humores exhauriunt, proprietate sua etiam veneficam huius morbi qualitatem mirandum in modum coërcent. In hunc vsum puluis Ioannis Vigonis, à Medicis præcipitatum dictum, admirandam obtinet potestatem, cuius ipse descriptionem tradit, *lib.* 8. *cap.* 3. ex quo parabis vomitorium in hanc formam.

℞. *Pulu. Ioan. Vigon.* ℈. iiij. Infunde per noctem in ℥ ij. aq. ros. Colaturæ adde, *Pulu. diarrhod. abbat. aromatici rosat. diamargarit. frig. an.* ϑ j. *diacathol.* ʒ j. Misce, fiat bolus. B

Vel hoc modo propina pilularum formâ.

℞. *Pulu. præcipitati*, ℈. v. Macerentur in aq. rosar. spatio 12. horarum, & reiecta corpulentia, adde, *Pulueris diarrhod.* ϑ ß. *cum syrup. de corticibus citri, fiat pilula.*

Vel ℈. v. præcipitati misceantur cum ℥ j. conserua rosar. Debet propinari hoc medicamentum tempore matutino: & post duas, vel tres horas transactas (in quibus potest concedi somnus) nihil ægro exhibendum est, quousque signa perfectæ vacuationis appareant: alioquí citra vtilitatem medicamentum euomitur. Quo tempore transacto possunt offerri ægro ℥ vj. vel viij. huius vomitorij. C

℞. *Sem. aneth. sem. raphan. an. pug.* j. *oxymel. simpl.* ℥ iiij. *mellis* ℥ ij. Coquantur omnia in ℔ iiij. aq. ad tertiæ partis consumptionem: adde *Pulu. ellebor. albi,* ϑ j. *tepidum propinetur.*

Huius decocti quarta parte assumpta, intromittat digitos in os, vel calamo intincto cum oleo, vomitus prouocetur; deinde post duas horas capiat secundam partem; & post alias duas, alteram: nihilque comedat, aut bibat, quousque vomitus conquiescat, etiamsi hora sexta, aut septima noctis; quo tempore ius gallinæ concedi potest: & post vnam horam assumat micam panis vino odorifero imbutam.

Caue ne puluerem hunc Vigonis cum pilulis, vt fœtidis, aut fumariæ permisceas: ex his enim motibus con- D trariis diuersimodè alteratur natura, vnúsque motus alium impedit. Paratur etiam ex aliis medicamentis vomitorium hoc modo.

℞. *Sem. cataput. miner.* ʒ ß. *contunde, & infunde per diem & noctem, in aq. ros. adde sacchar. rosat.* ℥ ß. *aromatic. rosat.* ϑ j. fiat bolus.

Stibium præparatum (Antimonium vocant) in hunc vsum summè iuuat: Nam si grana quatuor infundas in vino, vel gr. iij. in substantia permisceas cum conserua rosacea, efficacissimè melancholicum humorem, vomitu & alui fluxu exturbat. Solet etiam vomitorium parari hac forma.

℞. *Fol. cucumer. asinini, num* iiij. *Infunde per noctem, in* ℥ vj. *vini albi,* cola, & offer.

Fit etiam alia forma. E

℞. *Agarici trochiscati,* ϑ iiij. *pulu. Vigon. infusi,* ℈. iiij. *diamosch. dulcis,* ϑ j. *cum melle* fiant pilulæ, & decorentur.

Pro melancholicis.

℞. *Pulu. Vigon.* gr. iiij. *ellebor. nigri,* ℈. vj. *lapid. lazuli præparat.* ϑ j. *diambræ,* ϑ j. *cum syrupo de corticib. citri,* fiant boli.

Pro biliosis.

℞. *Pulu. Vigon.* gr. iiij. *sem. cataput. minor.* ϑ ß. *cum syrup. ros.* Misce.

Pro sanguineis.

℞. *Pulu. Vigon.* gr. iiij. *pulp. cas.* ℥ ß. *cum sacchar.* fiat bolus.

Aliquando conceduntur in hunc vsum pilulæ Mercuriales, quæ parantur hoc modo.

℞. *Mercurij extincti* ϑ j. ß. *theriac. magnæ,* ʒ. iij. *diamargarit. calidi, aromatic. rosat. an.* ℥ j. *santalor. citrinor.* ϑ j. *diamosch.* ϑ ß. *zibetti,* ℈. viij. Misce, fiant pilulæ ciceris parui magnitudine, & cum foliis auri triplicatis cooperiantur. Dosis vna, alternis diebus.

Tertio modo curatur hic morbus per vnguenta Mercurialia. Cùm enim sudorificis, ac vomitoriis non cedit hic carnifex morbus, tunc ad fortiora præsidia accedendum: ex quorum numero sunt vnguenta, quæ ex Hydrargyrio parantur. Hoc etsi vitiosam, deleteriámque qualitatem non corrigat, multùm tamen prodest ad comminuenda tubercula, tumores duros emolliendos, extirpandas pustulas: demum humorem virulentum, cæca quadam, & abdita potestate per sputum euacuat, aliquando per aluum, interdum per sudorem, & fœliciter hunc Herculeum morbum refrænat, & domat.

Vtrùm sit venenum? adhuc sub iudice lis est. Respõde negatiuè, quare non timeas eius vsum: plures enim fortuitò maximam eius copiam ingerentes, vomitu, & alui fluxu citra noxam excernere solent. Imò scurræ vel imperio suorum Principum, vel præmio inducti, etiam ad denas vncias id assumpserunt. Quin cum vtilitate magna plures, singulis 40. aut 60. diebus pilulas assumunt cum Argento viuo. Et grauissimi auctores, purum, sincerúmque hauriendum præbent, non modò adultis, sed pueris, & infantibus ætate tenellis, quando Epilepsia, vel vermibus sunt oppressi. Imò Obstetrices in difficili partu, statim Argentum viuum scrupuli pondere nullo incommodo potandum exhibent. Quare nisi pondus vel mensuram excesserit, haud interficit. Id equidem significauit Dioscorides *lib.* 5. *cap.* 60. his verbis: *Lethale potum argentum viuum est, pondere suo interanea disrumpens.* Non est ergo verum, illud deuorantes, illicò occumbere, imò ex mente Pauli plures fuisse, ait Auicenna *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 47. qui biberunt id in ileo.

Vtrùm multiplex Argenti viui genus sit assignandum? hæsitarunt prisci. Plinius *lib.* 33. *cap.* 6. vnum tantùm argenti viui genus agnoscit, natiui scilicet illius, ac puri: cùm peritiores instituant duplex, aliud scil. natiuum, seu fossile, aliud factitium, quod ex minio excoctum est. Vtrumque cognouit Dioscorides, & pestilentem odorem, auramque exitialem asserit expirare. Videtur & genus tertium agnouisse Dioscorides, *lib.* 5. *cap.* 7. venæ argenti immixtum, & quod per se est metallum. Quartum appositi genus Vitruuius, *lib.* 8. *Architect.* constructum ex marmoreis fragmentis & frustis, quod sub factitio reponi potest. Consule Dioscorid. *lib.* 5. *cap.* 70. *lib* 6. *cap.* 28. Teophrast. *lib. de lapid.* Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. 6. 8. Quintum genus addi etiam potest, conflatum ex sulphure, & argento viuo.

De Mercurij temperamento certant iuniores: *Vtrùm sit frigidum, vel calidum?* Nam si bibatur largiùs interimit excessu summè frigido, & humido: Innatum enim cordis humorem, hoc suo exuperante temperamento putrefacit, sanguinem congelat, vitales spiritus & ipsam cordis substantiam extinguit: noxio suo halitu tremorem infert, paralysim, & alios frigidos neruorum affectus pernicioso, quia neruos debilitat frigiditate sua, ex Plinio *lib.* 23. *cap.* 6. Dic, factitium, calidum; fossile, frigidum esse statuendum. Quòd si adhuc instes, natiuum, à prædominio esse calidum, quòd aërem in eo superare scribat Arist. 4. *meteor. text.* 34. & iccircò resoluit, valenter emollit, penetrat, incîdit, & est in perpetuo motu, & ad distantissimas partes citissimè penetrat.

Dic, hoc ita verum esse, quoniam diuersis partibus constat, quarum adminiculo diuersos, & tam repugnantes ex se promit effectus: huius enim sensus sunt plura: Opium amarissimum cùm sit, frigidissimum est.

Lentes,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 324 sur 927

Lentes, Aloë, Pſyllium, Squamma æris, Rhabarbarum, Braſſica. Hoc modo Mercurius, quoniam aëreis & tenuibus partibus conſtat, attrahit, attenuat, expurgat, & in perpetuo eſt motu; nam ſtare loco neſcit, micat, tremit, quaſi vitæ haberet ſenſum, & à fluido eius motu argentum fuſile vocatur à Chymicis, & cùm grauior ſit omnibus natura duris, irrequieto motu continuò agitatur. Deinde Mercurius ſuperfluam huius morbi putrilaginem exiccat: argumento eſt, quòd plano leuíque loco poſitus, huc illúcque excurrit, labitúrque, nec tamen humefacit locum, vt alij liquores. Cauſa eſt, innata ipſi ſiccitas, quæ ipſum plano adhæreſcere non patitur.

Adde quòd in eo viget vis cauſtica, & exurens cùm igneis, tenuiſſimíſque partibus conſtet, quæ vbi in actum vi caloris natiui corporum prodierunt, exurunt contagionis ſeminaria, & ad interiora, vim illam cauſticam deferunt, qua materiæ denſiores molliuntur, ſubtiliores reſoluuntur: nam in eo eſt vis coctrix, & diſſolutrix humorum circa cutem; & expultrix, ſiue expulſionis commotrix eorum, quæ naturæ vis è corpore non poſſet alia via depellere. Aëreum autem eſſe argentum viuum, certa res eſt, quia ignem auerſatur in tantum, ac refugit, vt niſi vias inueniat refugiendi, in ſublime efferatur; quæ ſi ei obſtruantur viæ, hæreſcit operculo, altiora quantum fieri poteſt, appetens: neque vnquam gelatur, niſi arte Chymiſtarum, quoniam plus in ſe aëris continet, quàm aquæ, vt ex Ariſt. teſtimonio *ſuprà* retulimus.

Sed relicta indagine partium diuerſarum, quæ in Mercurio vigent, quarum meritò admirandos, & quaſi miraculoſos ex ſe promit effectus, illud ſit veriſſimum: vnguenta ex illo parata ſaluberrima eſſe, atque pro hac extirpanda lue, præſtantiſſima: fremant licèt plures, & non infimæ notæ Medici, quorum argumenta ex profeſſo refutauimus, *lib.* 1. *Hiſt. Princip. in com. Hiſt. cit.* Quare pergamus viam quam ingreſſi ſumus, premere, & ordine quàm optimo ſingula perſequamur.

Vtrùm Mercurialia vnguenta, jeiuno, an paſto ventriculo applicanda? Hanc praxin qui arbitrantur verá, poſt tres horas à cœna vnctiones applicant: Alimenti enim ope robora ta natura hydrargyrij efficaciam, malitiámque contemnit, & reſpuit, & ad excernendos humores robuſtior redditur. Securior tamen, & experimento magis illuſtris eſt altera curandi via: quia tempore matutino vires optimè valent; præceſſerunt coctiones; excrementa tum craſſa, tum halituoſa ſunt repurgata; tempus diei eſt accommodatum valde. Quare ieiuno ventriculo fœliciùs celebrátur: in debilibus ſemel in die, in robuſtis veſperi etiá poſſunt concedi.

Adhibendæ vnctiones hoc modo. Accipimus vnciá vnam & ſemis, vel duas ad ſummum, vnguenti pro qualibet vice: ex vnguento fiunt globi 13. quibus vngitur coxa ſecundùm partem interiorem, genu vniuerſum, talus, brachiale, cubitus, & humerus ſecundùm partem ſuperiorem: in inferiori enim non conuenit ob viciniam cum corde. Venter non vngatur, quia impeditur vacuatio per ſpurum. Cum vnguento optimè membra fricentur, vt in meliùs imbibatur, adhæreátque tenaciter partibus vnctis. Poſtea coopertatur æger, & prouocetur ſudor, & poſt duas horas abſtergatur. Sindones, & ſubucula nulla ratione debent immutari, quouſque vacuatio cœpta ſit perfecta. Vnguentum non calefiat ad ignem, nam argentum viuum ad fundum vaſis deſcendit, & nullius actiuitatis redditur illinitio. Terminus vnctionum debet eſſe, quouſque æger vel mediocriter, vel ſufficienter expuat, & gingiuæ intumeſcant; tunc ab vnctione ceſſandum, idque faciendum, ſi æger aliquo ſymptomate, vt ſyncope, vel animi deliquio non occupetur.

Victus ratio non debet eſſe ita tenuis, ſicut illa quæ in ſudoribus conceditur: cœna tamen ſemper ſit tenuior prandio. Si æger debilis eſt, concedi poteſt portio gallinæ, caponis, pulli, arietis. Alimenta quæ facilè coquuntur, offerenda. Columbæ, & pulli columbini reprobantur, nam caro hæc excrementitia eſt, & ebullitionem in ſanguine generat. Vinum hac ratione etſi interdicatur à multis, quia cum argento viuo humores defert ad neruos, & paralyſim concitat, offerendum tamen eſt; ex eius enim moderato vſu roborantur vires, & vitioſa Mercurij qualitas corrigitur.

Ægri quum vlcera in lingua, ore, palato, ob euacuationem humoris virulenti per eas partes decurrentis, patiuntur, neque conterere, neque deglutire poſſunt alimenta: iccircò offerenda iuſcula, oua ſorbilia, contuſa, maximè ſi vacuatio adſit copioſa. Eſt deinde neceſſe, vt æger intra dentes calamum, vel annulum aureum, vel argenteum retineat, vt vapores ex argento viuo exhalantes exeant foras: ſi enim eo loco adhæreant, acrimonia ſua illas partes miſerrimè exulcerant

Ceſſante vacuatione per ſputum, & miteſcentibus ſymptomatis reliquis, oportet vniuerſum corpus abluere tempore matutino, ieiuno ventriculo, vel vino albo calido ſimplici, vel decocto camomil. & ſaluiæ. Vel decoctum paretur ex *floribus, roriſmarini, camomil. melilot. fol. lauri, ſtœchad. lauendul. an. M.* j. *ligni aloes,* ʒ ij. *cinnamomi* ʒ ß. Conquaſſatis omnibus bulliant in ſufficienti aq. quantitate, cum tertia parte vini albi optimi, & fiat decoctum.

Facta ablutione, recens ſubucula, ſindonéſque mundæ apponantur, & vniuerſus etiam lectus muretur. Sed præſtantiora ſunt auxilia duo. Primum, liquores per aliquot dies aſſumere ex decocto Ebeni, vel ſmilacis aſperæ paratos, tum vt argenti viui malignitas refrænetur, tum vt tenaciores humores in interioribus partibus adhæreſcentes foràs extrahantur. Alterum eſt, vt æger, ſi ſit robuſtus, ingrediatur ter, aut quater in balnea naturalia: hæc enim reliquias Mercurij ad exteriores partes euocant potentiſſimè. Ex vnguentis à me expertis, ſelectiora proponam.

℞. *Olei laurini, olei lilior. an.* ʒ j. ß. *adip. gallin. axungiæ porcinæ, adipis vrſi, an.* ʒ j. *argenti viui extincti ſaliuâ humanâ,* ʒ iij. *pulu. maſtich. lithargyri, ceruſæ, ſaluiæ. diamoſchi dulcis, an.* ʒ j. Miſce, & ſec. art. facta agitatione, fiat vnguentum.

Aliud fœlici euentu approbatum.

℞. *Vnguenti agrip. vnguent. aregon, & dialthææ compoſ.* ʒ ß. *oleor. vulpin. euphorb. rutæ, ſpicæ, laurin. an.* ʒ ß. *adip. anguis,* ʒ j ß. *pulu. maſtich. carjophyl. macis, galang. thuris, zingib. calam. aromatic. ſpic. nardi, nucis moſchat. cinnamom. an.* ʒ j. ß. Omnia tenuiſſimè puluériſentur, adde *argenti viui extincti oleo ſcorpion. ſtyrac. liquid. an.* ʒ. j. Ex his omnibus fiat linimentum.

Aliud etiam præſtat paratum hoc modo:

℞. *Adip. gallin. pingued. porcinæ, an.* ʒ iiij. *olei antiq. olei laurini, an.* ʒ ij. ß. *lithargyrij,* ʒ j. *theriac. antiq.* ʒ j. *vnguent. aregon.* ʒ i. ß. *euphorb.* ʒ iiij. Argenti viui extincti ſaliua humana ʒ iiij. cum cera, & vehementi concuſſione fiat vnguentum.

Aliud multò præſtantius.

℞. *adip. gallin. porcinæ, vaccinæ, an.* ʒ iiii. *olei laurini,* ʒ ii. *olei lilior.* ʒ iii. *argenti viui extincti ſaliua human.* ʒ v. Pinguedines non liquentur ad ignem, ſed extractis pelliculis diligenter in mortario contundantur: deinde paulatim addatur argentum viuum, & agitetur per duas horas: deinde infundantur olea, & optimè agitentur. Poſtea verò adde *mithridat.* ʒi. *pulu. thuris, maſtich. myrt. lithargyrij, ceruſæ, an.* ʒ ß. *ſtyrac. liquid.* ʒ v. Miſce, & fiat vnguentum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 325 sur 927

Aliud expertum.

℞. *Axun. porcinæ,* ℔.j. ß. *olei camomil. anethin. mastich. an.* ʒ ij. *ol. laurin.* ʒ j. *styracis liquid.* ʒ j. *radic. ebulor. enulæ, an.* ʒ iiij. *stœchad.* ʒ j. ß. *euphorb.* ʒ ij. *vini albi,* ℔. ij. Coque quousque absumatur vinum: cola, adde *litharg.* ʒ iiij. *mastich. thuris, an.* ʒ j. *resinæ, terebinth. abietin. an.* ʒ ij. *ceræ* ʒ ij. *argent. viui extincti,* ʒ iiij. *theriac.* ʒ ij. Misce, fiat vnguentum.

Aliud minoris pretij, & vtilitatis.

℞. *Axun. porcin. insuls.* ʒ viij. *mercurij extinct. terebinth.* ʒ iij. *caryophyl. cinnamom. macis, thuris. an.* ʒ viij. *olei laurini, olei anethin. styrac. liquid. an.* ʒ ij. Misce, & semper agitando fiat vnguentum.

Verùm circa hæc vnguenta, plura sunt quæ animaduersionem desiderant. Primum: *Vtrùm tempore quo apponuntur vnguenta, vel postea, medicamenta per aluum expurgantia sint offerenda?* Toto illo tempore vnctionum, quo humor noxius per os excernitur diebus singulis, matutino tempore offerendum esse Rhodomel, pondere vnciarum binarum, vt prauus ille humor qui sæpe confluit in ventriculum, deorsum suauiter expurgetur, est in praxi receptum. Sed in hunc vsum ex interuallis, pilulis, & aliis medicamentis expurgantibus esse mouendum corpus, à recta methodo mihi videtur alienum: nam duo motus contrarij debilitant naturam, perturbántque quominùs humorem per os excernere possit. Cùm verò vnguenta sunt administrata, & facta est iam ablutio, tunc pilulis, vel medicamento aliquo expurgante vtendum est. Nec est necessaria aliqua præparatio, quoniam sufficit illa, quæ cum Rhodomelite facta est. Hoc tamen intelligendũ, dummodò Mercurius per alui fluxum non euacuet, tunc enim aliis vacuationibus non est præcipitanda natura: sed solùm sudorifica celebranda, vt maligna qualitas ex Mercurio contracta, foràs extrahatur. Si verò æger ea recusет, vtatur Auri foliis minutim diuisis, cum aqua Cardui Benedicti, nam aurum est Mercurij antidotum, ex Dioscoride *lib. 5. cap. 69.*

Secundò: *Vtrùm habentes vlcera in gutture, vel ore, vnguentis mercurialibus curandi?* Respondè hoc modo. Si vlcera sint recentia, & impetus fluxionis sit vehemens, vnguenta reproba sunt: humor enim noxius per sputum vacuatus vlcera reddit deteriora, quia longissimè à parte tentata fluxione reuellendum, iuxta præceptum Galeni, 13. *meth. cap.* 11. & 4. 1. *cap.* 3. Si vlcera sint antiqua, & sedatus est fluxionis impetus; quæ sudorificis, & alia via curari non possunt, tunc summa cum vtilitate vnguenta mercurialia admouenda: & licèt humor conuocetur ad partem, maior est vtilitas ex correctione vitiosæ qualitatis, & humoris deterrimi vacuatione, quàm sit quod ex confluxu humorum sequitur detrimentum. Per transennam notabis, vt in illis omnibus, in quibus propter negotia vnctionibus vti non possumus, fiant eadem met vnguenta in forma solida instar ceroti composita, & sic imbibita panno lineo, vel alutâ, omnibus iuncturis applicentur, & de tertio in tertium diem renouentur, quousque gingiuæ intumescant, vel aliquod ex prædictis symptomatis superueniat, tunc enim omnino remoueri debent.

Pro vlcerum curatione, quæ apparent in ore, lingua, gingiuis, facie, ex transitu humoris virulenti excreti per os, non est illicò repercutientibus, aut adstringentibus lauacris vtendum, ne retineatur sputum, sed iis quæ abluant, & abstergant, vt aqua hordei, sero lactis, melle rosaceo, vino. Quòd si vlcera sint sordidiora, ex vsu erit vnguentum Ægyptiacum vino dilutum, aut lauacrum hoc.

℞. *Aquæ plantag. vini albi,* ℔.j. *rhodomel.* ʒ ij. *aceti* ʒ ß. *alumin. vsti,* ʒ ß. Misce, parum bulliant.

Vel fiat hoc modo:

℞. *Aq. plantag. aq. ros.* ʒ iij. *rob. maror. rhodomel. an.* ʒ j. *vnguent. Ægyptiac.* ʒ ß. Misce.

Si verò vlcera fiant sordidiora, & serpant, tunc cauterizanda hoc modo:

℞. *Sublimat.* ʒ j. *aq. commun.* ʒ iij. Bulliant parum, & cum penna gallinæ vlcera subtiliter tangantur.

Vel Hyssopo imbuto in aqua Argentariorum, cuius descriptionem tradit Ioan. de Vigo, *lib. 8. cap. 13.* & postea cum quodam hyssopo applicetur hoc medicamentum.

℞. *Vnguent. Ægyptiac. rhodomel. an.* ʒ ß. Misce. Et cessante iam sputo ad incarnandum, fiat hoc.

℞. *Aq. plantag. aq. decoct. hord. an.* ʒ ß. *rhodomel.* ʒ iij. *Aloës, myrrhæ, an.* ʒ j. Misce.

Si verò facies intumescit, vngi debet oleo scorpion. lilior. albor. amygdal. dulcium: & apponatur desuper hoc emplastrum.

℞. *Farinæ hord. farinæ fœnugræci, an.* ʒ ij. *olei lumbricor. olei lilior. albor. an.* ʒ j. ß. Cum decocto flor. Camomil. Violar. fœnugræci, fiat vnguentum molle.

Vel paretur hac forma.

℞. *Farinæ orobi, farinæ fabar. farinæ hord. farinæ lupinor. an.* ʒ j. Cum oxymelite fiat emplastrum.

Cùm verò hi tumores sint iuxta membrum princeps, timor est ne ex qualibet occasione humor in altas sedes restagnet, ideò sanguis mittendus ex mediana vena, si vires adsint; sin minùs, scapulis cucurbitulæ affigendæ.

Si nares vlcere premantur, impone hoc medicamentum.

℞. *Succi granator. acetosor.* ʒ iij. Coque quousque remaneant in modum rob. applica cum filamentis.

Si in oculis vlcera propullulent, hoc apponatur vnguentum:

℞. *Axungiæ porcinæ insulsæ,* ʒ ij. *tuthiæ præparat.* ʒ ß. *aq. solatri, quantum imbibi possit.*

Vel fiat hoc Collyrium:

℞. *Chelidon. fœnicul. rutæ domestic. an. M.* iiij. *mellis electi.* ℔. ß. *sacchari candi,* ʒ iiij. Distillentur omnia per sublimatorium, & aqua intra oculum proiiciatur.

Plura alia sunt symptomata, quæ non rarò vnctis superuenire solent, vt exulcerationes intestinorum, dolores graues, angina, oris ventriculi morsus, alui suppressio, aut fluxus, vigiliæ, syncope, febris, conuulsiones. Dysenteriæ occurres clysteribus abstergentibus, adstringentibus, & incrassantibus auxiliis. Cordis affectibus, cardiacis, & epithematis medeberis. Conuulsioni succurres, emollientibus, resoluentibus, & calefacientibus medicamentis, qualia sunt linimenta parata ex oleis, fomentis, cerotis, & decoctis. Febris curatur attemperantibus, intus oblatis, & extrà supra partes principes appositis. Angina, sanguine misso, & repellentibus gargarismatis. Dentes à casu præseruabis, oleo de sulphure cum aqua plantaginis, priùs tamen sordities abstersa. Fœtorem oris compesces decocto vini albi, in quo priùs bulliant laurus, & rosmarinus.

Tertiò inquires: *Vtrùm Mercurius à proprietate euacuet humorem Gallicum per sputum?* Dic primò, quòd sicut sunt plura medicamenta, quæ natiua vi euacuant per vomitum, alia per aluum, alia per vrinam: sic à tota substantia occulta Mercurius euacuat per sputum. Dic secundò, quòd sicut plura medicamenta sunt, quæ cum partibus nostri corporis habent inimicitiam, seu antipathiam, vt cantharides excoriant vesicam, sic hydrargyrium occulta proprietate, dentibus, & gingiuis maximè nocet, hásque partes mirum in modum debilitat, quæ imbelles factæ ad susciendia excrementa aptæ redduntur. Num autem reperiantur medicamenta, quæ similem facultatem vacuandi per sputum sortiantur?

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 326 sur 927

©BIUM

tiantur? Respondeo affirmatiuè, sed hæc à natura hydrargyrij non sunt aliena, sunt quæ de eorum numero, ex quibus suffumigia parantur.

Quæres deinde: *Vtrùm idem æger possit bis, & ter vnguentis mercurialibus curari?* Dic, quòd si aliquis curatus his vnguentis, deinceps recidiuet, aut ex noua occasione iterum morbo Gallico arripiatur, potest de nouo vnctionibus vti: Verumtamen est discrimen in hoc, quòd secundò applicita vnguenta non ita ex voto respondent; cùm enim vniuersum corpus ex prima curatione sit imbecille factum, curatio redditur difficilior.

Accedamus ad quartum modum curationis, quæ suffumigiis administrari solet. Cùm enim cætera non prosunt, tunc hoc auxilio vtendum est, quod licèt sit suspectum, & in actuali eius applicatione plures sint emortui, tamen si vires adsint, corpus sit robustum, in conclamato morbo melius est vti aliquo auxilio, quàm nullo. *Quum enim via vna est, eáque dubia, hac etsi cum periculo tentanda: nam melius est aliquid cum periculo tentare, quàm omni spe adempta certò perire,* vt disertè monebat Galenus *lib. 10. meth. cap. 10.*

Parantur suffumigia ex medicamentis violentis, vt Sulphure, Cinnabrio, Auripigmento, sublimato, puluere Ioan. Vigon. Hæc rarefaciunt, aperiunt poros, alterántque non solùm vniuersum corpus, verùm etiam partes principes immutant, & humores peccantes euacuant per sudorem, sputum, & aluum. Administrantur corpore priùs rectè vacuato. Interdicenda in illis, qui tussi, asthmate, cruentáque spuitione laborant. Vtimur etiam illis, quando aliquod membrum particulare laborat, velut crus, brachium, & tunc in his membris recipitur suffumigium.

Æger debet reponi in calido cubiculo, toto corpore nudus, sindone vel papilione optimè coopertus, excepto capite, ad quod vaporem accedere non oportet: & tunc accipimus vniuscuiusque horum suffumigiorum vnciam semissem pro qualibet vice, & super prunas aliquantulum refractas imponantur pastilli, ita vt toto corpore fumus recipiatur; & tandiu maneat in suffumigio, quandiu sine noxa notabili esse possit: & hoc fit per spatium octauæ partis horæ, dummodò ante suffumigium laborantem reficias, si biliosus sit saccharo rosaceo; at si ventriculum sortiatur debilem, offa panis vino delibuta, vel duo vitelli ouorum satis sunt.

Hoc facto, in eadem sindone inuolutus, in lecto calefacto, & proximo recipiatur, cooperiatur, & sudet, per duas, vel tres horas: tunc calidis linteis abstergatur sudor; & in altera parte lecti subuculam calidam induat, & per horam quiescat: & deinde optimo reficiatur alimento. Hoc auxilium semel in die hora matutina celebrandum; verùm si vires valeant, etiam vespertina potest concedi. De termino huius præsidij, victus ratione, tempore lauandi, correctione symptomatum superuenientium nihil modò dicendum; hæc enim *suprà* fusè acta sunt, quum de vnctionibus peculiarem fecimus commemorationem. Vnum solùm aduerte, quòd cessandum à suffumigiis eo tempore est, quo vel per sputum vacuauerit sufficienter laborans, vel sudauerit, vel pro viribus aluum solutam habuerit.

Duplex reperitur suffumigij genus, vehemens scilicet, & leue. Hoc fit hac forma:

℞. *Santal. albi, citrin. styracis calamit. ligni aloës, gallię moschat. an.* ʒ ß. *ladani,* ʒ ij. *cinnamomi, caryophyl. ăsari, an.* ʒ ß. *thuris, cinnabrij, an.* ʒ ß. Terenda terantur, & sec. art. fiant pastilli.

Aliud.

℞. *Thuris, mastich. aloës, myrrhæ, an.* ʒ j. *cinnamom. nucis moschat. spicæ nardi, styrac. calamitæ, an.* ʒ ß. *moschi, ambari, an.* gr. iij. *auripigmenti,* ʒ iij. Misce, & cum guttulis styracis liquidæ parentur pastilli.

Fortioribus suffumigiis debent permisceri cardiaca, quæ partes principes ab horum medicamentorum dira noxa defendant. Hoc est valde forte, sed eius ope in desperato morbo non semel robustos euasisse sum expertus.

℞. *Cinnabrij, præcipitati Vigonis, lapid. pyritis, thuris, an.* ʒ j. *styrac. liquid. q. s.* fiant trochisci.

Aliud.

℞. *Cinnabrij,* ʒ j. ß. *auripigmenti, sandarachæ Græcor.* ʒ ij. *præcipitat.* ʒ j. *thuris, aloës, mastich. styracis, ladani, laserpitij, ammoniaci, an.* ʒ ij. Misce, fiant pastilli.

Quintò supersunt describenda Antidota plura, quæ non solùm reliquias huius morbi conterunt, verùm prauam illius qualitatem refrænant: Nam iecur vitiosa qualitate infectum, vel etiam ex optimo alimento deterrimum succum generat continuò. Hæc ergo portio humoris vacuari debet medicamentis suauibus, & alexipharmacis, quæ sensim, & paulatim excernant noxium succum per aluum, & sudorem, viscéraque præcipua roborent, & ab hac tetra lue tueantur, ac præseruent. Referam tamen selecta fido experimento confirmata.

℞. *Ligni Indi in tenues partes diuersi,* ℔ ß. *polypod.* ʒ iiij. *cortic. myrobalanor. Indor. chebulor. an.* ʒ ß. *passular.* ʒ iiij. *sem. cartham.* ʒ j. *radic. bugloss.* P. ij. *sem. fœnicul.* ʒ ß. Fiat decoctio in ℔ x. aq. ad tertiæ partis consumptionem: adde *sacchari optimi* ℔ ß. iterum bulliant & seruentur vsui. Huius apozematis sumat æger singulis diebus ℔ ß. ex quo si multum moueatur aluus, offeratur de quarto in quartum.

Aliud præstantius.

℞. *Cortic. ligni Indi* ʒ ij. *similac. asper. diuis. & contusæ* ʒ iiij. Infunde secund. art. in ℔ vj. *vini albi optimi,* per diem & noctem, adde *Cardui benedict.* M. j. *flor. borrag. flor. bugloss. an.* P. j. *betonic. lupulor. epithym. an.* M. ß. *polypod. quercini,* ʒ ß. *sem. cartham.* ʒ ij. *fol. sen.* ʒ ij. ß. *turpethi,* ʒ iiij. *ellebor. nigri, cinnamom. an.* ʒ j. *sem. anisi* ʒ ß. *caryophyl.* ʒ ß. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur crassè, & suspendantur in vase aptæ capacitatis, superinfundendo vinum: deinde bulliant ad duarum partium consumptionem. Colaturæ adde *infusionis ros. Persicar. ex plurib. infus.* ʒ x. Adde *sacchari clarificati,* ℔ j. iterum bulliant, & fiat Iulep.

Aliud præstantius robustis offerendum.

℞. *Smilac. asper.* ʒ iij. *cortic. ligni Indi,* ʒ ij. ß. *fol. sen.* ʒ iij. *sem. cartham. polypod. an.* ʒ iiij. *epithym.* ʒ ß. *flor. borrag. flor. violar. flor. bugloss. an.* P. ij. *sem. anisi, sem. fœnicul. an.* P. ij. *asplenij, capil. vener. cardui benedict. an.* M. j. Coque sec. art. in ℔ vj. *aq. borrag.* ad quatuor ℔ consumptionem. Colaturæ adde *ellebor. nigri* ʒ iij. *turbith,* ʒ vj. *mechoac.* ʒ iij. *agarici trochiscat.* ʒ ij. ß. *santalor. rubror.* ʒ ij. Iterum omnia bulliant, & colentur per sacculum, addendo, priùs, *Cinnamom.* ʒ i. *succi ros. Pers.* ʒ viij. *sacchari, q. s.* Fiat Iulep longum.

Pro naturis frigidis, & in morbo qui à crassis, crudisque humoribus originem ducit, tutissimus est *Vini sancti* vsus, quod fit hoc modo.

℞. *Cortic. ligni Indi diuisi* ʒ viij. *partis interior. eiusdem,* ʒ iiij. *fol. sen. epithym. polypod. an.* ʒ j. Fiat decoctum in ℔ xxiv. aq. ad mediæ partis consumptionem, & eius colaturæ accipe ℔ x. quibus probè calefactis, adde *vini generosi albi* ℔ xv. & omnia simul reponantur in vase fictili, adde *Hermodactylor.* ʒ ij. Iterum omnia bulliant, & seruentur vsui. Vtendi modus est, vt matutino tempore offerantur ℔ ß. & alia ℔ ß. duabus horis post cœnam.

Aliud fit hoc modo.

℞. *Smilac. asper. fol. sen. an.* ʒ ij. Infundantur per noctem in ℔ iiij. aq. ad tertiæ partis consumptionem: Cola, adde *Hermodactylor. fractorum, polypod. an.* ʒ ij. *sem. anisi,* ʒ ß. *Vini albi optimi,* ℔ iiij. Iterum parum bulliant, & seruentur vsui.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 327 sur 927

Quia tamen vinum breuiter corrumpitur, cum saccharo, vel melle reducatur ad formam syrupi longi, & paretur hoc modo.

℞. *Ligni Indi, similat. asper. an.* ℥ iiij. Infundantur per diem & noctem, in ℔ viij. *vini albi*, ferueant lento igne ad tertiæ partis consumptionem: Colaturæ adde *Fol. sen.* ℥ ij. *polypod. Epithym. an.* ℥ j. Cola, & adde sacchari *q. s.* & fiat syrupus longus.

Alia elegans descriptio potest parari hoc modo.

℞. *Fol. sen. follicul. sen. an.* ℔ ij. *polypod.* ℥ ij. *myrobalanor. omnium, an.* ℥ ij. *agarici, rhab. an.* ℥ j. ß. *macis, mastich. an.* ℥ ß. *gummi Arabici, ligni aloes, an.* ℥ iij. *fumar. epithym. an.* ℥ ij. *cortic. ellebor. nigri,* ℥ j. ß. *zingiber.* ℥ v. Misceatur teratur, & infundantur in sufficienti quantitate vini albi per diem, & noctem: adde *Flor. borrag. violar. rosar. bugloss. flor. arantior. flor. mali citrei, an.* ℥ ß. *passular.* ℔ ij. *coriandri preparati*, Omnia parum bulliant, & postea colentur. Vinum in vase vitreo obturato reseruetur. Dosis in aurora, ℥ vj.

Insuper hic quintus modus curationis, completur medicamentis à tota substantia operantibus, quæ conceduntur in modum pulueris, serapij, aut confectionis; & est curatio mitis, & maximè vtilis: his enim medicamentis non solùm maligna qualitas retunditur, sed vitiosi humores, senfim clementérque vacuantur. In hunc vsum hic syrupus est optimus:

℞. *Myrobalanor. omnium, an.* ℥ ß. Contundantur crasso modo, & infundantur in ℔ vij. succi fumar. actu feruentis, per spatium 34. horar. Postea adde *Epithym. fol. sen. polypod. recentis, an.* ℥ j. *semin. citri, caryophyl. liquirit. an.* ℥ ij. *cortic. radic. ellebor. nigri* ℥ ß. *agaric.* ℥ ij. *hermodactylor.* ℥ iij. Omnia bulliant sec. art. ad mediæ partis consumptionem: colaturæ adde *Syrup. fumar. syrup. de corticib. citri, an.* ℥ iiij. *sacchari rubri clarificati, q. s.* Fiat syrupus. Dosis ieiuno ventre ℥ iiij.

Confectio sequens ad roborandas vires est præstans:

℞. *Conserv. rosar. conserue borragin. conserue bugloss. an.* ℥ iij. *mithridat.* ℥ ß. *confect. alchermes, confect. hyacinth. an.* ℥ ij. *pulu. diarrhod. abbat. trium santalor. an.* ℥ j. *pulu. similac. asper.* ℥ vj. Omnia excipiantur cum syrupo de corticibus citri, & sec. art. fiat Confectio.

Potest etiam pro nobilibus, & diuitibus parari hæc aqua Theriacalis.

℞. *Ligni Indi,* ℔ ß. *aq. fumar. aq. borrag. aq. cichor. an.* ℔ iij. *vini albi optimi,* ℔ ij. *epithym. polypod. an.* ℥ ij. *conserue rosar. conserue borragin. an.* ℥ iij. *theriac. optim.* ℥ ij. *lapid. belzaar.* ℈ j. *rasuræ eboris,* ℥ ij. *cornu Monocerotis,* ℥ j. *agar. trochisc.* ℥ iij. *cinnamom.* ℥ j. ß. Macerentur per diem, & noctem: deinde distillentur in Balneo Mariæ. Dosis ℥ iij. addito sacchar, & postea cooperiantur ægri, & prouocetur sudor.

Aduertas tamen, quòd si in hoc morbo laboret caput, necesse est vt addamus syrupo saluiam, maioran. stœchad Si articuli malè habeant, Iuam artheticam. Si menstrua sint retenta, tunc addantur quæ menstrua prouocare nata sunt.

Vltimò curatur hic morbus, remouendo symptomata, quæ superuenire solent. Primum, est Alopecia, seu defluuium capillorum: ab humore enim virulento, maligno, radices pilorum eroduntur, & ij decidunt, vt Galenus notauit 1. *sec. loc. cap.* 1. Mundetur priùs corpus à vitiosis succis, tum vena secta, tum purgatione leni. Sudorifica ex Ebeno offerantur. Postea Barba, cilia, supercilia, & depiles partes abluantur aqua vitæ, vel hoc lixiuio.

℞. *Cineris abrotan. fœmin.* ℥ iiij. *cineris sarmentor.* ℥ ij. Fiat lixiuium, quantitate ℔ iiij. cum vino albo, si sit hyems; sin minùs, cum aqua.

Vel hoc fomentum paretur.

℞. *Fœnugrec. stœchad. absinth. pulegij, veri, smarini, lapathi acuti, abrotan. cortic. arundin. folior. lauri, an.* P. ij. *adiant.* M. ij. Coquantur tempore hyemis in vino: sin minùs, aquæ *q. s.* & seruetur decoctum cum rebus decoctis.

Et deinde vngantur partes depiles hoc vnguento.

℞. *Capil. veneris abrotan. absinth. sem. apij, cortic. arundinum, cortic. auellanar. cortic. amygdalar.* Comburantur omnia cum pinguedine vrsi, ladano, & melle, an. part. æqual. & fiat Linimentum.

Dolores sequuntur, quibus auxiliares manus adhibere oportet: si enim dolor sæuus est, & diuturnus, gerit vicem morbi, debilitat vires, & huius causa ægri sæpe sine pulsu redduntur, exaniméque fiunt, auctore Galeno 2. *acut.* 47. Hæc est causa, ob quam in curatione doloris tantam curam imposuit Galenus 12. *meth. ferè per totum.*

Hi ergo articulos, & ossa infestant, & ægros, præsertímque vesperi & noctu excruciant, quoniam hic humor terrenus & grauis, à quo illi originem ducunt, cum flatibus nebulosis permixtus, hoc tempore insolescit & efferatur. Dolor ergo infestat cum tumore, vel sine eo. Hic curatur anodynis, & extenuantibus, in quem vsum valet fomentum ex aqua vitæ, in qua priùs bulliant radices althææ, quia mulcet dolorem, & partes roborat. Prodest vnguentum factum ex oleo laurino, & scorpionum, cum cera. Emplastrum de Ranis, seu viperinum Ioann. Vigonis summè iuuat, & maximè si paretur cum duplicato Mercurio. Præstat etiam hoc:

℞. *Diachyl. maioris, olei scorpion. axung. gallin. ammoniac. aceto acerrimo dissoluti, an. part. æqual.* Misce, & fiat emplastrum.

Prodest fomentum factum ex vino albo, in quo priùs ebulliant Absinth. Camomil. Folia lauri, Rosmarinus, Melilot. Puleg. Lauendula, Ruta. Et desuper post fomentum apponatur emplastrum hoc.

℞. *Radic. Althææ,* ℔ ß. Coquantur, pistentur, & infundantur per noctem in olei scorpion. q. s. adde *Axung. gallinæ, axung. porcin. an.* ℥ ß. *farin. fœnug. farinæ sem. lini. an.* P. ii. *olei lumbric.* ℥ ij. ß. *Vnguenti Agripp.* ℥ j. Misceantur omnia, & fiat emplastrum, adiecta orobi farina.

Vel vtere hoc:

℞. *Succi betonic. succi plantag. succi apij, an.* ℥ ii. *resinæ: ceræ, an.* ℥ ii. *terebinth.* ℥ iv. Coquantur ad consumptionem succorum: adde, *Visci querçini* ℥ ii. ß. *thuris, mastich. aristoloch. betonic. maioran. stœchad. an.* ℥ ß. *centaureæ,* ℥ i. Fiat emplastrum.

Tumores, Rimæ, Talpariæ, etiam peculiarem expostulant curationem: Nam apparent in vniuersa corporis mole tumores duri, scirrhosi, qui si propullulent in capite, vocantur talpæ, si in aliis partibus protuberent, dicuntur rimæ. Hæ fiunt ab humore crasso & vitioso, in aliqua parte congesto; qui si non discutitur, ossa rodit, putrefacit, & cariem inducit. Quatuor, vt inquit Auic. 7. 4. *tract.* 2. *cap.* 2. modis terminantur, resolutione, induratione, suppuratione, corruptione. Resolutio, & suppuratio laudantur solùm; induratio, & curatio reprobantur. Quo pacto emollire, & discutere oportet: hinc fit vt medicamenta quæ scirrhosis tumoribus sunt vtilia, his valde conferre possint. In hunc vsum prodest emplastrum viperinum, vel hoc quod experimento proficuum esse cognoui.

℞. *Olei laurini, olei lilior. albor. olei de scorpionib. an.* ℥ i. *sagapeni, galbani aceto acerrimo dissoluti, an.* ℥ iii. *pulu. radic. ireos, marchasitar. an.* ℥ i. *argenti viui extincti* ℥ ii. Misce, fiat vnguentum.

Fit etiam aliud admirabile, hoc modo.

℞. *Emplast. viperin.* i. ℥ ß. *Theriac. antiq.* ℥ vi. *olei viperini,* ℥ i. Misce, fiat emplastrum.

Aliud optimum.

℞. *Pinguedinis porcinæ, mercurij, an.* ℥ ii. Misce, fiat emplastrum.

Vngere etiam tumores aliquo alio vnguento composito ex argento viuo, summopere præstat.

Verrucæ

Verrucæ etiam in Gallicatis, circa membrum virile oriuntur, quæ etiam occupant anum, pudenda, nates, & femora. Plures curatos recordor qui circa nates, & vel in corpore toto, verrucas habebant, quæ nucis auellanæ, & interdum iuglandis magnitudinem ſuperabant, quæ hoc linimento ex toto ſunt eradicatæ.

℞. *Vnguent. roſar.* ℥ ß. *pulu. Ioan. Vigon.* ʒ j. Miſce, fiat linimentu m.

Si verò hoc non extirpentur, aliud erit optimum.

℞. *Butyri vaccini* ℥ ß. *abluatur optimè*: Miſce cum aqua forti. Hoc licèt validum, verrucis tamen applicitum, eas abſumit omnino.

Vlcera, puſtulæ, ſcabies, ſuam etiam expoſcunt curationem. His ſtrenuè reluctatur ſpuma primæ decoctionis Ligni Indi, ſi cum ea vlcera abluantur. Ad delenda vlcera, & exiccandas puſtulas prodeſt hoc vnguent um.

℞. *Vnguent. pompholyg. vnguenti ceruſe, an.* ℥ ß. *pulu. præcipitat.* ʒ j. Miſce.

Vel paretur hoc modo:

℞. *Sulphur. viui*, ʒ j. ß. *butyri vaccini inſulſi*, ℥ ij. Miſce.

Pro delenda ſcabie hoc eſt vtiliſſimum.

℞. *Pingued. porcinæ*, ℥ viij. *butyri vaccini*, ℥ iiij. *olei camomil. olei anethin. ſtyrac. liquid. an.* ℥ ij. *pulu. rumicis, pulu. enul. campan. ſulphur. viui, pulu. ellebor. albi, an.* ℥ ß. *ſalis communis* ℥ ij. *aceti albi*, ℥ j. ß. Miſce, fiat linimentum.

Ad facieilichenes, & impetigines.

℞. *Succi rumicis*, ℥ ij. *alumin. aloës, an.* ʒ ij. *tartari vini albi*, ʒ j. *argenti viui*, ʒ j. ß. *axung. porcinæ, ſtyracis liquid. an.* ℥ ß. *terebinth. parum.* Miſce; fiat linimentum.

Sanguinis miſſio optima eſt. Expurgatio clemens valde prodeſt. Vſus ſeri lactis caprini, in quo madeſcant folia ſennæ, Polypod. Epithym. Flores cordiales, eſt vtiliſſimus: & ſi iecur exæſtuet, balneum, & ſaluatellæ ſectio miro ſunt auxilio.

Maculæ in fronte & facie, aliquando maius faceſſunt negotium, & fœminarum præſertim vultum deturpant. Præter totius prouidentiam, ablue faciem hoc decocto:

℞. *Lupulor. furfur. amygdal. dulcium, dactylor. fabar. an. partes æquales*: Minutim incidantur, & infundantur per noctem in ſufficienti aq. quantitate decoct. hord. manè coletur expreſſione forti, & ſeruetur vſui.

Deinde appone hoc vnguentum.

℞. *Camphor. ſacchari candi, an.* ʒ ij. *ſulphur. viui*, ʒ x. *axung. porcinæ*, ℥ iij. *ceræ albæ* ℥ j. Miſce.

Plurimùm prodeſt faciem abluere decocto hord. ſem. lin. fœnugræci, & deſuper apponendum hoc vnguentum.

℞. *Cortic. ouor.* ʒ ij. *litharg yri, ceruſæ, an.* ʒ j. Terantur omnia tenuiſſimè, & cum ſucco limon. ſec. art. fiant paſtilli, qui poſtea diſſoluantur cum cremore ptiſſanæ, & permiſceantur cum vnguento citrino, & maculæ noctu illinantur, & matutino tempore abſtergatur facies, & abluatur decocto dicto.

Hoc auxilium valde excellit.

℞. *Albuminæ ouorum, Num.* ij. *ſacchari candi, thuris, an.* ʒ iij. Miſceantur optimè, ſubigantur cum albumine: poſtea hæc omnia iniiciantur in ℔. j. *vini albi optimi*, cum quo maculæ lauentur, agitando, & commouendo ea omnia quando ablutio facienda.

Hæc aqua ſtillatitia eſt præſtantiſſima.

℞. *Lactis caprini*, ℔. ij. *farinæ fabar. & hord. an.* ℥ ij. *albumin. ouor. Num.* iiij. *litharg yri, ceruſæ, an.* ʒ iiij. *boracis, tartari vini albi, an.* ʒ j. ß. Omnia diſtillentur in balneo Mariæ.

Bubo Venereus in hoc morbo apparere ſolet in inguinibus, & glandulosis partibus: licèt autem alij bubones (Græci phygethla vocant) ſæpe ex aliis cauſis externis oriantur, vt violento corporis motu, vlcere in pede, vel crure, 13. *meth. cap.* 5. cùm natura ſanguinem ad partem dolentem expellere conetur, vt ipſi opem ferre poſſit, quia in his partibus adenoſis, & laxis ſtabulans tumorem creat; & aliquando ex interna cauſa, vt in peſte, peſtiferáque febre: tamen Gallicus bubo ſolùm ex concubitu obſcœno ſcaturit: cùm enim aliquis cum muliere polluta concumbit, & inquinamentum recipit, hoc eſt, vitioſum & malignum vaporem, qui per pudendum ſubintrans, & ad iecur perueniens, totam maſſam ſanguineam conſpurcat, & labefactat, adiuuante ad penetrationem motu, calore, & frictione partium obſcœnarum, vt citiſſimè venenoſus vapor rapiatur in viſcera, ſit vt noxam à ſe depellant, & ad emunctoria humorem virulentum exonerent.

Si tumor infeſter, vigeátque plenitudo, præcipuè cum febri coniuncta, ſanguinis miſſio celebranda, parca tamen, vt deonerata natura reliquum concoquat, & ad partes externas expellat. Sed ex qua parte ſit celebranda, ſuperna, an inferna? iure merito inquires. Dic ex talo partis affectæ cruorem eſſe exhauriendum, ſicut determinauimus *lib. 1. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. 75. quæſt. 39.* humor enim hic ſuapte natura veneficus ad extremas, minúſque præſtantes detruditur corporis partes, & motus naturæ adiuuatur. Purgatio initiante bubone non adminiſtranda, ne naturæ rectè operantis impetus impediatur. Ceſſante fluxu, ſi adſit cacochymia, tunc clemens medicamentum porrigendum.

Tumoris huius cauſa, eſt humor craſſus, atque malignus, qui cùm in emunctoriis adhæreſcat, repellendus non eſt, nec reſoluendus, ſed ad ſuppurationem reuocandus, frictionibus aſſiduis in parte affecta celebratis, cucurbitulis, & reliquis ſuppurantibus auxiliis. Si verò contumax ſit humor, & iis ad ſuppurationem non poſſit reduci, tunc imponendum emplaſtrum ex radice Bryoniæ, Althææ, Fermento, oleo lilior. Butyro, axungia Gallinæ, pinguedine ſuilla, Maluis, ficubus, radice lilij albi, farina fœnug. ſem. lin. tritic. & vitellis ouorum. Facto pure, & aperto tumore, vlcus per multos dies non conſolidetur; corpus enim per eam partem noxio vacuato ſucco expurgatur, impeditúrque ne morbus Gallicus ferociùs deinceps inualeſcat.

Gonorrhœa Gallica, etſi ſit huius morbi præludium, ita tamen ſæpe pertinax eſt, vt nullis auxiliis conſaneſcat, imò grauia ſymptomata inducat. Hinc vrinæ ardor, tentigo, pruritus, intenſus dolor, & per partes pudibundas emanante ſorditie alba, flaua, & aliis coloribus inſignita, in viis vrinæ vlcera tetra contingunt, & carnis excreſcentiæ vrinarios meatus obturantes ſæpe propullulant.

Ob hæc non eſt negligenda hæc virulenta fluxio, nec temerè cohibenda: Si enim ſupprimatur, virus altiùs ſeſe inſinuat, & reſtagnante humore ad partes ſuperas, totum corpus inquinat, & teſtes, ac interfeminеum tumoribus, & fœdis vlceribus conſpurcat. His damnis occurrendum ſecta vena in brachio; & ſi malum diutius premat, ex ſaphæna hauriendus ſanguis, vt partes inferiores tranſpirent, & ventilentur. Noxius humor expurgantibus vacuandus. Renes refrigerandi ptiſſana, lactis ſero. Si non ceſſet effluuium, imperanda ſudorifica ex Ebeno, ſmilace aſpera, aut radice chinæ: & cætera celebranda præſidia, quæ aduerſum hanc diram luem proficua eſſe *ſuprà* ſcripſimus.

De præcautione vltimò agendum. Vt verò æger ſemel curatus non patiatur recidiuam, optimum in ſex rebus non naturalibus ordinem obſeruet. A venere omnino abſtineat. Roboranda viſcera. Firmandum iecur epithematis, decocto ligni Indi, vel ſmilacis aſperæ,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 329 sur 927

ræ, per multos dies exhibito. Hoc electuarium absumit humiditatem, purum reddit sanguinem, coctionem iuuat.

℞. *Cinnamomi* ʒ vj. *macis*, ʒ j. *roſar. rubror.* ʒ ß. *ſantal. rubr.* ʒ j. *paſſular.* ʒ v. *croci*, ϑ j. *aromatici, diarrhod. abbatis, an.* ʒ iij. *pulu. ſimilac. aſper.* ʒ ß. Cum ſyrupo de fumaria fiat Electuarium. Doſis ſingulis diebus, ieiuno ventre, ʒ iij.

Vel fiant tabellæ hac forma:

℞. *Species. diarrhod.* ʒ j. *Myrobalanor. nigror. chebul. bellericor. rhab. an.* ʒ ß. *epithym. polypod. ſucci fumar. exiccati, an,* ϑ j. *ſucci eupatorij,* ϑ ij. *ſpicæ,* ϑ j. *pulu. ſimilac. aſper.* ʒ iij. *cum aq. roſ.* fiant tabellæ. Doſis ʒ ij.

Vtrùm verò *pro præſeruatione morbi Gallici, fontanellæ vtiles ſint*? meritò dubitabis: Quoniam omnis morbus chronicus, ex partium debilitate diuturna prognatus, vacuationem continuam expoſcit: cùm enim partes habituali intemperie laborant, vel etiam ex optimo alimento humorem vitioſum progignunt, quem cùm non poſſimus pharmaco per aluum excernere, fit vt factis fonticulis in corporis partibus extremis, per eos noxius humor quotidie, ſenſim ac ſine ſenſu, citra virium diſpendium vacuetur; quo reprobo humore expulſo, partes ventilantur, & vigent. Quare in morbis longis, qui aliis non ſuccumbunt auxiliis, ad fonticulos deuenire, ſalubre eſt conſilium: quod priùs edocuit Hip. 8. *Aph.* 11. dicens: *Morbos, quos dieta non ſanat, medicamentum ſanat; quos medicamentum non ſanat, ignis curat.* Iccircò in productis morbis mirabilis eſt cauterij vtilitas. Hac ratione in morbo Gallico, in quo partes omnes hectica veluti intemperie laborant, adſunt vlcera, tumores duri, ſaliique *ſuprà* citati immanes affectus, non erit abs re, cæteris præſidiis non conferentibus, ad hoc confugere.

At ſi verum fatendum eſt, hoc remedium in hoc morbo ficulneum eſt, & prorſus nullum. Hic enim non curatur vacuatione humoris, ſed vitioſæ qualitatis correctione, vnde fit vt medicamentis alexiteriis hic affectus ſolùm ſuccumbat. Argumento eſt, quòd Gallicati plures vlceribus fœdati, ex quibus tetra illuuies continuò emanat, excreto pure veluti per fonticulos in copia multa, non conſanescant. Ergo ſolùm alexipharmacis contra hunc morbum depugnandum; in quo ſi aliud vitiũ in aliqua parte propullulet, ad quod curantis conſilium dirigi debeat, tunc huius ſolùm habito reſpectu, fontanella aperienda, per quam humor ille noxius vacuetur. Quamobrem ſi ex morbo Gallico aliquod ſuccreſcat vitium, periculum minitans, tunc omni ingenio, illi, vt vrgentiori, ſuccurrendum præſidio dicto. De horum claſſe eſt tuſſis importuna, ex acri diſtillatione à capite excitata, quæ ſudorifica, guaiacinaque reſpuit auxilia, & vnguentis mercurialibus prorſus exacerbatur, & hoc modo ſanguinis ſputum, tabes, aut mors ſuperueniunt; accedit debilitas virium extrema, quæ præſidia fortia contemnit omnino. Quare vt partes internæ ſpirent ſuaque excrementa ad ignobiles detrudant, non diſplicet, ſi iecur ſit affectum, in crure cauterium affigere; ſi verò caput, in brachio; vel in nucha, ſi oculi prolixa inflammatione, aliquóve alio rheumatico affectu laborent. Si ſcabies opprimat ferina, aut alij cutanei affectus rebelles, qui pluribus celebratis auxiliis, & vel illitu hydrargyrij non ſuccumbant, tunc in cruribus fonticulos excitare ſummo eſt ex vſu; præſertim ſi vterus huic malo fomitem præſtet; menſtrua ſint retenta; aut occluſæ hæmorrhoïdes, quarum ope fœcalis, & niger ſanguis fluere ex interuallis conſueuerat. Quare (vt ſemel concludam) Fontanellæ, ſolius morbi Gallici habita ratione, reprobæ ſunt; alterius verò morbi grauis, & periculoſi collatione facta, mirabile auxilium præſtant.

Grauis dubitatio eſt: *Vtrùm Balnea ex Gallico morbo curatos, à recidiua præſeruent*? Aquæ dulcis lauacra iis ſummopere nocere ex eo fit manifeſtum, quia artus debilitant, relaxant, flatus generant, neruos reſoluunt, dolores exacerbant à frigido humore, flatulentóque ſpiritu prognatos; ventriculum infirmant, in hoc morbo, ob infauſtam coctionem, aſſiduáſque vigilias, flatibus diſtentum, humectant, & hoc modo vlcera, nodos, talpas, ſcirrhoſóſve alios tumores reſolutioni contumaces reddunt. Quare ſi ſquallida non adſit viſcerum intemperies, ad quam curantis conſilium dirigi debeat, ea ob has cauſas, in præſeruatione reprobanda cenſeo.

Quæres: *Vtrùm Balnea naturalia pro præcautione huius morbi ſint ex vſu*? Superiores rationes huius auxilij vtilitatem ſummè extollunt; nam damna quæ ex balneis aquæ dulcis ſubſequuntur, cùm humectent, & debilitent, in naturalibus deficiunt, quia exiccant, & roborant, ex Paulo *lib. 1. cap. 50.* Aëtio *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 166.* Ferrea enim, chalcanthoſa, nitroſa, ærea, ſulphurea, bituminoſa, artus firmant, flatus diſſoluunt, craſſum humorem abſumunt, dolores ſedant, neruos tuentur, & iccircò frigidis & humidis affectibus remedio ſunt, ex Auic. *2. 1. cap. 12. ſum. 1. cap. 19.* proſunt cutaneis affectibus, ac rebelli pſoræ, *3. 1. doct. 2. cap. 5. &* 6. Dic, quòd etſi in his morbis, & aliis grauioribus, hæc balnea excellentem, mirabilémque ſortiantur efficaciam, & prærogatiuam; tamen in Gallico plurimùm nocent: Nam hic à ſalſuginoſis humoribus originem ducit; balnea verò nitroſam, & ſalſam habere qualitatem, ſenſus iudicat: quare inflammant iecur, quod in hoc morbo ſæpe exardeſcit, vlcera exacerbant, ardorem vrinæ intendunt, gonorrhœam virulentam exacerbant. Quapropter pro præſeruatione huius morbi, expurgantia, roborantia, & antidota ſint ex vſu.

Tria tamen in fine addam, ad praxin faciendam ſummè neceſſaria. Primum: *Vtrùm pueri lactentes morbo Gallico correpti ſimilibus antidotis curandi*? Dic, quòd vel infans contraxit infectionem ex vtero, vel à nutrice. Si illo modo, oportet facere aquam diſtillatitiam ex ſmilace aſpera, cum aliis medicamentis, eo modo quo *ſuprà* dictum eſt, & ea infantibus interdiu debet loco potus offerri. Nutrix verò decocto ſimilacis curanda, & ſudor ſuauiter prouocetur: cui tenuis victus, ne lac deficiat, non eſt præſcribendus, ſed concedenda ſunt oua ſorbilia, hepata gallinarum, pulli aſſi: & ex interuallis leuia medicamenta offerenda, quorum ope aluus expurgetur. Si infans vitium à nutrice contraxit, quamprimùm ipſam murare eſt opus, aliámque puriorem eligere: & ne ipſa pueruli virulentia fœdetur, illius maxima habenda eſt cura; quare eam præmunire oportet purgatione leni, aqua theriacali, tabellis ex ſmilacis puluere cum foliis ſennæ, & ſaccharo paratis. Si verò os pueri vlcuſculis ſcateat, illud ablues decocto Guaiaci, cum ſyrupo roſaceo, vel decocto hordei cum Ægyptiaco, vel aliis quæ *ſuprà* deſcripſimus.

Supereſt alia diſceptatio: *Vtrùm infantes, quorum fratres Gallica lue ab vtero contracta ſunt emortui, ab ea artis ope præſeruari poſſint*? A parentibus improbè curatis, & hac lue infectis, infantes in vtero poſſe fœdari & infici, nouum non eſt: enim verò cùm ab omnibus corporis membris genitale procedat ſemen, à ſanis parentibus ſanum, à morbidis morboſum, hæc eſt cauſa cur Gallicati Gallicatos generent. Vidi plures hac labe oppreſſos vitam duxiſſe, quorum filij aliquot, poſtquam in lucem erant emiſſi, in media infantia, vlceribus, fœdáque ſcabie inquinati, miſerè tandem, tabo veluti conſumpti, interiere. Ego cautior factus, & anteactæ tragœdiæ ſatis memor, in aliis ne in idem infortunium inciderent, ſic præſeruationem ſum exorſus.

In hac ergo tenella ætate, etſi leuiſſimis ſolùm vti præſidiis poſſimus, tamen ſi hæc frequenter offerantur, à tanto malo poſſe præſeruare, experimento fidiſſimo cognoui.

cognoui. In hunc vſum commodiſſimum eſt, pultes parare ex farina tritici, puluere ſmilacis aſperæ,& radicis chinæ, cum ſaccharo. Ex interuallis aqua aliqua cardiaca in modica quantitate offerenda. Mirabilis eſt aqua ſtillatitia,quæ fit ex pullorum carne,ſmilace aſpera,Guaiaco,theriaca,pimpinella,borragine,& fœniculo ſiccis; quam pultibus, vel lactis cochleari ſingulis tribus horis permixtam bibendam offeres: hæc enim præterquam quòd vires roborat, malam qualitatem ab vtero impreſſam refrænat,à cuius potu, ſi infans inuolutus ſudorem prouocet, rectius erit. Quòd ſi nutrici decoctum ſmilacis, aut aliquam ex ea paratam conſeruam porrigas,lac reddetur præſtantius,& ad reprimendum vitium contractum multis modis vtilius. Si verò infantes exeant iam ab vtero hac labe inquinati, vel adultiores ſint,eadem prorſus lege tractabis.

De grauidis hoc morbo oppreſſis quid dicendum? *Vtrùm ſcilicet ea alexipharmacis præſidiis curanda?* At ab hoc conſilio deterrent multa: nam grauidis, nec victus ratio tenuis concedi poteſt ob fœtum, quem ſi defraudes paſtu ſuo,imbellis fit, & ante tempus excernitur, vel emoritur; hinc autem quàm ſæua propullulent ſymptomata, & terroris plena, nullus ignorat. Deinde ſudorifica inflammant, ac mouent humores, neque illæ ſudores poſſunt tolerare tempore tanto: & hac de cauſa morbus incurabilis redditur, quia leuia remedia morbo graui, & ſæuo non ita promptè ſuccurrunt. At ſi hæc vera ſunt, quomodo vnguenta Mercurialia, & ſuffumigia ex tam violentis parata ferre poterunt, quorum odor teter, & ſpiribus valde infenſus, matrem cum fœtu, præſertim tenello interficiet.

Verùm ſeruatis documentis,quæ in grauidarum curatione priſcorum peritiſſimi confirmant, illud ſtatuendum iudico,vt cæ ſi ſæuo,& immani morbo laborent, cum grauiſſimis ſymptomatis complicato,& mortis periculum minante,curentur, præcipuè ſi conſtitutæ ſint intra menſes, in quibus vires ſunt firmiores, & fœtus magis robuſtus, hoc eſt,à quarto, vſque ad ſeptimum. Quare ſi oris ſcateant vlceribus doloſis, quæ in gulam, & palatum ſerpant, ac oſſis cariem minentur: ſi dolore artuum premantur vehementi, ex quo vigiliæ, virium iactura, & viſcerum ſequatur debilitas ſumma, ex quibus ſperandus abortus: ſi denique febri tabeſcant Gallica, tunc præſidia imperanda. Purgatio celebranda phlebotomia præuia, Apozemata offerenda. Sudorifica imperanda. Hæc ex interuallis iteranda. Cum victu mediocri, aſſumpto decocto in quantitate modica, motiſque ſudoribus, in quibus paruo temporis ſpatio immorandum, capite non ita cooperto,ne cohibita veluti reſpiratione, æſtu, & corpus,& anima deficiant. Aluus molli clyſtere mouenda. Reliquiæ humorum ſuauibus medicamentis conterendæ. Vterus firmandus emplaſtris nutrientibus, roborantibus vnguentis. Ventriculus vigorandus,Mercurialia vnguenta in illis reproba eſſe, & multò magis ſuffumigia, ex quorum applicatione, plurima poſſent ſubſequi incommoda, ſemper mihi perſuaſum habui. Si tamen leuis ſit morbus, & dolores inducias præſtent, neque ſymptomata periculum minentur, differenda curatio eſt, & poſt partum maiori cum commoditate exercenda.

OBSERVATIO I.

Aqua ad conterendas reliquias morbi Gallici mirabilis.

AD morbum Gallicum penitus eradicandum, omnium optimum, præſtantiſſimúmque præſidium præſtat hæc Aqua, cuius vnciæ ſex,priùs expurgato corpore, hora decima matutina aſſumptæ, & totidem hora quinta veſpertina, ſubſequuto exercitio,ſudorem prouocant. Vtere ſpatio triginta dierum, ſi morbus eſt grauis;ſin minùs,viginti: & in medio, ac finc medicamen tum purgans exhibendum.

℞. *Smilac. aſper.ligni Indi,an.* ℥ iiij. *radic. chin.* ℥ ij. Omnia coniiciantur in vas anguſti orificij, cum ℔. xx. aq.fontanæ calidæ, in quibus ſtent infuſa ſpatio 24. horarum: poſtea feruerant lento igne ad conſumptionem ℔. vj. facta colatura adde *Hermodactylor. fractor.* ℥ j.*fol.ſen. polypod. turbith. epithym. rhapontici, an.* ℥ ß. *radic.apij, aſparag.fœnicul.petroſelin.an.* M. j. *capil. vener.* M.ij.*flor.violar.borrag.buglo ſ.an.* ℥ j.*ſem.aniſi, & fœnicul. an.* ℥ ij. Omnia feruerant ſec. art. ad conſumptionem tertiæ partis: cola, ſerua in vaſe vitreo.

OBSERVATIO II.

Vinum ſanctum, pretioſum ex inuentione noſtra, clemens, tutum, partes principes roborans, ſuauiter euacuans.

℞. *Ligni Indi,* ℥ viij.*ſmilac.aſper.* ℥ iij.*radic.chin.* ℥ ij. *ligni ſaſſafraſ.* ℥ j. ß. *myrobalanor. Indor.* ℥ j.ß. *cinnamom.* ℥ iij.*agaric.* ℥ vj,*rhab.* ℥ j.*fol.ſen.* ℥ ij. *epithym.* ℥ ij.*polypod.* ℥ ij. *ſem. cartham.* ℥ vj. *hermodactylor.* ℥ j. *aromatic.roſati, Meſuæ* ℥ v. Terantur omnia craſſiuſculè, & infundantur per diem & noctem in ſufficienti quantitate vini albi: cola, & adde *Mechoachæ* ℥ j. *ſtybij præparati,* ℈ ß.*menth.ſiccæ,*M.ß.*fumar.* M. j.*paſſular. ſine nucleis,* ℥ j.ß.*ſem.frigidor.an.* ℥ ij.*flor.violar.* ℥ ij.*ſem. aniſi,* ℥ iij.Iterum omnia bulliant, & adiecta quantitate ſacchari ſufficienti, & tertia parte mellis electi, fiat ſec, art.Syrupus longus. Exhibe pueris, ſenibus, grauidis. Doſis ad ſummum alternis diebus ℥ v.

OBSERVATIO III.

Aqua Magiſtralis vtiliſſima, pro illis præſertim, qui occultè curari deſiderant.

MOrbus Gallicus importunus eſt,fœdus,& contagioſus, quare Parentes illum in filiis ſummopere deteſtantur, iccircò hi vt ignominiam effugiant, ſicut & aulici,nupti, negotiis impediti,clam, furtim, & præ pudore curationem quandam occultam à Medico efflagitant. In hunc vſum ſoleo conficere aquam admirabilem, quæ præterquam quòd roborat viſcera, malignam qualitatem retundit, prouocat ſudorem, eſt ad aſſumendum facillima; nam ſi quis ea vtatur, poteſt ex domo exire. Doſis ab ℥ j. ß. vſque ad ℥ ij. ieiuno ventriculo,cuius eſt hic faciendi modus.

℞. *Radic.enul.Campan.* ℔.j.*lapathi acuti,fumar. viridis,an,*M.iiij.*vini albi,* ℔.j.*theriac.antiq.* ℥ ij. Infundantur per diem & noctem, & per balneum Mariæ diſtillentur. Doſis in aurora ℥ iij. & bene cooperrus æger ſudet ſpatio duarum horarum.

Alia efficacior.

℞. *Ligni Indi,* ℔.j.*ſmilac.aſper.* ℥ x. Macerentur per diem & noctem,ſec.art.in ℔. viij. vini albi optimi, & totidem aq.fumar.adde *Radic.pæoniæ,angelicæ,gentianæ, an.* ℥ ij.*cardui benedict.*M.ij.*ariſtoloch.rotund.* ℥ iij. Omnia optimè diſtillentur, & aquæ extractæ adde *theriac. antiq.mithridat.an.* ℥ ij.*confect.hyacinth.* ℥ iij. *lapidis belzaartici,* ℈ ij.*ambari,moſchi,an.* ℈ ß. Iterum omnia diſtillentur in balneo, & ſeruentur vſui.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 331 sur 927

OBSERVATIO IV.

Pilulæ Aureæ, ad refrænandam Mercurij malitiam efficaces.

MErcurius, medicamentum est effræne, & visceribus inferens vim diram, eo tamen vtimur persæpe; tam intus assumpto, quàm extrà appositio, vt morbi Gallici fraudulentæ vires remittantur valde: Nam eius strenua ope expulsis contagij seminariis per sputum, sudorem, & alui fluxum, ægri ab hac Herculea hydra euadunt immunes; sed antè, & postea roborandæ partes præcipuæ, & huius medicamenti violentia corrigenda. At cùm plura in hunc vsum sint ab auctoribus monumentis tradita, nullum, auro, & aureis medicamentis præstantius inueni medicamentum. Ex eo pilulæ parantur in hunc modum. Dosis vna in aurora, ieiuno ventriculo; altera noctu, duabus horis post cœnam. Vtere 30. diebus.

℞. *Fol. auri, Num.xxxxx. rasuræ eboris in tenuissimum puluerem redactæ,* ʒ j. *cornu cerui,* ℈ j. *ossis de corde cerui,* ʒ ß. *margaritar. præparat.* ʒ ß. *gentianæ,* ʒ ß. *coral. rubri,* ℈ ß. *santal. citrin.* ℊ. xx. *agallochi,* ℈ j. *theriac. mithridat. an.* ʒ j. ß. *costi,* ℈ j. *myrrhæ, spicæ nardi, an.* ʒ ß. Omnia puluerisentur tenuissimè, & cum guttis olei sulphuris, & Balsami misceantur, & fiat Massa: ex qua fiant pilulæ ciceris instar, & iterum duplicato auro decorentur.

CAPVT II.

De Angina.

Definitio.

ANgina ab angendo, seu suffocando dicta, *est inflammatio musculorum gutturis, aut faucium*, ex Gal. 4. *Aph.* 34. Est autè guttur, seu larynx, vt monuit Galenus 3. *de nat. facult. cap.* 8. arteriæ, quæ aspera dicitur, pars summa. Constat hæc tribus magnis cartilaginibus, quæ aliis secundùm trachéam arteriam dissectis, nec magnitudine, nec figura similes sunt. Harum maxima anterior est quam tangimus, foris quidem conuexa, intus autem concaua, scuto maximè similis, non rotundo vndique, sed prælongo, quale scilicet propriè scutum appellant. Quapropter nomen huic cartilagini à similitudine scuti huius, ab Anatomicis impositum est, vocantibus eam scutiformem.

Secunda verò cartilago, quantò minor est prima, tantò maior est quàm tertia, in internis quidem partibus locata est, quà stomachus subsidet. Quantum autem deficit magna cartilago à perfecta circuli figura, hoc ipsa addit. Vbi autem minor hæc, quæ intus est, desinit, duæ quædam superiacent paruæ conuexitates. Incipit autem inde tertia cartilago, conuenientes exactè ipsis eminentiis eius concauitates sortita, vt coapplicatio harum duarum cartilaginum duplicem articulationem efficiat. Fauces Galenus *lib. 4. de loc. affect. cap. 5. paulò post medium*, internum oris locum vocat, vbi simul conueniunt & gulæ, & gutturis partes extremæ. Plinius *lib. 11. cap. 37.* summum gulæ fauces appellat.

Sed dubium existit maximum: *Vtrùm Angina solum in gutture, & faucibus excitetur?* Galenus videtur negare, *lib. finit. Galeno adscripto*, dum sic ait: *Anginæa, quæ Synanche Græcis dicitur, est affectus colli acutus, difficilis, qui ægrotum angit præfocatione.* Aut ita: *Synanche est phlegmone aliis extra collum, vt partes tumescant; aliis intra tonsillas, vt simul quoque partes afficiantur respirationis, & ægra spiratio consequatur.* Et *in lib.* cui titulus est, *introductio*, sic definit: *Angina est circa ceruicem inflammatio, & lib. 4. acut. com. 30.* Anginam solùm faucium inflammationem esse asseruit. Quare angina non solùm est inflammatio gutturis aut faucium, sed in tonsillarum, gulæ, & partium vicinarum inflammatione consistit. Quòd si diuidas anginam in exquisitam, & notham, omnem in doctrinâ auctorum controuersiam auferes: Nam legitima & vera angina solùm fit in gutture, vel faucibus; spuria verò, & lato modo sumpta est dicenda, quæ in circumuicinis partibus excitatur.

Insuper quæres: *Vtrùm guttur, vel fauces facilius possint inflammari?* Dic, has partes tumorem posse pati verum esse: sicut enim nutriuntur, sic ex recremento intumescunt, maximè quoad ex cerebro plurima humoris copia ad illas confluit assiduè, qui lentore suo, si frigidus est, infixus, & tenaciter adhærens, non ventilatus, acrior redditur & calidior, & sic inflammat; si calidus, mordicat, intemperat, concitat dolorem, & vel copia sua tumorem gignit, vel ob dictam causam fluxionem accersit.

Deinde fauces facilius inflammationem experiuntur, cùm in his adsit euidens amplitudo, quæ aperiendo os, aut linguam comprimendo, conspicitur, in qua gemina ostiola visuntur: tum etiam guttur, hoc autem est caput asperæ arteriæ, cartilaginibus constat, quæ cùm solidiores sint, difficiliùs fluxionem susceptant. Licèt autem hoc verum sit, tamen si inflammatio magna est, rarò in faucibus consistet, quin gutturi affectionem communicet, & è contrà; cùm hæ partes ob maximam vicinitatem inter sese maximè consentiant.

Differentiæ.

VTrùm *quatuor anginæ differentiæ sint solùm constituendæ?* etiam dubitandum. Galenus *lib. 4. de loc. cap. 5. & citatis superiùs locis*, quadruplicem esse anginæ differentiam ex plurium sententia asseuerat. Nam quædam est, per quam interni gutturis musculi inflammantur: Altera, per quam inflammantur externi: Tertia vocatur, quando in faucibus phlegmone consistit: Quarta, quando faucium externas partes, & mentum obsidet inflammatio. Prima à Medicis appellatur cynanche; altera, paracynanche; tertia, synanche; quarta, parasynanche, quibus nominibus quatuor inter se diuersas anginæ species constituebant, omnésque sub illis comprehendebant. Cæterùm non immeritò condemnat eorum sedulitatem, & studium in nominibus excogitandis eo loco Galenus, cùm alioquì de re ipsa fuerint parum soliciti; multò enim præstantius est, morbos per proprias differentias, & ab iis quæ ipsis insunt, desumptas, quàm per varia nomina distinguere: atque ideò rectiùs inquit Galenus Hippocratem omnes vno cynanches nomine proposuisse, tam *in progn. epidem.* & *4. de rat. vict.* quàm alibi.

Vtrùm penes periculi magnitudinem, in tria tantùm membra diuidatur angina? dubium est. Nam tres constituendas esse species, certius est: periculosissimam nempe, in qua vehemens adest dolor, & spirandi difficultas, nec inflammatio apparet; minorem, vbi sine ea spirandi difficultate dolor vrget; leuiorem, ferè sine dolore, & respiratione difficili, in qua intus, vel extrà, vel vtrobique tumor apparet. Quamuis autem ad hanc sectio illa quadrimembris referri posse videatur, considerantibus tamen constabit inter se esse diuersas, cùm possit aliquando intus, vel extrà contineri inflammatio, variatis symptomatibus illis; nec increscere, aut minui, secundùm eam diuidendi rationem.

Vtrùm vltra has, admittenda sit etiam angina, facta ex luxatione vertebrarum? dissidium est non leue. Licèt autem quatuor illæ anginæ differentiæ, quatuor nominibus significatæ recipi videantur à Galeno, *locis supra citatis*, atque ideò à Paulo, Aëtio, & omnibus ferè admittantur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 332 sur 927

admittantur, nec à Galeno condemnari diuisionem putent, nisi tanquam diminutam: tamen quintam speciem addendam esse, subortam ex luxatione vertebrarum, eámque tanquam exactam recipiendam, etiam iuxta Galenum, sentit Auerrhoës *lib.4.collig.51.*

Verùm vt hæc necessaria doctrina, prolata à Galeno *lib.4. de loc.affect. cap.3.* difficilis & intricata satis, intimiùs intelligatur, plura scitu digna, altiùs ducto exordio, in medium proferemus: Eo enim loco dum spinalis medullæ affectus persequitur, hanc non solùm à cerebro exoriri asserit, & confirmat *lib.de neruorum dissectione, cap.1.& 1.de vsu part.cap.16.& lib.12. cap.11.* & *lib.16.cap.2.* nempe ex posteriori eius parte, quæ cerebellum solet appellari, *lib.art.med.cap.11.* sed esse eiusdem naturæ, & cum cerebro ipso continuam, pronuntiat *2.de temp.cap.3.& lib.3, de alim.facult.cap.10.& 1.de motu musculor. cap.1.* similem inquit esse cerebro compacto, *videlicet quia ipsa durior existit, & tantò magis, quantò ab eo magis recedit.*

Ad huius ergo simul, & multas aliarum partium affectiones dignoscendas, necessariam esse docet neruorum dissectionem: cùm enim omnes ferè infra faciem dispersi, ab ipsa dorsali, seu spinali medulla oriantur, *16. de vsu part. cap.5. & lib. art. med. cit.* nisi intelligamus, num nerui aliqui à singulis vertebris prodeant, & ad quam ferantur corporis partem, assequi non licebit, qualis noxa sequatur in luxata ceruicis vertebra; nec qualis affecta, vbi illius consensu pars aliqua corporis læsa apparuerit: Id quod confirmat, proposito anginæ cuiusdam exemplo, rarò quidem viso, sed ab Hipp. memorato *2.epid.sect.2.versus finem*, quæ nullo proprio in gutture, laryngéue existente affectu, sed primis vertebris affectis, originem ducit.

In hac ergo, præter omnia anginæ symptomata, cauitas manifesta exteriùs in ceruice apparebat, nempe quia orto in vertebris tumore, necesse erat ipsas cum ligamentis ab illius pondere in interiora trahi, & in exterioribus contrahi cauitatem. Ceruix ad contactum non mediocriter dolebat, videlicet quia vbi tuberculum continebatur, vertebras ad interiora trahens. Aliis (inquit) accidit angina sub secunda vertebra, quæ dentalis solet appellari, quoniam illius processus ad caput ascendens, dentis habet similitudinem, ita à natura factus, vt primas duas vertebras inter se vndique colligaret, ad commodam capitis, suorúmque motuum dearticulationem, *lib.de ossib.7.& 8.& 12.de vsu part.7.* sed non perinde acuta, vt ea quæ in secunda vertebra fit: cùm enim præstantiores sint primæ, vtpote cerebro viciniores, qui ipsas infestauerint affectus, maiorem inferent noxam.

Licèt verò in angina dicta, quæ sub dente, id est, vertebra fuit, neque ipsa, neque fauces phlegmone laborarent, de quo etiam *3.de diff. respir. cap.11.* molestia tamen non vacabant, ob malè affectæ partis vicinitatem, & consensum: contentæ autem sub mento (ita enim legendum est, non *sub genis*) tumebant quidem, sed dissimiliter iis quibus aderat inflammatio. Bubones nulli intumuerunt, hoc est, nulla inflammatio faucium adenes occupabat: bubo enim dicitur omnis adenum inflammatio, apud Gal. *2.ad Glauc. 1.* Linguam insuper qui prædicta angina laborabant, facilè mouere non poterant, quin & aucta videbatur, & exerta, ac ad motum inepta erat, nempe à distenta, compressáque vertebra inflammata premebatur; vnde etiam illius venæ veluti tumentes apparebant.

Ob vertebras ad fauces translatas, atque ita obstructa, vel coarctata transglutitionis via, aut deglutire non poterant, aut saltem difficillimè, & magna cum violentia: imò & ingesta, propter gulæ transitum angustiorem factum, aliquando remeabant, & per nares effluebant, per quas etiam loquebantur, eo quòd præclusa erat, nec satis expedita asperæ arteriæ via. Spiritus ipsis sublimis erat, seu elatus, quanquam non valde; & sublimis quidem, quia altioribus thoracis partibus fiebat respiratio: nec proinde magna, vt nonnulli opinantur, sed parua potiùs, & densa, quemadmodum de mente Hip. explicat Galenus, *cit. de diff. respirat.* vel sublimis dicitur, quia cùm paucus admodum inspiretur aër, non videtur posse ad infernas vsque thoracis partes pertingere, sed in sublimioribus tantùm consistere. Valdè autem parua, quam vocat elatam, non erat, quia nullum aliud respirationis organum afficiebatur, exceptis faucibus, & ipsæ per consensum, non per proprietatem, explicante Galeno *ibidem.*

Nonnullis temporum, ceruicis, & capitis venæ rumebant, videlicet ex defluxione in has partes aliquando decumbente, *3. progn.20.* Dolores sæpe reuertebantur, calebant aliquibus tempora, etiamsi alioqui non febricitarent. Plurimi spiritus angustia, & strangulatione non premebantur, (sic enim legendum, pro *non suffocabantur.*) Addit, quibus tumor in rectum erat, hoc est, vertebræ luxatio non ad latera, sed antrorsum, paralyticos non euasisse, nempe quia in ea non premebantur exortus neruorum. Paraplecticos autem fuisse, id est, dimidietate corporis resolutos, quibus ad dextrum, vel sinistrum vergebat malum.

Columella, Latinis gurgulio, nonnunquam eliquata, attenuatáue apparebat, à frigida humoris crassitie extendente, quemadmodum in distillatione accidit. Licèt verò patientes nihil mali habere opinarentur, ipsum tamen duraturum, inde præsagire licebat, quoniam cùm luxatio vagaretur, constabat mali causam esse tumorem ad ceruicis vertebras, luxationis originem. Porrò resolutio, & præcitata illa symptomata in facie, ore, & reliquis partibus à tertia spinæ dorsalis coniugatione neruos recipientibus, manifestiùs deprehendebantur.

Ex ægrotantibus verò omnibus, qui rectam habuerunt luxationem, liberè expuebant, faciléque respirabant, denique euaserunt. Qui obliquam, in paralysim inciderunt; & ex illis, qui febricitarunt, auctis symptomatibus perierunt omnes, fortè etiam quia malum primas vertebras occupauerat, quia locus erat præstantior, & cerebro vicinior. Infra secundam autem vertebram minùs periculi inducebat, & magna ex parte ægrotantes euadebant post quintam.

Vtrùm vagans illa Hippocratis angina, à iaria luxationis causa sit concitata? inquires. Quoniam verò in angina ea, ex vertebrarum distorsione concitata, de qua Hippocrates *2.epid.* luxatio ad ceruicis finem euenit, iuxta sextam & septimam vertebram, ex quarum foramine vtrique communi, nerui ad manus distribuuntur, *13.de vsu part.5.* nihil mirum si ad manus vsque resolutio peruenerit, prout ab Hipp. rectè dictum est *in memorata sententia.* Et hoc cùm tribus possit fieri modis: primò, quando latum scapularum os ab humero recedit, ex Celso *lib.8.cap.10.* Secundò, quum ossa elongantur ob laxitatem, & mollitiem ligamentorum, ex Auic. *1.4. tract.1.cap.1.* Tertiò, quando humeri caput è proprio sinu excidit, ex Paulo *lib.6.cap.12.* tamen horum euentuum causas ad triplicem classem esse reducendas, *cit. de loc.4.* Hipp. mentem interpretans Galenus edocuit.

Luxatio ergo, seu exarticulatio, à Barbaris appellatur dislocatio, & est prolapsus capitis articuli è proprio sinu in alienam sedem: ea verò tunc fit, cùm ossa dehiscunt, quæ inter se coniuncta erant. Ob triplicem autem causam posse vertebras luxari, & à sua positione dimoueri, constat: ob casum nempe ex alto factum, ictum, aut tumorem. Et tumorum quidem duo genera recenset, vnum partium, quæ secundùm naturam corpori insunt, hoc est, quando musculi, ligamenta, seu nerui, quæ naturaliter in corpore existunt, præternaturaliter intumuerunt. Alterum, quando fortè tuberculum (quod

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 333 sur 927

de genere illorum est, quæ præternaturaliter in corpore nascuntur) genitum fuit, & vertebras à suis sedibus euertit, quamuis partes ipsæ similares non intumuerint.

Ex dictis autem tribus luxationis causis, constat illam de qua Hip. ex solo tumore euenisse: tum quia vagans angina, à qua luxabantur vertebræ, à casu, vel ictu oriri non potuit; tum quia dixit ipse Hip. concocta expuisse ægrotantes, nempe coctis iam, ac suppuratis tuberculis. Denique, vt 4. *de loc. cit.* boni expositoris munere fungatur, & enarratam Hip. sententiam vndique absoluat, proponit in medium omnes anginæ differentias, quæ suo tempore circumferri solebant, vt perspicuum fiat, cur Hipp. vertebrarum ceruicis luxatione laborantes appellet anginosos, licèt nec in gutture, nec faucibus contineretur inflammatio. Et ita quidem fuisse appellatos exponit, quoniam pulmone & thorace omnino illæsis, difficulter respirabant, in quo à pleuritide, & à peripneumonia, apud Hip. differt Angina: in hac enim spirandi difficultas gutturi inest; in aliis autem, thoraci.

Vtrùm verò *Angina orta ex circulari, & recta luxatione, sit deterior ea quæ ab anguloſa, & obliqua concitatur?* dubium est difficile: quod antequàm extrices, aduerte apud Hippocratem *lib. 2. de fract. text. 51. 52. 53. & lib. 3. text. 21.* Galenum 4. *de loc. cit.* cæteróſque proximè citatos auctores, luxationem sub quadrupliei membro comprehendi. Anguloſam luxationem vocat Hippocrates, in qua vnica duntaxat luxatur vertebra. Hæc periculosa est, propterea quòd contingit in ea vehementiùs, & cum maiori violentia spinæ medullam atteri, quàm in circulari. Hæc autem dicitur, quæ in orbem, & paulatim fit, plurimis scilicet quadantenus luxatis vertebris, sed non vehementer, & omni ex parte è sua sede distractis. Hæc in gibbis fit, tam interiùs, quàm exteriùs, in qua nihil omnino patiuntur partes, quæ commotis vertebris supponuntur.

Recta luxatio vocatur, quæ rectè ad anteriora, aut exteriora procumbit. Obliqua, quæ non rectè, sed obliquè & ad latera fit, in qua nerui atteruntur, subiectæque partes condolent, & oblæduntur, & ob hanc causam in eas affatim humore confluente, tumores grauissimi inflammatorij excitantur. Ex omnibus his, anguloſam, & obliquam maius periculum inferre, patet: in his enim partes tenduntur, comprimuntur, inflammantur, conuelluntur: quorum omnium rationem cùm nemo præclariùs Galeno protulerit, sufficiet verba eius in præsenti proferre, sic enim ait: *Cùm igitur anguloſa fit ſpinalis medullæ luxatio, id eſt, cùm non paulatim, ſed affatim, perinde ac ſi frangeretur, pars aliqua curuatur, ſubiectas partes omnes læsi neceſſe eſt. Paulatim verò facta luxatione, atque in orbem magis, nihil notatu dignum patiuntur partes, quæ commotæ vertebræ ſupponuntur. Sed in obliquum luxatio, lædit omnino partes eas, ad quas nerui ex luxatis vertebris procedentes perueniunt; idque magis in ceruice, in thorace minùs, ſed multò minùs in lumbis accidere ſolet, &c.* Hoc confirmat Auicenna 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 8. qui angularem luxationem in superioribus colli vertebris contingentem, periculosissimam esse sibi persuasit, quia cum motu subiacentium partium, simul & respirationem impediri necesse est.

Curatio.

OMnium inflammationum, quæ in gutture, & faucibus excitantur, causam esse, defluxionem à capite delatam, testatur Galenus 4. *acut. com.* 30. *Vtrùm* autem *hæc fluxio ſit pituitoſa, vel bilioſa?* dubitari potest. Galenus 3. *progn.* 21. & 22. & 4. *Aph.* 34. ex tenui, & acri fluxione anginam concitari asseuerat: humor enim calidus angustiores venas facilè penetrat. Contrà *eodem* 4. *acut.* & 4. *de caus. puls. cap.* 20. *in med.* ex frigida, pituitosa, crassa, & glutinosa fluxione oriri confirmat. Dic. In gutture excitata angina, à bilioso humore originè ducit, quæ erysipelatis, aut inflammationis erysipelati similis naturam imitatur. Ea verò quæ in faucibus accidere solet, à frigidis, & glutinosis succis scaturit: hi enim cùm non ingrediantur vniuersas venas, quę strictæ sunt, in capacioribus faucium vasis detenti, & stabulantes, ea in tumorem attollunt.

Sanguinem copiosum affatim in fauces, guttúrque irruentem, copiâ distendentem, acrimoniâ lancinantem, inflammationem committere, nulli est non manifestum. De melancholia hæsitant plures: *Vtrùm ex ea possit concitari?* Cùm enim hic humor sit frigidus, crassus, tardus, acutissimum morbum, qualis est angina, generare nequit; & cùm sit terrenus, angustissimas venas non penetrat. Hoc modo Galenus solùm à pituitoso, sanguineo, & bilioso humore hanc inflammationem progigni affirmat. Contrà facit auctoritas Auicennæ, 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 8. dum sic ait: *Et hæc quidem apoſtemata quandoque accidunt ex ſanguine, & quandoque ex cholera rubea, & quandoque accidunt ex phlegmate, & rarò quidem accidunt ex melancholia.* Solue dupliciter. Primò. Angina in gutture nunquam fit ab humore melancholico, sed à bilioso, vel sanguineo; in faucibus verò generari potest: in illis enim vasa sunt ampliora, quæ hunc crassum, & terrenum humorem imbibere queunt. Dic secundò. A cæteris humoribus frequentiùs generatur angina; à melancholia, rarissimè, vt Auicenna pronunciat: & hæc est causa, cur Galenus, cæterique prisci de ea non meminerint: nec enim de iis quæ semel, aut bis homo videt, debet pronunciata medica conficere, monente Galeno *lib. de fœt. format. cap.* 2. Deinde non est negandum, ex humore frigido & crasso, aliquando acutum morbum posse concitari, si in principe parte abundet, & insolescat. Hac ratione ex melancholico, & flatulento humore fiunt Caros, Apoplexia, morbus comitialis, cordis tremor, & siquæ alia grauissima, ex quibus mortales vel repentè velut siderati occumbunt.

Inquires deinde: *Vtrùm detur Angina frigida?* Cùm enim hic morbus ab inflammatione oriatur, & hæc à calido, feruentéque humore ortum ducat, cum febre valida, absonum videtur asserere, anginam frigidam esse assignandam. Contrà docet Hip. 4. *acut.* 30. dum sic ait: *Synanchus* (id est, angina) *fit, cùm hyeme, verèque fluxio multa, & vitioſa à capite ad iugulares defluxerit venas, plurimúmque hæ propter latitudinem traxerint ſpiritum. Cùm autem & frigida, & glutinoſa fuerit, ſpiritus obſtruit permeationes, ſanguinémque coërcens, quæ ſanguini vicina ſunt, congelat, ſanguinémque ipſum immobilem reddit, & ſtabilem, &c.* Dic, nullam anginam posse dici frigidam, cùm sit ab inflammatione suborta, quæ cùm sit in viis spiritus excitata, febrem illicò affert ineuitabilem. Licèt enim materia cruda sit, viscida, crassa, à capite debili & frigido prolapsa; in iis tamen partibus coërcita, & prohibita difflari, putrescit, & acrior redditur. Hippocrates autem non vocat anginam frigidam, sed humorem à quo ipsa emanat, qui antequam confluat in fauces, frigidus est natura suapte, qui per paulatinam congestionem eo loco retentus & infixus, præ mora calorem acquirit; & tandem ea copia excrescit, vt tumorem concitet, vias respirationis arctet, & spiritu intercepto sæpe strangulet.

Quæres insuper: *Vtrùm Aër frigidus humidus, an calidus & ſiccus anginam generet?* Si enim hic morbus calidus est, à frigido & humido aëre oriri non poterit, sed à calido & sicco, qui inflammat, calefacit, & in humoribus ebullitionem concitat. Contrà obstat Hipp. 3. *Aph.* 16. qui inter morbos pluuiarú multitudini familiares, anginam enumerat. Dic. Aër frigidus & humidus ex accidenti anginam concitat, sua enim frigiditate humores pituitosos in fauces exprimit. Hoc modo hyeme apud Hipp. 3. *Aph.* 23. morbi laterales contingunt.

Aër

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 334 sur 927

Aër calidus & siccus, humorem frigidum & humidum cerebro impactum liquat, & attenuat, qui fluxilior cùm sit factus, in subiectas partes promptissimè influit.

Dubitabis: *Vtrùm reperiantur alimenta, quæ suapte natura anginam generent?* Respondet Auic. *loc. cit.* hoc modo: *Et quandoque est propter quosdam cibos, qui sunt proprij in faciendo contingere ista apostemata, sicut est Andacocha, & dicitur quòd eius theriaca, est lactuca, & endiuia, &c.* Dic. Non videtur extra rationem posse reperiri aliqua alimenta, quæ gutturis partes à tota substantia debilitent, ad suscipiendósque humores aptas reddant: Sicut enim sunt alimenta, quæ certas partes recreant & roborant, vt passulæ & eupatorium, lecur; buglossum & melissa, Cor; caryophylli, & maiorana, Cerebrum; cappares & eupatorium, Splenem; stroboli, mel, & tussilago, Pulmonem: Sic alia determinatas partes oblædunt, vt Andacocha, quæ est trifolij species, quæ tacita quadam inimicitia fauces lædit, qua olim in iusculis vtebantur Afri. Si verò obiicias, alimentum esse naturæ nostræ familiare, non verò aduersum, quare partes roborat, tuetur, & non prosternit. Dic, non esse extra rationem posse assignari aliquod mixtum, quod ob elementorum mixtionem vna virtute præditum sit, & ex modo mixtionis, seu à totius substantiæ proprietate sortiatur alteram, & ob hanc causam dissimiles producat effectus ab illis, quos alimentum, & venenum producit. Si vltimò perconteris, quare cerasa, & fungi, apud Auicennam, anginam concitent? Dic. Quia illa copiosè assumpta humidos generant succos, & excrementitios, quibus cerebrum repletum, eos facillimè in fauces demittit. Idem similiter dicendum de fungis.

Signa.

CAusarum signa venanda hoc modo. Si angina à sanguine copioso confluente exoriatur, spirandi, ac deglutiendi difficultas maxima erit, aderit angustia cum grauitate coniuncta. *Vtrùm* verò *vehementiora adsint symptomata in sanguinea, quàm bilioſa angina?* Respondè affirmatiuè: Nam dolor etiam simpliciter maior est in sanguinea, quàm bilioſa, apud Auic. & Rhas. *loc. cit.* Ratio ex Galeno 3. *progn.* 18. quòd dolor anginosorum emanat ex prohibita respiratione, & tumore: Sed sanguis, quia ampliori copia abundat, magis prohibet respirationem; & phlegmone quæuis magis dolorifica est, quàm erysipelas. Ergo, &c. Si verò in sanguinea, dolorem esse maiorem in quantitate asseueres, in intensione minorem, pronunciabis vera. Demum fluxionem adesse sanguineam, temperamentum, habitus, anni tempus, ætas, regio, aëris constitutio, ac præcedens ratio victus indicant manifestè. Bilioſum humorem significant incendium circa guttur, morsus, sitis ingens, oris amaritudo, febris acuta. Si verò frigidus, crassúsque sanguis confluat ad partem, dolor est exiguus, tumor citra ruborem, febris est parua, & cætera pituitoſum humorem redundare conteſtantur.

In omnibus difficultas adest spirandi; viæ enim spiritus ob tumorem sunt angustæ nimis: & ob hanc causam ægri difficulter respirant, impedito ductu, qui aëris ingressui & egressui inseruit; & cùm non possit egredi aër, fuligines retentæ suffocationis imaginem inducunt, & maximè si hic affectus æstate insoleſcat, quo tempore cùm humores calidi & acres exuperent, pulmones proximos inflammant, & vias exulcerant. Si verò tumor sit maximus, ægri rectè spirant, & violenter.

At dubitabis: *Vtrùm in omni angina reperiatur semper respiratio difficilis?* Licèt in vltimis anginæ speciebus, asserat Galenus 4. *de loc. cit.* spirandi difficultatem non adesse, intelligatur respectu illius difficillimæ strangulationis speciei, discrimen adducentis, in qua recta spiratio reperitur: Omnibus enim communis est spirandi difficultas, sed primæ ingens, quam orthopnœam vocant, & *in prognoſtic.* per spirandi difficultatem significauit; aliis leuior, seu potiùs angustia quædam anhelitus. Vtramque etiam difficilis respirationis nomine Galenus 4. *de loc.* comprehendit, quæ procul dubio in omnibus anginis reperitur, ex colli, ceruicis, vertebrarum, faucium, gutturis, tonsillarum, denique ex cuiusuis partis circumiacentis ad respiratorium meatum inflammatione, ex superfluitatum multitudine ibidem collecta, *lib. introduct. cap.* 13. 3. *Aph.* 16. & 22. 6. *Aph.* 2. & 4. *acut. cit.*

Vtrùm in grauissima angina adsit semper respiratio sublimis? est in dubium vertendum. Hanc describit Hipp. *lib.* 3. *progn.* 16. in hunc modum: *Anginæ etiam grauissimæ sunt, & celerrimè interimunt, quæ neque in ceruice, neque in faucibus conſpicuum aliquid efficiunt, plurimum autem doloris inferunt, ac spirationis difficultatem, quæ nonnisi erecta ceruice trahatur. Hæ enim eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulant, &c.* Ex qua serie constat, hunc sublimem, elatúmue spiritum in angina conspici grauissima, licèt in peripneumonia, suppuratione, & similibus aliis thoracis ægritudinibus conspiciatur sæpe: Integra enim & constante sanitate, libera ac inuiolata respiratio, solius septi transuersi ministerio efficitur, cuius nerui ex coniugatione sub quarta, & quinta vertebra ceruicis emergentes, progrediuntur. At vbi maiori est opus inspiratione, ob auctam refrigerij necessitatem, accedit quoque actio musculorum intercostalium, & nonnunquam superiorum trium, qui ex collo vtrinque proueniunt.

Inflammatis ergo internis musculis gutturis, prima, eáque vehementissima anginæ species constituitur, cuius signa *citato loco* proposuit Hippocrates, quæ sunt dolor plurimus in gutture, atque ceruice, respirandi difficultas tanta, vt ægrotantes erecti sedere cogantur, nullâque ex calore, colore, aut mole apparet in ceruice, vel faucibus dispositio: Nam cùm respirationis meatus ea parte angustus sit, accedente inflammatione omnino intercluditur. Ex quo eos periclitari est necesse, deficiente omnino respiratione. Quo fit vt anginosi, erecta ceruice, id est, collum erigendo respirare cogantur, siquidem illorum supinus accubitus plurimùm inspirationi obest, concidente nimirum gutture in ceruicis vertebras; & dum spiritum trahunt summum, mouent adoperta scoptula, vnà cum thorace, quam respirationem Hippocrates, Galeno interprete, sublimem spiritum vocauit, *lib. 3. epid. sect. 2. text. 4. in historia anginoſæ, quæ apud Bitonem agebat.*

Neque dicas spiritum sublimem illum esse, qui extremis naribus fit, siquidem multi ægrotantium ita respirant, vt eas inspirando contrahant, in expirando verò dilatent. Attamen, licèt hoc accidat iis qui ab angina suffocantur, vel peripneumonia, vel suppuratione premuntur, non placet Galeno expositio hæc: quia per sublimem spiritum intelligendus est ille, qui recta ceruice efficitur: contendunt enim qui suffocantur, exurgere, & toto thorace externum aërem magna vi attrahere, atque iccircò in his censeas qui angina laborant, sublimem appellatum spiritum esse. Neque mireris, Hippocratem, tum *in cit.* 3. *epid.* tum *progn.* anginosos asserere, difficultate respirandi laborasse: id enim fecit, vt nos doceret, quæ species difficultatis anhelitus hanc grauissimam anginam consequatur.

Difficilior verò quæstio est, in qua video auctores fuisse discordes: *Vtrùm pulsus in angina sit durus, paruus, frequens, & inæqualis?* Si enim inflammationem contempleris, paruitas, & duities pulsui accedet. Si ad pulmonem vergat materia, & eius carnosas occupet partes, fiátque pulmonia, aut suppuratio, iuxta oraculum Senis 5. *Aph.* 10. & 3. *progn.* 20. fit pulsus vndosus,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 335 sur 927

©BIUM

& magnus. Si humor membranosas neruosasque afficiat partes, magis quàm carnem & pulmonem, pulsus conuulsiuus efficitur. Deinde si suffocatio est vehemens, pulsus fit paruus, & rarus, ob defectum vsus. Si mediocris, paruus, & creber. Si extrema sit suffocatio, & æger sit morti vicinus, fit frequens, & inæqualis: nam deficientem spirirum natura resarcire conatur, nec potest. Demum non est simpliciter vndosus, cum Auerrhoë 4. *collig.* 51. nisi in pulmoniam mutetur. Quapropter iuxta varios anginæ status, varius est pulsus. Et ob id, vt varium non accuses Galenum 4. *de causis puls. cap.* 20. *de pulsu anginæ*, qui de hoc dubio ita varia pronunciare visus est.

Vt verò priscorum dicta intimiùs exponantur, explicandum: *Vtrùm in Angina semper adsit febris?* Respondeaffirmatiuè: Cùm enim eius essentis in inflammatione consistat, & ab hac febris sit inseparabilis, ex Galen. passim; & sit morbus acutus, ex calido, acri, bilioso, vel pituitoso putrenti humore progenitus, in ea perpetuam adesse febrim est necesse, vt colligitur ex Hip. *lib.* 2. *de morb. num.* 32. §. *Febris corripit, & rigor, & dolor capitis, & maxillæ intumescunt, &c.* Ob hanc causam 5. *Aph.* 30. inter acutos morbos qui sine febre fatigant, vt Apoplexia, Epilepsia, Conuulsio, & Tetanus, anginam non adnumerat, quia est inflammatio in viis spiritus consistens, cum pectore, pulmone, & corde summum consensum habens, quæ viscera vehementer alterat, & inflammat. Idcò 2. *Aph.* 19. anginam reponit inter morbos acutos, qui sibi febrem comitem adiunxere; sic enim ait: *Duplex autem est acutorum morborum natura, vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsedere locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex natura sua generari; vel loco aliquo patiente fiunt, vt in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina: & omnino in acutis morbis sunt febres continuæ, rari enim sunt, quibus febres non adsint, vt morbus attonitus, quem Græci Apoplexiem vocant.* Si verò Galenus *lib.* cui titulus est, *introductio, cap.* 13. anginam nonnunquam cum febre acuta, nonnunquam sine febri vexare asserit, cum Paulo *lib.* 3. *cap.* 27. edocti ab Hipp. *lib.* 2. *de morb. num.* 10. qui non semper in angina febrem adesse pronunciat; de acuta, & vehementi intelligendi sunt: nam hanc non perpetuò cum angina complicari verum est, præsertim si pituitosa sit, & è crudiori sanguine pronata. In omni ergo angina febrem semper adesse, Galenicæ doctrinæ consentaneum est,

Præsagium.

PEriculosissimus est affectus hic, pestifer, truculentus, ferox, ex Tral. *lib.* 4. *cap.* 1. Celso *lib.* 4. *cap.* 4. Nam adaucto tumore deglutitionem impedit, respirationem intercludit, subitò interficit: calor enim innatus libera ventilatione orbatus marcescit, perit, extinguitur. *Vtrùm sit acutissimus?* etiam ventilandum. Si enim acutus est morbus, magnus est, 2. *Aph.* 29. §. *Acuti morbi dicuntur, qui præter id quòd celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent.* At Angina, morbus magnus dici non debet. Igitur, &c. Neque ob essentiæ magnitudinem, is dici potest, cùm partem minimam opprimat, neque malignus sit, cùm à sanguine oriatur, à quo humore morbi prognati, omnium benignissimi sunt, *lib.* 6. *epid. sect.* 3. *com. vlt.* Neque fauces, aut guttur inter præstantes partes numerantur; non enim toti facultatem, aut materiam largiuntur, quas vires sortiuntur cor, cerebrum, & hepar, apud Galenum 6. *de placit. cap.* 10.

Contrà obstat celebrium Medicorum auctoritas, qui eam inter acutissimos morbos reponunt, vt Celsi *loc. cit.* Tral. *lib.* 4. *cap.* 1. Galeni 1. *Aph.* 12. & *lib.* 2. *com.* 19. Sæpe enim prima die, secunda, aut tertia strangulare solet, ex Gal. 3. *epid. sect.* 2. *com.* 4. Lato autem modo fauces inter nobiles partes recenseri possunt, cùm membrum nobilissimum conseruent; per eas enim ingreditur aër, cuius ope ac potestate ventilatur cor, & spiritus vitales regenerantur.

Vtrùm Angina pituitosa omnium sit securissima? Si enim anginæ periculum in eo versatur, quòd deglutitionem, & respirationem impediat, videtur pituitosa cæteris periculosior, quoniam pituita crassa est, lenta, & visciditate sua obstruit, aëriscque ingressum & egressum prohibet. Contrà facit auctoritas Galeni 3. *progn.* 18. pituitosam anginam securiorem esse affirmans, ita vt nec morbi acuti nomen mereatur. Subscribit Auicenna 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 8. sic dicens: *Ex præfocationibus quidem, phlegmatica est magis incolumis.* Ratio dictat, quia in musculis faucium accidit, non internis, 4. *acut.* 30. Deinde paruus calor magnam respirationem non efflagitat, & exiguus dolor attrahit parũ. Omnium pessima biliosa, quoniã licèt dolor aliquãtò minor sit, quàm in sanguinea, tamen frequenter citiùs strangulat, quia tumor à calido, biliosóque sanguine prognatus eminet magis, & maiorem occupat locum, quàm pituitosus: latæ enim pustulæ à pituitoso sanguine ortæ, humiles sunt & demissæ; biliosæ, ac sanguineæ, sunt acuminatæ, prominulæ, ex Hip. 6. *Aph.* 9. *Latæ pustulæ non admodum pruriunt.* Quod oraculum omnes tumores comprehendit, vt testatur Galenus *in com.*

Illud verò difficiliùs quæsitum est: *Vtrùm Angina pituitosa inter omnes citiùs iudicetur?* Si prima facie soluere quæstionem tentes, iudicabis pituitosam esse sanguinea & biliosa angina diuturniorem, cùm humor tenuis faciliùs discutiatur quàm crassus; quod in morbis omnibus, & tumoribus liquet apertè. Diuturni enim morbi, à crassis & pituitosis humoribus fiunt; acuti & breues, à calidis & tenuibus: sicuti citiùs iudicantur tumores biliosi, quàm pituitosi. Insuper *flauæ quidem bilis vacuatio est facilis; pituitæ verò, ac potissimùm eius quæ crassior, glutinosiórque est, itémque nigræ bilis, difficilior,* auctore Galeno 14. *meth.* 18.

Porrò si hæc vera sunt, cur Galenus 3. *progn.* 18. de angina verba faciens, contrarium asseruit? dum sic ait: *Quòd si pituitosus interdum tumor infestet, celerrimè discutitur.* Varij in hoc difficili contextu explicando varia sentiunt interpretes. Alij pro celerrimè discutitur, exponunt, facilimè curatur; alij legunt, celerrimè sanatur, & hoc est quod asseruit Auic. 9. 3. *loc. cit.* subscribens Galeno: *Et ex præfocationibus quidem, phlegmaticæ sanatio est velocior, & facilior*, hoc est, citiùs discutitur.

Dic, ex eo anginam pituitosam breuissimè iudicari, quia humor pituitosus, crassus est, & angustissimos gutturis meatus non penetrat, nec in eius substantia immergitur, sed in meatibus amplioribus detinetur, à quibus faciliùs excerni & vacuari potest, vt 4. *acut.* 30. testatur Galenus, cuius hæc sunt verba: *Fluxionum quæ à capite deferuntur, quædam substantiâ tenues existunt, aliæ ex crassis, vitiosisque humoribus constant. Quæ igitur tenues sunt, hæc latis penetratis venis, in angustioribus detinentur: tales autem sunt quæ guttur ambiunt. Contrarium autem crassis euenit, quòd non ingrediantur, quæ strictæ admodum sunt, venas, antea scilicet in capacioribus detentæ. Hinc sequitur, quòd anginæ quæ à pituita fiunt, leuiores multò sint, & febrem non faciant, nec vehementem dolorem, nec magnam difficultatem respirandi, &c.* Bilis autem in biliosa angina, & sanguis, cùm suapte natura feruidi sint, tenuitate sua exiles gutturis meatus penetrant, in quibus tenaciter immersi, atque impacti difficillimè discutiuntur.

Proponit Hippocrates *lib.* 2. *Aph.* 43. oraculum quoddam: *Vtrùm anginosi referantur in vitam, quibus spuma circa os apparet?* Sic enim ait: *Qui suffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur in vitam, quibus spuma circa os apparet.* Quæ sententia inter-

inter legitimas non reponitur à Galeno *in com.* Nam spuma in accessione epileptica circa os apparens, ægrum ab ea immunem reddit, quia pituitosa materia, à qua morbus sacer, motu attenuata foràs eliditur. Sed diuersa ratio est in angina, ac in comitiali affectu: ob prohibitam enim ventilationem, calore circa cor, visceráque spiritalia adaucto, & natura conatum apponente, spuma ex ipsius substantia gignitur, (pulmo enim est spuma coagulata) præcipuè si spuma flaua sit, aut cruenta. Neque ob id quòd aliquando plures anginosi ad vitam sint reuocati, quibus spuma circa os apparuit, Hippocratica sententia desinit esse vera, quia frequentia pro perpetuis habentur, *lib. de fœt. format. 2. & lib. 6. Aph. com. 58.* Interpretes exponunt, nisi spuma fuerit ex saliua, non ex pulmone: verùm in ore non est calor multus, nec aëris motus validus, nec conatus ad expellendum, quæ tria ad spumæ generationem sunt necessaria, ex Galeno.

Vtrùm Angina magis vere, & autumno, quàm hyeme, aut æstate insoleſcat? dubium est. Respondè affirmatiuè: Nam in cerebro, vigente bruma humores sunt concreti, & vt in subiectas partes decumbant, valde inepti. Æstate, vigente Sirio materia absumitur, dum illo sensim ac sensim liquata exhalat, & resoluitur. De cæteris temporibus diuersimodè pronunciat Hip. *lib.* enim 3. *Aph.* 20. hunc affectum inter vernales, & *text.* 22. inter autumnales reponit. Ergo angina pituitosa inter morbos vernales numeranda: humores enim pituitosi hyeme geniti, calore veris liquati in fauces decumbunt; ab aëre enim calefactum caput humores attenuat, & fluxiles reddit. Biliosa angina autumno præsertim excitatur, & inualescit, quoniam bilioſi succi æstate progeniti, siccitate & frigiditate temporis facilè ob tenuitatem ad inferas partes expressi, hunc morbum committunt. Hoc voluit Gal. *cit. 22. text. Aph.* dum sic ait: *Anginæ verò ex bilioſis humoribus ortum habent, qui ad fauces decumbunt, ab illis quæ vere fiunt, differentes, quoniam illæ sunt quodammodo pituitoſiores.*

Etiam quærendum est: *Vtrùm viri, & iuuenes, frequentiùs fœminis, pueris, & senibus, angina premantur?* Quòd fœminæ angina minùs tententur viris, res est manifestissima: crudiorem enim sanguinem habent, & frigidiorem, qui suopte impetu ad inferiora descendit. Accedit menstrua purgatio, quæ eas non solùm ab angina, sed aliis morbis, qui superiorem regionem vexare solent, facit immunes. Audi Gal. *lib. de ven. sect. aduersus Erasistratum, cap. 5. Velim itaque audias iam veritatem ipsam, me præcone, tibi denunciantem, quòd mulier, si probè purgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumoniis capiatur: sed neque Epilepsiæ, neque Apoplexiæ obnoxia sit, aut spirationis, aut vocis ablatione rite purgata vllo tempore infestetur. Num verò menstruis fluentibus, aut phrenitide, aut lethargo, aut conuulsionibus, vel tremoribus, rigoribúsue mulier aliquando correpta est? Num etiam vel melancholia laborantem, aut vexatam, aut quæ ex thorace expueret, vel vomeret ex ventre sanguinem, aut capite laborantem, aut synanche præfocatam, aut aliquibus id genus magnis, & vehementibus affectibus inpetitam, cui menses rectè excernerentur, quandoque conspexisti?*

Iuuenes autem pueris, & senibus frequentiùs angina affligi, certum est: in illis enim sanguis calidus, biliosus, tenuis abundat, qui tenuissima gutturis vasa penetrare potest; in pueris autem si sanguinis copia abundat, ob quam causam hæmorrhagia sæpe laborant, 3. *Aph.* 27. & tonsillarum inflammatione premuntur, *eodem lib. text.* 26. tamen is est crudus & semicoctus, neque ita tenuis, vt ad minima vascula laryngis accedere possit: sed tonsillas tumore afficit, qui à pituitoso & frigidiore sanguine, qualis puerorum est, originem ducit. Neque obtrudas, seniores frequenter pleuritide corripi, ex Hip. 3. *Aph.* 30. quam inflammationem à bilioso sanguine oriri, firmat Gal. 6. *Aph.* 33. & 1. *Aph.* 12. & libi sæpe: quia pleuritis non simpliciter occupat seniores, sed tantùm consistentem ætatem agentes, qui iuuentutis antecedentis temperamentum veluti retinent: sed cùm hic sanguis ob ætatem, crassior sit & grauior, gutturis exigua vasa permeare nequit.

Vltimò agitanda est dubitatio: *Vtrùm euanescentia tumoris in angina semper sit pernicioſa?* Hippocrates sic prædixit *lib. 6. Aph. 37. Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum*: & *lib. 3. progn. 20.* sic ait: *Securissimum verò est, si œdema, aut rubor, quam maximè foràs vertatur*: & *lib. 7. Aph. 49.* sic pronuntiat: *Ab angina habito, tumor, & rubor in pectore superueniens, bonum; extrà enim vertitur morbus.* Confert enim ex intimioribus, & principalioribus partibus noxios humores ad cutem transferri: cùm enim hæc, docente Galeno *lib. de caus. morbor. cap. 6.* sit omnium corporis partium extrema, vniuersi corporis excrementa suscipit. Hinc fit vt quæ ad cutem recesserunt, iis quæ ad profundum decubuerunt, multò sunt salubriora, ex Galen. 4. *acut.* 31. Tumorem ergo extrà verti, optimum est: hoc enim robur naturæ ostendit, quæ humores noxios ad partes ignobiles detrudit, hócque modo viscera ab illis fiunt immunia, & multò etiam redduntur robustiora. Ergo occultatio tumoris externi in angina, ob contrarias causas semper mala est, præter rationem facta; humorem enim ita malignum esse demonstrat, vt vehementer irritans non possit ab infirmis viribus foràs propelli, vnde ad interiores partes restagnans, coërcitus, & non ventilatus, maiorémque acquirens acrimoniam, eas vellicat ac ferit, & interdum ægrum suffocat.

Sed quid dicemus Gal. 2. *progn.* 68. qui hanc euanescentiam, interdum esse malam, aliquando bonam pronunciat? Sic enim ait: *Tanquam igitur ex causis maximè contrariis moles euanescat præter naturam, finem habet maximè contrarium; aut citissimam indicans nocuæ materiæ solutionem, aut deterrimam affectionem.* Solue hoc modo. Hippocrates *in Aphorismis*, repentinam reprobat euanescentiam, quæ ob causas dictas frequenter est periculosa, & mortem portendit, cùm grauissima symptomata secum accersat. Ita 5. *Aph.* 65. protulit Hippocrates: *Quibus tumores in vlceribus apparent, non admodum conuelluntur, neque insaniunt. Verùm his euanescentibus derepentè, illis quibus a tergo, conuulsiones, & tetani fiunt; quibus autem a fronte, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.* In *prognosticis* autem loquitur de euanescentia simpliciter.

Superioribus sunt adiungenda præsagia alia. Primum est Hip. 3. *progn. text.* 16. dum sic scribit: *Anginæ autem grauissimæ sunt, ac celerrimè interimunt, quæcunque nihil conspicuum faciunt in faucibus, neque in ceruice, plurimum verò dolorem inferunt, atque spirandi difficultatem. Hæ enim eodem die strangulant, & secundo, & tertio, & quarto.* Cùm enim nullus sit rubor in extrema parte, sed in interna vehemens adsit dolor, de inflammatione debemus esse soliciti, quæ cùm maxima sit, internas gutturis partes occupat, ibique stabulans respirationis vias intercludit, & citissimè strangulat.

Aliud præsagium ex 3. *progn.* 7. *Quibus verò fauces, & ceruix simul rubent, hæ sunt diuturniores; & maximè ex ipsis liberantur, quibus ceruix, & pectus ruborem traxerint, nisi sacer ignis intrò recurrat.* Nam, vt *suprà* ex Galeno notauimus, ex intimioribus, & principalioribus partibus passiones confert ad cutem transferri. Hæc vera sunt, dummodò erysipelas non vertatur ad interna: quod malum est, tum quia noxius humor ad præcipuas, & vitæ necessarias partes remeat; tum quia imbecillitas facultatis indicatur, non potentis ingressui materiæ biliosæ, à qua sacer ignis oritur, obsistere.

Id equidem significauit Galenus 2. *prorrhet. com.* 1. dum enim de minutis iudicationibus mentionem facit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 337 sur 927

sic inquit: *Manifestum autem est tale signorum genus* A *pessimum esse: quæcunque enim tubercula, & exanthemata ad cutem ex profundo florescentia recurrunt, omnia pessima sunt.* Ita Auicenna 1.4.*tract.* 4.*cap.* 10. morbillis, & variolis detentos haudquaquam aëri frigido esse exponendos, ob metum retrocessus humoris, consultè admonuit. Hac de causa 3.*progn. vlt.* dolorificas affectiones repentè occultari absque iudicatione, reprobum esse asseruit. Hoc modo dicebat Auicenna 2. 4. *cap.* 17. *Quæcunque de istis exituris eueniunt, & occultantur absque maturatione, earum dispositio non caret duabus rebus, aut vt redeat egritudo, aut vt redeat maior quam fuit:* & *cap. de pleuresi*, inquit: *Exitura ista quando occultantur, & profundantur, significant nocumentum, hoc est, periculum delirij, mortisque imminet*: Si enim retrò aures tumor apparens, retrocedat, materia B cerebro, vel membranis eius communicata, mentis perturbatio contingit; si sub axillis, vel collo, confluente humore ad cor, vel pulmonem, æger suffocatus occumbet, viis spiritus ab humore subitò confluente interceptis.

At quæres, si ceruix, & pectus cum larynge non consentiunt, cur ab illis partibus ad hanc humorum retrocessus tantoperè reprobatur? Dic, quòd larynx cum ceruice communicat per musculos œsophagæos. Cum colli anteriore, superioréque parte, per continuitatem musculorum, qui ab hyoïde orti in thyroïdem inseruntur. Denique cum sterno, ob continuitatem musculi Bronchij, qui à summo sterno originem ducens, in latera thyroïdis inseritur.

Denique in angina spurum subaridum apparens, C criticum esse non potest, cùm assantem calorem in parte, & toto præualentem significet, & hoc modo apparet lentum, crassum, & glutinosum. Qui in angina tumores linguæ sine vlla ratione repentè euanescunt, pessimi. In angina sine signis dolores in caput versi cum febre, lethale. Angina in pleuritidem quandoque mutatur, ex Hipp. 6.*epid. sect.* 2.*text.* 13. Qui angina vehementer suffocantur, narium pinnas expirando contrahunt, inspirando verò dilatant, vt 3. *epid. sect.* 2, *com.* 4. & 4.*de loc.* 4. docuit Galenus: cùm enim naturalis respiratio solo diaphragmate perficiatur, aucta necessitate, nec sufficiente iam septo, musculi intercostales accedunt, deinde sublimes, & humerales. Quòd si extrema adsit necessitas, tunc musculi recti abdominis opem ferunt, & qui pinnas narium, D etsi cartilaginosa substantia constantes intertexunt, quorum motu illæ mouentur: duo enim sunt ad dilatandum fabricati, ex fronte suborti; alij duo constringunt, & labiorum musculis sunt continui.

Vltimò. Angina ex luxatione vertebrarum generata, incurabilis est, apud Paulum *lib.*3. *cap.* 27. Si verò 2.*epid. sect.*2. *prope finem*, anginosos ex hac causa laborantes, omnes superstites euasisse affirmat, loquitur de luxatione ex humorum crudorum fluxione, facta. Paulus verò intelligendus de ea, quæ fit ab inflammatione distendente, & dentiformem violenter à sua sede dimouente: dolorifica enim inflammatio reductionis commotionem prohibet, deglutitionem im- E pedit; & hoc modo exardescens cor, animal ad interitum deducit.

Curatio.

AEr sit temperatus, & ad frigidum aliquantulum declinans. Victus offeratur tenuissimus, Mulsa aquosa, cremor ptissanæ, in debilibus vsque ad tertium diem pulli, aut gallinæ iusculum, deinde pleniùs cibandi iure caponis, ouis sorbilibus. Si ægri omnino deglutire nequeant, nutrientia clysteria infundantur. Potus sit aqua hordeo decocta, vel cereuisia tenuis.

De somno dubitandum: *Vtrùm in Anginæ initio vtilis sit*? Dic. Somnus fluente humore in omni inflammatione interna, & maximè in angina vitandus est. Quare in iuuene, & angina calida, odore camphoræ; in sene, & angina frigidiore, stœchados, vel rutæ, & omnino ingenio somnus interdicendus, ex Zoar.*lib.*1.*theïzir*,*tract.*10.*cap.*14. augetur enim fluxio ad interna, & prohibetur resolutio. Mesuë concedit diurnum, cùm tamen apud Auic.3.1. *cap.de his quæ ex somno, & vigilia proueniunt*, ex somno diurno distillatio in subiectas partes confluat vbertim. Quamobrem absente fluxu somnus nocturnus, vtpote profundus, & longus, ob faustam coctionem, catarrhum non gignit; contrario modo diurnus: verùm in præsentia fluxus somnus diurnus minùs nocet, quia plurimùm participat de vigilia.

Etsi de sanguinis missione in angina celebranda, & purgatione, plura *lib.* 1. *Histor. Princ. Medic. hist.* 74. & 75. simus commentati, placet nunc addidisse aliqua ex Principum mente deprompta. *Vtrùm phlebotomia sit ex vsu*? Nam hæc præsentaneum auxilium est, & nulli secundum, etsi Zoar *lib.*1. *tract.* 10. *cap.* 12. in merè biliosa, vel pituitosa abstineat. Sed vbi conueniunt reuulsio, & magnitudo morbi, phlebotomandum est etiam in cacochymia, vt *cap. de phrenitide* protulimus, si vires adsint: alioqui reproba est: in hunc sensum intelligendus est Mesuës, asserens ex phlebotomia in initio plures mortuos esse: si autem tempestiuè celebretur, vnicum auxilium est, ex Hippoc. 2.*epid. sect.*6.*circa finem*, §. *Anginam, & ophthalmiam venæ sectio soluit.*

Quantum vacuandum sit? dissentiunt auctores: Nam aliqui non plurimùm euacuant, quia syncope superueniens suffocat, recurrente plurimo humore ad locum internum læsum: quare sanguis exhauriendus est parum, & frequenter quaque hora decima. Auicenna 10.3.*tract.*5.*cap.*2. & Galenus 5.*meth.*3. ad reuulsionem celebrandam tres horas solùm expectant. Sed si valida sit angina, & robustus æger, etiam in initio copiosè emittendus, in die quater.

Ex qua vena sit demendus sanguis? ambigunt etiam. Si plethora sit ingens, & non valdè vrgeat affectus, præstat medianæ sectio: sed si plurimùm vrgeat, & ob impeditam respirationem æger in horas strangulari videatur, tunc ob necessitatem ex cephalica celeriter subueniendum. In retentione menstrui, Trallianus talum secat, non explicans an hoc sit faciendum ex prima, vel secunda phlebotomia. In morbo ergo vrgentissimo, à cephalica demendus sanguis; in mediocri, à saphæna: de quo argumento lege *lib.* 1. *Histor. Princip. Medic. Hist. cit.*

Si vires debiles sint, cucurbitulæ tibiis, & scapulis admotæ cum scarificatu, summum auxilium præstant: quas, si vrgeat affectus, in initio apponere oportet, etsi exquisitè non sit vacuatum corpus; licèt enim à toto ad affectam partem confluat humor, tamen maior est vtilitas noxâ. Quòd si plenitudo in toto non adsit, sed in parte inflammata tantùm, tunc securè eas, vel in collo ipso iuxta secundam vertebram, affigere audebis.

De sectione venarum sub lingua, tantopere à veteribus pro hoc affectu commendata: *Vtrùm conueniat*? dubitat Cælius *lib.*3.*acut.passion.cap.*3. Nam fluxionem conuocat ad partem, & sæpe sanguis ex his venis extractus compesci nequit: & cùm hic morbus impedita respiratione strangulet, si ad hoc remedium celebrandum, collum constringatur, æger vehementiùs suffocabitur. At obstat Principum auctoritas, qui harum venarum sectionem pro hoc curando affectu laudarunt summè, Hip.4.*acut.*30. Galenus *lib.de sang. miss. cap.*9. Neque eam condemnes, quòd humorem attrahat ad partem, quia ea debet vsurpari corpore priùs vacuato.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 338 sur 927

©BIUM

vacuato. Sic enim ait Hip. *Sanguinem ergo ex brachiis detrahes, mox venas quæ ſub lingua ſunt, ſecabis.* Galenus ſic inquit: *Quocirca iis, qui in gutture, & arteria, graui torquentur inflammatione, in principio quidem aperta in cubito vena, poſt principium autem in ipſa lingua, magnificè prodeſt: inciſis videlicet venis, quæ in ipſa ſunt, ambabus.* Sanguis autem ex illis venis ita lentè excurrit, vt neceſſe ſit aqua calida diu in ore retenta illas dilatari. Quòd ſi aliquando ſuccreſcat hæmorrhagia, facilè adſtringente præſidio coërcetur. Et licèt ex conſtrictione aliquod ex confluxu humoris ſequatur incommodum, id maiori vtilitate eſt redimendum.

Vtrùm autem *ſectio venarum ſub lingua, ante alias vacuationes aliquando vrgente angina poſſit adminiſtrari?* Reſponde affirmatiuè: Si enim ſuffocationis periculum immineat, & vrgens inflammatio ex humore tenaciter in gutture impacto conceitata ægrum ſtranguler, quid faciendum, niſi à parte proxima ſanguinem detrahere, quia ſolus humor actu committit affectionem grauem? Neque timeas humorum confluxum, quia ſatius eſt hac facta phlebotomia ægrum à mortis periculo immunem reddere, & aliquid cum periculo tentare, quàm ſpe omni adempta certò perire, vt 10. *meth. cap.* 10. dictabat Galenus. Hæc methodus etiam veritatem obtinet, quando ob Medici abſentiam; vel ignorantiam, auxilia vniuerſalia non ſunt celebrata, & premit ſæua angina ex inflammatorio gutturis affectu ſuborta, quo tempore cogente neceſſitate, ob magnum ex procraſtinatione periculum, à coniunctis vacuatio celebranda.

Percontaberis: *Vtrùm in ſuffocante angina larygotomia aliquando exercenda?* Aretæus *lib.* 1. *de cur. at. acut. cap.* 7. eam reprobat, primò, quia ex ſectione, & vulnere caliditas maior in parte inflammata excitatur, ſtrangulatus augetur, tuſſis concitatur. Deinde vulneris ora coaleſcere nequeunt, cartilaginea cùm ſint. Sed præſcindendum eſſe guttur veterum peritiſſimi confirmarunt. Cùm enim cætera præſidia non proſunt, & æger ad mortis fauces eſt deductus, ad extrema, & vel periculoſa, imò temeraria accedere oportet: Nam *quos ratio non iuuat, temeritas ſanat*, monente Celſo *lib.* 3. *cap.* 9. *in fin.*

Inciſo enim gutture plurimos ab angina fuiſſe ſeruatos, Albucaſis *lib.* 2. *cap.* 43. commemorat: Nam quidam angina oppreſſus, & morti vicinus, ab inimico ſuperueniente in gutture fortè vulneratus, tamen recuperata reſpiratione conualuit. Quare melius eſt, cum vitæ aliqua ſpe, morientis proſpicere ſaluti, quàm ob ruſticum timorem, mortem certam expectare, hoc vltimo præſidio deſtitutum. Galenus *lib. introduct. cap.* 14. hanc ſectionem ex Aſclepiadis mente confirmat: & Paulus huius ſectionis faciendæ modum ex ſententia Antylli docet, *lib.* 6. *cap.* 33. Subſcribit Rhaſius 3. *continent.* probat Alzaharauius *lib. pract. tract.* 11. *cap.* 9. & Auenzoar *lib.* 1. *tract.* 10. *cap.* 14. in capra ſe hac ſectione vſum fuiſſe citra mortem inculcat. Sequuntur Haly *lib.* 3. *pract. cap.* 38. Auic. 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 11. Quare in conclamatis ægris hæc ſectio adminiſtranda.

Licèt autem Hippocrates 6. *Aph.* 18. oſſa, cartilagines, neruos diſciſſos non augeri aſſeueret; tamen agglutinari aliquo medio poſſe non eſt denegandum; ſicuti in oſſibus quotidie experimur, vt Galenus teſtatur *in com.* Neque ab hoc auxilio deterreat inflammationis augmentum, maior ſtrangulatio, aut ſuperueniens tuſſis: quia effuſo ſanguine pars ab inflammatione præſeruatur; & quamuis ob dolorem copia humorum ad partem confluat, noxa eſt parua maioris vtilitatis collatione facta. Reſerato autem aditu ſpiritui, quis credet ſtrangulari ægrum? Tuſſis deinde non ſuperueniet, quia celebrata ſectione, per viam læuem & qualem ſpiritus fertur, non intercipitur.

Purgatio differenda non eſt, ob præceps periculum vitæ: ea ſit clemens, & mitibus medicamentis inſtituta. Et licèt febris adſit ardens, viſceraque incendio occupentur: *Non tamen ob igneam inflammationis caliditatem purgationem exhibemus, ſed ob humores facientes, & fouentes inflammationem. Quare multò maiorem oportet eſſe ex humorum noxiorum vacuatione vtilitatem, quàm ſit id quod ſequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum: erit autem vtilitas maior, ſi humor abſque noxa, & moleſtia vacuetur*, vt 1. *Aph.* 24. dictauit Galenus. Adeóque ſæpe vrget angina, ſubitum ſtrangulationis periculum minitans, vt vel eodem die, & venæ ſectio, & purgatio poſſint celebrari, vt proprio opere obſeruauit Trallianus *lib.* 4. *ſui operis, cap.* 1.

Securiſſima ſunt Caſſia, Manna, ſyrupus ex multiplici infuſione roſarum, Rhab. infuſum, & ſiquæ alia. In pituitoſa angina, validiora ſunt ex vſu, vt Catholicum, electuarium de Pſyllio, agarici dilutum. Rhaſis concedit pilulas cocchias. Auicenna commendat Hieram, ceu à proprietate purgantem os ſtomachi, & guttur: videtur cauſa, quia Aloë moratur in ſtomacho. Sed Galenus 13. *meth. cap.* 19. præfert in his cnicum, & mercurialem. Dic, præfert ceu minùs agitantia, non ceu commodiora.

Si verò æger deglutire nequeat medicamentum, & vires adhuc valeant, tunc vtere conſilio Hipp. *lib. de med. purgant. num. vlt.* qui loco medicamenti, clyſtere vſus eſt, qui cùm eſt acutus, vires robuſtas exoptat, apud Hip. 1. *acut.* 45. Poſſe autem validum clyſterem ex diſtantiſſimis partibus humores attrahere, probat Galenus *lib.* 2. *ſec. loc. cap.* 1. *tit. de curatione eorum, qui ex ſtomacho caput dolent*, qui huius auxilij vſum ſummè laudat, non ſolùm propter eductionem eorum, quæ in inteſtinis continentur, ſed etiam ob reuulſionem eorum, quæ in caput feruntur: & *lib.* 4. *ſequente, cap.* 8. ad fluxiones oculorum auxiliari aſſueuerat, maximè cùm clyſteris ope vniuerſalis vacuatio celebretur, *lib. art. med. cap.* 99. & *lib.* 6. *ſec. loc. cap.* 1. præſertim acris, qui pro ſæuæ anginæ curatione ſæpe eſt ex vſu. Licèt verò febris caliditas ex eius adminiſtratione increſcat, tamen multoties licet ſpernere vnam indicationem, propter aliam vrgentiorem, vt prudenter *lib.* 10. *meth. cap.* 2. & 6. Galenus admonuit.

De localibus hoc modo determinandum. Hæc vel ſunt interna, vel externa. Illa, ferè in forma liquida adhibentur, quia medicamenta ob hanc cauſam magis penetrant, & diutius in parte retinentur. Verùm dubitabis. *Vtrùm in initio anginæ gargariſmata merè repellentia ſint ex vſu?* Indicationes remediorum ſumuntur partim à genere affectus, quas non oportet in ſingulis capitibus referre, partim à loco affecto; ſiquidem Galenus 9. *meth. cap.* 15. & *vlt.* indicationes curatorias ad tres tantùm reducit, ab affectu, à loco affecto, & continenti. Ergo indicatio ab affectu, in angina eſt primò repulſio; deinde, adiunctio concoquentium; pòſt, reſoluentium: ita vt in vigore æqualia ſint, in declinatione autem ſuperent digerentia: & ſi manet duities, nihil adſtringens addatur, niſi corpus ſit præeuacuatum. Quare non eſt ſimpliciter recipiendum, quod à Serapione præcipitur, 2. *breuiar. cap.* 18. vt in augmento vincant repellentia, in ſtatu reſoluentia.

Sed quoniam *lib.* 1. *cap.* 4. argumentum de repellentibus ſub exemplo phrenitidis ad vnguem agitauimus, ad explicandam quæſtionem accedamus. Licèt enim in initio inflammationum, neceſſe ſit, ad temperandam humoris calidi acrimoniam, ad præſeruandam partem ab inflammatione vehementi, ad roborandam, ne fluxionem maiorem ſuſcipiat, vt repellentia ſuperent; in angina tamen cautè his vtendum. Nam in parte laxa & molli, qualis guttur eſt, humor adſtringentium vi coërcitus, & impactus, reſpirationem intercludit, & hominem ſuffocat, & ſæpe ad internas ſedes reſtagnans, confluit

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 339 sur 927

©BIUM

confluit in pleuram, pulmonem, cor, & subitò interA necat. Qui enim admodum adstringentibus anginam curare tentarunt, in grauiora pericula ægros duxerunt, vel suffocationem acutissimam inducentes, vel inflammationem augentes, vt *cit.loc.* testatur Trallianus. Adde, quòd sputum apparens in angina, salutem pronunciat, 1. *Aph.* 12. hoc autem fortium repellentium vsu prohibetur excerni.

Vtrùm in pituitosa angina magis necessarius sit repellentium gargarismatum vsus, quàm in biliosa, vel sanguinea? Dic, in biliosa: quia bilis ob tenuitatem difficiliùs repellitur, & iccircò magis fortia exoptat repellentia. Id docet Galenus *lib.* 1. *simpl.* 24. sic scribens: *Quandoquidem acetum frigidum est, ac proinde id quod occurrit, repellens: At quod planè tenue est, id medicamenti ansam* B *effugiens præterlabitur, atque in parte figitur.* At crassus humor, lentus, tenax, & pertinaciter in parte inflammata impactus, repelli non debet, quia adstrictus vias spiritus obturat, & concrescens postea dimoueri nequit. Quod opus contraria ratione accidit in biliosò succo; is enim cùm calidus, acrisque sit, ex horum medicamentorum contactu non densatur, imò in internas sedes adstrictione exprimitur, & repellitur. Ergo magis repellendum est in biliosa angina, quàm in pituitosa, imò & sanguinea; sanguis enim bile magis est lentus. Nec obstat, quòd confluxus sanguinis est maior, quia tantum potest bilis tenuitate fluere, quantum sanguis copia sua. Nec obstat, quòd Galenus 13. *meth.* *cap.* 8. asseruit, scilicet in inflammatione vincere indicationem vacuationis, in erysipelate, refrigerationis: id C enim verum est, intentione curandi, non repellendi.

Vtrùm repellentia composita sint præferenda simplicibus? explicatu difficile est. Pro parte negatiua facit Auic. 5. *canon. cap.* 1. firmat Galenus *lib.* 1. *sec. gener. cap.* 3. ratio Auic. 2. *canon. cap.* 5. quia compositio multorum simplicium, est committere rem fortunæ, quia quandoque accidit illa iuuare se mutuò, & quandoque impedire se inuicem. Galenus autem ferè vtitur vno simplici probato, 6. *de loc. cap.* 2. ad colicos, *lib. de sanguin. mis. cap.* 12. ad prouocanda menstrua, & 1. *Aph.* 24. ad præparationem eorum qui purgandi sunt. Accedit, quòd ex pluribus simplicibus paucissima agnoscuntur. Deinde in compositionibus pendet fides ex aromatario. Ferè tamen vulgò vtuntur aggregatione simplicium ad vnum scopum, 2. *canon. cap. de lacte*, & 4. 1. *cap.* 1. & 10. D quia creditur particularis proprietas intercedere inter certa simplicia, & certa individua; verùm illa rarò contingunt.

Nec alia ratio Auerrhoïs valida est, 5. *collig.* 27. quia videlicet medicina tenuior ducit crassiora, & adstringens prohibet exitum medicamenti. At certiùs dixit Auicenna, quòd quandoque ex ea mixtione sequitur auctio operis, & interdum impedimentum. Quare aliqui derident vulgarem vsum permiscendi plurima simplicia.

Non tamen standum plurimis, credentibus per sola simplicia curationem esse celebrandam, nec Plinio deridenti nostras compositiones, *lib.* 29. *cap.* 1. Nam & in saporibus, & odoribus, ex artificiosa compositione simE plicium, efficiuntur cibaria longè suauiora componentibus, & odoratiora. Galenus ergo non scripsit adstringentia composita esse meliora simplici, sed quòd adstringens permixtum pauco digerenti, accidit magis adstringere, vt crocum mixtione myrrhæ.

Ex loco affecto sumuntur indicationes: quando enim locus est longè mollior & rarior cute, medicamenta leniùs repellentia, quàm in cute adhibenda. Cuius præcepti occasione quæres: *Vtrùm mollibus, rarisque corporibus mitiora repellentia, quàm durioribus admouenda?* Fortioribus enim corporibus, vt nautarum, piscatorum, venatorum, atque agricolarum, fortiora esse adhibenda, quàm mollibus, laxis, & raris, vt puerorum, Eunuchorum, & fœminarum passim confirmat Galenus, præsertim 6. *sec. loc. cap.* 2. 4. *simpl. cap. de terra Samia*, 2. *per gener. cap.* 20. 3. *meth. cap.* 7. & 2. *ad Glauc. cap.* 9. huius enim sortis corpora faciliùs à causis alterantibus læduntur. Ex altera parte est argumentum validum: Nam si repellentia roborant, attemperant, densant, & sic repellunt, 13. *meth. cap.* 16. videtur partes molliores, & laxiores, maiore corroboratione indigere. Quare his corporibus laxis validiora repellentia adhibenda, quàm densis, & duris. Cum hoc stat: corporibus laxis leuiora repellentia esse ex vsu, hoc est, attemperantia, & infrigidantia citra adstrictionem multam, quæ in raro habitu, mollique carne admota, cùm ob patentes poros citiùs penetrent, sua frigiditate meatus laxos contrahant, ac condensent. Vt hinc ratum sit, largè repellentia, quæ attemperantia dicuntur, in molli carne; verè autem repercussiua, in denso habitu esse admouenda.

Gargarismatum multiplex materia est: Repellunt in initio succus punici vinosi cum cortice tusi: pòst Mori Celsi: supplet horum succorum vices rosacea cum aceto; & in maiori inflammatione, addatur aliquid syrupi papauerini, vel grana camphoræ. Trallianus exhibet decoctum lentis, & rosarum cum diamoro, & ad maiorem adstrictionem infundatur sumach. Succum lactucæ commendat Auic. *loc. cit. cap.* 11.

In principio vsus Mororum maximè confert: Nam immatura mora adstringòt, repellunt, & ideò solo mororum succo, gutturis inflammationes in initio se curasse fatetur Galenus, *lib.* 7. *sec. loc. cap.* 1. quo pacto Diamoron in hunc vsum est medicamentum strenuum, quia validè adstringit, 13. *meth. cap.* 12. & ideò ad dysenterias, cœliacas passiones, & fluxiones omnes, est accommodatum, ex Gal. 7. *sec. loc. cit.*

In augmento simplex Diamoron summoperè iuuat, vel per se, vel cum aqua hordei permixtum. In statu ad vncias quatuor Diamori, adde croci, myrrhæ, an. ʒ j ß. vel addito sapam, vel mulsam cum decocto origani, ex Galen. 6. *sec. loc. cap.* 1. In declinatione, Diamoron cum mulsa. Trallianus laudat cum succo Raphani. Mesuës *cap. prop.* commendat aq. partes quatuor, vini duas, mellis vnam. Incoquantur caricæ, passulæ, semina cydoniorum, althææ.

Rogabis: *Vtrùm Mororum succus in omni tempore Anginæ vtilis sit?* Videtur enim arduum concedere cum practicis, huius fructus succum in gutturis inflammationibus semper posse esse ex vsu: quia in initio repellentia sunt necessaria, in statu resoluentia. Dic, hoc medicamentum in initio esse optimum, quia adstrictione sua repellit, cùm immatura mora acerba sint, & styptica. In augmento cum resoluentibus mixta etiam iuuant. In statu prosunt, quia illa etsi matura nunquam adstrictionem deponunt, sed humidiora redduntur, acquirúntque pro acerbitate, aciditatem; & iccircò pristinam adstrictionem omnino non exuunt, sed leniunt, modicè refrigerant, retinent, & incrassant: & vel per se, vel cum variis medicamentis permixta, pro ratione temporis inflammationis, mirificè conferunt.

Diacaryon, hoc est, confectio ex succo putaminis nucum viridium, ad repellendum est medicamentum præstantissimum: quia stypticitate sua laxas partes roborat, influentes humores repellit, & cum variis medicamentis permixtum in diuersis temporibus strenuè iuuat, quod in hunc vsum se inuenisse primum, tradit Galenus *lib.* 5. *sec. loc. cap.* 1. *rubric. titulo de stomatico medicamento ex nucibus.*

Si dolor adsit, & inflammatio sit præsertim prope statum, confert gargarisma ex lacte caprino calente, in quo medulla Cassiæ fistularis dissoluatur; dolorem enim mitigat, discutit, biliosum humorem contemperat. Quamobrem à Mesuë commendatur, & Auicen

lib. 2.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 340 sur 927

©BIUM

*lib.2.tract.2.cap.*196. nam *resoluit, lenit, confert apostomatibus calidis in viscеribus,& propriè in gutture,quando ex ea fit gargarismus cum aqua solatri.* Subscribit Serapio *lib.de simpl.tract.*1.*cap.*12.

Stercore humano, vel canino partem inflammatam illinire, vel intus per cannulam insufflare,Galenus edocuit *lib.*10.*simpl. tit.de stercore humano, & tit.de stercore canino.* Sed hoc videtur difficile: non quia stercora horrida sint, & in remediorum vsum non admittenda, cùm nihil sit amabilius sanitate in vita nostra; sed quoniam calida sunt, humorem acriorem reddunt, inflammationem exasperant. Dic. Stercora ob dictam causam in biliosa angina esse reprobanda, maximè in initio. Cæterùm in pituitosa, & declinatione, ad discutiendum, summo esse ex vsu. Lege quæ in com. harum Historiarum diximus, *lib.* 1. *Hist. PP. Med. in com. Hist.*81.& 82.

His iactis ad localia externa accedamus, quæramúsque: *Vtrùm in Angina repellentia per partem externam admouenda?* Si enim in phrenitide sincipiti repercussiua imponimus, 13.*meth. cap.* 21. cur non in angina? Dic, quia timor est, ne medicamenta adstringentia frigiditate, & siccitate sua humorem ab externis partibus ad internas repellant, sícque vel augeant inflammationem, vel suffocando interimant: nam inter extimam colli partem, & guttur, multa vasa adsunt, partésque fungosæ multo humore madentes, iccircò ea vetat Galenus *lib.de const.art. med. cap.*17. in gutturis phlegmone, & in coxendicis dolore, 10.*sec.loc.cap.*2. Quare in externa parte, olea imponimus laxantia,vt lilior. albor. amygdal.aneth.camomil.cum axungiis: vel vnguenta, & emplastra quæ similes vires sortiuntur. Argumentum verò de phrenitide, dispar est; in hoc enim affectu non ita celeriter recurrit humor, cùm inter cutim & cerebrum, caluaria interiaceat, ob cuius soliditatem nec medicamentum penetrat, nec retrocedit humor. Adde, quòd ad vitam, tuendúmque cordis calorem, & eius incendium refrigerandum gutture indigemus; quo adstricto, angusto, aut occluso respiratio intercipitur.

Vtrùm autem *nidus hirundinum extrà appositus, saluberrimus sit?* Prisci, & iuniores affirmarunt. Nec obstat terra, cum qua est permixtus, quia hæc frigiditate & siccitate sua, repellendo humorem ad internas sedes, obesse non potest. Nam terra,ex qua hirundines nidos suos componunt, leuis est, non grauis aut densa: & licèt esset, caliditate stercoris, illius frigiditas compensatur; illud enim acre est, & discussorium valde. Quia verò anginosi cùm sint nimis oppressi, imponi sibi totum nidum recusant, melius est formâ vnguenti, aut cataplasmatis admouere, in hunc modum.

℞. *Nidos Hirundin. cum stercore, stramine, & luto,* Num. ij. Bulliant in oleo chamæmelino, & lilior. pistentur, & per setaceum traiiciantur: adde *Stercoris canis ossa comedentis,* ʒ ij.*œsypi humidæ,* ℥ j. *olei lilior. q. s.* Fiat puls in modum cataplasmatis, & loco affecto calidum impone.

Dioscorides *lib.* 2. *cap.* 49. laudat cinerem hirundinum crematarum ad drachmæ pondus, ex oxymelite, vel etiam illitum: Hirundo enim à proprietate iuuat contra hunc morbum, ita vt, referente Celso *lib.* 4. *cap.*4.*rubric.*1. *in fin.*si quis illius pullum ederit, angina toto anno non corripiatur.

Si in suppurationem inflammatio inclinet, quod ex magis adaucta febri, dolore, pulsatione, & angustia, difficilioríue respiratione cognosces, iuuanda est natura gargarismate facto ex decocto maluar.dactyl. passular. Si biliosa sit angina, misce syrupum glycyrrhiz. si pituitosa, sapam; & in frigidiore, mel. Vel ex Auic. fiat gargarisma ex Diamoro, cum decocto radicis lilij. Extrà impone emplastra suppurantia, vel paratum ex caricis coctis, cum sale, melle, fermento, vitellis ouorum, farina tritici, croco, & oleo liliorum. Sin minùs; ad ferrum confugiendum. Rupta inflammatione, gargarizentur lutea ouorum cruda cum oleo amygdalino. Pòst abstergatur cum mulsa; vel decocto hordei, & rodosaccharo. Post mulsam, tandem vinum stypticum prodest.

Difficultati deglutitionis, vel spirationis, Rhasis, & Auic. opitulantur cum valida percussione inter spatulas, remedio mulierum ad infantes qui suffocantur, quia ea com pressione ora meatuum laxantur,fortè quoniam per motum fit concussio, ad quam ea laxitas subsequitur. Auicenna iubet apponere cucurbitulam ad secundam vertebram colli, cibationis tempore; quam si imponas sub mento, & ad maxillas, ex arte facies, quando videlicet humorum fluxus conquieuerit.

OBSERVATIO.

Angina canina, hirudinum sub lingua suctu, curatur.

IN grauissima occulta angina, in qua nec foràs, nec intus humor conspicitur, æger tamen suffocationis periculum incurrens, impedita ferè deglutitione, & respiratione cohibita, tumorem intus in gutture sentit, non esse procrastinanda auxilia, imò eadem hora, & die celebranda, vrgens periculum indicat manifestè, & auctores satis confirmant: nam quidam, priùs celebratis sectione cephalicæ, & phlebotomia ex venis sub lingua, aliísque per medicamenta purgantia, acria clysmata, & cætera reuellentia, adhibitis auxiliis, intra quatuor horas visi sunt animam exhalasse, sensibus integris, constante mente. Baro quidam Illustris, cùm sanus lectum esset ingressus, persensit nona hora dolorem in gutture sæuum, & nec respirare, nec deglutire poterat, exerta lingua. Facies erat liuida, ac si in horas strangularetur. Febris erat valida. Angustia multa. Vocantur Medici. In homine robusto, & quinquagenario vtramque cephalicam simul aperiunt, & post horas quatuor, cucurbitulam applicant occipiti cum scarificatione profunda, & flamma multa. Post sex horas præmisso clystere acri, venas sub lingua secandas imperant. Cùm morbus non cederet, vocor & ipse. Remedium citissimè humorem in profundo gutturis impactum, & inflammatum eradicans excogito. Omnia facta. At cùm mors præ foribus adesset, quid in præcipiti morbo esset actitandum, hæsitabundus permansi. Occurrit præsidium singulare, cuius ope quatuor ad mortis fauces deductos videram subleuatos. Id intrepidè tentare sum aggressus. Exerta & eleuata lingua, oréque valde aperto, tres affigo sub lingua prægrandes hirudines,in caudice filo tenui apprehensas: vnam in medio, duas ad latera supra raninas venas. Hæ validè sugentes, & tumidiores factæ, antequàm deciderent, caudam scalpello resecui, vt sic excerneretur vacuatus sanguis. Et hoc modo maiori suctu attrahentes, cruorem quem emungebant, per caudam expellebant. Æger vacuatis vnciis ferè quatuor sanguinis ex hoc vicino loco, meliùs respirare cœpit, & extractis hirudinibus, ablutóque ore cum calida aqua,adhuc ex interuallis sanguinis grumosi reliquias spuebat. Demum hoc generoso auxilio leuatus spuere cœpit, & deglutire meliùs aquam, quam antea per nares illicò remittebat. Quare linctibus, & aliis reuellentibus per clysteres, & frictiones crurum remediis adiutus, intra quatuor dies saluus remansit.

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 341 sur 927

CAPVT III.

De Pleuritide.

Definitio.

PLeuritis à parte affecta denominationem sumit, ex Gal. 2. *meth. cap.* 2. nempe pleura; quæ membrana est intus costas succingens. Barbari Pleuresim vocant, vt constat ex Auic. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. Frequenter etiam morbus lateralis dicitur, vt patet ex Hip. & Gal. 1. *Aph.* 12. & *lib.* 6. *text.* 33. Vera ergo, & exquisita pleuritis, *est inflammatio membranæ intus costas succingentis.* Hanc definitionem proponit Galenus 6. *Aph.* 33 *lib.* 5. *de loc.* B *cap.* 3. *post princ.* 4. *de caus. puls. cap.* 8. & *lib.* 2. *de cris. cap.* 10. *& alibi sæpe:* confirmant Paulus *lib.* 3. *cap.* 33. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 6. 8. Trallianus *lib.* 6. *cap.* 1 Nomine autem inflammationis non est intelligenda inflammatio sicca, prout comprehendit phlogosin, seu incendium partis; ab hoc enim, ne pulsus serrinus, nec tussis oriri possunt: maximè quia per tussim vacuatur humorum portio, quæ ex parte inflammata resudat.

Quæres: *Vtrùm inflammatio sit de essentia pleuritidis?* Nam pleura est dura & solida, & eam humor penetrare nequit, ita vt inflammationem efficiat, & ideò inflammatione tentari non potest. Deinde partes internæ sunt præstantes, validæ, ac robustæ, & superflua à se depellunt; pleura autem, est præcipuis partibus vicina, de cuius custodia natura est valde solicita. Accedit quòd 3. C *Aph.* 33. Galenus affirmat, aliquando pleuritidem fieri ex biliosis humoribus, pituitosis, melancholicis, & sanguine, quam comitantur sputa flaua, spumosa, nigra, & rubra. Ergo non fit semper ab inflammatione.

Dic. Siue inflammationis nomen sumatur, pro tumore ex sanguine optimo, & mediocrem consistentiam habente, ex Gal. 2. *ad Glauc.* 2. siue pro quocunque tumore ex omnibus humoribus generato, vt docuit Gal. *lib.* 2. *cris.* 12. semper pleuritis in inflammatione consistit. Frequentiùs autem fiunt inflammationes in pleura, ob distillationes assiduas, ac motum thoracis, qui fluxionem continuò proritat, & accersit. Insuper pleura multo sanguine abundat, in loco calido consistit, & infirma est. Cor enim etsi plurimo sanguine sit refertum, robore tamen suo, variis morborum generibus D vehementer resistit: ideò Arist. 3. *de part. animal.* 4. cor, nullum graue vitium pati asseuerat. Neque pleuræ durities eam ab inflammatione facit immunem; nam ob soliditatem vasa semper habet tensa, & sic facilè recipit, difficulter cõprimitur, & noxium à se depellit. Deinde pleura, etsi sit pars interna, non ob id est robusta, imò fluxionem promptissimè recipit: ita pulmo recipiendis humoribus est aptissimus, sicut & cerebrum, *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 8. Si verò Galenus ex diuersis humoribus fieri asseruit, non simpliciter, sed ex iis actu inflammationem efficientibus est explicandus.

Percontaberis: *Vtrùm in Thorace œdema possit adnasci?* Negat Galenus *lib.* 4. *de præsag. ex pulsib. cap.* 3. *Compactior enim,* inquit, *thorax est, quàm qui eiusmodi fluxionem* E *recipiat, & iecur non modò compactus, sed & sua naturali facultate pituitam alterat.* Contra è diametro pugnat ipse Galenus *lib. de const. art. med. cap.* 15. dum sic ait: *Dolet in pleuritide homo, quoniam affectus phlegmone est: species autem doloris pungens, quòd membranosa sit partis affecta substantia. Firmatur ad costam, quoniam in hanc situs est affectus locus: & quidem latissimè quoque diffunditur dolor, quia & succingens ipsa membrana ad plurimum spatium extensa est. Comitatur febris necessario, tum ob affectum, tum ob situm offensæ particulæ: quorum si absit alterum, non ex necessitate consequetur febris. Neque enim si phlegmone digitus doleat, omnino febricitant, quoniam à corde longè abest. Nec cùm succingentem membranam occu-* A *puerit affectus: is autem vel scirrhus, vel œdema fuerit, &c.*

Dic, œdema in duplici esse differentia: aliud enim à pura pituita, tenaci, & lenta exoritur, quod verè & absolutè œdema nuncupatur, cui ob tenacitatem & crassitudinem, in compactiores partes aditus non patet. Aliud esse impropriè œdema vocatum, cui portio bilis, aut tenuis sanguinis, tanquam vehiculum permixta est. De illo 4. *de præsag. ex pulsib.* de hoc *lib. de const. art. med.* loquutum Galenum affirmabis: Ita sanè nulla suberit inter Galenum, & Galenum controuersia.

Quæres deinde: *Vtrùm ex inflammatione musculorum internorum intercostalium, exquisita Pleuritis concitetur?* B Hoc enim probat Auicenna *cap.* 1. *loc. cit.* videtúrque subscribere Galenus *lib.* 5. *de loc. cap.* 3. dicens, quòd *quando musculi intercostales laborant, etiam pleura cum ipsis consentit, & inflammatur: vice versa, quando pleura primaria affectione laborat, musculi interni cum ipsa consentiunt:* Et hoc ob summam dictarum partium vicinitatem accidere, certum est. Quare videtur, quòd Pleuritis exquisita, ex inflammatione internorum musculorum concitetur.

Sed aduersa sententia verior est. Probatur primò ex Galeno 5. *de loc. cap.* 3. qui, postquam dixit musculos internos thoracis, & pleurã inter se immediatè consentire, veram tamen, ac exquisitam pleuritidem fieri asseruit, vbi succingens costas membrana primario affectu laborat. Adde quòd solis musculis intercostalibus inflammatis, cuncta exquisitæ pleuritidis pathognomonica signa euenire non possunt, dolórque magis pulsatorius, quàm punctorius adoritur, ex Galen. 6. *Aph. com.* 5. §. *Si verò mediocris fuerit dolor, & præterea non pungat, vt qui in membrana succingente est, neque ad clauiculam pertingat, aut hypochondria, potest carnosis costarum partibus patientibus fieri, &c.* Nam quando musculi inflammantur, dolor adest pulsatorius, 2. *de loc. cap.* 3. Nec igitur in pleuritide, nec in pulmonia vnquam pulsatio accidit, idque ob partiũ naturam: pulmo enim sensum non habet; ac pleuritis membranæ succingentis costas morbus est, atque in hoc spatio arteriæ sunt, quæ per intercostalia vocata spatia extenduntur, & in profundo magis delitescunt, sed ad succingentem costas tunicam haudquaquam pertingunt.

Auicenna autem si contrarium videtur asserere, intelligendus est, vt inflammatio musculorum internorum pleuritis dicatur per consensum, non per primariam affectionem, quòd affectis his communicari pleuræ affectum necesse sit. Ad Galenum 5. *de loc.* dic, quòd quando pleura primario affectu laborat, & musculi interni cum ipsa consentiunt, pleuritis à pleura primò affecta denominationem sumit; si verò contrà eueniat, tunc ex pleuritide exquisita, & notha affectus compositus est dicendus.

Maior controuersia est: *Vtrùm exquisita Pleuritis, ex septi transuersi inflammatione concitetur?* Mesuë *tract. de agritud. pect. cap. de pleuritide,* cum Barbarorum plurimis, non solùm huius partis phlegmonen cum pleuritide confundit, sed & exquisitissimam pronuntiat, maximè quando septum transuersum secundùm partem neruosam superiorem inflammatur, quia tunicam superiorem recipit à pleura, auctore Magistro, *lib.* 7. *de vsu part. cap.* 21. *in princ.* Ergo inflammatio illius partis, & pleuræ videntur esse idem affectus: omnia enim signa quæ in pleuritide reperiuntur, etiam adsunt, quando pars superior septi transuersi afficitur, vt docuit Galenus 4. *de præsag. ex pulsib. cap.* 5. in vtraque inflammatione eadem symptomata vigere confirmans.

Sed à Galeni mente dissona est hæc sententia: nam præterquam quòd ille 5. *de loc. affect. cap.* 3. asseuerat, solùm pleuritidem dici, quando pleura inflammatione laborat, *in cap.* 4. *sequenti* agit de septi inflammatione, tanquam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 342 sur 927

©BIUM

tanquam à pleuritide distincta, eámque non appellat pleuritidem, quotiescunque de illa mentionem facit. Ad argumentum verò dic, diuersa symptomata reperiri in pleuritide, & septi inflammatione. In hac enim ex Galen. 5. *de loc. cap.* 4. adest retractio hypochondriorum versus superiora à principio morbi, quæ in pleuritide non conspicitur: & situs doloris diuersus est in vtroque affectu; hic enim etsi punctorius sit, quando septum secundùm partem membranosam inflammatur, non tamen est costis affixus, quia pars affecta à costis distat, quod in pleuritide animaduertitur, vt bellè dictabat Gal. *lib. de const. art. medic. cap.* 15. Neque locus Gal *ex* 7. *de vsu part.* aduersæ patrocinatur sententiæ: Nam Gal. eo loco non asseuerat, quòd symptomata quæ magnis pleuritidibus accidunt, sint eadem cum symptomatibus partis neruosæ septi transuersi, quum inflammatione laborat, sed quòd sint similia.

Maxima difficultas est: *Vtrùm inflammatio mediastini, vera pleuritis sit dicenda?* Auicenna sic ait, 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *in princip. Verùm non est pleuresis, nisi apostema calidum in partibus pectoris, aut in lacertis intrinsecis, & in velamine cooperiente pectus, aut in velamine distinguente, & est illud quod est purum, &c.* At per velamen distinguens, mediastinum intelligit, non diaphragma, quum diaphragmatis inflammatio, non pleuritim, sed phrenitim faciat. Dic, quòd licèt tam veteres, quàm recentiores aliqui putarint, inflammationem mediastini veram esse, ac legitimam pleuritidem, tamen pleuritidis nomen nulla inflãmatio meretur in thoracis partibus orta, qua ad pleuram affectus non perueniat: licèt per consensum, & membranarum intersepientium inflammatio, aut septi, aut musculorum internorum intercostalium, aut membranæ costis adhærescentis, quam periostion vocamus, dici possit pleuritis, quòd affectis his, communicari pleuræ affectum sit necesse. Solùm ergo pleuritis exquisita, & vera nuncupatur, quando pleura primaria affectione inflammatur. Si verò auctores affirment, eas exquisitas vocari posse, ratione materiæ, non ratione situs id intelligendum est.

Differentiæ.

GAlenus *lib. 5. de loc. cap.* 3. artificiosè admodum exquisitam appellat pleuritidem, quæ primariò infestat pleuram; non exquisitam, quum intercostales internos; notham, vbi reliquas pectoris partes, & intercostales externos. Nam septi, & intersepientium membranarum inflammationes à pleuritide diuersas facit, vt *suprà* protulimus.

At quæres: *Vtrùm detur aliquod signum, pleuritidem notham ab exquisita distinguens?* Respondet Galen. 5. *de loc. cit.* per hæc verba: *Sunt aliqui laterum citra febrem dolores, per quos reddi spirationem difficilem est necesse, distántque ab exquisita pleuritide, quia in his nullo modo tussis adest.*

Sed hoc à veritate videtur alienum: Si enim tussis vehementissima quædam efflatio est, 2. *de cauf. sympt.* 4. vt quæ in thorace, & pulmone continentur, excutiantur, *lib. art. med.* 94. 4. *Aph.* 2. 3. *acut.* 2. & 1. *epid. sect.* 2. *com.* 44. & musculis agitur respiratoriis, tam septi, quàm costarum: cur in notha non reperietur tussis? Insuper, si singula membra magis de propriis, quàm de alienis commoditatibus solicita sint, quomodo thoracis musculis etiam intercostalibus inflammatis non excitabitur tussis, imò & maior, quod in pectoris hæmoptoïsi experimur, quàm affecto pulmone, quod huius symptomatis auctor non est, sed voluntaria facultas, 6. *Aph.* 39. cuius proprium dicitur, 2. *de cauf. sympt.* 4. musculorum thoracis interuentu? Cur notha pleuritis citra tussim infestabit, si etiam inflammatum iecur comitatur, 1. *progn.* 3. & 6. *Aph.* 16. Denique si in notha seu mẽdosa pleuritide, nec sputum, nec tussis adesset; eò copiosior in ea conueniret phlebotomia, quò minor contentæ materiæ expurgatio. Sed iuxta Tralliani, & Aëtij sententias communiter ferè receptas, periculosissimè in ea sanguis mittitur. Igitur, &c.

Dic. Cùm passio hæc, quam tussim appellamus, indita animalibus fuerit, vt spiritus itinera mundarentur, prout loquitur Galenus 6. *epid. sect.* 5. *com.* 3. seu, vt solæ asperæ arteriæ expurgarentur, per quas aër meat, 2. *progn.* 43. & 2. *simpl.* 17. ne illis obstructis, aut coarctatis, ipsius aëris ingressus cum repentino vitæ discrimine impediretur: cúmque in nulla thoracis parte, quàm in pulmone asperæ ipsæ conspiciantur, credibile magis videtur, nullam tussim posse excitari, citra pulmonis, aut saltem vasorum eius offensam; quod & Galenus *lib. 5. de loc. cit.* significauit, tussim negans in notha pleuritide, eo quòd in ea nihil ad pulmonem resudet, vt firmauit 6. *Aph.* 46. & 2. *crif.* 10. vbi causam assignans tussis in pleuritide, fieri inquit, *quia pulmo recipit partem eius quod exit à pleura: & lib. 2. de loc. cap. vlt. si tussis non adest, cruda materia est, & nihil adhuc remittitur, &c.* quasi non sufficiat in pectore contineri, sed oporteat communicari pulmoni, vt tussis fiat.

Auerrhoës *lib. 3. collect. cap.* 30. motum expulsiuæ pulmonis appellat, & propriam eius ægritudinem, *lib. 4. cap.* 52. vnde hausere omnes ferè; nec immeritò: Nam si tussis fuit excogitata à natura, vt illius interuentu plurimus aër simul, & celerrimè emissus, suo impetu propelleret, quæ suas vias obstruunt, ac receptacula, 2. *de cauf. sympt.* 4. *& alibi*, necessarium est, vt expulsiua vis excitetur ad tussiendum, & sic noxium, siue obstruens in pulmonem ipsum depellat, vel in ea vasa, quæ sunt viæ spiritus; illorum siquidem expurgandorum gratia tussim promouet. Præterquam quòd nisi noxium ad partes pulmonis accedat, frustra emissi aëris impulsu illud pellere tentabit, tum quia ibi expirandus aër præcipuè colligitur, indéque confertim emittitur, deferens in asperam quas inuenit materias, tum quia ille qui thoracem attingit, suo impulsu non potest materias colligere, atque adeò in pulmonem deferre, sed potiùs illarum resudationem fortè impedit. Quare, &c.

Quamuis autem pulmo mouente virtute destituatur, qua contrahi, ac tussire possit, imò verò tota ea pectoris sit, 2. *de cauf. sympt.* 3. ita tamen, eóque consensu respiratorij musculi, natura rectè prouidente, connectuntur pulmoni, vt quamprimùm in eo noxa aliqua sentitur, confestim pectoris, & septi musculi contrahantur, & vehementissima fiat efflatio, qua expectoretur noxium, priusquàm pulmonem molestet.

Nec obstat, quòd vis ipsa pectoris ac septi, illorum gratia potissimùm data videatur, atque adeò, vtpote eorum custodiæ magis inuigilans, quouis læso quamprimùm, & impetuosiùs mouebit: Licèt enim naturales virtutes, naturaliáque membra sibi solis operentur, animalia tamen, cuius generis illa sunt, & cum proprio dispendio, in vsus alienos mouentur, & magis quàm in proprios: sic manus, & pedes, lingua, &c. pro arbitrio, & cõmodo totius. Pectoris vis, & musculi præcipuè ad asperam arteriam, & pulmonem mundandum, nec etiam thorace læso, priusquàm pulmo afficiatur, ad tussiendum cietur, quamuis tussi etiam expurgetur thorax; imò verò ad offensam pulmonis sine pectoris noxa tussit, non aliter ac in asthmate, solo pulmone oppresso, nihil interim perpessum pectus difficilem respirationem aggreditur.

Si verò in notha pleuritide, ob loci distantiam, & interiacentium partium impedimentum, nihil vitij incidit in pulmonem, tussis non succedit. Adest verò iecore inflammato, quoniam à compresso septo pulmo angustatur. Ad vltimam instantiam dic, quòd in pari defluxionis, au redundantiæ copia, quò minus per os

expurgatur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 343 sur 927

©BIUM

expurgatur,copiosior conuenit phlebotomia, dummodò ex pituitoso humore, aut flatu lateralis morbus non oriatur, nam tunc periculosissima est, iuxta Aëtij, Trallliani, & aliorum consilium.

Alia differentia est,qua dividitur pleuritis in siccam, & humidam. Hæc dicitur ; in qua aliquid effatu dignum semper expuitur. Sicca, vocatur incocta, in qua nihil aut parum, tardè ægréque tussi reiicitur. Sed videndum : *Vtrùm hæc differentia sit admittenda* ? Si enim pleuritis inflammatio est, eáque omnis ex humore fit redundante, nec immaterialis est febris, quæ pleuritidem comitatur,perperam videtur Galen. 5. *de loc.cap.*3. & 1 *acut.com.*22.*&*23.etiam in siccam distribuere, ac si morbus esset immaterialis instar marasmi, & cuiusuis alterius, ab excedente, nudáque siccitate orti. Quòd si dicas,siccam appellasse, non quia à bile,aut melancholia naturæ siccæ aliquando fiat,in qua ferè nihil expuitur, cùm fieri possit, quod monuit Rhasius 4. *contin.* & Auic.*cap.de pleuritide*,vt ob tenuitatem humoris screatio non fiat,aut propter paucitatem,natura speret insensibili transpiratione dissoluere, etiam huiusmodi pleuritis sicca non erit appellanda.

Dic. Siccus morbus dupliciter apud Medicos vsurpatur:primò, & magis communiter pro eo, qui immaterialis cùm sit,ab excessu sicci intemperamenti dependet,cuius generis est marasmus,ventriculi ariditas,inter febres hectica, &c. Secundò siccum appellant morbum, etiam materialem, & ex quocunque ortum temperamento, in quo nulla portio materiæ per proprios, proximósque meatus euacuatur, vt in thoracis inflammationibus siccam nuncupant pleuritidem,vel pulmoniam in qua nihil expuitur, in iecinoris, ventris, lienis, & reliquorum naturalium viscerum affectibus,vbi nec per sedem, nec per vesicam quicquam excrementi remittitur. In cerebri malis,cùm nihil per nares,vel palatum excernitur. In phlegmonis, aut vlceribus externis, si nihil resudet,nullàue sanies effluat. Denique in vasorum morbis, cuiusmodi febres sunt, vbi cutis ac lingua aruerunt,nec vlla humiditate,sudoréue madent, ex Hip.& Gal.1.*Aph.*12. & 1.*acut.cit.* Vtriusque verò generis sicci meritò Galenus morbos omnes condemnauit,tanquam lethales,aut longos, difficillimæque curationis : Primum 2.*Aph.*26.*lib.de marasmo, cap.*4.& 7. *meth.*5.*& alibi* : quare Auic. 4.1.*cap.*2. & vniuersaliter de omnibus loquens, 2.4.*tract.*1.*cap.*1.impossibile, vel difficillimum iudicat, inductam siccitatem remouere, quod priùs significauit Galenus, 2.*Aph.cit.* tum ob exiguam humiditatis actiuitatem ; tum quia exiccata pars, & veluti in cinerem versa, aditum non concedit humidæ substantiæ, nec ipsam aduenientem, præ frigiditate & siccitate sibi vnire,assimilaréue potest : propter quod reditus non datur à senecture ad iuuentutem ; nec confirmata tabes suscipit curationem, scilicet quia licèt humida qualitas etiam in senem, & tabidum possit induci, humida tamen substantia, per senium & tabem absumpta, ad opus vtilis reparari nequit.

Iam verò siccos morbos alterius significati, nempe ab humore ortos,sed in quibus nihil excernitur, apertè reprobauit 5.*de loc.*3.& 1.*Aph.*12.1.*acut.cit.*& 2.*progn.* 44.& 3.*epid.de Anaxione*, & 2. *crisi.*10. videlicet, quia crudissimi, 1.*Aph.cit.* sicut enim coctio securitatem, & salutis breuitatem pronunciat, ita cruditas è contra. Porrò cruditatis nomine nõ solùm coctionis defectus, sed & vel euacuationis intelligendum est, vt ex Galeno *prædictis locis* colligitur. Præsagit autem cruditas ita accepta, mortem, aut longitudinem morbi ; non aliter ac coctio,vitam,& sanitatem,non simpliciter ex se, sed quatenus virium robur, aut infirmitatem significant, quæ ab illis indicantur.

Quòd si nonnullæ pleuritides aliquando fiunt ita siccæ, non propter expultricis imbecillitatẽ,aut humoris contumaciam, sed ob illius paucitatem, & tenuitatem, atque adeò exiguæ & debiles, prout dixit Auic. 10.3.*tract.*4.*cap.*4.& Rhas.4.*contin.*3.non tollit in omni genere morbi,atque etiam in pleuritide siccitatem esse simpliciter reprobandam : ex quibus ad argumentum patet responsio.

Sed cùm siccitas in proposito significato cruditatem indicet,& ea tam ex negata in totum vacuatione,quàm ex coctionis inopia intelligatur, vt diximus, possitque ad vtriusque defectum mors sequi, quæri potest:*Vtrum deterius sit crudum esse humorem, an coctum, nec tamen expui* ? In promptu solutio est : Nam in crudo duo ad sanitatem omnino requisita desunt, coctio nempe, & expulsio;in concocto vna tantùm,eáque minùs operosa. Insuper, si longior mora ad vtrumque opus requiritur, quàm ad solam expulsionem, cur melius non iudicabitur esse concoctum ?

Quando pars superior pleuræ inflammatur,dolor ad iugulum ascendit, & appellatur Pleuritis ascendens; quando verò pars inferior membranæ inflammatur, dolor ad hypochondria descendit, & Pleuritis descendens nuncupatur,quæ differentia proponitur ab Hip. 2. *acut.*10.*&* 11.& probat Galenus *in com.*repetit *lib.*5. *de loc.cap.*3. At dubitandum:*Vtrùm hæc diuisio sit rectè tradita*? Probat Galenus *cit.acut.* dicens, *superiores ipsius partes cùm inflammantur, ad clauiculam, brachium, & mammam, condolentiam extendere ; inferiores verò affectas, ad septum transuersum,& hypochondria.* Sed videtur durum concedere,quòd brachia,mammæ, partésque aliæ pleura superiores, aut hypochondria dolorem sentiant, si in iis non est affectio alterans,& immutans. Sed standum est doctrinæ Hip.dicendúmque hanc diuisionem esse rectam;fieri enim potest, vt quamuis in parte primariò affecta sit solutio, pars tamen coaffecta condoleat ob intemperiem : à parte enim inflammata humores, & vapores ad superiores partes conuolant, si leuiores sint ; si verò crassiores, ad infernas, mediis partibus nullam noxam sentientibus. Quo pacto lateri pleuritico dolenti consentit iugulum, vel hypochondrium ob tensionem,non autem partes mediæ. Hoc modo ex bile in ventriculo contenta caput dolet ; mediis partibus nihil noxæ patientibus. Deinde sæpe fit maior mora in parte remota. Hac ratione caput dolet, ob vaporem ab vtero, aut ventriculo delatum, potius quàm interposita membra. Vltimò potest adesse maior affectæ partis cum distante consensus, quàm intermediis:ob hanc causam ex hemicrania, ventriculus nausea corripitur, quia hæc pars cerebro vehementer consentit.

Causa.

Qvæstio est in argumento de pleuritide agitata satis : *Vtrùm ea ab omni humore generetur*? Cùm enim pleuritis morbus frequentissimus sit, videtur non posse à bile concitari, quia illa in exigua quantitate in corpore abundat. Neque à sanguine potest generari, hic enim etsi in corpore redundet in copia multa, tamen lentus est, & hoc modo adhæret ampliùs quàm penetrat. Pituita viscida est,tenax, ineptáque vt duram pleuræ substantiam peruadat. Ita melancholia, terrestris & grauis, intimas partes, solidas non peruadit. Accedit quòd pleura,pars frigida,faciliùs frigidis quàm calidis affectibus opprimitur.

Contrà obstat Procerum auctoritas, vt Galeni 6. *Aph.*33.& 2.*de loc.*9.*post.princip.* Auicen.10. 3.*tract.*4. *cap.*1.*post princip.* affirmantium, pleuritidem ab omnibus humoribus posse concitari, licèt frequentiùs à sanguine bilioso,aut sanguine puro generetur. Causa ergo immediata pleuritidis est humor calidus, qui in pleura inflammationem facit : Cùm enim inflammatio, calidus affectus sit, 2. *de loc. cap.cit.* necessariò ab humore calido

calido debet generari: & hoc modo Galenus *lib. 2. ad Glauc. c. 1. poſt. princip.* agens de inflammatione humida, quæ propriè inflammatio eſt, hanc ex aliqua fluxione calida oriri aſſeuerat. Humor autem calidus, in corpore promptè inflammabilis, nullus alius eſt quàm bilis, quæ licèt in minori quantitate abundet in corpore, quàm pituita, tamen ſine ſanguinis commercio pleuritidem non generat. Sanguis etſi ſit lentus in ſtatu naturali, tamen cùm efferueſcit, aut putret, lentorem exuit, acrimoniam induit & tenuitatẽ, ob quam facilè duram pleuræ ſubſtantiam penetrat. Pituita, & melancholia quum ſanguini permiſcentur, & per putredinem calẽt, pleuritidem, etſi rarò, concitant: nam inflammatio ex quocunque humore calido poteſt generari, vt 2. *criſ.* 12. confirmat Gal. ſubſcribit Auic. 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 5. nam in pleuritide pituitoſa ſputum eſt candidum, alioqui ſputũ ſemper eſſet variegatum, humores diuerſos oſtendens.

Neque obſtat, quòd pleura, frigida ſit, & ob hanc cauſam frigidis morbis magis videatur obnoxia; tamen contra frigidum pleuræ temperamentum repugnat alia, ob quæ à calido humore creberrimè fit pleuritis: nempe propter calidi ſanguinis abundantiam in locis ſanguificationis, præſertim corde, & iecore, qui ad thoracem regurgitans inflammationem parit, & in membrana frequentiùs, ob ampla quæ ſuſtinet vaſa, cum virium imbecillitate. Quamuis enim Cor, & Iecur ſanguine magis turgeant, robuſtis tamen viribus quas habent, ſe ab inflammatione tuentur. Reliqua membra, ob vaſorum anguſtiam, rarò inflammantur. Ambientes membranæ, propter copiam ſanguinis cum naturæ imbecillitate, valde ſunt obnoxiæ huic morbo: ſed minùs illæ, quæ ventrem inferiorem circumdant, ob frigiditatem, & cruditatem ſanguinis. Non crebrò meninges cerebrum inuoluentes, ob difficilem ſanguinis aſcenſum. Frequentiùs pleura, ob ſanguinis affluentiam in ſibi propinquis officinis, & frequentem diſtillationem à cerebro.

Cauſæ mediatæ, omnes illæ cenſentur, quæ humorem redundandem ad pleuram, & muſculos pectoris mouent, vt ſunt caſus ab alto, percuſſio in pectore, nimia aëris frigiditas, toti corpori, vel ſoli capiti occurrens; hæc enim meatus partium externarum comprimendo, fluxiones concitat ad partes internas. In cuius doctrinæ gratiam, quæ rendum: *Vtrùm Aquilonia conſtitutio concitet pleuritidem?* Id aſſeruit Hip. *lib. 3. Aph. 5.* dum ſic ait: *Contrà ſi Aquilonia ſit tempeſtas, tuſſes vigent, fauciũm aſperitates, alui duræ, horrores, coſtarum dolores, & pectoris.* Nam frigiditas & ſiccitas conſtitutionis aquilonaris, thoracis dolores efficit, communi cum aliis partibus noxa, tum etiam reſpirationis accedente læſione. Licèt enim frigidus aër inſpiratione attractus, multò immediatiùs ac promptiùs, cor & pulmonem attingat, quàm pleuram, & hac ratione illæ partes promptiùs inflammationi videantur obnoxiæ: tamen ob ſui caloris abundantiam, & naturale robur, ab aëris iniuriis ſe tuentur: non ſic autem pleura, frigida, exanguis, & debilis natiua ſorte, quæ vel debiliſſimis occurſantibus cauſis facillimè ſuccumbit.

Vtrùm Aquilonia tempeſtas, facta compreſſione in cerebro, pleuritidem concitet? quæſtio eſt litigij, diſſenſionisque pleniſſima: Annuit Galenus *lib. 3. Aph. com.* 12. dum ſic ait: *Par autem eſt calidis ac ſiccis naturis, in ſicca & frigida conſtitutione, quæ calidam atque humidam excipit, tales lippitudines fieri. Caput enim prius repletum eſt in calida atque humida conſtitutione; frigus autem ſuperueniens, veluti manus quædam extrinſeca, capiens ac premens cerebrum, veluti ſpongiam quandam, exprimit illam, quæ in ipſo continetur, humiditatem, &c.* Sed hæc Galeni aphoriſtica doctrina plurimas patitur obiectiones, & difficultates. Quî enim fieri poteſt, vt cerebrum viuente animali ad tantam deueniat frigiditatem, vt comprimatur? Deinde ſi concedamus cerebrum comprimi, cur ſolùm diſtillationes oriẽtur, ac catarrhi, & non aliæ grauiſſima damna, vt Carus, Apoplexia, & alij exitiales affectus? Nimiùm enim refrigerato cerebro fatuitas contingit, 4. *de præſag. ex pulſ. cap.* 8. fiunt etiam Carus, & Epilepſia, *lib. de inſtrum. odorat.* 8. animalia inſenſibilia fiunt, & immobilia, 13. *meth.* 22. Hoc modo cerebri ventriculis compreſſis, ſenſus amittitur & motus, 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 2. Sic præ nimia frigiditate compreſſo cerebro, fiunt reſolutio, Cynicus ſpaſmus, Catalepſis, & alia damna, 6. *Aph. com.* 2.

Dic, quòd licèt apud Hip. *lib. de loc. in hom.* fluxionis cauſa in ſubiectas partes, vel ſit à calido attenuante, vel à frigido exprimente: & licèt hæc expreſſio aliquibus viris doctis ita diſpliceat, vt Hippocratis ſententiam reiiciant, ſuperioribus argumentis commoti, & irretiti; tamen vera eſt, & tanto auctore digniſſima. Ergo defluxiones, catarrhi, & pleuritides à cerebro feſe comprimente oriuntur, non quidem vt interpretantur multi, per cerebrum, partes extimas cutis intelligentes, quæ frigore denſatæ humiditates ad intima cerebri penetralia exprimunt, quas deindè cerebrum ad inferiores partes expellit: nam hæc explanatio Galeni menti repugnat, cùm ipſe *cit. loc.* cerebrum apertè ſignificet, non partes extimas. Solues ergo meliùs, ſi aſſeras, cerebrum ex contactu Aquilonij aëris refrigerari, & ſic contrahi, quaſi ad fugam Aquilonaris frigoris, quod vi aëris per nares attracti perſenſerit, ad quam ſequitur pituitoſi & crudi recrementi in eo præexiſtentis expreſſio.

Quæres etiam: *Vtrùm vini potus pleuritidem generet?* Dic, quòd ſicut immodicum exercitium, vſus balnei calidi, immodica ira, pleuritidem generant, quia humores commouent, calefaciunt, attenuant, fundunt, & pariores reddunt, vt in pleuram confluant imbellem; ſic etiam vini immodici potus ob cauſam dictam. Nec obſtat, quòd apud Galenum 5. *Aph.* 5. vinum plurimas affectiones frigidas, vt conuulſionem, qualitate ſua ſanct, calefaciendo, atque exiccando. Neque quòd apud Hip. 6. *Aph.* 31. doloribus oculorum opitulẽtur, quia craſſos humores tunicis ipſorum impactos attenuat, & & reſoluit: Nam hæ operationes, vini ſunt modici: nam immodici potus inflammationes internas parit, & pleuritides.

Sed ſi hoc verum eſt, cur immoderatus vini vſus morbos frigidos gignit? vt diſertè monuit Galenus *lib. 3. de temp. cap. 2. in fin.* dum ſic ait: *Sic & vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci poſſit, tantùm abeſt vt animal calfaciat, vt frigidiora vitia gignat: quippe Apoplexiæ, & Paraplexiæ, & quæ Græcè Caros, & Comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones, & tetani, immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium.* Dic, vinum immodicum nimia ſua quantitate calorem naturalem opprimere, qui ſi debilis eſt, obruitur & ſuccumbit. Nec enim ſemper vinum animal calefacit, æquè vt nec oleum, flammam accendit, tametſi aptiſſimum ſit ignis nutrimentum: immò ſi exiguæ, & imbecillæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſuſque extingues potiùs, quàm augebis. Si verò calor innatus robuſtus ſit ac fortis, ex vini immoderato potu gliſcit & exardeſcit, & hoc modo humores funduntur, ad debilémque pleuram attenuati, præcipiti lapſu ruunt.

Vltimò inquires: *Vtrùm Muſti, aut vini nouelli nimius vſus pleuritidem concitet?* Dic; quòd etſi vinum nouum, quod muſteam non exuit dulcedinem, frigidius ſit, aquoſius, excrementoſum, & improbè coquatur, apud Galenum 4. *ſimp.* 13. & *cap.* 4. *lib. de bonit. & vit. ſuccor.* & alibi, & videatur flatulentum, ob aquæ permixtionem; & ſic caloris præternaturalis fortitudinem, & calidorum morborum acutiem potiùs extinguere, quàm augere: tamen auctore Macrob. *lib. 7 Satur. 7.* graue eſt, craſſum, ponderoſum, difficulter coctile, & ob hãc cauſam præ mora in officinis coctionis, vitioſè elaboratum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 345 sur 927

tandem ebullit & fermet, & eam caliditatem acquirit, A quam in dolio comparare debebat: Quare inter coquendum, vapore suo calido, & feruido humores inquinat, calefacit, spiritus inflammat, sanguinem aduri, febres concitat, inflammationes internas gignit. Hæc est causa, ob quam homines in grauissimos, periculosissimos, & inflammatorios morbos incidunt, quum vini noui, & semicocti potu præsertim immodico vtuntur.

Signa.

Signa diagnostica pleuritidis celebratissima, quinario numero comprehenduntur, recitantúrque persæpe à Galeno, præsertim *lib. 5. de loc. affect. cap. 3. & lib. 2. de crisib. cap. 10. & lib. de const. art. medic. cap. 15.* Ea sunt B dolor punctorius, febris acuta, difficilis respiratio, tussis, pulsus durus, ac serrans: quæ necessaria, & inseparabilia exquisitissimæ pleuritidis, *citatis locis* retulit Galenus. Quare primò de dolore agendum: *Vtrùm in hoc affectu dolor punctorius reperiatur semper?* Pleuritis, phlegmone est, morbúsque in magnitudine, intemperie, ac soluta vnitate, quæ præter tumorem, & rubOrem, dolorem inducit, ita vt ex phlegmone ipsa, ob immodicum calorem, & solutam continuitatem, ex tensione (quæ duo omni parti inflammatæ accidunt, *4. de caus. puls. 7.*) dolor adsit, ísque tensiuus; sed punctorius simul, (quo potissimùm indicatur morbus hic, & à peripneumonia separatur, ex Gal. *loc. suprà citatis*) ratione C inflammatæ membranæ: eam enim doloris speciem propriam esse membranarum docuit, *lib. 5. de loc. cit.* & sicut ex mordaci causa, ita ex punctorio dolore, locus indicatur, membranam scilicet esse affectam, quia cùm pars neruea sit, & sensu acuto prædita, dum patitur, talem sensum habet, qualis solet in acus punctura sentiri, ita vt pungi videatur, & veluti foraminibus perrundi; vnde dolor membranarum, punctorij, seu pungentis nomen obtinuit: nam pleura, pars neruea est, & exquisitissimo sensu prædita.

Dolor hic debet esse continuus, cùm causa producens perpetuò adsit: multoties enim deliteſcit dolor, & præsente pleuritide non sentitur, quia inflammatio ita est maligna, vt partis affectæ naturam, & sensum illius corrumpat, & tunc summo cum vitæ periculo in sphacelum transiit. Hoc etiam contingit, quando pleuritidi delirium superuenit, tunc enim ægri mente non constantes dolorem non sentiunt, iuxta senis edictum, *2. Aph. 6.* dicentis: *Quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Sic etiam solet sedari dolor, quando suppuratur pleuritis, quod monuit Hip. *2. Aph. 47.* Quare cùm hic dolor pertineat ad partes acutè sentientes, & maximè ad membranas, ideò punctorius dicendus est. Hoc refert etiam Galenus *6. Aph. 5.* quo loco non solùm dolorum differentias, ex doloris qualitate, quantitate, causa, parte affecta, sed etiam à situ, tempore, figura agnoscere docet, quas *2. de loc. cit.* latissimè ipse explicuit. Est autem dolor punctorius longè diuersus à dolore pulsatorio: hic E enim dolor solùm inflammatorios affectus in arteriis, & partibus ipsas continentibus consequitur, & membrana quæ succingit costas, arteriis caret, quia mediocritas caloris illius, motu pulmonis conseruatur, sicuti pars conuexa iecoris, quæ ferè est sine arteriis, motu septi transuersi in sua symmetria robusta perseuerat, auctore Galeno *4. de vsu part. cap. 13. post med.*

Sed dubitabis: *Vtrùm pulsatorius dolor sit etiam pleuritidis signum*: Nam si ex mente Galeni *2. de loc. 3. & 13. meth. cap. 1.* hic dolor ad notabiles sequitur inflammationes, videtur quòd pleuritici etiam dolore pulsatorio opprimantur. Dic, quòd cùm semper arteriis insit, vel etiam partibus aliis arterias continentibus, videtur quòd hæc doloris species pleuriticos comitari haud possit. Ita docuit Auic. *cap. 2. 1. post princip.* dicens: *quòd in pleuritide pura, in qua pleura inflammatur, non est pulsatio*, id est, dolor pulsatorius, quia hæc pars multitudine arteriarum est priuata.

Nam cùm ad dilatationem arteriarum, quas continent partes propter angustiam loci à contento humore repletæ premantur necessariò, sequitur dolor ille quem pulsantem appellamus: hic verò cùm ex duobus constet, dolore videlicet, & pulsatione; nec dolor sine sensu fieri possit, nec pulsatio citra arterias, ideò ad pulsatorium dolorem, requiruntur & partis sensus, & arteriæ, ita vt vel ipsis insit, quia etiam sensibiles sunt, vel partibus aliis, sed arteriarum contentarum gratiâ.

Ex hoc manifestum fit, cur in peripneumonia, & pleuritide, licet validæ inflammationes sint, non fiat pulsatorius dolor. Licèt enim membrana costas succingens, vocata pleura, quamuis inflammata existens, ea parte qua costis vicina est, necessariò comprimatur, & doleat, non tamen pulsatoriè, quia ibi arteriis priuatur. At media ipsius pleuræ pars, licèt ad media costarum interualla arterias recipiat, ad illarum tamen motum non comprimitur, quia arteriæ ibi existentes, quando distenduntur, per amplum, & profundum spatium versus cutem mouentur, ita vt non comprimant membranam ipsam: vnde ea etiamsi doliter phlegmones gratiâ, non tamen pulsatoriè, arteriarum consensu; nimirum quoniam hic dolor ad pulsationem non sequitur, vel quia membrana illa non pulsat, ea parte qua costis subest, vel quia ea quæ arterias recipit, non comprimitur.

Sed arduum est inuestigare: *Vtrùm Pleura versus aliquam partem, pulsu, & arteriis priuetur?* Respondeo, pleuram arteriis carere versus partem costis vicinam. Causa videtur, aëris copia pulmonum motu attracti, quo pleura sufficienter ventilari potest, absque propria pulsatione, non aliter ac pars gibbosa iecoris, propter septi transuersi vicinitatem, arteriis etiam, & pulsu carere dicitur. Non sentitur ergo in pulmonia, ob dictas causas, pulsatorius dolor, nec in vera exquisitaque pleuritide. In notha verò, seu non exquisita datur: inflammatis enim intercostalibus musculis, dum illorum arteriæ dilatantur, carnem adiacentem comprimunt, simul & arteriæ comprimuntur: quare ad pulsum consequi dolorem est necesse, & maiorem, quò maior fuerit inflammatio, quia ea præsente maiorem pulsationem, maiorémque compressionem fieri contingit; ac proinde vbi pulsatio, dolórque in parte inflammata increuerit, signum est suppurare inflammationem, nimirum quoniam cùm pulsatorius dolor non contingat, nisi in magnis inflammationibus, hæ autem non resoluantur, discutiantúrve per naturam, quemadmodum exiguæ, sed ad suppurationem deueniant, vbi inflammata pars vehementer pulsauerit, & doluerit, procul dubio suppuratur, ex Hip. *2. Aph. 47.* & ex Gal. ipso, *lib. de totius morb. temporib. cap. 3. & 1. crisi. cap. 17. & 18. & 3. de rat. vict. 62.*

Præter dictam causam, duæ aliæ possunt assignari, E cur pulsatio quæ non aderat, vel maior quàm antea inducat suppurationem. Prima, quia cùm suppuratio fiat per quandam veluti humoris ebullitionem, commissâ pugnâ inter naturam, & ipsum humorem; cúmque ad ebullitionem necessariò sequatur maior partis inflammatio, maiórque humoris fusio, duplex deinde accedit pulsationis, ac doloris causa, calor nempe auctus maiori indigens refrigerio, & ad maiorem pulsationem cogens: deinde copia humoris aucti ex fusione: auctus enim humor sicut magis implet, ita minùs lædit, & cùm distenditur, vel dilatatur arteria, ipsam magis premit, ac dolere facit; & hoc modo cum dolore fit pulsatio, ac proinde proximam iam, & imminentem significat suppurationem.

Deinde externæ inflãmationes, in quibus potissimùm dolorosus pulsus reperitur, non suppuranc antequàm pulsent.

pulſent. Ergo pulſatio in illis, ſuppurationis indicium erit. Antecedens manifeſtum eſt ex dictis: nam ſi in ſuppuratione calor intenditur, & humor augetur, ad hæc autem maior diſtentio arteriæ cum dolore ſequitur, planè non priuſquàm pulſent, ſuppurabunt externi tumores. Quòd autem in his potiſſimùm pulſationes dentur, ex eo patet, quoniam cùm omnes muſculi externi arterias habeant, ſpatium autem per quod ipſæ dilatantur, verſus cutem ſit exiguum, planè vbi muſculus externus fuerit inflammatus, & diſtentus, premetur caro ſimul & arteriæ, cùm dilatantur, & pulſatio fiet cum dolore: non ſic autem in internis viſceribus, tum quia omnia ferè arteriis deſtituuntur; tum quia, ſi quas habent, amplæ ſunt arteriæ inanitiones, per quas liberè poſſunt arteriæ ipſæ dilatari, & fieri pulſationes citra compreſſionem, & dolorem.

Vtrùm dolor in pleuritide aliquando grauis eſſe poſſit? etiam explicandum. Nam Hippocrates grauantem dolorem pleuritidi adiungit, 2. *acut.* 10. dum ſic ait: *Si verò dolor ad clauiculam pertigerit, aut moleſta ſit vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus grauitas, internam cubiti venam ſecare expedit, &c.* Dic, in dictione hac inter alia pleuritidis ſigna non numeraſſe grauitatem; ſolùm enim aſſeuerauit dolorem grauantem in membrana non eſſe, ſed in carne, & reliquis partibus vicinis, quæ præ grauante plenitudine ita dolent. Vel dic, ex grauitatis indicio ibi non intendere pleuritidem venari, ſed copiam, & qualitatem contenti humoris, à quo purgatio, vel phlebotomia indicatur.

Secundum ſignum eſt febris acuta, & vehemens: licèt enim aliquando, rarò tamen, pleuritidem febris continua non comitetur, imò aliquando poſſit eſſe diaria, prout latè *lib. 2. Hiſt. Princ. Med. in com. Hiſt. 19.* tamen in hoc affectu ferè ſemper adeſt febris ardens, & feruoris magni. Sed propter aliquas Galeni auctoritates, quæ contrarium probare videntur, agitandũ: *Vtrùm febris continua ferè ſemper exquiſita à pleuritide ſit inſeparabilis?* Patet autem, quòd hæc febris non ſit diaria: nam auctore Gal. 3. *de dieb. dec. c. vlt.* febris diaria licèt ſit parua, & breuis, acuta non eſt, quia nõ ſolùm periculo, ſed magnitudine caret. Præterà, febres diariæ neque ex humorũ putredine, neq; ex inflãmatione partium internarum, ſed ex inguinibus inflãmatis ortum ducunt, 2. *criſ.* 13. & reddit cauſam Gal. 1. *de diff. feb. cap.* 5. quia licèt ibi humor putreſcat, putrida tamen fuligo cordi non communicatur, ſed in loco putredinis manet circumſcripta, & ſolùm caliditas alteratione per continuum facta cordi accedit: & *lib. 2. criſ.* 12. concomitantes inflammationes internas, ſeruare formam, & circuitum putridarum aſſeuerat: confirmat Auic. 1. 4. *tract.* 4. *c.* 13. Ratio ſuadet: hæc enim propullulat ratione calidi affectus, qui inflammatio eſt; ſimul & ob læſam particulam prope cor conſtitutam: ideò non modò cordi ipſi, ſed & corpori vniuerſo immodicus calor impertitur, & febris concitatur vehemens, *lib. de conſt. art. med.* 4. *de cauſ. pulſ.* 2. id quod omni ferè inflammationi internæ commune eſt, 4. *Aph.* 43. & 2. 1. *doct.* 3. *ſum.* 1. *cap.* 3. *de ſignis apoſtematum.*

Obiicies hoc modo. Ad hoc vt febris putrida concitetur, calor præter naturam debet eſſe productus in facto eſſe in humoribus, auctore Galeno *lib.* 1. *feb. cap.* 3. Sed quando calor præter naturam, eſt in facto eſſe in humoribus, febris propria curatione indiget præter curationem inflammationis. Ergo cùm pleuritidis febris remota inflammatione remoueatur, ſequitur quòd hæc febis non habebat calorem factum in humoribus, & ex conſequenti non erat putrida, ſed diaria. Dic, concedendo maiorem, non tamen calor ille ita in cordis humoribus debet eſſe fixus, vt remota cauſa intrinſeca, à qua producitur ipſe, per notabile tempus maneat: nam in omni febri producta, ſtatim ac euacuatur humor putridus in venis exiſtens, ceſſat febris, quoniam propter defectum cauſæ intrinſecæ fouentis, calor in humoribus cordis exiſtens remittitur; vel quia portio humoris in corde exiſtens, quæ calorem in facto eſſe conſeruabat, fuit reſoluta. Ergo quamuis febris pleuritidis, remota inflammatione, remoueatur, hoc non tollit quin in humoribus cordis à fuligine putrida, calor in facto eſſe, eſſet productus, & ex conſequenti febrim illam putridam eſſe conſtat manifeſtè.

Neque obſtat, quod 1. 4. *cit.* habet Auic. non eſſe magnas febres inflammationum, quæ ſunt in panniculis, quia nempe ab exiguo pendent humore: multus ſiquidem intra membranas, ob earum tenuitatem, neque admitti poteſt, neque aggregari: Nam licèt verum ſit, quòd membranarum tenuitas copiam non admittit, cùm tamen bilioſum, tenuémque ſuſcipiant humorem, cui peruiæ ſunt, validæ conſequuntur febres in earum inflammationibus, quales in phreniticis, ac pleuriticis experimur, cum ſymptomatum vehementia, doloris, vigiliæ, ſitis, æſtuantis caloris, quæ æſtuantem calorem confirmant manifeſtè. Adde in muſculis pleuræ connexis, ob eorum craſſitiem, multum etiam recipi humorem, & magnam fieri inflammationem: quare nihil mirum, ſi à multo ſimul, & calidiſſimo humore iuxta cor aceruato, febris vehemens excitetur.

Ea verò præſente, cùm increſcat, vrgeátque vſus, atque adeò neceſſum ſit pulſum manifeſtè alterari, dubitandum: *Vtrùm præter celeritatem, & frequentiam, etiam magnitudinem acquirat?* His enim pulſus differentiis aucto ſatisfit vſui: & Galenus quidem 2. *criſ.* 10. magnũ etiam inquit eſſe pulſum pleuriticorum, 4. autem *de cauſ. pulſ.* 8. & *de pulſib. ad tyrones*, 11. ſcribit non eſſe valde magnũ: at verò infrà *c. ſequenti*, paruum fieri inquit, ſeu minorem quàm oporteat; quia, vt ipſe explicat *cit. de cauſis pulſ.* magnum calor poſtulat, ſed quia refragatur arteriæ durities, minor euadit; ita tamen vt aliquando fiat paulò maior modico, nonnunquam paruus ſimpliciter, iuxta duritiei varietatem, atque ideò celer, & frequens, imò quandoque celerrimus, & frequentiſſimus eſt in pleuritide pulſus, non ſimpliciter magnus; ſed nec admodum talis, ſed paruus aliquando.

Vtrùm verò pulſus in pleuritide ſit inſigniter durus? dubitant auctores. Et licèt de hoc argumento plura ſimus commentati *lib. 2. Hiſt. PP. Med. in com. Hiſt. 65.* quo loco pulſum ſerrinum, qui peculiariter pleuritidi ineſſe dicitur, imperceptibilem eſſe confirmamus: tamen in ea tenditur, atque induratur arteria, atque adeò durus apparet pulſus, quæ tenſio inflammatæ partis arteriam etiam peruadit, eámque quodammodò reddit duriorem, idque multò magis ſi inflammatio partes neruoſas occupauerit, quoniam hæ præ cæteris magis tenduntur, vtpote quæ ſint ſua ſponte iam tenſæ: & quia fortiores vnà ſecum partes vicinas intendunt, ideò tenſa & indurata arteria, tenſionem & duritiem tactui repræſentat. Licèt enim arteria quam tangimus remotiſſima ſit ab inflammato membro, nec ipſa ſimul tendi videatur, qualitas tamen inducta arteriæ partis laborantis reliquis corporis arteriis plerumque communicatur, nempe quia cùm arteriæ omnes externa quadam membrana tegantur, quæ vel à pleura, vel à peritonæo oritur, vbi externa hæc arteriæ tunica vel tenditur, vel emollitur, ad pleuram, aut ad peritonæum affectio ipſa progreditur, & hoc modo ceu à fonte reliquis corporis arteriis communicatur, idque multò faciliùs in exquiſita pleuritide, in qua pleura ipſa membranæ ſupernarum arteriarum origo primariò afficitur.

At rogabis: *Vtrùm inflammatio pulſum induret?* Dic, quòd quamuis omni inflammationi, non ſolùm duri, ſed & mollis etiam membri, cõmune videatur propter tenſionẽ pulſum indurare, vt Galenus docuit, 4. *de cauſ.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 347 sur 927

puls. cap. 7. accidit tamen nonnunquam ex partis, & humoris natura, vt tantum absit vt indueretur pulsus, quin potiùs emolliatur, vt si membrum molliſſimum sit,& humidiſſimus humor,1.*de præsag.ex pulsib.cap.* 1. & 2.atque hinc est,quòd in peripneumonia,etiam sanguinea,nulla prorsus sentitur durities, *lib. 5. de loc. cit.* & *4.de caus.puls.cap.*12. quia exigua arteriæ tensio, & durities, ab humoris irrigatione, & pulmonis laxitate, mollitie, & raritate occultatur. Si nihilominùs alterum deficiat, possibile quidem erit tensionem, & duritiem tactui repræsentari, vt in hydrope ex iecoris scirrho,*4. de caus. puls.* 8. credit Galenus sentiri tensionem ex humore cum mollitie membri: & *4. de caus. puls.*12.si pulmonis inflammatio à bile oriatur, pulsum indurari,quia bilis est siccare,tendere, indurare: & *cit. de præsag. ex. pulsib. cap.* 9. apertè scribit, quòd si pars affecta, spissa, & dura sit, pulsus efficiet duros, non solùm scirrho affecta, sed & inflammata, & dura. Idem dicendum est, si notabiliter carnosa. Quòd si mollis simpliciter fuerit, durum pulsum per inflammationem non constituet; atque ideò musculis thoracis inflammatis, ob illorum mollitiem hic pulsus nunquam fit, maximè si inflammatio occupet externos; nam si inflammentur interni, cùm simul in consensum pleura trahatur,pulsus aliquantulum durus efficietur,licèt minùs,quàm in exquisita pleuritide: in hac enim notabilis durities sentitur; in non exquisita, minor; in notha,nulla; sicut inflammato septo,multa, imò & maior, quàm in reliquarum partium thoracis inflammationibus. Habent igitur omnes, quos ex inflammatione febris corripuit,pulsum durum, dummodò membri mollities plurima non sit, & humoris natura non valde humida.

Vtrùm verò pulsus in pleuritide sit inæqualis? grauissima dubitatio est: Nam pulsum durum,& inæqualem fieri in hoc,& neruosarum partium affectu, in diuersis partibus arteriæ, ex Galeni doctrina diximus *suprà*. Quæ tamen huius euentus sit causa vera,núc dicendum. Nec asseras hanc inæqualitatem accidere, propter inæqualem arteriæ tensionem, cuius ratione pars illa arteriæ quæ minùs tensa est, magis eleuatur; quæ verò magis tensa est, non attollitur, sed depressa manet, & hoc modo arteria similis dentibus serræ à tactu percipitur. In quem sensum videtur intelligendus Galenus, *4. de caus.puls.cap.7.post med.* dicens, quòd hic pulsus repræsentatur,quando instrumentum inæqualiter durum tactui occurrit. Hinc fit vt partes arteriæ inflammationi proximiores maiorem tensionem patiantur, quàm distantes, quare inæqualis tensio arteriæ,huius inæqualitatis pulsus est causa.

At hic modus respondendi non videtur verus: Nam sequeretur partem illam arteriæ, quæ minùs tensa est, semper magis eleuari;illam verò partem arteriæ magis tensam,semper manere depressam. Sed hoc est contra experientiam:comprobatum enim est,in pulsu serrino, & vehementer tensâ arteriâ, modò vnam partem arteriæ,modò alteram,sine ordine magis comprimi,& magis eleuari:vix enim intelligi potest in tam parua arteriæ quantitate, qualis est illa quæ à Medico percipitur, alteram illius partem magis tensam,alteram verè minùs existere; inflamatio enim pleuræ arteriam æqualiter tendit.

Non ergo pulsus serrans,ob inæqualem arteriæ tensionem & duritiem efficitur, sed quia arteria admodum tensa est, & vsus maximè adauctus, virtúsque ob aggrauationem,& dolorẽ valde oppressa, & irritata; ex quo fit,vt inæqualiter, & non vniformiter arteriam distendat,ita vt vna pars arteriæ magis, altera verò minùs eleuetur, & ità in modum serræ tactum feriat. Facultas enim distentionem maximam cùm aggreditur, ratione intensi caloris, tunc à vehementi arteriæ tensione impeditur: rursus cùm facultas ex alia parte aggrauata sit & impedita, & ratione doloris multoties irritata & distracta, hunc motum inqualem efficit in arteria. Et hæc doctrina est consona menti Galeni,quia pulsus vibrans, qui inæqualis est in diuersis partibus arteriæ, fit à valido facultatis motu,ratione intensi caloris excitato, & à maxima arteriæ duritie & repugnantia, sine inæquali tensione arteriæ, vt bellè docebat Gal.*2. de caus. puls. cap. 6.* Sed sic est, quòd pulsus serrinus aliquid vibrationis habet, ex Gal. *4. de caus.puls.cap.7.in princip.* Igitur & ex consequenti, hæc erit potior, & verior huius pulsus causa assignanda. Neque enim *loc. nuper. cit.* Galenus affirmat,in pulsu serrino instrumentum inæqualiter esse durum, sed solùm inæqualiter durum tactui occurrere, quod est verum: Illud tamen accidit,non quia instrumentum in se æqualiter durum sit, sed quia secundùm aliquas partes magis eleuatur, quàm secundùm alias; & cùm in partibus in quibus magis eleuatur, durities tactui magis repræsenterur, quàm in aliis,ideò meritò dixisse Galenum affirmamus, in pulsu serrino instrumentum inæqualiter durum tactui occurrere.

Quartum signum est Tussis, de qua dubitandum: *Vtrùm sit perpetuum pleuritidis symptoma*? Nam sputum coloratum eius ope excernitur, à quo non solùm præsentis affectus, sed quodammodo etiam affecti loci indicatio præstatur. Affectus quidem, quia cùm omnis inflammatio (nisi cutis densitate impediatur) aliquid humoris in se contenti remittat,ex modo,siue qualitate sputi inflammationis species significatur, num sanguinea scilicet,vel biliosa magis,&c. Cúmque pleuritidis materia maiori ex parte biliosa sit, sicut pulmoniæ, pituitosa, *lib. introduct.cap.*13.& *lib.2.de loc.cap.* 9. & 6. *Aph.*33.& *4.de caus.puls.cap.*8.si flauum fuerit,aut pallidum sputum, magis ad pleuritidem accedet coniectura, non solùm quia sputi color naturam attestatur humoris, à quo magis frequens est pleuritidis generatio,sed & quia pleuram ipsam significat affectam, hæc enim dura cùm sit,densa,crassa, & spissa, crassam lentámque materiam non admittit, sed tenuem & biliosam; aque ideò vel rarissimè, vel nunquam humores recipit pituitosos,& propter hoc ipsum Hip.*6. Aph.*33. dicebat: *Qui acidum eructant*,(hoc est, explicante Galeno *in com.* quibus pituita superabundat) *à laterali morbo rarò corripiuntur.*

Quamuis enim ex eo quòd tussiendo sputum reiiciatur,non magis pleura, quàm pulmo indicetur affectus, sed tantùm spiritalis aliquis venter: flauo tamen colore infectum, magis illam attestabitur; & accedentibus aliis indiciis certissima elicitur pleuritidis cognitio. Quòd si inflammato hepate tussis adest,ea exigua est,& perpetuò sicca:nam ex naturali ventre licèt nonnulla aliquando sursum vacuentur, vomendo tamen, non tussiendo,plurima deorsum reiiciuntur. At thoracem laborantem tussis ingens comitatur, & in qua vtplurimùm screatio fit.

Nec dictis aduersatur,quod Galenus *lib.5.de loc.c.*3. & *lib.de const.art.medic.*15.& 6.*Aph.*33. & 1.*crisi.* 5. & alibi testatur,vario esse debere infectum colore pleuriticorum sputum,ac modò flauum, modò rubrum, aliquando candidum & spumosum, nonnunquam nigrũ prodire, pro humoris inflammantis natura; & posse à quocunque inflammationem gigni,siue ea pleuritis sit, phrenitis,seu quæuis alia, docuit 2.*crisi.*12. Nã licèt demus,pleuritidem ex cuiusuis humoris superabundantia fieri posse, & pro illius varietate ita varium sputum apparere,cùm tamen ex sanguine biliosó frequẽtiùs generetur, frequentior etiam erit in pleuritide, pallida seu flaua screatio. In Pleuritide tussis ferè est humida cum sputis coloratis,vt docuit Galenus *5. de loc. cap.* 3. cùm enim tunica, qua partes thoracis interiores vestiuntur, non sit ita crassa & dura,vt corium externum,sed qualis est tunica oculi, & palati, ex quibus ob tenuitatem, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 348 sur 927

©BIUM

& raritatem aliquid ſemper reſudat, 1. *Aph.* 12. & *lib. de conſt. art. med. cap.* 15. quando igitur ex pleura inflammata aliquid reſudat momentaneum, quod accidit quando cauſa inflammationis multa eſt, & tenuis, & communicatur pulmoni, tuſſis apparet humida: quòd ſi tunica craſſa & dura ſit, & fluxio pauca, & craſſa, nihil reſudat, aut ſi quid effluit, ſolùm irritat, quin excerni poſſit.

Non mediocris dubitatio eſt: *Vtrùm noxa pleuræ poſſit eſſe tuſſis cauſa, quin communicetur pulmoni?* Ratio dubitandi eſt, quia Auicenna 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 2. reddens cauſam, quare in pleuritide tuſſis adſit, eam eſſe aſſeruit, quia lædituꝛ pulmo ex vicinitate, & Galen. 2. *criſ.* 10 explicans cauſam, ob quam ſtatim tuſſiant pleuritici, ait, quia id quod defluit ex membrana, pulmoni communicatur. Deinde tuſſis, vehemens quædam eſt afflatio, quæ excitatur à natura ad expurgandas ſpiritus vias, ex Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. Sed ſpiritus viæ ſolùm ſunt in pulmone. Igitur ſola noxa pulmonis poteſt eſſe tuſſis. Denique Galenus 5. *de loc.* 3. *in fin.* diſtinguit pleuritidem notham quæ occupat partes externas thoracis, ab exquiſita, quia in ea nulla tuſſis adeſt, nihil enim eſt quod partibus interioribus communicetur, vel pulmoni.

Ex altera parte extat venerabilis Galeni auctoritas, 5. *de loc. cap.* 7. vbi docet in inflammatione iecoris reperiri tuſſim, & propenſionem ad tuſſiendum, quia iecur inflammatum comprimit ſeptum tranſuerſum: & Auic. 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 5. agens de ſputo ſanguinis, hoc ex aſpera arteria, cum quadam leui tuſſi excerni aſſeuerat; ex pulmone, maiore tuſſi; ex thorace, multò maiore. Igitur ſola noxa thoracis tuſſim excitare poteſt. Inſuper Galenus 2. *de ſympt. cauſis, cap.* 3. affirmat, pulmoni, & thoraci dediſſe naturam tuſſim, vt id quod contriſtat, expellere poſſent. Vltimò. Efflationem, in qua natura tuſſis conſiſtit, muſculi externi thoracis efficiunt. Igitur ſolo læſo thorace citra noxam pulmonis, tuſſis poteſt concitari; alioquî muſculi non ſui, ſed alterius gratia agerent.

Solue tu concluſione vnica. Nunquam concitatur tuſsis, niſi noxa contingat ſpiritus viæ, quia tuſsis à natura eſt comparata, vt ſpiritus viæ expurgentur: Sicut enim fiſtularum artifices, eas expurgans aëre impulſo; ſic ſpiritus viæ quæ fiſtulas imitantur, ſpiritus impulſione ſolent expurgari, vt docuit Galenus 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 3. Cùm enim ſint duræ & cartilagineæ, exactè comprimi non poſſunt, ideò compreſsione aliquid ab illis excerni non poteſt; quare aëre attracto, & expreſſo, ad hoc complendum opus abutitur natura, & noxium foràs extrudit, ſiue id lædat obſtruendo, ſiue comprimendo, ſiue intemperando, ſiue alio modo irritando. Hoc modo Galenus 2. *de cauſis ſympt.* 4. *in fin.* affirmat, propter intemperiem frigidam aſperæ arteriæ, & aliarum partium concitari. Ex qua doctrina argumenta pro vtraque parte adducta poſſunt conciliari.

Quintum ſignum eſt difficilis reſpiratio, de qua quærendum: *Vtrùm ſit ſignum pathognomonicum pleuritidis?* Reſpiratio, auctore Galeno *lib. de ſalub. diæta, com.* 2. & 8. *de placit. cap.* 8. & 6. *de loc. affect. cap.* 5. eſt motus thoracis, atque pulmonis, quo aër per os & nares in cerebrum, & per fauces atque pulmones in cor attrahitur. Hæc in acutis, ſi facilis, & ſine labore, magnâ vim habet ad ſalutẽ, vt docuit Hip. 1. *progn.* 25. Cùm enim à ſanitate emanet, magnam ad illâm indicandam vim habet, cùm facilitas reſpirationis fieri non poſsit, niſi reſpiratoria organa, & alia quæ illis adiuncta ſunt, & compati ſolẽt, à quacunque noxa & vitio libera ſint, & abſoluta, nempe dolore, phlegmone, vrente calore, aut nimia frigiditate, ſeu caloris natiui extinctione. Quoniam ſi prędicta inſtrumenta quodammodo dolore, aut inflammatione, aut caloris incendio vel eiuſdem extinctione afficiantur, haud dubiè difficilis reſpiratio oborietur.

Docet ergo Gal. 5. *de loc. c.* 3. thorace quomodocunq; affecto reſpirationem neceſſariò lædi: Licèt enim inſtrumenta reſpirationis ſint ſeptum tranſuerſum, & pulmo; nam illud inter omnes corporis muſculos, ad reſpirationis functionem animali eſt vtiliſsimum, eo quòd libera reſpiratio in bene valentibus à ſolo fit ſepto tranſuerſo, 2. *de loc.* 7. & 4. *eiuſdem, c.* 3. hic pariter eſt reſpirationis inſtrumentum, non quòd voluntarium motum habeat, quemadmodum thorax, ac ſeptum tranſuerſum, ſed quia, vt Gal. ait, 6. *de vſu part. c.* 10. thoracis motum ſequatur, ſitque veluti ventriculus ſpiritui deſtinatus: Quippe ſicut ventriculus cibum excipit, illúmque concoquit & alterat, ita pulmo aërem inſtar promptuarij cuiuſdam in aſperæ ramos aſſumit, adeóque cor ex peculiari pulmonis ſubſtantia illum ſibi allicit. Quocirca cùm pulmo nullum peculiarem motum præſtet, ſed thorace dilatato vnà etiam dilatetur, compreſsóque comprimatur, oportuit pulmonis ſubſtantiam fungoſam, mollem, laxámque eſſe, ſi modo facilè comprimi colligique, & rurſus diſtendi, ſequáxque eſſe debeat.

At verò thorax, inſtrumentum ſanè reſpirationis, muſculis ſuis motum reſpirationis gubernat, vt *lib.* 5. *de anatomic. adminiſt. c.* 1. docuit Galenus. Quo pacto cùm hæc pars reſpiratoria ſit; imò & proprium, præcipuúmque reſpirationis inſtrumentum, nihil mirum ſi reſpirandi adſit difficultas, quę eſt quædam reſpirationis læſio. Quare ſicut facilitas reſpirationis, quædam eſt naturæ operatio, ſit vt hæc à ſanitate, illa à morbo oriatur ſemper, & læſio in eius functione appareat, ſeu per ſe, vel ſecundariò afficiatur, ſiue per conſenſum etiam partium remoratum, nempe quoniam membra ſolent non ſolùm vicinis compati, ſed & longinquis, quibuſcum habent connexionem.

Ob hanc cauſam alienum non eſt à ratione, ſi non modò in dolorificis thoracis affectionibus, verùm etiã vicinarum, imò & omnium partium, quæ cum ipſo mouentur, ventriculi ſcilicet, iecoris, lienis, coli, atque etiam ſpinalis medullæ, parua & frequens inducatur reſpiratio: Nam cùm dolor per motum nimium augeatur, atque adeò inſpirandi inſtrumenta plurimùm dilatari prohibeat, ne vehementiùs pars doleat, animalis ipſa facultas, reſpirationis auctor, minùs quàm par eſt, diſtendit thoracem, & motum intercipit, antequam pro neceſsitate abſoluatur; quoniam verò per paruam reſpirationem non ſatis aëris attrahitur, cogitur rurſus vis ipſa mouens, maiori interpoſita quiete quàm ſanitatis tempore, nouam actionem celeriter iterare, vt frequentia magnitudinis defectum compenſet, vt quæ aëris portio ſemel attrahi non potuit, vicibus attrahatur.

Porrò cùm thoracem Medici appellent eam corporis partem, quæ à iugulo vſque ad ſeptum comprehenditur, quæque à coſtis vtrinque circumſcribitur, ita vt anteriori ſui parte, ad pectorale os, ac ſeptum ipſum pertineat; declinet verò poſteriori ad ſpinam, & ibidem ad dorſum configatur; ſuperiorem terminum, clauiculam habeat; inferiorem, ſeptum, *lib. introduct. cap.* 10. & 8. *de anatomic. adminiſt. c.* 10. & 6. *de vſu part. c.* 2. & 7. & *lib.* 13. *eiuſd. c.* 6. *in art. med. cap.* 29. quare etiam ſuperior venter nuncupatur. 4. *acut.* 112. quicquid Ariſt. 1. *de hiſt. animal.* 7. thoracem vſque ad inguina extendat, ita vt truncũ corporis complectatur: atque adeò thoracis ſint, pectoris os, duodecim vtriuſque lateris coſtæ, *lib. de oſſib. c.* 12. cum ſuccingente membrana, & muſculis tam intrinſecùs earum ſpatia replẽtibus quàm extrinſecùs appoſitis; proprio affectu dicetur ipſe laborare thorax, cùm videlicet eorum alicui malũ adhęſerit, & ſi interni quidem muſculi coſtarum inflammentur, fieri non poterit, quin fluxio inflammationis cauſa ad membranã ſuccingentem tranſmitatur, ſicut è cõuerſo, ac mutuò propter vicinitatem inter ſeſe compatiantur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 349 sur 927

©BIUM

Hanc tamen doctrinam intelligas velim, dummodò pleuritis sit sine delirio, nam si simul cum illa delirium adsit, cùm hoc respirationem magnam & raram, tanquam propriam habeat, ex Gal. 1. *de diff. resp. cap.* 12. & 1. *prorrhetic. com.* 4. & 2. *progn.* 24. respirationem paruam & frequentem immutabit, quæ pleuritidis propria est. Hoc solùm veritatem habebit in magno delirio, cum paruo dolore coniuncto: si autem vehemens, quale in in pleuriticis frequentissimè euenit, respirationis difficultatem perfectè deuincet, quæ ex delirio debebat induci, vt bellè aduertit Galenus, *lib. 2. de diff. resp. cap. 7. post. princip.*

Sed si difficilis respiratio perpetuò pleuritidem comitatur, dubitat Galenus *lib. cit. de diff. respirat. cap.* 8. quomodo Hip. *in Historia Anaxionis*, non meminit difficilis respirationis vsque ad diem septimum, cùm à principio primi diei, doloris, febris, ac sitis meminerit. Respondet Galenus dubio, Hipocrati consuetum esse species symptomatum prætermittere, quando nec communia, nec vulgaria docet; sed ea solùm quæ rarò accidunt, & priuatam aliquam causam habent, & distinctione egent. Si autem aliquando communia, & euidentia symptomata proponit, id ex arte facit, vt non solùm speciem morbi sed magnitudinem, & mores exactè patefaciat, vt idem Galenus scribit 2. *crisi.* 10. eleganter.

Signa Assidentia.

IN exquisita pleuritide dolor interdum ad clauiculam, nonnunquam ad hypochondrium pertingit, qui partim ex inflammatione oritur, quæ dolorem efficit extẽsiuum, partim ex læsa particula; quia cùm membrana ipsa succingens ad iugulum vsque ascendat, & inferiùs vniuersum occupet septum transuersum, nihil mirum si vbi primariò, seu per proprietatem afficitur, doloris affectum suis extremis communicet, & iugulo magis, vel præcordiis, pro varietate contenti humoris in supernis, vel infernis partibus inflammatæ pleuræ, ex Gal. *lib. 5. de loc. c. 3. & lib. 2. c. vlt.* & 2. *de diff. puls. c. 7.* & *cit. de const. art. med.* vbi ex hac ipsa infert, exiguam esse pleuritidem, si dolor in neutrum pluræ terminum deueniat; magnam, si ad vtrumque accedat: atque ideò signum hoc ex dolore ad clauiculam, vel hypochondrium, inter assidentia lateralis morbi indicia connumeratur.

In hac classe reponendum est signum illud, quod de decubitu protulit Galenus, *lib. de const. art. med. cit.* dum sic ait: *Namque cùm duplex sit succingens membrana, si pars eius exterior circa ossa valentiùs phlegmone infestetur, facilius in oppositum reclinantur agri; opprimuntur enim, si super affecta cubent parte. Quòd si pars altera, quæ intus est, (id quod magna ex parte accidere consueuit) in oppositum magis decumbentes dolebunt, suspensa enim est pars phlegmone vitiata; sin in latus perpessum, minùs: non enim ad ossa comprimitur, nec pendet, sed ab horum vtroque libera euasit. At affectis ambabus succingentibus partibus, super latere vtroque similiter decumbunt, &c.*

Non abs re igitur, inter assidentia signa, hæc à Galeno connumerantur, quorum natura est, non esse à morbo inseparabilia, sed vt aliquando simul inuadant, aliquando superueniant, nonnunquam autem neque omnino veniant, vt *lib.* 1. *Aph.* 12. docuit Galenus, quoniam ex iis sunt quæ sæpe morbis accidunt, vt inquit Galenus *lib.* 3. *epid. sect.* 3. *com.* 34. Verùm hoc signum à Galeno prolatum semper mihi suspectum visum fuit; quare dubitandum: *Vtrùm inflammata sola interna membrana, leuior sit decubitus in latus affectum.*

Cùm enim Galenus, nusquam alibi pleuram duabus præditam membranis asseueret, dubium est, quid per internam pleuram ipse intelligat: Non posse autem costarum periostium intelligi, ex eo constat, quia periostium præterquam succingens membrana non est, quia singula ossa induit, thoracem non operit. Insuper tenuissima cùm sit, & nullis vasis constans, difficilè solet inflammari; pleura autem frequenter: & ex ea quidem causa, per internam pleuræ partem, intersepiens membrana accipi non potest; interseptentes siquidem multò rarius, quàm pleura inflammantur, & interna huius pars, vt *ibidem* ait Galenus, crebriùs patitur. Deinde experientia compertum est, plures esse pleuritides, quibus affecti in oppositum latus facilè cubant, sicut & in ægrum, maximè cùm omnes inflammationes internæ ex sani lateris decubitu exacerbentur: cubatione enim supra sanam partem, humor exprimitur in ægram, & inflammationem auget; supra ægram autem, ab ipsa ægra detruditur, & tumorem minuit.

Sed admittenda est doctrina Galeni, pleuram duplicem esse asseuerantis, sic enim habet *lib. de anatomic. administ. cap.* 2. *Verùm succingens hæc membrana, omnibus intra thoracem instrumentis obducitur, quemadmodum peritonæum, vasis quæ infra septum habentur, obtendi dictum est, ostensúmque. Ex ipsa autem membrana thoracem intersepientes nascuntur: atque hac sola re structura ipsius à peritonæo euariat, quòd videlicet duplex omnino sit, non una, quemadmodum illud.* Ex his manifestè constat, partem pleuræ internam inflammari non posse, quin externa coafficiatur: per internam ergo, & externam pleuram, tam intimam, quàm extimam illius membranæ superficiem intelligit.

Ad experimentum verò sic respondè: Primò, multoties accidere, vt decubitus sit facilis in pleuritide tam in latus sanum, quàm in ægrum, sed hoc percipies in exiguis inflammationibus, minimum ponderis habentibus; Galeni autem sententia, intelligenda est de magnis, & effatu dignis inflammationibus, in quibus eiusmodi symptoma vnum solet esse ex necessariis. Solue secundò, si dicas hoc signum in primis diebus vtiliter obseruari; cum verò inflammatio accrescit, & vtraque pleuræ tunica, vehementi inflammatione obsidetur, tunc decubitus in latus ægrum, perinde atque in sanum, molestissimus esse solet, præsertim vbi inflammationis moles ita modum excedit, vt opprimatur hoc accubitu, à pulmonis substantia cadente super ipsam: quod præsertim obseruatur in pleuritide interna, quia interna pleuræ pars frequentiùs, quàm externa phlegmone corripitur.

Signa Distinguentia.

PLurima sunt signa in pleuritide, quæ ægros diuersimodè opprimere solent, & præter illa celebratissima, quæ inseparabiliter illam comitantur, adsunt & alia, ex humore contento in venis suborta, quæ peculiarem Medici opem efflagitant. Cuius occasione quærendum: *Vtrùm rectè distinguatur febris in pleuritide euenies, in febrem morbum, & symptoma?* Scitum enim est in doctrina Galeni, febrem diuidi in febrẽ morbum, & febrẽ symptoma: ita firmat 4. *Aph.* 37. & 7. *Aph.* 42. & 1. *epid. sect.* 3. *com.* 3. Licèt enim quælibet febris sit morbus, ad curationẽ hęc diuisio est necessaria; quãdo enim ex humorum putredine, & vitio scaturit, qui in genere venoso abundant, & insolescunt, tunc adest totius corporis lassitudo, premit cephalalgia, conspicitur in toto corpore grauamen, sitis torquet, vrina est rubra. Ob hanc causam Hippocrates *in historia Anaxionis* præcepit inspicere vrinam; si enim se habet secundùm naturam, febris non morbus, sed symptoma existit, & simul cum inflammatione cessat: quando autem vrina se habet præter naturam, febris, & morbus est, & symptoma, sedata inflammatione, propter humoris vitium adhuc persistit, vt 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 13. *in fine* docuit Auicenna.

Quare

©BIUM

Quare febris morbus in pleuritide, ex aliis ſignis præter pathognomonica venanda eſt.

Agendum deinde de ſputo, ex cuius colore humorem pleuritidem facientem inueſtigandum eſſe docuit Galenus; & licèt de ſputo in pleuritide, plura ex Galeni mente prælibauerimus, *lib.2.Hiſt. Princip. Medic. in com.Hiſtor.19.*ex cuius coctione, aut cruditate, periculum, aut ſalutem arguit Galenus, tamen plura ſuperſunt enucleanda, quæ exactiorem limam prærequirunt: & primò: *Vtrùm ſecundùm Galeni doctrinam, ſputum ab expuitione diſtinguatur?* *lib.* enim 1. *de criſib.cap.5.*diſtinguit euidenter,dum ſic ait: *Eſt autem ſputum duplex, vnum quidem quod ſolùm caret coctione; alterum verò quod etiam prauum exiſtit: ab his verò omnibus,id quod coctum eſt,ſeparatur,quòd etiam propriè ſputum appellant; neque enim quod ſanguineum eſt, ac bilioſum, atque ſpumoſum ita nominamus, ſed potiùs expuitiones vocamus. Cùm verò neque ſanguini, neque bili pallidæ,vel nigræ commixtum fuerit, id quod tale fuerit, iam ſputum vocamus, &c.*

Sputum in ægris nihil aliud eſt, vt inquit Galenus *lib.2.de diff.feb.c.* 9. quàm ea humoris pars in inflãmatione exuperãtis,quæ retineri non poteſt,ſed præ tenuitate exteriùs reſudat. Dicitur verò ſputum latiùs,quidquid tuſſi è pectore,vel pulmonibus reiicitur. Modus autem quo contenta in thorace expurgantur per ſputum,*5.de loc.*7.explicat Galenus. *Lib.*tamen 1.*criſ.c.cit.* ſeparat ſputum ab expuitione,ſputamine, vel ſcreatione,quia ſputum propriè appellat, id quod coctum per tuſſim eiicitur; ſputamen verò,ſeu ſcreationem, quod infectum eſt & crudum,vel prauum & malignum exiſtit. Quia verò id quod per tuſſim expuitur, in pleuritide v.g. vel pulmonia, eſt pars humoris in inflammatione contenti, variè infectum apparet, pro varietate humoris inflammationem committentis. Quare ſi bilioſus fuerit humor, flauum, aut pallidum ſputum apparebit, ex Gal.*5.de loc.*3.ſi pituitoſus, erit ſpumans & candidum; ſi melancholicus,aut nigrum erit, aut liuidum;ſi nihil horum ſanguinem infecerit, rubrum. Similem doctrinam ſcripſit 2.*de loc.c.9. ad princip.* & *lib. de conſt.art.medic.cap.*15. *ad fin.*

Sed rogabis: *Vtrùm ex ſputi colore non ſolùm affectus ipſe, ſed etiam affecta pars indicetur?* Neque enim videtur infectum ſputum ſolius affectus peculiare indicium, ſed patienti loco etiam commune: Nam licèt portio illa coloratæ materiæ quæ excernitur, ab ipſa inflammatine reſudet,ſitque pars humoris in ea contenti, atque ideò inflammationis differentiam atteſtetur,num ſcilicet ex ſolo ſanguine, vel bile, pituita, aut melancholia permixta: ex eo tamen quòd per ſputum tuſſiendo emittatur, ſignificat membrum aliquod ſpirituale eſſe affectum: nempe quoniam ſicut ea quæ in ventriculo continentur, deorſum potiſſimùm purgantur,& nonnulla ſupernatantia etiam ſurſum,hoc tamen vomendo fit,ſic quæ in thorace,tuſſiendo; ſolæ ſiquidem materiæ in thoracis regione contentæ expurgantur tantùm,vel maximè per tuſſim, quippe quòd nihil aliud eſt,quàm vehementiſſima quædam efflatio, qua plurimus ſpiritus ſimul, celerrimèque foràs erumpens, ſecum attrahit,propellítque ſuo impetu,quæ obſtruunt vias ſuas, ita aſſerente Galeno 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. Atque ideò, &c.

Inſuper etiam ex ſputi colore non ſolùm affectus ipſe, ſed affecta pars indicatur: Nam ſi ſpumoſum & albicans ſit,pulmonem laborare ſignificat: magis autem pleuram,ſi flauum aut bilioſum fuerit, cuius ea eſt ratio ex Galeno deſumpta,*6.Aph.*33.quia cùm pulmonis caro,mollis cuiuſdam,laxæque ſubſtantiæ ſit, bilioſum humorem in ſe coaceruare non poteſt, vt ex illo generetur inflammatio, facilè ſiquidem defluit bilis tenuiſſima cedente pulmonis laxitate: contrà verò accidit in pleura,cuius durities,& ſpiſſitudo prohibet intra ſe recipi craſſam lentámque materiam, qualis eſt pituitoſa; ac proinde pituitoſis tumoribus vel nunquam, vel rariſſimè infeſtatur: hinc ſit vt pleuriticorum ſputum, candidum ac ſpumans non excernatur.

Deinde negare haud poſſumus,ex colore & affectũ, & affectam partem indicari,cùm id *lib.2.de loc.cap.cit.* manifeſtiſſimè Galenus ob oculos proponat, appoſito exemplo in oculi, & linguæ vitiato colore: nam ſi humores in corpore redundantes ex cutis colore dignoſcuntur,eò quòd vt ex Hip.colligitur.*6.epid.ſect.4.text.* 29.& docet Galenus 1.*Aph.*2.& 4.*de loc.cap.*7. in cute color humoribus ſimilis effloreſcit, niſi ipſi regurgitauerint, ac in profundum receſſerint: & in parte cutis experte,quales ſunt oculi, vel in ea quæ cute tegitur rara, & tenuiſſima, vt lingua,magis ad viuum ſe exprimunt colores,planè qualeſcunque illi fuerint, ſimul & ſucci in vaſis abundantes, in oculis, & lingua potiſſimùm manifeſtabitur: oculi enim mundiſſimi ſunt, & exquiſitiſſima quadam puritate, perluciditatéque perſpicui inſtar clariſſimi vitri,7. *de placit.* Hip. & Platon. *cap.5.& 6 epid.ſect.4.com.* 28. Ergo latere in illis non poteſt color cuiuſcunque ſucci redundantis. Iam verò colorem linguæ,ſuccorum affectiones detegere, docet idem Hip.dicto *epid.lib.ſect. 5. text.* 14. & 16. vbi eleganter Galenus, cùm enim flaccidæ cuiuſdam,raræ,& inanis ſubſtantiæ ſit ſpongiain referentis, ſuſcipit, & ſuſceptos manifeſtat, & iccircò Medici frequentiſſimè ſolent linguam ſpectare,quia eam eſſe viſcerum ſpeculum arbitrantur.

At hoc difficultatem inuoluit maximam: Quî enim fieri poteſt, vt ſanguis è venis in pleuræ ſubſtantiam effuſus,indéque reſudans,ac pulmonis ſubſtantiam penetrans,ad aſperáſque ipſius arterias detruſus,tuſſi adeò ruber,& integer excernatur? Dic. In thoracis regione, ob magnum calorem ſanguis affluens ſtatim caleſit, attenuatur, & ad pectoris cauitatem reſudatione transfunditur,indéque breuiſſimo tempore ob thoracis, & pulmonis motum continuum, per ipſius viſceris ſubſtantiam,& bronchia,ad aſperam vſque arteriam citiſſimè penetrat; non tamen omnino purus,ſed quaſi integer & inalteratus, natiuum adhuc ita retinet ruborem, vt à puro in venis contento illum diſtinguere ſit difficile. Neque dicas,quòd à venis excluſus ampliùs ſanguis non eſt, cùm ſolùm intra venas ſuam ſeruet formam,ex Ariſt.*3.de animal.2.* & 9.Nam illicò putrefit ex Hip. 6.*Aph.* 20.quia Ariſt.dictum intelligendum eſt, ac ſi ſanguis omni nutriendi facultate priuetur: nec enim nutrire poteſt, niſi ad oſcula venarum paulatim alteratus accedat, & in roris ſpeciem conuerſus apponatur, & aſſimiletur. Hippocraticum verò oraculum eſt veriſſimum,dummodò ſanguis per moram retentus intra partem affectam putrefiat,quod in pleuritide, aut pulmonia non accidit, quia breuiſſimo tempore reſudat, tranſmittitur, & expuitur.

Vtrùm ſputum nigrum melancholicam pleuritidem ſignificet? Humor enim craſſus, terreſtris, & ſiccus, duram, denſámque pleuræ ſubſtantiam penetrare nequit. Dic. Pleuritidem, cùm ſit inflammatio, à melancholia non oriri, ſed à ſanguine melancholico, qui ob adiunctam aliqualem tenuitatem & calorem, membranam etſi denſam peruadere poteſt: licèt non ſit negandum, à melancholico ſanguine, vtpote craſſiore rariſſimè pleuritidem originem ducere, cùm frequentiſſima cauſa ſit bilioſus ſanguis.

Vtrùm ſputum album & ſpumoſum, pleuritidis pituitoſæ ſit indicium? Nam pituita, humor lentus eſt, lentore adhæret, & ſic duram pleuræ ſubſtantiam penetrare nequit. Si verò ſanguis pituitoſus eſt, miror quomodo à rubedine ita poſſit exui, quin in pleuram reſudans, & excretus per tuſſim,aliquo modo non rubeſcat, & ita ſputum non erit album, neque ſpumæ colorem referet. Dic. Quòd pituita non confluit in

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 351 sur 927

pleuram, sed pituitosus sanguis, qui cùm minorem lentorem participet, penetrare potest. Exit autem sputum album, & à rubore, quem antea in corpore retinebat, orbatum, quia sanguinem natura ad sui alitionem summopere retinet: ita in superpurgationibus, postquàm alij humores violenter educuntur à medicamento purgante, solus sanguis ad extremum vsque retinetur, quem non nisi coacta, & lacessita exire permittit, ex Gal. 3. *simpl. cap.* 27. Hoc modo Vrina, licèt sit serum sanguinis, & aliorum humorum, quotidie excernitur flaua, & nulla rubedine infecta. Eadem ratione de bilioſa pleuritide, in qua flauum excernitur sputum, est dicendum.

Vtrùm exquisita pleuritis à flatu generari possit, & à falsa, spuriáque distinguatur? Inter causas pleuritidis veræ non comprehendi flatulentam materiam, ea est ratio, quia flatus non detinetur, sed facilè secedit ad inane pectoris, & licèt ibi aliquantisper immoretur, præmotu, & calore citò absumitur; in partibus autem externis ferè colligitur, & ob minorem calorem loci, non resolutus, diuturnos concitat dolores. Hoc modo in ventre medio magis infestat flatulentus dolor, quia aëre multo intrò, & extrà inficitur, & crassioris est carnis reliquis; & à defluxione à capite rheumatica opprimitur sæpe.

Ex cruditatibus plurimis, inquit Aëtius *tetrab. 2. serm. 4. cap. 68. & cibis humoris crassi, ac pituitosi, cuiusmodi sunt bulbi, ac fungi, & consimiles, crudi, viscosique, & tenaces humores in corpore generantur, qui aliquando repentè se in vacuum thoracis locum ingerunt, aut in ipsum etiam pulmonem. Multitudine itaque sua succingentem latera intrinsecùs membranam distendentes, inferunt dolores, vt imaginatio factæ inflammationis inexpertis exhibeatur: quinetiam vias spiritus intercipientes vehementem spirandi difficultatem inducunt, &c.* Possibile enim est, vt vitiosus, tenáxque humor, frigidus, sincerus, & impermixtus, in pleuram decumbat, & imputridus ibi adhæresçat, distendénsque flatu suo, dolorem, difficultatémque pariat ingentem: at partis raritate, tenuitate, ac calore illicò discutitur. Vtramque facilè distingues: Nam in exquisita & vera pleuritide, illa sese ostentant signa inseparabilia; in falsa, neque adest tussis, febris, pulsus durities, neque sitis, aut caloris acrimonia opprimunt ægrotantem.

Vtrùm ab hepatis inflammatione pleuritis distinguatur? celebri quadam Historia explicuit Galenus, 5. *de loc. cap.* 7. quam nos *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. Hstor.* 101. sumus interpretati. Ille enim *lib.* 2. *de loc. affect. cap.* 9. exactè speculatur, quo pacto indaganda sit affectio, & affectus locus, considerandúmque docet, num aliqua actio in corpore læsa appareat: Nam cùm certum sit, pati membrum omne cuius læditur actio, planè ex læsa actione pars affecta deprehendetur. Quoniam verò per consensum, aut proprietatem affici potest, ad læsionis modum iubet inspicere. Quemadmodum enim actio læsa in genere indicat affectum locum; ita species læsæ actionis, qualitatem affectionis: atque ideò per signa inquirendum est, num propria sit, an per consensum affectio; & si per consensum, cuiusnam partis: rursus num similaris sit, an instrumentalis; fiens adhuc, an fixa & stabilis, & sic de reliquis, per omnes affectionum species discurrendo.

Vt autem morbi speciem, à qua vitiatur actio, venemur, affectam particulam oportet intueri, diligentérque notare, num tumore aliquo, aut dolore infestetur, & cuius generis vnumquodque illorum sit: constat siquidem varias esse dolorum, ac tumorum differentias: Deinde ad aliud signum ab excretis desumptum progrediendum; contemplari enim oportet partis laborantis excrementa, qualia nempe sint, & quo colore infecta, crudáne, an mediocriter cocta. Vltrà, per quam expurgentur viam, (quo ipso indicium à situ significatur,) & num portio aliqua essentiæ ipsius affectæ excernatur: ab his siquidem omnibus accuratè consideratis, & affectio, & locus dignoscuntur.

Insuper attendendum, quænam corpori vniuerso, quæue singulis specialiter partibus in affecto loco incommoda, & detrimenta aduenerint, quæ vel ex actione læsa, vel colore vitiato, vel deprauata figura deprehendentur. Per huiusmodi verò nocumenta aliunde communicata, significatur signum illud postremũ, quòd è partibus consentientibus desumitur. Esse verò per signa illa discurrendum in affecti loci, & affectus inquisitione, nec sufficere aliquando vnum, vel alterum indicium, ad certam illorum cognitionem comparandam, *loco cit. de locis affectis* eleganter ostendit Galenus.

Et vt maiorem huius rei notitiam planam faciat, adducit in medium exemplum de lateris dolore circa nothas, spuriásue costas, ex quo sanè quamuis doloris modus, & situs, seu locus consentire videantur, non illicò tamen suspicandum est hominem pleuritide vexari: fieri siquidem potest vt ob iecoris phlegmonen dolor ille excitetur iuxta ipsas costas spurias, sub illis enim ex vtroque latere iecur latitat: nam quamuis in dextra potissimùm parte contineatur, *lib.* 4. *de vsu part. cap.* 7. maximam tamen inferioris septi sedis regionem occupat; totam siquidem illius dextram partem contingit, mediæ vniuersæ subtenditur, sinistræ verò licèt non tantùm, ei tamen incumbit vsque ad medium costarum spatium: ac proinde in sinistrum etiam latus pertingit, & ex vtroque latere sub nothis continetur costis, ac proinde ex iecoris inflammatione poterit in illis dolor vtrinque oriri. Quare non sufficit dolere latus iuxta spurias costas, ad hoc vt coniiciamus pleuritidem adesse.

Confugiendum ergo docet, ad indicium ab excreto desumptum, considerandúmque num tussiendo aliquid excernatur: si enim emittatur sputum coloratum, flauum nempe, aut rufum, pleuritidis certitudinem habebimus: materia enim in iecore contenta per medium septum resudare non potest, ad hoc vt per sputum educatur: nam etiamsi aliquando portio aliqua humoris ex iecore inflammato ad pulmonem, & thoracem transmittatur, perexigua tamen est, & quæ tussiendo pelli non potest, atque ideò sicca est tussis, 2. *progn.* 3.

Verùm quia fieri etiam potest, vt in pleuritide nihil expuatur, vel quia materia nimis cruda est, nimísque impacta, adeò vt nihil quod eiici possit, resudet, 2. *crit.* 10. vel quia notha est pleuritis: in illa enim cùm inflammatio thoracis musculos potissimùm occupet, nihil contenti humoris per asperam arteriam expuendo remittitur: Si cum costarum spuriarum dolore, tussis inuadat sicca, nondum discernere licebit, iecorísne, an pleuræ sit ipsa inflammatio, ac propterea ad alia signa recurrendum, quibus illarum partium phlegmonæ discernuntur, quorum Galenus citatis locis nonnulla recensèt, pulsum nimirum, qui in pleuritide durior est & minor, quàm in iecoris inflammatione; 4. *de caus. puls. cap.* 7. & 8.

Alterum signum, quo hi affectus inter se distinguuntur, est alui deiectio, quæ iecore inflammato subcruenta est, & loturæ carnis nonnunquam similis, videlicet quando inflammationi, virtutis sanguificæ debilitas coniungitur, 3. *de caus. sympt.* 2. & *lib.* 5. *de loc. cap.* 7. Vbi enim vis illa hepatis debilis & infirma existit, sanguinem exactum efficere non potest, sed incoctum, & imperfectum; vnde cogitur natura illum ad intestina remittere, tanquam serosum, & inelaboratum, parúmque vtilem ad membrorum nutritionem, atque ideò efficacissimum laborantis hepatis indicium. Quoniam tamen subcruenta hæc excrementa, non

semper

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 352 sur 927

©BIUM

ſemper iecore inflammato excernuntur, niſi detur affectus ille qui propriè iecorarius appellatur, in quo labaſcit vis illa quæ ſanguinem gignit; vbi nihil tale excernitur, ad exactam dignotionem vtile quidem erit dextrum hypochondrium tangere, & intueri; & ſi in illo tumor deprehendatur, dubium nullum relinquitur, phlegmonen occupare iecur: quòd ſi non inueniatur tumor, non ideò tamen iudicandum, à phlegmone immune eſſe, poſſibile ſiquidem eſt, vt vel iecoris cauo contineatur, vel in ea gibboſa parte, quæ ab ſpuriis contegitur coſtis; quare nullum tactui, vel aſpectui apparentem exhibet tumorem.

Adde quòd in hepatis inflammatione dolor non adeſt punctorius: tunc enim pleura primario affectu non laborat, ſed quandam potiùs experitur tenſionem, à grauitate, & contractione deorſum ab inflammato iecore ſuborta; qua detracta pungens non ſentitur dolor, ſed tenſiuus: Quare hac doloris differentia huiuſmodi affectiones facilè diſtinguuntur.

Vtrùm autem *facilis ſit diſtinctio pleuritidis à peripneumonia? citato 2. de loc.* explicat Galenus, dicens inflammati pulmonis indicia eſſe, ſpirandi difficultatem, cum tanta anguſtia, vt ſuffocari æger videatur, & nonniſi recta ceruice ſpirare poſſit, quod malum Orthopnœa ſolet appellari: Accidit autem in peripneumonia ingens hæc thoracis anguſtia, & multò maior quàm in pleuritide, propterea quòd pulmone inflammato bronchia anguſtantur nimis, quæ aëris ſunt receptacula. Inſuper peripneumonici calidiſſimum exhalant ſpiritum, ob nimium ſcilicet æſtum, quo pulmo ipſe affligitur; quare ad illum extinguendum, vehementer, crebróque expirare cupiunt, & multum, frigidúmque aërem attrahere, cuius tractione immenſus ille feruor quo æſtuant, miteſcit, ac ipſi meliùs habere videntur.

Præterea cùm tuſſiunt, ſputum modò hoc, modò illo colore infectum emittunt, & ſpuunt ſemper, quia cùm locus patens, laxúſque ſit, poteſt facilè contenta emittere; non ſic tamen ſemper pleuritici, in quibus ſæpe nihil expuitur, & quia crudus, nimiſque impactus humor expulſioni aliquando non paret, & quia nonnunquam, eo quòd in externis muſculis contineatur, non permeat, vt per ſputum expellatur.

Denique febrem habent acutam pulmonia laborantes, ob cordis vicinitatem, cui inflammati pulmonis calor communicatur: deinde grauitatem quandam thoraci incumbentem perſentiunt; ſimul & dolorem in pectore, & ſpina, quaſi ex profundo venientem: nimirum quia cùm ſeptum tranſuerſum valde ſenſibile ſit, & à diſtento, tumentique pulmone grauetur, ſentitur dolor veluti ab imo, in quo inſenſilis pulmo continetur, adueniens, & potiſſimùm quidem ad pectus, hoc eſt, anteriora thoracis, & ad ſpinam, id eſt poſteriora, quoniam hæc ſunt thoracis extrema, quibus ſeptum alligatur, atque ideò in illis magis percipitur dolor à pondere, & grauitate pulmonis, in medio thoracis locati, inductus. Vltimò vtriuſque affectus magna eſt differentia in pulſu: in pulmonia enim adeſt pulſus magnus, languidus, & inæqualis, 4. *de cauſ. pulſ. 12. & alibi*: in pleuritide verò manifeſta duities percipitur.

Maior tamen eſt difficultas, enucleare. *Vtrùm pleuritici acceſſiones tertianarias patiantur?* Id enim ſignificauit Galenus 1. *Aph.* 12. §. *Ac morbo quidem laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium diem acceſſiones fiunt*: quod etiam ſcribit, 2. *de diff. feb. cap. 9.* §. *Quare non procul à verò eſt exiſtimandum, ſanguinem ipſum nonnunquam in iis quæ inflammationem patiuntur particulis ſubire putredinem, ex quo quidem ſimpliciores, quam ex aliis humoribus febres fieri; acceſſionum verò proportionem in tertiano præcipuè circuitu aſſumere: Nam ita in iis qui laterum inflammationes patiuntur, eſt obſeruatum, quo tempore maximè rubrum expuunt, &c.* idem aſſerit, 1. *criſ. cap. 7.*

At hæc doctrina videtur dubia, & obſcura: quia febris quæ pleuriticos comitatur, maximè quando rubidum expuunt, eſt ſanguinea, ex Gal. *loc. cit.* cùm ſequatur ideam humoris inflammationem committentis; febris autem ſanguinea, eſt continens, nullum circuitum ſeruans, cuius vniuerſum tempus, vnica acceſſio eſt, quæ vel ſemper in eodem tenore perſiſtit, vel minuitur, vel augetur, donec iudicetur, ex Gal. 2. *feb. vlt. ad fin.* & 9. *meth.* 3. & 4. & hoc ſignificauit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 43. *ad fin.* dicens: *Et hæc quidem febris eſt continua, quæ non tepeſcit propter continuitatem materiei, & eius adhærentiam vſque ad criſim, & mortem.*

Dic febrem ſanguineam putridam, eſſe quodammodo biliоſam, quia, vt inquit Galenus 2. *criſ.* 12. *Sanguis cùm putreſcere cœpit, non amplius bonus remanet, ſed iam ad amaræ bilis naturam tranſit; Nam cùm putreſcit, illius pars tennior, & pinguior, leui alteratione vertitur in bilem, & cùm vlteriùs aduritur, vertitur pars craſſior in melancholiam*, ex Gal. 2. *feb.* 9. Quod tamen breuiore tempore fit, quando ſanguis putreſcit extra vaſa, tunc enim promptè in flauam bilem degenerat, quia cùm duplex putrefactionis cauſa ibi detur, nempe prohibita diffiatio, & quia non gubernatur à natura, maximè, & celeriter putreſcit: in venis verò etiam quando putreſcit, propriam formam longiore tempore ſeruat, quia tunc vnica ſolùm adeſt putrefactionis cauſa, impedita ſcilicet tranſpiratio.

Ob hanc cauſam febris ſanguinea, ex ſanguine ſolùm circa vaſa putreſcente, non aſſumit circuitus tertianarios, niſi poſt quartum, & aliquando nonniſi poſt ſeptimum; quod facilè probari poteſt ex hiſtoria iuuenis ſerui propoſita à Gal. 9. *meth.* 4. cui febris ex ſanguine putrido, vſque ad ſeptimum, ſine aliquo circuitu, perſeuerauit. At verò quando ſanguis putreſcit extra vaſa, nimirum quando febris ſanguinea habet ortum ex inflammatione, tunc ſtatim aſſumit circuitus tertianos: quare in pleuritide ſecunda acceſſio tertio die fit, vt *cap.* 7. *lib.* 1. *criſ.* dictauit Galenus.

Hoc modo eſt explicanda doctrina Auerrhoïs, *lib.* 4. *collig. cap.* 31. aſſerentis, *ex ſanguine putreſcente in venis, febrem generari, quæ nullum typum obſeruat, niſi quando fuerit propter apoſtema nominatum phlegmon, quod in aliquo membrorum principalium eſt exortum, ſicut in hepate, & in diaphragmate; quia tunc in hac febre apparent circuitus tertianarij, choleræ paroxyſmis perſimiles.*

Hanc fuiſſe Galeni mentem iudicabis, ſi illius verba exactè perpendas, *lib.* 9. *meth. cap.* 5. *ad princip.* dum ſic ait: *Quas ſi ſine putredine conſiſtant, ex diariarum eſſe genere dixi: ſin ijs putredo aliqua vel ab initio ſtatim, vel poſtmodum ſuperueniat, vbi in omnibus venis, ac præcipuè magnis ea conſiſtit, continentes excitari febres; vbi in vnica animalis parte, febres quæ certo ambitu accedunt, &c.* Quo loco per febres, quæ ex putredine ortum habent, quæque in vnica animalis parte conſiſtunt, non alias videtur intelligere, quàm illas quæ ex inflammatione alicuius partis internæ generantur, & ſunt febres ſanguineæ, quæ ſtatim circuitus habent: quæ ſolutio eſt valde conſona menti Galeni.

Vtrùm inflammatis internis muſculis intercoſtalibus maior dolor adſit, quàm inflammata pleura? diſſidium eſt. Dic, quod ex mente Rhaſij *de pleuritide*, maior, & vehementior eſt, quàm in exquiſita, in qua pleura primariò inflammatur. Nec immeritò: tum quia muſculi illi vtrinque à coſtis premuntur, & craſſiores cùm ſint, magis tument per morbum; tum quia pulſantem etiam dolorem patiuntur, qui in pleura non datur, quoniam arteriis vacat, vt *ſuprà* prædiximus.

Pleuritis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 353 sur 927

Pleuritis etiam sanguinea à bilioſa diſtinguitur ex ſputi colore: Nam in illa ſputum rubeſcit, in hac flaueſcit. In illa minor adeſt duritiei in pulſu, quia bilis calidior & ſiccior ſanguine cùm ſit, arteriam magis tendit, & indurat. Ex dolore quoque diſtinctio fit manifeſta, nam ex bile vehementior concitatur, quàm ex ſanguine. *Vtrùm autem hoc ſit verum?* expendendum eſt: Vbi enim fuerit maior continui ſolutio, maior dolor aderit, quia hæc doloris cauſa maxima cenſetur, 3. *ſimpl. cap.* 3, & 3. *de fract. com.* 34. At ſanguis confluens in partem, copia, & craſſitie ſua magis grauat, diſtendit, & maiorem tumorem concitat. Ergo, &c.

Attamen à bilioſo humore mordente, pungente, & irritante, vehementiorem dolorem concitari, quàm à ſanguineo replente, Galenus 12. *meth. cap.* 8. poſito exemplo in colico dolore à bile concitato, manifeſtè confirmat: humor enim bilioſus, tenuiſſimus cùm ſit, calidiſſimus acerrimus dolores, ingentiſſimos parit: ſanguis enim, aut pituita, mitiores ſunt humores, & magis benigni, & licèt grauent, non mordent; bilis verò intemperie ſua vellicat, & ferit.

Præſagium.

AB Arabibus quæſtio ſolet excitari: *Vtrùm ſiniſtra pleuritis ſit frequentior dextra?* Rhaſius 4. *continent.* 3. frequentiam tribuit læuæ, ob eam cauſam, quia dextra pars multò robuſtior eſt, calidior, atque adeò magis reſiſtit, & materias ad ipſam fluentes diſcutit, nec ita facilè patitur aceruari, vt inflamment. Sed obijcies, ſi eſt calidior pars dextra videtur ob proportionalitatem debere frequentiùs inflammari. Dic, quòd in ſiniſtra ob arteriæ aortæ calorem magis infeſtant fluxiones: calidior enim, & vberior ſanguis ſuapte natura excandeſcens, & ad hanc partem hac de cauſa confluens, inflammationes ſæpiculè parit.

Rogabis: *Vtrùm pleuritis dextra ſit periculoſior ſiniſtra?* Nos propoſitis pro vtraque parte validis argumentis *lib.* 2. *Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt.* 20. ſiniſtram eſſe acutiorem, & periculoſiorem determinauimus: Nam licèt in reliquo corpore ſiniſtra ferè omnia dicantur ignobiliora, ac infirmiora, prout docet Galenus in locis multis, & firmat Ariſt. 1. *de hiſt. animal. cap.* 15. atque etiam ſiniſtrum latus abſolutè frigidius ſit, & debilius, non tollit hoc, quominùs aliqua eius pars, nempe quæ prope nobiliſſimum cordis ſinum exiſtit, calidior, fortior, & nobilior habeatur, ſicut & venter ipſe ſiniſter, idque non modò ob qualitatiuum, ſed ob quantitatiuum, innatúmque calorem, ſpiritum copioſum, & plurimum arterialem ſanguinem aortæ, ac ſiniſtri ventriculi.

Licèt enim admittamus, maiorem ſanguinis copiam in dextra parte thoracis aceruari, quia tamen ille minùs calidus eſt, minúſque nobilis pars ipſa, minùs etiam periculosè inflammabit, nec fiet difficilior huius lateris curatio, ob magis aſſiduum huius lateris motum: tum quia laborantes, interim dum curantur, quieſcunt; tum quia ſuo faciliori motu, magiſque expedita contractione faciliùs materiam expellet.

Inquires deinde: *Vtrùm pleuritis ſicca aliquando periculum non inducat?* Dic, quòd licèt pleuritis ſicca, quam vocant incoctam, ferè vel celeriter hominem rapiat, vel longo tempore finiatur, ex Gal. 5. *de loc.* 3. quia humoris contumaciam, malignitatem, & virtutis debilitatem arguit, humorem noxium non potentis nec coquere, nec expellere, tamen aliquando, rarò tamen, ſi leuia ſymptomata infeſtent, & humor ſit paucus, & benignus, non eſt periculoſa, ex Rhaſio 4. *contin.* 4. nam humor à virtute forti attenuatur, vel inſenſibiliter exhalat.

Vtrùm pleuritis hyeme frequentiùs infeſtet? Si enim fit A à bilioſo humore, & hic æſtate generatur, & inſoleſcit, 1. *de natur. human.* 36. cur hyeme frequentiùs aduenit? Dic, pleuritides pituitoſas frequenter hyeme contingere, & hoc modo Hip. 3. *Aph.* 23. pleuritidem hyemi addixit, præſertim quæ à catarrhoſa defluxione originem ducit. Neque tam rarò bilioſa hyeme generantur, præſertim quibus ab autumno, & æſtate in corpore bilis retinetur, quæ deinde denſato corporis habitu, præ frigore ad internas ſedes repulſa, ad pleuramque corriuans, inflammationem huius partis inducit. Accedit, quòd thoracis membraneæ & ſenſiles partes, ab hyemali frigore læduntur valde; quare ob dolorem ex toto attractis humoribus, ſæpiſſimè inflammatione corripiuntur.

B Eſt etiam dubium; *Vtrùm pituitoſi rarò pleuritide corripiantur?* Annuit Hip. 6. *Aph.* 33. *Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.* Nam pleuritis frequenter fit à bile: *Ob hanc igitur cauſam, quibus pituita natura ſuperabundat, rarò à morbo laterali corripiuntur.* Quòd ſi accidit pituitoſis, non eſt magna. Videtur tamen, quòd ex improportionalitate ſit maior. Dic, maior eſt ſi fuerit bilioſa, ſed quia in pituitoſo creditur pituitoſa, ideò parua eſt.

Dubitabis: *Vtrùm iuuenes, inclinantes, vel ſenes frequenti pleuritidi magis ſint obnoxij?* Dic, verè ſenes minimè pleuritide corripiuntur, quia pituitoſi & frigidi; virides, frequentiùs, & ſunt illi qui iuuentutem iam tranſgreſſi, ætatem agunt conſiſtentiæ, ac declinare iam C incipiunt. Hoc ita eſſe profert Hip. 3. *Aph.* 30. *Vltra hanc ætatem* (hoc eſt, conſiſtentiæ) *progreſſis, aſthma,* (id eſt, creber anthelitus) *morbi laterales, &c.* Obiicies. Si iuuentus eſt ſanguinea, bilioſa, & in conſiſtentiæ ætate, calore iam mitiori facto, bilis à credo mitigatur, ac tenuitas deponitur, cur iuuentus pleuritidi non erit magis obnoxia? Dic dupliciter, primò: Bilis progenita in iuuentute, & relicta in corpore, nec diſcuſſa, acrior redditur, feruet, & ad pleuram confluens, pleuritidem committit: Contrà accidit in iuuentute, qua ætate bilis accreſcens à forti calore reſoluitur. Solue ſecundò: Morbi bilioſi frequentiùs accidunt in iuuentute, & æſtate, quàm in inclinante, & autumno, quia magis minuit bilem refrigeratio eius aliqua, & diminutio ex D tempore, quàm augeat malignitatem receſſus eius in profundum. Verùm quia morbi thoracis frequenter oriuntur ex immoderantia victus, cui æquè ſe exponunt inclinantes, ſed minùs tolerant, ideò frequentiùs inclinantes pleuritide premuntur.

Vtrùm fœmina viris frequentiùs pleuritide capiantur? Dic, minùs accidit fœminis, quia frigidiores, & crudo, ſeroſóque ſanguine magis abundant. Deinde ſunt humidiores, & in natura humidis non accreſcit bilis. Inſuper fœminis ſuperiora, minora ſunt, & minùs ſanguine turgent, 4. *de placit. cap.* 9. Denique patiuntur ſtatis circuitibus menſtruas purgationes, quarum ope inutilem ſanguinis copiam deponunt. Hinc fit, vt eæ minùs ægrotent maribus, ſicut & ſenes iuuenibus, licèt imbecilliores.

E *Vtrùm alui fluxus in pleuritide poſſit eſſe vtilis;* Auicenna 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 8. probat, dicens: *lienteria ſanat apoſtema lateris.* Nam ſi Hip. 6. *Aph.* 17. in morbis oculorum alui profluuium commendat, quia reuellit, & euacuat; pari ratione proderit in pleuritide, maximè cùm alui fluxus præſeruet à pleuritide, 6. *Aph.* 35. & eadem ſit ratio præſeruationis, & curationis, 4. *de ſanit. tuend.* 5. hæc enim vacuatio, quia fit per loca conſueta, 7. *meth. vlt.* ſummè à Galeno æſtimatur. Contrà docet Hip. 6. *Aph.* 16. *Pleuritide, & peripneumonia correpto, alui profluuium aduenies, malum.*

Plures reſoluunt hoc modo: Alui fluxus in fine, vel ſtatu aduenies, eſt prauus; hepar enim debilitari ſignificat: In principio, eſt vtilis, & eſt ſignum bonum. Quæ doctrina admitti non poteſt: Nam vacuatio

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 354 sur 927

©BIUM

cuatio in initio facta, reproba ferè eſt, ob cauſas multas præſcriptas à Galeno, 4. *Aph.* 22. quia facultas expultrix non ſolet expellere id quod moleſtat, niſi in fine perfectæ coctionis, humoris innoxij à noxio iam ſeparatione facta, vt docet Galenus 4. *de præſag. ex pulſib. vlt.* & 3. *de dieb. decret.* 2. *in med.* & euacuatio quæ accidit in ſtatu, præcedentibus ſignis coctionis reprobari non debet; quantumuis enim praua ſint ea quæ excernuntur, ſi bene exeant, debent commendari, vt voluit Hip. 4. *Aph.* 47.

A

Meſuës *cap. de pleuritide*, rectiùs ſoluit, cùm inquit: *In principio pleuritidis accidit alui fluxus duobus modis, vel ob copiam humoris, conſtante virtute, & potente vacuationi modum præſcribere, & tunc iuuat tanquam cauſa, & non vt ſignum; impetum enim humoris fluentis reuellit, & euacuat. Altero quidem modo, ob morbi vehementiam, & humoris multitudinem cum virium debilitate contingit, & hic reprobandus eſt, & non ſolùm vt ſignum, ſed vt cauſa eſt inutilis: deiicit enim vires citra verbi leuamen.* Rurſus in ſtatu etiam duobus modis contingit: vel enim ſigna adſunt coctionis, vt quando pleuritis eſt citra periculum, & iuuat, quia criſis ratione pleuritidis cauſa ſolet vacuari. Quòd ſi ſigna funeſta ſint, & exitioſa, nocet; ob magnitudinem enim, & malignitatem inflammationis, iecur & ventriculus debilitantur valde. Quare licèt in affectibus thoracis euacuatio per ſputum ſit conuenientior, ea tamen quæ fit per alui fluxum aliquando etiam vtilis eſt, ſi tempeſtivè, & præcedentibus ſignis coctionis celebretur.

B

C

De ſputo breuiter. *Vtrùm ad bonum ſputum plures ſint requiſitæ conditiones?* Dic, quòd ſicut vrina, vaſorum; & deiectio, ventris; ita ſputum, thoracis coctionem oſtendit, 1. *criſ.* 5. Diſtat hoc ſignum ab aliis, quia in reliquis ſufficit coctio excrementi ad ſalutem: in ſputo nonniſi addatur facilitas excreandi; quidam enim ex optimo ſputo retento mortui ſunt, 2. *progn.* 67. nam quandoque retinetur ob imbecillitatem expultricis, interdum ob craſſitiem ſputi cocti, 5. *de loc.* 2. *in fin.*

Coctio autem in ſputo ipſo, ex ſubſtantia, & colore potiſſimùm ſumitur, 2. *criſ.* 10. ſed ex figura, rotundum, calorem immodicum thoracis indicat; nam glutinoſa materia ideò etiam in ſanitate apparens, ad phthiſim parat, 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 36. Aduerte autem, quòd licèt pleuritis ſine ſputo, vel celeriter hominem rapit, vel longo temporis ſpatio coquitur, 5. *de loc. cit.* & 1. *acut.* 23. aliquando tamen ſignificat tenuitatem humoris, in quo ob paucitatem materiæ inſenſibiliter reſoluitur, ex Auic. *cap.* 4. *cit.*

D

Aduerte deinde, quòd licèt facilitas expuendi ſit optimum in bono ſputo; in malo non tollit malitiam, ex Auic. *cap.* 8. Vtiliùs tamen docuit Hip. 4. *Aph.* 47. & 2. *progn.* 51. quòd omne ſputum ſedans dolorem, bonum eſt, quia malæ excreationes omnes non ſunt ſimpliciter prauum ſignum, vel bonum, ſed ex tolerantia, vel modo excundi diiudicantur.

Quæres deinde: *Vtrùm rubrum ſputum, crudum ſit?* Dic, quòd non eſt optimum, quia ex 2. *prog.* 35. vnus humor, ſicut vnum elementum valde intemperat. Secundò, quia purus humor receſſit à multo calore, vel frigore. Tertiò, quia permixtæ excretiones magis expurgant corpus. Quartò, quia 1. *Aph.* 12. ſputum debet eſſe album, læue, conſiſtentiáque mediocre, non rubrum, aut alio colore infectum. Id probat Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 5. pleuritidis incrementum vocans, quando ſputum incipit remoueri à rubedine verſus albedinem, manifeſtè oſtendens, ſputum purè rubrum, crudum eſſe, quia morbus eſt in principio, & nullam coctionem admittit.

E

Neque obſtat primò, quòd ſanguis ſit cõcoctus, quia cùm protinus è vaſis excidit, & in locum inflammatum incidit, priſtinam bonitatem amittit, & alium naturæ cultum deſiderat. Non ſecundò, quòd Galenus *lib.* 2. *de criſ. cap.* 10. & *lib. de art. med. conſt.* 28. aſſerat ſanguinea ſpura, mitiſſima eſſe, quia ad alia, quæ cruda ſunt, collatione facta, eſt intelligendus: Reliqui enim humores, cùm vel per diminutam, vel ſuperfluam coctionem à mediocritate longè recedant, difficiliùs elaborantur, & cultum naturæ recipiunt: ſanguis verò cùm auctore Galeno 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. in medio illorum exiſtat, dulciſſimus eſt, & concoctu facillimus. Hoc ita eſſe palàm fecit Galenus 6. *epid. ſect.* 3. *com. vlt.* iuuenis hiſtoriam enarrans, qui pleuritide cum ſputis cruentis laborans, ſola victus ratione citra ſanguinis miſſionem ſanatus eſt.

F

Nec obſtat tertiò, quòd 2. *progn.* 46. inflammationes à ſanguine ſint benigniores, quàm ab vtraque bile: quia ibi confertur ſincerum ſincero. Non quartò, quòd *com.* 47. *cit. progn.* omnem ſincerum condemnat humorem dempto ſanguine: quia non ita damnatur, vt reddat morbum prauum, ſicut alij humores ſinceri reprobantur. Quare rubrum ſputum, etſi ſit mite, crudum tamen exiſtit.

Dubitabis: *Vtrùm ſputum nigrum ſit peius glutinoſo, viridi, ſpumoſo?* Quantum mali portendat color viridis excrementorum, ſatis probauit Galenus 1. *de criſib. cap.* 12. dum ſic ait: *Si morbus malignus extiterit, exiſtentibus alui excrementis, & vomitibus viridibus, poſtmodum nigri ſuperueniunt, &c.* Ex quibus verbis ſatis colligitur, viridis colores ſemper per malignum morbum apparere, & magno incendio generari, & nunquam ex refrigeratione oriri. Neque dicas, viridis coloris generationem, ſicut & nigri, cuius eſt principium, pariter à cauſa calida, & frigida ſuboriri: quia non ſemper per viridem ad nigrum itur, ſed tunc ſolùm quando ex calore, nigri generatio exiſtit: Nam ſi ex frigore in nigrum proficiſcatur, non per nigrum, ſed per liuidum via eſt. Adde viridem ſcreationem tantò eſſe viridi vomitione, & viridi vrina peiorem, quantò membra quæ intercluduntur thorace, præſtantiora ſunt, & cordi propinquiora, quàm venter, ac venæ.

Sputum ſpumoſum, prauum non eſt abſolutè, 1. *criſ.* 5. quia ſolam cruditatem, nullum verò aliud inſigne malum portendit; imò in pleuritide pituitoſæ defluxionis eſt indicium, 5. *de loc.* 3. Neque obſtat Hip. 2. *progn.* 46. hoc ſputum vehementer condemnans: nam de admodũ ſpumoſo eſt interpretandus, quod ab exurente calore generatur: cùm enim ſpumæ cauſa ſit flatus permixtus, & calor deurens: hic generat ſputamen admodum ſpumoſum, & prauum, flatus autem ſubſpumoſum, quod pituitoſum eſt, progignit. Separantur autem ſpumæ in ſputamine prauo, & crudo ſiue pituitoſo, quia in illo ſpuma ex immodico calore minima eſt, & diu durat; in hoc verò, contrà.

Sputum glutinoſum, prauum ex Hip. 2. *progn.* 46. ſcreatio glutinoſa, inutilis eſt. Porrò glutinoſum, 11. *meth.* 13. friabili contrarium eſt: eſt enim friabile, docente Ariſt. 4. *meteor. cap.* 8. quod in multas partes diuidi poteſt. Quare glutinoſum, tenax eſt, & in ſeſe cohærentiam habet, nec partem à parte ſeparari ſinit, idque ob permixtionem humidi aërei cum ſicco terreo. Quo fit vt viſcidum omne in genere craſſorum retineatur, quod ex craſſi, & tenuis definitione conſtat: Eſt enim tenue, 4. *ſimpl.* 2. quod celeriter in tenuia, & minima diſſolui poteſt: vel cuius ſubſtantia raritate, & laxitate ſua, per locos etiam anguſtos, & per vias arctiſſimas penetrare poteſt; craſſum, quod non poteſt, nec in partes minimas diſſolui: quale glutinoſum & viſcidum, vt pituita lenta, & diuerſorum ſeminum mucilagines, cydoniorum, Pſyllij, Althææ, Tragacanthæ, & ſimilium. Hoc ſputum, calorem aſſantem ſignificat, qui in pituitam agens, ipſam reddit viſcidam ac glutinoſam, diſſipata parte aquea, ac tenuiore.

Sputum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 355 sur 927

©BIUM

Sputum nigrum, pessimum est apud Hip. 2. *progn.* 51. A reperit Galenus 1. *crisi.* 5. qui hoc spuramen non solùm esse crudum, sed lethale asseuerat. Sed hoc videtur difficile: nam, vt *supra* prædiximus ex Galeno 2. *de loc. cap.* 9. & 5. *de loc. cap.* 3. hoc sputum ex humore melancholico generatur, quòd si in principio appareat, solùm cruditatem notat, & morbum in longius tempus producit. Dic, sputum nigrum in pleuritide, raro ex melancholico humore oritur naturali permixto sanguini; hic enim humor pleuram penetrare nequit, nisi assetur, extenuetur, & putrefiat, & in atram bilem conuertatur, quæ pernicioſissimus est humor, *lib. de atra bile, cap.* 6. *ad princip.* quod significauit Galenus *lib. de const. art. med. cap.* 16. *ad princip.* §. *principio enim in proposito exemplo melancholicus humor pernicioſissimus est, quoniam idem maximè malignus, plurimùm erodit, egrè* B *concoquitur, & expurgatur, tum quòd copioſissimi caloris index est, à quo assatus dicitur, &c.* Accedit, quòd ab humore bilioso, vel sanguine in inflammatione exassatis originem ducit, vt Galenus inquit *cit. de const. cap.* 15. §. *Quin & nigra etiam excreant, nonnunquam fluxione exassata, siue sanguinea, siue bilioſa fuerit, &c.* Quocirca sputum nigrum etiamsi ex aduſtione non oriatur, non solùm crudum, sed etiam lethale existit, quia fluxio melancholica est semper periculosa; constat enim ex humore terreno & crasso, qui nonnisi longo tempore concoquitur, & sic soluto difficilem affectionem committit, 2. *progn.* 46. Pleuritis verò morbus est acutus, & breuis, 1. *crisi.* 4. & 1. *acut.* 8. ac proinde citiùs finietur morbus, quàm hic humor peruicax concoquatur: quare æger necessariò occumbet. Igitur sputorum prauorum, nigrum est pessimum; non enim so- C lùm crudum est, sed etiam lethale.

Dubitandum: *Vtrùm coctio in vrina in pleuritide, certam salutem portendat?* Auicenna *cap.* 4. sic ait: *Bona vrina, bonam pleuritidem, mala, pessimam significat.* Licèt enim sputa indicent supra coctionem thoracis, & vrina supra dispositionem hepatis, & viarum vrinæ, 2. 1. *doct.* 3 *sum.* 2. *cap.* 1. in quarum partium affectibus illi præstanda fides, præsertim si febrem habeant adiunctam, 2. *progn.* 26 & 1. *Aph.* 12 & 1. *crisi.* 7. & *lib.* 3. *eiusdem cap.* 3. tamen in pleuritide gratia febris, coctio vrinæ certum est ad salutem præsagium; membrorum enim internorum robur, & imbecillitatem ostendit, 2. *feb.* 7, adeò vt 6. *epid. sect.* 1. *com.* 9. asserat Galenus, D tantam in febribus acutis vim esse signorum ex vrina, vt solis ipsis credendum, aliis verò simul iunctis, diuinationem firmissimam esse, & perpetuò veridicam. Quare in omnibus morbis, imò in pleuritide, vtile est contemplari vrinam, ex Gal. 3. *epid. sect.* 2. *com.* 6. Si enim prauæ sint, periculum augent; si bonæ, certam spem salutis præsagiunt.

Aduerte tamen rarissimè euenire, vt coctio sit in toto, in parte autem inflammata perseueret cruditas, vel putrefactio. Et adhuc rarius exemplum, quòd suppurata inflammatione, in vasis non adsit concoctio, 1. *epid. sect.* 2. *com.* 84. Quare longè rarissimum erit, quòd apparente coctione continua in vrina, in aliqua parte intra vasa sit cruditas, vel putrefactio. Causa deceptionis videtur, vel quia non considerant coctionem ap- E parere interpolatam, non continuam; vel quia credunt coctionis signa esse sedimentum album crassum, (crassities enim pendet ex humore crudo crasso) cum quo tamen accidit mors, 1. *epid. sect.* 3. *com.* 23. Si autem accidit in pestilentibus, vt coctio sit fallax, id euenit in humorali pestilente, per proprietatem deleteriam, propriam substantiam cordis corrumpente, non per qualitatem manifestam. Vniuersaliter autem nec cogitari potest post integram coctionem mors, 3. *crisi. cap.* 9.

Rogabis: *Vtrùm pleuritis autumno longior sit, quam æstate, aut vere?* Respondet Zoar *lib.* 1. *Theizir. tract.* 16. *cap.* 3. hoc modo. Pleuritis tempore frigido sicco, est diuturna; in contrario statu, breuior. Contrà est Aphorismus *septimus lib.* 3. *In siccitatibus febres acutæ fiunt*: subscribit Galenus *in com. Morbi in pluuiosis quidem temporibus fiunt febres, & longæ, nã aëris ambientis humiditas pituitosos acernat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates. Siccitas verò pauciores quidem humores efficit, sed qualitate bilioſiores, & ob hanc causam febres numero quidem sunt pauciores, quàm in temporibus pluuioſis, sed acutiores.* Dic, siccitas breuiores morbos efficit, finiendos per resolutionem, quia materiam minuit, quam humiditas auget: Vbi autem materia sensibiliter expellenda est, vt in pleuritide, & ophthalmia, morbos producit; coarctat enim poros, & excretionem prohibet.

Vtrùm pleuritis sit breuior in iuuene, puero, vel sene? Dic. Ex Auenzoare *loco cit.* breuiorem esse in iuuene, in puero, & sene tardiorem; in decrepito non concoqui. Contrà est textus eximius Galeni, 1. *epid. sect.* 2. *com.* 85. §. *Atque pueri quidem, & his etiam ætate proiectioribus penitus iudicatum quartodecimo die morbum refert: Nam ocyſsimè his digeritur, & concoquitur morborum causa, &c.* Solue primò. Pueri meliùs coquunt quàm iuuenes, & citiùs resoluunt, ob humidum molle multo calore permixtum, expellunt tamen imbecilliùs, 3. *de cauſ. sympt. vlt.* quia facultate animali robusta non pollent, quàm in tussi fortem expectamus: ideò videtur rectè dixisse Zoar, quòd pueri ex pleuritide tardiùs sanentur. Solue secundò, Pueri etsi valeant coctione, & citiùs resoluant, nihilominùs tamen disparitas est in humoribus: quia iuuenes ferè ex bile laborant, pueri ex pituita. Si autem in pueris morbi citò ad statum accesserunt, ea fuit causa, quia à valida puerorum vi naturali, crudi humores in genere venoso sunt concocti, & sic morbus breuior factus, quàm in iuuenibus: Nos autem de pleuritide loquimur, in qua oportet vt humor sit concoctus, & per tussim facilè excernatur.

Vtrùm hæmorrhagia pleuritidi familiaris? Gallenus appositè dubio respondet, *lib.* 3. *de crisib. cap.* 3. *in med. Non tamen lethargus, aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Inter ipſas autem pleuritis medium obtinet locum: minùs enim quam febris incendens, & phrenitis; magis autem, quàm peripneumonia profluuio sanguinis soluitur.* Phrenitis à tenui humore ortum ducit, membranæ cerebri affectæ viciniam habent cum narium venis, humor sua grauitate descendit, subtilitate sua aperit ora venarum. Hoc modo in febre ardente accidit hæmorrhagia, rescissis, ruptísque venis, 4. *acut.* 10. Cæterùm pleuritis, magis quàm peripneumonia, aut lethargus sanguinis è naribus profluuio soluitur: primò quia in illis morbis, venæ affecti loci non ita sunt propinquæ cum venis narium, vt venæ pleuræ. Deinde illi morbi ex crassis, & pituitosis humoribus generantur, qui ascensum impediunt, nec ora venarum recludere possunt, cùm tamen id in pleuritide contingat, quod insinuat Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 10. sub his verbis: *Et fluxus sanguinis narium non confert in peripneumonia, sicut in pleuritide, propter diuersitatem duarum materierum, &c.* quasi dicat, quia humor in peripneumonia ferè crassus est & pituitosus, ac proinde diuersus ab humore excitante pleuritidem, qui ferè tenuior esse solet. Accedit etiam ratio Auicennæ *loc. cit.* quòd attractio à pulmone longinquior sit, quàm à velamine, & panniculo pectoris, & eius lacertis, quod ex anatome venarum pectoris facilè patet.

Vtrùm pulsus valde durus in pleuritide mortem præsagiat: Auicenna *loc. cit. cap.* 4. pulsum parum durum, signum esse præstantissimum affirmat; significat enim paruam inflammationem, quæ parum tendit arteriam, vel quæ suppurat. Suppuratio enim mollit arteriam, è contrario nullus pleuriticus seruatus est cum pulsu valde duro, 5. *de præsag. ex pulsib.* 4. Quod ergo legitur,

4. *de*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 356 sur 927

4. de cauſ. puls. 7. magnam duritiem ſignificare, vel A tarditatem coctionis, vel empyema, vel tabitudinem, vel periculum intelligatur de non valde magna: ſuperior autem ſententia de valde dura.

Accedamus ad ſigna permutationis, quæramúſque: *Verùm permutatio pleuritidis in peripneumoniam ſit peſſima?* Hanc permutationem concedit Hippocrates *lib. 7. Aph. 11. A morbo laterali, inflammatio pulmonis, malum.* Contingit autem hæc permutatio, ex Galeno *in com. Quando non poteſt is qui morbum facit lateralem, in eo ſtis humor contineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur.* Neque dubites à pleura ad pulmonem poſſe humorem recurrere, quia humor extra vaſa impactus, ad ipſa, naturæ, & artis ope retrocedere poteſt: Hip. enim 7. *Aph.* 54. ſicait: *Quibus inter ventriculum, & ſeptum pituita repoſita eſt, & dolorem affert, non habens exitũ, neque ad alterũ* B *ventrem, his per venas ad veſicam pituita verſa ſoluitur morbus.* Hoc modo repellentium vſu humor in ambitu corporis infixus, ad intimas ſedes regurgitat, ex Gal. 13. *meth. 6. Vacuatur autem quod impletum eſt, non modò medicamentis is quæ digerunt, ſed etiam quæ adſtringunt, & refrigerant.* Hac ratione ob frigidi aëris repercuſſum exanthemata ad viſcera reſtagnant. Sic violenta attractione Mercurij, humor mucoſus & lentus, tenaciſſimè trophis Gallicanis impactus, refluit ad intima: nam humor per venas ad poros carneos fluens, tumorem effecturus, per eaſdem refluit ad ima: quomodo 2. *acut.* 10. venæ ſectionis ope ſanguis in parte inflammata conculcatus, & liuidus, exhauritur in pleuritide, loco ○ eius qui antea erat rubidus, & non ita in ſubnigrum C colorem mutatus.

Hanc tranſmutationem pleuritidis in peripneumoniam teſtatur carentia doloris: Nam punctorio dolore euaneſcente, alia ſigna pleuritidem comitantia vehementia ſua affligunt, tunc enim humor à membrana coſtas ſuccingente ad pulmones tranſlatus eſt, & cum maiori periculo, pleuriticus factus eſt peripneumonicus, quod ſignificauit Galenus *6. epid. ſect. 6. com. 8.* dum ſic ait: *Contrà verò non vtiliter phlegmone lateris in pulmonariam ſe conuertit.* Nam fit tranſitus humoris, à parte minùs nobili ad præſtantiſſimam. Hoc autem duobus modis poſſe fieri exiſtimo: vno ſugente pulmone, & humore permeante ex arteriis aſperis in læuiores, & reliquam carnem pulmonis: ſecundò, cùm humor à cerebro in pleuram delapſus reſoluitur, & D fluxurus procidit in pulmonem.

Pleuritis ſolet terminari quatuor modis, videlicet reſolutione, ſuppuratione, induratione, vel corruptione. Hæc poſtrema, peſſima eſt: nam ob malitiam humoris, & partis imbecillitatem nimiam, inflammatio conuerſa eſt in ſphacelum. Induratio, rariſſima eſt: pleuritis enim fit in loco calido, & ab humore calido, reſolutioni apto. Reſolutio accidit, quando vires valent, & humor paucus eſt, ac tenuis, & inſenſibiliter diſcutitur, præſertim quando vniuerſalia remedia præcedunt, vel quum cauſa pleuritidis paulatim reſudans, per ſputum expurgatur, quæ vacuatio ſummè excellit, quia ſecretio conueniens eſt euacuatio pro repurgandis thorace, & pulmone. Ita dixit Auic. 10. 3. *tract. 5. cap. 2. Oportet vt ſit magnifica intentio, ad hoc vt ſputum facilè fiat.* E

Suppuratio, media eſt: neque enim eſt ſimpliciter praua, vt cæteræ, neque laudabilis, vt reſolutio, quæ terminatio cæteris præſtat, *lib. de inæqual. intemp. cap.* 3. fit enim cum minori noxa, & humorem benigniorem, & partem rubuſtiorem oſtendit. Suppuratio fit, monente Hip. *2. progn. 52. quando dolores ex his ſedibus non deſinunt, neque ſecretionũ purgationibus, neque ventris ſubductionibus, neque venæ inciſionibus, ac medicamentis, & victus rationibus, in ſuppurationem verti ſciendũ eſt*: materia enim calida, in loco calido detenta, ſi non reſoluitur, aut expurgatur, neceſſariò debet concoqui, & in pus verti. Hippocrates *lib. 5. Aph. 8.* præfinit tempus conuerſionis pleuritidis ad ſuppurationem, & docet eſſe ſpatium quatuordecim dierum, quia eſt terminus morborum acutorum, (*2. Aph. 23.*) *Quicunque igitur morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur. Verùm* autem *dies conuerſionis pleuritidis ad ſuppurationem, debeant numerari ab initio pleuritidis, an ſputi?* grauis eſt controuerſia inter auctores. Nam iuxta doctrinam Hippocratis, cùm pleuritis ſit morbus acutus, numeratur à tempore quo fit dolor, non à die quo incepit ſputum; quod confirmat apertè Hip. *eodem lib. 4. Aph. 15.* dicens: *Quicunque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus repurgantur, à die quo fit ruptio, liberantur; ſi verò non, ad tabem tranſeunt.* Quam ſententiam enarrans Galenus *in com.* inquit: *Niſi vtplurimùm in quadraginta diebus puris euacuatio fiat, per ſputiones purgati, neceſſe eſt pulmones exedi, pure proceſſu temporis putreſcente. Morbo igitur laterali diem decimumquartum poſuit purgationis, ſuppurationis autem quadraginta.* Vtrumque enim continget, & pleuriticis ſuppuratio, & ſuppuratis tabes, niſi in prædictis diebus copioſa fiat humorum per ſputiones expurgatio.

Contra hanc ſententiam obſtat Hiſtoria illa celebris Anaxionis, prolata ab ipſo Hip. *3. epid. ſect. 3. text. 79.* cui pleuritis non fuit terminata decimaquarta die purgatione per ſputum, quæ ad ſuppurationem non fuit conuerſa, ſed potiùs ſecretione, & ſudore trigeſima quarta iudicata. Neque reſpõdeas, pleuritidem Anaxionis fuiſſe pituitoſam, quæ ob humoris contumaciam ad expurgationem, & ſuppurationem longo tempore indiget, Hippocratem autem intelligendũ eſſe de pleuritide exquiſita, quæ cùm ſanguinea, aut bilioſa ſit, ſi non diſſoluitur, aut expurgatur, intra decimumquartũ diem debet ſuppurari. Sed hæc ſolutio non eſt vera, nec ad mentem Hippocratis prolata: Si enim ab ipſo recitata ſymptomata, quibus preſſus fuit Anaxion, contempleris, illius pleuritidem fuiſſe bilioſam iudicabis. Neque placet, ſi aſſeras pleuritidem Anaxionis in quatuordecim diebus fuiſſe repurgatam, quia cœpit expuere decimo ſeptimo: Nã hæc aſſertio eſt cõtra Hip. contextum, quia Anaxion vndecimo die cœpit expuere; ita enim ait Hippocrates: *Vndecimo quæ à pulmone exibant, erant humidiora, & liquidiora*: firmat Galenus 1. *criſ.* 18. quo loco hãc hiſtoriam interpretatur, & inquit: *Vndecimus dies in Anaxione debilem, & obſcuram habuit concoctionem.* Hæc enim mutationẽ, quæ fit à non ſpuere, ad ſpuere liquidiora & humidiora, manifeſtè oſtendit, vt *in principio capitis* idem Galenus docuit.

Dic ergo, quòd quãdo initium repurgationis neque ante decimũ quartũ, neq; in decimoquarto incepit, tũc neceſſariò ſuppuratur pleuritis. Quòd ſi repurgatio per ſputũ cœperit ante decimumquartum diem, aut in ipſo decimoquarto, non ſolet ſuppurari, pleuritis enim quæ ſemel incepit reſolui, ſuppurari non ſolet. Neque neceſſariũ eſt in pleuritide quæ reſoluitur, vt repurgatio fiat ante decimumquartũ diem; nã poteſt extendi vſque ad decimum ſeptimũ, vel trigeſimũ, vel trigeſimũ quartũ. Pleuritis autem Anaxionis non eſt ſuppurata, quia initiũ repurgationis cœpit à duodecimo, & decimo ſeptimo manifeſtã habuit concoctionem; ideò vigeſimo die imperfecta criſis fuit cõſequuta: qua de cauſa vigeſimo paſſus recidiuã; & quia ab illo die perfectã habuit cõcoctionẽ, ideò ſudore, & ſecretione die trigeſimo quarto perfectè fuit liberatus. Ex quibus, & Hiſtoriæ huius explicatione cõſtat, pleuriticos ſuppurari, niſi in quatuor decim diebus repurgẽtur, facta cõnumeratione non à primo morbi initio, ſed ab illo à quo repurgari cœperũt.

Curatio.

AEr ſit temperatus: valde enim frigidus, pectori inimicus, 5. *Aph.* 24. nam dolorem, & inflammationem incurabilem facit, *ex textu* 20. *antecedenti.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 357 sur 927

©BIUM

Somnus, quàm vigilia longior sit, quia maximè dolorem lenit, & coquit. Quies corporis, & animi pluimũ confert. De situ iacendi in lecto, dubium est: *Vtrùm pleuritici super latus egrum, an oppositum debeant cubare?* Respondet Auicenna *loc. cit. c. 3. & 4.* quòd *situs cubandi durante fluxu, super latus oppositum; cessante autem, super latus egrum, esi ex multiplicantibus sputum*: Nã magis cocto humore, magis resudat, & magis calefacta pars plus rarescit: quæ causæ videntur potiores, quã aliorum existimantium, quòd post statum satius sit iacere super sanũ, quia pendens rumor magis resudat, & comprimens pulmonem, plus expultricem irritat.

De quantitate alimenti, aliqua notanda. *Vtrùm sint plures indicationes, quantitatem alimenti in pleuritide variantes?* Quomodo varietur ex morbo alimentum, præclarè ostendit Hip. 1. *acut.* 19. Ex natura etiam ægri variatur, 1. *acut. com.* 44. Qui constat poris densis, magis tolerat famem, tum quia minùs resoluitur, tum quia pleutridi est magis obnoxius; sicut è contrario raritas pororum non solùm in bilioso, sed etiam in homine exuberantis carnis, cogit ad cibi exhibitionem, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8.

Qui latis venis sunt præditi, licèt sint naturaliter calidi, 2. *de temp.* 3. meliùs tenuem diætam ferunt; magis enim facit abundantia sanguinis quam habent, ad tolerandam inanitionem, quàm calor ad inaniendum. Plurimùm etiam ad victum facit consuetudo, à qua indicatio sumitur, 8. *meth. cap.* 9. Senes tenuem victum bellè ferunt, 1. *Aph.* 13. inter alias ætates, maximè impatiens puerilis. Ergo ab initio præscribẽdus est victus, iuxta distantiam status, ne prope vigorem incrassare cogamur, quod vitium in priscis Medicis reprobarunt Hip. & Gal. 1. *acut.* 19. & *lib.* 2. *com.* 18.

Vtrùm autem *in pleuritide, apparente sputo, crassius cibandum?* Affirmatiuè respondet Hippocrates 1. *acut.* 23. dum in pleuritide quamprimùm os madescit, augeri alimentum præcipit: Nam in morbis, in quibus symptomata, & coctio proportionabiliter augentur, seruandum est Hippocratis præceptum, 1. *Aph.* 8. *Quando morbus in suo vigore constiterit, tenuissimo victu vtendum est.* In pleuritide autem ante statũ, cùm incipit apparere sputum, alimentũ augendum: nam indicium est morbum esse mitiorem, quàm si foret siccus, in quo minor tenuitas necessaria est. Deinde. Peculiare est pleuritidi, excretio à facultate voluntaria per impetũ operante, quæ in statu debilior cæteris existit, 2. *Aph.* 29. *in fin.* quia requirit spiritum in maiori copia, & magis tenuem: quare exigitur robur ex cibo præstitũ ad spuendum; ideò præfertur ptissana mulsæ in pleuritide, 1. *acut.* 13. neque accrescet copia humoris ex oblato cibo, quia, vt ait Auic. *loc. cit. cap.* 2. sputum facit ægros securos à multitudine materiæ. Lege quæ in hanc rem diximus, *lib.* 2. *Hist. Princip. Med. in com. Hist.* 92.

De qualitate alimenti, monet Celsus *lib.* 4. *cap.* 6. vt sit lene, carens acrimonia, adstrictione, & asperitate: hoc enim sputum madefacit, humorem attenuat mediocriter, ac maximè facultatem roborat. Quare in pleuritide simpliciter acuta, quæ quatuordecim diebus finiri debet, victus ratio hac ratione instituatur, vt ad quartum diem victus tenuior sit, quàm postea: nam in omnibus inflammationibus, qualis est pleuritis, in principio tenuissimè cibandum, 6. *meth. cap.* 5. In his ergo concedi potest aqua hordei cum saccharo, cucurbita, vel poma redolentia saccharo condita, vel assa. A quarto vsque ad septimum, vtile est ius pulli, aut gallinæ, vitellus oui. Post septimum alimenta in maiori quantitate offerenda.

Prisci primum locum concedebant ptissanæ, vt constat ex Hip. 1. *acut.* 18. & alibi passim, cuius facultates mirificè extollit Galenus *lib.* 8. *meth. cap.* 2. *in med.* refrigerat, humectat, non adstringit, non malè turbat, sitim leuat, non inflat, mouet aluum, sputum prouocat, somnum conciliat, demum est commodissimus cibus, & non solùm in febribus biliosis, & sanguineis, sed in internis inflammationibus vtilissimus. Non enim tantummodò lenit, & abstergit, sed concoquit, deobstruit, sudorem prouocat, facilis est coctionis, & distributionis, optimi est succi, putrentem humorem corrigit, semiputridum ad benignitatem naturæ reducit, & alias dotes sortitur, quas Galenus *lib. de bonit. ptissanæ, fere per totum* enarrat eloquenter.

At quæres: *Vtrùm aliquando ptissana in pleuritide reprobanda?* Hippocrates respondet hoc modo, 1. *acut.* 33. *Praterea, si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non procedit, sed summè citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem, vel alui emollitione, vel secta vena, pro vtriusuis exigentia, soluerit, ptissanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem*: & Galenus iisdem verbis confirmat *in com.*

Dic, aliquando in pleuritide prohibetur ptissana tota, de qua *cit. acut.* intelligendus Hippocrates, quia multùm nutrit in principio, & naturam à coctione disturbat. Reprobatur etiam, si nimia sit repletio in intestinis, aut vasis, quia abstersione sua defert humores, & in iis partibus obstructionem auget & dolorem; quare tunc necesse est, vt præcedat phlebotomia, aut lenitio ventris, ex Gal. 8. *meth.* 4. Interdicitur etiam, si solita sit in ventriculo assumentis acescere, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. vel si odio fuerit ægrotanti. Quare 1. *acut.* 27. loco eius, pisces saxatiles concedit, ex anetho, aqua, & porro paratos, sic enim condita, iucundior est, facilè coquitur, & distribuitur, 1. *de alim. facult. cap.* 9. & 10. *meth.* 11. quæ condimenta in modica quantitate permisceri debent, 8. *meth.* 5. *post. med.* cùm illa suis viribus sint aduersa morbis acutis, & ptissanam noxiam, & inutilem reddant. Hac ratione 1. *de alim. facult. cit.* condemnat Galenus veteres, qui ptissanæ permiscebant sarurejam, pulegium, cyminum, sapam, & mel.

Inquires: *Vtrùm ptissana in pleuritide sit præstantior farre?* In communi vsu iam ptissana non est recepta, nec ea quæ tota dicitur, aut hordeacea, qualis est non colata; nec cremor ptissanæ, quæ erat ptissana colata: sed loco illius vtimur farre, quod nihil aliud est, quàm hordeum decorticatum, & in partes crassiores comminutum; vel vtimur farina hordei leuiter in furno decocta, addito butyro recenti, saccharo, iure gallinæ, vel cremore amygdalarum dulcium, aut seminum frigidorum, ægris propinamus. Licèt autem hæ pultes vtiles sint pleuriticis, crassiores sunt, & non ita facilè à debili ægrotantis calore coquuntur; quare illis ptissana præferenda est.

Ptissana ex hordeo parata, cæteris frumentaceis gustamentis summopere antecellit. Dubitabis tamen: *Vtrùm ptissanæ ex hordeo confectæ sit anteponenda triticea?* Nam hæc magis consueta est, absque læsione nutrit, & naturæ nostræ simillima. At in sanis hoc verum est, in ægris noxas parit inemendabiles, & maximè in pleuritide: farina enim tritici obstruit, & copiosiùs nutrit quàm acutis conueniat. Lege Arist. 1. *probl.* 37. At instabis: sit tot laudes attribuuntur ptissanæ hordeaceæ, cur in acutis panis hordeaceus, cibus non erit optimus? Dic, nimiùm inter se distare ptissanam, & hordeum, vt colligitur ex Auic. 2. *canon. cap.* 530. hoc enim valde inflat, ac difficilè coquitur; ptissana per completam mixtionem & coctionem, totam flatulentiam deponit: Insuper viscositas eius est læuis, quare per tempus sufficiens ad coquendum, ventriculo lentore modico, adhæret, nec acrium, acidorum, aut acerborum instar, naturam molestat.

Vtrùm in pleuritide ptissana humorem ex thorace abstergat? meritò propones. Concedit Hip. 1. *acut.* 18. *Et si quid ablui eget probè abluit.* Antiquus codex legit: *& si quid excerni eget, facilè ipsa excernit.* Si ergo cibus, aut excrementa sint in ventre, vt Galenus ait: *in com.* aut spiritu

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 358 sur 927

ſpiritalibus partibus infarcta, ea ſubducit. Qui tamen facultate id faciat, dubium eſt. Neque enim qua frigida, neque qua humida, ſic enim humidum omne abſtergeret. Similis diſceptatio poteſt inſtitui de melone, cuius ſemina cùm frigidiſſima ſint, & humida, adeò tamen abſtergere arbitratur Galenus, vt ad abſtergendos renes, ſabuloſamque ſubſtantiam repurgandam, ea concedat *lib. 2. alim. cap. 4.* Quare in his frigidis rebus, aliquæ ſemper exiguæ portiones calidæ inſunt, in quibus abſtergendi virtus ſita eſt. Experimentum firmat manifeſtum: ex hordeo enim mirabilia ſolent fieri medicamenta ad faciem decorandam, quæ lentigines, alphos, cutíſque vniuerſæ pædorem, nævos & ſcabritiem delent.

Vtrùm Mulſa & Apomel in pleuritide concedi poſſint? Hippocrates offert, 1. *acut.* 22. dum ſic ait: *Nempe ſi morbus ſiccior, quàm vt quiſpiam exiſtimet, fuerit, non multum dare oportet, ſed ante ſorbitionem, vel mulſam, vel vinum, vtrum magis congruat, propinare conuenit.* Deinde 3. *acut.* 10. & 13. eam commendat Hipp. quia pulmonem emollit, ſputum facilè educit, & tuſſes mitigat; habet enim, auctore Galeno *in com.* vim quandam extergendi, detergendique: quare prouocat aluum, ac mouet vrinam.

Ex altera parte Mulſa ratione mellis inflammat, quia in bilem conuertitur, febrem exacuit, bilem proritat, & attenuat, ſanguinem calefacit, viſcera incendit: Ratione aquæ, humoris morbifici impedit expulſionem, quia aqua (3. *acut.* 40.) difficulter deſcendit, diúque moratur, crudiorem humorem reddit, ferit pectus, impedit vrinam, aluum retinet.

Reſponde hoc modo. Apomeli optimum (inquit Galenus 4. *de ſanit. cap. 6.*) ex aqua conficitur, bibitúrque tota æſtate refrigerantis vice. Fit deinde, vt ait Paulus *lib. 7. cap. 15.* ex fauis mellis ablutis, & inde in aqua copioſa decoctis, & vires præſtat à mulſa non diſſimiles. Deinde Mulſa, quæ melicratum, hydromel, & aqua mellis vocatur, ratione mellis nutrit, eſt tamen nutrimenti pauci, & ideò victus eſt tenuiſſimus, & non roborat virtutem, vt ipſa efflagitat, ex Gal. 3. *acut.* 17. cum hoc tamen, noxas aquæ fugit, & magnas virtutes acquirit, 3. *acut.* 13. eſt enim ad craſſos humores extenuandos, abſtergendos lentos, reſerandas obſtructiones, & vacuationes promouendas, medicamen optimũ, 8. *meth.* 4. abſtergit renes, calculi generationem impedit, articulorum, neruorum, & cerebri vitiis remedio eſt, & loco vini, auctore Meſuë *tit. de mulſa*, in iis affectibus conceditur.

Mulſa, vel eſt ſimplex, vel compoſita: illa dicitur, quæ ex melle, & aqua conſtat. Compoſita appellatur, quæ præter mel, & aquam, alia aromata & medicamenta in ſe admittit. Rurſus Mulſa, alia eſt diluta, alia meraca: Illa dicitur, quando ex vna parte mellis, & octo partibus aquæ componitur; quando verò ex duabus partibus mellis, & octo partibus aquæ, meraca appellatur. Inſuper Mulſa, alia eſt cruda, alia cocta. Illa vocatur, quæ parum decocta eſt, & quando ſolis calore mel cum aqua miſcetur; quum autem calore ignis eſt maximè cocta, tunc nominatur cocta: inter quas, magnam differentiam conſtituit Galenus. 12. *meth. cap. 3. in med.* cruda enim minùs nutrit, quia plus continet aquæ, magis tamen aluum ſubducit; cocta autem minùs ventrem mouet, ſed magis nutrit, vel enim per coctionem, acrimoniam amittit, & mitius redditur, vt Galenus docet 7. *ſimpl. cap. de melle.* Cocta minùs flatuoſa exiſtit, coctionis enim ope aquæ vitia ampliùs corriguntur.

Igitur Hippocrates in pleuritide mulſam propinat aquoſam, quæ incendere corpus nequit, præſertim ſi ſit pituitoſa, & ex defluxione catarrhoſa ſuborta: nam pituitoſum humorem concoquit, & per ſputum educit; pulmonem enim mollit, tuſſem mitigat, & ſuauiter detergit, ex Gal. 3 *acut.* 10. *Mulſa verò, & præſertim aquoſa, deterſoria, quæ minima ſit, participat facultate:* quod etiam probat Hip. *text. ſequenti* 23. Porrò licèt poſſint ſeorſim condemnari, aqua, & melin pleuritide: illa, quia aqua frigiditate ſua ſputum retinet; mel verò bilioſum humorem exacuit, & corpus acuta febri vexatum ampliùs inflammat; tamen permixta proſunt, hoc enim in plurimis medicamentis palàm conſpicimus, quæ etſi ex venenoſis rebus componantur, ſumpta tamen poſt fermentationem, non ſolùm non lædunt, ſed contra venenum mirificè proſunt, vt in theriacâ patet manifeſtè. Hoc modo aquæ frigiditas cũ mellis caliditate cõjuncta, tertiũ quoddã efficiunt, pro curãdis morbis ſiccis, & expectorando humore quàm aptiſſimum.

Oxymel etiam ad ſputi prouocationem, vtrùm concedi poſſit? dubitandum. Nam Hip. 3 *acut.* 24. laudat, dum inquit: *Oxymeli vocatum potum ſæpius quidem in his morbis commoditatem habere reperies, nam ſputum educit, & facilem reddit ſpirationem, ſitim ſedat, qua occaſione hypochondrio, viſceribúſque eſt benevolum, melliſque inhibet noxas, nempe quod in melle bilioſam eſt, caſtigat.* Sed hoc videtur difficile: Nam oxymel aceti ratione abradit inteſtina, exulcerat, & partes neruoſas maximè lædit 3. *acut.* 33. & 34.

Dic. Oxymel præter mulſam, continet acetum, ex Galeno 3. *acut.* 24. § *Non enim ex aceti, melliſque mixtione tantùm oxymelitis eſt compoſitio, verùm ex mulſa paulum aceti accipiente:* & ſequitur Meſuës, relicta compoſitione Dioſcoridis, *cap. de aceto mulſo*, paratúrque ex partibus quatuor aquæ, mellis duabus, & vna aceti. Hoc medicamentum præſtat victum tenuiſſimum, licèt aliquantulum magis mulſa nutriat, quia maiorem mellis ſuſcipit quantitatem: illâ tamen eſt efficacius ad extenuandum, abſtergendum, incîdendum, & reſerandum, ex Gal. 8. *meth.* 4. & 11. *lib. cap.* 11. vacuationes promouet, gratum eſt viſceribus, non calefacit, nec inflammat, non bileſcit, non corrumpitur, imò ſine noxa repurgat. Quare in pleuritide, ab humore præſertim craſſiuſculo ſuborta, tutè concedi poteſt.

Si autem abradit, & eſt valde acre, quòd maiorem aceti quantitatem recipiat, horum omnium nihil mediocre facit: nam ſputum non educit, ſed viſcoſum reddit, affertque detrimentum, ex Hip. 3 *acut.* 26. quia vt ſecandi vim habet, ita & exiccandi, ex Gal. *in com.* Vtendum autem illo in craſſis pulmonis ſputis, non tanquam exiccante, ſed tanquam incîdente, & detergente; ſic enim habet Galenus 3. *acut.* 10. *Ad glutinoſum ſiquidem ſputum, medicamentum vehementer abſtergere oportet, quod glutinoſum eum qui bronchiis pulmonis inhæret, detergere poſſit humorem. Quòd ſi talis quiſpiam in thoracis, pulmoniſque medio aceruatus fuerit, iam & maior, vt probè expuatur, tum inciſoria, tum deterſoria virtutis eſt neceſſitas, quæ id à ſuccingente coſtas membrana detergat, diſſecet, & tenuet: Nam fieri non poteſt, vt talis humor aliter per membranam quæ viſcus ambit, ad pulmonis bronchia transferatur.* Quare ex arte faciet, qui oxymel pleuriticis in potum exhibet cum ſyrupis expectorantibus permixtum; crudum enim humorem ſecat, & coquit, lentum per ſputum feciliter expurgat.

Vtrùm ſemina frigida maiora huic affectui vtilia ſint? Laudantur hæc vulgò in febre arida & valida, permixta vel ptiſſanæ, vel lacti amygdalino, vt pote ſemina citruli, Melonum, Cucurbitæ, & Cucumeris. Verùm cùm ſint, apud Galenum, ſicca in ſecundo, vſus illorum in morbis thoracis non videtur valde rationalis: imò nocuus, ſicut & alia diuretica: pectoris enim humorem incraſſant, apud Galenum *lib. 5. ſimpl. 13. de vrinam cientibus*, dum ſic ait: *Quamobrem puris ex thorace expuitioni ea omnia aduerſa ſunt, quippe cùm natura eorum ſit, vt modò dictum eſt, tum excalfactoria, exiccatoriáque, tum etiam ſecretoria, & coarctatoria, &c.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 359 sur 927

©BIUM

Vtrùm oua in pleuritide concedenda? Sanè videtur quòd vtilia sint: ea enim ratione alicuius excellentis qualitatis non lædunt, ferè enim temperata sunt, & parum ad caliditatem declinant, ex Gal. 11. *simp. tit. de ouis*, nec ratione suæ substantiæ, solùm enim quæ indurata sunt condemnat Gal. *lib. de bonit. & vit. succor. cap.* 4. mollia autem, vtpote boni succi, approbat, quod fecit *lib.* 1. *acut. com.* 27. 3. *Verbi gratia, ouis, &c.*

Dic. Oua distinguenda sunt, ex Gal. 3. *de alim. facult. cap.* 22. penes substantiam, tempus, & coctionis modum. Iccircò gallinarum oua præstantissima; anserum deteriora. Recentia excellunt; vetusta reprobantur. Cocta in aqua præferuntur assis, & frixis; & inter cocta, tremula, & sorbilia: indurata verò pessima. His dotibus prædita oua, etsi in morbis acutis vtilia sint, tamen in principio pleuritidis nocent, quia plenum victum præstant, 1. *Aph.* 4. Si verò prope statum vires sint deiectæ, & sputum educatur, sunt offerenda roborant enim facultatem, præsertim animalem, vt excernendo humori inposterũ sufficiat. In hũc vsum offert Aëtius in pleuritide columbas, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *c.* 67. & Trallianus *lib.* 2. *cap.* 1. *de pleuritide*, vinum, & ius gallinæ concedit, cum Celso *lib.* 4. *cap.* 6. Hoc autem intelligas de oui vitello: albumen enim noxium est; nam præterquam quòd ægrè concoquitur, ex Gal. 12. *meth. c.* 6. & ægrotantis debili ventriculo negotium facessit, frigiditate sua, & adstrictione, humorem excernendum per sputum retinet, & incrassat. Quare *loc. nuper. cit. meth.* pro curanda syncope sic ait: *Dabis verò aliquando ius ouæ, præcipuèque eorum vitellos: virtutem enim miranduin in modum reficillant.* Quòd si Galenus 1. *acut.* 18. *prope finem*, oua stomachum languentibus ipsis subuertere affirmat, de ouis præparatis cum speciebus condientibus, quæ diuersimodè ipsum perturbant, est intelligendus, vt in correctis codicibus anima dubitatur.

Vtrùm Testiculi gallorum pleuriticis offerendi? Affirmatiuè respondet Galenus 1. *acut.* 27. *Quod neque alteri cuipiam ineſt illorum, quæ Medici languentibus dare consueuerunt, verbi gratia ouis, gallorum testiculis, &c.* Nec immeritò, nam gallorum iuuenum testes, sunt præstantissimi, plurimi alimenti, & selecti succi, ac coctionis facilis, præsertim si lacte sint alti; his enim ad roborandas vires summoperè prosunt: Quare 12. *meth.* 6. syncope correptis concedit, & 1. *ad Glauc. cap.* 9. *lib. de succor. bonit. & vit. cap.* 4. *lib.* 7. *meth.* 6. pro curanda siccitate, cum Tralliano *lib.* 2. *cap.* 21. Quare cùm cæterorum animalium testes virosi sint, insuaues, coctu difficiles, 3. *alim.* 6. & 7. soli saginatorum gallinaceorum testiculi, & suaues sunt, & probum corpori præstant alimentum, ex Paulo *lib.* 1. *cap.* 83. Accedit, quòd nec crassum, aut lentum succum præbent, nec excernendo sputo incommodum. Elige testes iuniorum, & non cocuntium animalium, ex Galeno 3. *alim.* 3. testes enim præ coitu suo humido substantifico orbati, parum nutriunt, atque ægrè coquuntur. Hos ergo apparente concocto sputo, ad roborandas vires concedes, non in initio pleuritidis, quia valenter nutriunt, quo tempore victus tenuissimus offerendus.

Panis meritò est suspectus Mesuæ: Nam azymus incrassat sputum; fermentatus rumpit ante coctionem. Ergo præstant pultes hordeaceæ, vel panis bis lotus. Punica cùm sint acerba, vel accida, vel dulcoacida, & adstrictionem sortiantur mometaneam, omnino fugienda: dulcia, prosunt. Cucurbitæ, vel poma redolentia saccharo condita, vel assa, & saccharo respersa, sunt vtilia. Aurantia dulcia, pruna pinguia cocta, & saccharo deliburta, iuuant. Aquam Endiuiæ denegat Auicenna, ob adstrictionem. Trallianus laudat intuba cocta. Ille actualem timet frigiditatẽ endiuiæ, ferientem pectus; hic ob actualem calorem, & præparationem, admittit. Sed endiuia in calidissimo humore, sicut stillatitij liquores potest concedi. Si ptissanam fastidiant ægri, Galenus 1. *acut.* 27. concedit pisces laxatiles: quia boni succi sunt, & temperatum sanguinem gignunt, neque retinent sputum; de quorum temperamento, & viribus sat multa diximus, *lib.* 1. *Hist. PP. Med. in com. Hist.* 28. præsertim si præparentur cum aqua, porro, anetho, sale, & modico oleo. Concedit autem pisces sale conditos, etsi sal calefaciat, & adstringat, quia crassos humores abstergit, secat, & attenuat.

Potus in pleuritide biliosa, vel sanguinea, sit aqua decocta cum hordeo, violis, vel solo saccharo. In pleuritide pituitosa, vel melancholica, sit aqua decocta cum prunis, liquiritia, adianto; vel aqua Mulsa. Dubium tamen esse potest: *Vtrùm potus actu frigidus pleuriticis offerendus?* Respondet Celsus hoc modo, *lib.* 4. *cap.* 6. *de laterum doloribus: Vtendum cibis, potionibúsque calidis, vitandum frigus*: hoc enim crudiorem reddit humorem, sputúmque excerni prohibet, & est inimicum pectori, 5. *Aph.* 20. & 24.

Sed quid respondebimus Hip. 1. *acut.* 43. imperanti oxymel bibendum esse æstate frigidum, hyeme verò tepidum? Huic enim præcepto aduersatur Auicenna, 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 1. docens, in pleuritide præsente hyeme sumenda esse calida, æstate verò tepida, seu temperata. Dic. Hip. respicit ad febrim, sitimque ab ipsa subortam, quæ tum ex parte temporis, tum ex parte morbi, æstate vehementissimè vrget. Auicenna loquitur sumptra indicatione ab humore collecto in pleura, cuius coctio calidis, tepidis, seu temperatis promouetur, frigidis interdicitur. Dic secundò. Hippocrates per potum frigidum, non admodum frigidum intelligit, sed non actu calidum.

De vino: *Vtrùm in pleuritide vinum concedi possit?* maior lis est. Concedit Hip. *lib.* 1. *acut. text.* 22. *Verum dandæ sorbitionis quantitas augenda, hoc obseruabitur pacto. Nempe si morbus siccior quàm vt quispiam existimet fuerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem, vel mulsam, vel vinum, vtrum magis congruat, propinare conuenit.* At huiusmodi præceptum facit difficultatem maximam, quia vinum calidissimum cùm sit, febrem auget in acutis: febris autem quò est vehementior, maiorem siccitatem inducit, & hoc modo retorridi humores excretioni per sputum fiunt magis inepti. Deinde repugnat Galeno, 11. *meth.* 9. qui in febribus continuis vini vsum interdicit: & 9. *simpl. cap. de terra Samia, in fine*, illud exhibet in febribus pestilentialibus, dummodò febris magna non adsit: & 7. *sec. loc. cap. de cura affectionis hepaticæ*, pro curatione medicamenta offert cum vino confecta, si tamen febris cum illis affectionibus non complicetur. Accedit celebris contextus Galeni, *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. *post princip.* dicentis: *Plura esse, quæ vini exhibitionem prohibent, velut si aliquod vnum ex visceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementiùs doluerit, aut passio aliqua quæ delirare cogat, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim, & quasi insanabilia ex potu vini in huiusmodi affectibus nocumenta proueniunt.* Quare cùm pleuritis inflammatio sit interna, & caput vehementer doleat, nam in hoc affectu fieri non potest, vt caput non lædatur, 4. *de caus. puls. cap.* 8. in eo maximè vsus vini est reprobandus, humores enim mouet, liquat, attenuat, incendit.

Solue hoc modo. In febris, inflammationisque internæ curatione, tria à Medico sunt contemplanda: febris, ipsius causa, & aliud tertium, quod ad se euocat curationem totam, vt dolor. Febris quà febris, nec vinum, nec calida medicamenta, aut alimenta exoptat. Sed si frigidus, & pituitosus sit humor, qui inflamationis est causa, tunc concedi potest, præsertim aquosum, dulce, & cum modo oblatum: Nam cõcoquit, roborat, humoris impacti in inflammatione excretionẽ promouet, atque hac ratione nocere non poterit. Hoc probat Hip. *lib.* 3. *de morb. cap. de pleuritide ex dorso*, dicens: *Pleuritides vtplurimùm, veluti phrenitis, & peripneumonia curandas*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 360 sur 927

curandas eſſe, præterquam quòd in pleuriticis, balneis calidis, & vino dulci vtendum eſt, &c. Quod præceptum intelligendum eſt, dummodò coctio adſit, & fluxionis impetus conquieſcat, præceſſerint vacuationes, & vires debiles ad humoris coctionem inpoſterum non ſufficiant.

Vtrùm vinum interdum ante coctionem exhibendum? controuerſia eſt non exigua. Galenus enim 3. *acut.* 2. pleuritide, & peripneumonia laborantibus non concedit, niſi coctis iam affectionibus. Si enim in febribus, 1. *ad Glauc.* 9. à vino omnino abſtinet, antequam morbus concoquatur; quod facit etiam 11. *meth.* 5. maiori cũ ratione in pleuritide eius vſus interdicetur: fluxiones enim commouet, crudos humores attenuat, fluxilioréſque reddit, vt in dolorificam, debilémque partem promptiùs decumbant.

Dic, vinum, quod attinet ad ipſius temperamentum, ex Gal. 9. *meth.* 11. & 12. aliud eſſe vinoſum, quod eſt calidiſſimum; aliud aquoſum, & remiſſè calidum; aliud verò mediocre, quod inter vtrumque mediam naturam ſeruat. Neutrum ante declinationem, humoríſque coctionem integram cõcedi poteſt, niſi aliquod accidens ſuperueniat, ad quod curantis conſilium dirigi debeat, vt ſyncope, animi deliquium, virium debilitas ſumma. Si enim has non firmaueris, vini cum modo oblati ope ac beneficio, non concoquetur humor, ſputum non procedet, & omnino morbus in pejus ruet. In hunc ſenſum intelligendus Auicenna 4. 1. *cap.* 1. dum ſic dicit: *Tu verò ſis ſolicitus in morbis, de eo quod ſuſpectum eſt.*

Accedamus ad vacuantia præſidia, inter quæ primatum obtinet phlebotomia, de cuius pro curanda pleuritide præſtantia, etſi *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 19. ſimus commentati plura, non indigna ſcitu, placet hoc loco alia addere Laconicè, quæ lectori ad faciendam praxin vtilia ſint, imò cumprimis iucunda. Quæramus ergo: *Vtrùm in omni pleuritide vena ſit ſecanda?* Reſponde affirmatiuè: Nam ſi Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 8. & 4. *meth.* 6. in principio inflammationis externæ, in caſu ab alto, vulnere, contuſione quauis, licèt nulla adſit in corpore redundantia, ſtatim ad ſanguinis miſſionem accedit, quia euacuat, reuellit, & partem præ dolore oppreſſam, atque hac ratione attrahentem præſeruat, auertítque humorem fluxum, fluentem, & fluxurum; cur illicò, & ſine cunctatione vlla, in pleuritide, periculoſo morbo, cuius vi plures occumbunt, 1. *acut.* 8. & in periculoſiores morbos degenerante, non adminiſtrabitur, cùm in ea dolor adſit cum inflãmatione coniunctus, & alia ſigna comitentur, quæ citiſſimam per venam ſectam, præſertim inflammato membro ſanguineo, opem expoſtulant? Excipe, ſi ſit mitiſſima pleuritis, cui ſatisfaciunt fomenta, & expectorationes, vt celebri Hiſtoria confirmat Galenus 6. *epid. ſect.* 3. *com. vlt.* in cuius interpretatione noſtram induſtriam adhibuimus, *lib.* 2. *Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt.* 22. Adde, ſi præceſſerit phlebotomia ſufficiens in morbo antecedente: Vel deiectæ vires eam ſuſtinere nequeant: Vel ſi ſputum vbertim procedat cum tolerantia, & leuamine, quia exigitur robur ad ſpuendum.

Vtrùm verò præſente cacochymia etiam in pleuritide mittendus ſit ſanguis? controuerſia eſſe poteſt. Rhaſis 4. *continent.* citat Galenum prohibentem, quod ipſe explicat de euacuante: nam reuellentem phlebotomiam omnis pleuritis expoſtulat. Ergo in quacunque pleuritide, à quocunque humore concitata, ſanguinis miſſio eſt celebranda: huius enim beneficio ſanguis, & alij humores ad partem inflammatam fluentes, & fluxuri cohibẽtur, & reuulſio fit præſtantiſſima; & fluxi vacuãtur: quæ indicationes neceſſariæ ſunt ad prohibendũ inflammationis augmentum, eáſque 13. *meth. cap.* 6. explanat Galenus. Phlebotomia enim ſine conturbatione vlla, ſuauiter, & tutò, hanc vtilitatem præſtat euidenter: nec enim alius humor à ſanguine ita ſeparatus confluit in pleuram, quin cum ipſo etiam permixtus ſit, & confuſus, qui venæ ſectione promptè educitur.

Vtrùm ex eodem latere ſit ſemper celebranda? Affirmatiuè *lib.* 2. *Hiſt. PP. Med.* cum priſcis reſpondimus. Obſtant tamen aliæ celebres Græcorum auctoritates, quas expedire oportet: Nam Hip. 5. *Aph.* 68. dolente parte capitis poſteriore, ex fronte ſanguinem emittit: & Galenus *in com.* obſeruandam eſſe contrarietatem reuulſionis, ſecundùm trinam dimenſionem aſſeuerat: quare ſi in ſiniſtra ſit malum, ex dextra mittendus eſt ſanguis, & è cõtrà. In hunc modum Celſus *lib.* 2. *cap.* 10. *prope fin.* affecto humero, ex altero brachio, ſanguinem extrahendum imperat. Galenus *lib. de ſang. miſ. cap.* 19. in morbo comitiali, & vertiginoſis, in crure venã ſecat: & 2. *ad Glauc.* 8. & 13. *meth. cap.* 11. & alibi, quàm longiſſimè à parte tentata fluxione diſtrahendum eſſe humorem, nequaquam ad eam trahendum non ſemel inculcat. Hoc modo manu laborante ſcarificabis crura; altero crure malè habente, reliquum, ex Gal. 13. *meth. cap.* 5. fluxionis enim motum ad contraria trahere expedit.

Pro contraria parte eſt Hip. *lib.* 1. *de morb. verſus finem*, dum ſic ait: *Cùm præbet dolorem, & febrem, oportet venam hepaticam pertundere ab ea parte, qua morbus fuerit:* repetit *lib.* 4. *Aph.* 73. confirmat Galenus *in com.* ſequitur Oribaſius *lib. de compend. med. ad Euſtathium filium.* §. *Reuulſio fit, quando ex ipſa parte quæ ægrotat, proxima patienti loco inciditur vena: ſplene enim patiente de ſiniſtra manu incidenda vena eſt; pleuriticis verò ex ipſa parte quæ dolet, auferendus ſanguis, &c.* Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 11. §. *Reuulſionis gratia venam ſemper in directum ſecabis, nimirum fluente ſanguine ex nare dextra, ſcindatur vena dextræ manus, & in pleuriticis ſecta vena affecti lateris.* Paulus *lib.* 2. *cap.* 40. ſic ait: *Si igitur ſanguinis ſit copia quæ diſtendit, veluti in inflammatione oriri ſolet, protinus ſi vires tolerant, ſanguis mittendus eſt per venam propinquam patienti particulæ.*

Hippocrates autem 5. *Aph.* Galenus, & Celſus de ſanguinis miſſione ſunt intelligendi, facta in morbo ferè ſalubri, non ita acuto, & periculoſo, qualis eſt pleuritis; in qua indicatio euacuatiua, quæ ſumitur ab humore, etſi pauco, impacto in pleura, cæteras reuulſionis, & contrarietatis indicationes obumbrat. Galenus autem præſeruationis cauſa in vertiginoſis, & epilepticis, ſanguinem emittendum curat; in pleuritide autem, de curatione eſt ſermo. Neque dicas, quòd in corpore pleno, ſi ex eodem latere ſanguis emittatur, tota machina humoris ruet in partem affectam, & inflãmatione adaucta, vitium inſoleſcet: Nam ſanguis non attrahitur ad pleuram, ſed ad brachium, inter quæ ſufficiens diſtantia exiſtit, & ſanguis eatenus ſequitur, quatenus educitur: imò ſanguis agitatus, & fluxilis, ex prima ſanguinis detractione, ad ſecundam, ſi ea indigemus, aptiſſimus ſit; & ſic tenuitate ſua promptiùs aperto foramine excurrit. Quapropter cùm detur ſufficiens diſtantia à brachio affectæ partis ad pleuram, ad reuellendum, & euacuandum, vrgente malo, ex eodem latere ſanguis eſt detrahendus; quia hæc vacuatiò fit per venas, quæ cum parte laborante maximè conſentiunt. *Si* enim *venas* (inquit Galenus *lib. de rigore, cap.* 5.) *quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes. Vtrùm* autem *in peſtilenti & venenoſa pleuritide, à ſuperioribus partibus exhauriendus ſit ſanguis?* Reſpondimus affirmatiuè *l. b.* 2. *Hiſt. PP. Med. in com. Hiſt.* 89. Excipe pleuritidem à mẽſtrua, aut hæmorrhoidali vacuatione minuta, aut ex toto ſuppreſſa conciratam, in qua ſi non valde vrgeat, è talo exhauriẽdus ſanguis; ſi autem vehementer infeſtet, etiam actu fluentibus lochiis, è brachio demendus, vt latè comprobauimus, *lib.* 1. *Hiſt. PP. med. in com. Hiſt.* 77.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 361 sur 927

De quantitate sanguinis extrahenda in pleuritide, etiam dubitant auctores: *Vtrùm ad mutationem coloris sit vacuandus*? Hoc enim prædixit Hip. *lib. acut. text.* 10. *si verò dolor ad clauiculam pertigerit; aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit: neque copiosè vt sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eò vsque auferendus, donec rubidior multò, vel pro puro rubido liuidus fluxerit: nam vtrumque contingit.*

Hic ergo tantus auctor cum Galeno, etsi aliquando cautus sit prout exigit necessitas, in sanguine mittendo: nam multoties solis fomentis citra phlebotomiam, curandam esse pleuritidem edocet, 2. *acut.* 1. & 6. *epid. sect.* 4. *text. vlt.* & Galenus 13. *meth. vlt.* eam in inflammatione cerebri reformidet, quando continens est valde intemperatum: & 9. *meth.* 4. non emittat ante signum coctionis alimenti, & aliquando ad dimidiũ cotylæ euacuet, hoc est, detrahat sanguinis vncias quatuor cùm dimidia: tamen hi strenui duces copiosè aliquando euacuant; imitantur enim naturam, quæ vtiliter, præsente plenitudine, sanguinis libras duas, & tres interdum per nares, & varias corporis regiones expellit: maximè cùm humanum corpus viginti constet sanguinis libris. Ergo parui erit momenti detractio sex, septem, vel octo vnciarum. Gloriatur enim *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 14. quibusdam ad sex vsque libras sanguinem fuisse detractum, ita vt febris protinus extingueretur, nec vlla sequeretur virium afflictio.

Ergo audacter Hipocratica methodo instructus Galenus, *in com. 2. acut. & loc. cit. de sang. mis.* vsque ad mutationem coloris sanguinis, euacuandum consulit in pleuritide: *Alius enim est qui in phlegmone est sanguis, ab eo qui secundùm naturam, vtpote plus excalfactus: nam si antè crudior erat, rubrior modò, & flauior efficitur; sin eiusmodi priùs fuerat, ad atredinem vergit adustione.* Quare in periculoso morbo sanguinem in inflammata parte contentum citò hac copiosa vacuatione educere conatur Hip. & signum proponit mutationem coloris sanguinis, magnum certè indicium, quòd sanguis, qui est circa partem inflammatam, vel in ipsa inflãmatione impactus, educitur, in quo febris radix consistit.

Hanc mutationem, etsi probat Galenus *citato de sang. mis. libro*, vt summè vtilem, sæpius tamen non esse expectandam docet: primò, vbi vis imbecillis non tolerat. Secundò, vbi maligna inflammatio non remittit sanguinem contentum. Et licèt ferè sanguis prior extractus sit putridus magis, quia fortiora sunt interna membra externis, in quibus innatus calor intus robustior noxium pellit ad extrà; tamen in internis inflammationibus posterior sanguis corruptior est, & à priori dissimilis.

Sed cur in inflammationibus internis oportet expectare coloris sanguinis mutationem? Dic ex Gal. 2. *acut.* & *de sang. mis. cit.* causam esse, quia quicquid sanguinis in parte inflammata continetur, id caloris abundantia in colore permutatur: quare coloris transmutatio, translationem sanguinis ex particula inflammata, sufficienter significat.

Vtrùm solùm in pleuritide, aliisque inflammationibus internis hæc coloris mutatio sit spectanda? dubitabis. Affirmatiuè respondet Rhasius *lib. 7. ad Almans. cap.* 21. sub his verbis: *Qui autem calidum apostema patitur, vt pleuresim, aut ei similes egritudines, cum phlebotomatur, mutationem coloris sanguinis à propria dispositione attendere debet. Apostemate autem carens cùm phlebotomatur, non debet hoc in suo sanguine obseruare, cùm totus eius sanguis sit æqualis, &c.* Neque obstat, quòd sanguis circa cor, & iecur, propter magnum calorem horum membrorum, debeat esse nigrior, & magis adustus eo, qui continetur in partibus vicinis venæ sectæ: quia sanguis intra cor, & iecur, licèt sit calidior, non habet tamen notabilem mutationem in colore: in parte enim inflammata sanguis est magis circumscriptus, & concalcatus, & sic à præternaturali corrumpente calore, sanguis vicinus in colore permutatur: non sic autem in statu naturali, vbi calor naturaliter operatur, & in morbis vasorum, in quibus sanguis, & alij humores, huc & illuc irrequieto motu agitati, transpirant, & ventilantur. Quare qui sine inflammatione fatigant morbi, sanguinis mutationem effatu dignam non habent. In febre enim continente vniformis est sanguis, siue putreat, siue putredinis labe non inquinetur. In tertiana, qui in iecore est, paulò est biliosior; sicut in quartana, qui in liene residet, paulò magis melancholicus; & in quotidiana, qui est in ventriculo, pituitosior quodammodo existit: per has enim febres huiusmodi viscera magis pati fatetur Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap.* 4. Non est tamen huiuscemodi humorum differentia momentanea, nec à Medico dum sanguis educitur, ita aduerti potest, vt illa in qua humores in inflammatione adurantur.

Vtrùm extracto sanguine vitiato, statim sit cohibenda vacuatio? Dic, quòd etsi aliqui defendant, extracto sanguine vitiato, pro puro, qui priùs emanabat, non esse sistendam vacuationem, donec penitus totus vacuetur putridus in inflammatione contentus; tamen securius est eã cohibere: Quoniã vniuersus sanguis prauus inflãmationem efficiens, vnica sanguinis detractione vacuari nequit, vt experimento constat; rari enim sunt, qui ex pleuritide, vnica sanguinis missione liberentur.

Quare apparente improbo sanguine, etiamsi prorsus is non vacuetur, supprimenda vacuatio est. Primò, quoniam coniectura est sanguinem eum à parte inflammata recessisse. Secundò, quoniam prauus hic sanguis, qui ab inflammatione in alias venas recessit, ob commodi sanguinis permixtionem, & facilem transpirationem corrigi potest, & naturæ beneficio pristinæ naturæ restitui. Tertiò, quoniam si vnica, eáque copiosissima venæ sectione morbum extirpare conemur, iterationi deinceps locus non erit, quæ maximè in omni morbo vtilis est, ex Gal. *lib. de sang. mis.* 16. Quartò, quia in inflãmatione, atque omni affectu, in quo aliquid è venis extra effluxit, repetita sanguinis detractione est opus, vt intermedio tempore, venæ inanitæ, quod extrà effluxerat, recipiant, & secundâ venæ sectione vacuetur, vt 4. *de sanit. cap. vlt.* lassitudinis phlegmonosæ curationem proponens, suadet Galenus, §. *Quoniam igitur in hac, &c.* Quòd si totum prauum sanguinem in inflammatione contentum semel vacuare tentes, citra morbi leuamen naturam prosternes. Ex quibus constat apertè, audiendos non esse eos, qui duplicem sanguinis mutationem expectãt, primam in deterius, in qua sanguis in phlegmone infixus vacuari incipit, & tamdiu eius vacuationem prosequuntur, donec rursus in melius transmuretur, prauo vniuersim vacuato: Nam Hip. & Galenus simplicis tantùm permutationis in deterius meminerunt. Quæ autem sint signa, quæ ostendant sanguinem sufficienter esse detractum, exponit eleganter Galenus *lib. de sang. mis. cap.* 14.

At quæres: *Vtrùm in pleuritide pituitosa sit hæc sanguinis mutatio expectanda?* Dic. In phlebotomia eorum qui patiuntur inflammationes internas, & aliorum febricitantium, sanguinem album exeuntem perpetuò iudicari putrefactũ, cùm tamen in se putredinis aliquando expers sit, sed sæpe ex pituitoso fit mutatio ad rubidum in inflammata parte, ex Hip. 2. *acut. cit.* Dignoscetur ergo sitne putridus, an pituitosus, primò, quia pituitosus sanguis non est verè albus, sed minùs ruber, ex Gal. *lib. de sang. mis.* 14. sic interpretante Hippocratem, cùm inquit: *Nam si antea crudior erat, rubidior modò, & flauior in parte inflammata efficitur.* Deinde, albedo putridã, variegata est. Insuper, albedo pituitosa in suprema parte sanguinis non locatur, sed ob grauitatem suam immediatè supra melancholiam reponitur, quæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 362 sur 927

©BIUM

quæ infimum locum occupat: albedo verò putredinoſa in ſuprema parte ſanguinis innatat, ob inflationem ex calore putredinoſo conceptam, multos ſcilicet flatus generante, quibus putrida, tenuiora reddũtur.

In albedine itaque pituitoſa mutatio ſanguinis in colorem rubidum, extractionem ſanguinis in parte inflammata contenti denotat manifeſtè: nam ex putredine pituitæ color acquiritur rubeus. Ita intelligendus eſt Auicenna 21.3.*tract.*2.*cap.*2. dicens, in morbis frigidis ſæpe vrinam apparere rubeam, ob putredinem pituitæ, quia pituita redditur rubea vrinam tingens: & 1.4.*tract.*2.*cap.*47. de febre phlegmatica, hac de cauſa in ea primò apparere albam, deinde rubram, aſſeuerat.

Quæres deinde: *Vtrùm in pleuritide vſque ad animi deliquium ſit ſanguis mittendus*? Dubium eſt agitatum pro vtraque parte, *lib.* 3. *de praxi admiranda*, *obſeruat.* 117. Hippocrates annuit 4.*acut.*74. & illius ſententiam, vt partum Hippocraticum firmat, *in com.* adhibitis conditionibus quas priſci pro tam copioſa vacuatione celebranda, præſupponunt, nempe ſi ſit ætas florens, vis ſit robuſta, redundet ſanguis, adſint tempus, regio, temperamentum, corporis conſtitutio bene temperata. Renuit Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*4.*cap.*68.§. *Sanguis in pleuritide mittatur, ſed non vſque ad animi deliquium.* Huius auctoris votum ſequuntur priſci, & alij quique, qui ab Hip. tempore ad noſtrum æuum in praxi inclaruere. Quare adulterinam ſententiam, ex *lib.* 4 *acut.* eſſe ſibi perſuadent, & Hippocrate Coo indignam: in morbis enim thoracis nunquam ad animalis facultatis defectum eſt ducendus ſanguis, cuius ope ad ſcreandum in poſterum indigemus; & ſæpe accidit vt concoquatur humor, ſed præ facultatis debilitate non expellatur, 2. *progn.*67. partitè ergo, & per vices, non ſimultaneè vacuandus ſanguis. At vera dicit Hippocrates, in cuius *libro quarto acut.* etſi ſint ſpuria oracula, & ab aliis interiecta, plura tamen ſunt, quæ magni Hippocratis redolent officinam: & ideò ſi vehemens adſit pleuritis, cum virium robore magno, & præſentibus conditionibus reliquis, hæc vacuatio exercenda, cuius beneficio humor impactus, fluens, & fluxurus ſemel vacuatur, ita vt deinceps animalis facultatis robore opus non ſit.

Ante ſanguinis miſſionem clyſter præcedere debet, nì inflammatio ita vrgeat cum vehementi dolore coniuncta, vt illi ſoli opitulandum ſit: in quem ſenſum intelligendus eſt Hip. *lib.*4.*acut.*75. quo loco poſt copioſam phlebotomiam, clyſterem exhibet. Cucurbitulæ ad reuellendum in partibus diſtantibus affixæ commodum afferunt maximum, & cùm ſint proximæ venæ ſectioni, 2. *Aph.*17. & 4.1.*c.*20. viréſque non ita exhauriant, ſi eæ ſint debiles, (quas tantopere ſeruare in hoc morbo debemus) & corpus ſit tenerum, & rara contextura præditum, vel exangue, quale eſt ſenum, etiam incipiente pleuritide ſcapulis infra partem affectam, ad leuandam totius plenitudinem, vtiliter imponuntur. Vel earum loco hirudines hæmorrhoidalibus venis applicitæ, idem opus præſtant, & plethoram præſertim melancholicam exhauriunt. At cucurbitulæ ſcarificatæ ſemper tutiores ſunt, promptiùs enim reuellunt, citiùs euacuant, & feliciùs dolorem leuant.

Vtrùm autem *ſuper partem affectam cucurbitula ſcarificata in initio, ante totius corporis vacuationem affigenda*? dubium eſt. Hoc auxilium approbat Galenus 11.*meth.* *cap.*17. ſi priùs corpus vacuatum ſit, cum ſcarificatione profunda, & ceu experimentum certiſſimum, commendatur à Tralliano *lib.*6.*cap.*1. ſub his verbis: *Verùm ſciendum eſt, pleroſque, præſertim in quibus non adeò magna ſanguinis copia in venis ſuperare videatur, iuuiſſe, locum acutiſſimo ſcalpello probè ſcarificaſſe. Conuenit autem cucurbitulæ quoque poſt cutim inciſam vti, vt quod in ea con-*

A *tinetur ex alto extrahatur. Atque hoc facto mirari licet, quomodo inde etiam dolor qualiſcunque fuerit, licet vehementiſſimus conquieuerit, vt neque fomento, neque alio præſidio indigerit. Commodius autem, & tutius eſt, in quibus parua copia eſt euacuanda, hac vti curatione, vtpote validiſſima.* Confirmat Celſus *lib.*4. *cap.*6. Aëtius *tetrab.*2. *ſerm.*4.*cap.*68. Auic. 1.3.*tract.*5.*cap.*2. Rhaſius 9. *ad Almanſ.* Paul. Meſuë, *cap.prop.* & omnium primus edocuit Galenus *lib.*13, *meth.cap.*19. dum ſic ait: *Hac ratione & cucurbitula ſtrenuum plane auxilium eſt inuenta, tum vt foràs euocentur, quæ ſunt in alto, tum vt eximantur atque eruantur, quæ iam in ſcirrhum abeunt. Verùm vtendum cucurbitula, in ipſa parte quæ phlegmone vrgetur, inter initia*
B *non eſt, imò poſteaquàm totum corpus euacuueris, ac neceſſarium ſit egrum, quæ in inflammata parte continentur, aliquid educas, atque eruas, atque etiam foràs verſus attrahas, &c.* Quare hoc auxilium præſtat, poſt integram vacuationem adhibitum; nam digerit, dolorem ſedat, & attrahit ad exteriora.

In oppoſitum tamen facere videtur, quod *lib.* 4. *de ſanit. tuend.cap.*5. legimus, ſi laſſitudo ſit cum ſanguinis copia, venam incidendam eſſe, aut aliquid agendum quod tantum valeat, inter quæ numerat ſcarificationem. Dic, hoc verum eſſe, ſed eo loco Galenum non numerare cucurbitulam, ſed ſcarificationem, vt ex contextus ſerie patet manifeſtè; quod remedium diuerſum eſt à cucurbitula, vt conſtat ex Galeno *lib.*
C *prop. de cucurbitulis & ſcarificat. cap.* 3. & 4. Quare hæc vacuatio conuenit etiam corpore plethorico exiſtente, quia de humore redundante commodè vacuare poteſt, non verò cucurbitula, & magis ſuper partem dolentem infixa: Licèt enim humorem noxium à parte exhauriat, tamen ob validam attractionem potentiùs attrahit, & magis quàm euacuet; quo nomine deteriores ſunt, quàm phlebotomia facta ex parte affecta, vt *cit. loco* Aëtius docuit. Hæc enim licèt attrahat materiam, etiam ſanguinis excretionem facit: cucurbitula verò tum impetu affixionis violenter humorem attrahens, tum ampliorem locum occupans, & tamen neque vaſis ſenſibilem fiſſuram faciens, attrahit quidem memorabilem materiam, non euacuat autem pro ratione attractæ. Quapropter cucurbitula ſupra
D partem affectam, ſolùm poſt abſolutam vacuationem, in pleuritide, cæteriſque inflammationibus internis, imponenda.

De purgatione: *Vtrùm in hoc affectu ſit celebranda*? Purgationem in pleuritide eſſe celebrandam, docuit Hip. 2. *progn.* 52. qui in ea vtitur eclegmatis, ventris ſubductione, venæ ſectione, diæta, & medicamentis, per quæ non intelligit fomenta, ſed medicamentum purgans: nam medicamentum abſolutè prolatum, purgans debet intelligi, vt conſtat ex ipſo, 1. *Aph.* 21. *Concocta medicari*, & 4. *Aph.*10. *Medicari in valde acutis*, hoc eſt, vti medicamento purgante, & 4. *Aph.*1. & 2. De qua vacuatione, plura ex veterum, & iuniorum mente diſceptauimus, *lib.*2. *Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt.* 22.
E Nunc tamen cum Galeno hoc dubium breuiter concludimus, qui quæſtionem hanc ſic determinat, *lib.* 4. *acut.*76. *Nam vel ſtatim ab initio priuſquam in partem aliquam firmati ſint humores, medicandum; vel poſteà cùm concocti fuerint. Quam ob cauſam & primâ interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta medicati ſumus, & non in quarta ſolùm quomodo is dixit.* Ex qua doctrina conſtat, in pleuritide, reuulſionis cauſa, ratione humorum qui in partem affectam fluunt, & fluxuri ſunt, in initio eſſe purgationem ſalubrem; eradicatiuam verò in declinatione, & cùm humor noxius tùm in vaſis, tum in parte phlegmone obſeſſa impactus, fuerit concoctus: quem humorem, qui eſt cauſa coniuncta inflammationis, ſi initio educere tentes, nihil proficies, ſed vires proſternes; cruda enim paſſio non cedit, 4. *acut.* 22. Ergo in principio reuulſiua purgatio; in declinatione, eua-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 363 sur 927

©BIUM

euatiua est administranda. Quomodo autem in descendente pleuritide dici possit reuulsiua, cùm reuulsio tunc potiùs per vomitum debeat celebrari, eo loco explanauimus diligenter.

Vtrùm verò *in descendente pleuritide, sanguinis missio in principio facta sit vtilior purgatione*? ardua est quæstio. Hip. 2. *acut.* 11. eam laudat vt vtilissimam. Galenus renuit *in com.* Nam licèt in principio huius affectionis expurgatio vtilis sit, est tamen longè vtilior, & tutior sanguinis detractio, præsertim cùm febris nimiùm excandescit, nec est probè cognita ægrotantis natura, sunt enim qui facilè, alij qui difficilè expurgantibus cedunt medicamentis. Deinde in acutis morbis, rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vtendum, 1. *Aph.* 24. maximè cùm ipsa calida sint, conturbent, corpus exagitent. Ergo sanguinis missio semper præferenda venit, 4. *acut.* 21. 6 *epid. sect.* 1. *com.* 6. Nam inanit corpus, vasa deobstruit, & præparat ad purgationem, reuellit, euacuat, lenit dolorem.

Hanc methodum esse exercendam vel in descendente pleuritide, à sensu ipso, qui negari non potest, confirmatur: Anatomica enim experientia constat, sanguinem è propaginibus venæ Azygu hauriri facilè posse secta eiusdem lateris affecti basilica: coëunt enim per anastomosin inuicem in eodem latere propagines venæ azygu, cum ramis & propaginibus venæ cauæ eiusdem lateris: nam inter axillarem, & cephalicam venam, prope iugulum, ab vtroque latere quædam media oritur vena, ab axillari ferè nascens, à qua plurimæ productæ propagines, tandem cum ramusculis venæ sine pari copulantur.

Instabis hoc modo, Si Galenus 2. *acut.* 11. tantopere in descendente pleuritide, ob rationes dictas, phlebotomiam laudat, & purgationi præfert: cur *com.* 10. *antecedenti* sanguinis detractionem non admodum iuuare in descendente, atque ideò esse vtiliorem purgationem affirmat? Sic enim ait: *Nos verò partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum, quam cæteras partes, magis in acutis præsertim morbis, vacuare contendimus? quod sanè interna cubiti vena facit, multòque magis, vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint, nempe in eo malo tum brachium, tum mamma grauari solent. Verùm quæ partes thoracis inferiores, prope septum transuersum infestant inflammationes, non abs re dolorem ad hypochondrium transmittunt, quo fit vt dolores huiusmodi non admodum iuuet, quæ in cubito fit euacuatio, &c.* Dic. Galenus non damnat sanguinis missionem in descendente pleuritide, neque multùm iuuare negat, sed non admodum vtilem esse, hoc est, tàtam afferre commoditatem, ac si secaretur in ascendente, quia partes superiores magis consentiunt cum interna vena, & sanguis ex superioribus costis grauitate sua faciliùs descendit, quàm ascendat à costis nothis ad venam sectam. Deinde costæ superiores, spiritalibus membris viciniores, abundant sanguine subtiliori, & magis spirituoso, qui ex aperta vena citiùs tenuitate sua per apertum foramen vacuatur, & excurrit; costæ verò inferiores pituitosiore, & crudiore sanguine aluntur, qui vacuationi morosus est, & magis lentus. Quare venæ sectio in descendente non admodum iuuat, seu non æquè prodest, ac si adhiberetur in ascendente.

Purgatio, facta priùs sufficiente sanguinis missione, in principio morbi est administranda, medicamentis clementibus, temperatis, adstrictione carentibus, ne fortè humor per tussim expurgandus possit impediri, vt notat Auic. 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. offerendáque sunt illa, quæ superanti humori sunt accommodata, vt sunt Pulpæ cassiæ interaneus liquor, Manna, Syrup. ex multiplici infusione Violar. & ros. Persic. Regius, sennatus, quæ dissoluantur in decocto pectorali, cum Diacathol. Confect. Hamech. Diaprun. & aliis.

Duo sunt medicamenta, quæ ab omnibus non approbantur: primum est, Rhabarbarum, quod etsi adstrictionem participet, ea non est tanta, vt vias expurgationi dicatas arctare, & sputum cohibere possit, imò cum seligenti virtute attrahendi bilem ex inflammata parte, à qua ferè pleuritis ortum ducit, modicam styptricitatem participat, quæ iuuat ad penetrationem, cuius ope faciliùs distantes partes permeat, & feliciùs expurgat: quare eius præsertim infusum, lenientibus medicamentis admixtum, tutissimè in pleuritide potest concedi, vt *lib.* 1. diximus *in Pharmacopœa nostra, tit. de Rhabarbaro.*

Alterum medicamentum est Agaricum, de quo maior est dubitatio: *Vtrùm in pleuritide offerendum*? Nam adstringit, ex Gal. 6. *simpl. cap. prop.* ideóque dysentericis confert, ex Dioscoride *lib.* 3. *cap.* 1. Deinde concitat vomitum, & concussione facta, humorem ad superiores partes conuocat; quæ autem vomitoria sunt, affectibus spiritalium partium valde nocent, ex Hip. & Gal. 4. *Aph.* 8. Reclamat Mesuë *prop. cap. de Agarico*, Asthmaticis, & difficulter spirantibus concedens, quia pectus à pituitoso humore suauiter abstergit, & repurgat: Quare in pleuritide pituitosa summè confert, & ampliùs in maligna, & populariter vagante, cuius deleteriam vim, cardiaca efficacia, alexipharmaci præstantissimi instar, mirandum in modum coërcet, ac domat, ob quam causam in celeberrima venit antidota, præsertim præparatum Zingibere, vino, vel oxymelite, quorum beneficio, exigua eius adstrictio emendatur, & vis vomitum mouens corrigitur. Num autem pleuritici sint soluendi noctu, vt suadet Auicenna, eius interpretes vbertim exponunt.

Factis vacuationibus vniuersalibus, ad resolutionem humoris in parte affecta contenti est accedendum, ex Hip. 2. *acut.* 1. Hoc opus præstant olea, vnguenta, fomenta, emplastra modicè calida, quæ tum lenire dolorem, tum humorem per halitum digerere, tum ipsum excreationi per sputum præparare nata sunt. Huius census sunt oleum Camomil. Amygdal. Viol. Lilior. Vnguent. Pleuriticum, seu pectorale, Filij Zachariæ. Emplast. de Melilot. Dialth. Martiat. de Ruta, apud Paul. *lib.* 7. *cap.* 17. & 18. Resoluentia non sint sicca, vt farina hord. & fabar. quia resolutio non est simplex, sed per screationem, quæ humectantibus promouetur. Fomenta parantur ex decocto Violar. Maluar. Camomil. Fœnugræc. Melilot. Camomil. Aneth. parietar. & cum oleo amygdal. & aliis imponuntur in vesica bouina, vel excipiuntur cum spongia, & lateri admouentur, & postea sæpe admouentur vnguenta.

Dubitabis: *Vtrùm repercussiua in pleuritide super partem affectam apponenda*? Etsi in initio inflammationum repulsio humoris sit necessaria, ex Gal. 13. *meth.* 9. & *in art. med. cap.* 95. 6. *sec. loc. cap.* 1. Auic. 11. *cap.* 1. & 28. ex natura inflammationis indicatione sumpta, in pleuritide tamen inutilis est, quia pars inflammata, qualis est pleura, in profundo corporis iacet, & non in superficie; quare vis medicamentorum ad ipsam permeare nequit, quin ex musculis, & venis sanguis ad partem inflammatam impellitur, & augetur inflammatio: (Ob quam causam in coxendicis dolore, 10. *sec. loc.* 2. repellentia prohibet) tum quia humorem ad pulmones, & cor adstrictione sua repellunt, tum quia cùm sint frigida, pectori inimica, 5. *Aph.* 24. humorémque per sputum excernendum, adstrictis viis arctant, densant, & excretioni contumacem reddunt.

Ex aduersa parte reluctatur Galenus 11. *meth.* 15. §. *Parcius verò ad pectus, quam ad ea est adstringentibus vtendum*: probat *lib. de const. art. med.* 17. sequuntur Auicenna *loc. cit. cap.* 3. Mesuë *cap. prop. de pleuritide.* Dic, quòd licèt in praxi obseruatum sit, in pleuritide exteriùs esse apponenda calida, anodyna, emollientia, concoquentia, & discutientia, ob dictas causas; tamen si pleuritis sit in initio,

©BIUM

initio, poſt phlebotomiã, ſi materia eſt pauca, & non eſt fixa, quod agnoſcitur ex leuamine doloris, tunc parcus vſus externorum repellẽtium poteſt commendari, maximè ſi ſint permixta diſcutientibus, quorum vſum ad pectus probat Galenus, non in totum prohibet: nam thorax non eſt emunctorium cordis, & inflammatæ membranæ cerebri repellentia adhibentur: modica enim adſtrictio repellentium iuuat ad penetrationem. Galenus verò, & cæteri auctores frigidorum vſum pertimeſcentes, intelligendi ſunt, ſi materia fixa eſt, morbus non eſt in principio, non præcedẽte vacuatione aliqua, tunc enim repellentia nimis frigida, & adſtringentia valde nocent, præſertim ſi humor ſit copioſus: ita docet Auicenna, *loc. cit. cap. 31. in med. Et ſcias quòd ſi materia eſt multa, tunc emplaſtra, & epithemata frigida, nociua ſunt; & ſi eſt pauca, non nocent.* Num autem in proceſſu curationis, ſit permiſcendum aliquid adſtringens in thoracis inflammationibus, diſertè *cit. 11. meth.* explicuit Galenus.

Si tamen inflammatio ad ſuppurationem vergit, hæc internis, & externis præſidiis oblatis diligenter eſt adiuuanda, decocto caricarum pinguium, dactylor. ſem. maluæ, althææ, hord. facto in aq. tuſſilaginis: & deinde adiecto ſaccharo, aut penidiis, pro potu offeratur. Exteriùs emplaſtra, & cataplaſmata imponantur ſuppurantia. Si verò opus ſit confectum, quod ex febris, doloris, & grauitatis notabili remiſſione agnoſcemus, ruptio plurimis ingeniis tentanda, vociferatione valida, nec non tuſſi vehementi, quæ ebibitis ſalſis, acutis, & acribus concitabitur, vt ſunt oxymel, ſyrupus de praſſio, ius cicerum cum melle, amygdalæ dulces, & amaræ. Rupto abſceſſu, abſtergentia ſunt ex vſu, vt hydromel, & decoctum dactyl. hord. liquirit. paſſular. Deinde glutinantia vtilia, vt hydromel permixtum cum bolo armeno, thure, terra ſigillata, lac chalybeatum.

Sed quoniam timoroſa eſt ſuppuratio, & reſolutio præſtantior, & ſecurior, iccircò ſummè enitendum, vt humor facilè per ſputum extrahatur, & purgetur. Sed quia humor qui ex inflammatione reſudat, aëris impulſu expurgari debet, vt poſſit cedere, mediocrem ſubſtantiam requirit, 2. *progn.* 43. & 1. *ſimpl.* 24. & 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 4. Quare ſi materia elabitur per tenuitatem, expectoratio promoueatur incraſſantibus, 4. *de loc.* 9. quæ humorem in initio fluentem condenſent, & fluxum inhibeant, vt ſunt ſyrupus iuiubinus, violaceus, nenupharinus, papauerinus, maximè ſi vigilia infeſtet. Vtilia ſunt iulapia, tabellæ, eclegmata, decocta expectorantia, facta ex hord. prun. iucubis. flor. viol. Adriant. liquiritia, &c. Si verò humor per craſſitiem peccet, præſtant validiora, vt ſyrupus de hyſſopo, praſio, liquirit. oxymel, decocta parata ex hord. dactylis, ficubus, adiant. ſemin. vrticæ, enula, tuſſilag. papauer. errat. ſcabioſ. ſem. aniſi, bombac. rad. apij, fœnicul. borrag. & aliis, quæ tenacem hunc humorem attenuent, & incîdant.

Dolori ſedando ſummè debet Medicus eſſe intentus, quoniam ex eius ſæuitie vires proſternuntur, fluxio augetur, accreſcit inflammatio. Si anodyna extrà applicita non proſint, ad ſtupefacientia accedendum, quum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur. Quare quærendum: *Vtrùm in hoc affectu aliquando ſtupefacientia exhibenda?* Dic, quòd licèt hæc nimia frigiditate obſint pectori, thoraci ſint inimica, humorem contumaciorem reddant, ſputum coërceant, canales adſtringant, inflammationem incrudent, tamen ſi diuturna vigilia infeſtet, humor tenuis ſit, & acris, dolor adſit ſæuus, tunc horum ſymptomatum vrgentium habita ratione, de cura coacta, vacuato priùs corpore, mitia ſunt offerenda, ad maius periculum euitandum. Hoc modo *loc. cit. cap.* 2. Auicenna Diacodion concedit: firmat Paulus *lib.* 3. *cap.* 33. §. *Quos torquent vigiliæ, medicamen diacodion delingere oportet.* Trallianus *lib.* 6. *c.* 1. Approbauit priùs Galenus 1. *acut.* 33. §. *Nempe eorum quæ ex opio, hyoſcyamo, & managora conficiuntur medicamentorum vſus, doloroſam pleuritidis affectionem non ſanat, ſed ſenſum tollit, enecátque, &c.* ac ſi dicat: Opiata etſi cauſam doloris non adimant, hoc eſt humorem actu committentem inflammationem, quia hunc ampliùs impingunt, tamen ſenſum auferunt, & dolorem leniunt: quo ad tempus ſedato, vires refocillantur, & ob ſomnum coctione meliùs peracta, adauctóque calore humor concoquitur, & faciliùs per ſcrearum excernitur, prout 12. *meth.* 7. & 8. poſito exemplo in dolore colico à frigida cauſa concitato, in cuius ſæuitie opiata offert, ipſe edocuit.

Si verò quæras: *Vtrùm in vrgentiſſimo dolore pleuritico vtilius ſit hæc in potum aſſumere, an extrà ſupra partem dolentem apponere?* Dic, interiùs aſſumpta præſtantiora eſſe: exteriùs enim applicita parum penetrant ad partem dolentem, tardiſſimè operantur, & in tranſitu ad partes internas, humores incraſſant, & hac ratione dolorem, & cauſam eius adaugent.

OBSERVATIO I.

Pleuritis ſæua, copioſiſſima ſanguinis miſſione curata.

INciderat Ruſticus quadragenarius, ſatis robuſtus & firmus in pleuritidem vehementem, cum intenſa febri, & tuſſi ſicca, cui totum corpus purpureo colore erat perfuſum, & ob ingentem plethoram tumidum valde: dolor erat truculentus, ſputum cruentum, vrina rubea; tenſiua laſſitudine oppreſſus, præ ſarcina in lecto ſeſe mouere non poterat, imò difficili reſpiratione detentus, peſſimè ad oblata ſe habebat. Vires erant liberales: ætas florens. Spretis cæteris, quæ pro hoc affectu commendantur, auxiliis, in copioſa phlebotomia celebranda, contra aſſiſtentes, qui moribundum opinabantur, pertinaciter inſiſto, auferóque de induſtria ſanguinem ex interna vena partis affectæ, quouſque libræ tres cum dimidia fuerint exhauſtæ, qua ſimultanea phlebotomia facta, æger ſe ſanum eſſe exclamauit. Hoc exemplum nos docet, quòd etſi in pleuritide ſit extrahendus ſanguis cum cautela ſumma, ne imminuamus vires, vt excernendo humori per ſputum, vſque ad ſtatum ſufficiant; tamen ſi vires ferant, multoties audacter ſecanda vena, antequam materia omnino in parte collecta, inpoſterum & partis, & totius concitet ruinam.

OBSERVATIO II.

Pleuritidi pituitoſæ curandæ, Syrupus eximius.

VIgebat bruma, quando quinquagenarius quidam, temperamento frigidus & humidus, ex catarrhoſa defluxione, pleuritide dextra decubuit, quæ coſtas ſuperiores grauiter occupauit, cum ingenti dolore coniuncta. Febris erat lenta, tuſſis pauca, vrina ſubrubra, ſputum nullum. Sanguis detractus: Purgatio clemens adhibita: Fomenta varia, & vnguenta parti impoſita, ſed citra vtilitatem vllam. Tandem craſſeſcente ſputo, quod antea ſpumoſum erat, ſolo hoc ſyrupo bis in die ebibito in commoda hora, concocta per ſputum, & aluum eduxit, dolor eſt ſedatus, febris remiſſa, & ipſe ex toto ſanus eſt factus: cuius forma eſto hæc.

℞. *Radic. ireos, helenij, petroſelini, apij, borragin. bugloſ. fœniculi, an.* ℥ j. ß. *folior. adianti, folior. hyſſopi, tuſſilagin. papauer. erratic. an.* M. j. *ſem. aniſi, ſem. bombacis, & maluæ, an.* ℥ j. *glycyrrhizæ raſæ, & contuſæ,* ℥ ij. *paſſul. ex. corinthiac.* ℥ j. ß.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 365 sur 927

℥ j. ß. *prassij*, ʒ. iij. *dactylor. prunor. pinguium, an. num.* xij. *flor. cordial. an.* ʒ iij. *anisi*, ʒ j. *hord. P.* ij. *ficuum pinguium, n.* v j. *conserue enule campane* ℥ ij. *conserue adiant.* ℥ j. ß. *conserue violar.* ℥ iij. *strobylor. num.* xv. *amygdal. purgatar.* ℥ ß. *cinnamomi electi.* ʒ j. ß. *folior. sennæ* ℥ j. Coque sec. art. in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneant ℥ viij. infunde per noctem sec. art. *Rhab. electi.* ʒ ij. *agarici trochiscati*, ʒ j. ß. Colaturæ adde, *Syrupi de hyssopo* ℥ iij. *syrupi de liquiritia* ℥ ij. *oxymel. simpl.* ℥ j. *oxymel. campos.* ℥ ß. *sacchari, q. s.* Omnia bulliant, quoùsque acquirant consistentiam syrupi longi. Dosis ℥ ij. Iteretur bis in die, in aurora, & duabus horis post cœnam.

OBSERVATIO III.

Vnguentum pro pleuritide curanda vtilissimum.

GRauissimum symptoma dolor est, & præsertim si in pleuritide insolescat: Nã ex eius sæuitie eneruantur vires, humor non concoquitur, nec resoluitur insensibiliter, vel per sputum vacuatur; quare retentus in parte putrescit, ac in pus mutatur. Hanc perniciem vt effugias, parti dolenti (vacuato priùs, vt decet corpore) hoc linimentum appone, quod inter alia anodyna primatum obtinere felici euentu comprobaui sæpe.

℞. *Dialthææ* ℥ j. *olei amygdal. dulcium* ʒ ß. Misce, fiat linimentum, quo calido partes dolentes illinantur. Desuper tenuis puluis flor. chamæmeli inspergatur: tandémque folium Brassicæ calidum, ex butyro, aut pinguedine porcina inunctum superponatur, & fascia obligetur.

OBSERVATIO IV.

Pleuritis bilioſa, venæ ſaluatellæ ſectione curata.

SVbiit mihi in mentem mirari persæpe, cur septentrionales Medici, etsi doctissimi, ita flocci faciant saluatellarum venarum sectarum præstantiam, & vsum, cùm fidissimo experimento apud grauissimos auctores constet, plures, eósque præsertim venosi generis morbos, earum sectarum ope radicitus extirpari, ac deuinci. Sed habent excusationem in promptu bonam, quia in hoc terræ tractu ferè ob alimentorum vsum sanguis aquosus regignitur, crudique humores exuperant, per alui fluxum, aut aliarum venarum maiorum sectiones commodiùs extrahendi: at ab his venis tenuis sanguis plerumque emanat: Quo cùm abundaret iuuenis quidam, iracundus, biliosus, hirsutus, gracilis, in pleuritidem siccam dextri lateris lapsus, pluribus tentatis vniuersalibus, & particularibus auxiliis vix leuatus est. Tandem mitescente febre, dolor immaniter sæuit, ita vt anodynorum, clementer expurgantium, & cæterorum reuellentium medicamentorum opem contemserit. At cùm esset præditus squallido iecore, & in trigesimo die morbi esset constitutus, suspicióque esset quòd fluxio ab hac parte manaret in pleuram, iccircò saluatellam dextram feriendam impero, qua secta dolor conquieuit. Nec mirum: nam vacuato subtili sanguine, à quo fouebatur malum, natura deonerata, potentior reddita, in manum residuum humoris, tanquam in partem extremam transmisit: sicut enim in visceribus viget concoctrix, sic in extremis attractrix. Accedit, quòd vi balnei, frictionis, & vinculi, tum copiosè sanguis educitur, tum ad dissitas partes strenuè auertitur.

OBSERVATIO V.

Pleuritis contumax, cauterio ſuper partem dolentem appoſito, curatur.

LAborauerat vir quidam satis musculosus & fortis, distillatione pituitosa, quæ in fauces & œsophagum adeò vbertim irruebat, vt intercluſis ferè respirationis viis, à mucoso & viscido succo veluti suffocari videretur. Ecce vno die dolorem sentit in costis, ac si aciculis pungeretur. Accessit rigor, quem vehemens sequuta est febris, cum tussi, & difficili respiratione coniuncta. Secta illicò vena: purgatio administrata: reuulsio per cucurbitulas, frictiones, clysteria, ligaturas celebrata: varia fomenta applicita. His factis, perseuerante adhuc in vigesimo die intenso dolore, cucurbitula cum scarificatu super partem admota, cui cùm non cederet, ne in corruptionem, aut suppurationem fieret transmutatio, candentibus ferramentis partem inurere imperaui, quorum vi cùm ichores decem horarum spatio emanarent in copia multa, superpositio folio caulis butyro insulso delibuto, remissius est dolor: quo mitiore facto, natura deuictrix humorem copiosè eduxit per sputum, & post decem dies à morbo immunis est factus.

OBSERVATIO VI.

Pleuritis in ſphacelum tranſmutata, lethalis.

IN pleuritide dolor adest persæpe immanis, ita vt æger de vita periclitetur. Si verò perseuerantibus signis deterrimis ipse conquiescat, timendum, quoniam inflammatio pestilens quandoque, & maligna in corruptionem terminatur, & sensum partis aufert. Quo cùm premeretur quidam immisericorditer, vt præ doloris inclementia insomnes noctes duceret, tandem cohibito sputo euanuit dolor, qui cùm sanus à Medicis iudicaretur, post diem subitò occubuit. Aperto cadauere, in thorace inuenta est pleura in parte interna tota ferè nigrore perusta. Quod signum veneni intus sæuientis, & sphaceli est certissimum.

OBSERVATIO VII.

Dolor oßis ſterni pro pleuritide curatus, excreto per os lumbrico, euaneſcit.

QVàm sint portentosa, & admiranda vermium symptomata, prisci, & iuniores pleno ore contestantur. Vnum audies rarissimum. Vidimus tres puellos, qui prope sternum dolore immani oppressi, tussicula, febri, difficili spiritu, pulsu duro vexati, pro pleuricis curati, nihil leuati sunt, immò applicitis auxiliis ruebant in peius. Omnes in processu morbi, viuis excretis per os vermibus, à morbo immunes sunt facti.

OBSERVATIO VIII.

Pleuritis in abſceſſum externum, & fiſtulam lethalem terminata.

PVella decennis pleuritide pressa est, ratione situs, & humoris, spuria & mendosa vocata; nam symptomata non adeò erant intensa, & sputum non ita vbertim fluebat. Loco affecto plurima præsidia sunt applicita, secta, vena, purgatio celebrata, expectorantia adhibita. Cúmque dolor vigesimo die cessaret omnino, & mitesceret febris, tumor duriusculus in parte externa dextra

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 366 sur 927

dextra ſupra mamillam apparuit, cum dolore, rubore, & aliquali pulſatione coniunctus, qui ita intumuit, vt neceſſe fuerit deſuper ſuppurantia cataplaſmata adhibere. Facto pure, cauterio apertus eſt tumor, exeunte ſanie cum pure commixta in copia multa. At cùm ab incunabulis ægra totum caput vlceribus haberet fœdatum, ex quibus tetra illuuies emanabat continuò, & cerebrum ſuapte natura humidiſſimum excrementa ad locum dolentem excerneret, factum eſt vt abſceſſus conſolidari non poſſet, ſed fiſtula eſt genita, cuius augmentum, cùm purgationibus vniuerſalibus, fonticulis in brachiis excitatis, ſudorificis ex Ebeno, præſidiis caput roborantibus, & aliis parti adhibitis, non poſſet impediri, febricula adueniente, ſpatio duorum annorum tabefacta, occubuit. Virum, & fœminam diuerſo tempore tractaui, qui eodem læui lateris dolore oppreſſi, excitatóque tumore in parte externa, infra mamillam, ſuppurato, & ad cicatricem perducto, feliciter euaſere.

OBSERVATIO IX.

Pleuritis exquiſita, ſanguinis mictu critico ſoluta.

TRactabamus duo Medici iuuenem bilioſum, & calidum, qui exquiſita pleuritide ſiniſtrum latus occupante correptus, aliis ſecundùm artem celebratis auxiliis leuari non potuerat. Ecce vndecimo die ſanguis, ad vncias duas, ex ſiniſtra nare emanauit, increſcente febre, ob quam iterum ex eodem latere parcè ſanguis detractus. Qua vacuatione leuata natura, per vrinæ vias cruorem vbertim biduo excreuit, in die decimoquarto, cum conferentia multa: quo factum eſt, vt euaneſcente dolore, & ſublata febri, omnino ſanus euaderet. Nec mirandum putes pleuritidem per vrinam iudicari: Nam contenta in thorace per has vias poſſe expurgari, teſtatur Galenus *lib. 6. de loc. cap. 4.* firmarunt poſtea Paulus *lib. 3. cap. 33.* Aëtius, Auicenna, & alij. Vel cauſa eſſe poteſt, quòd vena ſine pari aliquando cum emulgente connectitur.

CAPVT IV.

De Peripneumonia.

Definitio.

QVoniam Pleuritis, & Peripneumonia iiſdem fermè remediis curantur, ex Auic. 10. 3. *tract. 5. cap. 4. §. In cura peripneumoniæ clauditur cura pleureſis, &c.* quum ab iiſdem propemodum cauſis generentur, quamuis Peripneumonia à ſanguine magis pituitoſo, & Pleuritis à bilioſo oriatur, 6. *Aph. 33.* vt in *ſuperiori capite* plura de hac re ſumus loquuti: iccircò in huius morbi curatione, quoad poſſumus, erimus breuiloqui, quæremúſque primò; *Vtrùm Peripneumoniæ eſſentia in inflammatione conſiſtat?* Nam ſi inflammatio concitatur, quum ſanguis à venis maioribus ad minores, minimas, & ſpatia partis inflammandæ decurrit, ex Galeno *lib. de inæquali intemp. cap. 3. & 10. meth. cap. 6.* & à plurimis occaſionibus hic oritur affectus, vt pleuritide, angina, aſthmate, copioſa à cerebro defluxione, non videtur eius eſſentia in inflammatione conſiſtere.

Obſtat tamen virorum grauiſſimorum auctoritas, quibus aſſentiri præſtat. Nam Paulus ſic definit *lib. 3. cap. 30. Peripneumonia pulmonis eſt inflammatio.* Aëtius dicit eſſe *inflammationem cum febre acuta.* Idem Aretæus, cæteríque Græci, Arabes, & Latini pleno ore confirmant. Cùm enim pulmo perpetuò moueatur, ſitque mollis & rarus, motu ſuo attrahit valenter diſtillationes à cerebro, & aliis vicinis partibus, præſertim in ipſum decumbentes, quas ob laxam carnem promptiſſimè recipit, in cuius ſubſtantia infixæ, & tenaciter adhærescentes, retentæ & prohibitæ diffluere, putreſcunt, & inflammationem concitantes, acutiſſimam febrem accendunt.

Cauſa.

VTrùm motus continuus pulmonis, ipſius inflammationem concitare poſſit? Aër frigidus nocet pulmoni: maximè ſi ab æſtate ad hyemem rigidam tranſitus fiat: nam à tepido aëris calore laxatæ thoracis partes, promptiùs, & cùm maiori periculo tenduntur, & contrahuntur. Confluxus à capite in thoracem ſæpe pulmoniæ eſt cauſa: humores enim in pulmonis ſubſtantia imbibiti, & firmiter impacti, pituitoſi præſertim, retenti, huius partis inflammationem concitare nati ſunt. Sæpe à toto corpore confluxio fit. Aliquando ex angina originem ducit, vt prædixit Hip. 5. *Aph. 10. Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt: ſi verò hos euaſerint, ſuppurantur.* Ita pleuritidi ſuperuenire ſolet, 7. *Aph. 11. A morbo lateali, pulmonis inflammatio, malum.*

Iuuat etiam perpetuus ipſius motus, cuius cauſa ad ſeſe attrahere ex vniuerſo corpore, craſſos, lentóſque humores potens eſt: Si enim clamor, aut ira, pulmonem agitando & calefaciendò, inflammationem ipſi incutere valent, quantò magis motus, cuius vi maxima fit attractio, vt paſſim Galenus confirmat? Deinde motus fundit, attenuat, exagitat, incendit lentam & viſcidam pituitam, quæ à capite ad pulmones confluens, ibi ſtabulans, motu, & accito calore liquefit, & acrior reddita pulmonem inflammat.

Moueri pulmonem adeò notum eſt, vt probari opus non ſit. *Vtrùm autem à propria vi moueatur?* ardua eſt controuerſia, quia pulmo aëris eſt per inſpirationem attracti receptaculum, & in illius vſus gratiam, mollis, raræ, laxæque ſubſtantiæ, ad recipiendum aptæ, & ſpongiæ inſtar foraminulentæ, fuiſſe creatum, 15. *de vſu part. cap. 6. 2. de mot. muſcul. vlt. 6. Aph. 33.* teſtatur Galenus; nec proprium vllum motum habere, vel actiuè ad aliquem concurrere, ideóque neruis deſtitui, ſed tantùm gratia vacui euitandi, motionem pectoris ſequi, & ab illo cieri, demonſtrat ipſe 6. *de vſu part. 2. & 17. lib. 7. cap. 9. lib. de vtilit. reſp. vlt. & 2. de placit. 4. & lib. de inſtrum. odorat. 5. & 1. de diff. reſpirat. 4. & 14. & 18. & 2. de cauſ. ſympt. 4. in fin. & lib. 5. de loc. cap. 3. & innumeris aliis in locis.*

Auerrhoës *lib. 2. collig. cap. 19.* multis, nec inualidis argumentis placitum illud impugnat. Primò. Quamdiu animal reſpirat, pulmo perpetuò agitatur, 6. *de vſu part. 4. & 9. & lib. 15. cap. 6. & alibi.* Atqui ſi conſequutione tantùm pectoris ferretur, non propria & inſita vi, daretur motus in tota vita grauis, & violentus. Igitur negari non poteſt, vim aliquam, & motum peculiarem habere.

Deinde, reſpirationis motus non ſolùm tendit in cordis, ſed in pulmonis vſum; is enim etiam exigit refrigerium, & fuliginum expurgationem, ad ſuum calorem conſeruandum. Sed illa frigidi aëris attractio, & fuliginum expulſio, in ſuum vſum & commoditatem, meliùs indita natura fit, quàm ope alterius membri. Igitur à ſeipſo, non à thorace agitur pulmo inter reſpirandum: ni velis naturam, vſui vim ac ſubſidium denegare, & in neceſſariis deficere, quod non ſolet; aut vnius membri curam, alterius gratiæ committere, cùm nulla ferè inter naturalia reperiatur, ſed ſingula de propriis tantùm vtilitatibus ſollicita ſint.

Inſuper,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 367 sur 927

Insuper, licèt pulmo thorace cinctus existat, 8. *de anatomic. administ. cap.* 10. illiúsque impleat cauitatem, 7. *de vsu part.* 9. thoraci tamen alligatus non est, sed veluti pendens, nec apparet ligatura vlla qua trahi possit, & diffundi à dilatato thorace. Igitur, &c. Denique ostendit Auerrhoës, non concludere rationes, quibus putat Galenus suum placitum demonstrari, quantumuis perforato, aut quiescente pectore, aut sectis neruis ad illum delatis, non ampliùs moueatur pulmò: Nam etiamsi in magnis vulneribus thoracis confestim quiescat, non proinde sequitur proprio motu carere, quoniam accidit (inquit) refrigerari pulmonem per vulnus, & ex valido refrigerio impotem reddi ad motum.

Iam verò si omnino quiescit feriante thorace; cùm non minùs etiam illud in pectore experiamur, quiescente pulmone: si vim habet ratio, oportet vtrúdem pariter de vtroque colligas. Præterquam quòd fieri rectè potest, vt vno membro immoto aliud non moueatur, quamuis neutrum sit causa motionis alterius: quemadmodum etiam vbi vnum per consensum alterius læditur; inde enim fit, vt sectis pectoris neruis ab opere cesset pulmo, non quasi ab illo distendatur, sed quia ex sectione neruorum offenditur pectus, & ad illius offensam consentit pulmo, & sua actione priuatur, id quod à Galeni doctrina alienum non est.

Ita Auerrhoës ingeniosissimus, sed frustra contra Galenum insurgit; neque enim adductis instantiis Galeni rationes infringit, vt paulo pòst constabit: nec euincit, quod conatur. Nam si seipsum agitaret pulmo, vel suus ille motus naturalis esset, hoc est, à natura, aut animalis, siue à voluntate factus: non iste, quia cùm localis sit, perpetuus, ac laboriosus, & fortè omnium corporis partium robustissimus, 6. *de vsu part.* 10. iunctum exigebat robur, & firmitatem per villos comparatam, quibus motus localis efficitur; 3. *de natural. facul. cap.* 8. & thoraci prouisum fuit. At omnium filamentorum genere; præterquàm venis, & arteriis, quæ delationi inseruire non poterant, 6. *de vsu part. cit.* destituitur pulmo; insuper & neruis, & musculis ad motum voluntarium omnino requisitis: ac proinde minùs poterit ad facultatem animalem referri motus ille pulmonis, nec differetur Auerrhoës. Igitur, &c.

Non fieri autem à natura, pro quo vrget, ostenditur rursus, quoniam naturales, voluntariíque motus in eundem finem, & vsum plerumque conspirant: cùm tamen ab agentibus vsque adeò diuersis fiant, perpetuò cohærere non possunt: naturales enim perennes sunt, & nullo pacto interrupti; alij pro arbitrio cohibentur. Atqui pulmo cum ordinem, & concentum obseruat cum thorace, qui voluntariè mouetur, vt simul cum eo incipiat, simúlque moueri desinat: denique ita suis motibus conueniunt, vt nunquam seiungantur, nec modo aliquo sibi mutuò pugnent. Igitur non distenditur pulmo à natura, nec proprio, innatóque motu, sed ad dilatationem thoracis, atque fieri ita oportuit.

Res verò in hunc modum se habet. Dum Thorax musculorum ope, atque adeò voluntariè dilatatur, secedit à loco illo in quo pulmoni adhærebat: cùm verò pulmo impleat natiuam cauitatem pectoris, si hoc moto, & à se elongato quiesceret, necesse erat interiecto spatio vacuum accidere; cúmque illud non patiatur natura, constituit vt distentum thoracem pulmo sequeretur, & gratia vitandi vacui, ampliorem locum quàm antea occuparet, non quidem pristinum deserens, sed seipsum magis extendens propter quod molli, laxáque carne fuit præditus. Quoniam verò interim dum extenditur pulmo, interiora illius spatia magis diducta manent, similiter ne vacuum detur, succedit aër dictas inanitates implens: & ita quidem rem fieri, euidens argumentum est, quòd si aër succedendi libertate priuetur, thorax dilatari non poterit, scilicet quia non diffunderetur pulmo, nisi aliud subinde suos canales impleret; sicuti nec etiam mouetur, vbi vacui periculum non imminet, cuius tamen ratione solet agitari, atque ob id fanè pectore confosso quiescit: cùm enim tunc ad dilatationem thoracis aër per plagam se insinuet, & capacitatem redditam maiorem præoccupet, deficit causa ob quam mouebatur pulmo.

Ex his constat, ex pulmonis quiete in magnis thoracis vulneribus, melius collegisse Galenum pulmonis motum consequutione pectoris fieri, quàm affinxisse Auerrhoëm, ideò in proposito exemplo à motu cessare, quia ex refrigerio læditur motrix facultas qua pollet. Nam quantumcunque per vulnus refrigeretur pulmo, vbi primùm clauditur pectus, confestim mouetur, sequens illius distentionem, & manifestè quidem ostendens, solùm ob traditam causam quieuisse, neque aliunde moueri. Id autem non minùs etiam confirmat, quòd pectore quiescente quiescit. Licèt verò idem accidat thoraci, otiante pulmone, non proinde sequitur, quod inferebat Auerrhoës; ex similitudine rationis, pectus per se non moueri, quia semper cum pulmone distenditur: in pectore siquidem musculos mouentes inuenimus, nullum prorsus in pulmone.

Iam verò asserere, ideò sectis pectoralibus neruis otiari, quia læso pectori consentit, à ratione prorsus alienum est: Si enim pulmo dum magis afficitur, vt per tabem exulceratus, aut per pulmoniam inflammatus, à motu non desistit, quin & multò plus, ac concitatiùs mouetur, quàm in sanitate: quomodo in leuiori affectu, & ad læsionem ex consensu omnino feriabitur? Corruunt igitur prædictæ ab Auerrhoë solutiones, simul cum illius sententia, quam parum etiam fulciunt fundamenta contra Galenum adducta.

Et primum: quia licèt res ad alterius motum, non ex se moueatur, non propterea dicitur vehementer moueri: alioqui violentus esset orbium cælestium motus, quo rapitur cum primo mobili; violenta similiter totius corporis, ossium, & reliquarum partium motio; omnes siquidem ad musculorum contractionem, atque ita ad alterius motum circumducuntur. Quòd si violentum esse velit, quia contra impetum grauitatis pulmonem distendit, non deorsum fert, plures alios similes in corpore reperies, ambulationem nempe, cursum, stationem, sanguinis delationem ad superna membra, &c. quorum comparatione motus ille pulmonis, violenti nomen non meretur; ad anteriora siquidem, non sursum simpliciter defert, nec graue quidpiam, sed leuissimæ substantiæ membrum, maximè cùm iuxta hanc considerationem adhuc violentus diceretur, etiamsi proprius fuisset pulmoni.

Non negamus autem respirationis finem, cor esse, & in gratiam quoque pulmonis fieri, cùm tamen aër propriè non trahi, sed potiùs succedere dicatur: commodissimè autem succederet, imò & commodiùs, ac celeriùs ratione vacui. Meritò ergo constituit natura, vt ex vacui necessitate, non vi aliqua ad id destinata raperetur pulmo, sequens distentum thoracem; & eo quidem inuento, solàque thoracis efficientia, pulmoni & cordi necessarium refrigerium parauit: quo pacto nec necessariis defuit, neque insolitum quicquam effecit; solet enim plerumque membrorum necessitatibus, aliorum ministerio subuenire: sic appetendi pro toto curam ventriculo commisit; totius alitionem iecori: non quasi dicta membra de aliis solicita sint, nihil enim minùs cogitant, 1. *de symptom. caus.* 7. sed interim dum sui tantùm gratia operantur, ex mira naturæ prouidentia, ad vitam animalis conseruandam, fit vt aliorú vsibus etiam inseruiant: ideóque non cessat in stomacho fames, donec alimenti copia pro toto sufficiens ingeratur; & dum se ab alieno, ac superfluo exonerat, sanguinis materiam iecori suppeditat; iecur autem sanguinem corpus vniuersum

uerſum aliturum progignit. Quid igitur mirum, ſi pectoris munere, cordis & pulmonis vſibus inſeruiatur, ſolúſque thorax auctor ſit, & efficiens reſpirationis. Licèt verò in ea moueatur etiam pulmo, nec pectori ligatus exiſtat, illius tamen conſecutione ferri non definit: fortior ſiquidem eſt vacui vis ad trahendum, quàm cuiuſuis ligaturæ; nec aliqua requiritur, vacui neceſſitate vrgente. Et de hac difficultate ſatis.

Nunc inquirendum: *Vtrùm laxa pulmonis ſubſtantia, & humiditas natiua, in eo inflammationem concitent?* Pulmo ad fluxiones ſuſcipiendas, ob ſui mollem, laxámque ſubſtantiam eſt paratiſſimus, *lib. de ſang. miſ. cap.* 8. qua de cauſa omnem humiditatem in ſe imbibit, vt docuit Galenus *lib. 2. criſ. cap.* 10. Quapropter omnes humiditates ex glandulis, quæ ſunt in radice linguæ, atque etiam ex faucibus & larynge, ſed præſertim ex capite defluentes recipit, quæ cùm lentæ ſint, & tenaciter in molli eius ſubſtantia adhæreant, retentæ putreſcunt, ac circumſcriptæ inflammationem pariunt.

Accedit ipſius humiditas, quæ frequentes ipſius motus, & cordis etiam calorem ſuſtinet, ne ab ipſis exiccetur. Pulmo ergo humidus eſt, quod affirmat Auicen. 1. 1. *cap.* 2. & primò docuit Galenus 2. *de temp. cap.* 3. §. *Quòd autem ipſum cerebri, pulmoniſque proprium corpus, proximum adipi, humiditatis ratione ſit, ex mollitie coniectare licet, &c.* & 1. *de temp. cap. vlt.* §. *Minùs humida quàm adeps, eſt pulmonis caro:* idem aſſeruit etiam 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 12. nutritur enim ſanguine pituitoſo, ſcatétque pituitoſis excrementis: par enim erat, membrum quod perpetuò mouetur, & flabelli inſtar cor ventilando refrigerat, illíque eſt adeò vicinum, exiſtere humidum, ne perenni motu ſiccaretur, & cor in ſui conſenſum traheret: hæ enim partes ſuos affectus præter naturam inuicem communicant, 4. *de præſag. ex pulſib. cap.* 7.

Quapropter dicendum, ſuapte natura pulmonem moderatè eſſe humidum, verùm eius natiuam humiditatem ex accidenti intendi, ratione ſitus, partium vicinarum, ſpongioſæ ſubſtantiæ, quæ à dictis partibus, fluxiones promptiſſimè ſuſceptat, iuuante ipſius motu, cuius vi eas ad ſe conuocat, vt docuit Galenus *lib. de ſang. miſ. cap.* 8. quæ in eius poroſitatibus & meatibus infixæ, prohibitæque diffluari, præternaturaliter incalescunt, & inflammant.

Neque obſtat, quòd quælibet pars noſtri corporis nutriatur alimento ſibi ſimili, 6. *de vſu part. cap.* 17. *poſt princip.* & pulmo ſanguine calido & ſicco alatur, ex Auic. 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. & ex Gal. 4 *de vſu part.* 15. puriſſimo, flauo, ſpirituoſo, in cordis ventriculo præcalfacto, tenuato, ſiccato, igneam ac bilioſam naturam ibi quodammodo adepto: Nam tenuis & bilioſus ſanguis, amaræ bilis eſt materia, qui à cordis feruore ſubactus, neceſſariò igneam naturam adipiſcitur. Hoc enim neceſſarium fuit, vt foramina, quæ in ſua ſubſtantia quamplurima habet, & cauitates, pro aëris ingreſſu & egreſſu, ſeruaret apertas; plurima enim humiditate laxatus in ſe concideret, & meatus eius occluderentur.

Dic. Natura prudens ita prouidit, vt humidus eatenus in ſui ſubſtantia, & prima elementorum commixtione crearetur pulmo, vt cõſeruare poſſet aperta foramina, ne ab ipſa pulmonis ſubſtantia concidente, aut humiditate crebrò decidente obſtrui poſſent; quod Auicenna ſignificauit his verbis: *Scire tamen debes, quòd pulmo in ſui ſubſtantia, & natura, non eſt humidus vehementi humiditate, quia apertè ad tactum mollior eſt corde, & renibus, quæ inter humida reponit Galenus.*

Neque nego, pulmonem plurimis eſſe præditum foraminibus, quæ patentia ſeruat in ſtatu naturali: ſed ex eo non arguas eſſe ſiccum à prædominio: illa enim foramina facultatis formatricis opera ſunt, quæ cum modica humiditate conſeruari poſſunt. Accedit, quòd pulmo mouetur ad motum thoracis, vt *ſuprà* diximus & ſecundùm trinam dimenſionem diſtenditur, ad quam, naturæ lege, aër ingreditur, ne accidat vacuum, qui ſuo corpore, & mole dicta foramina hiantia perpetuò efficit.

Deinde pulmo ſanguine ſibi ſimili nutritur, & proportionato, qui pituitoſus non eſt, neque bilioſus, aut calidus & ſiccus, ſed puriſſimus, flauus, tenuis, & ſpirituoſus, qualis in arteriis continetur, qui flauus & tenuis eſt, non ob admixtionem bilis, ſed ex natura ſua, vt optimè notauit Galenus 7. *meth. cap.* 9. qui ſanguis non eſt ſiccus, ſed moderatè calidus. Auicenna autem pulmonem nutriri ſanguine bilioſo aſſeuerans, intelligendus de ſanguine, ratione tenuitatis & coloris, referente naturam bilis, vt aduertit Galenus 2. *ad Glauc. cap.* 1.

Quæres: *Vtrùm calidiſſimus ſanguis quo nutritur pulmo, ipſum inflammet, & exiccet?* Mirum eſt, quomodo pulmo perpeti motu agitatus, & incalescens, calido ſanguine & ſpumoſo nutritus, (eſt enim ſpuma coagulata) à viciniſſimi cordis feruore, breuiſſimè non exiccetur, ac contabeſcat, & conſequutione ipſum cor in tabem, & marcorem non adducat, alterum enim alteri neceſſariò, celerriméque conſentit, vt ſcribit Galenus 4. *de præſag. ex pulſib. cap.* 2.

Dic, quòd duplex ſubſidium pro hac præcauenda ruina parauit natura, vnum externum, internum alterum: illud eſt, *quòd inter bibendum è potu aliquid ad pulmonem per gutur, & aſperam arteriam defertur, non repentè totum, neque per mediam inſtrumenti fiſtulam influens, ſed per tunicam ſenſim ipſum irrorans*, vt 8. *de placit.* Hip. & Platon. *cap. vlt.* Galenus aſſeruit. Cùm verò animanti ſemper bibere expediens non eſſet, altero indiguit natura ſubſidio, interno, & indeficiente, æſtuoſum cordis calorem, & pulmonis motiones exiccantes contemperante; nam glandulas ſub radice linguæ creauit ſaliuam gignentes, alias ad pharyngem, laryngem, aſperam arteriam, quæ omnes vocis, & loquelæ partes irrigant, atque humectant, quas humiditates excipit pulmo, conſtans ſubſtantia molli, rara, ſpongioſa, & laxa, cuius vi eas citiſſimè in ſe abſorbet. Hoc voluit ſignificare Auicenna *loc. cit.* cùm de pulmone ita ſcribit: *In ipſo verò multa humiditatis ſuperfluitas colligitur, propter illud quod ad ipſum aſcendit de vapore corporis, & propter illud quod ad ipſum deſcendit de catarrhis, &c.*

Vtrùm verò *humiditates pulmonem irrigantes ipſum reddant humidiorem, quam ſit eius natura?* explicatu perdifficile eſt. Dic, quòd ſi dictarum humiditatum defluxus mediocris, valdéque naturalis habeatur, temperamentum pulmonis per ipſum ſeruatur, quale ex prima elementorum commixtione fuit creatum. Si minus eius humiditatis affluat, pulmonis temperamentum in ſiccius permutatur. Si verò intemperanter, & immodicè eiuſmodi defluant humiditates, temporis decurſu, temperamentum pulmonis in humidius permutabitur; vbi enim humor diu ad membrum defluxit, illud ſibi temperare ſolet, vt docuit Galenus 7. *meth. cap.* 6. Nam ante id tempus, pulmonis temperamentum in humidius nondum eſt verſum, etiamſi aliquantò mollior ex huiuſmodi humiditatis commercio reddatur pulmo: Membri namque mollities, humiditatem ſignificat temperamenti, niſi cauſam habeat, ſparſum per membri poros humorem, vt *lib. art. med. cap.* 59. rectè Galenus aſſeruit. Sic ſenes, & qui cachexia laborant, mollia & inflata habent membra, cùm ſuapte natura ſint ſicca, donec tantam iam, humiditas per poros ſparſa, moram contraxit, vt temperamentum, & commixtionem ipſorum permutet; perinde ac in Aſcite contingit, in quo totius corporis coagmentatio, ac miſcella in humidum verſa, humorem vndique diſſeminat, vt ſcribit Aëtius *ſerm.* 2. *tetrab.* 3. *cap.* 20. Hinc doctiſſimè Auicenna, pulmonem ex harum humiditatum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 369 sur 927

acceſſu, non dixit reddi humidum, ſed madefactum; niſi humiditatis mora, ipſum in ſui etiam ſubſtantia, molliorem fecerit.

Accedamus propiùs ad pulmoniæ cauſas: *Vtrùm Pulmonia ab omnibus humoribus generetur*? Ex ſanguine copioſo in pulmonem defluente, phlegmonen, ſiue pulmoniam generari, quam anguſtia, & grauitas, ſpirandíque difficultas comitantur, ſatis notum eſt, & notius quàm monſtrari debeat: cùm enim exuperans, concalefactúſque ſanguis nec diffletur, nec poſſit à natura regulari, neceſſe eſt putrefieri, & corrumpi, atque febrem concitari, 2. *de diff. feb. cap.* 9.

Galenus autem *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 8. Pulmoniæ quatuor differentias cum ſuis indiciis enumerat: ſimplices duas, bilioſam nempe, & ſanguineam; totidem ex his compoſitas, phlegmonen ſcilicet eryſipelatodem, & eryſipelas phlegmonoſum: quæ inflammationes ab omnibus humoribus poſſunt concitari, vt probat *lib.* 2. *de loc. cap.* 9. & 6. *Aph.* 33. cùm enim pulmonis ſubſtantia, rara ſit, mollis, & laxa, ad omnes humores ſuſcipiendos eſt aptiſſima.

Rurſus. Pulmonia non magis ex ſanguine, & bile, quàm ab aliis humoribus fit, quinimò ex pituita maiori ex parte oritur: quod docet Galenus 4. *de cauſ. pulſ.* 12. & euidenti ratione oſtendit, quoniam cùm molli, laxáque ſubſtantia conſtet pulmo, ſubtilem, biliosúmque ſanguinem facilè affluentem continere non poteſt, atque adeò nec inflammari, niſi à craſſo, & pituitoſo, quod etiam ſcribit Auicenna 10. 3. *cap. prop.* Ergo inſufficienter 4. *de loc. cit.* de peripneumoniæ differentiis agens, ſolius bilioſæ, & ſanguineæ meminit, alias omittens, imò & pituitoſam frequentiſſimam, & fortè aliis deteriorem.

Dic. Supposito quòd inflammatio fiat, ex cuiuſuis humoris abundantia; nec inſufficienter pulmonia ex ſanguinea materia, cuicunque humori commixta, ſicut pleuritis generari poſſit; tamen frequentiùs à pituitoſa, quàm à bilioſa emanat, vt *infrà* dicetur; quemadmodum & pleuritis crebriùs à bile, quàm à pituita prodit, à melancholia autem, rariſſimè; quia cùm pulmo leuis, ſubtiliſque ſubſtantiæ ſit, ideóque à ſubtili, & à corde elaborato ſanguine nutriatur, melancholicum excipere recuſat, imò illius inſuetam, extraneámque qualitatem ferens, ipſum à ſe longè latéque repellit, vt eleganter notauit Auenzoar, *lib.* 1. *theizir, tract.* 11. *cap.* 2. Et hæc eſt cauſa, quare bilioſæ, & ſanguineæ meminit ſolùm, nutrimentum pulmonis, calidum nempe ſanguinem reſpiciens: nam in eo abundare pituitam, à qua frequentiùs pulmonia generatur, certum erat.

Signa.

INter plurima ſigna, quæ *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 8. Galenus ad indagandam naturam pulmoniæ recenſuit, eſt dolor, quem grauantem adeſſe pulmone inflammato, 2. *de loc. cap.* 9. manifeſtè aſſeruit. Sed primò videndum: *Vtrùm pulmo ſit doloris expers*? Nam ſi pulmoni ſui etiam nerui inſeruntur, à ſexta neruorum coniugatione deducti, 16. *de vſu part.* 3. & *lib. de neruor. diſſect. cap.* 10. cur in ſe continens magnam dolendi cauſam, vehementer non cruciabitur? aut cur phthiſici, quibus vlceratus eſt pulmo, dolorem potiùs ſentient in ſpathula, & pectore, maximè ſiniſtris non vlceratis, quàm in pulmone ipſo, quem magis oportet doloris interuentu iudicari affectum?

Vtriuſque problematis eſt reddenda ratio. Nerui illi à cerebro deducti, per pulmonis carnem non extenduntur, ſed extrinſecùs tantùm per ambientem membranam, *lib. de plenitud.* 4. ratione cuius in pulmonis malis grauitas nonnunquam ſentitur, & extenſio quædam in pectore, aut ſpina, (hoc enim genus morbi plus periculi habet, quàm doloris, apud Celſum *lib.* 4. *cap.* 7. videlicet quia prædicta tunica pulmonis ſubſtantiam obducens, fibris quibuſdam dorſo, & pectori alligatur, præſertim ad partem ſiniſtram, tam pleuræ, quàm ſpinæ ipſius: atque ideò nihil mirum, ſi grauatus pulmo, deorſum trahens eas quibus ſuſpenditur fibras, ponderis cuiuſdam, aut tenſionis ſenſum incutiat iis partibus, quibus connectitur, atque ita pectori, & ſpathulæ potiſſimùm ſiniſtris in phthiſi. Senſu autem eſſe deſtitutum pulmonem, firmat *lib.* 2. *de loc. cap.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 5. 3. *progn.* 30. 1. *de diff. reſp.* 12. Cùm enim in profundo corporis ſitus ſit, & ab externis nocumentis immunis, & externis non occurrat, non fuit neceſſarius illi ſenſus, quorum cognoſcendorum gratia donatus ille fuit. Sentit tamen extima illius membrana, ne flatu, aut humore obuio læderetur. Quare videtur ſibi contrarius Auerrhoës, qui *lib.* 3. *collect. cap.* 30. pulmoni concedit validam ſentiendi vim, cùm *lib.* 4. *cap.* 52. nec dolere, nec ſentire pulmonem fateatur: Sed in vno loco reſpexit carnem pulmonis, quæ inſenſilis eſt; in alio, extimam membranam, diuerſam à ligamentis, quæ penitus inſenſibilia ſunt, 1. *de vſu part.* 17. & *lib.* 12. *cap.* 7. & 1. *de mot. muſcul.* 2.

Cur verò natura pulmonem vicinæ pleuræ, & maximè in ſiniſtra parte alligauerit, cauſa videtur fuiſſe, ne ſiniſter cordis ventriculus à pulmone ipſo premeretur: Cùm enim viſcera ita vicinis membris voluerit cohærere, vt nec omnino vinculis detinerentur, (quia ſic nec liberè tumere, nec premi, & colligi poſſent) nec omnino libera, & ſoluta exiſterent, videlicet ne per validos motus ſitum mutarent, & in aliena loca decidérent; niſi in ſiniſtra parte pectoris firmiùs necteretur pulmo, timor eſſet ne à ſuo loco ſecedens, cordis ventriculo ſiniſtro, ſpirituoſo, & nobiliſſimo incumberet, eúmque anguſtum magis premeret, & anguſtaret.

De pulſu etiam Peripneumonicorum occurrit controuerſia, quæ plurimos torquet atque fatigat, qua illaqueati vel eam dubitanter explicarunt, vel maturiori iudicio palinodiam recantarunt: *Vtrùm in pulmonia pulſus interdum poſſit adeſſe durus*? Nam contrà ſcripſit Galenus *lib.* 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 12. mollem pulſum peculiarem eſſe pulmoniæ aſſeuerans, tum quòd affectum membrum molle ſit, tum etiam quòd inſtrumenta ex pituitoſa fluxione mollitiem contrahant. Subinde conflatur magnus, quia vſus euentandi vrget, nec duritiei inſtrumenti refragatur.

At iis vehementer pugnantia proponere ipſum apparet, *lib.* 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 8. dum ſic ſcribit: *Porrò an in pulmonem angina migrauerit, ex pulſu cognoſces: nam durus, inordinatus, & inæqualis, in membrum principale materiam eſſe tranſlatam oſtendit; mollis autem, ordinatus, & æqualis, cum facili & æquabili reſpiratione, aliò deriuatam indicat materiam.*

Nec contraria loca ſolues, ſi aſſeras, in principio permutationis ad pulmonem, pulſum effici durum, propterea quòd contrahuntur membranæ, & arteriæ; in proceſſu autem, quando iam pulmo eſt humectatus à materia, conſequenter arterias humidiores reddi, & fieri mollem pulſum. Nam hæc explicatio non conſonat verbis Galeni, quippe qui *citato loco* firmauerit, docuerítque venari humorem tranſlatum ad pulmones, ex pulſu duro, inæqualíque. Deinde ſi duritiei illa inſtrumenti, in principio permutationis materiæ ad pulmones, per contractionem membranarum, & arteriarum fieret, ſequeretur quòd pulſus in principio cuiuſque pulmoniæ etiam redderetur durus quod eſt abſurdum.

Neque ſubterfugies contradictionem, ſi aſſeueres, durum fieri pulſum in permutatione anginæ ad pulmonem, id eſt, duriter, & cum difficultate naturam in hoc affectu pulſum edere, ob maximam humoris copiam

quo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 370 sur 927

©BIUM

quo opprimitur: Hoc enim ſubterfugium inane eſt, & prorſus nullum, dum contextum Galeni miſerè in alienum ſenſum detorquet: aliud enim eſt fieri pulſum durum; aliud naturam cum difficultate arteriam mouere.

Ergo ſubobſcurus locus Galeni, ex 4. *de cauſ. pulſ.* 12. explicandus eſt, ſi priùs aduertas, pulſum in pulmonia fieri mollem, ob humiditatem arteriæ, & carnis: cùm tamen inflammatio omnis pulſum induret, quia in ea tenditur arteria, ob inflammatæ partis tenſionem. Sed cùm multæ ſint cauſæ, quarum ratione maior efficitur mollities in pulſu, quàm poſſit pars inflammata indurare, fit vt contrarium aliquando accidat ab effectu, qui ab inflammata parte emanare ſolet. Hæc enim inflammatio ex pituitoſo ſanguine plerumque originem ducit, qui humiditate ſua mollem reddit arteriam: Accedit laxa, & ſpongioſa pulmonis caro, quæ licèt ex inflammatione tendatur, duritiem tamen nunquam acquirit; periclitatur enim ocyſſimè animal, cùm thoraci cedere non poteſt præ duritie.

Quapropter pulſus peripneumonicis dicrotus infrequens eſt, dicebat Galenus *lib. 4. de cauſ. pulſ. cap. cit.* quòd *dicrotus in vaſis requirat quandam duritiem; quam quidem ex pituitoſa defluxione non contrahunt: ſiquidem bilioſioris munus eſt ſiccare, tendere, cogere, indurare; quæ quoniam minùs ſæpe pulmonem infeſtat, erit quoque durities rara, & ſi hæc, ſimul dicrotus pulſus etiam.* Hæc Galenus. Ad quæ ſiquis tantillum appulerit animum, quæ in contrario loco traduntur, planè intelliget: quippe cùm Angina à calidis oriatur ſuccis, à ſanguine nempe, aut bile, & in inflammationis loco putrefactus ſanguis in bilem verti ſit neceſſe; fit meritò, vt in permutatione anginæ in pulmoniam, molles pulſus non neceſſariò emergant, ſed duri, cùm conſtet talem pulmoniam potiùs à bilioſo, quàm à pituitoſo ſucco excitari: nec enim huius prouentus eſt impoſſibilis, in qua durum fieri pulſum verbis dudum citatis Galenus tradiderat. Vera igitur eſſe, quæ in variis locis à Galeno traduntur, his manifeſtè intelliges; nec ſententiam hanc, etſi explicatu difficilem, citatæ in alio loco vtcunque opponi, reluctariue.

Vtrùm autem *pulmonia à pleuritide diſtinguatur*? dubitandum. Etſi enim auctores proprium caput vtrique affectui dicauerint, cùm vtriſque vitiis ſigna ſint communia & affinia, adeò vt difficulter poſſint ab inuicem ſeiungi, cùm vtraque ſit inflammatio partium ſpiritalium: tamen plurima ſunt ſigna, quæ hunc affectum inter ſe diſtinguunt. Dolor enim in pleuritide adeſt acutior; in pulmonia grauis, & ponderis ſenſum referens. Febris in vtroque affectu viget acuta; ſed in pulmonia ardentior, ob cordis viciniam. Pleuritis in initio ſiccam tuſſim habet; pulmonia magis humidam. Difficilior eſt in pulmonia reſpiratio: nam cùm pulmo, & thorax dilatari poſſint, quantum ſit ſatis, quòd dolore non impediantur, vt in pleuritide, fit profectò, vt moueantur promptè, adeò vt præ magnitudine, & frequentia, ſuffocari laborantes videantur; inflammatus enim pulmo, & multo humore repletus, aërem, quantum par eſt, attrahere non poteſt: præterquam quòd calidiſſima pulmonis, & cordis affectio, citatiorem expoſtulat reſpirationem; bronchia autem anguſtiora facta, aëris ſufficientem attractionem impediunt.

Inſuper peripneumonici pulſum habent magnum, celerem, crebrum, languidum, mollem, vndoſum, & aliquando dicrotum: Pleuritis obtinet omnino diuerſum. Ille eſt magnus, & celer, ob febris feruorem, & cordis viciniam. Creber, vel minùs, vel magis, provt cauma internum, aut ſoporoſa affectio, quæ pulmoniæ comes expoſtulat. Languidus fit, ob impotentiam ab ingenti intemperamento contractam. Mollis, ob rationes *ſuprà* aſſignatas.

Demum plurima narrat ſigna Hippocrat. *lib. 3. de morb. & de dieb. iudicatoriis*, quæ quidem vel aliis morbis communia ſunt, vel empyematicis propria, vt coma, naſi ſimitas, eleuatio venarum temporum, appetitus deiectio, linguæ ſiccitas, & rubor, qui poſtea in nigredinem vergit, delirium, extremorum frigiditas, vnguium liuor & incuruatio, & alia, quæ ex profeſſo afferunt, Paulus *lib. 3. cap. 30.* Tral. *lib. 6. cap. 30.* Rhaſ. 9. *ad Almanſ. cap. 2.* Aretæus *lib. 2. acut. cap. 1.* Sed habent vnum ſignum peculiare peripneumonici, & eſt maxillarum rubor, de quo dubitandum: *Vtrùm maxillarum rubor ſit proprium inflammati pulmonis indicium*? Hoc enim affirmat Galenus *lib. 1. de loc. affect. cap. 3.* quo loco, hoc ſignum pulmoniæ manifeſtè tribuit. Paulus *loc. cit.* ſic ait: *Sequitur hos ſpirandi difficultas, febris acuta & ardens, grauitas, & tenſio pectoris, impetus, & perceptio multæ repletionis circa faciem, materia ſurſum versùs impetum faciente, inſtar ignis; rubicundæ igitur ipſis apparent malæ.* Quod etiam docuit Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 66.* & ita proprium eſt hoc ſignum inflammato pulmoni, vt empyicos comitetur, ex Hip. 2. *progn.* 60. & hoc accidit, exponente Galeno *in com. propter calorem in pulmone à putreſcente pure concitatum, atque etiam propter tuſſim adiunctam: hæc enim ambo calefaciunt vultum, & totum caput, quia ſcilicet ex defluxione in pulmonem decumbente, vapores in ipſum redundant.* Hoc ſignificauit Auicenna 10. 3. *tract. 4. cap. 11. de ſignis peripneumoniæ*, dum ſic ait: *Et quandoque communicat ei in extenſione, & repletione faciei totius, & apparent in vtriſque maxillis rubedo, & inflatio, propter illud quod aſcendit ad eas ex vapore, propter carnoſitatem earum, & raritatem ipſarum, & non ſunt, ſicut frons in cute ſua. Et quandoque vehemens ſit rubedo, donec ſimiletur tincto.*

Ex altera parte ſunt valida momenta rationum. Si enim fit rubedo genarum in pulmonia, ob calorem in pulmone concitatum, & tuſſim adiunctam, quia calor ſanguinem ad faciem tenuem, & raram eleuat, & ſic ruber color ampliùs in ea effloreſcit, & tuſſis iuuat, cuius labore, & tractione ſanguis in ſupernas partes euolat: etiam maxillarum rubor eſſet magis proprius ſepti tranſuerſi inflammationi, cuius nerui propiùs in cerebrum, ſupernáſque partes emittuntur, 4. *de præſag. ex pulſib. cap. 5.*

Deinde. Plurimi affectus ſunt, in quibus ſanguinis feruor maximus adeſt, cum tuſſi valida, vt in pleuritide, catarrhoſis, æſtiuis, & ardentibus febribus, imò in cordis inflammatione, in qua flammeus calor feruidos vapores ad caput, & faciem eructat. Neque aſſeras cum Alexandro 2. *probl. 4.* quòd ſanguis qui in pulmone ebullit, vaporem ſibi ſimilem emittit; quod enim oritur, ſimilitudinem ſuæ originis præ ſe ferat, neceſſe eſt: hic igitur vapor, quum præ ſui leuitate ad malas ſe extulit, conſiſtit, atque ita per cutis tenuitatem, veluti per vitrum, colorem ſuum oſtendit: Nam etſi pulmo nutriatur ſanguine tenui, calido, qui ebulliens in pulmone, vaporem ſimilem ad faciei partes ratiores tranſmittit; tamen cùm pulmonia ferè ex ſanguine pituitoſo generetur, hic licèt efferueſcat in pulmone, vaporem ſimilem emittet, qui rubro colore faciem minimè maculare poterit. Hæc eſt cauſa, ob quam Galenus *in art. med. cap. 65.* ex profeſſo pulmonis calidioris ſigna percurrens, genarum tamen ruboris non meminit, quia in hoc membro ob dictas cauſas excrementi pituitoſi adeſt copia multa.

Quare, quamuis in hoc affectu ſpiritus calidus exuffletur, & inflammatio eryſipelatis particeps ſit, 2. *de loc. cap. 3.* hoc ſignum perpetuum non eſt in pulmonia: Nam ipſe Galenus 4. *de loc. 9.* de pulmonia loquens, ruboris maxillarum non meminit, & 2. *prognoſt. cit.* hoc indicium etiam eſſe proprium purulentis aſſeuerat. Et Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 39.* in pueris

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 371 sur 927

©BIUM

correptis lumbricis, fieri maxillarum ruborem asseuerat. A Et Auicenna 14.3. *tract.3. cap.6.* faciei rubedinem proponit pro signo inflammati hepatis, §. *Significant ipsum signa apostematis calidi, rubedo faciei, & exuberatio venarum.*

Adiungit etiam Galenus 4. *de loc.7.* quòd pulmonia affecti difficulter respirent: *Si verò*, inquit, *simul conueniant in spiritalibus instrumentis, & calor, & angustia, vt in peripneumonia, tum neque maxima, neque frequentissima, neque etiam celerrima spiratio sufficere potest, sed residere tentant sic laborantes.* Sed videndum: *Vtrùm peripneumonici sublimi respiratione laborent*? Cùm enim tres causæ respirationis continentes sint, facultas, instrumentum, & vsus, & in hoc affectu nullum horum lædatur, videtur illi propria non esse. B

Contrà facit argumentum validum: Nam ex aucto calore, aut spiritalium partium angustia spirandi difficultas oritur: quia præterquam magna, velox etiam, & crebra efficitur respiratio, maxima, celerrima, & frequentissima fit, si simul cum æstu, angustia iungatur, vt in hoc affectu persæpe contingit: imò nec aliquando sufficit, sed erigi coguntur patientes, & recta ceruice spirare, quam respirationem, sublimem vocat Hippocrates 3. *epid. sect.2. text.4.* quia iacentes sese sentiunt præfocari. Quare qui periculosissima hac difficilis respirationis specie laborant, orthopnoici appellantur, hoc est, nonnisi recta ceruice spirantes, vt docet Galenus 7. *de comp.med. sec. loc. cap.6.* quia in ea iacentes suffocantur, & ob suffocationis timorem, totum corpus cum thorace C rectum habere coguntur, ad faciliùs spirandum, vixque adhuc non sufficiunt. 2. *prorrhet.54.* In qua difficili, & sublimi respiratione, non facultas ipsa, non vsus, sed instrumenta afficiuntur, & inter ea, aspera arteria, præsertimque eius propagines, quæ in pulmonem distribuuntur; cùm enim strictiores sint, promptiùs obstruuntur, 3. *Aph.26.* & 1. *de diff. respirat. cap.12.* Num autem peripneumonici decumbentes meliùs spirent quàm erecti, infrà *cap.7. de difficultate respirandi*, exponemus.

Præsagium.

INter signa prognostica illud est potissimum: *Vtrùm Peripneumonia pituitosa sit frequentior biliosa*? Nam etsi bilis tenuis elabatur, nec contineri possit in laxissimo membro, vt inflammationem efficiat, saltem continebitur crassior, atque ita magis ex sanguine, quàm pituita, quæ minùs in eo viscere abundat, generabitur pulmonia, quod putauit Auerrhoës 4. *collect.52.* Accedit quòd videtur biliosa magis propria, & frequentissima, ex eo potissimùm, quòd ex Hip. & Gal. 2. *Aph.34.* & 39. & *passim lib.3.* de temporum, ætatum, & naturarum morbis, proportionalis sit calido & sicco pulmoni: Caloris enim in eo abundantis validum testimonium est, alimentum quod illi parauit natura, sanguis nempe arterialis in corde præcalfactus: nec poterat frigidum membrum formari, quod perpetuò, primóque excepturum erat copiam aëris refrigerantis; præcalidus siquidem, tenuísque sanguis quo alitur, ad bilem vergit.

Nihilominùs expressa est Galeni sententia, *locis suprà citatis*, frequentissimum pulmoniæ ortum esse ex pituita, seu sanguine pituitoso: tum quia plurimus in hoc viscere aceruatur; tum quia subtilis biliosus, ob membri laxitatem, innumeris ferè cauitatibus pleni, facilè elabitur, nec in tanta copia aggregari potest, quæ sufficiat ad inflammandum. In membranis verò, quas prædictus humor sua subtilitate penetrat, & propter illarum densitatem fluere prohibetur, congeritur, & inflammatur, quemadmodum in pleuritide, & phrenitide experimur, & docet Galenus 6. *Aph.33.* non sic de cerebri, aut pulmonis malis.

Nec obstat, quòd pulmonia sit calida inflammatio, pituita autem frigida: Non enim ea fit, nisi putrefacta, & iam præternaturaliter calida. Quòd si petas, vnde pulmo tanta sit refertus pituita, vique adeò aliena ab eius temperamento, & natura sanguinis arterialis, quo alitur, 4. *de vsu part.15.* & *lib.6. cap.10.* Dices, esse superfluitatem alimenti pulmonis. At solutio hæc redarguitur manifestè, quia cùm illius nutrimentum sit sanguis biliosus, huic potiùs, quàm pituitæ, debet excrementum attestari.

Nec rectè explicabis, si dicas mutari à pulmone in pituitam superflua sui alimenti, atque inde tantum abundare, tantámque reiici screatu. Sed præter alia quibus refutari posset hæc solutio, quomodo in tam paruo membro tanta excrementi moles aceruabitur, & ex tenuissimo succo; præsertim cùm in reliquo corpore non ita fiat, sed ea tantùm superfluitas ab alimento separetur, cui expurgandæ sola ferè insensilis transpiratio sufficit.

Dic ergo, quòd cùm ex corpore vniuerso halitus perpetuò conscendant ad caput, & in eo à frigiditate excedente concrescant: necessarium sit præ grauitate descendere, & in substrato pulmone laxissimo, & spongioso recipi. Cúmque concreti illi, descendentésque vapores, aquei sint, & ex permixto aëre (quo pulmo scatet, quémque perpetuo motu necessariò permiscet humori, quem recipit) albi, & spumosi reddantur, pituitæ imaginem induunt, cuius permixtione sanguis pulmonis redditur pituitosus, & talis vt plurimùm in eo redundat, & maiori ex parte pulmoniam creat.

Licèt enim bilis proportionalis habeatur, & innato pulmonis temperamento similis, pituita autem dissimilis, & aduersans; talis tamen non est, imò proportionalis ac similis, respectu adscititiæ temperiei, quam ex defluxione sibi comparat pulmo: pituitæ siquidem conuersatione non potest non pituitosus quodammodo euadere, si modò verè dictum est à Galeno 7. *meth.6.* humorem omnem, vbi diu ad membrum defluxerit, illud sibi attemperare. Cùm igitur conueniant in pulmone natiua temperies calida, & adscititia frigida, fit vt permixta euadat ex calido, & frigido, illius D temperatura, quantumuis ab ortu calida simpliciter fuerit; non secus quàm in membris senilibus calida, & sicca est, ex partium siccitate, & pituitæ humiditate. Quare nec pituita ipsa, nec morbi pituitosi, dicentur omnino improportionales pulmoni, nec ob eam causam rariores, imò verò frequentiores, ob maiorem aptitudinem, quæ datur ex parte suæ substantiæ, ad continendos, aceruandósque pituitosos potiùs, quàm biliosos humores; atque ideò nihil mirum, si rariùs à bile inflammetur. Et ex dictis quidem, ad argumentationem in contrarium adductam, patet responsio.

Vtrùm pulmonia pituitosa sit deterior, & periculosior biliosa? etiam addubitandum. Nam nos non perinde deteriorem, sicut frequentiorem iudicamus pituitosam: multò enim maius periculum vertitur in biliosa, E vt tradunt omnes cum Auicenna *cit.* Primùm, quia ex bile acutior est, & sæuiora habet symptomata, qualia ferè iunguntur biliosis morbis, magísque æstuans calor, sitis intolerabilis, phrenitidis timor, &c. ex quibus, & aliis, à toto genere periculosiores habentur citiùs interimentes; quod breuis eorum terminatio, & vt plurimùm in malum, satis confirmat, & constat apud Hip. & Gal. passim. Secundò congesta, & aceruata bilis iuxta cor, periculosissima est, quippe quæ ob ignei motus velocitatem promptissimè irruit, & facilè commeans, timor est, ne inflammationem pariat, quam cor cum vita non patitur, vt 5. *de loc.1.* Galenus edocuit.

Tertiò. Licèt bilis, & ab ea orta inflammatio, natiuæ temperiei gratia, proportionalis videatur pulmoni; dissimilis

©BIUM

diſſimilis tamen eſt, & contraria, in ordine ad adſcitiam, & contexturam illius viſceris. Ergo ex duplici capite improportionalis dicenda eſt, & ex conſequenti periculoſior, iuxta ſententiam ſenis, 2. *Aph.* 34. Præterquam quòd etſi pulmoni minùs noxia aſſeratur, quia ſimilis; non ideò ſalubrior poteſt appellari, videlicet quia cordi aduerſiſſima, ratione cuius, vtpote quod vitæ noſtræ ſedes & radix, morbi magis aut minùs ſalubres dicuntur. Cùm igitur bilioſa pulmonia deterior habeatur, & iiſdem ferè de cauſis ſecundum locum obtineat phlegmonoſa, quæ ex putrefacto ſanguine gignitur, ſat erat de his meminiſſe Galenum, *in libro de loc. affectis*, maximè vbi non erat ſcopus de morborum differentiis agere, cùm in iis libris ſolùm affectam ſedem indagare ſibi proponeret.

Vtrùm permutatio pulmoniæ in pleuritidem ſit reprobanda? Pulmonia rarò mutatur in pleuritidem, vt notauit Galenus 7. *Aph.* 11. §. *Ad inflammationem autem pulmonis, morbus lateralis non admodum conſequi ſolet: quoniam ſi mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per ſputum expurgatur; pernicioſus verò, antequam coctæ patiantur, ſuffocat ægrum.* Tamen ſi accidat, videtur non ſolùm eſſe periculoſa, ſed exitialis: Nam morbi acuti, & inflammationes internæ, ſi rectè terminari debent, vires robuſtas prærequirunt, quia auctore Galeno 10. *meth.* 5. *Vna ſalus pleuriticis, ac peripneumonicis eſt virium robur*, ad tolerandam magnitudinem morbi, vt ſcilicet vſque ad ſtatum ſufficere poſſit: vires enim robuſtæ, remedia vacuantia libentiſſimè ferunt; quare cùm illæ ex præcedente pulmonis inflammatione ſint deiectæ, ſuperueniente alio acuto morbo valde vrgente, neceſſariò fatiſcunt. Quare hæc mutatio in pleuritidem videtur reprobanda. In hunc ſenſum intelligendus eſt Hip. 1. *prorrhet.* 8. dicens: *Prælanguentium phrenitides, lethales.*

Galenus 6. *epid. ſect.* 6. *com.* 8. aſſerens lateris phlegmonen ſanare pulmonariam, explicandus eſt hoc modo. Mutatio pulmoniæ in pleuritidem periculoſa eſt, & lethalis, vocatúrque ab ipſo bona, quia minùs mala. Hoc modo 6. *Aph.* 53. dicebat: *Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores*, hoc eſt, minùs periculoſæ, quia nulla deſipientia, ſecura eſt, vt probat Galenus *in com.* Ita 4. *Aph.* 25. *Bonum eſt ſanguinem nigrum infrà deiici*, hoc eſt, minùs malum, explicante Galeno *in com.* Hac ratione conſiderata natura partis affectæ, cùm pulmo ſit nobilior pleura, & transferatur humor à loco nobili ad locum minùs nobilem, ideò hæc tranſlatio eſt minùs mala, quàm ſi pleuritis in pulmoniam permutetur.

Hippocrates 2. *progn.* 64. ſic pronunciat: *Quibus autem abſceſſus fiunt ex pulmoniis, aut circa aures, ac ſuppurantur, aut ad inferas ſedes, ac fiſtulantur, ij ſuperſunt.* Ex hac ſententia exoritur dubium: *Vtrùm fiſtulæ, & abſceſſus facti in ſuperioribus partibus in pulmonia, ſint præferendi illis, qui in inferioribus partibus adnaſcuntur?* Morbi materiales tum euacuatione, tum permutatione iudicantur: Si enim aliter quieuerint, maligniùs retrocedunt, 3. *criſ.* 4. quorum ceſſationi, quietique fidere non oportet, vt monuit Hippocr. 2. *Aph.* 27. Cúmque ſubitæ morborum terminationes, ſolutionéſve duobus celebrentur modis, 1. *de dieb. decret.* 1. excretione ſcilicet, & abſceſſu, ſic peripneumonia ſolui poteſt, aut excretione, aut abſceſſu. Excretio fit bifariam: aut affatim vacuatione facta, vt hæmorrhagia, deiectione, copioſo mictu, & hæc ſolutio per criſim facta nuncupatur; aut ſenſim, reſolutione, dicitúrque hæc ſolutio per concoctionem.

Abſceſſus dupliciter fit: aut ſuppurante inflammatione in pulmone ipſo; aut raptu materiæ ad aliam partem confluentis, nimirum retrò aures, aut alas, inguina, crura. Et hoc accidere poteſt, antequam in pulmone ſuppurauerit, aut pòſt. Licèt autem hæc ita ſint, Hippocrates *loco cit.* ſolùm agit de terminatione pulmoniæ per abſceſſum, qui ſi retrò aures contingat, ad ſuppurationem tendere eſt neceſſe, vt à tanto morbo æger euadat; ſi in inferioribus partibus, fiſtulari debet.

Quid verò per fiſtulari intelligat, explicat Galenus *in com. Nam quando in animalium corporibus, vlceribus, ruptu-ris, quædam figuræ fiſtularum modo reperiuntur, per tranſlationem fiſtulæ nuncupantur: proprie namque fiſtulæ dicuntur muſicorum inſtrumenta, quæ cauitatem obtinent oblongam.* Paulus *lib.* 4. *cap.* 49. fiſtulam definit hoc modo: *Eſt ſinus in callum obduratus, ex abſceſſibus plerumque conſtans, ſumpta nimirum per tranſlationem ab arundinum fiſtulis appellatione.* Et *lib. eod. cap.* 77. inquit: *Fiſtula eſt ſinus calloſus, dolore aliquantulum vacans.*

His iactis dic. Abſceſſus factos in pulmonia in partibus infernis, ſecuriores eſſe, & ad curandum minùs difficiles; ſuperiora enim membra nobiliora ſunt, & nobilioribus partibus magis vicina, & maius diſcrimen afferre conſueuere: partibus enim inferioribus inflammatis pauci admodum pereunt, ſi recta curatio adminiſtretur. Accedit quòd inter curandum, ex pure fœtido retrò aures, pectus, aut alas, emanat & ſpirat vapor in internas partes, qui has diuerſimodè premit atque fatigat, & perſæpe accidit, vt humor antequam expurgetur, in altas ſedes recurrat. Quare abſceſſus in ſuperioribus partibus facti, ſunt difficiles, apud Galenum 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 14.

Aſceſſus autem, inquit Hipp. 2. *progn.* 67. *qui ad crura fiunt in pulmoniis vehementibus, ac periculoſis, omnes vtiles ſunt:* quia à parte nobili ad ignobilem humoris tranſlatio fit, nempe ad crura, & articulos; quæ membra ad fluxionem ſuſcipiendam magis ſunt apta, 4. *Aph.* 31. Auicenna ſic exponit, 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *Et non quidem multiplicantur dolores in iuncturis, niſi quoniam ipſæ ſunt magis vacuæ, quàm reliqua membra, & plurimi motus, & debilioris, ac frigidioris complexionis, & ſitus earum in extremitatibus eſt longinquis à rectore primo.* Quare Hipp. 2. *epid. ſect.* 1. *circa med.* ſic habet: *Optimi potiſſimùm ſunt abſceſſus inferni, & longiſſimè infra ventrem, & remotiſſimi à morbo.* Et inferni articuli decliues ſunt, in quos natura robuſta humores, vel etiam calidos longiſſimè detrudit.

Quæres: *Vtrùm peripneumonia ſit breuior, & acutior pleuritide?* Cùm enim pleuritis à bilioſo humore, pulmonia à pituitoſo ferè oriatur, 6. *Aph.* 33. breuiùs videtur terminari pleuritis. Hoc modo Hippocr. 2. & 3. *de morb.* & *lib. de affectionib.* pulmoniam vltra vigeſimum diem produci, & lentis iudicationibus finiri aſſeuerat.

Sed cùm breuitas, & acuties morbi, penes ipſius magnitudinem æſtimetur, 1. *Aph.* 12. morbi autem magnitudo non ſolùm in propriæ eſſentiæ magnitudine, ſed in malignitate, & affectæ partis præſtantia conſiſtat: 4. *meth.* 6. & 7. *meth.* 12. videtur, cùm pulmo ſit cordi vicinus, ſine quo huius viſceris opus ſeruari non poteſt, eius inflammationem eſſe breuiorem, & citiùs pleuritide interimere, ſi vehemens ſit, & ſymptomatum vehementia ægrum premat. Si autem eſt mitis, & ex frigidiore humore prognata, tunc æger euadit, & longiori tempore finitur, de qua *lib. de morbis* eſt exponendus Hippocrates.

Dubitabis: *Vtrùm pulmonis inflammatio in parte dextra generata, ſit periculoſior quàm ea, quæ fit in parte ſiniſtra?* Reſponde hoc modo. Pulmo in vtraque thoracis amplitudine ſitus eſt, inter coſtas, & alteram interſepientium membranarum: diſtat autem aliquantulum ab ore, ne aëris appulſu ſtatim refrigeraretur. Eius pars dextra cum ſiniſtra iuncta, pedis bubuli, ceruini, aut alterius biſulci animalis figuram refert, & licèt inflammatio in vna parte ſeorſim conſiſtere nequeat, quin illicò altera afficiatur; tamen ſi pars ſiniſtra inflam-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 373 sur 927

©BIUM

inflammetur, maius periculum vertitur, quàm si dextram phlegmone obsideat, quia est cordi vicinior; ad quam arteria aorta à corde perreptans accedit, & à qua aër purus peruenit ad cor. Si verò adeò augeatur inflammatio, vt bronchia, & arterias occupet profundiores, cauitatésque omnes obstruantur, tunc subsequuto vehementi incendio, & oborta maxima spirandi difficultate, subitò æger velut suffocatus occumbet.

Curatio.

SAtis de aëre, & victu, cæterísque rebus non naturalibus parandis diximus, in *capite de pleuritide*, quæ cùm pulmonis inflammationi sit valde affinis, illa præcepta pro huius curatione sufficiunt, quæ eo loco vbertim, nî fallor, prædiximus. Solùm ergo de venæ sectione agemus, pro hoc morbo curando vtilissima, & quæ in curandis inflammationibus internis summum obtinet momentum, ac potestatem maximam. Si verò vires sint debiles, vel ex natura sua; vel pulmonia ex Angina, vel pleuritide subsequatur, & ex præcedente morbo flaccescant, tunc commodissimè cucurbitulæ scarificatæ, vel siccæ scapulis possunt affigi, & alia per crurum ligaturas, vincula, frictiones celebrari, quæ humores redundantes ad contrarias partes retrahunt; quorum ope fluens, & fluxurus humor ad longinqua diuertitur, & phlegmones in pulmone augmentum prohibetur. Purgatio clemens summo est ex vsu. Clysteria benigna. Fomenta parti inflammatæ applicita, & cætera omnia expectorantia auxilia, quæ *capite superiore* proficua esse protulimus.

De sanguinis missione residua erit solùm disceptatio, quæ plurimos, vel peritissimos Medicos hactenus malè excruciat. Cùm enim inter Medicos ratum sit omnes, phleborotomiam esse exercendam ex parte, in qua inflammatio viget, quod ex grauante dolore, & rubore maxillæ è directo respondentis deprehendemus, non desunt tamen aliqui, qui semper è sinistra parte feriendam esse venam sibi persuadent: Nam ab hac parte facta venæ sectio pulmonum inflammationem reuellit, paritérque deriuat, quandoquidem pulmonum venæ ex dextro cordis sinu prodeunt, hic autem in sinistrum parietem venæ cauæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit.

Age igitur, & pensa quantum valoris habeat opinio hæc, & quære: *Vtrùm semper è directo laborantis pulmonis vena secanda*? Nam superiorem rationem minimè probo: Si enim in latere dextro sit grauitas, ab interna dextra: si in sinistro, ab interna sinistra; si visceris ipsius medium sit inflammatum, vel parenchyma totum, primò à dextro, deinde à sinistro, si vires ferant, sanguis est detrahendus.

Nec ratio superior est vndequaque vera: Nam si dexter pulmo inflammatione opprimitur, non magis reuellet, paritérque deriuabit interior cubiti sinistri vena, quàm dextri, sed minùs; proptereà quòd sanguis, qui in pulmones profluit, à dextro cordis sinu per venam arteriosam ducitur; atque ad dextrum cordis sinum sanguis fertur per venam magnam, quæ inibi inseritur, & quæ magis è latere dextro venæ cauæ, quàm à sinistro propagatur.

Vbi igitur in animo est, sanguinem ad dextrum cordis specum, & inde ad pulmones profluentem reuellere, atque deriuare, id secta basilica dextra potiùs quàm sinistra exequendum erit. At quæres? Ergóne eadem militante ratione, inflammato pulmone sinistro, dextra, & non sinistra basilica tundenda erit, cùm sanguis similiter à dextro sinu cordis ad eum profluat? Dic æquè, aut certè faciliùs tunc præsidium afferre sinistræ basilicæ sectionem, ob rationem quam aduersarij proponunt, ob id præsertim, quia sic ampliùs rectitudo, & societas seruantur.

Hæc disertissimus Galenus sedulò perpendens, *lib. de sang. mis.* 16. laborante latere, pulmone, septo transuerso, liene, aut iecore, aut ventriculo, interiorem venam, quæ per alas ad gibberi iuncturam pertingit, eligi suadet: summè tamen commendans, vt in omnibus hisce affectibus, quæ in rectum est laborantium partium vena secetur; hoc enim modo venæ sectio celebrata tam perspicuam celeriter vtilitatem affert, vt & qui laborant, & familiares eorum sæpenumerò obstupescant.

Neque obstat, quòd vena arteriosa vbi à cordis emergit specu dextro, eo artificio membranis fabrefacta est, vt sanguis, quem à corde recipit, rursus retrò permeare non possit, vt Galenus testis est locupletissimus *lib. 6. de vsu part. cap.* 11. haud igitur poterit dissecta basilica dextra sanguis, qui in dextro pulmone, & vena arteriosa est, vacuari: quare dextro pulmone inflammato, non est magis eligenda dextra basilica, quàm sinistra. Quippe licèt sanguis, qui iam est conculcatus in inflammationis loco, & venæ arteriosæ capacitate continetur, secta basilica dextra, subitò, & affatim hauriri non possit, potest tamen quadantenus, & sensim retrocedere: membranæ siquidem illæ, non vt nihil omnino, sed ne repentè & subitò, multa & aceruata sanguinis quantitas, in validis nempe thoracis compressionibus, retrò ad cor remeare possit, præstant. Præterea qui fluit sanguis in dextrum cordis sinum, quíque inde decumbere paratissimus est in locum inflammatione obsessum, faciliùs longè sic dextra interna vena secta deriuatur, atque reuellitur. Porrò qui iam est in inflammationis loco, & substantia pulmonis impactus, etiam hac vena secta vacuatur. Si verò videre vis alios morbos periculosos, & lethales, quibus opprimitur pulmo, & eorum curationem, de quorum numero sunt ipsius hydrops, tuberculum, & læuium arteriarum obstructio, lege quæ diximus *lib. 2. Hist. PP. Medic. in com. Hist.* 12. & 121.

OBSERVATIO.

Peripneumonia, hæmorrhagia copiosa iudicata.

ETsi Auicenna 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 10. asserat, quòd *fluxus sanguinis narium non confert in peripneumonia, sicut confert in pleuresi, propter diuersitatem duarum materierum; & quoniam attractio a pulmone longinquior est, quàm sit a velamine, & panniculis pectoris, & lacertis:* quod etiam probat Galenus *lib.* 3. *crisi. cap.* 3. tamen si aliquando res aliter accidat, non ideò oracula desinunt esse vera, 6. *Aph.* 58. quia rarò contingentia non tollunt veritatem problematum medicorum, *lib. de fœt. format. cap.* 2. Incidit iuuenis quidam, temperamento calidus & humidus, in pulmoniam, qui antea defluxionibus erat catarrhosis valde obnoxius, & pustulis in ore, naribus, gingiuis, palato frequenter vexabatur, à quibus ichor biliosus, tenuis, & mordax distillabat sæpe. Illa ita eum oppressit, variis sympromatis sæuis stipata, vt cum difficili, & sublimi respiratione, cibi fastidio, vigilia importuna, siti inexhausta, cardialgia, & dolore grauante in latere dextro percepto, & anxietudine summa, animam efflare videretur, cui plurima etsi secundùm artem celebrata præsidia contulere nihil. Ecce septimo die in agone positus, caliginem in oculis persensit vehementem, vt vix adstantes posset intueri. Hoc tempore, subitò apertis narium tubis, tam copiosè sanguis effluxit, vt intra sex horas, pluſquam ad libras tres emanauerit cruor: qua vacuatione facta, respirauit faciliùs, excreuit sputum valde percoctum, dormiuit, & concocta vrina, decimo septimo perfectè est iudicatus.

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 374 sur 927

CAPVT V.

De Aphonia.

Definitio.

ARgumentum de vocis natura, materia, vſu, inſtrumentis, explicatu difficillimum eſt, maximè quoniam libri de voce, quos Galenus *cap. 5. lib. 4. de loc. affect.* legendos monet, in nullo Græco codice reperiuntur, & *liber de voce* Galeni, qui circumfertur, germanus non eſt. Igitur primò quærendum: *Vtrùm definitio vocis ab Ariſtotele poſita, ſit rectè tradita*? Niſi enim vocis natura exactè priùs explicetur, Aphoniæ, ſeu vocis omnimodam ablationem, & eius cauſas commodè rimari non poſſe, mihi perſuadeo: Ariſtoteles ſic definit, *lib. 2. de anim. cap. 8. poſt med. Vox eſt ſonus animalis ſanguinei reſpirantis, per inſtrumenta vocalia redditus, non ſine imaginatione.* Quæ definitio per omne genus cauſæ explicatur: Nam vox, non cuiuſcunque animantis eſt, ſed ſolùm organa vocalia habentis. Hoc modo piſces à vocis beneficio excludit eo loco Ariſtot. nec ſonus ab eis editus, vox dicitur, ſed quidam eſt ſuſurrus, bombus, aut ſtrepitus, vt cicadarum, muſcæ, & apis.

Vox namque ab omni alio ſono diſtinguitur, cauſa, inſtrumento, & fine: Licèt enim ſoni materia ſit aër, vocis non qualiſcunque, ſed expiratus. Inſtrumenta, pulmo, aſpera arteria, & guttur. Effectix cauſa, facultas animalis thoracem mouens, & ob id vocem formans. Finis verò, vt per eam animi conceptus pateſiant. Hanc definitionem etiam Galenus proponit, *lib. definit. medic. lib. de vocal. inſtrument. diſſectione, cap. 2. & 7. de vſu part. cap. 13. & lib. 8. cap. 6. & 2. de placit. 5. & 2. de motu muſculor. cap. vlt.*

Sed eſt quædam obiectio contra prædictam doctrinam. Tuſſis, ſonus eſt per inſtrumenta vocalia redditus. Ergo ſonus hic, vox eſt appellandus, quod non videtur dicendum. Dic, non quemcunque ſonum in animali factum, & per inſtrumenta vocalia redditum, vocem eſſe: in hac enim eſt neceſſe, vt aër exiens cum expiratione, conuenienter & vt decet moueatur, & in lingula confractus modificetur; quæ modificatio, vocis formalis eſt cauſa: cùm igitur tuſſis ſit vehemens efflatio, non poteſt aër exiens cum modificatione in illa reddi. Ex his explicabis tenebroſum locum Ariſt. *loc. cit. de anim.* vbi dicit: *expirantem non reddere vocem, ſed retinentem aërem*, quaſi dicat, qui ſpirat ſine hac modificatione, vocem non edit; & per retinentem, intelligit, reſeruantem aërem, vt poſſit eo modo pro voce modificari: Si enim Ariſtoteles ſimpliciter intelligeret, *expirantem non edere vocem*, falſum eſſet, cùm ex eius mente, *loc. cit.* dictum ſit, & ex Gal. *4. de loc. cap. 6.* expirationem præcedere vocem.

Quæres deinde: *Vtrùm Aër expiratus ſit vocis materia*? Aërem copioſum cum impetu, & violentia aſcendentem, vehementer, confertim, & cum ſtrepitu facta expiratione, quam exufflationem appellamus, cooperantibus muſculis intercoſtalibus, vocis eſſe materiam luculenter oſtendit Galenus, *lib. 1. de loc. cap. 6. 2. de placit. & de motu muſculor. cap. cit. & 7. de vſu part. 5. & 1. de difficult. reſpirat. 23.* aër enim non ſolùm expirationis, ſed reliquarum operationum, & vocis, & loquelæ materia eſt.

Obiicies duo fortiſſima tela. Primum. Plures ſunt qui voce priuantur, nihilhominùs reſpirant, alioqui non viuerent. Ergo vocis materia expiratus aër dici non debet. Secundum. Eadem cauſa quæ vocis mutationes efficit, vocem quoque ſimpliciter efficere nata eſt. Sed per ætates, & morbos, vox in grauiorem, acutiorem, & alias differentias, immutata reſpiratione mutatur. Ergo, &c.

Dic. Aër eſt materialis cauſa vocis, & ſermonis, qui etſi detur ſufficiens pro reſpiratione, pro illis tamen actionibus non eſt ſatis, ad quas edendas oportet vt aër vehementi exufflatu ad rimulam gutturis allidatur, & percutiatur: Adde, harum operationum non vnicam eſſe cauſam; quare earum interceptiones, amiſſionis, aut etiam læſionis cauſa multiplex erit, vt proponemus *infrà*.

Ad ſecundum dic. Vocem non immutari, niſi eius cauſæ immutentur; ſed cùm plures ad ipſam perficiendam cauſæ concurrant, ad vnius reſpirationis per morbos mutationem, omnes eiuſmodi alterationes referendas non eſſe, ex dictis conſtat apertè. Per ætates ergo, & morbos, ob inſtrumentorum vocalium mutationem, vox immutatur. Pueri ob fiſtulæ vocalis paruitatem, & anguſtiam, acutam edunt. Adoleſcentes, & iuuenes, inſtrumentis ob ampliorem calorem dilatatis, grauem reddunt. Pubertate media, inæqualis, inconcinnáque eſt. Ex ſiccitate aſperæ arteriæ in ardentibus febribus, fit vox clangoſa. Ex eiuſdem copioſa humiditate, euadit aſpera, & rauca.

Dubitabis: *Vtrùm larynx ſit potiſſimum vocis inſtrumentum*? Guttur, laryngem, ſeu aſperæ arteriæ caput, eſſe proprium, & immediatum vocis inſtrumentum, firmat Galenus *lib. 1. de loc. c. 6. lib. de vocal. inſtrum. diſſectione, cit. 7. de vſu part. cap. 5. & lib. 6. c. 4. & 2. de placit. 4. & 5. & lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 5. & 1. prorrhetic. cap. 3.* In gutture enim, quod Græci laryngem vocant, pars quædam reperitur cartilaginoſa, quam Græci Epiglottin, Latini lingulam appellant, cuius figura eſt ſimilis ſcuto, quare ſcutiformis etiam nominatur; hæc igitur eſt proprium vocis inſtrumentum.

Hoc autem ita eſſe, facilè probari poteſt: Nulla enim pars in noſtro corpore reperitur, quæ illi ſimilem ſubſtantiam ſortiatur. Quemadmodum ergo in omnibus actionibus pars aliqua ſimilaris conſtitui debet, cui præcipuè hoc munus deferatur, vt viſio humori cryſtallino, ſanguificatio iecoris carni, ſic pariter vox lingulæ eſt adſcribenda. Reliqua verò inſtrumenta, in aſpera arteria, & thorace contenta, vt muſculi, nerui, & ſimilia quæ proponit Galenus *4. de loc. c. 6. in fin.* ad vocem conferunt, ſicuti reliquæ partes oculum componentes ad viſionem. Pulmonem verò eo loco inter inſtrumenta vocis non repoſuit, quia aliorum collatione eſt remotiſſimus, præter id quòd reliquis actionibus thoracis inſeruit. Lingua verò cum labris ſimul, naribus, ac dentibus, locutionis potiùs, ſermoníſve, quàm vocis organum exiſtit.

Vtrùm autem *ſermo differat à voce*? interrogabis: quantum autem inter ſe diſtinguantur, vel ex ipſo Ariſt. conſtat, *4. de hiſt. animal. 9.* & colligitur ex Hip. *3. epid. ſect. 3. text. 74. in hiſtoria Pythionis. §. obmutuit, voce defectus eſt.* Idem non modò ſermonem, qui vox eſt, qua inter ſe mutuò homines loquuntur, ſed & vocem latiùs patentem amiſit, atque ideò adiungit Galen. *vociferari quis poterit, non loqui, è conuerſo autem minimè*, hoc eſt, deperdita voce loqui. Quare, vt idem Ariſt. aſſerit *loc. cit.* ſermo vocis eſt interpretatio per linguam, quæ non vocale, ſed ipſius vocis explanatorium organum exiſtit, *1. prorrhet. 3.* & hoc modo *2. de anima, 8.* naturam lingua vti ad guſtum, & loquutionem aſſeuerat, quia ea immediatum, & proximum loquutionis inſtrumentum eſt, ſicut lingula, vocis: hoc modo balbi, & trauli, quia læſionem in lingua patiuntur, prauè loquuntur.

Quapropter ita vox, & ſermo ſiue oratio hærent mutuò, vt vbi eſt ſermo, ibi continuò ſit vox; non contrà, vt vbi eſt vox, ibi ſit ſermo. Vox poteſt eſſe breuis, vt ait Plutarchus *lib. de procreatione animæ*: communis eſt

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 375 sur 927

©BIUM

enim homini cum brutis animantibus, in quibus aut vox est, aut sonus quidam, Arist. 4. *de hist. animal. cit.* (imò & in carentibus anima, vt Plutarchus ait *lib.4.de placit.Philosoph.c.19.* licèt impropriè) & quidē aliquid significans: cui enim dubium leonis rugitu, tauri mugitu, canis latratu, vlulatu lupi, indicari rem, aut affectum aliquem ferociæ, doloris, famis, &c.

Et *sect.11.probl.quæst.60.* pueros tradit, ac bestias eodem ferè modo suas appetitiones enunciare, quòd illi nondum proferre literas possint. Atque hinc *cap. 2. de interpretatione*, alicuius esse rei argumentum, etiam illiteratos mutarum animantium sonos affirmat. Demonstrant hoc etiam illiterati strepitus, ceu ferarum, quorum nullum est nomen. Articulatæ vocis, quæ sermo nuncupatur, duæ sunt partes primariæ, nomina, verba; vt horum syllabæ; harum literæ, quæ sunt primæ voces indiuiduæ: iure vt Albertus Magnus *lib. 4. de anim.tract.1.cap.2.* sermonem definierit, *vocem articulatam, & literatam, quæ mentis conceptum enunciet, & soli homini conueniat, quia sensum animi expromit.*

Huc spectant, quæ *initio lib. de interpretatione* Arist. ita scribit: *Vt quæ scribuntur literæ, sunt notæ eorum quæ dicimus: sic voces, siue quæ sunt in voce, indicia sunt eorum, quæ in animo insunt*: docens referri eas conceptiones, quæ vocibus explicantur, ad res ipsas. Ita sermo, siue oratio, vt ait Plutarchus *lib. de anim. procreat.* est dictio in voce, sensum animi expromens, res hominis propria, vt & Arist. *loc.cit.4.de hist.* & *1.politicor.cap.2.* quomodo Plotinus *Ennead.1.lib.2.cap.3. Sermo, qui est in voce*, inquit, *eius est imitatio, qui est in anima.*

Et Magister Plato pariter, *in dialogo qui inscribitur, Sophista*, de eo, quod est ex mutua inter se notionum, seu formarum implicatione, quæ sunt in animo, effici orationem tradit. Addit *in Theæteto*, hoc esse orationem, siue sermonem, scilicet plenam reddere per verba, & nomina cuiusque mentem vocis opera, tanquam per speculum, sicut aquam ex ipso fluxu verborum exprimendo. Quare Albertus Magnus *tract.1. cap. 1. de sens.& sensil.* non iniuria scripsit: *Sermonem instrumentum esse, quo scientia docentis in animum transfertur auditoris.* Constat verò nomine, & verbo, vt disertè Plato *in Soph.* exponit, aiens esse duo genera illarum significationum, quæ per vocis ministerium versantur in explicanda rerum natura, nomina, & verba.

Et Aristotel. eum secutus, *lib. de interpretatione, ipso in initio*, sic aggressus explicare quod volebat, sermonem illum esse ac dici, cuius ope sensum exprimimus animorum nostrorum: primùm ergo constituendum, quid nomen, quid verbum. Cur autem aliæ partes orationis fuerint prætermissæ, disputat *in quæst.* Plato Plutarchus *q.6.* vnū indicans Homeri versum, in quem omnes illius partes coniecit iuueniliter. Rursus Plato *in Theæt.* vim omnem sermonis, atque naturam, in verborum esse complexione docet: neque enim sine verbo nomen, neque verbum absque nomine animi sensa cumulatè exprimit. Ex quibus vocis, & sermonis differentia satis est conspicua. Hæc aurem distinctio formalis est, & non realis: realiter enim loquendo, sermo, vox est; & illud quod addit supra vocem, solum est quòd sit vox articulata, quod distinctionem formalem solum inducit.

Vtrùm soli homini data sit facultas conficiendi sermonem? est etiam indagandum: nam plurima sunt animalia instrumentis prædita, quibus vox perficitur. Dic, naturam prædicta instrumenta duplicis vtilitatis causâ efformasse, ad gustum videlicet, & ad loquutionem: cùm verò gustus sit simpliciter necessarius, hæc illius ratione à natura fuerunt inuenta; secundariò verò ad loquutionem, quæ non erat sicut gustus, cùm ad perfectiùs viuendum hominibus fuerit tributa, quoniam ex animæ arbitrio pendet; quo cùm bruta careant, vocem proferre non possunt, licèt instrumenta obtineant: nam voces, & loquutiones sunt signa conceptuum, seu eorum quæ in anima voluuntur; quare hominibus solùm sunt propriæ.

Obtrudes Arist. *4.de hist.animal.cit. ad fin. §. Vtpote, &c.* docentem, voces esse hominibus proprias & naturales, vt idem apud omnes significent, loquutiones verò minimè, cùm studio & disciplina acquirantur. Dic, Philosophum non negasse loquutiones esse proprias homini, & naturaliter, hominémque vocem posse dearticulare naturaliter, sed esse necessariam disciplinam asseruit, vt hoc, vel illo modo loquatur. Hæc est causa, quare homines variis in regionibus, diuersis loquutionibus vtantur, etsi hæ sint naturales illis.

Si vlteriùs roges: *Num loquutiones, quas quædam aues exprimunt, sint verè tales*? Respondè negatiuè: primò, quia illis non inest à natura loquendi potentia, sed hæc loquela per artem, & disciplinam acquiritur. Secundò, quoniam per illas loquutiones, suos conceptus non exprimunt; quare meritò irrationalia bruta dicuntur, quamuis enim habeant loquutionis instrumenta, vocem tamen dearticulare non possunt.

Natura quibusdam auibus, breuem, & temporarium cantum commodauit. Hirundinibus matutinum; cicadis meridianum; noctuis ferum; vlulis vespertinum; bubonibus nocturnum; gallis antelucanum: Quippe hæc animalia vario tempore, & vario modo occinunt, & occipiunt, carmine scilicet galli expergifico; bubones gemulo; noctuæ intorto; cicadæ obstrepero; hirundines perarguto. Mitto decem mutorum animalium immediatos sonores, distinctis proprietatibus admirandos, vt est taurorum grauis mugitus, luporum acutus vlulatus, elephantorum tristis barritus, equorum hilaris hinnitus, necnon auium instigati angores, nec non leonum indignati fremores, cæteræque id genus voces animalium truces, ac liquidæ, quas infesta rabies, vel propria voluptas ciet. Pro quibus homini vox diuinitus data, angustior quidem, sed maiorem affert vtilitatem mentibus, quàm auribus delectationem.

Licèt autem aliqui auctores, vt Apuleius *Floridor. lib.2.&* 3. decem animantia, quorum naturales, distinctas, & cuique proprias voces, quas homo exprimere nequit, proponat; tamen ex Varrone, & Spartiano, *in vita Getæ*, certiora afferam de vocibus animalium. Mugit bos, balat ouis, hinnit equus, grunnit sus, minuriunt palumbes, rugiunt leones, rictant leopardi, barriunt Elephanti, coaxant ranæ, fritinniunt hirundines, crocitant corui, gemunt turtures, vlulant lupi, passeres pipiunt, vulpes ganniunt, picæ garriunt, asini rudunt, cygni drensant, cameli blaterant, gallinæ glociunt, minutæ aues minuriunt.

Hæ tamen voces ab hominum voce longissimè differunt: etsi enim homo tam resonam, & altam vocem non profundat, vt quæ dicta sunt animalia; tamen eius vox, licèt angustior & exilior, diuina est, longéque flexibilior, & non vnius cuiusdam perpetui clamoris, ac toni, & cùm minorem delectationem pariat auribus, tamen maximam vtilitatem affert mentibus.

Proxima huic videtur quæstio: *Vtrùm animantia voces habentia suis vocibus suos conceptus communicent*? Respondè affirmatiuè cum Arist. *4.de histor.animal. cap. 9.* de animalibus quæ vocem, quæ sonum, quæ murmur edant, quæ item loquantur: ferè enim omnia suis vocibus ad venereum concubitum congregantur, quas propriè ololyginem vocat, §. *Reddunt ranæ suam ololyginem, &c.* & infrà: *Sunt enim singulis animalium voces propriæ ad victum, & venereum concubitum, vt & suibus, & capris, & ouibus. & in eodem cap. Garrulæ, linguaciorésque sunt auium minores*: & *infrà*, nonnullas aues se intelligere, & in pugna vocem emittere refert, vt coturnices; quasdam ante pugnam, vt perdices; alias post partam victoriam, vt galli.

Hæc doctrina experimento potest confirmari: nam gallina

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 376 sur 927

©BIUM

gallina reperto alimento vna voce ſuos pullos vocat; A viſo verò miluo alia diuerſa illos congregat, & ad ſe trahit. Galenus tamen 16.*de vſu part. cap.* 3.*ad fin.* §.*Porrò quòd vox principaliſſima ſit omnium animæ actionum, (nam cogitationum mentis eſt nuncia) oportuit eam quoque fieri per inſtrumenta, &c.* de voce, & de loquutione debet intelligi: vtroque enim modo animi conceptus exprimuntur. Hæc tamen eſt differentia inter loquutionem, & vocem, in ſignificando, quòd voces, animæ affectus, locutiones verò propriè animæ conceptus ſignificant: quapropter in definitione meritò dictum fuit, *non ſine imaginatione*: quod apertè 2.*de anima, cap.* 8. docuit Ariſt. dicens: *Oportet vt vox ſit cum imaginatione aliqua.* Quia verò in brutis animantibus hæc imaginatio non adeſt perfecta, fingens, & componens, B iccircò loquutione carent, & ob hanc cauſam fortaſſe pueri recenter nati loqui nequeunt, quia in illis imaginatio non imperat. Vel aliter reſponde cum Ariſt. 11.*ſect. probl.* 30. pueros non efficere loquutionem, ob nimiam linguæ, & inſtrumentorum vocalium humiditatem.

Non immeritò inquires: *Vtrùm loquendi principium à cerebro emanet?* Reſpondet Galenus 2.*de placit.* 5. & latiſſimè argumentatur aduerſus Chryſippum, Diogenem, Zenonem, & alios Stoicos, loquendi principium non à corde, vt illi dicebant, ſed à cerebro promanare demonſtrans. Pimò, quòd ſcilicet imaginatio in eo reperiatur. Secundò, quia omnes voluntarij motus ab ipſo procedunt. Tertiò, quoniam conceptus in ipſo C formantur. Hoc etiam ſentire videtur Ariſt. 3.*probl.* 30. quærens, cur vinolentorum lingua oberret? ſoluit quæſtionem, tum quia multa humiditate impeditur, & præterea quia afficitur animus, à quo omne loquendi principium exit. Idem etiam confirmat, 11. *ſect. probl.* 1. vbi inquirens, cur inter ſenſus, auditus ab ortu naturæ maximè offendi poſſit? explicat, an quia vox, & auditus ab eodem principio proficiſci videantur? Sed auditus à cerebro, tanquam ab vberrimo fonte ſcaturit. Ergo & loquela. Hæc, & alia multa verè demonſtrant, vocem, & loquelam formari non poſſe, quin imaginatio præcedat.

Nunc ad vſum vocis explicandum accedamus, quæramúſque: *Vtrùm vocis, & ſermonis exercitatio, ad plu-* D *rimos vſus, & ad valetudinem tuendam valde conducat?* Vſus, finíſque ſermonis eſt potiſſimus, vt hoc quaſi inſtrumento contrahant inter ſe mortales, & ſenſa exprimant animorum, & ciuilem efficiant, conſeruent, augeant communionem. Ariſtoteles cùm docuiſſet rerum omnium optimarum cognitionem ab oculis naſci, ſic *in Tim.* adiecit, *ob eandem cauſam, vocem, atque auditum nobis à Diis conceſſum, vt ratas, ac fixas calorum conuerſiones imitati, ad ipſos rediremus, à quibus egreſſi ſumus.*

Ariſt. cùm ad res ipſas docuiſſet *init. lib. de interpret.* reuocari animi ſenſus voce expreſſos, res quatuor eſſe, quæ vocibus exprimuntur, contendit, partim hîc, partim alibi, veritatem, falſitatem, vtilitatem, damnum; ac ſi hæc quatuor ſola inter ſe mutuò communicarent homines: nam duo tantùm poſtrema vocibus exprimi E pecudum, quòd nec veritatem capiant, nec ſcientiam, ille docet. *lib.* 1.*politicor. cap.* 2.

Ariſt. *Rhet. lib.* ſic ait: *Sermonem verò habet ſolus omnium animantium homo: nam vox quidem moleſti, ac iucundi ſignificatio eſt, quapropter aliis quoque exiſtit animalibus: hucuſque enim natura proceſſit in his, vt ſenſum habeant iucundi, & moleſti, & hoc inter ſe ſignificare poſſint. At ſermo ad hoc datus eſt nobis, vt oſtendamus vtilitatem, & damnum, atque ita iuſtum, & iniuſtum: hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium eſt, vt boni, & mali, ac iuſti, & iniuſti, & aliorum huiuſmodi ſenſum habeant ſoli.*

Corporis autem valetudini, & virium firmitati plurimum adferre vtilitatis, vocis, & ſermonis exercitationem, demonſtrat, eo quòd vox animæ eſt motus, non in ſuperficie, ſed in ipſis viſceribus. Iccircò thoracem, atque vocalia inſtrumenta exercet, naturalem calorem auget, purgat, firmat, atque attenuat, ſolidas corporis partes robuſtas, puras, & offenſæ minimè obnoxias reddit, vt probant Antyllus *lib.* 6.*cap.* 8. Auicenna 3.1.*doct.* 2.*cap.* 2. Auerrhoës 6.*collig. cap.* 2. faciem roſeo colore ſuffundit, innatum calorem viuificat: ſpiritus enim aſſiduo motu, tam attractus, quàm exufflatus colliditur, atteritúrque, & ea colliſione natiuus calor excitatur, & hoc modo humiditates expurgat; quare ſputa, muci, & pituitoſi humores abſumuntur.

Hac ratione vociferatio, accito calore in partes internas, maius robur ſolidis partibus addit. Iccircò remedio eſt ſtomachicis, vomentibus, acidùm ructantibus, cibos faſtidientibus, atrophia laborantibus, languidis, cachecticis, hydropicis, aſthmaticis, orthopnoicis, diuturno pectoris, aut ſepti dolore vexatis, difficulter parientibus, ex Alexandro 1.*probl.* 87. Imò quartanariis, pituitoſis, conualeſcentibus ferè omnibus eſt ex vſu, ex Aëtio *tetrab.* 1.*ſerm.* 3.*cap.* 5. niſi excipias capitis affectiones, quæ vociferationis vſu replentur: caput enim plenum, & magis graue reddit, ex Galen. 7. *ſec. loc. cap.* 1. Vnum tamen ſcias, vociferationis exercitationem vtilem eſſe, dummodò in ea retineatur modus, ne excedat: nam ex intempeſtiuo, & immodico vſu plurimi in tuſſes, conuulſiones, venarúmque apertiones lapſi ſunt: omnia enim immodica, & ſuperflua ferè noxia.

Cauſa.

VTrùm vox à variis cauſis poſſit obladi? Aphonia, quam omnimodam vocis ablationem, ſeu obmuteſcentiam vocant, auctore Galeno 6.*Aph.* 51. tunc dicitur, quando homines contra propriam voluntatem tacere coacti ſunt, neque ſenſa mentis exponere vllo pacto valent, quos Græci Aphonos, hoc eſt, mutos nuncupant. Ergo læſionis nomine, non intelligitur ſolùm actio abolita, ſed & quouis etiam modo prænaturaliter immutata, vt 4.*de loc. cap.* 5. docuit Galenus.

Galenus *lib. de diff. ſympt. cap.* 3. primùm docet locum affectum cognoſcere, vbi læditur vox ex offenſo inſtrumento, ſimúlque occaſionem iungit lædendæ vocis, penès quaſdam differentias. Si igitur eam penitus amittat, atque obmuteſcat animal, indicium eſt laryngis muſculos ſuo motu deſtitutos eſſe: cùm enim humanum guttur duodecim proprios habeat ſuis motibus inſeruientes, illiúſque rimam, glottidem, ſeu lingulam dictam, pro vocibus formandis variè claudentes, aperientéſque, de quibus 7.*de vſu part. cap.* 11. *& lib.* 16.*cap.* 4. dubium non eſt ipſis reſolutis mutum omnino animal reddi, & tremulam, obſcuram, ac paruam fieri vocem, ſi vel imbecillitetur, difficilè moueantur, vel alia quadam deprauati motus ſpecie laborent; ad illius enim proportionem vocis læſio neceſſariò reſpondebit.

Nec diſſimiliter vox læditur, inciſis, aut infrigidatis, aut quomodolibet particulariter affectis vocalibus neruis, ſeu recurrentibus ita appellatis, ad differentiam illorum, qui ex ſexta etiam neruorum coniugatione à cerebro orientium, laryngis muſculis in ceruicis regione protinus inſeruntur. Illi enim ad thoracem potiùs deſcendunt, indéque ſurſum iterum reflectuntur in laryngem propagandi, quorum reflexum à ſe primùm inuentum gloriatur Galenus, *lib.* 3. *de loc. cap.* 6. & *lib.* 16.*de vſu part. cap. cit.* & 8.*de anatomic. adminiſt. cap.* 5.

Porrò ſi lædatur alij gutturis muſculi, ſex videlicet communes

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 377 sur 927

communes nuncupari, parum quidem vitiabitur vox, non perdetur omnino; non sic autem duodecim propriis, aut vocalibus musculis affectis, siue propria affectione, siue per consensum, ad aliarum partium offensam, vt ex faucium, gulæ, vel spiritalis viæ tumore, vel à sanguinis copia cerebrum, vel vasa voci famulantia obturante; tunc enim facultas motrix non mittitur, vel non recipitur: vel qualibet alia noxa angustante, dilatante, aut immodicè rigante laryngem. Necesse enim erit aut vocem penitus amitti, aut magnam, acutam, exilem, vel raucam euadere: Nam si vt vocem edat animal, multi expirati aëris in gutturis transitu, allisio requiritur, validáque percussio, simúlque eruptio, atque ita vt laryngis rimula nec penitus comprimatur, nec immodicè laxetur, sed eo modo sit constituta, vt ex modicè ampla paulatim adstrictiorem, & angustiorem tendat, & ex hac ad latiorem pro ratione vocum formandarum; quid mirum, si ex inflammatione musculi interni laryngis, vt accidit in lethali illa & suffocante angina, spiritus viam comprimente, occludentéque, deperdatur vox; & penes varias deprauatæ differentias, non solùm ex proprij organi, sed & circumiacentium partium læsione, vitietur?

Ex resolutis autem pharyngis, seu faucium musculis, vocem lædi penes magnitudinem, & acutiem, ex eo manifestum est, quia vox magna præter celeritatem percussionis, quæ efflationis vehementia conciliatur, nascitur ex organi amplitudine, hoc est, ex asperæ arteriæ latitudine; acutá è contra, ex gutturis angustia, *lib.art.med.cap.69.1.prorrhet.sect.2.com.10.1.epid.sect.2. temp.3.* & *lib.6.sect.4.com.24.* Quemadmodum enim in tibia vox acuta efformatur, vbi digitorum ope magis implentur, angustantúrque foramina, magna, & grauis, vbi satis hiant, datúrque liber efflationi exitus: ita in nobis vox ipsa per acutum, & graue, magnúmque variatur, propter angustiam, aut reclusionem gutturis, tribus illis quibus constat cartilaginibus, tanquam digitis, musculorum ope attemperantibus, & variè contrahentibus, claudentibus, & aperientibus rimulam, propriissimum vocis organum. Inde vox ampla, calorem etiam indicat ab ortu copiosum, cuius est dilatare: acuta natiuam frigiditatem arctantem, & constringentem, quæ in pubertate grauior fit, *6.epid.cit.com.26.* exilis, atque acuta fœminis, pueris, & castratis, *lib.1.prorrhet.de vocal. instrum.differt.cit.* & *1.de sem.cap.16.*

Cùm igitur pharyngis musculis resolutis contentæ fauces laxentur, & ad illarum laxitatem amplificetur arteria, quúmque ampliata arteria laryngis rimula arctetur, & constringatur, necesse est sequi vocis cum magnitudine acutiem, & penès vtramque differentiam, faucium consensu, vitiari vocem: sicut non minùs etiam læditur, vbi tunica faucibus, & gutturi communis, multa humiditate rigatur; rauca enim euadit, pigra, siue obscura, vtpote quæ lentoris, & humiditatis est soboles, quod grauedines, & raucedines, in quibus similis efficitur, comprobant euidenter, vt docuit Galenus *lib.7.de vsu part.cap.7.* & *1.prorrhet.sect.1.com.3.* & *lib.de voce, & anhelitu,* ieiunorum, & cibatorum, iuuenum, & senum exemplis: ieiunis enim, siccis, & iuuenibus magis clara est, & sonora; cibatis, potis, madidis, & senibus, rauca, ob defectum læuitatis arteriæ: quemadmodum clangosa ex immodica siccitate, *7.de vsu part.cit.* & *1.prorrhet.sect.2.com.12.* videlicet quia exasperatur arteria, & vox in transitu inæqualiter moratur.

Deinde ad alia abditiora explananda accedamus, inquiramúsque: *Vtrùm balbuties sermonem immutare possit?* Non est in animo de vitiosis linguæ affectibus hoc loco sermonem attexere, qui bene loquentes infestant, & morbi sunt, vt scissuræ, vlcera, inflammationes, asperitas, & scabrities in febribus, resolutio, conuulsio, vstio, ingens magnitudo, & alij: de quibus egere Aëtius *tetrab.2.serm.2.cap.38.* Actuarius *lib.2.meth.cap.10.* Ægineta, Myrepsus, & Cornelius Celsus; sed de illis ago, qui natura, aut casu eueniunt, nec propria nomina habent, & ideò à Græcis prætermissa.

Locutio ergo in homine, multis vitiatur modis: vel enim penitus aufertur, aut ægrè fit, aut deprauatè. Primus dicitur mutitas. Interdum salua voce amittitur sermo, vt Galenus exponit *4.de loc.cap.6.* aut ægrè fit locutio, quum scilicet adest loquendi impedimentum, quod arte chirurgica, *loc.cit.cap.36.* corrigere docet Aëtius. Aliquando incuruatur lingua, quum nempe inferiores membranæ, quibus lingua innititur, duriores, & mutilæ à natura sunt productæ. Quum deprauatè, communi nomine dicta est Hippocrati, *lib.6.Aph.32.* balbuties. *Balbi ab alui profluuio maximè capiuntur:* cuius causa est nimia cerebri, & linguæ humiditas, auctore Galeno *in com.* & hi etiam Trauli nuncupantur.

Et *sect.6.lib.2.epidem in init.* de physiognomicis agens. *Balbutientes, & celeri qui sunt linguâ, siue quibus est lingua volubilis, & melancholici, & plurimùm bilioſi.* Balbi sunt, quum veluti impedita lingua literam explicatè non proferunt. At balborum tres esse videntur formæ: prima est, quum non potest oratio expeditè proferri, sed loquens cogitur primam, aut aliam syllabam ægrè, id est, cum labore repetere: dicitur ab Hippocrate, & Arist. titubantia linguæ, quidam hæsitantiam, alij hæsitatem vocant, plures batarismum à Bataro Cyren. Rege, qui semper priorem literam repetere cogebatur. Altera, cùm loquens syllabam aliquam omittit, totum vocabulum non exprimens, blæsitatem possis Latinè appellare. Tertia est, auctore Galeno *6.Aph.cit.* cùm loquens nequit proferre R. sed mutat in L. vt cùm quis dicit Cicelone, pro Cicerone, quo vitio Demosthenem laborasse Cicero scribit, *1.lib.de Orat.* qui eius ipsius artis, cui studebat, primam literam non poterat dicere. Vel. C. mutat in T. vt offitium, pro officium.

Suidas secundam formam eorum docet esse, qui asperiùs, crassiúsque enunciant. Huc pertinet labdacismus, possemus item fingere sigmatismum, cùm fuerint, ac sint, qui pro au.o. pro L.R. aut contrà S. efferant, & pro S. enuntient R. & qui ante R. non possunt S. proferre, & T. pro R. Ita plures hotta pro hora, & aldite, pro audire, laldare, pro laudare. Alij Iraël pro Israël, omnibu rebus, pro omnibus rebus. Demum infinita sunt huiusmodi vitiorum linguæ genera, ob quæ locutio interturbari solet.

Enimverò nasci hæc linguæ vitia ex nimia humiditate, docet Galenus *Aph.32.part.2.* addit frigus Arist. imbecillitatémque, quæ ex inopia oritur caloris natiui, *probl.30.36.* & *53.* & *54.* & *60.sect.11.* & *probl.30.sect.3.* & *probl.10.sect.8.* Sed quid respondebimus Hip. *lib.7.epid.circa initium*, qui narrans quandam historiam ægrotantium, inquit, ipsis propter siccitatem linguam fuisse balbam, & firmat Auic. *6.3.tract.3.cap.16.* Dic, naturalem balbutiem ab humiditate fieri, vt prædixit Galenus; accidentalem, & non naturalem à siccitate generari. Vel dic: Balbuties frequenter ab humiditate, rarò à siccitate emanat.

Vitiatur etiam locutio à frigore, quia hoc condensat, calorem natiuum, & motricem facultatem pigram reddit, ac linguam ligat, quæ ad peragendam locutionem libera esse debet, & expedita, *2.de partib.animal.17.* Hanc etiam vitiat regio frigida, assidua ebrietas, *6.Aph.cit.* esus nucum, vt Rabbi Mosse *20.particul.Aph.* eleganter edocuit. A lumbricis etiam impeditur loquela: vapore enim suo instrumenta vocis inquinant, & prosternunt. Vteri affectus, vt strangulatio, in cuius accessione etiam fœminæ voce priuantur: ab vteri enim ergastulo, tetri & venenati ascendunt vapores, vocis organa diuersimodè vitiantes. Ebrietas Aphoniam sæpissimè parit, *5.Aph.5.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 378 sur 927

Signa.

MVlto negotio opus non eſt, vt vitia ſermonis agnoſcantur. Si ſint linguæ muſculi reſoluti, ex anteacto morbo agnoſces. Aliquando vix proferri ſermo poteſt, quia frænum ſub lingua eſt maius, nimiſque ipſam deuincit, & impedit, ne debitos motus in palatum agens, vocem dearticulare poſſit, quod etiam facit ſi nimis exiguum eſt. Hæſitantia linguæ, à partis diminuto calore ſuborta, cognoſcitur, quia vbi loquuntur pacatè, minus expeditè loquuntur: vbi verò alta voce, & vehementer, tunc magis liberè ſermonem proferunt; ex motu enim, accito calore, muſculi linguam mouentes incaleſcunt, & faciliùs mouentur. Si ex copioſa humiditate ortum ducat balbuties, ſaliuoſi ſunt ægri, ſomnolenti, tardo conſtant ingenio, nulla penè memoria. Denique vox vitiatur, & aufertur, à cuiuſuis qualitatis exceſſu, quem ex multis concomitantibus ſignis eſſe venandum, in ſuperioribus *huius, & primi libri capitibus* vbertim protulimus.

Galenus *lib. 4. de loc. affect. cap. 6.* diligenter rimatur vocis oblæſæ noxas, ex deficiente facultate, vel materia euenientes, vt ſcilicet affecta ſedes ſedulò inquiratur, ne in ea indaganda decipi contingat: quare in medium adducit quinque actionum ſpecies inter ſe conuenientes, ac penes incolumitatem, ac vitium quodam ordine ſe conſequentes, expirationem videlicet, exufflationem ſine ſtrepitu, ſtrepentem, vocem, & loquelam.

Sed videndum: *Vtrùm hæ quinque actionum ſpecies à Galeno prolatæ, ad locutionem neceſſariæ ſint*? Nam Galenus *eo loco* docet, à quibus muſculis quælibet illarum fiat: cùm verò omnes motu ſpiritus ad exteriora peragantur, omnium prima, communéque genus dicitur expiratio, & ea quidem abolita reliquas omnes omnino perire fit neceſſe: non è conuerſo verò loquela vitiata offenduntur aliæ quæ antecedunt, & ſic de reliquis in ordine ad præcedentes: non perinde ſiquidem auferuntur priora poſterioribus ſublatis, quemadmodum è contrà, vt euidentiſſimum eſt. Si ob læſam igitur expirationem vocis offenſa contingat, quod ex communi omnium vitio diiudicabis, affectos puta muſculos thoracem contrahentes; hos enim pronunciat expirationis opifices.

Hoc modo propter exufflationem, quæ vehemens expiratio eſt, & vocis materiam præſtat, vt diximus, vitium erit in intercoſtalibus, quorum miniſterio efficitur illa exufflatio quæ ſine ſtrepitu fit. Si ex defectu ſtrepitus ad vocem etiam requiſiti, faucium muſculi laborant, aut illorum conſenſu arteria: in ea enim interim dum per partes & anguſtatur, & diſtenditur, ſequitur ſtrepitus ille; & fortaſſe laxata, ex faucium muſculis reſolutis, eum efficere non poteſt, atque ita nec aptam materiam tranſmittere ad guttur, in quo vox efficitur, ſicut in ore ſermo linguæ beneficio, famulantibus etiam dentibus, labiis, naribus, palato, gurgulione, & vinculo, ideò efformato, vt linguam ipſam firmiſſimè adſtringeret, & in tuta, firmáque ſede contineret, 11. *de vſu part. cap.* 10. Quare dubium non eſt, locutionis vitia ad linguam etiam potiſſimùm pertinere, & in blæſitate, & balbutie eam eſſe affectam, vt ex Ariſt. & Galeno *ſuprà* notauimus: niſi enim ob imbecillitatem, vel breuitatem ex nimia vinculi adſtrictione præpediretur, voces dearticularet. Sicut enim, inquit Galenus 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 78. exilis vox ob gutturis anguſtiam fit, gracilis propter muſculorum guttur mouentium innatum vitium; ita blæſitas ex figura oritur ab ortu deprauata muſculorum linguæ, & illius anguſtatione ad radicem: ſicut balbuties ex nimia ligamenti adſtrictione, non patiente linguam ipſam ampliari, & ad literarum expreſſionem primis dentibus inniti, qui inciſorij dicuntur, & plurimùm ad locutionem conferunt, atque ideò ſi deperdantur, ipſam vitiari eſt neceſſe. Non minùs etiam narium foramine obſtructo, atque labro aliqua ex parte truncato.

Sed contra ea, quæ Galenus *4. de loc. cap. 6.* edocuit, plurima ſunt obſcura, quæ difficultatem ingerunt maximam, & iccircò à me in præſenti ventilanda. Quære ergo: *Vtrùm ex harum quinque actionum vitio poſſit vocis offenſa deprehendi*? & primò arguo ſic. Licèt magnus ſermo multum aërem exigere videatur, ad ſubmiſſum tamen exiguus ſufficiet. Sed ad aërem paucum expirandum, ſat eſt naturalis expiratio. Igitur quinque illæ actiones à Galeno propoſitæ, non omnino ad locutionem requiruntur. Quod & ipſe videtur ſignificare, *lib. 1. de loc. cap. 6.* in hiſtoria illius, qui ab alto cecidit, quique cùm ad dorſi initium affligeretur, licèt non potuerit efflare ob intercoſtalium muſculorum læſionem, vocem tamen edebat exiguam. Nec diſſentit etiam *4. de loc. cit.* dum ait: *ſemiuocale reddi animal dimidia expiratione ablata, ac per conſequens dimidius etiam ſermo deperdetur, & ſubmiſſus, atque exilis ſeruabitur*, Quare non abs re Auicenna 10. 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *Poteſt*, inquit, *vox ceſſare, ſaltem ſonora, nec proinde auferri loquela expreſſa, & dearticulata, quia minorem requirit anhelitum, quàm vociferatio.*

Secundò. Aër copioſus cum impetu, & violentia emiſſus, ſi ad guttur accedat, & illius muſculis operantibus certo impulſu figuretur, vox prodibit, etiamſi nullus alius antecedat ſtrepitus. Igitur neceſſaria non eſt ſtridula exufflatio, nec ſonus alius requiritur, niſi cùm vox ipſa dearticulatur ad laryngem; imò alius ſi daretur, potiùs vocem obſcuraret, aut prorſus impediret, vt in tuſſientibus experimur, præterquam quòd ſequeretur tuſſim, & ſtrepitus alios, vt ſtertentis, gargarizantis, & ſimiles, in eo à voce diſtingui, quòd de genere ſint ſonituum eam antecedentium, non penes ſignificans, aut non ſignificans, contra ſententiam *2. de anim. cap.* 8.

Tertiò. Expirationis, vel ipſo docente Galeno *2. de mot. muſcul. vlt.* nullus muſculus opifex eſt, atque ideò non alicuius actio, ſed ſepti otium dicitur, cui tantùm tribuitur, vt conſtat ex Galeno *loc. ſuprà citatis.* Quòd ſi alicuius etiam membri concurſus requiritur, non ex thoracis, ſed abdominis muſculis petitur, vt apertè docet, *lib. de cauſ. reſpirat.* Igitur non ſine repugnantia, *4. de loc.* expirationem vocat actionem, perperámque ſignificat, in vocis offenſa ob læſam expirationem, muſculos thoracis poſſe eſſe ſedem affectam.

Quartò. Nec minùs etiam varius fuit in aſſignandis muſculis violentæ exufflationis auctoribus: Licèt enim eos vbique fateatur intercoſtales, quales tamen illi ſint, *4. de loc.* non expreſſit: *cit.* autem *de motu muſculor.* internos ait: ſequitur Auicenna, 1. 1. *doct.* 5. *ſum.* 2. *cap.* 16. *de anatomia muſculor.* At verò *lib. de cauſ. reſpirat.* externis tribuit munus exufflandi, validè inſpirandi internis. Igitur, &c.

Vltimò. Si ſtridula exufflatio vocis materiam præſtat, eámque antecedit, & guttur, proprium ipſius inſtrumentum ante fauces continetur, nec hæ, aut earum muſculi ingreſſum aliquem habent in vocis formatione, quomodo faucium muſculis tribui poteſt defectus exufflationis cum ſtrepitu, quæ infernarum partium eſt opus, ſimul & arteriæ, ad quam aër, impetuosè ab infernis emiſſus eliditur, & ſonitum facit? quomodóve fauces locus dicentur affectus in voce deperdita, ob corruptam ſtrepentem exufflationem.

At hæc non ita fortia ſunt, vt euincant. Dic ad primum. Quamuis minus aëris ad exilem vocem, ſubmiſſúmque ſermonem, quàm ad magnum requiratur; cùm tamen ad vocis formationem neceſſaria ſit aëris ad guttur alliſio, & alliſi modulatio quædam, tarditatis ſcilicet, aut celeritatis, nec ad percuſſionem illam,

vis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 379 sur 927

©BIUM

vis debilis, naturalisve septi transuersi casus sufficiat, (eo quòd percuti non potest aër, vt sonum efficiat, nisi cum impetu, & violentia emittatur) ideò vox, & locutio expirationem requirunt, & musculorum intercostalium ministerio factam, quam exufflationem appellamus, & ea quidem destructa, vox, & locutio omnino cùm voce auferetur. Nec ex Galeni doctrina oppositum elicitur, cùm tamdiu ille qui cecidit, vocem edidisset, quamdiu penitus resoluti non fuerant musculi intercostales, nec omnino amissa exufflatio: quia verò dimidia expiratione seruata adhuc etiam durat, licèt non integra, non in totum aufertur locutio.

Ad secundum dic. Sicut impossibile est aërem ad guttur impetuosè allidi, & sonitum non fieri, ita sine eo vocem prodire. Si enim vox sonus quidam est dearticulatus, à laryngis musculis variè angustantibus, & ampliantibus guttur, quà aër fertur, quomodo sine eo quod includit, poterit constare? Illi verò tussientium, gargarizantium, &c. ideò vocem impediunt, quia fiunt clausa à faucium musculis epiglottidis ore, quod ad vocis formationem oportet existere apertum; in quo exactiùs secundum Galenum, vox ab aliis non articulatis sonitibus, tussi, & similibus videtur distingui, non penes significatiuum iuxta Arist. Multæ siquidem veræ, & propriissimæ voces sunt, nec tamen quicquam significant, quantumuis præcedente fiant imaginatione, vt cantantium voces.

Ad tertium dic. Expirationis nomine non venit sola naturalis intelligenda, ac proinde licèt hæc solo septo efficiatur, non tollit expirationi in vniuersum musculos alios præesse. Sicut enim aliquando sequitur ad septi otium, nonnunquam ad contractionem musculorum abdominis, ita etiam vbi vehementior, requiritur eorum intercostalium, qui pectori contrahendo inseruiunt, ministerium.

Ad quartum dic. Quales musculi illi sint, non satis constat: Licèt verò non desint, qui arbitrentur neutri ex sententia Galeni, in proposito standum, & tam ab externis, quàm internis contrahi pectus: externis quidem, dum sursum conuellunt costam cui inseruntur; internis, cùm deorsum: probabilius tamen iudico, internorum ope constringi pectus, externorum dilatari; & locum *de caus. respirat.* temporis iniuria fuisse corruptum: cùm enim costæ in exortu suo ad vertebras deorsum inflectantur, fit vt inferior costa externorum intercostalium munere ad superiorem adducatur, ac pectoris amplitudo maior euadat; contrahatur verò, & angustius euadat pectus, dum superior costa ad inferiorem trahitur, internorum musculorum actione.

Ad Vltimum. Aliqui non faucium, sed gutturis musculos legunt, quibus vox efficitur, & illos quidem communes, per quos totus spiritalis meatus amplificatur, & comprimitur (de propriis enim iam præcesserat sermo:) cùm verò communes hi nonnihil asperam arteriam contrahant ac constringant, ne (vt aiunt) quicquam in ea duplicetur, vel complicetur, néve plurimùm, cùm vocem homo edit, dilatetur, causæ sunt stridulæ efflationis: & quia resoluti munus illud constringendi arteriam, obire non possunt, & ea nimiùm dilatata strepitus saltem tam commodè non fiat, quia nec aër allidi potest, necesse est cum strepentis efflationis vitio, vocem aliquantulum lædi. Cæterùm textus litera habet, faucium musculos efficere strepentem exufflationem: nec immeritò, quia cùm rimulæ operculum, epiglottim claudunt, efficitur vt efflatus aër vehementiùs allidatur, & sequatur stridor ingens qualis est ille stertentium, & gargarizantium, quanquam ij vocem potiùs impediant; ea enim clausa epiglottide prodire non potest, vt diximus: siquidem præter sonum ex aëre ad gurtur percusso, includit modulationem quandam, & concentum, qui figurari nequit clausa laryngis rimula. Verùm licèt in arteria strepitus ille sequatur, stridulaque efflatio ad vocem requisita, non parum faucium musculis iuuatur, quia interim dum contentas fauces seruant, laxari arteriam prohibent, ad commodam aëris percussionem: si enim resoluantur, cum faucium laxitate, necesse est ampliari arteriam ipsam, & impediri, aut saltem vitiari sonum, simúlque cum eo vocem. Ex quibus ad argumenta patet responsio.

Præsagium.

Ablatio vocis omnimoda, hoc est, mutitas, si simul cum surditate eueniat, incurabilis est. Balbuties si ante sextum, vel septimum annum contingat, & pueri sint balbi, mutatione ætatis sæpe curatur, cæterorum frigidorum morborum instar, qui hac ratione sponte sua curantur, vt de Epilepsia docuit Hip. 2. *Aph.* 45. & 5. *Aph.* 7. cùm enim balbuties à nimia oriatur humiditate, cui crassi, lenti, pituitosi humoris copia est adiuncta, cessant hæc ob ætatem ad siccioremnaturam transmutatam, & ob exercitationem, & exiccantem victum.

Vitiata loquela, si à læsione & offensa facultatis animalis, spinalis medullæ, neruorum, aut linguæ resolutione oriatur, immedicabilis est, ob quam causam si in senibus accidat, vt plurimùm incurabilis est, in iis enim potentiæ debiles sunt nimis. Ea verò quæ ex abscissione fræni, quod est sub lingua, intempestiuè in infantibus administrata, difficile remedium habet, sicut & illa quæ diu durat: tunc enim vocis instrumenta habituali intemperie laborant, quam corrigere arduum est. Aphonia in febribus orta ardentibus, pessima, *lib.* 1. *prorrhet.* 12. & *lib.* 1. *text.* 10. de qua *lib. vlt.* latè agemus, quo loco de febrium symptomatis ex professo perage mus.

Curatio.

Aphonia cùm multiplicem sortiatur causam, diuersa eius quoque curatio instituenda: quare cùm symptomata circa vocem contingentia, certas & determinatas species morborum sequantur, facilè ad eorum curationem ipsa quoque propulsabuntur, sublatisque affectionibus infestantibus facultatem animalem, & vocis instrumenta, vox pariter in pristinam differentiam restituetur. Quare si ex nimia humiditate, & debilitate harum partium oriatur, aër paretur ad caliditatem & siccitatem declinans. Exercendum corpus, præsertim verò vox altior mouenda: huius enim exercitationis ope humores absumuntur, attenuantur humiditates, resoluuntur flatus. Hoc modo in sex rebus nonnaturalibus ea obseruare debemus, quæ in superioribus capitibus prædiximus, quum de morborum curatione fecimus commemorationem, qui cerebrum, & neruos infestant: Nam præparandi humores, expurgandum corpus præsertim medicamentis forma solida constructis. Pugnandum apozematis similem virtutem habentibus. Roborandum caput cucuphis, fomentis, decoctis. Absumendæ humiditates sudorificis medicamentis, quæ ex Ebeno, Radice Chinæ, vel smilace aspera conficiuntur. Cauteria in nucha, & brachiis summam opem præstant.

Si Aphonia à lumbricis ortum ducat, contra vermes pugnandum: priùs enim eos necare, deinde extra corpus expellere oportet. Si ab vteri vitio contingat, hoc curato, restituetur loquela. *Ex ebrietate si quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet*, vt 5. *Aph. cit.* monebat Hippocrates. Demum causæ prout variæ sunt, ita variam significationem, & curationem ex se præbent.

Multoties accidit, vt ob copiam pituitosi humoris voci

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 380 sur 927

©BIUM

vocis impedimentum ſequatur, qui impedit ſpirituum excurſum obſtructis neruis: tunc ſi expurgantia per inferiorem ventrem non ſint ſatis, dubitabis: *Vtrùm vomitus prouocandus?* Reſpondet Hippocrates *lib. 4. acut. 27.* vbi poſtquam ex corrupto ſanguine, nequeuntibus ſpiritibus naturales pertranſire meatus, Aphoniam orri aſſeueraſſet, *text. 29. ſequenti*, per ſuperiorem ventrem purgationem inſtituendam eſſe edocuit. Quod videtur difficile: vomitus enim in morbis, qui ſuperiores partes infeſtant, eſt ſummè cauendus. Dic. Si cætera non conferant, & morbus in deterius ruat, vomitu vtendum, præſertim leni, cuius ope clementer humores vacuentur.

Si verò ex copioſo ſanguine venas ſubitò grauante, & vocis efformandæ inſtrumenta, vel ea quæ reſpirationi deputauit natura, replente, oriatur: tunc commodiſſima eſt, ad leuandam ſarcinam, ſanguinis miſſio, ex præſcripto Hip. *4. acut. 23. Quod autem quis repentè obmutеſcat, id venarum interceptiones, occluſionéſque faciunt, ſi ſano abſque occaſione, vel forti aliqua cauſa id contigerit. Venam igitur brachij de xtri internam ſecare oportet.* Et *infrà* ſigna ſanguinis redundantis apponit, quo præſente, maiori cum fiducia ad venæ ſectionem accedemus: ſic autem inquit: *Quamplurimis horum accedunt faciei rubores, oculorum conſtantia, manuum porrectiones, dentium ſtridores, pulſus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & ſpirituum in venis interceptiones*: quæ omnia à ſanguinis redundantia oriri, rubor faciei demonſtrat manifeſtè.

Sed dubitabis: *Vtrùm in Aphonia, interna vena brachij ſemper ſit ſecanda?* Hoc affirmat Hip. *loc. cit. acut.* Sed ſi ex Apoplexia, aut forti Epilepſia oritur Aphonia, non potente virtute animali ad organa vocis influxum tranſmittere, quia viæ à copia humorum ſunt obſtructæ; & in affectibus ſupra iugulum, ex doctrina Galeni *4. de ſanit. tuend. cap. 4.* & *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap. 16.* vena externa eſt ſecanda: cur in iis internæ ſectio adminiſtrabitur, cuius ope humor in media corporis regione redundans euacuatur ſolùm?

Rurſus. Si ab vtero frequenter ſanguis menſtruus ad partes ſpiritales aſcendit, qui vomitu, & hæmorrhagia foràs extruditur, in iis præſertim quæ menſtrua ſuppreſſa, aut minuta habent, ſi is in thorace ſtabuletur, neruóſque occupet recurrentes, nonne è talo ſanguis eſt emittendus? ſi iuxta præſcriptum Hippocratis, ad originem, & originis fluxionem deueniendum eſt: quod ipſe edocuit, *lib. 5. Aph. 32.* dicens: *Mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio.*

Neque per venam internam intelligas externam, quę in acutiſſimis cerebri affectibus ferienda eſt, quorum vi Aphoni fiunt ægri, quia Gal. *in com.* aſſeruit ex hac vacuatione partem principem velociſſimè vacuari, per quam ſolum caput intelligitur, quod inter partes principes obtinet principatum, ob facultates principes quæ ibi exercentur, vt *lib. 8. de vſu part. c. 6.* monuit Gal. & firmat *lib. de diff. ſympt. c. 3.* & *lib. 1. de cauſ. ſympt. c. 1.* & *lib. 3. de loc. c. 3.* Non quadrat expoſitio: nec enim contextus mutandi ſunt citra neceſſitatem: velociſſimè enim, & plurimùm ex iis, quæ principes ſunt, partibus, vena ea corpus euacuat: princeps autem pars, cor eſt, cuius vaſa ſi ſanguine replentur, & occluduntur, ſubitò præuia Aphonia veluti ſiderati occumbunt. Pars etiam princeps iecur eſt, cuius venis interceptis à ſanguinis copia, animal repentè concidit; quæ non conuolat ad partes ſuperiores, nec ad cerebrum, ſed ad vaſa interna, venam cauam, & arteriam magnam, ad ea namque affatim irruens, fixus, & firmatus ſanguis, ipſa replet omnino, ita vt ſpiritibus commeatus denegetur, & ipſis euaneſcentibus, natiua caliditas ſuffocetur & extinguatur; ægri hac ſyncope cardiaca oppreſſi extemplò pereant, ni priùs ad mentem Hippocratis, ſanguinis miſſione præſtò ſuccuras, & alia auxilia exequaris, quæ concretum hunc ſanguinem attenuare nata ſunt.

Quapropter dicendum, in Aphonia non ſemper internam eſſe ſecandam; cùm enim varij ſint modi interceptionis venarum, varius & diuerſus erit locus, à quo hauriendus eſt ſanguis. Si enim ab occluſione vaſorum cerebri, tunc externa tundenda. Si vitio inſtrumentorum reſpirationis, vt accidit in vulneribus thoracis aut neruorum recurrentium læſione, vel ſyncope cardiaca, interna ferienda. Si vitio vteri, ſanguine nempe menſtruo ad ſuperas partes reſtagnante, & organa vocalia opplente, tunc ex ſaphæna minuendus ſanguis. At cùm ſanguis ferè in vaſis maximis, quæ ſunt inter alas & inguina, *9. meth. 3.* redundet, & partes vitales ac naturales copia ſua repleat, fit vt maiori ex parte ab interna vena ſit hauriendus ſanguis, vt Hippocrates dixit.

De remediis aliis adminiſtrandis, Galenus *lib. 7. ſec. loc. cap. 1.* fusè eſt loquutus: plurima enim eo loco propoſuit, quæ ad propulſandas, ſeu corrigendas cauſas, quæ ipſam vocem vitiant & immutant, percommodè diriguntur, quæ præſidia arteriaca nuncupantur, eò quòd ad ſanandas ægritudines aſperæ arteriæ, & ipſius gutturis, frequenter offeruntur, quæ duo ſunt præcipua vocis inſtrumenta; quorum vitia vel prorſus adimunt, vel ſaltem longè mitiora reddunt, ita vt ab iis voxquàm minimùm immutetur. Quædam enim leniunt, & emplaſticam ſortiuntur vim, alia veluti detergunt, ſiccant, ac digerunt, quædam mediam naturam habent, & omnia arteriaca nuncupantur, ſeu bechica: & in eam potiſſimùm formam plerumque rediguntur, vt commodè ſub lingua contineri poſſint, donec liqueſcant, & in arteriam paulatim diſtillent.

Sed dubitabis: *Vtrùm arteriacum medicamentum differat à bechico?* Dic, Bechicum medicamentum eſſe tantùm, quod mediante tuſſi à pectore expurgat, cui quidem miniſtrant ferè omnia arteriaca, præſertim quæ abſtergunt, incîdunt, aut materiam ſuppeditant, & expulſioni præparant; quare bechica ſolùm eductioni proſunt, arteriaca verò affectibus partium, quæ tuſſiendo expurgantur. Deinde bechica, ſeu tuſſicularia medicamenta diuerſa conſtant facultate, ita vt arteriacum pro bechico nullo modo porrigi poſſit: Hoc enim vel dolorem ſedat, vel fluxum ſiſtit, diſſecat, attenuat, concoquit, vlcus abſtergit, pus purgat, reſiccat, exaſperata lenit, adſtringit, alterat ſecundùm ſuas qualitates primas; reliqua verò arteriaca medicamenta bechicis medicamentis ſubminiſtrant, præparatis humoribus ad expulſionem. Horum medicamentorum variæ ſunt apud diuerſos auctores deſcriptiones. At quoniam ferè vox vitiatur, rauceſcit, deprauatur, aufertur, ob humorum lentorem, & craſſitiem, qui organis vocalibus pertinaciter ſunt impacti, aliquas hunc in vſum formulas breuiter deſcribam.

℞. *Glycyrrhiz. purgat.* ℥ ß. *tragacanth.* ʒ iij. *croci* ϑ j. *myrrhæ,* ʒ iij. ß. *cinnamom.* ϑ j. *gummi arabici, reſinæ terebinthin. an.* ʒ ij. *pulp. uuar. paſſar. ſine acinis,* ʒ vj. *vini albi dulcis, q. ſ. ad prædicta excipienda, & formandæ catapotia*: quæ ſub lingua teneantur donec contabeſcant.

Vel fiat electuarium in hunc vſum vtile valde, cuius vncia in aurora offeratur.

℞. *Aniſi, fœniculi, cubebar. amaeos, ariſtolоch. rotundæ, an.* ʒ ij. *vngulæ equinæ, præſſij, iridis, calamenthi, hyſſopi, enulæ, an.* ℥ iij. *ſucci glycyrrhiz.* ʒ ij. *acori, cinnamomi, nuc. moſchat. caryophyl. an.* ʒ j. *oxymel. compoſit. ſyrup. præſſij, ſyrup. de calamenth. an.* ℥ ß. *penidiorum* ℥ ij. *pinearum infuſarum per duos dies in vino paſſo,* ʒ iij. *croci* ϑ ij. *myrrhæ,* ʒ j. *melliſde ſpumati, q. ſ.* vt fiat ſec. art. Electuarium.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 381 sur 927

OBSERVATIO I.

PRo Aphonia curanda, pileus vtilissimus. Laborauerat iuuenis quidam destillatione in fauces ab annis multis, ex contumaci, lento, & mucilaginoso humore prognata, quæ cùm ex habituali intemperie frigida & humida cerebri promanaret, in Aphoniam, occupatis vocalibus organis ab hoc mucoso succo, terminata est, quæ nullis vnquam auxiliis corrigi potuit. Adhibita expurgantia, multiplici lege confecta. Cauteria brachiis, & nuchæ intusta. Oblata roborantia caput. Conseruæ, eclegmata, sudorifica ex Ebeno. Imperata thermalia balnea, quorum beneficio crassus humor pertinaciter infixus sæpe discutitur. Tandem hoc pileo raso capiti applicito, & sic cerebro roborato, & exiccato humore, peruicax cessauit malum. Ex oblato enim alimento cerebrum vegetius factum, optimum imposterum, & laudabilem humorem progignens, & minimè excrementosum, húncque soli sibi reseruans, in pectus, & vocalia organa amplius non transmisit; qui verò impactus erat, actu obstructionem committens, leui negotio tussicularibus, & per aluum expurgantibus medicamentis est discussus. Pilei verò capitalis hæc est descriptio.

℞. *Thuris, vernicis, mastich. styracis calamit. rosar. rubear. sem. myrti, an.* ℈ ij. *santalor. citrin.* ℈ j. *santal. rubri,* ʒ j. *agallochi,* ℈ ij. *absinth.* ʒ j. *stœchad. rorismarin. saluiæ, betonicæ, an.* ʒ j. *acori, caryophyl. cinnamom. anisi, sem. fœnicul. an.* ℈ j. *baccar. lauri, pyrethri, cubebar. nucis moschatæ, an.* ʒ ß. *maioranæ, origani, serpil. calamenth. pulegij, an.* ℈ ij. *piperis longi,* ℈ j. *macis, castoreij, an.* ℈ ß. *eboris,* ʒ ß. *milij torrefacti,* ʒ iij. *salis angelicæ, sulphuris, an.* ℈ j ß. *sem. peoniæ maris,* ʒ ß. *absinth.* ʒ j. *flor. camomil. anthos, saluiæ, stœchad. an.* ℈ j ß. *spicæ Indicæ,* ℈ j. *rutæ siccæ, cranij humani, an.* ʒ ß. *dictamni, zedoariæ, valerianæ, an.* ℈ ß. *sem. ocymi, cardamomi, valerianæ, an.* ʒ ß. *aromatici rosati Mesuës, diorrhod. abbatis, diamargar. calidi, diamargar. frigid. an.* ʒ j. *diagalangæ, diacinnamom. diacymin. an.* ʒ ß. *ambari grisei,* ʒ ij. *moschi odorati,* ʒ j ß. Puluerisanda puluerisentur tenuissimè, & priùs irrorentur vel vino generoso, vel aqua cinnamomi, aut Naphæ, & siccentur ad vmbram. Reponantur deinde inter sericum purpureum duplicatum interpunctum consutum: & fiat pileus super totum caput continuò gestandus.

OBSERVATIO II.

Ad restituendam vocem, Arteriacum medicamentum eximium.

QVidam ætate grandæuus, orthopnœa laborauit importuna, ex qua ita raucus est factus, vt ingrauescente malo, in totum sine voce remanserit per annos plures. Hic etsi plura experiretur auxilia, solo hoc arteriaco medicamento, excreto per sputum humore mucoso, & multo, sanus euasit, cuius forma esto hæc.

℞. *Glycyrrhiz. purgatæ,* ʒ ß. *tragacanth.* ʒ iij. *croci,* ℈ ß. *myrrhæ,* ℈ j. *cinnamom.* ℈ ß. *gummi arabici,* ʒ ij. *pulp. uuar. passar. sine acinis,* ʒ vj. *puluer. Absinth. pulegij, calamenth. aristoloch. rotundæ, radic. gentianæ, enulæ campanæ, sem. melanthij, sem. vrticæ, origani, satureiæ, pulegij, hyssopi, pulmon. vulpis, fœniculi, anisi, an.* ℈ ß. *pulp. radic. althææ, in ptisana vulgari decoctæ,* ʒ j. *iridis florentiæ,* ʒ iij. *flor. sulphuris,* ʒ ij. ß. *sacchari albissimi,* ʒ xij. *resinæ terebinthin. lotæ priùs cum aq. vngulæ caballin.* ʒ iiij. Cum aqua tussilagin. & vino dulci, formentur pastilli hypoglottides, quibus vtendum manè, & vesperi, & reseruentur sub lingua, donec contabescant, & sensim deglutiantur.

Aphonia ab vtero orta, copiosa venæ sectione, curata.

VIduæ hystericis morbis valde sunt obnoxiæ: cùm enim viri consortio orbentur, tum semen non expurgatur, quod retentum, & in labem deterrimam abiens, partes superas, & præsertim spiritales, miserrimè tetro elcuato vapore concurit, atque affligit; tum sanguis non ita commodè singulis mensibus vacuatur foràs, quibus substantiis omnino suppressis monstrosa exsuscitantur vitia, exitialia, & prorsus dira. Aderat quædam, quæ emortuo marito, ita planctu, lucta, & mœrore corpus confecit, vt gemitu & lachrymis totum penè diem absumeret, Cúmque ob has causas natura distracta sanguinem menstruum ad vterum non destinasset, totus subitò ad thoracem confluxit, quare difficili respiratione correpta, accedente vultus pallore, totius corporis palpitatione insigni, & stertore summo, voce priuata est. Illicò adhibita reuellentia auxilia, per acres clysteres, vincula crurum dolorifica, frictiones fortes, paratas cum linteis asperis, acerrimo aceto, & sale imbutis. Cucurbitulæ scarificatæ femoribus, & scapulis admotæ. Imposita fortia Errhina. Vstiones, & cauteria actualia per vniuersam corporis superficiem applicita, vt natiuus calor exsuscitaretur, & ægra excitaretur. Tandem cùm adstantes affirmarent, ipsi eo tempore menstrua imminere, quæ antea erant minuta, pulsum exploro, non ita dejectum inuenio: quem ita pusillum esse, ob obstructionem, repletionem vasorum, & sarcinam, ipse coniectans, ac sanguinis missionem intrepidè, reluctantibus sociis, accedere non dubitaui: qua bis ex vtroque talo copiosè celebrata; fœtidis, naribus appositis, & vtero suauibus & bene olentibus medicamentis, intra duas horas obloqui cœpit, & euanescentibus symptomatis feris vocem recuperauit: & imposterum assumpta conserua chalybis, & excitato fonticulo infra genu sinistrum in parte interna, à tantis malis immunis euasit.

CAPVT VI.

De sanguinis sputo.

Definitio.

HIc affectus vocatur à Tral. *lib. 7. cap. 1.* reiectio sanguinis ex ore, alij sanguineam, seu cruentam spuitionem nuncupare solent. Et licèt omnis sanguinis ab ore fluor, sub sanguinis spuitione comprehendatur, à quacunque parte sanguis erumpat, tamen propriè ea sola sanguinis reiectatio appellanda erit, quæ tussi fit, & partium vitalium, thoracis, pulmonis, aut asperæ arteriæ affectiones consequitur; spurum enim solùm à partibus vitalibus tussi reiicitur, vt *1. de crisib. cap. 5.* docuit Galenus.

Quæres: *Vtrùm omnis sanguinis excretio toto genere sit præter naturam?* Hoc enim affirmabis certò, si sanguinis necessitatem ad corpus nutriendum, eius familiaritatem cum natura nostra, quo ipsa tanquam instrumento promptissimo vtitur, contempleris: ille enim ab ea non progignitur, tanquam à corpore expellendus, sed retinendus, vt *lib. de diff. sympt. cap. vlt. in princip.* firmauit Galenus: Nam sola excretio quæ fit per vterum, naturalis est, *3. de caus. sympt. cap. 2.* dicitur autem secundùm naturam, cùm à natura ob conseruationem speciei sit intenta, & quia est naturale remedium, vt copia sanguinis crudi, quem fœminæ accumulant ob causas multas, vacuetur foràs; qua vacuatione deficiente, ab vtero morbi citò contingunt, *5. Aph. 57.*

Ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 382 sur 927

Ex altera parte, ſi ad vnguem proſequaris vacuationes plures, per quas ſanguis vtiliter extra corpus eliditur, timeo ne in aduerſam abeas ſententiam. Adſunt inprimis criticæ vacuationes ſanguineæ, quæ animalia à grauiſſimis morbis præſeruant, & ab iis oppreſſos ſecuriſſimè perſanant. *Menſtruis* enim *deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum*, inquit Dictator ſummus 5. *Aph.* 32. & 6. *Aph.* 10. *Caput dolenti, ac vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, ſoluit morbum.* Et 1. *progn.* 32. *Hypochondriorum inflammationes, ſanguinis è naribus eruptio perſanat.*

Deinde, quid magis in Medicina tritum, quàm hæmorrhoïdalem vacuationem à morbis præſentibus liberare, & à futuris præſeruare? Extat ſenis edictum, 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 37. in hunc modum: *Mariſcis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, fortaſſe verò neque lepris, fortaſſe neque aliis morbis capiuntur*, & 6. *Aph.* 11. *Melancholia*, inquit, *& nephritide laborantibus, hæmorrhoïdes ſuperuenientes, bonum.* Et *Aph.* 21. *In inſanientibus, ſi varices, ſeu hæmorrhoïdes ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio.* Imò & ſanguinem per vomitum vtiliter excerni, affirmat 7. *meth.* 11. dum ſic ait: *Pleriſque ora venarum, quæ in ſede habentur, vacuare ſuperflua ſunt ſueta. Aliis profluens è naribus ſanguis, aut vomitus, aut alio quopiam modo in certis periodis vas aliquod recluſum. Noui enim tum in ore, tum in faucibus id multis contingere. Non deſunt, quibus & per ventriculum ſanguinis expulſio certo tempore fiat, potiſſimùm iis qui cùm vehementem exercitationem depoſuerunt, à priori tamen victu non deſliterunt, aut etiam artuum toto aliquo ſunt priuati.*

Dic, omnes ſanguinis effuſiones eſſe præter naturam, excepta menſtrua, quæ ex Galeni mente, *lib. de ſympt. diff. cap.* 6. & 3. *de eorundem cauſis, cap.* 2. toto genere eſt ſecundùm naturam: Licèt enim ea quæ per nares, & hæmorrhoïdas ſanguinis effuſio fit, ſi tempeſtiuè, & cum conferentia fiat, & natura ſuo quaſi nutu operante, nullo intercedente ſenſibili, aut effatu digno affectu, certis & ſtatis periodis, in moderata quantitate celebrata, intra latitudinem exiſtat ſanitatis, nullam inſequens actionem læſam; tamen ſymtoma dici poteſt, cùm ex vaſorum aliquali reſeratione, ac leui anaſtomoſi ſcaturiat, vt teſtatur Galenus *lib. de atra bile, cap.* 4. & probat dilucidè *lib. de diff. ſympt. cap.* 6. dum ſic ait: *eo quòd opera naturæ ſunt, & in ipſius vſum fiunt ſub hoc ſymptomatum genere (ſcilicet in actione læſa) non collocabuntur: quanquam omnia quæ huiuſmodi ſunt, ad alterum ſymptomatum genus, nempe ad affectum præter naturam, reduci poſſint. Etenim ſi in aliqua corporis parte diſſecetur vena, aut eius oſculum tanto hiatu aperiatur, vt profundat ea quæ continebat, huiuſmodi affectum nequaquam ſecundùm naturam eſſe dicemus.* Licèt ſymptoma hoc, quamuis affectum ſequatur præter naturam, anaſtomoſim quandam, aut diapedeſim, intra latitudinem ſanitatis ſit, ex Gal. *in art. med. cap.* 87. quare ceu minimus lapſus, ſalubrium corporum adhuc retinebit appellationem, quouſque videlicet ob magnitudinem affectus ſenſibiliter actio ſit læſa. Cæteræ verò hæmorrhagiæ toto genere ſunt præter naturam, vt ſanguinis effuſio per anum; ex ea enim ſi diutina ſit, timor eſt ne inteſtina lædantur, & ſanguis eo loco concreſcat. Vomitus ſanguinis, dejectione ſanguinea pernicioſior, partes enim ſuperas, & præcipuas lancinat, & premit. Omnibus tamen periculoſior eſt, quæ tuſſiendo per interualla procedit, vt *infrà* latiùs patebit.

Differentiæ.

DVbitandum: *Vtrùm ſanguis à variis partibus corporis excerni poſſit?* Galenus *lib. 4. de loc. aff. cap.* 5. conſtanter affirmat, ſanguinem è gula, ventriculóque vomitione, 7. *Aph.* 37. ex ſpiritalibus partibus, tuſſi; à faucibus & gurgulione, ſcreatu; ab ore, ſimplici expuitione excerni. Cæterùm, quia fieri nonnunquam poteſt, (quod ſe aliquando vidiſſe teſtatur Galenus) vt ſanguis à capite deſcendat, & in gutrur ſubitò irruens, tuſſim moueat, tuſſiendóque excernatur, ne decipiatur Medicus, putans è thorace, vel pulmone reiectum, quemadmodum quibuſdam accidit, qui pulmonem vehementer affectum arbitrabantur, diligenter *loco citato* conſiderandum monet, num fortè à capite defluxerit, ne interueniat error in affecta ſede indaganda. Quibus verò notis à capite decurrens ſanguis internoſcatur, pete ex Aretæo *lib. 2. acut. cap.* 2. Auic. 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 5.

Vtrùm tres hæmoptoïſis differentiæ à Galeno rectè conſtituantur? agitandum. Galenus ſic eleganter ſcribit, *lib.* 5. *meth. cap.* 2. *Sanè profluit ex vena, vel arteria ſanguis, aut reſerato earum ore, aut tunica earū diuiſa aut (vt ſic dicam) tranſcolatus, ſine ſudoris modo tranſmiſſus. Porrò diuiditur ipſa tunica, tum ex vulneratione, tum contuſione, tum ruptione, tum eroſione. Anaſtomoſis accidit propter tum vaſis imbecillitatem, tum ſanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam: ad hæc, acrem quampiam, quæ illi extrinſecùs incidat, qualitatem. Diapedeſis verò, ex tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine verò tenuato oritur: accidere præterea interim poteſt, & ex gracilium vaſorum ore adaperto.* Hæc Galenus.

Quare tres prædictæ venarum diſpoſitiones, nempe ruptio, eroſio, & apertio, ſatis amplam diuiſionem conſtituunt: Nam humoris vitium, ſeu praua qualitas venas erodens, ad eroſionem reducitur. Sanguinis impetus, qui ruit ad orificia vaſorum, vel horum imbecillitas, ex humiditate vel mollitie, vel defectu alimenti ortum ducens, extenuatis & tabeſcentibus partibus, ad anaſtomoſim refertur. Fit etiam apertio à natura, hoc eſt, virtute expultrice humorem noxium expellere properante, vt ſæpe in criſi contingit.

Diapedeſis fit, quū vaſorum tunicæ extenuantur, & rariores fiunt, vel quando ſanguis extenuatur, & redditur ſeroſus, vel quia orificia venarum gracilium aperiuntur, tunc enim tranſcolatur ſanguis, & ſudoris in modum tranſmittitur. Hæc eſt cauſa ſudoris cruenti apud Ariſt. *lib. 3. de hiſtor. animal. cap.* 19. & 3. *de partib. animal. c.* 5. Theophraſt. *lib. de ſudoribus*, Cælium Rhodig. *lib. 5. lect. antiq. cap.* 2. Quare etſi Galenus *loc. cit.* ſolùm tres cauſas referat hæmoptoïſis, ſub ruptione tamen vulnerationem, & contuſionem debemus intelligere, & ſub apertione diapedeſim, quoniam, vt Galenus *lib. 5. meth. cap.* 2. edocuit, apertio eſt gracilium vaſorum. Vel dicendum eſt, quòd diapedeſis non eſt excretio ſanguinis, ſed ſeri ſanguinis, vt perdoctè aduertit Galenus, *lib. 3. de cauſ. ſympt. cap.* 2. *in med.* §. *Sunt qui quartum genus, &c.*

Cauſa.

HÆmoptoïſis cauſæ vel ſunt immediatæ, vel mediatæ; internæ, vel externæ. Ruptionis cauſæ internæ immediatæ ſunt, aut flatus multi impetuosè commoti, aut plenitudo ſumma venas diſtendens, & rumpens: Mediatæ verò ſunt, vaſorum durities, habitus corporis plethoricus, pectoris, & venarum anguſtia, tuſſis, vomitus; hæmorrhoïdalis, aut menſtruæ ſuppreſſionis retentio, plenitudinem contrahens; vociferatio, ponderum eleuatio, ſpiritus violenta cohibitio, pectoris violenta compreſſio, caſus ab alto, percuſſio, vulnus, ira, coitus nimius, ingens cibi potúſque repletio.

Sed dubium eſt: *Vtrùm flatus venas rumpere poſſint?* Nam illi ſunt frigidi, à diminuto calore progeniti, 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. & *lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 12. craſſi, nebuloſi, inepti ad motum, neque caliditatem ſortiuntur, aut acrimoniam, vt aperire poſſint. At ſi flatuum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 383 sur 927

naturam contempleris,inuenies ipsos esse valde mobiles,ac irrequieto impetu de loco ad locum permutari. Hoc ita esse palàm faciunt dolores vagi intestina opprimentes, qui à flatibus per eas partes oberrantibus scaturiunt. Ita dolores capitis,à flatu ventoso in ventriculo genito,in caputque ascendente,emanant.

Id ipsum ostendit morbus ille veluti nouus, qui ab *Albucasi,tract.2.cap.25.* vocatur flatus furiosus,quo detenti per vniuersum corporis ambitum dolorem persentiunt,variè huc & illuc insilientem,quia flatus,veri furiosi instar, inordinato & impetuoso motu per totum corpus transfertur. Et ita persæpe flatus solus viscera,stomachum, ceruicem, pectus lacessit, & premit,vt has partes è sua sede propellat, vel in magnitudinem satis insignem eleuet, & manifestum tumorem.

Ex hac flatuosa materia aliquoties conspexi ægrotantes querulos,quòd in ceruice & pube subitò exoriebatur tumor mali cydonei magnitudinem superans, qui altera die vel sponte euanescebat, vel discutientibus medicamentis resoluebatur. Nonne mola ventosa in vtero adnascitur,in qua ex flatu distendente, vterus in magnam molem eleuatur,de qua Auicenna 21.3.*tract.2.cap.*18.Neque flatus sunt crassi, sed aëreæ substantiæ participes, & præ tenuitate sua, hac illúcque oberrare maxima violentia possunt. Et licèt sint à diminuto calore enati, momentaneam tamen persæpe obtinent caliditatem: id enim significauit Galenus *lib. 4. acut. com. 42. §. verùm cùm spiritus calidus flatuosúsque.* Hoc modo ex vino per putrefactionem, seu debilitatem caloris innati,gignitur acetum, quod acre est, attenuat, aperit,rumpit, & vehementer penetrat: Quare à flatu venas disrumpi,non est negandum.

Sed non satis acutè ab huius dubij solutione me extricasse dices, cùm flatus in venis non reperiantur mobiles: cuius occasione dubitandum:*Vtrùm flatus in venis,& qualibet nostri corporis parte,colligi possint*:Si enim flatus generantur à debilitate caloris innati,& intra venas sanguis calidus & humidus vbertim abundat, & calor adest robustus & fortis, cur eo loco gignentur flatus venas disrumpentes, maximè cùm Galenus 14. *meth. cap.* 7. partes omnes recensens, in quibus flatus colligi possunt,nempe cutem,membranas quæ ossibus, & visceribus circumdantur,ventriculum, intestina, ac medium horum & peritonæi spatium, de venis non fecerit commemorationem vllam.

In omnibus autem nostri corporis particulis posse reperiri flatus,confirmarunt prisci,Galenus 2. *ad Glauc.* 6.& *cit.*14.*meth.*Auic.4.3.*tract.*2.*cap.*16. Rasis *tract.*3. *cont.cap.*9. Hoc ipsum non indecenter probari potest, in affectu illo qui palpitatio vocatur, in qua flatulenta materia crassa, intra carnosum musculosúmque genus inclusa continetur, ex qua etiam flatuosæ collectiones oriuntur, vt 13. *meth. cap.* 4. testatur Galenus.

Sed quòd intra venas flatus inclusi, & deinde per corpus vehementissimè commoti, dolores concitent persæpe intolerabiles,Albucasis *loc. suprà cit.* satis confirmat: Nam tumentibus venis à materia flatuosa contenta, extendi quoque partes circumiacentes sensibiles,excitato illo motu celeri, & furioso, non est dubitandum. Neque asseras, flatum intra venas generatum venæ ruptionem non posse efficere, nec concitare dolorem, quia venæ sensus sunt expertes, teste Galeno *lib.16. de vsu part. cap.* 12. Cùm hæc assertio ex eo loco deduci non possit: Nam illæ, ratione fibrarum neruorum, quæ illis implantantur, sortiuntur sensum.

Deinde ostenditur manifestè,flatum in venis colligi frequentissimè: quia situs contentorum in vrina ab eo variatur, pro cuius copia, aut inopia, humor in vrina contentus, aut subsidet,aut suspenditur, aut supernatat, vt 1. *crisi.*12.notauit Galenus: quo loco perturbatæ vrinæ causam, flatuosum spiritum esse affirmat. Atqui vrina eorum,quæ intra venas sunt,dispositionem & statum indicat,4. *de sanit. tuend. cap.* 4. Igitur flatus intra venas gignuntur, ac per consequens suo impetu venas scindunt, & non infrequenter hæmoptoisim concitant.

Insuper flatus intra venas sano existente corpore, & vigente virtute non generantur: at in statu morboso, cum virium debilium præsentia,eos colligi certum est. Hac ratione in acutè febrientibus non solùm flatus,sed crudi crasíque humores, intra venas à debili calore, qualis febrientium est,cùm sit immoderatus, & improportionatus, generantur. Quum enim lenti humores,& viscidi,ob sui tenacitatem,ab illorum calore nec discuti,nec superari queunt, in halituosam, flatuosámque substantiam conuertuntur. Galenus autem eos in venis colligi expressè non asseruit, id namque satis notum erat,cùm ab illis perturbari vrinam,& variari contenta,persæpe affirmet.

Illud etiam explanationem desiderat: *Vtrùm frigidi aëris occursus venas frangat*? Si enim, auctore Galeno *lib.4.simpl.cap.7.*frigidum contrahit,constringit, densátque corpora, & *lib.3.cap.5.* constipat, substantiam reddit immobilem,aut ægrè mobilem: quomodo potest aperire venas,fundere sanguinem,vasorum tunicas rarefacere, aut hæmoptoisim concitare? Deinde si frigidum sanguinis sputum coërcet,& curat, vtiléque est iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, ex præscripto Hip. 5.*Aph.*23.cur sanguinis fluxum irritabit, & commouebit?

Ex altera parte obstat cum experimento auctoritas. Nam Dictator summus 5.*Aph.*24.sic ait: *Frigida,qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis profluuia,& distillationes*:& 6.*epid.sect.*3.*text.*14.sic ait: *Frigidum valde venas rumpit,& tussim mouet, veluti, & glacies.*Adest deinde celebris historia Galeni,descripta *lib.7.meth.*13.iuuenis illius, qui refrigeratis spiritus instrumentis, excitata tussi, sanguinem per os reiecit. Quapropter etsi frigidum per se densando partes, & cogendo, sanguinis profluuio compescendo vtile sit, ex accidenti tamen sanguinis profluuia concitat; vasa enim indurata,dum extenduntur,fracturæ, & rupturæ magis fiunt obnoxia. Adde quòd frigida respirationem impediunt,obturatis meatibus, & ad cohibitum effluuium,plenitudo accrescit, ex qua disruptio venarum sequi sæpius consueuit. Deinde frigida tusses mouent, & hæ si sint validæ, vasa dilacerant ac rumpunt. Denique valde frigida cerebrum debilitant, & intemperant, & destillationes mouent. Ex quibus patet ad argumenta solutio.

Quæres etiam:*Vtrùm dimissum exercitium hæmoptoisim conciet*? Galenus enim 3.*meth.cap.*8. quietem pro hæmoptoisi curanda summè postulat. Hoc modo Celsus *lib.*4.*c.*4 quietem,securitatem,ac silentium hæmoptoicis exoptat:Nam motus humores agitat, omnésque vacuationes promouet,teste Galeno 4.*Aph.*15.quies cõpescit,& retinet.Ex altera parte videtur,quòd otium,& intermissum exercitium corpus plethoricum reddat,ac venas sanguine impleat: exercitio enim accito calore humores absumuntur, & sic resoluti in thoracem non confluunt.Id apertè ostendit Galenus *lib. de caus.morb. c.*3.dum sic ait: *Cùm enim sanguis optimus in corpore fuerit,nullo inquinatus humore superfluo, vapor ex eo incalescente optimus exurgit,qui nihil aliud igneum,aut acre secũ inuehit.Tale siquidem corpus,quum mediocriter stipari contigerit,breui aut erit plethoricum, aut supra modum calefiet: iis quidem quibus deses vita sit, ac minimè laboriosa, plethoricum fiet.* Firmat 7.*meth.*11.dum sic inquit:*Non desunt,quibus & per ventriculum sanguinis expulsio certo tẽpore fiat, potissimùm iis, qui cùm vehementem exercitationem deposuerunt, à priori tamen victu non desiterunt.*

Et

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 384 sur 927

Et eleganter 4.*de articul.*40. exercitationibus aſſuetos, A ſi eas dimiſerint,in cruentas vacuationes incidere confirmat, ſic enim ait: *Permultos autem videmus experiri hoc malum,quibus membrum exciſum fuerit, quive repentè vehementes exercitationes omiſerint,quibus antè aſſueuerant cùm nonnulli certarent,alij foderent,vel quid huiuſmodi vitæ genus ſequerentur,nam,niſi, quemadmodum exercitationi,ita aliquid demp ſerint cibi,aut potionis abundantia, qua vtebantur, dum exercerentur, nonnullos celeriter inuadunt ea mala,quæ à multitudine fiunt, &c.* Neque negamus, otium fluxiones ſiſtere, humores quietos reddere, & motui ineptos, quare in omni immoderato fluore conſulendum:tamen ex accidenti,ob dictam cauſam, plenitudinem auget, & hoc modo ſanguis retentus, qui exercitio tranſpirare ſolebat, ad thoracem regurgi- B tans,venas rumpit, & profluuia ſanguinis promptiſſimè excitat.

Externæ cauſæ ſunt,quæ ſanguinem fundunt, & attenuant,vt curſus,lucta,vociferatio.Diabroſin,ſeu eroſionem excitant frequens iracundia,exercitatio in ſole, præſertim æſtiuo,ſolicitudines,vigiliæ, curæ, ieiunia, aſſidua ſtudia,alimenta calida,meri potus, quæ ſanguinem acriorem reddunt, & attenuant. Anaſtomoſin concitant vaſorum mollities, quæ diſtentioni ea valde facit obnoxia. Hanc efficiunt alimenta humida, quæ ſanguinem ſeroſum,& fluidum reddunt,ad emollienda vaſa paratiſſimum. Apertionem etiam concitant ſuperiores cauſæ calefacientes: ex his enim ſanguis bilioſus,& feruens progignitur,vaſorum oſcula dilatans, C & reſerans. Diapedeſis cauſa eſt vaſorum raritas, & ſanguis ſeroſus ac tenuis, qui ex alimentis humidis, & potu multo,procreari ſolet.

Signa.

NVlla eſt affectio,quæ Medici maiorem diligentiã, pro dignoſcenda affecta ſede,prærequirat, quàm ſanguinis excretio per os. Cùm enim tres ſint, vt diximus ex Galeno,Paulo,Aëtio,& aliis, huius affectionis ſpecies,ſeu potiùs cauſæ,inter ſe præſagio,& curatione differentes,eroſio,ruptio,& apertio; & plures ſint partes,ex quibus per hos modos ſanguis per os excernatur, locum affectum ſignis agnoſcere,ſatis eſt difficile. D

Primò ergo quærendum: *Vtrùm ſanguis à capite, vel gurgulione defluens, propriis ſignis internoſci poſſit*? Nam præter vulgares notas capitis repletionem indicantes, grauitatem ſcilicet,aurium ſonitum,faciei rubedinem, venarum frontis diſtentionem, vertiginem,conſuetum profluuium ex naribus cohibitum, & alias procatarcticas cauſas, hunc potiſſimùm indicant titillatio in palato, creber ſcreatus, poſt quem confeſtim prorumpit ſputum,& non infectus ſanguis,alienæve materiæ permixtus,& multus,non tamen ſpumoſus, & ſine aliqua occaſione,quæ præceſſerit,rupturæ. Inſuper ſi palatum introſpicias,ſordidum,vlceroſum, & cruentum ſæpius videbis;ſi ſimul aliquid per nares diſtillet; ſi poſt excretionem ſequatur leuitas: nec item ſanguis à capite profluens,aut faucibus albicat, tenuis, & feruidus eſt, E perinde atque ille qui ex pulmone erumpit;non item ſpumoſus,ſed craſſus,concretus, ac nigricans:nec difficilis adeſt anhelitus.Firmatur autem coniectura,ſi aliqua narium hæmorrhagiæ indicia anteceſſerint, de quibus 3.*criſ.vlt.*agit Gal.aut ſpuitio ſanguinis ſine tuſſi adſit; hoc enim procul dubio indicat ſanguinem à capite, vel faucibus prodire.

Vtrùm ſanguis ex pectore,vel pulmone excretus,colore & modo ſubſtantiæ differat?Dic,quòd vbi ſanguis tuſſiendo reiicitur,nec à capite deſcendit, ex aliquo reſpirationis organo aſcendiſſe eſt coniectandum. Quoniam verò tam ad præſagiendum, quàm ad curandum ſummopere neceſſarium eſt, ſanguinis ſputum, excretum ex pectore,vel pulmone ſeparare: ita 4.*de loc. cap.* 5. docet diſcernendum Galenus: ſi multus,& ſpumoſus,ac ſine dolore erumpat, ex pulmone indicatur prodire; non aliter ac ſi aliqua brachij portio, aut alterius vaſis pulmonis,aut caruncula eiiciatur: & ſpumoſum quidem vocat efficaciſſimum pulmonis indicium,quod & Hip. prædixerat 5.*Aph.*13.quia pulmonis ſubſtantiam atteſtatur,cuius inducit ſimilitudinem: cùm enim pulmo veluti quædam ſpongia ſit,& coagulata ſpuma,& nonniſi ex tenui,vaporoſóque nutriatur ſanguine, 6.*de vſu part.*10.eum ad ſuæ ſubſtantiæ modum aſſimilans,efficit ſpumoſum, ac proinde hoc modo erumpens, pulmonem à quo egreditur,indicat affectum.2.*Aph.*43.& *lib.*7.*com.*30.

Quoniam autem inſenſile eſt viſcus,ſine dolore excernitur, quantumuis cauſam dolendi in ſe contineat, rupturam,vel eroſionem,&c.Quòd ſi afficiatur thorax, paucus erit ſanguis,craſſus, ater,& grumoſus,cum dolore,aut tuſſi vehementi excretus.

Sed hæc omnia,vt obſcura, ad Cleanthis lucernam ſunt expendenda. Et primò: *Vtrùm ſanguis ex pulmone reiectus ſit copioſus*? Quia ex pulmonis ſubſtantia paucus admodum ſanguis excernitur: Igitur indicium à copia,verum non eſt,nec perpetuum.Dic.Si pulmonis nomine,non modò dicis carnem, & capillares venas illi intertextas,ſed ampla alia vaſa in pulmone exiſtentia,ſæpe ſanguis copioſus ab eò reiicitur, & quantus nunquam prodit à pectore;vnde pectoris comparatione, ſignum ex copia petitum, ſoli pulmonicæ hæmorrhagiæ conueniet,non tamen omni, ſcilicet quia, vt docet Galenus 5.*Aph.* 13. exactè ſpumoſus, atque adeò ex pulmone ipſo,ſæpe exiguus admodum viſitur, nempe cùm ex ſubſtantia,vel capillaribus venis educitur,ideóque ſcripſit ſanguinem multum,non ſignificare ſimpliciter ex pulmone eductũ,& quia non ſemper, & quia aliunde etiam; ſed non à pectore, à quo nunquam tantus prodit,quantus ex magnis vaſis pulmonis.

Vtrùm ſanguis ex pulmone eiectus ſemper ſit ſpumoſus,de quo etiam argumento,etſi plura,*lib.*2.*Hiſt.Princ.Med. Hiſt.* 3. ediſſeruerimus, tamen hoc loco alia addenda, quæ difficultatem habent non exiguam.Si enim è vaſis pulmonis,multus ſanguis exeat,non ſpumat,5.*Aph.cit.* quod expreſsè teſtatur Galenus 5.& 7.*Aph.cit.*Deinde apud Hip. 2. *Aph.* 47. in pleuritide ſpumans ſputum aliquando reperitur,& ſpumoſum ſanguinem aliquando excerni in morbo laterali,docet 7.*Aph.cit.*Galenus: quin ex gutture,& pectore,ſcribunt Paulus,& Auicenna. Cùm ergo nec omni, nec ſoli pulmonicæ hæmoptoiſi ſpuma conueniat,inſufficienter videtur Galenus, per huiuſmodi ſignum proprium & inſeparabile, affectionem dictam à thoracica ſeparare.

Dic, quòd cùm ſpuma ex duarum ſubſtantiarum mixtione conficiatur,humida videlicet vna, ſpirituoſa altera, ita vt interim dum miſcentur, mutuò confringantur,rumpantúrque in varias,& minutiſſimas partes, ex magno violentóque motu, vnius vel ambarum ſimul,vt ſit in mari ventis agitato, aut ex ebullitione à vehementi calore,vt in lebetibus,&c.2.*Aph.*43.& *lib.* 7.*com.* 30. Cúmque inſpiratus aër, variis in partibus, præſertim in gutture & pectore, quibus magis communicat, ſanguini commiſceri poſſit & aſſociari, nihil mirum, ſi ex illis etiam ſpumoſus nonnunquam ſanguis emittatur, ſed diuerſimodè quidem, atque ex pulmonis ſubſtantia: hinc enim prodiens, ſecundùm ſe totam ſpumat; ab illius vaſis,plurimùm;ex gutture, thorace, & reliquis, aliqualiter, & tantùm penes ſuperficiem.

Vtrùm verò *ſpumæ ſanguinis ex pulmone educti, aliqua vera ſit aſſignanda cauſa*: dubium eſt difficile.Ideò enim pulmonis ſanguis præ aliis ſpumoſior euadit, & in tota ſui ſubſtantia, quia cùm tenuis ſit, facilè è copioſo aëre, qui in illum velut in ſtagnum recipitur,in cordis ſubſidium, rumpitur ac diuiditur, interueniente

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 385 sur 927

valtdissimo motu,quo agitatur perpetuò, & ebullitione ex flagrantibus membris, quæ in pectoris & gutturis sanguine deficiunt, saltem collatione ad eum qui è pulmonis carne excernitur; atque ideò hunc non solùm spumosum dixerunt prisci, sed ex illis Aretæus, ad spumæ similitudinem rotundum, ac parte extra partem distinctum. Auicenna abscissum, non continuò fluentem,sed per interualla,separatum, ob nimiam diuisionem & fracturam,à plurimo aëre, plurimúmque permixto: quare fit vt ad tenuitatem, perspicuitatem, & album colorem declinet,secundùm Paulum, & Alzaharauium. Adde & ob pulmonis similitudinem iam quodammodo inductam. Adiungit Auicenna,tenuiorem esse, quàm ex ipsiusmet pulmonis vasis, quamuis intra ea calidior sit, quia plus potest multa aëris permixtio in pulmonis carne,ad attenuandum, quàm coctio quæ intra ipsum promouetur,ad incrassandum.

Vtrùm autem *sanguis ex pectore erumpens, perpetuò sit crassus,grumosus,& ater*?etiam explicandum:Quia in calido,seu potiùs feruenti membro,quale est pectus,grumus generari nequit,nec ater,crassúsque,& coagulatus sanguis;potiùs enim ista frigoris gelantis, & incrassantis,quàm caloris sunt soboles. Et sanguis quidem tunc in grumum transit,quum è vasis,intra quæ calidior est, in aliquam excidens cauitatem,refrigeratur,6. *Aph.* 20. *lib.*1 *de loc.cap.*1. Si igitur ex pectore excernatur, grumosus exire non potest,& ex consequenti, &c. Præterquam quòd ob concretionem,& crassitiem prohibetur ingredi pulmonem,& in asperam arteriam commigrare,ac sursum erumpere.

Dic,quamuis calidissimum sit pectus, & illius sanguis,quamdiu intra vasa continetur, aliquantulum liquidus, tenuis, & lucidus, vbi tamen ab illis prodit, crassus fit,ater,& obscurus, & in grumi similitudinem transit,præ concepto frigore,in spatio, pectori & pulmoni interiacente: cùm enim locus omnis extra vasa minùs caleat,quàm intra, necessarium est extrauasatum sanguinem nonnihil refrigerari, cúmque suapte natura sit concretioni aptissimus, facilè gelabitur; non aliter quàm metallum ab igne semotum, quod licèt caleat adhuc,& comburat, iam tamen coit, quia quicquam iam de pristino calore amisit. Potest autem sanguis, quamuis gelatus, saltem guttatim ingredi pulmonis substantiam laxam,& spongiosam, indéque in asperam arteriam migrare;& intra eam retineri,simúlque per os erumpere,non tamen confertim,aut impetuosè.

Vtrùm in thoracica hæmorrhagia vehementior concitetur tussis,quàm in pulmonica? Nam si ex aliqua venarum pectoris ruptura, contingat sanguinem subitò expui,ita vt multùm non moretur in via,liquidus excernetur,& aliquantulũ spumosus, sed multò minus quàm ex pulmone, atque ideò semper geminato conatu, tussique vehemétiore:crassior enim cùm sit,&vtplurimùm densatus,concretúsque accedat ad pulmonem, difficilem habet ab eo egressum in asperam arteriam, & ob sui crassitiem,& propter angustiam externorum pororum, à quibus semel excuti non potest, nec nisi iterata tussi; secùs ille qui à pulmone prodit. Hæc est etiam causa, ob quam in pectoris sanguine erumpente, vehementior exacerbetur tussis, licèt sanguis pulmonis,calidior tenuiórque sit, & hoc modo expultricem stimulare magis videatur.

Vtrùm ex dolore,thoracica hæmorrhagia à pulmonica distinguatur? Nam per indolentiam, sanguis à pulmone excretus,ab eo qui ex pectore prodit,separari non potest: pulmoni siquidem etiam à cerebro distribuuntur nerui,16 *de vsu part.*3.à sexta nempe coniugatione, *lib. de neruor. dissect.c.*10.& 4.*de loc.c.*5. atque ideò velut sibi contradicens, *paulo pòst* dolorem tribuit pulmoni,licèt leuiorem.

Comitatur autem dolor thoracicam hæmorrhagiam, quia pectus, graue membrum est,osseum, & ponderosum,neruis vndique diffusis abundans, atque ideò saris sensibile: cúmque ex valido tussiendi conatu nimiùm defatigetur, & illius partes mutuò comprimantur,contundantúrve,& ex compressione, concussionéque ruptæ vlcerentur, aut saltem magis rumpantur; necesse sit, concurrentibus tot dolendi causis, dolere membrum,alioqui valde sensibile, & nonnisi cum notabili dolore sanguinem è pectore prodire, quia ex tussiendi labore,fatigatione, ac sensibilitate ipsius thoracis,ob neruorum multitudinem, per illius membranas,panniculos,& lacertos interiùs,& exteriùs sparsam, concussione facta dolor subsequitur non exiguus;non sic verò è pulmone,sensu destituto,laxa mollíque substantia prædito,atque à compressione aut concussione.

Verumtamen hoc loco dubitatio congruenter venit examinanda: *Vtrùm vasa sensu aliquo prædita sint*? Gal. enim contraria conscripsisse visus est in locis multis: Nam *lib.*16. *de vsu part.cap.* 2. vasa omnia sensum aliquem habere affirmat: Contrà 4. *de loc. cap.* 5. erosa vena aliqua pulmonis,nullum omnino dolorem sentiri affirmat: repetit 5.*meth.*8.dum sic ait: *Quinetiam sanguis iis qui doluerant,nec confertim reiectus est,nec multus, minúsque tum ruber, calens, ceu è longinquo veniens. At quibus citra dolorem est reiectus, iis & confertim, & plurimus, tum ruber feruénsque expuebatur, clarè docens quòd non procul veniret.* Ex quibus concludit Galenus, rupto in viscere pulmonis vase, nullum prorsus dolorem sentiri, secùs in pectore: quasi verò vasa pectoris sensum participent, pulmonis verò omnino sint sensus expertia.

Dic veram esse doctrinam Galeni,*lib.*5. *meth.* traditam, nempe soluto in viscere pulmonis vase, vtplurimùm non percipi dolorem effatu dignum,nisi rarò, & iis sanè est valde remissus, in illis duntaxat, qui acutissimo sensu à natura præditi sunt. Adeò quippe est exiguus vasorum sensus,vt *lib.* 16. *de vsu part. cap.* 12. idem asserat Galenus, *arterias, & venas partis cuiusque, sensus omnino esse expertes, siue illas frangere velis, siue incidere,siue laqueis excipere*: quæ tamen opponi, atque aduersari apparent iis, quæ *cap.* 2. *eiusdem libri* prædixerat.

Verùm in marginalibus apud codicem Græcum, aliter contextus à multis legitur:Arteriæ, & venæ sensus omnino sunt expertes, si laqueis excipere neruos velis,qui in ea particula sunt. At hoc modo non solùm vasa,sed cuncta alia dici possunt sensus expertia, cùm virtus sentiens per neruos interceptos non ita commodè possit influere.

Verùm Galeni contextus, vt iacet, cùm explicari optimè possit, non est cur eum in varios sensus cõmutemus,maximè cùm dictis capitis secundi non reluctetur. Magna enim ex parte venæ incisæ dolorem non sentiunt omnino, nisi homo acutissimo sensu suapte natura præditus sit,ob exiguum, & valde remissum earum sensum. Hæc interpretatio Galeni doctrinæ consonat: quibus enim sensus inest hebes,vlcera faucium, & asperæ arteriæ, nullum sensibilem dolorem inducunt,vt ipsemet testatur Galenus 4.*de loc.cap. vlt.* multo igitur illud minùs accidet vasis,quibus longè exilior inest sensus. Prorsus igitur expertia doloris vasa sunt, in non habentibus exquisitum, & acurum sensum; secùs in habentibus. Proinde minimè sibi ipsi Galenus opponitur. Quia verò sæpius contingit, non adeò acutum esse sensum, vt vasa excisa dolorem sentiant effatu dignum,ideò rectè Galenus tradit, soluto in pulmonis viscere vase,dolorem notabilem non excitari, cùm solùm illi quibus valde acutus inest sensus,aliquem inibi possint percipere, eúmque contemnendum, & remissum.

Sed obiicies:Cur in pectore semper notabilis,& effatu dignus dolor emergit,siue vase exeso, siue disrupto?Dic,quia dum vas rũpitur in pectore,simul vicinæ

partes,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 386 sur 927

partes,alioqui ſenſibiles, continui ſolutionem quadantenus patiuntur, idque potiſſimùm ſiue in palæſtra quis ſit percuſſus,aut ab alto ceciderit, aut tandem dum ob acres ſuccos vas exeditur,& vlceratur. Haud igitur ſolus vaſis ſenſus eſt in cauſa, vt rupto ibi vaſe effatu dignus dolor percipiatur,ſed potiùs eximius ſenſus partium vicinarum, quibus alligantur vaſa, ex Galeno 4. *de loc. cap. 6.* Porrò quia in pulmone id non ſimiliter contingit, cùm viſcus ſit ſenſus expers,mirum non eſt,ſi rupto eius vaſe, nullus, (quod ſæpe contingit) vel exiguus percipiatur dolor.

Præſagium.

Vtrùm omnis ſanguinis excretio facta per ſuperiora, reproba ſit? Reſponde hoc modo. Si cuilibet vacuationi annexus eſt caſus virtutis, monente Auicenna 1. 1. *doct.4. cap.2.* ex immodica ſummum periculum imminere liquet,maximè ſanguine per aliquam partem profluente. Quid enim præſtantius ad alimoniam ſanguine? quod naturæ noſtræ conuenientius inſtrumentum? quid familiarius, ac ad actiones obeundas magis promptum excogitari poteſt? Nihil ſanè partibus eo iucundius,amabilius,vtilius,vt in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet,*lib. de ſang. miſ. cap.20.* & quo nimiùm effuſo,corpus,euaneſcente ſpiritu,& innato calore,non ſolùm refrigeratur, ſed anima orbata inſtrumento ſuo, recedit,& animal extinguitur.

Si verò ſanguinis profuſio moderata ſit, & ex longis accidat interuallis, licèt præ copia non lædat:tamen ſæuiſſima mala ſecum ſæpe accerſit: ſi enim per ſuperiores partes excernatur, hoc eſt per os, malum portendit, iuxta Senis præſcriptum, 4. *Aph.25. Sanguinem quidem ſuprà ferri,qualiſcunque ſit,malum:* ſiue ſanguis qui educitur,ſit ſpumoſus, rubeus, flauus, niger, aquoſus, aut craſſus;nî narium hæmorrhagiam excipias, quæ ab ipſo abſolutè commendatur, *lib.5. Aph.33. Menſtruis deficientibus,ſanguis ex naribus fluens,bonum. Cùm* enim *multa ſint loca,* (inquit *in comm.* Galenus) *per quæ ſanguis poteſt euacuari, omnibus quidem aut maius, aut minus ineſt detrimentum, ſola autem quæ fit per nares vacuatio, innoxia eſt, quam nunc laudat Hippocrates.*

Cæteræ verò excretiones per partes ſuperas,venarum apertionem, ruptionem, aut eroſionem alicuius vaſis, iecoris, ventriculi, pulmonis, aut thoracis ſignificant. Deinde hæc vacuatio non eſt celebrata per naturales vias, quales propriè ſunt nares, vterus, hæmorrhoides; per has enim ſanitatis tempore, & aduerſa valetudine criticè natura ſanguinem ſuperfluum expurgat.

Vtrùm verò *hæmorrhagia pulmonica,præſertim ob eroſionem concitata, ceteris ſit periculoſior?* dubitandum: Nam eroſio,ſiue diabroſis,ex acri malignóque humore concitatur, 5. *meth.14.* à quo depaſta, corroſa, atque extenuata vena ſanguinem refundit, qui introrſum defluens ſcreatione per os cum tuſſi eiicitur, primò ſenſim pedetentimque, deinde aceruatim & confertim, nulla extranea cauſa violenta præcedente, caſu ſcilicet ab alto, pondere, aut graui aliqua oppreſſione, & ſimilibus.

Is ergo ex diabroſi fluxus, peſſimus eſt, & vtplurimùm in tabem ceſſit,pulmoníſve exulcerationem:cùm enim mordax ille,malignúſque ſuccus, eroſionis cauſa, breui tempore corrigi non poſſit, ſed longiſſimum requirat, interim dum emendatur, agit, vlteriúſque rodendo progreditur; quare eroſionem efficit immedicabilem: & in pulmonem quidem effluens, mollem & imbecillem exulcerat, 2. *de præſag. ex pulſib. cap.1.* atque ſine vlla ſalutis ſpe, 5. *meth. cit.* & eo maximè, quia vlcera ex eroſione, vtpote ſummopere maligna, ita explicante Galeno 6. *epid. ſect.1. com.19.* in circuitu ſerpunt, rotundáque fiunt, quæ difficillimè ſanantur, ex ſententia Hippocratis, *eo loco.* Celſus *lib. 4. cap. 4.* *rubric.vlt.* id confirmat, dum ſic ait: *Auctores Medicæ fuerunt, vel exeſa parte aliqua ſanguinem exire, vel rupta, vel ore alicuius venæ patefacto. Vltima minimè nocet, prima grauiſſimè: ac ſæpe quidem euenit,vti ſanguinem pus ſequatur.*

Ruptura dicitur,cùm vena multo ſanguine diducta, atque dilatata rumpitur, 4. *Aph.78.* ſanguinis autem reiectatio ex ruptura, vſque adeò periculoſa non eſt, atque prior, ſed media aſſeritur inter illam, & tertiam omnium leuiſſimam. Secunda enim hæc ex apertione vaſorum facta, nonnunquam vtilis eſt & proficua, illis præſertim quibus conſueta aliqua vacuatio ſupprimitur: cúmque ex ſola influentis, nec maligni ſanguinis abundantia oriatur,timorem exulcerationis non inducit:plures enim ob retenta menſtrua, vtiliter ſtatis temporibus ſanguinem vomitu detrudunt; & alij typicè, & per circuitus fluxum hæmorrhoidum patiuntur, conante videlicet natura copiam exuberantis ſanguinis per eam partem expellere, cum animantis commodo, licèt aliquando vel ob relictum ex ruptura vlcus,vel ob fluxus immoderantiam non leue periculum inducat. Denique anaſtomoſis appellatur, cùm venarum ora laxiora reddunter, apertióráque facta ſanguinem ex ſe refundunt in ventriculum, vel pectus, &c. qui deinde per os eiicitur, vomitu, aut tuſſi. Hæc ſanguinis excretio leuis eſt, nec dolorem excitans, nec inflammationem, nec febrem,nec admodum impetuosè prodit;exiguus enim ferè ſanguis ſpuitur, & aliquando cum iuuamento, his præcipuè quibus menſtrui, aut hæmorrhoidum fluxus fuerint cohibiti, ex Paulo *vbi ſuprà,* tantum abeſt, vt periculum minetur.

Vtrùm vomitus ſanguinis, ſine febre ſit ſalutaris, cum febre verò peſſimus? Hippocrates affirmat *lib.7. Aph.37. Quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare; ſi verò cum febre, malum.* Ratio dictat: ſi enim vomitus cruentus,criticus ſit,& ſine febre accidat,ſolam plethoram, & excernentis naturæ robur oſtendit: Si febris adiungatur,internam exulcerationem ventriculi, aut tenuium inteſtinorum præſupponit. Deinde vomitus, & febris diuerſa præſidia expoſtulant: quia ille adſtringentia, hæc aperientia auxilia efflagitat. Inſuper effuſio ſanguinis indiget plena victus ratione; febris, tenuem requirit. Neque dicas grumoſum ſanguinem in ventriculi cauitate retentum, promptiùs diſſolui à febrili calore: Nam contrarium ratio oſtendit: validus enim, & copioſus innatus, meliùs concretum fundit, & liquat; igneus abſumpta tenuiori parte, indurat.

Vtrùm viri, an fœminæ hæmoptoiſi frequentiùs premantur? Hæ enim copioſiorem ſanguinem habent, quàm viri, apud Hip. *lib.1. de morb. mulier. num.3. Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt viro:* qui quidem ſanguis ad mamillas pro lacte generando regurgitans, pectus ferit, venas rumpit, & ſanguinis profluuium concitat. Subſcribit Celſus *lib. 4. cap.4. §. Sæpe fœminæ, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, hunc ſpuunt.* Firmat proprio exemplo Galenus, *lib. de venæ ſect. aduerſus Eraſiſtrateos, cap.1.* referens hiſtorias plurium fœminarum, quæ retentis menſtruis, hæmoptoiſi laborarunt, & tandem phthiſi conſumptæ perierunt: facilis enim eſt ab vtero ad pectus ſanguinis recurſus, & inter has partes ſympathia multa, vt probat eleganter Galenus *lib. 14. de vſu part.4.& 8.*

Contrà obſtat auctoritas Galeni, 4. *de loc. cap.5.* viros fœminis hæmoptoiſi frequentiùs premi confirmans: illi enim ſanguinem calidiorem ſortiuntur, acriorem, & tenuiorem: qui ob calorem aperit, attenuat, recludit; ob acrimoniam exedit; ob tenuitatem ſurſum penetrat. Hæ crudiorem retinent, magis lentum, & viſcidum; qui minùs irritat, magis obſtruit & incraſſat, & his qualitatibus præditus ſua grauitate deorſum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 387 sur 927

deorsum ruit. Calidiores autem ab Hipp. non qualitate caloris, sed quantitate nuncupantur, & hac causa vberiorem sanguinis copiam aceruant, sed hic crudus est, illaboratus, putredini magis obnoxius: de cuius sententiæ Hippocraticæ interpretatione, pulchra diximus, *lib. 2. Hist. Princip. Med. in comm. Hist. 144.* Celsus autem non absolutè fœminas frequenter sanguinem spuere, sed illas, quibus menstrua statis temporibus non respondent, asseuerat.

Curatio.

IN sex rebus non naturalibus rectus ordo seruandus. Aër ad frigidum, & siccum declinet; huius enim ope sanguis cogitur, & incrassatur, & illius impetus coërcetur. Contrà calor aperit, attenuat, fundit, liquat, & fluxiones sanguinis vehementer promouet. Nimis frigidus venas rumpit, tusses mouet, ex Hipp. *supra citatis locis.* Hoc modo approximatio ad solem, aut ignem, aut dormire in domibus, in quibus ignis accenditur, (laconica, seu æstuaria vocant) malum. *Vtrùm somnus, hæmoptoïsi nocuus sit?* dubitandum. Somnus moderatus vtilis est: nam roborat vires, humores quietos reddit, & calore ad interiora redacto, tum animi, tum corporis quies consequitur, 4. *Aph.* 15. Quare cùm somnus omnes vacuationes retineat, excepto sudore, quem magis prouocat, vtilitatem non mediocrem corpori conciliat, 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 13. Licèt enim retrocedente calore ad internas sedes, & adaucto, ampliùs ebulliat sanguis, & fluxioni aptior fiat: hoc de immoderato est affirmandum, non de naturali & modico, in quo sensim ac paulatim humores cum sanguine ad internas sedes recurrunt, in quo agitatio non adest; & licèt adesset, maior est vtilitas, quæ ex retentione, virium firmitudine, & furentium humorum quiete consequitur, quàm sit noxa, quæ ex interna calefactione emergere solet. In hunc vsum tantopere Medici conciliare somnum, ac tam enixè studuerunt, ita vt stupefacientia sæpe in hoc affectu imperent assumenda, quorum vsu sanguinem immodicè manantem cohiberi posse sperant. Quare somnus hæmoptoïsi non mediocre solatium præstat, præsertim nocturnus, qui quieti commodior est: diurnus enim non ita salutaris; nam præterquam quòd debilitat, cùm ratione solis, & lucis humores trahantur ad extrà, cruditates parit, & sanguinem acriorem reddit.

Quies & silentium conferunt valde: vox enim partium spiritalium calorem incendit, dilatat vasa, sanguinem fluxiliorem reddit. Animi passiones vitandæ. Sed dubitabis: *Vtrùm omnes interdicendæ?* De ira, non est dubium esse nocentissimam: in ea enim irrequieto motu per corpus mouentur humores, sanguis acrior redditur, bilis fit feruidior, denique omnes humores notabiliter accenduntur, & incalescunt; quare plures visi sunt, qui ex concepta ira, ex variis partibus cruorem excreuerunt in copia summa. Gaudium pariter nocuum, ex quo, humorum nimia (calore ad externa commoto) perturbatio sequitur. Tristitia, & mœror sanguinis reiectationem commouent vehementer, præsertim si diu durent: Licèt enim calorem reuocent ad internas sedes, & sanguinis fluxum compescere videantur, tamen cùm hic præ mœrore ad cor tanquam ad arcem, & spiritalia membra confugiat, ibique vnitus, & conculcatus computrescat, & reddatur acrior, acrimonia sua erodit, aperit, attenuat, & dilatat.

Balnea sunt nocentissima, quia fluxiones sanguinis acriter irritant, 1. *ad Glauc.* 14. & 3. *acut.* 59. 5. *Aph.* 16. & *lib. aduers. Erasistratum, cap. vlt.* quia tepido calore vasa emolliunt, laxant, ora venarum aperiunt, vasa dilatant. Lege quæ diximus, *lib. 2. Hist. Princip. Med. in com. Hist. 7.* Rerum rubrarũ inspectio cauenda, apud Auicennam 1. 1. *doct. 4. cap. 2. in fin.* §. *Sanguinem enim* A *mouet res intueri rubras: quapropter prohibemus illum ex cuius naribus sanguis fluit, res splendorem habentes rubeum inspicere, &c.* Cur autem rubei coloris inspectio moueat sanguinem ad exteriora, vide quæ protulimus *lib. 1. huius operis, cap. 13. de ophthalmia.* Venus, quamuis moderata, reproba est; motu enim, & agitatione corporis incalescit sanguis, attenuantur humores, & hoc modo fluxiliores redduntur, & corpore concalfacto ora venarum dilatantur.

Cibus sit refrigerans, & incrassans, & actu frigidus offeratur: Licèt enim hoc modo non ita faustè in ventriculo concoquatur, tamen hæc noxa maiori vtilitate est redimenda, quæ ex incrassatione sanguinis deprimitur. At quæres: *Vtrùm inedia hæmoptoïcis vtilis sit?* B Inutilem esse rationes non inualidæ confirmant. Natura calida & sicca, sanguinis per os reiectioni magis est obnoxia, quia sanguinem aceruat bilioſum, acrem, qui facilè effervescit, & ora vasorum recludit. Sed calidæ & siccæ naturæ aduersissima res inedia est, ex Galeno 10. *meth. cap. 5. in princip.* Ergo, &c.

Deinde. Fames, hoc est, omnimoda inedia, corpora exiccat, 7. *Aph.* 59. Si enim aliquid defluit à corpore, (inquit Galenus *in com.*) sicut & antea, non ampliùs tamen ab alimento suppleatur id quod fuerit euacuatum, necessarium est hoc modo corpus effici siccius. Sed vasa exiccata, & dura, ex quolibet feruoris impetu facilè disrumpuntur. Ergo.

Duo tamen obstant fortissima tela, quæ aliter opi- C nari cogunt. Primum desumitur ex Galeno *lib. de vena sect. aduersus Erasistrateos, cap. 3. in med.* dum sic ait: *Sed è diuerso, siquis vena secta inediam sustinere imperauerit, non solùm menses priùs fluentes cohibebit, verùm etiam purgationes, quæ iam inculpatè vacuabantur, reprimet. Sanguis namque ciborum inopia arefit, & densior seipso redditur, eámque ob rem ad fluendum ineptus euadit.* Quare sanguinem effundentibus inedia vtilis; sanguis enim, humido quo antea abundabat, priuatus, accedente alia exiccante causa, ampliùs siccescit, & fit magis concretus, & veluti immobilis redditur ad fluxum.

Secundum. Omnia præsidia reuellentia in hæmoptoïsi administrantur, frictiones, vincula extremarum partium, ligaturæ, cucurbitulæ, & phlebotomia, vt sanD guinem reuellant à pectore, & spiritalibus viis. Sed negato alimento, vel exhibito in copia minima, sanguinis portio de nouo non regignitur ad thoracem confluxuri, & natura redditur auara in retinendo, & non transmittendo sanguine. Ergo in spuentibus sanguinem, non plenus, sed tenuis victus consulendus: ni virium languor adsit, ex diuturno fluxu, qui tenuem victum renuit omnino.

Ad primum ergo argumentum dic, calidis & siccis corporibus aduersissimam esse inediam, si febricitent; nam febris est paratissima causa, quia denegato humido nutrimentali, exarescunt, & in rabem citissimè transeunt. At verò in hæmoptoïsi longè aliter se res habet, quia non oblato alimento in copia tanta, corpus meliùs nutritur, cùm auidè sanguinem ad sui alitionem retineat. E Ad secundum dic, in spuentibus sanguinem non omnino esse cibum denegandum, sed parcè offerendum, cuius accessu vasa humectantur, ita vt nec durari, nec rumpi queant.

Vtrùm acerba alimenta hæmoptoïcis semper offerenda? dubium est. Nam cibus & potus, etsi ex quocunque liquore paretur, semper incrassare debet. Id docuit Hip. 7. *Aph.* 37. dicens: *Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus.* Hoc est, illis præsidiis quæ incrassent, adstringant, fluentes humores coërceant, sanguinis impetum compescant, & illius feruorem frigiditate sua mitigent, ac contemperent: acerbum enim vocat Galenus 3. *meth. cap. 7.* quod intensum austerum est, & 4. *de compos. medic. per genera, cap. 5.* quod valde.

&

& vehementer adſtringit: & *lib.6.ſec.loc.cap.*3.dicebat, auſterum, & acerbum ambo adſtringere, ſed magis acerbum. Ex his omnibus ratum ſit, acerbum, apud Auicennam,& reliquos Arabes,ponticum eſſe.

Porrò qualitas acerba, ſua ipſius virtute refrigerat & exiccat,ex Gal.*7.meth.cap.*7.& *lib.4.ſimpl.cap.6.*dicebat, adſtringentia terrena eſſe, & craſſa corporis ſubſtantia conſtare, qualitate verò frigida eſſe, dum ſic inquit: *Quippe ſi ab acerbo ſapore manifeſtè linguam contrahi, ſiccari, aſperarique contingit, oſtenſúmque ſuperioribus libris eſt, ab vnico frigido contrahi, conſtringi, denſarique corpora: liquet planè frigidum eſſe ſaporem acerbum. Quoniam porrò inæquabiliter deſiccat, (id enim eſt quod exaſperat) fuerit ſanè omnino etiam terrenus; ſiquidem aqueus omnia æquabiliter penetrat, atque peruadit, eique inſeparabile eſt ac perpetuum, etiamſi diuulſus ſit, vt rurſus vniatur: at terreno corpori, quod in ſaporibus defertur, iam antea ineſt diuulſio, ſimúlque vt nunquam deinceps facilè coëat. Quin ſi eius recorderis, quod vtriuſque ſingulatim paſſionis eſt proprium, iiſdem idem ipſum ſubſcribet, ac teſtificabitur. Velox ſiquidem acidorum ſaporum tranſitus in ſentientibus partibus fieri conſpicitur, acerborum autem tardus: tum acida quidem in alto magis agere apparent, in ſuperficie autem acerba. Hæc itaque omnia, craſſarum eſſe partium acerba indicant, acida verò tenuium.* Hæc Galenus.

Ex hac longa ſerie abundè probat, acerbi ſaporis ſubſtantiam,frigidam eſſe,craſſam,veluti terream: ſubſcribit Auicenna *lib.2.tract.*1.*cap.*3. Quo autem ordine acerbus ſapor refrigeret, explicat Ishaac *lib. diætar. vniuerſal. cap.*15. ea tertio gradu refrigerare & ſiccare ſcribens, ita vt illis quæ quarto ordine refrigerant, propinquus habeatur. Et licèt corporum acerborum quædam eſui inepta exiſtant, vicem tantummodò medicamenti obtinentia, vt Rhus; tamen alia dulcem quandam, etſi obſcuram admodum qualitatem immixtam habent, ideóque eſui ſunt apta, vt fructus Arbuti, Ilicis, Fagi, Corni, Silueſtris pruni, & Meſpili: verùm hic admodum eſt acerbus,víxque edi poteſt,nec guſtui iucundus eſt, 2. *de loc.* 8. & ventrem ſtrenuè coërcet. Quare alimenta acerba ſanguinem reiicientibus concedenda.

Vtrùm verò *acerbis calida attenuantia permiſcenda?* dubium eſt: quia hæc dilatant vaſa, attenuant ſanguinem, & cùm ſint tenuium partium, ſanguinis fluxum acriter irritant, vt mel. Reſponde cum Galeno 4. *de compoſ.medic.ſec.loc. cap.*5. dum de aſtringentium facultate ſic ſcribit: *Omnia adſtringentia contrahunt, ac denſant meatus: ad hæc vinciunt, ac continent partium ſibi inuicem cohærentium ſubſtantiam, atque minus magíſque hoc, pro adſtrictionis quantitate efficiunt. Ceterùm adſtringendo, ac denſando ſumma corporis, quod adſtringitur, virtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur: ob quam rationem pulchrè nonnulli Medicorum, huiuſmodi pharmacis alia ſubtilium partium, & acri poteſtate prædita indere excogitarunt, à quibus veluti ducta adſtringentium vires, in profundum corpus perueniant.*

In hunc vſum Galenus 7.*local.cap.*4. ſanguinis reiectationis curam docens, ſic profatur. *Miſcentur verò prædictis* (puta adſtringentibus medicamentis) *congruenti menſura, tum calida, tum tenuium partium exiſtentia, quæ infeſtiſſima ſunt prædictis tribus affectionibus, apertioni videlicet orarum, ruptioni, & corroſioni. Cuius rei gratia itaque miſcentur: diſtributionis nimirum ipſorum in corpus. Etenim adſtringentia, tenacia, & viſcoſa ſibi ipſis vias præcludunt, quare opus habent facultate ipſis viam ſtruente, ac præparante. Verùm cùm ex locis circa ſtomachum, aut aluum, aut aliquod inteſtinum, ſanguis effunditur, huiuſmodi pharmacorum miſtura opus non eſt.* Hæc Galenus.

Cur verò pro ſanguinis reiectatione, pharmaca adſtringentia cum attenuantibus, & calidis ſint permiſcenda,eleganter ipſe explicuit *lib.*2.*ad Glauc.cap.*2.*poſt med.* ſic dicens: *Conſidera itaque, quot numero partes pertranſire oporteat id medicamen, quod ad pulmonem ſit peruenturum. Primùm quidem os, & fauces, & ſtomachum, deinde & ventriculum ipſum, & quædam ex tenuioribus inteſtinis, deinde eas quæ ſunt in meſenterio, venas; deinde eas quæ in cauis partibus hepatis; ex quibus ad eas quæ in gibbis ſunt, tranſſumptum, hinc ad concauam peruenit venam; poſt quam ad cor, & deinceps hoc modo ad pulmonem, &c.* Ex quibus liquet apertè,in hæmoptoiſi adſtringentia ſemper eſſe offerenda: quæ verò attenuantia,& calida cum illis permiſcentur, in cauſa ſunt, vt ſtyptica tot pertranſeant officinas, & promptiùs ad affectam partem longinquam penetrare queant.

Vtrùm Amylum in hoc affectu ſit offerendum? meritò inquires. Emplaſticum eſt, & vaſa obturandi, humoréſque incraſſandi vim habet: ſuccus enim tritici eſt,aqua videlicet priùs macerato, deinde expreſſo tritico: hic Solis calore exiccatus, amylum dicitur, vt inter omnes retulit Ishaac *lib.diætar. particul. cap.de Amylo:* & priùs firmauit Dioſcorides *lib.*4. *cap.*183. Cùm ergo lentum præſtet ſuccum,& incraſſantem,refrigeret mediocriter, ſiccet,& acria leniat,auctore Paulo *lib.*7. *cap.de Amylo,* vel per ſe, vel cum aqua chalybeata, vel lacte diſſolutum,ſaccharo,& aliis aquis adſtringentibus permixtum, & ad lentum ignem percoctum, quouſque modicè craſſeſcat, ſanguinem cohibere, fluxiones vndecunque manantes ſiſtere natum eſt.

Ex aduerſa parte obſtat ratio irrefragabilis: Video enim apud ſeptentrionales homines, amylum non ex tritico, ſed ex furfure præparari: hoc enim in aqua diutiſſimè macerare ſolent,quouſque intumeſcat valde, quod percolatum, & ab omni aqua exutum, deinceps torculari exprimunt, ex quo ſuccus diſtillat craſſus, mucilaginoſus, & viſcidus,qui æſtuante Sole,vel furno ſiccatus, in glebas albiſſimas redigitur. Diligentiores opifices, vt amylum albidius reddatur, calcem cum aqua,& furfure infundunt ſubtiliſſimè trituratam,cuius vi & ipſum albidius redditur, & vehementiorem virtutem agglutinatoriam adipiſcitur.

Verùm ſicut Amylum ex tritico paratum, ad omnes fluxus compeſcendos eſt vtiliſſimum, ob cauſas dictas: Sic ex furfure conſtructum,reprobum eſt,ac peſſimum in hunc vſum:huiuſcemodi enim amylum aperit,deobſtruit, abſtergit, fluxum prouocat: nam furfur calidum eſt,5.*ſimpl.cap.*8.detergit,& irritat.Sic enim ait Galenus *lib.*1.*de alim.facult.cap.*2. *Præterea, quia furfur nonnihil facultatis habet deterſoriæ, meritò inteſtinis irritatis, celer eorum fit deiectio.* Quare tantùm abeſt vt retineat fluxiones,quin eas prouocet. Iam verò ſi ſit cum aqua in qua infunditur.priùs calx, vel puluere calcis præparatum, nocuum eſt,quia inflammat,calefacit,aperit,attenuat,& ſanguinis profluuia excitat.

Potus ſit aqua puriſſima,vel tenuis & defæcata cereuiſia,vel in virium penuria,vinum rubellum ſubaſtringens: qui liquores vel ſilice candenti,vel ignitis ferreis orbiculis, vel ex puriſſimo auro priùs chalybeentur: quia,vt 10.*ſimpl. tit.de ſero lactis*, dictauit Magiſter:lac, ſeu liquor alius ex ferro ſiccandi vim recipit. Sic enim ait: *Porrò vbi aliam deſiccantem facultatem lac habuerit adiunctam, optimum eſt remedium dyſenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionum. Eam accipit à lapidibus,qui decocto ipſi iniiciuntur igniti. Porrò eos eſſe oportet, quos vocant cachlicas, & lac eò vſque decoqui debet, dum pleraque ſeroſi in eo humoris pars abſumpta fuerit. At nos iniectis ferreis in ipſum cylindris candentibus, eandem, aut etiam meliorem facultatem effecimus: nam ferrum adſtringentis quoque (vt dictum eſt) facultatis eſt particeps:* repetit 3.*de alim.facult.cap.*15.

De ſanguinis miſſione aliqua dubia explicanda.Hoc præſidium omni cruentæ excretioni eſſe vtiliſſimum, vbertim Galenus inculcat in locis multis, quos citauimus *lib.*2.*Hiſt.Princip.Med. in com.Hiſt.*7. quia ſanguinem ad contrariam partem potenter reuellit. *Vtrùm*

verò

verò *debeat fieri iterata*? dubium est. Eam probat Galenus *lib.5. meth. cap.3.* dum enim docet modum, quo fluxus sanguinis deriuari reuellíque possit, sic loquitur: *Quòd si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda, qui profusioni è directo respondeat: vbi paululum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rursus detrahes: pòst iterum, atque iterum pro laborantis viribus.*

Et *cap.8.* sic ait: *Quod igitur diximus, quum vel casu, vel præ valida, acutáque voce vas aliquod in pulmone rumpitur, citráque dolorem confertim sanguis feruens, floridus, multúsque cum tussi expuitur, scire licet in viscere vulnus esse. Aggredienda verò curatio est, provt nos sæpe sumus aggressi, quibus vtique non rarò successit. Igitur vena cubiti interna, protinus incidenda, à qua bis, térque postea sanguis est detrahendus.* Quantam enim vtilitatem afferat iterata sanguinis detractio in curandis fluxibus, ostendit Galenus *lib. de sang. miss. cap.12.* dum sic ait: *Quin & reuulsionem, non leue & ipsam auxilium, quódque sæpe secta adhibetur vena, quantò maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficaciorem effeceris*: quoniam, vt 4. 1. *cap.* 3. dicebat Auicenna: *Melior est multiplicatio numeri multiplicatione quantitatis.*

Ratio est in promptu: nam iterata phlebotomia fluentis sanguinis impetus meliùs auertitur, affluefit enim natura emittere sanguinem ad alium longinquum locum auocata. In hunc vsum Auicenna 4. 1. *cap.*20. in venæ sectione pro fluxu sanguinis compescendo celebrata strictam exoptat phlebotomiam; hoc enim modo sanguis excurrens pedetentim, naturam à sanguinis fluxu vehementer distrahit. Sic enim ait; *Amplius venæ quandoque phlebotomantur, propterea vt fluxus sanguinis ex naribus, & matrice, & ano, & pectore prohibeantur; aut ex aliis vulneribus, aut plagis, ideò vt sanguis ad id quod à parte illa est diuersum, pertrahatur: & hoc quidem medicamen est fortè in iuuando. Oportet verò, vt foramen phlebotomiæ sit vehementer strictum, & sint vices multæ, quæ non sint in vna die, nisi magnæ necessitatis causa fuerit, sed in die post diem: & quacunque vice minoratio fiat, quantum possibile fuerit: & ad summum melius est, vt phlebotomiæ vices sint multæ, quàm vt ipsius quantitas sit multa.* Hæc Auicenna. Accedit, quòd ex iterata, & stricta phlebotomia ampliùs seruantur vires, ex priori fluxu valde debilitatæ, dummodò sanguis extrahatur in eadem quantitate per plures vices, quàm si esset per vnicam phlebotomiam educendus.

Vtrùm verò *in sanguinis sputo, è talo detrahendus sit sanguis*? dubium est. Dic, quòd initio initiante, quando sanguis ex toto corpore ad thoracem incipit defluere, tunc reuulsio è longinquo facta loco præstantior est, quæ non solùm in cruenta sanguinis per os reiectione, quæ ex menstrui, aut hæmorrhoïdalis sanguinis retentione oritur, sed in omnibus aliis absolutè præferenda est; sanguinem enim manantem mirè compescit, quia natura sanguinem ad partem distantissimam transmittere assuescit, & sic efficacior multò fit reuulsio à parte præstanti. Hoc modo Auicenna 4. 1. *cap.* 20. *prope finem*, rectè dicebat, phlebotomiam venatum pedis conferre ægritudinibus, quæ fiunt ex materiis ad caput declinantibus. Hac ratione comitialibus morbis, vertiginibúsque obnoxios, ex cruribus euacuat, *lib. de sang. miss. cap.*19. vt humorum momentum ad distantes partes distrahatur. Quare vel initio sanguinis sputi, vel in præseruatione, è talo cruorem exhaurire est saluberrimum. Quòd si perseueret ampliùs, tunc ex brachio commodissimè sanguis detrahitur, è basilica, vel saluatella vena.

Frictiones optimæ sunt in cruribus celebratæ, sicut ligaturæ dolorificæ, vincula, & cucurbitulæ siccæ natibus, & scapulis admotæ, quæ, si vires ad ferendam sanguinis missionẽ non ita sint liberales, cum scarificatu applicentur. De censu reuellentium præsidiorum sunt clysteres acres, qui humorum momentum deferunt ad partes inferas. Similem sortiuntur vim expurgantia medicamenta, præsertim si ob erosionem ex vitiosis, acribúsque succis subortam, cruentum sputum excernatur. At cùm purgantia calida sint, moueant, & aperiant, necesse est ea exhibere, quæ præterquam quòd redundantes humores expurgent, vt sunt Pulpa Cassiæ, Manna, Syrupus Violac. ex ix. infus. Syrup. Ros. Hispanicar. ex plurib. infusionib. frænum etiam secum inducant, adstringant, roborent, & sua adstrictoria facultate fluxum sanguinis compescant. De horum classe sunt Myrobalanorum cortex, & Rhab. quæ medicamenta si priùs torrefiant, & deinde ad deponendum empyreuma ab igne contractum, aq. plantag. vel rosac. abluantur, euadunt præstantiora: refrigerant enim hoc modo parata, non mordicant, adstringunt, & fluorem coërcent, quorum vsus in compescendis omnibus fluxibus salutaris est valde, provt latè *lib. 2. Hist. PP. Med. in com. Hist.* 3. obseruauimus.

Vsus syruporum refrigerantium, & adstringentium, cum aquis, aut decoctis similem facultatem habentibus, vehementer prodest, vt syrupus Rosac. Myrtin. papaueris, cydoneor. ros. siccar. plantag. permixti cum aq. plantag. ros. capit. Ros. Portulac. Bursæ pastoris, & cum pulu. boli Armen. Sang. dracon. Lapidis hæmatit. Trochiscor. de terra sigil. de karabe, fiat potus. Ex quibus cum conserua Rosar. antiqua, & syrupo de Portulaca, potest fieri electuarium.

Vtrùm medicamenta pro hæmoptoisi curanda actu frigida sint exhibenda? Si enim alimenta non esse calida, aut tepida, sed subfrigida offerenda, proposuimus, quia frigidum actu fluxiones reprimit, glutinat, coërcet, adstringit; contrà calidum actu aperit, diuidit, rarefacit, deobstruit, laxat, *lib. 3. simpl. cap.* 5. cur eadem ratio non erit de potionibus reddenda? Id equidem significauit Galenus 5. *meth. cap.* 5. dum sic ait: *Porrò confluere prohibetur, & cùm ad contraria reuellitur, & cùm ad vicina deriuatur, & per refrigerationem, tum corporis totius, tum verò præcipuè ipsius partis afflictæ. Hac enim ratione etiam frigida epota sæpe hæmorrhagias suppressit.* Idem facit frigida foris in fotu affusa, sed & posca, & vinum acerbum, aliáque quæcunque vel adstringendi, vel simpliciter refrigerandi vim habent.

Contrà facit Aëtius *tetrabibl. 1. serm. 3. cap.* 165. offerens poscam tepidam. Dic. Venenosa symptomata ex sanguine concreto, quem Græci thrombon vocant, in corpore humano subsequuntur, si is in aliqua parte fortasse latitet: cùm enim sanguis sit benignus, naturæ familiaris, & ab ea ob sui nutritionem vehementer gubernetur, si putrefiat corrumpitur in tetram labem, & humorem veneno finitimum degenerat; quare ex eo symptomata horribilia subsequuntur: *Ad sanguinis* enim *grumefacti præsentiam, pulsus sit parvus, frequens, & æger cum anxietate resoluitur*, inquit Galenus *6. de loc. c.4.* Hoc pacto thromboſi, seu sanguinis in grumos conuersioni illicò occurrendum, exhibitis calorificis, incidentibus, penetrantibus, actu calidis, vt sunt oxymel, leporis, aut hœdi coagulum à scrupulo vno vsque ad drachmam vnam, cum albo vino, aqua scabiosæ, aut hyssopi, adiecta drachma vna theriacæ. Hac ratione Galenus 5. *meth.* 8. poscam offert dilutam, ac tepidam, vt si quis sit in viscere thrombus, resolutus expuatur. Ex quibus disce, adstringentia medicamenta actu frigida, in hæmoptoisi, & omni fluxu sanguinis exhibenda, nî in parte à qua sanguis excernitur, grumus sanguinis existat: tunc enim ea tepida propinanda.

Difficile est explicare: *Vtrùm posca sanguinem spuentibus sit vtilis*? Consentiunt Gal. Aëtius *tetrab. 2. serm. 4.* Tral. & Auic. *loc. cit.* Solus Auerrhoës hanc methodum condemnat, *lib. 7. collig. cap.* 34. cùm enim posca fiat ex aceto aqua diluto, ita vt bibi possit, ratione aceti, causæ, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 390 sur 927

& affectui nocet exi miè; concitat enim tuſſim, ac fluxionem auget, quia extenuat. Dic. Antequam ſanguis concreſcat in grumos, eſt periculoſus vſus aceti, ob rationes dictas: At verò poſtquam concreuit, & lethalia excitat ſymptomata, tunc vtilis eſt: tunc enim vrgentiori ſuccurrendum, etiamſi ſit cum noxa affectus contrarij: dummodò tamen tuſſis non adſit, qua præſente tutius eſt vti coagulis, theriaca, Diacurcuma cum aqua ſcabioſæ, aut decocto capil. vener. glycyrrhiz. Hyſſopi, aut cum ſaccharo roſaceo, & ſucco Rutæ.

Si tamen his non conquieſcat ſanguinis fluxus, tunc neceſſe eſt ſoporifera propinare: hæc enim ſomnum mouent profundum, quo ſequuto, euacuatio omnis conquieſcit; maximè quòd hæc medicamenta ſiſtunt, fluxiones incraſſant, & ad motum ineptas reddunt, vt ſunt requies Nicolai, Theriaca recens, Philonium Romanum, & Perſicum, & plura alia. Hoc enim ex deſcriptione Meſuæi *cap. de ſputo ſanguinis*, in compeſcendo ſanguinis fluxu vndequaque manante eſt mirabile. Doſis drachma vna, cum ℥ j. ſyrupi de plantagine, & vnciis tribus aquæ plantaginis. Si fluor ſanguinis non ceſſat, & vires non ſunt deiectæ, bis in die aſſumendum: in hoc enim præcipiti morbo à mitioribus inchoaſſe, à ratione eſt alieniſſimum, vt diſertè 5. *meth. cap.* 15. prodidit Galenus: ſicuti enim cætera omnia, ita & illud ab Hippocrate eſt traditum: *Extremis morbis, extremè exquiſita remedia, optima.*

Illud verò non reticendum dubium: *Vtrùm in immodico ſanguinis fluore, illicò ab initio validiſſimis adſtringentibus vtendum?* Cùm enim ex hac immoderata euacuatione nimiùm vires reſoluantur, fortiſſimis adſtringentibus obuiandum, quæ non modò fluorem compeſcant, ſed vulnus agglutinare cicatricéque obducere queant, vt ſunt quæ ex Opio, Alterco, aliiſque id genus parantur medicamentis: ſi enim alia mitiora, non narcotica medicamenta priùs experiri velis, extra artem facies: nam ſi vulnus ſtatim in initio non conſolidatur, nec fluxus, & tuſſis cohibeantur, exigua, vt ij ſanentur in poſterum, eſt fiducia: cùm phlegmone inuadat protinus, vlcúſque euadat purulentum, ex quo tabes emanabit certiſſimè, iuxta Senis edictum, *lib. 7. Aph. 15.*

Si neque his ſanguis ex pectore erumpens compeſci poſſit, & adſtringentia intus aſſumpta non proſint, exteriùs medicamenta ſimiles facultates obtinentia ſunt admouenda, vt ſunt aquæ Plantag. Roſar. Portulacæ, ſolani, cum bolo Armeno, ſanguine Draconis, oleis adſtringentibus permixtæ. *Vtrùm hæc remedia pectori ſint admouenda?* lis eſt, & controuerſia apud Galenum: nam *lib. 5. meth. cap. 8.* ea concedit, dum ſic ait: *Maximè ad rem pertinebit, ſi etiam poſtero die, modò fortis cubans ſit, parum ſanguinis ab inciſa iam vena rurſum detrahatur: tum victu, medicamentiſque eodem modo in quartum vſque diem vtatur, pectore interim, ſi æſtas ſit, vndique melino, roſaceóve madefacto; ſin hyems, nardino vnguento.*

Contrà reprobat, *eodem lib. meth. cap. 6.* dum ſic ait: *At verò quæ extrinſecùs profluenti particulæ admouentur, tum adſtringentia, tum citra adſtrictionem frigida, hæc ipſe, veluti plerique Medicorum, non vbique probo, ſed mihi contrà omnino quàm fieri res poſtulat, ipſum ſanguinem intrò compellere, ac venas quæ in alto ſunt, implere videtur. Vidimus enim quoſdam eorum, qui ex pulmonibus ſanguinem reiicerent, ex thorace refrigerato manifeſtè læſos, æquè vt qui ſanguinem vomuerunt; nonnullos, quòd venter foris eſſet refrigeratus: eodem modo & eorum, quibus de naribus ſanguis profluxit, aliqui ex capitis refrigeratione deteriùs habuerunt.* Quare videntur reprobanda, tuſſes enim mouent, venas magis replent, ſanguinem denſatis externis meatibus, frigiditate, & ſiccitate ſua intrò compellunt.

Solue cum Galeno hoc modo. Ipſe enim *cap. 6. in fin.* hæc medicamenta probat, dummodò tamen ſit priùs vacuatum corpus. Sic enim ait: *Ergo nec omnino, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore, loca quæ circa particulam vnde ſanguis profluit, ſunt poſita, refrigeranda ſuaſerim, imò poſtea quàm in alia priùs auerteris: vt exempli gratia, in naſo, vbi ſanguinis miſſione (vt diximus) ſis vſus, vel artuum frictione, deuinctioneque, vel ad hypochondria defixis cucurbitis, &c.* Similem ſententiam protulit *lib. de conſt. art. medic. cap. 17.* dum hæc medicamenta reprobat ante totius vacuationem. Solue ſecundò. Galenus *cap. 6.* interdicit vehementer adſtringentia, *cap.* verò *octauo*, mediocriter frigida, & ſicca admittit

Vtrùm adſtringentia actu frigida, vel calida, thoraci debeant admoueri? dubium eſt: Nam vehemens frigiditas muſculos immobiles reddit, tuſſim excitat, ferit pectus; excellens caliditas aperit, dilatat vaſa, ſanguinem ad fluxum paratiorem reddit. Ergo tepida admouenda, vt noxam extremorum euitemus: lenis enim calor penetrationem medicamentorum maximè iuuat.

OBSERVATIO I.

Syrupus, pro compeſcendo ſanguinis ſputo, præſtantiſſimus.

PRo coërcendo ſanguinis fluore, ex quacunque parte, præſertim ſpiritalibus partibus emanante, celerem, & validam opem expoſtulante, omnibus aliis medicamentis excellit ſyrupus hic, qui ſi celebratis priùs euacuationibus vniuerſalibus, interdum aſſumatur, mirabilem opem præſtat, provt diutino experimento ſæpe adinueni: ſitque hac forma.

℞. *Conſeruæ ſymphyti maioris*, ℥ ij. *conſeruæ roſar. antiq.* ℥ iij. *folior. plantagin.* M. j. *boli armeni, ſanguin. Draconis an.* ℥ iij. *lapid. hæmatit.* ℥ iij. *mumiæ*, ℥ ij. *tragacanthi*, ℥ iiij. *amyli*, ℥ ij. *ſem. Portulac. ſem. plantag. an.* ℥ ß. *ſem. papauer. albi*, ℥ iij. *coralli rubri*, ℥ ij. *ſantalor. rubeor.* ℥ iij. ß. *trochiſcor. de terra ſigillata, trochiſcor. de karabe, arillorum vuar. exiccatar. an.* ℥ ij. ß. *lentium excorticatar.* ℥ ß. *hypociſtidos* ℥ v. *margaritar. præparat.* ʒ j. *ſorbor. immaturor. num.* iiij. *meſpilor. num.* iij. *carnis cydoneor.* ℥ ij. *roſar. rubear. ſiccar.* ℥ j. *cornu cerui vſti*, ℥ ß. *diarrhodon. Abbat.* ℥ iij. *diamargar. frigidi* ℥ ß. *cinnamom. electi.* ℥ ß. Coque ſecundùm art. in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant libræ quatuor, adde *ſucci plantagin. ſucci verbenæ, an.* ℔ j. *ſucci liquiritiæ*, ℥ v. Bulliant ſimul omnia, quouſque abſumantur ſucci: adde *Gummi Arabici*, ℥ vj. Cola, & cum ſyrupi roſacei, q. ſ. fiat ſyrupus.

OBSERVATIO II.

Aqua ſtillatitia, pro retinendo ſanguinis fluxu, mirabilis.

℞. ALbumina ouorum bene priùs conquaſſata, Num. xx. *ſorbor. immaturor. Num.* x. *meſpilor. Num.* v. *folior. plantagin.* M. ij. *gummi tragacanth.* ʒ iij. *hypociſthid.* ʒ iiij. *balauſtior.* ℥ ß. *mumiæ, ſang. Draconis, boli armeni, terræ ſigillatæ, maſtich. an.* ʒ iij. *karab.* ℥ ß. *roſar. rubear.* ℥ j. *conſeruæ ſymphyti maioris*, ℥ j. ß. *electuar. diarrhod. diamargar. frig. triſantal. aromatici roſat. an.* ʒ ij. ß. *trochiſc. de ſpodio, trochiſc. de karabe, an.* ʒ iij. *carnis cydoneor.* ℔ ß. *ſem. acetoſ. portulac. plantagin. an.* ʒ j. *aquarum portulac. roſar. plantagin. vini granator. an.* ℥ v. *decoctionis duarum perdicum*, ℔ iiij. *ſucci plantagin.* ℔ ß. Cum mica panis albiſſimi, infuſa in vino granatorum, fiat diſtillatio. Ex quo liquore diſtillato aſſumat æger bis in die, quantitatem vnciarum duarum, aſſumpta priùs vncia vna conſeruæ roſar. antiquæ.

OBSER

OBSERVATIO III.

Vomitus sanguinis ex interuallis recurrens, hominem à pluribus morbis immunem reddidit.

IN malis erat iuuenis quidam biliosus, & calidus, & perpetua mœstitia vexabatur, cum frequenti rugitu, & murmure ventris, qui sæuis torminibus excruciatus, accedente febricula, & subsecuta vigilia importuna, gracilis est factus, & extenuatus nimis. Huic, ac si hectica febre laboraret, Medici post repetitas vacuationes, fontanellas cruribus affixas, & alia deobstruentia auxilia, balneum, & lactis caprini potum imperant per plures dies. Sed quum iis celebratis malum ampliùs ingraueſceret, natura quæ semper prouida est in animantis commodum, aliam viam quæsiuit, cuius ope à tantis malis corpus posset reddere immune; quo factum est, vt semel, bis, ter, & multoties quater in mense, per vomitum, præcedente priùs dolore hypochondrij dextri, vomeret merum sanguinem, nullo alio colore infectum, in copia adeò multa, vt qualibet vice, tres, quinque, decem vncias, & interdum libram placidè, nullo infestante symptomate oppressus reiiceret. Quæ vacuatio cùm toto anno persecueraret, æger habitum corporis meliorem recuperauit, & optimo victu nutritus, pinguiusculúsque factus, à morbis omnibus per multos annos saluus remansit.

OBSERVATIO IV.

Sanguinis sputum criticum.

ANnum agens decimum quartum puer, carnosus, & obesulus, incidit in ardentem febrem, à qua, vacuationibus per venæ sectionem, & purgationem celebratis, cæterísque refrigerantibus auxiliis, liberari non potuerat: & cùm morbus transcenderet decimum quartum diem, neque mitesceret, ecce per sputum simplici screatu multam sanguinis copiam impermixti excernere cœpit; qua vacuatione febris cessauit, ac lenia facta sunt symptomata, quæ illum antea oppresserant truculenter. Post sex menses iterum in febrem validam labitur, quæ solùm sanguinis sputo biduo emanante conquieuit, etsi plura priùs essent factitata auxilia. Quod infortunium cùm ad quadragesimum annum, bis, & ter in anno durasset, & timor esset, ne ex sanguine ad partes superas confluente, alij thoracis, & gutturis morbi funesti superuenirent, purgato multoties corpore, & repetita in accessione, & extra ipsam phlebotomia, fontanellis cruribus affixis, pluribúsque aliis incrassantibus oblatis auxiliis, exhausto tot vacuationum generibus sanguine, per duos annos integrè euanuit. At deinceps turgentibus venis, lasso toto corpore, & veluti aculeis compuncto, maiori cum impetu recruduit, ita vt ad octogesimum annum persisteret: quo tempore dysenteria correptus diem suum obiit. Quam vacuationem criticam, neque præsidia vacuantia, neque veneris vsus præuertere potuerunt. Adeò durum, & difficile est, naturam à suo præfixo ordine distrahere!

OBSERVATIO V.

Ex nimio risu, sanguinis sputum, tabes, mors.

DIsputaturus Cicero *lib. 2. de Oratore*, de locis iocorum & facetiarum, quæ risum audientium conciliant, quæsita aliqua proponit de risu, ac primùm quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo existat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet; & cùm videatur res leuis, & qui à scurris, mimis, insipientibus denique moueatur, tamen habet vim, nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minimè potest. Erumpit enim etiam inuitis sæpe, nec vultus modò, ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. Huius, cùm moderatus est, magna est vtilitas: partes enim præsertim thoracis, præ motu concalefiunt, & calorem toti citò communicant. Quo pacto risus prodest modicus, quibus caput & thorax frigida intemperie laborant, subtristibus item, ac melancholicis remedio est. Verùm si nimius est, & diu duret, viscera commouet, faciem, spiritaléque partes accendit, accito calore vasa dilatat, & rumpit. Cùm ergo tres socij in lecto discumberent, duóque inuitè alterum apprehenderent, & illius subalas longo temporis spatio titillarent, factum est vt ipse in risum immodicum prorumperet, (magnus enim est in illis partibus venularum, atque arteriarum concursus, quæ titillatæ incalescunt, & spiritum subinde ex concalfactione genitum per vniuersum corpus diffundunt) & præ concussione, veluti sæpe accidit palæstritis, choreas agentibus, & gladiatoribus, rupto aliquo vase in pulmone, sanguinem cum tussi floridum per os excreuit, qui postmodùm accedente febricula, & vlcere sordescente, cum corporis extenuatione summa, nullis proficientibus auxiliis, intra annum phthisi consumptus fuit. Est enim risus, vibratio quædam septi transuersi, & musculorum thoracis, & oris, quæ si nimia sit, & repentina, harum partium vasa dilatat. Rectè ergo sibi consuluit Aristoxenus, qui referente Æliano *lib. 8. cap. 13.* valde à risu abhorruit, & rectiùs, vt hæc damna euitaret, sibi prospexit Anaxagoras, quem nunquam risisse, nec subrisisse priscorum doctissimi memoriæ mandarunt.

OBSERVATIO VI.

Ptyalismus cruentus, sanguinis missione ex talo, & hirudinum suctu, leuatur.

PTyalismum Græci vocant, spuitionem frequentem, quando quis citra tussim excernit saliuam per os, quod malum excitari ob cerebrum humiditatibus refertum, vel propter oris ventriculi imbecillitatem, ob quam pituitosus humor in ipso affatim regurgitat, (saliua enim ex pituitæ genere existit) 3. *de loc. affect. cap. 7.* affirmat Galenus. Et licèt hoc excrementum, sicut alij superuacanei humores salsi, amari, nitrosi, & alia qualitate peregrina infecti, per sputum à natura tanquam onerosi expellantur, sanguis rarò per hanc partem detruditur, quia hunc familiarem succum ipsa pro sui nutritione vehementer reseruat. Licèt autem hoc verum sit, tamen aliquando coacta, ipsum per varias partes, apertis narium, & hæmorrhoidum tubis, quin per vterum, aures, & oculos; & in aliis per os sine tussi, vomitu, aut molestia vlla satagit extrudere, quando iecur gignendi sanguinis est nimis ferax, & sanguis serosior est, & vasa rara. Quidam in florenti ætate constitutus, candidus, obesus, & rubicundus, corpore quadrato constans, continuò per sputum sanguinem impermistum, & sincerum excernebat, ita vt saliua eius tota esset sanguinea. At cùm ex sanguine mediocrem consistentiam habente, & cum hepatis firmitudine, oriretur hoc malum, (excretus enim sanguis per saliuam, crassior erat, & satis rubicundus) copiam deoneraui tenui diæta, purgantia exhibui, clysteres indidi, refrigerantia obtuli, somnum moderatum consului, balneum ad temperandum iecoris incendium administraui, fontanellam cruribus affixi. His celebratis, nec tantillùm affectus succubuit, imò procedente continuò cruento sputo, æger vitam suam degebat incolumis. Cùm verò timor esset, ne ex raptu sanguinis ad caput, alij ingraueſcerent immanes cerebri, & neruorum affectus, cum hoc Herculeo malo, quod septem annorum curriculo ægrum excruciauerat, iterum depugno. Cucurbitulas hypochondriis affigo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 392 sur 927

affigo cum copioſa flamma, & ſcarificatu profundo. Epithematis roboro iecur, ſanguinem refrigerantibus potionibus attempero. Lauacris, ex attemperantibus medicamentis paratis pedes aſſiduè abluo. Sanguinem incraſſo, & pigrum ad motum reddo amylo, priſſana, farre, frigidis clyſmis. Tandem peruicax malum ſola ſanguinis miſſione ex talo, per interualla celebrata, bis, ter, vel etiam quater in menſe, & alternatim impoſitis hirudinibus ſuper mariſcas, intra duos annos ceſſauit omnino.

CAPVT VII.

De difficili reſpiratione.

Definitio.

Vtrùm definitio reſpirationis à Galeno tradita ſit optima? Primò inquirendum, ſciendúmque non poſſe nos, cauſas, & differentias huius affectus indagare, quin natura, & eſſentia reſpirationis cognoſcatur, ita docente Galeno *lib. 1. de difficult. reſpirat. cap. 1.* Eſt ergo reſpiratio naturalis, actio compoſita ex dilatatione, & contractione, & duabus quietibus thoracis, & pulmonis, facta à facultate motrice voluntaria, vt mediocritas natiui caloris conſeruetur, & ſpiritus in corde, & cerebro generentur, vt auctor eſt Galenus *lib. de ſalub. diæta, com. 2. & 8. de placit. cap. 8. & 6. de loc. affect. cap. 5.*

Hæc reſpirationis definitio, omnes cauſas continentes reſpirationis comprehendit, & genus, & differentias, quibus à quamplurimis aliis actionibus, quæ in corpore fiunt, diſtinguitur, ſcilicet ab actione ſeu motu naturali, & vitali, qui aliis inſtrumentis, & facultatibus diſtinctis perficiuntur. Inſtrumenta verò quibus reſpiratio integrè completur, quamplurima ſunt, vt *lib. de cauſis reſpirat. ferè per totum* docuit Galenus. Quædam enim ad deferendum aërem à natura ſunt conceſſa, veluti ſunt os, nares, aſpera arteria, & illius propagines. Alia ſunt, quæ motum efficiunt, qui reſpiratio dicitur, cuius præcipuum inſtrumentum, ſeptum tranſuerſum exiſtit. Muſculi etiam thoracis intercoſtales, ſupercoſtales, & recti abdominis. Denique ea quæ mouentur in reſpiratione, ſunt thorax, & pulmo: thorax quidem à prædictis muſculis mouetur, proindéque à facultate animali; pulmo verò nullum habet proprium motum, ſed continenter mouetur ad motum thoracis, vt *lib. 6. de vſu part. cap. 10. ante med.* notauit Galenus, & nos *ſuprà, cap. 4. de pulmonia* latè oſtendimus.

Vtrùm definitio difficilis reſpirationis rectè à Galeno proponatur? Etſi auctores non de quacunque difficilis reſpirationis ſpecie, ſed de aſthmate, quia frequentiùs premit & fatigat, peculiarem faciant commemorationem, nos de omnibus differentiis non pœnitenda proponemus. Dicimus ergo quòd apud Celſum, *lib. 4. cap. 4.* difficultatis reſpirandi ſunt differentiæ tres: quarum prima, dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, Dyſpnœa appellatur, quæ eſt crebra, ſeu denſa reſpiratio citra ſonum, anhelationem, & febrem. Cùm vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſono, & anhelatione non poſſit. Aſthma vocatur. Cùm verò eò acceſſit, vt æger nonniſi recta ceruice ſpiritum attrahere poſſit, Orthopnœa dicitur.

Quare aſthma, anhelationem eſſe denſam, ac crebram reſpirationem citra febrem, fatetur *lib. 7. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 6. in princip.* & *3. Aph. 26.* qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad vehementem ductis motionem, ex Gal. *3. epid. ſect. 2. com. 4.* & *lib. 6. eiuſdem, ſect. 4. com. 4. in princip.* Nam reſpiratio, ſicuti quælibet alia noſtri corporis actio, tripliciter lædi poteſt, diminutè, deprauatè, aut abolitè, vt Galenus ſæpe edocuit, præcipuè verò *lib. art. medic. cap. 89. in fin.* Ex quibus reſpirationibus læſis, quæ eſt diminuta, & deprauata, Dyſpnœa nominatur; abolita verò reſpiratio, apnœa appellatur à Galeno *4. de loc. affect. cap. 7. ante fin.* In hoc prænominatæ ſpecies communicant, quòd careant febre. Quæ autem cum febre fiunt, ad alias affectiones, ſeu inflammationes ſpiritalium, ſeu reliquarum partium ſubſequuntur.

Vtrùm verò *aſthmatis definitio, vt recta ſit admittenda?* dubium eſt: nam Galenus definit *locis citatis*, quòd ſit difficilis reſpiratio citra febrem, cum ſono, & anhelatione. At *lib. 6. Aph. com. 46.* aſthma vocat difficilem reſpirationem, non ſolùm eam quæ ſine febri conſiſtit, ſed eam quæ febres conſequitur. Deinde Pulmonia correpti, qui anhelosè reſpirant, & aſthmate laborant, febri ſunt detenti. Adde quòd, cùm per difficilem reſpirationem non bene ventilato corde, hoc excandeſcat, neceſſariò debet febris adeſſe. Dic. Dupliciter hoc nomen aſthma accipitur apud Medicos, vt notat Auicenna *10. 3. tract. 1. c. 39.* aliquando latè, pro omni anheloſa reſpiratione, ſiue ex febris vehementia, ſiue exercitio immodico, vel ex quacunque cauſa prognata: interdum ſtrictè & propriè, pro anheloſa reſpiratione cum ſonitu, quæ ab humore pituitoſo, crudóue tuberculo enaſcitur, quæ cùm affectio diuturna ſit, & curatu difficilis, nomen aſthmatis propriè ſibi vendicat. De primo ſignificato intelligendus Galenus *in aphoriſmis.* Pulmonici verò aſthmate non occupantur, ſed orthopnœa, quam ſpiritum ſublimen priſci vocauere. Denegato verò refrigerio cor non gliſcit, nec febris accreſcit; æſtuoſus enim illius calor à pituitoſo, frigidóque humore, à quo oritur aſthma, irrigatur, ac miteſcit.

Vtrùm aſthma ſit difficilis reſpiratio? dubitandum. Firmant Paulus *lib. 3. cap. 29.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. c. 17.* Auicenna *loc. cit. cap. 38.* Nam eius eſſentia conſiſtit in hoc, quòd ſit ſymptoma in actione læſa reſpirationis, modo ſuperiùs explicato, quæ lædítur deprauatè: cogitur enim facultas animalis motiua, ob vitium in pectore exiſtens, frequentiùs reſpirationem efficere. Quare non ſolùm fit frequens, ſed parua, reſpectu aëris qui attrahitur, quoniam ob impedimentum in cauitate thoracis repoſitum, pauca aëris quantitas ingreditur; etſi thorax, ſicuti in naturali ſtatu, aliquantulum magis dilatetur.

Quinimò dicendum eſt, quòd hæc parua aëris attractio eſt cauſa frequentis reſpirationis: cùm enim aër in exigua quantitate attractus, vſui adaucto ſufficienter non ſatisfaciat, fit vt ad aliam reſpirationem efficiendam, facultas citiùs irritetur, & ſic frequens reſpiratio conſurgat. Eſſe autem paruam, reſpectu aëris qui attrahitur, dilucidè probat Galenus *lib. 7. ſec. loc. cap. 6. in princip.* quo loco de aſthmaticis verba faciens, ſic inquit: *Minus eſt enim quod inſpirant, quàm pro vſu reſpirationis, quamuis thorax plurimùm ipſis dilatetur.* Probat etiam *4. de loc. cap. 7. poſt med.* docens, quòd in illis ægrotantibus, *in quibus tumor, vel anguſtia ſine flammeo calore in ſpiritalibus eſt, in his thoracis quidem dilatatio maxima eſt: id verò quod inſpiratur, non ſolùm dilatationem proportione non aſſequitur, verùm etiam minus, quàm ſecundum naturam inſpirari ſolet, attrahitur.* Vnum certum eſt, illos eſſe aſthmaticos, qui illam diſpoſitionem in pectore habent.

Differentia.

Vtrùm variæ dyſpnœæ ſpecies ſint conſtituendæ? In his enim proponendis ſolerter admodum, *lib. 4. de locis, cap. 7.* ſuam expedit ſententiam, iungens quaſdam dyſpnœæ ſpecies ex ſpiritalium anguſtia, in quibus (perinde ac in peripneumonia, quam in exemplum adducit) plurimùm etiam dilatatur thorax, frequenter, ac celeriter, & ſimili modo difficulter reſpirant patientes. Solent autem quandoque ex catarrho accidere, vt cùm ob defluxionem à cerebro (qui euentus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 393 sur 927

frequentior est) pulmonis arteriæ nimiùm opplentur, A suppuratione, asthmate, magno aliquo, crudóque tumore ad pulmonem orto, angina, &c. in quibus præ magna coarctatione, & angustia viarum, difficillimæ fiunt respirationes, pro varietate tamen causarum inter se diuersæ, simul & ab ea, quæ in peripneumonia accidit. Quoniam vbi ex catarrho, asthmate, crudo tuberculo, aut suppuratione fuerit dyspnœa, sine febre oritur, nec spiritus calidus, vt in pulmonia, nec multus expiratur, quia scilicet efflare, & calidum expirare, solius aucti caloris proprium est: non quasi duo hæc aucto calore perpetuò iungantur; siquidem præsente angustia fieri non potest efflatio, sicuti nec multi aëris ad sua conceptacula attractio, quanquam plurimùm thorax dilatetur.

Porrò si dyspnœa fiat ob collectam saniem, in spatio B contento inter thoracem, & pulmonem, (hoc est, ex empyemate, siue suppuratione, quæ nihil aliud est, quàm saniei collectio in prædicta cauitate, secundùm Galenum 4. *de loc. cit.* & 6. *Aph.* 27.) manifestum inducit suffocationis periculum: cùm ex aceruata puris copia vasa pulmonis nimiùm angustentur; insuper & febris plerumque adsit, multiplicans adustas fuligines; nec liberè, sufficientérve fiat illarum expurgatio, ob magnam angustiam loci, non potest diu durare, quin suffocetur exiguus calor, maxima iuncta virium imbecillitate, quæ malum hoc necessariò comitatur: Suppuratio enim perpetuò ad morbum alium sequitur, morbúmque alium ferè semper habet adiunctum, à quibus impossibile est vires non deiici, ac labefactari.

Addiderim, in hac difficilis respirationis differentia C ex suppuratione, licèt secundùm multas sui partes plurimùm dilatetur pectus, non perinde tamen multùm, (magna siquidem thoracis distentio virtutis robur efflagitat) & penes hoc ab illis etiam speciebus distingui, quæ à defluxionibus, asthmate, & tuberculo oriuntur, in quibus vires non necessariò imbecilliores redduntur, sicut in pulmonia: hæc enim acutissimus morbus cùm sit, sæpe viribus adhuc robustis solet accidere: in asthmate autem, frigidis, crassísque humoribus in pectore concoctis, firma potest virtus perdurare; ex pituita namque, veluti semicrudo succo, in sanguinis defectu nutritur animal.

Quum autem ex angina accidit, à prædictis dissidet, D quoniam angustia non existit in cauitatibus quæ aërem suscipiunt, sed in viis quæ transmittunt, gutture, faucibus, &c. Rursus in hac plurimum aëris vnica vice inspirare possunt difficilè respirantes, non sic quum ex tumore, defluxione, asthmate, empyemate, aut pulmonia, propter impeditum ipsum ingressum ex coarctatione, obstructionéve, ratione cuius nonnisi modicus spiritus attrahitur, quantumuis plurimùm dilatetur thorax; atque adeò magna fit respiratio, sed in qua paucum aëris inspiratur, & minùs etiam, quàm quum secundùm naturam habebat animal: quare etiam sine aucto calore, cogitur celeriter & frequenter respirare, ad magnitudinis defectum compensandum. Magna enim quamuis dicatur huiusmodi respiratio, sic dicitur ob magnam E pectoris & pulmonis dilatationem, non in ordine ad inspiratum aërem: nec enim illius quantitas, propter angustiam instrumentorum magnitudini dilatationis respondet: tunc enim duæ hæ magnæ respirationis differentiæ iunguntur, (de quibus 1. *de diffic. respirat. c.* 13. *cit.*) & inspirati aëris copia pectoris dilatationi respondet, cùm sine spiritualium angustia calor increscit, vt in ardentibus febribus absque inflammatione, aut tumore, &c.

Vtrùm doctrina Galeni circa differentias difficilis respirationis possit admitti? Si de differentiis dyspnœæ differendum est ex Galeni mente, optarem mihi implicatas, aduersus eius doctrinam, obiectiones expediri, quarum prima est. Si magnitudo caloris, (quæ nobis inest per comparationem ad animalia cætera) vbi primùm debita refrigeratione priuatur, sponte furit, gliscit, & excandescit: atque in angustia spiritalium ex catarrho, asthmate, & aliis memoratis, sufficiens aëris copia ad debitum refrigerium non ingreditur, quomodo non iungetur calor auctus, & calidum non expirabunt patientes? Quod si admittas, manifestè euincitur, perperàm distinxisse Galenum huiusmodi species dyspnœæ, ab ea quæ ex peripneumonia fit, per hoc quòd in illis calidus non emittatur spiritus. Rursus si non increscit calor, quorsum celeriter, & frequenter respirant, quemadmodum asserit Galenus?

Secunda. Si morbus omnis virtutem debilitat, quod omni contrario proprium est, alterum scilicet infringere, minuere, & oppugnare, quia priùs se non potest in subiectum introducere, quàm alterius resistentis vires refringat, tantúmque diminuat, quantum sui introducendum est: quomodo in angustia ex asthmate, & aliis, virium imbecillitas non iungetur, & in eo ab ea, quæ ex suppuratione fit, distinguentur? Maximè testante Auicenna 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 9. ægrum omnem debilem esse, atque ideò omni alimentum facilis digestionis tribuendum. Quinimò ob diminutam virtutem, quæ perpetuò datur in morbis, præscribitur in omnibus minor victus quantitas, quàm in sanitate. Igitur, &c.

Tertia. Si in angina coarctatio, & obstructio in gutture adest, viisque per quas ingreditur aër, vnde plurimùm vnica vice poterunt respirare anginosi difficulter respirantes?

Quarta. Vbi magna fit respiratio per longum spatium, thorax cum pulmone dilatatur. Sed ad magnam dilatationem necessariò multa aëris portio sequitur, ad replendam vacuitatem, nisi illam admittas. Igitur impossibile erit in asthmate, catarrho, tumore, &c. pectus nimiùm dilatari, & non multum inspirari.

Sed cùm Galeni doctrina semper seruanda sit firma, & inconcussa, iccircò obiectionibus ita satisfaciendum. Quare ad primam fatemur intendi, augerique calorem, & tandem marcescere ac perire, si debito refrigerio priuetur, debitáque transpiratione: hinc enim ex cutis densitate, prohibitóque effluuio febres, pueris ex frigore perniones oriuntur, & plantarum radicibus ex grandine adustio: Verùm in spiritalium instrumentotum angustia ex frigida materia, præterquàm ex illius accessu, & vicinitate calor minuitur, atque increscere prohibetur, defectus refrigerij ex multo aëre vnaquaque vice attracto, celeritate, ac frequentia compensatur. Quamuis enim multus aër semel inspirari non possit, celeriter tamen, & frequenter attractus, perinde ferè refrigerat: quòd si id sufficienter non præstet, tractu temporis febris subsequetur; sed non proinde omni angustiæ iungetur. Vnde, &c.

Ad secundam. Solùm euincit, vires in morbis debiliores esse seipsis in statu sanitatis, sed non simpliciter debiles: Licèt enim sæpe ad morbum sequatur debilitas, plurésque ex ægris vires habeant inualidas, non tamen necessariò omnes, vt colligitur ex Gal. 7. *meth.* 11. *& lib.* 11. *cap.* 20. Auicenna verò dum ait: *si æger est, ergo læsus, & ex eo aut non digerere, aut tardè, videlicet quia debilis sit:* Intelligatur maiori ex parte, per comparationem ad seipsum sanum.

Ad tertiam. Non adeò obstructæ sunt viæ, occlusúmque guttur, vt aëris ingressus prohibeatur omnino, imò & multi, saltem successiuè; nisi illa sit periculosissima angina, quæ confestim suffocando interimit.

Ad quartam. Licèt dilatari pectoris tota inanitas repleatur, non proinde multus aër ad conceptacula, vasáque pulmonis trahitur: atque ideò multum inspirari non dicitur, quantumuis in magna dilatatione nihil vacuum relinquatur.

Vtrùm verò *præter simplices difficilis respirationis differentias, aliæ compositæ sint adnumerandæ?* maxima est controuersia. Nam Galenus *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 7. postquam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 394 sur 927

©BIUM

poſtquam ſimplicis difficilis reſpirationis differentias propoſuit, ad compoſitas tranſit, quatuórque huius generis recenſet: magnam nempe ſimul & raram; magnam denſam; paruam raram; paruam denſam: à quibus totidem affectus ſimplices ſignificantur: à magna rara, delirium; à magna denſa, vrgens vſus, nimíſque intenſus calor; à parua rara, excedens frigus, præcipuè pulmonis, & cordis; à parua denſa, dolor vel ſpiritalis organi, vel alicuius membri, quod cum reſpiratoriis mouetur.

Et quidem ex magna rara ſpiratione phrenitim ſignificari, præterquàm Hippocrates docuit, 1. *progn.* 24. vel inde conſtat, quòd cùm reſpiratio ſit animalis facultatis opus, ab arbitrio, & imaginatione dependens, eámque habeant læſam delirantes, nihil mirum ſi phantaſmatum multitudine, quibus occupantur, detenti, reſpirationis, & reliquarum functionum arbitrariarum prorſus obliuiſcantur, nec eas exerceant, niſi valde pungente, ſtimulantéque neceſſitate, ex longis interuallis; quare magnas fieri eſt neceſſe: ſic enim bibere, ac deiicere longo tempore ceſſant, ſed intermiſſum opus quantitate compenſant, 2. *de diffic. reſpirat. cap.* 3. & *lib.* 3. paſſim.

Porrò cùm ſolum affectum magna rara reſpiratio ſignificet, & in virtutis imbecillitate hæc fieri videatur, ne deceptio contingat, & æquiuocatiò errorem pariat, docet *cit. de loc.* Galenus, non eſſe putandam magnam, eam quæ virtute debili fit, licèt muſculis omnibus pectoris efficiatur, ſed ſublimem potiùs appellandam, vtpote à ſublimioribus muſculis factam; imò & ex Hip. mente etiam paruam, videlicet quia per eam multus aër non ingreditur, nec in profundas thoracis partes penetrat, 1. *progn. cit.* & 1. *de diff. feb.* 12.

De magna denſa, paruáque rara manifeſta res eſt. A parua autem crebra dolorem indicari, ex eo putabis, quia cùm dolorifica cauſa mota, plus quieſcente moleſtet, atque ita dolens membrum motum, multò magis crucietur, multùm dilatari non poteſt, imò paulo pòſt ab incepto motu deſiſtit; quare parua euadit reſpiratio, ac ſubinde denſa, in deficientis magnitudinis ſubſidium. Licèt autem velocitas ſoleat frequentiam antecedere, vtpote magis ad refrigerandum accommoda, non tamen ſemper præit, maximè præſente dolore, videlicet quia celeritas motus, non aliter quàm magnitudo, dolentem partem vexat & fatigat, ac proinde velocitate poſtpoſita denſitas comparatur.

Conſequenter iungit *cit. loc.* Galenus, differentiam aliam malæ reſpirationis, eam nempe quæ breui tempore intercipitur, & vix interpoſita quiete reuocatur. Huius cauſam affert muſculorum thoracis conuulſionem, aut immodicum calorem cogentem quamprimùm iterare. Tandem omnium peſſimam adducit, in qua non tantùm intercipitur, ſed prorſus aboletur reſpiratio, quæ Apnœa vocatur: *Quanquam*, inquit, *fieri non poteſt, vt dempta ex toto reſpiratione viuat animal*, atque ideò putandum potiùs, in apnœa ſpirationem quidem adeſſe, ſed præ exiguitate latere, ſenſúmque effugere, niſi animalium exemplo in terræ latebris degentium, exiſtimare mauis, ſola tranſpiratione, quæ cordis & arteriarum motu efficitur, poſſe in nobis calorem ſimul, & vitam ſeruari, ſine motu illo, quem cerebri ope exequitur thorax; non aliter ac in plantis ſola etiam tranſpiratio ſponte facta, calorem tuetur & vitam.

Verùm hæc ſerió examinanda. Quare quærendum: *Vtrùm doctrina Galeni circa compoſitas difficilis reſpirationis ſpecies ſit vera*? Initio ſumpto à priori differentia. Sic inſurgo. Licèt reſpiratio inter animales functiones numeretur, & de illarum ſit genere, quæ pro arbitrio fiunt, niſi tamen ex induſtria cohibeatur ipſa, fit, etiamſi non imperet animus, aut aliarum rerum occupatione detineatur: nec enim quotieſcunque reſpiramus, præit meditatio, nec ſentimus eam, aut recordamur. Igitur quantumuis delirantes læſam habeant imaginationem, & occupatione phantaſmatum detenti, animalium functionum obliuiſcantur, hanc vnam non intermittent, vel quia magis pro neceſſitate, & arbitrio, vel quia præ conſuetudine, & facilitate, etiam mente alienata, ſequitur: quod & in dormientibus, quibus voluntas non eſt, & in aliis experimur. Igitur, &c. Præterea ſi longo tempore reſpirare ceſſant, ita etiam bibere, & comedere. Atqui non propterea multum, licèt rarò; quare ab Hip. 1. *progn. text.* 16. & Galeno *ibidem* paucibibi dicuntur. Igitur licèt in illis rara ſpiratio ſit, & ex longis interuallis edita, non proinde magna.

Secundò. Magis vrget vſus ad motum ſemel tentatum proſequendum, quàm dolor ex motione ad intermittendum inceptum. Ergo quamuis membrum dolens magis crucietur, non deſinet tamen motum proſequi, ſicut nec deſinit motum incipere: maximè quia cùm ex neceſſitate quamprimùm rurſus debeat moueri, & ob paruum refrigerium ex intermiſſio motu, & quia ſubinde calor increuit, longa non poſſit eſſe quies, præſtabitur occaſio maioris defatigationis & doloris, ex interrupto, interceptóque motu. Quare parua non erit dolentibus ſpiratio, imò nec neceſſariò denſa, ſed potiùs velox. Si enim magna non fit, propter moleſtiam partis dolore oppreſſæ, & crebritas magis fatigat, magíſque vires diſſoluit: quomodo in ſubſidium moleſtiæ, differentiam illam aſſumet, à qua plus moleſtatur multò, maiúſque ſuſcipit nocumentum?

Tertiò. Reuocatus motus, breuíque quiete interruptus, idem prorſus videtur ac paruus denſus. Igitur perperàm Galenus, diuerſas ſpecies dyſpnœæ conſtituit, paruam denſam, & paulo pòſt, breuíque quiete interceptam reſpirationem. Probatur antecedens: Quia tunc motus dicitur reuocatus, cùm anteaquàm debitum ſpatium compleat, intercipitur ad oppoſitum; hunc autem paruum appellamus, ſimul & denſum, quia exigua interpoſita quiete iteratur.

Deinde. Licèt conuulſum inſtrumentum, aut nequaquam, aut cum difficultate moueatur, vbi tamen incipit, ſequitur quoad fieri poteſt, potentiam mouentem, quamdiu ipſa ad motum impellit, ſine eo quòd in media operatione quieſcat. Similiter multus calor cùm magnam exigat reſpirationem, non patitur interrumpi, ſed ſemel integrum motum perfici. Igitur neutra ex dictis diſpoſitionibus ſignificatur per interceptam reſpirationem: & confirmatur, quia plorantes pueri, vt dicebat Galenus 6. *Aph.* 54. & nos paſſim experimur, ita reſpirant, cùm tamen fletus tempore nec conuulſionem habeant, nec augmentatum calorem. Igitur, &c.

Sunt hæc quidem argutè obiecta: at ſuam habent ſolutionem commodam. Dic ad primum. In delirantibus, etiam detenta & occupata imaginatio, non imperat opus vſque adeò ad vitam neceſſarium, & per ſomnum etiam ſeruatum, quo tempore obruta eſt, & ab aliis functionibus prorſus feriatur. Cauſa eſt nimia phantaſmatum, quibus detinentur, occupatio, ob quam aut penitus, aut ſufficienter reſpirare obliuiſcuntur. Hinc fit vt bibere, mingere, deiicere longo tempore ceſſent, quoniam harum functionum non recordantur, aut non apprehendunt impreſſiones illarum in ſenſibus factas. Aucta tamen neceſſitate, quum iam valde vrgentur, exercent has operationes ex interuallis longis, eaſdémque magnas, quia diu admodum ab iis ceſſarunt, inter quas reſpiratio hæc numeratur. Paucum autem bibunt, quia ſitis vehementia, minùs quàm refrigerij vrget.

Ad ſecundum. Fatemur dolens inſtrumentum, meliùs alioqui habens in quiete, ob vrgentem vſum moueri: cùm tamen motum, ex maiori tenſione magis crucietur & doleat, ſui damni vitandi gratia, cogitur ab incepto motu deſiſtere, nec vlteriùs progredi, imò & in ſeipſum contrahi. Quoniam verò ab vſu vrgetur, tentat rurſus moueri, ſed paulo pòſt deſinit, ob dolorem rurſus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 395 sur 927

sus increscentem: vnde mouetur quidem, sed parum, & frequenter; sic vsui, & proprio damno, quoad licet, seruiens. Magnitudinis autem defectum frequentia potiùs, quàm celeritate compensat: quoniam cùm ex motu parti dolenti potissimùm molestia accedat, si celeritatem assumeret, magis discruciaretur. Atque ideò, &c.

Ad tertium. Negamus antecedens, est enim propriè reuocatus, interceptúsque motus, vt constat ex Galeno 6. *Aph. cit.* quod à paruo longè abest. Vterque autem densus, aut rarus potest appellari, pro varietate quietis, illius nempe, quæ inter vtrumque motum, dilatationis videlicet, & constrictionis existit. Iam verò quod attinet ad indicium ex intercepta respiratione desumptum, dicendum, eam quidem significare conuulsionem iunctam duritiei instrumenti: cùm enim ita affectum instrumentum propriæ potentiæ mouenti non obsequatur, in media operatione quiescit, iterúmque à virtute ipsa attollitur violenter: quare intercepta euadit respiratio.

Dicitur verò etiam ex aucto calore nasci, dummodò imbecillitas facultatis motricis iungatur: multus enim calor per se, motum non interrumperet, sed integrum semel efficeret, magnámque respirationem; citò autem facit quiescere iuncta debilitas: nec proinde tamen sola potest esse causa huius respirationis, quia licèt sola citò quiescat ab opere, non tamen cœptum motum iterat, quod ad interceptum requiritur. Vnde, &c.

Significat ergo differentia hæc malæ respirationis, aut conuulsionem cum duritie instrumenti, aut multum calorem cum motricis facultatis imbecillitate. In pueris autem hæc respiratio, causam habet mœrorem ex spirituum perturbatione conceptum, qui neruos concutiens, motum integrum perficere, integréque inspirare non sinit: id quod etiam in iratis experimur. Verùm præ anxietate, & tristitia humiditas à cerebro liquata defluit ad septi neruos, & ad conuulsionis modum replens; spirationem interturbat, nec adhuc septum ipsum liberè distendit. Cur verò similiter non expirent, ratio est, quia cùm expiratio, cessatio quædam sit, vel ad cessationem, septique otium sequatur, non est cur intersecetur, cùm iuuetur potiùs à causa, quæ impedit inspirationem, sibi oppositam.

Num verò Apnœa, inter difficilis respirationis species sit adnumeranda, cùm vita non possit seruari absque respiratione vlla, & hæc sit ab illa inseparabilis, quia viuentem non respirare, & respirantem non viuere est impossibile, auctore Galeno 6. *de loc. cap.* 5. Respondè affirmatiuè: nam sine vlla, nec sensibili respiratione potest animal viuere, cùm fouendo exiguo calori ad arcem collecto, & ibi conculcato, (vt in forti Apoplexia, & truculenta vteri strangulatione interdum contingit) transpiratio sola satis sit: de quo negotio satis multa leges *lib.* 3. *Histor. Princip. Med. in com. Hist.* 9. *quæst.* 17.

Causa.

EX multiplici causa potest difficultas respirationis exoriri. Primò, ob viarum spiritus compressionem, quæ originem habet ex angina, pleuritide, pulmonia, empyemate; hepatis inflammatione, aut lienis; hydrope, fœtus in vtero gestatione, flatuũ multitudine: hæ enim causæ, septum transuersum, thoracem, pulmonem, asperam arteriam, aut laryngem comprimere solent. Deinde ex sicca intemperie thoracis, aut pulmonis excitatur, aut ex septi transuersi frigiditate, 7. *meth. cap.* 8. *ante fin.* aut ex imbecillitate thoracis, vt *lib.* 9. *meth. cap.* 10. confirmat Galenus. Rursus ex immodica vacuatione, halitibus metallorum, fumo carbonum, vapore domuum, calce, aut gypso recenter illitarum, 7. *de vsu part. cap.* 8. vel quando ab vtero venenati vapores eleuantur, qui respirationem vitiant, & perturbant.

Emanat etiam ex crassis humoribus vias spiritus impedientibus, qui paulatim propter aliquam intemperiem, vel imbecillitatem in bronchiis pulmonis coaceruantur, vel à capite, aut aliis partibus defluunt; & per paulatinam congestionem in pulmone retenti, tuberculum aliquod crudum, & durum excitant, quod asperam arteriam, & bronchia coarctando, & obturando, difficilem admodum respirationem efficere natum est, vt 6. *epid. sect.* 4. *com.* 4. & 7. *sec. loc. cap.* 6. docuit Galenus.

Verùm quando prædictus tumor in pulmone existens, læues solùm arterias pulmonis coarctat, & comprimit, difficultas respirationis non emanat, sed pulsus insurgit inæqualitas, in omni genere inæqualitatis, vt Antipatro Medico accidit, cuius historiam *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 8. Galenus describit, & nos *lib.* 2. *Histor. Princip. Med. Histor.* 12. eam sumus interpretati. Ratio est in promptu, quia viæ spiritus, quibus confertim attrahitur, & expellitur, sunt aspera arteria, & eius bronchia; quare ex ipsorum læsione, respiratio læditur: At verò, per arterias læues, licèt sint viæ spiritus, per eas tamen paulatim, & sensim aër cordi suppeditatur; & ideò quando comprimuntur, quia non suppeditatur aër sine molestia, & cordis calore, ipsum cor affligitur, & pulsus inæqualis in omni genere inæqualitatis efficitur.

Verùm singula magis diluciḍè sunt explicanda: & primò: *Vtrùm flatus difficultatem respirationis facere possint?* Cùm enim pulmo in continuo motu sit, ipsius aëris expirati vi, tum resoluitur, tum expurgatur. Adde quòd flatus asperas arterias præcludere nequeunt, sine quarum coalescentia, subsidentia, compressione, constipatione, aut obstructione difficultas respirationis non efficitur, ex Galeno 1. *de diff. respirat. c.* 10. cùm tenuioris substantiæ sint, quàm vt possint obstruere. A facilè dubium hoc resolues, si dicas, flatus non posse generare difficilem respirationem diuturnam, quæ solùm à causa fixa permanente & obstruente ortum ducit: hoc tamen non impedit, quin hæc à flatu crasso, caliginoso, & nebuloso, à liene, corde, ventriculo, vtero, & aliis partibus eleuato, subitò obstruente possit concitari, quæ citò cessare solet discusso vapore: quod firmat Auic. 9. 3. *tract.* 1. *cap.* 38. §. *Et quandoque fit asthma propter ventositatem, coarctatam in membris anhelitus, comprimentem anhelitum.*

Vtrùm pulmonis sicca intemperies inter difficilis respirationis causas sit reponenda? Cùm enim siccitas pulmonis suapte natura laxi cauitates conseruet, respirationi officere non potest. Contrà tenet Auicen. *loco nuper citato.* §. *Et quandoque fit, sed rarò ex exsiccatione pulmonis, & siccitate eius, & aggregatione, &c.* annuit Rhasis 4. *contin. cap.* 1. confirmant etiam Chymistæ, aurifices, fabri ferrarij, & qui in metallorum fodinis diutius versantur, quibus ob metallicam igneam qualitatem siccam inspirando attractam, pulmo, ac thorax frequenter exiccantur, & in difficilem, ac suspiriosam respirationem incurrunt. Nam modica siccitas meatuum amplitudinem conseruat; immodica expressa humiditate, & hac ratione absumpta, attenuat, coarctat, & adstringit.

Vtrùm à sola pituita asthma generari possit? etiam controuersia est. Galenus firmat tum *locis suprà citatis*, tum 3. *Aph.* 31. & 5. *de sanit. tuenda, cap.* 8. Dic, verum, & propriè dictum asthma, provt anheloſam respirationem sine febre includit, à solis pituitosis, crasisque humoribus generari frequenter: hoc tamen non tollere, quominùs, etsi rarò, à bile crassa, aut sanguine multo ac lento, non è pulmone effuso, (putresceret enim, vlcus faceret, & febrem) sed intra ipsius venas adaucto, citra inflammationem, & febrem concitetur: hi enim humores, sicut & melancholicus, copia sua obstruunt, ac densam respirationem efficiunt.

Ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 396 sur 927

Ex hac conſideratione ſolues aliam quæſtionem: *Vtrùm præter durum tuberculum in pulmone genitum, alij etiam abſceſſus coctiles inter aſthmatis cauſas ſint numerandi?* Nam Galenus 4. *de loc.*8. & 6. *epid.cit.* ex crudo ſolùm tuberculo difficilem reſpirationem oriri poſſe confirmat, quod de vero aſthmate, morbo chronico, intelligendum puto. Cæteros verò abſceſſus calidiores, qui citò ſuppurantur, eandem obſtructionem in locis dictis efficere poſſe non eſt negandum; ſed ij neque diu durant, & cum febre conſiſtunt, quæ duæ conditiones, febris videlicet carentia, & chronica natura, ad aſthma conſtituendum concurrunt. Quare alij abſceſſus hunc affectum producunt, ſi lato ſignificato mentem auctorum exponas. Id etiam ſignificauit Aëtius, *tetrab.*2. *ſerm.*4. *cap.*57. cùm ſic ait: *Fit autem coarctatio locorum inſpirationis, quum aut craſſorum, aut tenacium humorum multitudo bronchia pulmonis obſtruxit, aut tumor quiſpiam abſceſſui ſimilis in ipſo conſiſtit.*

Vltimò quærendum: *Vtrùm ex vteri ſuffocatione difficilis reſpiratio poſſit concitari?* Reſpondet Galenus *lib.*6. *de loc. affect. cap.*5. quo loco apnœam ad vteri ſubſequi ſuffocationem affirmat. Ex ſemine enim in vteri cauitate retento, prohibito diffiari, & putreſcente, eleuantur halitus craſſi, denſi, multi, & frigidi, qui per arterias & & neruos, ad thoracem & pulmonem tranſmiſſi, ſpiritus vias conſtipare, cerebrum refrigerare, ſeptum tranſuerſum, primum reſpirationis inſtrumentum, pigrum ad motum reddere poſſunt.

Neque obiicias, ſemen calidum eſſe, neque intra vterum putreſcens adeò poſſe refrigerari, vt ſuperioribus partibus, etſi cum iis plurimum habeat conſenſum, frigiditatem communicare queat: Nam licèt ex putredine calor ſuſcitetur, 4. *meteor.*4. & 11. *meth.*8. tamen finita putredine, res quæ putruit, relicta à regimine naturæ, frigida euadit, euaneſcente & exoleto calore innato, vt conſtat in cinere, aceto, lacte in grumos conuerſo, ſanguine coagulato. Ita in ſemine muliebri, quod collatione virilis frigidius eſt, conſtat apertè, quòd diu in vtero retentum, à calore non gubernatum, excedentem frigiditatem nanciſcitur, & veneficam; qua, ob ſummum quem obtinet conſenſum cum diaphragmate, illi immobilitatem conciliat, vitales ſpiritus corrumpit, facultates debilitat, ita vt omnimoda interdum reſpirationis ceſſatio ſequatur.

Signa.

MVlta quidem perdoctè Magiſter vigilantiſſimus edocuit, *lib.* 4. *de loc. cap.*4. dum de difficili reſpiratione egit eximiè. In cuius mente enucleanda quærendum primò: *Vtrùm ex vitiata reſpiratione poſſit affecta ſedes indicari?* Cùm enim plura ſint reſpirationis inſtrumenta, aſpera nempe arteria, pulmo, thorax, muſculi intercoſtales dicti, & ſeptum ipſum tranſuerſum, (licèt diuerſimodè, nec eodem genere cauſæ inſeruiant, ſed quædam, vt via; vnum, vt aëris receptaculum; alia tanquam eius functionis agentia) non poterit certa determinataque ſedes affecta monſtrari, ex vitiata reſpiratione in genere: ex vna tamen ſpecie, non modò loci, verùm etiam affectus indicium aliquod licebit elicere.

Quare eam difficilem reſpirationem per quam plurimùm dilatatur thorax, ita vt anteriùs ſurſum ad iugulum, poſteriùs ad ſpathulas, lateraliter ad humeros, ſeu epomides (loci namque ſunt ad humeros attinentes, 1. *de articul.*4.) ſimul moueatur, aut caloris exceſſum in pectoris regione, pulmone, vel corde; aut anguſtiam, vel coarctationem in aliquo inſtrumento reſpiratorio; aut denique mouentis facultatis imbecillitatem ſignificare docet. Nec immeritò vnum ex tribus his, ex prædicta reſpiratione colligit Galenus, quoniam cùm tres illæ ſint tam reſpirationis, quàm pulſus continentes cauſæ, vſus, facultas, & inſtrumentum, 1. *de cauſ. puls.*1. neceſſariò ex effectus mutatione, in aliqua ex illis mutatio indicatur.

Verùm auctum quidem vſum, primúmque ex illis tribus dignoſces ex pulſu, expiratione, & caloris acrimonia iuxta thoracem ſenſati. Si magnus fuerit, frequens, & celer pulſus, expiratio multa; confertímque facta, hoc eſt, cum frequentia, & celeritate, imò & cum vehementia, quàm exufflationem appellant, in qua multum & confertim expiratur, 2. *de placit.* & 7. *de vſu part. vtrabique cap.*5. & *alibi.*

Denique ſi pectori manu impoſita, thorax flagrare videatur, caloris excedentis certiſſimas habebis notas in corde æſtuantis, vel pulmone: quod amplius enim ſupereſt indicium, hominem febre, eáque ardenti teneri, vt dicebat Galenus *lib. de marcore, cap.*5. Accedunt etiam faciei, oculorúmque rubor, capitis ardor, ſitis, & reliqua. Quòd ſi incendij ſignis non ita apparentibus, difficilis illa adſit reſpiratio, in qua plurimùm dilatatur thorax, anguſtiam habebit aliquod ex reſpiratoriis organis, aut enim afficietur guttur, pulmo, thorax, aut ſeptum ipſum: & affecti quidem gutturis indicia petes, ex *cap. de pulmonia*; aliorum, ex *infrà* dicendis.

Ad tertiam cauſam, imbecillitatem videlicet facultatis in ſpina, deinceps progreditur: euenit namque, vt omnes etiam thoracis partes dilatentur, ob ſpinæ imbecillitatem, ſiue ex proprio affectu, ſiue vitio cerebri contractam: quamuis illud non aſſequantur plurimi periti Medicorum, qui cùm ſuperiores thoracis partes quieſcere ſolitas, viderent etiam moueri, nullo exuberante calore ad id cogente, coniectabant ab aucto potiùs mouentis facultatis robore, quàm imbecillo, ac minuto prouenire: ſed perperàm, cùm multos iam morituros infernis, & ſupernis thoracis muſculis ſpiritum trahere, ipſi crebrò viderint, omnibus penè membris reſolutis, quibus tamen vim mouentem conſtat eſſe imbecillem. Euentus autem cauſam aſſignat Galenus, quoniam dum quieſcit, valétque animal, ſolius ſepti ope efficitur reſpiratio libera, & violentia carens; eo infirmo, vel neceſſitate magis aucta, intercoſtalium etiam muſculorum auxilium concurrit: Si maiori adhuc animal egeat reſpiratione, ſuperiores etiam muſculi operantur, ac ſecundùm omnes partes dilatatur thorax, vt conſtat ex ſuperioribus, & demonſtrat Galenus *lib. de vſu reſpir.* & *loc. ſuprà citatis.*

Cùm igitur prædicta organa etiam ex ſpinæ conſenſu poſſint vſque adeò debilitari, vt ſingula non ſufficiant, neceſſe erit in vitæ ſubſidium omnia ſimul concurrere, & ex imbecillitate difficilem reſpirationem fieri. Porrò quoniam ex triplici occaſione contingit thoracem ita dilatari, ex aucto nempe calore, anguſtia alicuius organi reſpiratorij, & infirmata facultate, ab vna, aut alia fieri, ex dilatationis modo dignoſces: Maxima enim diſtentio à calore aucto, dummodò vires conſtent; minor ab anguſtia; minima, nec multa, ſiue non frequens, à facultate imbecilla. Firmabis autem coniecturam, ſi ſimul narium pinnæ moueantur, quod tanquam peculiare debilitatis indicium, non modò 4. *de loc. cit.* ſed 1. *de diff. reſpirat. cap.*23. iungit Galenus. Si verò cum facultate robuſta, calor, & anguſtia iungantur, quod accidit in peripneumonia, omnium maxima fiet, & frequentiſſima reſpiratio.

Hæc ſunt, quæ ex mente Galeni 4. *de loc. cit.* colligi poſſunt. Sed contrà multa ſunt, quæ plurimùm vrgent, quæ exponere oportet, vt ſic ipſius doctrina euadat illuſtrior. Et primò ſic. *Vtrùm difficilis reſpiratio, vel calorem adauctum, vel organi reſpiratorij anguſtiam, vel facultatem imbecillem ſignificet?* Quæ pro arbitrio inchoari poſſunt, & terminari; maiora, vel minora fieri, celeriora, aut tardiora, demum ſecundùm voluntatem quouis modo immutari, cauſam aliam quantumuis vrgentem certò atteſtari non valent. Sed huiuſmodi eſt

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 397 sur 927

est respiratio, igitur difficilis ea, de qua 4. *de loc.* agit Galenus, aliquem ex tribus memoratis affectibus certò non significabit. Non auctum, excedentémve calorem, quoniam respirationis magnitudo non minùs etiam sequitur ad animalis spiritus inopiam, quod 4. *de loc. cap.* 7. non subticuit Galenus: ideò enim ea accidit currentibus, & fatigatis, vt exhaustus spiritus restituatur, 3. *de caus. puls. cap.* 13. nonnunquam propter respirandi negligentiam, quemadmodum delirantibus accidit, 1. *progn.* 29. & 1. *de diff. respirat.* 22. & ad spectacula stupentibus. Non etiam angustiam alicuius respiratorij organi significabit, quia de illorum numero cor non est, illius tamen affectio non minùs respirationem, ad quamlibet differentiam pro necessitate immutat, quàm instrumentorum, quæ in ipsius cordis gratiam operantur.

Denique, quòd nec certò, imò nec vllatenus ostendat mouentem facultatem labefactatam, multis contendi potest: Cùm enim respiratoria facultas cerebri sit, non cordis, & ad huius mala plerumque talis fiat respiratio, videbatur ex ea potiùs colligenda facultatis cordis, quàm motricis cerebri imbecillitas. Deinde respirationis, & pulsus differentiæ proportionales sunt, & inter sese mutuò respondent. Sed infirmata pulsifica vi pulsus redditur minor quàm antè. Igitur similiter eueniet in respiratione: & ex consequenti magna, de qua hîc, non poterit vim imbecillem attestari: Maximè quia cum debili facultate exiguus datur calor; ad illius enim proportionem augentur, & infirmantur vires. Atqui ad exiguum calorem tuendum parua sufficit respiratio, imò & talis requiritur, quia à magna potiùs extingueretur. Igitur ea quæ fit thorace secundum omnes partes dilatato, non potest sequi ad imbecillitatem virtutis. Et ex consequenti, &c.

Dic. Licèt respiratio libera & sana, ex mera caloris necessitate oriri non dicatur, propter ingressum quem simul in ea habet voluntas, ad accelerandum, vel retardandum, quin & ad mortem vsque etiam retinendum, provt ostendit seruus iratus, apud Galenum, *lib. 2. de motu musculor. cap.* 6. cùm tamen voluntariæ actiones vsibus etiam naturæ inseruiant, & respirationis motus in caloris innati conseruationem dirigatur, nihil mirum si ex respirandi modo, caloris statum coniiciamus, atque ex respiratione illa magna, vnum è tribus colligamus, ex quibus indicatur mutatio in aliqua ex tribus continentium causarum.

Etsi autem sub vsu aucto, animalis etiam spiritus inopia, & alia in argumento adducta comprehendantur, satis fuit principalioris meminisse, in quo alios vsus subintelligendos voluit: neque enim illum ex spiritus defectu, propositum 4. *de loc. cap.* 7. omisit. Quòd si aucti vsus indicia mediocria non sint, nec æstuantem calorem præ se ferant, & totum thoracem æger mouere videatur, nisi ex debilitate oriatur, constrictio in pulmone erit, gutture, vel thorace: vbi enim præ angustia quam patitur, organum vnum sufficienter, & quantum antea solebat, non distenditur, conueniunt talia in deficientis subsidium.

Iam verò respiratio, licèt non minùs immutetur ad cordis affectionem, quàm cerebri, seu agentis pectoris, seu instrumenti, &c. cùm tamen finis sit, ac vsus respirationis, & cui illa famulantur, aut vsus, aut instrumentum, deficientibus aucti vsus indiciis, non cordis, sed alicuius organi angustia ex tali respiratione indicatur. Demum aut imbecillitas modo dicto ab aliis affectibus distinguenda, mouentis facultatis, non cordis, quæ diuersa est: quamuis enim ob illius affectiones, & vim debilem, plerumque contingat totum thoracem multùm dilatari, fit tamen respiratoriis organis, & vi animali iam per consensum infirmatis, ad spiritus, & naturalis caloris defectum.

Nec putes, magnam esse huiusmodi respirationem: impossibile enim est talem fieri, vitali, & animali facultatibus ferè prostratis: verùm quia in omnibus simul organis perficitur, & in altum, antè, & retrò pectus distenditur, operantibus cum septo intercostalibus, & sublimibus musculis, ingens apparet respiratio, cùm talis non sit, nec magna in respirando inanitas, quia per magnum spatium vis debilis thoracem dilatare non potest, sicut nec etiam pulsificas arterias; quare viribus exiguis, minor naturali fit pulsus: ex quibus ad argumenta procliuis responsio.

Vtrùm ex pulsu differentiæ illæ magnæ respirationis possint explorari? etiam addubitandum. Quæ in instrumento, efficiente, motibúsque differunt, similes mutationes ab vna causa non suspiciunt. Atqui in omnibus distant pulsus, & respiratio: huius enim instrumentum, pectus est cum pulmone, & aliis *supra* memoratis; agens, animalis virtus; motus tardus: pulsus è contra velox, quinquies enim ferè pulsat cor interuallo vnius respirationis; pulsifica facultas, naturalis; instrumentum cor cum arteriis, *lib. de vsu puls.* 1. & 1. *de diff. respirat. cap.* 5. Perperàm igitur ex pulsu Galenus explorat, à quanam ex tribus occasione, magna illa respiratio oriatur, cùm inter sese diuersimodè varientur, & plerumque alterum illorum opus sine alterius mutatione, pro vitio sui instrumenti, vel facultatis. In phrenitide enim, læsa animali facultate, magna rara euadit respiratio, cum pulsu paruo frequenti; in pleuritide, vitiato respirationis instrumento, densa paruáque fit, pulsus magnus, & sic in cæteris.

Dic. Si in tribus illis distant pulsus, & respiratio, in totidem etiam mutuò conueniunt, primò videlicet in motibus, quia ex duobus contrariis pariter componuntur, per duas cessationes, seu quietes distinctis. Secundò, in vsu, quia eiusdem gratia fiunt, refrigerandi nempe innatum cordis calorem, distensione; nutriendi animalem spiritum, & expellendi fuligines, contractione. Tertiò, & in quietibus, quia vtrobique externa, ea nimirum quæ post dilatationem fit, breuior; interna, sequens ad contractionem, maior.

Quemadmodum verò operationes illæ non subeunt subitas mutationes à causis, quæ interuentu instrumenti, vel facultatis, in quibus dissident, mutant: sic similiter immutantur, vbi tertia continens causa, vsus scilicet in quo conueniunt, suscipit mutationem. Atque ita quæcunque immutant, intercedente mutatione vsus, ambas functiones similiter mutant, tam ad magnitudinem, celeritatem, ac frequentiam, vt exercitatio, vigilia, balneum, febris, &c. quàm ad oppositas differentias: quod tamen intelligendum est, dummodò aliquid non interueniat, eam mutationem impediens in vna, non in alia functione. Ob hanc rationem post assumptum cibum, ex vsu aucto pulsus quidem magnificatur, sed parua efficitur respiratio, scilicet quia per magnum spatium dilatari non potest septum, ob tumentem ex alimento ventriculum, & occupantem distentionis locum: Verùm respirationis paruitas frequentia compensatur, & quoad fieri potest, similis efficitur pulsui, de quo pulchrè Galenus *cit. de vsu puls.* Ac proinde meritò, 4. *de loc.* 4. ex pulsu docet explorare, num ob excedentem calorem fiat proposita respiratio: proportionabiliter siquidem immutantur, aucto, vel diminuto vsu; non sic autem variato instrumento, vel efficiente causa, penes quæ distant, vt diximus. Quare nihil mirum, si in pleuritide, vitiato instrumento; & in phrenitide, læsa animali facultate, non conueniant inter sese pulsus, & respirationis differentiæ.

Altiori verò speculatione indiget: *Vtrùm caloris excessus potius ex inspiratione, quàm expiratione sit venandus?* Ex duobus contrariis motibus, quibus constat respiratio, inspiratio refrigerationis causa fit, expiratio, vt adustæ excernantur fuligines, *lib. de vocal. instrum. dissect. cap.* 8. 2. *de placit.* 4. 8. *eiusd.* 4. 2. *de mot. musculor.* & 1. *de diff. respirat.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 398 sur 927

*reſpirat.3.4.Aph.58.6.epid.ſect.5.com.32.*Quare inſpiratio, ſeu pectoris diſtentio, ſpiritus latio ad introrſum; expiratio, ſeu pectoris conſtrictio, ad extrorſum dicitur,& ſuffocationis medela: & pro vſu quidem,ac neceſſitate variantur. Ergo potiùs caloris exceſſus ex inſpiratione venandus erat,quàm ex expiratione; exuperante ſiquidem calore, quàmprimùm magnificatur inſpiratio, & illius refrigerio ac moderationi potiſſimùm inſeruit.

Dic.Quamuis per inſpirationem,refrigerium calori paretur,& aucto debeatur multa, cùm tamen talis etiá inſpiratio fiat propter imminutum ſpiritum, non putat Galenus, vſque adeò certum ex inſpiratione indicium excedentis caloris,ſaltem præternaturalis,1. *de diff.reſp. c.*24.imò certius ex expiratione,præſertim multùm, & confertim facta,quoniam cùm ita expiratur,neceſſariò colligitur, dari fuliginum aduſtarum copiam, quæ ſolius immodici, & extranei caloris eſt ſoboles: is enim cùm magis exurat,plures fuligines aceruare facit,ideóque maiori indiget expurgatione,quæ expirando peragitur,alioquî ſuffocaretur animal,*lib.de vtilit.reſp.c.*2. naturalis autem calor magis exigit plurimam inſpirationem ad ſpirituum nutritionem.

Quòd ſi vrgeas, inſpiratione moderari calorem etiam immodicum & excedentem,ſimúlque prohiberi fuliginum generationem, atque adeò ob duplicem illum vſum potiùs magnificandam eſſe,ac certius caloris extranei indicium ab eâ deſumendum. Dic. Cùm iam fuliginum aduſtarum copia adeſſe ſupponatur, & ab illis retentis,magis quàm à frigidi aëris inopia, periclitetur innatus calor,magis expediebat augeri expirationem in extraneo calore: ideóque illius exceſſum, ab expiratione, præſertim ſi cum vehementia, id eſt, exufflando fiat,venandum docuit Galenus.

Illud etiam non ſilendum dubium: *Vtrùm ex motu pinnarum, facultatis reſpiratoriæ debilitas ſit colligenda?* Licèt naſus dicatur reſpiratorius meatus, primúmque reſpirandi inſtrumentum, 11.*de vſu part.* 11. in omni tamen reſpiratione, ſiue naturalis ſit, ſeu difficilis, & præter naturam, nares ſemper otiantur, ex Galeno *ibidem, cap.* 2. Nec immeritò, quia cùm par aëris copia trahenda eſſet, motis, vel immotis pinnis, fruſtra quidem,ac ſine aliquo vſu mouerentur,imò cum notabili diſpendio anhelitus, quia ipſarum contractione aëris impediretur ingreſſus. Abs re igitur Galenus ſignum addit, ex alis narium motis, ad reſpiratoriæ facultatis imbecillitatem colligendam.

Dic. Putant aliqui alas, hoc eſt, exteriores narium partes,quæ & pinnulæ nominantur,*lib. introd. cap.* 10. etiam inter anhelandum moueri, ſed in ſanis illarum motum viſum fugere, obſcuráque à valido illo, quo vis roborata pectus agitat: ea verò proſtrata ſentiri, viſúque diſcerni,præ exiguitate motionis pectoris;atque ideò ex pinnis narium motis deſtructæ virtutis, ac exitiale indicium deſumi, quia tunc ſolùm ſentitur illa motio pinnarum cùm reſpiratoria vis præ ſui imbecillitate aërem non per os, ſed tantùm per naſum tentat attrahere. Cæterùm manifeſtè redarguuntur, quoad vtramque cauſam: & primò, quoniam ſicuti dictæ alæ per ſe ſpectatæ,in omni alio affectu permanent immotæ, ita in lethali hoc, & ſummo debilitatis virium gradu, manifeſtè moueri conſpiciuntur. Igitur, &c.

Deinde in homine ſano, rectéque valente naturalis reſpiratio,docente Galeno 11.*de vſu part.* 11. non ore, ſed ſolùm naribus peragitur. Igitur ſi aërem trahere per nares,cauſa eſt vt pinnulæ moueantur,perpetuò in ſanis, rectéque valentibus mouebuntur; cuius tamen oppoſitum experimur.

Dicendum, non aliunde dictas naſi pinnulas inter inſpirandum moueri, quàm ob extremum anhelandi conatum:vbi enim præ debilitate, ſeptum cum ſublimibus,& intercoſtalibus muſculis, non ſufficit ad aërẽ trahendum, agitat, etiam natura externas illas nariũm partes,alioquî ſemper otiantes, vt ipſæ ſimul in deficientis ſepti, & aliorum inſtrumentorum ſubſidium, aëris tractionem iuuent:eo modo quo morti propinquî hiant,quaſi ita plus aëris intra pectus recepturi;& ſicut per os aliquid attrahere volentes, labia contrahimus,1. *de diff.reſp.cit.*Propter quod ibidem,4.*de loc.* 4. & 7. ſignum hoc exolutæ virtutis, & lethale pronuntiatur, maximè ſi inter expirandum pectus collabatur,hoc eſt, ſubitò cadat,non paulatim demittatur:reſpondet enim talis pectoris collapſus, corporis ad pedes procidentiæ, & manus in aëre relictæ prolapſui,de quo 1.*progn.* 15. Quòd ſi aliquando in anhelantibus ex immodico curſu equis,& in hominibus præ iracundia efferatis, ebulliente intra pectus calore,ob validum aëris tractum eæ etiam alæ conſecutione quadam moueri videantur, (non aliter ac cordis motum aures illæ hærentes imitantur)protinus ex vehementia,celeritate, & frequentia reſpirationis, diuerſum deprehendes ab eo alarum motu,qui virium imbecillitate fit; in hac enim paruus eſt,tardus, & rarus anhelitus, atque ideò ab omnibus inſtrumentis,etiam antea quieſcentibus peractus,vt diximus,& 4.*de loc.cap.*7. Galenus edocuit.

Illud etiam proponendum.*Vtrùm differentia difficilis reſpirationis ortæ ex debilitate,à duabus reliquis,ex calore, & organorum anguſtia, ſignis poſſit diſtingui?* Quamuis difficilis reſpiratio, quæ à Græcis dyſpnœa nuncupatur, ſtrictè, & propriè quidem aliquando accipiatur, pro ea tantùm ſpirandi læſione, in qua velox eſt, & crebra,ſimúlque parua reſpiratio,denſi ſpiritus nomine comprehenſa,3.*de diff.reſpirat.vlt.*& 6.*epid. ſect.* 3.*com.* 9.& *ſect.*4.*com.*4.quandoque tamen latè,& generaliter ſumitur pro qualibet reſpirationis offenſa,ſimplici, aut compoſita,ſiue velox,ſiue tarda ſit; frequens, aut rara; magna,aut parua;vehemens, aut languida;aut demum quæcunque alia læſæ reſpirationis ſpecies (dummodò apnœam excipias, quam ſpirationem non dixeris, cùm abolita potiùs functio ſit, atque adeò ſymptoma quoddam, pertinens ad genus aliud diuerſum, *lib. de diff. ſympt. cap.* 3. & 4.) Ita 1.*de diffic. reſpirat. cap.* 2. cum ſequentibus,& 4.*de loc.cit.*in quo Galenus docet, quomodo ex difficultate ſpirandi, affectum pectus dignoſcendum ſit.

Quare *eo loco* adducta in medium magna illa ſpiratione,in qua plurimùm eleuatur thorax, tres illius differentias numerat, quas ſimul cum cauſis proſequitur: Primam, in qua muſculi omnes valde diſtenduntur. Secundam, cum ſoli intercoſtales. Tertiam, vbi cum intercoſtalibus ſimul præcordia mouentur, hoc eſt, ſeptum ipſum tranſuerſum magna eleuatione mouetur.

Si in vniuerſum igitur muſculis omnibus ſpirantem ægrum inuenias,talis reſpirationis cauſam puta, vel virium imbecillitatem,vel viarum ſpiritus anguſtiam,vel multum in corde, & pulmone æſtuantem calorem. Quòd ſi hæ tres cauſæ concurrant, vt accidit nonnunquam,paulo pòſt interitum expecta:fieri enim non poteſt,quin calor immenſus imbecillem facultatem confeſtim diſſoluat,præſertim viarum anguſtia etiam accedente. Si duæ,ſeruari quidem poterit æger, ſed difficulter,quoniam ex calore vehementi,iuncta ſiue imbecillitate,ſiue viarum anguſtia,extinctionis, aut ſuffocationis imminet periculum.

Poſſe autem tria illa muſculorum genera,eorum videlicet qui in diaphragmate ſunt,intercoſtalium,& ſublimium,propter vnam virium imbecillitatem, ſimul concurrere ad ſpirationem efficiendam, & non minùs quàm ob auctum vſum,aut anguſtiam ſpiritualium, ex *ſuprà* dictis liquet manifeſtè. Porrò ſpeciem hanc ex imbecillitate, à duabus reliquis, ex calore nempe, & organorum anguſtia,dignoſces potiſſimùm tarditate,& raritate,(adde paruitatem, ad alias comparatione facta;

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 399 sur 927

& efficax indicium ex narium pinnis contractis, de quo *suprà*) demum & exufflationis defectu, quia viribus debilibus, nulla per os facta exufflatione ſolis naribus ferè ſpiritus egreditur. Inſuper nec thorax, etiamſi omnibus muſculis ſecundùm ſe totum moueatur, plurimùm dilatari poteſt, nec celeriter, & valde frequenter: è contrà verò, vbi ex excedente calore, aut ſpiritalium partium anguſtia, ſpirandi difficultas oritur.

De Orthopnœa illud inueſtigandum: *Vtrùm Orthopnoici melius reſpirent erecti, quàm decumbentes*? Qui iacentes ſeſe ſentiunt præfocari, & recta ceruice ſpirant, periculoſiſſima ſpecie reſpirationis laborant, & Orthopnoici dicuntur. Aurelianus *lib. 3. Chronion, c. 1.* ex aliorum ſententia ſic ait: *Peſſima*, inquit, *cùm ſit, fortè à contrario ſenſu nomen rectæ obtinuit, non ſecus quàm fel dicitur dulce; Æthiops, albus; facinoroſus homo, probus.* Et ex tali ſpirandi difficultate pectoris anguſtia ſignificatur, quia non facultas ipſa, non vſus (licèt aliquando iungantur) per ſe afficiuntur, ſed inſtrumenta, & inter ea aſpera arteria, præſertímque eius propagines, quæ in pulmones diſtribuuntur: ex eo enim quòd ſtrictiores ſint, accidit promptiùs obſtrui, & anguſtiores reddi, vt *3. Aph. com. 26. & 1. de diff. reſpirat. cap. 12. & 7. de comp. med. ſec. loc. cit.* Qua de cauſa licèt plurimùm dilatetur pectus in huiuſmodi affectione, minùs ſemper ſpiratur, quàm pro neceſſitate & vſu, ob impeditum aëris ingreſſum ex anguſtia, & conſtrictione viarum, propter quod nunquam aëre ſatiantur ægri.

Cur verò ſi decumbunt, ſuffocari videantur, & erecti faciliùs ſpirent, ideóque ſurgere conentur, cauſa vna eſt, quia ex decubitu ſpiritalis via ſtrictior, & anguſtior redditur, magíſque difficilis fit reſpiratio: cùm enim decumbentibus thorax ſupra ſpinam concidat, neceſſe fit pulmonem cum bronchiis ſimul, à pectore grauante comprimi & anguſtari, atque ita reddi ſpirationem difficiliorem. Corpore autem erecto bronchia magis hiant, magíſque ampliatur ſpiritalis meatus, partim quia in directum extenduntur, partim, quia minùs in ſe concidere prohibentur, ex Galeno *4. de loc. 7. & 3. progn. 16.*

Rurſus erecto homine pectus multò faciliùs diſtenditur, quàm quouis ſitu decumbente: Nihil mirum, igitur, ſi in ſubſidium mali vſque adeò vrgentis, erigi conentur. Antecedens patebit, ſi omnes decubitus ſpecies percurras: in ſupino enim vèter ſpiritalis prociduus, cùm quoquouerſus inter ſpirandum moueatur, aſcendit, quod ſine aucta difficultate fieri non poteſt. In prono, ab incumbente corpore dilatari prohibetur: nec minùs in laterali, ab oppoſito latere grauante. Sola igitur ſupereſt ſine impedimento, & facilior, erecta corporis figura, in qua liberiùs poteſt thorax ad latus moueri.

At contrà eſt argumentum validum in hunc modum. Quod validis, robuſtíſque ſanis difficile eſt, & laborioſum, debilibus ægris fit difficilius, & laborioſius. Atqui ſtatio, & recta corporis figura etiam ſanos fatigat, quia muſculi omnes in actione ſunt; decubitus, propter muſculorum otium, ad quietem facit. Igitur peſſimum erit, ac difficile reſpirantibus ſurgere, & reſidere, quod docuit Hip. *1. progn. 23.* non alleuiabuntur, aut faciliùs ſpirabunt corpore erecto, ſed multò magis decubitu ſupino, quo vires imbecillés conſeruari, reparárique ſcribunt multi, & confirmant ex itinere defatigati, qui eum ſitum eligunt: aut ſi in dextrum, ſiniſtrúmve latus decumbant, quem decubitum Hippocrates commendauit *1. progn. 16. & Ariſt. 6. probl. 7.*

Dic. Fatemur ægrotantes ſtando nimiùm defatigari, & imbecillas eorum vires ex eo ſitu reddi imbecilliores, quàm ſedendo, aut decumbendo: in ſtante ſiquidé muſculi omnes in actione ſunt; in ſedente pars quieſcit, pars verò mouetur; in decumbente vniuerſim, ferè omnes otiantur: quare tanquam melius, & commodius ægris præcipimus decumbere, quoniam ex otio muſculorum omnium corpus ſuſtinentium, vires vel reparantur, vel ſaltem non diſſoluuntur. Verùm ſi pectoris anguſtia laborent, nec liberè reſpirare valeant, ob magis vrgens opus, ſaltem pectus eleuare commodè conſulemus, quoniam ita ob rationes ſuperiùs notatas faciliùs reſpirant.

Nec verò Hippocrates *in prognoſticis* factum improbat, ſed malum pronunciat reſidere, ratione mali quod inde ſignificatur, anguſtia nempe pulmonis, aut æſtuàs in præcordiis calor, vel grauiſſimus alius labor, non patiens ægrum liberè, ſufficientérque eo ſitu reſpirare, quo magis quieſcit, minúſque debilitatur, ſed ſurgere, reſidereque cogit, & peiorem ſitum eligere, in mali vrgentioris ſubſidium, quod ex ſupino, aut laterali decubitu nequaquam paratur, vt dictum eſt *ſuprà*. Supinus verò quantumuis dicatur infirmatas vires reparare, pectoris tamen anguſtiam, & laborem auget, propter quod ſi multùm duret, ob eleuantis ſe thoracis difficultatem, potiùs debilitat. Fatigati verò ex itinere, ſi eam figuram eligant, pectore non laborant; & licet non ita liberè reſpirent, leue damnum ferunt, ob melius quod ſequitur bonum, ex quiete, & virium reparatione. Quia verò eas inſinuat exhauſtas, nec potentes corpus ſuſtinere, ſimpliciter & abſolutè reprobatur hic decubitus in ſignificando, *1. progn. 14.* ſubſcribit Auicenna *2. 4. tract. 1. cap. 42.*

Hic enim decubitus, regentis corpus facultatis, ac firmantis illud per muſculos, debilitatem præoſtendit, quæ non poteſt, vt conſueuerat, corporis molem ſuper latus firmare, quin ſtatim in ventrem, aut in dorſum decidat, tracta ab inſita grauitate; quare imbecillis natura morbo haud poterit reſiſtere. In dextrum autem, atque ſiniſtrum latus decubitus, licèt ſimpliciter tam in ſanis, quàm in ægris commendetur, quia ita ſuauiùs ſoporantur, vt Ariſt. inquit, difficiliorem efficit reſpirationem, ex dictis *ſuprà*: atque ita, &c. Quòd ſi Auicenna ſcripſit *18. 3. tract. 1. cap. 18., prope med.* dormire ſuper dorſum eſſe ex iis quæ lapidi renum, & veſicæ conferunt: id de ſolo tempore exitus calculi intelligendum puto, ad quem ſupinus decubitus haud ſecus conferre poteſt, quàm feſtinus per ſcalas deſcenſus, & inæqualis equi vectio, quæ tamen eo morbo infeſtatis extra paroxyſmum non leuiter nocent: in excludendo tamen calculo in renibus, vel vreteribus, vel in collo veſicæ impacto, ſuper dorſum iacere, ob viarum laxitatem, caloré ampliorem, vel celerem expulſionem, proniorémque ad exitum poſitum, conferre aliquid poſſe rationi conſonum eſt. Ita ex mente Plinij *lib. 28. cap. 4.* ſupinus decubitus omnibus aliis affectibus incommodat, præterquàm oculis: idque (vt reor) ratione auerſionis humorum, qui in eos poſſunt illabi.

Illud etiam diſcutiendum: *Vtrùm duæ dyſpnœæ ſpecies, ex calóre, & organorum anguſtia à debilitate orta, penes magnitudinem, celeritatem, & frequentiam diſtinguantur*? Si enim hac ratione diſtinguerentur, à prima ex imbecillitate orta, ſequeretur tres illas differentias in reſpiratione pariter, & pulſu (quæ variato vſu ſibi mutuò reſpondent) neceſſariò ſimul, ac æquè augeri, & qualibet immutata oppoſitas tres ſimul acquiri, paruitatem ſcilicet, tarditatem, & raritatem. Atqui non minùs magnitudo, quàm paruitas, citra aliarum mutationem reperiuntur, vt conſtat *1. de cauſ. ſympt. cap. 3. & 4. & 1. de præſag. ex pulſib. cap. 1. & lib. 3. cap. 2.* Igitur non diſtinguuntur neceſſariò penes illa tria. Deinde ſi nonniſi vſu aucto acquiritur magnitudo, & duabus adhuc reliquis facultatis, & inſtrumenti cauſis inuariatis, atque plerumque ea ſine aliis ſufficit: vnde in organorum anguſtia ſine calore excedente magnificari poteſt, inſuper & accelerari, & crebeſcere, ſi nec accreſcere eſt opus?

Dic. Non ideò Galenum difficilem reſpirationem de

qua

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 400 sur 927

quæ agebatur, quæque ex calore, & viarum anguſtia oriebatur, diſtinxiſſe per magnitudinem ſimul, celeritatem, & frequentiam, ab alia ex imbecillitate, & hanc ab illa, per oppoſitas differentias, quaſi vellet omnes ſimul neceſſariò, aucto, aut diminutò vſu comparari, atque ita inter ſeſe eſſe inſeparabiles, cùm non ita, imò potiùs ſucceſſiuè acquirantur, vt latè *lib. 4. Hiſt. PP. Med. in com. Hiſt.* 8. explicuimus ad Galeni mentem: ſed quia per illas diſcernendæ erant, aut aliquas, parum aucto, parúmve diminuto vſu; aut omnes ſimul, vt cùm nimiùm increuerint, quod ferè ſemper contingit calore in corde, & pulmone æſtuante; vel nimiùm decreuerint, magnáve adfuerit virium imbecillitas, nam tunc prædictæ differentiæ, niſi aliquid impediat, perpetuò coniunguntur.

Conſequenter enucleandum: *Vtrùm ſtertor Aſthmatis proprium ſit ſignum?* Nam ſtertor fieri non poteſt, niſi humor ad aſperam arteriam delatus, ibi retentus ferueat, & ſtrepitum edat, (Arabes Oregmonem vocant) quod ſignificauit Hip. 2. *progn.* 48. dicens: *Mala etiam ſcreatio, quæ non expurgatur, nec proiicit ipſam pulmo, ſed ob nimiam plenitudinem feruet in gutture*, &c. cui feruori reſpiratio ſublimis ſuperuenit. Atqui huiuſmodi humoris feruor in omni aſthmate, ceu in eo quod à tuberculo crudo oritur, non inuenitur. Ergo. At contrà obſtant grauium auctorum vota: Nam Aretæus *lib. 1. Chronion, cap. 11.* & Celſus *lib. 3. cap. 4. tit. de difficultate ſpirandi*, §. *cùm vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſono, & anhelatione non poſſit, aſthma.* Galenus *lib. 3. de diff. reſpirat. cap. 6.* Auicenna 10. 3. *tract. 1. cap. 39.* Quare propriè illi conuenit hoc ſignum, tanquam frequentiſſimum, dummodò tuberculum crudum excipias, à quo ſi oriatur aſthma, tunc ſonitus non adeſt, qui ab humore pituitoſo, & craſſo generatur ſolùm.

Præſagium.

Vtrùm reſpiratio parua & rara, inter difficilis reſpirationis differentias compoſitas ſit omnium peſſima? Ita probat Gal. *cit. 4. de locis affectis*, edoctus ab Hip. *lib. 1. progn. text. 24.* dum ſic ait: *Spiritus autem qui creber eſt, ſignificat dolorẽ, aut inflammationẽ in regionibus, quæ ſupra præcordia ſint: qui verò ſpiratur magnus, multóque interpoſito tẽpore, delirium indicat: qui frigidus de naſo, & ore erumpit, admodũ exitialis eſt.* Quando enim frigidus de naſo, & ore ſpiritus exit, valde lethalis eſt, quia natiuus calor extinguitur, qui aërem calefacere non poteſt, quod *lib. de vtilitate reſp. c. 3* iterum confirmat: reſpirationis enim organa nimiùm ſunt perfrigerata, in quibus cor, vitæ principium ac inſiti ignis fons collocatur.

Hæc reſpirationis ſpecies à Galeno dicitur parua & rara, 3. *epid. ſect. 3. com. 74.* in hunc modum: *Didiciſti autem, tum in primo de difficultate reſpirationis, tum ſecundo in præſagia, (vbi hanc dictionem ſumus interpretati: ſpiritus ſi frequens ſit, dolorem ſignificat, vel inflammationem ſupra ſeptum tranſuerſum) paruum eſſe quendam, ac rarum ſpiritum, qui cùm refrigeratur cor, & moritur iam homo, ſit.* Quod ſymptomate quodam inſeparabili Hippocrates indicauit hiſce verbis: *Si frigidum è naribus, & ore ſpiretur, exitiale iam eſt admodum*: intelligens per ſpiritum frigidum de ore, & naribus expiratum, paruam & raram reſpirationem. Vt enim magnus & frequens, immodicum calorem oſtendit, atque idem eſt calidum ſpiritum dicere, ac magnum & frequentem: ad eundem modum paruus & rarus, non alius eſt quàm frigidus. Quia tamẽ frigidus admota manu percipitur tactu faciliùs, quàm rarus & paruus viſu, continétque ſpiritus frigidus cauſam, propter quam pernicioſus exiſtit, ideò frigidum Hippocrates dicere maluit, quàm paruum & rarum. Hunc Hip. *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 74.* tenuem, & imminutum appellauit, quia interdum properante ad extinctionem naturali calore, adeò rarus, ac paruus, imminutúſque eſt, vt vix intelligas, an ſpiret æger.

Licèt enim aliæ difficilis reſpirationis ſpecies periculoſæ ſint, hæc tamen certam perniciem præſagit in acutis morbis, ingentem caloris penuriam præſignificans. Nec obiicias, acutè febricitantes frigidum non poſſe expirare, ſiquidem in corde calor febrilis eſt accenſus, & in eo viget ignea febrilis caliditas: Nam etſi prope mortem calor ſit intenſior moderato & naturali, tamẽ quantitas, & copia eius eſt imminuta valde. Quãuis autem caliditatis ſit propriũ calefacere, & permeare, cùm qualitatum omnium ſit efficaciſſima, *lib. de conſt. art. med. c. 9.* & 3. *de cauſ. ſympt. c. 3.* tamen quantitatem ad agendum requirit; quia ex ſententia Gal. *lib. 3. de temp. cap. 4. centeſima vnius ſcintillæ pars, eſt quidem omnino genere ignis, cæterùm adeò nos non vrit aut excalfacit, vt corpori incidens, ne ſenſum quidem vllum ſui excitet.*

Ex his, Galeni doctrina dilucidè explicatur, lata 6. *epid. ſect. 4. com. 3.* dicentis: *cor prope mortem frigida intẽperie laborare*: tunc enim, vt *eodem loco* dicebat Hippoc. *Signa mortifera apparent, per cutem, nares, calidus vapor: priùs nares ſpiritum frigidum reddunt.* Quod intelligi debet de frigida intemperie, quæ ſequitur diminutionem quantitatis caloris natiui, non autem de frigida intemperie, quæ ſine caloris intenſione infeſtat.

Obiicies deinde cum Gal. *lib. de vtilit. reſp. c. 3.* hoc modo. Si cor eſt frigidũ, quo pacto eget inſpiratione? Dic: Licèt calor in ventriculo cordis quantitate paucus reperiatur, qualitate tamen eſt intenſus, & ob id inſpiratione indiget. Solue ſecundò. Reſpiratio non ſolùm expetitur cauſa refrigerationis caliditatis natiuæ per inſpirationem, ſed etiam expurgationis fuliginum per expirationem, quia tamen non poſſumus expirare, niſi priùs inſpiremus, iccircò inſpiramus, vt poſtea expiremus, & vt aër expiratus fuliginoſa recrementa ſecum deducat. Adde, reſpirationem non ſolùm neceſſariam eſſe ad refrigerandum calorem, ſed etiam ad vitalium ſpirituum regenerationem.

Quæres: *Vtrùm fœminæ difficultati ſpirandi ſint magis obnoxiæ viris?* Dic, quòd licèt fœminæ ſint frigidiores viris, pituitoſíſq; magis abundẽt excrementis, denſiore ſint præditæ corporis habitu, per quem vaporum, & humorum effluxus non ita liberaliter ſpirat, & viri minùs excrementoſi ſint, calidiores, & graciliores, & ferè raram habeant carnis contexturam: tamen illæ difficultate ſpirandi minùs tentantur, quia per vterum, menſtrualéſque purgationes ſingulis menſibus totam craſſorum humorum illuuiem deponunt. Hoc ita eſſe peculiari elogio demonſtrat Gal. *lib. aduerſus Eraſiſtratum, cap. 5. in fin.* dum ſic ait: *Velim itaque audias iam veritatem ipſam, me præcone tibi denunciantem, quòd mulier ſi probè expurgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumoniis: ſed neque epilepſiæ, neque apoplexiæ obnoxia ſit: aut ſpirationis, vel vocis ablatione ritè purgata vllo tempore infeſtetur, &c.* Vterus enim cùm ſit totius corporis cloaca, & emunctorium, 1. *Aph.* 2. & 5. *Aph.* 70. & 6. *de loc.* 5. facilè, & promptè ex eo omnem recipit immunditiem, & maximè à partibus ſpiritalibus confluentem, cum quibus ratione vaſorum obtinet ſympathiam ſummã, vt *lib.* 14. *de vſu part.* 4. & 8. perbellè dictauit Galenus.

Etiam dubitandum: *Vtrùm iuuenes frequentiùs difficultatem reſpirandi incurrant, quàm pueri, & ſenes?* De ſenibus nulla eſt dubitatio, iuxta oraculum Senis, 2. *Aph.* 40. *Rancedines, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt*, teſtante etiam Galeno *in com. Neque enim hi ſoli morbi ſenes comitantur ad mortem, ſed etiam nephritis, (ideſt, paſſio renum) podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori inteſtino, & ſpleni frigidæ inſunt diſpoſitiones, & præterea crebri anhelitus, (quos Græci aſthmata vocant) tuſſes, &c.*

De pueris maior eſt dubitatio: cùm enim plurimum habeant calidi innati, ſuccos crudos non aceruãt, curationem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 401 sur 927

tionem autem rheumatici affectus positam esse in concoctione, 2. *Aph.* 40. Galenus asseruit. Verùm contrà edocuit Hip. *lib.* 3. *Aph.* 26. 30. & 31. quibus locis asthma pueris, & senibus familiare esse confirmat. Licèt enim pueri concoquant alimenta, & illis quantitate calor insit magnus, qualitate tamen mitior est, quàm vt excrementa ex cibo genita concoquere, & attenuare possit. Imò ob vberem caloris copiam, corporísque rarã contexturam, cùm citissimè resoluantur, plurima appetunt, quæ probè haud coquunt; quare obstructio succrescit, ex qua omnis morborum farrago scaturit, si fidem adhibemus Galeno, *lib. de succor. bonit. & vitio, cap.* 2. cuius causa cùm viscera non ventilentur rectè, nec deinceps munere suo fungantur apprimè, ex ineptè elaborato alimento, (sunt enim voraces, & intempestiuè ingerunt) succorum crudorum copia increscit, quæ non solùm difficili respirationi, sed longis, periculosísque morbis eos facit aptissimos, vt epilepsiæ, vermibus, vesicæ calculis, strumis, crudis tuberculis, vt infinitis propemodum locis Gal. confirmat, præsertim 2. *progn. vlt.* & *lib.* 3. *eiusd. com.* 28. 5. *de placit.* 7. & 3. *epid. sect.* 3. *com.* 53. & *lib.* 6. *sect.* 3. *com.* 25. & 3. *de caus. sympt. cap.* 3. Iuuenes ob retentricis, expultricísque robur validissimè concoquunt, & excernunt, & sicciore, acrioréque caliditate crassas materias superant, & resoluunt: etsi verum sit eos semel correptos, periculosiùs ægrotare: nam difficultas respirandi, quæ ferè à crassis oritur humoribus, iuuentuti est improportionalis.

Asthma, & Orthopnœa miserrimè vexant illos, qui malè formato sunt pectore, & angusto thorace, vel à natura, vel ex accidenti, vel ex gibbositate, quæ dorsum ad externa distorquet, hi enim in his partibus maximam debilitatem contraxerunt, & à leuissima causa offenduntur. Quare ex mente Hippocratis 6. *Aph.* 46. ij ante pubertatem moriuntur. Maximum etiam vertitur periculum, quando cum acuta febre difficultas respirationis coniungitur: crassa enim materia à febrili calore exiccata, crassior fit, & difficiliùs excernitur. Adde quòd cùm acuta febris plurima aëris frigidi inspiratione indigeat, & hæc propter angustiam fieri nequeat, breui tempore non rectè ventilato corde suffocantur, & moriuntur. Si verò febris mitis superueniat, reprobanda non est, velut de febri, quæ conuulsioni superuenit, vt iudicat Hippocrates 2. *Aph.* 26. & 4. *eiusd.* 57. hæc enim crassos humores coquit, lentos attenuat, discutit, resoluit. Denique asthmatici, & orthopnoici periclitantur maximè, si vires valde sint imbecilles, citissimè enim in syncopen, & mortem subitò incidere solent, quam pulsus inæquales, & intermittentes verè prænunciant.

Curatio.

ASthma, & orthopnœa cùm in causa, & parte affecta conueniant, (penes enim magis, aut minùs distinguuntur) vnam solùm curationem expostulant. Huius autem affectus constitutio cùm diuturna sit, & repetat per circuitus, Epilepsiæ, aut vertiginis instar, interdum accessionem concitat acutam, & satis periculosam, quam natura præ vehementia tolerare nequit. Quapropter duplex curandi ratio insurgit, altera quæ in accessione, alia quæ in præseruatione celebrari debet.

Præsente accessione aër attemperandus, vt ne præ frigiditate vehementi humorem crassum incrudet, qui ferè huius affectus causa esse solet, nec præ caliditate ita liquefaciat, vt fluxilior factus, ex capite maiori cum impetu in thoracem confluat, suffocationísque periculum excitet. Somnus præterea in accessione, quantum fieri potest, euitandus, ob suffocationis quod imminet periculum. Si verò ob virium lassitudinem, & debilitatem, eo vti æger indigeat, breuis sit, & interruptus, ex Rasio 4. *continent. cap. prop. de asthmate.* Diurnus, & præsertim meridianus, noxius, sanis & ægris inutilis, 2. *progn.* 11. debilitate enim, fluxiones mouet, cruditates parit, flatus eleuat.

Virum difficulter respirantes, & asthmatici, capite eleuato, an submisso debeant dormire? dubium est. Auicenna 5. 3. *tract.* 1. *cap. vlt.* sic ait: *Et oportet secundum omnem dispositionem, vt assiduet demissionem capitis, & teneat decliue puluinar, vel capitale.* Hæc Auicenna ex correctione Bellunensis. Contrà Oribasius ex Antyllo, *lib.* 6. *collectaneor. cap.* 1. *Figura autem decubitus eorum, quibus caput laborat, in sublime vergat, præterquàm in phreniticis, quoniam in iis humilem, atque inclinatum decubitum volumus, quia decubitus in sublime elatus, quodammodo eos perturbat.*

Qui situm in somno erectum reprobant, suum fulciunt placitum Aristotelis sententia, qui 10. *probl.* 53. quærens, cur homo omnium animantium maximè tussiat, sternutet, & grauedine afficiatur? respondet id fieri, quia cùm homo recta basi se in sublime modo stirpium attollat, hinc prouenit, eius cerebrum plurimos ex infernis partibus vapores, sursum rectà conscedentes facillimè recipere.

Sed consistamus tantisper, & hanc de ascensu vaporum in accubitu erecto doctrinam contemplemur: Si enim vapores difficiliùs ascendunt demisso capite, quàm eleuato, cur non eundem decubitum in ophthalmia, & dolore capitis à bile, & aliis morbis, qui ex inferioribus elato humore, aut vapore constant, approbamus? Deinde, si æquè per lineam rectam, à corde, seu hepate ad caput in homine fit transitus, & in ipsis brutis, videtur decubitus erectus in asthmate, & aliis distillationibus à capite magis approbandus: siquidem humores cùm suapte natura graues sint, difficiliùs erecta figura, quàm demissa in caput ascendunt; ad illa enim quæ sunt sublimia, difficiliùs perueniunt grauia, quàm ad ea quæ humilia: Quare in hunc sensum *loco cit. ad finem capitis*, dixit Oribasius, decubitum à pedibus altiorem replere caput, & instrumenta sensuum: quare Celsus *lib.* 4. *cap.* 4. *sublimem decubitum summopere probat.*

Quid ergo respondendum sit Auicennæ, submissum decubitum approbanti, iam exaudi. Hic enim auctor eum esse præstantiorem asseuerat, quando affectiones rheumaticæ cerebrum per proprietatem infestant, quia videlicet ibi humor est genitus, nam faciliùs descendit, quia grauis est, sicuti humor parieti hærens promptiùs labitur, quàm solo effusus, quod planum est. Si verò distillatio per consensum vexet, approbandus sublimis decubitus, ex aliorum mente: hac enim figura caput constitutum, vapores, & humores difficiliùs absorbet, imò à se longissimè arcet.

Solue secũdò. Auicenna intelligendus est de præcautione, quo tempore imbelles ægri suauiter hoc modo recumbentes, vires refocillant; qui decubitus laxum corpus efficiendo, faciliorem vaporibus commeatum præbet, attamen sua diuturnitate eosdem concoquendo resoluit. Cæteri verò auctores erectum decubitum laudantes, de accessione interpretandi: quia in summisso, & supino decubitu viarum spiritus augetur angustia, super illas thorace concidente; erecta verò figura sedentibus ægris, viæ spiritus dilatantur magis, ex Gal. 4. *de loc. cap.* 7. *post princip.* & 2. *prorrhet.* 54. & 3. *progn.* 16. *in fine.*

Exercitium fugiendum ex Celso *loco cit.* qui solùm lentam deambulationem asthmaticis, & difficulter anhelantibus consuluit. Hæc crassos humores concoquit, glutinosos secat, partes robustiores efficit, & suauiter calorem accendit, vt prædictos humores per insensilem halitum discutere queat. Exercitatio contrà, quæ iccircò in hoc affectu summè vitanda, quia ægros ad anhelosam respirationem pronos facit; cùm enim sit motus vehemens voluntarius, immutans respirationem, quam difficilem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 402 sur 927

©BIUM

difficilem facit,& factam adauget,2. *Aph. com.* 20. & *lib de vtilit.reſpirat.cap.*4. fit vt anhelantibus, & ſuſpitioſis,ſit inutilis, & valde noxia.

Vtrùm Venus difficulter ſpirantibus vtilis ? Plures firmant,quia ex edicto Hip.6.*epid.ſect.*5. *text.* 23. *Venus, morbis a pituita,remedio eſt*,craſſos enim humores diſcutit:Nam ex cõcubitu venereo,ob motum, accito calore,excrementa per corporis habitum expurgantur,dilatatis vaſis,& cutaneis poris patentioribus factis. At reproba eſt ob cauſas multas : Prima,quia in hoc affectu caput eſt imbecillum valde,cui veneris vſus ſummè eſt aduerſus : nihil enim eſt quod ampliùs illius incommoda perſentiſcat,quàm cerebrum,vtpote laxum,molle,friabile, & exangue , & ex ſpiritibus animalibus ad præſtantiſſimas actiones perficiendas refectionem habens. Secunda, quòd concuſſione valida thoracis, plurima humoris copia ad ipſum concurrit, debilitat,& ad recipiendos humores promptiſſimum reddit. Tertia quia timor eſt, ne præ valido motu,vaſa thoracis à mucoſo humore madida , diſrumpantur. Quarta,quia ex vehementi motu,difficilis,ac crebra reſpiratio efficitur. Quare aſſidua venere vtentes in grauiora damna incurrunt , ex frequentioribus interuallis acceſſione miſerrimè oppreſſi, cùm ab ea abſtinentes rarò apprehendantur. Non nego veneris vſum pituitoſis morbis vtilem, dummodò alia non adſit potior indicatio,quæ à viribus deſumitur, quas, preſertim animales, aſthmaticis infirmas adeſſe , *lib.* 4. *de loc.*2.Galenus inculcat.

Diuertendus eſt à thorace humor ingenio omni, frictionibus crurũ,vinculis dolorificis , cucurbitulis,ligaturis,clyſteribus acribus, & aliis reuellẽtibus auxiliis, prout *lib.*1.*huius operis c.de epilepſia* monuimus.At quæres:*Vtrùm vomitus in acceſſione prouocandus*?Non deſunt qui ſuadeant,præſertim quando præceſſit in ventriculo mucoſi humoris copia multa, quam vomitu excernere ſalubre iudicant , quia humore craſſo venter diſtentus reſpirationem maximè impedit. Cæterùm cùm viſcoſum ſuccum clyſtere,& balano elidere facilè poſſimus, à ratione videtur alienum, vomitum mouere : attracto enim humore à partibus omnibus ad vitalia membra, vehementi conatu , æger in ſuffocationis periculum incurrit , metúſque eſt ne materia in œſophagum adducta aſperam arteriam opprimat , & ſuffocationem inducat.

Enitendum ſummopere, vt ſputum facile fiat,& tenax humor in pulmone , & eius bronchiis pertinaciter infixus,per ſpurum educatur. Hoc opus præſtant expectorantes ſyrupi,decocta, eclegmata , ſiue looch , & cætera quæ pectus à craſſis humoribus repurgant, illos ſecant , attenuant , detergunt , concoquunt , digerunt , quorum copiam ſuprà *cap. de Aphonia* propoſuimus.

Duo ſunt præſidia magna,ſanguinis miſſio , & purgatio, quæ in acceſſione aſthmatica videntur eſſe magni momenti , & multi vſus , & iccircò quærendum: *Vtrùm ſanguinis miſſio conueniat* ? Si enim plurima humoris copia repletur , calidi , acris,à capite ſubitò defluentis , quo auxilio promptè ſuccuras , ne ſtranguletur æger,niſi phlebotomia , ignoro prorſus. Quare ſi diuturna non ſit affectio,vires inualidæ, humor tenax, & frigidus;ſed virtus ſit firma , affectio recens , & cætera conſentiant , ſuffocationiſque periculum immineat,tunc parcè demendus ſanguis,vt fluens, & fluxus reuellatur humor, ſpiritalia membra tranſpirent,& detracta copia,vaſa pulmonis, & thoracis meliùs dilatentur;maximè ſi ſuppreſſio aliqua ſanguinis adſit vacuari conſueti : tunc enim ſi retenta , aut minuta ſint menſtrua , ad tali ſectionem intrepidè accedes.Contrà è baſilica,vel cephalica , ſi æger per os , aut nares ſanguinem ex interuallis vacuare erat conſuetus. Si verò vires ſatis firmæ non ſint, aut alia adfuerint , quæ ſanguinis detractionem dehortari ſolent , cucurbitulæ ſcarificatæ,ſtrenuum leuamen præſtant,femoribus,iliis, & ſcapulis affixæ.

De purgatione : *Vtrùm in acceſſione ſit celebranda*? diſputant auctores. Renuunt plures, quia conuenientior,& magis propria euacuatio eſt illa, quæ fit per ſputum ; ea verò quæ fit per alui fluxum iccircò reproba eſt,& nullius vſus:Deinde humores ebullientes,&agitati,ad thoracem, tanquam ad partem debilem decurrunt,& affectum augent. Adde quòd humores in pectore infixi, ope medicamenti expurgantis , difficillimè,aut vix educi queunt.

Sed licèt hæc vera ſint, & ferè in praxi admittenda, & quamuis clyſteres ad reuellendum ſummè iuuent: tamen ſi ex acceſſione vehementi, præſente reſpiratione difficillima,ſuffocationis periculum immineat , aut pulmo , & pleura coaffici videantur , non dubitarem præcedente priùs phlebotomia,ſi humor,vires , & acceſſionis vrgentia eam expoſtulent , purgationem leniſſimam offerre , quod ſæpe vſu ſum expertus cum vtilitate ſumma, cuius ope humor fluens , & fluxurus reuellatur infrà,& craſſi, ſiqui in ventriculo , & primis viis redundant humores , vacuentur , qui thoracem comprimunt , & reſpirationem impediunt. Si enim Galenus vacuatione per aluũ facta,14.*meth.c.*8. quum lingua eſſet ita tumefacta , vt ore hominis contineri non poſſet,purgationem violentam,ex ſcammonio , & colocynthide paratam imperauit : & Trallianus*lib.* 4. *cap.*1.in angina , cui febris ſocia ferè eſt ardentiſſima, eandem adminiſtrauit : cur nos clementem exhibere recuſabimus , quæ citra moleſtiam vllam à viis ſolum ductuum cauſam antecedentem euacuet , antequàm in partem principem confluat, & maiora damna excitare poſſit. Purgatio poterit parari ex pulpæ Caſſiæ interaneo liquore,Manna, Diaſebeſten , Diaprun. Syrupo ex multiplici Roſar. aut violar.infuſ. Rhab. aut Agarici diluto,quæ medicamenta cum decocto pectorali permixta præterquam quòd tuſſim leniunt , thoracem abſtergunt,ſputum prouocant, peccantem humorem per aluum ſuauiter excernunt.

Extra acceſſionem præſeruandus eſt æger,ne in ſimilem affectionem recidat:quare modum, & ordinem in ſex rebus non naturalibus obſeruet. Victus ſit attenuans,cuius vſu gloriatur Galenus *lib. de attenuante victus ratione , cap.* 1. *in princip.* Arthritidas , Epilepſias, ſpirandi difficultatem , & alias ſimiles ægritudines inueteratas,& rebelles perſanaſſe,alias verò mitiores reddidiſſe. Num verò in chronicis morbis attenuans victus ſit concedendus,diſceptauimus latè *lib.*2.*Hiſt. PP. Medic.in com.Hiſtor.*92.

Materiam alimentorum affabrè propoſuimus, *lib.* 1. *huius operis,cap.de cephalalgia,& epilepſia.*Potus ſit aqua decocta Adianto,glycyrrhiza,Hyſſop.Praſſio , paſſulis, ficubus,aniſo,cinnamomo,ſem.fœniculi. Vel ſit Cereuiſia defæcata. Vinum,ſi vires valent , interdicendum; nam caput replet : Si verò vires ſint debiles , & crudi humoris adſit copia multa,offeratur tenue,dulce,oligophorum;hoc enim ſuo calore iuuat coctionem,crudos humores concoquit,caput minimè tentat.Vel loco eius hydromel eſt optimum.

Vtrùm autem *copioſus potus aſthmaticis vtilis ſit*;videtur controuerſia apud Galenum:Ille enim 7.*ſec.loc.c.*6. *poſt princip.*ſic inquit : *Omnis autem potus modicus ſit in iis,qui abſceſſum alicubi habent?multus contrà in iis qui viſcoſis , ac craſſis humoribus ſunt obturati.Etenim pharmaca quæ eiuſmodi ipſorum humores abſtergunt, neceſſariò quidem tuſſes mouent,non verò facilè per ſputum reiicitur quod abſterſum eſt,ob craſſitudinem videlicet. Quapropter humectatione plurima opus habent , quò facilè efferatur.* Idem aſſerit 3.*acut. com. vlt.*

Contrà docent Arabes cum Meſuë *cap.prop.*qui parcum potum illis concedunt ; multus enim replendo ventriculum , ſputum tranſuerſum comprimit , & ex conſequenti

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 403 sur 927

©BIUM

consequenti difficultatem respirationis adauget. Controuersiam hoc modo resolue. In prandio, & cœna parcissimè bibendum, ob rationem dictam, & ne ventriculi concoctio interturbetur. Noctu, & interdiu copiosiùs, præcipuè coctione peracta. Hæc solutio est ad Auicennæ mentem, 10.3.*cap.*40.*ante med.* cùm inquit: *Et oportet vt elongentur inter cibum, & potum, & non sa-tientur ex aqua subitò, imò pluribus vocibus.* Idem docuit Mesuë dicens: *Et potus super cibum est iis malus, quare oportet vt expectetur supra cibum diu, dein bibat parum hora post horam.*

Hac instituta victus ratione, si nihil sit quod impediat, vena secanda basilica, siue mediana, siue tali, partis mandantis consideratione facta. Propinentur deinde medicamenta, quæ incîdant, abstergant, humorúmque crassitudinem, & lentorem attenuent. Hæc longo temporis spatio offerri debent: nam humor contumax est, lentus, mucosus, & viscidus. Præparatis humoribus, clementia expurgantia porrigenda; à violentis enim crassus humor & glutinosus, absumpta parte tenui ampliùs induratur, & expulsioni fit magis ineptus. Syrupi sunt optimi, capil.vener. liquiritiæ, de Hyssop. De Prassio, Oxymel simplex, & compos. Debent dissolui cum aq.fœnicul. vel decoct. capil. vener. Hyssopi, Prassij, Scabios. Betonic. Passular. ficuum, Dactylor. Inter expurgantia præstant Agaricus trochiscatus, Catholicum, Diaphœnicum, Elect. Indum, Pilulæ Aggregat. Alephang. Cochiæ, de Hiera.

Corpore expurgato, mirificus est, & maximè laudabilis, à Galenóque & aliis priscis probatus terebinthinæ vsus, calefacit enim, abstergit pectus, viscera à biliosis, & pituitosis humoribus repurgat, ex Galeno 5.*de sanit. tuend.cap.*9.

℞. *Terebinthin.abietin.lotæ semel cum decocto glycyrrh* ʒ j. Dissolue in decoct. pectoral. aut oleo amygdal. dulcium & fiat potus.

Si in hac forma, ad assumendum sit horribilis, dissolue cum vitello oui: Vel ea in bolos cum saccharo, vel pilulas redigatur.

Denique vt reliquiæ humorum in thorace, capite, cæterísque visceribus infixorum, paulatim vacuentur, vtilissimum erit alternis diebus syrupos expurgantes offerre diluculo, quantitate quinque vnciarum.

℞. *Radic, enulæ campan. aristoloch. rotundæ, an,* ʒ ij. *hyssopi montani, capil. vener. an.* M. j. *glycyrrhiz. rasæ, & contusæ,* ʒ ij. *prasij,* M. j. *passular.* ʒ ij. *Dactylor. sine nucleis.* N. x. *ficuum pinguium,* N. vj. *prunor. exacinat.* N. xij. *amygdal. dulcium,* ʒ j. *sirobylor.* ʒ ß. *iuiubar.* ʒ j. *sem. vrticæ,* ʒ ß. *radic. ireos,* ʒ ß. *thymi,* M. ß. *tussilagin.* M. j. *sem. lini, fœnugræci, an.* ʒ j. *flor. viol. flor. borrag. flor. bugloss. an.* ʒ ß. *fol. sennæ* ʒ j. *epithym. polypod. sem. cartham. an.* ʒ. iij. *cinnamomi,* ʒ j. Coque secund. art. in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneat ℔ ij. In colatura infunde per noctem, *Agarici trochiscati,* ʒ ij. *mechoacæ,* ʒ. iij. Cola iterum, & adde *Syrup. de senna, syrup. de epithym. an.* ʒ iij. *syrup. ex plurib. infus. viol. an.* ʒ iiij. Cum saccharo, omnia bulliant lento igne, quousque acquirant consistentiam syrupi longi. Cola, serua.

His peractis exhibenda sunt, quæ intemperiem frigidam & humidam pectoris corrigant, partes spiritales roborent, sputum prouocent.

℞. *Theriac. magnæ, mithridat. an.* ʒ j. *diamoschi dulcis, confect. Diaxyloaloës, an.* ʒ ß. *conserua borrag. conserua capil. vener. an.* ʒ j. ß. *confect. hyacinth. confect. alkermes, an.* ʒ j. *sem. anisi,* ʒ j. *cinnamom.* ʒ. ß. *pulu. pulm. vulpis,* ʒ j. ß. *pulp. passul. pinguium,* ʒ j. *penidiarum,* ʒ ij. *succi hyssopi, succi liquiritiæ, an.* ʒ ß. Cum hydromelitis, & sacchari, an. part. æqualib. fiat conserua.

Vtrùm Ius Galli veteris, Asthmaticis prodesse possit? dubium est. Arabes laudant: alij dissuadent, quoniam hoc auxilium ratione, & experimento noxium, & inutile esse rentur. Si enim gallum infarcias, & concoquas cum expurgantibus, vt Senna, Carthamo, cùm hæc pauciſſimam admittant ebullitionem, vim omnem soluendi amittunt, igneis partibus dissolutis, sicut cætera attenuantia, & discutientia, vt Marrubium, Prassium, Hyssopum, Adiantum. Si carnem galli contempleris, partes illæ nitrosæ, quibus maximè prodesse ius galli veteris prisci sibi persuasere, tanquam terrestres subsident, atque in percolatione reiiciuntur; cæteræ verò ex cute, pedibus, alis, musculosis & neruosis partibus remanentes, crassæ sunt, ac lentæ, quæ potiùs incrassant humorem, eúmque excerni prohibent.

At his reiectis, fidendum est antiquorum dictis. Gal. enim *lib.*11.*simpl.* ius gallorum subducere aluum affirmat; nitrosis enim partibus constat, quarum ope ventré proritat: cuius doctrinam omnis Medicorum chorus firmat, & amplectitur, præsertim Mesuës *tract. de simpl. med. fac. c. de iure Gallorum*, si in eo incoquantur medicamenta flatus dissoluentia, & pituitosos humores expurgantia. Neque obiectiones superiores quicquam euincunt: quæ enim tenui substantia gaudent, & vehementem ebullitionem non tolerant, in fine coctionis infunduntur, vt vis eorum liquori communicetur, ne præ mora euanescat. Contrà quæ crassa & solida substantia constant, in prima ebullitione infunduntur. Deinde Medici ius galli in potum exhibent, non residentiam, quæ solùm clysteris modo infusa prodesse solet. Et licèt hoc ius subsidens crassa constet substantia, & obstruere videatur, potentia tamen attenuat, deobstruit, aperit, incîdit, crassos humores attrahit, sputum mouet, flatus discutit. Quare hoc ius non solùm asthmaticis, sed affectibus frigidis, & melancholicis summo est auxilio, expurgátque pituitosum, vel melancholicum humorem, pro varia medicamentorum permistione quæ concoquuntur. Quare si morbus à melancholico succo scaturiat, vt Manna, Melancholia, febris quartana, errática, lienis durities, lepra, cancer, & alij cutanei affectus, melanagoga infundere oportet. Si ægritudo sit pituitosa, phlegmagoga sunt vtilia.

Ergo ad ius purgatorium, eligatur Gallus rufus, plurimùm annosus, sed tamen adhuc ad motum, pugnã, & coitum alacer, & in dimicando validus, medius inter macrum, & pinguem, furfure, melle, & pauco sale priùs nutritus, plurimùm defatigetur, & exenteratus infarciatur, *Agarico, senna, floribus cordialibus, sem. cartham. hyssopi, marrubio, passulis, adianto, polypodio, cymino, thymo, satureja, anisо, cinnamomo, prunis, iuiubis, radic. enulæ campanæ, epithymo, pulmon. vulpis triturat. sale, anetho, dactylis, ficubus*: Quæ omnia apposita aq. quantitate sufficienti coquantur, quousque caro ab ossibus separetur. Medicamentorum verò infundendorum quantitas, varianda pro virium tenore, anni tempore, temperamento, &c.

Fontanellæ in brachiis adapertæ, summum auxilium præstant. Cucuphæ exiccantes capiti applicitæ, optimæ. Sudorifica ex Ebeno, smilace aspera, & radice Chinæ parata, exiccant, roborant, thoracem abstergunt, flatus discutiunt, crassos humores absumunt, dummodò in decoctione apponas medicamenta sputum mouentia, & respicientia pectus, vt radices Helenij, passulas adiantum, iuiubas, &c.

Suffumigia per os accepta humorem in thorace contentum absumunt, sed caue ne in accessione hoc auxilium exerceas; periculum enim suffocationis vertitur: nam hoc tempore aëre libero indiget ægrotans. Forma esto hæc:

℞. *Thuris, mastich. myrrhæ. styracis calamit. an.* ʒ j. *gummi iuniperi*, ʒ ij. Cum terebinthina fiant formulæ cicerales.

Dubitabis: *Vtrùm Asthmaticis Arsenicum in potum offendum?* Arabum primarij suffumigia ex Arsenico parãt ad exiccandum. Audaciores in eundem vsum in potu propinant: ita ait Auicenna 9.3.*tract.*1.*cap.*40. *de cura asthmatis. Et ex medicinis fortibus est Arsenicum cũ gummi pini,*

pini, ex quo fiant pilulæ ad asthma. Et detur in potu arsenicum cum aqua mellis: Idem asserit *lib. 2. tract. 2. cap. 49. de Arsenico.* §. *Datur ad potandum cum hydromelle, cum gummi pini, ad tussim antiquam, & sputum saniei.* Firmat 10. 3. *tract. 5. cap. 6. de cura vlcerum pectoris, & cura phthisis,* dum sic ait: *Et quandoque administrantur in hac agritudine genera suffumigationum, & exiccantium, & mundificantium, quibus fit suffumigatio cum traiecterio. Et ex iis sunt illa quæ recipiunt arsenicum.*

At si verum debemus affirmare, periculo non caret vti suffumigiis, in quæ ingreditur arsenicum, tantum abest vt commodum sit illud per os exhibere: nam venenosum est, partibus præcipuis infensum, & suffitu applicitum rectà thoracem permeat, cor inquinat, pulmonem lædit, inflammat, cùm ex Paulo *lib. 7. tit. de arsenico,* caustica vi præditum sit. Neque dicas, in exigua quantitate oblatum posse offerri, & permixtum aliis medicamentis cardiacis, quæ illius malitiam retundant, partésque principes roborent, velut præcipitatũ cum rhodosaccharo exhibemus: Quoniam cùm plurima sint, quæ vehementer exiccant & abstergunt, frustra, & cum incommodo summo illud est exhibendum, quod in parca quantitate etsi sit assumptum, semper nocere solet: præcipitatum autem ferè offertur in morbis pertinacibus partium extremarum, vt morbo Gallico, in quo partes præcipuæ affectæ non sunt; contrà in asthmate, & phthisi partes vitales præstantes laborant.

Ampliùs. Arsenicum esse venenum, & quidem pessimum, & præsentaneum, docet Dioscorides *lib. 5. c. 29.* si enim potetur, facit alui, & intestinorum cum grauissima erosione dolores. Deinde plantis, brutis, & metallis est aduersum valde. Quare suffitæ arsenico plantæ pereũt. Mures, lupique, si ex eo ederint, nec aquam bibere possint, non solùm moriuntur, sed in rabiem adeò efferuntur, vt sui generis animalia inuadant, & quæcunque momorderint, eadem corripiantur rabie, vt totum genus breui pessum eat. Hac arte domum muribus scatentem facilè expurgabis: eadem syluas & nemora liberabis lupis. Imò auro, & argento est venenum: est enim natura sulphureum, calidum, siccum, ideóque putrefactiuum, mordicatiuum, vrente facultate præditum, ídque tam combustum, quàm vstionis expers, ex mente Alberti Magni, *lib. 5. mineralium, cap. 5.*

Dic ergo pro tutela Auic. Arsenicum Arabum esse Tragacanthum Græcorum. Deducitur hæc expositio ex Auic. ipso, qui *4. 4. tract. 2. cap. 5. de cura casus, & offensionis ad lapidem, aut parietem, aut aliud,* illud assumendum imperat, dum sic ait: *Et arsenico est virtus mirabilis, in omnibus quæ sunt necessaria de incarnatione, & resolutione sanguinis, & prohibitione nocumenti, cùm in potu sumitur.* Quæ omnes Tragacantho conueniunt facultates: cùm enim auxilia debeant contendere cum morbis, in magnitudine, & celeritate, dicendum non est auctoré tantum in morbo non ita sæuo, & perniciem minante, vt casus, & offensio, tam pernicioſum venenum obtulisse. Vel si pro arsenico, *arseni* legas, quam cinnamomi nigri speciem esse testatur Auenzoar, *lib. 2. de curat. renum calculi agens,* Arabes à tanta calumnia liberabis. Quòd si tuberculum durum asthmatis sit causa, curatio tentanda, quam proposuimus *lib. 2. Hist. PP. Med. in com. Hist. 12.* & *lib. 1. de praxi admiranda, obs. 112.* Num verò in affectibus thoracis, à crassis succis subortis, humida, vt monuit Trallianus, an sicca & calida, vt voluit Gal. sint offerenda, lege *lib. 2. Hist. PP. Med. in com. Hist. 36.*

OBSERVATIO I.

Importunum Asthma, cauterio, in capitis ambitu & nucha celebrato, persanatur.

COnsulit famigeratissimus Aëtius, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 57. in fin.* in asthmate diuturno & sæuo, cerui-cem & pectus candenti ferro inurere, vt humor in thorace impactus vlceribus diutius fluidis permanentibus, extrahatur foràs: quod auxilium præterquam quòd crudelissimum est, & rarò in vsum admittendum, violenter ex toto conuocat humorem ad pectus, & malum conduplicat. Dicam quod fidissimo experimento adinueni. Plures asthmatici, per circuitus grauissimis accessionibus oppressi, magna remediorum silua reiterata sæpius, vix opem sensere vllam. Tandem cùm à capite fluxio irrueret in pectus, excitatis in circuitu capitis vstionibus multis, aliquandiu leuati sunt, per vlcera paulatim sanie emanante. At cùm ex habituali cerebri intemperie, de nouo humor noxius regenitus in thoracem confluaret, excitato fonticulo in nucha in posterum sunt præseruati: nam quidam ex longioribus interuallis accessione premebantur, alij eam experiebantur leuibus symptomatis comitatam. Plurimi, præsertim iuniores, omnino sanati, qui si fortè longo temporis decursu foramen fontanellæ erat occlusum, & supprimebatur sanies, eo aperto cauterij actualis, vel potentialis ope, & emanante pure, ad pristinam sanitatem reuertebantur. Tantæ vtilitatis, & efficaciæ est, vacuationes ad originem fluxionis exercere!

OBSERVATIO II.

Orthopnœa ex læuium arteriarum pulmonis obstructione, ex flatu crasso suborta, per circuitus inuadens, Ebeni decocto curata.

PAuci fuere Medici, qui de obstructione læuium arteriarum pulmonis diligenter conscripserint, apud quos constat solùm ab humoribus crassis, aut tuberculo pulmonis originem ducere, prout 4. *de loc.* 8. proposita historia Antipatri celebri, docuit Galenus. Hanc solùm ex omnimoda pulsus inæqualitate esse venandam, vnanimiter firmant: quæ cùm causam habeat fixam & permanentem, continuò & incessanter affligit. Aliam tamen esse assignandam causam, nempe flatum crassum & nebulosum, suo corpore arterias has opplentem, vsus edocuit. Cùm enim plurimos repentè viderem syncope prehensos, citra respirationis difficultatem vllam, & in pulsu inuenirem inæqualitatem, non solùm in multarum pulsationum cumulo, quam systematicen vocant, verùm in vna arteriæ distentione: (nam pulsationes erant magnæ, & paruæ; celeres, & tardæ; raræ, & frequentes; validæ, & imbecilles; decurtatæ, intermittentes) præfatus periculum, remedia præscripsi, de salute desperans. At factum est vt ægri, purgantium, & enematum carminantium ope, excreto per vtrumque ventrem flatu multo, deinceps conualuerint. Plurimis ventriculus, aliis lien, multis vterus, seroſi, & flatulenti scatebant copia multa. Quod malum cùm per multos annos veluti in orbem per paroxysmos inualesceret, phlegmagogis, hydragogis, roborantibus parti mandanti admotis, vt fomentis, vnguentis, emplastris: tabellis, pulueribus, conseruis adhibitis: fonticulis in cruribus excitatis: denique Ebeni, & Smilacis asperæ decocto per plures dies exhibito, cuius beneficio ciebatur sudor, omnino succubuit.

OBSERVATIO III.

Ad Asthma ex flatu subortum, electuarium mirabile.

SÆpe accessio Asthmatica ex flatu suboritur, qui ex ventriculo elatus asperam occupat arteriam, & comprimit. In accessione plura solent machinari auxilia, carminan-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 405 sur 927

carminantia, & discurientia. In præseruatione hoc electuarium est valde proficuum : roborat enim naturales partes, & mirandum in modum flatus absumit', diluculo assumptum quantitate vnciæ semis, superbibito mero.

℞. *Theriac. Andromachi, Mithridatij, confect. Alkermes, confect. hyacinthor. an.* ʒ ß. *conserue flor. anthos, conserue flor. saluiæ, conserue flor. borrag. an.* ʒ ß. *aromatici rosati, diarrhod. Abbatis, diamarg. calidi, diamarg. frigidi, an.* ʒ j. *agallochi,* ∋ j. *sem. carui, sem. marathri, sem. anisi, an.* ∋ j. *glycyrrhiz. rasæ, & contusæ,* ʒ ij. *cinnamom. electi,* ʒ ß. *eboris,* ∋ j. *acori,* ∋ ß. *diamoschi dulcis,* ∋ ß. *diacymini, diazingiber. diatrion pipereon, an.* ∋ j. *conserue radic. enulæ, conserue absinth. Roman. an.* ʒ ß. *puplp. sem. cartham.* ʒ ij. *mechoac.* ʒ j. *tartari vini albi, dianisi,* ∋ ij. *radic. chinæ.* ʒ iij. Omnia hæc excipiantur cum sacchari, & mellis, an. part. æqualibus, & fiat electuarium.

OBSERVATIO IV.

Importuna orthopnœa, Noctuæ puluere curata.

TRadunt experimentatores, nullum esse pro difficultate spirandi salubrius puluere noctuæ, auxilium. Quod quidem esse vanum semper mihi persuaseram, monitus cõsilio Galeni, qui 10. *simpl. tit. de sanguine columbæ, in fin.* veluti irridet Medicum noctuæ sanguine, aut carne vtentem in difficili respiratione, citra vtilitatem vllam. Tandem vrgente asthmatico, qui pro sui salute nullum præsidium intentatum reliquerat, hoc remedium tento. Assumo noctuam, & viuam in ollam coniicio, & superposito operculo in fornacem immitto : ex qua combusta puluerem tenuissimum paro, adiecto sacchаro, quem cum potu omni epotandum impero. Post mensem accessiones non ita fortes recurrêre. Audacior factus ex puluere cum melle electuarium paro, cuius semiunciam manè, & noctu propino. Hoc auxilio adiutus æger decumbere potuit, & ab eo plures alij haud exiguam sensere opem, qui antea quoque aliquot non paucis annis in sedili noctu capiebant somnum, omni auxilio destituti : Nam vt ait Paulus *lib. 7. rubrica, de sanguine noctuæ : Sanguis cum vino, aut aqua potus, spirandi difficultatem adiuuat.*

CAPVT VIII.

De palpitatione Cordis.

Definitio.

DE cordis affectibus potissimis & frequentioribus, nempe palpitatione, & syncope, in his duobus capitibus disceptabimus. Sed antequam de illis agamus, de cordis temperamento, nutrimento, eius sero, & adipe, quædam prælibemus, in quibus dirimendis auctores plurimi inter se fuere discordes. Et primò quærendum : *Vtrùm cor sit omnium membrorum calidissimum?* Hoc ita esse scribit Galenus, 1. *de temp. vlt. ante fin.* §. *Sanguis verò à corde suum accipit calorem, &c.* & *lib. de fœt. format. cap. 3. ante fin.* §. *Cor verò quasi quendam ignis focum animalia sunt sortita,* & *lib. de vsu pulſ. cap. 2. ad fin.* agens de calore cordis, affirmat esse veluti flammam, & 2. *de temp. cap. 3.* sic ait : *Calidior verò non modò his, sed etiam omnibus planè corporis particulis, quod etiam sensu clarè deprehendas licet, in pectoris animalis dissectione, si digitos in sinistrum eius sinum immiseris, inuenies enim locum hunc omnibus, quæ in animali sunt, non paulò calidiorem.* Repetit *lib. de inæqual. intemp. cap. 5.* & *lib. 5. de loc. affect. cap. 1.* cor, fontem caloris natiui appellat. Idem scribit Arist. 2. *de part. animal. cap. 7. post med.* §. *Sed enim cor, & iecur.* Probat Auic. 1. 1. *cap. 2.* ex fabrica, & constitutione cuiusque animalis perfecti : si enim originem caloris influentis, opus respirationis & pulsus, summo & diuino artificio, ad excedentem cordis caliditatem attemperandam fabricatum, spiritus vitales calidissimos ab eo progenitos contemplemur, ipsum esse membrorum omnium calidissimum inueniemus.

Neque obiicias primò. Cor est membrum organicum, ex triplici fibrarum genere constans, membranis, venis, arteriis, & neruis, quæ more aliarum partium spermaticarum, frigidæ sunt. Dic, quòd licèt hæ partes innata sua temperatura frigidæ sint, & carni cordis contrà opponantur ; tamen hæc tum calore suo, tum maiore mole, & substantia sua dura, compacta, (densitas enim materiæ ad actionem valde conducit) alias partes valde superat.

Neque obiicias secundò : carnem cordis esse crassam, solidam, frigidam, siccam, & terreæ temperaturæ participem. Nam ex secundis qualitatibus temperamenta mixtorum non colliguntur, cùm calx, arsenicum, sublimatum, & similia habeant temperaturam ignis, at verò substantiam, & qualitates secundas, terræ. Hoc modo caro cordis igneam obtinuit temperiem, cùm secundæ qualitates à substantia terræ emanent.

Neque obiicias tertiò, quòd cor nutritur sanguine crasso, & spisso, *lib. 6. de vsu part. cap. 17.* Nam ita fuit constitutum à natura, vt proportione respõdeat alimentum membro, alendo : est autem cor fibrosum, ob robur quo indiguit ad validas, & perpetuas motiones obeundas ; crasso ergo indiguit alimento, præsertim parte externa, quæ à vena coronali nutritur, & hæc à caua oritur, ante ingressum cordis, ne sanguinem calore tenuatum eò ferat. Pars verò intima cordis, sanguine nutritur tenuiori, & elaboratiori, è cordis sinibus sibi proximis attracto ; non enim eò fertur vena coronalis, sed in parte extima fuit exhausta. Crasso ergo sanguine nutritur pars extima cordis, & minùs crasso, intima ; vtroque tamen admodum cálido, vt proportio semper alimenti ad alendam partem seruetur.

Neque obiicias quartò. Cor in cibum assumptum est difficilis coctionis, & sanguinem melancholicum præbet, ex Galeno *lib. 3. de aliment. facult. cap. 12.* Cor, substantia quidem caro est fibrosa, ac dura, ideóque ad coquendum est difficile, & tardè permeat ; si tamen probè conficiatur, alimentum corpori exhibet non paucum, neque mali succi. Nam cor mortui animalis, æthereas, spiritales, igneásque partes amisit, ita vt melancholicum succum gignere sit aptum, perinde ac sanguis, à quo spiritus euanuit, & cutis, quæ licèt viuente animali esset temperata, in cibis sumpta, vitiosum succum ex se præbet. Deinde cor animalis mortui non est ita calidum, sicut in viuo, quia forma cadaueris non expostulat pro sui conseruatione eam caliditatem, quam forma viuentis requirit, vt existat in illa materia, in qua núc est forma cadaueris. Quare Galenus absolutè non asseruit, cor in cibo administratum in sanguinem melancholicum permutari, sed ex dura, ac fibrosa substantia constare affirmat, ob quam tardè permeat, & difficilè concoquitur. Licèt autem hoc proferret, nihil argumentum concluderet, cùm aliud sit loqui de temperatura corporis mortui, aliud de temperatura hominis viui.

Neque obiicias quintò, quòd aqua inuenitur in pericardio ab ipso corde generata : quia illa circa cor gignitur ex vapore sanguinis, & spirituum ad pericardium accedente, cui aut ea vis peculiaris data est propter eius aquæ, cor ipsum irrorantis vsum, aut sufficit ipsius tunicæ densitas, ac frigiditas, præ qua vapor detentus in aquam conuertitur, non aliter quàm in operculo ollæ, aut in vasis distillatoriis experimur. Cur verò cor dicatur ab Auerrhoë frigidum, ratio est, quia ad illius basim, quæ nobilior est eius pars, copiosissimus adnascitur adeps, cuius efficiens causa apud Galenum videtur esse frigus, qua de re *infrà* disceptabimus.

Vtrùm Cor sit spiritu vitali calidius? etiam litigium est apud

apud auctores. Auicenna enim 1.1.*cap.*2. in primo loco calidorum numerat ſpiritus, deinde cor. Deinde cor eſt membrum organicum, conſtans ex pluribus partibus frigidis; ſpiritus eſt res ſimilaris conſtans ex calidis. Inſuper ſicut non eſt inconueniens, quòd flaua bilis generetur ab hepate, & ſit calidior ipſo; ſic ſpiritus à corde generatus, hoc erit calidior. Ita ſenſit Auerrhoës *lib.*2.*collig.cap.*2.*&* 3. & priùs docuit Hipp. *lib. de carnibus, num.*7. Cuius etiam non leue argumentum eſt, ipſius tenuitas, & mobilitas, & calor qui per animi affectus ad eius præſentiam, ſicut frigus ad abſentiam, affatim ſequi ſolet.

Nec obſtat, quòd agens paſſo debeat eſſe præſtantius, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis: Spiritus autem, ſunt calidi, propter cordis efficientis, & gignentis calorem. Ergo cor ſpiritibus eſt calidius. Dic, quòd duobus modis poteſt conſiderari, ſpiritum vitalem eſſe magis, aut minùs calidum, quàm cor: Primo modo reſpectu totius cordis, quatenus compoſitum quoddam ex venis, arteriis, neruis, membranis, fibris, & carne includit: alio modo præcisè tantùm, reſpectu partis ſimplicis determinatæ, cui vt principali auctori generatio ſpirituum tribuitur. Si ergo cum toto corde conferatur ſpiritus, ipſo calidior erit; ſi verò cum carne ipſius cordis ſpirituum generatrice comparetur, tunc cor ſpiritibus eſt calidius.

Solue ſecundò. Spiritus vitalis, ſtatim vbi primùm generatur, non ſortitur maiorem caliditatem, quàm ipſum cor à quo producitur, ſed poſt ſuam productionem, intenſiorem caliditatem ſibi comparat, duplici titulo: Primò, ab intrinſeco principio ipſius ſpiritus, quia illius forma intenſiorem calorem expoſtulat pro ſui conſeruatione, quàm habeat cor. Secundò, ſpiritus perpetuò mouetur, & per motum etiam intenditur caliditas. Verùm licèt ob has cauſas ſpiritus videatur abſolutè calidior corde, non permanet tamen cum tota illa intenſione caliditatis, nec maiorem habet caliditatem quàm cor: ab aëre enim per inſpirationem attracto magis attemperatur, quàm cordis ſubſtantia; cùm illi aër priùs, & immediatiùs occurrat: Ex quibus patebit ſolutio ad argumenta.

Per tranſennam dubitabis: ſi ſpiritus temperati dicuntur, apud Galenum, 5. *ſimpl.*9. quomodo dici poſſint calidiores corde? Dic, quòd quamuis ſint calidiſſimi, cutis comparatione, ſunt tamen ſymmetri, & temperati quoad iuſtitiam, in ordine ad functiones ſuas, quoniam naturæ opera abundantia ſpiritus, & innati caloris, bene & ad vnguem temperati ope, perficiuntur. Hoc modo intelligendus eſt Galenus 1. *Aph.* 14. & *lib. de rigore, cap.*6. dum natiuum calorem, temperatum vocat.

Vtrùm verò *Cor ſit humidum*? etiam dubitandum. Auicenna 1.1.*cap.*2. ſiccum conſtituit. Reclamat Galenus 1. *de temp. vlt.* & *lib.*2. *cap.*3. cuius ſententia magis placet: ſequuntur Ariſt. 3. *de partib. animal. cap.*4. Auerrhoës *lib.*2.*collig.cap.*3. Non enim dicitur humidum ob copiam ſanguinis, & ſpirituum, ſed propter iudicium tactus, quoniam cordis caro mollior eſt cute. Auicenna autem de corde vnà cum muſculoſa carne intelligendus, quæ durior eſt cute, & ex conſequenti ſiccior, ſiue viuum, ſiue mortuum cor contrectemus.

Neque obſtat, quòd Galenus 3. *de alim. facult. c.*12. cordis ſubſtantiam eſſe fibroſam, & duram, & ideò difficilis coctionis aſſeueret: quia cutis eſt durior, & difficiliùs concoquitur. Neque obſtat ſecundò, quòd cor, durum à Galeno vocetur, 2. *de temperam. cit.* Nam ſic vocat facta comparatione ad iecur, lienem, vel renes, quæ corde ſunt molliora, & humidiora. Neque obſtat tertiò, quòd cor ſanguine craſſo à vena caua demandato nutriatur, ob duritiem ſuam: alimentum enim debebat eſſe proportionatũ cum mẽbro alendo, 6. *de vſu part. c.*17. quoniam à Gal. vocatur membrum craſſum, & durum, facta collatione ad pulmonem, qui nutritur ſanguine tenuiori in cordis ſinu elaborato.

De ſero Pericardij quæſtio etiam poteſt excitari: *Vtrùm ſit naturale, vel præter naturam*? Cæterùm antequam ad explicandas cauſas palpitationis cordis accedamus, inter quas nimiam ſeri copiam, Pericardij capacitate contentam numerat Galenus, *lib.*5. *de loc. affect. cap.*1. quærendum. An ſerum illud, tempore naturalis conſtitutionis ad aliquem vſum reponatur, an potiùs ſemper ibi ſit præter naturam? Aliqui ſolùm in cadauere reperiri ſibi perſuadent: Nam vapores iuxta cor infrigidati vertuntur in aquam. At redarguuntur manifeſtè ab Hip. *lib. de corde, num.*1. proferente hoc ſerum in naturali ſtatu inibi contineri, vt eſſet æſtuanti cordi in medelã. Cùm enim cor perpetuo motu agitetur, & ſæpe incaleſcens gliſcat, vbi incaluit, eleuat vapores, qui in hac membrana ſolida denſati, non aliter ac in operculo ollæ, in aquam concreſcunt: quod etiam fit partim ex generatione ſanguinis, & ſpiritus, ſimul à quatuor vaſis in ipſo corde implantatis; partim ex potu ebibito, paulatim per aſperam arteriam in pulmones delapſo. Quare non ſolùm in cadaueribus, ſed animalibus viuis reperitur, quod in ipſa corporis diſſectione obſeruaui, cuius vſus eſt, vt cor irroret atque madefaciat, ne ob perennes motus inflammetur.

Vtrùm pinguedo circa cor generetur? explicandum. In corde adeſt feruor caloris innati, & perpetua motus agitatio: quare opus fuit vt hoc viſcus circumdaretur naturali quopiam pinguedinis circulo, vt congruenti humiditate motibus aſſiduis eſſet opportunius; neue ab excedenti calore ſqualidum facilè redderetur, aut conflagraret, ſed decente humiditate perfuſum conſeruaretur. Quam doctrinam vnanimis Anatomicorum comprobauit opinio, qui ex viſu ipſo edocti, & anatomica experientia muniti, pinguedinem, aut adipem in cordis viſcere inuenerunt.

At poſſet hoc experimentum improbari, cùm Galenus contrariam ſententiam palam proferre non dubitauerit, *lib.*1. *de temperam. cap. vlt. in fin.* dum ſic ait: *Cerebro eſt humidior adeps, cui concretio contingit, propterea quòd membranis adiacet; craſſo namque oleo eſt ſimilis, eo quòd congelatur, vbi cum frigidis, & exanguibus particulis coniungitur. At nec circa iecur coire adeps poteſt, nec circa arterias, venáſque, aut cor, ſed nec circa aliam vllam præcalidam particulam. Quoniam autem cogitur, per id quod eſt valde frigidum, iccircò calfacta liquatur, cæterorum coagulatorum ritu.*

Verùm cùm manifeſtè conſtet, Cor adipoſo quodam circulo à primordiis naturæ fuiſſe circumdatum, ad maximum partis vſum, par non erit credere, ipſum voluiſſe nullam prorſus pinguedinem, aut adipem in cordis viſcere generari. Quare pro germana Galeni interpretatione aduertendum eſt, duplicem in corpore humano reperiri adipem, quandam temporariam, atque acquiſitam, alteram genitiuam, & à naturæ primordiis in quibuſdam partibus ad neceſſarios earum vſus contractam. Cùm itaque Galenus dicit in corde pinguedinem non gigni, ſicuti nec in aliis calidiſſimis partibus, quia ob eximium calorem coire ibi non poteſt, de acquiſita eſt intelligendus, non de naturali, quæ in quibuſdam partibus vſum præſtare videtur.

Vtrùm autem *in corde pinguedo à calido, vel frigido generetur*? ardua eſt antinomia apud auctores. Sed primò, ne laboremus in æquiuoco, proponendũ eſt, in animalium corpore tres inueniri ſubſtantias, adipẽ, pinguedinem, & ſeuum: quòd ſi Gal. 11. *ſimpl. tit. de adipe, & pinguedine*, nullam fecit mentionem de ſeuo, quemadmodum neque Auicenna 1.1. *cap.*2. ea eſt cauſa, quia ſub adipe comprehendit ſeuum, non aliter quàm auctores, qui ſub adipe pinguedinem comprehendunt. Inter has ſubſtantias hæc differentia conſtituitur, quòd in humidiſſimis animalibus, veluti in ſue, dicitur pinguedo;

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 407 sur 927

in ſiccis,veluti in capra,& boue,vocatur ſeuum; at verò in temperatis animalibus, vt homine, & auibus, appellatur adeps.

Secunda etiam inter has tres ſubſtantias verſatur differentia, quòd licèt hæ ex ſanguine generentur, nihilominùs tamen ſeuum fit ex ſanguine magis craſſo, ſic facilè creſcit, & non reſoluitur: Pinguedo ex tenuiori, & humidiori ſanguine conſtat, ſic facilè liquatur,& difficiliùs creſcit: Adeps verò mediam naturam obtinet. Hæc doctrina colligitur ex Galeno 11. *ſimpl. cit.*& Ariſt.2.*de partib.animal.cap.*5. Plinio *lib.*11. *natural.hiſt.cap.*37. Cùm ergo hæ omnes ſubſtantiæ ex ſanguine fiant, iure optimo dubitamus, an ſint temperamenti calidi, an frigidi.

Habere autem temperaturam frigidam in ordine ad cutem, expreſsè propoſuit Auicenna *loc. cit.* quum in ordine frigidorum,poſt adipem,& pinguedinẽ, collocauit cutem.Secundò deducitur ex Gal.*art.med. c.*52. vbi agens de ſignis corporis calidi,dicit corpora minùs habere pinguedinis, quò calidiora exiſtunt, & *cap.*53. inter ſigna frigidæ temperaturæ,pinguedinem reponit. Sic *lib.*2.*de temper.cap.*4.*ad med.*vt probet fœminas eſſe frigidiores viris, id probat ex pinguedine, §. *Adeps ex habitus frigiditate ſemper gignitur, &c.*

Tertiò deducitur ex Galeno 1.*de temper. cap. vlt. in fin.*adipem, & pinguedinem, circa frigidas, non circa calidas particulas generari aſſerente. Quartò probatur ratione. Quæ frigore concreſcunt,& liquãtur à calore, ſunt de natura aquæ. Sed adeps, & pinguedo ſunt huiuſmodi.Ergo frigidam temperaturam ſortiuntur. Maior eſt Ariſt.4. *meteor.*4.6.& 7. Minor experientia ſatis eſt comprobata. Ita Auerrhoës 2.*collig. cap.*2. dicebat: *Inter corpora frigida,& humida, inprimis eſt adeps.*

Pro altera parte ſunt valida momenta rationum.Nam Ariſt.2.*de partib.animal.c.*5.dicit,adipem & ſeuum,eſſe ſanguinem coctum. Ergo vtrumque calidum eſt. Et *lib.*3. *de partib. cap.*9. *ad med.* aſſerit,finem optimæ coctionis eſſe ſanguinem,adipem,& ſeuum. Deinde,animalia boni habitus, & quæ bene nutriuntur, ſunt pinguia. Ergo ſi pinguedo eſt terminus optimæ conſtitutionis,à calore neceſſariò generabitur. Et 1. *de element. cap.*6.*poſt med.* adipem ſecundùm exuperantiam inter calida,& humida reponit.Et *lib.*1. *ſimpl.cap.*4. pinguedinem habere virtutem calefaciendi,& humectandi aſſeuerat, Sed pinguedo mortui animalis calida eſt. Ergo in viuo erit multò calidior.Et *lib.*4.*de vſu part.cap.*9. agens de omento, pinguedinem eſſe calidam confirmat, argumento ab ipſo ſenſu deſumpto, quòd ea vtamur vice olei.Et *lib.art.medic.cap.*9. adipem & pinguedinem numerat inter partes viuentes, quæ viribus animæ gubernantur. Ergo ſi ſolùm fieret per concretionem à frigore, neque viueret, neque facultatibus animæ obtemperaret.

Probo ratione. Adeps, & pinguedo generantur ex parte ſanguinis tenui,leui, & oleoſa,quæ facilè inflammatur,& in bilem conuertitur.Ergo calidam temperaturam ſortiuntur. Antecedens patet ex Gal.4.*de vſu part. cap.*9. & quòd hæ ſubſtantiæ ſint oleoſæ, deducitur ex Gal.3.*de alim.facult.cap.*11.& 16.*de vſu part. cap.*2. Secundò:Adeps generatur in partibus calidis,vt renibus, & corde. Ergo calida eſt natura ſuapte. Neque aſſeras, circa has partes inueniri membranas, circa quas ob natiuam earum frigiditatem generarur:quod licèt ita ſit, tamen ob magnam viciniam & propinquitatem,membranæ incaleſcunt, maximè cùm congelatio non fiat à quacunque frigiditate, ſed ab intenſa formaliter,& in actu.Quare in præſenti duo ſunt ſtatuenda: Primùm, quomodo generetur pinguedo:ſecundò, qualis debeat eſſe eius naturalis temperatura. De primo.

Sit prima concluſio. *Pinguedo non generatur ex ſanguine per concretionem à frigido.*Patet,quia adhuc viuente animali tanta frigiditas non reperitur,quæ congelare poſſit,ex Gal.2.*de temper.cap.*3.*in princip.*Secundò,quia adeps, & pinguedo ſunt partes viuentes, ex Gal. *in art. med.cap.*9.& 6.*de placit.cap.*8.quæ à natura generantur, & à ſeipſis gubernantur. Conſequentia multipliciter confirmari poteſt.Primò,quia in media pinguedine inueniuntur partes glanduloſæ, quæ per concretionem à frigido formari non potuerunt. Secundò, quia pinguedo fit ex ſanguine,interuentu facultatis formatricis partium ſpermaticarum, quibus aſſimilatur. Ergo, ſi pinguedo eſt pars viuens, & gubernatur viribus animæ, non potuit hoc aſſequi à ſolo ſanguine, neque à concretione frigiditatis, ſed tale opus ab aliqua facultate viuentis perficitur,mediante calore,tanquam principaliſſimo inſtrumento concoquente:quare illa calida erit.

Tertiò. Concretio, congelatio,& liquatio ſunt paſſiones quæ accidunt rebus, ſine mutatione propriæ formæ. Sed quando ſanguis conuertitur in pinguedinem,corrumpitur forma ſanguinis.Ergo pinguedo non fit per concretionem à frigido. Antecedens deducitur experimento aquæ, mellis, olei, metallorum, quæ liquantur,& concreſcunt, ſalua manente propria forma. Conſequentia probatur, quia calor qui ſequitur formam ſanguinis, in totum mutatur in pinguedinem, quod non conſpicitur in congelatione, ſi verum eſt ſanguinem amittere propriam formam, & accidentia propria,ad hoc vt in pinguedinem mutetur.

Quartò. Si pinguedo fieret per concretionem à frigido, non ſolùm circa membranas, ſed circa quaſcunque alias frigidas partes, deberet generari, videlicet circa oſſa,cartilagines, ligamenta, & ſimilia, quæ ſunt ipſis membranis frigidiora. Sed hoc eſt falſum. Ergo. Nam neque generatur circa omnes membranas: quia ſi generatio pinguedinis eſſet tribuenda ipſi membranæ,in quacunque parte inueniatur membrana, debuiſſet generari, cùm vnaquæque actio oriatur ex propria ſpecie ſubſtantiæ, & ratione ſitus variari non poſſit. Ergo ſolùm ex intentione naturæ ob alios fines, mediante calore generatur.

Ex qua doctrina colligo,in cerebro non fuiſſe generatam pinguedinem ob multas cauſas: primò,defectu materiæ,quia ſanguis,quo nutritur,non eſt oleoſus. Secundò,ne cerebri motum,& expurgationem fuliginum impediret. At verò in corde fuit generata, quia ſufficiens in eo materiæ quantitas abundat, imò in eo conſultò reponitur, vt ipſum humectet, & ab exiccatione defendat. Quare ſi ipſius intenſa caliditas non obſtaret, multò maior copia pinguedinis ibi generaretur. Circa renes,lumbos,& omentum generatur, quia in iis locis materia redundat, & denſitas membranarum harum partium reſolutionem non impedit, auctore Ariſt. 4.*de partib. animal. cap.*3. Hoc modo in operculo ollæ ebullientis, cuius merito vapores prohibentur reſolui ob denſitatem,quamuis actu ſit calidiſſimum, & ſimiliter in vaſis diſtillatoriis, & in cerebro vapores aſcendentes vertuntur in aquam, non ob frigiditatem, ſed quia caluaria, & dura cerebri membrana,ſua denſitate vapores retinent,& eorum prohibent reſolutionem.

Circa oſſa non generatur pinguedo,quia pars tenuis ſanguinis ab illis attracta tranſit in medullam,quæ pinguis eſt.In carne non generatur,quia portio illa ſanguinis,ex qua pinguedo conſtat, priùs in nutritionem carnis conuertitur: & cùm caro ſit mollis & rara, in ea non detinetur pars ſanguinis oleoſi, & tenuis; ſed aut reſoluitur, aut ad aliud ſpatium confluit, quod inter veram cutem, & membranam carnoſam interiacet, in quo à denſitate tunicarum coërcita, abit in pinguedinem.Neque obiicias Galenum, aſſerentem, *in lib. art. med.cap.*59. in corporibus frigidis & ſiccis, pinguedinem eſſe per carnem diſperſam: eo enim loco loquitur de carne muſculorum,quæ membranis inuoluitur, circa quas adnaſcitur pinguedo.

Sit ſecunda concluſio. *Pinguedo ex ſe, & natura ſua calida*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 408 sur 927

calida est, non autem frigida. Probatur, quia natura pinguedinis est ignea, & aërea, vt ex eius leuitate possumus colligere, & ex Arist. *loc. cit.* & *lib. 3. de Hist. animal. cap. 19.* Deinde illius effectus à calore emanant: resoluit, suppurat, dolores lenit, velociter accenditur, & inflammatur, quod non ex tenuitate substantiæ accidere certum est, cùm sit crassa & viscida, sed ratione caliditatis, cùm ex sanguine, qui calidus est, tanquam ex materia, & à calore tanquam efficiente generetur. Neque instes, quòd in eius generatione pars tenuis sanguinis sit resoluta, & sit generata à calore remisso membranarum: nam etiam caliditas pinguedinis est remissa, & cutis temperamento proxima, etsi valde recedat per humiditatem.

Hunc pinguedinis calorem apertis verbis confirmat Arist. *sect. 8. probl. 8.* & *probl. 4. eiusdem sectionis* ita scripsit: *Pinguedo autem calida est, nisi humectata fuerit*, id est, nisi aquosis humoribus abundauerit, ex otio, & valde humida ac frigida viuendi ratione. Et *sect. 31. probl. 22. Ob copiosum*, inquit, *adnatæ membranæ adipem nemo vnquam persensit in oculo frigus.* Præter calorem enim, quem pinguedo ex sua habet natura, vt indumentum auget reflexione sua calorem, & lentore suo, prohibet aëris percutientis ingressum.

Superest solùm argumenta pro parte contraria adducta demoliri. Dic ad primum. Ex contextu Galeni *in arte parua*, non colligi pinguedinem esse frigidam, ex eo quòd asserat, maiorem copiam pinguedinis generari in corporibus frigidis, quàm calidis: nam hoc ex sanguinis defectu contingit, qui ob calorē magis absumitur; quare deficiēte causa materiali, maior etiam copia pinguedinis deficiet. Similiter intelligitur Galenus 2. *de temper.* 4. adipem ex habitus frigiditate semper gigni confirmans, hoc est, in maiori quantitate, non verò, quia generetur ex frigido. Si verò 1. *de temper. vlt.* adipem semper generari circa frigidas, & non circa calidas particulas asseuerat, rectè infert, cùm suprà ex ipsius mente ratum sit, generari circa membranas, quæ sunt frigidæ.

Ad rationem, ex 4. *meteoror.* desumptam respondeo: verum esse pinguedinem liquari, & fundi à calore, sed non inde sequi frigidam esse, licèt etiam à frigore concrescat: cùm multa reperiātur liquata à calore, quæ non concrescunt à frigore, vt patet de metallis, melle, & similibus, quæ non per cōcretionem à frigore, sed à modico calore sunt generata. Solue secundò. Nullum est inconueniens, vt illa quæ modico calore sunt concreta, liquentur à calore intenso, qualis est calor febrilis, aut solis: immodicus enim calor sic est contrarius in operatione modico calori, sicuti frigiditati: & iuxta hanc considerationem, non solùm pinguedo, sed etiam caro liquatur à calore immodico, quamuis per calorem sint concreta, dicente Galeno 2. *progn.* 38. Solue tertiò, & magis solidè, concedéque verissimum esse, omnia quæ concreuerunt à frigore, à calore liquari; sed ex eo non sequi, omnia quæ à frigore concreuerunt, esse frigida, vt de melle, & calidissimis vnguentis satis patet. Aliud enim est, quòd aliqua in suo principio generentur à frigore per concretionem; & aliud, quòd illa quæ fuerunt generata à calore, & tractu temporis calida euaserunt, à frigore concrescant. Quod verò 4. *meteor. 6. & 7.* asseruit Aristoteles, frigore concreta ad naturam aquæ, vel terræ pertinere, de natura respectu modi substantiæ, & non de natura temperamenti intelligatur, vt ex ipso Arist. patet; qui exemplum de vino apposuit, quod esse calidum, dubitat nemo.

Verùm adhuc superest argumentum, quod solutionem expostulat, cur Galenus voluerit adipem ab excedente frigore cōcrescere? sic enim ait: *lib. 1. de temper. c. vlt. Quoniam adeps cogitur per id quod valde est frigidum, iccirco calefacta liquatur cæterorum coagulatorum ritu.* Plures ex hoc loco arripuere occasionem calumniandi Galenum dum insolenter hoc modo insurgunt. Partes omnes actu calent influxu, & naturali calore. Sed res potentia frigida, actu calida, liquandi potiùs, quàm coagulandi vim habet, vt ferrum, aut quæcunque alia frigida substantia excalfacta. Non potest igitur in corpore adeps cogi, per id quod est valde frigidum.

Sed fatendum ingenuè, quid Galenus proferat hoc loco: neque enim ad eam opinionem ille deuenit, vt rentur ipsi, vt crediderit à positiua & actuali frigiditate, concretionem illam pinguedinis in exanguibus partibus, viuente animali semper produci, & conflari: aut à frigiditate particulæ potentiali, haud obstante actuali calore, id accidere asseuerit, philosophici oblitus axiomatis, *Actio omnis fit ab ente in actu*: quin hoc ipsum alienissimum eo loco à Galeni mente est, quippe qui per id quod est valde frigidum, potiùs designet diminutum, remissúmue calorem natiuum, qui sæpissime ab eo frigiditas nuncupatur; quemadmodum ventriculū cui imbecillis est innatus calor, frigidum semper appellare moris est. In hunc sanè modum, quæ ab intenso calore liquata sunt, quisnam inficiabitur à valde remisso calore coagulari posse? Ex hac doctrina conciliabis Auicennam cum Galeno: ille enim 1. 1. *doct. 4. cap. 2.* pinguedinem inter partes frigidas reponit: nam per frigiditatem, remissum calorem intelligit.

His præfinitis agitemus: *Vtrùm palpitatio cordis differat ab eius tremore?* Nam Glenus 2. *de cauſ. sympt. cap. 2.* illam separat à similibus symptomatis, nempe conuulsione, tremore, & rigore: tremor enim constat ex duobus motibus contrariis, quia componitur ex motu sursum à facultate facto, & motu deorsum à grauitate mēbri; docétque eo loco causam tremoris consistere in vi mouendi, modò vincente, modò victa, idque exemplis ostendit, primò in capite tremente; secundò in manu, tertiò in oculis; quartò in onere humeris imposito; vltimò, in timore quouis: timor namque deiicit vires, quoniam retractis spiritibus, minùs relinquit musculis, quàm vt possint sustinere corpus. Insuper, vltra facultatis imbecillitatem, narrat Galenus *eo loco* alias duas, nempe frigiditatem neruorum, vel cerebri. Denique tremorem efficiunt gaudium immodicum, humiditas laxans, & siccitas motui renitens. Quæ omnia quo interuallo à palpitatione distent, coniiciet facilè, qui in Galeni doctrina est tantillum versatus.

Differentiæ.

Vtrùm Idiopathica cordis palpitatio à sympathia distinguatur? pluribus in locis, & præsertim *lib. 5. de loc. affectis* Galenus inculcat, qui inter morbos cor per proprietatem opprimentes, palpitationem reponit: Nam posse hoc membrum vera, & legitima palpitatione corripi, pluribus argumentis disceptauimus *lib. 2. Hist. Princip. Medic. in com. Hist. 40.* Illa verò quæ per propriam, & primariam affectionem fatigat, perpetua est; quæ autem per consensum, ex interuallis insurgit & inuadit.

Hæc à variis nostri corporis partibus, ad cor flatus transmittentibus emanat: Primò & frequenter ab vtero, qui magnam cum corde obtinet sympathiam, & cognationem. Partes enim vocis, & pectoris cum genitalibus eximium consensum obseruant. Hinc abortientium mamillæ graciles fiunt, 5. *Aph. 37.* Tussis diuturna, vbi testis intumuit, 2. *epid. sect. 2. text. 11.* Hinc ex suppressione menstruorum cordis palpitatio contingit, vt in viduis, & iuuenculis quotidiano euentu experimur, quod asserit latè Hip. *lib. de virginum morbis, ferè per totum.* Hinc vocis mutatio ex Veneris vsu, aut testiculorum refectione contingit. Oritur consensus ex mutua per venas connexione, quæ è mammis per rectos abdominis musculos descendunt, & cum ascendentibus ex vtero committuntur. Consensus ostenditur etiam, non ob propinquitatem modò, verùm etiam ob magnam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 409 sur 927

connexionem per arterias, tum spermaticas, tum hypogastricas, quæ à corde ad vterum descendunt.

A liene per consensum non rarò oritur palpitatio: cùm enim hæc pars melancholici humoris copia distenditur, ac repletur, vapores ex se eructat in cor, qui palpitationis causa sunt. Lienosos autem, & melancholicos esse flatulentos, probat Arist. 4. *probl.* 31. quo loco quærens, cur melancholici sint libidinosi? id contingere affirmat, quia flatu redundant. Hac ratione melancholia hypochondriaca, vocatur flatulenta à Galeno 3. *de loc. cap.* 7. Hoc modo lienosorum sanguis dilutus est, aqueus, serosus apud Arist. 9. *probl.* 4. quia melancholici ob caloris debilitatem sero abundant; quare eorum sanguis ichorosus est, auctore Hippocrate 6. *epid. sect.* 2. *text.* 28.

A ventriculo hæc sympathica palpitatio sæpissime scaturit: cùm enim sit receptaculum pituitæ, & ex hac flatus eleuentur continuò ad cor, ob maximum quem cum eo obtiner consensum, nihil mirum si ab hac parte palpitatio, imò & syncope scaturiant. Ex intestinis oritur persæpe, dum in illis vermium copia succrescit, qui suo venenoso, tetróque vapore cor premunt, lancinant, & vexant. Ab hepate non infrequenter producitur, eleuatis multis, crassisque vaporibus, non solùm per arterias à corde ad hepar demandatas, verùm per insignem venæ cauæ ramum, in cordis dextram partem implantatum. A pulmone etiam per consensum suscitatur, ob connexionem per arteriam venosam, & per venam arteriosam, per quæ vasa flatus crassi eleuantur, qui irruentes in cor, palpitationem efficere nati sunt. Hoc modo asthmatici, & qui læuium arteriarum pulmonis obstructione, à crasso humore, vel tuberculo crudo excitata laborant, palpitatione frequentissimè corripiuntur.

Causa.

VEram cordis palpitationem necessariò fieri à flatu, tanquam à causa interna, eleuato à crasso, frigidóque humore vbertim contendimus, *lib.* 2. *Histor. Princip. Med. in com. Hist.* 40. *Vtrùm* verò *palpitationis plures externæ causæ sint assignandæ*? dubitandum est. Primò est otiosa vita: nam otium eneruat vires, labor firmat, ex Celso *lib.* 1. *cap.* 1. exercitium flatus absumit, roboratis membris, accito calore. Secundò est satietas, ex nimia enim copia alimenti ventriculus grauatus, nec concoquit, nec transmittit ad hepar chylum, quare gignuntur flatus, cruditates oriuntur, excitantur obstructiones, operationes demum impediuntur. Temulentia frigidos morbos gignit, 3. *de temper.* 4. 8. & flatuum copiam excitat, vnde ebrietas: Vinum enim in acorem versum ventriculum impensè refrigerat, & illius tonum labefactat. Iunge cibos crassos, frigidos, melancholicos, quorum catalogum lege apud Galenum 3. *de loc. cap.* 7. Venenum etiam adnumerandum, vel epotum, vel ab animalibus eiaculatum. Illud, si est frigidum, flatus gignit; si calidum, cordis calorem depopulatur, & partium symmetriam dissoluit, & sic debilitato calore natiuo oriuntur flatus.

Signa.

NOn est multùm operosum palpitationem agnoscere, cùm illa facillimo negotio persentiatur. Causarum signa venaberis hoc modo. A flatu emanantem ostendunt anteacta victa, ciborum frigidorum præassumptorum copia, ventris murmur, oscitatio frequens, per vtrumque ventrem flatus excretio, aurium sonitus, dolores vagi per totum corpus oberrantes, qui deinceps repentè conquiescunt. A qua parte excitentur, ex cuiusque partis symptomatis manifestè distingues. Ex aqua in pericardio contenta, vel scirrhoso aliquo tumore ibi adnato, venaberis ex totius corporis contabescentia, iugi febricula, pulsatione vehementi.

Præsagium.

VTrùm tempore frigido, & hyemali palpitatio amplius insoleſcat, quàm calido, & æstiuo? Nam si hic affectus à flatu oritur, minùs generabitur hyeme, quia calidiora hoc tempore multò sunt viscera: ita prædixit Hip. 1. *Aph.* 15. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi.* Retracto enim calore ad internas sedes, hæ roborantur ac vigent, coctiones perfectiores fiunt, humidum deperditum restauratur, spiritus regenerantur, & non solùm in partibus interioribus, sed externis perfectiores fiunt coctiones, ob maiorem quietem, quæ coctioni famulatur eximiè, 4. *acut.* 44. & retinentur spiritus: Quare si tempore hyemis somni sunt longissimi, ob duas causas, videtur quòd flatuum hoc tempore minùs generetur, quàm æstate, in qua plurima fit spirituum resolutio, & apertis cutis spiraculis innatus calor assiduè exhalat, facultates debiles sunt, coctiones infaustæ, & hoc modo plurima flatuum copia regignitur: Nam somnus assimilatur hyemi; vigilia, æstati: tempore autem vigiliæ, imperfectiores esse coctiones omnes, probat Galenus 1. *de sympt. caus. cap. vlt.* & 3. *de causis puls. cap. vlt.* §. *Cur autem, &c.* & 3. *epid. sect.* 2. *com.* 3. §. *Pari modo, &c.*

At obstat commune Medicorum edictum, asserentium hyemem pituitosorum morborum esse feracem, ex quibus flatuum copia emanat. Hoc modo 2. *crisi. cap.* 5. quotidianam familiarem esse hyeme asseuerat: Licèt enim hoc tempore interiora magis caleant, & ratione somni longissimi, flatus resolui videantur; tamen obstant plura, quæ hoc tempus frigidis morbis, & palpitationi magis obnoxium reddunt: idque tripliciter accidere eleganter notauit Galenus 1. *de natur. humani. com.* 36. Primò, quia aër frigidus per hyemem inspiratus non solùm extimam cutem attingit, sed penitissimè irruens, etiam os ventriculi refrigerat; cuius rei manifesta sunt argumenta, minima sitis per hyemem, quòd stomachus gaudeat alimentis actu calidis: refrigerato autem ventriculo, impedita humorum attractione, non est mirum portionem alimenti manere sub forma pituitæ. Secundò. Hyeme plus appetimus, cùm calor tunc sit robustus, & conficere possit: hoc modo in pueris, licèt coctrice excedant viros, in illis tamen ob ingluuiem crudi humores ampliùs redundant. Tertiò. Hyeme alimenta assumpta pituitosa sunt, & flatus pariunt, vt legumina, olera, mustum, rapa, suilla.

Deinde ex perfectiori coctione tempore hyemis celebrata, aucto in quantitate calore, plurima sanguinis copia accrescit: sed is pituitosus est, refrigerato à continente calore; coctio enim, & aliæ operationes naturales, magis pendent à quantitate caloris natiui, quàm ab intensione, vt *lib.* 1. *Aph.* 15. probauit Galenus. Et his de causis plurima pituita hyeme excrescit. Hoc autem planè ostendunt ructus copiosi, hoc tempore per vtramque regionem excreti; ventriculi, & capitis dolores à flatu suborti; pituitosi vomitus, frequentes à capite destillationes, & alia vitia quæ ex frigiditate persæpe emanant.

Vtrùm mœsti, & timidi palpitationi sint obnoxij? Respondè affirmatiuè. Hæc enim animi pathemata, si diu perseuerent, conculcato calore natiuo, spiritu, & sanguine ad internas partes recedentibus, illum suffocant, refrigerant, & extinguunt: quare inter causas refrigerantes, metus reponitur, apud Galenum 1. *de præsag. ex puls. cap.* 2. ex qua refrigeratione, debiliori facto innato calore, flatus progignitur. Si autem febris ex his animi passionibus subsequatur, illa motui

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 410 sur 927

& agitationi ſpirituum attribuenda eſt. Si verò longo tempore perſeuerent, caloris ſubſtantia reſoluta refrigerant.

Deinde palpitatio per proprietatem in corde generata, quia continuò affligit & premit, periculoſior eſt ac deterior illa, quæ per conſenſum, & ex interuallis aggreditur, intermittentium febrium inſtar, quibus continuæ periculoſiores ſunt, ac ſæuiores, 4. *Aph.* 43. Denique ea quæ à cauſa interna progreditur, peior eſt, quàm quæ à cauſa externa oritur: vehementiorem enim arguit cauſam. Hac ratione facies Hippocratica magis exitioſa eſt, ac lethalis, ſi violentia morbi facta ſit, quàm ſi à procatarctica cauſa, vt immodica vigilia, alui fluxu, fame, &c.

Curatio.

ATtenuans victus huic affectui ſalubris eſt, ex Gal. 5. *de loc. cap.* 1. oritur enim à flatu, crudis & pituitoſis ſuccis: ni corpus extenuatum ſit, ac ex longo malo macie confectum; tunc enim vrgentioris indicationis eſt habenda ratio. Hac ratione etſi ratione humoris, & flatuum vigilia ſit optanda, quia digerit, & reſoluit, tamen quia corpora hoc morbo apprehenſa extenuata ſunt, debilia, humectationem, & refectionem deſiderantia, iccircò ſomnus eſt apprimè ſalutaris. Animi pathemata vitanda, vt quæ cor mirandum in modum exagitent, & perturbent. Veneris vſus nocuus: vires enim exhaurit; corpus enim elaboratiſſima ſubſtantia priuat. De vino maior eſt dubitatio, num eius potus huic affectui vtilis ſit: Dic quòd cùm habeat omnes facultates aduerſus flatus, in curatione admittendum eſt: pituitam enim concoquit, flatus diſcutit, roborat vires, lentos ſuccos attenuat, vires reficit, ſpiritus reſtaurat.

Deinde quærendum: *Vtrùm in hoc affectu venæ ſectio ex brachio, an ex talo ſit adminiſtranda?* Galenus 5. *de loc. cit.* eam probat omnino: ſubſcribit Auicenna 11. 3. *tract.* 1. *cap.* 7. dicens, omnes morbos cordis, phlebotomia, & ea ſola, bene habere; plenitudinem enim, quæcunque ea ſit, exhaurit, & copiam detrahit vaporum laceſſentem cor, citra moleſtiam vllam. Deinde reuellit à corde, parte præſtantiſſima peccantem ſuccum.

Hoc autem intelligas de curatione ſola, vel quando cor per proprietatem laborat. Quando verò per conſenſum affligit, & ab aliqua parte, præſertim inferna, vt ab vtero ex menſtruis retentis, vel hæmorrhoïdibus ſuppreſſis eleuatur vapor teter, & craſſus, palpitationem effecturus, tunc ratione præcautionis, vt humor noxius ad diſtantiſſimas diuertatur corporis partes, commodiſſima ex talo venæ ſectio eſt: hoc auxilio vertiginoſos, ac epilepticos præſeruat Galenus *lib. de ſang. miſſ. cap.* 19.

His præſidiis ſuccedunt ordine, & poteſtate, cucurbitulæ tum ſiccæ, tum ſcarificatæ, quæ clementer reuellunt, & ſarcinam humoris, præſertim melancholici deponunt. Affigantur ſuris, femoribus, lumbis, & ſcapulis. Hirudines ſummam vtilitatem præſtant ſedi affixæ: eoſdem enim vſus præbent, etiamſi vacuatio aliqua melancholica ſuppreſſa non ſit. Quum autem malum inueteraſcit, & humor prauus pertinaciter cordi eſt infixus, tunc ſupra mamillam lætam cucurbitula ſcarificata apponatur, & ſciſſuræ biduo conſeruẽtur eum aqua ſalita, vt hoc modo ichores cor opprimentes ſenſim, ac ſine ſenſu vacuentur foràs. Vel ſuper ſcarificatam cucurbitam tres in eundem vſum hirudines appone, quarum ſuctu fæculentus humor vacuetur.

Clyſteria optima ſunt tam in curatione, quàm præcautione ipſa, eo modo parata, quem *cap. de Epileptia* prodidimus. Vacuantia per aluum, ſaluberrima, quæ flatus reſoluant, & craſſos humores expurgent. Poſt quæ vacuantia per epicraſin offerenda, prout latè præſcripſimus *cap. de Melancholia.* Ea tamen obſeruata lege, expurgantia porriges, vt ſint cum cardiacis permixta, vt medicamenti vis hoc modo corrigatur, poſsitque alexiterij ope ad cor deferri, hócque viſcus roborare, cuius præſtantia eſt multa, & dignitas inter noſtri corporis partes eximia.

At in hoc vitio reſtant plurima ſymptomata debellanda. De quorum numero ſunt virium proſtratio ſumma, extremorum frigiditas, anxietas, cardiogmos, cardialgia, pulſuum abolitio, vigilia, inquietudo, quæ omnino artifices ancipites reddunt, multipliciter torquent, atque fatigant. Et ne vires vitales præcipiti lapſu ruant, à vapore diro, craſſo, venenosóque oppugnatæ, citò auxiliares manus adhibere oportet, ne ægri morte ſubita occumbant, vt bellè dixit Auicenna 3. 1. *doct.* 5. *cap.* 1. §. *Ille cui tremor cordis aſſiduè acciderit, de ſeipſo ſit ſolicitus, ne morte ſubita intercipiatur.*

Virtuti vitali occurrendum, ne repentè labaſcere poſſit, admoto hoc epithemate ſuper papillam læuam.

℞. *Aquæroſar.* ℔ ß. *aq. meliſſæ, aq. bugloſſ. an.* ℥ iiij. *aq. angelicæ* ℥ ij. *pulueris diamargariton. frig.* ʒ j. *croci,* ℊ x. *granor. tinctorum, caryophyllor. an.* ʒ j. *vini albi generoſi, & odorati* ℥ iiij. Miſce, fiat epithema pro corde.

Aliud in forma ſolida.

℞. *Conſeru. flor. anthos, conſeruæ flor. bugloſſ. an.* ℥ ij. *theriac. magnæ,* ʒ j. ß. *Mithridatij,* ʒ j. *confect. Alchermes,* ʒ ij. *diamoſchi dulcis, confect. de hyacinth. an.* ʒ j. *oſſis de corde cerui, eboris in ſcobem redacti, an.* ʒ ß. *folierum auri,* Num. vj. Cum guttulis vini, & ſtillatitia aqua ex floribus aranciorum fiat epithema, quo calido illinatur cor.

Per os cardiaca aſſumpta, ſaluberrima. Lapis Belzaar orientalis. Cornu rhinocerotis, os de corde cerui. Theriaca & cætera alexipharmaca præſidia, quæ omnia poſſunt reponi in conſerua hac, quæ interdiu, & noctu offerri poteſt, & liquoribus alimentitiis permiſceri.

℞. *Theriac.* ʒ ij. *Mithridatij,* ʒ j. *confect. lætificantis Rhaſis, confect. de hyacinth. electuar. Alkermes, an.* ʒ j. ß. *conſeruæ roſar. conſeruæ violar. conſeruæ flor. cichor. conſeruæ flor. bugloſſ. an.* ℥ j. *pulu. caryophyllor. cinnamom. an.* ϑ j. ß. *diamoſchi dulcis, pulu. diamarg. calidi, electuar. de gemmis, an.* ʒ ß. *moſchi odorati,* ℊ viij. *lapid. belzaar Orientalis,* ℊ xx. *oſſis de corde cerui,* ʒ ß. *agallochi,* ϑ ß. *aniſi,* ϑ j. Cum ſyrupo de corticibus citri, & bugloſſa, miſceantur omnia, & fiat conſerua.

Pro diſcutiendis flatibus roborando corde, ventriculo firmando, puluis poteſt inſtitui, qui poſt paſtum aſſumptus, plurimùm iuuat, ſuperbibito hauſtu aquæ naphæ, vel generoſi vini, vel iuſculis vtiliter permiſcetur.

℞. *Coriandri preparati,* ℥ j. ß. *maſtiches chiæ,* ℥ ß. *aniſi,* ℥ j. *cinnamom. elect. pulueris diarrhod. pulu. aromatic. an.* ʒ j. *glycyrrhiz.* ʒ ij. *margaritar. preparat.* ϑ ij. *diamoſchi dulcis,* ϑ j. ß. *bugloſſ. cum ſuis floribus exiccatæ, & pulueriſatæ,* ʒ iij. *ambari gryſei,* ℊ viij. *moſchi odorati,* ℊ v. *agallochi,* ℊ iiij. *ſacchari ad pondus omnium:* fiat puluis.

In potum iulapia ex iiſdem compoſita offerri poſſunt, quorum formulas reperies *cap. de Melancholia.* Si à veneno oriatur palpitatio, cardiaca, & alexipharmaca medicamenta, optima ſunt. Fonticuli cruribus affixi, ſummo ſunt ex vſu, præſertim ſi ex vtero, & partibus inferis malum ſcaturiat. Aurea medicamenta, ſalutifera, de quorum viribus pro roborando corde, aura venefica retundenda, refrænando humore melancholico, ſat plura *lib.* 1. *Hiſt. Princ. Med. in com. Hiſt.* 36.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 411 sur 927

OBSERVATIO I.

De palpitante corde, sacculus eximius.

VIdua melancholica, habitu hirsuto, & nigro, cùm thalamo maritali esset à longo tempore priuata, ex non bene recurrentibus lochiis, & semine suppresso, in cardialgiam, & animi consternationem validam incidebat sæpe. Cessantibus his in palpitationem cordis delabitur, quæ ita eam miserè, & assiduè afflixit, vt cor è propria sede continuò exilire videretur, costas effracturum. Huic multoties ex talo, gibberóque extractus sanguis. Hirudines mariscis affixæ. Frequenter repurgatum corpus. Cauteria in cruribus affixa. Oblata chalybeata medicamenta. Cardiaca, epithemata, opiata varia imperata, sed citra leuamen vllum. At cùm per proprietatem iam vrgeret malum, cum vehementi totius corporis tremore, & saltu coniunctum, ex flatu crasso, nebuloso, & tetro scaturiens, decoctum smilacis asperæ, & ebeni assumpsit per plures dies; quod cùm non conferret, ad thermalia balnea accedere est coacta, citra vtilitatem vllam. Tandem sacculo supra cor appositio ex cardiacis rebus confecto, ex toto succubuit affectus: cuius forma esto hæc.

℞. *Aromatici rosati Gabrielis, diamoschi, diarrhodon. Abbat. diamarg. calidi, diamarg. frig. an.* ʒ j. *coral. rubri,* ʒ j. ß. *rasuræ eboris, sem. angelicæ,* ʒ ß. *Zedoariæ, valerianæ, dictamni, been albi, been rubri, an.* ϑ j. *galangæ,* ϑ ß. *serici crudi torrefacti, sem. ocymi, cardamomi, an.* ϑ j. *flor. citranguli, flor. saluiæ, bugloss. nenuphar. anthos, rorismarini, camomil. an.* ϑ j. ß. *cinnamomi electi* ʒ j. *sem. anisi, fœniculi, carui, caryophyllor. an.* ϑ ß. *agallochi,* ϑ ß. *cyperi, calami aromatici, an.* ʒ ß. *rosar. rubentium,* ℙ ß. *macis,* ϑ j. ß. *margaritar. præparat.* ϑ j. *granorum tinctorum,* ϑ j. ß. *doronici,* ϑ ß. *diacymin.* ʒ ß. *camphoræ,* gr. xij. *croci,* gr. vj. *ossis de corde cerui, cornu ceruini, cornu monocerotis, an.* ϑ ß. *diambræ,* ϑ j. *santalor. citrinor. santalor. rubeor. an.* ϑ j. *ambræ gryseæ* gr. xx. *moschi odorati,* gr. xxx. *lapid. belzaar,* gr. xx. Pulueriſanda pulueriſentur subtiliſſimè, & irrorata priùs cum aqua meliſſæ, naphæ, cinnamomi, & generoso vino odorifero siccentur ad vmbram, & immittantur inter pannum sericum purpureum interpunctim consutum, & fiat sacculus cordialis supra læuam mamillam continuò gestandus.

OBSERVATIO II.

Ex purulentis testibus palpitatio suborta, fonticulis infra inguina excitatis, ex toto persanatur.

ENata est cuidam inflammatio in testibus, cũ duritie, & dolore vehementi coniuncta. Æger erat vir robustus, & fortis, & qui à multis annis Gallica scabie corpus habebat conspurcatum. Secta fuit primò basilica ex vtroque latere vena, postea ex saphæna sanguis detractus. Demum topicis administratis, & expurgantibus per aluum clementer oblatis, euitari non potuit, quin in abscessum, & tandem in vlcera tumores finirentur. Verùm cùm longo temporis spatio, putores, & corrupti humores per vlcera manantia vacuarentur continuò, nec sudorifica, & vnguenta mercurialia prodesse possent, Medicorum voto adstringentibus in parte affecta impositis multoties vsus est, quorum vi vlcera ex toto sunt consolidata, & ad cicatricem perducta. At cùm alacriter viueret, ecce intempesta nocte de tremore cordis quæri cœpit; quo per annum ita miserè est vexatus, vt sæpe cum extremorum frigiditate, pulsu debili, & obscuro, anxietudine, & vigilia in horas moriturus speraretur, & timor esset ne vapor malignus cerebrum, & partes neruosas concuteret. At cùm hic sæuus affectus, vt par erat, ex suppressa sanie per vlcera assiduè manare solita, ortum duceret, hanc vacuationem iterum prouocare satius duxi. Sed cùm per eandem partem inutile esset hoc opus celebrare, quia est posita in decliui loco, in medio sordium confluxu, & fluxionibus hac de causa valde obnoxia, ob quas facilè abscessus, vlcera, fistulæ, & morticinium partis subsequuntur: iccircò similem excitare decreui. Affixi cauteria duo in femoris parte superna iuxta inguina, ex quibus cùm viroſi humores paulatim vacuarentur, sensim ac sine sensu à palpitatione omnino liber euasit, inposterum sola præseruatione vsus: nam singulis mensibus crasso, & magis terrestri vacuato humore medicamenti purgantis ope, nullum ampliùs malum persensit.

OBSERVATIO III.

Palpitatio subitò internecans, ex abdita causa prognata.

QVidam in consistente ætate constitutus animi deliquio vexabatur assiduè. Adhibita plura auxilia quæ flatus eliderent: nam ita in eo abundabãt, vt etiam à somno, superueniente orthopnœa, cum strepitu quodam per os erumperent. Sed illa profuere nihil. Tandem ingraueſcente malo, & accessione oppressus, subitò occubuit. Aperto thorace, inuenti pulmones flatu distenti. Pericardio dissecto, inter magnæ arteriæ ramum, & venæ arterialis radicem, carnea excreſcentia, dura, & concreta, colore nigerrima reperta, quæ binas ferè vncias ponderabat.

CAPVT IX.

De Syncope.

Definitio

PLurima intricata satis, & ardua de Syncope causis, ad Cleanthis lucernam, contra iuniores abundè disceptauimus, *lib. 2. Hist. Princip. Medic. à com. Hist. 45. vsque ad Hist. 51.* Nunc deposita leonina, praxin pacatè explicandam aggredimur, quærentes: *Vtrùm Syncope definitio tradita a Galeno, omnium sit optima?* Definitur ergo à Galeno *12. meth. cap. 5. præceps virium lapsus.* Licèt enim Celsus, Aretæus, & Auicenna multipliciter definiant, tamen Galenica est præstantior: Syncope enim est subitus omnium facultatum defectus. Cùm enim in hoc morbo cor maximè laboret, & patiatur, facultásque vitalis plurimùm debilitetur, fit vt non solùm hæc, sed omnes aliæ totius corporis facultates, ab operationibus ferientur, & cessent; pereunte autem actione cordis, & illius influxu non demandato, necesse est reliquarum partium actiones cessare, vt disertè docuit Galenus *lib. 5. de loc. cap. 1.* firmant Paulus *lib. 3. cap. 34.* Tral. *lib. 12. cap. 3. tit. de syncope, quæ in febribus accidit.* Dicitur lapsus virium præceps, hoc est, repentinus & subitus, vt hoc modo ab aliis cordis affectibus distinguatur, in quibus vires paulatim deficiunt, donec mors appropinquet.

Ex hac doctrina patebit responsio ad locum Auicennæ, *1. 3. tract. 2. cap. 2.* proponentis signa syncopes paulatim aduenientis: nam etsi causæ dissoluentes aliquando sensim, & latenter operentur, tamen cùm ingraueſcunt, syncopen subitò committunt. Quare Auic. proponit signa antecedẽtia syncopen. Deinde quamuis ex cerebri magna affectione, vt Apoplexia subitus virium lapsus subsequatur, is non est dicendus syncope, sed tunc suffocatio sequitur, & repentina mors, ob fuligines detentas, & eas expurgantis respirationis defectum.

Pro maiore tamen explicatione, dubitabis: *Vtrùm exolutio*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 412 sur 927

©BIUM

exolutio virtutis, animi deliquium, & ſyncope, inter ſe diſtinguantur? Licèt enim inter ſe ſimilitudinem habeant, ſunt tamen affectus diſtincti: Exolutio enim virtutis, eſt illa virium debilitas, per quam ſenſus, & motus perturbatur, & deficere incipiunt, verùm ſecundùm aliquam partem ſeruantur. Animi deliquium eſt illa virium debilitas, in qua ſenſus, & motus cum exigua tamen pulſus debilitate deficiunt; quare hic affectus maiorem virium lapſum præſupponit.

Hos affectus diſtingui inter ſe oraculo quodam prædixit Hippocrates, *lib. 7. Aph. text.* 8. dicens: *A tuberculi intus ruptione, virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit.* Non nego apud Hip. & Gal. aliquando inter ſe confundi. Patet ex ipſo 2. *Aph.* 41. dum ſic ait: *Qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, de repente moriuntur:* quo loco per illud verbum [exoluuntur] non ſolùm laborantes patientes exolutionem, ſed etiam eos qui animi deliquio vexantur, intelligit. Deinde Gal. *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. ante med.* §. *Eas verò quæ habentur, &c.* affirmat Medicos conſueuiſſe de vna re hæc duo nomina proferre. Sed prior modus loquèdi, de diſtinctione inter exolutionem, & animi deliquium vſitatior eſt, & apud Medicos magis receptus.

Vltimus verò affectus, qui nominatur Syncope, multò maiorem virium debilitatem quàm prædicti duo affectus præſignificat; & hac ratione hoc affectu apprehenſi, non ſolùm in animalibus actionibus, ſed & vitalibus maximam debilitatem patiuntur, & ita mortui iacent, viuido colore deſtituti, ſine reſpiratione, & pulſu, vel eo valde debili & exiguo, frigido ſudore reſperſi. Inueniri autem maiorem virium debilitatem in ſyncope, quàm in animi deliquio, colligitur ex Galen. *lib. 12. meth. cap. 5. circa finem*, docente, quòd quando ſucci crudi propter multitudinem, & craſſitudinem exiguos animalis meatus obſtruunt, ſyncopen producunt; quando verò non obſtruunt, neque onerant, ſyncopen non inferunt, ſed animi deliquium. Erga ſyncope grauior, & periculoſior eſt affectus animi deliquio.

Accedit auctoritas Galeni 1. *ad Glauc.* 14. *ante med.* §. *Omnem præterea, &c.* dicentis animi deliquium ſyncopen antecedere. Ergo in illo affectu minor datur virium debilitas, quàm in ſyncope. Idem firmat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap.* 101. affirmans animi deliquium differre à ſyncope, quòd illud repentè inuadit, & ſenſu motúque, citra ſudorem, hominem priuat; ſyncope verò & dormientes, & vigilantes premit, & cum ſudore frigido, qui ſyncopticus dici ſolet, à ſumma retentricis debilitate prognato interficit. Ergo in ſyncope maior, quàm in animi deliquio virium debilitas adeſt.

Vtrùm verò *animi deliquium, & ſyncope penès maiorem, vel minorem debilitatem, ad eandem facultatem pertinentem inter ſe diſtinguantur*? ardua eſt antinomia, & apud auctores valde controuerſa. Non deſunt qui putent, hos affectus differre ſecundùm magis, & minùs, & ita ad eandem facultatem vitalem primò, & per ſe pertinere: quare quando cor maximè læditur, & facultas vitalis plurimùm patitur, tunc ſyncope producitur, & facultatis vitalis lapſus datur, ipſa facultate vitali, & corde primò, & per ſe laborantibus; cæteræ verò facultates, quæ cum corde potiſſimam obtinèt cognationem, per conſenſum laborant, quoniam eius influxu omnes indigent ad operandum.

Hi ſic ratiocinatur. Quando propter aliquam vacuationem, aut vitium cordis, ſpiritus vitales deficere incipiunt, & facultas vitalis debilitatur, tunc cor ſanguinem, & ſpiritum ex vniuerſo corpore quodammodo attrahit, facultatem enim validiſſimam habet; túncque reliquæ partes ob mutuum conſenſum, opes ſuas, ſanguinem nempe, & ſpiritum ad cor tranſmittunt: quo fit vt eo tempore influxus facultatis vitalis, & caloris innati minuatur, qui à corde cæteris partibus ſolet impertiri. Hoc impedito influxu, facultas animalis quæ in cerebro ſedem habet, ſtatim deficit: ſpiritus enim animales, quibus veluti inſtrumento vtitur, ob maximam tenuitatem facilè reſoluuntur, & ipſum cerebrum, vtpote frigidum, laxum, & exangue, deficiente influente calore, vehementer læditur, & debilitatur. Quare ex his conſtat manifeſtè, quòd in hoc exemplo facultas vitalis potiſſimùm, & per ſe læditur, etſi illa noxa ſeuis ſit, & à facultatis vitalis lapſu ad ſyncopen requiſito, aliena; & facultas animalis læditur per conſenſum cum corde.

Prima pars huius ſententiæ, quòd in ſyncope cor, & facultas vitalis primò, & per ſe patiátur, reliquæ verò facultates, & partes per conſenſum, ab omnibus conceditur: quòd autem in animi deliquio etiam facultas vitalis patiatur, & accidat ob debilitatem eius, probat Galenus 2. *Aphor.* 41. vbi docet, quòd illi qui fortiter exoluuntur; ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur: verum aurem eſt, vt probauimus *ſuprà*, exolutionem virtutis, & animi deliquium eſſe idem, aut inter ſe parum differre.

Deinde patet ex Galeno 1. *ad Glauc. cap. 14. in med.* §. *Sed & neruus, &c.* affirmante animi defectum ex diſſolutione vitalis roboris emanare. Firmat Galenus 7. *Aphor.* 8. exolutionem, & animi deliquium in ruptionibus, ob vitalis ſpiritus excretionem contingere aſſeuerans. Ratio dictat: Si enim animi deliquium, & ſyncope, ad eandem facultatem non pertinerent, & ex eadem parte affecta non emanarent, ſequeretur diuerſam curationem dictis affectibus eſſe inſtituendam, quæ diuerſis partibus affectis opem ferret. Sed animi deliquium, & ſyncope iiſdem auxiliis curantur, vt concors eſt omnium medentium opinio, euariantibus ſolùm in hoc, quòd efficaciora pro ſyncope, leuiora pro animi deliquio imperantur. Ergo dicti affectus, penès magis, & minùs inter ſe ſolùm diſtinguuntur.

Alij contrariam ſententiam tuentur, ac firmant, nempe in ſyncope pati cor, & facultatem vitalem primò, & per ſe, reliquas verò partes per conſenſum; in animi verò deliquio, ſolum cerebrum: quare hoc ſolius animalis ſubitus erit lapſus, & nequaquam ad facultatem pertinebit vitalem. Prima pars huius opinionis non indiget probatione, quia ſupradictæ opinioni eſt conſona valde. Quòd verò animi deliquium ad animalem facultatem ſolùm ſit referendum, probat Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 4. cap.* 68. docens, quòd animi deliquium ſi vehemens eſt, non accidit cùm cor affectionis expers permanſerit: Ergo iam admittit Aëtius, quòd ſaltem animi deliquium leue, ſine cordis affectione, & noxa facultatis vitalis poteſt contingere.

Secundò probatur ex Auic. 11. 3. *tract. 2. cap. 9.* vbi docet, quòd caſus virtutis quandoque perducit ad ſyncopen, & quandoque ad id quod eſt infra ſyncopen, hoc eſt, ad animi deliquium, vbi virtus non deſtruitur niſi à neruis, aut lacertis. Ergo admittit Auicenna, animi deliquium ſolùm pro læſione, & defectu facultatis animalis, illa namque eſt, quæ in neruis, lacertis ſeu muſculis, pro ſenſu & motu exiſtit.

Vltimò ſic confirmo. Tunc debet aſſignari animi deliquium, quum datur ſubitus lapſus facultatis animalis, & motus, ſensúſque deficiunt ob ſpirituum animalium defectum. Sed ſpiritus animales neceſſarij pro ſenſu, & motu, poſſunt deficere in cerebro, ſine eo quòd deficiant ſpiritus vitales, requiſiti pro actione facultatis vitalis cordis, & quin in corde euidens vitium exiſtat. Ergo animi deliquium rectè poteſt oriri ſolùm ob vitium cerebri, & facultatis animalis læſionem Maior cum conſequentia euidens eſt. Minor verò ex eo probatur: Nihil enim obſtat, vt ſi aliqua cauſa corrumpens ſpiritus applicetur potiùs cerebro, quàm cordi, quòd tunc ſpiritus animales pro ſenſu, & motu neceſſarij, in cerebro deficiant, non deficientibus ſpiritibus vitalibus in corde, qui ad operationem facultatis vitalis requiruntur.

Verùm

Verùm vtraque ſententia vera eſt, cum hac tamen limitatione, vt vniuerſaliter non accipiatur: & ita dicendum eſt, animi deliquium aliquando oriri poſſe corde, primò laborante, & facultate vitali, & laborante cerebro & facultate animali per conſenſum; quia non poteſt negari, quin præcisè propter diminutionem influxus, qui à corde cerebro communicatur, cerebrum per conſenſum lædi poſſit, vt in ipſo ſenſus, & motus deficiant, & ſic animi deliquium excitetur. Quare hæc doctrina ſaltem aliquando vera eſt, vt probant auctoritates pro prima ſententia adductæ, quibus ab auctoribus ſecundæ ſententiæ commodè ſatisfieri non poteſt. Cum hoc non negamus, etiam aliquando animi deliquium oriri poſſe, ſolùm laborante cerebro primò & per ſe, & ex ſola læſione facultatis animalis: nam ratio præcipua pro ſecunda ſententia adducta, meo iudicio hanc partem ſufficienter probat; ipsámque auctoritas Aëtij, & Auicennæ ſtabilit euidenter,

Aduertas tamen, quòd quando contingit animi deliquium, primò & per ſe laborante cerebro, & facultate animali læſa ob ſpirituum animalium defectum, ſtatim breui tempore cor, & facultas vitalis cum cerebro conſentiunt, ob magnam cognationem, quam inter ſe partes principes obſeruare ſolent: & ſicuti in ſomno videmus, quòd retrahente cerebro ſpiritus animales ad ſe, etiam cor ſanguinem, & ſpiritum quodammodo attrahit; ſic ſimiliter quando cerebrum in animi deliquio, ob ſpirituum animalium defectum, ſpiritus animales ad ſe retrahit, etiam cor mutuo quodam conſenſu, ſanguinem, & ſpiritum ad ſe quodammodo retrahere debet: ex qua retractione aliquam læſionem vt patiatur eſt neceſſe. Quod ita eſſe, experientia firmat: nam ſemper in his qui animi deliquio laborant, color faciei aliquātulum albeſcit, & partes externæ aliqualiter refrigerantur, magis vel minùs, pro maiori vel minore ſanguinis, & ſpiritus ad interiora retractione; quæ in animi deliquio reperitur, cuius ratione totius corporis refrigeratio contingit, vt *lib. 9. meth. cap. 4.* confirmat Galenus.

His ſuppoſitis, reſponde auctoritatibus Galeni, in confirmationem primæ ſententiæ adductis. Gal. enim *eo loco* non docet, quòd animi deliquium ob virtutis imbecillitatem, aut ſpiritus vitalis excretionem oriatur ſemper: nam intelligi debet, quòd illud ſit verum aliquando, non tamen ſemper. Ad rationem dic, quòd quando animi deliquium ob affectum, qui primò exiſtit in cerebro, & ſpirituum animalium defectum excitatur, tunc in curatione aliqua debet eſſe varietas à curatione ſyncopes, quoniam præſidia quæ ſpiritus animales reficiunt, capiti potiſſimùm ſunt admouenda; in ſyncope verò cordi applicita, ad ſpirituum vitalium regenerationem ſtrenuè iuuant.

Ad Aëtium, & Auicennam pro prima ſententia citatos, Dic, hos auctores non docere animi deliquium ſemper oriri, ob ſolam facultatis animalis læſionem. Ratio verò tantùm probat, quòd ſpiritus animales aliquando in cerebo deficere poſſint, non deficientibus ſpiritibus vitalibus in corde, quando ſcilicet cauſa ſpiritus corrumpens, potiùs cerebro, quàm cordi applicatur.

Obiicies contra prædictam doctrinam hoc modo. Si animi deliquium admittendum eſt, ortum per primogeniam affectionem cerebri, & facultatis animalis læſionem, ſequeretur quòd illud non eſſet animi deliquium, ſed ſomnus præter naturā, aut affectio ſoporoſa: nam ille nihil aliud eſt, quàm priuatio ſenſus & motus, ex affectu præter naturam in cerebro exiſtente. Sed conſequens illud eſt falſum: ille enim qui animi deliquio corripitur, nec naturaliter, nec præter naturam dicitur dormire. Ergo videtur, quòd animi deliquium nunquam per primogeniam affectionem cerebri poſſit excitari, ſed ſemper primò laborante corde, & facultate vitali læſa, & ſolùm per conſenſum læſo cerebro: ſi enim hoc ita ſit, quamuis in animi deliquio detur priuatio ſenſus & motus, nihilominus facilè diſtinguetur à ſomno præter naturam, ſicuti ſyncope etiam diſtinguitur.

Dic, quòd etiamſi aliquando animi deliquium ob primariam affectionem cerebri, & facultatis animalis læſionem oriatur, non ſequitur quòd ſomnus ſit præter naturam: Ad hoc enim vt detur ſomnus naturalis, aut præter naturam priuatio ſenſus & motus, ſpirituum animalium debet adeſſe impeditus motus, qui à cauſa naturali, vel præter naturam, meatus cerebri comprimente, vel obſtruente proficiſcitur, & hoc modo ſomnus definitur quòd ſit priuatio ſenſus, & motus, non quælibet, ſed illa quæ ex primi ſenſorij ligamento, hoc eſt, obſtructione, compreſſione, conniuentia meatuum cerebri oritur, per quos facultas animalis, & ſpiritus communicantur. At verò quia in animi deliquio per primariam cerebri affectionem ſuborto, datur ſubita priuatio ſenſus, & motus, non per compreſſionem, aut obſtructionem meatuum, ſed ſpirituum animalium defectum, & facultatis animalis debilitatem, ideò animi deliquium, non eſt ſomnus præter naturam.

Vtrùm pars potiſſimùm affecta in ſyncope, ſit cor? Reſponde affirmatiuè: Hoc probat Galenus 2. *Aphor.* 41. inter cordis morbos acutiſſimos, ſyncopen reponens: ſubſcribit Auicenna *loc. cit. cap. 6.* In hoc enim affectu omnium partium corporis operationes læduntur, & veluti deficiunt: Ergo in ſyncope vitium exiſtit in parte, à qua omnes dependent in eſſe, & conſeruari, veluti eſt cor, cuius influxu omnes partes indigent ad operandum, ex Gal. 5. *de loc. cap.* 1. & 7. *meth. vlt.* Cor non patitur quomodocunque, ſed grauiter, vt laboret ſymptomate in actione valde diminuta, vel potiùs ſecundùm medicam conſiderationem in actione abolita; nam ad ſenſum in ſyncope operationes cordis deficiunt, vel magis imminuuntur, quàm in quocunque alio cordis affectu, & per conſenſum cum corde etiam aliarum omnium partium operationes læduntur valde: & hoc eſt quod dicebat Galenus *cit. meth. loco,* quòd ſyncope præceps eſt virium lapſus, hoc eſt, omnium operationum facultatum ſubitus defectus. Quare eſt ſyncope, ſymptoma in actione abolita cordis, & per conſenſum illius, etiam actionum aliarum partium corporis. Hoc firmat Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. *ante med.* docens, quòd ex ægritudinibus quæ agnoſcuntur ex modo quietis, id eſt, ex ceſſatione ab actione, ſunt ſicut Apoplexia, Paralyſis, & Syncope. Datur ergo in ſyncope ſymptoma in actione abolita.

Cæterùm cùm in corde plures ſint facultates, ſcilicet facultas pulſifica, & generatiua ſpirituum vitalium, & reperiatur etiam facultas concupiſcibilis, & iraſcibilis, quæres: *Vtrùm ſyncope facultatis pulſificæ, vel alterius in corde reſidentis ſit ſymptoma?* Dic, Syncopen, cùm ſit ſymptoma in actione abolita, operationes omnium facultatum deſtruere; ſed hæc noxa potiſſimùm ad pulſificam, & ſpirituum generatiuam pertinet, ex quarum actione abolita, fit vt ſanguis arterialis, & ſpiritus vitales reliquis corporis partibus non communicentur, feriantibus illis ab actione omni. Ad quod ſymptoma producendum in reliquis partibus, præter cor, nihil conducit, quòd facultas iraſcibilis, & concupiſcibilis in corde reſidens non operetur: influxus enim ſpiritus vitalis, & caloris influentis à corde, aliis partibus media actione facultatis pulſificæ & generatiuæ ſpirituum rectè communicatur, quamuis iraſcibilis, & concupiſcibilis non operetur, vt conſtat in homine dormiente, & vigilante, nulla animi paſſione affecto. Eſt ergo ſyncope, potiſſimùm harum facultatum ſymptoma, cùm media actione illarum, & non facultatis concupiſcibilis, & iraſcibilis ſeu animoſæ, omnes corporis partes vigeant, roborentur, & viuant, & influxum vitalem à corde accipiant.

Si

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 414 sur 927

Si verò vltrò inquiras: *An ſyncope potius ad facultatem pulſificam, vel generatiuam ſpirituum magis pertineat?* Reſponde, magis proprium eſſe ſymptoma facultatis pulſificæ, ex cuius actione abolita, vel maximè diminuta calor naturalis cordis corrumpitur, & aër pro generatione ſpirituum vitalium non attrahitur; ob quam noxam facultas generatiua ſpirituum deficit ab operatione ſua; & concupiſcibilis, iraſcibilis etiam otiantur, & partes reliquæ calorem influentem à cõrde non recipiunt.

Cauſa.

CAuſam internam perpetuam, & immediatam ſyncopes, eſſe ſpirituum retroceſſum, & ſubitam aggregationem in corde, latè probauimus *lib. 2. Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt. 51.* nunc de cauſis externis agẽdum. Eas proponunt Galenus *1. ad Glauc. cap. 14. lib. 12. meth. cap. 5. & 6.* Auic. *1. 3. tract. 2. cap. 6.* In vniuerſum ſyncopes cauſæ exiſtunt, quæ corrumpunt cordis temperamentum; ſanguinem, ſpiritum, & partium ſubſtantiam diſſoluunt: harum temperiem vitiant. Quare labores, vigiliæ, exercitia immodica, curæ, inediæ, balneum aquæ calidæ, æſtus immodicus, gaudium, timor, triſtitia, dolor ingens; immoderatæ ſanguinis, & aliorum humorum etiam inutilium vacuationes; putridi & vitiati vapores, tetri, maligni, ex qualibet parte eleuati, vt fodinis, paludibus, ſtagnis, oleribus aut animalibus fœtidis; venena quæ ab occulta proprietate cordi inſidiantur, venenoſi humores in corpore progeniti; vermes viui, & mortui; affectio aliqua quæ os ventriculi, iecur, lienem, & præcipuè vterum, cum quibus partibus cor ſummum obtinet conſenſum, corripiat.

De iis ſigillatim dubitandum. Et primò: *Vtrùm dolor inter ſyncopes cauſas ſit annumerandus?* Difficile enim videtur, quòd dolor eam poſſit concitare, ſi formalem agendi rationem non habet. Dic. Licèt verum ſit, dolorem ex ſe nullam agendi poteſtatem habere, neque ſentiri poſſe, vt *2. Aphor. 6.* docuit Galenus: tamen cùm naturali partium ſubſtantiæ, & diſpoſitioni aduerſetur, & ſimiliter excitet facultatem expultricem, vt hac ratione noxam ſenſatam à ſe depellat, ex hoc motu, & agitatione valida, ſpiritus ſuapte natura tenuiſſimi, & calidiſſimi attenuantur, rarefiunt, diſſoluuntur, & vires deficiunt. Scitum namque eſt apud Gal. *12. meth. 1. & 3.* dolorem eſſe ſenſationem triſtem; quare prouida natura ſanguinem, & ſpiritum ſubitò conuocat ad cor, quæ ſuſtantiæ in illo aggregatæ, natiuum ignem ſuffocant, minuunt, & extinguunt. Denique natura adeò dolori eſt intenta, vt ſuorum munerum oblita, ab operationibus ceſſet, & corpus hac de cauſa, ſenſu motúque priuetur, quæ ſymptomata ſyncopen comitari conſueuere.

Rogabis: *Vtrùm triſtitia ſyncopen concitare poſſit?* Si enim hoc pathema longo tempore, paulatim, ſenſim ac ſine ſenſu vires diſſoluit, ſyncopen efficere nequit, quæ in repentino, & præcipiti virium lapſu conſiſtit. At Galenus *12. meth. cap. 5.* ab hac cauſa ſyncopen fieri poſſe concedit: Nam debilibus, fœminis, ſenibus, ſi nuntium triſte afferatur, cui timor illicò adiungitur, exoluuntur, & pereunt. Fortes verò, & robuſti, ſi mœſti ſint, ſollicitudinéque diutius conficiantur, calore natiuo minuto, & ſpiritibus reſolutis tabeſcunt, & qualibet data occaſione ſyncope occupantur.

Vtrùm ex gaudio & vigilia, oriatur ſyncope? Si enim hic affectus conſiſtit in retroceſſu, & aggregatione ſanguinis, & ſpiritus in corde, quomodo ex gaudio orietur, & vigilia, ſi in illo animi pathemate, ſicut in vigilia, hæ ſubſtantiæ ad externas expanduntur corporis partes? Dic. Gaudium quando modum excedit, non ſolùm animi deliquij, & ſyncopes, ſed mortis ſolet eſſe cauſa, auctore Gal. *12. meth. cap. 5. & 1. ad Glauc. 14. & 2. de ſympt. cap. 5.* ſubito enim motu & agitatione, ſpiritus attenuantur, & reſoluuntur, & in maxima effuſione caloris accedit ſyncope, & aliquando mors: quare multi præ nimio gaudio repentè expirarunt. Id facit vigilia ſed pedetentim, ac ſine ſenſu: nam abſumendo humidum, diu, & importunè, corpus colliquat, ac tabefacit; ideò dicitur edax ad Hippocrate *6. epid. ſect. 4. text. 19.* quare refrigerat, apud Gal. *cit. epid. com. 17.* quia cruditates parit, coctionem perturbat, collectionem innati caloris ad intus interrumpit, ſpiritus, & ſanguinis generationem impedit, quarum ſubſtantiarum vires reſoluit. Cùm enim ſit contraria ſomno, ſicut hic humectat, concoquit, calefacit viſcera; ſic illa exiccat, coctionem vitiat, refrigerat. Demum nullum eſt morbi genus, tam frigidum, quàm calidum, quod ex diuturna vigilia, tanquam ex vberrimo fonte non ſcaturiat, vt alibi ex Galeni doctrina *in locis multis* latè comprobauimus.

Quæres deinde: *Vtrùm febris hectica, ardens, colliquans, ſyncopes cauſa ſit?* Dic, quòd licèt hic affectus in præcipiti, & ſubito virium lapſu conſiſtat, & hectica, ardénſque ſenſim corpus colliquet; tamen cùm intemperies præſertim materialis ad vltimum ſui gradum accedit, repentè introducitur, ſpiritus rarefacit, diſſipat, & diſſoluit. Hoc quotidie experimur in malignis, peſtiferíſque febribus, in quibus venefica aura ſpiritibus vitalibus communicata, ipſos abſumit, & proſternit.

Vtrùm immodica inanitio, & repletio ſyncopes ſint cauſæ? Immoderatam ſanguinis vacuationem, ſiue ex vulnere, naribus, vtero, ventre, hæmorrhoïdibus, aut quacunque alia parte, aut quacunque ratione contingat, eſſe ſyncopes cauſam, *citatis locis* Galenus edocuit. Hoc modo aliorum humorum vacuatio, ſi nimia ſit, & diu duret, hunc affectum concitare poteſt: ſi enim omni vacuationi, vel etiam modicæ, annexus eſt caſus virtutis, *5. Aphor. 16. & 1. 1. doct. 4. c. 2.* quantò magis immodicæ: Et non ſolùm vacuatio vtilis humoris, ſed inutilis ſyncopen accerſit, vt quotidie in ſectione ventris in hydrope, aut in magni tumoris apertione experimur; in his enim omnibus vacuationibus plurimi ſpiritus euaneſcunt, & hoc modo è veſtigio deficit anima, viréſque corcidunt, *6. Aph. 27. & 1. ad Glauc. cap. 14.* Fieri enim nequit, vt praui ſucci adeò ſeparentur ab vtilibus, vt nulla horum, & ſpirituum portio exhalet, ex qua vacuatione ſyncope excitatur.

Non ſolùm immodica vacuatio, ſed plenitudo ingens, quæ illi opponitur ſyncopen accerſit: nam ex nimia ſanguinis, ſeu humorum plenitudine obſtruuntur vaſa, & cordis, caloríſque perſpiratio impeditur; qua denegata intenditur calor, & maior, & acrior redditur, & abſumpto pabulo emarceſcit, atque reſoluitur. Quare nimia ſanguinis ſaburra, aut ſuccorum crudorum copia ſua quantitate ſuffocat, vel frigiditate innatum ignem extinguit.

Adiungenda eſt alia dubitatio: *Vtrùm venena inter ſyncopes cauſas numeranda?* Nam calida etſi extremum calorem ſint ſortita, ſubitam alterationem non inducunt, quum calor lentè humidum abſumat. Frigida ſpiritus prohibent reſolutionem, quia cutis arctant ſpiracula, humoréſque excerni prohibent. Hoc etiam præſtant exiccantia venena, ſua enim adſtrictione, & ſiccitate meatus corrugant, & ſanguinis, aliorúmque humorum exhalationem impediunt. Ad id verò quod humidum eſt, nullus conſequitur dolor.

Verùm venena tam in corpore generata, quàm interiùs aſſumpta, extrà appoſita, ab animalibus venenoſis eiaculata ſyncopen promptiſſimè concitant, cùm à toto genere aduerſentur cordi, ſpiritus corrumpant, cordis ſubſtantiam diſſoluant vi maligna ſua, & venenata qualitate cor fatigent. Hoc modo in peſtiferis, & maleficentiſſimis febribus animi deliquio, & ſyncope ægri frequenter premuntur: venenoſi enim halitus à trunco corporis, vel alia remotiſſima parte exurgunt, cor viſcera̅que præcipua aggredientes, eáque proſternunt, & inquinant

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 415 sur 927

inquinant labe dira: & licèt in primis qualitatibus non ita generosas vires exerant, tamen deleteria vi, & maligna efficaci antipathia partes internas putrefaciunt, & corrumpunt. Calida spiritus, & sanguinem impensè absumunt; frigida, mortificant, sanguinem congelant, spiritus reddunt immobiles, quo instrumento cessante partium symmetria destruitur, & ruit: Sicca humidum primigenium absumunt, spiritus exprimunt siccitate sua, & hac ratione sanguinem resoluunt, & dissipant: Humida cor putrefaciunt, viscera emolliunt, & illorum tonum perturbant.

Alia etiam causa addenda: *Vtrùm vermes syncopen excitare possint?* Mira sunt quæ auctores de vermibus referunt symptomata, ex eorum enim sæuitie, aut vapore venenoso nascuntur Epilepsia, Apoplexia, omnium nostri corporis partium dolores truculenti, ventriculi anxietates, tremor cordis, bulimus, colica affectio, strangulatio subita, conuulsio, saltus totius corporis. Quare si hæc miseranda mala ex vermibus emanant promptissimè, cur syncopen euenire posse negabimus? Id manifestè probat Auicen. 16. 3. *tract.* 5. *cap.* 4. per hæc verba. *Iam autem accidit cuidam notorum nostrorum difficultas deglutiendi, propter retentionem, reiue deglutitionem ignotæ, & perduxit illum ad similitudinem præfocationis, & fecit eum sincopizari cum nausea, cum quâ euomit vermes plurimos, cum quorum expulsione facilior facta est deglutitio, & ablata est præfocatio.* Nec mirum, cùm mortui ex putrefactione, & fœtore horribili vapores ex se eructent venenosos, cor multipliciter præmétes, atque prosternentes; viui autem per corpus oberrando, & præsertim per ventriculum, hunc mordicant ac diuellunt, quare cardiogmos, & syncope cardiaca oriri persæpe consueuerunt. Deinde ij surripiendo alimentum, vires dissoluúnt, quare famem caninam excitant, apud Auicennam *loc. cit.* Galenum *lib. de theriac. ad Pison. cap.* 15. & 3. *acut.* 54. Paul. *lib.* 4. *cap.* 57. Aëtium *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 4. quod illustri historia *lib.* 7. *cap.* 4. confirmat Trallianus.

Vtrùm conflictatio oris ventriculi syncopen accersat? Mirum esse oris ventriculi cum corde consensum, Galenus confirmat *in locis multis*; nam & arteriæ à corde deriuatæ ventriculo implantantur, quarum interuentu vitalem facultatem, influentémque calorem illi communicat. Deinde inter has partes magna intercedit similitudo, adeò vt ore ventriculi affecto, cor illicò compatiatur, & syncope generetur; quare ex cardialgia, seu oris ventriculi dolore, stomachica syncope insurgit: hæc enim pars exquisitissimo sensu prædita est, ita vt tactus sensorium, post internas manus partes, à Galeno vocetur, 5. *de vsu part. cap.* 9 quo fit vt dolor vehemens, quo persæpe pars hæc opprimitur, spiritus exoluat, ob dolorem enim ægri exanimes fiunt, in animíque deliquium incurrunt, 2. *acut.* 47.

Accidit deinde, vt ex sæuo dolore, ictu, percussione, humoris mordacitate, vel acrimonia ad ventriculum confluentis, & variè infestantis, ægri animo linquant, syncopéque apprehendantur. Aliquando ex copia crudorum humorum in ipso redundantium, vel ex vniuerso corpore ad hanc partem confluentium contingit, qui quidem eo loco infixi, & stabulati comprimunt, arctant, vias obstruunt, hoc modo prohibito accessu sanguinis ad membra, partes refrigerantur, & impedita nutritione, vel calor insitus suffocatur, vel extinguitur. Quare magna ex parte syncope, propter consensum oris ventriculi cum corde, concitari solet, ex Galen. 5. *de loc.* 2. & alibi sæpe. Addit Auicenna *loc. cit.* aliam causam, quia ventriculus est pars, in qua varij humores colliguntur, ipsum multipliciter opprimentes: cùm enim sit lacuna pituitæ, 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 16. in eo magna humoris pituitosi copia cumulatur, & ad ipsum ex liene humor melancholicus confluit vbertim; & si alimenta in hac parte corrumpantur, solent generari substantiæ, quæ indicibiles qualitates retinent, 3. *de sympt. caus. cap.* 1. *ad fin.* & *cap. vlt.*

Supereſt ſolùm de cauſis ſyncopes reſidua diſceptatio? *Vtrùm ſudor immodicus ſyncopen concitet?* Firmat Gal. 1. *ad Glauc.* 14. dum ex vacuatione nimia roridæ humiditatis in febribus ardentibus & colliquantibus, in debilibus oriri animi defectum; in robuſtis verò ex immoderatis ſudoribus idē euenire affirmat: repetit 3. *acut.* 17. Ratio dictat: Nam ſi immodica vacuatione bilioſi humoris ſequitur ſyncope, cur non orietur ex ſudore ſuperfluo, ſiquidem illi bilioſa ſubſtantia eſt permixta, 10. *ſimpl. tit. de ſudore.* Accedit quòd erumpente ſudore, apertis, & concalefactis poris, vel etiam in critico ſudore, in quo inutilis materia à natura valida excernitur, multa ſpirituum copia vacuatur, vires debilitantur, & fatiſcũt, & ſic præcipiti lapſu ruunt: quare criticus, & ſymptomaticus ſudor ſi immoderatè excurrant, cohibendi ſunt. In hunc vſum Auicen. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *de regimine ſudoris ſuperflui*, plura præſcribit auxilia, vt ſunt vnguenta adſtringentia ex ſtypticis medicamentis parata, quæ cutis ſpiracula arctent, obturent, humorem incraſſent; quæ ſi non ſufficiant, ad narcotica accedere quandoque neceſſitas cogit, quæ materiæ tenuitatem incraſſent, & meatuum raritatem adſtringãt: in quem vſum etiam peritiores frigiditatem aëri conciliant machinamentis pluribus, & quod magis eſt, ægrum, flabellis ventilant; continua enim aëris mutatio corpus magis refrigerat, apud Ariſt. 1. *probl.* 13.

Signa.

ABs re mihi viſum eſt, proponere ſigna, quæ præſentem oſtendunt: nam ſi actu adeſt, ſui ipſius ſigna præbet manifeſta. Futuram præſagiunt pulſus paruus, rarus, ac debilis, & interdum omnino deficiens, 10. *meth.* c. 3. Reſpiratio pulſui ſimilis eſt. Facici color, qualis eſt hominis mortui, fœdus, pallens. Deficit ſenſus, & motus. Rntecedunt inquietudo, corporis iactatio, adeſt extremorum frigiditas, totum corpus veluti exangue & eneruatum iacet, qua ratione ſyncope mortis imaginem refert; quo ſigno ab Apoplexia, & reliquis ſoporoſis affectibus diſtinguitur, qui ſomni, & non mortis imaginem præbent, in quibus pulſus ſolùm alteratur prope mortem. Similiter Apoplectici non recordantur poſt acceſſionem quæ acta ſunt; ſyncope prehenſi, maximè. Ab Epilepſia differt, in hac enim corporis conuulſio accidit; in ſyncope minimè. Ab vteri ſtrangulatu, quoniam in hoc affectu reſpiratio aufertur, non tamen pulſus, nî cum ſyncope fuerit complicata.

Quando ſyncope ex primaria cordis intemperie oritur, agnoſcitur præcipuè, quia ad ingentes ſequitur cordis intemperies, nec vllum in alia parte corporis manifeſtum vitium apparet. Si ex conſenſu cum ventriculo oriatur, præcedunt vomitus, nauſea, dolor, & ventriculi morſus. Si verò ex copia humorum crudorum ſcaturiat, hypochondria murmurãt, & inflationem cum toto corpore patiuntur: adeſt totius corporis grauitas, impotentia ad motum, mentis tarditas, ſenſus hebetudo, color in cute vniuerſa albicat, 12. *meth.* 3. & 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. *poſt med. lib. de ſang. miſ. cap.* 10. *in fin.* Si à calidis, & bilioſis humoribus ventriculi os mordicantibus emanet, adſunt mordicationes, anxietudines, dolores, & ipſius partis debilitas. Si tamen ex ſuccorum, & ſpirituum tenuitate, præſente etiam totius corporis raritate, tunc ægrotantes facillimè reſoluuntur, viſitúrque facies illa mortifera, & cadaueroſa, quæ Hippocratica à Medicis nominatur, ſcilicet naſus acutus, oculi concaui, collapſa tempora, aures frigidæ, contractæque, & fibræ earum inuerſæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus, viridis, aut niger, quam graphicè deſcribit Hippocrates 1. *progn.* 6. & luculenter Galenus explanat *in com.*

Illud

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 416 sur 927

Illud tamen signum explicationem desiderat: *Vtrùm sudor frigidus, tenax, & crassus à syncope sit inseparabilis?* firmat Galenus 3. *de caus. sympt. cap.* 2. dum sic ait: *Quare nunc ad sudores transeundi est tempus, de quibus hactenus saltem dictum est, quòd interim resoluto corporis habitu proueniunt, vocatúrque ea passio syncope: cui contrarius status est, qui in decretoriis incidit sudoribus, qui vtique robustam naturam indicant, non autem resolutam, atque eiusmodi quidem sudores corpus expurgant.* sequitur Aretæus 2. *de caus. & signis acutor. cap.* 3.

Quare præsente iam syncope erumpunt sudores tenaces, & frigidi, præcipuè circa frontem, tempora, & ceruicem, qui vocantur syncoptici, & diaphoretici, & à dissolutione humidæ substantiæ oriuntur; quare infirmata retentrice propria humiditas substantifica nequit retineri, imò confugiente calore ad cor, & partes extimas deferente, frigidus erumpit è corpore sudor, non ex recrementitia quadam humiditate, vt putarunt plures, sed ex propria partium humiditate substantifica resoluta emanans, vt inter omnes firmauit Aëtius, *tetrab. 2. serm. 1. cap.* 101. Hoc autem contingit, quando natura symptomaticè procedit, videlicet quando humores non continentur in corpore morbi ratione, quòd fit vitio & debilitate facultatis corporis retentricis, adiuuante ad id nimia totius corporis raritate, meatuum amplitudine, atque tenuium humorum multitudine; quod in eo pathemate contingit, quo immodicis sudoribus, langueſcente ventriculo, totum corpus digeritur. Hoc Celsus *lib. 3. cap.* 19. Cardiacon vocat, de quo verba faciens Galenus *lib. de rigor. tremor. & palpit. cap.* 5. sic inquit: *Si per sudorem digesti, fiant tremuli, vt in deliquiis cardiacis, & stomachicis, calfacere hos extremum malum est: quippe contrarium his potius conuenit, nempe cutem densare, & quæ refrigerant, adstringunt, coarctántque meatus adhibere, non quæ calfaciunt, laxant, & adaperiunt.* Ergo hic syncopticus sudor emanat frigidus, quia natiuus calor extinguitur, vel proximus est extinctioni, & propter materiam quæ soluitur, est crassus, viscidus, & & glutinosus, Galeno auctore 4. *Aphor. com.* 37.

Præsagium.

SYncope est acutissimus morbus, ex Gal. 2. *Aph.* 41. *in fin.* quia mortis est imago quædam, & illi proxima existit. Quando enim valida est, & confirmata, nullus est remedio locus, nec curationem admittit, ex Paulo *lib. 3. cap. 4.* & Auic. 11. 3. *tract. 2. c. 6.* tunc enim frictionibus, vinculis dolorificis, odoribus, aquæ frigidæ super faciem aspersione, vel medicamentis sternutatoriis adhibitis, ægri non redeunt ad actiones suas: & caput supra thoracem, aut humeros delabitur: actióque pulsandi, & respirandi est abolita: quo tempore facies viridis, aut liuida, ob maximam caloris natiui extinctionē conspicitur. Si verò vires aliquantulum constent, ad sanitatem ægrotantes redeunt persæpe. Videndum deinde, an præcesserit causa aliqua manifesta, qualis est timor, vel tristitia: Qui enim viribus valent, ob hæc animi pathemata rarò succumbunt, vt 5. *de loc. c.* 1. Galenus edocuit. Si tamen syncope sine causa manifesta frequenter eueniat, subitò mortem inducit, ex Hip. 2. *Aph.* 41. dicente? *Qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta deficiunt animo, derepentè moriuntur.* Probat 1. *progn.* 8. dum enim Hippocraticam faciem describit, sic loquitur: *Interrogare oportet, vigilaritne homo, aut venter vehementer solutus fuerit, aut fames illum oppresserit: & siquidem aliquid horum confessus fuerit, minori cum periculo est; iudicantur autem hæc per diem, & noctem, si ob has causas talis fuerit vultus. Si verò nullum horum dixerit, neque in prædicto tempore destiterit, signum esse perniciosum credendum est.* Confirmat Galenus *in com.* dum inquit: *Summè exitialis, & insanabilis morbus est, per quem statim inter initia vultus exitiosus sine exteriori causa extitit: minori verò cum periculo est, si propter aliquam causam euidentem acciderit, verbi gratia propter vehementem insomniam, aut inopiam alimenti, aut aliâ fluorem.*

Vtrùm verò syncope deterior sit censenda, quæ à propriis cordis morbis excitatur, quàm illa quæ per consensum aliarum partium ortum ducit? etiam addubitandum. Et videtur quòd in syncope per consensum cor non perpetuò laborat, sed per interualla, atque malū non ita efficax est, & radicatum: quare oppugnantibus causis non ita debile factum resistet, & earū noxas faciliùs declinabit. In corde verò quasi firmatū malum, sensim & pedetentim illius virtutem prosternit, ac labefactat. Et licèt in principio cùm solùm affectus est per consensum, vtpote incipiens, & pusillus, à corde assueto non sentiatur, tamen paulatim in dies magis ac magis increscente, & crebriùs concusso corde, & insigniter debilitato, frequentior, ac vehementior syncope recurrit, adeò vt inopinatò ægri moriantur.

Vtrùm syncope orta ex solutione continui in corde, omnium sit pessima? Hippocrates 6. *Aph.* 18. sic ait: *Vesica dissecta, aut cerebro, aut cordè, aut præcordiis, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.* Nam vt Galenus docet *in com. Quod quidem cor vulneratum mortem affert necessariò, vnum ex iis est quæ in confesso habentur.* Quare syncope quæ ex solutione continui in corde excitatur, omnium est deterrima: quia facultas vitalis est norma cæterarum, & illa languente, aut deficiente, aliarum partium tonus illicò dissoluitur. Ex illis verò quæ per consensum aliarum partium excitantur, illa periculosior est, quæ per sympathiam cerebri euenire solet; minùs periculosa, quæ per consensum iecoris; & denique leuissima, quæ ex vētriculo suscitatur, vt fusè & doctè monùit Gal. *lib. 12. meth. c.* 3. & 6. omnium mitissima quæ ex vtero suscitari solet: Licèt enim ex hac parte maligni, & venenati eleuentur vapores, à semine retento, aut sanguine menstruo putrefacto elati, tamen hoc malum inuadit ferè valetudinarias, excrementis refertas, & non ritè purgatas: & hoc modo huic vitio assuefactæ, non ita premuntur, imò leuibus præsidiis discusso vapore, videlicet fœtidis naribus, & odoratis vtero appositis, citò reuiuiscunt, quæ vteri strangulatu, & deinde syncope grauiter erant apprehensæ.

Galenus *lib. 5. de loc. cap.* 1. proponit dubitationem: *Vtrùm syncope orta ex intemperie cordis, periculosior sit ea, quæ ex morbis partium instrumentalium concitatur?* Respōdétque negatiuè, dum sic ait: *Porrò vtriusque partis, tum oris ventriculi, tum cordis dispositiones aut à forti duntaxat intemperie, aut venenoso humore, nonnunquam ab erysipelate, aut inflammatione, aut alio quopiam præter naturem tumore fieri solent. Igitur exiguæ quidem cordis intemperantiæ, pulsus arteriarum, pro sua quæque natura, variant: de quibus in libris de pulsibus dictum est. Maiores verò, per proprias quidem similarium partium intemperies, subitam mortem non inducunt: per eas verò quæ ad instrumentales partes pertinent, subitò enecare possunt, sed præcedentibus priùs signis quibusdam, quorum vnum ab Hip. dictum est: Qui sæpe, & multùm exoluuntur, sine causa manifesta, & repentè moriuntur, &c.* Ratio dictat: Nam calida in ardentibus febribus intemperies, frigidis curatur; & frigida venena, calidis, & cardiacis adhibitis superantur, sæpe: Obstruentes verò, & comprimentes causæ, vbi cor, suapte natura in repellendo validum, semel apprehenderint, difficillimè, & rarissimè elidi queunt. Mitiorem ergo syncopen patitur cor, vt pars similaris, quàm vt instrumentalis.

Curatio.

ACtu præsente syncope prima intentio curatiua in eo consistere debet, vt spiritus dissolutio prohibeatur, & deficiens regeneretur, necnon vt sanguis, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 417 sur 927

ſpiritus qui ad cor ſubitò erant retracti, ad partes exteriores reuocentur, ne integram ſuffocationem pati poſſint. Quare ſi aliqua vacuatio præſens eſt quæ vires diſſoluat, hæc omni diligentia ſupprimenda, præſidiis, quæ vnicuique vacuationi immodicæ ſunt vtilia. Porrò ſpiritus reficiendi, & reſtaurandæ vires. Hoc opus præſtant odores quàm citiſſimè, ex Hip. *lib. de alim. n.11.* cuius mentem probat 2. *Aphor.* 11. Vtiles ſunt odores herbarum, fructuum redolentium, Ambræ, Moſchi, ſed præcipuè mirificè prodeſt odor ex alimentis eleuatus, vt vini generoſi, & antiqui, carnis aſſæ, vt gallinæ, aut caponis, panis recentis ſtatim à furno extracti, & vino odorifero, aut aqua naphæ irrorati.

Liquida ampliùs ſunt ex vſu, quia ægri ſolida conterere nequeunt. Inter hæc principatum obtinet Vinum, celerrimè enim nutrit, & vires mirandum in modum inſtaurat, 3. *de temper. cap.* 2. & 2. *Aphor.* 18. Quare hic affectus quantum ad ſe attinet, ſemper vini optimi repentinam oblationem efflagitat, vt affatim diſſipati ſpiritus regenerentur, & collapſæ vires reſtaurentur: Eius tamen oblatio verenda, imò prorſus arcenda, ſi ſyncopes cauſa ex iis extiterit, quæ vini potum impediunt, quæ 1. *ad Glauc. cap.* 14. retulit Galenus: nempe vehemens capitis dolor, interna inflammatio, febris ardens in morbo crudo, affectio aliqua quæ delirare cogat; magna enim, & penè inſanabilia mala ex vini potu oriuntur. Quæ ſi vera ſunt, vt profectò ſunt veriſſima, lucè meridiana clariùs liquet, planè aberraſſe plures, quippe qui in ſyncope cum phrenitide ipſum propinare non dubitant, vbi vires labuntur.

Tunc enim mirabiliter confert aqua carnis, quæ multipliciter parari ſolet. Eſt enim ius gallinæ, aut caponis, aut arietis, aut omnium ſimul permixtorum, aut ſuccus harum carnium aſſatarum per compreſſionem in torculari extractus, aut aqua per diſtillationem in vaſe æneo, aut balneo Mariæ extracta. Quare quando humor malignus, & aura venenoſa cor concutiunt, premunt, & feriunt, pugnandum Alexipharmacis, odoriferis, quæ ſpirituum copiam regenerent, virulenti humoris malitiam refrænent, & cor mirandum in modum roborent. Fit in hunc modum.

℞. *Caponem integrum confractum cum ſuis oſſibus, carnis cruris arietis ſine pinguedine*, ℔. iij. Abluantur cum aq. Roſ. Naph. generoſo vino. Cum his carnibus miſce: *Diamargariton. frigid. galangæ, margarit. præpar. electuar. de gemmis, confect. hyacinth. confect. alkermes, cinnamom. diamoſchi dulcis, diambræ, an.* ℥ ß. *lapidis belzaar*, ʒ j. *agallochi*, ℈ j. *raſuræ eboris* ℈ iij. *oſſis de corde cerui* ℈ j. *raſuræ vnicornu* ℈ ij. *ſantali citrini, ſantal. rubri, an.* ℈ j. *coral. ſem. citri contuſi, an.* ʒ ß. Irrora omnia priùs cum Vino, & Aq. Naphæ, repone in balneo Mariæ. Aqua quæ diſtillauerit, reſeruetur vſui. Doſis ℥ iij. vel iiij.

Iulapia intus aſſumpta ſunt vtiliſſima in eundem vſum, præſertim ſi febris ardens, maligna diuexet.

℞. *Aq. roſac.* ℥ iiij. *aq. bugloſ. borrag. cardui benedict. acetoſ. an.* ℥ iij. *aq. naphæ, meliſſæ, an.* ℥ ß. *confect. alcherm. confect. hyacinth. an.* ʒ j. *ſucci limon.* ℥ ß. *pulp. tamarind.* ʒ iij. *margar. præparat.* ℈ j. *coral. rubri* ℈ ß. *fol. auri*, N. iij. *pulu. diamarg. frig.* ℈ ij. Miſce, fiat potus.

Non ſolùm intus, ſed extrà ſupra cordis regionem, apponi debet auxilia, quę cordi robur indere, & ſpiritus regenerare queat, vt epithemata, ſacculi, vnguẽta, olea.

℞. *Aq. roſar. meliſſ. bugloſ. naphæ, an.* ℥ iij. *ſantal. citrini, & rubri, an.* ʒ ß. *coral.* ℈ j. *diamarg. frig.* ʒ ß. *croci pulueriſati* ℈ ß. *camphor.* ℈ iiij. *lapidis belzaar.* ℈ viij. *olei de ſcorpionib. Matthiol.* ℥ ß. *vini albi, parum*: Fiat epithema, apponatur calidum.

Vel fiat hoc modo vnguentum.

℞. *Olei roſar. nymphæa, viol. an.* ℥ j. *vnguenti naphæ* ℥ jß. *ſantal. rubr. roſar. rub. an.* ʒ ß. *theriac. magnæ*, ℈ j. *diamarg.* ℈ x. *moſchi odorati, ambari, an.* ℈ v. Fiat vnguentum.

Vel aliud paretur hac forma:

℞. *Axungiæ naphæ* ℥ jß. *olei violar. olei ſpicæ, an.* ℥ j ß. *pulu. granorum Kermes*, ℈ ß. *Zedoariæ, nucis moſchatæ, cinnamom. an.* ℈ viij. *diamoſchi, diambræ, an.* ℈ iiij. Cum cera fiat vnguentum regioni cordis apponendum.

Vel fiat ſacculus in hunc modum.

℞. *Flor. borrag. bugloſ. nenuphar. roſar. violar. arantior. an.* ʒ ij. *pulu. diamarg. frig.* ʒ j. *ſantalor. citrin. & rubri, an.* ℈ j. *diamb. diamoſchi, an.* ℈ vij. Irrora priùs aq. vitæ, Naphæ, & Maluatico, ſicca ad vmbram, & intra ſericum rubrum repone, & ſacculum para pro corde.

Pro ægris mediocris fortunæ, loco epithematis, hoc fomentum vtile eſt pro roborando corde.

℞. *Flor. violar. betonicæ, borrag. ſalviæ, bugloſ. ſtœchad. lauendulæ, roris marini, arantiorum, roſar. an.* ℥ ß. *folior. ſcabioſ. pimpinel. ſcordij, an.* M. j. *folior. acetoſ.* M. ij. *ſem. citri, cornu cerui vſti, an.* ʒ ß. *flor. camomil.* P. ij. *zedoariæ*, ʒ iiij. *rhu pontici, nardi celticæ, ſem. aniſi, cinnamom. an.* ʒ ij. *galangæ, nucis moſchatæ, macis, an.* ʒ j. ß. Coque omnia in ℔ iij. aq. quouſque abſumatur libra dimidia, & decoctum ſeruetur cum rebus decoctis, addendo vncias quatuor generoſi vini.

Inter cætera præſidia, quæ pro roborando corde priſcorum peritiſſimi perlaudarunt, eſt Bugloſſum, ſiue ex floribus conſeruam efficias, ſiue eius ſtillatitiam in potum aſſumas, aut folia, & radices ſaccharo condias: verùm videndum: *Vtrùm in ſyncope, & aliis cordis affectibus ſit ex vſu?* Nam vnanimi conſenſu probant Medici in cordis affectionibus cunctis, quia ex Arabum decreto illuſtrat ſpiritus, & ſubinde cordi firmitudinem conciliat. Neque obiicias ex Galeno *lib.* 8. *meth. cap.* 2. affirmante, in omnibus fructibus, & oleribus exiguum eſſe quod eſt vtile, plurimum quod eſt inutile: minimè enim eo loco inficiatur Galenus, quibuſdam oleribus non exiguam vim medicamentoſam eſſe; ſolùm enim annuit, quantum ad nutriendum corpus ſpectat, olera omnia plures inutiles partes ſortiri, id eſt, nutritioni non aptas, exiguas verò vtiles, quæ humanum corpus alere natæ ſint. Cùm itaque bugloſſum, ex Dioſcoridis ſententia, *lib.* 4. *cap.* 112. vino iniectum animi augeat voluptatem: ſubſcribit Galenus 6. *ſimpl. cap.* 80. & *Paulus lib.* 7. *tit. de bugloſſ.* ipſum vino infuſum, lætitiam animi conciliare affirmet, his tantis auctoribus fides eſt adhibenda. Neque Bugloſſum ſatiuũ, ſi loquamur ab ſolutè de nutrimento, mali ſucci eſt, ſed medium in iis quæ boni, malique ſucci ſunt, ab his qui doctrinam Galeni ſectantur, iudicandum. Etenim *lib. de ſuccor. bonit. & vitio, cap.* 14. pari ratione lactucam nec bonam, nec mali ſucci ſimpliciter conſtituit, ſed mediam in his quæ boni, malique ſucci ſunt. Quamobrem *infrà cap. vlt.* eam innoxiam; maluam, & cucurbitam mali ſucci non eſſe diſſertat. Differunt porrò (vt manifeſtè liquet) inutile, & noxium ſeu vitioſum.

Inſuper quod in ſyncopali acceſſione debet adminiſtrari, eſt retrahere ſpiritus, & ſanguinem ad externas partes, ne ob ſubitum ad cor retroceſſum, innatus ignis poſſit ſuffocari, & extingui. Neceſſe ergo eſt facultatem animalem, & vitalem veluti conſopitas excitare, ſubita, & violenta gelidæ aſperſione ſuper faciem ægrotantis; quod præceptum magni facit Galenus, 1. *ad Glauc. c.* 14. hoc enim auxilium ſpiracula cutis cogit, & conſtipat, & ſpirituum prohibet reſolutionem. Hunc vſum cõplent frictiones fortes, & aſperæ, vincula dolorifica, cucurbitulæ ſine ſcarificatione partibus ſuperioribus, & inferioribus admotæ. Hac tamen lege eas admouere licet, vt ſi ſyncope ex immodica ſuperiori vacuatione oriatur; videlicet vomitu, ſanguinis ex ore, aut naribus effluuio, tunc in inferioribus partibus affigendæ; ſi verò ex vtero, hæmorrhoidibus, aut profluuio concitetur, tunc ſuperioribus applicentur, ex Gal. *loc. cit. ad Glauc.* Ægrotantes etiam excitandi ſunt errhinis: neque diſplicet intra os aliquod medicamentum immittere calidum,

quod

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 418 sur 927

quod facultatem consopitam irritet, & stimulet, inter quæ confectio Anacardina primas tenet.

Dubium tamen est maximum: *Vtrùm præsente syncopali accessione sanguis sit detrahendus*: Græcorum scientissimi confirmant. Hippocrates enim *lib. 4. acut. text. 27.* docet, quòd quando quis sanus existens, repentè obmutescit absque causa manifesta, illud accidit ob interceptiones, & occlusiones venarum, per quas Galenus *in com.* repletiones vasorum intelligit, quæ à copia scaturire solent; tunc enim virtus grauatur, & calor extinguitur, cùm aliquid suffocationi simile patiatur. Inter affectus autem qui ab hac summa plenitudine emanant, numerat Apoplexiam, Epilepsiam, & Syncopen, in quibus omnibus morbis æger repentè obmutescit, quia organa vocalia nimia humorum sarcina sunt obstructa.

Quòd autem Hippocratis sententia *suprà citata* de syncope loquatur, constat ex ipso, *in text. 26. sequenti*: referens enim symptomata, quæ ex hac venarum interceptione oriuntur, numerat extremorum frigiditatem cum pulsus carentia, quæ esse potissima syncopes signa *suprà* prædiximus. Quo pacto in syncopali accessione, ex nimia sanguinis copia vasa replente, suborta, vena secanda est, ex Hip. præscripto, *loc. cit. acut. text. 24.* Neque asseras, hoc præsidium esse celebrãdum, antequàm inuadat accessio, nam contra te habes Hippocratem ipsum, *lib. cit. acut. text. 28.* qui illud probat, quamuis extremorum frigiditas præcesserit, quam refert *in text. 26. & 27.* docens ante sanguinis missionem fomenta calida priùs esse adhibenda, vt sanguis qui ob interceptiones venarum erat frigidus, & veluti concretus, dissoluatur, & faciliùs vena secta exire possit, quo tempore syncopalis accessio præsens est.

Eandem methodum inculcat Auicenna 11. 3. *tract. 2. c. 10.* quo loco casus virtutis subitò euenientis curationem adducens, docet necessariam esse phlebotomiam, si ex repletione sanguinea oriatur. Nullo enim remedio citiùs occurritur, quàm sanguine misso, dempto enim onere, & copia grauante, impeditur ne spiritus integrè corrumpantur; nam si hoc præsidium neglexeris, spiritus per suffocationem corrumpentur, & euanescent. Caue tamen ne id exequaris, si nimia, cum pulsu omnino deficiente, extremorum frigiditas adsit; signum manifestum sanguinem penitus esse concretũ, quo tempore si vena secetur, sanguis per apertum foramen non exhibit. Vtendum ergo est sanguinis missionis loco, remediis quæ sanguinem fundunt, extenuant, & fluxiliorem reddunt; de quorum genere sunt frictiones, fomenta calida, & potiones quæ sanguinẽ crassum liquandi vires sortiantur, vt sunt Mulsa, & Oxymel simplex, præsertim si sint dissoluta cum theriaca magna, aut Mithridatica antidoto. Si verò ab vtero syncope cõcitetur, vena secta, in talo in ipsa accessione, vtilis est valde.

Neque obiicias contrà sentientem Galenum *lib. 12. meth. c. 3. in princip.* qui in syncope nullo modo sanguinem esse mittendum asseuerat: Nam quamuis vacuationem desiderent, eam tamen citra maximum dispendium non tolerant. Deinde reproba videtur phlebotomia, & nullius vsus, cùm spiritus resoluat, & ampliùs accessionem conduplicet. Dic, eo loco loquutum Galenum de syncope orta ex copia succorum crudorum, qua præsente noxia est nimis, quia vires adesse non possunt; & si vacuationem tentes, extracto sanguine, cuius ope crudi succi coquuntur, ipsi crudiores, & frigidiores redduntur, & morbus in posterum remedium non habet. Et licèt detracto sanguine, in partibus externis statim virium subsequatur debilitas; deinde tamen detracta copia, & deposita multitudine, quæ calorem naturalem, & spiritus suffocabat, calor innatus ventilari incipit, & spiritibus regeneratis syncopalis accessio remouetur, & vires aliquantulum collapsæ, odoribus, & alimentis oblatis refocillantur illicò.

De Syncopalis accessionis præcautione. Quando Syncope actu ægrotantes non apprehendit, syncopalis tamen accessio imminet, præcautio necessaria est, quæ causam respicit; quæ cùm diuersa sit, ideò pro illius varietate distinguenda. Verùm etsi à quacunque causa oriatur, vtile est, cor, cerebrum, iecur, & ventriculum roborare, vt 12. *meth. cap. 5.* bellè dictauit Galenus. Deinde in præcautione, mirificè semper iuuat, intus, & extrà cardiacis medicamentis vti per se, vel cum alimentis permixtis, quæ præterquam quòd tueantur vires, spiritus etiam vitales regenerant.

Si ergo syncope sit humorosa, & ex copia crudorum succorum prognata, aër sit lucidus, & calidus; nam calidissimus, noxius, cuius vi humores crudi liquantur, & extenuati in aliquam principem partem delati, subitò suffocare queunt. Hoc modo balnea vitanda. Aër frigidus interdicendus, quia incrudat, & iecoris, aliarúmque partium internarum obstructiones auget, & alias de nouo producit. Somnus sit moderatus: crudos enim humores resoluit, & concoquit. Exercitium sit parcissimum. Cibus extenuans, & tenuissimus. Si vires constent, Mulsa in qua hyssopus decoctus sit, ex Gal. 12. *meth. cap. 3.* post quartum diem ouorum vitella, extrema auicularum, & hepata gallinarum concedi possunt. Potus sit vinum album cum aqua decocta hyssopo modicè dilutum.

Post victum vacuatio sequitur, quæ præcipuè venæ sectione, & purgatione celebrari solet. Hæc auxilia renuit *cit. loco* Galenus; admittit Trallianus, ob causas multas; quorum auctorum rationes, sicut & conciliationem non est cur proponamus modò, cùm in hoc argumento fusè simus spatiati, *lib. 4. hist. PP. Med. hist. 39.* Quare si crudi humores sint permixti cũm sanguine, neque ab huius natura valde distent, ad leuandam copiam, vtile est sanguinẽ detrahere: quia sanguinis missio licèt interdum necessaria non sit, naturam tamen plurimùm leuat, vt disertè 4. 1. *cap. 20.* monuit Auic.

Hac vacuatione facta, humores crudi coquendi paulatim syrupis de corticibus citri, de duab. radicib. Borrag. Rhodomel. dissolutis aqua fœniculi, seu decocto Sem. Anisi, Fœnicul. Salu. Maioranæ, addito puluere Cinnamomi. Expurgatio per epicrasin celebrari debet lenibus phlemagogis, inter quæ Agaricum trochiscatum tenet principatum, infusum in aq. Fœniculi, vel decocto Sem. Cartham. Polypod. Epithymi, additis Diaphœnic. Syrupo de Senna, De Epithym. vel Polypod. Quòd si vires debiles sint, clysmata sufficiunt parata ex decocto Melilot. Chamæmel. sem. lin. fœnug. Mercurial. Betæ, permixtis sale, hiera, Benedict. & Diaphœnico. Ventriculus fouendus vnguentis, fomentis, sacculis, & emplastris, quorum descriptionem quære *infrà, cap. de debilitate ventriculi.*

Si tamen ex bilioſi humoris ad ventriculum confluxu, syncope oriatur, quæ minuta ab Arabibus dici solet, quam colliges ex oris amaritudine, siti immodica, anxietudine, & ventriculi dolore, bilioſi humoris vomitu, vt in initio accessionis tertianæ, & febribus ardentibus accidit, attemperamento opus est, & auersione illius ad aluum, & corporis extimam superficiem. Illud consequeris si in die intermissionis, vel maioris quietis, offeras quæ refrigerandi vires sortiuntur, vt Iulapia frigida, & quæ bilioſi humoris acrimoniam retundunt. Auertitur humor ad intestina lenibus clysmatis; & si repat ad os ventriculi, vomitione clementi; & ad cutem retrahitur, cucurbitulis toto corpori admotis. Si nõ sufficiant hæc, & humoris bilioſi copia in ventriculo sit infixa, tunc in intermissionis die, vel alia leuiori hora, medicamentum lene exhibendum: maximo enim virium dispendio naturæ ordinem peruerrit, qui impuritate relicta in primis venis, maximéque in ventriculo, alia remedia exercet, relicto fonte, à quo emanat origo omnium malorum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 419 sur 927

Ventriculus fouendus,& roborandus. Iecur, pars mandans,epithematis,& vnguentis roborandum. Renes qui consortij lege afficiuntur,attemperandi, impositis vnguentis super dorsum. Deinde si his omnibus accedat natura calida, & sicca, gracilis, cum raro corporis habitu coniuncta; tempus adsit calidum, similiter & regio; præcesserint balneorum calidorum vsus; esus similium alimentorum; & ægri nimiùm resoluantur: Aër frigidus vtilis est; sin minùs, arte parandus. Corpus oleis refrigerantibus, & adstringentibus vngendum,vt cutis meatus cogantur, spirituúmque resolutio possit impediri.Esca parum, & sæpe offerenda,1. *Aphor.*17. eáque ex lenta materia constet:Offerendum Amylum iure gallinæ dissolutum; carnes coquendæ cum cotoneis, & pyris.

Vtrùm verò *Cerebrum suillum Syncope oppressis offerendum*?Galenus 12.*meth.*6.id concedit assum, non elixũ, quod licèt præbeat alimentum tenax, & minimè dilabile,tamen in ventriculo,& iecore, ob crassitiem,à debili ægrotantis calore vix concoquitur, aut elaboratur, imò insuperatum remanet, corrumpitur, vires minimè reficit. Sed cùm Galenus extenuatis corporibus,& debilibus,voluptatis causa concedat, non erat cur tantopere pluribus esset iniurius,quia hoc alimentum magis prodest, dum firmum corpori præstat nutrimentum, quàm noceat, si non ita faustè in ventriculo concoquatur; quia minus nocumentum maiori vtilitate est redimendum: præsertim si sit(vt inquit Galenus)diligenter assum; ignis enim ope,maior lentoris pars est absumpta; vel in albo iure anetho, & porro præparatum, sic enim nimia humiditas resoluitur, nam alimenta hæc crassitudinem, si quæ iuri communicatur, promptissimè demunt.

Si dolor vehemens syncopes sit causa,illi solùm Medicus debet esse attentus. Sedandus est statim admotis anodynis, quæ calida sunt, & tenuibus partibus constant 5.*simpl.*19.Si verò adeò vrgeat, vt vires immodicè prosternat, stupefacientibus pugnandum, offerendum Philonium; hæc enim cùm intensè frigida sint, sensum partis auferunt,quo ablato,euanescit dolor, de quibus agit Galenus 2.*sec. loc. cap.* 1. & *lib.* 9. *sequenti, cap.*4.& *lib.*12.*meth.cap.*1. & 8. Si dolor ex inflammatione, vel fluxione emanat, vacuatio per venæ sectionem est vtilissima; tunc enim vires non sunt essentialiter debiles,sed oppressæ per aggrauationem, ex Gal. 2.*acut.*48.& tunc alimentum est inutile, vt optimè aduertit Auicenna 11.3.*tract.*2.*cap.*8.§.*Et plures Medicorum student in cibando.*

Si Syncope oriatur in febribus pestilentibus, & malignis, maligna qualitas alexipharmacis reprimenda. Si ab vtero eueniat, aut lumbricis, præsidia suis capitibus latè proponam. Si ex veneno, morsúve animalis venenosi, Alexiteria remedio sunt. Si animi affectus Syncopen excitent, ij moderandi, & æger in contrarium statum permutandus. Refrænanda ira: tristitia corrigenda, & vehementes alij animi motus mitigandi.

OBSERVATIO I.

Syncope ex vermibus admiranda, Allij ope curatur.

PVeri gulæ, ingluuieíque nimis sunt dediti, & hoc modo plura alimenta congerunt,quàm cõcoquant, aut ob continuos,& inordinatos motus elaborent.Maximè si crassis eduliis assuescant,vt lacti, caseo, crassæ cereuisiæ, carnibus salitis, fumo induratis, leguminibus,& aliis,quæ pituitosos & mucosos succos, qui ferè vermibus materiam subministrant, gignere consueuerunt. Ob hanc causam in septentrionali regione nullus est morbus verminatione frequentior; qua ratione in puerorum curandis morbis,etsi febris coniuncta sit, de vermibus necandis debemus esse soliciti. Narrabo historiam veram.Vocatus eodem die ad curandos tres pueros, qui febre maligna erant detenti. Auxilia varia pro febri, frigida & humida; pro praua qualitate domanda,cardiaca administro. Omnes intra quatuordecim dies cõualuere.At in decimo quinto, quæ erant in lætitia,commutantur in pœnas. Illi cum tremore totius corporis concussiuo, extremorum frigiditate, apperitus prostratione,anxietudine,insomniâ, vomitu,febre recurrente, lumbricos viuos plures per os excernere incipiunt. In decimo octauo syncope lethali prehensi,cum faciei liuore,& abolito pulsu, animam agere videbantur. Ego nec instante agone mortis,à remediis vermes necantibus, & extra corpus pellentibus, intus oblatis,& extrà applicitis desisto. At hæc omnia profuere nihil: nam illi solo potu vini nutriti, extenuati,& tabidi,vix oculos semimortui aperire poterãt. Tandem succo Allij sicci cum vino permixto, multos lumbricos,eósque viuos,& mortuos, per vtramque regionem excreuerunt, & huic viuendi formæ insistentes,sanitatem,pulsum, & colorem in facie viuidum recuperarunt. Nec mireris: nam Allium pro necandis vermibus est tutissimum,& præstantissimum alexipharmacum, quia præter efficacissimas quas sortitur facultates,contra viperarum ictus mirè prodest,& latas ventris tineas in cibo sumptum abigit, vt Dioscorides testatur,*lib.*2.*cap.*144.*de Allio.* Tanta denique pollet aduersus omnis generis vermes efficacia, vt eius odore illi statim, velut à præsentaneo veneno, concidant & emoriantur,vt præclaris auctorum testimoniis est compertum.

OBSERVATIO II.

Syncope ex interuallis recurrens, cum pulsus omnimoda inæqualitate coniuncta, Ructu, & Ebeni ope curatur.

SEptuagenarius, ad extremam pauperiem redactus, quum frigidis,flatuosis, crassísque eduliis per multum tempus vti esset coactus, in syncopen ex interuallis incidebat, in cuius accessione omnimoda inæqualitas, quam veteres systematicam vocant, in pulsu conspiciebatur. Huic cùm plura,ac varia essent ad præseruandum inculcata auxilia, quæ flatus discuterent, ac pituitosos humores expurgarent, & nulla admitteret; tandem accessio syncopalis ructu soluebatur. Cùm verò accessio recurreret fortissima, pulsu obscurissimo,& facie subuiridi comitata,quæ similiter ructu est soluta, cogente necessitate remedia est amplexus. Exiccante victu est vsus. Carminantia clysteria admisit. Sacculi flatus discutientes super cor,& ventriculum,à qua parte foueri malum sentiebat,impositi.Medicamentum purgans sæpius oblatum. Denique hoc electuario semel in septimana assumpto,copiosè soluta aluo, & flatibus per sedem vbertim propulsis, à syncope est præseruatus. Dosis erat vncia vna, superbibito mero, aut decocto radicis Chinarum.

℞. *Radicis smilac.asper.*℥ j.*radic.chinar.* ʒ v. *corticis ebeni,*ib.ß.*epithym.polypod.sem.cartham.an.* ʒ ij. ß. *anisi, marathri,aneth.carui,dauci.an.*ʒ j. *cinnamom.* ʒ ij. *cortic. fœnic.petrosel.apij,graminis,asparag.an.*℥ij.*passul.corinthiac.* ℥ ij.*folior.sem.*℥j. Coque sec.art. quousq; remaneat ib. ß.in colatura infunde *Agarici trochiscati*, ʒj.ß. Cola iterum, & adde *mechoac.*ʒij.*fol.sen.*ʒ iij.*smil.asper.*ʒiiij. *rad.chin.*ʒ ij.*pulp.sem.cartham.*ʒ iiij.*anisi* ʒ j.*cinnamomi* ʒ ß.*tartari vini albi* ʒ iij.*pulp.passular.pinguium* ℥ j.puluerisanda puluerisentur,adde *theriac.*ʒ ij.*mithrid.* ʒ iij. *diacalang.*ʒj.ß.*diatrionpipereon* ʒ j.*aromatici rosati* ʒ ij. Puluerisanda puluerisentur, & excipiantur cum vnciis duabus

duabus ſyrupi de ſenna,& cum ſacchari, & mellis an. part.æqualibus,fiat ſec.art.Conſerua,& ſeruetur in vaſe vitreato.

OBSERVATIO III.

Syncope,ex alui fluxu maligno,colliquante ſuborta, electuario Cryſtallino curata.

IN peſtiferis, maligníſque febribus, fluxum alui ſuboriri dirum, colliquantem, & ſenſim ac ſine ſenſu vires,& ſpiritus reſoluentem; ex quo, exhauſto ac liquato totius corporis habitu, & lancinata facultate vitali à malefica aura, ſyncopen excitari nouum non eſt. Qua quum eſſet detentus iuuenis quidam, & venter ſolueretur immodicè, omnifaria adſtringentia per vtrumque ventrem obtulimus ſine vtilitate vlla. Tandem Cryſtallina conſerua aſſumpta,& deſuper roſacea ebibita, vel aqua ſtillatitia cydoniorum, mala qualitas eſt refrænata,& fluxus omnino cohibitus. Magna enim eſt Cryſtalli contra venenum facultas,& in adſtringendo vis: cùm enim ſit gemma ex Plin.*lib. 37. cap. 2.* facta,non ex aqua,niuéque congelata, per annos durata, quæ cùm omne calidum excluſerit, in lapidem concreſcit in locis frigidiſſimis,& montibus altis,alioquin igni,Solis radiis,& calidis locis admota liqueſceret,glaciei,aut niuis inſtar;ſed ex humore omnium puriſſimo in terræ viſceribus gignatur, eo modo quo Beryllus, Adamas,aut alij id genus lapides generantur, refrigerat, ac fluxum compeſcit;proinde in tenuiſſimum puluerem trita vtiliter datur dyſentericis, & cùm ſit veneni antidotum,omnem fluxum malignum compeſcit & ſanat,ventriculum roborat,immodicis vomitionibus remedio eſt, & contra choleram eſt tutiſſimum alexipharmacum.

℞. Cryſtalli præparati ʒ iiij. *eboris in tenuiſſimum puluerem redacti,cornu cerui,an.* ʒ j.*oſſis de corde cerui* ℈j. *margar.præparat.* ʒ ij.ß.*conſeruæ roſar.antiq.* ℥ j.*conſeruæ ſymphyti* ℥ ß.*confect.hyacinth.confect.alkermes,an.* ʒ j.ß. *ſpecier.diatragacanth.*ʒ.i.*ſpecier.diapapauer.*ʒ.j.ß.*micletæ* ℥ ß.*lapid.hæmatitis,coral.rubri,carab.maſtich.boli armeni, an.*ʒ j.*rhab.toſti* ʒ j.ß.*ſumach,acaciæ,an.*ʒ ß. *balauſtior. gummi arabici,granor.myrti torrefactor.an.* ʒ j.ß. *ſem.coriandri torrefacti,ſem.naſturtij torrefact.an.*ʒ ß.*ſem.plantag.aceoſ.portulac.lactuc.an.*℈ j.*arillor. vuar. torrefactar.* ℈ j.*trochiſcor.de carab.de terra ſigillata,de ſpodio,an.* ℈ ß. *cymini infuſi in aceto priùs chalybeato, deinde torrefact.* ʒ j.ß. *pulu. cortic. myrobalanor.citrinor. priùs torrefactor. an.*ʒ ß.*ſucci plantag.ſucci cydonior.an.*ʒ j.ß.Puluériſanda puluériſentur, & cum Syrupo Myrtillor. & Roſar. ſiccar.fiat Confectio.

OBSERVATIO IV.

Ex continuo fluxu puris per anum, quidam Gallico morbo infectus, in ſyncopen incidens ſæpius, fonticulis, & Ebeno curatur.

GAllica lues, multiplex hydra verùs appellanda, Antidotis,& Alexipharmacis, quæ eius malitiam refrænant, luculenter perſanatur;ſed cùm altas egit radices, difficilè eradicatur, imò præſtat inducias, non pacem, & hoc modo ægri poſt adhibitam curationem ſæpius recidiuant.Quidam quum vlceribus Gallicanis, in ore,faucibus,pudendo, eſſet miſerè fœdatus,ſudorifica ex ſmilace aſpera parata, ter ex interuallis aſſumpſit,& bis vnctus hydrargyrio,vix conualeſcere potuit, & vitio in vitium mutato, biennio paſſus eſt fluxum puris fœtidiſſimi per ſedem in copia tanta, vt velut ex fonte perenni,riuuli huius virulenti humoris continuò fluerent vbertim. Humor erat calidus, acris, & mordax,vt totum rectum inteſtinum abraderet, & vlcera, cutiſque excoriationes excitaret. Hic ob fluxum immodicum, ſyncope ex interuallis premebatur, à qua, epoto generoſo mero, & odoribus naribus admotis euadebat.Curatio tota repoſita erat in coërcédo fluxu, attemperandis viſceribus,craſſefaciendo corpore,quod erat extenuatum nimis, mala morbi Gallici qualitate retundenda. At cùm fluxus exiccantia, macies humectantia expoſtulent,ab hac indicatione ſumere exordiũ ſarius duxi.Sanguis emiſſus eſt ventilationis cauſa. Expurgatio clemens frequenter adhibita. Serum lactis cũ foliis ſennæ, florib.viol.& bortag. & aliquando Rhab. medicatum per multos dies oblatum. Balnea ſummo præſidio fuere.Lactis potus mirificè iuuit.Priſſana contulit valde,& refrigerantia iecori,ac renibus,& roborátia ventriculo admota. Pro humore abſumendo,& cõpeſcendo fluxu, Ebeni decocto ad triginta dies exhibito vſi ſumus, cuius ope copiosè mouebatur ſudor. Hoc ordine gubernatus, & exiccante victu adiutus, à fluxu, & ſyncope ſaluus remanſit:& ne in poſterum ex habituali partiũ intemperie purulentus humor gigneretur,vt ipſæ ſpirarent, deriuationis cauſa, & vt ad latera humor recurreret, bina cauteria cruribus affixi.

CAPVT X.

De Phthiſi.

Definitio.

AGit ſolertiſſimè Gal.*lib.4.de loc.cap.*8.de ſanguinis reiectatione ex pulmone, ſimul & vlceribus in quæ plerumque terminatur, & in fine agit de exulceratione, in quem vtplurimùm pulmonica hæmorrhagia ceſſat. Definitur ergo à Gal.*7. Aphor.*16.*totius corporis extenuatio,cum febri tenui,conſequens ad inſanabilia pulmonis vlcera.*Sed primo videndum:*Vtrùm vlcera pulmonis ab aliis thoracis vlceribus diſtinguantur*? Citato enim loco varia vlcerum genera proponit Galenus, in thoracis regione euenientium, pectore ſcilicet, aſpera arteria, eiúſque larynge,pulmone,& eius vaſis.

Vlcerum aſperæ arteriæ, ac gutturis indicia tradit, purulentum ſputum,illúdque exiguum, & dolorem. Eorum verò quæ in pulmone fiunt, purulentum item, ſed & plurimum ſputum, indolentiam, & ramentum aliquod eius viſceris ſubſtantiam referens; quod & gutturi commune eſt;cuius exulcerationem non minùs etiam ſignificat particula ab eo deducta.Verùm vlcera hæc ad thoracem attinentia, non ſolùm locis, ſed & cauſis,atque etiam præſagio,& curatione differunt, frequentia ſunt,& periculoſa,præſertim ea quæ pulmonem infeſtant.

Sed paululum nobis immorandum in eorum differentiis pleniùs explicandis, & initium ſúmentes ab indiciis in præſenti traditis, arguimus contrà ſic. Fieri poteſt vt vlcus tam gutturis, quàm pulmonis nequaquam ſanioſum ſit, ſed ſimplex, vt dicunt. Atqui ex ſimplici, ſeu non ſanioſo vlcere, ſanies, aut pus non emittitur. Igitur ex purulento ſputo non elicitur certum indicium gutturis, aut pulmonis vlcerati. Maior notiſſima eſt ex Galeno *5.meth.cap.*8. *&* 14. vbi ſcribit ſanaſſe ſe pulmonis vlcera antequàm fierent ſanioſa:& colligitur ex *4.Aphor.*81.vbi expreſsè habetur, ex ſolo erumpente ſanguine vlcerationem indicari: nec verò ad omnem ſanguinis ſpuitionem ſequi purulentum ſputum, docet idem Galenus *lib.7. Aph.*15.

Secundò.Vera,& exquiſita tabes, quam Hip.phthiſim appellat,quæq; ex eius doctrina *lib.2.de morb.paulò poſt med.*& *lib.de intern.affect.circa princ.*& Gal.3. *Aph.* 10.vlceroſa eſt pulmonis diſpoſitio, præter puris effuſionem ex rupto abſceſſu in thorace, aut defluxum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 421 sur 927

aliunde, aut proprium pulmonis affectum, vt pulmoniam, &c. causas habet frequentissimas, salsum, acrémque catarrhum, aut rupturam vasis ex repletione, vel quacunque alia ruptionis causa, ex Gal. 1. *epid. sect.* 1. *com.* 17. Sed tam ex salsa, acríque distillatione, quàm ex rupto vase, potest pulmo sine sanie vlcerari. Igitur, &c. Et confirmatur, quia, vt auctores referunt, multi phthisici nihil sanioſum expuerunt.

Tertiò. Suppurati in pectore, vel gutture vlcerati, cum corporis macie, febre lenta, ac exigua, &c. purulentum emittunt sputum. Atqui illi phthisici non sunt. Igitur indicium ab hoc sputo desumptum, fallax est & incertum, vtpote quod nec omni, nec soli phthisi conueniat.

Licèt *infrà* in signis proponendis, huius quæstionis veritas ampliùs eluceſcat, fateamúrque non omne vlcus esse purulentum; nec tale etiam semper apparere phthisicorum sputum, sed nonnunquam cruentum tantùm, vt Rasius putat 9. *ad Almans. cap.* 54. imò vt retur Aurelianus, etiam sanioso pulmonis vlcere, primò sanguineum, vltimò album & purulétum, aut aliquando nullum, quia vel occultatur, vel præ crassitie, & virtutis imbecillitate excreari non potest; non tollit tamen hoc, quo minùs tabidi eo sputo rectè explorentur, in plurimis siquidem, vel omnibus ferè, tale tandem spectatur, cùm (nisi celerrimè, & prima, vel secunda die, & admodum prouidè subueniatur) vlceratus pulmo maiori ex parte dilanietur, atque sanioſum fiat vlcus, nec (nisi rarò) vsque adeò crassum est pus, aut ita debilis expultrix, vt tussi vehementi illud pellere non possit.

Ad secundum. Si pulmo pure per pectus effuso vlceretur, ex rupto thoracis apostemate, vel proprio ipsius, dubium non est purulentum, & affatim excreari, non minùs quàm si à salsa, acríque distillatione à capite, vel sanguine ex pulmone ipso erumpente; (quæ sunt frequentiores phthisis causæ) per moram enim in pulmonis cauitatibus calidis & humidis detenta, putrescunt & corrumpuntur, atque in saniem mutantur, quemadmodum omnia quæcunque in alieno loco vehementiùs calefiunt, vt scribit Galenus *lib.* 1. *progn.* 42. Quòd si aliquando accidat, materiam tanta esse acuitate præditam, (siue defluxio sit, siue sanguis erumpens) vt ad pulmonem accedens protinus erodat atque exulceret, antequàm per moram in saniem conuertatur, protunc purulentum non apparebit sputum, sed cruentum tantùm; temporis tamen processu, increscente materia, sanioſum prodibit, nisi aliquid obstet, videlicet quia ob crassitiem, aut virtutis imbecillitatem expectorari nequit.

Ad tertium. Quando suppurati incolumem habent, nec vlceratum pulmonem, etiam cum febre lenta, & aliquantula corporis gracilitate, phthisici nequaquam sunt; nisi eos ita velis appellare, quia sic paratissimi sint ad phthisim, & in eam deuenient, nisi intra quadraginta dies sufficienter repurgentur, vt prædixit Hip. quod sanè coniicies ex imperfecta saniei purgatione: eos verò qui ita dispositi sunt, tabidorum nomine non dedignatur Galenus 1. *epid. sect.* 1. *text.* 18. Verùm non erunt simpliciter, & absolutè tales appellandi.

Vtrùm verò *Phthisici sint appellandi, quibus ex pectoris, vel asperæ arteriæ vlcere diuturno, adest corporis consumptio, & extenuatio, cum tussicula quadam, & hectica febre, &c. orta ex prohibita cordis ventilatione propter vlceris diuturnitatem?* dubitant auctores: Et multi nec improbabiliter ita arbitrantur, tum quia non aliter quàm phthisici tractantur; tum quia non assequuntur, ad quam aliam huiusmodi dispositio referenda sit: præterquam quòd propriissima phthisis videtur nominari à Galeno 5. *msth.* 11. Quòd si alibi definiuit consumptionem corporis, &c. consequentem ad vlcus pulmonis, supplendum, *& partium continuarum*, hoc est, cannæ ipsius & concomitantium, id est, pectoris. Expressit autem tantùm, inquiunt, pulmonem, quia illius vlcera cum febricula, &c. sunt difficilioris, & desperatæ curationis.

Dubitandum deinde: *Vtrùm Phthisis multiplex sit acceptio?* Galenus, tabis, seu phthisis nomine omnem corporis colliquationem, extremámque maciem à quacunque causa proueniat, nonnunquam comprehendit, vt constat ex *lib. de sinit. medic. vltra med.* & 3. *Aphor.* 10. Secundò sumitur tabes, seu phthisis, pro corporis consumptione cum tussicula, & lenta febre, quæ pulmonis, vel thoracis, vel faucium, aut asperæ arteriæ vlcerationem comitatur, *cit. lib. sinit. medic.* nonnunquam pressiùs, & magis propriè accipitur, pro demolitione, siue extenuatione totius corporis ex pulmonis vlcere, de quo Hip. 5. *Aphor.* 9. 11. & 15. & *lib.* 7. *Aphor.* 16. Appellatur autem hæc propria, exquisitáque tabes seu phthisis, & definitur à Galeno *vbi suprà*, vlcerosa pulmonis dispositio.

Quæres: *Vtrùm Phthisis, & Tabes ad conuertentiam dicantur?* Solutio patet ex dictis: Nam verè phthisicus, hecticus est; non è contra, tabidus, aut hecticus, est phthisicus. Latiùs enim patet tabes, quàm phthisis. Illa namque communis est atrophiæ, cachexiæ, & phthisi, ex Cels. *lib.* 3. *cap.* 22. in quibus omnibus tabis differentiis gracilescit corpus, & summa macie conficitur, sed extrema ferè in phthisi propriè dicta, ob hecticam febrem quam habet annexam, saltem in processu morbi, ex pulmonis vlcere. Vlceratus enim pulmo, cùm præ imbecillitate debitè ventilare non possit, necessarium fit, cor ab extraneo calore corripi, & natiuo diminuto, consumptóque humido, in ipso hecticam sequi, & marcorem in toto.

Neque interroges: *Vtrùm Phthisici longo tempore viuere possint?* Nam si præternaturalis calor, iugis, hecticus, & pusillus, carnosum genus, & demum solidas partes assiduè depopulatur, & corpus indies magis ac magis tabescit, & absumitur, cur phthisici tamdiu superstites durabunt, & vsque ad vigesimum tertium annum, cum pulmonis vlcere, & hectica febre? vt de tabida quadam memorat Auic. 10. 3. *c.* 18. Dic, possibile non esse, vt in vera, & propriissima phthisi, à qua cum pulmonis vlcere, hectica febris est inseparabilis, vita prorogetur; nec auctorum experimenta credenda, nisi vel in paratis ad phthisim, quos etiam phthisicos appellat Galenus 1. *epid. sect.* 1. *com.* 18. vel in impropria quadam phthisis specie, memorata à Rasi 4. *continent.* & Auicenna, in qua ob crassos & glutinosos humores, asperæ arteriæ ramis, & pulmoni ipsi infarctos, vitiatur respiratio, tussis inducitur, & sequitur in toto gracilitas, aliquando cum febre, nonnunquam citra eam.

Sed præterquam quòd dicta ægritudo, ad asthma potiùs, quàm phthisim referenda est, vt placuit Auicennæ, apertè conuincitur, non esse de ea intelligendos auctores: tum quia de phthisicis simpliciter loquuntur, tum quia eos lacte tractabant, quod in proposito exemplo conuenire non poterat. Vel dic. Viuunt verè phthisici longo tempore, quia accidit nonnunquam vlcus incrustari; crusta autem inducta, & sanie expurgata, cùm putridi vapores cordi non communicentur, potest intermedio tempore artis auxilio hectica remoueri, atque ita vita produci, quanquam crusta iterum ablata, cũ vlcere febris renouetur. Hoc manifestè asseruit Galenus 4. *de loc. cap.* 6. impedit namque crusta febris conseruationem, cùm ea mediante vapores putridi non perinde in cor abire possint; deinde oborta tussicula vlcus denuò dilaceratur. Neque putes mirabile, cõtinuante hectica phthisicos tamdiu durare, si debito regimine tractentur, partim nempe exiccante, partim extergente, in ordine ad vlcus; partim humectante, & infrigidante habito respectu ad febrem: sic enim fieri potest, vt & festina corporis exiccatio prohibeatur,

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 422 sur 927

& mortis acceſſus dilatetur; per viam ſiquidem exiccationis phthiſis potiſſimùm interimit.

Cauſa.

PRæter alias Phthiſis cauſas, illæ ſunt frequentiores, à quibus accidit pulmonem exulcerari, pus nempe, ſaniémve in pectus effuſa, ſuóque contactu pulmonem erodens, & exulcerans, 2. *progn.*60. & 5. *Aph.*15. ſiue ex proprio pulmonis abſceſſu illic aceruetur, ſiue rupto in thorace tumore; denique ex multa à cerebro, aut aliunde defluxione, quæ diu in pectoris cauitate retenta, nec expulſa, putrefit tandem, & corrumpitur, atque in ſaniem conuerſa exulcerat. Secunda occaſio eſt acris, falsáque à capite diſtillatio. Tertia, & fortè omnium frequentiſſima, ſanguinis eruptio, maximè ex pulmone ipſo, 7. *Aph.*15. vel ſaltem ex illius vaſe, & eò magis ſi liberè non diſtillet: receptus enim, & detentus in pulmonis cauitatibus, acuitur, putreſcit, & corrumpitur, ac conſequenter exulcerat; ideóque 7. *Aph.*15. & 16. *A ſanguinis*, inquit Hippocrates, *ſputo, pus, à pure, phthiſis, &c.* Verùm non ex quacunque ſanguinis eruptione, pus ſequitur, aut phthiſis ſtatim timetur; ſed ex maligna illa, & omnium peſſima, quæ propter eroſionem (Græcis diabroſis dicitur) fit, 2. *de præſag. ex pulſib. cap.*1. & 5. *meth.*14. Ex ruptura enim quandoque ſine periculo effunditur, iis præſertim, quibus conſueta aliqua vacuatio erat ſuppreſſa. Ex anaſtomoſi (ita apertionem vaſorum appellat, 7. *de vſu part.*9.) 5. *meth.*2. ſine dolore, ſine febre, ſine inflammationis periculo, ſæpenumero vtiliter, illis quibus menſes, vel hæmorrhoides non fluunt.

Porrò quamuis prædictæ ſint frequentes Phthiſis occaſiones, tamen eæ in examen trahendæ. Et primò videndum: *Vtrùm pus ad ſpatium thoracis effuſum phthiſim concitet?* Nam diſtillationes acres, mordaces, ſalſæ, diu intra pulmonem latent, quin phthiſim efficiant. Ergo pus multo tempore intra cauitatem thoracis immorabitur, quin vlcus, & phthiſim concitet. Obſtat tamen auctoritas Hippocr. 5. *Aph.*15. dicentis: *Qui ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die qua fit ruptio, liberantur; ſin minùs, ad tabem tranſeunt.* Firmat Galenus *in com.* dum inquit: *His enim omnibus, niſi vtplurimùm in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per expuitiones purgati, neceſſarium eſt pulmonem exedi, pure progreſſu temporis putreſcente.* Diſſimilis autem ratio eſt in ſalſo, & acri humore, ac in pure: hic enim benignior eſt, & concoqui, puríque aſſimilari poteſt; pus verò è pulmonis, aut pleuræ vomica in cauitatem thoracis effuſum, maligniorem induit naturam, & putredinem; quare non gubernatum à natura, & diu retentum, acris fit, magis erodens, & exulcerans.

Vtrùm verò *acris catarrhus phthiſim progignat?* Dic, quòd etſi diſtillatio mordax, à capite in pulmonem delapſa, aliquando à natura corrigatur, & in benigniorem naturam poſſit reduci; tamen ſi ſalſus humor ſit lentus, & vaſis pulmonis tenaciter affigatur, præ mora non ventilatus, acriórque redditus, putreſcit, & acrimonia ſua erodit, & exulcerat. Ita Galenus 6. *epid. ſect.*3. *com.*18. excrementa acria in pulmonem delapſa, tabis periculum inferre affirmat. Imò Hippocrates *lib.*2. *de morb.* docet fieri phthiſim à pituita craſſa, viſcida, & lenta, quæ in pulmones delapſa, putreſcit non ventilata, & erodit. Hi humores craſſi, lenti, glutinoſi, quandoque pulmonem, laxum, mollem, tenerum, ſpongioſum, adſcititia diluunt humiditate, qua ipſum ad putreſcendum reddunt paratiſſimum; quare cùm canalibus priuetur accommodis, vt tantam pituitoſi humoris copiam poſſit expellere, putreſcit, vlceratur, & tabo infectus calorem putredinoſum cordi communicat; qui mox hecticus fit, & ſenſim introducta ſiccitate, ob humidum exhauſtum, corpus liquat & abſumit.

Sed quæres: *Vtrùm ab aëris ſiccitate poſſit oriri phthiſis?* Si enim ex humiditate nimia, & putredine pulmonis, concitatur phthiſis, cur Hip. 3. *Aph.*16. contrariam protulit ſententiam, dicens: *in ſiccitatibus autem, tabitudines.* Neque aſſeras, in ſicca aëris conſtitutione bilem generari, quæ cùm acris ſit, exulcerat, aut pulmonis vias exaſperat, & valida excitata tuſſi, eius vaſis diſruptis excitat phthiſim: Nam hæ ſunt cauſæ ex accidenti, quas eo loco Hippocrates non enumerat. Dic, ab ſiccitate phthiſin oriri non poſſe, cùm ea huius affectus remedium ſit, 5. *meth.*12. & hoc modo Tabianus aër ſiccitate ſua phthiſim curat. Ergo Hippocrates de vera tabe non eſt interpretandus, ſed de alia tabis impropria ſpecie, quam totius corporis conſumptionem vocat, abſque pulmonis vlcere: tabes enim hæc ex ſiccitate, & inopia nutricatus oritur; & ob ſiccitatem emaciato corpore, fit atrophia, & tabitudo excitatur.

Omitto varias cauſas externas, quæ ex accidenti phthiſim inferre poſſunt. Aër immodicè calidus, aut frigidus. Alimenta acria, calida, vaporoſa, allia, cæpæ, porra, & alia vaporoſa, & acria edulia, aromatibus condita, ſalſa, fumo indurata. Labores, vigiliæ, immodicum exercitium, lucta, curſus, venatio. Animi accidentia, quibus corpus extenuatur, ac tabeſcit: quas quærat qui velit apud Aretæum, *lib.*1. *de cauſ. & ſignis diuturnor. morb. cap.*8.

Signa.

DVo ſunt phthiſis ſigna pathognomonica, ſi' tuſſi cum expuitione purulenta, febris accedat lenta. De iis igitur dubitandum: *Vtrùm vera, exquiſitáque phthiſis, ſine ſputo purulento poſſit conſiſtere?* Licèt verum ſit, quòd neceſſe eſt, vt priùs ſanguis, aut quæuis alia materia in ſaniem conuertatur, quàm exulceret pulmonem, & phthiſim efficiat, non omni tamen phthiſi purulentum iungitur ſputum; ſed omnino corporis conſumptio cum febre ex pulmonis vlcere: vel quia neceſſariò omni non ineſt, ſed ſufficiunt dicta ad eam conſtituendam; vel quia nonnunquam ob puris craſſitiem non excreatur, aut propter expultricis imbecillitatem, quod valde periculoſum, imò potiùs lethale exiſtit, apud Hip. 7. *Aph.*16.

Sicut ergo multi ſaniem exſcreantes, phthiſici non ſunt, vt ſuppurati, &c. ita nonnulli poſſunt eſſe phthiſici, ſine eo quòd monſtrent ſputum purulentum; & dignoſcétur quidem ex aliis memoratis notis, iunctis antecedentibus cauſis. Quandoque enim vlcerato iam pulmone ſanguineum tantùm apparet ſputum, & ex eo vera etiam phthiſis ſignificatur, accedentibus aliis indiciis, vt colligitur ex Galeno 5. *meth.* 8. & 14. & 4. *Aph.*81. vbi renum vlcera ex ſolo ſanguinis mictu ait nonnunquam indicari; id quod etiam de pulmonis, & aliarum partium vlceribus intelligendum eſt. Quin & addunt aliqui, non ſolùm in vera phthiſi cruentum ſine pure aliquando exſcreari, ſed & nonnunquam etiam purulentum, nullo ſanguinis ſputo præcedente, aut permixto: ídque ex citata Hippocratis doctrina diſiunctiuè loquentis, elici poteſt; ait enim, *ſi ſanguinem, aut pus minxerit, &c.* Quòd ſi obiicias: ergo purulentum ſputum non dicitur ad conuertentiam cum phthiſi, nec omni, nec ſoli conuenit, cur ergo Medici cum Galeno, ex purulento ſputo tabido explorant? Dic. Cùm plurimæ phthiſes illud ſputum commonſtrent, & quicunque purulentum expuunt, ſi intra quadraginta dies non purgentur, phthiſici euadant, ex Hippocrat. 5. *Aph.* 15. obtinuit ferè vſus, vt phthiſici exploratio ab ſputo purulento pendeat, ſi cætera ſigna etiam appareant.

Percontaberis: Cur quidam phthiſi affecti ſanguinem, & non pus purum; & è contrà, alij pus purum, & non ſanguinem, per totum morbi tempus extrudere aſſolent:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 423 sur 927

assolent? Respondent plures, tabis duplicem causam exsistere: alteram quidem vitiosam pulmonum substantiam genitiuam, nempe corruptioni paratissimam; alteram verò humorem excedentem. Addúntque, qui ab ortu vitiosos nacti sunt pulmones, alios à cruenta exscreatione, alios citra hanc tabidos discedere.

Sed elegantior causa est reddenda huius euentus: nam pro varietate partis vlceratæ, hoc, aut illud accidere, certum est: Si enim vlcus vasis alicuius substantiam exedit, tota exscreatio cruenta semper fit; purulenta autem non apparet ob permixtum sanguinem: è contra purulenta semper, & non cruenta, vbi visceris vlcus à vasis procul abest. Eadem profecto ratione Galenus 7. *Aph.* 75. in renum vlceribus quandoque solum sanguinem, nonnunquam solum pus cum lotio profundi meminit. *Si enim*, inquit, *simul cum vasis alicuius maiusculi ruptione, maximéque erosione inciderit, sanguinis subsequetur excretio; si verò omnia hæc abfuerint, solum pus excerni solet.*

Vtrùm purulentum sputum à pituita crassa certis signis possit distingui? consequenter inquirendum. Plures enim errores & deceptiones, inter iudicandum de prædicto sputo solent accidere: Videlicet inde dignoscetur, sítne purulentum, an potiùs pituita crassa & viscosa, Medicos plerumque deludens, arbitrantes saniem esse, Primò, ex graui, tetróque odore: Si enim vehementer fœteat sputum, præsertim carbonibus iniectum, vel supra argenteam pelujm ad ignem impositum, pus est, iuxta sententiam Hip. 5. *Aph.* 11. vnde omnes, & Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 6. *de vrinis*: Nam licèt sputum omne humorale, etiam alicuius fœtoris sit particeps, sanioſum tamen, nimis fœtidum est, 4. *Aph.* 81. & tale siquidem super carbones sentitur, quia vapor exhalans graueolentiam demonstrat. Ita scribit Galenus 1. *alim.* 2. *Verum pus, & graueolens est, & lentum; crudus verò succus crassitie, & colore illi duntaxat est similis, vt qui neque graueolens est, neque lentus.*

Secundum indicium ex modo substantiæ desumitur, & traditur ab Auic. *cit.* Pituitæ veræ substantia, lenta est, & conculcata, nec se patitur diuidi in partes; pus autem dum commouetur, facilè diuiditur, & separatur, vtpote quod materia quædam adusta sit, veluti cinis ex lignis, à calore præternaturali facta, de quo alibi. Vnde tertium elicitur indicium ex colore, puris enim cineritius est, siue ad subcitrinum declinans, vel (vt aliqui explicant) albus cum quadam citrinitate, ab extraneo, & adurente calore acquisita; in pituita autem simpliciter albus.

Quartum adiungit Serapio *tract.* 2. *sui breuiarij, c.* 27. Si sputum in aquam proiectum descendat, fundúmque petat, pus est; si supernatet, pituita. Dummodò sputum ipsum non semel, sed sæpe, & per aliquot dies educatur, imò & cum graui tussi, vt ab imo pectore prodeat, quod admonuit Auicenna, ne fortè quod à capite distillat, inspiciatur; vel materia salualis, non ea quæ in vlcere continetur, quæque nonnunquam ob crassitiem, vel virtutis imbecillitatem quamprimùm non expuitur. Deinde supra calentem aquam proiiciatur; nam si frigida sit, & densata, descensum prohibet. Rursus paulo pòst inspiciatur, non longa interposita mora: nempe quia fieri potest, vt flatus pituitæ permixtus per moram exhalet, atque ita fiat graue, & descendat sputum pituitosum, atque pro purulento non sine errore iudicetur. Esse autem flatus pituitæ permixtos, à quibus illa detenta prohibetur descendere, ex eo persuadetur, quòniam coctionis initium, seu coctio imperfecta, nihil aliud ferè operatur, quàm flatuum generationem, provt experimur in aqua, paulò postquam igni approximatur. Cùmque pituita, vtpote quæ crudus est humor, & sanguis imperfectè coctus, per diminutam tantùm, & initiatam coctionem etiam generetur, nihil mirum si flatus habeat commixtos, & illorum ope supernatet, non alter ac lignum, quantumuis magnum, & alioquí ponderosum, propter aëreas partes excedentes, aquæ innatat, quæ supra aquam prohibent grauitare: descendat autem pus, & imum petat, vtpote quod perfecta coctione gignitur, à qua flatus primùm geniti, interim dum coctio ipsa incipiebat, dissoluuntur; nec est à quo in aquæ superficie detineatur, prohibeatúrque descendere pus ipsum, suapte natura graue.

Febris etiam phthisicos comitatur, de qua videndum: *Vtrùm putrida sit, vel hectica*? Non desunt qui putent putridam esse, vtpote ex putrescente pulmonis substantia profectam: At licèt ex hac causa, & putridis succis, & pure inibi commorantibus, febris simul excitetur putrida, tamen quid obstat, hanc mox hecticam ob allatam rationem secum ducere? Cùm enim impurum, atque plus iusto excalfactum, sic affectus pulmo aërem cordi impertiatur semper, nequit vt decet cordis viscus euentari; quare excandescens, & glíscens, necesse est vt propriam partis humiditatem, qua nutritur, præternaturalis depascatur calor, & inde carnosum genus, & demum solidas partes depopuletur.

Hoc ita perpetuò accidere, palàm faciunt cuncta hecticæ febris signa in vera phthisi comparere solita. Ab initio profectò in lotio conspicies superficies illas oleagineas iis similes, quæ in solo lacte colliguntur, & quæ in summo refrigerati iusculi concreuerunt. Febriculam identidem aspectabis æqualem, nisi à cibo hora vna, aut altera paululum inualescentem, cæteráque verissimæ febris hecticæ indicia, quæ Galenus *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 10. retulit.

Quæres deinde: *Vtrùm mox cum generatione purulenti vlceris in pulmone, an processu temporis, hectica inuadat febris*? Dic, posse per aliquot dies vlcus purulentum pulmonis, nondum producta hectica febre, cum putrida affligere, quæ illicò in hecticam migrabit, ob rationem dictam. Quod initio affectus semper accidere est par, dum vlcus adhuc exiguum est, & exigua puris quantitas aggregatur. Hoc item temporis spatium, pro varia cordis temperatura, etiam variare, nemo negabit: etenim calidum, ocyùs; frigidum, tardiùs in hecticam labitur.

Vtrùm à phthisi febris sit inseparabilis? arduum est dubium. Galenus varia sentire visus est: nam 1. *epid. sect.* 3. *com.* 9. tabidos febre laborare nunquam cessante affirmat; at *lib.* 4. *de loc. affect. c.* 5. contrà scribit, accidere posse, febrem hecticam idoneis adhibitis præsidiis in phthisi extirpari, incurato manente pulmonis vlcere, aut mendosè curato. Id potissimùm euenit, vbi vlcus ex interuallis, sanie præ adusto calore resiccata, crustosum redditum est: impedit nempe crusta febris conseruationem, cùm ea mediante, nidores putridi non perinde in cor abire possint, ita vt meliùs sic pulmo inseruiat ventilationi cordis. Sed ferè accidit deinde, vt tractu temporis, ob defluentem à capite humorem excitetur tussis, & dilanietur vlcus, & crusta deponatur, quo facto sanguis de nouo cum pure expuitur, subindéque febricula hectica repullulat.

Plures conspexi, quibus insperatò purulenta exscreatio cessauit, ac similiter à febricula immunes, humectantibus præsidiis refecti, facti sunt; sed recrudescente morbo, expectorato pure iterum febri oppressi, tabe consumpti perierunt. Potest ergo in vera phthisi febris per aliquot dies euanescere, non curato vlcere. Lenta itaque febris hectica, spuitionem purulentam, aut cruentam cum tussi sequens, inseparabile phthisis, & proprium est indicium.

Vel si asseras aliquando phthisim non veram sine febri posse consistere, vera propones: Nam Serapio *tract.* 2. *cap. cit.* aliquando tabem asthmaticam sine febre posse inueniri sibi persuasit; quod morbi genus Auic. *cit. loco* descripsit: *Et nomen quidem phthisis conceditur aliæ ægritudini, cum qua non est febris, sed pulmo est suscipiens*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 424 sur 927

piens humores groſſos, viſcoſos ex catarrho, qui effunditur ad ipſum ſemper, & conſtringit meatus eius; quare patientes cadunt in conſtrictionem anhelitus, & tuſſim frequentem, & ſunt verè procedentes curſu aſthmatis.

Galenus autem *loco cit. epid.* tabidos febre laborare inceſſante affirmans, de tabe, non de phthiſi intelligendus, in quo affectu cruſta in vlcere progenita, ceſſat puris ſcreatio, cum febri, & tuſſi. Tabidi verò hectica febre perpetua premuntur, præſertim quando calidæ diſtillationes diuturnæ in thoracem confluunt, bronchiáque pulmonis infarciunt; quibus à craſſa materia obſtructis, & denegato cordi refrigerio, impeditáque ventilatione, febris reſurgit puſilla, quæ perpetuò comitari ſolet ipſos vſque ad mortem.

De phthiſicorum pulſu non inutilis controuerſia obuerſatur: *Vtrùm ſit durus?* Nam *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.* 11. & 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 11. mollem eſſe ait, & languidum. *Lib.* tamen 3. *de præſag. ex pulſib. cap. vlt.* inter alias cauſas quæ pulſum durum efficiunt, eſſe febrem hecticam aſſeruit, quæ phthiſin comitatur. Dic, pro vario huius affectus tempore, pulſus aliquando eſt mollis, quando pulmonis vlcus eſt ſordidum, ad quam partem vtpote debilem mucoſa excrementa confluunt aſſiduè, quæ arterias irrorant & humectant; interdum durus, quando affectu ingraueſcente, reſiccatóque corpore, & humido abſumpto, contabeſcit corpus: ex qua diſtinctione Galenus cum ſeipſo conciliatur verè.

De reſpirationis difficultate maior eſt hæſitatio: *Vtrùm phthiſin perpetuò comitetur?* Reſponde affirmatiuè: cùm enim difficilis reſpirationis tres cauſæ à Galeno proponantur, 4. *de loc. cap.* 7. virium imbecillitas, vehemens in corde, pulmonéque calor, & viarum ſpiritus anguſtia, omnes in hoc affectu reperiri, certa res eſt: in illis enim imbecillitas adeſt, & obſtructis viis à craſſo humore, & ab vlcere vnitis, & conſtipatis, difficulter anhelant. Id ſignificauit Galenus 7. *Aph.* 16. dicens: *Eò vſque extenuati viuunt, donec per ea quæ expuunt, poſſunt pulmonem expurgare; quum verò intus manent, obſerantur quidem viæ ſpiritus, patientes verò ſtrangulantur:* quod Auicenna ſignificauit his verbis, *loc. cit. Et quandoque eſt interceptio ſputi propter debilitatem virtutis, & tunc fortaſſe conſtringitur anhelitus eorum, vſque quò fiat quaſi non ſenſibilis.* Ob puris ergo copiam, ob humores à capite aſſiduè confluentes, atque ob vlcus, cùm bronchia pulmonis, quæ ſunt aëris viæ, obſtruantur, difficilem anhelitum excitari non eſt dubitandum.

Ex Galeni etiam ſententia eruitur dubium: *Vtrùm in phthiſicis capillorum defluuium adſit?* Dum enim Hippocratem interpretatur, 5. *Aph.* 11. dicentem: *Qui tabe moleſtantur, ſi capilli è capite defluunt, lethale,* ſic ſcribit *in com. Si verò & ex capite capilli defluant ita affectis, lethalem eſſe notam dixit: quoniam vltimi alimenti defectus oſtenditur, atque aliquando humorum corruptio.* Prima cauſa eſt vera: quia ab hectico præternaturalique calore capillorum materia cutis ſpiramentis impacta abſumitur, & præ cutis tenuitate promptè exhalat. Hoc modo apud Galenum 1. *ſec. loc. cap.* 2. plantæ ob humoris inopiam reſiccatæ areſcunt, nec frondes producunt, vel ob humoris alieni ab ipſarum natura commercium, vt vrini, muriæ, lixiuiæ, eadem ratione pili, aut propter humorum, à quibus nutriri conſueuerant, defectum, aut vitium corrumpuntur. Neque obiicias, ob cutis ſiccitatem, & conniuentiam à marcido calore factam, pilos defluere non poſſe, imò conſtipata cute retineri: Nam naturalis membrorum ſiccitas pilorum caſui reſiſtit; illa enim etſi exiccata ſint, vtili tamen recremento ad pilos nutriendos apto non priuantur, quo prorſus exiccata phthiſicorum cutis deſtituitur.

Præſagium.

VTrùm vlcera pulmonis curationem admittant? Galenus *lib. 4. de loc. cap.* 5. eleganti oratione docuit ex antiquorum mente, pulmonis vlcera nequaquam curationem admittere; quod non modò ratione, verum experimento ſibi perſuadebant: ratione quidem, quoniam vt ſoluta, vlceratáque pars vniri, glutinarique poſſit, quies omnino requiritur (per motum ſiquidem rumpitur, dilaceratúrque vulnus.) Atqui pulmo, valido, iugíque motu inter reſpirandum agitatur. Igitur impoſſibile eſt ſolutum, aut vlceratum ſanari.

Experimento autem, quia neminem vnquam ita affectum viderint reſtitutum: pro quibus etiam adferri poſſunt, tum ipſius Galeni *lib. cit. cap.* 8. & auctorum teſtimonia, referentium phthiſicos multos, quorum nullus euaſit: tum ob fundamenta non inualida: Nam vlcus ſanari non poteſt, niſi ſanies expurgetur; cùm igitur ea non poſſit è pulmone infernè purgari, eo quòd pectus inferna parte penitus occluſum exiſtit, ſola ſupereſt ſaniei purgatio ſupernè per tuſſim. Atqui tuſſis compreſſionis vehementia vlcus rumpit, dilaniat, & amplificat. Igitur vlceratus pulmo videtur omnino inſanabilis.

Deinde phthiſi, ſeu pulmonis vlceri ferè annexa eſt febris, & totius corporis tabes, ob cor non ſufficienter ventilatum, & vapores à ſordido vlcere cordi communicatos. Iam verò vlceri exiccantia debentur permixtis calidis, ad penetrationem, ob partis affectæ diſtantiam, 5. *meth.* 11. febri, & corporis marcori frigida, humidáque: ab his excrementum, & puris materia augetur, atque vulneris ſanatio impeditur; ab illis corpus indies marceſcit, abſumitur, & exiccatur. Igitur, &c.

Sed non placet Galeno antiquorum ſententia, quia ſuo decipiebantur experimento, putantes nullum fuiſſe ſanatum ex hæmoptoicis, quibus laborabat pulmo, ſolóſque euaſiſſe qui è pectore expuebant, cùm tamen alioquî fortè eueniret, & ex ſanatis nonnulli è pulmone expuerent. Rationi verò ex motus perpetuitate, ſimiliter non ſubſcribit, ob ſepti tranſuerſi vlcera, quæ tamen ſanantur, non obſtante perpete illius motu, qui potiùs curandi difficultatem, quàm deſperatam omnino curationem inducit. Atque ita non diffitetur Galenus, curatu quidem eſſe difficillima pulmonis vlcera; maximè propter ſaniei, & puris vacuationem: quia cùm per ſuperiorem partem purganda ſit, & venter ſpiritualis nec à natura habeat, nec ab arte patiatur ſubfluxionem, ſola tuſſi poteſt expectorari materia; quo remedio morbus rurſus inualeſcit: vnde licèt ſanandi oriatur difficultas, non tamen omnimoda impoſſibilitas. Curationem ſiquidem etiam pulmonis vlcera admittunt, & obducta cicatrice nonnunquam ex toto ſanantur, vt ſe expertum teſtatur Galenus, dummodò celerrimè ſuccurratur, & primo, vel altero die, antequàm contingat inflammatio, quæ febre dignoſcitur; ea enim præſente, deſperata res erit, fruſtráque veram ſperabis conſolidationem, quia cùm oborta phlegmone, humor in maiori quantitate quàm pro pulmonis alimento abundans, in pus, & ſaniem vertatur, atque expurgari deſideret, nec poſſit niſi per tuſſim, vt diximus; hæc autem dilanians rurſus exulceret, & ex vlcere phlegmone excitetur, fit vt per mutuas operas malum redeat in orbem, & indies augeatur, vnde prorſus incerta, & ferè impoſſibilis redditur curatio pulmonis ita vlcerati.

Quamuis autem aliquando diuturna huius viſceris vlcera, areſcente ſanie, & in cruſtam verſa, ſanguiniſque expuitione ceſſante, ſanata videantur, dubia tamen eſt, incertáque illorum ſanitas, cùm leui de cauſa rurſus rumpantur, & excorientur, & ad priſtinam exulcerationem pulmo redeat: quod manifeſtè deprehendes, ſi ſanguis iterum erumpat, & cum eo ſimul ramentum aliquod

aliquod excernatur. Licèt enim huiusmodi excretiones, A sanguinis scilicet, & ramenti, cuiusuis partis vlcerationibus communes sint, quòd tussiendo eiiciantur; aliis tamen præcedentibus signis iudicantur ex pulmone fieri: siquidem ex gula, & ventriculo vlceratis, vomitu educuntur; ex renibus, & vesica, cum vrina, 4. *Aph.* 75. ex intestinis, per deiectionem, &c.

Vtrùm thoracis vlcera sint insanabilia? etiam disceptandum. Nam ea Galenus, non modò recentia, sed etiam diuturna, magna ex parte glutinari, & veram curationem admittere asseuerat, ob maiores, quas pectus habet, ad illorum sanationem commoditates, videlicet exigua vasa, duritiem rupturæ magis resistentem, atque adeò vlcera minora; carnositatem, quæ faciliùs consolidationem admittit; puris defluxum in septum, quo pur- B gato, promptiùs, cute, & callo obducuntur, & glutinantur, multò minore tempore quàm pulmonis, impedimentum in respiratione naturali nullum, denique facilem auxiliorum commeatum, & admonitionem; extrà enim ad pectus, intra ad ventriculum, vnde ad cauam venam, & ex ea ad costas meant, ex Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 18. cùm tamen ad pulmonem non possit accedere medicamentum, nî priùs in corde concoctum, & vim exiguam, aut ferè nullam iam deferens; & similiter si exteriùs admoueatur.

Verùm etsi hæc vtplurimùm vera sint, quæres: *Vtrùm in pueris vlcera pulmonis citiùs sanentur*? Accidit enim non rarò, vt propria, veráque phthisis, sicut & C Epilepsia, Apoplexia, Mania, & desperati, aliíque grauissimi morbi nonnunquam sanentur, præsertim in pueris, quum iam ad pubertatem accedunt, quod & confirmat experimentum, & testatur Rhasius: vnde Auicenna 10. 3. *tract.* 4. *cit.* scribit, infantes magis, & faciliùs à phthisi curari, videlicet quia naturales virtutes, à quibus praui excrementi concoctio, expulsio, vnio, ac consolidatio speratur, eo tempore robustiores sunt. Rursus corporis constitutio, quia fluida & laxa, magis resolubilis, magísque ad expurgationem parata, & quia magis mollis, facilioris consolidationis, ideò namque in ea ætate vniuntur soluta, imò & regenerantur solida. Diximus, quum ad pubertatem accedunt, quia antea, quamdiu lactantur, innatus eorum calor licèt plurimus, propter humidi copiam, qua abundant, parum admodum potest, adeò vt debilis à Galeno appelletur; post pubertatem autem cùm iam minuatur, saltem quantitatiuè, & languescat, à pristino etiam robore in agendo deficit.

Vtrùm faciliùs curentur vlcera substantiæ pulmonis, quàm vasorum? etiam dubium est. Dic, quòd cùm vlceris sanatio in exiccatione potissimùm consistat, & puris expurgatione, 5. *meth.* 8. 12. & passim, & integro, sanóque pectore pus in vlcerato pulmone contentum, eo solùm remedio, vel maximè possit extrorsum purgari; quo rursus innouatur vlcus, & de nouo inflammatur (quia interim dum tussiendo distenditur pulmo, rumpitur, & dilaniatur, & ad rupturam sequitur sanguinis fluxus, & inflammatio:) nullam ferè salutis spem præbent pulmonis vlcera, præsertim ea quæ illius substantiam occupant. Licèt enim carnosa sit, & præ mollitie E faciliùs vniri, & coalescere videatur, minórque sanguinis copia ex ipsa pulmonis carne, quam è vasis erumpat: sanabilia tamen non sunt, saltem verè, hoc est, vera & firma cicatrice, non tam ex continui motus perpetuitate, quàm ob difficilem, & desperatam puris expurgationem, in qua totius curationis cardo continetur; adeò vt scribat Galenus *cit. lib. de meth. medend. incolumius cum vase sanguineo rumpi iunctum ramum asperæ arteriæ, quàm seruari integrum*, videlicet, quia sic liberiùs in asperam arteriam defluit sanguis, & extrà pellitur. Si verò per solam asperam transcoletur, cùm lentè migret, periculum est ne coëat, & per motum in grumum conuertatur, putrefiátque, ac pulmonem ipsum putrefaciat.

Cùm igitur sanguis, vel sanies è vasis faciliùs expurgetur, neque illa omnino respuant glutinationem, quia non vsque adeò dura, imò inter dura, molliora, 5. *meth.* 7. faciliùs curabuntur vasorum, quàm substantiæ pulmonis vlcera; quinimò frequentissimè sanari, testatur Galenus *ibidem*, & *cap.* 12. maximè si ante inflammationem subueniatur. De larynge, & aspera arteria inflammatis, similis, sed vrgentior ratio est, vt cum minori periculo, imò securiùs sanentur, & ob vlceris paruitatem, & facilem puris commeatum. Iam verò quæ thoracem infestant, ferè incolumia esse, & multò minoris periculi, ex *suprà* dictis constat manifestè.

Quænam ætas, aut natura phthisi subiiciatur magis, explicuimus, *lib. 2. Hist. Princip. Medic. in paraphrasi Hist.* 36. quo loco iuuenes, & alatos (pterygodes Græci vocant) quibus thorax adeò angustus est, vt spathulæ in morem alarum promineant, collum oblongum, gracile, mollis cutis, albus color, phthisi esse valde obnoxios, ex Hippocrat. 6. *epid. sect.* 3. *text.* 18. explicante Galeno *in com.* & 3. *Aphor.* 13. & 4 *acut.* 8. determinauimus.

Nunc inquirendum: *Vtrùm Phthisis sit morbus hæreditarius*? Respondè affirmatiuè: ita experimentum docet frequentissimum, valida ratione confirmatum. *Si enim*, vt *lib. de sacro morbo, num.* 6. *ex pituitoso pituitosus, ex bilioso bilioſus gignitur, ex lienoso lienosus*, ex gallicato gallicatus, ex elephantico elephanticus, ex surdo surdus, ex muto mutus, ex Epileptico Epilepticus, ex cæco cæcus, ex calculoso calculosus, ex podagrico podagricus progignitur, & ex aliis vitiis in parentibus fixis, & radicatis, similia vitia in filiis, nepotibus, & descendentibus repullulant: cur ex tabido tabidus, & ex phthisico phthisicus non progenerabitur? semen enim à sanis sanum, à morbidis morbosum decidit. Quippe quocunque morbo pater, cùm generat, tenetur, cum semine transfert in prolem, ita vt non minùs morborum, quàm possessionum hæredes fiant. Hoc modo maternus sanguis, primum fœtus alimentum, vt altera est temperamenti & constitutionis causa, ita & morborum & affectuum, quos mater eo tempore patitur: traducuntur enim in his duabus substantiis parentum vitia, quæ licèt in primis annis, dum vigent ac præsunt humiditates, D & principia naturalia sunt robustiora, delitescant, & non appareant, postea tamen per adolescentiam, absumpta natiua humiditate, tunc ea elucent, & in actum morbosum deducuntur. Quare si hæreditaria vitia insunt in toto corpore, partibus præcipuis, cerebro, corde, iecore, ventriculo, & aliis ignobilibus partibus, & infimæ sortis membris, cur in pulmone ea conspici negabimus? An quia semen à solis testibus deciditur? Id equidem non puto, licèt enim materialiter ab his solùm defluat, descendit tamen ab aliis partibus præcipuis formaliter: vt enim semen generetur, oportet vt ex aliis principiis plurima spirituum copia transmittatur, quia spiritus genitiuus, qui est instrumentum facultatis formatricis, omni spirituum genere illustratur. Hac ratione non solùm in membris nobilibus, sed infimis, vt pilis, artu- E bus, & aliis, stigmata, & mille defectuum sortes, à parentibus deriuatæ, in filios, nepotes, & familiam totam sæpissime transferuntur.

Vtrùm Phthisis sit morbus contagiosus? Respondè affirmatiuè, vnanimi Medicorum voto munitus: Nam in hoc affectu concurrunt omnes ad contagium conditiones requisitæ, quas ex professo explicuimus, *lib. 1. Hist. Princip. Medic. in com. Hist. vlt. quæst.* 49. Vapor enim, qui ab vlcere pulmonis, per patentes exhalat respirationis vias, est putridus, lentus, facilè inficiendæ parti adhærens, malignus, & eructatus per expirationem, ex pectore, similem affectum producit in alieno corpore: ferè enim ad fomitem phthisici, renascitur phthisicus, & sic de cæteris, ob sympathiam quam vnum membrum cum alio habet. Non nego, quin per contagium

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 426 sur 927

tagium aliquando diſſimiles morbi producantur: Licèt enim communiter definiatur, quòd ſit infectio, & corruptio tranſiens ab vno in alium ſimilis; tamen quia perſæpe non adeſt diſpoſitio ſufficiens corporis inficiendi, diſſimilis morbus interdum producitur: nulla enim cauſa tam efficax eſt, quæ citra patientis aptitudinem agere poſſit, vt 1.*de diff. feb.* 4. & *lib. de cauſ. morb.* 1. teſtatur Galenus, cùm actus ſint in patiente diſpoſito, 2.*de anim.* 2. Hæc eſt cauſa quare in conſtitutione peſtilenti, quæ maximè eſt contagioſa, 1.*probl.* 7. aliqui non incidant in peſtem, vt ſenes, melancholici, & qui laudabiles habent in corpore humores; hi enim maximè reſiſtunt. Et ſicuti ſeminarium contagionis ſemper lædit, quando tamen eſt imbecillum, morbos concitat leuiores; & quando corpus ad diſſimilis morbi generationem diſpoſitum eſt, tunc ſimilis morbus in ſpecie non generatur, ſed in malignitate. Hæc eſt cauſa, quare cum tabidis conuerſantes non fiunt tabidi, ſed aliis morbis fœdantur; ſimiliter appropinquans laboranti pleuritide maligna, non in pleuritidem, ſed in alium morbum incidit malignum.

Phthiſis ergo, morbus eſt contagioſus: Nam ex pulmone, & vniuerſo corpore, per expirationem, & tranſpirationem, emanant halitus craſſi, lenti, fœdi, corrupti, maligni, ex ſordido vlcere pulmonis, in quo tetra puris illuuies ſtabulatur, elati, qui vim habent corrumpendi, & ſimiles morbos generandi; hi enim in aëre recepti, ipſum inficiunt, quem propter neceſſitatem reſpirationis, & tranſpirationis continuò haurimus, (velimus enim, aut nolimus, aërem attrahimus, 9.*meth.* 14.) & inficimur. Neque obiicias Ariſtotelem, qui *cit. probl.* ſolam peſtem dicit eſſe contagioſam; nam hoc protulit antonomasticè, quia ea excellentiori quodam inficiendi modo, & manifeſtè, cæteros promptiſſimè afficit. Quare non negauit Philoſophus, quòd plures alij morbi ſint contagioſi, vnuſquiſque videlicet in gradu ſuo.

Quæres deinde: *Vtrùm fœminæ viris in phthiſim facilius incidant?* Illæ enim frigidiores ſunt, & excrementis abundant ob caloris inopiam, quæ cùm non regulantur à natura, putreſcunt, acria redduntur, & ad ipſarum molliorem pulmonem, & magis tenellum delata, ipſum exulcerant, & vlcus concitant: præterea patiuntur menſtruas purgationes, quæ cùm ſæpe non ſint ita fauſtæ, recurrentibus lochiis ab vtero ad thoracem, ruptura venarum pulmonis frequenter ſubſequitur; ob quam cauſam plurimas, præſertim non vacuato ſanguine per inferiores venas, in phthiſim incidiſſe, appoſitis hiſtoriis confirmat Galenus, *lib. aduerſus Eraſiſtrateos, cap.* 1. quare menſtrua purgatio ſuperueniens, quando morbo acuto, vel aliis grauiſſimis ſunt detentæ, illas perſanat, & ab aliis mirè præſeruat. Hac ratione Philiſtis Heraclidæ vxor, vt refert Hippocrates *lib.* 7. *epid. num.* 57. etſi acuto morbo fuerit correpta, tamen ob menſtruæ purgationis ſuperuenientis commoditatem, ab eo euaſit incolumis. Hinc fit vt ſi fœminæ rectè valeant, & typicè, debitóque ordine, & quantitate menſtruas habeant purgationes, rariùs phthiſi, quàm viri premantur. Hi enim calidiores ſunt, ſanguine pollent bilioſiore, & magis acri, qui ad pulmonem delatus, eius venas faciliùs reſerare poteſt.

Vtrùm Autumnus inter anni tempora, corpora phthiſi magis reddat obnoxia? Reſponde affirmatiuè: Nam hoc tempus per ſe phthiſim generat, quia ob inæqualitatem ſuam corpora noſtra diuerſimodè alterat, præſertim cerebrum, quod cùm ſuapte natura debile ſit, vtpote laxum, molle, friabile, & exangue, has mutationes inter omnia membra faciliùs perſentiſcit; & hac de cauſa plures acres, & ſalſæ fluxiones eo tempore mouentur, quæ ad pulmonem confluentes exulcerant. Ita intelligendus eſt Hipp. 3. *Aph.* 22. docens: *Autumno fieri plurimos æſtiuos morbos, febres quartanas, erraticas, lienes, aquam intercutem, & tabem.* Et licèt 3. *Aph.* 9. dubitet Galenus, de quanam tabis ſpecie loquatur Hippocrates, an ſcilicet de pulmonis vlcere, an verò de quacunque corporis macie à quacunque cauſa emanet: tamen de phthiſi interpretandum eſſe, Celſi auctoritas nos cogit aſſerere, *lib.* 2. *cap.* 1. qui poſtquam recenſuit morbos ferinos, & lethales, qui æſtate exoriuntur, ſic profatur: *Vix quicquam ex his in autumnum non incidit, ſed oriuntur eo quoque tempore febres incertæ, lienis dolor, aqua intercutem, tabes, quam Græci phthiſin nominant.* Quid plura? Nonne id tempus corpora phthiſi, cæteriſque exitialibus morbis reddet obnoxia, quod ea ad peſtem maximè diſponit? Hoc autem eſſe autumnum, quùm calorem innatum inæqualitate ſua multipliciter debilitet, innatum minuat ignem, ſpiritus extinguat, *loco nuper citato* protulit Celſus, dum ſic ait: *Autumnus diutinis malis fatigatos, & ab æſtate tantùm proxima oppreſſos interimit, & aliis nouis morbis conficit, & quoſdam longiſſimis implicat, maximéque quartanis, quæ per hyemem quoque exercet, neque aliud magis tempus peſtilentiæ patet, cuiuſcunque ea generis peſtis eſt.* Non ergo negabimus, autumno peculiare eſſe, vt phthiſim generet, cùm frigore, & ſiccitate inter cætera anni tempora principiis vitæ ſit aduerſus magis: Nam hyems per humiditatem, æſtas per calorem, ver per vtraſque qualitates vitæ familiares, calorem noſtrum adaugent. Solus autumnus, partes, & præſertim inſtrumenta reſpirationis debilitat, innatúmque ignem, qui puſillus factus varia excrementa progignit, impensè diminuit.

Curatio.

EX ſex non naturalibus rebus, Aër primas tenet, qui pro hoc curando morbo ad ſiccum pauliſper deuergere debet, ſolius vlceris habito reſpectu, à quo febris, & extenuatio oriuntur; in calore verò, & frigore ſit temperatus. Tabianus præ cæteris laudatur à Galeno, *lib.* 5. *meth. cap.* 12. ob cauſas multas latas *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. in paraph. Hiſt.* 3. quia eſt ſiccus, & internis curandis vlceribus accommodatus valde. Neque obiicias, quòd Tabiarum locus, calidus eſt & ſiccus, ob Veſuuij montis viciniam, perpetuò flammas euomentis, vt *loc. citato* confirmat Galenus, qui huius loci naturam exactè deſcribit, & ſic maximè thoracem inflammat, ac febrem exacuit: Nam oppidum vbi ægrotantes degebant, ab ipſius cacumine valde diſtat. Et licèt ignis vis accederet, erat tamen refracta, quæ ſiccitate ſua vlcus conglutinat, putrilagine abſumpta. Celebris eſt hiſtoria apud Medicos de furnaria, quæ iuxta ignem laborando, ſetſi phthiſica eſſet, pluſquàm viginti annos hoc munere vſa, vitam produxit.

Si æger non ſit inualidus, per mare nauiget, vt Celſus *cit. loc.* commendat: Nam marinus aër ob ſalſuginem, & ſalis commercium vlcera exiccat, eorúmque ſorditiem abſumit. Cibus ſit optimi ſucci, facilis diſtributionis, tenuis, & liquidus, qui conniuentes præ ſiccitate vias humectet, & ad partes longinquas faciliùs penetret. In hunc vſum primò abſtergentia, humectantia, & ratione febris infrigidantia ſunt vtilia, vt ptiſſana; deinde verò incraſſantia, & glutinoſa, quæ alimentum præbent lentum, pingue, & minimè dilabile, vt Amylum, Oryſa, Alica, Caro cancrorum fluuiatilium, & teſtudinum nemoralium, quæ ſunt plurimi nutrimenti, ſed craſſi, & lenti; quæ etſi difficulter coquantur, ex Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 150. Oribaſ. *lib.* 2. *cap.* 154. Aëtio *tetrab.* 1. *ſerm.* 2. *cap.* 145. tamen multum, ac firmum nutrimentum præſtant: de quorum genere ſunt etiam caro limacum, Ranarum, & animalium extrema. Saccharum roſaceum eſt momenti magni, vt *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 33. latè prædiximus.

Sed inquires: *Vtrùm ſuilla caro aſſa phthiſicis poſſit concedi?* Affirmatiuè reſpondet Hippocrates *lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 6. dum ſic ait: *Cùm verò iam contabuerint,*

præbere

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 427 sur 927

©BIUM

prahere ſuillas aſſas oportet. Galenus ſic explicat *in com. Tùncque ſuillas carnes toſtas exhibere conſuluit: ſuillas quidem carnes, quòd multùm nutriant; toſtas verò, quòd ſolidam, & in exiguam molem adſtrictam, non humidam laxámque carnem creent.*

Ex altera parte obſtat Galenus *lib.7.meth.cap.6.* dum enim de tabidorum victu verba facit, ſic loquitur: *Porrò omnium, quos nouimus, ciborum maximè nutriens ſuilla caro eſt: verùm non æquè ac prædicta, concoctu facilis eſt; præterea glutinoſum ſuccum, craſſúmque generat.* Hoc etiam affirmat *2.ad Glauc.cap.de quartana, & lib.de rerum dignot. cap.26.* Quare ea à victu phthiſicorum eliminanda; ij enim cùm languidam habeant concoctricem, hoc edulium tam difficile concoctu ſuperare nequeunt.

Dic cum Galeno *lib.11. meth. cap.11.* nihil difficilius eſſe, quàm inuenire remedium, quod etſi magnificè proſit, aliqua ex parte non noceat; quare maiori vtilitate minus damnum eſt redimendum, *1. Aph.24.* Hoc modo in pauca quantitate, & concocta cum aliis probis edulíis ſuilla caro eſt concedenda: firmum enim, ſtabile, & ſolidum nutrimentum præſtat. Et cùm humidum alimentum huic morbo detentis, vtpote extenuatis, ſit valde proficuum, rectiùs feciſſe Hippocratem iudicabis, qui ſuillam carnem illis edendam conſuluerit: aſſatione enim partes magis excrementoſæ abſumuntur, & caro facilior redditur ad concoquendum, & probioris ſucci, magíſque humectat; nam aſſa ſunt humidiora elixis: licèt enim apparenter videantur ſicca, ſubſtantificè ſunt humidiora, ex Ariſt. *4.meteor.3.* & *lib.2. de alim.facult.cap.44.* & *3.ſimpl.14.* & *15* quia in elixatione tam interna, quàm externa, humiditas, per moram inter coquendum eſt abſumpta; in aſſatione, ſolùm externa exhauritur: cruſta enim ab igne inducta, huius actionem impedit vehementer.

Potus ſit aquâ hordei adiecto ſaccharo, vel decocta, cum paſſulis, aut glycyrrhiza. Vinum interdum offerre licet, præſertim ſi vires ſint debiles, & febris remiſſa; vlcus enim exiccat, & ad puris repurgationem vires adauget. Lac inter omnia alimenta, & medicamenta phthiſicis eſt præſtantius auxilium: nutrit perbellè, ſqualidum, extenuatúmque corpus mirificè reficit. Ob ſerum refrigerat, & abſtergit; ob butyrum, impinguat, & craſſefacit, ob caſeum vlcus exiccat. Eligendum muliebre, cùm nutrire in animo eſt; cùm verò abſtergendi neceſſitas vrget, tunc præfertur Aſininum, Camelinum, aut equinum, quia tenuitate pollent vehementi, & hoc modo ſiccas, & arentes partes ocyſſimè penetrat aſininum. Quoniam verò de lactis temperamento, multiplici eius vtilitate pro curandis tabidis, ordine, & modo aſſumendi, differentia lactis pro animalibus à quibus deſumitur, plura ex auctorum mente ſumus loquuti, hæc omnia legat qui velit, *lib. 2. Hiſt.Princip.Medic.in com.Hiſt.2. & 35.* & *lib.4.in com. Hiſt.44.*

Circa Chirurgica auxilia dubitandum: *Vtrùm phlebotomia phthiſicis ſit vtilis?* Hippocrates *lib.5. epid. n.2.* eam confirmat, quo loco virum in Oeniadis morbo detentum, tabeſcentem, ac conſumptum, nullis pharmacis adiuuantibus, ſecta vena in vtraque manu quouſque exanguis redderetur, vtilitatem percepiſſe, & à morbo liberatum fuiſſe proponit. Galenus *lib.5 meth.cap.14.* in vlcere pulmonis hoc auxilium approbat manifeſtè, dum ſic ait: *Cæterùm de mittendo his ſanguine ſcire illud licet: Quicunque parum habere ſanguinis videbuntur, iis ad quendam ſuccum probiorem (ſicuti prædixi) reductis, detrahere ſanguinem poteris, tum rurſus reficere: eoſdem etiam rurſus purgare; ac rurſus rèficere, denuóque, ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſſimùm quibus veluti limus, vitioſus & craſſus totus eſt ſanguis. At qui validi ſunt, multíque ſanguinis, iis ſtatim à principio detrahendus.* Ex cuius auctoris ſententia conſtat apertè, in initio, quando vires adhuc ſunt robuſtæ, & larga ſanguinis copia in corpore continetur, vtilem eſſe phlebotomiam: Nam ventilat viſcera, & ſanguinem bilioſum detrahit, qui ad partem vlceratam confluens, ſanguinis de nouo concitat profluuia, exulcerat, dilaniat, & vlcera exaſperat. Si verò ſint debiles, excarnes, extenuati, & inaniti, & morbus vergat verſus ſtatum, & vires labaſcant, tunc cane & angue peiùs fugienda venæ ſectio eſt; ſi enim iis ſanguinem mittas, moribundum corpus illicò præceps dabis in mortem.

De purgatione maior eſt hæſitatio: *Vtrùm illis commoda ſit?* Negat Hippocrates, alui fluxum in iis tanquam pernicioſum deteſtatur, *lib.5. Aph.12. Quibuſcunque tabe laborantibus, capilli à capite defluunt, ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur.* Quare in tabidis maturo conſilio lenienda aluus. Contrà ipſe Hippocrates *4.Aph.8. Tabidos verò* (inquit) *per inferiora, cauentes ſuperiora.* Galenus hoc præceptum eſſe obſeruandum in phthiſi aſſeuerat, *in com. §. Per tabidos autem intelligere oportet eos, qui morbum à Græcis phthiſin nominatum patiuntur.* Repetit id auxilium, & tanquam proficuum conſulit in pulmonis vlcere, *lib.5. meth.14.* dum ſic ait: *Oportet autem in principio nullius rei æquè eſſe ſolicitum, quàm vt neque tuſſiant, neque ex capite aliquid in pulmonem defluat. Cauetur id triplici præſidio, purgatione primùm: Secundò, medicamento, quod diaſpermaton dicitur: Tertiò, ipſi capiti prouidendo. Quod purgat, diuerſas facultates habeat oportet; cuius generis noſtræ ſunt pilulæ, quæ ex Aloë, Scammonia, Colocynthide, Agaricò, Bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur, ad plures videlicet excrementorum purgandas ſpecies.*

Purgatio enim clemens in principio, cùm vires adſunt, celebrata, cum Rhabarbari infuſo, pulpæ caſſiæ interaneo liquore, Manna, Syrupo Violar. aut Roſar. ſolutiuo, vitioſum ſuccum exhaurit, præſeruat vlcus ne ampliùs ſordeſcat, & à thorace reuellit. Caue ne per ſuperiora vacuationem moliaris: Nam augeſcet inde pulmonum vlcus, & ex vomitus violentia ad ſuperiores partes ſanguine commoto, & excitata tuſſi vas aliquod lacerabitur. Hippocrates autem *5. Aph.* loquitur de iis, qui ſunt morti vicini; purgatio verò in iis eſt adminiſtranda, in quibus vires firmæ ſunt, & non adhuc ex toto deiectæ.

Quæres: *Vtrùm phthiſici validis medicamentis ſint expurgandi?* Nam ſi habent imminutum virium robur, cur *cit.meth.* eos talibus euacuat, vt colocynthide, ſcammon. &c. quæ febrem exacuunt, humorem mordaciorem reddunt, corpus debile eneruant, & exagitant? Dic primò. Ea exhibuit in initio, quando vires valent, quantitate parua, & correcta iis quæ horum acrimoniam attemperant, vt ſuperbibita ptiſſana, *2. acut.13.* Solue ſecundò. Salſuginoſam pituitam, ſuapte natura craſſam, & à capite defluentem, quæ præſtat occaſionem ſalſo catarrho, & vaſa erodit acrimonia ſua, ſanguinis profluuia excitat, & vlcus dilaniat, à viis ductuum valde ſemotam, detrahere tentat his medicamentis, quorum efficaciam Bdellio & Gummi Arabico retundit: Hæc enim ſua emplaſtica vi partes internas roborant, & lentore ac craſſitie acres ſcammonij, & colocynthidis vires coërcent, & refrænant.

Vtrùm balnea phthiſicis conferre queant? Nam ſi vlcus expoſcit exiccationem, balneum, vtpote humectans membrum molle ac laxum, videtur interdicendum. Dic, quòd balneum in tabe vtiliſſimum ſit, ob plures cauſas à Galeno *in meth. lib. de rat. vict.* & alibi toties recitatas: Nam in phthiſi videtur approbandum, ob maiorem indicationem quæ à febre tabida deſumitur, quæ cùm in phthiſi ferè eueniat, & à cauſa conſeruante iam independens ſit, & ſenſim ac ſine ſenſu corpus abſumat, illi ſoli tanquam vrgentiori attendendum. Quapropter balneum phthiſicis ſummo eſt auxilio: acres humores

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 428 sur 927

humores contemperat, æſtuantem viſcerum calorem demulcet, connutrit, quia arctas præ calore vias reſerat, per quas patentes nutrimentum ad diſtantiſſimas penetrare poteſt corporis partes; ſputum facilitat, ſaniem detergit, ſomnum procurat: quibus omnibus recreata natura, & facta alacrior, optimo regenerato ſanguine, vlcus conglutinat, & carnem deperditam generat, quorum omnium operum, naturam eſſe opificem & auctorem, *lib. 3. meth. cap. 3.* dilucidè confirmat Galenus. Caue tamen ne balnea concedas iis, qui ex ſanguinis ſputo in phthiſim inciderunt: Nam ea ſunt noxia, quibus ſanguis fluxit, aut fluxurus eſt, *3. acut. 59.* quia fluxiones ſanguinis acriter irritant, *1. ad Glauc. 14.* vaſa enim emolliunt, & relaxant, *lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtratum, cap. vlt.*

Vltimò quærendum: *Vtrùm balneum ex lacte phthiſicis accommodum?* Reſponde affirmatiuè: nam hoc, præter recitatas commoditates, inſitam, & conſimilem naturæ noſtræ humiditatem conciliat, & hoc modo eam deperditam mirificè reſarcit, calorem febrilem attemperat, & naturalis caloris ſymmetriam ſuo tepore tuetur, ac fouet. Nec obiicias, quòd lac omne in vniuerſum craſſi eſt ſucci, & ob butyrum, lentore ſuo, & ob caſeum, ſiccitate ſua, cutis ſpiracula condenſat, & fumidæ exhalationis prohibet effluuium, quare exiccat: Nam temperamento moderatè calidum, & humidum cùm ſit, accedente ampliùs actuali calore, contrarios producit effectus, & tabidis, phthiſicíſque remedio eſt. Omitto cætera humectantia auxilia, vt tabellas, pulueres, vnguenta reſumptiua, aquas ſtillatitias, conſeruas, & alia; quorum formulas *lib. 4. huius operis, cap. de hectica febre* proponemus.

OBSERVATIO I.

Prodigioſa tabes, lacte, & eius balneo curata.

ANni aguntur tres, ex quibus vocatus à Belga colono ditiſſimo, iuxta oppidum dictum *Leyda*, quod milliaribus ſeptem à ciuitate Amſtelodamenſi diſtare videtur. Oſtendit vxor eius filium ſuum in lecto iacentem, ſeptemdecim annos natum. Hic detectis ſtragulis apparuit in lecto ita arefactus, vt trans cutim oſſa ſingula numerare poſſes. Facies erat Hippocratica, pulſus duriſſimus, corium intentum, aridiſſimum, (ſceleton diceres) edebat varia, loquebatur promptè, dormiebat, ſurgebat è lecto, & baculo innixus lentè gradiebatur per domum, ſimiæ inſtar. A Medicis pluries expurgatus, opem vix ſenſit vllam. Lactis vſum parentibus commendaui eximiè. In domo vaccæ in ſtabulo aderant multæ. Aſininum, nec caprillum in eo terræ tractu non potuit inueniri. Refectione ſolùm opus erat, in corpore quatuor annorum ſpatio ita tabefacto. Mutaui regimen. Obtuli pedes veruecinos cum oryza, & lacte vaccino percoctos. Pultes eſitandas conſulo interdiu, paratas ex mediocri cereuiſia, lacte, vitellis ouorum recentibus, butyro inſulſo, ſaccharo, & mellis momento, adiecta farina hordei, & oryzæ, quo cibo delectabatur apprimè. Ingreſſus eſt in balneum aquæ dulcis tepidæ per quindecim dies. Lactis potu trium menſium ſpatio eſt vſus cum commodo magno: Quibus remediis, & vnguento per totum corpus adhibito, noctis tempore, ex butyro cum axungia gallinæ parato, pinguiuſculus eſt factus. Tandem quum in domo lactis copia adeſſet ſumma, ſolium oblongum, & humile, lacte tepido repletum, ſum machinatus, in quo ipſe per horam ſupinus iacebat: & egredienti poſt duas horas, pullum aſſum lacte priùs ſaginatum offerebam. Quo victu curiosè refectus, ſeptem menſium ſpatio, à menſe Martio vſque ad Autumnum, nitidus, pulcher, & obeſus euaſit.

OBSERVATIO II.

Phthiſici, aëris exiccantis ope, in longum tempus interdum vitam producunt.

PHthiſicos in multum tempus aliquando vitam prorogaſſe Auctorum Hiſtoriæ conteſtantur. Eſt oppidum apud Luſitanos fertile, & amœnum, à vulgo *Palmela* vocatum, in cuius circuitu piniferarum arborum eſt copia multa. Ad hunc terræ tractum, aliquot verè phthiſicos, à me, & aliis peritiſſimis Medicis deploratos, memini me transferre ſolitum. In hoc aëre exiccante, per aliquot menſium ſpatium commorantes, etſi imbelles & infirmi, tuſſi non ita ferina fuere detenti. Tandem per multos annos in eo loco habitantes, vlcere cruſta obducto, aut callo obdurato, ad longiſſimum tempus vitam ſani produxerunt. Alij recidiuantes, oborto iterum ſanguinis ſputo, phthiſi conſumpti ſunt.

OBSERVATIO III.

Phthiſis deplorata, limacum ſtillatitio liquore, perſanatur.

CAncrorum fluuiatilium carnem, & aquam diſtillatam, contra phthiſim valenter auxiliari, apud Medicos ſancitum eſt. De iis nullum vnquam feci experimentum, cùm ad manus meas hactenus non peruenerint. Horum loco ſtillatitio limacum liquore perſæpe vſus ſum, ſed bis cum vtilitate ſumma. Erant phthiſici quibus oſſa præ macie crepitare videbantur, conſumpti, & ad mortis fauces deducti. Hi ſpretis cæteris auxiliis, quibus antea creberrimè per duos annos vtebantur, ſola aqua diſtillata limacum aſſumpta in aurora, quantitate trium vnciarum, per quadraginta dies, pingues euaſerunt; quam ego diſtillare imperabam hoc modo.

℞. Limaces tenellos, ante Solis ortum collectos, & calidæ aquæ decoctionis liquiritiæ, & adianti ablutos, Num. 200. ouorum recentium, Num. 25. ſacchari albiſſimi ℥ iiij. *conſeruæ roſar. vetuſtæ* ℔ j. Reponantur omnia in balneo Mariæ, & aqua quæ diſtillauerit, in vſum reſeruetur.

OBSERVATIO IV.

Pro phthiſi curanda, aqua mirabilis efficaciæ.

OMnium, quæ ad phthiſicos curandos parantur auxiliorum, longè efficaciſſimum mihi ſemper viſum eſt hoc præſidium: Et eſt aqua ſtillatitia mirabilis, cuius quum quatuor vncias in aurora ieiuno ventriculo aſſumerent, & totidem tribus horis poſt cœnam, aliquot hoc morbo detenti, & conclamati, ſuperſtites reuixere, alij in longum tempus vitam protulerunt. Refrigerat, abſtergit, ſaniem repurgat, exiccat, vlcus conglutinat, carnem generat, animi vigorem conciliat. Viſcida, pituitoſa, putridáue excrementa, quibus phthiſici abundant, extenuat, incîdit, à putredine præſeruat, calorem natiuum roborat, vires refocillat, ſpiritus viuificat, demum huius ferini morbi eſt tutiſſimum Alexipharmacum. Vtere per menſem.

℞. Carnis gallinæ, caponis, teſtudinum nemoralium, ranarum, limacum, an. ℥ j. ß *conſeruæ roſar. antiquæ,* ℔ ß. *conſeruæ violar. & borrag. an.* ℥ ij. *paſſular. enucleatar.* ℥ j. *prunor. ſine nucleis, Num. x. ficuum pinguium, Num. iiij. papauer. albi* ʒ. iij. *gummi arabici, amyli, tragacanth. an.* ʒ j. *ſem. portulac. maluar. melon. citrulli, cucumer. cucurbit. cydonior. mundator. an.* ʒ j. ß. *ſucci liquiritiæ,* ʒ ij. *ſpodij,* ʒ j. *nucleorum pini, amygdal. dulcium, an.* ℥ ß. *ſem. aniſi, fœnicul. vrtic. an.* ʒ ß. *cinnamomi,* ʒ j. ß. *coral. rubri, boli armeni, terræ ſigillatæ, roſar. ſiccar. an.* ʒ ij. *pimpinel.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 429 sur 927

vngul. caballin. adiant. veronicæ, lupulor. an. M.ß hederæ terrestris, M. ij. pulmonis vulpis, ʒ j. ß. roris solis, M. j. ß. confect. hyacinth. ʒ ij. confect. alkermes. ʒ j. ß theriac. ʒ j. margaritar. præparat. ʒ ß sulphuris viui in tenuissimum puluerem redacti, ʒ j. ß folior. auri, Num. x. hordei integri. p. j ß. lactis caprilli, ℥ viij. dactylor. sine nucleis, Num. viij. aristolochiæ rotund. ʒ j. iuiubar. Num. xij penidiorum, ℔. ß. Repone omnia in balneo Mariæ, vel in vase vitreo capace, & liquor qui distillauerit, seruetur.

OBSERVATIO V.

Phthisicus, excitata fistula iuxta os sternum, in longum tempus vitam protraxit.

NOn cessant plures, iique non imi subsellij Medici, in phthisicis confirmatis infamare cauteria, quia calida sunt, & cerebrum, ex quo omnis mali scaturigo est, inflammant, & membrum suapte natura imbecille debilitant: quare ex ipsorum voto, illa affixa syncipiti, qua parte sagittalis sutura coronali committitur, vel brachiis ad fines musculorum deltoidum, siculnea sunt, & prorsus nulla. Sed cùm frequens huius mali occasio, sit acris distillatio, à qua sanguinis, & deinde puris sputum, ob vlcus sequi consueuit, ea dictis locis excitare, consultius semper mihi visum fuit. Nam si huiusmodi curatio solùm respicit pulmonis vlcera, quæ fluxionem erodentem à capite pro causa habent, illa ad alias partes minùs nobiles reuulsa, minùs copiosè in pulmonem decumbet, vlcus minùs sordescet, febris mitescet, & hoc modo ægri vitam, senum ritu, vt verbis Galeni vtar, *lib. 7. meth. cap. 6.* protrahent non ita molestè. Inuisi phthisicum mensibus decem, cui omnia, at citra opem vllam, parati auxilia. Ipse remediorum tædio confectus me dimisit, & ego illum pronunciato priùs assistentibus præsagio, tanquam conclamatum, & citò moriturum deserui. Erat enim gracillimus, & ex interuallis suborto alui profluuio cœliaco tentatus. Ecce vna die de dolore hemicranico dextræ partis vehementer queri cœpit, & altera iuxta ossis sterni viciniam, intensissimo fuit oppressus; & non iuuantibus anodynis, (ad vlteriores enim vacuationes erat ineptus) & flatum discutientibus, tumor apparuit rotundus, durus, fastigiatus, ad cuius exortum omnino dolor cessauit. Pure confecto apertus, tandem nullis auxiliis potuit euitari, quin in fistulam abierit, per quam continuò virulentus emanabat humor. Hac reuulsione, intercepta scilicet via, per quam defluebat à capite in pulmonem humor, æger cœpit meliùs respirare, minùs tussire, & qui velut exanimis, & pro moribundo à me est relictus, pinguiusculus factus, in quatuordecim annos vitam produxit; quo tempore, superueniente sanguinis sputo, anno sexagesimo quarto è vita migrauit.

CAPVT XI.

De Empyemate.

Definitio.

LIcèt Empyematis, hoc est, suppurationis nomen ad omnes suppuratos abscessus, quum ad suppurationem perueniunt, & ad alios qui in aliquo viscere consistunt, extendatur: tamen si strictè loquendum sit, vocatur Empyema, ea affectio, in qua pus inter thoracem, & pulmonem aggregatum est, ex Galeno *lib. de tumorib. præter nat. cap. 3. & 2. meth. 2.* Quare Empyici, suppurati, siue purulenti nuncupantur, ex Gal. *lib. de tumorib. præter nat. loc. cit. & 5. simpl. cap. 2. & 4. de caus. puls. cap. 9.* his verbis. § *Qui multum puris in capacitate inter thoracem, & pulmonem collectum habent,* A *hos Græci quidem Empyos, Latini suppuratos appellant.* Subscribit Aretæus *lib 1. de caus. & sign. diuturnor. morbor. cap. 8.* Differentiæ sunt plures: Nam pus aliquando totam thoracis obtinet cauitatem; interdum partem sinistram, aut dextram. Multoties humor benignus est, vel acris & mordax. Non rarò materia ex qua fit pus, est sanguis, & hæc est suppuratio vera; aliquando est pituita, quæ puri assimilatur valde, & hæc est suppuratio falsa, de cuius causa, & curatione ampliorem ex auctorum mente dilucidè commemorationem fecimus, *lib. 2. Hist. PP. Medic. in com. Hist. 27.*

Duæ tamen sunt agitandæ quæstiones (antequàm ad causas accedamus) de puris transsumptione à thorace in pulmonem, de qua tot rixæ, & controuersiæ excitatæ B sunt apud antiquos. *Vtrùm pus à thorace in pulmonem transsumi possit?* Galenus enim *lib. 5. de loc. affect. cap. 3.* suam sententiam appositissimè proponit, & pluribus modis; ac rationibus comprobat, adductis in medium vulneribus ad interiora vsque penetrantibus, in quibus sanguis tussiendo plerumque reiicitur; neque aliunde, nisi quia ex ipso vulnere in pectoris cauitatem confluxit, & in pulmonem, atque asperam arteriam fuit transsumptus, & sic de aliis, in quibus si mulsam infuderis, mox hanc cum tussi eiici comperies, ægro ipso mulsæ dulcedinem deprehendente, quod certè nequaquam fieret, nisi ea priùs in thoracis spatium peruenerit, & ex eo rursus per os exspectoraretur.

Illud verò præter cætera, vsque adeò manifestè cō- C firmat purulentum suppuratorum sputum, vt longiore non egeat probatione, nec possit negari huiusmodi transsumptio, nisi ab his qui propter ignorantiam causæ, suis erroribus pertinaciter inhærent: De quorum numero licèt in proposita quæstione non omnino fuerit Erasistratus, fuit tamen persuasus, non posse materiam à pleura in pulmonem commigrare, nisi per canales aliquos, quibus inter sese cohærent: cùmque asperam arteriam intueretur ad pulmonem non transire, scripsit primùm fieri commeatum per exiguas quasdam, leuésque arterias, ab ea quæ spinæ incumbit, procedentes, & per costas vtriusque lateris insensibiliter ferè dispersas, atque ab his, qua parte ad locum inflammatum hiant, sanguinem excipi; & ad magnam illam D spinæ incumbentem, à qua oriuntur, deferri; inde ad pulmonem.

Sed qua ratione, & via minimè explicuit, atque sermonis sui obscuritate implexus, adiungit per quosdam nexus, quibus pulmo arteriæ apud spinam coniungitur, sanguinem in pulmonem, vel circa ipsum deriuari, cùm oportuerit nexus illos, membranas non esse, vel fibrosa corpora, quia hæc ad sanguinis delationem nihil conferunt, sed vasa potiùs ab illa arteria prodeuntia, atque ideò non interminata, quæ cuius naturæ essent, nullo modo exposuit.

Illius sectatores hoc ipsum quodammodo condemnantes, autumabant per arteriam pulmoni substratam, sanginem ex thorace per asperam arteriam deferri, ad quam extremæ substratæ arteriæ partes transeunt, & E per eam etiam sanguinem in pulmonem transmitti, ad procreandam inflammationem; in cuius generatione non parum etiam aberrauit Erasistratus, quippe qui arbitrabatur, sanguinem nullum in arteriis contineri, vt constat ex Galeno *libello ita inscripto*, putabatque non aliter fieri phlegmonen, quàm ex coincidentia sanguinis à spiritu impulsi in finibus arteriarum, siquando intra eas suscipitur, prout *lib. 7. cap. 2. meth.* clarissimè disseruit Galenus; vel quum turgentibus venis per earum anatomoses sanguis in arterias præternaturaliter incidit, de quo etiam *6. de vsu part. vlt.*

Galenus verò *cit. lib. 5. de loc. affectis*, Erasistratæorum tricas flocci faciens, & inanes nugas, in eorum solutionem inuehitur, in qua manifestam contradictionem ostendit in ipsius Erasistrati dictis, ac proinde fieri non posse,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 430 sur 927

poſſe, vt ex coſtarum locis ſanguis transferatur in magnam arteriam, & inde in pulmonem. Nam ſi ex Eraſiſtrati hypotheſi, ſpiritus à corde tranſmiſſus ſanguinem in arterias incidentem impetuosè propellit, atque per magnam arteriam ſpinæ incumbentem demandatur ad intercoſtalia loca, quî fieri poteſt, vt hinc fluentem ſanguinem velociſſimè non repellat, nec patiatur in magnam illam arteriam transferri: quinimò licèt concedamus deferri, cùm ex altera illius hypotheſi, ſpiritus ipſe ad hanc arteriam à corde expreſſus, eo impetu per corpus vniuerſum diffundatur, vt ſuæ delationis velocitate ſuperet rapidiſſimos ventos, & vel vna arteriæ compreſſione ad extremas vſque partes permeet, quomodo tanti motus vehementia, ſanguinem in magna arteria contentum ſecum in quamlibet corporis partem non rapiet? vel cur potiùs in vnam arteriam, quæ in pulmonem feratur, detrudet? Non quia via hac faciliùs euacuabitur: neque enim hoc præuidet, aut curat ſpiritus incurſio, ſed potiùs quocunque ruit, ſecum alia cuncta defert.

Præterea ſi tam facilis eſt tranſitus per extremas harum arteriarum partes, vt incidens in eas ſanguis tam celeriter euocetur, quomodo ex ipſo ibidem impacto, iuxta Eraſiſtrati ſententiam, excitabitur inflammatio? Quare, &c. Nec minorem etiam continet errorem, atque in ſe manifeſtam repugnantiam, alia eiuſdem auctoris ſeries, in qua de puris exſcreatione loquens, non iam per arterias, ſed per venas potiùs fieri tranſſumptionem autumat, ita vt ex coſtarum ſpatiis, ad venam quæ ſpinæ adiacet, primùm tranſmittatur pus: Quod quàm abſurdum ſit, ex eo conſtat, quoniam licèt ex magna ſpinæ arteria germen in pulmonem feratur, eíque ſubſterni videatur, & ad aſperam arteriam vſque emitti, nullum tamen à magna vena, quæ eidem ſpinæ incumbit, deriuatur in pulmonem ipſum. Ergo antequàm ad eum tranſeat ſpiritus, neceſſe erit priùs ad cor peruenire. Nulla ſiquidem, vt conſtat inter omnes, vena alia pulmoni inſeritur, niſi illa quam arterialem appellamus, quæ à dextro cordis ventriculo exorta, ſanguinem in pulmonem defert: quod ſi ita fieri concedamus, quomodo pus ſincerum expuetur, vel quo pacto ab arteriali ſanguine, cui permixtum eſt, ſecernetur?

Deinde admitti nequaquam poteſt, pus, aut ſanguinem in ſpinæ vena contentum ad cor aſcendere, cùm alia vena à dextra cordis ipſius auricula incipiens, ſanguinem deferat ad nutritionem partium thoracis, quæ circa coſtas octo conſiſtunt; reliquæ ſuperiores quatuor à vena ad iugulum aſcendente, & in medio cordis & clauicularum loco exorta alantur. Sed mitto huiuſmodi abſurda, quæ in Eraſiſtrati oratione continentur, quæque à Galeno ſatis refutantur: cùm enim inficiaretur, pus ab inflammato latere aliquando effundi in ſpatium, quod eſt inter pulmonem, & coſtas, (licèt non facilè effundi certum ſit, ob ſuccingentis membranæ duritiem, & ad diuidendum contumaciam) nequaquam tamen diſtinxit, aut viam oſtendit euentus alioquî frequentiſſimi: nam ita euenire plerumque experientia ipſa monſtrat, & ex ſuppuratis eos tantùm ſeruari, qui collecti puris non vniuerſam ſimul copiam, 6. *Aph.* 27. ſed ſingulis diebus, donec ſufficienter expurgentur, notabilem quantitatem reiiciunt: & ex iis quidem teſtatur Galenus 5. *de loc. cap.* 2. ſe vidiſſe nonnullos, qui ad decem vſque heminas expuebant; cúmque hemina vncias ferè decem continere dicatur, ex Paulo *lib.* 7. *de ponderib. & menſuris, in fin.* ſumma quotidiani puris centum vncias adæquabat: nec multùm diſtant hiſtoriæ, quas memorant auctores alij, quas *cit. lib.* 2. *Hiſt.* propoſuimus.

Agamus deinde vlteriùs, & exponamus huius tranſſumptionis viam, quam illi non ſunt aſſequuti, quæramúſque: *Vtrùm poſſit aſſignari via certa, per quam pus è cauitate thoracis in pulmonem transferatur*? Galenus enim *loc. cit. de loc. affect.* hæc ſedulò perpendens, hanc viam fieri docet per extremas aſperæ arteriæ partes, eo quòd illarum ora, quàm reliquorum duorum vaſorum in adiacentem pulmoni membranam pariter terminata, multò latiora ſunt; idque duplici de cauſa, prima, quia cùm aſpera arteria cartilaginoſa ſit, ac proinde inſigni quadam prædita duritie, fieri non poteſt, vt illius partes concidant, aut omnino occludantur inſtar aliarum, quæ molliores ſunt. Secunda, quia ipſius aſperæ os ex natura amplius eſt quàm venoſæ arteriæ, venæque arterialis. Cùm igitur tria hæc ſint in vniuerſum pulmonis vaſa, omniúmque propagines, licèt numero æquales in ipſo pulmone ſint, quantitate tamen diſpares, eo quòd illæ quæ ab aſpera arteria prodeunt, reliquas magnitudine ſuperant, nihil mirum ſi per has extremas aſperæ arteriæ partes, pus è thorace in pulmonem deriuetur, idque expirationis tempore, interim dum contrahitur thorax, ſimúlque cum eo pulmo: tunc enim cùm in ſe concidant, exprimuntur ad ſimilitudinem ſpongiæ manibus compreſſæ, & quas continent materias, in aſperam arteriam propellunt, quæ deinde per fauces tuſſiendo expuuntur.

Verùm quia neceſſarium erat pulmonem vehementer contrahi, vt pus, aut humor ex thoracis vacuitate pulſus, in aſperæ ipſius arteriæ ora reciperetur, vt valida fieret compreſſio, oportuit tuſſim accedere, quo ſymptomate natura animalia donauit, in ſubſidium pulmonis, videlicet vt ruſſis interuentu vehementiſſima fieret expiratio, qua multus aër ſimul, & celerrimè emiſſus, quicquid noxium ad pulmonem accedit, celerrimè expelleret.

Cauſa.

EMpyema verum ex pleuritide ſuppurata interdum ortum ducit, quando materia plurima præ virium imbecillitate reſolui non potuit, ſed retenta in ſuppurationem abiit. Ita Hippocrates docuit 5. *Aph.* 8. *Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur*: de quo negotio ſatis multa egimus ſuprà, *cap. de pleuritide.* Fit etiam ex angina præcedente, quæ in pulmoniam permutata, ſi ſeptem diebus non interficit, ad ſuppurationem neceſſariò vertitur, vt 5. *Aph.* 10. dictauit Hippocrates: *Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; ſi verò has effugerint, ſuppurantur.* Fit etiam ex pulmonia, ex Hip. *lib.* 1. *de morb. num.* 18. *Si peripneumonia correptus in iudicatoriis diebus non purgetur, ſed relinquatur in pulmone ſputum, ac pituita, ſuppuratus fit.* Generatur etiam quum thorax vulneratur, & vulnus penetrans fuerit: quando enim externum foramen apertum conſeruatur, per illud pus expurgatur; quo occluſo, internáque vulneris parte non ſanata, puréque ad interiorem thoracis capacitatem refluente, Empyema concitatur, & fortè præ virium imbecillitate per tuſſim non excreto pure, ſuffocatio ſubita accidere conſueuit.

Sed hoc loco dubium inſurgit: *Vtrùm vulnerati non repurgato pure per partem externam, fiant empyematici*? Nam ſi natura humorem ſubiectum poteſt concoquere, & ſanguinem permutare in pus, poterit purulentam materiam vel per duriſſimas partes, cæcóſque ductus tuſſi propellere: illi enim tanquam potenti nihil impoſſibile, ita vt per oſſis meditullium, peccantem & ſuperfluum humorem poſſit expellere, 7. *Aph.* 59. Dic cum Hip. affirmatiuè. Hic enim auctor, *lib.* 1. *de morb. à n.* 18. *vſque ad n.* 25. poſtquam varias Empyematis cauſas edocuit, per otium legendas, *n.* 31. quandam affert, *quando thorax ab haſta, vel pugione, vel iaculo vulneratur, & ſi interna, & externa pars ſimul fuerint ſanatæ, ſanus penitus homo euadit; ſi verò externa quidem ſanata fuerit, interna verò non, ſuppuratus fit*: quando ſcilicet vulnus eſt magnum, nec potuit conſolidari, ex quo cùm magna copia

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 431 sur 927

puris ad thoracis cauitatem deferatur,quæ à natura non A
possit per sputum foràs propelli,tunc eo loco stabulans,
parit suppurationem.

Sed consequutionis ratione alia explicanda difficilior
disceptatio: *Vtrùm Empyematici moriantur ex non repur-
gato pure*? Galenus enim 5.*de loc.*3.hoc prædixit:Quum
enim imbecillæ vires nec validè possunt, nec celeriter
agere,vt tussis excitetur,robusta est opus facultate,quæ,
quia vt plurimùm non datur,ob vires à morbo præsen-
te, & eo qui præcessit,labefactatas,expuere non possunt:
quare creberrimè moriuntur, pure scilicet intra thora-
cem relicto, & ægrum suffocante.

Verùm hæc difficultatem inuoluunt maximam, quia
si pus, materia est cocta iam, & à natura victa; coctio
autem celeritatem iudicij,& vitæ securitatem, ac citam B
portendit sanationem,1.*epid.sect.*2.*text.*45.& 2.*progn.*
26.& 1.*crisi.*5. imò & à recidiuando immunitatem pol-
licetur, quia ab iis quæ in morbis incocta relinquun-
tur, recidiuæ fiunt,non quum vniuersus humor coctus
est, & superatus, 2. *Aphor.* 12. quomodo mors sub-
sequi potest empyicis, & frequenter, pure licèt
exactè concocto, quomodóve huiusmodi stare poterit
cum ea fide, quam solet coctioni tribuere; præsertim
toto iam humore concocto. Si enim in morbo mate-
riali etiam integra concoctio citra excretionem sanare
non sufficit, virtus quæ concoquere potuit, expellere
etiam poterit: ideò namque 2. *Aph.*29. vbi iam natura
concoxit, (licèt nulla adhuc sequuta sit expulsio) super- C
fluum putat euacuare.

Deinde ea quæ in thorace continentur,per screatum
tantùm purgari non possunt, sed & per vesicam, & se-
dem,ex Gal.*lib.*6.*cap.*4.& colligitur ex 6.*Aph.*16. atque
etiam per vterum, & cutem, nonnunquam per crurum
abscessus, 2. *progn.* 67. idque vtilissimè; imò & longè
securiùs, quàm si sursum euacuarentur: tum quia
membra illa, vtpote à natura vacuationibus destinata,
2.*Aph.*21.corporis excrementa facilè,& sine noxa susci-
piunt; tum quia si per cor transmittantur, manifestum
vitæ discrimen inducitur,ob membri principatum,(ra-
tione cuius,nec viâ transitus per cordis regionem prauæ
materiæ duci permittuntur) si per asperam arteriam,
nonnunquam suffocatio repentè inducitur. Ergo sup-
purati,cùm ex imbecillitate virtutis animalis tussire ne-
queant, non proinde morientur ob non repurgatum
pus,vt Galenus *cit.lib.de loc.*affirmat.

Dic. Non negamus coctionem veram, tempestiuè
incipientem apparere, & continuò deinceps sine in-
termissione perseuerantem, vtplurimùm indicare to-
tum humorem, plenè, integréque in statu conco-
quendum, atque ideò magnam spem boni præbere;
certissimam verò, si toto iam humore concocto iunga-
tur excretio: quid enim timendum restat ex materiali
morbo, vndéue illius causa potest ingruere mors,
edomito iam, & plenè concocto vniuerso humore,
simúlque iam accedente critica euacuatione, à quibus
non domantis tantùm naturæ, sed & expellentis noxia,
robur indicatur?

Attamen quia præsente etiam continua, nec intercisa E
coctione, eáque totius humoris, deficit nonnunquam
expulsio ad salutem omnino requisita, non elicitur ex
tali coctione certum sanitatis indicium; nempe quia ea
apparente pereunt sæpenumero ægri: id quod potissi-
mùm accidit, vbi expulsio à facultate pendet alterius
generis à concoquente; hæc enim perpetuò naturalis
est, expultrix aliquando animalis: fieri autem potest,
vt deficiat hæc, illa existente robusta; atque adeò possit
virtus ipsa naturalis concoquere, animalis verò ne-
queat expellere, vtpote quæ copioso spiritu indiget
ad operandum, & ob eius defectum vtplurimùm in
morbis, plusquàm reliquæ virtutes, deiicitur ac labe-
factatur, provt experientia ostendit, & testatur Gale-
nus 2. *Aph.* 29. idque in pectoris morbis, pulmonia,
pleuritide, suppuratione, & aliis magna ex parte expe-
rimur, in quibus, quia facultatis animalis, & cerebri
auxilium requiritur ad expellendum, sæpe præ debili-
tate mouentis thoracem facultatis, deest exscreatio, vt
docet cum Galeno, Hippocrates, 2.*progn.*67. Subscri-
bit Rasius 10.*contin.*1. & mors non rarò euenit, provt
2. *acut.* 27. retulit Galenus subsequutam fuisse, decli-
nante iam pleuritide, ob suppressam exscreationem ex
adstringente victu.

Hinc fit vt ad virtutis animalis, ne deficiat, robur
promouendum, comparandúmque, Hippocrates *text.*
25.*cit.lib.* consuluerit, in pectoris morbis, quò magis
apparuerit concoctio, copiosiùs ægros esse cibandos,
contra ordinem à se traditum in aliis morbis obser-
uandum, in quibus prope statum tenuiùs nutriendos
esse ægros edocuit, in principio largiùs, 1. *Aph.*10.
cum aliis. Cùm igitur in suppuratione, puris exscre-
atio dependeat ab animali facultate, ea autem ple-
rumque debilis sit, robusta existente coctrice: nihil
mirum si hac potente concoquere, illa non possit ex-
pellere, & moriantur suppurati, etiam cum toto hu-
more integrè & exactè cocto, scilicet quia in mate-
riali morbo, coctio sanare non potest, citra vacua-
tionem.

Ad id verò quod addebatur,etiam thoracis vomicam
per vrinam,alui fluxum, &c. denique & aliis viis quàm
per asperam, imò & tutiùs expurgari. Dic, quòd cùm
spiritalia membra, nec à natura habeant, nec ab arte
patiantur subfluxionem, eo quòd in septo, tanquam in
sacco, continentur, tussi potissimùm excernendæ sunt
materiæ, quæ in ventre spiritali continentur: quòd si
aliquando deorsum purgantur, rarò fit. Qua verò via
ad vesicam, aut successum descendant, *lib.*2. *Hist. PP.
Medic.in com.Hist.*26. dictum est.

Signa.

IN signis Empyematis describendis palmam præripuit
Hippocrates *lib.*2. *progn.text.*60. dum sit ait: *Omnes
autem purulentos agnosci his indiciis conuenit. Principio si
febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu vehementior
est.Si sudores multi superueniunt, ac tussiendi cupiditas est,* D
*nec tamen quidquam dignum commentatione expuunt. Si
oculi caui redduntur, maxillæ verò ruborem trahunt, & vn-
gues manuum curuantur, digiti verò potissimùm summi ca-
lescunt, atque in pedibus tumores fiunt, neque cibum appe-
tunt,ac pustulæ circa corpus erumpunt.*

Omnia hæc decem indicia sigillatim sunt expenden-
da, quibus Medicus verè purulentos agnoscere debet,
eos scilicet qui pus effusum in concauo thoracis conti-
nent; non tamen omnes,sed eos qui pus diu reseruant,
vt Hip.*sententia* 61.sequenti comprobat manifestè, qui
aut phthisici iam sunt, aut proximè futuri: sunt enim
plures in thoracis concauitatibus pus habentes,veréque
suppurati, & Empiematici, quibus hæc non adsunt
signa, cùm spatio quadraginta dierum repurgati, inter-
dum euadant.

Primò quæres: *Vtrùm suppuratorum febris, hectica sit,* E
an putrida? Respondet Paulus *lib.*3.*cap.*32.in hunc mo-
dum: *Suppurati semper febri hectica laborant, quoad sur-
sum omnia fuerint educta.* Accepit à Galeno *in com. cit.
progn.*quoniam huiusmodi febris, si ipsi fidem adhibe-
mus, 1. *de differ. febr.* 9. viscerum collectionibus non
rectè curatis superuenire solet. Est ergo suppuratorum
febris hectica, cùm sit radicata membris, non tamen
simpliciter & absolutè, sed cum putrida complicata;
vapor enim adhuc putridus à putrescente pure eleuatus,
cor impetens, febrem de genere putridarum commit-
tit,pro ratione humoris, à quo inflammatio primò fuit
generata.

Quæres: *Vtrùm ab empyemate febris sit inseparabilis*?
Cùm enim pus in cauitate thoracis contineatur, parte

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 432 sur 927

tam propinqua cordi, & retentum, prohibitúmque diffflari, putreſcat, nihil mirum ſi febrem perpetuam excitet, putrida fuligine iugiter per alterationem continuam cordi communicata. Contrà obſtat Hippocratica ſententia, 2. *progn.* 63. *Hi verò potiſſimùm ſuperſunt, quos febris eodem dimiſerit die poſt eruptionem.* Quod videtur difficile, quoniam ſuppuratos nunquam febris deſerit, ſed eos perpetuò comitatur, quoniam cor à puris putri vapore obſidetur ſemper, donec tota puris colluuies funditus ſit abolita.

Dic. Hippocratem non velle, ſuppuratis qui ſeruari debent, facta eruptione, febrem omnino dimittere, ſed mitiorem reddi, adeò vt ſi præcedentis febris vehementiæ conferatur, quaſi ceſſare ſit viſa; quod cùm fit, bonum eſt indicium, quia denotat humorem ſuppuratum quantitate eſſe exiguum, & qualitate benignum, nullámque cum eo permiſceri incocti, inuicti, malignive humoris portionem, quæ præcedentis febris magnitudinem ſuſtinere, aut conſeruare queat. Cæterùm dixit Hippocrates febrem dimittere, non quidem dum eruptio fit, ſed eodem die, poſtquàm eſt facta, quia eo tempore, quo eruptio efficitur, à puris commotione febris exacerbatur, & vehementiam haud exiguam recipit, non parua tunc vaporum copia à pure commoto, atque agitato ad cor aſcendente. Hoc Auicenna voluit 2. 1 *doct.* 3. *c.* 10. quo in loco de abſceſſu verba faciens, inquit: *Cùm aperitur, apparet febris maior, propter exitum materiæ.*

Dubitabis deinde: *Vtrùm ſuppuratorum febris grauiùs noctu, quàm interdiu infeſtet?* Dic. Hectici incaleſcunt à cibo, vna, duabúlve horis interpoſitis; iccircò quòd calor eorum veluti ſepultus, in membris arefactis, poſt irrorationem, & alimenti in membra conuerſionem, exerit ſeſe, ac vigoroſior efficitur: nam ex Galeno *in com. cit. loc. progn.* & 1. *de diff. feb.* 9. quoties hectici edunt, ac bibunt, ſimile quiddam accidit, quod in calce euenit aqua perfuſa. Nam ſi calci, ac lapidibus calefactis aquam infundas frigidiſſimam, multò calidiora ſentiuntur: ita etiam membra arida, ab humida ſubſtantia irrorata, quæ quia copioſiùs noctu ingeritur tam potulenta, quàm eſculenta, ex ea partes irrigatæ, vapores mittunt, qui febrilem caliditatem veluti elucere faciunt, vt latè *lib.* 4. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 41. diſceptauimus.

Verùm interrogabis, cur intra tam breue ſpatium, duarum, triúmve horarum, caloris incrementum ſentiatur in membris aridis; in pulſu verò vehementia, & celeritas? Si enim incrementum à cibo excitatur, in huius humiditatem caliditas arida membrorum agit: Atqui cibus antequàm nutriat, tres coctiones pertranſire debet, quæ in tam breui temporis ſpatio fieri non poſſe videntur. Quare aliunde, & non à cibo, & in calore, & in pulſu mutatio ſequitur.

Dic. Quando alimentum coctu facile eſt, vrgétque neceſſitas, citò aliquid alimenti percocti mandatur, nec eſt neceſſe, vt alimentum aſſumptum vniuerſum exeat è ventriculo: Nam aliqua pars eius, antequàm tota maſſa chyloſa ſecedat, accedit ad membra, eáque nutrit vaporis inſtar. Duplex enim, ex multorum mente, eſt delatio nutrimenti ad membra: quædam nutrimenti per omnes coctiones elaborati, per quam membra reſtaurantur, & humectantur, ex qua calor increſcit ob pabuli appoſitionem, & hanc veram nutritionem appellant. Alia eſt delatio non veri nutrimenti, neque per omnes coctionum officinas ritè confecti, ſed tantùm quorundam vaporum ſubſtantiæ chyloſæ per membra; ex quibus quamuis non fiat vera nutritio, fit tamen refocillatio quædam, per quam membra irrorantur, & hac humectatione calor increſcit: & ſic fit duplex caloris acceſſus, quidam duabus horis poſt cibum; alter tempore veræ partitionis, & diſtributionis nutrimenti per membra, hæc multo pòſt fit, omnibus coctionibus tranſactis.

Quæ opinio circa nutritionem vaporoſam, quam non veram rentur, licèt probabilis videatur, & per quam fortè aliqui ventriculum ali exiſtimarunt, perperam interpretantes Galenum, aſſerentem chylum ventriculo apponi in vaporis modum, colligentes ex hac Galeni phraſi, ipſum nihil aliud voluiſſe, quàm ſeparare ventriculi nutritionem vaporoſam à nutritione vera, ita vt hæc craſſitie ſua ita apponatur, vt hærendo alat; illa verò in forma vaporis & apponatur, & diſſipetur: tamen licèt Galenus eo modo loquendi vteretur, veram nutritionem haudquaquam negauit, quia ſimiliter loquitur de nutritione renum, 5. *de vſu part.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 10. & 3. *de cauſ. ſympt.* 3. & alibi, & per euaporationem, qua vtitur, acceſſum ad membra attenuati alimenti intelligens: cupiens enim ſignificare ſparſionem attenuati alimenti ad partes alendas, commodè quidem vſus eſt hoc loquendi modo, oſtendens euaporatione ad membra accedere alimentum. Ex quibus infertur non rectè auctores appellaſſe hanc alimenti inſtar vaporis delationem ad membra, non veram nutritionem, id eſt, ex ea non verè nutriri membra, quamuis eorum refocillationem non neget, ſicut concedimus cum Hippocr. 6 *epid. ſect.* 8. *text.* 2. & *lib. de alim.* & Galeno 2 *Aph.* 11. odores nutrire, & quotidianum firmat experimentum; odor enim panis nutrit, & carnis porcinæ, apud Paulum, & Trallianum *cap. de bulimo*, quamuis Ariſtotel. negare videatur, *lib. de ſenſu*, odores non poſſe nutrire; qui quomodo ſit intelligendus, ex Philoſophorum, & Medicorum mente diximus, *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 9.

Inſuper quæres: *Vtrùm ſudores empyicis ſint familiares?* In his enim ſudores non poſſe contingere, patet ex *Aphor.* 41. *lib.* 4. eo enim loco ſic ait Hippocr. *Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus plurimo cibo vti ſignificat; ſi verò cibum capienti hoc accidat, ſcire oportet quòd euacuatione indiget.* Sed ſudorum copia in empyicis, non ciborum multitudini, neque humorum quantitati eſt attribuenda, cùm ij ſicci ſint, extenuati, & aridi. Ergo, &c. Dic, in ſuppuratis ſudores non ad humorum, aut alimenti copiam; ſed ad virtutis retentricis debilitatem eſſe referendos: illi enim ex longo tempore extenuati, & languidi, nutrimentum vltimum retinere non poſſunt, quod in vapores eductum, & ad cutem abiens, aëríſque frigore denſatum, in aquam & ſudorem conuertitur.

Vtrùm oculorum cauitas, & vnguium curuitas perpetuò comitentur empyicos? Hoc ſignum, præterquam quòd in morborum acutorum principiis ſummè deteſtandum eſt, vt de facie Hippocratica 1. *progn.* 10. pronunciat Cous, & in phthiſi, tabidiſque febribus frequenter experimur; demonſtrat vigere in membris calorem aſſantem, qui actione diutina rores partium abſumit, & liquat. Hoc autem damnum promptiùs patiuntur oculi, & citiùs contabeſcunt, quia molles ſunt, humidiores, & ſpirituum vitalium copia redundant. Adde quòd muſculi mouentes oculos, ex Galeni mente, 10. *de vſu part. cap.* 8. ne agitatione mutua, & irrequieta nimiùm exiccarentur, à natura fuerunt donati pinguedine multa, ob quam non rigent, quæ à calore torrente quum abſumitur, muſculi, & oculi veluti corrugati concidunt, & excauantur. Neque obiicias, in empyicis plurimam pituitoſi, & crudi humoris copiam reperiri, qui ab inundante humiditate ſcaturit, cuius cauſa hecticus calor colliquans retunditur, & hoc modo in illis ſudores adſunt continui, & tumores in pedibus ſuccreſcunt: Nam ſicut hydropicorum venter, & crura intumeſcunt, membra autem ſolida in dies magis ac magis exiccantur; ſic empyicorum corpora exareſcunt, extrema tument: debilis enim illorum facultas alimentum nec ſuperare, nec in ſubſtantiam conuertere poteſt, ſed in crudi, & pituitoſi humoris naturam abire permittit. Hac de cauſa

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 433 sur 927

vngues manuum incuruantur, quia caro supposita, ad eos rectos sustinendos consumpta, haudquaquam muneri sufficit, sed ipsos inclinare, & incuruari permittit.

Vtrùm tussicula arida à suppuratione inseparabilis? Nam si empyematicis puris adest copia intra thoracis cauitatem contenta, cur illud promptè non educunt, sed inani tussiendi cupiditate continuò vexantur? Dic. Empyici cupiunt frequenter tussire, quia illis aspera arteria est exiccata valde, & à vaporum acrium à pure eleuatorum halitu lancinata, à quo pulmo læditur vehementer; & irritatus tussiculam siccam assiduè mouet. Cur autem nihil expuant, etsi plurima materia in thorace stabuletur, causa est puris crassities, atque visciditas: accedit densitas pulmonem succingentis membranæ; quibus addenda potissima causa, nempe facultatis expultricis languor. Quare etsi illi tussiendi cupiditate laborent, ob virtutis debilitatem nihil expuunt.

De Genarum rubore est etiam dubitandum: *Vtrùm empyematis sit indicium?* Respondè cum Hippocrate *loc. cit.* affirmatiuè: quia maxillarum rubor peripneumonicis, phthisicis, & purulentis commune est signum: quod duplici de causa accidere, *in com.* disertè confirmat Galenus, tum quia calidi vapores ad caput, faciémque ascendunt, quos spongiosæ susci-pientes genæ, ruborem repræsentant; tum quia ob tussim qua infestantur ægri, ex motione illa sanguis tenuis ascendit, & in genis persistens, est in causa vt rubescant. Neque dicas, vapores natura aërea constantes, omnisque coloris expertes, rubrum colorem maxillis tribuere non posse: Nam retenta, ob doloris, aut laboris magnitudinem, respiratione, sanguis à respiratoriis membris contractis, ad faciem facilè exprimitur; accedunt vapores puris acres, & calidi faciem inflammantes, à quacunque parte supera & infera, ob calorem, sanguinem in maiori copia attrahentes, qui maxillas accendere, & in illis ruborem excitare possunt.

Vtrùm summorum digitorum calor inter indicia empyematis sit reponendus Si enim flammeus calor æstuat in thorace, & visceribus, & hic ritu cucurbitæ ad se sanguinem attrahit ad partes intimas, 4. *Aphor.* 48. & 7. *eiusd. com.* 1. cur extremarum partium frigus non sentitur, sed calor? Dic. Pulpæ interiores digitorum magis ardent, ob eandem causam qua volæ manuum ob intemperiem calidam iecoris ardere solent: emergunt enim concurrúntque ad manus copiosæ venæ, & arteriæ fuligines adustas deferentes. Quare hoc signum tabidis ex suppuratione peculiare est, plurimum enim habent in thorace putrescentem concluſum succum, à quo multa fuliginum copia ad partes extremas deuehitur. In pulpis verò digitorum ampliùs conspicitur, quia partes sunt humidiores & magis carnosæ, in quibus calor hecticus gaudens humiditate, & ad eius præsentiam ebulliens, copiosior sese tactui repræsentat ampliùs, quàm in cartilaginosis, osséisque thoracis particulis, in quo ob innatam siccitatem, sui caloris gradum non ita eructat. Adde quòd cùm calor ille marcidus, & deurens, vltra summitates digitorum non extendatur, ibi vnitus, ardentior apparet. Argumentum verò aduersum, dissimile est, & non euincit: quia calor tabidorum non ita ad partes internas retrahitur, vt externas partes possit deserere, veluti accidit in lipyriis, de quibus exponendus Hippocrates, in quibus inflammationis internæ calor adeò vehemens est, vt ad se attrahat, modo cucurbitæ, ex toto corpore sanguinem: iis qui ita se habent, viscera peruruntur, extremæ verò partes frigescunt, propter defectum sanguinis ad viscera se recipientis, vt 7. *Aph. cit.* notauit Galenus.

Dignum est etiam inquisitione: *Vtrùm pedum tumor sit huius affectus indicium?* Dic. Licèt pedum tumor conspiciatur in hydrope, hydrope pulmonis, hectica A febre, morbis diuturnis, & non rarò adsit in conualescentibus, tamen in suppuratis hoc experimur manifestè: illorum enim calor vitalis, debilis est; non enim cor, ob vitium pulmonis à pure fœtido concussi, ventilatur rectè, aut sufficienter transpirat: & naturalibus partibus noxa communicata, officinæ coctionis debilitantur eximiè, & hac ratione crudorum succorum copia progignitur, non potente calore alimentum conficere; quo in flatum conuerso, & ad pedes delato, in ipsis tumores propullulant: cùm enim illi sint frigidi, ossei, exangues, & remoti à fonte caloris, & positi in inferno situ, hunc crudum succum discutere nequeunt. Neque obiicias, hac ratione manus etiam posse intumescere in hoc morbo: Sunt enim cordi viciniores, & B positæ in loco sublimi.

Vtrùm in appetentia sit proprium suppuratorum symptoma? Dic, quòd cibi fastidium, licèt à pluribus exoriatur causis, hoc de quo Hip. *cit. progn.* agit, profértque euenire purulentis, solummodò refertur ad mortificationem, sensúsque defectum, ob virtutis sensitiuæ debilitatem summam. Nam esto membra sint inanita, & exiccata, ad quorum dissolutionem, & inanitionem facilè cætera sequuntur symptomata ad appetentiam, & famem requisita, quæ proponit Galenus 1. *de sympt. caus. cap.* 7. (& sunt partium inanitarum sensus, earundem inanitionem sentientium suctio, tractio à venis, iecore, & ventriculo, tristis quidam sensus quo ventriculus suctionem sentit, C & tandem animalis appetentia) tamen tractus naturalis vel non sequitur ob extinctionem caloris natiui; vel si sequitur, ob virtutis sensitiuæ defectum, suctionis sensus non sentitur, proinde nec appetentia: quod voluit significare Galenus *in com.* in verbo, *tunc iam & cibum fastidiunt*, scilicet appetente facultate pariter cum aliis quasi emoriente; quod signum quando adest, mors est in limine, nec aliqua ratione euitari potest, dummodò perseueret.

Addiderim, vapores à puris vicini putrilagine eleuatos; ipsíque calori natiuo maximè infestos, & os ventriculi, appetentiæ sedem impetentes, ciborum fastidium generare. Hoc modo Parium sine empyemate cum perpetua inappetentia, vsque ad centesimum diem vitam traduxisse, narrat Hippocrates *lib.* 3. D *epid. sect.* 3. *text.* 72. dum eum à cibo abhorruisse bis repetit.

Aliud signum etiam est exponendum: *Vtrùm pustulæ in corpore apparentes empyema demonstrent?* Dic, pustulas has acres & erodentes, multiplici de causa empyicis superuenire: primò, quia puris in cauitate pectoris aceruati sanioſior, subtiliórque pars, per vias à natura destinatas ad cutem propellitur, qua parte firmata & retenta, acredinémque maiorem ob putrefactionem acquirens, in pustulas abit, quas plhyctænas Græci vocauere. Secundò, quoniam in arido corpore, & incalescente corde, mordentes ichores in corpore gignuntur, qui ad cutem propulsi, & collecti incalescunt, & ipsam rariorem effectam penetrant, & has papulas producunt; atque tunc magis hæ efflorescunt, quum cessante tussi, E sputum retinetur.

Vtrùm præter Hippocratica, alia etiam adsint suppuratorum signa? Respondè affirmatiuè. Ea sunt ventris profluuium, quum facultas naturalis suo munere præ debilitate non fungitur, & hoc modo nec attrahere, vel alterare, vel retinere potest alimentum. Pilorum etiam adest defluuium, ipsorum enim radices à vaporibus mordacibus exeduntur, neque siccata præ calore cutis vapores exire, & simul vniri permittit. Sputi præterea fœtor, quem à putredine ipsius puris retenti oriri certum est: quod si super carbones reponatur, graueolentiam ex se prodit manifestam. Hæc autem cùm purulentos sequantur, qui phthisici iam sunt effecti, iccircò ea Hippocrates non oppositit; quæ omnia signa communia esse & phthisi, & empyemati Paulus edocuit *lib.* 3. *cap.* 32.

Quo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 434 sur 927

Quo loco hic auctor adiecit maxillarum liuorem, quum ſcilicet innatus calor incipit extingui. Celſus hanc Hippocratis ſententiam tranſcripſit, *lib. 2. c. 7.* Quæ ſigna ſi ſimul coniungantur, non ſolùm ægrum ſuppuratione laborare indicant apertè, ſed in difficillima, mortíque propinqua affectione eſſe conſtitutum, manifeſtè demonſtrant.

Alia etiam ſigna ex Hip. *2. progn. 59.* poſſunt adiungi, quæ partem ſuppuratione obſeſſam ſignificant, nempe dolor, calor, & pondus accubitus in incolume latus conſpicuus. Dolor partem affectam manifeſtò oſtendit, quemadmodum & calor: Nam, vt inquit Hip. *4. Aph. 39. Qua parte corporis calor continetur, ibi morbus exiſtit.* Dolor accidit, quia pus in vna tantùm parte circumſcriptum, ipſius latera ſenſibilia pertingit, intemperie afficit, & diſtendit, ex qua diſtentione pulmo, etſi natura ſua parum ſenſilis, coafficitur, & dolor exurgit grauans, & obtuſus.

Calor oritur occaſione puris, quoniam cùm hoc fiat cum putreſcentia aliqua, ex Gal. *4. meth. cap. 5.* per putredinem cuncta corpora calefiunt, *lib. de cauſ. morb. cap. 2.* & quæ vicina ſunt, calefaciunt. Eſt ergo contemplandum, vtrùm alterum latus calidius ſit quàm aliud: hac enim ratione in latere calidiore, puris ſubeſſe collectionem coniicimus. Licèt autem ſit factum pus, & ceſſante naturæ coctione, & ebullitione humoris, calor debeat eſſe remiſſus, iuxta oraculum Senis, *2. Aph. 47.* tamen ſemper remanet veſtigium aliquod præternaturalis caloris, qui in parte externa ſenſatus conſpicitur. Pondus etiam partem affectam oſtendit: cubans enim æger ſuper latus incolume, perſentit molem quampiam deſuper pendere, quod fit inſidente pure membranæ interſepienti, & thoracis partes in duas cauitates diuidenti.

Quæres tamen breuiter circa hæc ſigna, aliqua non indigna ſcitu: *Vtrùm inter ſigna ſuppurationis ſit numerandus rigor?* Reſponde affirmatiuè. Nam rigor definitur à Galeno *1. de cauſ. ſympt. vlt.* & *2. eiuſd. 1.* & *10. meth. cap. 4.* & *lib. de rigore*, quòd ſit concuſſio totius corporis inæqualis, cum ſenſu frigiditatis dolorifico: cuius cauſa efficiens naturalis facultas eſt; materialis verò celer motus mordentium excrementorum: hæc enim vbi per ſenſibilia corpora feruntur, horrores, & inæquales totius corporis concuſſiones efficiunt. Quando ergo pus in inflammationibus incipit gigni, ab humore incipiente conuerti in pus, halitus acres eleuantur, qui celeriter membranas ipſas, aliáque membra ſenſu prædita impetentes, rigorem mouent. Accedit praua, & erodens qualitas puris, membra ſentientia pungens, & ſtimulans, non aliter ac ſi apponatur vlceri aliquod mordax medicamentum: quare partes internæ, ſentiendi vi præditæ eximia, commorſæ, ad mordentem cauſam expellendam properantes, ob magnam connexionem, quam habent cum internis, has vellicant, laceſſunt, & in ſui conſortium trahunt.

De pondere in thorace percepto maior eſt dubitatio: *Vtrùm ſuppurationis ſit ſignum?* An equàm enim humor in pus verti incipiat, in poris diſperſus eſt; quando verò incipit verti in vnam ſedem, & in cauum colligitur, partem affectam magis aggrauat: quare Auicenna *10. 3. tract. 4. cap. 7. quando completur collectio,* (inquit) *quieſcit dolor, & febris, & augmentatur grauitas.* Verùm obiicies hoc modo. Si ſenſus ponderis accidit ægris, poſt mutationem humoris collecti in pus, ad aliquam ſedem inanem, continuam parti inflammatæ, ſequitur quòd dum incipit conuerti, & in ipſa conuerſione totali hoc pondus non ſentiatur, niſi ſolùmmodò in termino ad quem: quòd ſi ita eſt, ſenſus ponderis, haud poterit eſſe ſignum demonſtratiuum principij ſuppurationis, quod eſt contra doctrinam Hip. *loc. cit.*

Dic. In principio ſuppurationis iam aliquid puris genitum eſt, (principium enim non eſt indiuiſibile) reliquo humore tendente ad ſuppurationem: illius ergo ratione, peruenientis ad inanem ſedem, æger grauamen perſentit, ita vt dolor qui tunc temporis maximus eſt, ſenſim in aliam naturam videatur mutari, ipſo tamen non mutato eſſentialiter, ſed modaliter; quamuis non ſit negandum, in fine conuerſionis dolorem deliteſcere, pondus verò ingraueſcere.

Vlteriùs inquires: *Vtrùm empyema in vno thoracis latere conſiſtere poſſit, quin alteri communicetur?* affirmatiuè reſpondet Hip. *cit. progn.* dicens: *Si verò ſuppuratio in altero latere tantummodò fuerit, &c.* Vt verò mentem huius auctoris percipias, aduerte cum Galeno *7. de anatomic. adminiſt. cap. 2.* in thorace reperiri quaſdam valentes membranas ipſum interſepientes: Nam ex vtraque ipſius parte, ſuperiore ſcilicet, & inferiore tenuis membrana adhæreſcit. Harum itaque elatior duplici ſtructura totam thoracis regionem ſublinit, à dextra parte altera, alia à ſiniſtra; non enim vna quædam eſt ſpatioſa laxitas ſibi continua, ſed à prædictis membranis interſepitur.

Harum membranarum vtilitas eſt præcipua, vt duos ventres efficiant, *6. de vſu part. 3.* vt ſi fortè alter læderetur, alter maneret illæſus: natura enim noſtra durationis rerum ſemper ſolicita, non ſolùm prouidit indiuiduorum caducitati in ſeminum creatione, quorum vi noua pro veteribus, viuentia pro pereuntibus ſubſtituerentur; ſed animalia ipſa, ſemina etiam plurima, gemina conſtituit, vt ea ope ab irruentium iniuriis facilè peritura indiuidua tueretur. Dum enim infortunio vnus oculus, auris, brachium perit, altero oculo, aure, brachio vita ſeruatur: ita duo quaſi animalia, dextrum, ſiniſtrúmque in vnum animal coniungens, diuturniorem illis vitam comparauit. Ergo cùm prædictis membranis interſepiatur thorax, ita vt duo concaua efficiant, in eo rectè ſequitur, ſuppurationes opprimentes vnum latus, nullam habere ſocietatem cum iis, quæ alterum fatigant.

Patet id ampliùs in magnis thoracis vulneribus penetrantibus, in quibus repentè animal, parte dimidiatum vocis, tum reſpirationis priuatur; voce autem, atque reſpiratione planè deſtituitur, ſi venter vterque fuerit confoſſus. Ergo in ſuppuratione in vna parte thoracis exiſtente, materia dextræ partis in ſiniſtram, nec è contrario, quæ eſt in ſiniſtra in dextram tranſmeare poteſt, interſepiente membrana, tanquam muro quodam natiuo, tranſitum impediente. Ob eam igitur rem cenſet Hippocrates *citato loco* ediſcendum, num æger in vtraque parte habeat pus, an in altera duntaxat, vt eleganter *in com. cit. progn.* aduertit Galenus: Si enim vtraque inflammatio tam læuæ, quàm dextræ partis ſuppurata rumpatur, in vtroque latere ſentietur pondus, maximè in oppoſito, & eo ſupra quod decumbit. Quare quemadmodum in empyemate totum thoracem occupante, fluctuatio in toto pectore ſentitur, quum æger in lecto deuoluitur: ſic quum vnum affligit latus, in vno tantùm latere percipitur. Secùs accidit in pulmone, ac in partibus quæ intra peritonæum conſiſtunt: in his enim per omnes ſedes circumfluit pus, aut quiuis alius humor in abdominis cauitate contentus. Idem accidit in pulmonia ſuppurata, ac rupta vomica, quando in vtramque partem, dextram, ac ſiniſtram pus decumbit, quoniam totus pulmo membrana interſepiente tegitur, ac vndique obuoluitur. Si verò quæras, vtra ſuppuratio ſit vehementior, aut periculoſior, dextra, an ſiniſtra? Solue eo modo, quo diximus de pleuritide, *lib. 2. Hiſt. PP. Med. in com. Hiſt. 20.* quo loco tam pleuritidem, quàm ſuppurationem lateris ſiniſtri, deteriorem eſſe quàm lateris dextri determinauimus.

Quæres vltimò: *Vtrùm Medico neceſſarium & vtile ſit cognoſcere ſuppurationis initium?* Dic quòd ſic: quia ſi citò ſuppurat, citò rumpitur. Adde magni ponderis, & momenti eſſe, ſuppurationis incipientis cognitionem,

vt præscito eius initio, Medicus à remediis resoluentibus, suppurantibus, & euacuationibus desistat. Resoluentia enim tunc nocua sunt, licèt aliquando præsente suppuratione concedatur euacuatio, ob metum magnitudinis exituræ, ex Auic. 3.4. *cap. de cura exiturarum*, & 10.3. *tract.* 4. *cap.* 11. *de cura Adubellati in stomacho, in princip.* Vnde Auicenna 10.3. *tract.* 5. *cap.* 2. inquit: *Quum phlebotomas, & euacuas, & non sedantur accidentia, tunc scias quòd prohibitio collectionis, quam quæris, est difficilis: Non ergo iteres phlebotomiam, ne congeletur materia, quæ est habitura collectionem.* Prodest etiam agnitio principij suppurationis, ne fortè Medicus à symptomatis increscentibus possit perterreri, febre scilicet, rigore, dolore, & ponderis sensu in affecto loco, ex Auic. 10.3. *tract.* 4. *cap.* 7. existimans hæc mortis causa euenire.

Præsagium.

CVm docuisset Hip. in superioribus præsagiis signa, quibus suppurationes debent agnosci, citiùs, tardiúsve rumpendæ, insuper & quibus cognoscerentur purulenti: ostendit *lib.* 2. *progn.* 63. ex suppuratione facta in thorace, non omnes perire, sicut nec etiam seruari. Morituros verò ex propriis signis docet agnosci, similiter & seruandos; sic enim ait: *Hi verò potissimùm supersunt, quos febris eodem die dimiserit post eruptionem: ac cibum citiùs appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigna, & consistentia deiicit, & pus album, læue, concolórque est, ac vacans pituita, & absque labore, ac valida tussi expurgatur. Itaque optimè quidem sic, ac celerrimè vindicantur: sin minùs, qui ad hæc proximè accedunt. Moriuntur verò ij, quos febris non deserit, aut cùm videatur deserere, denuò incalescens, innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt, aluus humidá est, pus viride, liuidúmque expuunt, vel pituitosum, spumosúmque. Pereunt, si hæc adsint omnia.*

Sed circa omnia dubitandum, & primò: *Vtrùm febris remissio, & cibi appetentia post rupturam, in suppuratis salutem portendant?* Licèt enim, vt *suprà* diximus, in suppuratis febris non ex toto eradicetur, & dum repurgantur, perpetuò febricitent, ex Auic. 10.3. *tract.* 5. *cap.* 4. quia pus non vniuersum exit à parte suppurata; & esto exeat, ita vt nihil humoris purulenti remaneat in particula, sed caro optima gignatur in parietibus, & cauo vlceris, putridi tamen vapores à pure eleuati, cordi communicati febrem suscitant: tamen post rupturam, felicem exitum exoptamus; hic ex febris remissione est expectandus, facta collatione ad impetum præcedentis, quæ intensior apparet quum abscessus aperitur ob materiei exitum.

Deinde febris remissio post rupturam, ad bonum iudicat, quia pus quantitate esse exiguum ostendit, qualitate benignum, & absque miscella inuicti humoris; & non aliunde ab aliquo humore deprauato foueri, qui præcedentis febris intensionem sustinere, & conseruare possit; quod signum si cum aliis bonis ab Hip. citatis coniungatur, citissima sequitur salus. Quemadmodum enim exitiosis omnibus signis in vnum conspirantibus, velox mors expectanda est; sic contrariis, certissima salus, ex Hip. *lib.* 3 *progn. text.* 2, vbi: *Simplicissimæ febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citiùs finiuntur.*

Laudatur in suppuratis appetentia cibi, & eius contrarium reprobatur: alimentum enim abhorrere, & fastidire reprobatur ab Hip. in magnis morbis, vt 7. *Aph.* 6. & in longis difficultatibus intestinorum summè condemnatur, 6. *Aph.* 3. Nam cùm hic casus aduenit, & omnino interiit appetentia, opus ad vitam necessariũ, mors timeri potest. Et licèt appetendi actio ad os ventriculi solùm per se attineat, tamen cùm alterius partis consensu coafficitur, inappetentiam patitur: nam à thorace vapores virulenti ac fœtidi, ad linguam & palatum ascendunt, & per tunicam has partes vestientem, quæ internæ ventriculi membranæ continua, communísque est, 4. *acut.* 6. ori ventriculi communicantur, qui hanc partem debilitantes, & prosternentes, fastidium concitant.

Vtrùm sitis carentia, pus bonum, & aluus exigua, atque constans, in suppuratis ad bonum iudicent? Respondet Hippocrates affirmatiuè *cit. loc. progn.* eo enim loco approbat carentiam sitis; improbans affectum contrarium, quia signum est quòd putridi vapores à thorace eleuantur, qui ventriculo communicati ipsum exiccant, diuellunt, & intemperant. Aluus autem exigua, ac constans, spem salutis pollicetur: Nam multa deiectio, est reproba, 5. *Aph.* 14. *A tabe habito, alui profluuium superueniens, malum.* Constás, coquentis naturæ robur ostendit, 2. *progn.* 13. & 1. *crisi.* 11. coctio enim cogit, incressárque 2. *progn.* 33. 4. *acut.* 4. & 4. *meteor.* 2. etsi enim deiectio solùm primò & per se venarum, & non thoracis affectiones ostendat. 1. *crisi.* 14. tamen secundariò spiritalium partium dispositiones efficaciter demonstrat. Pus etiam optimam si exeat, salutem portendit: *Si enim vrantur, aut secentur, & pus purum effluxerit, & album, euadunt; si verò subcruentum, faculentum, ac fœtidum, pereunt*, vt dictauit Hippocrates 7. *Aph.* 44. quoniam optimum pus 1. *progn. vlt.* robustam concoctricem partis ostendit, & quæ sanguinem in phlegmonoso tumore inculcatum conata est concoquere, & in substantiam vertere; sed cùm non posset ob puris dissimilitudinem cum alendis membris, eum in partibus spermaticis, tunicis vasorum, membranis, ossibus, ligamentis, & similibus reseruans, tanquam sibi futurum alimentum coxit, incressauit, & inter coquendum simile reddidit: quare solidis partibus agentibus, quæ albæ sunt, pus euasit candidum.

Sed rogabis: *Vtrùm suppurati post ruptionem cum pessimis signis intereant?* Affirmatiuè respondet Hippocrates, *lib. cit. progn.* Sed obstat contra eius doctrinam argumentum validum, quia si ruptio est crisis, & terminatio inflammationis suppuratæ, videtur ægrum non posse interire, quia post crisim, declinatio sequitur, in qua laborantem emori est impossibile. Dic. Nemo in vera declinatione moritur, vt Galenus toties *in libris de crisibus* affirmat, & quamuis ruptio sit terminus suppuratæ inflammationis, non sequitur quòd omne illud quod postea insequitur, sit declinatio: Nam multoties nouus morbus aduenit, suos etiam terminos habens, intra quos si cessat, liberantur ægri; si verò hos transierit, tabescunt. Hoc in angina suppurata manifestè conspicitur, cuius ruptio, terminatio & crisis est, verùm post illam sæpe mors contingit, vel quia pus per asperam arteriam descendens, suppurat, vel phthisis occasionem præbet.

Empyici, qui ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgentur à die qua fit ruptio, liberantur; si verò non, ad tabem transeunt, inquit Hip. 5. *Aph.* 15. Quo oraculo, quadragesimum diẽ, tanquã terminum quendam medium proposuit, & magis frequentem: non tamen ita absolutum, certum, & determinatum, vt citiùs, aut tardiùs, illa puris repurgatio, aut in tabem transmutatio fieri nequeat. Coniectura enim assequi potest Medicus probabili, vt si puris in thoracis cauitate contenti copia non expurgetur intra quadraginta dies, ab illius acrimonia & corruptione, laxa, tenellaque pulmonis substantia exulceretur, & sequatur tabes, licèt hoc ante, aut post quadragesimum, pro humoris suppurati varietate possit contingere: De quo argumento sat multa *suprà, cap. de Pleuritide.*

Disceptandum etiam: *Vtrùm purulenta materia thoracis cauitate contenta, per sputum periculosius, quam per infernam regionem expurgetur?* Excerni pus empyicorum per os, vrinam, aluum, & abscessus, veterum doctissimi explanarunt.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 436 sur 927

explanarunt. Excretionem materiæ purulentæ per ſputum, pernicioſiorem eſſe, licèt ſit magis familiaris in thoracis morbis, facit illud argumentum, quoniam moroſa eſt, paulatim, & ſenſim per ſputum excitata tuſſi thoracem repurgans: quare cunctatur in via, & malignitate ſua molles pulmones oblædit, & vlcerat; cuius reliquiæ remanentes in thoracis cauitate, cùm præ craſſitie, & virtutis debilitate Semel educi non poſſint, retentæ corrumpuntur, & in malignam abeuntes naturam, vlcus creant in pulmone, ex quo phthiſis, & mors certò impendent.

Infernæ verò partes ſunt excrementis recipiendis magis idoneæ, aſſuetæ, latiores, & minùs præſtantes, per quas citra exulcerationis, aut alterius noxæ periculum, humor etſi virulentus excerni poteſt. Huc fortè reſpiciens Paulus *lib. 3. cap. 32.* in hæc verba prorumpit: *Rupto abſceſſu pus educitur, nunc purum, nunc faculentum, & nonnunquam ſurſum abſceſſus erumpit, quando etiam periculoſior eſt: nonnunquam infrà.* Nec dicas, per infernas partes vacuatum pus, ventriculi, & inteſtinorum facultatem labefactare, ac dyſenteriam multoties parere ferè inſanabilem, quia ita virulenta eſt materia, & acrimoniæ capax, vt exulceret vias per quas pertranſit: Nam ſi hæc per ſuperiores partes vacuetur, partes nobiliores ampliùs afficiet, & vitia immedicabilia excitabit, ob cauſas dictas.

Vtrùm empyema falſum ſit periculoſius vero? Falſum empyema concitari ex ſeroſo, aut pituitoſo humore, ex capite, aut corpore in thoracis cauitatem delapſo, Hip. firmat *lib. 1. de morb. mum. 18.* confirmat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 65.* de pectore ſuppuratis: & nos plura diximus *lib. 2. Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt. 27.* Hoc vitium eſſe periculoſius poteſt firmari, quia pituita lenta, & viſcida in eam partem confluxa, copia obſtruit, & ſubitam ſuffocationem inducit, frigiditate ſpiritus extinguit, & lentore ſuo pulmoni adhærens, retenta, acriórque reddita præ mora, magis affixa exulcerat, & phthiſin excitat.

Aduerſa tamen pars veriſſima eſt, quia falſum empyema ſaltem in initio non comitatur febris, & vna ſolùm adeſt indicatio quæ ſumitur à cauſa; in vero adeſt lèta febris & hectica, & diuerſæ indicationes inſurgunt, quædam à cauſa, alia à febri deſumpta, ita vt quod remedium lentori puris abſtergendo proficuum eſt, id febri maximè repugnet. Deinde verum empyema oſtendunt alia ſigna truculenta, quæ phthiſim conſtituunt nominata *ſuprà*. Accedit, quòd pituita ſimplex, cùm ſeroſior ſit, in pus verum tranſmutari non poteſt, ſed puris ſimilitudinem tantùm acquirere; contrà ſanguis, cùm ſit ad nutriendas partes accommodatus, in pus verti poteſt, ex quo pernicioſiora damna exoriri, quàm ex pituita in eum locum delapſa, eſt certiſſimum, quia calidius eſt, acrius, & magis malignũ.

Curatio.

AEr ſit temperatus. Cibus facilis coctionis, & diſtributionis, velut in phthiſi. Potus moderatus, ne eius copia reſpirationis mẽbra comprimantur: frigidus actu, nocuus; ferit enim pectus, & pus expectorandum incraſſat. Acida vitanda. Amplectenda ptiſſana, Mulſa: hæc enim *13. meth. 11.* clementer, & ſecurè empyicorum pus per ſputum educit, craſſos ſuccos attenuat, ſecat, detergit, *4. de ſanit. tuend. cap. 4.* Clyſteres optimi ſunt, qui reuellunt humorem ad partes inferas. Cucurbitulæ iuuant inferioribus partibus admotæ: Cùm enim ob thoracis calorem, dolorem, pondus, puris ebullitionem in parte affecta, ad hanc ex toto corpore plurima humorum illuuies confluat vbertim, qui affectum fouent, & augent, eorum momentum ad infimas, minúſque præſtantes detrudere, conſultius ſemper mihi viſum fuit.

Inſtituta commoda victus ratione, & obſeruato debito ordine in ſex non naturalibus rebus, ad materiæ contentæ expuitionem accedere oportet; nam ſi intra quadraginta dies non repurgetur, nullus deinde erit remedio locus, ſed excitata phthiſi deinceps ægrum occupabit mors. Quare ea quum ad ſuppurationem declinat, modicè calfacientibus, & humectantibus eſt adiuuanda, vt Galenus docet *5. ſimpl. cap. 5.* Ea verò pars quæ in ſuppurationem abiit eſt attenuanda, ſecanda, per medicamenta arteriaca reſiccanda.

In hunc vſum quæres: *Vtrùm in curatione empyematis, indicatio ſumenda ſit à febre, an à ſuppuratione?* Dic, quòd quamuis ſuppuratorum febris ſit complicata cum putrida, & hectica, curationis prima & potiſſima indicatio, non à febre, ſed à ſuppuratione ſumi debet: huiuſmodi enim febris, viſcerum collectionibus ſuperuenire ſolet, *1. de differ. feb. 9.* & eſt veluti accidens ſuppurationis; quare ſanari non poteſt, niſi priùs ſuppuratio ſanetur. Hinc fit vt præcipuus Medici ſcopus in pure euacuando verſetur. Iccircò aliqui non neglecta febre, vires, quoad maximè fieri poteſt, roborant, vt optimè Auicenna inſinuat, *10. 3. tract. 5. cap. 5.* dum ſic ait: *In huiuſmodi quidem hora, neceſſaria eſt virtutis confortatio cum carnibus, & cibo temperato: & non conſideres febrem, & non dimittas dare carnes, timore febris, nam ipſa febris non ſanatur dum ſanies perſeuerat, & cùm confortatur ager ad expuendum, ceſſat febris procul dubio.* Ratio dictat: quia totius corporis extenuatio oritur à febre, roridam partium humiditatem abſumente; febris autem à pure contento in thoracis cauitate conſeruatur. Ergo febris ſanari non poteſt, niſi ſuppuratio ſanetur.

In hunc finem non leuia arteriaca propinanda, quæ *cap. de Pleuritide* deſcripſimus, ſed fortiora, quæ *cap. de Difficili reſpiratione* ſunt propoſita. Hoc modo Galenus *13. meth. cap. 18.* ſolius puris ratione habita, offert illis, in quorum thoracis ſpatio aliquid per ſputum repurgandum continetur, tenuatoria, quorum ope viæ aperiantur, & humores diſſecentur, ac diſſipentur, præſertim quum craſſæ ſubſtantiæ ſunt, & glutinoſæ, quales in iis ſunt quos empyicos vocant. Eligenda primò ptiſſanæ cremor, Mulſa, Vrticæ ſemen, decoctio Origani, Calamenthi, Hyſſopi, Pulegij. Valentiora ſunt Illyricæ Ireos Radix, Marrubium. Galenus *lib. de parat. facilibus, cap. 27.* ex ſcilla toſta ſalſamentum parare iubet, ad pus empyicorum repurgandum. Acria, & valentiſſima, cum Galeno *5. ſimp. 12.* cauenda, ne reſoluta humoris parte tenui, reliqua durior fiat, craſſior, excretioníque magis inepta. Quòd ſi ea exhibeas, humectantibus potionibus permiſcenda cura, vt ex horum admixtione, acrium medicamentorum vis miteſcat, ac temperetur.

Quòd ſi pus ad aluum, vel veſicam natura detrudere conetur, vt aliquando, rarò tamen accidit, & cum artis gloria vidit, & curauit Ioannes de Vigo *lib. 2. de apoſtemat. tract. 5. cap. 1.* hic motus licèt rarus, arte iuuandus, mitibus diureticis, & lenibus clyſmatis, vt citiùs vacuatio lenta acceleretur, & pus per cor & arterias celeriùs deſcendat, antequàm anxietudines, & animi deliquia ex eius mora ſequantur. Hoc modo Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 65.* empyicorum pus frequentiùs per ſputum, aliquando ad aluum, aut vrinæ vias inclinans, emollientibus aluum, aut vrinam prouocantibus auxiliis repurgare conſulit.

Dubium eſt: *Vtrùm in empyemate phlebotomia aliquando vtilis?* Dic. Si inflammatio in ſuppurationem commigret, ſit copia multa, acris, & cruda, & facta diſruptione ſanguinolentus humor per tuſſim excernatur, viréſque valeant, tunc ſanguinis miſſio reuulſionis gratia vtilis eſt, ne ad partem tam præſtantem, ob dolorem, calorem, & ebullitionem, attrahentem ex vniuerſo humores in ipſam poſſint confluere, qui alium affectum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 437 sur 927

ctum excitent primario morbo grauiorem. Si verò A suppurata vomica verum empyema constituit, tunc vires validæ esse non possunt, quia puris fœtor, acrimonia, & malignitas spiritus resoluunt, vitalem facultatem labefactant, naturales vires eneruant: quare eo tempore sanguinis missio penitus fugienda.

Pus in cauitate thoracis contentum, externis exiccantibus thoraci ipsi admotis est resoluendum; & licèt calefaciant, maior est vtilitas quæ sumitur à puris resolutione, quàm sit id, quod ex febris sequitur incremento, nocumentum. Spongia ergo imbuatur decocto, vel linteum duplicatum, & pectori applicetur. Parabitur decoctum ex Aristolochia, Rad. Ireos, Althææ, Thym. Hyssopo, Origan. Prassio, Melil. Camomil. Spic. Nardi, Sem. Dauci, Agarico. Post quorum admotionem, pectoris regio illinatur vnguentis, ceratis, & emplastris, factis ex oleis Camomil. Anethin. Liliac. Irino, Cerato filij Zachariæ, Melilot, puluere Pulegij, Ireos, Spicæ. In eundem vsum conferunt Theriaca, Mithridatium, Athanasia. Si verò times, ne exiccantium vi, tenuiore humoris parte absumpta, reliqua induretur, emollientia cum resoluentibus permisce, vt est Althææ radix, & siquæ alia.

Dubitant plures; *Vtrùm Lac in empyemate sit ex vsu?* Recusant aliqui, quia est crassi succi, pus incrassat, & excretioni contumacius reddit: & cùm tota curationis spes sit in repurgatione puris, magis amant vstionem, vel sectionem, quo remedio, facto emissario, tota puris machina extra educitur. Sed si affectio diuturnior sit, imbelles vires, febris calor vrgeat vehementer, tabescat æger, maximè si copiam non multam puris thorax contineat, tunc salubre præstat commodum lactis vsus, præsertim asinini; quòd cùm tenuius sit, pectus à pure repurgat, ipsius sorditatem abstergit, fœtorem corrigit atque emedat, nutrit perbellè, extenuatum corpus mirificè humectat, atque incrassat. Equinum asinino est persimile: & si hoc assumere ægri recusent, caprillum, aut bubulum maximum auxilium præbent.

Vltimò disceptandum: *Vtrùm sectione, vel vstione inter tertiam, & quartam costam celebrata, empyici pectus aperire liceat?* Empyicos esse vrendos, vel secandos, quando desperata salus est, cæteráque præsidia non iuuant, veterum peritissimi exararunt: *Nam vbi vnica via salutis: eáque dubia est, illa etsi cum periculo tentanda melius enim est nos aliquid agentes periclitari, quàm ægrum omni spe adempta certo perire*, vt eleganter 10. *meth.* 10. dictauit Galenus. Per vstionem autem non intelligimus tantùm, excitanda esse vlcera in partibus pectoris externis, quod voluit Celsus *lib.* 3. *cap.* 22. sed penetrandum esse vsque ad thoracis cauitatem, vt per apertionem pus intus contentum expurgari possit. Si verò Paulus *lib.* 6. *cap.* 44. eam condemnat, intelligendus, si multa puris copia simul exhauriatur: sic enim habet: *Sunt qui scapellum quoque adhibere audeant: inter quintam, & sextam costam, transuersa linea paululum obliqua cutem incidunt: deinde aculeato cultello costas succingente membrana perforata, pus excernunt. Verùm isti, & qui vsque ad pus adurunt, vel protinus mortem inferunt, cùm vnà cum pure vitalis etiam spiritus exinaniatur: vel fistulas insanabiles inducunt.* Quo pacto autem vstio huiusmodi penetrans molienda sit, explicant Hip. *lib. de loc. in homin. lib.* 2. & 3. *de morb. & de internis affectionib.* Auicenna *cap. de empyemate.* Caue tamen ab hoc præsidio, quando vires insigniter sunt lapsæ, aut suppuratio in phthisim insanabilem est transmutata: Si enim eo tempore vras, aut feces, moribundum corpus in certum interitum, exhaustis viribus, & resolutis spiritibus, præceps ex tempore dabis. Ob hanc causam consultissimè monuit Hippocrates *lib.* 6. *epid. sect.* 7. *text.* 11. vt *tabescentes statim vramus.*

Galenus 6. *Aphor.* 27. in empyematicis magis vstionem amat, §. *Vstione igitur indigent, qui plurimum habent pus, vt qui desperent per spuitiones posse expurgari, &c.* Hippocrates *loc. cit.* secare iubet inter costas, primò nouacula, deinde scalpello acuto. Conciliantur facilè, si asseras illos esse vrendos, quando purulentæ materiæ caliditas mitior est, & ægri debilitas perforationem dehortatur: tunc enim cauterio potentiali, cutem, subiectósque musculos corrodere, & postea cum phlebotomo citra dolorem, ad internam thoracis partem foramen perducere licebit. Si contraria adsint, ferro candente latus aperire, est vtilius.

De loco sectionis, & vstionis in empyemate, varij varia proponunt. Quidam inter secundam, & tertiam costam hoc opus celebrandum imperant, quia hac parte sectio facta diaphragma non lædit. Alij, de quorum numero est Guido Cauliacensis *tract.* 3. *doct.* 2. *cap.* 5. inter quartam, & quintam hoc opus exercent, ne septum, membrum nobile ac neruosum, cultro tangatur, & lædatur: quod timuit Hip. *lib.* 3. *de morb. num.* 27. dicens: *Quòd si præ crassitudine humor non fluctuet, neque strepitus sit in pectore, verùm spiritum frequentem trahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiat hoc, sed thoracem pure plenum probè noris. Proinde in terra Erethriade, liquida, & valde trita, & tepida linteum tenue tingito, eóque thoracem circumcircà integito, & qua parte primùm resiccatum fuerit, ea secato, aut vrito, quàm proximè ad septum transuersum; cauendo tamen ne hoc ipsum ladas.* B C

At Hippocratis admittenda sententia, qui *lib. de internis affectionibus*, sic ait: *Costam tertiam ab vltima, vsque ad os secato; deinde cum terebra caua vltrà perforato; & vbi perforata fuerit, aqua parum emittito.* Hic ergo puris extrahendi modus securior est: eo enim paulatim pus extrahitur, & foramen ad libitum claudi potest, nec vllus subest timor, vt diaphragma apertione pungatur. In qua autem parte collectum fuerit pus, in ea quoque sectio molienda: quòd si in vtraque, vtrobique secandum. Caue tamen ne per apertum foramen aër ingrediatur, & vitalia membra præternaturaliter refrigeret, & alteret: Licèt enim continuò aërem inspiremus frigidum, citra læsionem vllam: tamen ille ingreditur sensim, & pedetentim, & asperam arteriam, pulmonésque ingressus, & reconditus, in cor paulatim deducitur. Externus verò non attractus, nec priùs contemperatus, affatim & repentè ingrediens, spiritales partes suo contactu refrigerat, & sæpe spiritum vitalem extinguit. D

OBSERVATIO.

Verum Empyema, Testudinum Syrupo, & Ebeni decocto, curatur.

LAborauerat quidam pleuritide sæua, & incocta, in qua cùm omnia ferè remedia incassum tentarentur, in pessimum Empyema delapsus est: febris erat assidua, continuum saniei sputum, spirandi difficultas, rubebant genæ, aderat fastidium summum. Medici de thoracis sectione iam deliberabant, à qua ille cùm perhorreret valde, ad alia tentanda præsidia se accingit. Iccircò expectorantia adhibita. Lactis imperatus potus, quod assumptum per dies duodecim, & increscente Medicorum consilio flocci fecit. Corpus erat mirè emaciatum, pus excernebatur in copia multa: Et cùm ab hoc in cauitate thoracis contento, cætera symptomata tanquam à primo fonte scaturirent, illud resoluere statuens, reficio corpus humectantibus, exhaustum. Cúmque in hunc finem plurima sese ostentaret medicamentorum sylua, nullum aliud, excepto lacte, præstantius esse, experimento felici adinueni, quàm testudinum nemoralium vsum: quarum carnes, cum ouis, rectè priùs elotas cum decocto E

radicis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 438 sur 927

radicis Ireos, longæ Ariſtolochiæ, & Enulæ Campanæ, in balneum Mariæ coniicio, & ex aqua ſtillatitia ſyrupum cum ſacchari & mellis, an. partib. æqualib, confi-cio: cuius vncias quatuor, adiectis vnciis duabus aquæ ſcabioſæ, in aurora ægrotanti offero; & vt ſomnum captet poſt hauſtum, maximè enitor: quo peracto, ſudor obrepit per cutem ſuauis. Quem ſyrupum, tribus horis poſt cœnam, repetendum impero. Humectato ſic corpore, & ſolidis membris refectis, ad ſudationes leues, paratas ex decocto Ebeni accedo, quibus ſemel in die, aut alternis diebus vſus ſum. Vix quindecim dierum ſpatio hoc auxilio vſus eſt, quando alacrior redditus, minuto puris ſputo, febricitabat remiſſiùs, dormiebat ſuauiùs, reſpirabat faciliùs, auidiùs appetebat, concoquebat feliciùs; & exiccante regimine vtens, ad trigintáque ſudationes accedens, ceſſante omnino excretione puris, & abſente febre, pinguiculus factus, omnino à morbo eſt ſeruatus. Magna ergo eſt Ebeni potentia, apud Dioſcoridem *lib. 1. cap. 91. de Ebeno.* Paulum *lib. 7. tit. de Ebeno*; nam mirificè ſiccat, detergit, atque ſubtiliat. Et licèt noſtrum, veterum Ebeno tantùm ſit proximum, & Guaiacum nominetur, tamen eius decoctum ebibitum, vlcera repurgat à ſanie tam interna, quàm externa, ita potenter, vt miraculi inſtar abſumpta omni putrilagine, ipſa conglutinet, & regenerata carne, ad cicatricem perducat; demum vetuſtas efficaciſſimè ſiſtit, cuiuſque generis illæ ſint, diſtillationes. Quare ad abſumendam ſaniem, & humiditatem excrementitiam, vnicum eſt alexipharmacum.

CAPVT XII.

De Ventriculi debilitate.

Definitio.

QVia verò paulo antè, pro ingenij noſtri captu, quantum nobis non incurioſa lectio adminiculabatur, enarrantes curationem morborum, qui partes vitales infeſtant, orationem contexuimus, ſubit nunc, vt quæpiam non indigna ſcitu, de curatione morborum, qui partes naturales opprimunt, explicanda prætexamus, & illuſtremus etiam quæſtionum varietate, & floribus, miriſque obſeruationibus exornemus.

Scrutabar ſolicitè admodum, & curioſè nuper quàta eſſet potentia & neceſſitas ventriculi, ſed in ſolutionem problematis huius incidi facillimè, cùm à Galeno decantatum ſit vbique, ſummam eſſe huius partis ſympathiam cum partibus reliquis. Deinde cùm ſit promptuarium alimenti, primáque officina coctionis, & illius os exactiſſimo ſenſu ſit præditum, fit vt plurima excrementa, crudíque humores eo generentur loco, quæ in varias partes delapſa, varia vitia poſſint excitare. Ob hanc cauſam ſcribit Hippocrates *lib. 7. epid. ſect. 3. text. 1. Ventris torpor, omnium confuſio.* In hunc ſenſum Serenus, Medicus antiquiſſimus, *in ſuis carminibus*, ventriculum Regem totius corporis eſſe, non inſcitè pronuntiat. Quare ſi vel minimùm afficiatur, aut diuturna offici j vacuitate reddatur ignauior, tota naturalis œconomia ſtatim labaſcit, ac corruit.

Debilitas ergo ventriculi, omnium corporis vitiorũ cauſa eſt, monente Galeno *in com. cit. nuper loci epidem.* Ex praua enim chyloſi, non fit laudabilis hæmatoſis; quare noſtri corporis partes impuro ſanguine altæ, variis morborum generibus conflictantur. Ob hanc cauſam inquires: *Vtrùm ad fauſtam coctionem ventriculi, neceſſaria ſit alimenti præparatio in ore?* Dic, quòd cùm ſummum, & ſupremum naturæ opus, ſit nutritio, quia tamdiu animal viuit, quamdiu nutritur: ita plurima machinamenta ipſa fabricauit, vt nutritionis ope poſſet florídum, & robuſtum permanere. Hoc opus alimentis per aſſimilationem perficitur; illa non potuerunt ſimilia euadere, niſi priùs plurimas tranſmutationes paterentur: quare in ore, ventriculo, venis meſaraicis, iecore, venis, & in ſingulis partibus priùs concoquuntur.

Prima ergo tranſmutatio ea eſt, quæ in ore celebratur, vt 1. 1. *doct. 4. cap. 2.* docet Auicenna, dicens: *Omne nutriens maſticatione quadam recipit digeſtionem.* Alimentum enim ſolidum, & durum, non ſolùm dentibus diuiditur, frangitur, & conteritur, ſed contactu linguæ, & aliarum partium quæ ſunt in ore, tranſmutatur verè; nam tunica linguæ, & aliarum partium oris, communis, & continua eſt cum tunica interna œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum, vt 4. *de vſu part. cap.* 8. & 6. *Aph.* 32. & 1. *prorrhet.* 30. retulit Galenus.

Quare ſicuti tunica interna ventriculi facultate concoctrice prædita eſt, ſic tunica palati, & linguæ facultatem ſortitur alteratricem. Accedit etiam, quòd in glandulis quæ ſunt in radice linguæ, generatur ſaliua, quæ non ſolùm habet facultatem abſtergendi, ſed concoquendi, & ſcorpiones, animaliáque venenoſa ſoleat interficere, vt 3. *de natural. facult. cap.* 7. & 10. *ſimpl. cap. de ſaliua*, affirmauit; præſertim ſi ſit hominis ieiuni, famelici, aut ſitibundi, tunc enim maiori vi prædita eſt: & lingua inter omnes partes, pro corporis mole, maiores ſuſcipit venas, arterias, & neruos.

Hinc fit, vt euidentiùs inter omnes partes, totius temperamentum exprimat: ſic etiam ſaliua, quæ in ipſa generatur, quæ pro guſtu, & nutrione ſummè eſt neceſſaria, quarum erat inſtrumentum. In ore ergo tranſmutatio fit, quæ videtur ſpeciem mutare. Hoc ita eſſe patet in carne, pane, & alimentis reliquis in dentium interuallis detentis, quæ poſt aliquot horas, colores mutant, & ſapores: in vino rubro in ore detento, quòd deperdit colorem. Quare hæc alteratio non ſolùm alimentis duris, ſed omnibus aliis eſt propria, & peculiaris.

Et licèt illa nullius coctionis cauſa fiat, ex Ariſt. *lib. 2. de partib. animal. cap.* 3. vtilis tamen eſt, vt coctio ventriculi perfectiùs celebretur: quia in ore non ſolùm comminuitur alimentum, ſed ſecundùm ſubſtantiam tranſmutari incipit, etſi deinde in ventriculo perficiatur. Plurimùm enim refert, cibos diu in ore retinere, vt abſolutè chylificatio abſoluatur. In hunc ſenſum rimatur Ariſtoteles 10. *ſect. probl.* 47. Quare homines habentes dentes raros, & paruos, ſint breuioris vitæ: reſpondétque hoc accidere, quia partes ob attritionis defectum deprauatè nutriuntur.

In ventriculo alimenta omnino ſpeciem mutant, & in aliam ſubſtantiam transformantur: qua ratione ducti veterum nonnulli, coctionem ventriculi appellabant corruptionem, in qua quædam ſubſtantia perfectior alimentis generatur, quæ vocatur chylus, ſeu chylamen, vt *lib. de atra bile, c.* 3. Galenus aduertit, quæ pulti, aut cremori ptiſſanæ ſimilis eſt: & hæc chylificatio à facultate alteratrice ventriculi, mediante calore illius, & partium vicinarum quæ ipſum circumdant, perficitur, 3. *de natural. facult. cap.* 7.

Hoc loco Galenus affirmat, alterationem factam in ventriculo, maiorem eſſe ea quæ efficitur in ore, minorem verò alteratione, quæ in iecore celebratur. Hinc arrepta occaſione dubitandum: *Vtrùm actio ventriculi, ad vitam magis neceſſaria ſit actione iecoris?* Nam ſi coctio ventriculi, & iecoris immediatè ſpeciem mutant, & tranſmutant ſubſtantiam, vna maior eſſe non poteſt, quàm altera. Si autem alia conſtituatur maior, hæc debet eſſe coctio ventriculi, tum ratione paſſi, tum agentis: alimenta enim magis diſtant à chylo, quàm à ſanguine & humoribus reliquis, cùm ſit humidior & fluxilior; quare minor diſpoſitio in ſanguificatione, quàm in chylificatione remouetur. Deinde ad coctionem ventriculi;

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 439 sur 927

ventriculi,non solùm ventriculi,sed cordis,iecoris, lienis,omenti,septi transuersi, arteriæ magnæ,& venæ cauæ caliditas concurrit. Igitur actio ventriculi, animali ad nutritionem simpliciter est necessaria, vt 4. *de vsu part.cap.*1.Galenus aduertit, dicens sine labore ventriculi omnia alimenta esse inutilia , vbi per laborem, actionem ventriculi intelligit.Hinc fit,vt ventriculi inflammatio sit iecoris inflammatione deterior,quia deprauatur sanguificatio , nequeunte iecinore in ventriculo malè concocta corrigere. Deinde ob consensum cum corde,febris oritur malignissima, lipyria,ex Aëtio *tetrab.*2.*ser.*1.*c.*89. & ob sympathiam cum cerebro,ferina neruorum,& cerebri vitia expullulant, teste Galeno 1.*de sympt.caus.cap.*2.Hoc modo *lib.*1.*meth.c.vlt.*quo loco de dignitate partium, & earum necessitate exactè disceptat,& 11.*meth.*15.actionibus iecoris,& ventriculi semper esse prospiciendum in morbis affirmat , quia sunt partes principes,& earum officia toti sunt maximè necessaria, cùm non ex cibis quos vnusquisque acceperit,alimentum corpori supeditetur, sed ex iis quæ in ventriculo,& iecore rectè sint concocta;quod etiam 4. *de sanit.tuend.cap.vlt.in fin.*confirmat.

Sed quid respondemus Galeno *6.de placit. cap. 6. in med.*affirmanti actionem iecoris magis esse vitæ necessariam,quàm sit actio ventriculi , quia sine ea animalia viuere nequeunt;ventriculus autem, si cibos conterere non possit,animalia possunt perdurare,vt in quibusdam nationibus , quæ solo lactis potu , & cibis liquidis viuunt,experimento constat manifesto. Solue dupliciter hunc obscurum locum. Primò. Actio ventriculi duo includit,primum est comminutio, & contritio , & eliquatio. Alterum est introductio formæ chyli , quam chylificationem vocamus. Prima actio non est simpliciter necessaria,de qua intelligendus Galen.vt constat ex contextu ipso:nam vsus est verbo conterere. Chylificatio verò sic est necessaria , vt nullum alimentum animali ad nutritionem possit esse vtile , nisi priùs formam chyli in ventriculo, aut intestinis suscipiat.

Solue secundò. Ablata actione ventriculi, animalia viuunt,verùm cum labore plurimo, quia aut ægrotant, aut sunt celeriùs ægrotatura,neque durabunt diu. Notabis vltimò , quòd quemadmodum alimenta externa, quando non sunt præparata,vt decet,in ventriculo non concoquuntur,sed incocta manent,aut corrumpuntur; quando autem diminutè sunt præparata, solent in ventriculo calido , & robusto concoqui exactè , quia proportione illi respondent : non enim rectiùs concoquitur alimentum quia tenuius est, aut magis præparatum , sed quoniam ventriculo concoquenti est magis proportionatum : Similiter ea quæ in ventriculo non sunt concocta,aut sunt corrupta, neque in iecore , neque in partibus poterunt transmutari ; quæ autem diminutè sunt concocta , rectè possunt in iecore in sanguinem verti,quando ipsum fuerit calidum, aut robustum. Ex his facilè disces, quare Galenus 5.*Aph.*26.& *lib.de bonit.& vit.succor.cap.*5.*in fin.* nihil esse in cibis, quod æquè ad succi bonitatem conferat , quàm vt facilè in ventriculo concoquantur.

Vtrùm verò ventriculus principaliùs concoquat proprio calore, an calore partium vicinarum? dubium est. Hanc partem confirmant rationes multæ. Prima, quia causæ vniuersales, & primariæ principaliùs concurrunt in effectum, quàm secundariæ. Sed caliditas cordis , & iecoris respectu actionum omnium partium, habent se sicuti agentia vniuersalia, & primaria. Ergo in coctione ventriculi , principaliùs concurrit caliditas partium vicinarum , & illi actio ventriculi potissimùm est tribuenda.

Secunda.Ventriculus habet se sicut lebes, & viscera quæ circumdant,velut ignis, auctore Galeno 3. *de nat. facult.cap.*7. Sed quæ concoquuntur in lebete , potiùs calore ignis, quàm lebetis concoquuntur. Ergo , &c.

Tertia. Caliditas vicinarum partium est multò fortior, quàm sit caliditas ventriculi. Ergo,&c.

Pro contraria parte facit & illud argumentum,quòd coctio ventriculi perficiatur à facultate alteratrice illius , quæ vim habet chylificandi , & quæ dimanat ex modo substantiæ ventriculi:Nam facultatum proprietates modum substantiæ partium insequuntur , ex Gal. *6.de placit.cap.*8.*in med.*& 7. *de placit. cap.* 5. quæ sicut requirit certum modum substantiæ, sic determinatum temperamentum,& calorem exoptat,cùm sit actio determinata ; hic verò proprius est ventriculi,& non partium adiacentium calor.

Solue dubium hoc modo. Coctio vniuersaliter cõprehendit & eam transmutationem,quæ comminutione , & eliquatione perficitur , & eam quæ propriè appellatur chylificatio. Ad priorem principaliùs concurrit aliorum viscerum caliditas , cùm in illis maior caliditatis efficacia vigeat. Ad posteriorem transmutationem , propria ventriculi caliditas præcipuè concurrit: cùm enim sit actio determinata,à certo & determinato agente celebrari debet : at caliditas aliorum viscerum, non est agens adæquatum , sicut caliditas propria ventriculi.

Solue secundò,dicendo , respectu obiecti determinati interdum calorem remissiorem esse intensiore fortiorem : venter enim qui temperatum sortitur calorem,perfectiùs transmutat alimenta, quàm ventriculus calidus. Hoc modo struthiocamelus, & aues pusillæ, suo languido & remisso calore,ferrum , & semina durissima conterunt,quæ animalia calidiora,imò nec ignis valeant conficere.

Obiecta verò sic dissolues facilè. Licèt enim verum sit,causam vniuersalem , & primariam principaliùs influere in effectum,vt docet Arist. 8. *phys. cap.* 5. calor ventriculi non excludit calorem cordis : Nam hic insitus calor est , gubernatus ab influente ex corde cum spiritu,sine quo nec ventriculus , nec alia pars poterat actionem efficere , vt constat ex Gal. 5. *de loc. cap.* 1. Quamuis autem Galenus ventriculum comparet lebeti, & alibi asserat ventriculum in animalibus sic se habere,sicuti terra respectu plantarum, cui sunt affixæ,vt 1.*de caus.sympt.c.*7. ipse prædixit , hæc similitudo non est omnimoda,quia nec lebes, nec terra habent facultates insitas, quibus præditus est ventriculus; in eo tamen conueniunt, quòd ventriculus est veluti receptaculum,& promptuarium,sicut & illa.

Illud verò commodè hoc loco agitandum : *Vtrùm ventriculus in gratiam propriæ nutritionis , an in cõmodum aliarum partium operetur semper?* Galenus enim pro certo affirmat,facultates naturales in suę tãtùm nutritionis gratiam operari, nec solicitas esse de aliorum commoditatibus:sic 6.*de placit.*8.3. *de natural.facult.* 13.*lib. de motib.liquid.*11.9.*sec.loc.*2.Et 2.*Aph.* 18. ventriculo loquens,sibi soli,inquit , alimentum trahere , atque suis tunicis apponere , & vbi fuerit satiatus , vt se exoneret, reliquum tanquam superfluum pellere : non quòd curet, aut norit, aliis vtile esse, 5.*Aph.*39.

Huius placiti ea ratio assignanda : quoniam in eo differunt organa animalia à naturalibus , quòd hæc sola natura cæca , & parum gnara ; illa , anima , & cogitatione regantur. Atqui cogitatio est , quæ corpori toti præest : Igitur illi incumbet totius , & singularum partium prouidentiam habere. Et per consequens sola animalia organa, quibus præsidet cogitatio, intelligentiæ,ac diuinitatis particeps, in vsum , & commoditatem illorum expendent operas suas ; non naturalia,cùm mente & ratione careant,sed sui tantùm gratia operabuntur , sibique tantùm inseruient, nihil de alienis vtilitatibus anxia : quanquam rectè prouidente natura fiat , vt dum sibi seruiunt , non parum etiam conferant vsibus aliorum ; & dum superflua , onerosáque expellunt,aliis alentem materiam præstent.

Hoc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 440 sur 927

Hoc modo, ait ipſe 3. *de natural. facult. cap. 7. nihil in rerum natura reperitur, quod trahat propter ipſum attrahere, ſed vt eo, cuius per tractum ſit compos, fruatur.* Hac ratione iecur attrahit chylum, ſuæ ſolùm vtilitati intendens, nullam de ventriculo curam habens; & ipſum in ſanguinem vertit, reliquum verò pellit, & corpori permittit. Hinc fit, vt membra priora præparent poſterioribus, non ob horum fruitionem, quorum non ſunt ſolicita, ſed ſibi tantùm laborant, & mouentur. Hoc pacto vbera lac ſugunt, vt eo nutriantur, nulla de infante præuiſione facta. Teſtes ſemen gignunt, quod ſibi in alimentum parant, nihil de poſteritate cogitantes. Cerebrum ſpiritus creat animales, quibus imaginatur, cogitat, aut reminiſcitur, nihil curans de muſculis, aut neruis.

Ex his colliges, non habere ventriculum facultates binas, alias, vt eſt inſtrumentum coctionis, quæ communes vocantur, & in gratiam totius corporis finiuntur; alias, vt eſt pars ſimilaris, quæ nutriri poſtulat, quæ propriæ dicuntur: etſi enim vterus attrahat ſemen in formationem fœtus pro nutritione propria, & veſica fellea ſugat bilem expurgando ſanguinem, & ad ſui nutritionem ſanguinem attrahat; tamen neceſſum fuit, vt hæ partes ob varios vſus duplices ſortirentur facultates, quod ventriculo non accidit, qui non duplices, ſed ſimplices quatuor obtinet.

Hæc eſt firma Galeni ſententia, ſed contra eam ſunt obiectiones plures: Et formatrix proponi poteſt primò facultas, quæ nos ab initio fingit: hæc modò marem, modò fœminam generat, nullius propriæ, ſed communis vtilitatis gratia; nihil enim ex varietate lucratur, ſed propagandi generis humani cauſa, quod ſine ſexuum diuerſitate non conſtaret. Secundò vis afferenda eſt in medium, quæ nos iam in lucem editos alit: naturalis ſiquidem vteri facultas, edito in lucem fœtu, confeſtim ſanguinem, quem ſingulis menſibus per vterum excernebat, ad vbera mittit, ad commutandum in lac, & in eo opere durat per biennium ferè, vſque quò fœtus iam ablactari queat, & vti ſolidiori cibo; quo tempore rurſus lac in vberibus minuit, & ad vterum ſanguinem remittit, quaſi nouæ conceptionis auida, peracta fœtus prioris lactatione.

Tertiò. Naturalis eſt obiicienda, quæ nos adultos gubernat, nobiſque inſeruit alendis, in ventriculo, corde, vaſis, hepate, cerebro: ventriculus namque alimenti copiam non ſibi ſufficientem, ſed toti corpori alendo trahit; cùm enim ſibi minimum ſufficeret, pergit tamen aſſumere, nec antè ceſſat, quàm pro totius captu expleatur. Hepar, & vaſa ſanguificant, non quò ſibi tantùm, ſed quò toti ſufficiat corpori. Cor ſpiritus vitales pro toto etiam creat: Cerebrum animales, ad ſenſus, & motus per organa diſtribuendos.

Denique tam intra, quàm extra corpus multa inuenies, quæ abſque peculiari vſu ſine fine operantur. Septum enim vel nobis inuitis, & veluti ſolo naturæ inſtinctu, in cordis refrigerium perpetuò agitatur. Pectus per tuſſim in pulmonis ſubſidium. Palpebræ nictant, tuendorum oculorum gratia. Vbera lac gignunt, ad educandum fœtum. Teſtes ſemen, ad generationem. Vterus auidiſſimè attrahit, concipit, & geſtat, ſæpe etiam cum inſigni damno. Vtraque veſicca attrahit, vna, bilem; altera, vrinam, nulla cum vtilitate ſua.

Sine vlla etiam propria cœlum perenni circuitu nobis Solem impertitur moderatum; terra, alimentorum copiam; piſcium, mare; auium, æther; ſidera, influxus; ſuas vires, medicamenta; & mille alia id genus naturalia agentia nobis gratis operantur, adeò vt magis de alienis, quàm de propriis vſibus ſolicita videantur, & non rarò cum proprio diſpendio, & iactura, prout in aſcendente aqua ad vacui fugam experimur, & in diſrupto vtero præ fœtus excluſione, & aliis. Neque Galenus ab hac ſententia eſt eliminandus, cùm vel ſui placiti immemor, vel fortè tantis rationum momentis conuictus, ſcripſit 6. *de placit. 7.* hepati ventrem præparare: & 1. *de cauſ. ſympt. 6.* in vaſorum cacochymia, qualitatem alimenti contrariam expetere: quod etiam dixit 4. *ſimpl.* 10. quaſi ſentiens, ventriculum pro hepate agere, & de totius commoditate ſollicitum eſſe, ac per conſequens de aliis.

Superioribus hæc etiam eſt addenda ratio: Ventriculus attrahit alimenta medicamentoſa, non ſui cauſa, verùm in gratiam membrorum, vt auctor eſt Galenus *lib. 1. de cauſ. ſympt. cap. 6.* dum ſic ait: *Venter viſceribus, veniſque ſubſeruit, & quales hæc ſuccos requirunt, tales appetit, nempe affectioni contrarios: craſſis quidem, qui attenuant; tenuibus, qui craſſant; glutinoſis, qui diſſecant; exaſperantibus, qui leniunt; ad eundem modum calidis, qui frigidi ſunt; frigidis, qui calidi; ſicut ſiccis, qui humidi; & humidis, qui ſicci.* Repetit 4. *ſimpl.* 10. §. *Nam ſi præter, &c.* Vltima obiectio eſt huiuſmodi. Veſica attrahit vrinam, & cyſtis fellea bilem, & vterus ſemen. Sed iis non fruuntur hæ partes, cùm iis attractis non nutriantur, ſed ſanguine. Ergo, &c.

Ad primam tamen reſpondet Galenus 14. *de vſu part.* 10. non formare vim naturalem varios ſexus, alicuius boni communis, & alieni gratia, ſed eam varietatem conſtitui magis ex materiæ neceſſitate, & temperamenti qualitate, quæ ad eam cogit, quàm ex formatricis natiua prudentia: hæc enim cùm in humano ſemine vna ſit, inquit ipſe, vnum tantùm, & poteſt, & intendit, nempe marem; euadit verò quandoque fœmina, ex materiæ ineptitudine ad marem.

Secundam explicat Galenus *cit. de vſu part.* 8. dum aſſerit, non ſequi ſemper ad naturæ conatum, & benignitatem, eam vberum plenitudinem, ſed ad vaſorum compoſitionem. Connexuit enim natura vteri vaſa cum vaſis vberum eo conſilio, vt quamdiu fœtus eſſet intra vterum, ad eum transferretur ſanguis, fœtus alendi gratia, non ſolùm à reliquo corpore, ſed ab vberibus; fœtu verò excluſo, ſanguis ad vterum remearet in lac vertendus. At trahentibus ipſis, ceſſantéque editi in lucem fœtus tractione, ſurſum conſcendit; & naturali vberum facultate in lac vertitur, in propriam, non fœtus alitionem. Nec verò Ariſt. mutuam illam ſanguinis delationem ſurſum, deorſum, & è contrà in grauidis, & fœtis iam ad vteri naturalis facultatis prouidentiam refert.

Ad tertiam. Quinquam, inquit, plus alimenti attrahat ventriculus, quàm propriæ alitioni neceſſarium ſit, nec ſuus ſatietur appetitus, donec tota cauitate repleatur alimento, quod toti corpori ſufficiat: cauſa tamen cur tantùm appetat, tantóque deſideret impleri, non corporis neceſſitas eſt, ſed ſui ipſius propria, leuandi nempe moleſtiam, & anxietatem, quam patitur à ſugentibus membris. Cùm enim ad vniuerſum ventriculi ſpatium vaſa accedant meſaraïca, ſugentia, niſi adſit alimentum, à ventriculi humido, & ſubſtantia, fit vt niſi ad ſummum vſque totus ventriculus repleatur, vaſa quæ ori eius implantantur, adhuc ventriculum ipſum diuellant, ac laceſſant, vnde totus impleri cogitur, nec priùs à tractu ceſſare, quàm ceſſet vaſorum ſuctio: ſic non quò corpori benefaciat, ſed quò nulla ſui parte moleſtam vellicationem, ſuctionémque patiatur; atque ita ſui tantùm gratia appetit, trahit, & aſſumit.

Sic hepar non in corporis, ſed in ſui alimoniam, & vaſorum quibus abundat, ſanguine turgentium, chylum allicit. Cor ſibi ſpiritum creat, quo pulſat, & viuit: ſibi etiam cerebrum ſuos, quorum miniſterio imaginatur, cogitat, & reminiſcitur: ſibi vbera lac, quo nutriuntur, & ſemen teſtes: ſeptum autē (prærerquam cum tuſſiente pectore, & nictantibus palpebris, tanquam organum animale, imaginationis imperio agit) motu thoracis quem agitat, ſibi parat refrigerium, vitam, & durationem: vterus, ſeminis attractione delectatur. Atque ita propter ſuas commoditates agunt: Non enim

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 441 sur 927

vtilitas in sola alitione consistit, nec solius alitionis gratia creata alliciunt similia, aduersa repellunt, sed & voluptatis etiam, & tuendi temperamenti. Ita Galenus.

Nec 6. *de placitis*, voluit ventriculum operari, hepatis, aut membrorum gratia, sed tantùm quiddam agere, ex quo hepatis, & totius vtilitas sequatur. Dum verò alimentum attrahit vasorum cacochymiæ contrarium, simul ipse laborat, aut sua ipsius vasa, vt se explicante Galeno constat, ex *cit. de sympt. caus.* atque adeò sibi prouidet, non aliis. Vbi enim totius habitus non conuenit cum temperamento ventriculi, is sibi tantùm conueniens appetit, quantumuis corpori noxium, quoniam, vt idem Galenus ait, 1. *de sympt. caus.* 7. maiorem prouidentiam habere non potest, tuendi alienum, quàm proprium temperamentum.

Cæterùm quamuis naturalia agentia, & quæ sola natura reguntur membra, inter agendum magna ex parte secundùm rationem agant, nec ita aliorum commoditatibus vacent, vt suo ex opere aliquid etiam non lucrentur; negari tamen non potest, ita aliquando alienis vsibus inseruire, vt nullum sibi comparent emolumentum, quin potiùs dispendium, & damnum.

Non enim elementa, cœlum, sidera, & Sol, ex commoditatibus quas nobis præstant, sibi vllas reportant; non medicamenta, dum nobis suis viribus seruiunt; non palpebræ nictando; aut vterus ex gestatione, & partu, quo potiùs disrumpitur, & non parum incommodatur: id quod & in mulis aliis inuenies, in quibus irrationalis operatur natura, nobisque insitæ facultates naturales, non propter suam, sed alienam vtilitatem; & in eam quidem plerunque feruntur, tanquam in scopum suarum actionum. Cùm enim natura, sicut & Deus, nihil faciat frustra, necesse est vt semper in finem aliquem tendat, & gratia alicuius agat: verùm quia rationis est expers, nec finem præcognoscit, nec in illum tendit propria, vt dicitur, operatione, (quo pacto agunt quæ ratione, & cogitatione feruntur) sed aliena, vt lapis, aut sagitta quæ ab homine iaculatur, & prout dicebat Auerrhoës 12. *metaphys.* directa à non errante intelligentia.

Quòd si hæc non minùs imperat, ac prouidet, (ne amplius dicamus) facultatibus omnibus, quàm mens nostra variis corporis nostri membris; atque mens ipsa, vnáque in cerebro cogitatio, instrumenta sua, musculos nempe, non minùs ad aliorum vtilitatem, quàm ad suam dirigit, imperátque pro vario, aut corporis, aut animæ vsu, modò quidem cruribus gressum, modò linguæ loquelam, aut manibus motum, sine aliqua ipsarum partium quæ mouentur commoditate, deficiunt siquidem, & fatigantur motu: cur superior illa intelligentia perinde non imperabit naturalibus instrumentis, modò in suos, modò in alienos vsus?

Negari igitur non potest, facultates naturales aliorum etiam gratia aliquando operari; ac proinde nihil mirum, si sanguifica illa iecoris, communis dicatur, & pro toto laborare, si non ex propria intentione, & sibi cognito vsu, eo quòd irrationalis cùm sit, fortè sui operis finem ignoret, saltem ex creantis industria omnia prospicientis, & benignè dispensantis.

Vltimæ verò rationes, & subobscura loca, etsi ansam præbuerint pluribus, etsi doctissimis, vt Galenum acriter reprehenderent, tamen intelligenda sunt, quando succi, & intemperies viscerum, & membrorum, communicantur ventriculo, quod magna ex parte fit. Os enim amarum redditur per bilioſas febres; dulcescit, redundante sanguine in vasis. Quare pro se, & non pro aliis expetit hæc contraria ventriculus; licèt his prosit ex accidenti, quæ simili cacochymia occupantur.

Ad postremam rationem dic. Non sola nutritio, est fruitio, sed etiam voluptas, aut temperamenti conseruatio: Sed vterus semen attrahit, eóque fruitur ob voluptatem: vtraque vesica, vrinam, & bilem, quibus natura sua gaudet, & conseruatur, ob similitudinem quæ inter ipsas intercedit. Magnes ferrum, electrum paleas, & omnia natura constantia simile attrahunt, contrarium verò repellunt; & deinde assimilant sibiipsis ea quæ attraxerint, quas operationes quum exercent, magnoperè iuuant totum corpus. Ita lien ex hepate in seipsum fæcem sanguinis prolectat; vesica, bilem; & renes, vrinam, vt eleganter dictabat Magister, 9. *secund. loc. cap.* 2. §. *Didicistis autem, &c.* Sed instabis: Si bilis, & vrina attrahuntur pro tutela, & conseruatione vesicæ vtriusque, & non pro expurgatione totius, cur ibi non retinentur, sed expurgantur; hoc enim modo attrahitur, & retinetur ferrum à magnete? Dic. Bilis, & vrina retenta acriora fiunt, & expultricem vesicæ stimulant; ferrum verò, quale ab initio fuit, perseuerat, & magnes non sentit irritamentum vllum.

Postquàm ventriculus cibum transmutauit in chylum, & saturatus est, reliquum tanquam onerosum à se repellit ad intestina, & venæ mesaraïcæ, veluti baiuli, deferunt ad venam portæ, vt 4. *de vsu part. cap.* 2. auctor est Galenus: iecur autem per illas venas veluti per manus, partem benignam chyli ad se allicit, pars autem recrementitia, & sicca remanet, quæ permixta cum humore bilioso, & aliis humiditatibus fæcem, & stercus constituit.

Deinde perscrutandum: *Vtrùm ventriculus inter coquendum, vera nutritione nutriatur chylo?* Galenus respondet affirmatiuè, 3. *de facult. natural. cap.* 13. *in med.* & 4. *de sanit. tuend. vlt. in fin.* & 2. *Aphor.* 18. docens ventriculum puriorem chyli partem tunicis suis apponere, agglutinare, & assimilare, quibus actibus perficitur nutritio, 10. *de facult. nat.* 11.

Hæc doctrina confirmatur primò. Quælibet pars nutritur alimento sibi simili. Sed ventriculus cum chylo in substantia, & colore similitudinem habet. Ergo. Secundò. Ingestus cibus non modò famem ventriculi sedat animalem, sed & naturalem, quod non fieret, si ventriculus cremorosa non aleretur substantia. Rem ita se habere sensus firmat manifestè, quippe antequàm prima illa ciborum absoluatur concoctio, conspicimus vires affatim refici, quæ antea per inedias erant deiectæ, atque venas omnes ampliùs intumescere, sanguinémque in ipsis increscere; quod cùm assumptus cibus tam repentè facere non possit, cogitur fateri illud accidere, quia quem sibi traxerat sanguinem per inediam ventriculus, finit ad hepar fluere mox ingesto cibo: subinde quem antea ob defectum auarè retinebat iecur, modò ad reliqua membra vel trudit, vel relabi sinit; quo pacto poterunt profectò exinanitæ venæ pauculo momento in maiorem molem intumescere.

Tertiò. Sicut lac est superfluitas mammarum, & sanguis, iecoris; sic chylus est superfluitas ventriculi, vt constat ex Gal. 5. *Aph.* 39. Ergo sicut mamillæ nutriuntur lacte, & iecur sanguine, sic ventriculus debet nutriri chylo, qui non dicitur, nec est superfluitas secundùm qualitatem, sed quantitatem.

Quartò. Venæ quæ implantantur ventriculo, non oriuntur ex vena caua, quæ sanguinem ad singulas partes pro earum nutritione defert, sed ex vena portæ, quæ solum chylum distribuit, & sanguinem deferre non potest, quia simul confunderetur chylus cum sanguine, & vtraque substantia corrumperetur.

Quintò. Nihil attrahit propter ipsum attrahere, sed propter fruitionem attracti; quare diuersa est fruitio, quæ facultati tractrici respondet. Cùm ergo ventriculus cibum attrahat non solùm, sed etiam conficiat, coquat, atque commutet, duplici fruitione gaudeat est necesse, videlicet voluptate ex conuenientia attracti, & nutritione cocti, atque commutati: hinc fit vt chylo

chylo vera nutritione nutriatur, quæ tribus actibus constat, appositione, agglutinatione, & assimilatione.

Sextò. Cibum ore susceptum desiderat ventriculus, & magna auiditate amplexatur, ita vt in eo meliùs coquendo, seipsum vndique cogat, ac comprimat, quod nisi ex eo nutriretur, vix credi posset. Quorsum enim traheret ex ore cibum, in subsidium indigentiæ suæ, si sanguine, & non cibo esset reparanda? Frustra enim appeteret, traheret & coqueret alimentum, cuius non est indigus. Non est ergo absonum, quòd ventriculus, intestina, & mesenterium, prima, rudia, ignobiliora, minimè sanguinea, & impuriore succo constantia viscera, selectissima, & defæcatissima chyli parte nutriantur.

Septimò. Galenus *lib. 3. de nat. facult. cap. 7.* dum chylus conficitur, aliquid eius scilicet inconfecti, ad iecur ascendere tradit, & cùm ad intestina, & iecur, chylus confectus transit, portiunculam etiam eius exiguam in omnem corporis partem ferri scribit. Ex priore autem iecur nutritur sine coctione prima, & ex posteriore, vniuersum corpus, sine iecoris elaboratione: quantò igitur magis ventriculus chylo poterit nutriri, nutritione non solùm voluptuosa, & refocillatoria, qua eum nutriri concedit Auerrhoës *2. collig. cap. 9.* sed vera, qua substantia chyli iam confecti fruitur, & nutritur? Ventriculus ergo ex chylo saturatur, ac plenè & abundè ex eo reficitur, cùm totus ex omni sui parte chylificet.

Ex altera parte vrgent aliquot argumenta valde. Primum. Ventriculus venas habet à iecore tributas, quæ sanguinem continent, non chylum, vt eius vlcera ostendunt, è quibus sanguis prodit, & euomitur. Huiusmodi autem venæ, & sanguis, ventriculo non impartiuntur frustra. Ergò ventriculus vera nutritione, non chylo, sed sanguine in iecore confecto nutritur.

Secundum. Dum fœtus in vtero continetur, totus ventriculus puro, ac sincerissimo sanguine alebatur, nullo nimirum tum vspiam existente chylo. Nunc igitur similiter ex sanguine nutrietur, & incrementum suum capesset.

Tertium. Forma animati in diuersas materias non inducitur. Si igitur ventriculi substantia sanguine nutritur, vtique non nutrietur cremorosa substantia, cuius alia est materies.

Quartum. Animantium, quæ in terræ latebras diutissimè habitant, & eorum hominum qui diu sine cibo externo vixere, ventriculus, sanguine quem habent, necessariò nutritur, non chylo quo carent.

Quintum. Iecur ventriculo magis est propinquum, à quo promptissimè potest ventriculus sanguinè haurire magis dulcem, benignum, coctũ, & familiarem chylo.

Sextum. Quod nutritur, aut semine, aut sanguine nutritur: vnumquodque enim ea substantia, ex qua primò genitum est, ali etiam perpetuò consueuit, cùm nutritio nihil aliud sit, quàm continuò effluentis substantiæ redintegratio. Sed nec ventriculus, nec aliud vllum membrum ab initio gignitur chylo. Ergo non ipso, sed illorum altero nutrietur.

Septimum. Plus distat sanguis ab osse, quàm à ventriculo. Ex sanguine autem os nutritur. Igitur & ventriculus.

Octauum. Nihil nutrit, ex Gal. *3. de temp. cap. 2.* antequàm in ventriculo, iecore, & venis sit concoctum. Ergo chylus, cui duæ alterationes deficiunt, nutrire non poterit: Nam per has coctiones multiplicia excrementa separantur alitioni inepta, à quibus cùm non sit expurgatus chylus, non nutriet.

Nonum. Omnia membra quæ materias aliis præparant, totas eas atque integras, illis quibus præparant, solent reseruare, vt *6. de placit. cit.* monuit Gal. Nullã ergo chyli partem ventriculus assumit ad nutritionem, sed sola fruitione qualitatiua vtitur. In hunc sensum intelligendus est Galen. *3. de facult. nat. 6.* vbi ventriculo inesse appetentiam conuenientis sibi qualitatis asseruit: & *c. 13.* chylum ventriculo apponi, in halitus, aut vaporis modum scripsit. Igitur, &c. Vapor enim citò dissipatur, & verè non potest nutrire. Et *infra*, ipsum, non quærere cibum, nec esurire, quum sanguine abundat, affirmat.

Verùm inter varias scribentium opiniones, amplectenda est doctrina Galeni, oppositáque argumenta ita soluenda. Dic ad primum. Ventriculus venas habet à porta ortas, quæ non tribuuntur ipsi frustra, sed vt à ventriculo sugant, & ad iecur deferant, vtque per magnas inedias, atque indigentiam, sanguinem à iecore repetere possint pro alitione ventriculi: Sanguine enim nutriri posse non negamus; nam eo nutriebatur in vtero: sed familiarior eius nutritio ex chylo est; quo deficiente, sanguinem attrahit ex iecore benignum, aut rubeum purum, ex Auic. *10. 3. 3. cap. 1.* qui status rarò cum ventriculo famescente coniungitur, quoniam iecur priusquàm ventriculus solet inaniri; inanitum autem non permittit ventriculo benignum sanguinem rapere, sed virulentum, & excrementitium, vt auctor est Galenus *lib. 3. de nat. facult. cap. 13.* Id sanè fœtibus contingit, dum vtero materno includuntur, atque per magnas inedias. Ex qua doctrina ad secundum, tertium, & quartum, patet argumentum solutio.

Ad quintum. Sanguis, melius paratiúsque est alimentum, quàm externus cibus, nutriendo ventriculo; imparatius verò est, quàm chylus iam confectus, qui paratissimus est, vt in ventriculi substantiam commutetur.

Ad sextum. Quamuis sanguine benigno, aut vitiato nutriatur ventriculus, id non facit nisi dealbando, & in substantiam chylo similem conuertendo. Sicque vnius ventriculi, etsi plures materiæ remotiores statuantur, vna tamen propinquior est, chylus nempe, qui vlteriori alteratione, in alteram magis immediatam commigrat, nimirum in semen, quo omnia membra radicalia nutriuntur; nam eo vna quæuis pars nutritur, quo genita est ex succo, seminalia semine, carnosa verò sanguine: Ventriculus autem ex semine ab initio fuit formatus. Ergo & semine debet nutriri: cùm enim seminale membrum sit, & vim habeat assimilandi sibi alimentum, hoc in substantiam seminalem commutat.

Ad septimum. Concede maiorem, nega minorem: Nam os non nutritur sanguine, sed medulla, ex Hip. *lib. de alimento, num. 12. §. Medulla est alimentum ossis, &c.* & *3. de facult. natural. 15. §. Est que alimentum, qualis carnibus sanguis, talis ossibus medulla.*

Ad octauum. Alimentum omne debet pertransire coctiones tres, sed hoc de nutritione mollis carnis, non de nutritionis organis est intelligendum.

Ad vltimum. Quum Galenus *6. de placit.* dixit, quòd membra præparantia, totas materias, & integras aliis tradunt, noluit nutritionem membrorum, ex materiis quas præparant, ab ipso multoties concessam adimere; sed id tantùm voluit, quòd quæ aliis præparant, non sint instrumenta distributionis illius materiæ in corpus, sed eam sic præparatam tribuant,

Omitto ob temporis angustias, solutionem sententiæ Auenzoaris, qui *lib. 2. tract. 5. cap. 1.* addit superiorem ventriculi partem, quæ magis membranosa est, pluri nutriri chylo, & pauciori sanguine; imam verò, quæ carnosior est; pluri sanguine, & pauciore chylo; mediam verò æqualiter vtroque nutriri. Licèt illi obiici possit, quòd totus ventriculus, omni sui parte chylificet, & ex chylo quem conficit abundè saturetur.

Prætermitto explicationem opinionis Auicennæ, cuius mentem variis interpretationum ambagibus diuersimodè expositores explanant, qui *1. 1. doct. 5. sum. 5. cap. 2.* externam tunicam ventriculi, sanguine; internam verò chylo quem tangit, nutriri scribit: Cùm enim

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 443 sur 927

eiusdem naturæ sint tunicæ ambæ, & in sui gratiam chylificent, & cùm vtraque eadem vasa recipiat, de vtriusque nutritione similiter est pronunciandum.

Nec alij rectè respondent, dum chylum in ventriculo confectum, priusquàm ventriculum nutriat, virtute venarum ventriculi in sanguinem commutari asseuerant: Nam ventriculus, chylum quem pro nutritione assumit, tunicis suis apponit, reliquum permittens venis, vt deducant ad iecur: venæ etiam illæ chylum continent, nonnihil in rubeum mutatum, sanguinis enim forma, & substantia, non datur ante iecur.

His pensiculatè notatis, intimiùs ad rem accedamus, quærentes: *Vtrùm à debilitate ventriculi, plurium symptomatum aceruus excitari possit?* Tam præstans pars est ventriculi orificium, vt ab antiquis cor fuerit appellatum, propterea quòd grauia symptomata, & qualia cor solet inducere, ipsum committat. Porrò licèt huiusmodi pars, instar aliarum corporis, proprios affectus, & per consensum patiatur, *lib. 5. de loc. cap. 6.* nonnullos primi generis proponit; secundi autem eos tantùm prosequitur, qui oris ventriculi consensu cæteris partibus eueniunt: syncopen namque inducit in corde, conuulsiones in cerebro, epilepsiam, carum, flatuosam melancholiam, ac mille alia symptomatum genera, reliquis partibus illi consentientibus, inuehere solet. Per proprietatem verò dicitur laborare ventriculi os, in abolita, & deprauata appetentia, ciborum corruptione, pica, canina fame, cardialgia, nausea, singultu, præter intemperantias, & inflammationes, quæ illi tanquam similari, & instrumentali membro solent accidere.

Nec mirum, ex ipso ventriculi ostio oriri prædictos affectus in præstantissimis membris: nam cùm exactam habeat sentiendi vim, dolores plerumque patitur, à quibus virium exolutio sequitur, non tam ex magnitudine, quàm ex doloris proprietate, ob commercium cum corde, ratione cuius dolor ille fit aptior ad deliquium inducendum. Denique vel quia ob vicinitatem cum corde, communicatur illi valida intemperies, à qua dubium non est vires subitò collabi, & syncopen accidere.

Iam verò ipsius stomachi vitio epilepsiam etiam fieri, conuulsiones, & alia symptomata in cerebro, conscendentibus halitibus vitiosorum humorum, per magnos, mollésque neruos à sexta coniugatione deductos, præterquam quòd satis constat, nonnullis historiis *cit. loc. de loc. affect.* Galenus confirmat. Prima de iuuene quodam Grammatico, qui ex nimia lectione, cogitatione, ira, aut inedia subitò epilepsia corripiebatur; idque non alia de causa, nisi quia cùm stomachum haberet sensu acutissimo præditum, à vehementissima quauis animi intentione, protinus bilis defluxum ad ventriculum, & ab ea symptomata, rapto in consensum cerebro, patiebatur.

Hoc modo nonnulli per febres, ex bile porracea in eo aceruata, conuulsionibus capiuntur, 5. *Aphor.* Alij ex cruditate insomniis tumultuosis, & terrentibus imaginibus molestantur. Alij melancholicis symptomatibus, humore nempe melancholico ex liene in ventrem ipsum irruente, & subsequente inde in cerebrum euaporatione, detinentur: similiter aliæ partes, ob consensum cum malè affecto ventriculo, summam interdum cladem sensere.

Ex ventriculi capacitate, quam fundum seu inanitatem appellant, emanant etiam symptomata dira: Nam cùm eiusdem ferè naturæ sit, iisdem penè affectibus subiicitur, quanquam superior pars, veluti acutiori sensu prædita, grauioribus infestetur: dummodò mala excipias, quæ ad coctionem sequuntur; hæc enim in parte inferiore principaliter promouetur, atque ad eam potissimùm attinent cruditatis vitia maiora.

Vtrùm tamen abolita, aut corrupta appetentia, ad debilitatem oris ventriculi sit referenda? dubium est: Nam si vel ipso docente Galen. appetentia nihil est aliud, quàm quædam alimenti tractio, qua quæritur restauratis in subsidium præcedentis inanitionis, videtur quòd ad omnes corporis partes pertineat, cùm hæ facultatem habeant, propriam sibi materiam attrahendi, vt 4. *de vsu part. cap. 7.* & *lib. 9. cap. 4.* Galenus edocuit.

Quòd si dicas, appetitum omnibus particulis communem, esse functionem naturalem; illum autem stomachi animalem, qui ad sensationem suctionis membrorum sequitur, ferturque magis in externum, quàm præsentem cibum, nec perpetuò adest, sed deficiente tantùm in ventriculo alimento: Redarguitur, quia præterquam quòd si reliquis membris ventriculo ipso dignioribus solus naturalis sufficit, cur & in ipsi non sat erit, maximè cùm sui tantùm graita appetat, & trahat, non in vsum totius corporis, iuxta Galen. placitum, qui non oriri solùm; sed toti ventriculo eam appetentiam tribuit, 4. *de vsu part. cit.* imò & intestinis ipsis.

Mitto nunc cuiusnam facultatis ventriculi symptoma sit: naturales enim virtutes ministrantes, cùm quatuor tantùm à Galeno constituantur, & vnicuique tres symptomatum tribuuntur species, duodecim euadunt facultatum naturalium symptomata, tam in ventriculo, quàm in aliis membris, inter quæ abolita, aut deprauata appetentia nequaquam comprehenditur. Neque ad animalem facultatem potest referri: appetentia siquidem sensus non dicitur, sed aliud quidpiam ad eum consequens, 1. *de caus. sympt. 7.*

Solue. Cùm circa perfectiora magis inuigilet natura, & in illis plura soleat ad eundem vsum excogitare instrumenta, pro tam necessaria vitæ nostræ actione, qualis illa est appetendi alimentum, in reparationem substantiæ perpetuò deficientis, soli naturali appetitui etiam plantis communi, non commisit, sed insuper animalem addidit ab illo toto genere distantem, quem soli ventriculo, & maximè eius orificio cum exactissimo indigentiæ sensu inseruit, vt huius interuentu ad cibum sumendum excitaretur animal. Nec immeritò, quia cùm in similitudinem plantarum, non semper proximum, & paratum habeamus alimentum, sed extrinsecum, & distans oporteat requirere: cúmque vniuersa membrorum tractio, per media vasa, & iecur, ad ventriculum terminetur, nullaque iam supersit particula à qua ventriculus ipse trahere possit, necessarium fuit eum exacta vi sentiendi esse præditum, quæ sugentium à se vasorum diuulsionem sentiret, & animali appetentia, quæ vellicationis sensu excitata in cibum ferretur externum, & pro ventriculo ipso, totóque corpore appeteret, siue huius etiam gratia, siue tantùm per accidens trahat; reliquis autem membris satis fuit naturalis, quia cùm inter sese veluti in circulum trahant, nec sensu ita exacto polleant, mutuas suctiones non sentiunt, nec in externum ferri possunt alimentum, quæ est animalis appetentiæ operatio.

Hinc solus ventriculus ex sensata suctione dolet. Hinc solus famescit, solúsque cibi, ac potus sumptione afficitur voluptate, videlicet quia in eo solo ante cibum sentitur vellicatio, sugentibus ab eo vasis, ceu à terra stirpibus, & cum dolore, ac cruciatu vellicantibus. Accedente verò alimento, quia vasis ad ipsum insertis, suctio, & morsus cessat, repentè etiam cessat molestia, & consequitur voluptas, pro ratione sedatæ molestiæ.

Insuper præterquam quòd delitiæ, & doloris causæ tantò magis imprimunt, quantò copiosiores, & magis confertim accedunt; accedit autem totius corporis alimentum ad ventriculum, membris autem exiguum, & sensim; ventriculus amplioribus neruis, quàm membra præditus est, atque adeò multò plus sentit, & præcipuè orificium: in eo necessum fuit, & sensum vigere, & munus expetendi nutrimentum externum, in vsum totius.

Quamuis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 444 sur 927

Quamuis autem appetentia animalis ex ſenſata meſaraïcarum ſuctione promoueatur, (hoc enim obiici poterat) non proinde oportuit plurimas ventriculi ori implantari, ſat enim erat tractionis impetum eidem occurrere, & ex percepta diuulſionis moleſtia, acutiſſimo ſenſu, quo pollet, præ reliquis dolere: fundo verò, ac inteſtinis plures meſaraïcas opus fuit ineſſe, quia inde per eas, tanquam arbor à radicibus, & veluti manibus quibuſdam, iecur alimentum attrahit, vt *lib.5. cap.7. de loc.affect.* & *lib.6.cap.3.* & *6.de placit.8.* & alibi, Galenus edocuit.

Iam verò abolitam, ſeu deprauatam appetentiam nulli dubium eſt, ſymptoma eſſe appetentiæ animalis, quæ perit, aut deprauatur, pereunte, aut læſo ſuctionis ſenſu. Num verò naturalis aliqua facultas detur à tractrice diſtincta, qua naturalia inſtrumenta appetant quod ſibi conueniens eſt; an ſufficiat naturæ inſtinctus, ad modum inanimatorum corporum, in quibus facultates non ſunt, non eſt huius loci diſputare.

Maioris tamen negotij inquirere: *Vtrùm Cardialgia inter affectus peculiares debilitatis ventriculi numeretur?* Licèt enim in cardialgia, ſiue cordis dolore, aut morſu, ſtomachus nonnunquam primariò affeiatur; ea tamen affectio in corde fit, noxa in ipſum tranſmiſſa, huiuſque viſceris propria eſt, non ſecus quàm ſtomachica ſyncope, vt 4. *Aph.65.* notauit Galenus. Ergo Cardialgia non ventriculi, ſed cordis affectio eſt.

Dic. Quamuis nonnulli vocis appellatione decepti, Cardialgiam (quæ, vt inquit Galenus *2.meth.2.* à parte affecta, & affectu ipſo nomen aſſumpſit) inter cordis mala numerauerint, perinde ac cardiogmon, & morbum cardiacum, ea tamen omnia ad ventriculi os (à quo, quia etiam cor à veteribus fuit appellatum, denominationem receperunt) tanquam propria ſymptomata pertinere, auctor eſt Galenus *in locis multis.* Cardialgiam enim, dolorem, ſiue morſum cordis, hoc eſt, oris ventriculi definiuit, *2.de placit.8.* & *4. Aph.17.* & *65.* ab acribus, mordentibúſque ſuccis, *1.de cauſ.ſympt.7.* & *5. de vſu part. cap.4.* ipſius ventriculi mordicationem appellauit. 2. autem *de placit.cit.* euenire dixit, non ſolùm ægritudine vexatis, verùm etiam his qui diutius ieiunium tolerant, præſertim vbi vehementi exercitatione fatigati cibum nullum aſſumpſerint, atque etiam mœrentibus, nempe quia vehemens exercitatio, & mœror efficiunt, vt bilis flaua in ventriculum irruat, à qua morſus ille, & dolor excitatur.

Deinde cardiogmon idem prorſus eſſe, & cum cardialgia coincidere, conſtat ex Gal.4. *Aph.65.* Quòd ſi iuxta aliorum expoſitionem, de qua etiam Galenus *ibi*, pro crebro, & veloci cordis motu, palpitationi ſimili accipias, ad viſcus ipſum, ſeu cor petinebit. Denique ſtomachi quoque vitium, eſſe cardiacum, colligitur ex Galeno *lib.definit.med.paulò poſt med.* Tral. *lib.7. cap.11.* Aëtio *tetrab.3.ſerm.1.cap.1.* Celſ. *lib.3.cap.19.* Ex quibus colliges, affectionem eſſe à reliquis cardiacis diuerſiſſimam, vtpote quæ cum acuta, & æſtuoſa febre eueniat, vt Aëtius teſtatur, & non ſolùm ab acribus, mordentibúſque ſuccis ortum ducit, ſed & eiſdem venenoſis, ac virulentis, vt Tralliano viſum eſt, cum nimia corporis imbecillitate accedens, immodico ſudore, faciei, ceruicis, & corporis, ac cum extremorum refrigeratione, ac ſiccitate, teſtibus Aëtio, & Celſo, adeò vt in ſyncopen propè deducat: Ab aliis, licèt cor propter vicinitatem, & commercium cum ore ventriculi, in conſenſum ſæpe trahatur, & vbi increuerint, nonnunquam etiam vehementer afficiatur, non ita tamen periculosè, ac in cardiaco morbo.

Debilitas ergo ventriculi, à qua tot mala ſcaturiunt, & emanant, definitur à Galeno *lib. de diff.ſympt. cap.4.* quando ventriculi facultas à ſuo munere deficit: & cùm præcipuum huius partis munus ſit, alimentum concoquere, fit profectò, vt cùm venter in coctione deficit, magis propriè dicatur imbecillitas, quàm cùm in aliis muneribus coctioni famulantibus aberrat: hæc autem ſunt appetitus, attractio, retentio, & noxij expulſio. Itaque cùm imbecillitas ſit, quæ potentiam à ſuo ſcopo aberrare facit, dum ventriculus in alimentorum concoctione deeſt, iure optimo imbecillis dici meretur.

Sed quæres: *Vtrùm Ventriculi concoctio rectè à Galeno definiatur?* De hoc argumento etſi plura *lib.4. in com. Hiſt.15.* tamen pro complemento huius capitis, de eo liceat perpaucula delibare, diuerſa ab illis quæ illo loco tradita ſunt. Galenus enim *lib.3.de cauſ.ſympt. cap.1.* plures antiquorum refert opiniones, qui multipliciter ipſam definiebant. Alij enim ventriculi coctionem per ciborum attractionem fieri rati ſunt, cuius quidem opinionis Eraſiſtratum fuiſſe conſtat, vt *3.de nat.facult.cap. 6.* refert Galenus. Alij putrefaciendo concoquere ventriculum arbitrabantur, in qua opinione perſeuerarunt Empedocles, & Praxagoras. Tertia, & verior ſententia erat Hipp. Galeni, & omnium propemodum veterum Medicorum, qui coctionem, eſſe alterationem cibi in propriam, ac familiarem nutriti qualitatem affirmarunt: ita definit Galenus *lib.2.de natural.facult.cap.4.* & *lib.3. eiuſd.operis, cap.4.* & *7.* & *lib.de ſympt.dif.cap.4.* & *lib.3.de ſympt.cauſ.cap.3.*

Hoc manifeſtè apparet in ventriculi coctione, & ſanguificatione, in quibus alterationibus priores alimenti qualitates, vt odor, color, & ſapor, à calore natiuo partium mutantur in alias. Nec tamen ſentiendum eſt in hac coctione ſolas qualitates mutari, ſine introductione nouæ formæ ſubſtantialis: quia vera eſt genetio, quæ nihil aliud eſt, auctore Ariſt. quàm mutatio huius totius in hoc totum, nullo ſenſibili manente eodem; & ſic in omni coctione naturali verè corrumpitur forma ſubſtantialis alimenti, & verè adeſt generatio humoris, aut materia informatur à forma viuentis. Quando ergo Galenus definit coctionem, per mutationem qualitatum alimenti in aliti qualitatem, intelligendum eſt ad mutationem qualitatum alimenti, vnà etiam eiuſdem alimenti ſubſtantialem formam mutari: quod ſanè his verbis ſignificauit ipſe, *1.epid.ſect.2. com.44.* coctio in concoquentis ſubſtantiam deductio quædam eſt eius, quod concoquitur: quo loco per deductionem, viam intellexit, non terminum; quomodo Ariſt. *4.meteor.* definiens coctionem per perfectionem, quæ proprio, natiuóque calore ex oppoſitis paſſiuis emergit, motum quendam per quem id quod mouetur perficitur, non rem perfectam accepit.

Vtrùm verò cauſa proxima coctionis ſit natiuus calor? indagandum eſt. Et pro parte negatiua ſunt argumenta. Primum. Coctio etiam fit à calore extraneo. Ergo non à ſolo calore naturali. Probatur antecedens, ex Galeno *5. Aph.10.22.* & *1.epid.ſect.2.com.10.* & *41.* quibus locis omnia quæ mediocriter calefaciunt coctiones efficere aſſeuerat; cuius generis ſunt boni ſucci cibi, fomenta, cataplaſmata, frictio lenis, balneum, quies, &c.

Secundum. Digeſtio, eſt coctio, ex Auic. *4.1. tract.2. cap.7.* docente ad commodam humoris vacuationem requiri eiuſdem coctionem, ſiue digeſtionem. Sed digeſtio non fit à coctrice, cùm illa nihil aliud ſit, vt ex verbi ſignificatione conſtat, quàm alimenti in corpus diſtributio, quæ ab expultrice ſimul, & attractrice peragitur, vt *lib.2.de facult. natural. cap.2.* firmauit Galenus.

Verùm à ſolo calore naturali fieri coctionem per ſe, immediatè, & primariò, *citatis ſuprà locis* docuit Galenus, & *lib.de præcognit.ad Poſth.cap.11.* natiuus namque noſter calor in coctione efficienda principij vicem obtinet, præcipuúmque agens haberur. Hoc patefecit Ariſtoteles *lib. 4. meteor. cap. 2.* dum ſic ait: *Atque perfectionis exordium à natiuo calore prouenit, quamuis ab aliquo*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 445 sur 927

externorum adminiculo ad calcem vsque perduci soleat, quomodo alimentum per balnea, & id genus alia concoquitur; verùm principij vicem internus calor occupat. Itaque calor naturalis est, qui primò, & per se coctionem operatur, quandoquidem omnium operationum quæ in corpore fiunt, auctor ipse est, & causa, vt ipse testatur 1. *Aph.* 3. & 15. & *lib. de art. med. const. cap.* 12. & 6. *epid. sect.* 4. *com.* 13. & 25. & *sect.* 5. *com.* 5. & alibi sæpe. Quare fomenta, balneum, & cætera iuuant coctionem, non efficiunt; natiuum enim calorem fouent, & eidem robur adiiciunt, vt 5. *simpl.* 5. iterum confirmat.

Pro secundi argumenti solutione quæres: *Vtrùm Coctio, à digestione distinguatur?* Dic, quòd licèt ab Auicenna, & Arabibus hæc duo inter se confundantur, (etsi in latissimo coctionis significato eorum sententia possit admitti) tamen propriè, strictè, & verè, longè sunt diuersa: Nam digestio, auctore Galeno 2. *de facult. nat. cap.* 6. nihil aliud est, quàm ordinata alimentorum distributio, seu concocti, ac confecti alimenti, & in sanguinem conuersi in corporis particulas omnes attractio, quam natiuus calor molitur, vt *lib. definit. medicar. ante med.* docuit Galenus. Idem affirmat 4. *de vsu part. cap.* 17. quo loco vnum esse coquendi alimenti instrumentum, aliud distribuendi pronunciat. Eadem distinctio colligitur ex Gal. *lib. quòd animi mores, cap.* 3. vbi loquens de vino sic inquit. *Nam reuera si eo commodè vtaris, & concoctioni, & digestioni, & sanguinis generationi, & nutritioni confert abundè.* Quare digestio, seu distributio, à diuersis facultatibus, nempe expultrice, & attractrice, & non à concoctrice perficitur. Quapropter 4. *de sanit.* 7. diuersa pro distributione alimentorum, & eorum coctione auxilia proponit: pro illa calidiora; pro coctione mitiora. Nam in digestione non vna tantùm facultas operatur, velut in concoctione concoctrix, sed duæ facultates naturales eodemmet tempore, attractrix videlicet, & expultrix. Concoctionem tamen ipsam, ac distributionem, seu digestionem, velut & alia naturalia opera ab ipso calore innato primariò perfici, præter citata loca 1. *Aph.* 15. & 2. *lib. eiusd. operis, com.* 7. diligenter probauit Galenus.

Causa.

INquirendum primò: *Vtrùm causa debilis coctionis ventriculi, ex inopia succi melancholici ab splene ad ventriculum delati oriatur?* Galenus *lib.* 5. *de vsu part. cap.* 4. *in fin.* annuere videtur, dum enim huius succi, ab splene confluentis ad ventriculum, vtilitatem, & vsum perpendit, sic inquit: *Constat ergo, quòd quemadmodum hæc noxia esse memorabatur, propterea quòd vetaret cibos diutius in ventriculo concoqui, atram certè bilem non modò non ledere comperiemus, sed & actionem insuper ipsius adiuuare: Nam ventriculum contrahit, ac intendit in seipsum, cogitque cibos ad vnguem complecti, ac retinere, quousque fuerint percocti.* Sua enim siccitate ventriculum corrugat; & adstringit, & hoc modo retentum alimentum non elabitur, sed detentum meliùs concoquitur. Id affirmat Auicenna 1. 1. *doct.* 4. *cap.* 1. *prope finem*, §. *Vtilitas verò accidit, quia in os stomachi quasi mulgendo profluit, & hæc quidem vtilitas duobus est modis: vno, quia os stomachi stringit, & confortat, & inspissat, &c.* Quare si in modica copia ad ventriculum confluit, coctionem iuuat ratione dicta; si in pauca, vitiat, cùm ante tempus constitutum chylus elabatur è ventriculo.

Sed in hoc argumento elucidando sunt dubitationes plures. Prima. Melancholia, excrementum quoddam est terreum, & grauissimum. Ergo impossibile videtur, quòd à liene sursum ad ventriculum deferatur, atque inde in cerebrum, melancholica symptomata inducturum; maximè cùm bilis leuissima, deorsum potiùs ad intestina descendat, & ne ventriculum offendat, ac eius operationes impediat, rarissimè, & nonnisi ex vehementi causa in ipsum fluat, 1. *de temper.* 6. & colligitur ex 7. *Aph.* 17.

Præterea dubitant Anatomici periti, quanam via demandetur: Nam si per ductus aliquos, seu vasorum propagines vsui ventriculi confluit, non potest coarctare, constringere, roborare, & retinere; cùm amara sit: amarum autem abstergit, incidit, separat, disiungit, penetrat, calefacit ordine tertio, si fides præstanda est Galeno, 4. *simpl.* 19. & 5. *eiusdem, cap.* 2. 18. & 26. Auicennæ *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. Serapioni *lib. de simpl. temp. cap. de sapore amaro.* Si per ramulos, vel à liene, vel à iecore exortos: Non primum, quia ori ventriculi, non fundo, coctionis sedi asseruntur implantari: præterquam quòd cùm in omni parte ventriculi chylificatio vigeat, coctus iam, dulcis, & elaboratus prodiret succus ille à liene; quo pacto nec vtilis ventriculo accederet, nec opus esset ab ipso splene purgari. Non secundum, quia tunc à iecore diceretur confluere, non à liene ipso, ac proinde, &c.

Dic. Supposito, quòd lienem, & fel iuxta hepar natura formauit, vt sanguinem à fæce, & igneis portionibus emundaret fel bilem, ne si cum sanguine per vasa simul distribueretur, breui totum corpus exureret, atque humidum exiccaret: Lien melancholiam, sua crassitie, vasa & meatus obstructuram; nisi lienis vi in propriam alimoniam traheretur: Quærunt, num ab eo portio aliqua melancholiæ in ventriculum eructetur, etiam sanitatis tempore. Rursus ad fundúmne, vel illius os, & in quem potissimùm vsum, & omnes ferè consentiunt ad ventriculi os melancholiam naturaliter transmitti, (neque enim morbosè, & præternaturaliter fluere quispiam asseruit) potissimùm iuuandæ coctionis gratia, ex Galeno 5. *de vsu part. cap. cit.* cùm enim frigida & sicca sit, atque adstringens, non exiguam ad concoquendum, corrugatione sua, ventriculo commoditatem affert.

Quamuis autem naturaliter grauis sit, sursum tamen ad ventriculi os ascendit, ob speratam vtilitatem dictam; non autem bilis, etsi leuissima, (saltem in pari quantitate, nec enim aliquid etiam illius ad ventriculum fluere, negauit Galenus, vbi *suprà*, 5. *de vsu part.*) videlicet ne sua acrimonia, & mordacitate, ciborum exitum ante coctionem festinaret, ex Galen. *ibidem*, & Auic. 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 16. sed infernè potiùs ad intestina descendit, ad fæcum expulsionem excitandam; quod non immeritò 1. 1. *de humoribus*, Auicenna miratur, & creatoris industriam, sicut in reliquis, extollit.

Eructatur autem melancholiæ portio, antequàm concoquatur, 5. *de vsu part. cit.* quæ præ crassitie in lienem conscendere non potest; non aliter quàm ab hepate in splenem ipsum illa sanguinis portio, quæ iecur permeare non potuit: id quod monstrat vena ipsa deferens melancholiam in stomachum: antequàm enim lienem ingrediatur, ramum ad os ventriculi diffundit, illud instar coronæ circumdantem, cuius aliqua portio crassior in fundum elabitur, iuuandæ coctionis gratia. Quicquid aliqui opinentur, priùs melancholiam in splene concoqui, & partes eius crassiores, quæ in sanguinem conuerti nequeunt, in ventricurum effundi in dictos vsus.

Quæri etiam potest: *Vtrùm pellente liene, an potiùs attrahente stomacho, ad iuuandam coctionem, in ventriculum succus melancholicus deferatur?* Nonnulli putant ab stomacho trahi, & eo solùm tempore, quo alimentum concoquitur, vt illius interuentu magis fausta concoctio perficiatur: idque confirmant ex Auicenna, quem ita interpretantur, dum 1. 1. *doct.* 4. *cap.* 1. in hæc verba prorumpit: *In os stomachi quasi mulgendo profluit, hoc est, ipso cum violentia trahente, tempore necessitatis. Cæterùm hoc videtur magis rationale, quàm naturale opus.*

Credendum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 446 sur 927

©BIUM

Credendum ergo, quòd ſicut perpetuò à felle, bilis ad inteſtina defluit, in expulſionis vſum, quam excitat, quia mordax, acris, & ſtimulans: ita portio melancholiæ à liene ad ventriculum regurgitat, quæ quia frigida, ac ſtyptica, ſtomachum comprimit, conſtringit, & denſat, & ad meliorem retentionem, & coctionem, ventriculum ipſum diſponit, infrigidando, & conſtringendo; durities enim, & corrugatio, ad quietem, & alimenti retentionem facit, quin & ad concoctionem, quæ quiete potiſſimùm celebratur, 1. *de cauſ. ſympt. vlt.* & 4. *acut.* 44. cùm enim contrahitur in ſe, & conſtringitur ventriculus, meliùs retinet, 3. *de natur. facult.* 13. promptiúſque cibos amplexatur, atque exactiùs concoquit, 2. *Aph.* 38. Hanc ergo commoditatem præſtat atra bilis moderata in ventriculo; quæ ſi minori copia confluat in ipſum, non ita fauſta concoctio celebratur. Num verò in alium vſum, nempe ad excitandam appetentiam, in ventriculi os regurgitet, *lib. vlt. tract. de feb. ſymptomatis, tit. de inappetentia*, diſceptabimus.

A robore ventriculi coctio meliùs perficitur, ab imbecillitate vitiatur. Sed cùm hæc potentiam à ſuo ſcopo aberrare faciat, dum ventriculus in alimentorum confectione deeſt, iccircò imbecillis dici meretur. Sed videndum: *Vtrùm coctionis tria ſint ſymptomata?* Non plura autem, nec pauciora eſſe, oſtendit Galenus *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. §. *Quòd ſi nulla, &c.* Quare cruditas ventriculi eſt triplex. Prima fit, quum nulla prorſus in ventriculo concoctio fit, à Græcis dicitur omnimoda cruditas, & *Apepſia*. Altera eſt, cùm alteratio in ventriculo fit, ſed non vt oportet, cùm ſemicrudum relinquatur alimentum, & nominatur *Bradypepſia*. Tertia eſt deprauata coctio, quæ licèt apud Græcos nomine careat, tamen *Dyſpepſia* poteſt nuncupari, in qua licèt natura, diu & multum circa alimentum coquendum incumbat, attamen degenerat in alienam qualitatem, nutriendo corpori contrariam.

In *eodem* tamen *capite* Galenus prædictorum ſymptomatum cauſam ſatagens explicare, illam in genera, & ſpecies diuiſit. Communem verò cauſam ait eſſe facultatis coctricis ab ſcopo aberrationem: aberrat autem bifariam, vno modo, quando facultas ipſa laborat; altero, vbi aliquis externus error incidit. Vterque autem horum modorum rurſus diuiditur: quippe facultas ipſa bifariam læditur, vno modo, ob intemperies, quæ eius eſſentiam occupant; altero, ob aliquem morbum inſtrumentalem. Externus autem error triplex eſt, vnus in ventriculi excrementis, ſiue in ipſo nata ſint, ſiue in ipſum confluxerint; alter in cibis; alius in tempore ſomni, vt quòd ſit breuior, prolixior, nocturnus, vel diurnus.

Sed cùm debilitas ſtomachi fortaſſe ſit cauſa omnium ægritudinum corporis, monente Auicenna 13. 3. *tract.* 2. *cap.* 4. iccircò hæc omnia priùs ſunt diligenter examinanda. Et primò quærendum: *Vtrùm excrementa, ventriculi coctionem interturbent?* Reſponde affirmatiuè: cùm enim tripliciter in ipſo ſuccreſcant, coctionem vitiant. Hæc ex variis corporis partibus in ipſum confluunt, quæ integram caloris actionem in alimenta impediunt, imò obruto calore cruditates moliuntur. Aliquando redundant in ipſo, cùm enim expultrix langueſcit, excrementa excernere nequit, quæ ſi plus retineantur, corpus, & ventriculum exagitant, & morbos committunt, ex Gal. *lib.* 1. *de ſanit. tuend. cap.* 11. §. *Cùm verò edendum:* & *eodem lib. cap.* 3. Quare cùm ex tribus coctionibus quæ in corpore fiunt, excrementa emanent, ſi retinentur & eo loco ſtabulantur, concoctio minus fauſta fit; quo pacto ſi illa foràs per vomitum non pellantur, omnis generis cruditas emanat.

Deinde quærendum: *Vtrùm ventriculo nequaquam affecto poſſit læsa concoctio?* Multis de cauſis ventre ipſo minimè læſo coctionem fruſtrari teſtatur *cit. de cauſ. ſympt.* Galenus, & repetit *lib.* 1. *de loc. cap.* 3. Et pro maiori huius, & ſuperioris quæſtionis expoſitione, aduertendum eſt, tripliciter poſſe contingere corrumpi alimentum in ventriculo, vnde tres reſultant corruptionis differentiæ. Prima, vbi alimentum corrumpitur vitio ventriculi, quia ſcilicet cùm afficiatur intemperie aliqua, vel phlegmone, concoquere non potuit. Secunda, vbi bilioſi, corruptíque humores in ipſo coaceruantur, quorum contagio ingeſtum alimentum corrumpitur. Tertia, ob prauam ipſius alimenti qualitatem, quia ſcilicet putridum ex ſe, aut omnino corruptioni obnoxium, vel quantitate immoderata, vel inordinatè ſumptum; qualitatis enim vitium in alimento etiam quantitatem comprehendit, & ordinis errorem, vt quia craſſum præcedit tenue: hanc tertiam corruptionis differentiam, Galenus cruditatem appellat.

Si itaque alimentorum vitio, corruptio illorum in ventriculo contingat, dubitabant antiqui Medici, num ex hac cruditate, coquendi actio dicenda eſſet læſa: & nonnulli quidem affirmabant; quidam è contra negabant: alij denique aſſerebant, alimenta ob ſui vitium corrupta, nec coquendi actionem vitiatam arguere, nec cruda, coctáue eſſe dicenda, ſed tantùm non cocta, ac ſi idem non eſſet, aliquid per negationem, & per nomen infinitum pronunciare, vt contra eos, *lib.* 1. *de loc. cit.* contendit Galenus: Nam ſi hæ conuertuntur: eſt non homo, non eſt homo; cur ſimiliter non erit idem affirmare de alimento, quod ſuperatum non fuit, eſt non coctum, quod illi negabant, ac non eſt coctum, quod concedebant.

Verùm in propoſita difficultate, ſi verborum proprietas obſeruetur, contendit eo loco Galenus, non eſſe dicendam actionem læſam, quando non vitio, culpáue ventriculi, ſed potiùs obiecti, perit & fruſtratur concoctio: Nam cùm actio importet motum ab agente membro prodeuntem, nunquam dicetur læſa, ipſo membro incolumi durante. Cùm ergo in quæſito problemate, ventriculus omnino vitio careat, non dicetur eius actio læſa, ſed potiùs paſſum ipſum alimentum, ſcilicet non euictum, nec mutatum, quemadmodum ſi manus v. g. laminam ferream perfringere non poſſit, non dicetur ſimpliciter impotens, aut inualida manus, ſed tantùm lamina ipſa integra, & infracta.

Rurſus læditur concoctio illæſo ventriculo, ex Galeno 3. *de cauſ. ſympt. cit.* ob alimenti copiam immodicam. In hunc modum quærendum: *Vtrùm alimentum calori, vel reſolutioni proportionandum?* Galenus *lib.* 1. *acut. com.* 44. *in fin.* reſolutionis proportione, definiendam eſſe quantitatem alimenti aſſeuerat, dum ſic ait: *Nempe ſi nihil è noſtro efflueret corpore, alimento opus non eſſet; ſed quoniam effluit, ideò huius proportione cibi quantitatem definimus. Quibus igitur per cuticulares meatus parum exhalat, fieri poteſt, vt his ſummam conſulamus inediam; & magis, vbi virtutem ab initio validam habuerint, &c.*

Contrà videtur obſtare Hippocrates, *lib.* 1. *Aphor.* 15. dicens: *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento.* Quo loco proportionandum eſſe alimentum calori coquenti, manifeſtè aſſeuerat, quam poſitionem communis Medicorum ſententia confirmat. Dic primò. Vtraque pars, ſi vt decet, interpretetur, non incongruè firmari poteſt: Nam pro modo reſolutionis exhibendam eſſe eſcam, conualeſcentes demonſtrant manifeſtè: qui vbertim edentes, ſatiari nequeunt: non enim ſolùm pro præſenti, ſed præterita reſolutione appetit natura. Neque obiicias, quòd calor concoquens ex præcedenti reſolutione debilis factus, plurimam alimoniam non tolerat: Nam ſingulis horis calor robuſtior fit, & alimentum parum, & ſæpe oblatum non grauat, quod etſi ſit exiguum in

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 447 sur 927

quantitate, multum est in nutriendo. Dic secundò. Alimentum debet esse proportionatum resolutioni, ni aliquid obster, vt virium debilitas, quæ resurgentes ex morbis frequenter comitatur.

Secunda pars, verissima est: Nam alimentum calori naturali coquenti respondere debet, tanquam effectus producendus ex sua causa; cùm enim illud offeratur, vt conuersum in sanguinem corpus nutriat, in ea quantitate assumendum est, qua possit conuerti, & concoqui: Si plus ingeritur, manet incoctũ, cruditates, & morbos parit, & corpus non nutrit, sed famescunt membra, 11. *meth.* 15. Deinde alimentum debet esse æquale calori naturali, tanquam conseruans, & conseruatum; cùm enim calor noster compositus ex naturali, & influente, perpetuò resoluatur & euanescat, ob subiecti sui humiditatem, vt præsens, qualis est, conseruetur, si multus est, multum debet esse alimentum, alioquí deficiente materia extinguetur. Insuper. Cùm calor naturalis otiosus nunquam sit, nec omnino ab operatione cesset, nisi semper circa alimentum occupetur, si materia desit, ad humidum substantificum absumendum se conuertet; quare cum virium debilitate carnium subsequetur extenuatio. Neque contra hanc doctriam proponas Athletas, *lib.* 1. *Aph.* 3. quorum calori minimè respondere debet alimentum: Propositio enim nostra solùm est intelligenda, quando præsentem calorem conseruare intendimus, qui intra sanitatis limites est constitutus, 1. *de sanit. tuenda*, 8. qualem Athletarum non esse, nullus it inficias, cùm à symmetria recedat, quorum habitum esse perniciosum, ex quo timetur abruptio vasorum, & natiui caloris sequitur extinctio, Hipp. *ibi* inculcat.

Vtrùm satietas vitiet coctionem? Auicenna 13. 3. *tract.* 2. *cap.* 36. sic respondet: *Scias quòd plures agritudines in stomacho sequuntur satietatem nauseatiuam. Aliena ergo eam, cùm ex rebus magis inimicis stomacho, sit repletio; & propter illud non augetur corpus guloſi, quia cibus non digeritur, quare non nutritur ex eo corpus. Ille autem qui à cibo abstinet, dum in ipso remanet adhuc aliquid, appetitus augetur, quoniam stomachus eius bene digerit cibum.* In hunc sensum dicebat ipse 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *in princip. Quod enim in corpore est deterius, est nutriens super nutriens, quod non est digestum mittere.* Quoniam *non ex iis quæ deuorauerit quispiam, sed ex iis quæ probè in ventriculo concoxerit, fit nutritio*, vt *lib.* 11. *meth. cap.* 15. monuit Galenus. Plurimus enim cibus distrahit naturam à coctione, & remanens incoctus, grauat & opprimit ventriculum, cuius calor, velut ignis à congerie lignorum obrutus, & suffocatus perit, & extinguitur. Hinc Auicen. *loco nuper citato* sic profatur. *Quot namque homines superfluè se repleuerunt, & suffocati interierunt?*

Deinde: *Vtrùm fames coctionem perturbet?* Respondeo affirmatiuè cum Auicenna, *loc. cit. in princip.* dum sic ait: *Sed tolerare famem, stomachum virulentis replet humoribus.* Famescens enim ventriculus, denegato conuenienti alimento, ex omni corporis parte, ad nutritionem sui, vel inutiles prolectat humores, qui à sua natura cùm sint alieni valde, in corruptelam vertuntur, & multipliciter coctionem interturbant, si postmodum offeratur esca. Adde quòd arescens ventriculus coctioni fit magis ineptus, & humido absumpto debilior factus, non amplexatur, aut retinet, sicut ad faustam coctionem opus est.

Satietas ergo, & fames ventriculo nocent apprimè, iuxta Senis edictum 2. *Aph.* 4. *Vtrùm* verò *satietas, aut inedia magis sit sanitati ventriculi molesta?* dubitabis. Dic, quòd licèt diæta omnibus tam sanis, quàm ægris sit maximè necessaria, *lib.* 1. *de alim. facult. cap.* 1. Ob quam causam, ea Medicinæ pars quæ vocatur Diætetica, hoc est, victum instituens, cæteris omnibus, nempe conseruatrice, refectrice, & præcautrice est præstantior, quia in se ipsas continet, monente Galeno *in introduct. cap.* 8. & iccircò anteponenda Pharmaceuticæ, & Chirurgicæ. 1. *acut.* 16. explicat Damascenus *Aph.* 160. & huius beneficio, plures morbi funesti, ac soluu difficiles, fœlicem habuerint exitum, ex Auic. 4. 1. *cap.* 1. *post med. in* §. *Licèt multas prolixarum agritudinum, &c.* & Galeno *lib. de theriac. ad Pamphilian. cap.* 1. Celso *lib.* 2. *cap.* 6. §. *Neque vlla res magis adiuuat laborantes, quàm abstinentia, &c.* Hippocrates 6. *epid. sect.* 4. *text.* 22. dicente, summum sanitatis studium esse non satiari cibis: Tamen cùm idem Hippocrates 1. *Aph.* 5. victum, & inediam in sanis, & ægris periculosam esse statuat, ideò ad sanitatem ventriculi non absolutè præferenda inedia venit. Si enim plurima exhibeas alimenta, grauatus, non rectè concoquit, sed ex crudo aliquo modo nutritur, & ciborum multitudini assuescit, vt si postmodum per breue temporis spatium à cibi multitudine abstineas, ad sanitatem redeat; id quod vbi ex inedia contabuit, sperare ferè non licet: quod etiam in causa fuit, vt Galenus 7. *meth.* 7. siccitatem, longius tempus postulare affirmet, quàm humiditatem, vt etiam insanabilis euadat, si consummata sit; ex qua hecticam ventriculi aliquando suboriri, *eo loco* Galenus confirmat.

Illud verò non ineleganter discutietur dubium: *Vtrùm panis esus stomachum roboret, & coctionem iuuet?* Pro parte negatiua est argumentum validum. Præter acutiem sensus, infirmitas etiam oris ventriculi potissimùm facit ad vitiosorum humorum defluxum in ipsummet vẽtrem, à quibus concoctricis oritur debilitas, 1. *sec. loc. cap.* 1. *de his, quibus ex stomacho caput dolet.* Atqui inter alimenta, panis etiam portione exigua assumptus, grauis & ponderosus est, difficilisque coctionis, quantumuis purissimus, plurimúmque fermentatus, & subactus pulcherrimè, 1. *de alim. facult.* 2. Ergo si panis in stomacho resident diu, oneri est inprimis molesto: quòd si non concoctus satis, dilapsus fuerit, hepar infarcit, ac mesaraïcas.

Dic. Panis, materia dicitur alimentosa, quia omnium ciborum veluti materies est, & illis omnibus permiscetur semper; quare theriaca omnium alimentorum appellatur. In ventriculo, cui est alimentum familiarissimum, facilè concoquitur; licèt enim obsonia delicata, exquisitáque sæpiculè respuamus, hunc vnum retinemus, à quo nunquam abhorremus, duntaxat sani. Idem succi optimi, temperati, durabilis, minimè excrementitij, bene fermentatus, purus, & pulchrè subactus, ac in clibano ad ignem moderatum assatus, bellissimè concoquitur, *cit. de alim. facult.* & in parua quantitate exhibitus, vim maximam habet roborandi ventriculum, bilisque congeriem in ventriculi os confluentis prohibet.

Hinc patet, rectissimè fecisse Galenum, 5. *de loc. cap.* 6. qui pro curatione Grammatici illius, epilepsia ex ore ventriculi suscitata laborantis, huic ad præcautionem bilioſi defluxus in ventrem, ex acuto illius sensu, & imminentis epilepsiæ, roborandi gratia panem exhibuit, eúmque sine obsonio, & potu. Quamuis autem multa reperiantur edulia, concoctu faciliora, & citiùs roborantia, tamen exiguus panis vsus obtinet principatum, 1. & 6. *de sanit. tuend. cap.* 10. Auic. 3. 1. *doct.* 2. *c.* 7. Tral. *lib.* 1. *cap. de epilepsia.* Quare si panis sit electus, & vt decet paratus, non grauat ventriculum, imò iuuat coctionem, roborat ipsum, ac firmat.

Consequenter dubitandum: *Vtrùm panis minùs grauet ventriculum, & facilius coquatur, quàm caro?* Pro carne facit ratio, quia maiorem ducit cum humano corpore similitudinem, proinde ex ea minùs prouenit nocumenti, & hepatis, aut mesaraïcarum obstructio leuior, ac curationi minùs obsistens, imbibentibus membris longè procliuiùs, ob cognationem, carnis succum, quàm panis.

Verùm contraria sententia amplectenda, ob causas multas. Prima. Illud alimentum magis nutrit, & facilè concoquitur, quod nobis magis est simile, & familiare,

auctore

auctore Galeno 4. *meth.*7. & 3.*de temp.*2. & 6. *de sanit. tuend.*§. *Ac maximam quidem vim habet, ad ea quæ eduntur, bibuntúrque, non in ventre modò, sed etiam toto corpore conficienda, totius substantiæ conuenientia, &c.* Sed panis est huiusmodi. Ergo faciliùs concoquitur carne. Maior patet ex Galeno. Minor suaderur multis: Nam pane assumpto citiùs famescimus, quàm carne. Insuper panis est optimus cibus, & naturæ humanæ carne similior, ex Galeno *lib.de bonit. & vit.succor. cap.*3. Auer.5. *collig.*31. Rasis 3. *ad Almans.*3. & 9. Cels.*lib.*2.*cap.*18. Hac ratione Galenus 7. *meth.*6. & 1. *de sanit. tuend.*10. panem infantibus post lactis potum concedit, non carnem, quia in ipsorum tenello ventriculo faciliùs concoquitur.

Si enim alimenti proprietates contempleris, inuenies panem faciliùs concoqui, alere, & velociter nutrire, quàm carnem; familiarius enim alimentum est, naturæ nostræ similius, citiùs distribuitur, & plurimùm nutrit, cùm multum reponat humidi crassi, & lenti. Hoc colligitur ex auctore *lib.de dissolut.continua, cap.*3. quo loco quinque proponit conditiones ad facilitatem coctionis attinentes. Primam colligit ex temperamento; secundam, ex modo substantiæ; tertiam, ex quantitate excrementorum; quartam, ex coniunctione olei, vel pinguedinis cum alimento; quintam, ex odio eiusdem, in ordine ad appetitum sumentis.

Licèt autem liber hic spurius sit, & Galeno indignus, tamen hic in operibus suis aliquas ex his approbat conditiones: Nam *lib.de succor.bonit.& vit. cap.*3. duas insinuauit conditiones, ex temperamento, & substantiæ modo, asserens panem esse optimum alimentum, simile nobis, & mediocritatem habere in substantia: quas conditiones ad facilitatem coctionis requisitas, magis pani, quàm carni conuenire, nemo non videt: & probatur primò.

Illud faciliùs concoquitur, quo assumpto homines faciliùs famescunt. Sed pane deuorato priùs famescunt, quàm esitata carne. Ergo, &c. Secundò. Illud diiudicandum est concoqui faciliùs, quod à virtute aliqua penetrante citiùs secundùm se totum penetratur, & dissoluitur. Sed facta experientia in aqua, panis in hac faciliùs dissoluitur, quàm caro. Igitur, &c. Probat Gal. 1.*acut. com.*18. *ad fin.* ibi enim gladiatoribus præbet in prandio solum panem, in cœna verò carnem; ea ratione nixus, quòd caro alimentum præstet crassius, & concoctu difficilius.

Nec obstat primò, quòd caro calida sit & humida, & facta ex sanguine, quas qualitates ad faciliorem coctionem esse aptas testatur Auic.1.1.*doct.vlt.cap.*3. panis vero frigidus, & factus ex terra: Nam caro calida etsi sit, ad coquendum crassior est: neque omnia ex terra generata, frigida sunt, vt in vino, fructibus, herbis, plantis, & esculentis aliis patet apertè. Non obstat secundò, quòd Auic.*lib.*2.*tract.*2.*cap.*145.*de carne*, asseueret, carnem esse cibum facillimæ transmutationis in substantiam nostram: quoniam eo loco solùm nititur ostendere, carnosum alimentum nobiscum habere similitudinem secundùm substantiam suam.

Vtrùm repletio panis magis debilitet ventriculum, repletione carnis? Auic.enim 3.1.*doct.*2.*cap.*7. *de regimine eius quod comeditur, & bibitur*, maius sequi detrimentum ex pane non concocto in ventriculo, quàm ex carne asseuerat. Ex hac sententia in prouerbium abiit: *Omnis repletio mala, sed quæ fit ex pane, est omnium pessima.* Contrà faciunt plura: panis enim coquitur faciliùs carne, temperatior est, naturæ nostræ magis familiaris, & iccircò in sanguinem citiùs conuertitur.

Solue dupliciter. Auicennæ pronunciatum est verissimum, non quòd difficiliùs panis concoquatur, sed quia crudus, seu corruptus manens in ventriculo, ad crassius, & viscosius cùm magis vergat, carne difficiliùs expellitur. Quare diu inhærens, obstruit, & *obstructionè* (vt nuper *cit. loco* asserit Auicenna) *ad multas perducunt ægritudines, qualis est hydropisis, &c.* Quod priùs prædixit Galenus *lib.de succor.bonit.& vit.cap.*2. §. *Iecinoris porrò obstructionem comitatur distributionis impedimentum, &c.*

Solue secundò. Repletio panis omnium est pessima, & damnanda magis: quæ propositio præterquam quòd nullum habet auctorem insignem, cuius voto hoc ita esse concedamus, haud scio, an illi laudi potiùs tribuendum, quàm vertendum vitio. Nimirum hoc illi alimoniæ copia, pro rata eius parte, coniuncta cum durabilitate, conciliat, vt vsu illius nimio, sanguinis exuberantia distendantur venæ, non fluidi, non difflabilis, sed permanentis, durantísque, quo nutritum corpus, repletúmque, in maiorem molem assurgit, impeditísque ob prohibitam difflationem meatibus, non ventilatur rectè, nec transpirat; & hoc modo repentinis morbis, tanquam in Athletico habitu fit obnoxius. Ex panis ergo vsu modico, corpori accedit alimentum durabile, & firmum; qui si negligatur, mensúramque iustam excesserit, inter omnia alimenta magis offreit redundantia sua.

Rogabis: *Vtrùm panis recenter è furno extractus magis vitiet coctionem, quàm pridianus:* Athenæus apud Oribasium, *lib.*1.*collect.cap.*9. Calidos recentes frigidis magis calore suo promouere coctionem asseuerat. Deinde si plurima alimenta, vt meliùs coquantur in stomacho, actu calida assumuntur, vt caro, pisces: cur panis, calidus magis replebit, si frigidus, magis durescit, crassiórque redditur? Accedit auctoritas Simeonis Sethi, qui frigidos panes edendos vetat, cùm non concoquantur probè, neque boni sint.

Reluctatur Hippocrates *lib.*2. *acut.text.*34. dum sic ait: *At iure miraberis, si didiceris, quantam maza turbationem, tumorem, flatum, tormináque mazam deuorare non assueto pariat, si præter consuetudinem ingesta fuerit; vel qualem panis calidus deuoratus sitim inferat, & repentinam plenitudinem, quod tum excicceet, tum tardè descendat.* Senis sententiam firmant multa. Nam si panis calidus edatur, inflat, ventriculum grauat, tormina excitat, sitim inducit: Licèt enim panis calidus humidior sit, & humectare videatur magis, tamen cùm humiditas hæc sit aërea, ex qua crassi vapores eleuantur, ventriculum distendentes, & coctionem perturbantes, ideò exiccat, & retentus hac de causa replet, & facilè corrumpitur.

Rectè igitur Auicenna 3.1. *doct.cit.* commendat, vt panis assumatur frigidus, non calidus: plurima autem alimenta, vt caro, eduntur calida, quia cùm crassa sint, & difficiliùs coquantur, ab actuali calore meliùs parantur: panis verò dum frigefit, vapore euanescente, qui ventriculum perturbat, & sursum ascendens, panem descendere ad imum ventriculi non permittit, porosior redditur, & facilior concoctu. Piscis verò calidus editur, quia actu frigidus si deuoretur, corrumpitur, & sæpe in humorem abit veneno finitimum, vt testatur Auicenna 6.4.*tract.*2.*cap.*10. Simeon autem Sethi frigidum panem deuorandum interdicens, de frigido, & valde vetusto est intelligendus, qui difficilis est coctionis, & distributionis, & ventriculo coquenti negotium facessit. De ordine verò alimenti, qualitate, & quantitate, & tempore sat multa diximus *lib.*2.*in com.Hist.*80. & *lib.*3.*Hist.*24.

A cibo ad potum accedo, quæróque: *Vtrùm Vinum coctionem ventriculi impediat?* Pro parte negatiua sunt rationes validæ, quia vinum calidum cùm sit, coctionem promouet, robur addit ventriculo, flatus discutit, mirificè colligit vires, corpus refocillat, sanis, valetudinariis, conualescentibus remedio est, facilè coquitur, citò distribuitur, promptè partibus nutriendis assimilatur, cùm minimam, vt in sanguinem mutetur, desideret alterationem, 3.*de temper.*2. & 2. *Aphor.*28. Calido innato

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 449 sur 927

innato est amicum, cùm temperatum sit, & substantiam habeat sanguini, & carnibus similem. Quare Ishac *lib. 3. dietar.* sic ait: *Vinum bonum dat nutrimentum corpori, sanitatem reddit, & custodit. Calor eius est similis naturali calori, citóque conuertitur in naturalem, & mundissimum sanguinem: digestionem confortat stomachi. Est conueniens omnibus etatibus, & omnibus regionibus.* Accepit à Paulo *lib. 1. cap. 95. Ceterùm vinum calorem genuinum refocillat, vnde concoctio melior, & sanguis probus euadit, cibum per omnia corporis membra, vt quod facilè penetret, deducit. Quamobrem ex morbo emaciatos reficit, corpúsque ipsorum auget:* & maximè si sit senile, quibus exhibere, moderatum tamen, vt feliciùs roborato ventriculo concoquant, & reiuueneſcant, consulit Plato *lib. 2. de legib.* & firmauit Aëtius *tetrab. 1. serm. 4. cap. 30.* Quare vinum cum modo assumptum, ventriculum firmat, ac coctionem iuuat.

Si verò Hippocrates *lib. 2. acut. 34.* & Galenus *eodem lib. com. 28.* vinum infirmare ventriculum asseuerant, de diluto sunt intelligendi. Sic enim habet Hip. *Dilutum enim cum infirmitate humentem reddit ventrem superiorem, flatuosúmque inferiorem.* Galenus sic ait: *Dilutum verò ventris tonum, seu robur exoluit:* præsertim si sit præter consuetudinem assumptum. Dic secundò. Vinum aquosum debilitat ventriculum, flatus parit, impedit coctionem, quia calorem natiuum remittit, & eneruat, præsertim si sumentis ventriculus frigidus sit, languidus, imbellis,

Verùm rogabis: *Vtrùm mutatio repentina in cibis, vel potu, coctionem perturbet?* Quanta sit potentia consuetudinis, *lib. de consuet.* ferè per totum, *in Aph. lib. acut. meth.* & alibi docuere Hippocrates, & Galenus. Hic ergo 4. *de sanit. tuend. cap. 4.* affirmat, mutationem à cibo ad potum, à vino antiquo ad nouum, à tenui ad crassum, à vino ad aquam, humorum gignere acrimoniam: Esto enim ad frigidiora mutatio fiat, sit tamen ad ea quæ sunt deterioris succi: quare per ebullitionem alimenta corrumpuntur, & in prauissimos cibos degenerant, qui coctionem valde interturbant; quod ita esse variis exemplis, *lib. 2. acut. 34.* Hippocrates probat.

Vtrùm magis ladat ventriculum mutatio in potu, quàm in cibo? Et videtur ciborum mutatio deterior, quoniam hi inter se multò magis differunt, quàm aquæ, aut vina. Præterea cibi magis permanent in corpore, magis per moram alterant, vina magis diffluunt. Contrà facit auctoritas Aristotelis, 1. *probl. 14.* vbi quærens, propter quid aquæ mutatio sit magis morbosa, quàm ciborum: inquit, hoc ideò esse, quia multò plures aqua vtuntur ad bibendum, condiendum, & coquendum. Probatur ratione hæc sententia. Nam insueta ex eo solùm lædunt, quia per insolitam alterationem, naturam ad contrarium mutant; potus verò ob sui tenuitatem statim totam ventriculi penetrat substantiam: quare priusquàm ab ipsa mutetur, hanc multùm alterat priùs, & offendit. Dic. Vtraque mutatio pessima est. Cibus diutius durat in ventriculo, & per moram magis agit, & alterat. Potus efficaciùs immutat, quia cùm statim excernatur per vrinam, partes per quas pertransit, vehementer immutat.

Vtrùm plus ventriculo obsit mutatio vini nigri ad album, quàm albi ad nigrum? Hippocrates 2. *acut. 34.* vtramque mutationem condemnat. Obstat Auerrhoës 5. *collect. c. 40.* dicens: *nigredinem esse colorem, qui est obiectum visus, non tactus; quare huic nocebit, non illi.* Dic. Color in se nullo pacto mouere potest sensum tactus, sed visus: sed quia color niger ferè adhæret materiæ crassæ terrestri, ideò mutatio à vino albo ad nigrum nocentior est, & coquenti ventriculo maius negotium facessit: Crassum enim est, grauat ventriculum, & cum ferè dulce sit, viscerum excitat tumefactionem, ex Gal. 3. *acut. 11.* iecur enim rebus dulcibus intumescit, 13. *meth. cap. 14.* Album autem aquosum est, & aquæ tum substantia, tum colore simile, quippe est album, perspicuum, tenue, facilè alteratur, secedit citò per vrinam, 3. *acut. 2.*

Inter res non naturales, tertium locum habent somnus, & vigilia. Circa illum quærendum: *Vtrùm diurnus debilis coctionis causa sit?* Hippocr. *lib. 2. prognost. text. 11.* Somnum diurnum reprobat, tanquam contrarium coctioni, nocturnum approbat, vt naturæ humanæ vtilissimum. Somnus enim coctiones promouet, calorem innatum robustiorem efficit, & alias præstat vtilitates, quas ex Galeni, priscorúmque mente retulimus, *lib. 1. Hist. PP. Medic. in com. Hist. 14.* & *lib. 6. Hist. 2.* Diurnum pernicioſum esse sic confirmo. Eo tempore dormiendum est, quo somnus animali maximè conducit. Sed tempore nocturno maximè est vtilis. Maior cum consequentia est optima: nocturnum enim somnum commendant multa, tenebræ, frigus, & copiosum alimentum: Nam vltra quod nox tum sua humiditate, tum silentio somnum allicit, teste Paulo *lib. 1. cap. 97.* noctis tenebræ ad eum prouocandum faciunt plurimùm, eas enim fugit spiritus tanquam sibi oppositas; lucem, vt amicam, & familiarẽ, ob sympathiam semper exoptans, ex Auic. *lib. de medicin. cordial. cap. 2.* ob quam fugam somnus cõciliatur, sicut ex accessu ad exteriora vigilia. Frigus autem exhalationem in cerebro congelat, spiritumque meatus densans, commeatũ prohibet. Et cùm ex diurno exercitio corpus dissipetur, hanc inanitionem fames sequitur, & appetentia, pro qua sedanda necessariò copiosum ingeritur alimentum; quo oblato, natura coctionis gratia, calorem, & spiritus retrahit ad viscera; ex qua retractione, ex alimento vapores ad caput eleuantur, qui somnum apprimè conciliant,

Quapropter somnus non nisi nocturno tempore, dissoluto calore, ob animi, corporísque præcedentes diurnas actiones capessendus, qui, si rectè eo vtamur, cibum elaborat, humores concoquit, dolorem lenit, lassitudinem solatur, interna laxat, animi ægritudines obliterat, absolutam coctionem molitur. Huic proximus est matutinus, qui fit prima luce vsque ad partem diei tertiam. Celsus *lib. 2. cap. 4.* interpretatur, quartam diei horam, quod idem est, nam hæc in decimam nostro more incidit, quia, vt *lib. 1. cap. 2.* prædixit Celsus: *Si per noctem non est alimentum integrè confectum, tantum abest, vt matutinus ladat somnus, vt siquid aliud summouere conducat.*

Diurnum ergo somnum obesse, præsertim si paulò longior sit, patet apertè: Nam vltra quod, est contra naturam, & consuetudinem, prolixus esse non potest, proindéque ad exactam alimenti coctionem insufficiens. Rursus profundus, placidúsque non est, tum propter lucem, spiritus & calorem ad extra trahentem, aërísque ambientis calorem; tum maximè ob crebras excitantium voces. Quare si diuturnus esse non potest ob causas dictas, erit necessariò minor moderato, qui mouet flatus, eos non absumit, cruditates parit; hinc caput grauatur, fluxiones mouentur, perturbatur concoctio, stupidi sensus redduntur.

Denique ex somno diurno, membrorum laxitas subsequitur, & mollities: cùm enim cerebri, neruorúmque meatus magis dehiscant diu, quàm noctu, fit vt per somnum exhalatio illa calens ascendẽs magis perforet meatus illos, & neruosum genus cum suo principio emolliat; cui incommodo multo minùs obnoxia est nox, refrigerato, densatóque cum ipsis neruis cerebro. Sicut enim corrigiam si aqua frigida permisceas, non emollies, sed calida, & quemadmodum aquæ potu, licèt humidiore ebrietas non inducitur, sed vini, quia calida humiditas penetrat, non frigida; sic corporis exhalationes, dormientis cerebrum, & neruos per diem calentes percutiunt, non ita per noctem refrigeratos.

Vtrùm Vespertinus, Meridianúsque somnus coctionem ventriculi interturbent: Respõde affirmatiuè: Vespertinus enim

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 450 sur 927

enim ob causas multas reprobus est, quia eo tempore Sol à nobis recedit, cuius calore, & vicinia calor noster naturalis recreatur maximè. Hæc est ratio, ob quam vt plurimùm ægrotantes ad vespertinum tempus peiùs habeant, ob Solis recessum, accedente etiam temporis malitia ex mutatione lucis ad tenebras; sicut leuiùs matutino tempore, exoriente iam Sole, nobisque appropinquante. Cùm igitur noxius sit omnis somnus diurnus, ea hora erit deterrimus, quoniam noxia omnia plus lædunt, calore innato debili existente. Præterea somnus ille noxius eo tempore perdurabit, ob frigiditatem increscentem, quæ est in causa, vt non excitetur dormiens, atque adeò duret offendens ille somnus.

Medium locum obtinet inter vespertinum, & matutinum, meridianus, cui si quis indulgere debet, has conditiones obseruet est necesse. Dormiat parum, sedens potiùs, quàm decumbens, nudatis pedibus. Parum, vt solùm calor colligatur, & vires ex negotiis, & vigiliis dissolutæ recreentur; quem somnum *lib. 2. de diæt.* debilibus concedit Hipp. & Celsus *lib. 1. cap. 2.* studiosis ob lucubrationes nocturnas, & Galen. *lib. 8. meth. cap. 2.* in patiẽte febrem diariam, ita assuefacto non denegat. Si enim liberè, & prolixè captetur somnus post meridiem, coctionem inchoans, & non absoluens, plura parit incommoda. Sedere autem potiùs iuuat, quàm decumbere, quia sedens faciliùs expergefit, & minùs grauatur caput. Pedes autem nudi commendantur, vt perspiratio illa conscendentem exhalationum copiam possit retrahere. Hic ergo quamuis seruatis prædictis conditionibus minùs lædat, ab eo tamen quantum fieri potest abstinendum: quo tempore lentis deambulationibus, & animi laxamentis indulgendum, nisi lassitudinis sensus adsit, aut præcedente nocte somnus interruptus sit, aut nihil, vel parum dormierit homo.

Somno contraria est vigilia: *Vtrùm hæc quum immodica est, ventriculum debilitet* inquires. Etsi enim moderatæ vigiliæ commoda sint multa, cùm excrementa resoluat, & sanguinem per totum corpus pro partium nutritione distribuat: tamen quum immoderata est, spiritus absumit, calorem innatum comminuit, humidum extinguit, & dissipatis viribus morbos frigidos progignit, qui ex viscerum debilitate emanare solent; sed præcipuè debilitat ventriculum, quo imbelli reddito infausta sequitur concoctio. Id peculiari elogio cecinit Hip. *2. acut. vlt.* sic dicens: *Fortis vigilia, potus, cibúsque tum crudos, tum incoctos reddit, corpus dissoluit, excoctionémque, & capitis grauitatem parit.* Cùm enim in immodicis vigiliis calor vitalis, & spiritus ad partes externas, & cerebrum diffundantur, horum fit in ventriculo inopia, iccircò exhalante vigilia per halitum, nec coquente quæ in imo sunt, flaccescit concoctrix, & cæteræ illi famulantes virtutes in opere languent.

De motu, & quiete, illud inquirendum est: *Vtrùm motus post prandium, coctioni ventriculi vtilis sit?* Approbat Hippocrates *2. acut. 23. Quòd si dormire non queant, plures lentè deambulando absoluant circuitus.* Subscribit Galenus *3. de sanit. vlt.* §. *In proposita verò natura, quum vel valida lassitudo, vel immodica siccitas corpus afficit, prandium minus esto; tum ab eo ad cœnam longius interponatur tempus, plurimùm quiescat, exiguum tamen quippiam inambulet, quo cibus per erectam agitationem conclusus subsideat.*

Contrà facit eximius contextus Galeni, *lib. de succor. bonit. & vitio, cap. 3. in fin.* dum sic ait: *Quemadmodum enim omnium maximè commendatur ad sanitatem, exercitatio ante cibos, sic à cibis motus vnusquisque vel imprimis damnatur, eò quòd à ventre alimentum ante coctionem distribuatur, crudorúmque ita humorum vis colligatur in venis; vnde morborum genus omne progigni soleat, nisi priùs aut laboribus pluribus dissipentur ipsi, aut concoquantur, inque sanguinem vertantur à iecoris, venarúmque facultate.* Firmat Auicenna *lib. de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine sanitatis, tract. 4. cap. 25.* Concilia facilè hos auctores. Quia fortis motus post cibum, noxius est ob causam dictam, de quo *3. de sanit.* intelligendus Galenus, leuem enim & paruum laudat *lib. 2. acut.* Hoc docuit Auic. *3. 1. doct. 2. cap. 7. post princip.* §. *Amplius parvus motus post cibum, facit ipsum ad fundum stomachi descendere.* Acuit deinde calorem, & viuaciorem reddit, vt coctioni sufficere possit.

Vtrùm verò *mutatio insueta à motu ad quietem plus coctionem vitiet, quàm à quiete ad motum*: altioris est disputationis. Mutationem omnem ad insueta, præsertim repentinam, corpori vniuerso, ventriculo, cæterísque partibus summam afferre imbecillitatem, testatur Hippocrates *lib. 2. acut. text. 50.* quia ab extremo ad extremum fit transitus, quod vetuit Hipp. *2. Aph. 51.* In his igitur permutationibus, quod affatim quidem, atque repentè fit, periculosum est valde; quod verò paulatim, tutum: natura enim has subitas inæqualitates citra virium dispendium non tolerat, quia in his repentinis motibus, variè & diuersimodè spiritus, quorum copia præsente, facultates rectissimè valent, alterantur, & resoluuntur. Assueuerat ergo *in cit. sent.* quòd sit malum, hominem, qui per quatuor quieuit dies, subitò moueri, & vice versa.

Maius ergo sequi malum à quiete ad motum, quàm à motu ad quietem, *citato acut. loc. text. 53.* significauit Hippocrates, dum scribit: *Multiplex itaque in ventre est læsio: Nam si reliquum corpus diutius otiatum subitò ad laborem vehementem sese verterit, multò magis lædetur, quàm si ex multa defatigatione subitò ad otium, ignauiámque desciuerit. Oportet autem & illis ventrem à ciborum multitudine cessare: alioqui læsio in corpore fiet, & totius corporis grauitas.* Vis audire sententiæ causam huius explicitam? Dic, quòd vbi fit mutatio à motu ad quietem, fit mutatio ad remedium, cùm contraria contrariorum sint auxilia; contrà accidit à quiete ad motum: quare si ab otio ad negotium te transferas, maius senties incommodum, hæc enim mutatio ob dictam rationem, damnum, & offensionem corpori affert; difficulter enim coctio ventriculi perficietur distracto exercitij vi ad externas partes calore: hinc tarda concoctio, digestionis inopia, ventris segnities, omnium confusio, impuritas vasorum certò emanant.

Verùm Hippocratis contextus, quoad vtramque partem patitur obiectiones multas: & contra primam. Quies, & motus modum si excesserint, lædunt, & sunt res præternaturales. Ergo mutatio ab immoderato motu ad quietem, & è contra, non solùm non lædet, imò iuuabit. Antecedens est Hip. *2. Aph. 3.* & Gal. *ibidem*, & colligitur ex ipso, *1. de sympt. caus. 6.* & Auic. *2. 1. doct. 3. c. 23.* quo loco sanitatẽ, & voluptatẽ consistere in reditu à præternaturali ad id quod naturale est, asseuerauit.

Deinde. Idem Hippocrates *2. Aph. 48.* pro dolore curando ex nimio labore contracto quietem commendat. *In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.* Ergo inter hæc duo, mutatio vnius in alterum non est nociua, imò vtilis. Præterea nimius motus cum suo affectu, & nimia quies, res sunt præternaturales. Atqui hæc omnia indicant remotionem sui per adæquatum contrarium. Ergo nimiæ quieti, nimium applicare motum, non erit abs re.

Aduerte, Hippocratem pronunciasse *2. Aph. 53.* & cum eo Gal. *6. epid. sect. 3. com. 27.* & alibi sæpe, quamlibet subitam, & magnam mutationem vehementer lædere naturam. At hoc intelligendum esse de statu naturali: Nam in præternaturali, quandoque ob maius periculum euitandum, subitò & repentè, vel etiam cum ipsius naturæ incommodo Medicus mouet, & euacuat. Vel dic, corpus supra modum calidum subitò, & valde refrigerante lædi necessariò, ex parte spirituum; cùm enim tenuissimi sint, citissimè vltra naturam refrigerantur, calefiunt, resoluuntur, & attenuantur.

Insuper

Insuper hæc ratio contemnenda non est, videlicet A subitam contrarij applicationem ex eo lædere, quia naturam perturbat, quæ, cùm in reducendo sit agens potissimum, id per paulatinam applicationem promptiùs præstabit. Dic tertiò, principium Hippocraticum præcipuè verificari, quando subita mutatio est corruptio eius, quod etsi malum sit in se, naturæ tamen per consuetudinem, vt naturale inest.

Ex dictis, ad primum, & tertium argumentum solutio patet. Ad secundum dic, Hippocratem *in illo aphorismo* non loqui de nimio motu per aliquot dies celebrato, sed de eo qui exercitij terminum circumscribit, in quo etiam potissimùm quiescere paulatim confert: nam subita quies nocet. Patet in equis, hi enim post longos cursus si quiescant, defatigantur ampliùs: præ calore enim, adaperti pori à circumstante aëre B promptè implentur, refugientéque ad interiora calore, vniuersa corporis moles impensè lassatur.

Maior verò pro secundi dubij explicatione est difficultas: plura enim sunt, quæ videntur probare magis nocere mutationem à motu in quietem, quàm è contra: & primò sic. Quies minùs prodest ad sanitatem; motus magis vtilis est. Ergo mutatio ad motum, erit melior mutatione ad quietem. Ostenditur antecedens, quia per motum, calidum innatum roboratur, quo vegetiore facto resoluuntur excrementa; quies verò infrigidat, & in corpore torporem inducit, ex Celso *lib.* 1. *cap.* 1. §. *Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem; hic longam adolescentiam reddit.*

Secundò. Illa quæ homo naturaliter appetit, & in C quæ magis fertur, magis videntur prodesse, quàm ea in quæ non inclinat. Sed insito appetitu magis appetimus motum, quàm quietem. Ergo ad ipsum ex quiete mutatio minùs nocebit. Tertiò. Motus, & quies, siue comparentur dum ambo lædunt, siue dum iuuant, semper motus magis iuuat, & minùs nocet. Ergo, &c. Motus enim dum lædit, corpus, & humores inflammat, quies verò mortificat. Sed minùs mala est inflammatio, quàm extinctio. Ergo.

Porrò Hippocraticæ doctrinæ veritatem firmat ratio valida: quia motus corpus fatigat, exiccat, & resoluit valdè, quæ omnia præsens quies sanat: Subitus verò motus mala quietis non sanat: Cùm enim ex hac, copia crudorum succorum accrescat vehementer, accedente motu, ij ad vasa intempestiuè confluent, morbósque parient periculosos, & graues. Ad hæc. Motus cùm vni- D uersaliter magis prosit quiete, error qui in ipso committitur, maior erit. Obiectis sic respondè. Ad primum dic, motum illum solùm prodesse qui paulatim fit, & tempestiuè adhibetur: argumentum verò non conuincit, nisi de hoc loquatur motu, de quo non est Hippocr. explicandus. Similiter dic ad secundum, & tertium, siquidem solummodò vim habet, quatenus motum magis iuuare quiete, apud omnes in confesso est. Ergo, vt semel concludam, magis coctionem ventriculi prosternit mutatio à quiete ad motum, quàm è contra, vt disertissimè *cit. loc.* prædixit Hippocrates.

De iis quæ retinentur & excernuntur, faciamus verba, & primò: *Vtrùm excrementa fœcalia retenta coctionem ventriculi perturbent*: Concedit Auic. 1. 3. 3. *tract.* 2. *c.* 36. *de rebus quarum vsu nocetur stomacho: Et scias quòd prohibitio fœcis, & ventositatis est maximi nocumenti; quandoque enim ascendit propter illud fax ex reuolutione ad reuolutionem ad superiora, donec redit ad stomachum, & impedit nocumento maximo.* Quot enim horrenda mala afferat ventris suppressio, referunt ex professo Paulus *lib.* 1. *cap.* 44. Celsus *lib.* 1. *cap.* 8.

Cùm enim aluinum excrementum graueolentiæ sit particeps, ex Hipp. 2. *progn.* 17. imò si experimento, & Aphrodisæo fidem adhibemus, *lib.* 1. *probl.* 29. humanum omnium animantium maximè fœteat, quòd homo vario, humidóque cibo magis cæteris vtatur, atque pluſquam sit satis, importunè, priusquàm indigeat, gulæ indulgeat, minúsque se exerceat, fit vt retentum, & prohibitum difflari, putrescat insigniter, & vapores ex se eructet tetros, qui ventriculum multipliciter prosternunt, atque fatigant.

Vtrùm omnis intemperies concoctionis actum deiiciat? etiam dubitabis. Prætermissis tamen tumoribus, vlceribus, & prauis ventris conformationibus, coctionum vitiis, cruditatibus, de intemperantiis ventriculi, quæ cum humore, aut sine ipso oriuntur, & ab illis emanant, modò agendum. Intemperantia quæ imbecillitatem parit, multiplex est. Calida acuit calorem, & ad excandescentiam perducit; quo adaucto & exuperante, coctio vitiatur, cùm non quiuis calor sit coctionis instrumentum, sed ille qui proportionatus est, & commensuratus; at ab vstiuo & igneo calore putrescit alimentum, & corrumpitur. Similem siccitatis adauctæ lapsus secum affert, alimenta enim fuliginem redolent, & in nidorem vertuntur. Frigida intemperantia facultates eneruat, spiritus minuit, calorem innatum debilitat. Humida naturalem ignem obtundit, suffocat, & tandem minuit. Quòd si vtraque cum materia premat exuperante, debilitas sit inemendabilis, habitualis, & fixa.

Signa.

GAlenus *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 3. omissis logicis disceptationibus, docet agnoscere affectiones à summo cruditatis genere exorsus: in quo negotio explicando diuagatur latè, nec abs re: siquidem cùm exempla sint veluti quædam exercitia, non parum vtilitatis afferunt ad vniuersalia præcepta explicanda; ideóque ipse *lib.* 2. *de loc. cap. vlt.* exercitia excitare ad illustrandam, confirmandámque doctrinam à se tradiram asseuerat.

Cùm verò cruditates noctu sint frequentiores, Galeni quidem tempore ob copiosas, opiparásque cœnas; nostro autem, quoniam non sola noctu cœna concoquitur, sed plurima pars ex prandio alimenti relinquitur, non immeritò de cruditatis speciebus acturus, ab eo exorditur, qui manè exurgens ructum emittit nidorosum, à quo cruditas significatur. Quoniam verò prima cruditatis diuisio est, qua diuiditur in eam quæ ex alimento pendet, vel ex ventriculi vitio, non abs re interponitur à Galeno breuis quædam, sed docta de cœna interrogatio.

Si itaque ille, qui ructum emisit nidorosum, hoc est, referentem adustum odorem, cuius nomen ab ignis nitore deducitur, quia à caloris excessu ortum habet, & vtplurimùm in calidis, biliosísque naturis reperitur, ex Galeno 8. *meth. cap.* 1. fateatur nidorosa se comedisse alimenta, qualia sunt frixa omnia, nemo proculdubio inficiabitur cruda, & incocta illa euasisse, ventriculo nihil perpesso.

Nidorosa autem, & difficilia concoctu alimenta, significat Galenus esse frixa omnia, quæ ex frumento constant, & maximè, si mel recipiant, vt sunt antiquo- E rum Itria, quæ quædam placentulæ erant ex sesamo, & melle constantes, & oleo affuso frixæ. De Itriis meminit Galenus 1. *alim.* 11. & Athenæus *lib.* 4. *cap.* 19. Eorum similitudinem referunt, quæ nostro tempore pretiosiora, ac delicatiora parantur, & ex frumentacea massa, butyro, saccharo, amygdalis permiscentur, quæ postea butyro friguntur, & saccharo tandem, cinnamomóque irrorantur, licèt similiter nidorosa etiam sint, obstruant, difficilè coquantur, & permeent, præsertim quæ sine melle parantur, 13. *meth. cap.* 13.

Inter nidorosa, & difficilis coctionis recensetfrixa omnia, quæ quidem testante Gal. *lib. de succor. bonit. & vit. cap.* 7. adeò obnoxia sunt corruptioni ventriculi, vt ad similem corruptionem, & cruditatem reliqua permixta

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 452 sur 927

mixta alimenta trahant. Denique & raphanos difficilis coctionis eſſe ait, & putidos, fœtidóſque generare ructus 1.*de loc.*3.& 2.*alim.*7. vbi contra vulgi opinionem idiotas carpit, qui poſt cœnam iuuandæ coctionis cauſa radiculas edunt,ex eo fortè quòd apud Dioſcoridem *lib.*2.*cap.* 103. legitur, digeſtionem iuuare, per quam quidem non concoctio, ſed diſtributio intelligenda eſt, ex Gal. *lib. defin. med.* magis enim obeſt,quàm prodeſt coctioni raphanus, malus eſt ſtomacho,ructus mouet,etſi acrimonia corticis,& foliorum, diſtributionem iuuet,ex *cit. auctoribus*, & Anic. *lib.* 2. *cap.de raphano.*

Sed inquires:*Vtrùm ſemper cruditas acida à frigiditate oriatur*?Cruditatem aliquando fieri propter caloris defectum,interdum ob eius exceſſum, certum eſt;perpetuum tamen oriri ob inopiam caloris innati, qui cùm in coctione non operetur, quatenus calor eſt,ſed vt eſt accommodum inſtrumentum formæ agentis, ab vtroque exceſſu,tum caloris,tum frigoris valde lædituꝛ, & diminuitur, quare vtroque modo ſequitur ciborum cruditas.Diſtinguitur tamen, quia in cruditate facta ab exceſſu caloris,ructus excitantur acidi,ſiue nidoroſi,ab ea verò quæ fit ob imminutum calorem, acidi mouentur ructus. Vnde fit, vt hæc cruditas quæ cibos in acidum vertit, in naturis bilioſis non reperiatur; illa verò maximè,vt conſtat ex Auic.4.1.*tract.*1.*cap.*34.& Galeno 8.*meth.cap.*5.

Quapropter vertitur in dubium:*Vtrùm ſemper cauſa acidi ructus, ſit frigiditas*? Galenus apertè confirmat 1. *de loc.cap.*4.& 2.*de temper.cap.*5.& 3.*de cauſ. ſympt.cap.* 1.& 8.*meth. cit.* Ob eam cauſam dicebat Hippocrates 6.*Aph.*33.eos qui acidum eructant,morbo laterali non corripi: Nam aciditas teſte Gal.4.*ſimpl.*15.oriri potiſſimùm videtur,dum à calido quidem mutatur,vt tamen non ſuperet id; quod ex acidis ructibus vel maximè coniicias: Nam hi haudquaquam, vbi nulla prorſum facta eſt mutatio in ventre ciborum,excitantur, quemadmodum nec vbi optimè concocti, ſed tantùm vbi ſemicocti fuerint. Vocat autem ſemicoctos ipſe,qui à ventriculi calore alterationem perpeſſi, non etiam perfectè ab eo ſuperati fuerint.

Trallianus aliter opinatur,*lib.*7.*cap.*14. & *lib.*12.*cap.* 1. quem etiam Auerrhoës citat *lib.* 3.*collig. cap.* 26. oſtendens acorem non modò à frigiditate, ſed etiam à calore proficiſci. Primò, quia conſtat experimento quoſdam habentes ventriculum valde calidum, vertere cibos etiam calidos, vtpote vinum in acorem. Secundò,id concludit à iuuantibus,& nocentibus,plures enim habentes ructum acidum, refrigerantibus ſanati ſunt,qui antea à calefacientibus lædebantur. Tertiò. Lac,ptiſſanæ ſuccus, & quæcunquè eius ſunt generis tempore æſtiuo citiùs aceſcunt, quàm hyeme, poſtulántque ædes frigidas, vt in his repoſita pluſculo perdurent tempore. Vltimò.Auicenna 4. 1. *tract.* 2. *cap.* 41. aſſerit in puero cauſone correpto, lac aſſumptum præ calore verti in acorem. Hoc modo vinum calore aceſcit, non frigore: & 13.3.*tract.* 1.*cap.* 17. *ante fin.* inquit eructationem aliquando aceſcere à caliditate, quum inuenit materiam dulcem, & facit illam ebullire, & in tali adeſſe ſigna caliditatis, & inflammationis, & ſitim, & iuuari ab iis quæ infrigidant.

Solue primò. Acor non fit ob omnimodam frigiditatem,hæc enim integram coctionis ablationem efficit, ſed fit ob debilem calorem,qui coctionem incipit, ſed non perficit,quod 4.*ſimpl.cit.*docuit Gal. Idem conſtat ex Auicenna 13.3.*cit. ad med.* & ob eam cauſam Hippocrates 6.*Aph.*1.ructum acidum poſt lõgas inteſtinorum læuitates euenientem vt vtilem laudat.Quo loco, ſubdit Galenus: *Simile quid acidis ſaporibus vſu euenire, quod borealibus vẽtis accidit,vt tenuis ſcilicet eſſentiæ ſint, ſimúlque frigidi.*Ex quibus colligit, eos ſine calore non naſci,ſicut nec ipſum boream. Ab hoc calore,quidem ebullitionem efficiente, nondum tamen alterationem perficiente,in lacte, vino, & ſuccis omnibus qui aceſcunt,partes igneæ,& aëreæ,quæ priùs inerant,diſſipantur & reſoluuntur promptè,vtpote ad digeſtionem,& reſolutionem habiles;terreſtriores verò, atque aquoſæ, cùm diſcuti præ craſſitie nequeant, funduntur, atque attenuantur ſatis;vnde ſapor oritur acidus, repreſſo vtique calore, & interna frigiditate ſimul cum eſſentiæ tenuitate vincente.

Solue Secundò.Licèt Galenus 1.*de loc.cap.*4.aſſerat, ſi in ventriculo cibi non ſuapte natura ſaporem acidũ referant, neceſſariò cauſam efficientem huius ſaporis, frigiditatem eſſe,id eſt,(vt ipſe interpretatur)intemperiem aliquam frigidam ventriculi, vel aliquem humorem vitioſum frigidum infeſtantem ventriculum: hoc tamen non tanquam perpetuum, ſed ſolùm tanquam frequentiſſimè contingens,intelligendum eſt, quia 8. *meth. cap.* 5. *ad finem*, fatetur corruptionem acidam in naturis calidis euenire,ſed admodum rarò.

Solue tertiò. Acor non ſemper à frigiditate ventriculi exoritur,ſed aliquando fit ob humores frigidos in ventriculo impactos, quod conſtat ex 2.*de temper.*& 1. *de loc. cit.*& 2.*acut.* 22. Qure fit vt etſi ventriculus calidus ſit, ſi tamen copia frigidorum accreſcat humorum,ciborum aciditas ſequatur, & hoc modo vinum, lac,ptiſſana in habentibus ventriculum calidum ſæpe aceſcunt.

Concedendum præterea eſt, in ventriculo calido non habente humores frigidos, has ſubſtantias interdum aceſcere, ſicut quando Soli æſtiuo exponuntur; vtrobique enim eadem ratio eſt:quia ſcilicet calor innatus humorum, cùm exiguus ſit, à calore Solis vel ventriculi ebullit,& diſſipatur,ideò ea frigida redduntur,atque ita aceſcunt.Quare huius acoris cauſa immediata,frigiditas eſt, licèt mediata cauſa fuerit excedens calor; ad diſſipationem enim caloris innati prædictarum rerum frigiditas ſequitur.

Concludo itaque, ſaporem acidum à frigore interno rei aceſcentis oriri ſemper,etſi ab externa cauſa,calida, aut frigida in eam deducatur diſpoſitionem: à frigida verò per ſe,à calida verò per accidẽs;omne enim quod aceſcit,frigidum eſt.Redditur autem huiuſmodi à cauſis refrigerantibus,vt in ventre cibus.A calefacientibus verò, quoniam hæc quoque ex accidenti aliquando refrigerant, calorem nimirum natiuum extrà educendo:maior enim calor, calorem minorem educit, ac foràs euocat;quo educto ſubiectum refrigeratur,proprio calore deſtitutum: ac proinde vina languida calore aceſcunt, quod vehementibus non accidit: Nam hæc cùm fortiora ſint, magnos tum motus, tum calorem citra corruptionem tolerare poſſunt;ſimili quopiam illis eueniente,quod corporibus humanis. Quoniam,vt ex his quæ robuſta ſunt,à Sole, & validis exercitiis robuſtiora redduntur;à quibus proſternuntur, digeruntur,perfrigerantúrque,quæ non ſunt huiuſmodi:ſic vina natura calida,motus velut ventilans,Sol excalfaciẽs, flammæque iuxtà ardentes celeriùs concoquunt, cuius vtilitatis gratia nonnulli illa in Solem efferunt,& igne excalfaciunt,vt quædam ſanè inſuauia fiant, fumi contrahentia qualitatem. In Aſia namque, referente Galeno 4. *ſimpl.* 14. in tegulis ædium æſtate omne propè in lagenas transfuſum imponebant; poſtea in edita cubicula,ſub quibus infernè multa flamma lucebat, tranſportabant, in ſumma autem ad meridiem, Solémque cellas obuertebant, in quibus & citiùs matureſcebant, & potui idonea reddebantur.

Quæres:*Vtrùm ructus acidus frequentiùs poſt prandiũ, vel poſt cœnam ſuperueniat*? Reſpondet Hippoc. *lib.* 2. *acut.text.*22.in hunc modum:*Quòd ſi ſupercœnauerint, acidum ructant.* Quod oraculum videtur difficile:Nam ſi ructus acidus ex frigore ortũ habet,& maior eſt caliditas

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 453 sur 927

ditas in ventriculo post cœnam, cur post hanc superueniet? Deinde ructus acidus imperfectam arguit coctionem. Sed nocturno tempore natura concoquens est fortior, & coctiones fiunt perfectiores, quàm diuturno. Ergo ructus post prandium magis eueniet.

Dic. Natura statim post prandium alimenti coctionem non aggreditur, quia eo tempore ferè abstinet à coctione; post cœnam verò cruditas sequitur, acida quidem vtplurimùm, quandoque nidorosa, quia ventriculus ex se, vel ex cibis supra modum calet. Si verò expultricis fortitudo, vel retentricis debilitas dominetur, acidi non sequuntur ructus, sed humidissimæ deiectiones; quia vt coctio incrassat, sic cruditas humectat, & cum his agi meliùs ex parte naturæ existimandum est, deterius est enim vitiata retineri, quàm mox expelli. Secundum autem argumentum rectè concluderet, æqualem scilicet alimenti portionem meliùs concoqui post cœnam, quàm post prandium, si ex hoc, residuum alimentum incoctum non superesset, ad cuius molem adauctam concoquendam, natiuus calor est impotens, & imbellis.

Vtrùm Galenus signa cruditatis nidorosæ, & acidæ rectè distinxerit? explicandum: Nam si æger ructans nidorosum, referat nihil se comedisse, constabit planè, non alimenti, sed ventriculi vitio cruditatem contingere, & à calore ortum habere, forma siquidem cruditatis nidorosæ, calidam, quemadmodum acida, frigidam ventriculi affectionem demonstrat, ex Gal. *loc. suprà citatis*, quod perpetuum sit, an frequens, *suprà* determinauimus.

Verùm licèt ita sit, non comparatur ex eo integra, exactáque notiita eorum, quæ dignosci oportet, videlicet num intemperies aliqua calida, vel frigida, vel vitiosus humor ventriculi corpus infestet, qui cruditatis sit causa. Id verò explorare docet Galenus 1. *de loc.* 3. exhibitione alimenti difficulter susципientis suspectum humorem, vt v. g. nidorosa apparente cruditate, habente ortum à calore, venabimur quidem ventriculum bile non redundare, si ægrum nutriamus cibis qui in bilem difficulter commutentur, huiusmodi sunt, panis, chondrus, seu alica, de qua Gal. 1. *alim.* 6. estque quoddam glutinosum frumenti genus, veluti triticea ptissana, ex Gal. *cit*, testacei pisces, cochleæ, animalium intestina, & pedes, quorum est in bilem difficillima conuersio. Si ergo hæc, & similia in cruditate nidorosa offerantur (vt reuera puto offeruntur, quoniam etiam in igneo ventriculo in bilem conuerti non possunt) nihilque bilis excernatur cum eo, quod vomitu expellitur, colligitur non contineri, redundaréve in ventriculo bilem, quæ cruditatis sit causa; imò si prædicti cibi concoquantur, indicium erit siccum, & igneum inesse calorem, quod significauit Galenus 2. *de temper. cap.* 6. vbi inquit: *siccum, & igneum calorem ventriculi, quæ concoctu difficilia sunt, panem, suillam, & bubulam carnem commodiùs, quàm pisces saxatiles concoquere.*

Vtrùm signis possit cognosci, an humor, vel intemperies cruditatis causa sit? Nam si in prædicta nidorosa cruditate, quæcunque cibaria temerè offerantur, fieri quidem potest, vt etiamsi bilis non superabundet in ventriculo, ipsa tamen alimenta in bilem conuerti parata, ab igneo ventriculi calore adurantur, & permixta bilis vomitu excernatur, atque ita deludemur coniectura nostra, opinantes bilem in ventriculo redundare, & esse cruditatis causam, cùm tamen ea fuerit ex alimento genita. Quare ne frustremur, illa oportet exhibere, quæ certò scimus non esse in bilem conuertenda.

In acetosa verò cruditate, mel exhibere iubet *cit. de loc. loco*: nimirum, quoniam calidum cùm sit, & suapte natura in bilem promptissimè conuertatur, in illis qui calidam habent naturam, calidúmque ventriculum, ideóque illis, & iuuenibus sit valde inimicũ, & insalubre, 1. *de alim. fac.* 1. & 2. *de nat. fac. c.* 8. Cúmque acetosa cruditas à ventriculi frigiditate, siue immateriali, siue humori permixta ortum habeat: planè vtile erit mel, & amicum ventriculo, in quo cibus acescit, atque ideò Galenus præbet illud in eo, qui præ frigore acidum ructat. Quare si eo exhibito ructus acidi aliquantulum minuantur, ipsúmque mel probè concoquatur, iure optimo coniiciemus à frigido humore ventriculum infestari, ab eóque ortum habuisse cruditatem.

Num verò ea intemperies immaterialis sit, nudáque qualitas, an potiùs cum humore permixta, deprehendemus, si ad ea quæ vomitu, aluóque deiiciuntur, respiciamus: Nam si biliosus aliquis humor, vel pituitosus excernatur, cum quo assumptum alimentum prodeat, submersum, & inductum, & velut in illius naturam permutatum, dubium non est à prauo humore in ventriculo contento alimentum corrumpi, & generari cruditatem; pars siquidem est vitiari, & corrumpi, si cum humore vitioso permiscetur. Quòd si nulla in excretis appareat humoris permixtio, sed assumpta deiiciantur, perexigua facta in illis mutatione, indicium est à simplici, nudáque qualitate ventriculum opprimi.

Procurato itaque vomitu, his qui ad vomendum sunt faciles, vel deiectione, difficulter vomentibus, iuxta illud 4. *Aph.* 6. & 7. deprehenditur, si innatat in ventriculi spatio, & amplitudine, noxius humor, cruditatis causa. Esse verò ventriculi tunicis imbibitum, & immersum ostendit nausea, & inanis quædam vomendi irritatio, quæ in proposito exemplo consequitur tam in calido, quàm frigido humore: Vtriusque autem discrimen ex siti, & fame petendum est, 1. *de caus. sympt.* 7. calidus autem si sit humor, sitim & ciborum appetentiam inducit; si verò frigidus, non sitim, sed appetentiã excitat, quæ magis in frigido ventriculo vrget; quemadmodum coctio, & sitis in calido, 2. *art. med. cap.* 62.

Nec mirum est, dari simul in homine nauseam, & famem: licèt hæc ad humiditatum defectum in ventriculo sequatur; illa verò ad superabundantiam: sæpe enim contingit, vt per quædam interualla simul prædicta symptomata inuadant, id quod in fame canina experimur. Ad iecur etiam iubet respicere, num aliquid perspiciatur, & calidáne, an frigida laboret intemperie, siue ea præternaturalis sit, siue naturalis, quod propriis signis dignoscetur, 2. *art. med. cap.* 37. & 38. quibus diiudicabimus num ex iecore biliosi, aut pituitosi humores, qui cruditatis sint causæ ad ventriculum ipsum confluant; quod etiam de liene considerandum est: fiet enim, vt his ita perspectis & consideratis, simul etiam ex habita notitia eorum quæ ab ægro assumuntur, non solùm laborantis, affectíque loci cognitionem assequamur, sed etiam ipsius affectus præternaturalis; à quibus curatiua indicatio desumitur: remedij quidem qualitas, & species ab ægritudinis essentia desumitur, 2. *methodo* 7. & 1 *acut. text.* 3. 1. *alim.* 1. 4. 1. *cap.* 1. & aliis in locis; quantitas verò, & materia, & applicandi modus, ab ipso patiente loco: nam licèt quantitas remedij, à morbo ipso potissimùm etiam indicetur, 3. *simpl.* 12. *art. med.* 89. 1. *Aph.* 23. quia tantum alteranda est pars affecta, quantum à suo loco naturali recessit, 7. *meth.* 13. augetur tamen nonnunquam, & minuitur pro ratione laborantis loci. Ab his itaque duobus, affectu scilicet, & loco affecto, curatoriæ sumuntur indicationes, quamuis in *lib. meth.* docuerit à sano, & ægro temperamento desumi, in quo sibi non repugnauit, vt *lib.* 1. *in introitu ad praxin, quæst.* 68. explicuimus.

Vtrùm imbecillitas ventriculi ex humore qualibet prognata, signis possit cognosci? addubitandũ. Si enim ex humiditate oriatur, aderunt grauitas capitis, somnus prolixus, ventris inflatio ex flatuum maxima copia prognata, fluctuatio, rugitus, dolor, tensio, quæ omnia symptomata adaucta frigiditate increscunt, & exasperantur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 454 sur 927

tur. Caliditatem ventriculi manifeſtè oſtendit natura eorum quæ excernuntur: nam ea nidoroſa ſunt, & prauè olentia; caliditas ſentitur in ventre, quæ mox à potu leuatur: ægri ſiti premuntur; cibum faſtidiunt; amarorem linguæ, acrimoniam, mordacitatem, anxietatem, nauſeam, vomitum, & inquietudinem patiuntur; mœſti ſunt, cogitabundi, inſomnes, præſertim ſi adiungatur ſiccitas: tunc enim adeſt vomitus æruginoſus, cum ſiti vehementi coniunctus. An verò hæc omnia ex iecore, vel aliunde emanent, *ſupra* ex Galeno propoſuimus.

Præſagium.

QVærendum primò. *Vtrùm cruditas acida in calidis naturis ſit deterior nidoroſa?* Nam nidoroſa etſi abſolutè deterior habeatur, tamen in ventriculo calido minùs grauis eſt, cùm illi ſit magis proportionalis; acida verò, licèt ſuapte natura leuior ſit & facilior, quia diſſimilis, difficilior tamen habetur. Hoc confirmat Galenus 8. *meth. cap.* 5. vbi acidam minùs eſſe periculoſam his naturis affirmat. Hac ratione ſi comparationem feceris ad naturam corporis cui ſuccreſcit, tunc ſicut acida in bilioſis eſt deterior, ſic nidoroſa in pituitoſis grauior.

Quæro ſecundò: *Vtrùm ex ventriculi debilitate omne morbi genus enaſci poſſit?* Ventriculi morbos magna cum difficultate curari arguunt plurima: Nam hæc pars exquiſitiſſimo ſenſu prædita eſt, magnúmque conſenſum cum omnibus partibus inuicem obſeruat. Quare ipſius debilitas omnium ægritudinum cauſa eſt, auctore Auicenna 13.3. *tract.* 2. *cap.* 4. §. *Et ſcias quòd debilitas ſtomachi, fortaſſe eſt cauſa omnium ægritudinum corporis.*

Ventriculus imbellis ex quacunque cauſa non rectè alimenta tranſmutat in chylum, ex hoc non ritè elaborato varij morbi in ventriculo enaſcuntur. Si pituitoſa materia progignitur in copia multa, & eſt acetoſa, acris, ſalſa, vel melancholica, accidunt vlcera, ardor, dolor, inflammatio, cardiogmos, obſtructio, verruca, ſanguinis vomitus, flatus, tenſio, inflatio, nauſea, deiectio appetitus, atrophia, & alij grauiſſimi morbi in ipſo generantur, qui vel ſubitò, vel diutino temporis ſpatio interficiunt.

Et cùm plurimum quod inuenitur in ſtomacho, aut generatur, ſit phlegma, vt teſtatur Auicenna *loc. cit. tract.* 1. *cap.* 16. §. *Et cauſa in hoc eſt, quòd chylus eſt naturæ propinquæ phlegmati: Quum ergo non digeritur digeſtione integra, non fiunt ſanguis, & cholera, & melancholia.* Quapropter cùm corruptio alimenti, & defectus primæ coctionis non ita fœliciter in ſecunda coctione, quæ fit in iecore, poſſint reparari, plures, iíque immedicabiles omnium partium morbi inſoleſcunt, ab hoc ſolùm fonte prognati, vt hydrops, alui profluuia diu perſeuerantia, calculi, vrinæ ſuppreſſio, & alij, qui difficillimam poſtea habent eradicationem.

Vtrùm hectica ventriculi incurabilis ſit? dubitandum. Siccitatem ventriculi confirmatam nullum planè remedium admittere, docuit Auicenna *loc. cit. cap.* 23. dum ſic ait: *Et ſcias quòd cura malitiæ complexionis, quæ accidit ſtomacho, in vtriſque qualitatibus actiuis, facillima eſt, propterea quia facilè inuenimus medicinas contrarias eis, vehementis virtutis. Verùm cura quæ accidit ex malitia complexionis in vtriſque qualitatibus paſſiuis, eſt difficillima, & propriè complexionis ſiccæ: Nam oppoſitio cuiuſque earum, eſt cum virtute debilis impreſſionis.* Deſumpſit ex Galeno 7. *meth. cap.* 7. quo loco ſiccitatem ventriculi abſolutam, & marcidam, nullum auxilium admittere aſſeuerat; quod enim ſemel, & perfectè exiccatum eſt, ſubſtantificè humectari non poteſt: ſiccitas enim valde reſiſtit, & corrigitur per humiditatem, quæ valde iners eſt, & in agendo pigra. Firmat Auicenna *loc. cit. c.* 29. in hunc modum: *Hæc enim ægritudo eſt quædam hectica ſtomachi. Quum ergo confirmatur, curationem omnino non ſuſcipit, & neque eſt poſſibile, vt occupatio ſit ad humectandum ipſum ſolummodo.* Sicut enim maraſmus totius corporis eſt incurabilis, 7. *meth.* 6. §. *quem autem maraſmus occupauit, hunc ſanare non tentabis*: ita maraſmus ventriculi nullam curationem admittit.

Curatio.

SAtis plura *ſuprà* in cauſarum explicatione, de ſex rebus non naturalibus diſceptauimus. Nunc ad cætera curatiua auxilia properemus, expatiente per ſingulas intemperies, & humores ſtylo, ex quibus debilitas ventriculi, & omnis cruditas frequenter ſcaturiunt. At cùm non poſſit curari pars, quin de toto memorabilem habeamus prouidentiam, iccircò ventilandum: *Vtrùm Hieræ vſus ad expurgandos omnes humores ventriculo affixos ſit vtilis?* Nam Galenus in hac re varius videtur, & planè dubius. *Lib.* enim 7. *meth. cap.* 11. cui ſubſcribit Paulus *lib.* 1. *cap.* 72. curans ventriculi intemperiem quæ cum humore affligit, hieram propinat; ſed quos humores expurget, eo loco non explicuit.

Aloë in tota hieræ compoſitione præpollet, & exuperat: ſed hæc ſolam bilem educit, ex *cit. loc. meth.* & 6. *de ſanit. tuend. cap.* 10. §. *Sed nec aloë his valde conducit*, (de pituitoſis ſuccis loquebatur) *cùm ei bilioſi trahendi humoris facultas ſit*: Et 1. *de loc. cap.* 4. in acida cruditate concedit Diatriumpipereon; in nidoroſa verò abſinthium, & hieram ex Aloë paratam: & *infrà*, in colico dolore ab humoribus acribus ſuborto, aloën adminiſtrat.

Dic, vtilem eſſe hieram ad pituitoſos humores tenues educendos, qui ſunt tunicis ventriculi impacti, ex Gal. 8 *meth. cap.* 2. §. *vbi humiditas, &c.* & 7. *meth. cap.* 11. §. *præſtantiſſimum medicamentum, &c.* Solue ſecundò, cum Meſuë. Hiera eſt phlegmagoga ob vim Aloës, quæ craſſos humores euacuat, 1. *ſec. loc. cap.* 2. & ob aromata, ob quorum tenuitatem viſcidos humores expurgat, vt firmat Gal. *loc. cit. de ſanit. tuend.* §. *Eóque excogitata eſt compoſitio, quam picram vocant, quæ acrimonia, caloréque eorum quæ in ſe habet, craſſos, & lentos ſuccos diſſecat, ac detergit*: Nam Aſarum, Dioſcoridis teſtimonio *lib.* 1. *cap.* 9. pituitam expurgat; ſpica, & cinnamomum vim ſortiuntur attenuantem: quorum ope humores lenti, tenuiores redditi facili negotio excernuntur.

Vtrùm ad vacuandos humores ventriculi tunicis impactos, Hiera cum melle ſit conficienda? Negat Auicenna *lib.* 2. *cap.* 66. dum ſic ait: *Et permixtio illius cum melle minuit virtutem eius adeò, vt forſitan non ſoluat attrahendo, ſed extrahit quod ei obuiat, &c.* Hoc ipſum teſtatur Meſuë *cap. prop.* quo loco aloën melli permixtam, minùs purgatoriam reddi affirmat.

Ex altera parte facit ratio, quoniam mel per ſe deiectorium eſt, vt probat Galenus 3. *alim.* 39. Hoc modo dicebat Auicenna 13.3. *tract.* 1. *cap.* 33. Hieram mixtam cum melle valenter expurgare. Sic enim ait: *Commixta enim cum melle, quamuis ſit plurimæ ſolutionis ex modis diuerſis, quoniam eſt plurimùm remanens in ſtomacho*: quod deduxit ex Galeno 7. *meth. cap.* 11. Dic Hiera parata cum melle ex ſe valentiùs expurgaret, ni fruſtraretur operatione ſua: cùm enim mel acre ſit, citiùs alia medicamenta ad inteſtina protrudit, acrimonia enim ſua vim expultricem proritat: quare expurgantia non retinentur, nec ad actum reducuntur, quod ad felicem expurgationem Medici exoptant, cum Auic. 2. *part. cantic. tract.* 2. *cap.* 5.

De doſi Hieræ digladiantur Medici, quoniã diſſidiũ inueniunt in doctrina Galeni: *Vtrùm in vitiis ventriculi certa quantitate offerenda?* *Lib.* enim 2. *ſec. loc. cap.* 2. maximam hieræ quantitatẽ, drachmam vnam eſſe teſtatur, minimam, drachmam ſemis: Quod tamen eiuſdẽ Gal.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 455 sur 927

voto, *lib.8.eiusd.nomin.cap.3, rubric.5.* nec tationi, nec vsui apparet consentaneum, siquidem drachma vna imbecilliter admodum educit; quare non immeritò carpit Asclepiadem, exiguam quantitatem, nempe drachmam vnam argenteam huius antidoti propinantem. Enimverò drachmam vnam & semis, mediocriter; drachmam dimidiam, vel nil, vel minimum; binas verò, aut trinas exquisitè subducere, vsu obseruatum est.

Huic itaque controuersiæ, haud aliter quàm eiusdem Galeni verbis, seipsum interpretantis, occurendum est: quippe qui *lib.8.cap.2.* manifestè docet, ad hoc vt vis hieræ loca iecinori finitima pertingat, opus esse, vt maiori quantitate propinetur, ea nempe quæ *lib.2.* dicta sit: ita vt quando hoc loco maximam hieræ quantitatem, drachmam vnam esse scribit, id intelligat, vbi in animo est, vt vis aloës ventriculum, & intestina non transcendat. Aut fortè non ex propria, sed Asclepiadis mente, (quam postea damnauit) illud *libri secundi* fuit positum.

Verumtamen de medicamento hoc allata omnia intelligenda, vbi in puluerem, aut catapotiorum massam redigitur, & asseruatur: Si enim melle in electuarij consistentiam excipiatur, eius opportuna quantitas vnciam sæpissimè excellit. Sic sanè idem venit exponendus *lib.8.sec.loc.cap.3. rubric.5.* dum moderatam exhibitionem ad drachmas sex progredi scribit.

Verùm hoc omisso, alia non contemnenda dubitatio est perscrutanda. *Vtrùm purgantia medicamenta hieræ sint addenda?* Cùm enim sola Aloë, cætera simplicia hieræ compositionem adornantia pondere excedens, lentorum, crassorúmque succorum ex ventriculo expurgationem complere minimè possit, cùm imbecillam facultatem expurgatoriam sit nacta, & tardissimè operetur, necesse est aliud medicamentum, Agaricum, Rhabarbarum, Diaphœnicum, & similia permiscere, quod illius vim intendat.

Quamobrem laude digni non sunt, nec exiguum ab exquisita Galeni methodo recedere videntur, qui sola simplici hiera eiusmodi crassum succum è ventriculo extrudere conantur: sæpe enim hæc tenax materia tunicis ventriculi adhærens, attenuata, & in halitus conuersa, ventrem distendit, & tormina excitat. Tenues igitur succos depellere è ventriculo hiera simplex potest, à Themisone, & Asclepiade priùs commendata; non valde tenaces, & crassos, nisi priùs extenuentur, & incîdantur.

Vtrùm Hiera ventriculum roboret? dubium est. Galenus renuit, qui licèt *lib.6.simpl.tit. de aloë*, eam gratam esse stomacho asseueret, tamen *cit.lib.sec.loc.* eidem esse infestam, & subuersionem parere affirmat; ob quam iniquam qualitatem, quia ipsa medicamentosa existit, mastiche, & cinnamomo egere, non sine ratione prodidit, quæ hanc illius medicamentosam qualitatem refrænare, & coërcere sint apta. Deinde *6. simpl. cap. de abrotano*, Galenus amarorem valde lædere ventriculum, adstrictionem verò iuuare affirmat. Sed in aloë, ex Galeno *6. simpl. cap. prop.* multùm superat amaror adstrictionem. Ergo Aloë tantùm abest, vt roboret stomachum, quin potiùs offendat, subuertat, & labefactet; & ex consequenti Hiera, quæ tam copiosam illius quantitatem, cæterorum medicamentorum ipsam adornantium collatione facta, recipit.

Deinde si cuncta animalia, amara exhorrescunt, auctore Galeno *lib.4.simpl.20.* quia illis sunt inimica, nec nutriunt, ex Auic.*2.canon.tract.2. cap.3.§. Amarum est grauis substantiæ siccæ, & propterea illud ipsius purum non recipit putrefactionem, ex qua animal generetur, nec purum ipsius nutrit animal, &c.* quomodo Aloë poterit roborare ventriculum?

Dic. Quantum ventriculo vacuando, & roborando conferat Aloë, *cit.loc.* docuere prisci: firmat Dioscorides *lib.3.cap.23.* Plin. *lib.21.c.4.* Mesuës, & Arabes cæteri: Ea enim inter omnia medicamenta præcipuam obtinet prærogatiuam, cùm hæc, etsi clementia sint, purgent, sed debilitent, & inueterent, auctore Auic.*3.1. doct.2. cap.1.* hæc tam manè, quàm serò, tam antè, quàm post cibos assumpta roborat, neque eos corrumpit, quin potiùs à putredine tuetur, vt ex *citatis* Mesuæ, & Auic. *locis* constat apertè.

Si in medicamentis non purgantibus amaror superet adstrictionem, ille magis ventriculum lædit, in purgantibus verò, minimè: cùm enim amaroris intentio in partibus tenuioribus, & purgantibus medicamenti consistat, simul cum humore purgato expellitur; remanent autem adstringentes, vtpote terrestres, & crassæ, quæ ventriculum roborant. Quare Aloë illum tuetur, ac firmat, etsi amaror vincat adstrictionem. Addiderim ex Auerrhoë, *lib.5.collect.cap.27.* amara potiùs esse medicinalia, quàm cibalia: *Et vniuersaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali, quia illa non est nisi medicinalis; & dulcis ingreditur in cibos, & medicinas.* Demum aloë, & ex ea parata Hiera, amara est, cùm crassa & terrestri substantia constet, ex Gal.*4. simpl.* 19. Auic. *lib.2.loc.cit.* & ideò ventriculum roborat, non ob amaritudinem, sed ob adstrictionem. Ob hanc causam, *12. meth.cap.16.* absinthium Ponticum in iecinoris, & ventriculi phlegmone, magis quàm vulgaria laudat, quia in Pontico adstringendi facultas non parua inest, in reliquis verò omnibus amara quidem qualitas est vehementissima, adstrictio verò, aut planè obscura, aut prorsus nulla sentitur.

Si autem Mesuës *in canonib. vniuersalib. theorem.2.* amara stomachum firmare asseruit, non absolutè verum censeri debet, sed tunc solùm, quando vnà cum amaritudine adstringendi vim coniunctam habuerint. Habet enim absinthium, amaritudinis ratione, vt detersorium sit; non tamen tantam vim detergendi obtinet, vt pituitam ventriculo hærentem, vel etiam eidem innatantem, absque alterius rei adminiculo, valeat expurgare, sed contrà potiùs ineptiorem reddit vacuationi. Hinc est quòd dicat Galenus *6. de sanit.* 10. absinthij portionem illis esse aduersissimam, quibus pituitosus humor à capite in frigidum naturæ ventrem defluit, vt quæ succum pituitosum ipsorum ventri affigat, cùm detergendi vim non habeat, quæ adeò sit existimanda. Verumtamen si misceatur melli, aut vino absinthium, aut vtrique, (hoc est, mulso) adepta detergendi vi, pituitosos quoque iuuare non est negandum.

Galenus *citatis locis* plurium remediorum, simul & hieræ pro expurgando ventriculo occasiones docuit. Varianda enim sunt iuxta varias ipsius ventriculi affectiones: aliquando enim ventriculus ipse flaccescit, & laxatur, præsertim non abundante humoris copia in ipsius ore, sed tenui quadam humiditate; quo tempore accommodatissimus est absinthij vsus, & vtilissima sunt remedia adstringentia, intus, extráque apposita. Nonnunquam verò redundat tenuissimus humor, & imbibitus, immersúsque existit, cui malo vtiliter auxiliatur aloë, quæ quidem non lota valentiùs purgat, lota verò minùs, sed roborat ventriculum magis, *7.meth.11.8. sec. loc.cit.* & *3. simpl.* Demum vbi crassior humor in ventriculo demersus est, ab hiera præsentaneè educitur, quæ ex vtraque aloë, lota scilicet, & illota, cum aromatibus præparatur, à quibus tenuitatem, & penetrationem assumit.

Vtrùm verò *præsente febri, aut calida ficca intemperie ventriculi, Hiera sit porrigenda?* meritò dubitandum. Gal. sic respondet, *8.sec.loc.cap.2. Quam etiam febricitantibus dare aliquis audeat, si non vehemens, sed valde debilis sit febris. Quidam verò etiam ex illota aloë pharmacum multis sic febricitantibus exhibuerunt, deindeque cùm eum nihil manifestè læsissent, in aliis rursus magnam experti sunt cladē.* Quare ex mente Galeni, in febribus biliosis, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 456 sur 927

& ardentibus;calidis ſiccis naturis,tempore calido,hoc medicamentum porrigere,inutile eſt; calida enim eſt, & ſicca: ob quam inſignem ſiccitatem, eius vſus in ſenibus interdicitur à Galeno 5.*de ſanit. tuend. c.*9.ſimiliter in intemperantia calida & ſicca, imò frigida & ſicca,8.*ſec. loc. cit.*

Plures ſunt Hieræ compoſitiones apud auctores, quarum vſus pro vacuando,& roborando ventriculo, eſt vtiliſſimus. Simplicis deſcriptionem tradit Galenus *7.meth. cap.*11.& 8.*ſec. loc. cap.* 2.& 2.*lib. cap. cit.* Meſuës aliam proponit, quæ plura recipit aromata, quæ cùm probata non inueniantur, & pro eis adulterina vſurpentur,præſtat Galeni compoſitione vti. Alia, quam tradit Nicolaus, valentiſſimè expurgat, & ventriculo affecto, in cuius morbis frequenter offertur, noxam inurit; clementia ſunt tutiora,ne ex violenta humorum attractione ventriculus oblædi poſſit.

Vacuatio inſtituenda penes humoris peccantis ideam, & naturam:Nam redundante bilioſo humore in ventriculo, ſummè proſunt rhabarbari dilutum, aqua lactis,myrobalani citrini, elect. Roſ. Nicol. aut Meſuæ, Diaprunum laxat.Pituitam expurgant Agaricus, elect. Indum,& Diaphœnicum. Si forte melancholia exuperet,iuuant diaſenna,confect.Hamech ſimplex.Euacuationem tamen plurima cautela inſtituere oportet:cùm enim pars præſtans ſit,& toti communis, ſimultaneam vacuationem citra maximum virium diſpendium non tolerat: Quare leuioribus vti pharmacis, & iteratis ſatius eſt,quàm fortibus,& confertim exhibitis;ex ſubita enim vacuatione ſæpe venter ita redditur languidus, vt coctioni inpoſterum non ſufficiat. Hæc ſi in forma ſolida porrigi queant,multò erit vtilius: liquida enim priùs è ventriculo dilabuntur, quàm opus ſuum perficiant. Quod ſi malum ampliori vacuatione indigeat, eam iuxta humorem excedentem moliri oportet, iis præſidiis,quæ *lib.*1.*huius operis,*7.*cap.*3.*de dolore capitis*, præſcripſimus.

Poſt expurgationem vitioſi humoris, roborare ventriculum oportet: increpat enim Galenus ſui temporis Medicos, *lib.* 1.*de humorib. com.* 12. quòd ſolùm de vacuando humore erant ſoliciti, cùm nullam de partium firmitudine facerent commemorationem, ex quarum robore humores noxij non regenerantur, vel ſaltem ad benignum reducti corriguntur. In hunc vſum plurima ſtomachica conficiuntur,quæ flaccido, imbellíque ſtomacho appoſita, ipſum tuentur, ac firmant.

Placet ergo perſcrutari: *Vtrùm Emplaſtra firmantia ventriculum,anteriori, vel poſteriori parti ſint apponenda?* Dic. Licèt verum ſit in morbis ventriculi,præſidia eſſe admouenda in anteriore parte, quia eſt magis carnoſa, & minùs oſſea, quàm ſpina; tamen ſi poſteriori parti applicentur,plurimùm iuuant.Hoc confirmat Galenus 13.*meth. cap.*17.dum ſic ait: *Voco hoc loco ſtomachum,& gulam,quam propriè Græci ſtomachum appellant: nonnunquam enim ita etiam vocant os ventriculi, veluti cùm ſtomachicè anima linqui aliquos dicunt. Verùm in gula, quæ propriè vocatur ſtomachus, cataplaſmata ſpinæ dorſi imponimus,non autem in anteriori parte, idem facimus & quum os ventriculi phlegmone vrgetur; ſiquidem ſpinæ gula ſuperiacet, per collum & pectus deorſum vſque ad ventriculum porrecta.* Facit etiam ratio,quia loco ſpinæ os ventris copulatur. Adde quòd ſi in anteriore, & poſteriore parte auxilia apponuntur,ex horum virtute, membra ventriculum circumdantia, vt peritonæum, omentum, & aliæ circumuicinæ partes, validiores redduntur, & ſic opes ſuas debili, & flaccido ventriculo mutuò præſtant.Lege Galenum *lib.*7.*ſec. gener. cap.* 12.*ad fin.* qui hoc negotium vbertim expendit.

Maioris verò negotij eſt explicare: *Vtrùm ſtomachica emplaſtra, exiſtente cibo in ventriculo, ſint interdicenda?* Nam ſi tempore quo concoquitur cibus in vẽtriculo, A emplaſtra apponas, ipſum alimenti onere grauatum, ampliùs oneras,& grauas.Igitur,&c.Reſpõſio erronea. Deerrandi occaſionem,Damocratis verba ſuppeditant, quæ *lib.*8.*ſec. loc. cit.* Galenus refert,& firmat, quæ ſic habent:*Vſus malagmatum omnium, quæ ventriculo induntur,& ſtomacho,ſimul interaneis,eſt tempus in quo,qui cibus congeſtus eſt, non amplius reſidet, ſed aluum iam ſubiit.* Quibus verbis cerata, & emplaſtra firmantia ventriculum,toto tempore coctionis cibi, non eſſe imponenda valetudinariis, Damocrates probare videtur.

Sed qui huius auctoris verba hoc modo interpretantur,ab huius, imò Galeni mente non parum exorbitant: Si enim adminiculo ventriculus imbecillis vnquam indiget, eſt potiſſimùm toto cibi elaborationis B tempore: quare omnibus machinamentis, & ingeniis tunc eſt fouendus. Damocrates autem præſidia illa vacuo ventre exteriùs admouenda cenſet, quæ non ad roborandum præcipuè ventriculum, ſed ad tumores præter naturam emolliendos, & reſoluendos,aut exiccandas humiditates indi ſolent. Rectè autem noſti, apud Galenum *lib.*8.*ſec. loc. cap.* 5.malagma emollitionis ſignificationem habere,maximè cùm *eo loco* Damocrates conſtruat malagmata, contumaces durities emollientia,& diſſoluentia. Non ergo præſidiorum vſus ſupra ſtomachum, coctionis tempore ventriculum grauat, ſed roborat.

Vtrùm toto deuorationis tempore, emplaſtra roborantia C *ventriculum ſint arcenda?* dubium eſt non exiguum.Raſius *lib.*9.*ad Almanſ. cap. de dolore ſtomachi*, eo tempore, quo aſſumitur cibus,eſſe remouenda emplaſtra ex ventriculo aſſeuerat. Contra hunc auctorem vrget ratio neruoſa,periculo enim non vacat,quòd illo adminiculo eo tempore ventriculus priuatus offendatur.

At cùm tanti auctoris ſententiam experientia ſummoperè vallet, illi fidendum eſt. Ita enim ſolet iis applicitis emplaſtris conſtringi ventriculus, præſertim dum cuti hærent, vt non ſolùm cibi deſcenſum ad ima ventriculi prohibeant,verùm etiam extenſionem debitam tunicarum ventriculi ad capeſſendos ingeſtos cibos. Vnde cùm venter nonniſi violenter extendi poſſit,contingit vt dolor, & anguſtia nonnunquam inſurgant,præſertim vbi ſic affecti liberaliùs ſe impleuerint. D Non nego conſultius eſſe, vt tempore deuorationis cibi, ne ventriculi calor exiguus flacceſcat, vnguento aliquo roborante foueatur, quod illi minùs oneroſum ſit, & graue.

In hac verò ſerie diligenter expendenda eſt Galeni mens: *Vtrùm remedia tepida ventriculum debilitent?* Ille enim reſpondet *lib.*8.*meth. cap.*5.in hunc modum:*Eſto autem abundè calens talium quodque, cùm primùm imponitur, quippe quæ tepida ſunt, omnia ventriculi firmitudinem diſſoluunt.* Omnia enim quæ ventriculo extrinſecùs adhiberi debent, non ſolùm opus eſt vt humectent, ſed modicè calefaciant: vehementer enim calida debilitant,& exiccant. Hoc modo etiam roborantem vim ſortiri debent;nam acerba, & auſtera,quia E immodicè adſtringunt, nocere ſolent, cùm mediante exiccatione ventriculi humidum exprimant, & reſoluant,ex Gal.8.*meth. cap.* 4. De roborantium numero ſunt,Abſinthium,Mentha,Spica,Maſtiche, ex quibus paramus olea,pulueres,forus, cerata,& emplaſtra admixta cera,additis pulueribus cyperi, ligni Aloës, calami Aromatic. Coral.Ladan. Cinnam. Roſar. & aliorum, quæ gratum odorem ex ſe ſpirant; fœtida enim viſcerum,& ventriculi vires diſſoluunt,ex Gal.8. *meth.* 5.& Auic.1.4.*tract.*1.*cap.*6.

Neque obſtat primò, quòd tepida habent calorem gratum & familiarem,cuius ope facultates, & partium actiones adiuuantur, non diſſoluuntur. Dic. Quòd etiamſi verum ſit, tepida eſſe iucunda, tamen laxant, quia habent vim dilatandi meatus, & fluxiones prouocant,quas non diſcutiunt,ſed potiùs liquant, & veluti

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 457 sur 927

imbibunt,& emolliendo partes, eas resoluunt. Quæ verò calida sunt,quia iniucunda,& contristant, partes contrahunt & corrugant, ex qua contractione robur ventriculo comparatur.

Neque obstat secundò, contextus Hippocratis 3. *acut.*39.qui ita habet:*Cum autem dare volueris, perquàm tepidum dabis.*Eo enim loco oxymel tepidum propinat, vrgentioris habita ratione, nempe pleuritidis, & peripneumoniæ;in his enim curandis morbis,calorem momentaneum refugit ob morbi malitiam;quare accedit ad tepidum, ceu magis coctioni vtile, quàm sit frigidum, minúsque morbo periculosum, quàm sit calidum. Licèt ob diuersas indicationes, tum humoris concoquendi in thorace, tum sedandæ sitis gratia, 1. *acut.* 43. in pleuritide oxymel propinet, hyeme calidum, æstate verò frigidum, non verò tepidum; quia siue intus offeratur,siue externis partibus admoueatur, viscera semper debilitat, & eneruat.

Vtrùm malagmata irrigationibus pro roborando ventriculo sint præferenda? Respondet Auicenna 1.3.3.*tract.*1. *cap.*24.*in principio*, in hunc modum:*Curatur stomachus cum eis quæ bibuntur, & cum epithematibus, & embrochis cum aquis,in quibus decoquuntur medicinæ;& linimentis,& vnctionibus ex oleis, & vnguentis factis cum ceris decoctis in aquis,in quibus decoquuntur medicinæ: sed linimenta & emplastra sunt meliora embrochis;embrochæ enim sunt debilis impressionis.* Tum quia emplastra, & linimenta per moram diutius agunt, tum etiam, quoniam densando poros mole sua,innatum calorem coquentem retinent, & eius prohibent resolutionem, qui robustior factus coctioni fit accommodus valde. Fomenta autem, emplastra, linimenta, culcitras, ori ventriculi apponere oportet,in frigida quidem causa, calida, vt Myrrham, Aloën,Mastichen,Absinthium, Olibanum, Zingiber, Spicam,Cinnam.Mentham,Anisum,Caryophyl.Ladanum,nucem moschatam,Agallochum,Galangam,Diacymin. Dianisum, Theriac. Schœnant. &c. Quare in acetosa cruditate, si non speramus posse commodè emendari corruptionem ciborum, & repletionem per promouentia coctionem, procuretur vomitus. Si in intestinis adsit,paretur clyster, si his non leuetur æger, purgatio commoda est:qua peracta, roboretur ventriculus,intus,& extrà auxiliis adhibitis. Quòd si debilitas perseueret,& fomenta,emplastra, conseruæ non iuuent,balnea thermalia, & sudorifica ex Ebeno summè prosunt.

Dubitabis: *Vtrùm pro curando frigido intemperamento ventriculi, Diatrion pipereon vtile sit?* Galenus enim 1. *de loc.affectis cap.*4. hoc medicamentum in hunc vsum miris laudibus effert, præsertim vbi frigidus fuerit humor, ac ructus acidi emittantur:quare iis præsentaneũ est auxilium ex tribus piperis generibus paratum, teste Galeno 4.*de sanit.tuend.cap.* 5. quo loco tam simplicis, quàm compositi diatrion descriptiones traduntur. Exhibendum autem cum aqua si æger febricitet; sin minùs,cum vino,vt proprio exemplo confirmat in Imperatore,attritione ventriculi laborante,*lib.de præcognit. ad Posth. cap.* 11. cui ad ventriculum frigidum firmandum, obtulit vinum pipere insperſum, cum vtilitate summa.

Piper enim flatus discutit,roborat ventriculum, valenter, hoc est, in summo calefacit & exiccat,teste Galeno, 8.*simpl.c.prep.*Quare Auicenna 2. *canon. tract.* 2. *cap.*556.calidum & siccum in quarto gradu constituit, cum Ishaac *lib.diætar.particul.tit.de pipere*, & priùs prædixit Dioscorides *lib.*2.*cap.prop.*vrinam mouet, concoquit,elicit; discutit caliginem, quæ oculorum claritati offunditur; horroribus febrium ambitu repetentium, potu, vel illitu succurrit;serpentium ictibus auxiliatur; partus ex vtero trahit; conceptum abortu vitiat, si fœmina post congressum cum viro,vuluæ admoliatur,ad tussim, & vitia pectoris, potu, vel eclegmate proficit;

A anginæ cum melle conuenienter illinitur;capitis pituitam elicit, si cum vua passa commanducetur; somno dolores finit,appetentiam inuitat, cibi auiditatem molitur,coctionem iuuat iurulentis insperſum.Galenus 4. *de sanit.cit.*ad roborandum ventriculum, excellentius candidum esse asseruit:causa est,quia ante maturitatem est collectum, quare subamarum redditur, & inacerbum;secus verò nigrum,cùm enim post perfectam maturationem sit collectum, acrius est.

Vtrùm autem *Diatriumpipereon in nidorosa cruditate possit concedi?* dubium est. Respondet Galenus 8. *meth.cit.*affirmatiuè,quo loco iuuenes diatrion simplici fuisse vsos etiam in nidorosa cruditate cum vtilitate affirmat. Sed reprobatur à Tralliano, *loc. cit.* docente hoc medicamentum in hac cruditate esse inutile, & B valde noxium. Dic. Si cibus in superiore parte ventriculi existat, & vomitus sit difficilis, tunc posthabita consideratione febris, commodè administrari potest diatrion pipereon, vt cibus descendat, & dissoluantur flatus, qui huiusmodi occasione suscipi solent, & ad firmandum ventrem; hoc enim vtile est, etsi febris caliditas aliquantulum increscat, qua de causa aloën,& mastichen admiscet,quæ sunt illi præsentanea remedia:nisi enim, inquit Auerrhoës *lib. 7. collig. c.*7.in calida affectione robur,adstringentibus,& familiaribus quamuis calidis procuretur,in vitæ periculum æger incurret. Ergo conciliandi inter se hi auctores: Nam Galenus robur ventriculi respexit,Trallianus febrim contemplatur,vterque vera proponens.

C In calido intemperamento,& humore simili prosunt cydonea,santalum vtrumque, Rosa, Corallum, Agresta,acetosa,hord.Intybus,cichorium,buglossa, spodiũ, Margaritæ, succus limon. Granatorum, Aranciorum acidorum,Portulaca,plantago,lactuca. Quæ omnia in nidorosa cruditate proficua sunt, siue intus assumpta, siue exteriùs adhibita. Si cibus adhuc continetur in stomacho,vacuetur vomitu, quod cognoscetur ex perseuerantia ructus, & grauitate sensata in ventriculo. Trallianus inter omnia extollit potum aquæ calidæ; hæc enim humores corruptos eluit, & ad inferiorem ventrem propellit,siccos humectat, strientes leuat, inflammatos spiritus, & meatus laxiores efficit. Si cibus in intestinis adsit,clystere vacuandus clementi, & leni, D quem sequantur inedia, & somnus, quod auxilium summè commendat ad leuamen repletionis, Auicenna 1.4.*tract.*1.*cap.*34.Si hæc non iuuant, pharmacum benignum porrigendum. Peracta purgatione, vnguentis, & pulueribus roboretur ventriculus. Si hæc non sint satis, Balneum est ex vsu. Ptissana, & serum in quo rhabarbarum madefecat, mirificè iuuant. Quòd si his non roboretur ventriculus, & humoris vel frigidi,vel calidi copia, continuò ex habituali huius partis intemperie generetur, tunc vt hæc pars spiret, suáque excrementa ad extremas, debilésque partes emittat, tutissimum est in crure fontanellam aperire, per quam corrupti humores paulatim repurgentur, ne stabulati in ventre, ob consensum quem cum præcipuis partibus seruat,aliquam ruinam inposterum concitent. E De cæteris morbis qui ventriculum fatigant, sat plura diximus *lib.*2.*Hist.Princip.Medic.ab Hist.* 53. *vsque ad Hist.*67.*& lib.vlt.de febribus*,peculiarem faciemus commemorationem, quo loco de febriũ symptomatis vbertim loquemur. De ventriculi inflammatione, non est cur modò verba faciam, cùm eædem curatiuæ indicationes, *cap. sequenti, de hepatis inflammatione* sint proponendæ.

OBSER

OBSERVATIO I.

Ad frigidam ventriculi intemperiem, roborandum ſtomachum, diſcutiendos flatus, promouendam coctionem, pituitoſos humores vacuandos, pilulæ eximiæ.

NIhil æquè imbecillum ventriculum à cauſa frigida firmat, quàm vſus harum pilularum, quarum ope, plures aliis auxiliis non proficientibus conualuerunt, vexati torminibus ventriculi, flatu diſtenti, acetoſa cruditate oppreſſi, vomitu importuno cruciati, faſtidibundi, inappetentes, decolores, nauſeabundi, demum triſtes facti, & melancholici, & atrophia correpti, ad mortis fauces deducti.

℞. *Aloës elect. ſucco roſar. lotæ* ʒ j. ß. *rhab. elect.* ϑ ij. *agarici recenter trochiſcat.* ʒ j. ß. *folior. ſennæ Orientalis.* ϑ ij. ß. *hier. ſimpl.* ϑ j. *cinnamom.* ϑ ß. *macis, zingiber. piperis albi, an.* ϑ j. *calami aromatici, myrrhæ, maſtich. an.* ϑ ß. *croci,* ℈ vj. *ligni aloës,* ϑ ß. *myrobalanor. Indor. & chebulor. an.* ϑ j. *abſinth. Pontici exiccati,* ϑ ß. *ſem. aniſi* ϑ ß. *rhapontici* ϑ ß. *cum ſyrupo de abſinthio, miua citoneor. cum aromate, zibetto, & ambari cineritij,* ℈ xx. *moſchi odorati,* ℈ xxx. Fiat magdaleon, inuoluatur aluta, & ſeruetur ad vſum. Doſis bis in hebdomada, drachma ſemis: ex quà fiant pilulæ tres ſine cuſtodia.

OBSERVATIO II.

Ad debilem ventriculum ex frigida cauſa, Vinum mirabilis efficaciæ.

℞. *Conſeruæ anthos, acori, abſinthij, meliſſæ, menthæ, fumi terræ, flor. caryophyl. flor. arantij, an.* ʒ j. *cinnamom. elect.* ʒ iij. ß. *nucis moſchat.* ʒ vj. *caryophyllor.* ʒ v. *aniſi* ʒ ß. *ſem. fœnicul.* ʒ v. *zingiber.* ʒ iiij. *aromatic. roſati, diarrhodon. abbat. an.* ʒ ß. *theriac.* ʒ j. *ambari* ʒ ß. *moſchi* ℈ xx. *mithridat.* ʒ ß. *electuar. alkermes* ʒ v. *ſacchari candi pulueriſati* ʒ vj. Omnia craſſo modo contuſa, & ſimul mixta, in Alembico reponantur, & infundantur per triduum in ſufficienti quantitate vini generoſi, addendo ſextam partem aq. Roſar. fiat diſtillatio, triduo. Exibit liquor fragrantiſſimus, reſeruetur in vaſe vitreo. Doſis vncia vna ſingulis diebus ieiuno ventriculo.

OBSERVATIO III.

Frigidioribus ventriculi affectibus vnguentum pretioſiſſimum.

℞. *Myrrhæ elect. aloës hepaticæ, ſpicæ nardi, thuris, mumiæ, maſtich. an.* ʒ j. *carpobalſami, olei de liquidambar, an.* ʒ ß. *olei aniſi, olei maſtich. an.* ʒ ij. *ladani,* ʒ ß. *croci* ʒ ij. *macis, belzoini, cinnamomi, an.* ʒ iij. *miuæ cydonior. aromatic.* ʒ j. *flor. camomil. & ſambuci, an.* P. iiij. *ſtyracis calamit.* ʒ ij. *ſem. dauci, aniſi, cumini, fœnicul. an.* ʒ v. *cardamom.* ʒ ß. *ambari,* ℈ xx. *moſchi* ℈ xij. *terebinthin. ad pondus omnium.* Omnia craſſo modo conterantur, miſceantur, & in alembico diſtillentur ad ignem ſuauem. Oleúmque diſtillationis præſtantiſſimum, vel reſeruetur ſolum in vaſe vitreo, vel cum cera permixtum in vnguentum redigatur: quo in aurora, & tribus horis poſt cœnam tota regio ventriculi illinatur.

Vtere, pro roborando flaccido ventriculo, & ſummum præſidium experieris.

OBSERVATIO IV.

Ad debilem ventriculum à cauſa calida, portulaca, præſtantiſſima.

IVuenis erat gracilis, & excarnis, temperamento calidus & ſiccus. Hic biennio ſolùm, ardente Sirio, dolore, incendio, & ardore ventriculi vexabatur immaniter, citra febrim vllam, & ex inteſtuallis bilioſo vomitu, ſiti, ſingultu, cardiogmo premebatur immaniter, faſtidibundus, & vigil. Cúmque timor eſſet, ne poſſet ex nimio bilis ab hepate ad os ventriculi affluxu, inflammatione tentari, aduentante vere præſeruationem inſtituit. Sanguis miſſus eſt, clementer ſæpius cholagogis expurgatum corpus. Serum lactis iiſdem præſidiis præparatum, diu oblatum. Balneum per multos dies applicitum. Saluatellæ ſectio adminiſtrata, fonticulus cruri affixus. Plura epithemata iecori, dorſo, & ori ventris applicata. Infinitæ propemodum potiones oblatæ, quæ tum læuarent harum partium incendium, tum flaccidas vires roborarent. Tandem ſolo portulacæ vſu peruicax malum conquieuit: Nam vſus eius ſyrupo diluculo per menſem, quantitate duarum vnciarum, ſuperbibita ipſius ſtillatitia aqua, & noctu herba emplaſtri modo ventriculo admota, ſequentibus annis nihil mali perſenſit. Huius remedij laudes decantant priſci, inter quos præcipui ſunt Galenus *lib. 6. ſimpl. tit. de portulac.* Paulus *lib. 7. eodem tit.* Portulacæ pro bilioſo ſtomacho refrigerando præter alios, memorabiles vſus traduntur. Aſtringit, ventriculi inflammationes ſedat, ardorem mulcet, bilioſum humorem refrænat, incendium compeſcit, ſitim arcet, iis qui ſiti cruciantur bibendi deſideria reſtinguit, ſacros ignes illita lenit; ardenti, & æſtuanti ventriculo imponitur cum polenta. Succus eius potus ventriculum feruidum, renes, & veſicam iuuat. Cuius ſemen ſimilis eſſe effectus, Leontinus literis commendauit, auctor veteriſſimus.

CAPVT XIII.

De hepatis inflammatione.

Definitio.

IEcur à Medicis, prima, princépſque gignendi ſanguinis officina conſtituitur, de cuius excellentia aliqua in medium proferens, inquiro: *Vtrùm hepar ſit membrum inter nobiles noſtri corporis partes præſtantiſſimum?* Galenus *lib. 7. de placit. cap. 3. ad init.* ex ſententia Platonis, in iecore animam concupiſcibilem conſtituit, cuius proprium munus eſt rerum iucundarum fruitio: & hoc modo *lib. 5. de placit. cap. 4. ad init.* reponit voluptatem, dicens: *Animæ quidem facultates tres eſſe numero, quibus cupimus, iraſcimur, & ratiocinamur, &c.* Idem docet 4. *de placit. cap. 6. ante med. §. Quod autem cognoſcere dicit, &c.*

Deinde. Iecur facultatis altricis focus eſt, cùm in eo ſanguis alimentum totius corporis conficiatur, ex Gal. 7. *de placit. cit.* Eſt viſcus carnoſum, calidum & humidum, fons & origo gratioſi humoris, ex Gal. 4. *de vſu part. cap. 12. & 23.* Eſt ſanguinis, & humorum officina; quare in eo facultatis naturalis ſedem priſci conſtituunt: Nam, vt Galenus docuit *locis citatis*, oportuit alimenta ab omnibus excrementis expurgari, & hoc modo in prima coctione ventriculi, craſſa recrementa repurgantur, quæ per aluum ſolent excerni. In ſecunda verò coctione, quæ in iecore, & venis fit, excrementa tenuia expurgantur; bilioſum à folliculo fellis; melancholicum à liene; ſeroſa ſuperfluitas à renibus, quod *loco cit.* confirmat Galenus, exemplo piſtorum in mundando

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 459 sur 927

©BIUM

tritico, & expurgando vino. Maximus ergo actionis A iecoris principatus, vt profert Galenus 7. *meth. cap. vlt.* cùm inquit: *At verò iecinoris opus omnibus particulis necessarium est: non tamen adeò saltem perpetuam necessitatem habet, sicuti ipsius cordis*, vbi post cor, collocauit iecur. Non ergo est negandum, iecur ratione officij, & vsus esse viscus inter nostri corporis partes præstantissimum: cùm enim vita consistat in humido, videtur iecur esse inter membra nobilia reponendum, cùm sit essentialis humiditatis fons. Si verò hanc prærogatiuam naturæ periti cerebro attribuunt, quod sit humiditatis origo, hæc est accidentalis; in eo enim superfluitas multa indigestionis ratione concipitur. Affluunt etiam illuc, & à reliquis partibus euaporationes multæ, quæ loci frigiditate percussæ resiliunt. Infestat quoque aër B per meatus multos.

Vtrùm iecur sit sanguis concretus? Pars negatiua suadetur hoc modo. In concretione, res quæ concrescit, secundùm substantiam incrassatur. Sed hoc non fit nisi à frigore. Ergo si iecur est sanguis concretus, à frigore concresceret: quod videtur impossibile; quia viuente animali non potest ita intensum frigus reperiri in corpore, quod congelet, alioquî frigens homo interiret, vt 6. *epid. sect. 2. com. 27.* & 2. *de temp.* 3. prodidit Galenus.

Solue hoc modo. Iecur esse sanguinem concretum, firmant Galenus 4. *de vsu part.* 12. 6. *de placit. cap.* 8. *in med. lib. de fœt. format. cap. 2. ad fin.* Auicenna 14. 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *in initio*: & ideò calidum est. Concrescit autem, C & gelatur sanguis, quia spiritus à corde acceptus euanescit, & in substantiam iecori valde similem transmutatur. Neque à frigore concrescit, vt aliqui ineptè persuasere sibi: sic enim esset veluti grumus, & putresceret, naturæque viribus non insigniretur.

Ob hanc causam Galenus, & Auicenna *loc. cit.* veluti concretum esse dixerunt. Concrescit autem à vi formatrice, spirituum, & calidi innati beneficio, ex purissimo sanguine, illuc, summo naturæ artificio effuso, & hoc pacto miris naturæ viribus decoratur: Nam in generatione hepatis, quod de sanguine tenue existit, euaporat, & euanescit; quod verò remanet crassum, hepar existit. Hanc doctrinam inculcat Galenus *lib* 4. *de vsu part. cap.* 12. §. *Qui etiam si eius consideraueris naturam, &c.* Quomodo autem à calore, tanquam à causa remota, resoluta parte tenui fiat concretio, & qua ratione sit opus naturæ, docet eleganter Galenus *lib.* 6. *de placit.* Hip. & Plat. *cap.* 8. *in med.* dum sic ait: *Nihil itaque mirandum, si iecoris etiam corpus ex propria sua natura functionem propriam consequutum est: maximè ruhrum enim cernitur, perinde ac sanguis, non qui ab aëre frigido circumfuso spissatus, ac coagulatus fuerit, caliditate eius extincta, atque inde è refrigeratione, nigrore contracto, sed qui à calore innato perficiente magis, quàm vitiante, concreuerit, &c.*

Iungit verò Galenus de iecoris temperamento tractationem paulò obscuriorem: *Vtrùm ipsum calidum sit?* Respondet affirmatiuè: Nam iecur sanguinis est officina, & vnaquæque pars tantum habet de calore, quantum de sanguine, ex Galeno 1. *de temp. cap. vlt. ad fin.* E & 5. *Aph.* 18. & 40. & *lib.* 3. *de vsu part. cap.* 2. *in med.* Qua ratione idem Galenus 2. *de temp. cap.* 3. dicebat, quòd omne exangue frigidius est sanguine prædito. Quæ propositio semper est vera, nisi quando vna pars alteri sanguinem defert, vt constat in vena, & arteria, quarum temperies non est calida ad portionem sanguinis, & spirituum quos deferunt, quoniam exiguum sibi, multum verò aliis partibus tribuunt: quare hæc vasa frigida sunt suapte natura, etsi ratione sanguinis, temperata à Galeno dicantur, 1. *de temp. cap. vlt.* Constat deinde experimento, animalia enim exanguia frigida sunt, & formidolosa apud Arist. 4. *de partib. animal. c.* 5. Insuper partes animalium ingestæ frigidiores sunt, quàm sanguineæ.

Obiicies. Nutritio à simili fit, 6. *de vsu part. cap.* 10. *in med.* Sed partes seminales, semine nutriuntur, quod est calidius sanguine, 1. *de sanit. tuend. cap.* 2. Ergo membra seminalia exanguia, calidiora erunt sanguineis. Dic. Etiamsi semen est calidius sanguine, cùm sit plurima spirituum copia perfusum, quum tamen ad nutritionem elaboratur, tenuis illius pars, in qua potissimùm caliditas consistit, resoluitur, & remanet crassa, frigida, quæ in fine elaborationis, similitudinem in substantia habet cum parte nutrienda. Obtrudes vlteriùs dicens, quare quum sanguis concoquitur, non fit eadem resolutio? Dic, quòd semen multò magis concoquitur, vt ex illo pars seminalis constituatur, quàm sanguis, vt pars carnosa generetur. Ex iis constat apertè, corruere paradoxum illorum, qui hoc potissimùm freti argumento, partes spermaticas esse calidiores sanguineis acriter contendunt.

Colliges deinde iecur esse calidum necessariò, monente Galeno *lib.* 4. *de vsu part. cap.* 12. Primò, quia, vt 2. *de facult. naturalib. cap.* 14. *ad init.* ipse aduertit, alteratio, qua alimentum in aliti naturam conuertitur, qualitatem maximè actiuam, videlicet calorem efflagitat. Secundò, vt alimenta ex proprio organo confectionis calorem mutuarent, & hac ratione nutrire possent affluentiùs, & per partes distantissimas fœliciùs penetrarent, & distribuerentur.

Consequenter dubitandum: *Vtrùm iecur sit humidum?* Dic. Iecoris humiditatem insignem demonstrant plura. Primùm, humida ac mollis substantia, qua constat, est enim velut sanguis, qui ad eum locum concreuit. Secundò, quia est sanguinis totius corporis origo, sanguis autem omnium maximè post pituitam, humet. Quin & humiditate nutrimentali humidior statuitur, quàm pituita, sicut pituita humidior est humiditate aquea, & madefactiua.

Quare si pituita humidior est absolutè humiditate aquosa; humiditate verò naturali & magis temperata, sanguis: ita hepar humidius est pulmone substantifica humiditate, & pulmo magis est madefactus ex aquosis illis humiditatibus, quæ continuò ex cerebro, glandulis sub linguæ radice saliuam gignentibus, aliisque ad laryngem, & asperam arteriam, humiditatem transmittunt, vt hac ratione, vocis, & loquelæ partes irrigentur, atque humectentur.

Hac ratione, etsi humiditas nutrimentalis sanguinis, ac iecoris, temperatior sit humiditate aquosa pituitæ pulmonis, ac glandularum; in nostro corpore ad humidius alterando, & temperamento passiuarum permutando, maiorem vim sortiuntur iecur, & sanguis, quàm pulmo, & pituita: Omnia enim nostri corporis membra, ex sanguine à iecore profecto alenda sunt, qui si humidior, aut siccior, corpora humidiora, aut sicciora reddit. Ergo, vt cor est origo caloris, ita hepar humiditatis nutrimentalis focus est, & minera. Ex iis intelliges contextum Galeni *lib. art. med. cap.* 29. qui sic se habet: *Magna verò ex parte calidi cordis temperatura vniuersum corpus calidum reddit, ni hepar obstiterit.* Quoniam scilicet iecur in nostro corpore humectando, non solùm pulmone, verùm & omnibus nostri corporis partibus est potentius.

Verùm antequam ad definitionem accedam, duo dubia paulo vberiùs proponere non abs re existimo, siquidem de hepate, naturali organo, & de facultate altrice discepto. Primum: *Vtrùm naturales potentiæ inditæ ita sint, vt absque subsidio aliunde expectato, operationes suas possint exercere?* Galenus *lib.* 1. *de loc. cap.* 7. sic profatur: *Atque in hac re plurimùm differunt naturalia instrumenta ab animalibus instrumentis: siquidem naturalibus cognatam vim esse, animalibus verò instrumentis à principio (veluti lumen à Sole) ipsam defluere iam ostensum est.* Quo loco facultates naturales insitas esse, & non aliunde dependentes, instar animalium, quibus sentimus, & mouemur, manifestè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 460 sur 927

manifeſtè affirmat, inferens ex hoc, quòd membrum ſi patitur, qua naturale eſt, hoc eſt, ſi læſionem habet in naturalibus actionibus, manifeſtum ſit per conſenſum non laborare denegatæ facultatis. Num autem hoc diſcrimen ſit verum inter animalia, & naturalia inſtrumenta, & an facultates naturales inſitæ ſint & innatæ, tum veterum, tum iuniorum peritiſſimi, prolixas ſatisfecerunt quæſtiones: Nos Galenicam ſententiam amplectimur, qua docemur *cit. de loc.* loco, eas inſitas eſſe.

Cur verò hæ, etſi in iecore ſedem habeant, innatæ ita ſint, vt citra auxilium aliunde expectatum, membra per ſeipſa poſſint, & ſufficiant vegetabiles operationes exercere, non ſic autem animales, ſed aliunde, & per interualla pendentes: pauci, qui hanc doctrinam Galeni defendunt, dilucidè explicarunt. Aphrodiſæus *lib. 2. probl. 60.* huius problematis ſolutionem inquirit, non tamen ſufficienter ſoluit: Naturales quidem, cùm ad vitæ rationem pertineant, quæ alitione conſiſtit, illarum opus continuum, ac propterea eas affixas eſſe oportebat; animales autem ad bene viuere cùm tantùm faciant, nec ſemper operari neceſſe erat, rectè poterant per interualla accedere, & non ineſſe membris.

Non ſatisfacit Philoſophus hic eximius, quoniam magis dependet animalium vita à facultate vitali, magiſque continuam in nobis eſſe oportet illius actionem, quàm naturalem virtutem: ceſſante ſiquidem vel per momentum pulſatione, finitur vita; non ſic autem, licèt per notabile tempus non nutriamur. Nec ideò tamen pulſandi vis arteriis ineſt, ſed à corde mandatur, quantumuis illius operatio perpetuò, & ſine vlla intermiſſione ſit exequenda.

Natura ſæpe cogitur vires quaſdam integras adiicere membris; aliàs verò non, ſed quæ per influxum expectarentur, vel deriuarentur: & illud quidem fuit perfectioris operis intentio, & deſiderium. Ex eo autem, quòd naturales partibus affixæ ſunt, naturalia munera perfectiùs exercentur, perfectiúſque vitales, & animales functiones facultatibus ſuis aliunde fruuntur: dum enim naturalia membra ſui tantùm gratia operantur, nec vnumquodque ſolicitum eſt de alterius commoditate, niſi ſingula in ſe vires haberent, quibus vtilem materiam attraherent, & alias demum ad alitionem neceſſarias, vel non nutrirentur omnia, vel ſaltem in opere ſe impedirent, inter ſeſe mutuò trahentia; ſingulis autem ſuas habentibus, & principales actiones in omnibus debitè fiunt, & communis hæc tractio, & concoctio, quæ in ſtomacho, & iecore pro toto fit, non impeditur, ſed vberiùs promouetur.

Iam verò pulſationem arteriarum magis ordinatè, magiſque perfectè fieri, expectata à corde facultate, ex eo conſtat, quoniam ſi inſita ſibi vi arteriæ mouerentur, nulla lege tenerentur concentum in ſuis moribus cum corde obſeruare, imò frequenter accideret, vt ad cordis diſtentionem contraherentur ipſæ, vnde ſecum ſæpe mutuò pugnarent, ſuorúmque motuum fine fruſtrarentur: Nam cùm cor, & arteriæ dilatationibus ſuis repleantur, cor quidem per arteriam venalem ſiniſtro illius ventriculo inſertam, trahens aërem à pulmone, qui veluti quoddam eſt ſpiritus promptuarium, *6. de vſu part. cap. 2.* arteriæ autem ſecundùm extremitates ſuas, externo aëre repleantur, prope mediam partem, venali ſanguine; verſus os ad cor terminatum, ſpiritu, & ſanguine arteriali: Vbi verò contrahuntur, ſeſe inaniant, & exonerent, Cor, combuſtum aërem, ſpiritum, & ſanguinem arterialem fundendo in arterias, & per corporis ambitum: Niſi ſanè arteriæ à diſtento corde vim ſuſciperent, qua tunc diſtenderentur, & ſimiliter ab eo contracto conſtringentem, eueniret, vt excluſum aërem à corde non reciperent, quia diſtenderentur ad illius contractionem; nec etiam aër à pulmone traheretur, quia arteria venalis, ſi vi inſita moueretur, contraheretur eo tempore, quo cor ipſum dilatatur.

Ad hæc autem euitanda, melioris perfectioríſque conditionis gratia, conſultò inſtituit natura, vt vis illa pulſatrix arteriis non ineſſet, ſed opportuno tempore à corde deriuaretur; & propter illud ipſum, ſentiendi, mouendíque organis inſitas facultates denegaret: agnoſcens quippe perfectiòres fore illorum functiones, ſi in eas à propriis virtutibus non prodirent, ſed aliunde deriuatis. Et in motibus res quidem ſatis manifeſta eſt, temerarij ſiquidem fuiſſent, ſi propria vi, proprióque impetu muſculi mouerentur, nec magis imperium facultatis, quàm influxum à cerebro expectaſſent.

Denique exactiores euadere rerum externarum cognitiones, ſimili luce accedente ad ſenſum organa, probatur ex eo, quoniam cùm illa ſolùm apprehendant, & dignoſcant ſibi ſubiectas qualitates, neque has exactè, & perfectè, niſi imaginatione, & ſenſu communi ſimul aduertente, imperantéque, neceſſarium erat ſenſus ipſos externos denuntiare internis apprehenſiones, receptorúmque obiectorum imagines demandare, omnéſque omnium in vno communi ſenſorio coïrent, vt ita & plenè cognoſcerentur, quæ ſinguli ſenſus perceperant, & multa alia, quæ alioquî laterent, niſi ratiocinatione, & diſcurſu comprehenderentur. Atquî ſi ſenſus innatis facultatibus ſuorum obiectorum agniciones conſequerentur, illas ſibi tantùm reſeruarent, nec ad communem fontem tranſmitterent. Ergo oportuit ab illo agnoſcendi vim ſuſcipere, nec aliter poſſe agere.

Illud verò difficile admodum, & arduum inquirendũ dubium, in quo perpauci induſtriam ſuam exercuerunt: *Vtrùm conueniant inter ſeſe, & aſſimilentur, vt Galenus voluit, naturales virtutes altrices, & illa quæ magneti ineſt ad trahendum ferrum*? Nam ille *1. de loc. affect. cap. 7.* ſic docet: *Ergo, vt magneti lapidis vis ineſt, qua ferrum attrahere poteſt, ita naturalia quoque inſtrumenta omnia facultatem habent, qua actionem ſuam perficiunt, &c.*

At licèt Galenus ita proferat, longè tamen diuerſæ videntur: nutritoriæ ſiquidem animatæ ſunt, & animæ vegetabilis potentiæ: non ſic autem vis illa magnetis, ſed proprietas quædam ex quatuor elementorum mixtione reſultans, multò inferior & imperfectior illis, quemadmodum magnes ipſe in ordine ad ea quæ viuunt, & animæ vi funguntur: Progreſſio inſuper alimenti ad membra, multò aliter fit, quàm tractio ferri ad magnetem. Ergo nec in modo operationis, nec in illius principiis conueniunt. Probatur antecedens, quia ferrum mouetur, quia trahitur à magnete; at verò ſanguis fertur ad membra, non quidem ipſis trahentibus, ſed ſponte ſua vnaquæque pars ſanguinis mouetur ad illud membrum, cuius, dum generabatur, ſimilitudinem aliquam ſuſcepit: Ex ea namque conſequitur, poſſe ad tale membrum moueri; id quod in elementis palàm fit, inter quæ vnumquodque motu alterius mouetur, cuius qualitates, & ſimilitudinem recipit: ſic aqua ab igne calefacta, extenuatáque, ignis inſtar ſurſum conſcendens, in flatus, vel halitus reſoluitur.

Sed parum hæc, imò nec alia licèt fortiora, vrgerent, ad euertendam ſimilitudinem inter altrices facultates, & tractricem magnetis, niſi ex ea euaderet ſuſpecta ſententia Galeni, quaſi exiſtimantis vires nutritorias ab anima non proficiſci, ſed à natura, hoc eſt, ab inanimata forma; atque ita nec plantas, nec animalia, quatenus aluntur, nec quæcunque ſolo vegetabili principio fruuntur, animata dicenda eſſe, ſed naturalia iuxta Stoïcorum placita, idque expreſſit *1. de natural. facult. 1.* quamuis *4. de vſu part. 13.* affirmet quæſtionem eſſe de nomine, indagare, num principium nutritionis, anima

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 461 sur 927

anima dicendum sit, an potiùs natura, ac si in re cum Peripateticis, & Arist. consentiat 2. *de anim.* asserentibus animam esse nutritionis agens, plantásque, & omnia quæ nutriuntur, animata: nempe quoniam si natura, & anima distinguuntur in eo, vt ex Aristot. colligitur, 2. *phys.* 1. quòd natura ad vnam tantùm loci differentiam inclinat, anima autem ad plures; & vis nutritoria dum perficit nutritionem, mouet alimentum, sursum, deorsum, & ad reliquas positionis differentias: cur non animata dicetur, si ea vel sola, vel potissimùm animam in corpore tuetur? Viuunt siquidem, & durant animata omnia, quamdiu nutriuntur, vel animalia ipsa, licèt reliquas actiones amittant; moriuntur autem breuissimè, si nutritione priuentur. Quare, &c. Nec sanè diffiteretur Galenus, quum *lib. de marasmo, cap.* 1. non solùm animalia, sed plantas, & semina viuentia appellat; planum est autem sola animata viuere, cùm vita ipsa sit effectus animæ informantis corpus animatum.

Nec verò adducta 1. *de loc.* 7. similitudine, asserere voluit, inanimatas esse altrices facultates, aut eiusdem rationis cum tractrice magnetis: cùm *lib.* 1. *de sem. c.* 7. eas animatas appellet, sed tàtùm inditas esse, & affixas membris quemadmodum magneti sua facultas inest, nec illi aliunde influit. Verùm quamuis non negauerit Galenus, diuersi ordinis esse prædictas virtutes, nullibi tamen, quod legerim, expressit satis, in quo animæ, aut potentiarum essentia consistat: eò tamen videtur inclinasse, vt existimaret, nec animam, nec potentias eius, quippiam esse temperamento superius, aut diuinius, vt colligitur ex *lib. quòd animi mores, cap.* 5. & 4. *meth. cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 7. & alibi plerumque facultates, corporis nostri temperamentum dicit esse, in eóque illarum essentiam consistere.

Nihilominùs tamen credi potest illud asseruisse, quatenus vt Medicus agebat, cuius considerationi cùm ea tantùm subiiciantur, quæ mutationem suscipiunt, nihil mirum, si animæ, & virium eius superiorem dignitatem non expresserit, cùm tamen eam sensisse videatur, cùm rei magnitudine oppressus firmiter fateatur, 6. *epid. sect.* 5. *com.* 5. se animæ substantiam nescire, eámque appellauit spiritum, agnoscens rem esse incorpoream, & longè diuiniorem spiritu, aut temperamento.

Non dissimiliter etiam conuenit cum ferri tractu à magnete, delatio sanguinis ad membra, quam sanè anima ipsa operatur mediante trahente virtute, & qualitatum temperamento; nec enim sanguinis riuuli ad superiores partes ascenderent, nisi superiorum membrorum trahendi vehementia cogerentur, in quibus quidem, ceu magnetibus coërciti, descendere prohibentur.

Quare negandum est, sanguinem sponte ferri ad membra, ob similitudinem, & consensum quem cum illis comparauit: Nam præterquam quòd sanguis, peculiares membrorum similitudines non consequitur in iecore, aut venis, nisi in membris ipsis, postquam illis adiunctus est, & à quibus non ampliùs mouetur, si formæ membri similitudo causa esset motus, ad certum, peculiarémque motum, non aliter ac forma ignis, similitudo sanguinis cum carne moueret sanguinem ad motum: cùm ergo caro deorsum tantùm feratur, & eadem sit in brachio, & crure, eundémque habeat vtrobique motum, tantùm deorsum mouebitur sanguis, non verò sursum ad brachium, licèt cum eius carne similitudinem comparauerit: quod cùm planè absurdum sit, affirmandum est, sanguinem non ex se ferri ad membra, eséque similem modum facultarum naturalium cum membris naturalibus, quem seruat tractrix ferri in magnete.

Ex his constat, meritò adiecisse Galenum, quòd sicut in eo conueniunt, si tam firma, solida, & dura esset animalium, quàm lapidum constitutio, non minùs quàm hi, sponte sua, & soliditate se tuerentur, perpetuóque operationes suas naturales ederent, sicut perpetuas habent innatas, & affixas virtutes. Quoniam tamen tota animalium moles in perpetuo fluore est, quem insitus calor potissimùm machinatur, humidum sibi vicinum pascens, nisi altera substantia pro ea quæ effluxit, reparetur, breuissimè certè totum animal dissipabitur.

Ad huiusmodi autem reparationem, nutrimento indiguit: quod vt ad singulas deferretur partes, in quibus erat facienda substitutio deperditi, venarum ductibus natura prouidit, quibus suppeditaretur singulis membris reparationis materia; arterias insuper animalibus tribuit, vt earum motu innati caloris moderantia conseruaretur, qui calor cùm in animalibus ipsis excedat magis, quàm in plantis, propter sensuum, & motuum opera, nisi aëris ingressu per arteriarum pulsum fruantur, ventilentúrque, vel suffocaretur, vel instar flammæ excrescens humidum absumeret, & citò euolaret.

His præhabitis, ad definitionem inflammationis hepatis accedamus, de cuius essentia, & materia, *lib.* 1. *huius operis, cap.* 4. & *hoc lib. cap.* 3. de phrenitide, & pleuritide plura prædiximus. Quare definitio inflammationis huius, eadem est, quæ tribuitur in flammationibus cæteris, quòd sit *tumor iecoris, cum dolore, calore, duritie, & renitentia,* cuius essentiam, & causas cùm Galenus latè delineet, *lib.* 5. *de loc. cap.* 7. eas, sicut & signa, *infrà* Laconicè explicabimus.

Causa.

VTrùm *citra inflammationem, simplex, nudáque intemperies calida in hepate sit concedenda?* difficultas est plena litigiis, & controuersiis: Nam Galenus 1. *de temp.* 2. & 3. & 6. *de sanit. tuend. cap.* 2. notat, veteres negasse simplices intemperantias, quorum sententiam sequutus fuit Auerrhoës *lib.* 2. *collect. cap.* 4. asserens intemperantias esse solùm quatuor: & *lib.* 3. *cap.* 1. *in fin.* §. *Sed difficile est imaginari, agritudinem materialem esse simplicem:* & *in* 1. *cantic. tract.* 1. *text.* 22. sic ait: *Possibile est inueniri simplicem intemperantiam verbo, & diuisione, non autem in effectu:* & *text.* 23. *sequenti,* vbi postquàm ex sententia Auicennæ retulit, nouem esse temperamenta, vnum æquale, octo inæqualia, quatuor composita, & quatuor simplicia, dari simplices intemperantias impossibile esse asseuerat: & 1. *canticor. tract.* 2. *text.* 163. *post med.* sic fatur: *Impossibile est secundùm exquisitam veritatem, esse morbum ex sola caliditate, vel frigiditate, vel humiditate, vel siccitate.*

Hæc Auerrhoïs sententia confirmatur primò. Formæ variantur pro varietate materiæ. Sed qualitates actiuæ in ordine ad materiam habent vicem formæ. Ergo facta varietate in qualitatibus primis, necessariò fiet variatio in passiuis, & è contra. Ergo intemperies simplex assignanda non est. Maior est nota. Minor confirmatur apud Aristot. *lib.* 4. *meteor. cap.* 1.

Secundò. Numerus temperamentorum, numero humorum respondet. Sed solùm quatuor assignantur humores. Ergo solùm statuetur quadruplex temperamentum. Maior est vera in morbis materialibus, qui ab ab aliquo ex quatuor humoribus debent generari. Minor est euidens. Consequentiam probo, quia cùm quilibet humor duas habeat qualitates magis excedentes, intemperantia erit composita.

Tertiò. Qualitates actiuæ generant, & producunt passiuas. Ergo, &c. Antecedens est ipsius Auicennæ, dum sic ait: *Caliditas maior quàm oportet, reddit corpus siccius quàm oportet; & siccitas maior, corpus efficit frigidius.* Licèt enim siccitas sit lima caloris, dum absumit humiditatem, calorem minuit; pariter excedens humi-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 462 sur 927

©BIUM

ditas, corpus facit frigidius: quum enim ſua multitudine calorem ſuffocat, conſequutione quadam frigiditatem inducit.

Quartò. Quantitas innati caloris cuiuſque mixti reſpondet quantitati humidi radicalis: quod oſtendunt flamma, & oleum in lucerna; & innatum calidum, ac radicale humidum in animantibus, quæ ſimul aucta ſunt in pueritia, & adoleſcentia, ſimúlque marceſcunt in ſenecta, & naturali morte. Quare impoſſibile eſt dari duo corpora (vt iuuenis, & pueri) caliditate paria, ſi alterum ſit humidius.

Galenus *lib. 1. de temp. cap.* 8. ſimplices intemperantias eſſe concedendas, efficaciſſimè demonſtrat. Primò. Datur calor cum humiditate in ſanguine, & cum ſiccitate in bile. Ergo datur cum temperamento paſſiuarum; magis enim diſtat extremum ab extremo, quàm à medio. Galeni verba hæc ſunt: *Si namque neceſſarium omnino non eſt ſiccam eſſe quæ calida ſit, ſed licet eam & humidam eſſe; propior namque ſiccæ temperaturæ media eſt, quàm humida.* Frigidam etiam ſimplicem dari, ſequentibus verbis confirmat: *Si neceſſe non eſt frigidam temperiem eſſe humidam, ſed licet & ſiccam eam fieri, manifeſtum eſt mediam quoque eſſe poſſe: quippe quæ vicinior humidæ eſt, quàm ſicca.* Simili ratione vtitur in ſicca, & humida tantùm.

Non minùs efficax ratio ex tranſmutatione ſanguinei in pituitoſum conſurgit; fit enim tranſitus in ipſa per medium actiuarum, manente lapſu in humiditate. Temperatus inſuper tam in actiuis, quàm in paſſiuis homo, quem Auerrhoës admittit, poteſt à valida aliqua cauſa incaleſcere, ſimúlque à cauſis conſeruantibus impediri, ne in paſſiuarum oppoſitione mutetur.

Inſuper. Omne quod hominum decreto fieri valet, multo perfectiùs gignetur à natura. Nos verò ſimplicem intemperaturam humidam paramus, miſcendo aquæ feruenti parem modum glaciei, & frigidam tantùm miſcendo glebæ, tantundem aquæ frigidæ. Ergo conſultiùs has intemperaturas componet natura.

Deinde. Calidius vnum altero dicitur, 1. *Aph.* 15. & 3. *ſimpl.* 6. aut quia quantitate augetur, aut quia qualitate intenditur. Ergo manente eadem humidi, & eadem quoque calidi quantitate, fieri poteſt, vt qualitas caloris augeatur, aut minuatur; quod vel aquæ exemplo conſtat, quæ frigida cùm ſit, ignis actione primò temperatur, deinceps feruida fit, parum, aut nihil quoad qualitatem attinet exiccata.

Præterea. Humida temperies non minùs dependet ex humido aqueo, & pituitoſo, quàm ex aëreo, & ſanguineo: quamuis autem cum hoc, calidum ad proportionem augeri poſſit; cum illo tamen calore carente nequit augeri. Adde quòd quamuis variato calore, neceſſariò varietur humiditas, & contrà, quod Auerrhoës prætendit; non tamen neceſſarium eſt, vt quantum augetur calor ſupra moderatum, tantundem etiam augeatur humiditas, nec vt quantum humiditas decreſcit, tantundem minuatur calor: à pueritia enim in iuuentutem temperatur humiditas, non tamen calor, & accreuit humiditas, non autem calor; conſiſtentibus contemperatur calor, & augetur ſiccitas, quæ in ſenibus magis eſt aucta, quàm calor ſit imminutus.

Ad hæc. Non ſufficit quælibet variatio, ſi exigua ſit, nam hæc in conſiderationem Medici non venit: dogma enim ſempiternæ paſſionis, à Medico qui eſt artifex ſenſualis, non conſideratur: id enim calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur, & ſic de frigido, & reliquis paſſiuis qualitatibus eſt intelligendum. Quare fieri poteſt, vt quis temperamento, quoad actiuas qualitates, calidiore, aut frigidiore polleat, quoad paſſiuas autem dignoſci nequeat, an ſiccitas, vel humiditas exuperet. Quare hoc corpus ſimplicem habere intemperaturam cenſendum eſt.

Morboſæ ergo ſimplices intemperantiæ, in hepate, & quamuis alia parte ſunt conſtituendæ, & ab ipſo etiam Auerrhoë curantur, *lib. 7. collig. cap.* 23. Sunt autem morboſæ efficaciores naturalibus. Ergo naturales, quæ minorem vim gignendi qualitatem adiunctam ſortiuntur, nulla ratione negari poſſunt. Quare & ipſe Auerrhoës *lib. 2. collig. cap.* 1. palidoniam recantat, in hæc verba prorumpens: *Et nos videmus, quòd ſi nos exiremus ab intentione publica multitudinis Medicorum, eſſet difficile intelligere, & ideò nos loquimur de hoc nimis. Et adhuc error qui accideret ex hoc in arte, eſt multùm paruus, & ideò non facimus hic nouum præceptum*: quo loco nouem proponit temperaturas, quæ à Medico, tanquam artifice ſenſuali conſiderantur, quatuor ſimplices, & quatuor compoſitas, vnámque temperatam in ipſarum medio conſtitutam.

Nec Auerrhoïs argumenta multùm vrgent. Dic ad primum, & concede ex qualitatibus primis alias habere qualitatem formæ, & alias materiæ; negabis tamen quacunque facta mutatione in qualitatibus actiuis, ſtatim etiam fieri mutationem in paſſiuis: qualitates enim actiuæ, & paſſiuæ elementorum, intenduntur, & remittuntur; formæ autem ſubſtantiales non: & hoc modo facta mutatione in forma ſubſtantiali, aut in materia, variatio ſequitur; quæ non fit, ſi in qualitatibus actiuis, aut paſſiuis accidit varietas, cùm intemperantiæ in indiuiſibili non conſiſtant.

Dic ad ſecundum, quòd numerus temperamentorum non reſpondet numero humorum, & elementorum; reſpondet tamen numero modorum, quibus elementa, & humores cum ſuis qualitatibus diuerſimodè coniungi poſſunt, & hoc modo ob exceſſum vnius, aut duarum qualitatum varia conſurgunt temperamenta: licèt enim quilibet humor duos habeat qualitates excedentes, in generatione morborum, & ſimiliter elementa in productione mixtionis, nihilominus tamen, quando per morbos duo humores concurrunt, conuenientes in vna qualitate, v. g. in calore, & diſconuenientes in paſſiuis, v. g. in ſiccitate, & humiditate, generabitur intemperies ſimplex: & ſimiliter ad mixtionem ſi concurrant quatuor elementa, & non ſemper ad eandem menſuram qualitatum reducantur, tunc intemperies naturalis ſimplex conſurgit, ſcilicet quando duo elementa ſymbola in vna qualitate, & diſſymbola in alia exuperant.

Dic ad tertium. Qualitates actiuæ generant paſſiuas; verùm hoc conceſſo, non dari intemperantias ſimplices non inferes, quia qualitates actiuæ generant paſſiuas, & è conuerſo, non per ſe, ſed ex accidenti, & non ſub quacunque menſura, ſed ſub certa hoc efficere certum eſt.

Dic ad vltimum. Verum eſt ſemper calorem naturalem ſeruare cum humido proportionem: non tamen ex eo ſequitur, quòd non poſſit variari calor ſine humiditate, & è contra, tam in ſanitate, quàm in ſtatu præter naturam, vt *ſuprà* explicuimus.

Deinde agitanda, componendáque eſt diſcordia noſtro tempore frequens: *Vtrùm intemperantia calida in iecore ſola diu duret?* Auicenna 1. 1. *doct.* 2. *c.* 3. ſic ait: *Iſtæ tamen quatuor non diu permanent, quia breui tempore durant: caliditas namque maior quàm debet, reddit corpus ſiccius quã oportet, & frigiditas maior quàm debet, facit corpus humidius quàm oportet? & humiditas maior quàm debet, ſi valde fuerit ſuperflua, velociùs reducit ipſam ad frigiditatem, quàm ſiccitas maior; quæ ſi plurima non fuerit, conſeruabit ipſum prolixiori tempore, ad vltimum verò reddit ipſum frigidius quàm debet.*

Hanc ſententiam deſumpſit ex Galeno 1. *de temp. cap.* 7. *ante fin.* qui intemperantias ſimplices non eſſe negandas, ſed non perpetuò in illo ſtatu durare aſſeuerat; & dilucidè *lib. 6. de ſanit. tuend. cap.* 2. *ad med.* §. *Sanè dictum eſt à nobis in libris de temperamentis, fieri non poſſe, vt quelibet diu duret, quia ipſa ſibi alteram de*

neceſſitate

©BIUM

necessitate adsciscit. Cuius doctrinæ fundamentum est ex eodem Galeno desumptum, quia caliditas maior quàm oportet, reddit corpus siccius, & sic de cæteris. Quod autem solet adduci, quod temperamentum quodlibet habeat latitudinem, verissimum est; verùm, vt notat Auicenna, in hac latitudine durare nequit, nisi cum alia qualitate, quam fatali necessitate acquirit.

Verùm hæc Auicennæ sententia non videtur consona doctrinæ Galeni, quia si intemperantiæ simplices non durant sub statu illo, sed in consensum alias qualitates attrahunt, inutile, & superfluum esset Galeno de illis agere, illarum signa adducere, & quando sunt morbosæ, illarum curationem aggredi. Secundò. Ipse Auicenna 1.4.*tract.*3.*cap.*9. vt tradat causas hecticæ senectutis, sic ait: *Et causa faciens cadere in eam, aut est frigus dominans cum debilitate corporis.* At hæc ætas est frigida, & frigus non parit humiditatem, sed siccitatem. Ergo frigiditas maior, corpus humidius non reddit, provt Auicenna prædixit. Confirmatur, quia Auicenna 3.1.*doct.*4.*cap.*1. sic asserit: *Cùm autem calidum existit cum siccitate, possibile est, vt complexio illa diu duret in sua dispositione.* Ergo siccitas non statim frigiditatem inducit.

Tertiò. Non videtur rationi consentaneum, quòd frigida intemperies producatur ab humiditate: Nam si humiditas maiòr producit frigiditatem, vel hoc facit efficienter per se, producendo frigiditatem, vel ex accidenti, suffocando calorem, vt insinuat Auic.3.1.*doct.*4.*cap.*1. Calidi verò cum humiditate societas non durat, quia humiditas quandoque superat caliditatem, & extinguit ipsam. Sed neutro modo id facit. Ergo. Maior est vera. Minorem à sufficienti partium enumeratione sic confirmo. Humiditas id non facit efficienter per se producendo frigiditatem, quia hoc solùm frigiditati debetur: nec secundò ex accidenti, suffocando calorem, suffocatio enim à nulla fit qualitate, sed à mole, & quantitate corporum, vt in suffocatione externa satis apparet.

His fortasse rationibus plures persuasi, asserunt, quòd quando Auicenna dicit, simplices intemperantias sub illo statu diu non manere, de intemperantiis morbosis sit intelligendus, vt de calore v. g. qui febris est, exicat, frigiditas in hydrope humectat; non autem de intemperantiis simplicibus naturalibus esse interpretandum existimant. Sed hæc solutio est contra Auicennæ mentem: hic enim postquam affirmauit nouem esse intemperamenta, sic loquitur: *Ista quatuor non diu durant.* Vides quomodo particula illa *ista*, refertur ad temperaturas, de quibus immediatè fecerat commemorationem.

Hac superiori opinione aliqui commoti, concedendas esse intemperantias simplices, & diu permanere posse arbitrantur: hæ enim à primordiis generationis sunt comparatæ, & ideò diu durant, cùm sint in habitu: corpora enim quæ has intemperantias sunt assequuta, à generationis principiis, sunt insalubria, quæ cùm simpliciter ita sint, aut semper, aut ferè ab intrinseco principio eodem modo perseuerant, quemadmodum rectè notauit Galenus *lib.art.med. cap.*5. Denique reprehendunt Auicennam, quòd affirmet simplices intemperantias diu non permanere. Ad locum verò *lib.de sanit. tuend. cap.*2. satisfaciunt, asseuerantes Galenum fuisse loquutum non de mutatione vnius temperamenti in aliud, sed de mutatione temperamenti, quod per ætates intra limites ipsius temperamenti obseruatur.

Reproba reprehensio, inepta interpretatio! qui enim Auicennam redarguit, seipsum implicat, qui Galenum hoc modo exponit, difficultatem non soluit. Quomodo enim frigida intemperies auget humiditatem, si per mutationem ætatis nunquam corpus redditur humidius? Nam à principio generationis quantò magis accrescit corpus, tantò magis, ac magis exiccatur; neque in vlla mutatione ætatis corpus redditur humidius, vt toties Galenus confirmat.

Dic ergo verius, intemperantias simplices immodicas, & in excessu magno, solas non posse permanere, nec durare diu; moderatas verò ita perseuerare posse, Galenus 1.*de temp.vlt. ante finem*, memoriæ commendauit, §.*Sed cùm triplex genere sit calidi temperamenti differentia, &c.* & *lib.* 6. *de sanit. tuend. cap.* 4. *circa finem*, §. *At qui frigidi natura sunt, &c.* Quo loco docet Galenus, quòd dum datur intemperantia frigida in excessu, & media in siccitate, & humiditate, tunc debemus excitare, & firmare calorem, & victus rationem mediam adhibere. Ergo quia frigida intemperies erat exigua, humiditatem trahere in consensum non potuit, cùm debilis esset, tarda nimis, & insensilis ferè, quæ ab ipsa mutatione oritur: Medicus autem insensiles permutationes non considerat. Id enim solùm calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur: cùm verò euidenter non excedunt, media temperies iudicatur.

Obiecta explicabis hoc modo. Dic ad primum. Galenus quando agit de intemperantiis simplicibus, illarum signis, & curatione, de moderatis, non autem immoderatis est intelligendus. Dic ad secundum. Frigiditas non solùm est causa humiditatis, sed etiam siccitatis, quatenus impedit nutritionem, & calorem imminuit, qui coctionis principium est; at verò humiditatem extraneam parit, vt in senibus fit manifestum. Hoc modo Auicenna 3.1.*cit.* intelligendus; eo enim loco de modica temperie calida loquitur cùm siccitate coniuncta, dum hanc cum calida, & humida intemperie in excessu comparauit.

Tertium, & vltimum argumentum expostulant, vt explicemus, quomodo humiditas frigiditatem producat, quo dubio exposito, de reliquis qualitatibus primis aliqua annotabimus. Omnes quatuor qualitates primæ, actiuæ sunt, & vnaquæque earum per se sibi similem producit, at verò alias dissimiles ex accidenti. Hoc modo calor ex accidenti siccitatem inducit, humidam substantiam absumendo, ad cuius consumptionem consequitur siccitas. Secundo modo calor ex accidenti siccitatem inducit, quatenus interuentu caloris aliqua producitur substantia sicca, quæ per se corpus exiccare potest.

Frigiditas inducit humiditatem ex accidenti, quatenus ex frigiditate excrementa humida consurgunt, quæ à debili calore non resoluta in corpore redundant, & humectant; non alia ratione, quàm qui producit ignem, non dicitur calefacere per se, sed per ignem. De siccitate etiam pronunciandum est cum Galeno, ex accidenti etiam producere calorem, & etiam frigiditatem: producit calorem per illas ætates, per quas augetur animal; at verò frigiditatem per illas ætates, per quas imminuitur. Inducitur caliditas quando augetur animal, quia tunc est magis accommodata temperies, vt generetur bilis, quæ valde calida est; vel quia à siccitate calori coniuncta producitur in effectu intensior caliditas, quàm à calore, & humiditate. Inducit siccitas frigiditatem, quando imminuitur animal, quia in præsentia siccitatis, minuitur humidum in quantitate, & imminuta quantitate, imminuitur calor in quanto, & consequenter ex defectu conseruantis calorem, frigiditas inducitur.

Vltimò. Humiditas inducit frigiditatem, non suffocando calorem mole, & quantitate humoris habentis humiditatem, cùm hoc cuilibet humori, tam calido, quàm frigido commune sit, sed superando caliditatem, vt firmat Arist. 4. *meteor. cap.*1. quo loco generationes rerum fieri asseruit, quando caliditas, & frigiditas vincunt, & terminant humiditatem, & siccitatem; at

at verò tunc fieri cruditates, quando paſſiuæ qualitates dominantur ſupra actiuas.

Diſceptatione verò dignum eſt: *Vtrùm ex intemperantia calida ſimplici, vel compoſita, inflammatio in iecore poſſit progigni?* Quum iecur calore exæſtuat, bilis in corpore copia redundat, quæ vel à toto, & genere venoſo ad ipſum iecur ob calorem, & dolorem attracta, vel eo loco firmiter adhærens, inflammationem committere poteſt. Quòd ſi nuda intemperies eam efficere eſt apta, cur non compoſita, quæ magis ignefacit iecur, incendit humores, eóſque à genere venoſo potentiùs attrahit?

Inflammatio hæc ab humore calido progignitur, tanquam ab interna cauſa, vt ſanguine vel bilioſo humore, qui extra venas effuſi inflammantur, & putreſcunt, quare in hoc membro tumores oriuntur eryſipelatodes, & phlegmonodes. Dubitabis: *Vtrùm œdema pituitoſum in iecore innaſcatur?* Renuit Galenus *lib. 4. de præſag. ex pulſib. cap. 3. Compactius*, inquit, *eſt iecur, quàm vt huiuſmodi fluxionem recipiat, ſed & ſua naturali facultate pituitam alterat.* Annuit *lib. eodem 4. de præſag. ex pulſib. cap. 8.* Sed nulla ſubeſt inter Galenum, & Galenum controuerſia. Enimuerò de ſimplici œdemate à pura pituita, tenaci, & lenta diſſertare videtur, cui ob tenacitatem, & craſſitudinem in anguſtioribus iecoris partibus aditus non adeſt: aliter procul accidere vſus oſtendit, ſi portio bilis, aut tenuis ſanguinis tanquam vehiculum permixta ſit.

Sed agamus de cæteris huius inflammationis cauſis, quarum omnium pleniorem dilucidationem, *lib. 5. de loc. cap. 7.* Galenus tradiderat, quæramúſque: *Vtrùm à bile æruginoſa hepar poſſit inflammari?* Hepatis inflammationem à bile oriri, monſtrat manifeſtè vomitus bilis, (ſcilicet quòd iecur eam in ventriculum tranſmittat) primùm ſinceræ, id eſt, quæ alteri humori permixta non eſt, provt explicat ipſe Galenus *3. epid. ſect. 2. com. 8. & 2. progn.* 38. vel quæ aquoſa humiditate priuatur, *6. Aph. 6.* ex adurente, exiccantéque calore, quæque flaua iam, vel pallida eſt, & multò periculoſior; vt deinde vitellinæ, hoc eſt, ſimilis crudo ouorum luteo, cuius ſimilitudinem flaua refert, vel cocto cui palida aſſimilatur, quæ ex flaua per aduſtionem fit, *1. criſ. 12.* Denique vel æruginoſæ, magis adhuc creſcente incendio, de qua *5. Aph. 1.* & *7. Aph. cit.* Igitur à bile æruginoſa hæc inflammatio generatur.

Obſtat argumentum validum. Æruginoſa bilis vſque adeò pernicioſa eſt, & maligna, vt diu intra corpus contineri nequeat cum vita, ſed neceſſe ſit quamprimùm pelli, aut præ malignitate celeriter interimere, vt colligitur ex *5. Aph. 1.* & *lib. 7. com. 6.* quia natiuam humiditatem omnino exurit. Ergo poſſibile non erit, quòd ex bile hac iecur inflammetur, vt vomitus ſequatur æruginoſus, & viuat animal, quin & ex illa putrefacta febris accendatur, & multò minùs, vt per moram longiorem pariat hecticam.

Dic. Bilioſæ febres non ſolùm oriuntur ex rubea, citrina, flaua, & pallida bile, ſed ex vitellina, atque æruginoſa, quæ generantur per flauæ aduſtionem, conſumptionémve liquoris ſeroſi, qui in omnibus ſuccis reperitur, *6 epid. ſect. 2. com. 38.* Poſſe verò ex æruginoſa febrem induci, manifeſtè colligitur ex Galeno *5. Aph. 1.* vbi refert, quòd ea euomita febris omnino ceſſauit, nec ceſſaret quidem, niſi ab ipſa æruginoſa fieret. Inſuper ſi ea ſemper in atram conuertitur, & intra corpus moratur vſque ad huius generationem, quid impediet, quominùs antequàm in atram conuertatur, extraneo corripiatur calore, & febrem concitet, maximè cùm ab aliis non rarò pernicioſioribus, magíſque venenoſis oriatur ſuccis. Quinimò ſi nunquam fuit viſa febris à bile æruginoſa orta, cur auctores, præſertim Zoar *lib. 3. tract. 2. cap. 6.* & Auerrhoës *7. cap. 12.* illius curationem tradiderunt? Quare, &c.

Cauſæ externæ, ſunt omnes, quæ ſanguinis abundantiam procreant, in quorum albo vſus ciborum calefacientium reponitur, qui ſanguinem acrem generant; exercitium immodicum, ieiunia, curæ, vini generoſi potus. Denique quidquid calefacere, & dolorem inferre poteſt, hanc affectionem potenter excitat: maximè ſi accedant ætas vigens, tempus calidum, ſuppreſſio alicuius vacuationis conſuetæ, quæ per vterum, & mariſcas per circuitus repetere ſolet.

Signa.

Vtrùm iecoris inflammatio, ab inflammatione muſculorum abdominis tactu diſtinguatur? Galenus *lib. 5. de loc. affectis, cap. 7.* poſtquàm inflammationem in gibba, aut ſima, ſeu concaua iecoris parte poſſe fieri pronunciauit, quia non parum momentanea eſt ad curandum vtriuſque dignotio, traditurus indicia quibus diſcernantur, in memoriam reuocat numerum, ac ſitum muſculorum abdominis, intra quos iecur ipſum ſub peritonæo conſiſtit. Cùm verò illi octo numero ſint, duo recti, quatuor obliqui, ex quibus duo deſcendentes dicuntur, totidem aſcendentes, duóque tranſuerſi, *5. de anatomic. adminiſt. cap. 6. & 7.* & *5. de vſu part. 14.* & *6. meth. 4.* ac triplici eorum pari, recto nempe, tranſuerſo, & obliquo deſcendente, contegatur peritonæum, & ſub eo adhuc repoſitum hepar ſit, *4. de vſu part. 14.* non poterit tactu deprehendi huius viſceris phlegmone, etiam in gibba contenta, niſi magna admodum fuerit, aut incumbentes muſculi vehementer extenuati. Quare iecoris inflammati dignotio aliunde quàm per tactum petenda.

Hinc fit vt Galenus *6. de loc. cap. 1.* non alia ratione, faciliùs percipi lienis inflammationes, quàm iecoris pronunciauerit. Idem probat *lib. 2. de loc. cap. 7.* de eadem iecoris inflammatione loquens: *Ergo ſi nihil excernitur, à quo indicium accipi poſſit, ſatius eſt præcordiorum dextram partem tangere; quòd ſi nullus inueniatur tumor, nec ſic quidem deſiſtere oportet: Nam fieri poteſt, vt in ſima iecoris parte ſit inflammatio, vel in gibbis tantùm, ſed non omnibus, verùm iis tantùm quæ à nothis coſtis integuntur.* Quibus verbis manifeſtè aſſerit, inflammationis exiſtentis in iecoris partibus ſimis, tactum nullum habere indicium poſſe; quemadmodum nec illius, quæ obſidet viſceris partes gibbas, quæ à nothis integuntur coſtis.

Quòd ſi ex muſculis recti inflammentur, facilis erit per tactum dignotio: cùm enim toti ſint carnei, oblongi, & ſecundùm rectum per medium totius ventris extenſi vſque ad pubis oſſa: inſuper & à nullo alio exteriore muſculo tegantur, vbi tument, ſe facilè tangenti præbent, tam ex ſitu, quàm figura; perinde enim ac muſculi ipſi, figura ſunt oblongi tumores, & per medium ventris extenſi, vmbilicum etiam comprehendunt: Secundum locum obtinent obliqui, à thorace deſcendentes: Tertium, aſcendentes dicti. Vltimum, tranſuerſi: quia enim reliquis ſubſtant, ac multis operiuntur tendonibus, tactum effugiunt illorum tumores; at ferè omnino qui viſceris ſubſtantiam obſident. Quare iecoris inflammatio tactu deprehendi non poteſt, & per eum ab inflammatione muſculorum abdominis diſtinguitur.

Vtrùm in inflammatione muſculorum abdominis, primò tactui recti ſeſe repræſentent, vt voluit Galenus? difficultas eſt non exigua: nam hæc doctrina ſuſpecta videtur & ambigua. Si enim inter epigaſtrij muſculos, obliqui reliquis incumbunt, ita vt deſcendentes omnibus ſuperſtrati dicantur, *5. de anatomic. adminiſt. cap. 6.* & *6. meth. 4.* ſecundo loco ſuccedant aſcendentes, tertio recti, quomodo *5. de loc. 7.* rectos primos recenſet, nullóque alio muſculo contegi pronunciat, ſibi manifeſtè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 465 sur 927

contradicens? Nec minùs in transuersorum positu, illic enim secundos constituit; *lib.* autem *cit. de loc.* vltimos. Quòd si omnium eximi habeantur obliqui, deinde transuersales, illorum tumores erunt tactui magis expositi, eóque faciliùs deprehendentur, tum ex ratione situs, tum ex modo suæ substantiæ: cùm enim tenuiores sint, minúsque carnosi quàm recti, minùs occultabunt tumores, non secus quàm iecur suos in summa corporis gracilitate.

Dic. Si simplicem situm prædictorum musculorum abdominis consideres, quod fecit Galenus *6. meth. cit.* cùm constet obliquorum neruea tenuitates rectis musculis expandi; negari non potest, obliquos ipsos magis obuios esse, & inter eos omnium eximos descendentes, deinde rectos, vltimos ac magis recondi- B tos transuersales: quia enim musculorum ope venter constringendus erat ad excrementorum expulsionem, vt ceu manibus quibusdam compressa deorsum propellerentur, *5. de vsu part.* 14. necesse fuit penitiorem locum obtinere transuersos, quorum fibris, tanquam fasciis transuersim cingerentur intestina, ac validè comprimerentur.

Adde quòd, quia simul cum rectis maximè momentaneæ sunt, in constringendi, premendi, atque adeò expellendi munere, obliquæ ad robur, & firmitudinem tantùm additæ; ideò *5. de vsu part.* vbi de vsibus, ac muneræ partium agit, primùm rectos, & transuersos recenset, velut in opere digniores, vltimò obliquos, C velut in situ priores, & magis superficiarios, nullibi secum repugnans. Nam quamuis *5. de loc.* asserat rectos nullo musculo externo tegi, atque adeò eorum tumores tactu faciliùs dignosci, musculi nomine audit neruosas tenuitates: ac proinde etiamsi illæ obliquorum rectis musculis incumbant, quia tamen præ sui tenuitate tactum non impediunt, meritò *5. de loc.* inquirens per tactum horum musculorum tumores, rectos primo loco numerauit; quanquam enim substrati sint aliis, quia tamen toti ferè carnei sunt, vbi tument, facillimè agnoscuntur: nec minùs etiam reliqui, qua parte carnei sunt, præter transuersos, qui vel difficillimè, vel tactum omnino effugiunt, tum quia omnibus substrati, tum quia multis obliquorum tendonibus operiuntur: cùm enim D totus venter vndique esset æqua carne contegendus, atque oporteret musculos sese intersecare, extenuauit eos natura in tendines.

Verùm non possumus ex alio loco signa inflammati hepatis meliùs venari, quàm ex ipso Galeno, qui *cit. de loc. libro* ea proposuit ad vnguem, quorum plura *suprà, c. de Pleuritide* sunt annotata, dum de distinctione huius affectus ab hepatis inflammatione egimus, ideò nunc alia breuissimè referemus. Quæ autem recensetindicia sunt, dextri hypochondrij grauitas, dolor totum hypochondrium retrahens, & ad clauiculam nonnunquam protensus, scilicet vbi phlegmone præ magnitudine adeò grauat, vt præ pondere, ac mole etiam iugulum retrahat deorsum. Tussis excitatur, quia compressum à tumore septum pulmonem angustat, fit autem ob dolorem exigua, simul & propter angustiam. Rubet primò E linguæ color consimilis materiæ phlegmones; deinde temporis progressu, phlegmone magis incalescente, fit niger. Fastidium ingens ex communicato incendio, quare compatiente ventriculo appetentia deiicitur. Ob eandem causam sitis inexhausta consurgit.

De febre iungenda est dubitatio: *Vtrùm in hoc affectu semper sit acuta?* Etsi plurima symptomata in iecoris inflammatione appareant, quando tamen erysipelatis particeps est, calor, & sitis magis vrgent, atque adeò febres ipsæ longè vehementiores sunt, propter bilioſi humoris feruorem, erysipelatodem inflammationem efficientis. Appellantur hæc causus, seu ardens, quæ præterquam quòd acuta, pernicioſa etiam est, atque maligna, *4. Aph.* 48. Fit verò vbi intra vasa, atque ideò vniuerso corpore bilioſus humor putrescit, & ad immoderatum peruenit feruorem, sed potissimùm circa ventriculum, pulmonem, & iecur, & præcipuè, ac maximè, quia huiusmodi partes cum corde magis communicant, *1. epid. sect. 1. com. 9.* Id prædixit Galenus *3. crisi. 3. §. Soluit autem lienis, & hepatis inflammationes sanguis è naribus profluens, quando hæc viscera vnà cum acutis febribus habent inflammationes.*

Ex quibus colliges, perpetuò ferè in febre causode iungi flammeam dispositionem alicuius visceris interni, vt rectè *5. de loc. 7.* coniectat Galenus: atque in ea, præsertim si ardentissima sit, ventriculum, pulmonem, vel iecur, focum, seu mineram esse; inde enim facilè vicino cordi communicatur ardor, & tractu temporis causus transit in marasmum, quemadmodum *lib. 7. meth. 6. & lib. de marasmo, cap. 5. & 6.* docuit Galenus.

Adest ergo in iecoris inflammatione febris ardens, quia hæc ad viscerum nobilium inflammationes subsequitur, vt notauit Paulus *lib. 7. cap. 46.* cum Aëtio, & Alexandro, *prop. cap. de inflammatione hepatis*, cuius comitem semper esse febrem acutam persuasere sibi. Deinde in hac parte præstanti, cùm feruor humoris ebullientis velut in foco increscat, & sanguis præ copia obstruat, & non ventilatus sufficienter, putrescat, fuligines putridæ illicò cordi communicatæ, continuam, & ardentem concitare febrem natæ sunt. Quare ex inflammatione iecoris, quæ morbus est magnus, & lethalis, 10. *meth.* 5. febris acuta, & magna exorietur semper: Si verò Hippocrates *2. prorrhet.* 21. asseuerat in hac inflammatione non semper febrim adesse acutam, intelligendus est, quando cum bilioso, & tenui humore portio quædam pituitosi permiscetur, & phlegmonen constituit: Nam quælibet inflammatio hepatis, cùm sit morbus periculosus, magnus, & acutus, febrim constituet magnam, & acutam.

Porrò num concauum, vel gibbum hepatis inflammetur, ex eo dignosces, quòd in simæ partis inflammatione, fastidium, sitis, nausea, & vomitus bilioſus vehementer excedunt, propterea quòd pars hæc ventriculo magis communicat; sicut è contra difficilior respiratio, tussis, & dolor vehementior, maximè inter respirandum, & qui dextrum iugulum pertingat, si in gibbo phlegmone sit, eo quòd septo vicinior; sub septo enim iecur locatur, maximam inferiorem illius sedem occupans. Vtriusque tamen partis inflammatæ commune est, dolorem etiam circa costas spurias nonnunquam excitare; his nempe, quibus iecur membranosis quibusdam, ac exiguis vinculis connexum est, nothis costis, nec enim ab illis pendet, ac inhæret in omnibus animalibus, provt refert Galenus *4. de vsu part.* 14.

De pulsu maior est controuersia: *Vtrùm sit durus, vel mollis?* Galenus *4. de caus. puls.* 7. asseuerat, pulsum inflammationis iecoris similem esse illi, qui in omnibus inflammationibus reperitur, nempe inæqualem, & durum; contrà *5. de loc. 7.* vndosum esse, magnum, velocem, & frequentem affirmat. Solue hoc modo. Inflammatio in iecore dupliciter fit, *6. Aph.* 6. vel in carne, vel in membranis: quando hæ sunt affectæ, cùm sint partes duræ & densæ, pulsum indurant. Si patitur caro, cùm sit mollis & laxa, pulsum vndosum efficit, & mollem.

Vtrùm ventris constrictio, iecoris inflammationem comitetur? Dic, in iecoris inflammatione ventris constrictionem necessariò adesse, (nisi simul iungatur ventris imbecillitas, quam sequitur cruenta proluuies) propter vehementem exiccationem fæcum, à fugente ac exiccante inflammatione; vnde & necessariò pauca efficitur deiectio, dura, & difficilis expulsionis, eo quòd à pauca expultrix non irritatur, à siccitate impeditur, *lib. 3. cap. de colica*, sicut ab humiditate iuuatur, *1. 1. doct. 6.* Galeni doctrinæ subscribunt, Aëtius *tetrab. 3. serm. 2. cap. 3.* Paulus *lib. 3. cap. 46.*

Præsagium.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 466 sur 927

Præſagium.

VTrùm iecoris inflammatio conſiſtens in parte conuexa, ſit periculoſior ea, quæ in parte concaua affligit? Galenus *lib.6.epid.ſect.2.com.14.* ſic ait: *Ideò namque vt plurimùm abſceſſus in ſuperioribus excitati, difficiliores ſunt, quòd membra illa maius, quàm inferiora diſcrimen afferant, cùm vtraque eodem affectu vexata ſint. Siue enim cerebrum, ſiue guttur, aut gula, aut pulmo, aut pectus, aut cor inflammata ſint, mortifera agritudo: membris infra iecur inflammatis pauci admodum pereunt, potiſſimùm ſi recta curatio adhibeatur. Quin & iecoris ipſius conuexum, concauo longè periculoſius eſt, & nonnulli ipſum inter ſuperiores corporis totius partes, quemadmodum & os ventriculi reponunt, &c.* Annuit Auicenna 14.3.*tract.*3.*cap.*1. §. *Et apoſtema quidem quod eſt in gibboſitate, deterius eſt apoſtemate quod eſt apud concauitatem, &c.* Et meritò quidem, quoniam huius partis inflammatio, maiori, quàm illa, inter reſpirandum dolore, & febri, laborantem afficit, magíſque tuſſim excitat, atque dolorem vſque ad dextræ partis iugulum, vt detrahi videatur, extendit.

Contrà concauæ partis inflammationem eſſe periculoſiorem ea, quæ eſt in ſima, affirmat Galenus 5. *de loc. cap.*7. & hoc non videtur abſonum à ratione: Nam faſtidium, nauſea, ſitis, vomitus bilioſus eam comitantur; adeſt & folliculi fellis ingentiſſimus ardor, ita vt pruna illic exiſtere videatur: quæ omnia cùm ſint vehementiora, illius inflammatio periculoſior dicetur; deterior enim, & acutior habetur morbus, quem grauiora ſymptomata ſequuntur.

Dic. Periculoſior eſt morbus qui partem nobiliorem obſidet: cùm verò hepatis gibbum præſtantius habeatur concauo, & magis cordi, & reliquis ſpiritalibus membris communicet, inſuper & ſanguine puriori alatur, negari non poteſt deteriorem eſſe illius inflammationem, quantumuis concauo inflammato ſymptomata vehementiora videantur, magíſque timenda: hæc enim accidunt, non tam ob maiorem grauitatem morbi, quàm ob maiorem conſenſum, quem iecoris ſima pars cum ventriculo habet. Imò verò quamuis maiora appareant, non ideò peiora cenſentur, quia ignobilioris membri, quàm ſpiritalium. Accedit quòd caua parte phlegmone obſeſſa, protinus etiam venas, quæ in meſenterio ſunt, vnà phlegmone laborare eſt neceſſe, quando ex ea quæ ad portam pertinet, omnes ſunt ortæ, vt ſcitè 13.*meth.c.*14. protulit Galenus. At cùm multipliciter morbus deterior dicatur, vel propter ſymptomatum magnitudinem, vel partis læſæ præſtantiam, iccircò hanc perniciem diuerſa ratione cùm Galenus conſideraret, ideò modò partem conuexam, modò concauam inflammatam periculoſiorem eſſe affirmauit. Quia concocta inflammatione faciliùs pars concaua per meſaraei venas, & inteſtina expurgatur, quàm gibba, per emulgentes, vreteras, & veſicam, quia docente Galeno 7.*meth.*13.*in fine*, inteſtina aſſueta ſunt iecinoris ſuperflua tolerare. Num autem inflammatio in vna parte iecoris, alia illæſa, diu poſſit perſiſtere, negantem partem ſequitur Galenus *lib.*5. *de loc. c.*7. dicens in neutra parte exquiſitè poſſe conſiſtere inflammationem ſolam, nam omnium eius partium carnes inter ſeſe continuantur. An verò inflammatio iecoris ſit deterior inflammatione lienis, firmat Hipp.1.*progn.*29. docens inflammationes ortas in hypochondrio dextro, eſſe periculoſiores ortis in parte ſiniſtra: Nam iecur primaria ratione à natura factum eſt, vt ſanguis gigneretur; lien verò ſecundaria, vt à fæce purgaretur.

Curatio.

OMnia quæ in inflammationibus internis, *ſuprà* eſſe obſeruanda circa res non naturales protulimus, in hepatis inflammatione eſſe exequenda ſit manifeſtum. Venam eſſe ſecandam è directo lateris dolentis, Galenus inculcat, 13.*meth.cap.*11. Nam pars princeps eſt, & antequàm humor ſtabuletur, maiora damna effecturus, quàm citiſſimè reuellendum, vacuandum. Si vires ſint debiles, cucurbitulæ ſcarificatæ infra regionem iecoris impoſitæ ſunt ex vſu. Vtiles quoque ſunt hirudines hæmorrhoïdalibus venis impoſitæ. Nec diſplicet dextram ſaluatellam ſecare, ſi vacuatione facta ex maioribus venis adhuc inſoleſcat affectio.

Deoncrata ſarcina, Epithemata iecori imponenda, eáque pro temporum diuerſitate varianda. *Vtrùm autem in omni tempore huius inflammationis, adſtringentia ſemper ſint permiſcenda?* diſſidium eſt. Quantus ſit actionis iecoris principatus, docet Galenus *lib.*7. *meth. cap. vlt.* dum inquit: *At verò iecinoris opus omnibus particulis pernecеſſarium eſt: non tamen adeo ſaltem perpetuam neceſſitatem habet, ſicuti ipſius cordis*, vbi poſt cor, iecur collocauit: & *lib.*11.*meth. cap.*15.*iuxta finem*, non alia ratione iubet vti adſtringentibus, quum ſuperuacanea in iecur, aut in ventriculum confluunt, niſi quia è primoribus admodum hæ partes ſunt, & reſoluti robur ipſarum eſt perniciоſiſſimum, cùm, vt munus ſuum obeant, vel in ipſis morbis ſit neceſſe.

Hæc quoque cauſa eſt, cur in iecoris inflammatione, medicamentis quæ extrinſecùs adhibentur, ſemper ſunt admiſcenda adſtringentia, non modò in phlegmones generatione, verùm etiam vbi nec quicquam ampliùs affluit, nec eſt in laborante particula quod repelli poſſit: Cuius rei inſcius, delirus Theſſalicus ille Attalus teſtis eſt, cuius hiſtoriam proponit Galenus 13. *meth.cap.*15. & nos eam ſumus interpretati, *lib* 2. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.*102. qui cùm Theagenem Philoſophum iecinoris phlegmone laborantem ſolis relaxantibus curauerit, cum breui tempore interfecit: impoſuit enim cataplaſma ex pane, & melle, haud intelligens viſcus hoc mediocriter adſtringi debere, propterea quòd altricis facultatis principium ſit, & venoſum ab hoc oriatur genus.

Vtrùm in initio inflammationis huius, diſcutientia, aut repellentia ſint admouenda? eſt dignum ſcitu. Arabes ſolis repellentibus, Græci ſolis diſcutientibus vtuntur. Illi inflammationem perſanare conantur ſucco portulacæ, ſolatri, Roſar. Santal. Camph. Oleo Myrtil. Omphacino. Hi imponunt Maſtichen, Aneth. Camomil. Conciliabis eos facilè hoc modo. Arabes contemplantur principium morbi, quando pauciſſima humoris copia in parte inflammata eſt recepta, & plurima adeſt humoris fluentis, & fluxuri: quo pacto timor eſt, ne humor impetu magno in cor, & ſpiritalia membra repulſus reſtagnet. Græci conſiderant principium ſimpliciter, quo tempore, cùm adhuc humor fluxus ſit in parte contentus, tutius eſt repellentia mixta cum diſcutientibus admouere. Neque ea apponenda ſunt actu frigida, vel potentia frigidiſſima: Nam indurant, meatum bilis obſtruunt, penetrare nequeunt, & fuligines ex inflammato iecore per cutis ſpiracula exhalantes coërcent, ac retinent, quo calido cohibito effluuio intenditur gliſcítque calor, excandeſcit iecur, febris increſcit, & inflammatio deterior multò fit, ac pernicioſior.

Addenda ſuperioribus eſt quæſtio: *Vtrùm diuerſæ hepatis partes inflammatæ diuerſis præſidiis ſint curandæ?* Reſpondet Galenus 3. *criſ. cap.* 3. in hunc modum: *Soluit autem lienis, & hepatis inflammationes, ſanguis è naribus profluens, quando hæc viſcera vnà cum acutis febribus habent inflammationes, & omnes quæ ſub hypochondriis ſiunt calidæ, & acutæ inflammationes fluxu ſanguinis narium ſoluuntur.* Itaque hypochondriorum inflammationes ſanguinis per nares factum profluuium iudicat, dummodò tale fiat in decretorio, citra quem nullum iudicium bonum exiſtit. *Oportet autem κατ' ἴξιν*, hoc eſt, *per directum fluere ſanguinem, ex dextra quidem nare, hepate patiente, vel locis ſub hypochondrio dextro poſitis; ex ſiniſtra autem,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 467 sur 927

liene, vel locis huic vicinis. Quicunque autem sanguinis fluores ἀνάκλιτα, hoc est, obliquè, & transuersim fiunt, vitio dantur, tanquam violatæ, & perturbatæ naturæ indices. Hoc firmat Galenus 1. *progn.* 32. edoctus ab Hip. 3. *prorrhet.* 33. docet etiam *lib. de sang. miss. cap.* 14. & 6. *epid. sect.* 2. *com.* 12.

Porrò sunt aliæ vacuationes, iecoris inflammationi congruentes, per quas etiam primis ægrotationis diebus, illi qui hunc morbum patiuntur, liberantur. Huius rei grauissimus testis est Galenus 3. *crisi. cit.* dum sic ait: *Hepatis verò conuexæ quidem partes patientes, tribus potissimùm modis crisibus obediunt, fluxibus sanguinis è nare dextra, sudoribus bonis, & vrinis abundantibus; sima verò excrementis alui, vomitibus, & sudoribus.*

Verùm conuexa parte affecta, prouocantia vrinam exhibebis, mitia illa quidem, & priùs vacuato corpore, ne fortè ex calidis ampliùs inflammetur iecur, & humores intempestiuè attrahantur. Quare in principio offeres, quæ calorem mulceant, & vrinas moueant, qualia sunt semina melonum, cucurbitæ: deinde eunte inflammatione in suppurationem, vel resolutionem, valentiora porrigenda, vt apij, aut radicis eius decoctum. Si tamen suppurationem tentauerit natura, tunc mitioribus, & facto iam pure, abstergentibus vtendum erit, vt paulatim purulenta materia per vrinam expurgetur, quo tempore porriges decoctum hordei, fœniculi, apij, cum saccharo, & melle.

Parte caua laborante purgantia administranda, leuissima illa quidem, & mitissima, vt Manna, Cassia, Syrupus ex multiplici Rosar. Persic. aut Violar. infusione paratus: Si enim aliter feceris, iecur, & viscera inflammabis, & euocabis humorem ad affectam partem, qui ibi infixus vehementiores dolores excitaturus est, maximè cùm ope expurgantium nihil à parte inflammata possit educi. Hanc ergo vacuationem tentabis leuibus expurgantibus clysmis, aut medicamentis suauibus, in declinatione solùm, in qua iam deferbuit calor, & symptomata sunt sedata.

Propter auctorum pugnantium votum, latiùs inquirendum: *Vtrùm in inflammatione iecoris purgantia medicamenta cum cibis permiscenda?* Hippocrates renuit omnino: Nam *lib. de aliment. num.* 4. sic ait: *In alimento medicina, malum.* Suffragatur ratio: Nam cibus medicamento permixtus ob humores attractos facilè corrumpitur, & citra partium alimoniam crudus à ventre deiicitur; & si fortè cibum partes attrahunt, is est vitiosa qualitate infectus. Deinde cibus medicamenti actionem obtundit, & impedimento est maximo, quominùs pharmacum reducatur ad actum; & hac ratione ob medicamentum, à iecore, & venis non attrahitur: quare alter alterius actionem impedit, iccircò ieiuno ventre medicamentum, solum & impermixtum est offerendum.

Contrà facit Hippocrates *lib. de alim. num. eodem*, dicens: *In alimento medicina, optimum.* Cùm enim tres classes medicamentorum extent apud auctores, quædam benignorum, quæ minimùm ab alimenti natura recedunt, cuiusmodi sunt pruna, violæ, manna, serum lactis, Cassiæ medulla, rosæ Alexandrinæ saccharo, vel mellæ condîtæ. Alia est malignorum, in quibus vis, & substantia venenata inest, vt scammonium, Elleborum, & Colocynthis. Tertia, mediocrium, vt Rhab. Aloë, Senna, atque Agaricum. Tutò igitur placida medicamenta cum cibo offerri possunt; sic enim natura ea suauiùs amplexatur, cùm alimentum his permixtum minimè corrumpatur, cùm parum ab eorum facultate desciuerit. Neque quod à iecore attrahitur, est praua infectum qualitate. Mediocria, quorum tenuis pars ad humorem attrahendum permeat, nullo pacto cum cibis permisceri debent, hæc enim alendo corpori minimè sunt idonea, & nulla eorum portio in corporis substantiam facessit.

De medicamentis exoluentibus quid dicendum: quæ si in ventre persistant, eorum vapor ad altiores partes permeat, à quibus noxium humorem attrahunt: hæc oppositam penitus naturam cum alimentis habent, ob id cum eis commisceri non expedit. De his fortasse loquutus est Hippocrates *cit. de alimento*, dicens: *In alimento, medicina, malum.* Nam omnes prædictæ noxæ, ob horum permixtionem, facilè consequuntur.

Sed quid dicemus ad Hippocratem, 6. *epid. sect.* 5. *text.* 29. hæc valida medicamenta cum cibo permiscentem: dum enim veratrum exhiberi præcipit, tunc lauare, & comedere iubet, vt celeriùs, minorique molestia suam actionem perficere valeat. Duo autem potissimùm sunt modi, vt ocyùs medicamentum erumpat, balneum aquæ potabilis, & cibus; his enim corpus humectatur, quod Hippocrates monuit, dum ait: *Ad veratra qui non facilè purgantur, corpus antea humectare expedit alimento, & quiete.* Nempe alimentum, vt Galenus inquit, potest sumi eo tempore, quo veratrum accipitur, aut in præcedenti victu, ex quo nimirum humores attenuantur, & viæ succis, qui in ventrem deferuntur, patefiunt, & quo corpora fluxa redduntur: ob id, 4. *Aph.* 13. monet, vt veratrum assumpturi plurimo cibo, & quiete corpus humectent.

Deinde Galenus 13. *meth.* 15. cum medicamento exoluente cibum admiscet, dum Carthamum, Mercurialem, Epithymum, & polypodium in inflammatione partis cauæ iecoris, magisque remittente phlegmone cum cibo permixta propinare audet, quibus validis vtitur in ptisanæ coctis, & partim tunsis, ac in tenuissimum puluerem redactis, qua etiam ratione nigri veratri corticem exhibere non est veritus. Quod sine dubio fecit, tum vt ptisanæ temperie, & læuitate vis medicamenti obtunderetur prorsus, in cuius rei gratiam illam post pharmacum bibendam præcipit, 2. *acut.* 12. tum vt cibi iucundi, tanquam vehiculi ope, iecur medicamentum non respuat, imò potiùs attrahat; & hoc ad cauam partem, à qua necessariò per aluum causam noxiam debemus educere, penetrans, & obstructos, angustósque meatus peruadens, humorem crassum, & vstum vacuare queat. Ex qua doctrina, Hippocrates cum seipso *in lib. de alim.* conciliari potest.

Si verò inflammatio in suppurationem vergere videatur, quod ex intensiori febre, maiorique dolore cognosces, extrà emplastra proficua impones, quæ calorem innatum ad suppurandum roborent, admixtis semper resoluentibus: cùm enim periculosa sit hæc inflammatio, si suppuret, (vlcus enim relictum, cum febre iugi & continua, ad hecticam corpus facilè parat) videndum num pus etsi factum resolui possit, quod tantopere commendat Galenus, 13. *meth.* 5. dum sic ait: *Quin, si pus aliquod notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit, quod nonnulli faciunt, protinus incidere, imò & exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum vsus ex affectu sit coniectatus.* Quod docuit *lib.* 2. *ad Glauc.* 7. *prope fin.* §. *Rursus igitur ad suppuratos tumores accedamus, quos vbi resoluere posse desperaueris, ex farina triticea vtere cataplasmatibus.* Sin minùs, sequere consilium Pauli, *lib.* 4. *cap.* 2. *Si verò pus adsit notabile, apertio procuranda est voce, tussi, sternutamento; sin minus, candenti ferramento:* quod auxilium consuluit Hip. *lib. de internis affect.* §. *Quum maximum iecur euaserit, sic vt promineat malum, nec medicamenta profuerint, exurere ipsum oportet buxeis fusis oleo feruenti intinctis, oleo terebinth.* Approbant Celsus *lib.* 4. *cap.* 8. Aretæus 1. *Chronion, cap.* 13. & priùs edocuit Hip. 7. *Aph.* 45. *Quorum hepar suppuratum aduritur, &c.* Si verò inflammatio nec ad resolutionem, nec ad suppurationem commigret, sed in scirrhum abeat, tunc necessum erit resoluentibus mollientia admiscere.

OBSER

OBSERVATIO.

Iecoris inflammatio ſæua, immani dolore affligens, hirudinibus ſupra partem affectam admotis, perſanatur.

IN omnibus inflammationibus internis, à calidiſſimo feruidóque ſanguine concitatis, ſanguinem copiosè eſſe emittendum, vnanimiter docuere priſci; Arabes, & iuniores omnes confirmarunt. Erat vir quidam robuſtus, carnoſus, & rubicundus, cui hepatis inflammatione laboranti, inter initia vbertim ſanguinem extraxi ex baſilica vena, dira putrilagine infectum, & cætera ſunt admiſtrata auxilia, quæ in hoc morbo à peritis factitari ſolent. Tranſacto decimo quarto die, remiſſa eſt febris, ſymptomata leuiora facta: at dolor ita truculenter ſæuiit, vt præ illius ferocitate febris intenſior accreuerit, & ipſe debilior factus totas noctes inſomnes duxerit. Impoſita anodyna, clyſteres refrigerantes, & reuellentes inditi, purgatio clemens adhibita, ſaluatella dextra ſecta: cúmque dolorem ex ſanguine craſſo, & præ caloris incendio aduſto originem ducere coniectarem, cucurbitula ſcarificata ſuper partem dolentem impoſita vſus ſum, quod auxilium tantopere commendat Galenus *lib. 13. meth. cap. 19.* Græci, & Arabes confirmant: Ex qua vacuatione cùm tantillum leuari cœpiſſet, altero die appoſitis binis cucurbitulis ſiccis ſupra eandem partem, & applicitis quatuor magnis hirudinibus, quarum ope ſanguis limoſus, & craſſus extractus eſt in copia multa, omnino à dolore ſaluus remanſit.

CAPVT XIV.

De hepatica affectione.

Definitio.

VTrùm hepatica affectio propriè dicatur, in qua rubida proluuies apparet? nunc ſpeculandum. Diſertiſſimus Galenus *lib. 5. de loc. affect. cap. 7.* agit de quodam ſymptomate, non aliis membris communi, ſed iecoris proprio, ac peculiari, eo quòd ex ſola huius viſceris læſione naſcitur, imbecillitata illius coctrice, proponítque id priùs quod alibi demonſtrauit, ſanguificantem nempe facultatem propriam ipſius iecoris eſſe, ſed ita (inquit) propriam, vt ei ſoli inſit, nec alibi reperiatur, niſi fortè ab ipſo iecore, tanquam à ſummo principio mutuata: quamuis enim ea inter naturales numeretur, & hæ ſingulis ſint membris inditæ, à communibus tamen diuerſa exiſtit.

Secundò, vt cauſas artificiosè tradat imbecillitatis prædictæ facultatis, docet tam illius, quàm omnium facultatum eſſentiam, in proprio cuiuſque particulæ temperamento conſiſtere: ac proinde nihil mirum eſſe, ſi quamdiu hoc permanſerit illæſum, noxa vacent, & illæſæ ſeruentur facultates; proſternantur verò, aut vitientur, eo ipſo demolito, & pro varietate intemperamenti quod contrahunt, ita variè afficiantur, imbecillitentúrque, & illa ſanguinis procreatrix in hepate ſuum munus ſanguificandi exactè obire impediatur, & præ imbecillitate incoctum gignat, tenuem, & aquoſum ſanguinem, vel craſſum & fæculentum; vnde cruentæ ſequúntur, id eſt, aut carnium loturæ ſimiles excretiones, aut ſplendentis ſanguinis fæcem repræſentantes, quas duas cruentorum excrementorum ſpecies, docet Galenus infirmitatem coctricis in hepate ſignificare, ſed priorem magis principaliter; atque adeò vbi hæ apparuerint, procul dubio iudicandum, iecur ipſum infirmari.

A Addit deinde, quod Auicenna monuit *16. 3. cap. de dyſenteria*, rarum eſſe, quòd fæculentus incipiat fluxus, frequens, vt ad lotiuum nuncupatum ſuccedat. Porrò quanquam iecoris imbecillitas, & cruentæ deiectiones ad eam conſequentes, aliquando citra inflammationem, ac febrem eueniant, iungitur tamen nonnunquam, ac propterea Medicos hortatur, vt peculiaria vtriuſque mali indicia cognita perſpectáque habeant, vt ſiquando hepatica affectio (ſic enim appellatur malum, in quo dictæ deiectiones fiunt, propterea quòd ad hepatis eſſentiam pertinet, vitiata præcipuè illius facultate, *3. de cauſ. ſympt. 2. & lib. 8. ſec. loc. cap. 7.*) cum inflammatione iungatur, ea ſponte, exactéque decernat, & præterita dicens, præſentia agnoſcens, futura prædicens, B quod Medici conſummati eſt, *1. epid. ſect. 2. text. 48.* non ſolis ægris ſe faciat admirabilem, ſed & nominis celebritatem, gloriam, & laudem (quam & prudenter, & honeſtè aucupandam cenſet) comparet apud vulgus.

Ergo hepatici, ſeu iecinoroſi vocandi ſunt, ex Gal. *loc. nuper cit. quando videlicet citra aliquod manifeſtum in viſcere malum, in propriis affectionibus facultas imbecillitatur.* Sequuntur Paulus *lib. 3. cap. 48.* Alexand. *lib. 3. cap. 8.* Ita cœliaci, ſeu ſtomachici vocantur, qui neque inflammationem, neque aliquem præter naturam tumorem in viſceribus habent, ſed quibus tantùm imbecillitate laborat ventriculus, ſeu ſtomachus. Cùm verò viſcus hoc, non vnam duntaxat, ſed plures actionum facultates habeat, contingátque ſæpe vnam ipſarum præcipuè læ di, C interim duas, aut tres, atque etiam omnes quatuor, vt attrahentem, retentricem, & expultricem, in hoc affectu ſolùm alteratrix, quæ principaliſſima, & ſanguifica dici ſolet, afficitur, vt *6. de placit. 4.* ipſe admonuit. Propterea quùm iecinoris imbecillitatem dicimus, non eam ex qua facultates illæ, quæ ſingulis corporis partibus ſunt communes, imbecilles redduntur, intelligere volumus, alioquî non illi ſolùm, ſed aliis eſſet communis affectio.

Maiorem tamen inuoluit difficultatem, indagare: *Vtrùm hepatica affectio ſit etiam venarum paſſio?* Nam ſi ſanguifica facultas venis per ſe ineſt, quæ in hoc affectu læditur, non ſolius hepatis, ſed etiam venarum D erit affectio. Deinde, ſi *6. de placit. 3. & 4. de vſu part. 12.* & in multis aliis locis, teſtatur apertè Galenus, vaſa ſanguinem conficere, modo hepatis ſimillimo, rationem aſſignans, ne diſtributionis tempus periret, atque citra materiæ elaborationem eſſet otioſum; quod & experimento monſtrat aliquorum animalium, in quibus citra iecur ſolæ venæ conficiunt alimentum: quomodo *5. de loc. 7.* ſui ipſius oblitus ſoli iecori addixit facultatem ſanguificandi, addens quòd ſi alicubi reperiatur, propria ipſius viſceris iudicetur, & ab eo influxiſſe, cùm *lib. 1. de loc. cap. vlt.* in vniuerſum negauerit facultatis naturalis influxum, cuius generis eſt ſanguificans illa, *6. de placit. cit.* & vt ipſemet *2. de natural. facult. cap. 4.* ait, eadem cum concoctrice etiam venarum, quam fixam, & independentem perpetuò pro- E nunciauit.

Nec dicas, vbi naturalium virtutum influxum negauit, de particularibus, ad propriam cuiuſque partis nutritionem neceſſariis, cuiuſmodi ſunt trahens, retinens, alterans, & expellens, eſſe intelligendum; non de vniuerſali, ac ſanguinis effectrice, quæ vniuerſo corpori alimentum operatur, quæque in iecore, tanquam in fonte & radice adeſſe, & ab eo oriri aſſeritur, *6. de placit. cit.* & *lib. 3. c. 1.* & *2. de ſanguin. miſ. 6.* & *2. acut. 47.* & *2. præſag. 37.* & alibi: Nam, præterquam quòd Galenus omnes naturales virtutes ſine diſtinctione in ſuis membris eſſe dixit, nullam influentem, aut naturalis ſpiritus eſſet admittendus quo illa deferretur, aut contrà ſola qualitatis diffuſione communicaretur, provt *cit. 1. de loc.* ipſe prædixit, niſi ſanguinem delatorem admittas.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 469 sur 927

Præterea. Si solum iecur vim hanc sanguificandi haberet, tanquam à coctrice aliorum membrorum distinctam, in totius alimoniam, & vsum, aliorum membrorum gratia diceretur operari, & distinctas etiam habere tractricem, retentricem, ac expultricem, quæ communi vsui inseruirent; insuper & particulares alias, quibus nutriretur ipsum, sicut renes, vesica, vterus, &c. At iuxta Galeni sententiam, naturalia membra, instar ratione præditi animalis, non operantur, sed de propriis solùm commoditatibus sunt solicita; nec præter vnam coctricem, tractricem, &c. in iecore vnquam admisit, vt 5. *de loc.* 7. & sæpe alibi. Igitur illa quam habet, communis est omnibus membris, non ipsi peculiaris.

Verùm antequam hæc patefiant, priùs determinandum: *Vtrùm venæ sanguificent*? Quamuis Galenus contra priscos contendat, & obtineat, iecoris carnem in sanguificando præstare, imò & vniuersim propriam cuiusque visceris in sua functione, (eo quòd consentaneum est illam existimare opificem, vel saltem præcipuam organi partem, quæ ipsi propria est, non aliis communis; iecoris verò caro nusquam alibi in corpore reperitur) non negat venas sanguinem perinde conficere, licèt imbecilliùs. Si enim hepati, quod ipse ait, assimiles sunt, & ab eo originem ducunt, quid mirum si similiter elaborent succum ad membrorum nutritionem aptum? id verò faciunt propria, & insita vi, non à carne mutuata, quod adducta fundamenta conuincunt.

Neque enim in animalibus iecore destitutis, dabis vnde mutuetur vis illa, aut conficiatur alimentum, nisi propria virtute, ac temperamento venarum & cauitatum, intra quas suscipitur ad sui elaborationem. Nec verò Galenum aduersantem inuenies: quanquam enim satis non explicauerit, in id tamen videtur magis inclinasse, vt colligitur ex *citato de vsu part.* vbi venis, cùm eas distributionis instrumenta fecisset, facultatem sanguinis efficientem indidit, ne dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret.

Adde quòd ideò iecur dicitur sanguificationis auctor, quia eundem modum substantiæ habet cum sanguine ipsi simillimo, *6. de placit.* At similitudo hæc substantiæ influere nequaquam potest. Igitur nec facultas ipsa, cuius dispositio dicitur mixtio, siue similitudo illa. Quòd si dicas, hanc ipsam venis inesse, eo quòd hepati sunt assimiles, & primum ab eo germen ducunt, vt diximus cum Galeno; ac proinde sat esse virtutem communicari, quemadmodum sola etiam pulsatilis, & spiritum gignens absque similitudine aliqua à corde communicatur arteriis: Responderi fortasse poterit, quòd quamuis ita sit, oportuerit tamen vitalem melioris vsus gratia influere, sanguificam verò insitam fuisse, vt vberiùs promoueretur coctio, & magis copiosè alitura materia elaboraretur.

Cæterùm quamuis hæc causa sit, cur indita vna, altera verò influens fuerit, instantiam tamen non soluit, vt consideranti patebit: neque videtur posse constare, nisi fateantur vim gignentem spiritus arteriis non communicari, aut non communicata similitudine accedere. Vtcunque tamen sanguifica, de qua nobis sermo, indita credenda est venis, non obstante quòd Galenus *5. de loc.* 7. ita eam iecori addixit, vt pronunciarit, quòd si alibi reperiatur, propria tamen ipsius iudicetur: Nam vel iecoris nomine sua etiam vasa, ac germina comprehendit; vel de facultate loquitur sanguinem rubrum gignente, quæ solius iecoris est.

Nec verò hanc alibi reperiri voluit, sed vt maximè propriam iecoris affirmaret, addidit: *si causa aliqua fuerit, &c.* Nihilominùs propria hepatis iudicetur, nec immeritò: siquidem ruber ille sanguis secundùm substantiæ proprietatem, colorem, & reliqua, ita huius visceris carni attestatur, vt eius solius effectus credatur. Atque ad eum modum intelligendum est, quod *6. de placit.* 8. scribit, sanguinis generationem à iecoris carne oriri: & paulo pòst, dum reprehendit eos, qui à corpore exangui, quale venarum est, sanguinem generari dixerint; de rubro enim loqui, constat ex contextus serie, dum inde probat in iecore confici, quòd viscus hoc maximè rubrum cernatur, perinde ac sanguis quem similem facit.

Non posse autem vasa sanguini ruborem præstare, simili argumento colliges: nam cùm alba, exangui aque sint, & quem elaborant succum sua induant similitudine, non secus quàm iecur sua rubefaciente, nequaquam poterunt, saltem colore, & temperamento proprio. Quòd verò nec adscititio, probatur, quoniam licèt admittamus vasa ab hepate calorem suscipere copiosum, quo non parum in suis actionibus iuuantur; ille tamen sufficiens non est ad eam rubedinem inducendam: Nam quamuis colores, qualitates sint de numero secundarum, & hæ ad primas sequantur; imò & asseratur rubor à prima calidi in humidum operatione oriri: indi tamen tantus nequit, quantum in succis conspicimus, ex solo primarum qualitatum temperamento; nec iecur suo solo vsque adeò excedente humores tingit, sed potiùs rubra eius caro. Cùm ergo calor ille ab hepate vasis præstitus, sit minor, nec deferat colorem qui assimilet, ruboris causa non erit. Et per consequens, &c.

Id verò breuiter, at exactè discutiendum: *Vtrùm rubedo in sanguine, à iecore, vel venis emanet*? Vniuersum vasorum sanguinem rubrum experimur, sed vnde emanet rubedo explicatu difficile est. Quidam referunt ad rubefacientem facultatem iecori peculiarem, & venis communicatam; sed audiendi non sunt, his saltem qui nullius facultatis naturalis influxum admittunt. Insuper cùm rubor ille nequaquam sit ad alendum necessarius, (eum siquidem deponit sanguis, antequàm in membra mutetur, & priusquàm assumat multa alia) superflua videtur ea facultas, superfluúsque illius influxus. Deinde si non minùs rubedo est in extremarum partium, quàm propinquarum, imò & quàm in iecoris ipsius succo; nec possibile sit vim illam rubefacientem pariter in fonte propinquo, & remotis vigere, qua probabilitate credemus ab hepate communicari?

Rubet igitur intra vasa sanguis, imò & totus vasorum succus, tam antè, quàm post iecur contentorum, ex commercio sanguinis ab hepatis carne rubefacti, non à rubefaciente virtute venis insita, aut influente. Sic proinde illis deneganda est vis succum aptè elaborandi ad corporis alitionem, idque indita atque innata, ex proprióque temperamento profecta, quantumuis ope etiam influentis à iecore, & circumstantium membrorum, in eo opere fruatur. Neque enim Galenus alicubi voluit, facultatem iecoris, licèt corpus gubernet, in totúmque influat, ab ipso communicari membris: (non enim omnibus communis, est) nec ita in eo viscere oriri, quasi instar aliarum principum inde emanet, sed quia ibi potissimùm viget, indéque in vniuersum influit cum apta materia, ex qua alitur, & gubernatur corpus; propter quod principis, & communis facultatis nomen meritò obtinuit.

Verumenimuerò siquidem in hunc locum incidimus, enucleabimus difficilem quæstionem à nostro instituto non alienam: *Vtrùm communis illa facultas, ac illi seruientes ministræ in vsum totius operantes, concedendæ sint in iecore, venis, corde, & cerebro, distinctæ à propriis, per quas hæc membra aluntur*? Et non desunt quibus videatur: Primò, quia facultates quæcunque feruntur in varium obiectum trahendum, vario tempore retinent, varias imprimunt formas tractæ materiæ, denique & vario tempore à se propellunt varia excrementa, variæ censendæ sunt (vna siquidem, quatenus vna est, vnum semper & idem operatur.) Atqui ventriculus, v.g. cõmunibus facultatibus in eius cauitate sitis, per

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 470 sur 927

per oblongos villos in cibum fertur externum, retinet vſque ad integram chylificationem, chyli formam inducit, expellit omnem ferè à ſe confectum chylum: propriis autem in ſuo corpore locatis, exiguam tantùm portionem allicit, ídque ſolo temperamento citra villos, exiguo tempore retinet, ſui ipſius formam imprimit, excrementitium tantùm vaporem inſenſili perſpiratu pellit. Igitur variæ ſunt facultates ventriculi naturales, propriæ quædam, aliæ communes; ac per conſequens hepatis, & aliorum membrorum, circa materias communes operantium.

Secundò. Non alia de cauſa in vtero, vtraque veſica, & renibus, facultates conceduntur communes à propriis diuerſæ, quàm quòd diuerſis temporibus, obiectis, & finibus agunt. Sed hoc ipſum videmus in ventriculo, hepate, & reliquis communem materiam elaborantibus. Igitur, &c.

Tertiò. Cùm omnia faciat natura alicuius vſus, & operis gratia, atque inter membra ſint plurima citra cauitatem formata, nonnulla verò cum inſigni, certum eſt cauitates illas peculiares habere operationes, & per conſequens etiam facultates à quibus oriuntur; cúmque facultates diſtinguantur per operationes, ſicut hæ per obiecta, habebunt membra caua, quatenus membra ſunt, facultates naturales quibus alantur, non aliter quàm caro, os, &c.

Denique obiici poteſt locus, ex *lib. de diff. ſympt. cap.* 5. vbi Galenus de ſymptomatibus agens facultatem naturalium ventriculi: *Quædam*, inquit, *eueniunt, vt eſt coctionis totius organum; alia longè varia facultatum ſimiliter naturalium, vt pars eſt nutriri poſtulans*. Quæ verba apertè ſignificant, binas eſſe naturales facultates ventriculi, communes alias in totius miniſterium, alias ſingulares in ſuum; id quod ſimiliter de iecore, ac aliis membris pro toto operantibus videtur aſſerendum.

Sed non eſt cur binæ concedantur facultates naturales inter ſe diſtinctæ, quibus membrum ſui ipſius, & totius nutritionem miniſtret, cùm vna, & ſibi, & toti poſſit inſeruire: Nam ſi circa vnum alimentum ventriculus negotiatur in ſua cauitate, ac corpore, ſeu cauitatibus anguſtis, ídque alitionis, tanquam proprij finis gratia, cur non vna & eadem tractrice, credetur ad cauitatem, & poros attrahere, vnica etiam & vbique retinere, concoquere, & tandem expellere ſuperflua; atque adeò pro ſe, & pro toto operari, vna facultate, data vnitate obiecti, pariter & finis?

Quamuis autem externum alimentum in amplam cauitatem primò excipiatur, indéque in chylum iam verſum, atque adeò ſub alia quodammodo forma ad poros ventriculi trahatur, alimentum tamen adhuc eſt, licèt præditum iam ſimilitudine quadam cum membro, in cuius tandem ſubſtantiam paulo pòſt tranſit, procedente coctione in poris, quæ diuerſa non eſt ab illa priori, quam ſubit alimentum in cauitate, ſed illa eadem magis progreſſa, nec diuerſa tractrix, retentrix, expultrix, aut coctrix, ſed vna, quæ modò in alimentum contentum in cauitate, modò in attractum, inſertúmque meatibus operatur: ſicut eadem vis eſt, qua ignis materiam alterat, & tandem in ſeipſum conuertit. Vna ergo eſt facultas, quæ in ventriculo chylificat, & nutrit; vnáque ſanguificans in iecore, eáque propria ipſius, quanquam etiam commune opus conficiat: id quod 5. *de loc.* 7. apertè fatetur Galenus, ibi: *Sanguificantem facultatem propriam hepatis eſſe diximus, &c.* & ſignificauit 3. *de cauſ. ſymp.* 1. 2. *Aph.* 28. & alibi.

Nec verò rationes in contrarium adductæ, cogunt admittere duplices facultates. Non prima, quia, vt diximus, circa idem alimentum elaborat ventriculus, donec in ſui ſubſtantiam commutet, propter quod tam in cauitate, quàm poris in ipſum agit: nec cenſendæ ſunt coctiones ſpecie diuerſæ, ſed prior qua alitura materia ſimilitudinem quandam cum membro acquirit, via eſt ad ſecundam, per quam in membri ſubſtantiam tranſit. In ſingulis autem partibus alendis materiæ primùm ad ampliora ſpatia trahuntur, deinde ad minora, in quibus pleniùs concoquuntur, non diuerſa coctrice, ſed vna & eadem vlteriùs procedente: Sic in oſſibus, teſtibus, vberibus, &c. in amplioribus meatibus, alimentum in in medullam, ſemen & lac commutatur; in minoribus in membri ſubſtantiam, non varia, ſed vna eadémque virtute. Nec diuerſas arguit tractrices, trahi cibum in cauitatem, per villos; ad poros, ſolo temperamento abſque ductibus: ſiquidem per exiguum ſpatium, ſanguis, & virtutes deferuntur eædem, nec proinde diuerſæ, aut tractionibus diuerſis.

Minùs vrget ſecunda, ex ſimilitudine vtriuſque veſicæ, & vteri: Nam cùm per vaſa ſanguineum alimentum trahant, & diuerſis temporibus, ac viis fellea bilem trahat, vrinaria ſerum, vterus ſemen, non iam nutritionis gratia, ſed ob vſum valde diuerſum, nec tam varia poſſint vna facultate peragere, neceſſum fuit præter propias ſuæ alitioni neceſſarias, & ſufficientes, alias inſuper communes habere, quibus diuerſis temporibus, finibus, & obiectis agant.

Iam verò cauitates, quibus aliqua membra formantur, non arguunt neceſſariò diſtinctas ſpecie operationes in illis, & per conſequens nec diuerſas facultates quibus efficiantur, licèt ita caua membra quidpiam habeant peculiare, nempe plures materias excipere, conficere, aut aliquid ſimile: non enim à teſtibus, aut iecore, quibus quædam animalia ſuper alia donantur, diuerſum opus efficitur à ſeminalibus, vel ſanguineis vaſis, ſed idem copioſius, & magis elaboratum; ſolet enim natura varia excogitare inſtrumenta, non ſolùm ad operis varietatem, ſed & ad perfectionem.

Denique neque locus, ex *lib. de ſympt. diff.* quem ampliùs obiiciunt, conuincit: Nam ibi ſolùm docet Galenus, quædam ſymptomata euenire ventriculo, eáque penes coctricem, & reliquas facultates naturales, prout organum eſt, hoc eſt ratione cauitatis, cuius gratia dicitur organum coctionis, ſi in appetendo, trahendo, retinendo, aut concoquendo deficiat; alia vt pars eſt nutriri poſtulans, hoc eſt, quia exactè non trahit ad poros, aut minùs intra eos concoquit: Cùm enim modò in alimentum in cauitate contentum operetur, modò in attractum ad anguſtos ſuos meatus, fieri poterit, vt labatur in hac, vel in illa coctione, atque adeò diuerſa patiatur ſymptomata, modò vt organum, modò vt pars quæ nutriri poſtulat: verùm non inde conficies varias obtinere tractrices, coctrices, &c. ſed nec os, teſtes, aut vbera, in quibus etiam quælibet aliquid operatur in ſanguinem, adhuc in vaſis comprehenſum, aliquid in admiſſum iam intra illarum partium inania. Atque ita ad ea, quæ primo loco mota ſunt, aduerſus ea, quæ Galenus docuit de facultate ſanguifica iecoris, reſponſum eſto.

Cauſa.

AFfectum hunc eſſe ſymptoma in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis, ac magis ſpeciatim ſanguificæ ipſius iecinoris, quæ non ablata, neque deprauata eſt, ſed diminuta, ac imbecilla, *locis citatis* firmauit Galenus. Huius imbecillitatis cauſa, quæuis intemperies eſſe poteſt, ſed calida præſertim, ac frigida: Hæ aliquando ſunt nudæ, & ſolùm qualitatis exceſſus, interdum cum exuperantia alicuius humoris affligunt.

Noxa autem oblæſæ facultatis ſanguificæ, percipitur ex ſpecie excretionis maximè ſimili carnium lotulæ, præſertim cruentarum, atque recenter enectarum. Quinimò ſiquis id quod excernitur, aquoſum ſanguinem nominet, rectè quoque illud interpretari videtur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 471 sur 927

vt *cit. locis* scripsit Galenus. Multoties enim fæci sanguinis similia excrementa per aluum deiiciuntur, ita vt qui excernitur sanguis, & nigrior quàm pro natura, & splendens appareat, vtpote sanguine, & nigra bile commixtis: quod malum, est ipsius iecoris superassantis sanguinem indicium; sicut quando excernitur sanguis dilutus, hepatis refrigerati est potissimum signum.

Vtrùm verò *lotiua deiectio, à frigido, splendens, à calido oriatur iecoris intemperamento*? dubium est maximum. Infirmum, debilitatúmque iecur creat crudum, tenuem, & aquosum sanguinem, 5. *de loc.* 7. sed cruenta deiectio, eáque crassa, fæculenta, & splendens, ad sanguinem sequitur supra modum coctum, 3. *de caus. sympt.* 2. & 5. *de loc. cit.* Ergo perperam hanc sanguineæ excretionis speciem, coctricis in hepate imbecillitati addixit. Præterea si lotiua illa à frigidiori oriretur iecoris intemperie, hæc à calida adurente, & superassante sanguinem, vnde ad illam succederet, vndéve à frigido affectu sanguis aduretur, aut fiet adurens calor?

Dic. Concoctrix iecoris sicut per frigus infirmata, pituitosum gignit, tenuem, & semicoctum sanguinem; ita vbi per calorem deficit à proba, exactáque concoctione, humores assans incrassat, sanguinémque reddit fæci splendéti similem, incoctum, atque imperfectum. Nec obstat, quod 3. *de caus. sympt.* 2. cruenta hæc excrementa, crassa, & splendentia dixit sanguinem esse exactè coctum, qui ob impeditam quauis occasione distributionem, ad intestina redit, & ea specie eiicitur: nã de ea fæce splendéte loquitur, quæ ex remorato plus æquo in iecore, nec distributo fit sanguine: per moram enim etiam à modico calore exuritur sanguis, & in crassam fæcem conuertitur: de hac autem 5. *de loc. cit.* non est sermo, sed de ea quæ pro causa habet immodicum, & superassantem calorem, à quo imbecillitatur iecoris facultas, & à proba coctione deficiens, pro sanguine cruentam illam producit differentiam, à qua fæculenta dicta nascitur dysenteria.

Quamuis verò ea ab immodico calore oriatur, à frigore lotiua, vt diximus, nihil mirum si huic, & maiori ex parte, quod cum Galeno monet Auicenna *cit. loc.* superueniat: quemadmodum enim ad frigidos affectus putrescente materia febris plerumque sequitur, quod in Gallico morbo, & aliis experimur; ita fieri rectè potest vt tenue, & aquosum excrementum præ imbecillitate non excretum putrefiat, & licèt frigidum accendat calorem, & febrem, à qua ipsummet superassetur, & in fæcis speciem excernatur, non iam liquidum, tenue, & loturæ simile. Eodem modo dicendum est de intemperie humida, quæ sola huius visceris actiones exoluere, & imbecillitare potest; sicut & de sicca, quæ spiritus resoluendo, & humidum, iecoris robur vehementer lædit.

Signa.

Vtrùm rubida proluuies sit firmum imbecillis facultatis sanguificantis signum? meritò in dubium est vertendum. Galenus firmat 5. *de loc.* 7. §. *Itaque in primo statim aditu obuiam nobis venit quidam, peluim è cubiculo efferens, continentem tenuem cruoris saniem, carnium nuper mactatarum ablutioni haud absimilem, euidentissimum affecti iecinoris indicium, &c.* Contrà facit argumentum huiusmodi. Si cruenta deiectio vsque adeò firmum foret imbecillæ facultatis sanguificantis signum, perpetuò iudicaretur mala, vtpote quæ principis membri summam debilitatem ostenderet. Atqui ex sententia Hippocratis 4. *Aph.* 47. Cruentæ excretiones, & liuidæ, & fœtidæ, quod magis videtur, si benè exeant, aliquando bonæ. Igitur, &c.

Dic. Infirmat æ coctricis iecoris cruentam, eámque lotiuam deiectionem, tanquam infallibile signum, non immeritò adduxit Galenus; Cùm quatuor excrementorum cruentorum differentias recenseat, 3. *de sympt. caus.* 2. & *lib.* 2. *de loc. cap.* 4. quas omnes dysenteriæ nomine comprehendit. Prima, in qua plurimus sanguis non noxius quidem, sed optimus, & sola quantitate peccans excernitur à toto, acciditque magna ex parte his, quibus suppressa est consueta vacuatio, vt menstrui in fœminis, ob amissum aliquod validum exercitium, vt conuersis à vita laboriosa ad desidiam, seruato eodem victus ordine, vel ob causas plures, *cit. loc.* à Galeno allatas. Secunda, quæ propriè dysenteria dicitur, in qua sanguinis fluor sequitur ex intestinorum vlcere. Tertia, in qua adustus, & splendens sanguis, fecique similis excernitur ob adurentem hepatis calorem. Quarta denique, in qua aquosus, incoctus, ac carnium loturæ similis, quæ non aliam causam habet, quàm iecur imbecillitatum ob frigiditatem insignem, non potens sanguinem exactè elaborare; ac propterea deiectio, seu fluor hepaticus simpliciter vocatur, licèt etiam tertia similiter hoc nomine appelletur.

Quamuis autem cruenta excretio in se spectata, nullo habito respectu ad causam, vel modum prodeundi, omnis ferè mala sit, quacunque occasione eueniat, imò & nonnunquam peior quàm hepatica, si tamen causa ipsa, affectióque consideretur, perpetuò morbosa est, & reproba hepatica, cùm perpetuò principis membri imbecillitatem, nec facilè emendabilem ostendat; cæteræ verò excretiones cruentæ, vt criticæ, etsi fœtore, colore, substantia, inemendabili malitia sæpissimè peccent, tamen multoties laudabiles sunt si bene exeant, vt prædixit Hippocrates.

Vtrùm in hepatica affectione deiectio semper appareat multa, & liquida? controuersia est non inutilis. Galenus 5. *de loc. affect. cap.* 7. affirmat: sed contra eius doctrinam est argumentum validum. Quanquam possit rectè iecur, citra propriæ facultatis imbecillitatem, inflammari, prout 5. *de loc. affect.* 7. 11. *meth. vlt.* & 8. *sec. loc.* 7. docet Galenus, sicut è contra imbecillitari absque inflammatione, vbi tamen complicantur mala, ventris stipatio adest, dura, ac pauca deiectio, 2. *progn.* 3. Ergo si in ægro proposito à Galeno 5. *de loc.* 7. vterque affectus iungeretur, pauca potiùs, & dura, quàm multa, & liquida egereret, & per consequens videtur Galenus non modò circa morbi cogitationem deceptus, sed & suis diuinationibus frustratus, atque adeò quæ memorat in contextu citatæ historiæ effutisse, famæ, aut laudis cupidine raptum, vt sui exemplo ad inanem gloriam aucupandam turpiter excitaret, non sine artis, & nominis periculo, præsertim cùm ipse alibi, vulgi laudem, tanquam inutilem, fugiendam monuerit.

Dic. Sequitur profluuium diuturnum, & copiosum ad iecoris imbecillitatem etiam cum inflammatione, quoniam languida facultas cùm sit, sanguinem generat excrementitium, tenuem, & aquosum, qui ad ventrem transmissus fluxum illum excitat subcruentum, nonnunquam torridum, sed copiosum: Quanquam enim inflammatio vim habeat exiccandi fœces, minuendi, & indurandi, aque adeò constipandi potiùs, quàm humectandi aluum, tanta tamen copia liquidi, & aquosi succi, quanta à iecore imbecilli gignitur, adeò exiccari non potest, vt ventris constrictio sequatur.

Licèt enim ob adurentem calorem torrida aliquantulum fiant excrementa, copiosa tamen prodeunt si imbecillitas adsit, imò & sine ea nonnunquam, vt 3. *epid. sect.* 1. in historia Hermocratis. Quòd si *progn.* 5. in hydrope ex inflammatione iecoris, atque adeò iuncto imbecillitati, non fluor, sed ventris potiùs adest constipatio, fit istud quia aquosus humor, à quo fluxus erat excitandus, & copiosa futura deiectio, totus ferè ad peritonæum illabitur, non ad intestina, reliquum ab inflammatione torretur; atque ideò venter constipatur cum

cum imbecillitate coctricis in hepate, quoniam aliò transmittitur humor, & exemplum videtur ſpeciale in aqua inter cutem. Proinde ergo rectè Galenus, & ex lotiua deiectione præſentem morbum agnouit, & ex aliis oblatis indiciis, quæ fuerint, & quæ futura erant, quæquæ æger ille patiebatur, gloriosè pronũciauit, non tam vt laudem, & gloriam compararet, (conſtat ſiquidem ſubmiſſum potiùs, quàm animo elatum, aut ambitioſum fuiſſe) quàm vt ægris ſe mirabilem faceret, & apud eos in ipſorum gratiam auctoritate valeret, propter quod laudem, & vulgi opinionem Medico eſſe prudenter, non cum ambitione aucupandam, monet *lib. de medic. officio, ſect. 2. com. 1.* & ægris gratificandum, conciliandáſque illorum gratias, cum Hip. 6. *epid. ſect. 4. text. 8.* nempe quia ita meliùs obſequuntur, & faciliùs ſanantur, 1. *progn. 1. & 6.*

Calidæ intemperaturæ ſigna ſunt febris non mediocris; ſitis vrgens; vitioſorum humorum vomitus; alui deiectio colliquans, craſſa, & graueolens; lingua ſcabra; corpus ſiccum, quæ omnia, & alia ſigna, ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, ac anteacto victu poteris venari. Frigidæ intemperaturæ indicia ſunt, febris tenuis, facies inflata, & cachectica; deiectiones adſunt nigræ, grumoſæ, craſſæ, minùs fœtidæ, limoſi ſanguinis inſtar. Siccam intemperiem comitantur recrementa ſicca, pauca, craſſa. Humidam præoſtendunt carentia ſitis, aluus humida, tenuis, aquoſa, & anteacta vita, regio, & tempus planè oſtendent.

Præſagium.

DVplicem *ſuprà* cõſtituimus Hepaticæ affectionis differentiam: primam, in qua ſanguis deiicitur aquoſus, dilutus, & tenuis, quæ vera, propria, & legitima eſt Hepatica affectio; ſecundam, in qua limoſus excernitur ſanguis, craſſus, fæculentus, & niger, quæ impropriè Hepatica affectio dici ſolet. Vtraque difficilis curatu, præſertim diuturna, quæ vacuatione immodica corpus abſumit, vires exhaurit, & tandem putreſcente ſanguine, & febricula accedente aſſidua, in tabem, hecticam febrem, malum corporis habitum, & hydropem commigrat: crudum enim hunc ſanguinem, vel craſſum, & fœtidum ab imbecillitate iecoris progenitum venæ nequeunt attrahere, quem per meſaraicas natura à ſe depellit; & hac ratione corpus priuatur alimento, & atrophia confectum, contabeſcens è vita diſcedit, & maximè ſi præcedat ſputum cruentum, ſubputridum, bilioſum, quod lethale eſt, mortem inſtantem pronunciat, vt *lib. 3. Coacar. text. 21.* prædixit Hippocrates: ſignum profectò peſſimum, & partes thoracis condolentes præoſtendens, ad quas feroſus ſanguis, vel craſſus, præ mora detentus, putridus & acrior redditus, ſi deferatur, vaſa aperit, & rumpit, & vacuato ſanguine, reſolutiſque viribus, lethalis fit affectio, & prorſus dira.

Curatio.

HEpatica affectio cùm duplex ſit, duplicem ſortitur curandi ſortem. Si enim à calore oriatur, frigidis roborantibus pugnandum eſt: Contrà ſi à frigore, calida imperanda. Vtraque, alimenta expoſtulat vires citò reficientia, quæ cor, ac partes naturales roborent. Sed primò inſtituenda curatio eſt eius, quæ à calida oritur iecoris intemperie: & ſuppoſito victu, cuius formam *ſuprà* pluries deſcripſimus, quærendum: *Vtrùm venæſectio vtilis ſit?* Ex altera parte cùm vires ſeruare opus ſit in morbo longo, & ex fluxu diuturno ipſæ ſint exhauſtæ nimis, videtur eſſe noxia ſanguinis miſſio, & nullius vſus. Ob hanc cauſam Hippocrates *4. acut. 116.* ſic inquit: *Si cuipiam ſanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet.* Quare cùm venæ ſectio exhauſtum præ fluore corpus non roboret, imò vires in maiorem debilitatem præcipitet, ea reproba erit, & inutilis. Accedit alia ratio deſumpta ex Galeno *in com.* dum ſic ait: *Fluente aluo ſanguinem non detrahes: nam ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, virtutem proſternit.* Hinc fit vt in diutino fluxu ob imbecillitatas vires, vel ex eo debilitandas, nullo modo ſit ſecanda vena.

Verùm cùm iecur, & ob eius conſortium viſcera, excandeſcant, & ob hanc cauſam humores torrefiant, & adurantur, quærendum eſt auxilium quod cauma internum attemperet, iecoris feruorem compeſcat, corpus tranſpirare faciat, fluentem humorem ad aluum reuellat, & hac ratione fluxum coërceat. Quare ſi vires adſint, baſilica tundenda; ſin minùs, ſaluatella dextra ſecanda, quæ cùm ſit à diſtantiſſimis partibus, celebrata, potentiùs reuellit. In hunc vſum cucurbitulæ optimæ ſunt ſcapulis affixæ, præſertim ſi ſint ſcarificatæ: nam plenitudinem deponunt, *lib. de cucurbit. prop. cap.* & *2. ad Glauc. cap. 7.* & mirificè ad contrariam partem diuertunt: hæ ſi hypochondrio dextro affigantur, ſtrenuam opem præſtant in retinendo fluxu, *5. meth. 3.* & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 7.* & *11.*

Non nego præceptum Hippocraticum optimum eſſe, imò veridicum, ac ſalutare: commodum enim eſt, & vtile, ad roborandas vires, ante venæ ſectionem ſtomachum confirmare, ne ex ebullitione & moru humorum, bilis ad ventriculum repat, cardialgiam effectura. Hac ratione in diuturno fluore, quando vires ſuſpicamur eſſe exhauſtas, à ſanguinis miſſione ſupersedere oportet, vt Galenus *cit. loc.* admonuit; quæ ſi ſuſcipiatur, moderata ſit, & ſanguis extrahatur in copia pauca: Minus ergo detrahendum eſt quàm plenitudo commonet, ne geminata vacuatione vires proſternantur. Iccircò fluente aluo ſanguinem non detrahes copiosè: aliquid enim relinquendum eſt fluxui vires proſternenti.

Purgatio exercenda cum cautela ſumma: In hunc vſum vtilia ſunt cholagoga, inter quæ excellunt, quæ cum modica adſtrictione leniter expurgant: ex his principatum obtinet Rhabarbarum, maximè torrefactum, de cuius eximia vi pro compeſcendo fluxu, plura diximus *lib. 2. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. 83.* Hoc enim medicamentum ſolum innoxium eſt, quia expurgat, roborat, & firmat, ex Auerrhoë *lib. 5. colleg. cap. de Rauet*, dum ſic ait: *Et Galenus, & alij Medici dicunt, quòd conſtringit ventrem, & nos videmus quòd purgat, & eſt mirabilior aliis medicinis purgatiuis, quia frænum ſuum eſt cum eo, quoniam nulla medicinarum purgatiuarum eſt ſine veneno aliquo in aliqua parte ſui, iſta excepta, eo quia confortat omnia membra corporis, ideò poſſumus dare ipſum pro purgatiuo, refrænare alias per ipſum medicinas, &c.* Ante expurgantia concoques humorem ſyrupis, vel decoctis adſtringentibus, qualia ſunt quæ pro coërcendo fluxu à Medicis præſcribuntur.

Facta expurgatione commoda, ad corrigendam intemperiem accedere opus eſt, intrinſecis, & extrinſecis medicamentis adhibitis: ſed cùm inter hæc, ad refrigerandum iecur, balneum ſummoperè præſtet, videndum: *Vtrùm in hoc affectu vtile ſit?* Pars affirmatiua ſuaderi poteſt hoc modo, quia balneum humorem reuellit ad cutem, quod probat Galenus *lib. 1. ad Glauc. 14. §. Balnea verò in fluxionibus quidem ad ventrem aptiſſima ſunt, &c.* Hac ratione in ſuperpurgatione optimum eſt auxilium: nam calefaciendo partes externas, dilatando meatus, & auocando à partibus intimis ad extimas, fluxum per aluum compeſcit, vt auctor eſt Auicenna *4. 1. cap. 7.* de modo ſuccurrendi diſpoſitioni eius, in quo ſuperfluit ventris purgatio. §. *Quum ergo ventris purgatio ſuperfluit, liga extrema ſuperiùs, & inferiùs, incipiens ab aſcellis, & inguinibus deſcendendo ab eis ambobus, & ſi*

poteris

©BIUM

poteris facipsum sudare in balneo, aut vapore aquæ calidæ, sub pannis suis, capite exteriùs tecto, &c. quod consilium accepit à Paulo *lib.7.cap.7.§.Si purgatio maior siti impendiò, cutis infricari debet, & lauari calida: ante balneum vinum tenue, fuluum, & flauum dari, &c.*

Obstat irrefragabilis auctoritas Hippocratis dum 3. *acut.* 59. eos non esse lauandos monet, qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent. Balneum enim emollit, laxat, enervat partes, viscera debilitat, humores extenuat, & ad fluendum aptissimos reddit. Verùm ob superiores rationes cogimur asserere, balneum cogente necessitate in hoc affectu posse concedi: etsi ad præsens fluxum adaugeat, in posterum tamen attemperando iecur, & revellendo ad cutem, fluxum sistit, maximè cùm humores vtiles ad vitam, cum summo virium dispendio excernantur. Hippocratem autem intellige B de fluentibus excrementis; Paulum verò, & Auicennam de fluxu vtilium humorum, ex quorum nimia vacuatione labascunt vires: Si enim corpus excrementis redundat, atque aluus fluit natura suapte, balneum est incommodum, quòd ea ad vniuersum corpus revellat, quod 3. *acut. cit.* Galenus significauit *in com.* dum sic ait: *Quibus complura* (excrementa intellige) *per ventrem subducuntur, iis balneum sistit, ea ad corpus vniuersum revellens, atque hac occasione detrimentum affert.* Hac ratione in redundantia crudorum succorum, à balneo summoperè abstinet, 4. *de sanit. tuend. cap. 5.* quia humores crudos mouet, agitat, & per corpus distribuit, ipsósque ad venas intempestiuè, & ad corporis habitum potenter attrahit. C

Aliud occurrit dubium scrutinio dignum: *Vtrùm in hoc affectu narcotica medicamenta offerenda?* Hæc enim calorem viscerum immodicum attemperant, incrassant, somnum mouent, cuius ope fluxiones omnes cohibentur, & tandem aluum nimis humentem coërcent, qua ratione laudantur phylonium Persicum, & Romanum, Theriaca recens, & alia. Hoc præceptum docuere Paulus & Auicenna: ille enim *lib.7.cap.7. de superpurgatione*, sic ait: *Quod si euacuatio perseueret, artus vinculis excipientur, quæ à summo deorsum distributa cõstringant, & nonnihil sanguinis, & spiritus excipiant. Dabiturque potui theriaces ex carnibus viperarum momentum, deducit enim in cutem, subitóque revellit humorum in ventriculum confluxum, obtundítque medicina purgantis, quod ceu virosum est, & medicatum. Huius penuria dabis pastillos theriacos, præterea compositionem diaspermaton, & philonium appellatum.* Subscribit Auicenna 4. 1. *cap. 7. eodem titulo.* §. *Quum ergo purgatio superfluit, in potu parum theriaces, aut philonij tribue.* D

Quapropter ex arte faciunt, qui in nimio ventris fluxu opiata assumenda imperant: Nam, vt rectè Razes notauit, *lib.8.continent.cap.1. Nulla est medicina in capite vlcerum intestinorum, absque opio, aut Alterco, aut similibus mixtis, cùm ea deficcent, consolident, stupefaciant sensum, & constipent ventrem.* Nec asseras, in hoc affectu vires esse deiectas, quæ ex nimia horum medicamentorum refrigeratione ampliùs deiiciuntur: Nam modica quantitate sunt offerenda, & correcta iis quæ eorum frigiditatem retundant. Si enim Galenus 12. *meth. 1. & vlt.* & alibi passim, ea in colico dolore, vel etiam ex frigida causa concitato, offerenda monet, ob vires ex vehementi dolore resolutas: Si enim ob dolorem ægri in animi deliquium incurrunt, exanimésque fiunt, 2. *acut.* 48. cur ob eandem causam illa exhibere recusabimus? quæ si refrigerent, & debilitent, melior est noxa quàm mors, quæ ex diutino fluxu vires extinguente imminet certissimè. E

Accedamus ad propriæ Hepaticæ affectionis curationem, in qua ob frigiditatem, & innati caloris defectum aluus redditur tenuis, liquida, & loturæ carnium recenter mactatarum persimilis. Roborare ergo in ea oportet iecur, & calfacere moderatè: cùm enim viscus hoc suapte natura sit calidum, nunquam ad tantam frigiditatem peruenire poterit, quare si comparetur ventriculo, semper ipso calidius est: ideò si nimiùm calefiat, aucta eius caliditate, naturalis eius temperatura flaccescet, & destruetur. A

Illud etiam addubitandum: *Vtrùm dulcia in hac affectione sint ex vsu?* Cùm enim in illa, cùm sit à frigida causa, & debilitate iecoris cõtracta, mucosus, & lentus succus redundet, adsintque obstructiones hac ipsa de causa enatæ, dulcia inutiliter offeruntur, difficilia concoctu cùm sint, & obstruant natura suapte. Hoc manifestè probauit Galenus *lib.13.meth.cap.* 13. dulcia omnia inflationem iecoris, & lienis maximè producere assueuerans: qua auctoritate muniti non deerunt, qui mel, dulciáque omnia in hoc affectu, iecorisque obstructione prorsus detestentur, quod voluit Auicenna 14.3. *tract.3.cap.12.* præsertim cùm crassi sint succi, & ob dulcedinem facilè, & intempestiuè à membris incocta attrahãtur, & venas fœda impleant illuuie, quod notauit Galenus *lib. 3. acut. 11.* §. *Sensio verò manifesta continuò efficitur & in ventris ore, quod dulcibus assumptis delectatur, modò animans secundum naturam habuerit. Viscera igitur hoc pacto dulci gaudere succo, plurimúmque ipsius celeriter attrahentia, quum valent, frui, alique par est.*

Cæterùm partis alterius munimenta illos vehementer deterrent: Dulcia enim mitem habent caliditatem, 4. *simpl.8.& 19.* & 3. *simpl.3.* Galenus deinde 8. *secund. loc. cap.7.* de vua passa sic loquitur: *Vua passa, licet contemptibilis videatur ob vsum familiarem, tamen roborat hepar, quantum exquirit affectum viscus, habétque vim aliquam concoquendi crudos humores, & coërcendi maligna, existens etiam secundum substantiam iecori familiaris, &c.*

Præterea *lib.8. sec. loc. cap. cit.* dum pharmacum Andromachi enarrans ad hepaticos, ita ait: *Vinum nutrit, concoquit, roborat, & putrefactioni restitit, & si intemperies iecoris ex humiditate facta sit, & frigiditate, eam citra omnem molestiam, ac securè persanat. Eadem est & mellis facultas, præterquam quòd non condensat substantiam corporum, quæ contingit, sed pro hoc vim extergendi, vrinam ciendi, & aperiendi, ac puros habendi meatus, non parua sanè auxilia possidet.* Quare cùm mel, & dulcia concoquant crudos succos, roborent, nutriant, & iecur calefaciant, videntur in hepatica affectione à frigore concitata posse concedi.

Adde quòd dulcia vsui quidem sunt, post vacuationem lentorum, crudorúmque humorum, si enim antè offerantur, cacochymiam augent ob causas dictas: Nam vacuata causa, ex mente Auicennæ 14.3. *tract. 1. c. 20.* conueniunt hepati, quod impinguatur eis, & magnificatur, & confortatur: si enim hæc mediocrem obtinent dulcedinem, succos crassos non gignunt, iecur roborant, vt passulæ exacinatæ, omni tempore sunt admittenda, & laudanda. Dulcia ergo in hoc affectu vtilia sunt. Sed si hoc est verum, cur vinum dulce damnatur? Dic, quia præ maiori tenuitate citissimè ob dulcedinem attractum penetrat, & rapitur ad viscera, succos crassos & lentos secum deferens,

Instituto victu, præparandi sunt humores crudi, & crassi, Rhodomelite, hydromelite, syrupo de absynth. Fœnicul. cum aquis, vel decoctis quæ similem facultatem sortiantur. Expurgandi Agarico, Rhab. pilulis mastichinis. In iecoris tamen vitiis præsertim frigidis, expurgantia administrabis lenia, vehementia enim non sustinet, neque solida; quia liquida sunt vtiliora, hæc enim vias angustas & locorum interualla, quibus à ventriculo distat, promptiùs penetrant.

Omitto electuaria, syrupos, pastillos, vnguenta, fomenta, & alia roborantia auxilia, quæ intus, & extrà assumi, & apponi debent: ea enim facilè describet vel mediocriter in arte versatus, qui historiam Theagenis Cynici, 13. *meth.* 15. & aliam, 11. *meth.* 16. attento animo perlustrarit.

Aliqua

Aliqua ab auctoribus proponuntur, quæ à proprietate roborare iecur ipſi concedunt. Inter quæ duo ſunt celebratiſſima, Cochlearum, & iecoris lupini vſus. Dubitandum: *Vtrùm cochleæ à proprietate iecur infirmum roborent*: Galenus enim *lib. de bonit. & vit. ſuccorum, cap. 4.* craſſo conſtare ſucco ipſas aſſeuerat. At cùm Galenus *lib. 8. ſec. loc. cap. 8. ante finem*, ex antiquorum mente ad hepaticos laudet, non eſt cur illas inutiles eſſe proferamus; ſic enim ex mente Aſclepiadis ait Galenus: *Scripſit & ex cochleis pharmacum hepaticum Aſclepiades huiuſmodi: Cochlearum trium carnem valde probè terito, & affuſis vini nigri cyathis tribus, calfacito, ac bibendum dato. Videntur autem hæc iuxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundùm vnam aut alteram qualitatem, quale eſt & lupinum iecur, &c.* Deinde in fluxu hepatico optimæ ſunt limaces, quia ſummè deſiccant, vt notauit Galenus 11. *ſimpl. tit. de carne viperina.* §. *At cochlearum caro, priùs in mortario contuſa, ac poſtea ad lænorem redacta, omnium valentiſſimè deſiccat partes ſuperfluo humore grauatas, adeò vt conueniat hydericis. Quare roborant, deſiccant, nimium humorem per aluum fluentem coërcent*: Argumento eſt, quòd ſi toſtæ cum teſtis tritæ imponantur, & toti ventri aqua inter cutem laborantium, & in articulorum tumoribus, ægrè quidem diuelli poterunt, cæterùm impensè deſiccant, etiamſi viſcidus, craſsúſque humor in alto contineatur, vt *cit. 11. ſimpl. tit. de cochleis* prædixit Galenus. Quantum verò ad tenacitatem cochlearum attinet, quæ ventriculo grauamen afferre videbatur, præparationis modum ita exquiſitum docuit Galenus hoc loco, vt nihil ampliùs de lentore, & tenacitate ſit verendum; miſcet enim gallas, & piper, & hac ratione dyſentericis, & alui fluxui vtiles ſunt.

De iecore lupino quid dicendum? cuius vires à proprietate eſſe eximias contra affectionem hanc, & omnem huius viſceris imbecillitatem, Galenus edocuit. Quare proximum eſt vt diſputemus: *Vtrùm illud in firmando iecore vtile ſit?* Galenus 8. *ſec. loc. cap. 8. in fin.* eius vſum confirmans, ſic ait: *Videntur autem hæc iuxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundùm vnam, aut alteram qualitatem, quale eſt & lupinum hepar, cuius abundè experimentum fecimus. Vſus autem ipſius conſimilis cochleis eſt: teritur autem exactè hepar lupinum, & datur drachma vna cum vino aliquo dulci, qualia ſunt Thereum Creticum, & ſcybelites, ac dulce protropum. Benigna enim hæc ſunt viſceri, ipſum nutrire potentia, & media iuxta calidi, & frigidi oppoſitionem; & ob id talia pharmaca omnibus intemperaturis conuenire videntur, vt quæ ex ſubſtantiæ proprietate commoditatem de ſe exhibeant, & neque calidas, neque frigidas intemperies lædant.* Ratio dictat: nam membra iuuant alia ſimilia, & ob hanc cauſam iecur cuiuſcunque animalis à proprietate omnibus cauſis, & effectibus hepaticis confert eximiè, vt auctor eſt Galenus 6. *ſec. loc. cap. 2. tit. Archigenis ad cruſtas oris remedia*, §. *At hepar lupinum eupatorio mixtum ad hepaticas etiam bibitur affectiones*: tranſtulit Paul. *lib. 7. tit. de hepate.*

Ex altera parte eſt Galeni auctoritas *lib. 11. ſimpl.* affirmantis, ſe nullam habere experientiam, quòd iecur lupinum prodeſſe poſſit. Accedit quòd iecur eſt craſſi ſucci, tenacis, lenti, obſtruit, infrigidat, auctore Galeno *lib. de ſuc. bonit. & vit. cap. 4. §. iecur, renes, & teſtes annumerandi ſunt his, quæ craſſi ſucci eſſe cenſentur.* Auferes controuerſiam, ſi dicas, Galenum, quum refert, de iecore lupino nullum habuiſſe experimentum, ex mente Aſclepiadis fuiſſe loquutum; nam ex ſua, conſultiſſimum, atque valetudinariis vtiliſſimum imperauit, ipſum omnibus hepaticis medicamentis commiſcere.

OBSERVATIO I.

Vinum è Rhapontico paratum, pro Hepatica affectione, præſtantißimum.

AD firmandum labefactatum iecur, ad adſtrictionem eorum quæ per aluum continuò excurrunt, cuius cauſa labaſcunt vires, & ægri in tabem ſæpiſſimè incidunt, ſummum habetur præſidium, Rhaponticum Græcorum, ex Ponto ad nos allatum. Radix eſt nigra, maiori centaurio ſimilis, minor, & ruſſior paulò, ſine odore, fungoſa, minimè ponderoſa. Probatiſſimum, quod teredines non nouit, ſi guſtu ſit glutinoſum cum quadam adſtrictione, & commanducatum impalleſcat, colorémque reddat ad crocum inclinantem. Hoc præter alias commoditates, ſpleneticis, & iecinoroſis remedio eſt, auctore Dioſcoride *lib. 3. cap. 2.* firmant Galenus 8. *ſimpl. cap. 57.* Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 61.* Paulus *lib. 7. tit. de Rheo.* Et licèt maſticatum, in pilulas redactum, tabellas, bolos, & alias formas, rhabarbari inſtar concedi poſſit; tamen vinum ex eo paratum, in cachexia, hydrope, obſtructionibus internis, & præſertim Hepatica affectione maximo ægrorum commodo propinare ſoleo. Sic enim magis penetrat ejus vis, & citiùs operationem ſuam abſoluit.

℞. *Rhapontici Græcorum electi. & recentis* ʒ ij. *caſſ. lignea* ʒ ß. Piſtetur rhapontícum craſſiori modo, & maceretur in ℔ b. xij. vini optimi, tenuis, & veteris per noctem: manè fiat decoctum ad tertias, quo in frigida intemperie vtetur valetudinarius, vtiliſſimè.

OBSERVATIO II.

Electuarium, pro nimio fluxu Hepatico, vtiliſsimum.

QVando nimia iecoris debilitas adeſt, ex diuturno, & copioſo fluxu concitata, cæteráque non proſunt auxilia, nullum præſtantius hoc electuario eſt auxilium; aſſumpto ieiuno ventre, cum vino, aut liquore chalybeato, quo etiam, ſi in hoc, & alio immodico fluxu vtaris, vel ventrem inferiorem illinas, aut clyſteri permiſceas, ex arte facies.

℞. *Roſar. ſiccar. aut viridium,* ʒ j. *plantag.* M. j. *hord. toſti,* P. ij. *oryzæ toſtæ,* P. j. *lentium excorticatar. toſtar.* ʒ ß. *boli armeni, terræ ſigillatæ, trochiſc. de ſpodio, & trochiſc. de carab. an.* ʒ j. *maſtich. amyli, an.* ʒ ij. *lapid. hæmatit. coral. rubri, an.* ʒ j. ß. *ſem. plantag. portulac. papauer. albi, an.* ʒ ij. *granor. granator. aſſator. ſang. dracon. an.* ʒ j. *calami aromat. caſiæ lignea, an.* ʒ ij. *biſtort.* ʒ iij. *burſæ paſtor.* ʒ j. Fiat decoctum in ſufficienti aq. quantitate, priùs ter chalybeatæ, quouſque remaneat ℔ j. In colatura infunde: *Myrobalanor. citrinor. toſtor. contritor. myrobal. Indor. toſtor. myrobal. chebul. toſtor. an.* ʒ ij. Colaturæ adde: *Conſeruæ roſar. antiq.* ʒ ij. *micletæ* ʒ j. *lapid. hæmatit. coral. rubri, charab. maſtich. boli armen. an.* ʒ ij. *rhab. toſti,* ʒ j. ß. *rhapontic.* ʒ j. *pulu. cortic. myrobalanor. omnium toſtor. an.* ʒ ß. *ſumach, acaciæ, an.* ʒ j. *balauſtior. gummi arabici, granor. myrti torrefact. an.* ʒ j. *Cymini, naſturtij, infuſ. in aceto priùs chalybeat. deinde torrefactor. an.* ʒ ij. *iecoris lupi,* ʒ ij. *ſpodij,* ʒ ß. *eboris in tenuiſſimam ſcobem redacti, cornu cerùini preparat. an.* ʒ j. *electuar. de gemmis, confect. alkermes, confect. hyacinth. an.* ʒ j. *cinnam. aniſi, an.* ʒ j. *ſucci plantagin.* ʒ j. *Phylon. Perſic.* ʒ ij. Pulueriſanda pulueriſentur tenuiſſimè, & excipiantur cum ſyrupo de Mentha, & myrtillor. & fiat ſecund. art. conſerua.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 475 sur 927

OBSERVATIO III.

Aqua stillatitia ex hepatib. animalium, ad Hepaticam affectionem, mirabilis.

IEcora animalium, & præsertim humanum, & lupinum, ad roborandum Hepar, esse strenuum auxilium, vnanimi Medicorum voto sancitum est. Membra enim certa, alia etiam similia tacito naturæ consensu, sese mutuò fouent, & respiciunt. Quare cùm tota curationis spes consistat in hoc affectu, vt labefactatum iecur confirmetur, iccircò hanc in hunc vsum aquam distillare soleo, ex qua si æger singulis auroris assumpserit vncias tres, procul dubio sanitatem recuperabit.

℞. *Hepatis humani* ℔ j. *Hepatis lupini* ℥ iij. *Hepatis gallinæ, & anseris, an.* ℥ j. *Hepatis caprilli, asinini, apri, leonis, an.* ℥ ij. *Hepatis perdicis*, ℥ iij. *Hepatis arietini* ℔ ß. Omnia hæc hepata minutim incidantur, & abluantur vino generoso, & deinde aqua vitæ: repone in Balneo Mariæ, & adde *Carnis cochlearum* ℥iij. *calami aromatici* ℥ j. *cinamomi* ʒ iiij. *menthæ* M. j. *corticis citri* ℥ ij. *aromatic. rosati, diacymini, dianisi, diarrhod. diacalaminth. theriac. mithridatij, an.* ʒ ij. *vuar. passar.* ℥ ß. *cornu cerui*, ʒ ij. *mellis optimi*, ℔ ß. *vini generosi albi odoriferi*, ℔ iij. *sanguin. testudin.* ℥ ij. *pulu. santalor. omnium, pulu. schœnanthi*, ʒ ij. *rosar.* ℥ ß. *iunci odorati*, ʒ iij. *rasur. eboris*, ʒ ij. ß. *vnicorni*, ℊ. x. *ossis de corde cerui*, ℊ. xx. *confect. alkermes* ℥ j. *sacchari*, ℔ ß. *aquæ eupatorij*, ℔ ij. Madefiant omnia triduo in prædictis liquoribus, & postea in eodem balneo destillentur.

CAPVT XV.

De Hydrope.

Definitio.

SEquitur vt explicemus naturam hydropis, morbi grauissimi, quæramúsque: *Vtrùm eius definitio sit rectè tradita?* Auicenna 14. 3. *tract.* 4. *cap.* 4. sic definit: *Hydropisis est ægritudo materialis, cuius causa est materia extranea, frigida, ingrediens membra, & tumescunt per eam aut membra manifesta omnia, aut loca vacua partium, in quibus sunt regimen nutrimenti, & humores.* Sed clarioris doctrinæ gratia sic defini: *Hydrops est tumor totius abdominis ortus à materia frigida, in frigido hepate producta.* Materia frigida in frigido hepate generatur: cuiliber enim hydropis speciei commune est, vt iecur frigida intemperie laboret, qua mediante sanguificandi actio læditur: iecur enim hoc modo affectum, boni & inculpati sanguinis loco, generat aquosum, flatuosum, aut pituitosum, vt docuit Galenus *5. de loc. cap.* 7. & 2. *progn. com.* 1.

Neque ex citata doctrina inferas, in hoc affectu duas adesse ægritudines, scilicet tumorem totius abdominis, & frigidam iecoris intemperiem: Nam vera hydropis essentia in frigida iecoris intemperie solùm est constituenda; tumor enim symptomatis rationem habet, qui ipsam intemperiem sequitur, velut vmbra corpus: nullum enim inconueniens est, vnum morbum esse symptoma alterius, à quo sequatur.

Nunc expedienda est alia quæstio: *Vtrùm hydrops ex læso hepate semper emanet?* Galenus *lib. 5. de loc. affect. cap.* 7. Erasistratum redarguit, qui, vt ipse refert 2. *de natur. faculi. cap.* 8. ob solam obstructionem, viarúmque angustiam, qua sanguinis distributio, præterquàm tenuis & aquosi impediatur, puro & sincero propter suam crassitudinem in visceris substantia remanente, excitari sibi persuasit: cùm hunc affectum ex vitiata sanguificandi actione accidere certum sit: huius verò cùm hepar instrumentum sit, atque adeò sanguificationis, alentísque materiæ organum, planum fit ad ipsum pertinere morbum, qui commune vitium nutritionis ex vitio nutrientis sanguinis importat. Græcis Hydrops, nobis aqua inter cutem nuncupatur, apud Celsum *lib. 3. cap.* 21. nomen ex aqua, tanquam à materia, siue à symptomate sumens, eo quòd humor aquosus passionem hanc necessariò comitatur, teste Aureliano *lib. 3. cap.* 8. & quanquam difficile videatur, etiam in tympanite reperitur, 4. *acut.* 111.

Iure igitur pronunciat Galenus, non posse huiusmodi affectum generari, nisi hepar saltem per consensum afficiatur, 5. *de loc.* 7. & *lib.* 6. *cap.* 1. & 2. *de natural. facult. cap.* 8. *in princip.* §. *Est enim ea prima generandi hydropis causa, ex sanguificationis defectu proueniens, simili genere atque ea, quæ ex ciborum concoctionis defectu fit diarrhœa: atque in tali hydropis genere, nec aliud viscus vllum, nec iecur scirrho est affectum.*

Verùm contra hanc doctrinam sic insurges. Si pituitosum sit, deprauatúmque alimentum, necessariò ex illo similis sanguis accrescet, quantumuis sanguificationis agens existat incolume. Atqui non potest inde non sequi nutritionis læsio in toto. Igitur si eam importat aqua intercus in omnibus membris ex vitio alentis materiæ, illæso iecore nonnunquam continget.

Prætera. Si ob ventriculi offensam prauè concoquatur cibus, à perfectione deficiet sanguis, etiam à sano hepate elaboratus; non enim primæ coctionis error, siue defectus in secunda emendatur. Sed ventriculus potest ita lædi, vt insigniter delinquat, altero illo viscere nihil interim perpesso. Igitur, &c. Denique si præ imbecillitate, aut impedimento, renes serum sanguinis non expurgent, serosus, impurus, & excrementitius per membra distribuetur; cùm verò ita resistat vltimæ assimilationi, membris accedens in eorum substantiam non conuerteretur, sed iuxtà manens, totámque corporis molem tumefaciens, hydropem efficiet, idque sine iecoris vitio: quod admittit Trallianus *lib. 9. sui operis, c.* 3. referens Galenum 3. *de sympt. caus. c.* 2. §. *Vbi autem renes serosum humorem attrahere non valent, venæ illum transmittunt, & subitaneos hydropum status inducunt.* Nec dissimiliter sanè inducetur, si ab vniuersa totius carne, ob contractum vitium, frigidus, & pituitosus sanguis instar aquæ distillet, prout scribit Paulus *lib. 3. cit. cap.* Quare, &c.

Cæterùm quamuis non possit negari, ex prauis vitiosísque cibis deprauatum generari sanguinẽ, serosus tamen, atque inconfectus, (quæ propria est hydropis materia) sanguificantis membri ineptitudinem, siue imbecillitatem vtplurimùm arguit. Iam verò ex materia in ventriculo malè elaborata, licèt possit etiam sanguificatio deficere à probitate, & perfectione ad commodam nutritionem requisita: si tamen chylificationis error exiguus sit, non impeditur humorum generatio in iecore. Quòd si magnus, ob insignem ventriculi offensam, impossibile erit iecur ipsum non trahi in consensum, ita vt suo etiam peculiari malo, non solius ventriculi, crudus euadat sanguis, & ineptus ad alendum.

Iam verò ex renum vitio non satis expurgantium serum, posse sanguinem impurum, & qui conuerti nequeat, distribui, ad hydropem committi, improbabile non est; quin & ex membrorum omnium vitio, quod Paulus cõsiderauit: verùm euentus hi, rarissimi sunt, de quibus artis præcepta non traduntur, sed de frequentioribus. Atque ideò Galenus, & auctores in vniuersum, aquam intercutem solius hepatis passionem esse sunt arbitrari. Solue secundò. Affectus à Tralliano relatus, non est verus hydrops, sed similitudine quadam, quam habet secundùm ventris tumorem: Nec enim verè potest hydrops nuncupari, si cum tumore ventris vitiata sanguificatio non adsit.

Adde quòd licèt reperiantur hydropes particulares, vt pulmonis, vteri, scroti, brachij, pedis, capitis; tamen hi citra læsionem primariam hepatis excitari nequeunt: tunc

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 476 sur 927

tunc enim aquosus, vel flatuosus humor, ex vitiata hepatis sanguificatione, frigidóque illius intemperamento progignitur, qui ad has partes, tanquam debiles confluens, ibique stabulans, hydropem vnius membri generat, qui à visceris imbecillitate, eum humorem continuò generante, indies magis ac magis foueri solet.

Causa.

VTrùm omnes hydropis species perpetuò à frigida oriantur iecoris intemperie? dubium est grauissimum. Porrò deprauatæ sanguificationis symptoma, ad quod aliud sequitur, tumor scilicet præter naturam ventris, aut totius corporis, causam habet frigidam ipsius iecoris intemperiem, à qua perpetuò oriri asserit Galenus *præcitatis locis*, quem sequuntur Aëtius, Paulus, Trallianus, & ferè omnes: Vbi enim natiuus hepatis calor, sanguificationis auctor, eò remissionis, & imbecillitatis peruenit, vt chylum in probum succum conuertere nequeat, sed sanguinem gignat crudum, serosum, & inconfectum, nonnunquam flatus, aliquando aquam, prout magis aut minùs, natiua illa temperatura iecoris præ frigoris excessu amittitur, tunc hydrops concitatur: siue frigidum intemperamentum materiale sit; siue nudum & habituale, quod hecticum & æquale nuncupant, de quo, 4. etiam *Aph.* 11.

Hinc Trallianus *lib.* 9. *cap.* 1. de aqua intercutem verba faciens, inquit: *Nascitur magna ex parte ex iecore in tantum refrigerato, vt nequeat pro suo munere sumpta cibaria concoquere, & in sanguineam substantiam conuertere, sed in aqueam modò essentiam transmutare, vel in flatulentos spiritus, vel in pituitam denique transformare.* Huic sententiæ subscribit Aëtius *tetrab.* 3. *serm.* 2. *c.* 20. dicens: *Citra enim hepatis refrigerationem, impossibile est aquam congelari, & aliquem in hydropem incidere.*

Rursus. Quidquid hydropem committit, aut est cruda pituita, aut aquositas, aut flatus, quorum nullum à calore suam ducit originem. Cruda enim pituita semper frigoris est soboles: aquositas insuper, & flatus à frigiditate enascuntur, à maiori, aquositas, à minori, flatuosus spiritus, ex Gal. 4. *Aph. cit.* Hinc fit vt Auic. 14. 3. *tract.* 4. *cap.* 13. ab hac morbi natura, essentiaue indicationem sumens, ab aspectu aquæ, nedum ab illius potu contineri ægros iubet, vino, eóque meraciſſimo eos vti permittens.

Neque asseras cum Galeno 6. *de loc. cap.* 1. calidam iecoris intemperiem hydropem committere, dum sic ait: *Haud secus allucinari consuêrunt in ea quoque aquæ inter cutem specie, quæ ad acutos morbos sequitur: quippe ab his iecur calida, & sæpenumerò sicca intemperie grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat:* quod verum esse nullus ignorat, & 2. *progn.* 1. Hippocrates edocuit. Sed febrilis calor, spiritus, sanguinémque discutiendo, innatúmque calidum dissipando, ad frigiditatem, id est, naturalis caloris inopiam, iecur perducit, quod *cit. loc.* disertis verbis notauit Auicenna: *Inter causas quæ faciunt hydropisim, connumerantur complexiones inflammantes; hæ enim cum resolutione innati caloris faciunt extinctionem.* Quare immediata hydropis causa, semper est frigida, à qua sanguificationis officium intercidit: De quo argumento lege, quæ fusè diximus *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 122.

Subsequenter inquirendum: *Vtrùm tres tantùm sint hydropis species?* Ex triplici illa frigidæ materiæ differentia, (nam frigidus ettam ex se est flatus omnis, 5. *prob.* 36.) à qua hydrops omnis tanquam à causa coniuncta tumoris pendet, tres vulgatæ species eliciuntur, de quibus Galenus 5. *de loc.* 7. & 4. *acut.* & 4. *Aph. citat.* & 4. *de caus. puls.* 24. vnde Aëtius *tetrab.* 3. *serm.* 2. *cap.* 20. Paulus *lib.* 3. *cap.* 48. Alexand. *lib.* 9. *cap.* 1. Celsus *vbi suprà.* Auicenna 14. 3. *tract.* 4. & cæteri grauiores: & quidem artificiosè magis, quàm ex locorum diuersitate, in quibus materia recipitur, tumoréſque fiunt, vt constat ex Gal. 4. *acut. cit.* vbi auctorem eius libri reprehendit, eo quòd duas tantùm species tradiderit; innuens Hippocratis diuisiones, à materia potiùs, quàm à locis colligi, ad modum illius qua febris in diariam, humoralem, & hecticam diuiditur.

Licèt autem in ascite, aqua ad ventris regionem, inter peritonæum, & adiacentes partes aceruetur, 1. *de nat. facult.* 13. 4. *Aph.* 11. & *lib.* 7. *com.* 55. Auic. *vbi supra, cap.* 5: perinde ac flatus in tympania; atque adeò in vna, atque altera venter pariter intumescat, diuersæ tamen ab omnibus constituuntur, ob materiæ à qua pendent, diuersitatem; quia in prima, aquosa est; in secunda, flatuosa appellatur, & sicca, 4. *Aph. cit.*

Quòd si hyposarcam obiicias, quæ tertia constituitur species, cùm tamen à priori solùm loci diuersitate videatur differre, nempe quòd in illa crudus, aquosúsque humor per vniuersum corpus spargatur, non in ventre tantùm aceruetur. Dic, non paruum etiam discrimen in vtriusque materia reperiri: ea enim in ascite simpliciter aquosa est; in anasarca autem, quamuis etiam cruda, pituita tamen est, & sanguis licèt imperfectus, & parum elaboratus: Is verò cùm in membra totus distribuatur in hyposarca, perperam ab Erasistrato sola obstructio, & viarum angustia distributionem sanguinis impediens, causa hydropis asserebatur, prout rectè 5. *de loc.* 7. Gal. euincit contra ipsum. Solùm ergo differentiæ, quæ sumuntur ex parte materiæ, cuius ratione tres consurgunt species huius morbi, dignæ sunt consideratione: aliæ enim, à remissione, & intẽsione affectus; à tempore breui, aut diuturno; à coniunctis, vt quando est cum febre, tussi, aut sine his; minùs præcipuæ sunt.

Inquires primò, num possibile sit quòd aqua, vel flatus transmittantur per venas ad alias corporis partes, & fiat alia hydropis species; sicuti quando hæ materiæ in abdomen descendunt. Dic, in hoc exemplo solùm est diuersitas ex parte loci, & non ex parte materiæ; quod licèt sit rarissimum, non tamen impossibile.

Sequitur vt inquiramus: *Vtrùm ex aliis humoribus præterquàm à pituita, seroso humore, & flatu, hydrops generari possit?* Si enim magna sanguinis copia in corpore reperiatur, & multò maior possit reperiri, vt patet in plenitudine quoad vasa, in qua venæ, & arteriæ videntur abrumpi, non negandum est, hunc in cauitatem abdominis posse confluere, hydropem creaturum. Dic, nullo modo ex bile, vel melancholia tumorem abdominis posse generari: nam si immodicè exuperent, priùs alium tumorem excitabunt, ex quo corpori ruina immineat. Adde quòd natura ab illis irritata, ad eorum expulsionem illicò insurgit. De sanguine minor est hæsitatio: cùm enim sit familiarissimus partibus, ab ipsis pro nutritione attrahitur, quare extra venas non expellitur.

Verùm antequam ad reliqua accedamus, maior machina priùs demolienda est: *Vtrùm serosus humor à iecore translatus inter peritonæum, & omentum, hydropis causa sit?* Nam multi capere mente non possunt, quo pacto serosus humor à iecore translatus in capacitatem abdominis hydropem committat, quoniam hac ratione ascites æquè omnes inuaderet, & distribuendis humoribus videretur natura inutiliter vias, ductúsque tam multos destinasse.

Minimè enim hi intelligere queunt, quomodo serum in hydrope per cæcos meatus percoletur in capacitatem illam inanem, & non identidem sanitatis tempore, vel in aliis quoque affectibus: Experimento enim compertum est, iis qui ex vrina diebus viginta suppressa, extincti sunt, nihil quicquam per cæcos illos ductus in abdominis capacitatem effluxisse. Ergo necesse est vt in ascite, quoniã exesum, apertum, ruptũ, sciſsúmue aliquid est, serosus humor, vtpote tenuis, sine sanguine solus (vt solet per renes) excidat, & in abdominis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 477 sur 927

capaciratem illabatur, haud secùs atque suppuras pleuritis, exesa, aut discissa succingente costas membrana, affatim in thoracis capacitatem irruit; non enim aliter tantam collectionem præter naturam illic fieri credendum est. Adde, ideò illos quibus lien, iecur, vel mesenterium veteri scirrho obduruit, hoc morbo prehendi, quandoquidem viscerum substantia, siccitate, humorisque penuria, ceu rimis quibusdam dehiscit, eorúmque ambiens membrana diffringitur, vt non ampliùs tenue serũ continere possit, atque sensim quasi ex scissa olla, sinat destillare in vacuum abdominis spatiũ. Nec hoc placitum ab Hipp. mente purant esse remotum, qui *lib. 7. Aph. sententia* 55. id affirmat, dum scribit: *Quibus hepar aqua plenum eruperit in omentum, iis venter aqua repletur.*

Cæterùm pro virili reprobanda est opinio hæc: Gal. enim expertissimus, cui maior fides adhibenda est, quàm cæteris Græcis, Latinis, & Arabibus cunctis, qui ex eius facundissimis fontibus aquam vberrimè scaturientem hauserunt, Hippocrate excepto, refluxionem illam seri in abdominis spatium è iecore, per occultos illos meatus in venas resumi, absorberique posse, demúmque excerni per vrinas, & ventrem, adstruit *lib. 7. Aph.* 54. quandoque naturam, (quod mirandum est) per exiles illos, & minimè patentes meatus, etiamsi materia quàm maximè crassa sit, ad illum inanem locum viam moliri, & inuenire, atque inde iterum ad venas, palam eo loci testificatur.

Quòd si transsumptio hæc in admirationem hos auctores duxit, quo pacto non magis mirantur crassissimum illud pus, quod in empyemate è thoracis capacitate ad pulmones, nonnisi per ambientem membranam, & cæcos ductus traducitur? Nec verò ob id membrana in sensibiles rimas fatiscit, etiamsi nonnunquam ita admiranda sit puris quantitas, vt Gal. affirmarit 5. *de loc.* 2. puris heminas nouem, & decem in hac affectione interdum extrudi, & expectorari, & Auic. 10. 3. duas heminas paruas, aut heminam magnam, & plusquàm per horam excerni se vidisse, testatus est. Non est ergo dubium, per exiles meatus amplam seri quantitatem à iecore in spatium abdominis vacuum deferri; quod non negauit Auic. 14. 3. *tract. 4. cap. 5.*

Audiendi verò illi non sunt, qui Galenicam sententiam irrident: Nam ascites peræquè omnes non inuadit, licèt per eosdem meatus serum ad illam cauitatem fluere sanitatis tempore eodem modo possit: quia non semper natura è iecore per poros occultos serum ad cauitatem illam vel trudit, vel elabi sinit, nisi duntaxat vbi iamdiu eius quantitas apud iecur immoratur, nec eam ob imbecillitatem, ad alia distantiora loca, & magis opportuna expellere potest.

Porrò hoc in Ischuria diuturna perinde non contingit, quia cùm iecur valeat, non sinit nimiam seri copiam apud se diu immorari, sed illud, quia potens est, ad longinquas venas, vel alia nauralia excretionis loca remittit. Quòd si simul contigerit, vires iecinoris labefactari, vtique ascites inuadet ille, quem ab instrumentorum vrinæ vitio ortum nonnunquam contrahere, Auicenna *proprio capite* memoriæ commendauit.

Præterea. Ex hepatis scirrho hydrops sequitur, non quia siccitate, humorisque penuria viscerum substantia rumpitur in rimas, sed quia hepar nimia humoris mole grauatum, ac debilius redditum infrigidatur: quo intemperato vitiatur sanguificatio. Neque Hipp. 7. *Aph.* 55. ibi, *quibus iecur aqua plenum eruperit, &c.* adstruxit in ascite aliquid in iecore rumpi, sed vt Gal. interpretatur *in com.* de hydatidibus, hoc est, aquosis tumoribus, qui in tunica iecur ambiente sæpe nasci solent, Hipp. solùm verba facit, quorum aquam non sensim, vt in hydrope, sed subitò & affatim in abdominis capacitatem irruere, si rumpantur, meritò prodidit.

Est etiam dissidium: *Vtrùm in variis hydropis speciebus, in diuerso loco aqua colligatur?* Aurelianus in leucophlegmatia, seu anasarca, aquam colligitur inter meatus, & poros ipsius carnis asseuerat, eo modo quo aqua in spongia reseruatur; in ascite, inter peritonæum, & intestina. Verùm Galenus non solùm in ipsis spatiis carnis, verùm in venis colligi arbitratur, ita vt quotiescunque generatur sanguis, & cum illo plurima aqua progignitur, hæc cum illo permixta permeet venas, & immodicè repleat. Hæc ergo si multitudine sua venas non aperiat, sed in aliquam determinatam decumbat corporis partem, præcipuè verò inter peritonæum, & intestina, tunc ascites generatur, auctore Magistro, 7. *Aph.* 55.

Postremò dicendum: *Vtrùm varius sit modus collectionis aquæ in hydrope?* Auicenna *loc cit.* rectiùs de hoc argumento est ratiocinatus, sex constituens modos quibus aqua colligitur. Primus. In Anasarca, in qua cum sanguine permixta penetrat omnes corporis venas, eo modo quo per rariores panni partes pertransit, & transcolatur. Secundus. Quando flatus qui in venis reperiuntur, simul cum aqua commixti, vsque adeò ipsa vasa distendunt, vt venarum orificia aperiantur, quibus reseratis, aqua, & flatus vnà exeunt, & his ipsis in ventre collectis tympanites excitatur. Tertius. Quum aqua in magna quantitate inundat, ita vt sua mole ora vasorum distẽdat, quare túc subitò tumor propullulat. Quartus. Cùm facultas expultrix, à salsedine, & acrimonia aquæ irritata, sponte illam per ora venarum in ventrem expellit, ex cuius transitu ipsa vasa corrodi contingit, quibus exesis faciliùs aqua colligitur, vt 7. *Aph. cit.* notauit Galenus. Quintus. Quando venæ quæ deferunt chylum, aut franguntur, aut arroduntur, quibus fractis, & dato exitu in spatium illud, scilicet inter peritonæum, & intestina, facillimè aqua quæ continetur in venis, ad illas partes defertur. Hoc etiam modo tumor abdominis subitò efficitur. Vltimus. Fit tumor in regione abdominis per vmbilicales venas, qui modus est in fœminis, vbi fœtus non est in vtero, per huiusmodi venas repurgatur vrina. Vbi fœtus est in vtero, cùm concluſa sit via ad vrinam pertingens, per easdem vias aqua in ipsum ventrem potest deponi.

Causa ergo interna immediata est hepatis refrigeratio. Mediatæ sunt omnes, quæ natiuum calorem minuere possunt, vt inflammatio iecoris, huius partis scirrhus, imò & durities lienis: magnus enim lien humorem melancholicum attrahit, ex quo factus tumor hepar refrigerat. Hac ratione consuetæ vacuationes suppressæ, vt hæmorrhoïdum, vel menstrui; vel nimis excurrentes, hydropem accersunt: ab illis enim suffocatur calor, & debilior factus sanguificandi munere aberrat, 6. *Aph.* 12. à superfluo fluxu, exhaustis spiritibus sanguinéque vacuato fatiscunt vires, & præ imbecillitate loco sanguinis generatur aqua, pituita, aut flatus. Inter causas externas numeratur aër crassus; nimius potus vel vini, vel aquæ frigidæ; cibi crassi, frigidi, & melancholici.

Signa.

HÆc, aut sunt vniuersalia, aut particularia. Inter illa numeratur primò color faciei, qui albicans est; sunt enim hydropici, malè colorati, ac macilenti, quòd vitiati intus lateant humores, & ob infelicem coctionẽ sanguis non saturato colore niteat, sed aquosus, dilutus instar aquæ, in qua recèns mactata caro abluta est, apparet. Hos difficilis respiratio comitatur; nam præ pondere aquæ, pituitæ, & flatus, adaucto ventre, septum transuersum comprimitur, quod cùm liberè moueri non possit, difficilis respiratio inducitur. Vrina est pauca; aqua enim quæ bibitur, & humiditas alimentorum in ventre colliguntur. Hæc rubra ferè apparet; facultas enim debilis serum à sanguine separare non potest.

Vtrùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 478 sur 927

Vtrùm in omni hydrope pedum tumor reperiatur? Dic. Languor caloris naturalis ad hoc plurimùm facit, & cùm languidior sit in pedibus, tanquam in partibus remotis à fonte caloris, ibi promptiùs excitatur tumor: nam calor naturalis, citiùs, & magis agit in partem propinquam, quàm in remotam, cùm hoc sit proprium, peculiaréque agentis cuiusque, Philosopho teste. Accedit quòd cùm substantia caloris præcipuè in sanguine consistat, partes magis sanguineæ plus habent naturalis caloris, exangues verò minùs: & vtraque ratione pedibus parum calidi innati inest, tum ob causam dictam, tum ob propriam ipsorum compositionem, cùm ex pluribus ossibus sint constructi, ligamentis multis, modicáque carne suæ magnitudinis comparatione facta: quare cùm frigidi sint natura suapte, non est mirum, si in iis primùm naturalis conspiciatur caloris defectus, ob quem alimentum iis commissum exquisitè nequit immutari, imò in vapores vertitur flatuosos & crassos, quibus digestis, & dispersis per partes carnosas, tumor excitatur, qui deinceps fouetur & increscit, propterea quòd sanguis, vtpote crassus & frigidus, grauitate sua ad partes infernas descendit, præsertim si homo stet, aut deambulet.

Verùm pedum tumor non in omni accidit aqua inter cutem, sed in anasarca tantùm, cùm in tympanite, & ascite pedes arescant sæpe, & extenuentur, vt 14. 3. *tract. cap.* 9. & 11. retulit Auicenna, quoniam in hydropis speciebus, corpus plusquàm in anasarca, alimonia priuatur, ob aquosum, & flatuosum sanguinem, nutritioni ineptum; quare solidæ corporis partes inopia conuenientis nutrimenti marcescunt, & tabefiunt. Accedit, quòd per has hydropis species, non vehitur vitiosus succus in corporis ambitum, sed totus intra peritonæum seruatur, ventris tantummodò tumores inferens. In anasarca verò, quia crassior multò est humor, nequit sua crassitudine, & lentore per tenuia venarum transpiramenta permeare, ac in ventris cauitatem excidere: quo fit, vt per venas in corpus vniuersum delatus, illud in vastum tumorem attollat.

Ridendi verò illi sunt, qui acutiùs potiùs, quàm veriùs hoc signum damnant; quia hoc modo manus, ac reliquæ partes à fonte caloris remotæ necessariò tumescerent. Nam diuersa est ratio vtrobique, præcipuè ex situ earum partium desumpta: manus enim in superiori parte positæ, ampliùs à calore naturali fouentur, cùm spiritus, & sanguis, qui tenuior est, & calidior, ad partes superiores promptiùs ascendat; hinc fit, vt facies ab externo frigore minùs afficiatur quàm reliquæ partes, quæ minùs distant à corde. Insuper crebriori motu vtentes excrementa discutiunt, ob hanc causam palpebra inferior magis tumet, quàm superior, exercitio excrementum dissipans. Denique si excrementa ob errorem coctionis superiorum membrorum gignantur, ad pedes faciliùs, quàm ad manus deferuntur impetu suopte.

Illud verò etiam examinandum: *Vtrùm sitis clamosa necessariò hydropicos comitetur?* Nam si sitis fit ex humoris inopia, & hydropici in se aquam continent in copia multa, cur sitient intensè? Respondet Auicenna 14. 3. *cit.* hoc modo: *Etsi enim corpus, & ad id attinentes partes, humore nimio inbutæ sint, vnde minùs sitire ægri debebant, tamen aquea illa humiditas, salsa, acris, & vitiosa est, & mora, coarctationéque tum calidior, tum vitiosior redditur; quare ab ea potiùs sitis inducitur, quàm sedatur, imò ingesto potu non extinguitur, etiamsi totus ventriculus humore perfundatur, ac turgeat, imò sæpe ore madido grauiùs excruciat.* Quare eius remedium potus non est, sed salsi humoris vacuatio, dicente Gal. 2. *de facult. natural. cap.* 9. à cuius etiam salsi humoris congerie, multi nitrosi salsíque vapores sursum attolluntur, qui os ventriculi, gulámque afficientes, atque exiccantes, sitim augent atque intendunt. Asciticos verò hoc accidens præsertim infestat, quòd præter iam dictas causas, natiui & suauis humoris, quo rigari partes solent, inopia laborant: Nam cùm hi exangues, attenuati, penéque tabidi sint, vtpote partibus omnibus conueniente alimonia destitutis, sit vt sitis in eis intendatur, sequenti nimirum humoris inopiam, & caloris copiam, siti, vt 1. *simpl.* 30. perbellè edocuit Galenus.

Salsus verò humor huius pertinacis sitis causa est. Quæri etiam potest, cur salsa, siticulosa magis sint, quàm amara, si illa humentiora sunt, & minorem obtinent calorem? Dic, quia amarorum minùs desumimus, salsorum verò plus: nam illa abhorret natura, salsa appetit, & vt grata palato vehementer concupiscit, vt 6. *de caus. plantar. cap.* 1. notauit Theophrastus. Hinc fit, vt ea condimenti loco habeantur, nullúmque edulium existat, eorum quæ igne præparantur, quod salis omnino expers sit.

Deinde hoc symptoma tam vehementer hydropicos cruciat, ac lancinat, vt hoc multis interitum attulerit ineuitabilem. In hunc sensum scribit Celsus *lib.* 3. *cap.* 21. aquam inter cutem faciliùs in seruis, quàm in liberis tolli, quia cùm desideret famem, sitim, mille alia tædia, longámque patientiam, promptiùs iis succurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. In quem sensum celebrem affert historiam eo loco, cuiusdam hydropici, qui cùm summa diligentia custodiretur, denegato potu, vrina sua epota interiit: Cuius interpretationem lege, *lib.* 2. *nostræ Hist. Princip. Medic. in hist.* 125.

His signis adnumeranda sunt difficilis respiratio: cùm enim venter intumescat, & pituita, flatúque distendatur, fit vt compressum septum transuersum liberè moueri non possit. Vrina est pauca, & rubra: aqua enim ebibita, & alimentorum humiditas potiùs ad ventrem, quàm ad vias vrinæ confluat. Quoniam autem facultas iecoris debilis, sanguinem à sero separare non potest, hac ratione vrina sanguinea apparet. Neque instes, dicendo ob hanc causam etiam, aquam in ventre hydropicorum contentam, rubidam necessariò euasuram, quia aqua quæ per peritonæum transcolatur, à crassiore sanguinis parte redditur purior, & iccircò rubra non conspicitur.

Circa excreta perscrutandum: *Vtrùm Aluus dura in hydrope conspiciatur?* Affirmat Hippocrates 2. *progn. text.* 3. dum sic ait: *Quibus accidit aqua inter cutem, venter non deiicit nisi dura, ac pro necessitate*: subscribit Celsus *lib.* 2. *cap.* 7. §. *Venter nihil reddit, nisi ægrè, & durum.* Nec facit contra hanc doctrinam historia Medici Siculi, qui iecoris inflammationem patiens, ægrè non deiiciebat, & dura, sed cruenta, similia carnis loturæ excernebat: Nam in hac iecoris inflammatione, ipsius visceris debilitas erat coniuncta; iecur autem citra imbecillitatem posse inflammari, constat ex Galeno 11. *meth. vlt.* & 8. *sec. loc. cap.* 7.

At hæc responsio non omni ex parte videtur esse vera, quia quotiescunque iecoris inflammationi hydrops superuenit, necessariò in viscere debilitas adest, alioquî enim non fieret hydrops, quod malum alia ratione non excitatur, nisi facultate in essentia languida existente. Alia ergo excogitanda est ratio, quæ ex Galeni commento solùm elicitur: *Quidquid deiectionis humidum, ac tenue habetur, ad intimam peritonæi sedem transmittitur: hoc autem deiectionem non solùm exiguam, aridámque reddit, verùm etiam vrinam minuit.*

Licèt autem hæc ratio vera sit, vtpote ex Galeni mente deprompta, illa tamen prior explodenda non est: etsi enim iecur inflammatione tentatum, debile sit, non in omni tempore ita est flaccidum, & imbelle, vt deiectio similis carnium loturæ statim sequatur, præcipuè si inflammatio vehemens non fuerit. Insuper. Similis efficitur deiectio, propter vehementem iecoris, vel adiacentium membrorum calorem, quemadmodum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 479 sur 927

1.*crisi.* 11. Galenus animaduertit. Adde quòd à calore inflammationis, omnis glandularum humiditas in meſenterio exiſtentium abſumitur, qua abſumpta aluus redditur adſtricta, deficiente nimirum humore, quem, auctore Gal.*lib.*2.*de ſem.cap.vlt.* prædictæ glandulæ ad faciliorem deiectionem, internæ inteſtinorum tunicæ per bonam valetudinem ſuppeditabant. Quòcirca non temerè à Medicis quibuſdam harum glandularum exiccatio inter colici doloris cauſas reponitur.

Etiam explicandum: *Vtrùm œdema circa ventrem, proprium ſit hydropicorum indicium?* Hippocrates *lib.* 2. *progn.*3. ſic ait: *Quibus autem à iecore aquæ inter cutem incipiunt, circa ventrem œdemata fiunt, partim in dextra parte, partim in ſiniſtra conſiſtentia, deſinentiáque.* Hæc œdemata in hydropicis fieri conſueuerunt, propterea quòd cutis vniuerſo pituitoſo ſanguine nutritur, atque iccircò iis qui aqua inter cutem laborant, non ſolùm in ventre, verùm etiam in cruribus peculiaria eſſe ſolent; quæ cùm alterius diſpoſitionis ſint ſymptomata, nulla propria curatione egent, ſatis erit crura ipſa perfricare, aliàs oxyrhodino, vel oleo cum ſale, vt tradit Galenus *lib.*14.*meth.*4.& *lib.*2.*ad Glauc.cap.*3.

Galenus, vt ad Hippocraticum contextum pateat ſolutio, duplicem interpretationem apponit, quoniam cutis vniuerſa in tumorem pituitoſum eleuatur ob pituitoſum ſanguinem, ita vt ſi digito prematur, cedat, ſed paulo pòſt ad priſtinum redibit ſtatum, & ideò dixit *exiſtere, ac deſiſtere:* Vel vt per hæc verba ſignificet, prædictos tumores occultari, & iterum redire, quare inconſtantes ſunt, vtpote qui nunc vnam, nunc aliam partem attollunt, ac mox deliteſcunt; quod quidè fieri cernes, donec calor naturalis aliquid poſſit operari: cùm enim tumores illi ex humore lento conſtent, quoquo modo fuſo, & in craſſum ſpiritum conuerſo, ſi natiuus calor robuſtior fiat, materiam illam diſcutit, & abſumit, qua diſcuſſa, pars detumeſcit, donec cauſa, à qua prior tumor fuit generatus, non acceſſerit; quæ ſi inſoleſcat, tumor non reſoluitur, quia puſillus calor pituitoſum humorem præ debilitate nequit diſſoluere.

Obtrudes, cur dixerit Hippocrates, aliquos tumores fieri circa ventris partem detram, alios circa ſiniſtram. Galenus de hac re nihil conſcripſit. Dic. Hippocrates œdemata vocat propriè tumores pituitoſos, ſic à Medicis vocatos, qui præter hydropicum tumorem totius ventris, fiunt modò in ſiniſtra, modò in dextra parte, prout ſcilicet ab vno, vel alio latere morbus ſcaturit.

Perſcrutaberis: *Vtrùm febris ab hydrope ſit inſeparabilis?* De aſcite maior eſt dubitatio, quia cùm aquam in ſe recondat, quæ febri contraria eſt, videtur quòd aliquando hydropici febri carere poſſint. Verùm cùm aquea illa humiditas, ſalſa ſit, acris, & mordax, & mora, coarctationéque calidior, vitioſior, & putredinoſa ſit reddita, febrem excitat, lentam tamen, iugem, & continuam. De tympanite, ſi abſolutè loquamur, cui videlicet nullus alius humor cum flatu ſit permixtus, quod rarum eſt, illud affirmare poſſumus, quòd aliquando, ſaltem in principio detur ſine febri: ſine qua poteſt conſtare anaſarca, quæ licèt ex pituitoſo humore originem ducat, cùm tamen is extra venas ſit conſtitutus, non ita cor premit, atque fatigat. Cæterùm ſi diuturnus ſit morbus, & humor in habitu corporis repoſitus, prohibeatur ventilari, & derelictus à regimine naturæ putreſcat, & cum flatulenta materia, plurima aquoſi humoris copia inſoleſcat, tunc frequenter hydropici febri ſunt detenti, ex Hip.*lib.*2.*de morb.*& Galen.1. *Aph.*16. quod ſignificauit Auic.14.3. *tract.*4. *cap.*8. dum ait: *Et accidunt eis plurimùm febres tepidæ, &c.*

De pulſu etiam dubitandum: *Vtrùm ſit durus:* Cùm enim in hydrope imbelle iecur ob cauſas multas, loco ſanguinis, ſuccos ab huius natura valde diuerſos gignat, aquoſos in aſcite, flatuoſos in tympanite, pituitoſos in anaſarca, fit vt pro humoris varietate pulſus fiat varius. Quare in tympanite, auctore Galeno 4. *de cauſ. pulſ.cap.*4. pulſus eſt ſubdurus, & aliquantulum tenſus, ob tenſionem ex flatu ſubortam. In aſcite ſimiliter ſubdurus apparet; humor enim congeſtus cùm ſit ſalſus, & mordax, arteriam indurat: efficitur tamen minor & crebrior, ob facultatem debilem, & adauctum vſum. In anaſarca, quoniam non ſolùm in abdomine, ſed in vniuerſa corporis regione nimia humiditas redundat, fit pulſus mollis, vndoſus, & languidus, teſte Galeno 4.*de cauſ.pulſ.cap.*24.

Præſagium.

CONſequens eſt vt rimemur, exponamúſque: *Vtrùm Aſcites ſit periculoſior Tympanite, & Anaſarca?* Sunt autem non inualida quæ ſuadent, Anaſarcam cæteris magis eſſe periculoſam. Firmat Hippocrates 4. *acut.*111. ibi: *Hydropum duæ ſunt naturæ, quorum hypoſarcidios ſi aggreditur, vitari non poteſt.* Sequitur Cælius Aurelianus *lib.*3.*tardar. paſſion. cap.*8. ſubſcribit Celſus *lib.*3.*cap.*21. In hac enim hydropis ſpecie, omnia membra læſa ſunt, 1.*criſ.*12. & adeſt in vniuerſo corpore tumor, & non ſolùm actio ſanguificandi, ſed nutriendi, & tertia concoctio læſa eſt, quæ damna in aſcite, & tympanite non apparent. Inſuper difficilioris eſt curationis: humores enim qui à viis ductuum ſunt valde remoti, per purgantia medicamenta magno cum labore vacuantur.

Pro Aſcite eſt firmiſſimum argumentum: Illa enim ſpecies hydropis eſt deterior, in qua datur maior receſſus ab ſtatu naturali, ex Galeno 1.*ad Glauc.cap.*1. Sed aſcites à maiori frigiditate oritur, quàm tympanites, & anaſarca, 4. *Aph.*11. §. *Videtur autem à maiori frigiditate generari aquoſus hydrops.* Igitur, &c. De tympanite certum eſt: nam flatuum generatio à calore minuto oritur. De pituita probatur: hæc enim eſt alimentum ſemicoctum, & coctio licèt remiſſa debet fieri à calore.

Aëtius *tetrab.*3. *ſerm.* 2. *cap.*20. magis periculoſum tympanitem eſſe aſſeuerat, ſecundo loco reponit aſcitem, tertio, anaſarcam: materialis enim cauſa tympanitis ſunt flatus, ad quos euacuandos nullum inuenitur medicamentum purgans, ſicut ad vacuandam pituitam, & & aquam. Ergo cùm vnuſquiſque morbus reddatur deterior, & periculoſior, ex curationis defectu, iccircò Aëtius huic ſe addixit opinioni: In aſcite enim vtiliter celebratur ſectio abdominis, punctio adminiſtratur in ſcroto, ruptoria cruribus affiguntur; quæ omnia præſidia inutilia ſunt in tympanite, imò ſummoperè nocent. Præterea in tympanite maior eſt receſſus ab ſtatu naturali: flatus enim in modo ſubſtantiæ magis diſtat à natura ſanguinis, quàm pituita, & aqua.

Verùm firmiter amplectenda eſt Auicennæ ſententia, 14.3. *tract.*4. *cap.*4. §. *Et ſunt homines, quibus videtur quòd hypoſarca eſt deterior aliis, quoniam corruptio in ipſam communicat hepati, & omnibus venis corporis, & carni, ita vt deſtruatur plurimum digeſtionis tertiæ. Et ex eis ſunt quibus videtur quòd ipſa eſt leuior tympanite. Verùm dignius eſt, vt ſit aſcites malignior illis omnibus, &c.* Sequitur Raſius *lib. diuiſion. cap.* 65. In hac enim hydropis ſpecie ſymptomata ſæuiora inſoleſcunt, ſitis inexhauſta, totius corporis grauitas, & torpor, difficilis reſpiratio, ita vt ægri ſuffocari videantur; ſyncope, ob aquam in cauitatem thoracis reſudantem ſuborta, & ob vapores ſpiritus vitales extinguentes excitata.

Deinde Aſcites difficiliùs tympanite, & anaſarca curatur: Nam aquoſus humor in hac ſpecie excitatus continetur inter inteſtina, & omentum, qui nec per vomitum, nec per venas, nec per aluum, nec per inſenſilem halitum, niſi cum magna difficultate poteſt euacuari; at verò flatus multò commodiùs; pituita verò

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 480 sur 927

etsi sit crassior, facilius, cùm in ambitu totius corporis A stabuletur, per sudorem, & alui fluxum vacuatur. Præterea, in anasarca celebratur sanguinis missio, 4. *acut.* 111. in ascite verò, & tympanite nequaquam. Igitur, &c. Accedit, quòd ob humorem salsum & nitrosum, vlcera excitantur, quæ difficilem postea habent correctionem. Adest maior humidi subsistantifici defectus, vt patet in macie, quæ asciticos comitari solet, quæ etiam ob ferina symptomata vires dissoluentia, increscit & confirmatur,

Superest solùm argumentis pro contraria parte adductis respondere. Hippocrates ergo 4. *acut.* intelligendus est de illa anasarca, in qua externa membra ob magnitudinem læsionis compatiuntur, & non de anasarca absolutè, vt est quædam hydropis species ab B aliis distincta; quomodo Auicenna explicandus asserens dari aliquam anasarcam, quæ secundo, au tertio die interimit. Vel dic, ipsum ex aliorum sententia fuisse loquutum.

Ad argumenta quæ pro sententia Aëtij sunt proposita, dic verum esse, non reperiri medicamenta purgantia, quæ vacuent humores, à quibus flatus eleuantur: multa tamen sunt resoluentia, quæ intus, & extrà applicita, flatus discutere nata sunt, & multo meliùs, quàm aqua vacuantur, aut resoluuntur. Dic secundò, quòd licèt in ascite celebrentur vstio, apertio abdominis, & alia præsidia, quæ valde vires eneruant, & morbum suapte natura lethalem, magis periculosum reddunt; tamen ea aliis non conferentibus, ob maiorem vtilitatem sunt administranda. Adde in ascite ob superuenientia symptomata, intemperiem habitualem, & C fixam corrigi difficiliùs, ob quam causam inter alias species est magis periculosa.

Vltimo argumento respondè, quòd si tota massa sanguinea in iecore existens, in tympanite conuerteretur in flatus, verum esset quod assumebatur, nempe magis intercidere in tympanite officium sanguificationis, quàm in ascite. Verùm quia in illo minor sanguineæ materiæ portio in flatum commutatur, maiori eius parte intra sanguinis formam manente; in ascite tota ferè conuertitur in aquam, hac de causa non continet verum, quod assumptum est, magis videlicet frustrari sanguificationem in tympanite, quàm in ascite. Minorem verò sanguineæ materiæ portionem in tympanite in flatum commutari, & maiorem in ascite in aquam D conuerti, argumento est, quòd partes omnes nostri corporis, citiùs, & magis contabescant in ascite, quàm in tympanite; quod non alia occasione, quàm ob maiorem benigni alimenti penuriam euenire est arbitrandũ. Solue secundò, ratione temperaméti magis conuenire flatum cum sanguine, quàm hunc cum aqua, quia hæc est frigida, flatus verò calidus & humidus, sicut sanguis.

Obiicies argutè hoc modo. Actio sanguificandi magis vitiatur in tympanite, quàm in ascite. Ergo tympanites deterior est: in hoc enim actio est læsa deprauatè, cùm loco quatuor humorum producatur flatus, at verò in ascite actio sanguificandi est diminuta, iecur enim debiliter suo munere fungitur, cùm alimenta exactè concoquere nequeat. Solue sic. In omni hydrope hepatis operatio læditur: in ascite, & anasarca læditur imbecilliter; maior tamen adest huius functionis, quæ sanguinis est generatio, imbecillitas in ascite, minor in anasarca: At in tympanite iecoris actio deprauatè procedit, cùm in alienam naturam alimenta ipsa conuertantur. Fit enim actio imbecillis ab imbecilli hepatis calore; deprauata verò non simpliciter à naturali imbecillo, sed cum miscella caloris præter naturam: aliter enim tanta flatuum copia gigni non posset, qui teste Galeno 3. *de caus. sympt.* 2. à caloris alicuius præsentia originem ducunt. Quare sanguinis generatio in ascite, & anasarca læditur debiliter, in hac minùs, magis in illo; at in tympanite deprauatè, quo fit vt hæc quàm aliæ species, deterior censeatur, quia actiones deprauatæ prauiores sunt imbecillibus. Verumtamen cùm grauitas hæc exiguam in tympanite sanguinis portionem labefactet, imbecillitas verò in ascite in causa sit, vt vniuersa ferè sanguinea massa in aquosum humorem vertatur, asserere possumus, ascitem non solùm quoad symptomata, verùm quoad originem, tympanite perpetuò esse deteriorem.

Ad tertium argumentum respondè, non omnem tympanitem ex habituali intemperie partium abdominis oriri. Adde quòd sicuti in tympanite calida intemperies est habitualis, sic in ascite, frigida: Quare cùm hæc maiorem recessum cæteris paribus præostendat, iccircò ascites deterior est: frigidam autem intemperiem lienis, ventriculi, & intestinorum, hydropis esse causam, docet Galenus 5. *de loc. cap. 7. ante med.* §. *Igitur si lienis causa, &c.*

Argumentis pro sententia illorum, qui anasarcam cæteris deteriorem esse affirmant: Respondè primò, concedendo illum morbum esse prauiorem, in quo plura membra sunt læsa: cùm verò in ascite hoc contingat: (nam partes quæ tument in anasarca, ex defectu alimenti exiccantur, & marcescunt in ascite) non est dubium, quin ascites cæteris speciebus sit deterior. Solue secundò, si dicas, non perpetuò illum morbum esse deteriorem, in quo plura membra, aut actiones vitiantur, cùm vnica actio intensè læsa maius damnum inducat, quàm plures aliæ actiones remissè læsæ: & hac ratione deterior existit sola sanguificatio læsa in C ascite, quàm reliquæ actiones læsæ in anasarca; falsúmque est affirmare, morbum totius corporis esse semper deteriorem, quàm vnius partis determinatæ: febris enim diaria, etsi sit vniuersalis, salubrior tamen est tumore venenoso, qui vnam determinatam partem occupat, atque infestat. Quod autem desumitur ex difficultate curationis argumentum, satis supérque *suprà* est assertum, ascitem ad curandum esse deteriorem. Quare primo loco periculosior est ascites, secundo loco tympanites, tertio, anasarca.

Indagandum: *Vtrùm tussis hydropi superueniens, mala sit?* Hippocrates *lib. 2. progn. text.* 3. sic ait: *Quibus autem à iecore aquæ inter cutem incipiunt, tussire quidem cupiditas est, sed nihil excreant commentatione dignum.* Quo loco ad aliam aquæ inter cutem differentiam accedit, D quæ à iecore primariò affecto originem ducit, inter cuius signa, propensionem ad tussiendum enumerat, dum leuis tamen ea tussicula sit, & citra vtilitatem vllam, quia licèt tussiant, nihil excutiunt commentione dignum.

Verùm instabis, vnde cupiditas accidat tussiendi, si iecur in hac hydropis specie tantùm læsum est, non autem pulmo, citra cuius offensam impossibile est ipsam excitari, ex Gal. 5. *de loc. cap.* 2. Dic: Verum est non accidere tussim absque pulmonis noxa, vel in se primariò genita, vel aliunde communicata, vt ab inflammato iecore, quia compressum septum pulmonem angustat, ac proinde extussiunt laborantes, 5. *de loc.* 6. quare ob tussim aliquando hepatis inflammatio pro pleuritide E est habita, & ob dolorem in parte dextra, & ob tussim quæ iecoris inflammationem consequitur, vt constat ex celebri illa historia Medici Siculi, ad quem cum Glaucone Philosopho inuisendum Galenus accessit, qui quidem pleuriticum se esse putabat, quum inflammatione hepatis esset oppressus.

Cur verò absque pulmonis læsione non fiat, ratio est in promptu, quia cùm solæ asperæ arteriæ tussi expurgentur, per quas aër ingreditur, & egreditur, quæque in solo pulmone reperiuntur, rectè à natura constitutum fuit, vt ante pulmonis noxam nulla excitaretur tussis, quæ nihil est aliud, quàm vehementissima quædam efflatio, qua plurimus simul, celerriméque de foris spiritus attrahitur, propelluntúrque summo impetu, quæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 481 sur 927

vias spiritus obstruebant, ex Gal. 2. *de sympt. caus. cap. 4.* Non ergo abs re omnibus animalibus natura tussim indidit, eo solùm tempore quo pulmo læditur; tantò magis respiratoriis asperæ arteriæ canalibus prouidens, quantò magis in eorum occlusione, præceps, repentinúmque vitæ vertebatur discrimen.

Hinc fit, vt miro artificio vasa hæc à prima constitutione singulariter muniuerit, ea magna ex parte cartilaginosa constituens: Nec enim in totum poterant ob distentionis, contractionisque varietatem, in sese coniuere, & concidere, vt attenuatoriæ obstructioni non subessent: & ne etiam coarctatoria obstructione prædicta vasa tentarentur, iustissimè tussim illis indidit, qua celerrimè multus aër, & confestim per asperam emissus, quicquid noxium obstructurúmue per ea vasa incideret, expurgaret.

Verùm aduerte, quòd Hippocrates de tussi intelligendus est, quæ à iecore incipit, initiante hydrope; signum profectò maximum à iecore inflammato originem ducere: Nam aucto morbo omnes hydropici plurimùm intumescente corpore tandem tussi premuntur, quod pessimum est signum, lethale, & ferè desperatum, iuxta Senis oraculum, 6. *Aph.* 35. *Aqua inter cutem laborantibus, tussis superueniens, malum*: iam enim adeò excreuit aqua, vt asperas pulmonis arterias occupans, tussim excitet, quod exitiosum, & penè dirum.

Sed præstat explanare: *Vtrùm tussis in hydrope per consensum iecoris eueniens, ab ea quæ fit primario affecto thorace, signis possit distingui?* Dic, quòd tussis quæ in hydrope ob iecur inflammatum superuenit, est irritamentum quoddam tussiendi, potiùs quàm vera tussis, & sic eam cupiditatem quandam, & propensionem ad tussiendum, Hippocrates *cit. loc. progn.* appellat; quæ verò accidit asperæ arteriæ, seroso & tenui humore occupata, vera est tussis, vehemens, difficilis, quæ à materia in pulmone contenta, vi morbi, & præ copia, à capacitate ventris, tum per conspicuos, tum per cæcos ductus regurgitante, ac spiritales partes, vitæque præsidia expugnante, ortum ducit, de qua intelligendus Hippocrates 7. *Aph.* 47. dicens: *Aqua inter cutem laborans, si tussi corripiatur, desperatus est.*

Ab alterius verò tussis causa, quæ malè affectum iecur perpetuò concomitatur, ægri irritantur, sed confestim conquiescunt, vix etiam tussire aggressi; experientia cognoscentes frustra se tussire, quòd vacuari nequeat id quod molestum est, quia in thorace non continetur. Hæc igitur tussiendi cupiditas ab hepate originem habet, ob id quòd nonnihil serosi excrementi, ab eo per venam cauam, & venam arteriosam, instar sudoris cuiuspiam, in asperam arteriam exprimitur; vel quòd diaphragma ab eodem hepate ob tumorem opprimitur, vel ob grauitatem infrà detrahitur, quando viscus tuberculo grauius, & viribus languens effectum, deorsum vergit: alligatur enim iecur quibusdam fibris septo, quibus deorsum reuulsis, vnà etiam septum trahitur, & ab hoc membranæ, quæ thoracis interiorem partem comprehendunt, ex quo angustia spiritalibus partibus accidit, quæ hanc inanem tussim assiduè mouet.

Sequitur vt inuestigemus: *Vtrùm Alui fluxus in hydrope reprobus sit?* Dic. Per gracilia intestina, & mesenterium, digestæ sunt venæ mesaraïcæ appellatæ, à quibus exugitur succus, & per quas transit exuctus ad iecur in sanguinem vertendus, cui clauditur, & intercipitur transitus prædictis partibus inflammatis. Quare cùm venæ in distributione alimenti nequeant suam operam iecori præstare, illud in ieiuno, & reliquis manet intestinis, & eas partes grauat, quo fit vt statim, vtpote debiles, id omne pellant deorsum per inferiorem aluum, & hæc est prima diutini alui fluoris causa. Altera. Materia illa dum in intestinis moratur, à calore inflammationis, qua partes illæ vexantur, retenta acrior redditur, & mordax, vnde pungit intestina, & ad excretionem proritat.

Sed hic diutinus alui fluxus ventrem non emollit, neque dolorem sedat, vt *lib. 2. progn. 2.* prædixit Hippocrates, imò eo adueniente venter non detumescit, quia non qualia oportet purgari, purgantur: Nam vt detumesceret, erat necessarium, humorem in ventre contentum, esse vacuatum, non cibum corruptum, cui non est liber aditus ad iecur; vt enim vacuatio conferat, peccans humor vacuari debet, 1. *Aph.* 2. & 25. Quin dolorem non sedat: nam alimenti corruptio, & perennis excrementi biliosi retentio, tum ex putredine, tum inflammatione, & vehementi calore ieiuni, vehementer mordent intestina, & diarrhœam concitant ferè immedicabilem; ex qua dolor ampliùs insolescit, cùm internus ardor, & habitualis intemperies, premens diu & importunè, de nouo eadem generet excrementa. Denique deficiente natiuo calore, & imbecilliori reddito, gignuntur cruditates, cum plurima flatuosi spiritus copia coniunctæ, quo repleta intestina vrgent, intenduntúrque, & vehementi dolore premuntur. Quo fit, vt alui fluor diuturnus in hydropicis, lethalis sit, cùm ex obstructione hepatis, & venarum debilitate ferè emanet, & cùm corpus commodo priuetur alimento, tandem contabescit, & perit.

Excutiendum est: *Vtrùm senes, vel pueri hydropi magis sint obnoxij?* Aretæus *lib. 2. de causis, & signis diuturn. morb. cap. 1.* postquàm asseruit hanc calamitatem viris, mulieribus, & cuicunque ætati esse communem, subdit, in vocatam anasarcam, & leucophlegmatiam pueros faciliùs incidere: iuuenes ad consistendi vsque ætatem, inundationi ilium esse obnoxios; senes, cùm sint caloris natiui inopes, omnibus generibus esse expositos, cùm frigidum sit illorum corpus.

Curatio.

QVamuis fusè de hydropis curatione plura simus proloquuti, *lib. 2. Hist. Princip. Medic. ab Hist. 116. vsque ad Hist. 125.* inseramus hoc capite breuiter tamen aliqua remedia, Medicis futura non iniucunda. Primus ergo scopus in curando hydrope, circa nimiam corporis humiditatem absumendam debet versari, quod opus præstari non potest, nisi partes, à quibus malum hoc scaturit & fouetur, corrigantur. Quapropter iecur roborandum: nam hoc altricis facultatis est principium, in quo pro nutritione animalis humores generantur; iccircò si hæc pars afficiatur, aliæ etiam quæ ab humoribus aluntur, debent necessariò coaffici.

Hæc omnia membra corrigi non possunt, ni totum expurgetur corpus; quod opus, vt feliciter administretur, in sex rebus non naturalibus ordo est obseruandus. Aër sit calidus & siccus, serenus, non pluuiosus, neque ventis agitatus, aut crassus; hic enim, præsertim si sit frigidus, huic affectui summopere nocet. Alimentum solidum esse debet, non liquidum, neque concoctu difficile. Carnes vtiles sunt, modicè siccæ, passerculi montani, perdices nouellæ, pulli columbini, turtures, quæ carnes potiùs edendæ assæ, quàm elixæ. Panis sit nauticus, optimè fermentatus, cum modico anisi, aut fœniculi. Vitandi fructus. Legumina fugienda, pisculenta, & cætera quæ crassos, & flatuosos humores gignere nata sunt. Potus sit vinum album, tenue, antiquum, permixtum decocto eupatorij: vel sit aqua decocta cinnamomo, anisso, vel Chinæ radice. Parcissimè bibendum, sitisque clamosa aliis ingeniis compescenda, non potu, quia illis est nocentissimus.

Verùm quia variæ species huius affectus, variam, & diuersam curandi rationem expostulant, iccircò de curatione

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 482 sur 927

curatione cuiuſque ſpeciei agendum, & primò de Anaſarca: In qua, ſi corpus ſit robuſtum, florens, & morbus ſit in principio, ſanguis eſt emittendus, prout *lib.4.acut.111.* prædixit Hippocrates, ibi: *Si difficulter ſpiraverit, fueritque anni tempus æſtivum, & viguerit ætas, viribúſque fuerit valentibus, ſanguinem è brachio tolles.* Præſertim, vt Galenus notat *in com. ſi hic affectus ex ſuppreſſione alicuius vacuationis conſuetæ ortum duxerit.* Exercenda in quantitate modica, dummodóque humor pituitoſus à ſanguinis natura non recedat valde.

Vacuatio etiam humoris pituitoſi eſt neceſſaria, præcedente præparatione, facta cum ſyrupo de abſinth. Rhodomel. duabus rad. cum aceto, Byzantin. oxymel. ſimpl. & ſcillitic. qui diſſolui debent cum aq. fœnicul. vel abſinth. vel decocto aniſi, Cinnamom. Apij, Aſparag. Origan. Eupatorij, Aſplenij, & paſſular. Humor pituitoſus expurgandus eſt Agarico. Sen. Sem. Carth. Mechoaca, Diaphœnico, Elect. Indo minori, Hier. ſimpl. vel cum pilulis de Agaric. Cochiis, fœtidis, vel aggregatiuis.

Facta aliqua vacuatione per medicamenta moderata, vtendum eſt decoctis diureticis, concoquentibus, & incidentibus craſſos humores: & ſic offerendum Apozema ſingulis diebus, ieiuno ventriculo, quantitate ſex vnciarum, aſſumpta priùs tabella vna Diarrhod. Abbat. aut drachma vna trochiſcor. de rhabarb. vel de eupator. & fit hoc modo.

℞. *Cortic. radic. cichor. borrag. bugloſſ. eringij, aſparag. petroſelin. fœnicul. an.* ℥ j. *eupatorij, aſplenij, adiant. abſinth. an.* M. j. & ß. *paſſular. ſine nucleis, folior. borrag. cichor. dictamni, an.* M. j. *cicer. nigror.* P. iij. *aniſi, cinnamom. an.* ℥ j. ß. Coquantur ſec. art. in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ ij. facta colatura, adde *ſacchari, mellis, an. part. æqual.* Fiat apozema.

Poſtea reiteranda ſunt medicamenta, quæ efficaciùs expurgent, ſícque per epicraſin vacuatio inſtituenda, pro quo vſu hic Syrupus vtilis eſt, aſſumptus quantitate vnciarum quatuor, alternis diebus, vel de tertio in tertium, prout patientur vires, diſſoluatúrque priùs cum aq. fœnicul. vel Abſinth. vel Eupatorij.

℞. *Eupator.* M. ij. *adiant. borrag. cichor. abſint. pontic. ering. petroſelin. an.* ℥ j. ß. *ſem. aniſi, ſem. fœnicul. an.* ℥ ij. *cinnamom.* ℥ j. ß. *epithym. polypod. an.* ℥ j. *ſem. cartham.* ℥ ij. *cortic. ligni Indi* ℥ ij. *radic. Chin.* ℥ j. *ſmilac. aſper.* ℥ j. ß. *folior. ſen.* ℥ iiij. Coquantur omnia in ℔ viij. aq. vſque ad mediæ part. conſumptionem: In colatura infunde *Mechoac.* ℥ iij. *agaric. trochiſcat. ſec. art.* ℥ iij. *rhab. elect.* ℥ iiij. *ligni aloës, aromatic. roſat. an.* ℥ j. ß. Colaturæ adde, *Syrup. de epithym.* ℥ v. *ſyrup. de eupatorio,* ℥ iiij. *ſyrup. de ſen.* ℥ iij. *ſyrup. cichor. Nicol. cum rhab.* ℥ ij. Omnia bulliant, quouſque acquirant conſiſtentiam ſyrupi longi, qui aromatizetur cum ℥ j. pulu. Diarrhod. Abbat. & ſeruetur in vaſe vitreo.

Pituitoſo humore ſufficienter vacuato, frigida iecoris intemperies medicamentis intus aſſumptis, & extrà applicitis eſt corrigenda. In quem vſum etſi in probata Officina plurima ſit medicaminum copia parata, quæ in modum pulueris, vel tabellarum aſſumpta, hoc opus eximiè præſtant; hoc tamen Electuarium experimento à me fœlici eſt compertum, quod quantitate vnciæ ſemis in aurora aſſumptum, ſuperbibita aq. eupatorij, vel quod magis probo, hauſtu abſinthini vini, mirabilem in firmando hepate opem affert.

℞. *Theriac. antiq. Mithridat. an.* ℥ j. *electuar. Alkerm.* ℥ ij. *confect. hyacinth.* ℥ iij. *aromatici roſat.* ℥ ij. *diamargarit. calidi,* ℥ ß. *diarrhodon. Abbat.* ℥ ij. ß. *dialaccæ* ℥ iij. *cinnamom. elect.* ℥ ij. *diacurcum.* ℥ iiij. *trochiſcor. de rhab. trochiſc. de eupator. & trochiſc. diarrhod. an.* ℥ j. ß. *iecoris lupi præparat.* ℥ ij. *pulu. cortic. ligni ſancti, ſmilac. aſper. radic. Chin. ligni vocati ſaſafras, an.* ℥ j. ß. *ambari, moſchi odorati, an.* ℈. x. Omnia excipiantur cum melle, & ſaccharo, & fiat Electuarium.

Exteriori hepatis parti, in eundem vſum optimum eſt vnguentum ſequens.

℞. *Olei de ſpica, & de abſinth. an.* ℥ ij. *olei maſtich.* ℥ j. ß. *ſuccor. cichorij, eupatorij, apij, abſinth. aceti roſat. an.* ℥ j. *puluer. abſinth. menth. baccar. lauri, ſantalor. rubeor. roſar. rubear. an.* ℈ j. Bulliant omnia ad ſuccorum conſumptionem, & cum cera fiat Vnguentum.

Regioni abdominis admouenda ſunt medicamenta, quæ vim ſortiantur reſoluendi, & exiccandi, & inprimis parabitur fomentum.

℞. *Origani, pulegij, abſinth. an.* M. ij. *camomil.* M. j. *thym. artemiſiæ, an.* M. ß. *nepitæ,* M. j. *fænugræci,* ℥ ij. *ſalis,* ℥ iiij. *ſulphuris pulueriſati,* ℥ v. Coque in æqualibus partibus aquæ, & vini albi, in ℔ viij. aq. ad mediæ partis conſumptionem,

Poſt fomentum, imponendum vnguentum in eundem vſum.

℞. *Vnguenti aregon., marciat. an.* ℥ ij. *vnguenti dialthææ compoſ.* ℥ j. ß. *olei capparum, & de abſinth. an.* ℥ ij. *cortic. radic. capparum,* ℥ j. *cortic. radic. tamariſci,* ℥ iij. Cum cera ſec. art. fiat Vnguentum.

Vtile etiam eſt humorem pituitoſum in ſingulis partibus impactum euacuare, & exiccare. Hoc opus præſtat balneum ex arena calida, præſertim marina, maximè ſi calor Solis adſit feruentiſſimus, qua totum corpus cooperire, & fricare, ſalubre eſt auxilium, & reſoluendo humori, partibúſque roborandis vtiliſſimum. Partibus tumefactis admouenda ſunt reſoluentia emplaſtra.

℞. *Saluiæ, rutæ, maiorane, an.* M. j. *ſtœchad. roriſmarini, an.* ℥ j. *pulegij, origani, thymi, an.* M. ß. *melilot.* ℥ ij. *chamæmel.* M. iij. *fœnugræci,* ℥ j. ß. *ſem. lin.* ℥ j. ß. *ſalis,* ℥ ij. *ſulphuris,* ℥ j. ß. *baccar. lauri* ℥ j. Coque in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ iij. adde *ſtercoris caprini,* ℥ iij. *ſtercoris columbin.* ℥ ij. *furfuris macri,* ℥ j. *farinæ orobi, & lupinor. an.* ℥ ij. cum oxymelite, q. ſit ſatis, fiat Cataplaſma.

Sudores mouere cum decocto ſmilacis aſper. Ligni ſancti, & Radic. Chinæ per multos dies, mirificè præſtat: ſicut Balnea naturalia, præſertim aluminoſa, ſalſuginoſa, & ſulphurea, præſtantiſſima ſunt. Fontanellæ cruribus applicitæ plurimùm iuuant, quarum ope ſpirat iecur, & humores in habitu corporis, intimíſque viſceribus infixi expurgantur.

Tympanitis curatio his remediis perficitur. De ſanguinis miſſione illud notandum primò, quòd licèt aliquando, rarò tamen in hoc affectu vtilis eſſe poſſit, prout *lib.2. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 118. diximus fusè: tamen ferè non eſt celebranda, quia, vt 4. *acut.* 111. monuit Galenus: *Nullus tympaniam, vel aſcitem curare per ſanguinis miſſionem eſt auſus.* Calor enim innatus valde imbellis eſt, & flatuum adeſt copia multa, ad quorum reſolutionem calore eſt opus, qui in ſanguine perſeuerantiam obtinet.

Purgatio ſaluberrima, vt colluuies crudorum humorum exhauriatur, nam vt Cælius Aurelianus docuit ſapienter, falſum eſt exiſtimare vllam hydropis ſpeciem eſſe ſine aqua: & licèt 4. *acut.* 209. aſſerat Galenus, in aſcite reperiri aquam, & flatum in tympanite, intelligendus eſt ex ſe ipſo, ex 4. *Aph.* 11. quo loco comparans aſcitem, & tympanitem, dixit, in aſcite plus eſſe aquæ, & in tympania reperiri multos flatus cum aqua. Iccircò medicamenta quæ pituitoſos humores euacuant, ad diſſolutionem flatuum ſummè conducunt; hi enim ab illis fouentur, & progenerantur. In hunc vſum præter dicta *ſuprà*, quæ aſſumenda, & reiteranda ſunt, vtilis eſt Syrupus ſequens, oblatus alternis diebus quantitate quatuor vnciarum.

℞. *Cortic. radic. fœniculi, petroſelin. graminis, aſparagis rubeæ tinctorum, an.* ℥ j. *radic. iridis recentis,* ℥ iij. *aſari, cortic. radic. tamariſci, & cortic. radic. capparum, an.* ℥ j. ß.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 483 sur 927

ſicla, bugloſſ.cum ſuis radicib.an.M.ij.eupatorij, capil. Veneris.an.M.j. folior.ſen. ſem.cartham.an.ʒ ij.ſem.aniſi,fœnicul.dauci,an.ʒ j.ß.paſſular.ſine acinis,P.ij.cinnamom.ʒ ij. flor.borrag.bugloſſ.geniſtæ,an.P.j.epithym.ʒ ij.polypod.ʒ j. ligni Indi,ſmilac.aſper.an.ʒ.j. Coque ſec.art.in ℔. x. aq. ad mediæ partis conſumptionem: colaturæ adde *Syrupi de eupatorio,byzantini,& de epithym.an.* ʒ iiij. *ſyrup.de cichor. Nicol.* ʒ v. Sacchari albi quod ſufficit, fiat ſyrupus.

In quem vſum optimi ſunt clyſteres flatus diſſoluentes, vacuantes, & emollientes, bis in hebdomada iniecti.

℞. *Sem.lini* ʒ ß. *fœnugræc.* ʒ iij. *furfurum*, P.j. *ſem. aniſi,& fœnicul.an.*P.j.*baccar.lauri,*ʒ ß.*rutæ*, M.ß. *origani,thym.puleg.abſinth.an.*P.j.*melilot.*ʒ iij. *cinnamom.*ʒ ij. *ſtercoris caprini,* ʒ ij. *betæ,* M. ß. *ſaluiæ,*ʒ ij. *roriſmarini,* ʒ j.ß. *ſem.cartham.* ʒ iij. *folior.ſen.* ʒ ij. Coque in ſufficienti aq.quantitate ad ℔.j.adde *rhodomel.*ʒ j. *olei laurini,& rutacei,an.*ʒ j.*hier.Picræ compoſ.diaphœnic.benedictæ,an.*ʒ ij.*maſſæ pilular. de Agarico,* ʒ ß. cum ſale fiat Clyſter.

Roborantia intus aſſumpta optima ſunt,quæ *ſuprà* retulimus.Hic puluis diſſolutus in vino,eſt vtilis.

℞. *Coriand.aniſi,an.* ʒ ß. *cinnamom. piperis albi, caryophyl.an.*ʒ ij.*macis,*ʒ j.*calam.aromatici,*ʒ ß. *ligni aloës,* ʒ j. ß.*ambar.* ℊ.x. *moſchi odorati,* ℊ. vj. Sacchari albi ad pondus omnium.Tere omnia ſeparatim, & ſerua.

Proſunt inunctiones per totam abdominis regionem adminiſtratæ.Hoc vnguentum eſt multi vſus.

℞. *Oleor.terebinthin.rutæ,macis,nucis moſchatæ,de piperib.& de ebeno,an.*ʒ ß. *olei laurini, & abſinth. an.* ʒ ij. *olei coſtini* ʒ j.*vnguent. Agrip.*ʒ ij. Miſce: adde *macis, caryophyl.nucis moſchatæ,an.* ʒ ij.*rutæ, ligni aloës, abſinth. an.*ʒ j. Cum cera fiat vnguentum.

Proſunt conſeruæ Anthos,flor. Stœchad. Zingiber. cortic. Citri, quibus ſi addas diagalangam, Dianiſum, & Diacyminum, cum theriaca, & Mithridatio, viſcera roborabis, & flatus mirè diſſolues. Vel fiat hoc electuarium, quod ad firmandum labefactatum iecur, eſt nulli ſecundum. Doſis vncia vna ieiuno ventriculo, ſuperbibito vino veteri, tenui, cuius potus ad tympaniam curandam ſalutaris eſt ſummè, apud Serapionem *cap.de hydrope.*

℞. *Pulp.paſſular.enucleatar.*ʒ j.*croci,*ℊ.x. *calami aromatic.*ʒ j.*cinnamom.*ʒ j.*ſem.ſpicæ,*ʒ ß.*iunci odorati,* ϑ ij. *myrrhæ,* ʒ j. ß.*theriac.* ʒ j. *diagalang. diatrion pipereon, diacurcum.an.*ʒ iij.*caryophyl.macis, an.*ʒ ß. Cum mellis, & ſapæ,an.part.æqual. fiat electuarium.

Sudationes ex ebeno,optimæ.Balnea thermalia,vtilia.Emplaſtra ventri admota,ſaluberrima. Hoc eſt proficuum,

℞. *Rutæ.abſinthij, pulegij,an.*M.j.*cymini,ſem.aniſi, & marathri,an.*ʒ ß.*thymi,origani,an.*M.ij. *ſem.lin.* ʒ j. *baccar.lauri,*ʒ ß.*fol.lauri,*M.ß. Coque ſec.art. in ſufficienti quantitate vini, & aq.ſalſæ an.partib. æqualib. vſque quò remaneant ℔.ij.adde *Salis,*ʒ j.*nitri,*ʒ ß. *ſulphuris,* ʒ v. *ſtercoris vaccini,& caprini,an.* ʒ iiij.*cineris quercus, & vitis,an.*P.ß.*baccar.lauri,* ʒ iij. Cum vino oxymelite ſcillitico, & aqua vitæ, fiat cataplaſma ventri apponendum.

De curatione Aſcitis illud etiam aſſerendum, ſanguinis miſſionem inutilem eſſe, & nullius vſus,cùm in euacuando humore pituitoſo tœus cardo conſiſtat. Per aliquod temporis ſpatium, ſyrupis, & aliis præparantibus præſidiis vti eſt neceſſe; poſt quæ, vacuatio aquoſi humoris eſt aggredienda, aſſumpto per plures dies hoc ſyrupo.

℞. *Radic.valerianæ,pimpinellæ,helenij, ebuli, an.* ʒ ß. *vitis ſylueſtris,*ʒ ij. *medullæ ſem. cartham.* ʒ v. *ſem. aniſi,* ʒ ß.*ſem.fœnicul.*ʒ iij.*gratiolæ,eupatorij veri, an.*M.j, *veronicæ,ſcabioſæ,betonicæ,cardui benedict.an.*M.ß.*flor.geniſtæ,& ſambuci,an.*P.ij.*paſſular.Corinthiac.*ʒ j.ß.*ſemmæ,*ʒ ß.

℞. *ſoldanellæ,* ʒ j. *agarici trochiſcati* ʒ v. *epithym. polypodij, an.*ʒ iij. Coque omnia in vino,abſente febre; ſi verò adſit in aqua,ad quantitatem ℔.ij. Poſt fortem expreſſionem infunde *Rhab. in petia ligati,* ʒ ß. *cinnamomi,* ʒ iij.cola,& ſerua in vaſe vitreo,

Plura ſunt medicamenta, quæ aquam,& ſeroſos humores per aluum expurgant, vt ſunt Pilulæ de Mezereo,Elaterium, ſoldanella,ſuccus radicis Iridis,& ſambuci, quæ præſente febri intenſa offerenda ſunt cum cautela multa;& ſi exhibeantur,aſſumenda ſunt in forma ſolida: Nam ſi in potu propinentur,facilè ob calorem inſignem, inteſtina, ventriculum, & alia viſcera inſigniter lædent.

℞. *Pilular.de Mezereo,*ℊ.viij.*elaterij,*ℊ.ij.*pilul. Alephanginar.*ϑ ij.*aromatici roſati,*ϑ j.Miſce, fiat bolus. At experimento compertum eſt, ſuccum radicis Iridis ſecuriùs aquam è ventre exhaurire; ſed cùm labefactet ſtomachum, tantiſper eius malitia melle roſaceo eſt corrigenda, hoc modo:

℞. *Succi radic.ireos depurati,*ʒ ij.*hydromel.*ʒ ij.miſce, fiat hauſtus vnus.

Vel hoc modo:

℞. *Decoct.radic.ireos,*ʒ ß.*pulu.rhab.pulu. triaſantalor. an.*ϑ ß.*rhodomel.*ʒ j.Miſce, Offeratur ieiuno ventre.

Vel hac forma:

℞. *Decoct.radic.ireos factæ in aq.hord.*ʒ iiij. *rhodomel.* ʒ j.ß. Miſce, fiat potus.

Vel ex radice Ireos fiat Conſerua:

℞.*Radic.iridis excorticatæ,*℔.j.*mellis* ʒ xiv.Fiat conſerua, eo modo quo fit conſerua cydoniorum. Adde *Aniſi,ſem.fœnicul.cinnamom.an.*ʒ ij.*agallochi* ʒ j.

Vel vtere hoc modo:

℞. *Semin. cartham. conquaſſati,* ʒ iij. *radic.ireos,*ʒ j. *cinnamom.* ϑ j. Infunde per noctem,in ʒ iiij. ſeri lactis caprini, vel vini albi tenuis.

Vel aſſume alternis diebus ſuccum radicis Ebulorum, vel ſambuci, qui in vacuando ſeroſos humores ſummam etiam efficaciam ſortiuntur.

℞. *Succi radic.ebuli,& ſucci radic.ſambuci,an.*ʒ j.*rhodomel.*ʒ ij. Miſce pro hauſtu vno.

Intermedio tempore viſcera debent roborari tabellis factis ex ſolo Rhab.& ſaccharo. In hunc vſum plurimùm proſunt tabellæ Diarrhod. Abbat. cum duplo Rhab. vel Aromatic. Roſat. cum Pulu. Trochiſc. de Rhab. Eupatorio, & ſecore lupi, & Trochiſc. de capparib.

Ventris regio vniuerſa fouenda eſt decoctis roborantibus, & reſoluentibus flatus,quorum ope vnguenta, & cataplaſmata intimiùs penetrare poſſunt: Inter quæ decocta hoc primatum tenet.

℞. *Melilot. camomil. ſaluiæ, roriſmarini, origani, pulegij, thymi, artemiſiæ, folior.lauri, abſinth. eupatorij,maioranæ, calaminth.nepitæ, rutæ, an.*M.ß. *folior.ebuli, ſambuci, caulium rubror.an.*M.j.*folior. quercus, cupreſſi, lentiſci, rubi,an.*M.ß. *thymelææ, ſoldanellæ, an.* M.j. *flor. camomil.* ʒ iij.*flor.iridis,*ʒ iij.*ſem.aniſi,marathri,cymini,aneth. an.* ʒ ij.*nitri,* ʒ j. *ſalis,* ʒ ij. *alumin.* ʒ ß. *ſulphur.*ʒ iij. Fiat omnium decoctio in lixiuio, facto ex cineribus quercus, aut ſtipitum caulium,additis ℔.ij.vini,& ℔.j. aq. vitæ, & cum ſpongiis foueatur venter tumidus ante cibum, & deſuper apponatur emplaſtrum de Baccis lauri, aut vnguentum Artanitæ maius, (ſi vires ferant) aut minus, quod per inferiorem ventrem mirum in modum aquoſum humorem expurgat. Vel vtere emplaſtro propoſito *lib. 2. de praxi admirand. obſ.*53. Vel cataplaſmate ſuprà deſcripto. Vel appone vnguentum hoc.

℞. *Vnguenti Mareiat. Aregon. dialthææ compoſ.& vnguenti Agrip.an.*ʒ ij. *olei anethin.rutæ, irini, cappariuo, an.*ʒ j. *terebinth.* ʒ j. *pulu.ſoldanel.* quart. j. Miſce cum cera fiat vnguentum.

Euacuanda eſt etiam aqua per ſudores: hoc perficitur clibanis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 484 sur 927

clibanis, laconicis, hypocauſtis, inſolatione, curſu, exercitio, & ambulatione, quæ omnia, & eorum vſum latè proponit ex antiquorum mente Oribaſius *lib. 8. collect. cap. 7.* Noſtro æuo ob ægrorum debilitatem, ſolùm in lecto vtimur medicamentis, quæ in potum aſſumpta ſudorem mouent, inter quæ fidiſſimo experimento compertum eſt, decocto ligni ſancti ſudorem excitare, vel, ſi æger ferat, balneis vtendum ſulphureis, nitroſis, & bituminoſis, quæ præterquam quod roborant, flatus mirificè reſoluunt.

Aqua etiam euacuatur per cauteria, aut veſicatoria, toti ventri, *6. Aph. 32.* imò tumenti ſcroto affixa: huic enim parti admota, mirabiliter ægros ab Orci faucibus liberarunt: nam tota aquoſi humoris machina ad ſcrotum præcipiti lapſu ruens, per aperta foramina eſt vacuata. Sed generoſiſſimum auxilium apud veteres eſt compunctio, ſeu ventris perforatio, quam, quia opus eſt periculo plenum, exercere pertimeſcebant; euacuato enim plurimo ſpiritu cum aqua, vires concidunt, & deinceps æger nullum remedium habet.

Cælius tamen Aurelianus *lib. 3. tardar. paſſion. cap. de hydrope*, eam approbat, aliorúmque aduerſas rationes confutat eloquenter. Eam ego non ſemel feliciter ſum expertus in iis, quibus adhuc inerat virium robur, febris non aderat intenſa, nec erant extenuati nimis: ij roborato hepate, & medicamentorum ope firmatis viſceribus, eductáque paulatim aqua, ſanati ſunt.

Modum perforandi proponit Paulus *lib. 6. cap. 8.* vel cum gladiolo, vel cauterio; ſed hic modus ſecurior eſt: Nam ignis roborat, & ſeptum in partibus apertis inducit. Securiſſimus tamen eſt, quem præſcribit Galenus *lib. 14. meth. cap. 13.* dum ſic ait: *Nec illud dixiſſe ſufficiet, quòd humor qui in hydrocele viſitur, alienus à corporis ſubſtantia tota natura ſit, ſicut etiam, quæ in aſcitis hydropibus continetur aqua, quorum certè vacuationem, vel medicamentis quæ digerunt, molimur, vel chirurgia: in hydrocele quidem immiſſo ſyphone, in hydropibus verò adhibita punctione, quam paracenteſin vocant.* Quare ſicut in ramice aquæ, ſeu hernia aquoſa, ſyphone ab ſcroto educitur aqua, ſic etiam ab hydropicorũ ventre, eodem inſtrumento facilè exhauritur. Eſt autem ſypho, acus argentea oblonga, palmi magnitudine, intus caua, in cuſpide perforata, quæ ſenſim in ventrem immiſſa aquam emungit; qua extracta, nec foraminis veſtigium poſtea in cute apparet, nam concidentibus parietibus foraminis, cutis ſponte ſua occluditur. Si autem perfores ſcalpello partem, non poteſt deinde ligatura decenter adaptari, vt aqua non erumpat, & cùm diſtentus ſit venter, & turgeat aqua, facilè hæc vulnus dilatat, & aperit.

Pars in qua punctio celebrari debet, varia erat apud antiquos: plures enim apertionem ad latera vmbilici moliendam eſſe perſuaſere ſibi, qua parte ilia ſunt vacua, & inania, & muſculi excarnes. Alij ſi lien erat affectum, ex parte ſiniſtra; ſi iecur, ex dextra ſectionem faciendam eſſe arbitrabantur, & meritò ſanè, quoniam in his partibus adminiſtrata compunctio: quamplurimis fuit ſaluti. Alij huius remedij loco crura ſcarificabant, quo remedio aqua in ventre contenta ſuo pondere præcipiti lapſu ruebat in partes inferas. Sed horum auxiliorum loco fontanellæ cruribus affixæ mirabilem vtilitatem præſtant, per quas ſeroſi humores continuò emanant.

OBSERVATIO I.

Ad vacuandos humores aquoſos, aqua ſtillatitia mirabilis efficaciæ.

CVnctis pro hydrope curando remediis nullum fortius, & præſtantius inueni, quàm hoc, quod ſi quadraginta dierum ſpatio, alternis diebus, quantitate A duarum drachmarum, iterum atque iterum expurgato corpore à ſeroſis ſuccis, aſſumat æger, miram ſentiet vtilitatem, vel in deſperato hydrope; ita vt intermedio die, aſſumat tabellam vnam Diacurcumæ, & deſuper ebibat generoſum vinum, quod ſi fuerit cum abſinthio priùs paratum, erit excellentius.

℞. *Flor. Perſicor.* ℔. j. *flor. ebulor.* ℔. j. ß. *flor. ſambuci,* ℔. ß. *flor. geniſtæ,* ℔. iij. *ſcammonij,* ℥ j. *turpeti,* ℥ ß. *colocynthid.* ʒ j. *cinnamomi, agallochi, diarrhod. Abbatis, aromatici, an.* ʒ j. ß. *theriac. confect. Alkermes, an.* ℥ iij. *caryophyllor.* ∂ j. ß. *moſchi,* ∂ ij. *ambari elect.* ʒ j. *rhodomel.* ℔. j. Macera per dies xij. in ℔. iij. generoſi vini, & ℔. j. aq. vitæ, & vnciis tribus Balſami. Repone deinde in vaſe vitreo, & diſtilla, exibit liquor ſuauiſſimus, quem vaſe B vitreo reſerua ad vſum.

OBSERVATIO II.

Conſerua ex Bryonia, pro hydrope curando, præſtantiſſima.

RAdicem Bryoniæ Albæ, facultate calidam & ſiccam eſſe, in tertio gradu, imò excedentis caloris, cum expurgandi vi potentiſſima, Dioſcorides, Galenus, Arabéſque memoriæ commendarunt. Illius ſuccum, & ſtillatitiam aquam, pituitam, bilem flauam, & ſeroſos, aquoſóſque humores per vomitum interdum, frequenter per infernam aluum vacuare, iidem auctores vnanimiter conteſtantur. Sed cùm liquida, quæcunque ea ſint, in hydrope ſint ſuſpecta nimis, ex ea parare ſoleo conſeruam, cunctis ſanè remediis potentiſſimis anteferendam. Vtere ea de tertio in tertium, triginta diebus, quantitate drachmarum trium, & deſuper bile hauſtum generoſi meri. Eam inſtar conſeruæ cydoniorum ad lentum ignem conficies.

℞. *Radicis Bryoniæ ſylueſtris, ſucculentæ, recentis,* ℔. j. *romatici roſati,* ʒ iij. *ſcobis eboris in minutiſſimam farinam redactæ,* ʒ ij. *ligni aloës,* ʒ ij. ß. *moſchi,* ʒ j. *ambari,* ℈. xx. *aniſi,* ʒ iij. *margarit. præparat.* ʒ ß. *cinnamom.* ʒ ij. *turbith,* ʒ ij. Contundantur omnia quouſque in vnam maſſam redigantur, & irrorata vino albo, potenti, tenui, ad ignem apponantur, iniectis priùs libris D duabus mellis optimi, & vna ſacchari albiſſimi, & tamdiu coque, quouſque iuſtam ſpiſſitudinem acquirant. Serua in vaſe vitreo.

OBSERVATIO III.

Vinum Ebulinum, & ſambucinum, ad aquas hydropicorum educendas, eximium.

℞. *Semin. ebulor. matur.* ℔. j. *ſem. ſambuci,* ℔. ß. Contunde, & in torculari ſuccum exprime, deinde infunde per decem dies in quadrupla vini albi quantitate, adiecta vncia cinnamomi: coque ad lentum ignem, quouſque abſumatur libra vna, cola, & ſerua. Huius vini vncia vna in aurora epota, flatus diſſoluit, E eóſque cum ſeroſis humoribus per aluum valenter deturbat. Vtere quouſque venter detumeſcat, & æger meliùs reſpiret, ac minùs crucietur ſiti.

OBSERVATIO IV.

Hydropicus deſperatus, perforatis iliis vi naturæ, & vacuata copioſa aqua, præter omnium ſpem, conſaneſcit.

NAturæ potentiæ nihil eſſe impoſſibile, vbique firmauit Galenus. Imbelles vires ad nullum opus ſufficere, idem auctor eſt *in locis multis.* Quare non mirari non poſſum, cùm aſciticum quendam animo contemplor, qui toto ventre nimis turgidus factus,

toto

toto corpore tabidus, siti inextinguibili oppressus, febricula iugi vexatus, vigil, inappetens, alui profluuio diuturno,& tussicula detentus, pro mortuo habitus, ad vitam est reuocatus. Cùm enim affines de funere essent soliciti, & æger præ ventre plurimùm distento sese mouere non posset, natura, quæ semper est prona in animantis commodum,sponte orificium sibi parauit in ambobus iliis, sub splene,& iecore, per quæ spatio decem dierum,emanarunt riuulorum instar,plusquàm quadraginta aquæ limpidæ libræ:qua tanta vacuatione facta,cùm exanimis esset, vini generosi potu ad se paulatim rediit, & commoda victus ratione, roborantibus auxiliis, & sudoribus ex Ebeno paratis, ex toto sanus euasit.

OBSERVATIO V.

Aqua inter cutem laborans, liberalißimo vsus aquæ marinæ potu, & copioso alui fluxu suborto, liberatus.

QVinquagenarius cùm hydrope premeretur immaniter,& siti immisericorditer vexaretur,& potum illi assistentes denegarent,ecce intempesta nocte, ex lecto in quo iacebat, cuius fenestra erat litori maris vicina, ex phiala funiculo appensa aquam in magna quantitate hausit,& epotauit:hinc factum est,vt venter in vastissimam molem assurgeret, & ipse in vltimum mortis periculum sese præcipitaret. At cùm marina aqua salsugine, & nitrositate sua ventrem proritet, ex Galeno *lib. de attenuant. vict. rat. cap.* 3. quod proprio exemplo Galenus ostendit 1.*de caus.sympt.cap.*7.eorum, qui in nauigio, deficiente aqua dulci, marinam epotarunt;ij enim fluxa aluo,cum morsu vehementi celeriter obierunt. Ob hanc causam æger noster, bona sanè fauente fortuna, in immodicum aquosi humoris fluxum citra acrimoniam, ardorem, aut molestiam vllam lapsus est,qui per decem dies durauit ita importunè,vt de virium omnimoda iactura, caloríque natiui extinctione timor esset;sed cùm magis ac magis,oborto hoc alui profluuio,detumescret venter, iccircò humorem fluere permisi,de viribus solùm instaurandis valde solicitus. Tandem suppressa sponte aluo,& omnibus diris symptomatibus mitioribus factis, exiccante regimine inposterum vsus, à tam truculento malo liber euasit. Ob rationem hanc prudenter asseruit Celsus *lib.* 3. *cap.*9. *Quos ratio non iuuat, temeritas sanat.*

CAPVT XVI.

De Calculo Renum, & Vesicæ.

Definitio.

CAlculus Renum est corpusculum quoddam durum,toto genere præter naturam,instar lapidis,seu tophi, in substantia, seu sinibus renum progenitum. In hoc enim à topho, callo,& verruca distinguitur, quæ licèt duritiem obtineant, lapidis tamen formam non repræsentant. Exigit verò præsens doctrina, vt primò de calculo renum, deinde verò particulatim de lapide vesicæ dicamus. Igitur quærendum: *Vtrùm sit morbus, an causa morbi*? Res est dubia: Sicut enim ossa fructuum in ventriculo contenta, & intestinis, etiamsi præter naturam sint, addita numero partium, nemo vocat morbum, sed causam morbi, sic de calculo in renibus,& vesica dicendum est. Deinde calculus lædit actiones mediante repletione, & obstructione cauitatis vesicæ. Igitur non est morbus, sed causa morbi: Nam Gal. *lib.de differ. morb. cap.*7. docet obstructionem esse morbum; humores crassos, & viscidos efficientes obstructionem,esse causam obstructionis. Igitur similiter calculus in renibus,& vesica erit causa obstructionis.

Dic.Vna & eadem res,respectu diuersorum,& morbus, & causa morbi, & symptoma esse potest. Deinde vnus & idem morbus, sub diuersis cõstitutionibus, ad diuersa morborum genera sæpissimè pertinet.Hoc modo vitiligo, si consideretur quatenus in parte affecta continetur humor impactus,& fixus,partis nutritionem impediens, morbus est in numero, quia est præter naturam; si respicias humorem qui partem intemperat, morbus est in temperamento; si consideretur quatenus vitiat colorem partis, symptoma est in colore mutato.Ita Elephantiasis,quæ lepra Græcorum appellatur, interdum est in numero, quum sit additus substantiæ partis, quia ille humor stãbilis partem labefactat; aliquando dici potest morbus in temperamento,quoniam intemperat; sæpe dicitur morbus in figura, hæc enim corrosis partibus vitiatur; multoties in superficie, cùm cutem maculis, & tuberculis reddat inæqualem; & quatenus defœdat colorem,symptoma potest appellari in colore mutato: sic de scabie,& aliis cutaneis affectibus iudicandum.

Dic viteriùs. Licèt Galenus 5. *de loc. cap.* 1. *in med.* agens de calculo renum, pure contento in cauitate thoracis,grumo sanguinis, & aliis quæ præter naturam in cauitatibus partium continentur, docet antiquam fuisse quæstionem, an scilicet hæc addita præter naturam, essent de partium affectarum numero, an solùm partes ab illis dicerentur affici, illámque disputationem esse dialecticam,neque ad curationem conducere posse asseueret; soluenda tamen est, dicendo primò, calculum renum, & vesicæ, non esse morbum,sed causam morbi: quia repletio,& obstructio est affectus vesicæ, calculus verò est causa ilius, à Galeno tamen inter morbos numeri reponitur, non quia sit morbus, sed quoniam his assimilatur, indicat enim sui remotionem, sicut & morbus; ob quam causam Auicenna 2.1.*doct.*1. *cap.*6. plura esse pronunciat quæ morbis annumerantur, & non sunt morbi, velut sunt affectus pilorum.

Solue secundò. Calculus vesicæ,& est causa morbi, & est morbus in numero:quatenus enim replet, & obstruit, morbi causa est; quatenus actiones vesicæ, hoc est, excretionem vrinæ, quæ illius contractione efficitur, impedit, morbus est. Neque instes hoc modo. In calculo non est sanitas. Ergo nec morbus:Quia argumentum hoc sophisticum est;satis enim est quòd sanitas reponatur in parte, in qua calculus continetur:cùm enim se habet secundùm naturam vesica, vt nihil illi deficiat, nec aliquid præter naturam sit additum, tunc sana est; cùm igitur retinet calculum, quem ex naturæ lege retinere non debebat, tunc ægrotat: quoniam phlegmone,œdema,& erysipelas sunt morbi,in quibus non reponitur sanitas: eodem modo calculus erit morbus,etiamsi in eo non sit reposita sanitas.

Neque obiicias secundò in hunc modum. Calculus non est pars animalis.Sed morbus dispositio est præter naturam partium viuentium. Non igitur erit morbus. Satisfacies si dicas,vermes,& calculum vesicæ esse partes, non quidem de substantia membri organici, sed vitiosas intra earum cauitates contentas, ab intrinseco genitas, non verò ab extrinseco, ideò earum actiones cùm primò lædant actiones, esse morbos. Hac ratione lignum, aut ferrum quando infixum est in aliqua parte,etiamsi numero partium sit additum, non reponitur inter morbos, quia est extrinsecum, sed potiùs inter causas morborum est reponendum.

Solum hominem calculorum generationi esse magis obnoxium animalibus cæteris, ex Aristotelis mente diximus *lib.* 2.*Hist. Princip. Medic.in com. histor.* 128. Lapides non solùm in renibus, & vesica, sed etiam in aliis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 486 sur 927

aliis noſtri corporis partibus genetari, variis veterum, & recentiorum teſtimoniis ratum fecimus, *lib. 1. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. 70.* etſi in renibus, & veſica, propter lapidoſæ ſubſtantiæ tranſitum impeditum, frequenter coaleſcant. *Vtrùm tamen arenæ, & calculi in interiori renum cauo, vel in propria ſubſtantia generentur?* etiam explicandum.

Nec deſunt qui putent, arenulas non in interiori cauo, ſed in propria renis ſubſtantia produci, eo ſolùm ducti argumento quia duræ ſunt, ac rubeæ, reníſque ſubſtantiam, colorémque retinent. Sed illis planè aduerſari Galenum certum eſt, quippe qui *lib. 6. epid. ſect. 1. com. 5. ad finem*, apertè fatetur, tum arenulas, tum calculos in renum cauitatibus etiam produci; ſic enim ait Galenus: *In commentariis etiam de naturalibus potentiis, quidquid in venis ſeroſi, tenuiſque cum ſanguine permixtum eſt, renem ad ſeipſum attrahere demonſtrauimus: meatibus autem id in renis ventriculum percolantibus latiùs patefactis, aliquid etiam ex craſſioribus ſuccis ſimul illabitur. Quando igitur iſtud calefactum in renis cauo impactum tenaciùs inhæreſcat, aliquid aliud eiuſdem materiæ ex vena caua ſuſcipiens, ſibique apponens, plus augetur; ſemper enim quod recens influit, priori circum affigitur, atque ita inſigni magnitudine tophus grandeſcit, &c.*

Nec verò argumentum oppoſitum pluris eſt æſtimandum. Nam licèt calculus, aut ſabulum, non in ſubſtantia, ſed in cauo producatur, poteſt tamen tum colorem, tum ſubſtantiam, renum ſubſtantiæ haud abſimilem acquirere: accidit quippe rubrum conflari calculum ex ſanguinis portione, bilis, alteriúſue ſucci commixtione cum tenaci pituita, ita vt è lenta pituita nonniſi album, aut ſubcineritium calculum produci contingat, vt dudum *citato commentario* Galenus ediſſerit.

Hinc fit, vt in renibus calculus, & ſabulum ſubrubri ſæpe ſint coloris: quod contingit, quia ſanguis cum pituita permiſcetur; in veſica potiùs albi, cùm pituita in eius cauitatem pura prolabatur ſæpe, in renibus tranſcolata priùs, & ſubinde à ſanguine prorſus ſecreta. Haud igitur arenarum color ſimilis colori ſubſtantiæ renum, arguit eas magis in ſubſtantia, quàm in cauo produci, etſi cauum ſubalbidi prorſus ſit coloris. Nec ita rationi conſonat, eas magis in corpore, quàm in cauo renum generari, cùm hic eis pateat locus, non perinde in ſubſtantia, vtpote admodum compacta, & ſpiſſa.

Cauſa.

AGendum primò de materiali lapidis cauſa. *Vtrùm ea ſit materia craſſa, viſcoſa, & lenta?* Huius materiam eſſe copiam humoris craſſi & viſcoſi, in renibus, aut veſica aceruati, agnoſcunt omnes cum Galeno *6. epid. ſect. 1. com. 6. & ſect. 3. com. 15. & lib. de renum affectione, in locis multis*, ſiue pituita ſit, aut lenta melancholia, genita à pituitoſis, & melancholicis cibis, quos Auicenna vocat materiam materiei. Sicut enim ex terra viſcoſa, & aquoſitatis participe materia, lapidoſa corpora generantur, calore tenuem partem reſoluente, & craſſiorem denſante; ita in corpore noſtro lapides procreantur: quare cauſa propinqua calculi eſt humor viſcoſus, lentus, & craſſus; hunc verò non ſolùm pituitam ipſam, ſed materiam purulentam, & ſanguinem in phlegmone aggregatum eſſe poſſe, docuit Auicenna *18. 3. tract. 2. cap. 16. & 4. parte canticorum*, ex melancholia lapidem generari docuit, & Rhaſis *10. continent.* docebat dignoſcere ex colore lapidum, humorem ex quo generantur. Demum ex quolibet humore oriri poſſe non dubito, dummodò lentor cum craſſitie coniungatur.

Cùm enim affectus hic, corpuſculum ſit inſtar lapidis durum, toto genere præter naturam, atque adeò morbus in numero, propriè in exceſſu, *lib. de diff. morbor. cap. 8.* ad ſui generationem conſimilem materiam requirit, multam quidem, lapidis corpulentiæ, & moli reſpondentem. Inſuper cùm, interim dum generatur, magna fiat euaporatio, & reſolutio, niſi copia adſit, non erit vnde calculus fiat; minùs, ſi deſit craſſities, quia tenuis humor facilè elabitur, ac moram concretionis non paritur, propter improportionem quam habet ad lapidem, ex modo ſuæ ſubſtantiæ; multo minùs deficiente lentore, qui potiſſima cauſa exiſtit compactionis, ſeu agglutinationis, ad calculum generandum omnino requiſita, *6. epid. ſect. 3. cit.* nam ſi induratus ab agente humor interueniente lentore in vnam ſubſtantiam non coëat, nequaquam lapideſcet, quin potiùs comminuetur, & ſolutus ad formam arenæ manebit, ideò enim crebram arenarum expulſionem nos à lapide tutos reddere, ſcripſit Auicenna.

In cauſa efficiente non diſſentiunt auctores, ſed vno ferè conſenſu calorem immodicum fatentur. Ignem appellant Alexander, & Paulus, ſeu ardorem circa renes, vt loquitur Aëtius, nec immeritò: Nam cùm res non aliter in duritiem concreſcant, quàm vel per magnam congelationem à frigore vehementi, aut per euaporationem, ſeu reſolutionem partium tenuium, ſeu humidarum ab immodico calore: nec viuente animali tantum poſſit frigiditas intendi, vt ab ea intra corpus lapis concreſcat, ſit vt ad ſolum calorem referendus ſit, vel igneum, vel paucum; hic enim in mediocri præſertim materia, præ mora illam in lapidem vertit, quod expreſsè dixit Galenus *lib. de renum affectibus, cap. 2.* Lege quæ de hoc argumento diximus, ad Galeni mentem, *lib. 2. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. 37.*

Cauſæ externæ à quibus lapides generantur, ſunt omnes illæ quæ ſuccum craſſum, lentum, & viſcidum gignere ſolent, inter quas reponi primo loco ſolent motus inordinatus, vel concubitus, vel ſtudium, vel balneum, vel potus immodicus poſt cibum. Nam diſtracto calore à ventriculo ad cerebrum, & partes extimas, incocta relinquuntur alimenta in ventriculo, & plurima pituitoſi humoris copia accreſcit, quæ ad renes confluens lapidum generationi eſt accommoda valde. Vita otioſa, præpoſtera alimentorum aſſumptio, vſus ciborum qui ante perfectam præcedentis coctionem ingeruntur, ſummopere hunc affectum fouent.

In particulari verò generant hunc affectum carnes ſiccæ, ſalitæ, fumo induratæ, & quæcunque alimenta viſcidum ſuccum generant, mucoſum, & craſſum. De horum numero eſt potus vini craſſi, turbidi, aquæ limoſæ, & fæculentæ, *4. epid. ſect. 4. com. 9.* Iuuant ad calculum procreandum ſuccuſſatio, diuturna equitatio, ſaltus: hi enim motus vehementer renes inflammant. Decubitus in culcitris plumeis hoc damnum etiam inducit; lumbi enim ex plumarum concepto calore incaleſcunt, hepatis venæ, & emulgentes dilatantur: argumento eſt, quòd Septentrionales homines, præſertim Germani, Poloni, Vngari, qui toto anno in his culcitris decumbunt, hoc tormento immiſericorditer cruciantur; ſi verò aliqui ab eo ſunt immunes, ad temperamenti, & corporis diſpoſitionem calculorum procreationi aduerſam reiiciendum puto.

Etiam proponendum: *Vtrùm decubitus ſuper dorſum huic morbo originem præſtet?* Negat Auic. *18. 3. cit. cap. 18.* dum ſic ait: *Et dormire ſuper dorſum, eſt ex eis quæ lapidi conferunt.* Quod oraculum niſi commodè interpretetur, quomodo cum recta curandi methodo conſentiat, haudquaquam intueor: ex hoc enim decubitu multò magis læduntur nephritici, & calculus augmentatur, quia declinare facit viſcoſas materias ad renes, & calorem fouet, atque adeò tam paſſiuum, quàm actiuum principium intendit, & auget.

Attamen licèt decubitus ſupinus laborioſus ſit, & abſolutè reprobetur, *1. progn. 14.* & ad renes materias detrudat, eóſque non parum excalfaciat; ſicut tamen nonnunquam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 487 sur 927

nonnunquam viribus resolutis confert,& ex longo itinere fatigatis,quia eo situ membra omnia in imum decumbentia otiantur:ita & in nephritide,ad cuius generationem vehementer nocet supra dorsum cubare,prodest aliquando,videlicet quum detrudendus est à renibus,vel vterib. lapis, cuius expulsionem,& descensum iuuat, compressione, laxitate,& calore;quo nomine in accessione nephritica ab Auicenna laudatur, non aliter quàm tunc temporis festinus descensus, equitatio, & alia reliquis temporibus noxia commendantur. Quare decubitus supra dorsum, est ex eis quæ conferunt ad lapidis generationem, & augmentum.

Quæres deinde:*Vtrùm vsus perdicis calculum generare possit?* Quod enim alimentum adstringit aluum,noxios etiam humores,& pituitam præsertim lentam retinet & coërcet,quæ materiam præstat gignendis calculis.Perdicem autem adstringere, Gal. & cæteri confirmant.Contrà docet Gal.*lib.6.de sanit.tuend.cap.*11.dum enim de custodiendis iis qui calculo laborant, verba facit,sic inquit: *Optima verò iis, qui ita sunt affecti, caro est,vt ex auibus perdicum,proxima attagenarum,& sturnorum, & merularum, & turdorum, &c.* Est enim optimi succi,& medij inter tenuem & crassum,lentum & friabilem,*ex lib.de attenuante dieta,cap.*8. Quare ex auibus laudabilior est,secundùm Gal.3.*alim.*19.& Auerrhoëm *lib.5.collig.cap.*32. Ob hanc causam vtiliter otiosis conceditur, succus enim eius tenuior est, & minùs lentus, quàm gallinæ, cuius carne velociùs alit, 3. *alim.* 9. est enim in actiuis temperata,& iccircò subfrigida vocatur ab Auerrhoë 5. *collig. cap.*32. cùm in passuis ad siccitatem declinet, ex Ishaac *lib.dietar. vniuersal. cap.*48. ob quam causam cocta sufficienter aluum adstringit, & febrientibus interdicitur.Quòd si 7.*meth.*6. à Gal.conceditur in siccitate materiali ventriculi, causa est, quia facilè coquitur, nutrit vbertim, & debiles refocillat: maximéque quibus ventriculus natura sua humidior est,aluum enim fluentem sistit,ex Auicenna 3.1.*doct.*2. *cap.*7. *in fin.*§.*Scire quoque debes perdicem esse siccam, & ventrem adstringere.* Quare hæc auis in hoc affectu vtilis est.

De Lacte etiam dubitandum:*Vtrùm inter calculi causas sit adnumerandum?* Affirmat Gal.6.*epid.sect.*3. *com.*15. cùm id, præsertim si sit ouillum, aut vaccinum,crassissimi sit succi,& ad lapidum generationem aptissimum: Licèt enim ratione seri abstergat, & ratione butyri emolliat, tamen ob caseum calculo materiam subministrat,3.*de alim.facult.cap.*17.§.*Quando caseus ad calculorum in renibus procreationem valde est noxius,&c.* Caseus autem crassum præstat cibum,quod probat Galenus 4. *Aph.*76.quo loco vidisse rerert filamenta in vrinis magnitudine semicirculi, & semipedalia, quæ ex crassa materia erant generata;patientes autem toto anno vsos fuisse orobis, fabis, & caseo tam veteri, quàm recenti, 6.*de loc.cap.*3. ipse confirmat.

Sed si hoc verum est,cur 6.*de sanit.cap.*11.Lac omne vniuersum reprobat,asinino excepto? *Lac verò sic affectis reliquorum animalium est prohibendum, vnum verò asininum concedendum, propterea quòd cæteris omnibus est tenuius.*Solue hoc modo. Omne lac est crassi succi,asininum tamen cum sit liquidius,& humidius,salubrius est iis qui graciles sunt,excarnes,sicci,& calidi;& licèt lac tam contrarium sit calculo, tamen ob gracilitatem id concedit:gracile enim corpus calidum est,9.*meth.cap.*5. §.*Si namque natura gracilis, temperatura autem calida & sicca,maximè euacuationibus offenditur,&c.* & hac ratione ob dolores nephritiços facilè resoluitur, & contabescit;quare ad prohibẽdam futuram siccitatem, & extenuationem, lac offerre cogente necessitate opus est:interdum enim licet spernere vnam indicationem, propter aliam vrgentiorem,vt scitè 10. *meth. cap.*6. docuit Gal. §. *Ego enim talium quoque non paucis frigidam dedi, tutius esse ratus phlegmonas in præsens augere, quàm sinere hominem hecticam febrem incurrere.* Repetit *eodem lib. cap.*1. §.*Sanè plerumque, &c.*

Signa.

ETsi *lib.2.Hist.Princ.Medic.in com.Hist.*94. plura de distinctione colici doloris à nephritico simus præfati, quo loco doloris renalis indicia altiùs sumus speculati, tamen nunc breuiter de iis disserere, operæpretium mihi est visum.Hippocrates enim *lib.6.epid.sect.*1. *text.*6.ea proponit in hunc modum. *In renem dolor grauis,cùm cibo implentur,vomúntque pituitam;cùm verò dolores abundauerint,aruginosa: & leuiores quidem euadunt; liberantur verò cum cibis vacuati fuerint, arenulaque ruffa subsident, & cruentum mejunt; stupor femoris è directo positi.*

De primo ergo signo, grauis est controuersia inter Hippocratem,& Auicennam;*Vtrùm Nephriticus dolor à ciborum repletione exacerbetur?* Affirmat *cit. loc.* Hippocrates, §. *In renem dolor grauis,cùm cibo implentur.* Cùm enim multitudine alimentorum grauantur renes,& potissimùm intestinum Colon,quod est supra renes situm, fit vt post repletionem ciborum, grauiùs se habeant patientes, qui cruciatu nephritico opprimuntur. Subscribit Auicenna 18,3.*tract.*1.*cap.*17.inquiens; *Et repletio cibi facit calculum vehementius excitare dolores,& propriè quando descendit cibus ad intestina, & pertransit ea.* Cæterùm quia difficile videtur ex alimentorum repletione premi renes,quia ventriculus in altiori parte positus est,iccircò nequit Galen. *in com.* quòd nomine ciborum Hippocrates duo intelligit, & ingesta alimenta quæ exteriùs assumuntur, & recrementa fæcalia quæ in intestinis recipiuntur; quæ doctrina ex Hippocrate confirmatur, *lib.*1. *acut.*45. dicente: *At si nuper cibato prior cibus non descenderit, virtúsque valida fuerit, & floruerit ætas,glande est vtendum:*quo loco de alimentis ingestis loquitur apertè.Et alibi sic ait: *Quibus cibus in intestinis occlusus est, nisi quis prius ventrem subduxerit, & sorbitionem dederit, vehementer ladet:* quo loco de alui excrementis est intelligendus. Quapropter in vtroque sensu vera est Hipp. doctrina,excrementa enim fæcalia ratione situs intestini coli,renes grauant eorum qui calculo illorum laborant: ingesta verò alimenta si in magna copia fuerint assumpta, idem grauamen præstant, quoniam ex iis plurima recrementa fæcalia separantur.

Contrà obstat Auicenna 10.3.*tract.*3.*cap.*10. asseuerans,*renalem dolorem fieri fortem hora vacuitatis.* Verùm ne pluribus solutionem ambagibus Auicennæ contextum, Hippocrati,& sibiipsi tam aduersum obscuremus, & acrioris iudicij lectores perturbemus, præsertim cùm ipse cuncta ferè, quæ nobis scripta reliquit, ab Hippocratica,& Galenica arripiat segete in suum horreum.Ideò inuenimus aliam,excepta prima,tantæ repugnantiæ conciliationem, in Galeni monumentis, qui *cit. epid. com.* non modò ex ventriculi, & intestinorum repletione renum dolores irritari asseruit, sed à repletione venis ingruente, vtpote non minùs renum substantiam grauante, atque comprimente. Ita vt verissimè cum Auicen. asserere possimus,simul tempore quo venæ alimento intumescunt (quod procul dubio contingit, dum prima nutritionis instrumenta à cremorosa vacuantur substantia, facta eius digestione ad venas) renum dolores fortes etiam fieri, & irritari. Atque hoc pacto nullam prorsus caliginem apud Auicennam offendes, sed egregiam, & constantem Galeni doctrinam, quam se vbique interpretari ingenuè pollicetur.

Secundum signum est vomitus humoris pituitosi, deinde æruginosi: cùm enim lapis ex materia crassa, & pituitosa generetur,quæ in ventriculo redundat natura suapte,& generatur,1.*de nat.human.com.*39.fit vt ægrotantes hunc humorem in principio vomant; in fine verò

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 488 sur 927

verò cùm ob vigilias,dolores, febres, ex ſanguinis,& bilis aſſatione, æruginoſa bilis generetur, ſit vt hanc ægri vomitu excernant; hanc enim fieri ex porracea per maiorem aduſtionem,2.*progn.* 47. confirmat Galenus.

Tertium deſumitur ex Galeno 6.*de loc.*3.ſi dato medicamento frangente lapidem,arenulæ,aut lapidis fruſtula cum vrina excernantur,tunc enim & affecta ſedes, & curationis modus agnoſcuntur;ſi enim illa medicamenta aſſiduè offerantur, illorum ope calculus in plures diuiſus portiones excernetur.

Quartum ſignum eſt vrina cruenta: ſi enim angularis lapis eſt,in deſcenſu diuidit vias,& ſanguinis fluxum excitat;ſi autem eſt læuis, & æqualis, ſua magnitudine hoc etiam præſtat:in tranſitu enim vias dilacerat,& dilatat, quare imbelles ægri ſanguinem dilutum cum ſeroſa humiditate permixtum per vrinam effundunt,& ita redditur cruenta,quæ teſte Hippocrate 4. *Aph.* 18. & 75.vrinæ, aut renum exulcerationem,aut imbecillitatem ſignificat.

Quintum ſignum eſt,ſi crus,è directo lateris patientis ſtupore afficitur, vel teſticulus eiuſdem lateris retrahitur: hócque accidere certum eſt, non ratione communionis neruorum, tunicarum, membranarum, aut ligamentorũ,ſed vaſorum;è vena enim caua, & arteria magna, non paruæ vaſorum portiones deriuantur ad renes,& teſticulos, ratione quarum hæ partes magnum inter ſe obtinent conſenſum: illa enim vaſa vtrinque ad crura bifurcantur infra renes, & deſcendunt ad vtrumque crus pro nutrimento; quare mirum non eſt, monente Galeno *lib. 6. epid.* ſi crura conſentiant cum renibus. De teſticulorum verò retractione illa eſt cauſa, quoniam, vt inquit Hippocrates 2.*progn.* 10. teſtes ſi retrahantur, aut pudenda, dolor vehemens,& mors ſignificatur. Quare cùm renalis dolor ſit ſæuus, partes corporis externas magis infrigidabit, redacto ad interiores ſedes ſanguine,& ſpiritu,& colis, teſticulorúmque retractio ſequetur. Accidit autem vt crus è directo lateris dolentis ſtupeſcat,ob conſenſum,quem dextra cum dextris, & ſiniſtra cum ſiniſtris obſeruare ſolent.

Vtrùm verò *arenæ ſubſiſtentes,veſicæ calculum portendant*? magna contentione certatum eſt apud auctores, & non deſunt noſtro ſæculo peritiſſimorum primarij, qui acriter de hoc argumento digladientur. Hippocrates *lib.*4.*Aph.*79.ſic ait: *In quorum vrinis velut arenulæ ſubſiſtunt, iis veſica calculo laborat.* Et primò contra Hippocraticam doctrinam inſurgit Galenus, *in com.* qui hoc modo profatur: *Non ſolum veſica, ſed etiam renes poſſunt laborare: Itaque manifeſtè mancus eſt aphoriſmus, ſiue quia Hippocrates ipſe dimidiam partem ſermonis neglexerit, ſiue quia librarius omiſerit: ſiue enim in veſica,ſiue in renibus calculi generentur,vnà cum vrinis exeunt arenoſæ ſpecies.*

Secundò Hippocrates ſibiipſi aduerſatur *lib.*3.*Coac.ſect.*2.*Aph.*16. dum ita habet: *Arenulæ cum vrina excretæ indicant calculum eſſe in renibus.* Ideò reprehendi veteres Medici, qui putabant eas eſſe ſignum calculi veſicæ. Neque enim hoc videtur experimento confirmatum axioma: plurimi enim aſſiduè arenulas excernunt,qui nunquam vel renum,vel veſicæ calculo laborarunt; contrà plurimi ſunt calculoſi, in quorum vrina arenulæ apparuere vnquam.

Dic ergo,& fortaſſe veriùs,quàm ij qui in conciliando Hippocrate cum Galeno,& ſeipſo,tantopere ſe macerant & torquent,cùm illi nullam conciliationem admittant, & Galenus apertiſſimis verbis mancum eſſe hunc Aphoriſmum *in com.* pronunciet, cùm ex eius mente dimidiam partem ſermonis neglexerit, vel quia primus librarius omiſerit. Nec dubites: Licèt enim Aphoriſmi à magno Hippocrate ſint conſcripti, vt firmarunt Rufus,Pelops,Lycus,Soranus,Domnus, Attalio,& plures alij, qui Hip.interpretes extitere,quod ex grauitate ſententiarum patet manifeſtè,tamen *ad finem libri ſeptimi* nonnulli nothi ſunt additi, vt Galenus aduertit *lib.*4.*de rat.vict.in proœmio*; alij ſunt interiecti vt Galenus ſcribit 7.*Aph.*47.& 63.& *lib.*5.*Aph.*62.& 63.& *lib.*6.*Aph.*26.& 44.

Si vltrà quæras:*Vtrùm ſubſidentia arenoſa,certum, & firmum ſit calculi indicium*?Reſponde negatiuè:Nam in ardétibus febribus ex aduſtione ſanguinis in venis,excernuntur ſedimenta arenoſa, præſertim in declinatione,citra calculi ſuſpicionem. Sententiæ verò Hippocratis, & Galeni *ſuprà citatæ*,aſſerentium arenulas cum vrina excretas,calculum vel veſicæ, vel renum portendere,ſunt magna ex parte veræ, ſicut pronunciata cætera quæ à Medicis pro perpetuis habentur; rarò enim contingentia non tollunt veritatem problematum medicorum, vt doctè confirmat Galenus 6. *Aph.* 58. Ergo arenulæ vel calculum in renibus, vel in veſica præſagiunt;hoc autem ex cæteris ſignis lapidis veſicæ, vel renum,vel ex arenarum colore coniectabis.Si enim ſubrufæ fuerint,calculum renum;ſi cineritiæ,vel albæ, eum in veſica adeſſe ſignificant.Sed neque hoc ſignum certum eſt,quia à veſica rufas, à renibus albas excerni quandoque compertum eſt: nec enim lapidis renum, aut veſicæ hoc indicium fidum eſt, ſicut nec cætera quæ calculum renum,& veſicæ ſignificant:omnia enim ſuprà numerata nec ſoli, nec perpetuò calculo renum conueniunt, ſed ſola coniectura iudicandum, num calculus in his partibus ſit infixus.

Ad differẽtias lapidum accedamus.Eæ ſumuntur ex coniunctis,vt ſi cum febre,aut ſine febre eueniant. A loco,vt in renum ſubſtantia,vel cauo, vel in rene dextro,vel in ſiniſtro,vel in vtroque.Si generentur in veſica,aut ſunt in eius cauitate,vel in eius fundo,aut ceruice. A figura,vt ſi ſint anguloſi,rotundi,aſperi. A colore: alij enim albi ſunt,rubri,flaui, nigri. A ſubſtantia: quoniam alij ſunt molles,friabiles,duri, qui à materia magis, vel minùs compacta generantur. A numero, quòd vnus,vel plures ſint,prout materia eſt multa, vel pauca;vel lenta & glutinoſa, quæ facilè vnitur & concreſcit.

Præſagium.

Vtrùm calculus renum,vel veſicæ, ſit morbus hæreditarius? Reſpondet Galenus hoc modo, 6.*Aph.*28. *Accedit ad has cauſas, ob quas plerique incidunt in podagras,quòd multi,& patres, & auos habuere podagricos, in quibus ſemen erat vitiatum,atque ideò poſteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem*: ideò ab ortu, & à parentibus,plurimis ſit hæreditarius hic morbus:Enimverò ſi ex Hip.*lib.de aëre,aquis,& loc.num.* 36. ex pituitoſo pituitoſus, ex bilioſo bilioſus, ex tabido tabidus, ex podagrico podagricus, ex lienoſo lienoſus generatur,cur ob parentum ſemen vitiatum, ex calculoſo non fiet calculoſus?

Vtrùm calculus ex hæreditate contractus, incurabilis ſit? controuerſia poteſt eſſe non exigua: Cùm enim omnis morbus hæreditarius ſit in habitu, non contractus per aſſuetudinem,ſed per natiuam conſtitutionem, vtpote ex principiis generationis originem ducens, maximè cùm euacuatione curari non poſſit,omni auxilio medico carere videtur.

Dic,hæreditarios morbos in duplici eſſe differentia: Alij enim ſunt, qui in poteſtate characteris, in patre, & filio citra actualem morbum radicati exiſtunt, quales ſunt omnes qui membris principalibus, & ſolidis partibus præſunt: huiuſmodi enim hæreditarij affectus non magis poſſunt curari, quàm naturales affectus, aut conditiones aliquæ naturaliter & ex principiis naturalibus contractæ,parti alicui,aut toti affixæ; hi enim difficulter,aut nullo modo curantur,de quibus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 489 sur 927

©BIUM

sunt argumenta intelligenda. Alij sunt morbi hæreditarij, qui prorsus curationem admittunt, licèt cum difficultate, quales sunt qui ex patre Gallicis humoribus, aut calculoso morbo affecto in filiis elucent: Nã pater vitioso charactere infectum habet iecur: iecur quoque filij eodẽ insignitur, & ij ad tempus curantur, sed processu temporis in eadem vitia reincidunt. Denique omnia vitia hæreditaria, quæ characterem maiori ex parte in humoribus habent impressum, licèt difficulter curentur, propter reuersiones quæ in varias partes transferunt, curabiles tamen sunt; admittunt enim vacuationes, & renutritionem, dummodò hoc opus aggrediaris, vsque ad vltimum adolescentiæ tempus: corpus enim durius, substantia eius siccior & solidior, mutatione ætatum efficitur, quo tempore ipsum mutare est impossibile, ex humidiori enim carne facilè aliquid mutari potest, aut alimentis, aut medicamentis, aut vitiosum obscurari, aut in meliorem substantiæ modum permutari; quod autem inueteratum est, & ex innatis principiis contractum, haud facilè mutationem recipere potest.

Si verò præcurationis gratia filios calculosos, vel lue venerea, articulorum doloribus, cutaneis affectibus vexatos curare volueris, ne suos filios eadem labe fœdatos progenerent, à teneris annis hoc opus aggredieris, oblatis medicamentis iuxta naturam, & ideam affectus hæreditarij, quo patrem fuisse conspurcatum est compertum. At si morbus actu parentes oppresserit, tunc ne in filios degeneret, omnibus auxiliis illi morbo vtilibus pugnandum est, ac si hæreditarius non fuisset. Si verò omnia hæc prodesse non videantur, & filij in lucem exeant simili morbo fœdati, necesse erit parentum vitę ordinẽ mutare, quò sanguis fiat aliquo modo diuersus.

Vtrùm verò *dolor nephriticus cæterorum viscerum doloribus sit intensior?* considerandum est. Plinius *lib. 25. nat. hist. cap. 3.* de doloribus ita distinguit: *Qui grauissimi ex his sint discernere, stultitiam propè videri posse, cùm suus cuique ad præsens quisque atrocissimus videatur.* & subdit: *De hoc tamen iudicauere aui experimento, asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio vesicæ, proximum stomachi, tertium eorum qui in capite doleant, non ob alios ferè morte conscita.* Hæc Plinius.

Sed alio modo controuersia est explicanda: Nam si ille dolor est acerbior, & sæuior, ex cuius cruciatu dira pathemata, aut mors impendent manifestè, ventriculi, aut tenuium intestinorum dolorem, vehementiorem, magísque atrocem, quàm reliquarum partium esse verè affirmabimus: Neque enim ex capitis, sicut nec ex calculorum vesicæ dolore, ita citò homines intereunt, ac stomachi, & gracilium intestinorum dolore. Accedit, quòd Galeno auctore, 3. *de loc. cap. 5.* & 1. *de caus. sympt. cap. 7.* & 9. *de vsu part.* 11. nulla est pars quæ adeò exquisitè sentiat, ac ipsum ventriculi os; quare dolore crucietur acerbiori est necesse.

Adde quòd cùm appetentia, molestus quidam, ac tristis sit sensus à motibus naturalibus factus, & motus naturales violentia careant, tristem, & molestam sensationem efficere nequeunt, nisi in membro sensu exactissimo prædito, quod ne minimum quidem sensum fugere posset. Esse verò ventriculi os animalis appetentiæ instrumentum, testatur Galenus *lib. 4. de vsu part. cap. 7.* dicens: *soli ventri, & maximè iis ventris partibus, quæ ad os eius pertinent, sensum indigentiæ, & inanitionis naturam tribuisse, excitantem, & pungentem animal afferre cibaria*: eséque hanc acuminis ipsius sensus potissimam causam, docet idem *lib. 9. eiusdem operis, cap.* 11. dum sic ait: *Plurimùm autem venter, & os eius sentire videtur, eò quod appetentiæ instrumentum factum est, propter quam hæc pars ventris sensu exactissimo est prædita, quam qui vehementer esuriunt, maximè contrahi, ac velut conuelli, & indignari sentiunt, adeò bene sensilis facta existit.* Est igitur ob causam hanc, os ventriculi, quinimò & totus ipse venter eximio sensu præditus. Quapropter hic ipse præ omnibus internis, doloribus intensior est, ad quem syncope stomachica, animi deliquium, virium exolutio, & alia dura animi pathemata, ob consortium quod habet cum partibus præcipuis, sequi sæpissimè consueuerunt.

Dignissimum perscrutatione est dubium: *Vtrùm arenosa vrina humores à calculo magis securos reddat?* Hip. 4. *Aph. 79.* ex arena in vrina calculum præsagit in vesica: probat Gal. *lib. de ren. dignor. cap. 4.* dum sic ait: *At tenues arenulæ haud magno negotio quidem excernuntur; quod qui faciunt, nec agrotare se putant, cùm dolorem nullum sentiat. Verùm nihil est in hac re contemnendum, cùm tempore omnia grauiora reddantur.* Quare securus videtur non excerni. Subscribit Auic. 18. 3. *tract. 2. cap. 17. §. Et dicitur quòd quando sani, & propriè senes mingunt vrinam nigram cum dolore, & absque dolore, indicat quòd lapis completur in vesica: & confirmatur significatio in omnibus illis, si vides arenam residentem.* Contrà facit ipse Auic. *cit. loco, c. 16.* dum sic ait: *& in illo in quo est sedimen arenosum in vrina, non aggregatur lapis, quoniam materia non est retenta.*

Dic. Arenulæ ex renibus, vel vesica prodeuntes, cum præsentia signorum nephritidis, confirmant iudicium certò lapidis præsentis, ex Hip. & Auic. *supra cap. 17.* sine præsentia autem signorum lapidis, sed in dispositione sanitatis, arenosa excernentes, minimè, vel rarò euadunt lapidosi: arenæ enim eo tempore excretæ, robur expultricis, & materiam paucam, vel cum exiguo calore coniunctam significant, quare non concrescit lapis. In iis autem qui emingunt vrinam claram, licèt non habeamus indicium de præsentia materiæ, tamen de robore expùltricis, & inopia materiæ certi non sumus. Videtur ergo excretio arenarum in dispositione sanitatis magis secura, quàm clara.

Addendum etiam dubium est: *Vtrùm aluus laxa præseruet à calculo?* Dic. Aptiores sunt ad lapidem qui alui sunt siccæ, & ad omne genus morbi ex plenitudine, *lib. de aëre, aq. & loc. in fin.* & 6. *Aph. 33. §. dicebat verò ipse lib. de aëre, aqua, & locis, eos qui habent ventrem natura humidam, minimè morbo laterali, atque aliis morborum generibus corripi.* Quare rectè dicebat Zoar *in præfat. In habendo ventrem mollem conseruatur sanitas, nutu Dei.* Præsertim quòd hæc duo mutuò sibi seruiunt, apud Auic. *loc. cit. c. 16.* & 4. *Aph. vlt. Mictio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem*: Nam laxa aluus, quia diuertit eo crassitiem humoris, & non retinetur, à calculo præseruat. Ex his liquet, pronos ad diarrhœam, vt balbos, ad lapidum generationem esse ineptos, 6. *Aph. 32.* vel qui assuescunt vomere sæpe, vel qui interdum in dolores podagricos incurrunt, ob quam causam humor à renum viis longissimè auertitur: Nam, vt notauit Auicenna 5. 3. *cap. 11.* rarissimè accidit duo membra in vno corpore esse æquè debilia; quare fit, vt si intestina præ debilitate ex toto superfluos humores excipiant, ipsum in sanitate integrè conseruent.

Adiungendum etiam erat de sexu, & ætate, sed quoniam *lib. 2. loc. cit.* de eo argumento satis est dictum, breuiter modò respondemus, inter sexus, musculos aptiores, quia in fœmins collum vesicæ breue est, & amplum, ad vterum terminatum; additur excretio menstrui omnem plenitudinem exhauriens, ex Auic. 18. 3. *tract. 2. cap. 3.* Inter ætates, senes, & pueri: in his enim ætatibus plurimùm gignitur humor crudus; senibus, ob imbecillitatem coquendi; pueris inter dentitionem, & pubertatem, 3. *Aph.* 26. ob ingesta plurima, præsertim praua, vt lac, ex quo crassus humor progignitur, & fructus, necnon ob incomposítos motus à cibo, 6. *epid. sect. 3. com. 15.* cur autem pueri vesicæ calculis, senes renum lapillis plus sint obnoxij, *cit. lib. Hist.* annotauimus.

Deinceps de periculo huius morbi dicendũ: *Vtrùm sit grauissimus?* Galenus 6. *de sanit. tuend. cap. 6.* id affirmat

vix

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 490 sur 927

vix enim hic incipiens affectus curari poteſt: & ſi per annum durat, nullum curatum vidiſſe fatetur, 6. *epid. cit.* neque iuuenem, neque ſenem, quia intemperies illa fit habitualis, quæ nullo modo remoueri poteſt: & licèt ad tempus eſſet hic carnifex morbus, recrudeſcit poſtea inſolenter, cùm de nouo recrementa ex debilitate diuturna, & veluti connaturali facta regenerentur; quare perbellè notauit Aretæus *lib. 2. de diuturnor. morbor. curat. cap.* 3. quòd *facilius vterum à pariendi munere abſtrahes, quàm calculoſos renes à gignendis calculis.* Laborant enim iam renes intemperie fixa, & radicata nimis, quam Galenus hecticam vocare conſueuit. Accedit quòd hunc atrocem morbum patientes, ob vigilias doloréſque aſſiduos, excarnes fiunt, & graciles, & ex frequenti vſu medicamentorum frangentium lapides, facillimo negotio tabeſcunt. Deinde à craſſa, & viſcida materia, à qua fouentur lapides, vel à lapide ipſo ſupprimitur vrina, in vreteribus viſcera propullulant, & debilitatis renibus incontinenter redditur vrina, & ſæpe cum ardore intolerabili, quibus tantis malis vexati ægroti tandem occumbunt.

Inſuper quemadmodum raucedines, & grauedines in valde ſenibus non concoquuntur, 2. *Aph.* 40. ita renum, & veſicæ vitia in valde ſenibus non curantur, 6. *Aph.* 6. cùm enim frigidi, ſicci ſint, à temperamento proprio, 2. *de temper.* 2. fit vt affectus frigidi in ipſis incurabiles ſint; habent enim in ſe fouentem diſpoſitionem, & natiuam ventriculi, & iecoris debilitatem, ob quam copia crudorum humorum excreſcit, ex qua generationi lapidum ſufficiens materia ſuppeditatur. Vltimò. Cùm diuerſi calculi generari poſſint, plurimi, pauci; longi, breues; aſperi, læues; magni, parui: multi, longi; aſperi, & magni periculoſiores ſunt paucis, breuibus, læuibus, & paruis; hi enim ſicut excernuntur facilè, ita illi exulcerando vias vrinæ, & renem, aut ſupprimendo vrinam, ſunt periculoſi valde.

Curatio.

DVo ſunt quæ in curatione huius affectus ſuperſunt exequenda: primum eſt, præſeruare ægrotos, ne in illum incidant, quando lapis non eſt concretus: ſecundum, genitum lapidem frangere, & expellere. Primum completur, ſi intemperies renum, calida & deurens corrigatur, impediatúrque ne craſſæ, & viſcoſæ materiæ copia in corpore accreſcat. In hunc vſum vitanda quæcunque craſſum ſuccum procreant, difficulter coquuntur, & diſtribuuntur, quorum copiam cùm ſuperioribus capitibus ſingulatim referamus, non eſt cur hîc iterum proponamus.

Vtrùm Caſeus à victu calculoſorum ſit eliminandus? non conuenit inter auctores. Galenus enim 4. *Aph.* 76. cauſam reddens, cur plurimi per vrinam filamenta excernerent ſemipedalia, eam eſſe ſcribit, quoniam toto anno veſcebantur fabis, orobis, & caſeo antiquo, & recenti: repetit *lib. 6. de loc. cap.* 3. eandem autem eſſe filamentorum materiam, & calculi, *loc. cit.* Galenus inculcat: illa enim in venis: calculi verò in renibus, & veſica generantur.

Accedit auctoritas Auicennæ, 18. 3. *tract.* 2. *cap.* 16. & 2. *canon. cap.* 127. qui inter cauſas lapidis, caſeum, vel ſiccum, vel recentem enumerat. Num autem vetus ſit recenti deterior, affirmatiuè reſpondet Galenus 3. *alim.* 16. eſt enim praui ſucci, *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 6. ob cauſas multas: Nam eſt valde acre, & igneum ex coagulo, quare paratiſſimus gignēdis calculis, ſcilicet igneum, & craſſum; addit enim Galenus 3. *alim. cit.* quòd licèt attenuantia permixta craſſis, craſſitiē corrigant, quandoque tamen ſecùs accidit, vbi maius damnum ex alia malitia, nempe ex attenuante accedit, v. g. quia coagulum abſumit omnem humorem caſei, ideò reddit illum difficilis coctionis, & praui ſucci.

Itaque magis obeſt vetus ex permixtione, & adſtrictione coaguli, quàm recens; & ob hanc cauſam apud Haly 5. *Theoric.* 26. potenter gignit lapidem, obſtructionem, & cephalæam, maximè vbi repleto ventriculo ex cibo, & potu exhibetur; grauat enim ventriculum, & reliqua alimenta corrumpit malitia ſua. Nec dicas, ipſum poſt carnes potiſſimùm pingues commendari, 3. *alim. cit.* hoc enim ob aliqualem adſtrictionem pinguedinis pronunciat Galenus.

Clyſteres ſint lenes, dolorem mulcentes, qui humorem craſſum, & viſcidum clementer per aluum deturbent; acres vitandi: dolorem enim augent, renes inflammant, fluxiones mouent, obſtructiones impingunt. Hunc vſum præſtant plura per os aſſumpta, quæ fæces induratas emolliunt, & mollem aluum reddunt, vt butyrum recens, vel oleum amygdalinum recenter extractum, vel cum manna, aut pulpa caſſiæ diſſolutum.

At occurrit hoc loco dubitatio: *Vtrùm clyſteres in dolore nephritico ſint medicamentis purgantibus præferendi?* Dic, clyſteres antecellere: nam præterquam quòd leniunt dolorem, fæcalia recrementa in inteſtinis contenta, quæ renes opprimunt, & grauant, euacuant, & ideò ſummopere in hoc affectu commendantur: etiam medicamentorum lenientium vſus, quibus vtimur in clyſteribus, integer peruenit ad renes, cùm inter tunicam inteſtinorum, quæ tranſpirabilis eſt, & renes, nihil mediet: illa enim renibus ſuperponuntur. Vſui autem medicamentorum anteponuntur clyſteres, præcipuè ſi illa ſint valida, hæc enim valdè nocua ſunt; intenſum enim cùm ſortiantur calorem, renum intemperiem exacuunt, violenter ad partem dolentem humores commouent, & obſtructionem, inflammationémque adaugent: humores enim ex acribus medicamentis agitatos, renes ad ſeſe, affecti calore, & dolore, attrahunt euidenter.

Non obliteranda diſceptatio eſt: *Vtrùm in dolore nephritico ſit vena ſecanda?* Cùm enim longiſſimè à parte tentata fluxione reuellendum ſit, nequaquam ad eam trahendum, ex Gal. 13. *meth. cap.* 11. *cit.* ſi vrgeat dolor, ad attemperandum ſqualloremrenum, ad compeſcendam humorum agitationem, ad deobſtruendas vias per quas lapis permeare debet, ea vtiliſſimè celebrabitur, præſertim ſi corpus ſit plenum, & vires valeant.

Obtrudes. Si colicus dolor, & renalis, in initio iiſdem præſidiis curantur, cur rarò ille dolor venæſectione curari præcipitur, & ſic colica, & phlebotomia rarò conſentiunt, 4. 1. *cap.* 3. in renali verò dolore Medici eam frequentiſſimè exercent? Dic primò, quòd renes ſunt partes nobiliores inteſtinis, & ob hanc cauſam in dolore nephritico citiùs à parte præſtanti reuellendus humor. Secundò, colicus dolor fit ferè à frigida cauſa, flatu, viſcida pituita, excrementis retentis, lumbricis, quare turpe, & calamitoſum eſt ſanguinem emittere, ne extracto ſanguine, cuius ope abſumuntur flatus, ac crudi ſucci coquuntur, ad frigidorum ſuccorum copiam ducatur æger, maximè cùm plura adſint auxilia, quæ hoc opus citiſſimè præſtent, vt ſunt medicamenta purgantia, & clyſteria: At verò in nephritico cruciatu, cùm calor igneus vigeat circa renes, reuulſionis, & attemperamenti cauſa ſanguis emittendus; qui calor ſi adſit in colico dolore, vel ſit ab acribus ſuccis, vel inflammatione concitatus, tunc intrepidè vena ſecanda, ob dictam cauſam.

Verùm æquum eſt, vt antequam hinc diſcedamus, paucis diſputemus: *Vtrùm ex poplite, an ex gibbero ſit ſecanda vena?* Hip. ſic ait 6. *epid. cit. In venem dolor grauis, poplitem incidere, &c.* repetit *lib. de oſſium nat. num.* 12. *oportet igitur venæ ſectiones in doloribus in dorſo, ac in coxēdicibus à poplitibus facere, & à malleolis forinſecùs.* Subſcribit Gal. *lib. 6. Aph.* 36. dum ſic ait: *Quod autē dicitur,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 491 sur 927

©BIUM

ecare verò superiores, si de venis manuum dicitur, caret veri-
state, neque consentaneum Hippocrati videtur, siquidem in
omnibus libris suis, in partibus quæ supra hepar sunt, ex ma-
nibus sanguinem mittere, in inferioribus verò, eas quæ in po-
plite, & malleolo sunt, secari iubet, &c.

Ex altera parte sectio in brachio in hoc affectu plurimum leuamen affert: cùm enim ex vniuerso corpore tota humoris machina ad renes confluat, id remedium eligendum est, quod fluentem humorem reuellat, fluxurum, & fluxum commodissimè euacuet. Neque hoc præsidium solùm in renum affectibus, qui ambigunt, ex Galeno *lib. de sang. miss. cap.* 18. hoc est, tam superioribus, quàm inferioribus vacuationibus leuantur, Galenum celebrasse arbitreris, sed in morbis partium quæ infra renes sitæ sunt: quàdo enim à genere venoso, & intimis visceribus, excrementitius humor corriuat in eas, tuta fit ex cubito reuulsio, ne præcipiti lapsu ipse decumbat, maiora damna paraturus. Hac ratione in genu dolore, & inflammatione, è brachio venam secat, 2. *ad Glauc.* 2. & in coxendicis dolore, 10. *sec. loc. cap.* 2. basilicam ferit: hac enim ratione à parte inflammata commoda fit reuulsio, & sic pars à vehementioribus damnis præseruatur, & venæ plenitudine deposita leuantur.

Totam, meo iudicio, dirimit controuersiam Galenus *lib. de curand. rat. per sang. miss. cap. cit.* dum sic ait: *Porrò quemadmodum prædictæ omnes superiores partes in cubito secta vena iuuantur; sic quæ his inferiores sunt, illis quæ per poplites, & malleolos decurrunt: sunt autem dictis inferiores, coxendix, vterus, vesica. At renes cui parti adscribi debeant, ambigum, siquidem inferiores sunt iis quas priùs recensuimus, superiores verò quàm eæ, quas secundo loco. Itaque misso ex cubito sanguini auscultant, vbi videlicet recens fuerit phlegmone, copiáque sanguinis affluerit. Quibus verò affectio inest, quam propriè nephritin nominant, eam quæ in poplite est secare expedit, aut certè quæ in malleolis sunt.* Quapropter si corpus sit plehoricum, dolor vehemens, & incipiens affectus, tunc primò è cubito, deinde verò è talo est secanda vena: Patet ex verbis, *si recens fuerit phlegmone*, sub quo affectu, omnes renum morbos subintelligit, cùm sub vno exemplo cætera comprehedantur, ex Galeno, 3. *acut.* 42. *& 61. & 5. Aph.* 33. Hirudines hæmorrhoidalibus venis appositæ, sunt vtilissimæ, ex ipso Hip. 6. *Aph.* 10. *Melancholia, & nephritide laborantibus, hemorrhoides superuenientes, bonum*, & maximè si ex vacuatione aliqua consueta scaturiat affectus.

Leuato ope venæ sectionis corpore, ad præparationem humorum accedendum, quæ perficitur syrupis, vt Rhodomel. Syrup. de Betonic. Prassio, Capil. Vener. Hyssopo, liquirit. de duab. rad. & quinque sine aceto, Byzant. de artemis. oxymel. simpl. compos. scillitic. Alij verò syrupi attenuantes valde, sunt inutiles: inflammant enim, & humores subtiles resoluunt, relicta parte crassiore indurata magis. Si adsit cacochymia, & prauorum humorum copia increscat in venis, aliquo leniente medicamento priùs vtendum, ne fortè humores crassi impetu quodam ferantur in renes, & obstructiones, lapidúmque materiam adaugeant. Syrupis permiscenda sunt decocta incidentia, attenuantia, abstergentia, vt cicer. rubror. liquirit. Passular. Adiant. Hyssopi, vel aqua de scolopendria, fœnicul. Asparag. Betonic. Saxifrag. folior. Raphan. & ad maiorem incisionem additur de acetosit. citri, vel de succo limon. Inter purgantia præstant pulpa Cassiæ, vel in morsulis, vel dissoluta aliquo decocto, Diasebesten, Diacathol. Diaphœnic. Polypod. sem. Cartham. Electuar. Indum minus.

Facta purgatione, mirificè extergit vrinæ vias, & reliquias humorum vacuat Terebinthina abietina, lota priùs aqua decoctionis maluarum, assumpta quantitate vnciæ vnius; vel vncia vna & semis olei amygdal. dulcium, cum saccharo. Offerenda deinde sunt auxilia, quæ tenuitate, & calore crassos humores secant, qui pertinaciter renum viis adhærentes, vrinæ transitum impediunt.

Calidam deinde renum intemperiem mitigat dulcis aquæ lanacrum: Nam suo actuali, mulcebriq; e calore aperit poros, lentam pituitã extenuat, resolu it humores, laxat canales, & expeditam viam præbet arenulis, sabulo, & calculo. Si desit balneum, vtere semicupio, in quod ingrediatur laborans, factum ex decocto Gramin. Camomil. Parietar. Asparag. folior. Raphan. Saxifrag. Glycyrrhiz. Asari, Artemis. radic. Eringij, sem. Lin. Fœnugræci, & olei lib. quatuor. In medio balnei, optimum erit exhibere decoctum Eringij cum saccharo, & aliquo medicamento lapidem frangente. Hoc idem præstat tribulorum decoctum, cum vnciis duabus olei amygdalar. amarar. & saccharo cando. Vel exhibeatur pellis leporis vstæ in furno, quantitas drachmarum duarum, cum vino albo.

Vtimur etiam summa cum vtilitate syrupo de acetositate limonum: Nam vias renum abstergit, & mundificat, lentos humores extenuat, lapidem frangit. Si vehemensadsit dolor, anodynis pugnandum extrà applicitis, qualia sunt Oleum Camomil. Lilior. Amygdal. Amarar. Scorpion. cum vnguento Agrip. Althææ, filij Zachariæ. Imponatur vesica bouina supra partem affectam, plena decocto quod flatus dissoluere queat. Vomitus commendatur à Gal. *lib. de ren. dignot. & curat.* & Auicenna *loc. cit.* reuellit enim peccantes humores, & ad contrarias partes diuertit: prouocatur facillimè cum aqua tepida, vel ex decocto sem. Raphan. Camomil. & Nasturtij, aut ex frustulis Ellebori albi in raphanum immissis cum oxymelite.

Si verò neque vacuatio continua per vtramque regionem; neque attemperantia renibus imposita, vt illorum igneus calor mitescat, & temperetur; neque anodyna; neque præsidia dicta, satis sint: ne generetur humor crassus & viscidus, qui concrescens, in tophos degeneret, & lethales dolores inferat, proposito optimo victus regimine, oportet lapidem iam genitum frangere, & expellere. Hoc opus perficitur, si vrinæ viæ abstergantur, & lapides in frustula diuidantur.

At cùm calculi sint ex numero eorum, qui neque à calore, neque à frigore liquari queunt, vasorum fictiliũ illiquabilium instar, ideò solùm frangentibus vtendum est, qualia sunt incidentia, attenuantia, exiccantia. Conducit etiam vsus emollientium, & humectantium, quoniam vrinæ vias humectant & laxant, & faciliorem exitum lapidibus præbent, ipsósque emolliunt & humectant, vt deinceps à frangentibus faciliùs diuidantur. Sunt autem medicamenta frangentia lapidem, Adiantum, Polium, Betonica, radix Asparagi, Rubi, Politricum, acetum scilliticum, ius cicerum, potissimùm rubrorum, Ochra, Petrosel. Apium, cicer montanum, lithospermon, à Barbaris Milium solis nuncupatum, saxifragia, vitrum vstum, stercus columbarum, decoctum virgæ aureæ, Anonidis.

A proprietate frangentia sunt hæc: Cinis scorpionũ, cicadarũ, vermium terrestrium, pellis leporina, caprina, puluis passerculi Troglodytici, qui celebratissimus est, dens Apri, Brassica siluestris, lapis Iudaïcus, sanguis Hircinus, quæ omnia per se possunt offerri, quantitate drachmæ vnius cum vino, vel aliquo decocto prouocante vrinã. Prouocant vrinam Apium, Petroselinum, pulegiũ, Daucus, Smyrnium, Valeriana, radix asparagi, ius cicerum. Si his assumptis ardor vrinæ sequatur, miscenda sunt semina frigida maiora, flores cordiales, Nenuph. hordeũ. Quoniam verò agentia naturalia non operantur in instanti, sed indigent tempore, necesse est permiscere cum illis, medicamenta, quorum ope per tempus immorentur: hæc sunt adstringentia, vt Rosa, Sacchari rosac. Balaustia, Sumach, Myrtus, cortex granator. quæ etiam roborant renes, vt humores, & calculi fragmenta prõptiùs expellant. Exhibendum etiam est electuarium

lithon

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 492 sur 927

lithontribon, Therica magna, Diacurcuma, Dialacca, Mithridatium, Electuariũ Ducis. Horũ forma eſto hæc.

℞. *Lithoſpermi, aſparag. cinnamom. aniſi, an.* ʒ v. *liquiritiæ,* ʒ j. ß. *lapidis lyncis, lapidis Iudaici, an.* ℈ ij. *ſem. aſparag. geniſtæ, melon. an.* ʒ j. Fiat puluis tenuiſſimus. Doſis in aurora drachma vna cum vino albo, aut aliquo decocto diuretico.

Vel ita paretur:

℞. *Cineris vitri, ſcorpion. radic. braſſicæ, pilorum leporis, putaminis ouorum, è quibus pulli prodierunt, lapidis ſpongiæ, ſanguinis hircini, lapidis Iudaici, acori, an.* ʒ j. *petroſelin. dauci, pulegij, gummi prunor. & ceraſorum, ſem. althææ, piperis nigri, an.* ʒ iij. Terantur ſubtiliſſimè, & fiat puluis. Doſis eadem.

Si dolor perſeueret, ſedari debet balneis, inſeſſibus, fomentis, vnguentis, emplaſtris relaxantibus, emollientibus. Balneum fiat ex decocto Maluar. Violar. Althææ, ſem. lin. parietar. Camomil. Capillor. Vener. Liquirit. Melilot. Decoctum verò debet accedere vſque ad renes. Quòd ſi copiam olei oliuar. vel amygdal. permiſceas, ex arte facies. Vnguenta fiunt hac forma.

℞. *Olei amygdal. dulcium, & amygdal. amarar. olei lilior. albor. & camomil. an.* ʒ j. ß. *olei ſcorpion.* ʒ j. *pinguedin. vrſi, anſer. & gallinæ, an.* ʒ ß. *adipis vitulinæ* ʒ j. ß. *mucilagin. ſem. lin. & fœnugræc. an.* ʒ ß. *croci* ʒ ß. miſce, fiat vnguentũ.

Fomenta ex dictis decoctis parantur. Quòd ſi cum prædictis oleis, folia Maluar. Parietar. Biſmaluæ permiſceas, parabis cum vitellis ouorum cataplaſma, huic vſui valde proficuum. Si verò dolor vrgeat immaniter, tunc duas vncias Olei Amygdal. dulcium exhibebis cum ſaccharo, & butyro. Si tamen non conquieſcat, ad narcotica te conferas oportet, ſed ſemper à mitioribus incipias.

℞. *Theric. recentis* ʒ j. *aq. capil. vener.* ʒ iij. *ſyrup. capil. vener.* ʒ j. fiat potus.

Sin minùs offerendum Philonium Perſicum, vel Romanum: vel renibus vnguentum hoc admouendũ.

℞. *Olei amygdal. dulcium* ʒ ij. *olei camomil. & lilior. albor. an.* ʒ j. *olei violar.* ʒ ß. *pinguedin. gallinæ,* ʒ iij. *opij* ℊ. vj. *croci* ℊ. vij. Cum cera fiat vnguentum.

Si calculus è renibus euelli non poſſit, eum euocant mirabiliter cucurbitæ, lenito priùs dolore, remollitis relaxatis partibus, renibus primùm, deinde perinæo, & inguinibus: calculum enim euellunt ex loci anguſtia in loci amplitudinem, & ſæpenumero tantos afferunt ſanitatis fructus, vt earum effectus miraculi habeantur loco. Calculum è renibus ad vrinæ vias protrudit, arenoſámque ſubſtantiam extergit, deobſtruit, & prouocat vrinam Terebinthina, quæ etſi ampliùs dicatur prodeſſe in præſeruatione, quàm curatione; tamen ſi cum aliquo medicamento miſceatur lapidem frangente, efficaces ex ſe demonſtrat vires. Offertur in modum pilularum.

℞. *Terebinthin. abietin.* ʒ iij. *ſpecier. lithontrib.* ʒ j. ß. *cum oleo terebinth. & puluer. glycyrrhiz.* fiant pilulæ, & decorentur.

Vel hoc modo.

℞. *Pulu. terebinth.* ʒ ß. *pulu. liquirit.* ℈ j. *cinnamom. aniſi, an.* ℈ ß. *ſpecier. lithontrib.* ʒ j. *Cum oxymelite ſcillitico*, fiant pilulæ, & decorentur. Doſis tres, tribus horis ante paſtum.

Balſamum pro excludendo lapide, eſt medicamentũ præſtantiſſimum, & experimento confirmatum, ex Auenzoare *lib. 2. theiſir. tract. 2. c. 7.* maximè cum vino, aut decocto diuretico permixtum. Aqua in qua per noctem madeſcat lignum nephriticum, calculum frangit. Aqua ſtillatitia fructus Braſilienſis, vocati *Ananas*, efficaciſſima eſt pro lapide frangendo, nam ſi in fructum viridem cultellum terſiſſimum trium horarum ſpatio immittas, ipſum liquabitur omnino: quòd ſi liquat ferrum, & abradit, cur calculos nõ comminuet aqua eius, prout fidiſſimo experimento ſæpiſſimè adinueni: Eam ex Braſiliẽſi regione Hollandenſes afferunt, & Luſitani noſtri, nullúmque inuenitur præſidium tam potens, tam certum in frangendo lapide. Quòd ſi his auxiliis ad veſicam è renibus detrudatur lapis, & integer in virilis extremitate tenaciter adhæreat, quia aſper, angulo-ſus, & magnus, & multis diebus ſupprimatur vrina, ægérque ſit in periculo vitæ conſtitutus, tunc ſatius eſt aliquod auxilium cum periculo tentare, quàm ſpe omni adempta, ægrum certò perire: Quare cum Aëtio *tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 4.* & auctore *lib. de ren. dignot. & med. cap. 3.* ſectio in pudendo per longum molienda eſt, & lapis anguſto forfice eximendus.

De lapide veſicæ conuenit inter omnes, quòd eius cauſa ſit humor craſſus, lentus, & viſcoſus, & quòd inſtar calculi renum à calore concreſcat. Adeſſe in veſica calculum cognoſces his ſignis. Primò, quia ægrotantes pudendum ſcalpunt, ob pruritum quem ſentiunt in pene, à vaporibus communicatum. Hunc etiam perſentiſcunt in principio generationis lapidis: Quum verò hic in maiorem molem augetur, adſunt cum pruritu & titillatione, grauitas, pondus, & dolor in veſica; à mole enim, & quantitate lapidis illa grauatur. Affecti, expellendi vrinam deſiderio ſemper premuntur: nam lapis contractionem veſicæ impedit, & hac ratione vniuerſa non poteſt expelli vrina, & à portione relicta irritatur æger, & emittendi vrinam continuò voluntas inſurgit, ſed multoties irruente lapide ad collum veſicæ, vrina omnino ſupprimitur.

Vrina eſt craſſa, perturbata, & alba: cùm enim lapis ex craſſa, & viſcida materia generetur, ideò illa ex permixtione ſeroſæ humiditatis cum viſcido humore, redditur craſſa, & ex partibus non rectè in calculum concretis, pertubata apparet, & craſſa, inſtar luti in aqua diſſoluti, in qua ſæpe mucoſus humor, aliquando arenæ ſubſident. Accedit ſignum poſitum à Gal. 1. *de loc. c.* 1. Nam vrina ſuppreſſa ex lapide cognoſcitur, ſi leuatis pedibus patientis, & vniuerſo corpore concuſſo, liberè excernatur, aut ſi immiſſa fiſtula ænea id contingat; indicium enim eſt lapidem veſicæ ſeparatum fuiſſe à veſicæ collo. Adde notiſſimum aliud ſignum, ſi digito immiſſo per anum, lapis tangatur, vel durities illi proportionalis ſentiatur.

Calculus veſicæ, funeſtus, miſerabilis, & atrox eſt affectus: Nam neque curatus, neque citra curationem, periculo vacat, imò ſuppreſſa vrina, dolore, ac vigiliis ægros conficit. Si præſidia tentes expurgantia: hæc nullam vtilitatem præſtant, quia calculoſa durities ea temnit, & reſpuit, cùm pars affecta à viis ductuum ſit valde remota. Si apertionem tentes inter pudendum, & anum, & lapis ſit magnus, per anguſtam viam extrahi haud poteſt; & facto vulnere, ſuperueniente inflammatione, conuulſione, & febri, plures è vita decedunt. Si eſt minor, vel non apprehenditur, vel apprehenſus protinus effugit, aut frangitur, quo fit vt irritum plerumque fiat lethale vulnus. Qui verò eſt mediocris magnitudinis, tutiùs educitur.

Curatio iiſdem remediis inſtituenda eſt, tam in præſeruatione, quàm curatione, quibus calculum renum tractandum eſſe prædiximus, cùm veſicæ lapis idem ſit affectus cum renum calculo. Diſtant ambo in intenſione, & efficacia præſidiorum: cùm enim veſicæ lapis, deterior ſit affectus, vehementiora auxilia requirit. Quòd ſi his auxiliis fieri non poſſit, vt calculus in veſica non concreſcat, imò genitus accreſcat in grandiorem molem, & auxiliis frangi non poſſit, quin ſupprimat vrinam, tunc in robuſtis pueris, & ſenibus vſque ad ſexageſimum annum, ſectio, licèt cum periculo, tentanda, cuius ope aliquos fuiſſe curatos experimẽto compertum eſt. Quapropter vbi vltimum remediũ experiri oportet, præparato, & expurgato priùs corpore, incîdi ſuper veſicæ ceruicem iuxta anum cutis, plaga lunata, vſque ad ceruicem veſicæ debet, vt eleganter

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 493 sur 927

lib.7.cap.26. Celsus edocuit, quo loco modum incisionis, & alia omnia quæ tunc obseruanda sunt, proposuit diligenter, & recentiores sedula cura cum felicissimo euentu sunt imitati.

OBSERVATIO I.

Conserua ex ligno Nephritico, pro præseruatione, & curatione calculi præstantissima.

REnum obstructio frequentissimam habet causam, calculum; rariùs à sola crassa, lentáque pituita obturantur. Vtramque causam inter cætera præsidia amolitur lignum Nephriticum: nam calculum minuit, & atterit, & viscosum humorem, arenosámque substantiam abstergit, & vasa vrinaria proprietate quadam mundificat, & repurgat; quare magis prodest in præseruatione, impediendo hac ratione ne generentur calculi, quàm curatione, etsi in hac, suam etiam, eámque non contemnendam vtilitatem præstet. Auxiliatur insuper iis, qui citra calculum, vrinæ suppressione ob mucosam pituitam suborta, & flatu laborant. Affertur ex noua Hispania, & est crassum, & enode, materie pyri. Et licèt solùm eo vtantur Medici, assulatim, & minutim inciso, macerato in aqua limpidissima, & relicto in ea quousque à bibentibus absumatur, quæ post dimidiam horam ab infusione ligni, cæruleum colorem dilutiorem contrahit, cum qua diluitur vinum, & non solùm in renum vitiis, sed iecoris, & lienis obstructionibus, cùm calidum, & siccum sit in primo gradu, mirabiles effectus ex se præbet; tamen ex eo in puluerem tenuissimum redacto, conseruam paro, & misceo alia medicamenta, quæ similes facultates sortiuntur, imò puluerem in vinum, & ius carnium immitto, in dictos vsus. Conseruæ dosis alternis diebus pro præseruatione, sunt drachmæ duæ, superbibito vino tenui Rhenano, vel simili. Pro frangendo, & expellendo lapide, singulis diebus vtor in aurora, quantitate vnciæ dimidiæ: Fiat hoc modo.

℞. *Ligni nephritici in subtilissimum puluerem redacti,* ʒ ij. *lapidis Iudaici præparati cum succo limonũ* ℥j. *specier. lithotrib.* ʒ ij. *cicer. rubror.* ʒ iij. *sem. raphan.* ʒ iij. *Theriac. mithridat. an.* ℥ ij. *semin. veronic.* ℥ ij. ß. *flor. alth. bugloss. & violar. an.* ʒ ij. *radic. fœnicul. acori, gentian. an.* ʒ v. *milij solis* ℥ ß. *lapid. lyncis,* ʒ j. *radic. anonidis, eringij, bardan. an.* ℥ j. *virgæ aureæ,* ʒ iiij. *sanguin. hircin.* ʒ ij. ß. *semin. mespilor.* ʒ ij. *pulu. auis Troglodytic.* ℥ ß. *sacchari candi,* ℥ j. *penidior.* ℥ ij. Omnia excipiantur cum saccharo, ℥ ij. Oxymelitis scillitici, & ℥ iij. syrup. capilli vener. adde *Anisi,* ʒ j. *cinnamom.* ʒ ij. & sec. art. fiat conserua.

Vel ex puluere solo ligni nephritici, cum saccharo, fiant etiam tabellæ, vel conserua.

OBSERVATIO II.

Calculorum incredibilis numerus, diu citra noxam excretus.

QVidam florente ætate præditus, arenosa, calculosáque natiua constitutione ita erat affectus, vt à pueritia totam ferè vrinam excerneret arenosam: in iuuentute, calore intensiori facto, & lutulenta materia in lapides coacta, singulis diebus emittebat sexaginta, & aliquando plures, calore albos, tersos, rotundos, duros, lucidos, ciceris paruissimi magnitudine, (margaritas diceres subalbidas) quos citra molestiam, dolorem, vrinæ suppressionem, ardorem, aut incommodum vllum emittebat semper. Hic omnibus celebratis auxiliis, à tanto malo minimè leuari potuit.

OBSERVATIO III.

Sabulum quotidie excretum per vrinam in copia multa.

GErmanus quidam in consistente ætate constitutus, ita calidissimo temperamento erat præditus, vt circa renes, & iecur, ardorem assiduè intolerabilem persentiret. Hic cùm vorax esset, & Baccho nimiùm indulgeret, arenosum sedimentum emisit sex annis continuis, in copia tanta, vt colata vrina, resideret in panno lineo sabuli dimidia libra, excreta cum ardore summo. Is plura tentauit, incassum tamen, auxilia. Hic præter balnea, attemperantia præsidia, intus & extrà admota, solo Spadanarum aquarum vsu leuamen acepit.

OBSERVATIO IV.

In fœmina repertus miræ magnitudinis lapis.

FOeminas licèt rariùs dolore nephritico acerrimè tentari, experimento fidissimo auctores comprobarint: tamen istiusmodi cruciatu vexata quinquagenaria, & duodecim diebus suppressa vrina, celebratis pluribus auxiliis, solùm balneo oleagineo adiuta, excreuit cum vehementi dolore, parientis instar, calculum oblongum, durissimum, asperum, inæqualem, subnigrum, qui pendebat grana 37.

OBSERVATIO V.

Suppressionis vrinæ causa rarissima.

SEptuagenaria cùm vrinæ suppressione premeretur immaniter, adhibitis præsidiis leuata est. Ecce post duos menses guttatim eam cœpit excernere, cum renum, vréterum, & vesicæ dolore summo. Tandem diu his tormentis cruciata, nullo modo potuit reddere vrinam per decem dies, etsi illi plura fuissent ad excludendum calculum, quem Medici vnanimiter rebantur esse mali causam, auxilia machinata. Illa ergo omnino suppressa, animi deliquio arrepta, ex halitu forsan purrentis lotij concitato, occubuit. Secto cadauere patuit omnibus non fuisse lapidem, sabulum, aut grumum, sed lentam, gypseámque pituitam, ob quam vreteres veluti callo erant obstructi, qui exitum totalem vrinæ emittendæ denegauit.

OBSERVATIO VI.

Vermes viui in renibus inuenti, eorum abscessum simulantes.

OLyssipone in Xenodochio militum Hispanorum, meis oculis vidi exemplum admirandum. Decumbebat in lecto iuuenis quidam, satis robustus, & fortis, & qui à pueritia veluti dolore renum fuerat oppressus, qui sensim ac sine sensu, pedetentímque ita accreuit, & immaniter illum excarnificauit, vt spretis omnibus præsidiis tam vniuersalibus, quàm particularibus, eum per duos annos ad mortis fauces deduceret. Extenuatum est corpus cum febre iugi. Insolenter illi vexarunt sitis, ardor sensatus in regione renum, alui nimia adstrictio, vigilia importuna. Demum accedente nimio fastidio tabidus vitam finiuit. Adfuit Medicus doctus, in offerendis præsidiis satis diligens, præstò séper fuit Chirurgus eximius, qui Gulielmus vocebatur. Hic cadauer dissecuit, adstante eruditorum Medicorum, & Illustrium Virorum corona, & quæsito loco in quo adfuit mali causa, nempe renibus, in quibus æger dicebat

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 494 sur 927

dicebat lignum acutum, aut cultellum ſe portare infixum, inuenti ſunt in vtroque renum cauo, vermes craſſi albi, viui, dimidij digiti indicis longitudine, qui interiora ita arroſerant, vt totum corpus contabeſecerint.

CAPVT XVII.

De Diabete.

Definitio.

GAlenus *lib.6. de loc. affect. cap.3.* caput de Diabete adſtruit, quod licèt curaturo Medico non ſit ſummoperè neceſſarium, quia hic affectus infrequens eſt, rariſſimus, & ab eo bis ſolùm viſus; quem in Occidente nunquam ſe vidiſſe, *part.8. Aph.* Rabbi Moſſes affirmat, tamen cùm poſt Galenum plures eum tractaſſe, & curaſſe glorientur, neceſſe eſt de eo aliqualem facere commemoratiõem.

Diabetes ergo nihil aliud eſt, teſte Aëtio *tetrab.2. ſerm.1. cap.1.* quàm affectio diuturna circa renes conſiſtens, multum potum inducens, vnà cum hoc, quòd quicquid bibitur, ſimul vt acceptum eſt, per vrinas eiicitur. Paulus verò *lib.3. cap.45.* ſic definit: potionis tranſmiſſio eſt, protinus, qualis fuerit aſſumpta. Galenus *loc. cit. de loc.* ſic ait: velox exitus exiſtit per vrinam, ac exuberanter, eius quod potatum, eodem à ſua qualitate non mutato. Ita definiunt Oribaſius *lib.9. ſynopſ. cap.35.* Trallian. *lib.9. cap.8.* Aëtius *tetrab.3. ſerm.3. cap.1.* Auic. *19.3. tract.2. cap.17.* Haly Abbas *9. Theoric. cap.34.*

Opportunè expendendum eſt: *Vtrùm diabetica paſſio ad ſolos renes ſit referenda?* Hoc enim affirmat Galenus *lib. 6. de loc. cap. 2.* abſonum enim putat hunc affectum referre, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, aut venarum quæ in meſenterio ſunt, ſeu earum quæ ab hepate exortæ ad renes tendunt, imbecillitati; neque etiam veſicæ: nam neque ea à renibus vrinam trahit, ſed ipſi per vreteras excernendo, in veſicam mittunt, quemadmodum neque inteſtina à ventriculo attrahunt.

Sed contrà obiiciuntur nonnulla, quæ pro maiori explicatione expedire oportet: Et primò. Si cum ſiti iecoris vehementi, orta ab immodico calore, eius retentricis imbecillitas iungitur, ſine vlla mora potus ad renes commeabit, & ab illis in veſicam, fiétque velox, & perpetua lotij profuſio. Inſuper & non minùs ſi membra omnia mictioni præpoſita, perinde atque canales laxentur. Ergo inſufficienter videtur Galenus *6. de loc. cit.* ſolis renibus diabetem addixiſſe.

Deinde. Quanquam membra inanita trahant, & areſcentia, ſeu æſtuantia, in ſiccitatis, æſtúſque ſubſidium appetant liquorem, ſolus tamen ventriculus, in quem tota tractio terminatur, *4. de vſu part.7.* fameſcere ac ſitire dicitur. Igitur cùm propoſita affectio inexplebilem ſitim potiſſimùm importet, ad ventriculum ipſum propriè pertinebit, non ſecùs quàm lienteria, & fames canina, licèt etiam in iis fluxus ſine intermiſſione iungatur. Vel cur ad veſicam non referatur immodicè trahentem, & præ retentricis imbecillitate continere nequeuntem, ſi ſuos habet oblongos villos, quibus ad ſeſe per vreteres ſerum pellicit, *5. de vſu part. cap.15.* ſæpéque ſiue imbecillitata, ſiue reſoluta, continuum, atque inuoluntarium concitat vrinæ fluorem?

Dic. Quamuis æſtuans iecur inexplebiliter ferè ſitire faciat, & ex nimio ardore roborata, auctáve tractrix, vehementer attrahat, & ventriculum celeriter exhauriat, non ſugit tamen potum ſincerum, perinde ac renes, quibus eſt innata proprietas pelliciendi liquorem; ſi verò præ tractricis debilitate non retineat, ſimul cum potu cibum etiam diſtribuet, nec ad ſolos renes, vt diximus, atque adeò velox totius potus profuſio in veſicam, nec diabetes ſuccederet. Quamuis autem Aretæo, & Auicennæ, ex meatuum laxitate oriri etiam dicatur, dictis non repugnat; cùm ad debilitatem renum, laxitas, & apertio viarum principalium vrinæ ſequatur, ipſíſque ab igneo calore (quæ eſt cauſa frequentior) immodicè ſitientibus, vniuerſus potus à ventriculo rapiatur. In hunc verò licèt tractio terminetur, & quia eius appetentia eſt animalis, ſitis manifeſtetur, præceſſerat tamen inexplebilis illa renum, à qua concitatur, quæque tractionis antecedentium partium, venæ cauæ, iecoris, & meſaraicarum, quin & ipſius ventriculi, cauſa exiſtit; ac proinde meritò Galenus antecedentes tractiones ad diabetem pertinere dixit, hoc eſt, ad vrinæ profluuium perpetuum, & continuum, ex immodica renum tractione, & omnimodo retentionis defectu ortum; nec enim tantùm importat ſitim ſimpliciter, quæ ſolius ventriculi eſt, ſed renum potiſſimùm, cum aliis explicatis.

Non poſſe autem ad veſicam referri propoſitum morbum, conſtat, quoniam ſerum, vt diximus, pellentibus renibus, per vreteres deſcendit in veſicam, non trahente ipſa; quemadmodum nec in inteſtina chylus, eorum vi, ſed propellente ventriculo: Nam recti villi quos habet veſica, faciunt ad ingreſſum vrinæ in ipſam, non ad tractionem è renibus; neque enim per vreterum inanitatem ad renes vſque diffunduntur, (quod tamen oportebat, ſi tali muneri inſeruirent) ſed extremitatem tantùm vreterum ferè contingunt, ad ingreſſum iuuandum, qui difficilis eſt, facilis per vreteres ipſos deſcenſus: ſolet autem natura villos tantùm addere, gratia delationis promouendæ, vbi vel materia per longum ſpatium deferenda eſt, vt in ſanguinis diſtributione per vaſa; vel difficilem habitura commeatum, vt ſerum ad veſicam.

Nec illud diſſimulandum dubium: *Vtrùm Diabetes ſubitò, an paulatim generetur?* Videtur enim huiuſmodi morbi diuturna creatio, & quæ longo tempore parturitur, vt loquitur Aretæus, nec *6. de loc.3.* Galenus diffitetur, dum ait paulatim creſcere: Iam ſi hoc agnoſcunt omnes, referentes huiuſmodi affectum inter chronicos, quomodo ſubitò fieri dicetur, & veluti iam in vigore conſtitutus apparere more acutorum, quorum principium, & augmentum propter breuitatem non ſentiuntur, quanquam neceſſariò præceſſerint: Nam dici ſubitò accidere, quia cùm ſymptoma ſit virtutis naturalis, ſine ſenſu fit, præterquam quòd Auicennæ non placet, *19.3. tract.2. cap.17.* quia non minùs in diabete ſenſus adeſt, & voluntas retinendi vrinam, quàm fæces in lienteria, atque adeò pariter, ſine voluntate, ac ſenſu, & coactè fiunt: innumera ferè ſymptomata ad animalem virtutem pertinentia ſubitò eueniunt, multáque paulatim, facultatum naturalium. Dic, quòd quamuis Diabetes incipiat paulatim, & inſenſibiliter veluti vires latenter capiat, & non niſi tardè veluti factus agnoſcitur, non ita ſubitò in breui tempore, ac morbus acutus.

Supereſt diſcutienda celebris diſceptatio: *Vtrùm Galenus diabetem caninæ appetentiæ rectè comparauerit?* Summus Medicorum ſtrategus *lib.6. de loc. affect. cap.3.* diabetem ſimilem facit affectum cum lienteria: ſicut enim debilitata ventriculi retentrice, accidit per inferiorem ventrem aſſumpta illicò expelli abſque vlla tranſmutatione ſui, quem affectum, læuitatem vocat inteſtinorum; ſic ob debilitatem renum, ſequitur interdum tam celer, perpetuáque vrinæ excretio, vt ebibitum, ſimul vt potatum eſt, ſine vlla mutatione, plus iuſto per vrinam excernatur, & fit velox tranſitus liquoris ebibiti, qui nihil immoratus in renibus, ocyſſimè foràs emingitur.

Sed hoc placitum excutiendum eſt: Si enim animalis eſt ventriculi cupiditas, qua cibum, potúmque appetit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 495 sur 927

illa autem rerum, imò omnium membrorum, qua sibi necessaria, & deficientia quærunt, omnino naturalis; atque eiusdem ordinis cum appetendi actione censetur tractio, siue trahens facultas eadem dicatur cum appetente, siue ab ea diuersa: qua similitudine rerum attractio ex caua, cohærebit cum alimenti tractione ab ore in ventriculum, maximè cùm deglutitio perficiatur musculis ad gulæ initium insertis? quod præter Auicennam 1.1.doct.6.cap.vlt, & 16.3.tract.1.cap.1. docuit Galenus *lib. de dissect. vocal. instrum. cap.vlt.* cùm iuxta illius sententiam, motus omnis musculorum voluntarius sit, & animalis.

Dic, esse symptomata diuersarum facultatum, atque licèt diuersa, non impedit conuenire in aliis, appetendi nempe insatiabilitate, & trahendi vehementia. Vt verò superior Galeni doctrina intelligatur rectè, agitandum: *Vtrùm deglutitio sit actio animalis, & tractio rerum à caua, naturalis*? & num adeò inter sese assimilentur hæ tractiones, vt ambæ pariter, ventriculi scilicet ab ore, & rerum à caua, naturales sint, à virtute naturali profectæ; an verò illa, hoc est, deglutitio, functio sit animalis, voluntaria & imperata; altera naturalis? Et transglutitionem quidem, non à sola vi naturali, sed ab animali etiam, seu voluntaria per musculos fieri, suadent aliqua, nec inualida, (non quòd ad animalem ventriculi appetentiam sequatur: multæ siquidem actiones merè naturales fiunt, nonnisi præcedente sensatione, vt vrinæ, & fæcum excretio) sed primò, quia feriante omnino tractrice naturali ventriculi, vbi volumus, alimentum ingerimus, quin & pro arbitrio continemus in ore, vel inuito, & vehementer appetente ventriculo: Nam & in media coctione, (quo tempore concoctrix, retentrixque facultas agunt, & quiescit attractrix, cuius otium illæ excipiunt) imò & præsente spontino vomitu, quem expultrix, retentrici opposita exequitur, & cum fastidio ingenti, si libet, deuoramus. Igitur negari non potest, quòd voluntas habeat ingressum in deglutitione, & per consequens animalis facultas.

Secundò. Si merè naturalis esset transglutitio, perpetuò fieret alimenti tractio in animalibus, similiter atque in plantis. Sed non decuit animalia ad perfectiores sensus, & motus creata, perpetuò occupari instar plantarum, in quærendo, sumendóque alimento. Igitur alimenti deglutitio non est naturalis, sed ab arbitrio dependet. Adde quòd si hac ipsa de causa, & vt ex Platonis sententia scribit Galenus 4. *de vsu part.* 18. ne hominis vita sordida foret, & à Musis, & Philosophia aliena, decuit, ne perpetuò egereret, vim animalem præesse fæcum excretioni, haud dissimiliter oportuit etiam, ex eadem ratione, præsidere voluntatem, & virtutem animalem primo ingressui alimenti; perpetuò siquidem egererent, quæ assiduè, & sine intermissione vescuntur.

Tertiò. Inflammatis, vel resolutis musculis gulam circumdantibus deglutitio manifestè impeditur, vt constat ex Galeno *lib.* 4. *de loc. cap.* 3. vbi ex sententia Hippocratis, 2. *epid. sect.* 2. *ad fin.* inter anginæ species eam numerat, in qua interni musculi gulæ inflammantur, cum magna transglutiendi difficultate, cuius etiam meminit Auicenna 9.3. *cap.*8. De transglutitionis verò defectu, ex eorundem musculorum resolutione, mentionem fecit Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 33. cum Halyabbate *lib.*9. *theoric. cap.*24. At nisi musculorum ope, & virtutis animalis, perficeretur deglutitio, impediri nequaquam posset, vel auferri ad eorum resolutionem. Igitur præter tractricem naturalem, concurrit etiam vis animalis, quæ per musculos operatur, ad delationem alimenti ab ore in ventriculum; atque adeò deuoratio non est motus solùm naturalis, sed simul ex animali, seu voluntario compositus, vtpote per musculos etiam factus, sic rectè prouidente natura, ne si naturalis tantùm foret, & perpetuus, animal à dignioribus operationibus auocaret; vel si soli voluntati committeretur, per desidiam, aut obliuionem cum vitæ discrimine omitteretur, cohiberetúrue.

Neque his repugnat Galenus *lib.* 6. *cap.*3. naturalem appellans morum transglutitionis, atque adeò significans ad naturam nostram pertinere: Nam quia post primam deuorationem ad guttur, quam gula musculis exequitur, maxima deglutitionis pars à tractrice naturali fit, ministerio villorum, naturalem simpliciter dixit transglutiendi motum, non negans id quod expressit *cit. de dissect. vocal. instrum.* musculis simul etiam peragi.

Minùs obstat, quod contra Auicennam, & ita opinantes, contendunt plures, ex eo potissimùm quòd gulæ, seu œsophago nulli musculi insunt, alioquî futurum, vt etiam inter vocis instrumenta, œsophagi orificium simul cum epiglottide numeraretur, quod nemo tam Philosophorum, quàm Medicorum, ausus fuit vnquam affirmare: Licèt enim gula peculiares musculos non habeat, ex numerosis tamen laryngis, cùm quidam gulam ipsam circumdent, & gutturi connectantur, iis vtitur ad detrudendum alimentum; voluit enim natura, vt deglutitionem etiam iuuarent, licèt ad vocem potissimùm fuerint destinati, *cit. de dissect. vocal. instrum.* Et de his intelligendus est Auicenna, vbi de lacertis meri fecit mentionem, eorum enim ope animal pro arbitrio alimentum detrudit in stomachum, concurrentibus simul alimenti ipsius grauitate, naturali tractrice, & oblongis, seu rectis villis, quibus operatur. Num verò iuuet expultrix cum suis circularibus, *cap.* 10. *lib. superioris*, *tit. de gulæ paralysi*, est explicatum, & docent Halyab. 3. *theoric. cap.* 24. Auerrhoës *lib.* 2. *collig. cap.*9.

Verùm quomodo rectis villis trahendi munus perficiatur, non satis constat: quidam enim opinantur villos ipsos priùs extendi vsque ad contactum alimenti, (trahi siquidem nihil potest ab aliquo, nisi trahens, & trahendum adhæreant) cúmque gula non pertingat alimentum deglutiendum, necessarium omnino erit ad epiglottim ascendere, vt *cit. loc.* testatur Auerrhoës, atque adeò rectos villos per quos attrahit, primùm extendere, deinde quiescente parte inferiore villorum, interim dum superior apprehendit, séque colligit super contactum alimentum, eóque apprehenso paulatim quiescit, contrahere, & in ventriculum detrudere; ita vt duobus motibus constet deglutitio, tribúsque quietibus, duabus scilicet numeratis, & tertia quæ motibus contrariis omnino interponitur: Necesse verò esse, motum illum dilatationis præcedere, præter adductam causam, confirmant ex Galeno 3. *de nat. facult. cap.*8. vbi non aliter ventriculum per gulam cibos attrahere assueuerat, quàm nos manu eos admouemus: cùm ergo priùs extendatur manus ad cibum capiendum, quàm contrahatur, vt ori possit admoueri; similiter, &c.

Insuper, ex eodem Galeno *ibidem*, nobis deglutientibus, larynx, manifestè sursum eleuatur. Sed laryngis tunica, continua est cum gula. Igitur hæc pariter cum illa inter deuorandum extenderetur. Præterea. Vbi datur constrictionis motus, concedenda est etiam distentio. Sed hæc ex sententia Arist. *lib. de respirat.* antecedit. Igitur priusquàm contrahatur gula, dilatatur ad deglutiendum: præsertim docente ipso Arist. 8. *de Hist. animal.* famis tempore non solùm gulam promi, sed & ventriculum ipsum in os aliquando ferè demandari, prout refert Galenus 3. *de facult. cit.*

Cæterùm non extendi rectos villos cum gula, ad deuorandum, sed contrahi tantùm, præterquam quòd nunquam Galenus ipse de tali extensione meminit, sed de sola retractione deorsum; & per eam cibum in ventriculum detrudi passim docet, vbi de proposito loquitur; & manifestè deducitur ex eo, quoniam si vnus oblongus villus sat esset ad naturaliter dilatandum,

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 496 sur 927

& conſtringendum gulam, vnus perinde muſculus ſufficeret ad ſimiles motus arbitrarios peragendos. Atqui ad extendendum, & contrahendum quoduis, natura parauit oppoſitos muſculos, internum, & externum, quorum contractione pro arbitrio dilatetur, vel conſtringatur. Igitur vnus, iſque rectus villus internus, ſe ſimul, & gulam non extendet, & conſtringet; præſertim cùm vna tantùm ſit, tam muſculi, quàm villi operatio, contractio nempe ſuæ longitudinis.

Deinde vna facultas cum vno inſtrumento vnum tantùm peragit, & poteſt. Igitur tractrix, eiuſdem recti villi beneficio non extendet, & conſtringet gulam, nec villus ipſe, cuius naturalis operatio eſt contractio, ſe ex natura vnquàm dilatabit, maximè nulla ad id cogente neceſſitate, cùm vel ex ipſo Galeno 3. *de nat. facult. cit.* & alibi, vtræque gulæ tunicæ, per quas ſui villi protrahuntur, vſque ad os ipſum pertineant, & ad alimentum trahendum pertingant.

Quanquam verò per gulam, & recta illa ſtamina, veluti per manus ad ſe ventriculus trahat, & ventriculi tractio cum illa manuum aſſimiletur, non proinde neceſſe eſt, quod ſicuti manus priùs extenditur, quàm contrahatur, idem etiam fiat in ventriculi tractione: nam præterquàm neceſſe non eſt ſimilia in omnibus conuenire, etiam meſaræi venæ iecoris manus dicuntur, nec ideò tamen dixeris ad attrahendum diſtendi.

Iam verò inter deuorandum quantum larynx eleuatur, tantum ſubſidet gula, trahitúrque deorſum ob eiuſdem tunicæ continuitatem, tantum abeſt quòd pariter cum larynge ſurſum feratur, *cit. de nat. facult.* non ſecus ac in ferrea rota (cuius exemplo vtitur Galenus 7. *de vſu part. cap.* 7.) quæ ciconia, ſeu ſcrobs appellatur, vno vaſe ſubſidente, vas alteri extremo catenæ alligatum in ſublime effertur. Non negamus autem membrum quod conſtringitur, poſſe dilatari, ſed non extenſione villorum, cùm tam extenſio quàm conſtrictio membri contractione villorum perficiatur, neque eiſdem, ſed oppoſitis, prout varij exigunt motus.

Denique in ingenti fame ventrem ſurſum in os rapi, præſertim in piſcibus, quibus prope os ſitus eſt, *cit. de Hiſt. animal.* 2. non probat inter deglutiendum extendi, ſed quemadmodum vterus in partu præ expulſionis conatu, quem non extentus, ſed contractus adhibet, ad fœtum extrudendum, plerumque ſimul etiam procidit, & relaxatur, dum alterum nititur deiicere; ita & ventriculus præ vehementi fame immodicè fugens, totus ferè extra rapitur ad ingerendum, contractus tamen. Ex quibus ad quæſtionem in initio propoſitam patet reſponſio.

Cauſa.

AGitandum modò de cauſa Diabetis: *Vtrùm à calida renum intemperie oriatur ſemper?* Cui quæſtioni affirmatiuè priſcorum doctiſſimi reſpondent. Si enim Galeni doctrinæ eſt ſtandum, affirmantis renes in hoc affectu excellentiſſimam vim in attrahendo obtinere, cur à frigida intemperie oriri affirmabimus, cùm à calida intemperie attractionem fieri, à frigida impediri, vnanimiter Medici, & Philoſophi conteſtentur. Deinde hypochondriorum, vniuerſíque corporis æſtus, & ardor inſignis, qui diabete correptos grauiter infeſtare ſolet, in renibus ſuccenſam eſſe calidam intemperiem planè demonſtrat, & in hepate, & genere venoſo, vehementer fixam, à qua ſanguis liquatur, funditur, & eius maior portio in ſerum mutatur, & à renibus attrahitur, cuius nimiam quantitatem cùm retinere nequeant, ad veſicam protrudunt, hincque tanta lotij copia emittitur. Hac ratione corporis moles extenuatur; quare Aretæus *lib. 2. de cauſ. & ſign. diuturn. morbor. cap.* 2. diabetem eſſe ſcripſit, carnium, ac membrorum colliquationem in vrinam.

Præterea liquare, fundere, ſeparare, attrahere, ſolùm à calore perfici poſſe, adeò notum eſt, vt probatione non indigeat, & diſertè firmauit Gal. *lib. 5. ſimpl. c.* 13. §. *Siquidem quò facillimè ad ſe trahant renes, quod in ſanguine aqueum, tenuéque, ac ſeroſum eſt, vtraque hæc conferunt, nempe totius ſanguinis primùm fuſio, deinde ſeparatio, quorum neutrum abſque valido calore peragi queat.* Adde quòd priſci, maximéque Trallianus, vniuerſi corporis refrigerationem, & humectationem, in his qui diabetem patiuntur, commendarunt, nempe lactis, præſertim ouilli potum, quia humectat valde, ſuauiter attemperat, vnáque incraſſando, ſanguinem fuſioni minùs aptum reddit. Demum, diabetici curantur ſicut hectici, balneo, quia ambo calida intemperie laborant.

Neque obiicias contrà ſentientem Aretæum, & Auicennam *loc. cit.* §. *Ex frigore dominante corpori, aut renibus. Et quandoque facit illud potus aquæ frigidæ, aut obſeſſio vehemens frigoris in totum penetrantis, &c.* qui hunc affectum à frigida renum intemperie oriri perſuaſere ſibi, maximè cùm ſic affecti vrinam emittant crudam, quam à ſola debilitate, orta ex frigiditate emanare non eunt inficias: Nam immediata diabetis cauſa, eſt immodica intemperies calida, quam ab excedenti frigiditate, hoc eſt, natiui caloris inopia proficiſci certum eſt. Quare à poſitiua caliditate per ſe, diabetes; à priuatiua, per accidens, hoc eſt, debilitate natiui caloris quandoque emanat, putredinis inſtar, quam ab excedenti caliditate, & à peregrina frigiditate ſcaturire, 4. *meteor.* 1. Philoſophus concedit.

Sciſcitandum deinde: *Vtrùm omnes naturales facultates in diabete ſint oblæſæ?* Nam Galenus 6. *de loc. cap.* 3. attractricem, & retinentem ſummoperè lædi affirmat, & *lib.* 1. *de criſib. cap.* 12. virtutem retentricem ſimul, atque etiam alteratricem eorundem renum extinctas, ſeu ablatas eſſe in hac affectione aſſeruit. Quare tres diuerſæ renum facultates in diabete oblæduntur: Attractrix immodicè attrahit, & hac ratione plurima vrinæ copia ad renes accedit; retentrix officium ſuum non peragit, alioquî non tanta celeritate vrinæ profluuium ſequeretur; ſed cùm ſeroſa materia in renibus non perſiſtat, iccircò alterationis ablatio adeſt: Verùm attractrix primò. & per ſe læditur, retentrix adeò imbecilla eſt, vt ablata dici poſſit, concoctrix ideò extincta eſt; quapropter vrina excernitur cruda, & incocta.

Cùm verò ab intemperie calida renum, cui illicò iecoris, & venarum nimia caliditas iungitur, hoc vitium emanet, neceſſe eſt vt bilioſi, & acris humoris in corpore copia excreſcat, maximè ſi præceſſerint febres ardentes, æſtiuo præſertim tempore generatæ, ciborum calidorum, & mordacium vſus, vini generoſi immodicus potus, immodicum exercitium, importunæ vigiliæ, applicatio ad ignem iuxta renes, Venus immodica, & alia quæ calefaciunt iecur, venoſum genus, & corpus vniuerſum; pro ſalſorum, & acrium humorum copia propullulat.

Signa.

SIgnis euidentibus cognoſcitur hoc malum: Nam copioſior multò redditur vrina, quàm potus aſſumitur, quia ab immodico, & exurente calore renum, tota ſeroſa humiditas liquatur, & attrahitur, & cum ea partium congenita humiditas reſoluitur, & euaneſcit. Quapropter viſcera ipſis exuri videntur, animo linquuntur, faſtidio premuntur, ex ore ſaliuam albam, & ſpumantem reddunt, ſiti incompeſcibili vexantur, & ex violenta ſeri attractione illis abdomen corrugatur, tandem hectica febre detenti, extenuantur & contabeſcunt.

Præſagium.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 497 sur 927

©BIUM

Præsagium.

EX superioribus manifestè patet, quàm dirus, pertinax, & exitialis sit affectus hic, qui si semel inuaserit, (rarò autem accidit) interficit: Nam ob excedentem renum caliditatem, non solùm humores venarum, verùm etiam totius corporis immoderatiùs liquantur, & attrahuntur; quare subsequitur retorrida siccitas, velut in marasmo accidit persæpe, quæ in immedicabilem tabem transit necessariò, maximè cùm plures instrumentorum cuiusque generis actiones, & vires sint impeditæ: quæ si ex toto perierint, aut sint abolitæ, deterrimus est morbus, & nullum postea æger remedium habet.

Curatio.

IN pluribus conuenit huius affectus curatio cum hectica febre: quoniam in sex rebus non naturalibus is ordo seruandus est, vt corpus refrigeretur, & humectetur, firmentur renes, & eorum exuberans caliditas attemperetur. De magnis auxiliis sic determinandum: Si affectus incipiat, & vires adsint, ad ventilandum, & refrigerandum, sanguis è basilica potest emitti. Lenia expurgantia in eundem vsum possunt concedi, quæ acrium humorum momentum per aluum deturbent, prout *lib. 2. Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 138. docuimus. Vomitus prodest, præsertim quibus salsa pituita in ventriculo abundat. Clysmata vtilia, si sint lenia, & quæ renum calidam intemperiem demulceant. Balnea summoperè iuuant, linimenta, vnguenta super renes, & hepar apposita, summo sunt ex vsu. Narcotica valdè prosunt: nam attemperant renum feruorem, profluuium coërcent, somnum conciliant. Quòd si salsa pituita, acris, & mordax, è capite in renes decumbat, Fontanella brachiis affixa mirificam vtilitatem præstat. Quoniam verò horum remediorum formulas ad refrigerandos renes, & hepar, *cap. de Tertianæ exquisita*, & *Hectica, lib.* 4. sumus yberiùs descripturi, & in aliis locis sunt res propositæ; iccircò modò calamo habenas præstare satius duco.

OBSERVATIO.

Diabetes, frigidissimo balneo, curatus.

HOmo erat in iuuenili ætate constitutus, gracilis, iracundus, & vini potui generosi valde assuetus. Hic febri ardente oppressus, & curatus, in diabeticam incidit passionem; nam quemcunque liquorem bibebat, illicò inalteratum per vrinam reddebat. Hic, cùm arderent viscera, dorsum peruri videretur, sitique premeretur incompescibili, quotidie nonaginta ferè libras tum aquæ, tum cereuisiæ ebibitas, citissimè per vrinam excernebat, nulla in colore, sapore, odore mutatione facta. Plura, sed citra fructum vllum auxilia tentata. Tandem cùm indies extenuaretur magis, & præcordia flagrarent incendio, subitò in lacunam aqua gelidissima plenam nudum sponte sua sese proiecit, sæuiente bruma. Sequenti die potauit minùs, non tam angustiosa siti oppressus. Vtilitatem contemplatus, idem prosequitur auxilium, per horam in balneo frigidissimo immoratus; in quod cùm viginti dierum spatio semel in die in aurora ingrederetur, ex toto sitis est ablata, renúmque retentrice robustiore facta, vigorosior est redditus, & vrinam tempestiuè excernebat, nulla imposterum siti cruciatus.

Verùm hic liber iustam iam est adeptus molem, in quo, sicut superiore, & cæteris, ne mireris quòd crebriter in Galeni vireta, cuius doctrinam inconcusso animo tuemur, diuertamus: Nam vir est in medica scientia celebris, & qui voculis nostris, vel indisertissimis haudquaquam indiget. Si quid tamen in hac industria nostra, vel eloquentiæ, vel bonarum artium cognitionis eluxit, si quid fuimus, id omne vel nos à Galeno accepisse, vel ipsum sibi se defendendo suppeditasse, facilè existimari patimur, ac volumus; maximè cùm vniuersæ Reipublicæ medicæ, illius illucear summa sapientiæ amplitudo, atque maiestas: quare remis velisque, hucusque sumus adnixi, vt huius artificis eminentissimi doctrina suo restituatur nitori, ab omníque prorsus labe defæcata, sincera, & integra in Medicorum aras offeratur.

In huius ergo facundissimi auctoris scriptis, in libris de locis affectis, sec. gener. & sec. loc. plurima morborum genera reperiuntur, quorum ille ex sua, & veterum mente peculiarem curationem instituit, quæ ad partes vitales, & naturales pertinere videntur, de quorum curatione in his libris libris non meminimus, quia ad symptomata febrium possunt reduci. Quare ne in vastam molem hæc excrescant volumina, néve eadem iterum repetamus, placuit ad *librum* 5. in quo de curatione symptomatum febrium agendum est apprimè, eorum praxin reseruare: Nam hæc symptomata vel febres præcedunt, vel cum ipsis enascuntur, vel in medio impetu insiliunt, vel finita febri apparent. Antecedunt lassitudo, dolor capitis, sudor superfluus, Nausea, Vomitus, Inappetentia, diarrhœa, cholera, sternutatio importuna, Dorsi incendium.

Incipiente febri apparent, Colicus dolor, intestinorum tormina, hæmorrhoïdes, hæmorrhagia, tussis, dysenteria, icterus, lachrymarum fluxus, fames canina, læsio gustus, ventriculi dolor, sitis immodica, animi deliquium, syncope, cordis palpitatio, vermes, rigor, conuulsio, & aphonia.

In medio febrium insultu, propullulant parotides, stilla sanguinis è naribus, frigiditas extremorum, sanguinis mictus, hepatis dolor, Vigilia immodica, somnus profundus, cœliaca, lienteria, hepatis incendium, Aurium tinnitus, Vertigo, Teneſmus, difficultas respirandi, difficultas transglutiendi, singultus, Aphthæ, linguæ scabrities, linguæ nigredo, delirium, Vrinæ suppressio, Vrinæ ardor.

Finita febri, proferunt sese ventriculi languor, tumor pedum, hepatis scirrhus, lienis scirrhus, aluus adstricta, corporis, & axillarum fœtor, ventriculi inflatio, corporis macies, difficultas ambulandi, Articulorum dolores, surditas, obtusio visus, vnguium scabrities, incendium in volis manuum ac pedum, cutis scissuræ, totius corporis rubedo, Porrigo, Verrucæ, Pediculatio, Scabies, & pruritus.

De horum omnium symptomatum curatione singulatim eo loco peragemus. Nunc adspirante Diuino Numine, cui sit honor, & gloria in sæculorum sæcula, ad tertium librum adspiremus, in quo mulierum morbi pensiculatè examinantur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ZACVTI

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 498 sur 927

ZACVTI LVSITANI,
PRAXIS HISTORIARVM,

LIBER TERTIVS.
DE MORBORVM MVLIEBRIVM curatione agens.

PRÆFATIVNCVLA.

CVM elegantiſſimum, & pulcherrimum mulieris corpus contemplor, in eo maieſtatem quandam ſupranaturalem adeſſe non dubito, cùm pulchritudo ipſa nihil aliud ſit, quàm diuini vultus, atque luminis ſplendor in rebus inſitus, per corpora formoſa relucens. Mulieris enim corpuſculum, omni aſpectu, tactúque eſt delicatiſſimum, caro tenerrima, color clarus, & candidus, cutis nitida, caput decorum, cæſaries venuſtiſſima, capilli molles, lucidi, & protenſi, vultus auguſtior, proſpectus hilarior, facies omnium formoſiſſima, ceruix lactea, frons explicata, ſpatioſa, & ſplendida, oculi vibrantes, micantéſque, amabili hilaritate & gratia contemperati, ſupra quos ſupercilia in tenuem gyrum compoſita, eadémque cum decora planitie, decenti diſtantia ſunt diuiſa, è quorum medio deſcendit naſus, æqualis, & intra rectum modum cohibitus, ſub quo os rutilum, & tenellis labris conformi compoſitione venuſtum, intra quæ tenui riſu dentes emicant, minutuli, & æquo ordine locati, eburneo candore nitentes. Circumſurgunt maxillæ, genæque tenera mollitie, roſeo fulgore rubentes, pudore, ac verecundia plenæ. Subeſt mentum orbiculare decenti concauitate iucundum. Sub hoc collum eſt gracile, & longiuſculum, rotundis ex humeris erectum: ſequitur gula delicata, & albicans, mediocri craſſitie fulta. Vox ſuauis, pectus amplum, & eminens, æquali carne veſtitum, cum mammillarum duritie, illarúmque ſimul, ac ventris orbiculari rotunditate. Latera mollia, dorſum planum, & erectum, brachia extenſa, manus teretes, digitíque concinnis iuncturis protenſi, ilia, coxæque habitiores, ſuræ carnoſæ, extrema manuum, pedúmque in orbicularem ductum deſinentia, ſinguláque membra ſucci plena. Ad hæc inceſſus, greſsúſque modeſtus, motus decentior, geſtus digniores, totius præterea corporis ordine, atque ſymmetria, figura, ac habitudine, longè latéque in omnibus ſpecioſiſſima, nulláque in tota creaturarum ſerie æquè amabilis, neque ſpectaculum vllum adeò mirandum, neque miraculum perinde ſpectandum, vt nemo, niſi cæcus omnino, non videat, quantæ quantæ pulchritudinis capax eſt mundus vniuerſus, id in mulierem ſimul congeſſiſſe, vt ob id illam omnis creatura ſtupeſcat, & multis nominibus amet, ac veneretur. Quòd ſi hæc ſenſui patent quotidiano, & ex pulchritudine, quæ eſt compoſitio partium omnium

cum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 499 sur 927

cum proportione operibus accommodatissima, rimatur Galenus *in art. med. cap.* 8. corporis salubritatem, & robur, cur fœminæ, tot tantísque, imò sæuissimis morbis sunt obnoxiæ natura suapte? At qui Philosophorum, Medicorúmque volumina attentè perlegerit, huius rei velut miraculosæ causam meritò mirabitur, cùm exemplum quod vnicum duntaxat subiiciam, præstò sit ad manum. In menstruo latet omne damnum: hic enim sanguis, præterquam quòd à quartana, epilepsia, elephantiasi, morbis melancholicis, & aliis pernicioſissimis ægritudinibus fœminas præseruat, si singulis mensibus, statuto ordine, & debita quantitate per vterum emanet, nulla labe fœdatus; si ob plures causas retineatur, aut plus iusto effluat, miseranda mala concitat, & ipsas in graue periculum deturbat. Accedit ad hoc, aliud naturæ stupendum miraculum, quòd mulier prægnans, suppresso menstruo, prohibito difflari, ac in putredinosam naturam abeunte, sæpius impunè victitat carnibus incoctis, incoctísque piscibus, carbone, luto, lana, terra, putamine ouorum, farina; quæ siquando non possit coquere, nec expellere, nec in corporis salutiferum alimentum commutare, morbos patitur hac de causa funestos, diros, immedicabiles. Si verò hic menstruus sanguis post partum non rectè profluat, aut nimiùm fluat, iisdem, vehementioribus tamen, opprimitur ac vexatur, cùm ex partus languore imbellis succumbat, & si res rectè eueniat, in posterum ex vtero, tanquam ex perennissimo fonte emanant morbi monstrosi, Lernæi, insuperabiles, Herculea claua, hoc est apta, concinnáque remediorum methodo persanandi. Hanc nos, quoad poterit, seruabimus in hoc libro, primò, communium fœminarum, deinde grauidarum, postremò enixarum curationem proponentes. Inceptis annuat Deus Opt. Max.

CAPVT I.

De excellentia Fœminei sexus.

MAGNVM opus molior, meo rudi ingenio indignum: nam curationem præscribere muliebrium morborum, tam difficile est, quàm esse Medicum. Illud verò in limine præfari opus est, dequè præstantia fœminarum aliquid mentione dignum commentari, vt earum laudibus lectores allecti, ad curandos morbos, quibus ipsæ assiduè premuntur, accelerent, & auxiliis strenuis muniti, illorum furiosos impetus, symptomatum multiplicem struem, dolorum ineffabiles cruciatus retundere, ac refrænare possint.

Quamobrem primo loco exagito dubium: *Vtrùm fœminæ præstantia, & excellentia sint superiores viris?* Marem, & fœminam solo situ partium corporis inter se differre, in quibus vsus generandi diuersitatem necessariam exigebat, à Medicis vnanimi consensu sanctum est: Nam cunctorum genitor, ac bonorum vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, eandem & masculo, & fœminæ omnino indifferentem animæ formam præstitit, inter quam nulla prorsus sexus est distantia. Eandem ipsa mulier cum viro sortita est mentem, rationem, atque sermonem, & ad eundem tendit beatitudinis finem, vbi sexus nulla erit acceptio. Nulla itaque est ab essentia animæ inter virum & mulierem, alterius super alterum nobilitatis præeminentia, sed vtriusque par dignitatis innata libertas.

Quæ autem præter animæ diuinam essentiam in homine reliqua sunt, in iis muliebris inclita stirps durum virorum genus in infinitum penè excellit. Tantò enim mulier viro excellentior facta est, quantò excellentius præ illo nomen accepit: nam Adam, terra sonat, Eua autem, vita interpretatur. At quàm vita ipsa A terra est excellentior, tam viro ipsi mulier est præferenda: moribus, pudore, mansuetudine, animi candore, pietate, patientia, & aliis præclarissimis virtutibus, quæ vt rariores sunt in viro, ita frequentiùs in illa eminent, & excellunt.

Scrutemur itaque Scripturas, & ab ipso creationis initio sumentes exordium, quid dignitatis mulier ipsa in primo productionis ordine supra virum sortita sit, disseramus. Scimus Deum Optimum Maximum in creatione hoc ordine progressum, vt à nobiliori vnius incipiens, in nobilissimum alterius desineret. Creauit ergo incorruptibilia corpora, cœlos, stellas, elementa, deinde cætera omnia quæ corruptioni subiecta sunt, conflauit ex vilioribus, per singulos dignitatis gradus rursus ascendendo, ad vniuersi perfectionem procedens. Hinc primùm mineralia prodierunt: post vegetabilia, plantæ, & arbores. Demum animantia bruta per ordinem, reptilia natantia, volantia, quadrupeda. Postremò creauit sibi similes homines duos, marem inquam primum, & postremò fœminam, in qua perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum; ad mulieris enim creationem veniens Creator, quieuit in ea, vltra quam non inuenitur creatura alia, nec excogitari potest. Quare cùm ipsa sit creaturarum perfectissima; imò vniuersi perfectio, quis eam negabit super omnem creaturam præexcellentia dignissimam? Sicut ergo mulier, dum creatur mundus, inter omnia creata tempore fuit vltima, eadem cùm auctoritate, tùm dignitate, in ipso diuinæ mentis conceptu, omnium fuit prima: ea siquidem est peruulgata philosophantium sententia, finem semper priorem esse in intentione, & in executione postremum. Mulier autem fuit vltimum Dei opus, introducta à Deo in hunc mundum, velut eius regina, in regiam publicam, splendidè ornatam, & omnibus numeris absolutam. Quamobrem illam omnis creatura videre summopere gestit, colit, & obseruat.

Quantum autem, ratione loci in quo creata est mulier, generis nobilitate virum excedat, sacra nobis eloquia locupletissimè contestantur, quando mulier in

in Paradiſo, nobiliſſimo loco pariter, & amœniſſimo, cum Angelis formata eſt; vir autem extra Paradiſum, in agro rurali cum brutis animantibus factus eſt: poſtea propter creandam mulierem in Paradiſum traductus. Quòd autem loci dignitas ad hominis nobilitatem faciat, loci ciuiles haud obſcurè confirmant, & omnium gentium conſuetudo illud maximè obſeruat, non ſolùm in hominibus, ſed in animalibus cunctis, etiam in inanimatis æſtimandis, vt quantò quæque digniori ſunt loco, tantò generoſiora cenſeantur.

Præterea. Mulier præcellit virum materia creationis, propterea quòd non ex inanimato quopiam, aut vili luto creata, quemadmodum vir, ſed ex materia purificata, viuificata, & animata, anima inquam rationali mentem participante diuinam. Accedit, quòd vir ex terra, quaſi ſuapte natura omnis generis animantia producente, cooperante cœleſti influxu à Deo factus eſt: Mulier autem ſupra omnem cœli influxum, ac naturæ promptitudinem, abſque vlla virtute cooperante, à ſolo Deo creata eſt, in omnibus ſibi conſtans, integra, ac perfecta, viro interim vnius coſtæ iacturam faciente, ex qua formata eſt mulier, videlicet Eua de Adam dormiente, & quidem tam profundè, vt ne coſtam quidem euelli ſentiret, quam Deus abſtulit à viro, & dedit mulieri. Vir itaque naturæ opus eſt; Mulier opificium Dei.

Scimus inſuper, haud dubiè propter mulierem viro Deum benedixiſſe, quam benedictionem vir, vtpote indignus, habere non meruerat, priuſquàm mulier eſſet creata. Cui conſonat illud Salomonis, *Prouerb. cap.18. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & haurit benedictionem à Domino:* & illud *Eccleſiaſtici cap.26. Mulieris bonæ beatus vir! numerus annorum illius duplex.* Et nullus homo poteſt in dignitate comparari illi, qui dignus fuerit habere mulierem bonam: Nam, vt ait *Eccleſiaſticus cap.26. Mulier bona eſt gratia ſupra omnem gratiam:* ideóque Salomon *Prouerb.16.* vocat illam coronâ viri. Mulier itaque conſummatio, perfectio, fœlicitas, benedictio, & gloria viri exiſtit. Iccircò illam omnis homo amet eſt neceſſe, quam qui non amauerit, qui odio habuerit, ab omnibus virtutibus, & gratiis, nedum humanitate alienus eſt. Demum ſi ſacram paginam ſeriò reuoluamus, inuenìemus mulierum in omnibus virtutibus conſtantiam ſuprà viros longè commendatam. Non eſt mirandũ, ſi tam multa de mulierum laudibus dixerim, cùm longè adhuc plura reticuerim, quippe qui non ſim tam ambitioſæ ceruicis, vt mulierum infinitas virtutes, atque præſtantiam, tam pauculo ſermone me poſſe complecti præſumam. Quis enim ad recenſendas illarum laudes ſufficiat, à quibus omne noſtrum eſſe, omníſque humani generis conſeruatio, quod aliàs breui periturum eſſet, omníſque familia, & reſpublica dependent? Sed ne in maiorem fabricam turgeſcat caput, breuitati ſtudens, calamo habenas præſtare nunc ſatius duxi.

CAPVT II.

De difficultate & periculo muliebrium morborum.

ANtequàm ad ſingulos mulierum morbos curandos deſcendamus, de eorum grauitate, & periculo diſputationem hoc loco pertexemus: *Vtrùm muliebres morbi virilibus ſint grauiores & curatu difficiles?* Reſponderet Dictator ſummus in hunc modum, *lib. de natur. mulieb. num.1. Qui rectè tractare vult fœminarum morbos, oportet primùm ex Diis exordiatur curationem:* quaſi difficiles mulierum morbi, petardui, periculoſi, & graues, non humana ope, ſed diuina potentia ſolùm poſſint perſanari.

Si enim earum morbos attentè rimeris, & in actuoſa praxi ſolicito animo attendas, proculdubio perſpicies ſymptomatum rarorum reciprocantes fluctus, inuias voragines, & inexplicabiles remediorum nexus, ita vt in quam partem inclines, prorſus ignores. Et vt à menſtruo ſanguine ſumamus exordium, quid magis difficile, & laborioſum, quàm fœminam nimio ſanguinis fluxu per vterum emanante, viribus iam exhauſtam, in vitam reducere, celebrata phlebotomia ad reuellendum fluxum? quæ cùm ob debilitatem extremam vehementer videatur noxia, ea tamen poſtremus huius ſymptomatis coërcendi cardo conſiſtit: & ſic huius auxilij deliberatio Medicos ob contrarias & aduerſas indicationes, dubios reddit, & ancipites.

Rurſus. Si menſtruus profluat per vterum ſtatuto tempore ſanguis, & ex apparatu morboſo, concitetur febris, ex humore intra venas ſtabulante enata, quid faciendum ſit, hæſitat artifex: ſi enim acciſos menſes prouocare conetur vena ſecta in partibus inferis, timor eſt ne efferueſcens ſanguis in viſceribus, ſæua ſymptomata inducat, aut in aliquam partem principem irruens inflammationem internam committat; quæ ſi acciderit, magis difficilem reddit curandi viam: ſi autem cruorem ex gibbero demas, purgationem menſtruam ſurſum euocas, quæ omnia Medicos vel peritiſſimos ſæpe decipiunt.

Quid referam de morbis truculentis grauidarum, in quorum curatione, ob ancipites & dubios euentus, Medici ſæpiſſimè vacillant, & deerrant? Si namque miſeras fœminas in primis, aut poſtremis geſtationis menſibus inflammatio partis principis exerceat, quid faciendum in agone tanto hæſitant ipſi: ſi venam ſecas pro vrgentia morbi, & periculi ratione, timor eſt ne exhauſto pabulo pereat fœtus, & ſequatur abortus, cuius violenta vi implacabiles morbi expullulant; ſi differs præſidia, ſæuities morbi mortem accelerat.

Accedamus ad morbos enixarum funeſtos, curatu difficiles, inenarrabiles, ac prorſus diros, in quos ferè incidunt inopinatò laxatæ, & ex grauitate partus debiles factæ, inſomnes, doloribus oppreſſæ, maxima pudendarum partium dilatatione vexatæ, acetabulorum diuulſione, excrementorum acredine fatigatæ, adeóque viribus proſtratæ, exaniméſque reddũtur perſæpe, ex lochiorum nimio effluxu, vt eas iam moribundas, exhalaturáſque animam expectes: ſæui enim dolores illas inuadunt, angores immanes, hoſtiles cruciatus, funeſtæ ærumnæ, vt parturitio ipſa, vel etiam naturalis, dicenda ſit grauis, ardua, & periculo plena.

Muliebres autem morbos eſſe periculoſos, & exitiales, dubitat nemo qui in arte medendi eſt exercitatus. Cùm enim illi ex vnico ferè principio ſcaturiant, nempe menſtruo ſanguine, verè affirmare poſſumus, eos deleteria ſemper imbutos eſſe qualitate. Si namque is ſanguis retineatur, etſi ſit purus, & nulla labe fœdatus, coërcitus tamen, & non ventilatus, putreſcit, febres malignas, aliáque horrenda vitia accerſit.

Grauidarum morbos eſſe periculi plenos, ratio dictat: nam in illis morbi natura ſua difficiles, grauiſſimi, ac exitiales, extrema auxilia, ſanguinis nempe miſſionem, & expurgationem expoſtulant, renuit conceptio; quare non poſſunt Medici illis validum aliquod auxilium adhibere, auctore Galeno 5. *Aph.55.* Si ergo hæc pro multitudinis ratione non celebrentur, in deterius ruat affectus, neceſſe eſt; quare *ſi mulier grauida acuto morbo corripiatur, lethale*, dicebat Cous ſenex.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 501 sur 927

Huc alludit illud eiusdem oraculum, *lib. 1. de morb. num. 3.* dicens. *Si mulier vtero gerens peripneumonia, pleuritide, phrenitide, & ardente febre corripiatur, aut erysipelas in vtero fiat, necessitatem habet, vt ab ipsis perimatur.* Altera causa addenda ex Arist. *4. de generat. animal. cap. 6.* dicente, bruta, dum vtero gerunt, magna ex parte optimè valere, mulieres plerumque ægrotare: illa enim exercentur, laborant, excrementa absumunt; hæ in otio viuunt, & ob sedentariam vitam excrementorum copiam accumulant. Postrema causa est, quòd ob deprauatum appetitum, praui succi cibaria inordinatè ingurgitant, quæ licèt vbi assumpta sunt, bellè videantur concoqui, tractu tamen temporis, in ipsis gestationis mensibus postremis corrupta, febres malignas excitant, vt de cucumeribus pronunciat Galenus, *lib. de alim. facult. cap. 6.*

Enixarum morbos esse periculosos, ac diros, facilè probari potest: cùm enim fœtus in vtero per totum conceptionis tempus dulcissimo sanguine alatur, impurum respuat, auctore Hippocr. *lib. de natur. puer. num. 39.* fit vt in vniuerso corpore, tetri & spurci supersit excrementi colluuies, ex illo prauè elaborato sanguine suborta, quæ enixus commotione exagitata, feruens, & ebulliens, halitus ex se eructat noxios, & virulentiæ plenos, qui suam corpori cacoëthiam impertiunrur abundè, ex quorum fonte sæuissimi germinant morbi, symptomata dira. Audi senis expertissimi interpretem grauissimum, *lib. 1. epid. sect. 3. com. 21.* sic loquentem. *Illud certè in omnibus mulieribus, quarum impedita à partu est purgatio, sciendum est, & memoria tenendum, esse quæ in extremum mortis discrimen veniant: perpaucas admodum, quæ modicè infestatæ sunt, propterea quòd plurimis vterus inflammetur; quibusdam in ipso partu sanguis effusus diuersa sit qualitate, his biliosus, illis melancholicus, aliis virulentus, aut pituitosus, aut mediocriter bonus, sed exquisitè inculpatus haud vnquam: nam eius optima portio in fœtus incrementum est insumpta. Demonstrant naturam eius, symptomata quæ consequuntur cohibitam à partu purgationem: id quod huic accidit, de qua hoc loco verba fiunt, rigor, acuta febris, sitis, biliosus affluxus, delirium, vigiliæ, conuulsiones, palpitationes, vrina cruda, & iumentorum persimilis. Itaque morbi sunt pessimi, in quibus vtrique memorati succi abundant, &c.* Repetit *3. eiusd. operis, sect. 3. com. 73.* & *lib. 2. prorrhet. com. 48.*

Superiori quæstioni proxima est & illa: *Vtrùm morbi muliebres sint admirabiles, diuini?* Hippocrates *lib. 1. progn. text. 4.* sic ait: *Si quid in morbis diuinum fuerit, illius quoque habenda prouidentia.* Sed quid per diuinum intelligat, litigium est apud Auctores. Per id aliqui intelligunt iram Deorum, quasi morbi ab iratis Diis mittantur; verùm hæc opinatio refutatur à Galeno, cùm Hippocrates nunquam hoc crediderit: At ne in afferendis variis interpretum expositionibus tempus conteramus, Galenus per diuinum, aërem intellexit, sequutus Hippocratem, qui *1. epid. const. 2. com. 3.* aërem qui supra nos est, cœlum appellat, dum ait: *Cœlum erat procellosum, & nubilum.*

Sed licèt hæc explanatio vera sit, admittit & ille *in com. cit. sententiæ* Hippocratis, explanationem aliam satis veram, dum sic ait: *Non simpliciter, quæcunque causas habent incognitas, aut inopinabiles, diuina vocamus, sed vbi mirabilia habeantur duntaxat.* Diuinum igitur, est arduum, occultum, admirabile, apud Galenum, vti & apud Platonem *lib. de conuiuio.* Cùm itaque in cunctis ferè mulierum morbis, & in quolibet illarum statu plurima occurrant difficilia, ardua, admiranda, diuinum quidpiam procul dubio illis inest.

CAPVT III.

De numero muliebrium morborum.

NOn indigna quæstio censeri debet: *Vtrùm fœminæ pluribus morbis sint obnoxiæ, quàm viri?* Respondet Hippocrates *lib. 1. de morb. mulier. num. 87.* in hunc modum: *Periculosa verò sunt, & plerunque acuta, & magna, & intellectu difficilia, eo quòd mulieres participant morbis, & aliquando neque sciunt quòd ægrotant, priusquàm morbos experiantur à mensibus, & seniores factæ fuerint, tunc autem necessitas, & tempus ipsas morborum causas docent; & quandoque non cognoscentibus ex quo morbo ægrotent, morbi incurabiles fiunt, antequàm doceatur Medicus ab ægrotante, ex quo morbo ægrotet. Verentur enim narrare etiamsi sciant, & præ imperitia, & ignorantia turpe sibi id esse putant. Sed & Medici simul peccant, non exactè morbi causam percontantes, sed velut viriles morbos sanantes. Et multas noui iam ab huiusmodi affectionibus correptas. Quare statim causam interrogare oportet: multum enim differt muliebrium morborum, ac virilium curatio, &c.*

Ex qua doctrina colligere licet, fœminas multorum morborum esse participes, hasque variis morbis, & diuersis à virorum affectionibus frequenter corripi, & ob id diuersam medendi rationem exposcere: nam præterquam quòd iisdem frequentiùs subiiciuntur morbis, quàm viri, quia debiliores illis sunt, frigidiores, & morborum impetus declinare nequeunt; etiam aliis, iisque sæuissimis sunt obnoxiæ, ratione vteri, cùm hic omnium muliebrium morborum causa sit, vt perbellè docuit Hippocrates *lib. de loc. in hom. num. 20.* ex quo diuerso sexu, quo sunt à natura constitutæ, omnis earum peculiaris emanat conditio.

Sexus ergo inter se differunt, per signa potissima, & manifesta, quæ à conceptu, partu, & educatione partus desumuntur; & natura mulieri largita est instrumenta ad partum, & conceptum necessaria, quibus illa à mare distinguitur. Hæc verò cùm operationes proprias, & peculiares habeant, quæ ex temperatura peculiari emanant, quæ vbi secundùm naturam se habuerit, hæc instrumenta propria sanitate, & vita fruuntur; contrà si vitietur, ægrotant, & tunc enascuntur morbi, qui à priscis vocantur muliebres, quòd contingant circa instrumenta, quæ sunt propria mulierum, non autem communia viris.

Instrumenta hæc sunt vterus, & mammæ: vterus, vt conceptui, & partui subseruiat; mammæ, vt nutritioni partus famulentur. Horum instrumentorum duplicia sunt officia, alia propria, communia alia: illa sunt tria, conceptus, partus, & menstruorum purgatio: ex communibus est nutritio, quæ alteratrice, attractrice, retentrice, & expultrice perficitur. Accidunt ergo morbi circa vterum, si lædatur conceptus; deinde si lædatur partus, vltimò, si lædantur menstruæ purgationes, quæ omnia propria vteri opera dicuntur. In conceptu plurimi eueniunt morbi: si enim nunquam, aut rarò fiat, appellatur sterilitas; si concipiatur aliquid, quod naturam humanam non repræsentet, fit mola. Partus, aut est celerior quàm oportet, & abortiunt fœminæ; aut tardior, & emoritur; aut ex gemellis, vno mortuo, alter exit ex vtero viuus, & vocatur Vopiscus, à Plinio *lib. 7. cap. 10.* Vel partus exit cum dolore, & anxietate parientis plurima, & appellatur partus difficilis: aut exit fœtus pedibus, non capite, & dicitur à Plinio *loco citato* Agripa. Impediuntur operationes menstruorum, aut quia non fluunt, aut nimis profluunt, & appellantur menstrua suppressa, retardantia, minuta, vel superflua.

Vel

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 502 sur 927

Vel non fluunt, vt decet, & oriuntur affectus plures, vt fluxus muliebris, menſtrua alba, gonorrhœa. Opera communia lædunturvel ob ſimilares, vel inſtrumentarios morbos: ob illos vterus laborat intemperie, aut nuda, aut cum affluxu humoris. Inſtrumentarij morbi ſunt, vel in continui ſolutione, vel in mala conformatione: ob illam enaſcuntur vlcera, vulnera; ob hanc, quando moles vteri tota augetur ob inflammationem, flatum, aquoſos humores, ſaniem, & generatur hydrops vteri. Vel ſitus vteri permutatur, & inclinat ſurſum, vel deorſum, & gignuntur vteri ſtrangulatio, & procidentia. Morbi autem, qui lædunt proprias mamillarum operationes, ſunt qui nutrimentum partus, hoc eſt, lac permutant, & alterant, ſicque accidunt lactis defectus, abundantia, craſſitudo, liquiditas, acrimonia: quo pacto verisimile eſt, fœminas plures, & grauiores perpeti morbos, quàm viros.

CAPVT IV.

De curatione lethalium muliebrium morborum.

Vtrùm lethales morbi fœminarum ſint à Medico curandi? paulò obſcurius eſt. Fœminarum morbos plurimos exitiales eſſe, funeſtos, ac diros, *ſuprà* ex Hippocratis mente pronunciauimus: Cauſam quæris? eam affert Galenus *lib.6.de loc.affect.cap.5.* cùm enim omnes illarum morbi, ex duplici, eóque perenniſſimo fonte emanent, nempe ſanguine menſtruo, & ſemine retentis; & hæ ſubſtantiæ, etſi ſint elaboratæ, & exactè concoctæ, tamen quum in vtero, velut in ſentina, & cloaca totius corporis putreſcunt, veneficos halitus ex ſe eructantes, cor, viſceráque principalia inficiant & proſternant, fit vt morbi ex his corruptis ſubſtantiis oborti, ſint venenoſi, ferini, & lethales.

Quis enim in vteri ſtrangulatu vehementi, in quo pulſus, & reſpiratio abolentur ſæpe, non ſic cenſuit? In ſyncope vterina, Apoplexia, Epilepſia, conuulſione ab vtero ortis, Hyſterica palpitatione, quando ab halitu venefico ex vteri ergaſtulo eleuato, cerebrum, & cor diuerſimodè lancinante, ſcaturiunt. De huius cenſu ſunt vteri hydrops, carcinomata, vlcera doloſa, & cacoëthica, ſcirrhus, mola carnoſa, vteri inflammatio in grauidis, fiſtulæ: quæ omnes ægritudines ſunt lethales, & exitioſæ prorſus, & à Medico prudenti non tractandæ.

Neque hoc conſilium diſſonum eſt à mente Galeni *1.Aph.8.* præcipientis, *in morbis exitialibus, in quibus in ſtatu accidit mors, nihil à Medico eſſe agẽdum, cui ſolùm licet arte prognoſtica vti, quia deplorati non ſunt curandi; ſed in illis tantum finis eſt prædicendus, ne euentus noſtro adſcribatur errori*: tum etiam, vt *lib.11.meth.cap.9.* monuit Galenus, *ne infamemus præſidia quæ multis fuere ſaluti*: Idem affirmat *4.acut.12.in fin.* & *2.Aph.29.* quoniam, vt monuit Aëtius *tetrab.2.ſerm.1.cap.78. Vbi deſperata ſalus eſt, vanum cenſetur, præclara auxilia calumniæ imperitorum exponere*: quod *12.meth.cap.3.* Galenus confirmat, cum Celſo *lib.5.cap.26.§.Prudentis hominis eſt, eum qui ſeruari non poteſt, non attingere.*

Contrà obſtat auctoritas Aëtij *tetrab.4.ſerm.1.c.120. in fin.* dum ſic ait: *Quemadmodum igitur perfectè à malo, eiúſque diuturnitate victis, fruſtra manum admouemus; ita & abſtinere ab illis, qui iam affectione corripi, & tentari videntur, planè deſperantium hominum eſt, & malignorum, quia humanum, & plenum beneuolentiæ ſignum eſt, in extremis etiam malis, vſque ad experimentum procedere, ad reprimendam difficultatem morbi.* Hanc Aëtij ſententiam opere ipſo exercet Trallianus *lib.7. cap.13.* vbi diſputans de ſingulto mortali, in quo reliqua remedia non conferunt, docet confugiendum eſſe ad remedia, quæ à proprietate operantur, quia impium fuerit illum ægrotum deſerere. Idem docet Aretæus *lib.3.tardar.paſſion.cap.1.* & Auicenna ſignificauit *4.4. tract.2. cap.10. §. Ne proportionemur ad paucitatem miſericordiæ, &c.*

Præſentem difficultatem optimè ſoluit Galenus *lib.10.meth.cap.10.* docens obſeruandum eſſe conſilium Thucydidis, dicentis, quòd, quando vnica via ſalutis eſt, ea licèt cum periculo tentanda: nam multò melius eſt aliquid nos agentes periclitari, quàm ægros omni ſpe adempta certo perire. Idem prudenter docet *12.meth. cap.3. §. Ergo in huiuſmodi caſu, &c.* quo loco febrem ſyncopalem ex cruditate ſuccorum ſubortam, exitialem ob multas cauſas natura ſuapte, perſanare intendens, duo à Medico eſſe peragenda inculcat: primum, vt vtatur prædictione mortis, nam illa artificem à calumnia liberat, ex Hip. *1.progn.4.* & Galeno *lib.de conſt.art. med.cap.16.* Secundum, vt nullum generoſum auxilium celebrare aggrediatur, & hoc modo *citatis locis* pro contraria parte adductis, eſt intelligendus, imperans ne deplorati à Medico, magnis remediis pertractentur. Hac curandi methodo vſus eſt *6.Aph.38.* monens in cancro vlcerato, in quo omnino ſalus eſt deſperata, non eſſe ægrum relinquendum, in quo etſi non poſſit exequi præſidium magnum, applicetur paruum, & abluatur ſanies.

Hæc doctrina intelligenda eſt in morbis longis, in quibus mors imminet certò; at verò in acutis, etiamſi mors præ foribus adſit, æger deſerendus non eſt, & non ſolùm per minora, ſed per maiora remedia curandus. Hoc docet Auic. *loc. ſuprà cit. §. Et non deſiſtat à rationali cura, quoniam aliqui citra ſpem omnem mirabiliter ſanantur*: repetit *2.4.tract.2.cap.3. §. O quanta ſigna timoroſa viribus, &c.* quod deſumpſit ex Gal. *lib.de art.med. conſt. cap. 18. ante med.* docente, aliquando in morbis, præſertim acutis, inopinatam mortem, vel ſalutem contingere. Horum euentuum ea ratio aſſignari poteſt firmiſſima, quoniam acutorum morborum non omnino ſunt certæ prædictiones ad ſalutem, vel mortem, vt diſertè inculcat Hippocrates *lib.2.Aphor.19.* de quo argumento lege *lib.1. Hiſt. Princip. Medic. in com. hiſt.63. dub.3.* aliquas priſcorum auctoritates, quæ ad hoc inſtitutum comprobandum ſummè ſunt vtiles.

Non ergo miſeræ fœminæ, acutiſſimis, & deſperatis morbis etſi oppreſſæ, à curatione explodendæ: licèt enim Hippocrates *5.Aph.30.* acutos morbos grauidarum iudicet lethales, qui cùm mortem certò inferant, omnia, vel extrema reſpuunt auxilia, incaſſum celebranda: tamen verbum lethale non ita preſsè à Medicis ſumitur, cum Galeno *5.Aph.2.* ſed pro morbo qui admodum crebrò, non tamen ex neceſſitate mortem infert: imò lethalis morbus interdum ſumitur pro maligno, *2.criſ.5.* ſæpe cum maligno confunditur, *lib.de bonit. & vitio ſuccor. cap.1.* & *3.progn.2.* malignum autem ſæpe curationem admittere, experimento conſtat frequentiſſimo.

CAPVT V.

De prouidentia Medici in curandis morbis fœminarum.

MEdicorum clariſſimus *in diuinis ſuis prognoſticõ libris*, admirabilem in limine ſententiam præfatus, ſic inquit: *Medicum vti prouidentia, vt mihi videtur, optimum eſt*: & licèt Galenus *in com.* nomine prouidentiæ, præſenſionem, & prædictionem intelligat, quia

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 503 sur 927

necessarium est Medico futura prædicere, vt ex longinquo maiori præmeditatione remedia præparet, vt morbus radicitus extirpetur, & præhabito præsagio ægri illi melius obtemperent, & hic præsagiens à culpa mortis immunis euadat; tamen nomine prouidentiæ aliquid aliud intelligendum est, quod vt rectè explicetur, dubitare licet.

Vtrùm Medicus in curatione fœminarum, plusquàm in aliis, debeat esse prouidus, diligens & expertus? Medicus in omnibus morbis curandis debet esse diligens, expertus, & prouidus, & citò præstare manus auxiliares: nam occasio præceps, dicebat Hippocrates *lib. 1. Aph. 1.* quam captare debet, hoc est, rimari tempus opportunum ad agendum (teste Cicerone *lib. 1. Officior.*) est necesse: cùm hæc properet, propter artis materiam, hoc est corpus, quod continuò fluit, & momento temporis transmutatur, & continuò tendit ad siccitatem per omnes ætates, *1. de sanit. 2. lib. de marasmo, cap. 4.* ob quam causam circa eam non solùm Medici vulgares, sed celebres solent hallucinari, *lib. 2. ad Glauc. cap. 1.* Quare Hippocrates *in Epistola ad Crateuam* dicebat: *Ab omni quidem arte aliena res, dilatio est, verùm maximè in Medicina, in qua dilatio, vitæ periculum parit.* In hunc sensum dicebat Hippocrates *lib. de morb. sacro ad fin.* in singulis rebus oportere occasionem cognoscere, quia velocissimè transit, tum ob dictam causam, tum ob celerrimum motum humoris, qui in nostris corporibus diuersam dispositionem breui tempore excitat; qua ratione remedia quæ antea erant vtilia, deinde reproba sunt, & nullius vsus: & similiter vires, quæ modò sunt validæ ad tolerandum remedium, postea redditæ languidæ & imbelles, ipsum ferre nequeunt; hinc fit vt præsidia certo tempore celebrata conferant, intempestiuè verò administrata lædant, ex Galeno *3. de temp. cap. 3. in med.* & ideò dicebat Auicenna *1. 4. tract. 2. cap. 7. Phlebotomia cùm postponitur à principio, non est amplius intensio:* & Auicenna *22. 3. tract. 2. cap. 7. in fin.* disertè asseruit, *quòd medicamentum quandoque confert in vna hora, & deinde nocet:* repetit *4. 1. cap. 1. §. Et cum. hoc secundum vnam medicationem, &c.* Demum si occasio in chronicis morbis maiorem habeat latitudinem, quàm in acutis, in quibus medicari oportet eadem die, tardare verò, piaculum sit, *4. Ap. 10.* cùm *ea quæ celeritatem desiderant, celeriter peragere oporteat, 1. acut. 8.* quantò magis in acutissimis mulierum morbis, qui vehementissimis stipati symptomatis, ocyssimè properant ad statum, & persæpe subitò interneçant, cùm sint sæui, funesti, & graues.

In his Medicum debere esse expertum, imò dexterrimum, varietas symptomatum, quorum truculentia illæ ex improuiso lancinantur, manifestè demonstrat. Virgines enim, viduæ, grauidæ, & enixæ, etsi eodem morbo premantur, diuersum multoties expostulant auxilium, quare firma memoria præditus debet esse Medicus, vt solerti ingenio præsidia disponat. Moniales enim, aulicæ, otiosæ, vitam sedentariam agentes, diuersam propemodum efflagitant ægrotantes curandi viam, ab vxoratis, veneri deditis, concubitu vtentibus, ruralibus, exercitatis, & laboriosis. Certa ergo, & indubitata Medici periti, pro labyrintheis morbis curandis, debet esse experientia, quæ si sit mala, ad totius animalis interitum terminatur; in quem sensum dixit Hippocrates *lib. 6. epid. sect. 2. text. 29. Nihil temerè experiatur Medicus.* Est autem experimentum, comprehensio, obseruatio, & memoria illius, quod frequenter, & eodem modo à nobis visum est, ex Galeno *lib. de sect. cap. 2.* & *lib. de optim. sect. ad Thrasybul. cap. 11.* Quare rectè poterit definiri experientia, quòd sit memoria eorum, quæ sæpe & eodem modo perspecta sunt; hinc fit, vt ex pluribus experientiis, tota ars constituatur, quod significauit Galenus *1. prorrhet. sect. 3. com. 33.* dicens, Hippocratem ex multa experientia quam fecerat in particularibus, collegisse vniuersalia. Quare Arist. *2. post. vlt.* experientiam fieri ex sensu assueuerat, quia necessarium est in diuidua eiusdem speciei eadem ratione operantia efficere sensationes, ex quibus particularibus sensationibus debet fieri memoria, & ex particularibus memoriæ actionibus elicitur quoddam simulacrum, quod peculiari nomine vocatur experimentum.

Quòd si in fœminarum morbis curandis Medicus debet esse diligens, & expertus, cur non prouidus: vt imminentium symptomatum reciprocantes æstus, humorúmque irrequietos motus anteuertat, & refrænet, cùm in cuncto mulierum statu plurima propullulent difficilia, ardua, admiranda, quæ prouidere tam difficile est, quàm quod maximè. Hinc factum est, vt vetustissimus Magister *lib. 1. de morb. mulier. num. 87.* Medicos increpet, & coarguat, qui attentè non rimantur cuiusque morbi muliebris causam, conantúrque eosdem sanare virilium more, nescientes multùm differre, mulierum ac virorum curationem suscipere.

Nomine autem prouidentiæ, quid Galenus *cit. loc.* intellexerit, *suprà* ostendimus: verùm num aliud possit significari, dubium est. Neque à ratione alienum puto intelligere studium, curam, & diligentiam, quam in cuiuscumque morbi curatione Medicus obseruare debet, in cognitione morbi, causa morbifica inquirenda, symptomatibus perscrutandis, & in omnibus aliis, ex quibus indicatio potest desumi, aut variari illud quod iam indicatum est.

Non desunt qui affirment, prouidentiam duplicem continere significationem, prima, vt non solùm futurorum cognitionem: sed etiam operationem significet; qua ratione Deus dicitur prouidere creaturis, & gubernatores ciuitatis hac ratione publicæ saluti prouident: secunda, qua præsensionem, & prædictionem, quam Galenus *in com.* nihil existimat esse, nisi præcognitionem earum rerum, quæ sua natura sensibiles sunt, antequàm videantur. Et licèt vtraque ratione sit intelligendum illud verbum, [*prouidentia*] siquidem Medicus non solùm debet habere cognitionem morbi, sed etiam simul debet operari applicando remedia, vt morbus ex toto possit deuinci, & non debet carere cognitione earum rerum sua natura sensibilium: tamen hæc interpretatio videtur difficilis: nam præsensio, & prædictio diuerso modo vsurpantur apud Galenum *in com. illius sententiæ*, asserentem, præsensionem in anima nostra existere, prædictionem verò esse eorum quæ sunt præcognita, pronunciationem. Ergo cùm cognitio interna, vel intellectus, vel potentiarum interiorum, sit res distincta ab actione potentiæ loco motiuæ, dicendum est præsensionem, & prædictionem inter se differre, quod apertè constat ex *sententia 2. sequenti* Hippocratis, *in eodem lib. Prognosticôn*, dicentis, præsentiens, & prædicens, &c. quòd magnam inter se obtineant distinctionem.

Dic vtrumque, nempe præsensionem, & prædictionem, intelligendum esse iuxta Galeni doctrinam, *4. de præsag. ex pulsib. cap. 1.* affirmantis præsensionem rei futuræ per ea quæ apparent, prædictionem existere, vel rei futuræ ex præsentibus sese offerentibus signis & indiciis, pronunciationem. Quare etsi optimum sit Medicum vti prouidentia, præsertim si internam signorum cognitionem ad rectam remediorum applicationem obtineat, magnam tamen absque dubio auctoritatem sibi comparat, non solùm præsentiendo, siue obtinendo cognitionem internam, sed etiam præsagiendo.

Asserendum etiam est, nomine prouidentiæ intelligendum esse, iudicium adæquatum, ex pluribus actibus constans: Medicus enim leuibus coniecturis dispositionem præsentem, & futuram, venari non debet, sed ratione, & discursu, vt hac ratione vnum ex alio inferendo rectum iudicium proferre queat: si enim leuibus

coniecturis

coniecturis ducatur, incertum iudicium erit; nam ſi validæ coniecturæ non ſunt infallibiles, ſed tantùm ad veritatem proximè accedunt, leues erunt magis remotæ à cognitione veri. Accedit, quòd coniectura, etſi artificioſa, media eſt inter omnimodam ſcientiam, & omnifariam ignorantiam, vt 1. *de loc. c.* 2. Galenus docuit *paulò ante finem*, & magis, aut minùs ad veritatem accedit, pro intellectus diuerſitate, & earum rerum de quibus fit coniectura; & quantò intellectus eſt perfectior, & perſpicacior, tantò magis ad veritatem accedit; & quantò plura, aut minora ſunt ea, de quibus fit coniectura, tantò maiorem, vel minorem obtinet certitudinem. Ergo Medicus non ſolùm leuibus coniecturis, ſed diſcurſu, & ratione vti debet, vt optimum proferre iudicium poſſit.

Neque obiicias, quòd ad rectum iudicium proferendum ſola coniectura ſufficit ſine diſcurſu, cùm illa non ſit actus ſolius potentiæ cogitatiuæ, ſed intellectiuæ, & ſimul cogitatiuæ. Accedit ratio deſumpta ex doctrina Galeni 2. *acut.* 37. dicentis, artificioſè coniicere tantùm illius eſſe, qui vires omnium eorum, quæ ad artem medicam pertinent, didicerit, memoriæque mandauerit, ac magna adhibita diligentia in artis operibus ſeſe exercuerit. Ergo artificioſa coniectura ad rectum iudicium proferendum ſola ſufficiet.

Dic verum eſſe, coniecturam non eſſe actum ſolius potentiæ cogitatiuæ, ſed etiam intellectiuæ: inde tamen non eſt inferendum, ipſam ſolam ad rectum iudicium de morbis proferendum ſufficere poſſe, quoniam actus intellectus non ſemper diſcurſu, ſed ſimplici apprehenſione obiecti perficitur, quæ ſola non eſt potens ad prædicendum, niſi fiat illatio vnius ex altero. Prædicta verò omnia à Galeno aſſignata *loc. cit.* nullo modo ſine diſcurſu, & ratiocinio effici poſſunt. Quare coniectura ad diſcurſus prolationem ſola non ſufficit. Medicus ergo in intricatis morbis fœminarum perſanandis, non ſolùm debet eſſe diligens, & expertus, ſed prouidentiſſimus.

CAPVT VI.

De ſanguine menſtruo.

TRia ſunt vniuerſalia principia, ex quibus muliebres morbi, velut ex vberrimo fonte ſcaturiunt, nempe Menſtruus ſanguis, Semen, & Lac. Menſtruus ſanguis, & ſemen generationis noſtræ ſunt principia, ex his vitiatis, & putredine labefactatis emanant omnes morbi grauidarum, enixarum, viduarum, virginum, & cæterarum fœminarum, qui ad conceptum, & partum, pertinere dicuntur. Ex lacte propullulant alij, qui circa partus educationem perſæpe verſantur, & nutrices, lactantéſque opprimunt, atque fatigant. Nam lac concreſcit in mammis, deficit, liquidius redditur, ſeroſius, calidius, & aliis multis inquinamentis fœdatur: quare nutrici in mamillis ſuperueniunt durities, tumores cancroſi, vlcera, papillarum fiſſuræ, & rimæ; & infantibus reprobo lacte nutritis non minora damna ſuccreſcere ſolent, vt Aphthæ, diarrhœa, lumbrici, macies, veſicæ calculus, catarrhus, diſtillatio, febris, ſcabies, pruritus, vlcera, cutis defœdationes, & aliæ ægritudines quæ difficilem deinceps obtinent correctionem. Quomodo ergo horum morborum cauſas exactè callere poſſimus, quin menſtrui, ſeminis, & lactis naturam ad vnguem priùs cognoſcamus, haudquaquam intueor. Iccircò à menſtruo ſanguine ſumamus exordium.

Quæramúſque primùm: *Vtrùm ſanguinis menſtrui definitio à Galeno tradita, ſit optima?* Galenus *lib.* 14. *de vſu part. cap.* 8. ſic definit menſtruum. Eſt profluuium ordinatum ſanguinis excrementitij, vtilis, ſed crudi: A Quam definitionem prædixerat Ariſtot. 1. *de generat. animal. cap.* 20. & 4. *de partib. animal. cap.* 10. ſeu poteris deſcribere hoc modo: Sanguis menſtruus excrementum eſt alimenti vltimi partium carnoſarum, quod certis temporibus, & ſtatis periodis moderata quantitate per vterum expurgatur, ad animalis generationem, & nutricatum.

Appellatur verò naturale profluuium, quoniam vt docet Galenus *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. *in med.* §. *Præter enim eam, quæ mulieribus per vterum erumpit, cætera ſanguinis pluſculæ vacuationes, toto genere præter naturam ſunt, illa verò ſola multitudine.* Ordinatum autem dicitur, provt excludit alios ſanguinis per vterum fluxus, qui cùm è cauſis præter naturam ſcaturiant, B nullum ordinem obſeruant. Vocatur excrementitius, & ſuperfluus, quoniam redundat in corpore, licèt eiuſdem ſit naturæ cum eo, qui in venis mulierum reperitur. Vtilis autem eſt, cæterorum fluxuum vteri collatione facta, in quibus ſanguis tantùm inutilis excluditur. Crudus autem dicitur, ad differentiam feminis, quod coctum eſt, elaboratum, & purum, ex Ariſt. 1. *de generat. animal. cap.* 20. & 2. *eiuſd. cap.* 3. & multo ſpiritu plenum; quare apud Auicennam 3. *de animal.* 3. huius ſubſtantiæ excretio plus debilitat corpus, quàm ſi ſanguis menſtruus quadrageſies copioſior vacuetur. Expellitur ergo à natura ſingulis menſibus per vterum, quoniam quantitate moleſtat, & premit. C Hoc enim modo animalia ad concubitum excitantur, quia ſemine turgentia, natura hoc copia abundans extra corpus expellere ſatagit, vt *lib.* 6. *de loc. cap.* 5. docuit Galenus.

Antequàm vlteriùs progrediamur, de generatione menſtrui diſputandum: *Vtrùm à frigiditate, vel caliditate ortum ducat?* Parmenides cùm exiſtimaret mulieres eſſe calidiores viris, generaréque calidiorem ſanguinem, & magis feruidum, à calore fluxus menſtruorum emanare ſibi perſuaſit: ſanguis enim nimiùm excreſcens, & acrior, irritat naturam ad ſui excretionem. Hæc opinio poteſt ſuaderi Hippocratis auctoritate, qui *lib.* 1. *de morb. num.* 3. fœminas eſſe calidiores viris, aſſeuerat; quod placitum falſum eſt, & omnium au- D ctorum menti aduerſum, nam fœminæ ſunt frigidiores viris. Quo pacto autem Hippocrates ſit intelligendus, diximus vbertim *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 144.

Potiùs ergo eſt amplectenda doctrina Galeni *lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtratum, cap.* 7. dum ſic ait: *Nonne ipſa natura mulieres cunctas ſingulo menſe euacuat, ſanguine ſuperfluo foràs effuſo? Muliebre enim genus, vt quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viueret, ac ob vtraque hæc multitudinem humorum coaceruaret, ipſam euacuationem plenitudinis, tanquam remedium naturale, obtinere opus habebat, & vnum quidem iſtud naturæ opus eſt*: Ex qua doctrina conſtat manifeſtè, ex frigiditate fœminarum menſtruam purgationem ex vtero emanare; quare ob debilitatem natiui caloris, neque vltimum alimentum E totum conficere, neque in ſubſtantiam corporis conuertere queunt.

Obiicies hoc modo: Fœminæ ſunt pinguiores viris: Ergo ſi vtile nutrimentum in ſubſtantiam corporum nutriendorum non conuertitur, imò tanquam oneroſum ſingulis menſibus, per vterum excernitur, graciliores eſſent viris, & extenuatæ magis, quod non experimur. Dic. Fœminæ etſi totum alimentum vltimum non perficiant, tamen tantum concoquunt, quantum ſat eſt, tum ad reſtaurandum id quod eſt deperditum, tum ad pinguedinem augendam: cur autem potiùs in pinguedinem conuertatur, mulierum adipoſa, & pinguis humiditas facit, quæ frigiditate concreſcens in adipem abit. Hac ratione vrſi pingueſcunt, & ſues.

Ex hoc dubio emergit & illud: *Vtrùm ſanguis con-*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 505 sur 927

fluat in vteri capacitatem per resudationem, an vasorum re- A *seratione*? Aristoteles illud affirmat, 2. *de generat. animal.* 4. hoc, rationi, & experimento est magis conforme: nam in tanta quantitate è vasis resudare non potest, quod per reserationem vasorum commodiùs perfici potest. Accedit quòd sanguis è vasis exiens tenuissimus est, menstruus verò crassus, terrestris, melancholicus. Dehiscunt ergo vasa, & paulatim, sensimque sanguinem crudiorem, & minùs elaboratum in vterum eructant.

Altior verò est disceptatio: *Vtrùm fœmineo corpori salubrius esset, sanguinem quotidie per vterum excerni*? Natura enim vt à tanta mole se exoneret, plura cum sui commodo singulis diebus è corpore expellit, vt fæces, vrinam, mucum, sudorem. Accedit ratio valida: nam hoc B excrementum si diu moretur in vtero extra propria vasa à quibus decisum est, in eo tanquam in cloaca corporis vniuersi stabulans, & retentum, ob copiam non ventilatum, & putrescens, sæua concitat mala, ferina quidem, & grauia, quæ ante menstruationem, fœminas, & præsertim virgines, quibus vteri claustra non ita hiant, pati conspicimus: quoniam ex copia retenti sanguinis, accidunt vteri, & vmbilici tormina; lumborum cruciatus, & halitu in cerebrum eleuato, exoriuntur pertinaces cephalalgiæ, & alij cerebri & neruorum morbi contingunt lethales, sæui, & diri. Præterea diu coërcitus, obstruit vasa vteri copia sua, aut præcipiti impetu excurrens, hæmorrhagiam concitat immedicabilem, à quibus tot, & tantis malis imminentibus præseruarentur fœminæ, si singulis diebus sanguis hic per vterum lentè, & placidè excerneretur.

Verùm pro aduersa parte sunt rationes multæ. I. Quoniam si fœminæ quotidie expurgarentur, essent in perpetuo dolore, & vita esset plena calamitatibus, & miseriis, cùm sanguis decurrens, sæpe sit acris, & mordicet, interdum flatu plenus, & distendat. II. Fœminæ non conciperent: cùm enim vterus est madidus, elabitur semen, nec adhæret, oportet enim, vt tota vteri interna superficies sit aspera, cuius rei causa, scorta non concipiunt, & mulieres frequenter coëuntes, quoniam semen in loco humidiori non retinetur, sed elabitur, imò extinguitur, ex Hipp. 5. *Aph.* 62. *Quæ præhumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura.* III. Non ita frequenter conciperent fœminæ: cùm enim in anteriore, & superiore vuluæ apice particula quædam appareat, quæ ab Auicenna virga, ab aliis clitoris, seu Veneris amor, & dulcedo appellatur, & hæc perfricata à virili pene torpentem excitet facultatem, fœminásque ad concubitus illecebras irritet, atque stimulet, si hæc assiduo sanguinis excurrentis fluxu madescat; pars hæc flaccescit, & amittens asperitatem, attritio genitalium inter se non ita commoda fit, nec voluptas, citra quam fœminas, præsertim sanas non concipere, existimarunt plures. IV. Essent fœminæ ingratiores viris, neque hi tam fœdum concubitum appeterent, si illarum genitalia perpetuò cruore maderent.

Magna contentione certatum est apud auctores: *Vtrùm periodica menstruorum excretio ad solum Lunæ motum sit referenda*? Affirmat Aristoteles 2. *de generat. animal. cap.* 4. & 7. *de hist. animal. cap.* 2. asserens menstrua moueri vtplurimum decrescente Luna, quia Luna fœmineæ naturæ ab antiquis creditur, ex humoris abundantia cui dominatur: nam humecta vi gignendi potestati materiam suggerit, cùm ex mente priscorum, & Porphyrij, vt refert Plutarchus *in lib. de Iside*, ex fontium, & fluminum euaporationibus nutriatur, sirque inter omnes planetas humectior, quum sit extima cœlo, finitima terris, quarum vicinia ascendentis humoris concipit copiam, vt Ptolemæus Astrologorum princeps, & in Mathematicis ingenij eminentissimi, pluribus in locis satis confirmat.

Hoc probat exemplis Macrobius *lib.* 7. *Saturnal cap.* 16. dum sic ait: *Ergo non mirum, si ratione proprietatis quæ singulis inest, calor solis arefacit, lunaris humectat. Hinc & nutrices pueros alentes operimentis obtegunt, cùm sub luna prætereunt, ne plenos per ætatem naturalis humecti amplius lunare lumen humectet. Hoc quoque notum est, quia siquis diu sub luna somno se dederit, ægrè excitatur, & proximus sit insano: pondere pressus humoris, qui in omne eius corpus diffusus, atque dispersus est proprietate lunari, quæ vt corpus infundat, omnes eius aperit, & laxat meatus: & in eodem cap. suprà* sic dicebat: *Sed nescio quæ proprietas, & quænam natura inest lumini, quod de ea defluit, quæ humectet corpora, & velut occulto rore madefaciat, cui admixtus calor ipse lunaris putrefacit carnem,* B *cui diutulè fuerit infusus.* Cur verò decrescente luna fiant potissimùm menstruæ purgationes, causa est, quia tunc corpora hominum, & animalium, sunt frigidiora, & humidiora, & mulierum præsertim, quæ hoc tempore humiditate externa, veluti intumescunt, præsertim vteri vasa, quorum ora aperiuntur, & naturæ expellenti diligentissimè cedunt.

Hanc fuisse sententiam Galeni, ex ipsius verbis satis constare arbitror: Nam *lib.* 3. *de dieb. decretor. cap.* 2. ita habet: *Luna fructus auget, incrassátque, animantia implet: ad hæc, menstruorum statum tempus mulieribus conseruat, &c.* Quare non est dubitandum, causam periodi menstruorum referendam esse ad Lunæ motum, præsertim decrescentis, quo tempore excrementitia illa humiditas C in corpore accrescit, & mole sua naturam ad sui excretionem irritat. Quòd si hic sanguis ita copia redundet, vt calore suo, & acrimonia naturam lacessat, tunc excretio anteuertit, aut bis in mense erumpit; remoratur autem, aut omnino interciditur, quum adest humorum crassities cum viarum angustia multa. Neque obtrudas, hoc modo necessarium esse, vt omnibus fœminis eodem ferè tempore menstrua prorumpant, nimirum decrescente Luna: Non enim in omnibus fœminis eadem viuendi ratio, idem habitus, sanguis idem, quæ omnia menstruam purgationem accelerant, aut retardant; ob quam etiam causam illa non semper æquali tempore in omnibus durat.

In constituenda verò sanguinis natura, & conditione, D multiplex oritur ambiguitas: *Vtrùm ille sit benignus, & purus*? Plures affirmant: nam ex sententia Hippocratis, *lib.* 1. *de morb. mulier. num.* 7. ille exit ex interuallis, victimæ iugulatæ sanguini similis, rubens: cùm enim sit nostræ generationis principium, purior est pars, ea quam nutritioni fœminarum seiungit natura, & ex qua infans in vtero nutritur. Deinde lac ex menstruo sanguine conficitur, vt probat Galenus *lib. de ven. sect. aduers. Erasistratum, cap.* 5. *quibus enim menstrua nimis profluunt, lac minuitur.* Lac autem quo alitur infans, elaboratum esse, & purioris naturæ, nullus negauit vnquam, & firmat Arist. *lib.* 4. *de generat. animal. cap.* 1. Præterea. Si tanta est menstrui impuritas, cur grauidæ grauiùs non ægrotant, quàm quibus alia de causa menstruum supprimitur, cúrve sæuiora non sunt sym- E ptomata mensibus vltimis? Quare siue sanguis menstruus sit excrementum secundæ coctionis, & ab hepate tanquam superfluus pellatur in truncum venæ cauæ, siue sit tertiæ coctionis, à carnibus saturatis post tertiam coctionem excretus, quantitate solùm peccat, & non qualitate, quasi sit venenatus, aut naturæ nostræ grauiter infensus.

Nos tamen firmioribus rationibus nixi, eum venenosum esse, malignum, & impurum contendimus, cum Plin. *lib.* 7. *cap.* 15. & *lib.* 28. *cap.* 7. Columel. 11. *rei rustic. cap.* 11. Æliano 6. *de Hist. animal. cap.* 36. Solino *in polyhistor. cap.* 4. Galen. 6. *de loc. cap.* 5. & aliis: ex cuius commercio & labe, purum sanguinem quo fœtus nutritur in vtero, vitium contrahere, & hac ratione infantes inficere & fœdare, docuit Galenus *lib.* 5. *Aph.* 60.

adeóque

adeóque hoc verum est, vt ob hanc causam nullus mortalium variolas, aut morbillos euadere possit, vt constans est Arabum opinio; pro qua fulcienda fusiùs disceptauimus, *lib. 2. Histor. Princip. Medic. in com. Hist. 3.*

Exempla proponit Plinius, hoc modo: *si menstruo sanguine tenella vitis tangatur, in perpetuum laditur, sterilescunt tactu fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, hebetescit speculi candor, eborisque nitor, canes in rabiem aguntur, ferrum rubigine obducitur.* Fauent illi rationes optimæ: Nam menstruus sanguis est venenum, ex cuius potu plures fatuos remansisse, alios veluti sideratos vitam miserrimè traxisse testantur auctores, qui proprium caput de sanguinis menstrui veneno proponunt. Deinde. Ita huius sanguinis noxius est vapor, & veneficus, vt Chirurgorum peritissimi affirment, ob vnam solam causam, vulnera & vlcera, ad sanitatem & cicatricem nunquam potuisse perduci, quoniam filamenta, cum quibus erant abstersa, erant facta ex indusiis menstruo delibutis. Ad hæc certum est, & experimento firmatum, *lib. 3. collect. cap. 7.* concubitum cum menstruata lepram inducere, & hac ratione infantem, elephanticum euadere. Insuper menstrua purgatio, ritè, & tempestiuè eueniens, à pluribus, sed præsertim melancholicis morbis liberat, *vt lib. de sang. mis. cap. 12.* ex professo retulit Galenus, qui suapte natura sunt maligni, ferini, melancholici, & sæui, vt cancer, Phagedæna, Elephantiasis, Melancholia, vlcera dolosa, & cacoëthica, psora pertinax, & alij cutanei affectus, qui sunt veluti immedicabiles, & prorsus diri. Quæ omnia vitia propullant, si hic tristis, niger, & fæculentus sanguis, retentus, vel suo halitu superas partes inficiat; vel ad eas ab vtero restagnans, cum quibus summum obseruat consensum, sua mole obstruat, aut vapore concutiat. Hinc emanant truculenti affectus, quos hac de causa suboriri dictauit Magister summus, *lib.* illo aureo *de virginum morbis, ferè per totum.* Ii sunt, Horror, erroneæ febres, acuta inflammatio, insania, putredo, clamor, caligo, timor, formido, anxietas, strangulatio, mœror, phantasmata circa oculos obuersantia; quæ damna non ex sola exuberante quantitate, sed ex ipsius sanguinis menstrui malitia euenire, curatio ab Hippocrate proposita indicat manifestè, dum sic ait: *Caterùm, vt hinc liberentur, est sanguinis detractio.* Neque instes in virginibus ex semine suppresso, retento, ac putrefacto, hæc horrida mala ortum habere, quod suapte natura quum est labe fœdatum, ea efficere potest veneni promptissimi instar, auctore Galeno *6. de loc. affect. cap. 5.* qua ratione Hippocrates *infrà* monet, vt his tormentis oppressæ cohabitent cum viris: Nam hoc imperat, vt ob viri consuetudinem viæ latiores fiant, & patentes magis, sanguinísque excretioni aptissimæ. Deinde viro vtentes, concipiunt, & post partum larga sanguinis copia per vterum effluit, quæ antè, hanc symptomatum cateruam excitauerat abundè: Ob quam causam (inquit) mulieres viro iunctæ, steriles, magis hæc patiuntur.

Vltimò. Qui plerosque ex affectibus sanguinis menstrui negat, rationi repugnans, quotidiano mulierum experimento, falsitatis, & peruicaciæ fit reus. Illæ enim, antequàm erumpant, & eruptionis tempore, plurima patiuntur symptomata ob dictas causas: sic enim habet Hippocrates *lib. de virgin. morb. cit. Caterùm virgines nubiles, & maturæ viro, hoc magis patiuntur, vnà cum menstruum descensu, antea non valde hinc afflictæ. Postea enim sanguis in vteros influit, velut effluxurus: quum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem ampliùs influxerit, propter cibos, & corporis augmentum, tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine restitit ad cor, & ad septum transuersum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium apprehendit.* Ob hanc rationem diuina lege cautum erat, *Leuit. 18. & 20.* nequis cum muliere menstruata concumberet, quæ domi manere, neque in templum ingredi cogebatur.

Rationes verò superiùs adductæ, leuissimi sunt momenti. Nam tam in cacochyma, quàm in sana muliere, menstruus sanguis est natura sua malignus: ille enim quo fœtus in vtero nutritur, est purior sanguinis pars, quam ab illo, qui menstruus futurus est, separat natura, qui purgatio est, & excrementum purioris: Id docuit Gal. *1. prorrhet. 48.* dicens: *Absumpto in fœtus alimentum, vtili, qui in vasis erat, sanguine, sed permanente vitiosiore, qui singulis mensibus antea excernabatur.* Fœtus itaque separat in vtero puriorem sanguinis partem, quam in alimentum accipit, non tamen ita integrè seiungi potest, vt aliquid impuri non relinquatur, quod post partum per varias partes infans expurgat, vt per vlcera in capite enascentia, ex quibus cùm ritè ichores profluxerint, ille à morbo sacro fit immunis, *vt lib. de morb. sacro, num. 20.* dictauit Hippocrates. Ex hoc fonte exanthematum copia in infantibus præsertim erumpit: cùm enim sanguinis ille ad plenum non potuit repurgari in vtero, extrà eum natura velut crisi quadam ad partes externas detrudit; qui si biliosior fuerit, morbillos; si crassior, variolas concitare solet.

Ex hac parte puriori lac conficitur, quod cùm in fungosis mammis ampliùs elaboretur, à carne earum alba, in lac abit. Grauidæ autem, quibus ferè menstruæ supprimuntur, grauiùs non laborant, quoniam sanguis hic etiam in nutrimentum fœtus conuertitur, deficiente puro: nam necessitate quadam natura coacta ad sui nutritionem persæpe non solùm vitiosum sanguinem, sed venenosum humorem, imò fæces prolectat. Hinc fit vt hac de causa, vtero gerentes grauissima mala patiantur, premantúrque corporis grauitate, fœdo faciei colore, lienis tumore, varicibus, malacia, atque, vt vno verbo dicam, ab retento menstruo puriori sanguini permixto, in omne morbi genus procliuiores sint, quàm quæ vtero non gestant. Hunc autem natura intus continet, ne si viam patefaciat, cum eo vtile fœtus alimentum simul emanet. Itaque nouæ prolis procreationem instituens, in vitæ discrimen parentem plerumque adducit.

Sequitur, vt perscrutemur, in quibus corporibus menstrua emanent, quæramúsque: *Vtrùm fœminæ inter cætera animalia menstruas purgationes copiosiores habeant?* Aristoteles respondet *6. de histor. animal. cap. 8.* affirmans menstrua non fieri neque in piscibus, neque in auibus, sed solummodò in iis animalibus, quæ sanguine sunt prædita, & sunt viuipara, vt mulier, vacca, equa, canis: inter quæ copiosiora mulier menstrua habet; in brutis enim recrementitia hæc materia in pilos vertitur, in cornua, cutem duram, vrinas crassas. Deinde illa exercentur, ac vno tantùm vescuntur cibo; fœminæ otiosæ sunt, sedentariæ, inexercitatæ, vario victu vtuntur: ob quas causas excrementitium sanguinem frequentiùs aceruant, quem natura statis mensibus extra corpus eliminat, & eas à plurimis morbis præseruat.

Addendum huic est aliud dubiolum: *Vtrùm certum possit assignari tempus eruptionis menstruorum?* Respondet Aristoteles *7. de hist. animal. c. 1.* tunc incipere menstrua, quando vbera prominent ad duos digitos, & viro semen mouetur, quo tempore maximæ fiunt in vtroque sexu mutationes. Quare secundùm hanc rationem, vtplurimùm incipiunt decimo quarto ætatis anno, & deficiunt quadragesimo nono, aut quinquagesimo. Non erumpunt antè, quoniam humoris copia calor est obrutus, viæ angustæ, sanguis in membrorum abit nutrimentum, & natura nutritioni intenta superis partibus illum destinat, non vtero. Secundo verò septenario calor iam fulgescere incipit, dilatantur viæ, expultrix est robustior, mamillæ turgent, corpus libidine irritatur. Cessant post quinquagesimum, quoniam calor

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 507 sur 927

©BIUM

debilis,potiùs pituitam conficit, quàm sanguinem, & A
expultrix tarda euadit, quæ materiam hanc excernere nequit.

Vtrùm menstruorum quantitas certa possit assignari? etiam controuertendum. Respondè negatiuè: nam Hip.*lib.de morb.muliebr.*scribit duos, vel tres dies, assignat Aëtius quatuor,Paulus *lib.3.cap.*60.certam quantitatem non proponit: cùm plurimæ, duobus, tribus, quinque, & aliæ septem diebus purgentur. Verumtamen nulla certa quantitas dierum potest definiri,diuersa enim est pro varietate temperamenti,coloris,ætatis,regionis,structuræ viarum,victus rationis, exercitij, & aliarum rerum quæ accelerare, vel retardare vacuationes solent. Vtplurimùm mulier sana nunquam B
purgatur minùs secundo die, neque plus tertio,si hos terminos purgatio pertranseat,vel morbosa est, vel sterilis. Quantitas moderata, apud Hip. *lib.* 1. *de morb. mulier.* binas cotylas Atticas non transcendit, cotyla autem nouem constat vnciis, aut decem ad summum, ex Gal. Sed neque in hoc quicquam certum potest constitui: Virgines enim ob viarum angustiam minùs purgantur; adultæ, ob earum amplitudinem, & robustiorem calorem,vbertim; senescentes, ob debilem calorem, sanguinísque inopiam, minùs: graciles, cùm haud modica sanguinis copia redundent,*6.epid.sect.*3. *com.*29.copiosiùs;pingues,minùs,menstrui enim materia in adipem absumitur: otiosæ,plus;exercitatæ,laboriosæ,biliosæ,iracundæ,minùs, labore enim, & calore materia resoluitur.

Vtrùm verò *quantitas discreta puerperij,certa possit describi?* dubium est scitu dignum.Et suppositò,quòd diuersimodè excurrant post partum menstruæ purgationes,variámque habeant latitudinem, ob ætatem, corporis formationem,figuram diuersam,consuetudinem, enixus discrimen,ob varietatem sexus, regionem, distincta climata,temperiem,vitæ institutum, & reliqua; tamen artificiosè nimis venerandus senex *lib. de nat. pueri,num.* 10. *&* 11. durationis tempus demonstrat in hunc modum: *Atqui purgationes à partu mulieribus ea gratia fiunt,quòd primo tempore vsque ad dies quadraginta duos in fœmella,in masculo verò ad dies triginta, pauciſſimus sanguis in augmentum pueri descendit*: & infrà, *num.* 13.sic ait: *Argumento est purgatio à partu,quæ in fœmella fit in quadraginta duobus,in masculo in triginta, vt tardissimè contingit.* Ratio dictat: nam quæ fœmellam gestant,crudiori sanguine abundant,frigidiore, & excrementoso magis, qui cùm redundet in vtero, in copia multa, eum longiori tempore extra vterum eliminat natura. Quæ marem vtero ferunt, minori excrementorum copia scatent, & cùm calidiori constent temperamento, crudorum humorum copiam absumunt.

Nec obstat sententia eiusdem Hippocrates *lib.* 1. *de diæta, num.* 19. dum sic scribit: *Non in æquali temporis spatio omnes fœtus exornantur, sed alij citiùs, alij tardiùs, prout singuli & ignem, & alimentum fuerint nacti. Alij itaque in quadraginta ac tribus diebus scaturiunt, ac formantur,aliqui in quatuor mensibus.* Idem firmat Aristoteles 7.*de hist.animal.cap.* 3. dum sic ait: *Purgationes autem accidunt plurimis, cùm conceperint, ad tempus quoddam,scilicet triginta dierum, maximè si concepta fœmina est. A partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi volunt,quanquam non æquè ita diligenter eueniunt, &c.* Dic. Liber de diæta non est germanus Hippocratis, imò nothus,adulterinus,ex ipso Galeno 1. *acut.* 18. *& alibi.* Textus autem Aristotelis est mendosus, cùm Hippocratis doctrinæ ab omni sæculo receptæ è directo se opponat, firmanti tardiùs multo fœminam in vtero efformari ipso mare; & cùm purgationes conceptionis temporibus respondeant, necessariò affirmandum,hunc potiùs illud idem cum ipso Hippocrate sentire.

Si autem inquiras,num Hippocratea doctrina,de lochiorum duratione, opponatur metis assignatis in scriptura sacra? Dic, quòd etsi diuinus vates Moses, cœlesti numine afflatus,videatur aduersum oraculum proferre,tamen ambo hi sunt inter se concordes. Audiamus illum, dum ineffabile pentateuchon opus exarauit,dúmque Leuitas instruit,*cap.* 12. ibi distantissimos puerperij assignat terminos, & diuinam ex numinis præscripto Hebræis sanxit legem: *Mulier si concepto semine peperit masculum,immunda erit septem diebus,iuxta dies separationis menstruæ,& die octaua circũcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ,omne sanctum non tanget,neque ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies suæ purificationis. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadis, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.*

Dic. Quòd licèt difficile sit, hanc prouinciam aggredi,arduúmque sit horum principum tam discordes sententias conciliare,tamen Sacrosancta Scriptura proponit metam tantùm mulierum, non solùm sanarum, verùm earum, quæ actu ægrotant, vel futuræ sunt ægrotæ: Hippocrates autem terminos præscripsit earum, quæ sub latitudine sanitatis continentur. Quæ conciliatio ex ipsismet verbis Hippocratis elicitur,tum *lib.de natur.puer.num.*10.tum 1.*de morb.mulier. num.* 98. Mos autem sacri eloquij dilucidè patet *Leuitic. cap.*15. C
si alterum caput eiusdem Leuitici perscrutemur, in quo Legislator Moses statuit purgationis mensium typicorum terminum, septimum diem, per quos & immunda erat fœmina, & separata, qui terminus iuxta Hippocratis doctrinam *lib.*1.*de morb. mulier. num.*15.& 6.*epid.sect.*1.*text.*7.Arist.7.*de hist.animal.cap.* 2. non sanarum tantùm,verùm & sterilium,& morbosarum est, cùm sanæ ex eodem Hippocrate, tertio, aut ad summum quarto die suum claudant terminum.Si igitur in menstruo fluxu, meta, quam adstruit supremum numen,sanas, morbosas, ac steriles comprehendit, simili ratione sub carceribus puerperij tamdiu productis, & sanas,& morbosas comprehendet enixas.

De quantitate continua puerperij etiam dissidium est: *Vtrùm certò possit cognosci?* Respondet Hippocrates *lib.de natur.puer.num.* 12.librarum ferè triginta in enixu D
fœmineo, in virili autem duodeuiginti: quo loco cuiusque diei dosin mensuralem assignat puerperij, ad Atticam heminam alteram ac semissem, primis saltem diebus,paulò plus, aut minùs, pro temporis puerperij ratione. Alij legunt cotylam,quæ mensura Attica est, quæ habet quartaria duo, siue Italicas vncias mensurales nouem, quæ ad septem cum dimidia ponderales reducuntur. Sed ineptè cotyla cum hemina confunditur, cùm re distinguantur: nam hemina vncias nouem tantùm capit, at cotyla vncias septem cum dimidia. Quare Hippocrates dicens fœminas per singulos primos dies primæ saltem hebdomadæ puerperij, cotylam vnam cum semisse reddere, intelligendus,quòd purgabunt per singulos hos dies, vncias tredecim cum E
semisse mensurales Italicas.

His quæstionibus proxima est & altera: *Vtrùm sanguis lochij deterior sit, & venenosior sanguine menstruo?* Proferam summi dictatoris sententiam *lib. de natur. puer.num.*12. quæ sic habet: *Exit autem sanguis, siquidem valetudine mulier fruatur præsenti, etiámque futura, qualis à victima, ísque citò concrescit. Quòd si mulier non sana sit,nec sanitatem consequutura, tum purgatio parcior procedit & specie quidem deterior, & quæ non citò concrescat.*

Galenus videtur aduersari huic doctrinæ, dum 3. *epid.sect.*3.*com.*73. sic fatur: *Menstruorum suppressio offendit,tamen non perinde ac si à partu supprimantur, officit, quòd non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem: Nam meliorem sanguinem ad se fœtus nutrimenti*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 508 sur 927

nutrimenti cauſa alliciens, relinquénſque deteriorem, cauſa eſt vt prægnantes prauis humoribus impleantur. Probat 1. *epid. ſect. 3. com. 21. § illud in omnibus mulieribus, &c.* Sanguis enim hic poſt partum exiens, eſt magis melancholicus, quàm menſtruus, vt *lib. de atra bile, cap. 8.* & 1. *prorrhet. ſect. 2. com. 48.* affirmat Galenus, præſertim tamen 3. *epid. nuper. cit.* dum ſic ait: *Eſt verò menſtrua vacuatio, non ſolùm vacuatio, ſed purgatio: verùm non eſt æquabilis tamen multitudo vitioſorum humorum, neque pari ſpatio menſtruis circuitibus congeritur, quanta dum partum gerit. In vniuerſum verò melancholicus apparet ſanguis, quem à puerperio euacuant.*

Galenus vnicam ſolùm ſtatuit cauſam vitij ſanguinis, quem poſt partum euacuat natura, quòd ſcilicet puriori parte ſanguinis, relicta inutili & impura, nutriatur in vtero fœtus. Præter hanc aliæ aſſignandæ: mora ſcilicet, & retentio huius calidæ & humidæ ſubſtantiæ, in calido loco, poſito in parte decliui, in quam excrementa affatim decurrunt, quæ ex horum tranſcurſu, accedente prohibita difflatione, citò putreſcit, ac vitiatur. Addè alias cauſas inuitabiles, quæ puritatem ſanguinis vitiant ac corrumpunt, vt ſunt varia pathemata, & anxietates grauidarum plurimæ, ob quas natura diſtracta alimentum ritè non conficit, hinc excrementorum prouentus. Iunge prauorum alimentorum vſum, ob picam, qua frequenter laborant; otium, vitam ſedentariam, & alia plura.

Ex iis fit manifeſtum, ſuppreſſionem puerperij deteriorem eſſe retentione menſtruæ purgationis: ſæuiora enim, & plura ex illa retentione ſequuntur ſymptomata, vt Hippocrates *lib. de morb. mulier.* in multis locis, & Auicenna 21. 3. *tract. 2. cap. 35.* teſtantur abundè: vterus enim poſt partum debiliſſimus remanet, in eóque vel prauus humor ſupprimitur, vel de nouo ob dolorem ad eum ex ſuperis partibus confluit, noxas graues paraturus. Accedit, quòd quantitas quæ retinetur poſt partum, quantitate multò maior eſt illa, quæ ex menſium diminuta vacuatione erumpit.

Qua ergo ratione Hippocratem, & Galenum reddemus concordes, ſi ille ſanguinem puerperij exire inculpatum, ſicut è victima; hic haud inculpatum eſſe arbitratur, imò vitioſum, & impurum? Concilia dupliciter. Hippocrates contemplantur ſanguinem puerperæ ſanæ, vel talis futuræ, qui haud dubiè ad ſanguinis inculpati victimæ probitatem accedit. At cùm hæc natura ratiſſimè reperiatur, ideò frequentiſſima perpendit Galenus, & prauitatem aliquam ſemper in puerperio adeſſe exiſtimat. Solue ſecundò. Hippocrates interpretandus eſt de ſanguine, qui à toto funditur corpore, qui in exquiſitè ſano corpore, laudabilis eſt, vti ſanguis è victima; Galenus exponendus de ſanguine tantùm, in vaſis vmbilicalibus, & ſecundinarum concluditur, qui limoſus eſt, fæculentus, & niger, & quamprimùm poſt cruenta aquoſa ſtatim vnà ferè cum ipſis ſecundis emanat.

Nunc perſcrutandum: *Vtrùm poſſint aſſignari viæ, per quas menſtruus ſanguis in vterum prolabitur, & ab eo extrà prorumpit?* Dic. Natura ſagax in animantis commodum, & vſum, propagandæ ſpeciei rationem non ignorans, ſanguinem ſeparat, eúmque per venam cauam deſcendentem, peculiaribus eiuſdem ramis huic operi dicatis, in diuerſas vteri partes tranſmittit, partim ad vteri collum, partim ad corpus, in quarum partium venis retinetur, quouſque mole excreſcens, irritet naturam ad excretionem ſui, aut fœtui gignendo alimentum præſtare poſſit. Neque mireris tantam quantitatem eo loco poſſe retineri, citra noxam vllam: nam molle eſt mulieris corpus, laxum, rarum, & veluti fungoſum; & hac ratione ſanguinem refluentem ab vtero, & ad ipſum fluxurum recipere poteſt, ſiue is poſtea per tipicas periodos emanet, ſiue ad nutritionem fœtus reſeruetur.

Viæ autem, per quas ab vtero menſtrua profluere ſolent, ſunt innumeræ propagines, quæ ex vena cana deſcendente in vterum inſeruntur, ex quarum diuiſionibus, veſica, rectum inteſtinum, & partes his vicinæ alimentum ſuſcipiunt, quæ poſtea in vteri ceruicem, in parte minima eius interiori deſinunt, ſanguinémque menſtruum periodicè profundunt. In grauidis autem erumpunt menſtrua ex internallis, & perſæpe vſque ad pariendi tempus, citra fœtus incommodum, aut aborſus periculum, ſi ab exterioribus venis erumpat, vel per vteri ceruicis vaſa excernatur potiùs, quàm per acetabula ipſa, hoc eſt, per ora venarum quæ in vteri capacitatem deſinunt, per quæ attrahitur alimentum, & fœtus inuoluera fiunt, *vt 1. de ſem. cap. 6.* diſertè Galenus explicuit; quibus diſruptis, & dilaceratis, ſanguis ab vtero prodit, ex qua vacuatione fieri abortum eſt neceſſe.

Vtrùm verò *ſenſim, & paulatim ſingulis diebus è toto corpore: an ſubitò, ſemel, & confertim confluat ſanguis in vterum, menſtruam purgationem effecturus?* à pauciſſimis agitatum inuenio. Et pro vtraque parte rationes adſunt: Si enim quotidie ſepararet natura in vaſis ſuperioribus ſanguinem, ad vterum tranſmittendum, in perpetuo dolore verſarentur fœminæ, dum excurrit ille; in tranſitu enim vaſa diſtendit, concitat dolorem, agitat corpus, & vapore ſuo naturam perturbat, cùm ſuapte natura pars ſit ſanguinis limoſi, & nigri: Quare conſultius videbatur totum ſimul, & ſemel confluere, ne præ mora extra locum ſuum ſtabulans, & prohibitus difflari, computreſceret, ſymptomata concitaret ſæua, & concreſceret, ſícq; non exiret fluidus, ſed conglobatus, neque victimæ nuper mactatæ formam referret, *vt cit. de nat. puer.* Hippocrates firmat. Neque vterus cùm ſit exiguus, tantam copiam ſanguinis recipere, nec niſi cum noxa inſigni retinere poſſet.

Verùm probabilius eſt, & naturæ ordini conſentaneum magis, ſanguinem illum ſingulis diebus ad vterum ipſam tranſmittere, ſicut ad cæteras corporis partes excrementa detrudit, quæ ex coctionibus ſupereſſe ſolent: Nam inter coquendum, vtiliorem ſanguinis partem ad ſe nutrimenti cauſa alliciens, impuram, & magis fæcalem, per vaſa huic muneri deſtinata remittit in vterum, vt ſcilicet in eo adſit ſemper materia conceptui accommoda, & neceſſaria; ſi verò totus ſimul confluereret in quantitate tanta, ſumma ebullitio eſſet in corpore facta, ex qua in non leue periculum fœminæ incurrerent. Cùm verò ſingulis diebus tranſmittatur ad vterum per venam cauam deſcendentem in copia exigua, ſicut ad alias vicinas partes nutriendas mittitur, dolorem excitare non poteſt, aut moleſtiam vllam: neque in grumos concreſcet, cùm à prouida natura in venis à concretione ſeruetur immunis, in vſus multos. Vterus autem fœtum ſi geſtat molis maioris, cur ſanguinem iamiam extra vterum effluxurum non retinebit?

Inquires denuò: *Vtrùm ſanguis menſtruas purgationes effecturus, colligatur in vtero, ipſo attrahente, an natura tranſmittente?* Dic, menſtruas purgationes fieri, natura ſolùm expellente materiam illam, quæ ex poſtrema concoctione redundat, alioquî neque conueniens, neque ad tempus nutritio fieret. Neque dicas, vterum in grauidis fœtus alendi gratia ſanguinem allicere: Nam attractio illa non eſt vteri munus, ſed fœtus. Delabitur ergo ſanguis in vteri cauitatem, vt ſingulis menſibus expurgari poſſit, in animantis commodum.

Illud etiam conſiderandum: *in generatione menſtruorum, aliquis ſit finis à natura intentus?* Reſpondet Ariſtoteles 2. *de generat. animal. 4.* menſtruas purgationes fieri in mulieribus, tum propter neceſſitatem, tum ob vtilitatem: cùm enim mulier frigida ſit, & otioſam vitam agat, ac cruda materia ſuperet in vaſis ſuperis, eam ſingulis

gulis menſibus per vterum expurgat. Vtilitas, eſt humanæ ſpeciei propagatio, quæ per conceptum comparatur. Alter finis eſt, vt conceptus, puriſſima ſanguinis menſtrui parte, & magis elaborata, in vtero nutriatur, & vt ex eo lac gignatur, quo extra vterum infans nutriatur.

Vtrùm ad vteri nutritionem, menſtruum ſanguinem natura tranſmittat ? Negatiuè reſpondet Auerrhoës 3. *colleg. cap.* 3. & 29. Nam ſi illud verum eſſet, quomodo poſt quinquageſimum annum nutriretur vterus, cùm poſt hoc tempus ferè menſtrua deficiant, & quomodo ante decimum quartum annum, ſi non apparent. Deinde qua ratione nutrietur vterus animalium, quæ carent menſtruis, aut fœminarum, quibus nunquam menſtrua profluxerunt. Denique cur natura præſtabit pro nutrimento, ſanguinem ita inutilem, & excrementitium vtero, vt nouam prolem inficiat, & conſpurcet. Non igitur menſtruo ſanguine alitur fœtus.

Præterea exquirendum : *Vtrùm fœminæ, quibus menſtrua nunquam fluxerunt, innoxiè viuere poſſint*? Cùm enim ex lege naturæ in fœminis menſtrua contingant, videtur omnes neceſſariò pati debere purgationes illas, quæ ſingulis menſibus per vterum excurrunt. Id quidem verum eſt vt *ſuprà* ex Galeni mente prædiximus, nî excipias plures, quæ viragines dicuntur : hæ enim cùm ſolidæ ſint carnis, exercitio deditæ, & calore abundent, totum ſanguinem ferè in partium ſubſtantiam conuertunt, eius crudiorem partem abſumunt, & huius reſiduam per halitum inſenſilem digerunt.

Menſtruis carent pingues à natura ; nam hæ ſunt exangues, anguſtáſque obtinent venas, ſi quis verò ſanguis ſupereſt, citò in adipem concreſcit. Hæ hac de cauſa innoxiè viuunt, cùm ſanguinem in ſui ſubſtantiam tranſmutent, vel præ caloris vehementia illum reſoluant, & abſumant, cùm ad virilem naturam, & corporis habitum accedant, & moribus ſimiles viris ſint, robuſtæ, ac fortes.

Vltimò explicandum : *Vtrùm fœmina citra menſtrua concipere poſſit* ? Si enim menſtrua purgatio in fœtus vſum, & gratiam, à natura eſt intenta, manifeſtum fit ea deficiente conceptum fieri non poſſe. Reſpondet Ariſtoteles 3. *de hiſt. animal. cap.* 2. in hunc modum: *Conceptus mulieribus à profluuio menſtruorum ſua natura contingit : & quæ iis carent, ſteriles magna ex parte exiſtunt : verùm fieri poteſt, vt aliquæ etiam ſine eorum profluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum iis quæ purgantur reſtare ſolet poſt purgationem, quanquam non tanta copia eſt, vt foràs poſſit effluere.* Proles ergo ſine menſtruo externo dari poteſt, non tamen ſine interno : cùm enim menſtruum ad conceptum maximè faciat, concipere non poſſent mulieres vllæ, nec conceptum fœtum alere, niſi à venis in vteri cauitatem ſaltem proflueret, etſi non ea copia, vt extra vterum pelli poſſit.

CAPVT VII.

De Semine.

Difficile argumentum de Semine eſt, arduum, intricatum, in cuius explicatione Philoſophorum, & Medicorum primarij naufragium fecerunt, & ad morbos mulierum perſanandos, ſummè vtile, ac neceſſarium. In eo ergo enucleando tantiſper immorabimur, ab eius definitione ſumentes exordium, quærentes primò : *Vtrùm ſeminis definitio à Galeno tradita ſit optima* ? Varij variè Semen definiunt. Alij hoc modo: Semen eſt principium, & elementum, tam actiuum, quàm paſſiuum corporis humani, ex parte ſanguinis aërea, oleoſa, & pingui, vi teſtium in ſe, & ſeminariis vaſis elaboratum, & tanquam excrementum, quantitate, & non qualitate degrauans, expulſum, & intercedente concubitu in vterum, à mare, & fœmina ciaculatum, & ſibi inuicem permixtum, vim habens tale quidpiam generare, quale eſt id à quo deciditur, ad ſpeciei conſeruationem. At hi potiùs deſcribunt ſemen, quàm definiunt.

Ariſtoteles ſic definit : Eſt excrementum alimenti vltimi partium ſolidarum. At Philoſophus ſeminis tantùm materiam deſignat, verùm formam, & efficientem non delineat. Alij ſic : Semen eſt ex quo primùm oriuntur ea, quæ ſecundùm naturam conſtituuntur, non vt ex materia, ſed vt ex efficiente principio. Sed hæc neque ſeminis formam, neque materiam explicat, & ſemini vim tantùm efficiendi tribuit, cùm ipſum etiam materiale ſit principium.

Galenus libris de ſemine, fortè ab Hippocrate mutuatus, ſit definit : *Semen eſt corpus liquidum, calidum, & ſpirituoſum, facultate formatrice præditum, in vaſis ſpermaticis, ac teſtibus elaboratum, propter humani generis propagationem.* Hæc definitio, ſeu potiùs eſſentialis deſcriptio, cauſas omnes complectitur. Dicitur corpus liquidum, quia omne ſemen eſt quædam ſpecies ſubſtantiæ humidæ, ſiue humoris fluidi à cæteris ſeparati. Ex quo, inquit Ariſtoteles 2. *de generat. animal. cap.* 2. patet mendacium Cteſiæ Cnidij affirmantis ſemen elephanti adeò ſicceſcere, & durari, vt electro ſimile efficiatur. Liquidum deinde, non eſt aqueum, ſed moderatè craſſum. Fit ergo ſemen ex eo puro ſanguine, qui nutritis partibus ſolidioribus ſupereſt: natura enim non tantùm ſpeciei, quantum indiuidui conſeruandi ſtudioſiſſima, quotidie vberrimum alimentum parare voluit, ita vt potiùs exuperaret, quàm deficeret; id verò quod ſupereſt, in vaſa ſeminaria ſepoſuit, vt poſtea generationi efficiendæ poſſit inſeruire. Quòd autem ex ſanguine ſemen conficiatur, teſtantur Veneri immodicæ dediti; in fine enim concubitus ſanguinem pro ſemine excernunt : imò Ariſtoteles 4. *probl.* 6. & 7. appellat ſemen excrementum alimenti ſanguinei vltimi ; quare qui nimio concubitu vtuntur, graciles fiunt, exangues, pallidi, quoniam pura, & elaborata ſubſtantia, & ex ſanguine facta orbantur.

Verùm antequam vlteriùs progrediamur, in examen vocandæ ſunt quæſtiones plures illuſtres, ac inextricabiles, quæ ſeminis naturam exactè explanant, quarum prima eſt : *Vtrùm ſeminis ſubſtantia ſpirituoſa ex multiplici ſpiritu componatur* ? Dic, quòd ſemen ex variis, & diuerſis partibus conſtat, nempe ex parte craſſa, quæ cauſæ materialis vicem gerit, & ex qua partes ſpermaticæ generantur; & ex parte ſpirituoſa, quæ efficientis cauſæ locum habet.

Si verò perconteris, quænam ſit ſubſtantia ſpirituoſa in ſemine exiſtens? Reſpondent plures, quòd in ſemine triplex reperitur ſpiritus, naturalis, animalis, & vitalis: quæ ſententia probatur hoc modo. Vna ex cauſis ſterilitatis, ex communi Medicorum voto, eſt membrorum principalium morbus. Sed hoc non poteſt contingere, niſi quia à qualibet parte principe, ad ſemen generandum, peculiaris confluit ſpiritus. Ergo pars ſpirituoſa ſeminis, ex ſpiritu naturali, vitali, & animali componitur, cùm partes principes ad ſeminis ſubſtantiam ſolùm media ſpirituum communicatione concurrant. In hunc vſum ad teſtes deferuntur nerui, arteriæ, venæ. Deinde ſimilitudo filiorum ad parentes, ad aliam cauſam, niſi ad ſpirituum diuerſitatem, non poteſt reduci. Omitto alia argumenta, & auctoritates Galeni, quia infrà afferentur in diſputatione, *An ſemen decidatur à toto.*

Contraria tamen ſententia verior eſt: nam in ſemine diuerſitas ſpirituum non reperitur : Non naturalis, hic enim,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 510 sur 927

enim, præterquam quòd ab omnibus non admittitur, in alios vſus confluit in teſtes, ad actiones videlicet facultatum naturalium, & ſanguinis elaborationem. Neque inſtes, eſſe neceſſarium ad actionem facultatis generatiuæ naturalis: quoniam hic ſpiritus ad conſeruationem indiuidui ſolùm eſt neceſſarius, auctore Auicenna 1.1. *doct.6.cap.1.* & non ſpeciei.

Spiritus animalis etiam non eſt neceſſarius: nam, præterquam quòd hic ex plurium peritiſſimorum hominum voto non defertur ad omnes partes ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecundùm irradiationem ſeu illuſtrationem, tantùm ad ſenſum, & motum partium vtilis eſt. Hinc fit, vt in partibus quæ non mouentur, neruorum implantatio non reperiatur. Igitur ſubſtantia ſpirituoſa ſeminis ex ſpiritu animali non componitur.

Neque obiicias ſubſtantiam ſpirituoſam ſeminis ex his ſpiritibus fieri, tanquam ex materia, ex qua ortum ducit generatio ſubſtantiæ ſpirituoſæ ſeminis: Nam ex materia cuiuſlibet ſpiritus, ſubſtantia ſpirituoſa ſeminis poteſt produci. Ergò ſi ex vnione aliorum ſpirituum, nihil de nouo recipit, cur multiplicatio ſpirituum eſt aſſignanda? Neque iterum inſtes, quòd ſubſtantia ſpirituoſa non eſt eiuſdem rationis ſecundùm ſuas partes omnes, ſed partium diuerſitatem in ſe continet, atque ita ex multiplici ſpiritu debet componi: quoniam hi ſpiritus ſolùm poſſunt referre partium ſimilitudinem, à quibus deferuntur, vt cerebri, cordis, & aliarum partium, quod idem de vitalibus dicendum eſt. Quod non poteſt admitti, alioquî eſſet neceſſarium, vt ſpiritus vitalis, ſicut & naturalis, in ſingulis partibus corporis reciperent alterationem quandam, vt ſimilitudinem partium hoc modo poſſent cõſeruare, quod eſt impoſſibile: & ſic ſimilitudo filiorum ad parentes, ad hanc cauſam reduci non debet, vt *infrà* latiùs explicabimus.

Quapropter ſubſtantiam ſpirituoſam ſeminis, ſolùm ex ſpiritu vitali, communicato per arterias, produci affirmamus. Quæ aſſertio ex impugnatione alterius ſententiæ ſatis patet, & ampliùs probatur hoc modo: Ideò enim teſtibus natura conceſſit præparantia vaſa, quæ ex arteria magna originem ducunt, vt ſanguis arterialis, & ſpiritus vitalis pro generatione ſeminis communicarentur.

Neque argumenta oppoſita quicquam concludunt. Dic ad primum. Sterilitas poteſt contingere vitio partium principalium, etiamſi ab illis partibus nihil communicetur, quoniam propter ægritudinem iecoris, (etiamſi nulla detur generatio ſpirituum naturalium) & illius frigidam intemperiem, ſanguinis crudi, & pituitoſi accreſcit copia multa, ſicut ſi adſit intemperies calida iecoris, generatur ſanguis bilioſus, ex quo ſemen prolificum generari nequit natura ſuapte: quod etiam de ægritudinibus cordis eſt affirmandum, tunc enim ſpiritus in minore quantitate vitales gignuntur, ex quibus in moderata copia genitis, tanquam ex materia proportionata pars ſpirituoſa ſeminis, ſiue ſpiritus genitiuus producitur. Idem tamen dicendum de morbis cerebri, quia etiamſi à ſubſtantia ipſius nihil decidat pro generatione ſeminis, ſtatim tamen reliquæ partes corporis principes in conſenſum ducuntur. Venæ autem in teſtibus vtiles ſunt, & neceſſariæ, vt ſanguinem pro generatione ſeminis retribuant. Nerui illis implantantur, vt facultatem ſentiendi, quæ communicatur per omnes partes, communicent.

Sed adhuc eſt difficultas non exigua: *Vtrùm ex parte ſeminis craſſa partes ſpermaticæ generentur?* Galenus enim 1. *de facult.natural.cap.5.* tunicas arteriarum ex ſanguine fuiſſe productas aſſeuerat: quod etiam 2. *lib. cap.* 3. confirmat, oſſa, cartilagines, venas, arterias, neruos, & reliquas partes ſeminales, licèt natura ſua exangues, ex ſanguine tamen produci ſtatuens. Ergo pars craſſa ſeminis, in genere cauſæ materialis non concurrit. Accedit, quòd partes ſpermaticæ in maxima copia in corpore abundant, vt oſſa, nerui, cartilagines, ligamenta, ſubſtantia cerebri, quibus generandis tantillum ſemen ſufficere nequit. Ergo ſanguis partium ſpermaticarum materialis eſt cauſa. Quam opinionem ſequitur Ariſtoteles 1. *de generat.animal.cap.2.* & *vlt.* quo loco virile ſemen ſolùm habere rationem principij actiui, ſanguinem verò à fœmina miniſtratum materiæ vicem gerere affirmat.

Amplectenda tamen eſt doctrina Galeni, *lib.de ſemin.cap.*4. quòd pars ſeminis craſſa concurrit in genere cauſæ materialis pro generatione partium ſpermaticarum: nam in fœtu producto plurimæ partes reperiuntur albæ, ſeminis naturam referentes. Confirmatur, quia facultas formatrix ſtatim mouetur ad operationem, cùm ſit agens naturale. Ergo tunc circa aliquam materiam agere debet: Non circa ſanguinem, quia adhuc non eſt. Ergo circa propriam materiam ſeminis, cùm nulla alia poſſit aſſignari.

Ad Ariſtotelem verò dic, iuxta Hippocratis mentẽ, *lib.de natur.human.* affirmantis, quòd licèt exigua ſubſtantia ſeminis ad vterum accedat, ſuſcipit tamen incrementum ex ſanguine: ſecundùm quam doctrinam, omnes partes noſtri corporis, ex ſanguine, licèt non immediatè, dicuntur produci, quia ſemen quod eſt materia proxima partium ſpermaticarum, generatur ex ſanguine, ſuſcipientè mutationem ſubſtantialem in teſtibus. Quare non erit abſurdum, ſi aſſeras, remotè noſtri corporis partes ex ſanguine generari.

Ad aliud argumentum dic. Verum eſt exiguam intra vterum ſeminis quantitatem contineri, nihilominus tamen incrementum partium, ex ſanguine accedit per iuxtapoſitionem applicito; cùm enim ſemen non ſit viuens, cæterorum viuentium inſtar, per intus ſuſceptionem nutriri non poteſt. Ex iis conſtat manifeſtè, falsò plures auctores exiſtimaſſe, ſanguinem non attrahi à venis vteri, quouſque omnes partes ſpermaticæ ſint integrè formatæ: Quia cùm exigua ſit moles ſeminis, non eſt ſufficiens pro integra perfectione partium ſpermaticarum; tum etiam quia aliquid reſoluitur de ſubſtantia ſeminis, ad quam reparandam, & reſtituendam neceſſarius eſt ſanguis, pro complemento partium ſpermaticarum. Quod etiam probatur: Nam membra principalia, vt cor, & iecur producuntur ex ſanguine, antequàm partes ſpermaticæ ſint in totum formatæ. Ergo ante integram partium ſpermaticarum formationem colligitur in vtero ſanguis, ex quo partes ſpermaticæ incrementum ſuſcipiunt.

Supereſt deinde explicandum dubium: *Vtrum ab aliqua facultate fiat attractio ſanguinis, pro integra formatione partium ſpermaticarum?* Reſpondent plures: Semen dum in vtero permanet, ſtatim operationes naturales attrahendi, retinendi, expellendi exercere; licèt enim non ſit viuens, obtinere tamen facultatem formatricem, cuius operatione fit attractio, retentio, nutritio, & ſimilia opera perficiuntur. Sed hæc ſolutio non poteſt admitti, quoniam attractio, & retentio à facultatibus corporis naturalibus proficiſcuntur. Ergo facultas formatrix, quæ ex ſua natura non eſt vitalis, has operationes exercere non poteſt. Deinde ſemen non viuit. Ergo facultas formatrix in ſemine reperta non eſt vitalis, nec ab ea actiones facultatum vitalium, ſcilicet attrahentis, & retinentis emanare, eſt dicendum.

Obiicies. In magnete, etiamſi non ſit viuens, reperitur facultas attractrix ferri. Ergo etiam in ſemine inuenitur facultas attractiua ſanguinis, pro complemento partium ſpermaticarum, & carnoſarum. Verùm contra inſtantiam hoc inſurgit argumentum, quòd hac ratione in ſemine deberent conſtitui plures facultates; nam præter attrahentem eſſet neceſſariò conſtituenda

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 511 sur 927

©BIUM

constituenda facultas retentrix, & expultrix, & quod est absurdum, cùm multiplicatio facultatum citra necessitatem non sit constituenda, præcipuè cùm facultas quæ est in semine, ad producenda certa & determinata organa, sit determinata solùm. Adde, nam adhuc in testibus existens, attraheret sanguinem pro nutritione ipsorum, & sic in illis non esset necessaria facultas attractix.

Quæstionem solue hoc modo. Attractio sanguinis, necessaria pro integra formatione, & complemento partium, fit à facultate attractrice ipsius vteri. Neque obiicias, vterum solùm attrahere sanguinem pro sui nutritione, ad substantiam deperditam reparandam: Alioquî facultates operarentur cum cognitione sui, quod est absurdum: nam aliquæ partes nostri corporis plus attrahunt, aut retinent alimenti, quàm sit necessarium pro nutritione sui; nam etiamsi agant propter se, attrahunt tamen magis, quàm ex naturali inclinatione conuenit. Vtilitas verò, quæ ex hac attractione sequitur respectu aliarum partium, est per accidens; quod in ventriculo, & iecore fit manifestum, in quibus partibus substantiæ alimentitiæ maior generatio datur, quàm ea quæ pro nutrione est necessaria. Legendus in hanc rem Galenus, *lib. 9. de compos. medic. sec. loc. cap. 2.*

Maior est in sequenti dubio explanando discordia: *Vtrùm seminis substantia sit homogenea, vel heterogenea?* In semine reperiri partem spirituosam, & partem crassam, *suprà* protulimus: Sed hoc videtur creditu arduum, & difficile, quia in testibus actione facultatis generatiuæ, generatur vtraque substantia, spirituosa, & crassa seminis. Ergo in qualibet parte seminis reperitur vis generatiua, siue facultas formatrix, cùm contrarium nulla ratione, nec experimento possit suaderi.

Dices, vtramque substantiam in testibus generari, sed partes spirituosas seminis, & crassas non esse continuas, informatas vnica forma substantiali, sed diuersa, ita vt tantùm sint duæ substantiæ diuersæ, permixtæ per iuxtapositionem, atque ita solùm produci facultatem formatricem in parte spirituosa seminis, propter debitam dispositionem in substantia seminis, quæ dispositio in parte crassa seminis non reperiatur, ideò in ipsa à testibus facultatem formatricem non produci. Hæc solutio licèt aliquibus probabilis videatur, & proximè accedere ad veritatem, non est tamen amplectenda. Dic ergo, partes crassas, & spirituosas seminis, esse eiusdem speciei, & tantùm vnica forma informari. Superior verò opinio præterquam quòd nullum habet fundamentum efficax, vt *infrà* patebit, semen ab vnica, & eadem facultate testium producitur. Ergo totum semen continuum est, & vnica, & eadem forma substantiali, secundùm partem spirituosam & crassam informatur.

Obiicies. Substantia seminis est spirituosa. Ergo sicut in externis rebus spuma fit per permixtionem duarum substantiarum, sic etiam fit in semine, & ex consequenti formarum duarum discõtinuitas erit assignanda. Dic: in generatione spumæ substantiarum diuersarum permixtio reperitur, vt 2. *Aph.* 46. & 2. *progn.* 47. docuit Galenus. Semen autem dicitur spumosum, solùm propter similitudinem; & sic seruatur in semine vera continuitas quoad formam substantialem, quia aliquæ partes ipsius sunt magis tenues, & spirituosæ, quàm aliæ, quæ ob tenuitatem suam facilè exhalant, & euanescunt, & hac ratione relicta parte crassa seminis, corrumpuntur.

Obiicies iterum. Si hæ partes vnicum ens per se constituunt, sequitur quòd semen non ita citò possit corrumpi, quoniam vna pars in tam breui tempore non ageret in aliam vsque ad corruptionem, vt patet in partibus viuentibus, quæ non ita citò, & breuiter tendunt ad corruptionem. Dic, in viuentibus in statu naturali, & in semine esse rationem diuersam: semen enim ex sua natura cùm sit destinatum ad generationem, in parte spirituosa eius adeò retinet virtutem, siue facultatem formatricem, vt corrumpat partem crassam in qua recipitur, ad quam corruptio seminis consequitur; quod ita in viuentibus non contingit, hæc enim à natura potiùs ad suam conseruationm sunt producta.

Verùm altioris indaginis est inuestigare: *Vtrùm pars spirituosa seminis ab aliquo agente possit corrumpi?* Si pars spirituosa seminis vicem gerit causæ efficientis, pars verò crassa, tantùm causæ materialis rationem supplet, dignum est inquisitione, à quo agente hæc pars spirituosa seminis corrumpatur? Dices, partem spirituosam seminis conuerti, & mutari in vaporem, ob naturam suam, cùm maximè tenuis sit, & illicò resoluatur, vt in corruptione spirituum vitalium palàm fit, qui ob summam tenuitatem statim euanescunt. Non placet solutio: supereſt enim adhuc explicandum, à quonam agente fiat hæc mutatio in vaporem: tum etiam quia ex corruptione substantiæ spirituosæ seminis, symptomata veneno finitima concitarentur, velut ex partis crassæ corruptione scaturiunt, vt 6. *de loc. cap. 5.* proprio exemplo firmauit Galenus.

Solues deinde, negando ex parte illa spirituosa seminis, vt pote exigua, post corruptionem posse venenosa symptomata excitari, sicut ex crassa; illa enim ex parte crassa, non verò ex spirituosa suboriuntur semper. Solutio hæc, imperfecta est, & ambigua: non enim explicat, quare ex corruptione spirituosæ partis seminis non eueniant eadem symptomata, sicut ex corruptione partis crassæ, imò potiùs intensiora ex corruptione partis spirituosæ deberent sequi, si verum est illud Philosophorum, & Medicorum effatum, proprio experimento *cit. de loc. lib.* à Galeno confirmatum, in semine, lacte, sanguine menstruo, & aliis, substantiam quampiam quò perfectior est, eò in deteriorem mutari labem, & perniciem, quoniam suæ corruptionis valentissimam causam arguit.

Neque asseras, partem hanc seminis tenuem remanere in corpore, conuersam in spiritum complantatum: Nam spiritus hic à Medicis non admittitur. Secundò, quoniam eadem remanet difficultas, à quonam agente pars spirituosa seminis corrumpatur, vt ex ipsa spiritus complantatus producatur.

Peritiores aliqui hunc nodum extricant hoc modo: In parte crassa seminis facultas formatrix etiam adest, quæ partem spirituosam seminis corrumpit, quia producit in illa dispositiones incompassibiles cum substantia spirituosa seminis, ita vt pars crassa, & tenuis seminis adinuicem corrumpantur: quæ solutio deduci potest ex mente Galeni 2. *de sem. cap. 5.* asserentis, in toto semine rationem vtriusque principij actiui, & passiui reperiri. Sed hæc responsio est contra ipsum Galenum, qui *lib. 14. meth. cap. 8.* facultatem formatricem tantùm in parte spirituosa reperiri asseuerat. Nec instes, quòd in parte spirituosa quoad maiorem efficaciam viget: Nam hac ratione fortiorem vim in parte crassa, ob maiorem multitudinem materiæ obtineret. Ex hac doctrina patet error asserentium, facultatem formatricem reperiri in parte crassa seminis solùm quantum ad esse, non tamen quantum ad operari: hi enim non assignant aliquod impedimentum, propter quod facultas formatrix in partibus seminis crassis, ab operationibus cesset.

Dic ergo, & fortasse meliùs, partem spirituosam seminis corrumpi à parte crassa, ratione contrariarum qualitatum, vel ab alia quauis substantia occurrente; quare ita spirituosa substantia attenuatur, vel mediis aliis qualitatibus disponitur, vt in aliquem flatum, vel spiritum conuertatur, vel insensibiliter per cutem resoluatur: symptomata autem non concitari, quoniam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 512 sur 927

quoniam ſubſtantia ipſa citiſſimè reſoluitur, maximè cùm hæc corruptio ratione putredinis non contingat.

Solue ſecundò. Non eſt inconueniens, quòd eademmet pars ſpirituoſa ſeminis ſit principium actiuum, & paſſiuum, ſecundùm diuerſas rationes formales. Patet hæc ſolutio in agentibus æquiuocis, quia lumen in aëre poteſt producere adeò vehementem calorem, vt degeneret in ignem: & ſic explicatur, quòd pars ſpirituoſa ſeminis, licèt habeat facultatem formatricem, quæ eſt cauſa æquiuoca formationis partium, eſt tamen in potentia formali pars ſpirituoſa ad recipiendam delineationem in eademmet parte, quoniam agens æquiuocum effectum productum in ſe recipere poteſt: licèt enim habeat in actu virtuali effectum, eſt tamen in potentia formali ad recipiendum effectum formalem, quia actus virtualis compatitur cum potentia formali; non enim potentiæ formalis priuationem tollit. At verò agens vniuocum, cùm formaliter habeat formam, non poteſt eſſe in potentia formali reſpectu formæ iam introductæ, quia potentia formalis dicit neceſſariò priuationem actus formalis, ſicut potentia ad calorem, dicit priuationem caloris: & ita implicat, quòd agens vniuocum calidum habeat calorem ſibi in potentia, reſpectu caloris iam introducti; iam enim idem calor, eſſet, & non eſſet ſimul in eadem re: At verò ſemen cùm ſit in actu virtuali reſpectu priuationis partium, cùm ſit agens æquiuocum, eſt in potentia formali ad recipiendam delineationem partium in parte ſpirituoſa.

Non deſunt qui hanc doctrinam contemnant, & impugnent. Primò. Quia nihil poteſt habere qualitatem naturalem, aut potentiam connaturalem, quæ virtute contineat aliam, quam recipiendo formaliter, ſe corrumpat. Ergo facultas formatrix in partem ſpirituoſam agere non poteſt, in qua reſidet, producendo delineationem partium, ad quam ſequitur corruptio. Confirmatur hæc opinio, ex definitione violenti, tradita ab Ariſt. 3. *Ethic. cap.* 1. quæ his verbis exprimitur: *Id igitur violentum eſſe videtur, cuius principium eſt foris, nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata:* ex quibus violenti communis definitio deducitur, Violentum dicitur, quod eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim. Deinde ſi aliquis habeat qualitatem naturalem, quæ ſit principium effectiuum corruptionis, & antea non erat, eſt ratione alicuius impedimenti, quod antea non erat, & modò aufertur: hic autem modus productionis eſt per emanationem à principio interno. Ergo non poteſt eſſe violentum; alioquî Ariſtoteles rationem violenti non rectè deſcripſiſſet. Quare concludunt, quòd licèt in qualitatibus perfectibilibus neceſſariò ſit admittenda noſtra ſolutio, in qualitatibus tamen corruptibilibus, nequaquam; quod in emanatione frigiditatis ab aqua, & in motu grauium & leuium patet manifeſtè.

Hæc tamen argumenta etſi videantur ardua, non conuincunt. Dic ad primum. Nullum eſt inconueniens, quòd aliquod mixtum habeat qualitatem conſeruatiuam, & quòd ex accidenti, ratione ſuæ operationis ſequatur corruptio, vt patet in calore noſtro, qui mixta ipſa ab ortu ad interitum exiccat, ad ſenectutem vſque, atque ita ſenſim ac ſine ſenſu ad mortem neceſſariò nos perducit. Deinde calor ipſe, deficiente humida ſubſtantia, quæ eſt pabulum caloris, corrumpitur, & ita calor agit in humidum, in quo continetur, producendo ibi ſiccitatem, tanquam effectum ſecundarium; quæ ſiccitas tractu temporis viuens ad mortem ducit: quod etiam contingit in generatione animalis ex ſemine: Nam ratione facultatis formatricis, formatio partium emanat; ratione verò caloris, ex molliſſimo ſemine, venæ, cartilagines, arteriæ, & oſſa, media ſiccitate formantur, alioquî quomodo durities in membris conſurget: Quod etiam poſtea contingit in adoleſcentibus, in quibus membra efficiuntur duriora, continuata, & aſſidua actione caloris in humidum: nam ratione caloris, ſicciora, durioráque redduntur, & hac ratione ad ſenectutem, tandémque ad interitum partes deueniunt. Hanc doctrinam eleganter docuit Galenus 1. *de ſanit. tuend. cap.* 2. & *lib. de marcore, cap.* 4. quibus in locis ipſe affirmat, neceſſarium eſſe, vt generationis principia, ſanguis, & ſemen, ſint humidiſſima, vt ex illis membra formari queant, néue ita à calore tam citò poſſent exiccari, & hac ratione ad debitam mollitiem, partes noſtri corporis accederent, & vlteriùs actione caloris, media ſiccitate, ad commoderatum robur iuuentutis; qui calor, cùm perpetuò operetur, eadem membra extenuat, rugoſáque reddit humiditate abſumpta; ex qua ſiccitate ſenectus, & tandem mors.

Ex qua doctrina colliges, quòd etiamſi calor naturalis, qualitas conueniens ſit, & naturalis, nihilominus tamen ad interitum nos perducit, producendo ſiccitatem in eademmet parte, in qua eſt, tanquam cauſa æquiuoca: Quod etiam eodem modo dicendum eſt de facultate formatrice, quæ etiamſi qualitas naturalis ſit ſeminis, nihilominus corrumpit partem ſpirituoſam, in qua ineſt, delineatione media, quia delineationis, & formationis partium cauſa eſt æquiuoca. Quæ etiam doctrina euidenti ratione confirmatur: quoniam ſubſtantia ſpirituoſa non poteſt corrumpi, quin mutetur in vaporem, & ſic inſenſibiliter per ſpiracula cutis reſoluatur, nam multò antea quàm fieret partium omnium conformatio, euaneſceret, & ſic nulla generatio eſſet poſſibilis, deficiente facultate formatrice, quæ cùm ſit accidens, neceſſariò corrumperetur corrupto ſubiecto.

Ad confirmationem dic. Violentum duplicitet ſumi: primo modo, quum non ſequitur ex lege, aut inſtituto naturæ, & hæc eſt vera, & propria acceptio violenti, veluti eſt motus ſurſum in lapide. Secundo modo ſumitur violentum, cùm ſequitur leges à natura dictatas, ita vt inter cauſas naturaliter operantes, ordo ſeruetur naturalis.

Et ad maiorem huius rei explicationem, aduerte, aliquas eſſe generationes, & corruptiones, quæ ſtatuto quodam ordine, & ſolùm à principio intrinſeco fiunt, & certa quadam, & naturali rerum ſucceſſione, nullo agente violenter operante extrinſecùs accedente, quæ generationes, & corruptiones naturales dicuntur; huiuſmodi eſt generatio naturalis in ſemine eueniens, & ſimiliter generatio plantæ: licèt autem generationes, & corruptiones hæ fiant à principio intrinſeco, qualitatibus naturalibus mediis; oportet tamen vt ex hac doctrina colligamus, aliquas eſſe generationes, quæ dictú ordinem non ſeruant, neque ſucceſſionem, ſed caſu, & fortuitò ab extrinſecis agentibus contingunt: huiuſmodi eſt generatio ignis ex ligno, ab agente calido, quæ neceſſariò dicitur violenta, non ex eo quòd igni genito ſit violenta, ſed quòd ab interno principio rei non fiat, imò ſolùm ab extrinſeco agente, calido violenter operante. Atque ite rectè dixit Ariſtoteles *in cap. cit.* interitum & corruptionem, eſſe naturalem, & violentam: hæc dicitur, quæ ab extrinſeco producitur, vt ex morbo, & gladio; naturalis verò dicitur, quæ per ſenectutem contingit, appellatúrque naturalis interitus, cùm ab interna, naturalique cauſa proficiſcatur, ſcilicet à calore humidam ſubſtantiam depaſcente. Quæ doctrina etiam habet veritatem in facultate formatrice, quæ cùm operetur naturaliter, delineando partes ſpirituoſas, ex accidenti corrumpitur, veluti corrumpitur calor, humida ſubſtantia, quæ eſt pabulum caloris, corrupta.

Ad alteram confirmationem reſponde, Ariſtotelem ſolùm definiſſe violentum, quod ex nulla parte con-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 513 sur 927

©BIUM

uenit, neque potest esse naturale, quia solùm agebat de motu violento grauium, & leuium, ad quem motum propria natura rei grauis minimè conducit; & sic patet, quomodo Aristoteles definiuerit solum violentum per se, non verò violentum per accidens, vt in nostro calore natiuo ducente nos ad interitum, & in operatione facultatis formatricis palàm fit,

Aliud argumentum solùm probat, quòd quando aliqua qualitas conducit ad corruptionem, modò emanet, quæ antea non emanabat, id accidere, quia adest impedimentum, scilicet alia qualitas contraria, emanationem impediens; veluti accidit in emanatione frigiditatis ab aqua, dum est calida, & perseuerat causa calefaciens, tunc enim non emanat frigiditas, quoniam ob præsentiam caloris emanatio impeditur. Hoc vlteriùs patet manifestè, in partibus exterioribus intensa frigiditate laborantibus, vt in rigore febrium, & in lipyria febri ex aliqua interna inflammatione obortà, in qua retrocessus sanguinis, & spiritus euidenter conspicitur ad partes intimas, ita vt hæ vrantur, externæ verò algescant, & rigeant, quo tempore datur intensissima frigiditas in partibus extimis, à principio intrinseco emanans. Non ergo est inconueniens, id quod est corruptiuum, à principio intrinseco emanare: hoc autem in partibus spirituosis seminis non ita se habet; hæ enim corrumpuntur, quia naturaliter fit hæc operatio actione facultatis formatricis, quod etiam in calore naturali, sua naturali actione nos ad interitum ducente, fit manifestum.

Subtilissimus Galenus *lib. 14. de vsu part. cap. 3.* postquàm plura de partibus generationi inseruientibus, diligentissimè, vt semper solet, perscrutatus fuit, addit, quòd in semine reperitur spiritus, & propria substantia seminis, ex quibus seminis substantiam constituit ipse esse materiam generationis, spiritus verò esse principium effectiuum in generatione. Huius doctrinæ occasione, vt inceptum argumentum ad vmbilicum perducamus, determinandum: *Vtrùm facultas in semine reperta, ab aliis qualitatibus distinguatur?* Hæc difficultas adeò est ardua, & neruosa, vt Galenus *lib. de fœt. format. cap. vlt.* se ignorare essentiam huius facultatis fateatur. Dubitat ergo an facultas formatrix cuiuslibet fœturæ, sit Deus, vel anima. Auicenna *2. 1. doct. 7. sum. 1. cap. 2.* duas in semine constituit, aliam quæ temperiem singulis partibus tribuit, quæ à Medicis alteratrix nuncupatur; aliam quæ organa producit, & facultas formatrix membrorum appellatur: cùm enim consistentia seminis non possit producere immediatè operationes suas, facultatibus tanquam instrumentis vtitur, & sic facultate formatrice indiget, vt organa adeò diuersa possit producere.

Sit ergo conclusio veritatem quæstionis explicans manifestè: Facultas generatiua existens in semine, diuersa est à qualitatibus constituentibus temperiem seminis, & à facultatibus vitalibus corporis. Hæc conclusio probatur experientia: quamplurimi enim inueniuntur homines, habentes perfectissimam temperiem, in quibus vitiata conformatio reperitur. Ergo facultas hæc formatrix diuersa est à qualitatibus elementorum: quod docuit Galenus *2. de temper. cap. vlt.* quo loco veteres Medicos, & Philosophos reprehendit, qui temperaturam ex magnitudine, aut figura totius corporis constare asseuerabant. Deinde qualitates existentes in semine non possunt disponere omnino materiam, ita vt ex vi dispositionis producatur forma chyli generati, quia vltima illa dispositio quæ reperitur in semine, & organizationis nomine explicatur, emanat à facultate formatrice vltimò disponente materiam seminis, ex vi cuius organizationis introducitur forma viuentis.

Obiicies hoc modo. Forma naturalis in productione rerum naturalium, vt in productione ignis, fit A efficienter, instrumentaliter per concursum caloris. Ergo etiam temperies seminis potest organa accidentaliter efficere, cùm multò perfectior sit forma substantialis ignis, & instrumentaliter producatur à calore. Accedit, quòd partes similares nostri corporis, media solùm alterationе temperamenti, alimentum disponunt, vt in materiam ipsius alimenti forma viuentis possit introduci. Ergo à primis qualitatibus, sine necessitate facultatis formatricis, conformatio etiam fieri poterit.

Dic: quòd ad productionem ignis, organorum productio non est necessaria, quæ in productione viuentium est requisita; neque diuersitas partium, quæ emanat ex parte determinata quantitatis: & hac ratione introductio formæ ignis, fit solùm ex vi alterationis calefactiuæ. Neque ex eo quòd forma ignis sit perfectior in organis accidentaliter, sequitur, quòd si à qualitatibus disponitur materia pro introductione formæ ignis, etiam producunrur organa à qualitatibus primis: Nam pro causa efficienti, & effectu debet assignari debita proportio: homo enim generat hominem perfectiorem equo, non tamen potest generare equum.

Ad confirmationem respondè, quòd in nutritione partium omnino non disponitur alimentum solùm alterationе primarum qualitatum, sed aliquid producitur à facultate nutriente, cuius merito introducitur forma viuentis, & forma alimenti expellitur: præterquam quòd in materiam illam alimenti introducitur forma sine organizatione vlla, quia iam præsupponitur producta in prima generatione animalis, & ita illa non dicitur generatio simpliciter, sed solùm secundùm quid, quæ à Philosophis adgeneratio nuncupatur.

Dic vlteriùs. Hæc facultas formatrix, seu generatiua in semine existens, distincta est specie à facultate generatiua seminis testium, & ab aliis facultatibus nostri corporis naturalibus: quia quælibet facultas nostri corporis vitalis à temperie partium est distincta. Sed generatio emanans à facultate seminis non est actio vitalis. Ergo facultas formatrix, vitalis non erit, cùm semen non viuat.

Clarioris verò doctrinæ gratia aduertere oportet, quòd hæc facultas formatrix potest dupliciter considerari: primo modo, quatenus media facultate formatrice generatio prolis, aut fœturæ attingitur, atque hoc modo certum est, quòd ad generationem substantialem non potest concurrere in genere causæ principalis, cùm hæc facultas sit accidentalis, forma autem producta per generationem, substantialis est, & sic accidens, ex omnium mente Philosophorum, in genere causæ principalis productionem substantiæ non attingit. Secundo modo considerarur hæc facultas, respectu formationis partium, ad quam conformationem concurrit in genere causæ principalis, atque ita partium delineatio, facultatis huius formatricis est effectus. Probatur euidenter: Nam hæc facultas formatrix perfectior est multò essentialiter, quàm accidentalis organizatio. Ergo efficienter, tanquam à causa æquiuoca, à facultate formatrice, partium conformatio producitur: quod Auic. *loco suprà citato* ostendit, dicens: *Virtus formatiua inprimis est illa, ex qua præcepto creatoris sui procedit membrorum delineatio, vt ipsorum roboratio, concauitas foramina, læuitas, asperitas, situs, & alia similiter quæ ad formationem attinent:* Quod etiam *1. de facult. natural. cap. 5.* docuit Gal. loquens de intestinis, & ventriculo, vbi inquit: *quòd conformatio intestinorum, & ventriculi ad aliam facultatem pertinet, quam formatricem appellamus.*

Sed contrà obstant auctoritates multæ. Nam Gal. *cit. lib. 1. de facult.* distinguit facultatem productiuam partium similarium, à facultate productiua dissimilarium, siue organicarum, quoniam partes similares fiùt à temperamento, dissimilares ab alia facultate productiua organorum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 514 sur 927

organorum. Hanc doctrinam firmat Aristoteles 4. *meteor. cap. vlt.* demonstrans à quanam virtute partes similares fiant, ac dissimilares, tandémque concludens, similares à qualitatibus elementorum, dissimilares ab animalis natura, vel ab alia causa fieri asseuerat: quod etiam docet *lib. 1. de generat. animal. cap. 3.* nam mollia, dura, lenta, rigida, & quoscunque alios affectus, qui in partibus viuentis fiunt, caloris, & frigoris vi; carnem verò, & os à primis qualitatibus minimè fieri arbitratur: quo capite tum effectus emanantes à primis qualitatibus, tum ab organizatione partium, manifestè proponit. Et *lib. cit. cap. 3. post med.* habet hæc verba: *Inest in semine hominum, quod facit vt fœcunda sint semina, scilicet calor, isque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui semine, spumosóque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu etiam proportione respondet elemento stellarum.* Quibus verbis Philosophus demonstrat, partium similarium formationem à sola temperatura, non verò à facultate formatrice emanare.

Auctoritates explanabis hoc modo, si priùs asseras, in semine non inueniri duas facultates diuersas, quarum vna producat partes similares, alia dissimilares: nam facultas quæ producit carnem, aut os, aut alias partes similares, illas cum determinata magnitudine producit, & secundùm alia accidentia, quæ se habent ex parte conformationis, secundùm animæ exigentiam. Quare facultas non est diuersa, sed eadem est productiua partium similarium, & dissimilarium: quod ratione euidente suadetur. Partes dissimilares solùm sunt partes similares prout vnitæ, sic enim organum, siue partem similarem constituunt. Ergo facultas quæ producit partes similares, dissimilares producit, quod etiam debet intelligi de aliis rebus pertinentibus ad conformationem, vt patet de figura, quæ cùm sit modus contingens in corpore ex terminatione quantitatis, ad temperiem sequi non potest.

Ad Aristotelem verò, & Galenum *loc. cit.* sic respondé, dicque illum solùm loqui de natura partium similarium, à temperamento seminis emanante, non verò de magnitudine, & aliis rebus existentibus in partibus similaribus, ad conformationem pertinentibus. Huius rei ratio est euidens; quoniam partes dissimilares habent temperiem, secundùm temperaturam partium similarium, atque ideò dixit Aristoteles, quòd similares emanant solùm à temperamento, considerata temperatura ipsarum, non verò conformatione, aut magnitudine, quoniam secundùm hanc rationem à facultate formatrice producuntur.

Sequitur, vt obscura alia quæstio agitetur: *Vtrùm semen concurrens ad generationem substantialem fœturæ, concurrat instrumentaliter, vel tantùm dispositiuè in genere causæ materialis?* Plures, cùm contrariæ sententiæ argumenta insolubilia esse sibi persuaderent, illorum difficultate conuicti, partem negatiuam defendere maluerunt, videlicet quòd semen non habeat aliquam efficientiam respectu generationis substantialis. Probántque primò, quoniam causa efficiens debet esse perfectior suo effectu. Sed semen est imperfectius prole genita. Ergo semen ad generationem substantialem effectiuè non concurrit.

Nec valet, si asseras hoc argumentum tantùm probare, semen non concurrere ad generationem substantialem, vt causa principalis, posse tamen, etiamsi sit imperfectius substantia viuente, concurrere in genere causæ instrumentalis: Nam contrà facit argumentum hoc, quia omne instrumentum agit, inquantum motum à principali agente; sed semen non agit vt motum à generante, quia contingit semen adesse, generante non existente: quod argumentum etiam potest pronunciari de existentia generantis, quia generans non est intimè coniunctum. Ergo semen vt instrumentum generationis non concurrit: cuius rei ratio est, quia quodlibet instrumentum agit in virtute causæ principalis: Semen autem non agit in virtute causæ generantis, nihil enim potest agere in virtute eius, quod non est. Ergo cùm semen concurrat ad generationem, etiamsi generans non adsit, apertè sequitur, quòd semen in virtute generantis non agat, sed alia causa productiua substantiæ est assignanda.

Probant secundò sententiam suam: Nam efficiens causa dum operatur, debet existere. Sed semen in instanti generationis non existit. Ergo semen non concurrit instrumentaliter in genere causæ efficientis ad substantiæ generationem, cùm in instanti generationis semen iam sit corruptum. Tertiò arguunt hoc modo. Semen, vt *infra* agemus, concurrit in genere causæ materialis ad prolis generationem. Ergo non potest concurrere vt causa efficiens, & materialis, cùm hæ in actionibus transeuntibus non possint coincidere simul. Confirmant deinde: quia nihil potest agere in seipsum, vt *1. de generat. cap. 7.* docuit Aristoteles, quod sequeretur, si semen ad generationem fœtus efficienter concurreret. Vltimò. Nihil agit in destructionem sui. Sed ex generatione viuentis sequitur corruptio seminis. Ergo semen ad generationem prolis efficienter concurrere non potest.

Auctores in hoc soluendo dubio in varias diuisi sunt partes: qui enim accidentia subiectari in materia prima arbitrantur, consequenter affirmant, quòd accidentia ad productionem substantiæ instrumentaliter concurrunt, quia illa sunt in generationis instanti, & manent post generationem ipsam. Cæteri, qui accidentia subiectari in toto composito asseuerant, illa non posse concurrere instrumentaliter ad productionem substantiæ, propter defectum existentiæ, asseuerant, quia in instanti generationis non existunt, & vt sic solùm dispositiuè in genere causæ materialis concurrunt.

Solue tu hoc modo. Etiamsi accidentia subiectentur in toto composito, adhuc facultas formatrix concurrit in genere causæ instrumentalis ad productionem formæ substantialis. Hæc conclusio patet præsuppositæ necessitate instrumentorum naturalium: hæc enim accidentia sunt virtutes actiuæ, quæ substantiam in ordine ad operationes perficiunt, vt potentiæ omnes animæ, calor, & frigiditas. Patet deinde, quoniam in hoc distinguuntur hæc accidentia, ab accidentibus aliis, quæ solùm ad substantiæ ornatum inseruiunt, vt albedo, nigredo, &c.

Argumenta verò aduersa extrica hoc modo. Dic ad primum. Causa efficiens principalis debet esse perfectior suo effectu; at verò causa instrumentalis, nequaquam, vt patet in generatione ignis, facta instrumentaliter à calore. Ad confirmationem dic, quòd accidentia operari in virtute substantiæ, non est quòd aliquam motionem à principali agente instrumentum requirat, sed satis est, quòd accidens sit virtus ipsius agentis, & hac ratione in virtute substantiæ operatur.

Dic ad secundum, quòd vt aliquid sit causa efficiens alterius, satis est quòd existat simul tempore cum effectu, ita vt nullum inter causam, & effectum tempus interponatur; non verò requiritur, quòd sit causa efficiens in eo instanti naturæ cum effectu, quia etiam ratione dispositionis, existentes in aliquo composito, ad productionem formæ substantialis concurrunt: licèt enim non sint in eodem instanti naturæ, in quo est substantialis forma, sunt tamen in eodem instanti temporis, ita vt primum non esse dispositionum, sit substantiali formæ primum esse. Quare quamuis semen non sit in eodem instanti naturæ, in quo est generatio fœturæ, quia tamen in tempore immediato, hoc sufficit, vt semen instrumentaliter concurrat, præcipuè cùm illæ prioritates, vt ita dicam, naturæ, reales non sint, in quibus vnum sine alio existit, sed prioritas solùm rationis.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 515 sur 927

©BIUM

Ad tertium iam respondimus *suprà*, quærentes, An in semine diuersæ partes reperiantur, quarum altera sit efficiens, altera materialis. Ad vltimum argumentum. Dic, quòd nihil agit per se in destructione sui, per accidens tamen contingit, vt sequatur destructio rei, sicut ex actione dispositionum ipsarum corruptio per accidens sequitur, quia earum subiectum corrumpitur: ita similiter per accidens contingit, quòd ex actione seminis sequatur corruptio ipsius.

Vt verò hæc solutio explicetur magis, aduerte, quòd inter generationem viuentium, & non viuentium maxima diuersitas adest: In his enim secundùm probabiliorem sententiam, in generante existit, & non in passo, solùm enim calor in igne generante est instrumentum, calor verò existens in ligno, scilicet in passo, solùm dispositiuè concurrit: At verò in generatione viuentium, tam in generante, quàm in materia seminis, in quam introducenda est forma viuentis, est propria virtus instrumentalis, licèt remota, respectu generationis: nam in generante est potentia generatiua existens in testibus, in semine etiam est propria virtus, scilicet facultas formatrix, quæ doctrina est Aristotelis, dicentis generationem viuentium esse naturalem, non autem generationem non viuentium: illa enim à principio intrinseco fit, quoniam in semine facultas formatrix existit; hæc contrà, à principio extrinseco est.

Obiicies. Sicut accidentia dispositiua materiæ ligni, ad introductionem formæ ignis, sunt violenta ipsi ligno, sic etiam virtus illa instrumentalis, scilicet facultas formatrix, quæ reperitur in semine, est violenta. Paritas rationis probatur: quia ratio ob quam accidentia sunt violenta, est, quia tendunt ad corruptionem ligni. Sed etiam facultas formatrix, quæ in semine est, tendit ad corruptionem seminis, & productionem viuentis. Ergo in hoc nulla potest differentia assignari.

Dic. Sunt quædam formæ, quæ per se à natura quasi non intenduntur, sed per accidens, vt via scilicet ad aliud: nam Embryo priùs viuit vita plantæ, deinde vita animalis, vltimò vita hominis, quia illi gradus priores à natura sunt intenti, tanquam via; sic similiter se habet forma seminis, quæ natura sua ad viuentis productionem solùm aspirat, & ita ad introductionem formæ viuentis per accidens corrumpitur. Accedit quòd dispositiones productæ ab agente extrinseco, in generatione viuentium, sunt violentæ, quod facultati formatrici, quæ in semine est, non conuenit, quòniam etiamsi ad formam viuentis disponat, est tamen qualitas naturalis in semine existens.

Solue secundò, argumentum illud, dicens semen habere partes heterogeneas, vt probauimus *suprà*, quarum quædam sunt actiuæ, aliæ verò passiuæ; & hac ratione virtus illa quæ existit in partibus actiuis, scilicet facultas formatrix, non est semini violenta, imò potiùs naturalis, respectu partium in quibus inest: & hoc sufficit, vt dicatur naturalis respectu seminis. In ligno verò, respectu generationis ignis, non est eadem ratio, quia omnes partes quas habet lignum, homogeneæ sunt, nec verò heterogeneæ, quemadmodum sunt illæ partes quæ in semine reperiuntur, quarum aliæ sunt merè actiuæ, aliæ verò passiuæ.

Difficilimum verò explicatu dubium est: *Vtrùm substantia à prima causa, vel à generante in virtute seminis principaliter producatur*? Communis Medicorum, & Philosophorum sententia est, quòd accidentia separata à proprio connaturali subiecto, producunt substantiam in virtute causæ principalis, scilicet generantis, & vt instrumenta eius separata, non autem vt instrumenta primæ causæ, aut alterius causæ vniuersalis supplentis defectum causæ particularis. Probatur primò, quoniam virtus seminalis in absentia generantis, generat substantiam viuentem, mediante facultate relicta in semine. Ergo generans in genere causæ principalis, media operatione facultatis formatricis, substantiam producit.

Neque soluas argumentum hoc, quòd semen non solùm est instrumentum operationis propter facultatem formatricem, sed etiam ratione formæ substantialis ipsius seminis: Nam contrà hoc est, quia semper remanet eadem difficultas, siue sola forma seminis sit vitalis, siue non: cùm semper longè imperfectior sit, quàm anima, quæ generatur. Ergo solùm debet concurrere facultas formatrix instrumentaliter; generans verò in genere causæ principalis.

Probatur secundò hæc sententia, quia inanimata habent sufficientem facultatem ad generandum in genere causæ principalis, sicut ignis generat ignem, in qua generatione peculiaris influxus causæ primæ, aut alicuius causæ vniuersalis non adest. Ergo etiam animata, cùm ex sua natura sint perfectiora, substantiam in genere causæ principalis producent, ita vt speciali concursu primæ causæ non indigeant.

Probatur tertiò. Omnis actio productiua substantiæ debet ab aliquo immediato agente emanare, vt omnes Philosophi *in lib. 7. physic. cap. 6.* confirmant. Sed forma substantialis agentis, v. g. generantis, substantiam immediatè producendam, nisi mediis accidentibus, attingere non potest. Ergo hæc accidentia sunt, quæ substantiam in virtute generantis producunt: quia quemadmodum Sol non tangit immediatè minerala, nisi media luce, & calore; sic similiter homo hominem, nisi media virtute seminali producere nequit.

Quamuis autem hanc opinionem peritissimi viri amplectantur, difficilimè tamen defendi potest, quia aduersùs eam grauissima argumenta insurgunt: Nam accidentia virtute propria substantiam non producunt. Ergo nec etiam quatenus sunt virtutes substantiæ. Patet sequela: hæc enim virtus, vel est substantia, vel accidens: Si primum, ergò iam subitò subiectatur in accidenti, quod est contra Philosophos omnes: Si secundum, vel est quid relatiuum, vel absolutum: non relatiuum, vt de se patet, cùm relatio nullius sit actiuitatis; nec etiam vt absolutum, quia adhuc remanet accidens, sicut antea, & sic eadem ratio semper vrget. Confirmatur, quia iam accidens virtute propria produceret substantiam, & non in virtute substantiæ, alioqui daretur processus in infinitum.

Nec respondeas huic argumento, quòd virtus illa non est aliquid superadditum accidenti, sed ipsummet accidens, quòd ex sua natura est mixtum substantiæ, ita vt sit sensus, accidens agit in virtute substantiæ, quia ex sua natura est virtus illius: Nam semper remanet eadem difficultas, quoniam facultas formatrix, vt est virtus generantis, vel aliud quoduis accidens, non dicit minorem perfectionem, quàm sola facultas formatrix. Ergo hæc adhuc, prout est virtus generantis, substantiam non producit.

Huic argumento poteris respondere, quòd calor per se solùm potest esse instrumentum substantiæ, ita vt omnis illa entitas excludatur superaddita accidenti, quoniam certum est, quòd instrumenta naturalia, & facultas formatrix non agunt per aliquod superadditum, sicut instrumenta artificialia; cum hoc tamen non debemus excludere coniunctionem ad substantiam, aut esse virtutem illius.

Quare in calore, aut facultate formatrice duo considerantur: primùm, quòd calor, aut facultas formatrix sit accidens talis speciei, atque ita calor non est mixtus substantiæ, nec productionem illius attingit, sed solùm adest, quòd calor sit causa alterius caloris, & facultas formatrix causa delineationis partium; & sic

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 516 sur 927

sic calor tantùm non dicitur dimanare ab aliqua certa substantia, sed abstrahitur calor à forma substantiali cuiuslibet mixti.

Secundo modo consideratur calor, aut facultas formatrix, quatenus à forma substantiali emanant, secundùm quam considerationem redditur vigorosior ad operandum; & sic explicant, quòd ex diuerso genere coniunctionis caloris ad diuersas formas, producat calor diuersos effectus: nam coniunctus cum substantia animalis producit carnem, & sanguinem; cum fœmina, producit lac, quod non facit in viro, quamuis calor vtriusque sit eiusdem speciei: quod idem dicendum est de facultate formatrice, quæ ex sua natura est virtus generantis; & sic asserunt, quòd licèt accidens sit imperfectius substantia, & in genere causæ principalis substantiam producere non possit, tamen per modum substituti, bene potest in virtute generantis hoc efficere, ita vt generans sit causa principalis: quod confirmant in instrumentis artificialibus attingentibus productionem rei artificialis, & in naturalibus instrumentis, vt semen imperfectius viuente producit viuens, quod etiam de seminibus plantarum, & arborum intelligendum esse, sibi persuadent.

Sed alia sententia à nobis amplectenda est, qua affirmamus semen productionem formæ substantialis non attingere, sed solùm fœminam per suam formam substantialem, in genere causæ principalis producere substantiam, præsuppositio semine viri; & sic nunquam producitur substantia ab accidenti in genere causæ principalis: nam fœmina est causa principalis respectu productionis formæ, si ea ex potentia materiæ potest educi, vt in formis multorum contingit; si verò forma non educatur ex potentia materiæ, vt in anima rationali, sufficit quòd mulier attingat vnionem, vel saltem antecedenter disponat materiam, vt Deus iuxta dispositionem illius animam rationalem per creationem producat.

Probatur hæc sententia hac ratione efficaci: quoniam recurrere ad Deum, tanquam ad causam superiorem, supplentem defectum causæ particularis, in aliquibus generationibus solùm veritatem obtinet, quando casu contingit, vt producatur viuens, vt in generatione viuentium ex putri materia contingit, in quo exemplo aliqua virtus seminalis non datur, cuius ratione in ratione substantiæ generatio formæ substantialis fieri possit: aliter verò se habet in difficultate nostra, quoniam in semine datur facultas formatrix, quæ in virtute causæ principalis substantiam producere potest. Ergo generatio viuentium, vt fiat ordine à natura instituto, & non casu, generanti, & non primæ causæ debet attribui. Confirmatur: Nam sequeretur generationem viuentium soli Deo esse tribuendam, & non causis secundis, ita vt sit falsum dicere, quòd homo generat hominem, leo leonem; hoc enim modo omnino tollitur influxus causarum secundarum, quæ doctrina argumentis *suprà* adductis etiam confirmari potest.

Obiicies hoc modo, contra traditam doctrinam: hæc enim in generatione arborum, & plantarum, veritatem non obtinet, in quibus non datur diuersitas sexus. Nec dicas quòd tunc terra gerit vicem matris, quia forma terræ longè est imperfectior quauis substantia viuenti. Ergo terra ipsam substantiam viuentem producere nequit, & ex consequenti sola fœmina, medio semine viri, in genere causæ principalis, substantiam non producit.

Respondent aliqui hanc generationem tribuendam esse cœlo, causæ particularis defectum supplenti, veluti in generatione formarum naturalium contingit, vt quando ignis medio motu locali producitur. Verùm hæc solutio non potest admitti, quia cœlum qualibet substantia viuente multò est imperfectius. Ergo in genere causæ principalis, ad generationem viuentis non potest concurrere. Quòd si dicas, cœlum producere hæc mixta viuentia, prout mouetur ab intelligentia, habes contra te argumentum firmum: nam hæc intelligentia nullam habet vim productiuam circa hæc inferiora, cùm solum motum localem producat, quo mediante cœli mouentur. Ergo cœlum adhuc cum intelligentiis substantiam viuentem producere non potest. Dic, quòd hoc supposito, quia sexuum diuersitas non datur, tunc causa principalis est Deus, qui substantiam illam viuentem producit.

Obiicies secundò. Si superior doctrina esset vera, ex ea sequeretur, quòd fœmina esset principalius generans, quàm vir, quod videtur esse contra Philosophos omnes. Dic, negando sequelam: Non enim emanat ex imperfectione viri, quòd hic non producat id quod à fœmina producitur, sed ex eo quòd non est immediatè coniunctus cùm semine, alioquì si adesset, idem efficeret, quod fœmina: quare si anima maris esset applicata fœtui, in corpore fœmineo produceret fœtum, per accidens tamen impeditur. Quare cùm fœmina verum semen efficiat, & sit eiusdem speciei cum mare, habeátque potentiam generandi, ita magis proximè ad generationem concurrit.

Sed quoniam in hac difficili quæstione, posset aliquis aduersam tueri sententiam, videlicet quòd Deus est causa principalis supplens defectum causæ particularis, veluti contingit in generatione plantarum, & arborum, præsuppositia dispositione ex parte terræ, hoc modò satisfaciet, quòd in animalium perfectorum generatione, in quibus formæ educuntur de potentia materiæ, semen ad productionem substantialem instrumentaliter concurrit cum operatione tamen causæ primæ, quæ in fluxum generantem in homine supplet; tamen semen decisum in hac opinione instrumentaliter non concurrit, quia anima rationalis per creationem producitur: dicimus tamen quòd homo generat hominem, quia producit semen, in quo facultas residet formatrix, quæ pro introductione animæ rationalis organa operatur necessaria. Ex his inferre poteris, non rectè sequi, quòd homo non generat hominem, nec leo leonem, quia facultas existens in semine est virtus relicta ab ipso generante, quæ corpus ipsum delineat, vt sine alia causa particulari Deus formam substantialem producat, & sic dicatur homo causa proxima respectu generationis substantialis.

Vtrum semen sit colliquamentum, vel excrementum? Non pauca Peripatetici intentant, dum excrementum esse multis confirmant. Primò, colliquatio res est præter naturam membrorum, cùm naturalem membri concretionem dissoluat. Secundò. Crassi homines multò minùs fœcundi sunt; nam crassum ab agente colliquante multò magis distillat, quàm gracile. Tertiò. Colliquatio, siue ex venere, exercitio, vel febre fiat, non habet in corpore locum peculiarem quò defluat. Sed semen, cæterorum excrementorum instar, fæcis, vrinæ, lactis, bilis, habet peculiare conceptaculum, meatus seminarios. Ergo, &c. Quartò. Si esset colliquario, semper læderet. Atqui persæpe reddit corpus alacrius, quare eius vsus salubris est, ex Gal. *in art. med. cap.* 82. & abstinentia lædit, ex ipso, 6. *de loc. cap.* 5. & in grauissima damna, corpora præsertim muliebria præcipitat, vt plurimis historiis *eo loco* Gal. confirmat. Ergo. Quintò. Ætate florentes, sani, robusti, plurimum semen in concubitu eiaculantur; contrà senes, valetudinarij, & imbelles. Ergo, &c. siquidem imbecilla magis colliquantur robustis. Ergo non est colliquamentum, sed alimenti sanguinei excrementum.

Ita Aristoteles 1. *de generat. animal. cap.* 18. Sed dum hæc fatur, sibiipsi pugnantia scribere videtur: excrementum enim definit, 2. *de generat. animal. cap.* 4. id quod incoctum, & terrenum simul in corpore remanet; semen verò coctum est, non terreum, sed aëreum, spumosum.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 517 sur 927

©BIUM

ſpumoſum. Deinde ſi excrementum eſt, & quid incoctum, quomodo ipſi tam inſignis gignendi vis ineſt, vt teſtatur ipſe?

Excrementum ergo interpretemur, ſemen eſſe, ſola quantitate redundans, quæ nihil aliud eſt, quàm pars alimenti, ad conuerſionem in membra proximè accedens, nec tamen id omne verum ſemen eſt, ſed quod è teſtium nutritione ſuperfluit. Quamuis enim ſeminaria totius corporis membra, ſubſtantia quadam alba, ſemini valde ſimili nutriantur, verum ſemen, maximè coctum, vi genitiua præditum, in ſolis teſtibus, & inuolutis meatibus, à natura, eximia arte fabrefactis generatur: quod enim infœcundum ſemen eſt, ſeminis appellationem non meretur.

Vtrùm ſemen ſit animatum? Auctores certarunt vtrinque. Peripatetici vnà cum magiſtro ſuo, ſemen eſſe ſolùm in potentia ad vitam ſibi perſuadent: Nam anima eſt actus corporis phyſici, organici. At ſemen non eſt organicum, ſed homogeneum, & ſimilare. Ergo ſemen anima non informatur. Aduerſa tamen ſententia eſt magis probabilis: Nam Galenus *lib. de maraſmo, cap.* 2. tria eſſe viuorum genera aſſeuerat, animalia ſcilicet, plantas, & ſemina, quæ marcore corripi inibi inculcat, qui morbus ex nimia ſiccitate oritur. Ergo cùm hæc morboſa affectio ſemini contingat, ſemen animatum erit. Et 2. *de facult. natural. cap.* 3. in ſemine reperiri facultatem attrahentem arbitratur: Et *lib.* 1. *de ſem. cap.* 8. in ſemine eſſe eſſe principium motionis pronunciauit. Ergo ſemen animatum eſt, cùm anima ſit principium motus. Et *eodem lib. cap.* 11. ſemen maſculinum nutriri à ſemine fœminino aſſeuerat: quare cùm nutritio ſit actio vitalis, ſemen viuet, & erit animatum. Probat Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 3. dum ſemina, & plantas, viuere ſtirpium inſtar, edocuit. Deinde operatio vitalis emanat à potentia vitali. Sed ſemen habet operationes vitales, quia attrahit, & retinet. Ergo habet animam, quæ harum operationum eſt principium. Præterea. Semen naturalem calorem ſortitur viuificum, quia generatio qua producitur viuens, eſt actio vitalis. Sed ſemen generat viuens. Ergo viuit ſemen, cùm operetur actione vitali.

Neque reſpondeas huic argumento, facultatem in ſemine exiſtentem eſſe vitalem, etiamſi ſemen non viuat: nullum enim eſſe inconueniens, quòd facultas reperiatur in ſubiecto non viuente, tanquam in medio quodam ad ſpeciei propagationem deſtinato. Sed hæc ſolutio non eſt vera, quoniam ſubiectum vitale ex ſua natura vitam expoſtulat, ſine ſubſtantiæ viuentis concurſu, prout circa facultatum vitalium operationes anima influit. Deinde facultas v. g. quæ eſt in ſemine, eſt vitalis: ergo etiam operatio emanans ab hac facultate, erit vitalis.

Semen ergo viuit, & animatum eſt. Præcipuo verò argumento (plura enim indiſcriminatim auctores congerunt, quibus ſolutio facilis reddi poteſt) ſic reſpondeo: Semen, vt eſt potentia animatum, ita & organicum; cùm primùm verò incipit exercere animæ opera, iam eſt præditum vaſis ex vtero trahentibus. Dic ſecundò cum Simplicio *lib.* 2. *de anima, cap.* 6, quòd anima eſt actus corporis organici, duplici ratione: vna ſecundùm quam organum effingitur, formatúrque, vt inde ſit animæ organum; altera ſecundùm quam iam vtitur organo formato: illa quidem eſt in ſeminibus, & in conceptibus; hæc verò in editis iam animantibus. Dic tertiò, quòd ſemen non prorſus eſt ſimilare, cùm parte conſtet ætherea, & ſpirituoſa, quæ diuerſæ rationis eſt à craſſiori, & magis corpulenta ſubſtantia. Quin in parte illa ætherea veriùs reſidet anima; eſt enim apud Galenum 1. *de ſemin. cap.* 10. ſpiritus is per ſe mobile principium, quare & animatum; ſiquidem anima motionis fons eſt, atque origo. Ariſtoteles inſuper 2. *de generat. animal. cit.* ſeminum fœcunditatem in huiuſmodi ſpiritum retulit, cuius natura cùm cælitus inſeratur, diuinitatem præ ſe fert, & quoniam varia producit organa, cum elemento ſtellarum quandam videtur habere ſimilitudinem.

Sed iam tempus eſt, vt ad aliam difficilem quæſtionem explanandam, properemus: *Vtrùm ſemen ab omnibus noſtri corporis partibus decidatur*? Hippocrates *lib. de morb. ſacro, num.* 4. & *lib. de aëre, aq. & loc. num.* 3. ſic ait: *Cùm ſemen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à ſanis quidem ſanum, à morboſis morboſum, fiátque vt ex calnis calui gignantur, & ex diſtorto diſtortus, eadémque ratio eſt circa alias formas, & ſic ex macrocephalis, macrocephali.* Idem etiam *citatis locis* probauit Hippocrates, experimento proprio edoctus, qui ex ſectione venarum retrò aures, reddi homines ſteriles affirmat: cauſa eſt, quòd ſemen genitum in capite, ad organa generationis, poſito hoc impedimento, deſcendere nequeat. Confirmat eius ſententiam Auicenna 2. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. dum hæc protulit verba: *Et Hippocrates dixit in ſuis intentionibus, quamplurimùm materia ſpermatis à cerebro deſcendere, ex duabus venis quæ ſunt poſt aures; & propter hoc datur ſterilitas ex ſciſſione venarum.* Hac ratione leges monent humanæ, vt furibus amputentur auriculæ, vt ſteriles remaneant, ne ſcilicet fur aliùm furem ſibi ſimilem generet: quod etiam docuit Ariſt. 1. *probl.* 56. quæréns, cur Eunuchi, ſeu ſpadones, calui non ſunt; quia (inquit) obtinent plurimam ſubſtantiam cerebri, atque hoc contingit, quia venerem non exercent. Ergo ſemen ab omnibus partibus deciditur.

Probatur primò hæc ſententia. In ſeminis emiſſione in toto corpore delectatio perſentitur. Ergo in toto corpore ſemen generatur. Antecedens patet experientia. Conſequentia vera eſt, quia ſolùm in illa parte perſentitur dolor, vbi adeſt obiectum naturam corrumpens: quare in illis partibus, in quibus delectatio ſentitur, etiam debet adeſſe obiectum illam delectationem producens. Sed in omnibus partibus ſentitur voluptas. Ergo ab omnibus partibus ſemen decidi tur.

Secundò. Filij producti aſſimilantur parentibus non ſolùm in ſpecie, ſexu, & effigie, ſed in magnitudine corporis, & temperamento. Sed cauſa huius ſimilitudinis ſolùm poteſt eſſe, quòd ſemen ab omnibus partibus corporis decidatur, referens ſimilitudinem partium à quibus dimanat. Ergo, &c. Nec enim vlla ratio aſſignari poteſt, cur poſſit contingere, vt ſi ſemen ab illa parte non procedat, filij partibus aſſimilentur in illa parte determinata, ſi ab ea ſemen non deriuetur.

Tertiò. Claudi, Epileptici, Elephantici, & quacunque alia ægritudine infecti, filios generant claudos, epilepticos, leproſos, & alia quauis ratione affectos. Sed hi morbi ſolùm ex vitio ſeminis emanant. Ergo. Patet maior experimento in morbis hæreditariis, in quibus ſemen vitioſum ſimilem morbum in filio producit. Ergo ab illa parte deciditur ſemen, quod ſimiliter de omnibus aliis partibus eſt dicendum.

Quartò. In ſeminis emiſſione, in toto corpore maxima ſentitur debilitas, quod non alia ratione contingere poteſt, niſi quia ab omnibus partibus ſemen deciditur, quod *loco cit.* docuit Auicenna. Vltimò. Quælibet pars nutritur ex eadem materia, ex qua fuit generata. Sed partes ſpermaticæ fuerunt in principio fabricatæ ex ſemine. Ergo ſimiliter in ſemine nutrientur; & hac ratione in partibus ſpermaticis ſemen generabitur, atque ab ipſis ad organa generationis deſcendet. Maior conſtat ex Galeno 2. *de ſemine, cap. vlt.* docente, quòd quemadmodum partes carnoſæ ex ſanguine, ita ſpermaticæ ex ſemine nutriuntur, & generantur, cùm eadem generationis, & nutritionis materia ſit.

His

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 518 sur 927

His rationibus connicti plures, ſemen generari in omnibus partibus ſpermaticis totius corporis conteſtantur, à quibus virtute teſtium attrahatur. Sicut enim in liene propria virtus attrahens melancholiam reperitur, & renibus ſua ineſt trahens ſeroſitatem, ita ſimiliter in teſtibus eſt aſſignanda, quæ ſemen, vt proprium alimentum, natiua quadam proprietate ad ſe allicit. Quæ ratio videtur deſumpta ex Galeno, 2. *Aph. com.* 28. *in vltimis verbis*, quo loco, vt reddat cauſam, ob quam podagrici, epileptici, aut alio morbo infecti generent filios ſimilibus morbis fœdatos, eam eſſe determinat, quia ſemen eſt vitioſum in articulis, & in cerebro; & hoc modo membra genita imbecilla reddũtur. Semen itaque defert vitia illarum partium, à quibus deciſum eſt, ob quam cauſam fœtus producti inquinantur eiſdem morbis, quibus parentes antea erant conſpurcati.

Hæc ſententia, præterquam quòd ab Ariſtotele impugnatur, 1. *de generat. animal. cap.* 18. eſt aduerſa communi Medicorum Scholæ, qui rationibus muniti, contrariam tuentur, & defendunt. Primò. Generatio ſimilis eſt in quibuſdam plantis medio ſemine, ſicut in animalibus. Sed in illis ſemen ex tota planta non deciditur, quia partes ſingulæ non expellunt ſingulam portionem ſeminis, ex qua ſemen integrum producatur. Ergo neque in animalibus ſemen ex omnibus partibus expellitur.

Secundò. Ex ſimilitudine filiorum ad parentes non rectè infertur, quòd ſemen ex toto corpore decidatur: nam filij non ſolùm ſuorum parentum, ſed auorum, & proauorum à quibus nullum expellitur ſemen, imò cuiuſdam hominis ignoti figuram, & ſimilitudinem referunt. Deinde ſimilitudo filiorum ad parentes ſæpenumerò ſeruatur in pilis, vel vnguibus, ex quibus pro generatione nil deciditur: quin filij interdum aſſimilantur partibus, in exterioribus ſignis, vt barba. Ergo, &c. Accedit quòd patres manci, claudi, generant filios ſanos, & nulla labe in aliqua parte fœdatos. Ergo vt generetur pes v. g. aut manus, non eſt neceſſarium, vt ab illa parte deſcendat: pariter de reliquis noſtri corporis partibus pronunciandum.

Tertiò. Semen non generatur ſolùm in partibus ſimilaribus, neque in diſſimilaribus, neque in vtriſque ſimul. Ergo. Non à ſimilaribus, quia in animalium generatione, ſeruatur etiam ſimilitudo filiorum ad parentes in partibus organicis, vt patet in ſimilitudine faciei: Neque à partibus diſſimilaribus, quia hæ ex communi Medicorum voto, ſolùm ſunt partes ſimilares adinuicem coniunctæ; & ſic partes hæ non efficiunt aliquam operationem ſine actione partium ſimilarium. Non ex vtriſque ſimul, ſequeretur enim ex compoſitione partium, ortum ducere; ſimilitudo autem formalis ab aliqua compoſitione non dependet. Inſuper. Si ſemen à toto decideretur, etiam id de ſanguine eſſet dicendum, qui ſolùm eſt materia partium carnoſarum, ita vt ſanguis ex toto corpore pro formatione partium carnoſarum deſcenderet, quod eſſe falſum nulluſnon videt. Vltimò. Semen, quod in aliquo tempore eſt maſculinum, poſtea eſt fœmineum, quoniam temperies ſeminis diuerſimodè alteratur. Ergo non generatur maſculus ſine fœmina, ex eo quòd ſemen à toto corpore procedat: nam in ſemine pars propria, & determinata ſexus non inuenitur.

Neque in contrariam abeas ſententiam, eámque vt probabilem iudices, quoad ſubſtantiam ſpirituoſam, ita vt ex ſingulis partibus procedant ſpiritus vitales, recipientes aliquam alterationem ab ipſis partibus, ex quibus pars ſpirituoſa ſeminis generatur, quæ ſuo modo iuxta partium diuerſitatem, heterogeneam ſortitur naturam, & ſimiliter facultas generatiua quæ in ſemine reſidet, qua ſpiritus vitales ab ipſis teſtibus attrahuntur.

Hæc enim ſolutio inefficax eſt: ex illa enim ſequeretur, filios aſſimilari ſolùm ſuis parentibus, quia ab illis tantùm decidunt ſpiritus, cùm etiam auis, & proauis aſſimilentur ſæpe, docente ipſa experientia. Redargues etiam hoc modo; Multoties enim homo mutilus, & priuatus aliqua parte, filium integrum generat, & quoad omnes ſuas partes ſanum; quod eſſet impoſſibile, ſi eſſet neceſſarium quòd ſpiritus vitales vndiquaque à teſtibus attraherentur, cùm à partibus defectuoſis attractio alicuius ſpiritus ſit impoſſibilis.

Non ergo eſt neceſſarium, quòd ſemen ab omnibus noſtri corporis partibus attrahatur, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad cauſam. Hæc concluſio hac ratione probatur: nam facultas formatrix à teſtibus producitur, vel à propria forma ſeminis dimanat, quæ facultas partium noſtri corporis eſt delineatiua. Ergo hoc ſolùm erit facultas, quæ ideam, & ſimilitudinem omnium partium noſtri corporis effingit.

Ad argumenta verò contraria facilis eſt reſponſio. Ad auctoritatem Hippocratis, dicentis ex ſectione venarum retrò aures ſterilitatem ſubſequi, quia ob eam, ſanguinis vel ſeminis ad partes genitales communicatio impeditur. Dic, quòd licèt vera ſit Hippocratis ſententia, tamen ſectis his venis, homines redduntur ſteriles, ob cauſas tres, quin concedamus ſemen ex cerebro profluere: prima, ob aſſiduam illorum neruorum exiccationem, renum, & partium generationi inſeruientium robur, & firmitudinem reſoluentem. Secunda, quia ob aſſiduam motionem oriebatur coxendicis affectus, ex quo ſubortis vehementiſſimis dolotibus, partes genitales euaneſcentibus ſpiritibus infirmantur valde. Tertia, ob ſanguinis vacuationem ex ſectione copioſam, cuius ratione infrigidatur corpus, & ſemen infœcundum gignitur, iuxta quam rationem Auicenna, & Ariſtoteles interpretentur, eſt neceſſe.

Ad primum argumentum reſpondent plures, voluptatem, & delectationem non ſolùm perſentiri in parte affecta, verùm in aliis corporis partibus, propter conſenſum, & connexionem magnam, quam ipſæ inter ſe obſeruare ſolent, vt in dolore ventriculi, & inteſtinorum ſatis ſit manifeſtum: Quæ ſolutio non eſt vera, quia, vt 1. *de loc. cap.* 7. docuit Galenus, nulla pars patitur per conſenſum, niſi quando aliquid communicatur noxium, & extraneum; vel quando deficit id quod communicari debebat. Sed in ſeminis emiſſione partes aliæ noſtri corporis non immutantur, cùm à ſemine nihil recipiant. Ergo per conſenſum delectari non poſſunt. Confirmatur: nam aliæ partes non habent obiectum à quo immutentur. Igitur ſenſatio voluptuoſa in illis non percipietur. Antecedens patet, quia ex obiecto, & potentia oritur notitia: deinde ſi ea voluptas ſentiretur, in quocunque tempore fieret ſenſatio; neque ſimul in omnibus partibus, ſed in aliis priùs, in aliis poſteriùs excitaretur. Dic ergo, quòd ſenſatio voluptuoſa perſentitur tantùm in partibus, per quas tranſit ſemen, quoniam in ſemine reperitur qualitas quædam tangibilis, quæ ab ipſis partibus ſentitur, ex qua ſenſatione voluptas percipitur.

Ad ſecundum argumentum dic. Ex ſimilitudine filiorum ad parentes, non rectè colligitur, quòd in omnibus partibus ſemen generetur, & ab aliis expellatur, vt patet in ſimilitudine auorum, & proauorum, à quibus non emittitur ſemen. Ad confirmationem reſponde, quòd podagrici generant fœtus habentes eoſdem morbos, vel paratos vt incidant in ipſos, ex accidenti, non neceſſariò & per ſe, non quia ſemen ab illis partibus deſcendat, ſed quia facultas formatrix virtualiter ſimilitudinem omnium partium continet. Hæc ſolutio euidenter fit manifeſta in arboribus, in quibus ſemina ab vnica determinata parte producta, integrum arborem generant; & in plantis, quæ medio ſemine ſimilem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 519 sur 927

plantam secundùm partes aliquas, quas, dum generant, non habebant; & insitione arborum, in quibus particula illa arboris, quæ alteri arbori inseritur, totam ferè arborem in sui similitudinem commutat, ita vt fructus, ac flores similes illi producat. Certum tamen sit, quòd hæc omnia in portione determinata illius partis virtualiter continentur, velut facultas formatrix similitudinem omnium partium in se continet: aliquando tamen propter vitium seminis, siue secundùm qualitatem, siue secundùm substantiam, membra defectuosa, aut parata ad morbum producuntur, vt constat in hæreditariis morbis; etsi hi impediantur persæpe, quia licèt in semine virili detur vitium, ex commoda tamen, & perfecta materia sanguinis, vel perfectiori semine à fœmina suppeditato corrigi solet; quapropter fœtus sanus generatur, & integer. Ex qua doctrina tertium argumentum dissolues.

Ad quartum dic. Ex vsu Veneris, in toto corpore sequitur debilitas summa, quoniam partes purissima, ac elaboratissima substantia orbantur, ob continuam testium attractionem, pro seminis generatione. Deinde. Venus non solùm ob spiritus vitalis dissoluti copiam debilitat, sed ob motum, agitationem, voluptatem, quæ vires prosternit impensè, ex Auicenn. 20. 3. *tract.* 1. *cap.* 11. ita vt plures in ipsa concubitus voluptate expirarint, monente Galeno 1. *de semin. cap.* 2. exigua enim seminis quantitas excreta, cùm sit ex plurimo sanguine generata, summopere innatum spiritum resoluit: est enim semen ex sanguine in labyrintheis testiculorum plexibus summa cura, & solerti naturæ ingenio fabrefactum, velut amylum ex farina, docente sic Aristotele, 4. *probl.* 22. semen enim ex sanguine magis pingui, & oleoso generatur, ex Hip. *lib. de genitur. in princip.* & Gal. 1. *de semin.* 16. Cerebrum autem hanc noxam citiùs, & magis persentiscit inter partes reliquas, quoniam est album, laxum, rarum, friabile, & ad resolutionem spirituum illicò fatiscit; & cùm sit pars vltima, & non habeat aliam supra se, à qua possit susscipere sanguinis defectum, & ab eo continua attractione testes sanguinem alliciant, citò resoluitur. Hinc fit vt oculorum pinguedine resoluta, ipsi concaui reddantur in iis qui Veneri nimis indulgent, veluti aliæ partes neruosæ, quæ cùm frigidæ sint, citiùs ob Veneris vsum succumbunt; sicut & ventriculus, cùm sit centrum partium attrahentium, vt in fame, & siti satis patere arbitror.

Huic quæstioni proxima est & alia: *Vtrùm semen verum, & prolificum solùm in testibus, an verò in omnibus partibus nostri corporis spermaticis generetur*? Dic primò. Semen non prolificum in omnibus nostri corporis partibus, & aliorum animalium perfectorum generatur. Hæc conclusio defenditur à Galeno 1. *de sem. cap.* 15. & 16. quo loco inquit, quòd partes spermaticæ sicut generantur ex semine, ita debent ex eo nutriri, non aliter ac partes carnosæ, quæ nutriuntur ex sanguine, quoniam ex eo generantur: Deinde alimentum debet assimilari partibus nutriendis, non solùm in primis qualitatibus, verùm etiam in aliis.

Iuxta hanc conclusionem, communis illa Medicorum propositio facilè intelligitur, videlicet, quòd eadem est materia generationis, & nutritionis: quemadmodum enim partes spermaticæ generantur ex semine; ita similiter ex substantia simili semini nutriuntur: non enim requiritur, vt omnino eadem sit materia pro generatione, & nutritione, sed sufficit quòd aliquando sit similis, licèt semen pro nutritione destinatum, non sit prolificum. Neque obstat hoc modo: Per nutritionem reparatur similis substantia, ac fuit deperdita. Sed quod deperditur à partibus spermaticis, est verum semen. Ergo ex eadem materia reparatio fieri debet: Nam id quod deperditur ex partibus spermaticis iam non est semen, sed peculiaris substantia diuersa, viuens; præterquam quòd per nutritionem nunquam reparatur substantia ita perfecta, sicut est ea quæ actione caloris resoluitur, sufficit solùm quòd substantiæ deperditæ similis sit.

Dic secundò. Verum semen, & prolificum solùm generatur in testibus, propria virtute, & facultate generatiua seminis. Omitto in præsenti, an hæc facultas seminis productiua, sit facultas nutritiua testium, vel alia facultas distincta, quæ dicitur generatiua, de qua re legendus Simplicius *in lib. 2. de anima, cap. 2. &* 3. Probatur: Nam detractis testibus, vt in spadonibus, non conficitur deinde semen. Ergo per propriam virtutem in alia parte non generatur: si enim in aliis partibus gigneretur, ad vasa spermatica, & alia loca generationi inseruientia expelleretur, & hac ratione spadones possent generare. Hanc sententiam dilucidè confirmat Galen. *lib. 2. de sem. cap.* 10. & *lib.* 14. *de vsu part. cap.* 10. Nam illud semen prolificum appellatur, quod est generationis principium in animalibus perfectis: sed hoc solùm generatur in testibus, ex sanguine, & spiritu vitali præparato, tanquam ex materia, in vasis spermaticis; postea verò sanguis formam substantialem seminis recipit, in porositatibus carnis glandulosæ testium.

Vtrùm semen verum specie distinguatur ab eo; quo partes spermaticæ nutriuntur? dubitabis: Si enim aduertas, ex superiori doctrina colliges, semen prolificum generatum in testibus, non differre solùm accidentaliter à semine producto in aliis partibus spermaticis, vt aliqui (falsò tamen) sibi persuadent, asseuerantes semen à testibus productum habere proprietatem quandam, seu facultatem accidentalem, scilicet facultatem formatricem, cuius merito sufficiens est generationis instrumentum: Semen verò ex quo aliæ partes seminales nutriuntur, prædictam facultatem non sortiri, quare hæc distinctio solùm erit accidentalis, cùm ab accidentibus seminis desumatur: Nam ex accidentibus propriis specifica rerum distinctio colligitur: si igitur semen prolificum habet facultatem sibi propriam, à reliquo semine erit distinctum, ex quo partes spermaticæ nutriuntur; nam hæ dicuntur nutriri ex semine, solùm per similitudinem, quoniam substantia ex qua nutriuntur, semini in aliquibus accidentibus communibus similis est, videlicet in albedine, &c. Deinde testes proprio modo substantiæ, semen producunt ab aliis partibus spermaticis distincto; & quod magis est, semen secundùm communem, & probabiliorem sententiam, à facultate nutritiua non producitur, hæc enim ad substantiam viuentem terminatur tantùm, sed ab alia facultate, quæ dicitur generatiua, quæ solùm seminis productionem intendit. Ergo cùm principia effectiua essentialiter sint distincta, euidenter sequitur semen prolificum specie distingui à substantia illa, ex qua partes spermaticæ corporis nutriuntur.

Vtrùm in venis, & arteriis spermaticis verum semen generetur? Respondè negatiuè, cùm hoc solùm in testibus generetur: dicuntur enim vasa spermatica ab officio, sanguinem enim pro generatione seminis præparant: Neque enim semen generant, cùm eandem cum aliis venis, & arteriis nostri corporis, sortiantur naturam & temperamentum, in quibus semen verum non gigni *suprà* prædiximus. Neque refert, quod testetur Galen. *lib.* 14. *de vsu part. cap.* 10. sanguinem in his vasis spermaticis contentum albescere: quod etiam docet 1. *de semin. cap.* 16. Nam peculiaris illa substantia alba, in venis spermaticis ante testium coctionem apparens, verum semen non est, sed solùm per similitudinem dictum. Si verò vlteriùs inquiras, an possit in his venis, & arteriis spermaticis semen generari, virtute communicata à testibus per influxum? Dic, quòd cùm sphæra actiuitatis testium, vsque ad hæc vasa extendatur, in partibus proximis testibus potest verum semen generari: sicut enim facultas generatiua sanguinis communi-

catur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 520 sur 927

tur venis existentibus circa iecur; sic de testibus pronunciandum, quorum vasis proximis vim illam seminis generatiuam posse impartiri, non dubito.

Vtrùm denique testes ad solum conficiendum semen sint creati? difficilis quæstio est, breuiter *lib.3. Hist. Princip. Medic. Hist.26.* agitata, nunc lucidissimè enucleanda. Aristoteles enim *3.de hist.animal. cap.1. & 1.de generat. animal.cap.4.* testes, neque semen conficere, neque ad generationem esse necessarios constanter asseruit: multa enim animalia, pisces, & serpentes sine testibus generant. Si verò ab Aristotele quæras, quemnam vsum habeant testiculi, respondet naturam eos creasse in quibusdam pendentes, in alios dorso adhærentes: hos, ad castitatem; illos, ad robur conciliandum vtiles esse sibi persuadet. Qui dorso inhærent, semen in se recipiunt, & animalia impediunt, ne ad venerem irritentur crebrò. Qui è corpore pendent, sunt vt pondera, quæ vasa seminaria, sua natura flexuosa, ne retrahantur, tendunt, & recta reddunt. Primò, ne seminis morosa, perfrigerata, & infœcunda reddatur eiaculatio; secundò, vt cor, eorum pondere tendatur, atque firmetur. Hac enim tensione robur, audacia, & firmitudo comparatur tauris, eiúsque defectu bobus, & omnibus animantibus ex castratura adimitur; quod confirmat in tauro, qui statim à castratura antequam vulnus occalluisset, impleuit vaccam.

Sed hæc indigna sunt Philosopho tanto, quoniam si animalia quædam imperfecta sine testibus gignunt, cur non erunt necessarij perfectioribus, quibus à natura sunt dati? Nam quibus testes natura negauit, partem quandam concessit testibus proportionalem valde. Quod verò de vacca à boue statim à castratura impleta affert exemplum, inane est, & prorsus nullum: dolor enim ex castratione illatus, à coitu, eiúsque desiderio illum auertere debebat. Vel ex semine in parastatis ad penis radicem, & vesicæ fines congesto, eam grauidationem contigisse affirmabimus.

Quod verò testes dorso hærentes, castitatis causa tributos fuisse existimat, non rectè hoc conuenit gallis gallinaceis, & plurimis etiam passerculis salacissimis. Deinde hac ratione homo dorso hærentes, non verò pendulos haberet testes, ob castitatem, quæ virtus in ipso eximiè refulget. Præterea sufficeret seminalium vasorum inuolutio, ad moram in irritatione, & excretione seminis comparandam. Insuper si penduli testes sunt necessarij ad tensionem vasorum inuolutorum, animalia, quæ habent eosdem dorso hærentes, deberent habere pendulos, siquidem meatus etiam varicosos habent.

Insuper si seminalium vasorum circumuolutiones inspexisset Aristoteles, eas non posse tendi animaduertisset, quoniam circumuicinis partibus hærent, & quoniam si tenderentur, ad longissimum spatium procederent. Præterea Eunuchi essent fœcundi, & robusto corde præditi: Intemperies etiam testium, animal infœcundum reddere non posset, siquidé ex ea non mutatur pondus. Quo præterea nexu testes nectantur, & copulentur cordi, vt illud tendant, non explicuit, nullum enim vinculum adesse, Anatome docet. Denique robustiores essent, & animosiores semper, qui maiores testes haberent, quod non experimur. Testes ergo semen prolificum generant pro nutritione sui, maiore tamen copia, quàm indigeant ipsi, ob idque semen appellamus excrementum quantitate, & non qualitate degrauans; quum enim illi paucam alimenti partem in sui nutritionem insumant, reliquam, vt onerosam qua non indigent, à se excernunt.

Fœminas semen generare, idque fœcundum, & prolificum, concurreréque ipsum non solùm materialiter, & passiuè, sed actiuè ad generationem nostram, variis Galeni, & aliorum peritissimorum auctorum rationibus, contra Philosophum, muniti diximus *lib.3. Hist. Princ. Medic. in com. Hist.9.* Sed cùm multa sint eo loco proposita, & soluta, quæ illius probabilem opinionem reddere videbantur, vnum restat soluendum grauissimum dubium, quod est huiusmodi. Si fœmina præstat vtrumque principium, actiuum, & passiuum, & intra se habet debitam materiam, scilicet sanguinem, & emittit semen in quo facultas formatrix residet, cur illa sine mare non concipit, & parit?

Itaque disputandum: *Vtrùm mulier sine congressu viri possit concipere?* In cuius quæstionis, alioquin ob varias scribentium opiniones per se obscuræ, explicatione, fortè dices, aliquas partes non generari ex sanguine, sed ex semine, videlicet ex parte crassa seminis, quæ non ita in fœminis, sicut in viris reperitur, hácque esse causam cur sine viro concipere nequeat. Sed impugnatur solutio hoc modo: neque enim adest defectus ex parte principij efficientis, facultatis videlicet formatricis, quam mulier habet eiusdem rationis cum viro, & semen communicat, ex cuius parte crassa partium spermaticarum generatio emanat. Ergo mulier citra viri congressum poterit concipere.

Dic. Etiamsi semen mulieris efficienter, & materialiter concurrat ad generationem fœtus, non tamen se sola concipiet, quoniam illius semen ad generationem non est sufficiens, quia solùm concurrit vt causa partialis cum semine viri, quare cùm causæ partiales concurrant, vna sine alia ad productionem fœtus non sufficiet: In hoc enim partiales causæ à totalibus distinguuntur, quia idem effectus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis non potest produci, alioquin vna ex causis esset superflua. Quamobrem fœmina, & vir, respectu generationis sunt partiales causæ: quæ solutio deprompta est ex doctrina Galeni, *lib.14.de vsu part.cap. 7. §. Atque ita vtrumque semen in vnum conspirat, &c.*

Obiicies contrà. Causæ partiales hoc modo se habent, vt effectus productus vtrique causæ correspondeat, ita vt in effectu reperiatur aliquid simul partialiter diuersum, quod correspondeat huic caussæ partiali, & non alteri, vt patet in duabus causis partialibus portantibus aliquem lapidem, in quibus quælibet causa partialis producit impulsum in hac, vel in illa parte determinata: quod respectu seminis fœminei, & virilis locum non habet, nihil enim potest assignati in fœtu producto, quod à semine fœmineo, vel masculino producatur. Ergo cùm vna pars fœtus ab vno semine non producatur, & alia pars ab alio non exeat, illa fœmina, rei futuræ, vel genitæ, causa partialis non erit.

Solue obiectionem hoc modo. In omnibus effectibus productis à causis partialibus, non datur productio in effectu secundùm vnam partem, ita vt secundùm illam non procedat ab vnaquaque causa partiali, quia ad rationem causæ partialis sufficit, quòd effectus productus, ab vtraque causa quoad fieri, dependeat. Quod manifestè patet: nam adhuc partes eiusdem seminis concurrunt partialiter, & tamen in effectu substantiali non potest assignari pars effectus, quæ vni, & non alteri correspondeat. Præterquam quòd adhuc in effectu possunt assignari aliquæ partes, quæ præcipuè semini fœmineo, vel masculino correspondeant, vt patet in similitudine filiorum ad parentes: illi enim in aliquibus partibus, matri; in aliis verò patri assimilantur.

Instabis. Causæ partiales quæ sunt eiusdem ordinis, ea ratione se habent, vt crescente vna effectus solùm producatur ab illa, ita vt postea sit causa totalis respectu productionis effectus. Ergo potest crescere semen viri, & mulieris, ita vt vnum, alterius actiuitatem suppleat: quod argumentum in vtroque semine obtinet veritatem; nam adeò potest in perfectione semen viri crescere, vt feminis fœminei actiuitatem supplere possit.

Huic argumento respondebis, quòd semen fœminæ, vt distinctum à sanguine, non est semper simpliciter necessarium

©BIUM

neceſſarium ad generationem naturalem, quia ſufficit aliquando ſemen viri, à matre autem communicatur ſanguis, tanquam materia partium carnoſarum: nam & 14. *de vſu part. 6. & 7.* ſemen virile perfectius eſſe fœmineo aſſeuerat Galenus. Ergo ex materia perfectioris ſeminis viri ſequitur, quòd ſuppleat concauſam ſeminis fœminei, quia maior actiuitas minorem ſupplet, vt in aliis partialibus cauſis fit manifeſtum. Deinde ſi ſupponamus virum eſſe maximè fœcundum, & in eo maiorem ſeminis quantitatem reperiri, quàm illa quæ abſolutè eſt neceſſaria ad generationem, tunc neceſſarium eſt concedere, generationem emanare à ſemine viri, fœmineúmque ſemen neque propter quantitatem, neque propter actiuitatem eſſe neceſſarium.

A

At ineptè reſpondes, & repugnantiam inuoluis: Filius enim, vt experientia docet, & patri, & matri aſſimilatur. Ergo cùm hoc ferè contingat, neceſſarium eſt quòd vtrumque ſemen ad generationem fœturæ concurrat. Hoc euidenti ratione probatur: Non implicat, imò de facto contingit, quòd ſemen fœmineum ſit perfectius ſemine virili, vt conſtat in fœmina temperata, aut bilioſa, viragine dicta, & viro pituitoſo, & frigido. Ergo in hoc exemplo, ſemine fœmineo maſculinum vincente, mulier ſine viri congreſſu poterit concipere. Sed experimentum docet contrarium. Ergo vtrumque ſemen eſt neceſſarium.

B

Huic difficili argumento, cum communi Medicorum ſchola ſatisfacies, quòd ſemen mulieris aliquando eſt fortius quàm viri; non tamen poteſt mulier ſe ſola concipere, quia in hoc exemplo eius ſemen eſt nimis calidum, & in illa datur defectus ex parte ſanguinis, deficiente materia ſufficiente, & neceſſaria pro generatione partium carnoſarum: huius enim ſortis fœminæ, bilioſæ & calidæ, menſtrua carent purgatione, vel ſolùm diminutam habent menſibus ſingulis, ex Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 5. dicente: *Reperiuntur interdum mulieres viragines, & viri fœminei: illis deſunt menſtrua; huic ſemen ineſt frigidum, & exiguum.* Ita videtur ſentire Galenus 2. *de ſemin. cap.* 6. inquiens, quòd dum non datur conceptio, ſemper datur defectus, vel in principio actiuo, puta in ſemine, vel in materiali, v. g. in ſanguine. At in ſemine viraginis, licèt principium actiuum ſit ſufficiens, deficit tamen ſanguis communicandus pro generatione prolis, quem ob caliditatem & ſiccitatem, ipſæ priùs abſumunt.

C

Verùm hæc ſolutio impugnatur primò: Licet enim viragines non præbeant adeò copioſam ſanguinis abundantiam, vt poſſint integram fœturam producere, nihilominùs tamen ad imperfectam generationem inuenitur in illis ſufficiens quantitas ſanguinis: Quod patet, quoniam ſi morbis premantur acutis, copioſas vacuationes per phlebotomiam tolerant animosè, nam pro conceptione exigua quantitas eſt neceſſaria, imò docente Ariſt. *loc. cit.* mulier poteſt concipere citra menſtrua. Ex qua doctrina ſequitur, has fœminas ſine ſemine viri poſſe concipere, & pati aborſum, quod experientiæ maximè repugnat.

D

Impugnatur ſecundò. In illa ſolutione aſſeritur, mulieres frigidas, & calidas non concipere: illas, quia ſemen generant infœcundum, hoc eſt, non ita coctum, prout conuenit ad generationem, has, quoniam licèt ſemen fœcundum emittant, deficit tamen in illis ſanguis. Sed ſic eſt, quòd reperitur fœmina, quæ neque ita frigida, neque calida ſit, ſed mediam habeat temperaturam, in qua tum ſufficiens aderit ſemen pro generatione, tum neceſſaria etiam ſanguinis quantitas. Ergo hæc fœmina optimo temperamento prædita, poterit ſe ſola ſine viro concipere, cùm habeat ſufficientem calorem pro coctione ſeminis, ſanguiſque pro generatione partium carnoſarum non deficiat: quod quàm contrarium experimento ſit, omnibus eſt manifeſtum.

E

Neque inſtes, quòd virago non concipiet ſe ſola, quoniam pars craſſa ſeminis deficit in quantitate ſufficiente, pro generatione partium ſpermaticarum: nam hic defectus ſolùm arguit, quòd non fieret integra conſtitutio partium ſpermaticarum. Deinde hic defectus poteſt ſuppleri ex nimia ſeminis quantitate, quæ pro delineatione partium ſpermaticarum ſufficere poteſt: neque enim impoſſibile eſt ſemen in maiori quantitate emitti, quàm illa quæ ſimpliciter eſt neceſſaria pro generatione.

Fœmina ergo ſine viro, etiamſi fœcunda ſit, nullo modo concipere poteſt: nam vterque ſexus ad verum conceptum eſt neceſſarius. Quomodo ergo, & qua neceſſitate vterque concurrat, *ſuprà* explicuimus.

De cauſis voluptatis in concubitu, plura ſumus præfati, *lib.* 3. *Hiſt. Princ. Medic. in com. Hiſt.* 19. nunc *Vtrùm ſeminis excretio ſit naturalis, vel animalis?* diſceptandum. Cùm enim excrementum ſit, inſtar menſtrui ſanguinis, & fœcum alui, à natura pellitur. Deinde ſeminis excretioni muſculos non deſtinauit natura, qui in vaſis, præſertim mulierum, ſpermaticis non inueniuntur, quæ tamen ſemen, non minùs quàm mares, excernunt. Eſſe animalem patet, nam nunquam niſi præcedente imaginatione perficitur. Accedit, quod in excretione ſeminis crura & brachia contrahuntur, & eam tardiorem, vel celeriorem, pro voluntatis arbitrio reddimus; & perpetuò cum voluptatis illecebris fit, voluptas autem ſentiendi dicitur affectus. Ergo mixtam ex animali, & naturali, eſſe actionem, affirmamus.

CAPVT VIII.

De Lacte.

DE Lacte deinceps diſceptandum, quod confici in mammis quotidiana docet experientia. Sed illicò video te hæſitantem, obiicientémque *Vtrùm mamillæ lac generent?* Nam ſi frigidæ ſunt, albæ, laxæ, glandulоſæ, friabiles, quomodo actionem officialem, quæ alteratione, & coctione perficitur, edere poſſunt, cùm glandulis actionem omnem deneget Galenus, & ſolum eis vſum tribuat, quòd vniuerſi corporis redundantiam attrahant ad ſeſe, abſorbeant, & emungant in animantis commodum?

Dic. Duo à Medicis glandularum genera conſtituuntur: aliæ enim fulciendis vaſis, & humorum, recrementorúmque ſuperfluis excipiendis, ſunt à natura tributæ; aliæ ad ſuccos animali vtiles generandos ſunt comparatæ. Illæ, nec neruos, nec venas, nec arterias continent; hæ vaſa habent conſpicua, ſenſúque exquiſito pollent. Illæ, verè & propriè glandulæ dicuntur: has, glandoſa corpora veriùs appellaueris: de harum numero ſunt teſtes, renes, cerebrum, quod ab Hippocrate corpus glandoſum nominatur, & mammæ, quæ actionem propriam habent, & vſum; actio, lactis eſt generatio, ad quam præcipuè eas creauit natura, 1. *de vſu part. cap.* 22. ſimúlque ad cordis, viſceris nobiliſſimi, tutelam. Hæc licèt ſint frigidæ, laxæ, & velut exangues, tamen per moram coquunt, & diu, importunéque agendo, proprio temperamento ſanguinem in lac commutant.

De definitione ſequitur, vt diſputemus: *Vtrùm lac ſit ſanguis ſuperfluus, mutatus, & dealbatus in mammis?* Hanc definitionem propoſuit Ariſtoteles *lib.* 8. *de Hiſt. animal. cap.* 20. firmat Alexander 2. *probl.* 80. Contrà tenet Empedocles, lac nihil aliud eſſe, quàm pus aſſeuerans, cuius opinionem redarguit Ariſtoteles, 4. *de generat. animal. cap.* 8. Nam lac eſt concoctum, pus verò corruptum. Sed ſi pro corruptione intelligamus concoctionem, Philoſophum à calumnia liberabimus; nam apud veteres coctum appellabatur putrefactum: imò

imò ipſe Ariſtoteles 4. *Topic. cap.* 5. refert hunc Empedoclem vocaſſe vinum, aquam in ligno putrefactam, hoc eſt, concoctam.

Lac eſt ſanguis, cùm enim ex eadem materia fiat lac, & ſemen, vt pluribus locis docuit Galenus, fit manifeſtum, vt ſi ſemen ex ſanguine genetatur, ex eodem quoque generetur lac. Neque enim in corpore alia ſubſtantia reperitur, quæ in tanta copia redundet, vt tam vberem lactis quantitatem præſtare poſſit. Argumento eſt, quòd lactantes ſucculentæ, carnoſæ, rubicundæ, iuuenculæ, robuſtæ, lac generent continuò in copia multa; contrà excarnes, graciles, pallidæ, ſenes, & debiles. Quare copioſiſſimum benigni alimenti ad mammas repoſuit natura, vt in illis facillimè, & citiſſimè lac poſſet progigni.

Deinde fruſtra plures Ariſtotelem condemnãt, quòd dixerit lac ſanguinem eſſe ſuperfluum. Quare ad ſubſequentem ſententiam explicandam accedere opus eſt: *Vtrùm lac fiat ex ſanguine puro?* Communis enim Medicorum ſententia tenet, ex menſtruo, & ſuperfluo ſanguine lac generari, multíſque rationibus id confirmant, quibus auctoritas Galeni conſentit manifeſtè: Nam eadem eſt lactis, & ſanguinis menſtrui materia, apud Galenum *lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtrat. cap.* 5. & *lib.* 14. *de vſu part. cap.* 8. Quibus enim lac in mammis apparet, menſtrua deficere incipiunt; & è contra, quibus ſupprimuntur menſtrua, lac in mammis colligitur: ita vt pro minuendo lacte nullum ſit præſtantius venæ ſectione ex talo auxilium; maximum enim eſſe conſenſum vteri cum mammis per vaſa conſpicua, *lib.* 14. *de vſu part. cap.* 4. & 8. docuit Galenus. Imò 5. *Aph.* 39. dicebat Hipp. quòd *ſi mulier quæ neque peperit, neque in vtero habet, lac habeat, ſignum eſt menſtrua defeciſſe.* Deinde grauidis, quibus menſtrua retinentur, poſtquam natura ex ſanguine parenchymata, & carnoſas omnes partes conformauit, & nutriuit, lac tertio, quartóue menſe in mamillis apparet, ad quas ipſa prouidiſſima paulatim transferre ſtudet, non ad nares, aut hæmorrhoïdes eum detrudens, (nam ad has partes viæ ab vtero non ita commodę ſunt, & exiguam ſocietatem habent) vt in poſterum puello alimentum præſtet.

Pro contraria parte adeſt Hippocratis auctoritas *lib. de nat. pueri, num.* 4. & 1. *de morb. mulieb. num.* 3. ſcribentis, lac fieri ex ſanguine pinguiſſimo, & dulciſſimo. Deinde cur lac, alimentum pro nutriendo infante tam neceſſarium, deberet fieri ex ſanguine menſtruo, ſpurco, impuro, venenoſo, maligno, & hac ratione nutricatui valde inepto, cuius reliquiæ etſi multoties concoctæ, & elaboratæ, actæ in feruorem, & ebullitionem, ſummo puellis futuræ eſſent exitio.

Dic, lac fieri ex ſanguine menſtruo; hoc eſt, ex parte eius magis cocta, ac pura: natura enim ſagaciſſima de puello ſolùm curam ſtudioſiſſimè gerens, partem ſanguinis menſtrui inutilem ab vtili ſeparans, hac pro lactis generatione vtitur, eam in mamillas ſenſim detrudens, & ſicut intra vterum ex eodem ſanguine menſtruo pro nutritione fœtus partem dulciſſimam ab ſpurciſſima ſeparauit, ita extra vterum hoc accidere eſt dicendum. Si ergo duas partes in ſanguine menſtruo conſtituas, auctores hac ratione inter ſe concordes reddes.

Illud quis magis mirabitur, quòd Hippocrati placuerit lac fieri ex vteri tumore, comprimente ſanguinem ad vbera, cuius cauſa quærendum: *Vtrùm lac fiat ex pinguedine omenti?* Hippocrates *lib. de natur. pueri, num.* 21. ſic fatur: *Eſt auten. hæc gignendi lactis cauſa: Quum uterus fœtu tumens, ventrem mulieris preſſerit, ſi compreſſio illa, eo pleno fiat, pinguiſſimum quodque tam à cibis, quàm à potibus, in omentum, & carnem reſilit. Nam quemadmodum ſiquis pellem copioſo oleo inunxerit, ipsúmque imbibi ſiuerit, ac poſtea pellem preſſerit, illa hoc compreſſu oleum reſudabit: ſic certè ubi venter, continens in ſe, quidquid in cibis & potibus, pinguedinis erat, premitur ab utero, in omentum & carnem, pingue reſudat: ac ſi mulier quidem carne ſit rariore, celeriùs eo quod inde reſilit fruitur, ſin autem minùs, tardiùs. Quin & pecora ipſa prægnantia, niſi morbida fuerint, potu ciboque, eam ob cauſam pinguiora redduntur. Nec verò diuerſa eſt in muliere ratio. Namque pingui caleſcente, & candido facto, quidquid matricum calore dulceſcit, exprimitur, & conſcendit in mammas: ſiquidem tum hæ, tum aliæ perſimiles venulæ in mammas, atque uterum protenduntur: quum autem peruenit in uterum, iam ſpeciem lactis induit, eóque exiguo puerulus fruitur. Mammæ verò ubi lac exceperunt, replentur, & extuberant, atque poſtea quidem, quàm mulier peperit, principio motus facto, lac ſe in mammas recipit, ſi mater puerum lactet.* Hæc eſt obſcura, & tenebricoſa Hippocratis de lactis generatione opinio.

Contra ſeipſum verò ab ipſo extat celebris prolata auctoritas, 5. *Aph.* 39. dicente: *Si mulier quæ non concepit, neque peperit, lac habet, menſes ei defecerunt.* Quibus verbis lac ex menſtruo gigni ad mammas ab vtero confluente, ſignificat, idque abſque vllo compreſſu; ſi quidem nec grauidam eſſe, nec peperiſſe mulierem aſſeuerat. Ob hæc tam repugnantia loca, plures ſententiam latam *lib. de natura pueri* eſſe fabuloſam, aut ab alio auctore inſertam arbitrantur; licèt alij eum inſcitiæ arguere non erubeſcant, cùm omnia, etſi Medicinæ parens, ſolus ſcire haud potuerit. Hanc tu ſi ſano modo interpreteris, non dubito quin Hippocraticam eſſe exiſtimes. Primis menſibus natura maximam ſanguinis copiam abſumit pro generatione, nutritione, accretione partium carnoſarum; at quum incipit fœtus moueri, quia perfecta eſt partium omnium conformatio, tunc minori copia indiget fœtus ad nutritionem ſui, quia exiguus fit partium exhauſtus: quare redundantem ſanguinem à calcitrante fœtu vteri vaſa, mole, ac motu compreſſa, in ſuperiores partes, & in mammas potiùs, quàm in alias comprimunt, ob maiorem quàm hæ cum vtero ſocietatem habent, & mira prouidentia detrudunt, ex quo alimentum in ipſis puello mox in lucem edendo docta conficiat natura. Non eſt ergo irridendus, imò amplectendus Hippocrates, quia lac grauidarum, ex adipe omenti ab vteri tumore, ad mammas preſſo, gigni conteſtatur.

Adiiciamus & aliam circa lactis generationem controuerſiam: *Vtrùm lac per coctionem, an ſolùm per coloris immutationem generetur?* Fieri per coctionem, patet: Nam lactis generatio eſt coctio facta à calore innato mamillarum, quia lac frigore diſſoluitur, igne autem concreſcit: & illæ præparant illud in nutrimentum fœtus per coctionem, & citiſſimè actione ſua ſimile reddunt in lentore, & albedine; aſſimilatio autem in ſubſtantia, ſola coctione perficitur. Quare lac eſt ſanguis concoctus in pectore, in quo caloris efficacia viget. Contrà faciunt rationes multæ: nam ſi fieret per concoctionem, mammæ eſſent calidiores venis, quia in venis aliis corporis non fit lac. Deinde, coctum non poteſt incrudari. Sed ſanguis ſi in mammis in lac conuerteretur, recrudeſceret. Ergo. Præterea, coctione omnia fiunt calidiora, 4. *meth.* 1. Sed lac eſt frigidus ſanguine. Ergo per coctionem non fit. Inſuper, coctione omnia fiunt perfectiora. Sed lac non eſt perfectius ſanguine, & ideò à partibus quàm citiſſimè rapitur, & tanquam theſaurus naturæ in corpore ſeruatur. Ergo. Vltimò, Galenus 1. *de ſanit. tuend. cap. vlt.* poſtquàm dixit puellos extra vterum ideò delectari lacte, quia eſt ſimillimum nutrimentum ei, quod ex vtero aſſumebant, addit lac pauciſſimam mutationem eſſe adeptum.

Dic. Lac fit ex ſanguine menſtruo exactè concocto. Probat Galenus 16. *de vſu part.* 12. & 7. *de vſu part.* 22. quibus locis lac fieri ex ſanguine non exiguè mutato, hoc eſt, perfectè concocto aſſeuerat. Ob hanc cauſam cùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 523 sur 927

cùm concoctione partes inutiles separentur, vtiles, & nutritioni aptæ reseruentur, ope eius, igneæ & feruidæ, non rectéque elaboratæ sanguinis partes attenuantur, crudiores concoquuntur, ad mediocrémque consistentiam redactæ, in lac suauissimum, & dulcissimum transmutantur, cùm omnia coctione reddantur suauiora, ac dulciora.

Argumenta solues hoc modo. Mammas esse frigidiores venis, constat apertè: nam sunt glandosæ, spongiosæ, & veluti exangues, & firmat Galenus 5. *Aph.* 40. subscribit Alexander 2. *probl.* 80. Attamen ob viciniam cordis, & aliarum partium thoracis, calescunt sufficienter, vt possint aptè concoquere. Hoc modo ventriculus non suo solùm, sed circumiacentium partium calore, cibaria in chylum commutat. Quòd autem coctum non possit incrudari, verum est; sanguis autem quùm in mammis in lac vertitur, non incrudatur, imò perfectiùs coquitur, & elaboratur. Propositio autem Aristotelica, qua docemur omnia per coctionem fieri calidiora, non est omni ex parte vera, imò ferè veritatem obtinet; cùm spiritus animalis fiat ex vitali, quo est minùs calidus. Intellige ergo Philosophum, dummodò pars concoquens calidior sit. Hac ratione lac est frigidius sanguine, licèt ex hoc per vlteriorem elaborationē generetur. Ita explicabis aliud axioma: neque enim perpetuò omnia per coctionem fiunt perfectiora, cùm hoc magna ex parte contingat. Hoc modo ex sanguine dulci, & bene elaborato, ad partem phlegmone obsessam confluente, fit pus per coctionem, viroſum, olidum, tetrum, & insuaue. Ergo lac paucissimam mutationem in mammis est adeptum, quoniam sanguis suapte natura calidus, exiguo tempore indiget, vt elaboretur. Vel si asseras, lac exiguam mutationem quoad dulcedinem, & pinguedinem fuisse adeptum, pronunciabis vera, quia sanguis dulcis est, & pinguis.

Inuenusta quæstio non est: *Vtrùm in viuiparis solùm generetur lac?* Aristoteles *lib.* 2. *de hist. animal. cap.* 4. respondet affirmatiuè: Quare viuipara generant lac, non ouipara: illa enim perfectiora sunt, perfecta autem longiori tempore egent ad complementum, & nutritionem, quare lacte indiguerunt; ouipara autem quouis alimento statim aluntur. Præterea in ouis albumen, lactis vicem supplet; excluſus ergo pullus alio lacte non eget. Hæc omnia mira sagacitate, & eximia doctrina natura gubernat, quæ gressilibus lac præbet, alitibus verò non minori prudentia negauit, ob naturæ siccitatem, quæ lac gignere nequiuit, vt 14. *de vſu part. cap.* 4. scribit Galenus: quæ sanè causa partialis est, & citra hanc facultatem, & instinctum, minimè sufficeret; multa enim gressilia, quibusdam alitibus sicciora, lac habent: quare minor siccitas huic instinctui iuncta, lac impedire potuit in alitibus, ne lactis, & vberum grauitate offenderetur volatus.

Hac ratione alites vesica & multitudine intestinorum sunt priuatæ, quorum vsum aliis suppleuit natura, numerum intestinorum eorundem cæcitate, & reuolutionibus, quæ difficilem transitum præstant alimentis, donec à iecore exugantur. Defectum mingendi suppleuit, plumis, exercitio, & stercoris humidioris excretione, teste Aphrodisæo 4. *probl.* 111. Lac suppleuit alis, rostro, & amore, cuius stimulis percitæ vndecunque volantes, labore summo alimenta conuehunt, quæ priùs ab ipsis ore contrita rostro suo, pullorum ori industria summa apponunt,

Maior verò labor insumendus in explicanda quæstione: *Vtrùm possit assignari aliqua pars in vtero, à qua pro lacte conficiendo sanguis in mamas regeratur?* Gal. 14. *de vſu part. cit.* sic ratiocinatur. *Mutuus est vteri, atque mammarum consensus per venas conspicuas: quare natura ex ipsis, quæ latitudine, & longitudine sunt tantæ, vt fœtum non modò affluenter nutriant, verùm etiam superfluum quidpiam semper congerant, sanguinem exhaurit, & in mamillas confert, vt ex eo præparet lac, infantem recenter in lucem edendum, nutriturum. Nam toto conceptus tempore in his communibus vasis, ceu promptuariis alimenti, sanguinem aceruatū ea attollit, omnino distendit, & veluti exundat, locúmque in quem illum transferat, exquirens, aliam reperire non potest, nisi in pectore; in quod simul venæ distentæ, ac grauatæ id emittit: simul autem ventris totius moles, quæ propter conceptum, ipsis incidit, ac premit, ad locum cedentem propellit.*

Quæ tam doctè prolata solutio placere debebat viris eruditis, quibus non videtur sufficere ea communio vasorum, quoniam vasa, inquiunt, ascendentia ab vtero ad mammas, gracilia sunt, & ascendunt; grandia autem vasa, & descendentia sunt rami cauæ venæ descendentis ad crura: cùm ergo eadem sit communicatio inter vtraque vasa, superfluus vteri sanguis magis regurgitabit ad crura, & tumor vteri postremis mensibus sanguinem deorsum magis premet.

At hæc contra Galenum irrita sunt tela: nam communicatio vasorum est causa partialis augmenti, & decrementi mammarum, præter quam est altera causa, instinctus scilicet naturæ, vel insita doctrina in vtero, excernendi magis in mammas, quàm in crura, quem instinctum communicationi vasorum addere debuissent; nam & membra principalia per venas maiores possent vacuari faciliùs in venam cauam, quàm per minimas in propria emunctoria, in quæ frequentissimè se exonerant, ob instinctum naturæ additum communioni vasorum, sine quo vteri tumefactio, sicut & vberum laxitas, non eueniunt: Quam etiam huius euentus causam proponit Aristot. 4. *de generat. animal. cap.* 3. ad mammas sanguine implendas in grauidis non sufficeret, tum quoniam vteri tumor solus infrà magis detruderet, tum quoniam venæ quæ ad crura feruntur, sunt maiores. Accedit grauitas fœtus, quæ sanguinem premit, & præcipitat magis deorsum, quàm eleuet sursum.

Ob hanc causam in hydropicis deficiente hoc instinctu, ventris tumor ad pedes detrudit humorem, non ad mammas: Multóque magis admiranda opera sunt, quæ post partum accidere videmus: tunc enim decurrente ab vtero sanguine vbertim, mamillæ copioso sanguine replentur, ex hac sola lege naturæ, cur ergo non magis ante partum repleri incipient, accedente vteri tumore simul, ac sanguinis abundantia? Vis enim quæ ad fœtum, dum vtero gestatur, sanguinem mittit pro alimento, cur quum idem fœtus iam excluſus in vberibus pendet, sanguinis cursum ad vbera non conuertet? Et si vis eadem ad duodecimum annum, & non antè, mammas vnà cum vtero auget, & in senecta minuit, contrahit, ac contemnit, quoniam in iuuenta vsque ad senectutis initium sueuerunt esse ex vsu, cur non eisdem lac dabit, ante partum incipiens, & post partum exhibens copiosè?

Nonne veluti miraculosum est, quod post partum à recenter nato puello frequenter fieri videmus: Ipse enim, postquàm in lucem editus est, lac statim sugere ore gestit, tanquam alimentum sibi idoneum, suaue, dulce, concoctu facile, & simile illi quo in vtero alebatur, cùm id antea non per os, ser per vmbilicum hauriret. Quæ admiranda opera, non casu, aut fortuitò, sed artificiosè sagax molitur natura in animantis commodum, quæ ob hanc vtilitatem communibus vasis, vtero, & mammis est vsa.

Instinctu verò, & naturæ ductu hæc præstari, norunt naturalium rerum periti, qui huius prudentissimæ magistræ arcana rimantur: *Vtrùm* autem *puellus in lucem editus, naturali instinctu, naturæ impetu, vel facultate formatiua instructus lac exugat?* quæstio esse potest speculatione digna. Si enim formatricis facultatis in recenter natis munera contempleris, inuenies eam omnia naturalia continere in eximia doctrina, editúmque infantem industria summa conseruare. Hinc auctores pro diuersa doctrina, quam in facultatibus naturalibus animaduertebant

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 524 sur 927

animaduertebant, diuerſa nomina illi impoſuerunt. Alij facultatem regitiuam nuncuparunt, quoniam omnes facultates gubernet, & illis regendis citiſſimam opem præſtet.

Ab attractione verò commodi, & repulſione inutilis & incommodi, ac ſi commodum, vel incommodum dignoſceret, ſenſum couenientis, & diſconuenientis appellauit Plato. Huius ope, & auxilio, non ſolùm ſenſuum organa, ſed membra etiam omnia naturalia attrahunt vtile, & noxium reſpuunt, vt Galenus 1. *de cauſ. ſympt.* 6. & Auicenna 9. *de animalib. cap.* 7. conteſtantur. Ita in ſanitate animalia attrahunt ſimilia, in morbo contraria appetunt, quoniam horum naturalem quendam ſenſum habent: ſic cor, & facultas pulſifica ab hac altera facultate proprium vſum videtur agnoſcere: aliter in febriente non augerentur pulſus, nec per febres ephemeras diſtentio eſſet maior, & in putridis contractio.

Sic omnes muſculi agnoſcunt operationem ſuam, quam etiam artifices ignorant. Sic plurima animalia, dum ægrotant, non modò in contraria feruntur, ſed certa medicamenta nobis ignota, naturali quodam ductu monente, inquirunt. Ex his conſtat, non aliam ab hac, facultatem intelligere, qui inſtinctum quendam naturalem, aut doctrinam inſitam facultatibus ſingulis ineſſe tradunt. Siue ergo naturalem inſtinctum, aut naturalem ſenſum appelles, de nomine diſputatio eſt.

Ab hac diuerſam non arbitramur facultatem diſcretiuam, aut ſeparatiuam ab auctoribus appellatam, cuius videtur meminiſſe Galenus *lib.* 1. *Aph.* 22. & *lib.* 4. *com.* 22. & *lib. de diff. ſympt. cap. vlt.* & Auicenna 14. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. & *tract.* 4. *cap.* 6. & 15. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. & dilucidè explicat, *lib.* 2. *canon. cap.* 4. dum ſic ait: *Virtus autem quæ diuidit, & ponit vnamquamque complexionem, ad partem quàm meretur, ita vt non ponat virtutem reſolutiuam, in parte materiæ quæ effunditur ad membrum, neque infrigidatiuam in latere materiei effuſæ ab eo, eſt natura docta obedire creatori ſublimi, & glorioſo.* Quæ autem eſt hæc natura, niſi ea quam corpora noſtra præcepto ſui creatoris fingere dixerat, *lib.* 1. *doct. de virtutib. cap.* 2.

Huius virtutis diſcretiuæ opera admiranda in aliis ſummopere elucent. Cùm enim humor non habeat vim trahentem, aut pellentem, ſequitur quòd in inflammatione, medicamentum conſtans ex repellente, & reſoluente citra hanc virtutem prodeſſe non poſſit. Hæc eſt virtus quæ ſeparat, & applicat auxilia indigentibus partibus, ita vt repercuſſorium apponat humori fluenti, & diſcuſſorium, humori iam fixo. Hac ratione in medicinis cardiacis præcipitur admixtio calidi, ob ſpirituum robur; & in medicamentis reſoluentibus hepati apponendis, imperatur admixtio ſtyptici, vt robur partis principis conſeruetur.

Aliæ ſunt diſcretiones, in quibus hæc virtus vires ſuas eximias exerit, & demonſtrat: nam in criſibus ante excretionem diſcernit, 7. *Aph.* 22. & 4. *com.* 22. in principio ſtatus concoquit, in medio ſeparat, in vltima parte expellit, ex Galen. 1. *Aph.* 13. iudicatio eſt, ſubita in morbo, vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutatio, fit autem natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum properante. Neque inſtes, ex coctione ſeparationem ſequi, quin à facultate aliqua ſecernente auxilium adueniat: Nam non adeò conſtat de ſeparatione, quæ à coctione fit, quin potiùs coctio, præſertim incipiens, ob feruorem, & agitationem omnia confundit, ac miſcet; quare in quibuſdam morbis, vbi humores ſunt ſeparati, ante coctionem ſanguinem non emittimus, & quum coctio primùm aduenit, phlebotomamus, quia illi cum ſanguine ſunt permixti. Hac ratione Auicenna in quartana ad ſanguinis miſſionem, coctionem expectat. Deinde ſeparatio quæ coctionem ſequitur, paulatim, & cum ipſa coctione fit per totum morbi tempus, de qua non agit Galenus *in loco illo*, ſed de agitatione ſubita, quæ nocte ante excretionem facta, ad expulſionem ſtatim futuram præparat.

Hæc ergo omnia, non niſi à facultate aliqua, quæ magnam noſtri corporis curam gerit, quæque docta, & potens eſt, præſtari affirmandum eſt, quæ ab Auicenna 16. 3. *tract.* 5. *cap.* 1. factor potens nuncupatur; quam concedendam eſſe, & inquirendum eius inſtrumentum, ſicut & aliarum, vt poſſimus illi labaſcenti opem ferè, monuit Auerrhoës *lib.* 3. *colli. cap.* 16. Hæc in primo ortu partes, ex ſemine, vnicuique membro efformando ſecreuit, & commodo loco diſpoſuit. In prima alimenti diſtributione, ſanguinem craſſum ab hepate in inferiora, & tenuiorem in ſuperiora tranſmittit. Igitur hæc omnia à ſeparatrice, quæ docta eſt, & omnia in noſtro corpore ſapienter miniſtrat, quam ſiue inſtinctum, aut naturalem ſenſum, ſeu facultatem regitiuam, naturæ impetum, aut vim formatricem appelles, vera propones, cùm de nomine ſolùm quæſtio ſit.

Vtrùm verò *commodius eſſet ſanguine extra vterum alì puellum, & non lacte?* agitatio eſt non exigua. Et videtur quòd eſſet præſtantius extra vterum nutriri ſanguine dulciſſimo, puriſſimóque, quo ob familiaritatem, & conſuetudinem promptius reficerentur vires, cùm ille non conſtet tam lento ſucco, ſitque calidior lacte, & hac ratione in tenello infantis ventriculo faciliùs, & feliciùs concoquatur. Reſpondet aliqui hoc modo. Alimentum quò dulcius eſt, eò magis nutrit, quia iucundum & familiare eſt partibus noſtris, cùm & ori, & palato ſit amicum, quia omnium quæ nutriunt, communis dulcedo ſit: nã quicquid nutrit, aut plus, aut minùs eſt dulce, vt eleganter docet Gal. 4. *ſimpl.* 15. quare ſi ſanguis lacte calidior triplicem coctionem ſubiret, redderetur à nimio calore amarum, & ſic nutritioni fieret ineptum, cùm amarum nutrimento animalium aduerſum ſit, infantéſque interimat, vt docuit Auerrhoës *lib.* 5. *cap.* 27. dicens: *In aqua maris, quæ eſt multùm amara, poteſt viuere aliquod animal, propterea quia amaritudo eſt in extremo, nutrimento animalium aduerſa, & eſt dulcedini contraria, propter ſiccitatem ſolùm, ob idque interficit infantes, quando multum ea vtuntur, eo quòd ſunt in vltimo humiditatis. Et vniuerſaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali, quia illa non eſt niſi medicinalis, & dulcis ingreditur in cibos, & medicinas, &c.*

Non quadrat ſolutio. Primò, quia etiam hac ratione conceſſa lac ſemper eſſet amarum, cùm ex ſanguine dulci per triplicem coctionem in mamillis generetur. Secundò, quia Galenus 4. *ſimpl.* 19. ſcribit, *amarorum corporum conſtare generationem admodum excalfactis dulcibus, ſiue ab igne, ſiue à calore ingenito, quæ protinus conſiſtentia quoque ſicciora apparent, quoniam cùm abſumatur ſemper, ac defluat ab eis humor in vaporem à calore ſolutus, neceſſe eſt reliquum terreſtrius, ſicciúſque effici: quippe cùm dulce, præterquam quòd calidum ſit, ſiue plus, ſiue minùs, neceſſariò ſanè & humidum plus minúſve eſt: cùm illud corporis noſtri naturæ maximè ſimile exiſtat, ipſa verò ſit temperatè tum calida, tum humida. Quare quod ex dulci ſuperaſſato prouenit, peinde vt calx, ciriſque, calidum, ſiccúmque neceſſariò efficietur.* Repetit *eodem libro, cap.* 22. Sed ſanitatis tempore ingenitus calor non eſt adeò igneus, vt ſanguinem adurat, & admodum excalfaciat. Ergo licèt ſanguis triplicem coctionem pateretur, amarus haud redderetur vnquam.

Alij ex eo præſtantius eſſe, lacte, & non ſanguine nutriri puellos extra vterum, ſibi perſuadent, ne ea ſuctione facilè venarum oſcula aperirentur, & ita ſanguis, naturæ theſaurus efflueret: At hi calumniã naturæ prætexunt, quæ tum effundere, tũ retinere ſanguinem pro neceſſitate non ignorat: nã copia ſanguinis puriſſimi, & diu elaborati ſolùm pro nutritione fœtus, ſingulis diebus debebt affluere ad mammas, in maioríque quantitate generari, quæ citra viriũ diſpendium ipſum aleret,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 525 sur 927

quin venarum oscula reserarentur, quæ occludit ipsa, & recludit tempestiuè quando optimè valet, & statis legibus vtitur, prout reseratis hæmorrhoïdum, narium, aut vteri tubis, aut occlusis quotidie experimur; est enim vis in corpore retentrix, quæ suo tempore vrinam, aluinas fæces, & cætera superflua retinet & coërcet, in animantis commodum. Neque instes, ferinum esse, sanguiuoros esse infantes, ac si hoc magis inhumanum esset, quàm esse lactiuoros, cùm lactis substantia defæcata sit, & alter thesaurus naturæ possit appellari.

Non desunt qui putent, sanguinem ab vberibus exsuctum, neque in chylum in ventriculo, neque in iecore in sanguinem, posse conuerti: sed qua ratione id confirment, non video. Nonne sanguis interdum suillus, adiecto præsertim saccharo, à pluribus absorbetur, cuius fæcalia recrementa per aluum excernuntur? nonne alia multa rubra, etsi sanguine frigidiora, per os in ventriculum deturbantur, vt cerasa, quæ in liquorem conuersa, in ventriculo in chylum mutantur? Quòd si hæc vera sunt, & quotidiano firmata experimento, cur sanguis exhaustus, & in ventriculum demissus, cùm calidus sit & humidus, ab eo in substantiam cremori similem non transmutabitur, quæ alterata in iecore, & cæteris partibus, nutriet vbertim?

Soluenda tamen est antinomia hoc modo. Sanguis calidus est & humidus, & in se putrefactionis principia cõtinet; quare si in flaccido puelli ventriculo non bellè coquatur, non gubernatus à natura, putrescit; lac autem frigiditate sua putredinis causis magis resistit. Solue secundò. Sanguis est substantia perfectissima: quare extra propria vasa effusum, in grumos lethales abit, & concrescens in ventriculo debili, symptomata concitabit veneno finitima, quæ refert Galenus *lib. de bonit. & vitio succorum, c. 4. & lib. 6. de loc. cap. 4. Ad sanguinis* enim *grumefacti præsentiam, pulsus fit paruus, frequens, & ager cum anxietate resoluitur*: quæ difficillimè corrigentur, quia sanguis lentore suo, & crassitie (abundat enim pituita multa, & melancholico succo) tum pertinaciter tunicis ventriculi adhæret, tum ob terrestrem portionem lentè mouetur, & nonnisi tardè foràs extruditur.

Neque instes hac ratione etiam lac esse condemnandum, quia lac extra propria vasa eiectum citò corrumpitur, 8. *meth. cap. 4.* & in imbelli puellorum ventre coagulatur, & venenosa parit symptomata, quæ *lib. 6. cap. 26.* refert Dioscorides. Nam lac ob dictam rationem tardiùs sanguine putrescit, & non ita in ventriculo moratur, cùm sit sanguine liquidius, serosius, nec tot crassis partibus constet, ob aqueam partem qua abundat in copia multa, & ob butyrum emollitis fæcibus, & citata aluo, faciliùs per inferiorem ventrem extruditur. Quapropter hoc præstantissimum alimentum, in puellorum subsidium prudens fabricauit natura. Adde quòd horrendum, & terroris plenum esset nutricibus, viribúsque deficerent, & in horas fierent exanimes, si sanguinem in quo vita consistit, ab vberibus fluere conspicerent. Vltimò. Si nutrices exhausto multo lacte à voracibus infantibus, extenuantur, & indies fiunt debiliores, per tam longum tempus lactare non possent, si sanguinem exugerent ipsi, cùm hæc substantia magis pura sit, elaborata, & plurima spirituum copia respersa. Quare concludo, quòd licèt sanguis plures commoditates habeat pro nutritione infantium, tamen vtilius fuit, vt ipsi lacte alerentur, ob causas dictas.

Superioribus controuersiis addenda & illa: *Vtrùm Lac ante conceptum possit generari?* Nam Hippocrates *lib. de natur. puer.* in fœminis gestantibus molam, in mammis nullum lac generari affirmat. Ergo lactis generatio certissimum est conceptionis signum. Et Aristoteles *lib. de hist. animal. cap. 4.* nulli animalium lac fieri, antequàm vterum ferat, arbitratur. Contrà suadet Hippocrates *lib. 5. Aph. 39.* dicens: *Si mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, ei menstrua defecerunt.* Firmat Galenus *in com.* dum sic ait: *Cùm autem adenes in mammis sint exangues, & albi, proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, atque amplius huius faciunt, quando plus alimenti defertur ad ipsos. Plus verò defertur octauo, & nono mense conceptionis, quando abundanter opletæ sunt communes venæ mammarum, & vteri, sicut in animalium pregnantium resectionibus manifestè conspicitur. Fit etiam tale quandoque, licèt rarò, quum mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint venæ repletionem, ex menstruorum retentione.*

Plures conciliant hos auctores, vt dicant lac posse generari ante conceptum, non verum, imò aquosum, & dilutum, minúsque saporiferum, & dulce, quod erit nutritioni valde ineptum: nam verum mira prouidentia naturæ (quæ vis quædam est à Deo insita) gignitur fœtus causa. Sed cùm virginibus possint supprimi menstrua à sola sanguinis copia, qui dulcis, purpureus sit, & mediocriter crassus, qui nec sanguinis missione, vomitu, hæmorrhagia, hæmorrhoïde, aut aliqua cruenta vacuatione minuatur, cur ex eo lac verum, & legitimum in mamillis non generabitur, si spõte sua in eas sanguis decumbat, quod fatetur Hippocrates *in Aphorismis*? Si autem in alio loco id negauit, causa est, quoniam hoc rarò contingit, vt Galenus 5. *Aph.* protulit *in com.* quæ autem rara sunt, contemnunt Medici, qui solùm frequentia tractant: neque enim *ex iis quæ semel, aut bis homo vidit, debet pronunciata medica conficere, lib. de fœt. format. cap. 2.* dicebat Galenus. Lac ergo citra conceptionem, etsi rarò, & in conceptione frequenter, gigni potest, tertio, quartóve mense; tunc enim carnosis partibus, & parenchymatis generatis, in quibus efformandis plurimam copiam sanguinis exhausit natura, cum ad vbera emittit: ex quo, si nutriri puellum Hippocrates asseueret *lib. de nat. pueri: Et eo lacte fruitur aliquantulum puellus, &c.* per id, sanguinem in venis mammarum contentum, qui proxima est lactis materia, intellige. Vel si asseras, tempore indigentiæ posse lac album à mammis in vasa defluere, rursúsque à facultate venarum alteratrice excoqui, & in sanguinem verti, Hippocratem à plurimorum calumniis liberabis. De tempore generationis lactis, incertum est, sed ferè lac generatur in mammis à duodecimo ætatis anno, vsque ad quinquagesimum; nam hoc tempore intermedio educitur sanguis menstruus, quem esse lactis materiam *suprà* prædiximus. De lactis & seri temperamento, plura diximus *lib. 4. Hist. Princip. Med. in com. Hist. 44.* & *lib. 2. in com. Hist. 109.* de cuius vsu prout alimentum, & medicamentum est, lege *lib. 2. com. Hist. 35.* & *lib. 4. com. Hist. 44.*

CAPVT IX.

De Regimine Menstruatæ.

LIbenter ingeniolum meũ arctis in hoc amplissimo excolendo campo continerem frænis, nisi ardua se offerret de regimine menstruatæ, eáque vtilis, & necessaria methodus, à nemine animaduersa, qua à Medicis spreta, miserrimæ fœminæ, tot tantísque malis obsitæ, in pericula immania incautè labuntur. Quare in earum gratiam primo loco agitanda est quæstio: *Vtrùm Medicus menstruatæ maximam curam gerere debeat?* Menstruus sanguis suapte natura vitiosus, & niger, præsertímque in vtero per mensem, vel diu retentus, cùm excurrit, halitus ex se eructat caliginosos, & tetros, qui partes superas lancinant, & premunt. Cùm enim vterus omnium morborum muliebrium causa sit, apud Hip. *lib. de loc. in hom. num. 59.* & maximum per neruos, arterias, & venas grandissimas, cum omnibus nostri corporis partibus consensum obtineat, fit vt natura conante expellere

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 526 sur 927

expellere illum, ipſe extenuatus, & ad exitum properans, ebulliat excalfactus, vterúmque, & partes vicinas, præſertímque poſticas diſtendens, cruciatus excitet intolerabiles. Hinc vteri tormina propullulant, lúborum dolor ſuperuenit, accedunt cephalalgia, vertigo, oculorum caligo, faciei pallor, corporis inflatio, triſtitia, metus, inſomnia varia, depraua imaginatio, febres erroneæ, & alia ſymptomata ſæua, quæ foràs tandem excreto ſanguine conquieſcunt; qui ſi non exeat liberaliter, eoſdem, & grauiores morbos concitare poteſt: nam menſtruorum tempeſtiuè, & debitè fluentium quanta ſit vtilitas, paſſim Galenus inculcat, *lib. de ven. ſect. diuerſ. Eraſiſtratum, cap. 5. & 6. de loc. cap. 5.* & priùs explicuit Hippocrates *1. de morb. num. 6. & 7. & lib. de virg. morb. num. 1. 2. & 3.* Deinde ſi hic ſanguis in calidis biliosíſque fœminis, quæ vteri acetabula hiantia habent, & tenui, calidóque ſanguine abundant, ob has cauſas nimiùm excurrat, plura mala prehendere fœminas eſt neceſſe: cùm enim ſanguinis, nectaris ſanè viuifici copia corpus orbatur, frigeſcit, torpet, extenuatur, tabeſcit, & tandem commodo alimento priuatum, occumbit; vel ferè refrigerato iecore, officiníſque ſanguificationis impensè debilitatis, in cachexiam, aut hydropem labitur immedicabilem. Quare ſolerti induſtria, vigilanti cura, ſedula opera, Medicus menſtruatas in ſex rebus naturalibus gubernet, eſt neceſſe, vt eas à tantis hiſce, & extremis incommodis præſeruare poſſit: Nam, vt bellè Hippocrates prædixit, *lib. 5. Aph. text. 57. Menſtruis largiùs fluentibus, morbi eueniunt; non fluentibus autem, ex vtero morbi contingunt.*

A prima ergo re non naturali exordium ſumamus, quæramúſque comaticè aliqua, quæ in hoc inſtituto magis ſunt controuerſa, quorum primùm eſt: *Vtrùm fluentibus menſtruis aër debeat parari calidus, frigidus, vel temperatus?* Frigidum aërem menſtruatis eſſe vtiliorem, ex eo poteſt coniectari, quoniam inſpiratus ſanguinis motum coërcet, halitus ab vtero aſcendentes, ne in ſuperas partes velificentur, retinet, & à ſanguinis nimio fluxu præcauet, quo quæ opprimitur, in grauiſſima damna incurrat eſt neceſſe. Sed cùm in menſtruatis, occaſio omnium morborum ferè à ſanguinis retentione emanet, iccircò aër calidus præſtantior erit: referat enim obſtructas vias, ſanguinis craſſitiem attenuat, & vaſorum ora obſerata, vi ſua aperit. Hac ratione apud Hip. *lib. 5. Aph. 27. Suffitus aromatum muliebria ducit*, hoc eſt, prouocat ea, quæ ex vtero in mulieribus euacuantur, in menſtruis purgationibus, & à partu. Quapropter, vt Galenus ait *in com.* cùm cauſa retentionis menſtrui ſit ſanguinis craſſitudo, vel obſtructio vaſorum quæ ad vterum pertingunt, vel horum obſeratio, vel totius ſubſtantiæ denſatio, fit vt ad auferenda hæc incommoda, aër calidus ampliùs profit. Vt verò has noxas imminentes fœminæ poſſint declinare, ne aëris calore nimiùm menſtrua excurrant, vel frigore ſupprimantur, tutiſſimum erit aërem temperatum eligere; qui ſi non inueniatur, vel arte parari non poſſit, calidus frigido ſalubrior multò erit, ob dictas cauſas.

Quærendum iam de cibo, & primò de acetoſis: *Vtrùm menſtruatis prodeſſe poſſint?* Delicatulæ enim fœminæ, præſertímque quæ cibi faſtidio, ob vapores à menſtruo ventriculo communicatos, premunt, nauſeabundæ ſunt, & ad oblata moroſæ, acetum ſæpe eſitare ſolent, & edulia aceto condita, aut acetoſis, vt omphacio, reſperſa, & quod plus eſt, hoc auxilio menſtruas purgationes feliciùs cieri, prouocaríque ſibi perſuadent; acetoſus enim ſapor non eſt ſimplex, aut impermixtus, ſed ex acido & acri compoſitus, quod probat Galenus 4. *cap.* 12. dum ſic ait: *Diuerſis itaque viribus omphacij, acetique ſuccus conſtat; quippe quòd aceto accedat ex putrido calore acrimonia quædam, atque ob id Ariſtoteles rectè dixit, acetum proprio vini calore frigidum eſſe, adſcititio verò calidum.* Quare Serapio *tit. de ſapore aceroſo*, inquit: *Aceroſitati aceti miſcetur acuitas, & punctio.* Imò aceti aciditati acrimonia iuncta eſt, quoniam illi portio aliqua caloris præter naturam permiſcetur; fit enim, vt Galenus ait 4. *ſimpl.* 3. à calore naturali incipiente quidem concoquere, ſed nondum perficiente: at acetum cùm ex putredine generationem ſortiatur, caloris præter naturam eupyreuma reſeruat: nam etſi vinoſæ vini partes, dum ipſum in acetum tranſit, refrigerentur, aqueum tamen excrementum putreſcens adſcititiam caliditatem obtinet, velut cætera omnia quæ putreſcunt; quæ ſanè cuncta, ſi Galeno fides eſt adhibenda, *lib. de cauſ. morbor. cap.* 2. & 1. *de diff. feb.* 7. calidiora ob putredinem redduntur, ob id certè quòd extraneus inductus calor vniuerſam corporis putreſcentis occupet molem, etiamſi ab ipſo internus & genuinus corrumpatur: ſiquidem teſte Ariſtotele 4. *meteor.* 1. putrefactio eſt proprij, naturaliſque caloris in vnoquoque humido exiſtentis, ab externa caliditate corruptio. Quapropter acetoſa cùm parte acri conſtent ſibi permixta, & acria omnia calidiſſima ſint, ex Galeno 3. *acut.* 2. 4. *ſimpl.* 18. cui ſubſcribunt Theophraſtus *lib. 6. de cauſ. plantar. c.* 1. Auicenna *lib.* 2. *tract.* 2. *c.* 3 Auerrhoës 5. *collect.* 27. Serapio *lib. de temperamentis ſimpl. cap.* 2. Ishaac *lib. diætar. vniuerſal. cap.* 11. aſſerentes hunc ſaporem eſſe calidum in quarto gradu, eo quòd ab eo vehemens caliditas eſt inſeparabilis, fit vt acetoſa prouocent menſes, deobſtruant canales, humores attenuent, atque incîdant.

Verùm hæc vulgi opinio, Galeni voto prima facie munita, contra ſe habet ſummum Medicinæ antiſtitē, qui eloquio graui totam rem determinat, *lib. 3. acut. 39.* dum ſic fatur: *Mulieribus autem, longè magis quàm viris, aduerſatur acetum; nam vterum dolore afficit.* Et Galenus *in com.* ſic ait: *Quòd acetum ſuapte natura neruos offendat, teſtatur experimentum, & ratio demonſtrat: nempe exangues ſunt, & ideò frigidi, faciléque ab iis quæ refrigerant ſimul, & tenues habent partes, afficiuntur, medicamentis: læduntur præterea à refrigerantibus omnibus; ſed ſubſtantia aceti, quòd tenuium ſit partium, in eorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes, vt ne minimum quidem ex eis illæſum maneat. Vterum autem Anatomici ferè omnes, neruoſum eſſe dicunt.* Hac ratione Galenus 1. *acut.* 27. Oxymel in acutis propinare ſuadet, niſi affectis in languente neruis, & in muliere, vtero. Siue ergò vterus neruoſus ſit, ſiue fibroſus, ex Galeno *6. de vſu part.* 8. ſiue per quandam ſimilitudinem neruoſus ſolùm nuncupetur, 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 2. *poſt med.* §. *At eorum ſermo, qui neruoſum eſſe vterum prædicant, ſecundùm aliquam ſignificationem verus, ſecundùm aliquam falſus eſſe putandus eſt*: quod modò non controuerto, à prædominio infrigidat, adſtringit, repercutit, roborat, vt 1. *ſimpl.* latè Galenus edocuit: Licèt diuerſis etiam partibus, nempe acribus, & tenuibus conſtet; quare vteri fibræ ab eo refrigeratæ, vteri purgamenta non expellent, ſícque vel retenta vterum dolore afficient, vel in cor & cerebrum delata, grauiſſima & perniciosiſſima mala inducent.

De Butyro verò, ita dubitari poteſt: *Vtrùm Menſtruatis ſit ex vſu?* Nam plurimæ effluente menſtruo, torminibus oppreſſæ, ipſum ad ignem diſſolutum, inſulſum præſertim, & ſaccharo, aut melle reſperſum, quantitatrium, aut quatuor vnciarum epotare ſolent cum vtilitate ſumma: cuius ope & beneficio, dolores vteri, ventríſque conquieſcunt, flatus diſſoluuntur, cientur menſtrua, humectatur corpus, reficiuntur vires, & aluus mouetur.

Butyrum enim quod ex pingui lactis parte depromitur, optimum alimentum præſtat, tum per ſe, tum cum aliis permixtum, concoquentis, & digerentis facultatis particeps eſt, humectat, emollit, lenit, dolorem ſedat, ex Galeno 10. *ſimpl.* quoniam temperatum eſt apud Ishaac *lib. 5. theoric. c.* 95. & apud Auicennam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 527 sur 927

lib.2.canon.cap. 116. calidum, & humidum in primo. De Butyro verò non cocto, id est, recenti, distincto capite loquutus est Auicenna *lib.2.canon. cap.* 113. quo loco lenificatiuum, & ventrem soluens esse asseuerat. Quapropter ad leniendum dolorem hoc auxilium non displicet, experimento assiduo confirmatum.

Neque instes butyrum esse calidius oleo, & in corporibus calidis siccis facilè inflammari, & in bilem conuerti; quare fœminis dolore vexatis, & ob hanc causam ad febrem paratissimis noxium erit: licèt enim oleum plus ardeat in lampade, quàm butyrum, & habeat æqualitatem partium pinguem, butyrum verò admixtionem serosarum, est tamen calidius oleo, & citiùs à calore innato inflammatur, quia etsi aquosarum partium princeps sit, aliæ tamen partes sunt calidiores. Quòd autem oleum extrà citiùs inflammatur, causa videtur esse, quia aquosis partibus caret; quòd verò butyrum intra citiùs, causa est quoniam calor innatus partem serosam superat, quod extrà non facit: reliquum ergo vnctuosum, & calidius citiùs inflammatur, cùm magis alat, & à calore natiuo ampliùs obtineatur. Denique si partibus aliis constet, serosis exceptis, cùm hæ sint temperatę, vel ad caliditatem, & humiditatem paulisper declinent, calefacere non possunt.

Succedit & illa quæstio: *Vtrùm Menstruatis carnis viperinæ esus vtilis sit?* Lusitanæ fœminæ, illæ præsertim quæ Transtaganam habitãt regionem, calidam siccam, ardente Sirio, laboribus defessæ, quum triticum expurgant, spiculas colligunt, timéntque ne ob calorem excedentem supprimantur menstrua, viperinam carnem, dempto capite, & cauda, lotam priùs calida, adiecto sale concoquunt cum origano, pulegio, & nepita, eámque cum iure esitant, quo auxilio faustè mouentur menstrua, & dissoluuntur flatus.

Nec earum experimentum Medicorum decretis repugnat: Vipera enim calefacit, exiccat, & natiua quadã sorte humorem melancholicum per varias regiones, præsertim externas, detrudit. Neque carnis viperinæ esus noxius est, si caput, & caudam priùs adimas, in quibus partibus venenum præcipuè consistit, *lib. de theriac. ad Pis. cap.* 9. & Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 615. illámque deinceps sale, anetho, aqua calida, aceto, aut vino abluas diligenter, hac enim ratione præparata alimentum præstat corpori nostro, ex Theophrasto *lib.* 4. *de caus. plantar. cap.* 10. cuius rei conscij Ægyptij, viperis vesci soliti sunt, vt auctor est Galenus *lib.* 3. *de alim. fac. c.* 3. quod priùs prædixit Plinus *lib.* 7. *cas.* 2. & *lib.* 29. *cap.* 6. quinimò longam senectam agunt, qui eas esitare consueuerunt, firmante sic Dioscoride *lib.* 2. *cap.* 16.

Sed & illa quærenda dubitatio est: *Vtrùm Menstruatis assa sint magis concedenda elixis?* Menstruatæ sanguinis fluxu laborant, quo excreto corpus debilitatur, & vires fatiscunt, maximè si largiùs menstrua erumpant, animo linquuntur, si graciles sint & extenuatæ; ex halitu enim tetro ab vtero eleuato superuenit fastidium, quod cardialgia, palpitatióque deinceps subsequuntur. Hinc fit, vt cogente necessitate id offerendum sit alimentum, quod magis nutriat, ac citò vires reficiat: quã prærogatiuam habere alimentum assum, firmat Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. §. *Ampliùs scire debes, &c.* Quia propriam humiditatem retinet plus, quàm elixum; quapropter assa, ab Auic. 7. 4. *tract.* 4. *cap.* 21. & Arist. 4. *meteor.* 3. commendantur magis ad impinguandum. Hoc ita esse ratio confirmat, quoniam ignis penetrans assa, præcrustis externis intrò in eis detinetur, & ibi attrahit, & coquit humidum, vnde assa caro magis humida est intrò, quàm extrà. In elixis contrà; validior enim calor ebullientis aquæ, minorem carnis internæ calorem, & cum eo humiditatem, quæ ipsi subiicitur, ad se attrahit. Si experimento hoc confirmes, inuenies verum: ex asso enim, siue cultello scindatur, siue prematur prælo, plus succi distillat, quàm ex elixo: Assa ergo cùm sint substantificè humidiora elixis, plus nutrient, & humiditatem deperditam reficient.

Neque instes cum Celso *lib.* 2. *cap.* 18. iurulenta magis alere assis: nam intelligendus est de toto cocto, carne scilicet, & iure, in quo substantifica carnis humiditas manet, non verò de decocto sine iure. Succus igitur repositus ab asso plus humidi habet substantifici, licèt qualitatiuè sit minùs humidus, quàm succus ab elixo repositus. Hoc modo interpretandi sunt Galenus 3. *alim.* 2. & Aristoteles 20. *probl.* 5. asserentes elixa esse humidiora assis.

Neque obiicias hoc modo: Si siccitas ignis, quia aduersatur humiditati accidentariæ, eam sicat, cur non siccabit etiam humiditatem substantificam, cùm illi non minùs opponatur, quàm accidentariæ? Licèt enim calor ignis non magis aduersetur vni, quàm alteri humiditati, diuersus tamen situs in asso, & elixo, est causa, vt in eo humiditas nutriens conseruetur, non in elixo. Quare assa magis nutriunt elixis, & hac ratione debilibus in maiori copia concedenda.

Licèt autem hoc verum sit, tamen assa reproba sunt in menstruatis, quia adstringunt, ex Hippocrate *lib. de affectionib. num.* 44. *Carnes percoctæ ad secessum, optimæ sunt; assatæ verò magis sistunt:* & *lib.* 3. *de diæta, num.* 24. & 25. ad alui fluxum coërcendum, assata & tosta summopere laudat. Sic Auic. 16. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. pisces assatos, & cætera torrefacta, pro compescendo alui profluuio commendat.

Adde quòd assa elixis difficiliùs concoquuntur: argumento est, quòd ad cœnam toleramus vaccinam elixam, noxam verò accipimus ab assa arietina, etsi sit tenuior, & leuior. Hæc est causa, ob quam Galenus 3. *alim.* 12. docet assa solùm à valido ventriculo concoqui, & *cap.* 3. ex piscibus, qui tenue alimentum præstant, solùm robustis assos concedit. Itaque concludo in menstruatis, in quibus menstrua potiùs ciere, quàm coërcere est in animo, vt in iis quæ menstruas purgationes suppressas habent, vel à partu lochia non rectè excernunt, assa reproba esse, quia difficiliùs concoquuntur, & adstringunt, ob siccitatem ab igne in superficie contractam; assatio enim magis siccat alimentum, 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. elixatio verò humectat, 3. *alim.* 2. Elixa ergo etsi minùs nutriant, citiùs per aluum descendunt.

Quòd si ob fastidium, & voluptatem, assa iis fœminis concedantur, præsertim carnes, hæ pingui aliquo priùs vngendæ, vt siccitas ab igne contracta auferatur, & acrimonia mitescat: hoc enim modo substantifica carnis humiditas meliùs conseruatur, apud Ishaac *lib. vniuersal. diætar. cap.* 34. Si verò Galenus 2. *simpl. c.* 5. videtur docere assa vncta reddi sicciora, sicut placentas in oleo frictas: In causa est, varia ignis dispositio: (omne enim pingue per se semper humectat) si enim multus ignis cum oleo adsit, vt accidit in frictis, tunc desiccat; quoniam pinguedo olei inflammata natiuam humiditatem frixi depascitur. Si verò paucus ignis cum pingui existat, vt in assaturis palam conspicimus, tunc pingue modico suo lentore, tanquam nutrimento externas assi partes, ne deurantur, defendit, & cutis spiracula obstruendo, in internis partibus prohibet desiccationem, atque hoc modo substantifica humiditate magis conseruata, assata quæ vnguntur, humidiora euadunt.

De potu illa antinomia elucidanda: *Vtrùm Menstruatis vinum offerendum?* Dic: Etsi multa sint quæ vini potum interdicant, & Galenus 3. *alim.* 40. & *lib. quòd animi mores, cap.* 10. veluti noter Hippocratem, qui nullibi concessit vinum, vt alimentum, sed medicamentum, & Plato *lib.* 2. *de legibus*, Carthaginenses, & Lacedæmonios illos condemnet, qui in castris, senatu, studiis, regenda Republica eo vti solent; tamen, si in modica quantitate assumatur, mulieri menstruatæ, sanæ, & temperatæ plurimùm prodesse potest.

Si

Si enim ſumentis temperamento, ætati, & calori ſit proportionarum, laudabiles præſtat vtilitates, ex Galeno 7. *meth.* 6. nam fluentibus menſtruis, vini potus quàm aquæ ſalubrior eſt. Ita enim docuit Galenus: *At verò memoratorum vinorum virtutes, comprehenſis iam aquæ vitiis aduerſam quodammodo naturam habent, cùm nec influet præcordia, imò ſi inflata ſint, ſubſidere faciant; nec inibi moram trahant, propter caloris mediocritatem: adde quòd cùm digeſtionis vias aperiant, & pariter impellant, ac nutrimentum ſurſum agant: ad celeritatem deductionis in corpus conducunt. Sunt præterea boni ſucci, & ad miſcenda, concoquendáque ea, quæ in ventriculo, & venis ſunt, idonea. Iam vires quoque organorum adaugent, & expellendis excrementis viam faciunt: eóque fit, vt etiam talia vina, præter cætera, vrinas moueant, quando & ipſa totum corpus celeriter tranſeunt, & impetu curſus ſui excrementa ſecum expellunt, &c.* Ergo cùm vinum in modica quantitate aſſumptum flatus diſſoluat, aperiat, citò corpus permeet, ſit boni ſucci, roboret vires, excrementa expellat, vrinam moueat, menſtruatis auxilio erit.

Addit Ishaac *lib. particul. diætar. tit. de vino*, quòd cibi deſiderium excitat, & bonum ſaporem, aliis cibis, & potibus præbet: *Quare*, inquit, *vinum competens eſt omnibus ſana habentibus corpora, quia ſanitatem cuſtodit.* Moderata autem potionis quantitas ea eſt, quæ nec ventriculo innatat, nec fluctuationis ſenſum inuehit, ex Galeno 7. *meth.* 16. §. *Potionis is modus erit, &c.* Deinde vinum adauget calorem, ac vires robuſtiores efficit, *lib. de cauſ. morb. cap.* 3. & Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 11. §. *Vinum in ſua eſſentia fortes efficit ſanos, & viuificat virtutem, propterea quòd velociter præbet augmentum in ſubſtantia ſpiritus*: & languentes celerrimè reficit, 2. *Aph.* 11. & 18. & 3. *de temp.* 2. Quare ab eo recreatæ vires, ſanguinem feliciùs per vterum excernent.

Inſuper Menſtruatæ, ob halitum humoris commoti, anxiæ ſunt, ac melancholicis imaginationibus torquentur, quibus ſi vini offeras potum, eas mites facies, & hilariores: nam hic potus animam mitiorem efficit, ex Galen. *lib. quòd animi mores, cap.* 3. & ſpiritus cordis reddens lucidiores, ab angore liberat, 1. *de ſanit. tuend. cap.* 11. Menſtruatæ ergo moderato ſint vini potui aſſuetæ: cuius immoderatus vſus innumera damna citiſſimè infert, niſi duo excipias, ſcilicet venena frigida ebibita, & morſus animalium, quæ refrigerando interimunt: in his enim caſibus abundè indulgendum mero, ex Dioſcoride *lib.* 5. *cap.* 7. Galeno 3. *ſimpl. cap.* 20. Si verò priſcorum ſcientiſſimi illud interdicunt, cauſa eſt, quia in vini potu committuntur noxæ inemendabiles.

De motu, & quiete illud inueſtigandum: *Vtrùm exercitium illis ſalubre ſit?* Dic, quòd licèt exercitio accreſcat calor in corpore, humores fiant ad motum promptiores, meatus aperiantur, & hac ratione menſtrua feliciùs videantur poſſe à natura expelli; tamen illud reprobum eſt, & valde noxium. Primò, quoniam exercitium eſt motus vehemens voluntarius, immutans reſpirationem; quare mutua illa, velocíque contractione, & dilatatione ſpiritus, ab vtero attrahitur ſanguis, & menſtruum ſupprimitur. Secundò. Exercitio, ob accenſum calorem, & ſpirituum ebullitionem, rarefactis poris cutaneis prouocatur ſudor; hinc autem euocat humorem ad cutem, & reuocat ab vtero. Tertiò. Frictio attrahit humorem à centro ad circumferentiam, partem maximè aduerſam vtero, cui natura ſanguinem deſtinat. Sed frictio, & exercitium eaſdem ſortiuntur vires, ex Galeno *lib. de puero epilept. cap.* 4. Ergo exercitium menſtruatis interdicendum, ſicut & reliqua, quæ ad cutem humores deferunt, & naturam ipſam ab excretione ſanguinis per vterum diuertunt, vt balnea, picationes, &c.

De vacuatione illud dubium agitandum: *Vtrùm clyſter actu fluente menſtruo poſſit admitti?* Plures negant, quoniam tunc aluus non eſt conueniens regio, per quam humores noxij ſint deferendi, ſed vterus: & natura ad contrariam partem diſtrahitur promptiſſimè, quoniam ob viciniam ex recto inteſtino, cui vterus ſuperiacet, citiſſima fit attractio. Dic. Si morbus vrget acutie ſua, & non patitur inducias, clyſter vtilis eſt, tum ad vacuandos humores qui in viis ductuum ſtabulantur, tum vt hoc facto auxilio, cætera commodiùs celebrari poſſint. Neque clyſter attrahit ab vtero, aut naturam ad aliam partem auocat, cùm ab inteſtinis ſolùm euacuet, ſi mollis ſit, & non acutus; quem non eſſe fluente menſtruo adminiſtrandum, ratio dictat, (eius enim vſu perturbatur natura, & humores ab vtero violenter attrahuntur) niſi periculoſiſſima adſit affectio, ſuapte natura lethalis, vt Apoplexia, Epilepſia, vertigo, cephalalgia ſæua, palpitatio, & alia adſint ſymptomata, quibus celerimè auxiliares manus adhibere oportet; tunc enim cogente neceſſitate vrgentiori malo opitulari eſt neceſſe, ſubditis acribus balanis, & inditis clyſteribus acuris, quibus ſi nimis aluus profluat, tunc de ſalute ægri non deſperandum: ſæpius enim alui fluxus, menſtruæ purgationis loco excernitur; & plures fœminæ poſt partum excitato alui fluxu à natura, à grauiſſimis morbis euaſerunt, præſertim ſi fiat cùm conferentia & tolerantia; nam natura defectum purgationis vteri, aluo citata ſupplere ſtudet, vt frequenti fidiſſimóque experimento compertum eſt.

De Veneris vſu quid dicendum: *Vtrùm illis ſalubris ſit?* Dic. Commoto ſanguine in vteri ergaſtulo, ebulliente, ac tenuiori facto, ſemen etiam turget, titillat, feruet, & ſui euacuationem affectat: quod ſi coërceatur, maximè nocet, & ſymptomata veneno ſimilia excitare poteſt, vt proprio experimento in fœminis, & viris docuit Galenus: quare veneris vſus ſanitatis tempore ſalubris eſt, auctore Galeno *in art. med. cap.* 81. Licèt autem parcus veneris vſus ſanitatis tempore commodus ſit, ob cauſam dictam, ſi tantum interuallum in eius vſu adhibeatur, vt nec reſolutio aliqua percipiatur, & ſeipſo homo quodammodo leuior factus, ac meliùs ſpirare videatur: tamen in menſtruatis eum diſſuaderem vehementer, primò quoniam fœtus conceptus tempore menſtruationis, elephanticus euadit, ex Alzaharauio *lib. 2. pract. cap.* 14. Deinde, motu, calore, & ebullitione ex concubitu contractis, ſanguis ad ambitum corporis promptè euocatur, accedente voluptate, quæ prout maior vel minor eſt, magis vel minùs reſeratis cutis ſpiraculis, ad ſuperficiem attrahit, cuius deliciis natura intenta, aliis partibus, & non vtero ſanguinem deſtinat. Ebullitionem autem feminis refrigerantibus auxiliis, & ſemen minuentibus meliùs, quàm veneris vſu compeſcendam eſſe, ex eo fit manifeſtum, quoniam concubitus, concuſſione, & labore corpus calefacit, inflammat, & exagitat, quæ ſeminis ebullitio illicò fluente menſtruo ſedatur; nam eo vacuato partes auaræ factæ, pro ſui nutritione ſanguinem reſeruant, & ſeminis materia hac ratione ad tempus deficit.

Sed iam tempus eſt, vt ad phlebotomiam accedamus; *Vtrùm actu fluente menſtruo ſanguinis miſſio ſit aliquando celebranda?* Auicenna ſic reſpondet, 4. 1. *cap.* 20. *Præterea menſtruata non minuntur, niſi propter magnam neceſſitatem, ſicut eſt neceſſitas retinendi fœtè ſanguinis ſputum, quum virtus fuerit conueniens, &c.* Etſi ſanguis menſtruus, qui in fœmina ſana ad vterum ſingulis mẽſibus defertur, non differat ab alio ſanguine, ſed ſolùm ſit quantitate excrementum, vt ex Galeni mente 3. *de cauſ. ſympt.* 2. *ſuprà* prædiximus, qua ratione eſt alterum noſtræ generationis principium, & nutrimentum fœtus in vtero exiſtentis; quoniam tamen quando vitioſi humores redundant, ſimul cum eo expurgantur, & licèt non exuperet, propter moram in vaſis vteri vitium contrahit, nihil mirum ſi hæc vacuatio, à veteribus, & Galeno purgatio appelletur, imò ab Hippoc. 5. *Aph.* 6.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 529 sur 927

Si mulieri vtero gerenti purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum: & *Aph.* 61. *Si mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superueniente, & fastidia cibi incidant, indica ipsam in vtero habere.*

Tempore ergo eius menstruæ purgationis vena secanda non est, ne naturæ motum impediamus, aut præcipitemus. Hoc autem intelligendum est, dummodò illa vacuatio, ex lege naturæ, modum non excedat, aut diminuta sit, vel simpliciter, vel habita ratione vrgentiæ morbi. Si enim in nimia copia sanguis per vterum erumpat, tunc tutò sanguinis missio ex brachio potest administrari, ex Galeno *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 18. §. *Secta enim in cubito vena mulierum reuellere purgationes assolent.* Deinde fluentibus menstruis si incidat aliquis morbus grauis, ac periculosus, qui pro sui curatione citissimam vacuationem efflagitet, & superiores partes premat & concutiat, ex superioribus partibus mittendum esse sanguinem, latè probauimus *lib.* 1. *Histor. Princip. Medic. in com. Hist.* 77. Nam si in pleuritide sæua, suffocante angina, truculenta Epilepsia, acutissima Apoplexia, vel ex talo sanguinem emittas, vel expectes naturæ motum, vt plenitudini, vel acutiei morbi possit sufficere, antequàm morosa illa vacuatio prodesse queat, æger occumbet. Oportet ergo vrgentioris mali habita ratione, ex superiori, propinquioríque parte sanguinem emittere, impositis priùs femoribus cucurbitulis, vel fricatis cruribus, vel sanguine misso ex talo, vt vtrique indicationi satisfacias.

Rursus. Si diminuta menstrua purgatio sit, & ad partes superas restagnet, & sputum, aut vomitus sanguinis subsequantur, tutissimum est venas tali tundere, iuxta senis oraculum, 5. *Aph.* 32. *Mulieri sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus, solutio aduenit.* Nam, vt Galenus ait *in com. Erit retractio simul, & euacuatio sanguinis ad superiora tendentis; hoc etiam experientia comprobat vtiliter fieri: nos verò ex ipsa permoti, naturæ opera quæ bene geruntur, imitabimur, & mulieres hac passione laborantes, missio sanguine euacuabimus.*

Præterea. Si fluens actu menstruus sanguis non sit pro multitudinis ratione, qua ratione motum illum imperfectum supplere possumus, nisi sanguine misso? Id veridico oraculo edocuit Galenus *lib.* 9. *meth. cap.* 5. dum sic fatur: *Itaque si tempore mittendi sanguinis, menses moueri contingat, aut hæmorrhois sit recluſa, si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur, qui solus, quod requiris, euacuet, naturæ rem omnem permittes; sin minùs, tantùm ipse detrahes, quò ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas, &c.* Subscribit Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 71. Licèt enim fluente menstruo, si morbus sit placidus, mitis, ac signis firmatus securis, neque temerè naturæ motum perturbare, aut confundere fas sit; tamen si non sit integer naturæ motus, nec pro multitudinis ratione, ipsum complere oportet, sectis tali venis, ídque quantum morbus postulauerit, & vires vnà permittant: Si enim aliter feceris, & naturæ motum non compleas, ex procrastinatione auxilij sequetur maximum morbi incrementum, & ægrotanti vnà ingens vitæ periculum: vt enim Galenus 1. *Aph.* 20. edocuit: *Si integra iudicatio facta iam est, vel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet; vbi verò non integrè iudicatur, id quod deficit, supplere nos conuenit.*

Maior tamen concertatio est pro tutanda doctrina Galeni: *Vtrùm venæ sectio ex talo celebratæ, menstruo actu fluente, illud prouocet, vel retineat?* Nam si infernæ venæ sectiones vnicè menstrua prouocant, ex Galeno *lib. de sang. mis. cap.* 18. §. *Plenitudines enim ex suppressis mensibus ortas omnino per crura vacuabis, siue venam secare, siue scarificare conueniat: secta enim in cubito vena mulierum reuellere purgationes assolent.* Quo loco facta collatione inter sectionem cubiti, & tali, illam cohibere menstrua, hanc prouocare asseuerat. Quare si hæc menstrua eliminat, quantò magis illud perficiet, si natura adminiculetur, quæ secta poplitis vena sarcinam vlteriùs deponit, & morbum vel breuiorem facit, vel ex toto finit. Hinc Medici vsu ipso edocti imminutè fluentibus menstruis, inferna vasa quamprimùm ferire student, cum emolumento summo: hæc enim secta, locum, & pariter expellendam materiem aptè disponunt, meatus fluxioni aptos reddunt, naturam etiam maiori cum impetu expulsionis opus aggredientem potenter excitant, & portionem in corpore relictam extrahunt, ne ad superas partes recurrens principem aliquam obsideat partem. Quare sectio è poplite actu fluentibus menstruis, vt ea prouocans, exercenda, neque enim reuellit ab vtero, sed ad ipsum attrahit, & menses prouocat, vt eleganter, & dilucidè firmat Galenus *lib. de sang. mis. cap.* 18. dum enim cubiti sectiones sanguinem ad superna corporis attrahere asseruit, sic deinceps profatur: *Quæ verò ex cruribus, tantum abest vt retrahant, quin potiùs menses prouocent, &c.*

Obtrudes primò. Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 18. in inflammatione vteri, poplitis venas scindendas consulit; quod etiam facit 13. *meth. cap.* 6. & 11. & *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 2. Sed inflammatio omnis, ad sui remotionem, expostulat & indicat reuulsionem. Ergo sectio è poplite ab vtero reuellit. Dic primò, Galenum eo loco loqui de inflammatione facta, in qua necessaria solùm est euacuatio, & non reuulsio: Nam in incipiente vteri inflammatione, Paulus, Aëtius, & alij Medicinæ proceres, è cubito reuulsionis causa sanguinem exhauriunt. Dic secundò, Galenum eo loco minimè præcepisse solùm sanguinis missionem partium inferiorum, cùm 4. *meth.* 6. & alibi passim, incipientes phlegmonas sanguinis missione reuulsiua esse curandas asseueret; quod opere ipso obseruat 10. *sec. loc. cap.* 2. & 2. *ad Glauc.* 2. ibi enim inflammationes ischiaticas, & genu occupantes, cubiti sectione persanat. Quare cùm Galenus *cit. de sang. mis.* præcepta traderet curandi recentes inflammationes renum, & partium similium, in recentibus mittendum esse sanguinem à superioribus; in vetustis, ab inferioribus pronunciauit: & cùm hoc dixisset, subiungit, maius auxilium percipi ex sectione venarum inferiorum partium, quasi significare velit, quòd vbi est recens, id est, vbi incipit, mittendus sit sanguis à superioribus, sed tandem vacuationis causa ab inferioribus: Et hæc, meo voto, huius difficilis difficultatis est explicatio germana.

Obtrudes secundò, Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 18. crurum sectiones per tres, aut quatuor dies ante mensium periodum facere consulit, haudquaquam ipsis iam prosilientibus, ne horum fluxum remoretur secta in talo vena. Dic, intelligendum esse Galenum in suppressione menstrui: cùm enim tunc non spectetur purgatio mestrua, sanguinis missio è poplite facta ante consuetum purgationis tempus, menstrua promouebit.

Obtrudes tertiò. Si fluentibus menstruis celebratur sanguinis missio ex partibus inferis, fatiscentibus viribus, accidet lipothymia, & reuocato sanguine ad cor reprimentur menstrua, ob quam illis fluentibus hoc dissuadet auxilium, *lib. aduersus Erasistratæos, cap.* 3. Dic: Fluentibus menstruis, si celebretur sanguinis missio copiosa, animi contingit deliquium, maximè si vires non sint ita liberales; contrà, si parca fiat, & vires tolerent, non accidet lipopsychia.

Quapropter vtilis est tempestiua infernæ venæ sectio, diminutè ipsa natura operante: Cùm enim crurum vasa, & vteri communia sint, & inter se connexionem habeant, illa secta deriuant, & euacuant ab vtero; hinc fit, vt natura loca inanita satagens replere, à corpore toto mittat sanguinem ad vterum, atque ita attractio fiat. Accedit etiam, quòd cùm tollat obstructionem, relaxatis vasis, sanguis faciliùs ad vterum confluit.

Non

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 530 sur 927

Non ergo venæ ſectio è talo, actu fluente menſtruo, illud coërcet, ſed prouocat.

De animi pathematis vltimò dubitandum: *Vtrùm menſtruatis nocere poſſint?* Animi accidentia plurima operantur in corpore noſtro, quod non ſolùm primariò caliditate, & frigiditate alterant, vt colligitur ex Ariſt. *lib. de com. animal. greſſu, poſt med.* ſed ſecundariò reliquas qualitates inducendo, ipſum vehementer immutant. Hac ratione Galenus 1. *feb.* 3. febres ex animi paſſionibus excitari affirmat, & Hip. 6. *Aph.* 23. pronunciauit: *Si timor, & triſtitia longo tempore perſeuerent, melancholiam adeſſe ſignificatur:* & non ſolùm metus, & mœſtitia, melancholicum humorem in corpore adauctum oſtendunt, ſed etiam ex ipſis corpus afficitur.

Auicenna 2. 1. *doct.* 2. *ſum.* 1. *cap.* 14. per animi paſſiones, non ſolùm intelligit affectiones potentiæ iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſed & animæ rationalis, vt ſpem, timorem, ſolicitudinem, & his ſimilia, à quibus, etſi diuerſa ratione, corpus alterari conſtat manifeſtè, vt Auicenna *cit. loc.* edocuit. Quare timentibus, aluus & vrina ſoluuntur, rigor, & pallor ſuperueniunt, 8. *probl.* 17. & pilorum erectio accidit, *probl. ſequenti.* In verecundia aures rubent, 32. *probl.* 8. Iratis continuò oculi prominent, & rubicundi fiunt, 31. *probl.* 3. quorum omnium cauſas conſignat Galenus 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 5.

Ob animi ergo affectiones alterantur corpora noſtra, mediantibus ſpiritu, & ſanguine, non ſolùm quia ſunt naturæ inſtrumenta, vt 2. *de cauſ. ſympt. cit.* docuit Galenus, ſed quoniam naturæ motum ſequuntur, vt firmat Aphrodiſæus 2. *probl.* 21. Auicenna 2. 1. *cap.* 14. *cit.* omnes perturbationes, quæ ad animales affectiones ſequuntur, ad vim, & potentiam refert imaginationis: quare oſcitanti oſcitando vtplurimùm reſpondemus; & ſi aliquis ſecatur, vritur, vel vim patitur, animo dolemus, & perturbamur, quorum omnium cauſa ad naturam communem, hoc eſt mutuam naturæ ſympathiam referenda eſt, ex mente Aphrodiſæi *lib.* 1. *probl.* 32. Ariſt. 7. *probl.* 2. & 3. Vel dic: Cogitationem, meditationem, & ſimilia, corpus alterare, quoniam facultates ſpiritibus indigent, qui ex tenuiori ſanguinis parte generantur; quibus abſumptis, ſanguis qui in corpore remanet, craſſior redditur: qua ratione ex meditatione, & ſtudio ſæpe habitus melancholicus acquiritur.

Ex iis conſtat dilucidè, immodicos animi affectus, quoniam corpus alterant, & à ſtatu naturali auertunt, eſſe interdicendos, & præcauendos. Quæ ſententia ex eiuſdem Galeni doctrina eſt interpretanda, 4. *de placit. cap.* 6. §. *Quod autem cognoſcere, &c.* quo loco inquit, duplex eſſe principium appetitus in nobis, vnum rationale, & alterum animale ſeu naturale; hoc quidem naturæ motu in propriam fertur actionem, obiecto præſente, vt videlicet cauſa præſente iraſcendi, illicò adeſt appetitus vindictæ, quemadmodum oblata videndi occaſione, oculus videt, qui animi affectus cùm naturales ſint, omnino euſtari nequeunt, ab altero tamen principio appetitiuo, ſcilicet rationali corrigi poſſunt. Hoc eſt quod ſignificauit Galenus *lib. art. med. cap.* 81. dicens animi immoderatos motus eſſe coërcendos, etſi aliquando corrigi non poſſint, vt quando naturalis appetitus vincit rationalem, vt Galenus *cit. loc.* explicuit, carmine quodam Euripidis ſub Medeæ nomine: *Ira eſt potentior conſilio meo.*

Quare ſi animi affectus ob has cauſas ſunt interdicendi, quantò magis in menſtruatis. Timor, mœror, & triſtitia, reuocato ſanguine, & ſpiritu ad corporis arcem, ſanguinem menſtruum conuocant ad intrà. Gaudium ad ambitum corporis calorem cùm deferat, naturam diuertit ab vtero. Moderati animi affectus etſi nonnunquam conferant, vt ex Galeno colligitur 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 9. poſito exemplo in ira, quam in frigidis cordis affectibus excitandam eſſe monet, tamen cùm hæc totum corpus calefaciat, cutis ſpiracula aperiat, ſudorem moueat, toto corpore exardeſcente valde, fit vt ad ſuperficiem corporis ex omni regione humorem expellat, & hac ratione ab vtero quàm longè reuellat. Noxij ergo ſunt, & omnino præcauendi in menſtruatis animi affectus, ob cauſas dictas.

CAPVT X.

De menſtrui ſuppreſſione.

Definitio.

MEnſtrui ſuppreſſio, eſt ſanguinis qui ſingulis menſibus per vterum excerni conſueuerat, omnimoda retentio. Et licèt ſymptoma in tria genera diuidatur, in qualitatem mutatam, actionem læſam, & ea quæ excernuntur, & retinentur præter naturam, menſtrui tamen retentio, eſt ſymptoma de genere eorum, quæ immodicè retinentur, pertinens ad abolitam omnino actionem. *Vtrùm* autem *hoc ſymptoma, cæterorum inſtar, ſemper ex morbo enaſcatur?* ventilandum eſt. Galenus conſtanter affirmat *lib. de diff. ſympt. cap.* 7. nam ſymptoma ſequitur morbum, velut vmbra corpus.

Sed plura ſunt, quæ probant poſſe dari ſymptomata, quæ ex morbo non oriantur: rigor enim non enaſcitur à febre, ſed ab humore acri per muſculos moto. Deinde tremor ſuperueniens timori, & virium lapſus ad ſyncopen, ſunt ſymptomata non ſequentia morbum, ſed inopiam ſpirituum. Sic ligatio nerui tollit ſenſum, & arteriæ, pulſum. Præterea. Ob vitium alimenti, ſequitur deprauata concoctio. Ad hæc. Vſus auctus in aſcendente, & febriente, inducit celerem pulſum, & reſpirationem. Inſuper. Tuſſis, ſternutamentum, & pandiculatio, ſunt ſymptomata etiam ſanorum. Vltimò. Omnimoda menſtrui ſuppreſſio, fœminas ſanas, & optima valetudine fruentes ſæpius conſequitur. Ergo menſtrui ſuppreſſio, ſicut & alia ſymptomata, non perpetuò ſequuntur ad morbum.

Affirmandum tamen eſt cum Galeno, ſymptomata immediatè à morbo produci. Quare conſtat ſymptomata omnia oriri, aut immediatè, aut intercedentibus aliis, dummodò in corpore morbus ſit, à quo producatur, vel actionum læſio, vel cauſa aliqua morboſa, quæ vel ſymptoma efficiat, vel alium affectum, à quo idem oriatur. Quòd ſi citra morbum ſit, ſymptoma non eſt, vt caloris reuocatio ad interna, ex quo accidentia varia ſuccreſcunt. Huius claſſis eſt exactior ſenſus, vti dolores oris ventriculi, & in capite tinnitus aurium, & alia huius naturæ; quæ ſymptomata non ſunt, quia nec primò, nec ſecundariò morbum ſequuntur, quamuis in corpore morboſa ſit cauſa. Cùm verò morbus præfuerit, vel cauſa ipſum iam effecerit, tum quidem ea quæ antea paſſiones erant naturales, verè & propriè ſymptomata fiunt.

His poſitis dic ad primum. Cauſa rigoris eſt intemperies fiens in membris, irritans expultricem, non ſecus quàm conuulſionis in epilepſia. Deinde inopia ſpirituum morbum conſtituit; nam ſi eorum copia non obeſt, defectus nocebit. Ad tertium dic. Sola ſymptomata in ægris apparentia ſequuntur ad morbum, & de his eſt intelligendus Galenus; cruditas autem ex alimento etiam in ſanis reperitur. Ad quartum dic. Vſus auctus tam in aſcendente, quàm febriente, morbus eſt, cæterùm diuerſimodè: nam in conſcendente ob inopiam ſpirituum, in febriente propter caloris exceſſum. Ad quintum dic, Galenum *cit. loc. de ſympt. diff.* eſſe intelligendum de ſymptomatis ægrorum: plura enim ſunt ſymptomata, quæ naturalia cenſeri debent,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 531 sur 927

cuius conditionis est, oscitatio, pandiculatio, sternutamentum, tremor in senibus, & qualitates mutatæ ex amore, aut animi passionibus. Ad vltimum dic, per menstrui suppressionem, non esse intelligendam eam quæ plerumque à causis secundùm naturam proficiscitur, sed eam quæ à causa morbosa ortum ducit, quam multiplicem esse *infrà* disceptabimus.

Causa.

ILlud primò examinandum: *Vtrùm assignari possint causæ secundùm naturam, menstrua retinentes*? Dic. Menstrua retinentur aliquando secundùm naturam, nullum incommodum patiente fœmina; nam ante decimum quartum annum ex lege naturæ menstrua non apparent, & post quinquagesimum deficiunt. Deinde vtero gerentes ferè menstruis carent; sanguis enim qui est menstrui materia, abit in alimoniam fœtus, & transmutatur in lac natura suapte. Insuper naturæ robur, atque partium corporis natiua caliditas, suppressionem menstrui inducunt: sunt enim quædam fœminæ, æquè robustæ ac calidæ, vt viri, quas viragines Medici appellare consueuere, súntque carnosæ, vel hirsutæ, quas habere pulsus maiores, & celeriores pulsibus virorum, ob robur, & caliditatis augmentum, 3. *de caus. puls. cap.* 5. testatur Galenus. Hæ ob dictas causas sanguinem excrementitium, ob abundantem calorem conterunt, & absumunt.

Hoc etiam ob vitæ studium sæpissime contingit; experientia enim compertum est, agrestes fœminas, saltatrices, & cantatrices, ruris laboribus, & exercitio valde deditas, menstruis carere: quoniam sanguis, qui debet esse menstrui materia, labore, sudore, calore, & transpiratione per habitum corporis promptè resoluitur, ex Aëtio *tetrab.* 4. *serm.* 4. *cap.* 51. Producta ægritudo suppressionis menstrui solet esse causa: corpus enim vacuationibus per sanguinis missionem, & purgationem celebratis exhaustum, virésque debiles & flaccidæ, sanguinem in ea copia non generant, vt & reficiat corpus, & per vterum erumpat. Idem dicendum, si ex aliqua parte larga aliqua præcessit hæmorrhagia, tunc enim natura aliara sanguinem pro nutritione partium reseruat, vteróque haudquaquam transmittit.

Naturalis conformatio etiam huic vitio præbet occasionem. Aliæ enim sunt ita macilentæ, debiles, exarnes, & ieiuniis victúsque parsimonia corpus macerant, vt natura pro corporis nutritione sanguinem reseruet. In aliis sanguinis copiam natura, quandoque in opere errans, per alias partes, & non per vterum eliminat, idque persæpe præstat maximo cum earum commodo. Experimento enim confirmatum est, plurimis menses per aluum, nares, hæmorrhoïdes, os, aut aliam regionem prosiliisse.

Sequitur, vt inquiramus: *Vtrùm plures causæ menstrua occultantes ad vnum enchiridion possint reduci*? Tam multæ causæ ab auctoribus proponuntur, vt eas in propatulum reponere, arduum sit, & laboriosum nimis. Conabor tamen eas omnes, breui quodam epilogo enumeratas, in syllogen veluti redigere.

Menstrua cohibentur, vel vitio totius corporis, vel partis. Illud ex triplici capite emanat. Ex abundantia, penuria, auersione. Ex copia, quia plenum corpus sibi vias occœcat, & occludit, ne sanguis ad infernas sedes delabi possit. Vel quia solito factum obesius: hæc enim corpora pauci esse sanguinis, venarum angustia indicat manifestè, quippe sanguis in pinguedinem degenerat. Hæc causa licèt non curetur, nihilominùs considerandæ est, quia mulieres steriles reddit.

Ex penuria, menstrui accidit suppressio, vel quia ex diutino, grauíque morbo redditur corpus exangue. Albertus Magnus *lib.* 9. *de animalibus*, firmat se vidisse virgines, quæ cùm vigiliis sese macerarent, non purgabantur: huic affectui curatio nulla debetur, sed restauratio. Vel quia sanguis est cacochymus, quem iccircò natura ad vterum non transmittit. Ex passionibus animi etiam menstrua retinentur. Timor, metus, mœstitia, solicitudo, conuocato sanguine ad arcem, ipsum ab vtero distrahunt. Partis vitio etiam hic affectus contingit: quæ enim obstructionem iecoris, lienis, aut mesenterij patiuntur, menstrua purgatione vel omnino carent, vel eam minutam experiuntur.

Vitio vteri menstrua supprimuntur. Quando nempe vteri corpus, durum, & densum est, ex Galeno 3. *de sympt. caus. cap.* 4. & 6. *de loc. affect. cap.* 5. & 5. *Aph.* 28. Hoc etiam efficiunt cicatrices, si morbus sit in substantia, vt hypersarcosis, hoc est, carnis excrescentia: callus, qui adeò magnus potest progigni, vt vterum obstruat: vteri pinguedo. Si morbus sit in intemperie, vt propter intemperamentum calidum, ex Auicenna; vel frigidum, ex Hip. *lib. de aëre, aq. & loc.* qua ratione septentrionales non purgantur: & *lib. de nat. mulieb.* aëri tribuit causam suppressionis. Frigidum intemperamentum reddit facultatem expellentem languidam. Si morbus sit in conformatione: hac ratione venarum angustia suppressionis est causa, 3. *de sympt. caus. cap.* 4. Oris vteri occlusio idem facit, 5. *Aph.* 28. Distortio eiusdem, contractio pudendi, de quibus Hippocrates *in lib. de morb. mulierum.*

Vitio sanguinis menstrua cohibentur. Quando enim crassus est, non potest solita foramina penetrare. Si est lentus, parietibus, & venarum tunicis, osculísque adhærens, expultrici resistit. Multus, vasa vteri occludit, & infarcit. Parcus, cùm sensim delabatur, expultricem non excitat.

Vterus malè affectus non suscipit, vel quia venæ ferentes ad vterum menstruam purgationem, comprimuntur, ex Galeno *lib.* 5. *Aph.* 57. vel quia obstruuntur ob crassitiem, *ibidem*, & 5. *Aph.* 28. vel propter sanguinis grumositatem, 2. *epid. text.* 5. vel propter sanguinis frigiditatem: vel ob robur ipsorum, quæ in vtero sunt vasorum, adeò vt quod influit, non admittant. Intellige tamen robur factum medicamentis: nam vterus, pars est debilis natura suapte. Vel quia contrahitur vterus à siccitate, & hoc ad meatus obstructos reducetur, de quibus Galenus 6. *epid. sect.* 1. *com.* 7. A siccitate conniuet os vteri in iis, quæ venere non vtuntur, Hip. *lib. de genit.* & 1. *de morb. mul.* & 1. *epid. sect.* 5.

Non transmittit vterus, vel compressione partium vicinarum, vel vteri inflammatione, vt tumore duro, incensione, de qua *lib. de nat. mulieb.* Vel obstructione, facta vel ex sanguinis copia, vel crassitie, 6. *epid. cit.* 5. *Aph.* 57. & 5. *Aph.* 28. & ex quolibet humore crasso, & lento. Vel ex distortione, vt ἀναδρομῇ, hoc est, ascensu: παρεγκλίσει, hoc est, descensu: παρεγκλίσει, ad latera conuersione. Distortio debet intelligi contra naturam, quoniam ceruix vteri naturaliter obtorta est, sed parum per totum tempus, quo neque menstrua feruntur, neque adest actualis enixus, neque venus exercetur, vt 14. *de vsu part. cap.* 3. monuit Galenus.

Occluditur vterus ab obstructione dicta. Constipationes, à morbis in substantia iam dictis. A membrana, quæ à prima conformatione circa vteri collum facta, mulierem imperforatam reddit, vt Auicenna est auctor, 21. 3. *tract.* 3. *cap.* 25. Sic enim huiusmodi fœminæ dicuntur. At hoc rarum est. Aliquas se vidisse auctores enarrant, quibus propterea nunquam menses fluxerunt, & quod mirabilius est, vsque ad multos annos incolumes vitam produxerunt. Ex coalescentia, ex cicatrice iam dicta, quam præcessit vlcus. Ex subsidentia, vt ex vasorum inanitione. Ex rebus adstringentibus, quod faciunt mulieres, vt virginitatem mentiantur. Ex compressione,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 532 sur 927

preſſione, vt ſi ab omento nimis aucto vterus comprimatur, quare apud Hip. 5. *Aph.* 4. craſſæ non concipiunt. Nec audiendi ſunt plures, qui omentum non poſſe deſcendere ad os vteri ſibi perſuadent. A tumore præter naturam, vel in partibus extimis vteri, vel in partibus vtero circumiacentibus.

Circa cauſas inquires: *Vtrùm ab intemperie vteri calida, menſtrua ſupprimantur?* Intemperiem frigidam menſtruorum retentionem efficere, ratio dictat, cùm frigiditatis proprium ſit conſtringere, & condenſare. Hac ratione fœminæ Romanæ aquam frigidiſſimam ex niue potantes, nullo pacto, aut prorſus diminutè purgabantur, vt *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrateos, cap.* 3. retulit Galenus. Frigidum enim non ſolùm ſanguinem incraſſat, denſat, & ad motum pigrum reddit, ſed canales adſtringit, vias coarctat, vterum corrugat, per quas partes ſanguis effluere debet.

Calidam intemperiem menſtrua ſupprimere, videtur difficile, & valde dubium, ſiquidem caliditas aperit, ſanguinem attenuat, eúmque ad motum fluxiliorem reddit, qua ratione Medici ad prouocanda menſtrua, calida auxilia offerenda eſſe, ſibi perſuaſere ſemper. Dic, triplici de cauſa hoc poſſe contingere, ex Auicennæ mente, 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 25. Prima, quoniam quælibet intemperies deiicit actum virtutis, & naturæ robur diſſoluit, ex Galeno *lib. de inæqual. intemp. cap.* 3. quare nil mirum, ſi læſa vteri temperie, eius actio vitietur. Secunda, vbi vterus laborat calida intemperie, tenues & ſubtiles humores reſoluuntur, remanent craſſi, & terreſtres, qui vaſis tenaciter adhæreſcentes, ea obſtruunt, occludúntque. Adde quòd nimia, & exuperans caliditas vias arctet, inaniendo ſiccet, & conniuentes reddat. Tertia, quoniam vteri inſignis caliditas ſanguinem abſumit, & licèt à toto attrahat, plus tamen reſoluit.

Signa.

DE menſtruæ ſuppreſſionis ſignis, eorúmque cauſis, plura prædiximus *lib.* 3. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 1. 2. 3. 4. 5. ea proponit Galenus *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 5. súntque in vberibus lac non ob grauidationem, verùm reſtagnante menſtruo ſanguine ad vbera. Totius corporis grauitas, eiuſdémque tenſiua, aut phlegmonoſa laſſitudo, à copia, & calore ſanguinis, per vniuerſum corporis habitum recurrentis. Anorexia, quoniam vberiori alimento fruitur corpus. Inæqualis horror, cum aliquo perfrigerationis ſenſu coniunctus, à vaporibus eleuatis ex retento ſanguine, muſculos ferientibus, & acri, frigidáque vi deprauatum illum motum inducentibus. Dolor lumborum, vena caua ſupra modum repleta, ac diſtenta, à copioſóque ſanguine infarcta. Coxæ ob viciniam dolent, qua ratione crura vacillant. Collum dolet, tenuiore ſanguinis parte in ſuperiores partes conuolante. Cerebrum dolore opprimitur, quoniam à vapore acri, ex vtero, cum quo maximum habet conſenſum, lancinatur. Sinciput intolerabili dolore corripitur, ob eandem cauſam, *6. epid. ſect.* 1. *text.* 2. ita vt ex dolore ipſius, vel partis poſticæ, vel mediæ, vteri anticam partem, mediam, vel poſticam venari poſſimus. Vrinæ nigræ apparent, regurgitante hac materia ad vrinæ vias. Vteri tumor, præſertim ſi retentio ſit diuturna: tunc enim ſi nec à natura, nec ab arte vacuatio fiat, tumor circa inguina ſuboriri ſolet, aut circa illa, oſtendens nimirum ex internis partibus aliquam inflammatam eſſe.

Ante tempus conſuetæ purgationis, tormina circa vmbilicum adeſſe ſolent, non potente ſanguine craſſo, ob illarum partium anguſtiam, & obſtructionem, arctas & conniuentes vias penetrare. Si ob cauſam frigidam menſtrua ſupprimantur, color in facie albicat, ſomnolentia adeſt, & ad motum pigrities, ſitis non infeſtat, pulſus eſt tardus, vrina tenuis & aquoſa, aliquando turbida, furfuraceis recrementis referta. Aluinæ fæces muco ſaturatæ apparent. Fœminæ in venerem minimè ruunt. Si ob cauſam calidam cohibeantur menſtrua, color in vultu adeſt purpureus, ſitis moleſtat, pulſus eſt velox, ſomnus breuis, vrina flaua, agilitas ad motum conſpicitur, ingens appetitus. Si verò ob nimiam corporis extenuationem, inediam, laborem, vel aliquam ægritudinem, vel cauſam externam contingat, ſigna ab ægris depromuntur manifeſtè.

Duæ tamen circa ſigna difficultates explanationem merentur: prima. *Vtrùm ſuppreſſam menſtruam purgationem perpetuò febris comitetur?* Oriri febres, eáſque interdum ardentes, ex retento putrefacto bilioſo ſanguine in venis, & ab vtero in eas recurrente, certum eſt; idque edocuit Galenus *6. de loc. cit.* & probat *6. epid. ſect.* 1. *text.* 2. dum ſic ait: *Calidas autem, vehementéſque febres ab vtero prouenire, neminem in artis operibus verſatum præterit, &c.* & *infrà*, ſic. *Inter omnes corporis partes, plurimas, grandiſſimáſque venas vteri habent: cúmque eos aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut plegmone aliqua vtcunque orta malè accipiunt, ipſos ſanguine compleri neceſſum eſt. Quo deinde putreſcente ſi febris excitetur, inter ſynochorum ſpecies ipſam connumerari opus eſt: nam id genus febrium ex putreſcente ſanguine accendi oſtenſum eſt: hæ verò calentium vaporum vim haud paruam in caput ſubmittunt, &c.* Deinde quis negabit, ex retento menſtruo, eóque præter naturam in vtero conculcato, prohibito tranſpirari, & putredinosè affecto, poſſe fieri inflammationem vteri? At hanc febris ardentiſſima conſequitur, *6. epid. ſect.* 5. *text.* 14. §. *Iccircò & nigræ ſæpius huiuſmodi linguæ efficiuntur. Tales verò linguæ & ab vterino membro (id eſt, ab vtero) ſæpius fiunt: nam & hoc phlegmone correpto calidiſſimæ febres adueniunt, &c.* repetit 3 *prorrhet.* 27.

Febrem lentam adeſſe in fœminis, quibus menſtrua non ritè, aut nullo modo reſpondent, experimento quotidiano eſt compertum in illis, quæ vteri obſtructione laborant, & præſertim in virginibus, quæ cùm viri amplexus hactenus non ſint expertæ, viæ arctæ impedimento ſunt, quominùs ſanguis defluere queat: quum enim viro iam maturæ ex ephebis exceſſerint, natura duce, ſanguis menſtruus ad vteri venas ab hepate defluit, qui cùm ob illarum anguſta oſcula, quæ nondum patuerint, viſcoſis quoque & crudis humoribus obſtructa, & denique ob ſanguinis craſſitiem, erumpere nequeat; tum rurſus per venæ cauæ, maioríſque arteriæ propagines, ad cor, hepar, diaphragma, & præcordiorum venas regurgitat, quo tempore communicatis toti capiti vaporibus, immanis adeſt temporum dolor, cephalalgia ſæua infeſtat, circa viſcera ſymptomata grauia expullulant, cardialgia, cordis palmus, anxietas, ſtomachi debilitas, inflatio, vomitus, difficultas reſpirandi, vrina tenuis, & decolor, pallor faciei, & veluti albicans viror, amentia, delirium; Epilepſia, & quod magis eſt ex non recurrente menſtruo, latentéque obſtructione, viſceribus pertinaciter adhæreſcente, miſeræ fœminæ puſilla, iugi, aſſidua, lentáque febri torquentur, vt eas ab hecticis vix diſtinguere queas: nam excarnes ſunt, graciles, extenuatæ, quoniam ob obſtructas, miniméque patentes vias, alimento ad partes nutriendas non rectè tranſeunte, ſenſim ac ſine ſenſu corpus abſumitur. Quare menſtruam ſuppreſſionem, tum febres ardentes, tum lentæ, & ignauæ comitari ſolent.

Num verò continuò comitantur? Affirmat Aëtius, refragatur experimentum, quoniam plures ſunt quæ rentione menſtrui laborant, & non febri. Concilia Aëtium hoc modo: Febres continuò comitantur ſuppreſſos menſes, ſi retentio ſit diuturna, & obſtructio magna: nam obſtructio omnis inueterata non ſolùm in hepate, ſed in omni membro putrefactionem operatur, ex qua calorem, & febrim accendi par eſt. In recenti namque,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 533 sur 927

©BIUM

namque exigua, & non multa existente viscerum, & A vteri obstructione, à retentis menstruis suborta, febris non excitatur. In diuturna verò, ac magna, ea consequitur continuò; quinimò Galenus dicebat, 8. *meth.* 4. *Obstructionis magnitudinem discerni ex ipsa magnitudine febris, vt quæ ex maiori obstructione, maior; ex minori, minor concitetur.*

Illud etiam valde controuersum est: *Vtrùm ex menstruis suppressis maior dolor concitetur in sincipite, quàm occipite?* Dictator summus sic fatur 6. *epid. sect.* 1. *text.* 2. *Quibuscunque ex deperditione circa vterum, & tumoribus, in capitis grauitatem permutatur, in sincipite dolores.* Galenus *in com.* multiplicem huius euentus causam assignat: *Primùm, quia vapores illi calidi per arterias subuolant in caput, quæ per collum ab vtraque infundibuli parte, rectà in sinciput discurrunt. Deinde, cerebri halituosa excrementa per* B *sinciput præcipuè difflantur; siquidem in ipso futurâ laxissimæ sunt, & ipsa caluaria subtilissima, plurimísque meatibus peruia. Præterea membranula quædam, crassum cerebri inuolucrum pericranio vocatæ tunicæ connectunt, & multitudo tenuium conceptaculorum per futuras exilit: æquos autem magnitudine affectus magis, sensibiliora naturaliter corpora, percipiunt; magis verò sentientia ab inferentibus dolorem causis magis cruciantur. His sanè de causis in sincipite dolores fiunt.*

Hæc summorum virorum doctrina magnam in se inuoluit difficultatem: nam si ob vasorum communicationem eleuatis vaporibus, in sincipite maiores apparent dolores, hac ratione potiùs in occipite vehementiùs insolescent, siquidem (vt ex anatomes peritia constat) C pars postica cerebri, pluribus, & maioribus venis abundat, quàm antica. Dic. Sincipiti vapores, per arterias, & non per venas communicantur, quæ cùm feruidiorem sanguinem contineant quàm venæ, acri sua qualitate plus eam partem lancinant, & feriunt, adiunctis etiam aliis causis, quas *suprà* Galenus proponit. Neque asseras, halituosa excrementa, ob futurarum copiam faciliùs transpirantia, non retineri momentaneè, vt possint dolorem inferre: Nam cùm hæc pars sit veluti capitis expurgatorium, ad eam continuò confluunt, & ex inferiori corporis regione regurgitant, quæ cùm ob copiam absumi nequeant, grauant partem, quæ repleta amplius dolet.

qui testante Galeno *in com. cit. sent.* ex copia plurimos morbos, ex defectu nullum enasci sibi persuadebant, cùm ex hoc plurimi emanent, operationes lædentes manifestè. Verùm ex copia, videlicet menstrui retenti, plures exurgunt truculenti, funesti, diri: cùm enim hic sanguis crassus, ac lentus, per venas vteri compressas, & obstructas penetrare, & erumpere nequeat, neque illæ tantam sanguinis copiam, obstructæ, & oppletæ admittant, fit vt retentus ille in vtero, conculcatus, & prohibitus difflari, putrescat, & omnis generis inflammationes concitet; quin & ad altas partes eius vapor malignus eructans, cum quibus mirabilem consensum obseruat, pernicioſos & lethales pariat affectus: Eos in vniuersum recenset Hippocrates *lib.* 1. *de morb. mul. num.* 4. 5. & 13. *Lumborum tensio grauis, inordinatæ* B *febres, horror in toto corpore sensatus, fœminæ hystericis passionibus lancinantur, venter fit durus, dentibus strident, vigilant, cibum abhorrent. Perseuerante malo per menses multos, omnia hæc fiunt magis calamitosa, & funesta. Inuadit amentia, sequitur epilepsia, mox excipit Apoplexia, & tandem mors.* Porrò ante hæc, & alia quæ Hippocrates *lib. de virgin. morb.* recensetferè *per totum*, fœminæ iactantur, seipsas torquent, anxiosæ sunt, siti premuntur, incendio flagrant, vix vrinam reddunt, cùm ad vesicæ collum vterus labatur, voce torpidæ fiunt, difficulter respirant, inflantur pedes. Si verò sanguis retentus crassus fuerit, & pituitosus, in vtero, & extra eum frigidos morbos parit; si terrestris, & fæculentus, melancholicos; si acris, & feruidus, acutos: qui si ad aliquam priuatam irreperit partem, inflammationem eius partis C concitare est potis.

Præterea. Illud malum periculosius erit, ac deterius, ex quo subita mors subsequi potest. Sed ex copia menstrui sanguinis retenta, & ad aliquam partem principem decumbente in copia multa, partis calor suffocari repentè potest: at ex nimia copia sanguinis per vterum excreta, vires paulatim sensímque deficiunt, & subitò non extinguuntur. Ergo periculosior est sanguinis retentio eius euacuatione immodica, nî sanguis suppressus, vomitu sanguinis, vel hæmorrhagia vacuetur, prout 5. *Aph.* 32. & 36. præceptor asseruit: de quo argumento legat qui velit, *lib.* 3. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 3.

D

Præsagium.

QVantam, & quàm efficacem vtilitatem fœminis cunctis menstrua purgatio tempestiuè eueniens, qualitate, & quantitate moderata; quantam, & quàm præsentaneam ruinam ea suppressa, & ritè non erumpens afferre soleat, superiori capite, & præsertim *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 116. ex priscorum mente, ex professo explanauimus: Nunc, quoniam calumniantur plures Hippocratis diuini mentem, in aphorismis suis, excitanda est quæstio: *Vtrùm superflua menstrui vacuatio, ipsius retentione sit periculosior:* Præceptor summus sic habet, *lib.* 5. *Aph.* 57. *Menstruis largiùs fluentibus, morbi eueniunt; non fluentibus verò, ex vtero morbi contingunt.* Ex qua tanti contextus serie constat manifestè, menstrui retentionem esse periculosiorem ipsorum fluxione immodica: in illa enim, & totum corpus, & vterus vnà laborant; in immoderato verò sanguinis effluuio solum corpus afficitur. Id asseruit Galenus *in com. In immodicis verò euacuationibus nulla talis accidit vteri passio, adeò vt per compatiendi rationem totum corpus vna laboret: quare fit verisimilius in sola retentione menstruorum dixisse Hippocratem, morbos contingere ex vtero, &c.*

Deinde. Illud vitium erit periculosius, à quo plures enascuntur morbi. Sed à suppressis menstruis plura, & magis sæua damna propullulant, quàm ex nimiùm fluentibus. Ergo, &c. Non probo veterum mentem,

Curatio.

CIrca victum, aliásque res non naturales administrandas, *capite superiori* fuimus multi: nunc ad remotionem causæ accedamus, quæ cùm sit sanguis retentus, ad eum extrahendum properabimus, secando venam. Verùm priùs dubitandum: *Vtrùm in omni mensium retentione sit venæ sectio celebranda?* Respondenegatiuè: nam si sanguis, aut humor quispiam, in quo adhuc sanguinis seruatur idea, exuperet, de venæ sectione, ceu de adæquato auxilio deliberandum: sin autem humor peccans à sanguinis natura sit valde alienus, imò cacochymia ampliùs affligat, sitque sanguis omnino corruptus, aut putridus, nullatenus in ipso sanguinis seruata specie, tunc de purgatione determinandum, maximè si suppressio sit antiqua, & diuturna, prout *lib.* 3. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 4. determinauimus.

Non itaque in omni mensium suppressione, ius suum exercet venæ sectio. Primò enim non habet locum, quando menstrua circumcìduntur, tota vteri substantia densata, ob frigidam causam, vt 5. *Aph.* 28. probauit Galenus, tunc enim præsidia calorifica persanant, quæ tollendo causam frigidam, vterum in meliorem statum reducunt. Secundò, respuunt venæsectionem plurimi affectus materiei exortes, vt qui in simplici intemperie consistunt: morbi deinde in situ, figura, & numero aucto, cùm situs, & figura vteri vitientur aliquando

à

à laborioſo partu, violento abortu, tum à formatione, dum ſtricta fuerint efformata vaſa, vel cauitas occluſa; vti & numerus; adnaſcente membrana vteri oſculum occludente. Tertiò. Non eſt neceſſaria venæ ſectio in iis, quibus ex morbo graui, diuturno, hæmorrhagia larga, vel aſſiduis ieiuniis, aut fame, ſanguis eſt exhauſtus, & corpus nectare viuifico eſt defraudatum; quo tempore refectio optima, vacuatio reproba eſt. Quartò. Inutilis eſt venæ ſectio in iis fœminis, quæ ob nimiam pinguedinem vteri oſculum comprimentem, non expurgantur; tunc enim curatio, inedia, exercitio, vigilia, alimentis calefacientibus, exiccantibus, reſoluentibus perficitur.

Commoda tamen eſt, & ſalutifera valde, quando coaceruatur ſanguis præter naturam retentus, grauiſſimorum affectuum auctor, quam redundantiam, vel ſi mauis vocare plenitudinem, deponere eſt neceſſe vena ſecta: ex qua ſectione conſequuntur vtilitates plures, commoda non minima; nam & imminentes nonnullos morbos præcauemus, & factos minuimus. Deinde ablata origine mali, ſi natura deinceps non reſpondeat, omni conatu muliebria mouenda, internis oblatis, & externis appoſitis auxiliis, aliis ſimul chirurgicis adiunctis, vt ſcarificationibus femorum, quas in obeſis, & candidis fœminis, in quibus ob vaſorum tenuitatem venas tundere non licet, tantopere *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 11. commendat Galenus, cucurbitulis, ligaturis, frictionibus, fomentis, balneis, ſuffitu aromatum, peſſis, vterinis clyſteribus: inter quæ, ceu ſtrenuum auxilium palmam defert ſanguinis miſſio, quam ex infernis partibus ſemper eſſe celebrandam, acriter pro Galeni tutela contendimus, *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 77. quo loco aliquando ob vrgens periculum, ex morbo graui, & ſui acutie perniciem minante prognatum, vel etiam actu fluente menſtruo, tutò, ac ſecurè poſſe ſcindi venas ſupernas propoſuimus.

Nunc exoluendum eſt diſſidium: *Vtrùm ad prouocanda menſtrua, vena ſit ſecanda, ante, an poſt menſtruationis tempus?* Galenus *lib. de curandi rat. per ſang. miſ. cap.* 18. ſic inquit: *Quæ verò fiunt ex cruribus, tantum abeſt vt retrahant, vt etiam menſes promoueant: ac vbi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus, tribus quatuórue diebus anteuertens, aut vena inciſa, aut ſcarificatis malleolis cruris vnius, pauculo vacuato; deinde poſtero die ſimiliter facito in crure altero, &c.* Ex quibus verbis dilucidè conſtat, tempus idoneum mittendi ſanguinis in hac affectione eſſe, tribus, vel quatuor diebus ante conſuetum purgationis tempus: tunc enim magis fluxilis redditur ſanguis, & impetus naturæ ampliùs promouetur: adde quòd eo tempore inficit fieri ſecretio, & agitatio. Renuit Paulus *lib.* 3. *cap.* 61. *de menſium ſuppreſſione*, qui non antè, ſed decem diebus poſt tranſactam purgationem menſtruam, ſanguinem emittendum conſuluit, §. *Itaque ſi ætas non prohibet, aut habitus, aut aliud quidpiam, venam oportet incidere, idque non ante ſtatum menſium tempus, ſed vbi iam præterierit, decem dies ſuperadiiciantur.*

Antinomia ardua, & quæ hactenus malè torſit interpretes. Dic, Galenum loquutum de ſuppreſſione omnimoda, in qua præſtat ante tempus conſuetum, ſanguinem emittere, vt naturam pigram & inertem, ad ſuum munus perficiendum irritemus; Paulum verò intelligendum, de menſtruis diminutè fluentibus: cùm enim natura imperfectè euacuat, id quod deficit, ſupplere nos conuenit, vt 1. *Aph.* 20. & proprio exemplo obſeruat Galenus 9. *meth. cap.* 5. §. *Quòd ſi tempore mittendi ſanguinis, menſes moueri contingat, aut hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatis fore videbitur, vt ſolus quod requiris, euacuet, naturæ rem omnem permittes; ſin minùs, tantum ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas, &c.*

Facta phlebotomia, ſi menſtrua ſupprimantur ob intemperiem frigidam, cum frigidorum humorum copia, obſtructionem efficientium, præparantia humores optima ſunt, ſi tamen priùs lenias aluum, neque prouocantia menſes offerantur in principio: ſunt enim eo tempore venæ obſtructæ valde, & compactus ſanguis; quare auctis obſtructionibus vitium rueret in deterius. Diu ergo humores attenuandi, ac meatus aperiendi ſyrupo ſimili.

℞. *Syrup. de duab. radicib. ſine aceto, ſyrup. capil. vener. byzantini, & de quinque radicib. an.* ʒ ß. *decoctionis ſabinæ, cicerum nigror. eringij, rubeæ tinctor. factæ in aq. fœnicul. & apij,* ʒ iij. Miſce fiat ſyrupus.

Humoribus ritè attenuatis, frigidis inciſis, meatibus apertis, phlegmagoga ſunt vtilia, Agaricum, Turbith, Elect. Indum, Diaphœnicum, Pilulæ de Agarico, Coccliæ, Fœtidæ, Indæ, de Hiera, de Serapino. Quòd ſi ſuppreſſionis cauſa, humor ſit melancholicus, imperanda Melanagoga.

His peractis, ad medicamenta quæ menſes prouocant, & reſiduum humoris euacuant, accedemus. Hoc decoctum eſt probatum valde, aſſumptum ſingulis diebus, ab vnciis v. vſque ad viij.

℞. *Sem. fœnicul. dauci, aniſi, petroſelin. an.* P. ij. *fol. ſen. epithym. polypod. ſem. cartham. an.* ʒ iij. *prunor. enucleator. Num.* x. Coque in ℔ x. aq. ad partis tertiæ conſumptionem: colaturæ adde *ſyrup. byzantin.* ʒ v. *ſyrup. capil. vener.* ʒ iij. *ſyrup. roſ. Perſ. ex plurib. infuſ.* ʒ ij. *ſacchari* ʒ iiij. Omnia bulliant, & ſeruentur vſui.

Fortius eſt hoc.

℞. *Radic. cichor. endiu. apij, eringij, an.* M. j. *radic. ireos,* M. ij. *aſpleny. tamariſci, eupatorij, matricariæ, an.* M. ij. *nepit. pulegij, thymi, an.* M. j. *capil. vener. rubeæ tinctorum, an.* M. j. ß. *radic. eſulæ bene contuſæ,* M. j. *polypod. folior. ſen. an.* ʒ ß. *aniſi* ʒ j. *cinnamom.* ʒ j. ß. *glycyrrhiz. raſæ, & contuſæ,* ʒ ij. Coque in ℔ xij. aq. ad mediæ partis conſumptionem: adde *mellis* ℔ ß. Bulliant omnia parum, & ſeruentur vſui.

Quòd ſi neceſſitas vrgeat maior aperiendi, reſerandi, menſtrua prouocandi, & paulatim vacuandi, vtere hoc ſyrupo alternis diebus, ventriculo ieiuno, ab vnciis iiij. vſque ad v.

℞. *Capil. vener. cichor. borragin. abſinth. aſplenij, eupatorij, artemiſiæ minoris, an.* M. ij. *dictamni, ſaluiæ, pulegij, thym. nepit. an.* M. j. *cortic. radic. cichor. rubeæ tinctor. pimpinel. fœnicul. aſparag. eringij, petroſelin. an.* ʒ j. *Cortic. ligni Indi* ʒ j. *ſmilac. aſper.* ʒ j. ß. *radic. chinæ* ʒ ij. *ſem. cartham. conquaſſati* ʒ ij. *fol. ſen.* ʒ iiij. *epithym.* ʒ vj. *aniſi,* ʒ ij *puleg. origan. an.* M. ß. Coquantur omnia ſec. art. ſeruato ordine coctionis, in ℔ xxx. aq. ad mediæ partis conſumptionem: In colatura infunde *Rhab. elect. agarici, an.* ʒ iiij. *pulu. ligni Aloës, pulu. aromatici roſati, an,* ʒ iij. *pulu. hier. ſimpl. Galeni,* ʒ ß. Colaturæ adde *ſyrup. de quinq. radicib. de epithym. de ſen. & de eupator. an.* ʒ iij. *ſyrup. capil. vener.* ʒ iiij. *ſyrup. de artemiſia* ʒ ij. Cum ſacchar o, & melle, an. part, æqual. Bulliant omnia, quouſque acquirant conſiſtentiam ſyrupi longi.

Rectè expurgato corpore, ad roborandas partes, flatúſque abſumendos accedere oportet. In quem vſum mirificè proſunt Theriaca, aut Mithridatium, quantitate drachmæ vnius cum albo vino. Iuuat etiam electuarium hoc, à ʒ j. vſque ad ij. ſuperbibito generoſo mero, aut aqua ſtillatitia Artemiſiæ, Aſplenij, Eupatorij, & Capil. vener. Forma electuarij eſt hæc.

℞. *Myrrhæ elect. calamenth. montan. an.* ʒ ß. *pulp. paſſul. pinguium,* ʒ ij. *rutæ recentis, conſeruæ capil. vener. an.* ʒ iij. *ſabinæ* ʒ vj. *aromatic. roſat. diarrhod. Abbatis, an.* ʒ ij. *trochiſcor. de rhab.* ʒ ij. ß. *dialac. magn.* ʒ j. *theriac. magnæ,* ʒ ij. *electuar. alkerm.* ʒ ß. *confect. hiacinth.* ʒ iij. *lapid. bezaartic.* ℈ j. *cum melle, q. ſ.* Fiat electuarium.

Vaſa dilatanda, humor deinde craſſus præparandus, obſtructiones aperiendæ fomentis, lauacris, factis ſuper ventrem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 535 sur 927

ventrem & renes, ex herbis, & medicamentis supradictis: in quem vsum hoc Vnguentum præstat.

℞. *Olei amygdal.amarar.olei capparum,unguent.agrip. succi artemis.rutæ,sabinæ, an.* ℥ ß. *olei Lilior. albor. irini, sesamin.an.* ℥ j.*ladani depurati,* ʒ iij. Cum cera alba, fiat Vnguentum.

Emplastrum super pubem applicitum, optimum est: cuius forma esto hæc.

℞. *Farin.lupinor.*ib.ß.*Nigellæ* ℥ ij.*myrrhæ* ℥ j. *ellebor.* ℥ ß.*artemisiæ* M.ij. Misceantur omnia,& cum felle taurino fiat emplastrum.

Pessaria plurimam præstant vtilitatem, si vtero indantur.

℞. *Succi mercurial.* ℥ j. *pulu.radic.gentian. pulegij, an.* ʒ ij.*pulu.nigel.* ʒ j. Cum terebinthina fiant duo,aut tria pessaria, magnitudinis digiti humani.

Clementius pessarium est hoc:

℞. *Pulu. castor.* ʒ j. ß. *moschi*, ℈. iij. *olei sesamini, terebinthin.q.sit satis.*

Quòd si denique fortioribus opus sit, ex Galbano, bdellio, serapino, opopanace conficiantur. Fortissimum est, quod ex radice cyclamini paratur. Hæc tamen intra collum vteri diu non morentur, ne ab illorum caliditate nimia partes illæ tenellæ exulcerentur. Suffumigia ex dictis herbis, & rebus odoratis parata, optima sunt, mensésque strenuè prouocant, ex Hippocratis mente,5.*Aph.*28.

Si ob nimiam caliditatem supprimantur menstrua, humidis auxiliis pugnandum, maximè si flaua bilis, simul cum calida & sicca intemperie, exuperet: tunc enim attemperanda bilis, sanguis ex talo mittendus, cholagoga offerenda. Si melancholicus humor in causa sit, fortiora præsidia administranda. Si tamen auxilia non prosint, tunc, vt spiret vterus, partésque superæ humorem peccantem à se depellant,tutissimum est fontanellam in crure aperire; huius enim auxilij ope,putores,corruptíque humores vacuari solent.

Cùm verò menstrua ferè supprimantur à frigida humida intemperie, cum copia lentorum, & tenacium humorum coniuncta, à quibus causis augentur obstructiones,obturantúrque canales, si cætera non iuuent,ad vsum chalybis accedere oportet; de quo etsi aliqua, *lib.*1.*Hist.Princip.Medic.in com.Hist.*82. & *lib.*3.*in com. Hist.* 4. simus proloquuti, contenderimúsque eius beneficio menstrua moueri, cùm constet ignea, & sulphurea vi, etsi à prædominio frigidum sit, & siccum, & fluxus coërceat; tamen formulas, quibus ipsum est vario modo propinandum, reseruauimus ad praxin, indagantes primò: *Vtrùm ferri, an chalybis vsus, ad prouocanda menstrua magis vtilis sit?*

Ferrum ergo, ex mente Alberti Magni, *lib.*4.*cap.*8. est metallum mixtum ex argento viuo, terrestri, ponderoso, lutulento, & immundo valde, & ex sulphure impuro terrestri, cuius virtus conuertit ipsum argentum viuum in ferri speciem, & ideò est scabrosum nimis, & rubiginem facilè contrahit,ob sulphuris admixtionem, & ea quæ tangit, fuligine promptè afficit.

Ferri genera multa sunt: aliud enim est molle,plumbóque vicinius; aliud fragile, & æroſum, rotarúmque vsibus, & clauis maximè fugiendum; aliud rubiginem celeriùs sentit. Ferrum à chalybe distinguitur, sed discrimen nullum est essentiale,sed accidentale;nam chalybs,est ferrum, sed ferrum magis defæcatum, ac depuratum: est enim subtilior,& aquosior pars ferri ex ferro per distillationem extracta, & ideò durior est, & compactior,propter vim ignis, & partium subtilitatem, quæ duriores efficiuntur, quando vruntur: est autem albius propter maiorem à parte terrestri separationem, & cùm nimis induratur,tunc scinditur,& percussum ob nimiam sui desiccationem comminuitur.

Deinde nota breuiter de ferri rubigine, scoria, squamma, scobe. Rubigo est purgamentum & vitium ferri, ferrum ipsum rodens, quod purgamentum alio nomine dicitur ferrugo, cuius vires describunt Dioscorides *lib.*5.*cap.*48. & Plinius *lib.*34.*cap.*15. Scoria, est ferri purgamentum, & sordes, quæ igne excoquuntur, & dicitur scoria, quia de ferro excutitur: hæc autem sola, recrementum vocatur à Dioscoride *lib.*5.*cap.*49. & ab aliis, ferri excrementum, & stercus. Ferri scoria differt ab squamma, quæ malleo decutitur, quòd squamma ferratiis fornacibus, quibus ferri metallum funditur, indita liquescit, & iterum in ferrum coït. Scoria verò,quòd inutile sit ferri recrementum, inane, & spongiarum modo spumosum, nunquam ferrum effici potest. Scobs ferri est id, quod à ferrò minutissimum decidit, dum lima politur, vel alio modo perforatur,vel tunditur,& reipsa ab squamma ferri differre non videtur.

Ergo tam ferrum,& ex eo decisa,quàm chalybs, adstringunt,sistunt,fœminarum profluuia cohibent,sacros ignes, & papularum eruptiones reprimunt, reduuiis digitorum,pterygiis, scabris palpebris remedio sunt, cum aceto illita,gingiuas firmant, podagris inuncta prosunt, capillorum defluuia explent, calidis & humidis morbis remedio sunt; asthmati, articulorum doloribus, ventriculi debilitati, & mollitiei, aurium saniei, fluxui stomachico,hydropi, fluxui menstruorum immodico, vrinæ, hæmorrhoïdibus,ani egressioni,cœliacis,dysentericis,& omni immodicæ vacuationi auxiliantur. Rursus hæc contrarios effectus sortiri, firmissimum docuit experimentum, priscorum auctoritate munitum, qui ad comminuendos magnos lienes,prouocanda menstrua, referandas internas obstructiones, ferrum, & chalybem summis celebrarunt laudibus, & encomiis: Neque mireris: nam ferrum duplici pollet facultate,adstringente vna,aperiente alia,cùm diuersis partibus constet,Aloës, & Rhabarbari instar,quæ tum expurgant,aperiunt,attenuant, incîdunt, tum adstringunt, sistunt, roborant. Quare illa ob argenti viui,& sulphuris copiam sibi commixtam, referant, & mirificè menstrua prouocant; sed chalybis vsus ob partium maiorem subtilitate est præstantior, & ita vel citra exercitium eo si ægri vtantur, maximam vtilitatem persentiscunt.

Vtrùm varius sit modus præparandi, & assumendi chalybem, pro mouendis menstruis? non immeritò percontaberis. Dic altiori tamen ducto exordio. Ante chalybis vsum, debet esse bellè expurgatum corpus, verno præsertim tempore, in quo curatio hæc commodiùs administratur, facultates optimè valent, & organa promptiùs sunt disposita; vel autumnali, si tam longo tempore curatio differri nequit: non æstiuo, quoniam etsi ratione caliditatis, medicamentum citiùs distribuatur, in eo tamen vires languent,& ratione exercitij timor est ne accendatur febris: in hyeme humores sunt concreti, canales adstricti, & ob frigiditatem ambientis, exercitium fieri nequit.

Hoc medicamentum in puluerem tenuissimum, & læuigatissimum redactum offertur in aurora, quantitate drachmæ vnius, & in debilioribus, binorum scrupulorum, dissolutum in vnciis sex decoctionis capil. vener. Asplenij, Eupatorij, vel alterius aperientis liquoris actu calidi; hoc enim modo assumptum ocyùs penetrat, quàm commixtum cum serapiis capil.vener.Eupator.de duab. aut quinque radicibus: Nam præterquam quòd potio est ingrata, & gutturis parietibus adhærens, vomitum concitat,lentore suo in via moratur,& difficiliùs commeat per corpus. Aliqui in vino assumendum chalybem imperarunt, sed turbat corpus, inflammat, sitim mouet,qua cruciatæ fœminæ coguntur intempestiuè in fine exercitij, toto corpore madido, potum assumere, quo nihil ipsis est nocentius.

Assumpto chalybe,per vnam horam integram vehementer exerceatur fœmina,extra ciuitatem,aut domum, ascendendo per loca accliuia,& decliuia, neque exercitium

tium interrumpere debet, quouſque domũ reuertatur, & ſtatim in lecto decumbat; in quo ſi ſudor erumpat, nulla ad eum prouocandum diligentia facta, abſtergi debet, & ibi quieſcat per tres, aut quatuor horas. Quòd ſi ſomnus obrepat, admittatur, & horis quinque tranſactis alimentum ſumat optimi ſucci, facilis coctionis, & diſtributionis, aſſum potiùs quàm elixum. De cætero, victus ſit extenuans, & exiccans.

Spatium dierum, quo prædicto medicamento vti debemus, certo numero deſcribi non poteſt: aliquibus enim duodecim, aliis viginti, multis triginta ſatis ſunt, & aliquando vſque ad quadraginta extendi ſolet. Et non ſolùm ex hoc numero dierum, ſpatium aſſumptionis chalybis circunſcribitur, ſed ex remedij conferentia, & tolerantia, vt ſi faciei, & labiorum color præceſſerit albidus, rubidus ſubſequatur; ſi ad motum agiliores reperiantur, & non defatigentur, & præcedens obſtructionum durities non perſentiatur, ac menſtrua erumpant, ſi illorum adfuerit ſuppreſſio. Quo præſidio adminiſtrato, medicamentum purgans in fine eſt offerendum, vt craſſi humores liquati per aluum trudantur. Deinde per plures dies commoda victus ratio adminiſtranda. Quòd ſi virium imbecillitas, aut alia occaſio prædictum exercitium efficere non permittant, loco illius totum corpus, ante, & poſt chalybis aſſumptionem, linteis aſperis fricandum; nam frictio aſpera eſt loco exercitij, ex Galeno *lib. de puero epileptico, cap.* 4.

Multiplici modo chalybs præparatur, ſecundùm variam affectuum complicationem: nam præparatur in aceto, vino, roſacea, lacte, ſero caprino, oleo amygdal. dulc. Si enim humores craſſi ſint, aut obſtructiones ſcirrhoſæ, in aceto præparatio fiat. Si verò imbecillitas ventriculi adſit cum frigiditate coniuncta, cum vino. Si febris, vel vehemens iecoris caliditas cum ventriculi debilitate, in aqua roſacea. Si acutus adeſt ventriculi ſenſus, vel ægrotantes in hecticam proni ſunt, ob magnam ventriculi, vel totius corporis ſiccitatem, poſtquam ter, aut quater in aceto maceratus fuerit, vel in vino, tunc ad aſperitatem; & ſiccitatem remouendam, in lacte, vel oleo amygdal. dulcium præparetur. Limabitur autem tenuiter in affectibus vteri, iecoris, lienis, & obſtructionibus ventris; in affectibus autem ventriculi, craſſiuſculè, hoc enim modo magis in eo moratur, & operationem ſuam ſtrenuè complet.

Virùm cum chalybe cardiaca permiſcenda? ſcitu eſt dignum: Nam Chalybs inimicitiam habet cum partibus noſtris, & ex illo ventris dolor accidit, cephalalgia, oris ſiccitas, & inflammatio ſequuntur, quo pacto inter venena connumeratur ab Auicenna 6. 4 *tract.* 1. *cap.* 48. Quod intelligendum eſt de non correcto, neque tempeſtiuè, aut in moderata quantitate aſſumpto. Quare conſultius ſemper mihi viſum eſt, cum eo permiſcere, quæ illius vim adaugeant, cum parte affecta habeant ſimilitudinem, & maleficam vim corrigere queant; de quorum numero ſunt Theriaca, Mithridatium, electuarium Alkermes, & hyacinthorum, Diarrhodon Abbat. Aromatic. roſat. Cinnamom. Zingiber.

Quapropter qui in puluere aſſumere recuſant, vtantur conſerua, à quantitate ʒ ij. vſque ad iij. quæ fit in hunc modum.

℞. *Limaturæ chalybis præparati,* ʒ ij. *ſpecier. diarrhod. Abbat. cinnamom. an.* ʒ ß. *lapid. belzaartic.* ℈ j. *Cum melle,* fiat confectio.

Quòd ſi lien ſcirrho, & obſtructione afficiatur, paretur hoc modo.

℞. *Limatur. chalyb. præparat. cum aceto,* ʒ ij. *ſpecier. diarrhod. Abbat. puluer. radic. capparum, pulu. radic. aſplenij, an.* ʒ j. *theriac. antiquæ,* ʒ iij. *Cum melle,* fiat confectio.

Vel ſic.

℞. *Specier. diarrhod. diacurcum. an.* ʒ j. *cortic. radic. rumic. rubeæ, ſem. dauci, an.* ʒ j. *caryophyllor.* ʒ j. ß. *chalyb. minutiſſimè præparati* ʒ ij. *Cũ melle deſpumato,* fiat Electuariũ.

Virùm cum chalybe expurgantia per aluum permiſcenda? etiam controuertendum. Non deſunt qui electuaria ex chalybe conficiant, cum Agarico, pulpa ſeminis cartham. Mechoaca, fol. ſen. & aliis: Quæ Praxis nullo modo eſt amplectenda: nam ſi inſtituendum Medici eſt roborare, obſtructa aperire, infarcta reſerare, & ſudorem mouere, inciſis craſſis humoribus, ac dilatatis canalibus exercitij ope, cur contrarium motum procurabit citata aluo? Deinde aſſumentes chalybem, fatigantur exercitio, excitato ſudore, cur ergo vacuatione per aluum in eadem die cruciabuntur? Præterea vis infertur naturæ, quæ ex hac motuum inæqualitate vehementer proſternitur: quantopere autem inæqualitas moleſta ſit naturæ, perbellè probauit Galenus 3. *Aph.* 4. & 2. *de cauſ. puls. cap.* 14. Satius ergo ſit, vt pars craſſior humoris per interualla per aluum expurgetur, quieſcere duobus diebus, in quibus medicamentum clemens poſſit offerri. Neque Galenus *lib. de theriac. cap.* 16. Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 3. *cap.* 11. Paulus *lib.* 7. *tit. de ferro*, Raſius, Auerrhoës, Halyabbas, & alij, qui ad abſumendos magnos lienes, contumacéſque obſtructiones eradicandas, chalybe vſi ſunt, hunc cum expurgantibus permiſcere conſueuerunt.

Syrupus fit ex chalybe, hac forma confectus.

℞. *Scoriæ chalybis præparati,* ʒ vj. *paſſular. ſine nucleis* ʒ iiij. Macerentur per tres dies, in ℔. iiij. aq. lupulor. graminis, & rubeæ: In fine trium dierum bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde *radicis rubeæ, rumicis, an.* ʒ ij. *radic. fœnicul. & radic. capparum, an.* ʒ j. *aſplenij.* ʒ ß. *capillor. vener.* M. ij. Iterum bulliant, & in vltima efferueſcentia, adde *ſyrupi acetoſi diarrhodon, ſyrup. de eupator. an.* ʒ ij. *oxymel. ſimplic.* ʒ j. *ſaccari,* ℔. ij. fiat ſerapium.

Pilulæ ex chalybe conficiuntur hoc modo:

℞. *Chalyb. præparat.* ʒ j. *trochiſcor. de myrrha* ʒ. iij. *dialac. diacurcum. antidot. hæmagog. mithridatij, an.* ʒ ij. Miſceantur omnia, & fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ magnitudine granorum piperis, ſumátque laborans ſingulis diebus, aut ſeptem, & mox exercitio vtatur.

Vinum chalybeatum, inter cætera ſui generis, compones hac forma ſimpliciſſimum:

℞. *Vini albi optimi,* ℔. iij. In id proiice octiduo vnciam vnam chalybis bene igniti: cola, & ſerua. Doſis ab vnciis vj. vſque ad viij.

Vel parabis aliud efficaciſſimum:

℞. *Chalybis præparati,* ʒ j. Hunc ex ferreo aliquo inſtrumento igni imponere, & candeſcere permitte, móxque proiice in libras tres vini albi odorati, & lib. ſemis aq. Eupatorij, & vncias quinque aq. cinnamom. Cola, & iterum ignire permitte, & proiice in prædictum vinum, & ſepties idem facito, agitato liquore. Cola poſtremò, & per ſpatium 24. horarum infunde ſec. art. *radic. aſparagi, filicis maris, eupatorij, folior. borrag. an.* M. j. *cinnamom.* ʒ iij. *paſſular.* ʒ ß. *pulu. caryophyl.* ʒ ij. Tunc facta colatura cum forti expreſſione, reponatur vinum in vaſe vitreo, & obturatum ſeruetur decem dierum ſpatio in fornace calida, & ſingulis diebus agitetur. Demum ex chalybe fiunt Trochiſci, tabellæ, & alia, quæ facilè parari ſolent, ſi naturam ſimplicium contemplemur, quæ cum chalybe poſſunt permiſceri.

OBSERVATIO I.

Ad prouocanda menſtrua, aqua ſtillatitia eximia.

COnſultum mihi viſum eſt deſcribere aquam ſtillatitiam, cuius ope ac vi, fœminæ plures, quibus diu menſtrua erant retenta, à diris damnis immunes euaſere, quæ antea nullis vnquam auxiliis conſaneſcere

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 537 sur 927

potuerant: Cuius vnciàs sex calidas actu, cum sacchari momento assumptas, in aurora, rectè priùs vacuato corpore, laborans deglutiat, & longo exercitio corpus fatiget. Nam vterum roborat, flatus discutit, canales aperit, crassos humores incidit, faciem roseo colore decorat, & tandem menstrua prouocat. Cuius forma est hæc.

℞. *Herbarum matricariæ, artemisiæ, rutæ, melissæ recentium, an.* M.iiij. *nepitæ, pulegij, origani, calaminth. an.* M.j. *radic.rubeæ, & radic.rumic.an.* ℥ j. *cortic.radic. capparum, cortic. radic. tamarisci, an.* ℥ j. ß. *asplenij, eupatorij, capil. vener. an.* M.ij. *sem. petroselin.fœnicul. anisi, an.* ʒ ij. ß. *cinnamom.elect.* ʒ iij. *flor.anthos,* ʒ iiij. *flor.buglos. borrag. violar.saluiæ, an.* ʒ iij. *radic. borrag. buglos. asparag. endiu. eringij, gramin.ruscі, an.* ℥ j. *sabinæ,* M.ij. ß. His ritè contusis, adde *cardamomi* ℥ ij. *castorij, myrrhæ, croci, an.* ℥ j. Superaffunde aquæ cinnamomi ℔.iij. fiat distillatio ad siccitatem per alembicum in balneo vaporoso. Ex stillatitio liquore fæcibus siccis iterum affuso, & forti fæcum expressione, omnem aquam elicies, ac in vase vitreo bene obturato seruabis.

OBSERVATIO II.

Ad mouenda menstrua, vterúmque roborandum, Syrupus vtilissimus.

℞. *Aq.borragin.* ℔.viij. *aq.artemisiæ* ℔.j.ß. *aq.sabin.* ℔.j. *aq.rutæ* ℔.ß. *aq.marrubij* ℥ iij. Infunde per tres dies, *rhab.elect.* ℥ j.ß. *agarici elect.* ℥ ß. *absinth.* ℥ ß. *cinnamom.* ℥ ß. *anisi* ʒ iij. *diarrhod. Abbat. aromatici rosati, an.* ʒ iiij. *ligni Aloës optimi,* ʒ iij. Bulliant tantillum, cola, adde iterum: *vini albi generosi* ℔.j. *aq.flor.arantior.* ℥ v. *aq.stillatitiæ cinnamomi,* ℥ v. Infunde iterum in liquore: *eupatorij, capil.vener.artemisiæ, asplenij, sabinæ, an.* M.ij. *nepitæ, pulegij, an.* M.j. *succi matricar. succi mercurialis, an.* ℔.ß. *nucis moschatæ, macis, an.* ℥ ß. *flor. anthos, & flor. saluiæ, an.* P.ij. *Passular. sine acinis,* P.iij. Coque ad mediæ partis consumptionem: cola, adde *syrup. cichor. Nicolai, syrupi byzantini, syrup. de duab. rad. sine aceto, an.* ℥ v. *theriac. antiq. mithridatij, an.* ℥ ß. *sacchari, q.s.* vt fiat Syrupus.

Hic mirabile est auxilium fœminis cunctis, quibus præ debilitate, & obstructione viscerum, menstrua nullo modo respondent, præsertim si inflentur crura, facies sit abundè pallida, & cutis cum virore albicet, cachexia laborent, & fastidio summo ex ventriculi debilitate, & velut mortificatione enato. Dosis vnciæ v. in aurora, & post assumptionem, vehemens sequatur exercitium.

OBSERVATIO III.

Ad ciendа menstrua, remedium facile, & inauditum.

MAcerant sese cum Medicis Pharmacopœi in præparando chalybe, quod auxilium ad promouenda menstrua, reserādásque contumaces obstructiones prædicant esse propè diuinum, cùm aliud facilius sit ad manus, minoris pretij, & vtilitatis incredibilis. Est terra quæ in mineris ferri reperitur, quam si sicces ad vmbram, teras subtilissimè, & in læuorem redigas accuratè, eadémque quantitate, ordine, & forma, in iisdem malis ægrotantibus offeras, mirabilem, imò excellentiorem vtilitatem, quàm ex chalybe percipies, provt sæpissime, felicissimè tamen sum expertus. Nec mireris: nam terris plures insunt admirandæ vires, provt Dioscorides, Galenus, Paulus, & cæteri Medicinæ Principes vnanimi consensu affirmant; maximè verò illi, quæ in fodinis ferri reperitur.

OBSERVATIO IV.

Menstrua per vteri labra, emanantia.

PEr varias nostri corporis partes, menses posse mulieribus erumpere, per oculos, os, nares, aures, vrinam, aluum, vberum papillas, digitos, vmbilicum, gingiuas, inguina, *lib. 2. praxis admiranda* subnotauimus: modò exemplum referam rarum, & admirabile. Iuuencula bono habitu prædita, cùm ad duodecimum ætatis annum accederet, in labris vteri in parte extima callum persensit ciceris parui magnitudine. Tumor erat citra dolorem vllum: At transacto anno rubor adfuit cum dolore, qui vsque ad decimum quartum annum perseuerauit, cum ardore, exeuntibus furfuraceis squammulis ex cute extima, & deinceps renascentibus aliis. Tandem anno decimo quinto, foramine aperto in vtriusque calli parte media, cruenta sanies emanare cœpit, subsidente tumore: quam sanguinis rubri, & puri vacuationem, typicè singulis mensibus passa est, menstruorum instar, in copia multa, adeò vt vsque ad ætatem viginti quatuor annorum, nullam viderit menstruam purgationem, hac excepta. Erat pulchra, & decora aspectu, & pancraticè viuens: nupsit, sed nunquam habuit prolem.

OBSERVATIO V.

Menstrua per pollicem sinistrui pedis erumpentia.

CVm ad illustrem Academiam Vltraiectinam in Belgio, recreandi animi causa accederem, ecce inuenio in curru Scholasticos duos, Medicinæ valde addictos, qui iungentes dexteram cum dextera, more patrio, me officiosè salutant. Opportunè, inquiunt, huc accessisti Zacute: nam citò prope milliare quiescet currus, & in oppido vocato *Marsen*, interim dum equi saturantur cibo, cùm rararum obseruationum sis indagator summus, oculis tuis aspicies exemplum admirandum, quod tuis operibus inseres commodissimè. E curru descendentes, celeri passu in villam conuenimus, floribus, & arborum copia peramœnam. In domo circa ignem sedebat in scamno rustica quædam, nigello prædita colore, quadrata, robusta, quæ in trigesimo quarto ætatis suæ anno erat constituta. Rogata ab illis voce submissa, num menstrua pateretur, vellétque per humanitatem suam pedem mihi ostendere. Illa subridens, annuit, pedémque nudum ostendit sinistrum, è cuius pollicis parte interna pulposa iuxta vnguem, emanabat riuulus sanguinis meri, morosè, & lentè super phialam aqua calida plenam. Hæc nunquam nupserat, & post sanguinis vacuationem, quam loco menstrui habebat triduo, & sæpe quatriduo, occluso foramine, rusticos labores exercebat citra molestiam vllam. Et si fortè minutè emanabat sanguis, & dolor capitis, aut febris superuenerant, quod septies sibi decennio contigisse affirmabat, venæ sectio ex altero, remedio erat: nam cùm ex eodem pede, seruata rectitudine, ex Medici præscripto, sanguinem emisisset, in pollice, & genu vehemens dolor fuit excitatus, & menstrua ad annum non ita faustè erupere.

CAPVT XI.

De menstruis immodicis.

Definitio.

ETsi quantitas sanguinis menstrui, qui per vterum singulis mensibus excernitur, certa mensura definiri nequeat, sed diuersa sit penes temperamenti, victus

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 538 sur 927

victus rationis, & vitæ ſtudij varietatem, tamen ex mente Hippocratis *lib. de morb. mulier. poſt princip.* quem ſequitur Aëtius, moderata menſtrui quantitas, eſt menſura duarum heminarum, quæ nouem continet vncias, ex Galeno 1. *ſec. gener. cap.* 1. & 11. Quando igitur hæc menſtrua vacuatio modum non ſeruat, neque in tempore, neque in quantitate, ſed excedit, & ſuperflua eſt, immodica menſium purgatio vocari ſolet: vt v.g. ſi menſtrua diebus conſuetis, & tempore conſueto copioſiùs, & abundantiùs fluant, quàm ſolent, aut frequentiùs, aut pluribus diebus, quàm oporteat, etiam immodica eſt menſtrua purgatio; ſi ſimul aduertamus, in euacuationibus naturalibus, non ſolùm quantitatem, qualitatem, & genus ſubſtantiæ quæ excernitur, eſſe contemplanda, ſed an fiat cum animalis commodo, aut noxa, vt *lib. de differ. ſympt. cap. vlt.* teſtatur Galenus.

Pars quæ afficitur, eſt Vterus, ad hunc ſiquidem purgationes, tanquam ad partem omnium maximè infirmam confluunt, auctore Galeno 5. *ſimpl. cap.* 22. Quando enim menſtrua purgatio rectè procedit, & modicè fluit, fœminas beare ſolet commoditatibus multis, & eo tempore vterus rectè valet; ſi autem immodicè, & intempeſtiuè fluat, veluti in præſenti affectu, vterum per ſe ſolum, vel ſimul cum toto corpore, vel aliquibus eius partibus affici demonſtrabit.

Vtrùm autem *aſſignari poſſint vaſa, per quæ immodicus ſanguis confluat ad vterum*? dignum eſt contemplatione. Omnes ferè per vaſa ſeminaria deferri ſibi perſuadent, ſed immeritò: cùm potiùs per vaſa, quæ ex vena caua in regione lumborum alio modo in fœminis ramificantur, permeet, & hæc eſt cauſa ob quam Galenus 5. *ſimpl. cit.* arbitratur vterum ſanguinem non attrahere menſtruum, ſed hunc à natura in ipſum detrudi. Eſſentia ergo huius affectionis conſiſtit in ſymptomate in excretis immodicè, cùm ſubſtantia quæ retineri debebat, ſaltem ſecundùm partem, extra corpus per vterum vacuetur.

Sed cùm ſymptoma hoc in excretis, inſequatur aliud, nimirum alicuius facultatis actionem læſam, dubitandum: *Vtrùm ſemper ad actionem læſam facultatis expultricis conſequatur*? Dubitandi ratio inde deſumitur, quia ſanguinis euacuatio, præſertim poſt partum, immodicè facta, ferè ex ruptione, aut apertione venarum originem habet. Sed facta vaſorum ruptione, neceſſarium non eſt ſanguinem expelli, cùm more liquidorum, ſine eo quod expellatur, exire poſſit. Ergo ſymptoma hoc in excretis, actionem facultatis expultricis non ſemper inſequitur.

Dic dupliciter: primò, quòd adhuc quando ſanguinis vacuatio ex prædictis cauſis excitatur, hoc ſymptoma actionem læſam facultatis expultricis ſequitur, cùm præſertim poſt partum, totam ſanguinis quantitatem in venis vteri contentam neceſſariò non expellat, tempore geſtationis ſeruatam. Verùm quia excernitur maior ſanguinis quantitas, quàm tempore prædicto in venis reſeruetur, ideò ſecundò meliùs huic difficultati facies ſatis, ſi aſſeras hoc ſymptoma non neceſſariò actionem læſam facultatis expultricis ſemper ſequi, cùm in ruptione, vel apertione vaſorum, ſanguis, & reliqui humores propria grauitate ad vterum deſcendant; quare inſtar rei liquidæ facilè fluunt, & extra corpus vacuari queunt. Certum tamen eſt, hoc ſymptoma ſequi actionem læſam, quæ vel debet eſſe actio deprauata per intenſionem facultatis expultricis, vel abolita facultatis retentricis.

Cauſa.

VTrùm ex variis cauſis poſſit immodica ſanguinis euacuatio contingere? Cauſas plures reperiri præter naturam, quæ ſanguinem per vterum immodicum emanare cogunt, res eſt manifeſta apud auctores: nam vel oriuntur ex vitio humorum; vel ex parte inſtrumentorum vteri; vel ex conſenſu alterius membri, cum quo vterus cognationem habet, & ſympathiam mutuam; vel ex toto corpore, quod huic malo materiam præparat.

Primò criſis ratione ſolet hæc immodica vacuatio accidere, quando natura velut ſarcina oppreſſa, ſuperfluum, & excrementitium ſanguinem per vterum eliminat, aut cùm iecur maiorem ſanguinis copiam progignit, quàm pro nutriendis partibus ſit neceſſaria, quòd fieri ſolet ob vitam deſidem, dimiſſum exercitium, copiam alimentorum bene nutrientium, denegatam attractionem in partibus externis, quæ ob prægreſſum morbum infirmatæ, ab intimis non attrahunt ſanguinem in ſui vſum, & ſi trahunt præ debilitate neque concoquunt, neque abſumunt; vel quando deficit aliqua pars quæ ex ſanguine antea nutriebatur, aut propter alicuius vacuationis conſuetæ retentionem, aut propter ſanguinis redundantiam citra læſionem actionis, cum prouidentia naturæ, & facultatis expultricis, de animalis commodo.

Deinde contingit ob ſanguinis, vel vteri vitium. Si primum, ſæpe ob facultatis retentricis debilitatem, ſanguinem retinere non potentis, euenire certum eſt; ſanguinis acrimoniam, ex calidiori cibo, & potu acquiſitam; vehemens exercitium, balnea naturalia, ob quas cauſas ſanguis tenuior, calidior, & acrior redditur. Inſuper quoniam ſanguifica virtus, ob debilitatem, ſanguinem nimis ſeroſum generat; vel quia ob iecoris calidam intemperiem, ille tenuis, & bilioſus progignitur. Ex vteri vitio hæc emanat perſæpe vacuatio immodica, quando hæc pars facultate pollet valida attrahendi: licèt enim vterus menſtrualem ſanguinem non attrahat natura ſuapte, interdum tamen ob calorem immodicum, qui fluxionis ſolet eſſe cauſa, ſanguis copioſè ad ipſum attrahitur. Accidit etiam ob alicuius vaſis vteri rupturam, quæ ortum ducit ex caſu, percuſſione, ponderis eleuatione, laborioſo partu, abortu difficili, violenta ſecundinarum eleuatione, denique ex violento concubitu ſæpe originem ducit. Huic vitio etiam occaſionem præſtant vteri vlcera, præſertim maligna, doloſa, & cacoëthica, menſtrua acria, mordacia, & vteri vaſa dum fluunt, erodentia, rhagades, & ſciſſuræ vaſorum, & vteri, quum virulento humore replentur, qui per totum vteri corpus diſſeminatus, vaſa erodit, aperit, dilatat, dilaniat.

Vtrùm variis modis ſanguis ab vtero erumpere poſſit? deinceps explicandum. Galenus huic quæſito ſatisfacit *lib. 5. meth. cap.* 2. dum ſic ait: *Sanè profluit è vena, vel arteria ſanguis, aut reſerato earum ore, aut tunica earum diuiſa, aut (vt ſic dicam) tranſcolatus, ſiue ſudoris modo tranſmiſſus. Porrò diuiditur ipſa tunica, tum ex vulneratione, tum contuſione, tum ruptione, tum eroſione. Anaſtomoſis accidit propter tum vaſis imbecillitatem, tum ſanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam: ad hæc, acrem quandam, quæ illi extrinſecus incidat, qualitatem. Diapedeſis verò ex tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine verò tenuato oritur: accidere præterea interim poteſt, & ex gracilium vaſorum ore adaperto, &c.* Sanguis ergo ab vteri vaſis tribus modis profluere ſolet, per anaſtomoſim, vel diapedeſim, vel diæreſim. Anaſtomoſis dicitur apertio oſculorum venarum, vel arteriarum. Diapedeſis, ſanguinis per poros, vel tranſpiracula venarum, vel arteriarum, percolatio. Diæreſis, ruptio, vel ſciſſio vaſis. Cauſas ob quas, hoc vel illo modo, ſanguis è vaſis erumpat, explicuit etiam 5. *Aph.* 57. & 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 4. & *lib. de ſympt. diff. cap. vlt.*

Anaſtomoſis cauſis nimiam humiditatem addere poſſumus, qua vaſa replentur, & hac ratione à quauis cauſa orificia venarum, & arteriarum poterunt recludi, vt in hydropem patientibus conſtat manifeſtè, in

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 539 sur 927

quibus ob vasorum humiditatem sanguis solet effluere. Diæresis, siue diuisio vasorum, ob corrosionem contingit, potéstque ob sanguinis multitudinem accidere, præsertim si cum flatuoso spiritu coniungatur, velut in musto non infrequenter apparet, à cuius flatibus copiosis vasa interdum rumpuntur: flatus enim distendendo causa ruptionis esse solet. Diapedesis fit, quum vasa plus iusto sunt rara, aut sanguis rarissimus, & aquosus valdè; quo tempore instar sudoris, sanguis percolatur, & hac ratione sanguinem erumpentem, sudorem sanguineum appellat Aristoteles 3. *de Hist. animal. cap.* 19. quas causas copiosiùs refert Auicenna *4.4.tract.2.cap.16.*

Signa.

Vtrùm sanguinis per vterum immodica vacuatio, sola artificiosa coniectura possit deprehendi? Difficile admodum est, certam, & determinatam menstruæ purgationis quantitatem circumscribere, quæ immodicæ, & exuperantis vacuationis mensura sit, cùm hoc sola artificiosa coniectura deprehendi possit; quoniam cùm moderata menstrui quantitas sit mensura duarum heminarum, & pro varietate temperamenti, ætatis, viuendi rationis, diuersimodè sanguis singulis mensibus excernatur, arduum est cognoscere, an hæc vacuatio superflua sit, an diminuta, tum propter difficultatem mensurandi vncias sanguinis, cùm sanguis qui repurgatur, non reseruetur, nec in vasis colligi possit, sed in linteis imbibatur; tum etiam quoniam contingit, vt sanguis fœminæ, quæ frigida temperatura prædita est, ob plures causas copiosiùs excurrat, si robustior sit, minùs exerceatur, vel ob sanguinem serosum, quo natiua forte abundat, ex interuallis sanguinis fluxum experiatur.

Secunda coniectura, ex qua colligere possumus sanguinis euacuationem esse moderatam, ea existit, quia sanguis primò vacuatus, ferè optimus est, & in copia multa; secundo loco est fæculentus, & niger; vltimò purulentus: à quo ordine, & modo vacuandi recedit natura, quando euacuatio immodica est. Verùm ex hac coniectura certa notitia deduci non potest, vt immoderatam vacuationem esse arguere possimus, cùm non solùm quando facultas expultrix naturali modo operatur, eum ordinem seruet, & vacuandi modum, sed etiam quando in statu violento, & præter naturam sequitur expulsio, siquidem in vtroque statu, priùs debet vacuari id quod tenue est, & facultatem ampliùs irritat, deinde crassum, quod in superpurgationibus patet euidenter, in quibus tenue priùs vacuatur quàm crassum, & postremò crassissimum.

Tertia desumi potest coniectura ab expellendi modo: quando enim vacuatio moderata est, eámque natura suis legibus nixa gubernat, sensim & paulatim fit, siquidem ex hac ratione vacuandi, noxa subsequitur minor, cùm minor subsequatur virium iactura; at verò quum vacuatio immodica est, subitò & affatim humor expellitur. At ex prædicta coniectura, menstruam purgationem modum excedere colligi non potest: expertus enim sum in fœminis multis, velocissimam fieri menstruam vacuationem, citra noxam, quin sequentibus diebus vltrà procedat: accedit quòd per mensem, ob alimenta ingesta calida, possit reseruari copia humoris acris, & mordacis, qui vehementer irritans expultricem, eam ad sui excretionem stimuler, & copiosam primo die moueat expulsionem sine noxa vlla, cùm vacuetur humor qualis oportet, vt colligitur ex Hippocrate *lib.* 1. *Aph.* 2. *In perturbationibus ventris, &c.* & 2. *Aph.* 20.

Certior ergo, & magis veridica coniectura, ex tolerantia, & conferentia est desumenda: nam quando confert, & ex ea nullum symptoma sequitur, & facilè toleratur à menstruata, humor in quantitate, & qualitate debita vacuatur: Quum ex sanguinis vacuatione, magna debilitas consequitur, & citra leuamen vires dissoluuntur, diminuto calore naturali, & spiritibus resolutis, vt colligitur ex pulsu debili, frequenti, cibi fastidio, visus obtenebratione, auditu graui, aurium tinnitu, animi deliquio, & conuulsione, quoniam in hac euacuatione non sequitur conferentia, & tolerantia, ideò ex prædicta coniectura, immodicæ vacuationis certius iudicium colligi potest.

Sed ex hoc adhuc certa coniectura desumi non potest, ad immoderatam vacuationem dignoscendam, cùm eadem symptomata ad diminutionem sanguinis menstrui subsequantur sæpe: si enim vitiosus in vtero, aut alia parte supprimatur humor, malignus, & prauus, cordique communicetur, pulsus fit paruus, frequens, & debilis: si irruat in cerebrum, adsunt tinnitus aurium, conuulsio, animi defectus. Ergo præcisè ex conferentia, & tolerantia, immoderatæ vacuationis signum deduci non potest; quare nî huic coniecturæ aliæ accedant, quòd vacuetur multa sanguinis quantitas, aut simul subita excretio adsit, prædictam vacuationem modum excedere non iudicabis. Quas omnes conditiones videtur amplecti Hippocrates, *lib. de morb. mulier.* ostendens quantum damni immodica vacuatio afferre consuescat, recensens symptomata quæ illam frequenter comitantur.

Causæ dignotionem hoc modo perpendes. Si ex diuisione, & ruptura, immodica sanguinis quantitas subitò, & affatim excernitur; si ex erosione, exigua copia expellitur, eam tamen sæuus comitatur dolor, ratione enim acrimoniæ, & mordacitatis continuum soluitur. Humorem ex sanguinis vacuati colore percognosces: nam si pallidus & tenuis fuerit, bilis cum sanguine exuperat; si fuerit albus & crassus, pituitam crassam dominari certum est.

Sunt etiam alia multa signa huius vacuationis immodicæ, quæ fusè à Galeno traduntur, *lib. de plenit. vlt.* Si enim à causa oriatur externa, ea ab ægrotante patefiet. Si ab interna, sæpe facultas expultrix vasorum orificia recludit, vt humores noxios foràs eliminet per regiones multas: quoniam si morbus acutus præcessit, & crisis modo erumpat, vel totius corporis habitudine depraua, vel ratione multitudinis succorum, vel alicuius vacuationis retentæ causa eueniat, præterquam quòd laudabilis est sanguis, citra virium exolutionem proiicitur, & fœmina ex ea fluxione tantum abest vt debilitatem sentiat, vt indies magis ac magis meliorem colorem in vultu acquirat. Quòd si sanguinis vitio contingat, ille continuò erumpit, & confertim, & in principio facilè toleratur, signáque adsunt plenitudinis, à Galeno *lib. cit. de plenitud.* adducta. Si fuerit sanguis corruptus, adest graueolentia. Si tenuis, & aqueus, ex modo substantiæ cognoscetur. Si tamen neque plenitudinis, neque cacochymiæ signa appareant, ex vitio vasorum continget, quæ aut mollia sunt, aut dura, aut tenuia, siue illud ex morbo, siue ex natura contingat. Quòd si ex morbo oriatur, mollities intemperiem siccam consequitur, tenuitas atrophiam: nam mollia, & tenuia, facilè frangi, rumpi, & recludi solent, quin erosioni sunt paratissima. Dura rumpuntur, cùm non possint ampliùs extendi, quare apud Hippocratem, *frigida venas frangit*, 6. *epid. sect.* 3. *text.* 20. quoniam frigiditate sua venarum tunicas, duras, & extendi contumaces reddit, & hac ratione ruptioni paratiores efficit, quod eleganter testatur Galenus 3. *de caus. symt. cap.* 2. §. *Talia sanè omnia, &c.* 6. *de loc. cap.* 5. 6. *epid. sect.* 3. *com.* 37. 2. *de facult. naturalib. cap.* 8. quibus locis proponit colorem fœdum, pedum œdema, vniuersi corporis tumorem, cibi fastidium, vitiatam concoctionem, & alia.

Præsagium.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 540 sur 927

Præſagium.

VTrùm *ex immodica ſanguinis vacuatione menſtrua, facilius ſequatur hydrops, quàm ex ea quæ poſt partum contingit*? ſpeculatio eſt non inutilis. Ex immodica ſanguinis profuſione per vterum, grauiſſima damna emanare, *citatis locis*, ſed præſertim 2. *de facult. naturalib. cap. cit.* docuit Galenus: ad euacuationem enim nectaris viuifici, quo partium omnium viuacitas recreatur, plurima ſpirituum copia exhauritur, flacceſcunt vires, & refrigerato iecore hydrops ſuperuenit. Aliquando præcedit animi deliquium, aut ſyncope, ex Galeno 1. *ad Glauc. cap.* 14. quæ ſymptomata mortem minantur, tunc enim vacuato ſanguine non ſolùm per vteri venas, ſed arterias, & reſoluto ſpiritu animali, & vitali in copia multa, cor, & cerebrum afficiuntur valde.

Quapropter licèt omnis ſanguinis excretio periculoſa ſit, 5. *Aph.* 32. 56. 57. 15. & 60. & 21. 3. *tract.* 3. *cap.* 3. & 6. *de loc. cap.* 5. & lethales morbos ſecum afferat, quoniam puriſſima ſubſtantia vacuata corpus orbatur, cùm virium ſubſtantia non ſolùm in partium temperamento, ſed in ſanguine, & ſpiritu repoſita ſit, 12. *meth.* 5. tamen inter eos hydrops promptiùs ſuccreſcit, ob cauſam dictam. Verùm ea eſt differentia inter immodicam vacuationem menſtruam, & nimium ſanguinis fluxum poſt partum, quòniam in illa certiùs hydrops conſequitur, quia ſicuti hæc ſubitò fit, eadem ratione repentè ceſſare ſolet, ita vt frigiditas producta facilè remittatur, vt teſtatur Paulus *lib.* 3. *cap.* 62. dum ſic ait: *Immodicæ purgationes mulieribus oboriuntur, interim menſibus adauctis, confertimque ac concitatiùs erumpentibus, interim ob legitimum partum, quæ plerumque etiam ſponte ſua ceſſant, &c.* Contrarium autem in immodica menſium vacuatione contingit, cùm hæc pedetentim fiat & paulatim, & lentè frigiditas introducatur, & modo ſubſtantiæ hepatis permutato, ipſum habituali frigida intemperie afficiatur, vnde tandem concitatur hydrops.

Vtrùm immodicus ſanguinis fluxus febrem concitet? difficilius quæſitum eſt: Nam de febri in hoc vitio excitata, nullam auctores faciunt commemorationem. Certum tamen eſt ex nimio ſanguinis fluxu, febrem accendi, quæ interdum iuxta humoris naturam bilioſa, pituitoſa, vel melancholica exiſtit; quoniam iecur ob largam vacuationem debilius redditum, humores generat vitioſos, quos non rectè gubernat; hi autem relicti à regimine naturæ, facilè labe, & putredine fœdantur.

Deinde iecoris imbecillitas eſt in cauſa, vt humores vitioſi ſanguine permixti deliteſcentes ferociùs inſoleſcant, ſiquidem ſanguinis tutela, & fræno deſtituti, iam non ampliùs retinentur, ſed à facultate expultrice, ab eorum praua qualitate irritata, ad regiones excretionibus deſtinatas, aut ad partes ignobiles tranſmittuntur, in quibus retenti, ac conculcati, inflammantur, & putrefiunt. Quare ſicut phlebotomia, facta agitatione in ſpiritibus facit febrem diariam, & debilitando vires, putridam concitat, & euacuando humidam ſubſtantiam, hecticam producit, in quem ſenſum intelligendus eſt Auicenna, 4. 1. *cap.* 20. §. *Et ſcias quòd ſanguinis miſſio facit febrem, & facit putrefactionem, &c.* Si nimia ſanguinis copia vacuata, omnis generis febrem efficere nata eſt, quia exiccat, reſoluit, inflammat, debilitat: id ſignificauit Auicenna 21. 3. *tract.* 3. *cap.* 2. & 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 5. dum dicebat: *Et nimius ſanguinis exitus facit dominium choleræ.*

Rogabis: Si humores vitioſi cum ſanguine redundant, cur cum illius excretione non excludantur? Dic, quia ſunt craſſi, viſcidi, terreſtres, & hac ratione fluxui valde inepti, quales ſunt pituita, melancholia, & aliqua ſpecies bilis præter naturam: humor verò ſeroſus, & bilioſus ob ſui tenuitatem facilè fluunt. Notabis vltimò, immodicam fluxionem diuturnam, curationem non admittere, quoniam venarum vteri ora diu aperta, duritiem, veluti callum acquirunt, ita vt inpoſterum difficillimo negotio conſtringi poſſint, & maximè ſi ſeneſcentes arripiat, quoniam illas ad hydropem præcipitat, vt 6. *de loc. cit.* Galenus confirmat.

Curatio.

SAtis multa de victus, ſiue ſex rerum non naturalium adminiſtratione, *lib. præcedenti, cap.* 6. *de ſanguinis ſputo*, ſumus præfati, nunc ad reliqua explicanda properemus. Si enim fluxus, immodicus ſit, etſi criticus, vires tamen ſummè debilitentur, immuterur pulſus, ſenſus, & motus deficiant, & color viridis, vel liuidus fiat, tunc ſpreta fluxus cauſa, ad eum cohibendum, ne fortè ſubitò ſpiritus reſoluantur, accedere oportet. Quare reuellendus eſt humor ad partes ſuperas, brachiorum frictionibus, ligaturis, vinculis dolorificis: hæc enim dolore concitato, naturam ad ſuperiores partes, vnà cum ſanguine, & ſpiritu diuertunt. Sed in hoc condendo dogmate, video auctores Principes inter ſe diſcordes: Iccircò dubitare licet: *Vtrùm in immodico ſanguinis fluxu per vterum, artus ſuperiores, vel inferiores fricandi*? Galenus enim *lib.* 1. *ad Glaucon. cap.* 14. *prope med.* dum immoderatos ſanguinis fluxus per vterum, aut ora venarum, quas hæmorrhoïdas vocant, curare conſuluit, ex partibus ſuperioribus præſidia reuulſoria celebranda eſſe affirmat; ſic enim ait ſcientiſſimus auctor: *Oportet autem nexus fieri plures, ac fortiores circa manus, quoniam per inferiores partes fiunt euacuationes, quemadmodum quando per ora venarum hæmorrhoïdum ſanguis profluit, aut ventris profluuia adſunt, aut cùm per vteros exeunt in mulieribus menſtrua: nam ſi tunc crura fortiùs ligentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur; contrà autem fit in fluxibus ſanguinis factis per nares, atque vomitibus, in quibus crura ſunt vehementiùs alliganda.*

Contrà è diametro aduerſantur alij, quorum voto repugnare nefas eſt, imperantes in hoc affectu crura fricare, & ligare, & incipere à radice coxarum ad inferiora, cùm hæc omnia potiùs menſtrua euocare, quàm ſiſtere, & reuellere nata ſint. De horum numero ſunt Paulus *lib.* 3. *cap.* 62. §. *Imprimis igitur extremi artus ab alis, & inguinibus, vinculis excipiantur, &c.* Auicenna 21. 3. *tract.* 3. *cap.* 4. *in princip.* ſic ait: *Quum ergo ſuperfluit fluxus ſanguinis, oportet vt ligentur vtrique pedes, à radice coxarum verſus inguina, &c.* ſubſcribit Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 64.

Concilia tantos auctores hoc modo. Licèt extra rationem omnem videatur, in immodico vteri fluxu, inguina, & crura ligare, cùm tantum abſit, vt hoc præſidium fluxum reuellat, quinimò eum magis alliciat, ac intendat, attracto vtique ſanguine deorſum, & ſatius ſit alas, ac brachia ligare, inguina, ac crura intacta prætermittere; tamen hoc de incipiente fluxu eſt intelligendum, in quo ſuperiores artus ſunt ligandi & fricandi: at verò in proceſſu illius, poſtquàm iam magna copia humoris eſt vacuata, præſertim ſi momentaneus, & immodicus ſit fluxus, tunc ne vires ſubitò fatiſcant, & extinguantur, non ſolùm bracia, ſed crura ſunt liganda, & fricanda, quoniam in immoderato ſanguinis fluxu per vterum, non ſolùm ſanguis, reliquíque arrepto impetu humores ex partibus ſuperioribus, ſed etiam inferioribus ad ipſum confluunt, & ſi fluxio reuocanda eſt ad ſuam originem, ad manus, & crura, impetum ſanguinis in vterum irruentis reuellere oportet.

Alia non minoris momenti circa reuellentia auxilia agitanda quæſtio eſt: *Vtrùm cucurbitula ſcarificata ſub mammis apponenda*? Hippocrates hoc auxilium approbat ſummè, 5. *Aph.* 50. dum ſic ait: *Mulieri ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam mammis appone.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 541 sur 927

Illud cuncti post eum, præsidium confirmant, & 5. *meth.* 3. multi fecit Galenus, & alibi sæpe: nam motu, dolore, & calore sanguinem ad partes superas attrahit potenter. Sed cucurbitula non apponatur mammis, sed iuxta illas, quod significat Hippocrates verbo illo [*ad mammas*,] quod vt meliùs fieri possit, mamillæ subleuandæ, & vnicuique cucurbitula lati orificij cum multo igne affigenda: hoc enim modo agglutinata, potenter attrahit ad partes superas, maximè si non semel, aut bis, sed ter apponatur: maximum enim consensum cum vtero, ratione vasorum, mamillæ obseruant.

Vt verò cucurbitulæ efficaciorem vtilitatem, & commodum præstent, eæ scarificandæ, citiùs enim reuellitur humor, quando simul attrahitur ad partem contrariam, & euacuatur, quàm si tantùm attraheretur; & Galenus videtur annuere *in com.* dicens: *Melius autem est non ipsis mammis, sed sub ipsis partibus inferioribus firmare cucurbitulam: vbi maximè sunt ea quæ ad ipsas venæ de subter veniunt*, quasi dicat, cùm venæ in ea parte sitæ sint, ab iis non solùm reuellere, sed vacuare oportet. Deinde si fluxio ad partem contrariam est reuocanda, ita vt si ex superioribus partibus, fluat sanguis, ex inferioribus reuulsio celebretur, & è contra: & si Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 18. in suppressis mensibus scarificat femora, & crura, cur in immodicis non scarificabit brachia, & partes superas cum commodo multo? Quapropter scarificatio celebranda sub mammis, sanguísque pro virium tenore educendus.

Quòd si his auxiliis humor ad partes superiores non reuellatur, sanguinísque hæmorragia remitti non possit, si vires validæ sint, sanguinem ex vena interna cubiti mittere præstat: dextri quidem, si maior grauitas in dextra vteri parte sentiatur; siniſtri verò, si in siniſtra, præcipuè tamen si sanguinis fluxus ex calida causa corrosionem efficiente originem ducat. Ea tamen partitè & per interualla celebrari debet, & ex qualibet sectione paucula sanguinis quantitas facta tenui scissura extrahenda, vt hac ratione natura distrahatur ad partes superas.

Quum bilis redundat sanguini permixta, eam medicamento aliquo benigno, clementi, non effræni educere oportet, corpore priùs præparato syrupis, & causam, & affectum respicientibus, vt ros. simpl. de ros. siccis, Myrtil. portulac. dilutis cum aq. cap. ros. portulac. plantagin. Inter omnia excellit Rhab. in substantia, aut infuso, aut modicè tostum, permixtum cum syrupo ex rosis rubris facto ex pluribus infusionibus, vel cum eo qui fit ex rosis Persicis, aut violis, Manna, pulp. Cas. Elect. Ros. Mes. aut Diacathol. Cortices Myrobalanor. citrinor. modicè torrefacti vtiles sunt. Post hæc iecur attemperandum, ac roborandum, ne inposterum calidum sanguinem gignat, sed temperatum: In hunc vsum vnguent. rosac. ceratum santalin. aut refrigerans Galeni summè præstant, aut linimentum sequens.

℞. *Olei absinth. olei spicæ, an.* ℥ j. *butyri insulsi rosacea sæpe abluti* ℥ j. ß. *pulu. santalor. rubror. puluer. spicæ, an.* ℥ j. *aceti rosac.* ℥ ß. *succi cichor.* ℥ ß. Misce, & sec. art. fiat linimentum.

His factis in aurora, & interdiu, medicamenta assumenda sunt refrigerantia, incrassantia, & adstringentia, frigida actu.

℞. *Syrup. papaver. myrtil. rosar. siccar. portulac. an.* ℥ ij. *aq. plantag. capit. rosar. & bursæ pastoris, an.* ℔ ß. *trochiscor. de carab. de terra sigillata, de spodio, an.* ℥ ß. *pulu. boli armeni, & coral. rubri, an.* ℈ ij. Misce.

Conditum parari potest ex interuallis assumendum, superbibita stillatitia cydoniorum.

℞. *Conserua rosar. antiq.* ℥ ij. *conserua symphiti maioris* ℥ j. *margaritar. selectar. coral. rubri, loti cum aq. ros. & subtilissimè puluerisat. an.* ℥ j. *lapid. hæmatitis, semin. plantag. & portulac. an.* ℈ j. Cum syrup. Rosar. siccar. ex infusione, & syrupo papaver. excipiantur omnia, & fiat conserua.

Dormituræ fœminæ ad conciliandum somnum, & sistendum fluxum, in iusculis semina papaueris albi, & Rhois culinarij offerenda sunt, addito amylo. Vel soporiferum præscribatur hac forma, si fluxus validius perseuerer.

℞. *Philonij Persic.* ℥ j. *lapid. hæmatit.* ℥ ß. *syrupi cydonior.* ℥ ij. *aq. plantag. q. s.*

Pastilli sub lingua retineantur, præsertim nocturno tempore.

℞. *Boli armeni præparati, terræ sigillatæ, an.* ℥ ij. *gummi Arabici, gummi tragacanthi, amyli, an.* ℈ ij. *macis,* ℈ j. *spicæ nardi* ℈ ß. *penidior.* ℥ j. Misce, & cum syrupo myrtino fiant orbiculi lupinorum instar.

Mirificè iuuat hæc conserua, incrassat enim humores, & sanguinem retinet, cùm eum ad motum ineptum reddat, siue fluxus ex diuisione, siue à corrosione ortum ducat.

℞. *Micletæ, requiei Nicolai, conserua rosar. rubrar. antiq. an.* ℥ j. ß. *pulu. spodij, sang. Draconis, trochiscor. de carab. lapid. hæmatit. præparat. mastich. thuris, gummi tragacanthi, gummi Arabici, an.* ℥ ij. Cum syrupo de sorbis, Mespilis, & Myrtillor. omnia excipiantur, & fiat conserua. Dosis in aurora vncia vna, superbibita aqua stillatitia cydonior. Rosar. Portulac. Plantag. sanguinar. quæ aquæ priùs bis, & ter chalybeentur, fluorem enim hac forma promptiùs compescunt.

Remedia extrà admota valde etiam prosunt, quæ corroborandi, & meatus adstringendi vim sortiantur, in parte anteriori circa pubem, & posteriore circa lumbos, & os sacrum imposita. In hunc vsum vtilia sunt vnguenta facta ex oleo rosaceo, omphacino, myrtillor. & cydoniorum: inspergantur pulueres ex Rosis, Myrto, sanguine Draconis, Balaustiorum. Emplastrum contra rupturam optimum est. Vnguentum Comitissæ frugiferum. Vel hoc sit ex vsu, quod non contemnendam ex se pandit vtilitatem.

℞. *Gummi Arabici, gummi tragacanthi torrefactorum, an.* ℥ ß. *vtriusque coralli, ossium dactylor. combustorum, hypocistidos, an.* ℥ j. *acaciæ, cortic. arbor. glandium, myrtillor. sumach. an.* ℥ j. *scoriæ ferri præparat. mumiæ, sanguinis Draconis, boli armeni, terræ sigillatæ, mastich. spodij, an.* ℥ ij. *gallarum, cortic. thuris, an.* ℥ ij. ß. *styracis calamitæ, trochiscor. de succino, de spodio, de terra sigillata, an.* ℥ j. *fuliginis camini, plumbi vsti, an.* ℈ j. *radicis bistortæ, radic. pruni syluestris, an.* ℥ ß. *colophoniæ, glutinis piscium, an.* ℥ j. *resinæ, q. s.* Misce, & gluten piscis optimè primò teratur, & aceto acerrimo exactè maceretur, & fiat ceratum.

Mirum etiam præbet beneficium, hoc auxilium. Accipe gallinam vnam, & infarciatur coriandro sicco, & radice consolidæ, & optimè coquatur in olla mediocri, plena aqua priùs chalybeata vsque ad consumptionem medietatis, & ex hoc iure assumat laborans vncias octo.

Insessus summè iuuant in aqua frigida, in qua priùs incocta sint poma cupressi, Myrtus, Rosa, plantago, Portulaca, Bursa pastoris. Pessuli vtiles sunt madefacti succo plantaginis, portulacæ, aut Bursæ pastoris, puluerib. restrictiuis irrorati. Clyster vterinus est saluberrimus, paratus ex succo plantaginis, & per vuluam intromissus, quo solùm auxilio fluxum sanguinis retinuisse gloriatur Galenus 5. *meth. cap.* 5. cum quo aliud medicamentum aliquando permiscere solebat, sed ipse illud non explicuit. At ego felici experimento immisceo succi stercoris equini, vel asinini recentis vncias quatuor, de cuius laudibus *infrà*. Vel addere oportet succum Bursæ pastoris, solani, adiecto puluere lapidis hæmatitis.

Plura ab auctoribus recensentur, quæ à tota substantia sanguinem sistunt, inter quæ stercus asininum principatum obtinet, de quo dubitandum: *Vtrùm in sanguinis fluxu compescendo sit offerendum*? Non desunt qui de equino id affirment. Illud ergo non solùm in hoc

sanguinis

ſanguinis fluxu, ſed in omnibus aliis parti exteriori apponunt, ſed intus aſſumptum in pulueris forma propinant, cum ſyrupo adſtringenti, aut aqua huic vſui accommoda permixtum.

Cæterùm in hoc auxilio exhibendo difficultatem inuenio maximam, cùm ſtercora ſint à prædominio calida, vt apud omnes in confeſſo eſt: ſiquidem in inteſtinis animalium, à quibus ſunt deciſa, cum illis magna portio humoris recrementitij permiſcetur, cuius ratione recrementum illud caliditatem non exiguam participat? Quare hoc oblato præſidio calido, natura ſuapte fluxus ſanguinis promouetur potiùs, quàm coërcetur.

Dic. In recremento aſinino, & equino diuerſæ partes reperiuntur, craſſæ nempe, in quibus repoſita eſt adſtringendi vis; cùm enim hæc animalia alimentis craſſiſſimis veſcantur, hordeo videlicet, & paleis, in partibus craſſioribus horum alimentorum virtus inuenitur craſſa, quæ facta ſeparatione partium humidarum & tenuium, efficacior multò remanet ad ſiſtendum: ſiquidem in inteſtinis horum animalium, meſaraicæ venæ ſugunt quod tenuius eſt, ob idque craſſiores partes aptiores ad incraſſandum remanent, & retinendum. Licèt verò in his recrementitia portio bilis, calida, & tenuis ſit permixta; tamen hæc ex accidenti iuuat, & eſt in cauſa, vt partes illæ craſſæ promptiùs diſtribuantur, & adhæreant. Quòd ſi in hoc præſidio virtutem occultam velis aſſignare, cuius beneficio ſanguinem compeſcat, non recuſabo, nec Galenus negauit in locis multis, qui ſe ſcripſiſſe librum, de remediis operantibus à qualitate occulta, gloriatur.

OBSERVATIO I.

Emplaſtrum ad immodicum ſanguinem menſtruum compeſcendum, vtiliſſimum.

NIhil æquè fluxus vteri immodicos, à quacunque cauſa prognatos ſiſtit, ac compeſcit, quàm emplaſtrum hoc ſuper pubem, & poſteriori parti admotum. Vidi plures, quæ non conferentibus cæteris auxiliis, ſolùm hoc conualuere:

℞. Sanguin. dracon. boli armeni, gypſi, an. ʒ ß. thuris, maſtich. aloës, an. ʒ ij. pilor. leporis, pilor. talpæ combuſtorum, an. ʒ j. ß. ſucci acaciæ, & ſucci hypociſtid. an. ʒ ß. cærab. terræ ſigillatæ, cortic. interior. caſtanear. an. ʒ ij. ſcoriæ ferri præparatæ ſubtiliſſimè, ʒ j. ß. ſem. acetoſ. protulac. cydonior. plantagin. an. ʒ ij. ß. Terantur omnia diligentiſſimè, & excipiantur oleo Myrtino, & parum coquantur: poſtea adde picis, & ceræ q. ſ. vt fiat emplaſtrum.

OBSERVATIO II.

Pilulæ ad ſupprimendum ſanguinis fluxum, eximiæ.

QVum homo de vita periclitatur, ob immanem dolorem, alui fluxum diuturnum, vel ingentem hæmorrhagiam, tunc ſi cætera non conferant, ad maiora accedere affectus neceſſitas cogit. In hunc vſum opiata, ſeu ſtupefacientia quæ ſomnum mouent, fluxiones omnes ſiſtunt, quemadmodum 12. *meth. vlt.* & 9. *ſec. loc. cap.* 4. Galenus edocuit, vtilia ſunt, quæ vt diutius retenta in ventriculo operationem ſuam perficiant, in ſolida forma ſunt offerenda. Accipe ergo binas pilulas tribus horis poſt cœnam, ſyrupo papauerino inuolutas, alias duas in aurora ante paſtum diebus ſingulis, & miraberis effectum.

℞. Radic. biſtortæ, acaciæ, hypociſtid. ſang. dracon. boli armeni, amyli torrefacti, ſem. naſturtij torrefacti, balauſtior. gallarum, ſumach. conſolidæ maioris, mumiæ, tragacanthi, roſar. gummi arabici torrefacti, ſpodij, cinnamomi, lapid. Hæmatitis, ſuccini flaui præparati, an. ʒ j. opij Thebaici, ʒ ij. ſpecier. diambræ, ʒ iiij. ſpecier. aromatic. roſat. Meſuæ, ʒ ij. ſpecier. diamarg. calidi, ʒ ij. ß. croci Orientalis, ʒ. ß. Cum ſucco Burſæ paſtoris, & plantag. formentur pilulæ, & decorentur.

Muliebre profluuium.

IMmodicis vacuationibus per vterum hic affectus ſimilis eſt; vterque enim, immodica vteri purgatio dicitur, de cuius eſſentia & cauſis, ſatis multa *lib. 3. Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.* 11. nunc quæ deficiunt, perficiamus: Nam ſicut propter totius corporis vitium, & alias cauſas, aliquando immodicè euacuatur, ita interdum vterus aliquid malum, & vitioſum expellit, docente Galeno *3. de ſympt. cauſ. cap.* 4. & hæc eſt cauſa, quare hic affectus à Galeno *lib. de diff. ſympt. cap.* 7. & 6. *de loc.* 5. Paulo *lib.* 3 *cap.* 63. Aëtio *tetrabib.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 65. muliebre profluuium appellatur.

Definitur à Paulo, quòd ſit diſtillatio recrementi totius corporis. Aëtius dicit eſſe diuturnam vteri diſtillationem. Galenus 3. *de ſympt. cauſis, cit.* & 6. *de loc.* 5. affirmat eſſe purgationem corporis, propter culpam totius, citra vitium vteri: nam quemadmodum humores vitioſi per renes, & veſicam ſolent expurgari, citra cæterarum partium incommodum, eodem modo per vterum ipſo minimè expurgato, excerni ſolent. Diſtinguitur hic fluxus à menſium purgatione immodica, quia in hac, ſanguis excernitur, in illa verò ſanguis vitiatus, qui aliquando eſt cruentus, velut ſanguinis ſanies, interdum pallidus, candidus, ſeroſus, & multoties ſemen: nam quemadmodum mares gonorrhœam patiuntur, ſic etiam fœminæ, quod ſeminis profluuium, vel propter facultatis retentricis vaſorum præparantium, vel teſtium imbecillitatem, vel ob ſeminis acrimoniam accidit, monente Galeno 6. *de loc. cap. vlt.* Diſtinguitur autem à fluxu aliorum humorum, ex Auic. 21. 3. *tract.* 3. *cap.* 23. ex materiæ decurſu per vuluam: ſi enim ſemen eſt, ex interuallis contingit in quantitate pauca; quòd ſi magna copia erumpat, ex modo ſubſtantiæ dignoſci poteſt, æqualitatem enim obtinet, & ſplendorem.

Cauſa huius affectus ſemper ſolet eſſe cacochymia, quando citra imbecillitatem vteri, vlcus, vel calorem contingit, quod humorum vitium vel ex debilitate facultatis alteratricis, & retentricis, tam iecoris, quàm totius corporis, aut ob ſeri ſanguinei copiam, ob imbecillitatem facultatis ſeparatricis iecoris, obſtructionem renum, aut cutis conſtipationem enatam, emanare ſolet, vt *cit. lib. de diff. ſympt.* Galenus affirmat.

Signa ſunt ferè omnia, quæ malum corporis habitum conſequuntur. Sicut enim cæteræ immodicæ & diuturnæ vacuationes, iecur, ac ventriculum, reſoluunt, ſic hic affectus viſcera proſternit, ac mirum in modum debilitat. Quare adeſt cibi faſtidium, & deprauatus corporis habitus, ad quem hydrops conſequitur: tumeſcunt pedes, facies fit ſubalbida, & cachecticis ſimilis, totius corporis color vitiatur: nam coctio, diſtributio, & ſeparatio alimenti fit infauſta. Summa triſtitia fœminæ premuntur, quam lumborum grauitas, & dolor comitantur. Pudendum perpetuò humidum eſt, vt teſtatur Paulus *lib.* 3. *cap. cit.* Adeſt in deambulatione, & quouis leui motu defatigatio, quam difficilis reſpiratio ſequitur, ex Hippocrate *lib. de nat. muliebri, n.* 10. quod ferè accipiendum eſt; affirmat enim, quòd ea quæ per vterum expurgantur, mordent, & exulcerant partes per quas feruntur: eſſe autem ſalſam pituitam, & acrem, à capite ad vterum deſcendentem, firmat Hippocrates *lib. de morb. mulier. num.* 40.

Præſagium. Fœminæ hoc vitio affectæ rarò concipiunt,

piunt, cùm ex assiduo excrementorum defluxu vterus debilis,& intemperatus sit factus, & vtrumque semen ob humiditatem,& laxitatem vteri non retineatur, sed elabatur foràs. Ob quam etiam causam nimis madefactus vterus excidit,& elabitur,maximè cùm hic affectus eas præsertim arripiat, quæ corpus valde laxum habent,veluti sunt quæ laboriosum partum , aut abortum sunt expertæ,vel quibus ex nimio concubitu vteri corpus nimis laxum est,aut quæ prava viuendi ratione vsæ sunt , aut exercitium dimiserunt. Rarò accidit virginibus,agrestibus,& exercitatis.Demum vteri profluuium si diu duret,fœminas in hydropem,tabem, & alios funestos morbos præcipitare solet.

Curatio perficitur iisdem auxiliis , quibus immodicam sanguinis vacuationem esse curandam *superiori capite* protulimus. Quare si sanguis plurimus causa sit, basilica lateris dextri secanda. Si bilis exuperet,cholagoga offerenda. Si humor melancholicus , exhibenda melanagoga,assumptis priùs syrupis, & decoctis , crassum,terrestrémque humorem præparantibus. Quòd si serosus , aut pituitosus humor exuperet , accommodis pharmacis expurgandus. His factis institutum Medici eo solùm collimet , vt nimiam,& excrementitiam humiditatem exiccantibus absumat, vt docuit Galenus *lib. de præcogn. ad Posthum. cap.* 8.

De præsidiis extrinsecis sic determinat Auicenna 21. 3 *tract.* 3 *cap.* 24. vt priùs vterus abstergatur mundificatiuis , deinde cum stypticis. Ad mundificandum vterum à viscosis,& crassis humoribus optimum est indere in vuluam,cottum carminatum,quod priùs madefiat terebinthina. Vtile est etiam immittere pilas paruas, factas ex foliis mercurialis modicè contusis in oleo anethino, quod auxilium mirabiliter vterum abstergit, atque repurgat , maximè si ter supponantur in nocte. Idem præstat commodum , decoctum Marrubij , aut mercurialis succus per siphonem iniectus. Deinde offerantur roborantia vterum,& quæ illum à proprietate firmare nata sunt,vt Diambra,Diamoschum, Tryphera magna sine opio. Dosis drachma vna, & dimidia cùm decoctione myrtillorum : Vel assumat ægra hunc puluerem,qui summam vtilitatem præstare solet.

℞. *Coral. rubeor. cornu cerui vsti, nenupharis , thuris, mastich. sem. rosar. spodij, berber. sumach, sem. nasturtij torrefacti , an.* ʒ j. Fiat puluis , dosis drachma vna , & dimidia : sumatur auroris tribus cum modico vino. Vel ex iisdem pulueribus fiat cum saccharo electuarium.

Prodest etiam summè , ter exhibere in potum cum aqua plantag. drachmam vnam & dimidiam stercoris caprini exiccati , ignorante fœmina. Hoc etiam vtilissimum est.

℞. *Succi stercoris asinini recentis, syrup. myrtil. an.* ʒ ij. Misce , offeratur ter.

Clyster vterinus proficuus est , paratus ex decocto scoriæ ferri , aluminis , Bursæ pastoris. Suffumigium ex stercore ouillo valde iuuat. Emplastrum ex stercore arietino factum cum glutine coriorum , sublime præsidium pro hoc supprimendo fluxu. Idem præstat pessarium paratum ex puluere scoriæ ferri , & cinere ligni tamarisci , cum albumine oui , & intra vuluam appositum.

At inter hæc omnia , balnea naturalia optima sunt, præsertim ferrea,nitrosa,sulphurea,gypsea , aluminosa: si verò desint,artificialia etiam iuuant,facta ex decocto nucum cupressi,semin.agni casti,sumach,Myrto,Roremarino,Hypocisthide,Alumine. Prisci vtebantur balneo sicco, ex arena marina parato, ad Solis feruentissimi æstum corpore reposito, & valida frictione agitato. Si non prosint,ad sudorifica ex Ebeno, Radice Chinæ, & smilace aspera parata accedere oportet ; nam huius auxilij ope,prouocato sudore,viscera roborantur,& excrementitia humiditas absumitur , & ab vtero ad ambitum corporis auocatur humor : & nocturno tempore assumat ægra vnciam dimidiam huius electuarij,Ebeni decocto calido superbibito.

℞. *Theriac. magnæ, mithridat. an.* ʒ j. *diambræ, diamoschi, aromatit. rosat. diarrhod. abbatis , diamargarit. calidi, an.* ʒ ij. *eboris in minutissimum puluerem redacti,* ʒ iij. *panis nautici tenuissimè triturati* ʒ j. *radic. smilac. asper. radic. chinæ, cortic. ligni Indi, an.* ʒ ß. *folior. sennæ ,* ʒ iij. *turbith.* ʒ j. *confect. hyacinth.* ʒ ij. *confect. alkermes,* ʒ iij. *anisi,* ʒ j. *cinnamom.* ʒ ß. *conserue flor. stœchad. conserue flor. salsiæ, an.* ʒ j. *rosar.* ʒ j. ß. *radic. bistortæ,* ʒ j. Pulueriſanda pulueriſentur tenuissimè,& excipiantur cum syrupo rosar. siccar.& sec. art. fiat conserua.

Vel vtaris hac, quæ in omni fluxu muliebri est probatissima.

℞. *Cinnamom. caryophyl. zingiber. an.* ʒ j. *macis, nucis moschatæ, cardamomi, rosar. rubr. coriandri , piperis longi, diarrhodon. abbat. santalor. rubeor. serici crudi, an.* ʒ j. *moschi,* ℊ. xxx. *ambræ,* ϑ j. Cum sufficienti sacchari quantitate fiat puluis,ex quo paretur conserua,vel formentur trochisci.

Si ex ventriculo hoc oriatur vitium , ille roboretur vnguentis , emplastris , culcitris. Hoc vnguentum in roborando ventro apud me familiare est.

℞. *Olei absinth. cydonior. mastich. de spica, an.* ʒ j. *galangæ, caryophyl. an.* ʒ j. *absinth. pontic. menthæ siccæ , an.* ʒ j. ß. *aromatic. rosat. diarrhodon. abbat. coral. rubri, mastich. rosar. rubrar. an.* ϑ j. *cinnamom.* ϑ ß. Cum sufficienti ceræ quantitate, fiat vnguentum sec. art.

Non minoris efficaciæ est , si cætera non prosint, fontanellam cruri affigere , vt recrementitia humiditas in vterum à toto confluxura , illius ope quotidie vacuetur.

OBSERVATIO III.

Muliebri profluuio curando , Emplastrum eximium.

MVliebri fluxu correptis, & hac de causa corpore extenuato,expurgato priùs rectè corpore, longè omnium optimum est , Emplastrum hoc renibus apponendum.

℞. *Consolidæ maioris,* M. ij. *baccar. myrti,* P. ij. Bulliant lento igne in sufficienti quantitate vini rubri : adde in fine *myrrhæ, thuris, an.* ʒ j. Postea fortiter coletur , & exprimatur: Colaturæ adde *mastich. absint. sanguin. dracon. scoriæ ferri præparatæ, coral. rubri, terebinthinæ, an.* ʒ j. *seui hircini* ʒ j. ß. *olei myrtin. omphacini, amygdal. dulcium , an.* ʒ ij. Bulliant ad consumptionem decoctionis : postea coletur,& adde *croci, lithargyrij, boli armenæ , terræ sigillatæ , an.* ʒ j. *minij* ʒ j. Coque lento igne , & cum ceræ nouæ sufficienti quantitate fiat emplastrum.

CAPVT XII.

De Vteri suffocatione.

Definitio.

DE Vteri strangulatu plura legat qui velit , *lib.* 3. *Hist. Princip. Medic. Histor.* 9. hîc de huius affectus natura, & curatione peragemus breuiter , qui affectus, teste Paulo *lib.* 3. *cap.* 71. est vteri recursus ad superiora. Et licèt verum non sit , vterum propria substantia ascendere ad superiora , vt priscorum plures confirmarunt , intelligendus est Paulus , ac si dicat , vapores ab vtero elatos ascendere ad partes superas , quas sua prava & frigida qualitate inficiunt , & prosternunt, & cerebrum , cor , septum transuersum , ventriculum , iecur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 544 sur 927

iecur, lienem, & reliquas vicinas partes attrahunt in ſui conſenſum.

Videndum primò: *Vtrùm omnes ab vtero affectus ſub nomine ſuffocationis vteri poſſint comprehendi?* Dicitur à Latinis hic affectus, vteri ſtrangulatus, ſeu ſuffocatio, & communi dicendi modo, morbus vterinus appellatur; neque ignoro lata ſignificatione, ſub hoc omnes vteri affectiones poſſe comprehendi. Hic affectus propriam obtinet naturam, in vteri aſcenſu ad ſuperiora: ſemper enim ſiue ſurſum æqualiter fuerit retractus, ſiue inæqualiter ad latus alterutrum, vteri ſtrangulatus excitatur, qui inter praua, & ſæuiſſima ſymptomata quæ concitare ſolet, reſpirationem maximè lædit, ita vt quamplurimæ ſuffocatæ, cohibita & intercepta reſpiratione, è vita diſcedere viſæ ſint.

Etſi varia, & diuerſa ſymptomata hic affectus concitare poſſit, tamen non ſimplex eſt, vnicus, & ab vno fonte prognatus, ſed multiplex, vt graphicè (nî fallor) *lib. 3. Hiſt. Princip. Medic. Hiſt. 9.* diſceptauimus. Omnes tamen à praua intemperie, vel ex maligno vapore ab vtero ſupernis partibus communicato originem ducere, *6. cap. 5.* Galenus confirmat. Ob quam cauſam in hoc affectu, nauſea, difficilis reſpiratio, illius priuatio, vomitus, cordis palpitatio, anxietudo, animi deliquium, ſyncope, dolor capitis, vertigo, vteri furor, morbus comitialis, conuulſio, ſopor, & alij emergunt qui ſub nomine ſuffocationis vteri ſignificantur, quoniam hæc omnia ſymptomata, ad vterum tanquam ad radicem, & fontem ſunt referenda. Neque ab hac doctrina alienus eſt Auicenna, *21. 3. tract. 2. cap. 16.* dum dixit: *Hæc ægritudo ſimilis eſt epilepſiæ, & ſyncopæ, & eius initium eſt à matrice*: quoniam hi omnes affectus per conſenſum ab vtero emanant, vt *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 68.* Aëtius, Celſus *lib. 4. cap. 20.* Aretæus *2. acut. 11.* docent eleganter.

Magna enim eſt vteri cum omnibus noſtri corporis partibus ſocietas, & cognatio. Cum cerebro per membranas; & neruos conſentit; cum corde per arterias; cum iecore per venas; cum ventriculo, inteſtinis, ſepto tranſuerſo, & pulmone per vias manifeſtas, & alias occultas, quæ licèt nobis ſint ignotæ, naturæ tamen ſunt manifeſtæ ſatis. Quapropter cùm hic affectus in vteri retractione, vel peruerſione conſiſtat, vitium eſſe in ſitu, & aliquando in figura, & ad morbum in compoſitione eſſe reducendum, certum eſt.

Verùm dubitatio maxima eſt: *Vtrùm Vteri ſtrangulatio, morbus ſit frigidus, an calidus?* Cùm enim ferè ex ſanguine menſtruo retento, & ſemine ſuppreſſo non vacuato oriatur, calidum eſſe affirmabimus: has enim ſubſtantias non exigua præditas eſſe caliditate, omnibus compertum eſſe reor. Deinde hic affectus corripit præſertim iuuenes, ætate florentes, temperamento calidas, in quibus ſanguis feruet, & ebullit; qui ſi in vteri ergaſtulo ſtabuletur, incaleſcit, putret, & cordi flammeam veluti diſpoſitionem citiſſimè communicat. Prætera virgines, viduæ, à concubitu cui erant aſſuetæ, abſtinentes, furiunt, agitantur, incaleſcunt: quo denegato, partes omnes quæ hac vacuatione tranſpirabant, excandeſcunt, & hac ratione calor excedens in corpore excitatur. Hoc ita eſſe vtero præfocatæ demonſtrant, quæ acceſſione oppreſſæ ſitim ingentem, incendium in viſceribus, & crebram reſpirationem patiuntur.

Dic primò, affectum hunc frigidum eſſe: nam calor natiuus in eo quaſi ſtrangulatur, quo minuto, reſpirationem etiam diminui eſt neceſſe. Ob hanc rationem Soranus apud Aëtium hanc affectionem, flatuoſam refrigerationem appellat. Et ideò Auerrhoës *3. collig. c. 29.* in hoc affectu non ſolùm vteri functiones, verùm etiam omnes corporis actiones lædi, & corpus mulierum neceſſariò refrigerari affirmat, quia à vaporibus prauis, natiuus calor refrigeratur.

Dic ſecundò. Licèt ſemen, & ſanguis menſtruus calidæ ſint ſubſtantiæ, tamen cùm in vtero, & vaſis ſpermaticis ſtabulantur, & diu retinentur, præter naturam incaleſcunt, & ſic putreſcunt, & corrumpuntur: quæ etſi in principio calidiora appareant, *4. meteor. cap. 1.* tamen natiuo calore, ab extraneo forriori, extrà educto, ſubiectum refrigeratur proprio calore deſtitutum. Quo fit vt frigidi vapores, ſpurci, & caliginoſi ab vtero eleuati, in quo deteriorem labem ſuſceperunt, caput, cæteráſque partes vicinas concutiant, & maligna qualitate proſternant.

Cauſa.

DIſceptatum eſt aſſiduè à viris Medicinæ peritis, *Vtrùm ſtrangulatio vteri, præter ſanguinem, & ſemen retentum, ab aliis etiam cauſis poſſit concitari?* Dic, cauſas huius affectus in triplici eſſe differentia: quædam enim externæ, ſeu primitiuæ ſunt, vt aër frigidus, corporis meatus conſtipans, & vterum infrigidans; potus etiam, & alimenta praui, & craſſi ſucci; ſomnus ſuperfluus, & immoderata vigilia; immodicus, & incongruus balnei vſus; diuturna veneris abſtinentia. Aliæ ſunt antecedentes, vt totius corporis, aut vteri frigida intemperies, ob quam excrementorum reſolutio impeditur. Anguſtia, & viarum obſtructio, per quas etiam vterus ſolet expurgari. Indebita ſeminis, aut menſtrui, & corruptorum humorum, venenoſorum retentio, qui in vtero, velut in cloaca quadam infixi, & prohibiti difflari, putreſcunt, & ſuo prauo vapore partes ſuperas miſerrimè inſtar ſputi rabioſi, ſi cutem attigerint, aut præſentanei veneni inſtar feriunt, & concutiunt, ſpiritalia opprimunt, vaſa reſpirationis intercludunt, cor lancinant, cerebrum labefactant: hinc extremorum accidit frigiditas, angor, palpitatio, vocis priuatio, vocalibus organis à maligna aura intercepris, & natiuo calore veluti orbatis. Quæ omnia à materia praua deleteria vterum replente oriri certum eſt: nam vteri inanitionem tot excitare portenta, & monſtra, veluti aliqui perſuaſere ſibi, rationi non eſt conſentaneum, cùm vterus ipſe ſit veluti humiditatum ſentina, & excrementorum lacuna, neque hac de cauſa ad tantam poſſit ſiccitatem deuenire, vt ab ea vteri retractio poſſit excitari. Huius ergo ſæui affectus, etſi frequens cauſa ſit ſeminis, & ſanguinis menſtrui retentio, tamen ab aliis virulentis humoribus poſſe excitari non eundum inficias.

Signa.

SIgna in duplici differentia ſunt conſtituta. Alia enim affectionem hanc à ſemine retento oriri oſtendunt, à quo grauiſſima damna ſubſequuntur: cùm enim ſemen ſubſtantia quædam ſit elaboratiſſima, & plurima ſpirituum copia referta, quùm corrumpitur, vehementiſſimam cauſam arguit, ac deteriori labe, & putredine affici ſolet, cæterarum ſubſtantiarum perfectiſſimarum inſtar, quæ licèt diu integræ, inculpatæque perſiſtant ſine corruptione vlla; tamen ſi putreſcant, in malignioremabeunt perniciem, vt poma odora, vitellum oui, lac, cadauer humanum, quæ fœdata, omnium maximè putreſcunt.

Hinc Aphonia, membrorum torpor, ſyncope, omnimoda virium iactura, pulſus, & reſpirationis priuatio, deliramenta inſolita, deſperatio, angor, triſtitia, formido, febres erroneæ, & alia quæ aſſiſtentes grauiter terrent, Medicos in ambiguitatem adducunt, cùm ſigna excedentis caloris in viſceribus, & in habitu corporis inſignem refrigerationem perſentiant, maximè cùm alia funeſta damna ex hoc perenni fonte ſcaturiant, quæ illos dubios, & perplexos reddunt: adſunt enim in hac acceſſione ab huiuſmodi cauſa prognata, horri-

biles

biles dentium fragores,truculenta epilepsia , dira conuulsio, inordinatus totius corporis, & interdum vnius partis motus conuulsiuus. Demum ita ferocia, & plena timoris sunt symptomata , quæ ab hac causa emanant , vt si ipsas accessione grauissima oppressas circumspicias , à dæmone vexatas esse asserere non dubites.

Alia signa sunt , quæ ex sanguine retento hanc affectionem oriri significant. Nam cùm sanguis sit benignus natura suapte , & pro partium nutritione ad vltimum à natura seruetur,vt si corrumpatur,clementiora, & benigniora pariat symptomata. Quare imminente accessione adsunt pigritia ad ambulandum , torpor membrorum,languor,imbecillitas, corporis refrigeratio , pallor faciei, tristis aspectus , ventris murmur ex flatuoso vapore subortum.

Alia præsentem accessionem demonstrant, vocis, & respirationis læsio , motus , & respirationis priuatio, conuulsio,& comitialis morbus , apparente aliquando in ore spuma , præsertim illis quæ temperamento frigido præditæ sunt , & pituita abundant. Clamant, luctuosa suspiria reddunt,& cum magna desperatione delirant, quæ omnia signa principium suffocationis vteri manifestè demonstrant. Accedunt etiam profundus somnus ; dentium stridor , ob nocumentum mandibularum musculis communicatum ; oculi , ob debilitatem musculorum palpebrarum clauduntur; hæc autem accidunt,quando accessio est in augmento; quæ si ampliùs inualescant , ac fiant fortiora , vigorem eius præsagiunt. Cæterùm cùm hæc mitescere incipiunt , maxillæ rubent , sensus , & motus apparent , & præteritorum recordantur , & ex locis muliebribus, ore vteri adaperto & laxato,humiditas quædam excernitur , cum ventris strepitu , & murmure , oculi paulatim attolli , & aperiri incipiunt , tum accessionis declinatio adest.

Neque his solùm signis Medicus ad indagandam causam mali ac quiescat oportet, sed eam exactiùs speculari debet : nam si sanguis retentus huic vitio occasionem præstiterit,ex temporum pulsatione cognosces, capitis dolore prope oculorum radices, grauitate totius corporis , menstruis suppressis , lacte apparente in mamillis , si fœmina grauida non sit : quòd si ea venere ad libitum fruatur , & menstrui suppressio adsit, indicium tunc certum est,ab hac causa affectum hunc originem ducere.

Si menses supprimantur à flauabile , symptomata erunt grauiora: aderit vigilia,sitis,incendium,delirium, febris. Si humor pituitosus causa fuerit , apparebunt somnus , sopor,pigritia, &c. A melancholia si oriatur malum , omnia erunt magis horrenda , vt desperatio, mentis perturbatio , timor , tristitia , maior respirationis læsio. A sanguine redundante scaturire malum , cognoscemus ex habitu corporis carnoso , & rubicundo , facie purpurea , vita otiosa , & præcessit vsus alimentorum,quæ sanguinem generare nata sunt.

Præsagium.

MOrbus hic periculosus est,præsertim si diu durat & accessionum frequentia fatigat : nam ducto in consensum cerebro , & magis ac magis debilitato, grauissimi morbi huius partis , & neruorum superueniunt , qui ad interitum deducunt , maximè si respiratio læditur , minuitur, rarior fit,obscuratur , & amittitur. Pari modo si pulsus non solùm languescit , & inæqualis est,sed intermittit,& deficit, mortem imminentem præsagit ; à venenoso enim vapore ab vtero elato , spiritus vitalis extinguitur , & cordis atonia ex toto corruit,& labascit,præsertim si sudor frigidus , & lentus è corpore erumpat , similis illi qui syncopæ superuenire solet.

Affectio hæc hyeme,& autumno præsertim inualescit : his enim temporibus,vterus , & cæteræ corporis partes maiorem refrigerationem experiuntur. Proportionalis est iunioribus,sterilibus , viduis , castis , & illis quæ ritè non purgantur , aut viri consuetudine non fruuntur. Si à causa externa ortum ducat,minùs est periculosa,quàm ea quæ à causa interna scaturit ; multoties enim ex alimentis acetosis,& frigidis illam excitari, experimento compertum est.

At cùm affectio hæc cum aliis grauissimis maximam similitudinem habeat;iccircò ab illis est priùs propriis signis distinguenda.A syncope distingues : nam in hac facies liuida,& pallida apparet cum pulsu deficiente,& frigido sudore, vt similis mortuo videatur;in strangulatis vtero,è contra,est rubra,& tumet,neque is apparet pulsus. Ab Apoplexia , quoniam in vteri strangulatu neque gemitus,neque stertor , neque omnimoda sensus, & motus priuatio , aut totius corporis refrigeratio apparent ; quæ omnia adsunt in Apoplexia. Ab Epilepsia, quia hoc morbo correpti conuelluntur , spumam ob ore emittunt,& intellectum cum læsione memoriæ amittunt;vtero strangulatæ, excitatæ , eorum quæ præcesserunt,recordantur. A Lethargo,febre,quæ lethargicos comitatur , & pulsus magnitudine ; strangulatæ verò non febriunt, sed pulsum obtinent paruum , submissum,& qui vix à Medicis percipitur. A Catalepsi, quoniam in hac affectione oculi aperti sunt ; in vteri strangulatione,clausi. A venenatis,nam hæ cum extremorum nigredine,sudore frigido,& vomitu apprehenduntur ; strangulatæ liuore carent , & nigredine. A lumbricis,quoniam quibus verminatio contingit, vox omnino ferè deperditur , pulsus inæqualis redditur, paruus , & obscurus , quæ omnia in suffocatione vteri non eueniunt. Cætera verò problemata, cur viri fœminarum consortio non vtentes , similibus pathematis non premantur ? cur grauidis vteri strangulatus non contingat,si menstruum per vterum excurrit?cur strangulatæ viuant sine respiratione, & pulsu , siquidem respirationem à vita , & hanc respiratione non posse separari docuit Galenus *6. de loc. 5.* ita vt respirantem non viuere, & viuentem non respirare , sit impossibile ; soluta inuenies *lib. 3. Hist. Princip. Medic. in com. cit. hist. 9.*

Curatio.

DVplex medendi scopus huic vitio vtilis est : alter quum fœmina accessione apprehenditur;alter extra accessionem , in qua etiam de præcautione agendum. A primo scopo faciamus exordium , circa quem triplex indicatio insurgit : Prima , quæ vterum ad proprium locum conuertere docet. Secunda, quæ euaporationem ab vtero ad superiora impedit. Tertia , quæ materiam in vtero infixam,ex qua praui halitus eleuantur,extra vterum eliminare suadet.

Prima completur clysteribus acribus,quorũ formulas *lib.1.c.de Epilepsia,& Apoplexia* descripsimus,vinculis dolorificis in partibus inferis , asperrimis frictionibus cum sale,& aceto feruefactis , celebratis, quæ toto paroxysmi tempore debent administrari his enim fortibus medicamentis facultas expultrix excitata , noxium humorem repellit ad inferas partes,& fit promptior reuulsio excrementorum,& vaporum, quæ tumultuariè, & assiduè in partes superas obrepunt.

Fœmina iaceat in lecto supina ; & capite eleuato,& inferiores partes sint decliues. Totus venter manibus erit fricandus , non circumcircà , sed manus debent comprimi versus partes infernas,inunctæ oleo laurino, irino,rutaceo,sesamine,Naphæ,spicæ;huius enim auxilij ope,flatus ab vtero eleuari discutiuntur, vterus redit ad proprium locum , & humor impactus feliciùs attenuatur , vt à natura possit expelli.

Dum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 546 sur 927

Dum hæc parantur, naribus apponere oportet, quæ fœtidum ex ſe odorem expirant; cùm enim calida ſint, & acria, facultatem animalem conſopitam excitant, flatus diſcutiunt, & vterum ad proprium locum deturbant: Ea ſunt ſuffumigia parata ex pennis perdicum, capillis vſtis, cimicibus, calceo veteri, ſulphure, aſſa fœtida, galbano, opopanace, ſerapino, ruta, nigella, thymo, ſinapi, quorum vaporem, & fumum olfacere oportet. Parti inferiori, & intra vterum indenda, quæ iucundum, & ſuauem ex ſe eructant, vt Moſchus, Gallia moſchata, Ambarum, lignum Aloës, Styrax, Cinnamomum, Caryophyllum, vel ex iis in prunas ardentes coniectis, fiat puluis ad ſuffitum per vuluam. Hoc eſt à me expertum medicamen.

℞. *Sem. melanthij*, ℥ ß. *ſtyracis calamit. ſchœnanth. calami aromatici, ſpicæ nardi, an.* ʒ iij. *roſar. rubrar.* ʒ ij. *galliæ moſchatæ*, ℈. vj. Fiat puluis.

Vtrùm verò *vterus odoribus moueatur?* dubium eſt arduum, quod cùm perfunctiorìè attigerimus, *lib. 2. Hiſt. Princ. Medic. in com. Hiſt. 47.* eius hoc loco vberior explicatio reddēda. Suauiſſimis enim ipſum odoribus delectari, ingentémque ab ipſis voluptatem ſuſcipere, ſicuti à malis indignari, & moleſtiam ferre, ex eo conſtat, quòd aromatum ſuffitu expanditur, rebus verò fœdis, & peſſimum odorem ſpirantibus refugit, atque contrahitur. Hinc eſt quòd Galenus *1. ad Glauc. c. 14.* in defectu animi ex vtero, naribus ea quæ fœtidiſſimum odorem obtinent, vtero autem odorata, & quæ laxare, ac calefacere poſſint, medicamenta adhibere, non ſine maxima ratione conſuluerit.

Idem, ſed vice verſa, in vteri procidentia facere Medici præcipiunt, nempe odores iucundos, Ambarum nimirum, moſchum, Galliam moſchatam, Aliptam moſchatam naribus continenter admouere, fœdos verò & tetros muliebribus locis; ob ídq; taurino, vel bubulo ſtercore vterum per infundibulum ſuffiunt, ídque etiam facere ſolent Ammoniaco, ſagapeno, opopanace, per ſe, aut vrina fœtente ſolutis. Muliere ſic circumtecta, vt vapor fœdus nares non attingat, ſed per ipſas bonus, & voluptuoſus ſolùm ingrediatur: ad hoc vt vterus, qui infrà ad eius collum, & nonnunquam foràs egreſſus eſt, ac procidit, ſurſum, ac in ſuum locum aſcendat. In vteri autem ſtrangulatu, fœrentia hæc, quæ dicta ſunt, naribus admouent, ſuauiter verò olentia ſubtus ponunt, vt deſcendat, ac in propriam ſedem delabatur.

Neque hæc vterum odorandi ſenſum habere confirmant, ſed à natura ea obtinere: Verùm appetitus hic ſuauiſſimorum odorum, quo vterus flagrat, non animalis exiſtit, ſed naturalis duntaxat, qualis viſcerum eſt dulcium ciborum: vt enim hæc, dulcia auidiſſimè alliciunt & oblectantur, reſpuunt amara, nullo ſenſu guſtus, ſed affectu tantùm naturali; ſic vterus naturali affectu ad bonos odores mouetur, auerſatur eos qui fœtentes ſunt.

Solue ſecundò. Dolor, & triſtitia in omni ſenſu adſunt, cùm ſint paſſiones ſenſus, veluti voluptas; non poſſunt autem hæc fieri, niſi actio fiat confertim, & ſimultaneè: cùm ergo fœtida, ingrata, & olfactui inimica naribus ſeſe offerunt, ſpiritus animales, qui pro ſenſorij muneribus perficiendis, abundant in copia multa, ſimul cum ſanguine, & ſpiritu vitali, ad ſuum principium retrahuntur; hi verò vaporibus ab vtero eleuatis obuiàm facti, ipſos partim caliditate qua pollent, attenuant, ac reſoluunt, partim violento illo motu ad inferas partes deturbant, relaxant, & aperiunt vias, ac virulentiam à ſemine, & ſanguine menſtruo relictam, extra vterum propellunt.

Odorata vtero admota contrarium efficiunt: nam vis ſenſibilis cum ſpiritibus, & ſanguine ad obiectum percipiendum affatim mouetur, & cum eis vapores ab vtero eleuati iterum ad eum conuolant, & præcipiti lapſu ruunt, quo tempore odora, & grata vtero appoſita, ſua tenui, & calida facultate illorum frigiditatem corrigunt, craſſitiem attenuant, laxant vias, ac dilatant. Ob hanc cauſam Galenus *cit. ad Glauc.* odorata ſimpliciter ſupponenda mulieribus hyſtericis non affirmat, ſed quæ laxare, & calefacere poſſunt, imperauit.

Cucurbitula in inferis partibus appoſitæ, vterum deorſum vehementiſſimè attrahunt, ſimúlque flatus diſcutiunt. Imponantur ſiccæ infra vmbilicum, non verò ſuprà, vt quidam faciunt inconſultè, alioquí vterum ad ſuperiores partes auerterent: neque Aëtius aliter præcepit exercendum, dum iuxta vmbilicum eas admouendas iubet, quoniam interpretari debet, vt apponantur infra ipſum.

Si verò his præſidiis acceſſio non ceſſet, intra nares immittantur calamo intruſo pulueres ad ſternutamentum prouocandum, quoniam, vt dicebat ſenex *5. Aph. 35. Mulier quæ vterinis moleſtatur, ſuperueniens ſternutatio, bonum*, & vt Galenus confirmat *in com.* Quoniam *vterinis ſuffocationibus, ſuperueniente ſternutatione, patiens aliquantulum leuatur, non ſolùm quia eſt bonum ſternutatio ſponte aduenies, iis quæ ita ſe habent, mulieribus, ſed quoniam & cauſa, vt quæ ſit huius paſſionis remedium. Signum itaque bonum exiſtit, quia naturam oſtendit, & propriarum meminiſſe motionum, & quæ prius torpebat, excitari, ac reuiuiſcere, quandoquidem aliquam eiicit ſuperfluitatem.* Quapropter mirificè ob dictas cauſas ſternutatio prodeſſe ſolet. Eam parabis hoc modo.

℞. *Piperis, ſinapi, pyrethri, caſtorij, ſagapeni, ellebori albi, nicotianæ electæ, an.* ϑ j. Tere omnia tenuiſſimè, & fiat puluis intra nares immittendus.

A vino omnino cauendum: nam ferè odorum eſt, & vterum ſurſum euocat, exagitat corpus, inflammat, vapore ſuo caput replet, flatus eleuat. Si tamen ſyncope, aut nimia adſit virium reſolutio, pauxillum offerendum, & hoc modo intelligendus Hippocrates, *lib. de natur. mulieb. poſt princip. §. & aperto ore vinum infundito.*

De phlebotomia quærendum: *Vtrùm in acceſſione celebranda?* Dic. Si acceſſio à ſemine retento originem ducit, ea minimè exercenda, ſed propriis auxiliis ad abſumendum ſemen accommodatis pugnandum. Si verò à ſanguine menſtruo retento concitetur, ea præſentaneum auxilium eſſe cenſetur, dummodò vires adſint, ætas floreat, & fœmina pleno victui ſit aſſueta, venæ ſanguine turgeant, tunc intrepidè non ſolùm ſemel, ſed bis, & ter in talo ſecanda vena: cùm venas grandiſſimas habeant, plurimo, craſsóque ſanguine replentur, qui retentus, prohibitus difflari, & in vtero conculcatus, putreſcit, malignámque induens naturam, ſuperas partes aura venenata ferit, lancinat, & premit, & maximè ſi ſanguis per nares, aut vomitum excernatur, quia tunc ſi menſtrua erumpant, ſalubre eſt, iuxta ſenis edictum, *lib. 5. Aph. 32.* Si minùs, vt Galenus monet *in com.* prouocanda menſtrua ſecta ſaphæna. Neque aſſeras, in acceſſione fœminam eſſe torpidam, ad ferenda remedia ineptam, totúmque ſanguinem in viſceribus eſſe collectum, & hac ratione minimè vacuari poſſe ſecta vena, naturámque ſui muneris eſſe oblitam, fœminâmque in acceſſione eſſe, in qua iuxta Celſum *lib. 2. cap. 10.* impium eſt, & ab arte alienum ſanguinem mittere: Nam ſententia Celſi intelligenda eſt, de morbo qui præſtat inducias, non acuto, atque lethali; non verò de truculento, & ex ſe exitiũ minante, in quo, quocunque tempore exerceatur phlebotomia, maximam commoditatem præſtat. Naturā verò excitatur, & ad partes inferas auocatur crurum frictione, vinculo, balneo, quæ phlebotomiam ex talo præcedunt neceſſariò, quorum ope ſanguis concretus, & craſſus liquefit, attenuatur, & fluidus factus ad motum redditur paratiſſimus. Si vires non ferant, vtere ſcarificationibus factis in femore, nam hæ eaſdem commoditates

moditates præbent, quàm phlebotomia. Vel hirudines femoribus, vel marisci appone.

Vomitum consulunt plures, quem Auicenna, & Aëtius propriis capitibus perlaudarunt. Verùm cùm hoc præsidium non reuellat, sed ad partes superas humorem attrahat, omnino admittendum non est, ni vteri strangulatus ab alimentis & potibus initium habeat, & pituitosus succus in ventriculo redundet in copia multa, naturæque negotium faceſſat; eo enim tempore, etiamsi vterus ad superiora retrahi videatur, nihilominùs vtilis est, ex eo enim maior vtilitas, quàm noxa subsequi solet.

Transacta accessione, studendum est ne iterum reuertatur, quod fiet, si humor exuperans vacuetur, aut illius generatio impediatur. Si ob retentionem seminis eueniat, concubitus salubris est, cuius ope partes genitales incalescunt, laxantur, dilatantur, & humiditates in vtero retentæ, quæ tandem in veneficam debebant abire naturam, extrà funduntur. Quare si licitè fœmina viri consortio possit frui, nullum illi vtilius, & accommodatius potest imperari auxilium, cùm ex semine retento, putrefacto, venenoso, dira, & terroris plena inposterum concitentur symptomata, quæ difficilem postea habent correctionem, quæ Galenus 6. *de loc. cap.* 5. proposuit, & nos appositis exemplis *lib.* 3. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 9. ex veterum mente recitauimus. Hæc est causa, ob quam Hippocrates *lib. de genitur. in med.* dixit, mulieres quæ coëunt, magis sanas esse, quàm reliquas; quod non solùm contingit ex eo, quòd semen non retineatur, atque putrescat, sed quoniam ipsis menstruæ purgationes feliciùs excurrunt, ob causas dictas.

Si verò hoc auxilium consequi non possit, omni cura studendum est, ne abundet semen; quod si exuperet, copiáque sua fœminam molestet, id discuti & euacuari oportet. Interdicenda sunt alimenta, quæ plurimùm nutriunt, sanguinem generant, & semen. Præparandi humores crassi, frigidi syrupis, inter quos primarium locum obtinent syrupus Borrag. Cichor. Capil. vener. de duab. Radicib. sine acero, Byzantin. de Mentha, Artemisia, & Nenuphare: Dissoluantur cum aq. Borrag. vel decocto Capil. Vener. Glycyrrhiz. Sem. dauci, Anisi, fœnicul. Dictamni, Radic. Angelic. aut Bryoniæ. Expurgetur humor cum pilulis de agarico, Aggregat. de Hiera, Rhab. Senna, & similibus.

His factis, ad minuendum semen, & absumendos flatus accedere opus est, oblatis tabellis Diagalanga, Diatrion piper, & Diacalamentho. In quem vsum sequentes vtiles sunt.

℞. *Sem. agni casti, vrticæ, lactucæ, plantag. portulac. an.* ʒ j. *flor. nenuphar. & papauer. an.* ʒ ß. *cornu cerui vsti, coral. rubri, an.* ʒ j. ß. Cum saccharo dissoluto in aq. ros. fiant tabellæ sec. art.

Neque minoris momenti sunt trochisci Rhasis, sæpe à me experti, quorum descriptionem proponit *cap. de strangulatu vteri.*

℞. *Sem. cicutæ, menthastri montani, seseleos, aristolochiæ rotundæ, rubiæ tinctorum, folior. agni casti, foliorum rutæ, an.* ʒ ij. Cum syrupo de Artemisia, parentur trochysci sec. art. Desuper assumantur quatuor, aut quinque vnciæ aq. fœniculi, aut decoctionis radicis chinæ, aut smilacis asperæ.

A medicamentis purgantibus abstinendum, cùm enim nullum detur, quod semen electiuè expurget, potiùs nocent, nam corpus commouent, & agitant humores; & licèt semen vacuarent, hoc opus perficeretur cum molestia multa, illud enim latet in testibus, & labyrintéis vasis semen continentibus. Solùm ergo vtendum est illis, quæ reliquos humores in corpore redundantes vacuare nata sunt. Tutius tamen remedium est, in hunc vsum, tribus horis post cœnam, vnam aut alteram pilulam offerre per plures dies.

℞. *Massæ pilular. aggregat. pilul. de agarico, an.* ʒ j. *castorij, assæ fœtidæ, an.* ʒ ß. Cum aq. fœniculi formentur xx. & decorentur.

Vtiliora auxilia semen resoluunt, & sunt quæ circa vterum administrantur, vt sunt lauacra, vapores, suffumigia, pessaria, clysteria, vnguenta, cataplasmata. Pessaria fiunt hoc modo:

℞. *Theriac. antiquæ, antidoti hæmagogi, an.* ʒ ij. *pulu. hier.* ʒ j. *succi Mercurialis,* ʒ ij.

Solent etiam ad vteri expurgationem, lauacra intra ipsum immitti, fœmina posita in accommodata figura, ex solo succo Mercurialis, addendo drachmam vnam pulueris hier. vel Theriac. magnæ, vel Antidoti hæmagogi: & si magis velis vterum roborare, hoc para.

℞. *Olei nephæ, olei de spica, an.* ʒ ij. *aq. nephæ* ʒ iiij. *pulu. diambræ, & pulu. diamoschi, an.* ϑ ij.

Parabis etiam vnguentum quo inguina, partes inferiores ventris illinantur.

℞. *Olei nephæ, lilior. albor. laurini, an.* ʒ j. ß. *pulu. galliæ moschat.* ϑ iiij. *ligni aloës, carophyllor. agni casti, an.* ʒ ß. *ladani depurati, ceræ parum.*

Prodest emplastrum pro matrice, vel quod Gummi elemi nuncupatur. Vel confice hoc modo.

℞. *Ladani depurati,* ʒ ß. *styracis calamitæ, tacamahacæ, an.* ʒ ij. *mastich. gummi iuniperi, galbani, lapidis magnetis, an.* ϑ ij. *cyperi, galliæ moschat. Mesuæ, an.* ʒ j. *moschi, ambræ, an.* ℈. v. Misce, & sec. art. fiat emplastrum.

Pro præseruatione etiam confert fontanella cruri affixa, cuius ope putores, ac corrupti humores assiduè expurgentur. Vt verò vterus ad inferas partes deturbetur, & retrahatur, prauíque odores ab eo elati absumantur, pomum odorandum conficere oportet ex Galbano, Castorio, serapino, assa fœtida, foliis rutæ, & aliis, quæ ex se tetrum, & virosum spirant odorem.

Quæres vltimò: *Vtrùm suffumigia in hoc affectu virosa pro fœtidis assumenda?* Medici virosum odorem cum fœtido confundunt, nec multùm interesse putant, siquis fœtido vtatur pro viroso, & è contra. Sed decipiuntur, cùm hi odores inter se sint diuersi: nam fœtidus putredinis semper est soboles; virosus verò pluribus medicamentis ineſt, vt Castorio, sagapeno, & ipsi vocatæ assæ fœtidæ, quæ licèt fœtidæ nomen habeat, verè tamen fœtida dici non debet, quoniam non à putredine aliqua, sed à sua ipsius natura illum contraxit odorem.

Differt secundò virosus odor à fœtido, quoniam fœtor nemini frugifer est: cui enim ex cadaueribus detentis, putrescentibus corporibus, barathris, specubus, sentinis, latrinis, graueolentiam, aut pestilentem auram inspirare conducet? Cùm tamen virosus odor plurimis adiumento sit: cùm Galeni testimonio, 9. *sec. loc. cap.* 10. ab vtero strangulatas excitet, vt bituminis, Castorij, picis liquidæ, Cedriæ, pilorum vstorum, rutæ, alliorum, cæparum. Ad eundem quoque vsum cornu cerui suffitur. Paulus deinde *lib.* 3. *cap.* 13. Epilepticis, dum in accessione sunt, ad sensum mouendum, reuocandúmque, naribus adhibere præcepit peucedanum, Cyrenacium liquorem, bitumen, picem, cedriam. Quæ sanè cuncta illis eo tempore auxiliari, multorum experimento est obseruatum. Inest enim medicamentis ferè omnibus odor quidam ingratus, quem medicamentosum Medici appellare solent, ob id quia ab esculentorum odore diuersus maximè est, de quo loquens Arist. 1. *probl.* 45. sic ait: *Malus odor medicamenta comitatur, eo quòd genus medicamentorum cibo contrarium est.*

OBSER

OBSERVATIO I.

Vteri strangulatio ferocißima, à peregrina causa prognata.

ACceßimus aliquando plures Medici, ad curandam fœminam catarrhosam perpetuò, & subinde per interualla acerrimè vteri strangulatu oppressam, quæ etsi nupta esset, & viri consortio frueretur, menstruáque ritè, tempestiuéque responderent, tamen bis, ter, quater in septimana, nullo aut diei, aut horæ obseruato ordine, tanta violentia toto corpore artus omnes vibrabat, manus intorquebat, & aphona, sensibus omnibus tam internis, quàm externis priuata, stertorem in faucibus difficilem, non sine attoniti morbi metu edebat, modò facie decolor, modò purpureo colore valde suffusa, vt sine pulsu vllo è viuis excedere videretur. At post dimidiæ horæ spatium, paulatim colorem naturalem recuperabat, sudore subfrigido per totum corpus effuso, & loqui incipiens, omnium quæ gesserat, recordabatur, è cuius vtero humiditas quædam effluebat lentè, accessione inclinante. Hanc plures Dæmone oppressam, alij spasmo, palpitatione, aut Epilepsia correptam esse putabant, quibus morbis venenatum humorem, tetrum vaporem in cerebrum expirantem occasionem præstare rebantur ipsi. Alij refrigerationem vteri, spermatis corruptelam, humorem quendam crassum, & veluti seminalem, in vtero corruptum, & grumosum esse sibi persuadebant, ob quas causas fœminam vteri strangulatu laborare contendebant. Illi pluribus tentatis, ac variis præsidiis toto anni vnius curriculo celebratis, profecêre nihil. Ecce vno die cùm sanam se esse putaret, morbi huius ferini causa tamdiu delitescens apparuit breui: cùm enim se recreandi causa æstiuo tempore, sub ardore caniculæ, in tepidum aquæ lauacrum ingrederetur, pruritum vehementem primò in vtero, mox subsultum mirum, & palpitationem quandam in ore vteri persensit, digitósque in vteri sinum intrepidè immittens, chordam, seu funiculum crassum inueniens, magno conatu & vi, extrà euulsit lumbricum teretem, crassum, colore albissimum, palmi magni longitudine, viuidum adhuc, & in spiras sese inuoluentem; quo viso stupefacta in animi deliquium incurrit, at vini pauxillo refocillata, ad se rediit. Verme excreto ab omnibus malis inposterum immunis euasit, & à vermibus præseruata, potu communi parato ex aqua in qua dictamnus, & Rhabarbarum per noctem madebat. Nec mireris: non enim est nouum, vermes in vtero enasci. Nam in eo illos progigni fatetur Hippocrates, *lib. 7. epid. in Historia filij Cydis*, qui suo venenoso, tetróque vapore in partes superas, principésque exhalante, non solùm vteri strangulationem, verùm alias magis lethales, ferinásque ægritudines, ob consortium quod habet vterus cum illis, imò & mortem excitare, auctores grauissimi vnanimiter contestantur.

OBSERVATIO II.

Vteri suffocatio ab infrequenti causa originem ducens.

EXemplum inauditum propono, non solùm strangulationis vteri, quæ nonnunquam, etsi rarò, ab aliis causis præter semen retentum, & sanguinem menstruum coërcitum oriri potest, sed ad rei admirandæ nouitatem palàm faciam. Laborauerat quadragenaria fœmina mensibus septem, animi deliquio, quod ex interuallis cardiogmos comitabatur, adeò vt assumptos cibos illicò vomitione reiiceret. Et licèt menstrua suo tempore decurrerent affluenter, tamen secundo mense, bis, terue tremore quatiebatur totius corporis, qui subdore subfrigido vniuersali cessabat perpetuò. Tertio mense vterus accreuit in aliqualem molem; quare obstetricum iudicio in grauidationis suspicionem incurrit. Quarto mense eleuato vtero in maiorem molem, vterinis symptomatis miserrimè opprimitur: Sæpius enim in die syncope affecta, respirationis difficultate, corporis refrigeratione, & motu inordinato, torpore, sensus & motus priuatione quatiebatur immaniter, cum metu, tristitia multa, & somno profundo. Hæc ad se rediens, ex pube vapores ascendere ad cerebrum, & præcordia versus, qui oculis caligine, & corpori torporem inducebant, manifestè se præsentire dicebat. Tandem cùm Medici plurima pro vteri strangulatu machinarentur auxilia, & omnes eam grauidam esse putarent, cùm vterus in maiorem molem continuò accresceret. Ecce vna die, pubis infando, crudelíque dolore cruciata, ac si inguina perforarentur, summa cum angustia, anxietate, cordis tremore, sudore frigido, exanguis, pallida, sine voce, sine sensu, sine pulsu, eiecit per vterum frustum carnis nigrum, solidum, compactum, cydonij mali prægrandis magnitudinem superans, aculeis rotundis, paruis, extrà protuberantibus circumseptum, quo expulso, illa quæ pro deplorata erat habita, à morte, & à strangulatu vteri conualuit.

OBSERVATIO III.

Pro præseruatione ab vteri strangulatu, pilulæ Hystericæ præstantißimæ.

CVm vteri strangulatus à semine retento, menstruo suppresso, humoribus virulentis in vteri capacitate, inundantibus, aut aliis malignis ichoribus ortum ducit, Medici in vacuando toto, roborando, & mundando vtero omnem calculum imponunt, ne iterum in eundem morbum relabantur fœminæ. Mihi inter tot præsidia hoc satis fuit in vsus similes. Si enim illæ, vnam, aut binas pilulas per mensem, tribus horis à cœna assumpserint alternis diebus, proculdubio sanitatem accipient.

℞. *Agarici elect.* ʒ iiij. *elaterij præparat. esulæ, an.* ℈ ß. *spicæ nardi, mastich. ros. rubear. cinnamomi, an.* ʒ ß. *aloës,* ʒ j. ß. *iridis Florentiæ,* ℈ j. *castorij, ammoniaci, galbani, sagapeni, an.* ℈ j. ß. *myrrhæ, croci, an.* ʒ j. *stibij præparat.* ℈ j. Cum succo Matricariæ, Mercurialis, & aqua vitæ, fiat Magdaleon, & seruetur vsui.

CAPVT XVII.

De Vteri procidentia.

Definitio.

VTeri procidentia, est vteri ad inferiores partes prolapsus. Quum enim vteri corpus per fœminæ pudendum erumpit, & pendens prædicta figura conspicitur, vteri procidentia appellatur. Et licèt vterus, antè, retrò, supernè, infernè, vinculis vndique sit ligatus, tamen procidit, non quòd ex toto à ligamentis solutus prolabatur, sed quia illis laxioribus factis, facilè sponte sua vsque ad illam partem demittitur.

Causa.

CAusæ, aliæ sunt internæ, externæ aliæ. Hæ plures sunt, vt exercitium immodicum, oneris grauis gestatio, sternutatio frequens, percussio supra vterum, vociferatio magna, strepitus ingens, venus assidua, maximè post partum, aut in purgatione ipsa, terror, lignorum sectio, saltatio vehemens, casus ab alto, pedum ac lumborum frigus. Internæ causæ sunt, vteri inflam-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 549 sur 927

mationes, soluta vnitas, humiditas excrementitia membranas vteri relaxans, quibus laxatis vterus proprium situm non seruat; & hæc causa est omnium frequentissima, præsertim si præcessit vita otiosa, vsus alimentorum frigidorum, ex quibus excrementorum crudorum copia gignitur. Huic etiam malo originem præbent praua fœtus extractio, violenta secundinæ depulsio, spiritus cohibitio, plaga, partuum frequentia: omnia enim hæc vterum dilacerant, membranas disrumpunt, ligamenta soluunt, & vterum ad inferiores partes præcipitant.

Signa.

SIgna notissima sunt: Nam vbi obstetrix locos muliebres tangit, adest in vteri ostio grauitas, & tumor oui forma, sed varia, pro affectus vteri, & colli eius amplitudine. A tumore vteri, stercus, & vrina supprimuntur, rectum intestinum, & vesicæ collum comprimente. Febris comitatur, sanguis plurimus erumpit, premit dolor magnus partium, quibus connectitur vterus, putà, ilium, lumborum, ossis sacri, hypogastrij, & pudendi. Si ligamenta mucore multo laxata sint, indolenter excidit, præcessit victus ratio humidior, nudos diu fœmina in frigida continuit pedes, vel aërem frigidiorem admisit, seu fluente menstruo, seu puerperio.

Præsagium.

LIicèt omnis mutatio situs in vtero, pessima sit, & grauissimorum morborum prænuntia; non solùm enim fœminæ steriles fiunt, & ingratæ viris, verùm persæpe intereunt: tamen ex vteri procidentia non ita fœminæ decedunt; nam quamuis totus prolabatur, & putrilagine affectus liuore occupetur, amputatione curatur: mulieres enim sine vtero viuere possunt, vt posito exemplo ostendimus ex priscorum mente, *lib. 3. Hist. Princ. Med. in com. Hist. 7.*

Curatio.

TRiplex in hoc affectu medendi ratio insurgit: Prima, quæ vterum ad proprium locum reducit. Secunda, quæ reductum tuetur, & efficit, ne iterum decidat, remota causa, quæ prolapsum excitabat. Tertia, quæ vterum in propria sede confirmat. Circa primam mulier collocanda est supina, pedibus elatis. Si vterus tensus sit, aut renitens, emollientibus fouendus. Si vesica, aut intestinum rectum, inter quas partes vterus sedem sortitur, sint repleta, vrina prouocanda, fæces proliciendæ. Si flatus has partes induret, & reductioni ineptas reddat, fomenta flatus dissoluentia admouenda, fœtida vtero applicanda, odora naribus apponenda. Cucurbitulæ scapulis, & supra vmbilicum affigendæ.

Circa secundam curandi rationem, eam medicationem efficies, vt si corpus fuerit plenum, sanguinem mittas, vel superabundantes humores euacues. Sed quoniam ferè excrementitia humiditas est in causa, vt labatur vterus, iccircò pituitosos humores expurgare, & vterum exiccare oportet leuiter, & paulatim, ne tota humorum copia in partes inferas confluat. Quare tutius est ex interuallis vomitum ciere, & clysteribus vti, qui calefaciendi, & exiccandi sortiantur vires. In quem vsum vtiles sunt insessus exiccantes, inunctiones, suffumigia ex Lauro, Betonica, Aniso, pauco Cinnamom. Ligno aloës, Roremarin. Puleg. Absinth. Si caput ad vterum humiditates demittat, fontanella in brachio, vtilissima. Exiccantur humiditates serosæ balneis naturalibus, sudoribus ex ebeno, exiccante victu, & aliis quæ calefaciunt, & exiccant.

Circa tertiam curandi rationem, vterus in suo situ reductus retinetur, ne recidat, roborantibus adstringentibus, & firmantibus vterum. Quare parabis pessulos exiccantes, vnguenta, emplastra, cataplasmata, insessus, quæ similes vires sortiantur, quorum plurima cùm *suprà cap. de immodica menstrua purgatione* sint descripta, quæ exiccant, & vterum confirmant, ad eum locum lectorem remitto.

OBSERVATIO.

Ad firmandum vterum in situ suo, emplastrum excellens.

ESt mihi pro procidentia vteri firmum experimentum de emplastro hoc, quod pectini, & lumbis appositum, mirificè vterum roborat, confirmat, humiditates exiccat, & ipsum retinet in situ suo.

℞. *Summitat. rubi, folior. myrti, folior. lentisci, an.* M. ij. *hypocisthid.* ℥ ß. *fol. cyperi,* M. ß. *nucum cupressi,* ʒ iiij. *centaurij minor. rosar. rubrar. flor. ant. flor. camomil. anethi, saluiæ, an.* P. j. *absinth. Pontici,* M. ß. *gallar. bistortæ, bursæ pastoris, an.* ℥ iij. *sang. draconis, lapidis hæmatitis, an.* ʒ iij. Coque in vino rubro, priùs ter chalybeato, quod sit satis, ita vt remaneat ℔ ß. adde *Olei mastichini, & myrtin. an.* ℥ iiij. *terebinth.* ℔ j. Coque iterum tamdiu, quousque absumatur decoctum cum oleo: Iterum adde *Thuris, galbani, styracis, picis siccæ, an.* ℥ ij. *mastich.* ℥ ß. *pulu. consolid. maioris,* ʒ iij. *sem. lauendulæ, coral. rubri, myrtillor. an.* ϑ j. *ambari,* ℊ. viij. *moschi,* ℊ. v. *ladani,* ℥ ß. & secundùm art. fiat emplastrum, & super corium tenue arietinum extendatur.

CAPVT XIV.

De Vteri inflammatione.

Definitio.

VTeri inflammatio, est tumor in vteri substantia, ex sanguinis affluentis copia prognatus. Hac ratione distinguitur à tumore vteri, qui fit in hydrope, ex flatu, scirrho, & alia quauis substantia mucosa, quæ vterum in maiorem molem eleuare potest: Nam hoc loco, nomine inflammationis, non siccam, sed eam quæ fluxionis sanguineæ soboles est, intelligendam puto, cæterarum inflammationum instar, quas dolor, tensio, rubor, calor exurens comitantur, quam inflmmationem, phlegmonen Græci appellare consueuerunt. Inflammari ergo potest vterus ex quolibet humore, cum sanguine exuperante permixto, hàncque accidere in parte antica, postica, superna, fundo, ceruice, certum est, & inter omnes antiquissimi auctores Moschio, & Cleopatra confirmarunt.

Neque instes, vterum frigidum esse, neruosum, vel fibrosum, dissitum à fonte caloris, in quo flatus redundant, mucosi humores crudi, pituitosi, propterèaque frigidis morbis esse obnoxium: Nam vterus venas grandissimas habet, *6. epid. sect. 5. com. 14.* quæ sanguine sæpissimè turgent, & per vterum menstruæ purgationes typicè statis mensibus decurrunt: à quo sanguine, vel abundante in ipsis venis, vel menstruo retento, vitiato, putrefacto, inflammatio frequenter emanat.

Causa.

EX sanguine feruente ac tenui, per exiles venas à cerua delapso in vterum, vel ex menstruo retento, & putrefacto, huius partis fieri inflammationes quotidiano experimento

experimento compertum est: Si enim vterus, pars recipiens, debilis est, iecur squalidum, igneum, corpus plurimo sanguine redunder, quis dubitat ab affluente copioso sanguine in vterum prolapso, concitari inflammationem posse, sicut quando vel menstruus sanguis à toto nimia copia excurrit, vel suppressus & maximè à partu non ventilatur, sicque prohibitus difflari putrescit, & phlegmonen concitat? Quare causa primaria interna est plenitudo sanguinis, vel vniuersalis in venis, vel particularis in vtero existens.

Vtrùm autem *à semine retento per se vteri inflammatio possit concitari*? lis, & controuersia est maxima inter auctores. Annuunt Arabes, & præsertim Auicen. 21. 3. *tract.4.cap.10. Et quandoque fiunt apostemata in matrice propter eleuationem spermatis, &c.* Si enim turgeat semen in vtero, retineatur, & putrescat, quis dubitare poterit ab eo copiosè adaucto posse fieri inflammationem? Dic, quòd etsi hoc verum sit, tamen vera inflammatio à solo semine retento, vel putrefacto concitari non possit, cùm hæc per se à copioso sanguine originem ducat. Verum quidem est, ab hoc fonte, conuulsiones, suffocationem, & alia grauissima damna emanare, non tamen vteri tumorem. Cum hoc tamen negandum non est, ex accidenti hoc effici posse: si enim semen suapte natura calidum, in vtero affluenter redundans, titillet, irritet vteri facultatem ad expulsionem sui, & dolorem accersat, humor ex toto confluit ad ipsum, ob dolorem, calorem, & debilitatem; quare concurrente humore ob causas dictas, phlegmones principium aderit. Hac ratione ex fœda, virulentáque alia substantia, in ipso vtero impacta, gigni posse tumorem vteri est verisimile. Externæ causæ apud Auicennam, sunt saltus, percussio, concubitus immodicus, partus laboriosus, abortus, flatuum copia, exercitium immoderatum, frigiditas nimia; hæ enim vel dolorem inferendo, vel retinendo excrementa, ex accidenti inflammationi generationem præstant, cùm fluxionem simul accersant.

Signa.

SIgna elegantissimè proposuit Hippocrates, *lib.2. de morb. mulier. num.10. §. Si verò vteri inflammati fuerint, &c.* De quorum numero sunt ardores, ac dolores in locis muliebribus percepti, præsertim lumbis, pectine, & toto ventre. Adest capitis dolor, delirium, profundus somnus, colli conuulsio, ceruix multis tenuibus venulis instar telæ aranearum variegata. Venter nunc durus, nunc mollis, interdum tumidus apparet. Vexant vomitus, & animi deliquia. Febris est acuta, valida, vehemens, ob maximum consensum vteri cum corde, ex Gal. *6.epid.sect.1.com.2. & 3.prorrhet. com.27. & 6. epid. sect.5. com. 14. §. Calidas autem vehementésque febres ex vteri phlegmone accendi, neminem in artis operibus versatum præterit, quia vterus plurimas, grandissimásque venas habet, in quibus, aut prope ipsas, si sanguis putrescat, febrem succendi de synochorum genere est necesse.*

Ægræ grauissimo capitis dolore torquentur, in sincipite maximè, quoniam vapores à putrescente sanguine elati cerebrum distendunt, lancinant, & premunt. Si sit inflammatio in parte anteriore, dolor magis pectinem infestat, & vrinæ supprimuntur, vesica enim ab inflammato vtero comprimitur. Si in posteriori parte consistat, lumbi dolent, ardent, retinentur fæces. Si afficiuntur latera, inguina apparent dura, infirma. Si in vteri ore progerminet, hæc pars tactu percipitur dura, rigida, ardens. Speciem vero humoris ex signis facilè percipies, quæ vnumquemque humorem redundare in corpore significant, de quibus sæpe plura in superioribus capitibus protulimus. Si verò in suppurationem vergat, ex signis puris fientis cognosces manifestè.

Præsagium.

MOrbus hic grauissimus est, lethalis, & periculosus. Ea tamen inflammatio, quæ ceruicem obsidet, faciliùs curatur; quæ totum vterum occupat, nullo modo; quæ fundum, seu sinum, difficillimè: Nam ex iis febres validæ & perurentes, delirium, conuulsio, eas tandem ad interitum deducit, maximè si erysipelatosa affectio sit, vel fœmina grauida.

Curatio.

SVpposita optima victus ratione, quam in cæteris inflammationibus obseruandam esse prædiximus, enitendum primò, ne inflammatio augeatur; quod opus cùm multiplici præstari possit præsidio, nullo alio promptiùs quàm venæ sectione perficitur: sed in hoc remedio stabiliendo Galenum fuisse discordem retur plures, quare quærendum: *Vtrùm in hoc affectu commodius sit venam secare in brachio, vel in crure*? Nam *lib. de venæ sectione, cap.18. §. Porrò vteri inflammationes, magis etiam quàm renum, à venis in crure sectis iuuantur: & lib. 13.meth.cap.11.* idem confirmat, §. *Renibus verò, & vesicæ, & pudendo, & vtero sic habentibus, quæ in cruribus sunt sitæ, ac præcipuè quæ circa poplitem sunt; sin minùs, eas quæ iuxta malleolos, &c.* Contrà suadet faciendum, *lib. de humorib. com. 13. §. Itaque si dextra vteri pars malè affecta sit, è dextro brachio, dextróque crure mittendus sanguis.* Hac enim ratione auertitur sanguis, ne in inferas partes possit delabi, quod est axioma vniuersale Galeni, latum *13.meth.cap.6. §. Quippe præceptum in contrarium reuulsionis in omnibus talibus commune est. Neque igitur cùm vel circa sedem, vel aliam huic vicinam partem phlegmone incidit, aluum deiicies: neque cùm in vesica, vel cole, vel renibus est cœpta, pharmaca quæ vrinas prouocent, bibenda dabis: nèc si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis, sed ad partes quæ maximè longinquæ sunt, semper reuulsionem facies, æstimata scilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu.* Subscribunt Paulus, & Aëtius *proprio cap.* qui in vteri inflammatione potiùs à cubito, deinceps à talo sanguinem fundendum imperarunt.

Dic, quòd cùm ex decreto Galeni *13.meth.cit.* in curatione phlegmones prior sit reuulsio vacuatione, iccircò primò prouidendum est causæ fluxionis, haudquaquam parti recipienti. Quare manifestè conciliandus Galenus cum seipso, dum in vno loco in initio inflammationis sanguinem esse mittendum è brachio iubet, reuulsionis causa; in alio, è poplite gratia vacuationis, aut deriuationis, ab inferis partibus secandam esse venam sibi persuasit. Hanc solutionem ipse enodat, dum *10.sec. loc.cap.2.* in coxendicis dolore primò in cubito, deinde in talo venæ sectionem celebrandam monet, nì à menstruo suppresso, aut post partum ingruat affectus, tunc enim semper in talo feriend a vena. Quòd si vires debiles sint, aut exigua inflammatio, vel plenitudo parua, tunc dorso cucurbitulæ humidæ affigendæ, ex Aëtij decreto. Purgatio rarò offerenda, quoniam defert ad infimas partes humorum momentum. Quòd si expurgantibus vti necessitas cogat, ea sint lenia, & iam eunte inflammatione in declinationem, præmissis præparantibus syrupis, quæ prædominantis humoris acrimoniam contemperent.

Vniuersalibus vacuationibus celebratis, ad ea præsidia accedendum, quæ parti tepida apposita affluxum humorum impedire possunt, vt sunt aqua Plantag. Solani, Ros. Endiu. cum sanguine draconis, aut boli armeni: & si dolor vrgeat, misceantur cum oleo Ros. Quor. farina hord. fabar. cum decoct. Maluar. Violar. ex quibus cum succo plantag. vel solani, vnguentum parabis, vel Cataplasma. Si verò dolor vrgeat, accedes ad oleum papauer. adipem anserinum, butyrum insulsum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 551 sur 927

oleum Violar. Lac muliebre, albumen oui, coriandrum viride, aquam Arnoglossæ. Vel parabis insessus ex decoct. Maluar. Fœnug. Sem. Lin. Ros. Cap. Papauer. hord. affuso lacte. Si declinauerit inflammatio, vtere resoluentibus. Si in suppurationem vergat, suppuratio adiuuanda, velut in aliis inflammationibus sæpius prædiximus. Rupto abscessu, abstergentibus vtendum, si pus vrinæ admixtum exeat, intra vterum ea infundere oportet; si autem per rectum intestinum pus excernatur, abstergentia clysteria summè prosunt, velut in dysenteria administrari solent.

OBSERVATIO.

In inflammatione vteri, cucurbitula, scarificata super pubem, remedium celebre.

ETsi Medici, edocti à Galeno in locis multis, solùm in pleuritide, pulmonia, inflammatione hepatis, ventriculi, lienis, cucurbitulam scarificatam imponendam consulant, sufficienter priùs vacuato corpore, vt causa coniuncta elidatur foràs, tamen in inflammatione vteri ob eundem vsum, esse vtilissimam, non semel adinueni. Cùm enim fœminæ dolores paterentur immanes infra vmbilicum, quos tumor in eadem parte, vigilia, febris ardens, anxietas, paraphrenitis, lingua fuliginosa, exusta comitabantur; neque hæc symptomata sæua, tot vacuantibus, & aliis cederent auxiliis, vt apponeretur cucurbita magna super pubem, vel in parte in qua tumor magis percipiebatur, derasis priùs pilis, imperaui, idque cum scarificatione multa: qua vacuatione celebrata, lochia emanarunt copiosè, & illæ symptomata mitiora expertæ sunt. Hac ergo sarcina ex viciniori loco deposita, paulatim paucis applicitis conualuere,

CAPVT XV.

De Regimine prægnantis.

QVæro primò: *Vtrùm morbi grauidarum sint graues, difficiles, lethales?* De regimine prægnantis Medicus debet esse valde solicitus; si enim ordinem, & modum quo ipsa debet gubernari, negligat, atque contemnat, ipsa his præceptis orbata, maiora pericula inposterum experietur, grauibúsque morbis oppressa, vel abortum faciet, vel occumbet. Vt verò toto animo, cura, ac diligentia hæc præcaueat, æstimet priùs necesse est, quàm funesti, diri, & insuperabiles sint ipsarum morbi, quos, quum semel apprehenderint, tam difficile est curare, quàm esse Medicum, adeò intricati, horribiles sunt, & exitiales, vt in eorum curatione per quam viam, & semitam Medicus ingrediatur, penitus ignoret.

Hanc grauitatem, periculum, ambiguitatem faciunt plurima. Cùm enim menstruus sanguis, virulentus, & malignus natura suapte, tot mensibus retineatur in vtero, in quo tanquam carcere quodam circumscriptus non rectè ventiletur, & sic putrescat, & in veneficam abeat naturam, nil mirum si plurimos morbos excitet terribiles, ac insuperabiles, quorum sæuitiem coërcere, & retundere, aptis, accommodatísque præsidiis difficulter possumus.

Acuti morbi triplici curantur auxilio, venæ sectione, purgatione, & recta ratione victus. De primo auxilio agendum. Hoc non ea securitate, sicut in aliis potest administrari: nam sicut affectus remedium est, sic illarum vires exhaurit, cùm alimentum fœtui detrahat. Quare antiqui in illis, hoc auxilij genus tantopere pertimescebant, & magis si fœtus sit maior. Hinc fit vt non extracto sanguine, pro plenitudinis, & morbi ratione morbus insolescat, & fœtum, vel matrem interimat. Quòd si ob fœtum, vel deiectas vires, ex alia parte sanguinem mittere tentes, præterquam quòd parum iuuabis, in grauiora damna eas coniicies: si enim ex marisicis sanguinem exhauriendum cures, extracto à viciniori loco sanguine, fœtum præcipitas, exanimas, & abortum concitas: si cucurbitas scarificatas dorso affigis, terres ipsas, vnde metu perculsæ fœtum sustinere nequeunt, imò ipsum intempestiuè excludunt.

Purgatio in illis celebrata etiam sua habet incommoda. Hæc perturbat, exagitat, mouet, licèt sit clemens, & in modica quantitate oblata; emollit enim acetabula, quæ laxiora facta fœtum non sustinent. Si sit violenta, & pharmacis fortibus parata, febrim concitat, irrequieto cursu humores, huc & illuc furibundè per corpus impellit: fœtum interimit, calore, amarore, & attractione noxij humoris ad vterum: demum abortus est causa. Ob hanc rationem, solùm à quarto ad septimum mensem, turgente materia prisci expurgandas esse grauidas monuere in edictis. Denique si per aliam regionem medicationem moliaris, nempe vomitum, violenter corpus perturbas; si per clysterem lenem, fœtum præcipitas; si per validè attrahentem, in ea damna illas coniicis, quæ ex medicatione oriri prædiximus.

Victus ratio in morbis acutis tam necessaria, in illis administrari nequit, ne fœtus nutrimento suo defraudetur: quare Medicus non potest in illis vti parco victu, qui licèt sit fœtui salutaris, debilitat vires, corpus inanit, fœtum exanguem reddit, qui cùm non possit à matre sustineri, nec nutriri, necesse est vt ruat in deterius, & maximè si sit maior, qui maiori alimento indiget.

Deinde plura sunt, quæ morbos grauidarum ad curandum difficiles reddunt: neque enim huius difficultatis remedia in causa sunt, quòd pro morbi indigentia non possint administrari, sed alia latent abscondita, quæ ipsos graues faciunt, ac ferinos: ipsæ enim cùm vtero ferunt, non exercentur, viuunt in otio, & vita sedentaria, & maximam crudorum succorum copiam accumulant. Hæc est causa, ob quam Arist. 4. *de animal. generat. cap.* 6. bruta vtero gerentia magna ex parte optimè valere asserit, quia exercitio omnem praui humoris colluuiem absumunt.

Accedit copia alimentorum praui succi, quibus illæ malacia, & alio deprauato appetitu laborantes, per totum grauidationis tempus, intemperanter, & intempestiuè vescuntur. Deinde fœtus dulcissimo sanguine nutritur, deteriore relicto, qui cùm longo temporis spatio sit retentus, putrescit, totum corpus, etiamsi rectè à natura gubernetur, citò inquinat, & odore suo prauo spiritus fœdat, vires prosternit, fœtum perturbat.

Quid dicam de animi pathematis, quibus ipsæ multoties inopinatò subiiciuntur? nam irascuntur, timent, facilè in varias figuras, audito quopiam nuntio, permutantur, mœrent, tristantur, à quibus omnibus commouetur corpus, spiritus euanescunt, corpus contabescit, sanguis aduritur, febris concitatur, quæ ob apparatum in corpore præexistens, sæpe in malignam, alteriúsue conditionis sortem degnerat, & fœtum vel acutie, vel diuturnitate interficere nata est.

Ex his discant Medici, quo in periculo versentur, quum morbos grauidarum curandos assumunt, sempérque cautè, & maturo consilio remedia in illis celebranda curent; quoniam *mulierem grauidam capi aliquo acuto morbo lethale* dicebat dictator summus 5. *Aph.* 30. ex ipso enim exitium expectandum, & funesta mors, ita vt *lib.* 1. *de morb. n.* 3. de earum salute desperet Hip. dum sic

ſic ait: *Si mulier vtero gerens, peripneumonia, pleuritide, phrenitide, aut ardente febre corripiatur, aut eryſipelas in vtero fiat, neceſſitatem habet, vt ab ipſis perimatur.* Quo pacto diuinus Hippocrates, ceu rariſſimum exemplum affert, 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 30. cuiuſdam vtero gerentis in littore decumbentis, quæ cùm atrociſſimo laboraſſet morbo, ſæuiſſimis ſtipato ſymptomatis, citra matris, ac fœtus perniciem, decimo quarto die, ab eo abſolutè immunis euaſit.

Quæro ſecundò: *Vtrùm in grauidis aluus prouocanda?* Ex ſuperioribus ratum fit, ac manifeſtum, de nullo alio ſtatu fœminarum Medicos debere eſſe magis ſolicitos, quàm de illis quæ vtero gerunt. Quopropter omni vi, ac ſtudio contendendum eſt, vt ipſæ in omnibus rebus non naturalibus ordinem ſeruent, vt hoc modo gubernatæ, in optimáque ſymmetria conſtitutæ, occurſantibus iniuriis minùs fiant obnoxiæ, & imminentibus malis reſiſtere poſſint.

Quoniam verò Auicenna 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 2. *de regimine prægnantis*, plurima præcepta docet, quæ ad præſeruationem illarum à plurimis morbis, ſummè ſunt neceſſaria, iccircò in hoc capite huius auctoris mentem interpretabimur apprimè, & alia addemus ex Medicorum ſenſis, quæ tanti auctoris mentem illuſtrent, ac exornent.

Proponit ergo Auicenna primum præceptum hoc modo: *Oportet vt aſſiduent lenificationem ſuarum naturarum, ſemper cum iis qua leniunt cum æqualitate, ſicut ſunt Alesfidabegi pinguia, & ſicut ſiracoſt, quum ſtringitur natura valde, &c.* Plurima mala propinat ventris ſuppreſſio, nam ob excrementis retentis eleuantur halitus ad caput, cæteráſque partes principes, qui ipſas premunt, ac lancinant. Ex iis oritur cephalalgia, oculorum caligo, vertigo, & alia miſeranda mala eueniunt, maximè in vtero gerentibus coërcita alui excrementa interdum abortum concitant, magno enim cum abortus periculo aluus ſupprimitur: fæx enim indurata, magno, vt pelli poſſit, indiget enixu, quo frequentiſſimè diſrumpuntur ex vinculis aliqua, ac ſanguis proſilit, & hac ratione abortus timendus, præſertim in iis quæ iecur ſortiuntur ſiccum, & igneum, à cuius immodico calore abſumpta humidiori parte indurantur; qua ratione ex teneſmo ſubſequi abortum, *lib.* 5. *Aph.* 49. firmauit Hippocrates.

Offerenda ergo illis in hunc vſum lenientia, cum præmeditatione ſumma, & his roborantia, & odorifera permiſcenda, vt robur partium conſeruemus, quibus ex interuallis vtendum, ne fortè ex lubricantium vſu cotyledones poſſint humectari, & laxiores factæ fœtum, vt decet, continere nequeant. Leuiſſima ſunt pruna Damaſcena ſaccharo condita, paſſulæ Corynthiacæ ſaccharo reſperſæ. Aqua hordei Syrupo Roſar. vel violar. ex plurib. infuſ. permixta. Oua ſorbilia, beta, Malua, Mercurialis decoctum cum ſaccharo. Lactis ſerum, in quo per noctem flores cardiaci madeſcant, adiecto aniſi momento. Quòd ſi his venter non reſpondeat, vtere manna, bolis ex pulpa caſſiæ paratis, adiecto rhéo: aut clyſteria conficienda ex pingui iure auium, adiecto ſaccharo rubro, butyro inſulſo, oleo amygdal. dulcium, axungia ſuilla, vitellis ouorum; quibus ſi non excitetur aluus, mannam adiicies, aut ſyrupum ex multiplici violar. infuſ. paratum, catholicum. Si verò tormina vexent, aluúſque vehementer renitatur, non dubitarem radicem polypodij, cum modico aniſo, in iure auis, vel galli veteris incoquere, vt hoc modo natura irritata muneris ſui non obliuiſcatur.

Quæro tertiò: *Vtrùm grauida exercitanda?* Reſpondet Auicenna *loco cit.* hoc modo: *Et occupentur exercitiis temperatis, & deambulatione tenui abſque ſuperfluo. Superflua enim abortire facit, & illud ideò, quoniam ipſæ replentur, propter illud quod accidit eis de retentione menſtruorum.* Ex quibus verbis totam litem euaneſcere putamus: qui enim exercitium reprobant, quia calefacit, inflammat, debilitat, ſpiritus reſoluit, febrem concitat, ſitim monet, & multoties præcipitato fœtu, abortus eſt cauſa, de nimio exercitio, aut intempeſtiuo ſunt intelligendi: nam moderatum, excrementa reſoluit, quæ ex fœminarum, & præſertim grauidarum otio, & vita ſedentaria colliguntur, vires leuat à ſuperfluitatum retentarum copia oppreſſas, coctionem meliorem procurat, diſtribuit ſanguinem, & ſpiritum, quibus ad membra fœliciùs accedentibus, harum partium viuacitas recreatur.

Ergo in illis fugienda omnimoda quies, cruditatem enim parit, & ligamenta laxat. Ad otium fugiendum, exercitia lanificij optima ſunt. Non exercitetur primo menſe fœtationis, ſed frictione brachiorum, & partium ſuperiorum vtatur: quoniam vt bellè dictabat Galenus 4. *Aph.* 1. *cum vtero fœtuum connexus, eandem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi ſiquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus ipſos concuſſerit; poſtea verò aucti difficilem habent à plantis diſſolutionem, ſicut rurſus cùm perfecti ſunt, ſponte ſua ſine vi extrinſeca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore ſeminis iniectionis, ſi quando ſaltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, ſiue quouis alio modo, vel ſecundùm animam, vel ſecundùm corpus moueri vehementiùs, facillimè diſrumpuntur: ſic etiam quando iam perfecti ſunt: tempore verò interme dio firmiorem habent coalitum, quare mulier vtero gerens poteſt tunc fortiores motus ſuſtinere ſine fœtus offenſione.*

Ob hanc ergo cauſam in primo menſe, nullo modo exercitatio permittenda. Secundo rara, & lentá concedenda. Tertio expeditior celebranda. Quarto, quinto, & ſexto, ſine timore moderato exercitio per planum, non accliue, aut decliue iter, eſt vtendum. Vitandus curſus. Saltus omnino interdicendus, hic enim ad abortum eſt opportuniſſimus, vt proprio exemplo pſaltriæ, *libro de nat. puer. num.* 4. oſtendit Hippocrates, maximè qui retrò fit, & vno pede agitur. Cauenda concuſſio ſuper ventrem. Fugienda vociferatio. Riſus vitandus, præſertim immodicus; mutua enim pectoris contractione, & dilatatione, natura impellitur verſus partes inferas, & compreſſo vtero, fœtus intempeſtiuè excernitur. Ob hanc cauſam ſternutamento vti non debet, neque nares violenter emungat, tuſſiat, neque onera leuet, equo, aut curru vehatur, duris ſellis inſideat, cymba non feratur, etſi procellæ non infeſtent; ex his enim motibus corpus conturbatur, 4. *Aph.* 14. & ligamenta eo tempore non ita firma, dilacerantur, atque rumpuntur.

Septimo menſe, & octauo, & vſque ad dimidium noni, detrahere de exercitio conuenit; minus enim moderato inſtituendum eſt, ne vincula quibus nectitur infans, iam propè matureſcentia, & teneriora facta, diſrumpantur. A noni verò menſis dimidio vſque in partum, exercitium intendere oportet, quoniam tunc robuſtiora ſunt vincula, fructuum inſtar, qui quum maturi ſunt, pediculo ſunt alligati, tenaciter adhærent.

Quæro quartò: *Vtrùm balneum vtero gerentibus poſſit concedi?* Auicenna ſic monet: *Quòd ſi ſuperfluitates in eis multiplicentur, oportet vt aſſiduent balneum, namque eis execrabile eſt, niſi apud propinquitatem.* Docet ergo Auicenna, in omnibus menſibus, excepto in vltima parte noni, quando fœmina eſt partui propinqua, balneum eſſe reprobum, noxium, & inutile, & hoc ob cauſas multas dictum puta: prima, quoniam balneum debilitat vires, emollit vincula, relaxat, & ad retentionem fœtus inepta reddit; chordæ enim aqua madefactæ flaccidæ fiunt, & laxæ facilè rumpuntur. Cruditates parit, & quod peius eſt menſtrua mouet, & fluxiones ſanguinis acriter irritat, 1. *ad Glauc. cap.* 14. & *lib. de ven.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 553 sur 927

©BIUM

sect. aduers. Erasistrat. cap. vlt. dilatat enim vasa, sanguinem extenuat, liquat, & ad motum paratum reddit. Quando verò fœmina est partui vicina, eo vti commodè potest, maximè ab vmbilico infrà; nam dilatat vterum, ac partes vicinas emollit, vt faciliùs exeunti fœtui cedant: & si fortè ante optatum tempus ex vi balnei excernatur infans, non abortus, sed partus naturalis vocandus est, quia tempore constituto à natura exiuit in lucem.

Quæro quintò: *Vtrùm caput grauidarum sit vngendum, aut lauandum?* Auicenna sic habet: *Et non oportet vt vngantur capita earum, & fortasse accidet eis coryza, quare accidat tussis, & commoueatur fœtus, & pòst abortus.* Caput, & thoracem, aliásque partes ab externis iniuriis in grauidis esse ab aëre frigido custodiendas, ne fortè ob distillationem, & tussim commoueatur fœtus, & concitetur aborsus, res est manifesta: nam *frigidum est inimicum pectori, cerebro, &c.* ex Hippocrate 5. *Aph.* 18. Ex vnctione enim calida, cutis spiraculis apertis, facilè externus illabitur aër, qui si semel penetret, cerebrum refrigerat, etsi æstiuus, qui licèt calidissimus, cerebro frigidior est, ex Galeno 4. *de vsu part. cap.* 9.

Sed hoc præceptum difficultatem inuoluit maximam: si enim fœmina balneo capitis miti erat assueta, cuius vi sordes siccæ, & alia capitis recrementa expurgabant, si toto tempore gestationis sit illota, lædetur planè, & in distillationem incurret: capilli enim in globos sese contorquent crassos, & crispos, & auctis sordibus cerebrũ non rectè ventilatur, imò cruditates generat, & crassos succos, qui catarrhum gignere nati sunt. Vel ergo Auicennam de vnguentis rubificantibus intellige, quæ cùm acria sint, distillationes, & tusses mouent, & fœtus commotionem, & abortum concitant, quibus persæpe ad flauos, aureósue reddendos capillos ipsæ vtuntur, vel de frequenti frigida lotione, quæ suprà dicta damna concitat manifestè, ob causas dictas. Assuetæ ergo, ex longioribus interuallis, & cum custodia multa, caput abluant; insuetæ verò, quoad fieri potest, non lauentur.

Quæro sextò: *Vtrùm veneris vsus vtero gerentibus salubris sit?* Auicenna sic inquit: *Et oportet vt euitent coïtum propriè.* Cur? quia à concubitu abstinentes, ab abortu, & à superfœtatione fiunt magis immunes: nam vires eneruantur, tam elaborata substantia seminis orbatæ, & fœtus defraudatur pastu suo, quoniam plurima sanguinis benigni copia in semen reparandum abit. Deinde ex percussione ventris, & corporis motione, fœtus oblæditur, & vterus ad semen virile recipiendum totus inhians, & æstuans dilatatur, & conturbatur, & maximè si celebretur primo mense, quo tempore debiliter vinculis conceptus adhæret.

Ex altera parte videtur in iis concubitus commodus, maximè si salaces sint, & coïtus flagrantissimæ, in quibus si semen retinetur, & à vitio menstrui retenti conspurcatur, ipsas in grauissima pericula impellit, & veneris illecebris prurientes, tristantur, mœrent, odio habent omnia, inappetentes fiunt, iurgiosæ, & insomnes, ex quibus eneruari vires, fœtum langueſcere, & debilitari est necesse. Concubitu ergo vti debet vtero gerens, moderato, & ex interuallis, præsertim transacto mense secundo, quia grauida libidinosa est, imò sola cum equa masculum admittit, dicebat Arist. 7. *de hist. animal.* & 4. *de generat. animal.* mediis mensibus concubitus minùs nocet. In principio noni cautè venus agenda, quoniam, vt scribit Aristot. 7. *de hist. animal.* 4. fœtus solent exire muco oppleti, vbi mulier hoc tempore vtitur concubitu. In fine noni, & prope partum coïtus etsi frequens, commodior est, ad partum enim præparat.

Quæro septimò: *Vtrùm grauida ab animi affectibus præcauenda?* Auicenna sic prædixit: *Et oportet vt deuitent iram, & non superueniat eis quod faciat tristari, & timere, & elongentur ab eis omnes reliquæ causæ abortus, & proprie in mense primo, & vsque ad viginti dies, &c.* Plurimas esse causas inferentes abortum à Medicis sanctum est: aëris enim intemperantia frigida, corpore priùs calefacto, & humectato, illis nocet eximiè, sicut aër fœtidus, plures enim ex fumo extinctæ lucernæ abortiere, referente Arist. 8. *de hist. animal. cap.* 24. quoniam fœtor cùm ex vapore corrupto oriatur, nil mirum si hic spiritus inficiat, fœtus præsertim, cùm tenera, mollique carne constet, pluribus euentibus obnoxia. Odor enim bonus roborat, prauus subuertit: quare auertendæ cloacæ, sentinæ, & quidquid tetrum ex se emittit odorem.

Cauendum à tenebris, solitudine, tristibus nuntiis, tonitruis, terræ motu, bombardarum sonitu, cibi repletione immodica; quoniam ventriculus grauatus, & intestina excrementorum copia onerata, vterum comprimunt mole sua: à vestibus nimis arctis; hac enim sola de causa plures compresso, & coarctato vtero, & veluti suffocato fœtu abortum fecerunt. Incedat per viridaria, & loca amœna, euitet voluptates ingentes, ac animi intensos dolores, quin tranquillam vitam agat, & pacificam.

Animi affectus eliminandi, ab his enim animus diuersimodè alteratur, & ab statu naturali auertitur, ex Gal. *cap.* 85. *art. med.* & 4. *de placit. cap.* 6. §. *Quod autem cognoscere, &c.* Quo loco duplex esse principium in nobis appetitus affirmat, vnum rationale, animale alterum, seu naturale: hoc, naturæ quidem motu in propriam fertur actionem, obiecto præsente, vt videlicet causa præsente irascendi, illicò adest appetitus vindictæ, quemadmodum oblata videndi occasione, oculus videt; qui animi affectus cùm naturales sint, omnino vitari nequeunt, possunt tamen ab alio appetitiuo, videlicet rationali, corrigi, atque emendari.

Quare, si ex mente Galeni, animi immoderati affectus in vniuersum sunt coërcendi, quartò magis in grauidis, & præsertim si corrigi nequeant, vt quando naturalis appetitus, rationalem vincit, ac superat? Ira enim inflammat, febres concitat, turbat corpus, bilioſos humores auget, sitim concitat, 17. *probl.* 3. quia cordis latera concutit, & motu suo spiritum, & vaporem calidum largiorem excitat. Denique succos omnes, & sanguinem incompositè mouet, ex quibus fœtus nimium conturbatur, & commoto calore ad partes externas, debilis fit, & eum commodè retinere nequit. Idem diuerso modo præstant tristitia, metus, timor, solicitudo, curæ, imaginationes variæ, in quibus sanguine ad corporis arcem conuolante; frigefiunt viscera, minuuntur coctiones, sanguinis impeditur ad membra distributio, & arescente corpore fœtus contabescit, extenuatur, & perit. Demum grauida timore affecta, redditur melancholica & tristis, quia spiritus ex hac fuga ad cor obtenebrantur, imò omnia membra exiccantur, ita vt ad ossa perueniat siccitas, & pinguedinem, & carnem recentem colliquet, 1. *de articul.* 29. quin minuto, & conculcato calore vires debiles factæ, fœtum non retinent; quare timor animi deliquia concitat, 2. *de caus. sympt.* 5. & abortum facit, 5. *Aph.* 45.

Quæro octauò: *Vtrùm acuta grauidis offerenda?* Respondet Auicenna *loc. cit. Et oportet vt deuitent omne acutum, vt capparis.* Cibos à Græcis acres vocatos, à Barbaris acutos, à grauidarum mensis esse ablegandos, multæ suadent rationes, quoniam sapor acris omnium est calidissimus, ex Theophrast. 6. *de caus. plantar. cap.* 1. quod probat Galenus 4. *simpl.* 18. & 3. *acut. com.* 2. est enim edulium acre, quod fortiter dum gustatur, excalfacit, velut piper, pyrethrum, nasturtium, allium, cæpa, & id genus omnia. Id confirmat Auicenna *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. qui acuti saporis substantiam, tenuem esse, &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 554 sur 927

& calidam literis prodidit: & infrà ait: *Acutum autem est calidius, quoniam est fortius ad resoluendum, & ad incidendum.* Subscribit Auerrhoës 5. *collect. cap.* 27. §. *Quod dominatur supra acutum, est multus calor cum multa siccitate, & subtilitate, & propterea calor illius est fortior omnibus aliis.* Annuit Serapio *lib. de temperament. simpl. cap.* 2. §. *Substantia acuta est ignea, & modus acuti saporis est, quòd quando gustatur, calefacit calore forti, & mordicat inter edendum linguam, & quod inuenit ex carne; & virtus eius prima, est virtus calidior omnibus aliis saporibus, &c.*

Si hæc vera sunt, vt profectò sunt, cur ab eduliis grauidarum acuta non eliminabimus? Inflammant enim sanguinem, bilem acriorem reddunt, sanguinem qui debet esse pro alimento fœtus dulcissimus, conspurcant, cohibent aluum, reprimunt vrinam, capitis dolorem generant, suóque viroso vapore cerebrum distendunt, & superfluo calore somnum in illis tam necessarium perturbant.

Audi Ishac *lib. 2. dietar. vniuersal. cap.* 11. *Sapor acris est calidus in quarto, eo quòd sua incensio ignea est, adeò vt cuti imposita, eam exulcerent,* 3. *de temp. cap.* 3. Neque instes, acria, vt sunt cæpæ, allia, etsi cuti admota erodant, intus assumpta hoc non efficere, imò nutrire, licèt viscera interiora omnia, molliora sint, teneriora, & calidiora. Nam *cit. de temperam. lib.* docuit Galenus, id fieri propterea quòd illa mutantur, alterantúrque, dum in ventre concoquuntur, & in venis in sanguinem vertuntur, & propterea etiam quòd vno loco non permanent, sed in multas partes diuisa quoquouersum feruntur. Addit & quòd non solùm multis succis miscentur, sed etiam cibis cum quibus sumuntur. Ad hæc, quòd celeriter eorum & concoctio, & partium separatio perficitur, ita vt quod conueniens in eis est, assimiletur; quod superuacuum & acre, per aluum, vrinam, & sudorem excernatur.

Quamuis autem acria edi possint, illa scilicet quæ dulcem quandam obtinent qualitatem admixtam, 4. *simpl.* 18. tamen in his adest nocumentum non exiguum, quòd capiti cuncta infesta sint, eidémque negotium facessant, quia calor ascendens sursum humores defert, quod Theophrastus significauit, 6. *de caus. plant. cit.* dum ait, *acrem saporem esse, qui deliquandi, aut mordendi vim habet, aut qui calorem humoris participem loco superno excernit.*

Hinc Zoar *lib.* 1. *Thcizir, tract.* 8. *cap.* 22. omnibus acutis, siue cæpis, siue aliis peculiare esse dicebat, caput fumis, vaporibúsque replere; quare visui potissimùm nocent, & materia existunt cæcitatis. Et deinceps *in hoc libro, tract.* 9. *cap.* 8. sic inquit: *Necesse omnino est, vt prohibeas in omni specie epilepsiæ, & in omni accidente malo, cerebro superueniente, allium, & cæpam, & his similia, quoniam proprietatem habent magnam cerebrum perturbandi.* Auicenna 33. *tract.* 1. *cap.* 1. sic confirmat: *Acuta, sicut porrum, oculis nocent; etiam & visceribus,* ex eodem Auic. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4.

Ex iis ergo edocti Medici, acria edulia vehementer grauidis interdicant, quæ rebus aromaticis, vt pipere, Caryophyllis, Zingibere, Cinnamomo, oleribus acribus, vt alliis, cæpis, & similibus, assiduè in alimentis vtuntur, nam ab vsu omnium acrium abstinendum esse, nos docuit Galenus 2. *alim. cap. vlt.* & potissimùm, cùm is qui ipsis vescitur, natura biliosus fuerit, solis enim, qui vel suecum pituitosum, vel crudum & crassum, ac lentum aceruauerunt, cibi huiusmodi sunt accommodati.

Sapor acris, testimonio Galeni 3. *simpl.* 27. extenuat, perpurgat, digerit, perrumpit, attrahit, & escharam, siue crustam efficit. Auicenna quoque *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. & 4. operationes acuitatis esse affirmat, resoluere, incidere, putrefacere, & aperire. Mesuë *in canonib. vniuersal. theorem.* 1. & 8. sic scriptum reliquit: *Acre medicamentum facilè inflammatur, mordet, penetrat, aperit, vrit, separat, resoluit, à longinquo attrahit, siccat, emaciat, sitim facit.* Quare grauidæ ab vsu acrium sunt interdicendæ.

Quæro decimò: *Vtrùm amara grauidis concedenda?* Auicenna *loc. cit.* renuit, dicens: *Et oportet, vt deuitent amarum, &c.* Et meritò sanè, quoniam amara gustui sunt ingratissima, & ab alimenti natura prorsus aliena, cùm ex mente Galeni, 4. *simpl.* 9. à caloris excessu generentur, vt bilis, nitrum, vina valde vetusta, ac numerosa semina, vt rutæ potissimùm sylvestris, Tordylij, spondylij, melanthiíque; & mali medici, item lupini, orobi, & alia huiusmodi, & calida sint ordine tertio, vt ipse protulit, 6. *simpl. tit. de abrotano,* quare strenoè calefaciunt, pariter & exiccant, & ideò vt scribit idem, 4. *simpl.* 20. *Omnibus propè animantibus, nedum hominibus esui sunt inepta: Quippe cùm animal omne, plus minúsue sit humidum, amara autem sicca, haud aliter quàm cinis, & puluis: Itaque nec cinerem, nec puluerem, nec fauillam, nec calcem animal vllum esitat, nec eorum quæ planè amara sunt, quicquam.* Quod deinceps lacus asphaltitis, seu bituminosi exemplo ostendit, in quo ob amaritudinis exuperantiam, *nullum nec animal, nec planta inesse conspicitur: imò cùm duo fluuij in eum confluant longè maximi, pisciúmque copia scatentes, præcipuè qui prope Ierichontem fluit, quem Iordanem nominant, nullus omnino piscium fluuiorum ostia excedit, ac si captos quis in lacum iniiciat, celeriter mori conspiciet, &c.* Et consequenter subdit: *Adeò est omnibus, tum hominibus, tum plantis inimicum, quod exactè amarum est, & quod squalidum pariter, ac siccum est, atque natura velut fuliginem ab assatione referens.*

In hunc sensum dicebat Auicenna, 2. *canon. tract.* 1. *cap.* 3. *Amarum est grauis substantiæ, & propterea illud ipsius purum non recipit putrefactionem, ex qua animal generetur, nec purum ipsius nutrit animal.* Subscribit Auerrhoës 5. *collect.* 27. dum sic ait: *In aqua maris, quæ est multùm amara, non potest viuere aliquod animal; propterea quòd amaritudo est in extremo, nutrimento animalium aduersa, & est dulcedini contraria propter siccitatem solùm: ob idque interficit infantes, quando multùm ea vtuntur, eo quòd sunt in vltimo humiditatis: & vniuersaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali, quia illa non est nisi medicinalis.*

Amara ergo nullo modo sunt concedenda grauidis, quoniam sanguinem acuunt, & inflammant, cùm vel ex dulcibus superassatis, vel salsis nimiùm excalfactis, siue ab igne, siue à calore naturali generentur, vt 4. *simpl. cap.* 19. testatur Galenus: siquidem absumpta semper, ac defluente ab eis parte humidiore, in vaporem à calore soluta, necesse est, vt reliquum crassius, terrenius, sicciúsque remaneat, vt 5. *simpl.* 2. & 19. ipse affirmat: quare amara linguam radunt, ex Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3.

Duo tamen obices remouendi, priusquàm ad alterum dubium accedamus. Primum, cur tantopere amara nostris corporibus aduersa sunt, & intensa caliditate ea inflammant, si ex mente Galeni 5. *simpl.* 26. ea absque manifesta caliditate meatus repurgant, abstergunt, exrenuant, humorum crassitiem incidunt? Dic, Galenum collatione ad acria facta id pronuntiasse, quæ adeò vehementer excalfacere possunt, vt escharam moliantur, & vrant, quorum comparatione, amara absque manifesta calefactione humorum crassitiem incidere, & alia quæ dicta sunt, opera exercere, à Galeno dicuntur.

Secundum: Si amara visceribus nocent, infestáque sunt, ex Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. cur Absinthium in ventriculo roborando plurimam obtinet facultatem? quem tantopere tuetur, ac defendit, vt passim Galenus inculcat, & apposita historia confirmat, *lib. de theriac. ad Pison.* Dic, Illud virtutem hanc non ob amaritudinem,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 555 sur 927

sed propter adstrictionem possidere : quod ex eo constat, quia succus, à quo terreæ partes, in quibus adstrictoria vis sita est, separataæ sunt, hac facultate destituitur, amaritudinem quasi obtinens ventriculo infestam. Iccircò Galenus 11. *meth.* 16. absinthium Ponticum in iecoris, & ventriculi phlegmone, magis quàm vulgaria laudat, quia in Pontico adstringendi facultas non parua est; in reliquis omnibus amara quidem qualitas est vehementissima, adstrictio verò aut planè obscura, aut prorsus nulla sentitur. Ergo non propter amaritudinem, sed propter adstrictionem, Absinthium ventriculo, visceribúsque gratum, benevolúmque existit. Hoc modo intelligendus est Mesuë *in canonib. vniuersal. theorem.* 2. amara stomachos firmare pronuncians : quod verum est, quando vnà cum amaritudine, adstringendi vim coniunctam habuerint.

Quæro vndecimò : *Vtrùm vini potus vtero gerentibus vtilis sit* ? Auicenna sic inquit : *Et vinum earum sit odoriferum, & subtile, & antiquum, &c.* Hoc esse verum euidentissimæ rationes confirmant: nullus enim est status, in quo ampliùs necessariæ sint vires, & sanitas vtilis sit, quàm in statu grauidationis, qui plurimis morbis, & periculis est obnoxius. Vinum autem sanitatem custodire, probat Ishac *lib.* 3. *diætar.* dum sic ait : *Vinum bonum dat nutrimentum corpori, sanitatem reddit, & custodit, si accipitur vt oportet, & quantum natura sustinere valeat, digestionem confortat stomachi, & etiam secundam, quæ est in hepate : calor eius est similis calori naturali, citóque conuertitur in naturalem, & mundissimum sanguinem: turbidum quoque sanguinem clarificat; & aditus totius corporis, maximéque venarum, & aperit, & mundificat: hepatis mundificationem aperit, tenebrositatem aufert, fumositatem tristitiæ generatiuam à corde expellit, totiúsque corporis membra corroborat : sed & animam ipsam facio obliuisci tristitiam, & angustiam, laborem, & dolorem, dátque lætitiam, & audaciam, ingeniúmque subtilius reddit. Igitur conueniens est omnibus ætatibus, & omnibus regionibus, si tamen sumatur secundùm sui quantitatem, ac naturæ possibilitatem* ? *calefacit corpora frigida, & infrigidat calida, sicca humectat, & humida exiccat; eius tamen calefactit, & desiccatio est naturaliter humectatio, & accidentaliter infrigidatio, quia cum sui subtilitate, & perforatione portat aquam ad membra, &c.*

Deinde alimentum quod roborat vires, quarum causa fœtus in vtero retinetur, & conseruatur, grauidis est vtile, & necessarium. Vinum autem virium firmitudinem tueri, & roborare, probat Paulus *lib.* 1. *cap.* 95. & *alibi*, dum sic ait : *Vinum calorem genuinum refocillat, vnde concoctio melior, & sanguis probus euadit. Cibum per omnia corporis membra, vt quod facilè penetrat, deducit. Quamobrem ex morbo emaciatos reficit, corpúsque ipsorum auget, etenim cibi cupiditatem facit, pituitam extenuat, bilem per vrinam educit, & bonum colorem conciliat, animo lætitiam cum voluptate parit, & robur adiicit.*

Idem testatur Haly *lib. de regali dispositione, cap.* 13. dicens : *Vinum calorem naturalem confortat, humores cholericos temperat, purgans per sudorem, membra dura humectat, appetitum iuuat; & digestionem, ventositatem quoque soluit, oppilationem aperit, melancholiam mitigat : & hæc maximè facit his, qui temperatæ complexionis sunt, & inclinantur ad frigidum. si mediocriter sumatur.* Rasis *lib.* 10. *ad Almans.* 5. sic ait : *Vinum, stomachum, & hepar calefacit, inflationem dissoluit, & cibum digerit, vrinam prouocat, & ventrem soluit : præter hoc & lætari, & gaudere animam facit, & hunc vltimum bonitatis modum nondum inuenimus, quod suppleat vicem eius.*

Insuper si grauida in perpetua lætitia, & gaudio est continenda, cur non vtetur vino sobriè? cùm nulla res alia sit ad lætitiam producta, vt vinum, cuius maximè proprium est cor hominis lætificare, nec alia quæ maiorem sympathiam cum eo habet; & vinum præstat hominibus, quod præstat vita, de qua re scribitur in

A *Psalmo* 105. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis* : Nam inter illud, & cor, indicibilis quædam adest sympathia, quæ in eius substantiæ modo consistit, ideò cordis vires mira quadam celeritate reparat. Rectissimè ergo à Sapiente dictum : *Vinum datum fuisse ad iucunditatem, non ad ebrietatem* : Est enim omnis hilaritatis dulce seminarium, gaudij thesaurus, humanæ vitæ remedium, & firmamentum ipsius, & omnes cuiuscunque status illi sint, ad meliorem corporis habitum reducit, quia appetitum alimentorum excitat, teste Oribasio *6. collect.* 10. recreat, calorem suscitat, atque ideò concoctiones meliùs fiunt, & sanguis probus gignitur, alimentúmque in omnem corporis partem, à vino, quia vim habet penetrandi, deducit.

B Ad hæc. Flatus, qui in vtero gerentibus, ob varia intempestiuè ingesta cibaria, & deprauatos appetitus insolescunt, resoluit, præsertim si sit merum, & purum: (nam aquæ permixtione, vini vis frangitur, atque debilitatur) & maximè si sit odorum, quia nullus odor cum odore vini comparandus, omnes enim sine vlla dubitatione superat, solus namque vini odor verè nutrit spiritus : Si enim grauidæ animi deliquio, aut syncope prehendantur, earúmque facies vino odorifero irroretur, præsentissimum ipsæ præsidium sentient, quamuis vires à natiuo calore sint destitutæ valde.

Vinum ergo concedendum est grauidis, clarum, subtile; spiritus enim claros, ac subtiles generat. Vetus, nouum enim faciliùs inebriat, plurimos morbos parit, aluum subducit, tormina generat. Maturum, non austerum, siue stypticum; hoc enim 3. *acut.* 8. excretiones C omnes cohibet. Moderatè sumptú, & vt in summa dicam, illis offerendum vinum ætate medium, clarum, nonnulla rubedine participans, odoratum, sapore æquale, ita vt non sit acre, acutum, fumosum, crassum, subtile nimis, excellenter potens, imbecillum, sed medium, natum in colle aperto, meridiem spectante, regione inter caliditatem, & frigiditatem temperata.

Quæro duodecimò : *Vtrùm sit præstantius ad roborandum vterum, & ventriculum in grauidis, electuarium ex margaritis Auicennæ, an diamargaritum commune* ? Auic. *loc. cit.* exhibet per os electuarium ex margaritis, nam ipsum rectificat dispositionem matricum, & ventriculi prægnantium : Cuius descriptio est hæc.

℞. *Margaritar. non perforatar. pyrethri, an.* ʒ j. *zinziber. mastich. an.* ʒ iiij. *zedoariæ, doronici, sem. apij, ruta, cardamom. nucis moschatæ, macis, cinnamomi, an.* ʒ ij. *been rubri, piperis, macropiperis, an.* ʒ iij. *floris canellæ,* ʒ v. *saccharo albissimi ad pondus omnium.* Misce, & fec. art. fiat Electuarium, cuius dosis sit cochlear. Hoc enim lætificat, flatus dissoluit, pituitam concoquit, crudos humores digerit, coctionem iuuat, distributionem humorum procurat, spiritus pellucidos generat, oris fœtorem emendat, ructus tetros & putidos castigat, fœtum tuetur.

Neque audiendi sunt, qui hoc electuarium nimis calidum esse asseuerant, quòd magna dosi concedatur, cochlear enim vnum pendet aureos quatuor, ob idque E præferendum esse Diamargariton commune confirmant : quoniam hoc non est nimis calidum, & præterea commune ex Rhab. & camphora componitur, quæ sunt grauidis ingrata, & parum vtilia. Secundò, quoniam Auic. immiscet compositioni saccharum ad pondus omnium, & plus, id est duplum, aut triplum. Tertiò, quoniam cochlear minimum pendet semidrachmam; paruum, drachmam; magnum, sesquidrachmam, maximum semunciam : quare dosis non est magna, cùm sit à semidrachma in semunciam. Si verò frigidiorem compositionē desideras, in illis præsertim, quæ bilioso temperamento sunt præditæ, & habitant sub calido cœlo, & regione æstuosa, hæc sit facillima.

℞. *Carabes, mastiches, rosar. rubear. xyloaloës, margaritar perforatar*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 556 sur 927

*perforatar.an.*ʒ j.*corall.rubeor.nardi,macis,ben albi,ben rubri,cinnamom.santalor.citrinor.cardamom. an.*ʒ j. ß. sacchari quantum sufficit, fiat Confectio.

Quæro vltimò: *Vtrùm cor,& cetera partes in grauidis roborandæ*? Hoc ita esse exequendum,ratio dictat:quoniam cor persæpe à vapore tetro sanguinis menstrui coërciti premitur,& lancinatur, quare syncope,palpitatione, insolita tristitia oppugnatur.Ipsum ergo roborare oportet medicamentis, quæ flatus discutiant, partes firment,& in sua symmetria conseruent,qualia sunt apud Auic.21.3.*tract.*2.*cap.*12. Zedoaria,& vtrumque Been, aut seorsim, aut mixta pondere semidrachmæ,aut Doronicum drachmæ pondere, superbibitis vnciis binis aromatici vini. Inter probatiora præstant, Electuar. de gemmis Mesuë, Electuarium lætificans Rhasis,aut hæc sit pro vsu vtilissima Confectio.

℞. *Margaritar.*ʒ j.ß.*hyacinth.*ʒ ß.*cinnamom.caryophyllor.macis,an.*ϑ ij.*limaturæ auri,limatur.argenti,an.*ʒ j.*sacchari albissimi,* ℔. j. Dissoluatur cum vnciis octo aq. Rosar.& fiat Confectio in tabulis.

Hæc etiam est vtilissima Conserua.

℞. *Succi pomor. redolent. & succi bugloss. despumator. an.*ʒ v.*doronici,cortic.citri,flor.borragin.rosar.rubrar. been albi,been rubri,coralli,limaturæ eboris,an.*ʒ iiij. *spodij, mastich.Galliæ moschat.carabes,ossis de corde cerui,santalor.rubeor.an.*ʒ iij.*semin.basilicon.foliy myrtillor.meliss.coriandri, cinnamom.galangæ, Zedoariæ, spicæ nardi, ligni aloës, serici minutim incisi,croci,an.*ʒ ij.*omnium myrobalanor.an.*ʒ iiij. *berillorum,smaragdor.hyacinth.sardonij,sapphirorũ, granator.an.*ʒ j.*margaritar.albarum,*ʒ iij.*limaturæ auri,limatur. argenti,an.*ʒ ij.ß.*ambari,camphor.an.*ϑ ß.*moschi,*ʒ j.Fiat Confectio sec.art.

Ventriculus summa cura custodiendus, vnguentis, & emplastris. Hoc esse vtilissimum vsu adinueni.

℞. *Ligni aloës, mastiches, cortic.thuris, caryophyllor. macis,an.*ʒ j.*coriandri præparati,cinnamom.an.*ʒ ij. Misce cum oleo nardino,& mastichino,& cum ceræ ſ.q. Fiat Ceratum,quod super alutam tenuissimam extendatur.

Vel vtere hac Conserua,quæ mirandum in modum ventriculum firmat.

℞. *Conserua rosar.* ℔.ß.*conserua flor. anthos, conserua flor.saluiæ,an.*ʒ ij.*ligni aloës,mastiches,an.*ʒ ß. *macis, caryophyllor.an.* ʒ iij. *coriandri præparati,* ʒ iiij. *anisi,* ʒ ij. *cinnamom.* ʒ j.ß.*sem.fœnicul.*ʒ j.Sacchari dissoluti in aq. melissæ,vel flor. arantior. q. ſ. Assumatur superbibito mero, vel aqua flor.Cinnamomi.

De vacuantibus præsidiis validis administrandis,pro earum præseruatione à morbis,prisci dubitarunt: quare venæ sectionem ipsis valde vtilem,dum febribus,& aliis acutis morbis premuntur, interdixerunt; & multò magis medicamenta expurgantia, & hæc etiam offerebant cum cautela summa, à quarto videlicet mense vsque ad septimum,si humor turget: Quæ auxilia proficua esse, imò necessaria pro earum curatione, quin veteres scientissimos illa probasse, & docuisse, ex ipsorum mente demonstrauimus *lib.*1.*Hist. Princip. Medic. in com.Hist.*32.Demum in præcautione ab abortu, sanguinis detractionem sæpe esse ex vsu,ob multas causas asseruimus *lib.*3.*eiusd.Operis,in com.Hist.*13.

OBSERVATIO I.

Culcitra ad roborandum fœtum vtilissima.

EXterna ventris regio plurimis est aëris iniuriis patens & obuia, maximè quoniam turgido ventre oppressæ grauidæ necessaria non tolerant tegumenta. Pro hoc opere eæ cùm sint morosæ, fastidibundæ, & implacidæ, respuunt vnguenta, emplastra, & fotus: quare culcitra saltem noctu gestata illis summo est auxilio. Inter alias hæc primarium locum tenet.

℞. *Mastich.*ʒ ij. *cardamom.nucis moschatæ, an.*ʒ iij. *anisi,*ʒ j.*cinnamom.*ʒ j.ß. *moschi odorati,*ℊ.xx. *sem.fœnicul.* ʒ ß. *piperis*, ʒ ij. *spicæ nardi,* ʒ iij. *absinth. Pontici,* ʒ iiij. *rosar.rubrar.*ʒ j. *ligni aloës,* ʒ ij. *coral. rubri,* ʒ iij. *santal.rubri,santal.citrini,an.*ʒ iij. *carabes,*ʒ j. ß. *ambari,* ʒ ß. Pulueriſanda pulueriſentur ſubtiliter, irrorentur maluatico, aq. Meliſſ. Naphæ: ſiccentur ad vmbram, reponantur inter ſericum, & ſericum purpureum, aut linteum tenuiſſimum, æqualiter & interpunctim ſuantur, & fiat culcitra ſupra vmbilicum continuò geſtanda.

OBSERVATIO II.

Conserua, ad emolliendam grauidarum aluum tutissima.

ALuum reddi duram in prægnantibus,est frequentissimum, ob causas multas. Vt autem excrementa egerantur dura, pilulis caprarum valde similia,& absumpta omni humiditate exiccata nimis, violento nixu opus est, quem concitare abortum, nulli est non manifestum. In hunc vsum, semel, aut bis in septimana vtile est, assumere aliquod medicamentum veluti alimentosum, quod suauiter aluum proritet. Inter illa hoc electuarium palmam defert, cuius vncia dimidia ieiuno ventre deuorata, suauiter prouocat aluum, & sine molestia vlla, & in quocunque gestationis mense securè concedi potest.

℞. *Flor.cordial.*ʒ ß. *prunor.* Num. xx. *passular. Corinthiac.* ʒ j. *adiant.* M. v. *glycyrrhiz.* ʒ ij. *folior. sennæ,* ʒ iij.*anisi*, ʒ j. Coque secund. art. in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneat ℔. ß. In colatura infunde sec.art.*Rhab.elect.*ʒ j.ß.*schœnanth.*ϑ ß. Colaturæ adde *Conseruæ borrag.*ʒ ij.*mannæ elect.*ʒ j.ß. *pulp. passular.pinguium,*ʒ iij.*pulp.cas.*ʒ j.*folior.sennæ tenuissimè pulueratorum,* ʒ ij.*tartari vini albi,* ʒ ij. *confect. hyacinthor.* ʒ ij.Excipiantur omnia cum syrup.violar.ex plurib. infus.& fiat secund.art.Conserua.

OBSERVATIO III.

Cataplasma, ad expurgandas vtero gerentes, egregium.

VTero gerentes fastidibundæ sunt, & hac ratione immorigeræ, quæ cùm alimenta grata, & palato iucunda edere nequeant, minùs medicamenta assument, quæ illis horrida videntur, & prorsus dura. Ex altera parte excrementorum deiectio est necessaria valde, quæ si negligatur illa retenta tormina pariunt, dolore caput afficiunt, vterum comprimunt. Vtere ergo vmbilico appositis, quæ communicata virtute expurgante per venam vmbilicalem partibus intimis, promptè & suauiter aluum deiiciunt.

℞. *Pomorum redolentium assatorum, abiectis cortice, & semine*, ℔.ß. *pulu.fol. sen.* ʒ iij. *anisi,* ʒ j. *cinnamom.* ʒ j.ß. *tartari vini albi,*ʒ ß. *aq.naphæ,* ʒ ij. *aq. stillat. flor. persic.*ʒ j.ß. *vnguent. Agrip.* ʒ ij. *vnguent. dialthææ, an.* ʒ j.ß.*pulp.cas.*ʒ j.*succi fumar.*ʒ j.ß.*succi rosar.persic.*ʒ j. Omnia misceantur mutuò in mortario, & fiat Cataplasma vmbilico apponendum.

De Pica.

A Primo ad tertium mensem, quoddam symptoma grauidas infestat pertinacissimè, quod nihil est aliud, quàm languor, & molliries dissoluti, & vtilia fastidientis stomachi, in quo varia, & peregrina appetuntur edulia, æstuátque stomachus, & assiduo vomitu, sputationibus, & rosione vexatur: de quo argumento etsi plura simus commentati, *lib.*3. *Hist. Princip. Medic.in com. Hist.*14. de eo tamen hîc refricare mentem constitui.

Apperunt

©BIUM

Appetunt ergo ipsæ absurda, & varia esculenta in conceptu ipso, quæ ante grauidationem nec per somnium nouerant, nec gustarant vnquam, acida, acerba, acria, vinosa, fœtida, sordida, lutum, cimoliam, gypsum, farinam, legumina cruda, calcem, salem, carbones, cineres, lanam: Nam sicut in fame canina appetens facultas circa qualitatem ciborum aberrat; ita in Pica, circa qualitatem, aut speciem eorundem, labitur & errat.

Causa huius mali assignanda in hunc modum. Fœtus ex vtiliori menstrui parte nutritur, impurior relicta, ad ventriculum confluens, hoc vitium concitat, & suam ipsi inducit intemperiem, donec crebris vomitionibus, quibus grauidæ premuntur, absumatur, vel ab adultiori fœtu, pluri alimento indigo, attrahatur: ventriculus enim famelicus impurum aliquando nutrimentum in sui, & fœtus alitionem prolectat. Num autem in hoc malo, simile, an contrarium expetat ventriculus, *loc.cit.* disceptauimus.

Signa sunt manifesta. Verumtamen ex euomiti humoris colore, odore, & ab ægra percepto sapore, peccantem humorem venari oportet. De præsagio quid? Licèt auctores post tertium mensem cessare, ob causas dictas, asserant vnanimiter, tamen interdum tanta eduliorum prauorum copia assumitur, vt timor sit, ne ob multitudinem innatus possit suffocari calor, aut ea crudorum succorum excrescat quantitas, vt inposterum in aliis mensibus, alia excitentur damna, quæ difficilem habeant correctionem.

Curatio hoc modo perficitur. Ab humore exuperante ventriculus leui vomitorio mundandus, facto ex aqua calida, in qua oxymelitis momentum permisceatur. Expurgantia dimittenda, ne tenellus fœtus eorum vi naufragium faciat, aut infirmata retentrice, aut acetabulis laxatis. Si tamen res eò miseriæ deueniat, vt timor sit, ne assiduis vomitionibus fœtus concussus excernatur, aluum tunc roborantibus mouere oportet, in quem vsum pruna sennata modico anisi, aut cinnamomi irrorata mirè prosunt. Pilula quoque ex Aloë illota, cum puluere schœnanthi parata, strenuè confert; omnes enim reprobos homores, citra abortus periculum, placidè abstergit.

Auicenna 13.3.*tract.*2.*cap.*11. post vacuationem, ieiuno ventre cyminum masticandum monet, aut cardamomum, & cubebas assumendas imperat, in puluerem tenuissimum redactas, cum saccharo albissimo permixta. Cappares initio mensæ, optimæ, vt humorum crassities incidatur; in medio, oliuæ conferunt: stomachum enim sua siccitate roborant, & appetentiam excitant; in fine, vuæ passæ laudantur, sua enim concoctoria vi, tum lentos humores benigniores reddunt, tum perbellè nutriunt, & corpus impinguant. Electæ aues, saluberrimæ, præsertim montanæ, vt palumbi, passerculi, turtures, excrementitiam enim humiditatem, quæ in hoc affectu in ventriculo redundat, exiccant, & absumunt. Inter salsamenta sinapi multùm conducit: mucidam enim, & viscosam pituitam parietibus ventriculi tenaciter adhærescentem abstergit, & per vtrumque ventrem, promptè euacuat. Vinum concedendum, absinthio medicatum. Ventriculus oleis, fomentis, vnguentis, & emplastris roborantibus fouendus.

De curandis morbis acutis fœminarum, non est cur hoc loco verba faciamus; hi enim tripli curantur præsidio, venæ sectione, purgatione, & victus ratione: quæ præsidia pro eorum medela, cùm *lib.* 3. *Histor. Princip. Medicor. ab Histor.* 13. *&* 14. distinctè sint enucleata, non est, cur modò de illis agamus de nouo.

OBSERVATIO.

Pilulæ ad Picam grauidarum, mirabiles.

SI Pica rebellis est, suíque diuturnitate fœminas molestat, & fatigat, vomitoriáque, & roborantia non conferunt auxilia, & ex ingestorum copia multa, cruditatis venarum, & ventriculi periculum imminet, his vtor pilulis, quarum vna pendens scrupulum dimidium alternis diebus, tribus horis post cœnam oblata, roborat stomachum, lenissimè soluit, crassos humores concoquit, mouet ad optima cibaria appetitum, & pulchrum colorem illis conciliat: vtere illis, quousque deprauatus cesset appetitus.

℞. *Rhapontici electi,* ʒ iij. *cinnamom.* ʒ j. *ligni aloës,* ʒ ß. *balsami,* ϑ ß. *mastich.* ʒ ij. *aloës hepatic.* ʒ ij. ß. *gummi Arabici,* ʒ ß. *rosar.* ϑ j. ß. *confect. hyacinth.* ʒ jj. *calam. aromatici,* ϑ j. *menthæ siccæ,* ϑ ß. *ambari,* ℊ. xx. Cum syrupi Ros. Rubrar. ex plurib. infusionib. & syrupi de absinth. an. part. æqualib. fiat Massa.

CAPVT XVI.

De Mola.

Definitio

PLura sunt symptomata, quæ grauidas infestare solent truculenter, nam illis accidunt vteri inflatio, dolor, imbecillitas, scirrhus: inappetentia, dolor ventris, cordis palmus, tussis, aluus adstricta, aut laxa nimis, crurum inflatio, fluxus sanguinis ab vtero, & alia immania vitia suppullulant, quæ solertem Medici operam desiderant: sed cùm hæc, & alia symptomata, quæ illis superueniunt, *in libro vltimo* sint fusè explicanda, in quo febrium symptomata adamussim explicantur, ab eorum curatione supersedere, lectorem ad eum locum remittens, consultius iudicaui. Hoc consilio ductus, curationem morborum acutorum grauidarum omisi, quia illorum curatio parum à communibus differt, nî tria præsidia, sanguinis missionem, purgationem, & victus rationem excipias, de quibus præsidiis pulchra leges, *lib.* 3. *Histor. Princip. Medicor. in com. Hist.* 13. *cit.*

Duo ergo solùm circa grauidarum curationem exquiremus, primùm de Mola, secundùm, de mortuo fœtu. Illa sic denitur à Galeno 14. *de vsu part. cap.* 7. & 14. *meth. cap.* 13. est caro informis, & inutilis, inarticulata, dura, in vtero mulieris genita, instar vteri conceptus, vel variarum figurarum. Vel hoc modo definies: est caro informis, & inutilis, ouo subuentaneo volatilium correspondens. Itaque caro hæc rudis, non eodem modo quo vermes in vtero generantur, à calore tantùm concoquente, & humore crasso atque viscido, sed ex semine viri, & mulieris ab spiritu gignitiuo efformatur, cuius rei argumentum præbent membranæ quibus integitur, & fœtui multoties alligatur cum motu quodam tremulo, quem vteri tumor sæpe comitatur.

Deinde notandum est, quòd quemadmodum Naturæ, quæ in perpetua indiuidui successione continuatur, longè vtilius est aliquid creare, quàm nihil; ita in vtero generationi à natura destinato contingit, ab spiritu illo gignitiuo, & à calore, quem non sine ratione sui domicilij architectum veteres Philosophi appellarunt: qui si materiam conuenientem adinuenerit ex vtriosque sexus semine, pulcherrimus fœtus ad vtriusque exemplar diuinitus fabricatur; aut vni magis, quàm alteri similem, pro ratione materiæ, & viribus imaginatricis facultatis, tanquam optimi moderatoris.

Si

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 558 sur 927

Si verò ipſe calor vteri imbecillior ſit, materia autem ſubiecta, qualitate, quantitate, conſiſtentia, aut mixtione alicuius extranei, vt ſanguinis craſſi, aut alterius vitioſi ſucci, ad tantam perfectionem ſit ineptior, aliquid, & non nihil generat, ſiue animatum, ſiue rude & vitæ expers. Hæc eſt ratio, ob quam aliquæ mulieres cùm nouem menſium ſpatio vtero geſtaſſent, & omnibus, quæ in legitimo partu euenire ſolent, mirificè reſpondentibus, tandem nihil aliud, præter animalia ranis ſimilia, cum purgationum cruentarum, & corruptarum copia multa, in lucem ediderunt.

Sed videndum: *Vtrùm ſola mulier molam concipiat?* Reſponde affirmatiuè, cum Ariſtotele *6. de hiſt. animal. cap.* 18. Cur autem hic inutilis conceptus in ſola muliere contingat, cauſa eſt, vt inquit Auerrhoës *ſuper cap. 6. lib. 4. de generat. animal.* quia copia menſtruorum abundat. Quod autem ab Ariſt. *6. de hiſt. animal.* 30. & *4. de generat. 6.* circumfertur, & à Galeno *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 11. vrſam parere molam, ſano modo eſt accipiendum: nam vrſa non parit molam informem, ſed cùm hoc animal tota hyeme lateat, plurima pituitæ copia repletur, quæ fœtum madore, & mucore opplet, atque ita obductus ita obſcuratur, vt nulla forma appareat; quum autem fœtus in lucem editus eſt, à matre lambente hic mucus ex toto aufertur, ita vt quæ primo intuitu videbatur caro inutilis, & informis, detracto mucore fœtus appareat.

Cauſa.

CAuſam huius affectus propoſuit Hippocrates *lib. 1. de morb. mulieb. num.* 88. qui tunc molam fieri affirmat, quotieſcunque multus ſanguis menſtruus, & paucum ſemen, & morboſum concipitur, in quo quum ſpiritus genitiuus, qui opificis vicem gerit, imbellis eſt, eius vis corruit, & menſtruum effluuium regere nequit. Et hac ratione monſtra in rerum natura contingunt, quia ſcilicet ægri cum ægris conueniunt, & ebrij cum ebriis, ex quorum conſenſu, tam ſanguis menſtruus vnius, quàm ſemen alterius corrumpuntur, teſte Galeno 11. *de vſu part. cap.* 12. Hanc definitionem etiam retulit, *lib. de ſterilib. num.* 20.

Signa.

DIfficile eſt molam vteri à vera vteri geſtatione diſtinguere: in illa enim menſtrua ſupprimuntur, venter paulatim accreſcit, & mammæ augentur. Cautè ergo ſigna depromenda ſunt, cùm nulla affectio ſit magis fallax & illuſoria, ita vt per initia in quibuſdam mulieribus de fœtu concepto ſuſpicio ſit, vt notauit Paulus *lib. 3. cap.* 69. Primum ergo ſignum eſt, quia in molæ geſtatione color adeſt in facie plumbeus, qui in verè vtero gerentibus non contingit.

Secundum. In molæ geſtatione citiſſimè venter accreſcit, ſecus quàm in vera vteri geſtatione, cùm enim ſit imperfecta fœtura, citiùs ſuſcipit augmentum, quoniam facultas formatrix in partibus diſtinguendis non eſt ita occupata. Addit Paulus *loc. cit.* quòd venter eſt durior, & aliquantulum renitens.

Tertium ex parte motus deſumitur: nam Hippocrates *lib. 1. de morb. mulier.* in vera vteri geſtatione, ſi maſculus eſt, tertio menſe, ſi fœmina, quarto fœtum moueri affirmat, cùm Paulus *loc. cit.* nullum in his temporibus percipi motum affirmet. Sed quomodo à calumnia tantum auctorem liberare poteris, ſi experimento certum eſt, in mola, tranſacto primo menſe quendam motum tremulum, arteriarum motui ſimilem perſentiri, quia citiùs accreſcit, & per venas nutritur, & à fortiori motum continuum repræſentat? Dic, nullum motum in mola per interualla, & ad maiorem diſtantiam ſentiri, cùm hic proprius ſit illarum, quæ verum conceptum gerunt, quoniam in mola continuus eſt.

Quartum deſumitur ex prauis diſpoſitionibus, quibus molam geſtantes aſſiduè opprimuntur: doloribus enim ſunt oppreſſæ, macie laborant, febre lenta detinentur noctibus ſingulis, decolores ſunt, faſtidioſæ, immorigeræ, melancholicis imaginationibus vexantur, vteri ſtrangulatum, & animi deliquium patiuntur; quæ omnia in geſtantibus verum conceptum, contrario modo contingunt.

Quintum. Si mediis menſibus copia ſanguinis tetri, fæculenti, & nigri ab vtero erumpat: cùm enim à forti calore non gubernetur, quin facultas formatrix debilis ſit, facilè diſſoluitur caro illa rudis, & informis. Ex his interpretaberis Hippocratem, qui *libro de ſterilibus, paulò poſt med.* ſic profatur: *Si vna mola fiat, interimit; ſi plures, & diſſoluantur, bene terminatur*: quaſi diceret, ſi mola liquefiat, & ſanguis ille per vterum emanet, citò reſoluitur; ſi autem concreta remaneat, interficit.

Præſagium.

MOla eſt morbus periculoſus, & ſæpe quum diu durat, in hydropem finitur, mole enim ſua ſuffocat calorem innatum. Deinde ſi ſunt plures, & natura illas extra vterum propellere nititur, parhemata adſunt dira, quæ fœminas perſæpe ad interitum deducunt. Sanguinis enim fluor immodicus ex vtero prodit, immanes adſunt circa vmbilicum, & pubis regionem dolores, vigiliæ, angores, animi deliquium, pulſus interciſus eas fatigant; & ipſæ exanimes, ſyncope correptæ ſæpe occumbunt.

Curatio.

MOlæ curatio difficilis eſt, quæ cum prædictione eſt aggredienda: nam plures loco molæ extrahendæ, abortum prouocarunt. Tota autem diligentia enitemur, vt mola ab vtero citò pellatur. Hoc autem conſequemur, ſi ipſa præparetur, vt poſſit expelli, & vt expultrix irritetur, vt excitata noxam grauantem expellere poſſit. Vt autem hæc commodiſſimè fiant, corpus priùs vniuerſalibus remediis eſt euacuandum, purgatione nempe, & ſanguinis miſſione: cùm enim morbus hic in numero ſit aucto, ſui ablationem indicat, vt 14. *meth. cit.* docuit Galenus.

Varia auxilia deſcribit Hippocrates *lib. de ſterilib. num.* 20. & 1. *de morb. num. cit.* ſed inter hæc ſolùm de cucurbitulis agit, quas ad laterum mollitudinem affigendas eſſe prædixit, clyſtere per ſudorem iniecto, ac collutionibus immiſſis intra vterum, quibus auxiliis ſanguinem multum vacuare contendit. At dices: ſi hoc eſt Hippocratis inſtitutum, cur venæ ſectio non erit admittenda, quæ has vtilitates commodiſſimè præſtat?

Quæres ergo: *Vtrùm venæ ſectio è talo pro curatione molæ vtilis ſit?* Nam videtur eſſe ſiculnea, & nullius vſus: cùm enim mola à ſanguine craſſo, concreto, viſcido, & frigido oriatur, & vires præ tanta mole ſint debiles, & offuſcatæ nimis, has debilitabit venæ ſectio magis, & naturam ad expulſionem inertem, & pigram reddet, quapropter aliis auxiliis pugnandum, quæ expurgare corpus, duritiem mollire, & expellere nata ſint.

At ſi veritas eſt amplectenda, pro molæ curatione phlebotomiam eſſe multi vſus, inueniemus: hæc enim copiam demit, præparat ad reliqua auxilia corpus, cotyledones laxat quibus vtero hæret, irritat facultatem. Deinde mola eſt res toto genere præter naturam, ſui ablationem indicans. Hæc res præter naturam, cauſam habuit ſemen imbecille, & ſanguinis menſtrui copiam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 559 sur 927

©BIUM

copiam immodicam: & hæc vltima causa actu semper A efficit, dum nutritionem, & augmentum parat, & simul fouet: Quare quicquid valet causam efficientem, & fouentem tollere, & vnà auulsionem præstare, præstantissimum erit auxilium ad abigendam molem: talis autem est phlebotomia; ab vtero enim reuellit, pabulum retrahit, partum abigit.

At cùm affecta pars, vterus sit, ab ipso proximè sanguinem retrahemus, & vacuabimus, & in ipso maximam circa sanguinem commotionem excitabimus. Has omnes indicationes, sola venæ sectio ex infernis partibus celebrata adimplere potest. Neque approbes plurium Medicorum assertiones, quibus conantur probare, priùs in cubito esse feriendam venam, deinde in talo sibi persuadent: Quia hæc retrahit ab vtero, non B prouocat, ex infernis verò partibus celebrata, directè reuelllit, vacuat commodè, commotionem in vtero non leuem excitat, dilatationem vteri præstat. Demum annuit Hippocrates *loc. cit.* qui lumbis sectas cucurbitas consulit, subdititia per vtramque aluum ad sanguinis euacuationem commendat: præstantior ergo multò est venæ sectio ex infernis partibus celebrata, quàm illa quæ è gibbero à pluribus admittitur.

Præparetur humor purgandus syrupo de artemisia: postea purgetur frequenter cum iis, quæ crassos humores euacuant. Extrà, & intrà ponantur emollientia, deinde acriora, quæ ad fœtum mortuum, & secundas expellendas vtilia esse, *infrà* dicemus.

Laxantia vtero apponenda, vt viæ emolliantur, dilatentur, & facilem exitum molæ præstare possint: in C quem vsum frequentem fotum cum spongiis, & filtris, ventri, inguinibus, lumbis, & coxendicibus frequenter adhibere oportet. Inter fomenta hoc semper iudicaui felicissimum.

℞. *Althææ, maluar. cum suis radicib. an.* M. j. *radic. aristoloch. rotund. & aristoloch. longæ, an.* M. j. *folior. artemis. mercurial. matricar. saluiæ, hyssopi, calament. an.* M. ß. *sem. lin. althææ, fœnugræci, anisi, leuistici, an.* ℥ ß. *flor. chamæmel. melilot. rorismarini, genistæ, arthemis. an.* P. j. *furfurum*, P. j. Coque in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneant ℔. x. adde *Olei oliuarum*, ℔. iij. *olei chamomil.* ℔. j. *olei amygdal. dulcium*, ℔. ß. *olei lilior. albor.* ℥ iiij. Cum filtris admoue, & deinde dictas partes inunge sequenti linimento.

℞. *Vnguenti dialthææ compos.* ℥ ij. *empl. filij Zacchar.* ℥ iij. *vnguenti agrip.* ℥ iiij. *butyri recentis*, ℥ j. ß. *axungiæ gallinæ, axungiæ anseris, an.* ℥ j. *medullæ cruris vaccæ*, ℥ j. *styracis calamitæ*, ʒ ij. *pulp. colocynthid. pulp. radic. vtriusque aristoloch. an.* ʒ j. *olei de lilio, q. s.* Misce, & fiat linimentum. D

Fer os indenda, quæ irritent, laxent, aperiant, dilatent, emolliant, quæ *sequenti capite* proponentur. Si vires labantur, refocillandæ. Si animi deliquium adsit, cardiaca offerenda, quorum copiam *lib. 2. cap. de syncope* descripsimus.

OBSERVATIO I.

Ad expellendam molam, pilulæ eximiæ.

INter præstantissima præsidia, quæ ad elidendam ab vtero molam felici euentu sum expertus, hoc est præcipuum: Si enim fœmina quinquies noctu, tribus horis post cœnam, septem assumpserit pilulas, præcedente victus ratione optima, & præparato corpore, procul dubio eam excernet.

℞. *Boracis*, ʒ j. *carabes, asari, cinnamom. nigellæ Romanæ, & nigellæ vulgaris, sabinæ, an.* ʒ j. *galbani, assæ fœtidæ, opopanacis, bdellij, an.* ϑ j. *myrrhæ*, ʒ ß. *trochiscor. Alhandal*, ϑ j. *pulp. colocynthid.* ϑ ß. Cum Balsamo, & aceto scillitico fiat massa.

OBSERVATIO II.

Mola admiranda, intra quatuor horas interficiens.

ALongo tempore fœmina quadragenaria, hirsuta, & tristis, conquerebatur de pubis pondere, & grauamine, & cùm iam septies peperisset masculam prolem felicissimè, nunquam hoc signum persensérat: cúmque aliæ fœminæ, & obstetrices conceptum verum semestrem in vtero adesse sibi persuaderent, quia aderat inappetentia, tumor ventris indies magis ac magis increscebat semper, menstrua à primo mense defecerant, in mamillis apparebat lac, crura erant inflata, demum alia signa aderant, quæ veram grauidationem ostentabant. At illa cùm multoties antea in vtero habuisset, molam se gestare certò prædicebat. Ecce vno die, in aurora subitò frigido sudore madescit, linquitur animo, citra pulsum vllum: vino refocillata oculos aperuit, aphona, conuulsa: tandem cùm cardiaca remedia nihil prodessent, & sanguinis ab vtero fluxus immodicus incessanter erumperet, excreuit molam solidissimam, rotundam, nigerrimam, gagatis colore, & ita prægrandem, vt cydonium magnæ molis magnitudine excederet; qua expulsa, apoplecticæ instar intra quatuor horas expirauit. Adeò illusoria sunt molæ signa, quæ si vna est, & magna mole constat, veneni promptissimi instar, miseras fœminas in exitium C præcipitat.

OBSERVATIO III.

Mola in vtero duodecim annis perdurans.

TRigenaria ex suppresso menstrui effluuio, in vtero dolorem, & aliqualem duritiem sex mensium spatio persensit, increuit durities cum tumore per annos tres, ita vt capitis castrati magnitudinem repræsentaret. Nullus in tumente parte aderat dolor, calor, aut mutatus color. Vocati Medici vnanimiter scirrhum esse vteri contestantur. Quare alterantia propinant, expurgant corpus, chalybeata medicamenta multoties propinant, omnis generis emollientia applicant, sed citra vtilitatem vllam. At cùm ipsa iam duodecim annis infortunium hoc esset perpessa, medicamentorum pertæsa, sola olei fæce ter in die duritiem illinebat, cuius auxilij, aut fortè auxiliorum quæ præcesserant, ope, tumor aliquantulum est emollitus, & indies magis ac magis mollior factus, in ichores subsanguineos per mensem ex vtero cõtinuò emanantes, solutus est, quibus sanguinis grumosi & concreti nucis iuglandis magnitudine, molarum instar erat permixta copia multa. Tandem omnino euanescente tumore, mulier ebeni decocto, & fontanellis in cruribus affixis, exiccantéque victus ratione est præseruata.

E

CAPVT XVII.

De fœtu mortuo.

Causa.

EMoritur fœtus in vtero, ob causas multas, quas licèt *lib. 3. Hist. Princip. Medic. in com. Hist. 17.* recitemus, nunc comaticè recudere opus est. Petit ergo ob alimenti inopiam, eius malitiam, plethoricam dispositionem, ob quam præ multitudine sanguinis suffocatur, aut solutis acetabulis ictu, saltu, tussi, sternutamento, vel

vel humiditate nimia laxatis, ex epoto pharmaco quod valdè menſes prouocet, ſanguinis miſſione nimia, prægreſſo morbo ardenti, qui vires attriuit, & ſanguinem comminuit, vel ob partus difficultatem: diu enim in oſculo vteri detentus, obruitur, & ſuffocatur,

Signa.

CVm infans moueri non ſentitur, & inferior matris venter frigeſcit, circa vmbilicum immanis dolor excitatur, in facie ac labiis liuidus color apparet, oculi, & naſus ſtupent, fœtida emittitur reſpiratio, & ex vtero prodeunt humores dira labefœdati, tunc fœtum interiiſſe certum eſt.

Præſagium.

TRuculentus affectus, & qui plurimas è medio ſuſtulit. Ob vigilias enim, ac dolores, ipſæ exanimes fiunt, & multò magis ſi ſanguis immodicè per vterum excurrat: tunc enim debiles factæ fœtum expellere nequeunt, & ſæpiſſime ſubitò occumbunt, præſertim quæ inexpugnabili dormiendi neceſſitate premuntur, ob humiditates, & vapores corruptos à fœtu eleuatos, quorum vi, & malitia citò reſoluuntur.

Curatio.

HÆ ergo vino, ſelectis alimentis, & odoramentis refocillandæ, mortuúſque fœtus, illicò, quoad fieri poteſt extrahendus, ne frigiditatem vtero communicet, quæ deinceps vix corripi queat, aut ipſe putridus, conſpurcet vterum, & vlcera ſorditie ſua excitet immedicabilia. Excitanda ergo eſt fœmina frictionibus, vinculis crurum dolorificis, & cucurbitulis in parte domeſtica affixis.

Ventri inferiori fomenta admouenda, quæ *capite ſuperiore* prædiximus. Poſt hæc illine totum ventrem hoc linimento.

℞. *Olei caſtor. & rutacei, an.* ℥ vj. *ſimi columbini,* ℥ iiij. *myrrhæ,* ʒ ij. *caſtorij, opopanacis, an.* ʒ j. Cum felle vaccæ, & ſucco rutæ, fiat linimentum.

Irritanda natura hoc ſuppoſitorio:

℞. *Succi Medullæ colocynthid. viridis, & Succi rutæ, an. q. ſ.* Excipiantur lana, & calida actu ſupponantur. Defectu verò colocynthidis viridis, coquenda eſt ſicca in vino, & vtendum colatura eius.

Intus offerenda ſunt quæ vias laxant, aperiunt, dilatant, & naturam irritant. Hoc decoctum præſtans eſt.

℞. *Cinnamom. elect.* ʒ ij. *dictamni Cretenſis,* ʒ iij. *boracis,* ʒ j. Sumat ægra cum aq. Artemiſiæ.

Præſtantiſſima etiam eſt hæc potio.

℞. *Radic. althææ, petroſelin. rubiæ tinctorum, an.* ℥ ß. *dictamni Cretenſis, ſabinæ, artemiſiæ, an.* P. j. *cicer. rubror.* P. ß. Facta decoctione ſec. art. in tribus libris aquæ, & vna vini albi, colaturæ adde *antidoti hæmagogi*, ʒ iij. *cinnamom. elect.* ʒ ij. *trochiſcor. de myrrha* ℥ ß. *croci* ʒ j. Puluériſatis puluériſandis fiat potio.

Hæc tamen medicamenta præſente febre ſine vino offerantur: Si tandem vllis remediis extrahi non poſſit, ad vncum accedendum, de quo, eius vtilitate, modo immittendi eum in vterum, & extrahendi fœtum, legendus Hippocrates *lib. de exectione fœtus*, & alij, quorum numerum deſcripſimus *lib. 2. praxis admirandæ, obſ.* 165.

OBSERVATIO I.

Peſſarium ad extrahendum fœtum mortuum præſtantiſſimum.

FOrtiora auxilia eſſe celebranda in fœtu mortuo, quàm in viuo, ratio dictat: nam ad felicem partum duobus opus eſt, & ope infantis, & matris; in mortuo autem deſunt infantis vires: quare remedia debent eſſe irritantia magis. Inter cætera, hoc eſt mihi firmiſſimum remedium, nempe huiuſmodi peſſarium intra vuluam intromiſſum, ſuo enim feruore vehementiſſimè prouocat vrinam, menſtrua mouet, dilatat vterum, & fœtum deorſum præcipitat.

℞. *Sagapeni, galbani, ammoniaci, an.* ʒ j. *ellebor. albi, colocinthid. an.* ʒ v. *cantharidum,* ℈. vj. Confice ſuppoſitorium in mortario ſine igne, cum felle taurino.

OBSERVATIO II.

Pro extrahendo fœtu mortuo, ſecretum facile, & expertum.

MIrabilis, quòd in tam facili remedio, tanta vis recondita ſit, quod ego feliciter ſæpius ſum expertus, quum vehementiſſima præſidia nullo eſſent ex vſu.

℞. ℥ iiij. vuarum putridarum ſuſpenſarum cuiuſcunque ſortis ſint. Proiice in feruentem aquam per horæ dimidium, eas ſupra ardentes prunas impone, & ſuffumigium recipiat fœmina ſepties in die per vuluam, quadrantis ſpatio.

CAPVT XVIII.

De Regimine enixæ.

FInis vnius menſis eſt principium alterius 4. *acut.* 1. dicebat Galenus: ideóque cùm fœmina noni menſis decimum diem pertranſit, ſummam ſui curam gerere debet, vt facilis, & felix partus illi adueniat. Quare in aëre verſetur temperato, ad calidum inclinante, parumper exercitetur, coitu vtatur frequenti, cibis vtatur emollientibus. Balneum ab vmbilico infrà, ſalubre eſt, aut fotus ex emollientibus herbis paratus. Suffumigia odorata frequentiùs ſubdita, vtilia ſunt, ex Moſcho, ambra, Cinnamomo, Agallocho, Gallia Moſchata, Caryophyllis, ladano, & ſtyrace calamita, ex quibus formentur paſtilli carbonibus inſpergendi. Sed ſuffitus humidus ſecurior eſt, paratus ex decocto Nardi, ſpicæ Celticæ, Artemiſiæ, ſabinæ, pulegij, lauri, calaminthæ.

Quando verò partus appropinquat, caueat à fumo, vento, & frigore, imò verſetur in aëre odoro, non multùm luminoſo. Lineis quoque calidis ſtyracem, aut thus redolentibus per ventrem comprimenda eſt, nec ſtrictè, nec laxè: niſi enim faſciæ ventrem comprimant, aëre ſubingrediente locum fœtus, vteri inflatio fœminis ſæpiſſime contingit. Imò hæc compreſſio ad purgationis immoderantiam corrigendam, eſt vtiliſſima, ex Aëtio *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 5.* In calido lecto ſit conſtituta. A motu in lecto, quoad poſſit, abſtineat. Recreandæ vires aromate ſaccharo condîto, vt cortice citri parum aſſo, & vino generoſo infuſo.

Vrina, & ſtercus vacuentur emolliente clyſmate. Inungantur venter, pudendum, perinæum, & oſſa coccygis fomentis, vt ad partus facilitatem meatus dilatétur. Nutriatur cibis boni chymi, iure pingui gallinæ, in quo cicera nigra, & fœnugræci ſemina, cum puluere

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 561 sur 927

cinnamomi incoxerint. Deinde ſedeat enixura per horam vnam, extendens pedes ſuos inferiùs;hoc enim modo fœtus ad deſcenſum aptior fit. Reſupinetur poſtea horæ dimidiæ ſpatio ſuper dorſum, vt fœtus hac figura conquieſcere poſſit. Si verò fœtus ad vterum non perreptat,tunc ſcalas aſcendat accliues, & per decliues deſcendat,vt ad exitum moueatur fœtus.

Compreſſio anhelitus optima eſt, ſicut & ſternutamentum, hoc enim facultatem irritat expultricem, & infantem concutit. Pudibundæ partes illinantur,ſimul & alia,cum oleo rutaceo, amygdalino, lilior. albor. in quo efferuefcant priùs artemiſia, cæpa,allium, origaganum, & alia huiuſmodi. Fumum recipiat intra vluam ex myrrha. Cauendum fœtu exiſtente viuo, à fortioribus medicamentis, ne fœtus ipſorum violentia intereat.

Cùm autem fœtus deſcendere incipit ad os vteri, hiat vulua, dolores augentur, ſecundina apparet, & ichores copioſè emanant,tunc, & non antè in ſella locetur. Tria enim commoda ex hac mora ſequuntur, quòd infans egreſſum non tentat ante integram conuerſionem ſui; deinde vires matris, & fœtus integræ ad hanc emiſſionis horam perſeuerant; accedit quòd nec vterus ab aëre externo refrigeratur, nec aqua ante tempus vacuata,in ſuperfluis conatibus partum ſiccum reddit.

Vtrùm verò *figura ad pariendum varia ſit*? etiam diſceptandum.Reſponde affirmatiuè. Si enim mulier ea eſt,vt leui occaſione, eius vterus ſoleat extrà laxari, & procidere,præſtantius eſt, vt pariat decumbens in lecto ſupina, alioquî meliùs parit erecta, & è collo alterius fœminæ ſuſpenſa. Interdum prona figura more quadrupedum eſt conuenientior, ita vt caput mulieris ſupra pauimentum firmetur, & venter ſuper femora, & genua ſua,quæ figura in muliere multùm pinguiaptior eſt,ſic enim vulua delabens, ceruicem rectà extendit, auctore Aëtio *loc.cit.*& Paulus *lib.3.cap.76.* ſic ait:*Vlua ſic abdomen tendens è directo oſtioli habebitur.* Sic etiam vteri os agitur infrà, & omentum ſuprà reprimitur, ita vt os vteri iam non compreſſum ab omento, ſed ab eo liberum,aditum infanti facilem præſtare poſſit. Supina figura minùs eſt parienti grauis,nam à viro forti, retrò ſuſtinetur,in qua fœmina pedibus inniti debet,& dorſo,non natibus,aut coccygi, hæc enim libera eſt relinquenda, vt retrocedere poſſit; ita namque oſſa coccygis cum oſſe ſacro articulantur, vt reflecti poſſit coccyx in externam partem, & foramen ſic latius reddere in expulſione infantis, & duræ fæcis. Quare ſi mulier inniteretur natibus, nec coccyx retrocedere poſſet,nec fœtui liber aditus concederetur, qui ſanè error frequentiſſimus eſt,& maximè euitandus. Interdum verò adeò imbellis mulier eſt,& ex febribus, aliiſque morbis exhauſta,vt lecto decumbens parere tantùm & poſſit, & debeat.

De obſtetrice quid dicendum?Sit experta,longos & graciles digitos habeat, veſtibus ſuis ſpolietur, ne ab ipſis poſſit impediri. Lintea calida ventri, nuchæ, & dorſo parientis imponat, & manus, ac partem brachij ſibi inungat oleis de Lilio, Seſamino, Amygdal. dulcium, ac pinguedine Gallinæ, quas ſuauiter immittat tangendo,mouendo, ac reducendo fœtum, vt facilis partus contingat.

Vterum ipſa diutius non dilaniet,ſed ſuauiter omnia loca intus,& extrà inungens, placidè, leniter, ac citra compreſſionem, fœtus caput rectè ad oſculum dirigat, os pectinis eleuet, & pinguia dicta ſine intermiſſione effundat.Tunc iubeat ſpiritum detinere,& ad inferiores partes propulſare, moneátque parientem, ne ſpiritum in gutture congreget, inde enim, vt Aëtio placuit,gutturis tumor,& vaſorum eius loci dilatatio contingit, quæ affectio eſt immedicabilis; quare oſcitatio in parientibus, lethalis eſſe cenſetur.

Spiritum etiam infrà agunt, reſpirationis detentio, & ad inferiora voluntaria propulſatio, oris apertio, dum inſpirant, & magna per nares aëris inſpiratio,clamor magnus,ac ſubitus: nam quamuis clamor fiat aëre inſpirato,ob vehementiam tamen, ac celeritatem,plurima pars aëris concuſſi, infrà cum violentia pellitur. Sternutamentum verò, & vomitus ſpiritum magna vi ad inferiora deducunt.

Nec erit inutile, ſacculos duos ex goſſypio factos aqua roſacea madentes oculis imponere,& linteo ligare,ne præ valida expreſſione atque dolore oculi exprimantur, quod in partubus frequentiſſimè contingere, notauit Paulus *lib. 3. cap. 22.* Sitis quoad fieri poſſit, toleranda: ſi enim parientes ſitiant, inquit Auicenna, plus aëris inſpirant, & infantes ipſi ſiti matris incalescentes,& anxij, reſpirationem magis exoptant, & exitum quærunt.

Vtrùm autem *enixæ naribus odores admouendi*:litigium eſt apud auctores. Dic. Fœtida admouenda, ni virtus ſit debilis, aut delicata fœmina, illa enim virtutem nimiùm proſternunt:Ob hanc cauſam in difficili partu odorare iucunda, ſummoperè præſtat, in quantitate parua,vt vires reficiantur,quæ in partu difficili perſæpe fatiſcunt.Neque timeas ex odoratis difficilem partum, quòd his perceptis vulua tanquam amens ſurſum aſcendat: nam illa infantis mole grauata difficillimè ſurſum conſcendit.Per interualla ergo odorentur nunc fœtida, nunc beneolentia: nam vteri ex fœtu grauamen,in cauſa eſt,vt fœtida magis profint,ob facilitatem deſcendendi, & odorata non obſint, ſed virium refectione ſint vtilia. Inter fœtida,tutiſſima eſt ruta,& inter odorata, vinum præſertim moſchatulum, aut aliud iucundum,aut beneolens alimentum, quod prope nares parientis diuidi debet. In hunc vſum iuxta nares enixæ apponimus carnes auium ſemiaſſas,& vino odorifero inſperſas, vt ſpiritus ex partus dolore, & vigiliis exhauſti reſtaurentur.

Quòd ſi fœtus non exeat, extinguíque periclitetur, valentiora aggredienda. Per os offerenda Cinnamomum,Myrrha,Cardamomum,Sabina, Crocus, Cicera rubra,Opobalſamum,Chryſocolla,Artemiſia,Ariſtolochia,Piper, ex quibus vel decocta ſumantur, vel fiant pulueres in vino diſſoluendi. Quoniam verò hæc auxilia calida ſunt,febrem accerſunt,corpus inflammant, poſt eorum vſum,vberiori potu lactis muliebris vtendum eſt,eorum enim vim retundit, & ſummam in expellendo fœtu vim habet.

Partus difficilis cauſam Medicus exquirat oportet: Nam ſi vteri oſculum non aperiatur, emollientibus vtendum.Si ob inflammationem fuerit occluſum, nihil violenter agendum,ſed infuſionibus pinguibus pugnare oportet, inſeſſibus, irrigationibus, cataplaſmatis, quorum ope,ſedata inflammatione, & vteri ore dilatato fœtus educatur.Si caro,aut tunica,collo vteri fuerint adnatæ, aut clauſa mulier ſit, quidquid impedimento fuerit,reſecetur, & celebretur inciſio iuxta præceptum Auicennæ,21.3.*tract.4.cap.2. & 3.* Si frigore oſculum ſit denſatum,balneum,fotus,& laxantes ſunt ex vſu. Si vires enixuræ ſint imbelles, non ſubitò, ſed ante tempus partus ſunt reficiendæ cibis boni ſucci, odorato vino, cardiacis alexipharmacis, quæ plurimam ſpirituum quantitatem generant.

Si partus ſiccus ſit,quoniam ante partum ſecunda fuit præproperè rupta, & humiditas vacuata prorſus, aut quia ſeneſcens parere incepit,cùm iam vteri collum,& oſculum obduruerint, vtendum irrigationibus dictis, balneo, & fomento ex oleo ſolùm tepido paratis, ex Aëtio *ſerm.4.tetrab.4.c.21.* Paulus ad lubricandum ova commendat,*lib.3.c.76.* ſubſcribit Auic. *loco cit. cap. 24. in fine*, dum ſic ait: *Effunde lubrificantia, & cerotaria ſubtilia,& mucilagines in vuluam, & adipes liquefactos,& albumen oui, & vitellum eius, eſt enim regimen mirabile:*

Si

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 562 sur 927

Si partus ob nimiam pinguedinem difficilis ſit, pariat prona, vt diximus *ſupra*, & aliqua offerantur, quæ partum facilem reddere queunt. Quòd ſi ex nimia ſanguinis mole vterus reſtagnet, & mulier parere non poſſit, ſectio ex talo vtilis eſt, ex Hip. *lib. 1. de morb. mulier. num.* 110.

Si fœtus ſit magnus, & vterus prauus, pinguia intus; & extrà admouenda, os vteri dilatetur, & fœtus violenter, aut vnco extrahatur. Magnus fœtus, ſi viuus ſit, non diſſecetur, quoniam plurimæ præter ſpem mirabiliter ſanantur, maximè cùm non liceat vitium interficere, pro vita alterius redimenda. Ob magnitudinem quoque genuum, ſi partus difficilis fiat, curet obſtetrix leuiter ipſum manibus ſuis attrahere, & ſi non poſſit, eum cum margine panni lintei vinciat, & leuiter, ter, aut quater attrahat; quòd ſi non cedat, attrahat violentiùs. Forcipibus verò, tenaculis, aut inciſione, fœtu viuo exiſtente, nullo modo vtendum eſt. Si verò gemini, aut tergemini ſint, & collum vteri obſederint, reliqui ad fundum vteri propellantur, & is qui paratior videtur, extrahatur; omnia tamen ſenſim, ſuauiterque citra contuſionem vllam celebrare oportet, ne vis aliqua fœtui inferri poſſit. Vbi verò fœtus præter naturam figuratus naſcitur, naturalem reddere figuram decet, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo: Et ſiquidem manum, pedémve præmiſerit, non inde attrahere oportet, magis enim impingitur, luxatur, vel abrumpitur. Quare digitis humero infantis, vel collo admotis, præmiſſa pars ad conuenientem locum introducatur. Præſtat etiam valde, acu manum, aut pedem infantis præmiſſum pungere, vt ſentiens ipſe dolorem, partem retrahat. Peſſima ſanè figura in ventrem eſt, aut in dorſum, aut in latus: ſi manus, & pedes naſcantur ſimul, aut pedes, & caput; huic proxima, cùm manus, & caput ſimul educuntur: hi nãque partus, niſi in rectam naturæ figuram reducantur, ſunt exitioſi. Lethalis quoque eſt, cùm ſupplex naſcitur ſuper genua ſua, quare curandum eſt, vt eius crura, tãdiu eleuentur, donec caput deſcendat. Quod ſi ex voto non contingat, dum eſt viuus, non incîdatur: nã meliùs eſt naturæ eum ſic relinquere, quæ eſt factor potens, quàm emortuo fœtu, ipſum fortunæ commitere.

OBSERVATIO.

Ad præſeruandas enixas, ne in morbos labantur, ſyrupus eximius.

PLurima, eáque frequentiſſima mala, quæ enixis ſuperuenire ſolent, ex menſtrui retentione ferè oriri conſueuere; ex quo fonte perennî omnis morborum farrago, quæ ipſas comitatur, ſcaturire ſolet, vt tormina, febres, inflammationes internæ, cephalalgia, conuulſio, & alia. Commodiſſimè tantis malis occurres, ſi menſtrua ſuauiter prouoces, ac vterum robores: Hoc nullo alio fit præſtantiori præſidio, quàm ſi poſtquam fœmina fuerit enixa, in aurora quatuor vncias huius ſyrupi offeras, ventre ieiuno.

℞. *Capil. vener. eupatorij, aſpleny, an.* M. j. *flor. cordial.* ʒ iij. *ſem. frig. an.* ℥ j. *aniſi, ſem. fœnicul. cinnamom. an.* ʒ ij. *glycyrrhiz.* ℥ j. ß. *ſcordij, tormentillæ, meliſſæ, ſi orzoneræ, an.* M. iij. *aſari* ℥ j. *nucis moſchatæ, baccar. Iuniperi, an.* ʒ ß. *matricariæ, artemiſiæ, rutæ recentium, an.* M. ij. *confect. alkermes, confect. hacinth. an.* ʒ iij. *diamarg.* ϑ iiij. Coquantur omnia in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ iij. Colaturæ adde *ſyrup. capil. veneris, ſyrup. glycyrrhiz. an.* ℥ viij. *ſyrup. de artemiſia* ℥ iij. cum ſaccharo fiat ſyrupus ſec. art.

CAPVT XIX.

De Secunda derelicta.

PLures ſunt truculenti affectus, qui enixis ob menſtruum retentum, vel immodice fluens ſuperuenire ſolent, vt febres, pleuritis, phrenitis, alui fluxus, angina, difficilis reſpiratio, conuulſio, vteri inflammatio, paralyſis, coxendicis dolor, qui omnes peculiarem, non expoſtulant curationem, præter eam quam in ſuperioribus libris tradidimus, quam repetere, nihil eſſet aliud, quàm chartas implere. Solùm ergo de duobus affectibus, puta de Secunda derelicta poſt partum, & de Torminibus, peculiarem faciemus commemorationem.

Definitio.

SEcunda eſt membrana quædam ex iis quæ fœtum inuoluunt, quæ veluti radicatio multorum vaſorum eſt, quam priſci auctores Chorion nuncuparunt, quod ſanè nihil aliud eſt, quàm vaſorum multitudo membrana tenui connexorum, quæ haud facilè numerare queas, Galeno auctore, *lib. 15. de vſu part. cap. 5.* quod etiam aliis nominibus appellare conſueuere, vt conſtat *lib. 5. Aph. 49.* & Paulo *lib. 6. cap. 75.* Latini ſecundam, aut ſecundinam vocauere, quòd velut ſecundum domicilium ac receptaculum ſit, & fœtus indumentum; quam membranam, quoniam ex vmbilico pueri pendet, & vmbilicus poſtremus ab vteris exit, propterea fœtu excluſo, foràs prodire neceſſe eſt in naturali partu.

Adde quòd nomine ſecundinarum interdum intelliguntur omnes membranæ fœtum ambientes, quæ poſt exitum infantis, in vtero relinqui ſolent, quia cùm natura conetur ipſum in lucem edere, vt hoc proſequatur minori labore, ante partum, à veſtimentis & inuolucris, quæ partum retardare poterant, peculiari cura eum exonerat, vt ſolus in lucem prodeat, præſertim cùm certiſſimum ſit, partum naturalem, & præter naturam, dummodò viuus exiſtat, non ſolùm opera facultatis expultricis vteri, ſed etiam facultatis animalis ipſius fœtus perfici.

Vtrùm membrana chorion neceſſariò contineatur intra vterum, fœtu extra ipſum emiſſo? dubium eſt grauiſſimũ, maximè cùm aliæ duæ fœtũ inuoluentes intra vterum, iam extrà prodierint. Plures cauſam huius euentus eſſe confirmant, quòd aliæ duæ membranæ facultatem expultricem plus irritant, quia in medio ipſarum toto geſtationis tempore vrina ipſius fœtus continetur, quæ ſicut facilem reddit partum, & fœtus expulſionem, media irritatione, ſic ea adiuuante poteſt aliarum duarum membranarum excretionem moliri.

Hæc ſolutio etſi vera videatur, difficultatem tamen maximam inuoluit: Nam etſi vrina retenta poſſit adiuuare expulſionem fœtus, minimè tamen aliarum duarum membranarum exitum parare poteſt, quia fœtus expulſio non ſolùm opera facultatis expultricis ipſius vteri perficitur, ſed etiam facultatis animalis fœtus, quæ irritatur mediante ſenſatione à potentia tactiua eiuſdem fœtus: At verò ſecundinæ ſolùm opera facultatis expultricis expelluntur, etſi eadem ſenſatio intercedat. Ergo ſuppoſito, quòd chorion membrana vteri parietibus magis eſt propinqua, difficile videtur ob aſſignatam rationem, alias duas mẽbranas, remanente chorio, poſſe expelli. Accedit, quòd inter illas duas mẽbranas, & vterum, interponatur chorion, per quam halitus acres, & vrina facultatem expultricem irritãtes,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 563 sur 927

vtero communicantur: quare minimè videntur expelli posse aliæ duæ membranæ, quin expellatur chorion.

Ex qua impugnatione infertur ratio, propter quam facilior sit expulsio fœtus extra vterum, quàm membranarum: illa enim fit opera duplicis facultatis, naturalis vteri, & animalis musculorum fœtus; hæc verò tantùm ope facultatis naturalis vteri perficitur. Verùm hæc ratio aliquam difficultatem etiam in se inuoluit; nam etiam membranarum expulsio, eodem modo fieri poterit, siquidem succedit duplici facultate operante, vtraque tamen naturali, quia cùm membranæ omnes duplici informentur anima rationali, veluti partes fœturæ, in ipsis potentiæ naturales reperiri debent, atque adeò expulsio membranarum duplici facultatis naturalis opera perficietur.

Huic tamen rationi respondeti potest, membranas fœtum ambientes, non informari anima rationali fœtus, aut matris, sed toto tempore gestationis, per iuxtapositionem augeri, non viuentium instar, & ita operatione facultatis expultricis vteri, extra ipsum mitti. Verùm hæc solutio defendi nō potest, quia omnes membranæ fœtum inuoluentes, instar aliarum partium spermaticarum ipsius fœtus, ex semine fuerunt productæ. Ergo sicuti reliquæ partes informantur anima, sic & omnes membranæ. Patet consequentia, quia hæ partes ipsi fœtui pro illo statu quo in vtero continetur, vsum & commoditatem præstant. Ergo consonum est eadem forma informari, ac aliæ partes. Confirmatur hæc ratio: quoniam omnes venæ existentes in chorio, anima rationali informantur, siquidem in esse accidentali, & substantiali, sunt eiusdem rationis, cum vnis aliis fœtus, nam mathematicè continuitatem seruant. Ergo etiam membranæ, in quibus dictæ venæ continentur, anima informari debent.

Confirmatur secundò: Nam etiamsi venæ repertæ in chorio, non informarentur anima, neque continuarentur mathematicè cum aliis venis fœtus, saltem arteriæ existentes in ipsis membranis debent anima informari, cùm in ipsis motus dilatationis, & contractionis reperiatur, qui actus vitalis est. Ergo cùm actio vitalis animam præsupponat, dicendum est, omnes tunicas, in quibus arteriæ reperiuntur, anima informari, quoniam finis propter quem arteriæ partibus distribuuntur, est ipsarum viuificatio.

Prædictæ ergo rationi respondetur primò, verum esse membranas omnes anima rationali informari; non tamen ex hoc inferendum esse, expulsionem ipsam, postquam fœtus in lucem est editus, duplici facultate perfici, naturali vteri, & ipsarum membranarum, quoniam solùm quando fœtus in vtero continebatur, anima informantur, non autem postea; debita enim vnio tunc deficit, quamuis reliquæ dispositiones optimæ sint, & sic anima ab ipsarum deficit informatione. Dic secundò, quòd etiamsi membranæ informentur anima, postquam fœtus extra vterum expellitur, in ipsísque facultas expultrix reperiatur, & earum expulsio, opera duplicis facultatis perficiatur, adhuc fœtus excretio facilior est, quia fit à facultate animali, quæ motus efficit multò vehementiores.

Relicta ergo solutione potissima, difficultati respondendum puto. Licèt membranæ omnes coalitum continuitate mathematica, in probabili opinione cum fœtu obtineant, æqualem tamen fixionem non continent; chorion enim minorem, aliæ verò duæ membranæ maiorem obtinent connexionem: & sic mirum non erit, membranarum chorion magis detineri, fœtu extra vterum misso. Accedit quòd membrana chorion maiorem cum vtero, quàm cum fœtu cognationem habeat; hac ergo ratione retentionem pati potest, aliis duabus expulsis.

Neque instes, quòd reliquæ duæ membranæ intra chorion contineantur, & sic esse impossibile violentam retentionem pati, reliquis extra vteram emissis: Nam licèt prædictæ membranæ contineantur intra chorion, illarum expulsio cum violenta ipsius retentione contingere potest, cùm enim maiorem cum fœtu connexionem obtineant, quando expellitur extra vterum, potest separare à se chorion, ipsarúmque continuitatem remouere, & hac de causa citiùs ipsarum expulsio sequetur.

Non instes secundò, omnes tres membranas, anima rationali fœtus informari, & sic esse necesse, vt maiorē continuitatem, & fixionem cum ipso obtineant, quàm cum vtero: Nam multoties ea quæ contigua sunt, maiorem habent fixionem, & difficiliùs separantur, quàm ea quæ sunt continua, vt experientia constat. Præterquam quòd membrana chorion continuitatem mathematicam cum vtero, mediis acetabulis obtinere non potest, cùm opinio probabilis sit, ea quæ differunt specie, secundùm materiam, & secundùm quantitatem posse continuari.

Sed relicta hac difficili quæstione, ad aliam arduam accedamus: *Vtrùm secundinarum retentio sit morbus in numero addito?* Practici ferè omnes respondent affirmatiuè: nam sicuti constat ex Gal. *lib. de diff. morb. c.* 8. lapidem renum, aut vesicæ esse morbum in numero, non quidem rerum naturalium, sed præter naturam, ita de secundinis retentis est pronunciandum.

Hæc doctrina etsi vera sit, insufficiens tamen est, cùm secundinarum retentio non solùm morbi rationem, sed etiam symptomatis obtineat, ex eorum numero quæ immodicè retinentur: debebant enim secundinæ, statim ac fœtus extra vterum missus est, excerni, & ob hanc causam earum retentio, symptomatis habet rationem in excretis.

Dic. Nil obstat quin secundarum retentio, rationem morbi in compositione obtineat; potest enim eadem res secundùm diuersas rationes formales, habere rationem morbi, & symptomatis, quod tantùm de symptomatibus in qualitate mutata intelligi debet, & in his quæ præter naturam, diuersa tamen ratione retinentur: Licèt enim hæc duo genera symptomatum, simul obtineant rationem morbi, & symptomatis, differunt in hoc, quòd ea quæ retinentur immodicè, non habent rationem morbi in temperamento, sed tantùm in compositione; at verò symptomata qualitatis mutatæ, tantùm habent rationem morbi in temperamento.

Sed videtur, quòd secundinæ detentæ non possint obtinere rationem morbi in numero addito, quia cùm ratio morbi constituatur in hoc, vt lædat operationes sensibiliter, videtur quòd non possit assignari aliqua actio læsa in vtero, respectu cuius habeant rationem morbi: Nam licèt secundinæ retentæ lædant in aliis partibus operatoines, prædicta læsio ab illis, tanquam à morbo, non dimanat, sed tanquam ab efficienti causa, quatenus vapores eleuati ab ipsis, medio morbo in partibus producto, operationes lædunt.

Et si respondeas secundinas retentas lædere nutritionem ipsius vteri, non est omnino verum, quia si ante fœtus expulsionem retentio secundinarum non lædebat nutritionem, cur postea lædet; siquidem nihil de nouo acquirunt, ratione cuius læsio nutritionis sequi possit. Quòd si dicas, secundinas non acquirere aliquam realitatem quantitatis, sed tantùm formalitatem morbi: obstat, quoniam formalitas acquiri non potest, realitate noua, siquidem ab ipsa dependet. Ergo noua illa formalitas acquiri non potest. Quare etsi respondeas, in secundinis retentis acquiri realitatem potentiæ localis, ex qua sequitur ratio morbi, & læsio operationum, adhuc assignata solutio defendi non potest: Numerus enim partium constituens sanitatem, non perficit operationes in statu naturali, respectu nutritionis.

Ergo

Ergo numerus conſtituens morbum, nulla ratione nutritionem lædere poterit. Dic ergo, ſecundinas retentas lædere ſanguinis expurgationem, præſertim quando ab vtero ſeparatæ non ſunt, ſed adhuc cum ipſo ſunt contiguæ; ratione enim quantitatis illarum, mala ſanguinis expurgatio ſubſequitur, quatenus illius exitum impedire ſolent.

Ex huius argumenti deciſione conſtat manifeſtè, partem affectam in hac ægritudine eſſe vterum, licèt non ſemper ſecundùm vnam & eandem partem afficiatur, cùm interdum ſecundinæ in eadem parte contineantur, ac antea exiſtebant, quando fœtus ſine ſeparatione, & continuitatis ſolutione in vtero aderat. Interdum verò continentur in vtero, facta iam diuiſione circa alias partes ipſius vteri, vel in fundo, inſtar conuolutæ pilæ: quæ diſtinctio ad curationem ſummopere prodeſt. Neque obſtat, ſi dicas ſecundinas non eſſe accidentia, & ſic non poſſe in vtero inhærere, & ex conſequenti ipſum non poſſe eſſe partem affectã: Quia vt aliquid morbi rationem ſortiatur, neceſſarium non eſt, intrinſecè partem afficere per inhæſionem; ſufficit enim quòd parti adhæreat, maximè cùm ſecundinæ, quando in eadem parte, ac antea continebantur, coalitum ſufficientem, & veluti vnionem cum vtero ſortiantur, præcipuè ſi mathematicè in ea parte inhæreant.

Cauſa.

HIppocratica doctrina ad cauſæ cognitionem plurimùm conducit: ſic enim habet *lib. 1. de morb. mul. num. 64. Si mulieri ſecunda in vteris relicta fuerit, hoc ſic contingit. Si per vim ruptus fuerit vmbilicus, aut ab obſtetrice per imperitiam reſectus, quæ videlicet vmbilicum pueri prius incidit, antequàm ſecunda ex vtero exiiſſet, & vteri ſurſum retrahunt ſecundam, vtpote lubricam, & diffuſam, & in ſeipſis detinent, &c.* Ex quibus verbis duæ violentæ retentionis cauſæ depromi poſſunt, nimirum reſectio ipſius vmbilici fœtus facta violenter, vel ob obſtetricis imperitiam eueniens. Idem enim contingit in expulſione ſecundinarum, quod accidit in expulſione mortui fœtus, quia cùm huius motus deficiat, à quo expulſio extra vterum adiuuatur, violentam patitur retentionem. Idem in expulſione ſecundinarum contingit, ſiquidem in vtroque exemplo facultas expultrix impotens redditur.

Cæterùm cùm ſecundinæ poſſint intra vterum retineri, facta diuiſione, & inſtar pilæ conuolutæ; vel ſi remaneant cum vnione, ſitus aliquantulum varietur, huius differentiæ cauſas tradere oportet. Oritur ergo primus exiſtendi modus, ob magnam vteri debilitatem, ex fœtus expulſione ſequutam, præſertim ſi partus difficilis ſit, vel quia os vuluæ eſt clauſum, vt contingit in iis, quæ maximam adſtrictionem partium naturalium ſortiuntur ex natura ſua. Secundus, ex forti acetabulorum vnione contingit, quando ita vehemens eſt, & membranæ ita tenues, vt facilè ob fœtus calcitrationem, ſine coalitus diuiſione diſrumpantur, quod etiam ob defectum compreſſionis vteri poteſt accidere, quæ ab inundante, & excrementitia humiditate originem ducit.

Vtrùm verò *ſecundarum retentro à bonis odoribus, aut gelidæ potu poſſit concitari?* dubitandum. Plures ſunt practici periti, *cap. de ſecundinarum extractione*, qui hunc affectum ex animi pathematis, bonis odoribus naribus admotis, gelidæ potu, & omnibus aliis quæ puerperas alterare poſſunt, generari ſibi perſuadent. Sed quo modo hoc fieri poſſit, non video, neque ipſi explicant: Varius tamen, & diuerſus eſt, iuxta concurſum huius, vel illius cauſæ: nam quando intercedunt animi paſſiones, ſecundinarum expulſio ob actum appetitus ſenſitiui deficere ſolet, ratione cuius potentiarum diſtractio ſequitur, irritatióque à ſecundinis illata non ſentitur, quia deficit animæ concurſus, ob illius limitatam virturem. Et licèt odores propter eandem rationem, violentam retentionem excitare poſſint, tamen ex alio fonte hoc oriri eſt certiſſimum, nimirum quia cùm vterus ratione odoris, aut, vt meliùs dicam, ratione alterius qualitatis ſimul exiſtentis cum re odorifera, recurrat ad ſupernas partes, deficit contractio, ſine qua ſecundæ expelli nulla ratione poſſunt. Et quamuis ob potum aquæ frigidæ maxima detur compreſſio verſus partes inferas, tamen quoniam ratione frigiditatis ſenſus torpeſcit, fit vt ad percipiendam irritationem à ſecundis excitatam, ineptior fiat, & hac ratione ipſæ retinentur.

Signa.

ANnullo hucuſque tradita ſunt ſigna, quibus ſecundinarum retentio poſſit cognoſci, quia facilè ob defectum conſpicitur: nihilominus tamen aliqua ſigna oportet adducere, ex quibus modum exiſtendi ſecundinarum in vtero venari poſſimus, an vnitæ, vel diuiſæ exiſtant inſtar conuolutæ pilæ. Hoc primò ex motu ſecundinarum facto ab obſtetrice cognoſces, quia cùm ſecundinæ pendeant per vas vmbilicale, facta attractione aliquantulum valida, ſi multùm reſiſtant, ſignum eſt firmiter in eadem parte eſſe vnitas; ſi verò non ita reſiſtant, ſed tractioni cedant, veriſimile eſt in pilæ modum circa aliquã vteri partem eſſe conglomeratas, præſertim ſi cum ſanguine menſtruo aliqua pituitæ viſcidæ portio expellatur, à qua ſecundæ humidiores redditæ, eam ſibi circumuolutionem comparauerint. Hoc etiam ex doloribus in partu repertis, facilè coniicies: ſi enim ante partum dolores maximi non præceſſerint, ſed remiſſi multùm, ipſas fuiſſe diſruptas, & vtero vnitas remanere, eſt coniectandum; ſi verò intenſiſſimi dolores præfuerint, ſignum eſt diſrumpi venas, & arterias, quæ ſunt ligamenta ſecundinarum cum vtero, & ipſas in formam pilæ conuolutas eſſe.

Præſagium.

SEcundas non protinus exire, graue eſt, & periculo plenum, auctore Hippocrate *lib. 1. de morb. mulier.* grauia enim ex earum retentione ſymptomata oriri conſueuerunt, nam & menſtrua purgatio ſupprimitur: ex quibus duabus cauſis eleuantur vapores, qui partes ſuperas lancinant, & feriunt, venter fit durus, & in molem accreſcit, dolor totius corporis, præcipuè partium inferiorum concitatur; quæ omnia fiunt multò fortiora, ſi febris adſit acuta, quam vteri ſtrangulatio ferè inſequitur. Hoc periculum palàm fecit Hippoc. *2. epid. ſect. 2. text. 18.* quo loco de vxore coriarij ſermonem inſtituens, inquit, *ſecundinæ partem in vtero fuiſſe relictam, à qua ſtranguria fuit ſubſequuta*: quod ſymptoma vel ex nocumento illato muſculo veſicæ, quando media pars ſecundæ in vtero fuit relicta, vel ex aliqua intemperie eidem parti ex putredine ipſarum communicata, ortum habuiſſe non eſt dubitandum.

Inquires: *Vtrùm ex ſecundinarum retentione, ſi extrahi non poſſint, neceſſariò mors ſubſequatur?* Plures temnunt Aëtium *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 24. in med.* & Auicennam *21. 3. tract. 2. cap. 16. in med.* quòd aſſerant, ſecundinas non ſtatim eſſe extrahendas: *Si enim non fuerint eductæ, perturbari non oportet, quia intra paucos dies in ſaniem conuerſæ, & putrefactæ excident.* Sed ineptè tantos auctores condemnant: ipſi enim extrahendas non eſſe non imperant, ſed monent Medicos, ne diffidant, aut ſubſequutis grauiſſimis ſymptomatis non perterreantur, nam ſi præſidiis aptis non cedant, ipſæ putrefactæ expellentur ferè: licèt ex ipſarum retentione mortem ſubſequi multoties, non ſit negandum:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 565 sur 927

©BIUM

Si enim ex retentione fœtus mortui, eleuatis vaporibus fœtidis, & partibus præcipuis communicatis, excitantur pathemata dira, ex quibus necessariò subsequitur mors, cur ob eandem rationem ex secundis retentis mors non continget?

Ex hac ratione colligi potest, communem sententiam vulgò receptam falsam esse, qua constanter asserunt, secundinas retentas, & non extractas necessariò mortem inducere: Nam fœtus mortuus solet pluribus diebus in vtero retineri, viuente matre, meliùs multò secundinæ poterunt longiori tempore seruari, quin certò subsequatur mors, siquidem maior vaporum quantitas debet eleuari ex fœtu mortuo, quàm ex membranis. Ergo si fœtus mortuus excerni solet quin subsequatur mors, meliùs multò poterunt expelli secundæ.

Dic. Si secundinæ præsidiis adhibitis extrahi non possint, non necessariò ægra occumbet, siquidem multoties ipsis retentis, etsi principibus partibus noxa communicetur, non introducitur vltima dispositio, ex qua separatio animæ rationalis subsequatur. Si verò mors contingat aliquando, ea temeritati, & & audaciæ obstetricum imponenda est, hæ cùm manum in os vuluæ coniiciunt, tam violenter hoc opus exercent, vt vterum dilanient, vlceribus & inflammatione afficiant, ex quibus mortem subsequi posse, dubitat nemo.

De Curatione.

CVm vna ex causis retentionis secundinarum, sit secundùm Hippocratem *loc.cit.* intempestiua vmbilici resectio, ideò antequam auxilia huius ægritudinis in medium proponamus, præmittere oportet, secundas non esse ab vmbilico resecandas, quousque extra vterũ extrahantur; potiùs enim dum intus continentur, absque violentia vlla paulatim trahantur, vt semper fœtui cõiunctæ remaneant: quod si non fuerit possibile, fœmina sedeat in sella ventri exonerando destinata, ex quo loco pendens fœtus sua grauitate secum secundas afferat. Quare hoc modo, ex Hippocratis mente *loc. cit.* secundas extrahere oportet; si verò possibile non sit, ad maiora auxilia accedere est necesse.

Sed percontaberis: *Vtrùm ad resectionem vmbilici multum tempus sit differendum*? Ex vna enim parte violentæ secundinarum retentionis, ex sectione vmbilici intempestiua, periculum imminet; ex alia, si diutius differatur, fœtus periclitabitur, aut morbosus euadet. Dic. Si tentatis remediis, viginti quatuor horarum spatio, nihil proficiat ægra, nec leuetur, vmbilicus secari debet, & partem alteram abscissam femori parturientis vehementer alligare oportet, ne ad vteri cauitatem possit reuerti. Non nego, aliquando anticipatam vmbilici resectionem esse necessariam, quando videlicet vasa vmbilicalia, mucore vel pituita viscida sunt referta, tunc enim medicamenta aliqua sicca apponere oportet, quorum ope pituitosus, frigidúsque humor possit absumi.

Illa verò hoc loco non inutilis quæstio excitabitur, ex mente Hippocratis deprompta, qua quæri solet: *Vtrùm tussis, & sternutamentum ad secundinarum expulsionem sint ex vsu.* Nam pro hoc opere perficiendo, siue secundæ vtero sint connexæ, siue in modum pilæ conuolutæ, vnanimiter auctores sternutationem commendant, freti oraculo Hippocratis 5. *Aph.* 49. sic profantis: *Vt secunda procidant, sternutatorio appositio, nares comprime, & os*: & licèt idem affirmet Galenus *in com.* rationem tamen adducit, propter quam iubeat Hippocrates, post impositionem sternutatorij, nares & os apprehendere: Ratio est in promptu, quia facta apprehensione oris, & narium, si consequatur sternutatio, difficiliùs aër exire potest; quare hac ratione maiorem compressionem subsequi est necesse, vt facilius expellantur secundæ. Eandem sententiam adduxit Hip. *sententia 35. antecedenti*, dicens: *Mulieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.* Gal. *in com.* sternutamentum in omnibus affectibus vterinis non prodesse affirmat, siquidem in eiusdem partis exulcerationibus, abscessu, inflammatione, erysipelate, adiumento esse non potest, quin sæpissime nocumentum maximum infert: Quare Hippocrates de vteri strangulatu est intelligendus, cui si sternutamentum superueniat, remedio est, non solùm, quia est bonum signum, in mulieribus quæ strangulatione laborant, sed etiam vt causa, quia est huius morbi præsidium. Quare sicut sternutamentum pro secundis pellendis præstat eximiè, sic tussis eandem vtilitatem præstat.

Sed quo pacto sternutamentum, & tussis hoc efficiant, obtinet difficultatem: cùm media sternutatione expellatur id, quod irritat cerebri ventriculos; quare excerni non poterit id, quod in vtero infixum est, & tenaciter adhæret. In tussi autem etsi abdominis musculi comprimantur, & hac de causa expulsio membranarum iuuari possit, quia hæc compressio fit versus partem superiorem, secundæ haudquaquam poterunt expelli; quæ etiam actio versus partem supernam in sternutatione contingit.

Dic, verum esse, per sternutationem, & tussim solùm expelli, quod in ventriculis cerebri, & brõchiis pulmonis continetur: nihilominùs mediis his actionibus posse fieri secundinarum expulsionem, non esse negandum, quatenus ad compressionem illarum partium, etiam musculi aliarum comprimuntur, & expellitur id quod in cauitate earum adhæret. Quamuis enim in vtraque actione compressio musculorum abdominis fiat versus thoracem, tamen cùm vterus in parte inferiori situs sit, & compressio fiat in aliis partibus abdominis, existentibus infra thoracem, & vterum, fit vt aëris expulsio per thoracem, & secundinarum per vterum fieri possit. Accedit, quòd septum transuersum in vtraque actione etiam comprimitur, quæ etiam est causa, vt expulsio secundinarum etiam adiuuetur. Accedit commotio ex sternutamento in toto corpore, à parte supera ad infernam, & ex tussi, in thorace excitata, quæ ad prædictæ actionis perfectionem non parum conducit. Sed opus sternutamenti, actione tussis validius est, cùm in illo natura à parte supera ad infernam expellere conetur; at verò in tussi, ex thorace. Illud autem iniectis pulueribus intra nares per cannulam prouocabitur, ex castorio, Pipere, Sinapi, Nicotiana, &c.

Ex hac doctrina infertur, remedia omnia, ex quorum actione sequitur compressio partium inferiorum, pro curatione huius affectus, multo esse ex vsu, vt sunt suffumigia fœtida naribus admota, ex vngulis equi, asinæ, fimo equi, Bouis, Columbarum, Aquilæ, semine porri, vrticæ minoris, allio, Elleboro albo, Aristolochia rotunda, assa fœtida, Sagapeno, Nigella; hæc enim vterum comprimendo, qualitate sua vtero aduersa, sternutamentum provocant. Vel parentur ex rura, Prassio, Abrotano, cum oleo Liliorum permixtis, ex quibus supra prunas positis suffumigium per nares fœmina accipiat. Vel fiat hoc modo.

℞. *Myrrhæ* ʒ ß. *galbani, opopanacis, an.* ʒ ß. *ellebori nigri*, ʒ j. Conficiantur tabellæ cum felle taurino, imponendæ super prunas pro suffumigio, quod etiam per partem inferiorem est recipiendum: Quo celebrato, obstetrix leni motu excitato, secundinas extrahere conetur.

Vtrùm autem *suffitus aromatum secundinas expellat*? contemplandum. Non desunt qui respondeant affirmatiuè, cùm muliebria ducant, vt 5. *Aph.* 28. Hippocrates edocuit, vt Cinnamomum, Nardus, Iuncus odoratus, Artemisia, Sabina, Dictamnum, Pulegium, & huius census alia. Sed non rectè explicant Hippocratem

nam

nam Galenus *in com.* per muliebria, ſolùm menſtruam purgationem intelligit, quæ cùm ob craſſitiem expelli non poſſit, ſuffituum ope attenuata faciliùs per vterum excurrit.

Neque inſtes, per illud verbum [muliebria] non ſolùm menſtruam purgationem eſſe intelligendam, ſed omne quod in vtero continetur, quoniam vna ex cauſis violentæ retentionis ſecundinarum, odores ſunt boni, quos licet fœminæ recipere per partem inferam, & nares apprehendere, vt illi à potentia olfactiua percipi minimè poſſint, præcipuè quando cohibetur reſpiratio. Sed cùm impoſſibile appareat, vt parturiens tanto tempore poſſit per os, & nares reſpirationem cohibere, neceſſariò ſuffitus debent perſentiri: quare hoc auxilium ſuſpectum eſt, & in praxi pro hoc morbo non admittendum.

Vtile etiam eſt fœminam ſpiritum cohibere, verſus inferiores partes compreſſione facta, & maximis vociferationibus exclamare, ſed hoc cum præmeditatione faciendum, ne inflammatio, aut hæmorrhagia ſubſequantur. Saltus præſertim pede retrogrado facti, etiam conferunt. Vitandus vomitus, ex quo etſi ventris commotio, & facultatis expultricis excitatio ſequantur, tamen hæc ventriculi actio eſt maximè violenta, & menſtruam purgationem euocat ad partes ſuperas.

Si celebrata non ſufficiant auxilia, & lochia ſint minuta, ſanguinem mitte ex talo, ex quo præſidio commouetur natura, & irritatur ad partes inferas, & eo naturæ defectum ſupplemus. Cantharidum vſus ab aliquibus, magis encomiis celebratus, ſiue per os, ſeu ſuffumigij inſtar, noxius, ac inutilis: nam partes exulcerant, & corrodunt, vehementes dolores, & cruciatus excitant. Caſtorium intus aſſumptum, vel ſuffumigij inſtar applicitum, confert eximiè, nam ex mente Galeni 11. *ſimpl. tit. de Caſtorio*, menſes prouocat, citra læſionem vllam.

Quòd ſi febris fuerit remiſſa, præſidia ab Hippocrate *lib.* 1. *de morb. loc. cit.* ſunt imperanda, vt allia cocta, vel aſſata, in vinum proiecta. Vtere etiam puluere Spicæ Nardi, Rutæ, Baccar. Lauri, radicis fœniculi cum vino, & ſucco porri, Petroſelini, Apij, Lapathi acuti, Ebulorum. Si non ſint ſatis, fortiora offerenda, vt decoctum Aſari, Myrrhæ, Gentianæ, Rubeæ tinctorum, adiectis Borace, & Trochiſcis de Myrrha. Vel fiat ex ſemine Dauci, Dictamni, Sem. Porri, Caſtor. Lumbricor. terreſtrium, Praſſij, Verbenæ. Galbanum, & Myrrham per os aſſumere, quantitate drachmæ, diſſoluta in aqua Sabinæ, ſummoperè præſtat.

Balſamum quantitate duarum drachmarum aſſumptum cum vino, efficaciſſimum remedium eſt. Teſticuli equi vino diſſoluti eadem doſi aſſumpti, mirè iuuant. Clyſteres irritantes, optimi ſunt, vt facultas expultrix excitetur. Inferiores partes illinendæ oleo Caſtor. Rutæ, Lilior. cum puluere Sabinæ, & Ariſtoloch. Coagulo leporis, & croco, & cum Balſamo, & cera fiat vnguentum. Peſſaria optima ſunt, facta ex Caſtor. Myrrha, Sagapeno, quæ poſtquam parata ſint, madefiant in decocto cucumeris Aſinini, & felle vaccino.

Cæterùm cùm ſecundinæ retentæ debeant putrefieri, ex quarum putredine, & graueolentia caput, ventriculus, & aliæ principes partes inficiuntur labe dira, eas tueri oportet. Fouendus ventriculus roborantibus vnguentis. Caput præſeruandum ſuffitu rerum fœtidarum. Si adhuc retinentur, manu obſtetricis extrahendæ, priùs adaperto vtero cum ſpeculo matricis; aliàs enim vehemens ſubſequitur dolor. Si ſanguis erumpat in copia multa, adſtringentia offerenda, quorum ope hæmorrhagia poſſit cohiberi.

OBSERVATIO.

Ad expellendas ſecundas, puluis præſtantiſſimus.

PLures plura in hunc vſum commendant auxilia. Ego Dei miſericordia, plurimas in agone conſtitutas liberaui hoc puluere, exhibito in vino, quantitate drachmæ vnius & ſemis, cum ſaccharo, cuius forma eſto hæc.

℞. *Carabes, tenuiſſimè puluerata*, ʒ j. *caſtorij*, ʒ ß. *dictamni, pulegij, an.* ʒ j. *cinnamomi*, ʒ j. *boracis* ℈. j. ß. *ſpicæ nardi* ℈. j. *myrrhæ* ℈. j. ß. *rubeæ tinctorum* ℈. j. *croci* ℊ. vj. Fiat puluis ſubtiliſſimus.

CAPVT XX.

De Torminibus à partu.

Definitio.

TOrmina ſunt dolores, qui poſt partum puerperis in parte inferiore ventris, inguinibus, renibus, laterum mollitudine, ſpatio duorum vel trium dierum, per interualla exacerbantur. Cùm enim à conatu facultatis expultricis, menſtruam purgationem excernere properantis, eueniant, & in primis tribus diebus in maiori copia ſanguis erumpat, fit vt hoc tempore in his partibus dolores ampliùs excrucient. Quapropter eſſentia huius affectus in ſymptomate actionis læſæ deprauatæ facultatis tactiuæ conſiſtit: & pars affecta eſt vterus, cùm potentia tactiua ipſius, à qualitate tangibili, immediatè dolores & cruciatus excitante, immutetur.

Non obſtat verò contra hanc doctrinam, quòd in hac affectione dolores interdum à renibus in laterum magnitudinem protendantur; quare videtur quòd non ſolùm vterus, ſed hæ partes ſint ſedes huius affectus: Quia licèt poſſint affici renes, hoc ex vitio, & conſenſu vteri contingit; cùm enim conceptio fiat in vtero, & toto tempore geſtationis, fœtus in ipſo contineatur, & in partu magnopere vterus laboret, rationi conſonum eſt partem affectam tantùm eſſe vterum.

Perſcrutaberis: *Vtrùm tormina poſt partum ſint continua, an per interualla exacerbentur?* Nam cauſa efficiens doloris ſemper præſens in vtero continetur. Ergo inceſſanter, & non per conſenſum affligent. Reſpondent plures, rationem ob quam dolores poſt partum per interualla excruciant, eſſe, quia cauſa doloris intra vterum non continetur ſemper, ſed è venis maximis per interualla expellitur ad ipſum. Sed non aptè reſpondent, quoniam hæc tormina ex humore contento in venis non oriuntur, ſed ex flatibus, qui poſt ſuam ipſorum generationem ſemper in vtero perſiſtunt: neque eſt neceſſarium, ex alia parte communicari, cùm in ipſo poſſint produci, ex ſanguine craſſo, & pituitoſo, toto geſtationis tempore in vtero ſtabulante. Ergo prædicta ſolutio inualida. Confirmatur: Nam quando colicus dolor ex flatibus concitatur, etiam ſuas habet periodos, quamuis in inteſtinis producantur flatus. Ergo etiamſi ſubſtantia flatuoſa in vtero generetur, dolor ab ipſa exortus, ſuas etiam poterit habere exacerbationes. Nec dicas, quòd ratio aſſignata ſaltem veritatem obtinet, quando tormina, & dolores ex menſtrua purgatione originem ducunt: Nam adhuc ſupereſt tradere rationem, ob quam ex venis per interualla humores trudantur ad vterum, & non continuè, quod in prædicta ratione non aſſignatur.

Secundò reſponderi poteſt, cauſam efficientem mediatam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 567 sur 927

diatam, nimirum flatum, & humorem crassum semper in vtero contineri; dolores tamen non esse continuos, quia qualitas tangibilis, solutio continui, aut intemperies, à qua dolor immediatè excitatur, per interualla producitur, quoniam ad illius productionem conditio necessaria non semper adest, cùm prædictæ causæ ad productionem qualitatis tangibilis, debeant descendere ad partes, in ipsísque soluere continuum, quod ob conatum facultatis expultricis contingit, appositum ad expellendam causam, producentem tangibilem qualitatem. Quæ solutio etsi magis ad veritatem accedat, ex toto tamen difficultatem non eradicat, certum enim est tangibilem qualitatem immediatè dolorem excitantem, ab humore crasso, vel flatu produci, quando debita datur approximatio, quæ ante conatum facultatis expellentis causam irritantem, assignari nequit.

Ex dictis constat, quòd ratio propter quam dolores non sunt continui, sed repetunt per interualla, emanat ex eo, quòd facultas expultrix, per periodos conatum assumat. Sed quomodo possit esse hoc verum, si illa est agens naturale, non impeditum, explicatu est perquàm difficile. Respondebis hoc modo. Vt facultas expultrix per periodos conatu assumat, necesse est vt obiectum irritans semper adsit, quantitate, & qualitate determinata, ita vt aliquo horum deficiente, expulsio cesset continua; & quia in humoribus crassis, vel flatibus in vtero existentibus, non adest semper quantitas, & qualitas determinata ad irritandum, sed per interualla in ipsis acquiritur, iccircò tormina non esse continua. Verùm hæc solutio non videtur esse consona rationi: Causa enim à qua dolores post partum oriuntur, non eodem modo se habet, ac causa antecedens, & efficiens intermittentem febrem, cùm in hac non semper reperiatur id, quod necessarium est ad irritandum, sed per interualla acquiratur: At verò causa doloris efficiens, in quantitate, & qualitate sufficienti ad irritandum, semper in vtero adest.

De quantitate nullus dubitat, nam hac tanta interdum vterus abundat, vt in ventre magna suspensio excitetur, vt in tympanite, & colico dolore manifestè patet. De qualitate etiam constat, quia hæc in flatibus necessaria, debet esse frigiditas, siquidem ij ab intrinseco, & ex natura sua constant frigiditate. Sed hanc non possunt acquirere per interualla, quin potiùs frigiditas ob moram in corpore remitti debeat à calore, qui in illos agit perpetuò, illorum frigiditatem remittens. Ergo alia causa inquirenda est, cur tormina à partu per interualla exacerbentur. Quando enim dolor non oritur ex flatu, sed ex humore crasso in venis vteri retento, non datur causa, à qua prædictus humor post partum possit acquirere qualitates per circuitus irritantes, si eæ gestationis tempore non fuerint acquisitæ.

Dices secundò. Causa huius euentus est, quòd diuersis partibus vteri, causa irritans applicatur: hæc enim in partibus, in quibus antea continebatur, non irritat de nouo, cùm ab assuetis passio non fiat, & iam produxerit totum, quod producere potest ad irritandum; & nisi aliis partibus vteri communicetur, vel irritare, vel dolorem excitare nequit, siquidem doloris vrgentia, immutationem factam in facultate expultrice, ab obiecto irritante, præsupponit.

Hæc solutio quæsitum intimiùs non explicat, tum quia non assignat causam, ob quam irritans causa, & producens tormina diuersis partibus vteri applicetur, præsertim si in parte, in qua antea retinebatur, mutatio de nouo non adest; tum quia etsi veritatem habeat, in dolore orto ex flatu, qui cùm leuis sit, modò versus partem superam, nunc in partem inferam, impulsu suo mouetur, tamen in dolore ab humore crasso non est omnino vera, præcipuè si hic vteri vasis adhærcat. Neque dicas, idem posse affirmari de humoribus crassis, qui innata grauitate deorsum mouentur, cùm aliquando contingat, vt hi ad partem superam recurrant.

Dic. Quamuis flatus, vel humor crassus perpetuò irritent expultricem facultatem, dolor non est continuus, sed per interualla recurrit, etiamsi facultas, agens sit naturale: cùm enim facultas, quando conatum assumit in expulsione flatus, vel alterius irritantis causæ, ob vacuationem, & spiritum exhaustum debilis remaneat, fit vt conatum assumptum ad vmbilicum perducere non possit, quousque aliquantulum reparetur, & ita postea iterum ad expulsionem insurgat. Hoc patet in diarrhœa euidenter, in qua etsi tota quantitas quæ expellitur, præsens sit, & irritet, continuò non expellitur, sed per interualla, nam priùs necesse est vt à natura facultas expultrix reparetur.

Huic dubio addendum aliud: *Vtrùm primiparis tormina à partu contingant?* Respondeo affirmatiuè: Nam illæ flatu abundant, & humoribus crudis, ex indebito regimine, toto gestationis tempore acquisitis. Si verò obstetrices hoc denegant, intelligendum est, quòd illæ minùs intensos dolores quàm cæteræ patiantur: nam in partibus ad ventrem pertinentibus maior quantitas adest calidi innati absumentis flatus. In primiparis concoctio ventriculi est robustior, quia alios partus, in quibus ingens sanguinis copia vacuatur, non sunt expertæ, & ideò reliquæ facultates naturales sunt robustiores, & hac de causa maior sanguinis quantitas excernitur, minore intra vterum remanente: quare fit, vt absumptis flatibus, horúmque causa feliciùs vacuata, minores post partum quàm cæteræ enixæ dolores experiantur.

Causa.

SIcut tormina intestinorum, ex mente Galeni 5. *Aph.* 11. à flatu scaturiunt, sic vteri tormina ex eadem causa originem ducunt. Hæc substantia flatuosa vel in vteri cauitate stabulatur, & plus iusto vteri parietes distendendo, intolerabiles concitat dolores, vel in meatibus vteri pertinaciter adhæret, & tormina parit. Deinde ex aëre recepto in vterum post exitum infantis, interdum emanat, quia cùm gestationis tempore tota cauitas vteri sit repleta, non datur in ipsa compressio, neque reuertitur ad pristinum statum, & locum; quum verò fœtus ex vtero exit, ad cauitatem illam replendam aër necessariò debet accedere. Sæpe ex frigore emanat hoc vitium, ex partu susceptо, ob obstetricis imperitiam, ac imprudentiam enixæ.

Interdum causa huius affectus, sanguis crassus est, qui ob venarum angustiam affatim repurgari nequit; quare coërcitus, & retentus, cruciatus intolerabiles concitat, qui vacuato sanguine cessare solent. Neque dicas, venas vteri, sensus expertes, vel præditas remisso, cæterarum instar, 16. *de vsu part.* 12. non immanes cruciatus pati posse: nam ij non in venis, sed in vteri substantia excitantur, quam distentione sua premunt, atque fatigant. Ex sanguine tenui, & mordaci, etiam potest oriri hoc malum; hic enim humor non solùm distendit, sed suis qualitatibus intemperando dolorem excitat.

Signa.

SI ex flatu hic dolor originem ducat, ex inflatione ventris, rugitu ipsius, dolore vago per omnem ventris regionem percepto cognoscetur, maximè si præcesserit vsus alimentorum, quæ flatus gignere consueuerunt. Si ex sanguine limoso, & crasso oriatur, ex anteacta vita dignosces, & ex sanguinis excreti natura, consistentia, & colore: si enim fuerit albus, vel niger, humorem pituitosum, vel melancholicum redundare significat. Sanguinem tenuem, & acrem ostendunt, doloris

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 568 sur 927

doloris vehementia, acrium ciborum vſus, ſitis intenſa, vrinæ ardor, & in affectis partibus intenſa caliditas perſentitur.

Præſagium.

SI mulieri poſt partum tormina, & dolores ſuperuenerint, malum: dolor enim valde virtutem proſternit, & ob dolorem mẽſtrua purgatio circumciditur. Peſſimum eſt, ſi tormina cum animi deliquio contingant, tunc enim non ſolùm vterus, ſed cor, aut cerebrum compatiuntur; hoc enim ſymptoma animi defectum illicò accerſit, ſi vehemens eſt, 1. *ad Glauc.* 14. & 2. *acut.* 48. §. *Ob dolorem enim ægri ſine pulſu reddũtur, examinéſque fiunt, &c.*

Curatio.

OMnis curatiua intentio in hac affectione, in ſedatione doloris repoſita eſt: Hoc opus variis præſidiis celebratur, ſi Medicus varietatem cauſæ contempletur. Si flatus cauſa ſit, anodyna ſanant, quæ humectando, & relaxando partes, diſtentionem impediunt. De horum claſſe ſunt fomenta, & vnguenta calida, quæ præterquam quòd ſuo actuali calore menſtrua mouent, vias dilatant, mulcebri ſuauitate dolorem leniunt, 5. *ſimpl.* 19. & 2. *acut.* 1. Parantur vnguenta ex oleo Camomil. Lilior. alb. Amygdal. Aneth. Rutaceo, pinguedine Gallinæ, vel ſuilla. Fomenta fiunt ex emollientibus, & carminantibus medicamentis, præmiſſo tamen ſuaui clyſtere flatum reſoluente. Veſica ſemiplena decocto anodino, & carminante, vtilis eſt, parata ex decocto fœnug. Sem. Lin. Camomil. Aneth. Melilot. Cinnamom.

Cataplaſmata ſuper ventrem inferiorem appoſita, optima ſunt, quorum copiam latè deſcribemus *lib. vlt. cap. 2. num. 1. de colico dolore.* Hauſtus olei Amygdalarum dulcium, vtilis, cum aqua naphæ permixtus. Ius Galli veteris, præſtans, flatus enim reſoluit, abſtergit, attenuat. Aromaticum roſatum, ſyrupus factus ex Cinnamomo, & adianto, pulueres facti ex Cinnamom. Nuc. Moſchat. Cortic. Citri, Artemiſiæ, an. part. æqual. adiecta dupla ſacchari quantitate, mirificam vtilitatem præbent, ſuperbibito mero. Si menſtrua purgatio ſit minuta, ſecanda vena in talo, hirudines mariſcis affigendæ, femora in parte domeſtica ſcarificanda.

Si hoc vitium ex acri humore, calido, aut tenui emanet, huius acrimonia retundenda. Humectantes clyſteres ſunt ex vſu. Temperata anodyna vtilia, ſicut & fomenta, & ſuper ventrem aſſiduæ irrigationes ex decocto Maluar. Parietar. Violar. Sem. Lini, Althææ, prunorum: poſt quas imponantur vnguenta facta ex Amygdalino oleo, Violar. & pinguedine Gallinæ. Quòd ſi nimius in viſceribus perſentiatur ardor, ſecanda ſaphæna.

OBSERVATIO.

Pro Torminibus à partu, remedium expertum.

INter præſtantiſſima auxilia, quæ ad tormina à partu ſedanda, vſu, & experimento adinueni, hoc eſt ſecuriſſimum, & feliciſſimum, vtere eo ſuperbibitis quatuor vnciis meri, ſi febris abſit; qua præſente, aqua ſcorzoneræ, aut cardui benedicti ſit ex vſu. Doſis pulueris ſit drachma vna.

℞. Caſtorij ʒ ß. dictamni, artemiſiæ, matricariæ, an. ℈. ß. cinnamom. aniſi, ſem. fœniculi, an. ℈. j. agallochi ℈. ij. aromatici, diamargarit. calidi. an. ℈. ß. ſem. dauci, & carui, an. ℈. j. nucis moſchatæ ℈. j. macis ℈. ß. rutæ ℈. j. ſabinæ ℈. ß. calamenthi, origani, pulegij, comarum anethi, an. ℈. ß. cardamom. gr. x. flor. camomil. & ſambuci, an. ℈. j. Omnia tenuiſſimè pulueriſentur, & triturentur ad vmbram.

CAPVT XXI.

De regimine infantis.

QVomodo ſit gubernandus infans, eiúſque tenerrimum corpus ab iniuriis externis, morbiſque præcauendum, hoc loco breuiter dicemus. Et primò quærendum: *vtrùm vmbilicus ſit reſecandus, & ſale eius corpus inſpergendum?* Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 4. cap. 3.* vmbilicum quatuor à ventre digitis reſecandum docuit ſcalpro acuto, omnem aliam materiam harundinum, ac vitri, vt nequid atteratur, reprobans. Deinde contentus in ipſo ſanguis limoſus exprimatur, ſpongia abſtergatur, ac lana carpta obturetur, & cum filo, aut goſſipio tenuiter retorto ligetur citra dolorem, ex Auic. 3. 1. *doct. 1. cap. 1.* néue præ laxitate reſolutus, intereat infans: quum verò exciderit vmbilicus poſt quartam diem, cochleæ teſtam vſtam tritam loco inſpergere, & deinde ligare oportet.

Galenus *lib. 1. de ſanit. tuend. cap. 7.* poſtea moderato ſale per ſe tenuiſſimo totum corpus conſpergit: ſic enim ait: *Ergo recèns is natus infantulus, cuius corporis conſtitutio omni nota vacat, primùm quidem faſciis deligetur, ſed corpori prius toti ſale modicè inſperſo, quò cutis eius denſior, ſolidiórque iis quæ intus ſunt, partibus reddatur. In vtero enim æquè cum reliquis mollis erat, cùm nec durius vllum externum corpus inibi contigerit, nec aër illi vſquam frigidus inciderit, quorum commercio contracta, denſatáque, & quàm ipſamet prius, & quàm reliqua membra, denſior, duriórque fieret. At quoniam iam editus infans, in frigore, & calore, atque inter corpora multò ſe duriora verſetur, neceſſe eſt, ob hæc ipſa nimirum naturale eius tegmen præparari quodammodo à nobis, redditque ad indolentiam, & tolerantiam quàm aptiſſimum par eſt.* Idque facit inſperſo ſale in natura temperata; quæ ſi paulò humentior ſit, puluere foliorum myrti, ceu adſtringente, & magis ſiccante vti iubet. Auicenna, vt probatiſſimum reddat ſal, admiſcet ſemen cannabis, coſtum, ſumach, fœnugræcum, origanum. Auerrhoës *lib. 6. collig. cap. 6.* hanc ſalis inſperſionem reprehendit: nam eius acrimoniam noſtra ætas non fert, deinde per cutim raram vitioſi ſucci tranſpirant, qui ſi ex ſalis adſtrictione cohibeantur, periculum imminet. Sed hunc auctorem intellige de ſale vſto, qui acris eſt, & magis adſtringens, ſal verò tenuiſſimè pulueriſatus, nullam noxam inferre poteſt; nam ſuauis eſt, cùm ſit læuis, & cuti beneuolus. Conſultum tamen eſt totum corpus abluere vino, in quo rubentes roſæ priùs efferueſcant.

Sordes deinde naribus inſitæ, digitis exprimendæ. Os, atque aurium meatus purgandi. Palpebræ diducendæ. Oculi detergendi. Podicis orificium per circuitum digito minimo mouendum, & aperiendum, illicò enim excernit per ſedem ſubnigra quædam iecinoris recrementa, & tunc infans mollibus linteis, ac faſciis inuoluatur. Galenus nil aliud præter lac maternum offert. Paulus *lib. 1. c. 5.* melle optimè deſpumato quamprimùm nutrit, hoc enim detergit, & lactis concretionem impedit. Alij ad præcauendum infantes ab epilepſia oleum ſeſaminum, vel amygdal. dulcium cum ſaccharo, & ſemine Pæoniæ. Hoc enim remedium nutrit infantem, & pituitoſos humores per feceſſum ſuauiſſimè expurgat, qui ſi non vacuantur, ad epilepſiam inpoſterum præparant corpus imbelle. Plures imperant theriacam, ſed pro illis eſt ſuſpecta, eius enim potentia, illorum virtute maior eſt, & flaccidum corpuſculum facilè reſoluit, innatúmque ſpiritum extinguit.

Virùm

Vtrùm verò post lactationem pluribus circumstantiis opus A *sit, ad infantis educationem*? meritò inquires. Dic, quòd postquam lacte fuerit nutritus infans, eóque præcipuè materno, quod illi est simillimum, ex Gal. 1. *de sanit. tuend. cap. cit.* & Auic. 3. 1. *doct.* 1. *cap.* 2. (ni mater sit aliquo morbo fœdata) idque bis die, aut ad summum ter, plurimum enim assumptum, crudum remanet, & ad epilepsiam, aliósque morbos parat, quia corrumpitur: Abluatur bis, aut ter infans aqua calida hyeme, æstate temperata, non autem debet in balneo diutius morari, non enim vt supercalescat, aut rubeat eius corpus, sed vt humescat, aut mundetur, hoc lauacrum instituitur, linteis deinde molliſſimis abstergatur, & exiccetur.

Nutrix à lotione, antequàm fasciis obuoluat infan- B tem, eius membra tangere debet, & quod extendendum fuerit, diuidet, ac extendet, & comprimendum comprimet, & hoc opus leniter peragere oportet. Infantis vesica premenda, vt vrinæ exitus fiat facilior. Extendendæ manus, & brachia ad genua vsque. Pedes vtrique leniter ducendi retrò ad dorsum, & antè ad caput, vt membra omnia, quò oportet, flecti condiscant. Non sunt autem supra ventrem firmandi, ne lædantur viscera, in quo peccant nutrices, quæ infantes pronos continent, donec paulatim omnes fascias componant.

Oculi infantis serico viridi sunt tergendi, Nares oleo dulci intus linendæ, ac defæcandæ. Deinde infantem la- C ctare oportet, & ad somnum inuitare. Dormiat è latere, capite, quàm reliquum corpus elatiore. Cuna non est vehementer mouenda; concitatus enim motus ad Epilepsiam parat, & lac in ventriculo contentum fluctuare facit. Immaturè ad progrediendum omnino cogendus non est, ne crura corporis pondere vitientur. Ita quum valet à gressu arcendus non est: summum enim commodum ad vitam, eiúsque durationem & sanitatis tutelam præstat exercitium, & ita animali omni à natura est præstitutus exercitij modus.

Vtrùm alter à lacte cibus infanti sit propinandus? dubitabis. Dic, solo lacte ali debere puerum, quoad primores dentes, quos duales appellant, emiserit, quod septimo vtplurimùm mense contingit, ex Paulo *lib.* 1. D *cap.* 9. Si tamen ante hoc tempus, cibum alium vehementer appetit, & ipse sit succulentus, & viuidus, & spes sit quòd possit concoquere, offeratur. Post ortum verò dualium, solidius alimentum exhibendum. Duriusculum tamen dentibus cibum non atterat: nam dentes molestat, materiam ex qua alij dentes sunt gignendi, attritu dissipat, & resoluit, & fragmenta dura non contrita deuorat, quæ in sola deglutitione, strangulatum, tussim, vomitum mouent, & ventriculo negotium facessunt, & cruda remanentia obstructiones, & alia symptomata inposterum accersunt.

Auicenna primò offert panem, quem infanti masticauerit nutrix, deinde panem cum aqua mellis, aut aquoso vino, vel lacte. Aëtius micam panis ex vino mulso, aut dulci, cum lacte propinat, deinde oua sor- E bilia concedit. Sed cùm vinum ne gustare quidem suadeat Galenus, quippe quod haustum, humectat nimiùm, & corpus calefacit, tum caput halitu replet, iis qui calido & humido constant temperamento, auctore Arist. *lib. de somn. & vigil. cap. vlt.* & panis sola masticatione nutricis paratus, durior sit, ac solidior, quàm vt primis puerorum cibis conueniat, & si plurimùm in ore contineat nutrix, donec satis madescat, tunc pluri, quàm opus est, saliua conspurcatur: Iccircò melius est, vt assumat micam panis coctam ex aqua, melle, oleo, butyro, & ad mellis consistentiam redactam. Vtilis est etiam mica panis ex iure pulli Gallinacei, consummatum Gallinæ, vitella ouorum saccharo, aut melle irrorata, optima, summopere præstant. Possunt etiam eo tempore concedi molles carnes, quæ in gallinarum præcordiis inueniuntur. Hæc alimenta, si bene coquantur, citra ventris intumescentiam, aut inflationem; si puer non reddatur somniculosus, aut torpidus, vrinaque habeat lacteas, summopere prosunt, & illi firmitudinem, robúrque conciliant, & hæc magna ex parte viginti mensibus apud Aëtium, aut duobus annis contingit. Quòd si firmus sit, debet ablactari; sin minùs, alteri nutrici duorum mensium spatio debet committi, vt recenti lacte, atque abundante eum reddat vegetiorem. In ablactatione, hyemem rigidam, & feruentem æstatem cauere oportet: nam vltimum hyemis, & postremum æstatis eligere oportet. Non subitò, sed latenter ab vbere desuescat, & fiant ei glandes ex pane, & saccharo, quæ offerantur ipsi dum mamillas B quærit, & lac affectat. Quòd si ablactatus incidat in morbum, rursus ei lac concedatur; & vbi cessauerit morbus, corpusculum renutriatur lacte, & hac ratione iterum ablactetur.

OBSERVATIO.

Antidotum ad præseruandos infantes ab Epilepsia ante lactationem offerendum.

MVlta ad præseruandos infantes ab Epilepsia hæreditaria tentaui persæpe antidota, quæ excrementitiam humiditatem viscosam, & sordes melancholicas in ventriculo congestas, & intestinis, suauiter expurgarent per aluum, (quæ si non excernerentur, præpararent ad Epilepsiam caput) neruosúmque genus roborarent, malignamque qualitatem morbo caduco insidentem domarent, atque compescerent. Omnia frustranea inueni, hoc dempto, quod in hunc vsum felicissimum semper inueni: cùm enim in pluribus liberis multorum, qui omnes hoc oblato meliùs habere, periculum fecissem, expertissimum fuisse contestor, atque profiteor: Nam quibus hoc præsidium ante lactationem fuit oblatum, Epilepsiam in progressu ætatis non persensere, cùm cæteri ante eos Epilepsia essent interfecti.

℞. *Fella testudinum aquaticarum*, Num. ij. *theriacæ smaragdor.* ʒ ij. *succi rutæ* ʒ̄ ß. *rasuræ cornu cerui* ʒ ß. *cranij pueri, & fœmellæ*, ʒ iij. *vngul. alces, vuicornu, an.* ϑ j. *pulu. pullorum hirundinis adustorum*, ʒ ß. *paoniæ maris* ϑ j. *thuris* ϑ ß. Excipiantur omnia cum olei sesamin. amygdal. dulcium recentium, Mellis albissimi, sacchari albi soldissimi partibus æqualibus, & fiat Electuarium molle, digito minimo in os infantis indendum.

CAPVT XXII.

De electione nutricis.

PLura de nutricis regimine, & electione tradidimus *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 31. nunc quæ E ad hoc argumentum supersunt enucleanda, complere oportet. *Vtrùm ad electionem nutricis, plures necessariæ conditiones animaduertendæ.* Eligitur nutrix ex partu naturali, quando nouem mensibus vtero gestauit, ex abortu enim, aut septimestri partu non probatur, imò lac eius, quæ frequenter abortit, suspectum est apud Auicennam. Ex salubritate, necesse est vt sit rectè sana, ex parentibus orta nulli morbo præsertim hæreditario, aut contagioso obnoxiis. Ex temperamento, medium habeat nutrix: si enim temperatus puer est, huius lactis vsu, temperatura optima seruatur; sin minùs, ad eam reducitur. Nec probo reductionem pituitosi infantis per biliosum lac, quoniam morbis ex vtroque humore fortè redderur opportunus, & tantam contrarietatem non adeò rectè tolerat ætas infantis tenera,

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 570 sur 927

& satius est duobus annis reduci ex vsu lactis temperati ad optimam naturam, quàm id vno anno consequi ex bilioſi vſu, & altero, in bilioſam naturam transferri.

Eligitur præterea nutrix ex compoſitione: ſi enim medio ſit prædita temperamento, omnium extremorum ſtatim occupabit medium, nempe gracilitatis & craſſitiei, mollitiei & duritici, glabri & hirti, caloris & frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis, nigri & albi. Capillo potiùs conſtet nigro, quàm rufo. Collum habeat validum, amplum pectus, omnes animi functiones, naturales, animales, & vitales inculpatas. Ex magnitudine mamillarum etiam eligenda. Paulus *lib.* 1. *cap.* 2. vbera magna in nutrice requirit. Aëtius moderata, non rugoſa, ſed plena; magna verò, & parua improbat: hæc quoniam parum lactis exhibent; illa, quia plus, quàm opus eſt, lactis præparant, quod in mamillis retentum corrumpitur, infantem lædit, matrem grauat. Nos magna vbera probamus cum Paulo, nimis tamen protenſa, & laxa, abhorret Auicenna. Mediocres probandæ in vberibus papillæ, magnæ enim offendunt gingiuas, ac linguam impediunt, ne deglutitionem iuuet. Paruæ ægrè apprehendi poſſunt, maxillas premunt, atque fatigant. In papillis meatus nec nimis anguſti ſint, nec lati, & cauernoſi: eiaculatum enim per anguſtos meatus lac ſublinentem os pelliculam ferit, & vlcus igneæ caliditatis inducit. Latiores meatus, qui papillas cauernoſas reddunt, dum affatim emittunt lac, pariunt perſæpe ſuffocationem.

Eligitur inſuper ex numero partuum præcedentium: nam melius eſt ſi bis, aut ter peperierit nutrix; nam ex primo partu vbera, quæ nunquam lac antea procreauerant, minùs vtile creant, poſtea verò ſecundo, aut tertio partu vtiliſſimum conficiunt, velut iam edoctæ, & conficiendo aſſuetæ. Ex ſalubritate liberorum, oportet vt eos habeat viuos, & robuſtos, nec vlli Epilepſia, aut alio contagioſo morbo deceſſerint.

Ex ſexu infantis quem peperit, ſatius eſt vt ſit partus maſculi: nam hic eſt fœmina perfectior, quare vtilius etiam lac generabit. Reclamat experimentum, calidius enim eſt hoc lac: quæ enim maſculum geſtant, calidiores ſunt, & agiliores, & calidius lac poſt partum præbent. Dic, ſi fœmina temperata ſit, præſtare lac eius quæ peperit maſculum; ſi intemperata in calore, ſalubrius eſſe lac, eius quæ enixa eſt fœmellam. Ex menſtruo, lactationis tempore retento, nutrix probanda: nam menſtruis fluentibus lactationis tempore lac imminuitur, aut vitiatur, prout *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. cit.* diſceptauimus. Faciem fuco non dehoneſtet, nam præter mentis impotentiam, quam arguit, lac vitiatur ex ceruſa, ſublimato, & aliis huiuſmodi. Nutrix vna eſſe debet: nam experimento compertum eſt, ex lactis diuerſitate, infantes lædi. Quare non probo quarundam matrum conſuetudinem, quæ præter id quòd liberos ſuos nutriunt, nutricem quoque coadiutricem habent: Imò condemno Medicorum conſilium præceps, qui leui quauis de cauſa nutricem mutant; habet enim lactis iam vſitatiſſimi permutatio incommoda ſua, quæ non ſine graui neceſſitate ſunt ſubeunda. His omnibus addere oportet indicium firmiſſimum, ex ipſo lacte deſumptum, cuius probationem *lib. cit. Hiſt.* reperies.

CAPVT VLTIMVM.

De Lactis defectu, abundantia, craſſitie, tenuitate, acrimonia, fœtore, & coagulatione.

DE Lactis morboſi correctione breuiter hoc capite peragendum, ſiquidem à priſcis hoc negotium eſt adamuſſim exaratum. De defectu primò initiandus ſermo. Quando lac imminuitur, corrumpitur, aut omnino extinguitur, inſpiſſatur, attenuatur, præſtat alterius nutricis lac præbere: ita monet Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 4. *cap.* 6. quod de magnis vitiis intelligendum, non enim leui de cauſa eſt permutandum. Si deficiat lac, nutricis ſanguis contemplandus, ex Gal. præcepto: aut enim paucior eſt quàm conueniat, aut deterior. Si paucior, victus offerendus humectans, & excalfaciens. Alimenta offerenda, quæ ſanguinem generant plurimum, vinum, iuſcula, ſuccus carnis, auium carnes, vitella ouorum, lac, cicera, amygdalæ, pineæ, farrum ex hordeo. Si ſanguis paruus, eſt corrigendus; ſi bilioſus, contemperandus, expurgandus. Pituitoſus, medicamenta exoptat non multùm calefacientia, nihil autem deſiccantia. Si cacochymia ſalſa ſit, expurganda; ita & acida. Pituita dulcis, & inſipida, ſanguine permiſcetur, huic coctionem, & non expurgationem, ſ *ſimpl. cit.* præſcribit Galenus.

Prouocantia lac, ſunt parum calida, primo nempe, aut ſecundo ordine, non ſicca. Hac ratione mouendo lacti proſunt Eruca, Fœniculum, Anethum, Seſamum, Aniſum, Melanthium, Paſtinaca: & vbi pituita craſſior eſt, atque frigidior, Smyrnium, Apium, Sion, Polium, Pulegium, Roſmarinus, ſerpillum, Trifolium, Vitex, Raphanus, Mentha, cæpæ aſſæ, atque elixæ. Si ſigna caloris adſint, & nutrix bilioſa ſit, lac augent Lactuca, Malua, Spinachia, hordeum, papauer. Herbæ virentes nutrici offerendæ: ſiccæ enim, pluſquàm oportet, excalfaciunt & deſiccant, ſanguinem pauciorem, & craſſiorem gignunt, lac potiùs extinguunt, quàm prouocant.

Optimæ ſunt ſorbitiones ex oleo, fermento, & ſaccharo, addito ſeſamo, fœniculo, pulegio, aniſo. Ptiſana. cum fœniculo, & anetho viridi optima eſt. Pultes proſunt ex farina fabar. cum lacte, ſaccharo, & vitellis ouorum. Quieſcat nutrix, brachia exerceat, vbera leui manu perfricet, aut decocto fœniculi per ſpongiam, vt ſanguis ad eas attrahatur, & venæ quæ ibi ſunt dilatentur.

De lactis abundantia quærendum: *Vtrùm corrigenda?* Etſi in ea adimenda plures non laborent, ſed errant: Nam ex lactis copia valdæ diſtenduntur mammæ, & perſæpe non modò dolent, ſed etiam inflammantur; & pueris hæc nimia quantitas obeſt, hi enim hac ratione in conuulſiones incurrunt, quoniam nerui à magna illa lactis vi facilè percelluntur. Deinde lac præ copia in mamillis detentum craſſeſcit, craſſefactum corrumpitur, exulcerat, varios morbos parit. Ergo lac ſi ſponte defluat præ copia, ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè.

Cauſa, ſanguinis copia eſſe cenſetur, vel in toto corpore redundans, vel quia per loca conſueta, nempe menſtruas, aut hæmorrhoïdales purgationes à natura non excernitur. In curatione duo ſunt obſeruandi ſcopi, primus, vt lac excedens diſſipetur, & exiccetur. Secundus, vt luxuries naturæ in gignendo lacte compeſcatur. Pro primo, tenuis victus optimus, vigilia ſalutaris, aër ficcus præſtat, exercitium vtile: potus exiguus: alimenta parum nutrientia, offerenda.

Si lactis copia ex ſanguinis abundantia originem ducit,

©BIUM

ducit, venæ ſectione minuendus, non ſolum è cubito, ſed talo celebranda; hac enim celebrata prouocantur menſtrua, & impetus ſanguinis è mammis ad vterum longè deflectitur. Super mamillas imponantur medicamenta, quæ lac exiccant, vel innata vi id conſumunt, vt emplaſtra facta ex aceto, Muria, cum puluere cymini, agni caſti, farina oryzæ, hord. fabar. lentium, lupinorum, rutæ, pſyllio, alumine, thure, & aliis.

Craſſities corrigatur citò; nam plurium malorum eſt cauſa: Hepatis, & reliqui corporis vaſa obſtruit, & febribus putridis pueros obnoxios reddit, coctu contumax eſt, epilepſiæ, & morbis ex cruditate ipſos exponit, abſceſſus, & furunculos circa corpus infantis progenerat, ventrem cohibet, flatus gignit, inflat, retinet vrinam; & eo vtentes puelli, pituitam vomunt, inappetentes fiunt, torpidi, difficulter ſpirantes, ſomnolenti, decolores. Nutrix alenda eſt minùs nutriente, & attenuante victu. Vtatur iure pulli elixo cum petroſelino, & croco. Bibat aquam cinnamomi, aut vtatur vino. Offeratur ei oxymel cum puluere fœniculi. Lac attenuat puluis ex cinnamomo, fœniculo, origano. Moderato vtatur exercitio. Vbera frequenter abluat decocto nepitæ, aut calaminthæ.

Tenuitas lactis plurima damna patit: Infantes graciles, & inualidos reddit, ventrem fluidum facit. Aquoſo lacti prolixus ſomnus, vtilis. Alimenta offerenda, quæ plurimum, & craſſum ſuccum præſtant, vt oryza, pedes, & extremitates animalium. Acri lacti proſunt alimenta boni ſucci. Balnea dulcium aquarum, quæ corpus nutricis humectent, & contemperent. Exhibendæ potiones medicamentoſæ refrigerantes. Si lac prauo odore ſit præditum, Nutrix clementibus medicamentis expurganda. Alimenta putredini obnoxia vitet. Coctio ventriculi procuranda, ſicuti enim putredinis fœtor, ita bonæ coctionis ſuauis odor eſt ſoboles. Huic malo, confectio aliqua odorata, calida aut frigida, pro ratione indigentiæ, vtilis eſt. Ambram, & moſchum cibis permiſcere, & ea cum vino aromatico bibere, ſummopere præſtat.

Coagulatur lac, & nodos in vberibus ſæpiſſime concitat, & ferè degenerat in abſceſſus. Cùm hoc acciderit, puer ex illo vbere non lactetur. Sugatur tamen lac, ne id quod de nouo gignitur, coaguletur à caſeato lacte ibi exiſtente; & pars coagulati quæ incipit diſſolui, non extrahitur, ſed putreſcit, & vbera exedit.

Diſſoluitur lac, ſi nutrix vtatur in cibo mentha, petroſelino, croco, cinnamomo, & caulium iure. Abluatur mamilla cum aqua, vino, & aceto vnà permixtis. Aut decocto folior. Plantag. Malu. Viol. Roſ. Camomil. Melilot. radic. Althææ, Fœnugræci: & deſuper apponatur linimentum ex oleo roſ. amygd. dulc. ſucco apij, petroſelini, aceto, in quo priùs coagulum leporis ſit diſſolutum.

OBSERVATIO.

Ad defectum lactis, electuarium egregium.

℞. *Ciceris priùs infuſi in lacte vaccino, aut ouillo,* ℥ iij. *oryzæ ſæpius ablutæ, & exiccatæ* ℥ ij. *tritici, & hord. excorticator. & tritorum, an.* ℥ iij. *amygdal. dulcium excorticat.* ℥ j. *ſem. papauer. albi,* ℥ j. ß. *ſeſam. triturati* ℥ iiij. *pulu. lumbricor. terreſtrium,* ʒ iiij. *ſem. aniſi,* ʒ j. *cryſtalli.* ϑ j. ß. *ſucci fœniculi,* ℥ ij. *mellis* ℥ iij. *butyri,* ℥ iiij. *ſem. porri* ℥ ß. *ſem. aneth.* ϑ j. *ſacchari albi,* ℔ j. Omnia cum lactis ſ. q. decoquantur, ad conſumptionem tertiæ partis, quando iam electuarium aliqualem ſpiſſitudinem acquiſierit.

Sed tempus mihi videtur, vt huic Libro finem imponamus, ex quo ſi Lector candidus, lenta manu præſidia decerpat, non dubito, quin ad fœminarum morbos perſanandos, vtilem ſibi gazam comparare queat. Modò ad febres ſpeciatim curandas accedamus.

FINIS LIBRI TERTII.

ZACVTI

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 572 sur 927

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,
PRAXIS HISTORIARVM,

LIBER QVARTVS.
DE CVRATIONE FEBRIVM AGENS.

PROLOGVS.

ARGVMENTVM difficillimum in hoc quarto Praxis Hiſtoriarum Libro, ſupereſt enucleandum, quod de curatione febrium, inſcribitur. Hoc quàm frugiferum ſit, nemonon videt, qui ad Hippocratis aras non ieiunus accedit. Nam Diaria premit laſſitudine: Putrida excrementorum fœtore fatigat: Acuta ſymptomatum ſæuitie oppugnat: Bilioſa rigore concuſſuo lancinat: Pituitoſa horrore ferit: Melancholica oſſium confractione dilacerat: Erratica diuerſimodè opprimit: Elodes ſuperfluo ſudore corpus colliquat: Horrifica perpetuo horrore cutem fatigat: Maligna miris ſymptomatis ſtipata totum perdit: Peſtifera illorum pernicie inſoleſcens, viſcera labefactat, & extinguit labe dira. Omnium ergo febrium extat in hoc Libro mentio plena: Vniuerſa enim ipſarum curatio diſtinctè proponitur; earundémque inſidiæ aptiſſimis remediis deſtruuntur.

CAPVT I.
De Aere.

DE Febrium natura, eſſentia, diuiſione, differentiis, cauſis, ſignis, ac præſagio ſatis fusè *toto Libro quarto Hiſt. Princip. Medic.* prædiximus, & in cæteris plura agitauimus, quæ febribus curandis conferunt apprimè. Iccircò nunc in earum curatione vniuerſali erimus breuiloqui: Liceat tamen nobis per fœcundiſſimos ſex rerum non naturalium campos tantiſper ſpatiari, ab aëre primò exordium ſumentes.

Vtrùm aër in curandis febribus ſummam poteſtatem obtineat? Aëris pro curandis morbis, præcipuè vaſorum, ſummam eſſe poteſtatem, oſtendunt plura: nam facilè commeat ad cor per inſpirationem attractus, & cùm nos ſemper circumſtet, aſſimilat corpora noſtra, & ſanitatis noſtræ ſtatum variè immutat, eáque ſuo temperamento adeò condiſponit, vt in alterando vincere alimentum, ex Hippocratis doctrina probari non incongrè poſſit, 6. *epid. ſect.* 5 *text.* 20. *Solum vertere in morbis longis conuenit.* Agit enim continuò, neque manet in corpore inſtar alimenti patiens, & refractus, ſed ſemper accedit nouus, qui per vniuerſam cutem ab arteriarum diſtentione rapitur in viſcera, & alimenta potúſque ſibi attemperat, & eorum interuentu corpus noſtrum; & non tantùm qualitate alterat, ſed etiam materia, ſubſtantiáque, ſpiritus alit.

A Quare diuturnitate temporis, & mora plus poteſt quàm medicamenta: & licèt alimentum ob multitudinem formæ validiùs alterare videatur, tamen ociùs agit aër, tardiùs cibus propter craſſitiem. Accedit quòd aëris noxæ nobis magis ignotæ ſint, quàm alimenti: in quem ſenſum verè protulit Galenus 1. *epid. ſect.* 1. *com.* 1. Aërem corporum ſymmetriam turbare: Quod etiam 1. *feb. c.* 4. *lib. de vſu pulſ. c.* 3. *lib. de vtilit. reſpirat. c.* 4. & 5. & *in art. med. c.* 85. diligentiſſimè comprobauit. Quare omnium ferè morborum, imò vitæ, & mortis cauſam eſſe, *lib. de flatibus, num.* 6. libentiſſimè conteſtatur.

Ob hanc cauſam cùm febris ſit morbus frequentiſſimus, cum omnibus implicitus, ex Hip. *lib. de flatib. n.* 7. §. *Primùm autem à communiſſimo morbo febrili exordium ſumam, & qui omnium morborum comes, &c.* ſedulò inueſti-
B gandum: *Vtrùm aër mundus, & purus, pro febrium curatione vtilis ſit?* Aërem putridum, & immundum humores corporis, præcipuè verò in corde contentos, cùm rectà permeet ad cor, putrefacere, docuit Galenus *lib.* 1. *de ſanit. tuend. cap.* 11. cum Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 11. fœdus enim eſt, craſſus, & putredini paratus, ſpiritus omnes labefactat, vires comminuit, triſtitiam inducit, febres excitat peſtilentes, recidiuas parit, ventriculum ſubuertit, nutritionem peturbat, non ſolùm inſpiratus, verùm etiam arteriarum motu per cutem intus attractus.

Ob hanc cauſam Galenus *loc. cit. Optimum aërem in pulmones attrahere, omnibus iuxtà ſalubre eſſe*, ſcriptum reliquit, *talémque fore, ſi nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram exſpirante infectus; nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 573 sur 927

©BIUM

vrbem, aut numerosum exercitum pugnet, vitium contraxit; nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur; nec qui propter stagnum, aut flumen vicinum nebulosus est, nec qui vicinis vndique montibus in cauo loco inclusus, nullum recipit perflatum, suffocans enim, putrisque est, similis ei qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus propter putredinem, aut difflatus defectum plurimus aceruatur situs: eiusmodi enim aër omni planè etati noxius est; sicuti qui purus omnino est, nullinon etati est vtilis, &c.

Ratio est in promptu, quia cor primariò in febri afficitur: ergo necesse est, vt robore suo noxas imminentes euitet, causisque morbificis strenuè reluctetur; quod peraget si spiritu puro, mundóque vtatur, vt instrumento commodo: Hunc autem ex aëre purissimo, miniméque sordido nutriri, tanquam ex optimo pabulo, *lib.12. meth. cap.5.* auctor est, sic enim habet Galenus: *Ergo animalis spiritus cerebrum veluti fontem esse, clarè ostendimus, qui partim ex inspirando, partim ex eo quod reticularis plexus suppeditat, imaginatur atque alitur. Vitalis spiritus non aquè euidens demonstratio erat, sed tamen eum in corde, & arteriis contineri existimare, alienum a ratione non est, eundémque nutritum maximè quidem ex inspirando, sed tamen & ex sanguine, &c.* Repetit *lib.7. de vsu part.8. & lib.8. cap.1.5. simpl.9. & lib. aduers. Lycum, cap.7.* Est ergo aër inspiratus spirituum materia commodissima: sicut enim externum ignem sine aëris euentilatione suffocari, atque extingui videmus, ita etiam de spiritibus, & calore innato imaginari oportet: nisi enim per assiduam inspirationem, & transpirationem calor naturalis refrigeretur, & diffletur, spiritum perire est necesse; aëre enim nutriente, conseruante, temperante, depurante, siue segregante indiget, cùm nutritio, conseruatio, & temperatio caloris natiui per aëris attractionem præstetur; depuratio per eiusdem expulsionem perficiatur.

Dubitabis deinde: *Vtrùm in febribus aër luminosus sit eligendus?* Dic. Præter plurima, quæ in luce commendatione, & admiratione sunt digna, ante omnia est eius incomparabilis munditia, & puritas; nam cùm per omnia permeet etiam sordidissima, omniáque purificet, atque emendet, nulla tamen sordium contagione inquinatur. Deinde cùm ægris gaudium sit conciliandum, nil illorum animum amplius exhilarat, & delectat, quàm lux, cùm sit iucunda & amabilis; quidquid enim luce vacat, mens nostra eo perturbatur, quòd tenebræ illi suspectæ terrorem incutiant. Quare Salomon *Eccles. 11.* sic ait: *Dulce lumen, & delectabile multis videre Solem*: & senex Tobias *cap.5.* sic dixit: *Quod gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video.* Tanta est lucis iucunditas, venustas, & amabilitas.

Contrà facit Hippocrates *lib.4. acut. text.48.* dum sic ait: *Decumbere autem in conclaui obscuro debent.* Nec displicet Hippocratis consilium: lux enim calorem, & spiritum euocat ad partes externas, & hoc modo naturam ab humorum coctione distrahit, & interturbat. Dic. Si febris sit implacida, anxiosa, immorigera, de qua *cit. loc.* Hippocrates, tunc remedio est obscura domus, quia obscuritas somni est illecebra; lux enim auersa ad somnum conciliandum summè conducit, vt *lib. 6. probl. vlt.* Aristoteles notat. Quod sub his verbis significauit Galenus *in com. cit. loc. Hippoc. Nunc decubitum obscura in domo, non tanquam maturatorium auxilium, sed tanquam difficilis tolerantiæ, inquietationisque, quæ ob molestiam, angorémque fit, correctorium voluit*, vt experimur in mania, phrenitide, malignis febribus, & aliis morbis.

Si verò febris sit mitis, benigna, vel putrida, domus modicè lucida ægrotis maximum solatium afferre solet. Deinde cubiculum lucidum à vaporibus noxiis est immune: nam vt Macrobius docet *1. Saturnal. c.17. Sol generat exortu suo lucem; radiorum enim splendor, propinquantem Solem longè latéque precedens, atque caliginem paulatim extenuans tenebrarum, parit lucem.* Cœlum enim agit in mundum inferiorem, non solùm per motum localem, sed etiam per lucem, quatenus per eam producit calorem, cuius ope halitus tetri ex calore putredinoso eleuati, qui domum inficiunt, blandè, sensimque absumuntur, ita Aristoteles *lib.4. de part. animal. cap.5. & 4 de generat. animal. cap.2.* Albertus Magnus *lib.1. meteor. tract.1. cap.12. & lib.2. de cœlo, tract.3. cap.2. & 3.* Auerrhoës *com.1. in 1. meteor.*

Vtrùm cubiculi splendor, noxios febrientium vapores dissoluat? quæstio est obscura. Calefacere lucem sic confirmo, quia Sol, Luna, & Stellæ per lumen calefaciunt hæc inferiora, quod ita esse plurima experimenta contestantur. Primò enim Aristot. *4. de part. animal. cap.5.* dicit noctes plenilunij esset tepidiores, quòd tunc Luna splendeat maiori luce: Secundò, quia specula combustoria ignem concipiunt, ex sola reflexione solarium radiorum. Tertiò, quia loca aprica luci exposita, cæteris paribus sunt calidiora vmbrosis. Quartò, infima aëris regio calidior est, quàm media, cuius rei non potest reddi alia ratio, nisi quia in infima fit à terra reflexio solarium radiorum, quæ tamen ad mediam non pertingit. Denique dies est calidior nocte, quoniam dies luce gaudet, qua nox caret.

Neque obstat primò. Si lux calefaceret, etiam exiccaret, cùm calor exitum halitibus aperiendo, siccitatem soleat inducere. At consequens repugnat experientiæ: Luna enim in plenilunio, plus nacta luminis, magis mouet humores, vt qui pituitosis morbis laborant, satis confirmant. Dic. Necessaria non est sequela maioris, neque enim necessariò inter se connexæ sunt caliditas, & siccitas, vt patet in plurimis, quæ cùm calida sint, humiditatem obtinent non exiguam: quare Luna etsi per lumen calefaciat, per aliam tamen vim idem corpus, eodem tempore humectat.

Non obstat secundò. Exoriente Sole excitantur flatus frigidiusculi. Lux ergo Solis parit frigus, non calorem. Dic. Lux Solis aduentante Aurora per se calefacit, per accidens verò refrigerat; exhalationes enim calefactas suscitat, quæ deinde suo motu aërem commouentes, frigus generant: Hoc autem esse per accidens, indicat illud, quòd venti forent frigidiores, si lux abesset.

Non obstat tertiò. Si cœli calefacerent per lumen, frigus per se non efficeretur in mundo, atque adeò elementa frigida, vt terra, & aqua, essent aliena ab intentione naturæ cœlestis, quod videtur absurdum. Probatur sequela, quia cœli non agunt nisi lumine, & motu. Sed lumen, & motus generant calorem, non frigus. Ergo frigus nunquam per se efficietur. Dic. Negatur sequela maioris, ad cuius probationem asserendum est cœlum agere in hæc inferiora, non solùm motu, & lumine, sed occultis influentiis, vt constans est Philosophorum sententia.

Non obstat quartò. Nulla potest assignari causa, ob quam lux calefaciat. Ergo, &c. Dic. Albertus Magnus *lib.2. de cœlo, tract.3. cap.2.* ideò lucem esse calefactiuam, quia est dissolutiua materiæ asseuerat: sed cùm probabilissimum sit, lucem esse causam immediatam caloris, frustra alia causa est inquirenda.

Non obstat quintò. Si lux esset causa caloris, inter primas qualitates recenseri non deberet. Sed contrarium statuunt Philosophi. Ergo. Dic. Caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem esse qualitates primas, non simpliciter, sed in genere qualitatum tangibilium: non ergo in hoc genere, sed in alio, lux est prior calore.

Non obstat sextò. Saturnus refrigerat, Iupiter, Venus, & Luna luce superant nonnulla astra, & tamen non ita calefaciunt, ac faciunt illa. Ergo lux non est causa caloris. Dic. Omnes stellæ quà lucidæ, calefaciunt, magis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 574 sur 927

magis aut minùs, pro ratione luminis quo potiuntur, si paria sint cætera: interdum enim contingit, vt alias nanciscantur qualitates, per quas contrarios effectus producant; hæ igitur multoties impedimento sunt, quominùs ad proportionem lucis secundùm se spectatæ, calor producatur, qui producetur in gradu apto oriri ex ea luce simul cum aliis qualitatibus, & ita de Ioue, Venere, & Luna est philosophandum. Non est ergo negandum, ob calorem à luce productum, tum cubiculi vapores, tum ab ægro per expitationem, & transpirationem eleuatos, aërem inficientes, posse resolui.

Sed obiici potest hoc modo. Si aër lucidus calefacit, & hac ratione vigilias excitat, inflammat spiritus, incendit humores, cur pro febrium curatione vtilis est? Dic. Aër, etsi æstiuus, minùs calet quàm cerebrum, siue ruptum alicuius caput manibus curemus, siue etiam experiendi gratia, animali cuiuis cranium excidérimus, deinde meningibus discissis tangere voluerimus. Insuper, si aër cerebro esset calidior, haudquaquam ab eo refrigeraretur: nunc autem etiamsi æstas fuerit, facilè refrigeratur, indigétque etiam tum foueri citissimè, vt affirmat Galenus 8. *de vsu part. cap.* 2. Quare si aër cerebro membro frigido, frigidior est; si cum corde conferatur, quod æstuat semper, & maximo calore abundat, erit frigidissimus, à quo per inspirationem, & transpirationem attracto excandescens hæc flamma iugiter temperatur, & igneus calor mitescit ac refrænatur. Quare ambientis calor, respectu huius calidissimi visceris, est mitis, suauis, & frigidus.

Sed agamus de qualitatibus primis: *Vtrùm pro curatione febrium aër sit eligendus frigidus?* Licèt autem calor præter naturam in corde accensus, frigiditatem, vt contrariam, pro sui remotione, exoptet, tamen plures sunt febres ex crasso humore prognatæ, que ex pertinaci viscerum obstructione emanant, quæ calefactoria præsidia efflagitant, quorum vi lentus, & viscidus humor concoquatur, crassus liquetur, viscidus extenuetur, vt quotidie experimur in hydrope, & febribus productis, in quibus victum calidum siccum, præscribimus, & aërem similem inspirandum imperamus: Ita docuit Galenus *lib.* 8. *meth. cap.* 4. dum de febribus ex obstructione subortis memorabilem fecit commemorationem, quo loco quamplurima proposuit auxilia in hunc vsum, quæ calida sunt, & non mediocriter extenuant, ex Auicenna 4. 1. *cap.* 24. *de sanationibus oppilationum.*

Dic. Febris, quà calor est immodicus, refrigerium expostulat: cùm verò aër assiduè inspiretur, & citissimè permeet interna, si frigidus sit, fit ex præsidiis curantibus vnum, vt 9. *meth.* 14. notauit Galenus. Hoc dogma manifestè confirmat Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 8. qui postquam temperatum aërem esse vtilem asseruit pro curanda Hectica febre, in hæc verba prorumpit: *Aër igitur, si admodum calidus est, aut admodum frigidus, pro calido inducendus arte contrarius est, subterraneis inuentis domibus, quæ & frigidissimæ sint, & maximè perflatæ, & ad septentrionem versæ, tum auris quibusdam, quæ ipsis sint suaues, opera nostra paratis: alias ex Euripi, in quos se deiiciant multi aquarum fontes: alias aqua frigida de vasis in vasa transfusa. Iam hoc statim etiam somniferum est. Præterea domo assiduè aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa: ac rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis, aut ruborum summitatibus, aut lentisci ramis, aut denique reliquarum, quæ refrigerent, stirpium aliquibus. Turba quoque hominum ingredi prohibita, nam id quoque domum calefacit. Atque ita quidem calidissimum aërem refrigerare est tentandum. Si verò modicè frigidus sit, hoc esse contentos oportet, nihil aut machinantes, aut de temperie eius alterantes.* Hæc Galenus, cui subscribunt Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 1. *c.* 78. & Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 10. §. *Et oportet, vt sit aër infrigidatus, quantum possibile est, &c.* Aëris ergo plurima ratio est habenda, sine quo neque sanitas conseruari, neque morbus potest persanari. Si verò aliquando febrientes in aëre calido versari, Galenus imperauit, id fecit maioris periculi præcauendi gratia, ad causam febris respiciens. Hac ratione, inquit Galenus 1. *Aph.* 16. si quis simul febricitauerit, & ea laboret dispositione, quæ aqua inter curem nominatur, ad ambos affectus respicientes, qui contrariam exigunt curationem, vtrique eorum solerter resistimus, sicuti & in aliis omnibus pari modo copulatis, tunc enim, vt ipse suprà *in eod. com.* dicebat, ad id quod magis vrget obuiantes, non humidum, sed siccum victum exhibemus.

Sed tempus est, vt de altero problemate disseratur: *Vtrùm aër frigidissimus febrientibus vtilis sit?* Galenus apositè respondet in hunc modum, *lib.* 10. *meth. cap.* 8. *Qui verò aër frigidissimus est, vtique quatenus respirando attrahitur, admittendus est, vt qui calorem, qui est in corde, admodum refrigeret: non tamen quatenus intrinsecùs ægrum contingit, quippe id densat cogitque cutem, ac eorum quæ comburuntur, & putredinosorum humorum effluxum transpirare prohibet. Siquidem per pulmonem, quod rarum viscus est, difficile non est, vt tum qualitas ipsius, tum etiam substantia ad cor facilè perueniat. At per cutim fieri nequit, vt eius vel qualitas, vel substantia ad cor perueniat, vtpote prius densatam. Nam quod in libris de simplicium medicamentorum facultate, de iis quæ vehementer adstringunt, est dictum, id hìc quoque reuocari ad memoriam debebit, ac sciri, qui nimium frigidus aër est, hunc cutim densando, semper sibiipsi viam precludere. Scire tamen licet, maius fore ex frigida inspiratione commodum, quàm ex cute densanda incommodum, præsertim cùm operimentis hanc calfacere licet.* Hactenus Galenus, ex cuius præclara doctrina, totam in hoc quæstiõ controuersiam euanescere putamus.

Verùm affinis subsequitur disceptatio: *Vtrùm febrientibus aër humidus sit saluberrimus?* Si enim febris est passio calida, & sicca, aër contrariis qualitatibus debet esse illi aduersus. Hoc modo victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, 1. *Aph.* 16. Aër enim humidus febrientium corpora, suapte natura resolutioni paratissima contemperat, furibundos spiritus, eorúmque irrequietos motus, & humorum acrium ebullitionem lentore suo coërcet, totius corporis habitus extenuationem remoratur, & ab exiccatione futura mirandum in modum præseruat.

Contrà facit grauissima senis auctoritas, *lib.* 3. *Aph.* 15. dum sic ait: *Ex anni autem constitutionibus, in vniuersum siccitates imbribus sunt salubriores, & minùs mortiferæ.* Quare aër humidus cutem emollit, corpus humectat, excrementis obnoxium reddit, pigrum & iners facit, & auget putrefactionem, monente sic Galeno *in com. Siccitates imbribus anteponit, nec sine ratione: nam in siccitatibus superfluæ humiditates digeruntur; per imbres autem intra corpus collectæ, putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exterius expurget.* Dic. Cùm animalium, ac hominis vita, calido & humido constet, seruatur innatum humidum humido aëre, & à sicco resiccatur, dissipatúrque; humiditas tamen aëris putredini obnoxia est magis, quàm siccitas. Est ergo tuendæ, ac producendæ vitæ humiditas aptior, seruandæ verò sanitati commodior in vniuersum siccitas: Verumtamen in febribus curandis, humiditas summè confert, ob causas dictas.

Ex iis consurgit non ignobilis disceptatio: *Vtrùm aër in febribus ita possit parari humidus, vt non semper exiccet?* Nam si hoc verum est, cur humidum pro curatione febrium exoptamus, aut paramus? Illud tamen à Galeno admittitur, *lib.* 7. *Aph.* 59. quo loco concludit animalia hyemis tempore in terræ latibulis delitescentia, nihil, aut parum resolui, quia internus calor temporis frigiditate robustior est factus, & in aëre non versantur; hic enim nos ambiens, ea quæ sunt in corpore extenuat, atque in vapores resoluit: Quare apud Auicennam 2. 1. *doct.* 2. *c.* 3.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 575 sur 927

©BIUM

& 3. 1. doct. 3. cap. 3. mortis causa esse censetur, quia exiccat.

Contraria tamen sententia pluribus verior videtur, & plurimis Galeni auctoritatibus firmatur. Hic enim lib. art. med. cap. 85. aërem aliquando humectare, interdum exiccare, prout variè alteratur, asseuerat: repetit 1. de sanit. tuend. cap. 3. & 1. epid. sect. 2. com. 7. aërem humidum non modò non remouere à corpore quicquam, sed adiicere confirmat. Deinde 2. crisi. 3. ipsum ita humectare corpora nostra, vt per hyemem pituita augeatur, corpore humectato, & refrigerato. Insuper 3. Aph. 5. plurimos effectus aëri concedit austrino, nempe auditus hebetudinem, visus caliginem, capitis grauedinem, quæ opera citra humiditatis augmentum fieri nequeunt. Deinde pluuius aër vsque adeò auget humores in corpore, vt scripserit Galenus 3. Aph. 15. per id tempus egere corpus abundantiore exercitio, & purgatione.

Dic. Aër ambiens nos semper exiccat, ac resoluit. Patet: Si aliquis aër non exiccaret, esset qui frigidus est. Sed aëris frigiditas nequit eò peruenire, vt non resoluat; quare citato loco Auicenna dicebat: *Aër in omnibus resoluit dispositionibus, propter virtutem Solis, & stellarum.* Addenda est alia ratio. Aër quantumuis humidus, nostram substantiam difflando dissipat, vt lucerna in humido loco contenta, non solùm à proprio calore resoluitur, sed aëris motu & ventilatione, illius substantia disgregatur, ac resoluitur. Si verò Galenus, & Auicenna loc. cit. humidum aërem humectare, & corpori aliquid adiicere asseuerant, de humiditate excrementitia sunt intelligendi, quæ substantiæ nostræ difflationem non prohibet, sed minuit.

Agendum deinceps de odore est, vestigandúmque. *Vtrùm aër rebus odoratis refrigeretur?* Galenus enim 10. meth. cap. 8. cùm documenta tradit, quomodo aër pro curatione febrientium sit parandus frigidus, præter varia ingenia quibus hoc opus machinatur, etiam rosas plurimas per humum fundit: Cui dogmati nequaquam assentietur, qui odorata omnia calida esse, cum Galeno 4 simpl. 22. sibi persuadet. Hoc placitum ipse etiam confirmat lib. 2. de alim. facult. cap. 15. vbi de fructu iuniperi verba faciens, sic ait: *Perspicuum igitur est, quòd calefacit quidem, tum propter acrimoniam, tum etiam maximè propter odorem, ac gustum aromatibus adsimiles; omne enim odorum calidum est.* Et Aristot. lib. 10. probl. 10. odorem omnino à calore effici scriptum reliquit: cui sententiæ subscribit Theophrastus lib. 1. de caus. plantar. cap. 27. odorata proculdubio caliditatem sortiri asseuerans. Et idem Arist. loc. præcitato, petens, cur omnia odorata, tam semina, quàm plantæ vrinam ciere possint, respondet, quia illa calida, & tenuia sunt; & quæ talia sunt, vrinam citant.

Dic cum Auicenna 2. canon. tract. 1. cap. 3. non omnia odorata esse calida, sed aliqua frigida: sicut enim reperiuntur aromata redolentia calida, ex Gal. 5. Aph. 28. & 2. alim. cap. de iunipero, sic res frigidæ, suauiter olent, vt Rosa, Viola, Nenuphar, aliáque pleraque, 1. 4. tract. 2. cap. 10. Aliter namque odore Rosarum cerebrum non iuuaretur, quum à Solis exustione laborat, vt lib. de instrum. odoratus, cap. 4 & 6. Galenus scripsit: Et lib. 13. meth. 21. cùm iubet odores naribus obiicere, ad cerebrum, quod in phrenitide summopere incaluit, refrigerandum, non de aliis, quàm de frigidis intellexit; hi namque sunt, & non calidi, qui sopire, & caput refrigerare queunt: in quibus licèt euaporatio à calore fiat, & ratione principij effectiui calida sit, ratione tamen materiæ semper frigida est, quia in ea partes frigidæ reliquas superant, sicuti & in ipsa materia ex qua eleuatur.

In hunc sensum idem Galenus lib. 2. de simpl. medicam. facult. cap. 3. Odorata, non esse in vniuersum calida asseruit, dum sic ait: *Nec enim quicquid bene redolet, calidum est, nec siquid calidum est, statim bene olet, quod multarum rerum exemplis coomprobatur: nam rosa, viola, aliáque pleraque bene olent, & tamen frigiditatem præ se ferunt.* Insuper opium odore probatur, vt firmant Dioscorides lib. 4. cap. 55. Plinius lib. 20. cap. 18. in fin. quod tamen frigoris vehementia enecare, omnibus compertum esse reor. Rursus. Quando Galenus lib. 3. de loc. affect. cap. 9. odores calidos, vt thuris, & styracis, capitis dolorem efficere pronunciauit, insinuat clarissimè aliquos frigidos esse, nam calidi aduersus frigidos dicti sunt. Hoc modo est explanandus Aristoteles 3. probl. 13. cùm ait, odorem omnem caput tentare: nam id de calido est intelligendum; frigidus namque odor tantùm abest, vt caput grauet, vt eius grauitati medeatur, dummodò à frigore orta non sit. Sunt igitur ex odoribus calidi quidam, alij frigidi, quibus suauiter debet redolere domus, in qua febrientes habitare debent. Num verò hi sint, vel illi, cognoscere docuit Auicenna lib. 2. tract. & cap. suprà citatis, eleganter.

Vt autem iam receptui canamus, addamus & aliam controuersiam: *Vtrùm domus febrientium refrigeranda sit lentisci ramis?* Hoc enim ingenio domum infrigidare, 10. meth. 8. consuluit Galenus, §. *Aut lentisci ramis:* quod præceptum videtur inutile, cùm lentisci germina calida sint, ex Auic. 2. canon. cap. 451. Dic. Fieri potest, vt medicamentum, quod in se totum inclinat ad calidum, emittat ex se auram subfrigidam; sicut lini semen demittit in aquam refrigerantem succum, apud Galenum 6. de sanit. tuend. cap. 14. cùm calidum sit in primo, ex ipso 7. simpl. cap. prop. non enim vniuersum medicamentum abit in vaporem, vel in succum. Quare rami lentisci, etsi calidi, refrigerant.

CAPVT II.

De decubitu febricitantium.

DE commoda ægrorum habitatione, munditie, præparanda domo, & lecto, pulchra protulimus lib. 3. Hist. Princip. Medic. in com. Hist. 34. nunc de decubitu agendum; quærendúmque: *Verùm febrientes in latus debeant decumbere?* Hippocrates sic prædixit, lib. 1. prognost. text. 13. *Cubantem offendi ægrum à Medico oportet, in latus dextrum, aut sinistrum.* Quod lib. de Coacis prænot. similiter scripserat, inquiens: *Decubitus in latus, optimus est, velut sanis solitus fuit.* Hinc Galenus lib. de mot. muscul. cap. 4. ex Hippocratis opinione, decubitum in alterum latus laudat. Nam sic iacere, robur indicat virtutis animalis corpus firmantis, ac per musculos gubernantis.

Etsi enim decumbens homo super vno laterum, consistere, ac quiescere ad sensum videatur, cùm ipse eodem semper loco persistat, ac maneat, reuera tamen non omnino quiescit, sed operantibus musculis, rectricéque facultate corporis molem erigente, ac subleuante, tacito quodam motu agitatur, atque mouetur, quemadmodum Galenus lib. de rigore, trem. & palpit. cap. 4. manifestissimis exemplis demonstrauit, vbi de decubitu supra latus loquens, inquit: *Cognosces autem quanta actio huiusmodi cubationibus inest, si mortuum corpus sic collocaueris, nec enim minimo tempore manebit, sed supinum, aut pronum statim fiet, quocunque grauitate verget.* Respondet his vltimis verbis, in quam partem, pronam videlicet, vel supinam, defunctum corpus in latus collocatum conuertatur, dicens in illam potiùs verti, in quam maior irrepserit grauitas.

Ex his constat, corpus in latus decumbens, non posse eo loco vel tantillum persistere, aut in illa figura manere, nisi alicuius virtutis opera, ibidem illud manere facientis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 576 sur 927

facientis, quia ea ablata virtute, protinus ſupinum, aut pronum vertitur, ab inſita grauitate tractum. Hic ergo in latus decubitus, laudari debet, quia animalem facultatem robuſtam eſſe oſtendit, quandoquidem corporis molem in latus voluere, eandémque in illo continere, ac ſeruare, ne decidat, potens eſt.

Non immeritò Hippocrates, hunc in febrientibus, aliiſque morbis vexatis laudauit accubitum, quia plurima naturæ commoda corporibus ſanis, pariter & ægris, ex eo comparantur. Vnum quippe, facilior tranſitus, atque permeatio deuorati iam cibi, ab ore ventriculi ad eius fundum, in quo, teſte Galeno 5. *de loc. cap.* 5. concoctio perficitur. Alterum eſt, caloris ventriculi augmentum ex iecinoris complexu, quò alteratrix facultas robuſtior reddita, alimentum feliciùs concoquat; quod contingit, cùm homo in latus ſiniſtrum decubuerit. Hinc Celſus *lib.* 2. *cap.* 3 referens hæc Hippocratis verba, dixit: *Non periclitari ægrum, ſi in latus dextrum, aut ſiniſtrum procubuerit.*

Sequitur, vt inueſtigemus: *Vtrùm febrientes ſuper latus dextrum, vel ſiniſtrum debeant decumbere?* Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 9. & 13. 3. *tract.* 3. *cap.* 5. ſuper dextrum latus inchoare ſomnum, deinde verò corpus voluere, & ſupra ſiniſtrum redormire conſuluit. Ex hac doctrina patet, non eſſe aſſentiendum Theophraſto, qui, vt Plinius refert *lib.* 28. *cap.* 4. celeriùs alimentum in dextri lateris, quàm ſiniſtri decubitu concoqui aſſeruit. Auicennæ enim conſilium ſummopere probo, quia elaborato iam in ventriculo alimento, eius ad inteſtina opportunior fit exitus, & diſtributio. Ob hanc cauſam Ariſtoteles 6. *probl.* 7. ſcripſit iucundius eſſe ſuper dextrum latus obdormiſcere, quia dextra pars, quæ omnis motionis principium exiſtit, diurno labore fatigata, magis quieſcit, nec pendet, nec mouetur; vel quia ita decumbenti, dexter oculus occluditur, nec à lumine percutitur, ob idque otio perfruitur, quia in videndo, non ſecus quàm dextra alia, in ſuis quibuſque functionibus, magis fuit fatigatus: & antequàm alimentum aſſumptum in ventriculi fundo figatur, noxium eſt, corpus in ſiniſtrum vertere, quoniam alimentum in ventriculi os, quod teſte Galeno 4. *de vſu part.* 2. in læuam partem vergit, & ſenſu exquiſitiſſimo præditum eſt, facilè delabitur, vnde turbatio, ſomni interruptio, nauſeæ, & vomitus ſæpe contingunt; quo fit vt iis, qui medicamentum purgans aſſumpſerunt, decubitus in latus ſiniſtrum interdicatur.

De decubitu verò ſupino dubitabis vltimò: *Vtrùm in febrientibus reprobetur?* Hippocrates ſic ait, 1. *progn.* 14. *Supinum verò cubare, minùs bonum eſt.* Subſcribit Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 42. Hic enim decubitus, imbecillitatem regentis corpus facultatis, aut firmantis illud per muſculos, quæ non poſſit, vt conſueuerat, corporis molem ſupra latus firmare, ſignificat; quare imbellis adeò natura morbo reſiſtere non poteſt. Hic enim decubitus in febribus, à bile præſertim exortis, vel exhauſtas vires inſinuat, quæ corpus ſupra latus cubando ſuſtinere nequeunt, vel eædem ſupino hoc decubitu, à laborioſis motionibus, & iactationibus, quas ipſæ per febris malignitatem, aut vehementiam ſunt perpeſſæ, otium efflagitant; quemadmodum ingenti labore laceſſiti, vel longo itinere defatigati, eum ſitum eligunt, quoniam tunc muſculi, qui corporis ſuſtinent molem, otiantur, ac cuncti (reſpiratoriis exceptis) planè ceſſant, membráque reliqua in dorſalem ſpinam, vtpote imam, atque grauiſſimam, ceu in nauis carinam procumbunt.

Deinde ex hoc decubitu plura damna contingunt; nam à capite in thoracem fluxiones, & humores ad renes promptiùs decumbunt, qui etiam immodicè ex eo ſitu caleſcunt. Quare nephriticis, aſthmaticis, & iis qui diſtillationibus obnoxij ſunt, plurimùm nocet: & ſanitati eſt maximè aduerſus, ex eo enim periculoſiſſimi morbi conſurgunt, vt 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 9. ſic prædixit Auicenna: *Supinè autem dormire, eſt malum, & ad multas præparans ægritudines, ſcilicet Apoplexiam, Paralyſim, & incubuin, quoniam ſuperfluitates ad poſteriora declinare facit; quare retinentur, nec per ſuos incedunt canales, qui in partibus ſunt anterioribus, ſicut nares, & palatum.* Idem protulit priùs Galenus *lib. de inſt. odorat. in fin.* & 5. *de loc. cap.* 4. dicens, à decubitu ſupino nullum auxilium ſperari, quò faciliùs ad infernas partes ferantur alimenta.

Deinde quærendum: *Vtrùm ſupinus decubitus in febrientibus ſemper ſit lethalis?* Dic, non eſſe perpetuò exitialem: ſi enim eueniat ob ignauiam, ebrietatem, aut ſomni profundi occaſionem, cum ſtertore, vt 2. *de motu muſculor. cap.* 4. prædixit Galenus, non ſemper mortem portendit. Adde quòd craſſorum, & frigidorum humorum copiam, qui in viſceribus pertinaciter deliteſcunt, attenuat: nam hæc quoque, auctore Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 4. ſupini decubitus cauſa, eſt abſque periculo mortis. Supinus ergo decubitus, omnibus aliis affectionibus, & partibus noxius eſt, præterquàm oculis, quibus, vt auctor eſt Plinius *lib.* 28. *cap.* 4. conducit, idque fluxus in eos illabentis, auertendi cauſa.

Sed adhuc dubitandum, de decubitu prono: *Vtrùm in febribus reprobus ſit?* Dic, in morbis acutis ſemper peſſimum eſſe: motricem enim animalem facultatem, impotentem, ac adeò collapſam eſſe ſignificat, vt corporis molem erigere, nec ſuper latus continere poſſit, quoniam ventrem, ac thoracem per inſpirationem in ſublime eleuando, vel non ſatisfacit febri, vnde reſpirandi neceſſitas adaugetur, & incenſus calor non ſatis ventilatus, magis ac magis intenditur; vel frequenti illo, ac difficili thoracis aſcenſu, vires alioqui languidas plus fatigat, atque proſternit, quàm rectus, aut quiuis alius iacendi modus.

Vltima dubitatio: *Vtrùm decliuis decubitus in febribus, vt peſſimus condemnandus?* Reſpondet Hippocrates *lib.* 1. *progn.* 15. in hunc modum: *Si verò procliuior eſt, ac deorſum delabitur ſubinde ad pedes, maiori cum periculo eſt.* Summam enim eſſe debilitatem facultatis corpus ſuſtinentis præoſtendit, & hoc ſymptoma peſſimum eſt, & ſolùm in demortuis, vel proximè morituris conſpicitur, vt *lib. de rigore, cap.* 4. eleganter Galenus edocuit. *Ego itaque ne decumbentem quidem hominem, ſi caput quidem ſublimius habet, pedes autem humiliores, citra motum omnino eſſe dixerim: ſublabitur enim facilè ad pedes ex ſublimiori in decliue vergens, niſi motu contrario huic renitatur. Hoc autem & Hippocrates aſſerebat, Si verò præceps agitur, & à lecto in pedes delabitur, grauius periculum minatur. Nam ad pedes ſublabi decumbentem, virtutis extremè imbecillis nota eſt firmiſſima. Stare etenim, aut ſedere, aut ſurgere non poſſe, graue quidem, ſed minùs graue periculum innuit: quippe cùm plurimi ægrotantes ad hæc deueniant, deſinántque ad extremam nondum imbecillitatem delapſi. At cubare non poſſe viuentis ritu, ſed hîc quoque veluti mortuum, & inanimatum corpus deorſum deferri, extremum malum fatetur Hippocrates.*

CAPVT III.

De regimine febricitantium.

AVicenna, auctor ſanè grauiſſimus, & qui doctrinam Galeni de febribus, per varia monumenta diſperſam, in vnum volumen ſatis fermentatum, & vtile congeſſit, *ſen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. plurima documenta propoſuit circa regimen febricitantium in generali, quæ vt huic capiti inſeramus, & explicemus, eſt neceſſe: nam ad omnis generis febres curandas conferunt apprimè.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 577 sur 927

©BIUM

Quare dubitemus: *Vtrùm præscribere victum vnicuique febri accommodum, sit difficile*? Affirmatiuè respondet Galenus 11. *meth.* 15. Ratio est, quia victus non sine notabili errore institui potest, nisi prægnoscatur futura morbi duratio, 1. *crisi.* 3. & *lib. cit. meth.* 13. Medicus enim ineptè victum præscribet, futurum statum non prægnoscens, & nisi ad illum respiciens victus modum ab initio adhibuerit, fieri non potest, quin aliquod malum afferat ægrotanti. Prægnitio autem status, & durationis morbi, difficillima est. Quanta verò ex tenuitate victus vtilitas comparetur, *lib. de attenuante victus ratione, cap.* 1. docuit Galenus.

Vt verò hanc doctrinam percipias intimiùs, aduerte victum ita distingui, *lib. de veteri medicina*, vt plenus siue crassus dicatur, quod comeditur; tenuis, quod sorbetur; tenuissimus, quod potatur; tenuissimus in extremo, omnimoda abstinentia. Sed exactiùs fortè Galenus 1. *Aph.* 4. & Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. illum sequutus, determinat victum plenum esse eum, qui reddit vires robustiores, quàm antea erant, qualis est victus sanorum. Victum modicum esse illum, qui vires conseruat, non auget; tenuem esse eum qui conseruat, sed debilitat, hoc est illas moderatè debilitatas conseruat: quam victus diuisionem significauit, 3. *acut.* 17. Præterea victus tenuis subdiuiditur in differentias tres, in simplicem tenuem, qualis est cremor ptissanæ; in tenuissimum, qualis est mulsa, vel syrupus, 2. *de fract.* 29. & in tenuissimum in extremo, quod est nihil sumere, vel aliquid de melicrato exhibere.

Morborum differentiæ, iuxta quas victus variari debet, sunt sex. Prima, morbus chronicus, qui vltra quadragesimum diem extenditur. Secunda, acutus ex decidentia, qui vsque ad quadragesimum. Tertia, simpliciter acutus, qui vsque ad vigesimum. Quarta, exactè peracutus, qui vsque ad decimum quartum, de quo loquitur Hippocrates 2. *Aph.* 23. dicens: *Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.* Quinta, peracutus simpliciter, qui vsque ad septimum. Sexta, exactè peracutus, qui vsque ad quartum protrahitur. In morbo itaque exactè peracuto, conuenit victus extremè tenuissimus: in peracuto simpliciter, tenuissimus: in exactè acuto, tenuis: in aliis modicus; rarissimè autem plenus, nî morbos excipias ex consumptione subortos, in quibus ad restaurandas vires, indicatione sumpta ab ipso morbo, plenè, & copiosè nutrire cogimur.

Si autem adhuc pergas inquirere: *Vtrùm febrientes minùs sint cibandi sanis*? Dic, in his aliter victum institui, quibus vtplurimùm victus plenus conuenit, rarò victus modicus, nunquam victus tenuis: quia vires habent valentes, & ob hanc causam victum plenum conficere possunt. Febrientes autem, & ægri prauè concoquunt, 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 9. Quare non est diuertenda natura à coctione. Præterea impura corpora quo magis nutriuntur, magis læduntur, 2. *Aph.* 10.

Obiicies primò. In nulla ægritudine victus tenuis conuenit, hic enim vires minuit, & morbus vsque ad statum augetur, 2. *Aph.* 29. Quare virtus, processu morbi ampliùs debilitata, ob victus tenuitatem, minùs poterit superare morbum, quàm in principio: in hoc autem non potuit vincere morbum. Ergo multo minùs in statu poterit superare.

Solue dupliciter. Primò. Ratio bene concluderet, si causa morbi in statu esset tanta & qualis, quanta & qualis est in principio, quod non conceditur: nam humor in statu in minori copia fatigat, & est magis concoctus, quare fit, vt licèt in statu vires debiliores appareant, & morbus maior, quàm in principio, attamen natura magis potest deuincere, & causam morbi excernere, quàm antè. Præterea processu morbi, solùm debilitatur facultas animalis; naturalis autem, à qua expectatur victoria morbi, robustior est in statu, quàm in præcedentibus temporibus morbi, ex Galeno 2. *Aph.* 29. dum sic ait: *Morbo autem consistente, cùm iam naturæ concoxit, superfluum est vacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte, eo tempore est defatigata, licèt duæ aliæ, vitalis scilicet, & naturalis maximè fortes persistant.* Solue secundò. In statu plus potest virtus, (etsi sit debilior) ob antecedentem moram agendi, qua materia disposita est, sicut Sol hora secunda pomeridiana, licèt debilior sit, magis calefacit, quàm meridie.

Obiicies secundo. Saltem si ab initio morbi, virtus est par, vel inferior morbo, non conueniet victus tenuis, quia virtus cum eo minuetur, quare vincetur. Dic. Licèt per victum tenuem, in proposito exemplo debilitentur vires, tamen morbus etiam minuitur, causa illius aliqualiter deuicta, quod ad sanationem ægri est vtile valde, qui ex magnitudine morbi, & malitia causæ, maximo periculo erat expositus.

Vtrùm autem *victus in extremo tenuissimus, febrientibus, & aliis ægris consulendus*? incertum est. Hippocrates vtique sic putat, 1. *Aph.* 7. dicens: *Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est.* Subscribit Galenus *in com. In quibus verò, morbi vigor statim futurus est, hoc est, in primis quatuor diebus, in iis possumus victu extremè tenuissimo vti.* Idem affirmat 4. *acut.* 44. docens sorbitionem esse concedendam post septimum, vel nonum diem, ante quos nullum alimentum esse offerendum asseuerat. Sed plurimi morbi iudicantur ante septimum, vel in ipso septimo, vt morbi extremè peracuti, & peracuti simpliciter. Ergo in his morbis victus exactè tenuissimus, vtilis est. Deinde, Hippocrates simul cum Galeno, *lib.* 4. *acut.* 47. vsque ad maturationem morbi, non esse exhibendum cibum confirmant. Sed maturatio morbi est status. Ergo ante statum non est concedendus victus: Hic enim in morbis materialibus non offertur, nisi ad restaurandas vires. Sed hæc citra cibũ vsque ad statũ possunt perseuerare. Ergo, &c.

Pro parte contraria, fortissimæ vigent rationes, quæ in nullo morbo, integram cibi abstinentiam admittunt: Nam 6. *epid. sect.* 3. *text.* 26. Hippocrates magnas, & repentinas vacuationes summopere cauet. Sed aduenientе morbo, nihil de cibo exhibere, vsque ad statum, est magna & repẽtina mutatio, quam natura citra noxam tolerare nequit, 2. *Aph.* 51. quia tempore sanitatis sumebatur alimentum, sine intermissione vlla. Ergo victus exactè tenuissimus, nunquam est præscribendus. Accedit quòd in morbis extremè peracutis, vires eximiè resoluuntur, ob vehementem pugnam, & fortissima symptomata, quibus necesse est, vt reluctentur vires, quæ si denegato alimento debiles reddantur, morbo succumbent. Præterea in febribus pestilentibus, non potest concedi victus exactissimè tenuis, sed ægri ad accipiendum alimentum sunt cogendi, ex Galeno 3. *epid. sect.* 3. *com.* 58. subscribit Auicenna 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 4. Imò 1. *Aph.* 17. cibum concedit in morbis, qui ex humorum corruptione excitantur. Sed morbi pestilentes ferè sunt acuti, & extremos statim habent labores, hoc est, sæuissima symptomata, quæ labores Hippocrates solet nuncupare. Ergo in omnibus morbis extremè peracutis, victus exactè tenuissimus non est præscribendus: nunquam enim est deferenda virtus propter morbum, cùm præcipua Medici intentio in virtutis custodia consistat, ex Auic. 1. 1. *cap.* 1. §. *Ipse quoque semper sis solicitus de virtute. &c.* & priùs prædixit Galenus 9. *meth. cap.* 13. §. *Prima igitur omnium indicatio est, quæ à virtute desumitur, &c.* Deinde Galenus 2. *acut.* 20. sic ait: *Illa quæ lædunt sanos, magis lædunt ægros. Sed tenuissimus victus lædit sanos. Ergo ægris non est concedendus, cùm illorum vires magis prosternat.*

Quæstionem solue hoc modo. In morbis exactè peracutis, victus exactè tenuissimus constante virtute potest cõcedi ob rationes dictas. Argumenta verò sic sunt soluenda. Dic ad primũ. Præceptum illud Hippocraticum, [*repentinæ vacuationes cauendæ*] intelligendum est de euacua-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 578 sur 927

euacuationibus ſubitis, quales ſunt ſanguinis miſſio, & purgatio: At verò inedia non euacuat ſubitò, ſed paulatim. Solue ſecundò. Magnæ, & ſubitæ vacuationes celebrandæ non ſunt, niſi vtilitas maior ſit quàm noxa: hoc modo exercemus ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium, quæ licèt vires aliquantiſper eneruet, tamen demendo ſarcinam, naturam ſummoperè leuat.

Solue tertiò, Galenum eſſe intelligendum in regimine ſanitatis; in curatione autem morborum, ſi neceſſitas vrgeat, repentè alterare, & euacuare multoties licet, & cibum exquiſitè tenuem præſcribere. Deinde ſi vires fortes ſunt, ſymptomatum vehementiam facilè tolerabunt, quæ non ex debilitate eſſentiali, ſed ab ea quæ per aggrauationem dicitur, emanant, ex Hip. & Galeno 2.*acut.* 48. quæ à multitudine materiæ ortum ducit; qua præſente, ſi victum tenuiſſimum præſcribas, non errabis: cuius ope humor exiſtens in corpore facilè abſumitur; non enim diſtrahitur natura, & de morbifica cauſa ſuperanda ſemper eſt intenta. Inſuper in morbis peſtilentibus virium robur non adeſt, & iccirco victus tenuiſſimus non conceditur, ob debilitatem præſentem, vel futuram, qua imminente præſtat robur virtutis adaugere, cùm Medicus de illius firmitudine ſemper ſit ſolicitus. Ad vltimam verò Gal. auctoritatem ſic reſponde, non omnia nocere ægris, quæ lædunt ſanos: nam medicamenta purgantia nocent ſanis, 2. *Aph.* 36. & 4. *eiuſdem*, 10. & proſunt ægris, quod ſimiliter de tenuiſſimo victu eſt affirmandum.

Verùm etſi hæc doctrina ſit veriſſima, noſtris tamen temporibus tutius eſt in omni morbo acuto, licèt intra quartum diem finiendo, aliquid cibi exhibere: homines enim noſtro æuo debiliores ſunt, & magis gulæ indulgent, quàm tempore Hippocratis, & conſuetudini aliquid eſt tribuendum. Deinde neſcimus certò quantum virtus conſtet, nec quanto tempore conſeruari poſſit abſque cibo: quamobrem verendum eſt, ne vires labantur omnino, & ob hanc cauſam conuenit ante ſtatum, alimentum offerre, præcipuè in regione calida, habitu raro, & illis qui frequenter cibum aſſumere ſunt aſſueti; in his enim, ſi ante ſtatum alimentum non offeras, vires fatiſcent. Vltimò, vtile eſt ante ſtatum alimentum propinare, ne ſi fortè mors alia de cauſa contingat, nobis poſſit adſcribi, omnimodam inediam imperantibus, ex qua virium exolutio ſæpe contingit.

Illud etiam circa victum febricitantium conſiderandum eſt dubium: *Vtrùm concurrentibus duabus indicationibus, virium, & morbi, dignitas virium maxima ſit habenda?* Indicatio virium, victus exhibitionem præſcribit, 1.*acut.* 44. & 10.*meth.* 5. & 1. *Aph.* 4. morbi autem indicatio, potiùs abſtinentiam victus demonſtrat, vt pluribus in locis confirmat Galenus, quæ ex profeſſo recitauimus *lib.* 3. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.* 11. His igitur duabus indicationibus, in aliquo ægro concurrentibus, indicatio quæ ſumitur à viribus, omnium potentiſſima eſt; ab illis enim potiſſimùm indicatio ſumitur, ſecundo loco, ab ipſo morbo, 9.*meth.* 13. & proinde, vt docet 1.*Aph.* 9. in ſtatu morbi, concurrente aliquo ſymptomate debilitante vires, cogimur alimentum exhibere, & vt Auic. notauit, 1.4. *tract.* 2. *cap.* 8. cùm timetur caſus virtutis, tunc melius eſt ægrum nutrire, tunc enim propter indicationem virtutis, contra indicationem morbi, alimentum conceditur.

Obiicies primò. Galenus 8.*meth. vlt. in fine*, indicationem quæ à morbo ſumitur, omnibus aliis præferendam docet, ſic enim ait: *Quippe quæ à febri deſumitur indicatio, ea reliquis magnitudine, quæ ex dignitate, aut poteſtate, aut quomodocunque appellaſſe libet, ſpectatur, vtique ſuperior eſt, potiſſimùm ſi longè à natura receſſit: ſiquidem & quia febris plus cæteris omnibus ſolicitos nos habet, & quia, præterquam quòd febris eſt, etiam magnitudo illi notabilis acceſſit, iccirco contrarias indicationes inducit, atque obumbrat, &c.* Dic, Galenum *ibi* non agere, de indicatione virium, hæc enim locum non habet in febribus diariis, de quibus ſolùm loquitur.

Obiicies ſecundò. Hippocrates, & Galenus 1.*Aph.* 7. & 10. ægrum in ſtatu morbi tenuiſſimè nutriendum eſſe aſſeuerant, liberaliùs verò ante ſtatum. Igitur in ſtatu morbi, vires liberaliores ſunt, & morbus maior quàm in principio, & tamen tunc Hippocrates, & Galenus docent minùs de cibo exhibendum eſſe, in principio verò plus. Ergo videtur, quòd morbi maiorem curam gerant, quàm virium. Dic, non commendari illum ordinem cibandi, quaſi morbi indicatio præpolleat virium indicationi, ſed quia eo modo commodè ſubuenit vtrique, ſcilicet morbo, & viribus, ſine notabili læſione vtriuſque.

Obiicies tertiò. Apud Hip. 2.*acut.* 37. in victu ægrorum maior error eſt, qui fit per craſſitiem, quàm per tenuitatem, cùm tamen qui fit per craſſitiem, ſit contra indicationem morbi, qui verò fit per tenuitatem, ſit contra indicationem virium. Dic. Licèt qui per tenuitatem, contra indicationem virium peccans, leuiùs peccet, id contingit, quia ſtatim poteſt alimentorum ope ſubueniri errori per tenuitatem; quòd ſi error per tenuitatem longo tempore duraret, maior eſſet quàm error per craſſitiem. In victu itaque ægrotantium, maior & potentior indicatio eſt, quæ ſumitur à viribus, quàm quæ à morbo. Num autem virtus, an morbus victum indicet, lege *lib.* 3. *Hiſtor. Princip. Med. in com Hiſt.* 11.

De quantitate, qualitate, & tempore alimenti exhibendi in febrientibus, ſequentibus capitibus diſceptabimus, nunc de difficili quæſtione agendum: *Vtrùm præſente febre, ad ſuſtinendam inediam, temperamentum frigidum & humidum ſit aptiſſimum?* Auicenna 1.4. *tract.* 2. *cap.* 8. §. *Et ſunt de hominibus, &c.* docuit aliquas eſſe naturas, ad ſuſtinendam inediam ineptiſſimas, in quibus etiam præſente febre, non oportet vti exquiſita tenuitate victus, ab hac enim maximè lædiuntur. Aliquæ tamen ex intemperatis naturis, non modò non lædiuntur præſente febre, ſed maximè iuuantur, de quibus meminit Gal. 8.*meth.* 8. quo in loco inter intemperatas complexiones primum locum concedit frigidæ humidæ; ſecundum, humidæ tantùm; tertium, frigidæ tantùm; quartum, frigidæ ſiccæ, & hanc vltimam aſſerit ex inedia maximè lædi: Quod non intelligatur ſimpliciter, ſed ad dictas intemperatas collatione facta; ſiquidem reparatio ſubſtantiæ deperditæ, potiſſimùm perficitur calido humido, quæ in citato temperamento maximè deficiunt. Tandem docet Auicenna, temperamentum ſiccum tantùm ex longa inedia magis gracileſcere, ſed faciliùs refici quàm frigidum ſiccum.

Verùm contra hanc doctrinam obiicies primò. Temperamentum humidum tantùm, minùs fert inediam, quàm ſiccum tantùm, quia corpora humida, magis, & citiùs reſoluuntur ſiccis, ex Gal. 1. *Aph.* 14. ac proinde citiùs, ac magis ex inedia ledi debent. Secundò obiicies, ex 1.*Aph.* 13. Pueri minùs ferunt inediam, quàm iuuenes, quod etiam docet Auicenna 1.4. *tract.* 2. *cap.* 8. qui tamen ſolùm diſtinguuntur, quia iuuenes ſicci ſunt, pueri verò humidi, in calore verò partes, 2. *temp.* 7. aut ſaltem iuuenis qualitate, & intenſione eſt puero calidior. Obiicies tertiò. Qui frequenter ieiunio vtuntur, etſi temperamento ſicci, longas inedias facilè ferunt.

Dic. Ieiunio, & contemplationi deditos, qui ex longa meditatione, ſiccum temperamentum contraxerunt, vltra rationem talis temperamenti, alias potiores cauſas habere, quare ieiunium facilè ferant, ſcilicet quia otioſi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 579 sur 927

©BIUM

otiosi sunt, & parum exercentur, ex quo fit, vt parum A resoluantur; tum etiam quòd ratione contemplationis, cui valde sunt adstricti, in iis facultas naturalis à suo opere distrahitur; tum etiam quia abundant crudis succis, qui paulatim concocti, tandem corpus nutriunt: deinde parsimoniæ sunt assueti, & per rara interualla cibum assumunt.

Alias verò rationes sic extrica: In humidis enim plus humorum crudorum aceruari, quàm in siccis, proinde illos magis inediam ferre, quia non exhibito alimento illis humoribus crudis nutriuntur, quos in sanguinem conuertunt, vt 2.*acut.*30. docuit Galenus. Ad Hippocratem 1.*Aph.*13. Respondet, eum eo loco agere de facilitate sustinendi inediam, penes varietatem ætatis? Galenum verò 8.*meth. cit.* penes varietatem tem- B peramentorum, supposito quòd ætas sit par, quorum non est eadem ratio: Nam pueri licèt sola humiditate differant à iuuenibus, ob magnam resolutionem, quam patiuntur, ob nimiam membrorum humiditatem, & mollitiem, difficiliùs inediam ferunt, quàm iuuenes: quod non similiter contingit in temperamento humido, & sicco, supposita eadem ætate: Licèt enim humidum, carnem habeat molliorem, & ad resolutionem magis paratam, quàm siccum, tamen hæc varietas mollitiei carnis, & promptitudinis ad resolutionem, non est tanta inter nominata temperamenta, ac inter pueritiam, & iuuentutem; & plus potest ad magis ferendam inediam in humidis abundantia humorum crudorum, quibus scatent, quàm in siccis maior durities membro- C rum resolutioni renitens. Quæ licèt probabiliter dicta sint, tamen videtur eandem rationem militare in vtriusque, nempe in ætatibus, & intemperamentis, quia, vt Galenus 4.*de articul.*25. docuit, quæ Hippocrates de vno profert, de aliis etiam omnibus intelligenda sunt, quæ eandem vim sunt sortita, ita vt si aliquid noret de tempore hyberno, id similiter intelligendum sit de ætate, temperamento, regione, & consuetudine, hyemi proportione respondenribus. Quare si pueri difficilùs ferunt inediam, quàm iuuenes, eadem ratione, cæteris paribus id fiet, in temperamento humido proportione respondente pueritiæ, ad iuuentutem collatione facta.

Verùm probabilius existimarem, temperamentum D humidum, ob facilitatem suæ resolutionis, citiùs incurrere famem, quàm siccum, quod ob conniuentiam meatuum, & sui humidi soliditatem tardissimè resoluitur. Neque id negat Galenus 7.*meth.cit.* solùm enim eo loco explicuit, quodnam ex temperamentis à natiua temperie recedentibus, ab inedia minùs lædatur, & iuuetur. In qua consideratione, licèt humidi citiùs famescant, quàm sicci, tamen illi ex inedia maiorem vtilitatem percipiunt, tum quia aduenientе inedia, coquuntur humores crudi, qui in iis magis redundant: tum quia, ex Hip.7. *Aph.* 59. *Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat.* Opposita autem contingunt in siccis: in iis enim redundat bilis, & per inediam ampliùs augetur, quæ E per coctionem, nec in sanguinem verti, nec nos nutrire potest, sicut pituita, 1.*acut.*30.

Præterea inedia corpora siccat, non contemperat, imò exiccando, illorum in temperiem auget. Ex quibus constat, licèt sicci tardiùs incurrant famem, quàm humidi, tamen postquam in illam inciderent, ab inedia magis lædi, & ex ea citiùs incidere in febrem, quæ doctrina Galeni menti est consona valde, 8.*meth.cit.* Neque existimandum est, illam Hippocratico præcepto esse contrariam, 1. *Aph.* 13. cùm enim Hippocrates *ibi* asserat, pueros difficillimè ieiunium ferre, & Galenus *in com.* interpretetur, facilitatem ferendi ieiunium, consistere in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo, difficultatem verò in opposito, docéarque pueros, si non assumpserint alimentum, plus offendi, videtur pueros non modò famem citiùs incurrere, quàm iuuenes, verùm & postquam in illam inciderint, ab ea magis lædi: & idem dicendum est de temperamento humido, ad siccum comparatione facta; in vtrisque enim eadem est ratio.

Quare in proposita difficultate dic: Si loquamur de difficultate incidendi in febrem, ob inediam, (quo pacto loquitur Galenus 8.*meth.cit.*) tunc temperamentum humidum minùs lædi ex inedia, quia ex hac minùs febrit, quàm siccum; & ex diaria febre, si inediam tolerat, minùs transit in febrem plurium dierum, scilicet hecticam, aut humoralem. Si autem loquamur de aliis noxis ieiunij, quales sunt resolutio corporis, & propriæ substantiæ absumptio, tunc dic humidum temperamentum, ob facilitatem suæ resolutionis, ampliùs lædi ab inedia, quàm siccum, sicut & pueritiam collatione facta ad iuuentutem, & temperamentum calidum & humidum, ad calidum siccum: nisi fortè humidum, redundantiam humorum citra corruptelam contraxerit, vt assiduè contrahit, tunc enim non modò non læditur ab inedia, imò ab ea percipit vtilitatem; quod Gal. 8. *meth. cit.* notauit diligenter: quod etiam significauit Auicenna 3.1.*doct.*2.*cap.*7.*post med.* dicens *corpora humida naturali humido, veloci resolutioni apta esse, nec tamdiu ferre famem, quantum sicca, nisi in eorum corporibus, humidum non naturale, nutritioni tamen aptum reperiatur.*

Quòd si quis obiiciat ex Galeno, 2. *de temp.* 9. *Quibus latæ sunt venæ, iis copia sanguinis adest, & hi citra noxam cibo abstinent; qui autem habent venas strictas, contrà.* Atqui priores sunt sanguinei, calidi humidi. Igitur hi citra damnum inediam ferunt, quæ doctrina superiori aduersatur valde. Dic, Galenum *ibi* non conferre varias temperaturas inter se, sed solùm significare in vnoquoque temperamento, quo venæ ampliores sunt, & plus de sanguine habent, eò magis inediam tolerare: alioquî si eo loco, inter varias temperaturas comparatio fieret, sequeretur sanguinem, cùm habeat venas latas, magis inediam ferre, quàm pituitosum, in quo venæ strictæ sunt, quod nemo concedet. Quo autem anni tempore corpora sana, vel ægra inediam faciliùs tolerent, disertè, ní opinione aberro, explicuimus ad mentem Galeni, *lib.* 3. *Histor. Princip. Medic. in com. Hist.*24.

De Regimine particulari Febricitantium.

SVis locis singula agitata sunt, & in examen vocata. De ouis, *lib.*1.*Hist.Princip.Medic.Hist.*59. De piscibus, *lib.*1.*Hist.*28. Carne suilla, *eodem loco.* Saccharo, *lib.* 2.*Hist.*33. Saccharo Rosaceo, *lib.*2.*Hist.*33. Pane, *lib.* 2. *Hist.*32. Pepone, *lib.*1.*Hist.*28. Oleo, *lib.* 3. *de praxi admiranda, obs.* 124. de lentibus, *lib.*2.*Hist.* 2. Denique licèt de Aceto, Sale, Melle, Pomis, Persicis, Granatis, Pyris, Cydoniis, hordeo, & multiplici materia alimentosa, pro curandis febribus, plura protulerimus non indigna scitu, supersunt tamen soluendæ dubitationes duæ: Prima, circa fructus; Secunda, circa Amylum versatur.

Circa primam quærendum: *Vtrùm fructus & olera ante coctionem, Febricitantibus concedi possint?* Auicenna sic inquit, 1.4.*tract.* 2. *cap.*7. *in princip. Et omnes fructus nocent febricitantibus cum ebullitione sua, & corruptione sua in stomacho, &c.* Cauendum ergo docet à febribus, & oleribus, vtrumque enim nomine fructuum intelligit. Fructus horarij fugaces sunt, & reponi non possunt, nisi permutata eorum substantia, praui succi sunt, & pauci, plurimáque recrementitia humiditate abundant, vt constat ex Galeno, *lib.* 2. *de alim.facult.* 2. & qualis est eorum substantia, talis sanguis qui ab eo progignitur, vt idem refert Galenus 2. *de alim.facult.* 6.

Et

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 580 sur 927

©BIUM

Ex fructibus horariis, ſanguis generatur aquoſus,& tenuis, qui in febribus ebullitioni eſt paratiſſimus, & putredini,& citra febrem id efficere poteſt promptiſſimè;cùm enim non ita ſit nutriendis partibus familiaris, ab illis,tanquam inutilis reiicitur,& à regimine naturæ derelictus putreſcit,& febrem incendit:ob quam cauſam,horum fructuum vſus eſt pernicioſus valde,& febribus occaſionem præſtare ſolet, vt proprio experimento probat Gal.*lib.de bonit.& vit.ſuccor.cap.* 1.& 2. *de alim.facult.cap.*2. Superflua enim illa humiditas, in quibuſdam fructibus potiſſimùm ſeparatur poſt primam coctionem,veluti ſunt vua, ficus, mora; in aliis fructibus non ſeparatur, niſi poſt ſecundam coctionem,veluti ſunt melones,cucumeres,citruli, & cucurbitæ; in aliis fructibus exiguum eſt, quod in prima,& ſecunda coctione ſecernitur,ſed remanet vſque ad tertiam coctionem, vt ſunt pyra,cydonia, & mala Perſica. Verùm omnibus fructibus horariis commune eſt, vt periclitentur in prima coctione, ne corrumpantur, niſi celeriter deſcendant, vt Galenus 2. *de alim. facult.* confirmauit: Hæc eſt cauſa cur illis ſal permiſceatur, vt excitata facultate expultrice ventriculi,celeriter deſcendant.

Hæc Auicennæ doctrina,non de omnibus eſt intelligenda: nam mala granata,mala medica,& ceraſa acida multò potiùs ſolent corrigere feruorem, ebullitionem,& putrefactionem ſanguinis, biliſque calorem,& acrimoniam contemperant. Eadem doctrina intelligenda eſt de oleribus, quia omnia ſunt recrementitia, & praui ſucci,vt 2.*de alim.facult.* 40. notauit Galenus, de lactuca,& *lib.*8.*meth.cap.*3.*in med.*Similiter etiam de leguminibus eſt intelligendum.

Ex iis conſtat,quàm iniquè,& contra artis præcepta, in febribus Medici vtantur pro victu tenui, fructibus, tam crudis,quàm aſſis,vel ſaccharo conditis, oleribus, & leguminibus, quoniam etiamſi probè coquantur, cacochymiam augent: qua de cauſa Galenus 2. *de alim.facult.cap.*6. à cibis praui ſucci abſtinendum monet, qui in febricitantibus periculum patiuntur corruptionis. Multò vtilius,& artificioſius eſſet, alio modo febricitantes nutrire; cùm victus tenuis duplex ſit, auctore Galeno 1. *Aph.* 4. quidam qui parum nutrit, veluti ſunt fructus,& olera; alius,qui etiamſi multùm nutriat ſuapte natura, quando exhibetur in parua quantitate, parum nutrit, qui alteri præſtat, cùm nec facilè corrumpatur, nec corpus repleat excrementis, veluti eſt caro pulli,Hepar Gallinæ,aut caponis, extremitates auium,iuſcula Gallinæ, aut pulli, Ptiſſana, aut ſorbitio ex farre colata. Si verò vires reficere præſtat, morbóque aduerſari opus eſt, & prohibere ne cibus putreſcat,in febre biliſoſa,& ſanguinea paranda eſt ſorbitio, ex iure pulli, vel Gallinæ alterato cum hordeo, oxalide,lactuca,endiuia,addito ſucco granatorum, limonum,aut arantiorum. In febre pituitoſa debet propinari ius Gallinæ cum cicerib,Petroſelino, vuis paſſis,Aniſo, radice fœniculi, & Apij. In febre melancholica cum flore Borraginis,vuis paſſis, Aſplenio, radice Borrag. Bugloſ. Solùm tamen voluptatis gratia, ad exexcitandam appetentiam,laxandum ventrem,roborandum ventriculum,fructibus, & oleribus eſt vtendum. Hoc modo Galenus 2.*alim.facult.*2.& 3. ſolùm fructus fugaces, ad caliditatem ventriculi corrigendam, & corporis ſquallorem contemperandum concedit.

Acedamus ad aliam dubitationem: *Vtrùm Amylum febrientibus ſit offerendum*? Verùm vt ad enucleandam quæſtionem pateat aditus,eius inueſtigandum eſt temperamentum. Galenus 1.*de alim. facult.cap.* 9. ipſum temperatum facit, ita vt nec calefaciat, nec refrigeret, panis loti inſtar. Si verò 8.*ſimpl.cap.de tritico*, id frigidum conſtituit, comparatione tritici intellexit, quod calidum eſt in primo. Amylum in paſſiuis ad ſiccum declinat,ex Gal.*cit.ſimpl.* & 4. *ſimpl.* 5. id inter ea quæ citra mordacitatem deſiccant, illud enumerat: repetit 4.*ſec.loc.cap.*1. Ishac *lib. diætar. particul. cap.prop.* inter frigida & ſicca illud reponit,cum Auicenna *lib.* 2. *can. tract.*2.*cap.*6.Neque obſtat eius auctoritas,*cit. loc.* 250. firmantis eſſe humidum: per hoc enim intelligit lentum,& tenax. In hunc ſenſum intelligendus eſt, 1. 3. *tract.*4.*cap.*17.dum humidum eſſe confirmat,ſed oppilatiuum, propter lentorem; qua etiam de cauſa 3. 1. *doct.*2.*c.* 7. confectiones ex amylo cum ſaccharo oppilare aſſeuerat. Neque rectè obiicies, ſi hoc modo argumenteris: Amylum fit ex tritico, quod in paſſiuis temperatum eſt,8.*ſimpl. cap. de tritico.* Ergo amylum etiam erit temperatum, & non ſiccum: Nam in amylo,ob multas perfuſiones aquæ, & infolationes, humidum innatum tritici humeſcit, & tenuatur, & ex conſequenti reſoluitur, & pars ſola terrea ſiccata relinquitur; ſicut terra per multas irrigationes laxatur, & adueniente Sole calor eius natiuus abſumitur, & fit arena: ideò etiam terra menſe Aprili indiget aqua, quoniam ob multas hyemis perfuſiones, ſuccedente Sole inaruit.

Inſuper aduerte,Amylum adſtringere, ex Dioſcoride *lib.*2.*cap.*94.& Gal.4.*ſec.loc.cap.*1. *rub.*2.& quia adſtrictione ſua conſolidat, medetur dyſenteriæ, apud Galenum 1.*ſimpl.*34.& 1.*alim.*8.emplaſticum enim eſt, lentum,& humoris biliоſi tenuitatem incraſſat,eiúſque acrimoniam retundit. Neque ob hæc condemnes Galenum, 1.*ſimpl. cit.* contra Herodotum, qui illud non adſtringere aſſeuerat: cùm de vehementi adſtrictione ſit interpretandus;amylum enim clementer adſtringit, ex Galeno 1.*aliment.* 8. docente amylum,inſignem adſtrictionem non habere.

Ex ſuprà dictis conſtat manifeſtè, Amylum in febribus putridis non eſſe concedendum: obſtruit enim enim ob lentorem,adſtringit, & arctat humores, quos natura extra corpus expellere fatagit: adſtringentia autem reproba ſunt in iis febribus, ob cauſas citatas à Galeno,2.*acut.* 13. Deinde Amylum difficulter coquitur, & diſtribuitur,ex Ishaac *lib.diætar.particul. cap.prop.* In hecticis verò febribus ſummo interdum eſt ex vſu: nam ob modum ſubſtantiæ tenacem, & lentum, ſuccum craſſum præſtat, & minimè dilabile, quas conditiones in eduliis hectici, 7.*meth.* 6. exoptat Galenus. Quamuis autem ſiccitate incommodet, iuuat ob alias vrgentiores rationes, præſertim cùm eius adſtrictio leuis ſit. Prodeſt etiam in febribus, quæ à diſtillatione acri, mordacíque tuſſi ortum ducunt; lentore enim ſuo humorem tenuem incraſſat, & fluxiones à capite in thoracem,aliáſque inferiores partes prolabentes leniter ſiſtit.

CAPVT IV.

De Forma Victus Febricitantium.

ANtequam ad victus formam febrientium explicandam accedamus,inueſtigemus primò: *Vtrùm Galenus victus rationem rectè definiat*? Plura de præſtantia partis Medicinæ inſtituentis victum poterant adduci,ſed hoc argumentum ſolùm celebrioribus auctoribus fulciamus: Iccircò enim Hippocrates 1.*lib. Aph.* cum Gal.*ſent.* 4. nullam aliam eſſe partem magis præſtantem, quàm eam quæ victus rationem præſcribit, aſſeruere;illas enim tres partes Medicinæ, à Galeno explicatas *lib.de conſt.art.med.c.*19.& 20.ſola ipſa cõiuet, ſcilicet conſeruatricem, reſtauratricem, & præcautricem,quæ à Medico,ſummo in pretio habetur, ex Gal. *lib.introduct. cap.* 8. nam excellentius eſt morbum non admittere,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 581 sur 927

©BIUM

admittere, quàm ab illo liberari, vt exemplo gubernatoris nauis, *eo loco* docuit ipse Galenus. Deinde Diætetica omnibus est necessaria, ex Gal. 1. *de alim. facult. cap.* 1. §. *Sine alimento autem viuere neque in secunda, neque aduersa valetudine possumus, &c.* Insuper est fundamentum, fulcrúmque firmissimum, sine quo reliqua præsidia conferre non possunt. Hac ratione intemperantes, vinosos, gulæ & ventri deditos, neque purgatione, neque sanguinis missione magnopere adiueris, ait Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 7. optima enim victus ratione, morbi periculosissimi, & contumaces, felices habuerunt exitus, cùm, auctore Celso *lib.* 2. *cap.* 16. nulla res magis adiuuet laborantem, quàm tempestiua abstinentia. Huius partis excellentiam, & efficaciam probè cognoscens Auerrhoës, *lib.* 7. *cap.* 31. in seipso febre ardentissima laborante, & liberato superueniente podagra, ad artúsque noxio humore criticè transmisso, nullo alio ad tot profligandà mala, se vsum fuisse auxilio, quàm diæta palàm contestatur.

Oportet ergo victus rationem definire, ad Galeni mentem; non enim potest fieri, vt alicuius rei specificas differentias inueniat ille, qui eam definitione priùs non explicuerit. Definitur ergo victus ratio, seu diæta, quod idē est, ex Hip. 1. *acut.* 6. §. *Sed de diæta, id est, victus ratione, &c.* quòd sit *ductus per consuetas materias*: & per has non intelligit res naturales, scilicèt elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones, spiritus; neque res præter naturam, vt sunt morbus, causa morbi, & symptoma; sed non naturales, vt Aër, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, quæ retinentur aut euacuantur, animi accidentia: quæ dicuntur nobis intrinsecæ, non quòd instar rerum naturalium, nostri corporis constitutionem ingrediantur, sed quia sunt ineuitabiles. Quare non intelligit Galen. per consuetas materias, ea quæ accidentaliter, ab extrinseco, & non necessariò nobis occurrunt, vt ignis, percussio, venenum, morsus animalis venenosi. Vnde Galenus *lib.* 3. *epid. sect.* 3. *com.* 9. nomine victus, somnum intellexit, & hac ratione *in lib. de sanit. tuenda*, victus rationem accepit, quod est victus rationis communissimum significatum.

Neque obstat, si asseras Galenum *in lib. de sanit. tuend.* non solùm victus rationem accepisse, prout res non naturales comprehendit, cùm etiam sanguinis missionis meminerit, & purgationis: Quia in illis libris, quando sanguinis missionis recordatur, & purgationis, non solùm de conseruanda sanitate agit, sed de ea à morbis præcauenda. Quapropter cùm curationis, & præcautionis eadem sit ratio, *lib. de sang. mis. cap.* 8. ideò illarum vacuationum fecit mentionem. Quando verò Galenus in aliis libris tantùm agit de sanitate tuenda, solùm victus rationis, prout comprehendit res non naturales, facit commemorationem.

Secundo modo sumitur victus ratio, vt includit alimenta medicamentosa, quantitatem, & qualitatem alimentorum, & potus, tempora vniuersalia, & particularia, in quibus debent administrari, & vt comprehendit fomenta, balnea, clysteres, cataplasmata, sanguinis missionem, purgationem: quam victus rationem solùm conuenire ægris confirmat Galenus, 1. *acut.* 44. 5. *meth.* 15. & 3. *epid. sect.* 3. *com.* 9. in qua significatione sumitur victus ratio à Galeno, & Hippocrate *in libris de rat. vict.* in quibus de venæ sectione, purgatione, & reliquis citatis remediis, sub nomine victus rationis disceptat. Hoc modo sumitur victus ratio ab Hippocrate, 2. *de nat. human. text.* 2. dum inquit: *Morbi verò fiunt partim à viuendi ratione, partim à spiritu, cuius attractione viuimus.*

Tertiò sumitur victus ratio, propriissimè tantùm pro potu, & victu; in qua acceptione sumitur ab Hip. 1. *Aph.* 4. *cum sequentibus*: quæ victus ratio hoc modo sumpta, licèt conueniat sanis, & ægris, in Aphorismis tamen solùm de victu Hippocrates loquitur, vt competit ægris.

Magni est etiam momenti ad curandos morbos, inuestigare: *Vtrùm pluribus numeris vniuersa victus ratio absoluatur?* Dic, ex Galeno, & Hippocrate, omnem victus tractationem, quinque capitibus definiri. Primum est forma victus: hæc desumitur ex distantia status morbi, & ex robore virtutis, *lib.* 1. *Aph. com.* 4. & 2. *acut.* 36. & 37. Licèt vires tantùm indicent victus rationem, ex Gal. 1. *acut.* 44. *in fin.* §. *Virtutis verò custodia, solam indicat alimoniam.* Firmat *com.* 45. *sequenti, &* 11. *meth.* 14. Quare in forma victus, considerantur alimenta, vt alimenta sunt, & nutriunt, de quantitate, & qualitate eorum, nulla commemoratione facta.

Secundum, est quantitas victus, vtrùm sit in multa, vel parua quantitate concedendus, & hæc ex multis rebus colligitur, vt patet ex Hip. & Galeno, 1. *Aph.* 13. 14. & 15. Tertium est victus qualitas, vtrùm scilicet debeat concedi calefaciens, vel refrigerans, exiccans, vel humectans, extenuans, vel incrassans, quam qualitatem ex contrarietate esse assequendam probauit Hippocrates, *lib.* 1. *Aph.* 16. Quartum est tempus opportunum, in quo victus ratio est concedenda, vtrùm videlicet offerenda sit manè, vespere, vel alio tempore, quod *lib.* 1. *Aph.* 11. & 19. docuit Hippocrates. Quintum est numerus cibationum, quia victus quantitate perspecta, quæ debet ægris concedi, indagare est necesse, vtrùm illa quantitas semel sit concedenda, vel bis, vel pluries partienda, quemadmodum ex Hippocrate, & Galeno, 1. *Aph.* 17. est colligendum. Neque te suspensum reddat, quod Galenus 1. *Aph.* 19. ad tria tantùm capita, vniuersam victus rationem deducat, scilicet quantitatem, qualitatem, & vtendi modum, quia sub tertio capite, victus formam, tempus opportunum ad victum, & numerum cibationum comprehendit.

De victus forma tantisper disceptemus, contemplemúrque: *Vtrùm victus diuisio à Galeno tradita, sit optima?* Dic formam victus triplicem esse, ex Galeno 1. *Aph.* 4. quo loco formam victus diuisit, in ea quæ comeduntur, sorbentur, vel bibuntur; quæ diuisio colligitur ex Hip. *lib.* 1. *de fract.* 45. & *lib.* 2. *acut.* 46. Idem docet Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. Qua ratione alius est victus plenus; alius, victus conseruans, seu mediocris; & alius tenuis. Plenus dicitur ille, qui vires auget & roborat, qualis est victus sanorum. Conseruans, vires parum debilitatas conseruat, & hic ægrotis conceditur. Tenuis diminuit vires.

Rursus. Victus plenus est triplex: exquisitè plenus, moderatè plenus, & simpliciter plenus. Ille dicitur, qui multùm nutrit, & nutrimentum difficulter resolubile præstat, qualis est victus agricolarum: in qua classe collocantur alimenta, quæ succum crassum, & glutinosum relinquunt, corruptioni, & resolutioni valde ineptum, vt caro suilla, bubula, caprina, & omnes carnes sale conditæ, quæ alimenta potentissimè nutriunt, & eorum succus in multum tempus perdurat. Victus moderatè plenus acquiritur ex alimentis, quæ maximè nutriunt, sed humorem in corpore non reliquunt ita constantè, qualem victus exquisitè plenus, quem victum Aulici obseruant: hunc constituunt Gallinæ, capones, perdices antiquæ, &c. Victus simpliciter plenus perficitur ex alimentis, quæ vires augere queunt, etsi in corpore non relinquant nutrimentum ita potens, ac perfectum, sicut victus exquisitè, aut moderatè plenus, cùm enim celeriùs nutriant, eorum nutrimentum celeriùs resolvitur, 2. *Ap.* 18. optimum tamen alimentum in corpore relinquunt: hoc victu vruntur ciues, vt est caro arietina, pisces saxatiles, &c.

Victus conseruans triplex est: alius exquisitè, alius mediocriter, alius simpliciter conseruans. Ille ferè victum plenum simpliciter constituit: nam infimum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 582 sur 927

ſupremi, ſupremum infimi attingit. Hunc victum conſtituunt pulli gallinacei, & perdices nonæ, qui victus rectè poteſt conſeruare vires quales accepit. Victus mediocriter conſeruans, conſeruat vires, licèt non ita perfectè vt ſuperior, vt v.g. Pulli dimidium, Amylum, &c. Victus ſimpliciter conſeruans, multo minùs retinet vires in eo ſtatu, quales accepit, quàm mediocriter conſeruans: in huius victus claſſe reponuntur oua ſorbilia, far colatum, paſſeres, & reliqua.

Victus tenuis etiam eſt triplex: exquiſitè, mediocriter, & ſimpliciter tenuis; huius definitionem ſuprà diximus, & quibus morbis prodeſſe poſſit determinauimus. Neque obiicias victum exquiſitè tenuem non eſſe conſtituendum: nam hic cùm ſit omnimoda inedia, potiùs ſubtrahit alimenta, quàm adminiſtrat: Quia (vt reſpondent plures) per victum non tantùm intelligendum eſt alimentum cum potu, ſed illa quæ circa ægrotos adminiſtrantur, & in hanc vtilitatem libros de ratione victus Hippocrates conſtituit, vt 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 9. Galenus affirmat. Hæc interpretatio nullo modo poteſt admitti, quia omnino ſubtrahendo victum, nihil adminiſtratur, alia enim remedia non conceduntur, ex eo quòd ſubtrahitur victus, ſed alia ex ratione. Dic ergo, omnimodam abſtinentiam rectè appellari victum exactiſſimè tenuem, licèt alimentum ſubtrahatur omnino, quia victus ratio non tantùm pro applicatione cibi, & potus, ſed pro eorum ſubtractione accipitur, vt *ſuprà* in vltima acceptione victus rationis monuimus.

Neque ſtatutam victus diuiſionem à Galeno, condemnes, quia victus plenus nunquam auget vires, neque ipſas perpetuò conſeruat: nam vires naturales cum calore minuuntur, & decreſcunt, ſicut & animales, quoniam in adoleſcentibus licèt vires videantur fortiores, quàm in pueris, hoc propter inſtrumentorum promptitudinem contingit; hac ratione ſenes ſi vtantur victu pleno, illorum virtutes omnes valde fatiſcunt. Inſuper victus conſeruans, nullas vires æquales relinquit, ſed humoribus, & humiditatibus paulatim abſumptis, tum quæ debebant agglutinari partibus, tum iis reſolutis, quæ illis iam erant appoſitæ, eas debiliores multo, quàm antea in ſtatu naturali erant conſtitutæ.

Dic, Galenum in diuiſione loqui de augmento virium, vel conſeruatione, vt huic naturæ, vel ætati conuenit, non autem abſolutè, quòd ſemper vires augeat: Si enim quiſpiam in ſenectute habeat vires debiles, vel hoc ob magnam reſolutionem, vel immoderatos motus contingat, & pleno victu vtatur, illi accreſcent vires; & ſi victu conſeruante nutriatur, vires debiles in eodem ſtatu perſiſtent: Quod in aliis ætatibus eſt affirmandum, & in conualeſcentibus patet manifeſtè, hi enim alti craſſiore, & pleniore victu, paulatim vires robuſtiores acquirunt. Qualis autem victus, vnicuique morbo tam acuto, quàm chronico conueniat, *ſuprà* explicuimus.

CAPVT V.

De quantitate victus.

SAnos debere obſeruare varium ordinem, in aſſumendo cibo, allatis variis ſententiis *lib.* 3. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.* 24. diſtinctè notauimus. Modò explanabimus: *Vtrùm in febricitantibus, varia quantitas ſit ſtatuenda in exhibendo cibo*? Conſiderata forma victus, quem ob conſuetudinem, vel reſolutionem ſolebant aſſumere ſanitatis tempore, in ipſis cibum eſſe variandum docuit Hip. *lib. de veteri medicina, num.* 2.

A Variatur ergo quantitas victus ſecundùm temperamenta: in ſiccis minor quantitas concedenda, quàm in humidis, quia reſoluuntur minùs, ex Gal. *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap.* 10. Sunt enim plurimi, qui calore abundant ita abſumente, & forti, vt ob maximam reſolutionem, inediam tolerare nequeant, quibus ſi alimoniam, & hanc denſæ, & compactæ materiæ, denegare coneris, ex valido ſuctu in ore ventriculi percepto, in animi deliquium, & ſyncopen, vertiginem, febres ardentes, cordis palpitationem, ſæpe incurrunt.

Variatur ſecundùm diuerſas ætates: Pueri maiori indigent victus quantitate, quàm ſenes; & adoleſcentes maiori, quàm iuuenes; & hoc modo de reliquis ætatibus ſentiendum: Pueri enim maiore copia caloris B abundant, & cùm ſint humidiores, citò reſoluuntur, ex Hip. 1. *Aph.* 13. & 14.

Variatur ſecundùm tempora anni: Vere, & hyeme alimenta in maiori copia ſunt exhibenda, quàm æſtate, & autumno, hyeme ſiquidem ob retractum calorem ad internas ſedes, calor naturalis fortior eſt, contrà æſtate, & autumno eſt debilior, cùm ſit ad partes externas diſtractus, ob quam cauſam magis reſoluitur. At cùm hæc difficultatem in ſe inuoluant maximam, iccircò indagandum: *Vtrùm in ægris, æſtate, vel hyeme liberalior cibus exhibendus*? Et videtur pleniùs exhibendum eſſe cibum æſtate: Nam neceſſitas cibi eſt propter reſolutionem; ſi enim animalis corpus non C reſolueretur, cibo non indigeret: quare pro quantitate eius quod ex corpore defluit, proportionalis debet eſſe alimenti quantitas, vt 1. *Aph.* 15. rectè Galenus confirmat. Si igitur æſtate maior adeſt, ob calorem ambientis, reſolutio (hoc enim tempore ſanguis, & ſpiritus, ob tenuitatem facilè exhalant) videtur æſtate liberaliorem eſcam eſſe concedendam ægris, quàm hyeme. Propterea Galenus 1. *de rat. vict. com.* 44. conſtituit duos ægrotos, pleuritide, aut morbo acuto laborantes, quorum alter æſtate ægrotet, alter hyeme; illi pleniorem victum, ei verò qui decumbit hyeme, tenuiorem concedit.

Contraria tamen ſententia admittenda eſt, quæ eſt germana, & conformis Hippocratis menti, 1. *Aph.* 15. & *lib. de vict. priuator. in primis ſententiis*, in quibus affirmat, pleniùs eſſe cibandum hyeme, deinde vere, tertio D loco autumno, & multò tenuiùs æſtate: Etſi enim hoc tempore maior ſit exhibendi cibum neceſſitas, hunc virtus ob debilitatem tolerare nequit: neque enim quantitas cibationis reſolutioni ſemper reſpondet, etiamſi ex hac illius neceſſitas emanet, nam in ætate puerilitiæ eſt maior refectio, quàm ſit reſolutio, quia pueri non ſolùm debent nutriri, ſed augeri, & per morbos acutos febriles multò maior eſt reſolutio, quàm debet eſſe adiectio. Sic etiam æſtate etiamſi plurima ſit reſolutio, refectio illi non reſpondet, nam propter virtutis imbecillitatem eſt difficilis.

Hac ratione Hippocrates hyeme copioſius exhibet alimentum, quàm in temporibus cæteris, non quia maior ſit reſolutio vtilis: nam etiamſi multò meliùs ſeparentur, & reſoluantur excrementa, ob natiui caloris roE bur, diſſipatio vtilis eſt minor; quantitas tamen cibi eo tempore augetur, vt videlicet calor naturalis multitudine ſanguinis, & ſpiritus roboratus, ambientis frigiditati poſſit repugnare, ne vincatur, vt eleganter *in com. prædictæ ſententiæ* hanc obiectionem explicat, & ſoluit Galenus.

Ad locum verò 1. *acut.* 44. ſic reſponde, quod eo loco non conſiderat ſolum tempus præciſè, ſed alias indicationes ſimul cum indicatione temporis: & quando conſtat, hyeme virturem eſſe validam, & corpus plenum, tunc per morbos acutos tenuiſſimè eſt cibandum, quoniam virtus eum victum tolerare poteſt, vt morbus efflagitat: contrà autem ſi æſtate adſint indicationes, quæ corpus magis exhauſtum, & vires imbecilliores oſtendunt,

©BIUM

ostendunt,quas æstas debilitat natura suapte, tunc pleniùs est cibandum, vt virtus vsque ad morbi vigorem possit persistere.

Galenus 1.*Aph.*17.*in fin.*monet, in veris medio, & in fine, parum, & rarò esse cibandum, tunc enim corpora perflantur,ne ob humorum,qui hyeme fuerunt coacerui,liquationem, in plethoram incidant, quare Auic.2.1.*doct.*2.*cap.*6.dicebat:*Nihil est quod magis præseruet à morbis veris,quàm phlebotomia.* In autumno, inquit Auicenna 1.4.*tract.*2.*cap.* 8. quia assimilatur morbis ex corruptione,si virtus constet,plurimus, & sæpe offerendus cibus:quòd si languida sit, vt ferè est, copiosius alimentum concedendum, hoc enim tempore robustiores vires multo melius tolerant.

Variatur victus ob regiones diuersas: quoniam in B pluribus regionibus alimenta non sunt ita succulenta, quare in his sæpius, & in maiori quantitate offerenda, sanguis enim ex iis progenitus non ita est constans, ac lentus,sed fluidus,& aquosus plus satis,vt patet in Gallia,Italia,& septentrionali plaga: Contrà in aliis regionibus,in quibus alimenta cùm sint solidiora,humorem generant resolutioni renitentem valde,si nutrimentum in minori copia propines, ex arte facies; præsertim si homines ex humidioribus regionibus in has se transferat, quibus si in maiori quantitate concedas,valde nocebis,cùm hoc vberi exhibito alimento citò ægrotent. Hac ratione in Hispania carnes, pisces, olera, fructus, herbæ,ob soli,cælique temperiem,& clementiam, alimentum ex se præstant solidum, tenax, & minùs dila- C bile;ob quam causam ægri in his regionibus parciùs sunt nutriendi. Hoc præceptum eleganter indicauit Celsus *lib.*3. *cap.* 4. §. *Plerique ex antiquis tardè dabant, sæpe quinto die,sæpe sexto, & id fortasse vel in Asia,vel in Ægypto cali ratio patitur*: & *infra* idem confirmat. §. *Nam potest primo die, &c.*Sicut enim in diuersis regionibus,medicamenta euariant, ex ipso, *in præfatione*, §. *Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus esse Romæ,aliud in Ægypto,aliud in Gallia,&c.* Sic etiam alimenta,quæ pro varietate regionum diuersimodè sunt offerenda.

Variatur victus ob diuersum vitæ studium: Nam agricolæ,rurales homines laboribus, & vehementibus exercitiis assueti,vt fossores,messores,victu solido,crasso, & multo per sanitatem nutriti, quum incidunt in D morbum, denegato alimento ocyssimè resoluuntur. ideóque iis ægrotantibus, maior esca offerenda. Alij verò in otio,& mollitie viuentes, & studio dediti,cùm minùs resoluantur,quum ægrotant parciùs sunt cibandi: cùm consuetudo semper sit seruanda, ex Hip. 1. *acut.*21.& 44. cui maximè obseruandæ,Medicum debere esse attentum, nullus it inficias.

Variatur victus quantitas,iuxta maiorem, vel minorem resolutionem à calore naturali contractam: calor enim quà calor calefacit,rarefacit, resoluit, ex Gal. 1. *de sanit.tuend.cap.*1. Omne enim agens naturale vsque ad vltimum potentiæ agit, & nisi impediatur, minimè ab opere cessat: qua ratione calor humidum radi- E cale semper resoluit, qui ad sui pabuli absumptionem etiam consumitur; quare ipse, vtpote directus ab anima,ciúsque potentiis, qua naturalis, deperditum humidum restaurare intendit, ex assumptis alimentis. Quam ob causam, iuxta quantitatem resolutionis, alimenti quantitas est varianda, ex Galeno 1. *Aph.cit.* vt aliud humidum, simile deperdito generetur: qua ratione crescentibus, quia maximè resoluuntur, maior copia concedenda,1.*Aph.*14.quod significacat Hippocrates,iuxta tolerantiam ieiunij,1.*Aph.*13. quam senes tolerant,& non pueri,ob vehementem resolutionem à plurimo calore innato profectam, quæ in senibus, ob caloris inopiam, inuenitur raro.

Variatur denique victus quantitas, iuxta diuersitatem humorum qui in corpore superabundant: Si enim A crudi succi exuperent, alimenta parcè exhibenda: nam denegato victu, ipsi à natura concocti, in probum succum vertuntur. Hoc modo in terræ cauernis, & latibulis vigente bruma animalia degentia, sine cibo viuunt, cùm scateant humoribus pituitosis, qui per vlteriorem coctionem,in sanguinem migrant: & plures homines spatio quatuor dierum, & vsque ad septimum possunt perdurare sine cibo, ex Hippocrate *in lib. de carnib.num.* 13. Quod aliquorum ægrotantium exemplo docuit Galenus 12.*meth. cap.* 3. §. *Siquidem longissimè, qui ita sunt affecti, cibi abstinentiam ferunt, &c.* In his ergo corporibus, quibus crudorum succorum copia inest, ob debilitatem caloris, exigua adest resolutio; quare quum ægrotant, multo temporis spatio, sine alimento, aut imperato tenui victu, possunt permanere, vt 13. 3. *tract.* 2. *cap.* 2. notauit Auicenna. Secùs accidit in quibus tenuium, & bilioſorum copia accreuit, qui cùm celeriter resoluantur, quum ægrotant, pleniore, copiosóque victu sunt reficiendi: quos si triduana inedia maceres, in tabem, & in mortem præcipites dabis, quod apposita historia perbellè firmauit Galenus 10.*meth.cap.*4. cuius explicationem per otium lege *lib.*4. *Hist.Princip. Medic.Hist.*10.

CAPVT VI.

De qualitate victus.

DE qualitate victus, quæstionibus octo sequentibus absoluetur tractatio. Prima: *Vtrùm victus humidus, febrientibus vtilis sit*? Qualitas victus duplex est, quædam sumitur ex alimentis, vt alimenta sunt, hoc est,si præbent multum, vel paucum nutrimentum, facilis, vel difficilis concoctionis, tardæ, vel citæ distributionis,crassæ substantiæ,vel tenuis, qua ratione in alui fluxu alimentum concedimus, quod qualitate incrassante præditum sit, in aliis morbis propinatmus tenuia,vt iuscula;& sæpissime ratione superuenientium symptomatum,qualitatem nutrimenti respicimus: hoc modo in picrocholis, ob nimiam oris ventriculi sensibilitatem, & acutiem, alimenta difficilis coctionis exhibemus, ne illa quæ facilè concoquuntur, possint aduri.Contemplamur etiam in qualitate alimentorum, eorum vsum optimum,aut malitiam:ex plurimis enim generantur persæpe humores praui ad corruptionem valde parati,vt de peponibus *lib.*2.*de alim. facult.cap.*4. dictabat Galenus. Idem etiam significabat Hippocrates *lib.* 2. *Aph.* 36. dicens, illos difficulter purgationes ferre,qui vtuntur deprauato cibo,quia, vt notat Galenus *in com.* hi deprauatum sanguinem in corpore seruant, alimenta autem proba, vel reproba in ordine ad sanguinem,qui ex ipsis generatur,denominari, passim Galenus inculcat.

Rursus. Alia qualitas consideratur in alimentis, vt medicamentosa sunt, quatenus illa sunt calida, frigida, humida, vel sicca, extenuantia, vel incrassantia, de qua qualitate intelligendus est Hippocrates *in lib. de alimento, num.* 3. dicens: *In alimento, medicamentum optimum,*id est, qualitas medicamentosa, quæ contrariatur morbo, vt si affectus consistat in obstructione,alimenta offerantur, quæ aperiendi facultatem sortiantur.

His breuiter propositis, agitatur quæstio hoc modo. Si qualitas hæc medicamentosa consideratur à Medicis in ordine ad morbos, omnisque curatio per contraria celebratur,11.*meth.c.*3.& alibi passim,& febris essentia in calore consistit,cur victus humidus, & non frigidus ab Hippocrate conceditur,1.*Aph.*16.qui calori præternaturali,

naturali, & igneo magis est aduersus, & contrarius: cùrue Auicenna 1.4. *tract.2. cap.8.* Hippocraticam sententiam amplectitur, vt veram, & tanto auctore dignissimam, dum sic ait: *Et scias, quòd conuenientiores cibi febricitantibus, cibi humidi, & propriè ei, cuius complexio est humida, &c.*

Dic primò. Victus humidus, aut est actualis, qualis liquidus est, qui febricitantibus conuenit, vt docet Gal. *lib. de optim. sect. ad Thrasybul. cap.4.* minori enim labore conficitur, quo febricitantes indigent. Potest etiam esse victus humidus non solùm substantificè, sed etiam qualitatiuè; & potest esse actu, & potentia humidus, qualis est qui maximè febricitantibus vtilis. Hippocrates meminit victus humidi potiùs, quàm frigidi, quia quæ vulgo patent, & ex se euidentia sunt, ille ferè semper prætermittit, vt notat Galen. 3. *de diff. resp. cap.5.* Hoc modo Galenus 1. *feb.1.* priùs diuisit febrim, definitione omissa, quoniam febrem, esse calorē igneum omnibus erat compertum. Dic secundò. Sub humido victu intellexit frigidum, quia victus humidus febrientibus vtilis, non debet esse aëreus, quia inflammatur facilè, sed aqueus, quia frigidus est. Dic tertiò. Succurrit ope victus humidi, lapsui præsentis, vel imminentis siccitatis, quæ si semel introducitur, haud facilè eradicatur, cùm resistat valde, & corrigatur per humiditatem, quæ iners est, & pigra, minúsque efficax in agendo. Dic vltimò. A victu humido non impendet noxa, qualis à frigido: hic enim obstruit meatus, per quos morbifica materia excerni debet; humidi securior est vsus, nam innatum ignem non ita debilitat, & canales laxat, frigidum valde vlcerat, & corrumpit, 2. *acut.21.* & 6. *epid. sect.3. text.20.*

Iam de altera quæstione agendum: *Vtrùm qualitas victus debeat esse contraria febri, an eius causa?* Dic. In febribus, victus qualitas ex tribus depromitur, ex morbo, naturali temperamento, & consuetudine. De primo patet ex Hip. 1. *Aph.16.* dicente. *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit:* quo loco humiditatem victus, ex febris siccitate colligit; & similiter ex Gal. 11. *meth.5.* morbo ex obstructione, qualitatem victus extenuantem vtilem esse asseuerante. Naturale temperamentum colligitur, ex *cit. Aph.* verbo [*pueris*] quibus victum humidum concedit, quia naturali temperamento humidi sunt. Consuetudo includitur in verbis illis [*atque iis, qui tali victu vti consueuerunt.*] Nam si acquisititium temperamentum ex consuetudine, longo tempore sit contractum, potiùs seruandum est, quàm natiuum, & ab ortu acquisitum, ex Gal. 9. *meth. cap.15.* illud enim, maximè quod in naturam abiit, ex longa habitatione in certa regione, aut victu comparatum, sub naturali temperamento, 8. *meth.9.* comprehēdit Gal. Quæ enim ex pauco tempore contrahitur cōsuetudo, victus qualitatem non indicat; & hæc est causa, ob quam Gal. 1. *acut.44.* ex satietate, breui tempore durante, indicationem ad plurimum cibum exhibendum in morbis, non desumpsit.

De indicatione sumpta à temperamento naturali, dic, cum Gal. 8. *meth. vlt.* aliquando similia in qualitate, interdum contraria expostulare: Quæ enim vitio carēt, perpetuò similia; quæ sunt intemperata, modò similia, modò contraria expostulant: similia, dum ægrotant, quia per morbos licet naturas seruare, quales accepimus: Ratio dictat, nam præsidia, ope præcautionis, & curationis celebrata, morosa sunt, & ob hanc causam, in actuali morborum curatione non exercentur, maximè quia corpore ægro debili existente, productio intemperamenti fieri nequit, cùm in hoc opere, vires debiles ob morbum ampliùs fatiscant: nì valde intemperatas naturas, & (vt ita dicam) in gradu summo excipias; hæ enim, nec etiam per morbum sunt conseruandæ, quia sibi displicent, & extra numerum sunt earum, quæ se habent secundùm naturam. Gal. verò non seruat naturale temperamentum per similia, nisi quum naturæ similibus gaudent, ex ipso, 8. *meth. cit.* Quæ verò sunt intemperatæ nimis, similibus non gaudent, sed læduntur, excessu intemperiei maiore reddito per similia: nec enim senectus vltima, frigidis, sed calidis delectatur, & vel etiam per morbos rectè afficitur. Contraria autem postulant temperamenta naturalia per sanitatem, dum ea ad melius transferre, est in animo.

Insuper. Morbus, naturale temperamentum, & consuetudo, quum in vnum consenserint, tunc qualitas victus, quam simul indicant, exhibenda. Quoniam autem morbus, & consuetudo, inter se possunt esse aduersa, vt si morbus calidus siccus exposcat victum humidum, consuetudo verò prohibeat, calidis enim & siccis alimentis, æger erat assuetus: tunc ratio consuetudinis habenda, nam præualet morbo; qua ratione, victus qualitas minuenda, quam morbus indicat, vel victu temperato solùm est vtendum, habito respectu ad consuetudinem, morbum, & temperamentum, hoc enim semper, cum morbo, in indicatione qualitatis victus consentit, quia morbus sui ablationem indicat, per quam ad temperamentum pristinum æger reducitur, cui indicationi naturalis ægrotantis temperies, semper consentit.

Expedire ergo breuiter quæstionem oportet hoc modo. Si morbus, & causa mutuò inter se aduersentur, vt si febris sit ex humore frigido orta, qualitas victus potiùs causæ, quàm affectui debet esse contraria, quia illius indicatio potentior êst indicatione affectus, ex Gal. 7. *meth.12.* §. *Vbi aliud efficiens est, aliud quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda est.*

Est tertia quæstio: *Vtrùm in præscribenda qualitate victus in febricitantibus, indicatio quæ sumitur à morbo, sit præstantior indicatione, quæ sumitur à virtute?* Soluunt quidam. Quoad qualitatem cibi, maior indicatio sumitur à morbo; quoad quantitatem, à virtute: & si morbus est intensior, quàm virtus sit imbecillis, tunc morbi indicatio vincit. Probant ex 1. *Aph.* 10. vbi in statu, in quo virtus est languida, præcipit Hippocrates attenuare. Dic. Indicatio virtutis absolutè præstantior est, 9. *meth.13.* Nam sine ea curatio perfici nequit, ex Auic. 1. 4. *tract. 2. cap.3.* §. *Et si non esset illud quod pertinet ad virtutem, esset necessarium subtiliare cibum, vltima subtiliatione.*

Si enim totam latitudinem virtutis, toti latitudini morbi conferas, indicatio virtutis præstantior est: nam natura est morborum medicatrix, 6. *epid. sect.3. text.1.* Licèt enim curatrices indicationes à morbo, causa morbi, & symptomate desumantur, quia cùm sint res præter naturam, sui remotionem indicant; tamen cùm natura sit primarius sanitatis artifex, sanitatem constituat, & morbos soluat, & iudicet, ex Galenno *lib. de optim. sect. ad Thrasybul. cap.26.* ab ea sumenda indicatio est, quia, vt *lib. de opt. sect. cap.41.* retulit Galenus, auxilia medica causas morborum per se extirpare nequeunt, nisi adminiculum naturæ sibi comparent, quæ reliqua opera per se efficit, cùm veluti aduersatrix morbo sese opponat semper, 11. *meth.3.* Quare ipsa potissimùm est curationis principium, & interdum sola sufficit concoquendo, quia robore suo causam morbi expellit, & intemperiem corrigit, non solùm quando morbus est mitis, vt Galenus 1. *de loc. 2.* affirmat, dicens: *Soli illi morbi, externo egent auxilio, quos natura præ magnitudine vincere nequit:* sed quando morbus est grauis, & periculosus, vt febres acutæ, internarum partium inflammationes, eo indigent, quæ licèt in hominibus robustis, citra artis medicæ auxilium sæpe solui solent, vt *lib. 7. collig. cap.31.* eleganter Auerrhoës docet, non tamen semper.

Si tamen inæqualiter cōparentur mensuræ virtutis, & morbi, tunc indicatio morbi erit præstantior: v.g. Si magnitudo morbi, fuerit in gradu secundo, & virtutis imbecillitas in gradu primo, túc vincit indicatio morbi:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 585 sur 927

quamuis enim virtus morbos ſuperet, & robore ſuo, non tamen per ſe inſinuat, quæ neceſſaria ſunt, ad curandos morbos, ſed ex accidenti, quatenus auxilia adhiberi permittit. Dicta autem Galeni, quòd virtus omnium prima cuſtodienda ſit, eique deficienti ſtatim opitulandum, intelligantur in ea exiſtente imbecillima, cui non poteſt comparari gradus morbi intenſiſſimus, ad contraindicandum virtuti.

Eſt quarta quæſtio: *Vtrùm poſſit aſſignari gradus virtutis imbecillis, quæ poſſit reſtitui per cibum?* Reſponde negatiuè, quia aliqui viuunt cum priuatione pulſus, alij cum pulſu moriuntur, & forſan poſſet aſſignari, ſi morbus ſub vario gradu naturam non præfocaret. Cæterùm, num virtus poſſit reſtitui ſemper ſub vna menſura, ignorata à Medico? anceps eſt dubium: & defendi poteſt, quia cùm ſub minori menſura graduum vitæ viuat melancholicus, in prima generatione, quàm temperatus, ita etiam ex minori menſura virium poteſt reſtitui. Nec obſtat, quòd temperatus, puriora habeat inſtrumentorum organa, quæ reſtitutioni maximè conferunt, ac proinde virtus temperati, in minori gradu videtur poſſe reparari: Nam hic nonniſi vehementi cauſæ ægrotans ſuccubuit, quæ maiorem gradum requirit, vt poſſit reſtitui.

Eſt quinta quæſtio: *Vtrùm in febribus, vtilius ſit minuere cibum in quantitate, an in qualitate?* Dic ferè, & præſertim in acutis, melius eſt minuere in qualitate: hic enim cibus, qualitati morbi, & appetitui magis conuenit, & à concoctione ipſius minùs naturam impedit. Si tamen virtus eſt debilis, & ad cibum multæ quantitatis appetitus valde inclinat, tunc melius eſt, quantitatem minuere, & hoc exequimur laborantium voluptati aliquid condonantes. Perinde etiam ſumpta indicatione ab aliquo vrgente ſymptomate, cibum diminutum interdum in quantitate exhibemus, vt in colico dolore, lapide, & dolore renum, dolore ventriculi; in his enim concedimus quæ contemperant, & neque impleant, neque grauent, vt ius pulli, pullæ, aut cicerum.

Sexta quæſtio verſabitur circa olera: *Vtrùm febrientibus præſtent alimentum exiguæ qualitatis?* Affirmat Celſus, *lib. 2. cap. 7.* Galenus *2. alim. 39. 8. meth. 2.* & *lib. epid. ſect. 5. com. 2.* nam ex centum drachmis olerum, non fiunt decem ſanguinis. Deinde ex Hippocrate *2. dietar. ad med. Lactuca corpori debilitatem quandam inducit*: ſubſcribit Auicenna *2. 1. doct. 2. cap. 15. in fin.*

Nec obſtat primò vulgi opinio, quòd olera faciant ad ſanguinis augmentum, quia è contra conferunt doloribus dorſi ſanguineis, *2. canon. cap. de ſpinachijs.* Nec ſecundò auctoritas Serapionis *tract. ſimpl. cap. 249.* & antiquorum apud Galenum, *2. alim. 11.* quòd lactuca generat multum ſanguinem: Nam in textu Serapionis, addenda eſt particula [*non*,] & priſci ita inducebantur opinari, quoniam ex eius frequenti eſu, pruritus excitabatur in corpore toto, quem ex ſanguinis incremento accidere ſibi perſuadebant: at ineptè coniectabant, quia ſanguis aquoſus, ex illa progenitus, & in venis ebulliens, pruritum excitat. Nec obſtat tertiò, quòd lactuca lac prouocet, apud Dioſcoridem *lib. 2. cap. 129.* Illud enim facit, quia ſanguis ex illa procreatus, eſt aptus pro introductione formæ lactis: Et hoc inſinuauit Ishaac *in dictis particul. cap. prop.* quòd auget lac, *propter bonitatem ſanguinis quem generat*: ſed hoc non intelligas abſolutè, ſed propter bonitatem ſanguinis, apti pro generatione lactis: cùm enim lac, ſit medium inter ſanguinem, & pituitam, *5. ſimpl. 12.* generando lacti accommodatiſſima eſt lactuca, cùm ſit frigida & humida.

Septima quæſtio non eſt ſilentio inuoluenda *Vtrùm canones antiquorum, in præſcribendo victu febricitantibus, noſtro æuo, à Medicis ſint obſeruandi?* Anceps dubitatio, & controuerſiæ plena, iure enim videntur præcepta antiquorum infringenda, in imperando victu, cùm tenuis illorum, nobis ſit tenuiſſimus, vt ius pulli, oleracea. Rurſus, modicus priſcorum, vt pullus, pulla, extrema arietis, nobis eſt victus tenuis.

Hunc vſum eſſe præferendum, ſuadent plura: Nam tempore Hippocratis erant robuſtiſſimi, & patientiſſimè inediam tolerabant; homines noſtri æui, debiliores, & à parentibus imbecillimis procreati, indulgent Veneri, gulæ, Baccho. Audi Galenum *2. de fract. 27.* ingenuè ſic proloquentem: *Periculoſum ergo eſt veratrum dare, antequam corpus victu præparetur, cùm ſæpius non facile ſit, vt quales homini ſuperſint ſucci, dignoſcantur. Hippocratis ſæculo, veratrum album fortaſſe tutò ſumebatur, ob rationem victus eorum, qui curabantur, qui vitæ genus non otioſum ſequebantur, aut intemperans, ſed laborioſum, pauciſque alimentis erant contenti, ſic vt craſſos ſuccos nulla ratione contraherent, neque enim nos latet fieri hos, cum otio, & abundantia. Quòd ſi vim æſtimaueris corporum eius ſæculi, quam ex eiuſmodi victu comparabant, magis adhuc dari veratrum permiſeris, cùm quæ vomitus affert incommoda, ferre homines illi facilè potuerint, &c.*

Hæc eſt cauſa, ob quam Hippocrates ſuo tempore, in febribus & acutis morbis, vtebatur cremore ptiſſanæ, quia robuſtiores homines, & in victu ſobrij hunc victum facillimè tolerabant. Ergo noſtro æuo, liberaliùs febrientibus eſt concedendus victus, quia hi, cùm ſani ſunt, vel ægrotant, longo interuallo diſtant ab antiquis. Vt enim peroptimè notauit Celſus *lib. 3. cap. 4. In rebus multùm differentibus, præceptum perpetuum eſſe non poteſt.* In hunc ſenſum meritò dicebat Ishaac *1. theoric. in præfat. Multa dicunt Hippocrates, & Galenus, quæ nunc ſequi non ſtatuimus.*

Supereſt de qualitate victus inquirenda diſceptatio, de qua priſci etiam dubitarunt: *Vtrùm in febribus, maius peccatum ſit in victu, recedere per tenuitatem, an per craſſitiem?* In qua quæſtione, auctores ex diametro inter ſe aduerſantur, præter Barbaros, qui magis lædi ægros in victu recedentes per tenuitatem, quàm per craſſitiem vnanimiter aſſeuerant.

Suum placitum ſequentibus rationibus ſic confirmant. Hippocrates *1. Aph. 5.* tenuem victum condemnat, dicens: *In tenui victu ægri delinquunt, quo ſit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc ſit, quàm in paulò pleniori victu.* Ratio dictat, quia hoc victu debilitantur vires, ita vt vſque ad morbi vigorem durare non poſſint; contrarium autem in victu pleno contingit, cuius ope virtutes robroantur, & in ſuo vigore fortes perſiſtunt, & vegetiores factæ imminentibus malis validè reſiſtunt. Ergo, &c. Nam multò melius eſt morbum augeri, quàm ægrum ob debilitatem, non poſſe accedere vſque ad ſtatum.

Rurſus. Si ægri tenui victu vtuntur, clàm coguntur ſumere alimenta, ex quorum vſu ampliùs lædantur, & cùm debitum ordinem non obſeruent, in grauiora ſymptomata incidunt promptiſſimè. Accedit quòd ægri non ſunt aſſueti vti victu tenui, & natura gaudet conſuetis, ex Galen. *8. meth. 9.* & Hippocrat. *1. acut. 20.* quia conſuetudo eſt altera natura, *2. de temp. 4.* & *3. ſimpl. 18.* explicat Ariſtoteles *lib. de memoria, cap. 3.* Nec diſſuadet Hippocrates, qui *1. Aphor. 4.* in morbis, in quibus non conuenit, reprobat tenuitatem. Ergo deterius eſt victum recedere ad tenuitatem.

Ex altera parte, obſtat celebris Hippocratis ſententia, *lib. 2. acut. 37.* ſic docentis: *Ciborum autem adiectioni intendendum multo minùs: nam ſubtrahere omnino ſæpenumerò expedit, vt æger ſufficere poſſit, donec morbi vigor maturuerit.* Nam vt Gal. monet *in com. Quod plus eſt, nexas inemendabiles facit, verùm quod minus eſt, facilè emendatur.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 586 sur 927

emendatur. Ex tenuiori enim victu, aliqualis vitium debilitas solùm consequitur, quæ oblato alimento statim corrigitur; ex paulò crassiore, infinita propemodum damna emanant, quæ difficilem deinde correctionem tolerant.

Secundò potest confirmari hæc sententia, ex Hippocrate 2. *acut.* 48. qui posito exemplo, in ægris laborantibus debilitate per essentiam, & debilitate per aggrauationem, docet deterius esse, concedere victum oppressis debilitate per aggrauationem, quàm per essentiam, quia, vt Galenus explicat *in com.* sæpe in plethoricis, propter vehementem dolorem, animi deliquium, vel syncopen, vel alia superuenientia symptomata, fatiscunt vires, quo tempore si ægrotanti alimentum offeras, magis nocebis, quàm si hæc accidant ex debilitate per essentiam. Ergo deterius est victum recedere ad crassitiem, quàm ad tenuitatem.

Tertiò. In aliquibus morbis, victus ratio debet procedere attenuando, & non incrassando, vt *lib.* 2. *Histor. Princip. Medicor. Histor.* 92. ex veterum mente, latè probauimus. Ergo deterius est victum recedere ad crassum. Antecedens patet: In morbis enim extremè acutis, & peracutis simpliciter oportet vti victu tenui, & tenuissimo, & in nullo morbo necesse est vti victu crasso, neque crassissimo, ex Hip. 1. *Aph.* 7. & 10. Ergo, &c.

Quartò. Virtus debilis faciliùs tolerat victum tenuem, quàm crassum, quia tanquam obiectum sibi proportionatum, ipsum superat: omne enim agens, operatur secundùm dispositionem passi, ex Arist. 1. *de generat. & corrupt. cap.* 7. & Galeno 1. *feb.* 4. Crassus autem victus, virtuti non est similis, neque proportionatus, cùm hic, illius robur, ad sui coctionem efflagitet, quod in omni morbo flaccescit.

Quintò. Positiuum nocumentum, deterius est priuatiuo. Sed detrimentum quod sequitur ex victu crasso, est positiuum, cùm sit actuale causæ morbificæ incrementum; & eueniens ex victu tenui, est priuatiuum, cùm sit solùm defectus, ex denegato cibo profectus. Ergo, &c.

Scio quid plures, pro difficilium locorum expositione, ratiocinentur auctores, dum quidam in acutis recedere ad crassitiem, peius esse persuasere sibi in chronicis, ad tenuitatem. Qua solutione, locos inter se tam aduersos, conciliari posse intelligunt. Alij ita suadent. Si iusto modo reficiendus est æger, satius arbitrantur, per totum morbi decursum vergere ad paulò pleniorem, quia propter victus tenuitatem, & dissuetudinem natura læditur. Præterea cùm omnes homines naturali quadam propensione, virtutis imbecillitatem pertimescant, redduntur parum confidentes, & obtemperantes, quando illis tenuis, & exquisitus victus præscribitur, & hac de causa clam, & inuitè coguntur assumere alimenta, & in vehementes noxas incurrunt. Deinde. In morbis superueniunt sæua symptomata, vigilia, inquietudo, anxietas, dolor, motus inordinatus alui, & sanguinis profluuia, ex quibus vires admodum debilitantur, quibus paulò pleniore victu strenuè est succurrendum, vt virtus corroborata faciliùs ferat vsque ad statum. Insuper contingunt errores, à quibus vires læduntur vehementer, & sæpe sæpius præter Medici spem, morbus producitur. In particulari verò cibatione, si à iusto modo recedendum est, præstantius censent, ad crassum declinare, quàm ad tenue, sicut in bilioso iuuene, vt Thessali ignorantiam detegeret, 10. *meth.* 3. obseruauit Galenus.

Non desunt qui asseuerent, in principio morborum deterius esse victum recedere per tenuitatem, quia tunc natura, non est coctioni intenta, alioquî enim non poterit peruenire vsque ad statum: At verò in statu morborum, maius peccatum esse victum recedere per crassitiem, quo tempore natura à coctione causæ morbificæ non est distrahenda; ob quam causam, tenuissimum victum esse porrigendum in morbi vigore, 1. *Aph.* 7. 8. & 9. imperat Hippocrates. Alij arbitrantur, Hippocratem *in lib. Aph.* non comparare victum tenuem, ad victum crassum, ita vt significet magis peccare accedentes ad tenuitatem in victu, quàm ad crassitiem, mentem verò Hippocratis esse probare errores commissos, ab illis qui vtuntur victu tenui, difficiliùs tolerari ab eisdem, quàm si committerentur ab aliis, qui victu crasso vtuntur. Alij denique Hippocratem 2. *acut.* intelligunt, de morbis ignotis, quem 1. *Aph.* de cognitis esse interpretandum contendunt.

Sed quorsum in proponendis auctorum tam variis, & repugnantibus opinionibus me macero, quas non esse germanas Hippocratis, & Galeni menti, imò à vero horum auctorum sensu longè distantes, demonstrarem facilè, si iterum clamosas illas, contra eruditissimos Iuniores disputationes, in nostra Praxi Historiarum, retexere, esset in animo. Sed quia locus in ea, his contradictionibus non est accommodus, iccirco conclusionem proponam Hippocraticæ doctrinæ valde conformem.

Non solùm in morbis acutis, sed etiam in chronicis, & denique in omnibus sanis, maius est peccatum recedere per crassitiem, quàm per tenuitatem. Suadetur primò ex Hippocrate, confirmante etiam Galeno *in com. lib.* 2. *acut.* 37. & ne aliquis sententiam illam interpretetur, quandiu non committitur error, legat sententiam eiusdem *lib.* 48. quo loco eam affirmat. Ex quibus intelliges, difficilem Auicennæ locum, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *post med.* §. *Et cùm ambigua sit tibi dispositio, &c.* Quod etiam docuit *cap.* 7. *ante med.* §. *Quòd si ignoraueris, &c.* Quare à multis reprehenditur Rasius, & vel ab ipso, *cap.* 8. *nuper citato*, qui 31. *continent. cap.* 1. victum crassum extollens, in hæc verba prorumpit: *Et cibatio, & confortatio est melior, quoniam retardatio digestionis non est periculosa; casus verò virtutis, qui fit per abstinentiam cibi, periculosus est.*

Facit etiam huc ratio ab experimento deprompta: multi enim ex vnica intempestiua cibatione mortui sunt, docente Hippocrate *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *text.* 29. de adolescente illo, qui ex superflua cœna occubuit; at nemo ex vnica cibatione dimissa interiit. Quantum autem malum secum afferat victus nimius, satietas, & gula, ostendunt corpora obesa & crassa, qualia sunt Athletarum, quæ nisi citò oblatione sanguinis minuantur, in paralysin, & pessima morborum genera incidere, 1. *Aph.* 4. Hippocrates asseuerat. Quare qui nimio cibo in sanitate indulgent, vitam satis habent periculosam, & minimè tutam, imò ad actiones naturales summè inutilem, ex Galeno *lib. de orat. suasor. ad bonas artes, in fin.* rationem collige ex Aristot. 7. *politic. cap.* 16. *in med.* Galen. *lib. de sanit. ad Thrasybul. cap.* 35. 36. & 37. Platon. *lib.* 3. *de republic. mihi fol.* 384. *colum.* 2. *in med.* Ob hæc non immeritò docet Celsus *lib.* 2. *cap.* 2. in hunc modum: *Ergo quicunque plenior, aut specioſior, aut coloratior effectus est, suspecta bona sua habere debet; quæ quia neque in eodem habitu persistere, neque vltrà progredi possunt, ferè retrò quasi ruina quædam reuoluuntur.* Ex nimia enim repletione ciborum, imminet periculum abruptionis vasorum, & timor est ne calor natiuus, à summa alimenti mole, & sanguinis ab eo generari copia, suffocetur, & extinguatur. Adde illos, qui ad crassitiem victus declinant in morbis, ex quacunque causa grauiter, & facilè offendi; nam hac de causa, corpora non rectè difflantur, & febres accenduntur, & aliæ lethales superueniunt ægritudines,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 587 sur 927

©BIUM

vt syncope, cardialgiæ, apoplexiæ, epilepsiæ. Ex iis constat, quanta sit frugalitatis, & tenuis victus laus, dignitas, ac præstantia.

Illud verò Galeni testimonium vel apertissimum est, depromptum ex *lib. 2. acut. 20.* docente ex victu sanorum sumendum esse exemplum, ad victum ægrorum, Quòd si sanis quoque corporibus inutile est, vbi aliqua necessitas famem facit, quantò inutilius est in corpore etiam ægro? Sed sani multò magis læduntur ex peccato per crassitiem. Ergo. Maior est nota. Minorem probat Galenus *2. acut. 33.* quem sequitur Auicen. *3. 1. doct. 2. cap. 7. ad initium.* §. *Et scias quòd nihil est deterius, &c.* & *parum infrà: Ex cibo autem nullus est repiendus ita, &c.* & *infrà* monet, *oportere sanos surgere à mensa cum reliquiis famis:* nam monente Hippocrate *2. Aph. 17. Vbi alimentum plus ingestum est, id morbum facit.* Qua ratione *6. epid. sect. 4. text. 22.* omnem doctrinam tuendæ sanitatis ad duo capita reducit, dum inquit: *Possessio tuendæ sanitatis, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Quæ multò particulariùs, & latiùs interpretatur Galenus, *lib. de succor. bonit. & vit. cap. 1.* probat Celsus *lib. 2. cap. 16.* §. *Quòd si sanis quoque corporibus, &c.* & *infrà.* §. *Neque vlla res magis adiuuat laborantem, quam temperata abstinentia.*

Conclusionem autem nostram habere etiam locum in morbis chronicis, hac via conficiemus. Defectus ex denegato cibo, multò faciliùs corriguntur, non solùm ex Galeno, *2. acut. 37.* sed & *7. meth. 6. post med.* §. *Quoniam qui ita se habent, &c.* & *2. Aph. 7.* & *1. progn. com. 8. infin.* At verò damna ex abundanti cibo, resarciuntur difficiliùs, quia corruptio accrescit, *2. Aph. 10.* differtur concoctio, *1. Aph. 8.* augentur obstructiones, ex Auicenna *1. 4. tract. 2. cap. 7.* Quoniam morbi chronici, propter victum attenuantem iuuantur eximiè, ex Galeno *lib. de attenuante diæta, in princip.* à quo desumpsit Auicenna *4. 1. cap. 1.* §. *Ex tempore autem, &c.* quo loco plurimas ægritudines chronicas, subtilis regiminis ope, fuisse ex toto extirpatas asseuerat: & *1. 4. tract. 2. cap. 7.* §. *Scias, quòd si non cognoueris febrim, subtilia regimen, &c.* & *cap. 8.* §. *Et cùm ambigua sit tibi dispositio, &c.* Ergo in omnibus morbis deterius est victum recedere ad crassitiem, quàm ad tenuitatem.

Vt verò meliùs à superioribus argumentis te possis expedire, aduerte Hippocratem, *1. Aph. 5.* non comparare peccatum per tenuitatem in victu, cum peccato per crassitiem, sed conferre errores, qui contingunt vtentibus victu tenui, cum erroribus, qui contingunt vtentibus victu crasso: si enim victus tenuitatem reprobaret, non doceret aliquando conuenire victum tenuissimum in extremo, *lib. 1. Aph. 7.* & 8.

Deinde. Plures in soluenda hac quæstione, vno errore satis triuiali sese irretiunt, existimantes, peccatum per crassitiem in victu, roborare virtutem in morbis acutis, cùm potiùs debilitatem excitet momentaneam, ex Galeno *1. Aph. 3.* §. *Cùm verò postea, &c.* Quod *infrà* confirmat *2. Aph. 10* §. *Impura corpora quanto magis nutriis, tanto magis lædis,* & *7. Aph. 63.* §. *Si quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, sic febrienti morbus,* & *2. Aph. 8.* §. *Si quis à morbo cibum assumens,* & *Aph. 31. sequenti.* §. *Eius qui ex agritudine bene cibatur, &c.* Quod latiùs docuit Hippocrates *lib. de loc. in hom. num. 4.* §. *Si igitur superauerit, &c.* Ex quibus ad argumenta cætera solutio patet.

Vltimo loco, explodendæ sunt obiectiones aliquot, non modò, quia cum maioribus pugnant, sed etiam, quia rationi aduersantur, quarum prima est. Peccatum tenuitatis ducit ad inanitionem, quæ est repletione deterior. Dic, cæteris paribus repletio est deterior, quia aliqua subitò occidit, vbi æqualis inanitio illud non faceret. Secunda. Faciliùs corrigitur nocumentum repletionis, quàm inanitionis. Ergo lapsus subtiliationis est deterior. Dic, in rigore non valet consequentia: Nam faciliùs emendatur intemperies calida iecoris, quàm cubiti tortura, nihilominùs lapsus intemperiei iecoris est deterior. Neque instes, in hoc exemplo valere, quia natura non tolerat nocumentum tenuitatis, quod corrigitur per repletionem, sicut tolerat nocumentum plenitudinis, cui succurritur per tenuitatem, *2. acut. 40.* Dic. Si transitus ex tenuitate ad crassitiem, est moderatus, bene toleratur à natura, & meliùs quàm ex crassitie ad tenuitatem, & de hoc non est intelligendus Hippocrates, sed de transitu valde distante, vt ab inedia ad cibum copiosum.

Tertia. Alicuius corporis diæta, vt ptisana in aliquo morbo acuto, est proximior extremo subtiliationis, quàm repletionis. Ergo in hoc, declinare per tenuitatem, est deterius. Dic, quòd sicut illa diæta est proximior extremo subtiliationis, quia sic morbus eam postulat, ita magis lædetur per lapsum æqualem, versus repletionem.

Quarta. Assignetur victus, cum quo durabit æger vsque ad statum, & cum minori non durabit. Igitur hic peccatum tenuitatis est deterius. Dic. Cibus legitimus est ille, cum quo durat, & cum minore durare potest.

CAPVT VII.

De Tempore Vniuersali exhibendi victum in febricitantibus.

VIctus rationem ferè in morbis debere procedere extenuando, satis diximus *lib. 2. Histor. Princip. Medicor. histor. 92.* nunc indagandum: *Vtrùm in morbi statu vniuersali, victus tenuissimus semper exhibendus?* Firmat Hippocrates *lib. 1. Aphor. 8. Quando morbus in suo vigore constiterit, tenuissimo victu vtendum est.* Subscribit Auicenna *1. 4. tract. 2. cap. 8.* dum sic ait: *Et dignior horarum ad subtiliationem, est status, hic enim est vehementia occupationis naturæ in pugna materiei, & non oportet, vt ab ea recedens, occupetur re alia, & propriè apud crisim, &c.*

Ex quibus locis patet, commodissimum tempus ad attenuationem victus, esse statum morbi vniuersalem, nam in particulari non ita se res habet. Quod etiam affirmat *11. meth. cap. 5.* Nec immeritò, quia natura in statu vniuersali, coctionem humoris morbifici intendit summè: ita docet *1. Aphor. 7. 9.* & *10.* & *2. acut. 15.* & *18.* & *1. ad Glaucon. 13.* A quo opere distrahitur, oblato cibo: Quare hic eo tempore in maiori copia exhibitus, erit nocentissimus. Ab statu itaque morbi sumitur indicatio ad victus tenuitatem.

Quapropter cùm cibus sit concedendus crassior, quando virtus est fortior ad concoquendum, & minùs occupata, quod est in principio, videtur in statu tenuiùs esse cibandum. Deinde morbus in principio est minor, & in processu vires maiores acquirit, & fortior fit, ex Hippocrat. *2. Aphorism. 30.* Sed quò morbus est intensior, minorem alimoniam desiderat.

Verùm contrà hanc doctrinam plura obiici possunt. Primò. A tempore nulla sumitur indicatio, *3. meth.* & *4. meth. 4.* nec ad victum, nec ad remedia. Dic dupliciter. Ab ipso tempore morbi nulla sumitur indicatio, per se, sed à morbi constitutione, & magnitudine, quæ pro vario illio tempore variatur. Dic secundò. A tempore sumpto physicè, prout est mensura motus primi mobilis, & diem, hebdomadam, mensem, & annum constituit, nulla sumitur indicatio. Si verò sumatur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 588 sur 927

ſumatur prout eſt pars, & menſura motionis cauſæ morbificæ, qua ratione in quatuor morbi tempora diuiditur, ab eo curatoria indicatio elicitur ad victus rationem, inuentionem remediorum, & ad præſagitionem, vt *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 4. Galenus affirmat, quo loco in hanc confirmationem, plures Hippocratis, *ex prima, ſecunda, & quarta ſectione Epidemion*, retulit ſententias.

Secundò. Appropinquante ſtatu non eſt attenuandus victus, quia Galenus 4. *de ſanit.* 10. in laſſitudine phlegmonoſa, in prima die ſolùm exhibet cremorem ptiſſanæ; in ſecunda, piſces ſaxatiles; in tertia, etiam vinum. Dic, ibi inſtituere victum, ad præſeruationem, non autem ad curationem, quia laſſitudo, de qua ibi agit, morbus non eſt, ſed neutralis quædam diſpoſitio morbos præcedens 2. *Aph.* 5.

Tertiò. Hippocrates 1. *acut.* 25. in pleuritide quantò maior fuerit excreatio, tantò magis ad iudicationem vſque dare oportet. Dic. Hippocrates in hoc affectu, increſcēte excreatione, vſque ad iudicationem incraſſat cibum, ob multas cauſas: prima, quia in pleuritide ad promouendum ſputum (in cuius expulſione illius ſanitas potiſſimùm conſiſtit, 2. *Aph.* 12.) requiritur virtutis robur, quod cibo comparatur. Secunda, quia facultas expultrix, per quam fit excreatio, in pleuritide non eſt naturalis, ſed animalis; hæc autem non adeò interturbatur à ſua operatione, exhibitione alimenti, ſicut expultrix naturalis, vt docet Aphrodiſæus 5. *probl.* 8. Tertia, Hippocrates determinat cibi quantitatem conuenientem vnicuique morbo, indicatione ſumpta ab humiditate, vel ſiccitate morbi, ita vt ſignificetur, quum morbus eſt ſiccus, in toto eius proceſſu, minùs de cibo exhibendum eſſe; quum verò eſt humidus, tunc ampliorem cibum vtilem eſſe: quoniam morbus humidus, qui notabilem aliquam vacuationem habet annexam, benignior eſt, & minùs periculoſus, quàm ſiccus, & ad euacuationem, robur virium efflagitat, quod cibo conciliatur. In quocunque tamen illorum morborum, eò minus de alimento exhibendum, quò magis accedit morbus ad ſtatum.

Vtrùm verò *in principio morbi vniuerſali, aliquando tenuior victus, & in ſtatu plenus ſit offerendus*? controuerti poteſt? Dic, quòd licèt in principio copioſior victus ſit offerendus, tum quia morbus minor eſt, & alimoniam magis permittit, tum quia vires robuſtiores ſunt, & virtus minùs intenta coctioni cauſæ morbificæ, 1. *acut.* 10. & 2. *acut.* 15 & 18. & 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. §. *Et dignior horarum ad ingroſſandum eſt principium*, &c. Tamen aliquando in principio vtilis eſt attenuans victus, in ſtatu copioſus.

Hoc ita eſſe celebrandum, ſuadent multa. Primò, quia 12. *meth.* 6. ſuccis qui febrim excitauerant, iam ad coctionem venientibus, carnem concedit, cuius eſum antea non permittebat. Secundò, 1. *acut. vlt.* in principio exhibet cremorem ptiſſanæ, deinde totam ptiſſanam. Tertiò. Celſus *lib.* 2. *cap.* 16. aſſerit principia morborum, famem, ſitimque deſiderare. Quartò. Hippocrates, & Galenus 1. *acut.* 10. & Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. aſſerunt, ſi phlebotomandum eſt, aut purgandum, aut dolor ſedandus, nihil cibi exhibendum eſſe, quouſque hæc præſidia celebrentur; ferè autem in omni morbo acuto, in principio eſt neceſſarium aliquod ex dictis auxiliis, 1. *Aph.* 24. & 2. *Aph.* 24. Quintò. Vbi morbus ita affligit copia ſua, vt timor ſit, ne repentè ſuffocare poſſit, tunc in initio tenuiter cibandum. Sextò. In vulneribus, & vlceribus, ex Hipp. *lib. de vlcerib.* & in inflammationibus: in harum enim principio, maior attenuatio vtilis eſt, quàm in proceſſu morbi; in his quippe defluxionem cohibere conamur, cui operi magna inedia ſummopere confert, nam in vulneribus, & vlceribus ſuperueniunt phrenitis, conuulſio, paralyſis: tunc ergo quouſque hæc ſymptomata remittantur, attenuandum eſt, quod fecit Galenus 6. *meth.* 5. cum Tralliano *lib.* 1. *cap.* 13. & Paulo *lib.* 3. *cap.* 64. qui in inflammatione veteri, triduo ſuſtinet ægram in integra inedia. Septimò. Si in augmento morbi, aut in ipſo ſtatu ſuperueniat aliquod ſymptoma virtutem proſternens, cui craſſiore victu ad roborandas vires citiſſimè obuiandum, etſi ſedato ſymptomate, ad victum priſtinum redire, ſtatus ratio nos admoneat. Octauò. In febribus quæ ab initio florent, & vigent, ſæuiſſimèque infeſtant, circa iudicium verò, & in iudicio imminuuntur, de quibus Hippocrates 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 10. tunc in initio ad imminuendam cauſam cibandum tenuiùs: Nonò. In febribus malignis, peſtilentibus, in quibus ab aura venenoſa lancinatæ vires proximæ ſunt extinctioni, in ſtatu plenior victus offerendus; ægri enim qui in peſte viriliter comederunt, & generosè biberunt, ab ipſa ſunt liberati, vt docent Galenus 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 77. & Auic. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 4. Hac ratione in febribus colliquantibus, in quibus vires vehementer reſoluuntur, in ſtatu plenius alimentum propinat, 12. *meth.* 3 ne collabantur vires: nam minùs æſtimandā eſt noxa, quæ in ſtatu contingit ex pleno cibo, quàm mors, quæ ex lapſu omnimodo virium, toto corporis habitu reſoluto, imminet certiſſimè. Decimò. In ſtatu aliquando craſſiùs cibandum, quando eſt timor arefactionis, aut lapſus in hecticam febrem, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 2. quum enim à febrili, & torrente calore, primigenia partium humiditas ſenſim, ac ſine ſenſu digeritur, tunc humectante victu, eóque pleno, qui lapſum ſiccitatis futuræ caſtiget, in ſtatu vtendum eſt.

Reſtat vltimò reddenda cauſa, cur Medici noſtris temporibus, in initio morborum, tenuiorem victum concedant? Quia hæc victus inſtitutio, ad concoquendas reliquias alimenti ſemicocti, quæ in ventriculo, aut primis vaſis hærent, ſummè conducit; tunc enim hac de cauſa iuuat, prima, vel altera die victu tenuiore vti, deinde ſequente virium debilitate, victum incraſſare, cum hac tamen conſideratione, vt viribus hac ratione roboratis, rurſus imminuatur victus vſque ad ſtatum, in quo etſi attenuante victu opus ſit, ex Hip. & Galeno *in loc. citatis*, tamen, ſi ob præcedentes vacuationes, & ſymptomatum vehementiam, vires adſint languidiores, tunc in ſtatu plenius alimentum, coacti neceſſitate exhibemus. Ex quibus patet manifeſtè, ob plures, variaſque conſiderationes, in initio morborum, tenuem cibum, & in ſtatu plenum eſſe porrigendum.

Verùm ex dictis emanat dubitatio non mediocris: *Vtrùm in febribus præſcribendus ſit victus, in ordine ad ſtatum, vel declinationem*? Græci, dictis victum inſtituunt ſolùm in ordine ad ſtatum, vt ita cum hoc, vel illo virtus poſſit vſque ad hoc tempus perdurare: nam vt Auicenna inquit, 4. 1. *cap.* 1. §. *Criſis eſt*, &c. Forma victus à duobus eſt deſumenda, ſcilicet diſtantia ſtatus, & viribus ægrotantis, quod docet Hippocrates 1. *Aph.* 9. 10. & 11. & 10. *meth. cap.* 5. quod exemplo explanat 3. *criſ.* 5. & Haly Abbas 8. *pract. vlt.* virtutem comparat expenſis, tempus peregrinationis longitudini morbi, peregrinum Medico. Igitur ſicut peregrinus debet ſibi prouidere in expenſis, ne deficiant, antequàm perueniat ad ſuam peregrinationem, non ſecus Medicus debet virtutem cuſtodire, ac conſeruare, vt ad ſtatum perueniat.

Ob hanc cauſam, de nulla alia re, Medicus debet eſſe magis ſolicitus, quàm de prænotione ſtatus, idque tribus de cauſis, 3. *criſ.* 5. Galenus confirmat: prima, quia victus ratio, in nullo morbo poteſt rectè præſcribi, abſque præcognitione ſtatus, vt ex Hippocrate, & Gal. *in cit. Aph.* conſtat euidenter. Secunda, quoniam de ſalute, aut morte ægrotantis manifeſta notitia haberi non poteſt, niſi ſtatus præcognoſcatur. Tertia, quia ſine huius cognitione, ignoramus, an futura ſit criſis, & ſi futura ſit, quando, & qualis eſſe debeat.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 589 sur 927

Non obstat primò, quòd à vigore non sumatur forma victus: nam sunt morbi qui ab initio vigent, ex Hipp. 1. *epid. sect.* 3. *text.* 10. Dic. In his morbis victus non est instituendus ab statu, sed à iudicio. Neque contrà arguas, quòd Auic. 4. 1. *cap.* 1. §. *Et quantò egritudo, &c.* loquens de morbis qui in principio florent, in iis victum instituat respiciens vigorem: nam duplex est victus, generalis, qui in omnibus morbis sumitur ab statu, in quibus à iudicio, præscribendus est. Alius est victus partialis, qui variat ad magis, & minùs, intra latitudinem vnius formæ victus, & de hac institutione particulari intelligitur Galenus, quòd in morbis qui florent à principio, desumitur à vigore.

Non obstat secundò. In febribus homotonis, quarum natura tota, status est, victus non potest institui in ordine ad statum. Dic. Institutio victus est ab statu, non excluſiuè, sed incluſiuè, & in his febribus à postrema parte status, vel media, in quibus maximè viget.

Non obstat tertiò. Cur in ordine ad declinationem non instituitur victus, si vnum est ex quatuor morbi temporibus celebratissimum: Dic. Sicut quadruplex est corporis conditio, 2. *acut.* 44. ita quadruplicem institutionem facere oportet, & cùm vna conditio sit à principio morbi vsque ad statum, sequitur quòd vna erit victus ratio vsque ad statum. Deinde victus instituitur vsque ad tempus, in quo potest deficere natura, quod est status. Insuper. Virtus in declinatione est fortior, facta collatione ad morbum, & aliquando absolutè; quare sicut est robustior, perinde nouam victus ranem expostulat. Adde quòd licèt à pugna transacta in statu, in quo fit crisis, 3. *crisi.* 5. 4. *Aph.* 22. & 1. *Aph.* 12. & à fortioribus symptomatis, quæ sunt in vigore vehementiora, 2. *Aph.* 29. & 30. lacessita, debilior videatur, tamen hæc quæ potuit concoquere, poterit deinde expulsa causa morbi, qua veluti sarcina antea premebatur, qualicunque, vel mediocri victu adiuta, & roborata, humorem noxium à se depellere. Postremò cùm victus præscribatur ad roborandum ægrotantem, vt sæuientibus periculis, & morti possit resistere, non videtur in ordine ad declinationem instituendus, quia in hac, si sit vniuersalis & vera, nullus mori potest, ex Galeno 3. *crisi. cap.* 5.

Hoc verò loco paulo obscurius dubium est expediendum: *Vtrùm certis signis Medicus possit cognoscere, num virtus possit durare vsque ad statum?* Dic, quòd virtus, seu vires, sunt facultates, siue potentiæ, quibus nostrum corpus gubernatur, & sunt causæ primæ efficientes cunctarum functionum in nobis, ex Galen. 1. *de facult. nat. cap.* 2. *ad fin. & cap. sequenti*, & 1. *simpl. cap.* 1. Auic. 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 1. Tres autem sunt principes facultates in nobis, vitalis, animalis, & naturalis, quas omnes existimauit Galenus simul cum Platone, & Aristot. esse animæ essentiam, certis organis applicitam, vt constat ex 5. *de placit. cap.* 4. & *lib.* 6. *cap.* 2. *ad initium.* Cæterùm cùm hæ virtutes corporeæ, de quibus nunc agimus, non solùm ex anima, sed etiam ex determinatis corporis partibus dependeant, quænam sint hæ partes explicandum est.

Galenus 11. *meth. cap.* 1. & 3. existimat, quòd virium substantia ex spiritu, carnosis partibus, & verè solidis consurgit, quæ tria non solùm ratione suæ substantiæ, sed etiam ratione temperamenti, vires constituunt. Cùm autem temperamentum in nobis ratione differat à potentiis, quoniam illud formam mixtionis sequitur, & repræsentat, potentiæ verò ab anima profluunt; ideò Galenus 11. *meth.* 1. affirmauit; vires posse vnà cum dicto temperamento, vel seorsim ab eo considerari, etiamsi in temperamento, millies eas constituat, vt constat ex *lib.* 7. *meth. cap.* 3.

Ergo signa, quibus cognoscimus, num virtus sufficere possit vsque ad statum, seorsim Galenus exponit, 1. *acut.* 44. & 1. *progn. com.* 8. quæ ad quatuor capita reducere videtur idem Hippocrates, 2. *acut.* 37. Primum est, robur, aut imbecillitas. Secundum, morbi species. Tertium, natura. Quartum, consuetudo. Per robur autem, non solùm facultatis vitalis intelligere oportet, sed etiam oris ventriculi, 1. *acut.* 44. *cit. ante med.* & etiam facultatis retentricis, 1. *progn. cit. ad init.* Quo pacto Galenus 1. *Aph.* 13. docet, decrepitos frequentiùs esse nutriendos. Per speciem autem morbi, peculiarem illius modum & naturam intelligit: qua ratione Galenus 10. *meth. cap.* 4. docet, in febre colliquante statim à principio esse nutriendum, concludens, *& quanto hos citiùs cibaueris, tanto magis febrem prohibueris.* Eandem rationem regio, & anni tempus habent. Per naturam intelligit temperiem, in qua significatione assumit *infrà* Hippocrates, 2. *Aph.* 34. qua ratione Galenus 8. *meth.* 8. *ad init.* docet, temperiem calidam & siccam, minùs inediam ferre, & magis ab ea lædi. Ad hoc caput reduci debet, totius corporis habitus, rarus aut densus, mollis aut durus, & etiam amplitudo venarum, siue angustia, sic etiam similiter ætas. Per consuetudinem autem in reliquis omnibus peculiare exercitium.

Et sic in vniuersum intelligere debemus omnia, quæ cibum indicant esse concedendum; contraria verò demonstrant inediam. Hac ratione Galenus *lib. de curand. rat. per sang. miſ. cap.* 9. *in fin.* ex his omnibus sanguinis extrahendi quantitatem indicari asseuerat, quod etiam docuit 9. *meth. cap.* 5. *post med.* §. *Attendenda verò cum venæ secandæ indicationibus sunt, &c.* Ob rationem quam ipse prudenter notauit, 11. *meth.* 14. ne videlicet intempestiuè, citra necessitatem vllam nutrire cogamur.

Proxima huic quæstioni est & alia, ad praxin summè necessaria: *Vtrùm facultas requisita, vt æger sufficere possit vsque ad statum, sit naturalis, animalis, an vitalis?* Dic. Omnium facultatum seruandarum debere Medicum esse solicitum, vt diserte explicat Galenus 7. *meth. vlt.* & *lib.* 9. *cap.* 10. & *lib.* 11. *cap.* 9. quibus locis, omnes has res esse seruandas, manifestè edocuit, cùm quælibet earum sit maximè necessaria ad vitam: quod etiam firmauit Oribasius, 1. *Aph.* 9. Attamen multò magis seruanda est facultas vitalis, de cuius robore Medicus summam curam habere debet, cùm hæc sit norma, & basis cæterarum; hæc enim, vt *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 1. docuit Galenus, sine aliis permanere potest, non autem è conuerso: & mediante cordis temperie, reliquæ nostri corporis partes, suas actiones perficiunt, quod Auicenna docet, 1. 1. *doct.* 5. *cap.* 4. *in med.* aliarum fundamentum illam appellans. In hunc sensum Galenus *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 5. quærit, vtrùm respiratio, ad conuertentiam cum vita dicatur: Quare 7. *meth. vlt.* maximam esse cordis, eiúsque officij dignitatem, non semel inculcat. Ob hanc causam, 1. *acut.* 44. *post med.* dicebat Galenus: *Sic sanè vnum cibandi scopum communem prorsus tum sanis, tum languentibus esse demonstrabimus, is autem facultatis vitalis custodia est.*

Si verò facultatem naturalem, cum animali conferas, hæc anteponenda est quoad præsentiam, ex Gal. 5. *de loc.* 1. & 7. *meth. vlt.* quoniam deficiente facultate animali, illicò cessat respiratio, & vita. Si tamen comparentur quoad robur, tunc naturalis anteponenda est, ex Gal. 7. *meth. cit.* Nam facultatis concoctricis, & naturalis robur, ad sanguinis optimi generationem, & causæ morbificæ concoctionem plurimùm conducit, imò potiùs ex hoc, alterum emergit dubium, quoniam hac ratione Galenus 11. *meth. cap.* 9. *in med.* §. *Nam & nunc pulſus vim, &c.* facultatem naturalem esse præferendam vitali asseuerat.

Dic tamen, quòd simpliciter vitalis facultas, generaliter cæteris est præstantior, & illis anteponenda; particulariter autem pro curatione morbi materialis, &

pro

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 590 sur 927

©BIUM

pro concoctione, & expulsione, facultas naturalis est præferenda, & hoc modo intelligendus locus, ex 11. *meth.* 9. *cit.* Ex quibus omnibus liquidò constat, facultatem vitalem esse eam, quæ præcipuè seruanda est. De hac præcipuè loquutus fuit Galenus 5. *Aph.* 6. dicens: *Non tolerante natura, longiori tempore tensionis laborem*, & lib. 7. *Aph.* 50. *in fin.* dicit: *Vires ita esse fortes, vt omnino morbum superare possint*: & alibi. Hæc etiam virtus maxima est, & quæ reliquas superat, ex Galen. 9. *meth. cap.* 13. quam ad euacuationem esse contemplandam, docuit lib. 1. *Aph.* 23.

Si verò quæras, quibus signis possimus verè cognoscere, hanc vitalem facultatem esse robustam, & posse sufficere vsque ad statum, vnum, idque potissimum proponit Galenus, quod ex pulsu desumitur, vt docuit 1. *ad Glauc.* 14. *in fin.* dum sic ait: *Virtus igitur quam vitalem vocant, quam ex corde prodeuntem ostendimus, ex pulsuum debilitate cognoscitur, &c.* Probat lib. *de curand. rat. per sang. mis. cap.* 6. §. *Porrò dispensantium nos facultatum infirmitatem, ac robur propriis indicari functionibus ostendimus: arbitrariis quidem ea, quæ in neruis, & horum principio cerebro; ex pulsu autem, ea quæ in arteriis, & corde, &c.* Repetit 10. *meth.* 3. *ante med.* §. *Et tamen quamuis hac sumpta, &c.* Quare in euacuatione, pulsum sæpe tangendum esse, illisque maximè attendendum, tanquam signo minimè omnium fallaci, docuit lib. *de sang. mis. cap.* 12. & 13. ne pro animi deliquio mors obrepat. Verumtamen cùm pulsus, præsentem solùm dispositionem indicet, cætera quæ *suprà* ex Galeni mente proposuimus, sunt etiam à Medico perpendenda, vt futurum statum præcognoscat, iudicétque num vires vsque ad statum possint perdurare; hac enim consideratione rectè intellecta, victum optimè instituet.

CAPVT VIII.

De tempore particulari exhibendi cibum in febricitantibus.

MAior est, & vindice dignior, de assignando tempore particulari exhibendi cibum in febribus, discordia: *Vtrùm in earum accessione, vel exacerbatione omnino sit interdicendus*? Elegantissimus Celsus lib. 3. *cap.* 4. scriptum reliquit, magni interesse in morbis acutis, vtrùm celeriter, & opportunè auxilia celebrentur, quia breue spatium est, in quo nisi remedia iuuant, statim iugulantur ægri, maximéque referre asseuerat, ne errores, præsertim in victu committantur, qui cùm in omnibus morbis graues sint, in acutis sunt summè periculosi, & exitiales. Id significauit Hippocrates proprio exemplo, 1. *epid. sect.* 2. *text.* 79. dicens *intempestiuè cœnauit, & obiit.* Quapropter necessarium est, vt Medicus in exhibendo victu, de tempore opportuno sit sollicitus.

Hippocrates lib. 1. *Aph.* 11. sic ait: *In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.* Id significauit etiam 1. *acut.* 46. dum sic ait: *Tempus autem dandæ sorbitionis, tum per initia, tum per omnem morbi decursum, hoc maximè seruare oportet. Nam si pedes frigidi fuerint, non à sorbitione modò, verùm quoque & maximè à potu temperandum; at cùm caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit.*

Causa est in promptu: Nam eo tempore, humores ab ambitu corporis ad centrum refluunt, qui suffocantes calorem, respirationem intercludunt, ac distento hypochondrio pectus opprimitur, & calor cordis æstuat, & increscit, protrahitur accessio, augetur causa morbi, & natura circa coctionem alimenti occupata, à coctione humoris peccantis distrahitur, qui derelictus à regimine naturæ ampliùs putrescit, & febrem vehementiorem accendit. Ob hæc meritò Galenus affirmat, *cit.* 1. *Aph. cit.* quòd *neque cùm iam adsunt accessiones, neque cùm haud ita multò pòst affuturæ sunt, cibus dandus est, sed cùm declinant, aut cessant.*

Ergo in febribus continuis, quæ continentes sunt, cibus est offerendus secundùm consuetudinem, tempore scilicet, quo in sanitate cibari consueuerant, vel secundùm facilem tolerantiam, aut hora diei magis temperata, vt notauit Rasius 9. *ad Almans. cap.* 5. atque iuxta vnam, vel alteram indicationem, hoc modo cibus est offerendus.

In continuis quæ exacerbationes habent, vel intermittentibus, cibus in declinatione, aut interuallo accessionis exhibendus, iuxta legem traditam ab Hipp. 1. *acut. cit.* reliqua verò paroxysmi tempora, in hunc vsum sunt inutilia, quare in illis interdicendus cibus, 4. *acut.* 39. Sunt enim tunc vires à vehementia symptomatum oppressæ valde, sed expectandum, vt caliditas ad pedes descendat, hoc est, transmutetur calor ex thorace, & partibus superis ad inferiores.

Ab hoc præcepto excipe calidas, & bilioſas naturas, quæ denegato alimento exiccantur, & excandescunt, in quibus durante rigore potiùs, quàm post febris inuasionem, ægros esse nutriendos, posito celebri exemplo docuit Galenus, 10. *meth. cap.* 4. §. *Sin duæ horæ ab initio inæqualitatis interpositæ sint, nutries tunc quoque, modò horror adhuc duret.* Hac ratione 1. *ad Glauc.* 14. in accessione, micam panis vino adstringente delibutam, offert iis, qui ob calidum, & siccum temperamentum summè resoluuntur, & ob spirituum & sanguinis tenuitatem, in syncopen facillimè incidunt. Hi sunt picrocholi, & infœlices à natura, quibus stomachus amara bile redundat, & os ventriculi maximè sensile est, & ob hanc causam cardiogmo, & animi deliquio sunt opportuni, in quibus Auicenna 4. 1. *cap.* 20. §. *Subtilitatem verò sensus, &c.* ante febris inuasionem, buccellam panis concedit, omphacij succo irroratam. Hoc enim modo, humidum nutrimentale liquidius calorem in se susciplens, retrahit actionem illius à membris solidis: Vt enim *loc. cit. meth.* idem dicebat Galenus, corpora calida sicca cùm febricitant, oportet viribus esse valentibus; *his enim aduersissima res, inedia est, & febrium paratissima causa*: quare in iis, in declinatione exhibendus cibus, non expectato interuallo, quia febris non cessat, nisi oblata esca, ex Galen. 10. *meth.* 4. §. *In nullo namque squallido affectu commodè finitur accessio, priusquàm ex humido victu humectatio accesserit.*

Dic vlteriùs. In accessionibus, in quibus interuallum inter vtramque accessionem fuerit amplum, opportunius tempus ad cibum offerendum, est interuallum, quàm declinatio, quia tunc æger à præternaturali febris calore liber, perfectiùs concoquit. In iis verò accessionibus, in quibus paruum est interuallum inter vtramque, potiùs in ipsa accessionis declinatione, quàm in interuallo, cibus est concedendus, 1. *acut.* 46. & 4. *text.* 39. Si enim expectetur interuallum, cùm paruum sit, alter paroxysmus recurret repleto ventre.

Vtrùm verò *in declinatione prioris accessionis, in continuis per subingressum, sit porrigendus cibus*? maior est difficultas: Si enim in declinatione prioris accessionis, cibum exhibeas, occurret alia accessio, ventre pleno; si verò longissimè ab vtroque tempore nutritur æger, cùm declinationis tempus breue sit, necessariò in statu accessionis concederetur cibus, contra Hippocratis præceptum *suprà citatis locis.*

Galenus 11. *meth. vlt.* proponit, & soluit quæstionem hoc modo: Contemplari debet Medicus affectum, naturam affectus, & morem principij, seu rigoris; si enim adest inflammatio in ventriculo, iecore, aut

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 591 sur 927

quouis viscerum præcipuo, tunc neque in principio, neque iuxta illud offerendus cibus: in hac enim determina accessionis parte, sanguis & spiritus, vnáque humores conuolant ad viscera,& superuenientibus vomitu,& aluifluxu, corrumpitur cibus. Quare si declinatio valde propinqua est principio alterius accessionis, minùs noxium est cibum præscribere in statu præcedentis accessionis, quàm in declinatione ipsius.

Est etiam considerandanatura affectus:si enim vehemens est,& intensus febrilis calor, periculosum est cibum in vigore exhibere, magisque præstat in principium alterius accessionis incidere; quia cùm vigor sit vehementissima accessionis pars,& adsit intensus calor, cibus ab eo aduritur,& corrumpitur,& hac ratione febris accrescit nimis, ægétque, acriori facto calore, sensim in hecticam labitur, extenuato corpore, cùm partes inflammatum sanguinem renuant prorsus, & denegato probo sanguine, extenuentur, & contabescant.

Est etiam considerandus mos principij,& rigoris futuri:nam quando accessio est compressa, quia tunc cum sanguine & spiritu, ad partes internas recurrunt noxij succi,incommodum est in initio cibum exhibere; quando est compressa, & non multùm vrget, tunc in principio æger cibandus. Vnum sciendum, nullam posse præscribi methodum certam, qua veluti manu ducti, tempus cognoscere possimus, in quo ante accessionis inuasionem,cibus citra noxam possit concedi; hoc enim ex cibi quantitate,& virtutis robore emanat: ille enim si sit tenuis, & quantitatis paruæ, virtúsque concoctrix robusta, breui tempore conficitur; si verò contrà, longo.

Sed breuiter soluenda est obscura antinomia,ex cuius extricatione superior doctrina de exhibendo victu,fiet mgis dilucida, & clara: *Vtrùm natura exhibito alimento, à coctione causæ morbificæ possit distrahi?* Galenus 1. *Aph.*8.sic habet: Quòd *vbi morbus in suo rigore consistit, victu tenuissimo vtendum est, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionem. Neque enim distrahere oportet naturam, ad alteram nouam coctionem, cùm eo tempore, vni humorum morbum facientium fortiter vacet,& haud ita multò post ipsos sit euicturæ.* Nam quando Medicus conatur, vt natura concoquat humorum copiam, alimentum ægrotanti negat,ne videlicet natura ad cibum recenter assumptum distrahatur, quod fit quando pars chyli quæ in iecore est, vel iuxta ipsum, cùm multò faciliùs in sanguinem conuerti possit,quàm pars putridi humoris,vel iam putrescentis; ideò ad cibum se conuertit natura, & à putris humoris abstinet coctione, quem, antea quàm haberet in quod ageret, ad benignum reducere conabatur. Ob hanc causam in accessionibus cibum interdicendum esse, toties confirmant prisci in locis dictis.

Verùm hoc creditu videtur difficile:Nam vel natura distrahitur, quia facultas concoquens,existens in illa parte,in qua reperitur morbus,vergit ad aliam partem, ad concoquendum cibum: At hoc est impossibile, cùm illa vnicuique parti naturaliter conueniat. Ergo ab vna parte in aliam mutari non potest. Neque naturam distrahi existimes, quoniam calor innatus, ab vno loco confluit ad alium: cùm ille, mediante quo facultas concoquens,& aliæ operantur, sit insitus,& in quocunque loco sedem suam habeat. Neque rectè dubium extricabis,si asseueres distrahi naturam, quoniam calor influens, suas opes ad vnam partem transmittit, aliis omissis: nam ille in omnes partes quoquouersum, secundùm earum indigentiam distribuitur.Ergo Galeni doctrina non potest admitti.

Dic. Distrahi naturam, nihil aliud esse, quàm calorem influentem non ita vires suas partibus transmittere, vt erat necessarium, pro actuatione caloris innati. Hoc autem quadrupliciter contingere certum est. Primò propter motum corporis, huius enim ratione calor non influit ad internas partes,vt debebat,sed ad externas: hac ratione in motibus corporeis, partes calidiores sunt,sicut in vigilia.

Secundò distrahitur natura,ob motum animæ, vt patet in studio, & cogitatione fixa, quibus siquis nimiùm sit intentus, calor influens conuolat ad caput, & officinas coctionis deserit; qua ratione post prandium vel cœnam, curæ, solicitudines, mœstitia, cogitationes noxiæ sunt, & in ventriculo cruditas superuenit, quæ est omnium morborum causa,atque origo.

Tertiò distrahitur natura, quando maximus dolor in corpore sæuit, vrgétque acutie sua, vel adest vehemens inflammatio; tunc enim sanguinem, & spiritum confertim ad partem affectam transmittit natura, vt tantis malis opem ferre possit, & ita calor influens à partibus sanis distrahitur ad ægras. Non enim in dolentem partem solùm ex vicinis sedibus succi decumbunt, sed etiam ex longinquis: nam propter innatum quendam consensum, cæco impetu, partium omnium facultas, ad excernendum id quod infestat, magno conatu insurgit, vt 13. *meth. cap.*5. & alibi sæpe prædixit Galenus.

Quartò distrahitur natura, quando vitiosis humoribus in corpore existentibus, cibus offertur, ad cuius, tanquam suauioris coctionem se conuertit, & ex illo sanguinem generatum, vt magis probum, ad sui nutritionem partes attrahunt, relicto noxio, quem naturali appetitu respuunt,& solùm coactæ necessitate, tempore indigentiæ amplectuntur. Quare in statu vniuersali morbi, vel particulari accessione,cibum ægrotanti non concedas, vel parcissimum offer, ne ad nouam coctionem alimenti,naturam distrahas, quæ semper fertur in id quod melius est. Verùm quæres: cur non æqualiter natura in noxium humorem, & cibum operatur? Dic. Hoc euenit ob obiecti varietatem: sicut enim ignis faciliùs comburit stupas, vtpote paratissimas, quàm ligna, eadem ratione natura ad chylum concoquendum, qui à calore natiuo faciliùs permutatur, quàm putris humor, faciliùs se conuertit.

CAPVT IX.

De numero & ordine cibationis.

Vtrùm in febricitantibus varius sit ordo in assumendo cibo? Dic primò.Si virtus est debilis,& adest morbus ex defectu, vel corruptione humorum, quantitas diuisa ægris est concedenda,hoc est,parum, & sæpe,1. *Aph.* 17. *Parum, quoniam virium imbecillitas non potest simul totam multitudinem alimenti sustinere: sæpius, quia multis indiget dispositio.* Si enim cum virium debilitate, ex immoderato fluxu v. g. oborta, expostulante adiectionem, alimentum in maiori quantitate, quàm calor pusillus & imbellis coquere possit, concedas,lædes vehementer, nam exhibes obiectum improportionatum calori coquenti, & hac ratione naturam fatigas, citra vtilitatem vllam, alimenta enim non se concoquunt, vt 7. *meth. cap.* 6. *ante med.* eleganter Galenus aduertit, dum sic ait: *Si enim nutrimentum ipsum, seipsum concoqueret, ac in partes digereret, præterea alendis partibus assimilaret, & quibus alimento plurimo est opus, adhæresceret, procul dubio maximè nutriente cibo esset opus. Verùm,quoniam non aliud est, quod nutrimentum desiderat, aliud quod ipsum conficit,sed quod nutriendum est, ipsum sibi & nutrimentum attrahit, & mutat, & concoquit, & adiungit, & assimilat: ad duo nimirum nobis, in opportuno cibo eligendo, spectandum esse dictat, vnum ipsius cibi naturam, alterum, vires sas proprias, insitáque.* Itaque ex his illud patet, nec planè quod maximè nutriat, optimum esse

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 592 sur 927

iis corporibus, quæ refici magis egent, vtpote quibus concoquendi facilitas non est; nec etiam quod facillimum concoctu est, cùm scilicet ipsum nequeat maximè esse nutriens, &c.

Dic secundò. Quando virtus constat cum corporis inanitione, vel humorum corruptione, multa alimenta, & sæpe sunt concedenda. Hoc verò præceptum, de illis ægrotis intelligatur, qui subitò ob aliquam vacuationem sanguinis, alui, &c. sunt extenuati: Nam defectus, citam, & multam alimoniam expostulat, quam robusta natura transmutare potest, qua plurimum, & sæpe offerendum nutrimentum, ex Galeno 2. *Aph.* 7.

Dic tertiò. Quando virtus est debilis, & neque reperitur defectus, neque corruptio, & alimenta ob accessionem non possunt concedi, tunc rarò, & plurimum offerendum nutrimentum: plurimum offerimus, etsi vires non ita sint valentes, ratione accessionis, quoniam aliud tempus non ita idoneum adest, ad exhibendum cibum; rarò, quia non indiget dispositio.

Dic quartò. Si vires sint fortes, cum plethorica dispositione, rarò, & parum offerendus cibus. Parum, non ob debilitatem, quia cùm sit robusta, multum potest tolerare, sed vt remoueatur illa plethorica dispositio; qua etiam ratione, rarò exhibendum alimentum, ne corrumpatur: nam impura corpora quantò magis nutris, tantò magis lædis.

Dic quintò. Tempore æstatis, parum, & sæpe offerendum. Illud, quoniam vires debiles ex æstu, calore ambientis, resolutione spirituum, sudore multo, propter denique noctes breues, plurimam alimoniam tolerare nequeunt. Sæpe, quia dispositio quæ hoc tempore in corpore reperitur, adiectionem expostulans, multis indiget.

Dic sextò. Tempore hyemis, plurimum, & rarò offerendum alimentum. Illud, quoniam vires hoc tempore fortiores, & ventres hyeme calidissimi, vigent, & valent, & rectè conficiunt. Rarò, quia dispositio corporum, ob minorem resolutionem, frequentem ciborum administrationem non exoptat.

Dic septimò. In veris medio, seposita consideratione de principio illius, & fine, quia tunc habita ratione ad æstatem, vel ad hyemem, sunt concedenda alimenta, cùm principium vnius temporis coincidat cum fine alterius, 4. *acut.* 1. parum, & rarò exhibendus cibus, sicut conceditur in plethoricis. Parum, quia humores concreti per hyemem, funduntur, liquantur, & aduentante calore feruent, & ebulliunt: quare si hoc tempore plurimam offeras escam, in plethoricam dispositionem corpora labuntur. Rarò, quia ita ob minorem resolutionem corporis dispositio expostulat.

Dic octauò. In autumno, quia ob æstatem præteritam, corpora sunt repleta prauis humoribus, ob fructus assumptos, caloris innati resolutionem, ac debilitatem, ob exercitium immodicum, si virtus est valida, plurimum, & sæpe offerendum: illud, quia virtus ipsa potest concoquere; sæpe, quoniam ita expostulat corporis affectus. Si virtus fuerit debilis, parum, & sæpe offerendus cibus, nam vires imbelles plurimam alimoniam conterere non valent.

Dic vltimò. Quod suprà assertum est de temporibus, idem asserendum de ætatibus, regionibus, & consuetudine: quoniam pueris plurimum, & sæpe offerendum, validè enim resoluuntur, & virtus eorum est fortis; senibus, ob contrarias causas, parum, & rarò. Dummodò non sint constituti in ætate decrepita: nam tunc parum, & sæpe concedendus cibus: ita in aliis ætatibus sentiendum est, proportione seruata. Ex quibus patet, cum Galeno *loc. cit.* semper alimenta concedenda esse, habita ratione morbi, & virtutis.

Sub numero cibationis, vel vtendi modo, etiam comprehenditur ordo, & varietas, quæ seruanda est in assumendo cibo, ita vt alimenta facilioris coctionis assumantur priùs, subsequantur crassa: de qua quæstione satis multa *lib. 2. Hist. Princ. Med. Hist.* 80. protulimus, quo loco de varietate, & voluptate, quam debemus sæpe concedere ægris, cum Hippocrate *lib. 2. Aph.* 38. *Parum deterior cibus, aut potus, suauior tamen, minùs nocere solet*, commemorationem satis amplam fecimus: aliquando enim ægrotis gratificandum, vt multò meliùs obtemperent Medico, vt scitè prædixit Senex, *lib. 6. epid. sect. 4. text.* 8. quo loco lege, num in ægris copiosior debeat esse cœna, an prandium.

CAPVT X.

De potus vsu, & vtilitate in febricitantibus.

DE potus vsu, & vtilitate in febricitantibus, plura *lib. 2. Histor. Princip. Medicor. in com. Histor.* 54. nunc quæ magistra lectio nobis suppeditauit, aperieriemus. In febribus aquæ frigidæ potum, strenuum præstare auxilium, si tempestiuè offeratur, pluribus locis fatetur Galenus: firmat Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et non prohibeas ei aquam frigidam:* Nam frigidus potus, summè aduersatur febri, eius vim refrænat, arida membra humectat, sitim mulcet, bilioſi humoris acrimoniam retundit, somnum procurat, ventriculum præ calore debilem recreat, viscera refocillat. Ex iis patet, maximè esse accusandum Erasistratum, qui, monente Galeno 3. *acut.* 42. ægrotantes siti cruciabat.

Si enim potus vsum in febribus contempleris, ex omni haud aspernandam sequi vtilitatem inueniesː triplex enim est potus, permixtiuus, delatiuus, & sedatiuus sitis. Ille permiscet, & liquat alimenta in ventriculo, qui non post cibos, sed simul cum illis paulatim est accipiendus, sic enim alimenta permiscentur magis. Alter potus est, qui alimenta defert, & non offerendus, antequam cibi sint concocti. Postremus sedat sitim, & cum cibis, & post cibos potest assumi.

Incipiente coctione, sitis solet superuenire, quæ quando leuis est, qualis sæpe euenit, incalescentibus & exiccatis, ex euaporatione alimenti, his partibus, per quas humor defertur, tunc non est vtilis potus ad sedandam sitim, sed potiùs somnus; hic enim humectat, & iuuando coctionem, efficit vt alimentum ex ventre descendat, & cesset euaporatio, quæ sitis causa erat. Hoc modo quando aliquis à somno excitatur, & sitim leuè patitur, non debet bibere, quia vigilia illius sitis est remedium, cùm distributionem alimenti adiuuet, & euocet calorem ad partes externas, ex Hip. & Galeno 6. *epid. sect. 3. text.* 23.

Quando vehemens sitis est, qualis accidit ob potus defectum, aut vni meracioris potum, aut salsamenti calidi vsum, tunc somnus non potest esse remedium sitis: quare cùm ob molestiam sitis, non obrepat somnus, concedendus est potus, quoniam defectui succurrere, & excedentem caliditatem corrigere, theorema est receptum à Galeno 5. *Aph.* 27. & 6. *epid. sect.* 4. *com.* 17. Si autem ex vētriculi affectu, aut iecoris, aut totius corporis calida & sicca constitutione, sitis emanat, in exigua quantitate, ad leuandam sitim, & molestiam auferendam, offerendus potus, vt Galenus 7. *meth. cap.* 6. admonuit, & Auicenna notat 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *post med.* & 8. *sequenti, post princip.* Quo loco de siti mendosa agens, post cibos assumptos, præcipit vt vrgente siti, os frigida abluatur; quæ si non sit satis, ipsius tantillum paulatim

paulatim, veluti sugendo, per vas angusti orificij deglutiatur, vt diutiùs frigiditas, & humiditas aquæ, in partes oris, & gulæ intimiùs penetrare queat. Ex hac doctrina colligitur, non citra rationem, febrientibus clamosa siti vexatis, concedi posse, vt os gelida irroretur, & ex ea gargarismus parari possit, vt in curatione febris ardentis, *tetrab. 2. serm. 1. cap.78.* notauit Aëtius.

De aquæ potu vsque ad satietatem, plura controuertunt prisci, vnanimiterque affirmant, illam esse concedendam in febribus, qua oblata natura recreata, & robustior facta, peccantem humorem per vomitum, & sudorem propellit. Hoc præceptum, opere ipso obseruauit Galenus, *lib.9.meth.cap.5.* & *11.meth.9.* in curatione febris continentis: & *lib. de caus. procatarct. cap.1.in med.* in hujus rei confirmationem, Gorgiam testem adducit, qui sæpe se viderit, in febre ardenti, magna cum vtilitate propinasse, & *lib.de consuetud.1.* Quare 4. *acut.12.* totam spem profligandæ febris ardentis, in potu aquæ ad satietatem vsque reposuit, modò non sit exitialis affectus: qui enim lethaliter laborant, nec potu frigidæ, nec alio præsidio consanescunt, quia morbus superauit naturam, quæ vbi victa fuerit, æger postea remedium non habet, vt 4. *acut.* 22. docuit Hippocrates.

Verùm cùm sint plura, quæ obstant argumenta, dubitandum: *Vtrùm aquæ potus, vsque ad satietatem, securè in febribus possit concedi?* Nam si in aliqua febri prodesset, id esset maximè in ardenti febre biliosa. Sed huic nocet, ex Hippocrate 3.*acut.*40. vbi biliosis aquam denegat. Ergo. Deinde si concederetur, esset ad sedandam sitim. Sed hanc vtilitatem non præstat, ex Hipp. ibi; *nec sitim sedat.* Insuper si propinanda est, eo tempore esset, quando euidentes sunt concoctionis notæ, & febris salutem pollicetur. Sed tunc frustra offertur, & non sine formidine magni momenti. Igitur fugienda est.

Quartò: Auicenna 13.3. *tract.5. cap.15. de anxietate ventriculi*, affirmat, aquam frigidã non esse bibendam, sed calidam, quia conturbat, lædit, & auget febrim. Præterea. Aqua frigida propinanda est, vt Auicenna docet *loco cit.* §. *At fortasse conuertitur in phlegmaticam, &c.* vel vt febris sanguinea, vel biliosa transmutetur in pituitosam, quæ maiores inducias præstat; vel vt expellatur materia noxia per sudorem, vomitum, vrinam, ventris fluxum. Sed neutrum est verum, quia nec sanguis, nec bilis possunt mutari in pituitam, cùm coctum non possit incrudari; nec aqua virtutem habet soluendi ventrem, nec prouocandi sudorem, aut aliquam vacuationem, vt docet Hippocr. 3.*acut.cit.* §. *Neque sputum educit, neque aluum deiicit, neque vrinas mouet, &c.* Et in febre sanguinea, non solet sanguis vtiliter, aut vomitu, aut alui fluxu, aut vrina expurgari. Vltimò. In nulla febre conuenit, quia in diaria non est opus refrigeratione tanta. In hectica non potest tolerari, sine magno vitæ periculo, ob maciem, extenuationem, & imbecillitatem summam: neque in putrida febre, vt *suprà* probauimus. Ergo, &c.

Verùm Galeni doctrina est amplectenda: Plurimi enim ex hoc potu mirificè adiuti sunt, si offeratur cum conditionibus positis à Galeno, 10.*meth.cap.5.* quas nos *lib.4. Hist. Princip. Medic. in com. Hist.11.* latè exposuimus. Ergo pro solutione primi argumenti, dubitandum: *Vtrùm aqua in febribus exhibita, in bilem transmutetur?* Dic. Verum esse, vt Hippocrates docet, aquam frigidam, suum officium & vsum habere, in solis morbis acutis, non tamen omnibus, neque quouis tempore, præcipuè verò in biliosa febre, quando apparent concoctionis notæ, & copiosa sumitur. Sententia autem illa Hippocratis *loc. cit. acut.* quòd aqua in biliosis est biliosa, triplicem sensum habere potest. Primus adducitur à Tralliano *lib. 6. cap. de victu pleuriticorum*, asserente illam non esse biliosam, sed sua frigiditate, & humiditate illi repugnare, sicuti aqua repugnat igni. At cùm non nutriat, nec humectet substantificè, inedia ratione, corpus amarulentum & siccum reddit, sanguine excalfacto, & in bilem mutato. Si igitur aqua cum cibis offeratur, biliosa non est.

Alter sensus est Auicennæ, 1.4.*tract.4. cap.4. de cura febris pestilentis*, asserentis, quòd aliquando aqua plurima exhibetur in febribus calidissimis, est valde iuuatiua, quia febrim extinguit; contrà autem si offeratur in quantitate pauca; tunc enim acrimoniam acquirit, & febris caliditatem accendit: instar aquæ, quæ si proiiciatur pauca in fornacem, calorem auget; si plurima, & copiosa, ignem & flammam extinguit.

Postremus sensus est, vt aqua, siue in magna, aut parua quantitate offeratur, non sit biliosa: nam aqua non transit in bilem, hoc enim est impossibile, quia aqua est simplex, bilis autem mixta & composita, Præterea cùm flaua bilis, igni sit proportionalis valde, sicut aqua non transit in ignem, nisi mediante aëre, sic aqua non potest transire in bilem, nisi mediante sanguine: quod si affirmes, committes absurdum. Dicitur ergo biliosa, quia cùm sit tenuis, & facilè alterabilis, quando flaua bilis in ventriculo, iecore, & venis abundat, illius qualitates acquirit, & licèt essentialiter transmutata non sit, saporem tamen, colorem, & reliquas qualitates bilem consequentes repræsentat.

Solue secundò. Quando sitis ex abundantia caloris in ventriculo, & his partibus quæ ad os pertinent, ortum ducit, tunc aqua est optimum præsidium. Si verò ex calore totius emanet, cùm illa difficulter distribuatur, & diu in ventriculo immoretur, tunc sitis citiùs leuatur aqua decocta cum aliqua re calefaciente, aut vino permixta; modò actu offeratur frigida, tunc enim promptiùs penetrat, & vini tanquam vehiculi ope faciliùs permeat. Quare aqua vino permixta, citiùs, & magis refrigerat, quàm aqua sola, ex Galeno 10. *simpl. cap.5.* Deinde quando sitis, ex humidi roridi inopia ortum ducit, illi aqua remedio non est, nec enim nutrit, aut humectat substantificè. In hunc sensum intelligendus est Hippocrates, dum aquam, sitim non sedare asseuerat.

Solue tertiò. In febre calidissima, apparentibus signis perfectæ coctionis, aqua frigida vtiliter, & sine timore potest offerri, vt breui iudicetur febris, & certior sit salutis spes; nam si morbus, in sanitatem iturus est, debet concoqui, & excerni, vt 2. *progn.67.* notauit Galenus. Si igitur humor est crudus, & natura non molitur crisim, Medicus aliquam artificialem tentabit, vel medicamento expurgante, vel potu aquæ frigidæ, vt morbi causa radicitus eximatur.

Solue quartò. In febre pituitosa, vel melancholica, aquæ frigidæ potus, vtilis non est, neque in magna, neque in parua quantitate, nec in prandio, nec in cœna, neque permixta cum syrupis, neque cum aliis medicamentis, quæ ad mitigandam sitim, & retundendam caliditatem offerri solent, quia auget putredinem, cruditates, & obstructiones, & viscera lædit: Nec in febre biliosa, vel sanguinea, quando humor vitiosus in ventriculo, præsertimque in eius tunicis impactus est, quia ob potum aquæ magis imbibitur, sed vtilis est aqua calida, non quæ actu sit calida, aut tepida, sed quæ nullo artificio sit refrigerata, aut cum aliqua re calefaciente decocta.

Quintum argumentum expostulat, vt breuiter in dubium vertamus: *Vtrùm ob potum aquæ, febris biliosa, aut sanguinea possit degenerare in pituitosam?* Dic. Tribus modis hoc potest contingere? Primò, quando vigente febre æstuosa, refrigerantia conceduntur in excellenti gradu, vt viscerum cauma mitescat, ac temperetur: tunc enim in ventriculo, iecore, & venis crudorum succorum copia increscit, & hac ratione cessante

febre

febre sanguinea, vel bilioſa, ſuperuenit pituitoſa.

Secundo modo hoc euenire poteſt, quando ſimul abundant flaua bilis, & pituita, & accenditur febris priùs in bile, vtpote inflammationi magis parata, deinde verò in pituita. Hoc ſuppoſito, cùm bilis tenuis ſit, facilùs concoquitur, aut reſoluitur, & videtur quòd febris bilioſa muretur in pituitoſam, cùm ſæuiora ceſſent ſymptomata, quæ bilioſum humorem ferè comitantur.

Tertio modo hoc obſeruari ſolet, quando ſola flaua bilis redundat, quæ cùm immodicè refrigeretur, pituitæ conditiones & qualitates acquirit: quamuis enim tunc eſſentialiter in pituitam non tranſeat, tamen ob refrigerationem, craſſitiem & lentorem admittit, & calorem atque acrimoniam amittit; ob quas qualitates, non de tertio in tertium, ſed ſingulis diebus, inſtar febris pituitoſæ, ſuas facit acceſſiones. Hoc modo intelligendus eſt Galenus, quando *6. epid. ſect. 6. com. 6.* phrenitidem permutari in lethargum aſſeuerat.

Sextum argumentum ſolues, ſi affirmes, quòd licèt aqua virtute aliqua medicamentoſa prædita non ſit, tamen cùm recreet naturam calore æſtuante oppreſſam, hæc potentior, & alacrior facta, per ſudorem, peccantem humorem detrudit, imò per vrinam, ventrem vtrumque, & ſanguinis è naribus profluuium, ob eandem cauſam.

Vltimum argumentum ſolues, ſi affirmes, in febre hectica, aquæ frigidæ potum eſſe vtilem, in ſui principio, quo tempore æger viribus valet, largáque ſanguinis copia in corpore eſt congeſta, citra extenuationem euidentem. In ſecunda tamen, & tertia ſpecie nocet eximiè, ob maciem, & imbecillitatem ſummam, vt Galenus firmat *lib. de marcore, cap. 7. in princip.* In febre diaria iuuat aliquando, quum ex ira, inſolatione, ebrietate ortum ducit; huius enim potus beneficio, ſpiritus inflammati temperantur, & eorum caliditas excedens retunditur, ebullitio coërcetur, & inordinatus eorum motus refrænatur. Num verò in magna quantitate ſit concedenda, & an affatim, vel paulatim, *lib. 4. Hiſtor. Princip. Medicor. Hiſtor. cit.* diſceptauimus.

CAPVT XI.

De tempore exhibendi potum.

SEquentes ordinem commodum, poſteaquàm *in ſuperiori capite* diximus de aquæ vſu, & vtilitate, agetur nunc de tempore offerendi potum. *Vtrùm in febribus continuis, aqua potus ſit concedendus, in declinatione, vel ſtatu?* Reſpondet Hippocrates *lib. 1. acut. text. 46.* in hunc modum: *Tempus autem dandæ ſorbitionis, tum per initia, tum per omnem morbi decurſum, hoc maximè ſeruare oportet. Nam ſi pedes frigidi fuerint, non à ſorbitione modò, verùm quoque & maximè à potu temperandum: at cùm caliditas ad pedes deſcenderit, tunc dare expedit.* Ex qua docta verborum ſerie conſtat manifeſtè, tempus opportunum in intermittentibus febribus, & in continuis ad exhibendum potum eſſe declinationem. Loquutum autem fuiſſe de continuis *in citato contextu* Hippocratem, patet ex verbis ab eo *infrà* prolatis, §. *Sanè tempus valere admodum, putandum, cùm in morbis omnibus, tum præcipuè in acutis, & potiſſimùm quibus febris vehementior ſubierit, periculóſque ſummum.*

Quòd autem declinatio ſit tempus magis accommodatum ad exhibendum potum, conſtat, quia tunc viſcera meliùs habent, & calor ad extremas partes iam eſt expanſus, plurimáque humoris peccantis portio, facientis acceſſionem, eſt conſumpta; quo tempore, extincto calore febrili, & frigiditate, ac humiditate potus recreata natura, potentiùs reliquias humoris expellit per ſudorem. Hoc ſignificauit Hippocrates, dum dicit: *Cùm caliditas ad pedes deſcenderit*, quoniam, vt Galenus aduertit *in com. Acceſſionis principium ſit, calore omni, toto ex corpore ad cor, thoracémque concurrente: incrementum, cùm paulatim ad extremas corporis partes ſeſe expandit: ſtatus, cùm ex æquo totum occupat corpus. Verùm declinatio contrarium principio modum habet, perſpirante ſcilicet caliditate, atque medium corporis relinquente.*

Potus aquæ, in principio maximè nocet, etſi calore ad internas partes reſtagnante, viſcera exardeſcant, ſitíſque vrgeat vehementiſſima; & etiam in augmento, licèt in hoc minùs: Si enim his temporibus, aquam concedas, reſolutionem humoris impedis, & es in cauſa, ne calor febrilis ad partes externas poſſit expandi, & cùm interiora humore vitioſo ad ventriculum, primámque regionem concurrente occupentur, aqua corrumpitur, & materia peccante crudiore reddita, viíſque præ frigiditate conſtipatis, acceſſiones producuntur.

Hanc ſententiam etiam confirmauit ipſe, *4. acut. text. 40. in fin.* dum ſic ait: *Quam ſi pedibus frigentibus, aliquando quis biberit, ea his omnibus multò magis nocebit:* frigent autem non modò in principio, ſed adhuc in augmento acceſſionis. Hanc methodum approbat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 79.* qui ob dictas cauſas in declinatione particulari offerendum potum aquæ frigidæ ſibi perſuaſit.

Quare in ſtatu adhuc interdicendus aquæ potus. Neque obſtat, quòd Aëtius *cit. loco* in vigore propinat, præſertim ſi fuerit interpolata bilioſa, edoctus à Galeno *2. criſ. 3.* dicente: *Tempus bibendi, in paroxyſmis tertianæ exquiſitæ, eſſe, quum calor æqualiter quoquouersùs expanditur, nihilóque plus thorax extremitatibus calet:* quod tempus vigoris eſt. Nam hi auctores non ſunt intelligendi de declinatione, cùm in ea, extrema plus thorace caleant, iuxta mentem Galeni, *1. acut. 46.* qui declinationem tunc eſſe affirmat, quando perſpirat caliditas, atque medium corporis relinquit. Ergo interpretandus venit Galenus, de vltima vigoris parte, quæ coincidit cum declinationis principio, *4. acut. 1.*

De quantitate exhibendæ aquæ, certum ſit, non eſſe offerendam vſque ad ſatietatem, quia hæc copia ſolùm in ſtatu vniuerſali conceditur, humore omni ex parte concocto. Si verò ad hanc menſuram accedas, noxas inemendabiles facies; refrigerato enim ventriculo, & iecore, humoréque craſſiore reddito, prorogatur febris, & hydropis, alteriúſue morbi chronici imminet periculum. Ergo affatim offerendus hic potus, vt notat Galenus *lib. 8. de marcore:* explicuit *1. acut. 43. Cùm ergo febris fuerit, conſtante virtute, tunc non ſolùm non offendes dans frigidam, verùm & iuuabis abundè. Potio autem frigidæ huiuſmodi tanta ſit, quantum frigidæ aquæ æger inſpirando haurire poſſit.* Quare intellexit moderatam quantitatem, quæ paulò maior ſit conſueta, & ad libram vnam vſque accedit. Num autem in morbo, vel ſanitate vtilior ſit potus pluuialis aquæ, an fontanæ, acriter ventilauimus *lib. 1. Hiſt. Princip. Medicor. Hiſt. 7.*

De viño, num poſſit in febribus concedi, vetus eſt quæſtio, eam ſedauimus cum Galeno *lib. 4. Hiſtor. Princ. Med. in com. Hiſt. 9.* quo loco album, aquoſum, tenue, cocto humore, in declinatione poſſe offerri; vinoſum verò, flauum, fuluum, eſſe noxium determinauimus. Si tamen vltrà pergere inſiſtas, num vinum pomatum, hoc eſt, ex pomorum ſuccis prælo confectum, febrientibus vtile ſit: Reſpondeo, hunc potum factum ex acidis pomis, febrientibus ſalubriter poſſe concedi; ſi enim defæcatum ſit, & diu in doliis ebulliat ac ferueat, muſti inſtar, nec caput ferit, nec flatus parit.

De cereuiſiæ potu maior eſt lis, & controuerſia:

Vtrùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 595 sur 927

Vtrùm in curatione febrium possit admitti? Inter varias opinantium ambiguitates asſero, in omnibus febribus, tutò posse concedi, potus loco, si sit tenuis, ex electo hordeo, & optimo lupulo parata, à sordibus munda, diu in doliis reseruata, non condita aromatis, quæ febrem accendere nata sunt, & caput feriunt, non sit recens, sed in qua crassa hordei pars, & lutulenta ad imum vasis resideat.

Timent plures eius potum, quia tum flatus generat, tum inflammat ob lupulum: Sed errant, nam inter coquendum illi euanescunt, & hac ratione frigiditate sua febribus curandis est vtilis valde, & præter iucunditatem, & consuetudinem, ob quam septentrionalis plagæ incolæ, eius potu assiduo, mirum in modum delectantur, etiam nutrit: quare est alimentum medicamentosum, & æstiuis febribus valdè proficuum.

Neque lupulorum caliditas est tanta, vt febrem, exacerbet, nam præterquam quòd lupuli salictarij flores in parua quantitate aquæ permiscentur, in tenui, & imbecilli cereuisia, quare frigida euadit & humida, superante in illa aquæ qualitate, ac substantia, cùm parum hordei sit admixtum, euadit potus tantisper amarus, cuius ratione, ventriculo flaccido, debilibúsque visceribus firmitudinem conciliat.

Plurimas autem, eásque non aspernabiles esse lupulorum vires, pro curandis febribus, præsertim chronicis, roborandis viribus, aperiendis obstructionibus, leuiter mouenda aluo, procuranda lætitia, veteres vnanimiter confirmarunt: Nam lupulus moderatè refrigerat, sanguinis ardores compescit, stomachi inflammationes sedat, ex sero potus, bilem regio morbo laborantibus detrahit, pituitam in vetustissimis morbis, tunicis vasorum pertinaciter adhærescentem, clementer educit per aluum. Deinde eius succus fronti illitus, in capitis dolore, qui medium capitis occupat, summè prodest, & obstructionibus remedio est; quare eius infusum, aqua ex eius floribus extracta, syrupus ex eius succo confectus, pro febribus, cuiuscunque generis illæ sint, prosunt eximiè, sicut & cereuisia, quam similes effectus præstare, experimento diutino compertum est.

Sed vltimo loco supereſt de potu, & cibo dubitatio perpulchra: *Vtrùm plures errores ab agris, & sanis, in potu, vel cibo committantur?* Dic. Non solùm febricitantes, sed etiam sani, in potu magis delinquunt, quàm in cibo: homo enim inter animalia cætera, plurimo potu vtitur, multo enim calido innato abundat, quod potionem in magna quantitate efflagitat. Hinc fit vt ob immodicam humiditatem, morbis ex putredine maximè sit obnoxius.

Consequenter quæres: *Vtrùm peccatum in potu sit deterius, quam in cibo?* Respondet Celsus *lib.* 1. *cap.* 2. in hunc modum: *Sæpe siqua intemperantia subest, durior est in potione, quàm in esca.* Licèt plures corrigere conentur locum, legentes pro verbo, durior, [*tutior.*] Sed errant, primò, quia immoderantia potionis ferè maior est, cùm multùm grauet potio ventrem. Secundò. Quoniam potio magis opponitur innato calori, ex cuius copia citiùs extinguitur calor, quàm ab esca, ignis instar. Tertiò. Multus potus incoctilis est, & vix à natura superatur, imò est in causa, vt alimenta non coquantur, quia interponitur ipsi alimento, & ea reddit lubrica ante coctionem. Hinc fit, vt quò magis homines abstinent à potu, eò viuant salubriores, & minùs morbis obnoxij.

Sequitur ordine, tertia dubitatio: *Vtrùm immoderantia in aqua sit deterior, quàm in vino?* Dic. Aqua magis lædit omnia membra, dempto capite: vinum enim caput magis prosternit, atque fatigat, quàm cæteras partes, ex Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 8. *Et scias, quòd maius nocumentorum non est, nisi in ipso cerebro:* firmat Galenus 5. *Aph.* 5. dum sic ait: *Repletis neruis talis conuulsio fit. Solet autem facillimè eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturam; talis siquidem natura, promptè omnia subintrat, cùm præsertim non admodum crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia, vinum neruis affert conuulsionem.* Causa facilis est: aqua enim frigiditate sua moratur in ventriculo, mole sua coctionem perturbat, respirationem compresso septo transuerso impedit, demum innatum ignem suffocat, atque extinguit. Vinum si est vetus, etsi inflammat, citò resoluitur, nec eius noxa diu durare potest in partibus inferis, promptè enim secedit per vrinam, & distantes partes penetrans, abit in sudorem, nec ita calori innato opponitur. Si est nouum, & non integrè coctum, citiùs per ventrem descendit.

CAPVT XII.

De Somno.

ORitur hoc loco non contemnenda dubitatio de somno: *Vtrùm in omni tempore febris, vtilis sit?* Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. tribus propositionibus concludit, quo tempore somnus in febribus sit prohibendus, aut admittendus. Quarum prima est. In principio febris, somnus prohibendus est, maximè quando annotatio est compressa, vel simul inuadit cum vomitu, vel alui fluxu, vel adest inflammatio in viscera. Huius triplex est ratio: prima, quia quando inuadit cum rigore, horrore, & refrigeratione, hæc symptomata prorogantur, vt febris vix ad statum perueniat. Secunda, quia somnus exprimit humores versus viscera, & fluxum humoris auget ad interiora. Tertia, quoniam ex somno, humores non concoquuntur, sed incocti, deteriores redduntur. Secunda propositio. In declinatione somnus concedendus, quia iuuat. Tertia propositio. Quando somnus fit in statu, non solet nocere, sed prodesse, & ideò est permittendus.

Sed hæ propositiones, subiectæ sunt infantiis multis. Nam ex opposito docet Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 49. dicens: *Somnus, qui fit in principio febris, salubrior est:* & paulò *infrà* subdit: *Et in principio febris fit, & non ita nocet:* Nam symptomata quæ apparent compressa, non prorogantur, sed cessant omninò, cùm per somnum, perceptio mordicationis humoris etiam cesset: quare Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 12. *de regimine rigoris superflui*, docet, succurrendum esse medicamentis opiatis, quæ somnum conciliare nata sunt.

Secundò. Somnus sistit fluxiones, & euacuationes cohibet, quia quieti similis est, 4. *Aph.* 14. & 15. & 2. *acut. vlt. in fine*, Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 13. *de his quæ proueniunt ex somno, & vigilia.* Igitur non auget fluxum humoris commoti ad viscera, sed potiùs cohibet, & immobilem reddit.

Tertiò. Somnus concoquit, vigilia digerit, 12. *meth.* 3. *in med.* retracto enim, & vnito calore in partibus intimis, non solùm coctio, quæ fit in ventriculo, & quæ fit in iecore & venis, sed quæ in singulis partibus, perfectiùs fit, cùm calor naturalis, naturalium actionum sit opifex, ex Galeno 3. *de caus. puls.* 9. & 6. *epid. sect.* 4. *com.* 13. & 1. *Aph.* 15. Igitur somnus non prohibet coctionem, sed promouet; quare in omni tempore morbi, vtilis est.

Quartò. Somnus non solùm nocet in principio, sed in statu, & declinatione: Nam in illo tempore nocet, quia caloris distributionem ad partes externas, & causá accessionis impedit resolui. Sed somnus hoc etiá efficit in statu, & declinatione. Ergo sicuti nocet in principio, sic etiam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 596 sur 927

etiam in ſtatu,& declinatione, imò cùm virtus ex præcedentibus temporibus magis ſit reſoluta, & laceſſita, noxam tolerabit minùs.

Antequàm hæc diſſoluas, Nota primò, ſomnum in acceſſionum principio, ſemper lædere, & non prodeſſe, quia tunc virtus valida eſt, & cauſa acceſſionis integra, & nondum euacuata, nec extenuata; ob quam cauſam, neque retractione caloris, aut vnione eget; quinimò ſi tunc retrahatur, propter multitudinem humoris, opprimitur magis virtus, & calor plus redditur præter naturam, & ob commercium humoris & vaporum inquinatur, & hoc modo prorogatur febris; quia illius cauſa non diſſoluitur, quinimò remanet in corpore fixa, & radicata nimis, cùm non exhalet ad exteriora.

In declinatione ſemper iuuat, vires enim ex præcedentibus temporibus diſſolutæ, & fatigatæ nimis, quietem, & firmitudinem deſiderant. Præterea acceſſionis cauſa iam eſt ſuperata, liquata, & in vapores conuerſa, qui cùm ſint diſperſi ad partes externas, & diſtent à partibus præcipuis, minùs poſſunt retrahi. Si igitur tunc ſomnus ſuperueniat, vires recreat, cùm iam detracta ſarcina non opprimantur, quin retrocedente ſanguine, & ſpiritu ad interiora, collectæ, & vegetiores factæ, febrem finiunt, aut reliquias humorum ſtrenuè conterunt.

Somnus eueniens in ſtatu, anceps eſt: nam aliquando prodeſt, interdum nocet, quod ex varia corporis diſpoſitione, & diuerſitate febris emanat. Si enim corpus eſt calidum & ſiccum, reſolutioni paratum, tunc ſomnus in ſtatu acceſſionis, vtilis eſt: humectat enim, reficit vires, & acceſſionem breuiorem reddit. Contrà ſi corpus ſit calidum & humidum, denſi habitus, ſomnus eſt inutilis, tunc enim neque refectione, neque humectatione opus eſt, imò eo ſuperueniente, cauſæ morbificæ reſolutio impeditur, & ſtatus cum declinatione protrahitur. Sic ſentiendum eſt pro diuerſitate febris: Si enim humor magis peccet quantitate, quàm qualitate, qualis eſt pituitoſa, melancholica, aut tertiana notha, tunc ſomnus non prodeſt, ſed nocet. Contrà ſi peccet humor, & qualitate plus vrgeat, quàm quantitate, vt febris bilioſa orta ex ſyncera bile, quæ tenuitate, caliditate, acrimonia premit, ac virtutem fatigat, tunc ſomnus, proficuus. Idem pronunciandum eſt de poſtrema parte incrementi, quam principij naturam repræſentare, certum eſt.

Nota ſecundò. Somnus in principio neque pernicié, neque aliquod graue ſymptoma, vt Gal. ait 2. *Aph.* 1. ſed ſolam prorogationem febris minatur, quia naturam principij æmulatur, & eſt illi proportionalis valde: ſicuti enim in principio, calor ad interiora retrahitur, ſic ſomnus accidit ob motum caloris ad intima, vt eo loco Galenus affirmat, & docet Hippocrates 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 13. *& ſect.* 5. *text.* 30. At illa noxa, quæ ex ſomno oritur, exigua eſt, & non eſt poſitiua, ſed priuatiua, cùm ad abſentiam vtilitatis vigiliæ ſequatur, vt Galenus docet *in com.*

Quando ſomnus in declinatione non iuuat, noxa non eſt priuatiua, ſed poſitiua; non enim ſolùm protrahitur febris, ſed intenditur & exacerbatur: & ſi inflammatio viget, aut fluxus fatigat, tunc hæc omnia exaſperantur valde, & ſymptomata ingraueſcunt, vt dolor capitis, delirium, ſopor, anxietas. Hoc modo in ſtatu, & in poſtrema parte augmenti, præſertim in declinatione, quando ex errore in victu non contingit, nec ob alterius acceſſionis complicationem, & profundus eſt, & perſeuerans, perniciem minatur: nam ſiquo tempore aliquid ſolet eſſe vtiliſſimum, tunc non prodeſt, mortem portendit, vt 2. *Aph.* 1. Galenus affirmat: vel enim retroceſſum humoris maligni ad partes internas ſignificat, velut in bubone maligno, febre peſtifera, & in cachexia quotidie experimur; vel humorem veneno-

A ſum deliteſcentem portendit, qui à calore naturali non ſuperetur, aut dometur, nec gratiam naturæ poſſit comparare, deterior redditur, halitúſque tranſmittens ad partes principes præcipuéque in cerebrum, veternum concitat, aliáque pernicioſa parit ſymptomata, quæ naturæ debilitatem morbíque victoriam planè oſtendunt, & de hoc ſomno Hippocrates intelligendus, 2. *Aph.* 1. dicens: *In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale.* Non enim de ſomno in principio acceſſionis, nec de eo, qui affectus ſoporoſos comitatur, eſt interpretandus, tunc enim non minatur, cùm ſit proportionalis, nec de eo, qui ex errore concitatur, ſed propter cauſas traditas. In hunc ſenſum poteſt explicari doctrina Auicennæ, 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. §. *Et quidam humorum ſunt, &c.* Quòd
B quando humores maligni, in profundo corporis latent, ſolent manifeſtas malignitatis ſuæ notas prodere, non per vigiliam, nec per leuem ſomnum, ſed per profundum; tunc enim ſummè feruent, extenuantur, agitantur, & ob validam retractionem caloris, & vnionem, vapores eleuantur, qui facultates principes diuerſimodè premunt, atque fatigant.

Nota tertiò. Hæc doctrina non ſolùm de temporibus particularibus cuiuſcunque acceſſionis, ſed de vniuerſalibus eſt intelligenda: in principio enim, quia oppreſſa eſt natura, minùs conuenit ſomnus, magis in augmento, & multò magis in ſtatu, & maximè in declinatione; eius enim ope vires reficiuntur, humoris reliquiæ coquuntur, & abſumuntur. Hæc eſt cauſa, ob
C quam longiſſimus ſomnus conceditur in declinatione; in principio admodum breuis, in mediis temporibus mediocris. Quòd ſi in ſtatu, ſudor immineat, aut erumpat, ſummopere iuuat ſomnus, ſi præcedant concoctionis notæ; ſomnus enim omnes vacuationes cohibet, excepto ſudore, quem magis prouocat, vt ex mente Auicennæ, *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. hiſt.* 77. latiùs controuertimus.

His prænotatis, quæ Auicennæ mentem prorſus illuſtrant: Dic ad primum argumentum. In acceſſionis principio, quando ſuperueniunt ſomnus, rigor, horror, & refrigeratio, hæc non intenduntur, aut prorogantur, ſed ceſſant, ablato ſenſu; ſolùm enim cauſa febris, & illorum ſymptomatum, produci videtur, & impedita reſolutione, vix peruenit vſque ad ſtatum. Et ſicuti nomi-
D ne doloris ſæpe Hip. & Gal. cauſam doloris intelligunt, ſic nomine rigoris, aut horroris, cauſam horum ſymptomatum ſubintelligunt. Ad locum Auic. 2. 4. Dic, quòd ſomnus qui fit in principio, dicitur bonus, tanquam ſignum, quoniam minorem læſionem ſignificat, quàm in reliquis, & hoc etiam ſignificabat paulò infrà, quum dicebat: *In principio ſæpe fit, & non nocet, ſicut in ſtatu*, vt paulò antea ipſe confirmat, quia tunc valde nocet, & multò magis in declinatione ipſa.

Dic ad ſecundum. Verum eſt, ſomnum humorum fluxiones ſiſtere, cùm quieti ſimilis ſit, licèt non omni ex parte: in ſui enim principio, humores mouet ad partes internas; in fine pro motu caloris ad extimas
E detrudit. Quia tamen in ſomno, motus ceſſat arbitrarius, & ſenſus, facultas expultrix operatur minùs, non enim niſi præcedente irritatione agit, & cùm motus agitet, & humores turbet, & hæc agitatio ceſſet, ideò vacuationes coërcentur, præcipuè quæ ſenſu, & motu voluntario perfici ſolent, qualis per vomitum, aluum, vrinam celebrari conſueuit: ſola illa quæ fit per ſudorem, per ſomnum augetur, tum ob plures cauſas, citato *Hiſtor.* loco notatas, tum quoniam expurgatio ferè omnium recrementorum cohibetur, vt docet Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 68. & difficilior fit reſpiratio, donec recrementa vaporoſa, & fuliginoſa in interioribus detenta calefiant, extenuentur, & in vapores conuertantur.

Dic ad tertium. Verum eſt in ſomno calorem retrahi, & vniri, non tamen ſemper corroboratur, interdũ enim

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 597 sur 927

magis opprimitur, magísque fit præter naturam; simul enim cum sanguine, & spiritu, vapores praui remeant cum humore multo, ad partes intimas, ex quorum miscella, & commercio natiuus deterior fit, & ampliùs inquinatur: & quia in declinatione, humor iam maximè est imminutus, & extenuatus, à fonteque caloris nimis distans, ob retractionem, calor non parum læditur, quinimò ex hac vnione, in interioribus robustior fit, & ideò iuuat, & non lædit. Hoc modo soluitur postremum argumentum. Ex quibus constat, quomodo somnus iuuet in statu. De somni vsu, vtilitate, loco, effectibus, & differentiis, lege quæ diximus, *lib. 1. Hist. Princ. Medic. Hist. 14. & lib. 6. Hist. 2.*

CAPVT XIII.

De Motu, & quiete.

SEquitur vt de motu, & quiete disputetur: *Vtrùm motus & quies febricitantibus conferre possint?* Dic. Motum, laborem, & exercitium febricitantibus aduersari summè: hi enim quietem desiderant, & ex motu, corpus nostrum diuersimodè alteratur, quia calefit, vel refrigeratur, humectatur, aut exiccatur, vt firmat Galenus *in art. med. c. 85.* Neque ob hæc semper motum calefacere existimes, quoniam aliquando refrigerat, & humectat, vt *2.1. doct. 2. c. 12.* firmauit Auicenna: & hoc accidit ex modo motus, vel ex loco in quo fit; si enim immoeratus fuerit, resoluit, & quia attenuat sanguinẽ, & spirituum absumit, ex consequenti refrigerat. Hoc modo in febribus, absumpto calore natiuo ab ardenti calore, frigida respiratio redditur, vt docuit Hip. *6. epid. sect. 4. text. 30.* & in acuta febre, frigidus erumpit sudor, *4. Aph. 37.* Ex loco: nam qui in aqua mouentur ampliùs frigescunt, & humectantur. Quare motus omnis febrientibus noxius est: nam moderatus calefacit, immodicus resoluit, & frigefacit, corpúsque debile extenuat, atque tabefacit, calorem acriorem reddit, spiritus inflammat, & extinguit. Ex iis fit manifestum, iure Hip. condemnasse Prodicum, qui cursibus, ac exercitationibus internecabat febrientes. Sic enim ait Hip. *lib. 6. epid. sect. 3. text. 31. Prodicus febrientes interficiebat cursibus, luctationibus, fotibus calidis. Malum febriculosum inimicum fami, circuitibus multis, cursibus, frictioni.* Et Gal. *in com.* sic respondet: *Quòd autem febricitantibus, & deambulatio, & cursus, & fotus calidus, & luctatio vndique calorem in corpore augentes, officiant, neminem eorum, qui in artis exercitatione versati sunt, præterit. Prodicus verò non rationalem modò auxiliorum inuentionem, sed etiam empiricam obseruationem ignorare videtur. Negat enim ratio, laborem labori mederi, hoc est, noxæ noxam, & malo malum: nam contraria, non similia infestanti vitio adhibere auxilia conuenit. At ille similia adhibere videtur, siquidem & ambulationibus, & luctationibus, & frictione, & fotu calido, & fame vtitur, &c.*

Igitur motus febrientibus est nocentissimus, quibus conuenit iacere in lecto, & quiescere: nam quies infrigidat, & vt *cit. loc.* firmat Auicenna, humectat, & similis est somno, *4. Aph. 14. & 15.* tum quia prohibet caloris augmentum, tum quia detinet superfluitatum vacuationem. Neque obstat celebris auctoritas Auicennæ, *3. 1. doct. 2. cap. 1.* dicentis: *Et dimittens exercitium incidit in hecticam.* Quare Hippocrates *3. de med. officio, text. 28.* dixit: *Vsus roborat, otium tabefacit*: & Celsus *lib. 1. cap. 1.* pronunciat: *Labor firmat, otium eneruat.* Quod *cit. lib. com. 32. §. Plerumque igitur, &c.* ratione confirmat, & experimento. Dic tripliciter. Primò. Auicenna loquitur de statu sano, in quo dimittens exercitium consuetum incidit in morbos, & hecticam. Secundò. Sicuti motus primariò calefacit, ex accidenti verò refrigerat, sic quies primaria ratione infrigidat, ob causas dictas; aliquando tamen ex accidenti calefacit, cum humiditates excrementitias coërceat, in quibus putredinosus calor excitatur, qui solidis membris communicatus tandem hecticam gignit. Tertiò. Auicenna eo loco agit de hectica senectutis, quæ non est febris, sed frigidus affectus, vt *lib. de marcore, cap. 4.* Galenus affirmat.

CAPVT XIV.

De clystere, & glande.

ANte phlebotomiam in febribus tantopere vtile, necessarium esse clysteris vsum, si methodicè, & legitimè curandum est, monet Gal. in locis multis, quos citauimus *lib. 3. Hist. Princ. Medic. Hist. 30.* quo loco de eius vtilitate & differentiis satis plura. Illud hoc loco inuestigandum: *Vtrùm clyster admixto sale in febribus imperandus?* Lenitionem ventris esse necessariam in febribus putridis veteres confirmant, quia cùm febricitantes iaceant in lecto, & fæces propria grauitate non descendant, caloréque febrili indurentur, fit vt vsu clysteris foràs trudantur, ne retentæ, & maiore concepto calore, difflari prohibitæ, ampliùs inquinentur, & putrescant. Præterea. Intestina non solùm recrementa ventriculi, sed iecoris, & totius corporis solent excipere, vt monuit Galenus *2. progn. 14.* Quare si hæc clysteris ope non excernantur, præ mora detenta, acrimoniam concipiunt, febrem augent, suo tetro vapore caput concutiunt, & varia symptomata inducunt. Insuper si qui humores vitiosi in intestinis, & venis mensenterij sunt impacti, putrescentes chylum corrumpunt. Hi enim licèt non sint causa febris potissima, solent tamen morbum fouere, & irritare, qua de causa symptomata deinde succrescunt horrenda, & timoris plena,

Clyster ergo hac de causa efficaciam maximam habet, in curandis præsertim venosi generis morbis. Vtimur deinde eo, ad discutiendos flatus, ad sedandos intestinorum dolores, acres humores contemperandos, interficiendos vermes, reuellendos ad inferas partes humores, vniuersum corpus vacuandum, abstergenda intestina, agglutinanda vlcera intestinorum: ferè tamen in febribus vtimur ad febrilem calorem attemperandum, concilitandum somnum, & nutriendum; potissimus tamen est illius vsus in febribus, ad emolliendas fæces, atque ad abstergendos, & expurgandos humores intestinis adhærescentes.

Hi duplicem differentiam sortiuntur: alij vocantur communes, quia communes habent intentiones intestinis necessarias, qui vim habent emolliendi, abstergendi, & expurgandi, & parantur à Galeno *11. meth. 9.* ex aqua, oleo, & mulsa, & ab Auicenna *1.4. tract. 2. cap. 7.* ex decocto maluarum, betæ, oleo rosac. violac. sacharo & sale.

Rogabis, num sal miscendum in clystere. Dic. Si methodicè curatio debeat institui, in febribus salis vsus cum abstergente decocto permixti, commodiùs omittitur, & maximè vbi addantur soluentia clysteri: citra sal enim magis moratur, & reducitur ad actum in intestinis. Solùm enim sal iuuat in iis, qui moram clysteris non tolerant, vel ad stimulandam, & irritandam facultatem expultricem, si modò hæc sopita sit. Hac ratione. Galenus *8. meth. 5.* pro cruditate curanda, cum abstergente clystere non miscet salem, quoniam eo loco coctionem corrupti alimenti procurat, cuius exitum non vult accelerare, antequàm sua sponte ad intestina descendat.

Si

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 598 sur 927

Si verò à febrili æstu eleuantur flatus, hoc vtere artificio. Primò. Minùs flatus pellitur per vtrem, quàm per syringem. Secundò. Oportet vt percepto flatu in vtre, molliter aperto ore sinatur exire, solet enim ascendere. Tertiò. Maneat in vtre quarta pars liquoris maximè flatulenta, vtpote suprema. Quartò. Omnium artificiosissimè. Constructur canalis vtris diuisus in medio pariete, modo explicato ab Auicenna, *16.3.tract.4.cap.11.in principio.*

Adde aliam quæstionem vtilem in praxi: *Vtrùm clysteres acuti aliquando infundendi in febribus?* Solue hoc modo. Acres clysteres non solùm ex intestinis, sed vniuerso corpore vacuant, & à superioribus partibus reuellunt, & parari solent ex decocto Betæ, Mercurial. Sem. Carth. Polypod. & electuar. aut pilulis scammonium recipientibus. Solent etiam fieri ex decocto Vetatri, Turbith, Colocynthid. Centaur. minoris, quorum vsus reprobandus est in febribus acutis, debilitat enim maximè, & perducit ad febrem, vt *1.4.tract.2.cap.* 18. docuit Auicenna, præsertim in febris principio, quando humor est crudus. In declinatione tamen concocto iam humore interdum prodesse solet; maximè si vacuandus humor, intestinis vicinus sit, & non sit vehementer impactus, veluti si inflammatio partem cauam iecoris occupet, vt *13.meth.cap.15.* Galenus admonuit. Solet etiam commendari, quando in febribus supervenit sopor, Apoplexia, aut alius similis affectus, vel in intestinis crudorum humorum copia stabulatur, qui neque concoqui, neque aliis lenioribus enematis possunt vacuari. Simili modo quando aluus nimis est adstricta.

Et sicut ad vsum clysteris communis, statum virtutis, aut ætatem contemplari non oportet, quoniam in decrepitis, pueris recenter natis, debilibus, securè potest administrari, sic ad vsum clysteris acuti valida virtute opus est, vt *lib.1.de rat.vict.text.45.* notauit Hippocrates: *At si nuper cibato cibus prior non descenderit, virtúsque valida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet.* Quod etiam profert, *lib.de medicament.purg.in fin.* cùm hic à remotis etiam partibus vehementer attrahat, validè irriter, vires dissoluat, & alterando spiritus syncopen inducat. Quapropter cogente necessitate, ratione alicuius superuenientis symptomatis, in acutis infundi debet. Hoc præceptum obseruauit Auicenna, *1.3.tract.2.cap.* 26. quo loco curaturus sodam ex vulnere, vel percussione, sic inquit: *Si autem illicò est repletio, oportet vt vtaris clysteribus acutis, saltem cum pulpa colocynthidis, verumtamen si habuerit febrem, tunc clysteria æquabis,* id est, remittes caliditatem, medicamenta permiscendo, quæ caloris febrilis æstum contemperent.

At video te obiicientem hoc modo: Si clysteres ex mente Gal. non transcendunt cæcum intestinum, vt *5.meth.11.* & *lib.13.cap.17.* & *4.Aph.12.* prædixit Gal. §. *Quæ infusa sunt, ea omnino ad ieiunũ vsque ascendere non possunt, imò etiam si admodum nitraris, fortasse tenue tãtùm intestinum contingant:* quomodo à capite, & partibus distãtibus reuellere possunt? Dic. Clysteres vi infusi liquoris, hoc est, communicatione substantiæ ipsius decocti, cæcum intestinum non transcendunt, communicatione tamen vaporum, qui ad longinquum permeant, ex toto euacuãt, similiter successione ad id quod vacuatur; qua de causa reuellunt à capite potentissimè, ex Auic. *4.1.c.17.* imò Gal. *2 sec.loc.c.1.* hos nõ solùm alui excrementa deponere, sed etiam quæ circa hepar sunt, & adhuc longiùs ex toto euacuare, manifestè asseruit, quod *4. acut.20.* etiam confirmat. Quinimò infusa per clysteres sæpe tanto impetu, ad partes superiores ascendunt, vt per vomitum reiiciantur, similiter vt stercus in lethalibus ileis, *6.de loc.2.6. Aph.44.7. Aph.10.3. epid. sect.2. com.6.3.de nat.facult.13.*

Dilucidanda etiam est alia dubitatio: *Vtrùm febriens ad recipiendum clysterem debeat esse supinus, an ad latus decumbens?* Clysteris quantitas nec debet esse magna, nec parua, sed moderata, quæ à duodecim vnciis extenditur vsque ad viginti quatuor, & hæc ex varia corporis mole solùm est desumenda. De situ dubitant auctores: Auic. situm commendat supinum, & quando aliqua pars dolet, in latus dolens debet æger reuolui. Aliqui addunt, vt eleuentur crura, hoc enim modo clyster facilius ascendit. Alij imperant, vt ægrotus iaceat super latus sinistrũ, sic enim promptius, & facilius communicatur liquor, quàm si decumbat super latus dextrum, putant enim tunc clysterem subsistere in recto intestino. Plerique cum Rasio arbitrantur, ægrotum debere decumbere super latus sinistrum, puluinari sub coxa reposito, vt hæc altior sit ventre, & crure sinistro distante, & crus dextrum est eleuandum, & flectendum versus ventrem, hoc enim modo citiùs ascendit in intestina, & versus omnem partem accedit. Meo tamen iudicio multò securiùs, modò supinus, modò pronus, vel in latus dextrum, aut sinistrum reuoluetur, modò placidè fiat, nec ante tempus egrediatur clyster.

De clystere nutriente in febribus, esset retexenda oratio, ni de eius vsu copiosa facta esset mentio, *lib.1. Hist.Princip. Med. Hist.9.* Hic enim in famelicis, exhaustis, debilibus, conualescentibus, grauidis vtero suffocatis, syncope prehensis, vomitabundis, & fastidio oppressis, miro est ex vsu: partes enim exuccæ & inanitæ auidè liquorem attrahunt ad sui refectionem. Nec mirum: nam famelicus ventriculus non solùm clysteres, sed venenosos etiam humores, & fæces interdum prolectat, vt ex illis aliquid nutrimenti haurire possit.

De Glandibus consequenter disceptandum: *Vtrùm eæ maiores vires efflagitent, quàm clysteres?* Respondet Hip. *lib.1.acut.45.* dicens: *At si nuper cibato cibus prius non descenderit, virtúsque valida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet, si verò virtus imbecilla fuerit, glande est vtendum.* Qui de acuto clystere est intelligendus, qui vt diximus valenter attrahit, perturbat, resoluit, & labefactat vires.

Neque ob hæc existimes, veteres solùm clysteribus acribus fuisse vsos, qua ratione ad horum vsum validiores debent esse vires, quàm ad glandes, quoniam illos cognouisse lenes, & communes vocatos, certum est. Aëtius enim *tetrab.2.serm.2.cap.* 10. & Paulus *lib.1.cap.* 44. parant ex hordeo, oleo, melle, & decoctione maluarum. Imò Galenus *8.meth.5.* ex sola mulsa, & oleo conficit, ad emolliendas, & abstergendas fæces; in quem vsum similem infundendum curat, *9.meth.11.* in febribus putridis. Quare si clyster acutus comparetur cum glande acuta, vel enema lene conferatur cum clementi glande, semper minùs virium robur pro glande, quàm pro clystere est necessarium: glandes enim ad colon intestinum non ascendunt, & ob hanc causam minùs turbant, quæ etsi vapores in totum corpus emittant, non ita tamen vt clysteres alterant.

Sunt autem glandes, penicilla, quæ ano subiiciuntur, Græcis Balani, vel suppositoria dicuntur. Conficiuntur lenes, mediocres, acres. Illis vtimur, vt notat Paulus *lib.1.cap.45.* stercoris excernendi gratia, & in quibus id, quod per clysterem inditum est, non egeritur. Finguntur ex radice betæ, melle, suillo adipe, sale, sicu inuersa, butyro. Hoc remedium in febribus est vsitatum valde, in quibus, irritationis maioris causa, etiam mediocribus vtimur, quæ parantur ex melle solo, adiecto salis momento, vel permixta aloë, hiera picra simplici, vel agarico. Acres cùm fiant ex validis medicamentis purgantibus, recipiãtque nitrum, euphorbium, colocynthidem, scammonium, fortes vires expostulant, & à distantissimis partibus strenuè, vel humores tenaces, & crassos reuellunt, & attrahunt. His vtimur in cerebri, pectoris, intestinorum affectibus grauissimis, vt apoplexia, epilepsia, Cephalalgia, difficultate respirãdi,

colico dolore,& iliaco, & aliis. Ab his in febribus cauendum, ni aliquod supereueniat symptoma, in quod curantis consilium dirigi debeat, vt in soporiferis capitis affectibus,quando in febribus valde ardentibus materia ad caput facilè rapitur. Similes,sed mitiores effectus præstant Globuli, & noduli, quòd rotundum ani musculum minùs lacessant, irritent, vel rodant, cùm non ita sint dolorifici, vt qui non diu ei adhæresçant, sed penitus delabantur,digito indice impulsi. Eorum vsus ad excrementa educenda vtilis est.

CAPVT XV.

De Phlebotomia.

NOn solùm cuncti ferè Medici consúmati,& docti, verùm è media plebe homines proletarij, inscij, & amusi, vel experimento ipso edocti, sibi persuasere semper, inter generosa medica præsidia nullum esse præstantius,aut ad omnes ægritudines curandas efficacius, quàm sanguinis missionem:de cuius vsu in plurimis morbis,déque eius scopis,etsi tam multa proferant magna argumentorum contentione auctores omnes, & nos habito respectu ad putridas febres, *lib. 4. Hist. Prncip. Medic. Hist.* 9. plura simus præfati, tamen tria solùm inquirenda modò. Primùm: *Vtrùm in omnibus febribus sanguinis missio vtilis sit?* Pro parte negatiua non inualidæ adsunt rationes: Nam in diaria,quis audebit sanguinem mittere, cùm humoris sit expers, & alteratione solùm sit vtendum,quæ spirituum calorem attemperet,eorúmque furiosos motus compescat? Deinde in febre hectica,noxia est, quia calor præternaturalis non est radicatus in humoribus,sed solidis, & corpus renutritionem desiderat, non inanitionem. In putrida febre,multoties sanguis non est mittendus: nam putredo sanguinis missione non curatur, 11. *meth.* 14.& in quotidiana sanguinem non extrahit, 1. *ad Glauc.* 12. & Auicenna in ea emittit,si vrina sit grossa,& rubra, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 56.&in tertiana notha non semper, *eo.* *lib. c.* 10.sed adhibita distinctione multa,vt si adsint plenitudinis signa.Præterea Galenus *lib. de ven. sect. aduers. Erasist.* 6. non omnes febres in principio esse curandas venæ sectione asseuerat.Et 12. *meth.* 3. in syncopali sanguinem non educit:sicut 1. *ad Glauc. c. de tertiana exquisita*,venę sectionis non meminit. *Et lib. de const. art. med.* 19.solam plenitudinę venæ sectione persanat, reliquos ab ea diuersos humores,vacuatione, & alteratione. Vltimò Auic. 4. 1. *c.* 20. in febribus magnæ rarefactionis, quales sunt ardentes, sanguinem non esse vacuandum imperat,ne æger ad cholericorum ducatur ebullitionę.

Verumtamen in omnibus febribus venæ sectionem posse esse ex vsu,& præsertim in putridis,in quibus celebratur frequentissimè, extra rationem non est: nam venæ sectio refrigerat quia calidam substantiam educit, 10. *meth.* 10. Leuat naturam sarcina,& onere oppressam,vacuata plethora;quare 11. *meth.* 15. Saluberrimum censet in omnibus febribus venam scindere, non continuis modò, verò in omnibus aliis quas putrescens concitat humor. Ventilat deinde sanguinis missio corpus,viscera deobstruit, reuellit, & fluxurum fluentémque humorem aliò auertit. Euacuat denique è trunco corporis:quare in morbis vasorum,& in inflammationibus internis præcipuam potestatem obtinet.

Sed quoniam pluribus in locis, de eius præstantia diximus apprimè, ad dissoluenda argumenta accedamus.In diaria mittit sanguinę Galenus,non omni,quia quæ ex inflammatis spiritibus ortum ducit, sponte sua citra magni auxilij opem, facilè resolutis spiritibus, & vel sola alteratione euanescit, sed in ea quæ ex obstructione ortum ducit.Sic enim inquit *lib. 8. meth. c.* 4. *Sed quæ ex parua oritur obstructione,ea (vt dictum est) saltę inter initia similis diariis est: Protracta tamen inclinatione, suspecta redditur,quamuis putredinis indicia in pulsu adhuc non appareant, quippe nisi vitiosus succus penitus transpiret, necesse est putrefiat. Ergo vt transpiret, maiore iam auxilio est opus. At siquidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet;inter has ætates, vbi ægro robur non deest, secanda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint.*

In hectica potest etiam sanguis emitti in principio, quando vires valent, & larga adhuc sanguinis copia in corpore est contenta,ad cauma viscerum temperandũ, præsertim si ad ardentes febres subsequatur,ex quibus iecur redditum est squalidum,& igneum. Deinde in hectica complicata cum putrida,hanc enim 10. *meth.* 5. & 1. *feb.* 10. concedit Galen.) sanguis mitti tutissimè potest:priùs enim curanda est putrida,sanguinis missione, & purgatione, quàm hectica adiectione. Præterea si in phthisi sanguinem emittendum suadet Galenus, 5. *meth. cap.* 14. à quo affectu febris est inseparabilis, & hectica,& virium robur magis imminutũ,quàm in hectica, cur in incipiente hectica aliquando venæ sectio, ad maius periculum euitandum, non administrabitur? Sic enim ait Gal. *Quicunque parum habere sanguinis videbuntur, iis ad quenãe succum probiorẽ (sicuti prædiximus) reductis, detrahere sanguinem poteris, tum rursus reficere: eosdem etiam rursus purgare, ac rursus reficere, denuoque si res suadet, sanguinem mittere, potissimum quibus vehementi limus vitiosus, & crassus totus est sanguis. At qui validi sunt, multique sanguinis, iis statim à principio est detrahendus.*

Ad aliud dic,putridinem non sola sanguinis missione curari, sed licèt alia expostulet remedia vacuantia, & abstergentia, tamen illi phlebotomia semper est ex vsu. Si verò 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. in febre putrida sanguinem non emittit,quando vrina est ignea,& citrina, eã omnino non prohibet,sed solùm docet, apparente virium robore cum vrina rubra,& crassa, sanguinem audacter esse extrahendum;non sic, quando vrina citrina est,& ignea: quoniam illa superabundantis sanguinis est indicium,qui magis copiosam vacuationem efflagitat;vrina verò citrina,bilioſi humoris est germen,in cuius præsentia cum maiori cautela secanda est vena,quia timetur victoria bilis, & illius efferuescentia. De quo argumento pro Auicennæ tutela, lege quæ diximus *lib. 1. Hist. Princip. Medic. Hist.* 63.

Ad id verò quod dicebat Auicenna *loc. cit. c.* 55. respondet:Non esse tunc sanguinem mittendum, quia ex copia succorum crudorum, virium timetur debilitas, præcipuè quia plerumque tunc sanguis bonus, est in pauca quantitate,vitiosi autem humores, in multa. Dic deinde Galenum *aduersus Erasist.* solùm reprehendere Medicos,qui in principio omnium febrium, indistinctè sanguinem emittebant.In syncopali verò febre,hoc auxilium interdicit, quia in hac vires debiles præsidia vacuantia non tolerant,& citra vacuationem,in syncopen facilè incidunt. Præterea 1. *ad Glauc.* non fecit commemorationem, de mittendo sanguine,in tertiana exquisita,quia in eo libro, medicamenta prætermittit, quæ ex longa tractatione librorum dẽ methodo suppleri debent,vbi generaliter docuerat, in omnibus febribus putridis, sanguinem esse mittendum. Vel dic, propterea non meminisse sanguinis missionis,quia cùm sit morbus facilis,& salubris,& citò finitur, non ita sanguinis missione indiget;vel id fecit ob alias causas,quas latè tradidimus *lib. 4. Hist. Princip. Medic. hist.* 25.

In tertiana verò notha, si reliqua non dissuadent, sanguis est mittendus;nec oppositum *eo loco* vult Galenus.Ad id verò quod monuit,*lib. de const. art. med.* Dic, eum ibi loqui de sanguinis missione,quæ debetur tum ratione febris,quatenus ex accidenti refrigerat, tum ratione putredinis, quæ in febribus putridis ex obstructione oritur.

Sequitur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 600 sur 927

Sequitur, vt aliæ quæſtiones vtiles ventilentur, & quæramus: *Vtrùm venæ ſectio, in principio febrium acutarum ſit celebranda?* Auicenna 4.1.*cap.* 20. *in princip.* ſic profatur: *Et debes ſcire, quòd dum iſtæ ægritudines rimentur, & nondum in eas ceciderint, plus ſecurè conceditur minutio; & quum in eas ceciderint, in earum principio phlebotomia penitus omittatur, quia humores ſubtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eos ſano ſanguini admiſcet: & eſt etiam, quum nihil euacuatur ex eo quod oportet, & facit neceſſarias reiterationes, quæ debilitant virtutem. Quumque maturatio apparuerit, & ægritudo principium, verſus ſtatum præterierit, tunc ſi oportuerit vt minutio fiat, ſi non fuerit quod prohibeat, fiat.* Quæ ſententia plurimis hæſitandi anſam præbuit, & illis ſuſpecta viſa fuit, ob rationes multas.

Commodius enim eſt in morbis à plethora ſubortis, phlebotomiam exercere, ante quartum diem: Nam poſtea degenerante ſanguine per putredinem in alios humores, ſequitur cacochymia; ob quam cauſam Galenus *2.criſ.*12.& *2.feb.*9. aſſeruit, non aſſignandam febrem ex ſanguine putrido, quia per putredinem, pars eius tenuis tranſit in bilem, craſſa verò in melancholiam, quæ ſimiliter phlebotomiam non admittit.

Deinde in principio morbi, virtus robuſtior eſt, quàm in proceſſu, & ita copioſiorē phlebotomiam tolerat. Præterea ſanguinis miſſio poſt primos dies, cōfirmato iam morbo, ſæpe non prodeſt, cùm vires ampliùs deiiciat, citra morbi leuamen. Quare Ishaac *in viatico, cap. de febribus ſynochis*, in huiuſmodi febribus ſanguinis miſſionem exercendam eſſe in principio, & non poſtea confirmauit. Licèt enim poſt pincipium, etiam poſſit celebrari, vt poſt diem vigeſimum, *lib. de ſang. miſ. cap.* 20. & poſt quadrageſimum, ex Auicenna 4. 1. *cap.* 20. & aliis priſcis doctiſſimis, quos fusè citauimus *lib.* 2. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt.*19. tamen non in tanta copia, quæ morbi iam ferocientis magnitudini reſpondeat, nec cum tanta ægri vtilitate, ac ſi fieret ante quartum. Si autē Alzaharauius *c. de ſynocho*, omnino reprobat poſt primos dies, veluti deleteriam, intelligendus eſt, ſi cum morbillis complicetur, tunc enim in principio omiſſa, poſtea periculosè exercetur; vel quando ſanguis per putredinē iam abiit in cacocymiam, in qua ſi ſit ſanguini permixta, vtiliter venæ ſectio celebrari poteſt; ſin minùs, ab ea abſtinere vtilius eſt: ſuccorum enim vitium, ſanguinis benignitate obrunditur, & emendatur: Ob quam cauſam 1.4.*tract.* 2. *cap.* 38. in tertiana pura, in principio, quo ſcilicet tempore bilis non eſt adhuc ſanguini permixta, vſque ad tres periodos, venæ ſectionem interdicit.

Sed ſi hæc vera ſunt, quòd phlebotomia magis, & in maiori copia, vtilis ſit in morbis, qui à ſanguinis plenitudine ortum ducunt, cur Auicenna in iis venæ ſectionem interdicit, ſolúmque concedit, quando ſigna coctionis apparuerint, & ægritudo principium, verſus ſtatum præterierit: & inferiùs aſſerit, in principio ſynochi, parcam phlebotomiam eſſe faciendam; in proceſſu verò, apparentibus ſignis coctionis, magnam?

Dic. Hæc intelligenda videntur, quando cum abundantia ſanguinis, iungitur etiam cacochymia, aut hæc plethorā ſuperat: tunc enim phlebotomia copioſa maximè lædit in principio, quia aufert ſanguinem, cuius ope coctio perficitur, & cuius permixtione ſuccorū vitiū corrigitur, cui purgatio magis vtilis eſt, iuxta præceptū Galeni 4. *de ſanit.*4. quo loco humoribus recedentibus valde à natura ſanguinis, ſemper eſſe præferendā purgationē venæ ſectioni aſſeuerat. In quem ſenſum interpretandus eſt, cùm dixit 4.1.*c.* 4. *in princ. Et ad ſummum ſi humores fuerint equales, præmitte minutionem; & ſi poſtea humor ſuperabūdauerit, euacua. Quòd ſi æquales nō fuerint, inprimis ſuperabundantem euacua humorē, donec æquetur: poſtea minue.* Verùm lege ſequentem quæſtionem, cuius enodatio à multis ſalebris & tricis, te reddet immunem.

A *Vtrùm in omnibus febribus non acutis, in principio ſit exercenda?* Auicenna ſic reſpondet, 4.1.*c.*20. *poſt princip. A minutione cauendum eſt, in omnibus non acutis febribus, in ſui principio, & c.* Ob quam ſententiam à pluribus, iiſque primæ notæ Medicis, hic auctor cum Arabibus acerrimè accuſatur, cùm tamen eius doctrina non ſit futilis, atque abſurda, imo maximè conformis menti Galeni. Quare ſic me dicentem exaudi.

Docet ergo *cit. loco* Auicenna, in febribus non acutis, in principio, cauendum eſſe à venæ ſectione. Colliges quòd ſicut *ſuprà* non omnino prohibuit in febribus exquiſitè bilioſis venæ ſectionem, quando dixit *in illis à minutione cauendum eſſe*; ſic de non acutis intelligendum eſſe, vt conſtet his incipientibus ſæpiſſime neceſ-
B ſariam eſſe, & cum maxima vtilitate celebrari. Solùm ergo vult, cum cautione eſſe faciendam, in principio febrium non acutarum, quoniam multoties, in earum principio, omittenda eſt, tanquam noxia, & in progreſſu morbi exequenda, quod *ſuperiùs* docuerat, dicens: *Et cùm in eis cecederit, in earum principio, phlebotomia penitus dimittatur, & c.*

Per febres autem non acutas, intelligit eas, quæ ab aliis humoribus à ſanguine, ortum ducunt, & præſertim intermittentes, in quarum principio, etſi neceſſaria ſit ſanguinis miſſio, præſertim cùm ſanguis inſigniter redundat, ſæpe tamen noxia eſt, & vtilius in morbi progreſſu exercetur: vt in tertiana, nonniſi poſt tertium
C paroxyſmum, ſi fieri poteſt, vt 1.4.*tract.cap.*39. monuit Auicenna, & quotidiano experimento in quotidiana, & quartana compertum eſt.

Verùm non eſt admodum facile diſcernere, in quibus febribus ex cacochymia ſubortis, noceat venæ ſectio, incipiente morbo, & in quibus proſit; quod ex peculiari doctrina cuiuſque febris, non erit multùm difficile cognitu. Magis tamen dilucidè percipi poteſt, ex tribus ſcopis, quos attulit Galenus 4. *de ſanit. tu. c.*4 verè aureo, duos quidem expreſsè, tertium verò implicitè, & virtute. Primus ſcopus *poſt med. capitis*, cùm inquit: *Vbi paululum, vel citra ſanguinem, & c.* eſt qualitas cacochymiæ: Nam ſi intenſa eſt, ita vt humores valde recedant à natura ſanguinis, vel ad crudum, vel ad vſtum, prohibetur venæ ſectio: hinc Auicenna *parum infrà* dicit:
D *Caue ne perducas ægrum ad cholericorum ebullitionem, vel ad frigidorum cruditatem.* Si verò à natura ſanguinis non valde recedant, venæ ſectio imperanda.

Secundus ſcopus, eſt *in eodem capite, parum infrà*, cùm ait: *Inſpicere verò & quantitatem conuenit, & c.* nempe quantitas cacochymiæ ſanguinis: Nam ſi cacochymia multa eſt, & ſanguis paucus, non conuenit ſanguinem mittere; ſi verò ſanguis eſt multus, & cacochymia exiguæ molis exiſtit, venæ ſectio vtilis eſt.

Tertius ſcopus, eſt locus vbi continetur cacochymia, quia ſi repoſita eſt in vaſis, cum ſanguine permixta, cuius rei indicia ſunt, ſigna plēnitudinis, vrina rubra, craſſa, & eò magis ſi turbida ſit, initio ſanguinem
E emittere præſtat: Si verò purus ſanguis, & laudabilis, in venis conſiſtit cacochymia verò extra venas, tunc inutilis eſt venæ ſectio. Qui ſcopus licèt videatur *ibi* à Galeno prætermiſſus, virtute tamen in illis duobus videtur contineri: quia ſi humor vitioſus parum abeſt à natura ſanguinis, eum cum ſanguine permixtum natura reſeruat, cùm ea mixtione corrigi poſſit. Si verò intemperamento multùm recedit, immodicáque cruditate fatigans, ſtabulatur in vaſis iuxta hepar, ad exactam ſanguificationem, ſeparatus à ſanguine, tunc concoqui, & ad benignum reduci poteſt. Si verò immodicè incaluit, & exuſtus eſt, demandatur à vaſis, vel ad carnem, vel ad acutem, vel aliquando ad primam corporis regionem. Adde humores eximiè crudos, præ lentore, & craſſitie vaſis adhærere, & ſanguini non exactè permiſceri, humores verò nimiùm calidos, ob tenuitatem facilè ſanguinem penetrare,

neque ab eo fecedere, neque cum illo exquisitè permisceri.

Neque putandum est, cacochymiam in febribus solùm innuere venæ sectionem, quando intra vasa consistit, quoniam etsi intra venas sit reposita, potest non exactè cum sanguine permisceri, quod sæpe in principio harum febrium contingit: nam aliquando ob crassitiem, interdum propter maximam tenuitatem, non exquisitè cum eo permiscetur.

Ex iis liquidò constat, quando in progressu morbi sit salubris venæ sectio; quæ antea noxia erat, & incommoda, quia cùm per coctionem, humores moderantiam temperamenti, & substantiæ admittant, melius cum sanguine permiscentur. Præterea sæpe initio morbi cacochymici, non æqualiter vasa occupat cacochymia, processu tamen illius, in augmento, & in statu, vbi præcesserunt aliqui naturæ cum morbo conflictus, in quibus humores agitantur, & sanguini permisceri solent, meritò sanguis extrahitur, cùm iam sit vitiosus, propter cacochymiæ exactam cum eo permixtionem. Hac ratione ipse 1.4.*tract.*2.*cap.*64.*ante fin.* in quartana, sanguinem mittit apparente coctione, dum sic ait: *Cùm ergo ægritudo digesta est, tunc bonum erit phlebotomare ex basilica*, non quòd requiratur coctio ad sanguinis missionem, sed quia signum est, iam esse permixtam cum sanguine melancholiam.

Similiter hac ratione commoti, experimento didicimus, sanguinis missionem post purgationem, in dictis febribus summo esse ex vsu, non solùm quia minor facta cacochymia, respectu sanguinis, sanguinem detrahendum indicat; vel ex purgationis agitatione sæpe sequitur sanguinis ebullitio, quæ deinceps sanguinis missione mitescit, & temperatur: sed potissimùm, quoniam purgationis beneficio, facta est humorum mixtio cum sanguine, quæ ad phlebotomiam maximè prodesse solet.

Ex iis patere arbitror, ad sanguinem mittendum, vel non mittendum, in principio harum febrium, esse attendendum ad tres scopos dictos, nempe ad cacochymiæ qualitatem, quantitatem, & locum, siue miscellam cum sanguine, ita vt si tres omnes adsint, vel saltem duo, statim mittendus sit sanguis; si verò omnes tres desint, vel saltem duo, abstinendum sit à phlebotomia, quoniam progressu morbi, vtilis esse potest. Constat vltimò, quàm iniquè à multis reprehendatur Auicenna, quòd in principiis morborum phlebotomiam esse dimittendam, & post coctionem, admittendam imperauerit: quoniam rationibus ex suprà dictis, non multùm erit operosum respondere.

Illud etiam, clarioris doctrinæ gratia, potest in dubium verti: *Vtrùm in pura cachochymia in febribus, ventilationis causa, citra plenitudinem, sanguinis missio possit esse ex vsu?* Pars affirmatiua ostenditur, primò ex Galeno 11.*meth.*15. docente, vtilissimum esse in omnibus febribus putridis sanguinem emittere: constat autem plures ex iis febribus, à sola cacochymia ducere ortũ. Secundò, quia *lib.de sang.mis.*10. monet, in cacochymia pituitosa, etiam præsente febre, non esse vtilem phlebotomiam; in cacochymia verò melancholica, maximè. Tertiò, quoniam Auicenna 1.3.*tract.*1.*cap.* 29. in cacochymia phlebotomiam concedit, modò non adsit in sanguine diminutio. Contrarium videtur adstruere Auicenna, 4.1.*cap.*20. §. *Vnusquisque autem eorum phlebotomatur, &c.* Dum phlebotomiam perpetuò fieri, aut propter sanguinis multitudinem, aut ob humoris malitiam, aut propter vtrumque asseuerat.

Explica quæstionem conclusionibus tribus, quarum prima est. Phlebotomia reuulsiua sæpe vtilis est in cacochymia pura. Satis cõstat hæc cõclusio in pleuritide, & aliis inflammationibus merè biliosis, in quibus commodissimè sanguis emittitur, ne humores, præcipiti lapsu, ad partem inflammatam confluant, quæ calore, & dolore ipsos ex distantissimis partibus attrahit vbertim. Tunc enim tutissimum est, paulatim vacuare sanguinem, atque per interualla digitum imponere, vt 5. *meth.* 3. & alibi sæpe monuit Galenus: *Quanto enim maiorem in numerum particulares anxeris reuulsiones, tanto efficaciorem efficies*, vt *lib.de curandi rat.per sang. mis. cap. cit.* notauit Galenus.

Secunda conclusio. Phlebotomia vacuatiua, in pura cacochymia non conuenit, nisi secundùm determinationem *suprà* traditam à Galeno 4. *de sanit.tuend.cap.*4. Nullatenus enim mittendus est sanguis, si cacochymia magna sit impermixta sanguini; si verò sit parua, cùm ea sit permixta sanguini, sanguinis missio tunc vtilis est: maximè si cacochymia, melancholica sit, hæc enim ob humoris crassitiem magis permiscetur sanguini, ob huius motum, & perpetuam ebullitionem; minùs verò si cacochymia sit biliosa, bilis enim tenuitate sua, sanguinis permixtionem maximè refugit; adhuc multo minùs, si pituitosa sit, pituita enim lentore suo, sanguini exactè misceri non potest, hinc fit vt in plenitudine pituitosa, parcissimè sit secanda vena, vt latè ex priscorum mente monuimus, *lib.*2. *Hist. Princ. Med. hist.*78.

Tertia conclusio. In pura cacochymia, licèt non sit sanguini permixta, sanguinis missio ventilatiua, sæpe prodesse solet. Hæc maximum præbet vsum, & vtilitatem, quæ licèt humores non euacuet, solam tamen corporis refrigerationem, & transpirationem procurat; nam vacuatis fuliginibus adustis, ventilantur vasa, & deobstructis meatibus, & cauitatibus internis, putredo prohibetur. Neque hæc doctrina à Galeni mente dissona est, vt rentur plures, qui *lib.* 8. *meth. cap.* 4. sanguinem mittit in diaria, orta ex obstructione, vt inducta ventilatione, vasorum impediatur putredo, quæ ab illis causis, frequentissimè oriri consuevit, sic enim ait: *Sed quæ ex parua oritur obstructione, ea saltem inter initia similis diariis est. Protracta tamen inclinatione, suspecta redditur, quamuis putredinis indicia, in pulsu adhuc non appareant; quippe nisi vitiosus succus penitus transpiret, necesse est vt putrefiat. Ergo vt transpiret, maiori auxilio opus est. At siquidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet: inter has ætates, vbi virium robur ægro non deest, secanda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint.*

Rursus. In febre biliosa, & ardentissima, sanguinis missio expetitur, non vt euacuans, neque reuellens, sed vt refrigerans auxilium; neque enim ex ea maius commodum expectatur, quàm totius corporis habitus refrigeratio, ita enim affirmat Galenus 1. *Aph.* 23. *Nam in ardentissimis febribus, si vsque ad animi deliquium sanguis mittitur, statim totus habitus refrigeratur, & febris extinguitur:* & *lib.de sang.mis.*11. *Sic itaque affectos ægrotos expedit vsque ad animi deliquium agere, neui enim quosdam ipsorum ex animi deliquio necessario perfrigeratos.*

Sed contra superiorem doctrinam obstant plura. Primò. Si phlebotomia debet celebrari, vel propter multitudinem, vel propter malitiam ipsius sanguinis, dicendum videtur, malitiam sanguinis apud Auicennam, non solùm dicere putredinem ipsius sanguinis, sed etiam huius permixtionem cum prauis succis, & ita comprehendere cacochymiam. Præterea, quomodo verum erit, quod Galenus asserit, plethoram curari sanguinis missione, frequenti balneo, exercitationibus, frictionibus, fomentis, & inedia; vitium autem succorum, purgatione, quæ cuique superanti succo sit accommoda, corrigi, nulla de phlebotomia mentione facta? Dic. Id non negat etiam in cacochymia posse vtilem esse phlebotomiam, sed solùm significat, in plethora, sanguinis missionem, & in cacochymia, purgationem potissimùm esse ex vsu.

Secundò. Nulla existente in corpore plenitudine, aut malitia sanguinis, sæpe vtiliter fit sanguinis missio, vt quando totum corpus, aut aliqua pars eius contusa est,

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 602 sur 927

& ſimiliter interdum celebratur gratia præſeruandi ſanguinem à putrefactione, qua ratione in febre diaria ex obſtructione, in qua tamen ſanguis nec quantitate, nec qualitate peccat, concedit phlebotomiam Galenus 8. *meth.* 4. imò in magna penuria, & inanitione ſanguinis, ſæpe vtiliter exercet, quemadmodum in copioſa hæmorrhagia.

Dic. Omnis phlebotomia, per quam præcipuè intenditur vacuatio, fit propter ſanguinis multitudinem, vel malitiam, vel vtrumque, quod Auicenna *cit. loc.* edocuit. Verumtamen hoc præſidium ſæpe exercetur ob alios commodos vſus, vt gratia deriuationis, vel reuulſionis, vel cauſa refrigerandi: & de huiuſmodi venæ ſectione argumenta ſunt intelligenda, nec de ea loquitur Auicenna. Dic præterea, Auicennam intelligendum eſſe, de multitudine ſanguinis, & malitia, quæ iam adſunt, vel debent adeſſe, idque vel in toto corpore, vel in aliqua eius parte. Quare facta notabili percuſſione in aliquo membro, ſanguis emittitur, quia licèt in toto corpore, quantitate, & qualitate moderatus ſit, tamen confluentibus humoribus ad partem percuſſam, dolore affectam, ſanguinis copia deinceps ad eam irruit, ad quam cohibendam, commodè ſanguinis miſſio exercetur, vt ſcilicet pars præſeruetur ab inflammatione.

Sed expendamus cœptam de phlebotomia in febribus tractationem: *Vtrùm in febribus, in plenitudine quoad vaſa, liberaliùs ſit ſanguis emittendus, quàm in plenitudine quoad vires?* Quando contenta in corpore, vt ſpiritus, corporis recrementa, primæ, ſecundæ, & tertiæ coctionis, & humores, in naturali ſtatu, in quantitate, qualitate, & modo mixtionis, mediocritatem, & temperiem conuenientem ſeruant, tunc animal viget, valet, & floret; contrà ſi accidit, animal ægrotat, & dolet, vt *lib. de natur. hum. text.* 19. diſertè Hippocrates firmat.

Hinc fit vt duplex, hac de cauſa, in humoribus peccatum excitetur, plenitudo videlicet, & cacochymia. Plenitudo, redundantia eſt omnium humorum ex æquo, ſeruata veteri proportione, vel ſolius ſanguinis. Ita definit Galenus 2. *ſec. loc. cap.* 1. *poſt princip.* Nomine ſanguinis, non eſt intelligenda ſanguinea maſſa, vt nonnullis placet, affirmantibus, ex alimentis ſolum non generari, ſed ſemper alios humores gigni, ob diuerſitatem partium, quibus conſtant alimenta; indéque non poſſe accreſcere ſanguinem, ſine reliquis humoribus affirmant. Sed hoc falſum eſt: nam ſi in hac definitione, nomine ſanguinis maſſam ſanguineam intelligeret Galenus, nugationem committeret: & quamuis verum ſit, ex quolibet alimento, quando non corrumpitur in iecore, ſed concoquitur, ſimul cum ſanguine reliquos humores generari, ex quouis inquam, quantumuis intemperato, vel temperato, generatur tamen plus vnius humoris, quàm alterius, ex alimentis, pro natura temporis, vt *lib. de natur. human. text.* 32. *cum ſequentibus* protulit Hippocrates: Qua ratione pituita, hyeme accreſcit, vere ſanguis, æſtate flaua bilis, autumno ſicca melancholia; & pro diuerſitate alimentorum: Sic plus vnius, quàm aliorum humorum in corpore redundat, & pro diuerſitate temperaturæ iecoris, aut totius. Hac ratione corpora temperata, quæ iecur habent temperatum, ex alimentis temperatis, plus ſanguinis, quàm aliorum humorum, ſeruata veteri proportione, generare ſolent, & poſſunt in plenitudinem incidere, quæ eſt redundantia ſolius ſanguinis, vt quartum humorem ſignificat: Nam quando accreſcit aliquantulum ſanguis, & vnà cum ipſo vnus humor exuperat, non vocatur ſimpliciter plenitudo, ſed cum adiectione, plenitudo bilioſa, ſi bilis accreſcat, vel pituitoſa, vel melancholica, vt 2. *ſer. loc.* notauit Galenus.

Deinde plenitudo duplex eſt, aut quoad vaſa, aut quoad vires. Illa replet cauitates venarum, & arteriarum, ita vt tumeant, & diſtendantur, quæ plenitudo in habitu Athletarum reperitur, qui non ſimpliciter bonus dicitur, quia periculoſus eſt, & ideò illicò ſoluendus, 1. *Aph.* 3. periclitantur enim, ne vaſa præ mole nimia rumpantur, vel ſuffocetur calor, cùm præ copia non adſit locus vacuus in arteriis, ad recipiendum aërem; quo impedito, ille ob fuligines retentas, extinguatur diffiari prohibitus, aut timor ſit, ne natura præ onere grauata, humorem, ad partem aliquam principem propellat, & ſubita adſit obmureſcentia, vt Hippocrates prædixit, 4. *acut. text.* 23. ex nimia repletione vaſorum, & arteriarum prognata.

Altera eſt plenitudo quoad vires, quæ non replet vaſa, ſed vires premit & grauat. Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 6. agens de repletione quoad vires, in ea non eſſe peccatum in quantitate, ſed in qualitate aſſeuerat, & ideò humores eſſe inobedientes, & ſuperare naturam confirmat. Contrà Galenus 2. *Aph.* 17. & 1. *de diff. feb. cap.* 73. *ante fin.* plenitudinem quoad vires, ſine corruptela poſſe incipere arbitratur: id enim quod mediocre eſt, quantumuis vtile ſit, virtuti languidæ multum, & moleſtum apparet. Quare celerrimè hæc plenitudo ſolet ſecundùm qualitatem immutari in corruptelam, vt *cit. loc.* Galenus edocuit; cùm enim virtus langueat, & opprimatur, non poteſt regere humorem, & tranſmutare vt decet, qui non difflatus, nec à natura gubernatus, facilè putreſcit.

In plenitudine quoad vaſa, vires nec premi, nec grauari ſolent, nam ſicuti humorum, & carnis moles accreſcit, ſic augentur vires, quoniam partes nutriuntur rectè, & ſuas perficiunt operationes, & hac ratione roborantur vires, & multò fiunt robuſtiores, vt *lib. de plenid. cap.* 7. notauit Galenus, reprehendens Eraſiſtratum, & Aſclepiadem aſſerentes, ſemper in plenitudine vires augeri, quod falſum eſt: nam interdum aucta plenitudine, minuuntur vires, & minuta plenitudine augentur. In plenitudine tamen quoad vires, premuntur vires, quia accreſcit humorum quantitas, non accreſcente robore virtutis; & quando quantitas humorum non accreſcit, ſed eadem permanet, & virtus diſſoluitur, neceſſe eſt, virtutem premi, & grauari: vtrumque contingit in plenitudine quoad vires, vt *lib. de plenitud. cap.* 10. confirmat Galenus.

Ex his conſtat, quantopere hallucinentur aſſerentes in plenitudine quoad vaſa, vires premi & grauari, ſicut in altera plenitudine, hac ratione ſolùm innixi, quia natura cauitates venarum, & arteriarum conceſſit illis, iuxta tenorem propriæ virtutis: igitur ſi replentur & diſtenduntur, vt grauentur, & premantur eſt neceſſe. Sed hi à Galeni, & Auicennæ mente, imò à communi Medicorum voto, & veritate recedunt: quoniam rectè colligebant, ſi in plenitudine quoad vaſa, vires non accreſcerent, iuxta multitudinis renorem, vt ſuprà ex Galeni mente demonſtrauimus. Igitur rectè ſemper multitudinem tolerabunt.

Plenitudo quoad vires multiplex eſt, altera refertur ad facultatem animalem, quæ ex difficultate ſenſus, & motus agnoſcitur. Altera ad vitalem, quæ ex inæqualitate pulſus, & ordinis perturbatione dignoſcitur, vt *lib. de plenitudine, cap.* 4. & 11. *in princip.* & latiùs *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.* 11. & 2. *de cauſ. pulſ.* 1. *in fin.* & 3. *de cauſ. pulſ. cap* 6. Galenus admonuit: quibus locis docuit agnoſcere facultatem oppreſſam præ onere, ab ea quæ languet per eſſentiam; & plenitudinis quantitatem inæqualitate pulſus, magnitudine & paruitate, crebritate & tarditate, frequentia & raritate, vehementia & languore, ordiniſque perturbatione dignoſcere demonſtrat: Nam tunc plenitudo eſt maior, quando pulſus inordinatus: & quando pulſationes paruæ & languidæ, ſunt copioſiores, minor eſt perturbatio: & ſi pulſationes magnæ, & vehementes ſunt copioſiores, minor eſt noxa, & plenitudo minor.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 603 sur 927

Plenitudo, quæ ad facultatem naturalem refertur, nullum habet signum artificiosum, quo possit cognosci, auctore Galeno *lib. de plenit.* Nam etiamsi Galenus 1. *ad Glauc.* 14. & *lib. de sang. mis. cap.* 6. affirmet, statum facultatis naturalis agnoscendum esse, ex nutritione, colore, recrementis primæ, & secundæ coctionis, certum est, ab illis nullum euidens indicium sumi posse, cùm illa indicia non solùm in plenitudine quoad vires, sed in cachymia sæpe appareant. Similiter ex grauitate sensus, & motus, non potest cognosci, quoniam venæ obscuro sensu præditæ sunt, & vix illa grauitas appareat, quia in corporis profundo sita est, vt *lib. de plenitud. cap.* 9. *in princip.* notauit Galenus: quo loco satius esse iudicauit, hanc plenitudiuem, ex inæqualitate pulsus, & ordinis perturbatione agnoscere, quia inter venas, & arterias mutua est communicatio, venæ enim arteriis, & arteriæ venis permiscentur, vt Galenus affirmat *lib.* 16. *de vsu part. cap.* 16 *in med.* Quare quando plenitudo est in venis, reperitur etiam in arteriis, & sicut grauatur facultas naturalis, sic etiam vitalis. Hoc tamen animaduerti non potest, quando humores contenti in venis sunt crassi, tunc enim arteriis communicari nequeunt: quare perpendenda sunt alia signa, ex mente Galeni *loc. cit.* quæ ex sensu grauitatis, vitio coloris, nutritionis, recrementorum primæ, & secundæ coctionis, depromi solent.

Plenitudo quoad vasa, debet agnosci ex tumore venarum, tensione dolorifica citra manifestam causam, robore virtutis, modò affectus febrilis non præcesserit, nec animi pathema calorificum, vt ira, aut exercitium, balneum, fricatio, aëris insolatus calidi. Agnoscitur etiam ex suppressione alicuius vacuationis consuetæ, vt & ex venere, lucta, exercitio.

Vtraque plenitudo intra limites sanitatis reperitur interdum, vt *lib. de sang. mis.* Galenus notauit: nam quemadmodum qui onus gestat, non statim cadit, sic qui vtraque plenitudine laborat, non illicò ægrotat. Minantur hæ plenitudines morbos, nisi illis vacuatione celeriter succurramus, & hoc insinuabat Hippocrates, *lib. 2. Aph. 5.* dicens: *Spontaneæ lassitudines morbos pronunciant.*

His suppositis, quæ necessariò in tractatu de phlebotomia in febribus celebranda, erant præmittenda, quæstionem solue hoc modo. In vtraque plenitudine, vtilissimum remedium, est phlebotomia: sed in plenitudine quoad vasa, celeriùs accedendum est ad sanguinis missionem, & tantum extrahendum, quantum exigit plenitudo, quoniam in hac, maius adest virium robur; in plenitudine quoad vires, minùs, in illa enim premit cum obstructione putredo, quæ non ita liberali sanguinis missione curatur, cùm aliis indigeat remediis deobstruentibus, & contemperantibus: quare ad spatium curationis aliquid debet reponi, 11. *meth.* 14.

In plenitudine hac, ægri in periculum suffocationis non ita incurrunt, & ob id festinanter sanguis non est detrahendus; qua ratione in synocho putri aliquid sanguinis, qui solidis animalis partibus proprium est nutrimentum, est relinquendum, & non ex toto vacuandum. Nec obiicias seruum illum synocho putri laborantem, descriptum à Galeno 9. *meth.* 4. quem vena incisa vsque ad animi deliquium, persanauit: id enim effecit, quia iuuenis erat, & robustus, & protinus cùm humorum putredo inceperat, sanguinis detractionem molitus est.

Illicò ergo, & sine cunctatione, in plenitudine quoad vasa, detrahendus sanguis, quo remedio nullum certè commodius, & cuius vim nullum medicamenti purgantis genus imitari, aut assequi, multóque minùs vincere valet. Quare Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 45. de curatione febris sanguinis loquens, sic ait: *Euacuatio non est aliqua sicut phlebotomia:* & Galenus 9. *meth.* 4. cùm dixisset in synocho imputri valida existente virtute, & ætate permittéte, expedire sanguinem vsque ad animi defectum emittere, subdit, *hoc præsidio omisso, ita fabricitantes in summum discrimen venire, nisi eos vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus, ex manifesta pernicie eripiat.*

Quapropter ne mireris Galenum, si magis solicitus fuit, in demendo sanguine confertim in plenitudine quoad vasa, quàm in plenitudine quoad vires, cùm illa plurimis periculis sit obnoxia: cùm enim vasa ad immodicam accedunt repletionem, vt 9. *meth. cap.* 5. Galenus prædixit, tum perrumpere vasa, tum recludere solet, verendáque symptomata inducit, nempe obstructionem, distentionem, tumorem, ruborem. Firmat *lib. 2. de natur. human. com.* 1. dicens: *Quæ ad vasa dicitur plenitudo, & ora aperit, & disrumpit ipsa vasa, & aliquando mortem subitam inducit, si fortè poros corporis in totum obturauerit.* Hoc modo intelligendus est Celsus *lib. 2. cap. 2.* in hunc modum scribens: *Ergo si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta sua bona habere debet, quæ quia nec in eodem habitu sustinere, nec vltrà progredi possunt, ferè retro quasi ruina quadam reuoluuntur.*

Verùm his dimissis, aliud argumentum, & difficilius, altiùs enucleandum exequamur, quærentes: *Vtrùm affectus in genere, expetentes in febribus per se venæ sectionem, sint solum tres?* Respondet Galenus eleganter, *lib. 9. meth. cap.* 11. dum sic ait: *Memineris verò mihi ad ea quæ dicenda sunt, quorum causa venæ sectio petitur. Nam quoniam hæc sanguinis vacuandi causa adhibetur, sanguis autem inutilis naturæ est, vtique probè hanc administrari conueniet, sic vt quod inutile naturæ sit, emittat. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non seruat, nec amplius nutrire sicut priùs, cùm vtilis esset, potest; vel cùm ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel findat, vel obstruat. Ac in his quidem missio sanguinis vtilis est, ceu vacuantium præsidiorum vna: in aliis, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, vel ad latera deriuet. Postulat autem semper valentes vires, quæ modo vacuationis eius respondeant. Ad hæc igitur respicientes, sanguinem detrahimus, aliàs semel, aliàs bis, vel ter, vel sæpius, vt in sequentibus patebit.* Hactenus aurea Galeni auctoritas, quam iure merito memoria sempiterna contineri præcipit, vtpote quæ breuibus perstringat tres dictos affectus, per se venæ sectionem expostulantes, & eam semper & perpetuò indicantes.

In vniuersum ergo tres, *citato loco* proponuntur affectus, quorum causa venæ sectio expetitur, videlicet plenitudo sanguinis, vitium sanguinis tale, vt inutilis naturæ sit sanguis, siue actu, siue potentia propinqua, & motus, seu impetus sanguinis præter naturam fluentis, ad aliquem locum. Atqui *in lib. 2. Hist. Princip. Medic. hist.* 19. subnotauimus, toto cœlo aberrare illos, qui sibi falsò persuadent, Galenum voluisse, solam plenitudinem cum scopis postulare venæ sectionem vacuatoriam, minimè verò hanc requirere sanguinem vitiosum, seu corruptum, sed huic deberi reuulsoriam venæ sectionem, non vacuatoriam, cùm hæc opinio menti Galeni sit aduersa valde: Nam *lib. eodem, cap.* 10. clariùs suam exponit sententiam in hunc modum: *Quod corruptum est, id alienum à natura est, quod tale est, id se auferendum dictat: affectus namque corruptelæ vacuandum esse præcipit, idque vena incisa, vel purgatione, &c.* Sanguis ergo qualitate peccans, naturæque inutilis, vacuationem indicat, & postulat.

Porrò demonstremus apertiùs, sanguinem inutilem, & vitiosum, præsente, aut futura magnitudine morbi, & virium robore, primò, & per se indicare in principio morbi, sanguinis detractionem, deinde concocto morbo, purgationem: Nam si quod corruptum est, se auferendum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 604 sur 927

ſendum dictat, vt *loco* proximè *citato* dictauit Galenus, qua via faciliùs ſanguinem vitioſum,& corruptum auferes, crudo adhuc morbo exiſtente, quàm ſecta vena? Concocto verò morbo, quum natura impuros, & vitioſos ſuccos à purioribus ſecernit, & humores eductioni contumaces non ſunt,natura quoque adminiculante,locum idoneum habet expurgatio.

Hoc profectò eſt, quod poſteris tradidit Galenus *9.meth.cit.* dum inquit: *Affectus corruptelæ vacuandum eſſe præcipit,vel vena inciſa,vel purgatione.* Sic *5.meth.14.* vitioſum ſanguinem paulatim educit, & paulatim expurgat,viribus quoque non admodum conſtantibus,in curatione per epicraſin. Et *8.meth.4.* ad vacuationem vitioſi ſucci mixti cum ſanguine,commendat venæ ſectionem, etiam citra plenitudinem.

Neque obiicias, inibi ad deponendam plenitudinem, & non ad euacuandam cacochymiam cum ſanguine mixtam, adminiſtratam eſſe venæ ſectionem: Quippe in propatulo contextus, ex Græca lingua in Latinam tranſlatus, oppoſitum indicat, qui ſic habet: *Melius enim eſt, euacuata redundantia cacochymia.* Huc idem Galenus reſpiciens, *3. Aph.* 20. ſanguinis profuſiones, plenitudinem, & humorum prauitatem vacuando, ſic prohibere ab iis morbos fieri, omnino eſſe manifeſtum, annuit, & ſcripſit. Si enim cacochymia mixta ſit cum ſanguine non pauco, vires conſtare poſſunt, tùncque magnitudine morbi præſente, aut futura, maius, præclariúſve emolumentum ſequitur ex venæ ſectione, vacuato noxio ſucco cum ſanguine mixto, quàm nocumentum ex vacuatione ſanguinis boni, & aliqua virium iactura, quia vires valentes eſſe ſupponimus.

Obiicies: Cum vitio ſanguinis, & corruptela effatu digna, vires haudquaquam poſſunt eſſe valentes, proinde iis non conſtantibus, timet vacuationem Galenus *9.meth.*10. Dic, Galenum agere *hoc loco*, de copioſa vacuatione,quam in ſynochis laudauerat,& quæ verenda eſt in corruptela virium, in qua vires ſummum robur obtinere nequeunt, quod par ſit vacuationi extremæ. At moderatam ſanguinis detractionem, optimè ferre vires poſſunt, in corruptela ſanguinis, præſertim ſi extrema, & vehemens non ſit.

Triplicem enim ſanguinis corruptionem venamur, ex doctrina Galeni,vt ex ipſius placitis poterit quiſque deducere,*2. Aph.17. ad fin.* Prima, leuis & facilis, quæ alteratione emendari poteſt, eáque alterationem, & concoctionem indicat, de qua Galenus *art. med.* 89. ſcribens, putredinem alterationem indicare: & *11. meth.*13. in ſemiputridis concoctio ex aduerſo reſpondet. Alia eſt magna, vt ſanguis ita iam diſtet à mediocritate, & ita magnam mutationem præter naturam ſortitus ſit, vt à natura ampliùs vinci, regíque nequeat, nec probus & laudabilis reddi queat. Hæc alterationem non indicat, vtpote quæ emendari à natura non poſſit, vt vinis accidit quæ planè acuerunt. Hæc eſt quæ propriè corruptela appellatur, Galeno teſte, *ad fin.cit.com. lib.2. Aph.* & quæ venæ ſectionem poſtulat primò,deinde purgationem,ex eodem,*9.meth.*10.& 11. ſi vires ferant, & morbi magnitudo præſens, aut futura ſuſpicetur.

Tertia tandem ex iis neceſſariò eſt deducenda, ſanguinis nimirum corruptio mediocris, veluti medium inter extrema, qua vires conſtare poſſunt. Atqui præſentibus ſcopis, venæ ſectionem expoſtulat, & indicat, præſertim in febrium principiis, quia protinus ſit omnino inutilis, niſi confeſtim vacuetur ſic corruptus ſanguis.

Percontaberis: Quî fieri poteſt, vt cum viribus imbecillis,in corruptela, admittatur à Galeno modica paulatim adminiſtrata venæ ſectio,cùm perpetuò adeſſe debeant ſcopi in venæ ſectione omni? Dic. Non eſſe illam imbecillitatem virium abſolutam, ſed reſpectiuam,nempe collatione facta ad magnum virium robur. Hinc conſtat Galenum diſerte dixiſſe,*lib. art.med.cap.*89. putridos humores in vaſis indicare alterationem, & vacuationem, hanc quidem per venæ ſectionem, per menſes,per clyſteres,&c.

Accedamus iam ad alia fundamenta, quibus poteſt confirmari,ſanguinem inutilem, & vitioſum, ſeu corruptum,nuſquam poſtulare venæ ſectionem, nec eius ratione, vnquam ſanguinem eſſe mittendum, præſentibus etiam ſcopis. Primum deſumitur ex Galeno 11. *meth.cap.*8.docente curare,& euacuare quæ putruerunt, nulla ſectionis venæ mentione facta, in §. *At vacuationem illius per vrinam,deiectiones, vomitum, ac ſudores moliemur, &c.* Et ſequenti capite: *Ergo expellenda quæ putruerunt, per vrinas, aluum, & ſudores ſunt. Quod ſi ad os ventriculi, impetum aliquando capiant, etiam per vomitiones.*

Cæterùm, etſi alij aliter reſpondeant, mihi præcipuum argumentum eſſe videtur; quippe in præſenti contextu reticet in particulari venæ ſectionem ad vacuationem putridi,& corrupti ſanguinis, quia iam ſatis ſupérque ad id, eam in ſuperioribus commendauerat, *lib.9.cap.*10.& 11.& ad vacuationem vitioſi ſanguinis, *8.meth.4.* & *cit. libro*, etiam venæ ſectionem comprehenderat, ad educenda putrida, omnium efficaciſſimam, dum ait in genere, quod iam corruptum eſt, omni ratione vacuandum; aliarum autem meminit vacuationum, quia de iis hucuſque mentionem non fecerat, vt doceret non ſolam venæ ſectionem, ad vacuandos putridos humores ſufficere, ſed aliis etiam opus eſſe,quæ vacuant per vrinas, ſeceſſum, vomitum, & per ſudorem.

Obtrudes deinde hoc modo. Venæ ſectio ſimul euacuat vtile,& inutile; at purgatio vitioſos ſolùm humores,& putridos. Sed aduertere debes, exiſtente virium robore, & morbi magnitudine, in principiis febrium maximè, hoc eſt, toto cruditatis tempore, longè præclarius iuuamentum ſubſequi ex venæ ſectione, vacuato putrido ſanguine, quàm nocumentum ex vacuatione innoxij, & ex aliqua virium iactura. Sed & expurgatio non ſolos ſinceros,putridos, & vitioſos ſuccos educit, imò ſolùm aliquos vtiles, & non putridos. Hoc modo promiſcuè, & citra delectum, Agaricum attrahit pituitam tam putridam, quàm non putridam, atque etiam bilem, & tamen maius ſequitur commodum, ex vacuatione putridi,quàm ex vacuatione vtilis, & virium reſolutione, detrimentum. Sed quia de his, vt reor, ſatis ſupérque agitaui, ne actum agere videar, ad ſcopos venæ ſectionis, qui in hoc capite me ſpectant, iam accingor, quærens.

Vtrùm ad celebrandam venæ ſectionem, tres ſcopi ſint neceſſarij? Principio itaque, vt à notione nominis auſpicemur, aduertere oportet, nihil aliud dici ſcopos ſanguinis detractionis, quàm requiſita, vel conditiones, intentionéſve ſanguinis miſſionis exercendæ, ſine quibus illa methodicè adminiſtrari, nec debet, nec poteſt, ad quas potiſſimùm Medici attendere debent, ne aberrare contingat. Sumitur autem à ſagittariis ſcopi denominatio, quippe qui ſagittas ſuas dirigunt ad ſcopum.

Scopi ergo præcipui ſanguinis detractionis, ſunt ex *4.acut.*19.& *4.meth.6.* morbi magnitudo,virium robur, & ætas florens, ſine quibus nuſquam ſanguinem mittere licet. Nos referimus hos ſcopos ad duos duntaxat principes, & præcipuos, ad morbi magnitudinem, & virium robur: Nam ſenum ætas,in virium verbo comprehenditur, apud Galenum *lib.de curand. rat. per ſang. miſ. cap.*8.ob idque illis non mittitur ſanguis, quia non valent vires; ſi enim fortè in iis robuſtæ ſint, exiſtente morbi magnitudine præſenti, tutò ea celebrari poteſt, vt concludimus ex Galeni mente, *lib.*1. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.* 5. Ac pueros ante decimum quartum annum,

©BIUM

annum, non excludi à sanguinis detractione, nec ipsum Galenum eos ab hac vacuatione arcere, vbertim diximus *lib.1.Hist.Princip.Medic. hist.80.* Sed dimittamus isthæc de pueris, iam dilucidè *eo loco* agitata pro Galeni tutela, & rem altiùs exequamur.

Illa ergo tria sunt, quæ venæ sectionem indicant, alio tamen, atque alio modo: Nam magnitudo morbi eam indicat, quia pro sui medela efflagitat; virium robur indicat, quia non prohibet, sed permittit, quod contraindicare dicimus, non quia repugnat, sed quia contrario modo indicat, sic explicante Galeno *lib. de sang.mis.13.in princip.* & *1.acut.45.* Ætas florens indicat, quatenus virium statum ostendit, quod coindicare dicitur. Agamus primò de magnitudine morbi.

Galenus *lib.de totius morb. temp. cap.5.* affirmat, omnem morbum ex natura sua habere magnitudinem, B quoniam vim infert naturæ, & illius actionem lædit: dicitur tamen magnus, vel in propria specie, vel facta comparatione ad vires, quia illis est superior. Triplex ergo proponitur à Galeno *lib 4.meth. cap.6.& 7.* morbi magnitudo: alia enim sumitur ex magnitudine substantiæ, alia ex partis præstantia, alia ex cacoërthia, seu malignitate. Quocunque modo sumatur magnitudo ad venæ sectionem, morbus debet esse magnus: Nam etiamsi in propria specie morbus sit exiguus, si in parte principe consistat, aut malignitatis sit particeps, vrget hac ratione multò magis, quàm ille qui magnus est in propria specie, & ideò magno remedio indiget, qualis est venæ sectio. Nam quando exiguus est, & lenis, neque venæ sectione, neque externo indiget auxilio, C vt dicebat Galenus *lib.1.de loc.affect.c.2.in fin.* Quinimò etiamsi acutus sit ex natura sua, quando mitis est, venæ sectionem non efflagitat. Hac ratione dixit Hippocrates, in acutis morbis, si vehemens videatur morbus, quam doctrinam *2.acut.1.* & *6.epid. sect.3. com.vlt.* ipse confirmat.

Verùm rogabis: *Vtrùm per magnitudinem morbi, acuties sit intelligenda?* Nam febris hectica, diaria, principum partium intemperantiæ, iecoris scirrhus, œdema magnum alicuius partis externæ, sunt morbi magni, qui venæ sectionem non expostulant. Igitur magnitudo morbi, non est scopus requisitus ad venæ sectionem. Nec asseras, in his affectibus vires non constare: nam cum plurimis eorum, vires persæpe solent esse valentes.

Non desunt, qui sibi persuadeant, per magnitudinem, esse intelligendam morbi acutiem, quia Galenus *4. acut. 19.* confundit magnum cum vehementi, & morbus vehemens ille dicitur, qui magnam vim habet, & celeriter mouetur, & in hoc consistit vehementia, vt docet Galenus *3.de diff.puls.cap.5.* At morbus acutus ille est, qui magnitudinem habet, & celeriter properat ad statum, *2.Aph.19.* Igitur pro morbo magno, acutus intelligendus est. Hi planè falluntur: hoc enim concesso, sequeretur morbos chronicos non curari venæ sectione, cùm opponantur acutis, quod est contra Galenum *4.acut.19.* plurimos chronicos morbos venæ sectione indigere affirmantem, quando prædictis subiacent scopis.

Obiecta hoc modo dissolues. Morbus magnus ex natura sua, solùm indicat magnum remedium, sicuti est venæ sectio, purgatio, vehemens alterario: an tamen hoc, vel illud remedium distinguendum sit, est petendum ex parte affectus, & natura causæ, vt latissimè *lib.de curand.vat. per sang.mis. cap.6.* Galenus explicuit: Nam in morbis plenitudinis, vtilis est venæ sectio, sicut in morbis cacochymiæ purgatio, Galeno auctore *4.Aph.47.* & *1. Aph.23.in fin.* & *lib.de sang. mis.cap.7.* quibus locis præcepit considerare, qualis sit humor, qui exacerbari solet, vt hoc modo, vacuatio præcautoria per venæ sectionem rectè celebrari possit: quod firmauit *cap.6. antecedenti*, §. *De secunda vena consilio A inito*, &c. cùm prædicti affectus, etiamsi sint magni, ex plenitudine non oriantur, ideò venæ sectionem non expostulant.

Verùm contra hanc doctrinam plura supersunt obiecta, quærendúmque est: *Vtrùm citra plenitudinem, sanguinis missio possit celebrari?* Nam Galenus *lib.de sang. mis.cap.3.in princip.* sine plenitudine sanguinem emittit, in inflammationis principio, quæ ob ictum, dolorem, aut partis debilitatem concitatur; & *cap. 9. sequenti* affirmat, scopos venæ sectionis, plenitudinem non admittere: & *4.meth.6.* & *4. acut.cit.* reprehendit Menodotum, qui solùm in plethorica vocata syndrome sanguinem emittebat, cùm citra plenitudinem sanguis sit detrahendus, quando aliqua pars distorta est, aut quispiam cecidit ex alto, aut plaga est percussus.

Secundò. Galenus *11.meth.15.* salubertimum iudicat in omnibus febribus venam scindere; non tamen quælibet febris ex plenitudine concitatur, aut in ea adest plenitudo. Tertiò. Quomodo Galenus præcipit ad eligendam venæ sectionem, aut purgationem vtendum esse distinctione: si idem *4.de sanit.tuend.cap.4.ante fin.* affirmat, quòd quando opus est venæ sectione, impeditur tamen propter ætatem, virium imbecillitatem, aut timiditatem ægroti, tunc aluus largiùs sit mouenda? & *4. meth.6.* plenitudinem sine venæ sectione posse corrigi inculcat, nam prodesse solent frictiones, balnea, inedia, & purgatio. Igitur non est opus distinctione. Accedit axioma Auicennæ, *10.3.tract.5. cap.2. ad fin. Solutionem ventris omni die factam, a phlebotomia excusare*, affirmantis.

Solue hoc modo obiectionem primam. Sanguinis missio exercenda est præsente plenitudine, quando remedium est vacuatorium; quando verò exercetur reuulsionis gratia, vt in citatis exemplis, citra plenitudinem celebrari potest, imò in affectu contrario plenitudini. Ad secundam dic, locum Galeni *11.meth.* intelligendum, facta suppositione, quòd adsit sanguinis abundantia, vt constat ex ratione, & ex particula illa, vt prædiximus *suprà*, videlicet in calce *cap.9. eiusdem libri.*

Ad postremam dic, quòd quando adest plenitudo, & nullus morbus grauis præsens est, verum ex interuallis solet corripere, protinus opus est venæ sectione, vt illius generatio prohibeatur. Quòd si ex interuallis non D inuadat, neque multitudo sanguinis crassi adsit, neque homo sit intemperans, citra venæ sectionem corrigi potest inedia, frictionibus, & balneis, ex Galeno *lib. de sang. mis. cap.* 10. Quando morbus grauis est, & prætermittitur venæ sectio, tunc opus est medicamento, quod aluum soluat, quoniam posthabita venæ sectione, sanguis putrescit, cuius pars tenuis vertitur in bilem flauam, crassa in atram, qui humores iam indigent purgatione. Ex hac doctrina intelligitur locus Auicennæ, *1.4.tract.2. cap.7.* dicentis: *Et quum postponitur phlebotomia, non est amplius intentio.* Quando plenitudo est vel biliosa, vel pituitosa, aut melancholica, tunc sanguinis missio, & purgatio valde præstant: & si ob aliquam causam prætermissa fuit sanguinis missio, E optimum est consilium, medicamento purgante aluum subducere, vt videlicet facta euacuatione alterius humoris peccantis, exonerata natura, & potentior reddita, sanguinis plenitudinem in nutritionem partium absumat, vel insensibiliter digerat.

Secundus scopus, est virium robur. Huius non potest certus gradus præfiniri, sed experimento, & prudentia illud debet Medicus præcognoscere, conferendo morbum cum virtute, & prouidendo quæ post vacuationem ægrotanti contingere possunt: oportet etiam adesse robur, quod non modò possit sustinere præsentem vacuationem, sed etiam ea, quæ probabile est, postea ægro posse superuenire. Quare virium robur non tantùm exigitur præsens, sed etiam imminens.

Verùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 606 sur 927

Verùm aliqua ſuperſunt diſcutienda, quorum primum eſt: *Vtrùm omnium facultatum robur ſit obſeruandum ad venæ ſectionem*? Cùm enim triplex ſit virtus, videtur quòd omnium robur ſit expetendum: Nam ſanguinis miſſio ſicut diſſoluit facultatem vitalem, ſic reliquas virtutes: quare cùm quacunque earum amiſſa reliquæ pereant, 9.*meth.cap.*10. trium, & non ſolius firmitudo eſt exoptanda.

Præterea morbi materiales non poſſunt curari, niſi expulſione, & concoctione, quibus operationibus facultas naturalis eſt ſummè neceſſaria valida, 11.*meth.*9. §.*Neque pulſus duntaxat vires, &c.* Hac ratione morbi thoracis curari non poſſunt, niſi facta expurgatione humoris, qui in thorace continetur, pro qua operatione, robuſta eſt opus facultate. Ergo pro celebranda venæ ſectione, non ſolùm robur facultatis vitalis, ſed etiam naturalis, & animalis eſt neceſſarium.

Pro altera parte, eſt Galeni ſententia, *lib.* 4. *acut.*19. quo loco agens de hoc ſcopo, ſolùm facultatis vitalis fecit commemorationem, & *lib.de ſang.miſ.*12.*in fin.*& deducitur ratione. In principio morbi, quando humor crudus eſt, & non conſtat de robore facultatis naturalis, quod ex huius actione dependet, ſanguinem mittimus. Ergo citra huius virtutis firmitudinem, hoc auxilium celebrari poteſt. Similiter robur facultatis animalis, ægris non eſt neceſſarium: nam ſatis eſt quòd valeat pro reſpiratione, vt Galenus notat *lib.*7. *meth.cap.vlt.poſt med.* & Auicenna 4.1.*cap.*3.

Dic. Quòd facultates, quæ animal gubernant, etiamſi ſpecie ſint diſtinctæ, & diſtincta habeant principia, ita conſentiunt inter ſe, vt mutuò ſibi auxilientur: Nam facultas animalis miniſtrat vitali reſpirationem; naturalis vitali, & animali, ſanguinem, pro materia ſpirituum ſuppeditat; vitalis omnes fouet, & perficit, quia eſt veluti forma, ac perfectio cæterarum. Quare quacunque harum amiſſa, neceſſe eſt reliquas perire. Hæc tamen eſt differentia, inter vitalem, & reliquas, quòd pereunte vitali, protinus reliquæ ceſſent & pereant; his autem pereuntibus, non eodem temporis momento vitalis extinguitur, ſed adhuc longiori tempore durat, vt *lib.*5.*de loc.affect.cap.*1. Galenus propoſuit.

Ex his ſequitur euidenter, imbecillitatem facultatis vitalis eſſe, quæ potiſſimùm venæ ſectionem interdicit, quoniam cæteræ ſine huius robore conſtare nequeunt, 7.*meth.vlt.* & *lib.de ſang. miſ.*13. licèt naturalis, & animalis debilitas maximè ſit attendenda, quæ ex venæ ſectione extremè læduntur. Hinc edocti Medici, in extenuatis, & his qui animi deliquio prehenduntur, & tremunt, venæ ſectionem prohibent. In initio autem morbi, humore licèt exiſtente crudo, ſanguinem mittimus, quoniam ſi tunc appareant vires debiles, hæc imbecillitas eſt per aggrauationem: Nam vt dicebat Galenus *lib.*10.*meth.cap.*4. *Rarò accidit, vt primo, ſecundóue die morbi, vires imbecilles cernantur.* Ad ſecundam obiectionem dic, quòd cùm robur facultatis animalis non ſit neceſſarium, & promptiùs diſſoluatur, & reficiatur quàm reliquæ, ob aliquam euidentem vtilitatem celebramus vacuationem, quouſque incipiat diſſolui, modò ea diſpoſitio facilè corrigi poſſit. Quando vires ſatis conſtant, copiosè vacuandum eſt, vt morbi vehementia, & plenitudo deſiderant. Si verò non valent, tunc minùs quàm plenitudo commonet, ſanguinem mittimus. Quum vires languent, nullo auxilio opus eſt, ſed vires tunc corroborandæ, & deinde paulatina vacuatione vtendum, 9.*meth.cap.*10.& 13. Nunquam enim vires ad tantam perueniunt debilitatem, vt aliquam leuem vacuationem ferre nequeant; vnicuique enim gradui virtutis ſua vacuatio reſpondet: verùm cùm hæc ſit inutilis, cùm morbum neque auferat, neque minuat, iccircò ab auctoribus prætermittitur.

Tempus nunc eſt, vt alios ſcopos ad venæ ſectionem requiſitos, in medium afferamus, quærentes: *Vtrùm in febribus plures præter tres ab Hippocrate propoſitos, ad venæ ſectionem ſint contemplandi*? quoniam Galenus 4. *de rat. vict. in morb. acut. com.* 19. *in fin.* reprehendit auctorem illius libri, eo quòd prætermiſerit cœli ſtatum calidum & ſiccum, qui prohibet venæ ſectionem: & *lib.*11. *meth.cap.*14. §.*Et omino quidem non mittes, &c.* in tempore æſtuoſo, & cœli ſtatu calidis & ſiccis, affirmat non eſſe ſanguinem mittendum: & *lib.*1. *ad Glauc. cap.*14. *poſt princip.* idem docet: Quo loco addit, conſuetudinem magnam vim habere ad euacuationem, & ſicuti in conſuetis intrepidè vacuationes exercemus, ſic in diſſuetis minimè, etiamſi reliqua hortentur: & in *lib.*9. *meth. cap.*5. *ante fin.* inter ea quæ dehortantur venæ ſectionem, non ſolùm conſtituit ætatem puerilem, cœli ſtatum calidum, & ſiccum corporis habitum, verùm os ventriculi imbecillum, aut admodum ſenſile, aut amara bile abundans. Præterea geſtatio pueri in vtero prohibet ſanguinis miſſionem, ex Hip.5. *Aph.*31. Ergo plures alij ſcopi ſunt aſſignandi.

Dic, alios eſſe ſcopos ſanguinis miſſionis, alios quantitatis ſanguinis extrahendi: nam priores ſanguinem eſſe mittendum indicant, quantitas autem extractionis ſanguinis non ſolùm deprehenditur ab his, ſed à plethorica diſpoſitione, ſuppreſſione alicuius vacuationis, victus ratione. Et 1. *ad Glaucon.* 14. proponit ſymptomata, quæ quantitatem ſanguinis vacuandi minuere ſolent, veluti eſt vigilia, conuulſio, dolor, conſuetudo, vel diſſuetudo, quæ cùm virtutis, & plethoræ diſpoſitionem ſignificent, quantitatem indicant; & 11.*meth.*14. *poſt med.* adiungit putredinem, & obſtructionem, quæ omnia minùs eſſe vacuandum indicant, quàm ægritudo commonet, quia cùm non curentur per ſanguinis miſſionem, ſed per alia auxilia, ne cogamur intempeſtiuè nutrire, ad curationis ſpatium aliquid ſanguinis relinquendum eſt. Quando igitur plura ex his conueniunt, quæ ſolent ſanguinis quantitatem imminuere, omnino prohibent venæ ſectionem, vt ſi cœli ſtatus calidus ſiccus coniungatur cum ſimili regione, & natura, corporis habitu raro, & molli. Hoc modo *locis citatis* eſt Galenus interpretandus.

Conſuetudo non indicat neceſſitatem vacuationis, ſed ſolùm tolerantiam, vt *lib.de conſuetud.ad fin.* Galenus affirmat. Diſſuetudo non tollit neceſſitatem, ſed difficilem tolerantiam inſinuat. Quare quando Galenus affirmat, diſſuetos non eſſe euacuandos, etiamſi reliqua ſuadeant, intelligendus pro morbi magnitudine, & plenitudinis ratione.

Geſtatio fœtus in vtero, non prohibet venæ ſectionem, ſed ſolùm minuit quantitatem, quia fœtura eſt ſpecies vacuationis, *lib.de ven.ſect.aduerſ. Eraſiſt. cap.*5. Quare ſi vtero gerens graui morbo prematur, phlebotomanda eſt in minori quantitate, & non tantum ſanguinis extrahendum, quantum exigit diſpoſitio, quoniam aliquid relinquendum eſt fœturæ, ſanguinem abſumenti. Ex iis patet, grauidam abortum facere, ſi illi pro ratione morbi ſanguis extrahatur: de quo inſtituto copioſam lege diſceptationem, *lib.*1. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.*32. & *lib.*3. *Hiſt.*22.

Cruditas ventriculi, & corruptela, ſiue ſit in ventriculo, ſiue in primis venis, & fæcum retentio in febribus, ſolent differre venæ ſectionem, non tamen impedire, niſi affectus vrgeat acutie ſua, vt Galenus inquit *lib.*9. *cap.*4. *ante med.* & *lib.de ſang. miſ. cap.*20. & Auic. 1.4. *cap.*20. *ante finem*, §. *Scito præterea quòd phlebotomia, &c.* Num autem cruditas venarum impediat venæ ſectionem, ac ſi ſanguinis miſſio ſit de genere eorum, in quibus expectatur concoctio, lege *lib.*1. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.*64.

Illud verò in calce huius capitis, ad praxin valde neceſſarium, animaduertere oportet, circa propoſitos venæ ſectionis ſcopos: *Vtrùm perpetuò, & per ſe ſolùm indicent*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 607 sur 927

©BIUM

indicent venæ sectionem? Respondè negatiuè : nam per accidens indicant aliquando venæ sectionem, & aliquando purgationem. Nam 4. *meth.* 6. scopos indicare sanguinis missionem, vel purgationem fatetur : quod intelligit non per se, sed ex accidenti, aut mediatè, nempe ratione affectus coniuncti, indicantis per se venæ sectionem, vel purgationem.

Quapropter improbabile est asserere, semper, & perpetuò hos scopos ex accidenti indicare venæ sectionem, quod sic confirmo. In curatione, summa indicatio contrarij est. Sed magno morbo non est contraria sanguinis missio, magis quàm purgatio. Igitur. Patet, quia venæ sectio est auxilij species, magnitudo morbi est quantitas, aut intensio. At quantitati quantitas opponitur, non species. Ergo magnitudo morbi per se nòn indicat sanguinis missionem, sed tantùm magnum auxilium ; non hoc certum, aut illud : Ex magnitudine enim morbi, illa solùm sumitur indicatio, quam Hippocrates 1. *Aph.* 6. his verbis proposuit : *Extremis morbis, extremè exquisita remedia optima sunt.* Quare similiter magnis morbis, magna remedia conueniunt. Igitur sanguinis missio indicatur per se, à qualitate, aut à specie affectus ; ex accidenti, à magnitudine, quia magnum auxilium est. Hoc firmat Galenus *lib. de sang. mis. cap* 6. §. *De secanda vena consilio inito, præ oculis habentes principales hosce scopos, nempe plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem, & virium robur.* Denique non proinde sanguinis missio necessaria est, quia magnitudo morbi, cum virium robore coniuncta est, sed quia corpus laborat aliquo eorum affectuum, qui sanguinis missionem expostulant.

Pergamus vltrà. Galenus 1. *Aph.* 23. in vehementi dolore, cum summo virium robore, quale postulant vacuationes factæ ad animi deliquium, docet priùs faciendam esse distinctionem, an id missione sanguinis, an purgatione exerceri debeat. Igitur magnitudo affectus, cum virium robore magno, non semper indicat venæ sectionem, sed interdum vberem purgationem.

Rursus. Magnitudo morbi, & virium robur, semper indicant ex accidenti vacuationem, quia iis scopis præsentibus, perpetuò adest affectus, vel indicans per se venæ sectionem, vel purgationem. Expressa, & præclara est Galeni sententia, 4. *meth.* 6. *ad finem* ita habens : *Præberi tamen vacuandi indicationem, ab ipsa ægritudinis vi, seu magnitudine, in eo libro non diximus, quia longiorem demonstrationem hoc requirebat* : & proinde iure admiratur Hippocratis solertiam *initio capitis*, quòd in omni morbo, indicationem sumat à magnitudine affectus, longa quippe rerum obseruatione, & demonstratione opus est, ad hoc vt intelligeret verum esse, & perpetuum dogma in arte medica, magnitudinem morbi, & virium robur, semper indicare venæ sectionem. Pronunciatum hoc esse verissimum, confirmat in *medio capitis*, dicens : *Nunc illud docere volo, tum ipsam morbi siue magnitudinem, siue vim appellare libet, pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ statuendam esse : tum verò Hippocratem, hanc omnium quos nouimus, primum indicationem adinuenisse.* Ex quibus constat dilucidè, hos scopos indicare sanè vacuationem, sed interdum eam sanguinis detractione factam, & quandoque purgatione.

Præterea. Morbi magnitudo non indicat per se, sed per accidens, seu per aliud, vel mediatè, ratione scilicet affectus coniuncti, per se postulantis purgationem, vel venæ sectionem, vt manifestè explicuit Galenus *lib. de sang. mis. cap.* 7. dicens : *Eadem ratione in quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut vtcunque incipientem habet inflammationem, etiamsi magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire videatur.* Hæc Galenus, quæ abundè sufficere poterunt, ad conuellendam opinionem eorum, qui semper, & perpetuò illos scopos per se indicare venæ sectionem, asseuerant.

Insuper. Asserere nusquam dari morbi magnitudinem cum virium robore, quod tolerare possit venæ sectionem, quin detur simul affectus per se indicans venæ sectionem, & vena sit secanda, est profectò Galenicæ doctrinæ, rationi, & experimento oppositum. Nonne sæpe sese offert maximus flatuosus colicus affectus, cum virium robore aucto, quin sit necessaria sanguinis detractio ? imò solet esse nocentissima, nisi coniungatur alius affectus, per se venæ sectionem expostulans, quique magis vrgeat. Imò ex Galenica sententia manifestè constat, cum virium robore aucto, & morbi magnitudine, aliquando expurgandum esse, minimè sanguinem mittendum, nempe in affectibus magnis ex cacochymia extra venas, & ex cibo corrupto in ventriculo. Denique. In hydrope, ascite, & tympanite quandoque ita vires valent, vt possint magna remedia perferre, vt expurgationes crebras, & paracentesim in ascite, & tamen nemo hos affectus venæ sectione curare audet, 4. *acut.* 113. Non igitur semper apparentibus scopis, sanguis est emittendus, sed aliquando purgatio celebranda. At de his satis. Cætera de vsu, ac vtilitate phlebotomiæ in diuersis morbis, vt menstruatis, & febrientibus, lege *lib.* 1. *Hist. Princip. Medic. hist.* 77. De ea, quam ad animi deliquium prisci facere consueuerant, cum commodo multo, *lib.* 1. *Hist.* 9. & de Arteriotomia in febribus, & aliis morbis celebranda, *lib.* 2. *Hist.* 43. De saluatellarum præstantia mira, pro febribus curandis, *lib.* 1. *Hist.* 4. In diseenteria, præsertim adiuncta febri, *lib.* 2 *Hist.* 81. In hydrope, *lib.* 2. *Hist.* 118. De extractione sanguinis per hirudines, & scarifi catas cucurbitas, *lib.* 1, *Hist.* 4. plura sumus profati.

CAPVT XVI.

De concoctione humorum ante purgationem.

Diuinissimus Hippocrates sic prædixit, *lib.* 1. *Aph. text.* 22. *Concocta medicari, atque mouere, non cruda.* Approbat Galenus *in com. Eos verò qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem, tunc enim naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem. Videtur siquidem ipsa post coctiones, humores discernere, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes.* Humores enim ad purgationem debent esse præparati, hoc est, tenues, & nullum lentorem participantes, hoc enim modo cùm sint fluxui parati, sunt apti ad purgationem. Deinde foramina, per quæ debet fieri purgatio, debent esse aperta, & nullam habere obstructionem, & hoc est quod Hippocrates dicebat, 2. *Aph.* 9. *Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere*, vt 1. *Aph.* 24. protulit Galenus.

Ex quibus deducitur apertè, ambo hæc quæ dicta sunt ad purgationem requiri, nec vnum sine alio sufficere : Nam si humores concocti, & fluxioni fuerint parati, meatuum autem adfuerit angustia, aut obstructio ; aut si hi quidem sint reserati, laxioréque redditi, humores verò crudi, & ad fluendum inepti, prauè, vitioséque purgatio succedet : quo pacto vtrumque consequi est necesse, in humoribus concoctionem, ac præparationem, & in meatibus laxitatem, & apertionem, si vacuatio feliciter celebrari debet.

Vtrùm verò humores sint ante purgationem concoquendi? dubitandum. Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. sic ait : *Et tu non euacues materiam indigestam in calido, aut frigido, nisi*

niſi propter neceſſitatem. Fortaſſe enim multiplicatur vacuatio alterius humoris non præparati cum digeſtione, vt euacuetur; & fortaſſe nocet vacuatio maturationi; & fortaſſe permiſcetur cum ea malignum cum bono, propterea quòd mouetur malignum abſque digeſtione ſua, &c.

Docet ergo Auicenna, humores putridos febrem committentes, non eſſe euacuandos ante coctionem, in calido, aut frigido, id eſt, ſiue humor fuerit calidus, ſiue frigidus: duáſque cauſas proponit propoſitionis huius, fortè quia euacuatur humor non indigens vacuatione, ſed bonus & laudabilis, quoniam ex parte ſuæ ſubſtantiæ vacuationi aptus exiſtit. Secunda, quia per purgationem factam ante coctionem, propter reſiſtentiam humoris vitioſi crudi, excitatur agitatio, & perturbatio in corpore, & permiſcetur humor vitioſus cum benigno, & hic vitioſas qualitates comparat; quare ex hac purgatione, potiùs ſequitur humoris vitioſi augmentum, quàm diminutio.

Hanc rationem magis dilucidè approbat Auicenna, 4. 1. *cap.* 4. *ante med.* §. *Omnis præterea medicina, &c.* Similem ſententiam affert 4. 1. *cap.* 3. §. *Et quarta quidem eſt hora vacuationis, &c.* Præterea idem docet Hippocrates 4. *acut.* 43. dicens: *Quibus in principio vrinæ nebuloſæ, & craſſæ exiſtunt, hos annuentibus cæteris ſubpurgare conuenit; quòd ſi vrinæ tenues, tales non purgabis:* & *in com.* docet Galenus, corporis purgationem eſſe vitandam, cùm in humoribus cruditas adeſt, quod Hippocratem explicaſſe affirmat, cùm dixit, *vrinæ tenues*, tanquam hæ prauæ coctionis notas habeant.

Hæc etiam doctrina poteſt confirmari ex Hippocrate *lib. de medicam. purgantib. in fine*, vbi docet, *in acutis febribus non eſſe vtendum medicamentis purgantibus, niſi poſtquam quatuordecim dies præterierint*: id eſt, poſtquam morbus fuerit concoctus, ſic enim huiuſmodi verba interpretatur Galenus 4. *acut. com.* 64. Deinde 4. *acut.* 22. maximè reprobat vſum medicamentorum purgantium, inter initia inflammationum, quia cruda paſſio illis minimè cedit, cuius ſententiæ meminit 4. *Aph.* 1. Sed coctio humorum in venis, ſimilis eſt coctioni inflammationum, 1. *feb.* 6. Quemadmodum ergo inflammata, in principio non ſoluuntur, ita etiam in aliis morbis, in principio expurgatio facienda non eſt.

Hanc methodum recipit, & confirmat in prædictarum ſententiarum commentariis Galenus, & ampliùs 1. *criſ.* 9. vbi docens humores quietos non eſſe ante coctionem expurgandos, cauſam reddit, dicens hos purgantium medicamentorum tractioni difficulter obedire; nam hi retinentur à natura ad concoctionem, & locis in quibus detinentur, impacti adhærent. Aliam addit rationem, 1. *Aph.* 22. quia naturam habemus adminiculantem, cùm ipſa poſt coctionem humores diſcernat, & ſuperfluitates expellat.

Adiiciamus & hanc. Ante coctionem noxij humores à bonis diſcreti, & ſeparati non ſunt, & ſic vtiles ſimul cùm noxijs vacuantur. Alia aliter confici poteſt ratio, ex Hip. 4. *acut.* 44. docente: *Ventrem ab initio clyſtere duces, ſed medicamenta purgantia non adhibebis: nempe ſi ventrem moueris, vrina non maturabitur, febriſque citra tum ſudorem, tum iudicationem in longum protrahetur tempus.* Quibus verbis inſinuat, morbo crudo purgationem factam, coctionem impedire, & retardare: morbus enim materialis, citra coctionem humoris morbifici, ſolui non poteſt: medicamenta verò purgantia debilitant vires, & coctioni aduerſantur; hæc enim moderato calore, & quiete perficitur, at medicamenta purgantia immodicè calida ſunt, 1. *Aph.* 24. & corpus exagitant, 4. *acut. com. cit.* Impedietur ergo coctio, ac proinde citra criſim, protrahetur febris, quoniam ſi citra coctionem euacuare humorem noxium inſiſtas, naturam perturbas, & illius ordinem peruertis: Nam purgatio fit medicamento attrahente, natura verò expellente, 1. *Aph.* 24. hæc autem nonniſi coctum expellit, quem crudum cùm medicamentum attrahere nitatur, reluctatur illa, & hac ratione commota pugna intra viſcera, vires labuntur, tormina ſuccreſcunt, intenditur febris, infeſtat delirium, dolor capitis ſuperuenit, & anxietudine, vigiliáque oppreſſum corpus, nimis reſoluitur, & natura deiecta, in poſterum ad ſuperandum morbum remanet inualida.

Proximum eſt, vt explicemus: *Vtrùm in febribus ad purgationem neceſſaria ſit concoctio, obſcura, manifeſta, vel perfecta?* Triplicem enim concoctionem Galenus propoſuit *lib. 1. de criſ. cap.* 17. Obſcura, ſeu debilis, quæ non excludit principium; manifeſta, quæ eſt ſignum augmenti; perfecta, quæ ſtatum morbi oſtendit. Et videtur quòd non quælibet coctio ſufficiat, ſed quòd debeat eſſe perfecta, quoniam Hippocrates præcipit concocta medicari, & non quæ concoquuntur, vt ait Galenus *lib. quos, quib. & quando, cap.* 3. qui humores firmatos, poſtquam fuerint concocti, eſſe purgandos aſſeuerat. Igitur terminum, & perfectionem ad purgationem expoſtulat. Deinde non alia ratione coctio neceſſaria eſt ad purgationem, niſi vt medicamentum habeat fauorem naturæ: cùm igitur natura non adminiculetur, niſi perfecta coctione, quia expellit ſolùm in fine coctionis, vt conſtat in perfecta criſi: Igitur perfecta coctio eſt expectanda.

Ex altera parte obſtat Hippocrates 4. *acut.* 43. purgationem imperans, craſſa, & nebuloſa vrina exiſtente, quæ eſt ſignum tantùm imperfectæ coctionis, & Galenus *in com.* ſolùm prohibet purgationem, quando ſumma, & extrema eſt humoris cruditas. Igitur quacunque coctione apparente, medicamentum purgans poteſt eſſe ex vſu: humor enim peccans, non ſimul, & ſecundùm omnes ſui partes, ob diſſimilitudinem quæ in ipſo reperiri ſolet, concoquitur; quare vſque ad declinationem ſupereſſe ſolet humoris modicum, quod coctionem deſiderat, vt *lib. de tot. morb. temp. cap.* 3. docuit Galenus. Igitur pars illa cocta, cùm ſit nutritioni inutilis, facultatis expultricis eſt obiectum.

Dic. In morbis acutis, quando humor turget, aut vrget venenoſitate, aut malitia, in principio morbi, vtilis purgatio eſt, & non debet differri vſque ad incrementum: quo tempore etiamſi humor crudus ſit, & obſcura adſit concoctio, & purgans medicamentum eo tempore exhibitum nocere videatur agitando, mouendo, & vim naturæ inferendo, tamen maior eſt vtilitas ex euacuatione noxij humoris, quàm noxa quæ ex illa agitatione ſequi ſolet: In his enim morbis, in ipſo morbi augmento, concoctio non apparet, ſed adſunt potiùs corruptionis ſigna, & victoriæ morbi; & ideò dicebat Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *Et ſimiliter ſi times victoriam humoris, magis neceſſaria cautela eſt euacuatio, & non moueas niſi in principio.* Et quando humores vrgere incipiunt, aut maximè vrgent in incremento morbi, tunc etiam purgatio ſalubris eſt, de cura coacta, ad euitandum imminens morbi periculum. In morbi ſtatu, minimè expurgans medicamentum offerendum, hoc enim tempore natura maximè occupata eſt in coctione, & ex morbi vehementia valde laceſſita, ex Galeno *lib. de opt. ſect. ad Thraſybul. cap.* 40. & 41. & 2. *Aph.* 29. hanc reſolutionem, & fatigationem virtutis, maximè reperiri eo tempore in facultate animali affirmat: licèt enim vitalis, & naturalis fortes perſiſtant, illa obſpiritum animalem, ex febris vehementia reſolutum, debilis apparet, cùm in purgatione auxilietur valde. In vltima parte ſtatus, ſeu principio declinationis, ſi natura criſim non molitur, tunc Medicus eradicatiuè expurgare tentabit, vt coctus humor, & eius reliquiæ, quæ recidiuæ cauſa ſæpe eſſe ſolent, vacuentur, & vt morbus citiùs finiatur. Quare etſi declinante morbo,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 609 sur 927

nullum appareat mortis periculum, ob dictas causas eo tempore, secundùm Galeni doctrinam, 1. *Aph.* 22. perfectè concocto humore securissimè administrari purgatio potest.

In morbis diuturnis, quia materiam ad vnum criticum iudicium non reseruant, nec simul concoqui, aut expurgari possunt, & ob longitudinem morbi, & partium principalium imbecillitatem diu contractam, semper de nouo humor accrescit, iccircò omni tempore purgatio potest concedi paulatina, quia humor ex interuallis præparari, & idoneis medicamentis expurgari potest. Hoc enim modo natura efficere solet, quoniam crassos humores, à quibus morbi chronici scaturiunt, paulatim concoquit, & paulatim expellit. Hippocrates verò *lib.* 4. *acut.* nomine principij, primos morbi dies intelligit, quo tempore in morbis acutis, concoctio manifesta apparere solet, & in biliosis nebula, propter leuitatem & tenuitatem humoris, non solùm manifestam, sed perfectam coctionem significat.

Illud etiam potest quæri dubium: *Vtrùm coctio humoris putridi sit diuersa à coctione humoris semiputridi*? Dic in venosi generis morbis, reperitur pars humoris, quæ ex toto iam putruit, quæ vacuatione, hoc est, phlebotomia, & purgatione indiget; & pars semiputrida, quæ refrigeratione, ventilatione, & concoctione curatur. Idem affirmat Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 8. docens, omnino putridum vacuatione sanari; quod verò semiputridum, per motum, & perspirationem frigidam: putredinémque in viuentibus, ad similitudinem fieri corporum non viuorum, quæ putrefiunt; primò enim putridum secatur, & reiicitur, semiputridum aëri frigido exponitur.

Neque hæc doctrina est aduersa ipsi Galeno, asserenti *cap.* 89. *art. med.* putridis humoribus sola coctione esse auxiliandum: nam curatio semiputridorum, quatuor modis perficitur, ex Gal. *loc. nuper citatis.* Primò, motu excitante innatum calorem, & refrigeratione extinguente aliquid extranei, non aliter quàm semiputridis rebus confert motus similiter, & aëri expositio, cuius rei causa est, quia cùm putrefactio fiat, excessu caloris extranei, & diminutione innati, refrigerantia caloris cohibent excessum, & ventilatio innatum roborat & auget. Secundò, per ablationem dispositionis, quæ humorem ad putredinem aptum reddit, id est, caloris, & humiditatis, quarum qualitatum excessum retundunt acida, frigida sicca medicamenta, modò non obstruant: ventilationem procurant medicamenta aperientia, & rarefacientia, quæ conniuentes, & constrictos meatus deobstruunt, quod *cit. meth.* 4. explicuit Galenus, §. *Stipatum, densúmque curatur relaxato eo, omnique ratione rarefacto.* Tertiò, per reducentia humorem ad mediocritatem temperamenti, & substantiæ, vt sic natura faciliùs concoquat, ita Auicenna ait 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *quòd digestio quidem in grossa, est equatio eius cum subtilitione; in subtili verò, equatio eius cum ingrossatione.* Quartò, per medicamenta augentia calorem innatum, quæ in quantitate augent, & non in qualitate, vt sic perfectiùs concoquat, quæ moderato & leni calore debent esse prædita: in quem vsum prosunt fomenta, balnea, vini potus, moderatum exercitium, frictio lenis, & emplastra. Quæ qua ratione iuuent coctionem, diximus *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. Hist.* 66. Ex iis patet, sibi non contradicere Galenum, qui quatuor dictos modos, sub vna coctione comprehendit.

Deinde duæ sunt species concoctionis, quæ in nostro corpore fieri solent: videlicet ea, quæ simpliciter coctio dicitur, & elixationi similis est, quæ circa alimenta, & ea quæ benigna, & vtilia sunt nutritioni, versatur, & hæc à calore in humido existente perficitur. Altera est maturatio, quæ succos crudos concoquit, & maturationi fructuum similis est.

Insuper. Quando humores putrent, & naturæ gratiam nequeunt admittere, quia nullo modo possunt vinci à natura, statim à corpore sunt expellendi; quò enim immorantur diutius, eò magis putrescunt. Hac ratione, corrupto in ventriculo chylo, illicò per vomitum, vel alium expellendus est, vt 4. *de sanit. tuend.* 3. Galenus edocuit. Si verò concoqui possunt, concoctio est tentenda, licèt enim humor non fiat benignus, & nutritioni vtilis, tamen superatur, & vincitur, & cum minori molestia à natura expellitur; facultas enim expultrix, solùm in fine coctionis operatur, 3. *de dieb. decretor. cap.* 8. *post princip.* & siue ab arte, siue à natura, commoda vacuatio fieri debeat, semper coctio præcedere debet, deinde separatio, 4. *Aph.* 22.

Præterea. Galenus 1. *epid. sect.* 2. *com.* 44. asseuerat maturationem morbi, esse coctionem eorum quæ præter naturam sunt, & coctionem nihil aliud esse, quàm deductionem eius quod concoquitur, in substantiam concoquentis: nam natura nunquam fine suo frustratur, siue circa hanc, siue illam materiam versetur, semper enim aliquid vtile nutritioni reddit, & quando se rectè habet, & obiectum concoquendum illi est familiare, plurimum est quod in substantiam partis redundat; quando praua aliqua dispositione laborat, & nulla familiaritas intercedit, exiguum est quod in substantiam concoquentis deducitur. Ex quibus fit manifestum, quænam sit coctio, quæ humori putri debetur.

Ea coctio quæ humori semiputrescenti vtilis est, reductio est ad benignum: nam solus hic ad pristinam naturam redire solet, vt 2. *Aph.* 17. *in fin.* confirmat Galenus: cùm enim caliditas aliena nondum fecerit separationem humidi à sicco, neque dissolutionem humidi vaporosi cui inhæret: caliditas propria, cessante actione caloris extranei, per alterationem contrariam, ad pristinam naturam redit: contrà autem in humore putri, cùm caliditas præternaturam non solùm calfecerit, sed iam humidum à sicco euidenter separauerit, & dissolutionem humidi excitarit, tunc licèt extranea caliditas ab actione cesset, impossibile est, vt ad antiquum statum reduci possit.

De hac reductione ad benignum, intelligendus est Galenus *lib. art. med. cap.* 89. cùm inquit: *est alteratio, quæ facit cessare putredinem, manente eadem substantia.* Huius enim coctionis ope, incipiens putredo reprimitur, & remanet humor, qui alteratur, in corpore benignus, & nutritioni vtilis: neque ea definitio, coctioni humoris putrentis conuenit, quia tunc substantia illius rei quæ putrescit, non verè dicitur manere in corpore, cùm alitioni sit inutilis, neque sub propria specie persistit, cùm aliam formam acquirat, vt puris, aut alterius rei quæ puri assimilatur. Quare coctio quæ vtilis est humoribus putridis, differt ab ea, quæ semiputridis necessaria est.

Ex hac quæstione sequitur & alia, non minoris momenti: *Vtrùm syrupi ante purgationem in febribus, ad concoctionem noxij humoris sint concedendi*? Dic affirmatiuè: Semiputridus enim humor, & qui ad gratiam naturæ reduci potest, illorum vsu concoquitur, & præparatur: cùm enim in acutis, & ardentibus febribus, humores exuperent biliosi, qui suo calore, mobilitate, acrimonia, tenuitate concoctioni repugnant, hos crassiores, & minùs mobiles reddere oportet, ne tantum negotium naturæ faceſſant, vel irrequieto motu per corpus agitati, in aliquam præcipuam partem possint decumbere: quare in vno loco quieti, promptiùs, & feliciùs concoquuntur. Hoc est quod significauit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. dicens: *Humoris autem cholerici digestio est, vt conuersus à sua subtilitate fiat spissus.* Si cum febre, alui profluuium copulatur, syrupi refrigerantes, & incrassantes sunt ex vsu. Sunt præterea alij humores, qui licèt biliosi sint, crassi tamen existunt, quos frigidis aperientibus syrupis,

præparare

præparare oportet. Demum ſyruporum vſu, in febribus humores concoquuntur, hoc eſt, vincuntur, loquentibus nobis in latiori coctionis ſignificato, quando victum, coctum appellamus, vt accepit Galenus 2. *acut.* 44. & firmauit prius Ariſt. 4. *meteor.* 1. §. *Quod victum eſt, coctum eſt, quia eius acrimonia eſt refracta.* Hac ratione bilis cruda, acrior eſt, & flaueſcit; cocta verò minùs fœtet, & pallet, quia per coctionem euicta eſt, & quodammodo partibus ſimilis ſecundùm qualitates reddita. Hac ratione ſanguis laudabilis, quãdo inflammationem committit, crudus eſt; quando verò tranſmutatur in pus, dicimus eſſe coctum, non quòd redditus ſit nutritioni vtilis, nec in ſubſtantiam partis conuertatur, ſed quia à natura partis integrè ſuperatur, & ſimilitudinem contraxit cum partibus ſolidis, & acquiſiuit qualitates, quibus quodammodo illis incipit eſſe familiaris: ita conſtat ex doctrina Galeni, 1. *progn. vlt.* & 1. *feb.* 6. Quoniam tamen neque in modo ſubſtantiæ potuit comparare ſimilitudinem, neque nutrire, tanquam quidpiam inutile, è corpore excerni debet.

Vtrùm in humoribus craſſis ſyrupi extenuantes ſint ex vſu? deinde diſceptandum. Legitur namque apud probatos auctores, in humoribus reperiri primò craſſum; deinde lentum, & tenax, quod idem eſt atque non fluxile; demum glutinoſum, ſiue viſcoſum, quod idem eſt atque adhærens vaſis, quæ diuerſum poſtulant curationis modum: Nam craſſum quà tale, attenuationem expoſtulat; tenax, & lentum, inciſionem; glutinoſum, ac viſcoſum, abſterſionem, vt inter ipſum, & corpus cui adhæret, penetret medicamentum, & inter ea ſeparationem faciat: obſtruit enim viſcoſum, tum quia adhæret, tum ob ſuarum partium continuitatem, ex Auic. *loc. cit.* & notauit Galenus 5. *de vſu part. cap.* 4. §. *Quarum curatio, &c.*

Extant ergo tria pro humoribus coquendis neceſſaria, attenuatio, inciſio, & abſterſio, quæ formales ſunt rationes medicamenti diſtinctæ: nam licèt hæc omnia ſemper fiant, mediantibus partibus calidis, diuerſo tamen modo hæc comparantur, quoniam attenuatio fit à calido, quatenus alterante, & comminuente ſubſtantiam craſſam, vt patet in igne, qui mediante calore, attenuat lignum, & in cinerem conuertit. Inciſio fit à partibus calidis, non quà calidis, ſed tenuibus, & lentam ſubſtantiam penetrantibus, ipſámque diuidentibus, vt patet in aceto, quod non ob calorem, ſed tenuitatem incîdit, & acetoſo ſyrupo, qui ex mente Auicen. attenuat, incîdit, & euacuat. Abſterſio fit à partibus calidis, non quà calidis, ſed amaris, & nitroſis, 5. *ſimpl.* 12. Collige ex iis, aſſignari poſſe viſcoſum, quod non ſit craſſum, vt in albumine oui palàm conſpicimus; hoc enim non habet partes terreſtres, ſed aqueas: ſimiliter reperiri craſſum, quod non ſit viſcoſum, vt conſtat in caſeo, qui cùm craſſus ſit, glutinoſus tamen non eſt.

Dubitabis: *Vtrùm oxymel in febribus pro præparandis humoribus craſſis vtile ſit?* Reſpondet Trallianus *lib.* 5. *c. de curat. diaria ex obſtructione*, non rectè concedi ipſum, pro præparandis humoribus craſſis per aduſtionem, ſed per cruditatem: quum enim ſunt craſſa per aduſtionem, redduntur tenuia, ſi ea rebus liquidis diluas, & humidis; hac ratione lutum aqua permixtum, tenue redditur, & bilis vitellina aſſatione reddita, potione frigida & humida, tenuis euadit, & liquida. Craſſa verò per cruditatem, aut humoris craſſi permixtionem, qualis eſt bilis vitellina in tertiana notha, fiunt tenuia, rebus calefacientibus, attenuantibus ſubſtantiæ craſſitiem, & incîdentibus lentorem; qua ratione pituitam viſcidam, & craſſam oxymelite, & Rhodomelite incîdimus, & attenuamus.

Alia explicanda dubitatio: *Vtrùm ſyrupi præparantes humores in febribus putridis, ferè ſunt calidi?* Videtur quòd ſint frigidi, nam materia febris ſemper calida & tenuis eſt, & infrigidationem expoſtulat. Secundò. Aqua frigida ſæpe facit illud, vt inquit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. id eſt, concoquit humores calidos, & tenues. Tertiò. Febres bilioſæ frequentiùs infeſtant, per comparationem ad alias febres, ex Galeno 2. *criſ.* 9. *ad med.* Sed humor bilioſus non expoſtulat coquentia calida, ſed frigida. Igitur, &c.

Dic pro coctione humorum putridorum, ſæpe vtilia eſſe coquentia frigida: cùm tamen putridæ febres frequentiùs ab humoribus craſſis, viſcidis, viſcerúmque obſtructione ortum ducant, vtplurimùm coquentia offerenda ſunt attenuantia, incîdentia, & deobſtruentia, ac proinde calida. Ad primam ergo, & ſecundam rationem reſponſio patet. Ad tertiam dic, ferè febres ducere ortum ex bile, ſed ea craſſa, & per aduſtionem terreſtriori reddita, cui præparandæ, & concoquendæ attenuantia, & concoquentia ſunt exhibenda.

Altera dubitatio: *Vtrùm ſyrupi adſtringentes pro humoribus putridis concoquendis, ante coctionem poſſint concedi?* Auicenna 1. 4 *tract.* 2. *c.* 7. ſic ait: *Et quum tu infrigidas de iſtis febribus, tunc non infrigides cum eo, in quo ſunt ſtypticitas, & inſpiſſatio, ſicut ſunt trochiſci infrigidantes, niſi poſt digeſtionem, & euacuationem.* Quo loco monet, non eſſe in febribus putridis vtendum rebus adſtringentibus, & ſiccantibus, veluti ſunt trochiſci de roſis, de camphora, de ſpodio, & ſimilibus, niſi poſt coctionem, & euacuationem humoris morbifici, vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partem.

Cauſa in promptu eſt: nam ob adſtrictionem, augentur obſtructiones, & ob ſiccitatem, humorum vacuatio, & reſolutio impeditur; quare augetur febris, cùm adſtrictis meatibus non tranſpiret corpus, & humores impacti, & retenti, coërciti, præ mora non ventilati, ampliùs putreſcant. Poſt coctionem verò, & euacuationem concedi poſſunt, quia ex illorum vſu, internæ partes firmantur, & fiunt robuſtiores.

Hac ratione Galenus 1. *acut.* 18. in victu febris putridæ, ptiſſanam laudat, & prohibet adſtringentia: *Et ſic dimittantur*, inquit, *ex adſtringentibus pyra agreſtia, & meſpila, & quæcunque huiuſmodi, atque ex frumentaceis lens, & ſimilia, &c.* Et *paulò infrà*, ſic ait: *Nemo ſiquidem adſtringentibus vtitur cibis, niſi propter ſymptoma, quod animi deliquium inducat, vel propter immoderatũ veneris profluuium: cogunt ſiquidem, cõſtringúntque corpora, viáſque tum diſtributionis, tum alimoniæ, tum eius quæ foràs fit, perſpirationis, conniuere faciunt, quas recluſas, apertáſque eſſe conducit.*

Obtrudes, & meritò ſanè hoc modo. Galenus principio febris peſtilentis concedit terram ſigillatam, quæ adſtringens eſt. Dic. Eo loco reſpexit ad id, quod vrget, relicta indicatione, quæ à putredine deſumitur: conatur enim antidoto debellare malignam qualitatem humoris fouentis peſtem, cuius vi, & ope venenoſus furor infrænatur, & retunditur. Hac ratione vſus nimius acidorum, vt arantiorum, limonum, tamarindorum in putridis febribus, & malignis, licèt noceat, cùm illa exaſperent membra, & inæqualiter deſiccent, 4. *ſimpl.* 7. & obſtruant, tamen quoniam malignitatis vehementiam coërcent, & ebullientium humorum impetum, & acrimoniam contemperant, in modica quantitate offerri poſſunt. Hinc fit vt Alzaharauius *c. de ſynocho*, & Raſius 30. *continent. eodem titulo*, ſyrupum de acido citri, & tamarindos vehementer commendent, frigiditate enim, & ſiccitate putrefactioni ſanguinis per quam in bilem vertitur, refragantur.

Obtrudes ſecundò. Galenus 10. *meth.* 3. malum punicum conceſſit iuueni cuidam febricitanti: Nam illud edulium non obtulit ratione febris, ſed ad roborandum ſtomachum, ex triduana inedia debilem factum, ne fortè ob hanc cauſam, bilioſi humoris copia in ipſum confluaret; eſt enim, inquit, optimus cibus bilioſo ſtomacho, quia adſtringit, & firmat: At hoc nomine illud prohibet, 13. *meth. cap.* 14 in inflammatione iecoris, quia arctat canales, humoréſque excerni prohibet.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 611 sur 927

Quæres deinde: *Vtrùm in febribus ante vacuationem syrupi attenuantes, & aperientes possint esse ex vsu?* Respondet Galenus hoc modo, 11. *meth.* c. 4. *Cœpisse à sanguinis missione conueniet; & abundantia euacuata, tunc ad extenuandos humores venire; ab hoc ad remittenda, quæ sunt constricta, & rarefacienda quæ sunt densata.* Ex his manet apertum, condemnandos esse eos, qui non deposita plenitudine ante sufficientem phlebotomiam, in febribus syrupum exhibent acetosum, de oxysaccharo, & similes, cùm hæc methodus aduersetur Galeni præcepto, lato 8. *meth. cap.* 4. §. *Præstat autem vitiosi succi maiore parte vacuata, ad detergendas obstructiones accedere: si aliter feceris, metus est ne ipsas magis impingas, &c.* Neque obiicias Galenum, qui *lib. de sang. mis. cap.* 12. ante venæ sectionem, medicamentis extenuantibus vtitur: nam eo loco agit de crudis humoribus, qui nî priùs extenuentur, fluxiles non sunt, imò ineptiad phlebotomiam: si enim citra præparationem vena scindatur, portio sanguinis optimi, cùm sit fluxilior, & tenuior egreditur priùs, relicta cruda, & lenta: 11. verò *meth.* de crassis, non tamen crudis, & ineptis ad phlebotomiam, est intelligendus, in quibus sanguinis missio, attenuationem præcedere debet.

Colliges ex hac doctrina, hos syrupos non esse concedendos, nisi post vacuationem excrementorum, in prima regione existentium, quæ clementi pharmaco, vel clystere expurgante perfici debet: Nam syrupi ob deobstructionem, sicut phlebotomia ob tractum, ad vasa, prauitatem humorum transmittunt, qui in prima regione abundant. Hanc doctrinam confirmant experimenta, ab Auerrhoë citata, *lib. 7. collect. cap.* 1. Ob hanc causam in principio febrium, trochiscorum aperientium vsus est interdicendus, ante coctionem, præcipuè in febribus, quarum causa præcipua in prima regione, vsque ad hepar, consistit, ex Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7.

Quæres etiam: *Vtrùm quantitas syruporum certa possit describi?* Hippocrates 1. *acut.* 43. exhibet oxymel ad vncias quatuor & semissem, varianda tamen est, pro varietate morbi, & corporis dispositione. In febribus biliosis, quando totum corpus ardore, sitíque opprimitur, minùs syrupi, & plus decocti, aut stillatitiæ aquæ exhibemus, vt sic potio ad distantissimas corporis partes penetrans, liquiditate sua, arida membra irrigans, sitim, incendiúmque compescat, somnum conciliet, corpus humectet, febrilis caloris acrimoniam compescat, ac siccitati reluctetur. In morbis verò regionis primæ, plus syrupi, minùs aquæ concedendum; hac enim ratione, potus lentore suo, morans in via, ac detentus, humores etsi crassos concoquit diu, & importunè. Offerendi sunt in aurora, non pasto ventriculo, ne cibo, potúsque humore, illorum vis exolescat, & debilitetur; non tamen famelico, ne natura ex fame languida, in sui alimoniam conuertat, aut debilis facta, ad actum redigere nequeat. Vesperi possunt etiam concedi, ac longè à cibo, æstate frigidi, hyeme verò calidi, vt 4. *acut. cit.* Hippocrates prædixit.

At in calce capitis, hoc seorsim dirimendum est dubium: *Vtrùm præter coctionem intentam à natura, in humoribus putridis expellendis, inducat ipsa qualitates præparantes ad expulsionem?* Natura in humoribus putridis, non reducibilibus ad benignum, sed qui debent expelli, non videtur inducere qualitates præparantes expulsioni, postquam non potuit assequi intentum primum, de inducenda forma membri: nam hoc imaginari, est à ratione alienum, sequeretur enim naturam discurrere. Deinde natura in materiam, ex qua non potest corpus alere, sæpe qualitates inducit, quæ magis renituntur expulsioni, vt quando ex sanguine facit pus, quod propter crassitiem magis expulsioni est ineptum, quàm sanguis, ex quo fuit generatum. Præterea. In humore etiam expellendo, quantò magis procedit concoctio, tantò magis apparent qualitates ad formam membri præparantes, vt albedo, æqualitas, & crassities in pure; quare noxium etiam humorem, intendit natura conuertere in membra. Dicendum ergo tam in humoribus proficuis, quàm putridis, naturam, assimilationem & conuersionem intendere; putridi tamen ex accidenti redduntur aptiores expulsioni, quia à natura euicti.

Nec asseras, Auicennam profiteri partem affirmatiuam, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. dicentem: *Quòd digestio, id est, coctio in materia putrida, est reductio ad mediocritatem, vt scilicet facilius expellatur:* quod dilucidè firmat 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 3. affirmans, operationem facultatis digestiuæ in superfluitatibus esse, vt si non possit transmutare in propriam substantiam, præparet ad expulsionem. Suadetur primò hæc sententia. Natura non expellit humores noxios in principio morbi, sed post coctionem. Ergo per hanc eos præparat expulsioni. Secundò. Quemadmodum in sanis natura parat laudabilem & vtilem humorem facultati nutritiuæ, ita debuit parare in ægris noxium humorem facultati expulsiuæ. Ergo, &c.

Dic ad rationem primam. Natura in principio putridos humores non expellit, sed post coctionem, non quia per eam intendat inducere qualitates expulsioni parantes, sed quoniam ex vniuersali præscripto, nonnisi post coctionem expellit, cùm huius ope, humores ab ipsa vincuntur, & ab vtilibus separantur, & ideò ad sui excretionem irritant expultricem, & hac ratione faciliùs expelluntur cocti, etsi habeant aliquam qualitatem excretioni repugnantem magis, quàm in principio, nempe crassitiem. Ad alteram rationem dic, facultatem coctricem tam in sanis, quàm in ægris, cùm sit vna virtutum naturalium, semper idem intendere, licèt ob ineptitudinem passi, non semper idem consequi queat. Si verò de præparatione humorum, an incrassantibus, vel attenuantibus perficienda sit, plura scire affectas, lege *lib. 4. Hist. Princip. Medic. Hist.* 15.

CAPVT XVII.

De Purgatione.

AN morbis præstantiorem esse vacuationem factam per aluum, vtpote magis consuetam, & naturæ familiarem, docuit Auerrhoës *lib. 6. collect. cap.* 21. *Vtrùm* autem *in febribus putridis, purgatio sit celebranda?* dubium est non mediocre. Nam Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 9. in iis solùm eligit medicamenta, quæ leniter aluum subducunt, veluti est ptissana, oxymel, mulsa, & similia: & quando his aluus non respondet, clysteribus vtendum esse præcipit.

Subinde hortatur, vt medicamenta calida sicca interdicantur, quæ febrem adaugent, & humores inflammant. Eadem prorsus ratione 8. *meth.* 4. mulsam, & oxymel reprobat, in quibus incoquantur origanum, hyssopus, serpillum, & alia huiusmodi. Et *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. agens de curatione febrium continuarum, solùm meminit venæ sectionis, victus rationis, & aquæ frigidæ, medicamenta purgantia prætermittens, sequutus Hippocratem 1. *Aph.* 24. concedentem purgantia medicamenta in morbis acutis, quando turgent humores; & *lib. de medic. purgant. num. vlt.* imperantem eorum administrationem, postquam remiserit febris, & postquam quatuordecim dies præterierint, feruore iam in declinatione sedato, cùm acuti morbi, quatuordecim diebus terminentur.

Timet ergo medicamentorum purgantium caliditatem, ita vt non solùm in febrilibus morbis, verùm in iis qui febri omnino carent, imò tempore æstatis, ea summopere interdicenda esse, præcipiat Hippocrates, 4. *Aph.* 5. *Quòd si exusta*, inquit ipse Galenus, *hoc tempore*

nostra

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 612 sur 927

noſtra natura, eam quæ à medicamentis purgantibus exiſtit, non fert acritudinem, quare & plures hoc tempore purgati incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſoluitur: quid dicendum erit de acutis morbis, cum quibus febres ſunt complicatæ, 2. *Aph.* 19. in quibus igneus calor viget, & innatus ignis à calore præter naturam depopulatus, imbellis eſt valde, & viſcera bilioſo humore inflammata, ex calidorum medicamentorum potu, vehementer excandeſcunt?

Quamobrem vacuatio facta per clyſteres lenes, magis videntur optanda, quorum vſus vires non diſſoluit, & mirè proficit. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auicenna, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et magis dilectum eſt apud me, &c.* clyſterum in febribus vtilitatem tantopere commendans. Hac ratione 2. *acut.* 11. in pleuritide deſcendente, qualis ſolet eſſe pituitoſa, vel melancholica, & in qua maius auxilium erat ex purgatione expectandum, quia alij humores à ſanguine peccant, ob febris feruorem, & caliditatem ſiccitatémque medicamenti purgantis, & eius naturam malignam, venam potiùs ſecandam propoſuit, cùm tutius ſit auxilium, minúſque perturbet, & exagitet, & maximè ſi ægrotantis natura ad vnguem non agnoſcatur; tunc enim oblata medicamenta concitant verenda ſymptomata, quæ in omnibus morbis, præſertim acutis, noxas afferunt non contemnendas. Ob has cauſas Aſclepiades, referente Celſo *lib.* 5. *cap.* 1. medicamentorum purgantium vires pertimeſcens, illorum adminiſtrationem deleuit omnino.

Verùm non ob has rationes, febrientibus medicamenta purgantia ſunt deneganda, & non ſolùm in acutis, ſed chronicis morbis, & inflammationibus internis. Hac ratione Galenus, præſente ignea febris caliditate ea concedit, 1. *Aph.* 24. ob maiorem vtilitatem ex illis comparatam, quàm ſit id quod poteſt ſequi detrimentum: & 13. *meth.* 15. in inflammatione iecoris, præter vrticam, & mercurialem, etiam obtulit nigri veratri corticem: & 14. *meth.* 19. mulieri Romanæ Herpete in malleolo laboranti, Scammonio ſerum lactis medicatum conceſſit. Non ergo ſolùm leniter aluum ſubducentia, ſed electiuè attrahentia, imò exoluentia propinanda. Neque priſci ea condemnant, ſed illis vtendum eſſe mitiùs, cautiúſque, in continuis, quàm in aliis morbis, qui febrem ſibi comitem non habent, & adhuc multò maiori cautela, quàm in intermittentibus, vt prudenter, & diſertè docuit Trallianus *lib.* 12. *meth. cap.* 3. ob rationes plures, quas ex profeſſo propoſuimus *lib.* 1. *Hiſt. Princip. Medic. hiſt.* 83.

Sed maior machina, grandiúſque negotium aggrediendum eſt, dummodò breuitas cum diſſerendi methodo, quantum rei vtilitas dederit, in diſputatione ſeruetur. *Vtrùm medicamenta purgantia, præter turgentiam, vrgentiam, aut malignitatem, in initio febrium putridarum, materia ſolùm exiſtente multa, tutò poſſint concedi*? De humore turgente ſatis plura, *lib.* 4. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt.* 17. de venenoſo, *eodem lib. Hiſt.* 48. quibus in humoribus citra coctionem offerenda eſſe purgantia, latè ex Galeni mente contendimus. In humore multo, & crudo, eam eſſe celebrandam, etſi prædiximus *lib.* 4. *in com. Hiſt.* 9. *propre finem*, quoniam tamen obſtrepere non ceſſarunt quidam contra me, in re momenti tanti, doctrinam eo loco allatam, veram eſſe, & Galenicæ methodo valde conſentaneam demonſtrabo, ex qua argumenta illorum ſoluentur ad plenum.

De purgatione ergo reuulſiua, conſentiunt omnes, eam celebrandam eſſe in principio: Diſſentiunt tamen, num humor morbificus quieſcens, actu morbum cõmittens, poſſit, & debeat aliquando expurgari, non expectata concoctione. Plures partem negantem amplectuntur, Hipp. & Galeni teſtimoniis muniti, qui ſemper ad purgationem, coctionem expectant, excepta turgentia, vrgentia, & malignitate: pro qua ſententia poſſunt adduci rationes, quas attulimus *ſupra*, dum coctionem, & præparationem humoris, ſemper eſſe neceſſariam ad purgationem, contendimus cum Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et non euacues materiam indigeſtam.*

Partem tamen affirmantem ſequuntur omnes Arabes, qui perſuaſere ſibi, in principio morborum, vtendum eſſe purgatione, quam minoratiuam appellant, quando materia eſt multa, quæ ſcilicet ita quantitate excedat, vt ex eius copia, vehemens periculum imminеat, nî ſtatim purgatione minuatur. Quare in ancipiti, atque graui morbo, cuius ſemper & ſymptomata ſæua ſunt, & minimè turus exitus, ſtatim per initia, non vtiliter ſolùm, ſed etiam neceſſariò, vtendum eſt medicamento; nam prudentis non eſt Medici, concoctionem expectare, quæ fortaſſe futura non eſt.

Probat hanc methodum Auicenna 1. 4 *tract.* 2. *cap.* 7. dum ſic ait: *Et ſimiliter ſi times victoriam humoris, & magis neceſſaria cautela eſt euacuatio, etſi non eſt digeſtus, non moueas, niſi in principio.* Quod etiam expreſsè docet, 4. 1. *cap.* 3. *ad med.* §. *Et ſimiliter cùm non fuerimus ſecuri, quod virtus ad maturitatis horam perduret, euacuabimus eam.* Hoc etiam obſeruat 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 55. *anté med.* vbi agens de quotidiana, inquit: *Ego verò non diligo expectationem coctionis*, potiùs enim ita legendum eſt, vt legitur in antiquis codicibus, quàm vt correxit Bellunenſis: *Ego verò non diligo, niſi expectationem coctionis*, nam verbum [*niſi*] abundat, vt conſtat ex his ſequentibus verbis: *imò oportet, vt euacuetur ex ea aliquid.*

Hoc modo intelligenda eſt ſententia Hippocratis, 2. *Aph.* 29. quæ de purgatione minoratiua intelligi debet, vt conſtat ex Galeno *in com.* dicente, *melius eſſe, in principiis morborum enacuare, quò minorem iam factam materiam, natura poſſit concoquere.* Nec prædictam ſententiam ille de humoribus turgentibus interpretatur, præſertim cùm hi, ob motum, & qualitates praua, potiùs ſint radicitus purgandi, quàm minuendi. Pronunciauit ergo Hippocrates eam ſententiam de morbis, in quibus ob multitudinem materiæ, periculum eſt, ne virtus non poſſit concoquere, in quibus vult aliquam illius portionem, in principio, purgatione eſſe extrahendam, vt deinceps reſiduum natura poſſit concoquere.

Dicitur hæc purgatio minoratiua, quia minorem facit materiam, naturam leuat, impedimentum tollit coctionis, quæ in principio celebrari debet, quod iiſdem rationibus ſuaderi poteſt, quibus *lib.* 4. *Hiſt. Princip. Medic. Hiſt. cit.* oſtendimus, humorem turgentem ſtatim eſſe expurgandum: Eadem enim damna, quæ ſequuntur ex turgenti humore, ex multo ſubſequi eſt veroſimile, niſi illicò, & ſine cunctatione expurgetur; periculum enim eſt, ne vires ex nimio pondere deficiant, caliditáſque febrilis augeatur, & in augmento, vel ſtatu ebullientes humores, attenuati, & commoti, in aliquam decumbant præcipuam corporis partem. Deinde ſicut turgens ob motum irrequietum, facilè attractioni cedit medicamentorum, ita etiam materia multa, ob copiam vbique medicamento occurrit. At verò humoribus vitioſis multis, ſolùm purgatione mederi nobis eſt conceſſum. Quare extemplò nulla expectata coctione, ad euitandum maius periculum, eos extra corpus eliminare decens eſt.

Quòd ſi obiiciant, Hippocratem, & Galenum abſolutè præcepiſſe, ſemper coctionem expectandam eſſe ad purgationem, ſolúmque excepiſſe materiam turgentem. Reſponde primò. Illos loqui ſolùm de curatione ordinaria, ſiue methodica, in qua coctio ſemper expectanda eſt ad purgationem, in materia morbi quieſcente; non verò de cura coacta, in qua ob multitudinem humoris, ſæua pericula impendent. Quare Medicus expertus, occurrens ei quod magis vrget, cuius indicatio cæteras obumbrat, 7. *meth.* 12. medicamento purgante, in initio oblato, tanta futura damna præuidebit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 613 sur 927

©BIUM

Respondè secundò. Purgationes has in initio factas ab arte, in materia multa, simpliciter non esse bonas, attrahunt enim semper cum prauo, bonum: quare ab Hippocrate, & Galeno reprobantur. Verùm si spectemus maius incommodum quod sequeretur, nisi in principio celebrarentur, possunt laudari: hac enim ratione natura, vt sese exoneret, aliquas promouet vacuationes in principio morbi, cum vtilitate multa.

Respondè tertiò. Hippocratem, & Galenum, prohibentes purgationem ante coctionem, esse intelligendos de purgatione eradicatiua, non verò de minoratiua, & reuulsiua; hanc enim 2. *Aph.* 29. in initio morborum celebratam summopere probant.

Respondè quartò, Hippocratem 1. *Aph.* 22. solùm excludere à purgatione, ea quæ absolutè cruda sunt, admittere tamen ea, quæ aliquo modo sunt concocta, siue obscurè, siue manifestè, siue perfectè. Quare purgatio iuxta rationem coctionis administranda: Nam quando obscura est, qualis datur in principio, ex Galeno 1. *crisi.* 17. potest purgatio offerri, sed parcè. Quæ verò manifestè concocta sunt, purgationi sunt magis accommoda. Radicitus verò expurganda, quæ integrè, & ad plenum sunt concocta. Et hoc modo purgatione vti possumus in morbis præsertim diuturnis, in principio, augmento, & statu; in his enim ob distantiam status semper materia morbi accrescit ex victu. Quæ methodus non solùm in morbis periculosis est exercenda, sed in salubribus vtiliter celebratur, vt humor faciliùs concoquatur.

Neque contra hanc doctrinam obiicias Hippocratem, 4. *acut.* 44. vbi innuit, purgationem in principio factam coctionem impedire, quia, vt inquit Galenus *in com. purgationes coctionibus aduersantur, corpus enim vehementer mouentes fatigant, & vehementer calefaciunt:* Nam hoc intelligendum est de iis medicamentis, quæ ferè in vsu erant apud antiquos, non verò de nostris, quæ cùm benigna sint, & clementia, minimam, vel nullam agitationem faciunt in corpore nostro, ex quibus maior est vtilitas, ex vacuatione humoris profecta, quàm sit id quod sequitur ex agitatione detrimentum.

Deinde purgatio in initio instituta, crisim non impedit, quæ non fit in principio, sed in statu, 3. *crisi.* 6. Imò à copia, & sarcina leuata in principio natura, humorem feliciùs domat, ac regit, & à putredine defendit. Neque instes cum Hippocrate, 4. *acut.* 22. crudam passionem non cedere, ac proinde in principio inflammationum medicamentis purgantibus non esse vtendum; quam sententiam referens, 4. *Aph.* 1. videtur transferre ab inflammationibus ad venosi generis morbos, cùm putredo quæ fit in vasis, similis sit ei, quæ fit in inflammatis particulis, vt 1. *feb.* 6. docuit Galenus: Nam licèt Hippocrates *cit. loc.* intelligatur tantùm de purgatione vacuatiua illius humoris, qui est in parte inflammata impactus, non verò de reuulsiua, quæ in principio fieri debet, vt *lib.* 2. *Hist. Princip. Medic. Hist.* 22. latiùs diximus: nihilominus tamen, quia humor impactus, ob copiam, partis extinctionem minatur, coactè exercenda est purgatio vacuatiua in initio, quæ humorem minuat, nec coctio expectanda est, quoniam licèt humor, ante eam, purgationi sit ineptus, & difficile sit eum extra corpus elidere, non tamen impossibile, quia quando vnica salutis ratio adest, etsi dubia, melius est aliquid agentes periclitari, quàm ægrum ablata spe interire, vt 10. *meth.* 10. *post med.* notauit Galenus. Similiter faciendum est, in curatione inflammationum partium externarum, quando ob humoris multitudinem, & malignitatem, partis corruptio timetur, tunc enim statim vtimur scarificationibus, & lotionibus ex muria, vt aliquid humoris infixi vacuetur: Quia verò in similibus inflammationibus internis, scarificatione vti non possumus, statim occurrimus purgatione, quæ portionem humoris impacti detrahat, & eradicet.

Hac ratione curatio celebranda est in materia multa, A quando periculum impendet; & licèt non imminear, non propterea minoratiua formidanda in principio purgatio est, quòd humor sit crudus, & naturam non habeamus adminiculantem: quoniam natura à principio statim coquere incipit, cùm sit naturale agens, & tunc iam datur coctio, licèt occulta; quare aliqua humoris portio, saltem in posteriore parte principij, expulsioni est parata, nec natura huic vacuationi renitetur, sed tantùm eradicatiuæ, præsertim cùm humor noxius non habeat qualitates amicas naturæ: quamuis enim natura eum ad coctionem retineat, quia tamen illi est molestus, facto quodam irritamento leui, à medicamento purgante, non refragabitur, imò illius excretionem promouebit.

B Neque vlteriùs obiicias, in hoc præstando opere, Medicum non imitari naturam, quæ nunquam vacuat, nisi post coctionem, 4. *Aph.* 22. Nam non est similis ratio, inter vacuationes factas à natura, & ab arte, vt constat ex Hip. 4. *aph.* 21. reprobante deiectiones nigras, & variegatas factas à natura, quas à medicamento excitatas ille probat. Deinde Galenus asserens, Medicum debere imitari naturam, est intelligendus, quasi velit, quòd semper debeat naturam imitari, in tempore vacuationis, quia aliquando debet Medicus quiescere, quando ipsa operatur, 1. *Aph.* 20. & aliquando quiescente natura, debet Medicus operari, ex Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et si natura non monet, mouetu, &c.*

C Sensus ergo huius propositionis est, quòd Medicus debet naturam imitari, ita vt operetur, quod natura operaretur in simili, si à causis morbificis non esset impedita. Quare Medicus, tam in his quæ facit natura, quàm in iis quæ non facit, eam imitatur, quia illud efficeret, si posset, vt in venæ sectione, & in ossis luxati repositione palàm fit. Quia verò non potest in principio expurgare, adiuuatur à Medico, quando opus est, & aliquando in principio natura irritata euacuat, quæ vacuationes, licèt semper simpliciter reprobentur, comparatiuè sæpe vtiles sunt. Ex iis patere arbitror, posse solui omnia argumenta, quæ contra doctrinam latam à me, *in lib.* 4. *Hist. Princip. Medic. Hist. cit.* afferre possunt aduersarij, cùm nostræ rationes firmæ sint, & perspicuæ, Galenique menti consen-

D taneæ, cuius verbis seipsum interpretantis, illis solùm occurrendum satius dixi. Cætera quæ de purgatione poterant animaduerti, superioribus libris iam sunt proposita. Num in die critico, purgatio sit administranda, lege *in introitu ad praxin, præcepto* 42. Num in die accessionis aliquando purgatio celebranda, *lib.* 4. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 32. De conditionibus obseruandis antè, & post purgationem, imò in die purgationis ipso, sat multa *in introitu ad praxin*, in præceptis multis.

Consulit Galenus 11. *meth.* 9. & ex eo monuit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. vt si fortè febris putrida non sit integrè eradicata, vacuantium remediorum ope, offerantur ea, quæ humoerm peccantem vacuant per sudorem, & vrinam, de quorum præsidiorum vsu, *lib.* 4. *Hist.*

E *PP. Medic. in com. Hist.* 9. Si verò febris his non conquiescat auxiliis, moriet vt refrigerantia intus offerantur, in quorum classe, ptisana obtinet principatum, de cuius vtilitate mira lege *lib.* 2. *Hist.* 23. cuius naturam in humectandis visceribus, retundenda ignea caliditate, & bilioso, retorridóque humore vacuando, æmulatur serum lactis, de cuius efficacia, *lib.* 2. *Hist.* 109. Si tamen caliditas præter naturam adhuc persistat, febrísque diu perseueret, embrocationes optimæ sunt, & balnea vtilissima, inquit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. de quorum potestate, in eradicandis putridis febribus, *lib.* 4. *Hist.* 44. & *infra*, de curatione febrium particulari, plura in vnoquoque capite proponemus. Quòd si sloidas partes torridus calor depopulari incipiat, lactis potus summo est ex vsu, de cuius admiranda vi, pro præseruando

corpore

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 614 sur 927

corpore à febri hectica, & iam lapso in eam, persanando, lege *lib.2.Hist.35.85.& lib.4. Hist. 44.* De venere, num febribus aliquando commoda, *lib. 3. in com. Hist. 9.* Animi autem pathemata, an interdum conducant, lege *lib.2.Hist.114.*

De curatione Febrium particulari.

CAPVT XVIII.

De Febri Diaria.

DE essentia, causis, signis, & præsagio febris Diariæ, plura *lib. 4. Hist. Princip. Med. ab Hist. 4. vsque ad 7.* sumus commentati: nunc de curatione agendum, quæ quàm necessaria sit, *in lib. 8. meth. cap. 2.* docuit Galenus, ne in putridam, si diu duret, ob morbosum corporis apparatum commigret; vel in hecticam, vt in diaria ex longa inedia excitata, *cit. loc.* euenisse protulit Galenus, cuius curandæ methodum docuit Galenus, *à cap. 2. vsque ad vltimum.*

Diaria ergo vel simplex est, vel composita: illa exquisita vocatur, quæ semotis causis extrinsecis, à quibus est facta, per se existit, simplicémque curationem expostulat; hæc cum suis causis fouentibus simul perseuerat, ideóque compositam indicationem efflagitat. Simplex, recta sex rerum non naturalium administratione curatur. Vacuatio in ea interdicenda, quæ ope venæ sectionis, vel purgationis celebrari solet. Inter alterantia, principatum obtinet balneum, *1. ad Glauc. 2.* firmat Auerrhoës *5. collig. cap. 5.* refrigerat enim, humectat, euacuat sensibiliter, & insensibiliter aperiendo poros, *lib. 10. meth. cap. 10.* quo loco partes balneorum, quibus præcipuè vtebantur antiqui, enumerat: prima, est aër calidus; secunda, aqua tepida, vel calida; tertia, aqua frigida; quarta, locus, vbi detergebantur, & vngebantur corpora. Aër calidus, & aqua tepida, ex accidenti refrigerant, laxato corporis habitu, & exclusis fuliginosis vaporibus. Hæ duæ partes, mirificè laudantur in hac febre: quoniam tertia, hoc est, balneum frigidum reprobatur, media enim frigiditate, cutis adstringitur, & febris protrahitur; iccircò non est administrandum frigidum lauacrum, nisi imminentis hecticæ suspicio sit: deinde leuis frictio imperanda, superposito vnguento, facto ex oleo violaceo, nenupharino, vnguento resumptiuo, aut refrigerante Galeni.

Febris diaria ex labore, eadem methodo curanda. In balneo æger immoretur diutius: ex nimio enim labore, ingens in corpore siccitas comparatur. Quies vtilissima.

Febris diaria ex bubone, hoc est, ex tumore calido partium externarum, præcipuè illarum, quæ in emunctoriis partium nobilium existunt, ex quo, alteratione per continuum facta, calor spiritibus communicatur, eos inflammans & accendens, de cuius febris curatione meminit Galenus, *1. feb. cap. 5.* & *8. meth. cap. 6.* Nam cessante inflammatione, febris mitescit, vt *1. 4. tract. 1. cap. 35.* docuit Auicenna. Curatur autem inflammatio, sanguinis missione, purgatione, alteratione, & aliis præsidiis, quæ inflammationi sunt accommodata valde.

Febris diaria ex adstrictione pororum parua, ex Galeno *8. meth. 4.* curatur meatuum apertione, quæ diuersimodè celebrari debet, pro diuersitate causarum, à quibus fit adstrictio. Hæc excitatur à causa extrinseca frigida, adstringente, vt aëre boreali, balneo frigido, aluminoso, salso, solis vstione, laborioso exercitio, frictione dura, humore crasso spiracula cutis obturante A lentore suo. Si à causa frigida sicca oriatur, balneum iuuat, quod sequatur frictio, cum resoluentibus oleis celebrata. Si ex constrictione meatuum interna ortum ducat, balneum inutile, quia putridam concitat, nisi æger in declinatione vniuersali sit constiturus. Si verò tanta fuerit repletio, vt ob frictionem magis obturentur pori, tunc vacuatio præcedere debet per phlebotomiam: cacochymiæ verò coctionem per attenuationem, & detersionem molitur Galenus, *8. meth. 4.* quoniam obstructio parua est, & in minoribus tertiæ regionis venis solùm recondita; quare sudorificis potiùs, quàm vacuantibus est retractanda. Coctio perficitur oxymel. simpl. Oxysach. syrupo acetoso, de acido citri: & siquæ in prima corporis regione B obstructio adsit, fouens illam quæ in tertia regione existit, pharmacum offeratur benignum & clemens, vel mollis indatur clyster. Remissa febri, nulla existente putredinis nota, balneum, salutiferum præsidium est.

Febris diaria ex cruditate orta, in prima corporis regione, 8. meth. 5. quam Auicenna *loc. cit. cap. 34.* rectiùs diariam appellat ex nausea, seu satietate, & à succo crudo in ventriculo, & intestinis impacto, à quo eleuantur vapores nidorulenti, qui sua caliditate spiritus cordis inflammant, curatur vomitu, parato ex decocto camomiilæ, aut seminis raphani, si crudus humor innatet in ventriculo; si verò in infimo ventre exuperet, clystere, & interdum leni expurgante medicamento curanda.

C Quòd si cum prædicta febre, aluus nimis fuerit soluta, considerandum, an id quod vacuatur, sit illud quod est corruptum, tunc minimè cohibendus fluxus, quo cessante balneum administretur. Si verò perseueret fluxus, ventriculus cum tota regione abdominis oleis, & emplastris corroborandus. *Vtrùm* verò *in diaria orta ex cruditate nidorosa, cessante fluxu, ventriculo roborantia admouenda?* Galenus consulit, imperatque apponere fomenta ex oleo, & absinthio, & purpuram nardino vnguento imbutam. Trallianus *12. lib. cap. 1.* reprobat, quoniam huiusmodi medicamenta calida sunt, & iccircò febrem accendunt. Neque asseras, Galenum eo loco commendare ea medicamenta, in cruditate acetosa: nam, vt apertè constat ex contextu, D Galenus solùm ibi agit de nidorosa; de acetosa verò disserit *ad capitis finem.*

Non despiciendum consilium Tralliani, iubentis in cruditate dicta, ad roborandum ventriculum, vtendum esse fomentis, ex oleis, & pulueribus, quæ simul & refrigerandi, & roborandi vires obtineant: de quorum cœtu plura sunt, vt œnanthæ flos, hoc est, vitis siluestris, balaustia, santala, Coralla, Oleum Rosac. Melinum, Myrtheum, quibus, si opus fuerit, addenda alia, quæ licèt calida sint, maiorem tamen vim augendi, & roborandi innatum calorem sortiuntur, vt oleum de Mentha, Mastich. de Spica, Absinthio. Pro expositione tamen Galeni, dic, eum in simili cruditate commendasse illa medicamenta, postquam cessauit copiosus fluxus, ex quo virtus facta E est debilis, quo tempore caliditas iam euanuit, & ob magnam spirituum resolutionem frigiditas ventriculi adest, maximè si flatus resoluendi redundent. Hanc fuisse Galeni mentem, colligitur, quia *inferiùs* subdit, si ventriculus intus vritur, vtilius esse ceratum, quod ex melino conficitur, & alia quæ roborandi, & refrigerandi obtinent potestatem.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 615 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO.

Diariæ ex solis ardore, curatio illustris.

TVenis erat gracilis,& hirsutus,qui cùm feruente canicula exerceretur impensè, ita incaluit, & lassatus est,accedente cephalalgia sæua,cum febre iugi, vt decumbens in lecto, totus exuri videretur. Ille, vt contraria contrariis,suasu quorundam curaret, totum corpus nudum gelida aspergi,& floribus Rosarum contegi,capitique niuem imponere iubet,quo remedio constrictis cutis spiraculis, mirandum in modum corpus incaluit, & febris est exasperata. Ingrediens ego, niuem abiicere impero. Victum frigidum humidum instituo,balneum administro, accommoda medicamenta ad retundendum spirituum calorem, & roboranda viscera igni occupata, deglutienda impero. Quibus celebratis,somnus obrepsit,sudor copiosius erupit, post quem integrè febris cessauit.

CAPVT XIX.

De febri sanguinea imputri.

Definitio.

FEbris sanguinea imputris, Græcis synochos appellata, est illa, quæ ex sanguinis efferuescentia, seu simplici inflammatione concitatur, ex Paulo *lib.* 2. *cap.*27.Dicitur synochus,à continuo feruore,ex Gal.2. *feb.cap.*11.Est autem synochus,continua, continens,& acuta febris. Continua est, quia cor premit continuò, 2.*crisi.*6.quo loco continuam febrim dicit illam, quæ ad infebricitationem,antequàm ex toto soluatur, non desinit, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat. Continens est,accessionibus enim,& exacerbationibus caret, 9.*meth.* 2. in qua vna accessio ab initio ad finem perpetuò manens, in multos dies porrigitur. Acuta est ab Auicenna dicta, 1.4.*tract.* 2. *cap.* 43. quia citò per crisim, & cum vehementia symptomatum terminatur, quæ magis propria est acuti morbi descriptio, 2. *Aph.*23.

Hæc in tres species diuiditur,9.*meth.*3.& 2.*feb.*9. & 6.*epid.sect.*1.*com.*29.in Epacmasticam,hoc est,perpetuò accrescentem,in Paracmasticam,hoc est, perpetuò decrescentem, & in Acmasticam, seu homotonam,hoc est,eundem seruantem tenorem. Accrescit, 9. *meth.* 2. quia plus humoris accenditur,quàm resoluitur: decrescit,quia plus resoluitur, quàm accenditur: seruat deinde eundem tenorem, quoniam æquale est, quod resoluitur, ei quod accenditur. Causæ cur hoc accidat, potissimæ sunt, varietas obstructionis, & facultatis in resoluendo vapores: in magna enim obstructione plures vapores retinentur, quàm resoluuntur; in parua, contrà. Nec verò existimes, Galenum velle, dictas species semper æqualiter procedere in tenore dicto,id enim falsum est: Nam etiam in illis contingunt inæquales quædam, & inordinatæ motiones, etsi exiguæ, quarum ratione per temporum interualla, modò leuiùs habent,vt 1.*epid.sect.*2.*com.*3.docuit Galenus.Neque inferas, dari quartam speciem, quæ perpetuò fit principium, quoniam hæc curationem non reciperet, vt pote cruda semper.

Causa.

FIt synochus ex sanguine, non prout est quartus humor,sed ex massa sanguinea,in vasis maioribus,iuxta alas,& inguina feruefacta. Nam si leuis fuerit causa, diariam excitat;si vehemens, synochum sine putredine facere consueuit. Præcipuæ tamen causæ sunt, cutis constipatio, aut adstrictio;magna sanguinis redundantia,siue ex suppressa hæmorrhoïdum,menstrui,narium, aut alterius partis vacuatione oriatur, siue ex immoderato, & copioso alimentorum vsu, quæ plurimum, & optimum succum gignere possunt, vel nimis calida sunt, & sanguinem inflammant: cùm enim in maiori quantitate vapores eleuentur,vt difflari nequeant,ebullit ex ipsis sanguis,ea ratione,qua concrescit, & feruet mustum in doliis:nam omne subiectum calidum, refrigerationem, & ventilationem desiderat sibi proportionatam,qua si non fruatur,maiorem caliditatem concipit. Sanguis verò non ventilatus, quamuis statim calefiat,non statim putrescit,tum quia illius natura magis putredini resistit, tum quia natura eum, quantum potest,conseruat,& à putredine tuetur ac defendit, ob nutritionis necessitatem. Quare sanguis diu citra putredinem durare potest inflammatus, postea verò ob prohibitam ventilationem putrescit, & ex synocho imputri,putris concitatur, nisi Medici solertia ægrum ab imminenti damno præseruet.

Signa.

HVius febris signa, eadem sunt quæ febrem diariam ostendunt, at sunt vehementiora: quare facies calida est, & rubra, adest lassitudo multùm distendens,quæ omnes artus occupat, ob quam causam, ægri frequenti iactatione defatigantur, venæque sanguine repletæ maxima distentione turgent. Dolor circa frontem, & tempora infestat. Ægri narium pruritu, & somno torquentur profundo, in quo rubra simulachra repræsentantur. Visitur difficilis respiratio, quæ ex magna vaporum copia pectus distendentium, & ex summa venarum iugularium repletione originem ducit. Vrina est crassa,rubra, at concoctionis particeps. Cutis non est calida, sed suaui madore perfusa. Cutis est densa, primo enim occursu, calor suauis, postea verò acrior persentitur, si diutius manum admoueas.

De pulsu huius febris, magna est controuersia:*Vtrùm sit æqualis*? Galenus 9.*meth.*3.asserit esse æqualem, vehementem,medium inter mollem, & durum. Contrà obstat auctoritas Auicennæ,1.4.*tract.* 2. *cap.* 45. §. *Et pulsus eius est magnus,leuis,fortis, plenus, velox, frequens valde,diuersus, non plurimæ diuersitatis, &c.* hoc est, inæqualis,& 1.*ad Glauc.*5.legimus, pulsus æinqualitatẽ, omni febri esse communem. Dic, in synocho imputri adesse quandam pulsus inæqualitatem, sed eam exiguam esse, quod apertè *infra* insinuauit Auicenna dicens, *est diuersus, non plurimæ diuersitatis*; ob quam causam,9.*meth.cit.*esse æqualem affirmauit Galenus. In omni itaque febri,adest pulsus inæqualitas, non tamen semper est notabilis,siue manifesta; quare sensata pulsus inæqualitas, dicitur proprium, & peculiare indicium, non tamen inseparabile febrium putridarum, quoniam scilicet aliquæ ex iis, manifesta pulsus carent inæqualitate,vt constat in tertiana exquisita, cuius pulsus ob dictam causam,æqualis nuncupatur à Galeno,2. *crisi.*3.& 2.*de caus.puls.cap.*1.

Dubitabis deinde: *Vtrùm in hac febre,pulsus adsit vehemens*? Auicenna *cit.loc.* confirmat:Obstat tamen non inualida ratio, quoniam vehementia pulsus, à robore virtutis emanat; virtus autem in tam magna febre robustior non est,imò debilior multò existit, quàm antè. Dic ex 3.*de præsag.ex pulsib.* 1. Licèt calor multus occupet cor, tamen adhuc facultas robusta est, & pulsus maximos edit, ac vehementes, quia ad debilitandam facultatem cordis,non sufficit quæuis caliditas præternaturalis aucta,nisi iam facta,& æqualis sit, vt eo loco confirmat Galenus, & constat apertè, ex 1.*de præsag.*

ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 616 sur 927

expulsib. cap.4.& quamuis in febriente, virtus debilior sit,quam antè, tamen ob magnum conatum quem adhibet, aucta necessitate refrigerandi, robustior reddita,pulsum magnum facit,& vehementem.

Meritò deinde inquires, *Vtrùm pulsus in synocho sit minùs velox, quàm in causo*? Auicenna *loc. cit.* sic fatur: *Et pulsus in synocho est minoris diuersitatis, & velocitatis, quàm in causonide,&c.* Sed mirari licet, cur hic auctor non similiter doceat, pulsum etiam esse minùs magnum,quàm in causo: si enim illud fit propter ampliorem calorem causi,cur etiam non docet, ex eadem ratione pulsum in synocho minùs magnum esse, quàm in causo,sicut est minùs velox?

Dic. Diuersa ratio videtur de magnitudine, & velocitate pulsus: nam in synocho ob mollitiem, & obedientiam arteriæ, pulsus potest fieri valde magnus, pro ratione caloris, non similiter autem in causo, ob duritiem arteriæ. Quare cùm in causo, ob hanc causam, pulsus non fiat adeò magnus, efficitur velocissimus, vt sic natura opem ferat magnæ refrigerationi, quam vehementissimus causonis calor efflagitat; quæ velocitas non tanta requiritur in synocho,quia ob mollitiem instrumenti, pulsus potest fieri abundè maior. Pulsus itaque in causo, est multò velocior, non tamen similiter multò maior,quàm in synocho, & id videtur significare Auicenna,*loc. cit.* Dic secundò. Cùm asserit pulsum in febre sanguinea esse minoris velocitatis, quàm in causo, significare etiam minorem fore, ex eadem causa, cùm scilicet in illa febre tam vehemens caliditas, quemadmodum in hac, non conspiciatur.

Præsagium.

FEbris hæc mitis est,salubris,& breuis: tertia enim, quarta, aut quinta die finiri solet, si Medicus illicò opem ferat, maximè cùm sit frequens in regione nostra: & licèt in omni ætate,& sexu contingat, frequentiùs tamen inuadit adolescentes,iuuenes, denso habitu præditos,sanguineos,carnosos, rubicundos. Hæc præcipuè tempore hyemis,& veris insolescit. Mitior, ac simplicior est reliquis,quia ex sanguine,humorum benignissimo generatur, 2. *feb.* 9. & lenissimis est stipata symptomatis: Quia verò continua, & continens,ideò periculosa,minùs tamen quàm ea, quæ putredinis particeps est. Ex tribus autem speciebus, periculosior est Epacmastica,quoniam semper aecrescit,deinde Acmastica, siue Homotona, omnium minimè Paracmastica, ex Auicenna *loc.nuper cit.*

Vtrùm verò *synochus quarto die finiatur*? etiam diffidium est: Nam Galenus 3. *crisi.* 4. id affirmat, cùm 2. *feb.*11.& apud Auicennam *loc.cit. cap.* 43. vsque ad septimum extendatur: cui aduersatur idem Galenus 9. *meth.*4.dicens,synochum non putridam,diem quartum non excedere, quin in putridam febrem transmutetur; quare saltem synochus imputris,semper in quarto finitur. Dic Galenum 9.*meth.cit.*intelligendum,synochum finiri in quarto, ni Medicus obuiam eat putredini medicis auxiliis, nam tunc ad septimum vsque prorogatur synochus imputris,vt *cit.loc.*docuit Galenus. Putris verò licèt vtplurimùm quarto finiatur, 3. *crisi. cit.* quandoque etiam accedit ad septimum,manens adhuc synochus,post quem redditur verè bilioſa. Finitur ferè cùm vacuatione sensibili, aut insensibili: illa vel hæmorrhagia,vel sudore præstatur, hæc cum resolutione occulta,sub vaporis forma.Solet etiam permutari in febrem ardentem,tertianam continuam, vel variolarum, aut morbillorum criticam, vel symptomaticam expulsionem.

Illud verò vltimò,etsi sæpe quæsitum,quia arduum, & in cuius explicatione varius videtur Galenus, discutiendum, ne in argumento de febribus aliquid scitu dignum deesse videatur:*Vtrùm synochus cæterorum morborum ritu, quatuor tempora percurrat*? Galenus placet, tum *lib.*1.*crisi.cap.*2.tum *lib.de totius morb. tempor.* 1. & 3.& Auicennæ 2.1.*cap.*7.& 1.4.*tract.*1.*cap.* 3.morbos omnes salubres quatuor tempora percurrere: Nam morbis singulis,vt & singulis animantibus, suæ insunt ætates, & fatales temporum cursus, vt Plato refert *in Tymæo*: nam morbus cum tota sua intensione non incipit,& magnitudine,sed paulatim intenditur, donec ad summam vehementiam perueniat.

Oppositum demonstrant argumenta non inualida. Primùm. Febris continentis vna datur species, quæ à principio ad finem vsque semper accrescit, & tota est augmentum. Assignatur & alia, quæ à principio ad finem vsque semper decrescit,& tota est declinatio. Admittitur & altera, quæ à principio vsque ad finem semper permanet in statu eodem, ita vt neque declinet, neque augeatur,sed tota sit status. Ergo saltem hi morbi,quatuor tempora non habent.

Secundum. Morbus,res est simplex,& similaris.Ergo non potest habere quatuor tempora. Antecedens est notum,quia morbus non est veluti domus, quæ ex variis partibus componitur, imò statim cùm incipit, totam suam essentiam habet,solùm differens magnitudine ab ipso morbo, qui postea exiſtit, vt *lib. de morb. temp. cap.*1.& *lib.de totius morb.temp.cap.*2. & 1. *de loc. cap.*2.*antefin.*confirmat Galenus. Consequentia est manifesta:Morbus enim in primo suo insultu, totam suam essentiam habet, quam vnaquæque res, in illo genere potest habere. Accedit,quòd tempora essentialia morbi,ita dicuntur,vt partes quædam assignentur, eius essentiam distinguentes. Sed morbus non recipit varietatem,quia omnis morbus constituitur,in esse talis, penes quod est, & per se lædit operationes. Sed maior, vel minor operationum læsio, nullam essentialem varietatem in rebus constituit. Ergo.

Tertium. Morbus qui incipit à materia cocta, vel putrefacta,non potest quatuor tempora habere. Ergo, &c. Antecedens est notum, quoniam principium est totum cruditatis, & necessariò morbus, qui incipit à materia cocta,aut putrefacta à fortiori, caret principio cruditatis. Posse autem morbum à materia cocta originem ducere, certissimum est, quando v. g. in venis distantissimis à corde,aut in aliqua parte remota, extra venas,aliquis humor peccans colligitur, qui paulatim concoquitur,sed cùm sit quietus, & non irritet, morbum non concitat, donec post coctionem moueatur, & naturam ad excretionem stimulet. Tunc morbus ille priuatur principio. Deinde. Quando febris diaria, in augmento,aut statu mutatur in putridam, hæc incipit à materia cocta: nam asserente Galeno 1. *feb.* 7. *in princip.* inseparabile signum est à febribus diariis, coctio in vrina, statim prima die. Quòd autem febris à materia putrida incipiat,experimento quotidiano compertum est, quo docemur, in principio vniuersali febrium, extrahi per sanguinis missionem, non solùm sanguinem putridum, sed corruptum. Quòd incipiat à materia maligna, posito exemplo in atra bile, docuit Hippocrates 4.*Aph.* 22. & posito exemplo in bile æruginosa,3.*epid.sect.*3.*com.*75.in historia illius phrenitici, qui primo ægritudinis die, euomuit multa virulenta, æruginosa, & tenuia. Confirmatur hoc argumentum, in febribus,& inflammationibus, quæ à materia putrida fiunt,in hunc modum. Materia in inflammationibus vertitur in pus, & materia quæ concoquitur in venis, per febres, simul putrescit, & simul concoquitur vsque ad statum, in quo ipsa est summè cocta, & putrefacta. Sed hæc ante morbum erat putris. Ergo morbus ab illa dependens,ratione putredinis, priuatur principio. Maior est Galenus,1.*progn.vlt.* §.*Si verò vim quandam seruet, permixta quædam commutatio efficitur, ex calore naturali,& præter naturam, siquidem calor naturalis concoquit,*

concoquit, præter naturam putrefacit. Minor patet ex suppositione. Consequentia est vera, quia si aduenien-
te morbo, magis intenditur putredo, non potest assi-
gnari principium illius morbi, ratione putredinis, quæ
ante morbum præerat.

Quartum. Si omnes morbi, quatuor tempora habe-
rent, hoc esset, quoad alterationem materiæ, aut quoad
symptomata, aut quoad essentiam morbi. Sed nullo ho-
rum modorum percurrunt quatuor tempora. Ergo, &c.
Maior est vera, cùm solùm affectus præter naturam in-
ueniantur, videlicet causa, morbus, & symptoma, quorũ
ratione, à Medicis tempora contemplantur. Non inue-
nitur quoad alterationem materiæ, quia absoluta co-
ctione in statu vniuersali morborum, nullus gradus
coctionis acquiritur, nec deperditur, & sic alteratio à
materia, priuatur declinatione. Neque quoad sympto-
mata, quoniam morbi acuti quum incipiunt, sæuis sym-
ptomatis firmantur, & carent principio, ex Hip. 1. *epid.*
sect. 3. *text.* 10. Neque quoad essentiam morbi, hic enim
penes eam, nullam suscipit varietatem. Confirmatur,
quia omnes morbi lethales, necessariò carent declina-
tione, cùm sit impossibile, quòd vllus in ea, si sit vni-
uersalis, emori possit, vt 3. *crisi. c.* 5. & 9. firmauit Galenus.

Quintum. Morbi immateriales, non possunt habere
quatuor tempora. Ergo non omnis morbus, &c. Ante-
cedens probo, supposito quòd tres sunt species febris
hecticæ, & quòd in vltima specie, calor sit remissior,
quàm in duabus antecedentibus. Ergo saltem in hac,
quatuor tempora non adsunt. Discursus hic deducitur
ex Galeno *lib. de marasmo, c.* 5. *per totum*, quo loco ex
pulsu, & respiratione, in hac specie calorem præter na-
turam, in quanto, & quali esse imminutum collegit. De-
inde. Morbus hæreditarius, ex vitio seminis contractus,
non potest habere principium, cùm ex semine, & si-
mul cum ipso animali sit productus, reliquorum acci-
dentium instar, quæ simultanea actione, cum certa, &
determinata intentione producuntur.

Sextum. In morbis non debet assignari principium,
distinctum ab augmento, ex Gal. *lib. de morb. tempor. c.* 2.
& *lib. de totius morbi temp. c.* 1. & 2. quia principium di-
citur, ex Gal. *eodem lib. de tot. morb. temp. c.* 3. totum illud
tempus, quo morbus in generatione existit. Sed mor-
bus nunquam est in generatione, ab augmento differẽs,
quia accidens est, & à primo insultu, protinus genera-
tionem simul acquirit, & ad incrementum festinat, nul-
la figuratione, nec conformatione partium. Nunquam
igitur erit in principio ab augmento diuersus. Confir-
matur ex eo, quod ait Galenus 1. *de loc. affect. c.* 2. *ad med.*
morbum videlicet calidum, & frigidum, & humidum,
& siccum protinus ab initio, cùm primùm corpus tem-
peraturæ, quæ bonæ valetudini debetur, limites excef-
serit, eandem sibi ipsi naturam habere: quamuis enim
adeò interdum sit exiguus, vt neque à nobis cognosci,
neque laborantium sensu percipi possit, nihilominùs
tamen propriam habet speciem: & quemadmodum res
similares; quando fiunt, iam sunt, & non habent tempus
in quo generentur, in quo non simul augeantur, mor-
bus autem res similaris est, ex Gal. *cit.* videtur morbus,
non habere principium ab augmento diuersum.

Septimum. Purgatio sæpe repentè sanat incipien-
tem ophthalmiam, siquidem *ex iis*, inquit Galenus 13.
meth. cap. 11. *quibus oculi tentari phlegmone cœperunt, non-*
nullos sola purgatione per aluum, vno die sanatos vidisti.
Missio deinde sanguinis vsque ad animi deliquium,
confestim etiam synochum sanat, ex Gal. 9. *meth. c.* 4. In-
super. Si in principio morbi pendentis à materia tur-
gente, pharmaco eradicatiuè purgante vtamur, morbus
ipse statim declinabit, sine augmento, & statu. Denique
narrat Galenus *sect.* 5. *Aph.* 1. & 12. *meth. vlt.* cuidam iu-
ueni humore æruginoso per vomitum vacuato, statim
conuulsionem, & febrem cessasse. Ergo, &c.

Vltimum. Crisis perfecta est repentina mutatio ad
salutem, id est, subita morbi solutio, *lib.* 3. *crisi. cap.* 2. &
lib. 1. *de dieb. decret. cap.* 2. vbi absolutam vocat crisim, id
est, perfectam, eam quæ nihil morbi reliquit: Hæc au-
tem in statu plerumque contingit, *lib.* 3. *crisi. cap.* 6. Ergo
non reperitur in morbis declinatio, quoniam perfecta
crisis in statu accidit, & ipsa nihil humoris relinquit,
quod apertè concedit Galenus, *lib. de optim. sect. ad*
Thrasybul. cap. 47. §. *Quando verò crisis bona in augmen-*
to contingit, quod fieri potest ex Galeno *lib.* 3. *crisi. cap.*
5. 6. & 12. & 1. *epid. sect.* 3. *com.* 24. & 30. & Auic. 2. 4.
cap. 80. si perfecta sit, morbus statu, & declinatione pri-
uabitur; si verò imperfecta, morbus cùm minui statim
incipiat, eo quòd subita sit mutatio ad melius, 1. *de dieb.*
decretor. cap. 2. si non declinatione, saltem statu care-
bit. Non igitur quiuis morbus, quatuor tempora sor-
titur.

Nec argumentis auctoritates desunt. Prima est Hip.
lib. 1. *epid. sect.* 3. *text.* 10. asserentis, dari aliquos morbos,
qui statim in principio vigent, ac florent. Ergo in iis
morbis, deficit augmentum. Secunda auctoritas est
Galeni, *lib. de morb. temp. cap.* 1. §. *Tempus itaque nullum,*
inflammationis generationi singulariter principium tribui-
tur, ab eo quod augmenti est diuersum, sed vnum est in vni-
uersum, à primo insultu vsque ad statum, affectu increscen-
te, &c. Ergo in inflammationibus, non reperiuntur nisi
tria tempora, si principium ab augmento non est di-
stinctum.

Tertia est Galeni *lib. de optima sect. ad Thrasybul. cap.*
47. quo Galenus non solùm reprehendit illos, qui affir-
mant omnes morbos percurrere quatuor tempora, sed
hoc esse falsum pluribus rationibus confirmat: primò,
quoniam Apoplexia statim in prima inuasione, totam
habet magnitudinem. Secundò, quoniam in principio
morbi persanari possunt, facta vacuatione à natura, fluxu
sanguinis ex vtero, naribus, hæmorrhoïdibus, sudore,
alui fluxu, quorum vacuationum interuentu, non solùm
remittitur, & declinat morbus, sed impeditur, ne de-
ueniat ad illam magnitudinem, ad quam peruenisset, si
humor peccans à natura non fuisset euacuatus. Quarta
est Auicennæ 2. 1. *tract.* 1. *cap.* 7. §. *Scire debes, quòd pluri-*
mæ ægritudines quatuor habent horas. Ergo ex sententia
Hippocratis, Galeni, & Auicennæ, non omnis morbus
habet quatuor tempora.

Vt verò hæc huius quæstionis enodatio, magis elu-
cescat, quam ex plurium mente, intricatam, confusam,
& absque suis principiis vagantem reliquit Galenus,
notabis primò, eam de morbis lethalibus non esse in-
telligendam, quos non habere quatuor tempora, certis-
simum est, vt *lib. de tot. morb. temp. cap.* 1. & 1. *de crisib. c.*
2. ipse edocuit, cùm ratum sit, ex iis aliquos solùm ha-
bere principium; alios principium, & augmentum; alios
principium, augmentum, & statum: prout mors in hoc,
vel in illo tempore contingit. Sed cùm tribus de cau-
sis, in morbis lethalibus, ægri occumbant, aut propter
suffocationem caloris natiui, vel vehementiam morbi
cum violentia subuertentis virtutem, aut facultatis de-
bilis resolutionem, ex Galeno 3. *de crisi. 9. in fin.* Qui
moriuntur in principio morbi, pereunt suffocato calo-
re; qui in augmento, & statu, ex violentia morbi; qui
in declinatione particulari, ex resolutione virtutis de-
cedunt. Ex his colliges, patientes internas inflamma-
tiones, aut morbos ex copia succorum crudorum sub-
ortos, maiori ex parte in principio mori; vehementissi-
mis febribus oppressos in vigore; virtutis exolutione,
& crebra syncope per vniuersam morbi constitutio-
nem vexatos, in particularibus declinationibus occum-
bere.

Nota secundò, morbos salubres, quosdã habere cau-
sam, hoc est humorem, quos materiales vocamus; alios
ea carere, quos immateriales dicimus. Ex illis quidam
crisi, alij sine crisi, simplici solutione finiuntur. Rursus
ex materialibus, alij incipiunt tanquam à termino à
quo,

quo,à materia cruda;alij à materia putrida, & maligna; alij,ex aliorum voto, à materia cocta, quod placitum mihi ſemper viſum eſt difficile, quòd ſcilicet humor coctus,iam euictus,& ſuperatus à natura, ſit cauſa productiua alicuius morbi,ad cuius expulſionem, materia cocta,iterum de nouo concoqui incipiat.

Nota tertiò.Reperiuntur morbi,qui breuiſſimè tempora percurrunt,vt eos illis carere, veriſimiliter ſit pronunciandum,vt 1.*criſ.*17. Galenus edocuit, vt in ſæua angina velociter ſtrangulante,& forti Apoplexia palàm conſpicitur, in quibus aliqua tempora deficere non eſt dicendum,etſi ſenſus ea non aſſequatur, & cognoſcat, vt *lib.de totius morb. temp. cap. 4. ad med.* elegantiſſimè docuit Galenus,§.*Nullus ſiquidem tam ſubito ſymptomate corripitur, vt hi quibus ceruix detruncatur, quanquam horum quoque ſectio, ſecundùm aliquod tempus habetur,& ſecundum,& tertium,& quartum, vt ſic chirurgus rem quãlibet diuidat,&c.* Sed iure affirmandum eſt,omnia tempora reperiri, quanquam ea à ſenſu non percipiantur: Nam in omni mutatione,quæ incipit,& deſinit,neceſſariò debet aſſignari tempus, in quo incipit, & in quo finitur, & in quo augetur, & viget. Cùm ergo omnis morbus,ſit qualitas quæ intenditur, & remittitur, abſolutè prædicta tempora ſunt aſſignanda, etſi ſenſus ea minimè percipiat.

His iactis,ſit prima concluſio. *Morbi materiales ſalubres, quatuor habent tempora eſſentialia ſuæ magnitudinis, ſiue incipiant ab humore crudo,vel cocto, vel putrido, ſiue finiantur criſi,vel ſolutione.* Probat Galenus 1.*criſ.*2.& 3. *criſ.*9.*lib.de tot.morb. temp. cap.* 3. Subſcribit Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*1. *cap.* 20. & omnes principes confirmant, dummodò eorum aliquod,neque ab arte,neque à natura vacuatione præſcindatur, vt *ſuprà* argumentis comprobauimus.

Secunda concluſio. *Morbi immateriales ſalutares, ſiue ſint facti, vt febris hectica, ſiue fientes, vt febris diaria, & alia febres, habent quatuor tempora.* Probat Galenus *lib. de totius morb. temp.cap.*3.§.*Quapropter nullius morborum, qui ſoluitur, eſt, qui non percurrat hæc quatuor tempora,&c.* Si enim morbus ſalubris, vt ſoluatur, debuit declinare: Ergo habuit magnitudinem, à qua declinat. Rurſus. Si morbus magnitudinem fuit aſſequutus: Ergo antequam ad ipſam perueniret, habuit augmentum, & antequam augeretur, neceſſariò habuit principium. Ergo de primo ad vltimum,omnis morbus qui declinat,& ſoluitur,debet quator tempora obtinere.

Ad primum argumentum dic.In febribus continentibus omnia tempora reperiuntur, quæ ob breuitatem, & anguſtiam non percipiuntur. Hæ febres non vocantur ſemper accreſcentes, ſemper vigentes, & ſemper declinantes,ex eo quòd ſecundùm ſe,totæ ſint augmentum, & declinatio, ſed quoniam hæc tempora habeant longiſſima, & conſpicua, reliqua verò admodum breuia,& quæ difficulter percipi poſſint.

Ad ſecundum dic. Morbus aliter à Philoſophis, & Medicis conſideratur: ab illis præcisè, ſecundùm eſſe prædicamentale, vt eſt qualitas, ſine reſpectu ad aliud; ab his, quatenus corporis actiones lædit, & diuerſimodè ſecundùm maiorem, vel minorem intentionem premit, vel viriam dependentiam à cauſa, vel varium eius motum & hac ratione morbus ſalutaris quatuor habet tempora; non autem ſi in rigore philoſophico loquendum ſit, ſecundùm quam conſiderationem, ſtatim in principio, totam ſuam eſſentiam habet ſecundùm magnitudinem, non tamen totam ſuam magnitudinem. Cùm ergo de eſſentia morbi, ſecundum medicam conſiderationem loquatur Galenus, & magnitudo tempora conſtituat, hinc factum eſt,quòd cùm dicimus morbum habere tempora eſſentiæ,huius nomine non debeamus intelligere ſpeciem, ſed magnitudinem ſpeciei, & eſſentiæ, ſubortam ex maiori, vel minori intentione, vel ex varia dependentia à cauſa,& illius motu. Quare ad Galenum dic.1.*de loc.*2.& aliis locis citatis, loquutum philoſophicè, & non medicè. Ad confirmationem dic, morbos non ſuſcipere varietatem,ſecundùm ſpeciem,& eſſentiam,ſed ſecundùm magnitudinem eſſentiæ,quæ varietas ad vſus medicos ſatis eſt: quoniam licèt morbus ab initio totam ſuam eſſentiam habeat, non habet totam ſuam magnitudinem,& tempora diſtinguunt magnitudinem morbi,non autem eius eſſentiam. Vocantur autem eſſentialia tempora, non quia ſunt partes componentes & diſtinguentes eſſentiam,ſed quoniam circa cauſam, & ſymptomata non verſantur.

Ad tertium dic. Morbi poſſunt incipere à materia cocta,putrida,aut maligna;negandũ verò hos morbos, quando ſalutares ſunt, quatuor tempora non percurrere. Ad probationem de coctione, concedimus principium eſſe totum tempus cruditatis,ſed materiam illam coctam,de nouo recrudeſcere,ob febris aduentum,& hac ratione à noua illa cruditate, febris principium ſtatuitur. Dic ſecundò, nullum morbum incipere à materia cocta,tanquam à termino intrinſeco,qui in latitudine illius morbi claudatur, ita vt ſit verum dicere, quòd ſtante humore cocto,& ſalua qualitate coctionis, febris putrida habeat ſuum eſſe exiſtens à parte rei; cùm repugnet febrem eſſe putridam formaliter, & in actu,& materiam eſſe coctam formaliter,& in actu,accipiendo coctionem, vt eſt qualitas formaliter, & in actu,à putredine diſtincta.

Quod verò obiicitur,in exemplo febris diariæ,quæ tranſit in putridam, apparere vrinam coctam,nihil probat,quia cùm diaria ſit in ſpiritu,in facto eſſe;& in humoribus,in fieri, nullum inconueniens eſt, quòd humor laudabilis, qui cauſa febris non exiſtit, ſit coctus. Et licèt febris diaria, ſit plurium dierum, quæ habet ſuum calorem in ſanguine,& in facto eſſe, non eſt negandum, quòd vrina ſit cocta, quia hæc ab humore emanat,à quo febris fuit generata, ſed eſt ſignum alterius humoris laudabilis, quare non repugnat, quòd ex eo generetur febris, antequam aliquam nouam diſpoſitionem præter naturam ſibi adſciſcat.

Poſſe autem febrem incipere à materia putri, vel maligna,non negamus,quia hæc cùm non ſit concocta à natura,cruda exiſtit ex Hip.2. *acut.* 44. appellante illa eſſe cruda,quæ à natura euicta non ſunt. Ad confirmationem, quæ maximam difficultatem inuoluit, facilè reſpondebis, ſi breuem tractationem de generatione puris,latam *lib.*4.*Hiſt.Princ. Medic.in com. Hiſt.* 9. perpendas. Concede tamen verum eſſe, quòd dum materia vertitur in pus in inflammationibus,& reducitur ad benignum in venis per febres,in hac alteratione,ſimul & ſemel humorem putreſcere, & concoqui, & ſimul vſque ad ſtatum in illo humore putrido intendi putredinem, & coctionem: Negandum tamen eſt, febrem ab illa materia ortum ducentem putri,aut inflammatione,principio carere.

Ad confirmationem dic, illa media alteratione, per quam generatur in inflãmationibus pus, & in febribus materia reducitur ad begninum, & ſimul putrefactio & concoctio acquiruntur, formaliter, & in actu coctionem, & putridinem non reperiri, ſed per comparationem ad duo extrema, ſcilicet ad coctionem, & putredinem. Quamobrem in illa materia putrida,quæ febrem concitat, quando alteratur, & concoquitur à natura, ſicuti acquiritur & intenditur terminus illius mediæ alterationis, qui dicitur qualitas media, ſic deperditur & remittitur qualitas putredinalis,exiſtens in humore,contraria ſecundùm ſpeciem,termino illi mediæ alterationis, quæ acquiritur in generatione puris. Et quando per febres,materia reducitur ad benignum, hoc modo non repugnat, quòd putredinoſa qualitas corrigatur, & expellatur à materia putrida,& quòd in qualitate

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 619 sur 927

qualitate acquisita, per mediam alterationem corrigentem putredinem, coctio & putredo intendantur, non tanquam duæ qualitates formaliter distinctæ, constituentes tertiam qualitatem compositam ex extremis, sed quia inueniuntur in vna simplici qualitate, solùm per comparationem ad extrema, non aliter quàm albedo, & nigredo acquiruntur, & in mediis coloribus inueniuntur.

Ad quartum dic. Omnes morbos habere quatuor tempora, vel quoad alterationem materiæ, vel quoad symptomata, vel quoad essentiam. Et ad maiorem argumenti respondet quidam, cognosci declinationem quoad alterationem materiæ, quoniam vrina est subrufa, & subflaua, habens sedimentum album, læue, & æquale, & in quantitate pauca, quæ in statu erat flaua, cum sedimento albo, læui, æquali, sed copioso. Ratio est in promptu, quia in statu calor febrilis non est sic attemperatus, vt in declinatione, & materia peccans non est sic imminuta; post quæ omnia gloriatur se inuenisse signa declinationis, quæ ab aliis minimè sint annotata. Sed deceptus est, cùm Galenus 1. *de crisib.* 7. & 8. & *lib. de tot. morb. temp.* 3. nos doceat cognoscere declinationem, quoad alterationem materiæ, aliquo signo peculiari, ex remissione morbi & symptomatum, & materiæ efficientis morbum imminutione: quare supra Galeni doctrinam, nihil addidit manifestè. Si enim humor peccans minuitur in declinatione, sedimentum in minori quantitate apparebit, cùm morbus, & symptomata in declinatione sint remissa, quapropter color in vrina erit multò similior colori, qui in statu naturali apparere solet.

Neque obiicias Galenum, asserentem in locis dictis, sed præcipuè *lib. de tot. morb. temp. cap.* 3. in declinatione vniuersali, relinqui aliquem humorem, qui coctionem desiderat; Nam ex eo non infertur, in declinatione vniuersali, humores concoqui: Si enim humor morbum efficiens est vniformis, absque dubio exacta & perfecta concoctio fit in statu; si verò est dissimilis, tunc licèt facta sit concoctio, vera declinatio non est, quia dum humor secundùm vnam partem concoquitur, & secundùm aliam remanet crudus, aut putridus, morbus verè non declinat, sed falsa declinatio est: & hoc modo, per coctionem potiùs debemus intelligere, vacuationes paulatim factas, per vrinam. & aluum, vt 3. *progn.* 24. explicuit Galenus, asserens naturam mederi humoribus crassis per coctionem, hoc est, per paulatinam excretionem, per vrinam, aut alui fluxum celebratam, cùm in declinatione humores crassi relinquantur, qui sunt veluti cinis, quos natura per eas regiones euacuat.

Ad probationem, de morbis habentibus statum in principio, in quibus non videtur principium dari, nec augmentum quoad symptomata, dic, ob breuitatem non sentiri, vt de febribus continentibus *suprà* asseruimus, quamuis ea tempora sint assignanda, etsi non percipiantur. Ad confirmationem, quòd non dentur quoad essentiam morbi, in secundo argumento satisfecimus, dum tempora essentialia vocari prædiximus, non quia sint partes componentes, & distinguentes essentiam; sed quia circa magnitudinem essentiæ, & non circa causam, aut symptomata morborum versantur. Ad instantiam de morbis lethalibus, solutio necessaria non est, cùm hæc quæstio de iis non sit intelligenda, quos non posse habere quatuor tempora libenter fatemur.

Ad quintum dic. Falsum est asserere morbos immateriales, quatuor tempora non habere: nã species tres febris hecticæ, potiùs appellanda sunt tẽpora, quæ in tota huius febris constitutione considerãtur, quatenus calor febrilis, in partibus solidis existens, æqualiter, & in eodem tempore, tres illarum humiditates non absumit. Vt verò hæc doctrina rectiùs intelligatur, suppono ex Gal. *lib.* 10. *meth. c.* 11. §. *Siquidem in singulis simplicium, ac primarum, &c.* Omnes partes seminales triplici substantia constare, carnosa, membranosa, ac fibrosa, ea lege, vt omnes hæ substantiæ in vnica simplicissima vena reperiantur. Sicut ergo est triplex substantia, sic etiam triplex humiditas consideratur, has substentias reparãs atque reficiens, quæ humiditates dicuntur ros, cambium, & gluten, & est illa radicalis humiditas, cuius merito partes continuantur, iuxta quas humiditates, tempora febris hecticæ consurgunt. Licèt verum sit, quòd febrilis calor, partes solidas in facto esse corripiat, & per modum habitus, secundùm omnes tres illas substantias; non tamen secundùm omnes fit æqualis consumptio, tempore eodem, cùm pris rorida humiditas, secundò cambium, & tertiò gluten absumantur.

Iuxta hunc ordinem, quatuor tempora febris hecticæ sic constituo. Principium vniuersale, sit prima febris hecticæ species, in qua calor in facto existens, & in habitu, roridam partium solidarum humiditatem absumit. Augmentum, quando cambium absumitur: Status, quando gluten. At verò declinatio, quando prædictæ substantiæ, suo ordine restitui, & reparari vsque ad sanitatem incipiunt: quæ de temporibus sensibilibus febris hecticæ sunt intelligenda. Si verò Medicus, antequàm secunda, aut tertia species adueniat, sanatum ægrum iudicauerit, tunc tempora breuiora fiunt, etsi à nobis non percipiantur.

Ad instantiam dic, in tertia specie, marasmo dicta, calorem solum esse imminutum in quanto, sed non in quali; quare nullum est inconueniens, quòd pulsus, & respiratio vsui imminuto respondeant, cùm ad hoc vt qualitates primæ operentur, vltra rationem principij efficiendi quo pollent, efficientem quantitatem ex parte subiecti efflagitent. Adde, hunc marasmum esse lethalem, nos autem loquimur de salubri morbo: Nam quos marasmus iam occupauit, hos sanare non tentabis; etsi enim caliditas corrigi possit, non tamen siccitas, vt 10. *meth.* 10. docuit Galenus.

Ad obiectionem de morbis hæreditariis, dic. Falsum esse asserere, quòd morbus à principio generationis incipiens, ex seminis vitio contractus, careat principio, quoniam subiectum, cui aduenit ille morbus, est animal actu viuens intra vterum, & morbus non se exerit, antequàm sit animal, sed cùm sit affectus adscititius, animal iam generatum, & viuens præsupponit. Illud autem quod simul producit cum ipso fœtu, quantumuis vitiosum sit, naturale tamen, insitum, & congenitũ, sanitatem non excludit, sed solùm in corpore proximam aptitudinem ad morbos relinquit. Hoc modo intelligendus Hippocrates 3. *epid. sect.* 2. *text.* 3. dicens filiam Euryanactis passam fuisse natiuam tabem, id est, fuisse dispositam ad tabem, ob aptitudinem, & inclinationem, à principio generationis relictam.

Ad sextum dic. Temporum distinctio, proposita à Galeno, in inflammationibus, & in febribus eas consequentibus, intelligenda est de iis inflammationibus, à quibus excrementa sensim non exercernuntur, sed in ipsis contenta manent quousque resoluantur, vel in pus mutata vacuentur. Aliter verò distinguenda sunt tempora, in iis inflammationibus, è quibus ob membranæ obductæ tenuitatem, sensim aliquid resudat, & sensim vacuatur, vt accidit in Peripneumonia, Pleuritide, Ophthalmia, & reliquis huiusmodi, in quibus tempora, ad vsus medicos, ex eruditate & coctione illius, quod educitur, commodiùs distinguuntur.

Ad septimum *suprà* satisfactum est. Octauum. Solùm concludit auxiliis medicis posse morbos, aliquando aliquibus temporibus priuari, vel à natura moliente crisim: Nam quando crisis, in augmento contingit, poterit quidem morbus vigore carere; si verò perfecta crisis accidat in statu, declinatio ita breui affluet, vt & concedi, & negari ad libitum possit.

Auctoritatibus sic satisfaciendum iudico. Ad primã, ex

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 620 sur 927

ex Hipp. 1. *epid.* Dic nullum esse inconueniens, quòd dentur febres continuæ, in quarum principio detur status: non tamen inde sequi, quòd ante illum statum, duo tempora non præcesserint, scilicet principium, & augmentum, quæ ob sui breuitatem, à Medico neque sentiuntur, neque cognoscuntur. Ad locum Galeni *lib. de morb. tem. cap.* 1. Dic. Galenum per illa verba solùm voluisse, totum illud tempus inflammationis, à primo insultu, vsque ad statum, esse continuum, cùm vna non sit alteratio; sed non negat, quòd seruata continuitate alterationis, diuersa tempora assignentur: & hanc fuisse Galeni mentem, colligo *ex eodem. cap. ad finem, in §. Huius autem proprium singulariter generationis tempus diuisum non est.* Ad locum *ex lib. de optima secta ad Thrasybul. cap.* 47. Dic, *ibi* Galen. fuisse loquutum, de temporibus morborum, quæ sensu percipiuntur & cognoscuntur; quæ tempora in omnibus morbis inueniri negat Gal. & nos libenter fatemur, cùm *suprà* dictum sit, in morbis aliqua tempora obscurari, ob breuitatem suam, & hoc modo argumentum de Apoplexia est explicandum.

Ad secundam, & tertiam auctoritatem Gal. respondet quidam, post crisim optimam dari declinationem, etiàsi ob breuitatem non sentiatur. Ratio est, quia licèt causa morbifica vacuetur, non cessat qualitas morbifica morbosa introducta iam impressa, sed per aliquas horas perdurat, & interdum per integrum diem, ex Gal. 2. *prorrhet.* 17. *versus finem*, posito exemplo in ligno calefacto ab igne, quod postquàm separatum est, per aliquod tempus calorem conseruat. Quando autem vacuationes fiunt in principio, à natura, vel ab arte, non possunt morbum in medio cursu reprimere, & eum sequentibus temporibus priuare, sed hæc solùm fiunt breuiora, vt morbus sublatus esse videatur, quin reliqua tempora persentiantur, & ob hanc causam rarò in morbis fieri crisim, quòd auxiliis medicis præuertatur, & impediatur.

Contrà sic insurgo. Morbus est effectus causæ morbificæ. Sed adaucta causa, augetur magnitudo effectus, & imminuta minuitur. Ergo si in principio, vel augmento, causa morbi ob vacuationes reddatur minor, necessariò ex natura rei, morbus debet minui, & priuari augmento, & statu, vel statu solo. Respondeo ergo cum distinctione quadam, quòd interuentu vacuationum, quæ fiunt in principio, vel augmento, ab arte, vel à natura, quando non vacuatur tota causa morbi, cùm fiat sine coctione, & separatione in augmento, necessariò in corpore, portio humoris peccantis relinquitur, quæ alteratur, & concoquitur, secundùm quam materiam remanentem post vacuationes, quatuor tempora morbi considerantur: sed quia humor in exigua quantitate abundat, breuiora fiunt, & non sentiuntur tempora aduenientia post vacuationem, & humor per insensilem halitum, sine crisi euanescit, & hoc est quod Gal. vocat, præscindi morborum tempora medicis auxiliis, id est, contrahi, vt non appareant, *lib. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 4. in princip.* & hoc modo dicendum est, quando vniuersa materia vacuatur in principio, quando videlicet morbus ab humore turgente ortum ducit.

Ad auctoritatem Auic. dic. Illum intelligendum esse, de temporibus morborum, quæ sensu percipiuntur, & non de aliis, quasi asserat Auic. plurimas esse ægritudines, quæ quatuor habent sensibiles horas: neque ex eo inferas, posse assignari morbos, quatuor tempora non habentes. Ex quibus ratum fit, & manifestum, febres continentes, cæterarum ægritudinum instar, quatuor tempora percurrere.

Curatio.

HVius febris curatio, tribus potissimùm perficitur auxiliis, ex Galeni mente, 9. *meth.* 4. & 5. Venæ sectione vsque ad animi deliquium, de cuius vtilitate in continentibus febribus, sat multa diximus, *lib.* 1. *Histor Princ. Medic. in com. Hist.* 9. Frigidæ potú ad satietatem vsque, de cuius auxilij efficacia, lege *lib.* 2. *in com. Hist.* 54. & *lib.* 4. *Hist.* 11. & Balneo, de cuius potestate eximia, lege *lib.* 4. *in com. Hist.* 44. In his totus curationis cardo consistit. Omitto ordinem in sex rebus non naturalibus, alterantia, & refrigerantia præsidia, quæ *infrà cap. de febre ardente* proponemus, quorum vi sanguinis feruor mitescit, ardor infrænatur, & eius furibundus motus, ne in partes principes repat, obtunditur.

Circa phlebotomiam in hac febre tam necessaria primò dubitandum: *Vtrùm in debili virtute, & continente sanguinea, loco phlebotomiæ manus, sit secanda vena in fronte?* Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 46. *de cura febris sanguinis*, post sanguinis missionem vsque ad animi deliquium, eam valde commendat in hac febre, sicque prædixit: *Quòd si dispositio non tolerat phlebotomiam in manu, phlebotometur vena quæ est inter duo frontis, &c.*

Hæc doctrina suspecta videtur, ob causas multas: prima, quoniam cùm sanguinis magna abundantia, inter alas & inguina, vbi sunt vasa maxima, in hac febre exuperet, 9. *meth.* 3. vena ampla secanda interna in brachio: non ergo tenues ramusculi quærendi, de quorum numero esse venam frontis, patet ex Galen. 3. *epid. sect.* 3. *com.* 6. quæ cùm locale remedium sit, ex partibus supra iugulum solùm euacuat. Secunda. Illa vena secanda est in hac febre, quæ cum caua maximam societatem habet, qualem esse brachij internam, patet ex Galen. 13. *meth. cap.* 18. vena autem frontis, à visceribus longè est remota. Tertia. Timor est, ne secta vena in fronte, humores ebullientes conuolent ad caput, & in eo inflammationem excitent: ob quam rationem, in phrenitide interdicitur phlebotomia ex vena frontis. Quòd si virium iacturam pertimescit Auicenna, cur non secat venam, quæ est in manu, inter digitum minimum, & annularem, quam in splenis, & hepatis ægritudinibus tantopere commẽdat, 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 24. ex cuius sectione, cùm pauca spirituum copia euanescat, minùs eneruantur vires? Securius ergo multò erit, si virium debilitas adsit, secare saluatellam in manu, aut poplitis, pedisue venam scindere, vt hoc modo, humor à partibus supernis, & præcipuis, in quibus ingens sanguinis copia cumulatur, possit auerti. Commodè ergo Auicennam interpretabimur, loquentem de febre sanguinis, in qua adest passio aliqua quæ delirare cogat, tunc enim vrgentiori succurrendum, maximè cùm delirantes brachium porrigere recusent; ob quam causam, Arabes in sæua phrenitide, priùs ad sectionem venæ frontis accedendum imperant.

Dubitabis: *Vtrùm in febre sanguinea, loco phlebotomiæ, purgatio sit administranda?* Galenus *lib.* 4. *de sanit. tuend. cap.* 4 sic ait: *Quòd siquis vel propter ætatem, vel timiditatem permittere se Medico, ad sanguinem vllo modo detrahendum, nolit, huic deiicienda largiùs aluus est. Aut si id quoque suspectum habet, alia ratione educendum superuacuum est, &c.* Ex quo loco perspicitur manifestè, quòd vbi morbus sanguinis missionem expostulauerit, si vires eam non sustineant, aut propter ætatem, aut alia ratione quauis, aut si æger non pareat Medico iubenti venam secare, quod sæpe sæpius contingit, tunc purgatione est vtendum, quæ bilem vtramque, & pituitam euacuet. Satius enim est, vt solus sanguis redundet, quàm cum eo cæteri. Et pars insuper plenitudinis demitur, facta expurgatione, & promptiùs humores ventilantur, qui antea in venis conculcati, difflari impediebantur.

Quòd si ex plenitudine, & cacochymia permixtus est affectus, (vt in eo corporis statu, de quo Gal. agit *loc. cit.* vbi vtroque opus est auxilio) huic aluus largiùs ducenda, quàm si venæ sectioni daretur locus, vt nimirum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 621 sur 927

©BIUM

ſola purgatio, vtriuſque vacuationis vſui ſufficiat. Si purgationem verò, pariter ac venæ ſectionem, aut renuat æger, aut non ſuſtineat, alia ratione educendum ſuperuacuum eſt, inedia, frictione, balneo, aut huiuſmodi aliquo reſoluente auxilio: quò ſi non breui, ſaltem longiori tempore, priſtinam corporis valetudinem homo recipiat.

Quare quando affectus mixtus eſt ex plethora, & cacochymia, & cum ſanguine peccant alij humores, tunc ſanguinis miſſio ſupplet vicem phlebotomiæ, & è contra. Hanc Galeni ſententiam, interpretes Auicennæ ineptiſſimè tranſtulerunt, 1.4.*cap.nuper cit.* dum ſic ait: *Si verò non præparatur aliquid eorum, & hoc propter accidens, quod prohibet, tunc fac ſolutionem ventris, ſecundùm modum, qui eſt in cauſonide.* Hoc eſt, *ſi non præparatur aliquid eorum*, id eſt, ſi non fiat phlebotomia, aut manus, aut frontis, quas proximè dixerat, *& hoc propter accidens quod prohibet*, id eſt, propter ætatem, aut imbecillitatem, aut quoniam æger non vult, *tunc fac ſolutionem ventris, ſecundum modum, qui eſt in cauſone.*

Illud verò paulò ſubobſcurum dubium eſt: *Vtrùm in omni febre, ſaltem minorandi gratia, ſanguinem mittere expediat?* Galenus 2.*Aph.*29. annuit, dum enim Hippocrates, inchoantibus morbis mouendum præcipit, hoc eſt, vacuandum, præcipuè per venæ ſectionem, nonnunquam verò per purgationem, in hæc verba prorumpit: *Vt igitur coctiones morborum citius eueniant, melius eſt circa principia vacuare, quò minorem iam factam materiam, facilius natura poſſit concoquere, &c.* Sic in omni febre putrida, venæ ſectione minorat Galenus, 11. *meth.* 15. dum ſic ait: *Saluberrimum autem, vt prædiximus, eſt, in febribus venam incidere, non continuis modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent. Leuata namque, quæ noſtrum corpus regit natura, exoneratáque eo, quo valuit ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet. Itaque propriy muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni, &c.*

Ex hoc loco non inferas: in omni febre particulatim ſanguinem eſſe mittendum, plurimæ enim ſunt, in quibus ſanguinem mittere, minimè expedit, quum ſcilicet vrina aquoſa extiterit, aut quum citrina, igneáque ſit, ex Auic. 1.4 .*tract.* 2. *cap.*7. Solùm enim ſenſus eſt, quòd in omni febrium genere, ſanguis mitti debet, vbi cum humore peccante, plenitudo aliqua fuerit adiuncta, copioſa quidem, ſi plenitudo fuerit ad vaſa, minorans verò, ſi plenitudo fuerit ad vires, vt parte materiæ detracta, natura reddatur potentior ſupra reſiduam. Si verò neutra fuerit plenitudo, aut impedientia affuerint, aut defuerint aliqua, quæ ad ſanguinem mittendum adhortantur, ſanguis detrahendus non eſt.

Vlteriùs quæramus: *Vtrùm in omni febre, & morbo, ſanguinem aliqua ratione mittere conueniat?* Plurimæ ſunt venæ ſectionis vtilitates, ob quas in omni febre, & morbo, commodè venæ ſectio eſt celebranda. Nec deſunt, qui ſumma cum ratione venam incîdunt, vt pars alimenti ſubtrahatur: natura enim minùs impedita in conficiendis multis alimentis, tota contra in morbum conuertitur, & ipſius cauſæ concoctionem aggrediens, breuiùs illam ſuperat, ſi vires præſertim conſtent. Hac ratione inediam, & victus tenuitatem, tantopere Medici commendant.

Sanguis etiam vtiliter vacuatur, deobſtruendi, & putredinem inhibendi cauſa: Nam *eorum*, inquit Galenus 9. *meth. cap.*4. *qui ex ſola oſtructione febricitarunt, nemo in putredinis febrem incidit, qui priùs ſanguinem miſerat.* Diſtingue tamen obſtructionis cauſam: nam cùm alia ex abundantia, alia ex qualitate ſuccorum, videlicet quia lenti, aut craſſi ſunt, incidat, in ea quam copia facit, ſanguinis miſſio eſt præferenda; in ea verò, quæ ex ſuccorum qualitate conſiſtit, attenuantium vſus, non autem venæ ſectio erit ex vſu.

Commoda etiam venæ ſectio eſt, in diuturnis obſtructionibus hepatis, à craſſa, viſcoſa, & ægrè mobili materia ſubortis, vt ex venæ ſectione, quæ humores agitat, impacti in iecinore humores motum accipiant, & pharmaco expurganti promptiùs pareant. Et licèt attenuatio aperientibus perficiatur, tamen hæc in obſtructione contumaci, cùm nimis calida ſint, vehementer excalfaciunt. Quare ſatius eſt, vt motum expurgationi neceſſarium, humori præſtemus, venæ ſectione vti, quàm calidioribus, maximè incidentibus, ac detergentibus medicamentis. Hoc eſt quod ſub compendio pronunciauit Auicenna: *Sed cùm antiquatur oppilatio, indiges phlebotomia baſilicæ, & ſolutiuo. Phlebotomia ſcilicet, vt commoueat, & ſolutiuo, vt vacuet materias, quæ moueri cœperunt.*

Sanguis etiam ſæpe emittitur, tentandi cauſa, tantillo ſanguine extracto, vt noxius humor expellatur, in lepra ſanguis arenoſus, in quartana niger, & craſſus; nam in quartana ſi tenuis, ac flauus exierit, & in melancholia, illicò ſupprimendus, 1.*ad Glauc. cap. de quartana*, & 3.*de loc. cap.*7. Refrigerat etiam venæ ſectio, 10.*meth. cap.* 10. quia calidam ſubſtantiam educit. Plures ergo ſunt, in omni febre, & morbo, venæ ſectionis vtilitates, vt nullus planè videatur morbus, in quo eius vſus non ſit admittendus, ſi non vacuandi, ſaltem diuertendi, refrigerandi, deobſtruendi, minorandi, commouendi, aut alimentum ſubtrahendi, ſin minùs tentandi gratia. Quod auxilium, ſicut & cætera, ſi non proſit, & febris perduret, in aliam febris ſpeciem permutatur, vt in ſynochum cum putredine, ardentem, au malignam, vel in aliam ſimilem, quæ peculiarem curationem efflagitat.

OBSERVATIO.

Continens febris, nullis artis præſidiis cedens, vomitui cruento copioſo ex toto ſuccubuit.

IVuencula erat gracilis, & ſanguinea, quæ poſt vehemens exercitium, aëri frigido ſe expoſuit, & ex cutis ſtipatione in febrem incidit continentem ſine putredine, incaleſcente ſolùm ſanguine in venis, & inflammato valde, quam comitabantur totius corporis habitus tumor, rubor, pruritus, ardor vehemens, ſitis ingens, cephalalgia, & plura alia, quæ ſanguinis efferuescentiam in venis, apertè demonſtrant. Huic copioſè ſecta eſt in gibbero vena. Alterantia oblata, quæ internum cauma compeſcunt, & ſanguinis incendium attemperant. Ecce poſt ſeptimum, nullis proficientibus auxiliis, de dolore ventriculi queri cœpit: poſt quem, in vomitum incidit cruentum, ſanguinem merum affatim ex interuallis excernens, qui cùm ad quatuor libras ferè perſcueraret, biduo ipſam veluti exanimem reddidit, vt ægra potiùs viuens cadauer, quàm vitali aura ſpirare, dici poſſet: ita attenuata, ſine pulſu, voce, motu, decolor, tabida iacebat, cauis oculis, rugata fronte, pendulis genis, liuentibus buccis, vt mortis imaginem referret. Sed cùm pro nimio vomitu compeſcendo auxilia parare incipio, natura ſuas ipſa partes agens, vacuationem repreſſit, & miteſcente febre, virtus refici cœpit, & illa ab omnibus ſymptomatis facta eſt immunis.

CAPVT XX.

De febre ſanguinea putri.

DE febre ſanguinea, generata ex ſanguine putreſcente, num ſit diſtincta à biliosa, pituitoſa, & melancholica

melancholica, satis actum est *lib. 4. Histor. Princ. Medic. in com. Hist. 9.* nunc explicandum superest: *Vtrùm febris sanguinea, sit simplex, vel composita?* Plures putant febrem hanc, esse compositam ex febre sanguinis, & ex febre alterius humoris, quoniam in re putrescente, est assignanda pars putrefacta, & pars putrefiens. Ergo in sanguine reperitur alia substantia, in quam transiuit illa pars sanguinis putrefacti, ab ipso sanguine integro distincta.

Hæc opinio nulla ratione defendi potest, imò continet multa suspecta, ne dicam falsa, cùm difficultas proposita, non sit de sanguine, vt notat sanguineam massam, de quo verè possumus pronunciare, dari bilioſum sanguinem, melancholicum, & temperatum, sed de sanguine, quarto humore, à reliquis specie distincto. Deinde ex ea sequitur, febrem ex sanguine putrido esse compositam, ex febre sanguinis, & ex febre alterius humoris, quoniam sanguis per putredinem vertitur in bilem: quoniam licèt fateamur, semper sanguinem per putredinem verti in bilem, non tamen immediatè mutari in bilem putrefactam, est concedendum, nam priùs mutatur in bilem, antequam ipsa bilis putrescat. Ergo illa febris erit putrida sanguinea simplex, antequàm bilis sit putrefacta, cùm post eius putrefactionem, febrem hanc, ex duobus humoribus putridis esse compositam, non sit denegandum.

Accedit veneranda auctoritas Galeni, 2. *feb. vlt.* §. *Aut ob putrefactionem feruentes, febrem vnam accendunt synochum appellatam, quæ à principio ad finem vsque, nullam habet intermissionem, &c.* Ex quo contextu patet, Galenum dixisse vnam, vt febris notet simplicitatem: & constat ampliùs, quoniam à principio vsque ad finem, nullam habere intermissionem asseuerat; nam si esset composita, necessariò circuitus haberet, ratione humoris, ad illam compositionem conuenientis.

Deinde. Quando sanguis, determinata putredine ita putrescit, vt mutet formam, necessariò datur putredo, ante hanc mutationem formæ. Ergo febris ex hac putredine sanguinis generata, erit simplex, & non composita. Antecedens est verum, quia cùm putredo sit qualitas, disponens ad mutationem formæ substantialis, non sub quocũque gradu, vltima dispositio introducitur, licèt sub quocunque gradu sit qualitas, quæ dicitur putredo. Consequentiam probo: hæc enim febris ex putredine sanguinis concitata, antequam mutet formam, neque est bilioſa, neque pituitoſa, quia adhuc est sanguis sub propria forma, & supposito quòd assumeret circuitus tertianos, sub propria forma sanguinis, non ideò bilioſa erit; iuxta quam doctrinam dicebat Auic. *1. 4. tract. 2. cap. 36. Qui iudicat tertianam per paroxysmos, errat in ea.* Ergo pari ratione, qui febrem sanguinis iudicat per paroxysmos, errat.

Non nego, sanguinem per putredinem velociter corrumpi, sed celeritas durationis, rei naturam non tollit: quare Galenus dicit sanguinem per putredinem conuerti in bilem, & melancholiam; sed de quacunque putredine non intelligatur, sed de illa duntaxat, quæ ad formam substantialem terminatur: Nam sicuti calefactio, non sub quocunque gradu, est vltima dispositio ad formam ignis, sic putredo sanguinis, non in quocunque gradu, est vltima dispositio ad formam bilis, & melancholiæ, maximè cùm forma bilis, & melancholiæ, sub eodem gradu putredinis non generetur.

Dic ergo, hanc febrem esse simplicem, & non compositam: Nam illa febris dicitur simplex, quæ ex vnico humore dependet, vnicam formam substantialem habente, vt in omnibus febribus palàm conspicitur. Sed quoniam hæc febris, ex sanguine putrido generata, quamdiu suam simplicitatem seruat, tempus sensibile non habet, hinc fit vt Medicus, qui constituit genera & species, iudicans sensu, sanguinem in hoc simplici statu nunquam sentiat, qui ad naturam humoris facientis periodos possit reduci. Sic Galenus 2. *crisi. 9.* febrem ex putredine sanguinis, seruare proportionem circuitus tertiani asseuerat, posito exemplo in pleuritide sanguinea, in qua circuitus de tertio in tertium manifestè conspicitur, in qua sputum est rubrum: sed sputum rubrum, non producitur nisi à sanguine, manente sub propria forma sanguinis. Quare hæc febris, quando suam simplicitatem seruat, non dicitur bilioſa, quia iam sit corrupta forma sanguinis, sed solùm, quoniam per putredinem, sanguis modum substantiæ, & qualitates naturæ bilis conuenientes acquisiuit.

Ex hac causa contingit, vt huius consensus ratione, aliquando concitet febrem, quæ de tertio in tertium, suas facit accessiones. Sic Galenus 2. *ad Glauc.* 1. §. *Quòd si ex sanguine, & flaua bile, &c.* ex sanguine tenuissimo, sub propria forma, oriri exquisitum erysipelas asseuerat, quoniam repetitio accessionis, non tam sequitur formam humoris, quàm certam quantitatem, & qualitatem eius, quæ omnia cùm in sanguine putrescente inueniantur, non est mirum, quòd aliquando in febre sanguinea putrida, circuitus tertiani reperiantur: iuxta quam doctrinam, 2. *crisi. cap. cit.* asserit Galenus, hanc febrem, ex sanguine putrido generatam, quodammodo esse bilioſam, hoc est, secundùm quid, id est, circuitus, non tamen secundùm formam humoris.

Hæc doctrina ampliùs confirmatur. Omnis febris continens, caret circuitibus, & exacerbationibus. Sed febris ex putredine sanguinis, est verè continens. Ergo, &c. Tunc sic. Febris ex putredine sanguinis, caret circuitibus, & exacerbationibus. Ergo constituendum est quartum genus febrium simplicium putridarum, ab aliis tribus distinctum, quæ circuitus habent. Neque Galenus ab hac sententia est discors, 2. *crisi.* 12. *ad fin.* §. *Quare in omnibus talibus, &c.* quo loco non negat, dari plura genera febrium quàm tria, sed solùm obscuras indicationes esse omittendas, & claras tradendas asseuerat, quæ ipsam ægritudinem reddant manifestam; & ob id clarioris doctrinæ gratia, hanc febrem ad genus febrium putridarum reducit, quoniam sanguis per putredinem, naturam bilis acquirit, & curationem illius febris expostulat, quæ cum illa similitudinem habet. Hinc fit vt solùm Galenus connumeret genera febrium putridarum, quæ non sola ratione, sed sensu à Medico percipiuntur.

Vtrùm verò *sanguis, & alij humores intra venas, & extra eas putrescant?* agitandum. Plures negant ex antiquis peritissimi, quia ibi non generantur vermes, vt refert Trallianus *lib. 12. cap. 2.* quoniam feruor præseruat à putredine, quem intra venas inueniri certum est. Deinde locus est conseruatiuus locati, & venæ sunt locus naturalis sanguinis, & aliorum humorum. Verùm à veritate distat opinio hæc: Nam in venis, & extra eas, & in quacunque alia corporis parte, putrescunt humores, maximè si locus calidus sit & humidus, & humor præ copia, à natura non gubernetur, aut transpiret. Licèt autem ipse feruear in venis, si non diffletur, putrescit, cùm ratione feruoris, vapores & fuligines eleuentur, meatus obstruentes. Ita vt ad hanc obstructionem, prohibita sequatur ventilatio, & ad hanc putredo.

Neque obiicias, extra venas humores putrescere non posse, quia per partes sentientes mouentur, & motus à putredine præseruat, vt patet in morbo regio, œdemate, scirrho, in quibus humor non putrescit: Nam extra eas putrescunt, non solùm in loco putredinis, quando manent circumscripti, sed dum per partes sentiẽtes mouentur, ex quorum motu fuligines eleuantur, quæ cutis meatus obstruunt, & impedita ventilatione putredinem concitant. Si verò putredo persæpe non accidit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 623 sur 927

©BIUM

est quia nimius calor, eorum vapores absumit, vias dilatat, reliquias resoluit insensibiliter, aut per sudorem. Pari ratione, vt humor putrescat, non solùm necessarium est, vt sit intra venas, sed vt calorem præter naturam suscipiat, cuius caloris defectu, humor in œdemate, scirrho, & morbo regio non putrescit; si verò calescit, putrescere solet, vt in eisdem inflammationibus patet, quum ad suppurationem declinant.

Causa.

CAusæ putredinem in sanguinem inducentes, sunt illæ, quæ sanguinem plus iusto calefaciunt, & accendunt, dummodò acutiores sint, & vehementiores, quàm quæ in synocho sine putredine accidere solent, quoniam fuliginosa recrementa non difflata, acriora redduntur, in quibus calor mordacior redditus, magis intenditur, & fit præter naturam. Euenit etiam, quando humores ob prohibitam ventilationem, & vaporum copiam, sicut in statu naturali non mouentur. Tria autem sunt, quæ sanguinem ad putredinem mouent, prohibita ventilatio, calor natiuus auctus, & præter naturam redditus, & priuatio motus humorum, vt explicuit eleganter Galenus 8. *meth.* 7. & 11. *meth.* 8. & 1. *de diff. feb. cap.* 4. calida enim corpora, in calido & humido loco quieta, & detenta, ni difflentur, statim puputrescunt.

Hæc omnia accidunt frequentiùs bene nutritis, parum exercitatis, sanguine plenis, denso habitu præditis, quibus non solùm ob hanc causam, in cute adest densitas, sed illis quibus ob humores tenaces, & crassos, in tenuibus venis, aut maioribus iecoris, obstructio perseuerat: ex his enim halitus putredinosus eleuatur, qui sanguinem inficit, & eum ad dispositiones putredinis recipiendas reddit promptissimum.

Signa.

IN hac febre omnia signa adsunt, quæ synochum sine putredine ostendunt, & alia etiam concomitantur, quæ putredinem manifestè significant: calor enim acrior est, & intensior, quàm in illa, non ita tamen mordax, velut in aliis febribus putridis conspicitur. Vrina est crassa, rubra, perturbata, fœtida, & nullo sedimento prædita, aut obscuro, saltem in principio. In pulsu notæ putredinis apparent: nam præterquam quòd celer est, & frequens, habet maiorem contractionem, quàm dilatationem; maior enim necessitas adest expellendi fuligines, quod febrium putridarum proprium est, 1. *feb.* 7. *ad med.* §. *Proprium verò, &c.* & 3. *de præsag. ex puls. cap.* 7. *post princip.* §. *Sed hoc perpetuum est.* Pulsus ob copiam grauantis humoris, est inæqualis, & inordinatus. Totum corpus lassitudine grauatiua distenditur, quoniam id vaporum quantitate nimia opprimitur. Cutis tumet, rubet, facies inflatur, & fit purpurea, oculi scintillant, & eorum venæ rubro colore suffunduntur. Demum febris putrida, aliis signis insignitur, quæ lege *lib.* 4. *Hist. Princ. Med. in com. Hist.* 9.

Præsagium.

RAtò hæc febris in gracilibus excitatur, aut illis qui raro sunt corporis habitu præditi, neque in frigido temperamento, aut ætate: sæpius in iis, qui sanguine turgent, calidi sunt, carnosi, succulenti, densa carne constant, & calidis recrementis sunt referti. Hæc febris vel statim inuadit, vel imputri superuenit, & facilè in ardentem commigrat, maximè si perseueret diu. Periculosa sæpe est, præsertim si sæuis stipetur symptomatis, in eiúsque principio, alui fluxus contingat; hic enim, citra morbi leuamen, vires prosternit, cùm accidat morbo existente crudo, & æger ad causæ morbificæ coctionem sufficere nequeat; ob quam causam, multoties in malignam degenerat.

Soluitur aliquando apparentibus in quarto die maculis latioribus, aut eminentioribus, vt sunt morbilli, & & variolæ, potissimùm si signa coctionis præcedant: aliter enim iudicium erit difficile, & periculo plenum. Cùm autem triplex sit huius febris species, illa periculosior censenda, quæ semper accrescit; minùs periculosa quæ à principio decrescit; quæ autem semper eodem modo affligit, periculo non vacat, sed medium modum seruat.

Persæpe finitur sudore, hæmorrhagia, alui fluore, & vrina. Si in quarto, notæ concoctionis appareant, in septimo iudicatio fit, iuxta Senis edictum, 4. *Aph.* 71. Iudicium factum per fluxum sanguinis est optimum, deinde per sudorem: bonum est etiam per aluum, & per vrinam. In sexta die facta iudicatio, praua est, & dolosa, etiamsi præcesserint concoctionis signa, vt 1. *de dieb. decret.* 4. fatetur Galenus. Pessimum est, ægrum maxima inquietudine perturbari, difficultate respirationis, ventris inflatione, & rugitu premi. Ex Hipp. 4. *Aph.* 66. & 67. Prauum est pustulas, maculas liuidas, aut nigras per cutem apparere: ægrotantes inuoluntariè lachrymari: à somno excitatos, laborem sentire, vt 2. *Aph.* 1. Hippocrates docuit.

Curatio.

CVratio huius febris, sicut aliorum morborum, à proba victus ratione inchoanda est. Quando vires sunt robustæ, & citò expectatur vigor, tenuissimè cibandum. Refrigerantia & humectantia offerenda. Excrementa priùs vacuanda. Sanguinis missio ad animi defectum celebranda, de cuius vtilitate *suprà*. Expurgandum corpus cholagogis. Peracta purgatione, Apozemata refrigerantia, & reserantia administranda. Viscera roboranda, & refrigeranda iis auxiliis, quæ *sequenti capite* latiùs proponentur.

OBSERVATIO.

Rarum synochi genus, quarto die interficiens.

NOn est adeò mitis synochus, præsertim si cum putredine sit coniunctus, grauibúsque stipetur symptomatis, vt plures ea correpti, ab ea immunes euadant. Ad manus nostras accessere quamplurimi, qui præcedente rigore, in febrem synochum lapsi sunt, quos rubor, tumor, & sensatus calor in toto corporis ambitu comitabantur, vehemens cephalalgia, fastidium ingens, inquietudo, anxietas, iactatio, cordis palmus, & cardialgia, quæ omnia malignitatem vehementem adesse significabant internam. Omnibus secta copiosè vena, cardiaca, & refrigerantia oblata. Administrata purgatio, & celebrata reliqua auxilia, quæ refrigerarent corpus, veneni malitiam retunderent, vires roborarent, & sanguinis ardorem compescerent. His omnibus non proficientibus, pustulæ ampullosæ, ichoroso sanguine plenæ, in vniuersa corporis superficie, die tertio, vel prope quartum enatæ, quæ post paucas horas, rupta cute, in vlcus degenerarunt cauum, sordidum, & dolosum, ita vt in ambitu liuescceret caro, emanante sorditie multa. Ægri cum agone citò peribant, mente constantes, animi deliquio oppressi, veternosi, implacidi, immorigeri. Synochus ergo putrida contemnenda non est, cùm aliquando immisericorditer omnes de medio tollat.

CAPVT

CAPVT XXI.

De febre ardenti.

Definitio.

FEbris ardens, est febris biliosa, continua, nullam accessionem, neque remissionem sensibilem habens, sed eodem modo semper perseuerans, vt colligitur ex Galeno 2.*feb.*2.& 2.*crisi.*6. quæ inter omnes febres exurentissima est, & ratione vehementissimi ardoris, qui in ea viget, floret,& flagrat, vocatur ardens, & ab Hippocrate ignis, per ægrotos plures, vt constat ex ipso, 1.*epid.sect.*3.*text.*19.21.23.24.

Huiusmodi febris duplex est, altera exquisita, & alia notha. Illa duplex est: quædam fit, quum venulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres ad se attrahunt humiditates, quas Græci ichoras vocant, 4. *acut.* 1. & 4. *Aph.* 58. quæ doctrina intelligenda est, de venis minoribus existentibus in viscеribus, vel iuxta viscera, non autem de illis venis, quæ iuxta cutem repositæ sunt. Altera est, quando humor in vena caua putrescit, & reliquas venas magnas iuxta cor occupat, ex Galen.2.*crisi.*6. Febris autem ardens notha,ex pituita salsa, putrescente in ventriculo, iecore, vel pulmone, originem ducit, vt 4.*acut.*13. docuit Galenus.

Causa.

FEbris ardentis causæ variæ sunt, aliæ sunt internæ, externæ aliæ. Illa est humor biliosus putrescens, aut effervescens, in omnibus vasis maximis circa cor, qualia sunt vasa pulmonis, ventriculi, & iecoris, præcipuè partis conuexæ, vt 4. *acut.* 1. & 1. *epid. sect.* 2. *text.*73. monuit Galenus. Ob quam causam, non solùm erysipelata partium principalium solet hæc febris comitari, sed affecta, & inflammata gula, & ieiuno intestino excitatur, 4.*acut.*1.& cerebri biliosam inflammationem sequitur persæpe, 1. *prorrhet.* 18. & lienis phlegmonen, 6.*epid.sect.*3.*com.*9. Quare febris ardens à bile putrescente in venis generatur, quicquid aliter putet Auerrhoës 3.*collig.*4. & *lib.*7.*cap.*12.quia bilis calida est & sicca, & minimè obnoxia putredini, & bilis mera non in venis, sed in fellis folliculo reperitur: nam bilis etsi sit potentia sicca, actu est humida,& putrere potest. In statu autem naturali in venis non reperitur, at in morboso maximè.

Vtrùm verò *æstate generata, fiat per solam attractionem, an depulsionem bilis?* controuersia est. Hippocrates 4. *acut.* 1. sic ait: *Causus fit quum venulæ, tempore æstiuo exiccatæ, acres ad se attrahunt humiditates, quas ichoras vocant.* Firmat *lib.* 2. *de morb.* & *lib. de affect.* Contrà facit ipse Hippocrates *lib. de affect. in init.* quo loco febrem ardentem fieri asseuerat, quotiescunque bilis, per corpus commota, tandem in parte firmatur ac persistit; quare per motum, à natura expellitur, maximè cùm sit acris & mordax, & ad sui expulsionem naturam irritet ac stimulet, quæ in venis accensa, concepta putredine, febrem accendat. Dic. Causum vel fieri æstate, vel hyeme. Hoc tempore factus, rarissimè sine attractione generatur; corpora enim tunc exusta, & arida, & ac præsertim venæ, & viscera ichores ad se, & succos facillimè attrahunt. Hyeme excitata, concitatur per depulsionem bilis, cùm enim eo tempore corpora compingantur, fit vt succi acres & mordaces, repellantur intrò, & accensi causum progignant. Num verò febris ardens generetur à bile absque putredine, respondimus affirmatiuè, *lib.*4. *Histor. Princip. Medicor.in com.Hist.*10. *in fine.*

Causa febris ardentis nothæ, est pituita salsa, quæ huiusmodi reddita est vstione, vel certa, & determinata putredine, quæ ad eius salsedinem est necessaria, vt *lib.*2.*Histor.Princip.Medicor.in com. Histor.*73. agitauimus. Potest etiam salsa reddi, si plurimis, & prauis ichoribus permisceatur. Quare pituita illa, dum putrescit in vasis iuxta cor, febrem ardentem concitat, & non naturalis, quoniam diuersa temperie, & mitiore natura est prædita.

Externæ sunt, quæ in humoribus intensum calorem, vehementémque feruorem excitare queunt, vt immodicus labor, immoderatum exercitium, superflua vigilia, copiosus vini meracissimi, & alterius liquoris calidissimi potus. Vsus ciborum calidorum, ira diu perseuerans, sitis vehemens, cui gelidæ potu, non sit tempestiuè satisfactum, præsertim si æger in aëre calido versetur, vt 4. *acut.* 3. prædixit Hippocrates. Hæ enim causæ corpus ad maximum mouent calorem: hinc fit vt ob dispositionem materiæ, & causæ agentis vehementiam, & locum in quo humores putrescunt, febris ardens generetur.

Signa.

VTrùm *sitis insatiabilis, & ardentissimus calor, sint signa pathognomonica febris ardentis?* Annuit Galenus 4.*acut.*1.& 3.*epid. sect.*3. *com.*34. hæc enim signa propria sunt, & pathognomonica causi symptomata, quæ ob vehementem caliditatem, & siccitatem febris eueniunt: sitis enim fit vel ob caloris copiam, vel humoris inopiam, & siccitatem, 1. *simpl.*30. Hoc ita esse alia superuenientia signa confirmant, quæ illa duo pariter comitantur, quoniam ratione immodicæ caliditatis, lingua apparet nigra, & fuliginosa, 1. *de loc.*5. aspera, & arida, 4.*acut.*4.& 13. quoniam calor repertus in febre inflammat sanguinem, & bilem, ignis instar, qui exhalationi humorum similem fuliginem reddit,6. *epid.sect.*5.*com.*14. Neque solùm in febre ardenti, reperitur siccitas in lingua, sed in faucibus, ita vt ob siccitatem, ægri loqui non possint, nî priùs humectentur fauces, docente Galeno 7.*de vsu part.cap.*14.*in fin.* qua de causa, vox fit clangosa,vt 7.*de vsu part.cap.*7. docuit Galenus.

Si tamen febris ardens non sit exquisita, sed notha, vt quando generatur ex pituita salsa, vel à flaua bile pexmixta cum pituita, tunc symptomata remissiora sunt: Quare nec calor est ita intensus, nec sitis ita vehemens. De huius natura sunt febres illæ, descriptæ ab Hippocrate 1. *epid. sect.* 1. *text.*9. & 3. *epid. sect.*3. *text.*34. quibus locis, illos ægrotos febribus ardentibus correptos, non fuisse valde siticulosos asseuerat. Quod etiam accidere potest, quando cum febre ardente, exigua tussis conspicitur; huius enim leuiter irritantis motu, humiditates à capite, & vicinis partibus descendunt, quæ linguam humectant, ex Hippocrat. & Galeno 4. *Aph.* 54. & 6. *epid. sect.* 2. *text.*25.

Pulsus in febre ardente est celerior, frequentior, & inæqualior,quàm in synocho putrida,quoniam celerior est in eo contractio dilatatione, & quies externa, breuior; & ideò non est iam magnus, quàm in synocho, neque ita vehemens: quæ omnia ob vehementissimum calorem eueniunt, & quoniam facultas vitalis,non est in hac febre ita robusta, sicut in synocho: Ob quam rationem respiratio est magna, celer, & frequens:ideò continuò respirant, aperientes os, vt excretione ignei spiritus leuentur, vt 4. *acut.* 4. notauit Galenus. Adest etiam in hac febre, cibi fastidium, vomitus biliosus, ventris mordicatio, deiectio liquida & biliosa. Vigilant,mente aberrant, ob raptum biliosi humoris ad caput,vt ex Hippocr. *loc.super cit.* Aëtius *tetrab.*2.*serm.*1. *cap.*18.& Paulus *lib.*2.*cap.*19.annotarunt.

Hæc tamen sæua signa non apparent semper, sed

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 625 sur 927

præsertim, quando febris ardens ex flammea viscerum oritur dispositione, tunc enim bilis effervescens, commota, & agitata ebullit, & ad superas partes ascendit; vel quando ex erysipelate iecoris, ventriculi, ieiuni intestini, bilioſi humoris copia, ad intestina confluit, & impedita distributione ciborum, vehementia apparent symptomata. Adest dolor capitis vehemens, ob raptum bilioſi humoris ad caput, cuius vapore, ipsum inebriatum repletur, distenditur ac dolet. Ob sanguinis feruorem, & permixtionem cum bilioso humore, apparent in cute pustulæ: & si causus malignitatis sit particeps, puncticulæ per totum corporis ambitum enascuntur. Vigilia superflua ægros infestat, ex maxima cerebri caliditate enata. Premunt anxietudines, angustiæ, cardiogmos, maximè si humor acris & mordax ad os ventriculi repat. Vrina est flaua, ignea; humor enim in hac febre bilioſus redundat.

Præsagium.

SI in febre ardente exquisita, in qua apparet lingua aspera, sicca, nigra, non reperitur sitis, quæ priùs aderat, lethale: delirium etiam significat, 2. *Aph.* 6. vel extinctionem facultatis sentientis, & appetentis præostendit, quæ sensibilia valde immutantia non persentiscit, vt notauit Galenus 3. *epid. sect.* 2. *com.* 3. *in historia Euryanactis.* Quare rectè dicebat dictator summus, 2. *prorrhet. text.* 22. *Sitis quæ non ex ratione leuat, mala.*

Hæc febris si incipiat cum rigore, malum est, quia rigor ardentes febres iudicare solet, 4. *Aph.* 58. *A febre ardente habito, rigore superueniente, solutio.* Iudicantia autem statim in initio apparere non debent, quoniam *iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis,* ex Hip. 3. *sect.* 1. *text.* 9. Perfectæ enim iudicationes, peracta coctione perfici debent, alioqui si in initio contingant, prauam qualitatem irrirantem significant, vel naturam debilem præostendunt, quæ humorem nec retinere, nec concoquere, nec suo tempore expellere potuit, vt 7. *Aph.* 4. notauit Galenus, & 4. *Aph.* 2. & 22. dum sic ait: *Quando aliquis incipit morbus, siquid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia symptomata earum, quæ præter naturam sunt in corpore, dispositionum. Quo enim in tempore, à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea vacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium.*

Pessimum est, si in fronte, & clauiculis appareat sudor, quia syncopen minatur, præsertim si frigidus sit, 1. *progn.* 26. & 4. *Aph.* 37. Reprobum est, extrema refrigerari, tunc enim sanguis in partibus exterioribus est coaceruatus, quo cùm exteriores recreentur, & floreant, eo priuatæ emoriuntur, quod in febribus ardentibus lipyriis contingit: quod significauit Hippocrates 4. *Aph.* 48. dicens: *In febribus intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale est.* Repetit 7. *Aph.* 1. & 26. quod ex triplici causa contingere, Galenus notauit *in com.* vel ob magnitudinem inflammationis internæ, præ qua vniuersus sanguis, ad partem inflammatam retrahitur, & sic vruntur interna, externa frigent; vel ob natiui caloris extinctionem; vel vehementem dolorem, qui mediam corporis regionem occupat, cuius causa retrahitur ad intima calor, externas partes deserens. Quare febres ardentes non recalescentes, malignæ, apud Hip. 3. *prorrhet.* 61.

Reprobum est, si in hac febre videantur reperiri accessiones plures, quæ in diebus paribus excitentur, quoniam iudicantur ad malum in sexto, si velociter moueantur, ex Hipp. & Galeno 1. *epid. sect.* 2. *text.* 75.

A Nam morbi qui diebus paribus solent iudicari, mali, & recidiuas facere consueuerunt, 4. *Aph.* 61. quoniam si mors non eueniat, in longum tempus solent produci.

Inutile est, si vrina nigra, & pauca eueniat, & aluus sit dura: illud enim, summam humoris bilioſi vstionem significat; hoc, totum aquosum sanguinis nimia adustione esse absumptum præostendit, ob quam causam, aluum duram reddi, est certissimum. Graue etiam malum est, cibos valde fastidire, corpus vehementer iactare, profundè dormire, semper vigilare. Vox clangosa si accidat, ex gutture valde resiccato, lethalis, 1. *prorrhet.* 13. Reprobantur etiam summè capitis dolor, corporis insolita grauitas, conuulsio, motus tremulus, 4. *Aph.* 66. & 67. Omnia enim hæc ex bilis feruore, omnes humores agitari, & spiritibus permisceri significant, quorum pars vitiosa capiti communicatur,

Inutiles sunt lachrymæ inuoluntariæ, quia mortem minantur, 4. *Aph.* 52. & 6. *epid. sect.* 1. *text.* 21. & 1. *progn.* 10. & *lib.* 2. *Coacar. text.* 36. maximam enim debilitatem retentricis cerebri præsagit. Inutilis est sanguinis stillicidium ex naribus: in febribus enim ardentibus, quælibet exigua excretio, praua est, siue per vomitum, nares, ventrem, vterum, aut aliam regionem contingat; imbecillitatem enim naturæ, superflua expellere tentantis, sed perficere euacuationem non potentis, portendit, ex Gal. 2. *prorrhet.* 47.

C Optimum est signum, si coctionis signis priùs apparentibus, & adstante virium robore, in die decretorio, largum sequatur sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex toto corpore erumpat, 4. *acut.* 10. & 1. *epid. sect.* 2. *text.* 63. Dicebat enim Hippocrates: *Febribus autem ardentibus, hæc accidebant: quibus, ritè, & largiter sanguis per nares erupit, ea de causa maximè seruabantur, nec vllum noui, si rectè ei erupisset sanguis, in hoc statu emortuum.* Probat etiam 4. *Aph.* 58. docens, solui febrem ardentem, præcedente rigore, dummodò sequatur copiosus sudor, vel vomitus bilioſus, vel alui deiectio; tunc enim robusta natura humorem concoquit morbificum, & euacuationem perficit.

D Vtile est etiam ægrum facilè ferre morbum, grauiter non angi, neque valde fastidire, facilè respirare, modico somno iuuari, alioquî hæc signa essent praua, quoniam *si ea quæ iuuare solebant, non prosunt, lethale,* 2. *Aphor.* 1. Bonum est corpus æqualiter calidum esse, nullum dolorem sentire in parte vlla, ad ea quæ offeruntur rectè se habere, 2. *Aphor.* 33. & maximè si vrina sit in colore, substantia, & contentis, laudabilis, ex Hippocr. 2. *progn.* 26.

Dignum tamen est speculatione præsagium illud: *Vtrùm tremores in febribus ardentibus facti, delirio soluantur?* Hippocrates sic prædixit 6. *Aph.* 26. *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.* Galenus ab alio interiectam esse sententiam refert *in com.* Plures ita explicant: Posse contingere, vt in vasis maximis reperiatur copia bilis, & in cerebro copia pituitæ, quæ E ob caliditatem febris liquata, à cerebro ad neruos transmittatur, & tremorem efficiat: & si tunc superueniat delirium, quoniam cerebrum & nerui calescunt immodicè, huius calotis ratione, pituita concoquitur & resoluitur, in quo salus tremoris consistit.

Deinde. Rigor superueniens febri ardenti, hanc soluit, etiamsi superueniat cum delirio, quoniam ob agitationem humoris, vaporibus acribus cerebro communicatis, delirium accidit, 3. *crisi.* 2. Eodem modo, transmisso humore bilioso ex venis ad neruos, & ob ebullitionem commoto, & cerebro communicato, superuenit tremor cum delirio, qui febrem facit cessare. Hæc expositio non potest admitti, quoniam si humor bilioſus, vel eius vapor transmissus ad cerebrum, efficiens

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 626 sur 927

©BIUM

efficiens delirium, resoluit materiam tremoris, iam potiùs erit prognosticum ad solutionem tremoris, quàm ad solutionem febris ardentis; hæc enim non delirio, sed aliqua sensibili vacuatione soluitur. Insuper si tota materia febris ardentis transponeretur ad neruos, & aliqua eius portio, in illa transmissione communicata capiti, delirium excitaret, iam eo tempore, simul euenirent delirium, & tremor, & ita delirium non solueret tremorem, vt Hipp. asseuerat. Si tamen ante tremorem contingat delirium, vt 3. *crisi.* 2. docuit Galenus, quia ante crisim solet antecedere delirium, tunc transposita materia ad neruos, potiùs tremor solueret delirium, quàm è contra, quod est contra Hippocratis contextum, qui priùs reperiri tremorem, quàm delirium confirmat.

Neque asseras, tremorem illum staturum ab Hippocrate, posse sumi pro rigore, quoniam tunc notabilis vacuatio, ad solutionem febris ardentis consequeretur, quæ præsente delirio non contingit; & hac de causa, nullo modo hæc sententia poterit esse præsagium febris ardentis, sed tremoris veri. Impropriè igitur ab aliquo dictum est, febrem ardentem à tremore solui. Hæc enim dicere Hippocrates consueuit, aliis quibusdam superuenientia soluere eorum substantiam, quæcunque omnino hominem liberant, non quæ alteram generant passionem, quæ nihilominùs sit prima periculosa, vt notat Gal. *in com.*

In senibus, rarò febres ardentes contingunt, frigidum enim est illorum corpus, 1. *Aph.* 14. ob quam causam Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *ad fin.* febres senum, vocat sepultas, quoniam calor præternaturalis, ramificatur ad proportionem caloris innati, ex Auerrhoë 7. *collig. cap.* 2. Si verò in senili corpore excitetur, lethalis est, nam causæ magnitudinem, cùm virium imbecillitate præstendit. Est ergo causus, in natura frigida, tempore frigido, & regione frigida periculosus valde. Frequenter excitatur in adolescentibus, iuuenibus, pueris; in his tamen ob nimiam humiditatem, quæ caloris adurentis acrimoniam retundit, mitior, & lenior existit. Si verò pueri hac febre detenti tabescant, in hecticam, & marcorem promptissimè transeunt, cum periculo summo; est enim puerorum substantia, facilè transpirabilis, & resolutioni valde obnoxia, vt notauit Galenus *lib.* 9. *meth. cap. vlt.* §. *Ergo puerorum substantia, omnium facillimè digeritur ac dissipatur, propterea quòd est omnium humidissima, &c.*

Curatio.

CVra huius febris, simillima est curationi febris tertianæ exquisitæ, eo solùm distans, quòd ampliorem refrigerationem, & humectationem exoptet: ob quam causam, in ea sæpe peruertitur curatio, quæ debetur causæ, cùm oporteat aliquando, ad plurimùm refrigerantia ante vacuationem accedere, quod præceptum in humoralibus febribus, ferè non obseruamus. Illicò ergo aggredienda curatio est, propositis ante oculos documentis, quæ in sex rebus non naturalibus, semper amplectenda sunt, in febre omni.

Deposita igitur communi materia, per enema lene, aut mite pharmacum, ad euacuationem accedere opus est: *Vtrùm* verò *in febri ardente, ea per sanguinis missionem debeat celebrari*? ambigunt plures. Nam Hippocrates 1. *epid. sect.* 1. *text.* 9. & *sect.* 2. *text.* 63. *&* 66. & 3. *de crisib. cap.* 3. & 4. *acut.* 10. febribus ardentibus familiare esse ait iudicium, quod per sanguinis è naribus effluuium celebratur. Si igitur natura soluit febrem ardentem sanguinis fluxu, cur Medicus, eam non molietur vena secta. Præterea Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 15. §. *Saluberrimum igitur est, &c.* salutare esse ait, in omni febre sanguinem emittere: & Auicenna 4. 1. *cap.* 20. *post princip.* docet, phlebotomiam multoties esse vtilem in febribus, licèt planè necessaria sit, quoniam eius ope, redundantia omnis exhauritur, & hac ratione natura fit fortis super materiam.

Pro contraria parte stant Paulus *lib.* 2. *cap.* 30. Trallianus *lib.* 12. *cap.* 3. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 78. qui in curatione febris ardentis, hoc auxilium prætermittunt: sicut Galenus 1. *ad Glauc.* in tertiana exquisita. Solue præhabita distinctione hac. Si febris ardens corripiat naturam calidam siccam, quæ quùm febricitat, maximè resoluitur, & viribus non constat, 10. *meth.* 5. *post med.* maximè præcedente victus ratione calida, in regione calida, & tempore æstuoso, phlebotomia non est celebranda, ne flaccescat virtus, sed vt vsque ad statum perdurare possit, quo tempore magis est depugnatura. Si corripiat naturam temperatam, & bilis cum sanguine exuperet, aut cum illo sit permixta, tunc vtilis est venæ sectio. Hoc colligitur ex Auic. *cap. de causone*, cùm dicit: *Et non phlebotometur, fortasse enim inflammabit eos, & fortasse iuuabit eos*: insinuans, si simul cum bile peccet sanguis, sanguinis missionem esse proficuam: sin minùs, nocere. Quare in prædominio bilis, parca tantùm exerceatur, quam euentatiuam vocant, vt illius beneficio deferuescat sanguis, fuligines adustæ in vasis redundantes transpirent, & humor calidus à corde, visceribúsque auertatur: ex qua distinctione, argumenta facilè solues.

Facta sufficienti venæ sectione, alterantia, & refrigerantia sunt offerenda, quæ bilioſi humoris ardorem compescant, eiúsque impetuosos motus refrænent. In hunc vsum, interdiu, præsertim infestante siti, iulapia offerantur.

℞. *Aq. rosar. cichor. acetos. buglos. cardui benedicti, an.* ℥ iiij. *syrup. violar. de succo limon. de acetosit. citri, granator. an.* ℥ ij. *folior. auri puluerator.* Num. iij. *pulp. tamarindor.* ℥ ß. *margaritar. præparat. pulu. coral. rubri, puluer. santalor. rubeor. an.* ʒ j. *fragmentor. smaragd. hyacinth. rubini, sapphiri, an.* ʒ ß. *rasuræ eboris,* ϑ j. *succi limon.* ℥ j. *lapid. belzaartici,* ℊ. xx. *sacchari albissimi,* ℥ j. Misce. Conferunt etiam tabellæ suaues, roborantes, refrigerantes, & cardiacæ, ante, & post purgationem assumendæ.

℞. *Sacchari albissim. dissoluti in aq. rosar.* ℔. ß. *pulu. santalor. albor. coral. margaritar. an.* ʒ ß. *fragmentor. lapidum pretiosor. ossis de corde cerui, an.* ϑ j. Fiat electuarium, in tabulis ponderantibus drachmas duas, vel tres.

Si adsit suspicio veneni, (humor enim venenosus, sæpe latet in corpore, 6. *de loc.* 5. & 2. *prorrhet.* 17) maximè iuuat rasura lapidis Belzaartici, puluis vnicornu.

Cùm remotio febris ardentis, in vacuatione humoris bilioſi, & extinctione caloris præter naturam consistat, ideò offerendum medicamentum purgans, clemens & benignum, ex mente Pauli *lib.* 2. *cap.* 30. & ante purgationem, humor præparandus syrupis, qui febris ardorem compescant, & à putredine præseruent, quod significauit Hipp. 2. *Aph.* 9. Prosunt syrup. Acetos. Nymph. de Ribes, Oxysacchar. Granator. Rosac. Violar. permixti cum aqua Borrag. Buglos. Cichor. Acetos. Rosar. Melon. Cucurbit. Portulac. decoct. Hord. Medicamenta expurgantia simplicia sunt Rheum, Pulp. Cass. Manna, conserua Rosar. Alexandrinar. Syrupus Ros. Pers. vel Violar. ex plurib. infus. Succus Ros. Pers. Infusio Fol. Sen. aut decoctum. Ex compositis iuuant Diacathol. Diaprun. simpl. Elect. Lenitiu. Ex quibus cum saccharo possunt parari boli.

Post purgationem, ad sitim remouendam, roborantia, & refrigerantia imperanda, vt saccharum Rosaceum, vel radix scorzoneræ, caules lactucæ, aut cucurbitæ saccharo condîtæ, superbibita aq. Endiu, Buglos. aut oxalidis, vel fiant hæ tabellæ.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 627 sur 927

©BIUM

℞. *Puluer.diamarg.frig.* ʒ j.*pulu.trium ſantalor.* ʒ ß. *ſem.com.frigidor.* ʒ j.*ſacchari albiſſ.diſſolut. in aq. roſ. q. ſ.* Miſce, & ſec. art. fiant tabellæ. Quarum vſus deſumptus fuit ex Auicen. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *iuxta fin.* poſito exemplo in trochiſcis.

Illorum vſus non eſt ſemper idem, ſed varius : nam aliquando Medicus portionem aliquam humoris, vel medicamenti, quæ in ventriculo relicta eſt, conatur abſtergere, & tunc, vt mundificetur ventriculus, vtimur dictis aquis cum ſaccharo albo, in quo vis abſterſoria reperitur, 8. *meth.* 4. Si verò ex purgatione ventriculus flacceſcat, tunc roborandus tabellis perlatis, & ſantalor.trium, præſertim in deliçatulis, & faſtidibundis ægris, qui decocta aſſumere recuſant.

Cùm remotio febris ardentis, poſt ablationem cauſæ, in extinctione caloris præter naturam conſiſtat, ideò poſt purgationem, reſiduum humorem concoquere, & attemperare eſt neceſſe : Hoc infrigidantibus, & humectantibus perficitur, quia ipſa & febri, & cauſæ eius ſummopere proſunt, quæ medicamenta debent habere aliqualem vim reſerandi, prouocandi vrinam, & emolliendi ventrem. Hæc apozemata, ſeu decocta, aut extinctiua vocantur, quia ad extinguendam, & remouendam intemperiem relictam in partibus, ex cauſa morbifica, imperantur, iuxta doctrinam Galeni *lib. art. med. cap.* 89. §. *Vnamquamque cauſam prius abſcindere oportet, deinde factam intemperiem curare.* Concoquunt etiam hæc medicamina humores : nam vehementem calorem demulcendo, ſunt in cauſa, vt natura cauſam morbificam concoquat, & per varias regiones excernat. Offeruntur in declinatione : aliqua enim portio humoris in morbis materialibus in declinatione concoquenda relinquitur ex Gal. *lib. de totius morb. temp. cap.* 3. §. *Reſtat autem humorum modicum, adhuc concoctionem deſiderans, &c.* Fiunt verò hac forma.

℞. *Hord. mundi, & confracti,* P. iiij. *cichor. recentis cum ſua radice,* P. iij. *prunor. ſine nucleis, vuar. paſſar. ſine acinis, an.* ʒ ij. *flor.borrag.bugloſſ.violar.nymphæ, an.* P. j. ß. *folior. borrag. lactuc. acetoſ. an.* M. j. *radic.borrag.ſcariolæ, ſcorzoner.petroſelini, bugloſſ. an.* P. j. *quatuor ſem. frigidor. maior. an.* ʒ ß. *tamarindor.* ʒ ij. Coque ſec. art. in ℔. x. aq. ad mediæ partis conſumptionem : In colatura infunde ſecund. art. *Rhabarb. elect.* ʒ ij. ß. Colaturæ adde *Syrup. violar. ex plurib. infuſ.* ʒ v. *ſyrup. granator. de acetoſit. citri, de ſucco limon. an.* ʒ ij. *ſacchari* ʒ iiij. Bulliant iterum, & ſeruentur vſui. Doſis in aurora vnciæ octo.

Loco apozematis, vtiliſſimus eſt vſus ſeri lactis caprini, in quo per noctem madeſcant flores cordiales, vel Rheum, vel conſerua Violacea. Vel in ſero miſceatur pulpæ Caſſiæ interaneus liquor. Saluatellæ ſectio, natiua quadam proprietate, in manu dextra celebrata, iecur attemperat, viſcera ventilat.

Intrinſecùs ad refrigerandum, cremor ptiſanæ, cum ſaccharo, & emulſione. Sem. Endiu. Portulac. Cucumeris, & melon. & ſi incendium fuerit maximum, prodeſt in aurora aſſumere aquam tamarindorum, hoc modo præparatam.

℞. *Tamarindor.* ʒ j. ß. Diſſoluantur in ſero lactis, aut decoct. Hord. Violar. & Prunor. adde *Syrup. violac.* ʒ ij.

Extrinſecùs ad remittendum calorem, & extinguendam febrem, refrigerantia medicamenta ſunt apponenda, vt partes præcipuè principes ad priſtinum ſtatum redire queant, ex Gal. 12. *meth. cap.* 5. dum ad robur virtutis conſeruandum, temperamenti cuſtodiam eſſe neceſſariam aſſeuerat. Quare ad maximum ardorem compeſcendum, pectus, & dorſum vnguento Roſaceo, vel infrigidante Galeni, erit illinendum, vel hoc ſimili modo paretur.

℞. *Olei roſac. violac. nymphæa, an.* ʒ ß. *pulu. ſantalor. & coral. rubro. an.* ʒ ß. *oſſis de corde cerui,* ϑ ß. Cum guttulis vini albi odoriferi, & cera alba, fiat Vnguentum.

Iecur etiam cùm ſit æſtu affectum, ſimilibus vnguentis, vel aliis attemperandum & roborandum, cùm eius munus toti ſit neceſſarium, ex Galeno 11. *meth. cap.* 15. & 13. *meth. cap.* 15.

℞. *Vnguenti roſac.* ʒ j. *vnguenti ſantalin. ſucci cichor. an.* ʒ ß. *aceti roſar. olei cydonior. an.* quartar. ß. Miſce, & facta imbibitione ſucci, & aceti, fiat linimentum.

Quo facto, ſequens epithema ſuper iecur imponere, non erit abs re.

℞. *Succi cichor.* ʒ v. *aq. roſac.* ʒ ij. *aceti roſar.* ʒ ß. *pulu. ſantalor. rubror. pulu. coral. rubror. an.* ʒ ij. Miſce.

Cùm febris ſit paſſio cordis, & maximè ardens, in qua, ſi diu duret, hoc viſcus igneſcit & excandeſcit, conſonum eſt, illud epithematis refrigerare, & roborare.

℞. *Aq. roſar. aq. acetoſ. an.* ʒ iiij. *aq. bugloſſ.* ʒ ij. *vini albi odorifer. aceti roſ. albi, an.* ʒ ß. *puluer. omnium ſantalor.* ʒ j. *pulu. diamargarit. frig.* ϑ ij. *oſſis de corde cerui,* ϑ j. *camphoræ,* ℈. iiij. *croci,* ℈. j. Miſce.

Etiam ſummè iuuat hoc cardiacum vnguentum, cordi bis in die admotum.

℞. *Olei nenuphar.* ʒ iij. *pulu. nenuphar.* ʒ ij. *ſantalor. rubror. ſem. acetoſ. coral. rubri præparat. an.* ϑ ß. *camphor.* ℈. iij. Miſce, fiat vnguentum.

Pro ventriculo æſtuante prodeſt aqua Roſar. cum oleo Roſac. ſubacta, extrinſecùs appoſita, cui admiſceatur puluis ſantalor. & coral. & parum ſucci portulacæ, & vuæ acerbæ.

Clyſteres noctu infuſi refrigerantes in hac febre, alternis diebus, vtiles ſunt. Ad prouocandam vrinam, poſt purgationem, ſumat noctu, ſeptima, aut octaua hora poſt cœnam, aquam hordei, cum emulſione ſeminum frigidorum, & ſaccharo, & cum guttulis vini albi magis prouocabit vrinam. Quòd ſi natura euacuationi per ſudorem magis ſit intenta, is hoc ſyrupo optimè prouocabitur.

℞. *Milij decorticati, q. ſ.* Coque quouſque rumpatur, cuius decocti calidi, aſſumantur iciuno ventriculo, vnciæ quinque, cum vini albi odoriferi vncia dimidia, & cooperiatur. Leuiùs mouebitur ſudor, ſi coquatur hordeum decorticatum cum radice fœniculi, ex quo decocto, actu calente, ſumantur vnciæ quinque, cum vini albi odoriferi vncia dimidia.

Tandem declinante iam febre, ad refrigerandum, reſoluendum, & humectandum, proficua eſt lotio extremitatum, cum decocto roſar. Fol. lactuc. Fol. vitis, hord. Nenuphar. Violar. & Flor. Camomil. Quòd ſi cauſus, ex pituita ſalſa originem ducat, præſidia conueniunt multò minùs frigida, & humida, ferméque conueniens eſt curatio, quæ tertianæ nothæ imperari ſolet, ſolùm eo diſtans, quòd in cauſo pituitoſo, ob febris vehementiam, auxilia frigidiora offerenda, quàm in tertiana dicta.

Duo ſunt præſtantiſſima remedia, quibus pro eradicanda hac febre, priſci frequenter vti conſueuere : Nam humore iam cocto, perſeuerante vehementia febris, inſtante febris vigore, aquæ potum ad ſatietatem vſque concedebant, ſeruatis conditionibus, quas ex profeſſo refert Gal. 9. *meth.* 5. & 11. *meth.* 9. & 4. *acut.* 12. & pluribus locis, de quibus nos alibi fuſè.

Alterum erat balneum, quod pro compeſcendo feruore bilis, iuuandam humorum coctionem, humoris reſolutionem, eſt præſidium nulli ſecundum, dummodò non adſit phlegmone, appareant coctionis notæ, & totum ſit vacuatum corpus, ſitque moderatè calidum. Si tamen laborans ſit iuuenis, carnoſus, ſtatus cæli adſit calidus & ſiccus, & validis viribus præditus ſit, ſignáque coctionis euidenter appareant, in frigidam mutationem eum demittere non dubitauit Galenus, 11. *meth. cap.* 9. ex ipſa enim lædetur haudquaquam, ſed potiùs recreata natura, humorem bilioſum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 628 sur 927

ſum per ſudorem, vel aluum expellet, alacrior facta.

Verùm inter Medicinæ proceres, circa Balneum diſcordiam inuenio: *Vtrùm Balneum in ardenti notha magis conueniat, quàm in exquiſita?* Nam Auicenna 1. 4. *tract. 2. cap. de cura cauſonidis*, docet, balneum in ardente notha vtilius eſſe, quàm in exquiſita. Galenus verò contrà, 3. *acut. vlt.* Quo loco febri ardenti ex pituita ſalſa balneum eſſe aduerſiſſimum aſſeuerat: cui ſubſcribit Paulus *lib. 2. cap. 29.* Dic, Balneum duplici de cauſa admoueri, vel ad temperandum ardorem, & humoris efferueſcentiam compeſcendam, vel ad humoris reliquias reſoluendas: Si propter primum, tunc in ardente exquiſita, & poſt, & ante coctionis ſigna, vtile eſt, vt *cit. acut.* & 1. *ad Glauc. cap. de curat. exquiſitæ tertianæ*, ipſe edocuit, & hoc frigidum imperandum. Si propter ſecundum, debet eſſe calidum, quod in cauſo notho vtile eſt, quoniam ſalſa pituita, quæ eſt eius materia, difficilioris eſt reſolutionis, ad quam modica balnei caliditas commoda eſt. Galenus verò, & Paulus balneum in notha febre ardente, inutile eſſe affirmantes, de frigido balneo ſunt intelligendi. Symptomatis verò, quæ cauſo correptos fatigant, vtiliſſima ſunt auxilia, quæ *in fine tract. de febrium ſymptomatis*, peculiari methodo proponentur.

OBSERVATIO.

Ad abſumendas febris ardentis reliquias, Conſerua mirabilis efficaciæ.

IVuenis erat gracilis, calidiſſimo temperamento præditus, qui incipiente canicula, in cauſum incidit exquiſitum, cum lingua ſcabra, & ſicca, ſiti vehementi, & vigilia. Pluribus auxiliis celebratis, in ſeptimo à periculo euaſit: verumtamen noctu exacerbatio infeſtabat adhuc, quæ ſudore vniuerſali, in aurora erumpente, in totum ceſſabat. Ob hanc cauſam, oblatum lactis caprini ſerum: ptiſana exhibita: extremorum ablutio celebrata: imperata ſaluatellæ dextræ ſectio: Vnguentis iecur roboratum. Tandem hac refrigerante Conſerua, ieiuno ventre, aſſumpta, quantitate vnciæ vnius, ſuperbibitis vnciis quinque aquæ hordei, in totum leuatus, & à febre hectica, in quam erat pronus, eſt præſeruatus.

℞. *Flor. borragin. violar. nenuphar. an.* ℥ j. *roſar. virentium*, ℥ ß. *pampinor. vitis*, ʒ iij. *Albumin. ouor.* Num. v. *cochlear. nemoral.* Num. x. *portulac. plantagin. an.* P. ij. *omphacij*, ℥ iiij. *ſantalor. rubror.* ℥ ß. *aq. roſar. rubrar.* ℔ ß. *aceroſ.* P. ij. ß. *ſucci arantior. acidor.* ℥ v. *ſucci limon. aceroſ.* ℥ iiij. *hord. decorticati*, P. j. *ſem. melon. ſem. cucurbit. ſine cortice, an.* ℥ j. *aq. endiu.* ℔ j. ß. Omnia diſtillentur in balneo Mariæ, & libra vna liquoris, miſceatur cum vncia vna Pulp. Caſſ. vncia dimidia pulp. tamarindor. drachmis tribus pulp. prunor. acetoſor. vncia dimidia Rhapontici. Omnia excipiantur cum ſyrupo Violaceo. & ſecund. art. fiat Conſerua.

CAPVT XXII.

De Tertiana exquiſita.

Definitio.

GAlenus ſcientiſſimus *lib. 2. de criſib. cap.* 3. de febrium dignotione ſermonem habens, præcepit Medico, vt ſeſe exerceat in cognoſcendis typis, & peculiariter tradit exercitationẽ in tertiana exquiſita. Aduerte tamen primò, quòd licèt typus, & periodus, ſiue circuitus vulgò pro eodem vſurpẽtur, tamen ex Gal. *lib. de typis*, & *lib. ad eos qui de typis ſcripſerunt*, *cap.* 1. diſtingui, quoniam periodus dicit totum ſpatium, à primo inſultu vnius acceſſionis, vſque ad inſultum alterius: typus verò nihil aliud eſt, quàm intenſionum, & remiſſionum per ſtatas vices reuerſio.

Deinde biliosa febris diuiditur ab Auicenna, 1. 4. *tract. 2. cap.* 7. 35. in ſimplicem, aut compoſitam: Illa in continuam, aut intermittentem: Continua in continentem, quæ ardens febris, & Græcè cauſus dicitur: aut in eam quæ exacerbationes habet, per circuitum repetentes, quæ tertiana dicitur continua. Rurſus intermittens in exquiſitam, & longam, quæ 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 5. producta vocatur à Galeno, cùm longiorem habeat acceſſionem, quàm exquiſita, ſcilicet vltra duodecim horas productam, qui exquiſitæ terminus eſt longiſſimus, 2. *feb.* 3. & 2. *criſ.* 3. Galenus enim 1. *ad Glauc.* 8. docet reperiri tertianas intermedias, inter exquiſitas, & nothas, quæ neque verè exquiſitæ ſunt, neque verè nothæ, ſed mediam naturam inter vtraſque participant.

Deinde Auicenna, *loco citato*, bilioſas febres in tres claſſes diuidens, in tertianam continuam, periodicam, & cauſonem, hunc à tertiana continua diſtinguit, ſed *Vtrùm hoc verum ſit, indagandum?* Nam vtraque febris à bile oritur, ex Galeno *loc. cit.* At Arabes tripliciter diſtinguunt: primò, in tertiana continua, notabiles exacerbationes de tertio in tertium reperiuntur; in cauſo verò, ob vehementiſſimam bilis inflammationem, non ſimiliter contingit. Secundò, penes ſitum humoris morbifici, in continua enim tertiana, bilis continetur in vaſis totius; in cauſo autem iuxta cor. Tertiò, quoniam cauſus habet annexam inflammationem maximam bilis; tertiana verò continua, pendet quidem à magna copia bilis, ſed non tantùm inflammata: hinc fit, vt in cauſo maior refrigeratio ſit neceſſaria, quàm in tertiana. Denique licèt vtriuſque febris curatio, ſimilis ſit, illæ tamen diſtinguuntur, in locis dictis, & ab Aëtio *prop. cap. de cauſo* confunduntur, ob maximam ſimilitudinem, & affinitatem, quam inter ſe habent, ita vt ſolùm penès intenſum, & remiſſum diſtingui videantur.

Eſt ergo tertiana exquiſita, febris ea, quæ de tertio in tertium, ſuas facit acceſſiones, ex bile ſincera, & pura, ſine alterius humoris permixtione generata, ex Galeno 4. *Aph.* 59. Verùm quæres: *Vtrùm tertiana exquiſita, à bile ſincera generetur?* Renuunt plures, cùm ſincera bilis ſolùm in folliculo fellis reperiatur, in venis verò ſemper cum aliis humoribus ſit permixta. Inſuper, cùm extra vaſa, in minera putredinis, ſemper cum ea, portio aliqua ſanguinis, vel excrementa aliqua ſint commixta, videtur quòd nunquam pura poſſint inueniri.

Dic. Tertiana dicitur exquiſita, tum quia nulli alteri affectui iungitur, tum quia in ea bilioſus ſolus peccat humor, purus, & ſincerus: Non tamen intelligas purum eſſe, ſinceritate permixtionis, quia in nulla corporis parte, excepta fellea veſica, ſiue aliqua permixtione colligi poteſt. Dicitur tamen ſincerus, ſinceritatis qualitate, quia cùm vbi erat putredo, multò maior copia bilioſi humoris reperiatur, & ea in parte plurimus calor exiſtat, reliqua recrementa ad bilis naturam conuertuntur, & in eo loco humor bilioſus ſuam naturam maximè ſeruat, videlicet vehementem calorem, ſiccitatem, acrimoniam; quare purus & ſincerus vocatur, quoniam parum, aut minimum alterius humoris admittit. Hæc eſt firma doctrina Galeni 2. *progn.* 38. poſito exemplo in vino, quod licèt cum aliquali portione aquæ ſit permixtum, ſuas tamen vinoſas qualitates, videlicet colorem, odorem, & ſaporem maximè obſeruat. Licèt autem aliqua portio alterius humoris permiſceatur, & accendatur cum bile, hæc neque febrem facit, neque pars morbi efficitur, neque naturam acrem bilis compeſcit, & hac ratione, cauſa læſionis operationum eſſe non poteſt.

Quapropter, cùm bilis ex qua tertiana exquiſita generatur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 629 sur 927

generatur, suam naturam, & qualitates seruet, ideò de genere febris ardentis esse censetur. Vtraque enim febris, ab eodem humore originem ducit; differunt tamen quoniam humor bilio∫us, in cau∫o intra va∫a con∫i∫tit, in exqui∫ita autem tertiana per partes sentientes defertur, 2. *prorrhet. com.7. lib. de trem. & rigor. cap.7.* Quare toto tempore, quo tertianæ exqui∫itæ acce∫∫io durat, febris ardentis symptomata elucent, 2. *crit.* 3. *post princip.* Hinc fit vt febris illa, cui tempus acce∫∫ionis est breue, & initium cum rigore, & cum sudore solutio, & incipit cum vomitu bilis, & per aluum bilio∫a deiiciuntur, febris exqui∫ita vocetur à Galeno, 2. *de diff. feb. cap.8.* ab ardente differens, quoniam febris ardens, habet in venis vnà cum sanguine flauam bilem plurimam ebullientem: tertiana verò, eandem bilem habet in toto corpore euntem, ac motam, vt 4. *Aph.* 59. notauit Galenus.

A

B

Cau∫a.

TErtiana exqui∫ita à bile fit, vel inflammata, vel putrefacta, de qua Galenus 10. *meth.* 5. & 1. *epid. sect.* 2. *com.* 20. tanquam ab immediata cau∫a, quæ si intra venas sit, continuam efficit, si verò extrà, in prima scilicet regione, in ambitu corporis, aut minoribus venis, intermittentem. Obiter tamen nota, tertianam exqui∫itam, maiora afferre symptomata, calorem scilicet, sitim, & angu∫tiam; continuam verò tertianam, minora, quoniam bilis sanguini mixta, ob huius qualitates mite∫cit, separata verò deterior redditur ab omnibus illis, quæ bilem copio∫iorem generant, eámque feruidiorem, ac magis putredino∫am reddunt, qualia sunt calida alimenta, quæ apud Auicennam 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. corpora ad febres maximè di∫ponunt, videlicet, *nutrientia quæ aquo∫itatem generant, & humorem crudum, & gro∫∫um, & choleram.* Immodicus præterea labor, vigilia su∫perflua, cura, mœror, ira, ingens æstas, calida & sicca regio, ætas, & similia.

C

Vtrùm autem *ad Tertianæ exqui∫itæ generationem, non solùm bilis sit nece∫∫aria, sed concur∫us rerum gignentium bilem*? dubitandum. Annuit Galen. 2. *feb.* 3. 4. *Aph.* 59. 2. *crit. cit.* Hæc enim omnia plurimam bilis copiam progignere consueuerunt, teste Galeno 2. *de temp. cap.* 6. Neque instes, hoc conce∫∫o, sequi tertianam exqui∫itam non posse in senibus reperiri, nec in alia regione, & alio tempore anni, quàm in calidis & siccis, contra experimentum, & Hippocratem 3. *Aph.* 19. Morbos omnes in omnibus temporibus fieri a∫∫erentem: Nam Galenus *cit. loc.* non vult, concur∫um illorum omnium, omnino ad productionem febris tertianæ reperiri, sed solùm significat, illa vtplurimùm concurrere. Solummodò ergo explicat, quòd si aliqua tertiana fiat, cum illorum omnium concur∫u, meritò possit iudicari, eam tertianam exqui∫itam esse. Dic secundò. Aliud esse tertianam puram, aliud exqui∫itam: nam ad illam solùm opus est, vt ex bile sincera, sine permixtione aliorum humorum generetur; ad exqui∫itam vltrà id requiritur, vt in regione, & tempore anni calido sicco, & cum concur∫u aliorum signorum, de quibus *locis citatis* loquitur Galenus, eueniat.

D

Cau∫æ ergo tertianæ exqui∫itæ, aliæ ip∫am mouent, aliæ materiam su∫peditant, aliæ morbum & materiam morbificam augent. Primæ feruorem in corpore excitant, & calefaciunt immodicè, vt calidorum alimentorum vsus, inedia, labor, cura, vigilia, mœror, vehemens ira, ætas iuuenilis, natura squalida, bilio∫a, exu∫ta, æstiuum tempus, regio calida & sicca, acce∫∫us intempe∫tiuus, & diuturnus ad ignem: hæ enim cau∫æ bilem adaugent, & ip∫am vehementer inflammant, ita vt bilis exuratur, & putre∫cat, febrémque tertianam concitet, & per∫æpe continuam.

Similiter etiam febrem tertianam generant omnes cau∫æ, quæ exi∫tente corpore bilio∫o, fulignum adu∫tarum effluuium cohibent, vt decubitus in locis frigidis, & humidis, quoniam acrium excrementorum exhalatione impedita, bilis efferuesc it, & putret: & si materia est pauca, quam ad habitum corporis natura potest transmittere, tertiana febris concitatur; si verò multa, tertiana continua generatur, quam natura præ onere succumbens, ad ambitum non possit excernere.

E

Signa.

SIgna eleganter proponit Galenus, 1. *ad Glauc. cap.* 5. & 2. *de diff. feb. cap.* 7. Primum est rigor, de quo dubitandum: *Vtrùm in tertiana exqui∫ita, rigor validus semper appareat*? Respondeo affirmatiuè cum Gal. 2. *crit.* 3. qui tertianam exqui∫itam inuadere cum valido rigore asseuerat, in quo laborantes sentire veluti pungentes aculeos confirmat: Nec di∫suadet ratio, quoniam cau∫a huius rigoris est humor tenuis, & acris, qui celeriter per membra sentientia extra venas mouetur, qui maximè irritans, rigorem illum efficit vehementem. Quare triplex videtur ad hunc validum rigorem cau∫a concurrere. Prima, acrimonia humoris, & caliditas irritans facultatem ad expul∫ionem; quare quò acrior est humor, & calidior, tantò rigor est vehementior. Secunda, facultas mouens vehementer per membra sentientia humorem, ob id quò facultas est robu∫tior, eò rigor validior exi∫tit. Tertia, est acutus sen∫us patientis, cuius ratione facultas expultrix, ad expellendum humorem per membra sentientia, excitatur.

F

Rigor in tertiana exqui∫ita, in primis acce∫∫ionibus est vehementior, in po∫terioribus verò remi∫∫ior: quod contrario modo in quartana contingit; quo pacto est interpretandus Hippocrates 6. *epid. sect.* 1. *text.* 9. dicens: *Qui in valido rigore a∫cendunt, non admodum mitigantur, ni∫i prope ∫tatum.* Nam coctionis ope, humores ad mediocritatem veluti rediguntur; quare humor melancholicus redditur tenuior, bilio∫us, cra∫∫ior. Ex parte igitur rigoris, tertiana di∫tinguitur à quartana, & quotidiana; hanc enim nunquam præcedit rigor, nec in principio, nec in progre∫∫u morbi, sed solùm refrigeratio. Quartana verò non ∫tatim ab initio inuadit cum rigore vehementi, & licèt progrediente febre, magnum habeat rigorem, tamen hic non inducit sen∫um, quasi pungatur, ac percutiatur corpus, quod fit in tertiana, sed quasi contundantur o∫sa, & refrigeretur corpus, vt 2. *crit. cit.* 1. *ad Glauc.* 5. docuit Galenus, cum Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 62. Quòd si tertiana à principio ∫tatim inuadat, cum vehementi rigore feriente, & pungente carnem, & in ∫tatu particulari habeat annexum copio∫um su∫orem, non est dubium, hanc tertianam exqui∫itam esse, ex Auic. 1 4. *tract.* 2. *cap.* 37.

De pul∫u illa agitanda quæ∫tio: *Vtrùm sit parvus, tardus, rarus, ac debilis*? Respondeo non esse ita tardum, ac rarum, vt in quartana, sed eius tarditatem ferè a∫cendere ad eum modum, qui est secundùm naturam, vt 2. *crit.* 3. docuit Galenus. Quando tamen ad incrementum peruenit febris, fit pul∫us magnus, celer, & frequens, quæ omnia maximè augentur, quando acce∫∫io in vigore exi∫tit. Fit pul∫us magnus, quia facultas valida est, & in∫trumentum rectè di∫po∫itum, vrgétque vsus, à quibus cau∫is pul∫um magnum concitari, 1. *de cau∫. pul.* 5. te∫tatur Galenus.

Di∫tinguit deinde *cit. crit.* Galenus tertianam exqui∫itam à quartana, & quotidiana, quia licèt in principio acce∫∫ionis vniu∫cuiu∫que febris, pul∫us reddatur paruus, debilis, tardus, & rarus: illa tamen mutatio maxima fit in quartana, minor in quotidiana, adhuc minor in tertiana. Quare quod *lib. de typis, cap.* 5. dictum est, pul∫um tertianæ minorem esse pul∫u quotidianæ, & maiorem pul∫u quartanæ, quoad primam partem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 630 sur 927

partem recipiendum non videtur: Nam siue intelligatur de pulsus mutatione, præsente iam febri, siue in ipsa accessionis inuasione, arduum videtur pulsum tertianæ minorem esse pulsu quotidianæ: Hinc colligo legendum esse contextum: *pulsus tertianæ maior est pulsu quotidianæ.*

Inquires: *Vtrùm pulsus tertianæ careat omni inæqualitate, excepta febrili?* Galenus 2. *feb. cit.* ex pulsu distinguit tertianam, ab aliis febribus, quoniam pulsus illius, nec in vno ictu, nec in collectione plurium, aliquam habet inæqualitatem, quamuis (vt inquit) hoc rarum sit, & paucis accessionum principiis, soleat accidere. In aliis enim accessionibus, exceptis tertianis exquisitis, manifesta apparet pulsus inæqualitas.

Nec obstat, 1. *ad Glauc. cap.* 5. asserens pulsum tertianæ, omnis inæqualitatis præterquam febrilis expertem esse, & quòd *eòdem lib. cap.* 6. concedit, in pulsu tertianæ esse inæqualitatem aliquam, licèt multò minorem, quàm in pulsibus quartanæ, quod apertè testatur Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 36. Ergo pulsus tertianæ, non caret omni inæqualitate. Dic. Galenum id asseruisse, non quasi pulsus tertianæ omnino expers sit inæqualitatis omnis, sed quia nullam inæqualitatem habet, collatione facta ad alias febres putridas, præcipuè si tertiana sit exquisita, qualis est illa, de qua 2. *crisi.* loquitur. In hunc sensum intelligendus est, 2. *de caus. puls.* 1. explicans causas inæqualitatis, vbi testatur non habere pulsum inæqualem, hoc est, notabiliter inæqualem. Hoc modo interpretandus est, 9. *meth.* 3. & 4. *cap.* affirmans synochum habere pulsum æqualem, iuxta quam explanationem, 1. *de dif. feb.* 7. dixit, pulsus inæqualitatem esse signum proprium febrium putridarum, sed non inseparabile: proprium, quia non conuenit diariis, nisi per accidens, quo sensu 1. *ad Glauc.* 2. febres diarias etiam habere pulsus inæqualitatem edocuit: non inseparabile, quia aliquæ sunt febres putridæ, quæ non habent manifestam pulsus inæqualitatem, quæ sunt illæ, quas *suprà* proposuimus.

Dubium tamen non inelegans, hoc loco exponendum: *Vtrùm inæqualitas febrilis, in aliquem finem, à natura sit intenta?* Inæqualitas febrilis, altera est, quæ reperitur inter dilatationem, & contractionem, alia in vnica tantùm pulsatione: prima non verè dicitur febrilis, & ita potiùs diuersitatem temporum febris ostendit, quàm ipsam febrem; quare in statu febris, rythmus æqualis existit, quia reperitur æqualis necessitas attrahendi aërem, ad refrigerium cordis, & fuliginosa recrementa expellenda, ideò tunc dilatatio, & contractio æqualitatem seruant, reliquis verò temporibus, quoniam vsus indigentiæ est inæqualis, ipsæ inæquales existunt. Hinc fit, vt in augmento, quoniam expurgatio fuliginum magis vrget, contractio sit maior, quàm in declinatione, quia magis vrget refrigerij necessitas, quo tempore dilatatio est maior, & hac ratione, non verè dicitur febrilis. Alia verò inæqualitas, quæ in vnica fit pulsatione, duplex est: altera in qua, arteria secundùm omnes partes, non æqualiter tangit vnum digitum, vel plures, & hæc non est inæqualitas febrilis. Alia quæ inæqualitas febrilis est, dicitur illa, quæ in vnica pulsatione animaduertitur, quando scilicet arteria, velociùs mouetur in principio, & fine dilatationis, quàm in medio, vt rectè *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 6. Galenus edocuit, & retulit 4. *de caus. puls. cap.* 14.

Vltima est maxima, & à natura summa cum solertia comparata, quia motus in principio, & fine eiusdem dilatationis, ex indigentia refrigerij dependet; in medio verò dilatationis, pulsus redditur tardior, grauata facultate ab humorum sarcina. Hæc etiam inæqualitas, remanet tempore intermissionis in exquisita, licèt in omnibus febribus, pulsus ad naturalem redeat statum, ex Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 5. cùm enim pondus, in facultate ex humore intus delitescente, excitetur, non erit mirum ipso præsente humore, dictam inæqualitatem reperiri. Inæqualitas autem febrilis fit, conante natura intemperiem repertam in febre remouere, & ob indebitam fuliginum transpirationem concitatam; quare meritò dilatationem accelerat, in fine verò, vt per sequentem contractionem excrementa fuliginosa expellat, ad complendam dilatationem properat, medium verò dilatationis tardius est extremis, ob rationem dictam.

Obiicies, Galenum sibi vehementer aduersari, dum 2. *de diff. feb. cap.* 3. docet, in tertiana exquisita, tempore intermissionis, non reperiri signũ in pulsu putrescentis humoris, cùm 1. *ad Glauc.* 5. asseruerit, tempore intermissionis reperiri inæqualitate febrilem in exquisita, & 1. *ad Glauc. cap.* 2. diarias distingui à febribus putridis confirmat, quòd finita febri diaria, pulsus redeat ad naturalem statum, quoniam neque remanet humor, neque supersunt fuligines, à quibus difflatio possit impediri; at verò in intermittentibus, licèt tempus intermissionis sit longum, vt in tertianis, & quartanis, nunquam in ipsis pulsus ad naturalem peruenit statum, sed in ipsis febris vestigium relinquitur.

Dic. Galenum 2. *feb.* 3. non loqui de inæqualitate febrili, de qua sermonem facit, 1. *ad Glauc.* 2. & 1. sed de proprio signo febrium putridarum, scilicet de inæqualitate; quæ inter contractionem, & dilatationem reperitur, quoniam in putridis, contractio est velocior dilatatione, præsertim in incremento, ex Gal. 1. *feb.* 7. Deinde loquitur de calore febrili, qui etiam tempore intermissionis non reperitur.

Præterea aliud signum est huius febris, nempe calor, qui est multus, & acris, quia est æqualis calori febris ardentis, de quo signo dubitandum: *Vtrùm calor tertianæ exquisitæ, à calore febrium ardentium distinguatur?* Nam Galenus 2. *crisi. cit.* §. *Et si manum imposueris, &c.* Calorem tertianæ, imposita manu supra carnem, primo occursu multum, & acrem apparere, ac veluti cum quodam vapore elatum, paulo pòst tamen à manu deuinci asseuerat: causa est, quia humor biliosus in febre tertiana, cùm tenuis sit, & sparsus per corpus à calditate manus superpositæ, facilè, dissipatur, & resoluitur.

De huiusmodi calore intelligendus Hippocrates, 6. *epid. sect.* 1. *text.* 28. dicens, *febrium alias acutas esse, sed à manu euictas:* contrà autem contingit in ardentibus febribus, in quibus, quantò diutiùs manum impositam continueris, tantò molestior, atque insuauior earum calor apparebit: humor enim ampliùs calefit, nec à caliditate manus dissipatur, cùm intra vasa in magna copia existit. Hæc magis distinctè videtur explicuisse Auicenna, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 36. dicens: *Et tertianæ caliditas, est saluior caliditate causonidis, & quantò prolixiùs manus tangit corpus, non additur inflammatio, imò quandoque minuitur.* Colliges Auicennam non optare vniuersaliter in tertiana, quòd eius calor imposita manu remittatur: aliquando enim à tanta copia bilis originem ducit, vt apposita manu non miteſcat.

Ad signum ab excrementis accedendum, quærendúmque: *Vtrùm Vrina in tertiana exquisita appareat aliquando alba, & cruda?* Galenus *cit. crisi.* in ea excerni vrinam valde biliosam asseuerat, quare ob mixtionem humoris biliosi, vrina exit persæpe subflaua, & interdum flaua, & substantiam mediocrem habet, in qua si appareat nebula alba, vel appendiculum optimum, vltra quartum circuitum non extendetur, 4. *Aphorism.* 71. in initio tamen accessionis, & tempore quietis apparet alba, vel cruda, vel mediocris coloris. Huius varietatis causa humor est biliosus, in diuerso loco contentus, qui si reseruetur tempore quietis iuxta iecur, & maiores venas, intenso colore vrina insignita apparebit, in accessione verò apparebit rubidior, humore biliosо ad vasa minima, partes corporis extremas, corporisque ambitum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 631 sur 927

ambitum transmisso. Si tamen humor biliosus in minoribus venis persistat, tempore accessionis, vrina erit intensior, ad pancreas & viscerum venas confluente humore; tempore verò quietis, erit remissior, quoniam humor biliosus, magis ab emulgentibus distat, quemadmodum in accessione propiùs ad illas accedit.

De duratione accessionis in hac febre, supereſt nodus explicandus: *Vtrùm duodecim horas transcendat?* Nam Galenus 2.*cris.cit.* duodecim horis comprehendi asseuerat, qui terminus ob bilis tenuitatem, quæ resolutioni paratissima est, longissimus est. Nec obstat Auicenna 1. 4. *tract.2. cap.37.* docens, *tertianæ puræ paroxysmum durare à quatuor horis, vsque ad duodecim:* nam significat illum terminum non esse certum & determinatum, cùm sæpe citiùs, aliquando tardiùs finiatur, quod apertè fatetur 1. 4. *tract.1. cap.4.* dicens, longissimam, & breuissimam eius durationem esse, à tribus horis, vsque ad quatuordecim: citra quem terminum, frequentissimè septem horis durat, ex Gal. 2. *cris.cit.* & Auic. 1.4. *tract.2.* dicente; *Et est secundùm plurimum perueniens tertiana ad septem horas, quæ aliquando intra illas soluitur, sæpe vltrà producitur.* Hæc varietas ex humoris quantitate, qualitate, robore, debilitate virtutis, raritate, vel densitate corporis, & aliis externis causis dependet, quæ humoris resolutionem procurant, aut retardant, nunquam tamen paroxysmus tertianæ exquisitæ, vltra duodecim protrahetur horas, 4. *Aph.* 59.

In principio accessionis, apparet vomitus, nam vigente humore, portio aliqua bilis à natura transmittitur ad ventriculum, 2. *cris. cit.* interdum in declinatione, tunc enim iecur, & partes internæ, in quibus bilis sita est, hanc superatam, post accessionem expurgant, quo tempore biliosæ deiectiones apparent, 2. *feb.* 3. In declinatione etiam erumpit sudor calidus, vaporosus, totum corpus æqualiter perfundens, sicut in balneo contingit, qua euacuatione febris omnino conquiescit, ex Galeno, & Auicenna *loc.cit.* Facilè expurgatur bilis in hac febre, per vomitum, deiectionem, & sudorem: in quem sensum 1. 4. *cit.* vomitum in initio paroxysmi, aut auferre, aut leuare febrem, verissimè confirmat Auicenna, quoniam morbi omnes materiales, si humidi sint, hoc est, habeant vacuationem annexam humoris noxij, salubriores, & breuiores sunt, vt constat ex Gal. 1. *acut*, 22.

Deinde exquisitam tertianam cognosces, si plures eo tempore vagentur. Si similia adsint symptomata, quæ febrem ardentem comitantur. Quare sitis, ob intensum calorem, & confluxum humoris biliosi, ad ventriculum, est intensa. Adest capitis dolor, infestat vigilia, corporis iactatio conspicitur, dolor grauissimus in renibus percipitur; plurima enim biliosi humoris copia, ad renes transmittitur. Delirium aliquando vexat: quæ omnia refert Auic. 1.4. *tract.2. cap.36.*

Præsagium.

TErtianam exquisitam esse salubrem, & non acutam, ostendimus *lib.4. Histor. Princ. Medic. in com. Histor.* 26. quam sepem circuitibus terminari docuit Hipp. 4. *Aph.* 59. quæ citiùs, tribus videlicet accessionibus finitur ex Auic. & vltrà non producitur ex ipso 1.4. *cap.2. tract.4. &* 37. vt enim continuæ numerantur per dies, sic intermittentes per circuitus: *Quod enim est vnica accessio in intermittentibus, id in continuis vna dies,* ex Gal. *cit. Aph.* & 3. *progn.* 7. Hæc etsi in omni tempore possit excitari, 3. *Aph.* 19. tempore tamen calido solet generari, sicut in iuuenibus, temperamento calidis siccis, laboriosis, immodicè exercitatis, vigilantibus, ieiunantibus, præcipuè si præcessit alimentorum calidorum vsus: nam ob has causas, humor biliosus, in magna copia in corpore exuperat.

Curatio.

GAlenus *loc.citatis*, curationem tertianæ exquisitæ, quæ putrida est, ex propria eius natura emanare affirmat: nam altera indicatio ab intemperie, alia ab eius causa desumitur: illa cùm calida sit & sicca, refrigerationem & humectationem indicat; hæc, humorem vacuandum esse præcipit, vel per vomitum, vel per aluum, vel per vrinam: ita firmant Paulus *lib.2.cap.20.* Aëtius *tetrab.4. serm.4. cap.9.* Auic. 1.4. *tract.2. cap.39. & 42.in fin.*

Victus similis instituendus, ac in ardenti febre. Hunc vtilissimum esse ait, 2. *ad Glauc.* 9. qui refrigerat, & humectat, cuiusmodi sunt olera, in quibus numerat lactucam, cucurbitam, blitum, atriplicem, inter quæ præcipuum locum concedit lactucæ, 2. *alim.* 40. De iis ergo dubitandum: *Vtrùm cruda in tertiana exquisita concedenda?* Quoniam licèt omnia olera pauciſſimum sanguinem gignant, & praui sint succi, tamen lactuca non multum gignit, nec mali succi est, non tamen omnino laudabilis: itaque probioris succi est, & plus sanguinis gignit, quàm alia olera. Sed si olera prauum sanguinem generant, imo lactuca exiguum habet quod nutrit, & multum quod est inutile, & excrementitium, ex Gal. 8. *meth. cap.2.* cur asseritur victus conueniens, & febricitatibus vtilis?

Dic. Quòd sanguinem exiguum gignat, non inconuenit: nec enim scopus est, sanguinem, aut vires augere, sed tantùm has modicè debilitatas conseruare, ne labantur, 1. *Aph.* 4. ad quem vsum illa sufficiunt. Hæc etsi praui sint succi, tamen ob magnas alias dotes, quas habent, commendantur; sunt enim facilis coctionis, & vtplurimùm ventrem molliunt, ac frigiditate, & humiditate sua febri opitulantur. Præterea non offeruntur nisi cocta, quo pacto præstantiora multò euadunt: per coctionem enim resoluuntur flatus, qui in omnibus oleribus superabundant, faciliùs coquuntur, & coctionis ope remittitur frigiditas, ex qua timetur humorum cruditas, obstructio, & in febribus humoralibus incrassatio, & hoc modo præparata redduntur melioris succi; nam ex *lib. de attenuante victu, cap.* 1. olera cruda, frigidiora sunt & pituitosiora, atque proinde magis excrementitia sunt coctis.

De victus forma, tempore, quantitate, & qualitate, satis in regimine febricitantium in generali. De refrigerantibus auxiliis, internis, & externis, prouocantibus vrinam & sudorem, *superiori capite* multa prædiximus. Sanguinis missio vtilissima est, ex priscorum mente, eáque ante tres accessiones celebrata, vt acriter pro Galeni tutela decertauimus, *lib.4 Hist. Princ. Medicor. in com. Hist.* 25. euacuat enim, refrigerat, ventilat, naturam leuat, & sanguinem calidissimum, ac tenuissimum in bilem conuertendum, extra corpus eliminat.

Præparato, & cocto humore, clemens medicamentum per aluum expurgans porrigatur, absoluto vigore, & hoc contingit, quando tertiana ad quintam, vel sextam peruenit accessionem: experientia enim compertum est, hoc modo tractatos ægrotantes faciliùs euadere, quàm si medicamentum vomitorium concedatur, etsi bilis leuitate sua sursum magis efferatur, quod significauit Galenus 1. *ad Glauc. cap.9 §. Iuuat autem per inferiores partes bilis expurgatio, &c.* Idem docuit Hip. *lib.2. de morb. tit. de febre ex bile*, docens post quartam accessionem in tertiana exquisita, medicamentum deorsum purgans concedendum esse: subscribit Actuarius 3. *meth. cap.19.* Clemens sit medicamentum, quoniam humores biliosi, cùm tenues sint, ad expurgationem sunt paratissimi, ex Gal. 14. *meth. cap.7. ad fin.* & 3. *progn.* 23. Post purgationem Apozemata offerenda quæ refrigerent, ac bilem expurgent. Saluatellæ dextræ sectio, est vtilissima, & cætera quæ *superiore capite* diligenter notauimus.

Vltimò

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 632 sur 927

©BIUM

Vltimò quærendum: *Vtrùm curatio tertianæ continuæ, & tertianæ duplicis, ſit eadem cum curatione tertianæ exquiſitæ?* Affirmatiuè reſponder Auicenna, 1.4.*tract.*2. *cap.*39 *in fin.*§. *Et ſcias, quòd cura terttianæ continuæ, eſt cura tertianæ interpolatæ, ſed eſt decliuior ad obſeruationem diſpoſitionum digeſtionis, & ad infrigidandum, cum ſyrupo acetoſo, facto cum ſeminibus, vt ſemine citruli, & ſemine endiuiæ, &c.*

Differentia etiam eſt: nam in tertiana continua, maior febris adeſt, & ideò tenuiore, & magis refrigerante victu vtendum eſt. Quoniam autem materia coniuncta, & antecedens intra venas conſiſtit, coctio ampliùs promouenda: craſſior enim humor, extra venas, vt in tertiana exquiſita, expelli non potuit. Et ſicut in exquiſita, in die intermiſſionis; ſic in continua, in die remiſſionis, auxilia adminiſtranda; & in tertiana duplici, in die leuiori acceſſionis. Si autem æqualiter acceſſiones vrgeant, in hora mitiori, auxilia celebranda.

OBSERVATIO.

Ad refrigerandum iecur, humorémque bilioſum clementer vacuandum, Electuarium eximium.

BIlioſæ febres leuiter ſunt tractandæ, quoniam bilis natura ſua calidiſſima, acrioribus pharmacis exhibitis exaſperatur, efferatur, & excandeſcit. Tractaui plures tertiana exquiſita prehenſos, qui pluribus tentatis, conualeſcere non potuerunt: Hi hoc electuario oblato, per aliquot dies, in die intermiſſionis, & in continua tertiana, in die remiſſionis, in aurora quantitate vnciæ, ſuperbitis vnciis quinque aquæ endiuiæ, ex toto ſani facti ſunt.

℞. *Tamarindor.* ʒ j. *flor. omnium cordial. an.* ʒ iij. *hord. mundi*, P. ij. *fol. lactuc. aceroſ. cichor. borrag. an.* M. j. ß. *prunor. aceroſ. ſine nucleis*, N. x. *ſem. aceroſ. endiu. lactuc. melon. citruli, cucurbit. an.* ʒ ij. ß. *conſeruæ violar. roſar. borrag. an.* ʒ j. Coque in ſ. q. ſeri lactis caprini bene depurati, quouſque remaneat ℔ j. in colatura infunde *rhab. elect.* ʒ ij. *rhapontici optimi* ʒ ij. ß. Colaturæ adde *pulp. caſſ.* ʒ j. ß. *pulp. tamarindor.* ʒ iiij. *pulp. prunor. aceroſ.* ʒ iij. *pulu. roſar.* ʒ ij. *pulu. ſantalor.* ʒ j. ß. *pulu. coral. rubri, & margaritar. an.* ʒ j. Excipiantur omnia cum ſyrupo de Ribes, & ſec art. fiat Conſerua.

CAPVT XXIII.

De Tertiana Notha.

Definitio.

TErtiana notha, eſt febris de tertio in tertium diem repetens, facta ex bile, & pituita mixtis. Hæc eiuſdem eſt generis cum exquiſita, quoniam à bile ortum ducit. Dicitur verò notha, quòd ex bile generetur alteri humori admixta: vel generatur ex bile vitellina, quæ ob craſſitiem, longiorem acceſſionem habet, quàm exquiſita, quæ ex calidiori bile progignitur. Quare vtraque tertiana, non ſolùm in cauſa, verùm ſymptomatibus, in modo caloris, in temporibus, magis, vel minùs, ſecundùm maiorem, vel minorem craſſitiem humoris diſtinguitur. Ideò notha pro varia humoris miſcella, varia eſt. Hæc vel eſt ſimplex, & tertio quoque die repetit, vel duplex, ſingulis diebus ſuam exacerbationem habens: quoniam tamen exacerbationes hæ, de tertio in tertium correſpondentiam habent, ideò duplex vocatur: vel quia duplex origo, ſeu minera vitioſi humoris in corpore adeſt; vel quoniam in eadem minera, tanta copia humoris colligitur, vt ſingulis diebus ſtimulans naturam, efficere acceſſionem cogat.

Cauſa.

CAuſa huius febris, eſt bilis vitellina, quæ fit ex permixtione bilis cum pituita. Verùm antequam ad cauſas explicandas vlteriùs accedamus, naturam bilis vitellinæ, generationem, & temperamentum breuiter præſtabit exquirere. Primò *Vtrùm Vitellina bilis flaua ſit?* Inter biles præter naturam numeranda eſt Vitellina, quæ ſi colorem ſpectes, aut eſt naturalis, aut naturali multùm proxima. Flaua enim eſt, auctore Galeno 2.*de facult. naturalib.* 9. nam licèt bilis flaua recalfacta, mutet conſiſtentiam, & ſeri diſſipatione reddatur craſſa, colorem tamen aut non mutat, aut intra terminum flaui, flauior redditur. Ita firmat Galenus 10.*ſimpl. tit. de felle*, dum ſic ait: *Seroſo recremento flauæ bili commixto, pallidum conſtitui contingit, ſicut & flauam pluſculùm excalfactam, conſiſtentia reddi craſſam, colore autem flauam.* Ex quo loco deduces, flauum colorem in vitellina bile eſſe intenſiorem, quàm in flaua, & hanc intenſionem maiorem in vitellina bile ſignificauit Galenus *cit. de facult. nat.* vbi poſt flauum, addit igneum.

Vtrùm bilis vitellina ſit craſſa, & ex flaua bile præaſſata generetur? diſſidium eſt inter auctores. Galenus controuerſiam ex toto dirimit, *cit. de facult. natural.* ſic dicens: *In ſanguine generando quicquid abundè craſſum ac terreum, ex ciborum natura, in nutrimento fertur, nec commodè à naturali calore alteratur, id lien ad ſe trahit. Quod verò aſſum, vt ſic dicam, vſtúmque nutrimenti eſt, (fuerit ſanè hoc calidiſſimum in eo, ac dulciſſimum, qualia ſunt tum mel, tum adeps) id quum flaua bilis factum eſt, per fellis vocata vaſa expurgatur. Eſt autem hoc tenue, humidúmque & fluidum, non quale, cùm ad vltimum eſt excoctum, flauum, igneum, & craſſum, vitellis ouorum ſimile.* Fit ergo bilis vitellina, ex flaua naturali, à calore plus iuſto alterata, diſcuſſa vtique ab ea, atque digeſta omni tenui, ſeroſáque humiditate, & ideò craſſa redditur, atque flaua, adeò vt ſimilis euadat tum colore, tum conſiſtentia, vitello oui crudi, ex Galeno *lib. de atra bile, cap.* 2. quam Auerrhoës 4.*collig. cap.* 22. ſummè calidam eſſe, ex Galeni ſententia affirmat: verùm rectè non concludit, cùm æruginoſa multò calidior ſit ex Gal. 10.*ſimpl. cit.*

Intimiùs inquires: *Vtrùm bilis Vitellina ouo crudo, recenti, vel cocto ſimilis ſit?* Auerrhoës 3. *collig. cap.* 3. tranſtulit contextum Galeni *lib. de atra bile, cap. cit.* dicens, *vitellinã bilem, ſimilem eſſe vitello oui nati eo die*: ſed ineptè, primò, quoniam apud Galenum legitur crudi, non recentis, ſic enim ait: *Billis autem flaua, vt tenui mixta humiditate, & colore pallidior, & conſiſtentia humidior redditur, ita cùm diffiata ipſa admodum fuerit, crudorum ouorũ vitellis ſimilis apparet, atque ob id vitellina vocatur, &c.* Secundò, quoniam vitellus oui, parum ex ætate mutatur in colore, præſertim intra primam ſeptimanam. Tertiò, quoniam cùm bilis vitellina ſit flauiſſima, & oua antiquitate magis flaueſcant, ſimilior erit vitello oui antiqui, quàm recentis. Quartò, nam vitellinæ bilis ſimilitudo, cum vitello oui, intelligenda potiùs eſt in conſiſtentia, & modo ſubſtantiæ, quàm in colore, quia ouorum vitelli non ſunt vnius coloris, ſed quidam pallidi, alij ruffi, & interdum flaui viſuntur; ſubſtantia verò eſt vna, craſſa ſcilicet, perinde atque bilis, cuius ſerum fuit abſumptum.

Ob id Galenus ſeparatim dixit, bilem vitellinam, flauam eſſe, & vitellis ouorum ſimilem, *lib. de atra bil.* 2. *de fac.* & 10. *ſimpl.* quoniam ſcilicet verbo flauum, exprimit colorem; ſimilitudine autem cum ouorum vitellis, modum ſubſtantiæ. Quia verò hæc ſimilitudo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 633 sur 927

©BIUM

in ſubſtantia, non ſeruatur cum vitello oui cocti, ob duritiem,& conſiſtentiam maiorem,quàm deberet humori ſua natura fluido, ideò cum vitello crudo, non cocto comparauit Galenus.

Altior verò diſputatio agenda eſt, de vitellina bile, ciúſque generatio inueſtiganda: *Vtrùm ex pituita cum bile mixta generetur*? Dic. Quòd cùm ex flaua bile ad vltimum excocta, atque ob nimiam aſſationem, flaua, ignea, & craſſa, & vitellis ouorum ſimili reddita, vitellina generetur, vt ſuprà ex Galeni mente monuimus,non deſunt,qui Auicennam,& reliquos Arabes deceptos fuiſſe arbitrentur,quòd vitellinam bilem, ex permixtione pituitæ cum flaua bile generari, vnanimes confirment.

Primò, quia vitellina, licèt ſit craſſa, lentore caret, quo non careret, ſi ex mixtione pituitæ fieret, quæ viſcida ſemper eſt.Secundò,quia cùm vitellinæ color ſit flauiſſimus, & igneus, vt dictum eſt, fieri non poteſt, ex permixtione flaui, in bile, cum albo pituitæ; nam permixtio albi cum flauo, potius retrahet ad pallidum, quàm trahet ad flauius. Tertiò. Nam vitellina naturali bile eſſet frigidior,cùm ex omnium ſententia, longè ardentior habeatur. Quartò. Quoniam bilis flaua pituitæ permixta, ſimilis erit non ſimplici vitello, ſed conquaſſato cum albumine,atque hoc colore ſæpenumerò excernitur per vomitiones, & aluum, in tertiana notha,& ſemitertiana,horrida febre, febribus compoſitis. Vitellus,enim,atque bilis,flaua ſunt ambo; albumen verò,& pituita ſunt alba.

Licèt autem hæc doctrina vera ſit, excuſari poteſt Auicenna,qui vitellinam non ſemper generari ex pituita cum bile mixta affirmet,vt rentur ipſi, quoniam 2.1. *doct.4.cap.1. de humorib. §. Quæ autem minoris eſt famæ, &c.*bilis vitellinæ meminit,per aſſationem genitæ. Deinde quæſtio,meo iudicio,ſolùm eſt de nomine, quoniam Galenus,& omnes,ſpeciem bilis præter naturam concedunt,quam Galenus pallidam,& croceam appellat. Quare ſicut pituita tenuis, & aquea permixta cum flaua bile, efficit differentiam bilis, ſic rationi conſonum eſt, pituitam craſſam bili permixtam, ad vnicam formam redactam, differentiam bilis præter naturam efficere,quam ſiue croceam, pallidam, vel vitellinam voces, nihil intereſt ad curationem morbi. Vitellina quæ generatur per aſſationem,flaua eſt, ad rubedinem tendens, & calidiſſima; quæ verò per permixtionem pituitæ efficitur,vitellis ouorum aſſimilatur, qui ad albedinem tendunt,& hæc minùs calida eſt, quàm flaua bilis,& lentorem habet. Ex quibus ad argumenta procliuis reſponſio.

Neque hæc doctrina,aliena eſt à mente Galeni, qui hanc bilem, ex huiuſcemodi permixtione ortam, non prætermiſit,atque citrinam, ſeu croceam appellat, 2. *progn.*38.Et Hippocrates *lib.7.epid.* in hiſtoria filij Cydis, in quo excrementum prodiit ſubbilioſum, viſcoſum, & velut ex ouo conquaſſato ſubpallidum.

Non ergo errant Auicenna,& reliqui Arabes,quum genus quoddam bilis ſtatuunt ex bile, & pituita genitum; nam frequentiſſimum eſt, & tertianam notham, atque alios morbos illegitimos generat. Aliquando verò hoc fit cum maiori mixtione, interdum cum minore, & ſecundùm hanc rationem, magis, vel minùs notha dicitur tertiana. Hæc tamen pituita,cum bile ita permiſcenda eſt, vt hi humores ad vnam formam redigantur,ita vt bilis vitellina generetur, ſecundùm rectam Auicennæ ſententiam,1.4.*tract.*2.*c.*35.qua ratione à ſemitertiana differt,quoniam hæc ex duplici materia ſeparata producitur; tertiana verò ex vno humore ſimplici, & ideò vnum tantùm circuitum habet: Et hæc bilis vitellina,in ventriculo generatur,ex Auic. 1. 1.*doct.*4.*cap.*1.quæ diuerſa eſt ab alia vitellina bile,quæ in iecore gignitur,quæ craſſior, & calidior eſt bile flaua,de qua intelligendus Gal.*lib.de atra bile,cit.*quo loco bilem vitellinam, humorem impermixtum vocat.

Tertiana ergo notha,fit ex vitellina bile,& ex alia in iecore genita,ex qua acceſſiones non ita productæ, ſicut ab alia,excitantur;& hæc tertiana notha, dicitur ab Arabibus maioris famæ,& diſtinguitur ab alia, quæ ab ipſis minoris famæ vocatur,Hæc febris corripit naturas frigidas,humidas corpora obeſa,alba,mollia,in tempore frigido, ſimili regione. Si verò naturas calidas opprimit perſæpe, ad cruditates otiúmque, quibus illæ ſunt aſſuetæ, reiiciendum puta,

Signa.

TErtiana notha, diuerſa ſigna ſortitur ab exquiſita, cùm nihil habeat cum ipſa commune, excepto circuitu,quem de tertio in tertium obſeruat;quare quò magis eſt notha, tantò magis à ſimplicitate differt exquiſitæ. Primum ergo ſignum eſt, quòd incipiat cum horrore,qui eſt veluti medium, inter rigorem tertianæ exquiſitæ, & inter frigus quotidianarum, quia cauſa media eſt ex participatione vtriuſque humoris. Si tamẽ rigor aliquando contingat,eſt quoniam morbus in ſtatu,vel iuxta ipſum conſiſtit, quo tempore craſſiora recrementa iam ſunt abſumpta:qui ſi accidat,longiùs durat,& ægri calore lentè ad partes externas expanſo,tardiùs incaleſcunt;ob craſſitiem enim,& lentorem, humor difficulter accenditur: & ideò calor in ea, eſt remiſſior, quàm in exquiſita; fortia enim ſymptomata tertianæ exquiſitæ, minorantur in tertiana notha, ex Auicenna 1.4.*tract.*2.*cap.*37.

Secundum ſignum deſumitur ex pulſu, qui non eſt ita celer,vt in tertiana exquiſita,& eſt minor,tardior,& rarior,in quo non ſolùm inæqualitas febrilis,ſed collectiua adeſt, quoniam facultas vitalis, humorum copia eſt oppreſſa. Apparet multoties durus,præſertim in acceſſionibus primis, quæ durities augetur quouſque concoquatur humor,tunc enim ad priſtinam mollitiem redit,ex Gal.1.*ad Glauc. cap.* 8. Durities ex repletione arteriarum oritur;ex humore enim crudo, plures eleuantur flatus,qui arteriam replent, & diſtendunt:induratio verò,ex Galeno 5.*ſimpl.*5.vel ex ſiccitate,vel frigiditate oritur congelante, vel ex repletione originem ducit,ex qua in febribus emanat, 1.*feb.*7.

Tertium ſignum.Quòd hæc febris non cum vomitu bilioſo,ſed pituitoſo incipit, & licèt vomitus appareat,is vitellinam bilem repræſentat. Sitis eſt remiſſior: ſudor paucus:vrina cruda,ob copiam pituitæ; aliquando craſſa,ſæpe tenuior,quouſque concoquatur humor, tunc enim optimum calorem, & ſubſtantiam incipit acquirere. Si apparet remiſſi coloris, pituitam, & humorum crudorum copiam præoſtendit. Si eſt tenuis, & intenſi coloris, copiam bilis flauæ demonſtrat. Si ſit craſſior, & boni coloris, vitellinam bilem redundare denotat.

Quartum ſignum ſumitur ex tumore lienis,& inflatione hypochondriorum.Facies eſt decolor,crura inflata,& tumida,quæ ſigna potiùs in fine, quàm principio febris apparere incipiunt. Acceſſio eſt longior, quàm tertianæ exquiſitæ, & vltra duodecim horas protrahitur,& ſæpe vſque ad 24.30.36.vel 40. producitur, ex Gal.2.*de diff.feb.cap.*8.& *lib.6.epid.ſect.*2.*com.* 23. tunc enim æger ad infebricationem minimè peruenit, & hæc dicitur tertiana continua per ſubingreſſum acceſſionum,vt firmauit Galenus *ad Glauc.*8.poſito exemplo in quodam adoleſcente, hoc morbo laborante, & *cit. loc.*docuit Auicenna. Sicut enim acceſſiones ſunt longiores, ſi tota morbi conſtitutio eſt diuturna valde: nam incipit autumno, & definit in fine veris,& iccircò dimidio anno interdum premit,atque fatigat, ferè tamen ad 40.vel 60.dies producitur,vt 1.4.*tract.*2.*c.* 35. notauit Auicenna.

Præſagium.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 634 sur 927

Præſagium.

TErtiana notha, periculo vocat,& ſalubris eſt natura ſuapte,nî cum aliis morbis complicetur, ac error non committatur,aut ab aſſiſtentibus,aut ægro,tunc enim non ſeruato regimine debito, praua excitatur in hepate, vel ventriculo intemperies, ex qua ſcirrhus, cachexia, hydrops & alij grauiſſimi morbi oriuntur. Deinde hac de cauſa,crudorum ſuccorum copia generata,vires debilitantur magis,obſtructiones fiunt,viſceribus pertinaciter adhæreſcentes, ex quibus febris aſſidua,tabes, mors. Præterea non eſt periculoſa,cæterarum intermittentium inſtar, quas vacare periculo, 4. *Aph.* 43.prædixit Hippocrates, niſi mutet naturam, vt ſi fiat continua, ex qua pericula grauia ſolent concitari.

Curatio.

CVratio huius febris, differt à curatione tertianæ exquiſitæ: in hac enim indicatio præſidiorum,ex parte febris,& eius cauſæ,eadem eſt, ſcilicet infrigidatio,& humectatio; in tertiana verò notha, eſt diuerſa: humor enim cùm ſit craſſus, extenuantibus, & calefacientibus indiget,ex Auic. 1.4.*tract.*2.*cap.* 39. §. *Res in quibus diuerſificatur,&c.*Iccircò victus in tertiana notha non debet eſſe infrigidans,& humectans,vt in tertiana exquiſita, ſed aliqualiter calefaciens, & incidens, ex Gal.1.*ad Glauc.*10.Paulo *lib.*2.*cap.* 20.

Sed illa quæſtio, eſt hoc loco explicanda: *Vtrùm in tertiana notha,vtilior ſit tenuior victus, quàm in exquiſita?* Et pro vtraque parte rationes probabiles non deſunt. Senſiſſe enim ita Galenum apertius eſt, quàm vt debeat multis oſtendi:Nam ex eius mente hæc febris longior multò eſt,quàm exquiſita; craſſities autem, tenuitáſque victus,à diſtantia ſtatus ſumuntur, ita vt morbi qui citiùs finiuntur,tenuiorem;qui tardiùs, craſſiorem victum expoſtulent, vt conſtat ex ipſo, 1. *epid. ſect.* 3. *com.*11.& 1.*Aph.*7.*&* 10.& alibi ſæpe. Deinde.Tenuis victus,in morbis longis,qualis eſt tertiana notha, ſemper reprobus eſt; in morbis autem breuioribus, qualis eſt tertiana exquiſita,vtilis. Præterea. Labores, & ſymptomata vehementiora apparent in tertiana pura,quàm in non pura: vbi autem illa ſunt vehementiora,tenuior victus eſt præſcribendus.1.*Aph.*7.

Quòd autem in tertiana non pura tenuior victus ſit eligendus, plura ſuadent. Primò, quia in ea abundat pituita, quæ per vlteriorem coctionem in ſanguinem vertitur, & nos commodè nutrit, & in alimentum cedit. Secundò,quia patientibus hanc febrem,ventriculus,inteſtina, & meſaraicæ, plus abundant humoribus crudis, quàm in exquiſita, qui victus tenuitate abſumuntur. Tertò, quoniam Galenus 1. *ad Glauc. cit.* & Auic.1.4.*tract.*2.*cap.*40. hac febre notha correptos,ſolis alternis diebus alendos imperant, quod non præcipiunt in exquiſita.Quartò,quoniam tertiana notha,maior ſiue periculoſior eſt, quàm exquiſita; hic autem morbus magis periculoſus, tenuiorem victus rationem exoptat,ex Hip. 1. *Aph.*7.

Dic. Non videtur dubitandum, tertianam notham, cùm multò longiori tempore duret, craſſiorem victum expoſcere, quàm exquiſitam; nec enim in illa poterit æger, tam longo tempore, ferre tenuitatem victus, conuenientem tertianæ exquiſitæ, ob breuitatem ſuam. Quæ autem contrà obiecta ſunt, ſolùm concludunt, ſi vtraque febris æquali tempore duret, tenuiorem victum expoſcere notham, quàm exquiſitam.

Nec obſtat,quòd Auicenna *loc.nuper cit.*& Galenus 1.*ad Glauc.*10. iubent in tertiana notha,alternis diebus ægrum nutrire,cùm tamen in exquiſita,ſingulis diebus alimentum concedant.Nec enim valet conſecutio:Sũt cibandi alternis diebus. Ergo tenuiùs ſunt nutriendi. Quoniam in illa die,in qua nutriuntur, multò craſſiori victu vtuntur, quàm in tertiana exquiſita.Quòd ſi Galenus,& Auicenna,nutrientes in tertiana notha alternis diebus, & in exquiſita vnaquaque die, æquali ſemper victu vterentur, tunc eſſet argumentatio optima. Ex quibus,plures grauiter deceptos fuiſſe,qui contrariam ſententiam amplectuntur,conſtat apertè.

Ex hac controuerſia, deducitur alia:*Vtrùm noſtro ſæculo in tertiana notha, nutriendus ſit æger alternis diebus?* Galenus,& Auicenna *loc.cit.*ita præcipiunt:cuius aſſertionis cauſa videtur,tum quia paroxyſmus tertianæ nothæ multò plus durat, quàm tertianæ exquiſitæ, ſæpe enim vltra viginti horas extenditur,quare cùm ferè totam diem occupet, noxia erit tunc temporis nutritio, iuxta doctrinam Hip.1.*Aph.*11.& 4.*acut.*39.tum quia in tertiana notha, cùm ab humoribus craſſis oriatur, neceſſe eſt illorum attendere reſolutioni,quæ nutritione interturbatur plurimùm. Nec ſimiliter contingit in exquiſita,hæc enim cùm à calido,ſicco, acri, & tenui humore ortum ducat,& corporis caliditatem, & ſiccitatem habeat annexam à cibo non ſimiliter læditur, præſente paroxyſmo,imò ex cibi abſtinentia,ſæpe ægri in moleſtiam incurrunt.

Sed conuenítne, iuxta illam doctrinam Galeni, & Auicennæ,nos etiam in die paroxyſmi, in tertiana notha,à cibo abſtinere? Dic. Si vires ferant, eſſet conuenientiſſimum: ſed ob earum debilitatem, noſtris temporibus hoc erit inutile; ſumus enim aſſueti multo cibo, imò oportet in declinatione paroxyſmi, aut per quinque horas ante illum, exhibere tenuem aliquem victum, vtpote ius pulli. Nec Galenus, & Auicenna illud omnino negant, ſed ſolùm volunt, craſſam cibationem non eſſe vtilem, in die paroxyſmi, ob cauſas dictas.

Victus ergo ſit modicè refrigerans, & humectans, cui miſceatur aliquid exiccans, & attenuans, gratia pituitæ ſimul commixtæ. Duobus, aut tribus diebus huiuſmodi imperandus victus, vt humores crudi in primis vaſis impacti, huius beneficio abſumantur, qui in dicta febre valde redundant. In die quietis,ad prandium nutriatur æger,iure pulli,gallinæ iuuenis, vel extremitatibus illius, decoctis cum radice petroſelini,cui addatur hordeum decoctum,aut folia lactucæ,ſi febris ſit intenſior: quibus alimentis in maiori copia, poſt purgationem nutriatur, potéſtque aſſumere corticem citri ſaccharo condîtam, nucleos pini, vel amygdalarum ſaccharo incruſtatos.

Ex carnibus conferunt hœdi,perdices, cuniculi iuuenes, turtures, turdi, caro arietis, anatis, aut adulti nigri caſtrati,præcipuè ſi tertiana, melancholicum humorem ſibi comitem habeat:ea enim caro, calida cùm ſit, & humida, humori melancholico valde reſiſtit,& eſt boni ſucci, auctore Haly 6. *thoric.* 21.& experimento conſtat: licèt oppoſitum ſenſerit Galenus 3. *alim.*2. qui explicandus eſt, ſi æger ſit calidus, febris fuerit intenſa,tempus anni ſimiliter calidum; ſi tamen hæc in vſum accedat, cum foliis lactucæ, aut hordeo alteretur. Nota ex Galeno *lib.de attenuante vict.rat.cap.* 2.turtures recentes non eſſe edendos, ſicut nec perdices,nec alia omnia, quæ habent carnes modicè ſiccas, niſi per vnum diem ſuſpenſas,nam omnia ſicca tempore humeſcunt.

In die paroxyſmi, per quinque horas, ſi fieri poſſit, ante acceſſionem, aut in declinatione illius, aut in vtroque tempore, ſi virium debilitas, aut conſuetudo id efflagitent, nutriatur æger, iure pulli cum mica panis. Potus, ſit aqua decocta cum granis hordei, radice,aut ſemine fœniculi, aut cum cinnamomo. Vinum concedatur, præcipuè in temperamento, & tempore anni frigidis, in quietis die:ſit album, aut parum rubrum,tenuis ſubſtantiæ,& ſi bilis redundet, lympha reſperſum;

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 635 sur 927

©BIUM

resperſum ; ſi verò crudi humores exuperent, merum offerendum.

His conſtitutis, de recrementis educendis, cura habenda:quæ ſi in vẽtriculo redundent, leui pharmaco;ſi in inteſtinis, enemate educenda:& ad ſanguinis miſſionem properandum,dummodò plenitudo adſit,& vires ferant,quam poſt primum,aut ſecundum paroxyſmum celebrare oportet,extracta bis, aut ter copia ſanguinis, quæ plenitudini,& robori virium reſpondeat.

Humor præparetur fortioribus medicamentis,prout humor,magis vel minùs ab humore faciente tertianam exquiſitam receſſerit. A mitioribus inchoandum : ſi contrà incedas,obſtructiones magis augentur, 8. *meth.* 4.Præparatio autem materiæ antecedentis, & eius quæ intra venas conſiſtit, præſtantiùs aperientibus , quàm refrigerantibus perficitur , dummodò id fiat remiſſo calore. Permiſcenda ſemper,quæ viſcera roborent , vt ſpica Nardi,monente Auerrhoë 7. *collig. cap.* 12. Sunt ex vſu Rhodomel factũ cum ſaccharo , ſyrupus Capil. Vener. Cichor. Fumar. Oxymel ſimplex , & compoſitum,ſyrupus acetoſus,De duabusvel quinque, rad.Byzantin.& Eupatorij.Humor expurgetur Agarico,Rhab. Cathol.Diaphœnic.Fol.ſen.ſem.cartham.Diaſen. Diacartham. Pilulis de Agaric. Rhab. Aggregat. & aliis, compoſitis,quorum deſcriptionem, & formam in aliis capitibus *ſuprà* deſcripſimus.

Quieſcat æger biduo , & aſſumat tabellam diarrhodonis per ſe , vel cum duplo Rhab. ſuperbibitio hauſtu aq. Bugloſ. vel Cichor. Cùm autem febris hæc, ex humore craſſo & lento originem ducat , qui etiam ſingulis diebus de nouo aggregatur, ob iecoris , & ventriculi coctionem ineptam , ideò fortioribus attenuantibus,& aperientibus remediis vti fas eſt, quibus purgantia per aluum poſſunt permiſceri , vt exemplo poſito in curatione inflammationis iecoris docuit Galenus 13. *meth. cap.* 15. §. *Procedente autem tempore, &c.*

℞.*Vuar.paſſar.ſine ſemine,* ℥ ij.*prunor.ſine nucleis,n.* xij. *hord.*P.j.*ſem.melon.cucurbit.an.* ℥ j.*folior.borrag.& cichor. an.*M.j.ß.*radic.cichor.apij,petroſelin.bugloſ.ſcorzoner. endiu.capparum,an.* ℥ j.*ſem.aniſi* , P. j. *fol.ſen.* ʒ v. *epithym. polypod.ſem.cartham.an.* ʒ iij.*flor.cordial.* ℥ ß. *adiant. eupatorij,aſplenij,an.*M.j.*cicer.rubror. num.* xx. Coque ſec. art.in ſufficienti aq.quantitate , quouſque remaneant ℔.ij.in colatura infunde ſec.art.*rhab. electˉ.* ʒ iij. *agarici trochiſcati* ʒ ij. Cola , & deinde omnia coquantur, quouſque abſumatur pars dimidia : colaturæ adde *ſyrup.byzantin.* ℥ v. *ſyrup.de ſenna,ſyrup.roſ.perſic. ex* ix. *infuſ.an.* ℥ iij. Omnia bulliant , & aromatizentur cum ʒ j. puluer.aromatici,& ℥v.ſacchari : Et ſeruetur vſui, cuius potionis vnciæ ſex concedanitur,n aurora, alternis diebus. Ius pulli etiam poteſt concedi , alteratum priùs cum attenuantibus,aperientibus , & deobſtruentibus ; nutrit enim,expurgat, deobſtruit.

Perſeuerante febre, quæ ex viſcerum obſtructione, humorum contumacia, & intemperie ferè oritur , neceſſe eſt vti curatione paulatina, nam humores ob lentorem , & craſſitiem , vacuationi maximè reſiſtunt.Ad quam medicamento forti, debili opus;illo,vt humores electiuè attrahat ; hoc,vt in parua quantitate offeratur, ex Auic. 1.4.*tract.* 2.*cap.*7.*ad fin.*§.*Et oportet,vt ſcias* , & *cap.*39.*&* 59. §. *Egò verò non diligo , niſi expectationem digeſtionis.*

In hunc vſum conceduntur , præparato ſemper humore magis ac magis,ſyrupi Magiſtrales , Aquæ ſtillatitiæ,vina,quæ expurgandi,roborandi, & deobſtruendi facultatem ſortiantur. Hac ratione, de tertio , in tertium diem , conceditur Rhab. Quod priùs madeſcat in infuſione ſeminis carthami : vel ipſum interdiu comeſtum : vel ſerum lactis caprini , cum eo priùs præparatum.

In intermediis diebus, vtiliter conceduntur tabellæ Aromatici Roſati , vel Diarrhodonis Abbat. cum aq. Abſinthij,vel decocto , quod in tertiana notha potiùs, quàm exquiſita , apparente coctione , eſſe concedendum , docent Galenus 1.*ad Glauc.* 9. Tral. 12.*lib.cap.* 6. abſtergit enim , ventriculum roborat,aluum, & vrinam prouocat , ex Halyabbat.3.*pract.*13. quoniam , vt notat Meſuë *cap.de Abſinth.* ratione amaritudinis , & nitroſitatis , ab obſtructione liberat , bilem flauam , & humorem bilioſum à ventriculo , iecore , venis repurgat, 6.*ſimpl. cap. de abſinth.* & 8.*ſec.loc.cap.* 3.& 6. *de ſanit.tuend. cap.*10.

In his etiam tertianisnothis , magna cum vtilitate decoctum chamæmeli conceditur , quoniam ex mente Dioſcorid. *lib.*3.*cap.*131.Gal. 3.*ſimpl. cap.* 10. menſes mouet, & vrinam , & vitiis iecoris , circuitibúſque febrium remedio eſt , præſertim ſi pituita , & melancholia redundent:gratum enim,ſiquod alterum,medicamentum,ex Auic.2.*can.cap.*118. quod debet concedi hoc modo:

℞. *Flor.Chamæmel.* P. iij. *comar. abſint.* P. ij. Coquantur omnia ſec. art. in ℔. iiij. aq. quouſque remaneat ℔.ij.ß.adde *ſacchari* ℥ iij.

Propter vitium & læſionem membrorum inſtrumẽtalium , ventriculi ſcilicet , iecoris,& lienis, crudos & ſtatulentos humores , ad ſuperas partes conuolantes, & ad inferas deſcendentes cruditates, ex ventriculi improſpera coctione profectas , & hac ratione ſanguinem frigidiorem redditum, apparente in palpebris, & pedibus tumores , in iecore , & liene durities perſentitur , ex lutulento humore prognata : ideò has partes fouere , ac roborare oportet , ne in maiora damna æger poſſit in poſterum relabi. Quare fouendus ventriculus ſequentibus decoctis , & vnguentis.

℞. *Summitat. abſinth. roſar. rubear. an.* P. j. *ſpicæ nardi,maſtich.an.* ʒ j.ß.*cinnamom.* ʒ ß.*Flor.chamæmel.flor. meliloti,flor.anethi,an.* ℥ ß. Bulliant in ℔. iij. aq. & vna vini albi,& decoctum ſeruetur , cum rebus decoctis. Vel hoc modo:

℞. *Abſinth.*M. j.ß.*roſar. rubrar.* P. j.ß: *flor. chamæmel.*P.ß.*ſpica nardi,ligni aloës,cyperi, cinnamom. maſtich. an.* ʒ ij.*ſchœnanthi,* ʒ j.*menthæ ſiccæ,*M.j.Coquantur omnia in aq. & vini alb. an. parte æquali , & decoctum ſeruetur , cum rebus decoctis. Ex quibus facta debita trituratione, poterit parari ſacculus applicandus ventriculo.

Poſt fotum apponendum vnguentum.

℞. *Olei abſinth.Pontici,olei maſtichin.olei de ſpica , an.* ℥ j.*pul u.diarrhod.Abbatis , coral.rubror. maſtich.an.* ʒ ß. cum cera fiat vnguentum.

Iecur etiam roborandum , medicamentis quæ vim habeant aperiendi, ac fundendi gumores : hoc fiet ſequenti fotu,qui medicamentis etiam parabitur,quæ iecur roborent,ne eius virtus flacceſcat, & reſoluatur.

℞. *Fumar.cichor.an.*M.j.ß.*flor.chamæmel. melilot. fœnugræci,an.* ℥ ß.*ſummit at.abſinth.roſar.fœnugræci , an.*P. j. *iunci odorati,ſpicæ nardi,an.* ʒ j.ß.Bulliant omnia ſec.art. in ℔.iiij. aq. & ℔. ß. vini albi , & vnciis duabus aceti vini albi,ad conſumprionem vnius libræ, & decoctum ſeruetur,cum rebus decoctis. Vel hoc modo:

℞. *Abſinth.eupatorij,fumar.cichor.an.*M.j.*cyperi,* ℥ ß. *ſpicæ nardi,ſantalor.rubror. an.* ʒ iij. Coquantur omnia quantur ſecund.art. in quatuor partibus aq. & duabus vini albi , & vna aceti albi , & decoctum ſeruetur cum rebus decoctis : quo actu calido , poteſt iecur foueri, & deinde apponatur ſequens vnguentum.

℞. *Olei Abſinth. Pontici , vnguent.r oſat. vnguent. ſantalin.an.* ℥ ß.*vnguent,deoppilatiu.ſuccor. quart.* j. *aceti roſ.quart.*j.*ſucci cichor.* ℥ ß. Miſce, & ſec.art. cum pauca cera , fiat vnguentum.

Si proceſſu morbi durities adſit in ſplene , hoc fomento priùs vtendum eſt.

℞.*Radic.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 636 sur 927

℞. *Radic.cortic.capparum fumar.lupulor. an.* M. j. *tamariſci,*P. j. *aſplenij,abſinth.an.*M. j. *fœnugraci*, ℥ ß. *ſem. fœnicul.aniſi,aneth.lini,an.*P. j. *radic. althææ*, M. j. ß. Coquantur omnia ſec.art.in quatuor partib.aq. & duabus aceti vini albi, & vna vini, & decoctum ſeruetur vſui.

Poſt fomentum lieni apponatur vnguentum.

℞. *Olei de capparib.olei amygdal.amarar. & anethini, an.* ℥ j.ß. *ſucci fumar.* ℥ ij. Bulliant omnia lento igne in duplici vaſe,ad conſumptionem ſuccorum, poſtea adde: *pulueris cannæ,cortic.Radic.capparum, pulu. aſplenij, an.* ℥ j. *oxymel. ſimplic.* ℥ j. *cum cera ſec. art.* fiat emplaſtrum.

Si verò tumor duriuſculus ſit,hoc appone vnguentũ:

℞. *Olei capparum,olei amygdal.amarar. an.* ℥ j. *medullæ oſſis vituli,axungiæ gallinæ ſine ſale, an.* ℥ ß. *ammoniac.diſſoluti in aceto,* ℥ iij. *pulu. eupatorij, tamariſci, & radic.cappar. an.* ℥ j.*trochiſcor.de myrrha,* ℥ ß. *cum cera* fiat vnguentum.

Si verò vehementer tenitatur, ſequens emplaſtrum impone.

℞. *Emplaſt.diachyl.diaquil.maior.facti cum ammoniaco* ℥ j.*emplaſtri de melilot.emplaſt.de mucilaginib.an.* ℥ ß. Miſce,extendatur in aluta,ad formam mediæ lunæ,proliene.

Quo tempore poteſt aſſumi ſyrupus Cichor. Nicoli cum Rhab.vnciarum duarum quantitate,cum vnciis tribus aq. Abſinth. vel concedetur drachma vna Trochiſcor. de Eupator. vel Abſinth. qui Trochiſci liquefiunt in vnciis duabus aq.Cichor. Quòd ſi omnia non iuuent,ad illius venæ ſectionem accedere oportet,quæ ſaluatella vocatur.

OBSERVATIO.

Ad Tertianam Notham productam, Aqua ſtillatitia mirabilis.

INter plurima, eáque præſtantiſſima auxilia, quibus feliciter in productis tertianis,cæteris non conferentibus,vſus ſum, hoc eſt firmiſſimum:Aqua ſcil.ſtillatitia,cuius vſu vtatur æger in quietis die,vel hora magis remiſſa, quantitate quatuor vnciarum, ventre ieiuno: deobſtruit enim viſcera, ac ipſa roborat;aluum & vrinam mouet.

℞. *Radic.cichor.oxlapath. oxalid. erythrodani, filicis, an.* ℥ v.*eupatorij,hepaticæ,abſinth.pontici,ſpicæ nardi, centaur.minor.an.*M. ij.*chelidon.roſar.rubrar.an.*℔ ß. *cortic. fraxini,radic.capparum,radic.tamariſci, an.* ℥ ij. *geniſtæ, Hyperic.buglоſ.an.*P. iiij.*raſuræ eboris,cinnamom. an.* ℥ ij. *Rhab.* ℥ iij.Craſſiuſculè contuſa omnia indantur in vas vitreum,ſuperaffunde aceti paſſulati ℔ j. *ſacchari optimi,*℔ ij.*aq.eupator.aq.cichor.an.*℔ j. *aq. flor.ebuli, & aq. ſcolopendriæ,an.* ℥ iiij.Macerentur octiduo, diſtillentur, & aqua vaſe vitreo ad vſus reſeruetur.

CAPVT XXIV.

De Semitertiana.

Definitio.

MAgiſter *lib.2.criſ.c.* 9. dum inſtitutam de dignotione febrium compoſitarum diſputationem proſequitur, docétque difficile eſſe, has in prima die agnoſcere, omnes intra quatuor primos dies dignoſci aſſeuerat, & ad huius rei confirmationem pro exemplo proponit febrem ſemitertianam, dicens: *Si inuadat febris aliqua horrida,&c.* Febris ergo ſemitertiana,ſiue hemitritæus dicitur,febris compoſita ex bilioſa, & pituitoſa: quæ compoſitio,ob combinationes varias, multiplex eſſe poteſt,quæ ex tertiana, & quotidiana interdum ſcaturiunt. Alia enim fieri poteſt, ex ambabus continuis; alia ex ambabus intermittentibus; alia ex quotidiana continua,& tertiana intermittente; alia ex tertiana continua,& quotidiana intermittente, & hoc modo quatuor combinationes fiunt,quas 2.*criſ. cit. & 2.feb.*7.Galenus enumerat.

Hemitritæus ergo,ab Hippocrate 1.*epid.ſect.* 1.*text.* 29. Semitertiana dicitur, non quòd minor ſit tertiana, hac enim magis eſt periculoſa, ex Galeno *lib. de typis, cap.* 4. Sed quoniam conditiones, & circuitum tertianario modo obſeruat, etſi non inuadat cum rigore,neque cum ſudore,1.*epid.ſect.*3. *com.* 5. tamen *citat. loc.*à Gal.definitur febris compoſita ex quotidiana continua, & tertiana intermittente: quam definitionem amplectuntur Græci, ſubſcribunt Ishaac, Serapio, & Haly.

Sed meritò dubitandum: *Vtrùm febris compoſita ex tertiana continua, & quotidiana intermittente, ſit dicenda vera ſemitertiana?* Dic. Galenus harum febrium compoſitionem, verum hemitritæum appellat, 2.*feb.* 8. §. *Vna igitur ſola adhuc mixtio,&c.* Quod probat,quoniã hæc febris, & continua, & horrifica eſt. Verùm hanc non ſolùm eſſe verum hemitritæum, quin illi ampliùs hemitritæi conditiones ab Hippocrate traditas conuenire,quàm alteri febri, compoſitæ ex quotidiana continua,& intermittente tertiana, mihi perſuadeo, quoniam hæc febris,horrida non eſt,ſed potiùs cum rigore inuadit,quem excitat tertiana intermittens, excreta extra vaſa bile,ſicut in cæteris fieri conſueuit.

Quare queadmodum in febre compoſita ex tertiana intermittente, cum quotidiana continua, horror, & non rigor excitatur, quòd ſcilicet acrimonia flauæ bilis, à pituitæ qualitatibus remittatur; ſic in compoſita ex tertiana continua, & intermittente quotidiana. Deinde hemitritæus, ex bile & pituita, in vnam formam redactis non conſtat, alioquî qualitatibus vnius, ab alterius qualitatibus refractis, horror, qui medius eſt inter rigorem,& ſimplicem refrigerationem excitaretur: ſed cùm foci diſtincti ſint, diſtinctæque febres, non eſt cur tertiana intermittens, in illo rigorem non excitet.

Si igitur ſecundùm Hippocratem *cit.loc.*hemitritæus, febris eſt horrifica, & iuxta mentem Galeni 1. *epid. ſect.*3. *com.* 5. caret acceſſione, cum rigore incipiente, &1.*ad Glauc.*5.Semitertiana incipit cum pauco rigore, ſicut quotidiana, quartana,atque aliquæ ex continuis, magis conueniet deſcriptio hemitritæi,febri compoſitæ ex tertiana continua,cum quotidiana intermittente, quàm è conuerſo. Poſuit autem Galenus 2. *criſ.* & 2.*feb. cit.* exemplum exquiſiti hemitritæi, in tertiana intermittente, & quotidiana continua, quia cùm quotidiana intermittens ſit valde rara, rarior etiam erit confuſa cum tertiana continua: & ideò poſuit frequentius exemplum, in complicatione tertianæ intermittentis, cum quotidiana continua, licèt alia compoſitio, vbi acciderit, ſemitertiana etiam ſummo iure dici poſſit.

Cauſa.

EXquiſitus hemitritæus,ſecundùm Galenum expoſtulat, vt neque tertiana ſuperet quotidianam, neque è conuerſo quotidiana tertianam,ſed æquales ſint vires vnius, atque alterius,*cit. feb.* 8. Si enim quidam humor, alium exuperet, non verus dicitur hemitritæus, ex Gal. *cit.* Febrem autem compoſitam ex duabus intermittentibus, à vero hemitritæo excludit Galenus, quia non eſt febris continua 2. *feb. cit.* Febrem verò compoſitã ex ambabus continuis, non eſſe verum hemitritæum affirmat,quoniam non eſt febris horrida: Semitertiana autem,ſecundùm mentem Hippocratis 1.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 637 sur 927

©BIUM

epid.sect.1.text. 23. debet esse febris horrifica, acuta, continua, & non intermittens. Huius causa est bilis,& pituita,putrescentes, qui humores si pares, ac æquè potentes fuerint,exquisitam faciunt semitertianam;si verò alter exuperet, tunc vnius mitiora, quàm alterius sunt symptomata : veluti bile superante, symptomata tertianæ maiora sunt;si pituita,quotidianæ continuæ effectus erunt firmiores.

Signa.

SIgna huius febris,ex modo motus desumuntur, ex Auicenna 1.4.*tract.*4.*cap.*18.Si tertio videlicet die ingraueſcat,si crebras habeat horrificas illas accessiones, & die intermedio mitiorem. Cognoscitur etiam ab excretis, si sint biliosa, & pituitosa commixta; si vrina sit, intensi coloris, cum copia spumæ, & eius durationc.Cognoscitur vltimò,ex iis quæ præcesserunt, vt si homo bilioſus antea,indulserit pituitosis cibis, vel è contra;aut si quæuis natura,cibis contrariis,vel potibus sit vsa. Signa autem hemitritæi non exquisiti, desumuntur ex signis vincentis humoris: Si enim bilis superet pituitam, signa, & symptomata tertianæ magis elucescent, & hac ratione febris erit horridior, feruidior,& intensa magis:excretiones per vomitum,aluum, aut sudorem magis apparebunt, quàm in eo, in quo vincit pituita: in quo quidem horror non est ita validus,sed solùm simplex adest extremorum refrigeratio, & magis durans:pulsus est minor, & tardior.

Sed audienda sunt,quæ de huius febris signis,dubitant interpretes,*Vtrùm semitertiana sit horrifica*? Dic. Ita appellatur,non quòd inuadat cum rigore,sed quòd per magnam accessionis partem,horror producatur,ex Gal. 1.*epid.sect.*1.*com.*23.& *lib.de morb.temp.cap.*8.& 2.*feb.*8. Hic autem motus horrificus,dupliciter fit, aut ex breuibus interuallis,aut per duplicationem motus, ex Gal. *in cit.com.*Ratio primi motus est, quia cùm cõponatur ex quotidiana,& tertiana, bilis citiùs incalescens extrà calorem euocat, pituita verò cùm difficiliùs præ frigiditate inflammetur,intrò calorem cogit: quare concitata pugna inter vtramque, nonnunquam calor extrà expanditur,nunc reuocatur in internas sedes, & varij horrores exurgunt, vt docuit Galenus 2.*feb.* 8. §. *Cùm verò ab inuasione, &c.* Secundi motus ratio esto hæc, quoniam accessiones tempore sunt diuersæ, ex Gal. 1. *epid.sect.*1.*com.*23. vt si non eodem tempore simul inuadant,sed vna priùs,alia tardiùs, vtpote in vigore,vel declinatione alterius.Distingues tamen hemitritæi horrores, ab illis, qui in febribus malignis accidere consueuerunt, quia in his magis in initio febrium apparent, & vsque ad septimum; at in hemitritæo per totum morbi decursum, magisque quando ad statum febris accesserit;hoc enim tempore,humores præ feruore liquari incipiunt.

Postulat hic locus, vt ampliùs perscrutemur : *Vtrùm semitertianam necessariò cerebri horrores comitentur*? Pro parte negante,videtur esse Hippoc. qui 1. *epid.sect.* 3. *text.*5.hanc febrem persæpe adesse in iis,qui tabe, diuturnisque morbis conflictantur, in quibus horrifici illi motus non conspiciuntur.Non desunt,qui huius sententiæ auctoritate permoti, nomine semitertianæ ab Hip. in præsenti loco,intelligi etiam simplices tertianas continuas, sibi persuadeant, quæ cùm tertio die ingraueſcant,& ad infebricitationem non finiantur, semitertianæ modum obseruant;hæ autem, etsi sint continuæ, cùm horrore, seu paruo rigore incipere possunt, iuxta Galeni mentem,1.*ad Glauc.c.*5.& 4.*Aph.*46. ob sensatam enim bilis acrimoniam,vel malitiam,intra vasa, se exonerare,& initio singularum accessionum, per horrores extrà mittre,natura conatur, quod vel ob virtutis debilitatem, vel humoris copiam consequi nequeat, febris remanet continua. Concludunt ergo *cit. loc.* de essentia febris horridæ non esse, horrificas illas repetitiones, & ideò nomine semitertianæ, etiam alias febres simplices esse intelligẽdas,quæ tertio exacerbatæ, ad infebricitationem non veniunt,& horrorem habẽt, licèt non cum crebris repetitionibus coniunctum.Neque hoc videtur abesse à mente Galeni,qui 1.*epid. sect.* 3.*com.com.*5.sic profatur:*An verò eam vnam, quam propriè ego vocare consueui,horrificas repetitiones facientem,an etiam eam,quæ absque his sit, dignum est attentione:si enim tabidis, & aliter diu egrotantibus solet accidere hac febris, fortasis etiamsi horrore careat, vocabimus eam semitertianam,si die secundo,iterum inuadat,&c.* Si autem Galenus 1.*epid.sect.*1.*com.*23.& 2.*feb.* 8. per horridam febrem docet non intelligere Hippocratem, quæ cum horrore incipit,sed eam quæ crebras habet horrificas repetitiones,intelligendum, quòd nomine horridæ febris, vtplurimùm accipiantur illæ crebræ repetitiones,non tamen semper, quæ expositio videtur esse ad normam Galeni,1.*epid.sect.*3.*com.*5.

Dic tu,& fortasse meliùs,illam tertianam,quam Hippocrates *cit.loc.epid.* prædixit comitari tabidos, & morbos diuturnos,non esse simplicem tertianam,sed verum hemitritæum,ex tertiana,& quotidiana compositum:ex hectico enim calore, aut diuturna febre, assantur humores,& hac ratione exuperat bilis;& ex debilitate facultatum, ob tabem, vel diuturnum morbum contractam, crudorum humorum copia propullulat, ex quibus fieri hemitritæum res est manifesta.

Quod verò attinet ad febrem,paucis expende:*Vtrùm semitertiana sit febris continua*; Hippocrates firmare videtur, 1.*epid. cit.* Galenus subscribit 1. *epid. sect.* 3. *com.* 5. dum sic scribit : *At nullam ex iis quæ ad integritatem euadunt, semitertianam vocare Hippocratem ostensum est.* Contrà affirmat *lib.de typis, cap.* 4. §. *Est autem non semper continua, verùm & intermittens reperitur semitertiana febris.* Idem docet 1. *epid. sect.* 3. *com.*1.Dic, semitertianam febrem continuam esse, verùm liber de typis, in quo Galenus profert, esse intermittentem,spurius est,& tanto viro indignus, sicut alter locus *Epidemiõn* est corruptus, & legendum potiùs est,*ex semitertianis.*

Præsagium.

FEbris hæc periculosa est : nam continuò affligit, & vehementia secum affert symptomata. Hoc ita esse, *lib.de typis,cap.*4.Galenus prædixit.Periculosa porrò est semitertiana, vt quæ non os ventriculi solummodò, ac neruosas partes,& summatim media attingat,sed & veternosas cataphoras,vigiliásque cum delirio, ac syncoposas diaphoreses inferat,linguam præterea valde exiccet,atque animi defectum inferat.

Vtrùm verò *sit morbus acutus*? controuersum est. Hippocrates sic ait 1. *epid.sect.* 1.*text.* 13. *infestabant illos pleroſque hæc incommoda,febres horrificæ, continuæ, acutæ, non intermittentes,&c.*Auicenna negat 1.4.*tract.* 4. *cap.* 17. qui eum produci vsque ad septem menses asseuerat,qui terminus non acuti morbi,sed chronici signum est manifestum. Ita Galenus 1. *Aph.* 12. semitertianas medias facit, quoad durationem, inter febres ardentes,quas causodes vocat, & inter lipyrias, quas typhodes appellat.Ratio dictat,nam hemitritæus compositus est ex pituitosa febre, quæ longa est.

Dic. Licèt semitertiana, quoad totam suam constitutionem sit morbus chronicus,vtpote ex pituitosa febre compositus; quoad particulares tamen accessiones, dicitur ab Hippocrate morbus acutus,ob grauia symptomata, quibus ferè semper stipatur, quo nomine apoplexia,& Epilepsia à Galeno morbi acuti cẽsentur, 4.*de caus. puls. cap.* 21.§. *Diuturni morbi, quem Orthopnœam vocant,acutæ sunt accessiones, vt morbi comitialis.* Hoc modo intelligendus Galenus, *lib.de typis, cap.*4 dum

©BIUM

dum inquit: *Traditum itaque ab Hippocrate est, ipsam non modò inter acutos morbos, sed etiam inter diuturnos connumerandam esse.*

Curatio.

AVctores proprium caput de huius febris curatione non instituunt, fortè quòd ad modum tertianæ nothæ, quæ ex bile, & pituita conflatur, pertractandam esse rentur. Quare in sex rebus non naturalibus, idem seruandus ordo, quem in curatione tertianæ nothæ *suprà* prædiximus. Sanguinis missio instituenda, quoniam febris continuò affligit, ex Celso *lib. 5. cap. 8.* maximè si corpus plethoricum sit, & humores cum sanguine permixti. Concoquendi humores, purgatio administranda. Laudatur ab Auicenna, Absinthij decoctum, de quo *suprà*. Bilis, & pituita per epicrasin expurgentur. Vomitus cum decoctione Raphani, & syrupo Acetoso prouocandus. Viscera roboranda, prout *cap. de Tert. notha suprà* monuimus.

OBSERVATIO.

Semitertiana sudorificis ex radice Chinæ ex toto succumbens.

ACcessi ad curandum ægrum, qui à longo tempore, tertiana notha, vt Medicis videbatur, erat correptus. Ecce de industria, accessionem vno die factam contemplor, inuenio eum hora secunda pomeridiana, cum debili, & paruo pulsu: præcesserant refrigeratio in corpore percepta, sputum multum, acidi ructus. Accessio producebatur ad octodecim horas, & multò magis in augmento, quod præter alias partes accessionis, extendebatur nimis. Æger facie erat inflatus, cachectici instar, vrina rubra, sitis pauca, corpus humidum, sudor nullus, fastidium ingens. Demum omnia signa aderant, quæ quotidianam exquisitam significabant manifestè. Altero die, decima hora matutina, eum inuasit horror: pulsus erat celer, & aliqualiter durus: vrina cruda, tenuis, & decolor: apparuit vomitus pituitosus, cui aliqua portio portacei humoris erat permixta. Tandem cum madore, iuxta thoracem, & ceruicem percepto, veniebat ad infebricitationem. Visis his signis tam variis, febrem hanc non esse tertianam notham, sed semitertianam, mihi persuasi. Pro qua eradicanda, etsi doctè Medici plura remediorum genera imperassent, quæ ad obstructiones auferendas, roborandum iecur, tuenda viscera naturalia, expurgandos crassos, serosos, & tenues succos, absumendos flatus summopere prosunt, tamen æger in eodem perseuerans statu, per menses quinque, imò in peius ruens, in hydropem mihi fuit visus relapsurus. Quapropter, meo, & curantium voto, ad sudorifica assumenda accedo, parata ex radicæ Chinæ: hæc enim radix aquosos humores exiccat, viscera roborat, flatus absumit, deobstruit, & lentum succum liquat, & in halitum digerit; cuius decocto, facto in aqua endiuiæ, & lupulorum, cùm quindecim dierum spatio vteretur, semel in die, in hora remissiori, sudore excitato, febrire desiit, faciei tumor euanuit, vires sunt robustiores factæ, ita vt post duos menses, optimo vtens victus regimine, omnino sanus euaserit.

CAPVT XXV.

De febre quotidiana.

Definitio.

ETsi quotidie omnes febres repetere possint, non tamen eodem modo, ac quotidiana, siue continua, siue intermittens, ob quam causam, à Græcis Amphemerina vocatur; hoc enim modo, illi appellabant omnia, quæ in omni die, eadem ratione fiebant, vt constat ex Gal. *2. de diff. feb. cap. 7.* Quod in hac febre, ob determinatam quantitatem, & qualitatem humoris contingit, ex apta crassitie, lentore, & dispositione ad putrendum, quæ omnia ex natura intrinseca ipsius humoris scaturiunt, qui tum ob humiditatem, tum substantiam obstructioni paratam, quotidie facilè putrescit, & febrem concitat, quæ aut est intermittens, aut continua: hæc enim gignitur, quando intra vasa pituita putrescit; illa autem fit, quum extra vasa, putredinem acquirit, potissimùm in ventriculo, qui, vt *1. lib. ad Glauc. cap. 5. & 8.* præcipuè in hac febre oblæditur; ex qua pituita putrefacta, vapores eleuantur, qui calore acquisito per putredinem, cor præternaturaliter excalfaciunt, in quo natura huius febris constituitur.

Est ergo febris quotidiana, quæ ex pituita putrescente generatur, & quotidie facit accessionem suam. Sed vt ad plenum natura huius febris explicetur, priùs de pituitæ differentiis, & temperamento tantisper differendum est. Hac enim methodo, curationem Epilepsiæ, *lib. 3. de loc. affect. cap. 5.* prosequitur Galenus, dum qualitatem crassi humoris, à quo morbum comitialem generari docet, ad vnguem inuestigans, definitionem, & differentias proponit, definiens pituitam esse frigidum, atque humidum succum.

Cuius occasione quærendum: *Vtrùm pituitæ differentiæ ternario numero comprehendantur?* totidem enim Galenus *loc. cit.* recensuit: Prima est illa, quæ screando, vel vomendo excernitur, vaporoso spiritu plena, nec exquisitè frigida. Secunda, quæ excedentem nimis habet frigiditatem, & vitrea appellatur. Tertia acida, cuius generis est saliua, seu potiùs sputum, quod acidum spuentibus videtur: saliua enim ob tenuitatem, nomine succi videtur indigna. Salsa, quæ talis quidem fit, ex putredine, vel ob serosæ humiditatis, seu humoris permixtionem, de quibus Galenus *2. feb. cap. 6.*

Argues contrà. Pituita salsa, calida & sicca est, & à calore orta, ex Gal. *4. simpl. 16.* & *2. de facult. vlt. prope finem*, & *2. de diff. feb. cap. 6.* & *3. Aph. 12.* Quare *6. epid. sect. 2. com. 38.* mordacitatem inducere refert; & sitim, *lib. de plenitud. cap. vlt.* qui effectus caloris sunt: atque ita calidissimum humorem esse putabant antiqui, non modò hanc, sed pituitam omnem, ideóque nomen habere à φλέγω, id est, comburo deductum, auctore Galeno 8. *de placit. cap. 6.*

Deinde, Galenus *lib. de atra bile, cap. 2.* & *1. de natur. human. com. 31.* præter salsam, & acidam pituitam, de quibus *cit. de loc.* insipidam addit: 2 autem *de natural. facult. 2. feb.* & *lib. de plenit. citatis*, dulcem adiungit, *4. de sanit. 4. 6. epid. sect. 2. com. 58.* & alibi passim, de naturali meminit, quam *3. de loc.* subticuit, adducens acrem, tanquam diuersam à salsa, cùm ab ea non distinguatur, *lib. de atra bile, cit.* Denique *lib. de natur. human. cit.* amaram etiam numerat, & acerbam, imò multò plures fatetur esse, & *4. de sanit. tuend. cap. 4. vltra med.* innumeras ferè. Ergo *cit. de loc.* fuit diminutus in re à seipso tantopere commendata, scilicet vt causæ, & morbi differentias solicitè inuestigemus, nec ad indiuidualem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 639 sur 927

vsque quiescamus diuidendo. Præterea si pituita generaliter sumpta, succus quidam crudus dicitur, quod est omni pituitæ commune, quomodo crudum humorem, vnam constituit pituitæ speciem?

Dic. Non desunt qui asserant, ideò pituitam ab Auicenna non fuisse definitam, 1.1. quia vulgaris definitio fortè falsæ non conueniebat. Sed præstat asserere omnibus speciebus communem, & vnamquamque suapte natura habere, quòd succus sit frigidus & humidus, albus, viscosus, &c. atque ita in dicta definitione explicari, quid secundùm naturam, tali humori conueniat, non quid semper actu habeat. Quare licèt salsum phlegma, actu frigidum non sit, non tollit hoc posse dici frigidum, humidúmque succum; non aliter ac hydropis materiam frigidam dicimus, etsi actu caleat, & vt talis, sitim inducat; & aquam, frigidum & humidum elementum definimus, quamuis aqua ebulliens sit, & actu frigiditatem non habeat: nempe quia essentiales definitiones, (quales Medici arbitrantur illas humorum, quæ per temperamenta traduntur) non solent explicare, quæ actualiter insunt, sed quæ secundùm naturam conueniant, à quibus necessarium est actu recedere, quæcunque præternaturalia sunt, inde siquidem talia dicuntur.

Solue secundò. Quemadmodum in bile atra, terreæ portiones abundant, & multò plures, quàm igneæ, ita in salsa pituita, aqueæ, copia & mole superant adustas: ratione igitur illarum partium frigidarum, quibus constant, possunt frigidæ appellari, quantitatiuè tamen, qualitatiuè enim potiùs calidæ, qualitate siquidem & vehementia non minùs vna, quàm alia calefacit & vrit, scilicet, quia adustæ partes intermixtæ, si quantitate superantur, superant potentia & intensione: & in eum quidem sensum Galenus 3. *de caus. sympt. cap.* 2. *versus finem*, dixit bilem atram frigidam esse, ac cinerem, & acetum, & *adductis locis*, salsam pituitam, calidam, alibi frigidam.

Quæres. Cur 2. *de nat. facult. vlt.* & 3. *de loc.* 7. non patitur Galenus, alimenti serum, aquosum sputum, mucum à cerebro distillantem, pituitam appellare, cùm succi quidam sint frigidi, & humidi? Dic. Sicut non omnis substantia fluida & liquida, in corpore nostro reperta, potest humor appellari, nisi illius formam adipiscatur in organis coctionum, & secundam, aut saltem primam in ventriculo fuerit experta, quò ad alendum apta efficiatur, ita nec pituita, quantumuis frigore & humiditate polleat, vt constat ex 2. *de natural. facult.* adducto: idque confirmat ratio, quia si pituita semicocti alimenti excrementum definitur, 1. *alim.* 2. & 1. *progn. com.* 10. & alibi passim dicitur succus à sanguinis perfectione deficiens, crudúsque & inconfectus sanguis, nonnisi per coctionem in organis illius generabitur, ac proinde nihil mirum, si sputum aquosum, & reliqua à pituitæ speciebus reiiciantur, cùm non rarò 3. *alim. cap.* 33. & 3. *de sympt. caus. cap.* 2. pituitosos succos, ab aquosis & crudis etiam distinguat.

Ad secundum dic. Præternaturalis pituita, quam insignis qualitatis expertem, ac insipidam appellat, *lib. de atra bile, cap.* 2. & 3. *de loc.* 7. nulla qualitate infectam, & 2. *de facult. natural.* dulcem, diuersimodè numeratur, etiam ipso Galeno, inter naturalis pituitæ species, vt constat ex locis in argumento adductis, & pluribus aliis. Dulcem autem pituitam appellat insipidam, quia dulcis, ac insipidus sapor, inter se reciprocantur, hinc sæpe aquam dulcem, nonnunquam insipidam appellamus; vel quia cùm dulcis sit, vtilis, & conueniens ad alendum, non sine causa denominationem imposuit naturalis, de quo 14. *meth. cap.* 14.

Licèt verò etiam 3. *de loc. cit.* plures tradidisse videatur, omnes tamen ferè ad ternarium numerum reducuntur, illius nempe quæ crudior est naturali, aut magis cocta, aut vsta. Sub priori comprehenduntur vitrea, acida, & illa, quæ crudus succus simpliciter dicitur. Secunda dulcis, quæ etiam pituita alimentaria nuncupatur, & quamuis incoctus sanguis, magis tamen cocta, quàm ipsamet naturalis, atque ideò in dulcem conuersa. Tertia salsa, quæ non distinguitur ab acri, *lib. de atra bile cit.* ac proinde pro *acrem*, legendum 3. *de loc. cit.* est, *amarum*: Græca enim dictio ἁλμυρὸν, salsum, acréue significans, etiam pro amaro sumitur. Quanquam verò amara pituita detur, vt in sputo apparet, quod quandoque manifestè amarescit, & illius meminerit Galenus, rara tamen est, nec inter simplices, de quibus frequens est sermo, numeranda; talem siquidem efficit permixta bilis, cuius propria est amaritudo, *lib. de atra bile cit.* Quemadmodum etiam acerbum creat permixta melancholia, licèt sine huius miscella probabile sit, posse pituitæ acidum, præ frigoris vehementia in acerbum transire, quod scribit Auicenna 1.1. *cit.* Sed tanquam rara, etiam fuit à Galeno omissa.

Iam verò gypseæ, quam adiungunt, quæque non rarò in articulis visitur, non meminit, quia propriè humor non est, nec in vasis, aut ventriculo gignitur, cuiusmodi etiam erunt, aut rarissimæ aliæ, si quæ dantur, maximè cùm in *libris de loc. affectis*, non proposuerit Galenus omnes morborum differentias, & causas ad vnguem explorare, sed potissimùm affectas sedes, & consequenter affectiones, & causas, aliunde tamen exactè petendas.

Porrò quamuis pituita naturaliter accepta, dicatur crudus succus, & is propriè quidem, sed latè sumptus definiatur, humor in alimenti confectione infra sanguinem subsistens, 4. *de sanit. tuend. cap.* 7. quod omnis pituita habet; præsè tamen, & angustiore significato sumitur, *lib. de plenit. vlt.* & 2. *crisi.* 12. pro quadam pituitæ specie, crassa, & graui, crudus succus specialiter dicta, ob multam grauitatem, & crassitiem quam habet, sine flatulentia pituitæ propria: Hæc in edacium, otiosorum, & crapulosorum vrinis subsidere solet. Ob quas etiam differentias Galenus, crudum hunc succum distinxit ab acida pituita, ad quam poterat reuocari, cùm acidi saporis sit particeps, non secus ac reliquæ pituitæ crudiores, ad naturalem.

Causa.

His de differentiis pituitæ sic breuiter prælibatis, ex tam multis, quæ de hoc instituto in medium poterant adduci, dubitemus vltrà: *Vtrùm ex omni pituita, quotidiana ortum ducat*? Dic. Pituita multiplex est, vt nuper diximus. Ex salsa non fit quotidiana exquisita, quia est humor calidus & siccus, ex quo ea generari nequit, cùm sit quotidianæ summè contrarius: Sed ab ea causus nothus originem habet, si in determinato loco putrescat. Ab aliis verò pituitæ speciebus, quotidiana exquisita generatur, sed maximè à dulci; hæc enim faciliùs cæteris putrescit. Hac ratione rariùs ab acida fit, acidum enim putrefactioni resistit. Vitrea quoque, quia ratione frigiditatis rarò putrescit, rarò febrem accendit: quæ enim putrescunt, à calido perpeti est necessarium. Pituita ergo præsertim dulcis putrescens, inter causas febris quotidianæ numeranda.

Internæ etiam sunt intemperies frigida humida, ætas puerilis, & senilis: illa, ob vitæ intemperantiam, & inordinatos motus, & humidiorem viscerum intemperiem, ob quam causam, crudorum humorum copia excrescit. Senilis ætas, ob frigidam intemperiem ventriculi, hepatis, & totius corporis, à qua omnes coctiones prosternuntur, siue siccitas, siue humiditas coniuncta sit. Quotidianam etiam generant, natura pituitosa, vel frigida, vel humida, corporis obesitas & crassitudo:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 640 sur 927

tudo : hæ enim omnes cauſæ, pituitam adaugent, obſtructiones progenerant, & hoc modo prohibita ventilatione, pituita putreſcit, quæ huius febris cauſa eſt coniuncta.

Signa.

EA proponit Galenus 2.*criſ. cap.*5. quò loco facillimum eſſe, quotidianam exquiſitam, à tertiana diſtinguere aſſeuerat : tum quia nec in principio, nec in progreſſu temporis, inuadit cum rigore ; tum quia in inuaſione acceſſionis, pulſus nullum ordinem, aut æqualitatem habet, tum etiam quia in quotidiana, præſente iam febre, non adeſt tanta pulſus magnitudo, & vehementia, quanta in tertianis exquiſitis manifeſtè conſpicitur.

Præterea quia in quotidiana non adeſt vehemens calor, nec appetitus frigidæ : in hac enim febre, lingua, totúmque corpus humidiſſimum eſt, crudíſque humoribus plenum : Nec apparet ſudor in principio, vbi humores adhuc crudi ſunt ; progreſſu tamen temporis, vbi humores iam aliqua ex parte, à natura concocti ſunt, nec adeò pertinaciter in cutis, & carnis meatibus hærent, ægri ſudare incipiunt.

Eodem etiam loco diſtinguit quotidianã, à quartana : primò ex pulſu, hic enim in quotidiana minor eſt, æquè celer, & frequentior, ob cauſas ſuperiùs dictas. Secundò, ex rigore, vt enim docet 2. *feb.*4. quotidiana incipit ab extremorum frigefactione, atque horrore potiùs, quàm rigore. Tertiò, ex concurſu rerum non naturalium, à quibus oritur quotidiana, cuiuſmodi ſunt vita otioſa, crapulis dedita, ætas puerilis, hybernum tempus, temperamentum pituitoſum.

Circa ſigna quotidianæ, illud primò inquirendum: *Vtrùm in quotidiana, pulſus debilis, & paruus exiſtat?* Reſponde affirmatiuè, quoniam ob exceſſum pituitæ, virtus debilitatur eximiè. At rogabis, quæ ſit cauſa, quare pituita pluſquàm alij humores, facultatem debilitet? Dic id ob varias cauſas contingere, primò ob frigiditatem pituitæ, naturæ noſtræ aduerſam valde. Secundò, ob multitudinem, lentorem, & craſſitiem illius, ex quibus magna obſtructione ſuborta, membrorum ſufficiens tranſpiratio impeditur ; quare denegato aëri tranſitu, qui eſt ſpirituum commodum alimentum, virium ſubſequitur debilitas. Tertiò, quia ab exceſſu pituitæ læditur os ventriculi, quod eſt receptaculum pituitæ, & hac ratione ob loci vicinitatem, vitio cordi communicato, proſternuntur vires, & ſyncope æger prehenditur, quæ frequenter in inuaſione huius febris contingit, ob cauſam dictam, vt 1.4.*tract.*2.*cap.*47. docuit Auicenna.

Secundum ſignum eſt, quòd acceſſio inuadat hora veſpertina, quoniam vt docet Galenus 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 15. partes diei proportione reſpondent partibus anni, ita vt nocti ſimilis ſit hyems, ſcilicet intemperamento, & quia in hyeme, & parte nocturna diei, viget pituita. Quare veſperi, hora proximè præcedente noctem, inuadit acceſſio pituitæ, ſcilicet quotidiana, quod 12.*meth.*5.*in fine*, monuit Galenus, dicens: *Qui ex ſuccis pituitoſis laborant, hos quotidie acceſſiones exercent, præcipuéque ad veſperam, & noctu, non manè, nec vſque ad meridiem.*

Tertium ſignum eſt, longitudo augmenti, cuius cauſa eſt natura pituitæ, quæ difficillimè ſolet inflammari, ob lentorem ſuum, & frigiditatem nimiam. Auicenna 1.4. *cit.* hanc febrem, propter obſtructiones quæ interponuntur, tempore augmenti, quandoque in vno ſtatu per duas horas permanere aſſeuerat, ac proinde nos decipere, perinde ac ſi conſiſteret, cùm tamen poſtea procedat augendo ; & ſimiliter habere ſtationes quaſdam, tempore declinationis, affirmat.

Quartum ſignum eſt, calor ſenſatus, qui in febre quotidiana, non æqualiter tangenti repræſentatur, ob meatuum obſtructiones multas, ſed offertur tangenti, quaſi cribro colatus eſſet, vt Auicenna inquit.

Quintum ſignum eſt, quòd qui febrem dictam patiuntur, iecore malè affecti ſunt, quoniam pituita dictam febrem excitans, obſtruendo, & frigiditate, atque multitudine ſua iecoris calorem extinguit.

Sextum ſignum. Ructus acidi hanc febrem antecedunt, qui imperfectam concoctionem, à frigiditate prognatam concomitantur, vt conſtat ex Galen. 6. *Aph.*31. Cui ſigno addi poteſt ætas, conſuetudo, anni tempus, regio, vita otioſa, crapulis dedita, & aliæ res non naturales, quæ pituitam augere natæ ſunt : quibus omnibus concurrentibus, præſertim ſi eo tempore, hæc febris plures inuadat, eſſe pituitoſam certò poteſt prædici.

Septimum ſignum. Quotidiana potiùs incipit cum frigiditate extremorum, aut corporis horrore, quàm rigore, vt 2.*feb.*4. docuit Galenus. At hoc non ita intelligendum eſt, quaſi Galenus velit, hanc febrem nunquam cum rigore inuadere, id enim falſum videtur: nam quamuis pituita dulcis ob craſſitiem, & temperiem ſuam, membris ſufficientem noxam ad excitandum rigorem non inducat, 2.*de cauſ. ſympt.*3. & 2.*feb.*6. tamen pituita acida, & vitrea, ob frigiditatem & acrimoniam cum rigore inuadit, 2.*feb.cit.* Pituita autem ſalſa, vt ibidem docet Galenus, & Auicenna, non inducit verum rigorem, ſed horrorem.

Octauum. In hac febre, non adeſt vehemens calor, aut ſitis, quoniam totum corpus humidiſſimum eſt, gratia liquefactæ pituitæ. Nec apparet ſudor in principio illius, ob cruditatem, craſſitiem & viſcoſitatem humoris ; progreſſu tamen temporis, cùm humores iam aliqua ex parte concocti ſunt, & attenuati, & non adeò pertinaciter cutis, & carnis meatibus hærent, ægri ſudare incipiunt.

Nonum ſignum. Vrina in primis diebus eſt alba, & tenuis, ob copiam obſtructionum & frigoris ; deinde ſolutis obſtructionibus, & increſcente putredine, apparet craſſa, turbida, & quandoque rubida. Notabis tamen, vrinam non fieri verè rubeam, ſed magis tinctam iuxta ſtatum, & declinationem : tunc enim ſolutis obſtructionibus, bilis retenta ſimul cum vrina vacuatur.

De vltimo ſigno, dubitatio eſt non exigua : *Vtrùm interuallum in hac febre, omnino à febre liberum euadat?* Reſponde negatiuè, exceptis paucis, 1. *ad Glauc.*7. Sed contrà obiicies : Ex humoribus multum relinqui, tempore interualli ; quare cùm melancholia ſit humor omnium craſſiſſimus, plus illius relinquetur in interuallo, & hac ratione magis apparebit veſtigium febris melancholicæ, quàm in interuallo pituitoſæ.

Dic. Ratio non conuincit, ob multas cauſas. Prima, quia interuallum febris quotidianæ, multò minus eſt, quàm quartanæ ; durat enim per ſex horas, cùm tamen in quartana duret per duos dies. Secunda, quia etſi melancholia craſſior ſit, tamen pituita multò magis glutinoſa eſt, & in multò maiori copia aceruatur. Tertia, quia etſi in interuallo quartanæ, plus relinqueretur de humore, quàm in interuallo febris quotidianæ, tamen melancholia, quæ relinquitur in quartana, valde terreſtris, minúſque vſta eſt ; quare non poteſt conſeruare veſtigium febrile, ſicut pituita in interuallo pituitoſæ.

Obiicies ſecundò, etiam in aliis febribus intermittentibus, interuallum nunquam eſſe à febre liberum, 1.*ad Glauc.*2. quo loco, quantumuis multum temporis inter primæ acceſſionis finem, & ſequentis initium intercedat, tamen adhuc febris ſignum manere, ipſe aſſeuerat. Dic. Diuerſa ratio eſt, quia in febre quotidiana, interuallum non eſt reuera omnino liberum

à

à febre; in aliis verò intermittentibus, in interuallo nulla quidem relinquitur febris, sed solùm quoddam illius vestigium, nempe putredinosi caloris, quod ex velocitate contractionis, & acrimonia tactus, potest dignosci.

Præsagium.

OMnis morbus chronicus, omnino non est securus, cùm enim crassitiem, & tenacitatem arguat causæ morbificæ, humor difficulter resoluitur, maximè cùm semper facultates debiles sint, nec vnquam febris ad infebricitationem perueniat, quia vaporibus accensis, assiduè cor opprimitur: in quem sensum, rectè *cit. loc.* dixit Auicenna, *sicut rarò contingit quartanam continuam esse, sic rarò reperiri quotidianam, quæ integrè possit eradicari.* In hac cibi fastidium est pessimum signum, præsertim si cum nausea sit coniunctum, copiam enim in ventriculo crudorum humorum præostendit, quorum occasione non solùm hæc pars, verùm vniuersum corpus, eximiè debilitatur, ita vt febris tolerari nequeat, vt *cit. loc.* Galenus, & Auicenna confirmarunt.

Agitatum video à doctioribus: *Vtrùm quotidiana diurna, longior, & deterior sit nocturna?* Respondet Hippocrates *lib.1.epid.sect.3. text.6.* in hunc modum: *Nocturna non admodum lethalis, longa tamen est; diurna longior: sunt quibus ad tabem vergat.* Subscribit Auicenna *1.4.tract.2. cap.54.* dum sic ait: *Diurna est, cuius paroxysmus accidit in die, & eius tepor in nocte, & nocturna est è conuerso, & vtraque sunt mala: sed diurna est longior, & deterior, & facit cadere multoties, propter longitudinem suam, & suum euentum in calore diei, in hecticam.*

Dic, quòd licèt vtraque non vacet periculo, & longa sit, tamen diurna est magis periculosa, vt affirmat etiam Galenus *in com.* Accessionem enim habet longiorem, & ad tabem ducit: nam incipit interdiu, & habet principium & augmentum longum, vnde status erit longus, remitteretur verò in nocte. Longa etiam fit, quia etsi cesset noctu, hæc remissio non est tuta; hoc enim tempore, corporis habitus densatur, calor putridus ad viscera contrahitur, putrida excrementa retinentur, ex his inquietudo sequitur, accessione præter ordinem producta. Deinde aliud incommodum sequitur ex cibatione noctu oblata, cùm instet noua accessio, quare tunc intempestiua est. Præterea æger vigilare cogitur, ideò dissipatis spiritibus debilitatur valde: quare cùm non exhibeatur alimentum tempore debito, & vigilet necessariò, clàm, sensim, ac sine sensu contabescit. Quamuis autem hoc periculum, etiam intelligendum sit de aliis febrium differentiis, tamen in quotidiana magis imminet, quæ aut est diurna, aut nocturna; reliquæ verò neutræ esse possunt, quoniam eadem die possunt incipere, & finire, breuiores enim accessiones habent. Quotidiana verò, cùm accessionem habeat ad minimum durantem octodecim horas, necesse est vt sit diurna, vel nocturna. Quòd si eueniat, vt tertiana perpetuò incipiat interdiu, & partes noctis occupet, vt si incipiat à meridie, ad vesperam, necessariò finietur noctu, nec erit periculosa: in hac enim error in victu non contingit, alimentum enim præbemus in die, & nocte somnum imperamus, quoniam sequentem diem quietum habemus; in quotidiana verò ex instante accessione, noctu cibare cogimur.

Curatio.

QVamuis in omnibus febribus, vtendum sit alimentis frigidis & humidis, quibus conseruetur natura, & auferatur febris, in hac tamen febre, etsi ratione febris vti debeamus ipsis, ex alia parte ob indicationem, quæ sumitur à causa, offerenda sunt alimenta, quibus humor pituitosus, lentus, & viscidus calefiat, tenuetur, & abstergatur. Propinanda ergo sunt alimenta moderatè calefacientia, & incidentia.

Circa victus formam variant interpretes: *Vtrùm in initio quotidianæ, victus tenuis sit offerendus?* Galenus 12. *meth.3.& 4.* in febre orta ex succis crudis, solam mulsam offert, cùm enim æger vtitur tenui victu, plurimum pituitæ in alimentum absumitur. Auicenna 1. 4. *cit.* in principio huius febris, victum tenuissimum præscribit, §. *Et fortasse est contentus aqua hordei in primis tribus diebus.* Ex altera parte, est validissima ratio, cùm enim quotidiana, morbus longus sit, non potest æger propter vires, vsque ad statum, cum tenui victu conseruari, alioquí in statu pleniorem cogemur exhibere cibum.

Dic. Si vires tolerant, necessariò cogimur in primis diebus abstinentiam imperare, ita vt exiguum, aut nullum victum, si vires consentiant, exhibeamus; aliter enim humorum copiam minuere non possumus. Si verò vires, vsque ad statum, cum hoc victu non sufficiant, in secunda parte principij, vberiùs nutrimus, cùm copia minuta sit, postea verò in statu subtrahimus. Auicenna verò id facit, ad cognoscendum, num quotidiana à pauco humore, eóque tenui ortum ducat: si enim hoc ita accidat, quoniam statum breuem habet, cum eo victu finietur quotidiana; sin minùs, victus præscribendus mediocris, in ordine vsque ad statum, quod præscribit Auicenna *cap. cit.* §. *Quòd si certò sciretur, quòd status eius esset tardus, non subtiliaretur regimen,* quam victus rationem tentatiuam præcipit, 1.4.*tract.2.cap.65.* in curatione quartanæ, & *cap.68.* primis tribus hebdomadis, prohibens carnem, & victum mediocrem, solúmque concedens tenuem, deinde verò victum, in ordine ad statum, mediocrem imperans. Potus sit aqua cocta cinnamomo, aniso, radice petroselini, aut mediocris cereuisia: & in debilibus in principio vinum aquosum, deinde mediocre imperandum.

De phlebotomia, illud inuestigandum: *Vtrùm in die pari, vel impari sit celebranda?* Dic. Si pituita sit permixta sanguini, vel vrina appareat crassior, & rubicundior, vtilis est. Quidam imperant in die impari exercendam esse, ratione sanguinis peccantis, qui cùm vertatur in bilem, exacerbatur per dies impares, sicut bilis. Dic. Exequendam esse venæ sectionem in die, & hora, qua ægerleuiùs habet: quòd si æqualiter opprimat accessio, in die pari, vel impari id facere, nihil vetat.

Ad præparantia accedamus, quorum vsu humor aptus efficitur ad expurgationem. Sed *vtrùm hæc in quotidiana, orta à pituita quauis, sint offerenda?* diffidium est. Dic. Victus, & reliqua non naturalia, & alia præparantia pituitam, in hac febre inclinent ad calidum & siccum, & facultate attenuandi, & incidendi prædita sint, magis aut minùs, pro ratione & varietate peccantis pituitæ. In vitrea enim, necessaria sunt magis calida & sicca, magísque attenuantia, & incidentia. In acida minùs: adhuc minùs in dulci, & insipida. In salsa oportet illa temperata esse in actiuis, & effectiuè humida, quod optimè docuit Trallianus *lib.12. cap.7.* Huiusmodi enim pituita, licèt appareat humida, tamen facultate sicca est, vt aqua marina. Deinde calidam esse, inde constat, quòd intestina rodat, sicut bilis, & grauissima tormenta, id est, dysenterias suscitet. Præterea, vt *loc.cit.* idem auctor docet, ea pituita sæpe nequit, per ea quæ calefaciunt, & siccant extenuari & diffundi, sed potiùs adhuc etiam crassior efficitur, vt in sale contingit.

Præparantia sunt, quæ attenuant humorem crassum, eúmque vel per vrinæ vias, vel aluum detrudunt: sed hæc *Vtrùm in principio, ante vacuationem offerenda?* controuersia est. Nam videtur quòd Galenus, & Auicenna dubij sint, in hac obseruanda praxi, dum *cap. de quotidiana,* à principio victum attenuantem, & incidentem, simúlque diureticorum vsum præcipiunt, cùm vtrumque

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 642 sur 927

©BIUM

que ex ipſorum mente, ante vacuationem valde noceat, vt patet ex *lib.8.& 11.meth.cap.4.* Diuretica verò offerre ante vniuerſalem per aluum vacuationem prohibet Auicenna *1.4.tract.2.cap.7.* quoniam obſtructiones augent, deducendo humores ad vias anguſtas.

Reſpondent aliqui, Galenum *1.ad Glauc.12.* præcipere tria dicta, ita tamen vt primum, hoc eſt, victus attenuantis, & diureticorum vſus, & ſecundum, videlicet ventriculi roboratio, fiant poſt tertium, ſcilicet poſt vacuationem per vomitum, & aluum celebratam: & hoc videtur conſonum illius menti, *11.meth.cap.10.* vbi deobſtruentia, ante vacuationem nullo modo permittit. At hæc ſolutio non ſatisfacit, cùm Galenus ſtatim à principio, hoc eſt, in primis diebus, attenuante victu, & diureticis vtendum imperet in hac febre, & Auicenna *1.4.tract.2.cap.55.in §.cit.* idem conſulat, in tribus principij diebus: quo tempore materia exiſtente ex toto cruda, euacuatio non poteſt dictorum exhibitionem præcedere.

Dic ergo, in hac febre à principio, leuem attenuationem poſſe eſſe ex vſu, qualis fit melle Roſaceo, Oxymelite ſimplici, & ſyrupo acetoſo ſimplici, aut Capil. Ven. cum decocto fœniculi, vel petroſelini. Quod videtur docere Auicenna *cit. loc.* cùm dicit: *Et conuenientiores medicinæ, quæ adminiſtrantur in principio, ſunt geleniabin*, (hoc eſt, mel Roſaceum) *vſque ad diem ſeptimum.* Quibus verbis docere videtur, vſque ad prædictum terminum, ad alia attenuantia non eſſe tranſeundum, quæ etiam ſimul ſunt diuretica, ſcilicet ad ſyrupos de radicibus, ſyrupum acetoſum compoſitum, cum decoctione radicum, quoniam hæc nonniſi poſt ſeptimum, hoc eſt, poſt aliquam præparationem; & euacuationem non ſunt concedenda, tunc enim ad integram concoctionem humoris comparandam, fortibus vti fas eſt. Vt verò hæc feliciùs eueniant, communes vias vel clyſtere, vel pharmaco clementi abſtergere oportet.

Præparandus ergo humor eſt ſyrupis dictis. Expurgandus frequenti purgatione per interualla, ex Tralliano, cum Agarico Trochiſcato, Turbith, Electuario Indo, Diaphœnic. Pilul. de Agarico, &c. Laborandum vt humores ad concoctionem perueniant, ne in vetuſtatem degenerent, cùm enim diutius in corpore coërcentur, magis adhuc ab omnibus præſidiis, quæ calefaciunt, & videntur extenuare, craſſeſiunt, vt non ampliùs, ne medicamentis quidem ad purgandum efficacibus, promptè ſuccumbant, cùm difficiles ipſi ad motum, & terreſtres magis, ex dictis præſidiis euadant.

Vomitus poſt cibum, vtilis eſt, ad euacuandam pituitam in ventriculo impactam, quæ ibidem retenta putreſcit, & partes vicinas conſpurcat. Hoc dictat Auicenna *1.4.tract.2.cap.55.§.Et omnes eius ſpecies communicant, &c.* Quòd ſi his febris non eradicetur, & diureticis medicamentis non ſuccumbat, & aliis quæ pituitoſos humores per aluum deturbant, neceſſe eſt proſpicere ventriculo. In quem vſum vtile eſt, per duos vel tres dies, in aurora ſumere tabularum ex pulueribus Aromatici Roſat. Gabrielis drachmas ſex, aut vnciam vnam, ſuperbibitis aq. Abſinth. aut fœniculi vnciis tribus. Vel fouendus ventriculus oleis, pulueribus, & vnguentis, dictis *cap.de tertiana notha.* Confert etiam emplaſtrum ex Maſtiche madefacta abſinthij ſucco, & liquefacta ſuper alutam. Vtilis eſt ſaculus repletus pulueribus menthæ, abſinth. Roſar. rub. Coriand. præparat. Maſtich. Ligni Aloës, Cinnamom. Spicæ, &c. Pro corroborando iecore fiat hoc epithema.

℞. *Aq.abſinth.* ℥ iiij. *aq.endiu.* ℥ ij. *vini albi*, ℥ j. *aceti roſar.* ℥ ß. *ſantalor. rubror.* ʒ j. *cinnamom. ſpicæ, ſchœnanth.an.* ℈ viij. Miſce.

Vel fiant huiuſmodi pultes:

℞. *Succi apij, abſinth. cichor. an.* ℥ j. *olei abſinth.& ſpicæ, an.* ℥ j. ß. *ſantalor. rubror.* ʒ iiij. *farinæ hordei, parum.* Miſce.

Sed agamus de febre latica: *Vtrùm à quotidiana differat?* Nam Auicenna *1.4.tract.2.cap.48.* ad hoc pituitoſæ febris genus reducit febrem, quam à latendo *Laticam* vocat, quæ licèt illi ſimilis ſit, differt tamen ab ea, quòd non intermittat, ſed continua ſit, & quòd vniformes exacerbationes non habeat: qua de cauſa eam eſſe ſimilem hecticæ aſſeruit, quoniam continuò, lentè, & ſine moleſtia ægrum corripit, non autem quòd immaterialis ſit, ſicut hectica; nec etiam quòd ex pituita non putrida gignatur, cùm ab hac, abſque putredine, nulla febris poſſit concitari. Generatur hæc febris ex viſcerum contumaci obſtructione, meſenterij, iecoris, lienis, atque omenti. Curanda more quotidianæ, purgatione, aperientibus validis, præcedente ſanguinis miſſione, quam maiori cum audacia eſſe celebrandam, quàm in quotidiana periodica, quoniam continua ſit, & cauſa eius lateat intra venas, ratio dictat.

Vtrùm autem ſimilis ſit hecticæ? non eſt explicatu facile. Licèt enim ob lenitatem caloris, hecticæ ſit ſimilis, & perſæpe nimiam corporis extenuationem inducat, tamen ab illa tripliciter diſtinguitur. Primò, ex tactu cutis, quæ in hectica apparet ſicca, corrugata, & dura; in quotidiana, mollis, & humida. Secundò, ex pulſu, nam in hectica durus eſt, in illa mollis. Tertiò, quia hectica per vnam, vel duas horas poſt cibum intenditur, quod non ſimiliter fit in phlegmatica, ſed potiſſimùm exacerbatur veſperi, & viget noctu.

Inter pituitoſas febres, *Epiala* numeranda, in qua in toto corpore ſimul ſentitur contrarius affectus, nempe calor, & frigus, ita vt in quacumque minima particula, tam interna, quàm externa, calorem, & frigus ſimul ſentiant ægrotantes. Eius cauſa duplex, pituita vitrea, vel acida, leuiter & non ſecundùm omnem ſui partem putrefacta, ex Gal. *2.feb.6.* nam illi duo humores, cùm vehementer frigidi ſint, putredini maximè reſiſtunt, & ſi per ſenſibiles partes moueantur, ſine putredine rigorem efficiunt, quem non ſubſequitur febris; ſi verò ex toto putreſcant, quotidiana fit cum rigore, & febre ad ipſum ſequuta. Si denique leuiter, & non ſecundùm omnem ſui partem putreſcant, eleuatis vaporibus calidis à parte putrida, & frigidis à non putrida, præterea eius calore exiguo frigiditatem non obſcurante, Epiala gignitur febris.

Sed quomodo in eadem parte ſimul, poſſunt illa contraria ſentiri, ſi nihil motibus contrariis ſimul moueri poteſt? Dic, omiſſis aliis interpretationibus, reuerà vnam & eandem partem adæquatè non poſſe ſimul ſentire frigiditatem, & calorem; & in Epiala id fieri, ſecundùm corporis partes diuerſas, ſed adeò exiguas; vt ſenſu diſcerni non poſſint, ſintne eædem, an diuerſæ: ac proinde ſenſus iudicat totum ſimul refrigerari, & incaleſcere, quia nulla ſenſibilis pars eſt, in qua illa duo non reperiantur, & eam fuiſſe Galeni mentem, apertè conſtat, ex *lib.de inæqual. intemp. cap.8.* Curatur vt pituitoſa febris, ex Aëtio *tetrab.2.ſerm.1.cap.87.* ſed in ea vtere calidioribus, & magis extenuantibus auxiliis, quia eius cauſa crudior, & frigidior exiſtit.

Inter pituitoſas etiam ab Arabibus numeratur *Lipyria*, in qua interiora calent, & exteriora frigent, ſeu Lipyria febris eſt illa, in qua calor, & frigus ſimul per totum paroxyſmum ſentiuntur, at non in eadem corporis parte, vt in epiala, ſed in diuerſis, intus ſcilicet calor, & extrà frigiditas, ex Gal. *lib.de inæqual. intemp.cit.* dicente: *In ipſa tamen acceſſionis inuaſione, aliqui febricitantium tum rigent, tum verò febricitant, tum ambo ſentiunt, frigus immodicum, & calorem vnà, verùm non eodem loco: quippe cùm poſſint, quæ excalfactæ ſint partes, manifeſtè à refrigeratis diſcernere. Nam intus, & in ipſis viſceribus calorem ſentiunt, in externis partibus vniuerſis frigus.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 643 sur 927

frigus. Tales perpetuò febres sunt, quæ Græcè lipyriæ vocantur, præterea quoddam ardentium febrium genus perniciosum. Quod igitur in his, maioribus portionibus accidit, hoc in epialis contingit minutis, &c.

Hoc autem non intelligas fieri, inuadente accessione, (plurimæ enim ex intermittentibus tales sunt) sed perseuerante febre. Huiusmodi autem febrem valde reprobant Hippocrates, & Galenus 4. *Aph.* 48. & 2.*præsag.*4.quoniam licèt illa frigiditas extremorum, varias causas possit habere, traditas 7. *Aph.* 26. tamen si in febrem acutam incidat, inflammationem aliquam in visceribus adesse denotat, quæ vndequaque ad se, cucurbitulæ instar, sanguinem, & spiritus in partibus externis contentos attrahit: quare hæ refrigerantur, internæ valde excalfiunt, aut extinctionem caloris natiui in partibus externis, summámque virium debilitatem denotat: cùm enim vires ob intensissimam febrem imbelles fiunt, exteriores partes frigescunt, interiores verò calefiunt, quoniam naturalis calor paulatim contrahitur.

Vtrùm lipyria inter pituitosas intermittentes febres reponenda? dissidium est: quia Galenus 4. *Aph.*48.docet, nec se vidisse vnquam, nec mente concipi posse, hoc fieri in intermittente febre, sed solis accidere febribus, quæ causones ab incendio nominantur, pernicioſis, & valde malignis lipyriis. Dic. Si per febrem lipyriam, eam intelligamus, in qua simpliciter interiora calent, & exteriora frigent, hunc quidem affectum reperiri posse, in febre intermittente pituitosa, de eáque loqui Auicennam 1.4.*tract.*2.*cap.*48. & hoc in ea posse contingere, constat ex Gal.2.*progn.*4. vbi concedit in morbis longis, (hi autem sunt, qui à crassis, & pituitosis humoribus fiunt) posse internis calefactis, externa refrigerari, nec id ab Hip. periculosum dici, sed solùm si contingat in febribus acutis. Si autem lipyriam dicamus, in qua interna vruntur, externis partibus refrigeratis, apud Græcos probatum est, hunc affectum non posse reperiri in febribus intermittentibus, aut pituitosis: nulla enim pituita quantumuis putrefacta, potest sic partes internas deurere, sed solùm reperiri in febribus continuis, intensissimis, & malignissimis, idque 4.*Aph. cit.* Galenum significare affirmamus. Ab Epiala differt, quia in hac calor, & frigus in iisdem partibus sentiuntur; in Lipyria, in diuersis. Hæc longioris est durationis, quàm hemitritæus, ex Auic. *cit.* & cùm fiat à bile intus accensa, & à pituita extrinsecùs refrigerante, ad vtrumque humorem curatio dirigi debet. Quomodo verò curetur spuria lipyria, seu illegitima, quæ ab inflammatione partium internarum generatur? Dic curandam esse, more inflammationis, aut ardentis febris, provt *lib.*4.*Hist.Princip.Medic.Hist.*38. notauimus. De febre syncopali humorosa, & minuta subtili, eiúsque curatione, lege *lib.*4. *Hist. Princip. Medic.Hist.*39.& *lib.*2.*huius oper.cap.*9.de syncope.

OBSERVATIO.

Ad quotidianas, aliásque febres productas, facile, sed vtile auxilium.

IN febribus longis, quotidianis, quartanis, & aliis magis productis, quæ cum typo infestant, necessaria esse auxilia, quæ obstructiones aperiant, vrinam prouocent, ventriculum, & viscera roborent, flatus discutiant, sudorem moueant, vnanimi Medicorum decreto sancitum est. Inter hæc fœniculum primatum obtinere, illi confirmant. Plures tractaui, qui his febrilibus paroxysmis diu erant oppressi, quibus cætera medicamina longo tempore oblata, profuerant nihil, qui exhibitis vnciis quatuor succi radicis fœniculi, cum saccharo, in aurora, ieiuno ventriculo, decem dierum spatio pristinam sanitatem recuperarunt. Plurimis enim in lecto bene coopertis, copiosus mouebatur sudor, aliis mucida lentáque pituita, per os cum screatu effluebat. Aliis ructus erumpebant fœtidi, & crepitus cum strepitu multo.

CAPVT XXVI.

De Quartana.

Definitio.

OFfert sese quædam putrida febris, Quartana, sic dicta à communi accessionum, ac exacerbationum circuitu: cuius natura consistit in calore febrili, ab humore melancholico accenso, ac putrefacto. Huius duplex assignatur differentia, pro diuersitate loci, in quo putrescit humor. Alia est continua, etsi hæc sit rarissima, ex Gal.1.*epid.sect.*2.*com.*2.& 1.4.*tract.*2.*cap.*4. humor enim melancholicus, cùm paucus sit, nunquam ita vbertim accrescit, quòd extra venas, à natura non expellatur in lienem. Alia est intermittens, & hæc vel est simplex, quarto quòque die repetens, vel duplex, aut triplex, ex Gal.1.*ad Glauc.*1 1.& 2.*feb.*2. Duplex repetit duobus diebus, & intermittit vno; triplex verò singulo quoque die.

Verùm cùm eodem modo repetat duplex tertiana, vel quotidiana, ex Gal.2.*crisi.*9. dignoscetur ab aliis triplex quartana, tum qualitate caloris; tum ex propriis vnicuique febri symptomatis; tum denique ex ipso repetendi modò, quia scilicet vnus paroxysmus, alteri proportione respondet, de quarto in quartum, in anticipatione, postpositione, vel aliis symptomatibus, quæ ipsum paroxysmum concomitantur: nam qui per paroxysmos iudicat, errat in iudicatione, ex Auic.1.4.*tract.*2. *cap.*36. & priùs docuerat Galenus 2.*crisi.*6. Quare vnaquæque febris, propriis signis, quæ illius naturam consequuntur, est dignoscenda.

Causa.

CAusa antecedens est in duplici differentia: Nam aliquando est humor melancholicus, qui putrescit, vt *part.*5. *cap.*13. de febribus docuit Ishac; interdum non est humor melancholicus naturalis immediatè putrefactus, sed atra bilis, quæ ex aduſtione sanguinis, & bilis generatur, quæ licèt ob aduſtionem aliqualem calorem exposcat, à prædominio tamen frigida est, vt 2.*feb.*5. docuit Galenus. Causa coniuncta varia est, pro diuersitate causarum: quælibet tamen sub forma vaporis, immediatè, & præternaturaliter calefacit cor.

Causas externas, sicut & aliàs connumerauit Galenus 2.*feb.*1. Sunt cibi & potus, frigidi & sicci, & maximè crassi, anni tempus, scilicet autumnale, & omnia alia, quæ his ad proportionem respondent, & humorem melancholicum in magna copia gignere queunt, vt latè proponit ipse 3.*de loc.*7. Quare hanc febrem excitant nimia tristitia, & præsertim in senili ætate; verùm ferè alium morbum consequitur, vt docet Galenus 1.*epid.sect.*2.*com.*21. Quomodo ex tertiana æstiua generatur quartana; cùm enim subtiles humores vomitu vacuentur, vrina, sudore, aut deiectione alui, pars crassa remanet, ex qua quartana, & febres erraticæ, originem ducunt, quin determinatum circuitum habeant, 1.*ad Glauc.*5. Reddit causam Galenus 3.*progn.*27. quoniam hæ erraticæ, ex humoribus, qui habent partes diuersas generantur, quales dispositiones in humore melancholico inueniuntur, ex Galeno *loc.nuper cit.*

Signa.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 644 sur 927

©BIUM

Signa.

EA tradit Galenus 2. *criſ. cap.* 4. Primum deſumitur ex pulſu, qui inuadente paroxyſmo, minor, tardior & rarior eſt, quàm aliarum febrium; at in ſtatu illius efficitur maior, celerior, & frequentior quàm antea: quod intelligendum eſt, dummodò in ſtatu minor ſit quàm tertianæ, & maior quàm quotidianæ. Sed cùm explicatio huius ſigni ardua ſit, quærendum: *Vtrùm pulſus in inuaſione quartanæ minor ſit, quàm in inuaſione aliarum febrium*? Dic. Difficile videtur, nam Galenus 2. *criſ. cit.* apertè concedit, dicens, quartanam paruos, debiles, tardos, & raros adeò pulſus facere in inuaſionibus, ſicut nulla altera diſpoſitio. Idem ſentit Auerrhoës 4. *collig.* 30.

Oppoſitum ſentiunt Auicenna, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 47. Haly, & Serapio, de ſignis febris phlegmaticæ. Dic, multitudinem humoris, & eius frigiditatem, in febre phlegmatica ſuadere pulſum fieri minorem, quàm in quartana, è contra verò frigiditatem melancholiæ, iunctam ſiccitati, per quam arteria redditur inobediens dilatationi, eſſe in cauſa, vt in quartana pulſus reddatur minor, quàm in quotidiana. Quia igitur, ſuperante modò vna cauſa ex dictis, modò altera; deinde pro varia quantitate humoris, pulſus aliquando in vna apparet minor, interdum in altera: hæc eſt cauſa, cur auctores citati, in diuerſas ſententias abiere, vnuſquiſque præferens illud, quod expertus fuit. Occaſionem etiam varietati illorum ſubminiſtrauit, quòd pulſus in inuaſione vtriuſque febris, quartanæ, & quotidianæ, adeò paruus eſt, vt difficile iudicare poſſimus, quis eorum minor ſit.

Vtrùm verò *in interuallo quartanæ, aliquod relinquatur veſtigium febrile*? dubitandum. Apertè reſpondet Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 6. aſſerens, *cùm febris ceſſauerit in quartana, pulſum eſſe tardiorem, & rariorem naturali*: Quæ verba ſignificant manifeſtè, in interuallo quartanæ, non modò non relinqui febrem, ſed etiam nullum illius veſtigium; cùm enim pulſus tunc temporis aſſeratur tardior, & rarior naturali, patet calorem non excedere, ſed potiùs frigiditatem.

Dic. In interuallo febrium putridarum, licèt nulla relinquatur febris, tamen manere in pulſu aliquod eius veſtigium, quod 1. *ad Glauc.* 2. docuit Galenus: Hoc tamen veſtigium febrile, exceſſum aliquem caloris non denotat, vt conſtat ex *loc. cit.* 1. *ad Glauc. cap.* 6. *in fin.* ſed ſolùm eſt, quòd quies externa ſit frequentior naturali, & ſyſtole velocior, quia ſcilicet in interuallo febrium intermittentium, adhuc reliquiæ vaporum putridorum remanent, ad quorum expulſionem, ſequitur celeritas contractionis, & frequentia quietis externæ, & acrimonia caloris, & ex his, relinqui veſtigium febris intelligitur. Accedit quòd in putridis, tempore interualli, in arteriarum motu, inæqualitas relinquatur.

Percontaberis: *Vtrùm tempore interualli, æger dicatur laborare quartana*? Nam ſi tempore interualli, æger eſt à febre immunis, cur aſſeretur adhuc laborare quartana? Dic, quòd ſi non adeſt læſio ſenſilis actionum, non conſtituitur quis actu æger, licèt actu habeat cauſam morbi, vt arthriticus, epilepticus, recidiuaturus, & qui à cane rabido eſt percuſſus; hi enim ſunt neutri, *lib. de conſt. art. med. cap.* 23. Verùm quoniam in quartanario, functiones ſunt læſæ, etiam in die interualli, ob frequentiam, & prolixitatem acceſſionum, ideò etiam tunc æger eſt.

Neque contradicit Galenus 5. *de placit.* 2. aſſerens quartanarium in die interualli eſſe extra morbum: Falsò namque legitur. Solum enim ſcribit in loco eo, quartanarium in die interualli eſſe extra pathos, id eſt, extra ſymptomata acceſſionis. Si verò quæras, quo morbo tunc ægrotet, ſi non febrit? Dic. Intemperamento partis mandantis, ac recipientis, ac intemperamento foci, ſeu mineræ: ſæpe etiam intemperatura morboſa totius, quod notat inæqualitas febrilis in pulſu percepta. Quòd ſi adhuc contendas, idem eſſe de recidiuaturo, quandoquidem habet morbum in cauſa ſua, quemadmodum quartanarius in die interualli. Dic, diuerſam eſſe rationem, quia humor ille nondum inducit febrem, circuitu certo, ſicut in quartanario, (quod etiam intelligendum de tertianario) quare recidiuaturus non eſt dicendus æger.

Secundum ſignum deſumitur ex rebus naturalibus, quæ melancholiam augere natæ ſunt, vt ſunt v. g. tempus autumnale, regio, ætas, & victus, ægríque temperatura frigida & ſicca. Neque obiicias Galenum *lib. art. med. cap.* 37. aſſerentem, temperaturam frigidam ſiccam, non aceruare melancholiam, ſed calidam, cuius vi humores exuruntur, atque aſſantur, & in melancholicam naturam conuertuntur: Nam hoc tam ex calore externo, quàm interno hepatis, per accidens contingit, vt augeatur in humoribus fæx, & melancholia.

Tertium ſignum eſt, ſi quartana eo tempore plures populariter corripiat.

Quartum ſignum eſt, ſi æger febres erraticas, inordinatas, & nullo circuitus ordine inuadentes paſſus ſit, quæ ab humorum varietate oriuntur, qui tractu temporis degenerant in melancholiam, vt docet Galenus 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 23. His adde, ſi æger lienoſus ſit, id eſt, prægrandem lienem habeat, nam hic ingentem melancholiæ copiam adeſſe in corpore præoſtendit: vnde meritò à Medicis lienem, riſus eſſe auctorem decretum eſt, firmante id ipſum experientia; nam ſplen craſſum, fæculentum, lutulentúmque ſanguinem ad ſe alliciens, eſt in cauſa, vt præexiſtens in corpore, agilior, hilarior, & ſplendidior reddatur.

Quintum ſignum, ſi vrina in principio alba, tenuis, & aquoſa appareat: cuius euentus cauſa, eſt obſtructio meatuum à melancholia; in ſtatu verò varius eſt vrinæ color, pro diuerſitate humorum. In declinatione eſt aliquando nigra, ob humorem per vrinam vacuatum, qui eſt ſua natura niger. Sextum eſt longitudo paroxyſmi, durat enim viginti quatuor horas, firmante Serapione, 6. *breuiar. cap. prop.* oritur enim ab humore craſſo, & terreſtri, qui difficulter poteſt reſolui.

Septimum ſignũ eſt rigor inferens ſenſum, quaſi oſſa frangantur, & caro contundatur: Nam humor faciens quartanam, cùm in principio paroxyſmi defertur per membra, ob craſſitiem ſuam, non poteſt verſus cutem expelli, imò cùm in profundo maneat, nimiùm aggrauãs membra, ibi ſtabulans, & infixus frangit oſſa, & carnem contundit. Neque obiicias Raſium 10. *ad Almanſ. c.* 8. dicentem, quartanam cum paruo rigore incipere, quod etiam affirmant Galenus 2. *feb.* 5. & Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *c.* 6. & 62. Ii enim non de principio vniuerſali, ſed de principio paroxyſmi ſunt intelligendi, cùm augeſcente morbo, & humore per putredinem excalfacto, & attenuato, fit vehemens rigor. Non adeſt in hac febre vomitus bilioſus, & aliquando cũ ſudore finitur copioſo.

Præſagium.

VIdendum primò: *Vtrùm quartana ſit ſecuriſſima*? Hippocrates ſic prædixit, 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 4. dicens: *Quartana omnium febrium ſecuriſſima.* Subſcribit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 8. §. *Ex intermittentibus quartana haudquaquam periculoſa.* Celſus *lib.* 3. *cap.* 15. confirmat, §. *Quartana neminẽ iugulat*, quia humor melancholicus, craſſus cùm ſit, & acuitatis ac vehementiæ expers, non multùm naturam laceſſit. Accedit, quòd tempus intermiſſionis, in hac febre longum eſt admodum, in quo natura recreari, atque refici, ad ſeipſam redire, non multo negotio poteſt: quoniam, vt ex Hippocrate manifeſtè colligitur, *lib.* 4. *Aph.* 43. (*Febres quæcunque non intermittentes, tertio die fortiores fiunt, magis periculoſæ; quocunque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur*) periculum ægrotantis, ſi in vlla re, maximè in

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 645 sur 927

©BIUM

assiduitate accessionis,atque symptomatum continetur: Ex quibus patet,quartanam nunquam in exitium finiri, sed semper ad ægrotantis salutem.

Sed si hæc vera sunt, cur Hippocrates 3. *progn.7.* febrem hanc pro exemplo morborum posuit,qui bonum, ac malum habent euentum?Dic.Hippocrates hoc loco non de qualibet quartana verba facit,sed de illa tantùm, quæ ad acutos sequitur morbos, quæ cùm viribus superueniat imbecillis,& ex humore crasso & adusto consistat,periculo non vacat. Denique quartana grauis est, atque molesta,quæ à vehementi lienis,aut alteris visceris affectu originem ducit,dicente Galeno 1.*epid.sect.*3. *com.*4. multos quartana febre ex liene laborantes, aqua inter cutem deinceps, illa occasione collecta, sæpenumerò fuisse defunctos, præsertim si sit duplex, aut triplex: Nam simplex toto genere salubris est,quæ absque alio viscerum affectu,primigeniáque affectione contrahitur, quæ non solùm secura est, sed à magnis morbis prehensos euidenter liberat, vt propria historia *lib.*1. *epid.sect.*3.*com.*4.firmauit Galenus:cuius explanationem legat,qui velit,*lib.*1.*Hist.Princip.Medic.Hist.*30.

Inquires: *Vtrùm quartana sit longissima*? Hippocrates sibi contradicere videtur: Nam 1.*epid.cit.*eam longissimam esse affirmat. Contrà 2.*Aph.*25.quartanas æstiuas facit breues.Dic.Quartana est vnus ex morbis longissimis,& quotidiana longior,adeò vt dicat Auicenna 1.4. *tract.*2.*cap.*63,aliquando duodecim durare annos,licèt Galenus *lib. de typis*, *cap.*4. ad biennium tantùm prorogari scribat. Huius longitudinis causa,est melancholia,quæ frigidissima, siccissima, crassa & terrea cùm sit, difficulter immutatur, & à natura elaborationem admittit. Cùm tamen pituita,quotidianæ effectrix,etiamsi multa,frigida,crassa, & lenta sit, naturæ tamen accommodatior,propter humiditatem habeatur, quo fit vt faciliùs concoqui, & naturæ cultum suscipere possit. Aphrodisæus 1.*probl.*84. huius longitudinis causam retulit,in cancrosam quandam dispositionem,soluru difficilem, in partibus relictam. Alij prædictæ diuturnitatis occasione, occultam proprietatem inuexerunt, ideóque propria & peculiari antidoto egere aiunt, qua sola curetur, quo fit vt sponte potiùs,quàm arte soluatur. Hippocrates verò *cit. Aph.* quartanam vocat breuem æstiuam, cum hyemali collatione facta, quæ magnitudine causæ,difficultate curandi, & symptomatum accessione, longissima est: exhausto enim corpore per æstatem, & corpore vitiosis succis repleto, ex improba victus ratione subortis, contrahitur hectica quædam intemperies, maximè cùm ob meatuum eo tempore angustiam,& libertatem transpirandi negatam,materia contumax fundi nequeat, & quartana in longum tempus producitur. Omnis ergo quartana longissima est, æstiua tamen, etsi sua natura longissima, respectu hyemalis, minùs est longa.

Curatio.

ETsi plura circa victum, pro melancholicis parandum,*lib.*1.*cap.de Melancholia*, simus præfati, placet hoc loco, aliqua in propatulum breuiter proponere, & dubitare: *Vtrùm in victu quartanæ, variæ conditiones sint obseruandæ*? Forma ergo victus non sit tenuis, sed mediocris, vt sufficere possit vsque ad statum, qui longus est.Quòd si Auicenna 1.4.*tract.*2.*cap.*65. primis tribus septimanis,victum tenuem præscribit,vtitur cura tentatiua, vt scilicet certus sit, an quartana à multo humore oriatur: nam si à pauco,tali victus forma finietur; sin aliter,statim victum mediocrem præscribit,subtiliando in ordine ad statum,vt docet ipse,in §.*Quum ergo peruenerit ad tempus,&c.* & Gal.1.*ad Glauc.*11.§.*Si verò in statu morbi*, *&c.*

Victus qualitas an debeat esse calida, vel frigida, controuerti potest: nam quando quartana, ex calida iecoris intemperie ortum ducit,frigida alimenta,& humida videntur concedenda, sic enim exuperantia bilis, genita per maiorem exustionem melancholiæ, aptè corrigitur. Verùm cùm indicatio,quæ sumitur à causa, sit potior illa, quæ à febre depromitur, & necessarium sit crassum hunc humorem concoquere, & expellere, ideò melancholiæ excessus, modicè calefacientibus, & humectantibus corrigendus, vt ferina illius natura mitescat ac temperetur, & vt sanguis pellucidus, clarus regeneretur; ex alimentis enim frigidis & humidis, magna flatuum, & recrementorum copia progignitur, & crudior redditur humor, etsi sit per adustionem genitus, aliáque grauissima incommoda subsequuntur.

Auicenna *loc.cit.* tres conditiones in victu quartanæ exoptat, quarum prima, vt non sit crudus, hoc est, fluatuosus, imò resoluat flatus ab humore melancholico eleuatos: secunda, vt non sit crassus, imò subtilians crassum: tertia, vt non sit stypticus, imò ventrem soluens. Ex his conditionibus patet, arcendos esse quartanarios, à flatuosis cibis, crassis, viscidis, adstringentibus, calidis, siccis, quia adstringunt, & aliis quæ latè recenset Galenus *lib.*3. *de loc.affect.cap.*7. amplectenda verò esse, quæ sunt boni succi, facilis coctionis, & distributionis, optimum sanguinem generant, eáque licentiosiùs offerenda, propter ingens fastidium,quod quartana affectos comitari solet,quódque in quartanis,pro deteriore signo habendum,quàm in aliis febribus, quia cùm melancholia faciat ad naturalem famem,ex Paulo *lib.*3.*cap.*49.si ab ea fastidium emanet, à deteriore putredine in ipsa, quàm in aliis fieri affirmabimus. Paroxysmus autem debet occurrere, ventre vacuo: quare in die accessionis, nihil edendum, nisi accessione transacta. Potus sit aqua decocta radice scorzoneræ,Eupatorio,Cinnamom.Aniso, aut Corticib.Citri. Vino vtendum albo, tenui, ac mediocriter calido, non rubro, aut crasso, hoc enim melancholiam gignit, & excrementa multa, 3.*de loc.*7. & 4.*acut.com.*111.

Aluus quotidie respondeat: nam ægri tum ratione febris, tum siccitatis humoris, ad deiiciendum non excitantur, quare eligendus victus, qui ventrem mollem efficiat. Vtilia in hunc vsum sunt, pruna saccharo, præsertim rubro decocta, borrago, malua in iure carnis elixæ; sin minùs, clyster mollis paretur, iniiciendus noctu, cum pauco sale, vt per noctem detentus, fæces emolliat, & vias lenificet, ex Gal. *cit. ad Glauc.* Enemata fortia cauenda, maximè ante coctionem, sic enim habet Auicennà *loc. cit. cap.* 63. §. *Et si tibi non videtur bonum vti potionibus, administra loco earum clysteria, sed oportet vt sint leuia: & non conceditur confortatio eorum, nisi quando consequitur ægritudo statum, &c.*

Vtrùm sanguinis missio in hac febre vtilis sit? Dirimendum: Nam in copia crudorum succorum, illa reproba est, ob causas multas, quia vires non possunt esse valentes; & extracto tenui, & laudabili sanguine, & ad huius humoris coctionem necessario, crassus in corpore relinquitur. Dic, quòd si crudorum succorum copia adsit, præstat priùs eos pharmaco extra corpus educere, ne inanitis venis, attrahatur humor fæculentus, facta venæ sectione, ad eas, loco illius qui fuit vacuatus, & hac ratione duplex, vel triplex quartana excitetur: quod significauit Auicenna *cap.*64. *loc. cit.* Nam sanguinem mittere in quartana, inanitis venis, est trahere humorem ad ipsas, & componitur quartana cum quartana.

Quare si non adsint signa plenitudinis melancholicæ, minimè est sanguinis missio celebranda, quod dignosces ex habitu corporis sãguineo,venis turgidis,suppressa sanguinis vacuatione, ætate iuuenili, anni tempore verno. Quòd si vena incisa,fluens sanguis, crassus

ac

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 646 sur 927

ac niger appareat, detrahendus; contrà verò ſi tenuis ac flauus, ſupprimendus: ſignum enim eſt, melancholiam non in venis, ſed extra venas, in liene ſcilicet, & prima regione abundare, quod etiam docet 3. *de loc. affect. cap.7.* At licèt hoc ferè ſit verum præceptum, perpetuum tamen non eſt: nam vt inquit Auicenna 1.3. *tract.4. cap. de curat. melancholiæ*, multoties incipit exire ſanguis tenuis; proceſſu verò euacuationis, craſſus & niger, quia ſanguis exiſtens in exterioribus erat probus, in interioribus, corruptus, & putredo in profundo, & trunco corporis eſt recondita. Vena ſecetur interna, vel communis, in brachio ſiniſtro, ex Galeno *cit. ad Glauc.* ſi verò ex iecore ortum ducat, in dextro brachio ferienda vena, vt Aëtius monuit, *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 68.* Hirudines mariſcis affixæ, plenitudinem melancholicam mirè deponunt, ex Hip. *6. Aph. 11.*

Facta phlebotomia, inſtituenda purgatio, de qua quæri commodiſſimè poteſt: *Vtrùm in principio poſſit adminiſtrari?* Dic cum Galeno affirmatiuè, qui *cit. ad Glauc. cap. 11.* clementem ſolùm approbat purgationem, *Quartanam in principio mediocriter, ac leniter tractare oportet, nullum forte medicamentum, aut vacuationem exhibentes:* Si aliter feceris, ægrum præcipitem dabis in mortem, quia ipſis expurgatibus oblatis, ex ſimplici fit duplex, ex duplici triplex; humor enim in principio crudus, rebellis, & contumax, medicamentis non cedit, & reſoluta vacuatáque parte tenui, craſſa relicta, beneficium naturæ tardiſſimè admittit, & hac ratione morbus producitur. Deinde crudo exiſtente humore, medicamentum eradicatiuum non euacuat, ſanguinem & carnem colliquat; hinc virium ſequitur debilitas, & iactura ſumma. Præterea agitatur & commouetur humor, magis accenditur, ac putreſcit.

Clementia medicamina tunc adminiſtranda, quando in prima regione excrementa redundant, aut lien melancholici humoris copia turgeſcit: tunc enim ad leuandam naturam, & minorem materiam faciendam, lenis in principio poteſt purgatio inſtitui, vt *cap. 63.* dilucidè monuit Auicenna, dicens: *Et ſi oportet vt vacuetur à principio, de humore faciente febrem, aliquid propter alleuiationem, & non propter mundificationem, vel eradicationem; illud enim apud digeſtionem ſit: & non oportet vt fiat prouocatio in primis cum fortitudine.*

Quapropter non poſſum non vehementer condemnare illos, qui medicamenta fortia (elleboriſmum vocant) in principio huius febris adminiſtrant, quorum vſu, humore exiſtente crudo, vigente hyeme, quartanarios feliciſſimè perſanaſſe tantopere gloriantur. Quòd ſi hoc aliquando contingat, quòd exhibita valida purgatione, quartana ceſſet, non propterea id probandum, cùm ſit rectum ab errore, ex Auicenna *cit. cap. §. Etſi Medicus iam præſumpſerit, & ſolutione eduxerit melancholiam in principio, aliquoties ſolutione forti, & prohibuit ægritudinem penitus, ſed eſt rectum ab errore, &c.* Dies purgationi idonea eſt, quæ præcedit acceſſionem. Num autem in die acceſſionis, ſit medicamentum offerendum, vel in ipſa apprehenſione, vt *lib. de affectionib.* Hippoc. prædixit, ventilauimus *lib. 4. Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. 32.*

Dinde. Sicut in principio nocua ſunt valida expurgantia, ſic inutilia ſunt diuretica, ſudorem prouocantia, & inſenſibiliter digerentia, vt Theriaca, Mithridatium, & ſimilia; quæ cùm humorem crudum, nec reſoluere, nec vacuare queant, eadem excitant ſymptomata, quæ ab expurgantibus ſequi, *ſuprà* monuimus, quod docuit Galenus *cit. ad Glauc.* cùm dixit: *Nullum forte medicamen exhibentes.* Si verò Galenus, theriacam, ſucci Cyrenaïci cum caſtorio permixtionem, Piper, Myrrham, quartanis vtilia eſſe docet, *lib. de trem. cap. 7.* & *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 15.* intelligendus, ſi hæc tempeſtiuè ſumantur, poſt coctionem; ſi verò incocto humore concedantur, nocebunt impensè, ex *lib. de precogn. ad Poſth. cap. 2.* Quare horum loco vtendum Diatrionpipereon, Aromatico Roſato, Diarrhod. Diamoſcho, Diambra, & ſimilibus. Quibus autem medicamentis ſit præparandus, & expurgandus melancholicus humor, *cap. de Melancholia, lib. 1.* determinauimus.

Lien, pars affecta in hoc morbo, roborandus; patitur enim obſtructiones magnas, duritiem, dolorem, quoniam in eo magna ſuccorum crudorum, & flatuum copia ſtabulatur, ideò mundificantibus, & reſoluentibus vtendum, dictis ſuprà, *cap. de Tertiana notha.* Vomitus in die intermiſſionis, ante cibum, à Galeno commendatur. Rigori vehementiſſimo, excitato in acceſſione, opitulandum; nam fatigat ægrum, dentes facta valida concuſſione frangit: Quare pedes fouendi, ſpinalis medulla vngenda oleis, & calidis vnguentis, quæ ad conuulſionem vtilia prædiximus.

Cùm Quartana ſit opprobrium Medicorum veriùs nominanda, & Medicorum operam, & medicamenta deludat, vulgus approbat alimenta praua, quæ concedit in copia multa. *Vtrùm* verò *his cibis vtendum ſit in quartana?* dubium eſt. Dic. Iuuant, ſi humor ſit coctus: primò, quoniam hæc alimenta, in magna quantitate exhibita, in ventriculo corrumpuntur, à quibus natura robuſta cùm irritetur, copioſam mouet vacuationem per vomitum, vrinam, aut deiectionem alui. Deinde. Natura torpens, & ferè morbo connaturalis facta, alimentorum ſuauium, etſi reproborum vſu, recreata, & robuſtior reddita, humorem peccantem concoctum, per varias regiones euacuat, cum commodo multo. Neque hoc imitandum: nam concoctio humoris melancholici, difficulter agnoſci poteſt, & ſi ante coctionem hæc vitioſa alimenta, vt carnem ſuillam, piſces craſſos, acetaria, legumina, & his ſimilia offeras, pro ſperata ſalute, ſæpe obrepit mors. Eadem etiam ratione, ſubitus & vehemens motus, productas & inueteratas ſanauit quartanas, in robuſtis ægris; qui ſi debiles ſint & puſilli, ex eo ſicut ex timore ſubitò moriuntur, vt *2. de ſympt. cauſ. 5.* docuit Galenus.

Curatio quartanæ continuæ, eadem eſt cum curatione quartanæ intermittentis, tribus ſolùm differens, auctore Auicenna 1.4. *tract. 2. cap. 66.* primò, quòd in continua, minor cibi quantitas, & minùs craſſa offeratur, quàm in intermitteent. Secundò, quòd in continua copioſior ſit phlebotomia, quia humor melancholicus viget intra venas, cum ſanguine mixtus. Tertiò, quòd in ea infrigidantia copioſiora offerantur, quàm in intermittente, cùm à continuo feruore, internæ partes ampliùs incaleſcant: ideò medicamenta calida alterantia, quæ in intermittente conceduntur, inutilia ſunt in continua.

Ad genus quartanæ reducuntur quintanæ, ſextanæ, ſeptimanæ, nonanæ, erraticæ, & ſiquæ aliæ reperiuntur longiores febres, quæ cùm ab humore melancholico, craſſiore facto, & in minori quantitate putrefacto, ortum ducant, eodem modo tractandæ ſunt, quo curatur quartana: quarum quidem febrium curatio negligenda non eſt, hæ enim præſertim quintana, peſſimæ ſunt, vt ex veterum mente diſceptauimus, *lib. 1. Hiſtor. Princip. Medic. in comment. Hiſtor. 30.*

OBSERVATIO I.

Expurgantia in quartana intempeſtiuè oblata, immedicabilem noxam, & mortem afferunt.

IN catalogo meo, in quo euentus memorabiles ægrorum reponere ſoleo, extant hiſtoriæ ſilentio non præ-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 647 sur 927

tereundæ multorum, qui cùm quartana essent affecti, ab expurgantibus medicamentis, in damna irreparabilia lapsi sunt. Alij crudo existente humore, duplicem, & triplicem sunt deinceps experti. Quidam in febrem cõtinuam, quæ adeò in viscera sæuiit, mensibus septem, vt habitualis facta, ægrum ad interitum deduxerit. Plures in fluxum alui delapsi, in maciem tantam deuenerunt, vt hecticorum instar, vitam tandem cum morte commutarint. Erat quidam colonus, robustus & fortis, qui cùm quartana premeretur mensibus quatuor, impariens, & immorigerus, morbum violenter eradicare contendit, quare in hunc vsum drachmas quinque Diasennæ, & tres Confect. Hamech, in die intermissionis, consilio cuiusdam Medici assumendas curat, in decocto melanagogo dissolutas. Sed quo effectu audi, vix tres horæ pertransierant, quando lingua est facta nigra, sitis adfuit inexhausta, febris increuit ardentissima, & vacuato humore per sedem in copia multa, superuenit delirium ferinum, & ferox, & post viginti horas apparentibus parotidibus, veluti suffocatus occubuit.

OBSERVATIO II.

Ad quartanam contumacem, Saluatellæ sectio in pede, mirabilis.

NOn cessant Medici vnanimiter decantare vtilitatem, quæ ex sectione venarum quæ sunt in brachio, inter minimum digitum, & vicinum, in morbis venosi generis productis, tertiana, quartana, & aliis consimilibus sequi solet, ob causas multas, & ideò vocantur saluatellæ, quia ægrotantes saluant. Verùm cùm conspicerem sæpe, imò semper, Medicos in curanda quartana, operam & oleum perdere, tentaui ad vnum remedij genus accedere, quod rationi non erat contrarium, ac repugnans: Nam sicut ex monte Auicennæ 22.3. *tract.* 2. *c.* 24. *Sicut phlebotomia saluatellæ, vtilior est quàm basilicæ, eodem modo phlebotomia rami sciaticæ, vtilior est quàm sectio sciaticæ, in dolore coxendicis, ob cognationem, quam minimus digitus habet cum scia:* Sic in quartana venam secui in talo, hirudines marisci affixi, primò tamen de totius corporis prouidentia, indicatione habita, contuli nihil. Secui ramum ischiaticæ, inter minimum digitum, & vicinum, profui multum: nam ex duplici, facta est simplex; ex simplici euaserunt plures, non quia sanguis in pauca quantitate, ex hac exili vena, ad longinquum, vel crassior fuit extractus, sed quoniam annularis digitus in manu, maximum cum viscеribus, & in pede cum liene, & hepate obtinet consensum. Hinc fit vt vellicato, & compuncto hoc digito, tam in manu, quàm pede sinistro, animi defectu collapsi, & moribundi, ad vitam reuocentur.

CAPVT XXVII.

De febre Hectica.

Definitio.

SAtis supérque dictum est, *lib.* 4. *de febribus*, febrem diuidendam esse, penes materiam, in qua accenditur: quare febris in communi triplex est genus, Diaria, Humoralis, & Hectica, provt calor febrilis, in spiritibus, humoribus, aut solidis partibus accenditur, & est in facto esse. Paulò tamen vberiùs agitandum est: *Vtrùm definitio febris hectica, à Galeno tradita, sit verissima?* Ille enim 1. *de feb. c.* 7. *ante med.* dicit, quòd febris, quæ firmiter solidas animalis partes occupat, est hectica; per quas, omnes partes viuentis intelligit, provt distinctæ sunt à partibus humidis, scilicet humoribus, & spiritibus. Appellatur autem febris habitualis, hoc est, stabilis, & soluta difficilis, quemadmodum habitus, vt Galenus *eo loc.* affirmat: quare sic definitur ab eo: *Hectica febris illa est, quæ febrilem calorem habet accensum, & in facto esse.*

Vel hoc modo definiri potest: *Est caliditas præter naturam, accensa in partibus solidis cordis, & reliquis partibus viuentibus totius corporis, habitualis facta, æqualis, & à causa independens, exacerbationibus carens.* Hæc definitio explicanda est per partes suas. In caliditate præter naturam, conuenit cum omni febre in communi, quæ per illam solet definiri, à Galeno 8. *meth.* 1. & ab Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 1. Hæc caliditas debet esse in facto esse, & permanens in partibus cordis solidis, in quo à diaria, & humorali distinguitur. Debet esse habitualis, & quæ à subiecto difficulter eradicetur, habitus instar. Æqualis sit est necesse, *lib. de inæqual. intemp. c.* & 8. *meth. cap.* 1. Caliditas eius est independens à causa, quod de causa materiali, & subiectiua non est intelligendum, nam sine hac, caliditas illa præter naturam, sicut & reliqua accidentia, realiter conseruari non potest, & materialis causa sunt partes solidæ, & viuentes totius corporis: Intelligatur ergo de causa efficiente, particulari, conseruante, & præter naturam, quia caliditas præter naturam hecticæ, ab aliquo humore, instar humoralis, non dependet: & hoc est quod voluit significare Galenus 8. *meth. c. vlt.* cùm dixit, quòd *nulla causa febres hecticas accendit*, id est, à nullo humore accenduntur, & conseruantur, postquam semel fuerunt productæ: Nam si absolutè id pronunciaret Galenus, eius doctrina esset falsa, quoniam febres hecticæ, sicut & omnes alij effectus in rerum natura producti, sine causa efficiente nequeunt produci.

Calor hecticæ est independens à causa præter naturam: nam quòd caliditas præter naturam in conseruari, à causis naturalibus, nempe sanguine & spiritu pendeat, negari non potest, sicut calor naturalis partium tempore sanitatis, quantumuis habitualis sit, & æqualis, ab eodem sanguine & spiritu conseruatur. Quam doctrinam veram esse, ex eo conuincitur, quòd quotiescunque in hecticis, sanguis & spiritus ad partes interiores attrahuntur, vel ratione rigoris superuenientis, vel animi deliquij, tunc partes exteriores sensibiliter refrigerantur, morbum frigidum patiuntur, qui febri hecticæ immediatè contrarius est. Ergo sine dubio caliditas febris hecticæ, à causis naturalibus, videlicet sanguine & spiritu, in conseruari dependet.

Caliditas hecticæ febris, exacerbationibus caret: nam hæ oriuntur à noua mutatione causæ, à qua aliæ febres dependent, hectica verò non habet causam. Quam doctrinam intelligas velim, de febre hectica, nulli humorali coniuncta, & quantum est ratione sui; aliter enim in ea, ratione febris humoralis, insignis aliquando exacerbatio adest.

At circa definitionem quærenda sunt aliqua, quæ illam magis illustrent, vt facti caloris significatum ampliùs innotescat, præter plurima quæ *lib.* 4. *Hist. Princip. Medic. ab Hist.* 40. *vsque ad* 45. subnotauimus. Et primò sic: *Vtrùm Galenus affectuum in futurum, fientem, & factum, melius quàm Archigenes diuiserit?* Ille enim *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 2, aliquibus mediis contra Archigenem insurgit, proponítque quandam affectuum diuisionem, multò exactiorem, illa Archigenis, quam quidem magni facit, eo quòd sit vtilior, & præstantior, tum ad prædictionem, tum ad curationem ipsam, referíque huiusmodi diuisionem omnibus ferè Medicis fuisse incognitam, ea est affectuum in futurum, fientem, & factum iam: cui aliam similem tradit, vbi eam affectibus intemperamenti speciatim adscripsit.

Futurum affectum vocat *eo loco*, illum qui ita à causa oritur, vt ea separata & remota, non maneat vlla dispositio: Fientem, qui partim factus est, & partim fit, in quo licèt causa remota, impediatur fieri id, quod nondum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 648 sur 927

©BIUM

nondum productum erat, nihilominùs manet pars illa, quæ iam producta erat, & facta; ideò enim ſienti morbo duplex curatiua intentio debetur, vna ratione cauſæ, alia ratione dyſcraſiæ relictæ. Denique factum vocat affectum, qui fieri deſiit, quíque iam finitus manet, & productus, quantumuis cauſa ſit finita, & exhauſta. Singula verò diuiſionis membra explicat, propoſitis inteſtinorum paſſionibus, à bile confluente excitatis, licèt facti, permanentíſque affectus, tertio loco numerati, exemplum non aſſignauit, eo quòd ex aliis apertè colligebatur.

Quæres tamen, in quo huiuſmodi diuiſio affectuum, in futurum, fientem, & factum, differat ab illa Archigenis, & in quo maior eius præſtantia contineatur, cùm omnia illa affectuum genera, videantur comprehendi in membris illis, ab Archigene relatis: futurus nempe qui facilè ſoluitur, ad agentis cauſæ ablationem, quíque cauſam non habet particulæ inhærentem, ſed tranſeuntem, nec firmum adhuc producentem affectum; fiens in eo, cuius agens cauſa in parte exiſtit; factus verò, in ſtabili, & permanente, difficilique ſolutu, & partis eſſentiam lædente.

Sed licèt vnius diuiſionis membra, ad alterius membra reduci poſſint quouis modo, multò tamen exactior eſt illa Galeni, & in duobus potiſſimùm excedit priorem, primò, quoniam per poſteriorem Galeni, facilior eſt, & compendioſior agnoſcendi via: Secundò, quoniam vtilior eſt, & aptior ad curationem inſtituendam, ſimúlque ad prædicendum. Primum oſtenditur: Nam ex ægri relatione agnoſcit Medicus, quænam actio in eo ſit læſa, atque ita referente ægro, primùm genus morbi aſſequitur: cùm verò ex omni læſa actione, paſſio organi ſemper ſignificetur, vt *cit. de loc.* Galenus oſtendit, procul dubio conſtabit Medico de loco paſſo, nullàque de eo quæſtio relinquitur, ſi hac via Galeni incedamus, qua iuxta triplicem actionis læſæ, triplicémque affectus differentiam, voluit etiam in tria membra diuidi organi paſſionem, dicens tot modis pati, & affici organum, quot modis actiones in eo læſæ apparent, quod Archigenes non concedit, ſed ſolùm vbi affectus permanens eſt, & ſtabilis, vel ſaltem cauſam habet parti adhærentem.

Secundum verò conſtat ex eo, quoniam cùm iuxta prædictam Galeni diuiſionem, affectus diuidatur in factum, id eſt, qui iam membri ſubſtantiam, ſeu temperamentum mutauit; & in fientem, ſeu quod idem eſt, in eum, qui cauſam habet operantem, ita vt iam aliqua ex parte mutauerit; & denique in eum, quem futurum appellamus, cuius cauſa in opere eſt, & nihil tamen adhuc effecit, quod cauſa ablata relinquatur, de quo genere dicit Galenus 1. *de loc.* 4. & 8. *meth.* 1. *Quæ in generatione febris eſt, ſolius cauſæ ablatione ceſſat:* vbi priùs compertum fuerit, ex quonam dictorum genere, ſit productus affectus, cognita magna ex parte remanet via, methodúſque curandi. Futurus ſiquidem, ſolius cauſæ ablationem per curationem requirit; factus, alterationem, mutationémque ſubſtantiæ membri; fiens denique, vtrumque. Quæ quidem ad curandum vtilitas, non ita ex Archigenis diuiſione elicitur, quemadmodum nec certa præſagiendi ratio, quoniam non eſt perpetuò verum, vt affectus à cauſa abeunte genitus, facilior ſit, & leuior illo, qui cauſam habet permanentem, partíque inhærentem; vt manifeſtè conſtat in diſenteria, quæ licèt à bile per inteſtina tranſeunte oriatur, ſæpe tamen difficilior eſt, & periculoſior morbus, aliis cauſam contentam in parte habentibus, vt in tertiana dilucidè patet.

Vtrum calor hecticus, ſit factus, & æqualis? dubitandum. Ex illa diuiſione conſtat manifeſtè, calorem febris hecticæ eſſe factum, æqualem, habitualem, permanentem, & qui difficulter à ſubiecto poteſt remoueri. Et licèt omnis febris, cùm morbus ſit, præternaturalem caliditatem factam prærequirat, provt diſtinguitur à caliditate in fieri, non tamen omnis febris dicitur caliditas præter naturam facta, & æqualis, id eſt, æqualiter in partibus producta, & quæ ampliùs non ſit in fieri: Nam in febre humorali, partes corporis, non vniformem, ſed valde diuerſam habent caliditatem, provt ſcilicet magis, vel minùs vicinæ ſunt humori præter naturam calefacto, à quo illa febris ſolet excitari. Præterea caliditas febris humoralis dicitur eſſe in fieri, quia caliditas exiſtens in partibus, ſæpe eſt in actuali intenſione, & quando hanc non habet, ſaltem in conſeruari à caliditate humoris dependet, qui febris eſt cauſa; quod in caliditate febris hecticæ non reperitur, ipſa enim vlteriùs non eſt in produci, ſed in omnibus corporis partibus, æqualiter, & vniformiter iam eſt producta, & ab humore aliquo in conſeruari non dependet. Eſt ergo febris hectica, habitualis, facta, & æqualis.

Obiicies primò. Licèt in hectica, omnes partes ſint calidæ, non tamen æqualiter: Nam ſicut in ſtatu ſano, quædam partes ſunt calidiores, frigidiores aliæ, hoc eſt, minùs calidæ, qualia ſunt oſſa reſpectu carnis, ſic in ſtatu morboſo, cùm calor præternaturalis ramificetur ad proportionem caloris innati, vt verbis Auerrhoïs vtar, partes quæ ſunt minùs calidæ, à magis calidis poterunt calefieri, & hac ratione, febris hectica non erit continens, atque æqualis. Dic. Non negandum in hectica, partes aliquas aliis eſſe minùs calidas: negandum tamen, illam ab alia poſſe offendi, ſimilitudine facta ad corpus ſanum, in quo non omnes frigidæ æqualiter, calidæve ſunt, & inter ſe tamen non alterantur, quoniam à forma impediuntur, quæ cuiuſque partis temperamentum conſeruare nititur. Quæ ſolutio firmatur à Galeno, *lib. de inæqual. intemp. cap.* 6.

Obiicies ſecundò. Febris hectica interdiu leuior eſt, noctu accreſcit, 2. *progn.* 60. Ergo circuitus habet. Dic. Per particulam *noctu*, intelligendum poſt cibum: nam incrementum caloris in ea durat, toto tempore coctionis cibi, vſque ad eius diſtributionem, quæ cùm noctu magis celebretur, inde euenit quòd hecticæ febres accreſcant noctu, vt *cit. progn.* notauit Galenus, & docuit Auicenna 10. 3. *tract.* 4. *c.* 22. §. *Quæ ſit vehemens cum cibo, & in nocte, ſecundum modum, quo ſit vehemens cum eo febris hectica, propter humectationem corporis cum cibo.*

In calce definitionis, explicanda illuſtris controuerſia eſt: *Vtrum eſſentia febris hecticæ, in calore, & ſiccitate conſiſtat?* Quidam ita ratiocinantur: Febris hectica eſſentialiter includit ſiccitatem, non tamen quamcunque, ſed morboſam; & hac ratione febris hectica, eſt intemperies compoſita ex intemperie calida habituali, & ex intemperie ſicca morboſa, etſi hæc non ſemper habitualis exiſtat.

Opinio hæc non incongruè probari poteſt, ex Galeno 1. *de diff. feb. cap.* 9. *ante med.* quo loco, ſigna hecticæ adducens ſpeciei primæ, huius ſignum, ariditatem tactui occurrentem eſſe affirmat. Ergo ſi in prima ſpecie ſiccitas reperitur, maiori iure aderit in aliis ſpeciebus, in quibus primigenia humiditate ampliùs abſumpta, corpus exiccatur, & contabeſcit. Ergo ſiccitas erit de eſſentia febris hecticæ, in communi: nam illud quod conuenit omnibus ſpeciebus alicuius generis, de eſſentia ipſius generis etiam debet eſſe.

Secundò. Diuerſa ſpecies febris hecticæ, conſtituitur per conſumptionem diuerſarum humiditatum, vt ex Galeno colligitur, 10. *meth. cap. vlt.* Ergo quælibet ſpecies febris hecticæ, alicuius humiditatis habet ſibi adiunctam conſumptionem, ad quam ſequi ſiccitatem, notum eſt. Hac ratione, in qualibet ſpecie febris hecticæ, primarius Medici ſcopus eſt, vt infrigidet, & humectet, 1. 4. *tract.* 3. *cap.* 4. Ergo in quacumque ſpecie febris hecticæ, ſiccitas reperitur.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 649 sur 927

Dic cum Galeno, febrem hecticam, solùm esse intemperiem calidam simplicem,& non calidam siccam: Nam si siccitas morbosa,esset de essentia febris hecticæ in communi, omnibus speciebus huius febris esset adiuncta.Sed prima species datur aliquando,sine siccitate. Ergo, &c. Probatur minor ex Galeno 1.*de diff.feb.cit. post princip.* quo loco primam speciem concitari, propter quandam veluti efferuescentiam natiuæ humiditatis, citra eius consumptionem asseuerat. Ergo cùm siccitas solùm sequatur post consumptionem humiditatis, iam per aliquod tempus admittenda est hectica, citra siccitatem,iuxta Galeni mentem,maximè cùm ille *infrà* statuat, quòd siccitas propria est febribus hecticis, quæ tabi sunt proximæ,nam illæ quæ tabidæ non sunt,sæpius sine siccitate consistunt.

Præterea tunc datur febris hectica, quando in partibus solidis, reperitur calor præter naturam productus in facto esse, & independens. Sed hoc sine siccitate morbosa partium viuentium potest contingere. Ergo etiam poterit dari hectica, sine siccitate morbosa. Minor probatur, quando enim partes solidæ putrescunt, & putredinis ratione,calorem præter naturam retinent, illum habent in facto esse, & independentem, provt necessarium est ad generationem febris: Ita Galenus 3.*de præsag.ex pulsib.cap.*3.circa finem,febrem hecticam pestilentem, ob putredinem partium solidarum cordis oriri affirmat. Sed sic est, quòd quando partes solidæ, ratione putredinis,habent calorem febrilem,& in facto esse,tunc in ipsis non semper reperitur siccitas morbosa, quinimò putredo maiori ex parte cum excedente humiditate existit: Licèt enim, vt 4.*meteor.*1. Aristoteles notat,ea quæ putrescunt, in fine siccitatem contrahant, in principio tamen humidiora redduntur. Ergo hectica ex partium solidarum putredine enata, non solùm sine siccitate morbosa,sed citra vllam consistere potest,quod in magna peste contingere posse, non dubitat Galenus 1.*feb.9. in med.* nisi velis intelligendum Galenum de hectica tabida,quam etiam cum calore præter naturam includere siccitatem morbosam, non ibo inficias, cum Galeno,1.*de diff.feb.cap.*8.

Dic vltimò, quòd cùm in qualibet specie hecticæ, etiam in illa quæ est primæ speciei, calor producatur in partibus solidis,in facto esse,per quandam veluti vstionem magis, quàm per putredinem, ideò ferè semper cum febre hectica, etiam primæ speciei, aliqua siccitas præter naturam coniungitur:vstæ enim partes,calorem in facto esse sibi adsciscunt, & necessariò à causa calefaciente exiccantur. Verùm siccitas primæ speciei,non est intensa, ita vt ab illa actiones lædantur sensibiliter, & manifestè: quare illa morbosa non est, licèt sit præter naturam.

Argumenta hac ratione solues. Dic ad primum, quòd Galenus *loco cit.* non adducit ariditatem corporis, veluti signum febris hecticæ inseparabile, sed solùm tanquam signum, quod frequenter cum illa coniungitur: neque affirmat, hanc siccitatem, statim in prima die febris apparere semper, sed in secunda, & tertia, quando partium humidarum aliqualis facta est dissipatio, quam aliqua consequitur siccitas.Hoc modo Galenus *lib.de marasmo,cap.*7.*post princip.* asseuerat, febrem hecticam in prima die, à febre diaria exactè non posse distingui. Ergo ex doctrina Galeni, corporis siccitas non semper febrem hecticam comitatur.

Ad secundum dic. Quòd licèt in qualibet specie febris hecticæ, frequenter reperiatur alicuius partis consumptio, & ex consequenti siccitas aliqualis, id tamen non semper est verum, vt ex *suprà* dictis constat, & patebit *infrà*, cùm adduxerimus modum, per quem quælibet species hecticæ constituitur. Ad vltimum dic. In qualibet specie hecticæ, non sola refrigeratio, sed humectatio vtilis est: sed hæc non expetitur, ratione præsentis siccitatis, sed futuræ; quare humidis oblatis vtile est semper corpus præseruare, ne in lapsum deteriorem, hoc est, in secundam, & tertiam speciem delabatur æger.

Vltrà quærendum: *Vtrùm febris hectica in communi, diuidatur in hecticam absolutè,& in hecticam marasmodem?* De speciebus hecticæ *lib.cit.*4.prætermissis Medicorum sententiis, breuiter disceptauimus, nunc dicendum febrem hecticam in communi, in duas species diuidi, in hecticam scilicet absolutè, & in hecticam tabidam seu marasmodem,vt *lib.*1.*de diff.feb.cap.*8.& 9. Galenus adnotat,& *lib.*10.*meth.cap.vlt.ante med.*quo loco de laborantibus febre hectica agens,firmat,quòd illorum quidam marasmo vrgentur,hoc est,marasmode febre;quidam verò premuntur hectica,nondum tamen marasmo tentantur.Quare hectica in communi,ex Gal.mente,in citatas duas species est diuidenda, quod etiam docet Trallianus *lib.*12.*cap.*4.*in princip.*

Ex quibus duabus speciebus hecticæ, prima constituitur solùm per calorem febrilem productum in facto esse, in partibus solidis, ita vt sit intemperies facta,& æqualis, sine aliqua siccitate morbosa, quæ ratione sui, sensibiliter operationes lædat. Secunda verò species hecticæ, quæ dicitur tabida, simul cum calore præter naturam, facto, & æquali, per siccitatem etiam morbosam,in partibus solidis introductam,constituitur,ita vt illius ratione,sensibiliter lædat operationes, & manifestè.

Itaque hæc tabida febris, est intemperies calida & sicca,ex Gal.*lib.cit.de diff.feb. cap.*8.& 9. *sequenti*, monente,quòd quando in hectica, humiditas, ex qua particulæ nutriuntur, in corde reseruatur, & sensibiliter non minuitur,solùm febris hectica existit, nondum tamen tabida; cùm verò iam res eò periculi peruenerit, vt nihil ex ea humiditate supersit, tunc exquisita tabes existit. Cùm ergo ex præsentia humiditatis sequatur, vt partes solidæ cordis non sint siccæ, & ex eius defectu, siccitas in partibus necessariò comparetur, rectè infertur,secundùm Galeni doctrinam,primam speciem hecticæ,per solum calorem factum,sine siccitate saltem morbosa,esse constituendam.

Rursus. Febris hectica tabida, & marasmodes est duplex, altera quæ simpliciter tabida, seu tabida incipiens nuncupatur, quæ ex siccitate morbosa, orta ex consumptione roridæ substantiæ, & carnosæ originem ducit; alia, quæ exquisitè tabida appellatur, & non à qualibet siccitate, sed à maxima ortum habet, veluti est illa, per quam partes solidæ, id est, fibrosæ, & membranosæ, ex consumptione humidæ substantiæ, siccæ redduntur euidenter. Hanc distinctionem 1. *feb.*9. attulit Galenus. Vtraque tamen per maiorem siccitatem, quæ in vna, quàm in alia reperitur, inter se distinguitur: in tabida enim rorida partium carnosarum humiditas; in exquisitè tabida, propria partium solidarum substantia est absumpta. Deinde calor præter naturam in hectica, quæ non est tabida, minùs est habitualis,& fixus; in hectica tabida incipiente,magis; in exquisita, maximè: quæ maior radicatio caloris hectici, in hac, quàm in illa specie, ex diuturniore mora in subiecto emanare solet, cuius ratione magis fixum habet mixtionis modum in partibus, & his est magis connaturalis factus,& ita cum maiori difficultate ab ipsis remouetur. Notabis tamen, has species febris hecticæ, species non esse, si physicè loquendum sit: Nam si medicè loquamur, vtilis est in has species diuisio, nam eam diuersitatem arguunt, quæ præsagium, & curationem febris hecticæ, aliquo modo euariat; & ideò hæ species à Medicis appellantur partes, gradus, tempora, quibus omnibus nominibus, eadem res significatur.

Causa.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 650 sur 927

Cauſa.

ETſi febris hectica à principio poſſit inuadere, nulla alia præcedente febre, vt 4. *lib.* notauimus, frequenter tamen alias ſubſequitur febres, ardentes præſertim, & quæ corpora calida, exhauſta, gracilia, ſicca, & excarnia apprehendunt, ex quibus primigenia humiditas, diu, & per moram ab adurente calore, ſenſim, ac ſine ſenſu abſumitur. Deinde cauſæ, aliæ ſunt veluti diſpoſitiuæ, quæ corpus ad calorem hecticum recipiendum aptum reddunt, vt inſignes, & diuturnæ vacuationes, quarum vi, corpus humiditatibus exhauritur, & ſolida membra indies magis arida fiunt, quibus ſi aliqua calefaciens accedat cauſa, facillimo negotio in ipſa, calor in facto eſſe introducitur.

Diſponunt ad hecticam febrem, inedia, exercitium vehemens, vigiliæ, tempus æſtiuum, regio æſtuoſa, curæ, triſtitia, quæ omnia, membra ſolida promptè exiccant. Aliæ ſunt cauſæ, quæ plurimum calorem, & ſiccitatem magis immediatè in partibus producunt, vt ardentes febres, acutæ, quæ incendio vehementi, roridam & propriam humidam partium ſubſtantiam liquefaciunt, & inſenſibiliter reſoluunt, & hac ratione, calorem habitualem in ipſis producunt. Hecticam etiam gignunt productæ febres, quæ licèt natura ſua non ſint intenſæ, tamen diuturnitate temporis, exhauſta propria partium humiditate, furtim, clámque corpus contabefaciunt. Huius etiam febris cauſa ſunt, viſcerum vehementes inflammationes, vt pulmonis, pleuræ, ventriculi, iecoris, maximè ſi præſidia frigida, & retorridum calorem attemperantia, non offerantur tempeſtiuè.

Progignitur etiam ex vlcere pulmonis, & partium internarum, à quo exuſtæ fuligines, perpetuò cordi communicatæ, ipſius ſubſtantiam pauxillatim depopulantur, & ipſam febrem accendunt, quæ etſi in principio putrida, & contagioſa exiſtat, temporis tamen tractu, ob caloris continuitatem, cordis ſubſtantia indies magis ac magis, ſiccior, & calidior euadit, donec in habitu calorem contrahat, ita vt etiamſi vlcus poſtea curetur, calor præter naturam in corde permaneat, & ſine cauſa fouente perſeueret; quo tempore, iam febris hectica eſt generata, quam non repugnat, cum alia putrida eſſe coniunctam: quas omnes hecticæ cauſas, 1. *feb.* 8. & 9. adducit Galenus.

Signa.

PRimò tradenda ſigna hecticæ febris in communi, poſtea proponenda, quæ vnicuique ſpeciei propria ſunt. Primùm. Caliditas præter naturam in ea exigua eſt, ob vaporum defectum: nam caloris multitudo multitudini effluxuum, & vaporum ex æquo reſpondet, vt 2. *feb.* 9. *in fin.* Galenus edocuit. Quare cùm in hectica calor ex humorum putredine non emanet, ſed in partibus ſolidis exiccatis ſit radicatus, ideò fuligines eleuatæ exiguæ ſunt, ex conſequenti calor puſillus, qui etiamſi primo occurſu debilis ad tactum appareat, poſtea tamen per moram, aridus, & mordax perſentitur.

Secundum ſignum. Caliditas hecticæ ſemper eſt ſibi æqualis, & ſimilis, nullam annotationem compreſſam, aut incompreſſam, incrementum, vigorem, ſeu remiſſionem habens: in ea enim, nulla fit humoris ex vna parte ad aliam expulſio, neque putredo, ex qua modò maior calor, quàm antea excitetur; caliditas enim in hac febre, fixa eſt, & à cauſa, quæ ipſam augere poſſit, independens. Quòd ſi aliquando in hectica, annotatio aliqua ſentiatur, ea non ratione ſui, ſed complicatæ alterius febris cauſa contingit.

Tertium ſignum. Ille qui laborat hectica, ſe febricitare non percipit, nec calorem cum dolore ſentit, vt *cap. 5. lib. de inæqual. intemp.* docuit Galenus: Nam partes ſolidæ non calefiunt, aut alterantur, ſed calefactæ ſunt, quare non ſentiunt, quoniam citra alterationem non fit ſenſus, vt *lib. 2. de anim. cap. 5.* firmat Ariſtoteles. Quare neque hectici dolent, cùm dolor citra ſenſum non ſit: quam rationem 3. *de præſag. ex pulſib. cap. 3.* Galenus confirmat.

Quartum ſignum. Hectici, vna, vel duabus horis ab aſſumptione cibi, incalescunt, ita vt calor qui augetur, ſpeciem annotationis referat incompreſſæ. Cauſam affert Galenus 1. *de diff. feb. cap. 9. & lib. 2. progn. com. 60.* Idem enim hecticis contingere videtur, quod in calce, & lapidibus calefactis; ſi enim frigidam aquam infuderis, multò calidiores ſentientur, nutriente in ipſis humida ſubſtantia aridam caliditatem: quaſi diceret Galenus, ideò in hecticis vna, aut duabus horis à cibo, calor augetur, quia tunc etiamſi totum alimentum, à ventriculo non ſit egreſſum, vaporoſa tamen eius pars, ad hepar, & cor peruaſit, qua præſente arida partium caliditas, tanquam paſſum ſibi proportionatum, humidam illam ſubſtantiam calefacit, & in ipſam proſiliens, ebullitionem concitat, quam antea ob ſubiecti ſiccitatem excitare poterat, ex qua efferueſcentia caloris in humida illa ſubſtantia alimentitia, plurimi & calidi eleuantur vapores, qui totum corpus peruadentes, ipſum calefaciunt, & hac ratione caliditas maior ad tactum, quàm antea perſentitur.

Quare poſt paucas horas ab aſſumpto cibo, hectica laborantium corpus, ſolito magis igneſcit, atque hoc ſignum à prima ad vltimam ſpeciem febris hecticæ, omnes comitatur. Hoc autem augmentum igneum, à febrium putridarum augmento dignoſcitur, quoniam in putridis, principij ſigna præcedunt, non in hectica. Deinde in hectica augetur ignis, quacunque hora æger cibetur; putrida, ſuas habet ſtatutas horas, & humoris motum ſequitur. Tertiò. Incrementum hecticarum durat vſque ad diſtributionem alimenti, ad quod putridæ non reſpiciunt. Num autem Galenica ſimilitudo inter calcem, & aquam frigidam, partes corporis, & alimentum, ſit vera, quam impugnauit Auerrhoës 4. *collig.* 33. diſceptauimus *lib.* 4. *Hiſt. Princip. Medic. in com. Hiſt. cit.*

Quintum ſignum ex quarto deducitur, quòd ſcilicet, cum caloris augmento à cibo, pulſus in hecticis ad magnitudinem, & velocitatem augeatur: Nam aduentante alimento, virtus aliquo modo roboratur, & arteriæ ſiccæ, ex vapore humido molliores redduntur, quare pulſus maior, & velocior euadit. Quod intelligendum, dummodò cibus ita copioſus non ſit, vt vires grauet, tunc enim fiet pulſus inordinatus, & inæqualis, vt 3. *de præſag. ex pulſib. cap. 6. in princip.* Galenus edocuit. Hæc magnitudo pulſus non ſimpliciter, & abſolutè dicenda eſt, ſed facta collatione ad præcedentem ſtatum, non verò ad ſanitatem ipſam, cùm in omni hectica febre, nec magnus, nec vehemens reperiatur pulſus, vt 3. *de præſag. ex pulſib. cap. 7. in med.* Galenus confirmat: Facultas enim vitalis, eſſentialem debilitatem, ex intemperamento facto, & æquali cordis prognatam, manifeſtè oſtendit: quare pulſus eſt celer, & multoties frequens, & ob arteriæ ſiccitatem durus tangentibus ſentitur.

Ex vrina certum aliquod ſignum, in hecticis deſumi non poteſt, vt 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. notauit Galenus: quoniam vrinæ color, ſubſtantia, & contenta, ex Galeni doctrina, ex diuerſo humore intra vaſa redundante, cum ſero permixto, in febribus generantur, qui in hecticis, febri occaſionem non præbet, cùm ſolidæ partes ſolùm ſint affectæ. Licèt autem in principio vrina ſit cocta, in tertia tamen ſpecie, ob virtutis debilitatem, aliqualiter tenuis & cruda conſpicitur: quorum primum, in febre diaria, & in putrida, humore

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 651 sur 927

iam concocto animaduertitur ; postremum verò in febre putrida,humore existente crudo,reperitur. Neque instes,in febribus omnibus præcipuè vrinæ solùm esse prospiciendum,ex Gal. 1. *crisi.*7. Nam eo loco agit de febribus putridis , quarum causa in vasis consistit. Quamuis autem hoc verum sit, in hectica tamen semper inspiciendæ : si enim bonæ sunt , magnum afferunt ad salutem momentum ; si prauæ , amplificant morbi periculum , vt 3. *epid. sect.* 2. *com.* 6. dictauit Galenus.

Nunc proponamus signa , quæ vnicuique speciei propria sunt, incipiamúsque cum Gal. 1. *feb.*9. ab illis, quæ tabidæ febris propria sunt : In ea enim , oculi sunt immodicè concaui,in quibus sordes siccæ conspiciuntur , quales in his adsunt,qui sub Solis ardore , longo itinere puluerulento sunt confecti ; & in eis flos vitalis,& purpureus est extinctus , quoniam dissipatis spiritibus & sanguine , quorum præsentia viuidus color enitebat cum hilaritate summa, color in facie liuidus apparet.Palpebras ob virium languorem,& siccitatem attolere nequeunt. Tempora ob carnis consumptionem , sunt valde collapsa. Cutis præsertim faciei , est sicca,intenta,dura. Demum tota corporis compago est arida, ita vt dicat Galenus,quòd *si partes ad ventrem attinentes , nudato corpore conspiciantur , neque ex intestinis , aut visceribus aliquod supereſſe videatur.* Quare præcordia versus thoracem vehementer contracta reperiuntur.

Pulsus in hac febre gracilis est,& valde debilis, frequens , & manifestè durus , quem ob prostratum virium robur, maximam arteriæ siccitatem , & vsum adauctum fieri , res est manifesta. Denique cognoscitur hæc febris, ex acrimonia maxima , quam calor febrilis ob intensam cutis siccitatem,tactui repræsentat. Quæ omnia signa si adsint simul , cum signis communibus copulata , tabidam exquisitè febrem præostendunt, quam tertiæ speciei constituimus.

Præsagium.

HEctica marasmodes ab intrinseco incurabilis,10. *meth.c.*10. quia humiditatem solidarum partium, æqualem deperditæ resarcire est impossibile:sicut enim senium vitari non potest,*lib.de marasmo , cap. 5.* ita nec marasmus. Deinde partes inualidæ,& ad attrahendum infirmæ,nutrimentum attrahere nequeunt,& si trahũt, illud per conuenientes vias ad extremas vsque permeare nequit , & hac ratione partes alimento orbatæ, arescunt , & tabefiunt. Insuper sicca intemperies, omnibus simplicibus deterior , 7. *meth.* 10. quoniam renitur valde , & corrigitur per humiditatem , quæ valde in agendo est pigra. Reliquæ verò duæ species, etsi curationem admittant , 1. *feb.* 8. & *lib. de marcor. cap.* 6. difficillimè tamen auxiliis succumbunt , licèt hectica primæ speciei faciliùs curationem susceptet, nam calor præter naturam , refrigerantium ope potest remoueri.

Curatio.

FEbris hectica à causa aliqua fouente non dependet, quare in curatione illius , solùm à natura febris sumenda indicatio est , quæ per contraria indicat remotionem sui : adeóque sola refrigerantia , & humectantia expostulat,vt Galenus 10.*meth.6.in fin.*& *cap.*7.& 8. *sequenti*,& Auic. 1.4.*tract.*3. *cap.* 4. *in princ.* confirmat. Hac ratione aër,cibus,potus , & alia quæ vel intus,vel extrà administrantur,ad frigidum humidum inclinent, est necesse. Vacuationes incongruæ sunt,quoniam hectica est immaterialis morbus. Solùm reficiendæ vires alimento optimo,probi succi,facilis coctionis,& distributionis,lento & tenaci,vt exiccatis partibus possit adhærere. Restaurantia offerenda , inter quæ primarium locum obtinet lac,cuius potu hecticos impugnari multoties , & sanitatem recuperare experimento comperimus : de cuius præstantia pro instaurandis hecticis, *lib. 2.Hist.Princip.Medic.in com.Hist.*35.& *lib.*4. *Hist.* 44. fusè sumus proloquuti. Inter alia præsidia , quæ probè nutriunt , facilè coquuntur , & hecticos mirificè humectant,& impugnant,sunt limaces,Ranæ,testudines, ex quibus parare soleo compositionem, cui Confectio ex testudinibus nomen est inditum , quæ ad hos effectus complendos,mirandum in modum succurrit,quæ sic paratur.

℞. *Carnis testudinis aquaticæ,* ℥ iiij. Coque in aqua, vel iure hœdi , cum excorticato hordeo : *Strobylorum per horas* iij.*in aq. calida rosacea priùs infusorum ,* ℥ ij. *amygdalar.dulcium mundatar.* ℥ iiij.*gummi tragacanth. infusi in aq.rosar.sem.papauer.albi,lactuc.portulacæ , & sem. frigidor.an.* ℥ ij.

Singula seorsim contundantur,& misceantur : adde *electuar.resumptiui,diamarg.frigid. an.* ℥ ij. *sacchari albi, dissoluti in aq.buglos.q.s.* fiat secund.art.electuarium, auro decoratum , ad formam magnarum Tabellarum. Dosis in aurora,vncia dimidia,superbibitis vnciis duabus iuris pulli,vel gallinæ decocti,cum hordeo,portulaca , & lactuca.

Laudatur ptisana,Far,Vitelli Ouorum, aquæ stillatitiæ ex limacibus,ranis,testudinibus, anguillis abluris sine pelle cum aq.Ros. Partes præcipuæ refrigerandæ, roborandæ,humectandæ , vt hepar , cor , ventriculus, vnguentis,oleis,epithematis, sacculis. Intus offerenda eadem , quorum copia diuersimodè recantata est apud auctores plures,quam huc transferre, Medico ingenuo esset indecorum valde.

De balneo , eiúsque partibus , satis plura *cit. lib.* 4. prædiximus. Balneum ex lacte , vel ex lacte aquæ permixto , optimum est, de quo etsi Græci non meminerint,tamen Auicenna 1.4.*tract.* 3. *cap.* 6. permittere emulsionem lactis super hectici membra , antequàm ingrediatur balneum , consuluit : approbat Serapio *tract.*8. *cap.* 12. ex hac enim emulsione , hectici magis humectantur,vel si paretur ex nutrientibus aliis rebus, vt iure gallinarum,arietis, bubulæ , etiam erit præstantissimum.

OBSERVATIO.

Pro Hectica curanda , vnguentum ex cassia præstantissimum.

AD auferendam hecticæ febris siccitatem , per os oblata humectantia parum iuuare , ratio dictat: nam ob conuenientes vias , rugatos meatus , cutaneos poros præ siccitate obstructos , nec alimenta, nec medicamenta ad partes extimas , commodè accedunt, etiamsi à debili hecticorum calore coquantur, actuentur. Quid ergo agendum , in angustia tanta ? Totam cutem contractam & rugosam humectare , oblinire, demulcere, ne in lapsum immedicabilem siccitatis delabatur , qua si semel occupetur , nullum postea remedium habet. Eligenda ergo sunt humectantia lenta, pinguia, quæ lentore suo diu in cute morata , humiditate sua oleosa,humiditatem nostram nutriant, & refocillent. Inter tot ab auctoribus conscripta , hoc vnguentum est expertissimum , cuius vsu,præsertim post balneum,vndecim hecticos crassefactos vidi,qui lacte & farre deinde nutriti,sanitatem recuperarunt. Totum corpus à planta pedis vsque ad collum vngi debet , & postea sindone coopertus æger per horam vigilet. Huius forma esto hæc.

℞. *Pulp. cassiæ fistularis,* ℔ ß. *butyri recentis insulsi ,* ℥ iij.*axungiæ gallinæ,medullæ cruris vituli,an.* ℥ x. *vnguenti resumptiu.vnguenti filij zachariæ,an.* ℥ iiij. *olei nenuph. rosar.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 652 sur 927

©BIUM

roſar. violar. an. ℥ iij. *olei papau.* ℥ j. ß. *mucilaginis ſem. pſyll. ſem. cydonior. altheæ aq. roſ. extract. an.* ℥ iij. *iuris pinguis capitis caſtrati,* ℥ vj. *lactis muliebris,* ℥ v. *ſucci ſempreuiui,* ℥ ij. *aq. album. ouorum agitatorum priùs,* ℥ iiij. *farinæ hordei,* ℥ ij. *pulu. roſar. ſantalor. coriandri præparat. coral. rubri, an.* ℥ ij. Miſceantur omnia, cum ſero lactis caprini, aqua hord. & roſacea, & ſec. art. fiat linimentum, pro hecticis mirabilis efficaciæ, quo, maturino tempore, & nocturno tribus horis poſt paſtum, vti eſt neceſſe.

CAPVT XXVIII.

De Peſte.

Definitio.

DE Epidemia peſtilenti tractaturo, expedit primò implorare diuini numinis auxilium, quo veluti clypeo permunitus, aduerſa non pertimeſcam, & aliqua languentibus valde proficua proferam in lucem. Etenim quælibet peſtilens conſtitutio, omnipotentis Dei, Optimi Maximi, ita eſt, vt ex *lib. 2. Regum, cap. 24.* conſtat apertè. Tempore Dauid Regis, conſpexit Diuus Princeps Angelum Domini, euaginato gladio, populum fortiter cædentem ob peccatum, & ad Aream Areuna Iebuſæi hoſtia placatus Dominus, continuit Angelum, & cohibita eſt plaga ab Iſraël. Quare cùm ob ſcelera mortalium, hæc clades frequentiſſimè inſoleſcat, proſtrati ad Deum confugientes, dicamus: Voce mea ad Dominum clamaui, *Pſalmo 76.*

De qua, eiúſque curatione genericè, luculenter tamen licèt protulerimus plura, non indigna lectu, *lib. 1. Hiſt. Princip. Medic. Hiſtor. vlt. lib. 2. Hiſt. 89. lib. 4. ab Hiſt. 46. vſque ad 49.* tamen hoc loco ſpeciatim, de eius curatione, peculiarem faciemus commemorationem.

Peſtis ergo, vt didicimus ex Gal. *1. epid. in proœmio,* & *1. acut 9.* nihil aliud eſt, quàm Epidemia pernicioſa, hoc eſt, peſtis eſt morbus vulgaris multos perimens, verba ſunt Galeni *3. epid. ſect. 3. com. 20.* Aduerte, non pronunciare Galenum, maiorem partem correptorum neceſſariò perire, ad hoc vt ſit peſtis, ſed ſufficit quòd multi pereant, vt *lib. 1. cit. Hiſt.* animaduertimus.

Nobis non eſt in animo, plurimùm ſpatiari, in indaganda notione nominum morbi epidemici, ſporadici, cùm ſit ſatis Galenum audire, ſummatim hæc perſtringentem, *1. acut. cit. Oſtendit hac oratione Hippocrates, morbos multos vno fieri tempore, quos, ſi pernicioſi fuerint, peſtem appellant; ſi verò mitiores, epidemos, vel epidemios nominantes: vt epidemus morbus ſit, qui tempore anni aliquo, in regione aliqua abundet, inſoleſcátque; peſtis verò, epidemia pernicioſa. Eſt verò & aliud morbi genus commune multis, quod in regione ſuperuenit, & endemum, vel endemium appellatur, quaſi patrium dixeris, vel vernaculum. His autem omnibus aduerſantur ſporades, id eſt, qui ſparſim, priuatimque prehendunt, ægros diſcrepanter fatigantes, nec ſecundùm communem modum conſtantes.* Subdit: *Rariùs quidem tum Epidemici, tum peſtilentes fiunt; vocati verò ſporadici, frequenter.* Hæc ſunt Galeni verba, tam conſpicua, vt ampliorem interpretationem expoſtulare non videantur.

Operæ tamen pretium aduertere, peſtem aliquam viſam eſſe, ita intenſæ, & effrænatæ feritatis, vt ferè omnes correptos perdat, atque interficiat. Conſpicitur non ita rarò alia, in qua multi euadunt, & multi ferè æquè pereunt. Eſt verò tertia, in qua maior pars correptorum euadit, ſed nihilhominùs multi intereunt. Atqui cùm intenſio, & remiſſio non varient ſpeciem, profectò cunctæ hæ peſtilentes conſtitutiones, peſtis nomine comprehendi & poſſunt, & debent, dummodò ſub allata peſtis definitione ſint repoſitæ.

Cauſa.

AErem cauſam eſſe communiſſimam morborum omnium popularium valde communium, vt Hippocrates aſſerit *lib. 2. de nat. human.* latè tradidimus *lib. 4. Hiſt. PP. Medic. Hiſt. cit. Vtrùm* autem *à variis cauſis, ſecundùm Galeni doctrinam, poſſit ſecundùm totam ſui ſubſtantiam alterari aër?* dubium eſt grauiſſimum. Galenus *lib. 1. feb. 4.* quatuor cauſas propoſuit: Prima eſt copia cadauerum inſepultorum. Secunda, aquæ immotæ, retentæ in lacubus, & ſtagnis. Tertia, conſtitutio æſtuoſa excedentis caloris, & ſiccitatis, qualis fuit illa tempore Thucydidis, relata à Galeno *1. feb. cit.* & cùm ſimilis conſtitutio, ex illius mente, non ſufficeret ad gignendam illam truculentam peſtem, addidit & quartam cauſam, dicens, ex Æthiopia acceſſiſſe aliquod ſemen peſtis, ex quo illa tanquam à vehementi cauſa emanarit.

Hæ ſunt cauſæ propoſitæ à Galeno, cui omnes poſt eum ſcribentes de peſte, aſſentiuntur. Cadauerum inſepultorum multitudo peſté excitat, quia ab his vapores eleuantur tetri, putridi, dira labe fœdati, qui aërem in tota ſubſtantia corrumpere nati ſunt. Ob quam cauſam, aquæ reſtagnantes immotæ peſtem excitant. Eodem modo putei occluſi diu, quando deobſtruuntur, vapores ex ſe emittunt venenatos. His cauſis annumerandus terræmotus, cuius fragore vapores putridi in cauernis terræ retenti, exhalant, qui inficiunt aërem, & eum reſpirantes coinquinant. Hinc fit, vt verum ſit problema Ariſtotelis, *4. ſect. probl. 21.* eum annum eſſe peſtiferum affirmans, qui valde pluuioſus eſt: aër enim ob copiam vaporum putridorum, alteratur eximiè, & corrumpitur.

Vtrùm inquinamentum, & ſemen peſtis, ad conuertentiam dicantur? Hæc quarta cauſa, explicatu ſatis eſt difficilis, quid nempe per ſemen peſtis Galenus intelligat. Sed relictis plurium expoſitionibus, per ſemen intelligere puto, certam illam malignam qualitatem, cuius efficacia aër in tota ſubſtantia corrumpitur, & alteratur, & cuius vi ipſe peſtifer efficitur, ita vt peſtis ſit origo. Accedit, quòd alij Galeni interpretes, loco vocabuli Latini, *ſemen peſtis*, transferant inquinamentum peſtis, ſeu ſorditiem contagioſam peſtis, & hæc eſt illa pernicioſa qualitas, quæ aërem peſtiferum reddit.

Hæc interpretatio ex mente Hippocratis poteſt deduci, hoc enim vocabulo vſus eſt, quando propoſuit cauſas, ob quas peſtis omnia animalia ſimul non inficiebat, etſi ab aëre eſſet excitata, qui æquè omnibus eſt communis, & inter alias, quas ſubdit, rationes, inquinamentum peſtiferum exiſtens in aëre, eſſe id, quod quædam animalia aliis illæſis inficere affirmat, quia illis eſt aduerſum, his minimè: Quare idem eſt, inquinamentum peſtis, ac ſemen peſtis, dummodò ſub his nominibus comprehendatur illa pernicioſa qualitas, quæ peſtem generare ſolet, quando in aëre gignitur, vel ei communicatur: nam ſi eſt ſordida, ipſum immundum; ſi lenta, contagioſum reddet, ita vt lentore ſuo, & vapore maligno, illos quos attingit, inficiat, quæ peſtiferi aëris ſunt conditiones propriæ.

Sed inquires, à quo fonte emanet hoc ſemen, & quomodo aëri communicetur, eum in tota ſubſtantia alterans. Dic, ſemen peſtis, hoc eſt, illam ſordidam & malignam qualitatem, contagioſam, & lentam, oriri ex omnibus illis cauſis ſupràdictis, quæ aërem corrumpunt, ea corruptione, vt peſtem inducere poſſit. Secundo quæſito facilis eſt reſponſio: nam vapores cadauerum inſepultorum, cloacarum, &c. peſſima illa

illa qualitate affecti, aëri ipsam communicant, quum illi permiscentur.

Dubium extricatu difficile est: *Vtrùm præter causas pestis, à Galeno propositas, aliæ etiam ab Arabibus & Astrologis allatæ sint admittendæ?* Auicenna 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 2. præter inferiores, & propinquas causas pestis, alias proponit superiores, & remotas, asserítque esse certas formas, & figuras, in quibus cœli, & astra suos effectus producunt: Certum enim est, & apud Philosophos ratum, in omnibus generationibus, corruptionibus, alterationibus aliis naturalibus, quæ in inferiori mundo fiunt, orbes cœlestes, & astra, vt agentia superiora, & potissima concurrere; & ob hanc causam. Philosophus 4. *meteor. cap.* 2. sublunarem mundum esse continuum, aut vt alij exponunt, contiguum superioribus lationibus asseuerat: quod nullus mortalium hactenus dubitauit, & innumeris exemplis *lib.* 3. *crisi. cap.* 2. confirmat Galenus.

Sol, Luna, astra, planetæ, orbes cœlestes, mirabilia producunt in sublunari mundo. Hæc astra, tempora anni diuidunt, & menses, excitant ventos, pluuias, niuem, pruinam, tempestates, serenum tempus, noctem à die distinguunt. Hac ratione agricolæ, ac nautæ planetarum occasus tantoperè speculantur, & Medici astrorum concursus ad morborum curationem, ex mente Hippocratis, *lib. de aëre, loc. & aqua*, & alibi, auidè, attentéque rimantur.

Magna ergo est potentia astrorum in hæc inferiora. Quare non citra euidentem rationem, in proposito negotio asserunt Astronomi, stellas crinitas præcedentes, Solis, & Lunæ portentosa deliquia, & congressus errantium siderum, pestilentes constitutiones interdum excitare. Inficitur ergo aër, aliqua maligna qualitate cælitus demissa, ex cometis præcedentibus, & luminarium deliquiis, quæ potens est eos afficere, qui morbosum in corpore apparatum retinent, cæteros minimè.

Insuper, quòd prauos effectus producat in his inferioribus Solis deliquium, nobis argumento sit, quòd qui eundem laborantem intuentur fixè, occæcantur facilè, vt 10. *de vsu part. cap.* 4. prodidit Galenus. Neque asseras hoc accidere, vi lucis disgregante visum: Id enim magis fieret à non laborante sole, quod est falsum. A prauo ergo influxu hoc fieri, est dicendum, oculos intuentes offuscante, & offendente.

Neque obiicias cum Auerrhoë, astra non posse aliquid mali influere, sed semper operari bonum: Nam etsi influxus siderum quiliber, simpliciter dici possit, & debeat bonus, tamen pro varietate materiæ dispositæ, saltem ex accidenti quodam, prauos interdum effectus potest in aëre, & his inferioribus edere. Cùm enim cœlestia corpora sint agentia naturalia, sunt prædita virtute alterandi, & immutandi elementa, & mixta, idque operantur lumine, motu, & influentia, quibus corpora humana ad varias, & malignas affectiones, pro varietate particularis influentiæ, disponuntur.

Hæc doctrina deduci potest ex Hip. qui sic debet *lib.* 3. *Aph.* 8. *In legitimis temporibus, ac conuenientem seruantibus temperaturam, morbi legitimi, ac boni iudicij fiunt; intempestiuis autem, non legitimi, & mali iudicij.* In qua sententia, Hippocrates per morbos constantes, intelligit sparsos, & aliquos morbos epidemicos, qui non ita interficiunt. Ergo si hæ alterationes benignæ, aut malignæ, ex aëris alteratione naturali, vel præternaturali emanant, vna & altera mutatio ex astris oritur, quæ in naturali concurrunt elementes, & benignæ, quas Astrologi Fortunas appellant; & in præternaturali inclementes & malignæ, quas ipsi Infortunas vocare consueuere. Inferes ex his, etiam astra benigna, morbos sparsos, & constantes; maligna autem, epidemicos, pestiferos, & inconstantes generare. Astra enim suos effectus producunt, inter quos, morbos esse connumerandos, mediante aëre, non est denegandum, quem qualitatibus manifestis, aut occultis, quas influentias vocant, immutant & alterant.

Hoc placitum non incongruè ex Galeni sententia depromi potest, qui *lib.* 3. *de diæb. decretoriis, c.* 9. ex sententia Ægyptiorum, dies caniculares benignos esse, & clementes, quando cum cane adiungatur aliquis planeta benignus, confirmat; contrà, hos dies esse inclementes, & malignos, quando planeta adsit malignus, aut aliquis aspectus malignus simul concurrat.

Astra ergo, & planetæ aspectu suo, & coniunctionibus variis concurrunt, & in cœlo diuersas formas, & figuras efficiunt. Harum facit mentionem Hippocrates 1. *de nat. hum. text.* 7. quando Medicos monet, vt præsenti vaganti constitutioni, morbis, temporibus, formis, & & ætatibus reluctentur valde. Quare per formas intelligit easdem figuras, & formas stellarum, & orbium cœlestium, quas Auicenna enumerat.

Sed videtur absonum, asserere astra, & orbes cœlestes posse immittere pestem in hæc inferiora, haberéque in se influxus malignos, & pestiferos: Cùm enim ad conseruationem mortalium, & omnium rerum sublunarium, sint à Deo creata, quæ immutabili quadam varietate, & æquabilitate gubernant, non videtur possibile, posse ex ex se emittere, & influere qualitates pestiferas, venenatas, quas non habent, quarum vi & efficacia, humanum genus veluti possit extingui. Adde quòd ex Peripateticorum mente, influxus negantur, cùm pro certo sibi persuadeant, Aristotelem voluisse, orbes cœlestes, & astra solo motu, & luce efficere operationes suas, quin aliquis alius influxus concurrat. Quare non desunt, qui has influentias Astrologorum irrideant, & contemnant, & tanquam imaginarias floci faciant, cùm ij hactenus rationem promere non potuerint, cur in illis figuris, & aspectibus, & non in aliis, influant illæ influentiæ, & non aliæ; quæ cùm ad libitum sint inuentæ, reales effectus producere non poterunt, vt est pestis, & alia visibilia, & sensibilia, quæ causas sensibiles, videlicet motum, & lucem astrorum, & orbium cœlestium verissimè habent.

Cæterùm hæc commoda gaudent explicatione. Orbes cœlestes sunt pulcherrimi, perfectissimi, perpetui, sed ab hac perfectione non degenerant, quando ex se influxus pestiferos, venenosos, malignos, ob peccatorum flagitium, & scelera emittunt: Si enim ipse Dominus cœlorum, omnis visibilis & inuisibilis creator, perfectissimus, pulcherrimus, & ipsis orbibus, ac astris, infinitè melior, mortales ipsos pœnis affligit, cur negabimus orbes cœlestes pestem, & alia damna coniicere in sublunarem mundum, quum similium suppliciorum sint instrumenta?

Peripatetici autem, licèt in sui Aristotelis monumentis, nomen influentiæ non inueniant, reperiuntur tamen alia vocabula, quibus eas significari constat manifestè: Nam Aristoteles, omnibus Philosophis consentientibus, per lucem intelligit, non solùm perspicuitatem, qua Sol, astra, & orbes cœlestes mundum inferiorem illuminant, & tenebras fugant, verùm virtutem & potentiam qua operantur, & omnes actiones suas mirabiliter exercent: hanc virtutem vocauere Philosophi influentiam.

Illæ verò formæ, & figuræ imaginariæ non sunt, sed reales, & excellentes, siquidem orbium cœlestium & astrorum dispositionem demonstrant, in illa hora, & tempore, quo eas influentias ex se emittunt, quarum ope, varios operantur effectus, ob modum operandi diuersum, quem habent astra, & orbes motibus suis, quorum vi & potestate, tam differentes formas & figuras, reali, & non imaginaria dispositione efficiunt.

Præter præcipuam pestilentiæ causam, & communissimam, quam aërem esse diximus, sunt etiam aliæ

coadiuuante

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 654 sur 927

coadiuuantes cauſæ, quæ peſtilentiam ſuapte natura fouent,& augent,& aërem, loca, tempeſtates ad eam præparant:Harũ aliæ ſunt internæ,externæ aliæ.Ex hominum naturis,excipiendæ peſti maximè omnium obnoxij ſunt,quorum corpora ſunt imbecilliora, impura, cacochyma,aut quæ ex intemperantia,victus deprauata ratione, labore, concubitu nimio, imbecillitatem virium contraxere tantam,vt peſtilenti veneno reluctari nequeant: Quare rectè dixit Ariſt.*7.prob.*1. eos præ cæteris peſte labefactari, qui deprauato conſtant corporis habitu.

Mollia,rariorá que corpora,celeriùs aliis naturis peſte corripiuntur: cùm venenata, tum materia, tum qualitas,pluribus ac patentioribus viis, per arterias in præcipuum viſcus,totúmque habitum ſubeat, nec difficilè penetret. Calida, & humida corpora, cùm putredinis morbis ſint obnoxia,ſic & peſti. Demum vt ædes antiquæ quæ non firmæ ſunt, impetu ventorum faciliùs corruunt,quàm quæ firmis fundamentis nixæ: ſic homines, quibus ex fato vita imbecilla, ac breuior futura eſt,celeriùs & grauiùs,peſtifera cœli conditione tentantur.

In præparantium externarum cauſarum genere cenſentur, locorum ſitus ad auſtrum, loca maritima, cœnoſa, ventis ſalubribus carentia, concluſa, nec liberè perflata. Ex tempeſtatibus auſtrina omnium maximè peſtilentiæ anſam præbet: Nam Auſtri flatus corpora labefactant, laxant, torpida reddunt, ex Hip. 3. *Aph.*5. & 17. Celſo *lib.* 2. *cap.* 2. Idem dicendum de Euris, & Subſolanis, qui quamuis origine, naturáque ab exhalatione,omnes calidi,ſiccíque ſint, quia tamen humidas regiones perflant, humorem acquirunt, quem vnà cum caliditate aëri inducunt: Quare ſi annus totus auſtrinus ſit,calidus & humidus,peſtilentiam maximè accerſit. Ex anni temporibus autumnus: nam ex inæqualitate eius,corpora redduntur imbellia,& peſti maximè obnoxia; contrà,æſtate feruidiſſima peſtis ſeminarium, abſumitur, & rigente bruma putredo coërcetur.

Signa.

IN peſte ſymptomata horrenda, & grauiſſima ſuperueniunt,& quod peius eſt,omnia fallacia ſunt, infida,& maximè incerta. Ea autem præcipuè ex calore, pulſu,& vrina deſumuntur,de quibus omnibus,etſi fusè,at ad Principum mentem ſumus proloquuti, *lib.* 1. *Hiſt.PP.Medic.in com.Hiſt.vlt.*tamen ſub epilogo hæc refricare fas eſt.Calor ſæpe ad tactum exteriùs,nec admodum intenſus,nec perurens videtur, quamuis ægri interiùs magno flagrent incendio,vt *6.epid.ſect.*1. *com.* 29.literis prodidit Galenus. Pulſus adſunt omnino celeres,crebri, non præualidi,ſed imbecilles magis. Aliis pulſus fiunt moderatis ſimiles,vt in hecticis peſtilentibus contingit. Reſpiratio eſt frequens, graueolens. Vrina non ſemper eodem modo apparet, nam quibuſdam eſt conturbata,aliis tenuior,plurimis colore, craſſitudine,& ſedimento, ſanis ſimilis.

Ægri ſitiunt vehementer,cibum reſpuunt,patiuntur bilis vomitum, præcordiorum diſtentiones, dolores, frigidos ſudores, extremorum frigiditatem, ſtillam è naribus,æſtum in thorace, linguam aduſtam, aridam. Ex humoribus vitium eſſe,& ex iiſdem febrem excitari peſtilentem,cognoſces ex obortis bubonibus,anthracibus,oris fœtore,& effloreſcentibus per vniuerſum corpus punctículis. Hique interiùs magis æſtu laborant, etſi exteriùs caleant minùs, percipiúntque ægri ſæpe ſe febre inæqualiter laborare. Sitiunt magis, & aridam linguam perpetuò habent.Iis adſunt deliria, comata, vigiliæ. Si ſolidæ cordis partes ſint accenſæ, febris eſt exigua, æqualis, quam nec ipſe æger percipit euidenter. Pulſus, & vrina moderatis ſimiles, 3. *de præſag. ex pulſ.* 3. Apparent mox anxietudines, anguſtiæ graues, mœrores,cardialgiæ,tremores,oſcitationes frequentes, ſenſuum interceptiones,ſomnus profundus,qui nocentiſſimus eſſe ſolet, nam venenoſus ſuccus ad interiores partes adactus, partes principes percellit; quare ab eo omni conamine arcendi.

Porrò iis materia turgens ſæpiſſime eſt, quæ ſtare loco neſcit,ſed modò in hanc, modò in illam partem truditur à natura,eius malignitatem non ferente. Diaria peſtilens citiſſimè interimit,vno nempe die,nam ab ſpiritibus putridis & corruptis, originem ducit, quæ omnia refert Paulus *lib.*2.*cap.*35.

Præſagium.

PEſtis mortifera eſt, crudeliſſima, & nulla crudelior ipſa,prout tot auctorum ſententiis firmauimus,*lib.*4. *Hiſt.Princip.Medic. in com. Hiſt.* 46. Auicenna *loco cit.* diuiſit ſigna per quatuor tempora anni, quæ peſtem præſagiunt manifeſtè.In Autumno, inquit, aduentantem peſtem poſſumus præſagire,quando in fine æſtatis; & principio autumni apparent in aëre ingentes ignes, qui cœlum ipſum, mare, & terram comburere videntur. Apparent etiam luces,& ſplendores magni,qui noctem pellucidam reddant, & perſpicuitate pleniſſimam, præcipuè ſi cometa adſit, aut ſtellæ vagantes è cælo decidere videantur.

Quare hoc loco,breuiter ſub difficile dubium exponendum:*Vtrùm apparẽtes ignes,& ſtellæ vagantes in cœlo, peſtem præſagiant*? Nam ſi hæ apparitiones oriuntur ab exhalationibus ſiccis, quæ in ſuprema aëris regione, tranſmutantur in figuras dictas,auctore Ariſt. 1.*meteor. cap.* 7. & 8. ſolùm ſiccitatem præſagient, ob magnam exhalationum copiam, quæ ſunt vapores calidi ſicci, qui in has figuras abſumuntur. Plures Auicennæ, & Aſtrologorum ſententiam irrident. Alij vario modo eorum mentem interpretantur.

Solue tu hoc modo. In cometis, & aliis ſignis, quæ in cœlo apparent, & in terra, binæ cauſarum differentiæ debent conſiderari: aliæ enim vocantur materiales, aliæ efficientes dicuntur. Illæ nihil aliud, præter ſiccitatem ſignificant. Hæ, ſi ad Aſtrologorum opinionem rectè penſentur, ex certis influentiis emanant,quas certis aſpectibus,& cœlorum diſpoſitionibus,planetæ & ſtellæ efficiunt,& ideò Aſtrologi cometas, & alias apparitiones, planetarum partus vocare conſueuerunt.

Hæc ſententia non incongruè probari poteſt, ex ipſa opinione Aſtrologorum: hi enim cometam habiturum colorem, & figuram ſimilem naturæ planetæ, aut ſtellæ magnæ regnantis aſſeuerant;de quorum cœtu primi extant Ptolomæus,& Haly Abenragel, qui rectiùs de argumento cometarum diſceptarunt, & variis rationibus, & hiſtoriis muniti, euentus bellorum, ſterilitatis, morborum peſtilentialium,ad cometas ſubſequutos palàm faciunt:& hæc eſt cauſa, quare ad varios cometas,& in diuerſis locis apparentes, diuerſi effectus ſequuntur.

Quare ſic apparitiones ſunt ſigna eorum,quæ in poſterum contingere debent, ſiquidem ſunt planetarum partus. Accedit, quòd iuuant influxus ſtellarum, ad diſponendum aërem,& corpora,vt influxus ipſi promptiùs operari poſſint,rectè ad patiendum, inferioribus corporibus diſpoſitis: & hæc eſt verior expoſitio Auicennæ. Hoc modo morborum Epidemicorum cauſa ſunt terræmotus,ſiquidem eclipſium,& aliorum planetarum ſuperiorum partus ſunt,& effectus. Quapropter cometæ,& alia apparentia in cœlo, tempore autumni, aut alio quouis tempore, peſtem, & alias calamitates præſagiunt, ſecundùm locum cœli, quem occupauerint,aut colorem quo ſint inſigniti, aut ſtellam à qua procedunt.

Hyeme

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 655 sur 927

Hyeme si aër sit nebulosus,& turbidus,& ad pluuiã inclinet, & non pluat, remaneátque siccus, morbos pestilentes significat. Sed hoc signum valde suspectum à pluribus asseritur, iccircò dubitandum: *Vtrùm hyems sicca, pestilentes morbos portendat?* Nam hæc constitutio sicca, non solùm hyeme, sed in aliis temporibus euenieris, morbos pestiferos portendit, vt acciderunt æstate nebulosa, turbida, & pluuiis carente, in qua contigere morbi immanes, lethales, pestilentes, vt refert Hippocrates *1. epid. sect. 1. text. 9.* ita eueniunt quando annus fuerit austrinus, calidissimus, squalidus, impluuius, ipso contestante Hippocrate, *eodem loco.* In hunc sensum Aristoteles *16. probl. 52.* ventos austrinos, pluuiis carentes, febres efficere asseuerat. Ergo, &c.

Secundò. Constitutio nebulosa, turbida, non solùm quando fuerit sicca, impluuia, sed si sit nimbosa, morbos facit pestilentes, vt probat accidisse in quadam constitutione, Hippocrates *lib. 3. epid. sect. 3. text. 1.* dicens: *Autumnus erat turbidus, nebulosus, pluuiosus, accessit hyems australina, & pluuia.* Quare constitutio austrina, siue sit humida siue sicca, morbosa est, & malignos morbos præsagit. Ergo signum Auicennæ videtur suspectum, & maiori indigens explicatione.

Dic. Signum esse certum: nam constitutio austrina, in quocunque tempore anni contingens, sicca, nebulosa, impluuia, morbos malignos significat; ostendit enim concurrere aliquam influentiam superiorem, quæ pluuiam coërcet, etsi huius signa appareant manifesta. At hoc si hyeme contingat, certiùs pestiferos morbos præsagiet, quoniam fortiorem influentiam præostendit, tempore quo pluuiæ decidunt natura suapte.

Hoc modo possumus ad secundam dubitationem respondere, dicendo constitutionem austrinam, cum signis pluuiarum, siccam esse magis morbosam humida, & pluuiosa. Hócque secundùm qualitates manifestas esse verum non intelligas, sed occultas, & sunt influentiæ, quæ pluuiam retinent, alioquî certum est, constitutionem humidam & pluuiam, esse sicca magis morbosam.

Ver, inquit Auicenna, austrinum, frigidum, & impluuium; præsertim si subsequatur æstatis principium simile, modò lucidum, modò turbidum, diurno tempore calidum, noctu frigidum, morbos pestiferos præsagit. Hoc signum probari potest, ex doctrina Hip. *lib. 1. epid. sect. 1. text. 6.* nam hæ diei, noctisque varietates, in luce, tenebris, frigore, calore, diuersimodè aërem alterant, corporáque ad morbos venenatos disponunt, maximè si aliqua maligna qualitas concurrat simul, & aëri communicetur. Hæc omnia si æstate accidant inconstante, varia, austrina, parum calida, noctibus inquietis prædita, diebus turbidis, tunc morbos similes expectare oportet.

Quòd si animalium venenosorum generetur eo tempore multitudo, vt anguium, ranarum, lacertorum, murium, & aliorum quæ ex putredine oriuntur, tunc certò pestem possumus præsagire: Hæc enim influxum venenosum ostendunt, qui sicut sordida animalia producit, ita venenatas, & pestiferas progignit, maximè si vagentur morbi contagiosi, vt variolæ, morbilli, puncticulæ. Ita Aristoteles *1. probl. 22.* multiplicationem ranarum paruarum, esse signum pestis asseuerat. Si moriantur aues, causa pestis oritur à radice superna. Si animalia terrestria subitò occumbant, in inferna regione sitam esse causam pestis, indicium est.

Præseruatio.

INquires primò: *Vtrùm præseruatio à Peste sit possibilis?* Respondo hoc modo. Si quispiam contemplatur vehementiam, & efficaciam huius mali, varium ité, & incognitum modum, quo corpora humana adoritur, nonne præseruationem impossibilem arbitrabitur? Deinde. Quis poterit esse impedimento, quominùs stellæ, aut planetæ certis aspectibus, & locis, ex se qualitates pestilentiales iaculentur? Et quis obuiare poterit, vt coniunctiones & influentiæ, quæ aërem sanũ & purum, reddunt venenosum, non influant? Et quod medicamentum, tam alexipharmacum inueniri potest, quod influentiæ subtilissimæ, quæ viscera penetrat tam efficaciter, aduersetur. Dic. Quòd licèt nullum medicamentum possit assignari, quod concursus astrorum impedire possit, tamen hoc potest esse, vt illorum influentiæ non corrumpant, nec interficiant: medicamenti enim theriacalis vi, & efficacia, ita corpus muniri, ac roborari potest, vt influentiis malignis, & aliis agentibus putredinosis reluctetur, siquidem præsidia alexiteria sunt influentiis illis venenosis efficaciora; nam, vt perdoctè dictauit Ptolomæus: *Vir sapiens dominabitur astris.*

Super omnia placandus assiduis precibus Dominus, peccatis & vitiis repulsis. Aër inprimis ignibus odoré fundentibus rectificandus, prout fecisse Hippocratem legimus, ita monente Galeno *lib. de theriac. ad Pison. c. 16.* cuius historiam lege *4. lib. Hist. Princ. Med. Hist. 49.* Duo enim commendat Hippocrates *lib. 1. de nat. human. text. 9.* ad præseruationem pestis: primum, vt cor pauca indigeat respiratione; secundum, vt aër sit familiarissimus, & purus, & nutriendis spiritibus aptissimus; qui qua arte sit parandus, eo loco notauimus. Ad præseruandum; summè laudatur Arsenicum, aut argentum viuũm, sinistro lateri appensum: Sed ficulneum, & nocuum est auxilium, de quo lege *lib. 2. com. Hist. 89.* Quo loco venena supra cor gestare, inutile esse determinauimus. Sepelienda corpora peste demortua, quia contagiosa sunt, & aërem inquinant, vt *lib. 2. com. Hist. cit.* perleges.

Partes principes medicamentis roborandæ, vt hoc modo, imminenti veneno possint reluctari; hæc dicuntur Belzaartica, theriacalia, alexiteria, alexipharmaca, Antidota. De horum cœtu sunt theriaca, lapis Belzaarticus, cortex radicis chamæleontis albi, Tormentilla, semen acetosæ, Vnicornu, Terra Lemina, semen citri, & limonis, Coccus Maldiuiensis, lignum Aquilinum, lignum Colubrinum, Mithridatium, & alia plura tam simplicia, quàm composita, quæ *citatis locis* retulimus.

Citria mela saccharo condîta, vtilissima sunt, & veneno resistunt. Succus eorundem saccharo inspissatus, pesti, & venenosis morbis mirabiliter resistit, sicut & limonis, ac arantiorum acidorum, radix scorzoneræ saccharo incrustata, & eius syrupus, mirandum in modum roborant cor, & veneno resistunt. Conserua Violarum, Bugloss æ, Borraginis, Flor. Stœchados, Conserua acetosæ, rosar. cerasorum acidorum, Myrobalanor. malor. Persic.

De Aliis maior est controuersia inter auctores: *Vtrùm ad Pestis præseruationem, in cibis sint admittenda?* Galenus ea videtur reprobare, *lib. 1. de diff. feb. cap. 4.* dum pro præseruatione pestis, à prauis eduliis esse fugiendum docet, & inter hæc, allia connumerat, & cœpas. Dioscorides *lib. 2. cap. 142. de aliis*, ea siticulosa esse asseuerat, quare reproba erunt, & nullius vsus, siquidem sitim, & calorem internum inducunt, ad frequentémque anhelationem promptissimè cogũt.

Solue dupliciter. Allium vi pollet contra venenũ, & est Alexipharmacum præstantissimum, cuius odorem venenosa animalia auersantur, ita vt si eius nidorem vel leuissimè persentiscãt, illicõ occũbant. Plinius enim *lib. 2. nat. hist. cap. 4.* tigres, & leones, interficere omnes, exceptis iis qui allio vncti sunt, asseuerat. Quare allium crudum facit sitim, & est mali succi; coctum verò, & assum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 656 sur 927

©BIUM

assum, cùm acrimoniam deponat, etsi non ita nutriat, corpus non replet malis humoribus, nec est siticulosum. Solue secundò. Allium, vt nutrimentum, in peste reprobandum; vt medicamentum, summopere iuuat: licèt enim aliqua ex eius esu corpori malitia accedat, tamen maior est vtilitas, quæ ex eius vi consequi solet alexipharmaca. In hunc sensum intelligendus Galenus 12.*meth.cap.*8. quando allium theriacam vocat rusticorum, cuius esu sanatum fuisse rusticum, colico dolore laborantem, celebri quadam Historia enarrat Galenus *lib.*12.*meth.cap.cit.*

Vtrùm ad præseruationem pestis, necessaria sit sanguinis missio? magnum inter Medicos hactenus fuit certamen. Sunt qui negant: nam secta vena, spiritibus exhaustis, debilitato & flaccescente corpore, videtur quòd imminens, iamiámque veluti ceruicibus impendens pestilentia, minimè arceri possit: imò visi sunt multi, vitalium inprimis, deinde etiam consentientium reliquarum facultatum languore interiisse; experimento enim compertum est, in præcauenda peste, corporis virium integritatem esse necessariam. Quare auersanda venæ sectio est, nisi viribus maior adsit plenitudo, aut certè venarum distentio. Quare si phlebotomiam exerceas, debili corpore existente, venenum faciliùs in cor & venas penetrat, atque ita vires vacuatione imminutæ, insilienti perniciei, vix vnquam, nec nisi ægrè obsistere possunt: imò humores naturales, secta vena exagitati, promptiùs labem contrahunt. Si tamen in venis adsint vitiosorum humorum redundantium signa, viréque sint vegetæ, tunc parcè phlebotomandum, aut scarificandum, aut admotis hirudinibus sanguis ducendus, vt natura deonerata, imminenti veneno reluctetur, subtrahatúrque fomes in corpore latens, cui venenosa qualitas promptissimè adhæret.

Huic proxima est de peccantium humorũ purgatione controuersia: *Vtrùm decernenda sit, an omittenda?* Ac profectò, qui sano sunt corpore, difficilè ferunt medicationes, 2.*Aph.*36. *&* 37. idque non sine corporis detrimento, viriúmque iactura; nihilominùs tamen, siqua in venis impuritas, & cacochymia subest, purgans medicamentum adeò nihil obesse putandum, vt magnum adiumentum sit allaturum. Quare corpus, & humores ad faustam purgationem præparentur priùs, vt vt 1. *Aph.*22. & *lib.*2. *text.*9. admonuit Senex. Benignum exhibendum pharmacum, cui antidotum nunquam permiscendum, nam illius vires infringit & obterit, motuúmque contrarietate, humanam naturam grauiùs offendit, atque percellit.

Cæterùm, sicui in pestilentia scabies è toto corpore erumpat, ex fonticulis, aut vlceribus diuturnis, aut fistulis, hæmorrhoïdibúsue sordes emanent, horum omnium tunc temporis sanatio, minimè curæ esse debet, vti nec corporis aliorum affectuum, per quos viscerum impuritas, interioráque omnia expurgari consueuerunt; tunc enim tantum abest vt noceant, vt post vniuersalem corporis vacuationem, artubus à plerisque multis hoc casu admoueri solita cauteria, tum quæ actu, tum quæ vel sola potestate vrendi vim habent, non paucis bene cessisse, experientia ipsa abundè testetur.

Curatio.

AB aëre capiamus exordium. Hic sit clarus, lucidus, odorus; sin minùs, arte paretur, æstate quidem inspersis per domum herbis redolentibus frigidis, hyeme, calidis. Cibus facilè, valenter, probéque nutriat, parcior, iisque sæpius assumptus, vt vires tam immani vitio resistere queant. Quare ad pleniorem potiùs, quàm tenuiorem victum sunt cõgendi, qui enim viriliter comedunt, à morbo liberantur, 1.4. *tract.* & *cap.*4. Potus, si febris nulla, tumoréque nulli fuerint, sit vinum album, aut rubellum, tenue, purum, odoratum, ac pro cuiusque consuetudine vel meracum, vel dilutum, magis minúsue. Somnus modicus vtilis est, ni natura pestilens virus foràs pellere, & excludere nitatur, excitato carbunculo, bubone, aut sudoribus: siquidem per somnum cum innato calore, vnà spiritus intrò recedunt, ibíque conduntur, humores verò à superficie, atque extima cute velut in centrum retrahuntur, quare timor est, ne contagionis seminaria intrò condantur. Excrementa leni enemate, aut balano educenda. Animi perturbationes cauendæ.

De sanguinis missione digladiantur Medici, num in curatione pestis sit vtilis, & ex quo loco sit administranda. Hanc litem leges iudicatam, *lib.*4. *Hist. Princ. Medic.in com.Hist.*47. Sicut & controuersiam de purgatione, num in peste necessaria sit, *eodem lib.com. Hist.* 48. Quare ab horum auxiliorum explicatione, nunc supersedere satius duxi, sicut à bubonis, carbunculiue curatione, quæ perito potiùs Chirurgo conuenit, quàm Medico, & nos *lib.*3.*praxis admirandæ, Obs.*122. *&* 123 plura prælibauimus.

Nunc ad sudorum prouocationem accedamus: Hi sunt promouendi iis, quorum vis est venenatam perniciem ex alto ad cutem transferre: Nam Celsus *lib.* 3. *cap.* 7. rectissimè dixit, *ingentem sudorem effusum, ferè pestis auxilium esse præsentissimum.* In quem vsum aqua hæc sudatoria est efficacissima.

℞. *Pimpinel.tormentillæ, dictamni albi, serpentariæ, gentianæ, zedoariæ, galangæ, an.*ʒ v. *piper. longi, caryophyllor. macis, an.*ʒ j. *theriacæ,*ʒ ij. *camphoræ.*ϑ j. *cornu cerui.*ʒ ß. Omnia ex vini generosi, & aq. scabiosæ æquis partibus macerata, in duplici vase distillentur. Hæc aqua exhibita quantitatem vnciarum trium, tempore frigido summè præstat. Quòd si æstas sit, possunt addi semina melon. cucurbit. folia borrag. bugloss. Cardui Benedict. & vnciis tribus possunt admisceri oxysacchari vnciæ binæ, adiecto sacchari momento.

Cor roboretur epithematis, vt veneno reluctari possit:

℞. *Cortic.mali medic.citrij, santalor. rubror. santalor. albor. coral. rubri, coral. albi, camphor.ossis de corde cerui, scobis eburneæ, zedoariæ, croci. an.*ϑ ß. *aq.ros.violar. flor.bugloss. & acetos.an.*ʒ iiij. Arida in puluerem contrita cum liquidis misceantur.

Aliud.

℞. *Elect.è gemmis, confect.alkermes, confect.hyacinth. theriac.an.*ʒ j. *santali rubri, corticis citri, xyloaloës, macis, an.*ʒ ß. *camphor.croci, moschi, an.*ℊ. iiij. *vini generosi,*ʒ iiij. *aq.melis.*ʒ ij. *aq.ros.*ʒ iiij. *aq. cinnamom.*ʒ j. *aceti ros.*ʒ ij. Misce.

Aliud refrigerans.

℞. *Aq. solan. lactuc. portulac. oxalid. nymphææ, bugloss. melissophylli, an.*ʒ j. *aceti ros.*ʒ iij. *santalor. omnium, spodij, rosar. grani tinctorij, iunci odorati, an.*ʒ j. *camphor.*ϑ j. Sicca cum aquis misceantur.

Hoc vnguentum etiam summè præstat cordi admotum.

℞. *Sem.mali citri, ossis de corde cerui, rameti cornu Monocerotis, succini albi, santali rubri, rosar.an.*ϑ ß. *olei ros. & violac.an.*ʒ j. *axungiæ naphæ,*ʒ ij. ß. *confect. alkermes,* ʒ j. *aceti paulum.* Misce, & fiat vnguentum.

Roborat cerebrum, & cor, odorari malum citrium. Arantium, Rosas, Santala, aut Globum hunc:

℞. *Omnium santalor. rosar. violar. nymphææ, amaraci, an.*ʒ j. *coriandri,* ʒ j. *camphor.*ϑ j. cum tragacantho, aq. Acetos. Ros. diluto excipiatur. Si verò tempus sit frigidum, adde styracem, Belzoïnum, ladanum, & similia. Viscera, & cor præsertim antidotis roboranda, quorum copiam tam simplicium, quàm compositorum *cit. loc.* retulimus. Symptomatis verò quæ superuenire solent, obuiandum est auxiliis, quæ *lib.vlt.* peculiariter proponentur, quot verò sint, infrà perleges.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 657 sur 927

OBSERVATIO.

Electuarium ad pestem domandam efficacissimum.

℞. *Conserue borrag.bugloss. fol.nymphæ, acetos.an. ℥ ij.conserue flor.anthos,℥ ß. theriac.℥ j. succi scordij, quinquefolij, acetosæ, an. ℥ j.succi limon. ℥ ß.succi citri, ℥ j. cinnamom.ʒ ß.dictamni Cretens.ʒ ß. boli armeni,ʒ j. cornu cerui, ramenti cocci Maldiuiensis,scobis eboreæ, an.ϑ j.lapid.belzaartici, ℊ.xx.electuar.de gemmis,confect.alkermes,Mithridatij,an.ʒ ij.cortic.citri,coralli rubri, an.ϑ j.radic.angelicæ,radicis ʒedoariæ,an. ϑ ß.* Cum acido citri,sacchar o præparato,& miua myrobalanor. saccharo conditarum , excipiantur omnia , adiecta vncia vini odoriferi,ℊ.x.Moschi, & ambari ℊ. v. & fiat conserua. Ex quibus pulueres , stillatitias aquas , tabellas, syrupos potest prudens Medicus,pro occasione,& temporis varietate præparare.

De febre pestilenti.

PEstis non idem est quod febris pestilens,nam pestis prout genus potest reperiri sine febre, contrà verò febris pestilens ; prout est species , non potest dari sine peste,vt 3.*epid.sect.*3.*com.*25.55.*&* 57.notauit Gal.Nam verum est, quòd in corpore alicuius particularis potest generari humor,qui cõmunicatus fomite, sua venenositate aërem extrinsecum inficiat , & febrem pestilentem constituat , quam describit Gal. in qua sine febre apparuerunt vomitus, diarrhœæ ; & in alia,de qua fuit loquutus 3. *epid. sect.*3. *com.* 25. in qua ob decubitum humoris ad brachia & crura , gangrænæ & spaceli, vbertim emanarunt : & sic optimè definitur hæc febris pestilens,quòd sit *calor extraneus,malignus,contagiosus,qui ex his quos corripit,maiorem partem interficit.* Huius febris triplex assignatur differentia , pro diuersitate substantiæ, quam prædictus calor adoritur : nam si afficiantur spiritus, diaria pestilens consurgit, quám posse dari,diximus *lib.*1. *Hist.Princ.Medic.in com. Hist.cit.* si partes solidæ,hectica generatur putrida,ac pestilens ; si in humoribus,humoralis pestilens insurgit, & hæc frequentiùs infestare solet.

Causæ huius febris, aliæ sunt procatarcticæ,aliæ antecedentes, coniunctæ aliæ. De procatarcticis satis *cap. superiore* dictũ est. In diaria,causa antecedens est vapor spiritibus permixtus , ita vt ex vtroque causa immediata huius febris emanet. In humorali sunt humores, qui hanc qualitatem venenatam in se admittunt, ex quibus eleuantur vapores , qui febrem producere nati sunt.

Signa,ex diuersitate substantiæ,quam calor pestilens apprehendit,venanda:variáque numerantur à Gal.*lib.de cib.boni & mali succi,cap.*1.*lib.*3.*de præsag.ex pulsib.cap.*3. *&* 4.*lib.de inæqual.intemp.cap.*48.& 4.*Aph.*48.& 3. *epid. sect.*3.*com.*57.& 6.*epid.sect.*1.*com.*29.& *lib.*9.*simpl.cap.de terra Samia,* & *lib.de atra bile, cap.*9.

Ea autem desumenda etiam sunt , ex qualitate mutata,actione læsa,excretis & retentis. Ex qualitate mutata : febrilis calor remissus apparet, cum aliquali acrimonia coniunctus , & hoc accidere certum est , quoniam spiritus vitales ad partes internas retrahuntur , in quibus intensissimus calor est accensus. Color faciei, præsertim in labiis,mutatur eximiè,& ad cæruleum,& plumbeum vergit, sicut totius corporis ad rubrum declinat , hácque de causa puncticulæ apparent , papulæ, variæ cutis efflorescentiæ , morbilli, variolæ, absccssus retrò aures, sub axillis, & in inguine.

Ex actione læsa,signa depromenda. Adest anxietudo,cum corporis iactatione coniuncta.Ægri inordinato motu, huc & illuc mouentur, ita vt neque linteamina possint supra se ferre, ingenti siti,vomitu, fastidio,vigilia,delirio, difficultate respirationis,& eius fœtore cruciati. In facultate vitali læsio notabilis animaduertitur, & hac ratione pulsus est debilis,paruus, inæqualis, aliquando ad frequentiam,& celeritatem declinans,quoniam hæc febris , versus has differentias pulsum non immutat , sed cum remisso calore spiritus resoluit , & temperamentum cordis euertit,& ideò exolutio, animi deliquium,syncope,extremorum frigiditas,creberrimè ægros infestare solent.

Signa ab excretis,& retentis , læsionem facultatis etiam demonstrant: quare insolescunt alui fluxus , etiam vomitu æruginoso , & atrabilario coniuncti , quæ omnia magnam & malignam succorum adustionem significant , vt perbellè 3. *epid. sect.* 3. *com.* 57. & 4. *Aphor.* 21. notauit Galenus. Vrina est crassa , perturbata, & aliquando tenuis, & aquosa,cum intensissimo fœtore , persæpe ad viriditatem, & nigredinem declinans : quòd non multùm à naturali statu muretur , id in febre hectica pestilenti contingit; hæc enim omnia signa , humorali solùm sunt peculiaria.

Præsagium ex ipsa febris acutie desumes : ferè enim omnes quos corripit , interficit , & est extremè peracutus morbus , valde pernicious , ita vt præsente vitium debilitate , spatio decem horarum , & pro maiori , vel minori debilitatis gradu , vsque ad septimum , interficiat. Certissima mortis signa sunt, timor , tristitia , cibi fastidium pertinax , faciei color liuidus , aut nigricans , extremarum partium frigiditas , viscerum cauma intensissimum , vomitus porraceus , æruginosus , niger. Deiectiones fœtidæ , variegatæ. Vrina tenuis , aquosa , sine contento vllo, fœtida , liuida , atra , aut crassa. Sudores frigidi , sanguinis stillicidium vndequaque fluens , somnolentia , balbuties, cordis palpitatio, omnium rerum obliuio , pustularum , & tumorum delitescentia , conuulsio, lipothymia , syncope. Salutem portendit exanthematum , macularum , bubonum , carbunculorum exitus tempestiuus , quoniam partium principalium , à quibus emanant , robur & firmitudinem ostendunt. Sunt etiam signa salutaria , quæ illis funestis , & lethalibus sunt omnino contraria , & aduersa.

Præcautio huius febris,similis est illi,quæ pesti vtilis est. Curatio perficietur hoc modo. Non sunt audiendi, qui naturam huius febris , in maligna qualitate esse constituendam pertinaciter contendunt , solis Alexipharmacis esse tractandam sibi persuasi : nam causa à putredine,& cacochymia maligna ortum ducens, auferenda est,si virium robur adsit, phlebotomia,& purgatione ; citra quorum auxiliorum opem, hæc putrida febris eradicari nequit , ex hac enim vacuatione, magna vtilitas consurgit,quoniam ablato subiecto extinguitur accidens. Quare pro virium tenore,præmisso clystere ex interna vena , venæ sectio celebretur , purgationis gratia medicamentum clemens offeratur.Concedantur deinde , quæ cor roborent , & qualitatis pestilentis effrænes vires coërceant, quorum copiam *superiori capite* proposuimus.

De febre maligna puncticulari.

QVid sit febris maligna , eius natura , multiplex significatum , & quibus signis hæc insidiosa, dolosáque febris sit agnoscenda, dixi *lib.*1.*Histor. Princip. Med.in com. Hist.* 82. Febrem punctiularem,à priscis fuisse cognitam , docui ex illorum mente , *lib.* 2. *com. Hist.*3. Nunc aduerto , febrem hanc punctiularem, in qua maculæ purpureæ , morsibus pulicum similes apparent , esse putridam , prout ex pulsu , ex modo caloris , & vrina colligere est , à quibus Galenus putredinis signa venatur, *lib.*9. *meth. cap.* 3. & 1. *feb.*7.

Verùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 658 sur 927

Verùm licèt sit de putridarum genere, nulli illarum est adstricta, sed per omnia vagatur, & est continua. In hac febre etsi continua sit, accidunt rigores, quia licèt sit intermittens, iuxta Hip. 4. *Aph.* 63. tamen ij sæpissime ægrotantes premunt, suborti à vaporibus malignis, elevatis ex materia maligna, intra venas impacta, qui partibus sentientibus communicati, rigores excitant, in quibus sæpe febris ad tantam peruenit remissionem, vt intermittens videatur, & Medicos sæpe deludat, qui rigoris specie decepti, eam intermittentem, & salutarem esse sibi persuadent.

Quòd autem hæc febris per omnia putridarum genera vagetur, experimento compertum est, quoniam aliquando repetit per circuitum quotidianæ, tertianæ, quartanæ. Neque ex hoc dicas, intermittentem non posse esse malignam: hoc enim esse falsum, determinaui *lib. 1. in com. Hist. cit.* Hac ratione hæc febris est popularis, contagiosa, nam præsente in corpore morbosa dispositione, siue sit biliosa, pituitosa, aut melancholica, in eadem regione habitantes similiter ea corripiuntur. Etlicèt huius contagium ad distans non sit, neque per fomitem, vt accidit in peste vera, est tamen contagium, quod ad contactum potiùs referri debet.

Nunc in dubium vertendum: *Vtrùm febris maligna à pestilenti, & simplici putrida distinguatur?* Pestis est genus supremum respectu pestis, & morbi maligni, & hoc modo illius collatione, omnes morbi contagiosi, sunt maligni: & hæc reperitur differentia, inter pestem, & febrem malignam, quòd illa indiscriminatim maiorem partem mortalium corripit, & interficit; hæc verò solùm, secundùm corporis apparatum determinatum premit atque fatigat, cuius natura inconstans, fallax, & dubia existit: quare difficilia, & suspecta sunt illius indicia, nam cum signis saluberrimis, & sano corpori similibus, simul alia lethalia habet. Insuper hæc febris, non semper à causa communi ortum ducit, & pestilenti, sed ex morboso apparatu plerumque emanat, etsi aliquando cum ea peculiare reperiatur aëris inquinamentum, quod simul cum morbosa corporis dispositione, sit etiam febris principium.

Hac ratione hæc febris inter putridam, & pestilentem media est, à quibus propriis signis distinguitur. Differt à pestilenti, quia hæc ab aëris infectione, tanquam à causa communi oritur semper, & apparatum morbosum præuium non requirit, sed omnes corripit quantumuis sanos, secundùm analogiam, & aptitudinem, quam ex natura sua sortitur; febris verò maligna, contrario modo originem ducit. Deinde differt à peste, quia hæc citra prohibitam diffiationem inuadit & corripit, deuastando, & sepicorum medicamentorum instar, partium natiuam temperiem corrumpendo; maligna verò, semper cum putredine, & prohibita transpiratione corripit & inficit, licèt aliquale semper contagium sit necessarium, in quo à febribus simpliciter putridis differt. Vltimò distinguitur à pestilenti, nam hæc ex cordis substantiæ, spirituum, aut humorum inquinamento emanat, vt ex anhelitus graueolentia satis constare arbitror; in maligna vehemens solùm infectio humorum, intra vasa inualescit.

A putrida simplici, excellentia, & intensione putredinis differt: in ea enim maligna, deterrima, & varia signa inueniuntur, quæ deteriorem & periculosiorem eius conditionem constituunt, & quod peius est, signa coctionis in vrina adsunt, quibus præsentibus sæpissime ægri vel inopinatò multoties occumbunt; quæ signorum fallacia, dolus, & incertitudo, in putrida rarò reperiuntur. Ab illa etiam distinguitur, quoniam in putrida proportionati circuitus adsunt; in maligna, varij, diuersi, & inæquales: nam ea totam cùm inficiat massam sanguineam, improportionales accessiones excitat, ob varietatem humorum, qui in ipsa massa computrescunt.

Causæ huius febris, aliæ internæ sunt, externæ aliæ. Hæ sunt aër inquinatus, seu putrefactus, qui vel secundùm primas qualitates solùm, vel secundùm has, & secundas, ex modo substantiæ alteratur. Illum modum proposuit Hippocrates, 3. *Aph.* 8. & 9. & 1. *epid. sect.* 1. *tempest.* 7. dicens: *In Thaso ante Arcturum, & sub Arcturo, multæ & magnæ, spirante Aquilone, pluuiæ.* Mutatione enim temporis, humorum temperies permutatur, & aliquando à naturali statu exorbitat, & morbi pestiferi generantur, ob quam causam in hyeme, & post hyemem, hæc febris exasperatur & inualescit.

Alteratur etiam aër, secundùm omnes qualitates suas, siue ab astris, siue à quacunque causa communi: & hoc dupliciter contingere certum est, quia si vehementi, & sordida alteratione hoc accidit, pestem, & morbos pestilentes mouet; si verò non sit alteratio intensa, sed circa morbosum corporis apparatum excitata, febris propullulat maligna, veneficis suis symptomatis stipata. Hanc generant vsus stagnantium, & immotarum aquarum, cibi praui succi, ex quorum frequentia in corporibus acquiritur dispositio ad putredinem malignam generandam, quàm aptissima: idem efficit intempestiuus crassorum ciborum assumptorum vsus, vita otiosa, venus assidua, ex quibus obstructiones, & cruditates emanant, viréque premuntur, ac labefactantur, quæ inposterum neque corrigere humores, neque resistere morbicis causis possunt, & hac ratione corpora ex quauis leui causa in hanc febrem persæpe delabuntur.

Causæ internæ, aut sunt antecedentes, aut coniunctæ: Illæ, sunt morbosus corporis apparatus, plethorica dispositio, aut cacochymia, ratione cuius non rectè gubernantur humores, sed maligna qualitate infecti putrescunt, præsertimque sanguis, qui cùm calidus & humidus sit, ebullitione spumosa efferuescit citò, & concepta putredine formam propriam amittit, & detrusus in cutem, puncticulas gignit, quandoquidem sanguis habet maiorem similitudinem ad excitandam hanc febrem, quàm humores cæteri: quare ex illo putrescente, synochus cum putredine maligna consurgit, variis, iisque pernicioſis symptomatis comitata.

Signis hanc febrem dignoscendam esse, illius acuties, fallacia, malignitas, ex qua euidens vitæ periculum imminet, manifestè demonstrant. Sumuntur ergo primò ex qualitate mutata, actione læsa, excretis & retentis. Ex qualitate mutata, calor est ita mitis, & remissus in principio, vt eum paululum recedere à naturali arbitrentur Medici, aut saltem non febricitare ægrum, & breuiter à morbo euasurum sibi persuadeant, qui dolus post paucos dies deprehenditur, in quibus ægri, ferinis perciti symptomatis, animam efflare videntur. Aliter accideret, si ipsi hanc caloris lenitatem cum reliquis signis coniunctam contemplarentur. Quomodo enim possunt consentire intensa vigilia, somnus profundus, vehemens cephalalgia, nausea, vomitus, anxietas, angor, cum miti febre? In hunc sensum intelligendus Galenus 3. *crisi.* 4. dicens, *debiles & paruas febres, valde malignas aliquando esse:* quam sententiam lege eleganter illustratam, & variis auctoritatibus exornatam, *lib.* 1. *Histor. Princip. Medicor. in com. Histor. cit.* Denique quò mitior & remissior est febris hæc, eò deterior & pernicioſior, quoniam non solùm ex putredine, sed ex maligna corruptione ortum ducit.

Ex actione læsa, varia sumuntur signa, pro diuersa facultate, à qua actio emanat. Apparet pulsus paruus, languidus, & omnino inæqualis, patitur enim facultas vitalis, & spiritus vitales à maligna humorum putredine resoluuntur. Est autem aliquando ita æqualis, & citra omnem ordinis perturbationem, vt salutem similis naturali extemplò promittat: sed hæc fallacia facilè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 659 sur 927

detegetur, si cætera venenata signa contemplemur, quæ animantis ruinam promptè præsagiunt.

Ex noxa actionum animalium, varia desumuntur indicia: quare læditur facultas appetitiua, seu tactiua ventriculi, & concitatur sitis adeò clamosa & dira, vt caloris febrilis modum & intensionem exuperet; & quod magis est, apparente lingua scabra, aspera, & sicca, ægri non sitiunt vehementer, quoniam humores interdum sunt frigidi, crassi, & longè à ventriculo putrescunt, ita vt putredo soli cordi propinquior sit. Quòd si ex hac causa non eueniat, vel delirium significat, 2. *Aph.* 6. vel extinctionem facultatis portendit: Quare *in Coacis prænotionib. Sitis præter rationem soluta, malum.*

Ingens cibi fastidium ab hac febre est inseparabile, & eò magis, quò venenosi humores ampliùs fuerint in ventriculo infixi: nam ex calore, & maligna qualitate, ita facultas prosternitur, vt si ægri ad comedendum cogantur, protinus cibum assumptum vomitione reiiciant. Deinde ægri sunt inquieti, anxij, & quemlibet decubitum ferunt permolestè. Adest molestus capitis dolor, præsertim in sincipite, à vaporibus malignis eleuatis, qui cùm praua qualitate infecti sint, caput diuersimodè fatigant. Vigilant, & si dormire incipiunt, à spectris inquietantur, & turbulentis insomniis conflictantur. Adest delirium, cùm omnium potentiarum rectricum noxa coniunctum. Somno profundo tentantur, quando cum bilijosis humoribus, crassorum etiam, & frigidorum succorum adest copia multa.

Ex noxa facultatis naturalis, etiam sua depromuntur signa. Vrina etsi aliquando tenuis appareat, & decolor, ferè crassa est, perturbata, ac rubra, quam sedimentum diuulsum, crassum, & inæquale comitatur, quæ ex ingenti putredine, agitatione, & ebullitione magna humorum, ortum ducit. Quomodo autem in hac febre, possit apparere vrina similis sanæ, si tota massa sanguinea est putrilagine maligna infecta, lege *lib. 1. in com. Hist. cit.* Excrementa fœtida sunt, & graueolentia, quæ internam putredinem in visceribus vigere demonstrant.

De præsagio quid? Puncticulæ, huius febris sunt velut pathognomonicum signum. Sed percontaberis: *Vtrùm in punctículis ad præsagium plures conditiones sint assignandæ?* Respondeo affirmatiuè: Nam primò animaduertendum est tempus, in quo apparent: quoniam si in principio, aut in augmento reprobæ sunt; aliarum excretionum instar, quæ si exeant in initio, ad bonum iudicare est impossibile, naturam enim lacessitam à deleteria qualitate ostendunt, quæ irritata humorem ante tempus necessarium exire permittit, 4. *Aph.* 22. Si verò criticè, præcedentibus signis coctionis erumpant, perfectam iudicationem significant.

Secundò. Colorem earum attendere oportet, ex quo humor exuperans dignosci debet. Rubræ mitiores sunt, & sanguinem citra intensam putredinem præostendunt. Liuidæ, aut nigræ reprobantur, magnam enim humoris arguunt adustionem. Tertiò. Contemplanda est etiam paucitas, aut multitudo illarum: hæc enim in decretorio die eueniens, cum signis coctionis, optima est, paucitas est deterrima; minuta enim vacuatio deterrima, ob multas causas latas à Galeno 2. *prorrhet.* 47. Non nego quòd maculæ in magna copia erumpentes, cum intensa febre, sint pernicioſæ; sicut paucitas, cum remissa, non ita periculosa. Quare cætera signa ex conferentia sunt consideranda. Quartò. Harum macularum perseuerantia in cute, est attendenda: Nam si occultentur, & retrocedant, periculum minantur: humor enim malignus, in altas sedes restagnat, dira damna effecturus. Accidit retrocessus vel à frigore ambientis, quia ægri non sunt rectè cooperti, vel quia partes inanitæ à nimia aduſtione, & malignitate febris, ex ambitu corporis attrahunt promptissimè, ex Hipp. 6. *Aph.* 25.

De Curatione. Circa præsidia magna, hactenus Medici in varias dispersi sunt classes: nam circa administrationem sex rerum non naturalium, præcepta obseruant, quæ *in superiorib. capit.* sunt proposita. In sanguinis missione, apparentibus puncticulis celebranda, tota apud eos lis fuit, & controuersia. Alij retrocessum pertimescentes, ex cute solùm vacuabant, impositis humidis cucurbitis, ad quam natura excrementa detrusit: oblatis Alexipharmacis, quæ venenosam huiusce mali naturam retunderent præpotenter. Verùm irridenda est opinio hæc: nam si adsint vires, & plenitudo ingens, tantum abest vt retrocedat humor, quin potiùs leuata natura ab onere quo premitur, faciliùs & promptiùs humorem peccantem ad externas partes detrudat. Hac ratione Auicen. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 12. *de Variolis*, præsente plenitudine, apparentibus illis, sanguinem mittere non recusat. Cucurbitulæ scarificatæ, dorso, ac femoribus impositæ, optimæ, sicut & hirudines mariscis affixæ. Plenitudine deposita, purgatio celebranda, prout *lib. 4. in com. Hist. cit.* acriter faciendum esse determinauimus: quæ si non sufficiat, ad Apozemata deueniendum, cum quibus Alexipharmaca sint permixta. Sudor excitandus. Epithemata cordi admouenda. Partes principes roborandæ, de quibus omnibus satis *suprà.*

Supersunt varia, eáque maligna symptomata corrigenda, quibus citissimè opitulandum, vt sitis intensa, cibi fastidium, vomitus, nausea, singultus, alui fluxus, dolor capitis, vigilia immodica, somnus profundus, delirium, animi deliquium, syncope, surditas, cordis tremor, parotides, & alia quorum exacta curatio, cùm *in sequenti libro* sit descripta, eam iterum repetere, Medico ingenuo foret indecorum. Hic enim liber iustum iam nactus finem, sicut & quartus *Hist. Princip. Medic.* Lectorem docent apprimè, quomodo in curandis febribus, generatim, & speciatim, tutò incedere, & ægros à tantis malis liberare possit.

FINIS LIBRI QVARTI.

ZACVTI

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 660 sur 927

ZACVTI LVSITANI, PRAXIS HISTORIARVM.

LIBER VLTIMVS.

DE SYMPTOMATVM FEBRIVM curatione agens.

PRINCIPIVM.

POSTQVAM ſuperioribus Libris, mala quæ non vni ſolùm parti, verùm pleriſque infeſta ſunt, deſcripſimus, quo in cenſu febres, morbi peſtilentes, peſtis ipſa, contagioſi, & venenati morbi eſſe cenſentur, tempus eſt vt ad ſymptomata earum perſananda accedamus, quæ quàm ſæua ſint, ac pernicioſa, ipſa febrium natura manifeſtè oſtendit. Febres enim præcedunt pathemata dira, quæ corpus grauatum, & veluti ſarcina oppreſſum præſignificant. Alia cum febre ipſa propullulant, & inualeſcunt, quando ferociùs morbi furor ſeſe foràs expromit. Plura in medio febrium inſultu inſoleſcunt. At cùm hic morbus vniuerſum corpus depopuletur, natiuíque caloris harmoniam labefactans, officinas coctionis debilitet, atque virium iacturam, abſumendo ſuo extraneo calore primigenium humidum, machinetur, nihil mirum, ſi finita febre ægri palleant, artubus contremiſcant, manibus vacillent, vigilent, aſſiduis cruditatibus premantur, ardorem in viſceribus patiantur, & alia experiantur damna, quæ ex minutione caloris innati ab extraneo depopulati ſubſequi ſolent, & pluribus lancinentur ſymptomatis, quæ ex hoc perenniſſimo fonte ſæpe ſcaturiunt. Horum omnium proponetur curatio Laconicè, at diſtinctè in hoc libro, in quatuor capita, & varios numeros diuiſo. Tu modò benignas aures accommodes, noſtros errores perhumaniter corrigas, ſtilúmque meum dextrè interpreteris.

CAPVT I.

De Symptomatis præcedentibus febres.

NVMERVS I.

De Laſſitudine.

HIPPOCRATES *lib. 2. Aph. 5.* ſic prædixit: *Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.* Cùm enim duplex ſit laſſitudo, ſpontanea vna, laborioſa alia, quæ fit cùm quis ab immoderato exercitio, vel etiam conſueto ſe fatigat, vel cùm ſe ab otio ad exercitationem transfert, de illa intelligendum Hippocratem docuit Galenus, *2. de cauſ. ſympt. cap. 5.* Explicaturus enim horroris, & rigoris cauſas, priùs duas moleſti ſenſus ſpecies, horrorem, & rigorem antecedentes, præter inæqualitatem, laſſitudinem enarrare incipit, eam in ſpontaneam, & non ſpontaneam diuidens, & vnamquamque harum triplicem eſſe aſſeuerans, videlicet tenſiuam, vlceroſam, & phlegmonoſam, quarum ſenſus in membris perceptos, & eorundem cauſas Galenus in contextu explicat eloquenter. Eſt ergo laſſitudo, *affectio corporis, in qua ſi vel minimum quis moueatur, ſenſio quædam excitatur phlegmonoſa, aut vlceroſa, aut tenſiua.*

Sed antequàm progrediamur vltrà, agitandum: *Vtrùm corpus ſponte laſſum, ſit neutrum?* Vt hæc controuerſia explicetur, relictis plurimis, quæ ad *cap. 6.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 661 sur 927

©BIUM

art.medic.Galeni, antiqui proponunt interpretes doctiſſimè, aduertendum, neutrum ſiue dicatur de corpore, ſiue de cauſis, aut ſymptomatibus, tribus modis poſſe conſiderari: primò per negationem vtriuſque extremi, quatenus medium neque ægrum eſt, neque ſanum, per formalem participationem ſanitatis, aut ægitudinis, & hæc diſpoſitio nuncupatur neutra primi ſignificati. Secundo modo dicitur neutrum per participationem vtriuſque extremi, ſcilicet ſanitatis, & ægritudinis, aut per participationem formalem in vno membro, vt illius membri magnitudo, aut figura ſit bona, temperies autem vitioſa, aut è contra; aut in diuerſis membris habet ſanitatem, & ægritudinem, & hæc diſpoſitio hoc modo accepta, neutra ſecundi ſignificati appellatur. Tertio modo vocatur neutrum per ſucceſſionem, & tractum temporis, & hoc corpus nominatur neutrum, quod ægrotet hyeme, bene valeat æſtate, aut quouis alio tempore, & hæc diſpoſitio, vocatur neutra ſignificati tertij, de qua prædixit Hippocrates 3. *Aph.* 2. *Naturarum aliæ ad æſtatem, aliæ ad hyemem bene ſe habent.*

Hac ſuppoſita doctrina, nulli dubium ſit, de facto poſſe dari neutrum per participationem extremorum, in ſecundo, vel tertio ſignificato, aut quando in vna parte organica, eſt vitioſa compoſitio, ſed laudabilis eſt temperies, & è contra; vel quando vna pars eſt ſana, & alia ægra, vel quando idem corpus vno tempore rectè valet, & in alio ægrotat.

Solùm tamen circa neutrum primi ſignificati, difficultas poteſt eſſe non exigua, *Num detur aliquando corpus, quod neque ſanum ſit, neque ægrum*? quod videlicet in ſe aliquam mediam diſpoſitionem negantem vtrumque extremum ſortiatur, ſi de ſubiecto capace ſanitatis, & morbi, quale eſt corpus humanum, loquamur.

Solue controuerſiam hoc modo. Si loquamur in rigore phyſico, ſtatim ac incipit morbus, totam ſuam habet eſſentiam, vt teſtatur Galenus 1. *de loc. cap.* 2. *ad fin.* §. *Cùm itaque cauſæ agunt in corpus, &c.* Sic ſimiliter ſanitas. Hoc modo neutra diſpoſitio non datur, & hoc voluit Ariſtoteles *in poſtpræd icamentis, cap. de oppoſitis*, quum *ſanitatem, & morbum, eſſe contraria immediata* aſſeuerat, quod 4. *topicor. cap.* 3. etiam confirmat, quo ſenſu Galenus *lib. de partib. art. med. cap.* 5. hanc quæſtionem excitat, & conſecutione doctrinæ *cap.* 7. *ſequenti* duas tantùm eſſe diſpoſitiones, ſcilicet ſanitatem, & ægritudinem, ſe alibi demonſtraſſe affirmat. Hac ratione *lib. de ſanitat. ad Toraſybul. cap.* 7. poſt ſanitatem in habitu, eſſe ſanitatem in affectione, & poſtea eſſe ægritudinem, nulla facta commemoratione de diſpoſitione neutra, conſtanter edocuit.

In hoc ſenſu loquutus eſt, 2. *de temp. cap.* 4. *ante fin.* dum agens de intemperantia morboſa, & ſana, interuallum, & latitudine ſanitatis eſſe, à perfectione operationum vſque ad manifeſtam noxam actionum, qua morbus cognoſcitur, conteſtatur. Hoc voluit Auicenna 1. 1. *cap.* 2. *ad med.* §. *Hoc autem apud Medicos, &c.* Neque hæc doctrina ſolùm antiquis Medicis eſt conformis, ſed rationi conſona ſemper mihi eſt viſa, quoniam inter moderatum, & immoderatum, æquale, & inæquale, quæ ſunt contraria poſitiua, nullum datur medium, ex quo fit, vt ſanitas in æqualitate & moderatione conſiſtat, morbus in inæqualitate & immoderatione, vt Galenus *lib. de diff. morbor.* 2. & Ariſtot. 7. *phyſic.* 3. prædixerunt.

Si verò lato modo, & ſecundùm Medicam conſiderationem loquendum ſit, abſque dubio neutra diſpoſitio eſt admittenda. Hæc doctrina eſt Galeni *lib. art. med. cap.* 8. *ad fin.* §. *Qui verò imbecilles edunt operationes, &c.* Quo loco poſtquàm Galenus, ex ſenſibili, & inſenſibili læſione actionum, neutram diſpoſitionem conſtituit, in hæc prorumpit verba: *Ita tamen vt horum omnium ſenſus ſit iudex, non ipſa natura rerum inſpiciatur, nec periculum ſit, vt in dogma perpetuæ poſſibilitatis incidamus.*

Auicenna *cap.* 2. 1. 1. & 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 2. & 8. tres dari diſpoſitiones ſecundùm Medicos affirmat, ſcilicet ſanitatem, ægritudinem, & neutram diſpoſitionem. Hoc modo intelligendus eſt Galenus, quando pluribus locis tres has diſpoſitiones admittit. Hæc doctrina verior erit, ſi accipiamus ſanitatem, & ægritudinem ſtrictè, vt ſanitas eſt affectus ſecundùm naturam, integras & perfectas operationes efficiens, & morbum cum ſenſibili læſione contemplemur, tunc neutra diſpoſitio cum inſenſibili læſione eſt admittenda. Hac diſtinctione rectè intellecta, & loca contradicentia conciliabimus, in quibus modò neutram diſpoſitionem concedit, modò negat; & argumenta diſſoluemus, quæ tam fusè pro vtraque parte à pluribus proponuntur.

Ex iis conſtat, corpus ſponte laſſum, eſſe neutrum, cùm non habeat operationes manifeſtè læſas, at eas debiles, & imperfectas ſortiatur: pigrum ſit ad motum, vigilet, ſitiat, non ita appetat, & totum corpus ſit grauatum, ac confractum ſatis: demum operationes ſanorum inſtar non edat, ſed aptum ſit, vt ex maiori copia humoris generata, & partibus infirmioribus factis, in morbum incidat.

Quapropter enitendum ſummè, vt laſſitudini citò opituletur. Sed video te Illicò obiicientem: *Vtrùm omni laſſitudini citò remedia adminiſtranda*? Nam ſi corpus laſſum, eſt neutrum, & non actu ægrotet, videtur nullum præſidium illi fore conſulendum, cùm leues morbos natura ſæpe perſanet, 1. *de loc. c.* 1. In quem ſenſum intelligendus eſt Auic. 4. 1. *c.* 1. dicens: *Et ſcias quòd non omnis repletio, ſeu complexionis malitia ſuo medicatur contrario, ſed ſæpe ſufficit multa regiminis bonitas.* Quare laſſitudo potiùs victu, & quiete, quàm præſidiis videtur expugnanda.

Dic. Non ſpontanea laſſitudo curanda eſt: nam morbos prænunciat, quæcunque ergo ea ſit, ſiue vlceroſa, ſiue tenſiua, ſiue phlegmonoſa, illicò remediis perſananda. Si enim à cauſa prægreſſa, vtpote inordinata corporis motione emanet, auxiliis aptis eliminanda, ne vltrò increſcat, & in aliquam febrilem diſpoſitionem degeneret. *Quæ* enim (inquit Galenus 4. *Aph.* 31.) *ex motibus multis laſſitudines accidunt, iis propria & peculiaris eſt caliditas articulorum, quare in iis nihil mirum eſt, ad articulos abſceſſus decumbente, vt qui vnà cum muſculis laborauerint, atque vltra modum concaluerint.*

Si verò à cauſa interna laſſitudo non ſpontanea ortum ducat, tunc maiori diligentia curatio aggredienda, quoniam in maiora damna ſæpe commigrat. Audi Hippocratem 4. *Aph.* 31. *Febricitantibus laſſitudinem habentibus, in articulos, & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt.* & Galenus *in com.* ſic ait: *Spontaneis autem laſſitudinibus, vna ſola ratione, fluxiones vt decumbant in articulos, euenit, ſicuti & omnibus aliis ferè morbis, qui per abſceſſus iudicantur, quòd ſcilicet ipſi ſpatia ampliora idonea habeant ad ſuperfluitates ſuſcipiendas. Rariores igitur in cæteris morbis fiunt abſceſſus, in laſſitudinibus verò plures; & præſertim ſpontaneis, & maximè omnium quæ à plenitudine fiunt.*

In laſſitudine ergo præſidia celebranda, ne humor laſſitudinem committens, abſceſſum generet, quoniam ex præſentia laſſitudinis in febribus, prædicendum eſſe futurum abſceſſum circa articulos, vel maxillas, *loc. cit.* docuit Hippocrates: & *lib. de morb. ante med.* §. *In febribus ad articulos, &c.* Hoc tamen intelligas, dummodò alia duo conſiderentur, quæ Hippocrates propoſuit 2. *progn.* 34. ſcilicet ſigna eruditatis diutius perſeuerantia, & reliqua indicia non exitialia, vt 3. *criſ.* 2. latiùs Galenus edocuit. Iuxta hunc ſenſum 3. *prorrhet. com.* 71. affirmat, ad abſceſſum requiri, quòd vrina non ſit cruda, tunc enim criſis non fiet, nec omnino concocta,

nam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 662 sur 927

©BIUM

nam tunc morbus vacuatione,non permutatione finietur, quia, vt inquit Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 12. *Fortior virtus requiritur ad crisim euacuationis, quam permutationis.*

Triplicem esse numero lassitudinis differentiam, Galen. *cit. loc. Aph.* & 4. *de sanit. tuend. cap.* 7. 8. 9. & 10. confirmat: vlcerosam, tensiuam, & phlegmonosam. Illa excitatur, cùm in corpore copia acrium excrementorum aceruatur: fitque à nimia exercitatione, incalescentibus, & acrioribus factis humoribus. Alia est tensiua, quæ exercitationem sequitur, nullum excrementum abundans ostendens, sed eam in musculis relictam dispositionem, qualis inter exercitandum aderat, hæc autem est fibrarum eorundem tensio. Phlegmonosa fit, quum copiosum excrementum musculi inter exercitandum attraxerint, in qua ægri partes veluti contusas, & inflammatione obsessas, partim à multitudine occupatas, & tensas, & partim calorem,& acredinem sentientes habent. Paulus *lib.* 1. *cap.* 20. aliam proponit differentiam, quam exiccatiuam vocat, in qua corpus ad motiones quodammodo pigrum redditur, non tamen eo modo quo in aliis lassitudinibus. Per eam musculi exiccantur, & corpus squallens contractúmque apparet.

Vlcerosæ lassitudini medebimur, ex mente Auicennæ, vniuersali frictione, multa, molli, ex multo oleo parata, cui non sit aliqua adstringendi vis. Tensiuæ auxiliabimur frictione pauca, molli, ex oleo dulci,ac gelido parata. Phlegmonosæ opitulantur refrigerium, & euacuatio: hæc verò mollissima frictione, & oleo copioso tepido fit, temperato balneo, quiete multa, frequenti vnctione. Exiccatiuæ opem fert aqua calens, quæ contrahat, calefaciat, & roboret cutem, Apotherapiæ exercitatio, quæ tum in motu, tum in frictione, & pauca, & mollis, & tarda sit. Præterea solium similiter calidum. Protinus autem in lauacra frigida exiliant, vt nimirum ipsis robur in cute, vnà cum calore constet.

Spontanea quoque lassitudinum genera totidem occurrunt, quæ copiam humorum in corpore adesse præostendunt. Vlcerosa ab acribus,& mordentibus fit excrementis, in qua laborantes se pati per vniuersam cutem punctionis sensum, ac si acubus pungerentur, referunt. Huic auxilio sunt, quies, somnus, sorbitio pauciſſima, sed boni succi: si ab his ad consueta munera se non accingant, tunc ad maiora remedia, sanguinis nempe missionem, & purgationem accedendum. Si crudus succus exuperet, attenuandus apomelite, aceto mulso. Quòd si hypochondria distendantur flatu, resoluentia flatus erunt ex vsu, vt diatrionpipereon, dianisum.

Tensiua à plenitudine ortum ducit,ob quam solidæ partes,maximè vasa,in quibus succi continentur,distenduntur. Huic sanguinis missio satis est. Phlegmonosa ab vtraque causa, nempe vitioso succo, & boni succi abundantia scaturit,& est veluti composita ex vlcerosa, & tensiua: in hac adest doloris magnitudo cum calore, & musculorum tumore coniuncta, ita vt ossa contundi videantur, ob quam causam ossuaria dicitur. Opem præstat sanguinis missio copiosa, & interdum vsque ad animi deliquium facta. Quòd si quis sanguinis missionem neglexerit, aut omnino morietur,aut bona fauente fortuna immunis euadet, maximè si superueniat hæmorrhagia, aut aliqua sanguinis vacuatio per aliquam regionem contingat, aut copiosus sudor erumpat, vt doctè *lib.* 4. *de sanit. cap.* 10. Galenus edocuit.

OBSERVATIO.

Ad lassitudinem ab exercitio ortam, vnguentum præstantissimum.

OLiuarum liquor oleum est, cui natura dedit, tepefacere corpus, & contra algores munire, eidémque capitis feruores refrigerare, quod mirari possis. Quàm multis polleat remediis, vel per se,vel cum aliis mixtum, neminem enumerare posse existimo, quando & à vino nullus pretiosior succus. Hic præter innumeras medicamentosas vires, corpus à perfrictionibus vindicat, ipsúmque gerendis rebus habilius ac promptius reddit,quo si quis perungatur,longo itinere, exercitióque delassatus, vigorem robúrque acquiret. Ita Democritus, vt Diophanes ait, interrogatus, qua ratione homines inoffensa valetudine degerent, ac vigorem illum animi custodirent, respondisse fertur: si externa corporis oleo, interna melle linirentur.Hac ratione palæstritæ,gymnastæ,gladiatores,exercitatorio in ludo versati, post validas exercitationes, totum corpus oleo perungebant; hac enim ratione,artus, neruosæque & musculosæ partes attritæ, & ob vehemens exercitium concussæ,laceratæ,& penè exuccæ, humiditate olei laxatæ recreantur, & pristinum robur sibi comparant, & partes humido primigenio, spiritúque insito exhaustæ, reuiuiscunt, & oleum lentore suo spiracula cutis obturando, illorum prohibet resolutionem. Si verò præstantior vnctio paranda est, admixtis medicamentis, quæ aduersus lassitudines peculiarem facultatem sortiuntur, hæc est vtilissima, qua totum corpus lassum inunctum, maximè superueniente somno, ab omni lassitudine fiet immune.

℞. *Olei veteris,& pellucidi,* ℔ ij. *origani,* ʒ iiij. *viticis,* ʒ ij. *laserpitij,* ʒ iij. Cum Ceræ, q. s. fiat vnguentum.

NVMERVS II.

De dolore capitis.

DE doloris essentia,& causis,satis actum *lib.* 3. *Hist. Princip. Medic. in com. Hist.* 28. de eius curatione à variis causis, *lib.* 1. *huius Operis, cap.* 3. nunc de eo persanando, quum febribus superuenit, de cuius curatione prisci peculiarem fecerunt commemorationem: priùs verò dubitandum: *Vtrùm dolores febribus superuenientes, omnes sint calidi?* Occasionem dubitandi præbuit Hippocrates, hic enim *lib.* 6. *epid. sect.* 1. *text.* 8. dum in Cranône subortos varios morbos, iisque superuenientia symptomata enumerat, sic prædixit: *In Cranône veteres dolores frigidi, recentes verò calidi, sanguine autem plurimi.* In cuius *commento* Galenus, etsi dubiam & ambiguam sententiam agnoscat, tamen *in fine* sic ait: *Sed nouos quidem dolores plerumque sanguine creatos esse, idem est ac si dixisset ex sanguine, calido videlicet, ac multo; at de antiquis doloribus loquens, cùm succum non adiecerit, signum est ab altero quodam succo frigido ipsos ortos fuisse.*

Vt ergo horum auctorum mentem rectè percipias, aduerte *citato loco* Hippocratem per dolores, vt solet, non intelligere dolores ipsos, sed dispositiones ex quibus dolores generantur, vt Erysipelas, phlegmonen, podagram, & similia, quæ cum dolore fieri apta sunt. Deinde Hippocrates per vetustos dolores, intelligit diuturnos, quíque longo tempore durarunt; nouos verò vocat, qui nuper inceperunt, quíque breui tempore molestarunt. Insuper Hippocrates frigidos dolores eos appellat, qui à frigidis humoribus ortum ducunt, quemadmodum calidos, qui à calidis excitati sunt humoribus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 663 sur 927

Ex iis hanc Hippocratis ſententiam in hunc modum colligere poſſumus. Diuturni dolores in Cranone facti, à frigidis, recentes autem à calidis humoribus generantur: cùm verò duo ſint in corpore humores calidi, ſanguis ſcilicet, & bilis, plures dolorum nouorum à ſanguine, quàm à bile ortos eſſe confirmat. In hunc ſenſum dubitare licet: *Num diſpoſitiones frigidæ perpetuò à cauſis frigidis, an verò à cauſis calidis generentur*? Negatiua pars poteſt ſuaderi in hunc modum. Podagra, & paralyſis ſunt affectus frigidi, & tamen ſæpe à cauſa calida oriuntur. Ergo. Maior patet: nam hi affectus potiſſimùm remediis calidis perſanantur. Minor eſt manifeſta, quia dicti morbi à vino ferè originem ducunt, quod eſſe calidum dubitat nemo, & probat Galenus vbique paſſim.

Secundò. Diſpoſitiones calidæ poſſunt oriri à cauſis frigidis. Ergo & frigidæ à cauſis calidis. Conſequentia eſt recta: non enim maior ratio eſt de vno, quàm de alio. Antecedens oſtenditur in hunc modum. Febres putridæ ſunt diſpoſitiones calidæ, vt fatentur omnes, & tamen ſæpenumerò à cauſis frigidis, vt aëre frigidiſſimo, ortum habent. Adde quòd vſtio, cùm ſit effectus calidiſſimus, à cauſis frigidis excitari poteſt, exemplo ſit pruina, ex qua etſi intensè frigidiſſima, fructus, & arborum folia deuruntur. Patet ampliùs in dolore colico, & nephritico, qui licèt affectus ſint frigidi, à cauſis tamen calidis emanant: colicus enim dolor multoties à bilioſo, nephriticus verò ab immodica renum caliditate, excitantur. Conſtat deinde in acore, qui quamuis ſit morbus frigidus, à cauſa calida ſæpe proficiſcitur, vt lac, & vinum, & alia, quæ tempore æſtiuo aceſcunt à calore multo.

Dic. Diſpoſitiones frigidæ à frigidis, calidæ verò à calidis perperuò generantur. Hanc ſententiam inſinuat Hippocrates in hac ſententia, approbat Galenus *in com.* & alibi ſæpe. Affectus frigidi remediis calidis, calidi frigidis curantur. Ergo frigidi à cauſis frigidis, calidi à cauſis calidis ſemper oriuntur: alioquî curatio tuta non eſſet. Argumenta verò ſolue hoc modo. Cauſæ morborum, aliæ ſunt per ſe, vt potio vini, aut calidum medicamentum dicitur cauſa per ſe febris; aliæ ſunt per accidens, vt ſi Paulus tribuat vinum Petro, ex cuius potione ſubſequatur febris, Paulus illius febris dicetur cauſa eſſe per accidens.

Paralyſis ergo, & Podagra, affectus cùm ſint frigidi, per ſe, & immediatè à cauſa frigida oriuntur; per accidens verò à cauſa calida, vt vini potu immodico: cùm enim hoc in maiori copia ebibitur, quàm vt à calore noſtro euinci poſſit, incoctum remanet, & ex cruditate frigidum redditur, ex Galeno 3. *de temp. cap.* 4. & hac ratione alia frigidiora vitia gignit, & humidiora, quoniam ab humiditate exui nequit, ſicut nec aqua, cùm tamen à frigore ſuo præcipuè ſpolietur; qualitates enim patientes difficiliùs ſeparantur, quàm agentes.

Dic ad ſecundum. Negandum eſt antecedens: & ad primam confirmationem dicendum, febres putridas per ſe quidem oriri à caliditate nimia, quæ putredinis immediata cauſa exiſtit; per accidens verò, à frigiditate aëris ambientis oriri, non eundum inficias. Hæc enim cutis ſpiracula condenſans, vaporum, & fuliginum aduſtarum prohibet exhalationem, & hac ratione non rectè humores difflati, imò tranſpirari prohibiti, præternaturaliter incaleſcunt, & febres accendunt. Hac ratione apud Galenum 2. *de loc. cap.* 2. à frigore corrupti ſunt, & putruerunt pedes; ob hanc cauſam aceruus tritici, etiam vigente bruma, ſolet ſæpe comburi.

Dic ad tertium. Colicus dolor appellatur à Medicis affectus frigidus, quoniam à frigiditate ferè ortum ducit, nam ab humore bilioſo perſæpe etiam oritur, qui calidus affectus nominatur, & quem frigidis curandum præcepit 7. & 12. *meth. vlt.* Galenus. De nephritide verò, dic affectum eſſe frigidum, & ab humoribus craſſis & viſcoſis oriri, quamuis eadem à calore, vt à cauſa formali emanet.

Dic ad vltimum. Acorem eſſe affectum frigidum, ideóque à cauſa frigida, ſiue priuatiua, id eſt, defectu caloris originem ducere: verò lac, vinum, ptiſſana, & ſimilia tempore æſtiuo à nimia caliditate aceſcunt, hoc accidit mediatè, & per accidens, quatenus vehemens aëris caliditas, naturalem rei quæ aceſcit, corrumpit, ad cuius affectum immediatè ſubſequitur acor. Eodem modo prædicta in ventriculo calido facillimè aceſcunt, non quòd ventriculi caliditas ſit immediata cauſa acoris, ſed defectus caloris naturalis illius rei quæ aceſcit, qui defectus, frigiditas dicitur. Ex iis omnibus ad quæſtionem ſolutio patet, ſi aſſeras, dolores febribus acutis, & bilioſis ſuperuenientes, cùm recentes ſunt, à cauſis calidis originem ducere, & frigidis eſſe curandos. Eos verò qui in febribus pituitoſis, diuturnis contingunt, à cauſa frigida oriri, & calidis eſſe tractandos. Quæ ſolutio experimento crebro fit manifeſta: quoniam in febribus ardentibus, humores qui conuolant ad caput, ſunt acres, mordaces, & bilioſi, & dolores ex illis excitati frigidis applicitis ferè conquieſcunt. Qui verò in chronicis febribus, diuturnis, ad caput irruunt, ſunt pituitoſi, frigidi, flatulenti, & calidis admotis leniuntur, ac ceſſant.

Ergo dolores in febribus adeò inſolenter inualeſcunt, vt nî illis ſedandis auxiliares adhibeas manus, æger periculum vitæ incurrat, quo nomine curationem & ipſi efflagitant. Hi ab immodico febris calore generantur ferè, hoc eſt, à bilioſo calidóque humore, vaporibus calidis ſiccis, ex iecore, & venis eleuatis, generantur.

Ne ergo adaucto dolore infirmentur vires, & ad caput eo oppreſſum, tanquam in partem debilem decumbant ij, qui per venas, & corpus oberrant humores, & paraphrenitidem, phrenitidem, & alios cerebri affectus progignant, illico prouidendum reuellentibus, quæ ad inferiores partes impetum humorum ad caput repentium diſtrahere nata ſunt, vt Galenus 2. *ſec. loc. cap.* 2. docuit. Per clyſteres itaque reuulſio fit, & ligaturis extremitatum, & pluribus internarum partium frictionibus.

Auicenna 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. pedum ablutionem cum calida ſummè laudat, tepido enim calore vaporum acrium copiam infrà deturbat, eóſque demulcet, & contemperat. Cucurbitulæ ſiccæ, à femoribus vſque ad ſcapulas impoſitæ, mirè iuuant: in longinquioribus enim partibus primò impoſitæ, præſtantiorem moliuntur reuulſionem, 4. 1. *cap.* 17. Purgantes, & refrigerantes clyſteres, qui à iecore, ſtomacho, & capite attrahant, proſunt apprimè: Enema enim eſt medicamentum nobile, inquit Auicenna 4. 1. *cap. de Enemate*, in attrahendo ſuperfluitates à membris principalibus ſuperioribus: Clyſteres enim non ſolùm alui excrementa deponunt, ſed ſucceſſione quadam totum corpus euacuant, 4. 20. & 2. *ſec. loc. cap.* 1. *tit. quæ Archigenes conſequenter ad primam dictionem ſcripſit.* Clyſter mollis ſit ex decocto hord. Maluar. Violar Prunor. adiecto Pulp. Caſ. interaneo liquore, & oleis Violar. Nenuph. Roſ. citra ſalem, hoc enim modo meliùs retinetur, ac promptiùs euacuat.

Roborandum caput, à quo repellendus humor, impoſito oxyrhodino ſincipiti, de quo etſi plura, *lib.* 1. *huius Operis, cap.* 4. *de phrenitide*, etiam hoc loco quærendum: *Vtrùm in omni dolore capitis, oxyrhodinum ſemper imponendum*? Reſponde negatiuè: ſæpiſſime enim non eſt admouendum. Primò, quando cum dolore catarrhus coniungitur, ex Auicenna 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. §. *Omni autem ſodæ, cui aſſociatur rheumatiſmus, non*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 664 sur 927

©BIUM

non declines ad infrigidandum caput, & humectandum cum oleis. Frigida enim impoſita capiti, humorem in inferiores thoracis partes exprimunt ſiccitate ſua, & diſtillationem adaugent, nî catarrhi cauſa ſit vehemens capitis ardor, cucurbitulæ inſtar à toto ad caput humores attrahens; tunc enim etſi oxyrhodinum noceat expreſſione ſua, iuuat tamen auferendo cauſam, vt Trallianus inquit.

Secundò. Quando capitis dolor ex multitudine craſſorum humorum, aut vaporum ortum ducit, quod affirmat Auicenna *loc. cit. cap.29. §. Quòd ſi ſua nocent multitudine.* Tunc enim oxyrhodinum plus nocet obſtructione, quàm repulſione iuuet. Tertiò. Si ſanguis, vel alius humor valde ſit in capite impactus, tunc enim reſoluentia ſolùm ſunt ex vſu, vt 13.*meth. cap.6.* Galenus edocuit, §. *Sed ſi ſanguis in particula, quam phlegmone prehendit, vehementer ſit impactus, non eſt amplius repercutientibus vtendum, ſed tum digerere eſt tempeſtiuum.* Vltimò, ſi dolor capitis ſit malignus, aut ex ictu animalis venenoſi contractus, tunc enim dilatare meatus cutis oportet rarefacientibus, vt veneni vis in ambitum corporis euocetur.

Si dolor vrgeat, anodyna proſunt temporibus admota, vel olcum Violac. mixtum cum lacte muliebri, vel pultes ex farina hord. Panis medulla, Oleo Roſ. Vitel. Ouorum, aq. Roſac. Pulu. Roſ. ſantalor. Neque in aliam abeas ſententiam, etſi videas Galenum 2. *ſec. loc. cit. de his qui ex ſtomacho caput dolent*, dicentem in cephalalgia per conſenſum (qualis eſt ea, de qua nunc agimus) nullum præſidium capiti eſſe applicandum: Nam intelligendus eſt, de euacuantibus, aut attrahentibus, non verò de repellentibus, & roborantibus; hæc enim dolori capitis per conſenſum admoueri poſſunt, auctore Auic. 1.3. *tract.2. cap.33.*

Circa vacuantia illud quærendum ſuper phlebotomia: *Vtrùm in omni capitis dolore ſit celebranda?* Dic. Auicenna *lib.3. cit. cap.11.* Sanguinem mittit in ſanguineo dolore, & in bilioſo ſi ſanguis etiam aliquantulum redundet, ſic ſimiliter in dolore melancholico. Raſius 9. *ad Almanſ. cap.1.* in ſanguineo ſolùm venæ ſectionem admittit, in bilioſo, purgationem. Si verò non tolerent vires, cucurbitulæ ſcarificatæ in ſcapulis & collo, plurimùm iuuant. De loco controuerſia eſt apud auctores. Auic. *loc. cit. cap.29.* ſecat ex oppoſito, §. *Oportet, vt fiat tantùm phlebotomia in contraria parte doloris.* Raſis *loc. cit.* ex eodem latere venæſectionem celebrandam imperat. Dic. Etſi ex eodem latere facta præſtantior ſit, quoniam cum reuulſione euacuationi mixta, rectitudo, & communitas ſeruantur, tamen ſi in corpore plethorico, præſertim ſi fluxionis origo ab aduerſa parte eueniat, ex contrario latere primam ſectionem exerceas, non errabis. Vena ferienda communis, ſi plethora corpus laboret. Si ex parte inferna fluxio decumbat, ex crure, ſicur ſi dolor ex nimia humorum commotione conciterur, qualis in caſu accidere conſueuit. Si humor non eſt in motu, ſed aliqua pars eſt fluxa, cephalica tundenda. Si dolor perſeueret, venæ particulares ſecentur, vt naſi, frontis; hanc enim plurimùm commendant Hippocrates 5. *Aph.* 68. Galenus 2. *ſec. loc.* 2 Auic. *cap.11. &* 38.

Non minùs dubitandum de purgatione: *Vtrùm in omni dolore capitis vtiliter poſſit concedi?* Raſis *loc. cit.* non ſolùm in bilioſo, ſed in ſanguineo expurgat, ob facilem traſmutationem tenuis partis ſanguinis in bilem: quam præſente febri, Auicenna faciendam imperat lenientibus, & lubricantibus, calida interdicens, quoniam in corpore malam qualitatem relinquunt, 1.3. *tract.1. cap.19.* Inſtituantur expurgantia iuxta indigentiam partis, à qua fluxio in caput irruit, & iuxta humoris conditionem, & partem ſtomachi quam occupat, ex Gal. 2. *ſec. loc. tit. de iis, quibus ex ſtomacho caput dolet*, quo loco bilem in ſtomacho redundantem, purgat abſinthij infuſo: cùm enim ſit humor leuior chylo, ſupernatat ei, in ore eius conſiſtens; pituitoſum verò hiera expurgat, præcipuè ſi in tunicis ſit imbibitus, quia cùm craſſus ſit, in fundo magis adhæret.

In dolore ab immateriali capitis intemperie genito, vt ab ardore Solis, vel immodico febris calore, etiam purgatio eſt vtilis valde, ex Auic. *loc. cit. cap.11.* vt ſcilicet vacuato calido humore refrigeretur caput: qua etiam ratione, *cap.12. ſequenti* purgat in ſoda frigida immateriali, vt expurgato frigido humore caput calidius reddatur. Purgat etiam Auicenna præſeruationis cauſa, vt videlicet caput ab imminenti periculo fluxionis, quod concitat dolor, præcaueat.

De vomitu quærendum: *Vtrùm in hoc affectu ſalubris ſit?* Reſponde affirmatiuè cum Galen. 2. *ſec. loc. tit. cit.* Auic. 1.3. *tract.2. cap.29.* quando per conſenſum ventriculi concitatur. Sic enim ait Auicenna: *Vomitus verò eſt ex iis, in quibus non ſit iuuamentum in curis egritudinum capitis, niſi ſit per communitatem materiei in ſtomacho.* Qua ratione leuis vomitus bis in hebdomada prouocandus. Si verò dolor ſit per proprietatem cerebri, nocuus eſt, ſicut & in affectibus partium ſupra ſeptum, vt in pleuritide, & peripneumonia, 4. *Aph.18.* Motu enim ſuo ad partes ſuperas humorem euocat.

OBSERVATIO I.

Ad calidum capitis dolorem, emplaſtrum vtiliſſimum.

DOlor capitis inter immania tomenta numerandus, perſæpe ferinos concitat cerebri affectus, ob cauſas multas, præſertim ſi à bilioſo, & erodente humore ortum ducat. Huic vniuerſalia, & particularia auxilia ſi non proſint, hoc emplaſtro vtere, temporibus & ſincipiti adhibito, cum vtilitate ſumma.

℞. *Violar. maluar. oxyacanth. acetoſ. ſemperuiui, fol. lactucæ, an.* M.j. *fol. nenuph.* Num.iiij. *flor. eiuſdem,* ʒ iij. *flor. aneth. & camomil. an.* ʒ ij. *flor. ſambuci,* ʒ ij. *ſem. lactuc. papauer. albi, & portulac. an.* ʒ j. ß. *coriandri viridis,* M. ß. Coque in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ ij. adde *Farinæ hord.* ʒ j. *farinæ fabar.* ʒ ß. *farinæ lentium,* quart. j. *vitellor. ouor.* Num.iiij. *aq. albumin. ouorum,* ʒ ij. *aq. roſ. portulac. plantagin. an.* ʒ j. ß. *pulu. roſar. ſantalor. rubror. coral. rubri, maſtich. abſinth. ſaluiæ, an.* ʒ j. *pulu. boli armeni, thuris, an.* ʒ iij. *agallochi,* ʒ j. *olei nenuphar.* ʒ ij. *olei papauer.* ʒ j. ß. *olei camomil.* ʒ j. *vnguenti roſac.* ʒ iij. *vnguenti populei,* ʒ ij. *pulu. fol. hyoſcyam.* ʒ j. *opij,* ʒ ß. *croci,* ℈. x. *philonij Perſic.* ʒ j. ß. cum lacte muliebri omnia iterum in mortario plumbeo conquaſſentur, & fiat cataplaſma.

OBSERVATIO II.

Ad dolorem capitis frigidum, emplaſtrum excellens.

℞. PÆoniæ maris, ʒ iij. *angelicæ,* ʒ iiij. *rutæ, ſaluiæ, betonicæ, an.* M.j. *flor. roriſmarini, flor. ſtœchad. an.* ʒ iij. *galang. cardamom. ſem. ocymi, an.* ʒ ij. *aniſi, marathri, an.* ʒ j. *meliſſæ,* M.j. ß. *flor. arantior.* ʒ ß. Coque in ſufficienti aq. quantitate, quouſque remaneant ℔ ij. adde *Aq. vitæ* ℔ ß. *aq. cinnamomi,* ʒ iij. *balſami,* ʒ j. *ſtyracis liquidæ,* ʒ ß. *calami aromatici,* ʒ ij. *ligni aloës,* ʒ j. ß. *maſtich.* ʒ iiij. *abſinth.* ʒ iij. *flor. camomil.* ʒ ß. *thuris,* ʒ j. *caryophyllor.* ʒ ij. *macis,* ʒ iij. *cinnamom.* ʒ j. *vitellor. ouor.* Num.iiij. *aromatici roſ. diarrhod. Abbat. an.* ʒ iij. *theriac. recentis,* ʒ ß. Pulueriſanda pulueriſentur ſubtiliſſimè, & cum ʒ iij. vini Maluatici, & ʒ ij. aq. Naphæ, & ʒ iiij. aq. Meliſſæ, omnia conquaſſentur, adde *Olei Vulpin. olei caſtor. olei rutæ, olei de ebeno, an.* ʒ j. ß. *farinæ orobi,* ʒ iij. *farinæ lupinor.* ʒ ij. *croci,* ℈. xij.

philonij

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 665 sur 927

philonij Persic. ʒ iij. philonij Romani, ʒ ij. opij, ℊ. viij. Fiat emplastrum pro deplorato capitis dolore nulli secundum, præsertim si post pituitosas febres insoleſcat.

OBSERVATIO III.

Pro dolore capitis diuturno curando, fontanella in sincipite excitata mirabilis.

REferam tibi in propatulum, exemplum doloris capitis intensissimi, & eius curationem, quam felicissimè in praxi quinquies sum expertus. Aderat febris non ignaua, quæ remediis accommodis est remissa, sed illi superuenit dolor capitis tam intensus, diurno tempore magis, quàm nocturno affligens, vt ægri eo miserrimè excruciati, mortem appeterent libentissimè. Accessere Medici periti & graues, quidam Gallicum dolorem, alij à vermibus exortum constanter affirmarunt. Spreta remissa febre, sudorifica ex Ebeno propinant: vnguenta toti corpori mercurialia applicant per dies plures, quorum vsu per sputum copiosa vacuatio est facta, sed citra leuamen vllum. Cùm hæc essent celebrata, ad remedia interficientia vermes offerenda, properant alacritate magna, à quibus diu vsurparis, cùm laborantes in peius ruerent, medicamenta negligunt, ac Medicorum opem, vt vanam contemnunt. Alij cauteria in nucha, brachiis, retrò aures excitarunt, sed sine vtilitate vlla. Verùm cùm dolor ferociùs, circa bregma inualeſceret, qua parte nec tumor, nec ardor, nec calor sentiebantur ab ægris, iubeo vt derasis pilis, lamina ferrea imponatur, ex quo auxilio cùm ampullæ fierent, & humoris copia ex iis efflueret, biduo aliquod leuamen perſensere. Alacrior factus, vesicatorium impono, ex quo maiori vacuatione aquosi humoris sequuta, maius sibi leuamen compararunt. Hoc circumspiciens, fontanellam in sincipite cauterio aperiendam curo, quod auxilium tam mirabilem opem attulit, vt solo eo post mensem, vacuata sorditie per vlcus, à tanto malo duo immunes euaserint; alij in totam vitam fontanellam conseruarunt.

OBSERVATIO IV.

Intensus capitis dolor febri superueniens, hæmorrhagia consaneſcit.

ERat quidam carnosus, & rubicundus, qui febri prehensus acuta, ab ea non euadebat frequentissimè per annos plures, quousque dolor in toto capite excitabatur, fortè quoniam biliosus humor è venis repebat in caput. Hic effuso per nares multo sanguine, feruenti & calido, sanitatem perfectam comparabat. Quòd si vacuatio erat imperfecta, missus ex brachij, aut nasi venis sanguis, remedio erat.

NVMERVS III.

De sudore superfluo.

VTrùm sudor & vrina eundem habeant generationis modum? Sudor, inquit Auicenna 2. canon: cap. 657. est aquositas sanguinis, cui pus cholericum est admixtum. Accepta est hæc definitio à Galeno 10. simpl. tit. de sudore. Quo loco sudorem, eandem habere materiam, quàm vrinam, & eundem generationis modum asseuerat, siquidem vtrique ex ebibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore, & biliosæ nonnihil substantiæ adepto. Quibus verbis innuit, sudoris, & vrinæ vnam esse materiam, nempe aquositatem bibiti potus, nonnisi biliosi humoris secum habentem permixtum, cuius pars deorsum ad vrinam vergens, vrina fit; quæ verò in corporis summa emergit, sudor appellatur, auctore Aristot. 2. probl. 4.

Galenus loc. cit. aliam agnoscit differentiam, videlicet quòd etiamsi sudor & vrina eundem habeant generationis modum, eandémque materiam ex qua generantur, diuersorum tamen præbent significationes, vt 4. de sanit. tuend. cap. 4. probauit apertè: sudorem quippe, eorum quæ in toto corpore non continentur, notam esse; vrinam verò solùm eorum quæ in venis abundant, asseuerans. Et paulò inferiùs subdit: *Sicuti verò vrinæ, succorum qui in vasis sunt, qualitatem prodit; ita sudor, aliáque quæ per vniuersum animalis habitum apparent, eos qui illic sunt affectus demonstrant.*

Dubitant Medici. *Vtrùm sudor sit vacuatio naturalis?* Galenus lib. de diff. sympt. cap. 6. dubium proponit, sed non resoluit. Diocles tamen, quem *ibi* citat, existimabat, omnem sudorem esse præter naturam, ea ratione ductus, quia omnibus quoad corpus attinet, bene administratis, & alimento rectè à natura superato, nunquam humor sensibiliter, id est, per sudorem, per cutem expellitur. Accedit quòd sudor æstate, in qua calor natiuus languidus est valde, maximè apparet, minimè hyeme, quo tempore naturales facultates optimè valent: quare cùm oriatur à facultatis debilitate, videtur esse præter naturam, quam sententiam insinuare videtur Galenus 3. meth. 3. cùm asserit, tenuius excrementum, materiam sudoris, aliquando exire visibiliter, quoties vel naturalis calor languet, vel plurimo alimento, vel vehementiori motu vtitur animal.

Dic. Si loquamur de sudore in ægris, tunc si criticè fiat, id est, superante natura, naturalem esse; quòd si non fiat criticè, sed à debilitate facultatis retinentis, vel ab alia causa præter naturam oriatur, erit vacuatio præternaturalis; quod similiter de omnibus vacuationibus traditur à Galeno 2. *Aph.* 22. Si autem sudor in corpore sano fiat, naturalis vacuatio est, non secus ac alui, & vesicæ excrementorum vacuationes, & crassioris illius, quod partim in materiam pilorum, partim in sordes transit. Ita Galenus cit. de different. sympt. Dioclis sententiam, etsi probabilibus nitatur rationibus, duram tamen esse, & inefficacem asseuerat: Nam materia sudoris naturaliter colligitur etiam in homine optimè sano, 1. de sanit. 12. & excernentis facultatis ope, per loca huic vacuationi maximè destinata expellitur: quare nec est actio læsa, nec symptoma præter naturam.

Dioclis rationes hoc modo persolue. Omnibus quoad corpus attinet, rectè administratis, aliqua adhuc in corpore relinquuntur, quæ cùm per insensilem vacuationem excerni nequeant, vtiliter per sudorem vacuantur, aliquando à sola natura interdum ab eadem adiuta à balneis, exercitio, & Solis calore moderato, 3. de caus. sympt. ad fin. Quare sudoris vacuatio in homine sano, non violenta, sed naturalis est censenda. Quamuis autem vacuatio sudoris per insensilem transpirationem, multò robustioris facultatis operatio sit, non proinde tamen natura præternaturaliter imbecillis iudicanda est, si hanc materiam in forma humoris euacuet, sed satis est si ea quæ redundant euacuet, aërea quidem insensibiliter, aquea per sudorem.

Neque obstat, quòd 1. prorrhet. sect. 3. com. 33. omnem desudationem, vel copiam in sudantibus partibus, vel debilem retentricem demonstrare asseueret, ex quo inferri potest, sudorem esse præter naturam. Id enim de sudore morboso intelligendum, de quo 4. *Aph.* 34. *Vbi sudor, ibi morbus*: quod tam de sudore symptomatico, quàm critico explicari potest. Quod verò in æstate, non in hyeme sudor erumpat, causa est

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 666 sur 927

©BIUM

eſt, nimia cutis denſitas ob externum ambientis frigus, quare cùm materia ſeroſa commodè vacuari non poſſit, per vrinam excernitur in copia multa. Accedit, quòd ob feruidum æſtatis calorem, copioſior potus aſſumitur. Igitur ſi materia ſudoris naturaliter in corpore aggregatur, & loca per quæ expellitur, naturalia ſunt, quemadmodum & facultas quæ vacuationem hanc molitur, è naturalium numeo vna eſt, quid ſupereſt, ad hoc vt ſudoris euacuationem naturalem non dicamus.

Inquires: *Vtrùm ſudoris cauſa efficiens, & finalis ſit aſſignanda*? Dic. Calorem naturalem fortem atque robuſtum, ſicut cæterarum corporis noſtri operationum, ſic ſudoris eſſe auctorem: hic enim, à quo virtutes quatuor miniſtrantes prodeunt, bonum à malo, vtile ab inutili ſecernit, mediis virtutibus expultrice, quæ malum expellit, & retentrice, quæ bonum retinet. Cùm enim natura, ſeu calor naturalis, ſeroſum excrementum è corpore trahit, id duplici modo operatur: vel enim per poros cutis hoc elaboratum attenuatúmque ſerum, facta ſeparatione ab vtili nutrimento, expultrix facultas expellit, vel in vapores reſolutum, à calore ſerum attenuante, túncque quum ad cutim peruenerint vapores, cutis frigiditate denſata, & in ſeroſum humorem rurſus conuerſi, per meatus cutis exeuntes, ſudorem generant. Hinc Ariſtot. 3. *de part. animal.* 5. ſudorem eſſe excrementum vaporis humidi aſſeuerat.

Neque obtrudas, tantam non poſſe reperiri in cute, viuente animali frigiditatem, vt vapores feruidos in formam ſudoris condenſet: Nam etſi illa calore non ſit vnquam deſtituta, tamen ſi vapori comparetur, frigida iure optimo poterit nuncupari. Ita cerebrum ſuapte natura frigidum, ſua naturali frigiditate, vapores illos ſurſum elatos refrigerat & condenſat, vt quotidie in catarrhis experimur, cuius calorem, ambientis caliditatem ſuperare docuit Galenus *lib. 9. de vſu part. cap. 4.*

Cauſa ſudoris à natura intenta, nulla alia ſtatuenda, quàm ſeroſi tertiæ coctionis excrementi vacuatio, & cùm forma nihil aliud ſit, quàm actio agentis, & illud quod exiſtit in recipiente, quæ forma & ſubſtantia ſudoris ſit, ex dictis cenſeo manifeſtum. Quòd ſi aliæ ſudoris cauſæ aſſignantur, veluti corporis motus, balnei calor moderatus, ambientis nos aëris caliditas, aliæque huius generis, potiùs concauſæ accidentales, quàm eſſentiales ſunt dicendæ.

Illud etiam non obliterandum: *Vtrùm optimus, vel bonus ſudor ferè ſemper in febribus ad bonum iudicet*? Hippocrates *lib. 1. progn. text. 26.* optimum, & bonum ſudorem ſic deſcribit: *Sudor optimus eſt per omnes acutos morbos, ſi per diem euenit decretorium, & integrè ſedat febrem.* Hunc ſudorem paſſus eſt Pericles, 3. *epid. ſect. 3. text. 77.* qui quarta die ſudauit copioſè, & à febre omnino liberatus eſt. Anaxion quoque die vigeſima ſudauit, & remiſit febris. Nicodemus, & illa mulier quæ in Thaſo decumbebat, & 1. *eiuſd. operis*, Herophon, Cleonactides, Meton, & alij, in diebus iudicatoriis ſudarunt, & febribus ſunt liberati. Hinc optimos dixit idem Hipp. *lib. 4. Aph. 36.* ſudores, *ſi inceperint tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & quarto decimo, & decimo ſeptimo, & vigeſimo primo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto: hi enim ſudores iudicant morbos.* Quibus verbis ſolùm duo requiſita optimi ſudoris tradidit, vnum eſt, fieri in die decretorio, & alterum integrè febrem ſedare.

Cæterùm Galenus videtur huic præſagio Hippocratico aduerſari: quippe qui *lib. 1. Aph. 20.* & *cap. 3. lib. 3. de criſib.* plures alias conditiones optimæ criſis tradit, ſine quibus optimam criſim fieri negauit. *Primùm enim,* inquit, *melior eſt iudicatio, quæ fit per euacuationem inferiorem, quàm quæ per abſceſſum. Deinde per quam humor noxius, aut redundans, quàm per quam alius quiſpiam euacuatur. Tertio loco quæ recto fit tramite, quàm quæ non recto: & poſt has, quæ facile toleratur: deinde quæ cum coctione, & decretorio die. Hæc enim omnia adeſſe conuenit perfectæ iudicationi, cui ſi quid horum d'ſit, vel plura, neque abſoluta, neque integra fuerit iudicatio.* Non ergo duæ conditiones ab Hip. traditæ ſatis ſunt.

Dic primò. Galenum loqui de criſi, quæ fit per locum peculiarem, ideò tot requiſita neceſſaria eſſe prædixit; Hippocratem verò de criſi generali, & totius corporis, qualis eſt quæ fit per ſudorem, quæ vt optima dicatur, illis duntaxat duabus conditionibus indiget. Dic ſecundò. Sub his duabus cæteræ omnes comprehenduntur, quæ ad ſudorem neceſſariæ ſunt, vt Galenus in expoſitione prognoſtici innuere videtur.

Inſtabis, ex dictis inferri, vnam ſolùm conditionem ſufficere, nimirum febris ablationem, quoniam ſi hæc adfuerit, nil aliud erit ſpectándum. Dic. Neceſſe eſt vt in die iudicatorio fiat criſis, ne iterum morbus reuertatur, nam vt *lib. 3. progn. ſent. 22.* cecinit Hippocrates: *Siquidem febris deſinit, non cum indiciis ſolutionis, neque in diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet:* quod reſpiciens Hippocrates, inquit *lib. 2. Aph. 27. His quæ non ex ratione leuant, fidere non oportet,* quia ſunt pernicioſa ſine ſignis leuantia, & mortem indicant, vt *lib. 2. progn. 17.* optimè notauit Galenus. Ita dolores abſque iudicatione ſoluti, inutiles. Quia quando euacuationes huiuſmodi non ſufficiente copia ſuccedunt, ea inquam, quæ multitudini humorum peccantium poſſit reſpondere, indicium eſt, intra corpus materiæ morbificæ relictum eſſe aliquid, quod morbum reuerti faciet, iuxta ſententiam Hippocratis, 2. *ſect. Aph. 12. Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuerunt.*

Dicendum ergo eſt, ſudorem optimum & bonum, in febribus ad bonum ferè iudicare ſemper, ſi à morbi coctione fiat, ſi per vniuerſum corpus, ſi diebus iudicatoriis, ſi febrem & ſimptomata ſedauerit. Has conditiones explicuit perbellè Hippocrates 4. *acut.* 10. dum ſic ait: *Soluitur ægritudo, ſi ſudores ſuperuenerint iudicatorij, legitimi, cum vrinis albis, craſſiſque, & læuibus ſubſtantiis.* Et Galenus *in com.* ſic ait: *Cùm igitur in acutis febribus, per ſudores, ichoras feruentes expulerit, morbum ſanat, ſi vtique morbo iam cocto ſuperuenerint.*

Contingit tamen multoties, vt ſudor ita confertim, diúque erumpat, vt vires debilitet, habitum corporis colliquet, & tandem contabefaciendo, corpus ad interitum deducat, cæterarum euacuationum etſi criticarum inſtar, quæ ſi immodicæ ſint, ſpiritus exhauriunt, vires eneruant, & tandem eas ad extremam perniciem detrudunt. *Vtrùm autem ſuperfluus ſudor, ſecundùm varias cauſas, diuerſimodè curandus ſit*? meritò inquires. Auicenna 1. 4. *tract. 2. cap. 13.* varias cauſas affert, ob quas largiùs in febribus ſudores erumpant. Si cauſa ſit nimia humoris tenuitas, incraſſantibus potibus, & cibis vtendum. Si ſit raritas meatuum, frigiditas aëris, & agitatio commoditatem præſtant; continua enim aëris mutatio magis infrigidat corpus, ex Ariſtot. 2. *probl. 24.*

Æger plurimis ſtragulis non cooperiatur, nec ſomno plurimo vtatur, omnes enim vacuationes ſomnus cohibet, excepto ſudore, quem magis prouocat, apud Auic. 1. 1. *doct. 2. cap. 8.* Si hæc non ſufficiant, ad fortiora accedendum, nempe ad vnguenta, quæ curem infrigidant, atque adſtringunt, quæ parantur ex Oleo Roſ. præſertim Omphacino, myrtillor. Et cutis pulueribus adſtringentibus inſpergenda, & pars quæ copioſiùs ſudat, perungenda. Si autem ſudoris multitudo, ſit immoderantia ciborum recenter aſſumptorum, imperanda diæta. Si cauſa ſit ſuccorum copia, tunc vacuantibus vtendum, iuxta Hippocratis ſententiam, 4. *Aph. 41.* Quòd ſi his non retineatur ſudor, imò copioſiùs erumpat, narcotica multo ſunt ex vſu: nam incraſſant, cutis

ſpiracula

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 667 sur 927

ſpiracula condenſant frigiditate ſua, & humorem ad motum pigerrimum reddunt. Aſſumenda roſata Nouella Nicolai, Micleta, Requies Nicolai, Philonium, imò & ipſum opium. Num autem ad cohibendum ſudorem, eius abſterſio vtilis ſit, latè diximus *lib.2.Hiſtor. Princ.Medic.in com. Hiſt.* 44. Cæteram verò materiam medicamentariam pro coërcendo ſudore, lege apud Paulum *lib.2.cap.47.*

OBSERVATIO.

Ad cohibendum ſudorem, vnguentum præſtantiſsimum.

ERant duo iuuenes graciles, excarnes, toto corporis habitu molles, & rariſſimi. Hi ſæuiente æſtate igni laborarunt, à quo medicamentorum ope cùm eſſent leuati, in criticum ſudorem tam copioſam, & diuturnum lapſi ſunt, vt ex eorum corporibus quatuor dierum ſpatio riuuli veluti emanare conſpicerentur vbertim. Et licèt febris, quæ antea ſæuis ſymptomatis erat ſtipata, euaneſceret, tamen illi adeò viribus erant exhauſti, vt facie Hippocratica præditi, animam in horas exhalare viderentur. Viſis his, in cohibenda hac ſuperflua vacuatione, omnem conatum impono. Vires incraſſantibus cibis refocillo. Pro potu vtor vino rubello, ſubauſtero, ter, quatérue chalybeato. Frigidam toti corpori inſpergo. Metum incutio. Teſtes gelidiſſima in die decies abſtergo. Syrupos, decocta, pulueres, & tandem narcotica propino. At cùm ex meatuum raritate ſumma ſudor confertim erumperet, eos denſare, & occludere ſatago hoc vnguento, quod cuti biduo frigidum admotum, paulatim ſudorem omnino cohibuit. Huius forma fuit hæc.

℞. *Olei myrtillor.* ℔.iij. *olei roſ.omphacini,* ℔.ß. *olei papauerini,* ℥ ij. *ſucci burſæ paſtoris,* ℥ iij. Bulliant olea quouſque abſumatur ſuccus: adde *ſarcocollæ,* ℥ ß. *alcës,* ʒ v. *thuris,* ʒ iiij. *myrræ,* ʒ ij. *coral.rubri,* ϑ ij. *aluminis vsti,* ℥ ß. *ceruſæ,* ʒ j.ß. *litharg yrij,* ʒ ij. *pompholygos,* ʒ j. ß. *folior.plantag.*M.ß. *lapid.hæmatitis,* ʒ j. *ſang. dracon.* ʒ j. Cum cera fiat vnguentum.

NVMERVS IV.

De Nauſea, & Vomitu.

VTrùm *nauſea, & vomitus ad conuertentiam dicantur*? meritò percontaberis. Reſponde negatiuè: ſi enim vtriuſque naturam penſaueris ad vnguem, hos motus inter ſe aliquam diſſimilitudinem habere inuenies. Nauſea enim eſt inanis vomendi cupiditas, qua ventriculus citra manifeſtam excretionem ad vomitum prouocatur. Vomitus verò eſt prauus expultricis facultatis ventriculi motus, quo ea quæ in eius capacitate, ſeu latiori ſpatio exiſtunt, ac ipſum contriſtant, & in ſe fluitant, reiiciuntur quàm citiſſimè per ſtomachum.

Licèt autem in vtriſque, ventriculus potiſſimùm afficiatur: differunt tamen primò, quoniam in vomitu perpetuò aliquid extrà excernitur; per nauſeam verò nequaquam, quamuis ad eam vomitiones interim conſequantur, aliquando non. Secundò in cauſa, quia in vomitu maior adeſt in ore ventriculi humorum copia, vel vitium, quæ ventriculum pondere, & tenſione grauant, & ipſum ad vomitum excitant; in nauſea verò minor redundat humorum multitudo, at prauitas eorum magis affligit.

Si ciborum ſit hæc copia, facilè ex ægri, vel adſtantium ſermone percipitur. Si ſine cibis ſentiatur tenſio, humorem exuperare indicium eſt. Bilioſus dignoſcitur ſiti, ardore, oris amaritudine, morſu oris ventriculi. Pituitoſus ex contrariis cauſis iudicabitur. Salſus ex ſimili qualitate in ore percepta deprehendetur. Cognoſces ab vniuerſo corpore ad ventriculum humorem defluere, ex grauamine totius corporis, cutis colore, vrina, & excrementis cæteris. Si ab aliqua parte confluat, æger affecti membri læſionem indicabit, vel anteacta vita, aut retentio alicuius vacuationis cõſuetæ id etiam ampliùs patefacient, maximè ſi inſigni aliquo interuallo vrgeat affectio. Verùm ſi nihil horum adſit, & frequenter, intenſéque infeſtet, ventrem ipſum eſſe affectum primò, & per ſe, redundátéſque humores in ipſo generari, certum eſt. Si verò vomitus ſtatim poſt nauſeam obortam, etiam citra violentiam comitetur, humorem noxium in lato ventriculi ſpatio eſſe cenſendum eſt: ſin autem nauſea quidem excitata fuerit, ſed nihil notatu dignum per vomitiones efferatur, noxios ſuccos in ore ventriculi eſſe infixos, intelliges, vt notat Trall. *lib.7. cap.13.*& priùs aduertit Galenus *lib.8.ſec.loc. cap.3.*

Verùm inquires; *Vtrùm vomitus ſuperfluus in ægris ſemper ſit periculoſus*? Dic. Nauſea, & vomitus non vacant periculo: nam præterquam quòd ſi alimentum foràs reiicitur, eo orbatum corpus tandem contabeſcit; ſi praui humores vacuentur, ægri conturbantur, & vacuato etiam vtili, viribus deficiunt, & extenuantur. Deinde vomitus prauarum affectionum interdum præludium exiſtit: quia vt 7.*lib. Aph.*3. Hippocrates notat: *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum.* Licèt autem vomitio vtiliſſima ſit, ſi pituita, ac bile permixta quàm maximè fuerit, ſi non multa, nec craſſa ſit, 2. *progn. text.* 38. tamen quæcunque ea ſit, ſi diu duret, corpus agitat, mouet humores, ſpiritus exhaurit, & iccircò cohibenda.

Illud verò non diſſimulandum dubium: *Vtrùm Vomitus morbos integrè indicare poſſit*? Finiri plurimos morbos per vomitum, 3.*præſag.* 30. Hippocrates docuit: & 3.*criſ. vlt.* firmauit Galenus: ſicut enim natura, quæ eſt ſolicita de animantis vtilitate, per nares, aluum, hæmorrhoïdes, vterum, peccantem humorem excernit; ſic per os emittere ſolet, maximo cum ægrotantis commodo. Ob hanc cauſam, illi ſigna ſedula diligentia aſſignarunt, quæ vacuationem per vomitum prænunciant.

Audi Hippocratem, *lib.cit.progn.*in hunc modum alloquentem: *Si quis per febrem non exitioſam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricoſum aliquid ob oculos obuerſari, aut ſi oris ventriculi morſus in eo extiterit, bilioſa vomitio aderit. Sin rigor quoque prehenderit, & inferiores hypochondriis partes frigidæ fuerint, adhuc citiùs vomitio aderit, &c.* Horum primum eſt capitis dolor, ortus per conſenſum à ventriculo, non per primigeniam affectionem; nam humor in capite contentus, non per vomitum, ſed per palatum, & nares excerni ſolet, ex Gal. 4. *Aph.* 2. euaporante vtique ad cerebrum, contento in ventriculo humore.

Secundum ſignum. Tenebræ ante oculos apparentes, quia vapores à ventriculo eleuati ex nimia caliditate, & aduſtione nigreſiunt, ad caputque aſcendentes ſua qualitate ſpiritus viſiuos afficiunt, turbulentioremque reddunt albugineum humorem, qui ſplendidus eſt, & purus natura ſuapte. Hinc euenit, vt æger ante oculos tenebricoſum quidpiam obuerſari exiſtimet, haud ſecus ac cùm externus aër, fumidum quiddam, aut tenebricoſum recipit. Quòd autem ab humoribus in ventriculo collectis, caput doleat, & imagines quædam oculis obiiciantur, hac ſententia 1.*de loc.*2. comprobauit Galenus. Hæc eſt cauſa, cur *ſuffuſis ſimilia ante oculos apparere* interdum ægri *imaginentur, collecto in ore ventriculi tenui excremento, quare vaporibus quibuſdam in oculos ſubleuatis, in eos viſifica facultas incidens, iiſdem imaginibus, quales per ſuffuſiones* infeſtare ſolent, *afficitur: idque maximè euenire ſolet iis, quibus oculorum humor exquiſitè purus eſt, aut viſiua facultas quàm facillimè*

©BIUM

facillimè ſentit. Cæterùm cùm hæc duo ſigna etiam à vaporibus à pulmone ad caput elatis oriantur, ita diſtingui debent: quando enim fiunt gratia pulmonis, ſine horum dolore, aut admodum obſcuro prodeunt, quia in pulmone verus dolor non adeſt, *lib. de plenit.* 4. & 1. *de loc. cap.* 1. ſi verò fiat ventriculi cauſa, fiunt cum morſu cordis, id eſt, oris ventriculi dolore.

Iſte morſus cardiogmos vocatur, & eſt oris ventriculi acutiſſimus dolor, ab humorum acrium ſecundùm plurimum morſu obortus: non enim ſoli viſceri, quod ſua natura palpitat, cordis nomen fuit apud antiquos inditum, ſed etiam huic ipſi parti, quam ventriculi os nuncupamus, vt innumeris in locis, ſed præſertim 2. *de placit. cap.* 8. Galenus edocuit, & 2. *epid.* retulit Hip. ſub his verbis: *Mulier cordis dolore vexabatur.* Quod ſimiliter ſignificauit Plato *in Tymæo*, dum inquit: *Tenduntur à lingua venulæ ad cor, ſaporum nunciæ.* Quo loco haudquaquam intelligit id viſcus, quod ſua natura pulſat, atque in thorace continetur, ſed potiùs os ventriculi, quod eſt appetentiæ inſtrumentum, vt 9. *de vſu part.* 11. probauit Galenus. Fiunt ergo vomituris cardiogmi, quia à confluente in ventrem bile, ventriculi os mordetur, quod ob magnitudinem neruorum quos habet ſentientium, nihil in eo infeſtans latere, aut occultari poteſt, eſt enim hoc oſculum acutiſſimo ſenſu præditum, vt 1. *de cauſ. ſympt. c.* 7. & 3. *de loc. cap.* 5. & 9. *de vſu part. c.* 11. & 12. *meth. cap.* 5. affirmat Galenus.

Tertium ſignum eſt rigor, qui magna ex parte vomitionem bilioſam ſolet præcurrere: Rigor enim fit, quando membra ſenſibilia à mordentibus excrementis punguntur, atque mordentur, quod ſolum ad rigorem excitandum ſatis eſt, vt perpetuò vellicantes ſucci per vniuerſum corporis habitum, veloci motu deferantur.

Quartum ſignum, cùm inferiores hypochondriis partes frigidæ fuerint; extremorum enim frigiditas in ima parte hypochondriorum, raptum caloris, & bilis ad ſuperiora ſignificat. Quod ſignum eſt verum in ratione ſigni, 13. 3. *tract.* 5. *cap.* 12. Nam in ratione cauſæ potiùs vomitum ſiſtit. Neque contradicentem afferas Auicennam 4. 1. *cap.* 11. qui caliditatem extremorum, vomitum iuuare aſſeruit; hic enim de caliditate tepida eſt intelligendus, quæ relaxando & debilitando ventriculum, vomitum prouocat.

Quintum, agitatio labij inferioris, & multæ ac tenuis ſaliuæ effluxus: illa ortum habet, quoniam tunica interna ventriculi, eadem veſtit gulam, os, & labia, 4. *de vſu part.* 8. 3. *de natural. facult.* 7. & 4. *acut.* 13. & 1. 1. *tract.* 4. *cap.* 1. Hac de cauſa concuſſio labij inferioris, morſum in ore ventriculi vehementem ſignificat, quoties ab acriori bile in ore ventriculi collecta mordetur. Et quia bilis hæc, præ ſui leuitate fluitare in ſuperficie ſolet, qua occaſione ad gulam aſcendit, ventriculi fundum relinquens, ſecum etiam pituitam, quæ illi obuia fuerit, deferens, & ex faucibus colliquans, nihil mirum eſt, ſi hoc tempore, crebrò ex ore, ſaliua tenuis, & plurima effluat. Sed cur dicta conuulſio ſolùm in labio inferiori conſpicitur? Dic. Id fieri tum propter maiorem connexionem, tum maximè quia maxilla inferna mouetur, & ſuperna immobilis eſt.

Quando ergo hæc ſigna præcedunt, vomitum prænunciant, qui vtilis ſæpiſſime eſt, perſæpe à natura factus in acceſſionum initiis, necnon & in continuis febribus, ſi humor ſponte ſua ad os ventriculi impetum faciat, ex Gal. 11. *meth.* 9. Eſt etiam proficuus faſtidioſis ex bilioſo, & mordente humore, 1. *prorrhet.* 17.

Quamuis igitur permittendus ſit vomitus, quum à natura fit, cùm non ſit ex euacuationibus, in quibus laudabilis ſubſtantia excernitur, ſicut in fluxu ſanguinis; tamen ſi naturæ modum excedat, & alimentum continuo euomatur, timórque ſit ne ex priuatione alimenti, exiccatum corpus contabeſcat, ſupprimendus eſt A iis, quæ cauſam vomitus aboleſcere ſolent (nam *vomitus vomitum curat*, dicebat Hip. *in Epidemiis*, euacuando cauſam) & datis, quæ roborare ventriculum nata ſunt.

Quare ſi ex retentricis facultatis debilitate, immodicus vomitus vehementer infeſtet, qualis ex nimio potu, viſcida & frigida pituita in febrientibus contingere ſolet, occurendum clyſteribus, & purgatione, deinde calidis, & adſtringentibus vtendum. Purgatio iuxta ideam humoris inſtituenda, parata ex medicamentis quæ vnà expurgent, & roborent, de quorum numero eſt Rhabarbarum in ſubſtantia exhibitum, vel ſi febris non ſit acuta, illi Aloëm, & Agaricum addere eſt neceſſe: nullum enim medicamentum ad expurgandum bilioſos humores excogitari poteſt præſtantius Rhabarbaro, & præſertim ſi in eius ſocietatem admittatur terebinthina abietina, quæ omnia paulatim & in exigua quantitate ſunt offerenda, ne ſcilicet ex diſtantibus partibus ad ventriculum humores alliciant.

Ad firmandum ventriculum, exhibendi ſunt ſyrupus de Mentha, Roſar. Cydonior. Offa panis, & vua paſſa in vino macerata ſummè proſunt, ſicut & tabellæ Aromatici. Exteriùs fouendus eſt vẽtriculus oleis de Abſinth. Maſtich. Menth. Cydonior. Balſamo, ſuperaſperſis pulueribus Aromatic. Abſinth. Menth. Agallochi, Cinnamom. Maſtich. Ex quibus cum miua cydoniorum cum aromate, cataplaſmata aut vnguenta parari poſſunt. Prodeſt emplaſtrum ſtomachicum, de Gallia moſchata, ex ſola maſtiche. Quæ omnia medicamenta ſummopere iuuant, ſi vomitus ex vitiata ventriculi coctione, vel per impotentiam, vel corruptionem, ortum ducat; accidit enim, vt alimenta etiamſi ſint proba, & electa, ſi diu in ventriculo retinentur, non concoquantur, vel corrumpantur.

OBSERVATIO I.

Ad coërcendum vomitum, pilulæ eximiæ.

LAborauerat æſtate media iuuenis quidam, quadraginta continuis diebus, vomitu adeò laborioſo, cui febris continua erat adiuncta, vt alimentum omne illicò, & humorẽ porraceum, vomitione reiiceret. Vocati Medici, ob febrim ſanguinem mittunt, corpus expurgant, clyſteres reuellentes indunt, roborantia ventriculo imponunt, carnem aſſam irroratam aq. Roſ. & Maluatico, ſuperaſperſis pulueribus Coral. rubri, Roſar. Santalor. Maſtich. & Abſinth. Vnguentum Comitiſſæ, Emplaſtrum Diaphœnicum ex ſecunda deſcriptione Meſuë, fomenta, decocta, & alia adminiſtrant, quæ ad firmãdum ventriculum ſummopere præſtant. Sed cùm vomitus non ceſſaret, & æger veluti tabidus factus præſidia omnia illicò euomeret, vt aſſumat binas pilulas ſingulis auroris, inſiſto. Sic factum. Tantum enim in modum ventriculum roborarunt, aliquali per aluum humoris bilioſi vacuatione facta, vt illis quinquies aſſumptis, & deſuper captato ſomno, à vomitu & febre ſanus euaſerit, qui optimis recreatus alimentis, poſt menſem, pinguiuſculus eſt factus. Pilularum forma fuit hæc.

℞. *Rhab. elect.* ʒ ij. *ſ hapontic. optimi,* ʒ j. *aloës hepaticæ prius per noctem imbibitæ ſucco roſar.* ʒ j. ß. *roſar.* ϑ j. *maſtich.* ϑ ij. *cryſtal. præparat.* ϑ ß. *myrobalanor. citrinor.* ϑ ij. *cinnamom.* ϑ j. *gummi arabici torrefact.* ϑ j. Cum ſyrupo Myrtillorum fiat magdaleon.

OBSERVATIO II.

Ad compeſcendum vomitum, cataplaſma vtiliſſimum.

QVidam quotidiana febre diuturna oppreſſus, in tam importunum vomitũ incidit, vt decem die-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 669 sur 927

bus continuis alimentum omne euomens,cum pituitosi humoris copia multa,velut exanguis redderetur.Varia præsidia sunt actitata,quæ viscosi succi, pertinaciter in tunicis ventriculi infixi,nimiam molem, tum vomitu,tum alui secessu eliderent, tum ipsum ventriculum nimia humiditate madentem firmarent. At cùm affectus rueret in peius,& æger ad Orci fauces esset deductus, pro narcoticis & soporiferis , quorum vsum ad conciliandum somnum , & hac ratione retinendum vomitum , alij consuluerant, hoc emplastrum ventriculo,& spinæ dorsi impositum,fuit adiumento summo.

℞. Conserua symphyt.maioris , ℥ iiij. *conserua cydoniorum*, ℔ j.*mastich.absinth.nucis moschat*, *cinnamom.schœnanth.thuris,agallochi,styracis calamitæ, calami aromatici, iunci odorati,aloës,cyperi,an.* ℥ iiij. *caryophyllor.* ℥ ß. *ambari*, ℊ.x.*moschi*, ℊ.viij. Pulueriſentur omnia tenuissimè, & conquassentur: adde *fol. menthæ* ℥ ß. *flor. chamæmel.* ℥ iij.*spicæ nardi* ℥ ij.*olei mastich.olei absinth. an.* ℥ iij. ß. *olei cydonior.* ℥ ij.*vini albi odoriferi* ℥ v.*aq. rosar.* ℥ ij. *aq. naphæ,aq.melissæ,an.* ℥ j.ß.*balsami*, ℥ iij.*aq.cinnamom.* ℥ j. Omnia misceantur bene,cum mica panis tosti, & fiat art.fiat cataplasma.

OBSERVATIO III.

Vomitus biliosus importunus , saluatellæ dextræ sectione , curatus.

HEpar omnium ferè morborum,præsertim qui vasa infestant , auctor est , cùm sit sanguificationis officina. Quare quum retorridum est, & excandescit, biliosum humorem ad vtrumque ventrem expellere satagit. Si ad intestina , dysenteriam excitat, quæ etsi sit vlcus intestinorum à rodente , acríque humore expulso concitatum , tamen ab hepatis intemperie calida fouetur in orbem ; hinc fit vt omnes ægri in peius ruerint,quia Medici de iecore roborando , & refrigerando , non fuere soliciti , vt 4.*de articul. com.* 40. bellissimè dictabat Galenus. Ex hoc perenni fonte,quum biliosus , mordénsque humor in ventriculum impetum facit, ipsum vellicat & ferit , adeò vt ipsum cogat alimentum intus retentum extrà eiicere. Quærenda origo mali , huic sedulò incumbendum. Refrigerandum iecur,roborandum,biliosi humores in eo , & venoso genere exundantes , sursum & deorsum expurgandi.Sed cùm his ex artis lege administratis,vomitus adhuc insolescat , accedere oportet ad id præsidium, quod multis fuit saluti.Secanda vena saluatella dextra, inter minimum,& annularem digitum, quæ cum iecore summam habet cognationem,ex Paulo *lib.3.cap.49.* & illud,genúsque venosum mirè ventilat , ex ipso *lib. 6.cap.*40.dum sic ait : *Quæ extremas partes intercurrunt, superiacẽtibus vinculis exceptis,& manuum frictione,& pedum incessu diuidentur , in sinistra quidem manu cùm lien malè habet,venam quæ inter paruum,& annularem digitum porrigitur,præcipuè incidemus;cùm iecur affligitur , in dextra. Nam extremarum partium inanitio,è longinquo magis facta,efficaciorem molitur reuulsionem,&c.* Huius auctoris præcepto munitus, plurimos à biliosovomitu , cæteris non conferentibus , hoc generoso celebrato præsidio liberaui.

NVMERVS V.

De cibi fastidio.

CAusas propriorum ventriculi symptomatum , id est,abolitæ,difficilis,& deprauatæ appetentiæ, *lib. 1.de causis symptomatum cap.* 7. perbellè exponit Galenus,quo loco quid sit appetentia, & naturalis fames,& quomodo fiat, luculentissimè disceptat. Fames ergo in duplici est differentia , quædam enim est naturalis, alia præternaturalis : hæc rursus duplex est, alia à Medicis canina vocatur,de qua infrà *cap.2 num.*9.alia pica nuncupatur , quæ fœminas vtero gerentes , saltem in primis tribus mensibus premit atque fatigat , de qua *lib.3.Hist.PP.Medic.in com. Hist.* 14. Fames naturalis alia est vera , alia falsa. De naturali igitur fame hoc loco agamus.

Vtrùm fames sit sensus diuulsionis in ore ventriculi perceptus? primò dubitandum. Ad famem quinque concurrunt symptomata : primum , est extima membrorum inanitio. Secundum , naturalis tractus membrorum ab hepate , & hepatis à ventriculo. Tertium , est diuulsio in ore ventriculi,ex vasorum actione percepta. Quartum est sensus eius diuulsionis. Postremum, animalis appetentia , qua cibus exterior appetitur. Hæc symptomata eo ordine se consequuntur , vt primum insit animalibus, quatenus ex calido & humido , & ex vi scilicet elementali constant. Secundum, & tertium ex vi vegetabili,quatenus sunt animata,& in hoc plantis assimilantur , quarum instar semper sunt in opere. Quartum, & quintum illis insunt , quatenus animalia sunt sensum participantia : ideò autem animalia super plantas eguerunt actione duplici hac , quia alimentum distans requirunt , non paratum semper & proximum in plantarum similitudinem ; planta enim ex instinctu naturæ,tota ex radicis fibris attrahit , & membra animalis vniuersam vim trahendi in ventriculum conuertunt , à quo mediantibus vasis mesaraicis , instar fibrarum multiplicibus , quicquid in eo continetur, exugunt.

Insuper fames est quartum illud symptoma, nempe sensatio illa diuulsionis,quod Galenus *cit.de sympt.causis* confirmat: quicquid alij contendant , opinantes famem esse postremam illam appetentiam cibi externi, cùm Aristoteles 2. *de anim. cap.* 3. famem definiat per appetentiam calidi sicci,sitim verò per appetitum frigidi humidi. Sed hæc opinatio non est consona menti Philosophi : si enim vulgaris verborum significatio est obseruanda,fames nihil aliud est,quàm sensatio illa suctionis,quarto loco numerata ; nam torqueri nos dicimus fame,& famem rem esse molestissimam , & quosdam iam periisse fame , quæ omnia falsa existerent, si fames solùm appetentiam,vel ingestionem cibi significaret.

Vtrùm fames sit affectus naturalis , an præter naturam? etiam controuertendum : Quum enim in fame perpetuò intercedat dolor , qui symptoma præter naturam dicitur,fames erit affectus præter naturam.Secundò.In fame & siti,perpetuò appetitur contrarium constitutioni præsenti:sitiens enim excalfactus, & aridus,fertur in potum refrigerantem,& humectantem.

Dic. Naturale multipliciter dicitur, vt colligitur ex Galeno *lib.de marcore,cap.*2.Primo enim modo dicitur, id quod sequitur ad opera naturæ, licèt ad ipsius opus non sit intentum , quomodo senectus , & mors in hoc significato, naturalia esse dicuntur. Secundò dicitur naturale,id quod operationem naturæ includit,à natura intentam. Tertiò dicitur naturale , quod ab aliqua causa præter naturam non dependet.

Dic. Fames iuxta has omnes verbi naturalis interpretationes,naturalis est affectio. De prima nulla est dubitatio inter auctores. Iuxta secundam, ostenditur , quia si natura non intẽderet sponte sua molestiam illam,os vẽtriculi in quo diuulsio illa fit, tam multis neruis non muniret , exactè diuulsionem etiam minimam sentientibus. Ex quibus non sequitur , naturam in animali intendere malum & dolorem : Nam intendit dolorem,non tanquam finem, sed tanquam medium ; malum vehementius, nempe marcorem,seu totius corporis resolutionem prohibens.Quemadmodũ enim natura,ad speciei durationẽ,genitalibus membris ex retento semine vehementem molestiam instituit,vt ad concubitum

cubitum pro speciei duratione incitarentur: sic etiam non minorem, ori ventriculi indidit, ex deficiente cibo, ne eius sine quo viuere non possumus, obliuiscetur. Iuxta tertiam significationem, fames omnis, quæ non à causa aliqua præter naturam, sed à sola vasorum suctione, de qua modò agimus, dependet, naturalis affectus dicetur. Alia verò quæ à pituita acida, vel ab immodica ventriculi frigiditate originem ducit, præternaturalis censenda erit.

Causa proxima, & immediata famis naturalis, est suctio ventriculi, seu ipsius diuulsio à suctu vasorum facta. Colligitur hæc sententia ex Galeno, 1. *de caus. sympt. cit.* vbi famem per sensum diuulsionis definit, Causa verò remotior, duplex potest assignari: prima. quam etiam tradit Galenus *cap. cit.* est defectus, seu inopia humidi chylosi intra ventriculi cauitatem, à quo antea venæ sugebant.

Secunda causa est portio melancholiæ, à liene in ventriculum transmissa: Nam si in immodica quantitate succus melancholicus confluit in ventriculum, famem caninam excitat; si in parua copia influit, famem naturalem generat. Quod experimento satis compertum est: quando enim perit appetentia, acidis fructibus solet reparari: De quo argumento alibi latiùs disceptauimus.

Si ergo in ore ventriculi, sensus suctionis pereat, vel suctio non fiat, aut corpus ipsum non inaniatur, affectio fit quæ à Græcis Anorexia, à Galeno interdum, ἀσιτία, & cibi fastidium nuncupatur, vt patet 4. *Aph.* 17. & *lib.* 6. *sent.* 3. & *lib.* 5. *Aph.* 61. Huius vitij duplex causa statuitur ab Alexandro *lib.* 7. *cap.* 7. aut intemperies quædam, aut humores in stomacho contenti: si enim intemperies ea sit, vt sensus oris ventriculi destruatur, vtique suctionem non sentit.

Intemperies potissima, calida est, quæ solida corpora laxando resoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora. Et licèt ad excitandam appetentiam frigus in ventriculo non parum conferat, nam & vacua reddit corpora, ac ipsius tunicam cogens, constringénsque famem concitat, tamen si immodicum est, ipsam excitare valet, vt *lib.* 2. *com.* 20. *Aph.* Galenus affirmat, § *Senum igitur corpus, cùm frigidum efficiatur, tantam augeri contingit in ore ventriculi frigiditatem, vt appetitus deficiat.* Hæc enim vires deiicit, & eas veluti emortuas reddit.

Calidam ventriculi intemperiem contestatur sitis; frigidam, sitis carentia ostendit. Si cum calida intemperie, bilioſi quoque redundent succi, aderunt oris amaritudo, ventriculi morsus, ac rosio, & si putrescat bilis, comitabitur febris. Contraria reperiuntur, quando à frigida ventriculi intemperie, cibi fastidium excitatur.

Inappetentia negligenda non est, cùm appetentia sit opus ad vitam maximè necessarium, auctore Galeno 6. *Aph.* 3. præsertim si in declinatione totius morbi, appetitus deperditio accedat, aut vires ex se, vel ex immodica vacuatione ad extremam debilitatem sint deductæ: sequitur enim totius corporis extenuatio, & æger marcore arreptus, tabefactus occumbit.

Si ergo ex calida intemperie, cibi fastidium originem ducat, cibi & potus sunt exhibendi, qui refrigerent, & roborent. Si cum intemperie bilioſi humores redundent, ij expurgandi clysteribus, aut clementi purgatiuncula. Extrà, ad firmandum os ventriculi, imponenda quæ *superiori numero* de vomitu protulimus. Si à frigida intemperie oriatur, roborantia calida offerenda, vt Theriaca, Diatrionpipereon, & alia quæ similes facultates sortiantur. Si cum intemperie frigidi, crassi, & viscidi redundent succi, ij præparandi medicamentis, & postea vacuandi, quæ pituitosos humores è corpore educunt. Roborandus stomachus emplastris, ac fomentis, quæ *suprà* descripsimus.

OBSERVATIO I.

Ad cibi fastidium ex frigiditate, pilulæ optimæ.

TOto ferè anno ægrotauerat iuuenis quidam, temperamento frigidiori præditus, cibi fastidio, ita vt nullum alimentum, vel etiam pessimum assumendo, gracilis, & extenuatus cùm esset, vix præ debilitate ambulare posset. Ortum esse vitium hoc ex frigida intemperie, cui pituitosi & viscidi humoris copia erat adiuncta, ostendebat priuatio sitis, acidi ructus, saliuæ lentæ & viscidæ per sputum excretio, somnus profundus. Huic cùm plurima ex roborantium, & vacuantium filua, diu essent imperata, ab illis nec tantillum leuamen cùm acciperet, ope harum pilularum appetitum recuperauit.

℞. *Aloës* ʒ iij. *agarici* ʒ ij. *myrrhæ, mastich. an.* ʒ ß. *rhab. elect.* ϑ ij. *hier. simpl.* ϑ ß. *cinnamomi, zingiber. an.* ϑj. *ambari,* ℈. xx. *moschi odorati,* ℈. x. Excipiantur omnia cum syrupo de absinthio, fiat Massa: ex cuius scrupulo vno fingantur septem catapotia, auri bracteolis obducta, per horam ante pastum deglutienda.

OBSERVATIO II.

Ad cibi fastidium ex calore, cataplasma vtile.

CVm febrientes calore, & ardore ventriculi exæstuant, & ipsi præ bilioſi humoris abundantia, relaxante os stomachi, cibum nec appetere, nec deglutire, aut eius nomen audire queunt; nec remedia, aut amicorum consilia ad assumendum alimentum cogentia, quidquam prosunt: ego ex hoc cataplasmate ori ventriculi, & spinæ dorsi impositio, plurimum semper adiumentum sensi. Vtere eo, & mecum consenties.

℞. *Carnis vaccinæ è lumbis extractæ*, ℔. ij. Pistetur tenuissimo cutello minutissimè. *Vini odoriferi*, ʒ iiij. adde *aq. rosar.* ʒ iij. *succi rosar.* ʒ ij. Omnia deinceps conquassentur tenuissimè. Adde *carnis pyror. saccharo conditæ, conserua cydonior. an.* ʒ ij. *succi hypocysthidos* ʒ j. *succi cydonior.* ʒ iij. *miuæ cidonior. cum aromate,* ʒ ij. *puluer. sorbor. siccor. myrtillor. myrobalanor. citrinar. an.* ʒ ß. *sem. plantag. acetos. sumach, an.* ʒ ij. *hord. tosti* ϑ ij. *coriandri succi torrefacti,* ϑ j. *menthæ, summitatum lentisci, rubi, an.* M. j. *granor. myrti, arillor. vuar. torrefactor. an.* ϑ ij. *mastich.* ʒ j. *rosar.* ʒ iij. *coral. rubri*, ʒ ij. ß. *olei myrtillor. olei ros. incomplet. olei cydonior. an.* ʒ j. ß. *rasur. eboris, cornu cerui vsti, an.* ʒ j. Cum succo plantaginis omnia priùs puluerata tenuissimè, misceantur bene, & fiat Cataplasma.

NVMERVS VII.

De Diarrhœa.

QVando aluus liquida, & frequentiùs quàm ex consuetudine fertur, affectus hic vocatur à Græcis Diarrhœa, vt patet ex Hip. *lib.* 3. *Aph. text.* 25. & 30. & *lib.* 6. *sentent.* 36. à Latinis alui profluuium, à Celso *lib.* 4. *cap.* 19. ventris fluxus nominatur, qui copiosior est alui fluxio, diuturna, sine phlegmone & exulceratione, auctore Galeno 1. *epid. sect.* 2. *com.* 36. Hippocrates etiam perturbationem appellat, 1. *Aph.* 2. Est ergo ventris fluxus, euacuatio, & præter naturam eorum, quæ per aluum excernuntur.

Hic varius est, pro varietate causæ: vel enim est bilioſus, aut pituitosus, aut melancholicus, aut atrabilarius, aut sanguineus, aut veluti loturæ carnis recenter mactatæ, aut purulentus, aut colliquatiuus, aut lientericus, cœliacus, aut denique chylosus.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 671 sur 927

©BIUM

Diarrhœa symptoma est in genere excrementi immutati, in quantitate, qualitate, & tempore: est etiam symptoma in genere actionis læsæ facultatis expultricis. Causa illius est coctio vitiata ventriculi, aut distributio impedita, aut humoris abundantia, ex toto corpore, aut ex parte aliqua in ventriculum, & intestina confluens: mediante enim iecore, intestina cum vniuerso corpore consensum habent, & ideò non solùm excrementa iecoris, sed etiam totius corporis suscipiunt, ex Galeno 2. *progn.* 3.

Dubitabis: *Vtrùm in diarrhœa, venter inferior solùm afficiatur?* Licèt deiectio optima, quæ mollis, constansque est, & eo tempore secreta, quo secunda valetudine assueuit quantitatéque est pro ratione cibi assumpti, colore subrufa, nec admodum graueolens, non solùm inferiorem ventrem rectè valere, sed etiam nihil in eum decumbere ex aliis visceribus præter naturam, ostendat, vt *cit. progn.* docuit Hippocrates: quibus verbis per inferiorem ventrem, non solùm ventriculum ipsum, & simul ieiunum cum omni intestino intelligit: non tamen sequitur, vt contraria deiectio confestim indicet, eundem inferiorem ventrem præter naturam se habere; nam fieri potest, vt ille in suis operibus robustus sit, tamen vitio aliunde communicato non seruet conditiones dictas: contingit enim aliquando, vt ex iecore, liene, aut aliqua quauis alia parte, seu corpore toto, velduabus, pluribúsve, in eundem ventrem excrementa decumbant, & suo morsu intestina ad excernendum vellicent, & excitent.

Pars affecta in diarrhœa, his signis est dignoscenda. Si à iecoris vitio, fluxus originẽ ducat, ipsius præcesserе affectus, & aderunt signa, quæ iecur malè affectum ostendant. Si ex liene emanet, hæc pars aliqua ægritudine laborat. Eodem modo quando pituita, aut alius humor, à capite confluit in intestina, signa adsunt cerebri prauè affecti, & præcesserunt distillationes. Deinde fluxus cerebralis augetur post somnum, ex Auic. 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. & diminuitur tempore vigiliæ: hoc enim tempore recrementa cerebri absumuntur, & per has regiones expurgantur, in ventrémque confluere nequeunt. Tempore verò somni coërcentur, & facultas expultrix fortior fit, à cuius robore transacto somno expelluntur. Præterea distillationes fluunt per guttur in ventrem, & intestina, in qua parte ægri sentiunt grauitatem, & noxam. Si humor ex alia parte in intestina descendit, adsunt signa, quæ partem illam malè affectam significant. Si ex vniuerso corpore, signa conspiciuntur redundantiæ in toto. Interdum fluxus ab ore ventriculi in pueris emanat, quando dentire incipiunt, iuxta oraculum senis, 3. *Aph.* 25. dente enim gingiuam perforante, in hac non solùm pruritus, & dolor excitantur, sed consequutione quadam fluxiones adueniunt, quæ in ventrem, & intestina descendentes sunt alui fluxus causæ. Similiter etiam in balbis, ob humiditatem tunicæ linguæ, quæ cum ventriculo continua est, & intestinis, aut ob pituitæ copiam à cerebro descendentem, alui profluuium contingit, vt 6. *Aph.* 32. Hippocrates docuit. Subscribunt Galenus *in com.* Auicenna 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 2.

Alui fluxus post cruditatem, aut aliam cibi corruptelam summopere prodest, præsertim si nidorosa sit: aluus enim adstricta post cruditatem, solet esse maximè noxia, & febrem accendit, ex Galeno 8. *meth. cap.* 5. §. *Sin adstringitur, grauis est; siquidem ex adstrictione eius, vitiosæ naturæ in febres promptè incidunt.* Contrà si aluus redditur statim lubrica, à morbi grauitate præseruat, impedita distributione ad venas, eius quod corruptum est, cùm expellatur foràs: Hinc Galenus 1. *de alim. facult. cap.* 7. alui fluxum, vnicum esse cruditatis remedium asseuerat; ob quam causam, *cit. meth. cap.* 5. in cruditate alimentum non præbet, nisi vbi corrupta sint euacuata.

Vtilis est etiam alui fluxus, in corpore cacochymo, 7. *meth.* 11. *Sunt quibus diarrhœa & cholera, omnem corporis redundantiam educant, &c.* Commendatur etiam alui fluxus in affectibus oculorum, ab Hip. 6. *Aph.* 17. reuulsorium enim, & euacuatorium auxilium est, ob quam causam, in capitis affectibus prodest eximiè, ex Hippocrate 4. *Aph.* 28. dicente: *Alui profluuium sanat surditatem.*

Verùm si diu durat, & morbo diuturno superueniat, ægro existente debili, exitium portendit: sic profatur Celsus *lib.* 4. *cap.* 19. *Vno die fluere aluum sæpe pro valetudine est, & pluribus si febris absit, & intra septimum conquiescat; purgatur enim corpus, & quod intus lesurum erat, extra eiicitur. Verùm spatium periculosum est, interdum enim tormina, ac febriculas excitat, virésque consumit, &c.* Non ergo alui fluxus despiciendus est, & præcipuè in febribus, in quibus eius curatio difficilior est, animaduersionémque & coniecturam exposcit, vt docet Trallianus *lib.* 8. *cap.* 5.

Alui fluxus vel est criticus, vel symptomaticus. Si ille adsit, coctionis signis præcedentibus, & natura perfectè operante, nihil à nobis est de nouo moliendum: cùm iis quæ ex ratione leuant, fidendum sit, vt *lib.* 2. *Aph.* 27. Hippocrates monet: *Nihil enim in principio ad bonum euacuari est possibile, cùm omnia sint casus præter naturam earum quæ sunt in corpore dispositionum. Oportet enim prius subsequi discretionem, postea coctionem,* 4. *Aph.* 22. Fluxus ergo si morbum perfectè eradicare valet, debet cocto morbo superuenire, 3. *crisi.* 4. Quare si natura perfectè euacuat, & integrè, nihil nos operando mouere conuenit, sed totam curationem naturæ permittere oportet. Hoc est quod protulit Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. dum sic ait: *Si natura mouet, aut monuit, tu sine eam, & operationem eius; si autem nec mouet, nec mouit, supple tu motu, & hora eius,* vt 1. *Aph.* 20. Hippocrates, & Galenus confirmant *in com.* Quare si natura imperfectè agit, nos medicamentum porrigemus lene, & cum cautela multa: quoniam, vt cordatè prædixit Auicenna 4. 1. *cap.* 3. *Soluere ventrem super ventris fluxum, valde timorosum est.*

Si fluxus sit in principio febris, & ex irritamento naturæ factus, cohiberi non debet: natura enim humorem noxium vtiliter excernit, qui tandem retentus in corpore debebat fieri causa morbi, sed victus ratione optimè institura, naturæ negotium permittendum, etsi non sit pro plenitudinis ratione; in quem sensum intelligendus Galenus 1. *ad Glauc.* 14. §. *Quòd si febris fuerit cum alui profluuio, alia non est opus vacuatione.*

Quæ doctrina licèt ferè vera sit, maximè si speramus quòd deinceps natura sufficiat, tamen non est amplectenda semper, cùm in dysenteria ad reuellendum, & succorum acrimoniam attemperandam, vtilissimè venæ sectio celebretur, & in diarrhœa bilioſa ex iecoris, & venarum intemperie calida oborta, eadem sit saluberrima, & in opere practico frequentissimè exercenda; similiter & purgatio medicamentis corroborantibus parata, vt latè *lib.* 2. *Hist. PP. Med. in com. Hist.* 81. disceptauimus.

Alui fluxus quando complicatur cum febre, curationis est difficilioris; ea enim quæ prosunt fluxui, nocent febri, & è contra. Curandus igitur est aëre frigido: cibo boni succi, facilis coctionis, & distributionis, in principio modicè adstringente, deinceps verò vehementiori virtute adstringendi prædito. Hic non sit liquidus & humidus, sed siccus, & constans. Potus sit aqua, vel cereuisia chalybeata. Vinum si vires desint, & febris adsit ignaua, sit adstringens: alioquî vitandum, quia omnem vacuationem promouet, & fluxum auget. Exercitium fugiendum, amplectenda quies. Somnus omni diligentia prouocandus, fluxum enim mirè compescit.

Alui fluxus etiam curatur abscissione causæ. Hanc medicamentis per aluum expurgantibus, esse celebran-

dam,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 672 sur 927

dam, *loc. cit.* notauimus: nam fluxus fluxum curat, vacuando cauſam. Hæc medicamenta viſcera debent firmare ſtypticitate ſua, vnáque humorem bilioſum detrudere ad inteſtina ipſa: de horum cœtu præcipuum eſt Rhabarbarum, ſed quoniam in hoc partes igneæ vigent, quæ ſua acri vi irritant, & excitant inteſtina ad deiiciendum, ideò torrefacimus ea, vt ignis mordicantes partes euaneſcant. Hoc modo torremus Myrobalanorum cortices, vt vis aliqua tenuis, & acris aſſatione abſumatur.

Aliqua tamen in huius auxilij adminiſtratione ſunt pernotanda: primum, vt ad purgandam cauſam morbificam in initio, quando non tam vehementis adſtrictionis neceſſitas adeſt, Rhabarbarum in ſubſtantia offeratur, nam per torrefactionem vis purgatrix reſoluitur, quæ ad vacuandam copiam humoris, quæ in principio magis viget, ſummè conducit. Secundùm, vt poſt torrefactionem, ſemel vel bis abluatur aqua Roſarum, vel plantaginis; ex ignitione enim medicamentum acrimoniam comparat, quæ lancinando inteſtina, ad fluxum expultricem irritat: notum autem eſt in doctrina Galeni, vt conſtat ex *9. ſimpl. in proœmio*, vſta reddi acriora.

Ad purgationem, ſi morbus morosè incedit, humor præparandus eſt cum iis quæ adſtringunt, incraſſant, calorem attemperant, acrimoniam retundunt, quæ omnia naturæ concoquenti ſunt impedimento, vt ſyrupi Roſar. Myrtillor. Cydonior. Roſar. ſiccar. permixti cum aquis plantag. Roſar. Portulac. Cydonior. vel aliquo adſtringente decocto.

Si verò fluxus immodicus ſit, & purgandi neceſſitas inſtet, neque præparatio, neque coctio expectanda, ſed illicò expurgatio adminiſtranda; cùm enim humor in motu ſit, & à natura non retineatur, medicamenti attractioni non reluctatur. Quando tamen ita immodiciſſimè fluit, vt vires omnino diſſoluat, tunc neglecta purgatione, variis auxiliis adſtringentibus occurrendum, vt *12. meth. cap. 1.* Galenus edocuit.

Medicamenda autem ex quibus fomenta, cataplaſmata, emplaſtra conficiuntur, ſunt Bolus Armenus, Terra ſigillata, Sang. Dracon. Corallum, Roſa, ſemen Oxalid. & Plantagin. Balauſtia, Hypociſthis, cornu cerui, ſemen cymini, & Naſturtij torrefacti, & priùs in aceto macerati, Galla, Cortex mali Granati, puluis Sumachiorum, ſemen Myrti, ſemen Biſtortæ, Cortex thuris, Maſtiche, Cydonia, pyra agreſtia. Quæ cum oleis adſtrictibus, Cydonior. Myrtillor. Omphacij, aut aq. Chalybeata permixta, in varias formas poſſunt parari.

Prodeſt etiam emplaſtrum Diaphœnicum ex 2. deſcriptione Meſuæ, contra Rupturam, de Pelle arietina, Emplaſtrum ex Cydoniis, aut conſerua Cydoniorum, decoctis in Aceto Chalybeato, cum mica panis torrefacta, miua Cydoniorum cum pulueribus dictis. Quoniam verò multoties non ſufficit cauſam fluxionis euacuare, iccircò neceſſaria eſt in contrariam partem reuulſio: in quem vſum *6. Aph. 5.* vomitus ab Hippocrate commendatur. Vtiles etiam ſunt frictiones, & ligaturæ, cucurbitulæ dorſo, & hypochondriis admotæ, ſimiliter & balnea, *1. ad Glauc. 14.*

Si hæc non ex toto fluxum eradicent, vacuantibus per vrinam vtendum, iuxta Hippocratis, & Galeni mentem, *4. Aph. vlt.* In quem vſum præſtat potus factus ex ſemine Melon. & cucurbitæ, cum Roſacea Chalybeata, puluere Corallorum, Margaritar. Præparat. & Syrupo Cydonior. Ius Gallinæ optimum eſt, alteratum cum radice Petroſelini, Apij, Aſparagi, fœniculi. In diarrhœa pituitoſa ſudoris prouocatio optima eſt, præſertim ſi ex radice Chinæ, vel Smilace aſpera paretur; mirificè enim hoc auxilium à ventre ad cutem humorem attrahit, fluxúſque cauſam abſumit.

Expurgato rectè corpore, lactis Chalybeati vſus, præſertim in diarrhœa bilioſa confert eximiè, ex Gal. *10. ſimpl. tit. de lacte, & 3. de elim. facult. cap. 15.* Neque obſtat Hipocratis contextus, *5. Aph. 64.* in bilioſis deiectionibus lac reprobantis: nam intelligendus de lacte non præparato, & ante vacuationem maioris partis cacochymiæ oblato: quod ſi hoc tempore exhibeatur, ſummopere nocet; quod de omnibus medicamentis Epicraſticis interpretandum exiſtimauit Galenus, *2. ſimpl. 12. & 13.* De quo argumento legat qui velit *Hiſtoriam 85 lib. 2. Hiſtoriarum.*

Si hæc pro ſiſtendo fluxu, non ſint ſatis, neceſſe eſt exhibere quæ cauſam fluxus incraſſant, pigram ad motum reddunt, & facultatem expultricem torpidam efficiunt, ne cauſas irritantes, & ad fluxum incitantes perſentiat. De horum numero ſtupefacientia eſſe cenſentur, vt Theriaca recens, Philonium Perſicum, & Romanum, Trochiſci de carabe, de terra ſigillata, Diacodion Galeni, pilulæ de Cynogloſſo, quorum vſu ſtupefiunt ſenſus, ac prouocatur ſomnus, qui alui fluxum coërcet vehementer. Exhibenda ergo hæc opiata ſunt, ſi vires valeant; ſin aliter dederis, eas extingues. Somnus etiam conciliatur iis, quæ infrà *cap. 3. num. 8.* proponemus.

Curatur vltimò alui fluxus, corrigendo ſymptomata, quæ eum concitant. Solet autem comitari alui profluuium febris, aut ſubſequi, quæ putrida eſt, & cuius curatio, curationi fluxus aduerſatur: quare tunc agendum, quod *3. meth. 9. & 7. meth. 12.* docuit Galenus, quibus locis quomodo ſe gerere debeat Medicus, in complicatis affectibus, doctè explicuit.

Quando igitur cum alui fluxu, ſyncope, aut animi deliquium agrotantem apprehendunt, tunc cum adſtringentibus medicamentis, cardiaca permiſcenda, vt hac ratione partes roborentur principes, veluti eſt Electuarium de gemmis, Confectio hyacinth. Alckermes, & ſimilia. Si tuſſis cum alui fluxu infeſtet, eligenda ſunt medicamenta quæ incraſſant modicè, & pectus leniunt, vt ſyrupus papauerinus, de portulaca, diatragacanthum, & ſimilia.

Si fluxus ſit ex obſtructione prognatus, quem Arabes oppilatiuum vocant, incraſſantibus non inſiſtendum, nam tunc deobſtruentibus, & aperientibus vtendum: nam ſi incraſſes, obſtructiones, & fluxum adauges; quia alimentum quod ad partes nutriendas eſt peruenturum, illorum vſu impeditur, ne ad illas accedere poſſit. Licèt autem difficilis ſit curatio hæc, quoniam fluxus quatenus fluxus, incraſſantia deſiderat, quæ obſtructioni ſunt aduerſa nimis, tamen priùs aperientia adhiberi debent, quæ ſi ad tempus humorem extenuent, & fluxum prouocent, tamen in poſterum, ablatis obſtructionibus proſunt vehementer. Hoc admonuit Auicenna *16. 3. tract. 2. cap. 10.* dum ſic ait: *De errore igitur eſt, vt cadat additio in oppilatione per ſtyptica, imò oportet vt iuuetur, quod expellitur ab opilatione cum euacuatione: cùm enim euacuantur viæ ab eo, & pertranſeunt medicinæ aperitiuæ oppilationum, vt aperiant eas. Et quandoque neceſſarium eſt, in aperiendo oppilationes, ſolutiuum forte, attrahens materias groſſas generantes oppilationes, & clyſteria fortis apertionis, & attractionis.* Si fluxus à cerebro originem ducat, ipſum priùs euacuare, roborare, & ad priſtinum ſtatum deducere oportet. Si hæc non proſint, in altero brachiorum fontanellam aperiendam cura, vt ſpiret cerebrum, & excrementa ad latera detrudat. Similiter etiam quando ex alterius partis debilitate oritur, ipſam mandantem partem euacuare, roborare, & proprios meatus, quibus excrementa illarum repurgantur, aperire, deinde partem recipientem firmare oportet, vt *7. meth. 11.* Galenus edocuit. §. *Quòd ſi ex locis minùs momentaneis, &c.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 673 sur 927

OBSERVATIO I.

Ad fluxum alui compescendum, potus stillatitius mirabilis efficaciæ.

IN longis diuturnísque alui fluxionibus, abhorrent ægri alimenta, quin medicamenta assumere, quare liquida faciliùs deglutiuntur, & minori cum difficultate absorbentur. Iccircò cùm ægri alui profluuio premuntur, cæteráque non prosunt, vtilissimum semper iudicaui potum stillatitium aliquandiu offerre, cuius vi ac ope venter retinetur, roborantur vires, somnus prouocatur. Exhibe ter in die mane, meridie, & noctu. Dosis cochlearia duo, actu frigida.

℞. *Binas perdices mediæ ætatis, pingues, exenteratas, in frusta discinde, in phialam vitream capacem immitte.* Adde *mastich.* ʒ ß. *roſar. ſiccar.* ʒj. *carnis cydonior. immaturorum,* ℔.j. *carnis pyrorum,* ℔.ß. *omphacij,* ℔.ß. *ſem. lactuc. papauer. albi, cydonior. portulac. plantag. an.* ʒß. *ſorborum immaturorum, meſpilor. immaturor. an.* ʒ j. *margaritar. præparat.* ʒ iij. *coral. rubri,* ʒ ij. *ſantalor. citrinor. & rubror. an.* ʒ iij. *mielete,* ʒ ß. *fol. plantag. & aceto ſ. an.* M. ij. *radic. biſtortæ* ʒ ij. *album. ouor.* N. x. *conſeruæ ſymphyti maioris,* ʒ iij. *conſeruæ roſar. antiquæ,* ℔.ß. *vini rubelli odoriferi,* ℔. ij. Omnia reponantur in vaſe benè clauſo, vt nihil euaporet: collocetur deinde in balneo bene feruido per octo, aut decem horas, & priùs iniciantur vnciæ octo chalybis præparati. Tunc omnia vi ignis ebullire ſinantur, quouſque perdices in minutiſſimas particulas ſint redactæ: exprimantur poſtea omnia per torcular, & in alembico diſtillentur. Emanabit liquor pupureus, viſu delectabilis, guſtui ſuauis, cum ſtypticitate exigua permixtus.

OBSERVATIO II.

Emplaſtrum contra fluxum alui, celeberrimum.

℞. NVcum cupreſſi, acaciæ, gallarum, balauſtior. an. ʒ ß. *tragacanti, gummi arabici, an.* ʒ iij. *ſanguinis draconis, boli armeni, thuris, an.* ʒ j. *maſtich.* ʒ viij. *reſinæ* ʒxviij. *ceræ* ʒix. Miſce ſecund. art. & fiat emplaſtrum, ventri imo, & ſpinæ dorſi apponendum.

NVMERVS VII.

De Cholera.

EST & alius fluxus, quem Græci choleram vocant, Latini bilioſorum fluxum, barbari cholericam paſſionem appellant, qui nihil aliud eſt, quàm immodica per vtrumque ventrem perturbatio, ex continua ciborum cruditate proueniens, vt docuit Paulus *lib. 3. cap. 39.* Hæc à valida expultrice perficitur, quod ſibi moleſtum eſt, expellere properante in febrium initio: quo tempore, etſi per inferiorem ventrem frequentiùs noxium humorem detrudat, tamen cùm copia eſt multa, & vires magis liberales, per vomitum expellit. Cùm enim ventriculus duplex ſortiatur orificium, ſupremum, & infernum, vt *3. de ſympt. cauſ. cap. 2.* Galenus affirmat, iis abutitur, ad excernendum id quod morſu, vel pondere ipſum infeſtat; & quoniam noxa toti ventriculo communis eſt, ſic vtroque vtitur in vocatis choleris.

Percontaberis: *Vtrùm alui fluxus à cholera ſit inſeparabilis?* Nam videtur aliquando poſſe contingere cum ſuppreſſione alui: Hippocrates enim *5. epid. text. 77.* refert Eutychidem cholerica paſſione laboraſſe, citra fluxum alui: & *4. acut. 103.* in cholera ventrem adſtrictum reperiri affirmat. Dic cum Auicenna, *1 6. 3. tract. 1. cap. 2.* non ſemper in cholerica paſſione ſimul reperiri vomitum, & alui fluxum, licèt ſemper perrurbetur A ventriculus in parte ſuperna, & appareat irritamentum, & propenſio ad expellendum: interdum enim vnũ ſine alio, ob variam corporis conſtitutionem inuenitur: In his enim, quibus os ventriculi valet, vomitus non apparet; in quibus verò inteſtina retentrice valent facultate, non adeſt alui fluxus, ſed vomitus. Solue ſecundò, duplicem conſtituendam eſſe choleram: alteram humidam, factam ab humoribus acribus; alteram ſicam, à flatu mordaci concitatam: vtriuſque communis eſt generationis modus, at in ſicca per vtrumque ventrem ructus reſonant, & crepitus; in humida, fluxus alui cum vomitu premit, & affligit.

B Præter vomitum, & alui fluxum, adeſt ventris inflatio, ob flatus ex cruditate concitatos, & apparent tormina, ob diſtendentes flatus, & acrimoniam humorum prognata. Ægri ob laborem oris ventriculi, & motum pungentis humoris, anxietudine vexantur. Sitis ob ſummam humoris euacuati copiam, ob quam cauſam crura, & brachia conuelluntur. Excreta non ſunt vniforma, ſed bilioſa, aquoſa, fœtida, viridia.

Ex ſuccorum corruptela originem ducit hoc vitium, qui impetu facto irruunt in ventriculum, & inteſtina, aut ex cruditate, & corruptione ciborum. Cruditas, vel ex alimentorum copia, aut ex præpoſtero ordine ea aſſumendi, vel immodico motu poſt cibum, aut ex alimento incoctili natura ſua, aut ex præparationis modo, quoniam malè eſt aſſum, aut elixum, vel retinet qualitatem acidam, nidoroſam, aut eſt nimis dulce, acre, & ſic bileſcit, aut vitioſa qualitate præditum eſt, C vt ſunt olera, legumina, fructus horarij qui hunc affectum concitant, vt pepones, cucumeres, mala præcocia. Ex potu aquæ frigidæ oritur nonnunquam, aut ambientis frigiditate, vel quia nudis pedibus inceſſus celebratur: quæ omnia deſumpta ſunt ex Hippocrate *7. epid. num. 80.* & Galeno *3. de cauſ. ſympt. cap. 1.* quo loco modos generationis vitiatæ coctionis tradit eleganter.

Vtrùm cholerica paſſio, orta à cauſa externa, minùs ſit periculoſa, quàm quæ oritur à cauſa interna? Nota aliquas propoſitiones ab Auicenna prolatas *loc. cit. cap. 2.* quæ ad præſagium cholericæ paſſionis conferunt apprimè. Prima eſt. Quando cholerica paſſio incipit à cauſa externa, & cruditate, incolumnior eſt illa, quæ fit à cauſa D interna, & reiterata corruptione. Cauſa eſt in promptu, quia in illa, omne quod corrumpitur, ſolet expurgari, & non remanet intemperies in ventriculo; contrà autem in hac, humores vitioſi in venis latent, & ſimiliter intemperies in iecore, & venis adeſt, quæ morbum fouet. Interdum incipit ex cruditate ventriculi, & continuò augetur, ob corruptelam quæ in venis adeſt: laborante enim ventriculo cum inteſtinis, venæ cum iecore compatiuntur, & cõtendunt illi opem ferre, tranſmittendo quæ in illis ſunt, quæ commota, cùm antea non irritarent, modò ſic ſtimulant & lancinant, vt natura præcipitetur, & veluti furibunda tam inutilia, quàm vtilia confertim excernat.

Cholerica paſſio eſt familiaris æſtati, & autumno; tũc enim ventres concoquunt difficulter, quoniam innatus E calor rapitur ad extra, flaua bilis accreſcit, homines vtuntur oleribus, peponibus, cucumeribus, fructibus horariis, ſuperbibita gelida, parum ſibi cauent, nudi incedunt, aëri nocturno ſe exponunt ob quas cauſas ventriculum & partes vicinas debilitari, nemo non videt.

Aſſueti incurrere in cholerã, minùs læduntur & periclitantur; morbi enim conſueti minùs periculum inducunt. In hoc morbo ſi ſuperuenit frequentia, & ardor vrinæ, bonum eſt ſignum: nam hæc cauſam cholericæ paſſionis deriuari ad vias vrinæ præſignificant. Si in ea febris non adeſt, nec fœua ſymptomata premunt, tuta ſæpe, & vtilis eſt, quoniam per hunc fluxum tota humorum colluuies expurgatur, vt ex Galeno conſtat, *7. meth. 11. §. Sunt quibus diarrhœa, & cholera, &c.*

Si

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 674 sur 927

©BIUM

Si verò febris corripiat, periculoſáque ſymptomata vexent, timoroſa eſt: ob ſui enim malignitatem, & vacuationem immodicam, vires citiſſimè reſoluuntur, & magis ac magis concitata ſubuerſione ventriculi, & vomitu, ægri apparent facie Hippocratica inſigniti, exangues, & ad mortis fauces deducti.

Illicò ergo huic affectui opitulandum, nam ſi in eo auxiliari differas, nulla poſtea ſuffragia proſunt. Si ex corruptione ciborum concitetur, toto illo tempore quo expurgatur venter, neque cibum, neque potum, neque aliquid aliud offerendum. Si verò pigrè natura vomitu, aut alui ſeceſſu excernat, eam leniente clyſtere, facili vomitorio, aut abſtergente medicamento adiuuare oportet, qualis eſt aqua hordei cum ſaccharo; cruditatem enim ventriculi deponit, facítque eam deſcendere ad aluum, ex Auic. 3. 1. *doct. 2. cap. 7. poſt med. §. Quòd ſi hoc ei defecerit, &c.* Si venter expurgatus ſit à nocuis ſuccis, & fluxus, nauſea, grauitas iam ceſſarint, ventrem roborare, & vires reficere oportet.

Si à cauſa interna cholera ſcaturiat, & ſymptomata grauia non ſint, fluxus non eſt cohibendus. Sin contrà infeſtent, omni remediorum genere eſt coërcendus, ne ſubitò ob immodicam vacuationem vires concidant. Offerenda Alexipharmaca, & ſymptomata corrigenda, vt 16. 3. *tract. 2. cap. 13.* Auicenna edocuit, & ſuprà *de alui fluxu* propoſuimus.

OBSERVATIO III.

Contra choleram ſyrupus præſtantiſſimus.

NVllus eſt affectus ſæuior paſſione cholerica, in qua ob immodicam vacuationem per aluum, & vomitum, ſpiritus reſoluuntur, euaneſcunt vires, & ſiti clamoſa oppreſſi ægri, ac inſomnia correpti, animam exhalare videntur. Ex infinitis propemodum, quos cholerica habui affectione correptos, nullum, vt verum fatear, vidi ex ea occubuiſſe. Ecce repræſentat ſeſe mihi miles quidam veteranus, caſtelli cuiuſdam apud Olyſipponenſes celebris præfectus, qui cùm ſub dio pernoctaret ad auroram vſque, debilis, & inſomnis, ingentem præcocium fructuum, cum ouis frixis, ſuperbibita frigidiſſima, aſſumpſit copiam. Somno cùm ſe committeret, expergefactus, ſubſultum in ventriculo, & tormina iuxta pubem perſentiens, in tam horrendum vomitum, & enormem aquoſi humoris alui fluxum lapſus eſt, cum pulſu vario, ſubmerſo, obſcuro, intercidente, anxietate, animi deliquio, & conuulſione crurum, vt biduo trecenties deiiceret, & ſexageſies euomeret, pallidus, exanguis, ſine pulſu ferè, ſine voce, & reſpiratione intercíſa. Non defuere illicò remedia varia, ſed profuere nulla. Narcotica ſola offerre, temerarium erat, vires enim erant ſepultæ valde. Extempore ſerapium paro, ex quo cùm cochlearia quinque aſſumeret, palpebras aperuit, fluxus aliqualiter eſt cohibitus, ſitis infeſtauit minùs; & triduo eo vſus, paulatim vires aſſumens, reſtrictóque magis fluxu, ad vitam reuocatus eſt.

℞. *Vini auſteri rubelli*, ℔ij. *aq. roſ.* ℔j. *aq. portulac. aq. plantag. an.* ℔ß. Infunde in his aquis, *alumin. vſti* ʒ ij. *tragacanthi* ʒ iij. *gummi Arabici* ʒ ij. *amyli torrefacti*, ʒ ij. Coque quouſque abſumatur ℔j. Cola, & iterum infunde *micletæ* ʒ iiij. *requiei Nicolai*, ʒ ij. *philonij Perſic.* ʒ j. ß. *maſtich.* ʒ iij. *roſar.* ʒ v. *lapid. hæmatit. coral. rubri. carab. boli Armeni, ſumach, acaciæ, balauſtior. granor. myrti, cymini torrefacti, an.* ʒ ij. Coque iterum quouſque abſumatur libra: cola, adde *ſyrupi de ſorbis, ſyrupi de meſpilis, an.* ℨ v. *ſyrup. ex infuſ. roſar. ſiccar. ſyrup. myrtil. an.* ℨ iij. Cum ſaccharo fiat ſyrupus, aromatizatus cum ʒ iij. trochiſcor. de terra ſigillata.

Ne ergo contemnas hunc affectum, qui etſi in Luſitania noſtra, & Amſtelodamo paucos iugulet; in Oriente, vbi vocatur patrio ſermone *Mordexi*, plures quos corripit, extempore iugulat: & in Mauritania, & Arabia, eſt lethalis ferè; in quem affectum incidunt Arabes frequenter, quia continuò ferculum eſitant frigidum, ex pane conciſo, cum oleo ſubacto, quod vernacula lingua *Cuſcus* vocant, quod cùm maſſa ſit cruda, & ad ignem parum cocta, difficulter in ventriculo quem inflat, & choleram concitat, concoquitur.

NVMERVS VIII.

De ſternutamento importuno.

IN febribus præſertim catarrhoſis, ſternutamentum euenire frequenter, docuit Hippocrates 2 *progn.* 49. dicens: *Grauedines autem, & ſternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone fatigant, præire, & ſuperuenire, malo eſt, ſed in aliis morbis exitioſis ſternutamenta vtilia ſunt.* Sternutamentum enim, vehemens eſt naturæ motus, quo flatuoſum ex capite ſpiritum propellere nititur, præſertim vbi mordax, & calidum conſtiterit excrementum, vt tradit Galenus 7. *Aph.* 51. Hæc eſt cauſa, cur qui Solem intuentur, & pennam in nares immittunt, ſternutare ſoleant, quod Ariſtoteles *lib.* 33. *problem.* animaduertit, quoniam Sol caput calfaciens, ocyùs ſpiritum ex humore elicit; & penna excitans expultricem cerebri facultatem, etiam in actum deducit. Hinc facilè poſſumus intelligere, cur dormientes non ſternutent: tunc enim facultas tempore ſomni conſopita eſt, atque ſubmerſa, & excrementum non ſentit, ipſa autem niſi irritetur, officio ſuo fungi non poteſt. Adde quòd dormientibus calor intus conſiſtit, quo fit vt interiores dormientium partes calidiores reddantur, ſpiritúque magis abundent, exteriores minùs.

Vtrùm ſternutamentum plurimis morbis remedio ſit? Sternutamentum non modò cerebrum expurgat, ſed etiam quæ in partem eius poſteriorem, atque in fauces irruunt, valido ſuccuſſu reuellit, facítque ſua valida concuſſione, 5. *Aph.* 49. vt excrementa abſumantur. Quinimò ſi ſuperueniat ſingultienti, ſingultus ceſſat, iuxta edictum Ariſtot. 33. *probl.* 1. & 5. in quo multò maior cernitur concuſſio, quàm in tuſſi, validiorem enim habent ſpiritûs impetum ſternutamenta, quàm tuſſes.

Sternutamento non ab eis quæ aſperis arteriis, ſed naribus moleſta ſunt, ſpiritus violenter emittitur, cum quo ex prioribus cerebri ventriculis nonnihil excerni ſolet: Nam ſicut tuſſis inuenta eſt, vt mediante illa plurimus ſimul, celerrimèque foràs actus ſpiritus, attrahat, propelátque ſuo impetu, quæ vias ſpiritus obſederunt, 2. *de cauſ. ſymp.* 4. ſic ſternutamentum à natura fuit inuentum, vt cerebrum, nariúmque viæ exonerentur, & deobſtruantur.

In plurimis morbis ſternutamenta vtilia ſunt, modò non appareant in principio, nam tunc potiùs naturam à cauſis morbificis irritari, quàm robur ipſius ſignificant; poſtea verò proſunt, non aliter quàm reliqua ſigna mox apparentia, de quibus 1. *Aph.* 12. Licèt autem hoc ita ſit, tamen ſi ſternutatio eſt nimia, & importuna, ſummopere lædit, cùm ſit violentus motus, & cerebrum concutiatur, & thorax; quare eo interueniente, pectus, pulmóque dilacerantur, præcipuè ſi pulmonem, & thoracem vlcus, & inflammatio tentauerint. Neque aliqua ratione in morbis pectoris ſternutamentum conferre poteſt, niſi adſit abceſſus: tunc enim concuſſione irritata natura abceſſum rumpit.

Ergo cùm ſternutamenta fiant à flatibus ſiccis, & vaporibus nares mordentibus, & in febribus ab acri, & pungenti humore; ſi diebus ſuperueniant criticis, & quando ſperatur aliqua ſanguinis per nares vacuatio, nullo modo ſunt cohibenda. Si verò importunè ve-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 675 sur 927

xent ægrotantes, præsertim in thoracis affectibus, & valida concussione corpus fatigent, dolorémque capitis incutiant, febrem exacuant, somnum perturbent, tunc offerenda sunt remedia frigida, quæ biliosum humorem frigiditate sua incrassant, eiúsque acrimoniam refrænant, de quorum genere censentur, quæ suprà *de dolore capitis* adnotauimus, tum bregmati, tum naribus admota.

OBSERVATIO.

Sternutatio importuna, narcotico curata.

CVm flatus mordax à febrili calore dissolutus, aut acris humor nares vellicant, & feriunt, pruritus in ea parte vehemens concitatur multoties, cum sternutatione coniunctus. Vidi quendam, qui ex acri defluxione catarrhosa per nares continuò emanante, adeò sternutamento frequenti, toto mense est concussus, vt nec comedendi, nec bibendi, aut dormiendi tempus haberet. Huic plura adhibita, quæ inutilem vacuarent acerrimi humoris copiam, eúmque ad alias partes distraherent. Purgationes variæ, sanguinis missio, clysteria, cucurbitæ, frictiones, ligaturæ in partibus extremis celebratæ, diuersimoda remedia naribus, bregmati, hepati, vnde etiam mali suspicabantur originem, & temporibus sunt adhibita, quæ acris humoris efficaciam retunderent, ac facultatem animalem consopirent. At cùm febris adhuc vexaret, factúsque esset gracilis, & excarnis, & timor esset ne præ insomnia, & hoc violento motu agitatus, resolutis viribus, vel aucto febrili calore, in extremam maciem, aut hecticam laberetur, narcoticum assumendum iussi, tribus horis post cœnam, meri duabus vnciis superbibitis: cùm semel vteretur, ex improuiso (mirum dictu) sternutatio post profundum somnum conquieuit.

℞. *Philonij Persic.* ʒ j. *opij* ℈. iij. *croci* ℈. v. *Myrrhæ* ℈. iiij. Cum saccharo, & puluere glycyrrhizæ, fiat bolus.

NVMERVS VLTIMVS.

De dorsi incendio.

IN viris calido temperamento præditis, melancholicis, lautè viuentibus, vino deditis, otiosis, ante febrium accessum, adest in dorso incendium, & caliditas nimia ira accenditur, vt ea parte ipsi exuri videantur. Hoc vitium fœminas præsertim viduas, & virgines, etiam premit atque fatigat, de quo affectu Cremison auctor antiquissimus, *tract. de passionib. stomachi, cap.* 1. aliqua protulit in lucem.

Aretæus *lib.* 2. *de caus. & signis acut. morbor. cap.* 8. illud rectè descripsit, dicens esse morbum quendam venæ cauæ maioris rami, quæ cor etiam per dextram eius partem ingreditur, quæ dum morbo quouis ex plenitudine laborat, protinus si incalescat, arteriæ secundùm dorsum sitæ, damnum communicat. *Hæc igitur vena vniuersa, agritudines & acutas, & validas patitur: nam tota vna est, atque continua.*

In hac ergo vena concaua per dorsum perreptante, ante febrium insultum, inflammatio sentitur, ex crasso, & retorrido sanguine progenita, qui dum in sæuiora mala non degenerat; arteriæ quæ iuxta dorsum sita est, vitium communicat: Quod vitium ex apparatu morboso, plenitudine nimia, visceris alicuius calore mordaci, alterius humoris, aut excrementi adustione originem ducit.

In his quibus arteria hæc incalescit, inquit Aretæus, cutis præ incendio interno squallida, rugosa, atque aspera est, in qua calor mordax, sensatus, acrísque perentitur, somni tumultuosi sunt: aluus quibusdam nihil reddit, quibusdam exiguum, acre, biliosum: lotium acre, mordáxque est. Ægri, præ incendio, quod in spina dorsi sentitur, anxij sunt, inquieti, siticulosi, peruigiles, facie decolores, lingua aspera præditi. Huic malo illicò occurrendum: nam citò in febrem degenerat, vel dorsi, renúmque efficit inflammationes, quæ si vehementes sint, celeriter hominem tollunt.

Si ergo ex dorsalis venæ, & arteriæ calore immodico, dorsi incendium emanet, sedula diligentia sanguinem emittes, venis sectis in cubito. Verùm, quia rationi consonum est, sicut in ardentissimis febribus, vires præ nimio calore periclitari, & laborantem animi deliquio premi, non semel totum emittere, sed per interualla vacuationem repetere opus est. Si fœminis menstrua non ritè respondeant, sectio è talo remedio est, vel hirudines mariscis appositæ, multo sunt ex vsu: nam pertinacissimè sugentes, ex dorso, ac lumbis superassatum sanguinem auidissimè exhauriunt, in quem sensum dixit Hippocrates 6. *Aphor.* 10. *Renum morbis hæmorrhoides superuenientes, bonum.* Huius vacuationis loco, cucurbitulæ scarificatæ per dorsum, cum profunda scarificatione, mirabiliter prosunt.

Euacuatione facta, viscerum cauma extinguere est necesse, potibus frigidis paratis ex aqua Rosacea, acetos. Bugloss. Hord. cum Syrup. de Ribes, granator. Oxysacchar. Violac. &c. Alexipharmacis additis: Nam si ignem internum frigidis compescere non studeas, in aliquem deteriorem affectum commigrabit hoc vitium. Hac ratione Epithemata dorso, & cordi admouebis, vt harum partium excandescens calor mitescat, ac temperetur.

Purgatio rarò administranda, nam agitat corpus, ac mouet humores. Si verò inclinante affectione, aliqua eluceant biliosi humoris signa, clementibus medicamentis vtendum, quæ cum refrigeratione inutilem humoris copiam euacuent, vt sunt Pulpa Cassiæ, Manna, serum lactis, tamarindi, syrupus ex multiplici infusione violarum, quorum loco refrigerantia clysmata administrabis. Caue à diureticis, calidis, aperientibus. Sin adhuc intemperies restet, vtere saluatellæ sectione, quæ mirandum in modum, viscera, venosum genus, & hepar refrigerat & ventilat.

OBSERVATIO.

Ad dorsi incendium, syrupus de niue cum sero lactis, eximius.

QVidam vigente Sirio, adeò dorsi incendio est vexatus, vt illud comburi sibi videretur, ardentésque faces in ea parte esse repositas existimaret, citra febrim vllam. Vniuersalia auxilia celebrata. Balneum tepidum, & deinde frigidum administratum. Apozemata varia oblata, quæ viscera roborarent, & eorum calorem extinguerent. Tandem hoc syrupo viginti dierum spatio exhibito, quinque vnciis in aurora oblatis, omnino sanus est factus.

℞. *Niuis*, ℔. iij. *Seri lactis caprini.* ℔. ij. *succi omphacij* ʒ v. *succi acetosæ*, ʒ iiij. Bulliant omnia vsque ad consumptionem succorum: Infunde deinde per noctem, *Rosar.* ʒ iij. *fol. portulac. & lactuc. an.* M. ij. *Fol. Nenuphar.* M. ij. *Flor. Nenuph.* ʒ iij. *Sem. lactuc. Plantagin. Portulac. an.* ʒ iij. *Conserua Borragin. Violar. Bugloss. Acetos. an.* ʒ ij. *hordei conquassati*, ʒ j. *tamarindor.* ʒ ß. *Radic. Endiuiæ, & Bugloss. an.* ʒ j. *sem. quatuor frigidor. maior. an.* ʒ ß. *sem. quatuor frigidor. minor. an.* ʒ j. *Flor. Cordial.* ʒ j. Coque quousque absumatur ℔. j. ß. Colaturæ adde: *Syrup. Endiu.* ʒ iij. *Syrup. Granator.* ʒ ij. *Syrup. de ribes*, ʒ ij. ß. Omnia deinceps bulliant, addita sufficienti sacchari quantitate, fiat syrupus mediocris consistentiæ.

CAPVT

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 676 sur 927

©BIUM

CAPVT II.

De ſymptomatis cum febre prognatis.

NVMERVS I.

De Colico dolore.

DE colico dolore, plura *lib.2.Hiſt.PP.Med.in com. Hiſt.89.* quanquam autem omnes ventris dolores à Medicis vocentur coliei, non quia vniuerſi ad colum pertineant, cùm multò plura ſint, quæ dolere poſſint inteſtina; nec tam ob ſymptomatum ſimilitudinem, & cauſarum, quàm quia omnes vehementes in colo accidunt, propter maiorem huius inteſtini aptitudinem, ad coaceruandos & retinendos craſſos flatus, frigidos viſcidóſque humores, à quibus vtplurimùm dolores inteſtinales oriuntur: non mediocres tamen, imò omnium vehementiſſimi, in tenuibus excitantur inteſtinis, & vehementiores in ileo, non ex frigidis flatibus, aut humoribus, vt diximus, quia facilè diſſipantur, aut defluunt à tenuibus, ſed magna ex parte ab inflammatione, vel induratis fæcibus, *lib.finit.med.vltra med.3.de ſympt.cauſ.cap.2.3.epid.ſect.2. com.6.* & *3.Aph. 22.* & *lib.6.com.44.* & *7.Aph.10.*

Inteſtina dolore oppreſſa, ex vniuerſo corpore peccantem humorem ad ſe alliciunt: quum verò cauſis morbificis præualent, noxios à ſe depellunt ſuccos. Habent ergo vim attrahentem, & expellentem, quarum vi, ac ope vtile attrahunt, inutile à ſe propellunt, quas virtutes cùm plurimi ad rauim vſque pernegent, placet de hac controuerſia, antequàm progrediamur vltrà, aliquid præfari.

Dubitandum ergo: *Vtrùm inteſtina facultates habeant communes naturales?* Si enim naturales omnes facultates, in ſingulis membris conſiderandas, non ſemel prænonuit, ad comparandam notitiam de locis affectis, Galenus, cur *lib.6.cap.2. de loc.affectis*, ſolius dyſenteriæ meminit, quæ vitiatam arguit expultricem? fortè innuens, vim illam ex naturalibus ſolam inteſtinis adeſſe, quod etiam videtur docuiſſe, 4. *de vſu part.* 8. & 3. *de naturalib.facult.7.* & 11. quibus locis virtutem iis denegat attractricem, & oblongos ſeu rectos villos, quibus operantur: contra ea quæ in eodem opere *de natural. facult.* vniuerſaliter pronunciauit, nempe ſingulis partibus quæ nutriuntur, inditas eſſe illas facultates. Et de attractrice expreſsè loquitur Auicenna 1.1.*doct.4.cap.2.* & *doct.5.de membris*, & 16.3.*tract.1.cap.1.* nec ſine probabilibus fundamentis: Nam ſi omnibus, quæ aluntur partibus, vis quædam conceſſa eſt, qua attrahunt ſibi familiare alimentum, cur ea inteſtinis denegabitur ad chyli attractionem, qui ſuum eſt, & conueniens alimentum.

Deinde motum alimenti ad totius nutritionem ordinatum, ſicut naturalis eſt, ita mitem eſſe oportet, & durantem. At ſi chylus (ex cuius delatione ad inteſtina vniuerſi corporis nutritio dependet) ab ipſis non alliciatur, ſed trudatur tantùm à ventriculo, violento & præternaturali, nec diuturno motu feretur. Igitur, &c. Inſuper oblongi ſeu recti villi, tractrici ſolùm inſeruiunt, atque hos etiam, præter tranſuerſos, inquit Galenus 4.*de vſu part.* 17. in inteſtinis reperiri. Ergo illis denegari non poteſt facultas, cuius miniſterio dicantur, & per conſequens nec reliquæ, quibus ſubordinatur tractrix.

Dic. Nemo inficiatur, vires naturales, quibus perficitur nutritio, non minùs quàm in reliquo corpore, in inteſtinis contineri, atque adeò tractricem, qua peculiare alimentum intra ſuos meatus alliciant. Diſceptatio tamen eſt, num habeant communem attractricem, quæ per villos operetur, quæque chylum à ventriculo attrahat ad ipſorum cauitates. Et Auicenna 16. 3. *cit.* illam iis concedit, ſed imbecilliorem quàm ventriculo, dum ſic ait: *Penetrans in inteſtino, patitur à duabus virtutibus, quarum vna eſt expulſiua ſtomachi, altera attractiua inteſtini.*

Galenus tamen apertè contra ſentit, & ex Arabum numero nonnulli, præſertim Auerrhoës, & Halyabbas, 3.*theoric.26.* dum nullam mentionem faciunt attractricis inteſtinorum, ſed expultricis tantùm, qua toti corpori inſeruiunt, atque adeò cum Galeno 6. *de loc. cap.3.* ſcribunt, mitti à ventriculo in ea, non attrahi ab ipſis.

Eſſe verò ita ſentiendum, præter Galeni teſtimonia, ſuadet ratio: Nam præterquam quòd ſuperflueret vis illa, cùm ſufficiat à ventriculo detrudi alimentum; ſi adeſſet, non parum incommodaret, ante completam chylificationem trahens, & retinente ventriculo promouens expulſionem. Deinde alimenti tractio per amplos canales fit, per oblongos villos, eóſque internæ tunicæ membri trahentis inſertos, vt 3. *de natural. facult.cap.8.* Galenus affirmat: Cùm enim trahi non poſſit materia, niſi tangatur, & ea quidem parte, qua ſibi patet commeatus ad internam cauitatem, vbi concoquenda eſt, interiùs oportet eſſe locatos villos, quorum ope defertur. Atqui ſiquos villos rectos obtinent inteſtina, non interiùs, ſed exteriùs habent. Igitur non ad attrahendum, & per conſequens, &c.

Adde quòd in ſolis craſſis reperiuntur, cùm tamen ad ſugendum chylum eſſent inſerendi tenuibus, ventriculo ipſi cohærentibus, & in quibus primùm recipitur chylus, non in craſſis diſtantibus. Quare meritò neganda inteſtinis eſt communis attractrix, quæ per villos operetur.

Cæterùm non perinde ſunt priuanda retentrice, cùm enim etiam in ampla ſua cauitate coctricem obtineant, ventriculo adſimilem, licèt debiliorem, 4. *de vſu partium*, 17. (perinde ac venæ ſanguificantem, ne delationis tempus citra alimenti elaborationem periret naturæ) concedamus licèt retentricem, quæ coquenti virtuti omnino miniſtrat. Non ideò tamen neceſſarij illis ſunt oblongi villi, ſat enim erat ipſorum inteſtinorum aſperitas, inæqualitas pinguedinis, & lentor, quin & ipſorum anfractus, ſiue reuolutiones, ad exiguam retinendi moram quam præſtant. Cùm ergo diſtinctas non habeant, à peculiaribus aliorum membrorum, virtutes naturales, præter expultricem qua eminent, & vniuerſo inſeruiunt, ſatis fuit de affectibus huius meminiſſe Galenum.

Parum autem vrgent rationes pro contraria parte adductæ: quoniam ad primam, ex dictis patet reſponſio. Ad ſecundam verò perinde non erit operoſa: Neque enim facit motum violentum, in paſſum vi ferri, aut impetu, aut ab externo agente, non iuuante paſſo, alioquí omnes ferè dabis violentos ab extrinſeco motore prodeuntes; quin & violentiſſimam ſanguinis diſtributionem ad ſuperiora membra, & ex eadem cauſa, (extranea ſiquidem eſt membris vis hepatis propellens ſanguinem) & quia præſui grauitate deorſum potiùs inclinat, cùm tamen naturalis ſit ſanguinis delatio ad nutritionem ordinata, cuius etiam gratia mittitur in inteſtina chylus, qui ſua innata grauitate deſcenſum iuuat. Imò verò licèt huiuſmodi motus inde violentus diceretur, non proinde deficeret; perpetui enim ſunt in vita, illi cordis, arteriarum, & pectoris, non tamen violentia carent.

Ad tertiam. Non ad trahendum, vt diximus, ſed in robur & firmitatem circularium, atque adeò ad expulſionem

expulsionem iuuandam, rectos villos obtinuerunt crassa intestina, præsertim rectum, cuius circulares præ fæcum copia, & pondere magis periclitabantur, & inserti parti extimæ rectis, veluti fascijs quibusdam, magis firmi continentur illi: quare non solùm ad durationem, sed & ad expulsionem facere externam intestinorum membranam, docet pluribus in locis Galenus.

Colicus ergo dolor sic definitur: *Est dolor intestini laxioris, quod colon vocatur.* Colon enim cùm sit pars intestini crassi, à dextra iliorum regione procedens, ad sinistram cincturæ modo pertinet, vt *lib.3.cap.43.* Paulus edocuit. Generatur ex defluxu ad intestina humoris febrem efficientis, qui aut bilioſus, aut pituitoſus esse solet, aut ex intestinorum inflammatione, aut flatibus, qui ex vitiata coctione eleuantur, aut ob victus, & potus errorem, aut immodica fæcum retentione.

Colicus dolor vehemens est, sed Iliacus maior, quia intestinum ileon, cùm sit ex tenuibus intestinis, magis sensibile est, quàm colon. Licèt autem ileon inter tenuia reponatur, (sunt enim tria tenuia, duodenum, ieiunum, & ileon, & totidem crassa, cæcum, colon, & rectum) & ratione originis, post ventriculum, prius sit ileon, quàm colon; ratione tamen situs aliter est, cùm propinquius sit ventriculo colon, corpus zonæ instar, versus anteriorem partem totum cingens; ducit enim originem à dextro latere iuxta renem, & iecur, stomachum, ac lienem tangens, vergit ad sinistrum renem, deinde verò per id latus infrà descendit. Hæc est causa, quare in colico dolore, in his omnibus partibus sentiatur dolor, præsertim in sinistro latere.

In colico ergo dolore, sentitur dolor supra vmbilicum, in iliaco infra: cùm intestina crassa, excepto recto, superiorem sortiantur situm, quàm tenuia. Nec inferas, colicos affectus potiùs esse curandos medicamentis per os sumptis, quàm clysteribus: licèt enim sursum vergat, ab inferiori tamen parte originem ducit.

In colico affectu adest vomitus, & nausea, & sæpe retinentur fæces. Colicus dolor ex humore generatus bilioso, cognoscitur ex siti, immodico stomachi ardore, intensa febre, bilioso vomitu, vrina ignea, oris amaritudine. Curatur vomitu leni, qui humorem redundantem euacuat, ipsúmque ab intestinis reuellit, clystere refrigerante, anodynis temperatis, purgatione clementi, iulapiis attemperantibus, quæ bilioſi humoris acrimoniam retundant. Quòd si perseueret dolor, aut adsit febris, iecúrque squalidum, aut venæ incendio affectæ, humorem bilioſum in intestina detrudant, tunc ad præseruandum ea ab inflammatione, & viscera ventilanda, phlebotomia est vtilissima, dummodò eam ex brachio priùs exerceas, si dolor superas partes magis infestet; si tamen stercus aut vrina supprimantur, & inferiores partes doleant nimis, tunc in talo secetur, iuxta Pauli sententiam, *lib. 3. cap. 43.* postea verò epithematis refrigerantibus iecur illinendum.

Inflammationem colici doloris esse causam plura demonstrant. Febris ardens, acris & firmus in ventre calor, frequens bilis vomitus, sitis incompescibilis, abolita fæcum deiectio, suppressio vrinæ, non solùm ob dolorem, sed compressionem ab inflammatione inductam. Si omnia vehementer vrgeant signa in hoc lethali morbo, priùs è brachio, deinde è talo mittendus est sanguis: licèt enim phlebotomia, & colica rarò coniungantur, quod *4.1.cap.20.* pronunciat Auicenna, tamen aliquando in positis exemplis esse necessariam, ratio dictat. In hac refrigerantes clysteres summoperè prosunt.

Si colicus dolor ex pituita vitrea, acida, salsa concitetur, quæ nonnunquam suis qualitatibus infrigidando, & mordicando intestina, & flatu distendendo, pungunt & lancinant: Curatur vomitu, carminantibus, & phlegmagogis clysmatis; quæ si non sufficiant, ad medicamenta purgantia deueniendum, dummodò tamen eorum virtus, primam regionem non transcendat, inter quæ præcipuum locum obtinet ius galli veteris, cuius plures descriptiones tradit Auicenna, *16.3.tract.4. cap. 21. & lib.2.canon. cap. 296.*

Ex flatu suborta cognoscitur colica, quòd dolor de vna in aliam partem mutatur, adest ventris rugitus, præcessit vsus alimentorum, quæ flatus gignunt, aut coquuntur difficilè. Curatur primò vomitu causæ antecedentis, flatuum resolutione, clysmatum carminantium ope celebrata, per aluum expurgantibus medicamentis. Carminantibus etiam exteriùs vtendum est, siue ex oleis flatus discutientibus pares vnguenta, siue fomenta conficias, siue sacculos, aut cataplasmata, vel cucurbitam siccam cum multa flamma ventri imponas, quam incantamenti instar prodesse ad resoluendos flatus, *12.meth.cap.8.* firmauit Galenus. Roborantes, & flatus resoluentes tabellæ offerendæ, ex speciebus diasisi, diacymini, aromatici rosati, aut diatrionpipereon confectæ, cuius loco prosunt vinum Hippocraticum, aqua vitæ, vel extracta ex floribus cinnamomi.

Ex fæce retenta dolorem generatum, ex calore iecoris, & grauitate in intestinis percepta dignosces. Prosunt emollientes clysteres, facti ex oleo, & butyro, vel ex decocto maluar. Althææ, Fœnugræci, Sem. Lini, cum oleo communi, vel amygdalino, vel ex iure pingui, aut decocto extremitatum animalium. Tota ventris regio illinenda oleo amygdalar. dulcium, lumbric. lilior. albor. & butyro suillo.

OBSERVATIO.

Ad colicum dolorem à flatu, emplastrum celebre.

EX plurimis emplastris, quæ fidissimo experimento, pro curando dolore colico à flatu suborto, habeo comperta, vnum est præstantissimum, quod nonnisi euacuato corpore, supra partem dolentem est imponendum.

℞. Vini generosi odoriferi, ℔.ij. *aq.vitæ,* ℔.j. *aq. cinnamom.* ℥ iij. *balsami* ℥ ij. *olei de liquidambar,* ℥ j. *olei rutac. & camomil. an.* ℥ ij. *olei terebinthin. olei anisi, & de costo, an.* ℥ j. *olei amygdal. dulcium* ℥ iij. *olei de baccis lauri,* ℥ j. ß. *flor. camomil.* ʒ iij. *floris stœchados, & rorismarini, an.* ʒ ij. *anisi, cymini, dauci, cinnamom. an.* ʒ j. ß. *ligni Aloes.* ʒ ij. ß. *calam. aromatici,* ʒ j. *styracis calamit.* ʒ j. ß. *styracis liquidæ,* ℥ j. *absinthij* ʒ iij. Pulueriſanda pulueriſentur, & miſceantur in mortario bene, & fiat Cataplasma.

NVMERVS II.

De Iliaco dolore.

SÆpissime in tenuiore intestino affectus quidam oritur, quem ileon Græci appellant, qui licèt ab eisdem causis, ac colicus dolor oriatur, frequentiùs tamen ab inflammatione, vel induratis fæcibus ortum ducit, ex Gal. *loc.cit.* à quibus ita ilei meatus occluditur, vt nihil omnino, etiam cum acerrimo clystere, per inferiora descendat, *6. & 7. Aph. cit.* propter quod videbatur antiquis conuolutum esse in nodum intestinum in hac passione, atque inde voluulus, ac chordapsus fuit appellata. Ex atrocissimo verò, ac intolerabili dolore, quo miserrimè vexantur laborantes, interpretantur Arabes nomen ilei habuisse, hoc est, *Domine miserere,* ab ἐλεῶ, quod Græcis misereor est, quasi sit malum misericordia dignissimum: Quod vitium intestino ileo magis familiare est, tum quia ob copiam vasorum fugentium, magis patet inflammationi; tum quia vicinius crassis intestinis, à quibus magis facilè, quàm superiora,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 678 sur 927

ſuperiora, poteſt excrementa recipere: quæ duæ ſunt cauſæ tanti mali frequentiores.

De hoc affectu quæro primò: *Vtrùm intenſior dolor adſit in iliaco, quàm in colico dolore*? Galenus *lib.2.de loc. affect. cap.5.* ventris dolores vehementiſſimos, procul dubio eſſe craſſorum inteſtinorum; mitiores autem, aut à leuiori cauſa in ipſiſmet fieri, aut in inteſtinis conſiſtere tenuibus, quod & approbat Trallianus dicens, acutiſſimam eſſe, atque grauiſſimam coli affectionem. Nec immeritò: tenuia ſiquidem inteſtina, ob ſui raritatem & tenuitatem, cauſas ingentium dolorum nec intra ſe recipere, nec continere poſſunt, quod *6.de loc. cap.2.* Galenus edocuit, nec etiam nimiùm diſtendi, ac proinde nec vehementer, ac diu dolere. Quare ſi hæc vera ſunt, cur tenuium dolores, *6.de loc.cit.* vehementiſſimi, & grauiùs cruciantes, & à Paulo, Celſo *lib.4. cap.3.* acutiſſimi dicuntur. Aëtio, lethales, Aretæo pernicioſi, & acerbiſſimi, & *2.tardar.8.* celeriter enecantes, & *16.3.tract.4.cap.29.* ab Auicenna, maiores quàm coli, eſſe aſſeruntur.

Dic. Grauiſſimum, acutiſſimum, & exitialem propoſitum affectum agnoſcunt omnes, & ſua monſtrant ſymptomata, (de quibus præter citatos auctores, Hippocrates *3.de morb. cap.prop.* & *3.epid.* vbi Galenus) & quæ communia ei ſunt cum colica, vomitus, faſtidium, nauſea, maiora, magis continua & perſeuerantia, propter maiorem vicinitatem, & colligantiam cum ventriculo. Sæuiores ac vehementiores dolores, tam ob cauſæ vehementiam, quàm ob mollitiem, & ſenſum acriorem partis; acutiùs enim ſentiunt gracilia, quàm craſſa inteſtina.

Denique & periculoſiores, ex vicinia & propinquitate cum nobilibus, principalibúſque membris. Hinc præter ileum, ſimul & præcordia dolent, *3.epid.* ſyncope ſequitur, delirium, ſpaſmus, &c. *7. Aph.10.* tenues vrinæ, & cruditates adſunt, tractis nimirum in conſenſum ventriculo, hepate, corde, & cerebro. Nec verò his repugnat, *lib.2.de loc.* aut *6.ciuſd.cit.* hîc enim ſolùm ab humore, aut flatu, tam vehementes ac perſeuerantes dolores ac in colo, fieri negat in ileo, ſcilicet quia in tenuibus inteſtinis, ob mollitiem & raritatem eorum, flatuoſi ſpiritus facilè exhalant, nec detinentur contumaciter humores, quia transfluunt continuò, ac dimouentur. At verò *2. de loc.* de duplici generatione doloris agebat, infixo nempe, & perforante, quorum neuter poteſt vehemens fieri in tenuibus inteſtinis, ſed ex ratione illic aſſignata, vel in renibus, vel in craſſis, præſertim à flatu, vel humore, à quibus colica maiori ex parte generatur.

Num verò ex obſtructione flatuum, aut viſcidi & craſſi humoris, aliquando oriatur ileos, licèt Galenus ſimpliciter negare videatur, *6.de loc.* & *6. Aph.44.* non omnino tamen: Nil enim obſtat, nonnunquam fieri, atque ita Auicenna ab omnibus colicæ cauſis inquit accidere. Paulus etiam ex cruditatibus, Aëtius ex corruptis cibis, & multùm non coctis. Aretæus ex frigido, lentóque flatu collecto, ſed rariùs quàm ab inflammatione, aut fæcibus induratis, quod etiam ex Galeno colliges, *3.epid.cit.* Adde ab humoribus, vel flatibus oriri, non intra tunicas, quod in colico accidit, ſed potiùs in ilei cauitate contentis.

Sed difficilior videtur dubij explicatio: *Vtrùm in ileo feces per vomitum excernantur*? Nam præterquam quòd *7. Aph.10. in com.* ex Hippocrate ibi colligitur, quandoque ſine vomitu fit ileos: ſtercus non in gracili aliquo, ſed in craſſo potiùs colo inteſtino continetur, & ſuam recipit formam: atqui colon poſt tenue ſuum ſitum habet: Igitur cùm inteſtinum hoc, in iliaco morbo omnino occludatur, impoſſibile videtur, in eo poſſe aliquando per vomitum eiici ſtercus, ſiue in ſuperiori tenui exiſtat inflammatio, & obſtructio, ſiue in inferiori, quo tantùm affecto putat Celſus per os exire. Quinimò ſi non obſtante anguſtia, & coarctatione ilei, ſtercus aſcendit, cur non deſcendet faciliùs ex innata grauitate, & aſſuetudine deſcendendi? Maximè cùm pateant viæ ſuppoſitoriis, & clyſteribus: nam ſi in ciuſmodi morbo iniiciantur, ita velociter aſcendunt, vt ſorberi videantur. Inſuper cur ſtercoris vomitio perniciоſiſſima, ac lethalis habebitur, ſi per eam mali cauſa excernitur, & tollitur viarum anguſtia?

Dic. Quanquam vomitus non ſemper adſint, multis tamen, & laborioſiſſimis nauſeis vellicantur ægrotantes, toto nonnunquam ventris motu, ad os ſurſum præternaturam concitato: in voluulo enim, præſertim maligno & deſperato, cùm tenuiſſimæ partis exigua via adeò ſit intercluſa, vt nihil omnino poſſit ad inferiora tranſmitti, deſperans propter obſtructionem expultrix, tanti mali cauſam, & retenta excrementa deorſum trudere, (id quod primùm tentat, incipiens iuxta naturæ ordinem à ſuperioribus contractionem) cogitur diuerſo ordine contra naturam mouere, & ad ſuperiora noxiam materiam propellere, contrahendo inferiora, (incipit enim hic conſtringendi motus infernè, non ſecus quàm contractio extimæ membranæ gulæ, in orificio ventriculi, ad vomitum) ídque tanta vi, impetu, & violentia, vt & ſedem ita adſtringat, vt ne ſpecilli quidem extremum ſuſcipiat, provt loquitur Aretæus, & abſorbeat infuſa, & toto tenui inteſtino traiecto, ieiuno, pyloro, ventriculo, ac gula, per os eiiciat ſtercus, vel iam in ileo contentum.

Aliqui putant euomi potiùs corruptum cibum, quàm ſtercus omnino perfectum, eo quòd vltimam perfectionem in colo acquirit, & quòd fortè inde per ileum conſcendere non poteſt, propter impedientem obſtructionem. Celſus ait, exiſtente inflammatione in inferiori parte gracilis inteſtini, excerni per os ſtercus; non ita ſi in ſuperiori. At ſi ab induratis fæcibus morbus oriatur, cur tanto ad ſuperiora conatu non vomentur, imò & rupta inflammatione obſtruente? non deſcendent autem ex eadem cauſa, & ſedis præcluſione, vt diximus. Signum verò prauum & lethale eſt, ſtercoris vomitio, tam in ileo, quàm colico dolore, propter eam quam ſignificat naturæ perturbationem, & moleſtiam adeò intolerabilem, quæ cogit per aduerſam, & ab expulſione tam alienam viam excernere. Nec obſtat vacuari aliquando morbi cauſam, & tolli, vel minui obſtructionem, quia ſæpe ſimul cum noxio, vires extremè fatiſcunt, & ex inutilis vacuatione, interitus protenditur.

Maior tamen difficultas eſt: *Vtrùm in ileo nulla prorſus deiectio reddatur*? Ita voluit Galenus *loc.ſuprà citatis.* Sed videtur ſibi eſſe aduerſus, *3.epid.ſect.2. com.6.* quo loco de ſæuiſſimo & perimente ileo verba faciens, vrinæ, & deiectionum meminit; atque adeò non minùs in huiuſmodi morbo, quàm in reliquis omnibus, contemplandas præſertim vrinas, commendauit Galenus *ibidem.* Quoniam ſicut praua, & graueolentia exeuntia, interitum & perniciem minantur, *2. progn.* de deiectione, & vrina, & alibi, & in propoſito *16.3. cit.* vbi & flatum deorſum pelli notat & fœtidum, ac teterrimum; ita & contrà bona, magnam ſecundùm Hippocratem, & Galenum, præbent ſalutis ſpem, in omnibus morbis.

Dic. Cùm in ileo, ſaltem extremo, nihil prorſus excerni apertè doceat Galenus *3. de nat. facult. de cauſ. ſympt.6.epid.* & *7. Aph.cit.* vbi inſeparabile ſignum eſſe huius paſſionis dicit: mirum videtur, quòd in textu illo *3. epid.* (ex quo tam citò mors fuit ſequuta, vt & ſtercoris vomitum magis huic morbo familiarem anticipauerit) deiectiones habuerit laborans: & putant aliqui nullas habuiſſe, atque ita apud Hippocratem legendum.

Alij interpretantur, crudum illud, & tenue eiectum, non

non fuisse portionem aliquam excrementi, saltem ab A expultrice facultate pulsam, (cùm tota sit ad superiora conuersa) sed quidpiam ichori simile, calore hepatis, & mesenterij liquescens. Sed nihil prohibet, etiam in tanta obstructione, & sedis angustia, tenue quidpiam illabi, vel etiam excerni ab ipsa expultrice, per omnes vias sese conante exonerare, & infernam priùs tentante, quin & crepitum etiam emitti, flatu rursus descendente, & exitum per initia quærente: is ab Auicenna fœtidus damnatur, dummodò immodicè talis sit, nam modicè fœtidus, melior habetur, quàm purus & totius fœtoris expers, propter maiorem quam arguit intestinorum obstructionem; nam etiam in pure, fœtoris absentia, non minùs quàm immoderantia reprobatur.

Esse verò in voluulo perinde vt in omnibus intestinorum morbis, considerandas deiectiones, nemini du- B bium est, cùm propriæ sint illorum superfluitates, & vim ferè totam habeant præbendi de ipsis indicium, *1. crisi. 7.* & *lib. 3. cap. 3.* & *3. epid. cit.* & alibi. Num verò etiam Hippocrates in proposito morbo de vrinis meminerit, ac si in affectibus, qui venarum non sunt, indicationem haberent, etiam Galenus mouit: & quanquam *1. & 3. crisi.* & *3. progn.* morborum inferioris ventris significationem cruditatis, aut coctionis, non ab vrina, sed alui excrementis petendam doceat, quemadmodum cerebri, & pectoris affectionum, ab sputo, *ibidem*, & *2. prorrhet. 2.* non vult tamen esse omnino contemnendam, quin potiùs in omnibus morbis contemplandam, inspiciendamque vrinam, consultò admonet, siue capitis sint, siue thoracis, pulmonis, aut intestinorum. Nam quamuis C principaliter indicet in morbis iecoris, & vasorum, *vbi supra*, & *6. epid. sect. 1. com 6.* quorum excrementum est vrina, atque adeò potissimùm sit inspicienda in febribus, (quarum materia in venis continetur) quin & in renum, meatuum per quos defluit, & vesicæ dispositionibus; secundariò, & minùs principaliter in illis, quæ febrem habent annexam, pleuritide, pulmonia, &c. (in quibus coctionis dignotio præcipuè ab sputo quærenda, quia pars est materiæ morbificæ) In particularibus tamen, nec febrientibus vitiis, non parum etiam significatiua est vrina, quatenus si bona, indicat non esse coniunctum aliquod vniuersale malum, hepatis, aut vasorum; nec particulare illud in totum corpus permeasse, quod non exiguam præbet salutis spem; faciliùs siquidem partis, quàm commune totius vitium sanatur, D dummodò in aliis paria sint: si verò mala sit vrina, è contrà. Atque ideò meritò Galenus *3. epid. cit.* commendauit, vt tam in ventris affectibus, quàm thoracis, pulmonis, & neruorum, vrinas inspiciamus, nec temerè ab Hippocrate fuerunt in voluulo contemplatæ, rectéque scripsit à prauis exitium portendi, ob tractum in consensum iecur, vasa, & corpus vniuersum. Quòd si à bonis dixit, paruam, aut nullam spem salutis desumi Auicenna, de proposito tantùm morbo intelligendus est, quia cùm sæuissimus esset, & extrema inducens symptomata, non sat erat bona vrina ad bene sperandum, nec de interitu dubitandũ, iuncto ex vrina praua indicio cum aliis lethalibus. Verùm nõ proinde putes, in pleuritide, & aliis particularibus affectibus, non esse E bene sperandum de probitate vrinæ, cùm oppositum expresè doceat Galenus ipse, *1. crisi. 7.* & dilucidè *lib. 3. eiusdem, cap. 3.* Curatur iisdem, sed vehementioribus remediis dolor Iliacus, quibus Colicum tractandum esse *supra* prædiximus, cùm ab iisdem causis oriatur.

OBSERVATIO I.

Ad dolorem iliacum ex stercore indurato, remedium certum.

NOn mediocri dolore iliaco premebatur non ignobilis iuuenis, ex fæce retenta suborto, cui Medici varia præsidia administrauerant, quæ ad emolliendã alui excrementa parari solent. Esitauerat in copia magna auellanas, quæ cùm concoctu sint difficiles, tardè permeent, imò pertinaciter partibus adhæreant, ita stercus indurarunt, vt octo dierum spatio aluum non redderet, quin acerbissimo dolore vexatus, pituitæ mucosæ, vomitus enormes ex interuallis patiebatur. Tandem vt meliùs emollirentur fæces, bis in balneum Oleagineum est ingressus, à cuius egressu tantisper leuato, obtuli epotandam libram vnam tepidam omenti arietini liquefacti; post cuius potum dormiuit, & primò crepitus, & ructus emittens, aluum deiecit copiosè. Hoc ergo præsidio ter deinde admisso in minori copia, per interualla excrementa deponens, à dolore conualuit.

OBSERVATIO II.

Pro dolore iliaco ex resiccata fæce, præsidium expertum.

MAla cotonea crassi sunt succi, difficilis coctionis, & distribuuntur tardè: nam sibiipsis vias præcludunt adstrictione sua. Hæc cùm puellus ingluuiei deditus deuorasset in quantitate multa, ita illi suppressa est aluus; vt suborto vehementi & sæuo dolore infra vmbilicum, quem assidua crudi humoris vomitio comitabatur, cum fastidio summo, illum in horas animam efflare confirmasses. Illicò emollientia clysteria varia indita, sed præsertim ex omento veruecino, butyro, & pinguedine porcina. Lenia expurgantia per os oblata. Balneum ex emollientibus medicamentis administratum. Oleum amygdalinum in magna quantitate ebibitum. Tandem cùm nihil medicamenta proficerent, impero, vt vniuersa ventris inferioris regia, stercore vaccino recentissimè collecto illinatur. Tantùm profuit auxilium hoc, vt ter celebratum in die, ventrem molliret adeò copiosè, vt post duos dies, subsidente ventris duritie, se sanum exclamaret.

OBSERVATIO III.

Dolor iliacus ex inflammatione suborsus, celebri cataplasmate curatus.

DEcennis puer, gracilis & excarnis, post offas butyro medicatas in maxima copia assumptas, simul cum pyris crudis, in tam sæuum incidit, pubis, versus partem sinistram, dolorem, vt malle se mori, quàm hunc atrocem dolorem ferre inculcaret. Febris erat acutissima, sitis inexhausta, vomitiones enormes, & assiduæ, vigilia importuna, fastidium summum. Hunc intestini ilei inflammatione laborare, cum aliqua à crudo succo obstructione facta, certum erat. Extempore secta Basilica in brachio vtroque. Sed cùm post septem dies, tota vmbilici, & abdominis regio, in magnam molem accresceret, & suppressa omnino aluo, penitus retineretur vrina, ex talo sanguis emissus. Tandem cùm affectus nullis cederet remediis, tumorem resoluere, dolorem lenire, aluum mouere cogitauimus, quod cùm multiplici præsidio tentare conaremur, balneo, omento veruecino supra partem tumefactam impositio, actu calido ab animali extracto, emollientibus vnguentis, vesicis admoris plenis medicamentis flatus discutientibus, dolor tamen immisericorditer eum vexabat, cum inappetentia tanta, vt solum lac ab vbere extractum, idque in exigua quantitate esitaret. Demum quid in conclamato ægro agerem, animo hærebam. Tandem hoc applicito emplastro supra ventrem, post dies tres detumuit tantisper venter, dolor sedatus, vrina excreta, fæces vacuatæ, quæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 680 sur 927

©BIUM

quæ in principio erant chyloſæ,& albæ,poſtea croceæ. Tandem rupta largiter aluo, cibum aſſumpſit: & poſt decem dies omnino euaneſcente tumore, & ceſſante febre, ſanitatem recuperauit. Cataplaſmatis forma eſto hæc.

℞. *Maluar.violar.parietariæ,an.*M.j. *camomil.*M.j.ß. *althææ* ℥ j.ß. *ſem.lin. ſem.fœnugræci, an.* ℥ j. *meliloti* ℥ ij. Coque in ſufficienti aq.quantitate, quouſque remaneat ℔.j. Colaturæ adde *olei ſeſamini, olei amygdal.dulcium, camomil.anethini, an.* ℥ j.ß. *vnguenti filij Zachariæ,* ℥ iij. *butyri inſulſi,* ℥ ij. *vnguēti dialthææ.* ℥ j.ß. *vnguenti Agrip.* ℥ j. *pulp.caſ. fiſtular.* ℥ ij. *pulpæ pomorum dulcium priùs aſſorum* ℥ iij. *vitellor.ouor.*Num iij. *farinæ hordei* ℥ ij. *farinæ fabar.* ℥ j. *farinæ fœnugræci* ℥ j.ß. *flor.camomil.* ℥ iij. *flor.anethi* ℥ iij.ß. Omnia bene in mortario conquaſſentur, & ſecundùm art. fiat cataplaſma.

NVMERVS III.

De hæmorrhoïdibus.

DE hæmorrhoïdum origine,& cauſis,*lib.*1.*Hiſt.PP. Med.in com.Hiſt.*9.dictauimus plura. De ipſarum fluentium vtilitate,& nimis fluentium,aut ſuppreſſarum noxis, *lib.*2.*Hiſt.*116. Nunc ſatis ſit demonſtrare, naturam perſæpe ſanguinem, ob febrilem calorem retorridum,exaſſatum,& hac ratione factum melancholicum, criſis ratione in febribus ad venas ſedis detrudere, qui ſi placidè reſeratis hæmorrhoïdum tubis excernatur,febrem finit. Sed cùm præ craſſitie ſua,& lentore,expelli non poteſt,cunctatur,& copia ſua tumorem creat in his venis,cum inflammmatione,calore, dolore, & rubore, qui durus & dolens vigilias parit,ſtercus & vrinam impedit.Has hæmorrhoïdes Medici appellant cæcas,quia ab his nihil ſanguinis fluit.

Cùm autem dolor vires proſternat,per abſciſſionem cauſæ curari debet: quare ſi æger non ita deiectas vires ſortiatur, ſanguinis miſſione ex brachio facta curandus eſt, iuxta mentem Galeni *lib.de curand.rat.per ſang.miſ. cap.*19. Quæ ſi non contulerit, ſectio tali imperanda. Et purgatio clemens adminiſtranda. Dolor ſedandus, impoſitis ſuper partem affectam frigidis, & repellentibus auxiliis,nam hi tumores naturam inflammationum redolere ſolent. Repellunt aq.Roſ. Portulac.Plantag. albumen oui,lac,oleum Roſ. In augmento, & vigore miſcenda repellentia cum reſoluentibus, vt Ol.Camomil.Mucago,Sem.Pſyllij,Fœnug.Althææ. In declinatione reſoluentia vtilia ſunt,inſeſſus,balnea ex Parietar. Althæa,Malua,Viol. Fœnug. Sem. Lin. Si verò dolor nimius adfuerit,addenda ſunt Folia Hyoſcyami, lactucæ,papaueris. Demum imponenda fomenta ex oui vitello, lacte, mica panis, Oleo Roſ.& Papauer. Quæ ſi non proſint,ipſis cæcis & tumentibus hæmorrhoïdibus, hirudines non ſolùm ſemel, ſed bis ſunt affigendæ. Si verò immodicè fluant, ægrúmque larga ſequuta ſanguinis vacuatione debilitent, tunc cohibendus eſt fluxus,vena ſecta in brachio, incraſſantibus auxiliis intus aſſumptis,adſtringenti purgatione,& quæ cauſam foràs eliminet, quæ omnia *lib.*2.*huius operis, cap.*6.*de cruenta ſpuitione* deſcripta inuenies. Extrà ſuper partem affectam adſtringentia impones, quæ *numero ſequenti*, pro ſiſtendo ſanguinis fluxu è naribus; & *lib.*3. *cap.*11. *de menſtruis ſuperfluis* proponuntur.

OBSERVATIO I.

Pro ſedando dolore hæmorroïdum, remedium certum.

NVllum eſt ſymptoma,quod magis conterat vires, quàm dolor,cuius ſæuitie ægri in animi deliquium incurrunt, exaniméſque fiunt. Pro hoc ſedando plura Medici ſolent imperare auxilia: Verùm nullum ſemicupio facto ex lacte tepido præſtantius eſt, in quo ſi æger per horam,aut dimidiam horam ſedeat,extempore ſanus euader,vtere lacte vaccino,ouino,equino. Quòd ſi libram olei papaueris, & dimidiam violacei, in balneum proiicias,excellentius præſidium adminiſtrabis.

OBSERVATIO II.

Ad compeſcendum nimium hæmorrhoïdum fluxum, ſyrupus eximius.

HIc ſyrupus in hunc vſum eſt vtiliſſimus,quo plures ex hoc fluxu conclamati, ſanitatem ſunt conſequuti. Doſis vnciæ tres, ter in die, in aurora, veſperi, tribus horis poſt cœnam. Sumat æger actu frigidum, aut ſi fieri poſſit, niue refrigeratum.

℞. *Succor.plantag.verben.depurator.burſæ paſtoris,an.* ℔.ij.Bulliant in eo, *gummi Arabici* ℥ iiij. *ſanguin.Draconis,ſorbor.immaturor.myrtillor. maſtich. an.* ℥ j. Cola, & adde *Syrup.myrtillor.ſyrup.Roſar.ſiccar. ſyrup.plantagin. ſyrup.de portulac. an.* ℥ iij. *lapid.hæmatitis,* ℥ ij. *coral. rubri* ℥ j.ß. Fiat ſyrupus ſecundùm art.

NVMERVS IV.

De hæmorrhagia.

LIcèt hæmorrhagia pro omni ſanguinis fluxu ex quacunque parte erumpente ſumatur, tamen propriè de eo fluxu à Medicis intelligitur, qui per nares emanare ſolet.Solet autem in febribus ſuperuenire perſæpe criſis ratione, vt 4. *acut.*10. & aliis pluribus ſententiis *lib.*3.*Hiſt.PP.Medic.in com.Hiſt.*3. confirmat Galenus, tamen aliquando ob multas cauſas erumpit in copia multa,ita vt eum compeſcere ſit neceſſe.

Vtrùm in vniuerſum affectus, quos profluuium ſanguinis ſequitur,tres ſint,eroſio,ruptio,apertio, ſiue anaſtomoſis? dubitandum.(Hæc ſynonyma ſunt apud Gal.4. *Aph.*78.3. *de cauſ.ſympt.*2.& 5.*meth.*2.) Nam *cit.meth.*4. quartum modum,nempe diapedeſin aſſignat,ſiue reſudationem, ab anaſtomoſi,& apertione diſtinctum: *Sanè profluit ex vena,vel arteria ſanguis,aut reſerato earum ore, aut tunica earum diuiſa,aut vt ſic dicam,tranſcolatus,ſiue ſudoris modo tranſmiſſus.* Quo loco in tradendis cauſis anaſtomoſis,& diapedeſis,tanquam diſtincta genera ea conſtituit,cùm 3.*de cauſ.ſympt.cit.*refutet eos, qui diapedeſin tanquam genus quartum conſtituunt: *Eſt autem minimè quartum, ſed vel exiguorum vaſorum apertio, ſicut anaſtomoſis, magnorum.* Differunt ſecundò,quòd per diapedeſin potiùs ſerum, quàm ſanguis, ob rarefactam tunicam effluere ſolet,vaporis,& ſudoris modo tranſmiſſum;per anaſtomoſin autem ſanguis ipſe emanat.

Vtrùm excretionis ſanguinis, tres cauſæ internæ ſint conſtituendæ? cum Galeno rimantur plures, qui 3. *de cauſ. ſympt. cit.* tres eſſe cauſas internas manifeſtè propoſuit, nempe facultatis robur, ſanguinis vitium, & vaſorum ſanguinem continentium noxam. Prima cauſa in morborum iudiciis apparet, in quibus facultas robuſta, id quod contriſtat ac moleſtat, extrà detrudit, & hac ratione ſanguinem per nares vbertim expellit, quia ita acris eſt & mordax, vt acrimonia ſua, vaſa in quibus continetur, erodat; vel quia adeò in corpore accreuit, vt auctus in vaſis contineri nequeat, ſed ea diſtendat, ac rumpat.

Eroſionis cauſa eſt vitioſus aliquis humor, ita ſalſuginoſus & mordax, vt vaſa erodat. Ruptionis cauſæ (præter externas & manifeſtas, quas 3. *Aph.*19. citauit Galenus) ſunt ſecantia,diuellentia,ſaltus validi,inæquales motus pectoris, vehementes exclamationes, aut ingens frigus, ex Hip.6.*epid.ſect.*3.*text.*14 & 5.*Aph.*24. multoties abundantia ſanguinis,à qua venarum tunicæ

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 681 sur 927

ita distenduntur, vt rumpantur: ob quam causam 3. *Aph.*29. & 5.*eiusd.*9. iuuenes sanguinis reiectationi ex ruptura esse obnoxios, asseuerat Galenus.

Est denique assignanda penes mollitiem, & duritiem vitiosa vasorum constitutio, ex Galeno 3. *de sympt. caus. cit.* §. *Ipsorum verò vasorum vitium in immodica mollitie, duritie, & tenuitate consistit. Vasa enim mollia, aut ex natiua formatione, aut humiditate acquisita, facilè franguntur ob debilitatem; tenuia verò ex atrophia reddita, vtriusque ratione, tum ob debilitatem, tum ob siccitatem ipsam.* Resudatio, siue diapedesis, pro causa habet tunicæ vasorum raritatem, cum sanguinis tenuitate, & serositate coniunctam, vel exiguorum vasorum apertionem causam sortitur, ex Galeno *suprà*.

Vtrùm affectus, ex hæmorrhagiæ sequutæ vario modo sit agnoscendus? Dic. Si sanguis in quantitate nimia statim B à principio excernatur, ruptio, vel apertio timenda, licèt ferè qui ex apertione emanat, in minori copia excernatur, quàm qui ex ruptione, ex Auic.10.3.*tract.*3.*cap.*5. Qualis autem sit ex his, ita venaberis: Nam si aliqua ex externis causis præcesserit, ruptionem coniectari oportet; si verò eæ non adsint, substantia sanguinis contemplanda: Si enim tenuis sit, ab apertis, & reseratis vasis; si crassa, potiùs à ruptis emanat. Ob hanc causam in iunioribus, in quibus tenuior est, & bilioſior, maiori ex parte venæ aperiuntur; in senibus verò, in quibus crassior, glutinosior, & frigidior sanguis redundat, potiùs rumpuntur, quàm aperiuntur. Deinde si præcedant causæ sanguinem calefacientes, & ipsum diffundentes, non præexistentibus plenitudinis signis, potiùs apertio coniectanda. C Si verò hæc cum summa sanguinis copia copulentur, ruptura suspicanda, maximè si tussis valida, aut vehemens motus coniungantur. Præterea ruptionem, quæ est solutio continui subitò facta, vtplurimùm dolor aliquis comitari solet, ex disruptione excitatus: quod videtur consonum menti Auicennæ, qui *cap.*5.*cit.* agens de signis apertionis, postquàm verba fecit de signis erosionis, & ruptùræ, sic inquit: *Et signum eius quòd est ex apertione orificiorum venarum est, vt non sit omnino dolor.* Erosionem denique agnoscès, quòd salsus præcesserit catarrhus, & diuturnus.

Vtrùm inter omnes hæmorrhagias, ea quæ fit per nares sit minùs periculosa? etiam determinandum. Respondet Galenus affirmatiuè, 5. *Aph.*33. dum sic inquit: *Cùm verò multa sint loca, per quæ sanguis potest euacuari, omnibus aliis* D *quidem aut maius, aut minus inest detrimentum; sola autem quæ fit per nares euacuatio, innoxia est.* Secundo loco, quæ per hæmorrhoïdes: licèt enim melancholiam, & cacochymiam sanet vacuatio hæc, 6. *Aph.*21. & 6.*epid.sect.*3. *text.*37. propter immoderantiæ periculum, magis periculosa est, quàm ea quæ per nares celebratur: Nam faciliùs deorsum, quàm sursum sanguis effertur. Tertio loco, illa quæ per sedem, hoc est, intestina fit, ob læsionem quæ ex concretione sanguinis, in longo transitu in intestinis, timetur. Quartus locus hæmorrhagiæ per vomitum attribuitur, quia etsi vtilis sit aliquando, 5. *Aph.* 32. grauia tamen symptomata eam nonnunquam sequuntur: hic enim motus magis violentus, laboriosúsque est deiectione. Omnium pessima, ferina illa sputio, quæ ex pectore erumpit, nam ex ea puris sputum, & phthisis frequenter scaturire solent, 7. *Aph.*16.

Curatio sanguinis fluxus è naribus, quatuor remediorum generibus curatur: primò victu refrigerante, & adstringente, in quo maximè laudatur qui glutinosus est, qualem *cap. cit. de cruenta sputitione* præscripsimus. Aër similis sit. Potus sit aqua chalybeata: vitandum vinum, sanguinem enim, & fluxum adauget; silentium, animi, & corporis quies summè conducunt. Dubitabis: *Vtrùm in sanguinis fluxu curatio ab adstringentibus, an ab affectus, & causæ prouidentia sit incipienda?* Dirimit Galenus controuersiam hoc modo, 5.*meth.*3. dum sic ait: *Ac si ex vulnere, vel clamore, vel casu perruptum vas est, vtique in his causa desit. Si verò ex abundantia, fieri potest vt vas etiam amplius rumpatur, effectrice saltem adhuc manente causa: atque in hoc quidem affectu, vacuanda quamprimùm abundantia est; abhinc sanguis supprimendus; mox vlcus ipsum curandum. Vbi verò effectrix causa iam desit, primùm sistere sanguinem expediet, post vlcus sanare.* Ex quibus inferes, præsente causa, quæ vas indies rumpat, vt sanguinis copia; vel ipsum erodat, vt humoris acrimonia, ab illarum prouidentia incipiendam esse curationem: Si verò hæ non adsint, vel illis iam satisfactum sit, indicationem quæ sumitur à fluxu, indicationi affectus anteponendam esse, ratio dictat: Cùm enim sanguis sit humor benignus, in quo calor noster perseuerantiam, & domicilium habet, statim à principio, quoad fieri possit, est retinendus, maximè si è pectore erumpat, vel pulmone; qui si vsque ad quartum diem non sistatur, incurabilis redditur affectus, & ex vulnere phlegmone, ex hoc vlcus insanabile efficitur, 5.*meth.*11.& 14. Signum autem phlegmones, febris est.

In hunc modum vtendum est illis medicamentis, quæ causam hæmorrhagiæ auferre queunt. Vt si sanguis sit bilioſus, offerantur quæ bilem vacuare nata sunt, & sic de cæteris. Si verò fluxus causa, nimius sit feruor, & sanguinis ebullitio, vt in acutis febribus contingit frequenter, tunc refrigerantibus, & incrassantibus vtendum, qualia sunt tria santal. Diamargarit. frigid. cum aqua Plantag. Portulac. acetos. Et si addas syrupos adstringentes, ex arte facies, vt syrupum Oxalid. granator. Cydonior. Myrtillor. Ros. siccar. Papauer. cum puluere boli Armeni, Coral. Sang. Dracon. Lapid. hæmatitis. Emplastra deinde, & agglutinantia optima sunt, vt Trochisci de spodio, de carab. de terra sigillat. Philonium Pers. Theriaca recens. Hæc autem postrema vrgente necessitate offerenda, quia virtutem debilitant, & natiuo calori sunt infestissima, ex Gal.7.*sec.loc.c.*4. ipsum enim extinguunt, & spiritus immobiles faciunt.

Curatur deinde reuellentibus auxiliis, quæ sanguinem fluentem ad contrariam partem auertant. Hunc vsum complent frictiones crurum, & brachiorum. Cucurbitula citra scarificationem Hypochondriis affixa, è regione qua sanguis fluit. Sanguinis missio, præstantissimum est remedium, quo solo sanguinem è naribus compescuisse, Galenus gloriatur, *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.*14. Ita vt si ex nare dextra fluat sanguis, è dextro latere; si è sinistra, è læuo hauriendus sit sanguis, partitè, & per interualla: quantò enim maiorem in numerum particulares auxeris reuulsiones, tantò efficaciorem efficies. Nam, vt 5.3.*tract.*2.*c.*8. docuit Auicenna: *Phlebotomia est res melior, quæ fluxum sanguinis sistit.* Quæ si in brachio secta non conferat, ex distantibus, & extremis partibus, vt manu, vel crure celebranda, iuxta Trallianum *lib.*2.*c.*5. & Auicennam 10.3.*tract.*3.*cap.*6. §. *Et rectius est, vt inclinetur sanguis eorum ad partem inferiorem, cum phlebotomia saphenæ.* Sic enim fit præstantior reuulsio, ex Paulo *lib.*6.*cap.*40. Timor subitus, vtilissimus; sic enim calor cum sanguine, ab extimis ad intimas conuolat sedes: sicut aqua frigidissima in faciem ægrotantis repentè insperſa, plurimùm iuuat.

Naribus, collo, & fronti admouenda, quæ refrigerat, E & repellit, qualia sunt gypsū cum albumine oui, aceto, aq. Ros. & sanguine draconis, Balaustiis, Myrtil. Thure, pilis Leporis, Trochisc. de Carab. Quòd si fiat turunda crassa ex gossypio, tela aranearum, liquore oui, pulueribus dictis, & intra nares intromittatur, diutiúsque ibi persistat, potentiùs sanguinem cohibebit.

OBSERVATIO.

Prodigiosa narium hæmorrhagia, amuleto curata.

IVdicium Medici docti, magni faciendum est, inquit Galenus 1.*epid.sect.*3.*com.*1. cùm sit dignum consideratione.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 682 sur 927

©BIUM

ratione. Hoc ſemper conſilium, actuoſam Medicinam exercens, habui altiùs defixum in corde meo, vt quæ priſci,& docti Medici conſcripſerint, & approbauerint in monumentis ſuis, non deſpicerem. Annus agitur vigeſimus quartus, quo ſtupendam narium hæmorrhagiam,in ſeptuagenario excarni,& debili conſpexi. Mihi ingredienti domum,obtulit famula phialam cruore refertam; aſcendenti ſurſum, oſtendit vxor ollam ſanguine plenam. Accedo ad ægrum, ſanguine toto vultu irroratum,pallidum,exanimem, debiliſſimum, ſine voce,ſine pulſu,(cadauer diceres) & cui octo dierum ſpatio,libratis æqua lance à me vaſis,patinis,ollis,phialis,in quæ ex vtraque nare ſanguinem ſine intermiſſione excreuerat, ſeptemdecim libræ ſanguinis eruperant. Abiens, mortem extempore præſagio. Sed cùm inhumanum eſſet,& Medico Hippocratico indignum, corpus etſi moribundum citra remedia relinquere, cùm multi citra ſpem mirabiliter ſanentur, ex Auic. 4. 4. *tract.* 2. *cap.* 10. & multi viuant de quibus Medicus deſperat, ex Celſo *lib.* 2. *cap.* 6. reuellentia auxilia per cucurbitas,frictiones,incraſſantia triduo adminiſtraui, ſed citra vtilitatem vllam. Tandem ea quæ à proprietate ſanguinem compeſcunt, offerenda decreui, inter quæ ſtercus aſini primarium locum obtinet, id in exactiſſimum læuorem redactum, omni iuri, potuíque permiſceo,imò cum ſaccharo ex eo tabellas efformo,ægróque iam tantiſper leuato à fluxu,edendas præbeo cum chalybeata aqua. Quo auxilio ſolo, ſeptem dierum ſpatio vſus, à fluxu ſaluus euaſit. Ne ergo temnas priſcorum auxilia, quæ ſi rectè tempeſtiuéque adminiſtrentur, permultis fuere ſaluti.

NVMERVS V.

De Tuſſi, & Catarrho.

TVſſis definitur à Galeno 2. *de ſympt. cauſ. cap.* 3. vt ſit vehemens efflatio,qua à partibus ſpiritalibus quidquid obſtat, expellitur. Auicenna 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. ſic definit,eſt motus naturæ quo nititur expellere quicquid lædit,à partibus pulmonum,& à partibus proximis pulmoni. Sed videndum: *Vtrùm tuſſis, ſit vehemens efflatio?* Nam efflatio eſt quædam vehemens expiratio, 2. *de mot. muſculor.* 9. Sed per hanc, nihil in bronchiis pulmonis contentum expurgari poteſt, cùm ad eam efficiendam muſculi nullius opera concurrat, ſed illa ſolo thoracis ipſius in ſe ſubſidentis pondere fiat, vt 2. *de mot. muſcul. cit.* Galenus affirmat. Accedit, quòd per expirationem fuliginoſa, & non pituitoſa excrementa foràs truduntur, vt 8. *de placit. cap.* 9. ipſe confirmat.

Standum tamen priſcorum decretis, qui tuſſim, vehementem efflationem nuncuparunt: neque argumentum adductum quicquam concludit, quia tuſſis ab expiratione differt, 7. *de vſu part.* 5. non tamen ſpecie, ſed ſecundùm magis & minùs; nam ſicut efflatio à ſimplici diſtat expiratione, intenſione ſola, (eſt enim efflatio, valida expiratio) ſic etiam tuſſis, intenſione & vehementia, validam efflationem exuperat: eſt namque tuſſis, valida efflatio, ſeu, vt ipſe Galenus 2. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. exactiùs definit, eſt vehementiſſima efflatio, qua plurimus ſimul, celeritéque foràs actus ſpiritus attrahit, propellítque ſuo impetu, quæ vias ſuas obſtruunt. Quare tuſſis vehemens eſt efflatio, ſed naturalem expirationem multis modis excedit, & proinde non concidente ſolùm thorace, ceſſantéque Diaphragmate, ſed validiſſima etiam thoracis compreſſione fit. Deinde ſimplex expiratio fuliginum expurgationi inſeruit; eam verò, quæ non modò efflatio eſt, verùm ad validiſſimam etiam efflationem, quæ tuſſis eſt, per intenſionem acceſſit, non fuliginum ſolùm, ſed craſſorum etiam humorum in thorace, & pulmone infixorum, expulſionem moliri poſſe, nullum eſt dubium.

Illud etiam inueſtigandum: *Vtrùm tuſſis, à facultate animali, an naturali perficiatur?* Motus concuſſiui, merè naturales ſunt, vt ſternutatio, ſingultus, rigor. Sed tuſſis eſt concuſſiuus motus. Ergo, &c. Deinde ſi eſſet motus animalis, voluntatis arbitrio ſubiaceret. Sed ſæpe, velimus, nolimus, ad tuſſim excitamur. Ergo. Inſuper Galenus 2. *de ſympt. cauſ.* 6. & 6. *Aph.* 39. tuſſim virtutis expultricis validum motum eſſe docet. Sed expultrix facultas naturalis eſt. Ergo.

Contrà obſtat dilucidus Galeni contextus, 2. *de cauſ. ſympt.* 4. vbi ſternutamentum & tuſſim, ſymptomata voluntariæ facultatis eſſe affirmat. Dic tuſſim, partim eſſe animalem, partim naturalem motum, qui licèt vnus ſit, vtriuſque tamen facultatis concurſum deſiderat; motum enim exoptat animalem, muſculorum thoracem contrahentium, validiſſimum, & expultricis etiam thoracis partium irritatarum naturalis conatum, vt *cit. loc.* notauit Auicenna.

Tuſſis eſt ſymptoma in genere actionum motricum deprauatum, 2. *de cauſ. ſympt.* quod ad morbum ſequitur in via: nunquam enim animal ad tuſſim excitaretur, niſi ad cauitates aſperæ pulmonis arteriæ aliquis humor obſtruens accederet, ad quem repurgandum natura prouida tuſſim inſtituit, vias omnes apertas, & recluſas procurans, vt facilè & liberè ſpiritales partes tranſpirent, & hac ratione à morbis reddantur immunes. Quo pacto negari non poteſt, hunc affectum, ſi modum ſeruet, & expirationis actionem non perturbet, eſſe naturalem, à natura animalibus tributum, vt thoracis partes, ſuapte natura pituitoſis excrementis madentes ventilentur, & à ſorditie obſtructionéque vindicentur. Si tamen tuſſis ſit diuturna, aſſidua, notatu digna, & actiones thoracis oblædat, præternaturalis affectus dicendus eſt.

Tuſſis ad omnem ſequitur materialem intemperiem, ſed humidam præſertim, ſiue humor à capite defluat, ſiue aliunde ad pulmonem confluat. Hinc fit, vt qui cerebro, totóque corpore humidi ſunt, pituitoſis defluxionibus frequenter infeſtentur, tuſſiculoſíque ſint, 6. *Aph.* 2. quare humidum temperamentum ex crebra tuſſi ſignificatur, 2. *de temp. vlt.*

Tuſſis differentiæ plures ſunt: alia enim eſt ſicca, humida alia: ex hac ſequitur ſputum; ex illa nullum, 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 24. Alia eſt continua, alia per interualla affligit. Quædam leuibus, alia grauiſſimis ſymptomatis fatigat. Alia eſt recens, & à cauſa procatarctica ortum ducens, alia diuturna, & à principiis generationis acquiſita. Quinta ſumitur à partis, quæ primariò afficitur, varietate: nam quædam per primigeniam affectionem alicuius partis ſpiritalis generatur, quædam per conſenſum alicuius membri alterius regionis, vt hepatis, lienis, ventriculi, vteri, &c. Quæ poſtremæ differentiæ non parum ad curationem conducunt: tuſſis enim inueterata, veluti reliqui morbi diuturni, difficilius, & potentioribus præſidiis curatur.

Tuſſis variæ ſunt cauſæ, ex Tralliano *lib.* 5 *cap.* 1. Externæ ſunt aër frigidus, ſiue ob præſentem conſtitutionem Aquilonarem, ex Hip. 3. *Aph.* 5. *Si Aquilonia ſit, tempeſtas, tuſſes vigent*, ſiue ob anni temporis naturam, & qualitatem, 3. *Aph.* 23. *Hyeme verò morbi laterales, pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tuſſes, &c.* Nam hyeme pituitæ adeſt in corpore copia multa, cuius cauſa pituitoſæ diſtillationes in fauces, & thoracem propullulant. Aquilo frigiditate ſua pectoris partes ferit, lædítque, 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 66.

Aëris impuritas ex fumo, aut puluere contracta, pulmonis arteriis aſperitatem inducit, ex Gal. *lib. de diff. ſympt. cap.* 7. Auic. 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. quoniam, vt *lib. de cauſ. morb. cap.* 7. fumus guttur exaſperat, tuſsímque concitat, arteriarum cauitates obſtruit, & ita difficulter

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 683 sur 927

©BIUM

respirare cogit. Multa sunt, inquit Auerrhoës 3. *colleg.* *cap. prop. de tussi*, quæ ex se pulueres emittunt peculiari ratione tussim excitantem, vt puluis ex lino quum pectinatur, & ex veteri tritico quum cribro excutitur, elatus; sed tussis accidit tunc, quia hic puluis terrestris est, crassus, atque hoc modo aërem inspirandum conturbat, & tenebrosum reddit.

Cibus, aut potus sua substantia, aut qualitate, asperæ arteriæ molestus, tussim excitat, vt quando panis, aut alterius cibi portio, in ipsius cauitatem inter edendum, aut bibendum illabitur; donec enim omnino excutiatur, tussis non cessat, ex Gal. 2. *de sympt. caus. cap.* 4 & 2. *simp.* 16. Cæpæ vsus tussim mouet, si cruda edatur: caliditate enim eximia, & acrimonia lachrymas mouet, tussim concitat; assa verò, aut elixa, acrimonia deposita, tussiculosis prodesse solet.

Internæ mediatæ causæ, sunt temperamentum calidum humidum, in quo plures vapores ad caput eleuantur, qui in aqueum humorem conuersi, ad thoracémque confluentes, tussim concitant, docente Galeno 6. *de sanit. tuend. cap.* 3. & 5. *meth. cap.* 7. quibus locis corpora calida & humida, defluxionibus esse obnoxia asseuerat. Senili ætati tusses sunt familiares, 3. *Aph.* 31. etsi enim senes frigidi sint, & aridi, *lib. de marcor. cap.* 3. tamen ob debilitatem caloris innati, plurimam crudorum, & pituitosorum copiam coaceruant. Quare huic ætati distillationes cum tussi, & spirandi difficultate frequenter adueniunt, ex Gal. 6. *de sanit.* 3. & 3. *Aph.* 31.

Tussis etiam superuenit iis, qui denso, duróque constant corporis habitu: in hoc enim vapores non transpirant, quare horum copia ad cerebrum conuolat. Hinc fit, inquit Arist. 2. *de part. animal. cap.* 7. & 10. *probl.* 53. vt homo omnium animalium maximè, deinde verò aues distillationibus premantur. Deinde hæc corpora cùm non rectè difflentur, & transpirent, excrementis abundant, & fluxionibus magis fiunt obuia, quàm rara, & mollia, quæ illis minùs morbosa sunt, & putredinis morbis minùs occupantur.

Tussis etiam causa est ventriculi debilitas, à qua retra humorum colluuies accrescit. Iecoris tumor, & inflammatio, mole sua pulmonem comprimens, & calore intemperans, tussim mouet. Idem facit pleuritis, ob dolorem, & intemperiem. Pulmonis phlegmone, ob intemperiem, & angustiam. Hydrops, qui in magnam molem ventrem attollens, pulmonémque comprimens, periculosissimam tussim mouet, 6. *Aph.* 35. & 7. *Aph.* 47. aquosa enim humiditas adeò est adaucta, vt iam asperas occupet arterias.

Alia etiam causa tussis esse potest, humorum in cerebro latentium circa febrium accessiones commotio, vt notauit Hippocrates *in Coacis*, §. *Qui circa accessiones tussiunt, & leuiter desudant, malignè habent.* Cùm enim calor ad partes intimas ab extimis, in principio accessionum retrocedat, in ipso motu attenuat, ac secat viscosos succos, qui in cerebro pertinaciter adhærent, & magnam vaporum copiam ad thoracem emittens, tussim concitat, si fortè in cerebro, & thorace, tanquam in minera & foco, lenti viscosíque humores stabulentur. Hoc modo in initio accessionis, suffocatio Asthmatica, aut Orthopnoica accidit molestissima, cum ferina tussi. In aliis pro varietate partis debilis, articulares dolores, hemicrania, cephalalgia, vteri, ventriculíque dolores contingunt.

Delirium tussim concitat: Nam humor insaniam faciens, calidus cùm sit, humores in cerebro præexistentes colliquat, attenuat, & in pulmonem distillare facit. Materia parotides efficiens, & ad vias spiritus conuersa tussim mouet, vt inquit Hip. *lib. Coacar. Abscessus ad aures soluunt tussiculæ cum sputationibus.* Vermes etiam in intestinis, ventriculóque contenti, tussim ferinam excitant: hi enim putridos, malignósque vapores ad pulmonem emittunt, qui partes spiritales lancinant & vellicant, vt prisci vnanimiter docuerunt.

Coniuncta, & immediata tussis causa, éaque frequentior est humor pituitosus, à cerebro in pulmonem descendens, eiusdémque arteriarum cauitates infarciens, 6. *Aph. com.* 2. Minùs frequens est sanguis ex rupta, erosa, aut aperta vena scaturiens, qui tussim mouet, veluti pus ex suppurata, ruptáque pulmonis vomica, aut pleuritide, 7. *Aph.* 8. Rara est corporum grandini similium, & calculorum intra pulmonis cauitates generatio, 4. *de loc. cap.* 8.

Signa tussis sunt manifesta: verùm causæ cognitu difficiles. Nam tussis interdum per consensum fit, exasperatúrque ad incrementum morborum, à quibus dependet, vt pleuritidis, peripneumoniæ, inflammationis iecoris, aut scirrhi. Ea verò quæ per essentiam fit, si à causa externa oriatur, calida, frigida, humida, aut sicca, facilè ex ægrotante dignoscetur. Si verò ab interna originem ducat, intemperiésque frigida sit, causæ prægressæ refrigerantes satis indicabunt; si calida, ex causis antecedentibus venabimur, & sic de cæteris pronunciandum. Reliqua signa ex morbis, à quibus scaturit, sunt rimanda, veluti si corpora grandinosa, aut calculi intra pulmonis bronchia concreti, tussim excitent, irrita erit tussis, & inanis, aut certè pauciſſima materia crassa, purulenta, & glutinosa educetur absque vtilitate vlla. Si denique vermes in causa sint, signa aderunt, quæ ipsos in corpore redundare demonstrant.

De præsagio quid? Aliquando tusses ficcæ, in extremarum partium, præsertim testiculorum, abscessus finiuntur, ex Hip. 2. *epid. sect.* 2. & Gal. 1. *epid. sect.* 1. *com.* 12. & 13. *Multi præterea infestabantur arida tussi, nihilque excernebant, nec multo pòst rauescebant; nonnulli multo pòst. Quibusdam testiculus alter, aliis vterque inflammabatur.* Quod ob communionem inter thoracem, & partes genitales euenire, est dicendum. Deinde tusses caput lædunt, 2. *de caus. sympt.* 4. Imò si violentæ, caput replent, 6. *epid. sect.* 3. *com.* 18. quin si diuturnæ sint, & crebræ, vas in pulmone rumpunt, ac sanguinis sputum concitant, 6. *epid. cit.* Celso *lib.* 4 *cap.* 3. §. *Aliquando gutture, & arteriis vlceratis, frequens tussis sanguinem quoque extundit.*

Diuturnæ tusses, præsertim in senibus, incurabiles, 2. *Aph.* 40. Tussis in hydrope, aqua in superiorem ventrem restagnante, lethalis, 6. *Aph.* 35. & 7. *Aph.* 47. Celso *lib.* 5. *cap.* 9. Tussis cum alui turbatione, iis qui multùm comedere consueuerunt, morbum ex plenitudine pendere significat, ex Hip. 6. *epid. sect.* 1. *text.* 25. Tussis in febribus laborantes leuat, 4. *Aph.* 54. & 6. *epid. sect.* 2. *text.* 29. siue ex humore acri à capite descendente, præsertim in naturis alatis, tabem frequenter excitat, vt Galenus notauit 6. *epid. sect.* 3. *com.* 18. Si enim humor mordax non excernatur, putrescit, & vas pulmonis erodit. Quòd si non exeat, vel ob tenuitatem, vel ob crassitiem, lentorem, aut virium debilitatem, maximum vertitur periculum. Tussis quæ à causa externa originem ducit, vt à frigida aëris intemperie, fumo, aut aliqua alia exasperante causa, periculo vacat, ex Galeni doctrina, 10. *meth. cap.* 9.

Tussi, & distillationi germani sunt affectus, Catarrhus, Raucedo, & Coryza: quæ symptomata febribus superuenire solent, quoniam plurima vaporum copia, ex venoso genere ad caput conuolat, ibique præ frigiditate concreta, in partes defluit infernas. Vniuersali tamen significato, omnis defluxio à capite ad pectus, vel fauces, catarrhus nuncupatur; præsertim si humor in asperam delabatur arteriam: nam si ad fauces, branchus, siue raucedo nominatur; ad nares, dicitur coryza, siue grauedo, ex Gal. 3. *de caus. sympt. cap.* 4. & 6. *de sanit. tuend.* 9.

His

©BIUM

His defluxionibus caput est magis obnoxium, quoniam cùm sit tectum domus calidæ, 4. *de vsu part.* 9. continuò vapores à partibus infernis elatos susçipit, & absorbet. Accedit, quòd cerebrum frigidum est & humidum, & exactè alimentum non concoquit, nec in sui substantiam transmutat: quare ingens excrementorum copia succrescit, quæ si sint fuliginosa & tenuia, per suturas caluariæ exhalant, & in pilos abeunt; si crassa, limosa, per patentes meatus vacuantur. Ideo prouida natura nares, aures, oculos iuxta cerebrum apposuit, vt hæc excrementa continuò emungerent, maximè cùm caluaria sit densa, & illis repurgandis non sufficiat, vt *lib. de sanit. tuend. cap.* 13. eleganter dictabat Galenus.

Materia catarrhi sæpe est frigida, aliquando calida: etsi enim cerebrum frigidum sit, nonnunquam tamen intemperie calida afficitur, ob causas multas, quales sunt victus calidus & siccus, aëris ambientis caliditas nimia. Defluxio calida agnoscetur ex rubore faciei, oculorum, excreti tenuitate, & actimonia. Frigidam arguunt capitis frigiditas, excrementa crassa, victus ratio prægressa, & cætera, quæ bilioſi, aut frigidi humoris germina esse censentur. Causa fluxionis sæpe est calida, aliquando frigida: illa enim liquefacit humiditates in cerebro contentas, & attenuat, meatúsque dilatat; frigida comprimit ipsum, velut manus quædam exprimit humiditates & recrementa, non aliter ac spongia cùm comprimitur, aquam à se deponit, vt Galenus *lib.* 3. *Aph.* 12. asseuerat. Verum quidem est, quòd causa materialis catarrhi, & efficiens, possunt nonnunquam sibi mutuò contrariari, potest enim esse materia defluxionis calida, & causa eam promouens frigida, & è contra potest esse materia frigida, & causa eam efficiens, calida; quæ animaduersio magni est ad curationem momenti.

Circa curationem plura sunt notanda, & primò quærendum: *Vtrùm in catarrho debitus victus ordo in sex rebus non naturalibus obseruandus?* Ab aëre faciamus exordium. In catarrho siue frigido, siue calido aër temperatus eligatur: calidus liquat, frigidus constipat, ac comprimit. Ob hanc causam summè nocent æstus, insolationes, venti australes, aër nocturnus, nunquam, si fieri potest, velandum caput, ex Celso *lib.* 1. *cap.* 4. odores tam frigidi, quàm calidi summè lædunt. Cibus sit modicus, ex Auicenna *loc. cit.* §. *Et ea omnia indigent alienatione satietatis nauseatiuæ, & demissione repletionis ex cibo, & vino, &c.* Sit boni succi, facilis coctionis, non vaporosus.

Potus non sit vinum, nec frigida, ex Auic. 5. 3. *tract.* 1. *cap.* 13. illud enim vapore suo nimis caput replet; hæc cerebrum refrigerat, coctionem humoris impedit, fluxionem adauget: calida ergo sit oportet ex Auic. *cit. Et potus aquæ calidæ est iuuatiuus in catarrhis, maturans eos.* Sit cocta cum prunis, passulis, Adianto, Glycyrrhiza. Sit parca: copiosus enim potus coctionem humoris remoratur, ex Auic. §. *Sitiat, & fœnem patiatur.*

Motus, & exercitium lædunt, quoniam mouent, agitant materiam, & perturbant, à coctionéque distrahunt naturam, pro qua quies necessaria est. Hac ratione sternutamenta in principio catarrhi nocua sunt, ex Auic. *Sternutatio nocua est in principio aduentus catarrhi.* Neque obstat Rasius *cap. prop. de catarrho*, ea non præcedente vacuatione concedens; id enim facit de tentariua cura, vt scilicet coniectet, num catarrhus à leuissima causa ortum duxerit: vel eam curationem exequitur in corpore ab excrementis immuni.

Somnus, & vigilia modum non excedant; hæc enim resoluit vires, ac cerebrum debilitat: maior tamen vigilia solita laudatur ab Auic. §. *Et vigilia quantum potest.* Prolixior tamen magis conuenit in catarrho frigido, quàm calido; humor enim frigidus diutius concoqui debet: somnus superfluus, inutilis; caput enim replet, ac nimis humectat. Animi affectus cauendi, quoniam sanguinem mouent, & humores, qui agitati, intus extráque ebullientes, incalescunt, & exhalantibus fuliginibus ad partes superas caput replent.

His celebratis nocuus humor præparandus. In materia calida vtiles sunt syrupi Ros. Viol. Iuiubin. In frigida, Borrag. Capil. Vener. Liquirit. Rhodomel. Si hi non sufficiant, vtere Oxymel. Simpl. vel Compos. Syrup. de Prassio, Hysop. &c. Digesto humore purgatio celebranda, priùs lenientibus, ex Rasio, *cap. prop.* §. *Et incipiatur à fluxu ventris, &c.* Et infrà: *Soluatur natura ex rebus quæ non exasperant, sicut hæc decoctio, &c.* Medicamenta enim exiccantia screationem impediunt; expultrix enim thoracis iuuatur humiditate. Deinde Rhab. & Agaricum, pilulæque concedi possunt. De sanguinis missione Mesuës *lib.* 2. *cap.* 8. sic determinat, eam esse celebrandam in catarrho calido, in corpore pleno, & catarrho suffocatiuo, & in quo febris etiam infestat.

Humor deinde ad contrarias partes reuellitur, frictionibus manuum, crurum, vinculis dolorificis, cucurbitulis appositis brachiis, collo, naribus, enemate leni, præsertim in fluxione calida: Materia enim mobilis agitata, & mota, cùm tenuior sit, facilè conuolat ad caput: ob hanc causam hæc reuellentia auxilia in vigore phrenitidis reprobantur ab Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 3. & Tral. *lib.* 1. *cap.* 19. Hæc indicatio etiam completur sudore, & balneo, ex Gal. 6. *de sanit. cap.* 9. quam methodum opere ipso obseruauit, 5. *meth.* 13. in nobili illa Romana, quam in balneum demisit. Consule *lib.* 2. *Hist. PP. Medic. Hist.* 9. Sudores ab Auic. conceduntur, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. bellè vacuato corpore: Parantur in humore calido, ex Chynæ radice; in frigido, ex aspera Smilace vel Guaiaco ligno.

Si humor cum periculo in palatum irruat, errhinis ad nares deriuetur, & sternutatoriis. Si ad nares, ad palatum, medicamentis quæ vocantur apophlegmatismata, quorum formulas tam in calido, quàm frigido humore, quære *lib.* 1. *huius operis, cap. de dolore capitis.* Deriuatur etiam humor fonticulo adaperto in occipite, brachiis, vesicatoriis admotis ponè aures. Cauterium commissuræ coronali inustum, summè laudatur. Bregmati sinapismos imponere, valde præstat.

Vtrùm autem *in catarrho fluxus retentio necessaria sit?* addubitandum. Dic. Valida reprimentia ante integram vacuationem nocua sunt, quia fit retentio in membro principe; quare ea solùm in perseuerante catarrho Rasius concedit, atque ita in principio reprobantur repellentia Gargarismata. Quæ modicè sistunt, incrassant materiam, humoris acrimoniam contemperant, admitti in initio possunt, vt Diapapauer, Diatragacanth. Amylum, pilulæ de Cynoglosso; & in frigido catarrho Thus, succus Liquiritiæ, Myrrha, Crocus, Opium.

Cogimur tamen aliquando, in initio vti reprimentibus validis, & repercutientibus fluxum, vt in suffocatiuo catarrho cum angina coniuncto, & in eo in quo tussis adest sicca cum importuna vigilia coniuncta. Tunc Gargarismata repercutientia possunt admitti: In calido, ex decocto Rosar. Lentium, Cortic. Granator. In frigido, cum decocto Thuris, Vernicis, Myrrhæ; vel retenta in ore pilula, facta ex Thure, Styrace, Vernice, cum cera, quibus Opium ex Auic. *cit.* addi potest. Ex quibus etiam suffumigia parari possunt.

In materia etiam tenui, & consueta fluere ad pectus, Gargarismata vtilia sunt: vel in corpore parato ad suffocationem, vt in Asthmaticis contingit; vel in multa humoris copia. Loco horum, in ore, vel sub lingua retinendæ pilulæ bechicæ, Camphora, Mucilago Psyllij, Diacodion, Diapau.

Capiti etiam prospiciendum, roborandum cerebrum, intemperies frigida corrigenda. Hæc indicatio completur lotione capitis ex lixiuio, in quo decoquan-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 685 sur 927

tur medicamenta, quæ cerebrum roborare nata sunt, vt Salu. Sampsuc. Stœchas, Rosmarinus, Camomilla, Rosa. Vel fiant facculi capiti admouendi, vel Cucuphæ ex Thure, Sale, Saluia, Vernice, Iunipero, Myrto, Ladano. Num autem in defluxione catarrhosa, ad sputi prouocationem, crassus humor attennandus, & tenuis incrassandus, *lib.4. Hist. Princip. Medic. in com. Hist.15.* latè prædiximus.

OBSERVATIO.

Syrupus tussi inueteratæ vtilissimus.

EX tussi homines multoties decedunt è vita. Sæpe enim thoracis partes infarciuntur humore mucoso, & lento, à capite delapso, qui pertinaciter bronchiis pulmonis adeò adhæret, vix vt foràs elidi possit, quin eo loci potiùs stabulans, obstruit, & cordis transpirationem impedit, quod gliscens, & denegato refrigerio excandescens, incenditur, & calorem concipit præter naturam, iugem, & diuturnum, qui in hecticum citò commigrat. Ni ergo partes spiritales, tam multo humore madentes abstergas, ac mundifices, coërcitus humor, & non difflatus, acrior redditur, & sæpe exulcerat, vt 4. *de loc.* 8. positis exemplis Galenus significat. Pro hoc opere complendo, maximam vi reposui semper in Syrupo hoc, qui quater in die assumptus, binarum vnciarum quantitate, sputum mirificè repurgat. Eius est hæc forma.

℞. *Strobylor. mundatorum*, Num. 50. *vrticæ recentis*, M.ß. *flor. violar.* ℥ j. *ficuum pinguium*, Num. vj. *dactylor sine nucleis*, Num. v. *passular. sine nucleis*, ℥ j. ß. *scabiosæ, hyssopi, prassij, adiant. an.* M. j. *sem. card. benedict. bombacis, anisi, fœnicul. papauer. albi, an.* ℥ ß. *tussilagin. glycirrhizæ, enulæ campanæ, iridis, an.* ℥ ij. *cinnamom.* ℥ ij. *pulegij, thymi, calamenth. an.* M. ß. *flor. sulphur.* ℥ j. ß. Coque sec. art. in sufficienti aq. quantitate, quousque remaneant ℔ iij. Colaturæ adde *mellis optimi*, ℥ iiij. *syrup. de prassio, syrup. glycyrrhizæ, an.* ℥ v. *oxymel. simpl.* ℥ iij. *oxymel. scillitici* ℥ j. ß. Omnia iterum bulliant, & sec. art. fiat Syrupus aromatizatus cum ʒ. ij. specier. diaireos.

NVMERVS VI.

De Dysenteria.

IN febribus sæpissime accidit Dysenteria: cùm enim eorum corpus calore exæstuet, & natura humorem malignum, & veluti turgentem, ad aliquam conetur, vel etiam præcipuam, excernere corporis partem, de hominis salute & commodo, semper, quoad potest, solicita, eum ad partes ignobiles, nempe ad intestina transmittit, qui cùm acris sit, & mordax, ipsa abradit & exulcerat. Deinde febres diarrhœa soluuntur, ex qua ob dictas causas illicò concitatur dysenteria. Exulcerantur autem intestina, etsi acri sensu prædita sint, quia excrementa in illorum anfractibus immorantur, quæ retenta, acriora redduntur, & per moram abradunt & exulcerant.

Hæc à Græcis dicitur dysenteria, à Celso *lib.4. c.10.* difficultas intestinorum nuncupatur. Nomen accepit à particula læsa, ex Gal. 2. *meth.* 2. & à difficultate officij, ex Aureliano *cit.* Tormina verò nominantur, quoniam ex vlcere intestina dolore torquentur maximo.

Sánguinis per inferiora euacuatio quadrupliciter fieri potest, docente Paulo *lib.* 3. *cap.* 12. & Galeno 3. *de sympt. caus. cap.* 2. *post med.* §. *Cæterùm differentiæ sanguinolentæ excretionis, &c.* Primò, ex sanguine redundante, & tunc sanguis purus excernitur, quemadmodum idem Galenus multo latiùs docet, 5. *de loc. affect. cap.* 7. *multo post med.* §. *Similiter aliæ quædam eueniunt, &c.* Secundò, ob iecoris imbecillitatem, & tunc vacuatio loturæ carnis similis est. Tertiò fit ex sanguine splendente supra modum cocto, nondum tamen in atram bilem conuerso, ex Gal. 4. *Aph.* 21. & *lib. de atra bile, cap.* 3. quæ omnes dysenteriæ secundùm quid nuncupantur, id est, cruentæ, licèt vulgus Medicorum absolutè eas appellet, vt ait Galenus 5. *de loc. cit.* §. *Qua in re vulgus Medicorum, &c.*

Quarto modo sanguis minutim, & exiguo tempore excernitur, interdum purus, aliquando concretus, in quo puris non rarò exiguum aliquid excernitur, vt vlceroſæ crustulæ, & corpora membranosa, & hæc propriè dysenteria nominatur, ex Gal. *loc. cit.* & Trall. *lib.* 9. *cap.* 8. quæ nihil aliud est, quàm intestinorum exulceratio, ex Gal. *loc. cit.* & 1. *de loc. cap.* 2. & 6. *de loc. cap.* 2. *ad init.* §. *Sane in præsentia, &c.* Aëtius *tetrab.* 3 *serm.* 1. *c.* 43. dicit, quòd dysenteria est exulceratio intestinorum, serpendo depascens.

Galenus 4. *Aph.* 22. & 6. *de loc. cit.* & Aëtius, in dysenteria propriè dicta, tres constituunt gradus, secundùm diuersitatem partium, quæ abraduntur: nam intestina multiplici substantia constant. Primò enim parte interiore muniuntur recremento pituitoso, & quadam pinguedine aduersus humores, & excrementa quæ per illa transeunt. Deinde est veluti epidermis. Hinc statim sese ostentant tunicæ duæ, quarum interior est carnosior, exterior membranosior, quibus tertia tunica à peritonæo, addenda est, quæ habent fibras transuersas & circulares, ad expellendum, & quasdam etiam rectas, quæ tum ad attrahendum tum ad præsidium, & robur circularium à natura sunt fabricatæ, vt in recto intestino manifestè conspicimus, in quo plurimus adest ad expellendum conatus; quas etiam apertè videmus in canibus, qui ad siccius recrementum excernendum maximo conatu vruntur.

Primus gradus dysenteriæ est, quando non solùm recrementa pituitosa, sed corpora quædam pinguia excernuntur. Secundus, quando epidermidis excoriatio fit, & ramenta tenuia cum aliquibus guttulis sanguinis, & puris deiiciuntur. Tertius, quando iam excernuntur carunculæ quædam albæ, & intestinorum substantia depascitur, quo tempore dysenteriam dicimus factam, atque constructam, non verò in fieri, vt 4. *Aph.* 26. dictauit Galenus: quæ dispositio lethalis est, nam vlcera sunt profunda, intestinorum substantia abrasa, & cùm solidorum pars amissa non recuperetur, multo minùs intestinorum, in quibus exiguus est sanguis, debilis calor natiuus, fæcum perpetuus transitus, ita vt nec cicatricem inducere fas sit, quoniam auxilia perfectè applicari nequeunt, & locus ab excrementis exacerbatur, quare tunc lethalis est dysenteria, 4. *Aph. cit.*

Exulcerantur intestina vel à causis manifestis, vt vsu acrium ciborum, medicamenti acuti, & effrænis; vel à causis internis, vt fluxu purulento, ichoroso, ipsorum inflammatione, fæce indurata, quæ ob nexum intestinorum, & duritiem suam solet esse vlceris causa, maximè si humor noxius sit permixtus alui fluxu bilioso, salso, melancholico.

Vtrùm autem tempus exulcerationis intestinorum à quocunque humore factæ, sit certum & determinatum: expendunt auctores: Nam tempus exulcerationis vlceris ab humore bilioso, docet Auicenna 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. esse duas hebdomadas; & quando exulcerantur ab humore salsuginoso, esse triginta dies; & ab humore melancholico, quadraginta. Non est autem hic terminus ita certus & determinatus, vt aliquando aliter euenire non possit: quando enim intestina sunt valida, & flaua bilis non est sincera, pura, nec multa, longior est generationis terminus; contrà, si bilis in magna copia redundet, acris sit, & langueant intestina, nec plurima pinguedine, aut pituita mucilaginosa sint circumdata, tunc terminus breuior est: de reliquis humoribus eodem modo sentiendum. Verùm quia flaua bilis acutior est,

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 686 sur 927

©BIUM

& vehementioris motus, ideò ſuum effectum velociùs imprimit; morbi enim acuri, quales ſunt biliosi, quatuordecim diebus iudicantur, hoc enim tempore hic humor ſuum præſtat opus; tardiùs pituita; tardiſſimè melancholia, cùm craſſa terrenáque ſit; atra bilis multò velociorem motum habet, & ideò citiùs exulcerat. Neque obiicias, quòd ſalſa magis exulcerant quàm amara; quoniam id intelligendum eſt, ſeruata paritate, & dummodò nihil ſit quod impediat, quia in pituita ſalſa, illius humiditas exulcerationem prohibet; in flaua verò bile, caliditas, & acrimonia ſunt cauſæ, quòd citiùs exulceret.

Dignoſces dyſenteriam ab aliis fluxibus cruentis, quòd in his ſolus ſanguis excernitur; in dyſenteria maior copia vitioſorum humorum, & longè minor ſanguinis, cum ramentis, & mucoribus inteſtinorum. In dyſenteria item excretio ſemper fit cum torminibus, & cruciatu; in aliis verò fluxibus, ſine his. Denique in dyſenteria, minutæ fiunt excretiones, & breuibus interuallis; in aliis copioſiores.

Inteſtina tenuia, an craſſa eſſe affecta coniicies; primò, ex loco doloris: Nam ſi ſupra vmbilicum ſit, gracilia; ſi infra, craſſa eſſe læſa affirmabis, ex Auic. 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. Secundò, ex tarditate, vel celeritate deiectionum poſt dolorem: Si enim celer ſit, ex craſſis; ſi tarda, ex tenuibus fieri exiſtimandum, ex Gal. 1. *de loc. cap.* 3. Tertiò, ex mixtione ſanguinis cum ſtercore: Si enim hæc valde permixta exeant, gracilia; ſi impermixta, craſſa eſſe exulcerata, iudicandum, ex Gal. 6. *de loc. cap.* 2. Vltimò, ab excretis: Nam ſi cum excrementis exeant ramenta craſſa, & copioſa, craſſa inteſtina ſunt exulcerata; ſi verò pauca, & tenuia, gracilia patiuntur.

Pernicioſa eſt hæc affectio, & ferè exitialis, præſertim in pueris, ſenibus, & grauidis. *Vtrùm* verò *dyſenteria facta ab atra bile, omnium ſit peſſima?* in dubium vertendum. Hippocrates in ſuis diuinis oraculis, 4. *Aph.* 24. ſic prædixit: *Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile inceperit, lethale eſt.* Galenus *in com.* ſic ait: *Ab illa, quæ à quibuſdam ruffa, ab aliis bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit inteſtinorum difficultas, abraſis primùm propter humorum acritudinem inteſtinis; deinde etiam exeſis, adeò vt exulcerentur. Hanc igitur inteſtinorum difficultatem ſæpe ſanauimus. Quæ verò ab atra bile fit, inſanabilis eſt omnino, cùm nihil differat à cancro vlcerato.* Quæ Hip. ſententia etiam refertur à Gal. 5. *de vſu part.* 10. *lib. de atra bile, cap.* 5. *in med.* & 2. *de facult. nat. cap.* 9. *parum ante med.* & 1. *de difficult. reſpirat. cap.* 9. Quare Auicenna 2. 1. *cap. vlt.* quòd atra bilis ſiue vomitu, ſiue per aluũ fluxum excernatur, reproba ſemper ſit, & pernicioſa aſſeuerat.

Hæc autem doctrina intelligenda eſt, dummodò dyſenteria non ſit critica, ex Aëtio *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 43. *ante med.* Quando enim atra bilis influit aliunde, & morbo alteri ſuperuenit, præcedente coctione, ſalubriter excernitur, iuxta Senis edictum, 7. *Aph.* 5. *A furore difficultas inteſtinorum, bonum*, quia à capite noxij humores transferuntur ad inferiora. In hunc ſenſum intelligendus Hip. 6. *Aph.* 48. *Lienoſis, difficultas inteſtinorum, bonum.*

Quare difficultas inteſtinorum ex atra bile generata, difficilem habet curationem, quia incurabilia vlcera in penitioribus inteſtinorum locis concitantur, ex *lib. de atra bile, cap.* 5. *in med.* Nam acris humor, qualis eſt bilis, & pituita ſalſa primò abſtergunt, deinde abradunt, poſtea exulcerant; atra verò bilis illicò abradit, & craſſitie ſua pertinaciſſimè inuolucris inteſtinorum adhærens, exulcerat, & illa velociſſimè depaſcitur, quæ vlcera ſolùm ferro, & igne in partibus carnoſis, & externis curari ſolent: cùm hic humor ſit omnium peſſimus, ex Gal. *in lib. de art. med. cap.* 16. *ante med.* &, vt inquit Galenus 14. *meth. cap.* 9. expoſtulat præſidia, quæ nec maiores, nec minores vires ſortiantur, & omni prorſus mordicatione careant: quod etiam confirmare videtur Aretæus, 1. *chronion.* 5. *in med.* §. *Sed naturanda negotia ſunt, &c.* Siquidem certa remediorum quantitas eſt maximè coniecturalis, ex *lib. de ſang. in ſ. in initio.* Hinc fit, vt Arabes vlcera atrabilaria, *nolã me tangere* appellent, quod ex Hip. ſententia confirmatur, 6. *Aph.* 38. *Cancros occultos habentes melius eſt non curare; curati enim citiùs pereunt: non curati in longius tempus perdurant.* Quare dyſenteria facta ab atra bile, peſſima. Quæ à pituita ſalſa fit, deterior, quàm quæ à flaua bile, cùm ob lentorem magis in tranſitu adhæreat inteſtinis, & ob moram magis abradat, & exulceret, vt Gal. 3. *Aph.* 12. eleganter admonuit.

De curatione illud primò aduertendum, an remaneat cauſa illius, vel iam abierit. Deinde conſiderare oportet affectum iam factum in inteſtinis, videlicet vlcus, & excreta. Vltimò ſymptomata quæ ipſum affectum concomitantur. De primo, ſi cauſa præſens ſit, quæcunque ea ſit, illicò remouenda. Si igitur diarrhœa dyſenteriæ cauſa fuit, aut qualiſcunque humor, qui ad inteſtina effunditur, per vomitum vacuari debet; hæc enim excretio à parte affecta reuellit, & euacuat: Et quando impeditur vomitus per cauſas legitimas, tunc vacuari debet per aluum, de cura coacta, quia cùm inteſtina ſint affecta, per ea, quoad fieri poteſt, vacuatio facienda non eſt; quæ ſi celebretur, debet eſſe facta cum ſtypticitate, & corroboratione, ex Auic. 16. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. Medicamentum autem ſit Rhabarbarum, aut myrobalani citrinæ, quæ ſi torrefiant, & modicè deinceps abluantur aq. Plantag. aut Roſar. & miſceantur cum ſyrupo ex plurib. infuſ. Roſ. Rubear. vel Syrup. Roſ. ex infuſ. Siccar. addita aq. Plantaginis, ſummum iuuamentum afferre conſueuere. Num verò expurgantia ſint torrefacienda, diximus *lib.* 2. *Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt.* 77.

Offerenda attemperantia, adſtringentia, & incraſſantia. Cauſa auertenda: eſt frictionibus brachiorum, cucurbitulis ſiccis, & cum ſcarificatione lumbis appoſitis; vel denique deriuanda per vrinam, ex Hip. 4. *Aph. vlt.* & alia celebranda, quæ ſuprà *cap.* 1. *num.* 6. protulimus.

Affectus impreſſus eſt vlcus; hoc primò abſterſione, exiccationem, & agglutionem expoſtulat. Pro hoc opere exequendo, videndum, num tenuia, vel craſſa occupet inteſtina: illorum enim vlcera, ingeſtis per os perſanandæ; craſſorum verò vlceri, infuſis per clyſterem ſuccurrendum, prout 4. *meth.* 7. & 5. *eiuſdem.* 11. & 13. *meth. cap.* 17. firmauit Galenus. In principio ergo abſtergentes clyſteres vtiles ſunt, ex decocto hord. cum ſaccharo, vel Rhodoſaccharo, vel ſyrupo Roſ. aut melle Roſ. Si dolor ſit vehemens, addatur adeps Gallinæ, aut vitellus oui, aut adeps anſeris, vel hircinum ſeuum, quod dyſentericis vtilius eſſe quàm adipem ſuillum, 11. *ſimpl. cap. de pinguedine*, docuit Galenus, §. *Qui verò mordicationes perpetiuntur, &c.* Si dyſenteria pituitoſa ſit, clyſter ex ſola mulſa, aut decoctione betæ, ſatis eſt.

Abſterſo vlcere, ſiccantia proſunt, præcipuè quando vlcus ſerpit, & recrementa ichoroſa, & virulenta iam dimanant, fiant ex decoct. Roſar. Plantag. Myrti, Acaciæ, Hypociſthid. Rhu coriariorum, cum Pulu. Boli Armeni, Sang. Dracon. Fugienda medicamenta acria, & corrodentia, quia maximum periculum inferunt, ex Auic. *cit.* & Dioſcorid. *lib.* 2. *cap.* 68. quæ omnia per os ſunt offerenda, ſi vlcus ſuperiora occupet inteſtina. In quem vſum, lac chalybeatum eſt vtiliſſimum. De qua re lege *Hiſt.* 2. *lib.* 2. *Hiſt. PP. Medic.* Super ventrem admouenda adſtringentia multiplici lege confecta, quorum formulas *num. cit.* reperies. Symptomatibus deinde occurrendum, vt dolori vehementi, vigiliæ, inappetentiæ, ſyncopæ. Quando præ doloris vehementia, ægri

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 687 sur 927

©BIUM

vitæ periculum incurrunt, opiata summè prosunt, velut est Philonium Persicum, Theriaca recens, &c. Vigiliæ, syncopæ, inappetentiæ auxiliantur plurima, quæ *infrà* propriis numeris describentur.

OBSERVATIO.

Pro dysenteria, pilulæ expertissimæ.

PEssimus morbus, dysenteria est, cum quâ Medici luctati, operam, & oleum perdiderunt persæpe: nam ægri fastidio summo, non assumpto alimento contabescunt, imò vigiliis, deiiciendi frequentia, nixu importuno, dolore oppressi, resolutis spiritibus squalidi apparent, extenuati, & nullis proficientibus auxiliis penè cadaueroſi redduntur. In agone tanto quid tentarem, multoties hæsi. At excogitaui pilulas lentis magnitudine, quarum binæ per se, vel in potu degluritæ, ter in die, manè, vesperi, & noctu longè post cœnam, plurimos ab Orci faucibus liberarunt.

℞. Rhab. elect. & torrefact. ʒ j. ß. cortic. myrobalanor. citrinor. torrefactor. ʒ j. sem. coriandri torrefact. ʒ j. ß. sem. plantag. sem. acetos. an. ϑ j. sumach, ϑ j. ß. mastich. olibani, menthæ siccæ, rosar. rubrar. margarit. præparat. an. ϑ ß. coral. rubri, santalor. rubror. sang. dracon. boli armeni, an. ℈ xij. philon. Persic. ʒ ij. micletæ, ʒ j. granor. myrti, arillor. uuar. torrefact. an. ϑ j. trochiscor. de electro, trochiscor. de ter. sigil. an. ϑ j. Excipiantur omnia cum cera alba liquefacta priùs ad ignem, & fiat massa, ex qua ad ignem pilulæ parentur lentis magnitudine, & deborentur.

NVMERVS VII.

De Ictericia.

DE morbo regio egit Galenus vbertim, *lib. 5. de loc. cap. 7.* quem febribus superuenire, latè eo loco apposita celebri Historia confirmat, quam *lib. 2. Hist. PP. Medic.* dilucidè proposuimus. Quare pro illius maiori explicatione, liceat mihi Galeni mentem, eo loco exponere, & obiectiones aduersantes dissoluere. Ex quibus arquati, seu auriginosi morbi essentia reddetur magis enucleata, & conspicua.

Igitur Galenus vesicæ felleæ exemplo, de cuius morbis tandem agit, rursus ostendit, quantum ad cognitionem loci affecti, quin & affectuum nullatenus antea cognitorum, faciat consideratio naturalium quatuor facultatum. Considerantes quippe (id quod ex *libris de natural. facult.* & *5. de vsu part.* constat) felleæ vesicæ vim quandam inesse, qua ad se attrahit bilem, & à massa sanguinaria separat (perinde ac renes, id quod est veluti serum, & lien melancholiam) posséque accidere, vt huiusmodi vis, facta interdum imbecilla in suo trahendi munere deficiat, vnde fiat necessariò, vt simul cum sanguine permixtum maneat bilioſum excrementum, & sequatur illius refusio per corpus vniuersum, atque adeò quarta quædam ictericiæ species eueniat, à tribus illis distincta, nempe ex imbecillitate tractricis vesiculæ felleæ: quin & duas alias addit huius vesicæ occasione euenientes, vnam ex obstructione, vel imbecillitate meatuum, qui ab ipsa fellea vesicula exorti implantantur in hepar, ac inde bilem alliciunt; alteram ex immodica bilis quantitate, in vesica aceruatæ, ratione cuius contrahi non potest, nec bilem à se excernere; ad expulsionem enim necessaria est villorum transuersorum contractio, quæ in parte distenta fieri nequit, ob impedietem redundantiam, (propter quod vrinam aliquando supprimi scripsit, *3. de caus. sympt. cap. 2.*) atque adeò quia nec pellitur ad intestina bilis, nec ampliùs ad impletam vesicam attrahitur, per corpus vniuersum, simul cum sanguine effunditur, illúdque pallido inficit colore, ac ictericum reddit.

Porrò ad Ictericiæ species discernendæ, & affecti loci notitiam exactè comparandam, inuestigare docet, vbinam, & qualis bilis redundet: idque potissimùm ab excrementis, vrina, & sudore petendum: Nam cùm ictericis quibusdam deiectiones multa bile flaua saturatæ appareant, nonnullis item & vrinæ; aliis è contra sanorum similes sint; aliis albæ eiiciantur: & copiosus aliquando sudor, vel plurimùm bilioſus, vel aquoſus à balneo effundatur, nonnunquam paucus. Si per febres bilioſus humor ad cutem erumpat, vrina, & excrementis naturali modo se habentibus, nullum malum iecoris inesse significatur, sed vtilis est, & critica ictericia. Quòd si cum febre, & bilioſis deiectionibus accidat, atque in dextro hypochondrio grauitas sentiatur, iecoris indicatur inflammatio, à qua sanguis in bilem mutatus per corpus defertur, & inducitur aurigo; si verò citra febrem fiat, tamen cum grauitatis sensu in eadem præcordiorum parte, simul etiam alba prodeant excrementa, obstructionem adesse in cystis fellis meatibus trahentibus, vel pellentibus, procul dubio putandum. Si autem citra grauitatem talia deiiciantur, certum est, vesicam hanc bilis susceptricem, imbecillitate laborare, vel attractricis, quæ ex iecinore allicit, vel expultricis, quæ ad intestina propellit.

Denique si post balneum in strigilis cauitate (quo instrumento vtebantur prisci in balneis ad sordes, & sudorem abstergendum, *3. acut. 51. 14. meth. 1. 10. simpl. tit. de sudore, 1. sec. loc. 4.* & *4. de sanit. tuend. 4.*) paucus, & aquoſus sudor colligatur, coniicies bilem huius morbi causam, crassam esse, & contumacem; plurimam verò, ac flauam in toto corpore redundare, si plurimus sudor eiusdem qualitatis, & substantiæ cum bile, in strigili relinquatur: eundem enim colorem redundantis succi, gustum, & modum præ se fert, dummodò sine oleo abradatur, *4. de loc. 7.* & *10. simpl. cit.* Oleum namque permixtum impedit certum iudicium de extracta sorde.

Quando autem morbus regius, à crassa bile dependet, curandum docet naturalibus, sponteve nascentibus balneis, victu humido, & modicè attenuante. Medicamentis verò, cibis, & potibus aperientibus, ac extenuantibus, quum ab obstructione ortum trahit; deinde purgantibus cholagogis, nec semel exhibitis, sed nî cedat morbus, iteratis, debilioribus primò, postea valentioribus. Oportet autem aliquando bis, ac sæpius in aurigine purgare, quia multoties vesica bile repleta, bilem præ copia nequit expellere, quemadmodum interdum accidit vrinariæ vesicæ: verùm in hac (inquit) propter expultricis naturalis imbecillitatem, vel quia ob profundum somnum, aut aliquam vrgentis negotij occupationem, sopitur, aut distrahitur vis animalis. In fellea autem cysti ob solam intemperiem, & facultatis expellentis imbecillitatem, scilicet quia naturale instrumentum est, solâque naturali facultate, nullius animalis interuentu operatur. Hæc est dilucida, genuinâque Galeni *loc. cit.* de ictero doctrina.

Verùm contrà plurima faciunt argumenta, quæ illius doctrinam probant fuisse satis incultam. Quærendum ergo: *Vtrùm Galenus in enumeratione causarum morbi regij sit diminutus?* Et primò sic. Quemadmodum ex imbecillitate tractricis folliculi fellei oritur icterus, ita ex eiusdem virtutis robore, *15. 3. cap. 3.* Rursus etiam non minùs ex feruido solidorum temperamento, alimentum in bilem commutantium. Videtur igitur diminutus Galenus, in enumeratione causarum morbi arquati.

Quòd si dicas, hanc propter infrequentiam omisisse; illam verò continere sub ea specie, quæ ex copia immodica ortum trahit, nempe quia valida tractrix nimiùm replet, & redundare facit in vesica bilem: Arguitur contrà, quia non frequentes solùm, instar Empirici, sed raros etiam affectus oportet Dogmaticum agnoscere.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 688 sur 927

©BIUM

ſcere. Rurſus, quia ſicut etiam ad vehementem tractionem ſequitur plenitudo, ita ad hanc imbecillitas etiam ipſius tractricis, quod prꝫterquàm quòd euidens eſt, docet Galenus 5. *de loc.* 7. & Auicenna *cit.* Ergo pariter ſpecies illa ex aceruata copia, ad priorem ex infirmitate tractricis referenda erat, atque adeò duæ tantùm conſtituendæ.

Deinde, ſi pro varietate curationis medicæ, ſpecies multiplicantur, & diuerſæ putantur, quæ diſtinctam poſtulant curationem, ſicut omnino eadem, quantumuis diuerſa, quorum non variatur curatio, cur ex imbecillitate expultricis, quæ diuerſimodè curatur, prout diuerſo etiam aſſociatur temperamento, diſtinctam etiam ſpeciem non conſtituit? Maximè cùm admonuerit omnes facultates conſiderare, ob diuerſa mala quæ ex earum læſione proueniunt.

Tertiò. Si in morbis, laudabilis eſt excrementorum impuritas tempeſtiuè exeuntium, vt colligitur ex 4. *Aph.* 21. & 22. & habetur expreſsè *Aph.* 47. nempe quia corpus à prauis, & morbificis humoribus expurgant, propter quod 2. 1. *cap.* 2. de vrinis, *in icteritia* inquit, *quantò vrina plus fuerit intincta, erit ſanius, videlicet quia ſignificat dominium, & robur naturæ pellentis ſuperfluum bilis, quà poteſt; pura autem, & vel parum tincta, imbecillitatem, & hydropis periculum minatur*, & 15. 3. *cit. cap.* 4. quò magis intincta, laudabilior, & magis ſignificatiua ſanitatis hepatis, quomodo 5. *de loc.* 7. ab excrementorum, & vrinæ puritate coniicit illæſum iecur?

Quartò. Si eiuſdem qualitatis cum medicamento oportet eſſe alimentum in morbis, 1. *Aph.* 16. 4. 1. *cap.* 2. & alibi: tam regiminis ſiquidem, quàm medicaminis indicatio à morbo deſumitur, 1. *alim.* 1. *iuxta fin.* 1. *acut.* 3. 2. *meth.* 7. cur icteritiam ex bile contumaci, & craſſa, calidis balneis diſſoluentibus curandam, victu humido perſanare docet? Et ſi non eſt aperienda obſtructio ante euacuationem, iuxta ſui ipſius præceptum, ab omnibus obſeruatum, cur 5. *de loc. cit.* ſibi aduerſans, aperientia, atque extenuantia primùm adhibere iubet, deinde quæ bilem euacuent.

Vltimò. Vrinæ excretio eſt functio merè naturalis, propterea naturalis expultricis veſicæ, vt *lib.* 2. *Hiſt. PP. Medic. in com. Hiſt.* 107. latè probauimus. Ergo quemadmodum imbecillitata expultrice veſiculæ fellis, ſequitur in ea plenitudo, ob bilem expurgatam, ad ſolius etiam debilitatem ſuæ excretricis aceruabitur vrina in veſica, nulla habita conſideratione facultatis animalis, vtpote quæ nullum habet ingreſſum in opere excernendi vrinam; prꝫterquam quòd ad illius deſtructionem, læſionem, vel reſolutionem, potiùs immodicus fluxus, quàm retentio ſequatur, vt *cap.* 4. *lib.* 6. *de loc.* appoſitis exemplis Galenus confirmat.

Sed hæc non euertunt doctrinam Galeni. Dic ad primum. Sufficienter dicebatur ſub ſpecie turgentiæ, comprehendi eam ex robore tractricis, ab Auicenna relatam, omiſſam autem ob infrequentiam, Paulus memorauit *lib.* 3. *cap.* 50. idque ſine vitio: Nam licèt Dogmaticus, raros etiam morbos ſupra Empiricum agnoſcat, & curet, neceſſarium tamen non eſt, artificem de his quæ rarò eueniunt, valde ſolicitum eſſe, ad artis imitationem, quæ frequentiam potiſſimùm conſiderat.

Iam verò ad grauantem, ac nimis diſtendentem copiam, licèt virium proſtratio naſci poſſit, non ita tamen neceſſariò, ac impeditus exitus ex obſtructione, & attrahendi impotentia, ob locum non datum receptioni: quare admixtione non ſeparatæ bilis, impurus fit ſanguis, & talis per corpus fuſus icteritiam inducit. Quia verò ea ex ſimili occaſione oritur, vbi datur expultricis infirmitas (quia enim tunc excretio non fit, impletur veſica, & ampliùs nequit ad ſe bilem attrahere) ideò Galenus diſtinctam ſpeciem non conſtituit, ex imbecillitate expultricis: maximè (quod ſemper memorandum) vbi non tam de morborum differentiis agit, quàm de locis affectis dignoſcendis.

Ne autem pures, non poſſe in totum impediri bilis delationem ad inteſtina, ſola expultrice debili, propterea quòd nec præ imbecillitate virtutis renum, poteſt vrinæ delatio ad veſicam in totum prohiberi: Nam deſcenſus bilis, vtpote quæ tenuiſſima eſt, & leuiſſima, admodum laborioſus eſt, & vt fiat, indiget pellente virtute; ſerum autem graue ſponte ſua deſcendit, ſi pateant viæ, atque ideò dixit Galenus, quòd vbi renum vrina ſupprimitur, obſtructio in cauſa eſt, quanquam etiam ex eorum imbecillitate aliquando oriatur, 3. *de ſympt. cauſ.* 2. ex quibus ad ſecundum patet ſolutio.

Ad tertium dic. Quanquam malæ excretiones, peſſimarum diſpoſitionum ſint ſigna, 4. *Aph.* 47. Non negamus tamen eas aliquando vtiliter fieri, & naturæ dominium ſupra modum demonſtrare. Verùm nec ideò abſolutè habendæ ſalubriores, quàm puræ, ſtatum corporis, & maximè partium vnde excernuntur ſanum indicantes. Sic in aurigine, præſertim fellea, ſeu à debilitate, obſtructione, vel aceruata copia oriatur, laudatur quidè vrinæ tinctura, ob robur quod ſignificatur naturæ, & expultricis iecoris, quæ bilem vacuari prohibitam per poros ipſius naturales, pellit ſimul cũ vrina: Verùm in hepatica, laudabilior eſt pura, & ſanorum ſimilis vrina, vtpote quæ incolume iam, & illæſum arguit iecur ipſum: cùm enim magna ſui parte ſuperfluitas, & excrementum, & ſerum humorum, ſimúlque cum ipſis, per ſecũdam coctionem in iecore generetur, 4. *de vſu part.* 12. 6. *de placit.* 7. 1. *criſ.* 12. 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 15. proba, & naturalis apparens, ſui viſceris incolumitatem oſtendit.

Ad quartum dic. Quanquam regimen, & medicamentum eadem intentione præſcribuntur, ſcilicet ad morbum, aut cauſam, eáque ſimilis qualitatis eſſe oportet; diuerſis tamen rationibus, ſæpe contraria in eodem morbo conueniunt, vt in febribus ex obructione, aliquando calida cauſæ gratia, frigida ob intemperiem, &c. Sic in icteritia ex bile contumaci, ob craſſitiem, calida, balneum ad reſoluendum, & attenuandum vtile eſt, quin attenuans alimentum. At quia ſicca eſt bilis ex natura, ne à valde attenuantibus magis arefieret, atque adeò incraſſaretur, modicè attenuantem, eúmque humidum victum conſultò inſtituit, & præſcribit quidem in obſtructione ante purgationem modicè aperientia quæ non tam deobſtruendi, quàm præparandi gratia ipſe conceſſit.

Ad vltimum dic. Quia ad excretionem vrinæ prærequiritur moleſtia, & irritatio, quæ ſenſationem ſupponit, 5. *de vſu part. vlt.* & 3. *de facult. natural.* 12. Inſuper & relaxatio muſculi, veſicæ oſculum conſtringentis, ſphincteris nempe, neque is abſque voluntatis imperio agit, aut feriatur, dici excretio vrinæ poteſt opus animale per accidens, ſcilicet quia ad ſenſum moleſtiæ ſequitur, & ad otium facultatis animalis ſphincterem mouentis, prout *lib.* 2. *loc. cit.* diſceptauimus.

Eſt igitur Icterus, ſymptoma in genere qualitatis totius corporis mutatæ, nimirum coloris, emanans à vitio bilioſi excrementi in cutem tranſmiſſi, quod quidem in ea ſtabulans, febrẽ non concitat, putredinem, rigorem, aut puſtulas, veluti in eryſipelate, & herpete; quia bilis excernitur, more & modo naturali: Nam ſanguis naturalis, & naturaliter ad extimas ſedes prodit, calore, & colore viuido, & rubicundo eas afficit, quod in herpetẽ, aut eryſipelate non contingit. Deinde in aliis cutaneis affectibus, bilis morbum generat, in ictero non morbum, ſed ſolùm qualitatem mutat, citra vllũ actionum vitium. Vltimò. Bilis in cutaneis affectibus à vaſis non ſolùm ad poroſas partes, ſed ad earum ſpatia, facta priùs dilaceratione, & exeſione confluit; in aurigine verò ad cutaneos ſolùm meatus tranſmittitur, in quibus infixa, nec febrem, nec alia vitia generat, quia ventilatur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 689 sur 927

©BIUM

tilatur & transpirat, per totum corporis ambitum refusa, quo fit vt eius acrimonia hebetetur, & mitescat.

Triplicem esse icterum, felleum, hepaticum, & criticum, certum est. Felleus fit ab immodica plenitudine vesiculæ fellis, paruitate eius, imbecillitate attractricis eiusdem, obstructione, vt diximus suprà. Hepaticus ab hepatis obstructione, scirrho, inflammatione, intemperie calida, venarum, & totius corporis exurente calore, imbecillitate. Criticus est duplex, iudicans, & non iudicans, de cuius essentia & natura, sat plura *lib. 2. Hist. PP. Med. in com. Hist. 97.*

Ex naturæ robore fieri agnoscens, si febris quæ antea erat vehemens, cesset, præcesserit concoctio, & excrementa tum alui, tum vrinæ pura sint. Ex epoto veneno generatam ostendunt maculæ, quæ per vniuersum corporis ambitum enascuntur luteæ, nigræ, cæruleæ, & diuerso colore præditæ. Ex eduliorũ corruptione, quia corpus cum tumore pallescit, maximè iuxta ventrem & crura, & facies subtumida, ac flaua apparet. Ex totius corporis calore nimio, quia alui, & vrinæ excrementa minimè à naturalibus distant. Ex iecoris calore immenso, quoniam alui excrementa, rufo colore saturata excernuntur, adest cibi fastidium, bilis vomitus, partis dextræ inflammatio, grauitas, & aliquando tensio, colore ægri insigniti sunt pallido, cæruleo, plumbeo. Demum ex hepatis inflammatione, obstructione, scirrho euenire venaberis, ex signis, quæ prædictos affectus concomitari solent.

De præsagio nil certum potest scribi, ob causarum differentias, à quibus aurigo scaturit. Indubitatum tamen est, hunc morbum diu perseuerantem, esse periculosum, quoniam eum difficiles, & periculosæ ægritudines comitantur, vt iecoris durities, scirrhus, hydrops, 6. *Aph.* 40. & 44. Num autem in septimo, vel ante, aut post ipsum, in febribus possit bilis ad cutem salubriter effundi, eo loco agitauimus.

In febribus si eueniat criticè, nullum negotium mouendum. Si imperfecta sit crisis, iuuanda, & curandus affectus à quo prodit. Si est materia cruda, aut multa, coquenda, aut minuenda sanguinis missione, purgatione, aperientibus. Si ex veneno, vtere præsidiis auocantibus ad partes externas, frictionibus, cucurbitulis, inunctionibus, & cardiacis. Si ex intemperie totius corporis, vtilis est venæ sectio, purgatio clemens, frigorifera, balneum. Si ex iecoris incendio ortum ducat, eadem vehementer prosunt. Iuuant etiam saluatellæ sectio, ptisana, serum lactis caprini, Epithemata, infrigidantes potiones. Si ab obstructione, aperientia sanant, Apozemata deobstruentia, Rhabarbarũ multiplici lege confectum, & præcipuè si per noctem in sero lactis madescat, maximè priùs vacuato corpore, cui malo chalybeata medicamenta multo sunt ex vsu: quæ omnia, quoniam pluribus in locis patefecimus, non est cur modò in describendis eorum formulis, simus multiloqui. Si cutis deformitas adsit, curato morbo, & ablata causa, sperandum est facilè sponte sua resoluendam. Si tamen bilis crassa sit, & cutis densa, colórque pallidus non euanescat, tunc vtere dulcis aquæ lauacro, vel in aqua priùs coque Absinthium, Rumicem, prassium, Lupinos, Folia Raphani, & siquæ alia.

Icteritia nigra est vitiosus totius corporis color, tendens ad nigredinem, propter excretionem humoris melancholici ad cutim, quãdo scilicet hic in corpore præter naturam turgescit, & abundat, vel ratione morbi melancholici, vel alimentorum causa, quæ huius humoris generationem vehementer promouent, quorum syluam latè proponit Galenus 3. *de loc.* 7. vel ratione intemperiei frigidæ & siccæ hepatis, vel ratione obstructionis lienis, ob quam impeditis viis, lien ex iecore, & venis, humorem melancholicum repurgare nequit. Huius curatio in euacuatione humoris melancholici consistit, & in prouidentia, ne inposterum similis humor in corpore generetur. Quomodo autem vtrumque fieri debeat, *cap. de melancholia. lib. 1. huius operis*, exaratum inuenies.

OBSERVATIO.

Ad auriginem, pediculorum vsus, vtilissimus.

NOn cessant Medici infamare vulgus, vtpote indoctum, quod citra delectum vllum, in ictero à quacunque causa prognato, pediculos quatuor, vel sex ouo sorbili commixtos viuos bis, & ter deuorãdos præbeat: cùm id superstitiosum sit, horribile, & inutile. Ego huius præsidij sæpissime feci experimentum, idque commodum esse inueni persæpe, & multi vsus; natiua enim proprietate animalculum hoc, iecur roborat, quod auriginosi morbi domicilium esse, vnanimi Medicorum consensu ratum est.

NVMERVS VIII.

De Lachrymis.

LAchryma, sudor, & vrina, sunt eiusdem naturæ, & materiæ, auctore Theophrasto *lib. de sudoribus*: *Vtrùm ex viscerum perturbatione eleuatis vaporibus ad cerebrum, Lachrymæ generentur?* dubium est. Plures affirmant, sed pars negatiua tenenda: asserunt enim, quòd vbicunque viscera aliqua ratione occupantur, & perturbantur, vapores plurimi in cerebrum ascendunt, qui in eius cauitatibus retenti, in aquam tandem ratione frigoris illius condensantur, qui in forma aquæ per oculos extrà mittuntur.

Verùm hæc opinio defendi non potest: Nam si viscera occupantur aliqua ratione, hoc in mœrore & tristitia contingere debebat, tunc enim lachrymarum riuuli vbertim effluere solent. Sed multi sunt, qui simul ac mœrent, statim lachrymantur, in quibus affirmare non possumus, quod tam citò viscera occupata mittant vapores in cerebrum, qui in aquam, & lachrymas illicò conuertantur. Deinde, lachrymæ omnes, ferè sunt salsæ: Si ergo hæc opinio vera est, quæ ratio salsedinis assignari potest? Insuper, non esset in voluntate hominum lachrymari, vbicunque luberet, sed tamen videmus plurimos, qui quotiescunque volunt, lachrymas sine vlla occasione promouent. Ergo, &c. Ad hæc. Timentes non lachrymantur, cùm tamen viscera, & præcipuè cor occupentur. Denique si hoc esset verum, non poterit reddi ratio, cur in risu, & gaudio fiant lachrymæ, cùm tamen eo tempore viscera non occupentur.

Dic ergo, & fortasse meliùs, Lachrymas nihil aliud esse, nisi humoris potulenti portionem, quæ in cerebro, & præsertim venis oculorum continetur, quæ per dilatationem, aut compressionem illarum venarum, foràs erumpit. Dubitabis: *Vtrùm solus homo lachrymetur?* Si enim hæc est vera natura lachrymarum, cur solus homo lachrymas effundet, si animalia plura, etiam ex præscripto naturæ, huiusmodi humiditatem etiam in oculis continent. Dic animalia etiam lachrymari, vt Apros, Ceruos, Crocodilos. Sed hæ non sunt veræ lachrymæ: Solus enim homo potest venas oculorum dilatare, aut comprimere vehementer: solus enim vehementer gaudet, mœret, appetit, vult, desiderat, intensam enim sortitur voluntatem, gaudium, aut mœrorem.

Causæ lachrymarum tam naturales, quàm præternaturales, ad huiusmodi compressionem vel dilatationem reduci debent. Differentiæ plures sunt: aliæ enim dicunter frigidæ, calidæ, aridæ, quæ auctore Galeno 6. *epid. sect.* 1. *com.* 23. exiguè fluunt, & statim ac defluxerunt,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 690 sur 927

©BIUM

runt, exiccantur. Aliæ sunt crassæ, tenues; copiosæ, paucæ; salsæ, amaræ, dulces. Aliæ quæ fiunt cum morbo, aliæ sinè eo. Rursus, aliæ sunt spontaneæ, aliæ inuitæ. Illæ dicuntur quando quispiam propria voluntate, eas emittit, ob gaudium, risum, mœrorem.

Lachrymæ calidæ, teste Philosopho 5. *probl.* 34. à calore capitis generantur. Frigidæ, à pauco calore concoquente, exemplo eorum, qui diuturnis morbis oculorũ laborant, quorum cerebrum calore orbatum, frigidum intensè euadit. Hæ etiam aliquando apparent in ridentibus: vniuersus enim calor in ambitum corporis effunditur. Siccæ, à calore exiccante, perurente ortum ducunt; sicut crassæ, à calore concoquente, & incrassante, Et obiter notabis, crassas lachrymas tenuibus minùs esse periculosas: Illæ enim calorem robustum, hæ in concoquendo debilem significant.

Lachrymarum copia, ex Auicennæ mente 3. 3. *tract.* 2. *cap.* 26. vel natiua est, vel accidentaria: Illa à primordiis fit generationis, & fit in illis, qui caruncula lachrymali priuantur; natura enim sagax, in angulis oculorum carunculas construxit, vt oscula venarum eò pertingentium clausa contineant, ne humiditates illæ lachrymarum possint defluere. Accidentariæ causa est multiplex, vel absumptio & corrugatio nimia illius carunculæ, cuius causa, humiditates imbibere non potest, hócque infortunium solet euenire, quum Chirurgi morbosis oculis calida nimis, & exiccantia medicamina imponunt, quæ carunculas illas absumunt, & exiccant. Accedunt aliæ causæ, nempe debilitas facultatis retentricis, & concoctricis. Paucitas lachrymarum fit, vel ab humiditatum inopia, vel ab excrescentia carunculæ lachrymalis, quæ mole sua meatus lachrymales occludit.

Salsæ lachrymæ fiunt, quia pars dulcis & concocta, in nutrimentum cerebri trasmutatur; pars verò cruda & terrea, humiditati lachrymali commiscetur. Amaræ vel ob bilis, vel ob vaporum bilioſorum admixtionem generantur, qui cùm à valido capitis calore præassantur, salsi, & deinde amari redduntur: Nam quod salsum est, plusculùm excalfactum amarum redditur, vt 4. *simpl.* 20. & 21. confirmat Galenus.

Vtrùm in febrientibus lachrymæ appareant? dignum est consideratione: Quoniam exurens calor, omnem materiam lachrymarum videtur absumere. Verùm in illis cõtingere, vel ob morbos oculorum, Ophthalmiam, Palpebrarum aspredinem; vel ob conatum naturæ, quę humoris serosi copiam, in capite redundantis, per oculos excernere satagit, testatur Galenus 6. *epid. sect.* 5. *com.* 3. Apparentes in morbis acutis, febribus putridis, & sanguineis, secundùm Auicennam, ex inflammatione cerebri generantur, vel quia cerebrum malè affectum vaporibus inebriatur, qui in aquam conuersi, lachrymis continuis occasionem præbent; qui etiam, cùm caliditatem participent, pituitam & serosos humores liquant, & ij in lachrymas transmutantur. Accedit, quòd excalfactum cerebrum humiditates ex vniuerso corpore attrahit. Præsertim verò lachrymæ in febribus diariis vigiliuis cieri solent, ex mente Auic. 3. 3. *tract.* 2. *cap.* 26. cùm enim hæ ex superflua vigilia oriantur, & hæc coctionem præcipuè cerebri imbecilliter, fit vt diminuto calore, serosi & crudi humoris copia in corpore excrescat, quæ in lachrymas vertitur promptissimè.

Si verò citra ægritudinem lachrymæ eueniant, ex priuatione carunculæ lachrymalis accidere certum est. Voluntariæ causam habent, vel compressionem, vel dilatationem voluntariè factam. Inuoluntariæ variis de causis accidunt, vel à frigore comprimente, & condensante, ex Gal. 4. *simpl.* 2. vel ob retentricis facultatis debilitatem, vel ob res acres pungentes oculos, quam ob causam cæpæ, & allia ante oculos dissecta lachrymas mouent, vapores enim inde elati, oculos lancinant, & pungunt acrimonia sua; ij autem perculsi, à se lachrymas excutiunt.

Ægros nolentes illachrymari, pessimum, ex Hip. 1. *progn.* 10. §. *Si enim lucem effugiant, aut nolentes illachrymentur, exitiosum*, quod etiam scripsit 4. *Aph.* 52. Hæc enim affectio sequitur imbecillitatem detentoriæ in cerebro facultatis, dummodò non adsit in oculo phlegmone, aut in palpebris asperitas, aut à capite defluxio descendat, aut aliqua manifesta conspiciatur causa, in quam meritò symptoma hoc referri possit. Hoc tamen intelligendum, si cætera signa sint pernicioſa; si enim ea rectè se habeant, non sunt lethales, sed hæmorrhagiam portendunt.

Lachrymæ frigidæ, reprobæ, quoniam vehementem cerebri frigiditatem, sicut salsæ intensam caliditatem significant. Crassæ, si tenuibus superueniant, optimæ; coctionem enim, *epid.* 2. 80. & humoris inopiam præostendunt. Tenues ex cruditate emanant. Copiosæ largam in cerebro humiditatem denotant. Natiuæ, prauæ, & incurabiles.

OBSERVATIO I.

Copiosus effluxus lachrymarum, setone ad nucham indito, curatur.

QVadragenarius assiduis defluxionibus humoris ad oculos, in tam copiosum lachrymarum fluxum incidit biennio, vt emanante semper aqua per carunculas lachrymales, imminui sibi visum inculcaret. Hunc intolerabilis dolor capitis, ac tam immanis premebat, noctu præsertim, vt plures noctes, hac de causa, insomnes duceret. Huic expurgatum multoties corpus. Sudorifica ex Ebeno administrata. Roboratum caput. Sed cùm affectio esset inueterata, & habitualis, solùm setoni ad nucham affixo succubit, cuius ope cùm ichores expurgarentur continuò, factum est, vt humiditates à capite fluentes in oculos, deriuarentur in nucham: ob quam causam, post tres menses, à lachrymarum copioso fluxu securus euasit.

OBSERVATIO II.

Lachrymarum effluuium salsum, balneo capiti administrato conquieſcit.

ARistoteles 2. *meteor. cap.* 3. de maris salsedine verba faciens, ob id mare salsum reddi asseuerat, quia Sol tenuiores aquæ partes extrahens, & in vapores effundens, crassiores veluti torret, atque adurit, quæ vnà cum crudioribus aquæ partibus permixtæ, salsedinem efficiunt: Quare partes humoris terrenas, aqueæ materiæ commixtas, calor externus præassans, adurens, siccánsque, salsum saporem producit, fitque à terreno sicco, quod in aqueo humido, caloris vi præassatum, attenuatúmque existit. Ob hanc ergo causam, nimium videlicet hepatis & capitis calorem, incidit iuuenis quidam bilioſus, & temperamento calidissimus, in assiduum lachrymarum effluuium salsum, quod ita calidum erat & exurens, vt genas fluendo, vehementer acrimonia sua mordicaret. Hic pustulas patiebatur, in toto capitis ambitu, rotundo schemate siccas, fissuras labiorum, vlcera in pulpis aurium sicca & aspera. Verùm cùm timor esset, ne hic mordax humor in oculis coërcitus, alia dira vitia efficeret, expurgatum corpus multoties. Refrigerantia oblata. Imperatum vniuersale balneum. Sæpius sanguis è talo, & gibbero emissus. Fonticuli cruri, & occipiti affixi. Tandem solo balneo, capiti raso, bis in die per mensem administrato, affectio hæc ex toto succubuit. Rectè ergo prædixit Galenus 6. *de sanit. tuend. cap.* 9. dum in hunc modum scribit: *Nec committere, vt quod nonnulli Medicorum faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex thapsia, & sinapi componitur, applicant,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 691 sur 927

applicant, id ipsi quoque faciant, quando si ex calida intemperie caput malè habet, alia medicamenta noceant. Expedit igitur hoc frequenti balneo, potabilis aquæ fouere, quò & calidos vapores, qui in capite sunt, euocemus, & totum corporis temperamentum melius reddamus, &c. Repetit *lib. 13. meth. cap. 22.*

NVMERVS IX.

De Fame canina.

DE causis famis naturalis, diximus suprà, *cap. 1. num. 5.* nunc ad causas famis præternaturalis accedamus, asserentes eas in duplici esse differentia: aut enim ab auctis causis famis, originem ducit, quas *loc. cit.* binas esse affirmamus, scilicet suctionem venarum, & influxum melancholiæ, & hæc canina appellatur; aut denique ex redundantia prauorum, humorum scaturit, qui in ventriculo pertinaciter inhærent, quæ ab auctoribus pica nuncupatur; in qua an similia, vel dissimilia appetantur edulia, illis qui in ventriculo stabulantur, determinauimus graphicè. *lib. 3. Hist. PP. in com. Hist. 17.*

Huius, sicut & famis naturalis, præcipuum esse organum os ventriculi, est affirmandum, quia licèt in reliquis membris fiat etiam indigentia, non est tamen verus suctus; facilè enim cedunt venæ, & eis iecur, atque ei ventriculus. Est itaque canina appetentia, deprauatus cibi appetitus, in intensione, seu magnitudine peccans, ex oris ventriculi vitio prodiens.

Causa, est corporis inanitio, quæ concitari potest ab extrinseca caliditate, exercitij videlicet æstiui, balnei, vel à victu parco, famis tolerantia diuturna, superflua vigilia, veneris immodico vsu, vacuatione aliqua insigni, vermibus, colliquante febre, & ab alia quauis causa calida, quæ corpus dissipare nata est. Et hæc dici potest illegitima apperentia canina; nam vera concitari non potest, quousque ventris os frigido aliquo intemperamento affectum sit, quo factum imbecillius, alimentum ingestum, nec continere, nec conficere valeat idque protinus vomendo reiiciat. Quo fit, vt vera & genuina caninæ appetentiæ ratio, potiùs sit acidorum succorum, siue pituitosi sint, siue melancholici, copia, os ventris, & ejus substantiam permeans, vt Galenus testatur, *6. epid. sect. 3. com. 37. & 6. de loc. cap. 1.*

Sed dubitari potest, de quo etiam diximus, *lib. 1. cap. de melancholia: Verùm immodica portio melancholiæ, ab splene ad ventriculi os præternaturaliter transmissa, famem caninam excitet?* Nam quemadmodum sanitatis tempore, modica portio melacholiæ, ab splene ad vētriculi os naturaliter delata, non exiguam præstat ad appetendum commoditatem, quin & ad alia naturæ opera; sic immodicè, & præternaturaliter confluens, vitiat, nonnumquam destruens, sæpe appetentiam excitans vitiosam, & contumacem. Cùm enim naturalis fames à diuulsione, ac morsu sugentium vasorum excitetur, & melancholicum excrementum acetositate, qua pollet, *2. de facult. nat. vlt.* morsum inferat suctui vasorum similem, & quem ventriculus non potest ab illo venarum discernere, appetentiam proritat naturalis affectus similitudine, sed immodicam & deprauatam, *1. de caus. sympt. 7. 2. Aph. 21. 6. epid. cit. 15. 3. tract. 1. cap. 2. & tract. 2. cap. 1.* Auerrhoës firmat, *3. collect. 32.*

Nec mirum, excitari stomachum ad famescendum, perinde ex melancholiæ, atque ex venarum morsu, quia non dissimiliter etiam pulmo, ex nudo immaterialique frigore, à quo molestatur, quàm ex contento intra se humore, ad tussim mouetur. Addendum, promoueri etiam à melancholico succo appetitum, quia, vt inquit Aretæus *1. de diuturnis affectibus, cap. 5.* vigilare facit; *vigilia* autem edax, *6. epid. sect. 4. text. 20.* eo quòd digerit, dissipat, & dissoluit; ad dissolutionem verò penuria, & indigentia sequitur, atque adeò fames, in reparationem & subsidium dissoluti.

Verum quidem est, quòd appetitum deiicit, & subuertit melancholia, vbi præ maligna, aut acri qualitate, magis pungit & stimulat ad expellendum, quàm acetositate acuat ad attrahendum; atque hinc, fastidium ingens, præsertim cum nausea, aut vomitu, pernicioſum in morbis habetur, tum propter virium dissolutionem, quæ ex omnimoda abstinentia timetur, tum quia indicatur subesse maligna qualitas, non patiens naturam quidpiam attrahere, recipere, aut retinere.

A frigido ergo oritur ventriculi intemperamento canina fames, vt retur Galenus *2. Aph. 21. §. Cùm enim canini appetitus, vel propter solam intemperaturam frigidiorem, vel proper humores acidos fieri consueuerint, quos exorbuit os ventriculi,* & Quoniam frigidus ventriculus appetit valenter: cuius explicandæ dubitationis gratia, illud enucleandum: *Vtrùm ventriculus frigidus magis appetat, quàm concoqueat; calidus verò è contra?*

Hanc propositionem stabiliuit Galenus *lib. art. med. cap. 62.* quæ triplici modo potest intelligi: primo modo, vt comparetur coctio ventriculi calidi, cum coctione ventriculi temperati, & appetitus frigidi ventriculi, cum appetitu ventriculi temperati. Quòd autem calidus meliùs concoquat, quàm temperatus, & frigidus magis appetat, probatur ex Galeno *1. de caus. sympt. c. 3.* docente auctum calorem, quando ob sui excessum non adurit alimenta, coctionem promouere, præsertim si alimenta dura sint, & difficilia concoctu. Sed aliquando calor excedit moderatè, & cibos non adurit. Ergo tunc temporis meliùs concoquet, quàm temperatus. Secundò. Quælibet facultas naturalis addicta est huic, vel illi temperamento, ad suam actionem, vt concoctrix calori. Ergo in calido temperamento meliùs perficietur concoctio, quàm in temperato. De frigido autem, quòd magis appetat, quàm temperatus, experimento probat: Nam aduentante hyeme, ventriculo circa partem superiorem infrigidato, tantùm abest vt appetitus minuatur, quin potiùs augeatur: Ergo ventriculus temperato frigidior, similiter magis appetet, quàm temperatus.

Hanc sententiam eximiam licèt approbem & confirmem, tamen cùm vnaquæque pars temperata, eandem habeat rationem cùm toto; hoc autem temperatum perfectiores edat operationes, quàm quodlibet intemperatum, vt *1. de temp. cap. vlt.* & *in art. med. cap. 8.* & *lib. de const. art. med. cap. 3.* confirmat Galenus, fit vt ventriculus temperatus magis concoquat, & appetat, quàm calidus, & frigidus.

Neque obstat prima ratio, desūpta ex Gal. *1. de sympt. caus. cit.* Etsi enim ventriculus calidus multùm concoquat, non tamen ita perfectè, sicut temperatus; præstantia enim cuiusque actionis, non penes intentionem, sed perfectionem cognoscitur. Neque obstat secunda: quia quamuis quælibet facultas addicta sit huic, vel illi intemperamento, vt concoctrix calido; nihilominùs non excessu caloris, sed moderato calore gaudet ac perficitur. Quare Gal. *2. de temp. 6. longè post princ.* de vētriculo agens temperato, dixit: *Ventriculus quidem bene cocquit, si temperatus est; malè, si intemperatus: per calorem quidem, si ructus edit nidorosos; per frigus verò, si acidos, &c.* Neque experimentum de ventriculo temperato, qui ob infrigidationem magis appetit, omnino est certum; hic enim appetitus non per se, sed ex accidenti contingit, & ideò magis appetit, quàm possit concoquere, & plura illi aderunt excrementa, quàm antea: corpus autem temperatum non magis apperit, quàm possit concoquere, & ideò pauciſſima supererunt recrementa, ex Galeno *lib. art. medic. cap. 81.*

Secundo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 692 sur 927

©BIUM

Secundo modo ſententia Galeni poteſt explicari, ſi ad contrariam diſpoſitionem compara tio fiat, ita vt ſit ſenſus: Ventriculus calidus magis concoquit,& minùs appetit, quàm ventriculus frigidus; & è conuerſo, hic magis appetit, & minùs concoquit, quàm calidus. Hæc expoſitio etſi placeat doctiſſimis, mihi haud arriſit vnquam: In ventriculo enim calido, maior eſt reſolutio humidi, quàm in frigido. Sed ad proportionem reſolutionis,ſe habet tam naturalis,quàm animalis appetentia. Ergo in calido ventriculo maior erit appetitus, quàm in frigido. Ea enim quæ in aliquem finem collimant, debent eſſe proportionata fini. Sed appetitus humidum deperditum ſolùm inſtaurare conatur. Ergo, &c.

Præterea ad vitæ conſeruationem, neceſſum erat ventriculum calidum, maiorem alimenti quantitatem aſſumere. Ergo cùm natura in neceſſariis non deficiat, maiorem appetitum illi, quàm frigido præſtare debebat.

Tertio modo explicari poteſt prædicta ſententia, ſi fiat comparatio coctionis ventriculi, ad ipſiuſmet appetitum, & appetitus ad coctionem, ita vt ſit ſenſus, quòd in ventriculo calido maior ſit concoctio, quàm appetitus;in frigido verò è conuerſo.Hæc expoſitio inter omnes probabilior eſt: cum hoc tamen ſtat,ventriculum calidum maiorem habere appetitum, & coctionem, quàm frigidum. Teſtimoniis verò, & rationibus quæ ab aliis ſolent adduci,ſatisfacias quæſo verbo vno: nempe ſi caliditas in ventriculo calido, poteſt deiicere appetitum, reſpectu ſuæ propriæ concoctionis; & frigiditas in ventriculo frigido, poteſt promouere appetitum,reſpectu concoctionis ſuæ.

Obiicies contra prædictam doctrinam: Si ventriculus calidus magis concoquit,& minùs appetit,& frigidus è conuerſo, ſequeretur quòd alimentum ventriculo calido, in maiori quantitate debeat offerri, quàm fuerit appetitus; frigido verò in minori, quod à ratione videtur alienum: Nam Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.*7. §. *Ex cibo enim nullus*, & 13.3.*tract.*1. *cap.vlt.* §. *Illo autem*, *&c.* docet ſemper à menſa eſſe ſurgendum cum reliquiis famis:quare Hippocrates 6.*epid.ſect.*4.*text.*22. in duobus ſanitatis tuendæ præcepta repoſita eſſe confirmat: *Exercitatio ſalubris*, *non ſatietas cibi*, *promptitudo ad labores.*

Dic. Alimenta ob duplicem appetentiam aſſumuntur, aliam veram & naturalem, quæ ex diuulſione ventriculi originem ducit; alteram fictam, ſeu voluptuoſam, ex recordatione anteactæ voluptatis factam. Iam verò ſecundùm priorem appetentiam, de qua Galenus *lib. art. med. cap.*62. ventriculo temperato tantum eſſe concedendum affirmat, quantum appetat; calido magis; frigido minùs. Secundùm verò poſteriorem, de qua intelligendus eſt Auicenna *in dictis locis*, omnibus ventriculis minus eſſe condonandum, quàm pro deſiderio appetant, affirmat. In hunc enim finem conſeruatrix Medicinæ pars inuenta eſt,quæ quantitatem, qualitatem, & ordinem in ingerendis cibis exactè præſcribit.

Dignoſces facilè cauſas huius affectus, ſi eas quæ præceſſerunt, agnoueris: nam ſi euacuatio aliqua immodica per aliquam corporis regionem non præceſſit, exiſtimandum eſt ex frigiditate ventriculi proficiſci, præſertim ſi ructus acidi ægrotantem moleſtent. Periculoſiſſimus eſt affectus hic,quoniam in hydropem,aut tabem ſæpe commigrat.

Quòd ſi à vehementi, & nimia corporis fiat inanitione, iis occurrendum quæ ſpiritus exhauſtos reficiant, vt odoramenta: quòd ſi hæc alimentoſam ſortiantur naturam, erunt commodiora, vt vinum, quod citiſſimè vtramque ſubſtantiam inſtaurat. Si verò ex acido, vel alio vitioſo ſucco emanet, ori ventriculi, vel ſubſtantiæ tenaciter impacto, vomitus ſummopere prodeſt: Purgatio vtilis eſt, facta iis quæ intemperiem frigidam corrigunt, & humores è ventriculo expurgant, ſecant, liquant, fundunt, vt Agaricum, Turpethum, Terebinthina, Hiera. Diuretica multo ſunt vſui,vt decoctum ex Thymo, Origano, Hyſſopo, Pulegio: condîta è ſpeciebus calidis,vt Aromatico,Diarrhod. Dianiſo, &c. Sin autem hæc finem non conſequantur, vtere decocto Ebeni, vel Smilacis aſperæ, per plures dies exhibito.

OBSERVATIO.

Ad famem caninam ex frigiditate ſubortam, vinum generoſum præſtantiſſimum.

QVinquagenarius in victu ſobrius,& parcus,& qui cùm eſſet flatuum in ventriculo inundantium copia diſtentus, ab omnibus praui edulij ſuccis, & flatulentis cibis penitus abſtinebat: Ecce ſubitò incidit in imaginationem vanam, qua ſe condemnatum eſſe ad inferos proclamabat. Verùm etſi eſſet immorigerus, & ad præſidia medica ferenda contumax & rebellis, tamen cereuiſia, & interdum aqua, in qua folia ſennæ per noctem madebant,ebibita,balneo,hirudinibus ſedi affixis curatus eſt. Cæterùm poſt viginti dies, in tam ingentem famem lapſus eſt,vt omnia cibaria,cuiuſcunque ſortis eſſent, citra delectum, incompoſitè, & in magna quantitate, reluctantibus etiam domeſticis eſitaret, quorum ferè totam portionem, cùm non tolerararet ventriculus, reuomebat. Hic tandem vino hoc præſtantiſſimo, cuius potu nimiùm delectabatur, curatus eſt:Nam frigidam oris ventriculi intemperiem corrigit,expurgat clementer per aluum, acidos ſuccos extenuat,flatus melancholicos diſcutit,ſpiritus reficit,nutrit,& contra melancholiam vnicum eſt auxilium.

℞. *Vini maluatici*,℔.vj.*vini abſinthitis*,℔.iij.*aq.vitæ*,℔.ij *aq.ſtillatitiæ aniſi*,℔.j.ß. *aq.cinnamom.*℔.j. *Rhodomel.*℔.ß.*ſyrup.abſinth.*℥ v. *ambari*,ʒ iij. *moſchi*, ʒ j.ß. *Aloës elect.* ℥ j. *hieræ ſimpl. Galeni* ʒ v. *nucis moſchatæ*, ʒ iiij. *cinnamom.* ʒ iij. *aniſi* ℥ ß. *calami Aromatic.* ʒ iij. *ligni Aloës* ʒ ij. *menthæ ſiccæ*, M.j.ß. *ſacchari elect.*℔.ij. *aromatici roſati, dianiſi, diagalang. diacinnamom. an.* ʒ ij. *theriacæ* ℥ ß.*confect.hyacinth.* ʒ iij.*lapidis belzoar.* ℊ.xxx. Omnia in tenuiſſimum puluerem redacta, cum vino triduo reſeruentur, & quotidie bis agitentur: poſtea in balneo Mariæ reponantur & diſtillentur. Emanabit liquor ſuauiſſimus, fragrantiſſimus, colore rubeus, cuius vnciæ quatuor calidè, ieiuno ventriculo ebibitæ, ſummam flaccido ventriculo firmitudinem conciliant.

NVMERVS X.

De læſione guſtus.

QVæres primò: *Vtrùm guſtus organum inſipidum eſſe oporteat?* Inſipidum ſaporem inter ſapores eſſe connumerandum,ex eo Philoſophi arguunt, quòd à nullo alio ſenſu, præterquàm à guſtu percipi illud poſſit. Dicitur autem inſipidum, vt Galeno placuit *lib.de oculis*, *part.*5.*c.*1. ex eo quòd ad linguam accedens,nihil in ea facit, aut ob id, quòd nulla inſigni guſtabili qualitate guſtum afficit,nec dulcedine,nec a maritudine,nec aciditate;quod euenit ob maximam ſimilitudinem,quam obtinet cum organo guſtus: nam, vt Auerrhoës ait, *lib.*3.*de anim.com.*4. omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti. Hæc eſt cauſa, cur guſtus natura aquea,ſinceráque habeatur,& nec dulcedinis,nec acrimoniæ, nec acerbitatis, nec alterius ſaporis particeps, ſed quemadmodum aqua optima, omnis qualitatis, quæ ad guſtum attinet, expers eſſe cenſetur: nam ſi ſapor aliquis guſtui innatus eſſet,alium ipſe extrinſecùs

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 693 sur 927

©BIUM

percipere non valeret, quia teste Arist.3.*de anim.cap.*4. quod intus est,prohibet alienum.

Quæres secundò: *Vtrùm gustus animalibus varius fuerit concessus*? Respondeo affirmatiuè. Patet, quia quæ nobis insipida videntur, aliis animalibus sapida apparent, vt paleæ equis. Sic stercore humano,canes suauissimè vescuntur,nobis prorsus olfactu,& gustu perquàm horrendo, & cucumeres sylvestres asini auidissimè edunt,quos gustus noster tantopere renuit,& auersatur. Ratio est, quia, quemadmodum Galenus docet 8. *sec. loc.cap.*7. alimenta secundùm totam suam substantiam, proprietatem, ac familiaritatem habent, ad ea quæ aluntur, & *lib.*4.*simpl.cap.*10. dicebat, nec eduliorum, nec medicamentorum vnam esse animantibus omnibus speciem, sed pro sua vnamquamque familiari substantia,simul & affectione,tum delectari,tum iuuari ab vtrisque, atque ob id alia aliis apparere iucundiora. Quapropter, inquit Theophrastus *lib.6. de caus. plant. cap.*2. non solùm quod agit, verùm etiam quod afficitur, nosse oportet, præsertim cùm non idem sapor percipiatur ab omnibus, quippe nihil prohibet, vt idem censet Theophrastus, vt quod homini dulce est, id amarum aliqua ex reliquis animantibus sentiant, & è conuerso. Plinius itidem *lib.*10.*cap.*71. ex eduliorum multiplicitate, qua animalia vniuersa afficiuntur, coniectatur, non tactum solùm, sed etiam gustum cunctis inesse, nam cur alij alios sapores appetunt, si gustus expertia sunt? Et quemadmodum in saporibus, quibus illa delectari solent, diuersitas est, sic & in gustandi, edendique modo, discrimen reperitur: alia enim sugunt,alia lambunt,sorbent,mandunt,vorant. Sed de his satis: ad gustus historiam redeamus.

Quæro tertiò: *Vtrùm lingua, gustus organum sit constituenda*? Os inter alios vsus à natura est fabricatum, vt gustui inseruiat, licèt in eo munere præcipuum sit organum,lingua ipsa,cui profectò in gustandi munere, cæteræ partes oris veluti consentire videntur. Os enim præparationi ciborum, aëris susceptioni, & egressui dicatum est. Constat ex gingiuis,quæ dentibus firmandis sunt idoneæ. Adest & palatum, pars oris superior, in cuius extremo foramina duo conspiciuntur, naso contigua. Vuula appendet ea parte,vsque ad linguæ radicem, aërem attemperans, & compescens. Adsunt & fauces, quæ aperto satis ore conspicuæ sunt. Sunt etiam glandulæ vtrinque iuxta isthmum sitæ,perpetuò saliua os irrigantes. Ab his lingua præcipuum gustus organum visitur, quæ profectò in ore triplici officio fungitur: vno quidem solis hominibus proprio,cuius ministerio dicta est voluntatis nuncia; duo insuper habet officia,omnibus animalibus communia,primum est alimenta hinc inde in ore mouere, quò vndique ea atterat exactè, alterum ministerio gustandi assistere. De cuius figura, substantia,neruis,venis,ligamentis,frænulo,& musculis plura,scripsimus 6.*lib.Hist.PP.Medic.in com.Hist.*4.*sect.*1.*tit.de lingua.*

Oportuit,inquit Galenus 4.*simpl.*15.innasci animantibus organum,quod naturæ similitudines,ac dissimilitudines discernendi potestate polleret, quod cognoscens rerum naturas,familiaria quidem eligeret, aliena verò refugeret: huiusmodi ergo lingua est,quæ exuberanti sensu non calida modò,frigidáque,humida,atque sicca, sed etiam quæ familiaria, quæque non familiaria agnoscit. In hanc enim duntaxat particulam, complures inseruntur nerui,cùm aliæ omnes,aut vnius tantùm, aut duorum sint participes,nec eorum ipsorum ita magnorum tamen.

Sed superest explicandum quid sit sapor. Hic, auctore Theophrasto 6. *de caus. plantar. cap.* 8. partis est siccæ terrenæque in humido demistio: vel partis siccæ per humorem ex vi caloris percolatio, quod fortè à priori nihil defert. Arist.*lib.de sens.& sensibil.cap.*4. Saporem, passionem esse dicit, à sicco terreno in humido factam,gustus alteratricem,qui in potentia est, vt sit in actu: est enim in potentia eodem docente Arist.*lib.*1.*de anim. cap.* 10. *in fin.* gustus quidem instrumentum: gustabile autem id, quod gustum ipsum actu facere potest.

Cùm gustus officium sit, sapores diiudicare, vt idem Arist. est auctor 3. *Ethic. cap.* 10. Quærendum quartò: *Vtrùm saporum differentiæ, octonario numero comprehendantur*? Dic: Saporis species sunt acerbus, austerus, acidus, dulcis, pinguis, salsus, amarus, atque acris,qui sanè cuncti ad octonarium numerum sunt redigendi. Nec insipidum adiicias,siquidem hic à Theophrasto omissus est, 6.*de caus. plant. cap.*1. vbi ex professo de saporibus agens,eorum tantùm quos retulimus, mentionem facit. Auicenna etiam *lib.*2.*canon. tract.*1. *cap.*3. non videtur illum inter sapores connumerare, dum ait: *sapores esse penitus octo, & vnum priuatum sapore, qui est insipidus.*

Verùm si insipidum gustu solo,non sensu alio percipitur, atque cognoscitur, cogimur illud inter saporum species recensere, cùm sit nimirum sapor, partis degustatricis passio,sic tradente Arist.*lib.de sens.& iis quæ sentiuntur,cap.*1. Quemadmodum enim,scribente Galeno 6.*epid.sect.*1.*com.*29. febres tactu, ita sapores gustu sentiuntur. Accedit,quòd cùm insipidus,& sapores reliqui priuatiuè opponantur,debent omnes in eodem genere collocari, cùm hæc sit contrariorum lex, vt in eodem genere ponantur, & maximè distent. Igitur insipidus, ad saporis genus priuatiuè reducetur.

Deinde. Acerbus, & austerus non videntur specie differre,cùm sola intensione,& remissione differentiam obtineant; magis autem, aut minùs, vt Philosophi loquuntur,non variare speciem, notius est, quàm vt probari debeat. Sed quòd duo hi sapores, modo tantùm qui dictus est, & non alio differant, ex Galeno liquet, 4.*simpl.cap.*8. scribente,austerum, acerbum esse exolutum; quo fit vt sæpe vnum pro alio sumatur: & *lib.*1. *eiusdem operis,cap.*1. dicebat,acerbum ab austero intensione sola differre: quod similiter *lib.*1.*simpl. cit.* confirmat, dicens: *At quod nos adstringens vocamus, haud temerè à Theophrasto dictum reperias; videtur enim idem significare quod austerum,aut certè commune esse genus,tum huius,tum etiam acerbi.*

Insuper quæramus quintò: *Vtrùm sapor pinguis,dulcis, seu vnctuosus idem significent*? Pinguem, seu vnctuosum saporem à Theophrasto additum esse, & à Platone *in sermone de propriis linguæ sensoriis* prætermissum, paulò verò ante plantarum succis adscriptum,vbi vinosum ab oleoso,& melleo discernebat,ait 1.*simpl.cap.*38.& causam reddit dicens,pinguem à Platone omissum, vt qui ad gustum nihil attineret; pertinet enim magis ad tactum, quàm ad gustum: quòd si ad vtrumque attinet, cùm pluribus sensibus percipiatur, sensibile erit commune,& non vnius gustus proprium.

Cæterùm Arist. 2.*de anim. cap.*10. & *lib.de sens.& sensibil. cap.*4. manifestè sub dulci pingue complexus est. Galenum in hac re à multis dubium fuisse proclamatur: nam *lib.*4. *simpl.*9. cùm dixisset fructus oleosos & dulces esui solummodò esse aptos; deinceps *cap.*10. subdit,fortassis & pingue ipsum dulce existere,& quidquid nutrit,è genere esse dulcium. *Libro* tamen *primo eiusdem tractationis, cap.* 39. dulce, & pingue in hoc conuenire asseuerat,quòd ambo velut inungunt, atque implent,ac in statum suum exasperatas,ac veluti erosas linguæ particulas restituunt; differre tamen,quòd hæc omnia cum voluptate à dulci fieri contingat, à pingui verò sine voluptate.

Verumtamen quatenus pingue nutriens est,debet in dulcium genere contineri,si modò verum est,quod Galenus 4.*simpl.*9.& 25. toties repetit, nutrire præter dulcem qualitatem nullam omnino posse,& omnium quæ nutriunt communè dulcedinè esse,ac quicquid nutrit, aut

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 694 sur 927

©BIUM

aut plus, aut minùs eſſe dulce, ſubſcribens ſanè in hoc Ariſtoteli, *lib. de ſenſ. & iis quæ ſentiuntur, cap. 4.* dicenti, omnia dulci nutriri, vel ſimplici, vel mixtim. Vnde Auicenna *lib. 2. canon. tract. 1. cap. 3* impoſſibile eſſe dicebat, quin in omni nutriente apud Medicos inſit dulcedo aliqua.

Quæres ſextò. *Vtrùm acetoſus ſapor, idem ſit atque acidus?* Autumabit aliquis acetoſum ſaporem à prædictis eſſe diſtinctum: Verùm hic Auicennæ, idem eſt atque acidus; apud Galenum verò ſimplex, & impermixtus ſapor non eſt, ſed ex acido & acri permixtus, atque compoſitus, quod ex *4. ſimpl. cap. 12.* probari non incongruè poteſt, vbi ſic legitur: *Diuerſis itaque viribus, omphacis, acetique ſuccus conſtant, quippe quòd aceto accedat ex putrido calore acrimonia quædam: atque ob id Ariſt. rectè dixit, acetum proprio vini calore frigidum eſſe, adſcititio verò calidum; at omphacis ſuccus calorem non habet.* Et rurſus *lib. 1. eiuſd. operis, cap. 24. Acetum* (ait) *ex contrariis qualitatibus compoſitum eſt, perinde vt lac.* Vnde Serapio, *titulo de ſapore acetoſo: Acetoſitati aceti miſcetur acuitas, & punctio.*

Quæres ſeptimò. *Vtrùm ſapores ſinguli vario modo ſint explorandi?* Dic. Cognoſcuntur ſapores ſinguli ex affectione, quam linguæ imprimunt, eo modo quo docet Galenus *1. ſimpl. cap. 39.* cuius verba hæc ſunt: *Porrò quando quod linguæ noſtræ admotum fuerit corpus, valde deſiccat, contrahit, & in multam profunditatem vſque linguam ipſam exaſperat, ſicut pyra ſilueſtria immatura, & corna, eiuſmodi omne acerbum appellatur, ab auſteris intenſione duntaxat diuerſum. At quod nos adſtringens vocamus, haud temerè à Theophraſto dictum reperias: videtur autem idem ſignificare, quod auſterum, aut certè commune eſſe genus tum huius, tum etiam acerbi. Quæcunque verò linguam dum contingunt, non contrahunt eam, nec conſtipant, velut adſtringentia, imò contrà planè agere apparent, nempe detergere, & abluere, etiamſi adſtringentium quidpiam admixtum ſit, hæc omnia falſa cognominamus. At quæ hîc etiam magis detergunt, adeò vt etiam exaſperent, amara nominantur. Porrò quæ mordicant rodúntque, idque cum valida quadam caliditate, acria vocantur. Si verò ſine hac mordent, acida: cæterùm hæc fermentandi quoque vim obtinent. At quæ velunt inungunt atque implent, ac in ſtatum ſuum reſtituunt exaſperatas, ac veluti eroſas linguæ particulas, hæc ſi cum voluptate manifeſta contingant. dulcia; ſin hac ſine, pinguia vocantur.* Hæc Galenus. Ex cuius verbis facilè quiſpiam colligere poterit, quæ ſit cuiuſque ſaporis affectio, quæ natura.

Quæres octauò. *Vtrùm varij ſapores, varia temperamenta ſortiantur?* Dic. Ex ſaporibus acerbus, auſterus, & acidus, temperamento frigidi ſunt; dulcis, ſalſus, amarus, & acris, calidi, vt fuſa ſatis enarratione, *4. ſimpl. cit.* probauit Galenus, cui Auicenna ſubſcribit *lib. 1. tract. 1. c. 3.* inquiens: *Non eſt poſſibile, vt ſapores dulcis, amarus, & acutus, & ſalſus ſint niſi in ſubſtantia calida; nec ponticus, ſtypticus, & acetoſus niſi in ſubſtantia frigida.*

Porrò ex his, acris omnium eſt calidiſſimus, mox amarus, poſt hunc ſalſus, & deinde dulcis, cuius calor (vt ait Galenus *4. ſimpl. cap. 9.*) non immodicè calorem noſtrum exuperat, ſed velut aqua calida, cuius contactus voluptati eſt maximæ, vbi refrixerimus; hactenus videlicet nos excalfaciens, dum concretas frigore in nobis particulas fundat, non tamen ſoluat, ſecet, diſtrahátue continuum: ea enim, vt vtiliſſima eſt, & maxima afficit voluptate, ſic omne edulium dulce calidum ſanè omnino eſt, ſed non tanto calore excedit, vt is lædat ac moleſtus ſit, ſed inter limites ſe continet fundentis, læuigantis, ac mollientis.

Nec tamen cenſendum eſt, dulce omne calidum exiſtere: contingit enim modicè dulce aliquod eſſe frigidum, ſcilicet quando plurima corporis ipſius ſubſtantia, aquea extiterit, ſed non adeò tamen frigidum, vt id quod valde acerbum eſt, aut acidum, ſed ſicut illa potiùs, quæ tepidum calorem poſſident, quæ Galeni eſt ſententia, *4. ſimpl. 7.*

Sapor pinguis in calore, duci proximus eſt; nam ex tenui, non quidem ignea, ſed planè aërea materia naſcitur, quæ in calore, & frigore quodammodo temperata eſt, humoris tamen vtriuſque aërei particeps magis, ac proinde vis eius, atque facultas eſt relaxare, emollire, & humectare. Quare dulcia in medio amarorum, & inſipidorum collocare poſſemus, & contraria conſtituere amarum, & inſipidum.

Ad guſtandi verò ſymptomata accedentes, quæramus: *Vtrùm guſtus variis de cauſis auferatur, vel imminuatur?* Statuendum eſt, homines aliquando prorſus guſtu priuari, nonnunquam diminutè: & veros rerum ſapores percipere poſſe, ac non rarò in guſtus iudicio falli, exiſtimantes & iudicantes dulce, amarum eſſe, & ſapidum, inſipidum, & ſic vice verſa de reliquis ſaporibus, quos lingua falsò mentitur.

Hæc ſanè vitia prodeunt, vel à facultate animali, aut vitio nerui ad linguam deſcendentis, vel tunicæ ipſam veſtientis: quæ etiam vbicunque ſint, ſuboriri poſſunt vel à cerebri intemperie, vel à tumore, obſtructione, compreſſione, aut continui ſolutione: quod etiam contingit tunica linguæ intemperata, vel humore aliquo intus, aut extrà irrigata, aut tumore affecta, maximè cùm illi vniuerſus corporis apparatus conſenſerit, ſiquidem, vt Hippocrates rectiſſimè docuit, *6. epid. ſect. 3. text. 10. Lingua lotium ſignificat.*

Verùm frequentiùs guſtus deprauatur in febribus, vel quia lingua, & præſertim ſecundùm ſummitatem, vbi ex ſententia Ariſtotelis collocatur guſtus, imbuitur ſucco bilioſo, aut amaro, aut aliàs putrido; vel deprauatur, quando ex ventriculo vapores putridi, & praui exhalant in palatum, & linguam, adeò vt vehementer eam inficiant, nam tunica quæ veſtit linguam, eſt ea quæ ventriculum ambit, vt *4. acut. 13.* & alibi docuit Galenus. Tunc enim id quod eſt in lingua, impedit, ne extranei ſapores integri percipiantur.

Huic ſymptomati diligenter opitulandum, nam ægri guſtu priuati, alimenta abhorrent, & hac ratione deficiunt, & extenuantur nimis, & præſertim in peſtiferis febribus, in quibus *3. epid. ſect. 3. com. 17.* ſcribit Galenus, vſque adeò ægros, & guſtum, & appetitum habuiſſe impeditos, vt ampliùs mori mallent, quàm cibum aſſumere.

Curatio autem propria eſt, quæ febribus vtilis eſt, cùm enim tunica ventriculi bilioſo, amaro, putridóque ſucco ſit imbuta, & ex conſequenti hoc humore lingua ſit delibuta, fit ratum, vt ſanguiniſmiſſio, pharmaca expurgantia, clyſteria, tum ab ore ventriculi, tum à lingua, vapores & humores detergant, & abluant. Lingua eſt abſtergenda aqua hordei, ſero lactis, Syrupo Roſaceo cum melle Roſaceo permixto.

OBSERVATIO.

Contra læſionem guſtus, Syrupus expertus.

PLura ſunt quæ ventriculum, & linguam abſtergere queunt, ſed nullum efficacius eſt auxilium peponum ſucco: ſi non inueniatur, vtere ſucci acetoſæ, & portulacæ, an part. æquali, ex quibus cum ſaccharo ſecundùm artem fit ſyrupus in hunc vſum expertiſſimus. Hoc ablui poteſt lingua, & totum os: quin etiamſi deglutiatur, mirandum in modum ventriculum à putridis humoribus abſtergit. Deinde febris acrimoniam retundit, acres ſuccos contemperat, lentos ſiqui in ventriculo redundant, ſecat & attenuat, appetitum excitat, ſitim reſtinguit, ſomnum procurat, & peſtiferis febribus magno eſt ex vſu.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 695 sur 927

©BIUM

NVMERVS XI.

De Ventriculi dolore.

DE Ventriculi dolore, debilitate, languore, nouem historias sumus interpretati *lib.2.Hist.Princ.Med.* à 53. incipientes, nunc sat sit dicere, ventriculi dolorem vel contingere in febribus acutis, & malignis, vel in chronicis & diuturnis. Quum enim humor malignus, in ardenti, & pestifera febre, virulentus & mordax, à toto confluit ad ipsum, excitatur cardialgia, & cardiogmos, hoc est, morsus stomachi, & dolor: videtur enim ab hoc acri succo ipsum morderi & lancinari, & præsertim os eius, quod cùm maximè sensile sit, promptiùs noxam persentiscit.

Hac de causa, ob dolorem nempe, vires prosternuntur, ægri fiunt exanimes, & ducto in consensum cerebro, cum quo maximam sympathiam ventriculus obtinet, accidit conuulsio, superuenit delirium, vigilia infestat, & alij cordis & heparis superueniunt affectus, qui ægrum miserrimè torquent atque fatigant. Ob dolorem enim corpus non nutritur, cruditates generantur, & tandem obstructiones continguunt, & spiritibus, ac humoribus excandescentibus, & inflammatis, febris acrior redditur, & intensior.

Hoc symptoma curata causa, & vacuato humore mordaci & acri, eóque attemperato conquiescit: nam pugnandum est alexiteriis, iulapiis, ptisana, refrigerantibus clysmis, sectione venæ, clementibus pharmacis, & aliis, quæ huius humoris naturam venenosam, acrémque coërceant, & refrænent. Ori ventriculi frigorifera cum anodynis permixta imponenda. Totum ouum cum lacte muliebri, & rosacea permixtum. Offa panis succo Peponum, Acetosæ, Pampinorum vitis, oleo Omphacino irrorata, addito Pulu. Coral. Ros. Margarit. Præparatar. Non inutile erit, vesicam bouinam ori ventriculi, lacte, vel muliebri, vel caprino semiplenam imponere. Si verò dolor ferociùs inualescat, pugnandum narcoticis, vt requie Nicolai, Philonio, & aliis.

In diuturnis febribus, à crasso humore subortis, dolor ventriculi suboriri consueuit, quoniam pituitosus humor copiæ grauat, flatu distendit, ac premit. Curandus ad curationem causæ efficientis febrem, & aliis quæ pro curando colico dolore à flatu suborto, à Medicis celebrati solent auxiliis, quorum formulas suprà *cap.2.num.1.* prædiximus.

OBSERVATIO I.

Ad ventriculi dolorem intensissimum, ex causa calida prognatum, syrupus eximius.

QVidam cùm febre maligna esset vehementer oppressus, tempore æstiuo, & oris ventriculi dolore, cum vomitu bilioso, per interualla quateretur immaniter, eum ferina oppressere symptomata, delirium, conuulsio, vigilia importuna, & alia, quæ imminentem mortem præsagiebant certissimè. Plura, variáque tentata auxilia, quæ inutilem vacuarent humorum copiam, humoris mordacitatem coërcerent, roborarent ventriculum, & venenosam qualitatem refringerent. Hæc autem nullam attulisse opem, constitit apertè, donec hoc solo syrupo, quater in die oblato, duarum vnciarum pondere, à dolore euasit omnino, à cæteris symptomatis mitiùs se habuit, & sanitatem excitata hæmorrhagia die 36. est consequutus.

℞. *Succi portulac. & succi fol. plantag. an.* ʒ ß. *succi pepon.* ʒ ij. *succi acetos. scorzoner.* ʒ j. *succi pimpinellæ, & scabiosæ, an.* ʒ j. ß. *succi scordij,* ʒ ß. *succi ros. rubrar.* ʒ ij. *succi pampinor. vitis,* ʒ iij. *succi limon.* ʒ iij. ß. *succi citri acidi,* ʒ ß. *succi cortic. citri bene matur.* ʒ j. ß. *succi absinth.* ʒ iij: *succi menthæ,* ʒ ß. *succi fol. papaver. albi,* ʒ ß. *succi flor. violar.* ʒ j. *succi flor. nymphææ,* ʒ ß. *succi cydoniorum.* ʒ iij. Omnia secundùm art. misceantur cum saccharo albissimo, permixtis ʒ ij. Philon. Persici, Croci Orientalis, ℈. ix. & fiat syrupus aromatizatus ℈. xxxx. Belzaartici lapid. Orientalis, & ʒ ij. Specier. Diamargarit. Frigid. & ʒ j. Specier. Diarhodonis Abbatis.

OBSERVATIO II.

Ad dolorem ventriculi ex frigido succo, & flatu suborto, in chronicis febribus, puluis vtilissimus.

QVi febribus productis laborant, obstructionibus scatent, cruditates patiuntur, infausta coctione ventriculi, eiusdémque dolore premuntur, & flatu melancholico redundant. Hic puluis pro complendis omnibus his intentionibus confert, & à me est sæpissimè expertus, si potum quemlibet eo irrores, vel vigesies in die, quantitate scrupuli vnius.

℞. *Cinnamom.* ʒ ij. *aromatic. ros. diarhod. Abbat. an.* ʒ j. *myrobalanor. nigror.* ʒ j. *rhab.* ʒ ß. *rhapontic. veri,* ʒ ij. *Zingiber.* ʒ ß. *caryophyllor.* ʒ j. *macis,* ʒ ß. *galang.* ʒ ß. *zedoariæ,* ʒ ij. *puluer. pelliculæ interioris ventriculi gallinæ,* ʒ ij. *ligni aloës,* ʒ iij. *liquiritiæ,* ʒ iiij. *coriandri præparati,* ʒ iij. *cornu cerui,* ʒ j. *ossis de corde cerui,* ʒ ij. *anisi, fœniculi, an.* ʒ j. ß. *coriandri præparati,* ʒ j. *spicæ nardi, cardamom. an.* ʒ ij. *mastich.* ʒ ß. *ros. rubrar.* ʒ iij. *scobis eboreæ,* ʒ iiij. *asplenij, adiant. eupatorij, an.* M. ß. *margaritar. præparat.* ʒ ij. *lapidis belzaartici,* ℈. xxx. Omnia puluerentur tenuissimè, & irrorentur vino odorifero, siccentur ad vmbram, misce *Moschi,* ℈. xx. *ambari,* ℈. xij. *sacchari ad pondus omnium.*

NVMERVS XII.

De Siti.

DE Siti, eiúsque immediata causa, *lib.2. Hist.Princ. Med.in com.Hist.72.* protulimus plura. Hæc prauissimum est symptoma, cui si sit insatiabilis, illicò succurrendum docuit Hippoc. *lib.6.epid.sect.3.com.33.* dum os claudere, & tacere imperat. Auicenna aliquid retinendum esse in ore adnotauit, *1.4.tract.2. cap.10.* dum sic ait: *In principio assiduare gutturi patientis ægritudinem acutam, aliquid, vt remaneat os, & guttur humidum, & non exiccetur, est iuuatiuum valde:* subscribit Aëtius *tetrab.2. serm.1.cap.78.* Quare proprium remedium est abluere os aqua frigida, aut hordeo decocta, cui tantillum aceti permisceatur, aut vini albi, seri lactis, aut lactis caprini. Vtile est etiam in ore versare frustulum peponis, cucumeris, caulis lactucæ, folium lactucæ, pruna passa, aut eorum nucleos, aut mucilaginem seminis psyllij, aut cydoniorum.

Præterea linguam à fuliginibus detergere oportet, semine psyllij in ligatura, aut cydoniorum: psyllium autem ex interuallis permutandum est; interna enim eius pars est acuta, corrosiua, & venenosa. Quòd si ægri siti intolerabili crucientur, necesse est, vt dictis remediis non conquiescant, & illis tantillum aquæ concedendum, vt sitis fedetur, & molestia auferatur, tunc enim maior vtilitas sequitur ex potu, quàm sit noxa ex ablato potu, quod mirificè docuit Galenus 7. *meth. 6. ante fin.* ℣. *Verùm si sitibundi fuerint.*

His præsidiis refrigerata lingua & humectata, alteratione per continuum facta, vsque ad os ventriculi, sedatur sitis, quæ ex caloris copia, & humoris inopia ortum ducit, *1. simpl.30.* Somnus etiam sitim sedat, docente Hippocrate *6.epid.sect.4.com.33.* & Auicenna *1.4. tract.2.cap.17. ad fin.* sic ait: *Et sitis quando fit ex siccitate, abscindit eam somnus; & quando fit ex calore, abscindit eam vigilia.* Tussis etiam leuiter irritans, tussim sedare

ſedare poteſt, ex Hipp. 4. *Aph.* 54. Quum verò in lingua, ob excedentem ſiccitatem, excoriationes fiunt, abluenda eſt cum ſaccharo, ſero lactis, lacte caprino, aq. Hord. cui ſyrupus Roſaceus ſit permixtus. Fauces, aut ſubmentum lenientibus abluere oportet, vt oleo violaceo, butyro vaccino, lacte muliebri, aqua Roſar. & cum cera, & mucilagine ſeminis pſyllij, fiat linimentum.

OBSERVATIO.

Loch, ad ſedandam ſitim, vtiliſſimum.

℞. Mucilaginis ſemin. pſyllij, & ſem. citoneor. an. ℥ ß. ſacchari candi violati pulueriſati, amyli, tragacanth. an. ℥ j. ſyrup. violac. q. ſ. Miſce.

NVMERVS XIII.

De Animi deliquio, & ſyncope.

DE animi deliquio & ſyncope, plura ſatis *lib.* 2. *c.* 9. de ſyncope *lib.* 2. *Hiſt. Princ. Med. Hiſtor.* 42. *cum ſeqq. &c.* Hæc enim pathemata, præſertim in febribus malignis contingunt, in quibus venenoſa qualitas, ſpiritus vitales reſoluit, ac cordis temperamentum labefactat; quare hoc viſcus à deleteria aura præcipuè concuſſum, propriam operationem exercere nequit. Curatio in refractione huius malignæ qualitatis, ſpirituum refectione, conſeruatione proprij temperamenti conſiſtit.

Has omnes indicationes complent alimenta optimi ſucci, facilis coctionis, & diſtributionis, quibus Alexipharmaca medicamenta admiſcere oportet, quæ temperata ſint, ac febrilem calorem non intendant, ſed magnam ſpirituum copiam regenerent, & cor ad proprium temperamentum reducant. Inter hæc, & plura quæ *cit. loc.* protulimus, ius Gallinæ hoc modo paratum, obtinet principatum.

℞. *Iuris caponis*, ℥ vj. *iuris gallinæ*, ℥ vij. *aq. naphæ*, ℥ j. ß. *vini albi odoriferi*, ℥ j. *vitellor. ouor.* Num. ij. *electuar. de gemmis*, ℥ j. Miſce, & hoc liquore vtatur æger pro potu continuo. Vel hac diſtillatione ſolùm.

℞. *Carnis arietin. ſine adipe*, ℔ vj. *capones duos, gallinas duas iuuenes.* Contundantur carnes, inſpergantúrque ſupra ipſas, *Pulu. margaritar. preparat. diamarg. frig. diamoſchi dulcis, ſpecier. diatrium ſantalor. an.* ℥ j. *pulu. cortic. citri, ſem. ocetoſ. an.* ℥ ij. *electuar. de gemmis, confect. hyacinth. confect. alkermes, an.* ℥ ß. *folior. auri*, Num. vj. Omnia repoſita ſec. art. in Balneo Mariæ, diſtillentur. Cuius diſtillationis, manè, ante prandium, vel ante cœnam, vel ſingulis quatuor horis, accipiat æger vnciã dimidiam.

OBSERVATIO.

Ad animi deliquium, & ſyncopen, vnguentum perutile.

INter varia Vnguenta, & Epithemata, quæ ars noſtra ſumma cum vtilitate cordis regioni pro corrigendis his diris pathematis, imponere iubet, hoc vtor cum emolumento ſummo.

℞. *Vnguenti naphæ.* ℥ ij. *pulu. diatrium ſantalor. diamarg. frig. an.* ℥ j. *elect. de gemmis, confect. hyacinth. an.* ℥ ß. *ſpecier. diambræ, & diamoſchi dulcis, an.* ℈ j. *ſucci pomor. redolentium, ſucci pimpinel. & ſcordij, an.* ℥ vj. *olei de ſcorpionibus Matthioli*, ℥ ß. Miſce, & fiat linimentum.

NVMERVS XIV.

De Cordis palpitatione.

COrdis palpitationem à flatulenta materia oriri, latè *lib.* 2. *Hiſt. Princ. Med. in com. Hiſt.* 40. & *l.* 2. *huiuſce Operis, cap.* 8. determinauimus. Cùm enim febris natiuum calorem minuat, & depopuletur, ex eius imbecillitate, flatuum copia in corpore excreſcit, qui cùm maligni ſint, cor præſertim in febribus venenoſis lancinant, premunt, fatigant, ad quorum excretionem viſcus inſurgens palpitat.

Curatio in eo conſiſtit, vt roboretur cor, abſumantur flatus, venenoſa qualitas retundatur. Primum aſſequemur vnguentis, epithematis, ſacculis, & aliis extrà applicitis, quorum vi, & ope hoc viſcus flaccidũ, & ab aura venenoſa aſſiduè concuſſum, robuſtius fiat, vt tanto malo reluctari poſſit. Horum formulas *cit. loc.* propoſuimus. Flatus reſoluentur medicamentis temperatis, quæ non inflamment, ſicut maligna qualitas refrænabitur alexiteriis, *ſuperiori numero* deſcriptis.

OBSERVATIO.

Ad palpitationem cordis in febribus ortam, Electuarium optimum.

℞. Conſeruæ myrobalanor. nigror. conſeruæ myrobalanor. citrinor. an. ℥ iiij. *conſeruæ bugloſſ.* ℥ ij. *lapid. belzaar.* gr. xx. *ſcobis eboreæ tenuiſſimè puluerat.* ʒ ij. *cornu monocerotis*, gr. x. *cornu ceruini*, ʒ j. *confect. hyacinth.* ʒ iij. *pulu. ſcordij*, ʒ ij. *aniſi*, ʒ ß. *cinnamom.* ʒ j. *ſucci cortic. citri*, ℥ ß. Cum ſyrupo de ſcorzonera, & corticibus citri, excipiantur omnia, & fiat Electuarium.

NVMERVS XV.

De Verminatione.

ETſi *lib.* 2. *Hiſt. Princ. Med. in com. Hiſt.* 68. de vermibus ſint recitata plura, præſtat tamen quæ deſunt, hoc loco addere breuiſſimè. Quemadmodum ergo in magno mundo, animalia quædam non ex ſeminibus, ſed ex putredine generationem habent: ita quoque proportionabiliter in paruo mundo, parua quædam animalia gigni conſueuerunt; vnde vermes quoſcunque ſobolem eſſe putredinis, aut putrentis materiæ, adeò apud omnes in comperto eſt, vt de hoc vnquam dubitauerit nemo. Igitur, vt in prouerbio ferè eſt, putredinis mater eſt humiditas, ideò ex humida materia, & in humidis corporibus, vt Gal. ait 4. *ſimpl.* 20. imò & in locis humidis, vermes gigni frequentiùs ſolent: nam locus ad eorum generationem nonnihil confert. Præterea verò cùm humiditas nihil poſſit, niſi accedat etiã calor, præſertim verò in generandis vermibus, cùm neceſſe ſit, vt calor omnino materiam ſuperet, præcipuè ſi animal procreandum ſit, ex Gal. 3. *Aph.* 26. inde fit, vt calor fortior ſit neceſſarius ad generandos vermes, ex putri materia, quàm ad aliam putreſcendi rationem.

Quæres primò: *Vtrùm tres in vniuerſum aſſignandæ ſint lumbricorum ſpecies?* Reſponde affirmatiuè. Alij enim ſunt lati, alij teretes, alij aſcarides, prout Ariſtoteles *lib.* 5. *de hiſt. animal. cap.* 10. Galenus, & cæteri Principes confirmant, præter Hippocratem, & Celſum: Nam hic aſcarides, ille verò latos, ſilentio prætermiſit, licèt Hippocrates *lib.* 4. *de morb. iuxta finem*, lati mentionem fecerit dum ait, *hunc in puerulis intra matris vterum adhuc exiſtentibus, veluti & teretes produci. In Aphoriſmis* tamen lumbricum latum prætermiſit, cuius cauſam tradidit Galenus 3. *Aph.* 26. dicens, *Hippocratis non fuiſſe propoſitum, de omnibus agere paſſionibus, quæ mortalibus eueniunt, ſed de illis tantùm, quæ in ſingulis fiunt ætatibus.* Quare mirum non eſt, ſi *in Aphor.* lumbrici lati non meminerit, vt qui nulli conueniat ætati. Celſum ob id aſcarides ſubticuiſſe dicere poſſumus, quia hi nõ ita crebrò homines infeſtant, ac reliqui, nec adeò ſæua inducunt ſymptomata, veluti lati, teretéſque, ſed imæ tantùm ſedi pruritum, & commotionem excitant.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 697 sur 927

©BIUM

Auicennam autem si diligentiùs introspiciamus, tres, non quatuor species, velut nonnulli falsò arbitrati, agnouisse inueniemus: nam per longos, vnam; per latos & rotundos, alteram; per ascarides, paruos seu minutos, tertiam intellexit: vt probanda sint ea exemplaria, in quibus tres, non in quibus quatuor, in capitis titulo, initióque proponuntur.

Quæres: *Ex tribus speciebus quæ frequentior?* Dic. Primam esse constituendam: nam secunda est infrequentior: tertia medium locum habet. Fecit autem solummodò 2. *progn.* 28. Hippocrates mentionem de rotundis, teretibusue, non verò de iiis qui ascarides, nec qui lati, cucurbitiniue dicuntur, quia illi in recto intestino gignuntur, &ipsine deiectione ferè semper descendere solent: hos verò cùm ratò admodum gignantur, non ignorans bonum quoque esse, sine deiectione descendere, quorum generatio (esto vera) sit 3. *Aph.* 26. ingentis,& immensæ ferè longitudinis, ita vt intestinorum longitudinem adæquare videantur, qui ob amplitudinem, prolixámque longitudinem, fasciæ, & tæniæ nuncupantur, vt Paulus *lib.*4. *cap.*58. Aëtius *tetrab.*3.*serm.*1.*cap.*4. arbitrantur.

Non desunt, qui tantos auctores reprehendere sint ausi: nam hæc species, non ramenta, aut intestinorum pelliculæ in vermes sunt versæ. Hos tamen defende: licèt enim afferant esse versionem internæ tunicæ intestinorum, in viuum corpus: Eorum dictum per metaphoram accipiendum; si namque vera esset membranarum versio, non adderent similitudinis insinuationem, scilicet, vt ita dicam.

Quid ergo est hoc, quod Paulus, & Aëtius veluti membranam appellarunt? Dic præter duas membranas, quibus intestina constant, in munimentum biliosæ, & erodentis fæcis, datur tertia quædam substantia, per vniuersa intestina parte interna diffusa, adiposa quidem, pinguis, & lenta, quò inflammanti ex motu calori repugnaret. Hanc tertiam substantiam per intestina fusam, vocarunt Paulus & Aëtius veluti membranam, quam totam in latum lumbricum verti, ex lumbrici longitudine satis constat. An verò ex quolibet humore præterquàm pituitoso,& num solùm in intestinis generentur, lege *lib.*2.*Hist.cit.*

Illud modò tertio loco quærendum: *Vtrùm inter ætates pueritia, & adolescentia,ad lumbricorum generationem sint aptiores infantia,& senectute?* Dic. Licèt in infantibus corrumpantur excrementa, putrescántque, nondum tamen eorum calor ita emicuit, vt possit omnino materiam superare, nimia enim humiditate est velut ligatus: & quamuis satis esse possit ad putrefaciendum, non est satis ad procreandum animal. In pueris verò, & qui adolescunt, neque materia deest, neque ea caloris vis, quæ ad generandum animal sit efficax. In senibus denique licèt non desit materia, deest tamen calor. Sed quid dicendum Auicennæ, asserenti infantiam esse aptissimam ad gignendos vermes? Dic. Per infantiam, pueritiam intelligere: nam propriè infantia est ab ortu,vsque ad tempus emittendi dentes, & vsque ad septimum annum; pueritia verò vsque ad decimum quartum.

Quarto loco inuestigandum: *Vtrùm propter aliquem vsum in corpore generentur?* Auicenna 16.3.*tract.*5.*cap.*1. concedit generari propter corporis purgationem: nam sicut in magno mundo melius est ex putredine vermes gigni, eum mundificantes, quàm ipsam putredinem sic remanere; similiter in homine satius est ex putredine animalia illa gigni, quorum generatio causa est, ne vapores è putrescente materia elati, & capiti, & cordi communicentur. Plures Auicennæ reprobant opinionem: quæ enim purgationis commoditas, (præsertim vbi est tam prompta facilisque, vt in intestinis, excrementorum purgatio) conferri queat cum multis, & magnis lumbricorum incommodis, epilepsia, conuul- A sione, delirio, febre,alui fluxu,fastidio,colica,tremore cordis, fame canina? Concludo ergo satius esse non gigni, & si gignantur, præstare multò genitos interfectos educere,quàm sinere. Quare in ratione signi, & causæ reprobandi.

Quinto loco quærendum: *Vtrùm pariant?* Legitur apud Hippocratem *lib.*4.*de morb. prop.fin.* solos teretes parere, quod vulgus communiter recipit, inductum fortè exiguitate, numeróque eorum; mira enim sunt quæ de multitudine eorum ab auctoribus conscribuntur. Plures negant: primò quia nec sexuum diuersitas apparet, nec coëundi occasio. Rursus non videtur tot pulli ab vno animali posse progigni, nec ea est loci capacitas, vt partus producere queat; sed qui exigui B sunt nascentes, temporis tractu maiores redduntur. Lati enim non edunt fœtus, quicquid alij sentiant, è quorum numero est Aristoteles 5.*de hist.animal.cap.*19. Si verò aliquando aliqui excernuntur, seminis cucumeris instar, iccircò fit, quia latus abrumpitur, & ab eo veluti segmenta deciduntur: Latus enim ex congerie vermium constat, & vbi ij per aluum exeunt, indicium lati præbent, non aliter quàm arenæ lapidis.

Sextò quæres. *Ex tribus speciebus, quæ sit censenda deterior?* Dic. Deterrimi lati, vt pote maiores; minùs mali ascarides, quia minores: quoniam, vt ex Herodoto testatur Aëtius, semper maiores minoribus sunt deteriores. Præterea, quia remotiores sunt à præci- C puis membris. Insuper, cùm sint prope exitum, cum ipsis fæcibus sæpe expellentur. Denique remedium interficiens, & expelens faciliùs eos atringit. Teretes medium sortiuntur locum, vt ex Auicenna colligitur *loco cit.*

Illud verò vltimo loco difficillimum inquires: *Vtrùm lumbrici ad sui excretionem, coctionem prærequirant?* Dic. Videtur eam optare Hippocrates,dum *lib.*2. *progn.* 18. sic ait: *Ac lumbricos quoque teretes, eunte in iudicationem morbo, descendere vna cum deiectione idoneum est.* Dic. Licèt vermes non coquantur, excrementa tamen quæ cum ipsis deiiciuntur, concocta esse oportet: quare si excernantur, morbo existente crudo, D symptomatis rationem habent, & prauas passiones ostendunt; nam initio morbi apparentes, ingentem putredinem, & calorem extraneum dominari,ac plurimam adesse materiam, quæ illius putredinis capax sit, ostendunt.

Commodum ergo est illos excerni, morbo in iudicationem tendente; illo enim tempore, natura quicquid noxium est, expellere satagit: quod docuit Aëtius *tetrab.*3.*serm.*1.*cap.*39.dicens: *Lumbrici in febribus, & absque febribus fiunt, multitudine, magnitudine, colore, & tempore inuicem differentes. Circa enim morbi principia geniti, substantiam ex subiecta recipiunt corruptione; circa consistendi vigorem, ex morbi malignitate; circa declinationem, ex transmutatione ad melius, qui & celeriter* E *excernuntur, natura eos ad exteriora, non secus ac cætera excrementa, propellente.* Aëtio subscribit Paulus *lib.* 4. *cap.*58. §. *Circa febrium initia, &c.* Addit Aëtius *deteriores esse maiores minoribus; multos paucis; rubros albis, & viuentes mortuis.* De quo argumento, *lib.* 2. *Hist. cit.*

Difficilis morbus verminatio est, periculosus,exitialis: cùm enim in pluribus præcipuis partibus vermes generentur, vt corde, cerebro,pulmone, & aliis,in illis grauissimos procreant morbos, intolerabiles cephalalgias, epilepsiam, apoplexiam, aphoniam, stuporem, cordis saltum, tussim ferinam. Denique nullum est venenum tam præsentaneum in corpore genitum, quàm hoc, nec semen corruptum ac putre: quia visi sunt lumbrici ilia perforasse, delirium induxisse, & varios morbos simulasse.

Illicò ergo hoc ferinum vitium domandum, antequàm

quàm miseros ægrotantes, puellos præsertim, interficiat. *Vtrùm autem difficilior sit curatio vermium, præsente febre, quàm citra ipsam?* ventilandum. Dic, difficiliorem esse curationem præsente febre. Ratio est in promptu: Nam lumbrici solùm interficiuntur amaris, 14. *meth. vlt.* quæ hæc si obtuleris sæuiente febre, impensè nocebis: Si enim Galenus *lib.8.meth.cap.4.* pro curanda diaria iridem, & Apium reprobat, quia sunt plus iusto calidiora, & iccircò febrem accendunt, cur nos vigente febre maligna, in qua viui in initio, magno impetu per vtrumque ventrem erumpunt; aut putrida, in cuius augmento ferè apparent, concedemus amara, Absinthium, Lupinos, Aloën, Allium, Lignum colubrinum, & alia huius sortis plura, quæ spiritus inflammare, humores incendere, sirtm mouere, vigiliam, & alia pathemata dira excitare nata sunt? Quare dignior est indicatio, quæ sumitur à febri, quàm quæ à lumbricis: Maximè cùm possimus depugnare acetosis, & acidis, quæ tum febrem sedant, tum vermes necant, ex quibus parandi pulueres, emplastra, potiones. Vt sunt granum coriandri, sumach, Acacia, Hypocisthis, semen acetosæ, plantaginis, portulacæ, earum stillatitiæ aquæ, folia, & succus, malum granatum acidum, cortex mali granati, pruna acida. Flos, & radix ipsius, lactuca, lac asinæ, acidum citri, limonum, & arantiorum, Tamarindi, & alia quæ pituitosam materiam incîdunt, & attenuant, cùm sapor acidus frigidus sit simul, & partium tenuium, vt ex Galeni mente, 4. *simpl.cap.3.* sæpius protulimus. Cautiùs ergo, mitioráque, febre præsente, pro vermibus enecandis præsidia sunt offerenda, ob causas dictas.

OBSERVATIO I.

Ad vermes necandos, in febribus malignis, potio vtilissima.

℞. *Vlp.tamarindor.acetosor.* ʒ vj. *sem.acetos.portulac. plantag.an.* ʒ ß. *syrup. de succo limon. syrup. acetos.an.* ʒ ij. *aq.acetos.portulac.an.* ℔.j. *theriac.magnæ,* ʒ ß. *confect.alkermes, confect.hyacinth.an.* ʒ ß. *cornu cerui,* ϑ j. *corallinæ,* ϑ j. ß. *scobis eboreæ,* ϑ ij. *succi limon.* ʒ ß. *lapid. belzaartici,* ℊ.xx. *coralli rubri præparat.* ϑ ß. Misce, fiat potio ex interuallis assumenda.

OBSERVATIO II.

Ad febrientes verminosos, puluis vtilissimus.

℞. *Corallin. cornu cerui præparat. ossis de corde cerui, an.* ʒ j. *scobis eboreæ,* ϑ j. *scordij,* ʒ j. *rhab.* ϑ iiij. *rhapontici veri,* ʒ ij. *aloës succotrinæ lotæ cum aq. acetos.* ʒ j. ß. *coral. rubri,* ʒ j. *dictamni,* ϑ ij. *semin. portul. lactuc. acetos.an.* ϑ j. ß. Omnia puluerentur tenuissimè, & seruentur ad vsum.

OBSERVATIO III.

Lumbricus Monstrosus.

IN malis erat biennio septennis puella, miserísque torminibus cum febri oppressa assiduè, cui Medici etsi dextrè auxilia præscriberent, nullam opem vnquam afferre potuerunt. Ecce intempesta nocte sitibunda valde, gelidæ potum assumit in quantitate multa. Post eius potum increuere dolores, vomitus inanes, teneſmus, vigilia, desperatio, omnium facultatum prostratio, & iactura summa, quando enormi vomitu excreuit lumbricum, palmi ferè dimidij longitudine, toto corpore læuem, sanguine saturatum, latum indicis ferè latitudine, capite aranеæ prægrandis forma constante, 24. seriatim pedibus eilxibus, & breuissimis innixus, reptare per domum incepit, at tardissimè. In phialam proiectus, spatio duarum horarum superuixit. Puella verò sola conserua de acido citri, superbibita aqua portulacæ, in posterum præseruata.

NVMERVS XVI.

De Rigore.

DE rigore, eius natura, & causis *lib.4. Hist.Princip. Medic.* multa. Is aliquando tanta ferocia, diu & importunè, præsertim in quartana febre ægrotantes premit, vt eos lassèt, ossa diuexet, membra dilaniet, & vires comminuat. Cùm enim in pituitosis febribus, vapor crassus efficiens rigorem, per membra sentientia, inæqualiter, cum sensu frigiditatis dolorifico eleuetur, qui membra diuersimodè concutit, reciproco illo motu caloris & spiritus, à partibus internis ad extimas, & ab his ad illas, spiritus rarefacti resoluuntur, & caloris substantia dissipatur.

Huic ergo symptomati, frequentissimè euenienti in accessionum initio, generoso animo Medicus debet reluctari, quatuor horis antequàm accessio aduenìat, imò in ipso rigorifero insultu. Ante accessionem externa, & interna auxilia admouenda, quæ membra interna roborant, flatus discutiunt, crassos humores secant, & accessionem breuiorem efficiunt. Partes externæ, præsertim spina dorsi, vsque ad os coccygis, fouendæ lauacris, paratis ex Absinthio, saluia, maioran. pulegio, origano, camomilla. Vnguenta ex similibus construenda. Interna sunt theriaca, diatriumpipereon, Diaspoliticum, cum vino dissoluta, nam hoc 7. *Aph.56.* soluit rigores, quia vapores discutit. Neque vsus medicamentorum calidorum timendus, quia hæc in febribus pituitosis offeruntur, non in biliosis, in quibus rigores breuissimi sunt, vtpote à tenui, flammeóque humore prognati.

OBSERVATIO I.

Pilula ad rigoriferos insultus salutaris.

℞. *Iper.* ℊ.iiij. *aromatici ros.* ℊ.x. *ligni aloës,* ℊ. viij. *cardamomi,* ℊ.vj. Cum Rhodomelite fiat pilula, quatuor horis ante accessionem assumenda.

OBSERVATIO II.

Puluis, ad terrificos rigores vtilissimus.

℞. *Macis*, gr. v. *cinnamom.* gr. viij. *caryophyllor.* gr. ij. *moschi*, gr. iiij. *piperis*, gr. ij. Pulueretur tenuissimè, & cum vino generoso sumantur hausto vno.

NVMERVS VLTIMVS.

De Conuulsione.

CONuulsionem in febribus euenire, docet Galenus *lib.1.ad Glauc.cap.14.* dum sic ait: *Sed neque siquis simul, & distentione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, huic tantum semel mittere oportet, quantum exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est relinquendum, cuius causa sæpe sudores eueniunt, & vigiliæ molestant, & vires ægri debilitantur, &c.* Cùm autem duplex sit conuulsio, ex repletione, & inanitione, ex Hip. 2. *Aph.26.* & 6. *Aph.39.* & alibi, docet vt si conuulsio ex repletione accidat, vacuantibus præsidiis curetur, sanguinis missione, & cæteris vacuantibus auxiliis. Loco enim sanguinis missionis, reliqua vacuantia

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 699 sur 927

remedia subintelliguntur, ita amen vt minùs detrahas, quàm plenitudo commonet, nam aliquid symptomati est relinquendum. Si verò in febribus, ex inanitione, ea contingat, quæ valde mortifera esse solet, humectantibus, & reficientibus est persananda. Qualia autem remedia vtrique speciei sint accommoda, lege *lib. 1. huius Operis, cap. de conuulsione*, sicut *lib. 2. cap. de Aphonia*, plura perleges: hoc enim symptoma cum febre pronasci multoties solet. Quare cùm nihil desit eo loco, quod ad conuulsionis, & Aphoniæ naturam, & curationem indagandam facere possit, satius mihi visum re, ab eo loco depromptum iri, quàm hîc superfluè repetere.

CAPVT III.

De symptomatis, quæ in medio febrium insultu ingraueſcunt.

NVMERVS I.

De sanguinis stilla.

IN febribus hæmorrhagiam è naribus vtilem esse, & ipsas iudicare, passim vbique testatur Galenus, & nos ex illius mente probauimus, *lib. 3. Histor. Princip. Medic. in com. Hist. 4.* Sed debet ad crisim largè, ritéque fluere: nam multoties guttatim, & minutè excernitur, quod est pessimum signum. Quærendum ergo: *Vtrùm stilla sanguinis semper reproba sit?* Dic affirmatiuè. Nam si morbus sanguinis profluuio iudicari debet, id debet esse copiosum, sed si lentè parcéque sanguis è naribus emanet, quolibet tempore inutilis habendus est, & non modò morbum non soluit, nec minuit, sed malum portendit, & lethale ac exitiosum signum existimatur.

Hoc ita esse, ratione suadente obseruarunt prisci, idque primò Hippocrates docuit 1. *prorrhet. sect. 2. text. 46. Si vomitus bilioſi, exiguique fuerint, malum eſt, tum aliàs, tum narium ſtilla etiam eſt praua:* quæ Galenus exponens, inquit: *Excerni pauca in agris, vnum quoddam ex ſignis eſt, quæ ex toto prauitatem oſtendunt, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue alio quopiam modo ſuperfluum expellatur. Nihil enim eorum quæ decretoria ſunt, exiguè ſecerni conuenit: ſed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum ſubeunt, nam vel quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis partibus effunduntur; vel imbecillitatem naturæ oſtendunt, quæ proponit quidem ſuperflua expellere, ſed nequit.*

Ex hoc vniuersali, ad particulare deueniamus. Nouimus enim quòd sanguinis è naribus stilla, malum semper est, propterea quod natura satagat, quod superuacuum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, vel sanguinis crassitiem, vel partium densitatem, vel quædam ex his, vel omnium concursum. Deterius est quum ætatis, vel autumni temporibus contingit, nempe his diebus flaua redundat bilis, ambiénsque nos aër, calidus est: quo fit vt sanguinem, vtramque ob causam, béne fluentem esse oporteat, & magnitudo quædam causæ indicetur, ob quam fluere prohibetur, vt Galeno placuit *4. acut. 67.*

Causam huiusce rei, robur Hippocrates *cit. loc.* esse inquit, quod Galenus non recipit, sed è contra, ob partium, & corporis debilitatem fieri asseuerat, nisi per robur fortè Hippocrates densitatem intelligat. Nempe de his Galenus hæc verba scribit, 1. *prorrhet. com. 1. text. 1. Sudores quoque qui cœperunt, ſed protinus ceſſauerunt, praui ſunt; deiectiones item, & quæ per ſanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterum vacuantur. Omnia ſiquidem hæc deteriora his ſunt, quæ nullo apparent pacto, ſi vbi cœperint, ceſſent. Contingit enim interdum coquentem adhuc contriſtantia naturam, nondum ad horum expulſionem excitari: in illis verò quæ cœperunt quidem, ſed protinus deſierunt, apparet veluti excitatio quædam, natura excernere, quæ moleſta ſunt conante, atque ita ob imbecillitatem, quod propoſuerat, perficere nequeunte.* Atqui sanguinis stilla cuiuscunque coloris sit, mala est, meri autem pessima, vt Hippocrates *in Philisco* scribit: quod merum, non veluti in aliis, impermixtum, neque sincerum intelligendum est, sed vehementer atrum: & sicuti vrina nigra, & præsertim exigua in febre ardenti, ex bilioso iam adusto humore dependet; ita in hac, omnis est ex sanguine humor, ab intenso calore tostus, & assatus.

Rursus. In hisce febribus familiarissimum est sanguinis profluuium, eisque prodesse solet. At nares pauca stillare, comitem esse malignarum febrium, voluit Galenus 1. *epid. sect. 2. com. ad text. 74.* vt copiosa sanguinis profluuia, lenium. Sed *quo tempore ſanguinis ſtilla ſit magis pernicioſa?* Hippocrates, vt nuper diximus, in iudicatione pernicioſum existimat, nisi multus sanguis fuerit effusus. Sed inter omnes dies, pares magis abhorruit, in quorum congerie quartum tanquam pernicioſum habet, dum 1. *prorrhet.* sic inquit: *Stillatio è naribus pernicioſa, tum aliàs, tum ſi quarto die cœperit,* quod Galenus exponens, ait: *Cùm itaque ſtillatio ſanguinis è naribus ſemper malum ſignum ſit, abſoluta morbi malitia ſignificatur, ſi quarta die fiat: Videtur ſiquidem natura collectam in cerebro abundantiam conari expellere, ſed nequire.* A quo desumpsit Aëtius *tetrab. 2. serm. 1. cap. 124. Diſtillationem ſanguinis narium, quæ in quarta contigerit, peſſimum indicium eſſe, Hippocrates aſſerit, collectam enim multitudinem in vniuerſo corpore, aut in capite oſtendit ſtilla ſanguinis, aut inculcatis, aut condenſatis meatibus.* Nam iudicatoria non iudicantia, vel lethalia, vel difficile iudicium habent. Qua ratione si iudicantia in diebus iudicatoriis nihil iuuant, sunt eradicatu difficilia; quæ verò in contrarium repunt, sunt lethalia, vt ex Galeno patet 3. *prorrhet. 35.* Quare cùm stilla sanguinis in quarto non iuuat, vel difficile saltem iudicium ostendit, vel lethale signum erit. Quòd si in omnibus paribus hoc veritatem habet, eò magis in quarta, quia si eo tempore acriores fiunt accessiones, malitiam sæpe demonstrat; sin autem peiùs, cùm omnia in quarta exacerbata sint, & perindè vt tertius, gravia habeat symptomata, plusquàm alio tempore deliret, ventérque liquida, exigua, bilioſa deiiciat, iudicium breui expectandum est.

Verùm hoc Hippocratis doctrinæ repugnare videtur, 4. *Acut. 68. Quòd ſi paribus diebus ſtilla ſuperuenerit, melius; in iudicatione autem pernicioſum.* In quibus diebus maximè Galeno laborandum fuit, cùm videantur Hippocratis sententiæ non esse concordes. At inquit: *Neque enim ſi pares fuerint dies, intueri oportet, ſed ſi iudicatorij, nempe quartam, quæ par eſt, maximam habere facultatem ſtatuit*, & ego intelligo minùs malum, collatione facta ad stillam, quam in die impari, vel iudicatoria fieri contingit. In iudicatoriis autem, & indicibus lethale esse, à Galeno existimatur, quamobrem dubium non erit penitus absolutum, sed potiùs credendum est, hoc ab alio auctore fuisse prolatum. Hoc itaque nec quarto tribui debet, quia index, & decretorius est: ab his sanè vndecima dies neque orbata est, attamen Hippocrates optimè de hac re sentire visus est.

Iam autem si semper stilla mala est, *Vtrùm ſuperſtillatio peſſima?* indagandum. Hæc non vnomet die, sed interiectis aliquibus horis, vel pluribus diebus fit vtpote quarta, vel quinta, vt de Philisco, Sileno, & aliis scribit Hippocrates; verumtamen non ex æquo, nec omnibus indifferenter affectibus stilla sanguinis malum commonstrabit. Ob id cum limitatione, & exactè

aduertendum

©BIUM

aduertendum est, eam prauum esse signum, cùm comate laborantem affligit, cum capitis, lumborum, hypochondriorum, colliquedolore, Hipp. auctore, 1. *prorrhet.* 1. Pernicioſum deinde erit indicium, præsertim ſuperſtilla, in morbis thoracis, & pulmonis, ſic enim *lib. 2. Coacar. prænot. cap. 16. text. 50.* docuit Hippocrates: *In morbis pulmonis valde rubicundæ ſanguinis ſtillæ, malæ ſunt:* quod verbum [*rubicundæ*] ambiguum est: nam Galenus expuitiones ſanguinis verè rubras, in affectibus pulmonis minùs malas esse censet. Quare arbitror [*atræ*] debere legi; quæ verò ex hoc ſanguine conſiſtunt, peſſimæ ſunt.

Vtrùm verò *ſtilla atri ſanguinis, ſit peior ſtilla ſanguinis rubri?* Reſponde affirmatiuè, & maximè ſi craſſæ ſubſtantiæ fuerit; nigricans enim color exitialis est, & morbum ab atra bile ortum habere oſtendit, qui ſolutu difficilis est, & perniciem minatur. Malam etiam Hippocrates ſtillam iudicat in pleuritide, cùm *citato libro, & cap. text. 43.* ait: *In lateris dolore ſtillatio ſanguinis de naribus, mala est.* Inſuper ſi ſurditate, ignauiáque quis laborauerit, veluti ſtilla mala, ita è contra larga fluxio, bona.

Grauius deinde est, ſi ſuccis & vrinis incoctis, ſtilla ſanguinis è naribus accidat, quod Hippocrates docuit 3. *prorrhet.* 70. *An & quibus eiuſmodi vrinæ, ſtillationes è naribus frequentes? Malignitates ſiquidem in ſuccis incoctis,* (addit Gal.) *etſi ad caput ferantur, ſtillationes magis è naribus malignas faciunt:* & vt vniuerſim dicam, in omnibus capitis affectibus, ſtilla malum oſtendit. Præterea in febre ardente, cùm vigiliæ præceſſerint, & ex oculis acris lachryma effundatur, venæque ipſorum ſanguine plenæ appareant, tunc ſi ſtilla ſuperuenerit, procul dubio delirium portendit, ex Galeno 5. *de loc. affect. cap.* 3.

Cæterùm ſi intercepta aluus, parua, nigra, & in ſpiras circumducta ad neceſſitatem dimiſerit, & per nares eruptio fiat, malum cenſet Hippocrates; ea enim excrementa pluſculo tempore retinentur, ob igneæ caliditatis copiam, & flagrantem atque ardentem circa medium corporis affectionem esse oſtendunt. Horum autem excrementorum excretio, quæ caprarum deiectiones vocant, ſiue ſponte fiat, ſiue Medici diligentia, glande impoſita, vel iniecto enemate, omni huic ſuperueniens ſanguinis ſtillatio mala, vt 2. *prorrhet.* 6. Gal. diligenter aduertit.

Verùm morbi ſpecies interdum hanc ſtillæ noxam excludit, adeò vt ſi ſuperuenerit, paruum, vel nihil mali demonſtret: quod quidem in febre intermittente aliquando contingit, etenim non ita peculiare ſymptoma, in continua fieri ſolet, ratione ſedis morboſæ cauſæ, quocircà vitium noxij humoris paruum demonſtrat. Quinetiam ſi continua fuerit, & ortum à pituita duxerit, malum exiguum oſtendit.

Ampliùs ſtillam ſanguinis excipimus, quæ ſit circa febris initium cum ſternutatione. Hoc ſignificauit Hippocrates *in Coacis, lib. 1. text. 155. Quibus febrire incipientibus, ſanguis è naribus, ſternutatione fiente, deſtillat. ſolutionem ſignificat.* Quod ratione confirmatur, cùm ſternutamenta validam cerebri, & capitis facultatem ſignificent; ſecùs autem in affectibus thoracis, in quibus & ſtilla ſanguinis, & ſternutatio in principio, vtraque mala.

Conſuetudinem tamen contemplari oportet, quoniam ſi eo tempore, quo erat ſanus, ſtilla ſanguinis illi erat conſueta, & febre correpto illi contingat, nullum malum formidandum. Quippe conſuetudinis ratione, videmus Hippocratem 1. *progn.* 10. & 14. multa à lethalibus excipere, veluti de oculis apertis in ſomno, dentium ſtridore, & aliis.

Cæterùm cùm ſtilla redundantiam in capite vtplurimùm demoſtret, hæc potiùs venæ ſectione, vt Galeno placuit 3. *prorrhet.* 49. quàm vomitu, vel ventris turbatione indigere videtur; & magis ſi ſuperſtillatio infeſtet, quæ naturam magis grauatam, & à maligna qualitate oppreſſam oſtendit. Deinde Alexipharmaca offerenda, & ea quæ bilioſi, retortidique humoris efficaciam retundant.

OBSERVATIO.

Stilla ſanguinis, in febribus ferè funeſta.

PRiſci ſtillam ſanguinis condemnarunt, nos vtplurimùm eam esse deterrimam experti ſumus. Plures vidi, quibus ea accidit in febre ardente, maligna, cum delirio coniuncta, omnes periere. In peſte, & puncticulis ſi appareat, omnes occumbunt. In ardente ſimplici ſi accidat, ad mortem ægros deducit. Vis cauſam audire, ea est potiſſima: Naturam enim grauatam, at non potentem excernere oſtendit. Quæ vacuatio in aliis morbis non ita est mortifera, velut in malignis, in quibus vires ſunt proſtratæ nimis, & oneri, ac malignitati ferè ſuccumbunt.

NVMERVS II.

De Vigilia ſuperflua.

IN febribus malignis & ardentibus, vigilant ægri, quoniam fucultas animalis, ab acrium & calidorum vaporum copia, ex viſceribus eleuatorum, interturbatur; quare hi cùm bilioſi ſint, & deuentes, cerebrum irritant, pungunt, laceſſunt, & ſomnum, qui fit humectato primo ſenſorio, arcent. Deinde ſomnus conſiſtit in quiete, vigilia in motu: in illo enim calor, & ſpiritus ad interiores partes adacti, veluti conculcantur, & quieſcunt; in hac ad partes externas effunduntur, & continuo motu agitantur. Quare non est mirum, ſi in febribus acutis, ſpiritus inflammati, irrequieto motu, huc illúcque impellantur, facultatémque animalem quieſcere minimè ſinant, quandoquidem exiccato & excalfacto cerebro, vigilia accidit; ſicut ſomnus eo humectato contingit.

At videndum: *Vtrùm vigilia immodica, corpora extenuet?* Quot damna vigilia immodica ſecum accerſat, non est operoſum demonſtrare: Nam hæc, pluſquàm ratio expoſtulet, corpus noſtrum extenuat, 2. *Aph.* 28. quia eodem Galeno auctore, *com.* 3. *eiuſd. lib.* immodica vigilia fit, propter calorem, anteriorem cerebri partem obſidentem; aut propter bilis abundantiam, aut ſiccam intemperiem, à quorum quolibet facilè conſumi corpora poſſunt. Adde, quòd immodicæ vigiliæ, vt 12. *meth. cap.* 3. legimus, quidquid in nobis humidum, aut halituoſum est, digerunt.

Deinde hæc, vbi modum excedit, vt auctor est Auicenna 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 13. corpus exiccat, & cerebri bonam temperaturam corrumpit, ſenſus debilitat, virtutem deiicit, deſipientiam parit, cruditatem efficit, & cibi potúſque coctionem impedit, quod Hippocrates *lib.* 2. *acut. com. vlt.* his verbis teſtatus est: *Vehemens vigilia, tum cibi, tum potionis cruditatem facit:* quam ſententiam enarrans Galenus inquit: *Quæ enim ad vigilias inſueta ſit mutatio, crudiores tum cibos, tum potus efficit; ad ſomnum verò multum, eúmque ſtudio quodam accerſitum, ſegnitiem corporis, & capitis grauitatem.* Quare in febribus, vigilia arcenda omnino, licet enim coctionem alimenti aliquando iuuare poſſit vigilia, vbi ſuperfluus humor illam impedit, qua quidem ratione craſſa & humida corpora non paruum auxilium ex vigilia ſibi comparare ſolent, attamen vtilitas hæc ex accidenti est; quæ verò ex ſomno ſuſcipitur, est primaria, & per ſe.

Ergo

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 701 sur 927

Ergo vigiliæ occurendum citissimè : nam in febribus prompte phrenitidem accersit. Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 20. plurima auxilia proponit, quæ illam arcere,& somnum conciliare valent : idem facit 3. 1. *tract.* 4. *cap.* 6. proponítque *loco suprà citato* plurima auxiliorum genera, quæ extrinsecùs apponi solent. Primum est, vt intra nares attrahatur oleum de papauere, cum oleo de semine lactucæ, Nenupharis, & cucurbitæ: hæc enim frigido suo,& humido halitu, cerebrum humectant,& potentias veluti stupefaciunt.

Salubre est etiam bregmati vnguenta soporifera apponere, & si necessitas vrgeat, ea cum opio permiscere oportet, aut in potum Philonium assumere, embrochas capiti adhibere, ex lacte plurimùm, deinde ex humectantibus herbis paratas. Lotio pedum cum eodem decocto infrigidante constructa, est etiam vtilis. Potiones somniferæ offerendæ, ex syrupo Papauerino, & aqua Violar. aut lactucæ. Sed quoniam *cap. de phrenitide*, pluta de hoc argumento conscripsimus, & alia præsidia legere possit, qui velit apud Aëtium *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 116. Paulum *lib.* 2. *cap.* 42. iccircò alia hîc addenda non sunt.

OBSERVATIO.

Ad desperatam vigiliam, pilula opiata, vtilissima.

VBi semel moriendum est, à leuibus inchoare præsidiis est inutile, dicebat diuinissimus Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 10. Nam tunc melius est, anceps auxilium experiri, quàm nullum. Ad somnum conciliandum, nullum esse præstantius medicamentum opio, Medici vnanimiter iurant, sed illud impermixtum exhibere tantopere verentur, quia frigidissimum est, & membra mortificat. At errant iudicio meo : nonne enim in visceribus igneus viget calor, qui illius frigiditatem remittere potest ? Maximè cùm hoc linguæ appositum, amarissimum sit, amara autem calorem excedentem sortiri, vbique Galenus asseruit. Quapropter cùm phrenitici, præ vigilia conclamati sunt, illis sæpe opium in pilulam redactum, aut eam dissolutam, in iure aliquo propinare soleo, cum vtilitate multa.

℞. *Opij*, ℈.vj. *croci*, ℈.v. *castorij*, ℈. ij. Cum succo hyoscyami fiat pilula, quæ in iure repositа, cum illo sæpe transglutitur.

NVMERVS III.

De Difficultate respirandi.

V*Trùm difficultas respirandi in febribus, à pluribus causis ortum ducat* ? Constrictio anhelitus symptoma est læsæ actionis, quam Auicenna 10. 3. *tract.* 1. *cap.* 23. sic definit : *Constrictio anhelitus est, vt non inueniat aër, in quo exercitatio fit cum anhelitu, meatuum, in parte sui motus, nisi strictum, in quo non penetret nisi paulatim.* Hæc accidit febricitantibus ex ipsius mente, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 31. *aut propter spasmum,& siccitatem, quæ accidit in lacertis anhelitus.*

Hæc causa ad vitium instrumentorum pertinet; nam ob spasmum, id est, conuulsionem, certum est non posse moueri, vt expedit, thoracem, dum dilatatur, aut comprimitur. Secundam causam proponit eo loco: *aut propter causam præfocatiuam descendentem ad gutturis eorum.* Quæ causa constituit morbum compositionis immediatè, in via scilicet, per quam aër attrahi debet.

Tertiam causam his verbis adducit: *aut propter debilitatem, quæ dominatur in neruis venientibus ad membra.* Anhelitus ratio est in promptu, quia debili existente vi, quæ in neruis residet, in musculos thoracis insertis, motus sufficienter fieri non potest : deinde calor febrilis spiritus animales, qui ad respirandum sunt necessarij, resoluit.

Hæc diuersitas causarum, varium curandi modum expostulat: nam prima causa, quæ à siccitate fit, curatur (vt inquit ipse) humectantibus vnguentis,& emplastris: nam si oleum Viol. Nenuph. Amygdal. cum butyro insulso,& axungia Gallinæ thoraci admoueris, musculorum thoracis siccitatem auferes,& æger promptiùs dilatato thorace, respirare poterit.

Secundæ causæ occurrit cum eis, quæ prohibent strangulationem,& ad hoc opus complendum esse necessariam æquationem complexionis in cerebro asseuerat : cùm enim hæc pars sit, in qua spiritus animales generantur, & ob intemperiem calidam resoluantur, oportet ad optimam temperiem reducere, & hoc appelat æquare ; quare intemperies auferenda frigidis humidis, hic enim victus conciliat somnum, in quo spiritus illi vbertim generantur.

Collum inungi debet cum iis, quæ infrigidant, & humectant : nam nerui thoracis ab illa parte exorti ita alterantur, vt contraria intemperie corrigantur. Oportet etiam ex eius mente, ventriculo apponere, quæ eius cauma attemperent, vt portulacam, Santala, Rosaceum, & alia, quæ per consensum Diaphragmatis, cerebrum humectent.

NVMERVS IV.

De Difficultate deglutiendi.

DE deglutitione naturali, aut difficili, *lib.* 2. *Hist. PP. Medic.* & 1. *huius operis*, egimus diffusè, de qua Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 34. & 10. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. in febribus generari, ipse auctor docet, cùm febris fuerit sanguinea,& concluſa, ipsamque ex abundantia sanguinis circa gulam oriri, vt in synochis febribus,& angina asseuerat : venas enim ascendentes per prædictas partes replet, qua ratione hæ coarctantur.

Curationem esse docet, si celebretur phlebotomia, quæ ad demendam sarcinam totius, & gulæ, præstantissima est. Victus sit parcus, reuellentia auxilia celebrentur, per enemata, suppositoria, & alia, quæ humores impactos ad inferiores sedes reuellere solent.

OBSERVATIO.

Ad difficultatem deglutiendi ex siccitate obortam, vnguentum optimum.

QVantum oporteat Medicos de humectandis faucibus esse solicitos, hoc exemplo fiet manifestum. Iuuenis quidam retorrida febre laborans, post quindecim ab initio febris dies, deglutire nullo modo potuit, quare necessarium erat infusis per clysterem illum nutrire, paratis ex iure pulli, saccharo, vitellis ouorum. Lingua erat scabra, nigra, sitis inexhausta, oris, & palati siccitas ita erat intensa, vt corium durum diceres. Omnes linguam esse resolutam affirmabant: nam eam præ duritie mouere non poterat, collum erat aridum, & rugosum. Verùm cùm plura tentarentur, quæ febrilem æstum demulcerent, incassum tamen, auxilia, hoc symptoma ex siccitate musculorum laryngis ortum esse prædixi : quare impositо per duos dies, post totum ex lacte tepido, hoc vnguento, collo, deglutire cœpit, & musculi illi qui præ siccitate erant nimiùm constricti, humidis appositis sunt dilatati, & actionem suam inposterum celebrarunt.

℞. *Vnguenti filij Zachariæ*, ℥ ij. *olei viol. amygdal. dulcium*,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 702 sur 927

©BIUM

cium,ros.an.ʒ j.ß. vnguenti ros. ʒ ij. *vnguenti resumptiui* ʒ j. *mucilaginis sem.psyllij,mucilagin. cydonior. extractæ in ag.ros.an.ʒ j.cum lactis muliebris* ʒ ij.fiat vnguentum,& tepidum applicetur.

NVMERVS V.

De Frigiditate extremorum.

ORiri frigiditatem extremorum,calore ad interiores ſedes adacto, quotidie in initiis acceſſionum experimur.In febribus malignis , ardentibus , & acutis hoc ſymptoma euenire , docuit Hippocrates *lib.* 4. *Aph.*48.*In febribus non intermittentibus, ſi partes externæ frigeant,internæ verò vrantur,ac ſitim habeant,lethale* : repetit 7. *Aph.*1.hócque accidere *in com.* refert Galenus, quia ob inflammationem internam, in viſceribus opprimentem , totus calor qui in ſuperficie corporis eſt, ab interno adurente , ritu cucurbitæ attrahitur , quod accidere in febribus lipyriis, aſſeuerat ipſe.

Verùm in malignis,aliiſque ardentibus,aut ſynochis, hoc etiam accidere , vſus quotidianus planum facit: nam in veneficis febribus, ſpiritus abſumuntur , & depopulantur à venenata aura:quare calore natiuo orbatæ partes extremæ , ſuapte natura exangues & frigidæ, morticinium patiuntur. Aliquando præ grauante ſanguinis copia, totus ſuffocatur calor, & obruitur , vt ad externas ſedes conuolare nequeat.

Symptomati huic iuxta varietatem cauſæ reluctabimur : nam ſi in malignis febribus accidat, tunc præterquàm quòd calor ad partes externas reuocandus cucurbitulis,frictionibus,lauacris ex herbis calefacientibus paratis , Antidotis pugnandum , quæ deleterios vapores extinguere queant. Si ob nimiam ſanguinis copiam,vaſa opplentem,& tranſpirationem impedientem,calorémque innatum ſuffocantem contingat,venæ ſectio ſummo eſt ex vſu.

OBSERVATIO.

Ad reuocandum calorem ad partes exteras , potio vtiliſſima.

℞. AQ. cardui benedict.ʒ iij.*aq.naphæ,*ʒ j.ß.*aq.papauer.erratic.*ʒ viij. *dictamni* , ℈. ij. *lapid.bezaar.*℔. x. *raſuræ eboris,*℔.v.*raſuræ vnicornu,*℔.iij.*theriac.* ℈ j. *confect.alkermes, confect. hyacinthor.an.* ʒ j. Miſce , & fiat potiocalida aſſumenda,quæ ſpiritus generat, calorem ad partes externas prouocat , & malignitatem refrænat.

NVMERVS VI.

De Dorſi incendio.

EFferueſcente bile, ſanguinéque inflammato valde, ſpiritibus in febribus præ incendio veluti in furorem adactis , partes illæ calorem immodicum perſentiſcunt promptiſſimè,in quibus ſanguis plurimus abundat, in vaſis maximis retentus , & ſtabulans , cúmque per dorſum vena ſita ſit , quam concauam Aretæus 2. *tard.paſſion.cap.*2. appellat , multo , eóque calidiſſimo ſanguine plena, fit vt ea in parte ægri ſummum grauamen ſentiant,dolorem,pruritum , & calorem adeò ſuperfluum, vt lumbares muſculi veluti exuri videantur, & præſertim in virginibus,in quibus menſtrua,vel ſuppreſſa,vel minuta ſunt.

Quare huic ſymptomati,auxiliares manus illicò adhibere oportet,ne ob dolorem huius partis,& calorem febris increſcat , vel ad aliquam partem principem decumbant ij,qui in eo loco infixi ſunt humores. Cauma ergo internum attemperandum ſanguine miſſo,cucurbitulis ſuper dorſum affixis , hirudinibus mariſcis impoſitis, vacuatione clementi,clyſtere leni. Humorum feruor compeſcendus iulapiis frigidis humidis , ptiſſana , victu ſimili. Vacuato rectè corpore , ſuper partem imponere oportet,quæ refrigerant, humectant , dolorem leniunt,vt Oleum Roſaceum , Violarum , Nymphææ,cucurbitæ, cum aqua Roſar.Lacte muliebri,Vnguento refrigerante Galeni , & aliis quæ ſimilem facultatem ſortiuntur.Quòd ſi affectio non conquieſcat, turum erit ex vtroque talo , ſi vires adſint , ſanguinem effundere , præſertim in viris quibus hæmorrhoïdes ſunt ſuppreſſæ, vel fœminis quæ ſtatis temporibus hyſtericis affectionibus premuntur.Si verò finita febri adhuc in lumbis ardor inualeſcat,tunc balneum eſt ſalutare valde : prodeſt ſerum lactis caprini, multiplici lege paratum:nec diſplicet è ſaluatella ſanguinem emittere. Verùm perſeuerante malo , fonticulus in crure dextro excitatus,auxiliabitur ſummè.

OBSERVATIO.

Ad dorſi ardorem , remedium ſingulare.

CArnoſus quidam vir,candidus,& rubicundus , ita ſanguinis gignendi ferax erat , & dorſi incendio premebatur , cum pruritu ſummo , vt malle ſe mori, quàm ſimiles flammas in lumbis , velut faces ardentes perſentire,profiteretur , quæ moleſtia illi ſomnum auferebat omnino. Plurima præſidia vniuerſalia, & particularia tentata.Tandem cùm nec victu frigido & humido,nec balneo,nec fonticulis in crure affixis,aut per interualla hirudinum ope adapertis mariſcis,leuaretur, ad me venit , qui cùm omnium remediorum farraginem à Medicis exhauſtam ſumma cum ratione , conſpicerem , impero,vt æſtate & vere, ſingulis menſibus, in ſuburbium accedat,& nudus ingrediatur in riuulos, in quibus naſcuntur hirudines , in eóque loco per horam immoretur , & natet. Videres animalcula dorſo,& toti cuti tenaciter adhæreſcentia , veluti ſiphonibus ſanguinem ſugentia. Excluſis cum digitis hirudinibus,& ſanguineis riuulis per cutem erumpentibus abſterſis , cùm ſex menſium ſpatio hoc auxilium frequentaret , plurimum leuamen ſenſit , & ſe eſſe veluti ſanum exclamauit. Quòd ſi autumno , aut hyeme, hirudines in lacubus in quibus habitant , non apparerent,octo,aut decem lumbis ſemel in menſe impoſitæ, remedio erat.

NVMERVS VII.

De Somno profundo.

PLura de Lethargo, & aliis ſoporiferis affectibus,ſuſè *lib.*1.*huius operis*,diſceptauimus.Nunc ſat ſit dicere , in febribus malignis,& aliis acutis , ſomnum inexpugnabilem concitari , quando cum bilioſo humore, crudi lentíque ſucci,in toto & cerebro redundant, qui à calore febrili liquati , cerebrum irrigant , & ſoporem concitant. Accedit,quòd in phrenitide, bregmati frigida actu repellentia imponuntur ; quare refrigerato cerebro, Lethargus , & alij ſoporiferi affectus ſuperueniunt,funeſti, lethales , periculoſi , vt *eo loco* ex Galeni mente dictauimus.

De iis breuiter memoriam refricare licet. Quatuor ſunt ſoporoſi affectus. Primus dicitur Coma , ſiue cataphora ; ſecundus Carus,ſopor,ſiue ſubeth ; tertius Lethargus, ſiue veternus ; vltimus Catalepſis , ſiue Catoche.

Coma eſt quædam ad ſomnum propenſio , ſiue inclinatio,ex Galeno 1.*prorrhet.com.*1.Coma duplex eſt, alterum ſomnolentum,alterum vigil , ex *lib. de comate, cap.*2.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 703 sur 927

cap. 2. Vtrique commune est caput grauare, oculos clausos habere, & ad dormiendum ægrum inclinare. Distingues tamen, quoniam in comate somniculoso, mox diu, & profundè dormiunt, non inordinatè mouentur, loquuntur, nec delirant, & vocati non respondent, quare Galenus *lib. de comat. cap.* 3. eos immobiles, & ἀφώνους, id est, inuocibiles nuncupauit. At verò in comate vigili non dormiunt, licèt ad somnum inclinent, ex Gal. 3. *epid. sect.* 3. *com.* 39. quoniam à calore bilis, vel pituitæ putridæ, irritantur, & à somo prohibentur. Rursus ægri inordinatè mouentur, loquuntur, & delirant.

Coma vigil duplex est, aut enim dicitur absolutè vigil, aut vigil pigrum, ex *citato de comate* 2. Vtrique commune est, ægros ad inordinatos motus compellere, qui loquentes delirant, & vocari respondent: Distinguuntur tamen, quia in simpliciter vigili, ægri cùm excitantur, tunc magis impetuosè mouentur, vociferantur, & delirant, at verò in pigro, cùm excitantur, minùs se mouent, loquuntur, & delirant: in ipsa tamen ad somnum inclinatione magis resipiscunt. Huius comatis pigri meminit Hippocrates 3. *epid. sect.* 3. *text.* 45. & 39. *antecedenti*, comatis simpliciter vigilis fecerat commemorationem.

Causa comatis somnolenti, est intemperies frigida humida, vel materialis, vel immaterialis, ex Gal. 3. *epid. sect.* 1. *com.* 7. Causa verò comatis vigilis, est pituita simul cum bile permixta, ex Gal. 4. *de præsag. ex pulsc.* 8. Paulo *lib.* 3. *cap.* 6. vel sola pituita putrefacta, quæ humiditate sua soporem inducit, & putredine acrimoniam, & calorem sibi adscisens, vigiliam excitat, & hac ratione affectus medius generatur, typhomania dictus, ex Gal. 3. *epid. sect.* 3. *com.* 16. & 45. & *lib. de comat. c.* 2. vel etiam sanguis, & bilis simul, ex Gal. 1. *prorrhet.* 1. vt sanguis, & pituita simul, ex Auic. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 2. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 6. à vaporibus calidis & humidis, in febre sanguinea etiam fieri assueuerat: quod licèt in prima, secunda, vel tertia die verum sit, si tamen vltra quartam perseueret, iam non ex vapore sanguinis, sed ex bile, & pituita in cerebro stabulantibus, fieri est credendum, ex Gal. 1. *prorrhet.* 1.

Carus, est longus, altus, & profundus somnus ægrè excitabilis, cum læsione rectricum facultatũ, & sensus, ac motus, ex Gal. 2. *prorrhet.* 29. & 4. *de loc. cap.* 2. & *lib. de diff. sympt. cap.* 3. Eius causas tres frequentes, *cit. de loc.* recenset Galenus: Prima est intemperies frigida, aut humida, aut vtraque simul, præsertim materialis, (licèt ab immateriali etiam fieri posse, asserat Auicenna 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 3.) Secunda est vaporum multitudo, præsertim si maligni sint, qui grauando, replendo, & spiritus resoluendo soporem excitant; quod symptoma tertianarum pernicioſarum, & aliarum febrium malignarum accessionibus, in vigore accidere, experimento compertum est. Tertia est cerebri, vel musculorum temporalium compressio, ex vulnere, casu, vel percussione facta. Potest etiam addi & quarta, quam ex Galeno 3. *epid. sect.* 1. *com.* 7. & ex Auic. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. possumus colligere, nempe spiritus, & caloris natiui resolutio, licèt hæc ad secundam causam possit reduci. Alij quintam adiiciunt, nempe validum capitis dolorem, spiritus ad cerebrum reuocantem.

Lethargus, est maxima, & inexpugnabilis dormiendi necessitas. Hic ab aliis soporosis affectibus distinguitur: nam in eo putrescit pituita, & febrem accendit; in aliis verò minimè, ex Galeni voto, 13. *meth. cap.* 21. & 4. *de præsag. ex pulsib.* 8. & 3. *de loc.* 5. Dicitur autem *citato loco* vitium phrenitidi secundùm speciem contrarium: non quòd Lethargus etiam in cerebro inflammationem non excitet, sicut phrenitis, sed quia vterque affectus à diuersis causis proficiscitur, phrenitis enim à bile, lethargus à pituita ortum ducit.

Caralepsis, est affectus, in quo ægri oculos habent apertos, ob retractionem musculorum oculorum, & veluti congelati sunt. Hic duplex, alius vehemens, in quo facultas animalis est consopita valde, qui nec sentiunt, nec mouentur, sed totum corpus habent distentum, & instar ligni rigidum, & rectrices etiam actiones læsas habent, illæsa solùm respiratione. Alius est mitior, in quo immobiles manent, nullam partem mouentes, vident tamen, audiunt, & recordantur eorum quæ acta sunt, ex Gal. 2. *prorrhet. com.* 10.

Causa huius affectus est intemperies frigida & ficca materialis, ex 2. *Aph.* 3. cùm enim hic morbus subitò fiat, & auferatur, ab immateriali intemperie gigni non potest, sicuti 3. *de loc.* 7. de apoplexia, & epilepsia docuit Galenus. Est igitur eius causa, succus melancholicus vel attrabilarius, vel sanguis melancholicus, qui humores postremum ventriculum obsidentes, & sua frigiditate, ac siccitate comprimentes, facultatis motiuæ delationem, & neruorum contractionem excitare possunt. Quare non est mirum, si corpus distentum maneat, & rigidum, cùm pars posterior cerebri oblædatur, quæ motus principium est. Neque instes: melancholicos necessariò debere fieri catalepticos: Nam intemperies in melancholia, multò minor est quàm in catalepsi. Hæc ex Galeni monumentis in compendium redacta, sint dicta satis.

Curatio perficitur reuulsione humoris, qui in caput irruit, venæsectione, extremorum vinculis dolorificis, asperis frictionibus, acutis clysteribus, & balanis, oxyrhodino tepido bregmati impósito, expurgantibus pituitosos succos. Humor fluxus attenuandus calidis syrupis: phlegmagogis deinde vacuandus. Apophlegmatismata optima sunt, sicut & errhina, quorum formulas lege descriptas *lib. 1. huius operis, cap. de Apoplexia, & de Lethargo.*

OBSERVATIO.

Lethargus, cauterio in plantis pedum excitato curatur.

QVantum profit, ad partes extremas corporis humorem reuellere, docuit Paulus *lib.* 6. *cap.* 40. *in fin.* dum sic ait: *Nam extremarum partium inanitio è longinquo magis facta, efficaciorem mollitur reuulsionem in pede.* Accessi ad Lethargicum, qui tribus diebus ita profundè dormiebat, vt nullis factis tum vniuersalibus, tum topicis auxiliis expergisceretur. Hoc ductus oraculo, sinapismos in plantis pedum excitaui, profuere nihil. Tandem duobus cauteriis bene ignitis in ipsis plantis excitatis, ad vitam reuocatus est; & deinde emanante sorditie multa per vlceratas partes, Agarico, & Castorio oblatis, in vndecimo sanus euasit.

NVMERVS VIII.

De Parotidibus.

DE Parotidibus egimus *lib.* 1. *Hist. PP. Medic. in com. Hist.* 63. Nunc asserimus, quòd parotides sunt inflammationes, quæ fiunt in partibus adenosis iuxta aures, solentque superuenire febribus malignis ex imperfecta crisi; & hoc potissimùm accidit, quando à principio cerebrum compatitur, quod si validum extiterit, noxium humorem ad partes vicinas detrudit. Deinde licèt hæ parotides, crisis ratione eueniant, non sunt minùs lethales, quàm ipsa febris: nam apparent, & non accrescunt, sed retrocedunt; aut licèt accrescant, remanet tamen intensa febris, & pulsus varietas persistit sicut antea, & æger tanta virium imbecillitate laborat, vt magnum auxilium tolerare nequeat, vel sufficere non possit, donec excitata parotis ad suppurationem veniat, aut resolutionem. Aliquando parotides

salutares

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 704 sur 927

©BIUM

ſalutares ſunt, quando ſcilicet vires ſuperſunt, vt impactum humorem vel reſoluere, vel ſuppurare poſſint.

Verùm his quocunque modo accidant, illicò occurrendum. Prouidendum ergo, ne parotides accreſcant, quod calefacientibus, attrahentibus, & laxantibus fotibus perficitur, vt Oleo Amygdal. dulcium, Camomil. Anethin. Dialthæâ ſimplici. Ad præſeruandam partem, & reuellendum humorem, ne in affectam partem decumbat, vena ſecanda ex affectâ parte, ac cucurbitulæ humidæ ſcapulis apponendæ: Tùmque tranſire oporet ad alia medicamenta localia, quæ citra magnam attractionem emolliant, & diſcutiant, quibus vtendum, donec parotides ſint diſcuſſæ.

Quòd ſi hoc conſequi non poſſimus, ſecurius eſt ſuper partem affectam, aliquod emplaſtrum ſuppurans imponere: At vtilius erit partem fouere decocto fol. Maluar. Melilot. Aneth. Rad. Althææ, Fœnugræc. Sem. Lin. Parotides poſteà ignito cauterio ante perfectam ſuppurationem aperiri debent, quia materia venenoſa quàm citiſſimè è corpore educenda, nam ex diuturnâ mora periculum imminet, ne cerebrum, & partes vicinas inficiat, & retrocedat ad ipſum, ac mortem inducat. In iis autem quæ celeriter augmentum ſuſcipiunt, medicamentis attrahentibus vti non oportet, vt *6. ſec. loc cap. de parotidib.* docuit Galenus, ſed ea debent imponi, quæ habent vim leniendi, & ſedandi dolorem, quale eſt emplaſtrum, quod deſcribit *cit. loc.* Galenus, compoſitum ex farinâ hordei, mulſâ, & aliis.

Si verò parotides lentè & pigrè prorumpant, valde attrahentia vtilia ſunt, vt emplaſtrum ex cæpâ cum theriaca magna. Non diſplicet cucurbitulam ſuper partem imponere. Si verò difficultas tranſglutiendi ægrum premat, emplaſtrum è nido hirundinis imponendum. Si tamen parotides non accreſcunt, & ſuffocationis periculum impendet, & humor nimis venenoſus eſt, atque malignus, tunc optimum conſilium erit, ipſas cauterio, præſertim ex auro parato, aperire, vt immodica venenoſi humoris quantitas faciliùs tranſpiret. Si parotides ad reſolutionem vergant, vtendum poſt fomenta emplaſtro Meliloti, Diachylo, de Mucilaginibus. Si ſuppurent, aliorum abſceſſuum venenoſorum inſtar, diu apertæ ſeruandæ. Cætera petantur ex *cit. lib. 1. Hiſt. Princip. Medic.*

NVMERVS IX.

De Lienteria.

IN febribus malignis ſymptoma quoddam grauiſſimum excitari ſolet, quod lienteria, ſeu læuor inteſtinorum nuncupatur, de quo *6. de loc cap. 2.* Galenus egit eximiè. Nos quæramus primò: *Vtrùm Lienteria ex inteſtinorum læuitate oriatur?* Ex læuore inditum fuit Lienteriæ à veteribus nomen, ob ignoratam operationem, & huius affectionis cauſam: cùm enim nihil aliud ſit, quàm velox eorum quæ comeduntur, & bibuntur exitus, abſque vlla tranſmutatione, alterationéve in ventriculo facta, videlicet, quia talia celerrimè deiiciuntur, qualia fuere deuorata, incocta, atque omnino cruda, *lib. finit. medic. pag. 6. ante fin. 1. epid. ſect. 2. com. 36. 3. Aph. 22. & lib. 4. com. 12. & lib. 6. com. 1.* Putabant veteres id fieri propter inteſtinorum læuitatem, æqualitatémque contractam ex cicatrice, genita in interna eorum cauitate, poſt longam dyſenteriam; à qua quidem cicatrice, quia denſa, & æqualia, tum etiam læuia reddantur inteſtina, perdántque natiuam aſperitatem, quæ iuxta eorum ſententiam cauſa erat retentionis alimenti in inteſtinis, excitari morbum contendebant, atque ideò læuitatis ei nomen impoſuerunt.

Sed meritò improbatur à Galeno opinio ſimul, & appellationis deductio, ex rei ignorantia orta, de qua *6. Aph. 1. & lib. de diff. ſympt. cap. 4.* cum Platone, in illis qui primi rebus nomina impoſuerunt; nec immeritò, quia cùm naturis, & ſubſtantiis incognitis propria nomina attribui non poſſunt, nec ſingula ſingulis, fit vt vel multæ vno, vel vna multis ſimul compelletur, vnde æquiuocatio & confuſio, atque adeò error in ſcientiis.

Non eſſe verò retentionem alimenti ad aſperitatem inteſtinorum referendam, ſed potiùs ad animæ facultatem, ſimul & temperamentum, præterquàm aliis alibi monſtrat Galenus *6. Aph. cit.* exemplo veſicæ, quæ ſine rugis, aſperitatéve vlla, ſtato certóque tempore retinet vrinam, non ſecus quàm ventriculus alimentum amplectitur, & comprehendit: ac proinde cauſam velocis excretionis, & ſine aliqua tranſmutatione ciborum, (quod Lienteria importat) non eſſe inteſtinorum læuitatem, prout opinabantur antiqui, (de quorum mente videtur loquutus, *lib. definit. in med.* & ſentit Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. cap. vlt.* cum Aretæo *lib. 1. tard. paſſion. cap. 10.*) ſed potiùs retentricis læſionem, apertè docuit ipſe *lib. de diff. ſympt. cit. & 3. de ſympt. cauſ. 2. lib. 2. Aph. 20. & lib. 3. com. 22. & 30. & lib. 6. com. 1. & 3. epid. ſect. 3. com. 53.* Quando enim præ omnimoda imbecillitate, facultas retentrix cibos nequaquam amplectitur, ipſi nihil prorſus concoquuntur, cùm non poſſit operari concoctrix, deficiente retentrice) & celerrimè crudi, incoctíque deiiciuntur, ex citata, vt loquitur Galenus *2. de cauſ. ſympt.* vi excretoria, ad immodicum motum, ex retentricis facultatis priuatione, cuius proprium ſymptoma dicitur Lienteria, *lib. de diff. ſympt.*

Quæro ſecundò: *Vtrum Lienteria, ad inteſtinorum exulcerationem ſequatur?* Porrò quoniam velox ciborum exitus, non minùs frequenter ſequitur ad inteſtinorum vlcerationem, hæc eadem etiam à Galeno traditur *præcitatis Aphoriſmis*, non ſecus quàm veſicæ vlceratio, cauſa etiam traditur ſtranguriæ, *6. de loc. 2.* & diabetis, *2. criſ. 12.* Vtrobiq; enim ſentiens pars vlcerata, noxam ex morſu, & contactu materiæ, properat expellere. Hæc quæ ad vlcerationem ſequitur lienteria, à calidis ſuccis acribus, & mordacibus, magna ex parte ortum habet, *6. Aph. 1. lib. aduerſ. Iulian. c. 4.* & alibi, quia & internam ſuperficiem inteſtinorum abradunt, & ſua acrimonia irritant ad expulſionem; *5. de vſu part. 4. & 2. aph. 20.* Nonnunquam ad dyſenteriam conſequitur, *6. Aph. 42.* cuius comes dicitur, *lib. definit. med.* Imò ad eam frequenter ſuccedere, firmat Aëtius, *vbi ſupra*, & approbauit Celſus *lib. 4. cap. 6.*

Quæro tertiò: *Vtrùm lienteria ex debilitate retentricis oborta, ab omni intemperie gigni poſſit?* Reſponde affirmatiuè: Nam ab omnibus imbecillitari poteſt retentrix; omnis ſiquidem valida, & immodica intemperies, poteſt virtutes & operationes exoluere, quod celebratiſſimum eſt ex Gal. *2. Aph. 20.* & colligitur ex *lib. de Marcore, cap. 1.* ſiue ſit materialis, ſiue materiæ expers, tam facta & habitualis, quàm fiens, ſed potiſſimùm frigida & humida, eáque cum materia cõiuncta, hoc eſt, pituita in ventriculo, ac inteſtinis ipſis collecta, *5. de vſu par. & 2. aph. cit.* Dignoſcitur verò vna ab alia, ex ipſo Galeno *6. aph. 1.* quoniam in ea quæ accidit ob imbecillitatem, abſque vllo dolore fiunt deiectiones; at in ea quæ ab vlceratione proficiſcitur, morſus & dolor inter deiiciendum ſentiuntur.

Quæres tertiò: *Vtrùm lienteria ſit paſſio ventriculi, an inteſtinorum?* Mirandum quomodo inter inteſtinorum affectus numeretur, ſi carentiam dicit coctionis, *6. aph. 1.* cuius organum eſt ventriculus, non inteſtina. Quòd ſi dicas, hæc, non ſecus quàm illum concoquere, vt *4. de vſu part. 17.* probauit Galenus, & ex cõmuni vitio crudum omnino, quale fuerat ingeſtum, excerni alimentum, ac proinde etiam ad inteſtina pertinere affectum. Redarguitur, quia cùm ventriculus potiſſimum ſit coctionis agens, & ad maiorem ipſius no-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 705 sur 927

©BIUM

xam Lienteria sequatur, saltem magis principaliter ad illum spectare, atque adeò potiùs ventriculi læuitatem, vt sentit Galenus *cit. Aph.* quàm intestinorum dicendam, sumpto nomine à symptomate insignori.

Dic. Affectus hic, & ad ventriculum, & ad intestina pertinet, prout ipse scripsit. 4. *Aph.* 12. *& lib.* 6. *com.* 1. Nam si in his morâm faceret, detineretúrque cibus, aliquantulum concoqueretur, nec crudus omnino exiret. Licèt verò omnimoda cruditas, seu coctionis carentia, vt loquitur Galenus, maiorem arguat ventriculi offensam, quàm intestinorum, imbecilliùs coquentium, atque ita in Lienteria penes eum potiùs, quàm intestina noxa existat, rectè tamen læuitas intestinorum nuncupatur, quidquid Galenus de hac acriter reprehendat antiquos: Nam & nominis definitiones, per vulgariora, & manifestiora tradendæ; notior autem est vulgo intestinorum læuitas, quàm ventriculi, in proposito malo, quia ob excretionem omnibus patet, quæ ab ipsis fit intestinis. Vel, vt interpretatur alij, dic intestinorum nomine, ventriculum, & omnia interanea comprehẽdi, quemadmodum & per aluum, 4. *Aph.* 12. omnia alui instrumenta, ventriculus scilicet, & intestina intelliguntur, & hæc ventriculi nomine, de quo solùm meminit, *ad initium com.* 6. *Aph.*

Quæro quartò. *Vtrùm Lienteria expultricis, vel alteratricis facultatis sit passio?* Nam si velox excretio crudi alimenti, motus deprauatus est expultricis facultatis, immodicè & intempestiuè, priusquàm fiat concoctio, excernentis, 3. *de symptom. caus.* 2. insuper & excretum ipsum similiter symptoma est, *lib.* 2. *eiusd. operis, cap.* 3. *ad fin.* illúdque alteratricis potentiæ, *lib. de diff. sympt. cap.* 4. cur Lienteria alterutri harum facultatum non tribuitur, aut potiùs expultrici, cuius præcipuè læsionem refert, vt ex traditâ constat definitione, quæque in intestinis eminet, & causa est, vt omnino crudi deiiciantur cibi? Neque enim cruditas, inquit Gal. *cit. Aph.* facit, vt citò excernantur, sed è contra, quia citò excernuntur, ideò nullam prorsus subeunt coctionem: quinimò si exulceratio sit occasio duorum, non est ad expultricem referenda, quæ accedentis alimenti contactu festinat expellere.

Dic. In lienteriâ (præter duo genera morborum, ad quorum alterum consequitur, intemperantias nempe imbecillitantes retentricem, & vlcerationem) consideratur excretio immodica & intempestiua, cruditas, cuius illa est occasio, & retentricis defectus; quæ omnia symptomata, sunt noxæ functionum naturalium, & suarum facultatum, retinentis, coquentis, & expellentis: huius deprauata actio, priorum abolita. Sed quia vna deficiente retentione, perit necessariò concoctio, & sequitur deprauatus expulsionis motus, meritò retentrici, neutri aliarum tribuitur intestinorũ læuitas, orta ex imbecillitate retentricis: non coctrici, quia cibi non ideò deiiciuntur citò, quia crudi, sed contrà, quia non retinentur, & citò deiiciuntur, crudi exeunt. Minùs expultrici, quia non ita perit eius actio; & quanquam definitio tradatur per velocem, & præternaturalem excretionem, atque adeò motum deprauatum illius, symptoma tamen hoc, ad aliud consequitur abolitæ actionis retentricis, qua debilitata, impossibile est illæsas edi aliarum functiones, quantumuis sanæ & incolumes permaneant facultates ipsæ, tantus est inter naturales potentias consensus, tantáque ad rectè operandum, dependentia ab vna. Dum verò affectio oritur ab vlceratione, quanquam etiam adsit retentricis priuatio, festinus tamen exitus crudi alimenti, ad irritatam expultricem est referendus, & tunc immediatè sequitur ad morbum, scilicet vlcerationem; non sic illa quæ ex imbecillitate, quia immediatè ad aliud symptoma succedit, nempe priuatam actionem retentricis, vt diximus.

Quæro quintò. *Vtrùm Lienteria sit morbus acutissimus?* Lienteria in qua cibus nequaquam retinetur, affectus acutissimus est: cùm enim quidquid assumitur, confestim deiiciatur, nec homo septem dierum spatio, qui terminus est acutissimorum morborum, integram possit inediam sustinere, breuissimè in eam tabis speciem deueniet, quæ dicitur atrophia. Sed quantumuis intestina non retineant, totus cibus crudus nõ eiicitur. Igitur non potest ad illa referri, acutissima Lienteria. Probatur minor, tum quia prius quàm in illis recipiatur, poterit in ventriculo, licèt debilitato, saltem secundùm tenuiorẽ partẽ concoqui; tum quia necessarium nõ est, nec viuente animali possibile, vt simul cum ventriculo tota vlcerentur intestina, vel adeò intemperentur, vt nihil prorsus præ imbecillitate remoretur in illis alimentum, vel saltem in aliqua intestini parte: atque adeò non videtur hæc ipsa affectio, ex intestinis, sed alia diuersa, in qua quidpiam etiam crudum, sed non omnino reiiciatur, & quà potiùs sola intestinorum regio, quàm corpus vniuersum exhauriatur, id quod ex Hip. colligitur, 6. *Aph. cit.* dum longam appellat intestinorum læuitatem, numerans eam inter chronicos morbos, de quibus tamen non foret, si totum alimentum ingestũ velociter excerneretur, prorsus absque aliqua coctione, nullaque parte in corpus distributa, est assignata causa.

Dic. Variant scribentes, num in Lienteria totus cibus eiiciatur crudus, an saltem maiori ex parte, & saltem aliquid concoquatur, cuius tenuissima portio distribuatur, quod nonnulli ex Hip. colligunt, 6. *Aph.* 1. dum longam appellat læuitatem intestinorum, (diu enim non duraret æger, si totus cibus ingestus excerneretur) & ructus ait in ea apparere, qui sine aliqua coctionis actione fieri non possunt. Alij è contra, totum cibum excerni putant prout deuoratum, atque adeò malum esse acutissimũ, saltem ortum ex vlceratione. Dici verò in Aphorismis intestinorum læuitates longas, ortas ab imbecillitate à frigidis & humidis, considerato scilicet tempore morborum, ad quos sequitur, diarrhœas videlicet, ac similes alias ventris dispositiones.

Relictis tamẽ variis opinionibus, sat sit agnouisse, in affectione hac, ventriculum simul, & intestina esse affectã. Nec verò necessarium est omnia pariter, & singulas membrorum partes ab vlceratione occupari; sat enim est vlcerari partem membri, vt à toto expellatur alimentum totum: siquidem membrum contrahitur, ad dolorem partis vlceratæ, & festinat excernere accedens alimentum. Si verò causa sit imbecillitas contracta ex intemperie, totum simul membrum affectus occupabit; sin minùs, retinebitur in sano cibus aliquantulum, nec ita velociter, aut omnino crudus excernetur, atque adeò non fiet lienteria, sed cœliaca passio.

Hic affectus varias sortitur curandi conditiones, penes diuersam causam, à qua oriri *suprà* prædiximus. Si ab acri, mordaci, biliosoque succo, facultatem expultricem irritante purgatio iterata ex Rhab. barbaro, & Corticib. Myrobalanor. Citrinor. satis est. Si ob imbecillitatem, & resolutionem facultatis retentricis ventriculi, & intestinorum, adstringentia & corroborantia prosunt: quæ si sint Alexipharmaca, erunt vtiliora. Quare offerendi sunt Syrupi Ros. siccar. Myrtil. Cydonior. de Corticib. Citri. Intestina, & ventriculus debent foueri fomentis, emplastris, oleis, & aliis, quorum formulas *supra* tradidimus.

OBSERVATIO

Ad Lienteriam ex imbecillitate retentricis, emplastrum egregium.

℞. Mastich. ʒj. ß. Ladani depurati ʒß. Puln. Coral. Rubri, Margarit. præparat. Ligni aloës, Diarrhod. Abbat. Cyperi, an. ʒj. Gallię moschatæ Mesuæ ʒß. Ambari, Moschi, an. gr. vj. cum terebinthina, & cera fiat emplastrum.

NVME

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 706 sur 927

NVMERVS X.

De Cœliaca.

COEliaca etiam accidit febribus, præsertim malignis, hæc affinis est lienteriæ, soláque magnitudine differens, quare easdem habet causas. Incipit enim cœliaca, adauctáque passione fit lienteria. Est igitur Cœliaca secundùm Paulum *lib.3.c.41.*& Aëtium *tetrab.3.serm.1.cap.37.* alui fluxio diuturna, in qua liquida, humentia, maléque cocta egeruntur excrementa, ventre præ imbecillitate ea digerere nequeunte, & corpore simul marcescente.

Hac doctrina permoti plures, sub lienteriâ eam comprehendi arbitrantur: quare dubitandum: *Vtrùm affectus sit diuersus à Lienteria?* Galenus *6. de locis c.11.* nullum inter eas discrimen tradit, quapropter prorsus confundi videntur, quod etiam asserit Paulus *lib. 3. cap.cit.* Quare ex *6. Aphor.1.* per intestinorum læuitatem, cœliacam dispositionem intelligunt, quia diuturna est, & aliqualem habet alimenti coctionem, quæ per acidum significatur ructum: aciditas enim à coquente, licèt imbecilliori calore fit, vt tradidit Galenus *lib.4.simpl.cap.15. & 3.de caus.sympt.cap.1. & 2. de temperam.cap.6.*

Verùm licèt ab iisdem ferè oriantur causis, distinctæ tamen passiones sunt: Quoniam in hac, quia non ita languet facultas, non tam citò, neque omnino cruda, vt in lienteriâ, egeruntur cibaria, sed liquida & humentia: Quanquam enim non coquatur integrè alimentum, liquatur saltem, & ex medio chylosum descendit, continuo, liquidóque fluxu tentata aluo.

Hoc loco quærendum esset: *Vtrùm Cœliaca passio, ventriculi, vel intestinorum sit? Vtrùm affectus acutissimus?* Sed cùm de iis latè *capite de lienteria* disputarim, ideò, Benigne Lector, cum Deo, qui omnium rerum initium finisque est, cui laus gloriáque in æternum sit, acquiesco.

FINIS.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 707 sur 927

DEO OPTIMO MAXIMO,

CREATORI CÆLI, ET TERRÆ, PATRI PIENTISSIMO, CLEMENTISSIMO, ac ſummè Miſericordi.

GRATIARVM-ACTIO.

PRIMITIAS *Hiſtoriarum mearum Tibi ſoli Cunctipotenti dicaui, quo diuino clypeo munitas, totius orbis inſignes Profeſſores, Medici omnes, ſummis laudibus extulerunt. Ergo ſi fuiſti princeps ac primus Dux, modò illarum coronidem in tui ſanctiſsimum ſubſidium accipias, ſupplex obteſtor. Principes, magnates, nobiléſque, quibus lucubrationes noſtras conſecrare ſolemus, ſunt arrogantes, ſuperbi, doloſi, vanitatis pleniſsimi; Tu Manſuetus, pius, verus, ſapientiæ pleniſsimus. In te ergo ſemper poſui fiduciam meam, & in te anima mea requieuit ſemper. Quare ſicut ZACVTVM, ſeruum indignum tuum, iuuenem, & elinguem prorſus fouiſti, excelſa tua dextera ſtrenuè patrocinatus, ſic eum nunc decrepitum, eiúſque opera tutator, ſuſtine, foue, & eum pro voluntate tua, ad ſuprema tua arcis ſedem efferto.*

FINIS.

INDEX

©BIUM

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM,

QVÆ IN HOC SECVNDO ZACVTI LVSITANI VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, alter columnam, littera verò a, b, c, d, e, columnæ partem assignant.

A

ABscessvs euenientes quando crudus est humor quando reprobandi. pag.60.col.1.b

Abscessus facti in pulmonia in partibus infernis securiores sunt, & ad curandum minùs difficiles. 321.c.2.b

Absinthij aqua quibus affectibus medeatur.100. c.1.e

Absinthij syrupus pituitæ præparandæ, & ventriculo roborando vtilissimus. 105.c.2.b

Cur illum roborat cùm sit amarum. 503.c.2.e

Absinthij trociſci quibus affectibus vtiles. 122.c.1.b

Eius oleum cui vsui. 123.c.1.e

Abstergentium differentiæ plures. 66.c.2.a

Eorum temperamentum quale. c

Abstergentis facultatis essentia in quo posita. 67.c.1.a

Acidi cibi siue acres grauidis non offerendi.502.c.2.e. & 503.col.1.

Accessione sæua putrescente sanguis mittendus. 183. c.2.c.& 184.c.1.a

Vide, *Febris*.

Accidentia quomodo dicantur operari in virtute suæ substantiæ. 463.c.2.d

Accidentia separata à proprio connaturali subiecto producunt substantiam in virtute causæ principalis, & vt instrumenta eius separata. 464.c.1.e

Contrarium probatur. 465.c.1.c

Acerba hæmoptoicis concedenda. 336.c.2.e

Iis calida attenuantia permiscenda. 337.c.1.d.e

Acerbum in quo differat ab austero. 642.c.2.c

Acetabulum quarta heminæ pars. 76.c.1.d

Acetosa aqua cui vsui. 99.c.2.b

Acetosa cur menstruatæ appetunt. 475.c.1.e

Acetosus sapor ex acido, & acri constat. ibid. & col.2.a

Acetum vterum dolore afficit, & neruos offendit. c

Acetum quid aurium inflammationibus auxilij conferat. 257.c.2.d.e

Achor affectus est frigidus. 612.c.2.a

Non fit ob omnimodam frigiditatem. 401.c.1.c

Non semper à frigiditate ventriculi oritur. c.2.b

Achores, siue vlcera manantia quæ dicantur. 139. col.1.d.

Eorum causa humor nitrosus & salsus. e

Eorum signa, & quid discrepent à tinea. c.2.a

Pueri cur huic morbo magis obnoxij. 6.c

Affectus est contagiosus. e

Huius curatio instituitur. 140.c.1

Acida ratione alimenti non medicamenti prohibentur. 85.c.1.e

Acida oculorum affectibus noxia. 252.c.1.e

Actio corporis vitiata laborantem eius locum indicat. 51.c.1.c

Acuties morbi, & magnitudo morbi differunt. 554. c.1.c.

Adeps quid, & vbi generatur. 356.c.1.c.d

Adeps hircinus,qua arte conseruandus. 80.c.1.b

Adgenerationis appellatione quid veniat. 462.c.2.c

Adstringentibus ante coctionem pro putridis humoribus concoquendis non vtendum. 559.c.2.b

Ægri non ornatum Medici, sed auxilium quærunt. 3.c.1.d

Ægris aliquando gratificandum oblectamenti causa, quos suauia & familiaria plurimùm iuuant.22.c.1.d & seqq.

Ægyptij viperinis carnibus assueti diutissimè viuunt. 476.c.1.c

Ægyptiaci vnguenti facultas eximia. 126.c.1.c

Aër ambiens est Medici ad sanitatis confirmationem, & morborum curationem instrumentum. 34.c.1.d

Aër marinus exsiccat vlcera. 47.c.1.d

Patrius & nutritius cæteris præstantior est. c.2.b

Ab Aëre indicatio sumenda. 57.c.1.e

Aër ambiens qua ratione curationem præscribit. 57.c.2.c.d.

Ob eius in vnaquaque regione varietatem, variis remediis vtendum. 58.c.1.b

Aër quæ Medicinæ medicamenta suppeditet.76.c.2.e

Aër expiratus vocis est materia. 323.c.1.d

Aëris frigidi occursus an venas frangat. 332.c.2.b

Aër calidus fluentibus menstruis commodus. 475. col.1.c.

Aëris ad curandos morbos facultas eximia. 521.c.1.b

Putridi,& corrupti incommoda. c.2.b

Luminosus in febribus reprobatur. 522. col.1. c. & seq.

Aër qua arte refrigerandus. 523.c.1.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 709 sur 927

Frigidiſſimus febrientibus vtilis c.2.b
Humidus ſaluberrimus. c
In febribus an ita parari poſſit humidus, vt non ſemper exiccet. c
Prout variè alteratur exiccat, vel humectat. 524. c.1.a.
Aër ambiens ſemper exiccat, & reſoluit. 6
Rebus odoratis refrigeratur. c
Æſtas purgationi minùs commoda. 34.c.2.a
Æſtate parcius cibandum. 531.c.2.a.c
Ætas temperata ſimilibus conſeruatur, vt & intemperata. 46.c.1.a
Ætates peculiarem ſibi victus rationem exigunt. 531. c.2.a.
Ætas quæ ad vermium generationem aptior. 646. c.1.d.
Affectuum diuiſio triplex, cùm adeò facilis eſt, vt ad cauſæ ablationem ceſſet. Cùm eâ ſublatâ adhuc remanet. Cùm affectus ipſe à cauſa non hærente producitur. 51.c.1.d
In triplici illa affectus & actionis læſæ organum patitur. c
Affectus primarij cognitio quid importet. 54.c.1.e
Quinque notis diſtinguuntur primigenij Affectus. col.2.b.c.
Affectus erotici vis. 211.c.1.b
Vide, *Amor*.
Affectus tres in febribus per ſe venæ ſectionem exigentes. 552.c.2.b
Affectus corruptelæ vacuandum eſſe præcipit, vel venâ inciſa, vel purgatione. 553.c.1.a
Affectus frigidi à cauſis frigidis oriuntur, non à calidis. 612.c.1.c
Agaricum quid, eius natura, proprietas, differentia. 91.c.2.e.
Temperamentum. 92.c.1.a
Vtilitas. b
Varia correctio. c
Præparatio. ibid.
Duplex eius ſubſtantia. d
Vſus. e
Quibus affectibus medeatur. c.2.a.b
Agarici trochiſci cui vſui, & qua arte parandi. 122. col.1.d.
Agreſtæ, ſeu ſucci vuarum immaturarum, ſyrupus quibus affectibus opitulatur. 103.c.2.a
Alarum ſiue pinnularum naſi motus in ſanis imperceptibilis eſt. 347.c.1.d.e
Albedo excellens an viſui magis officiat, quàm nigredo. 251.c.2.e
Albumen ouj quid oculi affectibus conferat. 253. col.2.e.
Albumen in ouis lactis vicem ſupplet. 472.c.1.c
Alhandal trochiſcorum efficacia mira. 122.c.1.e
Alimenta medicamentoſa quæ? 75.c.1.b
Alimenta peculiares corporis partes recreantia. 283. c.1.a.b.
Alimentum calori, vel reſolutioni proportionandum. 395.c.2.d,396.c.1.a.
Alimenta nidoroſa ſunt frixa omnia. 460.c.2.d.e
Alimentum dulce naturæ amiciſſimum, amarum verò inimicum. 473.c.2.b.c
Alimenta ſunt medicamenta. 532.c.2.d.e
Alimenta ob duplicem appetentiam aſſumuntur, aliam veram, & naturalem, aliam fictam & voluptuoſam. 641.c.1.d
Allium, pro vermibus necandis tutiſſimum præſidium. 368.c.2.b
Allij vis contra venenum, eſt & alexi pharmacum præſtantiſſimum. 604.c.2.e
Vt nutrimentum in peſte reprobatur, vt medicamentum, maximè iuuat. 605.c.1.a
Aloë triplex, eſt ſuccotrina. 86.c.2.e
Hepatica. 87.c.1.a
Caballina omnium infirma. ibid.
Adulteratur. b
Vis eius, & proprietates. c.d
Quibus morbis medeatur. ibid.
Oculorum humiditates abſumit, hæmorrhagiam compeſcit. e
Totum corpus expurgat à proprietate ſubſtantiæ. col.2.b.
Lædit hepar calidum. c
Non aperit ora venarum, ſed fluxum ſanguinis ſiſtit adſtrictione ſua. d
Hyeme non offerenda. 88.c.1.a.b.c
Aloë à cibo aſſumpta an ſit ex vſu. 88.c.1.c.d
In ſoporoſis affectibus concedenda. e
Correctione indiget. col.2.a
Tribus de cauſis lauanda. b.c
Aloë in tota hieræ compoſitione præſtantior eſt. 403. c.2.b.
Alopecia defluuium eſt pilorum inæquale, & per areas factum. 137.c.2.c
A vulpe nomen ſortitur. ibid.
Dicitur & Ophiaſis à ſerpentum gyris. ibid.
Alopeciæ ab Ophiaſi differentia. 138.c.1.c
Eius cauſæ. ibid. Signa.e. Præſagium. ibid.
Alopecia curatu facilior quàm Ophiaſis. 138.c.2.a
Eius curatio inſtituitur. b.& ſeq.
Remedium Alopeciæ præſtantiſſimum. 139.c.1.b
Alterantium varia genera. 75.c.1.a
Althææ magiſtralis ſyrupus pituitam, purulentamque ſaniem, & arenulas expurgat. 104.c.2.a
Alui fluxu vrgente parcè euacuandum & phlebotomandum. 27.c.2.a
Alui fluxus diuturnus in hydrope reprobus eſt. 430. c.1.c.
Aluus laxa an à calculo ſeruet. 438.c.2.c
Alui fluxus poſt cruditatem, aut aliam cibi corruptelam, maximè prodeſt. 620.c.1.e
Vt & in affectibus oculorum. col.2.a
Quid faciendum ſi criticus ſit. b
Quid ſi in principio febris, & ex irritamento naturæ fiat. d
Quando cũ febre complicatur difficiliùs curatur. e
Quid tunc auxilij eſt. ibid.
Qua ope eius cauſa abſcinditur. ibid.& 621.c.1.a
Quibus medicamentis curatur. c.& col.2. tota
Potus ſtillatitius ad eum compeſcendum. 622.c.1.a
Emplaſtrum huic vſui celeberrimum. d
Alui fluxus à cholera an inſeparabilis. e
Vide, *Diarrhœa*.
Amarum animalium nutritioni inimicum. 473.c.2.c
Amarorum corporum generatio vnde? d
Amara & frigida qua ratione conueniant. 66.c.2.d
Amara guſtui ingratiſſima & ab alimenti natura aliena. 503.c.2.a
Grauidis non offerenda. c
Quomodo dicuntur ſtomachũ firmare. c.504.c.1.a
Ambari fragrantiâ mulieres extinctæ. 6.c.1.d
Ammoniacum ſuccus eſt ferulæ in Africa iuxta Cyrenen, eius temperamentum, & probatio. 95.c.1.e
Amoris infani vis. 211.c.1.b
Eius ſedes in oculis ponenda. d
Cur dicatur Heros, & vnde hæc vox. 212.c.2.b
Amygdalarum dulcium olei temperamentum & vſus. 122.c.2.e.
Item Amararum. 123.c.1.e
Amylum ex tritico hæmoptoïcis offerendum, non autem ex furfure. 337.c.2.a.b.c
Qua arte apud Septentrionales paratur. c
Amyli temperamentum. 529.c.1.e
In febribus putridis non concedendum. c.2.c

Prodeſt

Prodeſt iis quæ à mordaci tuſſi, acríque diſtillatione oriuntur. d
Ana, multitudinem medicamentorum æqualem ſignificat. 76.c.1.b
Ananas, fructus Braſilienſis cuius virtus pro calculo frangendo efficaciſſima. 441.c.1.c
Anaſarca quænam hydropis ſpecies. 426.c.2.b
Anaſtomoſis apertio oſculorum venarum, vel arteriarum appellatur. 487.c.2.e
Quomodo fit in menſtrui fluxu. ibid.
Anatome dux Medico eſt ad ſui, & naturæ cognitionem. 70.c.2.c
Eius vtilitas. 71.c.1.a.b
Principes nobiliſſimi eam in deliciis habuêre. c
Angina deſperata emplaſtro de nido hirundinis ſanata. 126.c.2.a
Angina eſt neruorum gutturis aut faucium inflammatio. 280.c.1.c
In gutture ſolùm & faucibus reperitur. e
Eius differentiæ quatuor à Galeno cognitæ. c.2.c
Angina penes periculi magnitudinem an in tria tantùm membra diuidatur. d
Admittenda eſt Angina quæ ex verborum luxatione fiat. 281.c.1.a.& ſeq.
An à varia luxationis cauſa concitata. 281.c.2.d
Angina ex circulari & recta luxatione orta deterior eſt eâ quæ ab anguloſa & obliqua concitatur. 282.c.1.b
Angina à bilioſo humore in gutture concitatur. 282.c.2.a.
Vel à ſanguineo. ibid.
Non à melancholico. ibid.
Angina ex frigida cauſa dari non poteſt. c
Ab aëre frigido & humido ex accidenti enaſci poteſt. e
Poteſt ab alimentis. 283.c.1.a
Angina ſanguinea vehementioribus ſymptomatis obnoxia eſt quàm bilioſa. 283.c.1.c.d
In omni Angina ſemper difficilis reſpiratio reperitur. ibid.e
In grauiſſima, ſemper etiam ſublimis. c.2.b
Pulſus quinam in hoc affectu reperiantur. e.& 284.c.1.a.
In Angina ſemper adeſt febris. b
Periculoſiſſimus eſt affectus. d.e
Angina pituitoſa an omnium ſecuriſſima. c.2.a
Bilioſa omnium peſſima eſt. b
Pituitoſa omnium breuiſſimè iudicatur. e
Anginoſi quibus ſpuma circa os apparet, an deſperatæ ſalutis. e.& 285.c.1.a
Angina vere magis quàm autumno inſoleſcit. b
Anginâ frequentiùs viri & iuuenes premuntur, quàm fœminæ pueri & ſenes. e
Iuuenes verò pueris & ſenibus frequentiùs. e
Tumoris euaneſcentia in Angina non ſemper reproba. 285.c.2.a.b.c
Anginæ celerrimè interimunt quæ grauiſſimum dolorem inferunt, nec quicquam in faucibus, & ceruice, conſpicuum faciunt. d
Quibus fauces & ceruix rubent diuturniores. e
Quibus verò pectus, niſi ſacer ignis intrò recurrat, maximè liberantur. ibid.
Varia Anginæ præſagia enumerantur. 286.c.1.a.b.c
Ex vertebrarum luxatione quæ oritur incurabilis. d
In Angina victus ratio inſtituitur. e
Pro curatione ſomnus initio vitandus. col.2.a
Venæ ſectio ſummopere commendatur, & qua quantitate. Item venæ ſectio ſub lingua. e
Etiam ante alias vacuationes. 287.c.1.b
Laryngotomia aliquando exercenda, cuius ope plures euaſere. c.d.e
Purgatio clemens non differenda. c.2.a
Clyſteres vules. b
Gargariſmata mere repellentia in initio fluxe ex vsu, aut magis in Angina pituitoſa, quàm in bilioſa, aut ſanguinea. 288.c.2.a
Anginæ an mororũ ſuccus ſemper vtilis ſit. 288.c.2.c
In Angina repellentia medicamenta per partem externam prohibentur. 289.c.1.b
Laxantia vtilia ſunt. c
Nidus hirundinum extra appoſitus mirificè iuuat. ibid.d
Angina canina hirudinum ſub lingua ſuctu curatur. 289.c.2.b.
Animæ plantarum diuiſibiles, & extenſæ. 78.c.2.d
Animæ viri & mulieris par dignitas & excellentia. 448. col.1.b.
Anima eſt actus corporis organici. 465.c.1.b.c
Ab animalibus quæ à pharmacopolis deſumantur. 76.c.2.c.
Animalia quæ ſecundùm ſe tota, vel ſecundùm partes vſui Medico inſeruiant, & qua cautione ſeruanda. 80.c.1.b.
Animalium partes & ſuperfluitates cuius temperamenti. 132.c.2.a.b.& ſeq.
Animalium corpora tribus ſubſtantiis conſtant, adipe, pingueditie, & ſeuo. 355.c.2.e
Animalis facultates etſi ſpecie diſtinctæ, ſibi mutuò opitulantur. 555.c.1.c
Animalia varium ab hominibus guſtum ſortiuntur. 642.c.1.a. Id exemplis patet. b
Animantia voces habentia, conceptus ſuos vocibus ſuis communicant. 324.c.2.e
Animi deliquium in quo à ſyncope differat. 361.c.1.a
Quando propriè fit animi deliquium. c.2.e
Quibus curatur. Vide, *Syncope*.
Animi facultas ſcientiarum parens. 19.c.1.a
Animi pathemata menſtruatis plurimum nocent. 479.c.1.a. Quid ſub eorum appellatione veniat. b
Corpora noſtra alterant, & à ſtatu naturali auertunt. c.d
Animi affectus in vterogerentibus periculoſi. 502.c.1.e. & ſeqq.
Anodyna quæ dicantur, eorúmque dolori ſedando facultas explicatur. 63.c.1.d.e
Antidotum hæmagogum quibus proprietatibus eximium. 119.c.1.b
Antidotum in Epilepſiam paruulis ante lactationem offerendum. 518.c.2.b.
Antimonij vſus in apoplecticis reprobatur. 913.c.2.d
Antimonij pulueris vſus ad noſtram vſque ætatem ignotus. 113.c.1.d
Quibus medetur affectibus. e.& c.2.tota
Vide, *Stybium*.
Anulaſach, pondus eſt vnius aurei cum dimidio. 76.c.1.d.
Aphonia eſt omnimoda vocis ablatio, ſeu obmutescentia. 325.c.2.c. Vnde fit. d.e.& 326.c.1
Si cum ſurditate fiat, incurabilis eſt. 328.c.2.b
Aphoniæ cauſæ variæ, variam eius curationem faciunt. 328.c.2.d
Vel à lumbricis fit. e
Vel ob copiam pituitoſi humoris. ibid.
Vel à copioſo ſanguine venas ſubitò obſtruente. 329.c.1.b.
in Aphonia, brachij vena interna ſecanda. 329 c.1.c
Aphoniæ curationi pileus vtiliſſimus. 330.c.1.a
Aphonia ab vtero orta copioſa ſanguinis miſſione curata. 330.c.2.a
Aphoriſmi Hippocratis etſi ab ipſo conſcripti nonnulli tamen nothi & adulterini additi. 437.c.1.e
Apij aquæ temperamentum, & vſus. 100.c.2.a
Apium quid Epilepſiæ curandæ conferat. 185.c.1.a
Apnœa inter difficilis reſpirationis ſpecies numeranda. 344.c.1.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 711 sur 927

Apophlegmatiſmi quod medicamenti genus, & cui vſui. 65.c.2.a
Apophlegmatiſmatum variæ ſpecies indicantur. 129. c.2.b
Apoplecticus citra vllam reſpirationem & pulſum viuere nequit. 190.c.1.a
Apoplectici in quorum ore ſpuma apparet an ad vitam reuocentur. 192.c.2.b.c.d
Apoplexia à percuſſione dicta. 187.c.2.e
Variæ eius appellationes. 188.c.1.a
Eius definitio Galenica expenditur & elucidatur. b.c.
in Apoplexia an reſpiratio ab aliqua virtute ſuperſtite celebretur. col.2.b
Cerebrum in ea afficitur. e
Sed magis ventriculi quàm corpus cerebri. ibid. & 189.c.1.a
Apoplexiæ differentiæ rectè à Galeno numerantur. e
Tribus potiſſimum diſtinguitur. col.2.b
Rarò à peſſima & deſperata Apoplexia quis euadit. d. e.
Apoplexiæ diſtinctio à Caro, Epilepſia, & Catalepſi. 190.c.1.d.e.
Apoplexiæ cauſæ à Galeno allatæ an ſolùm admittendæ. c.2.b.c
Carotidum arteriarum, vel iugularium venarum compreſſio eam ſubito inducit. 191.c.1.a
Apoplexiæ immediata cauſa non poteſt eſſe flatus nebuloſus. 191.c.2.a
Frigus immateriale poteſt eam excitare. d
Poteſt & decubitus ſupinus. 192.c.1.a
Apoplexiam quæ ſigna præcedant. d
Apoplexiæ curatio inſtituitur. 193.c.1.a
A ſanguinis miſſione inchoanda. ibid. & 194.c.1.b
in Apoplexiæ acceſſione an cucurbitulæ hypochondriis imponendæ. 193.c.1.c
Clyſteres ex vino quid iuuent. e
Quid ſternutatoria, & an ante totius corporis vacuationem imperanda. ibid.
An Theriaca & odora medicamenta palato & naribus admouenda. col.2.b
Antimonio non vtendum. d
Sinapiſmi & dropaces maximè probantur. e
Apoplexia quî differt ab vteri ſtrangulatu. 494.c.2.b
Apozemata & decocta quî differunt. 127.c.2.a
Varia pro intemperiei varietate conficiuntur. ibid.
Pectoralis conficiendi ratio. b
Pro curatione tertiana nothæ. ibid.
Pro humore melancholico. d
Purgatiuum in decoctione coquendum. e
Appetentia abolita ad debilitatem oris ventriculi referenda. 392.c.2.e
Appetentia quantum vitæ interſit. 619.c.1.d
Appetentia duplex naturalis, & voluptuoſa. 641. c.1. d.e.
Appetitus principium duplex, rationale & animale, ſeu naturale. 501.c.2.c
Aquæ puteales cur hyeme calent, & æſtate frigent. 45.c.1.b
Aquarum auſtralium inſalubritas, ſeptentrionaliúmque benignitas explicatur. 56.c.2.e.57.c.1.a
Aqua ex dulci quæ medicamenta ſumantur. 76. col.2.e
Aqua definitur ſubſtantia liquida ab omni ſorde ſeparata. 99.c.1.a
Aquarum ſtillatitiarum differentia triplex. ibid.
Qua arte extrahendæ, & cui vſui ſint, explicatur. b.c.
Aquæ frigidis thoracis affectibus propriæ. 100. c.2.d
Aliæ flatus & ventris dolores abſumentes. ibidem.
Aquæ vitæ vtilitas, vſus, præſtantia. 101.c.2.tota
Somno parando inſeruit. 102.c.1.b
Aqua contra hecticam, & phthiſin qua arte paranda. c
Aquæ infrigidantes ſunt, aqua ſcorzoneræ. 99.c.1.d
Borraginis, Bugloſſæ. c.2.a
Cichorij, oxalidis. b
Papaueris erratici. c
Cucurbitæ, portulacæ, lactucæ. d
Plantaginis. e
Capitum roſarum, Roſarum. 100.c.1.a
Solatri, florum nenupharis. b
Citoniorum. c
Aquæ concoquentes pituitam ſunt, aqua ſcabioſæ. ibid.
Meliſſæ. d
Menthæ. e
Abſinthij. ibid.
Fœniculi, Apij. col.2.a
Euphraſiæ, Stœcados, Chelidoniæ. b
Naphæ. c
Aquæ capitis affectibus auxiliantes, & ventriculi flatus, & dolores ventris diſcutientes. d.
Aliæ hepati, ſpleni renibus, vteróque opitulantes. e
Aquæ melancholiam concoquentes, ſunt Fumariæ, Lupulorum. 101.c.1.a
Aquæ bilem in pectore concoquentes ſunt, Aſari Cuſcutæ, Scolopendrij, corticis, & foliorum Tamariſci, Thymi. b
Aquæ variis affectibus accommodatæ, vt aqua hordei. 101.c.1.b
Scordij. c
Ceraſorum dulcium. d
Aluminis. ibid.
Lanfranci. e
Aqua antepileptica dicta qua arte paranda. 102. c.1.c.
Aqua hyſterica ad vteri flatus diſcutiendos. ibid.d
Aqua cinnamomi cui vſui. 102.c.1.e
Aqua Theriacales vſus contra venena, & quomodo paranda. c.2.a
Aqua ophthalmica ex quibus conficitur. 102.c.2.b
Aqua ad oculorum ruborem, & lacrymas exſiccandas. c
Aqua morbi Gallici reliquiis conterendis vtiliſſima. 279.c.1.e
Aqua Magiſtralis pro iis qui occultè morbo Gallico curari deſiderant. c.2.d
Aqua ſtillatitia pro retinendo ſanguinis fluxu mirabilis. 339.c.2.d
Aqua ad curandam phthiſin mirabilis. 377.c.2.d
Aqua ſtillatitia ad euacuandos humores mirabilis efficaciæ. 433.c.1.e
Aquæ marinæ liberaliſſimus potus aquam intercutem, copioſo alui fluxu ſuborto curat. 434.c.1.b
Aquæ ſtillatitiæ vſus ad euocandos menſes. 485.c.2.e
Qua arte paranda. 486.c.1.a
Aquæ potus ad ſatietatem vſque in febribus concedendus, ſed poſitis conditionibus. 542.c.1.a.b
In bilem tranſmutatur. e
Aqua in bilioſis eſt bilioſa, ſententia triplicis ſenſus. 542.c.1.e.col.2.a.b.
Vino permixta faciliùs penetrat, magíſque refrigerat. c
In febre calidiſſima, coctione perfectâ, vtilis. d
Secus in pituitoſa & melancholica. d
Aquæ potus febrem bilioſam, aut ſanguineam in pituitoſam mutare poteſt. e
Aquæ potus in febribus continuis in declinatione concedi debet. 543.c.1.d
In principio maximè nocet. col.2.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 712 sur 927

©BIUM

Et præcipuè frigentibus pedibus. b
In ſtatu interdicendus. c
Non offerendus eſt vſque ad ſatietatem. d
Immoderatus deterior eſt quàm vini. 544.c.1.e
Aqua frigida febrientibus tutò conceditur, ſi tempeſtiuè. 541.c.2.b.c.& ſeq.
Vſque ad ſatietatem. 542.c.1.a.b
Aqua ſudatoria venenum à corde ad cutem transferens. 605.c.2.b.c
Aquilonius flatus corporis meatus obſtruit, ideóque purgationi repugnat. 34.c.1.c
Arabes Medici, eorúmque clariſſimi interpretes commendantur. 10.c.d
Arboris appellatione quid veniat. 77.c.1.b
Arbuſcula quæ dicatur. ibid.
Arena cum vrina excreta calculum rerum indicat. 437.c.1.d.
Vide, *Calculus, Renes.*
Argenti amor arx improbitatis & vitij omnis metropolis. 3.c.2.d
Ariſtoteles accuratè Medico legendus. 10.c.1.a
Multa ad Medicinam ſpectantia enodauit. b
Eius interpretes Medici laudantur. c
Aromatici roſati vſus ad pituitoſos humores abſumendos. 118.c.2.a
Aromatum ſuffitus muliebria ducit. 475.c.1.d
Artis variæ definitiones expenduntur. 20.c.1.c.c.2.a
Ars Medica factitia eſt, quæ opus factum corrigit, & illuſtrat. b
Architectonica eſt & imperatrix. d
In quantum dicatur ſcientia. e
Ars medica cur muta dicta, & Medicus item. 3. col.2.a
Artis Medicæ nulla cenſetur imperfectio, quòd Medicus finem ſuum non aſſequatur. 20.c.1.a
Ars Medica, ſiue auxilia Medica licet tempore & dignitate poſteriora, in executione prima ſunt. 48. c.1.e.
Artes, & ſcientiæ experimento generantur. 16. c.1.e. 17.c.1.c.
Arſenicum in ſuffumigiis periculoſum Aſtmaticis. 353.c.1.a.
Venenum eſt præſentaneum quo ſuffitæ plantæ pereunt. c
Arſinum pondus eſt drachmæ ſemis. 76.c.1.d
Artemiſiæ ſyrupus duplex, & cui vſui. 105.c.2.d
Arteriarum medicamentum quid, & in quo à Bechico differat. 329.c.2.c
Ad reſtituendam vocem ſalubertimum. 330.c.1.d
Artus an ſuperiores vel inferiores in immodico ſanguinis per vterum fluxu fricandi. 489.c.2.b
Aſarum non idem eſt ac Baccharis, Nardum ſyluestre appellatur, eius temperamentum. 91.c.1.a.b
Aſcarides lumbricorum ſpecies. 645.c.1.d.e
Aſcites peſſima eſt hydropis ſpecies. 428.c.2.c
Difficiliúſque Tympanite & Anaſarca curatur. e
Aſſa ad impinguandum elixis commodiora. 476. col.1.d.e
In menſtruatis reproba ſunt. c.2.b
Difficiliùs concoquuntur. c
Pingui aliquo inungendæ, vt humiditas conſeruetur. d
Aſthma importunum cauterio in nucha celebrato curatum. 352.c.1.c
Ad Aſthma ex flatu ſubortum electuarium mirabile. 354.c.1.a
Aſthma eſt difficilis reſpiratio cum ſono & anhelatione citra febrem. 341.c.1.e
An iſta definitio admittenda. c.2.a
An ſit difficilis reſpiratio. c
Aſthma à ſola pituita generari poteſt. 344.c.2.e
An eius proprium ſignum ſit ſterror. 349.c.1.b
Aſthmatis curatio inſtituitur. 350.c.1.e.& 351
An copioſus potus Aſthmaticis conueniat. c.2.e
An ius galli vereris. 351.c.1.e
Aſthmaticis Arſenici vſus tam in ſuffumigiis, quàm in potu prohibetur. 352.c.2.c.353.c.1.a
Aſtra quomodo morborum curationem indicent. 35. c.2.e.
Aſtra ſtudiis fauentia quæ. 7.c.2.d
Aſtrorum vis in hæc inferiora. 602.c.1.a.b
Qua ratione aliquid mali influunt. d.e
Eorum aſpectus & coniunctiones poſſunt peſtem cauſare. col.2.tota
Aſtrorum mutationes quid conferant euacuationi. 34. c.2.e.& 35.36.c.1
Auaritia Medico fugienda. 3.c.2.b.c
Eſt vitij omnis metropolis. d
Auctorum lectio varia minùs certa & probanda. 8.c. 2.d
Audacia nimia, & citra præmeditationem, inconſtantiam, & ignorantiam arguit artificis. 13.c.1.b
Medico execranda. ibid.
Auicenna Arabum Medicorum princeps, cum Gentilis illuſtratione legendus. 10.c.1.d
Auibus cur nullus veſicæ, multorum inteſtinorum, lactis & vrinæ vſus, & quid illorum vicem ſuppleat. 472.c.1.d.e
Aureus, pondus eſt ſolido, & exagio æquale. 76. c.1.b
Auriginis curationi pediculorum vſus vtiliſſimus. 638. col.2.a.
Vide *Ictterus.*
Auris interna verum eſt auditus organum. 255.c.1.b
Auris inflammatione quid intelligendum. ibid.
Eius cauſa. col.2.a
Signa. c
Aurium dolor periculoſior eſt dolore oculorum. 256. c.1.a
Iuuenes grauiùs eo affliguntur quàm ſenes. e
Lenibus medicamentis is affectus curandus. c.2.d
Non iis quæ vomitum mouent. 257.c.1.b
Infundenda in aures medicamenta ſint actu calida, ſed mediocriter. e
Acetum roſato mixtum mediocriter inſtillandum. c.2.d
Stupefacientia vrgente neceſſitate, infundi poſſunt. 258.c.1.a
Puris in aure collecti ſigna Medicum deludunt. e
Aurium inflammatio ſæua hirudinum ſuctu curata. 258.c.2.d
Aures cur furibus amputentur. 466.c.2.b
Aurora ſtudiis commoda. 8.c.1.a
Auſterum in quo diſcrepet ab acerbo. 642.c.2.c
Auſtrini flatus auditum hebetant, oculis caliginem offundunt, & caput grauant. 34.c.2.c
Autumnus ad purgationem accommodatiſſimus. 34. c.1.c.
Autumno minus cibandum quàm verè aut hyeme. 531.c.2.a.c.
Autumnus multorum morborum parens, & phthiſis præcipuè. 371.c.1.c
Auxilium ægris non differendum Medico, ne eos in vitæ diſcrimen adducat. 13.c.2.b
Axungia anatis qua arte conſeruatur. 86.c.1.b.

B

BAccharis non idem eſt ac Aſarum. 91.c.1.a
Bactath, pondus eſt nouem granorum. 76.c.1.d
Balbi ab alui profluuio facilè capiuntur. 33.c.1.a. 326.c.2.b
Balbuties ſermonem impedire poteſt. ibid.
Ij melancholici ſunt, vel bilioſi. ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 713 sur 927

Balborum tres formæ assignantur. c.d
Balneum quid, eiúsque duplex differentia. 130.c.1.b
Balneum aquæ dulcis moderatè calidæ corpus ad purgationem parat. 33.c.1
Quænam ipsius vsum impediant. d
Breue tempus requiritur inter ipsum & pharmacum. e
Balnea aquæ dulcis sunt Gallico morbo pernicioſa. 278.c.1.e.
Naturalia, nitrea sulphurea, artus firmant. c.2.b
Balnea hæmoptoïcis nocentissima. 336.c.1.e
Balneum phthisicis vtile. 376.c.2.e
Ex lacte potissimum. 377.c.1.b
Quod exemplo notabili confirmatur. d
Balnea naturalia muliebri profluuio curando proficua. 492.c.1.e.
Balneum grauidis quid officiat. 501.c.2.e
Quid iuuet. 502.c.1.a
Balneum ex lacte, vel ex lacte aqua permixto cui vsui. 600.c.2.c
Balsami proprietates eximiæ. 123.c.2.e
Quibus medetur. ibid.
Eius dosis. 124.c.1.a
Chirurgorum præsidium vtilissimum. b
Balsamum pro excludendo calculo præstantissimum. 441.c.1.e.
Barba & pallium non faciunt Philosophum. 3.c.1.a
Basilicæ dextræ sectionis in iecoris inflammatione vtilitas. 25.c.1.d
Basilici vnguenti proprietates. 126.c.1.c
Bechicum medicamentum quid, in quo differat ab arteriaco, eorum facultates variæ. 329.c.2.c
Bellaria ex Rhabarbaro cui vsui. 81.c.1.e
Benedicta in clysteribus, non per os administranda, huius vtilitas ad humores pituitosos, bile permixtos vacuandos, & colicum dolorem sedandum. 110.c.1.a
Bessis, octo vncias continet. 76.c.2.a
Bilibra, sextariorum duorum mensura. 76.c.1.d
Bilis quibus syrupis disponitur, & temperatur. 103.c.1.c.
Quibus purgatur. 106.c.2 & seq.
Bilis quibus electuariis purgatur. 108.c.2.c.& seqq.
Bilis purgandæ pilulæ perutiles. 111.c.1.d.& seqq.
Bilis atra ex succo melancholico an deterior eâ quæ ex flaua bile generatur. 202.c.1.a
Bilis atra deterrima est. d.
Vide, *Melancholia.*
Bilis sanguini menstruo permixta quibus medicamentis educenda. 490.c.1.d
Bilis leniter vacuanda. 581.c.1.c
Bilis vitellina vnde generetur. 582.c.1.a
Et vbi. e
Bilioſi purgationibus, & venæ sectione cautè vacuandi. 37.c.1.d
Veneris vsus ipsis aduersissimus. ibid.
Biliosi temperamenti signa. 37.c.2.a
Borraginis aqua cui vsui. 99.c.2.a
Borraginis syrupus bilis aduſtæ affectibus opitulatur, & qua arte parandus. 106.c.1.e
Bradypepsia dicitur cùm alteratio in ventriculo fit semicrudo alimento relicto. 395.c.1.c
Bronchium pulmonis, quid. 51.c.2.b
Vnde illud expui contingit. ibid.
Eius ligamenta quibus ex causis rumpi, diuidique contingat. 51.c.2.c
Brutorum in dignoscendo alimento, & veneno fugiendo sagacitas. 202.c.1.c
Bryonia in quo à radice Mechoaca differat. 93.c.1
Bryoniæ radicis mira facultas pro hydrope curando. 433.c.2.b
Bugloſſæ aqua cui vsui. 99.c.2.a
Bugloſſæ syrupus cui vsui, & quomodo parandus. 106.c.2.a.
Butyrum an menstruatis conueniat. 475.c.2.e
Eius facultates optimæ. ibid.
Recens non coctum ventrem soluit. 476.c.1.a
Facilè in corporibus calidis siccis inflammatur, & in bilem conuertitur. ibid.

C

CAcochymiæ in vasis, & extra vasa indicia. 549.c.2.d.e.
Vtraque in febribus venæ sectione tentanda. 550.col.1.d.
in Cacochymia pura, ventilatiua sanguinis missio, etiam citra plenitudinem prodesse potest. ibid. & col.2.b
Cadus, amphora trium vrnarum. 76.c.1.c
Calculosis cur supinus decubitus imperatur. 192.c.1.c
Calculi renum definitio. 434.c.1.d
Est & morbus & morbi causa. c.2.c
Eius materia crassa, viscosa, & lenta est. 435.c.1.d
Eius causæ externæ. c.2.c
Decubitus super dorsum in hoc morbo reprobatur. e
Perdicis vsus huic affectui vtilis. 436.c.1.a
Lactis vsus, asinino excepto, prohibetur. c.d
Calculi signa enumerantur. c.2.tota.& 437.c.1.a
Calculus renum vel vesicæ an hæreditarius? ibid. c.2.d
An incurabilis. e
Ex qua parte vena secanda in hoc affectu. 439.c.2.c. 440.c.1.a
Calculum frangentia medicamenta enumerantur. 440.c.2.c.d.e
Calculus vesicæ cur dictus funestus, miserabilis & atrox. 441.c.2.d
Eius curatio eadem quæ calculi renalis, solúmque intentione differt. e
Calculi ad curationem conserua mirabilis. 442.c.1.a
Calculorum numerus incredibilis citra noxam excretus. ibid.e
Calor natiuus an causa proxima coctionis. 393.c.2.d
Caloris excessus ex expirationis potiùs, quàm inspiranis specie venandus. 346.c.2.e.347.c.1.a.b
Calor naturalis etsi qualitas conueniens, & naturalis, corpus tamen ad interitum perducit. 461.c.2.b
Caloris naturalis maior vel minor calefactio, resolutio, & rarefactio, victus rationem variat. 532.col.1.d.
Camomillæ olei proprietates. 122.c.2.d
Cancrorum fluuiatilium vsus phthisicis commendatur. 375.c.2.e
Cantaridum vsui secundarum expulsioni noxius. 515.c.1.c.
Capparum oleum flatibus & obstructionibus obsistit. 123.c.1.e
Capillorum veneris syrupus quibus medetur affectibus. 105.c.1.b
Capillorum defluuium symptoma est, non morbus. 138.c.1.a.
Capitis frigidis affectibus aquæ salubres. 100.c.2.d
Capitis dolores externi ad oculorum radices non porriguntur. 143.c.1.c
Quando à flatuoso, & calido vapore oriri iudicantur? d
Quando à bile. e
A pituitæ redundantia. c.2.a
Quando per proprietatem, & primigenium affectionem & per consensum. d
Capitis dolor permanens an morbus, vel symptoma? 143.c.2.e

Maximè

Maximè præcauendus eſt. 144.c.1.b
Eius curatio inſtituitur. e.& col.2.& ſeqq.
Quid ſi ab ardore oriatur. 145.c.1.c.
Si ab intemperie frigida. col.2.b
A ſiccitate. ibid.
A plethora. c
A bile quibus curatur. ibid.
A pituita. 146.c.2.a
A Melancholia. 147.c.2.a
An ei ſyrupi de aceto parati conueniant. b
Capitis lotio, aut vnctio an grauidis congruat. 502.c.1.a
Capitis doloribus non ſemper oxyrhodinum imponendum. 612.c.2.c
Præcipuè quando ex multitudine craſſorum humorum aut vaporum ortum ducit. 613.c.1.a
Capitis in omni dolore venæ ſectio probatur. c
Purgatio, e
Vomitus. col.2.b
Capitis ad calidum dolorem emplaſtrum vtile. c
Item ad frigidum. e
Capitis diuturno dolori ſedando fontanella in ſinciput mirabilis. 614.c.1.a
Capitis dolor intenſus febri ſuperueniens hæmorrhagiâ conſanеſcit. ibid.
Carabes trociſci quibus medentur. 121.c.2.c
Cardialgia an inter affectus peculiares debilitati ventriculi numeranda. 393.c.1.b
Cardiogmos & cardialgia coincidunt. 393.c.1.d
Vide. *Cor.*
Caro magis ventriculum grauat quàm panis. 396.c.2.e
Carotidum arteriarum, vel iugularium venarum ſectio, vel compreſſio Apoplexiam inducit. 190.c.2.e
Carthami ſeminis temperamentum, & vſus. 94.c.1.b
Carus, ſopor, ſubeth, eſt profundus ſomnus cum principum facultatum læſione. 173.c.1.c
Quo pacto in hoc affectu cerebrum læditur. d
Huius cauſæ quinario numero explicantur. e.& col.2.a.b.c.& 652.c.1.d
A lethargo quibus ſignis diſtinguitur. 173.c.2.d.
Apoplexiæ finitimus eſt. 174.c.1.a
Eius curatio. b
Caſeus calculoſis reprobus, recens præcipuè. 439.c.1.d.
Caſſiæ fiſtularis variæ appellationes. 83.c.2.a
Eius deſcriptio. b
Quænam probatior. ibid.
Eius temperamentum, & facultates. e
Eius medulla à ſemiuncia ad vnciam, & ſemiſſem paruam ante paſtum ſumenda. d
Quibus modis offertur. d.e
Caſſiæ fiſtularis pulpa in quibus correctione indiget. 84.c.1.a
Tutò grauidis propinanda. b
Vi diuretica prædita eſt. c
Aqua ex eius pulpæ floribus ſtillatitia, vel conſerua ex iis parata ad febres ardentes vtilis. d
Cortex pulpæ caſſiæ menſes prouocat. col.2.a
Ex caſſia vnguentum pro hectica curanda præſtantiſſimum. 600.c.2.d
Caſtorium odore & guſtu homini infeſtiſſimum. 44.c.2.c
Quibus affectibus medeatur. d
Eius temperamentum, & vſus. e
Doſis. 95.c.1.a
Caſtorium intus ſſumptum, vel ſuffumigij inſtar ſecundinas expellit, & menſes prouocat. 515.c.1.c
Catalepſis variæ appellationes, & in quo eius ſubſtantia poſita eſt. 175.c.1.e.col.2.a.b
Catalepſis quî differt ab vteri ſtrangulatione. 494.c.2.b
Catalepſis, affectus eſt ſoporoſus. 652.c.1.c
Duplex eſt. col.2.a
Huius cauſa intéperies frigida & ſicca materialis. b
Curatio remiſſione humoris perficitur. c
Cauterio in plantis pedum curatur. ibid.
Cataphoræ definitio, cauſæ, ſigna, curatio. 174.c.1.b
Cataphora eſt ad ſomnum propenſio. 651.c.2.c
Vide, *Coma.*
Cataplaſma quid, & ex quibus conficitur crudum, & coctum. 128.c.2.d
Cataplaſma ad expurgandas prægnantes vmbilico apponendum, miræ vtilitatis. 505.c.2.d
Cataplaſma vtiliſſimum ad vomitum compeſcendicto. 617.c.2.e
Cataplaſma ad cibi ex calore faſtidium, perutile. 619.c.2.c
Catapotia in capitis affectibus, & quo tempore præbenda. 146.c.2.c
Catarrhi nomine quid intelligendum. 632.c.2.e
Eius materia. 633.c.1.b
In Catarrho victus ratio in ſex rebus non naturalibus obſeruanda. 633.c.1c
Fluxus retentio in eo quando neceſſaria. c.2.d
Caules herbarum cui vſui & quo tempore collegendi.
Ex iis lac & lacrymæ educuntur. 78.c.1.b
Caulium calidorum & frigidorum ſpecies. 130.c.2.b
Cauſa efficiens principalis eſt nobilior & perfectior ſui effectu. 463.c.2.d
Vt dicatur efficiens quid requiritur. ibid.
Cauſæ partiales quomodo agunt. 469.c.2.c.d.e
Cauterij potentialis vſus. 129.c.1.c
Cauterium in plantis pedum excitatum lethargum ſanat. 562.c.2.d
Cema, octaua vnica pars. 76.c.1.e
Centenarius, centum librarum pondus. c.2.b
Cephalalgiæ differentia triplex prima ſumitur ex corporum natura & aptitudine. 141.c.2.e
Secunda ex loco dolente. ibid.
Tertia ex parte affecta. 142.c.1.a
Cephalalgia aut quiuis alius dolor an ita per conſenſum poſſit in parte fieri, vt caput vel alia pars dolens intemperiem aut continui ſolutionem patiatur. 142.c.1.b.& ſeqq.
Cephalalgiæ cauſæ enumerantur. col.2.d
Signa. 143.c.1.b.& ſeqq.
Curatio. 144.145
Cephalalgiæ à flatu ſubortæ curatio. 147.c.2.e
Ab inflammatorio cerebri affectu. ibid.
Ex deleteria qualitate, aut lue venerea. 148.c.1.a
Per ſympathiam ventriculi. b
Per ſympathiam à iecore. c
A toto corpore ſubortæ. ibid.
Ex ebrietate. d
Ex caſu aut percuſſione. e
Cephalææ & cephalalgiæ differentia. 148.c.2.
Contumaci Cephalææ conſerua vtiliſſima. c
Ceramium, menſuræ Italicæ ſpecies. 76.c.2.b
Ceraſorum acidorum aqua cui vſui. 100.c.1.b
Ceraſorum item dulcium. 101.c.1.d
Ceratum quid. 128.c.2.b
Cerebri emunctoria quæ? 64.c.2.e
Quibus purgandum ſi frigido humore turgeat. 65.c.1.b
Cerebri ſubſtantia inflammari poteſt. 199.c.2.a
Periculoſior eſt eius inflammatio quàm membranarum. 150.c.1.d
Cerebrum ſentit. 141.c.1.b
Eius inflammatio periculoſa. 144.c.1.b
Cerebrum in epilepſia patitur vt pars inſtrumentalis. 176.c.2.a
In eius ventriculis ſpiritus animalis continetur. 177.c.1.c
Cerebri ventriculorum obſtructio eſt Epilepſiæ cauſa immediata. 180.c.1.d

Cerebrum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 715 sur 927

Cerebrum in Apoplexia affectum esse probatur. 188. c.2.d.
Cerebri substantia in affectu melancholico læditur. 94. c.2.b.
Cerebrum ex nimio Veneris vsu quid detrimenti patiatur. 468.c.1.c
Cerevisiæ potus tutò febricitantibus conceditur. 544. c.1.a.b.
Ceruicis cum larynge communicatio in quo posita. 286.c.1.b.
Chalcus, pondus est duorum granorum ciceris. 76. col.1.c.
Chalybs melancholiæ flatuosæ præsens remedium. 210.
Charmes, pondus grani hordei. 76.c.1.c
Chelidoniæ aqua visionem clarificat. 100.c.2.b
Cheme, cochlearia duo continet. 76.c.2.b
Chimicorum dogmata ridicula & sanæ doctrinæ aduersa. 14.c.2. & 15.c.1.
Chinæ radicis proprietates eximiæ. 585.c.1.c
Chirothecarum ambarum redolentium odore mulieres emortuæ. 6.c.1.d
Chirurgiæ præstantia commendatur à Medicinæ Principibus, qui in ea excelluerunt. 71.c.1.e
Eius nobilitas, necessitas, arduúmque & indefessum studium. col.2.d.e
Chirurgicæ facultatis primarij. 10.c.2.b
Chirurgus diuersus à Medico artifex. 71.c.2.b
Sit iuuenis & immisericors. ibid.
Sit Medicinæ peritus. e
Chœnis mensura trium cotylarum, & sesquisextarij. 76.c.2.b.
Cholera nigra ex melancholia naturali, aut ex flaua bile generatur, non ex pituita. 197.c.2.b
Vide *Melancholia.*
Choleræ variæ appellationes, quid sit, & vnde oriatur. 622.c.1.d.e
A causa externa an periculosior eâ quæ à causa interna. col.2.c
Familiaris est æstati, & autumno. e
Choleræ assueti minùs læduntur. ibid.
Huic statim occurrendum quacumque ex causa. 623.c.1.a.b
Syrupus contra eam eximius. c.d
Chorion secundæ sine secundinæ nomen. 511.c.2.c
An necessariò contineatur intra vterum, fœtu emisso. d
Vide, *Secundina.*
Cibus & potus minùs probabilis aliquando ægris concedendus. 22.c.2.a
Quod in morbis cum acutis tum chronicis experientia indicat. b.c
Cibus multus in quibus ante purgationem præmittendus. 32.c.1.d
Cibus opportunè oblatus optimum medicamentum. 43.c.2.a
Cibi acuti & acres qui dicantur, ij grauidis non offerendi. 502.c.2.e
Calidi sunt. 503.c.1.b
Cibus in febribus in qualitate potius quàm in quantitate minuendus. 534.c.1.b
Cibus vario ordine febricitantibus præbendus. 540. c.2.d.& 541.c.1.
Cibi fastidio siue ex calida, siue frigida intemperie orto, quibus occurrendum. 619.c.1.e
Pilulæ ad cibi fastidium ex frigiditate eximiæ. col.2.a.
Ad cibi ex calore fastidium cataplasma. c
Cichorium vnde frigidum & amarum. 66.c.2.e
Cichorij aqua cui vsui. 99.c.2.b
Cichorij cum Rhabarbaro syrupus hepatis obstructionibus, & tertianis nothis vtilissimus. 107.c.1.b
Cina, sextariorum quinque mensura. 76.c.1.e
Citoniorum aqua cui vsui. 100.c.1.c
Citoniorum syrupus alui fluxibus & ventriculo intemperato maximè opitulatur. 103.c.2.d
Citoniorum oleum cui vsui. 122.c.2.b
Citri aquæ vtilitates. 109.c.2.c
Citri corticum syrupus duplex, quibus morbis medetur. 106.c.1.c
Clysteris variæ appellationes, eiúsque differentiæ. 128. c.1.a.
Attemperantis exemplum. Euacuantis. Anodyni. b
Abstergentis. c
Adstringentis. ibid.
Sarcotici. ibid.
Nutrientis. ibid.
Varia eius quantitas pro ætatis & morborum varietate. d
Tepidus infundendus. ibid.
Clysteres ex vino Apoplexiæ remedio sunt. 192. col.1.e.
Clysteres in dolore nephritico sunt purgantibus medicamentis anteponendi. 439.c.2.b
Clysteres menstruatis non concedendi, nisi acuto morbo vrgente. 477.c.1.c.2.a
Clysteres sale mixti an, & in quibus febribus imperandi. 546.c.2.b.c.& seqq.
Clysteres acuti aliquando vtiles, & ex quibus parantur. 547.c.1.b
Validam virtutem exigunt. c
Etsi non transcendant cœcum intestinum, à capite tamen, & remotis partibus vaporum communicatione reuellunt. d
Clysterem ad recipiendum qui situs desideretur. e. & c.2.a.b
Clysteres nutriente; quibus potissimum conueniant. b.c.
Cochlear omnium mensurarum pars minima. 76. c.1.d.
Coctio ad purgationem requisita, an debeat esse manifesta solùm, an perfecta. 41.c.2.a.b.c
Soluitur illud dubium. c.& 42.c.1.a
Coctio apparens est potissima bonæ crisis conditio. 60.c.2.c.
Facit cessare putredinem, quámque id explicationem patiatur. 62.c.1.a
Coctionis causa proxima an calor natiuus. 393. col.2.d.
Coctio à digestione distinguitur. 394.c.1.b
Debilis coctionis ventriculi causa an ex inopia succi melancholici ab splene ad ventriculum delati, oriatur. 394
An ad iuuandam coctionem pellente liene an potius attrahente stomacho, in ventriculum succus melancholicus deferatur. 394.c.2.e
Coctionis tria symptomata. 305.c.1.b
Coctionem ventriculi excrementa interturbant. 395. col.1.d
Coctio læditur illæso ventriculo. e
Læditur satietate nauseatiua. 396.c.1.c
Coctio fame læditur. 396.c.1.d
Coctio panis esu iuuatur. 396.c.2.b
Vinum coctioni officit. 398.c.1.b
Coctio mutatione repentina in cibo, & potu læditur. 398.c.1.b.
Sed magis in potu. c
In vino albo ad nigrum. c
Læditur somno diurno. c.2.a
Vespertino, & meridiano. c
Immodicâ vigiliâ. 399.c.1.c
An motus post prandium huic officiat. d
An mutatio insueta à motu ad quietem magis noceat coctioni, quàm à quiete ad motum. c.2.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 716 sur 927

Excrementa fæcalia Coctionem impediunt. 400.c.1.e
Omnis denique intemperies. col.2.a
Coctio humoris ſemiputreſcenti vtilis, dicitur reductio ad benignum. 558.c.2.c
Vide *Concoctio.*
Cœliaca vnde.
Eius cauſæ, ſigna præſagium, curatio. 655.tota.
Coitio aſtrorum quid ad curationes commodi aut incommodi afferat. 35.c.2.e
Colici doloris à nephritico differentia. 439.c.2.d
Colicus dolor cur affectus frigidus appellatur. 612.c.1.e.
Colici doloris definitio. 626.c.1.a
Colicus dolor iliaco cur minor. 626.c.1.6.
In Colico dolore ſentitur ſupra vmbilicum dolor, in iliaco infrà. c
In Colico dolore vomitus, nauſea & fæces retenter ſentiuntur. d.ibid.
Colicus dolor ex bilioſo humore quomodo curatur. d
Eius inflammatio quibus percipitur. e
Colicus dolor ex pituita vitrea quibus curanda. ibid.
Ex flatu quî cognoſcitur & curatur. col.2.a
Ex fæcé retenta quî percipitur, & quibus ei occurritur. b
Emplaſtrum ad colicum dolorem ex flatu. c
Colliquatio membrorum quid. 465.c.2.d
Collyrium album Rhaſis cui vſui, & quibus paratur. 121.c.2.c.
Collyrij differentia triplex, ſiccum quippe, liquidum & mellis conſiſtentiam obtinens. 129.c.1.e
Colocynthidis genera duo. 93.c.1.a.b
Probata à reproba quibus dignoſcitur. ibid.c
Eius temperamentum, & vſus. d.e
Colon quid. 626.c.1.a
Colutea Theophraſti in quo differt à Senna. 98.c.2.b.
Comatis definitio. 174.c.1.b.c
Huius cauſæ, & ſigna. d
An detur Coma criticum. e
Eius curatio eadem quæ lethargi. col.2.a
Comatis vigilis variæ appellationes. c
Coma duplex, ſomnolentum, & vigil. 651.c.2.e
In quo inter ſe differunt. 652.c.1.a
Coma vigil duplex, vigil, & vigil pigrum, quid vtrique peculiare. b
Comatis ſomnolenti, & vigilis cauſæ. ibid.c
Cometæ quid portendant. 602.c.1.b
In iis binæ cauſarum differentiæ conſiderandæ. 603.c.2.c.d.
Comitialis morbus, vide *Epilepſia.*
Comitiſſæ vnguentum quibus affectibus inſeruit. 124.c.2.c.
Compoſitionis in Pharmacia acceptio. 75.c.1.b
in Conceptu qui morbi eueniunt. 450.c.2.d
Conchula pondus drachmæ ſemis. 76.c.1.d
Concilia Medica, conſultationéſque à quibus auctoribus petendæ. 10.c.1.e
Concoctio quomodo omnia facit calidiora. 472.c.1.b.
Concoctio humorum ante purgationem fieri debet. 58.c.2.e.557.col.1.tota.
In febribus ad purgationem neceſſaria eſt. c.2.a
Concoctio triplex, obſcura, manifeſta, perfecta. ibid.
Concoctio humoris putridi diuerſa eſt ab humore ſemiputridi. 558.c.1.b
Concoctionis in corpore humano ſpecies duæ, coctio ſcilicet, ſimpliciter dicta, & maturatio, vtraque explicatur. e
Ad Concoctionem noxij humoris ante purgationem ſyrupi in febribus concedendi. 558.c.2.e
Ante Coctionem adſtringentibus non vtendum. 559.c.2.b. Vide *Coctio.*
Confectio Hamech. duplex, ſimplex & compoſita vtriuſque vſus melancholicis humoribus tenuandis frequentiſſimus. 111.c.1.b
Confectiones infrigidantes ſunt, Margaritæ præparatæ. 116.c.1.e
Confectio hyacinthorum, cuius vis mirabilis. col.2.d.
Confectio liberantis Magiſtralis veneno & peſtiferis affectibus mirificè iuuat. 117.c.2.c
Confectio cordialis, Magiſtralis, peſti, cordis tremori, & animi deliquio prodeſt. d
Confectionis dialexyalois vſus ad cordis & ventriculi affectus. 118.c.2.a
Confectio Alkermez cui vſui. b
Dicitur & electuarium de granis tinctoriis. ibid.
Prodeſt aduerſus peſtem, & venena. ibid.
Confectio rauedſeni Meſuæ cui vſui. 119.c.1.a
Confectionis anacardinæ vſus. c
Maxima cautione propinanda, alioquin noxia. d.e.
Quibus paranda. ibid. & col.2.a.b.c
Confectionum calefacientium vſus. 118.119.
Confectionum opiatarum vſus. 119.col.2.d.& 120.c.1.a.& ſeqq.
Conferentiæ & tolerantiæ diſcrimen. 39.c.2.e
Non ſolùm medicamentum exhibendum oſtendunt, ſed de illius recto iudicio teſtantur. 40.c.1.a.
Congius ſextarios ſex, aut libras XII. pendet. 76.c.1.e.
Coniectura actus eſt intellectiuæ potentiæ. 453.c.1.b
Conſcientiæ puritas acceptiſſimum Deo ſacrificium. 2.c.2.a.
Conſeruæ ex quibus fiunt. 120.c.2.e
Infrigidantes ſunt Conſerua violarum. c.2.b
Saccharum buglоſſatum. c
Conſerua acetoſæ. ibid.
Nenupharis. d
Cucurbitæ. e
Pyrorum citoniorum, ſymphyti maioris, Myrobolani ſaccharo conditi. ibid.
Conſeruæ calefacientes ſunt, Conſerua roſarũ Alexandrinarum, Mel roſatum Perſicum, vel Rhodomel Perſicum. 121.c.1.a
Conſerua ſtœchados. e
Conſerua hyſſopi, capillorum veneris, abſinthij, menthæ, florum fumariæ, florum ſambuci. d
Conſerua ex ligno nephritico pro calculi præſeruatione, & curatione præſtantiſſima. 442.c.1.a
Conſerua capitis dolori pertinaci percommoda. 148.c.1.c.
Conſerua ad leniendam & molliendam prægnantium aluum quouis ſuæ geſtationis menſe, vtiliſſima. 505.c.2.b.
Conſeruationis ſuæ rebus omnibus appetitus inſitus. 45.c.1.d.
Conſtipationes vteri quibus ex cauſis fiant. 480.c.2
Vide *Vterus.*
Conſuetudinem quanti faciat Medicus. 38.c.2.a
Eius vis in cibo & potu multùm ad curationem iuuat. b
Conſuetudo vacuationis tolerantiam, non neceſſitatem indicat. 58.c.2.d
Victus rationem docet. 533.c.2.a
Conſultationes quanti Medicis faciendæ. 11.c.2.d
Quanti ſunt momenti vt ægti morem gerant. e
Non ſunt publicè celebrandæ, & ex pluribus protomedicus eligendus. 12.c.1.a
Contagium venenoſum an morbi Gallici cauſa potiſſima & immediata. 266.c.2.d
Nihil Contemnere, elogium triplici modo Medicis vtile. 13.c.1.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 717 sur 927

©BIUM

Continui ſolutionis ſpeculatio ad Chirurgum potiùs ſpectat quàm Medicum. 71.c.2.a
Contrarium non ſemper perimit contrarium. 45.c.11a
Controuerſiæ Medicinæ quibus ducibus legendæ.10. c.1.e.
Contumacia quale in Medico vitium. 5.c.1.a.b
Conuitia in Medicos coniecta. 21.c.1.e
Eluduntur. col.2.b.& ſeqq.
Conuulſionis definitio. 176.c.1.b
Conuulſio in morbo comitiali an ad conuulſionem ex inanitione, vel repletione referenda. 176.c.2.e
Conuulſionis caninæ cauſæ tam internæ quàm externæ. 231.c.2.e
An in ea pars ægra ad ſe ſanam attrahat, autè contra. 232.c.1.c
Vide *Oris tortura.*
Conuulſionis definitio. 235.c.2.e
Galenica conuulſionis definitio an probetur. 236. c.1.a.
An morbus ſit vel ſymptoma. e.& col.2.a
An ad ſolos neruos referenda. col.2.c
Conuulſionis ſub appellatione an veniat Oris tortura. 236.c.2.e.
An tumor, palpitatio, & rigor. 237.c.1.a
An à paralyſi diſtinguatur. c
Conuulſionis ſpecies à Galeno aſſignatæ an ſolùm admittendæ ſint. col.2.tota.
An ſolùm differentiæ quæ ab Hippocrate. 239.c.1. tota.
Conuulſio ex ictu, vulnere, punctura nerui ad conuulſionem ex inanitione, vel repletione non referenda. 239.c.2.b
Conuulſionis cauſa ex inanitione an poſitiua ſit, an priuatiua ſiccitas. 240.c.1.b. & ſeqq.
An in hecticos cadat. col.2.e
An generetur à frigiditate congelante. 241.c.1.a
An ab immodico frigore. c
An ſit plena doloris affectio. col.2.e
Conuulſio ſicca an humidâ deterior. 242.c.1.b
Minùs periculoſa eſt in pueris quàm ſenibus. Conuulſiones pueris ex vigiliis,pauore,& luctu, accidunt. col.2.b
Conuulſio ex inanitione difficiliùs curatur quàm ex repletione. e
Ex flatu & torpida refrigeratione concitatæ curatio. 243.c.1.a.
Conuulſio orta ex ſcabie intempeſtiuè ſuppreſſa, eâ artificiosè reuerſa ſanatur. ibid.
Conuulſio duplex eſt, ex repletione,& inanitione.647. c.2.e.
Quibus præſidiis vtraque curanda. ibid.& 648.c.1.a
Cordis in conſeruatione ſagax & prouida natura. 45. c.2.d.
Cor omnium membrorum calidiſſimum. 354.c.1.e
Non eſt ſpiritu vitali calidius. c.2.e
Humidum eſt. 355.c.1.d
Quomodo pinguedo circa cor generetur. col.2.b
An à calido vel frigido. e
In eo cur non generetur pinguedo. 356.c.2.c
Cordis palpitatio ab eius tremore diſcrepat. 357.c.2.b
Idiopathica cordis palpitatio à ſympathica diſtinguitur. c.2.e
Cordis palpitatio à liene per conſenſum ſæpiſſimè oritur. 358.c.1.a
A ventriculo. b
Eius cauſa interna flatus eſt. c
Quod ſigna oſtendunt. e
Cordis palpitatio an hyeme & vere magis inſoleſcat quàm æſtate. col.2.tota.
Huic obnoxij ſunt mœſti & timidi. ibid.e
Huius curatio inſtituitur. 359.tota.
Sacculus ad cordis palpitationem percommodus. 360.c.1.a. Vide *Palpitatio.*
Cordis regio aduerſus ſyncopen quibus muniendæ. 647.c.1.e.
Cor in ſyncope præcipuè afficitur. 362.c.2.b
In febribus primariò. 522.c.1.a
Cor peſtis tempore quibus epithematis roborandum. 605.c.2.c.
Vnguentum ad id præſtantiſſimum. d
Cordis palpitatio à materia flatulenta oritur. 45.c.1.e
Eius curatio. col.2.a
Electuarium ad eam in febribus ortam perutile. b
Corporis humani mutationes vnde petuntur. 17.c. 2.e. 18.c.1.
Corpus humanum eſt Medicinæ ſubiectum. 18.c.1.e
Corpus qua arte ad purgationem præparandum. 31. c.2.32.tota.33.col.1.
Corpora calida & ſicca cautè phlebotomanda. 36. c.2.b.
Corporis habitudo ad euacuationes faciendas à Medico conſideranda. 37.c.1.b
Corpora macilenta purgationes reſpuunt. c
Obeſa item. col.2.d
Corpus quibus ſignis calidum & ſiccum eſſe deprehenditur. 37.c.2.a
Corpora mollia rara & laxa ſanguinis miſſionem non ferunt. 38.c.1.a
Corpora quadrata carnoſa ſolida tutò purgatione & miſſione ſanguinis curanda. 38.c.1.c
Corpora ſana & temperata vſu ſimilium conſeruanda. 43.c.2.b.c.
Corporis muliebris formoſitas eleganter deſcripta. 447
Corporibus ſiccis quid ex inedia nocumenti eueniat. 528.c.1.e.
Corpora impura quo magis nutriuntur, eo magis læduntur. 536.c.1.d
Corpus an dari poſſit ſponte laſſum, vel neutrum.610. c.1.a.b.
An aliquod quod neque ſanũ ſit,neque ægrum.c.d
Corruptelæ affectus vel ſanguinis miſſione, vel purgatione vacuandum monet. 553.c.1.a
Corruptio corporis humani quibus ex principiis appetitur. 19.c.2.d
Alia neceſſaria, & innata exterior & naturalis. e
Non neceſſariò per temporum inordinationem in nobis oritur. ibid.
Corticum temperamentum. 133.c.1.e.c.2.a.b
Corus, modios triginta capit. 76.c.1.e
Cotoneum pomum cardiacum,veneno reſiſtens ideóque in eo ſcammonium præparatur. 86.c.2.d
Cotyla nouem vnciarum menſura. 76.c.1.c.456. c.1.b.col 2.d.
Creationis rerum omnium ordo recenſetur in quo mulier cæteris antecellit. 448.449
Cremiſſus, ſolidum aureum eſt & 18.vnciæ pars. 76. c.2.a.
Criſis tempore non euacuandum. 27.c.2. c
Niſi maxima neceſſitas vrgeat. 28.c.1.a
In idem tempus incidit cum acceſſione. b
Criſis perfecta quæ dicatur. 566.c.1.e
Cruditatis diuiſio eſt in eam quæ ex alimento, & eam quæ ex vitij ventriculo. 400.c.2.c
Cruditas acida nõ ſemper à frigiditate oritur.401.c.1.a
Cruditatis nidoroſæ & acidæ ſigna an à Galeno rectè diſtincta. 402.c.1.a
An ſignis cognoſci poſſit, an humor vel intemperies cruditatis cauſa ſit. e
Cruditas acida in calidis naturis deterior eſt nidoroſâ. 403.c.1.b.
Cruditas ventriculi, aut venarum an venæ ſectionem indicet. 555.e.2.e
Cuſcus quid apud Arabes. 623.c.2.a

Cubicul

Cubiculi ſplendor an noxios febrientium vapores diſcutiat. 522.c.2.a
An lentiſci ramis refrigerandum. 524.c.2.b
Cucurbitæ aqua cui vſui. 99.c.2.d
Cucurbicula ſcarificata ſub mammis appoſita menſes cohibet. 489.c.490.c.1.a.b.
Culcitra ſuper vmbilicum geſtata ad fœtum firmandum vtiliſſima. 505.c.1.e
Curatio vtcura fiat, quibus conſtare debet. 23.c.1
Curare meliùs quidquid non docet, ſophiſticum eſt, & ab arte alienum. 1
Cyathus drachmarum decem pondus. 76.c.1.d
Cynicus ſpaſmus. Vide *Oris tortura, Conuulſio canina.*

D.

DArchiminum, pondus eſt drachmæ ſemis. 76. c.1.d
Dauic, pondus ſex granorum hordei. 76.c.1.c
Decamech, pondus eſt drachmæ vnius. d
Decocta parandis, & vacuandis menſibus commoda. 483.c.2.b.c.d.
Decubitus ſupinus an Apoplexiã generare poſſint. 192. c.1.b.
Cur calculoſis imperatur. c.d.
Laboriouſus eſt, & in calculoſis reprobus. 435.c.2.e
Decubitus in latus optimus eſt. 525.c.1.a.b
Et præcipuè dextrum. c
Decubitus ſupini incommoda. d.e
Oculos lædit. c.2.b
Pronus in morbis acutis ſemper peſſimus. ibid.
Decliuis in febribuis improbatur. c
Deglutiendi difficultas vnde generatur, & quibus præſidiis ei occurrendum. 650.c.2.c.d
Vnguentum ad id præſtantiſſimum. e
Delirium quid? Eius variæ differentiæ. 150.c.1.c
Varij gradus. c.2.a.b
An ſit ſignum pathognomonicum lethargi. 169.col. 1.c.
Delphinium & ſenna in quo differunt. 98.c.2.a
Denarius, argenteus eſt & octaua vnciæ pars. 76.c.2.a
Dentium doloris definitio. 260.c.2.e
Dentes & oſſa in quo differant. 261.c.1.a
Senſu præditi ſunt. ibid.
Eorum vſus. c.d
Dentium doloris cauſa. e
Dentes intumeſcere & inflammari poſſunt. 259.2.c.2. tota.
Dentium dolorem per conſenſum quid cauſetur. 260. c.1.a.
Huius doloris ſigna, & præſagium. c.d
Dentes exſiccantibus & frigidis conſeruantur. ibid.
Ab intemperie frigida quibus curandi. c.2.b
Nimia ſiccitate. d
Ab humorum redundantia. e
Si cum ſanguinis præſentia ſanguis mittendus. ibid.
Si vigente dolore vires imminuantur, ſtupefacientibus vtendum. 261.c.1.b
In Dentibus calculi generantur, quod exemplo confirmatur. c.& col.2.tota.
Dentifriciorum differentia duplex, aſſignatur. 129.c.2.d
Deſtructionem ſui nihil per ſe quærit, quod aliquando per accidens fit. 464.c.1.a
Dei cultus rebus omnibus præmittendus. 1
Sacrorum, Ethnicorúmque ea de re ſenſus. ibidem & 2.
Deus animum, & conſcientiæ puritatem, non ſacrificia inſpicit. 2.c.1.c.c.2.a
Deus ſummus Medicus eſt, & ſolus vitæ mortiſque poteſtatem habens. 2.col.2.d
Deus in quibus generationibus vicem formæ ſubſtantialis ſupplet. 465.c.1.c
Diabetes quis affectus, an ad ſolos renes referendus. 443.c.1.b.c.
Paulatim generatur. col.2.c
Caninæ appetentiæ rectè à Galeno comparatur. e
A calida renum intemperie ſemper oritur. 445.col. 1.d.
Tres diuerſæ renum facultates in hoc affectu oblæduntur. col.2.d
Huius morbi præſagium, & curatio. 446. col. 1. a. b.
Diabetes frigidiſſimo balneo curatus. d
Diacalamintha cui vſui. 119.c.1.a
Diacarthamum flauæ bili, & pituitæ educendæ perutile quomodo parandum. 110.c.1.b
Diacaryon repellens medicamentum in Angina commendatur. 288.c.2.e
Diacatholicon vulgare, ſed vtiliſſimum, omnibus ætatibus accommodum. 109.c.1.a
Diachyli ſimplicis, & compoſiti vſus. 126.c.2.b
Diacinnamomum cui vſui. 118.c.2.d
Diacnicu ſyrupus quibus affectibus vtilis. 107.col. 2.a.
Diacodion vigiliis & ferinæ tuſſi, aluíque profluuio perutile. 117.c.2.a
Diacoſton quibus affectibus vtile. 118.c.2.e
Diacurcuma magna & minor iiſdem affectibus medentur. 119.c.1.a
Diacyminum electuarij ſpecies tenaces humores abſumens. 118.c.2.d
Diadicamnum cui vſui. e
Diagalangæ proprietates. 118.c.2.d
Diagridion quomodo præparandum. 86.c.2.c
Diæreſis dicitur ruptio, vel ſciſſio vaſis. 487.c.2.e
Quomodo fit in menſtrui fluxu. 488.c.1.a
Diæta cæteris Medicinæ partibus ante ponenda. 396. c.1.e.
Diætæ ſeu victus rationis acceptiones variæ. 530.c.1.b
Vide *Victus ratio.*
Diahyſſopum aſthmaticis quid conferat. 118. col. 2.e.
Dialacca maior & minor quibus medetur. 119. col.1.a.
Dialthææ vnguenti ſimplicis, & compoſiti vſus. 125. c.1.c.d.
Diamanna Meſuæ, & Diacaſſia Meſuæ, & Magiſtralis quomodo paratur, & cui vſui. 109. col.1. d. e.
Diamargaritum frigidum à quo compoſitum, & cui vſui. 117.c.1.b
Diamargaritum commune ventriculum & vterum grauidarum roborat, éſtque Auicennæ electuario ex margaritis præſtantius. 504.c.2.c.d
Diambra quibus malis opitulatur. 118 c.2.c
Diamori vſus, in Angina vtilis. 288.c.2.c
Diamoruſia Meſuës quibus morbis proſit. 118. col. 2.e.
Diamoſchi dulcis facultates & vſus. 118.c.1.e
Diamoſchi amari. col.2.d
Diamyrrhæ proprietates eximiæ. 119.c.1.a
Dianiſum electuarium quibus affectibus vſui ſit. 118. c.2.d.
Diapalma quibus proſit. 127.c.1.b
Diapapaueris vſus bilis & ſanguinis ardori temperando mirabilis. 107.c.1.e
Diapedeſis eſt ſanguinis per poros ſeu tranſpiracula venarum & arteriarum percolatio. 487.c.2.e
Quomodo fit in immodico menſtrui fluxu. 428.c.1.a
Diapenidion thoracis affectus, tuſſim, vocis iacturam, tabem, & purulentos excreatus ſanat. 117.col.2.a
Diaphœnici ad pituitam purgandam vtilitas, omnibus frigidis affectibus offertur, & qua doſi. 109.c.2.c
Qua arte adminiſtratur. d.e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 719 sur 927

Diapruſſium thoracis vitiis opitulatur. 119.c.1.a
Diaprunis ſimplicis vſus, febribus malignis perutilis. 108.c.2.d
Diaprunis laxatiui idem vſus, ſed potentior. e
Diariæ ſimplicis & compoſitæ differentia. 563.c.1.b
Item Diariæ ex labore, ex bubone. d
Ex adſtrictione pororum parua. e
Ex cruditate in prima corporis regione. col.2.b
Diariæ ex ſolis ardore curatio. 564.c.1.a
Diarrhodon Abbatis cui vſui, & qua arte paratur. 117.c.2.b
Diarrhodonis Meſuæ trochiſci quibus medeantur. 121.c.2.e
Diarrhœæ obnoxiis purgandis, an humorum concoctio, & canalium apertio præmittenda. 32.c1.e
An permiſcenda vomitoria medicamenta. col.2.b
Qui Diarrhœæ obnoxij. e.33.c.1.a
Diarrhœa, eſt alui profluuium, varium pro cauſæ varietate. c.2.e
Symptoma eſt in genere excrementi immutati, in quantitate, qualitate, & tempore, & etiam in genere actionis læſæ facultatis expultricis. 620.c.1.a
Quibus ſignis pars affecta in diarrhœa dignoſcitur. c
Diaſatyrium facultatem habet multi ſeminis generandi, & veſicæ, renúmque imbecillitati opitulatur. 119.c.1.a
Diaſcordij aduerſus peſtilentes morbos, febréſque malignas vſus mirificus. 118.c.2.c
Diaſenna melancholicis humoribus vacuandis perutile. 111.c.1.a
Diaſulphur palati & pectoris humores tenuat. 119.c.1.a
Diathamaron aſthmati opitulatur. ibid.
Diatragacanthum calidum ſoporoſis & thoracis affectibus prodeſt. 119.c.1.a
Diatragacanthum frigidum quibus affectibus vtile. 117.c.1.c.d
Diatrion ſantalon ventriculi, cerebri, & hepatis affectibus vtile. ibid.
Diatrion pipereon tenacibus humoribus abſumendis vtile. 118.c.2.d
Curando frigido ventriculi temperamento eximium eſt. 406.c.1.d
In nidoroſa cruditate concedendum. col.2.a
Diaturbith maioris & minoris vſus, & præparatio. 110.c.2.d.e
Diaxyalois confectio alexipharmaca eſt, & quibus morbis profit. 118.c.2.a
Diazingiber quibus affectibus vtilis. d
Dies ſtudiis & labori deſtinatus. 8.c.1.b
Die critico quando natura aliquid tentat euacuare, an liceat Medico aliquid efficere. 28.c.2.d
Vide *Febris*.
Digeſtio & coctio in quo differunt. 394.c.1.c
Dilatio ab omni artifice aliena, in Medico vitæ periculum parit. 13.c.2.a
Dinos, vide *Vertigo*.
Dipondium, duarum librarum pondus. 76.c.2.a
Diſpoſitiones calidæ à cauſis frigidis oriri non poſſunt. 612.c.1.b
Diſſuetudo quando purgationem prohibet. 38.c.2.e
Dives vir bonus euadere nō poteſt, ſi Platoni credatur. 3.c.2.d
Diuitiarum non poſſeſſio affligit, poſſeſſio torquet, & amiſſio conſumit. 4.c.1.a
Diuinum apud Hippocratem & Galenum quid ſonet. 450.c.1.d
Doctus in quo à prudente diſtinguitur. b.c.2.c
Dogmatica & Empirica Medicina in quo diſcrepent. 16.c.1.a
Vide *Medicus, Medicina*.
Doloris ex varietate locorum affectorum varietas conſicitur. 53.c.1.e
Dolor ſtupidus in neruis & muſculis an aſtruendus. ib. & col.2.a
Dolor punctorius ſiue mordicans membranarum affectum denotat. Cauſam habet calidum & mordacem humorem. 53.c.2.b
Dolor omnium ſympromatum grauiſſimum. 63.c.1.a
Prior ſedandus. b
Quibus præſidiis ei ſuccurrendum. d
Vniuerſalibus, quæ varia ſunt. col.2.a
Eius differentia duplex, dupléxque curatio. c
Doloris ad generationem quid requiratur. 142. c.2.c. 140.c.2.d.e.
Eius cauſa duplex ſolutio continuitatis, & intemperies. 141.c.1.a
Dolor inter ſyncopes cauſas numeratur. 365.c.1.c
Dolores febribus aduenientes an omnes calidi. 612.c.1.a.
Dolor colicus, iliacus. Vide *Colicus, Iliacus*.
Dorſi incendium quibus temperamentis commune. 624.c.1.d.
Vnde oritur. e.col.2.a
Rarò in hoc affectu purgandum. c
Syrupus de niue cum ſero lectis ad id eximius. d.e
Quid, & quibus auxiliis curandum. 624.c.1.e.651. col.1.e.
Singularis ad dolorem illum remedij exemplum. b. c.
Drachma ſex ſcrupulis conſtat. 75.c.2.b
Ducenda, quæ ſunt, quò natura vergit maximè ducenda. 25.c.1.e.26.c.2.a
Duella, eſt duorum ſolidorum aureorum pondus. 76. col.2.a.
Dyſenteria quid, & vnde ſic dicta. 634.c.1.d
Eius tres gradus explicantur. c.2.c
In quo ab aliis fluxibus cruentis diſcrepat. 635.c.1.b.
Dyſenteria ab atra bile an omnium peſſima. c
Quid pro eius curatione obſeruandum. c.2.b
Quibus curatur. c.d
Pilulæ ad eam expertiſſimæ. e
Dyſpepſia eſt deprauata coctio. 395.c.1.c
Dyſpnœæ duæ ſpecies ex calore & organorum angustia, à debilitate orta penes magnitudinem celeritatem & frequentiam diſtinguantur.
Dyſpnœæ definitio Galenica an probetur. 341.c.1.e
An variæ eius ſpecies conſtituendæ. c.2.e
Dyſpnœa ſi fiat ob collectam ſaniem in empyemate, ſiue ſuppuratione manifeſtum inducit ſuffocationis periculum. 342.c.1.b

E

EBeni proprietates, vide apud Dioſcoridem. *lib.1.de Ebeno*. Gaiacum nominatur. 387.c.1.b
Ebullitio ſanguinis, veneris vſu non compeſcenda. 477.c.2.d.
Eclegmatum appellatione quid intelligendum, eorum variæ vtilitates. 108.c.1.d.e
Formæ variæ. c.2.a.b
Eduliorum prauorum vſu aliquando ægri conualeſcunt. 22.c.2
Vide, *Cibus*.
Electuaria vnde ſic dicta. 108.c.2.c
Quæ bilem tenuant, ea ſunt, Diaprunis ſimplex. d
Diaprunis laxatiuum. e
Electuarium de pſyllio. ibid.
Roſarum Meſuæ. 109.c.1.a
De ſucco roſarum Nicolai. ibid.b
Lenitiuum Rhaſis. c
Lenitiuum de manna. d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 720 sur 927

©BIUM

Electuaria pituitam purgantia, ſunt Diaphœnicum. 109.c.2.c.
Electuarium Eleſcoph, ſeu Epiſcopi, cuius vtilitas mira in colicis doloribus. d
Electuarium Indum minus. e
Et multa quæ colliges ex pag. 110. tota.
Melancholiam purgant, Diaſenna. 111.c.1.a
Confectio Hamech. ibid.
Polypodium Magiſtrale. b
Electuarium de gemmis ſine ſpeciebus, & cum ſpeciebus cui vſui. 117.c.1.e
Electuarium de ſcoria ferri. c.2.e
Electuarij de baccis lauri Rhaſis vſus. 118. col.a. 2.e.
De aromatibus Galeni. ibid.
Electuarium de granis tinctoriis ad venena & peſtiferos affectus mirificè prodeſt. 118.c.2.b
Electuarij ex citro Meſues vſus. c
Lithontribi. 119.c.1.c
Electuarium ex chalybe ad Hypochondriacos affectus eximium. 210.c.2.c
Electuarium mirabile ad aſthma ex flatu. 354.c.1.a
Electuarium pro nimio fluxu hepatico perutile. 423.c.2.c.
Electuarium roborandis partibus, & flatibus diſcutiendis, corpore expurgato menſtruo. 483.col.2.e
Electuarium ex margaritis Auicennæ ad grauidarum. Ventriculum & vterum roborandum iuuat. 504.c.2.c.d.
Electuarium peſtis veneno reluctans. 606.c.1.a
Electuarium ad cordis palpitationem in febribus ortam præſtantiſſimum. 645.c.2.b
Elixa minùs aſſis nutriunt, & impinguant. 476. col.1.e.
Elleborus duplex, niger & albus. 96.c.1.c
Quomodo cognoſcitur, corrigitur. ibid.
Eius vſus, & doſis. d.e
Embrocha quid, & ex quibus fiat. 129.c.1.a
Embryonis triplex vitæ gradus. 464.c.1.c
Empetron & ſenna in quo differunt. 98.c.2.b
Empirica ars in quo à rationali Medicina diſſentiat. 15.c.1.e.& c.2.
Empiricæ Medicinæ & Dogmaticæ fundamenta excutiuntur. 15.16.17
Emplaſtrum Zachariæ cui vſui. 126.c.1.d
Meliloti. e
De Mucilaginibus. ibid.
Emplaſtrum de nido hirundinis anginam deſperatam ſanat, multiſque aliis affectibus perutile. 126.c.2.a
Emplaſtrum diachylon ſimplex, & compoſitum quibus vtile. b
Emplaſtrum apoſtolicum. c
Diaphœnicum Alexandri. ibid.
Oxicrateum Vigonis. ibid.
Emplaſtrum ſtomachicum Magiſtrale. d
Aliud pro matrice Magiſtrale. ibid.
De baccis lauri. e
Contra rupturam Magiſtrale. ibid.
De pelle arietina. 127.c.1.a
De ranis, ſeu viperinum. ibid.
Aliud Magiſtrale contra dolores articulorum. b
Aliud de Geminis. ibid.
Diapalma. ibid.
Triapharmacum Galeni. c
De Gratia Dei. ibid.
Emplaſtrum ceroneum. ibid.
Emplaſtrum Iſis. d
Ex Gallia moſchata Meſues. d
De Centaurea. De Betonica. ibid.
Emplaſtri & cerati affinitas, & quid vtrũque. 128.c.2.b
Emplaſtrum mirabile ad ſomnum conciliandum. 208.c.1.c.
Emplaſtra ventriculum firmantia in poſteriore parte applicanda. 405.c.1.d
Stomachica emplaſtra cibo in ventriculo exiſtente interdicenda. 405.c.1.e
Item roborantia. 406.61.b
Emplaſtrum obſtructionibus aperiendis vtile. 484.c.1.a.
Emplaſtrum ad menſtrui fluxum immodicum compeſcendum perutile. 491.c.1.c
Emplaſtrum ad capitis calidum dolorem. 613.c.1.c
Per ad frigidum. e
Aliud ad alui fluxum ſedandum. 622.c.1.c
Aliud ad colicum dolorem ex flatu. 626.c.2.c
Empyematis definitio expenditur. 378.c.1.e
Fit ex pulmonia. 379.c.2.d
Vulnerati non repurgato pure per partem externam fiunt Empyematici. e
An ob id moriantur. 380.col.1.a
Decem Empyematis ſigna ſingillatim expenduntur. col.2.d
An Empyematicorum febris ſit hectica, an putrida. e
An ab iis inſeparabilis. ibid.
An grauiùs noctu, quàm interdiu infeſtet. 381.c.1.c
Sudores in iis ad retentricem virtutis debilitatem referendi. col.2.c.
Oculorum cauitas & vnguium curuitas eos ſemper comitatur. d
Tuſſicula arida. 382.c.1.a
Empyematis indicium an ſit ſummorum digitorum calor. c
An pedum tumor. e
An inappetentia. col.2.b
An puſtulæ in corpore apparentes. d
Alia Empyematis ſigna præter Hippocratica. 582.c.2.e.
Rigor inter eius ſigna reponendus. 383.c.1.c
Pondus in thorace. e
In vno thoracis latere contineri poteſt, nec alteri communicari. col.2.a
Medico perneceſſariũ eſt eius initium cognoſcere. e
Empyici qui ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgentur à die quo fit ruptio, liberantur, ſi verò non ad tabem tranſeunt. 384.c.2.d
Empyema falſum, vero minùs periculoſũ eſt. 385.c.1.b
Empyematis in curatione an indicatio ſumenda ſit à febre, an à ſuppuratione. 385.c.1.a
Huic aliquando venæ ſectio neceſſaria. c.2.c
Empyicis deſperata ſalute pectus aperiendum ſectione, vel vſtione inter tertiam & quartam coſtam celebrata. 386.c.1.c.
Empyema teſtudinum ſyrupo, & ebeni decocto curatur. c.2.d.
Endiuiæ ſyrupus morbos bilioſos attenuat, hepati & renibus affectis opitulatur. 103.c.1.d.
Enema, ablutio. Vide *Clyſter*.
Enixæ curatu difficiles. 449.c.2.c
Periculoſi, ac lethales earum morbi. 450.c.1.b
Enixæ qua cautione regendæ. 509.c.2.d.510.tota.
Enixarum naribus fœtida admouenda. 510.c.2.b
Quibus auxiliis cauendũ ne in iis fœtus extinguatur. c
Syrupus eximius iis à partu exhibendus. d
Vide *Grauida*.
Epiala febris pituitoſæ ſpecies, vnde, & quibus ex cautis generatur. 591.c.2.c
Epilepſiæ definitio. 175.c.2.c
An ſit conuulſio, aut motus conuulſiuus. d
In quo à conuulſione differt. 176.c.1.b
In Epilepſia motus eſt contra naturam. c
Quomodo in ea cerebrum patitur. col.2.a
In Epilepſia an ventriculus anterior, medius, aut poſterior afficiatur. 177.c.1.a
Epilepſiæ tres differentiæ. col.2.d.& ſeqq.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 721 sur 927

An prima rectè à Galeno conſtituta. 178.c.1.e
An ſecunda. c.2.a
Epilepſiæ cauſa duplex. c
An à craſſo aut tenui humore ſemper oriatur. d.& 179.c.1.& c.2.a.
Eius cauſa poteſt eſſe nuda, & immaterialis eius qualitas. 179.c.2.b
A bile, ſanguine, pituita, & melancholia oriri poſſe quibus probatur. d.e
Eius immediata cauſa eſt cerebri ventriculorum obſtructio. 180.c.1.d
Cauſæ externæ enumerantur. e.& col.2.a
Præſentem Epilepſiam quæ denotant? c
Quæ dignotionem eius differentiarum. d
Quæ hyſtericam Epilepſiam præcedant. e
Epilepſia pituitoſa infrequentior eſt melancholicâ. 181.c.1.a.b
Epilepſia melancholica pernicioſior eſt pituitoſâ. c
Infantilis & puerilis ætas Epilepſiæ magis obnoxia. d
Eſt affectus hæreditarius. col.2.b.& ſeq.
Ante diem decimumquartum eſt morbus acutus. 182.c.1.c
Ætatis mutatione ſanatur. d
An pueri ad ætatem calidiorem accedentes, ab ea conſaneſcant. col.2.a
Epilepſiâ frequentiùs tentantur mulieres quàm viri. 183.c.1.a
Non tamen ab ea quæ in cerebro generatur. ibid.
Epilepſia facilè corripiuntur vertiginoſi. c
Antiqua ægrè ſaneſcit. d
Eius curatio inſtituitur. e
Cauſa eius quibus remouenda. 183.c.2.a
Epilepſiæ veneris vſus concedendus. 184. col.1.c. & ſeqq.
Quando pro ea curanda ſanguis è talo, aut cubito mittendus. col.2.c.d
An apium eius curationi ſit ex vſu. 185.c.1.a
Epilepſiæ contumaci ſtybij vſus perutilis. 185.c.2.a
Sinapiſmi, ſtillatitia, &c. d.e.& 186.col.1.a.b
Gagatis lapidis ſuffitus ex vſu eſt. col.2.c
Præcipuè ſi ab vtero oriatur epilepſia. ibid.
Si per conſenſum à ventriculo oriatur quid tentandum. d
Quid ſi ob impactos tenaciter ventriculo craſſos humores. ibid.
Si ex vteri vitio. e
Epilepſia ſi per conſenſum cum extremis partibus oriatur quid moliendum. 186.c.2.e.187.c.1.a
Si pueris accidat. b
Si non ſit morbus hereditarius. c
Si ex concreto lacte. d
Si vitium ſit hereditarium. e
Si puer prouectioris ſit ætatis. ibid.
Epilepſia ex grumoſo ſanguine in collo veſicæ retento enata, eo excreto curata. c.2.b
Epilepſia ab infantibus quo antidoto tutò arcebitur. 518.c.2.d
Epilepſia quî differt ab vteri ſtrangulatione. 494. col.2.b.
Epithema cui vſui, & ex quo fiat. 129.c.2.b
Epithymum flos eſt plantæ iuxta thymum naſcentis. 96.c.1.d.
Præſtantius colligitur in Apulia,& Creta, & Hiſpania. e
Eius proprietates, & doſis. ibid.
Epithymi ſyrupus affectibus melancholicis curandis percommodus. 108.c.1.b
Errhinorum differentiæ, & vſus. 65. tota. & 129. col.1.a.
Errhina medicamenta oculorum affectibus noxia. 253. col.1.c.
Errhinum læſo olfactui efficaciſſimum. 260.c.2.d
Errorem fateri ingenui, & conſtantis animi eſt. 5. col.1.e.
Reprehendere docti & vtilis eſt. c.2.c
Eſſentiæ rerum, non nomina religioſè quærenda. 12. c.1.d.& c.2.
Eſulæ herbæ lactariæ differentia duplex. 94.c.2.a
Eligenda parua, magna pernicioſa & venenoſa. ibid.
Eſulæ vſus, temperamentum, doſis. b
Euacuationes in diebus criticis non faciendæ. 27. c.2.c.
Niſi vrgeat morbus. 28.c.1.a
Quid priùs obſeruandum. c
Vide *Purgatio.*
Eunuchi ſeu ſpadones cur calui non ſint. 466.c.2.b
Eupatorij ſyrupus pituitoſis humoribus tenuandis vtiliſſimus. 107.c.1.d
Eupatorium trochiſcatum cui vſui. 122.c.1.d
Emphorbium rarò à Medicis adminiſtratur ob caloris vehementiam. 94.c.1.c.d
Quod ſeligendum. e
Euphraſiæ aqua hepatis, & oculorum affectibus prodeſt. 100.c.2.b
Exagium, pondus drachmæ cum dimidia. 76.c.1.b
Exanthematum in infantulis copia vnde oriatur. 455. c.2.b.
Exctementa fæcalia coctioni obnoxia. 400.c.1.c
Excrementum quid? An eo nomine donandum ſemen. 465.c.2.e
Excretiones magnæ peſſimæ. 39.c.2.d
Exercitium quid ſanitati conferat. 477.c.1.d
In menſtruatis improbatur. ibid.
Exercitia quæ grauidis conueniant. 501.c.1.e.& ſeqq.
Exolutio virtutis quid? Diſtinguitur à ſyncope, & animi deliquio. 361.c.1.a
Experientiæ initium à caſu, fortuna & animantium imitatione deducitur. 27.c.1.b
Non ſufficit ad artem conſtituendum. c
In quo differat ab experimento. e
Experientia vt fiat quæ aduertenda. 17.c.2.b
Experientia ex ſenſu fit. 452.c.2.a
Experimentum quid? 452.c.1.e
Experimentum ex multis experientiis conſtat. 17. col.2.a.
Quibus ex cauſis periculoſum. ibid.b.c
Experimentum eorum eſt quæ ſæpe ſimili modo contingunt. 16.c.1.e
Expirationis nullus muſculus opifex eſt. 327.c.2.c
Extremorum frigiditas in febribus malignis vnde oritur, & quo auxilio calor reuocatur. 651.c.1.a.d.

F

FAciei morbi ante corporis vacuationem medicamentis non infrigidandi. 41.c.1.a
Facultate triplici omnia animalia gubernantur, appetitrice ſiue naturali, vitali, & ratiocinatrice. 48.c.2.d
Facultarum omnium robur an ad euacuationes ſummè neceſſarium. 48.c.2.e. & 49. tota
Facultarum, præſertim vitalis, robur ad euacuationem eſt contemplandum, quomodo ad eam impediendam virium læſio,& debilitas cognoſcitur. 50.c.1.d
Facultates principes meritò. plures conſtituuntur. 150. col.2.d.
Ex iis ſenſus communis excludendus. 151. col. 1. tota.
Facultates rectrices tres ſunt, ex quarum læſione triplex exurgit phrenitidis ſpecies. 151.c.2.e
Facultates rectrices ſedibus diſiunguntur. 152.c.1.b
Facultates principes animæ per organa operantur. col.2.e.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 722 sur 927

Facultas ſenſitiua & motiua differunt. c.1.e
Facultates ſenſitiuæ inter ſe diſtinguuntur. c.2.b
Magis immateriales ſpiritibus purioribus, & ſplendidis communicantur. e
Facultas naturalis ventriculi fruſtra duplex admittitur. 419.c.1.c
Facultas ſanguifica quibus ſignis oblædi percipitur. col.2.e.
Rubida proluuies inter ea cenſetur. 420.c.1.e
Facultas formatrix etſi qualitas ſit ſeminis, corrumpit tamen partem ſpirituoſam in qua ineſt. 461.c.2.b
Facultas formatrix concurrit in genere cauſæ inſtrumentalis ad productionem formæ ſubſtantialis, quamuis accidentia ſubiectentur in toto compoſito. 463.c.2.c
Non eſt ſemini violenta, ſed naturalis. 464.c.1.d. & ſeq.
Facultas formatrix quomodo concurrit ad generationem ſubſtantiæ, eiúſque duplex acceptio. 462. col.2.d.
Facultas productiua partium ſimilarium & diſſimilarium differunt. 462.c.2.e
Facultatis formatricis variæ appellationes, eadem eſt quæ diſcretiua. 473.c.1.c
Eius opera admiranda. d
Facultatis formatricis munera in pullis recenter natis. 472.c.2.e.
Facultas requiſita vt æger poſſit vſque ad ſtatum ſufficere an ſit naturalis, animalis, an vitalis. 538.c.2.c
Facultatem vitalem robuſtam eſſe, & poſſe vſque ad ſtatum ſufficere quo ſigno indicet Galenus. 539. col.1.b.
Fallere nec falli Dei eſt, hominis contrà. 5.c.1.e
Famis naturalis cauſæ. 640.c.1.b
Eius organum eſt os ventriculi. ibid.
Famis caninæ cauſa eſt corporis inanitio. c
An ab immodica melancholiæ portione, à ſplene ad ventriculi os præternaturaliter tranſmiſſa concitari poſſit. d.e
A frigido oritur ventriculi intemperamento. c.2.b
Quibus præſidiis curatur. 641.c.1.e
Vinum ad famem caninam ex frigiditate, generoſum artificioſè paratur. 641.c.2.b
Farinæ calidæ in primo & ſecundo gradu. 132.c.1.d
Frigidæ in ſecundo. e
Faſciculus eſt quantum menſurâ brachij capitur. 75. c.2.d.
Faſtidium purgationem prohibet. 31.c.2.c
Febris in infantibus quomodo eliminanda. 69.c.2.e. 70.c.2.a.b.
Febris Gallica putrida eſt & in hecticam aliquando commigrat. 267.c.2.e
Ea præſente an ſudorifica celebranda. 271.c.1.d
Febris phthiſin perpetuò comitatur. 372.c.2.d
Ab empyemate inſeparabilis eſt. 380.c.2.e
Et in eo grauiùs noctu quàm interdiu infeſtat. 381.c.1.e
Febres bilioſæ non ſolùm ex rubea, cirrina, flaua, pallida, ſed & vitellina ac æruginoſa bile naſcuntur. 413.c.1.c.
in Febrientibus motus, & exercitatio reprobantur, quies verò proficua. 546.c.1.e
Febris lenta mulieres quibus menſtrua non probè fluunt, perpetuò comitatur. 481.c.2.a.b
Quod conciliatur. e
Febricitantium cubiculum lentiſci ramis refrigerari poteſt. 524.c.2.b
In latus decumbere debent. 525.c.1.a.b
Dextrum præcipuè laudatur. c
Decubitus ſupinus reprobatur. d.e.& c.1.a
Pronus peſſimus eſt. c
Vt decliuis. d
Febrientibus victus ratio præſcribitur. 526.c.1.a
Minùs ſunt cibandi ſanis. d
Quibuſnam victus in extremo tenuiſſimus præſcribendus. c.2.b.c
Febre præſente quodnam temperamentum ad ſuſtinendam inediam aptiſſimum. 527.c.2.c.528.c.1.tot.
Febricitantibus an ante coctionem fructus & olera conueniant. 528.c.2.d
Sorbitiones ipſis accommodatiſſimæ. 529.c.1.d
Amyli vſus an febribus conueniat. e. & col. 2. a. & ſeqq.
Febricitantibus varia victus ratio ſtatuenda. 531.c.2.a. & ſeqq.
An humidus vtilis ſit. 532.c.2.533.c.1.tota
Quæ indicatio præſtantior in præſcribendo iis victu, an quæ à morbo, an quæ à viribus ſumitur. c.2.c
in Febribus quando melius eſt minuere cibum in qualitate, quàm in qualitate. 534.c.1.b
Præſtat alimentum exiguæ quantitatis. c
An ſtandum ſit veterum canonibus in præſenti victus præſcriptione. e
In febribus maius eſt peccatum recedere per craſſitiem quàm per tenuitatem. 535. col. 2. b. 536. c.1.c.d.
Variæ ea de re opiniones excutiuntur. 534. col.2. c. & ſeqq.
Febrium in acceſſione à cibis abſtinendum. 539. col.1.e
In Febribus continuis, quæ continentes ſunt, temporis habenda eſt ratio, quo ægri in ſanitate cibari ſolebant. Item facilis tolerantiæ, horæ diei temperatioris. c.2.a
Exacerbationis vel intermiſſionis tempore non cibandum. b
Quod in calidis & bilioſis naturis locum non habet. ibid.
In declinatione prioris acceſſionis, in continuis per ſubingreſſum, an ſit cibus exhibendus,& quid in eo caſu attendendum. e.& 540.c.1.a
Natura à coctione cauſæ morbificæ non eſt auertenda. ibid.c.d.& ſeqq.
in Febricitantibus varius eſt ordo in cibo aſſumendo. col.2.d.e.& 541.c.1.tota.col.2.a.
Febribus aquæ frigidæ potus tempeſtiuus admodum, ſalubris. 541.c.2.b
In quibus vſque ad ſatietatem concedi poteſt. 543. col.1.
in Febribus quando clyſteribus acutis vtendum. 547. c.1.a.
Febrientium ſitus ad recipiendos clyſteres qualis eſſe debeat. 547.c.1.e
Febris diaria alia ſimplex eſt & compoſita. Simplex quomodo curanda. 563.c.1.b.c
Quando ex labore, balneo & quiete iuuatur. d
Quid ſi ex bubone, & partium externarum calido tumore. ibid.
Si ex parua pororum adſtrictione. e
Si ex cruditate in prima aëris regione. 563.c.2.b
Ex ſolis ardore diariæ curatio illuſtris. 564. c.1.a.
Febris ſanguinea impurris, Græcè ſynochus dicta, in tres ſpecies diuiſa. 564. c.1.c.d
Eius cauſa e.Signa. col.2.b
Pulſus in ea vehemens. e
Minùs velox quàm in cauſa. 565.c.1.a
Vide *Synochus*.
Febris ſangüinea quæ dicatur. 301.c.2.a.b
Febris ſanguinea, aut bilioſa in pituitoſam ob nimium aquæ potum triplici ex capite degenerare poteſt. 542.c.2.c.543.c.1.a.
Febris ſanguinea putris an ſimplex vel compoſita. 571. c.1.tota.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 723 sur 927

Huius cauſæ & ſigna. b.c.
Præſagia. e
Curatio. col.2.c
Febris ardens duplex exquiſita & notha, eiúſque definitio. 573c.1.a.b
Cauſæ variæ. c
An æſtate generata fiat per ſolam attractionem, aut depulſionem bilis. d
Nothæ febris ardentis cauſa eſt pituita ſalſa. e
Sitis & calor immodicus an ſigna Febris ardentis pathognomonica. 573.c.2.b
Præſagia Febris ardentis. 574.tota
Curatio. 575.c.1.d.& ſeqq.
Conſerua mirabilis ad eius reliquias abſumendas 577.c.1.c
Vide *Synochus*.
Febris tertianæ exquiſitæ definitio. 577.c.1.e
An à bile ſyncera generetur. c
Eius cauſæ. 578. c.1.b
Signa col.2.a.Præſagium. 580.c.1.d
Curatio.col.2.tota.
Febris tertianæ nothæ definitio. 581.c.1.e
Cauſæ.col.2.tota,& 582.c.1.
Signa col.2.tota præſagium & curatio. 583.& 584
Ad Tertianam notham aqua ſtillatitia mirabilis. 583.c.1.c.
Febris ſemitertianæ definitio. 583. c.1.e
Febris compoſita ex tertiana continua & quotidiana intermittente an dicenda ſit vera ſemitertiana. 583. c.2.b.
Cauſæ ſemitertianæ. col.2.e
Signa, 584.c.1.a
Præſagium. col. 2.d
Curatio. 585.c.1.a
Exemplum ſemitertianæ ſudorificis ex radice Chinæ ex toto ſuccumbentis. 585.c.1.b
Febris quotidianæ definitio. 585.c.2.c
An ex pituita oriatur. 586.c.2.d
Quibus ſignis internoſcitur. 587.tota
Præſagia Febris quotidianæ. 590. c.1.a
Eius curatio. e. & ſeqq.
Febrium in medio inſultu quæ ſymptomata ingrauescant. 648. & ſeqq.
Febris cum paralyſi complicari poteſt. 227. c.2.e
Quando complicatur,priùs curanda. 228.c.1.a
Febris ex nimio menſtrui fluxu concitari poteſt. 489. c.1. c
Febrium omnium malignitas recenſetur. 521
Aëris ad earum curationem facultas eximia. col.1.b
Purus & mundus multum iuuat. col.2.b.522.c.1.a
Luminoſus improbatur. c
An cubiculi ſplendor noxios febrientium vapores diſcutiat. col. 2.a.b
Febricitantibus frigidus aër eligendus, vel arte parandus. 523.c.1.c.d
An frigidiſſimus vtilis ſit. col.2.a
An humidus. c
In febribus an ita parari poſſit humidus, vt non ſemper exiccet. e
in Febribus continuis aquæ potus in declinatione concedendus. 543.c.c.d
In principio nocuus. c.2.a
Frigentibus pedibus. b
In ſtatu interdicendus. c
Non offerendus ad ſatietatem. d
Febris quartanæ definitio. 592.c.1.a
Cauſa.
Signa. 593.c.1.a
Præſagium. col.2.e
Curatio. 594. c.1.e.&ſeqq.
Febris hecticæ definitio Galenica expenditur. 596. c.1.e.& ſeqq.
Eius cauſæ. 599.c.1.2.b
Signa. d
Præſagium. 600.c.1.d
Curatio. e
Vnguentum pro febre hectica curanda mirabile. col.2.d.
Fernelij opera quâ cautione à Medicis ſtudioſis enucleanda. 9.c.2.d
Ferrugo ſeu rubigo ferri cui vſui. 484.c.2.a.b
Ferrum adſtringentem facultatem liquoribus communicat. 90.c.2.c
Ferrum metallum eſt mixtum ex argento viuo & ſulphure. 484.c.1.d
Multa eius genera. e
A chalybe eſſentialiter non diſtinguitur. ibid.
Eius rubigo,ferrugo,ſcoria,ſquamma,ſcobs,adſtringentia col.2.a.b
Chalybs eſt ferrum depuratum. 484.c.1.e
Eius vſus pro mouendis menſtruis. col.2.d.e
Qua arte præparatur. 485.c.1.c
Cum eo cardiaca permiſcenda. d
Non expurgantia per aluum. col.2.a
Syrupus ex eo qua forma conficiendus. b
Pilulæ. c
Vinum. d
Ferri facultas duplex adſtringens, & aperiens. 484. col.2.b.c
Feſtucarum collectio in phreneſi quid indicet. 155. c.2.c
Filiorum ſimilitudo an ad ſeminis ex toto corpore emanationem referenda ſit. 466.c.1.c.467.c.1.c
Flores calidi in primo & ſecundo gradu. 131.c.1.d
Frigidi in primo. ibid.
Flatus nebuloſus apoplexiam cauſare poteſt. 191. col.1.e.
Flatus craſſus neruos ſecundùm latitudinem extendens conuulſionem excitat, quæ idcircò dicitur flatulenta. 241.c.2.a
Flatus in venis & qualibet corporis parte generantur. 312.c.1.c
Ideóque venas rumpere poſſunt. col.2.a
Flores ſunt gaudium plantæ, colligendi quando ſemiaperti ſunt. 78.c.1.c
Quinam ex iis excellant. ibid.
Exſiccandi in locis moderatè calidis & ſiccis. ibid.
Fluxus alui. Vide *Alui*.
Fluxus vteri. Vide *Vterus*.
Fluxus ſanguinis. Vide *Hæmorrhagia. Dyſenteria.*
Fœminæ otioſæ, & ſedentariæ odorum fragrantiâ vteri commotionem patiuntur. 6.c.1.c
Fœminæ Gallico morbo viris magis obnoxiæ ſunt. 268.c.2.c
Minùs pleuritidi. 302.c.2.d
Fœminæ præ viro excellentiæ enumerantur. 448.c.1.a
Par animæ vtriuſque præſtantia. c
Viris tanto ſuperior eſt, quanto nominis Euæ etymologia protoparentis Adam nobilitate ſignificationem ſuperat. ibid.
Virtutibus antecellit & creationis ordine. c.2.a
Etſi creaturarum omnium poſtrema, nobiliſſima tamen & in diuino conceptu prima. b,c
Quam à creationis loco nobilitatem ſortiatur. ibid. & 449.c.1.a
Quam à materia, ſcilicet ab Adami coſta, vnde & opificium Dei eſt, & vir naturæ opus. b
Eſt perfectio, felicitas, & benedictio viri. c
Fœminæ pluribus morbis obnoxiæ quàm viri. 450.c.2
Fœminæ pro ſtatus varietate & conditionis eodem morbo affectæ variam exigunt curationem. 452. c.1.d.
Fœminis ſi quotidie per vterum expurgarentur, quæ incommoda. 454.c.1.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 724 sur 927

Fœminæ inter cætera animalia cur menſtruas purgationes copioſiores habeant. 455.c.2.d
Fœminæ ſine menſtrua purgatione illæſa viuere poſſunt. 458.c.1.b
Et ſine menſtruo externo concipere. ibid.d
Fœmina per quid concurrit ad productionem ſubſtantiæ. 465.c.1.c
Nec idcirco principaliùs agit. c.2.b
Fœmina ſine congreſſu viri concipere nequit. 469.c.2.a.& ſeqq. 470.c.2.a
Fœminæ muliebri profluuio affectæ rarò concipiunt. 491.c.2.e.
Quibus ſignis eo laborare dignoſcuntur. ibid.d
Fœniculi aqua quid corporis affectibus auxilij præbeat. 100.c.2.a
Fœniculi ſyrupus qua arte conficiendus, pituitam ex capite præparat,& viſcerum obſtructionibus occurrit. 205.c.2.b
Fœtida enixarum naribus admouenda. 510.c.2.b
Quæ inter Fœtida tutiſſima ſint. c
Fœtida nulli ſunt vſui, viroſa plurimo. e
Fœtidum & viroſum quî differant. 496.c.2.c
Fœtus in vtero puriori ſanguinis menſtrui parte nutritur. 455.c.1.a
Hanc ab impuriori ſeparat, cúmque perfectè non poſſit ſeparare, à partu per varias partes expurgat. b
Fœtus emortui cauſæ enumerantur. 508.c.2.e
Signa. 509.a
Præſagium. b
Curatio. c
Peſſarium ad eum extrahendum. c.2.a.b
Aliud ſecretum facile & expertum. ibid.
Fœtus ne in vtero extinguatur quibus occurrendum. 510.c.2.c.
Quibus ſi magnus ſit & vterus paruus. 511.c.1.a
Quid ſi multiplex, aut præter naturam ſitus. b.c
Folia herbarum quando colligenda. 78.c.1.a
Formæ naturalium rerum productio. 462.c.2.e
Formicarum olei proprietates ad coïtum, & vaſa ſpermatica roboranda. 122.c.2.e
Fotus euaporatio calida eſt ad emolliendum, laxãdum, ſedandúmque dolorem. 128.c.2.e
Ex quibus conficitur omnibus medicamentis præmittendus. ibid.
Fragorum aqua cui vſui. 100.c.1.b
Frigiditatis extremorum in febribus malignis cauſæ. 651.c.1.b.
Et quo auxilio ad partes exteras calor reuocandus. d
Frigida quomodo abſtergendi vim habeant. 66.c.2.d
Vnde amarorem ſortiuntur. ibid.
Frigus extremum Apoplexiæ cauſa eſſe poteſt. 191. col.2.d.
Frigus conuulſionem generare poteſt. 241.c.1.a.c
Frigus torpidas intemperies, & memoriæ defectum cauſatur. 216.c.2.e
Fructus calidi in primo, ſecundo, & tertio gradu. 131.c.1.e
Frigidi in primo. col.2.a
Fructus ſubſtantia eſt ex ſemine & carne compoſita. 78.c.1.e.
Quî differat à ſuo ſemine. ibid.
Quando ad vſum medicum colligendi. c.2.e
Et de eorum maturitate. ibid.
Fructus horarij fugaces & praui, paruique ſucci. 528.c.2.e.
Febricitantibus noxij. 529.c.1.a
Quænam excipiantur. b
Fruticis nomine quid intelligendum. 77.c.1.b
Fumaria, ſiue fumus terræ qualis eligenda. Modicè calida eſt. 97.c.2.b
Quomodo præparanda. c. Melancholicis hypochondriacis medetur. d
Fumariæ pilulæ bili aduſtæ & pituitæ ſalſæ & Gallicis affectibus vtiles. 111.c.2.b
Fumariæ ſyrupus compoſitus ad melancholicos affectus plurimum prodeſt. 107.c.2.d
Fures cur auribus amputentur. 466.c.2.b.467.c.2.b

G

GAlbanum ſuccus eſt ferulæ in Syria naſcentis, quod & *pacum* à Barbaris nuncupatur. 95.c.1.b
Quibus conditionibus eligendum, eiúſque vſus. ibid.
Galeno quantum debeat ars Medica. 9.c.1.d
In quibus libris obſcurus fuit. e
Et quibus interpretibus eius doctrina illuſtretur. col.2.
Galenus Chirurgiæ peritiſſimus. 71.c.1.e
Galliæ Moſchatæ Meſuës emplaſtrum ad ventris inferioris robur, eximium. 127.c.1.d
Gallicus morbus. Vide, *Morbus*.
Gallinæ ius inſulſum an purgationis die commodè exhibeatur. 146.c.1.b
Gallorum Gallinaceorum teſticuli pleuriticis vtiles. 308.c.1.c.
Gargariſmatum vſus. 65.c.2.b
Gargariſmata ex quibus fiunt, eorúmque vtilitates. 129.c.2.c.
Garrulitas in Medico damnoſa. 3.c.1.d
Contemplatiſſimam facit Medicinam. ibid.e
Generationis noſtræ principia, ſemen, & ſanguis menſtruus. 453.c.1.d
Generationes & corruptiones naturales quæ dicantur. 461.c.2.d.
Quæ violentæ. ibid.e
Generationis viuentium, & non viuentium diſparitas. 464.c.1.b.
Generatio viuentium vt fiat ordine naturæ ex non caſu, generanti, non primæ cauſæ tribuenda. 465. col.1.d.
Nec cœlo. e
Ghiſt pondus eſt libræ vnius cum dimidia. 76.c.1.c
Glandes, balani, ſuppoſitoria, quid, & quibus conficiuntur. 547.c.2.d
Quibus in affectibus vtendum. e
Glandularum genera duo, earúmque differentiæ & officia. 470.c.2.d
Globuli & noduli cui vſui. 548.c.2.a
Gomor, quindecim modiorum menſura. 76.c.1.e
Gonorrhœa virulenta à communi gonorrhœa quibus ſignis diſtinguitur. 267.c.1.e
Vide *Morbus Gallicus*.
Gracilitas corporis purgationem renuit. 37.c.1.b
Et præcipuè ventris inferioris. d
Item ſanguinis miſſionem. ibid.& c.2.d
Granum minimum menſurarum genus, debet eſſe certum & determinatum. 75.c.2.c
Grauidæ curandæ ſtrenuam Medici induſtriam requirunt. 68.c.1.c
Iis venæſectio nócua. d.e
Grauidæ cur tot mala patiantur, & tanta corporis premantur grauitate. 455.c.1.c
Grauidarum morbi curatu difficiles ac periculoſi. 449.c.2.c.e.& 450.c.1.500.c.1.d.e.
in Grauidis venæ ſectio periculoſa. ibid
Purgatio. c.2.a
Victus ratio difficilis. c
Alimentis praui ſucci intemperanter vtuntur. d
Animi pathemata frequenter experiuntur. ibid.
Si acuto morbo capiantur mors expectanda. e. 501.c.1.a.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 725 sur 927

Iis qua cautione & quibus aluus mouenda. d
Quæ ipſis exercitia conueniant. ibid.c.& col.2.a.b
Quæ prohibeantur. c.d
Quo tempore ab exercitio eas reuocare conuenit. d
Balneum ipſis reprobum. e
Imminente partu vtile. 502.c.1.a
An caput vngere aut lauare ipſis conueniat. b.c
An veneris vſus ſalubris. d
Ab animi affectibus præcauendæ. e.& col.2.a.& ſeq.
A cibis acutis. e
Grauidæ ab amaris abſtineant, quæ ſanguinem acuunt, & inflammant. 503.c.2.tota
Quo vini genere tutò vtantur. 504.c.1.b.& ſeqq.
Grauidarum ventriculus & vterus an plus electuario ex margaritis Auicennæ, quàm diamargarito communi roboratur. 504.c.2.c
Quibus præſidiis earum cor & cæteræ partes firmentur. 505.c.1.a
Sæpe in abortus præcautione phlebotomandæ. 505.c.1.c
Culcitrâ ſuper vmbilicum ad fœtum roborandum perutili vtantur. e
Conſerua ad emolliendam earum aluum eximia. col.2.b
Cataplaſma ad eas expurgandas. d
Pica quis earum affectus. ibid.e
Huius cauſa, ſignum, & curatio. 506.col.1.a.b.c
Pilulæ ad id mirabiles. col.2.a
Guidonis Cauliacenſis in arte Chirurgica peritia cæteris anteponitur. 10.c.2.b.c
Gulæ affectus remediis ſpinæ impoſitis curatur. 53.c.1.d
Gulæ deſcriptio. 233.c.1.e
Paralyſi affici poteſt. col.2.a.& ſeqq.
Gummi plantarum quando colliguntur, inſpiſſantur, adulterantur. 71.c.2.c.d
Non habent determinatum durationis tempus. 71.col.2.e
Gummi calida in primo, & ſecundo gradu. 131.c.2.e
In tertio & quarto. 132.c.1.a
Guſtus natura aquea eſt, & omnis ſaporis expers. 641.c.2.e
Varius eſt animalibus conceſſus. 642.c.1.a
Eius organum, lingua. c
Guſtus officium ſapores diiudicare. col.2.a
Guſtus variis ex cauſis tollitur, vel imminuitur. 643.c.2.a.b
Guſtui læſo diligenter occurrendum. c
Syrupus ad id eximius. c
Gutta Gamba varias ſortitur appellationes. Recens ad nos allata. Inter gummas numeranda. 115.c.2.e
Non eſt ſuccus reſinorum rhabarbari. Inſipida eſt, & mediocriter purgat. 116.c.1.a
Eius vires mirabiles. b
Qua doſi offerenda, & quibus morbis auxilio ſit. c.d

H

Hæmoptoïſis quietem poſtulat. 332.c.2.d
Hæmoptoïſi viri fœminis frequentiùs tentantur. 335.c.2.d.
Hæmoptoïcis an acerba alimenta ſemper offerenda. 336.c.2.e
An actu frigida. 338.c.2.c
Vide *Sanguis*, *Sputum*.
Hæmorrhagia an pleuritidi familiaris. 304.c.2.c
Hæmorrhagia thoracico à pulmonica diſtinguitur. 334.c.1.e
Hæmorrhagia pulmonica ob eroſionem concitata cæteris periculoſior. 335.c.1.d
Ad Hæmorrhoïdes vnguentum magiſtrale qua arte parandum. 125.c.1.c
Hæmorrhoïdum origo, cauſæ, vtilitas. 629.c.1.b
Earum curatio inſtituitur. c.d
Dolor earum certo remedio ſedatur. e
Fluxus nimius ſyrupo compeſcitur. col.2.a
Hæmorrhagia etſi omnem ſanguinis fluxum ſignificet, peculiariter tamen pro fluxu è naribus intelligitur. 629.c.2.e
Affectus eam præcedentes ſunt eroſio, ruptio, apertio, ſiue anaſtomoſis, diapedeſis, ſiue reſudatio, eorúmque omnium differentia. ibid.d
An tres eius cauſæ internæ. e
Hæmorrhagia per nares minùs periculoſa. 630.c.1.d
Eius curatio. e.& col.2.a.b
Amuletum ad prodigioſam hæmorrhagiam præſtantiſſimum. col.2.e
Hecticam aduerſus aquæ vitæ præparatio. 102.c.1.b
Hecticæ febris definitio expenditur. 596.c.1.e
Eius eſſentia an in calore & ſiccitate conſiſtat. 597.c.2.d
Eius diuiſio in hecticam abſolutè, & maraſmodem. 598.c.2.a
Eius cauſæ variæ enumerantur. 599.c.1.a.b
Signa. d.& ſeqq.
Curatio. 600.c.1.e
Vnguentum ex caſſia ad eã præſtantiſſimum. col.2.d
Hectici conuulſionibus tentari nequeunt. 240.c.2.e
Hemina pondus libræ & vnciarum trium. 76.c.1.c
In quo differt à cotyla. 458.c.2.d
Hepatis frigidis affectibus, hydropi, & morbo regio aquæ ſalubres. 111.c.2.e
Hepar ſanguinis eſt & humorum officina. 407.c.2.d.e
In eo animam concupiſcibilem poſuit Plato. d
Facultatis altricis focus eſt. e
Hepar infirmum an à cochleis ex proprietate roborandum. 423.c.1.a
Hepar lupino iecore roboratur. c.d
Hepatica affectio vino à Rhapontico parato iuuatur. 422.c.2.a
A qua ſtillatitia ex hepatibus animalium mirabilis. 424.c.1.a
Hepatico fluxui nimio electuarium vtile. 423.c.2.e
Hepaticæ affectionis definitio enodatur. 417.c.1.d
Eſt etiam venarum paſſio. col.2.d
Huius cauſæ vnde petuntur. 419.c.2.e
Hepatica in affectione an ſemper appareat deiectio multa & liquida. 420.c.2.e
Cùm duplex ſit hæc affectio duplicem ſortitur curandi rationem. 421.c.1.e
Narcotica in hoc affectu an offerenda. 422.c.1.c
An dulcia. col.2.a
Herbæ nomine quid intelligendum. 77.c.1.b
Quo tempore colligenda. 78.c.1.a
Herbæ quæ dicantur temperatæ. 130.c.2.d
Calidæ in primo & ſecundo. ibid.
In tertio. e
In quarto gradu. 131.a
Frigidæ in quatuor gradibus. b.c
Hermodactylus qui dicatur? 91.c.2.a
Tres eius differentiæ. ibid.
Qui ſelectior, eius natura, proprietates, vſus. b.c
Hermodactylorum Magiſtralis ſyrupus pituitæ è capite, ventriculo, & iuncturis educendæ vtiliſſimus. 107.c.1.e
Hermodactylorum pilulæ bilioſos & pituitoſos humores euacuant. 111.c.2.b
Hiera picra efficaciſſimum contumacibus morbis ex pituita craſſa medicamentum. 110.c.1.d
Hiera picra compoſita iiſdem morbis, ſed mitiùs vtilis eſt. e
Hiera diacolocynthidos corpus craſſis humoribus purgat & melancholicis affectibus prodeſt. 110.c.2.a

Hiera

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 726 sur 927

©BIUM

Hiera picra cum agarico flatus totius corporis discutit, & visioni imbecillæ opitulatur. 110.c.2.b
Hieræ Logadij vtriusque efficacia mirabilis. b.c
Hippocratis diuina responsio Artaxerxi regi, qua se & Medicos diuitiarum contemptores esse debere indicat. 3.c.2.c
Hippocrates & Galenus errores ipsi suos ingenuè fatentur. 5.c.1.e.c.2.a
Hippocrates qualis audierit apud veteres. 9.c.1.b
Breuis, & obscurus & quibus interpretibus illius doctrina eluceſcit. c.& seqq.
Hippocrates quàrum in Chirurgia excelluerit. 71.c.1.e
Hirudines dorso in eius ardoribus applicitæ mirificè iuuant. 651.c.2.b.c
Hirundinis nidi emplastrum mirabile ad Anginæ curationem. 126.c.2.a
Holca octaua vnciæ pars. 76.c.1.e
Homerus de optimo Medico quid sentiat. 6.c.1.e
Homo curiosum animal & reliquis prudentius. 5.c.1.d
Facilè in rebus coniecturalibus decipitur. e
Homines magis curiosi quàm studiosi. 9.c.1.e
Homo quid ad hominis generationem conferat ex Paracelsi sententia. 15.c.1.b
Hominis dignitas Medico contemplanda. 18.c.2.b
Eius elogia veterum Philosophorum præstantissima. c
Ad intelligendum & agendum natus. d
Eius constitutio cuncta excedit mixta animata. e
Hominis cur erecta corporis constitutio. 19.c.1.a
Respondet animi facultati. ibid.
Ideò est quod eius sit sapere & contemplari. c
Homo in quo à cæteris animantibus differt. 19.c.2.a
Homini soli loquendi facultas concessa. 324.c.1.d
Homini soli veræ lachrymæ peculiares. 638.c.2.e
Hordei aquæ facultates, inter stillatitias aquas numerantur. 101.c.1.c
Humidum citiùs famem incurrit. 528.c.1.d
Humiditas est putredinis mater. 645.c.2.d
Humor quibus conuenientiis dicitur in partem, seu locum congruum inclinare. 26.c.2.b
Humores incidendi priusquam purgans medicamentum propinetur. 31.c.2.a.b
Humorum viscosorum copia purgationem impedit. d
Humoris qualitas quæ, & quibus cognoscitur. 39.c.1.e.col.2.a
Humoris vergentia & inclinatio rectè perpendenda. 40.c.1.b
Humores si ad nullum determinatum locum propendant quo excernantur, quid faciendum. 41.c.1.d
Humoris quantitas quibus cognoscitur. 42.c.2.b
Humori peccanti non est per principem partem faciendus transitus. 46.col.1.e.col.2.a
Nisi maxima vrgeat necessitas. c
Humorum superabundantium quantitas victus rationem variat. 532.c.1.e
Humores ante purgationem an concoquendi. 556.c.2.e.557.c.1
In morbis acutis id locum non habet. c.2.c
Nec in morbis diurnis. 558.c.1.a
Humoris putridi coctio an diuersa à coctione humoris semiputridi. 558.c.1.b
Humoris noxij ad concoctionem an syrupi ante purgationem in febribus concedendi. c.2.d
An syrupi extenuantes. 559.c.1.b
Humorum ad concoctionem tria necessaria, attenuatio, incisio & abstersio. c
Oxymel ad concoctionem plurimum iuuat. d
Hydromel inter syrupos numeratur. 104.c.2.e
Eiúsque vtilitas. ibid.
Hydropisis definitio enucleatur. 424.c.1.c.d
Ex læso hepate semper emanat. e
Hydropes particulares etiam ab affecto hepate oriuntur. col.2.e
Hydropis omnes species an à frigida iecoris intemperie nascantur. 425.c.1.a
An tres tantùm huius species. e
An ex aliis humoribus præter quàm à pituita, seroso humore, & flatu generari possit. col.2.c
An serosus humor à iecore translatus inter peritoneum, & omentum hydropis causa sit. 425.c.2.e
Hydropis in variis speciebus an aqua in diuerso loco colligatur 426.col.2.a
An varius sit modus istius collectionis. b
Hydropis signa vniuersalia sunt, & particularia. e
Pedum tumor in anasarca Hydrope solùm reperitur. 427.c.1.b
Sitis clamosa non semper ei annexa. d.e
In Hydrope non semper aluus dura conspicitur. 427.c.2.c
Non semper febris. 428.c.1.d
Quænam ex tribus Hydropis speciebus periculosior. 428.c.2.b
Tussis ei superueniens an reproba. 429.c.2.c
An tussis in Hydrope per consensum iecoris eueniens, ab ea quæ fit primariò affecto thorace signis possit distingui. c
Alui fluxus in Hydrope reprobatur. e
Omnibus ætatibus Hydrops communis. col.2.b
Eius curatio instituitur. d.& 431.432
Aqua stillatitia mirabilis ad aquosos humores vacuandos. 433.c.1.e
Vinum ebulinum. col.2.e
Conserua ex Bryonia Hydropem curat. col.2.b
Hydropici mirabili naturæ opera curati exemplum. 433.c.2.e
Aliud Quinquagenarij cuiusdam largo aquæ marinæ potu, & copioso alui fluxu persanati. 434.c.1.b
Hydrops ex immodico menstrui fluxu & puerperij facilè sequitur. 489.c.1.b
Hyems vacationi incommoda. 34.col.2.a
Hyeme & vere copiosiùs cibandum. 531.c.2.b.e
Hymni Deos magis placant quàm sacrificia. 2.c.1.e
Hypochondriacis electuarium ex chalybe egregium. 210.c.2.c
Hypochondriaca Melancholica. Vide *Melancholia*.
Hypochondriorum tensio medicamentum purgans impedit. 31.c.2.d
Hyssopi syrupi efficacia. 105.c.1.c
Hyssopi conserua pectori & pulmoni prodest. 121.c.1.c.

I

Ialapa radix est ex India Occidentali, in eosdem vsus venit cum radice Mechoaca. 93.c.1.e
Ichores in infantulis à menstrui impuritate oriuntur. 455.c.1.b.
Si ritè fluant hos à morbo sacro immunes reddunt. ibid.
Icteri causæ expenduntur. 637.c.2.637.tota
Triplex est felleus, hepaticus, & criticus. 638.c.1.a
Ictheritia nigra vnde oritur. e
Pediculorum vsus Ictero vtilissimus. col.2.a
Iecur oppressum qua curatione purgandum. 65.c.2.e.66.c.1.a.
Iecur an sanguis concretus. 408.c.1.b
Quo pacto concrescit & gelatur sanguis. c
Iecur calidum est. c.& col.2.b
Humidum. c
in Iecore an citra inflammationem, simplex nudáque intemperies sit concedenda. 410.c.2.c
in Iecore intemperantia calida an diu duret. 411.c.2.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 727 sur 927

©BIUM

Inflammatio in Iecore ex intemperantia calida ſimplici & compoſita progignitur. 413.c.1.a
Naſcitur vt œdema pituitoſum. b
Bile æruginoſa inflammatur. c.d.e
Iecoris inflammatio quomodo tactu diſtinguitur ab inflammatione muſculorum abdominis. 413.col.2.b. c.
Iecoris in inflammatione an febris ardens ſemper reperiatur. 414.c.1.e.& col.2.a
An ventris conſtrictio. e
An Iecoris inflammatio in parte conuexa conſiſtens ſit periculoſior quàm quæ in concaua. 415.c.1.a
Cur in ea inflammatione ſemper adſtringentia miſcenda. 415.c.2.b
In initio huius inflammationis an diſcutientia ſint ex vſu, an repellentia. c
Iecoris diuerſæ partes inflammatæ an diuerſis præſidiis curandæ. e
An purgantia medicamenta cum cibis præmiſcenda in hoc affectu. 416.c.1.c
Iecoris dira inflammatio hirudinibus ſupra partem affectam admotis ſanata. 417.c.1.a
Vide *Hepar*.
Iecoris lupini proprietas hepatis roboratiua. 423.c.1.c
Ieiunio & inediæ quænam temperamenta faciliùs aſſueſcant. 527.c.2.d.e.528.c.1.tota
Iliacus dolor vnde ſic dictus. 626.c.2.e
Cur *Miſerere mei* nomen illi impoſitum. ibid.
Dolor iſte intenſior eſt quàm colicus. 627.c.1.a
Fæces aliquando in Ileo per vomitum excernuntur. e.& col.2
Iliaci doloris ex indurato ſtercore orti remedium certum. 628.c.1.e.& col.2.b
Iliacus ex inflammatione dolor celebri cataplaſmate curatus. 628.c.2.d
Imaginationis perfectio ex quo colligitur. 170.c.1.c
Eius actiones tripliciter læduntur. d.& ſeqq.
Quomodo læditur in Lethargo. 171.c.1.c
Imaginatiua quomodo læditur in melancholia. 195.c.1.e
Imperitia malus theſaurus. 13.c.1.b
ex Inanitione, quæ incommoda. 534. c.2.d.535.c.1.tota
Inanitio corporis quibus ex cauſis concitatur. 640.c.1.
Famen caninam generat. c
Incubus, quis affectus, vnde oritur. 213.c.1.e
Eius cauſæ & ſigna. col.2.a.b
Quibus potiſſimum naturis familiaris. d
Eius curatio. e
Certum ad eius curationem præſidium. 214.c.1.b
Indicatio eſt inuentio eorum quæ agenda ſunt. 26.c.1.a
Siue demonſtratio remediorum quæ pro morbi curatione expediunt. b
Item comprehenſio iuuantis ſimul cum comprehenſione nocentis. ibid.
Communiſſima à natura morbi deſumitur. c
Indicationes morborum an à Luna, aut ab aſtris ſumantur. 35.c.2.e.36.c.1
Indicatio omnium prima ea eſt quæ à virtute ſumitur. 48.c.1.a. Quod elucidatur. c.2.b.49.c.2.b
Indicationes curatrices duæ à morboſo & ſano membri temperamento deſumuntur. 53.c.2.a
Indicatio à iuuantibus & nocentibus, pro remediis adhibendis ſumenda. 55.c.2.e.56.c.1.t
Indicationibus duabus concurrentibus virium ſcilicet & morbi, potior à viribus ſumenda. 527.c.1.d
Induſiorum menſtruis deliburorũ malignitas. 455.c.1.b
Inedia vigilias inducit. 55.c.1.b
Vix eam ferunt qui impuro ſunt corpore. e
Inedia caput tentat, & prauos ſuccos ad ventriculum inducit. 144.c.2.e
Inediæ incommoda in temperamentis ſiccis. 528.c.1.e
Infantes quàm cautè in morbis tractandi, & quibus affectibus ſubiaceant. 69.c.2.c
In conuulſionibus ſi vires adſint ſcarificatione, vel cucurbitulis iuuandi ſunt. e
Infantes ægri quibus purgandi, & nutriendi. 70.c.1.c.d.& col.2.b.c.d
Infantis recens nati regimen. 517.c.2.tota
Lacte materno, ſi fieri poſſit, nutriatur. 518.c.1.a
Qua cautione faſciis obuoluendus. b
Oculi tergantur, nares dulci oleo liniantur. Cuna non vehementer moueatur. c
Ad primores vſque dentes lactetur. d
Quibus tum nutriendus. e
Antidotum præſtans ante lactationem ipſis offerendum, vt ab Epilepſia ſeruentur. col.2.b
Inflammatio interna medicamentum purgans imperat. 31.c.2.e.32.c.1.a
Inflammatio aliquando pulſum indurat. 295.c.2.e
Inflammationum omnium in principio non ſemper repellentia adhibenda. 162.c.1.tota
In earum declinatione ſemper reſoluentia ſunt ex vſu. col.2.e
Inflammatio aurium. Vide *Auris*.
Infuſionum temperamentum. 132.c.1.b.c
Ingenij humani naturalis pulchritudo. 5.c.2.c
Ingenio qui claruerunt cur omnes melancholici. 170.c.1.a.
Inſeſſiones ſunt dimidij corporis balnea, ex quibus parandæ, & cui vſui. 130.c.1.a
Inſipidum inter ſapores numeratur, à ſolo guſtu percipitur. 641.c.2.e
Inſipidum priuatiuè inter ſapores numeratur. 642.c.2.b.
Inſpiſſamentorum qualitates. 132.c.1.c
Inſtrumentorum muliebrium appellatione quid veniat, eorúmque officia, & affectus explicantur. 449.c.2.c.d.
Intellectus perfectio ex capitis diſpoſitione conſequitur. 170.c.1.b.c
Intemperantiæ calidæ immaterialis curatio. 142.col.2.e.
Frigidæ immaterialis. 145.c.2.b
Intemperantiæ à ſiccitate. ibid.
A pletora. c
Intemperies calida vteri an menſes ſupprimat. 481.col.1.b.
Vide *Vterus, Menſtruum*.
Interpretes Hippocratis & Galeni, ſuo ordine enumerantur & laudibus cumulantur, quáque methodo euoluendi. 9
Interpretari incognita fatidicorum & vatum eſt, & futura præſentire, diuinare eſt. 13.c.2.c
Inuidia dolor eſt ex alienis bonis & vitiorum omnium fortiſſimum. 4.c.2.e
Animum corrodit. ibid.
Medico fugienda. c.2.a
Ira à grauidis arcenda, quæ ex ea incommoda. 502.c.2.c.
Iris radix eſt lilij cæculei. Duplex eius ſpecies. 92.c.2.c.
Quænam probatior. ibid.
Eius vſus multiplex pro affectuum diuerſitate. d. e.
Iſis emplaſtrum capiti, & vlceribus cruentis, ac difficilibus opitulatur. 126.c.2.d
Iudicij recti ab incerto dignotio. 452.c.2.e
Iudicij alieni ſententia exquirenda illuſtrium virorum exemplo. 5.c.2.e
Iudicium cùm fit à natura, vel iam factum eſt, à Medico quid agendum. 27.c.1.c
Iuiubarum ſyrupus bilem incraſſat & febrem remouet. 104.c.2.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 728 sur 927

©BIUM

Iulep in quo à syrupo discrepant. 102.c.2.e
Iuniperi oleum frigidis cerebri affectibus mirificè prodest. 123.c.2.c
Iurulenta quomodo assis humidiora. 476.c.2.a
Iustitiæ principium & origo à Deo petenda. 2.c.1.e
Iuuenculæ cuiusdam mira menstruorum per vteri labra euacuatio. 486.c.2.a

K

Krat granorum quatuor pondus. 76.c.1.c

L

Lac plantarum vnde? 71.c.1.c
Lactis virginei vsus ad faciei pustulas, cæterósque cutis affectus extergendos & exsiccandos efficacissimus. 102.c.2.c
Lac muliebrium morborum principium, quæque ab eo in nutrices, & infantes redundent symptomata. 443. c.1.d.e.
Lac ex menstruo sanguine conficitur. 454.c.2.d
Lactis generatio fit in mammis. 455.470.c.2.c
Non est pus. ibid.e
Est sanguis superfluus mutatus & dealbatus in mammis. 471.c.1.a
Eadem eius est quæ sanguinis menstrui materia. d
An fiat ex pinguedine omenti. e.& col.2.a
Lac in mammis apparens sine conceptu, aut partu, menstruorum defectum indicat. b
An per coctionem generetur, aut per caloris immutationem solùm. d
Fit ex sanguine menstruo perfectè concocto. e
Viuiparis solùm commune est. 472.c.1.c
An possit assignari aliqua pars in vtero, à qua pro lacte conficiendo sanguis in mammas regurgitet. 472.c.1.e
Lac ante conceptum generari potest, sed imperfectum, aquosum, & minùs sapidum ac dulce. 474. c.2.a.
In conceptione tertio, quartóue mense. c
In mammis à duodennio mense ad quinquagesimum vtplurimum generatur. d
Lactis defectui quibus præsidiis occurrendum. 519. c.2.a.b.
Eius abundantia qua cautione corrigenda. e
Eius crassities vnde? 520.c.1.a
Tenuitatis eius damna. b
Vnde coagulatur, & dissoluitur. c.2.a
Electuarium ad eius defectum perutile. b
Lacca Magistralis syrupus morbillorum, & variolarum curationi efficacissimus, & qua arte parandus. 105. col.2.c.
Lactucæ aquæ ad refrigerandum, & somnum conciliandum præstantia. 99.c.2.d
Lactucæ caulis saccharo conditus cui vsui. 120.c.2.c
Lactuca debilitatem corpori inducit. 534.c.1
Vnde lac prouocat. e
Lacrymæ plantarum quando lac dicantur. 71.c.1.c
Qua arte colligendæ. c.2.b.c
Lacrymæ sudor & vrina eiusdem naturæ. 638.c.2.b
An ex viscerum perturbatione eleuatis vaporibus ad cerebrum generentur. c
Vnde eorum salsedo. d
Sunt humoris potulenti portio, quæ in cerebro & venis oculorum continetur. e
Ad quid tam naturales, quàm præternaturales reducendæ. ibid.
Lachrymarum variæ differentiæ. ibid.
Quibus ex causis, & vnde oriuntur. 639.c.1.a
Lachrymarum copia, vel natiua, vel accidentaria, vtriusque causæ, sicut & paucitatis & salsedinis, & amaroris. b.c
Cur, & in quibus febricitantibus contingant. d
Voluntarium & inuoluntarium causæ. e
Frigidæ reprobæ. c.2.a
Lacrymarum effluxus copiosus setone ad nucham indito curatus. b
Item balneo capiti administrato. d
Lanfranci aqua vnde nomen sortitur, eius facultates & vsus. 101.c.1.b
Lapides qui in vsum medicum veniunt? 76.c.2.d
Lapidis lazuli varia nomina, vsus, &c. 96.c.2.b
Vide *Lazulus*.
Lapidum terræque specierum qualitates. 132.c.2.d.e
Lapides frigidi in secundo gradu. 133.c.1.b
Lapides pretiosi frigidi sicci in primo gradu. 133. c.1.c.
Larynx est potissimum vocis instrumentum. 323. c.1.b.
Lassitudo duplex, spontanea, & laboriosa. 609.c.1
Spontaneæ citò opitulandum. 610.c.2.c
Lassitudo non spontanea morbos nunciat. c
Si à causa interna oriatur, maxima diligentia occurrendum. d
Lassitudinis differentia triplex, vlcerosa, tensiua, & phlegmonosa. 611.c.1.a
Earum curatio instituitur. c.d
ad Lassitudinem ex exercitio vnguentum optimum. 611.col.1.a.
Laterum oleum, seu philosophorum lethargo, & perditæ memoriæ prodest. 123.c.2.d
Lauendulæ conseruæ facultas, quibúsque morbis occurrat. 121.c.1.c
Lazuli lapidis variæ appellationes. 96.c.2.b
Quomodo probatur. ibid.
Non est venenum. c
Varius illum lauandi modus. ibid.
Eius temperamentum & vsus. ibid.
Lectionis varietas tumultuaria improbatur. 8.c.2.d
Legumina flatuosa, melancholica & terrena esse vnde colligitur. 199.c.1.d
Lenientia parum ante cibum exhibenda. 83.c.2.d
Lentisci ramis an febrientium domus refrigeranda. 524.c.2.b.
Lethalis vocis germana acceptio, pro maligno & crebrò interimente. 451.c.2.d
Lethargi definitio expenditur. 165.c.2.a
An inflammatio sit de eius essentia. b
in Lethargo an cerebrum, vel eius ventriculi patiantur. d
In quo à phrenitide distinguitur. 165.c.2.e
Pars postica cerebri an magis affecta in Lethargo, quàm antica, aut media. ibid.
Cerebrum in hoc affectu per essentiam afficitur, licèt aliquando per consensum. 166. col. 1. b, c.
Lethargi intemperies frigida statuitur. d.& seqq.
Pituita in Lethargo an humidâ magis quàm frigida qualitate officiat. 167.c.1.e
An necessariò in hoc affectu putrescat. c.2.b
Lethargi causæ eædem sunt quæ pituitæ. 168. c.1.c.
In quo distinguitur ab affectu memoriæ deperditæ. e
A caro, ab Apoplexia, à Catalepsi. ibid.
A syncope, ab vteri strangulatu. col. 2. a.& 494. c.2.b
in Lethargo pulsus est intercurrens. c
Delirium est eius signum pathognomonicum. 169. c.1.c.d.& seqq.
in Lethargo imaginatio non solùm diminutè, sed cum errore læditur. 171.c.1.c

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 729 sur 927

Lethargi præsagium. e
Curatio à victu inchoanda. c.2.b
Aqua mulsa, aut anisa, cinnamomo, aut semine fœniculi decocta vtilis. d
Vinum conceditur. ibid.
Lethargus qua cautione sanguinis missionem postulat. 172.c.1
Lethargi cauterio retrò aures sanati exemplum. 173. c.1.a.
Lethargus summa est & inexpugnabilis dormiendi necessitas. 652.c.1.e
In quo ab aliis soporosis affectibus, & phrenitide distinguitur. ibid.
Libræ diuisio in mensuralem, & ponderalem, vtraque explicatur. 75.c.2.a.b
Est maximum officinarum pondus. c
Vtraque duodecim vnciis constat. b
Librorum varia lectio à Seneca carpitur. 8.c.2.c
Lien quibus auxiliis & cautione curatur. 66.c.1.b
Lienis curationi quando adstringentia necessaria. 163. c.1.c.
Lienteria an ex intestinorum læuitate oriatur. 651. col.1.d.
Ad intestinorum exulcerationem sequitur. c.2.c
Ex debilitate retentricis oborta ab omni intemperie gigni potest. d
An passio ventriculi, an intestinorum. e
Lienteria an expultricis, vel alteratricis sit passio. 654. c.1.b.
Morbus est acutissimus. c.2.a
Ad eam ex retentricis imbecillitate ortam emplastrum eximium. 653
Ligna increscente luna plantanda & decrescente secanda. 35.c.1.c
Ligna calida. 133.c.1.a
Frigida. b
Lignum Indum calidum est ac temperatum. 270.c.1.d
Non solùm in morbo Gallico, sed & in aliis affectibus frigidis & humidis vtile. c.2.d
Linguæ vtilitas & officium, eius actiones duæ, sentiendi, & mouendi. 234.c.2.a.b
Eius læsio & paralysis vnde oritur. c.d
Linguæ vitia sermonem impedientia ex quibus causis petuntur. 326.c.2.b.c.& seqq.
Lingua est gustus organum à natura destinata. 642. c.1.c.
Linguæ ob siccitatem excoriatæ quibus medendum. 645.c.1.a.
Linimentum quid, & ex quibus parandum. 128.c.2.a
Liquidambar oleum sic dictum, cuius proprietates mirabiles. 123.c.2.e
Liquitiriæ syrupus quî fit, & quibus morbis occurrit. 105.c.1.b.
Liquores plantarum varia sortiuntur nomina, & quî à succis differunt. 71.c.1.c
Lithargyrij vnguentum quibus morbis vtile. 124. c.2.a.
Loch ad sedandam sitim vtilissimum. 645.c.1.b
Lochiorum duratio assignatur, eorúmque quantitas discreta & continua. 456.c.1.c.& col.2.a.d
Lochij sanguis deterior est sanguine menstruo. 456. c.2.e.& 457.c.1.
Locus conueniens in quem humor inclinat quas seruet conditiones. 26.c.2.b.c
Locorum affectorum cognitio quantum Medico necessaria. 50.c.2.c.d
Locus afficitur ex vitiata actione. 51.c.1.b
Ex affectuum diuisione. d
Ab iis quæ excernuntur. e.52.c.2.e
A situ. 53.c.1.d. Doloris proprietate. e
Locus affectus desumitur ab iis quæ secundùm naturam in partibus continentur. 52.c.1.b
Ab iis quæ parti vitiatæ adnascuntur. c
Ex contentis præter naturam in parte. ibid.d.e
Ex calculo vesicæ, lumbricis, sanguinis grumo. col.2.b.c.
Locorum affectorum varietas ex locorum varietate coniectanda. 53.c.1.e
Locus affectus à symptomatibus elicitur. c 2.c.d
Loci dignitas ad hominis nobilitatem facit, & brutarum animantium. 449.c.1.a
Lohoc, seu linctus quod medicamenti genus, & cui vsui. 108.c.1.d
Vide *Eclegma.*
Loquela vitiata quando immedicabilis est. 328.c.2
Vide *Sermo.*
Loquendi principium à cerebro emanat. 325.c.1.b
Loquela quibus causis vitiatur. 326.c.2.e
Loquutio soli homini conuenit. 324.c.1.e
Loquutiones animantium non verè loquutiones. c.2.b
Loquutionis vitia ex quibus causis oriuntur. 326.col.2, 327.c.1.
Vide, *Vox, Sermo.*
Lues venerea. Vide *Morbus Gallicus.*
Lubrificantia quid ad absterſionem conferant. 66.c.2.b
Ludouici Dureti sagacitas in Coacis prænotionibus explicandis commendatur. 9.c.1.b
à Lumbricis suffocatio quî differt ab vteri strangulatu. 494.c.2.
Lumbricus in vtero progenitus strangulationis ferocissimæ causa. 497.c.1.a
Lumbricorum tres in vniuersum species assignantur scilicet, teretes, & ascarides. 645.c.2.d
Quænam ex illis tribus speciebus frequentior. 646. col.1.a.
Vnde generantur. b.c
Lumbricorum generationi quæ aptior ætas. 646. c.1.d.
Lumbrici an propter aliquem vsum in corpore gignerentur. c
An per generationem in corpore pullulent. c.2.a
Ex tribus speciebus quæ deterior. b
Ad sui excretionem num coctionem prærequirant. c
In febribus, & absque febribus fiunt multitudine, colore & tempore differentes. d
Amaris interficiuntur. 647.c.1.a
Lumbrico portentoso septennis puella oppressa, enormi vomitu euadit. 647.c.1.e
Luna vitæ nostræ moderatrix, cuius motiones à Medico obseruandæ. 35.c.1.a
Eius potestas in hæc inferiora. ibid.& seqq.
Lunæ à mutationibus an indicationes ad curationem sumantur. 35.c.2.e.36.c.1.e
Luna increscente morbi humidiores læuiunt. 35.c.2.a
Corpora etiam sana eius mutationibus obnoxia. b
Eius mutationes septem. ibid.
Luna mater mundi ab Ægyptiis dicta, à Sole grauida. ibid.
Quantum minor terra, & quantum ab ea distet. c
Lumen à Sole mutuatur, vnde illi varia facies. ibid.
Regina cæli dicta à Hieremia. ibid.
Eius mutationes obseruent Medici ad vacuandum. d
Luna fœmineæ naturæ à veteribus Astronomis credita. 454.c.1.e
Causa est periodicæ menstruorum excretionis. c.2.b
Lupinus, pondus est 3ij. 76.c.1.e
Lupulorum temperamentum, & pro curandis chronicis febribus, obstructionibus aperiendis, &c. proprietates. 544.c.1.b.c
Lupus cur insensatas species disconuenientiæ non eliciat, ouis contrà. 195.c.2.e
Lusitanarum fœminarum consuetudo, ne menstrua præ nimio calore supprimantur, carnes viperinas paratas comedendi. 476.c.1.b

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 730 sur 927

©BIUM

Lux calorem concitat. 522.c.2.tota.
Luxatio, exarticulatio, & barbaricè diſlocatio, eſt prolapſus capitis articuli è proprio ſinu in alienam ſedem. 281.c.2.e
Eius triplex cauſa. ibid.
Quænam recta luxatio dicenda. 282.c.1.c

M.

Machaon homo æqualis Deo ab Homero dictus. 6.c.2.a.
Magiſtralis ſyrupus contra fluxus omnes, vomitum, nauſeam, alui fluxum ſiſtit, & qua arte parandus. 103.c.2.e.
Alius Magiſtralis diureticus. 104.c.1.a
Maioranæ conſerua quibus morbis medetur. 121.c.1.c
Mammarum operationes quibus lædantur. 451.c.1.b
Mammarum & vteri conſenſus. 471.col.1.c.472.c.1.e
Mammillæ ſanguinem in lac conuertunt. 470.c.2.c.d
Earum calor eſt ob cordis viciniam. 472.c.1.a
ſub Mammis cucurbitula appoſita menſes reuellit. 489.c.2.c.490.col.1.a.b.
Manipulus eſt quantum quiſpiam manu comprehendere poteſt. 75.c.2.c
Manna quid? 88.c.2.d
Bilem purgat. ibid.
Longè diſpar ab Hebræorum manna. e
Orientale perfectiſſimum. ibid.
Quod dicatur ſimplex. ibid.
Gummi modo concreſcit. ibid.
Eius ſelectioris notæ. 89.c.1.a
Calabrenſe omnibus præſtat. ibid.
Eius doſis, & vſus oſtenditur. b.c
Manus Chriſti perlatæ Tabellæ ſic dictæ, quarum proprietas eſt omnium facultatum imbecillitatem firmare, febribus ardentibus mederi, & imaginationes falſas abolere. 121.c.1.d
Manuum hominis excellentia. 18.c.2.d.vſus 19.c.1.b.d
Maraſmodes febris duplex, ſimpliciter tabida, & tabida incipiens. 598.c.2.c
Hectica Maraſmodes ab intrinſeco incurabilis. 600.c.1 d. Vide *Hectica, Febris.*
Marciatum vnguentum frigidis & articulorum doloribus perutile. 125.c.2.b
Marcor quid? In tribus viuentium generibus reperitur. 466.c.1.b.
Maris amaritudo in extremo eſt, ideóque piſcium nutritioni non inimica. 473.c.2.c
Marinus aër exſiccat vlcera. 47.c.1.d
Margaritæ qua arte præparantur, & cordi roborando nutriendóque inſeruiunt. 116.c.1.e. & ſeqq.
ex Margaritis ſunt ſacculi cordiales peſtis tempore geſtandi. 116.c.2.b
Epithemata. c
Maſticatoria ex quibus conficiuntur, & quæ ex iis commoda. 129.c.2.a
Maſticatoria quæ & cui vſui. 65.c.2.a.b.c
Maturitas fructuum vnde colligitur. 78.c.2.e
Maturinum tempus ſtudiis accõmodatius. 7.c.2.8.c 1.b
Maxillarum rubor quid indicet. 53.c.2.c.d
Meatuum corporis rectitudo in quibus partibus ſit manifeſta. 25.c.1.c. Vide *Rectitudo.*
Mechoaca radix eſt bryoniæ ſimilis, in quo differat. 93.c.1.a.
Eius temperamentum. b
Vſus multiplex. ibid. & ſeqq.
Medendi ſcopi tres, morboſus affectus, naturalis affectus, & aër ambiens. 57.c.2.c
Medicamentorum rationalis & methodica inuentio, experimentali longè præſtat. 16.c.2.d
Medicamentum matutino tempore & ieiuno ventriculo ſumendum. 29.c.1.b.c
Bilioſis, & facilè in ſyncopen labentibus, poſt modici alimenti ſumptionem. c
Medicamentum aſſuetum expultricem ad excernendum non prouocat. 39.c.1.a
Medicamentum vel ſimplex, vel compoſitum, & quid per vtrumque intelligendum. 75.c.1.c.d
Medicamentorum variæ facultates. c.1.e
Medicamenta quælibet quæ in vſum medicum veniunt, vel ſumuntur ab animalibus, totis, vel eorum, partibus, vel excrementis, vel ex terra, aqua dulci, aëre, plantis. 76.col.2.c.d.e.77.c.1.a
Medicamentorum purgantium duplex differentia explicatur. 86.c.1.c.d
Medicamenta pituitã purgant ia enumerantur. 91.c.1.c
Medicamenta ſimplicia bilem purgantia. 80. col. 2. a. vſque ad 91. Simplicia purgantia pituitam à 91. vſque ad 96.
Medicamenta ſimplicia melancholiam purgantia. 96. 97. 98.
Medicamenta aërea & aquea. 133.c.1.c
Marina calida. d
Medicamenta temperata quæ dicantur. 133.c.2.c
Quæ calida in primo gradu. d
Quæ in ſecundo. 134.c.1.a.b
Quæ in tertio. c
Quæ in quarto. e
Medicamẽta frigida in primo & ſecũdo gradu. c.2.a.b
In tertio & quarto. d
Sicca in primo & ſecundo. e
In tertio & quarto. 135.c.1.a.b
Humida in primo, ſecundo & tertio. c.2
Medicamenta roborantia in decocto miſceri poſſunt. 270.c.2.d.
Medicamenta expurgantia an in decocto ſudorifico permiſcenda. 271.c.1.a
Medicamenta ſudorifica interdum in vino coquenda. c
Præſente febri an celebranda. d
Medicina præ cæteris ſcientiis cautum requirit artificem. 1
Medicina libera eſt & Deorum munus. 4.c.1.c
Medicinæ facultatis apud Ægyptios præſtantia. 6.c.2.a
Medicinæ ſtudia qua methodo & arte tenenda. 7.c.2, 8.c.1.
Ad Reipubl. vtilitatem ſunt referenda. ibid.
Medicinæ totius ſcriptores celeberrimi ſuis titulis & elogiis inſigniti ordine enumerantur. 9. & 10
Medicinæ rationalis & empiricæ fundamenta excutiuntur. 15.16
Dogmaticæ præſtantia ſtatuitur, & empiricorum fundamenta euertuntur. col.2.d
Medicina cur ars coniecturalis dicta. 15.c.2.b
Medicina dogmatica vna agendi methodo, & experimento integratur. 17.c.1.d
Medicinam cognoſcere homine ignoto impoſſibile. 18.c.2.a.
Medicinæ ab Auicenna definitio. 19.c.2.c
Medicina in quantum dicatur ars, & ſcientia. 20.c.2. & 21.col.1.
Eius difficultas explicatur. ibid.b.c
Medicinæ excellentia aduerſus indoctos probatur. 21.c.2.c.d.
Eius inconſtantia vnde? 22.c.1.a
Vnde controuerſiæ. b
Medicus quanta debeat obſeruantia Dei cultum venerari. 1.2. Eíque cor ſacrare. c.2.d
Medici veſtitus honeſtus ab Hippocrate requiritur. 2.c.2.e.
Carpitur quorundam huius temporis inſolẽtia. ibid.
Medicis rectus quî à Sophiſtis & artificioſis & cognoſcatur. 3.c.1.b.c
Medicus loquax, ineptiſſimus, & contemptibilem faeit Medicinam. 3.c.1.e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 731 sur 927

est ægroranti morbus alter. ibid.
Prudens sit, grauis & paruiloquus. ibid.& c.2.a
Argenti contreptor iuxta Hippocr. doctrinã. ibid.b.c
Medicus circa mercedem quî se gerat ex Hippocratis præscripto. 4.c.1.b.c
Inuidiam fugiat. e
Medici superbi & insolentes ab aliorum cœtibus eliminandi. 4.c.2.c
Medici contumacia carpitur. 5.c.1.a
A doctiori vinci non illi iniuriæ vertitur. b
Nec impossibile ab indocto. ibid.
Medicus Hippocratis & Galeni exemplo errores suos fateatur. 5.c.1.e.c.2.a
Non persistat in errore, sed ab eruditis corrigi se patiatur. 6.c.1.a
Cautus sit in odoribus gerendis. c
Quibus scientiis eruditus vt perfectus sit. ibid.c.2.b
Prudens sit naturâ necesse est. c.& 7.c.1
Studiosus præ cæteris, & indefessè literis incumbens. ibid.e.& c.2
Ratio eius studiorum traditur. ibid.& 8.c.1
Librorum ipsi paucitas commendatur. c.2.c
Auctorum Medicorum delectum quem faciet. 9.10
Cauebit à curatione desperati morbi. ibid.c.2.c
A falsis pollicitationibus. 11.c.1.
Medici definitio nobilissima. ibid.
Quibus debet virtutibus ornari. ibid.b
Medici auari sunt, vel triuiales qui morbos attollunt sunt maximo ægrotis detrimento. 11.c.1.e.c.2.a
Vt ignari & deceptores qui graues parui faciunt. b.c
Medicus colloquutorem habeat & consultationes amet. ibid.d.e
Ægros paucos assumat curandos. 12.c.1.b
Et decem tantùm vno die inuisat. c
Quatenus in nominibus rerum inquirendis sollicitus esse debet. d.& c.2.
Nihil temerè aggrediatur, nec contemnat. 13.c.1
Morbos non differat. col.2
Cautè præsagiat. ibid.& 14.c.1
Chymicorum & Paracelsi doctrinam paruipendat. ibid.col.2.
Rationalem doctrinam profiteatur. 15.16
Experimento vtatur. 17.c.1.e
Sit in captanda occasione sollicitus. c.2.& 18.c.1
Subiectum suum nobilissimum inspiciat. ibid.& 19
Et sanitatem vt primarium finem contempletur. c.2.c.
Artis suæ difficultatem probè teneat. 20
Imperitæ plebeculæ calumnias temnat. 21
Ægris gratiosus sit. 22.c.1
Citóque & iucundè curet. c.2.
Rectitudinem teneat, etsi nulla sit alleuatio. 23.c.1
Et præcipuè in euacuationibus. c.2.& 24
Naturam rectè operantem imitetur. 25.c.1.e
Euacuet si non mouerit natura. 26.c.1.e.& c.2
Alioqui cesset ab euacuatione. 27.c.1
Præcipuè in die decretorio. c.2.c.& seqq.
Horam in qua administranda remedia obseruet. 28
A validis purgantibus abstineat. 30
Priùs corpus pluribus modis præparet. 31
Medicus in omnibus mediocritatem, seruet. 33.c.2.d
Ad euacuationes tempus accommodatum eligat. 34
Astrorum mutationes obseruet. ibid.& 35
In frigidis & calidis temperaturis, & humoribus, per sanguinis missionem euacuet. 36.c.2
Et diligenter quæ corporis habitudo maiores ferat euacuationes inspiciat. 37
Consuetudinem obseruet. 38
Humoris qualitatem. 39
Eiusdem vergentiam, & inclinationem. 40.c.1.b
Locum per quem euacuandum. c.2.c
Tempus morbi in quo euacuandum. 41.c.1.e
Modum & qualitatem contempletur. 42
Non omnem morbum suo semper contrario medicetur. 43
Corpora sana & temperata similium vsu seruet, intemperata verò contrariorum vsu reducat. ibid. c.2.& 44.45.
Humorem peccantem per partem principem vel affectam non euacuet. 46.c.1
In morbis chronicis soli mutationẽ imperet. 47.c.1
Naturam semper adiuuet. c.2.d
Facultatum robur aduertat diligentissimè. 48.c.2.& seqq.
Locos affectos agnoscat. 50.c.2.c.& seqq.
Primarium affectum. 54.c.1.e
Si non nouerit morbum, subtiliet regimen. 55.c.1
A iuuantibus, & nocentibus indicationem sumat. 55.c.2.56.c.1.
Nouerit quantum ex vna quaque regione remedia varient. 56.c.2.57.58
Ad vrgentia attendat. ibid.c.1.e.& c.2
Vacuationes symptomaticas non minimi ducat. 59. c.1.& seqq.
Fortia symptomata in statu contingentia non pertimescat. 60.c.2.d.& seqq.
Priùs dolorem sedet. 63
Vigiliis citissimè opituletur. 64.c.1
Non nisi vacuato corpore à parte affecta euacuet. c.2.& 65.66.
Virorum & fœminarum morbos curandi discrimen attendat. 67.c.1.e.c.2
In curandis grauidarum morbis strenuus sit. 68
Vt in morbis puerorum & senum. 69.c.1
Infantium præcipuè. c.2.c.& 70
In anatomia probè versatus sit. ibid.c.2.d
Chirurgica facultate. 71.c.1.e
Et pharmaceutica arte, cuius synopsis, elegantissima traditur. à pag.73.ad 135
Medicus si exconiectura auxilia applicet, cautus sit, nec propositum aperiat. 56.c.1.e
Medicus an in curatione fœminarum plus quàm in aliis morbis prouidus esse & expertus debeat. 452.c. 1.a.
Medicus quî se in lethalium & desperatorum morborum curatione gerat. 451.c.2
Medicus sit prudens & futura prospiciens. 451.c.2.e.& 452.c.1.
Medicus menstruatarum maximâ curâ gerat. 475.c.1.b
Medimia, mensura sextariorum duorum. 76.c.1.e
Medimnus, chœnicas quadraginta septem continet. 76.c.2.b.
Mediocritas Medico commendatur in vacuationibus. 33.c.2.d.
In ea consistit bene instituræ reipublicæ status. e
Eius vtilitates. ibid.& 34.c.1.2
Ex ea prouerbium illud, *Ne quid nimis*. b
In rebus omnibus modus est. ibid.
Omnem eam esse virtutem Orator decernit. e
Ab ea si recesserit Medicus, ægros præcipites in mortem tradit. d
Melancholia nocturno tempore dominatur. 8.c.1.a 97.98.
Melancholia qua ope purganda. 65.c.2.2.96
Melancholia quibus aquis concoquitur. 101.c.1.2
Melãcholia quibus syrupis præparatur. 106.c.1.c.c.2.2
Quibus purgatur. 107.c.2.d. & seqq.
Melancholia quibus electuariis purgatur. 111.c.1.2.b
Quibus pilulis. 112.c.2.2
Melancholiæ redundantis signa. 145.c.2.b
Melancholia morbus est periculosus. 206.c.2.c
Melancholiæ forma duplex naturalis quippe, & bilis atra, siue adusta cholera. 207.c.1.c
Eius curatio instituitur. ibid.& seqq.

Melancholiæ

Melancholiæ hypochondriacæ ſigna & natura à Galeno bellè deſcripta. 208.209
Melancholiæ differentia duplex enodatur. 196.col. 1.d.e.
An in cerebro generetur. col.2.b.c
Quomodo ex pituita proximè, & immediatè naſcitur. d
Melancholia in toto vel in cerebro an cumuletur ex vacuatione retenta, & alimenti melancholici vſu, ex Galeni ſententia. 198.c.2.c
Melancholiæ vt modica portio à ſplene ad ventriculi os naturaliter delata appetitum commouet, ſic immodica famem caninam concitat. 640.c.1.d
Melancholici cur ſuperbi dicti. 4.c.2.d
Melancholiæ definitio expenditur. 194.c.2.a
Cerebrum læditur in hoc affectu, non ſemper cor. c.d.
Omnes potentiæ rectrices in hoc affectu læduntur. 195.c.1.d.& ſeqq.
Melancholici quî fiat vt res iucundas vt triſtes percipiant, eáſque fugiant. 195.c.2.b.c
Melancholicus ſanguis vtrum in cerebro, aut in toto corpore abundet, an ex aſſeacto vitæ regimine cognoſci poſſit. 199.c.2.e.& ſeqq.
An ex cura per venæ ſectionem tentatiua. col. 2. c.
Melancholicorum imaginationes variæ & infinitæ an vni melancholici ſucci naturæ ſint tribuendæ. 204. c.1.tota.
Eorum communes affectus enumerantur. col. 2. c.
Timor & mœſtitia ab iis non inſeparabiles. ibid.& ſeqq.
Melancholicus humor an ſolo temperamento, an calore, metus & triſtitiæ cauſa ſit. 205. c.1. e. & col.2. tota.
Bilioſa temperatura ad melancholicum ſuccum generandum aptiſſima. 206.c.2.b
Melancholici an ſint ſapientes. 207. c.1.a
Melancholicus ſuccus an pellente liene, vel attrahente ſtomacho ad iuuandam coctionem in ventriculum deferatur. 394.c.2.e
Vnde generatur. 203.c.2.a
Meliloti emplaſtrum quibus morbis vtile. 126. col.1.e.
Meliſſæ aqua cui vſui. 100.c.1.d
Meliſſæ conſerua cui vſui. 121.c.1.c
Eiuſdem oleum quibus affectibus vtile. 113.c.2.e
Meliſſophyli conſerua ſtomachum roborat, & coctionem iuuat. 121.c.1.d
Mellis roſati Perſici, & Hiſpani proprietates. 121. c.1.a.
Membranæ fœtum ambientes informantur anima rationali. 512.c.1.b.& ſeqq.
Membrorum œconomia in qualitatum quatuor contemperantia conſeruatur. 19.c.2.a
Membrum vnum & idem multis affectibus ex contrariis cauſis infeſtari poteſt. 55.c.1.a
Memoriæ excellentia commendatur. 214. col. 1. d. e.
Eius definitio. e.2.a
Tria eius munera explicantur. ibid.
Iuuenibus familiaris. e
Memoriæ deperditæ definitio. 215.c.1.a
Quid de eius ſede contra Archigenem ſentiat Galenus. c.& ſeqq.
Quibus de cauſis læditur. 216.c.1.a.b
An ab exuperante frigore ſemper oriatur. c.2.d.& 217.col.1.tota.
An ab exceſſu paſſiuarum ſpecierum. c.2.a
Vnde Memoriæ læſæ ſigna petuntur. 218.c.1.tota
Præſagium eius & curatio. c.2.d.e
Remedia ad eam conſeruandam propè diuina. 219. c.1.c.d.
Ad eam comparandam & tenaciſſimam, ſingulare & facile præſidium. c.2.d.e
Victus ratio ad memoriam fouendam inſtituitur. 220.c.1.c.
Menſtruorum retentionem patientes odorum vi aliquando ſuffocantur. 6.c.1.c
Menſtrui laborioſa curatio morborum muliebrium difficultatem aperit. 449.c.2.b
Menſtruorum operationes vnde impediuntur. 450.c.2.e.& 451.c.1.a.
Menſtruum muliebrium morborum origo. 453.c.1.d
Eius definitio. ibid.
Deſcriptio,& cur naturale profluuium ordinatum, excrementitium, vtile,& crudum. c.2.a.b
A frigiditate oritur, non à calore. ibid.d.e
Menſtruum an confluat in vteri capacitatem per reſudationem an vaſorum reſerationem. 454.c.1.a
Quid mali ſi diu in vtero moretur. b
Menſtruorum periodica excretio ad motum Lunæ referenda. 454.c.1.e.& ſeqq.
Menſtrua in omnibus fœminis eodem tempore, ſcilicet decreſcente luna, prorumpere non neceſſarium. 454.c.2.b.c.
Quid benigni & puri ſortiantur. d
Vites tenellas lædunt, ſi attingant. 455.c.1.a
Sunt venenũ ex cuius potu infatuati remanent. ibid.
Quibus morbis liberant ſi tempeſtiuè fluant. b
Quos inducunt ſi ſupprimantur. c
Menſtruum ſi ſtatuto tempore & debita quantitate fluxerit à quibus morbis mulieres ſeruat. 448
Secus quibus affectibus obnoxiæ. ibid.
Menſtruata cum muliere concubitus lepram inducit, & partum elephanticum generat. 455.c.1.b
Olim à lege diuina prohibitus. ibid.e
Menſtrua quibus in animantibus manent, & in quibus copioſiora. 455.c.2.d
Eorũ eruptionis tempus aſſignatur & ceſſationis. ib.
Menſtruorum certa quãtitas nequit aſſignari. 456.c.1.a
Varia eſt pro temperamenti varietate. b
Menſtruum quibus viis in vterum prolabitur & ab eo extra prorumpit. 457.c.1.a
Menſtruum quem ob finẽ à natura generatur. 457.c.2.e
Non ad vteri nutritionem à natura tranſmittitur. 458.c.1.a.
Menſtrua quibus nunquam fluxêre, innoxiè viuere poſſunt. 458.c.1.b.c
Menſtrui ſanguinis malitia. 474.c.2.e.475.c.1.a
Tempeſtiuè fluentis vtilitas, & nimium excurrentis incommoda. b
Menſtruatæ an à Medico curandæ. 474.c.2.e.& ſeqq.
An ipſis frigidus, calidus, vel temperatus æër parandus. 475.c.1.c
Menſtruatis an acetoſa conueniant. 475.c.1.e.& 2.c.d
An butyrum. e
Viperinæ carnes paratæ earum ſuppreſſionem prohibent. 476.c.1.b.c
Iis minùs aſſa, quàm elixa congruunt. d.& c.2
Vino ſanæ & temperatæ vti poſſunt. c.2.e.477.c.1.a
Exercitio abſtineant. d
Non clyſteribus vacuandæ, niſi morbi acuties vrgeat. c.2.d
Veneris ex vſu quæ ipſis incommoda. c
Quæ ex venæ ſectione. e
E talo ſi ſanguis mittatur moderatè & tempeſtiuè iuuantur. 478.col.2
Quid ex animi affectibus detrimenti patiantur. 479. c.1.tota.
Menſtrui ſuppreſſio quid? In tria genera diuiditur. 479.b
Id ſymptoma, ſicut & cætera ſemper ex morbo enaſcitur. c.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 733 sur 927

Menſtrua ſecundùm naturam aliquando retinentur. 480.c.1.a.b.c.d.
Cohibentur ex copia, & penuria. e
Ex vitio vteri. col.2.a
Sanguinis menſtrui. c
Ab vteri calida intemperie. 481.a
Menſtruæ ſuppreſſionis ſigna varia. d.e
An febris eam perpetuò comitetur. c.2.a
Menſtruorum ex ſuppreſſione an maior ſincipitis, quàm occipitis dolor concitetur. 482.c.1.a
Menſtrui retentio, ſuperfluâ eius vacuatione periculoſior eſt. d.& ſeqq.
Quæ ex eâ ſymptomata. col.2.a.b
Non in omni eius retentione venæ ſectio celebranda. c.2.d.e.& 483.c.1.a
Quibus fœminis commoda & ſalutaris. b
Menſtrua ad prouocanda an ante tempus menſtruationis phlebotomandum, vel poſt. d
Quibus decoctis humores attenuantur,& Menſtrua vacuantur. c.2.tota.
Menſtrua chalybis vſu euocantur. 484.485.
Aquæ ſtillatitiæ. ibid.e
Syrupi præſtantiſſimi. 486
Terræ mineralis ſingulari virtute mirabilis. e
Menſtrua per varias corporis partes emanantia. 486. c.2.a.
Per vteri labra. b
Per pollicem ſiniſtri pedis. c
Menſtrui moderata quantitas eſt heminarum duarum, & quid Hemina. 487.c.1.a
Menſtrui fluxus immodicus criſis ratione contingit. 487.c.1.a.
Ob ſanguinis vel vteri vitium. b
Ob alicuius vaſis vteri rupturam. c
Tribus modis ab vteri vaſis profluere poteſt. e
Menſtrui fluxus immodicus quibus coniecturis poteſt deprehendi. 488.tota.
Ex eo faciliùs ſequitur hydrops quàm ex puerperio. 489.c.1.a.b.
Ex eo febris concitatur & accenditur. d
Menſtrui in immodico fluxu an artus ſuperiores vel inferiores ligandi & fricandi. 489.c.2.b
Sub mammis cucubitula ſcarificata apponenda. e. & 490.c.1.a.b.
Quòd ſi non iuuet, vena cubiti interna ſecanda & per interualla parcè mittendus ſanguis. c
Menſtruo ſanguini ſi permiſceatur bilis qua ope euocanda. 490.c.1.d
Menſtrua fluxio ſi nimia fuerit, quibus auxiliis tam internis quàm externis curanda. 490. col. 1.d. & col.2.tota.
An ſtercus aſininum auxilio ſit. c.2.e.& 491.c.1.a
Emplaſtrum ad id vtiliſſimum. c
Pilulæ. e
Menthæ ſyrupus ſimplex & compoſitus cui vſui. 106. c.1.d.
Menthæ conſeruæ vtilitates. 121.c.1.d
Mercedem quam exigere debeat Medicus ab ægro. 4. c.1.b.c.
Mercurius venenum non eſt. 272.c.2.b
Multiplex eius genus aſſignatur. c
Factitius calidus eſt, foſſilis frigidus. d
Mercurialia vnguenta ieiuno ventriculo commodiùs exhibentur. 273.c.1.c.d
Mercurius à proprietate ſubſtantiæ humorem Gallicum per ſputum euacuat. 274.c.2.e
Metalla quæ in vſum medicum veniunt. 76.c.2.d
Metalla temperata. 133.c.1.a
Frigida in ſecundo gradu. ibid.
Meteororum quartus Ariſtotelis liber ad Medicinam præcipuè ſpectat. 10.c.1.d
Methodicorum error, morborum prædictionem ad vaticinatores, non ad Medicos ſpectare. 13. col. 2.c.
Methodus vſu atque exercitatione comprobata à Medico ſemper ſeruetur. 15.c.2.e
Quæ ſit dogmatica & recta procedendi via. ibid.
Methodus eſt via recta, & vniuerſalis curationis morborum. 26.c.1.a
Per indicationes perficitur. ibid.& ſeqq.
Metron, ad omnes menſuras ſpectat. 76. col. 1.c.
Micletæ qualitas frigida & adſtringens hepatis & ventriculi intemperiem tollit. 117.c.2.e
Mineralium temperamentum. 132.c.2.d.e
Minij vnguentum, malis vlceribus & cicatricibus antiquis medetur. 124.c.2.d
Mithridatium à Rege Mithridate inuentum, quibus affectibus vtile. 120.c.1.b
Miua citoniorum cum aromate & ſine illo cui vſui. 106.c.1.b.c.
Mna, centum drachmarum pondus. 76.c.2.a
Modius, vnde dictus, ſextarios duodecim capit. 76. c.1.e.
Mola in vtero quid? 450.c.2.d.e.
Molæ grauidarum definitio. 506.c.2.d
Soli mulieri conuenit. 507.c.2.d
Eius cauſa. c
Signa color plumbeus; venter citiſſimè creſcens. d
Motus. e
Prauæ diſpoſitiones. col.2.a
Si mediis menſibus ſanguis teter & fæculentus ab vtero erumpat. ibid.
Molæ præſagium. b
Curatio. d.& 508.c.1
Pilulæ ad eam expellendam eximiæ. ibid.e
Mola admiranda intra quatuor horas interficiens. col.2.a.
Alia duodecim annis in vtero perdurans. c
Fœtus emortui multæ cauſæ. col.2.e.& ſeq.
Vide *Fœtus*.
Mollificantia & ventrem humectantia purgationem præcedere debent. 32.c.1.d
In quibus id locum non habet. e
Morbillis & variolis ſyrupus accommodatiſſimus. 105. c.2.c.
Morbilli à ſanguinis menſtrui impuritate erumpunt. 455.c.1.a.
Morbi non ornatu aut eloquentia, ſed remediis curantur. 3.c.1.c.d
Morbi in leues, mediocres, & lethales diuiſi, lethalium morborum inculcabilium enumerario, à quorum curatione cauebit Medicus. 10.c.2.c.d
Morbos paruos attollere auari & triuialis eſt Medici. ibid.
Vt magnos parui facere, & quæ ex vtroque damna. 11.c.2.a.b
Morborum acutorum prænuntiationes incertæ. 14. col.1.b.
Morbo vehementi vehemens auxilium. 22.c.2.e
Vt diutinò, diutinum. 23.c.1.b
Morbi quomodo ea quæ agenda ſunt indicent. 26. c.1.d.
Morborum indicationes an à Luna aut aſtris fiant. 35. c.2.e
Morbi tempus in quo purgatio fiat obſeruandum Medico. 41.e.2.tota.
in Morbis acutis perfecta requiritur coctio vt purgetur æger, in longis autem ſufficit manifeſta. 44. c.1.a.b.
Morbus omnis ſuo non ſemper contrario curandus. 43.c.1.c.
Sed optimo victus regimine. d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 734 sur 927

Morbi muliebres ex menſtrui, & ſeminis retentione omnes oriuntur. 45.c.1.c
An lethales à Medico curandi. ibid.& ſeqq.
Morborum cognitio remediorum materia eſt. 55.c.1.c
Si fuerint incogniti debilia remedia tentanda aut tenuis victus imperandus. d.& col.2.tota
Morbi magnitudo dicitur propter principatum partis affectæ propter affectus magnitudinem, propter noxam ſeu malignitatem quam continet, propter reſpectum ad vires. 62.c.2.a.b
Morborum muliebrium & virilium differentiam Medico quantum interſit obſeruare. 67.c.1.e.& ſeq.
Morbo Gallico vnguentum diuerſimodè paratur. 123. c.2.d.e
Morbos hæreditarios dari experientia docet 268.c.1.c
Morbi Gallici variæ appellationes. 265.c.2.b
Eius definitio multiplex. c
An morbus venenatus. col.2.a
Eius ſedes cor & iecur. c
In eo ſanguificationis officium euertitur. 266.c.1.a
Vniuerſalis morbus eſt. c
Cum omni morbo poteſt complicari. e
Eius cauſa externa multiplex. col.2.a.b
Interna eſt virtutis debilitas. c
Potiſſima huius morbi cauſa an venenoſum contagium. d
An ſit morbus calidus vel frigidus. 267.c.1.a
Eius ſigna dira, & terroris plena in tres claſſes diuiſa. c.d
Morbi Gallici dolores an à cæteris doloribus diſtinguantur. 267.c.2.b
Febris huic ſuperueniens putrida eſt, & in hecticam commigrat. e
Eſt Morbus hæreditarius. 268.c.1.c
Illæſis filiis aliquando tranſit ad nepotes. e
Diu in corpore citra noxam latitat. col.2.a
Morbo Gallico fœminæ magis obnoxiæ quàm viri. c
Iuuenes quàm ſenes. d
In quibus corporis partibus venenum illud ferociùs inſoleſcit. e
Dantur auxilia quibus homines ab hoc morbo ſeruentur. 269.c.1.c
Morbi Gallici complicatio cum morbis acutis ad curandum difficilior eſt, quàm cum diuturnis. e
Eius morbi curatio à victus ratione inſtituitur. 269. col.2.d
Morbus Gallicus citra antidota perſanari poteſt. 270
Poteſt vomitionis ope. 272.c.1
Morbo Gallico laborans quando bis, terue Mercurialibus vnguentes liniendus. 275.c.1.a
Quæ ſuffumigia huic affectui conueniunt. b.c
Quæ antidota. col.2.a
Confectiones. 276.c.1.c
Quibus præſidiis ſymptomata remouenda. d.e
Quibus dolores ſedantur. col.2.a
Tumores, rimæ, talpariæ curantur. d
Verrucæ circa membrum virile. 277.c.1.a
Quibus item ſananda ſunt vlcera, puſtulæ, ſcabies. ibid.
Lichenes & impetigines. c
Maculæ in fronte & facie. ibid.& ſeqq.
Bubo venereus, cuius cauſa explicatur. col.2.e
Gonorrhœæ Gallicæ quibus occurendum. col.2.d.e
Morbi Gallici pro præſeruatione an fontanellæ vtiles. 278.c.1.tota
An balnea à recidiua præſeruent. e
Morbi Gallici pro præcautione balnea naturalia plurimum nocent. 278.c.2.a
Lactentes eo morbo correpti quibus antidotis curandi. c
An paruuli quorum fratres à lue venerea ab vtero contracta moreui ſunt aliqua artis ope præſeruari poſſint. col.2.e
Grauidæ hoc aſpectu oppreſſæ qua cautione curandæ. 279.c.1.b
Morbi Gallici reliquiæ aquâ ad id mirabili expurgantur. e
Vini ſancti beneficio ex Auctoris inuento partes principes roborantur. c.2.b
Aqua Magiſtralis pro iis qui morbo Gallico occultè curari deſiderant. d
Morborum hæreditariorum differentia duplex explicatur. 437.c.2.e
Morbi viriles an muliebribus curatu difficiliores. 449. col.2.
Morbi deſperati qua cautione curandi. 451.c.2.a
Morbi muliebres ex ſanguine, lacte, & ſemine veluti ex vberrimo fonte emanant. 453.c.1.d
Morbi hereditarij an ad ſeminis ex omnibus corporis partibus deriuationem referendi. 466. c.2. d. 467. c.1.c.
Morbi prægnantium ſæuiſſimi & difficillimi. 500. c.1.d.e.
Vide *Grauida.*
Morbi acuti triplici auxilio curantur. ibid.c
Morborum differentiæ explicantur, iuxta quas victus ratio varianda. 526.c.1.c
Morbus, naturale temperamentum, & conſuetudo, victus rationem indicant. 533.c.2.a
Morbi ſtatus vniuerſalis victum tenuiſſimum exigit. 536.c.2.c.d.& ſeq.
In principio vniuerſali morbi aliquando tenuior victus, & in ſtatu plenior offerendus. 537.c.1. c.d.& ſeqq.
Quid ex hac victus tenuitate, vtilitatis redundet. col.2.c.
Morbi per magnitudinem an acuties intelligenda. 554.c.2.c.d.
Mororum ſuccus Anginæ an in omni tempore vtilis. 288.c.2.d
Moſchi ambarique odor fœminas ſuppreſſas aliquando extinguit. 6.c.1.d.e
Motus naturæ quibus conditionibus à Medico iuuandus. 26.c.1.e.& col.2.tota
Motus corpus humanum diuerſimodè alterat. 546. col.1.b
Motus febrientibus nocentiſſimus. 546.c.1.e
de Mucilaginibus vnguenti proprietates eximiæ. 126. c.2.a.
Mulieris pulchritudo corporea ſuis elegantiſſimis coloribus adumbrata. 447
Vide *Fœmina.*
Mulierum morbi curatu difficillimi. 449
Periculoſi & exitiales. c.2.d
Vide *Morbus.*
Muliebres morbi an ſint admirabiles ac diuini, & quid ſonet illud *diuinum.* 450.c.1.d
Mulieres calidiores viris iuxta Parmenidem & Hippocratem, quod conciliatur. 453.c.2.c
Muliebre profluuium vnde oritur. 491.c.2.b.& ſeqq.
Vide *Profluuium.*
Muliebrium appellatione an ſola menſtrua veniant. 515.c.1.a
Mulſæ in alui fluxus vſus commendatur. 46.c.2.d
Mulſa & apomel in pleuritide offerri poteſt. 30. c.1.b.
Mulſæ diuiſio multiplex explicatur. d
Muſculi interni intercoſtales an maiorem concitent dolorem, quàm inflammata pleura. 301.c.2.e
Muſa Ænea, ſiue zazenea Meſues cui vſui. 118. col.2.d.
Myrobalani fructus ſunt ex Ægypto Syriáque nobiles. Quinque illorum genera. 89.c.1.d
Flaui. ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 735 sur 927

Chebali, Indi, Emblici, Belletici. e
Secundo ordine exſiccant, & primo refrigerant. col.2.a.
Omnes lentè aluum ſubducunt. 89.c.2.b
Obſtructionibus obnoxij. ibid.
Peculiare vniuſcuiuſque generis temperamentum aſſignatur. ibid.c
Iis in ſubſtantia minori quantitate vtendum quàm in infuſo. d
In infuſione quomodo adminiſtrantur. ibid.
Torrefacti alui fluxus compeſcunt. ibid.
Quoſnam Myrobalanos veteres cognouerint. 90. col.1.a.
Myrobalani omnes ſunt diuerſarum arborum fructus. b
Myrobalani ſaccharo condîti proprietates. 120.c.2.e
Myrrhæ trochiſcorum proprietates. 122.c.1.e
Myrti ex fructu ſyrupus cui vſui. 103.c.2.e
Myſtrum, chemen vnam & quartam eius partem ſeu cochlearia duo cum dimidio continet. 76.c.2.b

N

Namyſia ob retenta menſtrua, hiſpida & barbata. 11.c.1.c
Namyſiæ, & Phaëtuſæ exempla apud Galenum Medicos non terreant. 20.c.1.b
Naphæ aqua, cui vſui. 100.c.2.c
Naphæ vnguentum febribus malignis & cordi exhilarando perutile. 125.c.2.a
Nardi olei proprietates. 123.c.2.a
Naturæ mira prouidentia in viuentium, & vegetantium conſeruatione. 25.c.1.b
Natura omnium opifex, & medicatrix morborum, Medicus verò miniſter. 25.col.2.c.& col.2.a.b
Natura ars eſt diuina. c
Nullo moderamine gaudet. d
Eius ſcientia Medico perneceſſaria. e
Eius motus quibus conditionibus iuuandus. 26.c.2. tota.
Natura ſi moueat, aut mouerit, ab euacuatione ceſſandum. 27.c.1.a
In ſtatu morbi non vacuationibus impediendæ. col.2.c.
Natura in die critico qua arte ad euacuationem adiuuanda. 28.c.2.e
Vide *Criſis.*
Naturæ particulares ſolùm experientia noſcuntur. 38. c.2.c.
Ex iis ars coniecturalis. ibid.
Natura intemperata contrariis curanda. 44.c.1.b.c
Etſi à mediocritate parùm recedat. c.2.a.b
Natura auxiliis Medicis iuuanda. 47.c.2.e
Eſt primarius animalis artifex & morborum medicatrix. ibid.
Primas in curatione obtinet tempore, dignitate. 48.c.1.b.c.
Quid ergo Ars Medica iuuet, oſtenditur. ibid.d.e
Natura in febricitantibus an exhibito alimento à cauſæ morbificæ coctione diſtrahi poſſit. 540.c.1.c.d
Quid ſit naturam diſtrahere, & quibus modis diſtrahatur. e.& c.2.a.b.c
Nauſea & vomitus an conuertantur. 616.c.1.e
Vide *Vomitus.*
Nebula non eſt perfectæ coctionis ſignum, ſed manifeſtæ. 41.c.2.b
Negligendum nihil Medico eſt, vt nihil contemnendum. 13.c.1.d.e
Nenupharis florum aqua cui vſui. 100.c.1.b
Nenupharis ſyrupus bili attemperandæ inſeruit. 104. c.2.a.
Nenupharis conſeruæ vtilitates. 120.c.2.d
Nenupharis oleum tumores omnes à cauſa calida pronatos curat, ſomnum conciliat, &c. 122.c.2.e
Nerui ſoli an ſint conuulſionis cauſa. 236.c.2.c
An ab humida & pituitoſa materia ſolùm conuellantur. 239.c.2.e
Nomina rerum qua diligentia inueſtiganda & tenenda. 12.c.1.d
Non adeò Medico neceſſaria ſunt. ibid.c.2.c
Nouilunij tempore purgatio aut phlebotomia non celebranda. 35.c.2.d
Nox ſtudiis minùs commoda. 7.c.2.d.e
Somno conceſſa eſt, non dies. 8.c.1.a
Numiſma, argenteus eſt, octaua vnciæ pars. 76.c.2.a
Nuptæ quot affectibus ab vtero ſubiacent. 67.c.2.e
Nutritio non fit ex iis quæ comeduntur aut bibuntur, ſed ex iis quæ in ventriculo concoquuntur. 29. c.2.d.
Nutritionis partium corporis diſpoſitio. 462.c.2.b
Nutricis ad electionem quæ conditiones neceſſariæ, 518.c.2.e.& 519.c.1.tota.
Nutrices pro infantium laborantium curatione purgandæ. 70.c.2.a
Nucis moſcatæ conſerua cui vſui. 121.c.1.c
Nucis moſcatæ oleum quibus affectibus commodum. 123.c.2.e.
Nucum oleum in clyſteribus vtile, multæque eius proprietates. 122.c.2.d

O

Obeſi, & pingui habitu ab omni vacuatione arcendi. 37.c.2.d
Morbis frigidis obnoxij. ibid.
Obolus. pondus medij ſcrupuli. 76.c.1.c
Obſeruationum Medicarum ſcriptores commendantur. 10.c.1.e
Obſtructiones purgationem impediunt. 32.c.1.b
Obſtetrix qualis eſſe debeat, & quodnam eius officium. 510.c.1.c
Occaſionis germana definitio. 17.c.2.d
Præceps eſt & Medico captanda. ibid.
Quid prodeſt eius cognitio. e
Huius inuentor Medicus eſt. ibid.
Occaſionem premendam quo emblemate nos docuerit Auſonius. 18.c.1.c
Eam nemo niſi iudicio & experientiâ inſignis nouerit. d
Plus aliquando iuuat quàm virtus ipſa. ibid.
Huic ſeruiendum. ibid.
Oculi rarò cerebri euacuationi inſeruiunt. 64.c.2.c
Oculi affectibus aqua ophthalmica efficaciſſima. 192. c.2.b.
Item alia ad eorum ruborem. c
Oculi ex omnibus corporis partibus pluribus morbis obnoxij. 246.c.2.a
Oculus mediis coloribus recreatur. 251.c.1.a
Albo colore læditur. 251.c.1.d
Et grauiùs quàm nigro. c.2.e
Oculus rubeo colore inflammatur. 252.c.1.a.b
Vide *Videre, Viſus.*
Odorum ſuauitas ægrotos recreat. 6.c.1.c
Odores mali medicamentis conficiendis inſeruiunt. 86.c.1.a.
Non repugnat grauiter olere, & iucundum habere odorem. b
Odores vterum mouent. 495.c.1.b.c.d
Odores viroſi & fœtidi quî differant. 496.c.2.c.d
Odores naribus enixarum qui admouendi. 510.c.2.b
Odorata non omnia calida, ſed quædam frigida. 524. c.1.d.
Odoratus noxa an cerebro, vel naribus adſcribenda. 259.c.1.b.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 736 sur 927

Probatur quòd in cerebro. e
Odoratus actus tripliciter læditur, intemperie, compositione mala, & continui solutione. 260.c.1.d
Illius læsionis signa. e
Præsagium, & curatio. c.2.a.b
Oesophagi ope an deglutitio fiat. 233.c.2.e
Olera febricitantibus noxia. 528.c.2.e
Olerum drachmæ centum, sanguinis decem non efficiunt. 534.c.1.d
Oleum & lubrificantia quid ad absterſionem faciunt. 66.c.2.b.
Olea refrigerantia sunt, Rosaceum, 122.c.2.a
Omphacinum, Citoniorum, Myrtinum, Lentiscinum. b
Oleum violaceum, Nenupharis, Melonum, Cucurbitæ, Cucumeris. c
Olea calida sunt Oleum Lumbricorum, d
Camomillæ, seminis lini, sesaminum, liliorum alborum, anethinum, nucum, amygdalarum dulcium. ibid.
Oleum ouorum, Formicarum. e
Oleum Irinum, Apparitij Magistrale, 123.c.1.a
Oleum de Scorpionibus. c
Aliud de Scorpionibus Mathioli. d
Capparum, Amygdalarum amararum, Absinthij, Mastichinum. e
Oleum menthæ, lentiscinum, Nardinum simplex & compositum. 123.c.2.a
Naphæ, Rutaceum. ibid.
Vulpinum, Oleum de croco, de Castoreo, Laurinum, Euphorbij, Vitrioli. b
Oleum sulphuris, de lateribus seu Philosophorum. d
Oleum iuniperinum, anisi, cinnamomi, caryophyllorum, macis, nucis moscatæ, maceris, belzoini, terebinthinæ, de piperibus, costinum, salis, ex styrace, saluiæ, melissæ, betonicæ, florum anthos, ligni Gaiaci, Angelicæ, de thymo, Liquidambar, Balsamum. e
Olfactus licèt inter sensus non absolutè necessarius, citra eum non commodè viuitur. 259.c.1.b
An in cerebro contineatur. c
Olfactui læso errhinum perutile. 260.c.2.d
Omphacij oleum ventriculo roborando, & fluxibus calidis sistendis præstantissimum. 122.c.2.b
Omphacium cur menstruatæ appetant, constat ex acido & acri. 475.c.1.e
Ophthalmiæ definitio expenditur. 249.c.2.a
Eius causæ. b
Signa. d
Præsagium. e
Quando est morbus contagiosus. ibid. & 250.c.1.a
Ophthalmia frigido tempore, & regione, rara rarióque sanatur. b
Humida breuior est siccâ. c
Quoniam Ophthalmiæ decubitus conueniat. e
Pilorum abrasio, seu tonsio quid ei conferat. c.2.a
Ophthalmicis quis cibus conueniat. 252.c.1.d
Quis potus. c.2.a
Ophthalmia in omni venæsectio conuenit. b.c
Ex qua parte. d.e
Purgatio salubris. 253.c.1.a
Errhina medicamenta oculorũ affectui repugnant. c
Lactis instillatio dolentibus oculis quid conferat. d
Albumen oui præstantius est. c.2.d
Quænam ei medicamenta conueniant. 254.c
Ophthalmiæ inueteratæ mirabile præsidium. 264. c.2.e.
Diuturnæ item aqua efficacissima. e
Opopanax succus herbæ quæ *Panaces* dicitur, quomodo probandus, & quibus medeatur affectibus. 95.c.2.c.
Orationis vsus cur homini concessus. 19.c.1
Oratorum tum sacrorum tum Ethnicorum consuetudo ab oratione & prece præfari. 2.c.1
Os cui vsui à natura destinatum. 642.c.1.c
Oris tortura vnde sit dicta, vocatur & conuulsio canina, eius causæ eædem quæ paralysis. 231.c.2.e
In ea mediatè cerebrum afficitur. ibid.
Immediatè verò musculus cognomento latus. 232. c.1.a.
Oris ad torturam remedia salutifera. 233.c.1.c
Oris tortura quomodo sub conuulsionis nomine intelligenda. 236.c.2.e
Ossa cuius temperamenti. 133.c.1.e
Ouipara cur lacte non indigent, & quid in illis lactis vicem suppleat. 472.c.1.c
Cur vesica, & intestinorum multitudine priuentur. d
Oui albumen in oculorum affectibus lacte præstantius est. 28.c.2.e
Ouorum olei proprietates mirabiles. 122.c.2.e
Oxalidis aqua cui vsui. 99.c.2.b
Oxalidis syrupus febribus ardentibus, malignis, pestilentibus, & ventriculi affectibus efficacissimus. 103.c.1.d.
Oxycrateum Vigonis quibus affectibus commodum. 126.c.2.c.
Oxybaphum, pondus duarum vnciarum, & duarum drachmarum. 76.c.2.a
Oxymel simplex, scilliticum, & scilliticum compositum cui vsui. 105.c.1.d.e
Oxyphœnicum, seu dactylum acidum fructus est palmæ syluestris, eius vsus, dosis. 84.c.2.b.c
Vide *Tamarindus*.

P

PAcum, ferula est in Syria nascens ex qua & Galbanum. 93.c.1.b
Vide *Galbanum*.
Paoniæ syrupus cui vsui & quomodo parandus. 105. c.1.a.
Frigidis capitis, & neruorum affectibus prodest. ibid.
Pæoniæ conserua cerebro & frigidis affectibus proficua. 121.c.1.c
Pallium philosophum non facit, vbi carpitur sophistarum & Medicorum personatorum vanitas. 3.c.1
Palpitatio cordis quî differat à tumore. 357.c.2.b
An idiopathica à sympathia distinguatur. d
Fit necessariò à flatu. 358.c.1.c
Eius signa. e
An hyeme potiùs quàm alio tempore insolescat. c.2.a.b.
Mœsti & timidi huic obnoxij. e
Eius curatio instituitur. 359.c.1.b.& seqq.
Sacculus eximius ad cordis palpitationem. 360. c.1.a.
Palpitatio ex purulentis testibus suborta, fonticulis infra inguina persanata. d
Papaueris erratici aquæ proprietates. 89.c.2.c
Papaueris syrupus tam simplex, quàm compositus quibus affectibus medeatur. 104.c.2.d
Papaueris oleum quibus vtile. 122.c.2.c
Paracelsi Chymiæ inuentoris doctrina fugienda rationali Medico, quibus nugis, & ridiculis dogmatibus scateat. 14.c.2.15.c.1
Paraphrenitidis à phrenitide discrimen. 156.c.1.e
Semper est malum signum. 158.c.1.c
Paralysis est neruorum passio. 220.c.1.e
Vbi & nerui definitio Galenica excutitur. ibid.
Eius substantia. c.2.a.b
Temperamentum. d.221.c.1.e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 737 sur 927

Defert & ſenſus facultatem, & organum tactus. c.2.d.e.
Paralyſis an ſolùm ad obſtructionem, an ad quodlibet morbi genus ſequatur. 224.c.2.d
Oritur aliquando à carnis intemperie. 225.c.1.a
Cauſæ Paralyſim inducentes ſunt obſtructio, compreſſio neruorum, ſolutio continui. d
Quibus ſignis cognoſcitur. c.& col.2.a
In quo differt ab Apoplexia. b
Præſagium Paralyſis. d
Paralyſis an membra extenuet. 226.c.1.a
Paralyſis vnius lateris non citiùs curatur quàm particularis membri. col.2.b
Paralyſis dextra minùs eſt periculoſa quàm ſiniſtra. ib.
Paralyſis curatio à victu inchoanda. 227.c.1.b
Vinum ei reprobum. d
Si cum febre coniungatur quæ prior curanda. col.2.d
In Paralyſi ad Apoplexiam ſequuta an è latere affecto, an ſano ſanguis detrahendus. 228.c.1.c
Si ex menſtruo retento, an è talo mittendus. e
Pilulæ & ſyrupus ad eam commodus inſtituitur. 229. c.2.b.d
Pariendi variæ figuræ. 510.511.col.1.a.b
Parotides inflammationes ſunt in partibus adenoſis iuxta aures. 652.c.2.e
Si ratione criſis eueniant, non minùs lethales ſunt quàm ipſa febris. ibid.
Quænam dicantur ſalutares. 653.c.1
Partium frigidarum temperamentum duplex, frigidum & adſcitirium, vtrumque quibus conſeruatur. 45.c.2.c
Partium corporis humani ſtructuræ cognitio quantum Medico neceſſaria. 50.c.2.d
Pars affecta non euacuanda niſi euacuato corpore. 64. c.2.b.c
Partium animalium temperamentum deſcribitur. 132. c.2.a.b
Partium ſimilarium, & diſſimilarium facultas productiua in quo diſtinguitur. 462.c.2.e.&.463.c.1.a
Partes ſpermaticæ dictæ ex craſſa ſeminis parte generantur. 459.c.1.e.col.2.a
Vnde incrementum ſuſcipiunt. b.c
Pro earum integra formatione an fiat attractio. d
Partus difficultas quibus ex cauſis. 450.c.2.e
Partus difficilis cauſæ exquirendæ Medico. 510.c.2.d
Quibus irrigationibus vtendum, ſi ſiccus ſit. e
Paſtillis quo pacto vtendum, & quibus parantur. 121. col.2.& ſeqq.
Vide *Trochiſci*.
Patriæ amor & ſolum iucundiſſimum. 47.c.1.e
Domina eſt ac Dea cui plus debetur quam matri. col.2.a
Pectinatio in capitis doloribus qualis eſſe debeat. 142. c.1.e
Pecuniæ omnium bellorum cauſa, immò & malorum. 3.c.2.e
Peplium in quo differt à Senna. 98.c.2.b
Peripneumoniæ in cura clauditur pleureſis. 315.c.1.d
Peripneumoniæ eſſentia in inflammatione conſiſtit. e
Motus continuus pulmonis an huius inflammationis cauſa? col.2.b
Peripneumonicorum pulſus an poſſit eſſe durus. 318. c.2.c
Eſt celer, creber, languidus, mollis, vndoſus. 319. c.1.e
Peripneumonia à pleuritide in quo diſtincta. 319. c.1.d
Frequentior eſt ex pituita quàm ex bile. 320.c.1.d
Peripneumoniæ in pleuritidem mutatio an reproba. 321.c.1.b
An breuior & acutior ſit pleuritide. col.2.d
Qua ratione curanda. 321.c.1.tota
Peripneumoniæ hæmorrhagiâ copioſâ iudicatæ exemplum. col.2.d
Perſicus ſyrupus bili purgandæ perutilis. 106.c.2.e
Peſſaria vtero indenda ad menſes ciendos. 484.c.1.a.b
Peſſarium ad fœtum mortuum extrahendum perutile. 509.c.2.a
Peſtis eſt morbus vulgaris multos perimens. 601.c.1.e
Huius cauſæ ſunt aër infectus ex inſepultis cadaueribus. Aquæ immotæ & ſtagnantes æſtuoſa conſtitutio excidentis caloris. 6.col.2.a.b
Peſtis ſemen quid dicatur, & vtrum cum eius inquinamento conuertantur. c.d
Vnde oriatur illud ſemen. e
Quid de Peſtis cauſis ſentiant Aſtrologi. 602.c.1.a b.& ſeqq.
Vnde eius ſymptomata deſumuntur. 603.c.1.d
In quatuor anni tempora diuiſa. col.2.b
Ex ſignis in cœlo apparentibus non incongruè ab Aſtrologis colliguntur, & ex influxu ſtellarum. d.e & 604.c.1
Seruatio à Peſte quomodo poſſibilis. e.& col.2.a.b
Quibus medicamentis. d
Allij vis eximia contra peſtem & venena. e
Venæ ſectio quando & in quibus peſte correptis celebranda. 605.c.1.b
In quibus purgatio. c
Peſtis curatio ab aëre & cibo inchoanda. e
Sudores prouocandi in hoc affectu. col.2.b
Epithematis cor roborandum. e
Odoribus, d.e
Electuarium ad eam tollendã perefficax. 606.c.1.a
Peſtis in quo à febrie peſtilenti diſcrepat. b
Vide *Febris*.
Phaëtuſæ ob retenta menſtrua, hiſpidum corpus & barba. 11.c.1.e
Phaëtuſæ & Namyſiæ exempla Medicos ab arte ſua non auocent. 20.c.1.b
Phantaſia niſi nocturna quiete ſedetur, liberè ſuo fungi munere nequit. 8.c.1.e
Pharmaceuticæ artis auctores celeberrimi. 19.c.2.a
Pharmaceuticæ artis Medico, & Chirurgo cognitio neceſſaria. 72.c.1
quæ apud Pharmacopolas reperiuntur ex animalibus, eorum partibus, terrâ, aquâ, aëre, & plantis depromuntur. 76.c.2.e
Philonium Romanum torporem potenter inducit. 120.c.1.c.
Philonium Perſicum eadem pollet virtute, ſed minùs ſtupefacit, grauidis menſtruatis confert, alui fluxum ſiſtit. d
Philoſophia & reliquæ omnes ſcientiæ vnde ortum habent. 19.c.1.a
Phlebotomia ex copioſa quid diſcriminis immineat. 42.c.2.e.43.c.1.a.
Phlebotomia in quantum vteri ſtrangulatui prodeſt. 495.c.2.c.
Phlebotomia in omnibus febribus celebrari poteſt. 548.c.1.c.d.
Etiam in hectica. col.1.a
in Tertiana notha. e
In plethora ante quartum diem. 549.c.1.b
In febribus non acutis in principio ab ea cauendum. 549.c.2.a
In pura cacochymia in febribus ventilationis cauſa citra plenitudinem. 550.c.1.d
Phlebotomia reuulſiua in cacochymia vtilis eſt. e
Vacuatiua non conuenit. col.2.a
In febre ardentiſſima vt refrigerans auxilium. d
Plenitudo duplex eſt, altera quoad vaſa, & altera quoad vires. 551.c.1.e
Quoad vires iterum duplex, col.2.e

Nullo

Nullo certo ſigno dignoſci poteſt. 552.c.1.a
Plenitudo quoad vaſa ex tumore venarum cognoſcitur. b
Plenitudo vtraque in ſanis interdum reperitur. c
Phlebotomiæ ſcopi ſunt, magnitudo, virium robur, & ætas florens. 555 c.2.e
Alij ſcopi enumerantur. 555.2.c.2.b.c.d
Phlegmones in curatione an prior ſit reuulſio quàm euacuatio. 499.c.2.c
Phœnicobalanus Dioſcoridis, & Plinij non idem eſt ac Tamarindus Arabum. 84.c.2.d
Phrenitis à mentis læſione ſic dicta. 148.c.2.e
Eius variæ appellationes. ibid.
Non quodlibet delirium cum febre ſub eius nomine intelligendum. ibid.
Duplex Phrenitidis à Galeno conſcripta definitio expenditur. 149.c.1.b
Vera & ſyncera Phrenitis à bile eſt col.2.c
Potius eſt cerebri quàm membranarũ eius inflammatio. d
Phrenitidis tres ſpecies à trium facultatum principum læſione depromuntur. 151.c.2.e
Phrenitidis differentiæ. 153.c.1.c
A bile & ſanguine generatur. e.& col.2.a.b
Phrenitidis incipientis, & confirmatæ ſigna. 154.c.2.b.c.d.155.tota
Eius diſtinctio à paraphrenitide ſeu delirio. 156.c.2
Item à phrenitide ſepti tranſuerſi. 157.c.1.e
A materiæ inflammantis diuerſitate. col.2.b
Phrenitis an à reſpiratione magna & rara ſit inſeparabilis. e
Eſt mortiferum morbi genus. 158.c.1.d
Aliquando in ſanitatem finitur, & quibus ſignis. e
An aliquando ad bonum in lethargum mutetur. col.2.b
Eius curationis triplex ſcopus, materia fluens, fluxa, & ſymptomata ſuperuenientia. e
Tutò vena in hoc affectu ſecatur. 160.tota
Eius in initio repellentibus vtendum. 161.c.2.b
Non in augmento. 162.c.2.b
Oxyrhodina in phrenitide quæ admouenda. 163.c.2.e
Quibus præſidiis ſomnus huic affectui conciliatur. 164.c.1.c.d.e
An purgans medicamentum neceſſarium. e
An localia reſoluentia aliquid conferant. col.2.d
Phrenitidi confirmatæ & conciliando ſomno præſidium tutiſſimum. 165.c.1.c
Eſt Lethargo ſecundùm ſpeciem oppoſita. 166.c.2.d
Phthiſis definitio enodatur. 369.col.2.e
Eius acceptio multiplex. 370.c.2.a
Non conuertitur cũ tabe. b
Phthiſis morbus eſt hereditarius. 374.c.2.b
Contagioſus. e
Fœminis frequentior quàm viris. 375.c.1.c
Autumno ſæpius contingit quàm aliis anni temporibus. 375.c.1.e
Phthiſis deplorata limacum ſtillatitio liquore ſanata. 377.c.2.b
Aqua mirabilis pro eius curatione inſtituitur. d.e
Vide *Tabes*.
Phthiſicus excitata fiſtula iuxta os ſternum in longum tempus vitam producit. 378.c.1.b
Phthiſici dicuntur ij quibus ex pectoris vel aſperæ arteriæ vlcere diuturno adeſt corporis conſumptio & extenuatio cum tuſſicula quadam, & hectica febre. 370.c.1.e
Longo tempore viuere poſſunt. c.2.c
Phthiſis cauſæ enumerantur. 371.c.1.tota
Phthiſis vera & exquiſita ſine ſputo purulento conſiſtere poteſt. 371.c.2.c
Ab ea an febris inſeparabilis. 372.c.2.d
An reſpirationis difficultas. 373.c.1.c
Phthiſici capillorum defluuio an obnoxij. 373.c.1.d
Phthiſicis caro ſuilla concedenda. 375.c.2.e
Phleboromandi. 376.c.1.e
In principio purgandi. c.2.b.c
An validis medicamentis. d
Balnea quando iis noxia. e
Admodum probantur quæ ex lacte. 377.c.1.b
Aëris exiccantis ope diu vitam producunt. c.2.a
Pica in grauidis quis affectus. 505.c.2.e
Huius cauſa. 506.c.1.a
Signa. b
Curatio. c.d
Pilulæ ad eam mirabiles. c.2.a
Pili non ſunt corporis noſtri partes. 137.c.2.a
Eorum varius vſus oſtenditur. b.c
Pilorum inæquale defluuium, & per areas, vt in vulpibus factum. 137.c.2.e
Vide *Alopecia*.
Pilularum variæ appellationes. 111.c.1.d
Bilem purgantes ſunt pilulæ aureæ. ibid.
Rhabarbari, Pilulæ communes Rhaſis. e
Aggregatiuæ. col.2.a
Pilulæ ſine quibus. ibid.
Arabicæ, Hermodactylorum, fumariæ. d
De Eupatorio, Pilulæ ad bilem in febribus dictæ. a
Pituitam purgantes ſunt Pilulæ de hiera. b
Ex colocynthide, ex ſex rebus contra catharrum. e
Pilulæ Epilepticæ Magiſtrales, Alephanginæ. 112.col.1.a.
Stomachicæ Meſuës. b
Ante & poſt cibum, Maſtichinæ, de hermodactylis. c
Aſſaieret. d
Cochiæ. d
Pilulæ Melancholiam purgantes. 112.c.2.a
Pilulæ lucis maiores, & minores. ibid.
Pilulæ de cynogloſſa Meſuæ quibus affectibus medentur. Item pilulæ Bechicæ. b
Pilulæ ad aſthmaticos Magiſtrales. ibid.
Pilulæ aperientes Magiſtrales. c
Pilulæ hydropicæ Magiſtrales. d
De Chalybe Magiſtrales. ibid.
Mercuriales. e
Imperiales Magiſtrales. 113.c.1.a
Pilulæ contra venena. b
Pilulæ ad ſupprimendum ſanguinis fluxum eximiæ. 491.c.1.e.
Pilulæ pro præſeruatione ab vteri ſtrangulatu. 497.c.2.c.
Pilulæ ad picam grauidarum. 506.c.2.a
Pilulæ ad expellendam molam. 508.c.1.e
Pilula rigori ſedando percommoda. 647.c.2.d
Pilula ad ſoporem conciliandum vtiliſſima. 650.c.1.c
Pinguedo vnde generatur. 356.c.1.d
Non ex ſanguine per concretionem à frigido. e
In corde an à calido, vel frigido fiat. 355.c.2.e
Ex ſe & natura ſua calida eſt, non frigida. 357.c.1.a.
Pituitæ exuberantia quibus ſignis cognoſcitur. 39.c.2.b.
Pituitæ copia ſi in ventriculo vrgeat, qua arte curanda. 58.c.2.d
Pituitæ purgandæ errhinum commodum. 65.c.1.e
Pituita quibus medicamentis purganda. 91. vſque ad 96.
Pituita quibus ſyrupis diſponitur. 104. col.2.e. 105. tota. & 106.c.1.a.& ſeq.
Quibus purgatur. 107.c.1.d.& ſeqq.
Quibus purgantibus electuariis vtitur. 109. c. 2. c. & ſeqq.
Quibus pilulis. 111.c.2.d.e

Pituita

Pituita in Lethargo an frigida magis quàm humida qualitate officiat. 167.c.1.e
An neceſſariæ putreſcat. col.2.b
Plantarum genera tria, arbor, frutex, herba. 77.c.1.b
Plantarum liquores variis gaudent appellationibus. 79.c.1.b
Plantaginis aqua inter infrigidantes præſtantiſſima. 99.c.2.e
Eius variæ proprietates. ibid.
Plantationes increſcente luna faciendæ. 35.c.1.c
Platonis operum lectio ad Hippocratis & Galeni intelligentiam neceſſaria. 9.c.2.d
Plenilunij tempore an purgatio facienda. 35.c.2.d
Plenitudine corporis præſente non ſemper venæ ſectio celebranda. 43.c.1.e
Pleuræ noxa an poſſit eſſe tuſſis cauſa. 297.c.1.a
Pleura verſus aliquam partem pulſu & arteriis priuatur. 294.c.2.c
Pleuritis eſt inflammatio membranæ pleuræ intus coſtas ſuccingentis. 290.c.1.a
Inflammatio eſt de eius eſſentia. 290.c.1.b.c
Ex inflammatione muſculorum internorum intercoſtalium concitari non poteſt. col.2.b
Nec ex inflammatione ſepti tranſuerſi. d
Pleuritis vera non eſt Mediaſtini dicenda inflammatio. 291.c.1.b
Quibus ſignis à notha diſtinguitur. 291.c.1.d
Pleuritidis differentia in ſiccam & humidam admittenda. 292.c.1.tota
An ab omni humore generetur. col.2.d
Ab Aquilonia tempeſtate concitatur. 293.c.1.e
Facta compreſſione in cerebro. e
A nimio vini potu. 2.col.2.c
A muſti, aut vini nouelli nimio vſu. e
Dolor punctorius, febris acuta, difficilis reſpiratio, tuſſis, &c. eius ſigna ſunt. 294.c.1.a
Dolor continuus. c
Non pulſatorius. e
Grauis. 295.c.1.b
Febris continua ab ea inſeparabilis eſt. c
In Pleuritide pulſus præter celeritatem & frequentiam, magnitudinem acquirit. 295.c.2.c
An inſigniter ſit durus. 295.c.2.d
Inæqualis. 296.c.1.c
An tuſſis perpetuum eius ſymptoma. col.2.b
Difficilis eius reſpiratio ſignum eius pathognomonicum. 297.c.1.e.& ſeqq.
Pleuritidis ſigna aſſidentia. 298.c.1.c
Diſtinguentia. col.2.d.& ſeqq.
Pleuritis vera & exquiſita à flatu generari poteſt. 300.c.1.a
An à falſa ſpuriáque diſtinguatur. ibid.
An ab hepatis inflammatione. d.& col.2
An facilis ſit eius à peripneumonia diſtinctio. 301.c.1.b
Pleuritici acceſſiones tertianarias an patiantur. 301.c.1.e
Pleuritis ſiniſtra dextrâ frequentior eſt. 302.c.1.c. & acutior.d
Pleuritis ſicca aliquando minùs periculoſa. e
Hyeme frequentiùs infeſtat. ibid.
Eâ pituitoſi rarò corripiuntur. 302.c.2.b
In Pleuritide coctio vrinæ an ſalutem portendat. 304.c.1.c e
Autumno longior eſt quàm æſtate, aut vere. e
Breuior in iuuene & puero, quàm ſene. col.2.b
Familiarem habet hæmorrhagiam. c
In ea pulſus valde durus mortem ſignificat.
Pleuritidis permutatio in peripneumoniam, peſſima. 305.c.1.a
In Pleuritide ſpuro apparente craſſiùs cibandum. 306.c.1.c
Priſſana aliquando in hoc affectu reproba. col.2.a
Cuius loco farre vtendum, & quid farris nomine intelligendum. c.d
In Pleuritide ptiſſana humorem ex thorace abſtergit. e
Muſa & apomel an concedi poſſint. 307.c.1.b.c
Seminum frigidorum vſus in hoc morbo commendatur. c.2.c
Oua recentia. 308.c.1.a
Teſticuli gallorum. c
Vini vſus reprobatur. col.2.d.e
Venæ ſectio ſummopere laudatur. 309.c.1.c
Etiam præſente cacochymia. c
An ex eodem latere. col.2.tota
In Pleuritide & aliis inflammationibus ſpectanda coloris mutatio. 310.c.1.e
In Pleuritide pituitoſa ſanguinis mutatio an expectanda. col.2.e
Ad animi deliquium vſque non phlebotomandum. 311.c.1.b
Sanguinis miſſioni clyſter præmittendus. d
Non eſt ſuper partem affectam cucurbitula ſcarificata in initio ante totius corporis vacuationem applicanda. e
Purgatio in ea celebranda. col.2.e
Et quibus medicamentis. 312.c.1.e.& col.2.tota
Exemplum pleuritidis copioſa ſanguinis miſſione curatæ. 313.c.2.c
Aliud Pleuritidis pituitoſæ ſyrupo ſanatæ. e
Vnguentum pro pleuritide curanda eximium. 314.c.1.b
Pleuritis bilioſa venæ ſaluatellæ ſectione perſanata. d
Alia cauterio ſuper partem affectam appoſito. col.2.a
Pleuritis in Sphacelum mutata lethalis. e
In abſceſſum externum & fiſtulam lethalem. e
Oſſis ſterni dolor pro pleuritide curatus excreto per os lumbrico euaneſcit. d
Pleuritis exquiſita ſanguinis mixtu critico ſoluta. 315.c.1.a
Pleuritici vnguenti vſus. 125.c.1.d
Plinij lectio quibus ducibus & interpretibus ſuſcipienda. 10.c.1.c
Pliris archonticon cui vſui. 118.c.2.c
Plumbei vnguenti facultas pro hæmorrhoïdibus ſedandis. 124.c.2.a
Pluuiam quarundam ſtellarum fructus eſſe, Paracelſi delirium. 15.c.1.a
Politica eſt prudentiæ totius generalis methodus. 19.c.1.e
Pollicitationes Medicum dedecent. 11.c.1
Polypodium à polypo piſce nomen habet. 96.c.2.e
Quale eligendum. 97.c.1.a
Eius temperamentum, quibus auxilietur morbis, & qua arte parandum. b
Polypodij ſyrupus ſimplex magiſtralis melancholiæ expurgandæ vtilis. 107.c.2.e
Compoſitus valentiùs expurgat. 108.c.1.a
Pomatum vinum ex acidis pomis in febribus ſalubre eſt. 543.c.2.e
Pomorum regis Saporis ſyrupus ad omnes affectus Melancholicos vtilis. 107.c.2.d
Pondera Medicinalia ſuis valoribus & notis deſcribuntur. 76.c.1.tota.& col.2.a.b
Populeum doloribus mitigandis & conciliando ſomno vtile. 124.c.2.c
Populeum oleum refrigerans ſtupefaciens & capitis dolores ſedans. 122.c.2.c
Portulacæ aqua cui vſui. 99.c.2.d
Portulacæ ſyrupus quomodo paratur, & quibus affectibus

ctibus præsidio sit. 104.c.2.c
Potentiarum internarum numerus triplex, imaginatio nempe cogitatio, & memoria. 151.c.1.c
Potio necandis vermibus vtilissima. 647.c.1.c
Potus triplex, permixtus, delatiuus, & sitis sedatiuus. 541.c.2.c
Potus aquæ frigidæ vtilitas in febribus ostenditur. ib. & 542.col.1
Vide *Aqua.*
in Potu vitia quàm in cibo frequentiora & deteriora. 545.c.1.d
Præcautio in morbis quanto curatione præstantior. 14.c.1.a
Præcipitatio citra præmeditationem inconstantiam arguit, & ignorantiam. 13.c.1.b
In Medico execranda. ibid.
Prædicendum Medico, & ad certitudinem vsque iudicium suspendendum. 15.c.2.c
Prædictio morborum ad Medicum, non ad vatem, aut faridicum spectat. 13.c.2.c
Eius vtilitas maxima. d.e
Necessitas. 14.c.1.a
Præsagium in morbis laudatur, non vaticinatorum sed Medicorum officium est. 13.c.2.c
Vide *Prædictio.*
Præsagia obedientes ægros faciunt & remedia opportuna demonstrant. 13.c.2.e
Affectiones futuras anteuertunt. 14.c.1
Præsagia in quibus morbis ambigua & fallacia. 14. c.1.b.c
Præsentionis & prædictionis varia acceptio. 452. c.2.c.d
Prassici syrupi siue de prassio efficacia ad pituitam abstergendam. 105.c.1.c
Primiparæ torminibus à partu torquentur. 506.c.2.b
Primulæ veris conserua quibus affectibus remedio est. 121.c.1.c.
Principes & Magnates Anatomicæ artis studiosi. 71. c.1.c.
Problematum Medicorum veritatem rarò contingentia non tollunt. 60.c.2.a
Prodicus ab Hippocrate damnatur qui febrientes cursibus & exercitationibus internecabat. 546.c.1.d
Professorum cuiuslibet artis præceptum auctorum suorum vitia ostendere, & iudicium ferre. 5.c.2.e
Profluuium muliebre quid & vnde fiat. 491.c.2.b.c
Eius causa cacochymia. d
Signa. ibid.e
Eo laborantes rarò concipiunt. ibid.
Huius curatio. 492.c.1.& c.2.a.b
Emplastrum ad id eximium. c
Prudentiæ nomine, præsentio & prædictio intelligenda à Medico. 451.c.2.e
Item studium, cura, futurorum cognitio, & operatio. 452.c.2.b.c
Iudicium adæquarum, ex pluribus actibus constans. e
Prudentiæ duplex diuisio explicatur, quæ nempe circa vitæ institutionem, & artis cuiuslibet munus. 6.c.2.c
Prudentis & docti distinctio. ibid.
Prudentiæ à sapientia, & scientia discrimen. 6.c.2.d
Eius definitio. ibid.
Veterum philosophorum eiusdem elogia. e
Prudentiæ diuini honores, & virtutum omnium imperium tribuitur. 7.c.1.a.b
Quomodo definitur ab Iphicrate. ibid.
Quàm Medico necessaria. ibid.c
Prissana aliquando in pleuritide reproba. 306.c.1.a
Ex hordeo parata cæteris antecellit. c
Etiam triticea. d
Prissanæ ab hordeo longè dispar qualitate. e
In pleuritide humorem ex thorace abstergit. ibid.
Puellus recens natus an naturali instinctu, naturæ impetu vel facultate formatiua instructus, lac exugat. 472.c.2.e
Pueris cur ante decimumquartum ætatis annum non mittendus sanguis? 37.c.2.e
Pueri ægroti qua cautione à Medico tractandi. 69. c.1.a.b
Turò in morbis acutis phlebotomandi. 69.c.1.c
Puerperij quantitas discreta assignatur. 456.c.1.c
Continua. col.2.d
Pugillus est quantum summitate digitorum comprehendimus. 75.c.2.c
Pulchritudo est diuini vultus ac luminis splendor. 447.
Pulmonis vlcera an curationem admittant. 373. co.2. tota.
In pueris citiùs sanantur. 374.c.1.b
Pulmonis substantiæ vlcera citiùs sanantur quàm vasorum. d
Vide *Peripneumonia.*
Pulmonis vlcera an ab aliis thoracis affectibus distincta. 369.c.2.d
Pulsus Lethargicorum intercurrens est. 168.c.2.c.d
Pulsus ab inflammatione induratur. 295.c.2.e.296. c.1.a
Pulsus pleuritidis. Vide *Pleuritis.*
Puluis Ioannis Vigonis Gallica lue & iuncturarum doloribus vtilis, sed magna cautione propinandus. 113.c.1.c.d
Pulueris Antimonij, seu stibij præparati, commoda. 113.c.1.e.& seqq.
Vide *Stibium.*
Puluis ad expellendas secundinas eximius. 515.c.2.a
Alius ad tormina sedanda. 516.c.1.e
Puluis ad ventriculi dolorem cùm ex frigido sicco & flatu in diuturnis morbis oritur, vtilissimus. 644. col.2.b.
Puluis necandis vermibus eximius. 647.c.1.d
Puluis rigori terrifico sedando vtilissimus. 647.c.2.e
Puncticulæ siue febris puncticularis à veteribus cognita. 606.c.2.e
A febre pestilenti distinguitur. 607.c.1.b.c
Eius causæ & signa. col.2.c.d. & seqq.
Curatio. 608.c.2.d
Punctura, siue punctorius dolor, membranarum affectionem denotat. 33.c.2.b
Purgantia valida noxia, in morbis acutis præcipuè. 30.c.1.d.
Ab Hippocrate febribus correptis prohibita. c.2.a
Quibus cum cautelis exhibebantur. b.c.& seqq.
Iis abstinere tutius est. 31.col.1.d
Purgationis hora quæ commodior. 29.c.1.b
Purgationi propinandæ quæ præmittenda. 31.c.2.b
Hanc impedit fastidium. c
Copia viscosorum humorum. d
Tensio in hypochondriis. ibid.
Inflammatio interna. e
Obstructio. 32.c.1.b
Purgationi conueniens victus ratio plurimum confert. 33.c.2.b.
Mediocritas. c.& 34.c.1.d
Purgationi quod tempus congruum. 34.c.1.c.& seqq.
Purgatio an plenilunij, aut nouilunij tempore fieri debeat. 35.c.2.d
Purgatio an crescente luna, vel decrescente commodior sit. 36.c.1.e
in omni Purgatione, siue naturali, siue arte facta quò fluat humor, attendendum. 40.c.1.c
Vnde fluit. e
Propter quid fluat. c.2.b
Purgatio in omnibus morbi temporibus celebrari potest. 42.c.2.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 741 sur 927

Purgatio an maius corporis robur exigat, quàm venæ sectio. 50.c.2.a
Purgatio an ante humorum coctionem celebranda. 556.c.2.e
Vide *Humor*.
Purgatio in febribus putridis an celebranda. 560.c.2.d & seqq.
In initio instituta crisim non impedit. 562.c.1.c
In materia multa iuuat. e
Putrefactio est proprij & naturalis caloris in vnoquoque humido existentis ab externa caliditate corruptio. 475.c.1.b
Pyrorum conseruæ vtilitates. 120.c.2.e
Pyrrhus Epirotarum rex à Diis non regna, victorias aut opes, sed sanitatem inter immolandum precabatur. 20.c.1.b

Q

Quadrans, pondus est drachmarum duarum aut scrupulorum sex. 76.c.2.a
Quæstiones naturales Aristotelis Theophrasti, Plinij, Plutarchi, & Senecæ sedulò Medicis euoluendæ. 9.c.2.e
Quartanæ febris natura in quo posita. 592.c.2.b.c
Causarum eius differentia explicatur. d.e
Signa. 593
Securissima est. col.2.e
Conditiones in eius victu obseruandæ. 594.c.1.e
Est opprobrium Medicorum. 595.c.2.b
Expurgantia in hoc affectu intempestiuè oblata noxam, & mortem afferunt. e
Saluatellæ sectio in pede mirabilis ad quartanæ febris contumaciam retundendam. 596.c.1.c
Quaternarij esu carnis porcinæ aliquando conualescunt. 22.c.2.c
Quies corporis purgationi præmittenda. 32.c.1.d
Quies, sanguinis excretioni proficua. 336.c.1.d
Quietis ad motum insueta mutatio nocentior est coctioni quàm à motu ad quietem. 399.c.2.a.b
Quies minùs prodest ad sanitatem quàm exercitatio. 400.c.1.b
Quies febrientibus quid vtilitatis afferat. 546.c.1.e
Quotidiana febris est ea quæ ex pituita putrescente generatur & quotidie facit accessionem suam. 585.c.2.c
Vide *Febris*.

R

Radicis definitio. 77.c.1.e
Radicum in collectione differentia. e
Colligendæ sunt in principio hyemis. ibid.
Quando debito tempore collectas, fuisse percipitur. col.2.b
Radicis simplicis & compositæ differentia. ibid.
Radices si crassæ, ac terra plenæ, lauentur, si tersæ humido linteo fricentur. c
Qua cautione exsiccandæ, & vnde earum duratio colligitur. d
Radices temperatæ quæ? 130.c.1.e
Calidæ in primo, & secundo. e
In tertio gradu. col.2.a
Frigidæ in primo. b
Raficium pondus est scrupuli cum dimidio. 76.c.1.d
Ranarum clamor ololygo appellatur, qua ad concubitum prouocantur. 324.c.2.e
Ramich, pondus sex *Kirat*. 76.c.1.c
Vide *Kirat*.
Ranis ex quibus oleum ad arthriticos dolores conficitur, occulta qualitas inest ad torporem inducendum. 230.c.1.e
Raphani syrupus calculum frangit & vrinam mouet, qua arte parandus. 104.c.1.b
Rarum & graue non repugnant. 82.c.2.b
Ratiocinari quid? 151.c.2.c
Respiratio magna & rara à phrenitide inseparabilis, vbi & Galeni doctrina conciliatur. 157.c.2.e
Rectitudo à Medico nunquam deserenda, licèt non appareat alleuatio. 22.c.1.d
Quod in pluribus morbis experimento est. e
In euacuationibus maximè seruanda. col.2.b.c.d
Quid propriè rectitudo? ibid.e.& 24.c.1.a
Rectitudo in fluxu humorum, & vaporum obseruanda. 24.c.1.b
Vnde tanta eius vtilitas petatur. c
Non in filamentis rectis & oblongis ponenda. ibid. c. & seq.
Non est partium recta positio. col.2.d.e
Non in consensu partium per communes venas quæ proximè à trunco deducuntur. ibid.
Sed in meatibus, seu poris quibus totum corpus est perforatum, non secundùm latitudinem, sed secundùm longitudinem distributis. 25.c.1.a
Recti intestini resolutio vnde fit, & quibus curanda. 235.c.1.c.
Regionum varietas pro curandis corporibus cautè attendenda. 56.c.2.6.& seqq.
Regionum pro varietate varia corpora, & affectus nascuntur. 57.c.1.c
Aër harum vicissitudinum auctor est. e.& 58.c.1
Regionum ob varietatem, vitæ regimen mutandum. 532.c.1.b.
Remediorum pro vnaquaque regione varietas diligenter obseruanda. 56.c.2.b 57.58.c.1
Remedia in tres classes diuisa. 68.c.1.d
Reminiscentia in quo à memoria distinguitur. 151.c.2.c.
An ad numerum facultatũ principum reuocanda. b
Renes qua cautione purgandi. 66.c.1.c
Renum frigidis affectibus aquæ perutiles. 100.c.2.e
Renum calculus quomodo definitur, an morbus, vel morbi causa. 434.c.1.c
Vide *Calculus*.
Renix, sextariorum quatuor mensura. 76.c.1.e
Repletio nimia syncopem aliquando inducit. 363. col.2.b.
Repletio nimia quid periculi inuehat, etiam sanis. 535. col.2.d
Repercussiua super partem affectam in pleuritide an apponenda. 312.c.2.d
Requies Nicolai quod medicamenti genus, eiúsque proprietates. 120.c.1.d
Res quærendæ sunt, non nomina tantùm ad instar Sophistarum. 12.c.2
Rerum omnium principium à Deo sumendum. 1.c.2
Resinæ quando prodeunt, & quomodo earum vetustas cognoscitur. 71.c.2.c
Resina terebinthina, ex arboribus numero septem stillat, quæ probatior, & quibus cognoscitur, qua arte paranda & exhibenda. 95.c.2.d.e.96.c.1.a
Resinæ veræ quæ dicantur. Calidæ sunt. 132.c.1.b
Resolutionem in vna tantum corporis medietate fieri, possibile est. 226.c.1.e
Resolutioni curandæ vnguentum, pilulæ, & syrupus percommoda. 229.c.2
Vide *Paralysis*.
Resolutio penis variis modis fieri potest, quibus curatur. 235.c.1.d
Exemplum cuiusdam hac resolutione insessu curati. e
Resolutio in pleuritide quando contingit. 305.c.1.d
Resolutionis proportione alimenti quantitas metienda. 395.c.2.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 742 sur 927

Reſpirationis definitio Galenica expenditur. 341. c.1.b.
Reſpirationis difficilis. d
An idem ſit quid aſthma. c.2.e
Reſpirationis difficilis tres differentiæ Galenicæ admittendæ. 342.c.2.c
Item aliæ compoſitæ eiuſdem differentiæ. 343. tota.
Reſpiratio difficilis ex flatu oriri poteſt. 344.c.2.c
A ſicca pulmonis intemperie. d
A ſola pituita. e
Ex crudo tuberculo. 345.c.1.a
Ex vteri ſuffocatione. b
Reſpiratione ex vitiata an poſſit ſedes affecta indicari. 345.c.1.d
Eius inſtrumenta. ibid.
Signa. col.2
Reſpirationis magnæ differentiæ an ex pulſu colligi poſſint. 346.c.2.a
Reſpiratio & pulſus in quo differunt. c
Poteſt colligi debilitas reſpirationis ex motu pinnarum. 347.c.1.c
Reſpirationis difficilis ex debilitate ortæ differentia an à duabus reliquis ex calore, & organorum anguſtia ſignis diſtingui poſſit. 347.c.2.b
Parua & rara Reſpiratio inter difficilis Reſpirationis differentias compoſitas eſt omnium peſſima 349.c.1.d
Quinam huic difficultati magis obnoxij. col.2.d.e
Ij ſunt potiſſimum qui malè formato ſunt corpore, 350.c.1.c
Quibus præſidiis curantur. c.& 351.352
Vide *Aſthma.*
Reſpirationis difficultas phthiſin perpetuò comitatur. 373.c.1.c
Reſpirarionis motus non ſolùm tendit in cordis, ſed etiam in pulmonis vſum. 315.c.2.e
Eius finis cor, in gratiam pulmonis. 516.c.2.d
Reſpiranti difficultas in febribus varia. 650.c.1.e
Variè curanda. col.2.a.b
Reſpublica omnis tribus columnis nixa religione legibus, & ciuium ſanitate. 7.c.2.b
Reuulſio adminiſtranda eſt è directo, etiam cum vacuatione & deriuatione permixta. 23.c.2.d.e
Rhabarbari excellentia, tréſque eius differentiæ. 80. c.2.b
Quomodo recens & maturum cognoſcatur, c
Quomodo adulteratur. d
Eius temperamentum. e
Facultas attractiua & purgatiua. ibid.
Rhabarbarum diuerſimodè adminiſtrandum. 81.c.1.a
Quâ arte parandum, & quibus morbis medeatur, b.c.& ſeqq.
Liquor cum eo decoctus an curandis morbis ſit ex vſu. col.2.a.b
Ex eo tabellæ hydropem, & iecoris morbos frigidos ſanant. c
Rhabarbari doſis à Meſuë præſcripta an in praxi obſeruanda. c.& 82.c.1.a
Rhabarbarum & Rhaponticum non idem ſunt. 82. c.1.b.c
Eius facultatis purgatricis non meminere Dioſcorides, Galenus, Auicenna. d
Rhabarbarum rarum eſt, etſi graue. 82.c.2.b
Tenuiſſimè triturandum. c
Eius decoctio infuſione præſtantior eſt. e
Correctione indiget. ibid.
Magis purgat in ſubſtantia, quàm in infuſo. 83. c.1.a
Prægnantibus, & pueris tutò cum aliis medicamentis mixtum exhiberi poteſt. c
Pleuriticis & aliis thoracis affectibus ex vſu eſt. d
Rhabarbari ſyrupus bili vtrique per aluum excernendæ percommodus; & quomodo parandus. 106. c.2.d
Rhabarbari trochiſci biliоſis humoribus cum bile permixtis purgandis perutiles. 122.c.1.d
Rhagoïdis officium & læſio explicantur. 247.c.1.c
Rhaponticum pro Rhabarbaro ſumptum, cùm tamen ab eo diſcrepet. 82.c.1.d
Rhodomel ſimpliciter dictum & Rhodomel ex ſaccharo & melle pituitæ tenuandæ & diſponendæ efficaciſſimum. 105.c.1.e
Rhodomel Perſicum ex quibus conficitur, & quibus inſeruit. 121.c.1.b
Rigor eſt empyematis ſignum. Eſt concuſſio totius corporis inæqualis cum ſenſu frigiditatis dolorifico. 383.c.1.c
Rigoris cauſa intemperies in membris facultatem expultricem irritans. 479.c.2.e
Rigor vnde fit. 617.c.1.c
Rigoris natura, cauſæ, ferocitas, curatio. 647.col.2
Riſu ex nimio ſanguinis ſputum, tabes, mors. 340. c.1.e
Robur facultatum omnium ante purgationem maximè obſeruandum. 48.c.2.c.49.tota
Cauſæ ob quas difficulter cognoſcitur. 50. col.1. a.c.
Robur corporis an magis neceſſarium ad purgationem, quàm ad venæ ſectionem. 50.c.2.a
Roſarum rubrarum, viridium & ſiccarum ſyrupus cui vſui. 103.c.2.b.c
Aqua capitis Roſarum cui vſui. 100.c.1.a
Roſarum aquæ qualitates & vſus varij. ibid.
Roſarum Perſicarum ex nouem infuſionibus ſyrupus bilem in imo corpore reconditam expurgat, eiúſque peculiares proprietates, & qua arte parandus. 107.c.1.a
Roſarum rubearum ex nouem infuſionibus ſyrupus bili purgandæ, diarrhœæ biliоſæ, dyſenteriæ, teneſmo, &c. curando vtiliſſimus. ibid.
Roſarum Alexandrinarum ſeu Perſicarum vtilitas. 121. c.2.a
Roſarum oleum refrigerat & adſtringit fluxúſque calidos ſiſtit. 122.c.2.a
Earum vnguentum cui vſui. 124.c.1.d
Roſata nouella cui vſui apud Medicos. 118.c.2.d
Roriſmarini conſerua frigidis cerebri affectibus medetur. 120.c.1.c
Rotationis aſpectus vertiginem inducit, quod in nauigantibus experimento eſt, quibus nauſeæ & vertigines ob fluctuum rotationes, ſæpiſſimè contingunt. 245.c.1.b
Rubigo ferri, ſeu ferrugo cui vſui. 484. c.1. e. col.2. a. b.
Rubra intueri ſanguinem mouet. 252.c.1.b
Ructus nidoroſus vnde oritur. 400.c.2.d
Quid nidoroſi alimenti appellatione veniat. e
Ructus acidus an frequentiùs poſt prandium, quàm poſt cœnam contingat. 401.c.2.e.& 402.c.1.a
Ruſticæ cuiuſdam mira per pollicem ſiniſtri pedis menſtruorum euacuatio. 486.c.2.c
Rutæ oleum conuulſioni ex repletione mirificè prodeſt. 123.c.2.a

S

SAcchari roſati proprietates eximiæ. 120.c.2.a
Sacchari bugloſſati. c
Saccharum roſarum Alexandrinum bili & ſeroſis humoribus purgandis ex prima corporis regione perutile. 121.c.1.a
Sacculi cordiales peſtis tempore geſtandi. 116. c.2.b

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 743 sur 927

Sacculus est fotus aridus & siccus, qua arte parandus. 129.c.2.e
Sacrarat, pondus est vnius aurei cum dimidio. 76. c.1.d
Safil, pondus duorum sextariorum. 76.c.1.c
Sagapenum, quod & Serapinum, succus est ferulæ panaci similis, Quomodo probandum, eiúsque temperies. 95.c.1.c
Sahafati siccum quid apud Arabes. 139.c.2.e
Sal in clysteribus qua ratione miscendum. 546.c.2.e
Saliua vnde generatur, eiúsque necessitas. 387.c.2.c
Saluiæ florum conserua cerebro & neruosis partibus opitulatur. 121.c.1.c
Saluti desperatæ nulla remedia conferenda. 451. c.1.d.e
Quod conciliatur. c.2.b
Sambuci florum conserua regium morbum & hydropicos affectus sanat. 121.c.1.d
Sambucini olei vtilitates. 122.c.2.e
Sanguis & spiritus aëris qualitatem sequuntur. 7.c.2.e
Sanguinis in profluuio refrigerandum. 58.c.2.a
Symptoma est maximè verendum. b
Sanguis rubri & punicei coloris intuitu mouetur. 252. c.1.b
Sanguis putridus quomodo dignoscitur à pituitoso. 310.c.2.e
Sanguis quo pulmo nutritur an ipsum inflammet, & exiccet. 317.c.2.b
Sanguinis feruor in quibus affectibus reperitur. 319. c.2.d
Sanguinis sputum quomodo definitur. 330.c.2.d
Sanguinis omnis excretio ex toto genere est contra naturam. 330.c.2.e
Excepta menstruali. 331.c.1.c
Sanguis à variis corporis partibus excerni potest. e
Sanguinis excretionis differentiæ tres à Galeno constituuntur. col.2.b
Sanguis à capite vel gurgulione defluens propriis signis internosci potest. 333.c.1.d
E pectore vel pulmone excretus colore & modo substantiæ differt. e
Syrupus sanguinis sputo compescendo proficuus. 339. c.2.c
Sanguis è pectore erumpens an perpetuò crassus, grumosus, & ater. 334.c.1.b
Vasa an aliquo sensu prædita. 334.c.2.b
Sanguinis omnis excretio per superiora facta in quibus reprobatur. 335.c.1.b
Vomitus sanguinis cum febre an salutaris, & sine febre pessimus. c.2.c
Syrupus & aqua stillatitia sanguinis excretioni compescendæ vtilia. 339.c.2
Sanguinis sputum criticum. 340.c.1.e
Sanguis menstruus quid puri & benigni habet. 454. c.2.d
Quid maligni, & impuri. 455.c.1
Vide *Menstruum*.
Sanguis menstruam purgationem effecturus paulatim singulis diebus è toto corpore in vterum confluit, non confertim & repente. 457.c.2.b.c
An in vtero colligatur ipso attrahente, an natura transmittente. ibid.e
Sanguis attrahitur à venis vteri, donec omnes partes spermaticæ sint formatæ. 459.c.2.c
Id fit à facultate attractrice ipsius vteri. 460.c.1.a
Et quæ vtilitas ex hac attractione. b
Sanguis calidus est & humidus, in se putrefactionis principia continens: Est substantia perfectissima. 474.c.1.b.c
Cur puelli non eo nutriantur, & quæ inde incommoda. d
Sanguis extra vterum an commodior esset lacte ad puelli nutrimentum. 473.c.2.b
Sanguinis omnis euacuatio febrem concitat. 489. c.1.c.e
Sanguinis menstrui fluxus non semper ad actionem læsam facultatis expultricis consequitur. 487.c. 1.c.d
An varias ob causas possit immodica sanguinis euacuatio contingere. e
Sanguinis missionis scopi tres, morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens. 553.c.2.e
Vide *Vena*, *Phlebotomia*.
Sanitas est Medicinæ primarium obiectum, & dispositio naturalis, per quam corpus in ea complexione & vnitate consistit, vt ex ea incolumes otiantur operationes. 19.c.2.c
In quo consistit. ibid.
Sanitati apud Sicyonitas simulacrum celebriter cultum. 20.c.1.d
Nihil desiderabilius & maiori studio comparandum. ibid.
Sapientia à diuino cultu & timore ducenda. 1
Sapientia est virtutis amor, à sapore dicta. 7.c.1.a
Sapientia quid discriminis habeat à prudentia. 6. c.2.d
Duplex statuitur à Platone. e
Cum virtute coniungitur. ibid.
Saporis definitio. 642.c.1.c
Eius species ad octonarium numerum reducuntur. col.2.a
Sapor pinguis, dulcis, seu vnctuosus an idem significent. c.2.d.e
Sapor acetosus & acidus idem sonant. 643.c.1.a
Sapores singuli variis modis explorandi. b.c
Varia sortiuntur temperamenta. d
Acris omnium calidissimus existit, tum amarus postea salsus & dulcis. ibid.
Pinguis ad dulcem accedit. col.2.a
Sarcocolla lacryma arboris in Perside. Eius temperamentum, quomodo probanda, & administranda. 95.c.2.a.b
Sarzæ-parillæ, seu smilacis asperæ vsus in Gallicatis affectibus. 271.c.2.a
Sassafras ligni vsus in morbi Gallici, cæterorúmque frigidorum affectuum curatione. 271.c.1.d
Satalini vnguenti compositio, & proprietates. 124. c.2.a
Satietas coctionem vitiat. 396.c.1.c.e
Pro Scabie vnguentum Magistrale eximium. 124. c.2.b
Scabies intempestiuè suppressa conuulsionem generat. 243.
Scabiosæ aqua quibus affectionibus vtilis est. 100.c.1.c
Scammonij variæ acceptiones. 85.c.1.a
Est omnium electuariorum fundamentum. ibid.
Quodnam laudatius. b
Eius malitia quibus obtundenda. c
Calidum est & siccum in tertio gradu. d
Ex eo cataplasma frigidis doloribus obuiat. ibid.
Solutiuum est solutiuorum. ibid.
An debeat virus redolere. ibid.
Correcto non semper vtendum. e
Præparandum est, & coquendum in pomo cotoneo. col.2.a
Nec priùs quàm cùm vtendum erit. b
Quomodo Scammonium non præparatum fuisse in compositionibus diagridium ingredientibus cognoscitur. c
Scarificationis differentia triplex. 69.c.2.c
Scientiæ perfecto Medico requisitæ. 6.c.2.b
Scientia, quid, ex quibus constet, eius subiectum, & passio. 20.c.2.c.21.c.1.a
In quantum Medicinæ conueniat. ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 744 sur 927

Scobs ferri quid, & cui vſui in Medicina. 484.c.2.b
Scopi medicatorij tres, morboſus affectus, naturalis affectus, & aër ambiens. 57.c.2.c
Scordij aquæ facultas duplex, adſtringens, & aperiens. 101.c.1.c
Scoriæ ferri ſyrupus ſimplex & compoſitus quibus morbis medeatur. 104.c.1.c.d
Scoriæ ferri electuarium cui vſui. 117.c.2.e
Scoria ferri quid, & cur ſic dicta, eiúſque vſus. 484.c.2.a.b
Scorpionum oleum colicos dolores in clyſteribus ſedat. 123.c.1.c
de Scorpionibus Mathioli oleum contra venenum, & peſtiferas febres eximium. 123.c.1.d
Scorzonera vnde ſic dicta. 99.c.1.c
Noua plantæ ſpecies in Catalonia inuenta. d
Ex ea aquæ ſtillatitiæ meræ proprietates. e
Scorzoneræ ſyrupus cui vſui. 103.c.1.c
Scotomia eſt imaginationis & viſus læſio, in quo à vertigine diſcrepat. 243.c.2.d.e
Screatio viridis quid portendit. 303.c.2.c
Quid glutinoſa. d
Scriptorum illuſtrium modeſtia in exquirendo aliorum iudicio & emendatione. 5.c.2.e
Secundæ definitio. 511.c.2.b
Cur Secundina dicta, & quid ſub eo nomine veniat. c
Secundinarum retentio quomodo retinet rationem morbi. 512.c.2.b.& ſeq.
Huius retentionis cauſæ explicantur. 513.c.1.c.d
A bonis odoribus aut gelidæ potu contineri non poteſt. e.c.2.a
Quibus ſignis poteſt hæc retentio cognoſci. b.c
Si non extrahantur, non neceſſaria mors ſubſequitur. e.& 514.c.1.a.b
Secundinæ non ſunt ab vmbilico reſecandæ quoúſque extra vterum extrahantur. 514.c.1
Semen inter & fructus quænam intercedat differentia. 78.c.1.e
Semina diuerſimodè naſcuntur. col.2.a
Quando colligenda. ibid.
Papyro inuoluenda & in frigidis locis reponenda. b
Semina ad quatuor vſque annos durant. ibid.
Seminis manifeſti, & occulti differentia. e
Semina in primo, ſecundo, & tertio calida. 131.c.2.a.b
In quarto. c
Frigida in quatuor gradibus. d.e
Semina frigida maiora in pleuriticis non probantur. 307.c.2.e
Seminis definitiones variæ. 458.c.1.e.col.2.a.b
Galenica magis arridet, c
Semen quibus ex partibus componatur. d
Triplex in eo ſpiritus probatur. ibid.
Improbatur. e.& 459.c.1.a
Seminis ſpirituoſa ſubſtantia ex ſpiritu vitali per arterias communicato, aſtruitur. 459.c.1.c
Semen per corporis iuxta poſitionem creſcit, non per intus ſuſceptionem. 459.c.2.c
Non viuit. e
Seminis ſubſtantia an homogenea vel heterogenea. 460.c.1.b
Et quæ partes eius craſſæ & ſpirituoſæ, vnde vis generatiua ſeu facultas formatrix. c.d
Dicitur ſpumoſum per ſimilitudinem tantùm, eſt tamen in eo continuitas ſubſtantiæ. ibid.
Seminis facultas generatiua diuerſa eſt à qualitatibus conſtituentibus eius temperiem, & à facultatibus vitalibus corporis. 462.c.1.d.col.2.c
Semen concurrens ad generationem ſubſtantialem fœturæ an concurrat inſtrumentaliter, an tantùm diſpoſitione in genere cauſæ materialis. 463.c.1.d.e
Semen productionem formæ ſubſtantialis non attingit, ſed fœmina. 465.c.1.b
Semen an ſit colliquatio. c.2.c
An excrementum. ibid.& 466.c.1.a
Eſt animatum. b
Semen maſculinum à fœmineo nutritur. 646.c.1.c.
Habet operationes vitales, colorem viuificum. ibid.
Non eſt prorſus ſimilare, ſed partim ætherem, & ſpirituoſum. e
Semen quibus rationibus ab omnibus corporis partibus decidere probatur. col.2.tota
Quibus improbatur. 467.tota
Semen verum & prolificum in omnibus corporis noſtri partibus ſpermaticis non generatur. 468.c.1.d
Sed ſolùm in teſtibus. col.2.a
Quid prolificum dicatur. b
An diſtinguatur ſpecie ab eo quo partes ſpermaticæ nutriuntur. ibid.
An in venis & arteriis ſpermaticis generetur. d.e
Semen fœminarum fœcundum; & prolificum, & actiuè ad generationem concurrens. 469.c.1.e. col.2.a.b
Non ſemper neceſſarium eſt ad generationem naturalem. 470.c.1.a
Seminis excretio ex naturali & animali actione commixta eſt. 470.c.2.b
Semen in vtero retentum eius ſtrangulatum efficiens quibus medicamentis abſumendum. 496.c.1.c. & ſeqq.
Semitertiana febris quomodo definienda. 583.c.1.e
Vide *Febris*.
Semperuiui aqua cui vſui. 100.c.1.b
Senes cautè phlebotomandi. 69.c.1.c
Parcè. col.2.a
Neque frequenter, neque copioſè vacuandi. b
Senum torpor fit ob facultates præ frigore conſopitas. 230.c.1.b
Senna frequentiſſimum eſt medicamentum, 97.c.2.e
Quomodo probanda. 98.c.1.b
Prægnantibus tutò præbetur, eiúſque aliæ proprietates indicantur. ibid.
Variis modis paratur. c.d.e
Senna à Græcis incognita. Non eſt Delphinium, Peplium, Empetrom, nec colutea Theophraſti. col.2.a.b
Maior vis eius foliis ineſt; quàm folliculis. c
Quibus nam ventriculum debiliter. d
Senſatio fit vbi ſenſibile ſuo organo ſano, & non impedito approximatur. 259.c.2.c
Senſorij & ſenſibilis communicatio. 259.c.2.a
Senſus communis in numero facultatum principum non reponendus. 151.c.1.d
Somni definitio expenditur. ibid.c
Senſus & motus facultas diuerſa. 222.c.1.e
Senſitiuæ facultates inter ſe diſtinctæ. c.2.b
Vide *Facultas*.
Senſuum facultates magis immateriales. ſpiritibus purioribus & ſplendidis communicantur. 222.c.2.e
Senſuum organa ex quibus conſtituuntur. 259.c.2.b
Septi tranſuerſi ex inflammatione an exquiſita Pleuritis generetur. 291.c.2.d
Serat, ſemiobolum refert. 76.c.1.d
Sermo in quo differat à voce. 323.c.2.d
Illum conficiendi facultas ſoli homini data. 324.c.1.e
Sermo quibus modis vitiatur. 326.c.2.327.tota
Serpentes cur ſitienter vinum appetant. 44.c.2.e
Seruij Sulpicij mens in libro de notis Scæuolæ conſcribendo. 5.c.2.b
Serum lactis bilem purgat. 90.c.1.c. Caprinum magis commendatur.d. Verno tempore eo vtendum.ibid.
Morbis frigidis & calidis remedio eſt. e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 745 sur 927

Variè pro humorum purgandorum varietate temperandum. ibid.
Serum lactis frigidum est ac humidum temperamento. col.2.b
Aliquando chalybeandum. c
Sesaminum oleum quibus vtile. 122.c.2.d
Sexus muliebris instrumenta sunt vterus & mammæ. Eorum officia propria & communia explicantur & quibus affectibus obnoxia sint. 450.c.2.c.& seqq.
Sexus muliebris an virili præstantior. 448.
Et quibus signis differat. ibid.
Vide *Fœmina.*
Siccus morbus duplex. 292 col.1.b.c
Vide *Morbus.*
Silentium hæmoptoïcis imperatur. 336.c.1.d
Siliqua, pondus est quatuor granorum. 76.c.1.d
Bisiliqua duplicat. ibid.
Similia similibus curantur, quam patiatur explicationem. 44.c.2.d
Non semper ad conseruationem adhibenda. ibid. & 45.c.1.a
Similitudo filiorum ad parentes ad spirituum diuersitatem referenda. 458.c.2.e
Sinapismorum vsus in quibus obseruandus. 129.c.1.d
Sincipitis ex menstruorum suppressione doloris causæ assignantur. 482.c.1.a
Sirsen calidum Phrenitis est, Sirsen frigidum Lethargus. 148.c.2.e
Sitis ob meraciorem potum, vel salsamenti vsum somno non sedatur, sed frigidæ potu. 541.c.2.e
Sitis immodica pessima, huicque citissimè occurrendum. 644.c.2.c
Os claudendum & tacendum. d
Lingua humectanda, & refrigeranda, & à fuliginibus detergenda. e
Siti sedandæ loch vtilissimum. 645.c.1.b
Smaragdorum theriaca cerebrum roborat, vteri, ventriculi, cordisque affectus curat, Epilepsiæ puerorum auxilio est, & menstrua mouet. 118.c.1.c.d
Smilacis asperæ temperamentum, & quomodo selectior cognoscenda, Gallicatis affectibus plurimum prodest. 271.c.2.a.b
Sodam vox Arabica cephalalgiæ speciem significans. 143.c.2.c
Solatri aqua cui vsui. 100.c.1.b
Solidum pondus est Exagio simile, solo nomine differt. 76.c.1.b
Soli in morbis longis mutatio iuuat. 47.c.1.c. & seqq.
In acutis reproba est. col.2.c
Solutio continui paralysin aliquando causatur. 225. c.1.d
Somnus non per se, sed ob necessitatem à natura institutus. 64.c.1.a
Somnus aqua vitæ præparata conciliatur. 102.c.1.b
Somnus quid capitis doloribus auxilij conferat. 142. c.2.d
Eius vtilitas. 159.c.2.c
Repellentia in inflammationum initio celebranda. 161.c.2.b.162.col.1.tota
In augmento inutilia. col.2.b
In statu æqualis resoluentium & repellentium portio imponenda. c
Vacuant à parte. 163.c.1.d
Resoluentia medicamenta in declinatione inflammationum semper admouenda. 162.c.2.e
Somnus intempestiuus coctioni detrimento est. 398. c.2.tota
Somnus in principio febris prohibendus triplici ex ratione. 544.c.2.b
Quod rationibus improbatur. c.d
Somnus in accessionum principio semper lædit. 545. c.1.a
In declinatione item. b
In statu anceps est. c. In principio non perniciem, sed febris prorogationem minatur. d. Noxa est positiua quòd in declinatione non iuuet. e
Somnus profundus & inexpugnabilis quando in febribus acutis concitatur. 651.c.2.d
Vide *Letargus.*
Sophista suis coloribus depictus. 3.c.1.b
Sophistæ magis de nominibus, eorúmque significatis quàm de rebus solliciti. 12.c.2.d
Soporem vigilantem continuò febris comitatur. 175. c.1.d
Soporosi affectus quatuor sunt, Coma, Carus, Lethargus, Catoche. 651.c.2.e
Vide singulos *in suis locis.*
Spadonibus cur pili non decidant. 466.c.2.b
Spinæ infectoriæ syrupus pituitam, & serosos humores purgat. 107.col.2.b
Spiritus in quo aëris naturam referunt. 7.c.2.e
Spiritus diurna agitatione subtilissimi fiunt, nocte verò pauci, & crassi. 8.c.1.e
Spiritus ad sensuum organa delati an facultatem solùm illi organo accommodatam deferant, an solùm expectantur vt instrumenta facultatis per neruos distributæ. 222.c.2.e
Spiritus in visione est medium quoddam specierum seu imaginum susceptiuum. 244.c.1.d
Spirituum motus inordinatus an vertiginem inducat. ibid.
Spiritus copia vtilis est ad longinquam visionem. 247. c.2.e.& 248.c.1
Splenis affectibus aquæ salubres. 100.c.2.e
Spodij trochisci quibus medentur & qua dosi assumendi. 121.c.2.b
Sputum duplex. 229.c.1.b
A spuitione distinguitur. ibid.
Sputi variæ definitiones explicantur. c
Propriè est id quod coctum per tussem eiicitur. ibid.
Sputaminis à spuro & screatione differentia. 299.c.1.c
Sputi ex colore non solùm affectus ipse, sed etiam affecta pars indicatur. 299.c.1.d.e.col.2.a
Sputum nigrum melancholicum pleuritidem significat. 299.c.2.d
Album & spumosum pleuritidis pituitosæ indicium est. e
Sputum ad bonũ quæ conditiones requisitæ. 303.c.1.c
Vnde colligitur coctum esse. ibid.
Sputum rubrum quid portendit. e
Sputum nigrum an peius glutinoso, viridi, & spumoso. 303.c.2.b
Spumosum non omnino improbatur. d
Glutinosum prauum. ibid.
Sputum nigrum pessimum, etsi non ex adustione oriatur. 304.c.1.b
Sputum purulentum à pituita crassa an certis signis distingui possit. 372.c.1.b
Squamma ferri quid, & in quo à scoria differt, eiúsque vsus. 484.c.2.a.b
Status, est trium solidorum aureorum aut vnius drachmæ pondus. 76.c.2.a
Status morbi quietem postulat. 27.c.2.c
Nec in illo venæ sectio aut purgatio congruit, nisi vrgente necessitate. 28.c.1.a.b
Status vniuersalis morbi an semper victum tenuissimum exigat? 436.c.2.c
Vide *Morbus.*
Status prænotio Medico quibus ex causis adeò necessaria. 537.c.2.c
Quibus signis cognoscitur virtutem ad statum vsque durare posse. 538.c.2.a
Stellarum de doctrina Paracelsi deliria. 14.c.2.c.15.c.1.a
Stellæ omnes pro ratione luminis calefaciunt. 522.c.2.e

Stercus

Stercus asininum & equinum an sit nimiæ menstrui fluxioni auxilio. 490.c.2.c.491.c.1.b
Stercorum natura calida. ibid.a
Sterilitas à iecoris calida, vel frigida intemperie oritur. 459.c.1.d
Sterilitas in homine cui aures amputatæ quibus causis tribuenda. 467.c.2.b
Sternutamentum veteri strangulatui optimum. 495.c.2.b
Sternutatio secundinarum expulsioni proficua. 514. c.2.b.c
Sternutatio validam cerebri & capitis facultatem arguit. 649.c.1.e
Sternutatoria multiplicis generis, eorum vsus, & ex quibus parantur. 129.c.2.a
Stibij præparati virtutes Græcis ignotæ. 113.c.1.c
Quomodo probatius eligendum, & parandum. ibid.& col.2.a.b
Dosis eius qualis. c
Stibium an lapis, metallum, vel medium minerale. 113.c.2.c
Vi ignis liquescit, & cuilibet metallo permixtum celeriùs eliquandi materiam præbet. d
Frigidum est, vt ex eius effectibus patet. 114.c.1.a
Cur tam violenter vacuet. b
Eius præparationis varius modus. c.d
Finis præparationis illius multiplex. e.& col.2.a.b
Exteriùs applicitum oculis gratiam conciliat. c
Stibij duo genera mas & fœmina, hæc magis probatur. d
Metalla à sordibus purgat, & sonitum campanis magis concinnum præbet. e
Intus assumptum non venenum est, sed purgans medicamentum. 115.tota
Stibij trium granorum pondere propinati vtilitas in capitis doloribus. 147.c.1.b
Stibij præparati vsus in Gallicis affectibus commendatur. 272.c.1.d
Stilla sanguinis semper reproba. 648.c.1.b.c.d
Deterior est æstate vel autumno, quàm aliis temporibus. e
Huius causa. e
Stilla meri pessima. col.2.a
Stilla sanguinis atri peior est stillâ sanguinis rubri 649.c.1.b
Stilla sanguinis quando delirium portendit. c
Quæ in initio febris cum sternutatione euenit, solutionem significat. d
In febribus ferè funesta. col.2.a
Stœchados aqua quibus affectibus medeatur. 100.c.2.b
Stœcados syrupus viscerum ad omnes obstructiones commendatur. 105.c.2.c
Compositus ad pituitam purgandam. 107.c.1.e
Stœcados conseruæ proprietates eximiæ. 121.c.1.c
Stomachica emplastra existente cibo in ventriculo an interdicenda. 405.c.1.e
Stomachus quid ex vigiliis detrimenti patiatur. 8.c.1.c
Stomachum an panis roboret, & coctionem iuuet. 396.c.2.b
Vide *Ventriculus.*
Strangulatus veteri affectus est frigidus. 493.c.1.d
Vide *Vterus.*
Studiorum ratio quæ tenenda ei qui in vulgus eminere cupit. 7.c.1.e.& seqq.
Studiis qua hora incumbendum. 7.c.2.d
Stupor est sensus difficultas vel deperditio. 53.c.1.e
Stupor est imminutus sensus tactus. 229.c.2.e
Inter deprauatos motus anumeratur. 230.c.1.a
Eius causæ eædem quæ resolutionis, sed mitiores. ib.
In quo ab Hæmodia discrepat. ibid.
Stuporis ad generationem sola intemperies frigida humida concurrit. b
Non repugnat quòd calida. ibid.
Adstrictio, compressio, seu condensatio stuporem inducunt. c
Stupor an manifesta torpedinis marinæ qualitate, an occulta contrahatur. 230.c.1.d.e
Eius signa & præsagium. col.2.a
Stupor an propria neruorum passio. b
Stupor & dolor sub diuersis generibus collocantur. c
Galeni mens aperitur non esse propriam neruorum passionem. 231.c.1.d
Stuporis curatio eadem quæ paralysis, sed remissior. col.2.c
Iuuenis cuiusdam intemperantis stupore correpti, & cauterio sanati exemplum. ibid.
Suauia cum auiditate assumpta & cum delectatione ægris quid auxilij conferant. 22.c.1.d.e
Substantia an à prima causa, vel à generante in virtute seminis principaliter producatur. 464.c.1.e
Succi plantarum quî differant à liquamentis. 79.c.1.c
Maiorem virtutis plantarum partem obtinent. 71. c.1.c
Quando colligendi. ibid.
Qua cautione conseruantur. col.2.a
Succi calidi & frigidi enumerantur. 132.c.1.b
Sudor immodicus syncopen aliquando concitat. 364. c.2.a
Sudores in empyicis ad quid referendi. 381.c.2.c
Sudoris & vrinæ differentia. 614.c.1.e
Sudor est vacuatio naturalis. col.2.b. Qualis in ægris. e
Sudoris causa efficiens & finalis assignatur. 615.c.1.a
Sudor optimus in febribus an semper ad bonum iudicet. 615.c.1.d
Sudor superfluus secundùm varias causas diuersimodè curandus. e
Vnguentum ad eum sedandum præstantissimum. 616.c.1.a
Sudorifica præsente febre in Gallicatis an celebranda. 271.c.1.d
Suffitus quid, eiúsque differentiæ. 129.c.2.e
Suffocatio vteri an omnes eius affectus comprehendat. 493.c.1.a
Vide *Vterus.*
Suffumigia rarefacientia ex quibus paranda, in Gallicatis affectibus. 275.c.1.b
Suffumigia fœtida & virosa quî differant. 496.c.2.c
Suffumigium facile ad fœtum mortuum extrahendum. 509.c.2.c
Suffitus aromatum secundinarum expulsioni nocet. 514.c.2.e
Suffusio, Græcè ὑπόχυμα in oculis, quibus signis cognoscitur. 248.c.2.e
Suilla phtisicis concedenda. 375.c.2.e
Sulphuris olei proprietates. 123.c.2.d
Superbia indelebile vitium, præsertim si ignorantiæ iuncta. 4.c.2.c
Deo & hominibus odibilis est. ibid.
Superbi flatibus caput repletur. 4.c.2.d
Ranæ Æsopi similis. e
Superfluitates temperatæ, & calidæ in tribus gradibus enumerantur. 132.c.2.c.d
Superstillatio sanguinis in quibus affectibus pessima. 649.c.1.a
Suppositoria tribus modis parantur ad longitudinem sex digitorum etiam pro vtero. 128.c.1.e
Suppositoria, quid, & ex quibus conficienda, quibus affectibus vtilia. 547.c.2.e
Suppuratio in pleuritide quid portendit. 305.c.1.e
Quando fit. ibid.
Suppuratio an inseparabilem tussiculam habeat. 382. c.1.a
Vide *Empyema.*
Suppurationis initij notitia Medico diligentissimè obseruanda. col.2.e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 747 sur 927

Suppurationis curatio instituitur. 385.c.2.e.& seqq.
Suppuratorum an proprium sit symptoma inappetentia. 382.c.2.b
Eorum præter Hippocratica signa, alia enumerantur. e.& seq.
Rigor in iis recensetur. 383.c.1.c
Pondus in thorace. e
Suppuratorum salus an ex febris remissione & cibi appetentia post rupturam colligi possit. 384.c.1.c
An ex sitis carentia, pure bono, aluo exigua, & constante. col.2.a
Suppurati post rupturam cum pessimis signis intercunt. col.2.c
Suppuratorum febris grauiùs noctu quàm interdiu infestat. 381.c.1.c
Symptomata sæua & horrenda generosum Medicum non terreant. 61.c.1.a
Symptomatum vehementiâ & fortitudine morbi status cognoscitur. c
Et id quibus conditionibus intelligendum. 61.c.2. a.b.c
Symptomata omnia semper ex morbis nascuntur. 479. c.2.b.c.d.
Quædam naturalia. e.& 480.c.1.a
Symphyti syrupus fluxibus compescendis efficacissimus. 103.c.2.e
Symphyti maioris conserua cui vsui. 120.c.2.e
Syncope mulieres ex odore chirothecarum ambaro delibutarum arreptæ post diem emortuæ. 6.c.1.d
Syncopes definitio expenditur. 360.c.2.c
Est præceps virium lapsus. d
Syncope, exolutio virtutis, & animi deliquium, in quo distinguantur. 361.c.2.a.b
Syncope & animi deliquium an penes maiorem, vel minorem debilitatem ad eandem facultatem pertinentem inter se distinguantur. 361.c.1.d.e
Pars in syncope præcipuè affecta est cor. 362.c.2.b
Syncope facultatis pulsificæ, vel alterius in corde residentis est symptoma. d
An ad facultatem pulsificam potiùs spectet, quàm ad spirituum generatiuam. 363.c.1.a
Syncope ex dolore concitari potest. c. Ex tristitia. d
Ex gaudio, & vigilia. e
Ex hectica ardente & colliquante febre. col.2.b
Ex immodica inanitione, & repletione. b
Ex venenis. c. Vermibus. 364.c.1.a
Ex ventriculi oris conflictatione. c
Sudore immodico. col.2.a
Syncopes signa antecedentia enumerantur. c
Præsentia. 365.c.1.a. Præsagia. d
Syncope an deterior censenda, quæ à propriis cordis morbis excitatur, quàm quæ per consensum aliarum partium ortum ducit. 365.c.2.a
Ex continui solutione orta est omnium pessima. b.c
Ex intemperie cordis non periculosior eâ quæ ex morbis partium instrumentalium. d
Eius curatio instituitur. e
Vinum ad eam mirabile. 366.c.1.b
Aqua carnis. c
Reliqua præsidia enumerantur. d.& seqq.
Syncopē ex vermibus allij ope curatur. 368.c.1.e
Syncope ex interuallis recurrens, inæquali pulsu, ebeni ope curata. 368.c.2.c
Alia ex alui fluxu maligno, electuario crystallino curata. 369.c.1.a
Syncope ex puris continuo per anum fluxu fonticulis, & ebeno curata. 369.c.1.e
Syncope quî differt ab vreri strangulatu. 494.c.2.a
Syncope quibus curatur. 645.c.1.b.c
Vnguentum ad eam mirabile. e
Syrupi vox quid soner. 102.c.2.d
Syrupi à Iulep differentia. e
Syrupus quâ arte parandus. 103.c.1.a
Ad quas intentiones paratur, eius vsus, & quo tempore propinandus. b
Syrupi bilem disponentes sunt, scorzoneræ. c
Endiuiæ, Oxalidis. d
Acetosus simplex, & de acetositate limonum. e
De acetositate citri, & de agresta. col.2.a
Syrupi adstringentes sunt, rosaceus. b
Rosaceus ex rosis siccis & granatorum. c
Citoniorum, myrtinus. d
Magistralis contra omnes fluxus. e
Syrupi aperientes sunt diureticus Magistralis. 104.c.1.a
Raphani. b
De scoria ferri simplex, & compositus. c
Syrupi incrassantes sunt. Violarum. e
Nenupharis, Altheæ Magistralis. col.2.a
De Tussilagine, Diacodion. b. Iuiubarum. b
De portulaca. c
De Papauere. d
Syrupi pituitam disponentes sunt, Hydromel. e
De pæonia Magistrali. 105.c.1.a
De cinnamomo. ibid.
Capillorum veneris. b
Liquitiriæ. ibid.
De hyssopo, De prassio. c
Oxymel simplex, & scilliticum. d
Oxymel scilliticum compositum, Rhodomel simpliciter dictum. e
Byzantinus. c.2.a
Absinthij. b
Fœniculi. ibid.
De stœchade. c
De lacca Magistralis. ibid.
De artemisia simplex, & compositus. e
De duabus radicibus. 106.c.1.a
De quinque radicibus. b
De corticibus citri, cum aromate & sine illo. c
De mentha simplex & compositus. d
Syrupi disponentes melancholiam sunt, syrupus boraginis. 106.c.1.e
Buglossæ, Fumariæ. c.2.a
De pomis, lupulorum. b
Syrupi bilem purgantes sunt, syrupus de Rhabarbaro, Violarum. d
Persicus, & syrupus rosarum Persicarum ex nouem infusionibus. e
Rosarum rubearum ex nouem infusionibus. 107. c.1.a
De cichorio cum Rhabarbaro. b
Syrupus regius Magistralis. ibid.
Syrupi pituitam purgantes sunt, de eupatorio, de stœchade compositus. 107.c.3.d
De hermodactylis Magistralis. e
Syrupus *Diacrion* dictus. col.2.a
De spina infectoria. 107.c.2.b
Syrupi melancholiam purgantes sunt, syrupus de pomis Regis Saporis. 107.c.2.d
De fumaria compositus. ibid.
De polypodio simplex Magistralis. e
Compositus. 108.c.1.a
De epithimo. b
Syrupi ex aceto parati in capitis doloribus à melancholia ortis an ex vsu sint. 147.c.2.b
Syrupi prouocandis mensibus & tenuandis humoribus peraccommodi. 483.c.2.a.d
Syrupus ad frigidos neruorum affectus vtilissimus. 1229.col.2.d
Syrupus pleuritidi pituitosæ curādæ perutilis. 313.c.2.e
Syrupus ad enixas præseruandas ne in morbos labantur. 511.c.1.d
Syrupi extenuantes in humoribus crassis exhibendi. 559.c.1.d

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 748 sur 927

©BIUM

Adſtringentes pro humoribus putridis concoquendis ante coctionem exhiberi non poſſunt. 559.c.2.b
Eorum certa quantitas deſcribitur. 560.c.1.c
Syrupi ante purgationem in febribus ad coctionem noxij humoris ſunt concedendi. 558.c.2.d
Syrupus inueteratæ tuſſi vtiliſſimus. 634.c.1.b
Syrupus læſo guſtui expertus. 643.c.2.e
Syrupus ad dolorem ventriculi ſedandum cùm ex cauſa calida, vtiliſſimus. 644.c.1.e
Syrupus euocandis menſtruis vtiliſſimus, & roborando vtero. 486.c.1.c

T

TAbellæ Manus Chriſti perlatæ dictæ omnium facultatum imbecillitatem firmant, febribus ardentibus occurrunt, & falſas imaginationes tollunt. 121.c.1.e
Ex quibus ſpeciebus parantur tabellæ, rotulæ, orbiculi, morſelli cum ſaccharo. ibid.
Tabes & phthiſis in quo differunt. 370.c.2.c
Tabes lacte & eius balneo curata. 377.c.1.c
Vide *Phthiſis*.
Talentum, maximum omnium ponderum, minus eſt, maius, & maximum. 76.c.2.b
è Talo vena ſecta menſtrua prouocat. 478.c.2.a
Tamarindus fructus eſt palmæ ſylueſtris. Eius variæ appellationes. 84.c.2.b
Tamarindi qui electiores. c
Sale condiri, in aqua oxalidis macerandi. ibid.
Tamarindus non idem eſt ac phœnicobalanus Dioſcoridis, & Plinij. d
Ventrem ſoluit. e
Eius pulpa, vel decoctum in principio febrium putridarum turò offerri poteſt. 85.c.1.a
Tamarindorum pulpa apozematis permiſcetur. 85.c.1.b
Fit ex eis conſerua pro febribus malignis. c
Tataxus eſt oculi affectus, à cauſa externa vt fumo, puluere, &c. 249.c.1.d
Tardum, periculoſum, & curatu difficile differunt. 227.c.1.a
Tartari oleum quibus morbis medetur. 122.c.2.e
Temeritas in Medico execranda. 15.c.1.b
Quomodo conciliatur illud, *Quos ratio non iuuat, temeritas ſanat*. ibid.c
Temperamentum calidum & humidum laudatiſſimum. 38.c.1.c
Purgationibus & ſanguinis miſſione tutò curari poteſt. d
ſi Temperamentum naturale quod optimum eſt, per ſimilia conſeruetur, quomodo poterit in ætate puerilitiæ conſeruari. 46.c.1.b
Temperamentum ætatis & naturale in quo diſtinctum. c
Temperamenta quæ inediam facilius ferant. 527. c.2. e. 528.c.1.a.b.
Temperamenta ægrorum victus rationem variant. 531. col.2.a.
Naturale hanc indicat. 533.c.2.a
Tempeſtas aquilonia, facta in cerebro compreſſione, pleuritidem concitat. 293.c.1.e
Temporum mutationes morbos pariunt. 45.c.1.a
Tempus ad euacuationes obſeruandum. 34.c.1.e
Temporis maxima habenda eſt ratio pro cibandis, & potandis ægris. 536. vſque ad 544
Tepida etſi gratum & familiarem calorem habeant, debilitant ventriculum. 405.c.2.e
Tereniabin, ros cœleſtis, vel roſcidum mel. 88.c.2.e
ex Terra quæ in vſus Medicos neceſſaria extrahuntur. 76.c.2.d.
Terræ variæ ſpecies Medico vſui accommodæ enumerantur. 132.c.2.d.e
Terræ in mineris ferri virtus mirabilis ad ciendos menſes. 486.c.1.e
Tertianæ exquiſitæ definitio. 577.c.2.c
Tertianæ nothæ. 581.c.1.e
Vide, *Febris*.
Teſticuli gallorum iuuenum pleuriticis exhibendi. 308.c.1.c.
Teſticuli equi vino diſſoluti, eui vſui. 515.c.1.d
Teſtium officium & vſus. 458.c.2.e
Eorúmque venarum, & neruorum. 459.c.1.d
Teſtes an ſolùm ad ſemen conficiendum ſint creati. 469.c.1.a.
Eorum vſus. b
Ariſtotelis de iis hallucinatio. ibid.
Teſtes quomodo ſemen producant. 468.c.2.c
Teſtudinum ſyrupus empyemati, & Ebeni decoctum vtiliſſima. 386.c.2.d
Tetanus vera eſt conuulſionis ſpecies. 238.c.1.b
In eo pars quieta & conuulſa mouetur. c
Theriacæ ſmaragdorum excellentia. 118.c.1.c
Theriacæ magnæ Andromachi proprietates. 119.c.2.d
Theriacæ vtilitates. e
Non offerenda niſi poſt ſex menſes à confectione. 120.c.1.a.
Thomæ à Veiga Medici Luſitani in Galeni libris de locis affectis explicandis ſagacitas laudatur. 9.c.2
Thoracæ quibus purgandus. 66.c.1.d.e
Thoracis affectibus aquæ ſalubres. 106.c.2.d
Thoracis vulnera curabilia. 374.c.1.b
à Thorace in pulmonem an pus tranſſumi poſſit. 378. c.2.b.
Et quæ via certa ad id reperiatur. 379.c.1.e.& ſeqq.
Thoracis pondus ſuppurationis eſt ſignum. 383.c.1.e
Thoracis in vno latere an empyema conſiſtere poſſit quin alteri communicetur. 383.c.2.a
Thoracis in cauitate materia purulenta contenta per ſputum periculoſiùs, quàm per infernam regionem expurgatur. 384.c.1.e
Timiditas impotentiam vt audacia ignorantiam arguit in Medico. 13.c.2.b
Timor Dei ſapientiæ initium & radius. 1.col.1
Timor à grauidis arcendus. 502.c.2.d
Tineæ definitio. Cauſa humor melancholicus. 139. col.1.e.
Signa cruſtæ aridæ, cineritiæ, nigræ, virides, croceæ. col.2.b
Tinea pueris frequentiſſimè contingit, & præcipuè recens natis, in quibus ab adſtringentibus cauendum. c
Affectus eſt contactu & fomite contagioſus. d.e
Qua ope in infantibus curanda. 140.c.1.a.b
Tineæ inueteratæ oleo bombacino perſanatæ exemplum. c.2.a.b
Tolerantia & conferentia quid & in quo differunt. 39. col.2.e.
Vide *Conferentia*.
Topica auxilia non ante euacuationem adminiſtranda. 64.c.2.b.
Torminum à partu definitio. 515.c.2.b
An ſint continua, an per interualla exacerbentur. d. & 516.c.1.tota.
An primiparis contingant. c.2.a
Quibus ex cauſis originem ducunt. 516.c.2.c
Eorum ſigna. c.d
Præſagium & curatio. 517.c.1.a.b
Puluis huic affectui præſtantiſſimus. e
Torpor eſt ſymptoma tactus imminuti. 229.c.2.e
Medium eſt inter ſanitatem & paralyſim, dicítque ſenſus & motus difficultatem. 231.c.1.b
Vide *Stupor*.
Torpedinem an occulta, an manifeſta qualitas inducat. 230.c.1.d.e

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 749 sur 927

Tortura oris est resolutio musculorum maxillarum, propter quam os, nasus, oculus distorquentur. Eius causæ, signa, & curatio. 231.c.2.c.232.tota
Vide *Os, Conuulsio canina.*
Trauli diarrhœæ obnoxij. 32.c.2.c.33.c.1.a
Cur Trauli dicti. b
Tristitia nimia syncopen generare potest. 363.c.1.c
Trochiscorum nomine quid intelligendum, & quomodo fiant. 121.c.2.a
Trochisci refrigerantes sunt, de Spodio. b
De Berberis, de Carabe. c
De Alkekengi. ibid.
Collyrium Album Rhasis. ibid.
Trochisci calefacientes sunt Diarrhodonis Mesuæ, Galliæ Moscatæ. 121.c.2.c
De Absinthio, de Eupatorio. 122.c.1.b
De Myrrha. c
Trochisci purgantes, sunt de Rhabarbaro. d
De agarico, ibid. Alhandal. e
Tryphera Sarracenica Mesues cui vsui. 118.c.2.e
Tumor pedum quibus morbis communis. 382.c.1.e
Tunicarum palati, & ventriculi officium. 387.c.2.a.b
Turbith, siue Turpetum quid? 91.c.1.c
Quod seligendum, & improbandum. d
Eius vsus & temperamentum. e
Tussilago syrupo condita tussi siccæ & orthopnœæ succurrit. 104.c.2.b
Tussis hydropi superueniens quid officiat. 429. col.2. d. e.
Tussis in eodem affectu per consensum iecoris superueniens, an ab ea quæ fit primariò affecto thorace, signis distingui possit. 430.c.1.c
Tussis sonus licèt per instrumenta vocalia redditus, non tamen vocis appellationem meretur. 313. c.1.c.
Tussis ad secundinarum expulsionem quid conferat? 514.c.2.b.c
Tussis & sternutatio quid ad earum expulsionem iuuent. c.& col.2.b.c
Quid suffumigia fœtida. d
Suffitus aromatici improbantur. c.& 515.c.1.a.b
Mulier tunc spiritum cohibeat, vomitum vitet, vociferetur. &c.b
Quibus curanda. d.e
Puluis ad id eximius. 515.c.2.a
Tussis est vehemens efflatio qua à partibus spiritualibus quidquid obstat expellitur. 631.c.1.d
A facultate partim animali, partim naturali perficitur. 631.c.2.a.b
Est symptoma in genere actionum motricum deprauatum. b
Ad omnem sequitur materialem intemperiem, sed præcipuè humidam. c
Eius differentiæ plures. d
Causæ variæ. e
Internæ mediatæ. 632.c.1.b.& seqq.
Eius signa. c.2.a
Præsagium. c
Tusses sunt distillationi germanus affectus. d
Syrupus inueteratæ tussi vtilissimus. 634.c.1.a
Tuthiæ vnguenti proprietates. 124.c.2.c
Tympanites hydrops an periculosior Ascite, & Anasarca. 428.c.2.b.c
Typhomania vnde oritur. 174.c.2.d
Media est inter Phrenitidem, & Lethargum. e
Vide *Coma vigil.*

V

VAcuatio perfecta, & indeficiens quæ? 27.c.1.b
Vacuationes cum mediocritate fiant. 33.c.1.c & seqq.
Vacuatio vt per locum conuenientem fiat, quinque obseruanda, scilicet, vt rectitudo seruetur, vt pars per quam fit vacuatio sit ignobilis. Vt sit illi euacuationi secundùm naturam destinata. 40.c.2.c
Vt in illa parte nulla sit ægritudo. d
Vt nulli morbo periculosiori sit obnoxia. 41.c.1.a
Vacuatio in quo tempore morbi facienda. 41.c.1.e. & col.2.tota.
Vacuatio omnis superflua syncopen affert. 42.c.2.c
in omnibus Vacuationibus modus, & quantitas seruanda. 42.c.2.b.c.43.c.1.b
Vacuationes symptomaticæ non semper improbandæ. 59.c.1.c.& seqq.
Quid symptomatica euacuatio, & quid naturalis. 60.c.2.c.
Vacuationes repentinæ vacuandæ, de quibus vacuationibus intelligendum. 526.c.2.e.527.c.1.a
Vallesiji in epidemicis libris exponendis solertia. 9.c.1.c
Variolarum origo à menstrui impuritate emanat. 455. col.1.a.
Variolis & morbillis syrupus de lacca Magistralis accommodus. 105.c.2.e
Vasorum amplitudo in corporibus calidis & siccis non semper abundantiam denotat, 37.c.1.c
Vasa an assignari possint, per quæ immodicus sanguis ad vterum confluat. 487.c.1.b
Vasorum spermaticorum appellatio ad officio. 468. col.2.d.
Vena die critico non secanda. 28.c.1.e
Venæsectionis hora duplex, electa & necessaria, electa in lumine diei & absoluta concoctione. 29.c.2.a.b
Nec repleto, nec famelico ventriculo celebranda. 30.c.1.a.
Vena siccis temperaturis & humoribus cautè secanda. 36.c.2.b.vt & frigidis. d.e.& 37.c.1.a
Venæ sectio an maius corporis robur exigat quàm purgatio. 50.c.2.a
Vena quibus in regionibus copiosè secanda, in quibus parcè. 58.c.1.b.c
Venæsectio an in paralysi celebranda. 226.c.2.d
Venæsectio in pleuritide necessaria, etiam præsente cacochymia. 309.c.1.b
Ex latere affecto. c.2.a
An à superioribus partibus. e
An ad caloris mutationem. 310.c.1.a
Non vsque ad animi deliquium. 311.c.1.b
Venæ flatibus an rumpi possint. 332.c.1.tota
Venæ sectio menstruæ purgationi contraria. 478. c.1.a.
E cubito cohibet, è talo prouocat. e
Venæ sectio in omni menstruorum suppressione non celebranda. 482.c.2.d.& seq.
An mittendus sanguis ante, vel post menstruationis tempus. 483.c.1.c
Venena aliquando vertuntur in naturam. c
Non prohibent vacuationem simpliciter. 39.c.1.a
Venenum aqua theriacali fugatur. 102.c.2.a
Venena inter syncopes causas numerantur. 363.c.2.d
Veneni strangulatio quî differt ab vteri suffocatione. 494.c.2.b.
Ventres hyeme & vere calidissimi. 45.c.1.b
Ventriculus pro oppressionis diuersitate, variè purgandus. 65.c.2.d.e
Ventriculi flatibus & ventris doloribus sedandis, aquæ perutiles. 100.c.2.d
Ventriculi oris conflictatio inter syncopes causas recensetur. 364.c.1.c
Ventriculi necessitas eiúsque cum reliquis corporis partibus consensus ostenditur. 387. col.1. c. d. 388. col.1.a.
Vt ritè coquat necessaria est alimenti in ore præparatio. c

In

©BIUM

in Ventriculo alimenta omnia ſpeciem mutant. 387. c.2.d.
In eo maior eſt alteratio quàm ea quæ fit in ore. e
An calore ſuo principaliùs concoquat quàm partium vicinarum. 388.c.1.e.& ſeqq.
In gratiam nutritionis, non in commodum aliarum partium ſemper operatur. c.2.d
Ventriculi non actiones binæ, ſcilicet vt eſt inſtrumentum coctionis, & vt eſt pars ſimilaris. 389.c.1.b
Chylo tanquam vera nutritione nutritur. 390.c.2.c. 391.c.2.a.& ſeq.
Ventriculi orificij præſtantia ea eſt vt ab antiquis cordis nomen habuerit. 392.c.1.b
Quæ ex eius debilitate ſymptomatum congeries excitari poſſit. ibid.
Ventriculi ex capacitate quæ item ſymptomata. e
An deperdita, aut corrupta appetentia ad eius oſtium referenda. ibid.& col.2.a
An cardialgia. 393.c.1.b
Debilitatis Ventriculi definitio Galenica expenditur. 393.col.2.a
Eius debilitatis cauſa an ex inopia ſucci melancholici ab ſplene ad ventriculum delati oriatur. 394.c.1.d
In ventriculum ad iuuandum coctionem an pellente liene, aut potiùs attrahente ſtomacho, ſuccus melancholicus deferatur. 394.c.2.e
Ab eius robore perficitur coctio, & ab imbecillitate vitiatur. 395.c.1.b
Excrementa eius coctionem interturbant. d
In ventriculo alimenta tripliciter corrumpi poſſunt. 395.c.2.a
Eo nequaquam affecto an concoctio lædi poſſit. b. c.
Ventriculus an panis eſu faciliùs grauetur quàm carnis. 396.c2.e
An magis debilitet. 397.c.1.e
Ventriculus potus & cibi mutatione debilitatur. 398. c.1.c
Somno, & vigilia nimia. col.2.tota
Vide *Coctio.*
Ventriculus excrementorum fæcalium retentione læditur. 400.c.1.e
Ventriculi imbecillitas omnium morborum cauſa cenſetur. 403.c.1.b
Eius hectica an incurabilis. e
Ventriculus an hiera purgetur. col.2.b
An hiera cum melle. d
An hiera ventriculum roboret. 404.c.1.d
Emplaſtris firmantibus anteriori an poſteriori parte firmandus. 405.c.1.d
Ventriculus remediis tepidis debilitatur. 405.c.2.d
Eius intemperies frigida pilulis ſanatur. 407.c.1.a
Ventriculi frigiditas vino mirabili ſanata. c
Vnguento pretioſo. d
Portulaca. col.2.a
Ventris conſtrictio iecoris inflammationem comitatur. 414.c.2.e
Vide *Aluus.*
Ventriculus grauidarum quibus roborandus. 504 c.2.c.505.c.1.a.b.c
Ventriculi intemperies frigida famen caninam concitat. 640.c.2.b
Ventriculus frigidus magis appetit quàm concoquat.c
Explicatur hæc ſententia. 641.c.1.a.b
Bene concoquit ſi temperatus, ſi malè ructus nidoroſos per calorem, acidos per frigus edit. 640. c.2.e
Ventriculi dolor quibus in morbis oritur. 644. c.1.a
Ex eo vires profternuntur. b
Quibus præſidiis huic occurrendum. c
Syrupus ad eum ex cauſa calida ortum, vtiliſſimus.d
Puluis item cùm ex frigido ſucco, & flatu in chronicis febribus ſuboritur ventriculi dolor. col.2.b.
Veneris vſus bilioſis & calidis naturis infenſiſſimus. 37.c.1.d.
Veneris ex vſu debilitas ſumma ad quid referenda. 468.c.1.b.
Veneris vſus menſtruatis prohibitus. 477.c.2.c
Veneris vſus moderatus, vtero gerentibus ſalubris. 502. col.1.d.
Ver purgationi percommodum. 34.c.1.e
Vere alimenta copioſiori quantitate præbenda. 531. c.2.b.c.
Veratrum priuſquam propinetur cibus vel balneum præmittendum, vt celeriùs purget. 33.c.1.c
Veratrum dare priuſquam corpus victu præparetur periculoſum. 534.c.2.b
Veratrum album turò Hippocratis tempore ſumebatur. ibid.
Verminatio difficilis & periculoſus morbus. 646.c.2.e
Eius curatio præſente febre difficilior, quàm citra ipſam. 647.c.1.a
Vide, *Lumbricus.*
Vermibus necandis in malignis febribus potio vtiliſſima. 647.c.1.c
Puluis item eximius. d
Vermes inter ſyncopes cauſas numerantur. 364.c.2.a
Vermes viui in renibus inuenti. 442.c.2.d
Vermes ſunt putredinis ſoboles. 645.c.2.d
Vertigo eſt affectus in quo res conſpectu videntur circumuolui. 243.c.2.c
In quo differt à Scotomia. c.2.c
Quæ dicitur vertigo tenebricoſa. 244.c.1.a
Vertiginis cauſa interna eſt ſpirituum motus inordinatus, præſertim ſi flatuoſi, & halituoſi. c.2.c
Cauſæ externæ variæ enumerantur. d. e. & 245. c.1.a.b.
Vertiginis ſpecies explicantur. d.e
Præſagium. c.2.a
Curario. b.c.& ſeqq.
Vertigo admiranda ex auris regione, cauterio pone aures affixo omnino curata. 246.c.1.b
Veſalij in libris Galeni de vſu partium enodandis ſolertia commendatur. 9.c.2.b
Veſicæ paralyſis vnde, eiuſque curatio. 235.c.1.c
Veſicæ calculus eſt & morbus, & morbi cauſa. 434. c.2.c
Eius cauſa, & quàm ſit atrox affectus explicatur. 441.c.1.b.d
Veſicatoriorum vſus in quibus commendatur. 129. c.1.d
Veſtitus in Medicis & corporis ornatus qui requiratur. 6.c.1.c
Victus tenuitas morbos aperit. 55.c.1.d.e
Imperanda ignotis morbis. col.2
Victus ratio quid ad purgationem vtilitatis conferat. 33.c.2.b
Victus rationem vnicuique febri præſcribere difficile. 326.c.1.a
Eius diſtinctio quadruplex explicatur. b
Victus in extremo tenuiſſimus in morbis exactè peracutis conſulendus. 526.c.2.b.c
Victus ratio rectè à Galeno definita. 529.c.2.c.& 530. col.1.a.b.
Eſt ductus per conſuetas materias. ibid.
Victus rationis acceptiones variæ. 530. col. 1. c. d. e.
Quibus numeris abſoluitur. c.2.a
An in multa vel parua quantitate concedendus. b

Eius

Eius formæ triplex diuisio, in ea quæ comeduntur, sorbentur, & bibuntur. c
Victus plenus qui, tripléxque eius diuisio in plenum exquisitè, moderatè & simpliciter. d.e
Victus item conseruantis diuisio triplex. ibid.
Tenuis item. 551.c.1.a
Galenus de victus diuisione explicatur. c.d
Varia est victus in febricitantibus ratio statuenda. e. & seqq.
Victus ad præscriptionem temperamenti habenda est ratio. 531.c.1.a
Ætatis. ibid.
Temporis. b.c.d
Loci. e.& 532.c.1.b
Ob diuersum vitæ studium variatur. c
Iuxta maiorem, vel minorem resolutionem à calore naturali contractam. d.e
Iuxta diuersitatem humorum in corpore redundantium. ibid.& col.2.a
Victus qualitas duplex, alia ex alimentis, vt alimenta c
Alia vt medicamentosa sunt. e
Victus humidi acceptione quid intelligendum. 533. c.1.b.
Victus qualitas an debeat esse contraria febri, aut eius causa. c.d
Morbus, naturale temperamentum, & consuetudo, victus rationem præscribunt. 533.c.2.a
Victus in qualitate præscribenda in febrientibus an indicatio quæ sumitur à morbo sit præstantior ea quæ sumitur à virtute. c
An standum sit veterum regulis in præscribendo victu febrientibus nostri temporis.e.& c.2.a.b
Victus tenuitas in omnibus morbis tutior est quàm crassities. 534.c.2.d.535.tota.& 536.c.1
Victus tenuissimus in morbi statu vniuersali exhibendus. 36.c.2
In principio morbi aliquando tenuior exigitur quàm in statu. 537.c.1.c.d
Et quid ex eo vtilitatis resultet. c.2.c
Victus forma à distantia status, & à viribus ægrotantis desumenda. c.2.d
Victu in tenui peccare quid incommodi febricitantibus inducat. 534.c.2.d.e
Quid in nimio, etiam in sanis & bene habentibus. 535.c.2.d.
Videndi actio vt pars instrumentalis læditur obstructione, constipatione, & tumore præter naturam. 246.c.2.c.
Videndi primum instrumentum est crystalloïdes, siue crystallinus, aut glacialis humor, cuius figura explicatur. ibid.
Videndi actio vt pars similaris ab octoin temperiebus læditur, quæ ordine explicantur. ibid.d
Vigiliæ ad multam noctem quid ingenio detrimenti afferant. 8.c.1.b
ex Vigilia corpori quæ commoda. 64.c.1.a.b
Quæ incommoda. c.d.e
Vtei o ccurrendum. col.2.a
Vigilia à natura instituta, vt actio. 64.c.1.a
Vigilia immodica syncopem aliquando causatur. 363. c.1.e
Vigilia intempestiua ventriculo officit. 399.c.1.c
Vigilia superflua ex calefacto cerebro oritur. 649.c.2.c
Corpora extenuat. d
In febribus omnino arcenda. e
Phrenitidem accersit. 650.c.1.a
Ad vigiliam desperatam pilula opiata vtiliſſima. c
Vinum vetustum liberaliter potum sitim & vigilias inducit. 55.c.1.b
Modicè dilutum soporem. ibid.a
Vinum quatenus in capitis doloribus præbendum. 142.c.2.b.c
Vinum Lethargicis tutò concedendum. 169.c.2.e
Vini nimius potus neruorum resolutionem parit. 227. c.1.e
Vinum antiquum paucum eorum frigidos affectus curat. col.2.a
In paralysi num concedendum. ibid.
Vini mirabilis viscera roborandi & crassos humores incidendi facultas. 271.c.1.c
Vinum sanctum à Medicis nuncupatum Gallicatis affectibus vtile. ibid.
Vinum sanctum pretiosum ex Auctoris inuento clemens, tutum, partes principes roborans, & suauiter euacuans. 279.c.2.b
Vini potus immodicus pleuritidem generat. 293.c.2.c
Vinum ante coctionem humorum non exhibendum pleuriticis. 309.c.1.a
Vinum animi deliquio præsidium mirabile. 366.c.1.b
Vinum ventriculum roborat. 397.c.2.e.& seq.
Eius mutatio ab albo ad nigrum nocentior est. 398.c.1.e
Vinum artificiosum ad ventriculi debilitatem mirabile. 407.c.1.c
Vini vsus in modica quantitate Menstruatis non prohibitus. 476.c.2.e
Eius commoda. 477.c.1.b
Omnibus sanè habentibus competit. ibid.
Graues habitus mites facit. c
Vinum vteri suffocationibus nocuum. 495.c.2.c
Vini vsus corpus nutrit. 504.c.1.b
Vires roborat. c
Calorem confortat. d
Exhilarat. e,col.2.a
Flatus discutit. b
Vinum quodnam, & quando concedi potest. e
Pomatum ex pomis acidis salubre. ibid.
Cereuisiæ potus tutò exhiberi potest. 543.c.1.a
Vinum quodnam & quando febribus salutare. 543. c.2.e
Vinum ad famen caninam ex frigida causa ortam, generosissimum qua arte parandum. 641.c.2.b
Violarum aqua cui vsui. 100.c.1.b
Violarum syrupus febribus & distillationibus calidis perutilis. 104.c.1.e
Violarum ex nouem infusionibus syrupus quibus affectibus præbendus. 106.c.2.d
Violarum conserua duplex, cum vnguibus & sine vnguibus, vtriusque proprietates. 120.c.2.b
Violenti definitio Aristotelica expenditur. 461.c.2.e
Viperinæ, siue scorzoneræ herbæ proprietates mirabiles. 99.c.1.d
Vide *Scorzonera*.
Viperinæ carnis vsus Lusitanis mulierculis, ne menstruo supprimantur, frequentissimus. 476.c.1.c
Item Ægyptiis, qui idcirco diutissimè viuunt. d
Viri præstantiâ & excellentiâ an fœminis superiores, vbi latè de fœminæ nobilitate disputatur. 448.449.
Viraginum defectus quoad generationem explicatur. 470.c.1.c.d
Virgines ante purgationis tempus quot affectibus obnoxiæ. 67.c.2.c
Quot castè& pudicè viuentes, iã gradiores factæ. d
Viridis color in excrementis quid portendit. 303. c.2.b
Virosum in quo differt à fœtido, multo est vsui, hoc nulli. 496.c.2.d
Virtutis cum sapientia affinitas. 6.c.2.e
Virtutes Medico conuenientiores describuntur. 11. c.1.b
Virtutis indicatio morbi indicatione præstantior est. 533.col.2.c.d
Virtutis imbecillis gradus quæ per cibum restitui possit assignari non potest. 534.c.1.a

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 752 sur 927

Virtus ægrorum ex ſanorum victu colligendus eſt. 536.c.1.a.
Ex denegato victu defectus faciliùs corriguntur, quàm ex abundantia. b
Virtutem poſſe durare vſque ad ſtatum quatuor ſignis cognoſcitur. 538.c.2.a
Virium indicatio victus tenuitatem præſcribit. 527. c.1.d.
Viſioni an amplitudo vueæ perpetuò incommodet, an anguſtia naturalis vtilis ſit. 247.c.1.b
Viſio quomodo ex albuginei craſſitie, & coloris alteratione afficiatur. 247.c.1.e.& c.2.tota
Ad longinquam Viſionem ſpiritus copia vtilis eſt. ibid.e.& 248.c.1.
Viſio exacta ex oculorum colore, ſitu, & ſpirituum conſtitutione pendet. 248.c.1.b.c
Vide *Ophthalmia*.
Vitæ aqua. 101.c.2.a
Vide *Aqua*.
Vitæ diuerſum ſtudium victus rationem variat. 532. c.1.c.
Vitis tenella menſtruo ſanguine tacta læditur, & ſterileſcit. 455.c.1.a
Vitrioli olei proprietates enumerantur. 123 c.2.b
Viuentium tria genera marcori obnoxia. 466.c.1.b
Vinum interficere non licet pro alterius vita redimenda, quod & de fœtu materno intelligi debet. 511.c.1.a.c.
Vmbilicus infanti reſecandus,& ſale aſpergendus.517. c.2.a.
Vmbilici ad reſectionem quod tempus differendum? Secundinæ non ab eo reſecandæ donec extra vterum extrahantur. 514.c.1.c.d
Vlcera manantia Græcè Achores, vlcera verò ſicca tinea dicta. 139.c.1.d
Vide *Achor, Tinea*.
Vlcera Gallicatorum in gutture, vel in ore an Mercurialibus vnguentis curanda. 274.c.1.c
Si ſordidiora fiant, & ſerpant quomodo cauteriſanda. c.2.a
Vide *Morbus Gallicus*.
Vlcera pulmonis incurabilia. 373.c.2.a
Vide *Pulmo*.
Vncia octo drachmis conſtat. c.75.2.b
Vnguenta refrigerantia ſunt Roſaceum. 124.c.1.d
Refrigerans Galeni. Reſumptiuum magiſtrale. e
Santalinum, plumbeum. c.2.a
Lithargyrij, pro ſcabie Magiſtrale. b
Tuthiæ, Populeum, Comitiſſæ. c
Stomachicum Magiſtrale, de Minio. d
Vnguentum potabile dictum. e
Ad pediculos. ibid.
Ad combuſtionem Magiſtrale. 125.c.1.a
Vnguentum oculare Magiſtrale. ibid.
Ad hæmorrhoïdes Magiſtrale. b
Vnguenta calefacientia ſunt, Dialthææ ſimplex & compoſitum. c
Oeſypathum,ſeu Hyſſopi humidi. Pleuriticum,vnguentum aureum. d
Deoppilatiuum ſuccorum Magiſtrale. e
Eius conficiendi ratio. c.2.a
Vnguentum Naphæ, Agrippæ. b
Marciatum. ibid.
Aregon, Ebulorum Magiſtrale. c
Vnguentum pro morbo Gallico. d.e
Mundificatiuum, Mediæ confectionis. 126.c.1.a
Vnguentum album,Baſilicum, Ægyptiacum. b
Vnguentum ex quibus componendum. 128.c.2.b
Vnguenta mercurialia quo tempore in Gallicatis affectibus apponenda. 271.c.1.c
Vnguentum pro pleuritide curanda vtiliſſimum. 314. c.1.b.
Vnguium curuitas an perpetuo empyicos comitetur. 381.c.2.d.
Vnguentum frigidis ventriculi affectibus pretioſiſſimum. 407.c.1.d
Vnguentum obſtructionibus aperiendis commodum. 484.c.1.a
Vnguentum ad animi deliquium & ſyncopen eximium. 645.c.1.d
Vnguis, ſiue vngula affectus oculi eſt ab vnguis ſimilitudine ſic dictus. 249.c.1.e
Vomitoria medicamenta cum ſolutiuis non permiſcenda. 32.c.2.b
Id in pilulis probatur. c
Quid per vomitoria intelligendum. d
An permiſcenda cum ſoluentibus ventrem in paratis ad fluxum. e
Vomitus in Gallico affectu & morbis chronicis vtiles. 271.c.2.c.
Vomitus ſanguinis ſine febre ſalubris, cum febre verò peſſimus. 335.c.2.c
Vomitus ſanguinis ex interuallis recurrens hominem à pluribus morbis immunem reddit. 340.c.1.a
Violenti duplex acceptio, ſcilicet cùm non ſequitur leges naturæ, & cùm ſequitur leges à natura dictatas. 261.c.2.c
Vomitus vteri ſtrangulationi noxius. 496.c.1.a
Vomitus an conuertatur cum nauſea. 616.c.1.e
Superfluus in ægris ſemper periculoſus. c.2.b
Morbos integrè indicat. c
Eius ſigna. d.& ſeq.
Vomitum ad coërcendum pilulæ eximiæ. 617.c.2.c
Cataplaſma ad id eximium. e
Vomitus bilioſus ſaluatellæ dextræ ſectione curatus. 618.c.1.c.
Vocis definitio Ariſtotelica excutitur. 323.c.1.a.b
Quibus ab aliis ſonis diſtinguitur, eiúſque inſtrumenta. c
Aër exſpiratus vocis materia eſt. e
Non immutatur niſi eius cauſæ immutentur. 323. c.2.a.
Larynx an eius potiſſimum inſtrumentum. b
Vox quantum differat à ſermone. 323.c.2.d
Vocibus ſuis animantes ſibi inuicem conceptus ſuos exprimunt. 324.c.2.e
Vocis & ſermonis exercitatio ad plurimos vſus, & ad valetudinem tuendam maximè conducit. 325.c.1.d. & col.2.
Vox à variis cauſis poteſt oblædi. 325.c.2.& ſeqq.
Vocis ad reſtitutionem arteriarum medicamentum eximium. 330.c.1.d
Vrgentia magis, magis etiam attendenda. 58.c.2.tota
Quid ſi duo pariter vrgeant. 59.c.1.b
Vrina cocta in pleuritide an certam ſalutem portendat. 304.c.1.c
Vrna,aliàs quatriciũ modios tres Italicos capit.76.c.1.e
Vterus quos ex odoribus affectus patiatur? 6.c.1.b.c
Quibus remediis ex purgatur. 67.c.1.b.c.
Morbos omnes muliebres cauſatur. c.2.b
Vtero infrigidatio, eiúſque obſtructionibus aquæ eximiæ. 100.c.2.e.
Vteri flatus aquâ hyſterica diſcutiuntur. 102.c.1.d
Vterus cui vſui fœminæ datus, & vnde eius affectus oriuntur. 450.c.2.d
Vteri ſtrangulatus quos affectus generet. 451.c.1.c
Vterus non menſtruo ſanguine nutritur. 458.c.1.a
Vterus omnium morborum muliebrium cauſa,eiúſque per neruos, arterias,& venas cum omnibus corporis partibus conſenſus. 474.c.2.e
Neruoſus eſt, vel fibroſus. 475.c.2.c
Vterus malè affectus non ſuſcipit menſtruam purgationem. 480.c.2.c
Quibus ex cauſis non eam tranſmittit. d.e

An

An omnes eius affectus sub suffocationis, seu strangulatus appellatione veniant. 493.c.1.a
Vteri consensus cum reliquis corporis partibus. 493. c.1.c.
Eius strangulatio morbus est frigidus. d.e
Præter sanguinem & semen retentum ab aliis etiam causis potest concitari, quorum differentia triplex explicatur. 493.c.2.b
Eius signa quibus morbis nota fient. e. & 494. c.1. a. b. c.
Quid præsagit hic affectus. ibid.e
Quid si autumno aut hyeme contingat. c.2.a
In quo distinguitur à syncope, ab apoplexia. a.b
Ab Epilepsia, à Lethargo, à Catalepsi, à Venenatis, à Lumbricis. c
Vteri suffocationi medendi scopus duplex, & circa primum triplex indicatio. 494.c.2.d
Prima clysteribus completur iisdem qui in apoplexia & epilepsia vsurpantur. e
Secunda euaporatione ab vtero sublata. ibid.
Tertia suffumigiis. 495.c.1.a
Vterus odoribus mouetur. b.& seqq.
Cucurbitula in inferis partibus apposita eius flatus discutit. 495.c.2.a
Sternutamentum eius strangulatui prodest. b
Vinum nocet non mediocriter. c
Vteri suffocationi venæ sectio quando proficua. 495. col.2.e.
Vomitus ei nocuus. 496.c.1.a
Tabellæ huic affectui perutiles. d
Trochisci Rasis. ibid.
Purgantia medicamenta respuit. e
Quibus remediis Vterus abstergendus, & qua arte parentur. c.2.a.b.c
Suffumigiis virosis non fœtidis vtendum. d
Vteri strangulationi ferocissimæ à lumbrico prognatæ exemplum. 497.c.1
Item aliud à frusto carnis nigro. e
Vteri strangulatui pilulæ percommodæ. 497.c.2.c
Vteri prouidentia quid. ibid.d
Eius causæ internæ & externæ exponuntur. c
Signa. 498.c.1.b
Præsagium. c
Curatio. d.e
Vterus in suo situ firmatur excellenti emplastro. c.2.b
Vteri inflammatio quid? 496.c.2.d
Causa ex sanguine feruenti. e
An à semine retento per se possit inflammari. 499. col.1.a.
Signa illius inflammationis. d
Præsagium. c.2.a
Curatio. ibid.
An in brachio, vel in crure vena in hoc affectu secanda. b
Cucurbitula super pubem scarificata plurimum iuuat. 500.c.1.b
Vulnerari non repugnato per partem externam pure an empyematici fiant. 379.c.2.e
Vulpinum oleum frigidos cerebri affectus, & conuulsionem ex repletione sanat. 123.c.2.b
Vuea vnde sic dicta, cur & choroïdes eius officium, & quomodo lædatur. 247.c.1.c

X

Xenophon in quo à cæteris animantibus hominis differentiam posuerit. 19.c.2.b

Z

Zachariæ filij vnguentum lateris dolores mirificè compescit. 126.c.1.d
Zazenea Mesuës quibus morbis opituletur. 118.c.2.d
Zibethi, moschi, Ambaríque odore fragrans Medicus, ægris suis obnoxius. d
Zingiberis conserua cerebrum, partes corporis neruosas, sensus externos & internos roborat, frigidis affectibus medetur. 121.c.1.c

FINIS.

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,
PRAXIS MEDICA
ADMIRANDA,



ZACVTI LVSITANI,
PRAXIS MEDICA
ADMIRANDA,

IN QVA, EXEMPLA MONSTROSA, RARA, Noua, Mirabilia, circa abditas morborum causas, signa, euentûs, atque curationes exhibita, diligentissimè proponuntur.

EDITIO NOVISSIMA,

A mendis purgatissima, necnon ab ipso Authore multis Obseruationibus selectissimis, de nouo locupletata.

©BIUM

ZACUTI LUSITANI,

PRAXIS MEDICA

ADMIRANDA,

IN QUA, EXEMPLA MONSTROSA, RARA

Nova, Mirabilia, circa affectus morborum cautes, ſigna,
mentis, atque curationes exhibita, diligen-
tiſſimè proponuntur.

EDITIO NOVISSIMA,

A mendis purgatiſſima, recenſ. ab ipſo Auctore multis Obſervationibus
ſelectiſſimis, de novo locupletata.

©BIUM

Illuſtriſſ. Generoſiſſ. ac ſtrenuiſſ. Heroi,

DOMINO D. HENRICO DE NASSAV,

COMITI NASSAVIÆ, CATTIMELIBOCI, Viandæ, Deciæ, & Spigelbergæ, Domino in Bielſteyn, Baroni in Liesfeld, Gubernatori, & Capitaneo Generali Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ, & Drentiæ, Ordinis Teutonici Commendatori Prouinciali, & legionis German. in Illuſtr. Ord. Gen. exerc. pr.

QVANQVAM nec fortuna mea, nec eruditio, nec vlla omnino virtus eiuſmodi eſt, *Excellentiſſime Comes*, vt licitum mihi putem, hanc ad te ſcribere Epiſtolam: tanta tamen dignitatis, ſplendoris, gloriæque tuæ, tantáque laudum tuarum iam per omnium ora volitantium perculit admiratio, vt ſponte ſuâ calamus ipſe, teſtari animum, ſignificare voluntatem, gratias agere denique totius ætatis noſtræ nomine geſtiat: Nam profectò ſi breuitas Epiſtolaris, aut ſi ratio temporis pateretur, ipſa me faceret audaciorem veritas, vt oſtendere tentarem, nullius vnquam veterum, nec Laureas, nec Auratos currus, cum tuis, tuorúmque Maiorum poſſe rebus, factíſque prorſus immortalibus comparari. Hæc ſunt quæ me non inuitum compulerunt, vt tibi Magnati inclyto, bonarum artium fautori integerrimo, literatorum amatori amabili, hanc ſecundam ſtudiorum meorum fœturam conſecrarem. Cùm enim primas ingenij mei primitias *Sereniſſimo* FREDERICO HENRICO *Aurantiorum Principi Maximo*, tibi, arctiſſimo conſanguinitatis gradu connexo, dicarem, quas ille, cùm ſit in ſtudioſos valdè propenſus, benignè, & perhumaniter excepit; poſt hunc, nullum inueni, qui generis nobilitate, & auitis virtutibus te ampliùs ſplenderet, ſub cuius ſecuriſſimo patrocinio, & amœniſſimo vmbraculo, hanc opellam à calumniantium furibundâ linguâ tutam fore confido. Quare illam impolitam, inermem, alacri, quam eius tenuior exigit genitura, animi tui generoſitate, promptitudine, & tuâ, qua ſemper in ſcientiæ auidos eſſe ſoles, benignitate, & beneuolentiâ, in tuam clientelam ſuſcipe, amplectere, foue. Quo enim titulo inſignita fœlicior prodibit in lucem?

Cerno enim te, audacis naturæ miraculum, Procerum ſpecimen fulgentiſſimum. Cerno excelſam ſtirpem tuam, Imperatoribus, Regibus, Principibus, tot ſæculorum perennitate in hunc vſque diem mirificè effulgentem. Cerno *Parentem tuum, Comitem* ERNESTVM CASIMIRVM, *Principem* ſempiternâ memoriâ digniſſimum, *Patrem Patriæ* fœliciſſimum, fideliſſimum, acerrimum, & inuictum hoſtium propugnatorem, qui infracto animo, illorum ſuperbos exercitus, inſtructiſſimas phalanges, munitiſſimas acies, ſolâ maieſtate proſternens, ſolo nomine, ſolo virtutis miraculo infrænauit. Denique, verbo vno dicam: patriſſas. Nam quæ in te minimè eſt ſimulata fides, priùs in optimo, & ſtrenuo progenitore tuo habitauit. O te fortunatum! cui contigit vnum atque idem præſtantiſſimum, atque coniunctiſſimum, exemplar: Tu enim es pacis, armorumque arbiter, piiſſimus, prudentiſſimus, integerrimus, prouidentiſſimus, candidiſſimarum virtutum vnicum propugnaculum, benignitatis exemplum, probitatis compendium, pietatis fulcrum, magnanimitatis aſylum, eruditionis norma, eloquentiæ fundamentum, Generoſitatis ſedes, conſtantiæ ſella, temperantiæ auctor, demùm

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 759 sur 927

©BIUM

noſtræ ætatis fortiſſimus Atlas. Hæ omnes incomparabiles virtutes,& excellentes dotes in te altiori gradu cùm emineant, verè teſtari poſſumus, quod vno huius generoſæ arboris ramo auulſo, alter naſcitur aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo. Te enim Heroëm maximum miratur orbis, maximo rerum vſu, inauditâ prudentiâ, illuſtri gloriâ, fœlicitate incredibili, admirabili facundiâ, ſolertiſſimo ingenio, omnium ferè linguarum peritiâ, caſtiſſimâ eloquutione præditum. Quo factum eſt, vt æternos in hominibus titulos iam tibi pepereris, amoris erga ſubditos, (nam totius FRISIÆ omnibus acclamantibus es *Gubernator* vigilantiſſimus) parentis omnium, ornatoris ſtudioſorum, omnium denique ſcientiarum cultoris admirabilis. Ingens denique eſt, ac planè dicam, magnitudine tuâ non inferior, artis noſtræ genius & ſpiritus: nam tùm in mediis bellorum flammis, tùm pacè vigente habuiſti in deliciis, de humani corporis arcanis,intimis viſceribus,& medicæ doctrinæ reconditis problematibus percontari.

Ego cum à pueritia ſententiam Salluſtij cedro digniſſimam mente conciperem, quâ monet, ne mortales vitam ſilentio tranſeant velut pecora, quæ natura ventri prona, & obedientia finxit, ſed ſtudio literarum impalleſcentes, aliqua in vſum publicum proferant, quæ noſtræ caducæ mortalitati conferre queant, idcircò in aſperioribus medicæ artis cliuis inſudans, abdita, in reconditis ſacrariis immerſa, & abſtruſa, vigilanti curâ rimari, excolere, perpolire, immò etiam locupletare, per tot annos, indefeſſo, quanquam admodum ingrato labore, ac tandem licèt publicis ſtudiorum meorum negotiis occupatiſſimus, in lucem emittere decreui, in quibus ingreſſus ſum gurgitem vaſtum, ſperans à te *Monarchâ tanto* patrocinium, ne inuidorum obruar maledictis. Quapropter ad illuſtriſſimas nobilitatis tuæ aras,hoc opuſculum, velut votiuam tabellam appendo, vt pretium quod ex ſe non habet, inde poſſit comparare. Hoc etſi exiguum, deuotiſſimæ tamen meæ mentis in tui obſeruantiam, certiſſimum ſignum, ſereno vultu accipe, animoque candido. Sic Artaxerxes inuictus Perſarum Rex iter faciens, ab operario ac plebeio homine, vtrâque manu hauſtam è profluente aquam (quia nihil habebat aliud) hilari vultu accepit, exiſtimans non minùs regiam decere maieſtatem, ac humanitatem, parua benignè accipere, quàm magna largiri.

Salue ergo, *Generoſiſſime Comes*, térque, quatérque clariſſime, clare imaginibus, clare propriis titulis, publicis muneribus: Salue totius Belgij ornamentum,ſalue Europæ iubar auguſtiſſimum, vniuerſi orbis ſidus coruſcans, & me,qui manus tuas munificentiſſimas exoſculor,à viperinis morſibus tuetor eorum,qui Inuidiâ,peſte ſanè peſtilentiſſimâ exagitati, ſecundis aliorum rebus cruciantur, & ingemiſcunt. Te enim patrono ſingulari, illorum arcebitur virulentus liuor,& radius noxius extinguetur,ne huius operis relangueſcat nitor, aut conflacceſcat gratia. Si enim nutu tuo conatûs noſtros probes, & auctoritatis tuæ præſidio confirmes, illorum maledicentiâ non ero infectus vſque ad tabem: nam in eorum impiis viſceribus habitant pernicioſæ Gorgones,inſanientes Furiæ, fœdæ Harpyiæ,improbæ Sirenes, Scyllæ biformes, horrendi Struthiones, rapaces Gryphi, auidi Dracones,& quicquid fatalium monſtrorum vſpiam, aut infœlicis portenti coacta natura abhorret,ibi omne virtutum genus ſuos patitur carnifices,atque tyrannos. Sed habenas calamo, fortè iſta tibi audire nefas eſt, & mihi illa tacere onus. Quare hæc immania monſtra, illorum conſilia horrenda,truces mores, nefarias cohortes, tuâ Herculeâ, & inuictâ clauâ labefacta, ſolo æqua, doma. Hoc ſi feceris, illi ilia rumpent, & ego tuo iucundiſſimo halitu, velut Antidoto ſuauiſſimo recreatus, ab horum inauſpicata, infœlicique natura immunis, tuas immortali gloriâ digniſſimas laudes, pleniſſimis tibiis buccinabor, in aliis operibus quæ imperij tui legibus ſtabilita, propediem lucis vſurâ fruentur,fauente illo ſine cuius numine nihil eſt in homine.Hoc ergo tenue munuſculum, *Potentiſſime Comes*, (vt ſoles omnia) irrefragabili tuâ auctoritate, velut numen præſentiſſimum, protegas,ſupplex exoro. Vale,ac diu viue, Auguſto fœlicior, Traiano melior.

Excellentiſſimæ Magnificentiæ tuæ Deditiſſimus ſeruus,

ZACVTVS LVSITANVS, D.M.

ZACVTI LVSITANI,

AD

SINCERÆ MEDICINÆ CVLTORES,

PRÆFATIO.

PERFERVNTVR quotidie ad me, benigne Lector, manipulatim ex toto Medicorum præstantissimorum cœtu literæ, quibus ad reliquos pollicitos, De Medicorum Principum Historiâ, libros cudendos certatim me inuitant. At cùm mens mea varijs intenta negotijs dormitet penitus, & ægrotet, ægra quoque ob curas, quibus continuò disturbor, quiescat misera nunquam, sed frustra passim inquieta vagetur: nam vbi molliter iacere cupit, altè cadit; vbi medicinam sperat salubriorem, venenum haurit pestilentius: idcircò eos arduis quæstionibus, difficilibus dubijs, miris obseruationibus expolitos luci hactenus dare non potui, in quibus eorum superbiam retundo, & infræno, qui tumentibus cristis, nullo nixi rationum fulcro, sed solius veritatis obscurandæ vestro impulsi, saniissimam Galeni, Medicorúmque Principum, & à multis sæculis confirmatam doctrinam conuellere ausi sunt. Accedit alia potissima causa, me, reciprocos nouercantis fortunæ æstûs expertum, eos proprijs sumptibus prælo committere non posse. Typographi verò morosi sunt, testudineóque gradu incedunt. Nec mirum: Nam fremente Marte, sæuiente Bellonâ, Europa, & præsertim Germania, bello conturbata est, atque confusa, & ob prædonum copiam, illi maritimâ mercaturâ nequeunt libros vllo lucro distrahere. Ego verò cùm nullum diem, Apellis exemplo duxerim sine lineâ, & literarum, virtutísque studio, sic monente Galeno, & à teneris annis totus prurire cœperim, & doctos, studiosósque genuinâ quadam beneuolentiâ prosequar, aliquem ex Dactyliothecâ meâ carbunculum, in Medicæ facultatis Gazophylacium, interim, quoüsque expectatæ pacis dies omnibus illucescat, conferre volui, quòd hominem sic oporteat viuere, vt se aliquando vixisse doceat posteros. Quo autem scribendi genere lectorem nunc recreare possem, dubius & anceps animo hæsi. Occurrit postremò argumentum vtilissimum, cuius dulcedine Lector delinitus animum reficiet cum vtilitate summa, in quo, ni fallor, miscui vtile dulci. Quamobrem humili ingenij nostri aurâ, quæcumque ea est, in Saporem vnum imagine quadam apum, mirè diuersa confudimus libamenta, vbi ex succis Odoraminum varijs reliquum fieret spiramentum vnum. Et sic De Praxi Medicâ Admirandâ, libros tres, sereno vultu accipe, & exporrectâ fronte: quorum nectare, ni fallor, irroratus, & veluti Cardiaco præstantissimo refectus, fastidiosam Lipothymiam, quam longa, & tædiosa practicorum cohors inferre sæpè solet, arcere poteris. In ijs à vertice capitis vsque ad imum calcanei reperies monstrosos morbos, non frequentes, & curationis facilis, sed abditos, intricatos, mirabiles, rarissimos, in quorum cognitione, vel peritissimi Medici multoties naufragium fecêre, quorum infortunio tibi præcaueas, alienóque præpostero medendi modo edoctus, pedem ab hoc reuoces, & auxilijs nouissimis, & peregrinis munitus ægros ab orci faucibus liberare queas. Non ignoro, ante me, viros scientissimos, vsu dexterrimos, in curandis morbis fœlicissimos, tum publicè, tum priuatim, exempla scitu dignissima proposuisse, quæ Marcellus Donatus, & Ioannes Schenckius, indefessæ lectionis viri in Synopsi veluti collegerunt: At cùm post eos quotidie ex inexhaustis naturæ thesauris, noua subinde in Medica scientia emergant, rara, abstrusa, & meris Labyrinthis inuoluta, quæ cùm sint

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 761 sur 927

©BIUM

in intimis viscerum penetralibus recondita, ea rimari, tam difficile est, quàm esse Medicum, idcircò hæc, pro mearum virium captu absoluta, admiranda exempla, in artis gloriam, hominum saluti consulens, propalare decreui: maximè cùm in his, ex auctoribus lectissimis propensione diligenti, repastinentur multa parùm illis animaduersa. Obscurior quidem mea fama est, fictilibus tamen prolibatum simpulis commeminimus, ac inter vinum, & epulas non spretum sæpè aquæ potum. Quæ immensis laboribus, actuosam Medicinæ partem, per multos annos in faciendâ praxi occupatissimi; quin vigilanti studio, lectione assiduâ comparauimus, ea neque ferè pertrita, immò nec obolita quidem in album promuntur. Non me latet nullum esse tam doctum, qui libitinarum morsus, & rabiem declinet. Video enim scienticulos quosdam fullones, incautos iuuenes, deliros & otiosos senes, Medicinæ hypocritas, totius medicinæ exortes, inuidos, qui, Medici titulo luxuriantes, & insolescentes, caperatâ fronte, acutis naribus, subductitijs supercilijs, me lacerabunt dente omnium mordacissimo, & rabidissimo. Sed cùm non sit curandum quid de nobis homunculi, sed quid viri docti loquantur, hæc miserabilia monstra, omnibus fastidiosa, humano generi valdè infensa contemno, & proflo. Quis enim porrectis pedibus nihil timentem securum me putet dormire somnum? Quùm etiamsi rosas loquerer, essent tamen quibus meæ rosæ olerent vrticam. Omnium linguas cohibere velle, manifesta dementia est: culpam apud omnes deprecari, tam difficile, quàm facile à multis naso suspendi. Quare, hæc, Lector optime, inter scientes scientissime, Medicæ doctrinæ speculator auide, in cuius mente altioris præfloresçunt virtutis & candoris propagines, nil nisi heroïcum, nil nisi acutissimum redolentes, in tuâ securissimâ sapientiæ arce constituo, securus quid tentent calumniæ, quid moliatur inuidia, quæ etsi sint seminuda, atque inuolucria, ardentibus tamen ingenij ingenui tui radijs aduersa statuo, perinde atque aquila, quam ferunt implumes pullos, ac nuper calido ex ouo pronatos Orienti Soli obijcere. Si enim intrepidè ad illos exposita, non conniuenti pupillâ suffigant intuitum, illa referemus in nidum, & vt legitimum fœtum educabimus: Si verò eorum minùs compta sit doctrina, nec sit neruosa, præstans ac iucunda, velut alienum partum, ac nothum exponemus, aut tute ipsum magis, tanquam Musarum hostem proïjce, & in profluentem aliquem demerge: erit enim hoc nobis non tam gratum, quàm quod gratissimum. Interim si has raras, & memorabiles obseruationes, in quibus veterum, & recentiorum illustres sententiæ elucent, omnigenâ doctrinâ refertissimæ, vsui Medico vtiles inueneris, benignè recipias, rogo: nam & ego quasi vnius aluearis plures fauos composui, qui si lectoribus mella videbuntur, næ ego me putabo mellis esse medullam, vt Cethegum olim Suadæ existimauit Ennius. Vale.

DOCTO

DOCTORI
ZACVTO LVSITANO,
MEDICO PRÆCLARISSIMO,
STEPHANVS RODERICVS
CASTRENSIS LVSITANVS,

In Celeberrima Pisana Academia, Primarius Medicinæ Professor.

INCREDIBILI sanè gaudio me literæ tuæ, vrbanitatis, & amoris plenæ affecerunt, quibus tomum tuum de capitis affectibus primum (quo nihil iucundius mihi offerri poterat) addidisti. Munusculum? immò pretiosam gemmam, sub cuius exigua mole ingens latet æstimatio. Quæris quid de opere sentiam? Ingenuè loqui amicum decet, absit adulandi praua consuetudo. Institutum mihi summoperè placuit, quippe Principum historias enarrando, per vniuersos Medicæ facultatis campos discurrendi occasionem es nactus. In ære es qui omnes te expositurum pollicitaris, exigam creditor, immò procurator: nam vt prosequaris, communia sunt vota. Primum hoc volumen Romam viris admodum doctis inibi medicinam facientibus misi, inuidus forem nî bona optima amicis communicarem. Applausu fuit acceptum, magis sequentibus applaudetur. Ita libet augurari: quippe vt dici solet, ex vngue leonem agnosco. Laudant in te omnes stylum facilem, elegantem, admirantur eruditionem, amant varietatem, amplectuntur censuram. Noli angi, si te debitorem dixi, creditorem etiam statuo. Sed dum, vel saltem secundo de spiritalium, & naturalium partium affectibus in lucem emittendo libro, quam excitâsti, cupio sedare sitim, ante eum, hoc oblato me summoperè recreâsti. Quid enim, per Deum Immortalem, his rarissimis obseruationibus vtilius, elegantius, aut illustrius? in quibus & exemplorum nouitas, inuentionis subtilitas, & sinceræ Medicinæ cognitio facilè elucent. Ex his colligo te vnum esse perpaucorum, qui ætate nostrâ, in qua literæ iacent, eloquentiam cum sapientiæ studio coniunxerunt. Ego quidem *solertissime* ZACVTE, non possum tacere quæ sentio, aut non sentire ea quæ de te, omnium in auctorum monumentis versatissimo proferri debent. Sed vtinam esset is meæ mentis captus, vt pro meritis tuis de te sentirem. Scias tamen quæcunque loquimur, longè esse minora iis quæ concipimus. Admirari te possunt omnes, imitari tam pauci, quàm nemo reprehendere. Ipse enim stylus tuus, cui tu tam malè faues, mirùm me afficit, atque oblectat. Ita est doctus, grauis, neruosus, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus, & quod plus est in nostrâ arte progressis vtilissimus, in quo nihil triuiale, nihil expositum, nihil vulgatum, quin mirum, abditum, inuium, seu sermonis elegantiam, & ornatum, seu illustrium Medicorum, quibus vndique scatet, Sententias spectes. Quare nominis, & gloriæ hoc tibi honestissimi laboris pretium erit, soluet protinus quicunque legerit. Quidni? vt eximij potores optimo vino primoribus labris gustato exclamant, sic qui tua scripta legerit, præ admiratione acclamabit. Bibent docti cum gaudio suauissimum doctrinæ tuæ liquorem, ex limpidissimis fontibus, hoc est, ex veterum, & Iuniorum monumentis exhaustum, & per amplissimum canalem, videlicet per amplitudinem ingenij tui deductum. Apollinis agros hoc nostro æuo valdè aridos, mihi crede, adaquabis, & Rempublicam medicam, hoc officio, beneficio potiùs deuincies, pro quo non deerunt docti qui te semper, & vbique laudent, quamuis (quæ misera est nostri sæculi conditio) potiùs à te edocti, thesaurum, vnde sibi diuitias comparabunt, occultabunt. Perge ergò in hoc stadio in communem studiosorum vtilitatem, & à me beneuolentiæ nodo iam tibi pridem deuincto, quicquid ab amico optimo sperare licet, tibimet poteris meo nomine polliceri. Vale, vt valeant ij quos arte tuâ valere facis.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 763 sur 927

DOCTOR

CASPAR ARREIES FRANCO

MEDICVS CARMONENSIS

ZACVTO LVSITANO,

SVMMO MEDICINÆ

PHOENICI

S.

ALIQVO forsitan prospiciente fautore Deo, *Zacuti Praxis mirãnda* titulo, opere miranda magis, ad manûs peruenit meas. Incogniti certè Auctoris inuitabat nomen, sed mirandæ praxis inscriptio, nescio quid aculei & pungentis œstri infigebat, vt iis compunctus & excitatus iam animus, imò pellectus, alacriter in librum, in fragrantissimum potiùs Medicinæ hortum, & limpidissimum illius fontem, totus æstuans & sitibundus descenderim. Mirum est quantâ suauitate detentus, quàm suauiter delibutus totum pænè hauserim. Vnumquoque caput crispatum flosculum contemplans, derelicti iucunditatem deuincere videbatur; vt leni quadam blanditie captus & inescatus animus, imò irretitus, mirari an prosequi nesciret. Amarum nil ac displicens, quàm libri finem adinueni. Cæterùm vt acerbitatem hanc deponerem, iterum ac millies, breue licèt volumen, cœlo tamen delapsum, percurrere non vacabat, vt quantum possibile foret, tam iucundum & perneceſſarium Medicinæ ornamentum memoriæ mandarem, firmiùs affigerem, ac repetitâ tandem lectione animum satiarem, quando occurrens finis æstuanti legendi cupiditati obstabat. Quantis tam perlucidum opus iudicauerim dignum encomiis, etsi rectè sentiam, vix possum dicere: Illud verò possim, & certo certiùs affirmare, dignum esse, vt cunctis Medicorum manibus non assiduè tantùm versetur, verùm nunquam ab illis, vel ore excidat, seu tanquam nouum miraculum terris inuentum, aut Æsculapij partus, Orbis Medicos reddat stupidos, & in vnicum *Zacutum* hiantes. Liber est vtilissimus, pulcherrimus, iucundissimus, mole paruus, vsu maximus, & qui vnus omnium instar esse queat. Amatum sanè Lusitanum fateor laudem non exiguam apud suos & exteros assequutum; Tu verò *magne Zacute*, tantùm illum superas, quantum difficilius est & excellentius, abstrusas & terribiles morborum insidias deuincere: quando ille communes ægritudines notis & vsitatis remediis docet expellere; Tu morborum hydras, fœuitiem & indomitam perniciem, symptomâta, & occultos insidiandi astûs, Herculeâ deiicis clauâ, deturbas, prouoluis, ac vincere præcipis. Sed quoniam frustrà in tanto laudando opere me macero, taceam potiùs; quando illud seipsum commendat, eruditio admirationi est, stylus arridet, dicendi ac soluendi facilitas allicit, varietas delectat, ac tandem per omnia latè diffusus spiritus leonem ex vngue patefacit; vt non sit proinde cuiusvis excusanda negligentia, qui thesaurum hunc & omnes tuas margaritas perquirere, comparare, amplecti neglexerit. His ergo tuæ doctrinæ monumentis illustribus allectus, viam indagaui, quâ hæc ad te pauca rescriberem, maiora altiori calamo derelinquens, grauioris amoris pignus, si, vt spero, ex animo correspondeas: Quod si feceris, aliqua, quæ nobis per morborum casûs, contigit videre prodigiosa remittam. Quod modò non facimus, quùm nec te adhuc viuere constet, quod faxint Dij, & diu te nobis seruent! vt tantæ eruditionis & emolumenti fruamur studiosi. Restat vltimum, quod enixè obsecro, non vt me magis deinctum teneas (tenes satis,) quoniam ad *Principum Medicorum Historiam* totus prurio, hoc nobis desiderium expleas; quando ea quæ sapientissimè scribis, eò auidissimè lego. Vale splendens Medicinæ lumen, & me vnum inter amicos repone, tuarum laudum vocalissimum præconem futurum. Ex Carmonâ, nobili apud Hispanos Ciuitate. IX. Idûs Ianuarij 1639.

IN

©BIUM

©BIUM

IN LIBRVM MEDICVM
Summi & eximij viri
ZACVTI LVSITANI,
MEDICI CELEBERRIMI.

REDIMVS haud solos Hispania sufficit hostes,
Nec Batauûm terris semper iniqua nocet.
Quæ toties gladios, nunc ecce Machaona mittit,
Atque aliquà nobis consuluisse cupit.
Scilicet Hesperijs veniens ZACVTVS ab oris,
Ad leges Lachesin cogit adesse suas.
Et formidati protendens tempora fati,
In populos aliquid cum Ioue iuris habet.
Quin iam nascentes abeunt in secula libri,
Scriptáque posteritas quæ studiosa leget.
Seu generosa nouos stringit censura magistros,
Seu Coûm recoquit pagina docta senem.
Illic tota suos aperit Medicina recessus,
Præsidiisque nouis nititur alma salus.
Belga tibi faciles aude promittere soles.
Manat ab aduerso iam tibi vita Tago.

C. BARLÆVS.

D. NICOLAI FONTANI,
Ioannis Filij, Sapphicum,
In laudem
Expertißimi, Clarißimi, Doctißimíque viri,
D. ZACVTI LVSITANI,
Medicorum Coryphæi.

MVlta ZACVTVS monimenta laude
Digna conscripsit, memoranda cunctis
Posteris, sed quod modò scriptitauit;
Vsque triumphat.
Ingenij vires, cerebrique succum
Viuidum expressit medicando fortem:
Par erit nunquam, similémque nulla
Secula prodent.
Alme tu Pæon, simul Æsculapi
Magne, qui Diuis medicamen adfers,
Este vos huius memores alumni
Auxiliantes.
Najades vos nunc Batauæ precamur,
Este ZACVTO placidæ, coronas
Floreas huius capiti parantes
Vsque virentes.
Hic enim Phœbi celebrauit artes,
Nec laborandi modus vllus huic est:
Vos laboranti Medico leuamen
Addite gratum.

INVITATIO
AD
PRAXIM MEDICAM
ADMIRANDAM,
Clarissimi, & Experientissimi viri,
D. ZACVTI LVSITANI,
Medici veracis, atque
fidelis.

ZAcvtvs iste quem benigne tu LECTOR
Vides, profectò est magnus inter auctores,
Seu tu prioris, siue respicis nostri
Secli Medentes: & scientiâ magnus,
Et arte: viuidisque viribus mentis:
Experientiam dedêre quæ summam.
Hæc scripta volue, iudicabis hoc mecum.
Nam dictio ipsa docta, florida, arguta.
Quid sensa? promit rara, mira, monstrosa
Exempla morborum: videre quæ praxis
Occasionem diligens, medicique
Manu dedit solerte tempus, & dextrâ.
Vis sanitatem, corporisque constanter
Seruare robur? vis squalentibus tutò
Visceribus mederier, salutare
Auxilium, citúmque languidis ferre?
Docebit vnumquodque. Melius vt possim,
Hac censione pura reddit ZACVTVS,
Magisque splendida ingenij sui luce
Tibi dat. Aude tangere, atque lustrare:
Ego fallor, aut ad ipsa templa te ducet
Apollinis, domósque Hygéæ sacratas
Secretiore tramite, & viâ rectâ:
Vbi sit artis Hippocraticæ verus,
Et sine labe cultus. Vnde fas, quicquid
Aut Ratio, rerum magister aut Vsus
Obesse, vel prodesse morbis monstrauit,
Auferre, & omnibus, quod tu voles, ægris
Remedium communicare. Quid dico?
INGREDERE: dictis plura scio reperturum.

IOANNIS ANTONIDES
Vander LINDEN *Medici.*

¶ 5 IN

IN LAVDEM D. ZACVTI LVSITANI, MEDICI ACVTISSIMI.

ZAcute, dum multis medicinam porrigis ægris,
Te Medicũ ægrorum prædicat omnis homo.
At simul appellet iam te Medicum Medicorum,
Dum Medicam Medicis artibus addis opem.

SIMON BRENIVS.

Ad libri Authorem.

NI fuerit de gente Midæ, liuore tumescit
Monstrifero, & clauã prouocat Herculeam,
Qui tua, monstrorũ domitor, monimenta, ZACVTE,
Lustrat, & Herculeis splendidiora negat.

C. SPONIVS
D. M. Lugd.

In laudem Excellentissimi D. ZACVTI LVSITANI, MEDICI, AC PHILOSOPHI INCOMPARABILIS.

TEchna nitet Phœbæa viris limata peritis,
Dixeris ad summum iam peruenisse nitorem,
Deesse nihil, supereſſe nihil, iuraueris vsque,
Atqui lenta dies docet vlteriora, priorque
Ignorat, quæ posterior bene dispicit ætas,
Nostráque rimantur priscis incognita sæclis,
Sic placitum superis, exponere cuncta labori,
Inuentisque nouis artes cumulare vetustas,
Et vigiles generare viros, auidósque sciendi,
Quos inter cluet eximius medicando ZACVTVS,
Qui genio pollens memori, solertéque multùm,
Nullum non mouit lapidem, quò sæcula nostra
Excitet ad studium, illustrétque Machaonis artem,
Et Medicis prodesse queat, quò norma medendi,
Iusta magis, facilisque malo sit libera mendo;
Plura stupenda refert naturæ thaumata passim,
Oblectátque nouis, rarisque euentibus aures,
Dignus hic ergo legi, dignus, studiosa iuuentus
Quem colat assiduè, quem tollat ad æthera Phœbus,
Aonij præsul montis, quem Musa solutum,
Nexibus à fati duris, in sæcula seruet.

IOH. HYLANDROS M. D.
Artium Magister

AVCTO

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 766 sur 927

©BIUM

AVCTORVM SYLLABVS, QVORVM AVCTORITATE, ATQVE SENTENTIIS HOC Opus condecoratur.

AVCTORES *omnes, quorum in hoc Opere mentio fit, si lubet, vide, inuenies è suis fontibus fide exhaustos. Inter hos,* Hippocrates, Galenus, Auicenna, *cæteríque* Medicinæ Principes, *eminent, & excellunt. Iuniorum verò clarissimorum pariter vtimur disciplinâ: Sunt enim hi artis nostræ strenui duces, Antesignani, & Coryphæi, doctrinâ insignes, multiplicique experimento percelebres. Eorum in his libris opiniones libenter amplectimur, rarissimè conuellimus. Contrà fecimus in libris* De Medicorum Principum Historia, *in quibus medicinæ Theoremata agitantes, ardua loca conciliauimus, nouissimas quæstiones explicuimus, & sic licitum fuit nobis, pro Principum tutela, illorum sententias ad Cleanthis lucernam expendere. At in praxi exercenda, odiosum est, & indecorum, artifices esse discordes: nam teste* Silio Italico lib. II. belli Punici:

——— Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Vt enim lib. 3. de art. amandi cecinit Ouidius,

Candida pax homines, trux decet ira feras.

SACRA SCRIPTVRA.

A

ACTVARIVS.
Adrian. Spigelius.
Adolphus Occo.
Adolphus Scribonius.
Adolphus Vorstius.
Aëtius.
Ælianus.
Ælianus Montaltus Lusitanus.
Albertus Magnus.
Albucasis.
Albumazar.
Alexand. Aphrodisæus.
Alexander Benedictus.
Alexander Massaria.
Alexander Trajanus.
Alexander Trallianus.
Alóysius Mundella.
Alphonsus Lupeus.
Alzaharauius.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Nonnius Lusitanus.
Ambrosius Pareus.
Andreas Alcazar.
Andreas Bacchius.
Andreas Eborensis.
Andreas Lacuna.
Andreas Laurentius.
Andreas Mathiolus.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Vesalius.
Antonius Beniuenius.
Antonius Cassalenus.
Antonius Crucius Lusitanus.
Antonius Gomez Lusitanus.
Antonius Guainerius.
Antonius Liberalis.
Antonius Maria Bettus.
Antonius Mizaldus.
Antonius Musa Brasauolus.
Antonius Poncius à Cruce.
Antonius Santorellus.
Antonius Scenebergus.
Antonius *Vander* Linden.
Antonius Vallesius.
Anutius Foësius.
Apuleius.
Aristoteles.
Aretæus.
Arnaldus Villanouanus.
Athenæus.
Auerroës.
Auenzoar.
Auicenna.
Aurelius Minadoüs.

B

BAlduinus Ronsséus.
Balthazar Brunnerus.
Baptista Codronchius.
Bartholomæus Anglicus.
Bartholom. Perdulcis.
Barthol. Cassaneus.
Barthol. Eustachius.
Benedictus à Castro Lusitanus.
Bernardus Gordonius.
Bonaciolus.
Brissotus.
Brodæus.

C

CAspar à Costa Lusitan.
Caspar Bauhinus.
Carolus Clusius.
Carolus à Petra Alba.
Carolus Sponius.
Castor Durantes.
Cœlius Aurelianus.
Cœlius Rhodiginus.
Chalmetéus Vergesacus.
Christophorus à Vega.
Christoph. Cachetus.

Christoph.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 767 sur 927

©BIUM

Chriſtoph. à Coſta.
Chriſtoph. de Honeſtis.
Chriſtoph. Landinus.
Chryſippus.
Coiterus.
Columella.
Conciliator.
Conradinus
Conradus Geſnerus.
Cornelius Agrippa.
Cornelius Celſus.
Cornelius Gemma.

D

Daniel Mylius.
Daniel Sennertus.
Deſiderius Iacotius.
Didacus Moranus Luſitanus.
Dinus Florentinus.
Diſarius.
Diocles.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
Dionyſius Daca.
Dominicus Mannus.
Donatus Anton. ab Altomari.
Donatus Santorus.
Duncanus Bornettus.
Durantes Scacchus.

E

Emmanuel Stupanus.
Euonymus.

F

Fabius Paulinus.
Felix Platerus.
Franciſcus Aluarez Luſitanus.
Franciſc. Friſemilica.
Franciſc. Arcæus.
Franciſc. Ioëlius.
Franciſc. Pecettus Cœleſtinus.
Franc. Picus Mirandula.
Franciſc. Rouſſetus.
Franciſc. Ruëus.
Franciſc. Valleriola.
Franciſc. Valleſius.
Ferdinandus Mena.
Ferdinandus Ponzettus.
Ferdinandus Rodericus Cardozus Luſitan.
Fortunatus Plempius.
Fulgoſius.

G

Galenus.
Garzias ab Horto Luſitan.
Garzias Lopius Luſitan.
Gabriel Fallopius.
Geberus.
Gentilis Fulginas
Georgius Bertinus Campanus.
Georgius Valla.
Georgius Agricola.
Georgius Horſtius.
Guido Cauliacenſis.
Gulielmus Copus.
Gulielmus Fabric. Hildanus.
Gulielmus Rondeletius.

H

Hali Abbas.
Henricus à Bra.
Henricus ab Heer.
Henricus Petræus.
Hercules Saxonia.
Hermannus Follinus.
Hermolaus Barbarus.
Hieremias Sachetus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronym. Capiuacius.
Hieronym. Accorombonus.
Hieronym. Fabric. Aq. pendens.
Hieronym. Fracaſtorius.
Hieronym. Gabucinus.
Hieronym. Mercurialis.
Hieronymus Nonnius Luſitanus.
Hieronym. Montanus.
Hieron. Montuus.
Hieron. Rubeus.
Hieron. Sauanarola.
Hippocrates Cous.
Hippolytus Brillus.
Homerus.
Horatius Augenius.

I

Iacobus Dalechampius.
Iacobus de Partibus.
Iacobus Foroliuienſis.
Iacobus Fontanus.
Iacobus Hollerius.
Iacobus Pons.
Iacobus Syluius.
Iacobus VVeckerus.
Ioannes Argenterius.
Ioan. Anton. Saracenus.
Ioannes Baptiſta Perſona.
Ioannes Baptiſta Siluaticus.
Ioannes Baptiſta Theodozius.
Ioan. Brauus.
Ioan. Bruyerinus.
Ioann. Camara Buſthemantinus.
Ioan. Colle.
Ioan. Crato.
Ioan. Damaſcenus.
Ioan. Fernelius.
Ioan. Freitagius.
Ioan. Vigo.
Ioan. Guinterius.
Ioan. Arculanus.
Ioan. Heurnius.
Ioan. Hucherus.
Ioan. Iuuenis.
Ioan. Manardus.
Ioan. Meſuë.
Ioan. Piſtorius Niddanus.
Ioan. Rhenanus.
Ioan. Renodæus.
Ioan. Ieſſenius.
Ioan. Remellinus.
Ioan. Riolanus.
Ioan. Ruëllius.
Ioan. Schenckius.
Ioan. Serapio.
Ioan. Varandæus.
Ioſephus Langius.
Ioſippus à Coſta.
Ioſterius de Ioſteriis.
Iſhac Iſraëlita.
Iſidorus.
Iuſtinianus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Guaſtauinius.
Iulius Palmarius.
Iulius Cæſar Claudinus.
Iulius Cæſar Scaliger.

L

Laurentius Ioubertus.
Laurentius Surius.
Leonardus Iacchinus.
Leonardus Fuchſius.
Leuinus Lemnius.
Lælius Biſciola.
Lucretius.
Ludouicus Duretus.
Ludouicus Gardinius.
Ludouic. Lemoſius Luſitanus.
Ludouic. Nonnius Antuerp.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Septalius.

M

Macrobius.
Marcus Tul. Cicero.
Matthias Cornax.
Matthæus Gradius.
Matthias Lobellius.
Malachias Geiger.
Matthias Vntzerus.
Marcus Gattinaria.
Marcus Varro.
Marſilius Ficinus.
Marcellus Donatus.
Marcellus Virgilius.
Martinus Del Rio.
Martinus Rulandus.
Mauricius Cordæus.
Michaël Ioan. Paſchalius.
Michaël Guauaſſetius.

N

Nicolaus Leonicenus.
Nicolaus Fontanus.
Nicolaus Frambeſarius.
Nicolaus Monardus.
Nicolaus Maſſa.
Nicolaus Piſo.
Nicolaus Rorarius.
Nicolaus Tulpius.

O

Oribaſius.
Ouidius.
Otto Heurnius.
Otto Caſmannus.

P

Paulus Ægineta.
Paulus Zacchias.
Petrus Andreas Canonherius.
Petr. Bayrus.
Petrus Bellonius.
Pet. Droëtus.
Pet. Foreſtus.
Pet. Garzias Carrerius.
Petr. Lopius Luſitanus.
Pet. de Oſma.
Pet. de Peramato.

Pet.

Pet. Poterius.
Pet. Paulus Pereda.
Pet. Pena.
Pet. Pichottus.
Pet. Mercatus.
Pet. Vaëzius Lusitan.
Petr. Salius.
Pet. Tolosanus.
Pct. Talpa.
Pet. de Tusignano.
Polyænus.
Platearius.
Plinius.
Plutarchus.
Plato.
Ptolemæus.
Philippus Ingrassia.

Q

Qvintus Curtius.

R

Rhasis.
Rabbi Mosses.
Raphaël Moxius.
Raphaël Volaterranus.
Realdus Columbus.
Reinerus Solenander.
Rembertus Dodonæus.
Renatus Charterius.
Renatus Morellus.
Robertus de Fluctibus.
Rodericus à Castro Lusitanus.
Roder. à Fonseca Lusit.
Rodolphus Magister.

S

Sanctorus Sanctorius.
Sanctes de Arduynis.
Sebastianus Meyerus.
Sebastianus Paparella.
Seneca.
Simon Genuensis.
Severinus Pinæus.
Simon Simonius.
Sixtus Senensis.
Solinus.
Stephanus Roderic. Castrensis Lusitan.
Stobæus.
Strabo.

T

Taddæus Dunus.
Theodorus Collado.
Theodorus Zuingerus.
Theophrastus.
Theophrastus Paracelsus.
Theuetus.
Therillus.
Thomas à Veiga Lusitanus.
Thom. Fienus.
Thom. Erastus.
Thom. Iordanus.
Tobias Knoblochius.

V

Valuerda Olysipponensis.
Vascus Castellus Lusitanus.
Vgo Senensis.
Victor Trincaellius.
Vidus Vidius Senior.
Vidus Vidius Iunior.
Vlysses Aldroandus.
VVierus.
VVolgangus Franzius.

CATALOGVS SINGVLORVM MORBORVM IN HISCE Libris descriptorum.

POSTQVAM hoc opus ad vmbilicum perduxi, ab amicis, quibus nec deesse possum, nec volo, persuasus, alia rara, nec infrugifera exempla, complementi loco, in calce notaui, quorum titulos in hoc indice seriatim dispositi: & licèt eorum numeri primâ facie tibi inæquales videantur, certi tamen sunt: quare vno aspectu, folium in quo morbi sunt descripti, facilè inuenies: hæc te prius admonitum esse oportuit.

LIBER PRIMVS.

De Capitis, & Spiritalium Partium affectibus.

De Alopecia. pag. 1
De Porrigine. ibid.
De Achoribus. 2
De Hydrocephalo. 129
De Cerebro. 2
De Cephalæa. ibid.
De Cephalalgia. 3
De Temporum pulsatione. 124
De Ebrietate. 134
De Phrenitide. 3
De Lethargo. 4
De Apoplexia. 5
De Epilepsia. ibid.
De Paralysi. 8
De Stupore 9
De Vertigine. ibid.
De Tremore. ibid.
De Conuulsione. 10
De Conuulsione flatulenta. ibid.
De Incubo. 11
De Noctambulis. ibid.
De Melancholia. ibid.
De Insania. 12
De Cœcitate. ibid.
De Lachrymis. 13
De Gutta Serena. ibid.
De Ophthalmia. 14
De Albugine. ibid.
De Strabismo. 15
De Epiphora. ibid.
De Palpebrarum moro. ibid.
De Palpebrarum Paralysi. 16
De Palpebrarum Pediculis. ibid.
De Aurium dolore. ibid.
De Aurium Verminatione. ibid.
De Surditate. ibid.
De Parotidibus. 17
De Narium Morbis. ibid.
De Gutta Rosacea. ibid.
De Gutta Rubra. 18
De Faciei Formica Corrosiua. ibid.
De Nigredine faciei. ibid.
De Liuore faciei. 123
De Linguæ lapide. 19
De Linguæ Verrucis. ibid.
De Linguæ Tumore. ibid.
De Linguæ Paralysi. ibid.
De Palati vlceribus. ibid.
De Dentium dolore. 20
De Fœtore oris. ibid.
De Oris vlceribus. ibid.
De Gingiuarum Hæmorrhagia. 21
De Epulide. ibid.
De Angina. 22
De Gurgulione. ibid.
De Tonsillarum vlceribus. 23
De Gulæ resolutione. ibid.
De Strumis. 24
De Axillarum fœtore. ibid.
De Tussi. ibid.
De vocis læsione. 25
De Raucedine. ibid.
De Mutitate. ibid.
De Pulmonibus. 26
De Pulmonis Hydrope. ibid.
De Pulmonis Tuberculo. 27
De Pleuritide. 28
De Pleuritide Annua. 127
De Pleuritide duplici. ibid.
De Suppuratione. 29
De Tabe Asthmatica. 30
De Orthopnœâ. 136
De Mammillarum Cancro. 31
De Nutricis electione. 32
De sputo Sanguinis. ibid.
De Phthisi. 33
De Tabe Dorsali. 34
De Tabe Mucronatæ Cartilaginis. ibid.
De Tabe Infantili. 35
De Contabescentia puerorum. 135
De Tabe Annua. 126
De Tabe Gallica. 35
De Tabe Coxaria. ibid.
De Atrophia. 36
De Tabe Pericardij. ibid.
De Inflammatione Pericardij. 37
De Corde. ibid.
De Cordis Palpitatione. 38
De Syncope. ibid.
De Syncope Cardiaca. ibid.
De Animi deliquio. 39
De Animi Pathematis. ibid.

LIBER SECVNDVS.

De Naturalium, Genitalium, & Inferiorum partium affectibus.

De Ventriculi dolore. 40
De Verruca ventriculi. ibid.
De Attritione ventriculi. ibid.
De Ardore ventriculi. 41
De Hectica ventriculi. ibid.
De Imbecillitate ventriculi. ibid.
De Ructu. 43
De Melancholia Hypochondriaca. ibid.
De Melancholica Mœstitia. ibid.
De cibi fastidio. 44
De Vomitu. ibid. & 129

De

De Pica. 129
De Cholera. 45
De Dyſenteria. ibid.
De Diarrhœa. 46
De Alui fluxu Lapidoſo. 137
De Colico dolore. 47
De Iliaco dolore. 48
De Vmbilici dolore. 50
De Vermibus. ibid.
De Hepate. 52
De Hepatis Phlogoſi. ibid.
De Hepatis Ardore. ibid.
De Hepatis Scirrho. ibid.
De Lienis dolore. 53
De Lienis Scirrho. ibid.
De Morbo Regio. ibid.
De Iâtero Nigro. 139
De Hydrope. 54
De Lumborum dolore. 57
De Calculo Renum. ibid.
De Calculo Veſicæ. 58. & 139
De Trichiaſi. ibid.
De Iſchuria. ibid.
De Mictu Sanguinis. 59
De Ardore Vrinæ. ibid.
De Diabete. 60
De Inguinum dolore. ibid.
De Hæmorrhoidibus. ibid.
De Hernia Aquoſa. 61
De Vtero. 62
De Vteri Tumore. ibid.
De Nympha. 63
De Vteri Pruritu. 64
De Vteri furore. ibid.
De Vteri ſtrangulatu. 65
De Vteri Procidentia. ibid.
De Vteri Vlceribus. ibid.
De Vteri Profluuio. 66
De Vteri dolore. ibid.
De Menſtruis. ibid.
De Menſtruorum Stillicidio. 67
De Menſtruorum Suppreſſione. ibid.
De Pene Virili. 69
De Colis Palpitatione. ibid.
De Penis duritie. ibid.
De Penis Conuulſione. 128
De Nimio Coitu. 70
De minuendo Coitu. ibid.
De Veneris abſtinentia. ibid.
De Ignauia Genitalium. 71
De Gonorrhœa. 72
De Gonorrhœa Virulenta. 73
De Sterilitate. 76
De Conceptione. ibid.
De Grauidatione. 77
De Ignorata Grauidatione. 79
De Falſa Grauidatione. ibid
De Mola ventoſa. ibid.
De Mola Aquoſa. 80
De Mola Carnoſa. ibid.
De Mola Membranoſa. ibid.
De Partu. 81
De Partus difficultate. ibid.
De Abortu. ibid.
De fœtu mortuo. 82
De Sphincteris Reſolutione. 84
De Coxendicis dolore. ibid.
De Gonagra. 85
De Tibiæ dolore. 86
De Arthritide. 87
De Podagra. ibid.
De Tophis Articulorum. 88
De dolore Vago. 123
De dolore Calcanei. 89
De dolore Plantæ pedis. ibid.
De pede ſummo. 136

LIBER TERTIVS.

De Febribus, & varijs affectibus.

DE febri Diaria. 91
De Synocho imputri. ibid.
De Synocho Putri. 92
De febri Ardente. 93
De febri Purpurea. ibid.
De febri Liuida. ibid.
De febri Alba. 94
De febri Rheumatica. 95
De febri Puncticulari. 97
De febri Culicularí. ibid.
De febri Ampulloſa. ibid.
De febri Eſſeroſa. 98
De febri Anxioſa. ibid.
De febri Sudorifera. ibid.
De febri Horrifica. 99
De febri Singultuoſa. ibid.
De febri Laſſitudinaria. ibid.
De febri Syncopali minuta. ibid.
De febri Syncopali humoroſa. 100
De febri Colliquante. ibid.
De febri Leipyria. ibid.
De febri Epiala. 101
De tertiana Exquiſita. ibid.
De tertiana Notha. 102
De febri Quotidiana. ibid.
De febri Semitertiana. ibid.
De febri Quartana. 103
De febri Erratica. ibid.
De febri Decimana. ibid.
De febri Hectica. ibid.
De febri Hectica cum putrida complicata. 104
De Peſte. ibid.
De febri Peſtifera. 106
De Carbunculo peſtilenti. 129
De Bubone peſtifero. 130
De Variolis. 107
De Morbillis. ibid.
De febri Maligna. ibid.
De Morbis Cutaneis. 108
De Sanguinis Miſſione. ibid.
De Hirudinibus. 110
De Scarificatione. 111
De Purgatione. ibid.
De Excrementis. 112
De Vrinâ. 138
De Sudore. 112
De Sudore fœtido. ibid.
De Sudore Sanguineo. 113
De Sudore Nigro. ibid.
De Sudore frigido. 134
De excreſcentiis Carneis. 113
De Vlceribus. 139
De Nodis. 125
De obeſitate nimia. ibid.
De gracilitate ſumma. 132
De Venenis. 114
De Rabie. 115
De Alexipharmacis. 117
De Monſtris. 118
De Morbis nouis. 119
De Morbis trans naturam. 139
De Conſuetudine. 120
De Idioſyncraſia. 122
De Incuria Miniſtrorum. 140
De Inſcitia Medicorum. 142

PRÆLV

©BIUM

PRÆLVDIVM.

MEDICOS NATVRA PRVDENTES INTEREST, IN EXEMPLIS EXERCITARI.

DIVINISSIMVS Hippocrates *lib. de lege, num.* 2. sic præfatur: *Primùm quidem igitur omnium naturâ opus est. Naturâ enim repugnante irrita sunt omnia*, &c. Summoperè ergo in Medico expetitur natura, hoc est, naturalis quædam potentia, habilitas, genius, & natiua propensio ad curandum: nam *quod ex libris acquiritur, multum est; quod verò superadditum est, infinitum, & incomprehensibile est*, dicebat Auicenna *in præfatione*. Insuper *Medicum oportet esse naturâ prudentem*; inquit Galenus *lib.* 8. *meth. cap.* 9. *& benè exercitatum*. Hic enim cæteris valdè excellit, vt docuit *Magister lib.* 2. *acut. com.* 36. *Proinde naturalem, & prudentem Medicum, exercitari maximè conuenit: neque enim satisfaciunt ad exactam cognitionem vniuersales methodi. Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis vsurpauimus, quando, si omnes qui docere, scriberéve aliquid sunt aggressi, ea priùs operibus ostendissent, prorsus paucula quædam falsò dicerentur. Nunc verò plerique alios docere tentant, quæ nec ipsi vnquam fecerunt, nec alijs ostenderunt. Hæc lib.* 9. *meth. cap.* 4. *& cap.* 6. sic ait: *Pro comperto habentes non licere vllius artis scientiam nanciſci, nisi & methodum quandam habueris per vniuersalia vocata Theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris. Cùm neque fieri possit, vt sine multiplici in ægris singulatim exercitatione, quod ex vsu sit, facias*, &c. Repetit *lib.* 2. *meth. cap.* 4. *& lib.* 2. *cap.* 3. *de causis pulsuum*: Nam *non curatur homo communis, & generalis, sed nostrûm quisque, alius videlicet aliud temperamentum, naturámque obtinens*, vt rectè monuit Galenus *lib.* 3. *meth. cap.* 7. Ob hanc causam glorioſus Auenzoar *lib.* 1. *theizir, tract.* 16. *cap.* 6. Se, suas & aliorum historias enarrâsse refert, vt essent exemplum cæteris. Qua de causâ *Hippocrates, Galenus, Principes omnes, Latinobarbari, Classici*, in suis libris memorabiles reliquerunt obseruationes, & nos, tantos viros imitati, hæc rara, & non infrugifera exempla in communem vtilitatem, quæ semper ab ingenuo homine præponenda est, emittimus in lucem, in quibus si multa displiceant, & correctionem expostulent, ea absque morsu, & insectatione tuetor, & sicut optimum Medicum, atque Philosophum decet, benignè interpretator. Quare & nobis, si quid minùs ad prudentiæ Solem, coctum damus, condonandum: non enim ex iis sumus, qui perfectissima nos scribere censemus, sed illorum numero volumus adiungi, *qui & scribendo proficiunt, & proficiendo scribunt*. Quare tuâ interest, quùm prudens sis, & arte *Hippocraticâ dignus, quæ in hoc opere de nouo sunt inuenta, multâ prosequi gratiâ*.

ZACVTI

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,
DE
PRAXI MEDICA
ADMIRANDA,
LIBER PRIMVS.

DE CAPITIS, ET SPIRITALIVM partium affectibus.

OBSERVATIO I.
De Alopecia.
Ad regenerandos, & denigrandos pilos, auxilium peregrinum.

A



ONTVMAX & importuna affectio, Alopecia eſt, præſertim ſi gallica ſit, in qua licèt ſolùm capitis, & barbæ pili ſenſim citra aliam corporis læſionem ferè defluant; multoties tamen ita premit, deformésque homines reddit, pertinacitérque affligit, vt pluribus celebratis præſidiis vix ſuccumbat. In *Braſilienſi regno*, præcipuè in ciuitate dicta *Pernambuquo* reperiuntur plures arbores, quæ ab incolis vocantur *Ginibabo*, quarum fructus mali Medici ſuperat magnitudinem. Color illi ineſt viridis, obſcurus. Ex hoc fructu manu compreſſo diſtillat aqua colore, ſapore, & liquiditate ſero lactis ſimillima. Hac ſi faciem, caput, barbam, manus, aut quamuis aliam partem abluas, illicò pili, & ablutæ partes nigerrimo colore ita inficiuntur, ac ſi atramento ſcriptorio eſſent delibutæ, & hic niger color ita octiduò firmus perſiſtit, vt licèt varia præſidia pro dealbandis infectis partibus miniſtres, deleri nequeat, quouſque, hoc dierum numero tranſacto, partes delinitæ ſponte ſuâ ad priſtinum paulatim redeant colorem. Hæc aqua ad generandos pilos etiam eſt mirabilis. Conſeruatur in vaſe vitreo, aut cupreo per multos annos incorrupta, & ſic huic vſui apud Luſitanos, & Occidentales ſummo eſt in pretio. Vtinam mercatores Luſitani, & Hollandi, qui oras illas ſæpè frequentant, eam mercimonij cauſâ ad nos aſportarent: nam præterquam quòd eſt mirabilis in dictos vſus, etiam citra vllam noxam opus ſuum conficit.

B

C

OBSERVATIO II.
De Porrigine.
Porrigo anguium decocto curata.

INfrequens affectus porrigo eſt, à Græcis vocata Pityriaſis. Barbari furfurationem dicunt. Hæc licèt paſſio ſit cutis vniuerſæ, vt Trallianus, *lib.1.c.4.* & Paulus *lib.3.c.3.* affirmant; tamen capiti, ſuperciliis, barbæque communis eſt, ex Celſo *lib.6.cap.2.* è quibus partibus ſquammulæ furfurum inſtar decidere ſolent. Generatur hæc paſſio ex craſſa, fumidáque vaporatione, quandoque à pituitoſo humore, ſalſo, interdum à bilioſo, vel melancholico eleuata. Morbo hoc oppreſſus iuuenis quidam aulicus nullis vnquam auxiliis conſaneſcere potuit. Imperata diætâ. Exhibitæ purgationes variæ, adminiſtratum balneum. Hirudines mariſcis non ſemel affixæ. Aſſumptum lactis ſerum multiplici lege præparatum. Phlebotomiæ ex gibbero, & ſaluatella celebratæ. Cauteria cruribus, & brachiis inuſta. Omnia fruſtrà. Tandem anguium decocto per quadraginta dies exhibito, nocturno tempore, tribus horis poſt cœnam, quantitate vnciarum ſex, adiecto ſaccharo, omninò conualuit. Nec mireris: Nam angues (viperas vocat Ariſtoteles *lib.8.de generat.animal.c.17.*) exiccant, abſtergunt, cutem mundificant, humorem ſuperfluum ad partes externas detrudunt, & natiuâ quadam ſorte prauam humoris qualitatem infrænant, ex Plinio *lib.30.cap.13.* & ſic elephanticis ſummo ſunt auxilio, vt celeberrimis hiſtoriis *lib.11.ſimpl.2.* Galenus, & Aretæus *lib.2.chronic.morb. cap.vlt.* confirmant. De quarum vi mira pro curandis affectibus cutaneis, electione, & præparandi ratione, pulchra ex veterum, & iuniorum penu prædiximus *lib.1.de Medic.Princip. Hiſtor. in com. Hiſtor.vlt.*

OBSERVATIO III.
Porrigo importuna, balneo ex vrinâ, curatur.

QVantam efficaciam pro cutaneis curandis morbis, balneum ex vrinâ afferre conſueuerit, *lib.10. Simpl. cap.15.* Galenus, & *Tetrab.2.ſerm.1.cap.108.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 773 sur 927

Aëtius confirmant: nam vehementer abstergit, & potenter repurgat; quo pacto scabiem, sorditiem, pruritúmque nitrosâ, quâ pollet facultate persanat. Hæc virtus Vrinæ admiranda, hoc exemplo fiet manifesta. Inuenis quidam melancholicus porriginem diu passus est: illi enim tenues & furfuraceæ squammulæ, ex capitis & vniuersi corporis superficie continuò resoluebantur, pluribus vlceribus relictis, è quibus sanies quædam virulenta, ex interuallis, per totum corporis ambitum emanabat. Quòd malum cùm non solùm sit fœdum & molestum, sed periculosum, & facilè in lepram commigret, idcircò illi citissimè auxiliares manûs adhibere oportet. Hoc pacto præter suprà citata præsidia, infinita propemodum alia est expertus, balnea thermalia, sudationes ex similâce asperâ paratas, quarum vi huius ferini morbi qualitas pernicios retunditur; vnguenta ex Mercurio parata: tandem solo vrinæ balneo omnimodam consequutus est sanitatem, in quo priùs furfures & sumaria erant incocta.

OBSERVATIO IV.

De Achoribus.

Restricto medicamentorum vi humore ex capitis vlceribus emanante, infantes subitò occumbunt.

SVminus Medicorum Antistes auream protulit sententiam *lib. de morb. sacro, num.* 10. dum sic ait. *Et quibuscumque pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui saliuosi fiunt, ac mucosi, hi ipsi processu ætatis facillimè degunt: hîc enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerunt, Comitiali, siue sacro morbo non prehenduntur*, &c. Plures vidi infantes, & pueros achoribus correptos, in quibus incauti Medici, nullâ factâ huius oraculi commemoratione, matrum querimoniis persuasi, citra infantium, aut nutricum prouidentiam, vnguenta styptica, & repellentia, capiti, parti sanè præstanti, administrârunt. Quo factum est, vt qui expulso ad cutem humore ab epilepsia, cæterisque grauissimis cerebri vitiis erant immunes, præsidiorum exiccantium vi, in Apoplexiam, Comitialem morbum, Conuulsionem, Cæcitatem, & mortem subitam, restagnante ad internas sedes humore, incurrerint. Ab his ergo medicamentis Medici caueant est necesse.

OBSERVATIO V.

De Cerebro.

Sine Cerebro vixit quidam tribus annis.

DEcennis puer percussus est cum ense in parte posteriore capitis. Hic passus est vulnus satis magnum cum incisione ossis, velaminum, & deperditione substantiæ cerebri: nam hæc exiuit quantitate nucis iuglandis. Curatus conualuit citra noxam. Hic post tres annos confluentibus succis ad partem debilem, hydrocephalo correptus emoritur. Apertum caput sine cerebro est inuentum. Dura meninx in conspectu apparuit duplicata; Habebat tamen in se aquam limpidissimam, bonique odoris, quæ ab adstantibus gustata, insipida videbatur. At in præsentia putrilaginis tantæ, iucundum odorem persentiri, monstrosum est, cùm ingens corruptio graueolentiam ex se prodat manifestam.

OBSERVATIO VI.

Cultelli dimidium octennio intra cerebrum latens citra noxam.

MEretrix cùm in caupona nimiùm Baccho indulgeret, ebria, & rixabunda obuios quosque obiurgabat. Ecce ab alio ebrio, longo satis, at acutissimo cultello, illi super verticem capitis profundum inflictum est vulnus. Semimortua pluribus diebus sine sensu & motu remansit, deinde magno labore curata euasit. In huius post octo annos ex febri malignâ emortuæ, & in Xenodochio per anatomen dissectæ capite, intra duram matrem, & cranium, dimidium cultelli, quo antea fuerat vulnerata, ferrugine obsitum, inuentum est. Hæc dum post vulnus vixit, munera domestica exercebat, & nullam vnquam facultatum rectricum, aut animalium actionum læsionem sensit. Lege apud Hildanum *lib. 2. Centur. Chirurg. 2.* pulchra de globulo sclopetario intra cranium, & duram matrem per sex menses citra vllam noxiam impacto. Nec mireris: nam si inuenta est cerua quæ infixam gestauit cordi antiquam ex venatione sagittam, testante Thoma à Veiga in operibus artis valdè insigni, & fide dignissimo, *in com. cap. 1. lib. 5. Galen. de loc. affectis, verbo,* [*sequenti*;] quid dubitandum ferrum in cerebro parte minùs præstante ad vitam, diu potuisse esse infixum? Vide de cerebri mirabilibus vulneribus exempla prodigiosa, apud variæ lectionis viros Marcel. Donat. *lib. 5. de histor. Med. mirabili, cap. 4.* Valleriol. *lib. 4. obser. 9. & 10.* & Schenckium *lib. 1. obser. de capitis vulneribus.* Alexand. Benedict. *lib. 4. anatom. cap. 24.* qui vulneratum circa tempora sagittâ, post annum 25. teli partem sternutatione reiecisse affirmat.

OBSERVATIO VII.

De Cephalæa.

Cephalæâ diuturnâ concussus, expulso per nares miro verme, conualuit.

GEnerari in cerebro vermes, implacabilésque dolores ex ea causa renasci, Auicennæ, Hollerij, Conradini, Coiteri, & aliorum peritissimorum virorum testimonio ratum est. Quidam cùm pertinacissimo, immaníque capitis dolore, nocturno præsertim tempore vexaretur, quem omnes Medici, morbum gallicum esse arbitrantes, sudorificis, & guajacinis præsidiis, mercurialibúsque vnguentis sæpiùs citra fructum macerauerant, velut desperatus; cùm sibi rotum cerebrum terebello perforari videretur, & illæsis sensibus internis per vniuersum cerebrum, conuulsiones pateretur, post varia purgantia adhibita, errhino vsus ex pipere, & castorio, parato, magnâ violentiâ, præcedentibus corporis tremoribus, sternutamento excreuit per nares vermem nigrum, rotundum, obesum, illis simillimum, quos in vetustiori caseo reseruari sæpè videmus; excepto, quòd rostro erat tantisper acuto, quo expulso à dolore immunis euasit. Num autem in cerebri substantia, vel in duræ matris sinubus tamdiu latuerit, explicat latè, at ingenuè Alzarius à Cruce *lib. 3. Centur. & responsion. medicinalium ferè per totum*: lege Auic. interpretes *in com. cap. 3. 1. 3. tract. 2.* Cornel. Gemmam *lib. 1. Cosmoc. cap. 4.* Trincauel. *libr. 9. de curandis affect. cap. 11.*

***

OBSER

OBSERVATIO VIII.

Sæuus capitis dolor, excitato fonticulo in ſumma manu, curatur.

IVuenis ſatis robuſtus, quùm truculentum diu pateretur capitis dolorem, & multis bienniò tentatis leuari non poſſet, relictis præſidiis expurgantibus, & occluſis crurum, & brachiorum cauteriis, quibus ad vacuandum humorem è capite per annum incaſsùm vſus eſt; tandem excitato fonticulo in manu dextra ſumma, quâ parte capitis ampliùs vrgebat dolor, inter indicem, & pollicem, in parte externa (Mercurij monticulum auerſum dicunt Chiromantici) omnino ſanus eſt factus. In hac enim parte excitatum cauterium, ob viciniam cum carpo, vbi ramus cephalicæ excurrit, humorem peccantem è capite promptiùs exhaurit, ab affecta parte quàm longiſſimè reuellit, & cum morbi leuamine minùs vires deiicit.

OBSERVATIO IX.

Immanis temporum dolor cum eorum palpitatione coniunctus, hirudinibus temporibus affixis curatur.

IN temporibus ſecandas eſſe arterias, veterum ſcientiſſimi plurimis in locis aſſeruêre, edocti à ſuo Magiſtro Galeno, *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 22. & lib. 13. meth. cap. vlt.* licèt ob vaſa inſignia per tempora excurrentia, tum vulnera illarum partium lethalia ſint, tum arteriotomia valdè periculoſa. Cúmque ad hanc partem ſuapte naturâ debiliſſimam, ab infernis partibus, præſertímque ab vtero, craſſi, fœculentíque humoris copia irruat, intolerabilis dolor ſimul cum frequenti temporum palpitatione coniunctus ſæpè concitatur, vt plurium medicamentorum, vel etiam narcoticorum efficaciam contemnat. Tamen fidiſſimo experimento à me compertum eſt, in ipſis temporibus, decem, aut duodecim hirudines circulariter imponere, ſic enim, extracto ſanguine limoſo, & multo, ægri à ſæuo cruciatu redduntur immunes, & eſt ſecurius arteriotomiâ auxilium.

OBSERVATIO X.

Contumax cephalæa, ſectâ in cantho oculorum venâ, curatur.

QVædam, cephalæâ diu miſerrimè concuſſa, quùm fruſtra plurima tentâſſet auxilia, ſolâ ſectione venæ, quæ per angulos oculorum excurrit, curata eſt. Hæc vena apparet facillimè, ſi collum modicè, & axillas validè faſciâ conſtringas, ex cuius ſectione in dolore capitis, & in hemicrania plurimum ſequi iuuamentum teſtatur Auicenna 4. 1. *cap. 20. prope fin.*

OBSERVATIO XI.

Dira Cephalæa venâ ſectâ in fronte, curatur.

QVantam vtilitatem in grauiſſimis capitis doloribus, & morbis, venæ ſectio in fronte afferat, luculentiſſimè oſtendit Arabicæ familiæ auctor primarius 4. 1. *cap. 20. prope fin.* dum ſic dicit: *Venæ ergò ſunt, ſicut vena frontis, quæ inter duo exiſtit ſupercilia, & ipſius quidem phlebotomia confert grauitati capitis, & propriè illi quæ eſt in poſteriore parte capitis, & grauitati oculorum, & dolori capitis perſeueranti antiquo, &c.* firmat Paulus *lib. 6. cap. 40. in fin.* Hanc venam Medici ferè in acutis cerebri affectibus ſecare ſolent, poſtquam totum corpus exquiſitiſſimè vacuatum eſt, cùm locale remedium ſit, monente Galeno *lib. 6 epid. ſect. 2. com. 9. & 27.* At in diuturnis morbis, quia ferè à cauſa frigida ſcaturiunt, ipſi eam contemnunt. Adoleſcens carnoſus, & rubicundus, truculento per multos annos premebatur dolore in toto capite, qui ad radices oculorum ferociſſimè ex interuallis cruciabat. Adſtante dolore, oculi rubebant, quos veluti emiſſitios, & foras protuberantes cerneres, aderant lachrymæ inuoluntariæ cum ardore, & ſenſatâ acrimoniâ perceptæ. In facie, & præſertim in maxillis ingens conſpiciebatur rubor cum motu oculorum turbulento, demùm dolore percitus veluti furibundus oberrabat, attamen citra febrem, ſitim, aut phlogoſim vllam. Quæſita ſcaturigo mali, eam medentes à flatu craſſo, & humoris pituitoſi copiâ emanare vnanimiter rati ſunt, ſícque multa interna, & externa calida admota fuêre remedia, ſed fruſtra, quùm omnes abeſſent à cognitione veri; ſuperueniens ego, relictis auxiliis prolicientibus ſudores, æſtuariis, & calidiſſimis capiti impoſitis medicamentis, hunc dolorem à calidiſſimo ſanguine retento, minimè putrido, copioſo tamen, excalfacto, & acriori reddito, erodente, ac perforante membranas ortum habere mihi perſuadens; à capite, proprio primarióque affectu laborante, exhauriendum eſſe ſanguinem palàm oſtendi. Sicque reluctantibus omnibus, cephalicam tundo, cucurbitulas cum ſcarificatione occipiti adhibeo, & tandem bis ſectâ in fronte venâ dolorem denuò nullum eſt expertus. Si fortè verò citra dolorem oculorum rubor recrudeſcebat, venæ mediæ ſectione, & capiti balneo attemperante admoto leuabatur, ſic enim faciendum ſuadet Magiſter *lib. 6. de ſanit. tu. cap. 9. §. Quando ſi ex calida intemperie caput malè habet, talia medicamenta noceant. Expedit igitur hos frequenti balneo potabilis aquæ fouere, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus, &c.*

OBSERVATIO XII.

Immanis Cephalæa, cauterio in vertice capitis excitato, ſanatur.

MOrbi mites, leuia; crudeles, extrema expoſtulant auxilia. Fœmina quædam quinquennio ita ſæuum patiebatur capitis dolorem, vt ſibi caput vniuerſum frangi, diſtendíque malleo videretur: Et cùm ex præſcripto Medicorum, plura, eáque generoſa experta eſſet auxilia, quæ ad humoris flatulenti ac pituitoſi copiam abſumendam, & cerebrum roborandum imperari ſolent; & malum per proprietatem in capite eſſet, nullo alio quàm cauterio in vertice capitis excitato, à quo loco dolor ferociùs inſiliebat, potuit perſanari: nam emanante ichore multo à fonticulo, poſt tres menſes in totum ſana euaſit.

OBSERVATIO XIII.

De Phrenitide.

Phrenitis ſæua, artificioſâ vacuatione curata.

DVx ſtrenuus cùm phrenitide magnâ laboraret, & ob ferociſſimos, validóſque corporis motus ex ſiccitate neruorum contractos, illi nulla reuellentia poſſent adminiſtrari auxilia, quidam ex adſtantibus ſuaui cantu eum demulcens, pennam ad radicem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 775 sur 927

multùm fissam, nostro consilio, & in stellæ effigiem paratam intra nares ex improuiso intromisit, ac fortiter circumduxit: quo facto tanta ex nare dextrâ sequuta est hæmorrhagia (erat enim iuuenis, quadratus, & sanguine turgens) vt copiosissimam æquaret phlebotomiam, quâ copiâ excretâ, natura à sarcinâ leuata, residuum humorem per sudorem, aluique fluxum detrusit, & æger paulisper ad se rediens, conualescere cœpit.

OBSERVATIO XIV.

Phrenitis confirmata, cucurbitulâ in syncipite scarificata, curatur.

CVm inflammatio meninges cerebri occupat, eo modo quo phrenitis curanda est. Fœmina quædam, febri acuta laborans, neglectâ phlebotomiâ ob incuriam Medicorum, ex vigiliis, & dolore capitis, attracto sanguine ad superas partes, in sæuam incidit phrenitidem, adeò vt iam raptaret muscas, & ad pedes lectuli iacens, continuò delirans, in horas moritura speraretur. Huic opem ferens, cucurbitulas dorso, occipitique scarificatas apponendas impero, ex fronte, nasique venulis sanguinem exhaurio, & alia reuellentia auxilia procuro. Sed cùm debilis esset, nec ad ferendam cephalicæ sectionem, aut purgantium medicamentorum vsum, vires essent satis, & nullus videretur esse remedio locus, in casu conclamato, ad cucurbitulam, in syncipite scarificatam accessi, ex qua cùm sanguis copiosè emanaret, contra Medicorum vota, sana euasit.

OBSERVATIO XV.

Phrenitis vtiliter in lethargum transmutata.

PHrenitidis metastasim in lethargum reprobam esse docuit Galenus *lib. 6. epid. sect. 6. com. vlt.* §. *Contra verò non vtiliter phrenitis in veternum, &c.* Ob multas causas hoc contingere certum est. Et licèt mutatio ista mala sit ob virtutis imbecillitatem ex phrenitide contractam: Tamen cùm lethargus sit morbus ignauior, & minùs acutus, si vires non sunt ita deiectæ, ægrum liberari aliquando contingit. Miles fortis post 25. diem, è Phrenitide facta, & ferina in lethargum incidit. Hic cùm antea vigiliis esset, & inediâ confectus, somno profundo immersus refocillauit vires, & ex interuallis expergefactus cibum aliqualiter pitissabat, & ad oblata meliùs respondebat. Somno, & cibo recreatâ naturâ, & bilis feruore remisso, ita præualuit contra morbum, vt suborta hæmorrhagia ægrum perfectæ sanitati restitueret: quæ vacuatio licèt non sit propria lethargo, ex Galen. *3. de crisib. cap. 3.* §. *Non tamen lethargus fluxum sanguinis amat, &c.* quia humor crassus, lethargi causa, non ita recludit ora venarum, quâ ratione in peripneumonia reprobatur ab Auic. 10. *3. tract. 4. cap. 10.* tamen cùm multa portio bilis esset in cerebri meatibus impacta, ex præcedenti morbo, fluxu sanguinis per nares, commodè vacuari potuit.

OBSERVATIO XVI.

Phrenitis conclamata, philonio curata.

NArcotica extremâ necessitate esse in potum porrigenda, firmat Galenus *lib. 2. medicam. sec. loc. cap. 1.* & *lib. 3. cap. 1.* & *lib. 8. cap. 3.* Vltima necessitas est, quando ob diuturnam vigiliam homo de vitâ periclitatur: tunc enim melius est aliquid cum fiduciâ, vel temerarium remedium cum periculo tentare, quàm ægrum spe omni ademptâ certò perire, vt perbellè dictabat Galenus *lib. 10. Meth. cap. 10.* His tantis sententiis munitus, ad curandum Phreniticum accessi, in cuius curatione peritissimi quique Medici, propositâ amplâ remediorum syluâ, industriam suam, frustrà tamen exercuerant. Erat in vndecimo die constitutus, cum validâ febre, ingenti siti, linguâ adustâ, rixosus, immorigerus, debilis, delirus, omnino vigilans & pænè conuulsus. Ad sanguinis missionem reiterandam erat inualidus. Purgationes, necnon refrigerantia clysmata renuebat omnino. Embrochæ, quemadmodum & somnifera syncipiti admota, nullo erant ex vsu. Quare in conclamato casu, quum septem diebus summâ cum ferociâ persisteret oculis inconniuis, ad medicamenti narcotici potum intrepidè accessi; inter quæ nullum est præsentius philonio Persico, de cuius laudibus miris pro conciliando somno plura docuit *Mesuës:* Sanguinem enim attemperat, incrassat, refrigerat bilem, vasa occludit, sensûs clementer heberat, & sic somnum suauiter prouocat. Dedi ergo illi matutino tempore drachmam vnam in aquâ plantaginis dissolutam: quâ oblatâ non ita ferociter delirauit. Hoc modo alacrior factus, alterâ drachmâ vesperi assumptâ requiescere cœpit, & decem horarum spatio obdormiscens, expergefactus sudauit, & ad sanam mentem rediens, clysteribus refrigerantibus & nutrientibus vtens, multâque copiâ biliosi humoris per aluum depositâ, à morbo post vigesimum secundum diem immunis euasit.

OBSERVATIO XVII.

De Lethargo.

Lethargus, cauterio curatus.

IN Apoplexia, Caro, aliisve merè frigidis affectibus ad excitandam facultatem, liquandúmque tenacem succum, toto priùs corpore, & cerebro vacuato, cauteria, clypeum candentis ferri, sinapismos, & emplastra calidissima esse adhibenda, veteres, & recentiores vnanimiter prædixerunt. Vocatus vt inuiserem ægrum, qui post dies 30. inexpugnabili dormiendi necessitate correptus cum febricula lenta, ægrè palpebras attollere poterat, profundo somno immersus. Hic varia reuellentia, & vacuantia erat expertus, quibus cùm non leuaretur, ad cauterium accessi cum vtilitate summa. Quare candenti ferramento crustas in vertice capitis excitaui, in occipite vnam, & circum circà multas: ex quibus cùm excitaretur æger, & ichores effluerent, expergefactus ad mentem rediit. Hoc auxilio præter omnium spem, omnibus tentatis, memini me bis caroticos persanâsse: hi enim, ignis ope, liquatâ pituitâ, & per multos dies per os, & nares excretâ, conualuêre.

OBSERVATIO XVIII.

Lethargus, criticâ surditate solutus.

IN malignis, turbulentísque febribus surditatem superuenientem ferè semper salutis esse prænunciam, noxiis humoribus ab intimis cerebri sedibus, ad auditorios meatus, tanquam ad vicinas, minúsque præcipuas partes crisi quadam delatis, Arabum maximus confirmat Auicenna 4. 3. *tract. 1. cap. 3.* dum sic ait: *Nocumentum præterea auditus, quandoque accidit secundùm semitam crisium, & secundùm semitam permuta*

permutationis materiæ in fine agritudinum acutarum, &c. Quidam, quùm in maligna febri post 17. diem, conuolante humore ad cerebrum à partibus inferis, dolore capitis intenso, vigiliis, & delirio oppressus, fieret lethargicus, post multa remedia tentata, nullo alio quàm superueniente surditate in die trigesimo quarto post coctionem, consanescere potuit.

OBSERVATIO XIX.

De Apoplexia.

Apoplecticus pro mortuo habitus, post duorum dierum spatium reuixit.

APoplecticos pro mortuis habitos, & ad foueam delatos, postea reuixisse tradit Auic. 3. 1. *tract.* 5. *cap.* 12. agitant inter omnes clarissimus Gregorius Horstius *lib.* 7. *de Medic. Histor. mirabil. cap.* 9. Conciliator *diff.* 182. illustrat mirabilibus exemplis Fabricius Hildanus *centur.* 2. *obs. Chirurg.* 95. & 96. Ego, mirum quid in piscatore vidisse, testari bonâ fide possum, qui quùm viginti horis apoplecticus, toto corpore frigidus, lineo panno ad sepulturam inuolutus, & consutus in terra iacuisset, dum vespillones, pro more, cadauer terræ mandaturi ad sepulturam deferrent, raucum & ignotum clamorem audientes, feretrum ab humeris in terram deponunt, pannum circa os madidum, & spumâ plenum conspiciunt, corpus detegunt. Ecce me, & duos socios Medicos, fortè ad consultationem transeuntes magnâ acclamatione appellant, vt de vita hominis iudicium ferremus; accessimus, eius priùs in metacarpio arteriarum motiones explorantes, eas vrgere deprehendimus, sícque adhibitis reuulsoriis auxiliis per cucurbitulas siccas, & acria Enemata, paulatim ad se redire cœpit, & post paucos dies pancraticè vixit.

OBSERVATIO XX.

Apoplecticus, apparente cruentâ spumâ, conclamatus, sanguinis missionis ope mirabiliter euasit.

ANtiquissimus Medicorum *lib.* 2. *aph.* 43. diuino quodam oraculo sic prædixit: *Qui suffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur in vitam, quibus spuma circa os apparet, &c.* Fidissimus interpres *in com.* sic inquit: *Spuma cum sanguine educta in suffocatis signum est exitiale, nam vehemens cordis incendium, violentam pulmonis agitationem, substantiæ pulmonis expressionem significat, quæ aëri, & fuligini permixta spumam cruentam concitat, &c.* Hæc pronunciata magnâ ex parte verissima sunt; si contrarium obtigerit, rarissimum, & monstrosum est, ex Galen. *lib. de fœt. format. cap.* 1. & *lib.* 6. *aph.* 58. Iacebat cadaueris instar in lecto æger immobilis, qui apoplexiâ concussus syderatorum more subitò corruit in terram. Hic cùm triduò inhumatus, à Medicis pro deplorato derelictus, apparente circa os copiosâ spumâ cruenta, vespillonum aduentum expectaret, pro eius salute affines, Medicorum consilio, nullum præsidium tentabant. Vxor renuentibus cæteris, me & alium socium conuocauit. Accessimus, pulsum exploramus, nullum inuenimus. At cùm esset vir robustus, corpore quadrato, & plethorico, facie subrubra, rubentibus oculis, & vini potu nimis esset vsus, hunc ex sanguine subitò irruente, & ventriculos cerebri affatim obstruente, & intercipiente, in hunc affectum lapsum fuisse rati sumus. Quare præfato priùs mortis periculo, ex vtrâque cephalicâ sanguinem parcè detraximus. Factâ hac vacuatione, pulsus obscurissimus tamen percipitur. Nos alacriores facti, altero die iterum ex eâdem venâ cruorem exhaurimus, semper tamen ad refocillandas vires, clysteria, & emplastra nutrientia apponentes. His celebratis oculos aperire cœpit, & adstantes cognoscere. Tunc audaciùs, viribus robustioribus factis, è carpo, seu ramo cephalicæ sanguinem adhuc vacuamus. Quibus omnibus vacuationibus exequutis, loquela est restituta, sanitas inducta, & ad propria munia suascribendi exequenda se transtulit, licèt pedibus aliquantisper vacillans, quæ impotentia ambulandi, vnguento roborante, & balneo ex musto facillimè curationem recepit.

OBSERVATIO XXI.

De Epilepsia.

Sæua Epilepsia è sanguine orta, copiosâ venæ sectione, curata.

GOrdonius expertissimus auctor, *cap. de Epilepsia*, hunc morbum insanabilẽ esse profitetur, quùm nullum Epilepticum in vita sua curatum se vidisse ingenuè fateatur. Nos Auctorum multorum exemplo, plurimos perfectè medicamentorum ope sanatos vidimus. Illustris quædam fœmina in anno 24. ætatis suæ constituta, robusta, & sanguine plena, horribili Epilepsiâ corripitur, nam oculos distortione violenter obuertens, manúsque ferociter intorquens, tantâ, & tam reciprocâ totius corporis, & capitis agitatione ferebatur, cum mentis, & sensuum læsione, vt eam malis geniis oppressam diceres. Ad eius curationem accedo tanquam cum hydrâ luctaturus. Illico Theriacam aceto acerrimo commixtam, ori, & naribus adhibeo. Clysteria acuta paro. Crura vinculis dolorificis ligo, cucurbitulas costis impono. Errhina fortissima administro. Tandem cùm paroxysmus septimus spatio 12. horarum eam immaniter affligeret, & metuerem, ne in Apoplexiam rueret affectus, cessante accessione cephalicam ferio. Hac vacuatione factâ octauus paroxysmus eam multò mitior apprehendit, & aliquantisper ad mentem rediit. His perspectis, iterum copiosiùs alterius brachij cephalicam tundo. His celebratis vacuationibus, & enematum acrium vi, largè exoneratâ aluo, à tanto malo euasit incolumis.

OBSERVATIO XXII.

Epilepsia è pollice excitata, causticò, pollici laboranti impositò, curatur.

VIdi casum mirabilem. Quidam pollicis sinistræ manus tremorem diu habebat. Hoc cessante (aurâ venenatâ è pollice ad cerebrum ascendente) illico Epilepsiâ corripiebatur. Cúmque sæpius hoc vitium eum opprimeret, & pro eo propulsando plura iam essent Medici machinati auxilia; tandem cauterio actuali (ad priscorum morem) pollici laboranti appositò curatus est, nam ex vlcere sanioſus ichor manauit copiosè.

OBSERVATIO XXIII.

Epileptici, syrupo Nicotianæ curati.

MIrabilia sunt, quæ de Nicotianæ efficaciâ mirâ, pro frigidis profligandis morbis referunt Monardus, Clusius, & alij, diligentissimi aromatum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 777 sur 927

ſcriptores. Sed mirabilius eſt, quod de ipſius poteſtate pro hoc debellando morbo expertus ſum. Plures grandes natu vidi, quibus plurima auxilia, tam ab occultâ, quàm manifeſtâ qualitate adhibita, nec cauteria in occipite, in capitis ambitu aperta, diúque ſeruata opitulari potuerunt, immò malo in pejus ingraueſcente vitam cum morte commutâſſent, acceſſionibus ſæuiſſimis Epilepticis prehenſi, niſi hoc pretioſiſſimum præſidium, tantum malum extingueret. Fuit autem ſerapium ex melle, & ſucco foliorum viridium Nicotianæ paratum, quo, lambitiui modo, bellè priùs purgato corpore, tribus horis poſt cœnam, quadraginta dierum ſpatio, aſſumpto vnciarum trium quantitate, vſi ſunt, & nullus vnquam paſſus eſt recidiuam. Si deſit Nicotiana viridis, ſiccâ vtitor, illâ præſertim quæ odoris ſui acrimoniâ perceptâ nares illico percellit, & ſternutamenta citiſſimè mouet.

OBSERVATIO XXIV.

Ab Epilepſia ſæua, vomitus ope præſeruatus.

PRo curanda Epilepticâ acceſſione nocentiſſimum eſſe vomitum monuit Clariſſimus Septalius *lib. 6. caution. medicar. num.* 50. dum ſic ait: *Caue ne in paroxyſmo Epilepſiæ vomitum prouoces, Vidi enim aliquos in inuaſione hoc tentantes, Scriptorum quorundam auctoritate ductos, præcipitem in mortem egros duxiſſe: ex violento enim illo motu, magis repleto capite, ac concitatâ materiâ in cerebro exiſtente, ad perfectam obſtructionem faciendam deducunt, vnde Apoplexia ſequi ſolet, &c.* Hoc in inſultu epileptico propulſando eſt veriſſimum. Cæterùm pro præſeruandis ægris à Comitiali morbo, vacuata materiâ antecedente, quæ futurum hunc morbum debet excitare, vomitum, auxilium eſſe generoſiſſimum, hoc exemplo fiet manifeſtum. Mediocris ſortis homo ſæuiſſimam Epilepſiam ab ſtomacho concitatam ex interuallis patiebatur. Hanc præcedebant rugitus in ventre, illius murmur, ſputum multum, craſſum, & viſcidum, capitis rotatio, & tenebricoſa vertigo. Trienniò innumera fuit expertus citra vtilitatem auxilia. Miſer, cùm ſepties, & octies in menſe inſultu quateretur cum ferocitate multa, & debilis ad ferenda violentiora, quæ Medici proficua eſſe prædixerant, eſſet incapax, me conſulit. Facillimum vomitorium præſcribo, quo quotidie ieiuno ventriculo cùm vteretur, toto anno ab hoc Herculeo morbo ſuperſtes euaſit. Vomitorium conſtabat ex vnciis quatuor decocti Nicotianæ ſiccæ, adiectâ vnciâ Amygdalini olei, cuius ope, bis, & ter ciebatur aluus, plurimam pituitam lentam, & mucoſam vomitu excernebat, & mouebantur ructus. Num autem in morbis ſupra iugulum vomitus ſit ex vſu, licèt humores ad caput deferre videatur, affirmatiuè inter omnes reſpondet doctiſſimus Santorellus *lib. 22. antepraxis cap.* 4. pluribus rationibus munitus. De quo argumento pulchra prædixerunt Oribaſius *lib. 1. Synopſ.* 18. Mercat. 1. *indicat.* 9. & elegantiſſimus Fernelius *lib. 3. meth. cap. 2.*

OBSERVATIO XXV.

Auxilium contra Epilepſiam præſtantiſſimum.

PVer natu admodum paruulus Epilepſiâ immani concutitur, qui in acceſſione ita ferociter agitabat caput, & oculos intorquebat, vt niſi ab aſſiſtentibus retineretur, è lectulo in terram proſiliret. Huic extra paroxyſmum varia ſunt imperata auxilia. In nucha cauterium affixum, de cuius vtilitate ſummâ tam multa prædicant Iacchinus *lib. 9. ad Almanſ. cap. 14.* Rondelet. *cap. 37. meth.* Mercurial. *lib. 2. variar. 2.* & plures alij. Cucupha ex medicamentis roborantibus cerebrum capiti impoſita, & pro ratione ætatis expurgantia exhibita. At nullo præſidio, niſi huius electuarij ope conualeſcere potuit, quo cùm per menſem ieiuno ventre quantitate ſcrupuli vteretur, ab inſultu epileptico tutus remanſit, & deinde bienniò eo vſus, nullum in poſterum malum perſenſit. Huius forma eſto hæc:

℞. *Confect. hyacinth. Confect. Alchermes, Electuar. de Gemmis, Letificantis Rhaſis, an.* ʒ j. *Theriac.* ʒ ß. *Theriac. Smaragdor.* ʒ ij. *Lapidis Belzaar.* ʒ ij. ß. *Aromatic. roſat. Diamargarit. vtriuſque, Diarrhodon Abbat. an.* ʒ ß. *Diamoſchi,* ʒ j. *Trochiſc. Gallia moſcat.* ϑ j. *Margaritar. preparat. Rubinorum præparat. Granator. præpar. an.* ʒ j. *Coral. rubri.* ʒ ij. *Pœoniæ maris, Sem. eius. Cranij humani. Pullor. hirundinis aduſtor. an.* ϑ ij. *Pulu. vermium rubi. Rutæ ſiccæ an.* ϑ j. *Cornu cerui vſti. Vnicornu an.* ϑ j. *Raſuræ eboris vſti. Cinnamomi, an.* ϑ j. ß. *Cryſtalli præparat.* ʒ ß. *Viſci quercini.* ϑ j. *Angelicæ, Flor. Anthos. Agalloch. electi. an.* ʒ j. *Dictamni, Zedoariæ, Valerianæ, Been albi, Rubri, an.* ϑ j. ß. *Seric. crudi torrefacti.* ϑ j. *Galangæ, Sem. Ocymi. Cardamomi, an.* ϑ j.

Puluerisanda ſubtiliſſimè pulueriſentur, & ſequenti ſyrupo excipiantur:

℞. *Sem. Meliſſæ.* ʒ j. *Betonic.* ʒ ij. *Flor. Stachados.* ʒ ij. ß. *Spicæ Indic.* ʒ ß. *Saluiæ, m.* ß *Sem. aniſi. Marathri, an.* ʒ j. *Myrobalanor. Indor. tritor. num. xx. Flor. borrag.* ʒ j. *Radic. acori.* ʒ ß.

Coque in lib. iiij. aq. ad duarum partium conſumptionem. Colaturæ addes mellis deſpumati ʒ iiij. Sacchar. electi, quod ſat ſit, vt fiat ſyrupus, quo prædicta excipies, & fiat electuarium, quod pro hoc domando morbo leonino, & contumaci valdè, aliiſque cerebri frigidis vitiis, tam in pueris, quàm natu maioribus, omnium efficaciſſimum ſemper ſum expertus. Cætera verò præſidia pro propulſando hoc morbo lege apud Ælianum Montaltum Medicorum Iuniorum facilè principem, *in Archipathologia tract. 2. cap. 16.*

OBSERVATIO XXVI.

Epilepſia poſt partum ſæua, hirudinibus internæ vteri parti applicatis, curatur.

POſt partum, præſertim violentum, aurâ venenatâ ab vteri ergaſtulo aſcendente, è ſuppreſſo, putrefactóque menſtruo retento eleuatâ, diros, funeſtos, venenoſóſque morbos ab vtero tanquam à primario fonte ſcaturire, memorandâ quadam ſententiâ docuit Magiſter *lib. 3. epid. ſect. 3. com. 73.* dum ait: *Quippe menſtruorum ſuppreſſio offendit, non tamen perinde, vt ſi à partu ſupprimantur, officit; quod non abundantiam modò, ſed inſignem etiam humorum pariant prauitatem: nam meliorem ſanguinem ad ſe fœtus nutrimenti causâ alliciens, relinquénſque deteriorem, cauſa eſt, vt prægnantes prauis humoribus impleantur, quos à partu euacuat natura, &c.* Fœmina quædam ex hac cauſa in truculentam Epilepſiam lapſa eſt, cum ſenſuum, ac mentis læſione: cui cùm ob vrgens periculum, bis ſecta eſſet ſaphena, quoniam purgatio poſt partum omnino erat minuta, & alia reuellentia auxilia in infernis partibus ad originem fluxionis in eodem die celebrata eſſent, tandem impoſitis tribus hirudinibus internæ parti vteri, filo appenſis, ne perreptarent intus, exhauſtâ largâ ſanguinis copiâ, meliùs habuit, & inſultus epilepticus conquieuit.

OBSER

©BIUM

OBSERVATIO XXVII.

Epilepsiâ ab vtero grauidæ correptæ, sectâ venâ in talo, tutò curantur.

MAtrona quædam nobilis cùm in septimo mense vtero gereret, optimo habitu prædita, densæ contexturæ, venas latas habens, plurimo, benéque cocto sanguine refertas, Epilepsiâ concutitur vehementi; quæ cùm in accessione faciem haberet rubicundam, & oculos sanguine plenos, ob morbi periculum, medentibus sanguinis missio habita est saluberrima, sed ex quâ parte esset celebranda, prorsus ignorant, nam si ab vtero est Epilepsia, nullum iuuamentum è brachio est, cùm ad originem, & originis principium sit deueniendum: si in talo seces, præcipitas fœtum, ipsúmque, attractâ copiâ in corpore pleno ad vterum, suffocas. His rationibus commoti, hæsêre in vado. Me vocant. Intrepidè ter ex saphena cruorem exhaurio. Hoc celebrato præsidio perfectam consequuta est sanitatem, & suo tempore fœtum edidit in lucem.

OBSERVATIO XXVIII.

Epilepsiâ apprehensa nonimestris, hirudinibus super mariscas affixis, conualuit.

FOemina grauida nonimestris, carnosa, & iuuenis, ex consueta hæmorrhoidali euacuatione diu suppressâ, in grauissimam incidit Epilepsiam, quâ cessante melancholicum patiebatur delirium. Hæc præter aeria enemata, & partium inferiorum diuersiones, sectásque in vtroque talo venas, non nisi hirudinibus ter sedi applicitis conualuit, & fœlicissimè peperit.

OBSERVATIO XXIX.

Epilepsiâ grauissimâ concussus frequenter, sectâ ex interuallis saphenâ, ab ea præseruatur.

QVadragenarius robustus, & rubicundus, tantâ violentiâ ex interuallis epilepticis conuulsionibus premebatur, vt timor esset ne ex accessionum sæuitie, in Apoplexiam rueret. Huic in accessione, & extra eam infinita propémodum remedia imperata, & pituitosus humor, qui putabatur mali causa, crebris vacuationibus est exhaustus. At hic Herculeus morbus, solùm Phlebotomiæ antidoto succubuit. Cùm enim præseruationis causâ, extra accessionem è talo sanguinem singulis mensibus emitteret, transpiratis vasis, vacuatâ copiâ ex nimis sanguifico hepate regenitâ, & distracto sanguine ad longinquas partes, seruato regimine, imposterum benè habuit. Rectè ergo Auctor non incelebris docuit *lib. de curand. rat. per sang. mis.* 19. *Comitialibus morbis obnoxios ex cruribus esse vacuandos, quùm præseruare ab imminentibus morbis voluerimus*: nam dari Epilepsiam à sanguine, multis in locis ipse docuit; explicat inter omnes Petrus Salius, Medicus celeberrimus *lib. de curat. morbor. partic. cap.* 3.

OBSERVATIO XXX.

Epilepsia, actu fluentibus menstruis, venæ sectione in lepore nasi, curatur.

IVuencula, quadrata, & viribus satis firma, in crudelem Epilepsiam lapsa est, quam vertigo præcessit tenebricosa, & omnium rerum obliuio sequuta est. Menstrua, accessionis tempore, ritè fluebant. Hæc factis, vacuationibus in partibus infernis, leuari non potuit: cúmque affectus vrgeret acutie suâ, priùs cucurbitulis femoribus appositis, è Cephalicâ sanguinem exhaurio, cucurbitulas spatulis scarificatas affigo, ex vena frontis sanguinem emitto: tandem sectione facta in lepore nasi, loqui cœpit, & reuixit.

OBSERVATIO XXXI.

Epilepsia fortissima, ope stibij, curata.

STibium præparatum (vulgus Antimonium vocat) in debellandis vitiis melancholicis, præsertim si hic humor fæculentus à viis primis sit longè semotus, diuinam vim propè obtinere, docuêre recentiorum Clarissimi. Vidi bajulum qui præcedentibus manuum gesticulationibus; linguæ inordinato motu, intensâ Cephalalgiâ, pallore faciei, turbulentis imaginationum spectris, capitis rotatione, & obfuscatione visus, in terram concidebat sideratorum instar: deinde humi prostratus tantâ violentiâ corpus concutiebat, capútque in gyrum vertebat, vt dæmonum præstigiis illaqueatum diceres. Hic plurima per annum tentauit auxilia, sed citra vtilitatem vllam: nam ter, quater, & pluries in mense oppressus, à tam calamitoso malo liber esse non poterat: at cùm euitari non posset, quin hic caliginosus humor in corpore gigneretur, & hic præ sui contumacia expurgantibus minimè succumberet, tandem assumpto quater in vi[illegible]ridij rectè calcinati spiritu, euacuatáque p[illegible]ta tenaci, cum plúrima atrabilarij humoris copiâ permixta, per vtrumque ventrem, à tanto vitio securus est factus.

OBSERVATIO XXXII.

Epilepsia ex vlcere antiquo in lepore nasi occluso, suborta, apertâ fontanellâ in tibiâ, curatur.

DVm hæc conscriberem, accessit ad me fœmina septuagenaria, cui in lepore nasi, tribus quibusque mensibus, vlcus repullulabat sordidum, copiosam virulenti humoris quantitatem triduò ex se emittens, quo finito tempore, cicatrice pars obducebatur sponte suâ: sed cùm octodecim annis hoc pateretur malum, pancraticéque viueret, nullo partis, aut corporis dolore affecta, huius fœditatis pertæsa, nebulonis cuiusdam consilio, aperto, & emananti vlceri vnguentum applicat Diapompholygos. Non pertransiuit dies, quin præcedentes immani Cephalalgiâ, Epilepsiâ deinde sæua, quateretur. Huic occurrens, illicò sectâ Cephalicâ, balano acri appositò, crurum dolorificis vinculis, ipsam ab accessione liberaui. Cùm tamen suppressâ antiquâ vacuatione per menses sex, ipsa veluti fatua, & mentis inops remaneret, minimè ad quæsita respondens, purgationem impero, quæ à capite humorem retentum, solitúmque vacuari deturbet. Hac non conferente vacuatione, & ipsâ narrante, in primo die quando ichores per vlcus apertum manabant, sentire se eleuari humorem à partibus inferis, & excitari ardorem in regione pubis; hoc attendens, ad originem fluxionis humorem reuocare studui, sícque factis fontanellis in cruribus in parte domestica, & emanante sanie, ab amentiâ, à Comitiali morbo, & vlcere antiquo, facta est incolumis.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 779 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO XXXIII.

Fœmina tres filias enixa, illicò post partum, Epilepsiâ forti concussa, occubuit.

MVlier quadragenaria grauidationis tempore lauto cibo assueta; & nimio meri potui indulgens, Athletæ habitum repræsentabat: nam vasto, speciosо, & quadrato erat corpore, venas habebat sanguine turgentes, ex internallis patiebatur hæmorrhagiam. Hæc peperit filias duas nono mense, & post tertiæ enixum, relictâ fortè portione sanguinis crassiore in vtero, ex qua, eleuatâ aurâ deleteriâ in cerebrum, idque concutiente, ac lancinante; Epilepsiâ est correpta grauissimâ, in qua omnes artûs intorquebat, & spumam extra os egerebat copiosam. Tandem in vltimo paroxysmo, viribus iam resoluta occubuit, victa morbo, qui sedulam remediorum administrationem contempserat. Quare *habitus athletarum periculosi: nam decidunt in deterius*, ex Hip. 1. *aph.* 3. *Quidquid enim ad summum peruenit, ad exitum properat*, monente Senecâ. Hinc Celsus dicebat: *Si plenior quis, & speciosior, & coloratior seipso factus videatur, suspecta habere bona sua debet.*

OBSERVATIO XXXIV.

Ex subito, inopinato bombardarum terrore, puer Epilepsiâ correptus, & mortuus.

EX terrore, tristitiâ, animi pathematis Epilepsiam co[illegible]rati, Auctorum testimoniis ratum est, & præsertim in pu[illegible] cùm fragiles sint & meticulosi, repentinis malis amplius iuuit obnoxij. Puer cùm iuxta oram maritimam natandi causâ versaretur nudus, & eo inscio tormentorum magister, illa, vt caneret itineri, exoneraret, audito bombardæ sono, ex improuiso consternatus in terram cecidit, in eáque volutatus, & Epilepticis insultibus concussus, intra horæ quadrantem extinctus est.

OBSERVATIO XXXV.

Ex vrinarum Anadrome Epilepsiâ correptus, magno labore curatur.

DVx quidam Gallus strenuus quùm diu vrinæ suppressioni esset valdè obnoxius, ex gelidæ potu intempestiuo in idem recidit infortunium, ita vt nec vrinæ guttulam excerneret. Variis auxiliis non cessit affectus, quousque septem diebus, suppressâ ex toto vrinâ, retentâ, ac putrefactâ, & vapore fœtido eleuato, cerebrúmque concutiente, æger in sæuam Epilepsiam incideret. Huic, post balneum emolliens, laxans, & aperiens, fomenta, insessiones, & varia vnguenta, quùm iam disseminato sero per vniuersam corporis molem, similis cachectico esset, summam in hoc conclamato casu vtilitatem attulêre præparatæ cantharides, quarum scrupulum cum oleo Amygdalino, postquam lamberet, calculum, cum mucore multo, & octo libras vrinæ excernens, ab Ischuriâ, & Epilepsiâ liberatus est.

OBSERVATIO XXXVI.

Epilepsia aliquando hæreditaria.

MEdicorum Scientissimus morbos quosdam è semine genitali emanare, quod similem inferat in fœtu morbosam qualitatem, quam ipsum à parentibus emissum, præ se tulerit, *lib. de natur. puer. & lib. de aër. aq. & loc.* constantissimè affirmauit: nam A à morbosis parentum partibus morbosum semen excernitur; sic Cæsij Cæsios, Distorti Distortos, Elephantici Elephanticos, Strumosi Strumosos, Podagrici Podagricos, Phthisici Phthisicos, Surdi Surdos, Calculosi Calculosos, & tandem Epileptici Epilepticos generant. Vidi abhinc multis annis Lusitanum Epilepticum; cuius octo filij, & tres nepotes, in medio ætatis flore per multos annos miserrimè Epilepticis insultibus excruciati, vitam ducebant, quos omnes hic inseparabilis morbus vsque ad mortem, nullis proficientibus auxiliis, est comitatus, excepto infante vno, bis nepote; qui eodem tentatus morbo, cauterio ad nucham indito, & aliis cardiacis præsidiis exhibitis, præsertímque oblatâ Theriacâ Smaragdorum, ab eo in posterum euasit, cuius B lapidis cardiacæ vires, pro hoc leonino morbo refrænando esse eximias, omnes vnanimiter confirmant: renuat licèt ad rauim Mundella *epist.* 1. cuius rationes ex professo conuellimus in *primo nostro Medic. Princip. Histor. lib. in com. Histor.* 22.

OBSERVATIO XXXVII.

De Paralysi,

Ad Paralysim, vnguentum præstantissimum.

COmes quidam illustrissimus, frequenti natationi assuetus, declinante die, post natationem ab C aqua exiens, totum corpus conuelli sensit, mox in pedibus, & manibus, sine motu & sensu remansit: In domum receptus, Medicos in consilium vocat, qui ex frigiditate aquæ, ipsum in Paralysim incurrisse constanter asseuerant: nec immeritò: nam præcessa causa hoc ita esse indicabat: aqua enim frigida cerebrum debilitat, spiritus incrassat, pigros ad motum reddit, arctat canales, & meatus per quos spiritus ad partes sentientes deferri debet, & sæpè innatum neruorum ignem extinguit, prout celeberrimo natatori Parisiis in Sequana euenisse tradit Heurnius artis nostræ Coryphæus *lib. 5. aph. com.* 17. qui cùm bis tranâsset flumen; tertiò, medio in alueo periit. Huic, optimo vitæ regimine priùs instituto, D purgationes varias instituunt, quæ roborarent, vnáque frigidum succum exhaurirent: Fomenta spinali medullæ, partibúsque resolutis adhibent. Vnguentáque etiam applicant, ex gummi speciebus, oleísque calidis, parata. Sed cùm iis nec tantillùm leuaretur, balnea expertus est naturalia: his, sicut sudorificis ex Ebeno paratis, & aliis præsidiis celebratis quùm non succumberet affectus, tanquam incurabilis, à Medicis desertus est. Vocatus, pro tanto malo, præsidium paro, cuius efficaciâ, plures resolutione vniuersali, & particulari vexatos, ad sanitatem (Deo duce,) perduxi: hoc applicito per mensem, à Paralysi liber perfectam consequutus est sanitatem. Huius remedij descriptionem sic accipe.

℞. *Saluiæ, Sampsuchi, Lauri, Betonicæ, Rorismarini, Origan. Calamenth. Stœchad. Maioranæ, Serpil. an. M. ß. Radic. Acori veri, Iréos recentis an. ℥ j. ß. Baccar. Lauri, Pyrethri, Cubebar. Nucis moscat. Trium piper. an. ℥ ß. Carnis Scillæ, ℥ j. Radic. Cucumer. agrest. ℥ ij. Chamæpyt. Chamædry. an. p. j. Sulphur. viui puluerizati, ℥ ß. Olei de Castorio, lib. ß. Olei Laurin. Rutacei, an. ℥ ij. Aquæ vitæ lib. ß. Aquæ ex florib. Arantior. ℥ iij. Vini potentissimi, lib. ij.* E

Coquantur omnia ad vini consumptionem. Colaturæ adde.

Serapin. Opopanac. Bdellij, an. ℥ ij. Castor. ℥ ij. Macis, Nucis moschat. Styrac. Calamit. Caryophyllor. Agallochi, an. ℥ ij. Piper. longi, Pyrethri, an. ℥ ß. Balsami ℥ ij. Olei de Liquidambar. ℥ j. Vnguent. Marciat. Aregon. Agrip. an. ℥ j. Olei de Laterib. De Terebinthin. an. ℥ ij.

Olei

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 780 sur 927

©BIUM

Olei Macis, Olei de ligno Guaiaco, an. ℥ j. Olei de Piperib. Roriſmarin. Aniſi, Salis, Angelicæ, Sulphur. de Terymo, an. ℥ j. Olei de Euphorbio ℥ j. ß. Axungiæ cati ſylueſtris, Axungiæ anſeris, an. ℥ ij. Pingued. taxi, ℥ iij. Pingued. viperæ, ℥ j. Olei vulpin. ℥ j. Medullæ cruris vaccæ. ℥ ij. Succ. ebuli, Saluiæ. Meliſſæ, an. ℥ ij.

Miſce omnia, & cum cerâ quantum ſat eſt, in præfatis oleis liquatâ, reducantur ad formam vnguenti mediocris conſiſtentiæ.

OBSERVATIO XXXVIII.

Paralyſis poſt partum, venâ ſectâ in talo, tutò curatur.

PAralyſis, morbus licèt ſit à frigido, & lento ſucco pronatus, aliquando tamen à calidiuſculo humore ortum ducit, in qua mittendum eſſe ſanguinem annuunt omnes. Si verò poſt partum concitetur, ſuppreſſo, & non ritè fluente menſtruo ſanguine, è qua parte hauriendus ſit ſanguis, non explicant Gynæciorum auctores, licèt ſit argumentum ambiguum, & difficultatibus plenum. Memini me vidiſſe fœminas verâ pedum reſolutione affectas, quibus poſt partum menſtrua pro plenitudinis ratione non reſpondebant. Has Medici, febre ardente correptas, purgationibus localibúſque auxiliis, in reſolutis partibus applicitis, calidiſſimiſque aliis balneis excarnificârunt, phlebotomiam verentes omnino: nam ſi è gibbero celebretur, menſtrua ſupprimit, ſi è ſaphena fiat, attrahetur ad partem affectam ſanguis, & humores præcipiti lapſu ruentes, affectum deteriorem reddent. Sed cùm affectus hic à vaporoſa materiâ, ab vtero ad principia neruorum tranſmiſsâ, obſtructionem in eis inducente, viam per quam ſpiritus animalis deſcendit, intercipiente, & ſenſum, motúmque inferiorum partium inhibente, ortum duceret, & rectè lochia non procederent, vrgeret febris ex hac causâ pronata, eſſétque mulier rubicunda, muſculoſo, & benè compacto corpore prædita, haberétque venas latas, & ſanguine plenas, intrepidè è dextræ partis talo ſanguinem liberaliter exhaurio. Hac vacuatione celebratâ, & obſtructionis causâ ablatâ, pedes mouere cœpit, & ſic ab altero pede iterum detracto ſanguine, cruribus affectis reſtitutus fuit ſenſus, & motus.

OBSERVATIO XXXIX.

Septuagenarius reſolutione affectus, ſolâ ſanguinis miſsione curatur.

MIles quidam robuſtus, & fortis, ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum complens, poſtquam in Orientali plagâ quadraginta annis militarem artem profiteretur, & ob hanc cauſam, multo iam fractus labore, vigiliis confectus, & grauis annis, videretur exilis, & excarnis: tamen muſculoſo erat corpore, viuido colore conſtabat, venis latis, & ſanguine plenis, & vt ipſe dicebat, vſque ad eam ætatem pauciſſimis, iiſque ſaluberrimis morbis fuerat tentatus, qui ferè hæmorrhagia ſoluebantur, cui, aduentante Vere, erat obnoxius: quæ omnia ex ſanguinis copiâ oriri, ipſius calidum, & humidum temperamentum comprobabat. Hic lateris ſiniſtri reſolutione corripitur, quam à ſanguinis vbertate obſtruente, & eius humiditate relaxante neruos ſcaturire ex dictis ſit manifeſtum: nam faciem habebat intenſo rubore ſuffuſam, & ſputum rubrum, cum mucoſa pituita mixtum, ſimplici ſcreatu, excernebat. Ad eum vocatus, licèt ætatis ratione morbus immedicabilis videretur, aut ſaltem diuturnus, tamen curationem ſic ſum exorſus; Priùs iniecto Clyſtere emolliente, ex Baſilica dextri lateris ſanguinem exhaurio, & cùm plurima remediorum farrago, attenuantium, calefacientium, & roborantium in promptu eſſet: tamen veſperi eum inuiſens, ſenſum aliqualem in crure, & brachio reſolutis, ſe percipere inculcat: Ego audacior factus, licèt eſſet prouectæ ætatis, iterum altero die venam tundo, & excreto ſanguine, putrilagine infecto, brachium ſentire ſe perfectè dicebat: quam ob cauſam cùm melius haberet, & vires, detracta ſarcinâ, & deobſtructis vaſis, eſſent robuſtiores factæ, altero die, extracto per venam ſanguine, reſolutas partes mouere cœpit, & tandem poſt quartam Phlebotomiam, citra aliquod locale auxilium, motum brachio, & cruri affectis reſtitutum fuiſſe, inducta ſanitas, fidem indubiam fecit.

OBSERVATIO XL.

De Stupore.

Ex decubitu ſub dio Stupor attonitus lethalis.

VInearum cuſtos fortè cùm relicto tugurio in vinea per noctem obdormiiſſet ſub dio, manè ſtupidus, & veluti ſideratus inuentus eſt, qui domum in lectica delatus, nullis vnquam auxiliis conualeſcere potuit, ſed fatuus veluti, & ſtolidus in lecto permanens, & paucâ eſcâ, eáque inuitè acceptâ, nutritus, aphonus factus, extinctis ſpiritibus, & emortuis facultatibus in 12. die, animam egit. Nec mirum: Nam radij lunares qualitate humidâ, ac tenui, neruos feriunt: Quare *ſub eius lumine dormire, malum, nam pallor, & capitis grauitas ſubſequuntur*, monente Galeno *lib. 2. de dieb. decret. 2.* Ob quam cauſam *Lunæ radij, cùm dormientes feriunt, ſtupidos, & ſenſibus obtorpentes reddunt*, vt doctè dicebat Plutarchus *lib. 3. probl. 10.* Cauſam quære apud Macrob. 7. *Saturnal. vlt.* nam Luna eſt cæteris hunſidior Planetis, ſi Ptolomæo fides, *in quadripartito.*

OBSERVATIO XLI.

De Vertigine.

Vertigo, cauterio ad bregma indito, curatur.

VIr quidam tenebricosâ vertigine adeò vexabatur, vt illi cerebrum ferè continuò in gyrum ageretur: cúmque plura expertus eſſet auxilia, & de futurâ Apoplexiâ timor eſſet, nullo alio præſidio, (præter vacuationes vniuerſales, & particulares; celebratáſque in variis partibus fontanellas, ſetonémque nuchæ affixum) quàm cauterio bregmati impoſito, potuit perſanari: quo ſolo, plurimos, cerebri morbis exitialibus correptos, præter Medicorum votum, ad ſanitatem, vlceribus diu fluidis permanentibus, perduxi.

OBSERVATIO XLII.

De Tremore.

Tremor diuturnus, balnei artificialis ope, curatus.

IVuenis quidam crapulæ deditus, de manuum tremore moleſto, ac diuturno ſæpiſſimè conqueſtus, eſt, cum totius corporis cacochymia coniuncto, quæ ex mucoſæ pituitæ copia ortum ducebat: & licèt varia iam eſſet exequutus auxilia, quæ facultatem partium roborarent, & vnà humorem crudum, & lentum expellerent, (nunquam tamen conſanescere potuit,) de quorum genere ſunt, Ebeni, Smilacis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 781 sur 927

©BIUM

lacis aſperæ, & Chinæ decoctum, vnguenta, ſuffitus, fontanella cruri dextro affixa, balneum ex muſto, vinaceis, ſale, calidiſſima arena, & ſanguine ex boue recenter mactato. Sed cùm neceſſitate coactus ad balnea naturalia proficiſci non poſſet, quæ illi ſalutaria eſſe prædixeram, eorum loco, artificialia domi paraui, quæ eaſdem facultates obtineant, hæc enim poſſe fieri ſimilia naturalibus, teſtis eſt locupletiſſimus Galenus *lib.1.ſimpl.cap.4.& 3.de alim.facult.cap.32. in fin. & 14. meth. cap.15. in fin. §. Sin minùs, ipſi ſimilem aliquam molientur, &c.* Hoc ergo cùm 25. diebus, bis in die, manè, & ſerò vſus eſſet, ſine tremore remanſit. Balnei apparatus eſto hic.

℞. Sampſuc. Artemiſ. Abſinth. Majoran. Saluiæ, Stœchad. Roriſmarini, an. M.j. Lauri, Primulæ veris, an. M. ß. Betonic. M.ij. Radic. Acori veri, Radic. Ireos recentis, Radic. Pæoniæ, an. ℥ ij. Centaur. minor. Iuæ arthritic. an. M.j. ß. Camomil. M.ij.

Coque omnia in ſufficienti quantitate vini generoſi, ad medias, factâ colaturâ, adde aq. lib.1. Sulphur. viui ℥ ij. Nitri ℥ iij. Alumin. ℥ v. iterum bulliant benè, & colentur, adde

Olei de Caſtor. Vulpin. an. ℥ ij. Olei Chamemel. Lumbricor. Anethin. an. ℥ j. Olei Rutacei, de Nuce Indica, de Terebinthin. an. ℥ ij.

Iterum omnia bulliant, & ſeruetur decoctum.

OBSERVATIO XLIII.

De Conuulſione.

Conuulſio ſæua ex Zinaria bile pronata, dextræ ſaluatellæ ſectionis efficaciâ, curata.

QVot ſtupenda mala, & terroris plena ex bile æruginoſa, (Arabes Zinariam vocant) eueniant, oſtendit celeberrimâ Hiſtoriâ Galenus *lib. 12. meth. vlt. & lib. 5. aphor. com.1.* Nam à vehementiori aduſtione eam oriri, quàm porraceam, acriter contendit inter Neotericos ſcientiſſimus Montaltus *lib. 5. Opticæ cap.18.* Quidam ſtudioſus, excarnis, & gracilis, cùm vigiliis corpus maceraret, in pruritum totius corporis lapſus eſt cum ardore, & mordaci calore in iecoris regione percepto. Poſt duos menſes conuulſione quatitur immani, quam ſyncope, extremorum frigus, pulſus paruitas, cardiogmos, deſperatio, maxillarum conuulſio, difficilis reſpiratio, oculorum diſtorſio, notabilis dentium fragor comitabantur, quæ omnia cùm inani vomendi cupiditati eſſent coniuncta, vel aſſumptum venenum, vel vermem interaneum oſtentabant. Quare oleum copioſum tepidum aſſumitur, cuius ope bilem æruginem, vomitu, maximo cum labore excreuit copioſam, & ab anguſtia, quâ premebatur, liber euaſit. Tranſactis duobus menſibus hepar igneum, & habituali intemperie affectum, ſimilem generando humorem, eandem, immò truculentiorem tragœdiam excitauit. Nam tribus diebus continuò delirauit, aphonus factus, quo reuomito humore, lactis ope, ab ea eſt factus immunis. Quæſita ſcaturigo mali, eam ab intemperie iecoris calidâ emanare, hunc exitialem, & venenoſum humorem generantis, vnanimi medentium conſenſu ratum fuit. Parantur auxilia quæ iecur roborent, vnáque eius ſquallorem, ac phlogoſim mulceant, ac contemperent. Refrigerans victus, ratio, ordo in omnibus ſex rebus non naturalibus rectus inſtituitur. Refrigerantes propinantur potiones, extrà eadem præſidia imponuntur. Imperantur dulcis aquæ lauacra. Serum adminiſtratur multiplici refrigerantium ſyluâ conditum. Sectio venæ in ſuperis, & inferis partibus celebratur. Cauterium cruri affigitur. Hirudines ſæpiùs hæmorrhoïdalibus venis affiguntur. Demum nil non tentatum. At omnia fruſtrà. Nam ſingulis quibuſque menſibus conuulſio recurrebat ſæuis ſtipata ſymptomatis. Tandem Phlebotomiæ ex dextra Saluatella factæ antidoto ſuccubuit hic Leoninus morbus, quam cùm ſingulis menſibus parcè exerceret, à conuulſione omnino tutus remanſit. Nec mireris: hæc enim venæ ſectio prodeſt, incantamenti modo, ex Gentili *in com. cap. 24. Auic. 22. 3. tract. 2. quoniam cum hepate naturalem habet cognationem*, ex Paulo *lib.3. cap. 49.* de qua re pulchra, ni fallor, diximus, *lib.1. de Medicor. Princip. Hiſtor. in com. Hiſtor. 54.*

OBSERVATIO XLIV.

De Conuulſione flatulenta.

Conuulſio flatulenta, Ebeni decocto, curata.

FErnelius, auctor apprimè doctus, & elegans, ſed in Galenum nimis mordax, *lib. 5. pathолog. cap.3.* præter vulgatiſſimas conulſionis ſpecies, aliam deſcribit, *quam flatulentam appellat, (Gramphum Barbari vocant) in qua manuum, pedúmque digiti, nonnunquam & crura vel extenduntur, vel in ſeſe contrahuntur, dolore ſummo, ſed eo breui, & qui frictione ſolâ miteſcat. Cauſa eſt, craſſus, lentúſque vapor in neruorum propaginibus impactus; qui illas haud ſecus atque cytharæ chordas, implet, atque conuellit.* Hoc malo Anglus quidam ex breuibus interuallis miſerrimè premebatur, ita vt præ doloris acutie in animi deliquium ſæpè incurreret: huic varia ſunt diu imperata auxilia, quæ mucoſum vacuarent humorem, vnà flatus craſſos abſumerent, & roborarent neruos, ſed ſolo Ebeni decocto ad quadraginta dies ebibito, cuius vi copioſus proliciebatur ſudor, ſuperſtes euaſit.

OBSERVATIO XLV.

Conuulſio flatulenta poſt partum ſæua, candentibus ferramentis perſanata.

PEperat ſuo tempore fœmina quædam trigenaria infantem, & vix pertranſierant horæ quatuor, quando ſuppreſſo omnino menſtruo, dolor corripit illam in vtroque genu; tibiis, cruribus, & plantis pedum, cum neruorum retractione ſummâ, ita immanis & ferox, vt præ doloris ſæuitie, amens. & exanimis è lecto exilire videretur. Acceſſere peritiſſimi Medici, cauſſámque mali tanti rimati, in eam vnanimes deuenerunt ſententiam, vt crederent flatum craſſum, tenacem, & malignitatis participem; neruorum initiis adhærentem, huic tormento occaſionem dediſſe. Sanguinem mittere ex talo, abſonum erat; nam harum partium debilitato calore natiuo, & humore ex toto corpore præcipite in partes inferas, pedum morticinium poterat timeri. Venam ſecare in brachio, cum lochiis retentis ex partu, temerarium erat. Purgatio per aluum celebrata, inutilis: nam præterquàm quòd non eſt facta per locum conuenientem, conuocat humorem ad affectas ſedes, maximè cùm fluxio ſit recentiſſima: Præceptum autem monet, latum 4. *Meth. 6.* vt *ſi in ſuperioribus vlcus conſiſtat, per inferiora ſit purgatio inſtituenda; ſin autem in inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem vacuare oportet: At ſi iam fluxio reſtitit, atque in membro inhæſit, deriuare per vicina magis expedit.* Porrò reiectis his duobus remediis magnis, per clyſteres, & appoſitis ter hirudinibus in ſede, corpus vacuare tentârunt, anodynis poſtea intenti. Iccircò fomenta varia parant, ex decocto, herbis & medicamentis calefacientibus, flatûs diſcutientibus & roborantibus. Olea applicant eiuſdem naturæ, ſicut

©BIUM

ſicut & vnguenta. Et cùm dolor poſt decem dies, fluxionis maiori impetu, ferociùs inſiliret, validâ ſuperueniente febre, Cardiaca adminiſtrant intus oblata, vt lapidem Belzaarticum, theriacam, Confectionem hyacinth. & alchermes, & ſimilia: in gibbero (impoſitis priùs ſectionis tempore femoribus cucurbitulis) ter venam feriendam imperant ex medianâ venâ. Et cùm ob dolorem ex interuallis per vniuerſos pedes immiſericorditer recurrentem, ipſa in animi deliquium incurreret, parti narcotica admouent. Sed omnia fruſtrà: nam illa magis dolore, velut rabie percita, vigilans, & delirans, totis pedibus veluti conuulſis, animam veluti efflabat. Vocatus ego, ſpretis omnibus, licèt methodicè celebratis, ad cauterium actuale accedere ſum coactus. Sed cùm toti pedes dolore eſſent concuſſi, & in ipſorum profundo vis mali fixa eſſet, & illis vnum ſolùm cauterium apponere, eſſet inutile, totos à genu vſque ad ſummos digitos, nouaculis acutis bene ignitis cauterizare, ſarius mihi viſum eſt. Quod opus cùm ſemel eſſet celebratum, & poſt duos dies factis eſcharis, ichor quidam liuidus emanaret, dolor, & reliqua ſymptomata omninò ceſſârunt.

OBSERVATIO XLVI.

De Incubo.

Incubo ſubitò emortuus.

FAmiliaris quidam meus in conſiſtente ætate conſtitutus, natiuâ ſorte melancholicus & triſtis, in ſomno, ſibi incumbere virum nigrum refert, qui clamitare cupienti vocis iter præcludebat, immò illum vinctum, & affixum tenebat noctibus ſingulis. Hic me conuenit. Illi periculum palàm facio, & nî exequatur auxilia, hunc fœculentum humorem circa præcordia inhærentem, & ſuo vapore tetro, fauces, diaphragma, pulmones, cerebrum, ſenſúſque omnes, viſis, & ſpectris horrendis offundentem, euacuet, eiúſque malitiam cardiacis retundat, timere me dico, ne in deteriorem labatur affectum. Ille ſubridens me dicteriis obiurgat. Heus, inquit, amice, quid ais? tuas purgatiunculas flocci facio, contemno, profló. Hoc merum eſt phantaſma, ludibrium merum. Nec plura moratus, me renuente muſæum deſeruit. Ecce, poſt ſoles duos, intempeſtâ nocte, frater eius, vt miſero accurram citò, me vocat. Adſum. Video eum in lecto iacentem, pallidum, frigidum, aphonum, vix ad vociferationes oculos aperientem, obliuioſum, ſtupidum, & ſoporoſum. Manu ſiniſtram thoracis partem tango, validiſſimam cordis palpitationem perſentio. Viſis his remedia paro, cucurbitulas adminiſtro, ſed ille ſtertore correptus poſt quadrantem, ſideratorum modo, vitam finiuit. Ne ergo temnas Ephialtem, qui Apoplexiæ, aliorúmque grauiſſimorum morborum eſt præludium: nam *anteceſſor eſt vnius trium ægritudinum, aut Apoplexiæ, aut Epilepſiæ, aut Maniæ*, vt ait Auicenna 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 5. & deſumpſit à Paulo *lib.* 3. *cap.* 15. Noui quendam, qui quamprimùm ſomno oppreſſus, ſibi videbatur canes nigros in pectus illabi, & cor violenter comprimi. Hic multis celebratis, ſolâ ſtibij ope, euacuato per vtrumque ventrem tetro humore, conualuit.

OBSERVATIO XLVII.

De Noctambulis.

Noctambulus balneo curatus.

ADoleſcens biliоſus, & gracilis, inter dormiendum repente è lecto ſurgebat, arma capiens, foréſque aperiens, furioſus veluti, & multa obmurmurans in plateam exibat, & ſolus rixabatur, hoſtes impetuosè confodere imaginatus, donec in terram cadens, parum abfuit, quin contorto gladio, vulnere ſibi in pectore inflicto, vitam adimeret. Expergefactus, timoréque perculſus, ne eodem modo noctu obambulans maiora pericula experiretur, me ad ſui vocat curationem. Huic cùm morbus ex nimia ſpirituum tenuitate, muſculorum, & neruorum robore, cerebri intemperie ſiccâ orietur, quorum omnium causâ ad ſimiles actiones, iuuante forti imaginatione impelleretur, præter incraſſantem victum, retorridi humoris vacuationem, balneum maximo fuit auxilio.

OBSERVATIO XLVIII.

De Melancholia.

Melancholicus, ingenio curatus.

QVidam in vanam incidit imaginationem, vt ſe frigere perpetuò arbitraretur, ſícque ardente Sirio ad ignem continuò accedens, ſe non poſſe calefieri prædicabat, niſi toto corpore vreretur. Quúmque clam, furtímque in ignem ſe proiiceret: tandem vinctus catenis, ſedens ſemper iuxta ignem, hac miſerabili imaginatione detentus, diem, noctémque miſer ducebat inſomnis. Pro cuius curatione (quùm irrita eſſent amicorum conſilia) hoc ſum machinatus auxilium. Eum à capite vſque ad pedes ſummos pelle lanigerâ cooperio, quæ aquâ vitæ priùs benè maduerat, eúmque ſic indutum totum comburo. Accenſâ flammâ, ipſe per dimidiæ horæ ſpatium conflagrans, & exardeſcens, ſaltu, tripudiiſque ita lætabatur, vt illicò ſe ſanum, & nimis calidum eſſe exclamaret, ſícque depoſita hac imaginatione intra paucos dies ſanus euaſit. Quare hic omniuarius morbus, ingenio, & aſtutiâ curandus eſt.

OBSERVATIO XLIX.

Melancholicus miro artificio curatus.

NObiliſſimus quidam Luſitanus, gracilis, hirſutus, niger, cogitabundus, & triſtis, ſponte nullóque præcedente affectu in eam incidit melancholicam imaginationem, vt peccata ſua nunquam à Deo eſſe remittenda continuò exclamaret; quúmque in hoc agone mœſtus, & macilentus perſeueraret, nullúmque ex mulierculârum auxiliis, quæ ipſum ligarum, & ſagarum præſtigiis, incantamentiſque irretitum prædicabant, acciperet iuuamentum, Medicos conuocat, eóſque obnixè precatur, vt tanto malo auxilium parent, quorum beneficio peccata ſua à Deo ſoluenda eſſe ſperabat; in hoc enim ſalutis ſuæ cardinem ſitum eſſe altâ voce adſtantibus, diu noctúque inculcabat: ſin minùs, cum dæmone, quem quotidie alloquebatur, in æternum, in mediis inferni pœnis vitam tranſacturum ſe affirmat. Conſulti Medici. Hi, de morbi cauſa, præſidiiſque diſputantes, in eam vnanimes conuenerunt ſententiam, vt ſæpiùs purgaretur corpus melanagogis, hirudines ano affigerentur, & excitatis cauteriis in cruribus, balnea, & alia experiretur remedia, quæ tetrum hunc humorem natiuâ quadam proprietate infrænant, & coërcent; ſimúlque inſomniam, maciem, triſtitiámque oppugnant. Nec contempsêre confabulationes, ſalubria amicorum conſilia, ludos, & alia, quæ animum eius variis imaginationibus diſtractum poſſent demulcere. Quæ omnia citra fructum ſunt adminiſtrata vllum. Viſis his alio artificioſo præſidio vſi ſumus. Nec irritum fuit conſilium.

filium. Nam cubiculo rectè clauibus obſerato, nocte mediâ, in tecto, detractis priùs tegulis, Angelus artificialis apparuit, dexterâ gladium, lævâ accenſam facem oſtentans, qui ter eum ſuo nomine vocat, (retrò enim homo erat exili voce ſermonem pronuncians, quo audito, illicò ille è lectulo ſurgit, Angelum facie decorum, aſpectu pulchrum, ſimplici albâ veſte ornatum circumſpiciens, humi proſtratus adorat, illius ſermoni vehementer intentus; Angelus, ſcelera, & peccata omnia, quæque in vita ſua perpetrauerat, omnipotentis miſericordiâ eſſe remiſſa illi denunciat, & ſic, extinctâ face, nil ampliùs locutus, receſſit. Ille lætabundus oſtium tumultuosè ferit. Adſunt omnes, quibus hiſtoriam narrat. Antelucano tempore vocantur Medici, quos hilari excipit vultu. Gratulantur illi, iuſtum eum appellant. Ille mox edere incipit, dormit, & ſani hominis munia exequutus; nullum ampliùs malum perſenſit. Melancholici ergò ſi arte curari non poſſunt, induſtriâ, & fallaciis, quibus ſanari experientia confitmat, curandi ſunt.

OBSERVATIO L.

Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoïdibus orta, excitato ſupra lienem fonticulo, curatur.

BAro quidam illuſtris diu hæmorrhoïdum dolore vexatus, ſingulis menſibus per mariſcas, craſſum fœculentúmque ſanguinem expurgabat: ſed cùm hæc conſueta fluxio ſupprimeretur, metu, & triſtitiâ correptus, fortè reſtagnante tetro ſanguine ad ſuperas partes, incidit in melancholiam. Huic præſidia omnia quæ humorem iſtum ad ſuam originem prouocarent, acta ſunt. Hirudinibus ſæpè aperiuntur mariſcæ, fiunt crurum lotiones ex medicamentis calidis paratæ, ſcarificantur crura, iteratur ſaphenarum ſectio, imperantur melanagoga, conſuluntur balnea, exhibentur Cardiaca, fontanellæ tibiis affiguntur. At cùm omnia fruſtrà tentarentur auxilia, & morbus ferociùs inuaderet, adeſſéntque flatus, & gurgulationes circa ſplenis regionem, ſupra lienem cauterium impono. Vix duo pertranſierant menſes, quando nigerrimi, & fuliginoſi humoris copiâ vacuatâ, omnimodam conſequutus eſt ſanitatem.

OBSERVATIO LI.

De Inſania.

Inſania ex ſuppreſſis hæmorrhoïdibus orta, diuturnâ hæmorrhagiâ facta per inſenſilem porum in interfœmineo, curatur.

QVadragenarius natiuâ ſorte melãcholicus, quùm per periodos ſanguinem tetrum apertis hæmorrhoïdum tubis diu excerneret, vitam à melancholicis morbis maximè expeditam, huius vacuationis beneficio, tranſigebat. At cùm muliercularum conſilio, eas cohibere vellet, tantam ſanguinis fœditatem vt effugeret, hæmorrhoïdales venas, vnguento ex aluminis vſti, ceruſæ, & ſublimati vſti puluere, & oleo cydoniorum conſtructo illeuit bis, aut ter. Sed quo euentu audi. Vix octo pertranſierant dies, quando reſtricto omnino ſanguine, regurgitantéque ad ſuperas partes in inſaniam deuenit. At exhibitis melanagogis, & apertis venis hæmorrhoïdalibus ope hirudinum, ab eâ tutus euaſit. In poſterum verò natura morborum medicatrix, & quæ per oſſis meditullium peccantem humorem detrudit, vt futuris malis opem ferret, loco reſtrictarum hæmorrhoïdum, vt conſuetam ſuppleret vacuationem, ſingulis menſibus per porum inſenſilem in interfœmineo ſanguinem biduò vacuabat. Si foramen, aut locum vnde ſanguis emanabat quantitate vnius libræ luſtrares, nullo modo diſcernere poſſes quâ parte vacuatio facta eſſet. Inſtante fluxu, ſanguis ac ex incisâ venâ fluebat. Quoniam verò locus hic grauiſſimis ex defluxione morbis eſt obnoxius, ſaphenæ ſectione ſingulo menſe facta, naturæ motum ſupplere ſtudui, ſed operam perdidi: nunquam motus ille impediri potuit, ſed toto vitæ decurſu vſque ad ſeptuageſimum annum, hanc citra moleſtiam patiens vacuationem à morbis ſuperſtes remanſit, poſt quod tempus, effœtõ iam calore natiuo, & debilioribus viribus factis citra incommodum ceſſauit fluxus ſponte ſuâ, & ſic vſque ad annum 79. vitam producens, decrepitus iam factus vitam finiuit. Tantæ vtilitatis eſt in melancholicis affectibus vacuatio hæc hæmorrhoïdalis, teſtante Hippoc. *lib. 6. aphor. 11. 21.* & alibi ſæpe cum Gal. vt ferini, melancholici affectus (qualis eſt ille qui à Paulo *lib. 3. cap. 16.* Lycanthropia, & Auicen. *1. 3. tract. 4. cap. 21.* & à Latinioribus, vt refert Manardus *lib. 7. epiſtol. 3. in init.* Lupina inſania vocatur, in qua homines noctu egreſſi lupos in omnibus imitantur, & donec dies illuceſcat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur,) eius ope curentur, veluti accidit cuidam iuueni natiuâ ſorte melancholico, ſqualido, ſubnigro, oculis toruis, & cauis prædito, qui cùm per deſerta vagaretur, & in lupum ſe eſſe conuerſum ratus eſſet, truces mores induens in omnes inſiliebat. Hic magno labore apprehenſus, omnia auxilia oblata renuens, ſpontinâ hæmorrhoïdali vacuatione, & aquæ potu continuo, Epithymo, & Senâ decoctæ, & ſic citatâ aluo ad mentem rediit.

OBSERVATIO LII.

De Oculis.

Ex alapâ cæcitas.

EXortâ inter duos milites rixâ, quùm alter manu ferreis chirothecis armatâ, alterum ex alto alapa percuſſiſſet, paucis pòſt horis percuſſus omnino cæcus eſt factus; cauſam quæris cum Amato 7. *centur. 44.* facilis eſt reſponſio. Illa enim ad violentum ictum referri poteſt, quo commota materia, ſurſúmque elata, viſionis organa copiâ ſuâ occupauit, & ſequuta obſtructione, facultatis, & ſpirituum communicationem impediuit, nulla in exteriori oculi parte noxa percepta. Hæc eſt potiſſima cauſa apud Beniuen. *cap. 10.* ob quam ex alapa quidam Apoplexiâ ſubortâ paucis horis iugulatus interiit. Legendus Marcellus Donat. *lib. 2. de hiſt. mirab. 11.*

OBSERVATIO LIII.

Cæcitas repentina ex morbo Gallico contracta.

EX perenni morbi Gallici fonte, mala funeſta, miſeranda, & terroris plena repullulare ſolent. Vidimus robuſtum virum, qui poſtquam concubuit cum famoſo ſcorto, poſt tres horas, obortis vlcuſculis, duríſque tumoribus in capitis parte anteriori, ex improuiſo cœcus euaſit. Huic etſi eſſent Alexipharmaca exhibita, cauteriúmque in nucha affixum, reſtitui tamen haud potuit. Tanta eſt Gallici veneni pernicies, ac labes dira.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 784 sur 927

OBSERVATIO LIV.

De Lachrymis.

Lachrymæ ſanguineæ diu per circuitus recurrentes.

ANnus agitur decimus quintus, ſi rectè recordor, quo monſtroſum exemplum in iuuene quodam notaui. Is ſingulis menſibus Vertigine premebatur immani, ita vt omnia illi circumagi viderentur, quo tempore velut fulmine ictus, clauſis oculis pronus in lecto iacebat, fatuus, torpidus, & veluti ſtupidus. Huic poſt validam capitis rotationem ſenſim ſanguis merus per oculorum canthos riuuli inſtar emanabat, quatuor, aut quinque vnciarum quantitate, placidè, ſine dolore, pruritu, ardore, aut oculorum rubedine vllâ, poſt cuius excretionem, ſedatâ in totum Vertigine, & lenitis ſymptomatis quæ bidui ſpatio illum excruciabant, pancraticè viuebat. Ne ergò ob ſanguinis ad ſuperas partes decurſum, cerebri, & oculorum dira ſequerentur ſymptomata, Medicos ad ſui curationem conuocauit. Hi cùm hoc malum ex hepatis nimio feruore, ſanguinem bilioſum, tenuémque gignentis originem ducere vnanimiter aſſererent, victum frigidum, modicéque incraſſantem inſtituunt, venam ſecant, alterantia propinant, bilioſum humorem clementer expurgant, balnea applicant, fonticulos brachiis, & cruribus affigunt, ſed incaſſum: nam his diu celebratis ſanguineæ lachrymæ cum dictis ſymptomatibus effluere ſingulis menſibus non ceſsârunt. His perſpectis, ante ſanguinis fluxum, tribus, aut quatuor diebus, ſaphenarum ſectionem exequendam imperant, quâ retractione fluxum retrahi poſſe ſperant. At cùm viderent opus hoc medentium labore, & conſilio perfici non poſſe, à curatione omnino abſtinuerunt, illam naturæ conſuetudini relinquentes, quæ ab euacuatione ſanguinis ordinatâ non ceſſans, hominem à morbis immunem, vſque ad multos annos, deduxit.

OBSERVATIO LV.

Ex Encanthide malè curata, Rhyas, & perpetuus lachrymarum fluxus, ſubſequuntur.

VBi ex vlcere caro in angulo maiori oculi, iuxta nares, excreſcit, Encanthida vocauêre Græci, Paulus *lib. 3. cap. 22. rubric. 20.* Celſus *lib. 7. cap. 7.* & Auicenna *3. 1. tract. 2. cap. 16.* Hanc caruncułæ excreſcentiam cùm Chirurgus quidam cauſticis medicamentis abſumere conaretur, eam imminuit: at ſubiectas glandulas ita attriuit, & exeſit, vt ſubſequutâ Rhyade, & maiori angulo dehiſcente perpetuus ſequeretur lachrymarum fluxus, qui multis adhibitis præſidiis, compeſci haud potuit: nam in eo loco glandulæ adſunt, vt humiditatem ſuperfluam ad oculos tendentem ſuſciperent, illóſque humectarent, atque irrigarent, ne eorum motu adeò frequenti exiccarentur. *Ne igitur per angulos excrementum effluat, néve aſſiduè lachrymemur, prædictis meatibus corpora hæc carnoſa fuerunt appoſita, quæ prohiberent quidem, ne oculorum excrementa per angulos vacuarentur, ad proprios autem meatus impellerent. Demonſtratio vero eius quod dicimus fuerit maxima, errores in quos ſæpenumero incidunt ij, qui Medicos ocularios ſeipſos nominant: nam acribus pharmacis, aut curatione Chirurgicâ plus æquo de caruncula reſcindentes, Encanthida, id eſt carnis in maiori angulo excreſcentiam curantes, effluxum excrementis ea parte aperuerunt, quem affectum Rhyad quidam appellarunt, &c.* Hæc diuiniſſimus Galenus, *lib. 10. de vſu part. cap. 11.* Explicant Spigelius, Bartholomæus Perdulcis, Iacobus Fontanus, & alij peritiores Anatomici, qui, de vtilitate harum caruncularum mira prædicant. Lege de hac lachrymarum cauſa Auicen. 3. 3. *tract. 2. cap. 22.* Illuſtrant Mercurialis *tract. de lachrymis*, Iulius Caſſerius *de ſenſuum Anatomia, cap. de ſenſu viſus.*

OBSERVATIO LVI.

Guttæ ſerenæ ex viſualium neruorum obſtructione, curatio.

NVllum eſt membrum quod tot morborum genera patiatur, & in quorum agnitione plus Medici hallucinentur, quàm oculus; quùm tamen inter inſtrumentalia membra ſit minimum. Et ex multis morbis, vnus eſt *Amaurosis* vocatus, quando ſcilicet abſque manifeſta occaſione viſus auferтur. Auicenna vocat viſus deſtructionem. Recentiores *Guttam Serenam* appellârunt. Hoc malo cùm premeretur puer quidam, & illæſo apparente oculo videndi actione prorſus careret, & deſtillatione à capite, per multos annos, per oculos excretâ copioſâ materiâ, craſsâ, & ſordidâ, laboraret, hunc, obſtructione inſtrumenti, hoc eſt, viſualium neruorum, per quos vis viſiua ad cryſtalloidem fertur, eſſe affectum deprehendimus (alij meatus viſorios, ſeu opticos neruos appellârunt.) Nam hoc malum in obſtructionem horum neruorum reiicit Galenus *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 2.* & licèt non ſolùm in viſorio neruo, ſed etiam inter vitreum & cryſtallinum, retiformem & vitreum, choroidem & retiformem, ſcliroticam & choroidem, poſſet adeſſe aliqua obſtructio, à qua deferri viſorij ſpiritus prohiberentur, eadem tamen huius affectûs curatio erit. Vitium ſanè ab omnibus putatur incurabile. Nos hoc ordine ſumus curationem exorſi. Inſtituto regimine recto, celebratiſque auxiliis vniuerſalibus, quorum ope mucoſa excrementa ſunt vacuata, per triginta dies ſudationes imperauimus ex radice Chinæ, quarum vſu copioſus excitabatur ſudor. Deinde cucuphis exiccantibus, & lauacris ſupra caput admotis, raſis priùs benè pilis, vſi ſumus. Maſticatoria, & errhina medicamenta non prætermiſimus, quorum ope, tenax per os & nares excernebatur humor. Vt aures ſpirarent, quæ cum oculis maximè conſentiunt, cauſticum retro ipſas affiximus, & ſimul ſetonem nuchæ indidimus, vt per has partes vacuaretur humor in oculos delapſurus. Toto, & capite bellè repurgatis, à leuioribus collyriis incœpimus. Primum fuit verbenæ decoctum, puluis oſſis ſepiæ, ſuccus rutæ, fœniculi depuratus, aqua ſtillatitia ex raphanis, & eorum foliis, Rhodomel, Mel cum marrubij ſucco, decoctum Euphraſiæ, Chelidoniæ. His factis inditum eſt teſtudinis fel, cum ſaccharo candido commixtum. Vinum album in quo aurum quinquies erat ignitum. At cùm lucem iam aliquantiſper videret, hoc deinceps auxilio, quod licèt videtur contemptibile, eſt tamen mirabilis efficaciæ, viſum recuperauit, quod ita efficitur. Accipe fruſtula porcinæ carnis veteſtæ, ea in minutiſſimas taleolas ſeca, ſerua in olluſâ paruiſſima ænea, adiecto ſale, & odorifero vino albo, poſt decem dies aqua ſtillabit, quam ad recuperandum viſum, roborandos neruos viſuales, auferendam obſtructionem, mirificam opem præſtare fidiſſimo experimento adinueni. Vide Auicen. 4. 3. *tractat. 1. cap. 21.* Mercat. *lib. 1. de morb. intern. 20.* Manard. *15. epiſt. 4.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 785 sur 927

OBSERVATIO LVII.

De Ophthalmia.

Ophthalmia diuturna, dextræ ſaluatellæ ſectione curata.

SInistrum oculum dextro esse fortiorem, & videndo præstare docuit Galenus *lib.6.epid.sect.2.com.44.* firmant Manardus 14. *epist.4.* Mercurialis *in com. histor.10.* Leuinus 4.*de occult.cap.4.* & plures alij, renuat licèt Fortunatus Plempius, acris ingenij vir, qui nuperrimè *lib.4.de Ophthalmographiâ probl.47.* de hoc argumento disseruit. Maior ergo causa arguitur, quando oculus sinister laborat. Quem cùm per plurium mensium spatium grauissima Ophthalmia exercerer, ex pluribus auxiliis celebratis, æger opem vix sensit vllam. Post quæ ad cauterium in nucha accessit, à quibus auxiliis minimè leuatus, in temporibus ter arterias secare coactus est, sed incassum: nam ex temporum interuallis, calidissimâ de nouo fluxione subortâ, doloris sæuitie premebatur immaniter, adeò vt oculus è propria sede exilire videretur. Dolor vniuersalium, & particularium præsidiorum vires contempserat. Secta fuit deinde vena frontis, hirudines temporibus bis applicitæ, apertæ marisсæ, administratū balneum, & parti dolenti diuersimoda fomenta, & Anodyna imposita. His cùm quiesceret malum, de nouo deinceps ferociùs recrudescebat. Origo mali quæsita, eam ab hepatis squallidi, & ignei intemperie calidâ emanare deprehendimus. Quúmque hæc pars, nec Epithematum ope, nec roborantibus medicamentis purgantibus, vt sero lactis, flore cassiæ fistulæ cum rheo permixtæ, & aliis, effici posset vegetior, ne bilioſum hunc, & mordacem humorem generaret, ad oculósque, tanquam ad partem debilem transmitteret, vt attemperaretur iecur, dextram saluatellam tundere, præstantissimum auxilium iudicauimus, quâ bis sectâ, humore ad longinquas partes auocato, æger nunquam ampliùs malum persensit.

OBSERVATIO LVIII.

Ophthalmia Gallica, Mercurij ope, curata.

FAmigeratissimus auctor Vigo, & qui in morbi gallici natura emedullanda primus omnium priori sæculo insudauit, nullum esse morbum asseruit, qui cum illo complicari non posset, in *lib. de morb.gallico, cap.1.* cùm sic habet: *Diuersos etiam oculorum morbos ab isto morbo pronatos multoties curauimus, præsertim ophthalmiam à materiæ frigida cum obscuritate visus, &c.* Quidam immania oculorum tormenta per annum integrum expertus, veluti desperatus à remediis abstinebat. Huic veluti cœco, coniunctiua tunica, cum ardore, rubedine, pruritu, palpebrarum asperitate, puríſque copiâ per canthos assiduè emisſâ, erat inflammata valdè. Hic plurima iam tentauerat auxilia, purgationes, phlebotomiam, fomenta, balnea, collyria, tum sicca, tum humida, cauterium in nucha, hirudinum super arterias temporales impositionem. Demum nihil non tentatum. Accedo ad eum tanquam cum hydra dimicaturus, acta præsidia inquiro, quæ rectâ methodo fuerant administrata. Illicò præter Vigonis auctoritatem, occurrit alia clarissimi Mercurialis *in lib. de morbo gallico*, quæ sic monet: *Cùm videritis morbum quempiam communibus remedijs non curari, putate esse morbum gallicum cognominatum, &c.* His persuasus diuinum quidpiam in corpore latere cum Hippocrate diuino *lib.1. progn. aph.3.* sum diuinatus. Sicque ex ægro cœpi cunctantiùs perscrutari, num esset aliquando passus morbum gallicum, aut cum fœda, obscœnáque fœmina concubuisset, omnia negat: vnum solùm confessus, se per noctem in lecto huius contagioſi morbi suspicione non carente decubuisse. Hoc audito non solùm ad roborandum cerebrum, humores ex diuturnitate morbi crassiores factos absumendos, firmandas partes mandantes, sudores decocto Smilacis asperæ moliendos censeo, sed ad gallici morbi veneficam vim refringendam assumendos impero. His, diebus viginti, attamen citra fructum vsus est. Quamobrem licèt in superis partibus premeret affectio, & timor esset, ne vacuato humore per os, Mercurij vi, fluxio irrueret in oculos, & ingraueſceret ampliùs affectus: tamen cùm esset diuturnus, & confluentis humoris impetus sedatus, vnguenta mercurialis, corpore præsertim exquisitissimè expurgato, applicanda censui. His admotis dierum septem curriculo, post copioſam sputi vacuationem, dolores mitescunt, euanuit inflammatio, mitigatus pruritus qui antea percipiebatur in palpebris, cum acrimonia multa, & sic relicto solùm in brachio læuo fonticulo, vt spiraret cerebrum; & seruato victu, pristinam recuperauit sanitatem.

OBSERVATIO LIX.

Ophthalmia sæua, copioſissimâ venæ sectione curata.

MOnachum vidi gracilem, & excarnem, ætate 45. annorum, & in victu, vt cæteri solent in communitatibus, sobrium, & abstemium, qui singulis mensibus oculorum inflammatione adeò sæua cruciabatur, ingenti dolore oppressus, vt non expectato Medici, aut Chirurgi aduentu, sibi ipsi venam in eodem die, humerariam, aut nigram abscinderet, & impoſito vulneri digito, iterum, atque iterum fluere sineret, quouſque dolor, tumor, rubedóque euaneſcerent; & ita immanis dolor hominem exercebat aliquando, ex feruentis, prurientíſque sanguinis copiâ in has partes delapſi, concitata, vt multoties (res mira) 24. horarum spatio decies sanguinem exhaurirer, ita vt sæpè in animi deliquium incurreret. Is licèt plurima præseruationis causâ fuerit expertus auxilia, aperuerit fontanellas, balnea admiſerit, sæpiùs clementer purgantia assumpserit, & hæmorrhoïdalibus venis hirudines appoſuerit; tamen se nullo alio præsidio quàm hac copiosâ, iteratâque vacuatione iuuari confeſſus est; nec mireris: nam, vt dicebat Philoſophus Cordubensis *lib.7. collig.31. in fine: Monstra accidunt in arte, quemadmodum in natura.*

OBSERVATIO LX.

Ad Albuginem, remedium expertum.

PRo Albugine curandâ, quæ sponte suâ ex defluxione catarrhosâ, vel ab vlceribus relictis, vel aliis occasionibus, oculis adnaſcitur, omnium præstantissimum præsidium est hoc, cuius vsu plurimos visum recuperâsse expertus sum.

℞. Massæ quâ inuitriantur terrea vasa, vel rasuræ superficiei illorum vasorum, spumæ maris, stercoris lacerti viridis, salis nitri, sacchari rubri, an. partes æquales.

Omnia in læuorem redacta, infundantur in decocto acori & chelidonij, ad mellis crassitudinem. Iterum siccentur, & fiat Puluis tenuis: hunc excipe iterum cum melle, lacte equino, & succo foliorum raphani, ita vt remaneat liquor crassiuſculus, cuius guttas quatuor noctu paulatim in oculum immitte, spatio viginti dierum, priùs tamen aquâ calidâ abſterſo bene oculo.

OBSER

OBSERVATIO LXI.

De Strabiſmo.

Strabiſmus laqueo ad nucham indito, curatur.

STrabiſmus, ex mente Pauli *lib.3. cap.32.* affectus eſt, qui modò reſolutionem, mollitiémque muſculorum bulbum oculi mouentium, modò conuulſionem ſequitur. A ſiccitate conuellente facta ſtraboſitas, vt accidit in febribus acutis, inflammatoriiſque cerebri diſpoſitionibus, lethalis eſt. Ob niniam humiditatem, vt contingit in pueris, vel lentorum humorum copiam ſi eueniat, curationem recipit aliquando. Ex hac cauſa iuuenis quidam de hoc affectu conqueſtus eſt, qui ne in ſæuiora mala laberetur, ſicut Epilepſiam, Karabitum, Vertiginem, & hos ſimiles morbos, quibus hoc affectu detenti ſunt obnoxij, ex mente Auicen. *3.3. tractat.2.cap.28.* medelam expoſtulat. Victûs ratio exiccans imperata: corpus, cerebrum, & oculi à ſuperfluo humore mundati. Balnea roborantia capiti, & oculis admota, adhibita errhina, & maſticatoria, decoctum Ebeni ad multos dies ebibitum, cuius ope copioſus mouebatur ſudor. Cauterium in brachio è regione affecti oculi impreſſum. His cùm diu celebratis conualeſcere non poſſet, tandem laqueo vſus eſt ad nucham indito, ex quo cùm ſanies fœtida longo tempore emanaret, ſanitatem omnimodam obtinuit.

OBSERVATIO LXII.

De Epiphora.

Epiphora Mirabilis.

EPiphoram vocat Celſus *lib. 7. cap. 6.* pituitæ per oculorum angulos effluxum: At hoc nomen apud Græcos latiùs patet; comprehendit enim quamcumque humiditatum ad oculos delationem, ſiue per angulos, ſiue per totum oculum fiat, vt patet ex Paulo *lib. 3. cap.32.* Alij oculi rheuma appellant. Auicenna *loc. cit. cap. 26.* lachrymoſos dicit oculos, ſeu lachrymantes, ſúntque humidi humiditate aquoſa; Coſtæus *in com.* hoc vitium Epiphoram eſſe retur, adſtipulatur Manardus *lib. 7. cap. 2.* Hoc vitio Adoleſcens biennió oppreſſus, quùm eſſet temperamento humido præditus, per nares primò multam pituitoſæ materiæ copiam continuò emittebat. Hac reſtrictâ, fluxio ad oculos corriuans Epiphoram genuit: nam aſſiduè per oculorum angulos, craſſum, & viſcidum humorem, & interdum filamenta alba, lumbricorum modo tenuium, excernebat cum fœtore ſummo, cum quibus aliquando vermiculi, cyronum inſtar, erant permixti. Hic licèt nullam grauedinem, dolorémve capitis haberet, quoniam tamen tractu temporis hic tenax ſuccus in altas cerebri ſedes reſtagnans, & coërcitus in oculorum centro periculoſos harum partium minatur morbos, de ſalute ſua illi conſulo, vt ſit ſollicitus. Quare victum exiccantem præſcribo, ſanguinem è mediana exhaurio, oculos, & cerebrum, huius mali fontem, à craſſo humore ſæpiùs repurgo. Caput rabellis aſſumptis roboro, exiccantibus vtor decoctis, cucuphis munio. Balnea naturalia adminiſtro, ſudorifica parata ex radice Chinæ, & Smilace aſperâ impero; cauteria in brachiis, & nucha affigo. Cruſtas candenti ferramento circum caput excito. Arterias in temporibus aduro, vt ſic intercipiatur fluxio in oculos expirans, frequenter errhinorum ope cerebrum euacuo. Demùm cùm æger ob habitualem cerebri debilitatem, viſus hebetudinem pateretur, & cœcitas immineret, in ſyncipite cauterium actuale impono. Ichores quindecim diebus emanârunt in copia multa, at citra leuamen vllum: vt tamen fluxio per ſynciput emanaret, iterum huic parti veſicatoria admoneo, quare vlceribus diu fluidis factis, natura peccantem humorem per ea excreuit, & paulatim fluxio ceſſauit ruere in oculos, & ſenſim ac ſine ſenſu, purgatione quater in anno celebratâ, æger priſtinam recuperauit ſanitatem, & ſi fortè per vlcera, quæ veſicatoriorum beneficio ſemper erant aperta, non emanabat humor, illicò oculorum caligine tentabatur. Adeò difficilè eſt naturam à conſueta vacuatione derrahere. De Epiphoræ curatione præter cæteros legendus Riolanus *lib. de morbis oculor. cap.4.*

OBSERVATIO LXIII.

De Palpebris.

Palpebrarum Morum cauterio curatum.

FOEminæ cuidam à marito in oculo læuo vehemens inflictus eſt pugnus. Paucis pòſt diebus ob commotum humorem in palpebræ ſuperioris externa parte versùs angulum maiorem, tumor durus grandinis inſtar eſt enatus, qui nullis vnquam emollientibus, & diſſoluentibus cedens, trium annorum ſpatio ad tantam duritiem, paulatim accreuit cum indolentiâ ſummâ, & nucis iuglandis magnitudinem ſuperauit, vt morum Auicennæ diceres deſcriptum, *3.3.tractat.3.cap.11.* vel ſi Crithen Celſi *lib.7. cap.7.* vel Chalazium Pauli *lib. 3. cap. 22.* vocites, non errabis: dummodo conſtet hunc tumorem ex hordeolorum, aut nodorum numero eſſe, qui à gypſeâ pituitâ, terreno humori permixtâ, ortum ducit. Cùm enim fœmina hæc deſtillationibus eſſet obnoxia poſt percuſſionem, ad læſam partem, huiuſmodi materia pauxillatim confluxit, accedente inordinato victu, & potu pleniore, quo dum laborabat, vtebatur. Illa ad depellendum vitium turpiſſimum, & moleſtiſſimum, curationem implorat. Medentes vocati. Hi obſeruato priùs regimine, ſæpiùs expurgato corpore, fonticulo, quâ parte oculus afficiebatur, in brachio adaperto, vt ſpiraret cerebrum, totum in inciſione curationis cardinem reponunt; nam ſic ſcalpelli vi incisâ cute quidquid intùs humoris eſt, extrahendum eſſe rati ſunt; ſed illa ab hoc auxilio, Chirurgorum carnificinam experiri recuſans, omnino abſtinuit. Alij curationem per ligaturam cum ſerico, aut filo tenuiſſimo aggreſſi ſunt, at fruſtra: nam radicis durities renitebatur valdè. Quidam decoctis emollientibus, & emplaſtris, vt viperino, de mucilaginibus, & aliis curare tentârunt, ſed incaſſum: quùm lapidoſitas nimia omnia contemneret. Omnes cauterium recuſârunt ob partis præſtantiam, ne fortè efferari & irritari humor poſſet, & vlcus cancroſum repullularet, quod timuit Vigo *lib.4.de vlceribus cap.12.de moro palpebrarum.* Iterum conſilium adhibitum. Ex omnibus quidam, tumorem hunc ſaxeum, nullo alio auxilio, quàm candenti ferramento emolliri poſſe ſperabat. Huic ex omnium voto curatio demandata: bis cauterium impreſſit me præſente, primâ vice in vertice, ſecundâ in latere tendente ad angulum paruum, ne ignis vis carunculam lachrymalem offenderet. Affixo cauterio, aquoſus, melleúſque humor cum ſanguine mixtus effluxit, & tumor minor eſt factus. Reliquum tuberculi corpus puluere præcipitati, priùs roſaceâ nutriti, eſt abſumptum, ſimúlque eodem auxilio radices eradicatæ. Putrilago quæ mortuæ illi excreſcentiæ adhærere ſolet, aptis medicamentis abſterſa, & ſic vlcus cicatrice obductum. In hac curatione

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 787 sur 927

nihil accidit siniſtri, exceptis vlceribus quæ in ſuperciliis, & genis interdum emergebant, quæ ſectione venæ, & impoſitâ roſacea cum muliebri lacte ſtatim ceſſabant. Pro curatione Mori palpebrarum conſule Arabum ſcientiſſimos. De ſimili tumore videndus Amatus 5. *Cent.* 99.

OBSERVATIO LXIV.

Palpebris reſolutis, remedium eximium.

QVidam cùm per niuoſa loca, vigente brumâ, iter faceret, in palpebrarum incidit reſolutionem; nam ablato ſenſu illarum, nec ſuperas, nec inferas palpebras mouere poterat; adeò enim inter ſe coherentes habebat, vt ſolùm cum ſpecillo, aut vnguibus eas ad videndum attollere poſſet. Huic, præter totius, & capitis prouidentiam, vnguentum ex balſamo cum aqua vitæ commixtum, quo cilia, & palpebras illinebat, pluribus iam tentatis, ſummo fuit ex vſu.

OBSERVATIO LXV.

Phthiriaſi palpebrarum, optimum præſidium.

IN toto corpore, palpebríſque oculorum pediculos innaſci, veterum doctiſſimi, locis citatis, confirmârunt; de quorum cauſa, materia, generatione, loco, inter alios, ſat multa, doctè tamen proponunt Marcellus *lib.* 1. *de hiſt. mirabil. cap.* 5. & Mercurialis *lib.* 1. *de morb. cutaneis, cap.* 7. Quidam ita pediculis in ambabus palpebris vexabatur, vt præ pruritu, & dolore plures noctes inſomnes duceret, ophthalmiáque corriperetur. Præter vniuerſalem vacuationem plura tentata ſunt auxilia, ſed rebelle malum huic ſolùm ſuccubuit; quod fidiſſimo experimento ſæpè ſum expertus.

℞. *Argenti viui* ʒ ß. *Extinguere cum humana Saliua, & cum puluere Staphiſagriæ fiat vnguentum.* Hoc linimento palpebras illine.

OBSERVATIO LXVI.

De Aurium dolore.

Auris dolore diro oppreſſus, impoſito intra aurem Opio, emortuus.

HIſpanus quidam auris vehementiſſimo oppreſſus dolore plurimos dies inſomnis egit, in quibus vniuerſalia, & topica auxilia ſunt celebrata, ſed contulêre nihil. Hoc cruciatu miſerabiliter afflictus Pſeudomedicorum opem implorat. Hi, vt ſunt ignari, & audaces, medicamenta ex Opio ad prouocandum ſomnum, ſedandúmque dolorem intra aurem imponẽda conſuluêre: quo iniecto, poſt horam paulò quieuit, illicò tamen ingenti tremore concuſſus, ſtupidus veluti, & amens remanſit, & præcedente vertigine potentiis omnibus deinde extinctis, veluti ſideratus perpetuò obdormiuit.

OBSERVATIO LXVII.

Auris dolore inflammatorio æger concuſſus, impoſito ſuppoſitorio opiato, extinctus.

AVrium dolorem acutum, & maximè cum febri continuâ, ac vehementi, periculoſum eſſe, memorabili quadam ſententiâ docuit Hippocrates *lib.* 3. *prog.* 13. periculum enim ab eo delirij, mortíſque imminet. Quo cùm lancinaretur quidam diebus tribus, & cætera non iuuarent auxilia, Medici conſilio ad prouocandum ſomnum, ſopiendúmque dolorem, ſuppoſuit opiatam glandem, ſed cùm hic ex vigiliis, & dolore debilis eſſet, eâ appoſitâ, natiuóque calore extincto, ſupremo ſomno correptus eſt. Hoc multò antè docuit Auic. *lib.* 3. *tract.* 1 *cap.* 4. *in med.* §. *& iam teſtati ſumus nos vidiſſe, qui ſuppoſuit ſibi collyrium ex opio, & mortuus fuit.*

OBSERVATIO LXVIII.

Verminatio in auribus.

PVer quinque annorum aſſiduis deſtillationibus aſſuetus, continuò per aures, fœtidam, cœnoſámque illuuiem emittebat. Ecce vno die auris ſpumâ obturata viſa eſt, & per interualla motus quidam percipiebatur in ipſâ rei cuiuſdam quæ eminere videbatur. Parentes rei nouitate ducti, me vocant; abſtersâ à ſpuma aure, capita multa apparuere, quæ inter ſeſe ſubſultare videbantur, quorum vnum cùm altiùs eminerer, volſellâ exemptum, vermem eſſe fidem fecit, ſimilem eis qui in vetuſtiori caſeo gigni ſolent. Hoc ablato, ſeptem qui remanſerant ſimili modo educti ſunt. Auris ipſa decocto lupinorum, & abſinthij abſtergitur, purgatio inſtituitur. Poſt quatuor menſes, alia auris ſimile infortunium ſenſit. Extractis ab eâ quinque vermibus, repurgato benè corpore, cerebro roborato, ſudorificis ex Smilace aſpera exhibitis, fontanelláque in brachio adaperta, nullum ampliùs malum eſt expertus. Memini me aliquando, ter, vermiculos multos intra aures ex ſordida materia generatos vidiſſe, qui ſyronibus erant maiores, alij tam paruuli, vt vix videri poſſent.

OBSERVATIO LXIX.

Auris dolor inflammatorius, cucurbitulâ ſcarificatâ retro aures, euanuit.

DIuinus ſenex *lib.* 2. *epidem. ſect.* 6. *poſt med.* ſic profatur: *Ad auris dolorem cucurbitam affigito, &c.* Hæc memoranda ſententia ſummam attulit opem miſero cuidam, qui ex dolore auris atrocis malè habens, omnibus præſidiis deſtitutus, vigil, debilis, & amens factus, continuò febriens, in horas moriturus ſperabatur. Hic cùm ex venæ ſectione, cucurbitulis, coſtis, humeris, collo affixis, reuellentibus clyſteribus, expurgantibus, cæteríſque reuulſoriis auxiliis, ſicut & Anodynis intra aurem inditis, nullam ſentiret vtilitatem, cucurbitulâ ſcarificatâ, iuxta aurium glandulas applicitâ, leuatus eſt; extracto enim copioſo ſanguine, inflammationéque reſolutâ, huius auxilij beneficio, omnino ſanus permanſit.

OBSERVATIO LXX.

De Surditate.

Pro Surditate antiquâ, præſidium certum.

INueterata ſurditas, contumax malum eſt, & ferè immedicabile, quâ cùm iuuenis quidam, nullis proficientibus auxiliis diu premeretur, excitato ſponte vlcere in radice auris, & ſex menſium ſpatio, ſorditie emanante, auditum perfectè recuperauit. Hoc experimento audacior factus, in aliis in quibus plura remedia fruſtrà erant celebrata; fonticulum in eodem loco aperui: Vel ſi ex vtrâque aure non audiebat æger, in ambabus caurerium affixi, ex quibus cùm ſanies multa emanaret, omnino ſani facti ſunt. Quod præſidium ſi fortaſſe non iuuaret, optimum erit vaporem calentis amurcæ, id eſt, fæcis olei, per meatum auditorium recipere.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 788 sur 927

OBSERVATIO LXXI.

De Parotidibus.

Vitio in Parotidibus, ſalutaris.

PArotides in laborioſis febribus, & malignis, critico modo euenientes, humore craſſo, & multo à natura ad aurium glandulas expulſo, breuem admodum ſolutionem prænunciare, docuere Hippocrates *in lib.1. epid. ſect.1. text.10. in Coacis præſagijs, & predictionibus.* Paul. *lib.3. cap.28.* Tral. *lib.3. cap.7.* Auic.1.3. *tract.4. cap.8. & 4. 3. tract.1. cap.24.* At licèt hoc verum ſit, ſæpè tamen non ſunt minùs lethales, quàm febris ipſa cui ſuperueniunt: nam multoties non accreſcunt, ſed retrocedunt, quod eſt periculoſum, ex Hip.*6. epid. ſect. 4. text.1.* Et ſi accreſcunt, viget tamen febris, quæ natiuum ignem depopulatur deinceps. Aliquando eueniunt morbo exiſtente crudo, & ſuppuratis parotidibus mors contingit, vt *Cratiſtonactæ, & Pictoris* contigit *ancillæ lib.1. epiſt. ſect.2. 84.* Interdum humore intra venas concocto, parotis non æquabiliter matureſcit, quod reprobat Hip. *6. epid. ſect. 1. 13.* Frequenter abeunt in ſcirrhum, fiſtulam, & vlcera praua, vt accidit *Clazomenio 1. epid. ſect.3. text.27.* Hæc omnia in peſtilenti ſæua conſtitutione accidiſſe ſum expertus Anno 1600. nam in peſte, febribus peſtiferis, omnia hæc, apparentibus parotidibus, contigiſſe vidi, adeò vt plures, pulicari febri prehenſi, occumberent, quibus parotides exoriebantur. Medici tanto infortunio perterriti aliam excogitârunt curandi methodum: nam apparente abſceſſu, & tantiſper excreſcente, citò, nullâ expectatâ ſuppuratione, vſtione vtebantur in ipſo tumore: ſic enim infixo cauterio, materiâ per ipſum vlcus expurgatâ, omnes ferè à morte euadebant. Cauterium ſit ex auro: nam præterquam quòd hoc metallum Cardiacum eſt, ex illo conſtructum cauterium, probatiſſimum, apud Auic. 4. 1. *cap.29. & lib.2. tract.2. cap.78.* Albucaſim *lib.1. de cauter. cap.1.* quoniam vlcus exortum minùs ſordeſcit, & citiùs conſaneſcit.

OBSERVATIO LXXII.

De Narium morbis.

Prodigioſa narium hæmorrhagia, cauterio in planta pedis affixo, curatur.

MIræ ſunt narium hæmorrhagiæ, ex quibus vſque ad 40. libras ſanguinem profluxiſſe auctores fidiſſimi conteſtantur. Nos in muliere gracili, & excarni, ex hac parte, intra ſeptem dies ad triginta libras ſanguinis effluxiſſe vidimus. Ned dubites: nam vt optimè dicebat Galenus *lib.6. epid. ſect.3. 29. Multi haud modicâ ſanguinis copiâ redundant, graciliſſimi tamen ſunt.* Hæc ergò fortè ob ſanguinis tenuitatem in tam copioſum fluxum lapſa eſt. Auxilia pro tanto malo applicita, fuêre hæc: Victus incraſſans, reuellentia auxilia, perfrictiones, & vincula crurum, cucurbitulæ applicitæ plantis pedum, tibiis, Hypochondriis, & coſtis, ſanguinis miſſio, iterum atque iterum, parca, & per vices adminiſtrata. Fronti, naribus, genitalibus frigidiſſima medicamenta appoſita. Philonium Perſicum exhibitum. Requies Nicolai frequenter in iure auis diſſoluta, adiectâ plantaginis aquâ. Metus inopinatus illi incuſſus, terrores ſubiti illati. Tota facies, frigidiſſimâ niuali aquâ, irrorata. Demùm multa addidimus agglutinantia, ſtyptica, & exiccantia, & quæ à ſpecifica forma huic fluxui reluctari creduntur. Denique cùm A vitibus eſſet exanimis, appoſito cauterio actuali in vtráque planta pedum, laceſſita natura, & irritata præſidij vehementiâ, curſum ſanguinis retraxit, & ea, Deo auſpice, omnino hæmorrhagiâ ceſſante, ſanata eſt. Quidam, ex acri catarrhoſâ defluxione, quæ in fauces continuò emanabat, nocte quadam ex ore magnam ſanguinis copiam expuere cœpit. Perſpecta origine à qua ſtillabat cruor, inuentum foramen in raninâ venâ, quæ à mordaci humore exeſa fuit, ita amplum, vt lentem magnam occuparet, ex quo biduò riuuli copioſi fluxêre, adeò vbertim, vt librarum viginti pondus adæquarent: Intra foramen, formulæ oblongæ, nuclei pinei inſtar, admotæ, paratæ ex gypſo, puluere gummi Arabici, B Aloës, Thuris, Sanguinis Draconis, Boli Armeni, pilorum leporis minutiſſimè contritorum, Hæmatitis, cum albumine oui. Reuellentia auxilia adminiſtrata, & alia quæ ſanguinem cogerent, & incraſſarent. Quibus, nec narcoticis, cùm hæmorrhagia compeſci non poſſet, cauterio in eadem pedis parte indito, ceſſauit omnino; foramen verò apertum ope ſarcoticorum, generatâ carne, natura occluſit.

OBSERVATIO LXXIII.

Turundæ craſſæ, & concretæ, per nares excretæ, curatio, quæ hominem tandem ad interitum duxit.

C FAber quidam lignarius, naturâ pituitoſus, & temperamento humidus, ſæpiſſimè apud me conqueſtus eſt, quòd à longo tempore quater, aut quinquies in anno turundam dimidij palmi longitudine per nares emittebat, quæ craſſitiem calami ſcriptorij, æquabat, muco obſitam, & concretam. Hanc præcedebant rotatio capitis, ingens Cephalalgia, oculorum obtenebratio, obliuio omnium rerum, ſopor, & totius capitis grauamen, quæ omnia triduò ante excretionem eum excruciabant, Quâ excretâ alacriter viuebat. Ne tamen in poſterum aliqua ſuboriretur, quæ damnum grauius inferre poſſent, Medicos conſuluit. Sed cùm morbus ex cerebri frigidâ, & humidâ intemperie ortum duceret, exiccantibus, & roborantibus debellandum eſſe arbitrantur. Purgationes miniſtrant, decoctum radicis Chinæ, ad triginta dies inſtituunt, errhina imperant, conſulunt maſticatoria, pileis, & lauacris exiccantibus capiti raſo applicitis ſuperfluam abſumunt humiditatem, brachio cauterium affigunt, tabellas, & conſeruas roborantes parant. His celebratis toto anno nullum malum perſenſit. At ob partem curatu difficilem, hoc eſt habitualem cerebri intemperiem, quæ cùm diuturna eſt, difficulter corrigitur, cùm de nouo, regenerato humore crudo, recrudeſceret affectus, iterum, turundam craſſiſſimam, iiſdem, ſed ſæuioribus præcedentibus ſymptomatis, magno cum E labore, ſternutationis ope, excreuit, & fatuus deinceps, & ſoporatus remanſit, qui poſt tres dies, ob copiam multi humoris in cerebro latentis, ſubitò Vertigine tenebricoſâ, & tandem Apoplexiâ correptus, diem ſuum obiit.

OBSERVATIO LXXIV.

De Vitiis faciei.

Guttæ roſaceæ curatio.

ERuditiſſimus Manardus *lib.7. epiſt.2.* aureâ, in qua de nominibus morborum externas partes occupantium diſſeruit, in faciei fieri refert quoddam malum, quod guttam roſeam plures appellant. Vigo *lib.4. de vlceribus cap.19. guttam roſaceam* nuncupauit: &

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 789 sur 927

est quædam rubedo extranea circa nasum, & maxillarum A *pomæ, quæ cum pustulis crustosis ad modum parvæ lenticulæ affligit, & est unum ex signis coarguentibus principium lepræ.* Hanc patiebatur iuuenis quidam Lusitanus, pulcher facie, & decorus aspectu, qui hyberno tempore, calore ad interiores sedes adacto, annorum quinque spatio, pustulas vlcerosas, totam faciem deturpantes, habebat, & à quibus ichor emanabat flauus ita acris, & mordax, vt ob nimiam caliditatem, carnem exederet. Verno tempore pancraticè viuebat, parentibus cùm potis transpiraret corpus. Incidit in hoc vitium ex assiduo piperis vsu, quo in puluerem redacto vescebatur; quâ de causâ iecur impensè incaluit. Et cùm timor esset, ne in Elephantiasim, vt fere solet, commigraret affectus, ipséque B tantæ turpitudinis molestiâ afflictus, subtristis vitam duceret, me consulit. Auxilia actitata inquiro. Inuenio fuisse phlebotomiam ex iecorariâ sæpiùs reperitam, vacuationem per purgantia medicamenta, & refrigerantia apozemata, celebratam, serum lactis caprini simplex, & nescio quæ localia exiccantia in facie applicita vnguenta, quibus, nec balneo cùm non leuaretur, immò recrudesceret affectus, Medicus tandem, omnia se iam fuisse exequutum auxilia arbitratus, cum eo laboriosè luctatus, tanquam ab incurabili morbo, recessit. Ego cùm à iecore nimiùm excalfacto, & retorrido, velut à prima origine promanare hunc morbum intelligerem, & habitualem in eo calidam intemperiem deprehen- C derem, ob quam hepar, nidore veluti quodam, infectum, vel ex puriſſimo alimento, calidum, biliosum, exassatúmque humorem generabat, in auxiliis vehementioribus, & alio modo paratis, insisto, quæ non solùm iecur refrigerare, sed vnà roborare viscus nata essent. Qua de causa per mensem sero lactis caprini vsus sum, in quo alternis diebus madebant tum Rhab. Myrobalan. sena, Epithym. Polypod. pulpa Cas. Syrup. fumar. Maioris, Cichor. Nicol. Endiu. Gentil. de Sena, de Polypodio. Post hæc iterum in balneum misimus, & duabus horis à balneo, syrupum ex iure pulli gallinacei, priùs refrigerantibus medicamentis saginati, & decocti, confectum offerebamus. Hirudines bis mariscis affixæ, quarum D suctu, sanguinem æger, super vas aquâ calidâ plenum sedens, emisit grumosum, fæculentum, & nigrum. Verùm cùm malum, iis celebraris, ferociùs insoleſcerer, vt humor ex partium diuturnâ debilitate necessariò gignendus ad imas, contrariásque deferretur corporis partes, & spiraret iecur, fontanellam in dextro crure aperiendam curaui, ex qua, cùm impura sordes emanaret, seruato regimine victus, & exiccatis omnino vlceribus, obesior factus, pristinum nitorem recuperauit, neque vnquam ipse malum persensit. Hæc fuit huius Lernæi morbi, qui iuuenem miserè, diúque cruciauerat, Herculea clava: nam, vt rectè dicebat Mercurialis *lib. de decorat. cap.* 13. *de maculis faciei: Præter hæc si in vllo casu* E *cauteriorum vsus vtilis est, procul dubio in hoc, vt viderim solis cauteriis cruribus affixis, rubedines faciei penitus esse deletas.*

OBSERVATIO LXXV.

Guttæ rubræ curatio.

GVttam rabidam, seu rubram vocant Medici, quando cum maligno tumore facies intensè rubescit, cum molestia semma. Hoc vitio cùm laboraret quidam, & iam importunè vexatus, multiplicia expertus esset auxilia, quæ bilem retorridam expurgarent, deleteriámque vim humoris simul retunderent, (aderat enim Gallicæ luis suspicio) de quorum numero sunt vacuantia, balnea, fontanellæ in brachiis, & dextro crure apertæ, vnguenta mercurialia, parti ipsi, & toti administrata, lactis caprini serum, saluatellarum sectio, his nec tantillum leuatus est: sed cùm adesset in facie calida intemperies, ob quam optimum alimentum, calor partis, in reprobum succum conuertebat, neque refrigerantia, & exiccantia medicamenta parti affectæ admota possent esse ex vsu, octo hirudines in facie apponendas curo, quibus affixis, & extracto crasso sanguine, fœdo, & nigro, ita leuatum est malum, vt post paucos dies pustulis euanescentibus, nunquam recrudesceret.

OBSERVATIO LXXVI.

Ad formicam faciei corrosiuam, celebre auxilium.

INter cætera præstantissima auxilia, quæ, ad Herpetem exedentem, seu Formicam corrosiuam in facie subortam, à Medicis imperantur, hoc est nulli secundum, præcedentibus generalibus auxiliis celebratum. Accipe lanam albam, quam tonsores ex pannis tondere solent: hæc vsta in testa, nigerrimum acquirit colorem, trita, & Rosaceâ, aut Plantaginis aquâ permixta, atramentum scriptorium repræsentat. Hoc liquore vlcus circumcicà illine, mirabilem experieris vtilitatem: nam vlcus sensim exiccatur, & non ampliùs serpit. C

OBSERVATIO LXXVII.

Pro nigredine faciei, præsidium exoticum.

PRo nigris maculis post morbum Gallicum, aut exanthemate derelictis, pro fœminis quæ natiuâ sorte nigellæ sunt, & tantoperè anguntur, vt vultus, colore, ex albo & rubro permixto decoretur, & pro aliis quæ maculas habent faciem deturpantes, vix reperies auxilium quod hoc sit excellentius. Apud *Brasilienses* præsertim iuxta ciuitatem vocatam *Pernambuquo* crescit arbor quædam in nemoribus in D multa copia, quæ vocatur ab incolis *Coqual*, est arbor notissima, lentisco simillima. Huius corticem, si libræ vnius pondere in minutissima frustula dissectum in sexdecim libris aquæ, adiectis vnciis duabus aluminis decoquas, quousque absumatur pars dimidia, decoctum, colatum priùs, remanebit tam purum, & purpureo colore ita insignitum, vt ostri, aut papaueris rubri colorem æmuletur. Hac aquâ, si faciem abluas, præterquam quòd maculæ nigræ, rubrum splendentem colorem acquirunt, vultus ita roseo colore suffunditur, vt fœminæ hac de causa, hoc decocto, veluti fuco rubro ad pulchritudinem conciliandam, faciem, labráque abluentes, formosiores multò fiant, & magis speciosæ. Hic purpureus, & pulcher color octiduò firmus persistit, nec elui potest, etsi vultum abluas multoties aquâ. Transacto hoc tempore, nigricantis rosæ vultus induit colorem, & paulatim post quatuor dies remittitur omnino. At maculæ quæcumque eæ sint in posterum minimè repullulant. Quo decocto si iterum, antequam remittatur color, faciem laues, de nouo pristinus purpureus color insurgit. Vtinam Mercatores Lusitani, & Hollandenses huius arboris cortices ad nos deferrent, quorum ope fucus pro fœminis parari poterat cæteris præstantior, & innoxius: nam ex Arsenico sublimato, Cerusâ, Camphorâ, & aliis ad decorem linimenta construunt, quibus miseræ incautæ, faciei rugas, gingiuarum vlcera, dentium nigredinem, cariem, oris fœtorem, loco pulchritudinis extemplò experiuntur.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 790 sur 927

OBSERVATIO LXXVIII.

De Vitiis linguæ.

Lapis ſupra mucronem linguæ enatus.

NObilis quidam catarrhoſis defluxionibus valdè obnoxius, quùm in parte linguæ externâ iuxta mucronem, tumore inſigni, & dolorifico quateretur immaniter, Aphonus quaſi factus, Chirurgum vocat. Hic lauacra emollientia, & lenientia conſuluit, factáque inciſione, lapillus ſe prodit (citra ſperatum pus,) duriſſimus, læuis, ad magnitudinem nucis auallanæ, quo, volſellâ vi ſummâ extracto, tumor euanuit, & vulnere integrè ſanato, æger obtinuit ſanitatem.

OBSERVATIO LXXIX.

Verrucæ Gallicæ, in mucrone linguæ enatæ, hiſtoria, eiúſque curatio.

FAllopius Medicus omnium calculo doctiſſimus, inter omnes *lib. de morb. Gallico, cap.* 88. verrucarum curationem propoſuit eleganter, quas renaſci in balano, ano, gutture, radice linguæ, palato aſſeuerat. Ego præter plures in his partibus renatas; in mucrone linguæ exortam vidi in gallicato ægro, ad nucis iuglandis paruæ magnitudinem, ex qua patiebatur vocis læſionem; nam ſermonem articulatum non proferebat, nec alimenta in ore rectè conterere poterat, quare liquida ſolùm eſitabat. Pro huius eradicatione, præter vniuerſalia auxilia, ſudorifica tentantur, topica parti apponuntur, ſed incaſſum. At cùm ferramentis ignitis, & medicamentis cauſticis multoties eſſet inuſta, & ligata funiculis materiâ erodente imbutis, in pediculo, quo carni tenaciter adhærebat, non ſolùm Chirurgorum operationem multoties deluſerat, immò excitatâ phlegmone, dolore, & ob attractionem humoris ſuperueniente anginâ, cui venæ ſectione eſt occurſum, Medicos à ſui curatione deterrebat, maximè cùm hæc eſſet de earum natura, quæ *Myrmeciæ* dicuntur, quæ ſi perfricentur, aut tractentur, punctionum ſenſum maiorem inferunt, ac ſi pars attrectata formicarum morſibus vellicaretur. Æger his preſſus anguſtiis, Medicos pactâ liberali mercede rogat, vt pro ſui ſalute veterum, & iuniorum monumenta reuoluant. Ego ſtipendij compendio adductus, amicos tota nocte conſului, hoc eſt, libros. Multas pro tanto malo remediorum myriades inueni. Octiduò tentaui. Omnia fruſtrà. Vltimò adij Lacunam *lib. 2. in Dioſcorid. in comm. cap.* 171. qui pro verrucis curandis, nullum aliud præſidium vtilius eſſe inculcat, quàm Chelidonij maioris folia (vulgò herbam hirudinariam vocant) piſta, cataplaſmatis formâ ſuper verrucoſam partem imponere. Ad ægrum lætabundus accedo remedium experturus, & emplaſtrum exertæ linguæ appono lineo panno inuolutum, & in medio linguæ triplicato filo ſuauiter ligo: Non pertranſierant dies duo, quando verruca omnino contabuit, ita vt filo ſerico in radice ligata, illicò exciderit. Hoc exemplo edoctus, plures in volis manuum, & plantis pedum renatas, quæ miſerrimè ægros excruciauerant, radicitus hoc facili, at certiſſimo auxilio extirpaui.

OBSERVATIO LXXX.

Linguæ portentoſus tumor, hirudinum ſuctu, curatus.

CVratio mira. Illuſtri cuidam Gallo poſtquàm poculis more patrio cum ſociis decertâſſet, ex nimio vini potu adeò lingua in portentoſam magnitudinem aucta eſt, vt vix deglutire, aut reſpirare poſſet, & ſic toto corpore liuidus, nigricante facie, ac ſubtumidâ, velut ſtrangulatus cùm in horas moriturus ſperaretur, & plura vacuantia, reuellentia non iuuarent auxilia, impero, vt quatuor magnæ hirudines, filo tenuiſſimo in candice apprehenſæ, linguæ, (quam exertam habebat) affigantur. Sed quo euentu audi. Ita adhærentes ſuxerunt, vt breuiſſimo tempore ipſam exilem, tenuémque relinquerent, & ſic æger à periculo ſummo euaſit immunis.

OBSERVATIO LXXXI.

Ingens linguæ tumor, ipsâ ſcarificatâ, ſanatur.

DEcem annorum puero ex catarrhosâ defluxione adeò lingua in ingentem magnitudinem accreuit, vt ipſius ore contineri non poſſet, cui cùm reuellentia per venam ſectam, collo, dorſóque impoſitas ſcarificatas cucurbitas, & acres clyſteres eſſent acta auxilia, & linguæ tumor mollis, laxúſque eſſet, ſcarificare linguam profundè, ſalubre mihi viſum eſt præſidium, quo celebrato, linguáque cum ſalita aqua ablutâ, (ne glutinarentur ſciſſuræ) tanta aquoſi humoris vacuatio facta eſt, vt illicò æger recuperauerit ſanitatem.

OBSERVATIO LXXXII.

Linguæ reſolutio, ſectis raninis, curata.

LInguæ caro eſt mollis, rara, laxa, ſpongiæ inſtar; hanc membrana tegit tenuiſſima, ori & palato communis, in quam nerui tertiæ, & quartæ coniugationis expanduntur, qui per ipſam diſſeminantur. His reſolutis, & à cerebro damno mutuato, interceptâ videlicet viâ, & à craſſo ſanguine obſtructâ, impeditóque libero commeatu facultatis tam motricis quàm ſenſificæ, in paralyſim totius linguæ quidam adoleſcens incurrit; nam guſtum, motum, & loquutionem omnino amiſerat. Hic varia tentauit auxilia quæ pro reſolutione vniuerſali imperari ſolent. His factis, cauterium nuchæ affixit, decoctum Ebeni per multos dies ebibit. Roborantia ſæpiùs aſſumpſit, apozemata, tabellas, opiatas. Poſteriori ceruicis parti, & retro aures diuerſimoda appoſuit vnguenta. Hæc profuêre nihil. At cùm eſſet robuſtus, & plethoricus, & maxillæ ruberent, ex venis ſub linguâ bis ſanguinem exhaurio, Auicennæ auctoritate commotus, *6. 3. tract. 1. cap. 7. §. Et ſi exiſtimatur quòd cum humiditate dominetur ſanguis, phlebotomentur venæ linguæ, & ventoſetur mentum, &c.* Hoc remedio celebrato, æger meliùs habuit, nam aliquali ſanguine emanante, recreata, & ventilata pars, & ope medicamentorum quibus abluebatur lingua, adiuta, ſubiectum humorem reſoluit, & æger ſenſum, motum, & ſermonem recuperauit.

OBSERVATIO LXXXIII.

De Palati vlceribus.

Palati lacuna citra morbi Gallici vitium deperdita, à natura aliquando repletur.

PAlati portionem ob virulentam luem carie exeſam procidere, nouum non eſt, ab acri tamen defluxione corrodi, ita vt minùs expreſsè, ſed obſcuriùs, & turbidiùs loquantur ægri, rarum eſt. Dum ego de hac deſcribendâ obſeruatione cogitarem, ecce inter alias doctiſſimorum virorum epiſtolas pro

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 791 sur 927

more in musæo appensas, legi vnam excellentissimi Doctoris Benedicti à Castro Medici Hamburgensis eruditissimi, in qua notatum erat exemplum, quod nec est vulgare, nec frequens. Iuuenis ætatis 18. annorum, temperamento sanguineus, ita cerebrum frigidum habebat, & ex eius naribus mucosa pituita instillabat in copia tanta, vt difficulter respirare cogeretur: huic vena est secta, cucurbitæ scapulis affixæ, præparati humores, sæpiùs expurgatum corpus. Horum ope ad tempus fluxio cessauit, at iterum reuersa, os, linguam & palatum ita affatim occupauit, vt palati lacuna decideret, cum oris vlceribus sæuis, ingentique linguæ tumore obortis. Iterum expurgatum corpus, fonticuli ad brachium, & nucham affixi. Roboratum cerebrum cucuphis, & tabellis exiccantibus. Imperata ex Ebeno sudorifica, quibus omnibus affectus succubuit, præter vlcus palati carriosum, quod cùm longum esset, laminâ argenteâ, vel aureâ repleri non poterat, quam adaptandam docent Paræus *lib. 22. cap. 3.* Amatus *lib. 5. cent. 14.* Alexander Traianus *lib. 7. cap. 18. de morb. Gallico.* Fallop. *de eodem morbo, cap. 79.* & alij. Quare pugnatum abstergentibus, & sarcoticis, sed cùm omnia citra fructum tentarentur, quoniam partes spermaticæ deperditæ regenerantur rarò, natura quæ sola sibi sufficit, paulatim vlcus, callo, quod rarum est, vestiuit atque obduxit.

OBSERVATIO LXXXIV.

De Dentium dolore.

Ad dentium dolorem, remedium admirandum.

INter varios dentium morbos, dolorem inter maxima tormenta esse annumerandum tenet *Celsus lib. 6. cap. 9.* Hoc cùm delicatula fœmina per plures dies premeretur immaniter, & nulla celebrata auxilia possent esse ex vsu, me vocat. Impositio præsidio ex tempore dolor conquieuit, qui tot repetita remedia contempserat. Huius mirabilis auxilij vera est origo hæc. Generantur *in Peruano regno, totoque Brasiliensi tractu*, in nemore, syluestribúsque locis, præsertim iuxta ciuitatem vocatam *Pernambuquo* araneæ, quæ præterquam quòd mali Arantij magnitudinem superant, etiam venenosissimæ sunt, quarū vngulam, mirâ quâdam, & occultâ proprietate dentium dolori opitulari, fidissimo atque frequentissimo experimento adinueni. Vngula hæc est dura, coloris subfusci, similis vngulæ pedis cancri, aculei instar acuta. Hac si dentem affectum tangas, aut intra os, iuxta gingiuas & dentem apponas, dolorem ex tempore lenit, & ne frangi, comminuíve dentibus possit, meliúsque parti dolenti adaptetur, & in ore retineatur, auro, vel argento incrustari debet. Nec araneæ magnitudo fidem omnem superare videatur, nam ea validissimis est nixa testibus. Narrat Petrus de Osma *in epistola missa Monardo*, quam hic auctor refert *in part. 2. histor. aromatum, quæ ab Occidentali India adsportantur*, in Americana plaga, in ciuitate vocatâ *Chile*, has araneas, & maiores reperiri, & alia prodigiosa animalcula, quæ potiùs inter monstra, quàm naturæ opera connumerari debent.

OBSERVATIO LXXXV.

Dentium dolor sæuissimus, niue circumpositâ, ablatus.

MIles strenuus, quùm à multis annis dentium dolore ex distillatione suborto per intervalla quateretur, ita vno die, æstatis tempore, liquatis crudis succis, in tribus molaribus superioribus dextri lateris immani dolore est concussus, vt rabie quadam, & doloris sæuitie pressus, furibundus veluti, & amens, è domo vociferans exire vellet. Huic remedia primò omnia facta sunt præsidia, mox Anodyna, Soporifera, immò ipsum Opium dentium cauo applicitum. Sed incassum omnia tentata: nam vehementiùs dolor ægrum vexabat. Demum niue, quâ aquam bibendam refrigerabat, fortuitò in ore detentâ, eáque iterum atque iterum acceptâ, à dolore intra horam immunis euasit, & plures alij qui hoc præsidium sunt experti, doloris sæuitiem effugêre. Nam vt ait Auicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 524. Aqua niuis sedat dolorem dentium calidum, &c.*

OBSERVATIO LXXXVI.

Quidam sæuo dentium dolore vexatus, impositio intra dentis cauum Philonio, occubuit.

COrpora viuentium quidpiam simile mortificationi perpeti, ab omnium ex Opio, Hyoscyamo, & Mandragora compositorum medicamentorum vsu, luculenter satis confirmat Galenus *lib. 2. & 3. de compost. medicamentor. sec. loc. cap. 1. & lib. 8. eiusdem cap. 3.* Et hoc sequenti exemplo fiet manifestum. Quidam cùm pluribus diebus dolore dentis corrosi concussus vehementer, multis adhibitis præsidiis leuari non posset, amicorum consilio, intra dentis cauum indidit Philonium Persicum. Eo admoto, stupidus veluti, sequuta auditus grauitate, extinctus est.

OBSERVATIO LXXXVII.

De fœtore oris.

Pro fœtore oris, optimum præsidium.

ILlustris quædam Matrona adeò fœdo, horribilique oris fœtore continuò premebatur, vt assistentes circa ipsam immorari non possent, pro quo domando vitio, à corruptis, putridisque humoribus in ventriculo genitis suborto, cùm plurima tentâsset auxilia, quæ tùm inutilem à stomacho vacuarent humorum copiam, vnáque suauitatem, & robur, ori ventriculóque conciliarent, & cauterium in crure incassum tamen affigeret. Tandem meo consilio, pilulis his vnius mensis spatio assumptis, in posterum suauem spirauit odorem, nam binas duabus horis post cœnam deuorabat, quæ grauem oris halitum emendant, suauitatem conciliant, & ructûs tædiosos abolent.

℞. *Myrobalanor. emblic. Chebulor. an.* ʒ ß. *Rorismarini, Semin. Citri, Myrrhæ, Sem. myrti, an.* ʒ j. *Cinnamomi,* ʒ j. *Galangæ, Malobathri, Hydropiper. Nucis Myristicæ, an.* ϑ j. *Caryophyllor.* ϑ ß. *Gallia moschatæ,* ϑ j. *Aromatic. rosati, Diamoschi dulcis, an.* ʒ ß. *Mastichis, Coriandri, Anisi, Sem. fœnicul. an.* ϑ j. *Moschi odorati, Ambari, an.* ℈. xx. *Agalloch. elect.* ϑ j. ß.

Pulueriſanda pulueriſentur, & deinde ad vmbram exiccentur, priùs vino odorifero, & aq. flor. Arantior. irrorata, deinde cum Balsami guttulis, & Rhodomelite fiant pilulæ ad modum ciceris, & decorentur.

OBSERVATIO LXXXVIII.

De Oris vlceribus.

In oris vlceribus Gallicis, Vnguenta Mercurialia imperanda.

AXioma apud Galenum est receptissimum *in lib. 13. meth. 11. humores nunquam ad affectam partem esse trahendos, sed quàm longissimè ab ipsa diuertendos.*

Intelli

©BIUM

Intelligendum de initio morbi, quando pars humorum copiâ repletur. Hoc non aduertentes Medici, in palati, oris, gurgulionisque Gallicanis vlceribus, cane, & angue peius, Mercurialia euitant vnguenta, quoniam Mercurij ope conuocatur, immò expurgatur per partem affectam noxius humor. Vidua quædam iuuenis ex commercio cum viro spurco, vlcera vteri præcedente gonorrhœâ virulentâ, passa est. Hæc cùm esset à nobili stirpe oriunda, ob parentum metum, & pudorem, maluit ampliùs mori, quàm malum vel Medico patefacere. Post decem dies superuenêre maculæ in fronte rotundo schemate siccæ, cum dextri brachij contractione coniunctæ. Tunc morbo oppressa negotium totum aperuit, quo tempore ob veneni intus serpentis vim effrænem Gurgulio iam vlceribus conspurcari inceperat, quousque tandem videbatur ex toto corrosus. Consuluntur Medici, purgationes imperantur, sudorifica ex Smilace aspera exhibentur, & alia plura administrantur, quæ humoris virulenti efficaciam, ne vltrà serperet, retunderent. Sed frustra: nam morbus contumax, & peruicax solùm vnguento Mercuriali nouies applicito succubuit, & gargareon lacer (quod mirum est) restitutus.

OBSERVATIO LXXXIX.

Ad oris, & genitalium vlcera deleteria, auxilium præstans.

Historia apud *Hispanos* trita, sed propter exteros non reticenda. Inter auxilia celeberrima, quæ ad dolosa vlcera, & depascentia, præsertímque Gallica coërcenda, eorum putrilaginem absumendam, vtilia sunt, hoc præsidium obtinet principatum, nam suâ causticâ vi, eorum malitiam, & virulentiam infrænat, de cuius vtilitate eximia nec Aromatum diligentissimi scriptores, nec Garzias ab horto, Christophorus à Costa, Monardus, immò nec Clusius ipse, in inuestigandis Indiarum arcanis laboriosissimi, nec alij fecêre commemorationem vllam. Cuius historiam referre non grauabor. In nouo Orbe, in prouinciâ dicta *Potosi*, in ciuitate vocatâ *Lipis*, in asperis montibus oritur lapis, cui ab incolis ciuitatis, iuxta quam nascitur, inditum est nomen, quare appellatur *Lapis Lipis*. Hic intus habet colorem cæruleum, Sapphirinum, cum transparentiâ quadam. Durissimus est, sed in minuta finditur fragmenta. Gustu ita acris, & mordax, vt si tantillum iuxta linguam apponas, excitato ardore illam exulceret. Affertur à multis mercimonij causa, venditur in taleolas redactus, ita vt si eum è longinquo videris, parum distare à merce illa, à Lusitanis vocata *Anil*, & à Belgis dicta *Indigo* arbitreris: nisi quòd *Lipis*, clarum, & transparentem sortitur colorem, merx verò illa aliquantulum obscurum. Demum hic Lapis cætera sui generis medicamenta longè antecellit, si grana eius quatuor in tenuissimum puluerem redacta in vnciis duabus aquæ rosarum, aut plantaginis per horam maceres, & aqua hac, quæ cærulea statim fit, vlcera mundifices: aquæ enim vi, & mixtione, causticæ & ignea eius vis lenitur ac mitescit.

OBSERVATIO XC.

De Gingiuis.

Ex dente vi euulso ingens hæmorrhagia sequuta, facili remedio curata.

Quidam cùm dentis dolore premeretur immaniter, illum violento concussu ferri ope eduxit. Extracto eo, ex dilacerata arteria gingiuæ subdita, copiosa sequuta est hæmorrhagia, ac si riuulus è fonte emanaret. Conuocantur Medici & Chirurgi, reuellentia administrant, venam secant, cucurbitulas costis multoties admouent, parti vnde fluebat sanguis glutinantia, & styptica applicant, vt gypsum, cum testrictiuis pulueribus, & albumine oui permixtum, adiectis Sarcocolla, telis aranearum, terra sigillata, & lanugine adhærente cortici interiori Castanearum. Chalcitidem vstam imponunt, quæ potenter adstringit, & causticavi, ignis instar, fluorem omnem compescit, quam sæpè cum vitriolo vsto, (Græci Chalcanthum, Hispani *Copparosa* vocant) quod easdem cum Chalcitide obtinet facultates immiscent. Sed cùm fluxus perseueraret, digitum patientis imperant imponendum super locum vnde fluor erumpit. Sed cùm his reprimi non posset, meo consilio, locum puluere gummi Arabici implendum moneo, quod auxilium ita profuit, vt post tres horas fuerit omnino sanguis restrictus: nam hoc gummi fit ex Acacia Ægypti spina, & *oppilat, obstruit, refrigerat, glutinat, exiccat, quoniam gummi Acaciæ est fortius valdè, & ponitur propter hoc in medicinis Theriacæ*, inquit Auicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 316.*

OBSERVATIO XCI.

Immodicus ex Gingiuæ arteria sanguinis fluor, emplastro Galenico suppressus.

Miles quidam strenuus, dentem, cuius sæuissimo cruciabatur dolore, ferro cùm extraheret violentia summa, ecce vehemens subsequutus sanguinis fluxus ex arteria cui dens innitebatur. Sanguine biduò vbertim fluente, peritissimi Medici omnis generis obturantia extrà apponunt, reuellentia consulunt præsidia præstantissima, arteriam candenti ferramento inurunt. At incassum omnia acta: nam sanguis maiori impetu prosiliens, eum in statum morti valdè propinquum, viribus penè exhaustis, reduxerat. Vocatus, Galenicum emplastrum ex Aloë, Thure, pilis leporis exactissimè trituratis, & mixtis cum candido oui, paruifacientibus Medicis, impono. Quo auxilio admoto intra paucas horas sanguis omnino fuit suppressus, & æger à mortis faucibus ereptus. Hoc pretiosissimo auxilio à se primum inuento gloriatur Galenus *lib. 5. meth. 7.* incisam in gibbero arteriam fuisse conglutinatam, *& lib. 5. eiusdem cap. 4. & de curand. rat. per sanguin. mis. cap. vltim.* appositis historiis huius auxilij præstantiam confirmat; & summis laudum præconiis efferunt Auic. 4. 1. *cap. 20. iuxta fin.* Aëtius *tetrab. 1. serm. 5. cap. 19.* Trincauel. *lib. 3. de compos. med. 18.* & proprio exemplo illustrat Petrus de Peramato *lib. de vacuand. rat. cap. 30.*

OBSERVATIO XCII.

Sanguinis ex Gingiuis profluuium criticum.

A Vrifaber cùm ex multo labore iuxta fornacem, in ardentem febrem incideret, & esset firmus, & fortis, copiosam celebrauit phlebotomiam, cuius vi ita leuatus est, vt in septimo die, præcedente gingiuarum pruritu, & labij inferioris ingenti dolore, ex venula gingiuæ inferioris riuuli sanguinei profluerent per tres continuos dies, in tanta quantitate, vt libras ampliùs quinque excederent, & quantò plus sanguinis effluxerat, tantò magis remittebatur febris, quâ omnino extinctâ, sanguis sponte sua cessauit omnino.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 793 sur 927

OBSERVATIO XCIII.

Ex Epulide mors.

EPulis carnea est excrescentia ginginarum inter dentes, quæ ab inflammatione contracta, ad intimos molares dentes pertinet: nonnunquam cum febri & dolore, inquit Paulus *lib. 3. cap. 26. rubric. 3.* Hæc sensim sæpè ad oui augetur magnitudinem, adeò vt loquendi, & mandendi adimat facultatem, auctore Pareo *lib. 7. cap. 4.* Mulier erat habitu melancholico, cui in gingiua inferiori externa caro excreuit dura, quæ paulatim spatio vnius anni in molem excreuit tantam, vt oui parui magnitudinem superaret, cum dolore summo & graui odore: nam ex vlcusculo tumoris sanies quædam fœtida promanabat cum sensata acrimonia coniuncta. Adhibitum consilium. Vnicum in incisione remedium. Sic factum, sed tanta hæmorrhagia sequuta, vt illa viribus exhausta, nullis proficientibus auxiliis, vita discesserit.

OBSERVATIO XCIV.

De Angina.

Angina canina, cucurbitulâ sub mento scarificatâ, curatur.

PRæfocatiuum malum faciens necessarium, vt sit assiduatio apertionis oris, & proiectionis linguæ, nominatur caninum, &c. Dicebat Auic. *9. 3. tract. 1. cap. 8.* quoniam ægri suffocati, & veluti strangulati, vt aërem attrahant, exertam habent linguam, canum instar, qui ardente Sirio ad captandum frigidiusculum aërem, eam extra os prominentem habent. Hæc licèt apud Hip. *lib. 3. prog. 8.* celerrimè interimat, vt proprio exemplo firmauit expertissimus Dodonæus *lib. exemplor. medicinal. 18.* Ab hac tamen rarò euasio fit. Illâ cùm fœminâ quædam nullo apparente tumore grauiter corriperetur, clauiculares ex interuallis dentes habens, & magna cum violentia respirans, ita vt in horas strangulari videretur, & neque cephalicæ, aut venarum sub lingua sectio, in occipite scarificatæ cucurbitæ, acria clysteria illi opem ferre possent, tandem eodem die quo omnia ob procrastinationis periculum acta sunt, sub mento scarificata cucurbita summo fuit auxilio, & assumptis deinde syrupis, excreráque per sputum pituitâ crassa, & multa, altero die meliùs habuit.

OBSERVATIO XCV.

Angina acutissima, iugularibus venis sectis, curatur.

HIspanus quidam cùm acutissimâ anginâ in horas strangulari videretur, & omnia vniuersalia, & localia per venam sectam, scarificatas in collo cucurbitulas, acres clysteres essent celebrata auxilia, & ipse nigricante facie velut emortuus iaceret: peritissimi Medici iugulares secandas imperârunt. Adfuit Chirurgus secandi arte dexterrimus. Illas sanguine ad caput ruente, vaporéque multo impletas, turgentes, & conspicuas resecuit. Irreparabili sanguinis fluxu sequuto, ægróque lapso in omnimodam virium iacturam, spes salutis abest, & nullus videtur remedio locus, quùm de eo, ob violentum sanguinis fluxum, iam desperarent omnes. Neque ex tempore inuentum fuit, quod opitularetur auxilium. Vocatus, accurro. Emplastrum Galenicum superimpono, quo ipse *lib. 5. meth. 4.* ad arteriarum, & iugularium hæmorrhagias fœliciter vtitur, constátque ex iis quæ in Obs. 91. suprà retulimus. Sicque collo commodè ligato, ægrum iam iam exhaustum refocillo, qui post horas aliquot respirare, & loqui cœpit, & à morbo immunis reuixit. Nec miteris ad tam periculosum remedium nos confugisse: nam præterquam quòd ex Auicennæ consilio *4. 1. cap. 20. hæ minuuntur in principio fortis squinantiæ, & coangustatione anhelitûs*: etiam *quando salutis vnica est via, hæc licèt cum periculo tentanda: cùm satius sit egrum periclitari, quàm spe ademptâ certò perire*, vt monuit Magister *lib. 10. meth. cap. 10.* Nam malo nodo malus cuneus quærendus est, taróque crudele malum nisi crudeli depelli potest auxilio.

OBSERVATIO XCVI.

Angina præfocatiua intra quatuor horas interficiens.

PRæfocationem caninam quandoque interficere, intra primum diem, & quartum, tradidit Auicenna *9. 3. tract. 1. cap. 8.* Attamen citò suffocatione prehensos occumbere, auctorum testimoniis ratum est, firmátque Trallianus *lib. 4. cap. 1. tit. de sanguin. miss.* Caupo circa meridiem de gutturis inflammatione conqueri cœpit. Nullus tumor in faucibus apparuit. Dolor aderat internus, & respirandi difficultas summa. Cibus, ac potus assumptus illicò per os, & nares reiectus. Præcesserat vehemens, copiosáque humorum è capite distillatio. Nulla pro temporis angustiis remedia celebrata profuêre, immò sanâ mente, integrísque sensibus intra quatuor horas febre validissima pressus occubuit.

OBSERVATIO XCVII.

Ab anginâ annuâ, quidam aperto fonticulo sub linguâ, præseruatur.

QVantam vtilitatem præstet sectio venarum sub linguâ, à veteribus tantopere celebrata, hoc exemplo fiet manifestum. Adolescens frigido & humido totius, & capitis temperamento præditus, ex destillatione capitis, à multis annis aduentante vere, liquatâ fortè pituitâ, & fluxiliore redditâ, in anginam fortissimam incidebat, à quâ pluribus celebratis auxiliis difficulter euadebat. Cùm autem nec vacuantibus auxiliis, sudorificis præsidiis, cerebrum roborantibus, & fontanellis brachiis affixis, à tanto malo præseruari non posset, natura, quæ de vtilitate animantis semper est sollicita, eum ab illo imposterum liberauit, aperto foramine sub radice linguæ in parte sinistrâ, per quod cùm singulis annis riuuli perennes aquosi humoris, quatuor diebus in fine mensis, tempore statuto effluerent, ab anginâ omnino imposterum est præseruatus.

OBSERVATIO XCVIII.

De Gargareone.

A præciso gurgulione, tabes, mors.

QVantopere oporteat Medicos in gurgulionis vlceribus curandis esse solicitos, hoc exemplo fiet manifestum. Septem vidi ex hac causa rabidos effectos occubuisse, præter plurimos, qui ob vlcera Gallica, illo corroso, & præciso, vocis insignem læsionem, asthma, difficilem respirationem passi sunt. Cur ita? Respondet Peripateticorum Princeps Alexander *2. probl. 3.* quoniam frigidus aër rectâ ad pulmones delatus viâ penitissimè irruens sanguinem cogit,

©BIUM

cogit, tardiores ad motum pulmones facit, atque ita ex valido pulmonum conatu diſrumpuntur vaſa, ſequitur ſputum ſanguinis, phthiſis, mors. Adde quòd coacti humores in ſpiritales partes à cerebro diſtillantes, ibi hærentes, copiâ ſuâ, tuſſim mouent, & æger citra cruentam ſpuitionem tabe reſoluitur. Huius ergo partis vlceribus citiſſimè opitulandum: nam calida eſt, laxa, flaccida, & ob tenellam ſubſtantiam corruptioni facillimè obnoxia, quam ſecare periculoſum eſt apud Hip. *3. prog.* 21. ex cuius reciſione plurima damna contigiſſe narrat Galen. 11. *de vſu part.* 10. ob multas cauſas.

OBSERVATIO XCIX.

De Faucium malignis vlceribus.

Biennis infans faucium lethalibus vlceribus affectus, triduò occubuit.

FAuces totam eam capacitatem appello, quæ hiante ore percipitur, & ſi intra eam duas glandulas iuxta Iſthmum reponas, quæ tonſillæ, vel pariſthmia dicuntur, quæ fauces, os, & linguam humiditate ſaliuoſâ irrigant, non errabis. In his partibus ex humoris virulenti affluxu gignuntur carbunculoſæ inflammationes, quæ peſtis diræ, aut veneni promptiſſimi inſtar, contagio quodam, pueros, & adultos corripiunt, & ſæuis maleficentiſſimiſque ſtipatæ ſymptomatis citiſſimam necem inferre ſolent. Malum in Hiſpania non multis abhinc annis frequens. Vulgus Medicorum Hiſpano ſermone *Garrotillo* nuncupat, de cuius eſſentia, periculo, breuitate, & complicatione vſtiui, & vlceroſi tumoris, ac deleteria corruptione laconicè dicam. Hoc fuit preſſus biennis infans, ſanguineus, & obeſus. Primo die ex catarrhoſa defluxione in ſuffocationem penè incurrit, difficulter reſpirabat, & lac deglutiebat, & febri acuta affectus nec plorare poterat. In parte gutturis dextrâ externâ glandulоſus apparuit tumor cum dolore multo. Secundo die intra fauces vlcus viſum eſt ad nigrum vergens, quod putrilago, & mollities multa comitabantur, at ab ore fœtor horribilis prodibat, magnum certè corruptionis completæ indicium. Tertio die nullis adiutus auxiliis ſtrangulatus, eſt extinctus. Hæc praua tonſillarum vlcera in peſtilenti conſtitutione ſæpè contingunt, monente Aëtio *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 46.* Belgæ *Spruwe* appellant. Apparent ſæpè rubore ſaturato inſignita, aliquando alba, maculis ſimilia, cinereo colore prædita, & frequenter nigro, quæ breuiſſimo temporis ſpatio exulcerant, corrumpunt, putrefaciunt, & ad gangrænam deducunt, quæ omnia à bilioſo humore, pituitoſo, melancholico, aut ſanguine nimis aduſto, venenoſo tamen, malignâ, & peſtilenti qualitate inquinato euenire res eſt manifeſta. Quibus omnibus partes validiſſimæ non ſolùm infeſtantur, ſed flaccidæ, tenellæ, & molles, quales ſunt gutturis, & faucium, quæ his deterrimis vitiis ampliùs ſunt obnoxiæ. Curatio citò adminiſtranda. Vniuerſalia præſidia pro ratione ætatis imperanda. Sanguinis detractio per venæ ſectionem, hirudines, aut ſcarificatas cucurbitas præire debet: nam reuellit, fluxionem citiſſimè deponit, & ab intimis faucium ſedibus noxium ſuccum exhaurit. Eodem die, ſi vrgeat multum affectus, imperanda purgatio; & ſi ſuffocationis periculum immineat, præſertim ſi depoſita ſufficienter fuerit plenitudo, cucurbitula ſub collo affigenda cum ſcarificatu. Leonicæ ſecandæ in adultis. Lingua ſi fortè ſit tumida, per latera ſcarificanda, vt docuit Paulus *lib. 3. cap. 27.* & ſi gurgulio intumeſcat, palatum ſcarificandum, ex mente Celſi *lib. 4. cap. 4.* hirudines mento, collo, aurium glandulis affigendæ. Topica ſint, quæ non ſolùm fluxionem arceant, ſed venenoſam eius naturam infrænent, & retundant: hæc enim vlcera ob maleficam vim adiunctam ſtatim fiunt ſordida, fœtida, corroſiua, putrilaginoſa, & eſthiomena, quùm ſint chironiis vlceribus maligniora, quæ antiquitas difficilia cognouerat. In pueris leuia apponenda; nam eorum mollis caro à vehementioribus irritatur vehementer. Satis eſt primo inſultu hordei decoctum cum roſaceo ſyrupo, ſerum lactis Caprini in quo conſerua roſarum madeſcat. Lac capræ, aut è quatuor ſeminibus frigidis extractum, & dilutum plantaginis aqua. Si non proſint, valentiora exiccantia ſunt ex vſu. Ea ſunt Vnguentum Ægyptiacum per ſe, vel cum aqua aluminoſa diſſolutum, quo partem colluere oportet. Cautè cauſtica in pueris tentanda, & admixta eis quæ eorum efficaciam retundant: nam non poſſumus impedire, quin aliquid eorum cum magno periculo deuorent. In adultis valentiora admouenda. Præter dicta ſummam opem præſtat aqua facta ex quatuor granis Arſenici, & modico viridis æris, liquatis in roſacea aqua. Et quia ſimile monſtrum ſolùm cedit ignis vi, aureo cauterio pars ſi mollis ſit, eſt vrenda. In cauterio parùm immorari licet, ne partes ſanæ vnà vrantur. Quare cauterium non ſit plurimùm ignitum, ſed vel inuolutum bolo armeno, aut panno lineo madido aquâ, vel in fiſtulam intromittatur: nam in hoc opere cauere oportet maximè Iſthmum, ex Aretæi conſilio *lib. 1. de cura acut. cap. 9.* Aqua argentariorum, & oleum vitrioli ſuſpicione non carent, quòd ſanas partes interdum depaſcuntur, conuulſiones mouent, & ſua cauſtica vi, aſperam arteriam, œſophagum, & ventriculum vellicant, quæ partes conſortij lege coafficiuntur ſæpè.

OBSERVATIO C.

De Gula.

Gulæ reſolutio febri ardentiſſimæ ſuperueniens, vini potu curata.

DIoſcorides, totius ſanè naturæ interpres mirabilis *lib. 5. cap. 6. poſt princip.* vinum, venenorum omnium eſſe tutiſſimum Alexipharmacum diſertiſſimè aſſeruit, §. *faciunt aduerſus venena, ſuæ exulcerando interimunt.* Fœmina quædam robuſta in febrem pulicarem contagioſam incidit cum lingua nigra, retorrida, & fuligini ſimili, quam ſitis clamoſa, calórque intolerabilis comitabantur. Hæc in 11. die aphona facta, difficultate deglutiendi corripitur, ita vt nec ſolida, nec liquida ingerere poſſet. Hanc affectionem in ardentibus febribus euenientem, tanquam à retorrido calore, & igneo pronatam, ex ſiccitate tunicæ externæ, & tranſuerſarum fibrarum, quibus gula, ſeu Pharynx eſt circumtexta, euenire Priſci monuêre, qua de cauſa ipſæ præ ſiccitate conſtringi ad cibi, potúſque deglutitionem nequeunt. Origine morbi perſpecta, faucibus, & collo, vnguenta, lauacra, fomenta paramus, quæ extrà, & intrò admota partem humectarent, & inter præcipua balneo ex lacte caprino cum roſacea vſi ſumus, & alia omnia præſtitimus, quæ aduerſus incendium internum, ad biliosíque humoris acrimoniam domandam apta ſunt. Quibus cùm peius haberet, & ſine pulſu, exanimis veluti in horas moritura ſperaretur, facie prædita Hippocraticâ, decem dierum ſpatio nullo cibo vſa, nec clyſterum nutrientium ope adiuta, quos, ſi fortè erant iniecti, illicò remittebat. Demùm ſpiritu vitali penè abſumpto, quem calidiſſima febris poſtremò refrigerauit, vt verbis vtar Galeni

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 795 sur 927

©BIUM

Galeni *lib. 6. epid. sect. 4. com. 29.* omni ope destituta, cadaueris instar ad pedes lectuli deuoluta, extremis frigidis, pulsu pusillo, labiorum liuore, fatalem terminum expectat. Quid in hoc agône agerem, ignoro prorsus. Vinum generosum epotandum offero. Renuit ipsa; ipsum per syringem eiaculandum impero, sícque factum est, vt guttulæ paulatim eâ inuitâ in stomachum laberentur. Hac potiunculâ, quæ vno die semunciam non excessit, aut saltem vini fragrantiâ, & odore recreata oculos aperire cœpit, & assistentes agnoscere. Alacrior factus in eodem potu insisto, per siphonem seu canulam argenteam, portionem vini ingerendam curo, quæ maiorem quantitatem superabat. Ab hoc minimo vini haustu, sensim ac sine sensu, octiduò ad maximam progressa est copiam, ita vt singulis diebus libram vnam, & ampliùs ebiberet, cùm illius potui antea non assueseceret. Robustior facta, offam vino delibutam pitissabat, quo tempore iam omnia verba articulatè proferebat, nitidior, speciosior, & pinguior. Conquieuit sitis, abfuit febris, lingua apparuit naturali colore ornata, vires robustiores sunt factæ. Hæc, loco aquæ, solius vini potu erat contenta, quod affatim, & veluti sine modo ingerebat, cuius vi ac efficacia, roborato ventriculo, qui ob veneni malitiam, mortificationi quidpiam simile erat perpessus, ex Gal. *lib. 6. aph. 3.* Oesophagi fibris robustioribus factis, deuictâ ac superatâ noxij ac deleterij humoris qualitate, quæ deglutitionis organa, & omnes propemodum officinas labefactauerat, factum est, vt quam non operosa medentium manus, non accurata Medicorum diligentia, non vlla medicamentorum genera, pro moribunda derelictam, sine voce, & sine pulsu vllo, sine sensibus, inter affines animam agentem sanare potuerant, ope tamen Dei misericordis, naturæque sese exsuscitantis, ac solius vini potu sensim respirare cœperit. Tanta est vini vis, ac in exhausto corpore reficiendo efficacia, in quem potum, feræ & bestiæ ipsæ, naturâ duce sponte feruntur, eo delectantur, iuuantur, & in summa lassitudine reficiuntur ob multas causas, quas accuratissimè ex auctorum penu citant disertissimè, ex alienis Lælius Bisciola *tom. 2. horar. subsecinar. lib. 5. cap. 3.* ex nostris eloquentissimus Canonherius Antuerpiensis *lib. 2. de vini facult. admirand. ferè per totum.*

OBSERVATIO CI.

De Strumis.

Strumarum curatio admiranda.

STruma morbus est Herculeus, insuperabilis. Si hunc tumorem saxeum non vlceratum emollire intendas, medicaris frustrà; lapideus enim humor omnino renititur. Si iterum fortioribus medicamentis operi insistas, absumptâ parte tenuiori, reliqua magis indurata relinquitur. Si cauteria, aut caustica medicamenta imponas, pituitoso humore acriori reddito, & melancholico magis exusto, exulceratáque parte vlcera fiunt sæua, dolorosa, quæ dolore, punctione, vigiliis ægros conficiunt. Si strumas vlceratas, leuibus medicamentis pertractes, nihil efficies: tenacissimus enim humor nulli auxilio succumbit. Si ferrum, aut vrentia applices, exasperato vlcere, confluente ob dolorem & calorem vbertim humore, fiunt inflammationes, gangrænæ, carcinomata, febris excitatur valida, quæ ægrum ad extenuationem, imò mortem deducunt. Quare miserrimi ægri, hoc diro morbo oppressi, Medicorum operâ delusi, aliam curandi viam affectant, & coacti accedunt ad Gallorum Regem, quem contactu suæ manûs supra tumorem, hunc dirum morbum persanare, fama est vulgatissima, & inter omnes probat Laurentius *lib. de Strumarum sanatione admirandâ.* At si verè loquendum est, captiosa & fallax est curatio hæc: Ægri enim licèt ob aëris, locíque mutationem, exercitia, labores in itinere longo perpessos, ad tempus consanescant, deinde tamen maiore perceptâ clade, deinceps in deterius ruunt. Inuentum est à me remedium summum, quod nunquam (testor Deum) me fefellit: Et est vnguentum, quod parabis in hunc modum.

℞. Radicis Bryoniæ, magnæ, bene nutritæ, & rotundæ, ℔. ß. Seca in minutissimas taleolas: frige in ℔. iij. Olei oliuarum, si fieri possit, insulsi, quousque contabescant, & siccentur. Cola: adde Terebinthinæ abietinæ, ℔. ß. Geræ ℥ v. Et vase remoto ab igne, fiet vnguentum viscidissimum.

Hoc in panno lineo appones supra Strumam bis in die, manè & vesperi. Si sit sine vlcere, ipsam emollit, & vel resoluit, vel ad suppurationem deducit. Hoc ergo vnguentum, humorem in saniem versum paulatim ad se attrahit, abstergit vlcera, mundificat, & attractâ semper sanie incarnat. Si autem saniosus quidam ichor, & lentum pus attrahantur, relictâ radice tenaciter impactâ, fidissimo experimento adinneni, super vnguentum, granum sublimati, sinapi instar, vlceri apponere. Huius enim ope mucus impactus attrahitur, durus, seminis maluæ instar. Quòd si ex medicamenti huius calore, ardor & inflammatio sequantur, per aliquot dies quiesce, vnguento solùm imposito. Si verò valde vrgeat ardor, affectam partem cum toto ouo, lacte muliebri, & rosaceâ commixtis illine. Sícque paulatim, etsi longo tempore, fœliciter curationem absolues.

OBSERVATIO CII.

De Axillarum fœtore.

Axillarum fœtor intolerabilis, Fontanellis in cruribus apertis, euanuit.

MEdicum noui studiosum & doctum, axillarum fœtore adeò intolerabili oppressum, vt hac de causa nullus ægrotans ad sui curationem eum vocare vellet. Cúmque humiditas virulenta, & tetra ex axillis, sudoris instar, emanaret, ecce ex ea parte, exesa cute, vermium copia effluxit (res mira) qui sironibus multò erant maiores, cui malo Hydrargyrium cum oleo illitum maximo fuit ex vsu, illo enim vermiculorum agmen victum est. Fœtor autem derelictus, quùm nec assiduis lotionibus, vnguentis odoriferis, nec vestium munditie, vacuationibus, balneis, sudorificis auxiliis posset emendari, quoniam nitrosus ab axillis continuò emanabat ichor, à quo teterrimus, & iniucundus odor sentiebatur; tandem, cùm habitualis adesset internorum viscerum intemperies, cuius causâ spurci humoris indies magis ac magis repullulabat copia, ipsum cauteriis excitatis in cruribus curandum prædixi, quibus celebratis, saniéque per fonticulos emanante, & humore ad inferas partes distracto, intra paucos menses sanitatem obtinuit.

OBSERVATIO CIII.

De Tussi.

Calculus magnus tussi proiectus.

QVadragenarius cùm assiduis destillationibus à capite in pulmonem esset valdè obnoxius, cogeretúrque hac de causa Orthopnœâ laborans plurimas

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 796 sur 927

rimas noctes insomnes ducere. Ecce duorum mensium spatio difficultate spirandi ita premebatur, vt veluti suffocari videretur. Medici varia consulunt, expurgantia, expectorantia, & alia quæ ad extergendos lentos humores in cauitatibus pulmonum infarctos factitari solent. Cúmque tussi sicca oppressus, anxietudine summa, & animi deliquio premeretur, excretâ primò tenacis viscidæque pituitæ copiâ, eructauit calculum, durum, oblongum, asperum, ossis dactyli instar, & ita grauem, vt granorum 20. cum dimidio pondus æquaret, quo proiecto, ad pristinam sanitatem factis aliis præsidiis commodis redactus est.

OBSERVATIO CIV.

Tussis lapidosa.

GEnerosus quidam vir, triennio, ex interuallis, quotidie septies, aut pluries, cum sicca tussi excernebat tres quatuórve calculos, non magnos, sed qui granula sinapi æquarent, colore candidos, duros, minutissimæ grandini simillimos. Hic cùm bona valetudine frueretur, omnia renuit auxilia, sed cum damno suo: nam tussi vehementissima superueniente, vase magno pulmonis disrupto, sanguinéque copiosè manante, processu temporis, phthisi consumptus est.

OBSERVATIO CV.

De Vocis læsione.

Ex retenta gonorrhœa virulenta, aphonia suborta, fonticulis in inguine apertis, curatur.

REctè quidem protulit Arabicæ familiæ antesignanus 4. 1. *cap. 3. propè finem*, hæc verba: *Cúmque ventris constrictio qui fluere solebat, aliquam agritudinem possidere fecerit, illius vacuationis reuersio secundùm plurimum illi medicabitur, sicut ab eo, quem constrictio saniei, aurium aut mucorum narium verriginem possidere fecerit, eius reuersio ipsam remouebit, &c.* Quod Axioma de omnibus consuetis euacuationibus, suppressis tamen, est intelligendum: nam, vt inquit Galenus *lib. 1. acut. 33. & lib. 3. eiusdem 42. & 61. sub vno exemplo cætera comprehenduntur.* Baiulus quidam cùm rusticus esset, & duræ ceruicis homo, medicamentorúmque impatientissimus, diuturnâ gonorrhœâ virulentâ laborans, tanti mali pertæsus, sæpè virile membrum, testes, interfœmineum, ad compescendum fluxum, ardorémque vrinæ demulcendum, gelidissima aquâ incautè abluebat. Hic, restricto humore Aphonus factus, opem implorat. Secantur Saphenæ, clysteria injiciuntur, crurum frictionibus, & ligaturis retrahitur humor. Imperantur purgantia, & ad absumendam materiem in vocis instrumentis imbibitam, nempe gutture, larynge, musculis, & recurrentibus neruis, sudorifica ex Smilace asperâ administrantur. His non conferentibus, vacuationem æqualem virtute suppressæ excitaui, sicque in inguinibus fonticulis excitatis, ab ipsísque emanante sanie, vocem amissam recuperauit.

OBSERVATIO CVI.

Aphoniæ, ex recurrentium neruorum infrigidatione contractæ, curatio.

INfrigidatis neruis recurrentibus subsequi Aphoniam, calorificísque auxiliis esse persanandam, celebri quadam historia proposuit Galenus *lib. 1. de locis affectis cap. 6.* Hos neruos resciſſos, interceptos, infrigidatos vocis deperditæ esse causam, nulli est non manifestum, quorum virtutem admirandam decantant Galenus *lib. 7. de vsu part. 16.* Columbus *lib. 14. de re Anatomica*, differens accuratè de sectione viua. Ante annos circiter triginta cùm iuuenis Medicinam facerem, vir quidam accessit ad nos, fortè vt tentaret ingenium: nam à multis annis aphonus factus, & peritissimorum Medicorum operâ vsus, restitui haud potuit. Malum euenisse refert ex decubitu in frigidissima terra, in qua per noctem, resupinus, ardente Sirio, leuissimâ subuculâ solùm contectus obdormierat. Perspecta origine, ex refrigeratione horum neruorum subortum malum coniecto. Attenuante, & exiccante victus ratione vtor ad quadraginta dies. Potus erat aqua mulsa. Collum, fauces, & totam asperæ arteriæ regionem ad Laryngem vsque vnguentis foueo, paratis ex oleo Vulpino, Chamæmeli, Castor. & Lumbricorum. Ad fortiora accessi. Balneum paraui ex decocto Vrticæ, Iuæ Artheticæ, Baccar. lauri, Saluiæ, Rutæ, Rorismarini, Stœchados, & granor. iuniperi. Post balneum profuit vnguentum hoc.

℞. Pingued. taxi, Vulp. Gallin. Anatis, Anseris, Ciconiæ, an ℥ j. Succi Saluiæ, & Absinth. inspissat. an. ℥ ß. Olei Laurini, Castor. Anisi, an. ℥ ß.

Misce, & cum cera fiat vnguentum. Ad expellendam materiem crassam, flatulentam è neruis, sudorem prouocaui octiduò ieiuno ventriculo exhibitâ ℥ j. ß. theriac. præstantissimæ, cum ℥ iiij. Aquæ Cardui benedicti, quo auxilio, in lecto ciebatur sudor, qui profuit multum. Nec coniectura meum fefellit iudicium, quoniam sanus factus post paucos dies sermonem articulatum pronunciauit. De horum neruorum vtilitatibus, videndus Hieronymus Fabricius *lib. de vocis organo part. 1. & 2. cap. 10.*

OBSERVATIO CVII.

De Raucedine vocis.

Vocis raucedo, Gallici morbi signum est manifestum.

PErtinaci raucedini honestus quidam vir à multis annis erat obnoxius, adeò vt ab adstantibus haud intelligi posset. Hic multa iam tentauerat auxilia, sed nihil proficiebat. Ad eum vocatus, raucedinis huius causam penitiùs inquiro. Eum morbo Gallico laborare deprehendo: nam mulier cum qua nupserat, habuerat maritum primum hac lue infectum; & ipsa quoque gracilis erat, & decolor. Ambo Zarsæ decocto curati. Mulier nitida, & pulchior facta. Ille claram vocem habuit deinceps.

OBSERVATIO CVIII.

De Mutitate.

Mutus ex morbo, ante mortem vocalis factus.

QVidam ex febri malignâ valde debilis factus, ita illi respirationis instrumenta nimiâ humiditate sunt impleta, vt sequutâ raucedine, indies magis ac magis tussiendo mucosa excrementa educeret, quousque ex toto mutus est factus. Pro quo vitio curando, cùm ex capitis debilitate, & humorum affluxu oriretur, plura machinata sunt auxilia, expurgantia, roborantia, tum capiti, tum thoraci adhibita: Fonticuli in brachio & nuchâ affixi: fudationes ex Ebeno & radice Chynæ paratæ. Sed non proficientibus illis, triginta ferè annis mutus remansit. Ecce pleu-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 797 sur 927

ritide sæuâ correptus, quum esset morti vicinus, solutis & explicatis organis vocis, vocalis per duos dies euasit. Quæris huius rari euentûs causam? Eam equidem puto, quia nerui vocales superfluâ humiditate imbuti, debilésque facti, accedente calore nimio roborati, & copia excrementitij humoris ab eo absumpta: adde quòd omnia prope mortem meliùs habent. Accedit quòd ob conatum vltimum naturæ, spiritûs & humores feruidiores factos, calorem natiuum exsuscitatum atque accensum, hoc vocis impedimentum auferri potest. Hoc enim modo calorem vnitum & commotum conuulsionem posse persanare, docuit *Hippocr. 5. Aphor. 21.*

OBSERVATIO CIX.

De Pulmonibus.

Pulmonibus destitutus.

PVer septemdecim annorum Phthisi triennio oppressus, consumptus obiit. In thoracis dissecta regione, pulmones non sunt inuenti, quoniam fortè præ tabo, laceri, suppurati, à purísque acrimoniâ laniati, & ab aduerenti calore absumpti sunt, ita vt præter mucilaginem quandam asperæ arteriæ adnatam, nihil ampliùs pulmonum loco conspiceretur.

Doctor *Ludouicus Nonnius Medicus Antuerpiensis celeberrimus* hanc historiam, aliâ non ineleganti mihi communicatâ confirmauit. Puella trium annorum diuturnâ quartanâ laborans, subitò extincta. Aperto corpore, visi sunt pulmones adeò contabuisse, vt nullum illorum vestigium appareret, sed tantùm membrana plena purulentâ materiâ; cùm tamen nunquam vel de tussi (mirabile dictu) conquesta fuisset, vel pus expuisset.

OBSERVATIO CX.

Dimidiâ pulmonum, & vasorum annexorum parte per sputum excretâ, quidam pluribus mensibus vitam sustinuit.

ANtuerpiensis Mercator Lusitanus laborauerat diu distillatione salsa, ex qua in sputum sanguinis floridum cum vehementi tussi lapsus est. Aderat febris non ignaua, tussis vehemens, spirandi difficultas maxima. Huic, consilio docti Medici imperata est constringentium, & incrassantium medicamentorum sylua. Omnis generis diuersiones factæ, sed euitari non potuit, quin ex vasorum pulmonis vulnere, obortâ inflammatione excitaretur vlcus, ex quo per annum tanta copia puris emissa, vt pelvim magnam quotidie screando impleret. Hoc tempore præscripta abstergentia varia. Fontanella brachio affixa, nam hæc in causa est ne vlcus ampliùs sordescat. Consolidantia exhibita. Tandem Phthisi consumptus miserrimè vitam ducebat. At cùm vlcus esset virulentum magis, ipsíque vlcerati pulmones essent suppurati, & putrilagine fœdâ corrupti, eos laceros, partem post partem natura per sputum cum summâ angustiâ, & strangulationis periculo excernebat. Postmodum alba, & membranosa corpora, cum hæmorrhagiâ copiosâ, animi deliquio, & virium omnimodâ iacturâ, cum vehementi tussi expellebat, quæ injecta in phialam aquâ plenam, esse portiones arteriæ venosæ, Venæ arteriosæ, & asperæ arteriæ propagines, indicabant manifestè: nam hæc vasa in vniuersam pulmonum substantiam riuos diffundunt. Demum cùm iam exhaustis viribus non posset ramenta illa, quæ in dies magis, ac magis, ob acrimoniam puris, à corruptis pulmonibus separabantur, expellere, factum est, vt iis in cor cæterásque vitales partes restagnantibus, internus exstingueretur ignis. In quo casu hoc præcipuè admiratione dignum, ipsum ferè semper liberè respirare potuisse, nihílque in ipsis functionibus animalibus, atque naturalibus edendis, nisi quòd omnia imbecilliora erant, defecisse.

OBSERVATIO CXI.

De Hydrope pulmonis.

Hydrops pulmonis, sectione thoracis curatur.

NAuarchus quidam magnanimus, & diues, ex incauto victu, assiduis laboribus, & vigiliis in difficilem incidit respirationem, quæ excretâ per os muçosâ pituitâ cessabat aliquantulum. Exercitium maritimum dimittens, & in otio viuens, in Cachexiam lapsus est Anasarcæ prænunciam. Aucto malo, facie, scroto, pudendo, & summis pedibus nimis intumuit. Grauato præ humoris copiâ thorace, difficilior, crebriórque respiratio facta est. Aderant tussis sicca, febris continua, lienis durities, inappetentia, grauis capitis dolor, caligo oculorum, & aurium tinnitus. Susurrus quidam, seu sonitus ad latus sinistrum in thorace percipiebatur, ebullienti materiæ persimilis. Solicitus de salute sua quatuor conuocat Medicos, expertos & doctos. Horum *quidam* Asthmaticum esse prædixit, *alius* Orthopnoicum, *alter* Cachecticum, *vltimus* tuberculum adesse in pulmone affirmat, & validas vnusquisque rationes in suam confirmationem afferebat: flatum tamen in cauitate pectoris inclusum esse fatebantur omnes, ab humore crasso, glutinosóque eleuatum. In harum opinionum varietate, affines quid faciant, prorsus ignorant. Me, & alium seniorem vocant. Inter nos iterum consilium adhibitum, & re benè pensata, collatísque per moram inter se sententiis conclusum est, sonitum illum in thorace perceptum, non esse flatum, vt rebantur illi, sed aquosum humorem, velut in vtre semipleno inclusum, qui ab vna ad aliam partem agitatus, & fluctuans, sonum illum edebat. Hunc, cùm longo temporis spatio iterum atque iterum expurgantium vi satis vacuatus esset, nullo alio præsidio, quàm sectione thoracis curandum fore prædixi. Sic enim hydropem pulmonis, quo corripiebatur iste, persanat Hippocrates, dum hunc morbum depinxit *lib. 2. de internis affectionibus, num. 26. & lib. 2. de morb. num. 66. & num. 50.* sic inquit: *Secato autem inter costas per nouaculam primum cutem, deinde scalpello acuto, quod panniculo sit alligatum, &c.* & suprà sic dicebat: *Et quidam ab inferna aluo id esse putant, quùm videant ventrem magnum & pedes tumentes. Intumescunt enim hæc, si sectionis tempus transgrediaris. Hunc siquidem si extra intumuerit, intra costas sectum curare oportet. Si verò non intumuerit, multâ calidâ lotum velut suppuratos collocato, & quà parte strepitum perceperis, eâ secato, quàm potes in infimo loco, quò effluxio facilis contingat.* Sequitur Auicen. 10. 3. tract. 4. cap. 15. & alij viri in arte clarissimi, qui aquam thoracis cauitate repertam sectione eduxisse gloriantur, *& nec Hippoc. quicquam frustra conscripsit*, auctore Galeno 8. *de vsu part.* 7. Huius præsidij conscius æger, vitæ cùm esset amantissimus, nostro consilio acquiescere pollicitus est. Refectis viribus vocantur post triduum eruditi Chirurgi, qui sectionem inter tertiam, & quartam costam in sinistrâ parte cùm nouacula, deinde scalpello profundè celebrârunt, eo modo, quo in suppuratorum sectione ipsi sæpiùs fuerant experti. Mirum dictu quanta aquæ cruentæ copia effluxerit, lotiræ carnium recenter

ter mactatarum assimilis. Semel ob virium exhaustum aqua tota non est educta, sed paulatim quindecim diebus continuis extracta. Vbi hoc peractum est, æger post mensem refectis viribus alacrior redditur, remissiùs febricitat, respirat facilius, appetit meliùs, dormit suauiùs. Pedes aliquantisper detumuêre. Sanus euasit, homo alioqui fortis, & in 35. anno ætatis suæ constitutus. De præcautione quid attinet dicere? Ne viscera interna regeneratis iterum præ habituali intemperie aquosis humoribus, conglutinatis iam vlceris labris, tragœdiam aliquam transactæ similem excitarent, cauteria duo in brachiis, vnum in sinistro crure affigenda curo, quorum ope euacuarentur superflua, & partes spirarent. Electuaria ex Diagalangâ, Diacymino, Diacinnamomo, Theriacâ, & Mithridatio excepta, & mixta cum syrupo Absinth. & Eupatorij per mensem assumenda præscribo. Attenuantem, & exiccantem impero diætam. Sudorifica ex radice Chinæ, & Ebeno, 40. dierum spatio propino, quibus celebratis nullam postea passus est recidiuam.

OBSERVATIO CXII.

De Tuberculo Pulmonis.

Ex Pulmonis tuberculo plerumque mors.

HIppocrates, illustris Medicinæ dux *lib. de morb. 2. num. 62.* de tuberculo pulmonis primus omnium disseruit. Galenus *lib. 4. de loc. affectis, cap. vlt.* celebrem Antipatri historiam hoc affectu laborantis proposuit. Aëtius summi ingenij vir, *tetrab. 2. serm. 4. c. 57.* sic illorum mentem explicat. *Si quis per bonam valetudinem solitas actiones facere potest, si difficulter inspirare inceperit, augeatúrque symptoma, neque inter respirandum stertere videatur, adhæc nihil exspuit, crudi tuberculi ortum suspicari oportet, quando iuxta læues pulmonis arterias ipsum oriri contingit, & demum temporis diuturnitate asperas arterias coarctans, spirandi parit difficultatem, &c.* Petrus Salius, Medicus celeberrimus, & expertissimus, & qui cum sui, & artis gloriâ; rarorum affectuum ab aliis practicis non exhibitorum curationem nouissimus conscripsit, huius periculosi, & infrequentis morbi fecit peculiarem commemorationem *lib. de affect. particularib. cap. 21.* Læues arteriæ obstruuntur à dupli causâ, à succis lentis, crudis; vel tuberculo crudo. Ab illâ causâ obstructio orta, eadem præsidia exposcit, quæ anheloſis vtilia esse censentur. Crudum tuberculum adesse his signis deprehendes. Si obstructio non est facta, & Phyma, seu tuberculum non sit completum, cor cùm necessariò compatiatur, (nam obstructis iis arteriis non facilè recrementa fuliginosa expelli possunt) ægri non sunt ita proni in Syncopen, vel suffocationem. Si verò completa sit obstructio; fuliginosis excrementis retentis, tunc Syncopes, & suffocationis periculum imminet. Deprehenditur obstructio hæc à solo pulsu, nec vllum aliud indicium habet: in his enim nec tensio, nec grauitas, nec dolor, nec respirandi difficultas, nec quid aliud molestum percipitur, quoniam affectio à materiâ pendet frigidâ, & in loco est nullam sensationem habente. Pulsus autem immutatur ab hac necessariò, quoniam organis & instrumentis læsis non potest non immutari pulsus. Hic omnem acquirit inæqualitatem, non solùm quæ in vnicâ pulsatione reperitur, sed eam quam systematicam, seu collectiuam appellauit Galenus. Vnde pulsationes sunt, magnæ, & paruæ, celeres, & tardæ, raræ, & frequentes, validæ, & imbecilles, inter quas aliæ decurtantur, aliquæ intermittunt. Cùm percipiunt ictum istum ægri, si est factum ab humoribus crassis, agitatâ materiâ, & detrusâ à facultate, statim reuocantur patientes, iisdémque per certa interualla renouantur pulsationes tales. Si ictus fiat à tuberculo obstruente, non ita reuocantur, erítque indicium tuberculum augeri, nî à causa externa concitetur, sicuti à copioso vini potu, vehementi motu, irâ, altiori voce, aut à superueniente distillatione exacerbetur. Si malum increscat, & asperis, arteriis communicetur, adauctâ obstructione, respirandi difficultas, quæ priùs non aderat, superuenit. Tunc calor innatus languet, & refrigerato corde sufficientérque non ventilato, hepatis calor minuitur, tabescit corpus, & officinis nutritionis debilibus factis, oriuntur Cachexia, & Ascites. Patientes premuntur Syncope, Lipothymiâ, & subortâ palpitatione, extincto & emortuo natiuo cordis igne obstructis omnino arteriis, ipsi subitò velut strangulati occumbunt. Difficilis affectus. Nam hæc tenax, & contumax materies ægrè concoquitur, & est in loco, vbi valida, & vehementia auxilia applicari nequeunt, & viro hæc curatio eget in arte perito, & qui incipientem morbum, qui ab ægro in initio ob nullum perceptum dolorem contemnitur, illicò cognoscat. Trallianus *lib. 5. cap. 3.* de Phymate, quod in pulmone adnascitur, sat plura de aëre, & potu præcepta instituit. Auicenna 10. 3 *tract. 4. cap. 13.* de curatione huius infrequentis affectûs nihil mentione dignum literis commendauit. Primò expurgandum corpus, si adest Plethora, minuendus sanguis. Cauteria brachiis affigenda: huius enim præsidij ope humor à capite in spiritales partes confluxurus diuertitur, qui continuò tuberculi fouet augmentum. Propinentur deinde attenuantia, exiccantia, aromatica, & prouocantia sputum; ea sunt Cinnamomum, Galanga, Macis, Costus. Emolliendum, & discutiendum tuberculum. Hoc opus præstat inter omnia decoctum Smilacis asperæ, radicis Chinæ, Ebeni, aut ligni vocati Sassafras. Horum præsidiorum efficaciâ, & præsertim decocto Smilacis ad plures dies exhibito, Scirrhosos, & duros tumores posse emolliri, testis est Fallopius *lib. de morb. Gallic. cap. 63. & 68.* His factis difficilis curandi via admotis topicis subsequitur: nam si resoluere studeas medicamentis phyma, absumptâ parte crassiore, reliquum induratum remanet. Si suppurationem tentes, præterquàm quòd incurabile vlcus relictum, ægros ad Phthisim, & mortem deducit, (vt accidit Agasi filiæ, quæ apud Hipp. *lib. 6. epid. sect. 4. text. 4.* ex tuberculo suppurato, fortè est emortua, cuius curationem non posuit Hippocrates, persanari posse non sperans, vt scitè insignis monuit Vallesius *in com.*) pus ab vlcere emanans in cor insiliens inopinatò hominem rapit, præsertim si senex sit, debilis, gibbus, aut malè formato pectore; nam huius sortis ægri ob thoracis angustiam facilè offenduntur. Maximum item vertitur periculum, quando cum acuta febri affectus coniungitur; nam indicationes curatiuæ inuicem repugnant, & cor gliscens, & æstuans, non nisi multa aëris respiratione leuari potest, quæ ob spiritalium partium obstructionem fieri nequit. Demum dirus est affectus hic, cum quo diu multúmque laboriosè luctatus, sæpè oleum, & operam perdidi: nam ex viginti penè quos in vita mea curandos suscepi, & in quibus præsidia dicta fuêre celebrata, tres euasêre Zarsæ decocto, qui in initio antequam tuberculum esset adauctum, & obstructæ omnino essent arteriæ, magno tamen labore, & longo temporis spatio, curati sunt. Cæteri Phthisi consumpti, quidam subitò emortui, alij præuia violentâ cordis palpitatione inopinatò è medio sublati.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 799 sur 927

OBSERVATIO CXIII.

De Pleuritide.

Pleuritis maligna, in initio mitissima apparens, neglectâ Phlebotomiâ, seuior facta, hirudinibus supra partem affectam impositis, magno labore curatur.

GEnerosissimum equitem Gallum quatuor docti Medici curabant pleuritide affectum, quæ ob paruum dolorem, mitem tussem, lenissimam febrim, expectorantibus solis, fomentisque curanda visa est. Sed cùm hæc symptomatum lenitas cum internâ malignitate esset coniuncta, quinto die malitia manifestè deprehendi cœpit. Nam ablato omnino dolore delirare visus est, insomnis, vigil, & cohibito sputo, Lipothymiâ ex interuallis vexabatur cum frigiditate extremorum, anxietudine, & phlogosi internâ coniunctâ. Huic malo cùm occurrerem, & æger viribus esset penè exhaustus, symptomatáque vehementiùs inualescerent, loco spretæ phlebotomiæ, cucurbitulas scarificatas scapulis impono, quibus aliquantisper leuatus respiscere cœpit, cui deinde redintegratis viribus super partem affectam, cucurbitulam cum scarificatu impono, quâ detractâ, hirudines sex circumcirca admoueo, quæ tantam attulerunt vtilitatem, vt intra 17. diem, concocto sputo, & facilè excreto, pristinam recuperauerit sanitatem.

OBSERVATIO CXIV.

Pleuritis alui profluuio curata.

HIppocrates, Medicæ facundiæ haud aspernandus auctor, in pleuritide alui fluxum condemnat *lib. 6. aph. 16.* dum sic dicit. *Pleuritide, & Peripneumoniâ correpto, alui profluuium aduenies, malum.* Quoniam, vt docet Galenus *in com. Homini à talibus passionibus detento atque vexato profluuium alui superueniens, malum est signum, quoniam ita se habentibus profluuium alui solet aduenire non potente hepate ad se trahere alimentum, neque conuertere in sanguinem; & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente, &c.* Nam vacuatio quæ fit per sputum, vt magis conueniens commendatur à Galen. *7. meth. 7. & 2. ad Glauc. 2.* Hoc verum est, si de frequenti euentu sermo sit, quomodo Axiomata Hippocratica sunt accipienda, ex ipso *6. aph. 58. & 2. aph. 43.* Nam vel ipse Galenus in mediocri pleuritide cum signis coctionis alui profluuium approbat. Sic alui fluxu iudicatus est Adolescens quidam, qui lateris dolore, tussi aridâ, & assiduâ febri premebatur immaniter, & cùm ferociùs morbus absque notabili vacuatione per sputum excretâ inualesceret, subortâ Diarrhœâ omnes de eius vitâ diffidebant. Cùm tamen vires essent valentes, & multa copia humoris esset in genere venoso contenta, à quâ febris oriebatur, licèt largum alui profluuium infestaret, bonam spem concepi, maximè cùm coctio in vrinâ præcederet: nam vt optimè notauit Auic. *2. 1. doct. 1. cap. 8. lienteriâ sanat apostema lateris.* Quare cùm præcederet concoctio, adesset conferentia, & tolerantia, febris remitteretur, dolor minùs molestaret, & post vndecimum diem contingeret fluxus, adiuuit, quoniam per hanc vacuationem critice factam causa morbi fuit imminuta, vt inter omnes ait Mesue *capite de pleuritide.* Quare æger à pleuritide, hac euacuatione facta euasit immunis. Dum hæc scriberem, memini me hodie inuisisse quinquagenarium Orthopnoicâ accessione vehementi oppressum, cui à 24. annis hoc malo miserrimè vexato, in initio paroxysmi, & in fine, copiosum accidit alui profluuium, citra sequutam per sputum vacuationem vllam, & ita natura huic vacuationi est intenta, vt longiori tempore, quatuor, aut quinque dierum spatio accessio duret cum respirandi difficultate summâ, si aluus vbertim non responderit. Quamobrem alui fluxus in pleuritide, cæterisque thoracis affectibus sæpè vtilis est. Vide Emanuel. Stupanum *in com. aphor. Hip. fol. 284.*

OBSERVATIO CXV.

Pleuriticus in declinatione constitutus, vigiliarum causâ, epoto Philonio, cohibito sputo interijt.

PLeuriticum inuisebant tres non incelebres Medici, qui in 17. cum expectorato multo, à dolore, & à febre videbatur meliùs habere. At cùm ob incendium bilioſi humoris in vasis reperti, illiúsque ad cerebrum raptum, facta commotione & agitatione in spiritibus, deliraret & vigilaret nimis, stupefacientia propinanda imperant. Exhibetur Philonium quantitate drachmæ semis assumptum. Sed quo euentu, audi. Vix pertransierat hora, quando placido obrepente somno, deinde superueniente stertore summo, & ingenti difficultate spirandi obortâ, cohibito sputo, liuidus factus totus, interiit.

OBSERVATIO CXVI.

Pleuriticus procedente sputo, purgatione intempestiuâ emoritur.

LIcèt Galenus Hippocratem vbique colat, & obseruet, in multis tamen tacitè eum sugillare visus est, quæ ex professo citat eruditissimus Vallerio-la *lib. 5. enarrat. 2.* (quidquid hæc loca commodam habeant explicationem) & ex iis vnus est *in lib. 2. acut. 11.* quo loco in pleuritide, purgationem consulit, Peplio, & Elleboro celebratam, cùm in omni pleuritide tam ascendenti, quàm descendenti, venæ sectio præferenda sit, ex veterum mente, sic referente Paulo *lib. 3. cap. 33.* & Galenus firmat *in Hippoc. com. & alibi passim.* Non nego purgationem summo aliquando esse ex vsu in affectu hoc, verùm quando sputum procedit, natura distrahenda non est, & magis in augmento morbi, quo tempore oportet silentium habere. Nam vt bellè docuit Galenus *lib. 4. acut. 76. vel statim ab initio, priusquam in partem aliquam firmati sint humores, medicandum; vel postea quàm concocti fuerint, &c.* Hæc non aduertens quidam imprudens Medicus, qui licèt videret ægrum pleuritide affectum, in octauo die morbi constitutum, cum conferentiâ, per sputum sequuta vacuatione multâ, cum tamen expurgauit, solâ febris vehementia perterritus, qui assumptâ potione ex Rhabarbaro, & Diaphœnico paratâ, cohibito sputo, auctâ febri, dolore intensiori facto, post quatuor dies è vitâ migrauit. *Sic mortuus est Scomphus lib. 5. epid. num. 3.* de quo sic habet Hippocrates. *Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septima deliriti. Pharmacum autem bibit infrà purgans, priore ante potionem die mentis compos erat, & purgatus est non multum, quàm autem purgaretur, delirauit, &c.* De intempestiuæ purgationis noxis in pleuritide, lege doctissimum Vallesium, *in com.*

OBSER

OBSERVATIO CXVII.

Pleuriticus in ſtatu poſitus copiosâ venæ ſectione factâ occumbit.

IVuenis quadrato corpore præditus, ex copioſo muſti potu in ſæuam lapſus eſt pleuritidem. Ter in initio phlebotomatus, expectorabat cum facilitate multâ, aliquantiſper leuatus. Cùm morbus vergit ad ſtatum, omnia fiunt fortiora, non ex natura morbi, qui mitior erat, ſed ob temporis rationem, in quo, ob maiorem conatum naturæ coquentis, maiorem hac de cauſa ebullitionem factam, dolor auctus eſt, increuit febris, ſitis facta eſt vehementior, & licèt omnia eſſent ſæuiora, ſputum tamen optimè procedebat. Medicus ſymptomatum vehementiam ſolummodò attendens, copioſiſſimam imperat phlebotomiam. Eâ celebratâ, deficiente facultate animali, quæ ad concoctionem, & excretionem materiæ ſummè eſt neceſſaria, & in ſtatu magna ex parte eſt defatigata, ex Gal. 2. *aph.* 29. æger paulatim reſolui incepit, & poſt duos dies animum efflauit. Hunc euentum multò antea præſagierat cautus Auicenna 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *de curâ pleureſis.* dum ſic profatur: *Quicunque phlebotomas, & euacuas, & non ſedantur accidentia, tunc ſcias, quòd prohibitio collectionis quam quæris, eſt difficilis. Non ergo iteres phlebotomiam, vt non congeletur materia, quæ eſt habitura collectionem, & illa eſt ex eis, quæ non digeruntur cum diminutione virtutis, & priuatione digeſtionis ſanguineæ ſuper materiam, &c.*

OBSERVATIO CXVIII.

De Suppuratione.

Empyemate correptus, pure per vrinam vacuato, conualuit.

PVrulentam materiam pectoris cauitate contentam, puram, per veſicam, & nullo prorſus alio ſucco infectam poſſe extrudi, veterum, & iuniorum comprobauit ſententia. Vias indicârunt peritiores Anatomici, quos doctè proponit Marcellus Donatus *lib.* 3. *de hiſtor. mirabil. cap.* 9. Renuant licèt Mathiolus *lib.* 1. *epiſt.* 3. Fernelius 6. *pathолog.* 10. Ioan. Matthæus Herbornenſis *in ſuâ centur. difficult.* 11. quorum omnium tela multo antea repulerat acutè ſatis, & doctè Iulius Alexandrinus *epiſtolâ ſequenti apud Mathiolum.* Hoc ita eſſe hoc exemplo ampliùs fit manifeſtum. Quidam cùm pleuritide laboraret, & neque ſcreationis purgatione, neque ventris ſubductione, neque venæ ſectione, fomentis, victúſque ratione leuaretur, iugi, indeſinentique febri premebatur, vnde inflammatio in ſuppurationem abiit, iuxta *aph.* 8. *ſect.* 5. *Quicunque morbo laterali laborantes in* 14. *diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur.* Creſcente malo, & ruptâ vomicâ (ſic enim eam appellat Celſus *lib.* 2. *cap.* 7.) Suppuratio, ſeu Empyema ſuperuenit, hoc eſt puris effuſio intra thoracis ſpatium, de quâ ſic loquitur Hipp. *lib.* 5. *aph.* 15. *Quicunque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die quâ ſit ruptio liberantur; ſi verò non, ad tabem tranſeunt.* Hoc tempore, febris noctu potiùs tenuis affligebat, tuſſiendi cupiditas aderat citra ſcreationem notabilem, ſudores infeſtabant, pondus ſentiebat in thorace, & cùm ad latus ſe conuertebat, onus ingens ſentiebat. Tunc multam puris copiam fœtidam quotidiè per os emittebat. Ad hanc repurgandam, abſtergentium medicamentorum ſylua varia eſt imperata, & cùm tabeſcere inciperet, lactis aſinini, aut caprini potum conſului. At natura, quæ in commodum animantis, nouas, & inuſitatas vias in vacuationibus ſemper adinuenit, vt ait Gal. *lib.* 7. *aph.* 54. & maximè cùm corpus noſtrum viis innumeris conuenientibus ſit refertum, & totum tranſpirabile ſit, per vrinæ loca hanc puris copiam expellere ſategit. Nam vno die mordaci materiâ à thorace protruſa ad renes, & deinde ad veſicam, ardorem vrinæ ſenſit, & quotidie acutiorem ſentiebat. Matulâ perſpectâ puris copia in fundo viſa eſt, & quantò magis ſtillicidio vrinæ vexabatur, & aliquando ob puris craſſitiem ſuppreſſione, tantò minorem per os excernebat puris quantitatem. Hic adiutus expectorantibus medicamentis, nutritus ptiſſanâ quâ delectabatur, melle, iure pullorum gallinaceorum, ſaginatorum priùs Scabiosâ, Glycyrrhizâ, foliis Ariſtolochiæ rotundæ, furfure, & Althæâ, in eum venit ſtatum, vt nullam per os, nec vrinam, puris guttulam emitteret, immò pinguiuſculus factus, & à febri immunis, ſanitatem obtinuit.

OBSERVATIO CXIX.

Suppuratio ex pleuritide, lactis potu curatur.

ABhinc 15. annis curaui ſenem qui ex pleuritide, Empyema eſt paſſus. Hunc febre aſſiduâ, tuſſi ſicca, ſputu ſaniei copioſæ, difficultate ſpirandi laborantem, & tabidum factum hoc modo curare ſum aggreſſus, qui iam Medicis deploratus videbatur, & mirum erat, ex quo loco tanta puris copia emanabat; nam quotidie libras duas excernebat. Huic præter alia quamplurima auxilia, lactis aſinini potus per tres menſes exhibitus miro fuit auxilio. Huius enim ope, puris copia omnino eſt imminuta. Refectum corpus, febricula euanuit. Tuſſis nulla.

OBSERVATIO CXX.

Empyema, ſectione curatur.

EX pleuritide in veram ſuppurationem lapſa eſt puella quædam, quæ decimum tertium annum non compleuerat. Hæc nullis auxiliis adiuta, lactis potum aſſumpſit per plures dies, at citra leuamen vllum: nam cum multâ puris copiâ, per tuſſim excretâ, oculi fiebant cani, malæ rubebant, iugi premebatur febri, erat extenuata, & inapperens. De ſectione adminiſtrandâ, in quâ totius curationis cardinem eſſe poſitum rebantur omnes, ob metum parentum, Medici nil loquuti ſunt. Ego verò facto præſagio, ne ſi fortè mors contingeret, noſtro adſcriberetur errori, negotium patefeci, addito vno, vt citò, ſi opus celebrandum erat, id exequeremur, iuxta Oraculum Senis *lib.* 6. *epid. ſect.* 7. 11. dicentis, *Tabeſcentes ſtatim urere oportet.* Nam ſi viſcera ſint debiliora facta, & corrupta, nullum poſtea æger remedium habet. Annuunt ipſi. Conuocantur Chirurgi. Hi ſaluberrimam eſſe affirmant. Reficitur triduò ægra. Iterum adhibitum conſilium. Omnes vnanimes conuenimus tantam copiam per ſputum non poſſe, niſi per ſectionem expurgari, quo caſu *lib.* 6. *aph.* 27. Galenus vſtionem exoptat. Et licèt hæc ob multas cauſas in ſuppuratis ſit admittenda, & Hipp. eam ampliùs approbet *loco cit. & lib.* 2. *de morb. & de internis affectionibus*, cum Gal. 7. *aph.* 45. qui antiquos, vſſiſſe ſuppuratos affirmat: tamen ij ſectione inter tertiam & quartam coſtam in latere ſiniſtro, per nouaculam, & deinde per ſcalpellum profundè factam vſi ſunt, per quam fœtidi puris copia fuit euacuata, vt adſtantes horribili odore infecerit. Pus 20. diebus ſenſim eductum, abſterſum commodis auxiliis vlcus, conglutinatum, & puella à febri, & tuſſi libera, robuſtior facta, ſanata eſt.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 801 sur 927

OBSERVATIO CXXI.

Suppuratio thoracis, ex crudo, seroſoque humore ſuborta, commodis præſidijs curatur.

HIppocrates *lib. de carnibus, num. 4. cerebrum metropolim ac ſedem frigidi & glutinoſi* eſſe aſſeruit. Ab hac parte, defluente frigido humore in thoracem, fieri quandam ſuppurationis ſpeciem, tradit *lib. 1. de morbis, num. 18.* dum ſic inquit: *Fit autem ſuppuratio, ſi pituita ex capite diſtillet, & primùm quidem vtplurimum latenter defluit, tuſsimque tenuem exhibet, & ſputum paulò amarius ſolito, & aliquando tenuis adeſt calor, &c.* Eam ſic deſcribit Fernelius *lib. 5. patholog. cap. 11. §. Suppurationi interdum affine malum eſt, in quo magna thoracis capacitas, ſeroſo, pituitoſo, tenuique humore ſcatet, qui aut ex cerebro in aſperam arteriam, & pulmones tenuitate ſuâ affatim irruens, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate cacis ductibus redundans eò penetrauit, &c.* Accepit à Gal. *lib. 4. de loc. 7. §. Si verò ſeroſus, aut pituitoſus humor ſubitò in thoracis ſpatium defluens, excitauerit ſpirandi difficultatem, ager tunc tenue ſputum, atque id ab initio quidem exiguum, ſed cum vehementi tuſſi, &c.* Morbi huius periculoſi ſigna, & curationem ſic accipe. Quinquagenarius ex nimiâ crudi, incoctíque ſucci diſtillatione à capite in thoracis cauitatem delapſi, citra febrim, tuſſi ſiccâ oppreſſus, & ex quâ tenuis, & aquoſus emanabat humor, in dies magis ac magis extenuari toto corpore videbatur, difficili, frequenti, paruo anhelitu vexatus. Viſcera habebat ſcirrhoſa, natiuum calorem ſatis languidum, virtutes naturales impensè debiles. Oculorum palpebræ, facies, ſummíque pedes erant œdematoſi, (Hyderon thoracis diceres) & venter aliquantulum tumebat. Huic, Medici qui pro cachectico curabant, balnea naturalia conſuluerant, ex quibus opem vix ſenſit vllam. His non proficientibus accedo ad eum. Primas vias leui expurganti exonero. Humorem crudum paulatim præparo, ipſum ex interuallis Hydragogis euacuo, nunc Agarico, nunc ſucco radicis Iréos, & Sambuci, aliquando Elaterio, quandoque pilulis de Nitro Alexandri, interdum trochiſcis Alhandal. His factis ad vſum Terebinthinæ in oui vitello cum Amygdalino diſſolutæ accedo, ſicut ad iuſculum galli veteris Bechicis medicamentis paratum. Aquoſo humore ſenſim educto, cauteria brachio, & cruri affigo. Decoctum radicis Chinarum ad multos dies exhibeo. Conſeruâ ex radice Iréos vtor. Thériacam, & Mithridatium cum Diacinnamomo, & Rhodomelite Perſico exceptam noctu propino. Veneris abſtinentiam edico, meri potum & victum exciccantem conſulo. Quibus, quinque menſium ſpatio celebratis, euaſit, & nullum ampliùs ſenſit incommodum.

OBSERVATIO CXXII.

De Tabe Aſthmatica.

Ad tabem Aſthmaticam, fonticulus ſub axillis excitatus, mirè prodeſt.

ASthma, & Orthopnœa cum inueteraſcunt, difficulter curari ſolent; licèt enim vacuetur humor in Thorace impactus, ne alius deinceps confluat, qui ex habituali cerebri intemperie regignitur, euitari non poteſt; quare malum in orbem redit, & per Paroxyſmos recurrens laceſſit, ac premit. Ex hoc vitio tanquam ex hydrâ ſæuiſſimâ, alia exitialia repullulant, vt pulmonis tuberculum, hydrops, hæmoptyſis, thoracis immedicabiles abſceſſus, & plerumque tabes: cùm enim glutinoſiſſima pituita à capite in thoracem defluens, aſperæ arteriæ ramos, pulmoníſque propagines infarcit, & reſpirationis vias obſtruit, tunc non bonum paratur cordi refrigerium; hoc autem feruens & retentis fuliginibus excandeſcens, humiditatem corporis depopulatur, & ſic animal contabeſcit, & tandem perit, continuâ tuſſi, difficilíque reſpiratione vexatum. Poſſe autem homines citra cruentam ſpuitionem tabe reſolui, certa res eſt apud eos, qui Hipp. & Galeni monumenta atterunt lectione aſſiduâ. Ille enim *lib. 2. de morb. num. 54.* tabem quandam deſcribit, quando ſputum multum, ac liquidum, & pus veluti grando tuſſiendo reiicitur. Eam proponit Galenus multorum exemplo, qui tuſſi oppreſſi, tabéque conſumpti interierunt, *in lib. 4. de loc. affect. cap. 8. & lib. 3. epid. ſect. 1. com. 4. & lib. 6. eiuſdem ſect. 3. com. 36.* explicat Fernel. *5. pathol. 10.* Hunc affectum *tabem Aſthmaticam* vocare conſueui. Hac decennis puer triennio miſerrimè eſt concuſſus, qui nullis vnquam auxiliis expurgantibus, abſtergentibus thoracem, humidam & frigidam cerebri intemperiem corrigentibus, immò nec cauterio ad nucham, & bregma indito leuari potuit. Hic cùm ſemel in acceſſione, difficili reſpiratione oppreſſus veluti ſuffocari videretur, ſolùm tuberculo ſub alâ læuâ excitato ſponte conquieuit, quod cùm durum, & renitens eſſet, cauterio eſt emollitum, & in pus conuerſum. Apertâ vomicâ, ichoris virulenti copia emanauit: ne verò occluderetur vlcus, pila cerea eſt immiſſa. Cúmque trium menſium ſpatio ex fonticulo corrupti humores effluerent, à difficultate ſpirandi omnino ſanus euaſit. Hoc exemplo audacior factus, in aliis ægris ſimili morbo vexatis, idem auxilium tentare aggredior, excitatis fonticulis, aut impoſitis veſicatoriis ſub axillis. Multùm, crede mihi, profeci: quos enim generoſa præſidia ab aliis celebrata curare non potuerunt, hoc auxilium incantamenti modo ſummè iuuit. Vt autem pila cerea, aut ciceris granum è fonticulo non decidat, aut veſicatorium ſit firmum, axillas faſciâ ad humeros delatâ comprimas oportet. Nec mirum: partes enim ſpiritales, & præſertim pulmo, perpetuo motu, noxium humorem in axillas veluti in emunctoria ex præſcripto naturæ affatim detrudunt. In frigidis ergò thoracis affectibus hoc remedium eſt præſtantiſſimum, & ſuauius perforatione pectoris, quam Priſci in hoc peruicaci morbo conſuluerunt, vt ſic hac parte pertusâ facilior ſpiratio fieret.

OBSERVATIO CXXIII.

Pro Aſthmate, ſyrupus magiſtralis laudatiſsimus.

QVadragenarius bienniò difficili reſpiratione correptus, adeò vehementiſſimâ acceſſione ex temporum interuallis permebatur, vt cum ſono, ſtertore, & anhelatione ſummâ, trium penè dierum ſpatio veluti ſtrangulatus cum liuore faciei in lecto iaceret, quouſque excretâ pituitâ mucosâ per os paulatim ad ſe rediret. Hic plura iam fuerat expertus auxilia, ex quibus vix vllum leuamen ſenſit, ſolúmque ex cauterio ad nucham indito aliquam vtilitatem ſe percepiſſe inculcabat, præſertim quùm puluerem Terebinthinæ cum ſyrupo de hyſſopo pitiſſabat. Hic aſſumpto alternis diebus hoc ſyrupo, & excreto per ſputum viſcido humore, conualuit, cuius forma eſto hæc.

℞. *Fol. Nicotianæ viridis, aut Siccæ, M. i. Ariſtoloch. rotund. Enul. Campan. an. ℥ ij. Hyſſop. montan. Capil. Vener.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 802 sur 927

©BIUM

Vener. Flor. Viol. an. M. j. Paſſular. ſine acinis, ℥ iiij. Glycyrrhiz. raſa & contuſ. ℥ j. ß. Sem. Fœnugr. ℥ j. Caricar. Pinguium, num. xj. Dictamni, Origani, Praſſij, Scabioſæ, an. M. j. Sem. vrtic. Aneth. an. ℥ ij. Aniſi, ℥ j. Ligni Guaiac. Smilac. aſper. Radic. Chin. an. ℥ j. Tuſſiagin. M. j. Strobilor. num. xx. Dactylor. num. x.

Coque ſec. art. ad lib. iij. Colaturæ, adde ſucci Scillæ ℥ ß. Succi Enul. & Hyſſop. an. ℥ j. bulliant, quouſque ſucci abſumantur. Adde Balſami, aut Olei de Liquidambar ℥ ij. & cum melle, & Saccharo fiat ſyrupus.

OBSERVATIO CXXIV.

De Cancro Mammillarum.

Cancer vlceratus, eſt contagioſus affectus.

NEeotericorum Clariſſimi, qui de contagio ſcripſerunt, cancrum vlceratum inter affectûs contagioſos non reponunt. Cauſam quæris? nullam proponunt. Ea inter alias potiſſima reddi poteſt, quoniam igneus, & retotridus partis calor abſumit materiam fomitis (quâ de causâ bilioſæ febres contagioſæ non ſunt,) & ſeminarium contagionis eleuatum ab humore ſicco, cùm non ſit lentum, non hæret, immoratúrve per tempus ſufficiens ad agendum, inficiendúmque. Hunc autem affectum eſſe fomite, & contactu contagioſum, ratio cum experientia ſuadet. Nam in parte cancro vlcerato affectâ, fœtor adeſt veluti cadaueralis cum putrilagine multâ, quam partis calor omnino abſumere nequit, auctore Fernelio *lib. 7. patholog. cap. 2.* ex quâ vapor grauis, & ſordidiſſimus eleuatur, qui putredine ſuâ, & virulentiâ vicinum corpus inquinat. Deinde Cancer idem eſt morbus cum Elephantiâ, ex Paulo *lib. 4. cap. 1.* Auic. *3. 4. tract. 3. cap. 1. in fin.* Nam eſt lepra vnius membri (clamitet contrà Cardanus *lib. 1. de venen. cap. 12.*) Elephantiaſis autem non minùs, ac peſtilentia contagioſa eſt, ex Paulo *loc. cit.* explicant eloquenter Valleriola *lib. 6. enarrat. 5.* Marcel. *lib. 1. de hiſtor. mirabil. 4.* Experimentum, præſtabit exemplum hoc. Paupercula mulier quùm cancrum vlceratum in mammillâ multis annis gereret, in lectulo decumbebat noctu cum filiis tribus. Omnes ſimili contagio affecti. Eâ emortuâ, poſt quinque annos duo hoc morbo confecti è vitâ migrârunt. Alter robuſtior, abſciſſo cancro, Chirurgicâ manu, magno labore ſaluus euaſit.

OBSERVATIO CXXV.

Cancri memorabile exemplum.

MVlier ditiſſima, ætatis ſuæ anno 25. ex ſuppreſſis lochiis in Mirachialem melancholiam incidit. Hac affectione detentæ, infra mammillæ dextræ papillam, tumor durus, ciceris magnitudine, cum intenſiſſimo dolore, & pulſatione apparuit. Medici ad prouocanda menſtrua, humorémque melancholicum deturbandum præſidia parantes, ipſam à graui illo dolore fecerunt immunem, cæterùm maiorem in molem tumor ſemper accreuit, ita vt duorum annorum ſpatio liuidus, & radices emittens atro ſanguine plenas, mammillam totam iam comprehenderet, pauliſper vlcerari incipiens. Curantium conſilio nullum topicum auxilium impoſitum, licèt de totius prouidentiâ eſſent nimis ſoliciti. Humoris nigri vacuandi causâ exhibitum lactis ſerum multiplici lege confectum. Cardiaca ex interualliis exhibita, cruribus affixa cauteria, mariſcis hirudines ſæpiùs admotæ. Applicitum balneum. His factis, quæ retorridum humorem expurgant, eiúſque virulentam vim infrænant, ad ſtibij præparati vſum, pondere ℈ iij. cum Rhodoſaccharo permixti acceſſit cum leuamine multo; nam vacuato humore pici liquidæ ſimillimo, alacrior reddita, ſaniùs viuens, ad oblata rectiùs ſe habebat, ſolo victûs regimine vſa At cùm internæ partes habituali intemperie laborarent, regenerato de nouo humore ſordidius fiebat vlcus, cui malo purgatio leuis erat ex vſu. Hoc modo annis vigintiquatuor, cum morbo luctata, remediorum pertæſa, auxilia renuit, ſícque increſcente tumore vlcus crudeliter ſerpit. Illa viſis his, mihíque non credens, dicenti cancrum hunc non eſſe irritandum, ſed ſolùm blandè præſidiis ſuauibus tractandum, quæ etſi non ſanent, incremento tamen mali obſiſtunt, Medicum adit promptam ſanitatem promittentem; itaque eſt experta, quàm eſſet damnoſa, quæ reliquorum vlcerum more, cancri ſuſcipitur curatio. Nam Medicus cùm remollientibus, & attrahentibus vſus eſſet, in tantam hæmorrhagiam eſt delapſa, vt licèt hæc aptis cohiberetur auxiliis, tumor tamen, efferatâ inflammatione, & dolore intenſiori oborto, ita increuit, & ſerpendo ſeſe profundiùs inſinuauit, vt mammillam totam depaſceret. Iam ipſa decolor erat extenuata, & debilis. Tunc horribilis fœtor, & velut cadaueroſus in domo ſentiebatur, maximè quando extractis turundis, fœtida, virulentáque manabat illuuies. Regrediens Medicus ſecreto quodam firmiſſimo audacter ſalutem pollicetur. Annuit ipſa. Ille neſcio quæ cauſtica imponit. His irritatum vlcus, ſerpénſque ad axillas & humeros, brachium totum menſis ſpatio corroſit, & coſtas inuadens, ipſas exeſit. Demùm vlcere cauernoſiore facto, & corroſo Pericardio, cor (mirum dictu) detectum cernentium oculis moueri triduò viſum eſt. Ipſa verò refrigerato interno igne, obortâ ſyncope è vita diſceſſit. Cancro ergò affecti, vt in longius tempus vitam producant, palliatiuâ curâ tractandi ſunt.

OBSERVATIO CXXVI.

Cancri ſuper Oculum enati Hiſtoria rariſſima.

DVm hæc meditarer, ſubitò vocatus ab ægro, è domo diſceſſi. Mihi paulùm deambulanti occurrit *Doctor Nicolaüs Fontanus, Medicus arcanorum medicorum explorator ſedulus, & in ſtudioſos valdè propenſus.* Opportunè, inquit, aduenisti Zacute, (iungens dexteram dexteræ) proximi namque ſumus domui, ex quâ egredior, & Cancri notaui admirabile exemplum; itaque oro, vt vnà mecum ad videndum hunc rarum morbum, ad ægram accedas: cui ego; Diſpeream, ſi te non fuerim comitatus, quùm illicò ab ægro, qui ſanè malè ægrotat, receſſerim. Quare vir amiciſſime tantiſper expecta; nam ſine vllâ omnino morâ præſidia proponam. Regreſſus cum illo, reperimus in domo tres expertos Chirurgos, & antea accerſitos tres Medicos Artis Phœbææ præſtantiſſimos alumnos: inter hos aderat *D. Nicol. Tulpius Reipub. Amſteldamenſis Senator Conſultiſſimus, & Medicinæ, Chirurgiæque Profeſſor celeberrimus, vir ingenij acumine, præexcellenti rerum vſu, & admirandâ rerum omnium cognitione præditus.*

Vixerat Fœmina vſque ad annum 78. ſana, & pro ætatis ratione, ſatis viribus firma, hæc cùm ſuæ ſponſis eſſet, omnibus cibariis indiſcriminatim, & promiſcuè vtebatur. Poſt hoc tempus in ſupercilio oculi ſiniſtri, natus eſt tumor, fabæ magnitudine, coloris nigricantis, qui potiùs dici poterat ex liuido, & rubro permixtus, quem ardor ſenſatus, & pruritus ingens comitabantur. Illa tumorem temnens, quùm eſſet decrepita, de applicandis medicamentis non

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 803 sur 927

fuit solicita. Tumor exulcerati incipiens paulatim peruenit ad Nucis Iuglandis magnitudinem, lato, crasso, tenacique pediculo cuti adhærens. Demum post annum & dimidium, ad tantam molem deuenit, vt oculum contegeret, & videndi actionem impediret, quo tempore ad mali Cydonei magnitudinem accreuit, ita vt nasi superiorem partem occuparet. Vlcus hoc erat aliqualiter durum, circumcircà vlceribus paruulis respersum, è quibus virulenta sanies emanabat. In medio morbi cursu alius supra futuram Coronalem renatus est tumor, etiam rotundus, & magis fastigiatus, qui cum maiori duritie, & punctione à ciceris magnitudine incipiens, ad Pyri mediocris molem accreuit, & in vlcus degenerauit statim, è quo purulentus effluebat liquor. Vnum solùm erat in his tumoribus notabile, quòd licèt ab humore essent crasso & adusto pronati, in Lunæ augmento, & declinatione decrescebant, & accrescebant. Nec mirum: Luna enim cùm sit humidior cæteris Planetis, ex Macrobio *lib.1.in somn. Scipion.cap.11.* Galen. *lib.3.de dieb.decretor.cap.2.* maximam in hæc inferiora habet potestatem, cùm ea sit minor Sol, ex Arist. *lib. 4. de generat. animal. cap. vlt.* & Marsil.Ficino *lib.6.in Plotini librum.* Ob hanc causam 4.1. *cap.21.* Auic. solùm in Lunæ augmento cucurbitulas imponit, quia *tunc augmentatur cerebrum in cranijs, & humores augentur*, & alia admiranda in nostris corporibus contingunt.

Sed adhuc dubius in luto hærebo, inquies certè, si huius curationem non exponas, nam difficilis sanè videtur, & periculosa. Etsi enim hoc vlcus non esset verè cancrosum, quoniam carebat inæqualitate, duritie callosâ, dolore, punctione, nec venas habebat tetro sanguine plenas, & ex vlceribus fœdus non exibat vapor, odorem horribilem eructans, nec labia essent crassa, prætumida, viridia, foris inuersa, horrida aspectu, tamen cancrosorum vlcerum instar hoc erat tractandum. Quare licèt plurimis modis curandus sit cancer, vacuatione humoris melancholici, repulsione, & digestione in parte affectâ celebratâ, partis roboratione, vstione, & excisione. Attamen cùm hic cancrosus tumor supra has partes præstantes esset pertinaciter impactus, & ægra anicula esset, viribus constans inualidis, solâ præuisione, hoc est Palliatiuâ curâ vsi sumus. Quare optimo regimine instituto, vacuatione clementi ex interuallis pro virium tenore suauiter imperatâ, nempe sero lactis caprini cum foliis senæ, semine Anisi præparato, in quo per noctem vnciæ duæ syrupi Fumariæ maduerant, aut prunis ex senâ paratis, aut aliquo Electuario humorem melancholicum educente vtebamur. Parti decoctum roborans, & abstergens fuit admotum, superposito vnguento Diapompholygos. His, & cauterio in brachio affixo, vt spiraret cerebrum, suáque excrementa ad ignobiles partes detruderet, contenti sumus. Nam *hæc vlcera melius est non attingere*, iuxta Senis oraculum *lib. 6. aph. 38.* ob multas causas, quas fusè referunt Celsus *lib. 5. aph. 28.* Actuarius *lib. 2. cap. 12.* Ioan. Guido *tract.4.doct.1.cap.4.* Paulus, & alij, & refert Franciscus Arcæus *lib.2.de vulnerib.cap.3.*

Huic exemplo aliud vtilius adiungam. Narrauit mihi Medicus, studiosus & doctus, se vidisse ægrum, cui in sinistræ manûs volâ renatus est cancer, qui per plures annos eum miserè excarnificauit vlceratus, sæuis doloribus, & punctionibus illum immaniter excrucians, quousque in eam molem accreuit, vt totam manum occuparet, iuxta carpum excitatis horridis vlceribus illum affligens. Hic cùm dues esset, plures Medicos, & Chirurgos in collegium admisit. Illi, in varias distracti opiniones, ægrum in desperationem veluti redegerunt. Ex his vnus solùm securam sanitatem pollicetur, hancque comparandam brachij abscissione ratus est. Æger cùm continuâ hæmorrhagiâ premeretur, quæ ex vlceribus ob corrosa vasa emanabat, & sic esset decolor, exilis, & debilis, maluit semel dolorem pati, quàm immedicabiliter tot pressus ærumnis, vitam ducere. Quare abscisso brachio infra cubitum, suppresso sanguine vbertim ob sectionem manante, & conuenienti alimento nutritus, post paucos dies pristinum habitum recuperauit. *Melior ergo est abscissio vnius membri, quàm mors totius*, dicebat Arabum maximus Auicenna 7. 4. & *melior est aliquando insignis noxa, quàm mors*, auctore Magistro *lib.12. Meth.cap.1.* In posterum ne ex habituali partium intemperie humor hic adustus regenitus recidiuam pareret, præseruatione opus fuit: sícque vtens commodâ diætâ, expurgatione humoris nigri per Epicrasin celebratâ, attamen suaui, & leni, & fonticulo in crure sinistro excitato, vt noxius humor ad imas vergeret corporis partes, nullum postea malum persensit.

OBSERVATIO CXXVII.

De Nutricis electione.

Nutrix, menstruata non sit.

INfans priore nutrice emortuâ, alterius lac suxit. Hoc vsus per totum corpus multis vlceribus est fœdatus. Consulti Medici, secundæ nutricis lac optimum esse affirmant, quoniam hæc omnes bonæ nutricis dotes adimplebat. Vocatus ego contrarium suasi, quùm menstruata esset. Hic enim sanguis motus, libidinem prouocat, turbat corpus, humores calefacit, purum sanguinem in lac conuertendum conspurcat, & sanguine per menstrua erumpente, lac minuitur, quùm lactis, & menstruorum vna fit substantia. Hac de causâ fœdi colores, fastidia, vomitus, alui fluxus, febriculæ, pustulæ per cutem, & vlcera repullulant, quùm ex fœdissimi sanguinis ad menstrua aceruati commercio reliquus pro alimento infantis præexistens, tantam labem contrahat, vt potiùs veneni, quàm nutrimenti vires induat. Hinc scaturiunt infantibus Epilepsiæ, Paraplexiæ, difficilis respiratio, macies, & alia grauissima emanant, quùm ab vtero ad mammas maximus adsit consensus. His in consilio propositis, alij palinodiam recantantes dedêre manus. Tunc infans alteri non menstruatæ alendus committitur. Hinc factum est, vt per mensem, assumpto hoc lacte, pinguior euaserit, & exiccatis, cicatricéque obductis vlceribus, speciosior factus, pristinum habitum receperit. Quare nutrice menstruatâ nihil deterius. Renuat licèt Christophorus à Vega *lib.2.art.medic. sect.7.cap.1. rubric.2.* cuius rationes alibi confutabimus.

OBSERVATIO CXXVIII.

De Sanguinis sputo.

Ad Sanguinis ex quacumque parte profluuium, remedium rarum.

BRasilienſis quædam fœmina è ciuitate *Pernambuquo* oriunda, ex suppressis menstruis in sputum sanguinis incidit, cum vomitu, & dolore circa splenis regionem percepto, quúmque sanguis esset grumosus, & niger, ab splene in ventrem delatus, Lypothymiam concitabat. In initio celebratæ sunt reuulsiones per venam sectam poplitis, hirudines hæmorrhoidalibus venis impositas, cucurbitulas, & pharmaca plura, quæ tum peccantem humorem exhaurirent,

haurirent, tum humoris noxij nocumentum ad inferiora propellerent. Tandem fluxu non ceſſante, reſolutis viribus, albicantem colorem, & palpebrarum inflationem cùm pari inciperet, & refrigerato hepate, debilique ſplene, morbus omnia remedia contemneret, de ſalute ſuâ deſperabat. Ipſa cogitabunda, & triſtis vnâ nocte anxiè mente volutans, recordatur vnius auxilij, quo ad omnem fluxum ſanguinis *Braſilienſes* vtuntur cum vtilitate mirâ, & eſt certè miraculoſum præſidium, quod in hac fœminâ, & aliis ægris in hunc vſum fidiſſimo experimento poſtea adinueni. Hoc cùm decies in aquâ Chalybeatâ aſſumeret, in totum reſtrictus eſt fluxus. Naſcitur herba quædam in *Braſilienſi tractu*, diſtante quinquaginta ferè milliaribus à ciuitate dictâ *Pernambuquo*, in altis, aſperiſque montibus, plantaginis inſtar, cuius radix, Cichoriæ ſatiuæ radicis colore, & formâ omnino eſt ſimilis. Hæc cum cortice tantiſper in teſtâ peruſtâ, in puluerem vertitur, cuius ſcrupulus ieiuno ventre aſſumptus cum Roſaceâ, aut plantaginis aquâ, vel Rhodoſaccharo permixtus, occultâ quadam vi ſanguinis fluxum vndequaque manantem infrænat, & coërcet. Luſitani noſtri ſumpto nomine à radice, in quâ ſolùm vis ineſt aſtringens, vocant hanc herbam *Rais da Serra*. Belgæ qui oras illas ſæpiſſimè frequentant, eodem nomine appellant, *De hooge Berch vvortel*. O! vtinam ex horum nauigationibus, tanto, pro hoc contumaci morbo, potiremur antidoto, quod miſeris ægris ſummum ſolatium afferre poſſet. Multa autem ab occultâ vi ſanguinis profluuium ſiſtere, res eſt manifeſta, probárque *Petrus de Oſmâ apud Monardum lib. 2. de hiſtoriâ aromatum, quæ ab Occidentali Indiâ adſportantur*, quo loco refert ſe vidiſſe Æthiopes, qui carcere detenti, famèque coacti, ſibi ipſis ad veſcendum, cultello ſuras inciderunt, vnde vulneri ſuperpoſito folio viridi, nec guttula ſanguinis emanauit, quod patet apertè in oſſe vocato *Cabal*, cuius eſt vis admiranda in compeſcendo ſanguine, ſi brachio, monilis vice, geſtetur, de quo argumento fusè ſumus loquuti *lib. 1. de Medicor. Priucip. Hiſtor. in comm. Hiſtor. 22.*

OBSERVATIO CXXIX.

De Phthiſi.

Phthiſis, lacte muliebri, & eius vnguento, curata.

QVinquagenarius, excarnis, & ſiccus, ex acri ad pulmones diſtillatione in ſanguinis ſputum, & Phthiſim temporis diuturnitate lapſus eſt, cum macie tantâ, vt oſſa ob ſiccitatem inter ambulandum crepitarent. Huic præter omnis generis lenientes purgationes, varia expectorantia, & alia quæ aduersùs maciem celebrantur auxilia, quùm febris colliquans, & hectica iugiter corpus abſumeret, caprinum lac aſſumendum impero. Hoc trium menſium ſpatio vſus, commodum ſenſit pauciſſimum. Perſpectis his, lac muliebre, vt affatim ex ipſis mammillis ſugat, conſului. Deus bone! tantam ex eius potu per menſem exhibiti perſenſit vtilitatem, vt eo, & vnguento ex eodem lacte parato pinguiuſculus factus, perfectam conſequutus fuerit ſanitatem. Ne ergò dubites vlcera pulmonis poſſe ſanari, quod ex plurium non infimæ notæ auctorum hiſtoriis conſtat abundè. Vnguento, tribus horis poſt cœnam totum vngebat corpus, quod cæteris omnibus reſumptiuis præſtantius eſt, nec quicquam fœtet, vt alia, in quæ medullæ, & pinguedines ingrediuntur. Huius Vnguenti deſcriptionem, cuius vſu tabidos ſæpè impinguari vidi, candidè acceptam refero A Amato, non ignobili Medico (fremant licèt Matthiolus, Follopius, & alij) qui *lib. 1. Center. curat. 92.* eam ſic proponit.

℞. Gummi Tragacanthi, & Arabici, an. ʒ j.

Infundantur in aquâ Roſaceâ per diem & noctem. Adde

Olei Violac. ʒ j. ß. Butyri recentis, ʒ ß. Camphoræ, ʒ j.

Miſce, & in mortario cum lacte muliebri fiat vnguentum. De huius lactis vi mirâ pro nutriendis Phthiſicis, ad Gal. mentem pulchra proponunt Vaſcus Caſtellus *tractat. 8. de Thoracis affectib. difficult. 6.* Ioannes Bravus *lib. 2. de purgant. medicam. delectu, c. 19.* Vtrùm autem hoc ſit vtilius aſinino, quod in hunc vſum tantopere veterum peritiſſimi perlaudârunt, B diſſerit inter omnes Solertiſſimus Alphonſus Lupéus *in annotationibus in cap. 6. lib. 7. Meth. Gal.* Tu verò pro curandâ tabe, vide Altimarum *lib. de medend. hum. corp. malis, cap. 53.* Valleriol. *lib. 3. obſer. 6. & lib. 5. eiuſd. obſer. 5. & 6. & lib. 6. obſer. 9.*

OBSERVATIO CXXX.

Phthiſica, ſolius Rhodoſacchari vario vſu, perſanata.

GEneroſiſſimi cuiuſdam Proregis Luſitani vxor, quùm ex ſalsâ diſtillatione & Hæmoptyſi, in vlcus pulmonis incideret, iugi, puſilláque febri, & C carnium extenuatione maximâ affecta, à Deo, qui ſolus languores ſanat, & deinde à Medicis pro ſui ſalute, auxilium efflagitat obnixè: maximè cùm nec ex lacte aſinino, caprillo, carne teſtudinum, Ptiſanâ, expectorantibus, reſumptiuis, cardiacis, & infinitis propemodum remediis, opem ſentiret vllam. Vocatus ad eam, de auxiliis factis inquiro. Tandem in Rhodoſacchari ſolius aſſiduo vſu totius curationis cardinem repono. Et licèt Auicen. 10. 3. *tractat. 5. cap. vlt. &* 18. Meſuë *cap. de Phthiſi.* Conciliator *diff.* 194. Arculan. *cap. de Phthiſi.* Crato, Valleriola, Foreſtus, Petrus Poterius *lib. obſeruat.* & alij quamplures, Rhodoſaccharum tabe conſumptis per ſe ſolum pro victu exhibeant, aliis tamen modis offerri poſſe iam D exaudi. Nam hac conſeruâ farinam ſubigebat, panémque cum eâ delibutum eſitabat. Carnes ſelectas cum eâ coctas edebat. Pullos gallinaceos, aſſos, priùs benè conſeruâ nutritos pro cœnâ habebat. Vitellos ouorum interdum cum Syrupo Roſaceo aſſumebat. Loco ſyrupi, ieiuno ventriculo, iure pulli gallinacei priùs Rhodoſaccharo ſaginati vtebatur. Pineolato vtebatur facto ex pineis nucleis, Amygdalis, cum hac conſerſiâ permixtis; & ſi forte oblectamenti causâ, acetarium illi concedebamus, id ex foliis Borraginis, & Roſarum cum oleo, & ſaccharo parabatur. Demùm nullum ferculum offerebatur, quod Roſam non redoleret, adeò vt nî timerem dici mendax, exponerem quantitatem quam comedit E hæc mulier de ſaccharo roſaceo, cuius vſu, ſeptem menſium ſpatio recreata, cùm obeſior eſſet, & alacrior, vltimis duobus menſibus vſa lactis Caprini potu, in quo illicò ab vbere extracto conſerua roſacea diluebatur. Ita denique ſpecioſior eſt facta, vt in facie, viuidus ac roſeus conſpiceretur color. Roſæ in primis duobus menſibus, maioris abſterſionis causâ erant exungulatæ, in vltimis non detrahebantur vngues. Maxima ergò eſt pro curandis Phthiſicis, Rhodoſacchari vis atque poteſtas; nam modicè refrigerat ob febrim, ob vlceris ſaniem detergit, & ob ſolutionem continui glutinat. Has vires ineſſe roſis veterũ peritiſſimi ſatis confirmant. Quibus autem conditionibus in Phthiſi liceat vti Rhodoſaccharo, explicant Petrus Poterius *lib. obſ.* 22. Fernel. *conſ.* 19. Maſſaria 2. *prax. cap.* 7. Renat licèt Septalius

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 805 sur 927

lius *lib.5. caution. medicar.num.12.* qui Rasij auctoritate fretus, illius vsum in febribus vehementer condemnat. Sic enim habet Rasis *lib.3.ad Almans.cap.27. Et Deus confundat eos, qui saccharum Rosaceum febricitantibus propinant: nam qui ardorem, & calorem patiuntur, nullo modo comedere debent, & maximè si æstas fuerit, &c.* Nam textus hic mendosus est, vt Simon Genuensis exponit ad hunc locum, & legit mel Rosaceum. Nec textus in Arabico dicit Saccharum Rosaceum, sed Galeniabin, & est commune ad id quod fit cum melle, & ad id quod fit cum Saccharo, vt notat Auicen. *1.4.tract.7. de conditis in princip.* subscribit Monardus *in comm. Mesuës tit. de electuar. de Gemmis.* Vel si per saccharum Rosaceum, factum ex Rosis Persicis intelligas, non errabis: hæ enim cùm sint calidæ, suâ vi cæteras in purgando antecellunt, & aluum copiosè citant, ex Lacunâ *lib. 1. in Dioscorid. cap.130. de Rosis*, quare harum vsus in incendiosis febribus cauendus. Num autem Rhodosaccharum in febribus propinandum, agitant inter omnes, Guainerius *tract.2.de feb.cap.2.* Hugo Senensis *in com.cap.7.* Auicen. *1.4.tract.2. fol.62.*

OBSERVATIO CXXXI.

De Tabe.

Tabes dorsalis ex venere orta, lactis vsu ex caprâ nigrâ exhausti, curatur.

SVmmus Medicorum Antistes *lib.2.de morb.num.56.* inter tabis species *dorsalem* recenset, *quæ præcipuè corripit recenter sponsos, & veneri deditos.* Iuuenem curaui, hirsutum, gracilem, & melancholicum, qui cùm esset sponsus, veneris delitiis sine modo indulsit. Hic licèt valente escâ aleretur, indies tamen extenuabatur magis, quoüsque febriculâ oppressus, difficultérque spirans, spermaticarum partium infirmatâ retentrice, in gonorrhœam incidit cum macie summâ, ita vt sine baculo incedere non posset. Hunc curaturus, quoniam antè petulanter vxori sese addixerat, ab eâ, à fœminarum consortio, & veneris confabulatione abstinere impetro. Ludis, amicorum conuersatione, aëre salubertimo, cantu, musicâ, cibis mollibus ipsum recreo, & refocillo, & cùm morbus esset ex inanitione, alimentis vsus sum succum tenacem gignentibus. Exhibui ius capitis & pedum Castrati, Oua recentia, Vina rubentia, restaurantia Electuaria. Hepar Epithematis firmaui, flaccido ventriculo roborantia emplastra applicui. Tandem his renutritus, & lactis ope, tutus euasit. Et si tanta est habenda animalis cura, à quo debet hauriri lac tantopere à Galeno commendata *loco nuper citato.* percontaberis num lac animalis nigri ad tabidos impinguandos ampliùs expetatur? Dic hoc esse vtilius, suauius, temperatius, minùs flatulentum, & meliùs coctum. Amatus Lusit. 3. *Centur.1.* colorem animalis nihil facere ad lactis probitatem asseuerat. Illius mentem redarguunt Galenus *lib. 6. epid. sect.2. com.44.* & Arist. *lib.5. de generat. animal.4.* quibus locis ex colore animalium diuersam indicari lactis qualitatem manifestè docuerunt. Lac capræ nigræ, vt magis coctum, consistentiâ medium approbant Mesuë *tract.at.de simplic. tit. de aquâ lactis*, Rasius *vlt. contin. tract.2. cap.172.* Nam *sicut caro animalis nigri est suauior, & leuior*, ex Auic. *lib.2. tract.2. cap.145. in princip.* Albert. Magno *lib.19. de animalib. cap.10.* Sic lac animalis nigri est præstantius. Id ob hanc causam approbat Hipp. *lib. de natur.mulieb.num.52.* Et ad hydropem è causâ calidâ præferunt Cardanus *in consil. de difficult. respirandi in med.* Iulius Cæsar Claudinus *in appendice lib.de ingressu ad infirmos sect.8.* Nam magis temperatum est, promptiùs coquitur, difficiliùs acescit, ocyssimè distantissimas penetrat corporis partes, & citissimè nutrit, vt notauit Ludouicus Lemosius *in com.cap.7.lib.6 meth.Gal.* Sic Aristot. *lib.3. hist.animal.vlt.* laudat in nutricibus colorem fuscum, vt aduertit Mercurialis *lib.1.de morb. puer.cap.3. in med.* Et si lac mulieris candidæ valdè præfertur, hoc ob aliam rationem dictum puta: eam parefacit ingeniosissimus Rodericus à Castro *lib.4. de vniuersâ mulier. medicinâ, part.1.cap.13.* Nam nostrum institutum latiùs diuagandi tempus non concedit.

OBSERVATIO CXXXII.

Tabe laborans, eleuatâ Xiphoide cartilagine, reuixit.

EX decidentiâ mucronatæ cartilaginis, homines non solùm debilitatem ventriculi, aliósque morbos pati, sed contabescere posse, firmat Peritissimus Lusitanus, (omnium mihi mille instar) *in com.cap.4. Galen. lib.1. de locis affect. num.22.* dum sic ratiocinatur. *Nonnunquam enim ventriculus flaccescit, & laxatur, maximè ore, non abundante humoris copiâ, sed magis humiditate quadam tenui, cui appositum malo absinthium: Est vbi copiâ humoris imbuitur, sed tenuioris, cuius præsentaneum est Aloë auxilium: sin crassus humor in ventriculum demersus est, hiera inuenta est, addens aromatum tenuitatem, & penetrationem. Ex quibus tribus oris ventris affectionibus, priori loco relata videtur ea esse, quam vulgus cartilaginis mucronatæ procidentiam vocat, & per adstringentia sanat. Licèt absurdum non sit opinari duas illas insignes cartilagines, in quas & pectus, & tota spina ad caudam cessant, quandoque tempore introrsum inflecti, & labores, & imbecillitates corpori parere, reducique manûs opere, iunctis adstrictoriis medicamentis, quietéque; fieri enim potest, cùm à nullo contineatur, vt vel emollito glutine quo ossi adhærent, flaccescant, vel parte infimâ, quâ in cuspidem cessant, introrsum reuulsæ inclinent, ignoratâ veteribus affectione, & idcircò indictâ, &c.* Carterius *disput.52. ad libros de locis affectis*, eadem mutuatus verba, ex decidentiâ huius cartilaginis, emollito glutine, quo pectori tenaciter adhæret, tabem oriri latè confirmat. Habere autem mucosum glutinis instar, quo pectori alligatur, docet Galenus *lib. 11. de vsu part.18. & 3. de facult. vlt.* Hæc enim cartilago, est tutamentum, & propugnaculum oris ventriculi, ex Galen. *lib.6.de vsu part. cap.3. & lib.7. eiusd.21.* Auicen. *1.1.doct.3. cap.15.* Vesal. *1. fabric.19.* Bauhin. *3. Theatri Anatomic. 94.* Paræo *lib.1. cap.41.* Laxatâ hac cartilagine, flaccescit ventriculus: hoc debiliori facto, concoctio fit improspera, iecur infirmatur, & incocto alimento partibus distributo, ipsæ atrophiam patiuntur, extenuantur, tabescunt. Garriant licèt Laurentius *lib.3.de re Anatomic.cap.11.* Columbus *lib. 2. de ossibus, cap. 10.* Sanctorus Sanctorius *lib.3. de errorib. medicor. cap.14.* qui hoc figmentum, aniles fabulas esse putant: nam hæc cartilago imo pectori ita firmiter adhæret, vt non nisi summâ vi diuelli possit: quoniam hoc de statu naturali intelligendum: nam præterquàm quòd hæc cartilago non decidit, sed laxatur: etiam vterus neruosus, & obsidentibus partibus multis, variisque ligamentis obsitus, ita aliquando humoris copiâ laxatus procidit totus, & elabitur, vt virile pudendum mentiatur. Sed his relictis ad historiam accedamus. Quidam ob vigilias incidit in tantam ventriculi debilitatem, vt assumptum alimentum illicò vomitione reiiceret, difficulter respiraret, pateretur ructûs, gurgulationes & singultum, & indies extenuaretur magis, pallidus, decolor, & exanguis. Plura pro debilitate ventriculi parata, adiuuerunt nihil. Eleuatâ ensiformi

Cartila

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 806 sur 927

Cartilagine, vi cucurbitulæ ſiccæ, ſupra os ventriculi admotæ, & Emplaſtorum adſtringentium ope, à mortis faucibus eſt ereptus.

OBSERVATIO CXXXIII.

Tabes infantilis, auxilio facili curatur.

PLures cauſas tradunt auctores contabeſcentiæ puerorum: vna indicta, quam frequenti experimento, ſicut & remedium adinueni. Ea à vermiculo intus prognato ſcaturit, qui totum alimentum infantis depaſcit. Malum cum quo Medici ſæpè laboriosè luctantur, ex quo contabeſcentes puelli, cum facie Hippocraticâ, in quibus adhærent pellibus oſſa, depopulato humido primigenio, longo marcore conſumpti fere è vitâ diſcedunt. *Luſitanæ noſtræ*, in quorum ore nihil eſt frequentius, vocant *Omao*; quaſi malus genius, aut vermis illos excruciet. Aniculæ ad faſcinationem referunt, alij ad præſtigium. Medici plura medicamina præbent ad impinguandum, ſed incaſſum. Plurimos hoc morbo prehenſos, ſummè extenuatos (Sceleron dicerес) Dei ope, & qualicunque operulâ meâ ad ſanitatem reduxi, ter exhibito ſcrupulo Caſtorij in lacte diſſoluto. Hi per aluum excreto verme obeſo, ſimili illi quem in corrupto caſeo occultari videmus, vixêre, & deinceps renutriti, pingues ſunt facti: nam Caſtorium mucum expurgat, & fœtore ſuo ſtrenuè vermes necat.

OBSERVATIO CXXXIV.

Tabis Gallicæ, curatio celebris.

MVſa ſcientiſſimus *lib. de morb. Gallico, in prognoſ. 5.* illuſtrem protulit ſententiam, quæ ad huius morbi curationem ſummè conducit. Sic enim ait: *Lentæ febres, ac longæ cum morbo Gallico futuram hecticam minimè ſignificant. Infinitos enim vidi, qui in tales inciderunt febres, & in vrinis pinguedo innatans videbatur; tamen hectici haud euaſere, immò Gallico affectu curato etiam per exiſtentia, febris vnà ipſa curata eſt, &c.* Hoc primus prædixit Vigo *lib. de morb. Gallico cap. 1. §. Vidimus febriculam quaſi ad hecticam hominem conducentem, &c.* Cur autem Gallica febris non fiat hectica, alteriori indagine opus eſt. Vide quæ hac de re diſſeruimus *lib. 2. Praxis Hiſtor. cap. 1. titul. de ſignis, paragr. 7. & 8.* Quare Gallicati, iugi, puſilláque febre detenti, Gallicis auxiliis ſunt tractandi: At cùm hæc calida ſint febrémque exacerbent, & illi extenuati ſint, excarnes, & natiui caloris inopes, præſidiorum vim ſine virium omnimodâ iacturâ ferre nequeunt. Quapropter eos ſenſim alimentis medicamentoſis nutrire eſt opus. Quidam Mercator opulentus cùm morbo Gallico diu eſſet confectus, & ad extremam maciem redactus, ſolâ curâ, quam palliatiuam vocant, vtebatur. Hoc modo curatus, ſanus, & pinguis euaſit, relictis violentis antidotis, quibus priores Medici vſi ſunt pro debellandis doloribus diris, & fœdis Talpis. Iuſcula primò exhibui optimarum auium coctarum cum aquâ, quæ priùs fuerat cum Smilace decocta. Panem pro quotidiano victu paraui ex farinæ triticeæ ſelectiſſimæ polline, adiectâ quartâ parte farinæ extractæ à radice Chinarum, & eum decoctâ aquâ cum Smilace ſubactum eſitabat. Ex interuallis ferculum, ſeu pultes concinnaui ex Orizæ, Chinæ, & tritici farinâ cum lacte, Roſaceâ, & Saccharo, ex quibus, adiectis Amygdalis aliquando martios panes, ſeu paſtas regales, aut ius album, adiectâ caponis carne, & pulpâ teſtudinum nemoralium paraui. Aliquando, ex his, & carne ranarum, contuſum oblectamenti causâ deguſtabat. Pullorum gallinaceorum noctu pitiſſabat carnes, qui priùs lacte ſubacto cum farinâ hordei, & Chinæ erant alti. Vinum erat Lymphatum cum aquâ decoctâ. Ad ſolidas partes humectandas, humidum primigenium inſtaurandum, Balneo multoties vſus eſt. Hac curiosâ, & refectoriâ alimoniâ gubernatus, ſpretis Guaiacinis, & Violentis præſidiis, quæ febrem exaſperant, & impensè debilitant, morbum ſuapte naturâ lethalem profligauit, & ſic ad priſtinum habitum eſt reuerſus.

OBSERVATIO CXXXV.

Tabis coxariæ hiſtoria mira, eiuſque curatio.

QVoniam pro virili rara exempla circa tabem notamus, quæ legentibus profutura, & voluptati fore arbitramur, & emolumento, nunc neceſſe eſt feramus opem Seni noſtro, circa tabis, ſeu Phthiſis coxariæ curationem, quam multiplicibus telis plures oppugnant. Extat illius Oraculum haudquaquam ex triuio *lib. 5. epid. num. 3.* Cuius aurea verba Sibyllinis foliis veriora ſic ſonant: *Eupolemus in Oeniadis, dolebat coxam dextram, & inguen, & commiſſuram propinquam ad coxam, ab inguine, & coxâ in anteriore parte. Huic ſanguis detractus eſt è malleolo, multus valdè, & niger, & craſſus: & pharmacum bibit aluum deorſum purgans, & multum purgatus eſt: & melius quidem habebat, dolores autem non remittebantur. Sed ſuppuratam habebat & coxam, & commiſſuram in ipsâ ad ſedem, & partem circa inguen, quibus locis ampliùs dolebat. Pus autem ad os magis fiebat, quàm ad carnem, in profundo: & per tempus ſic habens negligebat, donec valdè debilis fiebat: poſtea cruſta ipſi inuſta ſunt, valdè multa, & magna, ac inter ſe propinqua, & pus effluxit, & multum, & craſſum, & mortuus eſt poſtea paucis diebus, tum præ multitudine, ac magnitudine vlcerum, tum ex corporis debilitate. Huic ſi vna ampla ſectio facta fuiſſet, & per ſectionem pus emiſſum eſſet, & ſi opus fuiſſet, etiam altera ſectio facta eſſet: hoc ſanè ſi in tempore facta fuiſſent, mihi quidem videtur, quòd ſanatus eſſet, &c.* Hæc eſt idéa tabis coxariæ ab Hippocrate propoſita, cuius mentem *in com.* interpretatur Valleſius eloquenter, & repetit Iacotius ad *Coacas Hippoc. lib. 4. com. 1. in com. ſent. 39.* Et licèt in manibus Hippocratis Eupolemus ex coxâ ſuppuratâ decumbens obierit, huius tamen curationem attendas quæſo, quæ te ab his labyrinthis prorſus extricabit. Iſchiadico dolore vexati plures, venæ ſectionis in cubito, & talo celebratæ opem ſunt experti. Hanc ventris vtriuſque ſequuta eſt vacuatio citra vtilitatem vllam. His non conferentibus, omnis ſortis Anodyna parantur, vaporationes, fomenta, vnguenta, balnea, & inſeſsûs. Imponuntur ſupra coxam affectam hirudines. Dolens pars profundè ſcarificatur, vacuato ſanguine craſſo & multo, ſæuiſſimo vrgente dolore, ſtupefactoria tam parti applicantur, quàm in potum aſſumuntur. His non iuuantibus accedo ad veſicatoria, vlceribúſque diu fluidis permanentibus, febris increuit cum immaniore dolore pulſatorio coniuncta. Adeſſe ſuppurationem Chirurgorum peritiſſimi inculcant. Pure confecto, cauterium in parte affigitur, cuius vi, magna puris, ichoris, virulentæque materiæ illuuies fuit exhauſta. Temporis decurſu, vlcus magnum, ſordidum, cauum, & fiſtuloſum redditum. Hoc comitabantur intenſa ſitis, febris non ignaua, & ob dolores, vigilias, multámque puris copiam vacuatam, totius corporis macies, & tabes, ita vt ægri cum facie Hippocraticâ im horas morituri viderentur. In hoc agône conſtituti à Medicis pro deploratis

relin

relinquuntur. Sed cùm conclamati aliquando, rarò tamen reuiuiscant, vt ait Paulus *lib.6. cap.88. quàm multi citra spem mirabiliter sanentur*, ex Auic. 4. 4. *tract.2. cap.10. & plures viuant, de quibus medicus desperat*, ex Celso *lib.2. cap.10.* Idcircò Dei misericordiâ fretus, quid opis in tam luctuoso casu, miseris his ægris tulerim, enarrabo. Cum ergò horum omnium vlcus sit causa, indicatio quæ ab hoc desumitur, indicationes alias obumbrabit: quare eligendum est medicamentum, quod saniem detergat, solutionem continui glutinet, & humoris prauam, & cacoethem qualitatem coërceat, ac retundat. Quapropter vlcera hæc velut dolosa, maligna, & Gallica Ebeni decocto tractare decreui. At pro complendo opere obstabant febris, vehemens debilitas, & carnium extenuatio summa. Sed cùm ex præsidiis abstergentibus nullum sequeretur adiumentum, tùm ob partis situm quæ in ipso sordium confluxu est posita, videlicet iuxta vias vrinæ, & fœcum, & ob hoc variis fluxionibus est obnoxia, & articulus iste, quoniam maximus, & profundissimus est, promptissimè humores in se imbibit, ob hæc, ad ea quæ virulenti humoris malitiam infrænant, & partem roborant, accedere visum est. Priùs caloris febrilis vehementiam remisimus sero lactis caprini, in quo aliquando Ligni sancti, interdum Smilacis asperæ ramenta per noctem madebant: exhibuimus etiam in hunc vsum, Ptisanam, Amygdalarum ex seminibus frigidis paratum, quod cum aquâ decocta priùs ligno diluebatur. Vsi etiam sumus iure pullorum gallinaceorum, qui priùs medicamentis frigidis erant saginati. Interdum aquam stillatitiam Cochlearum, & testudinum degustabat, vnáque Cardiaca, & refrigerantia iulapia. Lumbis & iecori Epithemata imposita. Ventriculo roborantia vnguenta admota. His peractis, licèt febris, eáque intensa perseueraret, ad sudatoria ex Ebeno, & Smilace asperâ parata accedere, omnibus repugnantibus Medicis ausus sum. Viginti primis diebus lignum in aquâ Endiuiæ decoxi. Tunc iam sanies minui, febrísque mitescere incipiunt. Quare in hoc auxilio pertinaciter insisto, & in aquâ fontanâ, detractâ Endiuiæ, adiectâ maiori Ebeni quantitate decoctum parare iubeo. Et sic vno mense semel solùm in die, & multoties recreandarum virium causâ, alternis diebus sudorem moui. Hoc facto incœpit carne impleri vlcus, vigiliæ, & dolores minùs infestârunt, febris valdè est remissa, & iteratis sudoribus ad quadraginta dies omnino est extincta, & vlcere cicatrice obducto, ægri iam obesiores facti perfectam consequuti sunt sanitatem. Hoc ordine, decem, qui ad manùs meas peruenerunt, hac tabe detenti euasêre. Nullus eorum erat Gallicâ tabe fœdatus. Quid dubitandum? nonne vsu decoctionis Ligni Sancti, vlcera pulmonis suapte naturâ incurabilia curâsse gloriantur Philippus Ingrassia *in consilio Ducis à terra noua*, Arcæus *lib. 2. de vulnerib. cap.2.* Fracastor. *lib.2. de contagion. cap.8.* Mundella *epistol.3.* Erastus *lib.3. consilior. 8.* Nemo ergò in arduis rebus nimiùm desperet, sed Dei potentiæ admirabili, magis quàm naturæ viribus confidat: nam ipse solus est qui omnia potest. Tu hanc tabis Coxariæ curationem à nullo hactenus exaratam attentâ mente perpende, quam cum artis, & mei nominis gloriâ sum expertus.

OBSERVATIO CXXXVI.

De Atrophia.

Atrophia, picatione curata.

CElsus auctor elegantissimus *lib.3. cap.22.* Atrophiam vocat, in quâ non aliter corpus: & naturaliter semper aliquibus decedentibus; nullis verò in eodem loco subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurritur, tollit. Hanc patiebatur vir quidam obesus, & pinguis, qui ex febrili calore, & diuturnâ hepatis intemperie siccâ, conniventibus cutaneis meatibus, ob siccitatem non nutriebatur, immò sensim ac sine sensu contabescebat. Huic non profuit purgatio lenis, refrigerans diæta, serum lactis caprini, Epithemata frigida, dulcis aquæ lauacra, & ipsum lac asininum diu exhibitum. Mihi iam huius curationis pertæso occurrit in mentem celebris locus Galeni *in lib.14. meth. cap.16. & lib.7. eiusdem operis, cap.7. & lib.6. de sanit. tuend. cap.8.* vbi pro reficiendis extenuatis corporibus, picationem summis laudibus effert & encomiis. Hoc auxilium licet olim à scientissimis Medicorum, pro extenuatis partibus crassefaciendis esset frequenter vsitatum cum vtilitate summâ, nostro sæculo ab vsu medico prorsus recessit, quod in hoc affectu valdè esse proficuum, vsu fidissimóque experimento compertum habeo. Quare huic ægro quindecim diebus continuis ad normam Galeni id applicui, cuius vsu ita impinguatum est corpus, vt paucis auxiliis adhibitis ad pristinum statum fuerit redactum. Ne ergò remnas priscorum auxilia, quæ etsi hoc æuo ob incuriam nostram non exequantur, tempestiuè tamen celebrata maximum semper commodum attulêre. Modum picandi præter Hipp. *lib.3. de officin.* 32. Auic. 2. 1. *tract.4. cap.14. & tract.3. doct.4. cap.4. & 7.4. cap.2. & 10. 3. tract.1. cap.30.* Aëtius *tetrab.1. serm.3. cap.180.* Paulus *lib.1. cap.59.* Nicolus *serm.7. tract.2. sum.1. cap.1.* Eustachius *lib.3. prax.35.* & alij confirmant. Picatores enim dicuntur illi, qui ferulis illitis pice partem debilem concutiebant, & sic motu, & calore sanguinem, & nutrimentum ad partem attrahebant, & hac ratione membrum gracillimum impinguabant. Cætera lege apud Mercurialem *lib. de decorat. cap. 7.* Saxoniam *sect.1. de phœnigmis cap.11.* qui de recto picationis vsu disputârunt luculenter.

OBSERVATIO CXXXVII.

Tabes Pericardij, exitialis affectus.

GAlenus, omnium qui post Hipp. fuêre, medicæ scholæ commodissimus Mystagogus *lib.5. de loc. cap.2.* hunc affectum eleganter proposuit, quem Petrus Salius doctissimus *lib. de curat. morbor. ab aliis practicis non exhibitorum, cap.7.* tabem appellat Pericardij. Galenus in Simiâ, & Gallo, in ambiente cor tunicâ, inuenit tumorem, ob quem indies emaciari videbantur. In Simiæ tumore repertus est humor, in Gallo nihil humoris continebatur. Hic affectus, etsi rarus, Chronicus, cognitu difficilis, cuius causam abditam solùm ex sectione cognouit Galenus, exitialis est: nam eo correpti, sensim ac sine sensu, indies magis ac magis contabescunt, febri lentâ oppressi. Quid enim obstat, vt ab humore isto in hac membranâ impacto, tumorémque committente, retento, & putri, ob viciniam tantam cum corde, iugis, tenuísque concitetur febricula, quæ temporis diuturnitate totam corporis molem colliquet & absumat? Licèt enim inuolucrum cordis inter partes ignobiles reponatur à Galeno *lib.5. de loc. cap.2.* ipsóque solo affecto nullum periculum sequi posse videatur, quod celeberrimo exemplo comprobauit Galenus *lib.7. de Anatomic. administ. cap.13.* in puero Marulli Mimographi, cui os pectoris excisum erat, & inuolucrum cordis computruerat, qui superuixit, & sine pericardio multi vitam perducant: nam quidam eius parte ablatâ vixêre, auctore Cardano *lib.6. aph.18.* & alij eo destituti vitam produxêre ex

Columbo

Columbo 15. *Anatomic:* tamen hæc intelligenda, si solum pericardium afficiatur citra cordis offensam: si autem hæc cordi communicetur, ob difficilem curandi aditum, atque ob grauia subsequentia symptomata, ægrum marcescere par est, maximè quoniam hanc tunicam si semel humor penetrat, ægerrimè elui potest, qui licèt tenuis sit, tractu temporis à calore cordis crassescit, & induratus sit resolutioni contumax: & si à naturâ, vel arte tentetur suppuratio, humor effusus supra cor, illius ignem subitò extinguit, & inopinatò ægri occumbunt; & si res benè succedat, vlcus fit immedicabile, quod ritu vlcerum pulmonis corpus tandem colliquat. His pressus angustiis Salius modum curationis se ignorare ingenuè confitetur. Eo tamen ordine esse curandam hanc tabem, suapte naturâ incurabilem, quo tuberculum pulmonis tractandum diximus in obseruatione 112. suprà citatâ, mihi persuadeo. Galenus semel vidit hunc morbum in sectis animalibus dictis. Ego ter obseruaui. Hi, animi deliquio, cordis palpitatione, pulsu duro, paruo, nullâ præcedente tabitudinis causâ, Syncope oppressi vitam ducebant, & accedente febriculâ consumpti sunt. In vno dissecto apparuit in hac tunicâ duriusculus tumor Nucis Auellanæ paruæ magnitudine, non perfectè callosus, quo disrupto Ichor quidam emanauit citrinus. Hic cæterorum instar ad extremam maciem redactus, nullis vnquam auxiliis leuari potuit.

OBSERVATIO CXXXVIII.

De Inflammatione Pericardij.

Pericardij inflammatio, funesta.

CAusa ob quam Auctores de inflammatione septi transuersi, membranarum intersepientium, pericardij, peculiarem non fecerunt commemorationem, ea est, quoniam, auctore Auicennâ 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *in init.* hæ eisdem symptomatibus insignjuntur, quæ pleuritidem comitari solent: nam hæ partes non solùm sunt cordi vicinæ, sed eâdem tunicâ teguntur, ex Gal. *lib.* 4. *de præsag. ex puls. cap.* 5. *cùm omnia quæ magnis pleuritidibus accidunt, respondeant symptomatibus partis neruosæ septi transuersi: tùm quòd succingens costas tunica multis neruis prædita sit, tùm quòd adhæreat septo transuerso, membranisque thoracem intersepientibus, per quas ad cor continuatur, &c.* Cum hoc tamen stat, Pericardij inflammationem acutissimum esse morbum, ac lethalem, & sæuissimis obortis symptomatis sæpè extempore interficere. Quidam in flore ætatis suæ constitutus, acutâ febri est prehensus, quam comitabantur sitis ingens, anxietas, inquietudo, respiratio celerrima, & frequens, perceptum in thorace incendium, internum cauma, tussis sicca, syncope, animi deliquium, cordis tremor, leuissimus in thorace dolor sternum versùs cum angustiâ summâ, pulsus durus, & inæqualis. Hic pro pleuritico curatus, triduò è vitâ sublatus est. Sectio post mortem palàm fecit, Pericardij fuisse inflammationem lethalem; nam tota ferè tunica, liuida, & rugosa visa est, & in multis partibus, asperitudines apparuêre maliaceæ, nigrore quodam infectæ, quæomnia ab aduretente, & retorrido calore fuisse suborta, res est manifesta.

OBSERVATIO CXXXIX.

De Corde.

Vermis Cardiacus.

IN Corde, ciúsque ventriculis innasci posse tubercula, Abscessûs, Calculos, Tophos, Callos, Vlcera, illúdque viuente animali pati posse ictûs, Vulnera, & alios affectûs, testimonio peritissimorum Medicorum sancitum est. Nos vermem mirum in ventriculo innasci vidimus: cùm enim valetudinarius quidam Syncope Cardiacâ, Palpitationéque cordis per intervalla quateretur immaniter, sæuitie mali dementus, subitò occubuit. Dissecto cadauere, inuentus est vermis cordis ventriculo dextro adhærescere, mortuus, niger, cimicis magni formâ, qui frustra toties tentata præsidia illuserat.

OBSERVATIO CXL.

Anguis admirandus in læuo Cordis ventriculo repertus.

CVm ad tertiam Praxis huius editionem essem accinctûs, & eam tum meis, tum alienis Clarissimorum virorum miris obseruationibus exornarem, accessit quædam veluti prodigiosa, de serpente in læuo Cordis ventriculo reperto; quam, cùm sit missa ab *eruditissimo, & literarum cultore admirabili, Doctore Carolo Sponio, Medico Lugdunensi percelebri*, hoc loco describere placuit. Nobilis quidam Anglus, nomine Ioannes Pennant, annos natus XXI. vitæ morúmque probitate conspicuus, die 17. Nouembris, anni superioris 1639. fato functus est Londini, in Parœciâ S. Ægidij, ad forum mercatorium: Cuius aperto post obitum cadauere, repertus fuit in læuo Cordis ipsius ventriculo anguiculus, cætero quidem corpore apprimè candicans ac lucidus, capite verò rubro: Cauda bifurcata erat, singuli autem caudæ rami quadripertitò rursus dirempti visebantur. Hic adolescens, totis tribus ante obitum annis, perpetuò conquestus fuerat de pectoris insigni dolore ac grauitate in sinistrum latus deuergente. Adfuisse dicitur in hac cadueris apertione Illustrissimus Dominus de Mayerne, Regis Britanniarum Archiater, & prædictum serpentem diligenter conditum asseruari curâsse, tanquam rem singulariter caram & insolentem: præsertim cùm veterum Medicæ Consultorum plerique, vel etiam primarij, tam delicatam esse, ac fluxam Cordis indolem persuasum habuerint, palámque affirmauerint, vt leuiores etiam offensas non facilè, nec diu toleret, tantum abest vt alterationes tolerare valeat, ad venenatæ bestiæ productionem necessarias, citra subitaneam vniuersi microcosmi ruinam. Hactenus ille. Cæterùm quum non ita multo pòst nos accederet Vir Clariss. Iacobus Primirosius, Londinensis Medicus, de huius historiæ veritate cupidè ipsum percontatus sum, qui rem planè se habere, quemadmodum ab amico significabatur, asseuerare non dubitauit: quin & illud addidit, memorabili huic ipsi spectaculo, frequentes Angliæ totius ac Britanniæ magnates interfuisse.

OBSERVATIO CXLI.

Calculi in Cordis ventriculo reperti.

QVidam audacissimus latro palpitatione cordis frequenter corripi solitus, à magistratu apprehensus rotæ est affixus. Nos cum collegis duobus, huius cor visendi cupidi, postquam corpus in quatuor partes est dissectum, pulsans adhuc incidimus, ac in ventriculo eius dextro tres reperti lapilli, ciceris magnitudine, coloris cineritij, oblongi, pondo vnius drachmæ, quos aliquot viri docti, & curiosi non tam viderunt, quàm admirati sunt.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 809 sur 927

OBSERVATIO CXLII.

Cor marcidum factum.

ARdente Sirio iuuenis in cæsum incurrit cum linguâ nigrâ, siti clamosâ, viscerum ardore, & nimio Caumate pressus. Applicitis præsidiis conualuit. Post duos menses debilis factus iterum incidit in ignem, curatus non potuit euadere, quin macie tabefactus è vita migraret. In eius sectione inuentum est cordis inuolucrum rugosum, & cordis ipsa substantia reperta est marcida; nec mirum, quùm omnis ferè humor, qui in Pericardio naturâ suâ continetur, ab assante calore fuerit exhaustus.

OBSERVATIO CXLIII.

De Palpitatione cordis.

Cordis valida palpitatio, cucurbitulâ scarificatâ supra cor admotâ, curatur.

ACutissimus affectus, cordis palpitatio est, quâ cùm æger quidam grauissimè opprimeretur, & quatriduò extremis frigidus, toto corpore liuidus, frigido sudore madidus in horas moriturus speraretur, ita validâ, & continuâ palpitatione vexabatur, vt cor è propriâ sede exilire videretur, Syncope Cardiacâ ex interualli concussus. Medici vocati ob temporis angustias succinctè de morbi causâ disputantes, in eam vnanimes abiêre sententiam, hunc affectum deterrimum, non à venarum interceptione repentinam mortem inferente, sed à crasso, concreto, melancholico, flatuoſóve sanguine ortum ducere, à quo fuliginosa excrementa, spirituosique vapor, & crassus in arteriis interceptus in cor exhalans incutiebat tremorem, & palpitationem. Quo decreto, Clysteria acria parant, frictiones, ligaturas, & cucurbitulas, scapulis scarificatis administrant, Aliqui hirudines imponunt (nam ad ferendam phlebotomiam in hoc morbo tam necessariam vires non constabant) purgantia exhibent, cardiaca propinant, flaccido & trementi cordi Alexiteria, flatúsque discutientia imponunt, demum nihil intentatum relinquunt, sed incassum: nam æger sine pulsu, & respiratione erat exanimis. Tandem accurrens in conclamato casu, exquisitissimè iam corpore vacuato, illicò Chirurgum vocandum impero, & supra lævam mammillam, quâ parte cor magis palpitare videbatur, magnam cucurbitulam imponere, eámque profundè scarificare iubeo, ex quâ exiuit sanguis grumosus, & multus, & factâ deinceps cum aceto & sale super scarificatam partem lotione, tanta ichorosi sanguinis cōpia octo horarum spatio est vacuata, vt heminam comprehenderet. Huc facto præsidio, & è propinquiori loco morbi causâ exhaustâ, palpitatio conquieuit, æger ferè mortuus reuixit; nam pulsus, & respiratio ordinem seruârunt, ipséque roborato corde, refocillatisque viribus ad se redijt.

OBSERVATIO CXLIV.

De Syncope.

Criticè sudans, vestibus nimium contectus, in Syncopen incidit.

ARdentissimâ febri corripiebatur Notarius quidam, ad quem cùm Medicus accederet, & eum in septimo præcedentibus coctionis notis sudantem inueniret, iussit vt stragulis magis cooperiretur, sic enim sudorem fieri copiosiorem sperabat, sequutus forsan Pauli dictum *lib. 1. cap. 47.* qui sudores critice euenientes non abstergit, sed adiuuat quiete, & calore, quoniam alius sudor alium elicit. Sic factum. At æger totâ facie contectus, exsudante, & calefacto corpore, excandescente corde, inflammatis spiritibus, hausto per inspirationem aëre calidissimo, Syncope corripitur: ita vt innato igne suffocato vires penè deficerent. Assistentes facti exanimes, me fortè per plateam transeuntem acclamando vocant, hominem veluti emortuum inuenio, quem pallor faciei, oculorum grauitas, & difficilis respiratio comitabantur. Amotis vestibus corpus euentari iubeo, frigidam potionem ad viscerum igneum calorem temperandum propino. His factis, & frigidiori aëre inspirato Cauma remittitur, vires redeunt, & ad pristinam sanitatem reuertitur. Quare sudor in febribus abstergendus est, ne forte hæc damna eueniant, sic enim absterſio sudoris ipsum prouocat, ex Gal. 8. *meth. 2. §. iussi igitur propinquis, si quæ guttulæ illi manarent, diligenter abstergerent, &c.* & 9. *meth. cap. 4. §. suasi vt ita facerent, &c.* firmat Auic. 1. 4. *tract. 2. cap. 13. §. Nam eius absterſio addit in ipsum, & eius dimissio restringit ipsum, &c.* & 2. 4. *tract. 1. cap. 66. §. & sudor quidem quando tergitur, exuberat, & quando dimittitur, abscinditur, &c.* Quare cùm sudor non absterſus infrigidet, oppilet poros, & sudorem prohibeat, ex Arist. 2. *probl. 13.* abstergi debet, ne ægri contecti, & non absterſi in Syncopen incidant. Quomodo autem auctoritas Pauli sit interpretanda, explicat Mercurialis *lib. 5. de febrib. cap. 16.* De quo negotio pulchra prædixerunt Cardosus *lib. de sex reb. non natural. cap. 11. quæst. 17.* Ludouic. Lemosius *in com. cap. 2. lib. 8. meth. Gal.*

OBSERVATIO CXLV.

De Syncope Cardiaca.

Syncope Cardiaca, copiosissimâ sanguinis missione curata.

DIgnissima Hippocrate Cōo celebris sentētia est, lata *lib. 4. acut. 23.* Quæ sic sonat: *Quòd autem quæ repentè obmutescat, id venarum interceptiones, occlusionésque faciunt, si sano absque occasione, vel forti aliâ causâ id contigerit, &c.* Fidus interpres sic explicat *in com. Cùm igitur supra modum oppletæ fuerint venæ, grauari virtutem est necesse, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam suffocationi simile quippiam patitur. Oriuntur siquidem Epilepsiæ, Apoplexiæ, & Syncopæ Cardiacæ, &c.* Subdit infrà venerandus senex: *Venam igitur brachij dexiri internam secare oportet, &c.* Peritissimi Medici qui recentiſsimè hæc loca explanārunt, in extinctione caloris natiui ob copiam multam, id auxilium summoperè probant. Dum hæc meditarer, obtulit sese fœmina quædam quadrata, & suculenta, quæ ex suppressis lochiis in Cardiacam Syncopen lapſa est. Hanc præcesſere præfocatio, ac si manu comprimeretur cor, palpitatio, & anxietas. Actu correptæ, coloris è viuido in pallidum facta est mutatio, adfuit pulsus intermittens, sine voce remansit, & cadaueris instar ad pedes lecti iacebat. Superuenientes mecum Medici alij iudicârunt, in hoc agône non esse attendendum, vt reuocaretur calor, regenerarentur spiritus, excitaretur patiens, sed nos tantùmodò de causæ ablatione debere esse solicitos. Háncque euacuante auxilio esse remouendam. Obstabat alius socius pulſuum paruitate perterritus; At *cùm rarius accidat, vt protinus in primo, secundóve die morbi, vires imbecilles cernantur*, ex Gal. 10. *meth. 2. in fin.* totum vitium ex sanguine

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 810 sur 927

ſanguine menſtruo ſuppreſſo, ad cor reſtagnante, ibi coaleſcente, venas, & arterias intercipiente, & natiuum ignem ſuffocante emanare deprehendimus. Nam vt bellè docebat Magiſter 4. *acut.* 111. *vt ignis propè extinguitur immiſſis lignis, tùm humidis, tùm multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit: ſic in frigidiore ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus propè extinguitur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio, quo tempore periculum ita prehenderit, &c.* His extempore recitatis, communi conſenſu, ex talo, quatuor horarum ſpatio bis ſanguinem exhaurimus, femoribus cucurbitulas admouemus. Quibus non proficientibus coacti neceſſitate, vt ſanguis impactus è propinquiore parte vacuaretur, baſilicam ſiniſtram feriendam imperamus, & veſperi cucurbitulas ſcarificatas coſtis affiximus, & omnibus vno die celebratis, appoſitis acrioribus glandibus aliquantulum oculos aperuit. Clyſtere nutriente iniecto, iterum per noctem ex eâdem internâ cruorem vacuamus. Poſt hanc pulſus ſeruauit ordinem ſarcinâ depoſitâ. Tunc loqui cœpit, adſtantes cognouit, cibum aſſumpſit, & ab imminente mortis periculo eſt liberata.

OBSERVATIO CXLVI.

De Animi deliquio.

Ad animi deliquium, & Syncopen, remedium eximium.

VAlleriola non incelebris auctor, immò inter recentiores longè doctiſſimus *lib. 4. obſeruat. 6.* Succum ex Veruecum cordibus in animi deliquio, & Syncope, pro viribus reſtaurandis, & roborando corde, tanquam remedium præſtantiſſimum proponit. Hoc tanti auctoris conſilio edoctus, ad ægrum præpotentem ac diuitem accedo, qui ex debilitate facultatis vitalis, ſanguinis & ſpiritûs diſſolutione, ſæpè in Syncopen incidebat. Hunc præſeruaturus multa ſum molitus. His non proficientibus, ad hoc celebre auxilium deſcendo, quo vſus per menſem omnino conualuit. Extrahendi huius ſucci hæc eſt ratio. Accepto Veruecis corde, aut hœdi, finditur medium, & probè aquâ eluitur, & roſaceâ confouetur, in taleolas oblongas diſſecatur, Vitreato vaſe teſtaceo cum Caryophyllis imponitur ſine liquore vllo, & paſtâ oblito vaſe, in calentem furnum inditur, quoad calore contabeſcens in ſuccum eliquetur, aperto vaſe ſumitur inuentus ſuccus, & ægro diluculò propinatur. Mirum profectò quantoperè reficiendis ex inanitione viribus proſit, & ſympathiâ quadam, quâ vnum membrum adiuuat aliud, tacito naturæ conſenſu cor roboret, Sic pulmo vulpinus humani pulmonis vires collapſas reſtituit. Oſſa cranij humani pro roborando capite, & propulſandâ Epilepſiâ laudantur. Omentum Veruecinum, humani omenti dolores lenit, recenter ab animali extractum. Oſſium humanorum puluis aſſumptus, ægra oſſa roborat, ex Galen. *lib. 11. ſimpl. tit. de oſſibus.* Sic cordis aliorum animalium ſuccus per eliquationem extractus, cæcâ quadam proprietate humanum cor tuetur, ac firmat. Succi quantitas ſit vncia vna, vſque ad duas, cum quo ſi miſceas Alexiteria, non errabis.

OBSERVATIO CXLVII.

De Animi Pathematis.

Ex Irâ, fœmina emortua.

MAximum animi pathema eſt Ira, ex qua non ſolùm omnis generis febres, ſed admiranda ſymptomata, & mortem quandoque oriri, veterum, & Iuniorum peritiſſimi confirmârunt. Licèt enim Galen. 2. *de cauſis Symptom. 5. ab irâ neminem interiiſſe* referat, *quùm accidat cum appetitu vindictæ, calore neque perfrigerato, neque eius robore ſoluto.* Tamen hoc intelligendum eſt, ac ſi per ſe ira neminem interficiat; ex accidenti verò mortem ſubſequi, verum eſt, & quotidiano firmatur experimento eorum, qui ex eâ, in ſubitos, lethaléſque affectûs lapſi ſunt. Nam ira concitatiorem, & calidiorem generat ſanguinem, qui prope cor mouetur, & inflammatur, cuius vi ſpiritûs animales confunduntur, & ſic liquati præ nimio conatu, & ebullitione ſucci ad caput tuunt, & Apoplexiam, Syncopémque Cardiacam lethalem excitant. *Ira furor breuis eſt.* Vnde Seneca ſapientiſſimus *lib. 2. de ira ad Nouatum, cap. 36.* ſic ait: *Nulla celerior ad inſaniam via eſt, Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira.* Hanc concepit quædam rixabunda, & iurgioſa fœmina in aliam contumelias iactans; huic flagrabant oculi, labia quatiebantur, dentes comprimebantur, quoniam manibus, pedibúſque pulſabat humum, facie fœda, indecora aſpectu, voce rauca, & ex eius ore exieliebat quaſi ignem expirans furor: hoc horrido pathemate laſſata diu, accedente cordis validâ palpitatione ſubitò extincta eſt. Nec mirum: nam hæc damna ex irâ, præſertim in corporibus impuris ſuboriri Galenus eſt auctor 6. *de ſanit. tuend. cap. 3.* Quibus mulieres quùm ſint viris iracundiores, ſunt magis pronæ. Nam, vt legitur in *Eccleſiaſt. cap. 25. Non eſt ira ſupra iram mulieris*, quam tribuit earum imbecillitati Rabbi Moſes Ægyptius *lib. 1. perplexor. cap. 49.* Et præſertim quùm vterum fert, vt exponit inter barbaros Philoſophos Conciliator *in cap. 35. lib. 10. problemat.* Quare autem mulieres rixoſæ ſint, & iracundæ, explicat ex veterum, & Iuniorum mente luculenter Tiraquellus *p. 9. gloſ. 1. in 9. legem connubialem.* In hunc ſenſum argutiſſimus Epigrammatum ſcriptor mulierem ex bile conflatam dicit:

Eſt mulier mera bilis, habet duo commoda ſolùm,
Cùm jacet in thalamo, cùm jacet in tumulo.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 811 sur 927

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,

DE

PRAXI MEDICA ADMIRANDA,

LIBER SECVNDVS.

DE NATVRALIVM, GENITALIVM, & Inferiorum partium affectibus.

OBSERVATIO I.

A

De Ventriculo.

Ventriculi dolor ex abditâ causâ pronatus.

A MVLTIS causis oriri ventriculi dolorem, hâncque partem variis morbis esse obnoxiam, illi erit manifestum, qui eius substantiam penitiùs fuerit rimatus, quæ cùm maximè sensilis sit, ex Hippoc. 3. *Prorrhet.* 38. *& lib.* 2. *acut.* 11. & à sexto cerebri coniugio, superiori eius orificio, mutuo complexu magni nerui B implicentur, & in reliquum eius corpus multiplici serie distribuantur, ex Gal. 3. *prog.* 30. noxas illicò persentiscit. Huius partis dolore diu premebatur immaniter Faber quidam lignarius, qui bilioſi humoris vomitu mitescebat. Hic post quatuor dies iterum recrudescebat, & eodem vomitu leuabatur. Malum biennio rediit in orbem, remediis minimè succumbens. A flatu esse subortum Medici inculcant, at calidis extrà, & intus exhibitis exasperabatur. Sed cùm excretum esset bilioſum, & continuò oris pateretur amarorem, quæ omnia ex igneo hepatis calore scaturire, omnes nôrunt, frigidis curatus, nempe venæ sectione, sero C lactis, balneo, & aliis conualescere non potuit. Ecce inflammatione ventriculi oppressus triduò extinctus est. Dissecto & aperto corpore, & inuestigatâ origine impliciti mali, vas cholidochum ad ventriculi fundum implantatum non sine adstantium celebrium Medicorum admiratione inuentum. Meatus ergò qui regurgitat in intestina bilem, naturâ suâ ad imum ventriculi locum implantabatur, vnde miser hic, continuò, ob bilis suapte naturâ acris confluxum, tum dolore, tum bilis vomitu premebatur. Quam historiam Galenus festiuè delineat *lib. art. medicinal. cap.* 74. *& lib.* 2. *acut.* 29. cuius mentem, & ingenium omnes D confirmant, excepto Argenterio acutissimo, qui *in com. ad cit. cap. art. med.* futilibus argumentis ductus, ingenij lasciuiâ Gal. coniecturam temnit, & damnat. Hos ægros vocat Auic. 4. 1. *cap.* 20. infœlices à natura, qui nauseâ, vomitu, crebrisque bilioſis vomitibus cruciantur. Ludit enim aliquando natura in opere errans. Sic mutati Iecinoris, lienis, & vasorum situs. Visæ duplicatæ iugulares, duplices renes, bini meatûs vrinarij. Cur autem variè hic meatus cholidochus inseratur in pedestribus, volatilibus, piscibus, causam tradit *Thomas à Veigâ, in com. cit. cap. Galen.*

OBSERVATIO II.

Verruca ventriculi lethalis.

ANtiquissimus Vates *lib.* 6. *epid. sect.* 3. *text.* 1. sic cecinit: *Ventris torpor, omnium confusio*, &c. Nam à debili ventriculo, ob improsperam coctionem, omne propemodum morbi genus oriri solet, quoniam auctis cruditatibus, ex quibus morborum myriades repullulant, ex Gal. *lib. de succor. bonit. & vit. cap.* 3. fiunt obstructiones, tumores scirrhosi, apostemata dura, vt refert Auicen. 13. 3. *tract.* 4. *cap.* 7. quæ mala ex pituitâ mucosâ, concretâ originem ducunt. Huius copiam cùm aceruaret quidam, gulæ comportationibúsque valdè deditus, in dolorem incidit ventriculi simul cum pondere, & grauedine coniunctum. Malum à frigido flatu subortum quùm arbitrarentur Medici, variis calidissimis medicamentis, & aliis Chymicis auxiliis excarnificârunt. Hic indies contabescebat, lentâ & pusillâ febre oppressus, debilis, & inappetens. Obstructione Pylori latente laborare sum ratus, Chalybeata exhibui medicamenta, & alia quæ proponit Auicen. 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 33. de oppilatione stomachi: hæc profuêre nihil, immò magis ac magis corporis moles liquescebat sensim. Tandem vno die vomitu laborioso oborto excreuit massam Nuci paruæ cupressi assimilem, totam cum sanguine confusam, postea toto mense euomuit sanguinem, & deinde fœtidum pus. Hunc passum fuisse tuberculum in ventriculo, (quod verrucam si voces, non errabis) nulli est non manifestum. Nam tumor in abscessum, & vlcus abiit, quod ægrum post quindecim dies iugulauit. Verrucas autem, seu ficûs in ventriculo adnasci, testatur appositis historiis Auenzoar *lib.* 1. *Theizir, tract.* 15. *cap.* 3. & 4. firmant Auic. 13. 3. *tractat.* 4. *cap.* 9. & 11. Beniuen. *de abdit.* 88. Quo loco penſilem verrucam vidit subortâ vehementi tussi excretam. Mesaraicas, & stomachum occalluisse tradit idem *cap.* 36. & 37. Lege Forestum *de stomachi Caruunculis, lib.* 18. *obser.* 18. & 30.

OBSERVATIO III.

De Attritione ventriculi.

Attritionis ventriculi curatio.

GAlenus, Medicus non modò præclarus, sed naturæ humanæ speculator vigilantissimus, *lib. de præcog.*

©BIUM

præcog. ad Poſſib. cap. 11. feſtiuè, & magnâ celebritate hiſtoriam Imperatoris Antonini delineat, quem febrientem, turpiter ac miſerè decepti Romani Medici variis remediorum generibus citra fructum excruciauerant, torminibus, ac ventris profluuio vexatum, ac ſi Paroxyſmo febrili quateretur, quem, roborato ſtomacho, Nardino Vnguento, & aſſumpto vino cum Pipere, Diariâ febre laborantem ex prauè concocto alimento curâſſe gloriatur, & poſt eum ſolus Petrus Bayrus *lib.* 11. *pract. cap.* 9. de attritione ſtomachi ex conuerſione cibi in phlegma, curationem hanc propoſuit. Elapſis diebus vocatus vt inuiſerem ſenem quinquaginta plus annos natum, gracilem, & excarnem, & recenter cum puellâ nuptum, qui febri, cum aſſiduâ pituitæ mucoſæ copiâ per vomitum excretâ vexatus, ſtomacho æſtuabat, & grauabatur. Medici phlebotomiam conſuluerant ob febrim, quæ cùm Diaria eſſet, & ex cruditate ſuborta, idcircò à me ſectio fuit interdicta, & loco eius imperata vini albi potio, roboratum os ventriculi Maſtichino oleo, ſuperaſperſis pulueribus. Purpuræ, Spicæ Nardi, & Maſtiches. Imperatus ſomnus. Quare cùm vitium à debilitate oriretur ortâ ex concubitu intempeſtiuo, & nimio, cuius causâ nec ventriculus amplectebatur, nec concoquebat cibum, factum eſt, vt illum cum lentâ pituitâ permixtum euomeret. Hic poſtea Veneris deliciis parciſſimè incumbens, ſi tractu temporis perſentiebat malum, eodem ordine curatus, conualeſcebat.

OBSERVATIO IV.

De Ventriculi ardore.

Ad Ardorem Ventriculi, remedium egregium.

LAborauerat multis diebus, vir quidam biliosus nimiâ Ventriculi phlogoſi, & excandeſcentiâ, quam conſequebantur oris amaritudo, biliosus vomitus, ſiccitas linguæ moleſta ſitis, ructûs nidoroſi, velut frictorum ouorum, inquietudo maxima, deiecta appetentia, mordicatio, & cardiogmos, quæ omnia citra febrim eum affligebant, & à nimio aromatum eſu ortum ducebant, quibus acceſſit in præcordiis perceptus ardor, ex biliosâ illâ illuuie ſubortus. Imperatus refrigerans victus, clementes purgationes exhibitæ, & præuiâ venæ ſectione, ſerum lactis exhibitum, applicitum balneum, potiones refrigerantes oblatæ, Saluatella ſecta, Epithematis firmatus ventriculus, tandem Syrupo facto ex ſucco Omphacij cuaſit. Hoc, diluculo, quantitate vnciæ vrebatur toto anno. Maxima ergo eſt aduersùs viſcerum ardores Omphacij facultas, atque poteſtas à Gal. 4. *ſimpl.* 2. miris encomiis celebrata. Tres vidi eodem morbo correptos, qui celebratis omnibus, ſolùm aſſumpto ſyrupo facto ex ſucco Arantiorum acidorum, & Portulacæ, ſanitatem obtinuêre.

OBSERVATIO V.

De Hectica ventriculi.

Hectica ventriculi curatio.

INfrequens affectus eſt ille, quem tabem ex ſiccitate ventriculi vocat Galenus 7. *meth. cap.* 4. & Ventriculi hecticam appellat Auic. 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. Galenus curationem proponit eo loco contra Romanorum Medicorum inſaniam, qui ægros amaris eſculentis, Abſinthio & aliis interneçabant, & ad vomitum compeſcendum, ex debili ventriculo ſubortum, ſtypticis exhibitis, vt Rhois ſucco ſiccatos reliquerunt, adeò vt ſimillimum habitum præferrent iis, qui Maraſmo marceſcunt, quos Galenus, ſpretis calidis medicamentis, perſanauit, omni ratione humectans, iiſque materiam inueniens ex eâ methodo, quam *in cap. 6. eiuſdem libri* ſpatiosè tradit, & nos hoc exemplo Laconicè referemus. Vocatus nuper vt inuiſerem puerum in 14. anno ætatis ſuæ conſtitutum: tangens pulſum, inueni durum, paruum, debilem, celerem, corpus erat tabidum, & excarne, ſitis ingens, ſomnus paucus, aluus aſtricta, excrementa retorrida. Aderat vomitus continuus: & ſi fortè aliquod duriuſculum alimentum præter liquida aſſumere cogebatur, tenellus flaccidúſque ventriculus retinere non poterat, ſed id illicò vomitione reiiciebat: quæ omnia ab aſſante calore interno, hepatiſque phlogoſi, biliosum humorem ad ventriculi os protrudente, manabant. Acta inquirens, & quæ hactenus ex Medici conſilio huic vitio adhibuiſſet, recenſuit, ad enecandos vermes, quibus cruciari etiam putabat, amara, aquam Vitæ, vini potum, Culcitram ſtomacho admotam ex Vulturis plumoſo tegmine paratam, ſtomachica calida, exiccantes purgationes, & huius farinæ plurima. His dictis, facilè cognoui exiſtimâſſe Medicum, puerum frigidâ ſtomachi diſpoſitione laborare. Nos verò ex præcedenti curatione, & aliis haud ſanè obſcuris indiciis, longè aliter ſentientes, calidiore habitu eius affici ventriculum, immò eum hecticâ ſtomachi iam eſſe affectum ſumus arbitrati. Quare ad auxilia conuerſi, quæ aridum iam, ac tabe penè conſumptum corpus reficerent, primò præſidia calida abiicere impero, Ptiſſanam, & Rhodoſaccharum propino, iubeo bibat aquam hordeo decoctam, humectantia cibaria edere præcipio, & aliquando ad humidum primigenium reſtaurandum, ea glutinoſiora, & viſcidiora miniſtro, vt pedes, & caput Caſtrati, cum hordeo, & Scariolâ decoctum: frigidis, roborantibus tamen Vnguentis, Iecur, Ventriculum, & Renes vngo. Tabellas ex puluere Diamargariton. frig. & trium Santalor. aſſumendas moneo. His omnibus idoneè præceptis, febris miteſcit, ſitis euanuit, aluus molleſcit, ſomnus obrepit, & magis appetens ad oblata ſe habebat. Tandem, farris, & lactis caprini ope, duorum menſium ſpatio, à tabe ſecurus remanſit.

OBSERVATIO VI.

De imbecillitate ventriculi.

Cachundè, ad debilitatem ventriculi, auxilium pretioſum.

ILluſtriſſimus Marchio de Ferreira, è Luſitanorum Regum ſtirpe oriundus, frigido, & valdè debili cùm eſſet ventriculo præditus, ex improſperâ coctione, quotidie, aquæ Naphæ calidiſſimæ hauſtu, duas ferè libras mucoſæ lentæque pituitæ, & deinceps humoris tetri & nigri copiam vomitu excernebat. Poſtea de tremore cordis, metu, triſtitiâ, anxietudine, ructu importuno, inappetentiâ, nauſeâ, ſingultu, flatibúſque melancholicis, & inferioris ventris rugitu querebatur. A ſuis cubicularijs Medicis plura celebrata ſunt auxilia. Vacuationes repetitæ. Fomenta ex oleis, decoctionibus, Vnguentiſque parata. Sacculi, & Culcitræ ex lanâ Purpurâ, & Cardiacis pulueribus ventriculo admotæ. Clyſteres qui viſcidam pituitam, vnáque humorem melancholicum vacuarent. Apertæ ſunt hirudinum ope mariſcæ. Sæpiùs exhibitum Balſamum verum cum aquâ florum Cinnamomi permixtum. Imperata Cardiaca. Applicitum Balneum, à quo Sulphurea balnea

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 813 sur 927

est expertus. Fontanellæ in crutibus apertæ. Sudorifica ex Ebeni decocto viginti dierum spatio exhibita, & per interualla loco potûs communis, aquâ decoctâ cum radice Chinarum vtebatur. Omnia incassum celebrata. Quatuor Medici per literas fumus consulti. Quidam, cùm mirachiali affectu, quem vulgato nomine *melancholiam Hypochondriacam* appellant, eum oppressum arbitraretur, totam salutis spem in assiduo radicis Mechoacanæ vsu sitam esse dicebat, quâ & flatûs dissolui, & crassos tenacésque humores vacuandos sperabat. Alius vini Absinthitis potum consuluit. Alter aquæ aluminosæ, è terra sponte nascentis potum per interualla assumendum, præstantissimum esse asseruit. Ego cùm calorem natiuum flaccidum, & ex longo morbo, quo antea oppressus erat, debilitatum inspicerem, ob quam causam, adiunctâ hepatis caliditate, omnium symptomatum varietas oriebatur, in roborando innato calore, discutiendis flatibus melancholicis insisto, sícque ad generosum, & propè diuinum præsidium descendo, quod ab Indis, & Chinensibus, *Cachundè*, hoc est, roborans appellatur. Non pertransierat mensis post assumptum antidotum, quando omnium malorum dira sæuities conquieuit, quæ hactenus illum miserè excruciauerant. Sed quoniam de hoc medicamento Indico, nec Aromatum diligentissimi scriptores, nec peritissimi Iuniores quicquam memoriæ commendârunt; Idcircò eius compositionem, summo labore comparatam, & à Medicis, qui Proregum Orientalis Indiæ, aliorúmque Principum per plures annos curam gessêre, descriptam, hoc loco in communem vtilitatem palam facere non grauabor, quæ est huiusmodi.

℞. *Terræ Cimoliæ, aut alicuius luti optimi, lib. 2. Ambari, lib. ß. Moschi, Gallicæ, an. ʒ ij. Agallochi optimi, ʒ x. Margaritar. præparat. ʒ iiij. Santalor. rubeor. lib. iiij. Santalor. citrinor. ʒ iij. Mastich. Calam. Aromatic. Galang. Cinnamomi, Aloës lotæ cum succo Rosar. Rhabarb. elect. Myrobalanor. Chebul. Bellericor. Absinth. Coralli rubri, Boli Armen. an. ʒ ij. Folior. auri, ʒ ß. Lapid. Belzaar, ʒ xx. Serici vsti, ʒ viij. Eboris vsti, lib. iij. ß.*

Pulueriſanda pulueriſentur tenuissimè, irroratáque cum Balsami, Vini odoriferi, & aquæ flor. Cinnamomi guttulis exiccentur ad vmbram, & deinceps excipiantur cum Sacchari purissimi & albissimi sufficiente quantitate, & cum gummi Tragacanthi, & Arabici mucilagine, omnia malaxentur, quoüsque fiat lutum tenacissimum, viscidissimum, & valdè rubrum. Ex hoc (sicut ex Porcellanis) variæ figuræ, & vasa construuntur, quæ Mercatores in varias mundi plagas, ex Indiâ Orientali præsertim Olysipponem, emporium totius Europæ quæstuosissimum, conuehere solent. Hoc Antidoto vtuntur Principes Indiæ, & Chinenses Magnates, præsertim excitandæ veneris causâ; nam mirè huius stimulos, & irritamenta prouocat, & genitalem vim robustiorem efficit, quapropter vtrique sexui est vsitatissimum, & illo vruntur hoc modo. Frustulum paruissimum lentis magnitudine in ore interdiu retinere solent, liquor emanat dulcissimus, odoriferus, & sensim ac sine sensu, vt è saccharo candido, stillat in fauces, & stomachum, adeò suauis ac fragrans, vt eius iucundum odorem illicò adstantes persentiscant. Hoc Alexipharmacum roborat stomachum, flatûs discutit, affectibus melancholicis mirabiliter succurrit, Cor tremulum firmat; Cardiacæ, Epilepsiæ, & frigidis neruorum vitiis confert eximiè, spiritûs vitales, animaléque recreat, facultates omnes vigorat, tuetur cerebrum, venenis omnibus auxiliatur, & ad oris fœtorem vnicum est subsidium. Medicamentum certè dignum, vt Reges, Illustréque omnes ad caloris symmetriam conseruandam perpetuò in ore gestent; nam vitam producit, mortémque retardat, & sic multo venundatur pretio. Vtere eo, & miraberis effectum.

OBSERVATIO VII.

Chucolate, ad roborandum ventriculum, medicamentum eximium.

FRequens est in Occidentali plagâ, totâ Peruanâ prouinciâ, præsertímque in Mexicano regno, arbor quædam persicæ simillima, è cuius cortice extimo erumpunt fructûs cucumeris parui instar, colore rubri, læues, & insipidi, in quorum medullio adsunt semina rubra, fabæ instar, quæ patrio sermone vocantur *Cakao*, vnde arbori nomen est inditum: Ex his ad Solem tostis, & tritis, fit farina, quam cum pipere, caryophyllis, & anisi semine condîre solent, addentes puluerem cuiusdam radicis rubræ, apij radici simillimæ, quæ vernaculo suo sermone, *Bainha de Cakao* nuncupatur, quæ aromatica & odorifera est. Ex his ergo pulueribus cum aquâ exactè permixtis, fiunt pulces liquidæ adiecto saccharo: & si ampliùs coquas, inspissantur, ita vt in Conseruam abeant; quâ formâ in parua lignea vasa coniecta, in totum Orbem hæc Conserua conuehitur, vocatúrque ab illis vsitato sermone *Chucolate*. Inter coquendum ditiores, Aulici, & sanitatis amantissimi, immiscent ambarum & odoratum moschum. Fabæ illæ vocatæ *Cakao*, frigido constant temperamento; Cætera aromata notabilem caliditatem sortiuntur. Hoc medicamentum ita apud Occidentales vtriusque fortunæ homines est vsitatum, vt apud Septemtrionales Aqua vitæ, anisi, aut cinnamomi. Cùm enim calor Solaris in illis regionibus abundans, innatum euocet ad extrà, incolæ ventriculum ferè imbecillum habent: cui roborando hac Confectione vtuntur assiduè, ita vt in plerisque domibus semper adsint ancillæ, huic conficiendo potui destinatæ: Et rarò adest quispiam, vel ex infirmâ plebe, qui hac confectione ad ignem dissolutâ, ieiuno ventriculo non vtatur, vt eo die alacrior & robustior euadat. Quæ farina licèt dissoluatur in aquâ, potest tamen dissolui in vino, cereuisiâ, vel iure auis.

De quo medicamento, eiúsque viribus, Aromatum diligentissimi Scriptores, etsi nullam fecerint commemorationem; & illo aduecto ex Hispali, nobili Hispaniæ emporio, hoc tempore, vt fama est, primates Galli, nobiles Itali, aulici Angli, magnâ cum celebritate vtantur, placet de eius potentiâ mirâ, aliquid literis commendare. Nam ventriculum languidum roborat, naturâ suapte, ob fructum *Cakao*; & radicem vocatam *Bainha*, quæ flaccidam ventriculi coctricem innatâ proprietate roborant & instaurant, flatûs discutit, mucosam pituitam per aluum educit, pituitosos humores discutit, crassos secat, Venerem potenter prouocat; ob quem vsum apud illos est celebratissimum. Asthmaticis auxilio est, vesicæ dolores à flatu subortos mitigat, ructûs leuat, monet menstrua, roseum colorem faciei conciliat, obstructiones aperit, iuuentutem conseruat. Hæ omnes virtutes præsertim referendæ sunt radici in magnâ quantitate permixtæ, quæ acris est, calida, aromatica, odorifera cinnamomi instar, & sic caliditate suâ & familiaritate, quam cum ventriculo, & cæteris visceribus habet, has operationes mirificas ex se pandit.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 814 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO VIII.

De Ructu.

Ructus moleſtiſsimus, Ambari vſu curatur.

MErcator Luſitanus, craſſioris pituitæ, quam quotidie per vomitum excernebat, copiâ abundans, adeò curis, & aſſiduis imaginationibus ſpiritum macerauit, vt quinque menſium ſpatio, exhauſto penè ventriculi calore, in ructum incideret ita moleſtum ac importunum, vt nec momento temporis, vel ſolus, vel in coronâ hominum eſſe poſſet, quin adſtantes ructûs violenti ſono audito, interturbaret. Pro quo periculoſo malo, hydropem minante, plurima fuerat expertus auxilia. Inter hæc primum obtinuêre locum, phlegmagoga. Roborantes tabellæ, Emplaſtra varia Ventriculo admota, quæ ventriculum debilem firmarent, frigidam eius intemperiem corrigerent. Imperata Sudorifica ex Ebeno. Potus aquarum thermalium exhibitus, Chalybis conſerua ad multos dies imperata, vt ſi fortè in pyloro obſtructio eſſet, eam eximeret. Vtebatur attenuante victu, vini Abſinthitis potu, exercebatur, abſtinebat à venere; his, nec fonticulis in cruribus affixis, nec pilulis iliacis Rhaſis, languorem ventriculi, & flatûs inde ſubortos craſſos, emendare potuit. Demum Ambari vſu in mero diſſoluti omninò conualuit. Hoc potu ieiuno ventre vſus fuit toto anno, aſſumptis ℈.iiij. Ambari, cum Falerni vnciis duabus permixti.

OBSERVATIO IX.

De Melancholia Hypochondriaca.

Mirachialis affectio, Eboris vſu curatur.

HIc morbus omniuarius, & ob ſymptomatum inter ſe repugnantium diſcordiam, quùm ab inæquali fonte, nempe frigiditate ventriculi, & calidâ iecoris intemperie emanet, contumax eſt, & rebellis; quæ omnia ſymptomata inter tantos, exactè dilucidauit Carrerius doctiſſimus *diſput. 33. ad libros Galen. de loc. affect.* & acuto ſcribendi ſtylo exarauit Caſtrenſis Luſitanus *lib. de complex. morb. cap. 24.* Ob hanc cauſam Medici citra fructum ægros hoc morbo oppreſſos tot medicamentis excruciant, atque fatigant. Malum alioqui commune, & frequens, & quod pauci, præſertim ventriculo debiles, flatibus melancholicis vexati, vix effugiunt. Cùm hac immani Hydrâ luctatus ſæpiſſimè, oleùm & operam perdidi. Remedia à peritis præſcribuntur paſſim; ſi fueris expertus, inuenies nulla. Admiraberis, ſi dixerim, pluries Eboris vſu hunc Herculeum morbum me domâſſe: nam eum in flaccido, reſolutóque ventriculo roborando, eximendis obſtructionibus, diſcutiendis tetris flatibus, malignâ aurâ retundendâ præſtantiſſimum ſemper inueni: nec mirum: nam Cardiacum medicamentum eſt, ſi Veterum, & Iuniorum dictis eſt ſtandum, & ſic in præſtantiſſima venit antidota. Eius ſubtiliſſimam ſcobem, aut ramenta tenuiſſima in pollinem redacta cum ſaccharo permixta, in tabellas efforma, diluculò vnam, quantitate drachmæ aſſume, deſuper vinum, aut Naphæ, meliſſæve aquam eporandam cura. Si tædioſus ſit æger, grana ſex in eodem liquore diſſoluta, ſatis ſunt. Si febris adſit, aut viſcerum ſqualor, Roſacea ſatis eſto. Hoc auxilio ſi fœminæ vtantur in dictos vſus, ſciant, illud ad fœcundandum vterum, retinendúmque conceptum etiam mirabiliter conferre.

OBSERVATIO X.

Pro morbo Hypochondriaco, lapis Belzaar vtiliſsimus.

MVltis modis, in variis ægris, hoc morbo, & aliis affectis, lapidem Belzaar propinari, Iuniorum cenſurâ decretum eſt, de cuius temperamento in actiuis, plura primus prædixi *lib. 1. de Medicor. Princip. Hiſtor. in com. hiſtor. 36.* & eius mirabiles dotes, ex illorum penu deprompſit Clariſſimus Gaſpar Bauhinus *prop. tractat. de lapide Belzaar.* Sed in vnâ ægrâ me illius vires eximias cum fructu omnibus modis tentâſſe, teſtor atque profiteor. Quædam fœmina cùm ex retento menſtruo in Mirachialem incideret, cum cordis tremore, triſtitiâ ſummâ, metu, taciturnitate, & demum inexplicabili melancholiâ coniunctam, tentatis omnibus vix conualeſcere potuit. Tandem dira hæc ſymptomata Belzaartici lapidis vſu ſuccubuêre. Aquam epotabat ipſius fruſtulis decoctam. Eum in ore diu retinebat, (vanum enim eſt eius vſu dentes frangi, quùm puluis eos firmet,) & fortiter exugebat. Annulum incruſtatum paro, in quo lapis erat incluſus, ita vt carnem tangeret, in proximo minimo læuæ manûs digito geſtatum. Sacculum ex eius puluere cum aliis Cardiacis ſupra cor geſtandum conſtruo. Tabellas ex eo cum electiſſimo Saccharo, aliis etiam pulueribus admixto confício, ex quibus vnam ieiuno ventriculo, alteram tribus horis poſt cœnam deuorabat, ſtillatitiâ aquâ Scorzoneræ ſuperbibitâ. Aliquando in iure auis grana ſex interdiu ſumebat. His omnibus quùm quadraginta dierum ſpatio vſa eſſet, & à mœſtitiâ conualuit, & menſtrua recto ordine fluxerunt. Nam hic lapis deobſtruit vehementer, vt notauit Garzias ab Horto *in lib. Aromat. Indiæ*, & poſt eum experti ſunt Chriſtoph. à Coſta, Monardus *tractat. de lapide Belzaar.* Mercatus *lib. 2. de morb. mulier. cap. 6.* & alij.

OBSERVATIO XI.

Mæſtitia melancholica, Auri potabilis vſu curatur.

BAto quidam Illuſtris, melancholicis imaginationibus diu vexatus, pluribus auxiliis Cardiacis conualeſcere haud potuit; Quare ad Auri potabilis vſum ſe conuertit. Auri enim tenuiſſimam ſcobem, quæ ex puriſſimâ limaturâ excidere ſolet, priùs optimè læuigatam, Rhodoſaccharo permixtam, aut liquidum, & potabile aurum, velut oleum, alternis diebus maluatico permixtum ieiuno ventre aſſumebat. Auri liquidi ſex guttulæ, pulueris duodecim grana, ſatis erant. Hoc præſidio cùm per menſem vteretur, omnino à tantis malis immunis euaſit, cuius vires & efficaciam pro morbis grauiſſimis curandis, priſcorum & recentiorum eruditiſſimi, ſummis laudibus celebrârunt. Eius admirandas facultates prædicant Serapio *tract. de ſimplic. cap. 425.* Plateārius *lib. de ſimpl. medic. cap. 3.* Geberus *lib. de Alchymia, cap. 30. & 31.* Hieronym. Rubeus *lib. de diſtil. ſect. 11. cap. 10.* Sebaſt. Paparel. *lib. 2. de calido innato, cap. 32.* Clamitent contrà quidquid velint Muſa *in examine metal.* Platerus *paradox. 91.* Picus Mirandula *lib. 1. de auro, c. 4.* & alij quorum rationes diſſoluimus fusè *lib. 1. de Med. Princip. Hiſtor. in com. Hiſtor. 36.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 815 sur 927

OBSERVATIO XII.

De Cibi fastidio.

Mortificatio ventriculi, Allij esu præter omnium spem, per- sanatur.

ADmirandus senex *lib. 6. aphor. sentent. 3.* sic inquit: *In longis difficultatibus intestinorum cibi fastidium, malum, & cum febre peius.* Galenus *in com.* sic explicat: *Cùm hic casus aduenerit, mortem quandam ipsi aduenisse ventriculo compatienti ratione significat, in quâ omnino interijt appetentia, opus ad vitam necessarium.* Addit eruditissimus Heurnius *in comm. quoniam iam tunc resoluta est facultas appetens ciborum, & suctionis sensus non percipitur.* Dic tu, quoniam ventriculus compatiens, mortificationem quandam contraxit, vt non solùm in intestinorum morbis, sed in multis aliis euenire probat Auicen. *13. 3. tractat. 2. cap. 7.* Hanc patiebatur senex quidam, qui stomacho velut resolutus iacebat lecto affixus; hic solùm meri potu triduò vitam sustinuit. Incidit in hoc infortunium, quòd sæuiente brumâ per niuosa loca diu iter fecerit, ob quam causam, mortificatis sensitiuâ virtute, & attractiuâ, innatóque calore veluti extincto, omnino abolita fuit appetentia cibi. Pro huius curatione, viuificandóque interno igne, plura machinati sunt Medici auxilia. Aquæ imperantur Chymicæ, Elixir vitæ, Balsamum verum. Aqua stillatitia florum Cinnamomi. Tabellæ vino generoso dissolutæ, paratæ ex puluere Diatrion Pipereon, Diacinnamomi, & Diacymini. Admouentur calidissima Emplastra ventriculo. Animalia viua per dorsum scissa, vt Catelli, Columbæ. Propinatur Theriaca vino permixta. Ecce Auicennam *loc. citat.* perlegens, cuius lectione nimiùm delector, similem canonem *in cap. 9.* inueni, in hunc modum: *Patientibus autem factam propter frigus, confert decoctio specierum quæ est vt piper, & Cinnamomum, & similia, & similiter vinum vetus, & Diapipereon, & Theriaca propriè, & Allia sunt iuuamenti maximi in hoc, &c.* Hoc mecum altâ mente perpendens, iudicium Medici tanti non esse parui faciendum duxi, quùm dignum sit consideratione, vt scitè monuit Magister *lib. 1. epidem. sect. 3. com. 1.* Quare reuertens domum, ægrum inuiso, in Allio propinando insisto, maximè quùm rusticus apud Galen. *12. meth. vltim.* eius vsu vtens, à colico cruciatu euaserit. Allium ergò siccum exhibeo cum melle electo delibutum: nam viride flatûs parit apud Hippocr. *4. acut. 90.* Huius vsu quatriduò viuens, pisciculum assum, aceto, & oleo extinctum mandere cœpit. Postea oculos aperuit, qui antea cadaueris instar iacuerat. Corporis extrema calorem conceperunt, & vno mense, hoc edulio altus, exhibitâ interdiu vini potione, recreauit vires, delicatulæ aquis ius absorbens. Demum cùm alacriùs viueret, & per domum obambularet, Allij esum iam repudiabat: nam ructûs tetros concitabat: quare eo Saccharo incrustato deinceps vtebatur. Maxima ergo est Allij pro frigidis morbis curandis potestas, ob quam Galen. *Theriacam vocauit rusticorum*, cuius vires pro arcendis venenis sunt admirandæ, & pro præseruatione pestis mirabiliores. Eas lecto poëmate descripsêre Castor Durantes Medicus Romanus doctissimus *in suo herbario, fol. 10. lit. A.* & Petrus Lopius Lusitanus, Medicus, & Poëta celebris *in lib. de sex reb. non naturalib. cap. de Allio.*

OBSERVATIO XIII.

De Vomitu.

Incredibilis sanguinis vomitus, Saphenæ sectione curatus.

INgeniosissimus Medicorum *lib. 5. aphor. 32.* sic inquit: *Mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus, solutio aduenit.* Diligens interpres in com. sic fatur. *Non absque ratione, erit enim retractio simul, & euacuatio sanguinis ad superiora tendentis. Hoc etiam experientia comprobat vtiliter fieri: nos verò ex ipsa permoti, naturæ opera, quæ benè geruntur, imitabimur, & mulieres hac passione laborantes misso sanguine ex venâ euacuabimus, &c.* Ex quâ Galeni sententiâ patet apertè, in vomitu sanguinis è menstrui suppressione concitato, saphenæ sectionem vtilem esse. Contrà arbitrabantur scioli quidam Galeni mente non benè perspectâ, qui mecum vocati ad curationem Iuuenculæ carnosæ, cui intra diem, & noctem, triginta penè libras sanguinis, ob omnimodam menstrui retentionem euomenti, sanguinis missionem è cubito imperabant: & licèt *contra duos nec Hercules ipse*, vt est in prouerbio, tamen contra quatuor me seniores, votum meum annuentibus domesticis inualuit. Affero itaque horâ sextâ matutinâ reclamantibus illis, nouem vncias sanguinis è malleolo per interualla tria. Iterum cessante iam aliquantisper fluxu, horâ primâ pomeridianâ duas vncias partitè exhaurio, & nonâ, vnam, & dimidiam. Hac vacuatione celebratâ, & sanguine ad suam originem attracto, omnino sedatus est fluxus, qui aliis reuulsoriis auxiliis nunquam succubuit.

OBSERVATIO XIV.

Atrabilario vomitu singulis mensibus vexatus, in multos annos vitam produxit.

COgnoui quendam in consistentiæ ætate constitutum, qui singulis mensibus, duobus ferè diebus, cum anxietudine, & molestiâ multâ, 14. & aliquando 15. libras per vomitum excernebat humoris nigerrimi, & pici liquidæ simillimi, (atramentum scriptorium diceres.) Hic ab aliis persuasus, ad compescendum vomitum, adstringentibus vsus est, sed superueniente Cephalalgiâ dirâ, ab eis recessit. Cúmque natiuâ sorte esset melancholicus, ab omnibus morbis tutus huius vacuationis beneficio, vsque ad 80. annum vitam produxit. Videant ergò Medici, quâ prouidentiâ has consuetas vacuationes pertractent, & moderentur.

OBSERVATIO XV.

Mirus Atræ bilis vomitus periodicus, Chalybis vsu leuatus.

QVidam naturâ melancholicus, tribus quibusque mensibus, vno die, nigerrimi humoris, & atrabilarij copiam vomitu reiiciebat, superueniente intensissimâ febre. Postea cum decem ferè libras huius terrimi humoris excerneret, ius auis gustabat, & somno sopitus vires recreans, surgens è lecto, altero die, pancratice deinceps viuebat. Huic consuluimus Melanagoga, quùm lien atri sanguinis copiâ turgeret: nam ad regionem lienis rugitum sentiebat, & subtristis multoties erat, quâ de causâ lien coaceruatum hunc humorem in ventriculum eructabat. In hoc, per regionem magis consuetam, nempe aluum, nigra excrementa sensim regenita vacuare intendi,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 816 sur 927

intendi, Apozemata propinaui multoties; hirudines ano affixi, Cauteria crutibus inuſſi, ſetonem in liene excitaui, cuius vi ichor liuidus emanauit diu; balnea imperaui, ſecui ſaluatellam læuam, Cardiaca miniſtraui: at nihil profeci. Sed cùm in præſentiâ tam craſſæ materiæ, obſtructiones internas adeſſe coniectarem, Chalybem præparatum, in decoctione Eupatorij diſſolutum, quadraginta dierum ſpatio, aſſumendum ſuaſi, cum exercitio valido. Hoc præſidio celebrato, vomitus ceſſauit omnino, fortè quia Chalybis vi, deobſtructæ ſunt viæ, per quas limoſum hunc ſanguinem lien ad hæmorrhoïdas detrudit, & ſic loco vomitûs, ſanguinis excretio per ſedem eſt ſequuta ſingulis menſibus tribus. Hac emanante, æger deinde nullum paſſus eſt incommodum, immò ſaniùs vitam ducebat, abſque detrimento vllo.

OBSERVATIO XVI.

De Cholera.

Choleræ ſæuiſſimæ, curatio.

CHolera, acutiſſimus eſt affectus: nam horrendis ſymptomatis premens, ægros ſubitâ factâ vacuatione per vtrumque ventrem, ad fauces mortis deducit. Oritur perſæpè ab ingeſtis cibariis prauis, fugacibus fructibus, & ſæpè ex Cucumerum eſu, qui cùm copioſè in poſtrema menſa ſumuntur, quùm edulia ſint concoctu faciliora, retenta putreſcunt, & corrumpuntur, quæ ſemicruda, natura cum ichoribus multis vbertim per aluum, & vomitum protrudit, & multoties in tantâ copiâ, vt ob exhauſtum ſpiritum ſuperueniant Syncope, animi deliquium virium iactura, pulsûs ablatio, intenſiſſima ſitis, Conuulſio, Rigor, neruorum retractiones, Aphonia, Stupor, Caligo oculorum, extremorum frigiditas, Anxietas, Angor, & ægri facie Hippocraticâ, viribus reſolutis mortis imaginem referre videantur. Hanc patiebatur honeſtiſſima fœmina, quæ ex ferculo facto ex Orizâ, & lacte, actu frigido aſſumpto in eam incidit, cum ſurarum Conuulſione coniunctam. Curata primò abſtergentibus, deinde incraſſantibus, roborantibus, & adſtringentibus. Inter cætera præſidia tria profuere multùm, primum cryſtallum præparatum, quo vel Vnguentis permixto, vel iuri auis, aut caſtrati, Rhodoſaccharóve inſperſo vtebatur. Secundum fuit cucurbitula magna benè ignita regioni ventris ſæpiùs impoſita. Tertium vſtio in humeris celebrata, cuius vi, diſtractâ naturâ, fluxus ceſſauit omnino, quod auxilium in conclamato fluxu eſſe optimum, vſus edocuit.

OBSERVATIO XVII.

Cholera admiranda, lactis chalybeati, & Syrupi de Meſpilis ope perſanata.

SEptuagenaria gracilis & excarnis, ardente Sirio, ex melonum nimio eſu, in Choleram adeò atrocem ſubitò incidit, vt extincta pænè eſſe videretur. Cùm enim à nimiâ horum fructuum humiditate ventriculus eſſet ſubuerſus & laxatus valdè, ingeſta illicò incœpit excernere in copiâ tantâ per vtrumque ventrem, vt tridui ſpatio centies vomeret mucoſa & fœtida, tercentiéſque ferè per aluum excerneret ichores, pituitam liquidam, albam, & nullâ prorſus acredine infectam. Symptomata fuêre funeſta, dira, & terroris plena. Sitis inexhauſta, pertinax vigilia, pulſus intermittens, recurrens, & aliquando abolitus, faſtidium ſummum, vocis quaſi priuatio, conuulſis ob ariditatem vocis inſtrumentis: ſingultus, crurum conuulſio, extremorum frigiditas, lingua ſcabra & aduſta, vrinæ retentio, delirium, anguſtia, ſyncope, animi deliquium, cordis tremor. Huic viribus iam exhauſtæ, & ad pedes lectuli iacenti, veluti moribundæ, hæc ſunt celebrata auxilia: Clyſteria abſtergentia, incraſſantia: Fomenta, vnguenta, emplaſtra adſtringentia vtrique ventri impoſita. Potus, iura, conſeruæ, & alia auxilia, quæ roborando incraſſant. Omni ingenio conciliatus ſomnus narcoticis extrà, ſincipiti, naribus, temporibus, & plantis pedum appoſitis: (nam ob virium languorem omnimodum, in potum ea offerre, erat impoſſibile.) Cucurbitulæ appoſitæ ſunt ſæpiſſimè in ventre & aliis. Rhabarbarum vſtulatum pluries exhibitum. Tandem duobus auxiliis hic atrox morbus omnino eſt profligatus, Syrupo de Meſpilis ſæpius in die ebibito, & lactis vaccini chalybeati potu in Aurorâ aſſumpto. Ille enim Syrupus, licèt infrequens ſit in Medicinæ vſu, prærogatiuas tamen in ſiſtendis fluxibus obtinet mirabiles: Meſpila enim, præſertim immatura, adſtrictione ſuâ partes roborant, & fluorem alui eximiè compeſcunt. Lac vaccinum humoris virulenti acrimoniam compeſcit, & mirè incraſſat, cùm fit vſtulatum, ex Galeno, 10. *ſimpl.* 8. & alibi ſæpè.

OBSERVATIO XVIII.

De Dyſenteria.

Ex Adamante impolito deuorato, cruenta deiectio, tabes, mors.

ADamantem Venenum eſſe contendunt plurimi, experientia contrarium oſtendit: nam plurimi citra noxam ipſum furtim deuorant, & deinde cum excrementis excernunt: ſolùm ergò nocet, ſi ferrâ in fruſta diſſectus, vel impolitus deuoretur, tunc enim vitri inſtar, aſperitate ſuâ inteſtina pungit, ferit, vulnerat, & exulcerat: quare vlcera ab eo ſuborta, lethalia, quùm enim altiùs depaſcant & penetrent, illicò obortâ putrilagine fiunt ſordidiora, ac cancroſa. Hoc vlcere inteſtinorum premebatur Mercatoris ſeruus ſatis obeſus, & pinguis, qui cùm malo dolo tres Adamantes impolitos deuorâſſet, in tormina poſt diem lapſus eſt, & ob vulnerata inteſtina, cruenta deinceps deiiciens, febriculâ detentus; nullis poſtea præſidiis conſaneſcere potuit, quin vlcere magis ac magis ſordidiori facto tabefactus animam efflauit. Neque ob hoc, Adamantem venenum arbitreris: nam huius eſt antidotum, vt probat Franciſcus Ruéus *lib. 2. de gemmis cap. 15.* & aromatum Indicorum ſcientiſſimi ſcriptores memoriæ prodiderunt.

OBSERVATIO XIX.

Dyſenteria à ſuppreſſis menſibus orta, Saphenæ ſectione curatur.

MAtronam ex ſuppreſſis menſtruis Dyſenteria corripuit. Pro eius curatione dubitatum inter Medicos, ex qua parte ſanguis hauriendus: nam ſi è cubito vacuas, menſtrua retrahis, licèt Dyſenteriæ occurras reuellendo ſurſum; ſi talum ſeces, etſi ad originem fluxionis reuellis, naturam & ſanguinem deorſum præcipitas, & fluxum auges. Pauciſſimi dubium proponunt. Solus Mercatus *lib. 3. de morb. internis, cap. 12.* ſolutionem dirimit. Hic in ingenti Plethorâ cubitum ſecat; in contrario caſu, talum tundere iubet: ſed ineptè: nam in grandi plenitudine,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 817 sur 927

©BIUM

nitudine, aut paulò suppari semper Saphena ferienda: quoniam plenitudinem demit, menstrua prouocat, & superas partes euacuat, quæ exhaustæ ab inferis sugunt, & fluentem ad intestina sanguinem sursum reuellunt. Sic celebrata est vacuatio in fœminâ hac, quæ postea abstergentibus infusis, & Rhabarbari vstulati vsu, melius habuit. Lege pulchra apud Moxium *lib.1. de morb. mulier. 36. & 37.* qui de morbis muliebribus curandis per venæ sectionem graphicè post omnes disseruit.

OBSERVATIO XX.

In desperata Dysenteria, caustica aliquando sunt ex vsu.

EX quatuor sanguinolentæ excretionis differentiis, propositis à Gal. 3. *de sympt. caus. cap. 2.* vltimam esse, quando minutim, & exiguo tempore, expulsio facta conspicitur, aliàs quidem veri sanguinis, aliàs concreti, interdum puri, aliquando crustularum, quæ Græcè Ephelcides dicuntur, sæpè membranosorum corporum, quæ intestinorum sunt particulæ, frequenter stercoris sanguinolenti, *6. de loc. 2.* confirmat Galen. Hunc affectum Celsus *lib. 4. cap. 15.* tormina dicit, Græci Dysenteriam vocauêre. Huius vltimum gradum proponit Galen. *lib. 4. Aph. com. 26.* quando aliquid iam ab humore corrodente, acri, bilioso ex ipsâ abraditur substantiâ intestinorum, & carnes excernuntur: tunc iuxta edictum Hippocratis aph. cit. *Si Caruncula deijciantur, lethale est.* Hanc sæuam dysenteriam patiebatur generosus quidam Dux post multos menses, qui vigil, inappetens factus, sæuis torminibus afflictus, tabidus, in horas moriturus sperabatur, febriculâ tenui, & colliquante detentus. In huius curatione variam medicamentorum syluam Medici erant experti. Ex tribus solùm aliquod leuamen sensit, sed iterum recrudescente affectu, in peius ruebat. Primum fuit Saluatellæ dextræ sectio, & Epithematum vsus. Secundum lactis vstulati potus. Tertium Cotoneum excauatum, & intrà Cerâ albâ repletum, extrà massâ circumlitum, deinde prunis admotum: quoniam liquefacta cera sese in Cotonei carnem insinuat, cuius esu, ante omnem cibum aliquod leuamen sensit: nam his etsi ad tempus restrictus est fluxus, tamen exasperato affectu lapsus est in deterius. His visis in conclamatâ Dysenteriâ Muriam salsorum piscium, & Oliuarum per interualla infundimus, cuius vsu aliqui reuixêre apud Gal. 12. *meth. cap. 1.* Sed cùm hæc non proficerent, ad caustica, & crustam inducentia accessi. Sicque paraui clysteria ex lacte Chalybeato, cum Arsenici ℈. iiij. & tribus aluminis, benè permixto. Hoc enemate cùm decies 20. dierum interuallo esset vsus, sanitati restituitur, firmitatem assumit, & qui cadauer repræsentabat, obducto intestinorum vlcere, firmatâ aluo, robustus euasit. Nec mireris: nam *quando vnica via salutis est, ea licèt cum periculo tentanda.* Hunc modum curationis docuêre Galen. *9. sec. loc. 2. & 9. simpl. 5.* Auicen. *16. 3. tractat. 2. cap. 7.* Hæc enim si lacte contemperentur, & singulis drachmis illorum, Opij ℈. j. addatur, vt monuit Hollerius *lib. 1. de morbis internis cap. 40.* non nocent, immò putrilaginem absumunt, exiccant impensè, arctant, glutinant, & crustam inducunt, ex Pauli edicto *lib. 3. cap. 42.* Eis ergo vtaris quando vlcera serpendo depascunt: nam Auicenna multis in locis Arsenicum exhibet in potum, in Phthisi, Asthmate, casu, offensione, in paucâ quantitate, & contemperatum eis quæ illius malitiam retundunt.

OBSERVATIO XXI.

De Diarrhœa.

Diarrhœa ex obstructione suborta, aperientibus, curata.

ROmanæ eloquentiæ parens, & Medicæ scholæ primarius Dux, vir consularis Celsus, auream protulit sententiam *lib. 4. suæ Medicinæ cap. 19.* dum sic præfatur: *Vno die fluere aluum sæpè pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, & quod intus læsum erat, vtiliter effunditur, verùm spatium periculosum est: interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viréscque consumit, &c.* Hos gradus pertransiuit quinquagenarius, cui octo, aut decem diebus venter copiosè profluxit citra febrem. His diebus quieuit, victûs solùm regimine vsus, neque impetum ventris cohibuit. Postea mensis vnius spatio fluxus perdurat cum febri, & torminibus diris. Applicita abstergentia Clysteria, & quoniam Cacochymum erat corpus, ad causam deponendam, ter Rhabarbaro vstulato expurgatus: *nam fluxus fluxum curat* apud Galen. *6. epid. sect. 2. com. 9. & 4. acut. 110.* in alui fluxu, valente vtitur medicamento ad Cacochymiam detrahendam. Sic fecit hic æger, sed nihil proficere potuit. Immò si fluxus per se, aut medicamentorum ope fortè cessabat, tumebat venter, difficilem patiebatur respirationem cum angustiâ summâ. Si laxabatur, liquida excernens, & flatulenta, melius habebat. At cùm febris non cessaret, contabesceret corpus, & mucosa per aluum cum recrementis deiiceret, & timor esset, ne ob fluxum longum, in Atrophiam incidens tabe periret, cum aperientibus curare proposui, maximè cùm fluxum pateretur oppilatiuum. Licèt autem difficilis curationis sit hic fluxus, quoniam contrariæ adsunt indicationes; nam fluxus quà fluxus desiderat incrassantia, hæc autem augent obstructionem, & fluxum, & si incidentia propines, fluxum prouocas, quia liquas, attenuas. Tamen exequendum est Auicen. consilium *16. 3. tractat. 2. cap. 10.* de curâ fluxus oppilati. Dum sic inquit: *De errore igitur est vt cadat additio in Oppilatione per stypticа, immò oportet, vt iuuetur, quod expellitur ab Oppilatione cum euacuatione. Cúmque euacuantur via ab eo, & pertranseunt medicinæ aperitiuæ Oppilationum, vt aperiant eas. Et quandoque necessarium est in aperiendo Oppilationes solutiuum fortiter attrahens materias grossas, generantes Oppilationem i & clysteriæ fortis apertionis, & attractionis, &c.* Quare licèt hic esset marcidus, cùm hepar obstructione laboraret, cuius causâ ad partes nutriendas alimentum non penetrabat, aperientia, & Diuretica Apozemata exhibui, quorum vsu cum aliquantisper venter constringeretur, Chalybis vsu ad viginti dies exhibiti omnino fluxus cessauit. Attende quàm bellè loquatur Auicen. *in eodem cap. in fin.* qui Græcos in hoc curando morbo multùm excelluit, dum dicit: *Oppilationum verò curationem iam sciuisti, & oportet vt non prohibeat te macredo infirmi ab hoc: nam cùm curaueris eum, & aperueris Oppilationes, & euacuaueris humores Oppilatiuos, penetrabit cibus ad corpus eius, & non accidet Diarrhœa post illud, & confortabitur corpus eius, &c.* Quibus aureis verbis munitus, plurimas febri Albâ detentas, fluxúque diuturno Oppilatiuo oppressas, & marcidas factas, Chalybéatis medicamentis persanâsse recordor, quæ incrassantibus exhibitis ruebant in peius, & tandem vitam erant cum morte commutaturæ.

OBSER

©BIUM

OBSERVATIO XXII.

Fluxus diuturnus cerebralis, Cauterio ad Bregma indito, curatur.

MVltus honos concedendus est Auicennæ auctori tanto, & vberrimo Galeni interpreti, qui plurima sempiternæ memoriæ commendanda artis Medicæ addidit, à Græcis vel prætermissa, vel ignorata quidem, & hoc præsertim in curatione fluxuum, in quâ illos longo interuallo superauit; (reluctentur licèt Manardus, Leonicenus, & alij.) Is ergò 16. 3. *tractat.* 2. *cap.* 9. de curâ fluxus cerebralis, sic ait: *Et oportet vt administretur illud quòd diximus in capitulo Catarrhi, de rasione capitis, & fricatione eius cum rebus asperis, & ex euaporationibus capitis, & administratione rubificantium, & cauterizantium super ipsum, & ex confortatione eius, & rectificatione complexionis eius. Et quandoque necessarium est cauterium, &c.* Hoc auxilio sanatus est adolescens, frigidi & humidi temperamenti, qui cùm antea distillatione laboraret ex crudo humore subortâ, quam cerebri debilitas habitualis gignebat, superueniente alui profluuio spumoso, nocturno, indies contabescebat magis, quod ex capite originem ducere, præter Auicennæ sententiam *loc. cit. tract.* 1. *cap.* 2. in initio, & Rasim *lib.* 3. *aph.* Hipp. prædixit *lib.* 7. *aph.* 30. dicens: *Quibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, ijs ex capite pituita defluit.* Nam cerebrum superfluum humorem ad stomachum, & intestina eructat, ex Galen. 2. *feb.* 11. *& 6. de sanit.* 9. qui mucosus humor descendens debilitat & relaxat, ventris & intestinorum contentricem vim. Hic patiebatur cum fluxu, auium tinnitum, grauitatem capitis, caliginem oculorum, per os & nares excrementorum copiam emittebat. Roborantibus capiti impositis, sudoriferis ex Ebeno paratis, nec Sinapismo facto ex Euphorbio, & Cantharidibus, bregmati impositis, potuit leuari: Quare cauterio in eâ parte affixo, & sanie emanante ad sanitatem reuersus est.

OBSERVATIO XXIII.

De Colico dolore.

Colicus dolor, pestilens, contagiosus, lethalis.

DAri colicum dolorem pestilentem, ac contagiosum præter Paulum *lib.* 3. *cap.* 43. Auicen. 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 6. *& tract.* 4. *cap.* 30. pauci memoriæ commendârunt. Firmat Gentilis *in com.* Ratio dictat. Nam quid obstat quò minus praua qualitas recepta in aëre plurimas nostri corporis partes corripere, & primò Colon intestinum labefactare possit labe dirâ? Alia enim pestis ad cerebrum, alia ad pleuram, alia ad Colon, alia ad alia membra Analogiam habet, ex quâ Phrenitis, Pleuritis, Colica, & alij morbi pestiferi consurgunt. Anno 1600. quando hæc pestifera lues Europam ferè totam oppresserat, obseruati plures, qui hoc dito dolore colico affecti, venenosis symptomatis excruciati, occubuêre omnes, nullus quartum diem pertransiit. At hoc ad occultam pestiferæ auræ vim videtur referendum; quæ cor vitæ fontem, cæteràsque nutritionis officinas, venenatâ qualitate occupauit, ac extinxit.

OBSERVATIO XXIV.

Colicus dolor, animaduersus Gallicus.

FAllopius *lib. de morb. Gallic. cap.* 100. notauit aurium tinnitum Gallicum, cerebri affecti signum manifestum, quod in hoc morbo compatitur primò, si fides est adhibenda Fernelio. Rondeletius *lib. de morb. Gallico, tit. de signis*, obseruauit dolorem sterni, qui pleuritidem sæpè Medicis repræsentat. Vidi dolorem dentium Gallicum. Colicum dolorem bis notaui ab obsceno concubitu suborti, qui citra vllum præsidium symptomata inuasit. Is nec colicis præsidiis, nec sudorificis, nisi Mercurialibus vnguentis succubuit.

OBSERVATIO XXV.

Colicus dolor sæuissimus, niue circumpositâ, curatur.

ADolescens biliosissimus, curis fatigatus, vigil, & excarnis, vigente hyeme in colicum dolorem incidit ita atrocem, vt ingenti dolore, sitique oppressus velut amens, tres dies insomnis duceret. Colica præsidia diuersimoda sunt acta, quæ flatus dissoluerent, frigiditatem arcerent, pituitam vacuarent. Vocatus 12. die morbi, contrario ordine, at ad mentem Galeni curandum duxi *in lib.* 12. *meth.* 7. *in fin.* §. *simili genere & alteri cuidam inæstate affecto, cum sitibundus admodum esset, supra alia quæ memorauì, etiam frigidâ potione vti permisi, &c.* Quare vlus sum sectione venæ, refrigerantibus clysmis, frigidis iulapijs, & aliis quæ furentem, & acrem bilem mulcerent, ac lenirent. Sed cùm dolor ingraueſceret, iris vrgeret, ex niue Emplastrum parti dolenti impono, & gelidissimam cum Saccharo ad satietatem bibendam offero; non transierat hora, quin & sanum repentè exclamaret, ita vt eodem victu frigido nutritus, à dolore securus euaserit. Lege Auicennam 16. 3. *tract.* 4. *cap.* 17. Amat. *lib.* 1. *cent.* 2.

OBSERVATIO XXVI.

Pudendum taurinum, colico dolori mirabile.

PLurima sunt, quæ pro præseruatione, & curatione doloris colici ab occultâ proprietate operantia à Medicis præscribuntur auxilia. Lupinum stercus summè laudat Galen. & appositio exemplo confirmat *lib.* 10. *simpl. tit. stercus lupinum*, quod ab occultâ vi prodesse colicis, tenent Fernel. 2. *de abdit.* 17. Fracastor *lib.* 1. *de morb. contag.* 8. hepar lupi à tota specie humanum iecur roborat, ex Auenzoar. *lib.* 2. *Theizir, tract.* 1. *cap.* 2. Sic pudendum tauri ab specifica virtute mirificè iuuat. Plurimos notaui miserrimè hoc tormento concussos, qui solùm hoc auxilio sanitati sunt restituti. Alij ab eo, huius vi sunt præseruati. Vtere eo in puluerem redacto scrupuli quantitate in maluatico dissoluto. Pro colici doloris præseruatione selecta præsidia refert Iacobus Pons, *lib. de rectè exercenda medicinâ, tit. de Colico dolore.*

OBSERVATIO XXVII.

Colicus dolor, vrinæ humanæ potu, curatus.

VRinæ potum ad grauissimos morbos frigidos propulsandos summè esse ex vsu, auctores vnanimiter confirmârunt, retulit Auicen. *lib.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 725. Galenus licèt eius potum horribilem iudicet 10. *simpl.* 15. vrgente necessitate humanam in achoribus consuluit *lib.* 1. *sec. loc.* 8. nam præterquam quòd hæc est antidotum contra venenum præstantissimum, auctore Dioscoride *lib.* 2. *cap.* 73. nam lethalibus venenis, & venenosis morbis mirè auxiliatur, vt doctè explicat Matthiolus *in com.* etiam colico cruciatui, summo est auxilio, vt tentur Plinius *lib.* 28.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 819 sur 927

lib. 28. cap. 6. Paulus *lib. 7. de re vrina.* Hanc à puero impube, & adhuc Venerem non experto extractam, sæpè, vnciarum octo quantitate, cum melle despumato permixtam actu calidam, patientibus colicum dolorem, cæteris non conferentibus auxiliis, exhibui. Omnes, excretis flatibus, per inferiorem, & superiorem ventrem, ruptáque copiosè aluo superstites euasêre.

OBSERVATIO XXVIII.

Immani cruciatu colico excarnificatus, sibi ipsi cultello pectore confosso, mortem acciuit.

PLurimos furore veluti indignabundo percitos, mortis suæ vindices fuisse acerbos; suíque enormes homicidas, humanæ historiæ contestantur. Alios doloribus immanibus concussos sibi ipsis mortem intulisse, stupendâ historiâ narrat Langius *lib. 1. epist. 38.* Nos vidimus Adolescentem immani colico dolore excarnificatum, qui nullis vnquam cesserat auxiliis, qui cùm 20. diebus, inconniuis oculis acerbos dolores ferret, immò ex interuallis acutissimas punctiones in ventre sentiret, ac si à vermibus morderetur intrinsecùs, sibi tenuissimo cultello ventrem perforari vlulans & ingemiscens, altâ voce adstantibus clamabat. Peritissimi Medici consulti. Alij à maligna, venenatáque aurâ intestina lancinante. Quidam Dæmonum præstigiis dolorem concitari putabant. Ego à vermibus, aut bestiâ aliquâ intus innatâ oriri sum ratus. Plura citra vtilitatem contra vermes exhibui. Hic tantâ celeritate corpus exagitabat aduentante dolore, vt vix à quatuor ministris cohiberetur. Vtcunque sit, nocte quadam doloris sæuitie deuictus, velut desperatus & amens, tenuissimo, at satis longo, acutóque cultello, quem fortè in scrinio seruatum habebat: pectore confosso, mortem sibi pro remedio acciuit.

OBSERVATIO XXIX.

Colicus dolor, ex æruginosâ bile subortus, remedijs præstantissimis curatus.

SEnator erat in Regiâ Matricensi curiâ Lusitanus, septuagenarius, gracilis, viuidus adhuc, & colore roseo præditus, qui cùm tertias nuptias cum pulchrâ fœminâ contraheret, Venere inescatus, vini potu, & alimentis calidis nimis indulsit. Ex quorum assiduo vsu ita iecur incaluit, & Renes squalidi sunt redditi, vt in ardorem vrinæ incideret. Ecce intempestâ nocte, de dolore ventris immani queri cœpit, qui paulatim post duas horas increscens, eum ita oppressit, vt singultiens & exanimis, in animi deliquium laberetur, vomitu æruginoso ex interuallis tentatus. Sitis aderat, anguſtia, rosio in ventre, ac si acu perforaretur, fastidium, vigiliæ, febris nulla, & summa totius corporis debilitas. Peritissimi vocati sunt Medici, qui celebriores erant in inclyta aulâ, vnanimésque in eam abeunt sententiam, à debilitate innati caloris, & flatuum copiâ, dolorem scaturire. Si verò aliqua signa aderant, quæ phlogosim internam ostenderent, ex accidenti euenire, ex dolore, vigiliâ, spirituum & humorum motu, rati sunt; sicut bilem renomitam non esse æruginosam, sed porraceam, ex esculentis non rectè concoctis in sene debili, sibi persuasere simul. Et sic consilio suo, Colica præsidia per os & aluum exhibere, & extrà parti dolenti varia vnguenta, fomenta, emplastra carminantia admouere iubent. Quibus æger triduo macetatus, profecit nihil, imò ruebat in peius. Ob hanc causam ad Consilium vocati sunt Regis Archiatri tres, qui cùm maturiori consilio omnia rimarentur, ob prægressas causas, senem Colico dolore ex caliditate laborare arbitrantur: sic inuersâ curatione, frigida intus & extrà applicant, quatuor dierum spatio auxilia, quibus nec tantisper est leuatus. Sed quem finem habuerit morbus, iam exaudi. Mihi fortè per plateam ambulanti, & ab hospitio in quo habitabam, decedenti, Lusitanus iuuenis factus est obuiam, rogátque obnixè, vt ad ægrum inuisendum accedam, quod libenter feci. Moratus circa ægrum, pulsum exploro, tardum, debilem, rarum inueni. Vrina erat ignea, sitis ingens, lingua ficca, scabra, corpus aridum, exustum. His visis, & præcedentibus causis rectè animaduersis, à calore emanare malum non dubitaui. Sed cùm remedia frigida vbertim essent actitata, ad niuis potum vsque, quid facerem ignoraui anceps. At cùm viderem ægrum ex nimiâ Venere debilitatum, & hac de causâ siccatum & excarnem, præsidium tum intus, tum extrà humectans, refrigerans, bilioſi humoris efficaciam & malignitatem contemperans excogitaui, calorem demulcens & restaurans. Quamobrem cardiaca exhibui. Lactis caprini potum obtuli, cum saccharo, recenter ab vbere iuxta lectum extracti, in aurotâ, libræ dimidiæ quantitate: quo etiam commixto cum vitellis ouorum recentissimis, rosaceâ & saccharo, interdiu ter vel quater pro cibo vtebatur. Vinum degustabat tenue, dulce, rosaceâ lymphatum. Cibus interdum erat pullus lacte saginatus. Conserua erat rhodosaccharum. Clysterem assumebat ex interuallis, ex iure pulli, lacte, luteis ouorum, & saccharo. Extrà toti ventri solùm spatio x y. dierum, apponebatur Cataplasma ex hordei farinâ, lacte, vitellis ouorum, & rosaceâ permixtâ; cuius vsu leniri dolorem sentiebat. Porrò vir hic decem diebus, his præsidiis vsus, obdormiuit, amisit sitim, vigoroſior factus est, & à dolore immunis, imposterúmque à concubitu abstinens, pancraticè vixit.

OBSERVATIO XXX.

Pro Colico dolore curando, remedium expertum.

CVm ad curandam honestam & piam matronam Olysipponensem, conterraneam meam accitus essem, eam Colico dolore atroci oppressam inueni, à flatu, qui horrendum murmur in toto ventre afficiebat, solo, pronato. Sed cùm plura auxilia pro hoc domando essent celebrata, hoc solùm ex toto conquieuit. Erat vt bibat octo, aut nouem guttulas fellis galli veteris, cum vnciis duabus generoſi vini permixti. Felle assumpto, excreto per sedem flatu, à dolore euasit. Si gallus non adsit, vtere quocunque felle animalis, quod in hunc vsum est etiam salutiferum, proût in aliis felici experimento notaui.

OBSERVATIO XXXI.

Colicus dolor, cauterio ventri affixo, ex toto succumbit.

AD curandum Magnatem, quatuor Medici sumus ingressi, qui ex vlceribus diuturnis, in totâ ventris regione erumpentibus, ex quibus ex temporum interuallis, fœda emanabat illuuies, immani Colico dolore erat oppressus: Cùm enim Gallicâ scabie à multo tempore esset tentatus, Mercurio vnctus, ab eâ sanus euasit: At remanentibus in ventre pustu-

lis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 820 sur 927

lis vlceroſis, ab eis nec ſudorificis auxiliis, nec fonticulis in crure adapertis, & aliis auxiliis conſaneſcere potuit, donec conſilio Chirurgorum, per totum ventrem Vnguento parato ex hydrargyro quater vnctus eſt. Vix tertia erat facta inunctio, quando reſtagnante humore ad internas ſedes, intúſque coërcito, ſæui exorti ſunt per totum ventrem dolores, ſupprimitur vrina, ſitis adeſt inexhauſta, pulſus fit paruus, & ipſe cum anxietate in horas reſolui videbatur, vigil, inappetens, & immorigerus. Conſilio inter nos inito, concluſum eſt, pugnandum Cardiacis, quæ hydrargyri vim retunderent, Anodynis intus & extrà exhibitis, Enematis flatûs diſcutientibus. Pro complendâ primâ indicatione, offeruntur Confectio hyacinthorum, Alchermes, Theriaca, lapis Belzaarticus, raſura vnicornu. Sed quod magis profuit, Folia auri commixta cum Conſerua naphæ, aut meliſſæ: nam Aurum eſt Mercurij antidotum. Anodyna ex variis medicamentis parata, in modum fotûs, vnguenti, cataplaſmatis. Columbæ per dorſum ſectæ ventri admotæ. Omentum arietinum recenter extractum. Sed cùm hæc, ſicut Clyſteria varia non prodeſſent, & vrinæ ſuppreſſio vrgeret, balneo vſus eſt oleagineo, cuius ope libenter poſt horas tres excreuit vrinam craſſam, ſabuloſam, & valde rubram. Perſeuerante dolore, ſecatur vena in interno talo; imperatur purgatio clemens: Hirudines impoſitæ mariſcis, & ventri toti in circuitu affixæ numero octo. At vacuato humore craſſo & nigro, æger tamen nihil leuatus eſt. Ægro in agône poſito, vocatíſque tribus ampliùs Medicis in conſilium, de narcoticis offerendis, inter nos, ad rauim vſque pugnatum, determinatúmque Philonij Perſici drachmam tutò poſſe offerri, cum generoſo vino permixtam. Sic factum, ſed citra leuamen vllum. Quare opere fruſtrati, Cucurbitulas tres profundè ſcarificatas ventri admouimus. Quo auxilio cùm aliquantiſper leniretur dolor, & altero iterum exaſperaretur, ex leuamine ſequuto ex cucurbitulis, iterum ſiccas, apponendas curamus, magnas, & cum flammâ multâ, quas incantamenti modo, ad flatuoſum ſpiritum educendum prodeſſe, firmauit Galenus 12. *Meth. vlt.* Tandem cùm dolore premeretur immani, ex communi conſenſu, remedium eſſe neceſſarium rati ſumus, quod ex profundo violenter attraheret. Quamobrem quatuor cauteria lata fabricanda curauimus, quæ bene ignita in circuitu vmbilici ſunt inuſta; nec conſilium noſtram ſpem fefellit: nam poſtea ſale & aceto abluta ter in die, tantam humoris copiam citrini ex ſe effundebant quotidie, vt dimidiam libram poſſet æquare: quâ ſorditie triduo emanante, æger etſi viribus proſtratus, ſanus remanſit, & poſtea optimo victûs regimine, decocto Smilacis aſperæ pro continuo potu vſus, & hac Conſeruâ impoſterum bis in ſeptimanâ aſſumptâ, aluóque eius ope blandè depoſitâ, ab vlceribus & dolore eſt præſeruatus.

℞. *Folior. Senæ*, ℥ j. *Epithym. Polypod. ſem. Carthami, an.* ʒ iij. *Aniſi*, ʒ j. *Cinnamomi* ʒ ß. *Florum cordial.* ℥ ß. *Paſſularum Corinth.* ℥ ij. *Glycyrrhiz. raſæ & contuſæ*, ℥ j. ß. *Smilacis aſperæ*, ℥ j. *Radic. Chynæ*, ℥ ß. Coque ſecundùm artem, in ſuffic. aquæ quantit. quouſque remaneat ℔ ß. Infunde per noctem ſecundùm artem, *Rhabarb. elect.* ʒ j. ß. *Agarici in petiâ ligati*, ʒ j. *Colaturæ adde Mannæ elect.* ℥ ij. *Puluer. hermodactyl. pulpæ ſemin. carthami, an.* ℥ ß. *Pulpæ paſſular.* ℥ j. *Puluer. Mechoacæ* ʒ ij. *Puluer. folior. ſenæ*, ʒ iij. *Puluer. Smilacis aſperæ*, ℥ ß. *Aniſi*, ʒ j. *Cinnamomi* ʒ j. ß. *Theriac. & Confect. hyacinth. an.* ʒ j. ß. Cum ſaccharo excipiantur omnia, & fiat Conſerua: & ſeruetur in vaſe vitreato.

Doſis ℥ j. ſuperbibito hauſtu decoctionis Smilacis aſperæ. Aſſumatur alternis diebus.

OBSERVATIO XXXII.

Colicus dolor ex Opio aſſumpto pronatus, lethalis.

IVris-peritiæ Doctor quidam inſignis, quum ad honorem regendæ Cathedræ primariæ, omnium conſenſu eſſet electus, & duabus ſeptimanis, oſtentandi causâ, publicè lectiones obiret, & corpus vigiliis maceraret, & ad extremam maciem, ob ſtudiorum labores perpeſſos, eſſet redactus, & ſqualore obſitus plures noctes inſomnis ageret, conſilio cuiuſdam Medici, Opium octo granorum pondere aſſumpſit, rhodoſaccharo permixtum. Eo aſſumpto placidè totâ nocte dormiuit: Attamen in auroræ rugitûs in ventre perſenſit, & illicò intolerabilem dolorem. At cùm eſſet viribus à longo tempore exhauſtus, debiliſſimus, minuto omnino calore, & increſcente dolore, nullis proficientibus auxiliis, cohibitâ reſpiratione, è viuis deceſſit.

OBSERVATIO XXXIII.

Colicus dolor, ob vermem admirandum enatus.

IVuenis erat flaccidus, & imbellis, toto ferè temperamento pituitoſus. Hic nullum obſeruabat ordinem in victu, imò edulij fabacei eſu ita delectabatur, vt virides in magnâ copiâ eſitaret, & ſiccas, toſtas, frixas, coctas, in quantitate multâ. Sed cùm hic cibus flatulentus ſit, concoctúque difficilis, ita vt ſi triduo coquas, alimentum haudquaquam flatûs expers efficias, 1. *Acut. com.* 18. *in fine*: factum eſt, vt de dolore ventris continuò queri cœperit, & ita aliquando ventrem ſibi lancinari affirmabat, ac ſi terebro perforaretur. Tandem adaucto immani dolore, qui nullum non adhibitum remediorum genus contempſit, & ægro in deſperationem veluti adacto, iuxta os coccygis ceu lignum hærere perſenſit, & tandem expulſo verme viuo admirando, qui præſentis tragœdiæ auctor erat incognitus, à tanto malo conualuit. Vermis erat colore flauus, pollicis magnitudine, aculeis toto corpore circumſeptus, duris, hiſpidis, acutis, paruiſſimum Erinaceum diceres.

OBSERVATIO XXXIV.

De Iliaco dolore.

Pila plumbea deuorata, pro Iliaco dolore curando, præſtantiſſima.

QVidam ex Caſtanearum crudarum ingluuie multâ, in omnimodam incidit fæcum retentionem, ita vt ventris tumore, doloréque immani oppreſſus circa vmbilicum, globulum, veluti ſphæram habere videretur, ab implicitis & circumuolutis (chordarum modo) inteſtinis enatam. Hic cùm in agône eſſet, & frigido ſudore madidus, ſtercus per os eiiceret, variáque interna, & externa expertus eſſet incaſſum tamen auxilia: poſtquam ad emolliendas fæces, leniendúmque dolorem, in balneum oleagineum duceretur, nullum leuamen ſenſit. Quare 12. paruas pilulas plumbeas quibus Sclopetarij ad enecandos paſſeres vtuntur, deuorandas dedi, quibus dolor aliquantiſper conquieuit, ſed poſt tres horas iterum increuit; quúmque iterum 18. pilulas propinarem, fæces reddidit, & iniecto clyſtere ex aquâ vitæ, & vrinâ pueri, à dolore immunis euaſit. Nec mireris: nam hoc catapotium

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 821 sur 927

©BIUM

transuoratum Volvulosos iuuat, quoniam intestina A inuoluta, implicita, & vincta explicat suo pondere, & aperit, fæces impellit, & obstruentia excludit, lenitque dolorem; in quem vsum Mercatus 3. *de morb. intern.* 16. Chalybis limaturam propinat. Neque huius remedij efficaciam interdicat Dioclis sententia apud Cælium Aurelian. 3. *acut.* 17. quòd intestina denset, & densitate, coactâ vexatione distendat, & vt in annotationibus Ioan. Guinterius ait, Dysenteriam faciat, quem sequitur Mercur. *lib.* 3. *de morb. intern.* 37. Nam plus iuuat ponderè, quàm densitate obest: immò ipse Mercurialis *in com. histor. epidemic.* 23. Palinodiam recantans; hoc auxilium, cæteris non conferentibus posse vsurpari asseuerat.

B

OBSERVATIO XXXV.

In desperato Volvuo Hydrargyri potus, & follis fabrilis, summopere iuuant.

DVx strenuissimus quùm post ludum paruæ pilæ, corpus exercitio maceraret, sudore madidus, sitique oppressus, aquæ nimiùm niue infrigidatæ calicem ebibit. Ab eius potu illicò in sublimioribus intestinorum partibus torsionem sensit. Apparuit iuxta vmbilicum tumor, inuolutæ chordæ instar rotundus, & durus. Quúmque intensissimo cruciaretur dolore, multáque iam tentaret efficacissima auxilia, de quorum syluâ sunt quæ flatus resoluunt, intestina C calefaciunt, frigidam intemperiem corrigunt: hísque cùm nec fæces, ructum crepitúmve emitteret, immò vomitionibus fœdis oppressus in malis esset, nullo alio præsidio quam libræ Hydrargyri potu potuit leuari, à quo & fæces excreuit, & ex dolore meliùs habuit; quo sedato, & clysture ex generoso vino iniecto perfectam consequutus est sanitatem. Optimum sanè præsidium est hoc: nam Anodynum est, & suo pondere intestinum aperit, & obstruentes fæces deturbat, & cùm vehementer sit humidum, tenuibúsque constet partibus, & valdè mobile, irritat naturam, & stercus validâ ventris perturbatione propellit, auctore Auic. 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. §. *Argentum Viuum plurimi qui bibunt, non læduntur eo, egreditur enim cum* D *dispositione suâ per inferiorem regionem, &c.* Explicat Palmarius *lib. de Hydrargyro, cap.* 5. medicamentum non esse venenum; in potum ad plurimos vsus posse assumi latè prædiximus *lib.* 1. *de Medicor. Princip. Hist. in com. histor.* 73. *quæst.* 40. & 41. Cætera, de Ilei curatione absolutâ pete à Petro Salio Medico, exercitatissimo, *lib. de affectib. particularib. ab aliis practicis non exhibitis; cap.* 11.

Miratur hic Auctor doctissimus, *libello de affectibus particularibus ab aliis practicis non exhibitis loc. cit.* Amatum Lusitanum *lib.* 1. *centur. curat. vlt.* qui doctrinâ Hippocratis instructus in Volvulo desperato ad fæces induratas emolliendas vtitur folle fabrili, vt intestina stercore obstructa immisso flatu aperiantur, & dilatentur, sicque subsit locus deinceps emollientibus clysmis: nam dum Amatum mendacij arguere videtur, Hippocratem accusat. Is enim sic monuit *lib.* 3. *de morb. num.* 15. *de Volvulo. Sin minùs, follem fabrilem indito, & in ventrem flatum immittito, à quo & ventrem, & intestini contractionem distendas. Deinde extracto folle clysterem adhibeto: sit autem infusum per clysterem iniiciendum paratum non ex valde calefactoriis, sed ex his quæ stercora dissoluunt, ac colliquant, &c.* Neque respuas quæ scripta sunt in lib. de morbis, quoniam, ex mente Galeni 6. *epid. sect.* 1. *com.* 29. hic liber est Hipp. Thessali filij: nam ipse Galenus *in proœmio sect.* 2. *lib.* 3. *epid. & lib. de nat. hum. & in fin. lib.* 3. *de diff. respirat.* hunc vocat virum probatissimum, memorabilem. Et ipse Salius libros de morb. vt partum Hippocrate dignum interpretatus est. Trallianus *lib.* 10. *cap. vlt. de cura doloris colici ex stercoris duri obstructione*, follem approbat. Hoc ego vsus sum fœliciſsimè in conclamato Ileo à fæce retentâ, in quodam, qui ex nimio orizæ semicrudæ esu in hunc miserrimum incidit infortunium: follis enim vi dilatatis intestinis, & post horam immisso infuso emollienti, cum drachmâ vnâ pilularum Iliacarum Rhasis parato; excrementa adusta similia caprinis excreuit, & à morte euasit. Cælius *lib.* 3. *acut.* 17. auxilium hoc condemnat, quia ventus frigidus valdè nocet intestinis, à quo generatur dolor ob extensionem, sed cùm *nihil sit quod tam magnificè prosit, quod aliquâ ex parte non noceat*, ex Galen. 11. *meth. cap.* 11. & huius auxilij noxa vtilitate minor sit, eo Hippoc. voto fretus in conclamato Ileo audacter vtendum censeo.

OBSERVATIO XXXVI.

De Vmbilici dolore.

Vmbilici dolor sæuissimus, Opio epoto, curatur.

FOemina biliosa & fortis, in fœdum Gallicum incidit vteri profluuium, quo cùm esset afflicta, ad putridi humoris exiccationem, mulierum consilio, imprudens, aquâ aluminosâ, muliebres partes, inguináque multoties abluit. Post ablutionem, C restrictâ fluxione, in tam dirum incurrit vmbilici dolorem, vt plures noctes insomnes ducens, in horas moritura speraretur. Illicò sectæ Saphenæ, Hirudines ano admotæ, cucurbitulæ scarificatæ sæpiùs femoribus applicitæ, cruribus affixa Vesicantia, Clysteres omnis generis imperati, Vnguenta, fotûs, Emplastra varia adhibita. Supra vmbilicum Hirudines, vstiones, & scarificationes admotæ, purgatio diuersis medicamentis celebrata, tandem in semicupium ex medicamentis Anodynis celebratum ingressa, assumptóque ter per interualla Philonio, nullo modo est leuata. Demum cùm morti ob doloris sæuitiem esset propinqua, Opium incorrectum quantitate 12. granorum in iure pulli potandum D offero. Assumpto eo in vesternum mox incidit, & vnius diei spatio obdormiscens, expergefacta, sine dolore salua remansit.

OBSERVATIO XXXVII.

Ex pugno in Vmbilico illato, mors subsequuta.

EXcitata inter duos adolescentes rixa, ob quam alter alterum pugnis afficere conabatur. Cessante eâ, vnus insidiosus veniens à tergo, pugnum super vmbilicum alterius inflixit cum manu dexterâ, violentiâ tantâ, vt ictus, subitò priuatus respi- E ratione, sideratorum more, liuidus totus in terram cadens, è vita discesserit. Vmbilici enim est dignitas multa: & in vmbilicali regione adsunt plurima vasa, quæ cum visceribus magnum obtinent consensum. Memini me aliquando ex pugno in eâdem parte inflicto, vidisse sequutam Hepatis inflammationem, quæ solùm aceruatæ, & copiosæ phlebotomiæ succubuit.

OBSERVATIO XXXVIII.

De Lumbricis.

Vermis mirus.

INgenti dolore in stomachi regione vexabatur puer, ita vt ex interuallis vociferans in magnum clamorem

©BIUM

clamorem prorumperet. Lumbricum ſuſpicatus, in vino Hieram cum Corallinâ, Dictammo, & Scordio permixtam exhibeo. Eâ aſſumptâ, mucoſam excreuit pituitam vnà cum verme mortuo, nigerrimo, dimidij palmi longitudine, mediocriter craſſo, toto corpore piloſo nimis, capite læui, caudâ furcatâ, quo expulſo, hilariter vixit.

Hoc loco deſcribere placet exemplum admirãdum, quod Doctor Ludouicus Nonnius, Medicus Antuerpienſis doctiſſimus diebus elapſis mihi remiſit. Quadragenaria vermium generationi obnoxia, quùm multis diebus, ſæuis torminibus vexaretur, variis vſa medicamentis, tandem excluſit lumbricum latum quatuor vlnarum, qui erat inſtar tæniæ, ad pollicis penè latitudinem, quo depoſito ſtatim conualuit.

OBSERVATIO XXXIX.

Vermes inguen perforantes.

VIr quidam robuſtus, & elegans, tumore inguinis per duos menſes corripitur, qui indies auctus, abſceſsûs ſuſpicionem præbuit: adhibitis præſidiis nimiùm excreſcens, & in rubòrem abiens cum pulſatione, puris confecti notas tangenti oſtendit. Chirurgus aperuit tumorem, loco puris, lumbrici duo erumpunt, magni, rotundi cum illuuie multâ, Abſterſo, & conſolidato vlcere intra paucos dies æger conualuit.

OBSERVATIO XL.

Vermes viui per Vmbilicum prodeuntes.

PAupercula quædam, anxietate, doloréque ventriculi diu correpta, poſtea Epilepſiam, Syncopen, Tremorem cordis, Colicum dolorem per interualla paſſa eſt, deinde in Bulimum incidit adeò vehementem, vt nunquam ſatiari videretur. Vno die cùm ingentem ſubſultum in ventre perſentiſceret, veluti ſuffocata, ſoporéque correpta quatuor vermes teretes vomitu expulit. Ad ſe rediens, in regione vmbilici, immani cum dolore, roſionem, & dilacerationem ſenſit, poſt quam, aperto foramine, viuidi tres prodiêre vermes, rotundi, palmi longitudine. At conſolidato vlcere, mulier, ebibitâ aquâ ligno colubrino decoctâ, in poſterum, à tanto malo eſt præſeruata. Non ergo dubites vermes aliquando ventrem perforâſſe. Obſeruârunt Paulus *lib.4. cap.53.* Auicen.*16.3.tract.5.cap.2.* Paréus *lib.19. cap.3.* Foreſt.*lib.7.obſerv.35.* Solenander *lib.5.conſil.15.* & alij.

Num autem lumbrici viui mortuis ſint deteriores, vt arbitratur Diocles apud Aurelian.*lib.4.chroniôn cap.8.* an mortui viuis, vt putauit Auic.*16.3.tract.5. cap.2.* dubium eſt ſcrutinio digniſſimum: nam pro vtraque parte paria ſunt momenta rationum. Viui enim, ſæua, immania, lethalia, & terroris plena concitant ſymptomata, & ſæpè mortem accerſunt, vt variis Medicorum exemplis firmauit Marcellus Donatus *lib.4. de medic.hiſt.mirab.cap.26.* Mortui venenum internum præoſtendunt, ob cuius vim ſunt interempti. Hunc Gordianum nodum extrica cum doctiſſimo Mercur.*lib.3.de morb.pueror.cap.9.* Quoniam mortui ſi exeant ſine febri, aut eâ præſente benignâ, non ſunt deteriores: nam ob alimenti inopiam ſunt interfecti. Si verò vigente malignâ febri erumpant, peiores ſunt ob dictam cauſam. Eadem ratio de viuis eſt aſſignanda. Hac ſolutione totam antinomiam euaneſcere putamus, quâ Paulum, Aëtium, cæteróſque Medicinæ Duces, & recentiores, qui varia de hac dubitatione protulerunt, in veram amicitiam poteris reducere. Nobis ſat ſit monſtrâſſe loca, à Iuniorum pauciſſimis notata. Lege eruditiſſimum Ioannem Brauum *in com. ſent.18. lib.2. prognoſt. Hippocratis*, qui de hoc argumento egit eximiè.

OBSERVATIO XLI.

Correptus Vermibus, Opiſthotono vexatur, in quo Calcanea capiti erant connexa.

NArrat Trincauellius, auctor neruoſiſſimus *lib.9. cap.11. de curandis morbis*, ſe vidiſſe pueros, qui à vermibus adeò malè affecti erant, vt retrorſum conuulſi, calcaneis penè caput contingerent. Cùm primùm huius auctoris experimentum legerem, id mirabar valdè, difficile credens, pedes inuerſo ordine caput poſſe contingere, cùm ſemel vocatus ad pueri cuiuſdam aurificis filij curationem, illum hoc conuulſionis genere detentum inuenio, quem Rigor, Anxietas, & ex interuallis immanis ventris dolor comitabantur. Obſtupui exempli nouitate commotus. Venenum ſuſpicatus, Theriacam exhibeo. Reuerſus domum illicò Trincauellij hiſtoriæ recordor. Ad inuiſendum ægrum mox accingor. Clyſterem paro ex lacte, & Saccharo, & poſt eum, alium inficiendum curo ex lacte, Aloë, & ſucco Allij. Pilulas ſex ex ʒ.j. Aloës, & ϑ j. Dictamni, cum ϑ ß. Theriac. deuorandas præbeo. His cùm ſatis deiiceret, nil leuatus eſt. Altero die tres impero factas ex puluere ligni Colubrini, Aloë, Myrrhâ, cum ſucco Abſinth. Menth. & felle tauri. Poſtquam eas aſſumpſit, linquitur animo, & excitatis torminibus, cum fæcibus, duos vermes nigros, rotundos excreuit, & præter ſpem à tanto malo conualuit.

OBSERVATIO XLII.

Quidam ob vermes concuſſus Apoplexiâ, reuixit.

QVidam malignâ febre correptus, quùm meliùs haberet, ſubitò quatitur Apoplexiâ, ita vt iacens in lecto cadaueris inſtar nihil reſponderet, ſenſu, & motu priuatus. Pro tanto malo dum cucurbitulæ parantur, ecce intra dentes apparuêre corpuſcula mutuò ſeſe mouentia. Iniecto intra dentes ligno, & aperto ore, tres apparent lumbrici viui, quos propriâ manu, iniectis in os digitis apprehendo. Extractis his, aliquantiſper reſipuit æger, è cuius naribus poſt paucum interpoſitum tempus, duo etiam viui exiere. Hic propinato ſucco Abſinthij cum farinâ lupinorum permixto, quatuor mortuos per ſeceſſum excreuit, ſicque apertis oculis adſtantes cognoſcere cœpit, & victu ſelectiſſimo refocillatus, reuixit.

OBSERVATIO XLIII.

Aphonia ex Vermibus admiranda.

TErribilia, immania, dira & terroris plena ſunt ſymptomata, quæ quotidie ex vermibus oriri conſpicimus, quæ auctores recenſent, præſertim Gabucinus Fanenſis, & Hippolytus Brillus, qui de hac re integros libros edidêre. Nos vnum infrequens notauimus in quadam fœminâ ætatis ſuæ octodecim annorum, quæ cùm ex febre quotidianâ euaſiſſet, integris ſenſibus prædita, ad oblata benè ſe gerens, & ſanorum munia obiens, per 40. dierum ſpatium loqui non potuit, ſed muta, & Aphona facta vitam ducebat. Hæc licèt plura experiretur auxilia, nunquam loqui potuit niſi vermibus per

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 823 sur 927

©BIUM

tussim excretis, similibus erucis, breuibus, & viuis, qui tetro suo, & venenato vapore, vocis instrumenta hactenus labefactauerant.

OBSERVATIO XLIV.

Ad Vermes necandos, bolus eximius.

EX plurimis præstantissimis auxiliis, quibus decursu ætatis meæ felici experimento ad vermes necandos vsus sum, hoc est præcipuum. Exhibe non præsente febre. Ex ingredientium syluâ poteris etiam parare pilulas, tabellas, Emplastra, & Vnguenta huic vsui valdè proficua.

℞. Aloës Succotrin. ʒ iij. Cortic. Granator. ʒ ß. Ligni Colubrini, Lupinor. Sen. Oriental. Myrobalanor. Citrinor. an. ʒ ß. Sem. Santonic. Sem. Citri, an. ϑ ß. Dictamni albi, Scordij, Corallinæ, Myrrhæ, Cornu cerui vsti, Eboris vsti. Rhabarbar. Agaric. an ϑ ij. Semin. Macedonic. ʒ j.

Pulueriſanda pulueriſentur, & acerrimo aceto irrorentur, ſiccentur ad vmbram. Adde.

Biſtortæ, ʒ ß. Succi Allij, Rutæ, Abſinth. Menthæ, Fellis Tauri, an. ʒ ij. Theriac. ʒ j. Mithridatij, ʒ ß. Tormentillæ, ʒ ß.

Miſceantur omnia, & cum ſyrupo Abſinth. excipiantur, & fiat bolus.

OBSERVATIO XLV.

De Hepate.

Corpus ſine Hepate inuentum, cuius loco maſſa carnea admiranda.

VIrgo tympanitica ex menſium reſtrictione diuturnâ, viſcerúmque hac de causâ Scirrhoſis tumoribus excitatis, oppreſſa, ita malè habuit, vt præ dextri Hypochondrij pondere, ingenti duritie, ac tumore fatigata vix ambulare poſſet, quare vitio in vitium mutato, vt ſæpè in hoc contumaci morbo euenire ſolet, reſolutis viribus è vita diſceſſit. Diſſecto corpore, inuenta eſt maſſa carnea in regione Hepatis vſque ad vmbilicum extenſa, quæ extracta (dictu mirum, & viſu mirabilius) 36. libras ponderabat. Hepar nullo modo inuentum. In ſubſtantia internâ maſſæ, duo magni abſceſsûs reperti.

OBSERVATIO XLVI.

De Hepatis Incendio.

Ad phlogoſim Hepatis, auxilium præſtans.

AD roborandum, & refrigerandum Iecur, ac biliоſum humorem contemperandum, plurima à Medicorum ſcientiſſimis celebrantur auxilia, ſed in hunc vſum adeſt medicamentum nulli ſecundum, quo incolæ Guinéæ vti ſolent; nam ſquallidum, & ſiccum Iecur mirâ quadam proprietate tuetur, ac contemperat. Millies eo vſus ſum, in labiorum ſciſſuris, Cutaneis affectibus, vteri pruritu, vnguium Scabritie, Rubedine faciei, frequenti ſingultu, aſſiduo vomitu, Pilorum decidentiâ, guttâ Roſaceâ, igne ſacro, Hepatis dolore, & aliis vitiis quæ à iecoris excandeſcentiâ, phlogoſiue internâ concitantur. Quidam in volis manuum, & plantis pedum cruſtoſam ſcabiem diu patiebatur, ex quâ tentatis plurimis præſidiis conualeſcere haud potuit. Hic, ſolùm aſſumpto hoc medicamento leuatus eſt. Vocatur *Colæ* à Luſitanis noſtris, & in omni tractu regni Guinéæ naſcitur fructus hic, qui colorem rubrum dilutum habet, & formâ, & magnitudine Caſtaneam repræſentat. Saporem retinet amariuſculum. Interdiu fructum hunc ſiccum, & duriuſculum oportet dentibus comminuere, qui ad febres ardentes eradicandas ſummè prodeſt, maximè ſi aqua Endiuiæ ſuprà bibatur. Eſt fructus arboris ſimilis Caſtaneæ, quæ cùm fructum ſuum tenerum emittat, illicò delapſus ab arbore induratur, Caſtanearum inſtar.

OBSERVATIO XLVII.

De Hepatis Ardore.

Ad internum Hepatis Ardorem, præſidium laudatiſſimum.

GAlenus non ſolùm in Medicinâ maximus, ſed vnicus, ac ſingularis naturæ loquentis genius mirabilis, *lib. 2. ad Gal. cap. 1. in princip.* duplicem conſtituit inflammationem, humidam vnam, ſiccam aliam: Illa, ex calidâ fluxione membrum occupante contingit: hæc, quando nullo humore influente calor naturalis igneſcit. Hanc patiebatur generoſus quidam Prorex, qui fiſſuris labiorum, & linguæ, miſerrimè premebatur, cuius causâ alimenta in ore dentibus conterere non poterat. Huic plura auxilia adhibui. Secui venam, præparaui humorem, expurgantia conſului, balnea imperaui, ſerum lactis dedi, Hepati Epithema impoſui, Ptiſſanam obtuli, conſeruas refrigerantes, pulueres, tabellas huiuſmodi aſſumendas præbui: omnia fruſtra. Tandem vſu aſſiduo Caſiæ fiſtularis adhuc virentis ab arbore extractæ, ſaccharóque conditæ, cuius copiam ab Orientali Indiâ ipſe adduxerat, ſanus eſt factus. Hic fructus Caſiæ, quæ vocatur Syringodes, tener, & ante maturitatem vireſcens, cæterorum fructuum inſtar ab Indis Sacchаro conditur, & ab Orientali, & Occidentali plagâ ad Olyſiponem, Hiſpalin, Alexandriam, Venetias à mercatoribus adſportatur: quem eaſdem, ſed excellentiores vires obtinere, quàm atramentum intra ſiliquas teretes, & oblongas concretum (officinæ pulpam Caſiæ fiſtularis vocant) fidiſſimo experimento compertum habeo: nam incandeſcentem, retorridámque bilem per alvum citra moleſtiam depellit, ſanguinem purificat, bilis flauæ, quam ſuauiter expurgat, acrimoniam contemperat, Hepatis, Renum, aliorúmque viſcerum feruorem, igneúmque calorem demulcet, quare ad horum calidam intemperiem ſummum eſt auxilium, lenit thoracem, & ad morbos eius calidos mirè confert, prouocat ſputum, ſitim lenit, febribus ex bile, & ſalsâ pituitâ ſubortis remedio eſt. Vteri pruritum ſedat, genitalium phlogoſim, & ardorem arcet, ſi poſt eius eſum, aquæ Cichorij, aut ſtillatitiæ roſarum, aut ſeri lactis caprini quatuor vnciæ hauriantur. Præberi poteſt pueris, delicatulis fœminis, medicamenta purgatoria faſtidentibus. Fœminis etiam vtero gerentibus, commoditate, ac neceſſitate quadam conceditur, quibus aliud medicamentum denegatur. Eſt denique hic fructus alimentum ſuauiſſimum, quod palato maximam gratiam conciliat: eſt medicamentum pretioſiſſimum, quo Indiæ vtriuſque Magnates, & Medici Indi in dictos vsûs vti ſolent cum vtilitate ſummâ.

OBSERVATIO XLVIII.

De Scirrho Hepatis.

Pro Hepatis Scirrho, efficax auxilium.

DVris tumoribus Iecur eſt opportunum, dicebat Gal. 13. *meth.* 16. quoniam limoſo ſanguine nutritur:

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 824 sur 927

nutritur: nam eius pars præcipuè gibba, multis, exilibúſque venis referta, obſtructionibus idcircò fit obuia. Tumor hic lapidoſus, durus eſt, indolens, immobilis, ac ſi eſſet clauo affixus auctore Gal. 14. *meth.9. & 2. ad Glauc.4. & 5. ſimpl.9. & 6. epid.1.2. & alibi.* Hic, ob ſummam duritiem, reſolutionem non admittit, quùm à craſſo, terreſtri, & parti tenaciter impacto humore ortum ducat, & ſi exquiſitus, incurabilis eſt, vel in hydropem commigrat, ex Paulo *lib.4. cap.32.* Hoc tumore diuturno premebatur Nobilis vir, cui nullum auxilium prodeſſe potuit, licèt præter prouidentiam totius, ex Ebeno ſudorifica tentâſſet, vteretur Chalybéatis medicamentis, balnea naturalia admitteret, & varia Vnguenta, & Emplaſtra parti apponeret. Hic ſolùm conſeruâ ex Marrubij floribus cum melle paratâ, 40. diebus, quantitate vnciæ vnius diluculò aſſumptâ, & deſuper aquâ ebibitâ, quæ è foliis & radicibus ipſius, vitreis organis ſtillat, ſanitati integrè fuit reſtitutus: nam ſenſim ac ſine ſenſu emollitus, & reſolutus eſt tumor. De cuius medicamenti viribus, præter Dioſcoridis interpretes, lege elegantiſſimum Ruellium *lib.3. de natur. ſtirp. cap.58.*

OBSERVATIO XLIX.

De Lienis dolore.

Sæuus Lienis dolor, copioſiſſimâ venæ ſectione, curatur.

MOnialem inuiſi gracilem, & in victu parciſſimam, quæ à 20. anno vſque ad 40. alternis menſibus in lienis dolorem adeò ſæuum incurrebat, vt præ doloris ſæuitie è vita diſcedere videretur. Imminuto dolore circa lienis regionem ſcabies repullabat rotundo ſchemate ſicca. Aderant metus, mœſtitia, inſomnia varia. Aberant febris, & ſitis. Menſtrua ſtatuto tempore recurrebant. Pulſus debiliſſimus, ita vt præ exiguitate vix perciperetur. Medici pulſui paruiſſimo animum adhibentes, neglectâ phlebotomiâ, ob vires valdè deiectas, Clyſteria conſulunt reuellentia, cucurbitulas, & ligaturas crurum. At dolor, horum, ſicut medicamentorum expurgantium vſum, contemnit. Recrudeſcente dolore conuocantur alij, qui cùm à flatu, humoréque fæculento originem ducere arbitrarentur, Melanagogis vacuandum eſſe humorem per ſeceſſum rati ſunt. In quem vſum Stibium præparatum conſulunt, cuius vi, excretâ per aluum nigri humoris copiâ, licèt aliquantiſper miteſceret dolor, denuò ferociùs inualeſcebat. Quare Cardiaca oblata, Cauterium cruri læuo inuſtum, Hirudines affixæ mariſcis, Vnguenta varia admota. His celebratis, iterum malum exaſperatum; me vocant. Illam extenuatiſſimam cum paruiſſimo pulſu contemplor, ſed præditam rubicundâ facie, viuidis oculis, venis ſanguine plenis. Quapropter hanc pulſûs paruitatem, non ex defectu, ſed ex grauante humoris melancholici copiâ, ac plenitudine nimiâ in liene conculcati ortam exiſtimans, reluctantibus omnibus, aufero è Baſilicâ ſiniſtrâ eò vſque de induſtria ſanguinem, vt animi deliquium ferè incurreret: hoc detracto, fæculento illo quidem, limoſo & craſſo, refocillatis viribus ad ſe rediit. Hæc ſaniùs deinceps degens, dolore reuertente, ſpretis cæteris auxiliis, nullo alio, quam phlebotomiæ antidoto leuabatur.

***

OBSERVATIO L.

De Scirrho ſplenis.

Scirrhus lienis, cauterio ipſi indito, curatus.

SPlenis Scirrhus, morbus eſt pertinax, & qui auxiliis medicis vix ſuccumbit. In quodam, hoc patiente malum, poſtquam varia fui expertus citra vtilitatem auxilia, nullo alio præſidio vſus ſum, quàm Cauterio ad ſplenis regionem affixo. Excitatis namque cruſtulis, & vlceribus fluidis factis, ille à tumore leuatus eſt. Hoc auxilium me docuit Arabum primus Auic. 15. 3. *tract. 2. cap. 7. in fin. §. & quandoque oportet quàm dominatur humor melancholicus, vt fiant cauteria quinque, aut ſex ſupra loca ſplenis, deinde non permittantur ſanari. Quòd ſi non tolerat ignem, adminiſtrentur cauteria ex medicinis, ſicut Emplaſtrum de ficubus & ſinapi, &c.* Sic priſci Emplaſtra apponunt ex Arſenico, Alumine ſciſſili, Calce viuâ. Nam ſecurè ſupra hanc partem vſtiones celebrare poteris: quoniam lien non eſt pars princeps: & aliquando ipſum totum vidit reſectum Rouſſetus *ſect.4. de part. Cæſar. cap.5.* & ipſius particulas excretas fatetur ſe vidiſſe Aretæus *lib.3. acut.14.* & curſoribus ne obſit, aliquando inuritur, ex Plin. *lib.11. cap.37.* & ſine liene homines viuere poſſunt, ex Laurentio *lib.6. de re Anatomic. quæſt.25.* Quare vſtio ſuper ipſum commodè celebrari poteſt, de quo argumento ſat multa Tobias Knoblochius *lib. inſtit. anatomicar. diſput.2. de liene* ſcitè diſſeruit.

OBSERVATIO LI.

De Ictero.

In morbo Regio diuturno, ſi ſanguis ex naribus fluat, cautè ſecanda vena.

FErnelius artis medicæ Coryphæus, quem ætas noſtra & venerari, & admirari debet, memorandam protulit ſententiam, *in praxi* ſummoperè obſeruandam. Sic enim habet *lib.2. de venæ ſect. cap.4. Neque imperitorum more ſi vel nares ſtillant ſanguine, vel vrinæ rubicundæ ſeſe offerunt, protinus imperanda venæ ſectio. Etenim facilè ſanguis prorumpit, non ex plenitudine ſolum, quódque eam vacuationem moliatur natura, ſed aliis compluribus ex cauſis. Quibus enim exeſa ſunt venarum oſcula, quibus etiam viſcera, præſertimque iecur imbecillum, vel ſcirrhoſum euaſit, iis ſanguis ſæpe fluit è naribus, haud ſecus atque Hydropicis, &c.* Inuiſebamus olim tres Medici quinquagenarium, qui ſcirrhosâ viſcerum diſpoſitione multo tempore laborauerat. Huic, cùm ictericus factus eſſet, poſt duos menſes, per nares ſanguis lentè effluebat, qui linteo exceptus, colorem repræſentabat dilutum, non ſecus quàm rubra proluuies, quæ in Hepaticis per aluum excerni ſolet. Hoc cùm mortis ſit præludium, coniunctam Hepatis imbecillitatem, eámque vehementem denuntiat; cuius facultas ita languida eſt, vt proprio munere retinendi vti deinceps nequeat, ſed laxatis vaſorum oſculis, quibus ipſa innititur, dum valens eſt, ſanguinem, præſertim ichoroſiorem, & tenuiorem exire liberè permittit. Hoc facto præſagio, ad roborandum Hepar acceſſi, renutrientéque victu, & fouente vires reſtaurandum eſſe prædixi. Illi verò ob auctam febrim, quæ ex maiori obſtructione ingraueſcebat, (*nam diſcernitur obſtructionis magnitudo ex ipsâ magnitudine febris: vt quæ ex maiore obſtructione maior, ex minori minor inciderat*, ex Gal.8. *meth.4.*) ad deponendam ſarcinam, ſanguinis miſſionem conſuluêre. Verùm cùm ipſi eſſent ætate proiectiores,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 825 sur 927

©BIUM

eorum magis sententiæ inhærentibus affinibus,quàm meo voto eam renuenti, & Fernelij Axiomate munito,ad quinque vncias sanguinem exhauriunt,quem reuertenti mihi cùm ostenderent, ipsum corruptum, & non concretum inueni, quod signum, fibras sanguinis putrefactas, dissolutas, & omnimodam sanguinis corruptionem significat. Consilium adhibitum. Iterum imperant vrgente fluxu,phlebotomiam. Hoc audito protinus discedo,palàm affirmans iugulatum esse ægrotum,quod euentus facilè comprobauit. Nam in eorum præsentiâ,vocato Chirurgo,post sanguinem extractum, obortâ Syncope, animam,pro sanitate promissâ, in Medicorũ sinu misellus deposuit.

OBSERVATIO LII.

De Hydrope.

Hydropis species rara.

D. Nicolaüs Fontanus Medicus eruditus, & doctus, cuius opera ingenua lemnisco digna sunt, elapsis diebus, magnâ festiuitate, me, & alios amicos ad sectionem cadaueris conuocauit, in quo admirandam Hydropis speciem notauimus, Græcis aliisque omnium ætatum Medicis, Aretæo excepto *lib. 4. chroniôn, cap. 1.* incognitam. Vixerat fœmina quædam pauper, pluribus annis de tũmore ventris queribunda, quousque ad immensam molem cum summâ corporis tabitudine, & gracilitate distentus est venter. Hæc, mensibus omnino suppressis, erroneâ diætâ semper vsa est. Quare ob virium iacturam exanimis emoritur. Secto cadauere, adstante peritorum Medicorum coronâ, parua aquæ copia educta est. Iecur lapidosum inuentum. Pulmones,ob aquam, quæ Diaphragma penetrârat, dimidiâ ex parte corruptos vidimus. Resecto ventre ad musculos abdominis, inter Peritonæum & intestina, binas vesicas inuenimus,quarum vna,bouinæ vesicæ vrinariæ(mirum dictu) prægrandis magnitudinem superabat. Iis disruptis, tanta fœtidæ, liuidæque aquæ copia mucoso humori permixta effluxit, vt vas triginta librarum capax adimpleret, quo copioso humore innatus ignis obrutus, est extinctus.

OBSERVATIO LIII.

Emplastrum ad Hydropem vtilissimum.

CVm fastidiosum, atque morosum sit Hydropicorum ad assumenda medicamina palatum, Emplastris Hydragogis ventri appositis pugnare debemus, quæ serosos humores tum exhaurire,tum flatûs dissoluere, & interna viscera roborare queant, quorum omnium præstantissimum est huiusmodi, cuius vi aliqui Hydropici, cæteris non conferentibus, seruato victûs regimine conualuêre. Huius descriptio est hæc:

℞. *Succor. Thymelææ, Ebuli, Cucumeris asinini, Radic. Bryon. Sambuci, an.* ℥ j. *Ciner. vitis, Quercûs, an. p. j. Fimi Columbini,* ℥ ß. *Pulp. Colocynthid.* ʒ ß. *Stercoris vaccini, lib.* ß. *Stercoris Caprin. lib. iiij.*

Bulliant omnia parùm in aceto acerrimo, adde

Sulphuris viui, ℥ *ij. Puluer. Soldanel.* ℥ *ij.* ß. *Vnguent. Arthanit. maioris,* ℥ j. ß. *Vnguent. Aregon, Marciati, Agripp. an.* ℥ ß. *Alumin.* ℥ j. *Farin. Lupinor. Orobi, an.* ℥ j. *Anisi, Cumin. Marathri, Baccar. Lauri, Schœnanth. Spic. Nardi, an.* ʒ j. *Cardamom.* ʒ *ij. Euphorbij,* ʒ j. *Salis communis torrefact.* ʒ *ij. Terebinth.* ℥ *iiij. Picis naualis,* ℥ *vj.*

Misce, fiat secund. art. Emplastrum ventri apponendum.

OBSERVATIO LIV.

Hydropicus, scarificato scroto sanatus.

QVidam sobrius & abstemius, naturâ suâ calidissimus, pustulis, scabritie vnguium,vlceribúsque per ambitum corporis cùm fœdaretur, ex nimio frigidissimæ aquæ potu in Hydropem Ascitem incidit, siti clamosâ vexatus. Cúmque tota corporis moles, laxa & turgida esset, oculorum palpebræ nimis tumerent,crudo aquosóque humore madentes, & scrotum in magnum tumorem accresceret; timor erat, ne suffocato calore subitò occumberet: huic varia Hydragoga exhibita, internæ partes roboratæ, fomenta, Vnguenta, Emplastra applicita, quæ solutione ventris, aquam educerent, crudum humorem in halitum digererent, siccarent, flatuúmque copiam exhaurirent. Cruribus affixæ fontanellæ. A potu aquæ pro viribus abstinebat, licèt Eupatorio, & aliquando radice Tamarisci esset decocta; cuius loco Maluaticum bibebat,victu exiccante semper vsus. Licèt autem venter aliquantulum detumescceret, iterum in maiorem molem eleuabatur, quo tempore corpus, ventre, & scroto exceptis, contabuit nimis. Timens ergò ne Atrophiâ, & macie extenuaretur, & periret, Paracentesi vtendum censui: At cùm ante eius administrationem de scroti mortificatione suspicio esset, ipsum, vt Emplastra à corruptione præseruantia faciliùs penetrarent, leuiter scarificare iubeo, & deinde aquâ salitâ abluere. Hoc opere facto, tanto impetu aqua effluere cœpit, vt Amphoram 12. libras capientem adimpleret, & postea ad tres dies, sensim ac sine sensu plurima aquæ copia emanauit, qui curioso refectus victu, & vino ex Absinthio parato vtens, & cæteris quæ ad rem faciebant, præsidiis recreatus, in pristinam redactus est sanitatem.

OBSERVATIO LV.

Pro Hydrope curando, aquarum Spadanarum vis mirabilis.

HÆc dum scriberem, accessit ad nos Consilium elegantissimum Doctoris Francisci Alvares Lusitani, Medici eximij, incomparabilis, & Reginæ Hispaniarum, Infantísque Archiducissæ Bruxellensis, cubicularij meritissimi, in quo, dum Antuerpiensi Mercatori Hydropico remedia proponit, inter cætera præstantissima præsidia, aquarum Spadanarum potum imperat, cuius mirabiles virtutes appositio raro exemplo sic confirmat: quod huc transferre operæpretium duxi. Monachus quidam Bruxellensis, ætate 75. annorum, abhinc octodecim annis hydropem tympanitem patitur. Singulis annis in hanc affectionem incurrit. Pergit æstiuo tempore ad bibendas Spadanas aquas. Commoratur prope fontem diebus triginta, & seruato regimine, incipit sensim ac sine sensu venter detumescere. Tunc reserantur obstructiones, partium nutrientium intemperies corrigitur,roborantur viscera. His factis redit ad suos sanus. Iterum vigente brumâ, cùm sit senex, caloris natiui inops, prauo victu altus, reincidit in eandem affectionem, potánsque aquas de nouo,adúentante vere, iterum sanitatem recuperat. Distant hæ Spadanæ aquæ à Bruxellis, milliaribus 22. sitæque sunt in territorio Leodiensi, de quarum vi mirâ,pro hoc, & aliis contumacibus morbis curandis, modo, & ordine bibendi eas, fusè satis & doctè,libello quodam egit Henricus ab Heer Tungrus,Medicus doctissimus,& non siluit expertissimus Dodonæus *Obseruat.41.*

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 826 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LVI.

Syrupus de Chalybe, ad Hydropem celebris.

NObiliſſimus quidam iuuenis quùm aſſiduis curis corpus diu maceraret, ob debilitatem ventriculi, flatibus ſubortis, ventrem ſubtumidum ſenſit. Inflantur pedes, tumeſcit vultus, ſiti inexhauſtâ premitur, quæ à potu intendebatur magis. Aderat fluctuatio aquæ, & tumor vbi ipſe cubabat, prolabitur, intus ſonum edens, (Aſciticum diceres) quem Hepatis aliqualis comitabatur durities cum febriculâ coniuncta. Hic poſtquam plurima tentauit auxilia, vix conualeſcere potuit. Accedo ad eum, victum præſcribo. Abſtinentiam à potu impero. Hunc ſyrupum eximium propino. Illius vncias octo, tertio quôque die, ieiuno ventriculo aſſumendas moneo, cuius potum ſuauiter vacuantem quùm octies deguſtaret, ruptâ aluo, diſſipatis flatibus, ſalutem obtinuit.

℞. *Gratiolæ, ℥ ß. Soldanel. ℥ j. Radic. Ireos recentis, ℥ ij. Radic. rubiæ tinctor. Cortic. fœnicul. Petroſelin. Apij, Gramin. Aſparagi, Ruſci, Aſari, an. ℥ ij.*

Macerentur omnia per noctem in vino generoſo. Adde

Radic. Ebuli, Radic. Sambuc. an. ℥ j. Cortic. Radic. Cappar. Cortic. Radic. Tamariſci, an. ℥ j. Vitis Sylueſtris ʒ iij. Helenij, ℥ ß. Eupatorij, Capil. vener. Aſplenij, an. M. j. Sem. Aniſi, Marath. Améos, an. ʒ ij. Paſſular. exacinatar. ℥ j. Cinnamom. ʒ ij. Cicer. Rubeor. p. ij. Betonic. Abſinth. an. M. ß. Sena, ℥ ß. Sem. Cartham. ʒ v. Radicis Cucumer. aſinin. ℥ iij. Origan. p. ij. Sem. Hederæ, ℥ j. Thymelææ, Chameleææ, an. ʒ ij. Cyclamin. ℥ j. Spicæ nardi, ʒ ij. Agaric. Trochiſcat. ʒ vj.

Fiat omnium decoctio ad libras iiij. In prædictâ colaturâ igniatur, & ſepties extinguatur lib. j. Chalybis præparat. Cola iterum, & in colaturâ infunde per noctem.

Rhab. elect. ℥ ß. Syrup. Byzantin. Syrup. Eupatorij, an. ℥ iiij. Syrup. de quinque radicib. & Capil. vener. an. ℥ v. Theriac. antiquæ, Mithridatij, an ʒ iij.

Cum melle, & ſaccharo quod ſit ſatis, iterum omnia bulliant, & fiat iulapium aromatizatum cum Cinnamomi elect. & Radic. Iréos, an. ʒ ß. Hunc interdum aſſumebat aſſumptâ priùs tabellâ Aromatici roſati Gabrielis, cuius deſcriptionem affabrè delineauit D. Nicolaüs Fontanus *in ſuis Pharmaceuticis inſtitut. ſect. 5. cap. 5.*

OBSERVATIO LVII.

Vt venæ ſecandæ, deliteſcentes in Hydropicis & obeſis, emineant, artificium mirum.

CVm Hydropicorum moles tota turgida ſit, & præſertim in extremis partibus, vbi venæ ſectio celebrari debet, quæ aquoſo humore plenæ vehementer intumeſcunt: idcircò venæ ſecandæ deliteſcunt, neque ſcindi poſſunt, licèt Chirurgus cuſpidem ſcalpelli profundiùs intromittat, partem priùs aquâ calidâ foueat, fricet, arctiſſimè liget. Vidi ſæpiùs Hydropicos, valdè obeſos, & pingues in hoc agône poſitos, quos nec Medici, Chirurgiue induſtria, ſanguine vix extracto leuare potuit, quoniam nullo vnquam ingenio ipſi efficere potuerunt, vt venæ quæ ſecandæ erant, apparerent. Tu verò ad hoc opus complendum hoc artificio vtaris conſulo, quod mirabile inuenies. Cucurbitulam magnam, vel volæ manûs, vel plantæ pedis, in quo ſecari debet vena, cum multâ flammâ appone. Poſtquam eſt impoſita, venæ quæ præ carnis mole priùs erant ſubmerſæ, & latebant, attracto vi cucurbitulæ, ſanguine & ſpiritu ad partem, & concitato dolore, illicò eminent: & ſi toto tempore quo fluit ſanguis, eam affixam habeas, fœlicior multò fiet ſanguinis emiſſio.

OBSERVATIO LVIII.

Electuarium Hydropi proficuum.

INter præſtantiſſima præſidia, quæ pro roborando Hepate, frigidáque intemperie auferendâ Medicorum ſolertia adinuenit, hoc eſt præcipuum, quod patientibus Anaſarcam & Tympanitem, ſaluberrimum ſemper inueni. Fitque hoc modo.

℞. *Theriac. Andromach. Mithridat. an. ℥ ij. Conſeru. Stœchad. Conſeru. Flor. Salu. Conſeru. Flor. Anthos, an. ℥ j. ß. Diamargarit. calid. Nicolai cum triplicato Rhabarb. Aromatic. Roſ. Dialac. Diacurcum. Diagalang. Diazingiber. Diaxyloaloës, Diacoſt. Diacymin. Diacalamenth. an. ℈ ij. Trochiſc. ex ligno aloës, Trochiſc. Abſinth. Trochiſc. Rhab. Trochiſc. Eupatorij, Alipt. Moſchatæ, Myrrhæ, Laccæ, Diarrhod. Abbat. an. ℈ ij. ß. Hepat. Lupi, ℥ ß. Ventricul. Gallin. ſiccor. ʒ ij. Cinnamom. elect. ʒ ij. ß. Carnis Paſſular. pinguium, ℥ j. ß. Piperis Albi, Piperis longi, Cubebar. Macis, Maſtich. an. ʒ iij. Sem. Aniſi, Sem. fœnicul. an. ʒ ij. Puluer. ligni ſancti, Radicis Chinæ, an. ʒ ij. ß. Radic. Smilacis aſper. ʒ iij. Ligni vocati Saſſafras, ʒ ij.*

Puluerisanda puluerisentur, & omnia excipiantur cum Syrupo de Eupatorio, fiat Confectio. Doſis vna vncia, ſuperbibitis vnciis tribus maluatici. Vtere diluculo.

OBSERVATIO LIX.

Hydropicus fonticulo ſponte in ſcroto aperto, à morbo liberatur.

ASciticum inuiſebamus duo Medici, cui trium menſium ſpatio varia conſuluimus auxilia, expurgantia, Hydragoga, fotûs, Pilulas, Emplaſtra, Electuaria, roborantia, ſudorifica; at his celebratis æger ſemper in peius ruebat. Ecce vnâ die pruritum ſenſit in imâ parte ſcroti, poſtea partem madidam inuenit. Tandem vi naturæ, aquæ exitum parantis, foramen factum eſt, ex quo ad pondus multarum librarum aqua effluxit; & detumeſcente ventre ſanitatem obtinuit. In poſterum prouida natura vt corpus tueretur, per apertum foramen fontanellæ inſtar, quotidie, aquoſum humorem excernebat in copiâ paucâ, quo fonticulo per multos annos emanante, ſeruato regimine, vitam in longum tempus produxit.

OBSERVATIO LX.

Hydropicus bienniò ab aquæ potu abſtinens, conualuit.

MIratur Galenus *lib. 6. epid. ſect. 4. com. 8.* ſe vidiſſe quoſdam ſanatos, qui per quindecim dies à potu, iubente Deo, abſtinuerunt. Maiorem meretur admirationem, quod ſcribit Plinius *lib. 7. cap. 18.* Iulium Equitem Romanum, toto vitæ curriculo, à potu abſtinuiſſe, & ſic ab Hydrope fuiſſe curatum. Rectè etiam feciſſe arbitror Ruſticum apud Beniuenium *lib. de abdit. cap. 13.* qui per totum annum abſtinens à potu, ab Hydrope conualuit. Aſciticum curaui ſalutis ſuæ amantiſſimum, & obedientiſſimum, qui ſiti clamosâ vexatus, aliquando delinquebat in potu. Conſulo, ſi vitam amet, vt ſex menſium ſpatio merum ſemel in die ebibat. Hilari vultu con-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 827 sur 927

©BIUM

ditionem accepit. Signato tempore hoc potu solùm venti detumescunt pedes, venter fit gracilior, color ex pallido viuidior, minor adest sitis, rugitus in ventre minor, vrina magis cocta. Pergit ad annum integrum eâdem insistens viâ, exiccante regimine vsus. Pedes fiunt graciliores, cibi amplior auiditas adest, maius in exercitio leuamen comparat. Tandem alacrior factus, toto biennio hoc vitæ ordine vsus, pauxillatim maius robur recuperans, perfectè conualuit.

OBSERVATIO LXI.

Hydropici, summâ curâ custodiendi.

HYdrope detenti, licèt aquam in se contineant, sitiunt intensissimè, quia illa est salsa atque nitrosa, & præ morâ, retenta tum calidior, tum nitrosior redditur, ex Aëtio *tetrab. 3. serm. 2. cap. 20.* probat ex multorum mente Marcel. *lib. 4. de histor. mirabil. 21.* Hac siti rabiosâ vexatus, mortuus est Hydropicus sibi indùlgens, qui summâ curâ custoditus, Malagmata sua deuorando, bibendóque suam vrinam, in exitium se præcipitauit, vt firmat Celsus *lib. 3. cap. 1.* Siti ipsâ inextinguibili oppressus est Mönachus, prudens & in humanioribus literis versatus, qui cùm Hydrope laboraret, occluso cubiculo solus relictus, in desperationem veluti redigitur. Hic velut amens intempestâ nocte ingentem pluuiam persentiscit. Surgit è lecto etsi inualidus scipione fultus. Funem, quo erat cinctus, apertâ fenestrâ supra tegulas per quas fluebat aqua, adaptat. Hanc per funem excurrentem quinque horarum spatio absorbet in copiâ multâ. At exhaustis viribus, toto corpore frigidus, motu, sensúque orbatus, ventre turgidissimo, velut exanimis, extincto ob aquæ copiam, pusillo interno igne, velut mortuus cecidit in terram. Diluculo ad eum inuisendum cum custode accedo, eum sine pulsu inuenio, qui post vnam horam excessit è viuis.

OBSERVATIO LXII.

Syrupus, ad Tympanitem probatissimus.

TYmpaniticus nullis vnquam auxiliis leuari cùm posset, hoc syrupo conualuit: nam alternis diebus vnciarum trium quantitate assumpto, vacuatâ pituitâ crassâ, & flatu multo, absolutam consequutus est sanitatem.

℞. Smilac. asper. Ligni Indi, an. ʒ iiij. Radic. Chin. ʒ ij. Ligni Sassafras, ʒ j.

Omnia proiiciantur in vas angusti orificij, in lib. xx. vini albi generosi, actu calidi, per spatium 24. horarum, postea ferueant lento igne ad consumptionem lib. vj. factâ colaturâ, adde

Sem. Anisi, Marathri, Ammèos, an. ʒ iij. Cinnamom. elect. conquassati, ʒ ß. Sem. Carui, ʒ ij. Polypod. quercini conquassat. ʒ iij. Epithym. ʒ ij. ß. Hermodactylor. fractor. ʒ ij. Sennæ, ʒ v. Cortic. fœniculi, ʒ j. Cortic. citri sicci, ʒ iij. Menthæ siccæ, Hyssopi, Betonicæ, Absinth. an. M. ß. Macis, Nucis Moschatæ, Acori, Caryophyllor. an. ʒ ß. Conserv. Borrag. ʒ ij. Conservæ Anthos, ʒ j. ß. Cumini, Agallochi, an. ʒ ij. Pulegij, Origani, an. M. ß. Calamenthi, Satureiæ, Fol. Lauri, an. M. ß.

Iterum omnia ferueant ad consumptionem duarum partium. In colaturâ infunde iterum

Agarici elect. ʒ ij. Rhab. optim. ʒ iij. ß. Mechoac. ʒ ij. Seminis dauci, ʒ iij.

Postea colentur omnia, & cum Saccharo clarificato quod sit satis, fiat Syrupus sec. art. Aromatizatus cum ʒ j. Cinnamomi, & ʒ ß. Aromatici Rosati.

A Vidi Asciticum, qui solo vsu Rhabarbari conualuit, euacuato seroso humore per aluum, & vrinam. Eo masticato, & in pilulas redacto, & vsu aquæ cum eo decoctæ, & infuso in vinum, trium mensium spatio vsus est, & miraculo quodam detumuit venter, & viscera sunt roborata. De cuius mirando pro hoc morbo vsu, lege Adolphum Occo *lib. 2. consilior. per Scholtz. publicat. pag. 169.*

OBSERVATIO LXIII.

In Hydrope, morbísque frigidis, aliquando vrina rubescit.

B FAmigeratissimus auctor Auicenna *2. 1. doct. 3. c. 2.* de significationibus coloris vrinæ, sic præfatur: *Causa verò, ob quam vrina existit rubea in egritudinibus frigidis, est vna harum rerum, aut fortitudo doloris, qui choleram rubeam resoluit, sicut in Colicâ accidit frigidâ; aut Oppilatio, quæ facta fuit ex superatione Phlegmatis in canali, qui est inter fel, & intestina, quapropter fel ad intestina non descendit, sicut solebat: immò vrinæ societas est ei necessaria, cum quâ egrediatur, quemadmodum accidit in Colicâ frigida. Aut propter debilitatem Hepatis, & suæ virtutis defectum, quæ inter aquositatem, & sanguinem, separationem facere non valet, sicut accidit in Hydropisi frigidâ, & in egritudinibus debilitatis Hepatis secundùm plurimum, quoniam propterea ea* C *vrina est similis loturæ carnis recentis. Aut propter constrictionem, quam Oppilationes fecerunt, & mutatur color Phlegmaticus in venis propter aliquam putrefactionem, quæ ei accidit, &c.* Hæc Auicenna, Apollineæ artis gloriâ celebris. Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 7.* in quotidianâ rubram vrinam apparere asserit. Ex quibus constat ob quas causas in frigidis morbis vrina rubra appareat. Adde tu, ex attritu calculi prægrandis, hic enim cùm angulosus sit, egrediens, proximas particulas vulnerat, & cruorem euocat, auctore Galen. *6. epid. sect. 1. com. 6.* vnde apud Hippoc. hoc in loco, *calculosi cruentum meiunt.* Ex retentione menstruorum, quando cum vrinâ permiscentur. Ex debilitate renum, & venarum oris rarioribus, sangui-
D nem tenuem demittentibus, iuxta Senis Oraculum *lib. 4. aphor. 78.* dicentis. *Quicunque sponte sanguinem mingunt, ijs à renibus venula rupta significatur.* Multis ergò de causis contingit vrinam in frigidis morbis, & Hydrope apparere rubentem. Has cùm non aduerteret quidam Medicus, Hydropicum ex acuto morbo curaturus, in quo febrilis calor restabat, ob hunc, & vrinæ rubedinem, frigidis exhibitis, illum ad extremam maciem, subortâ difficili respiratione deduxit; vrinæ rubedinem ex Hepatis ardore, ac phlogosi, vt in febribus ardentissimis, oriri existimans. Nos contrà, ex Iecoris & venarum imbecillitate, rubram hanc saniem, ob quam tingebatur vrina, ortum ducere arbitrantes, medicamentis Ventriculum & Hepar roborantibus, & calefacientibus imperatis persanauimus, vt exiccante diætâ, Diacinnamomo, generoso vino, & aliis, quibus, cùm nutritionis officinæ ex præcedente morbo debilitatæ vigorem assumerent, conualuit, & vrinæ color similis naturali apparuit. Consule de hoc argumento Martinum Rulandum *lib. 1. Problemat. medicophysicor. 32.*

OBSERVATIO LXIV.

Hydropis species rara.

DVm pro tertiâ Praxis huius admirandæ editione, eiúsque historiis illustrandis, aliquid effatu dignum meditarer, accessit ad manûs meas Epistola elegantissima Doctoris Michaëlis Ruperti Besleri, Medici

©BIUM

Medici Noribergenſis celeberrimi: in quâ erat deſcripta Obſeruatio admirabilis de Hydrope, quam hiſce inſerere placuit: nam rara eſt, ſcitu digna, & vtiliſſima. Ego, venerande Zacute, (inquit Vir doctiſſimus) nil præter admirandum, ex humani corporis ſcrinio muliebri, tanquam mirabili, & nobis in variis recondito deſumptum, bonâ fide, quòd oculis viderim, & manibus palpârim, tetigerimve, communico. Anno enim præterito, 1638. die trigeſimo Septembris, Virgo 48. circiter annorum, iam per ſex annos ægrotans, ex ingenti corporis intumeſcentiâ, vlnas duas, & quartam vnam in circumferentiâ ſuperante, multis ab aliis incaſſum tentatis remediis, menſium acciſionem reſpicientibus, ſuffocatione expirauit. Abdomine aperto, menſuræ 46. humoris non ſeroſi, ſed muſti inſtar effluebant. Omentum duplicatum omni ex parte ſanioſum, aliis officinæ naturalis viſceribus optimè conſtitutis: Ego enim ipſe ſcalpelli acie, omnia membra non tam nutritioni quàm generationi inſeruientia ſollicitè inſpexi ac indagaui, quæ tamen ſanam hominis conſtitutionem repræſentabant. Naturæ luſum circa renes, & vaſa emulgentia animaduerti; quatuor enim venas emulgentes in latere ſiniſtro, non confuſas, nec intricatas, ſed leui negotio ſeparabiles deprehendi. Aperto thorace, dexter pulmonis lobus ita coſtis adhærebat, vt vix violenter ſine dilaceratione dimoueri poſſet. Cordis corpus grumoſo repletum ſanguine, quod in ſuffocatis familiare.

OBSERVATIO LXV.

De Lumborum dolore.

Lumborum ſæuus dolor, impoſitis ſupra lumbos Hirudinibus, curatus.

DE ingenti dolore lumborum querebatur Iuris peritiæ Doctor quidam Inſignis, cui cùm varia à variis Medicis eſſent celebrata auxilia, & nec Phlebotomiæ ex ſuperis, & inferis partibus celebratæ, ſcarificatæ cucurbitulæ, hirudines ſedi appoſitæ, Medicamenta purgantia, omnis generis Fomenta, Balneum, opem afferre poſſent, ſolùm hirudinibus ſuper lumbares muſculos appoſitis, & nimiâ ſequutâ ſanguinis copiâ, leuatus eſt.

OBSERVATIO LXVI.

De Calculo renum.

Lithiaſis, Balſami vſu, curatur.

ANnus agitur 38. ſi rectè memoro, quo Præceptorem meum celebrem in praxi ſequutus, vidi Lithiaſis mirabile exemplum. Erat Sexagenarius, frigidi temperamenti homo, qui ob ingluuiem multam, flatibus, mucoſâque pituitâ, præſertim in primâ regione ſcatens, arenulas rubras quandoque excernebat. Auctis cruditatibus, ob reprobum alimenti vſum, in Lithiaſim incidit: nam ſemel ſuppreſſo lotio, excreróque deinde paruo, cum Renum, & Ilium dolore, calculo, meliuſculè habuit. Hic præter purgationes varias, paratas præſertim ex Terebinthinâ Abietinâ diuerſo modo exhibitâ, cuius vi mucilaginoſam per aluum pituitam excernebat, & vſu aſſiduo aquæ concoctæ cum ligno illo Indico, quo aqua Cæruleum diluriorem colorem contrahit, & vocatur à Monardo, *Nephriticum*, biennio ſanus euaſit. Poſtea exaſperato, vt ferè ſolet, malo, ſupprimitur omnino vrina, adſunt vrererum, & renum cruciatûs immanes, quorum ſæuitie plures noctes inſomnis traduxit. Vocantur de nouo Medici, quorum conſilio enematis emollitur aluus, expurgantur excrementa, diſcutiuntur flatûs, miniſtrantur Vnguenta, Fomenta, & Emplaſtra, ſuperiores & inferiores venæ ſecantur, ano hirudines admouentur. Balneum applicatur oleagineum, lapidem comminuentia auxilia imperantur. Omnia licèt vtilia, citra commodum tamen celebrantur: nam auctâ grauitate in lumbis, & per octodecim dierum ſpatium retentâ vrinâ, per interualla iam Epilepſiâ vexabatur. Demùm cùm nulla eſſent prætermiſſa quæ calculi comminutionem pollicerentur, & æger conclamatus eſſet, toto corpore tumidus, diróque dolore in Ilium regione oppreſſus, præſcripto Medicorum Oleum Amygdalinum recenter paratum cum guttulis Balſami permixtum lambere cœpit, cuius auxilij ope aliquantulum recreatus, per ſedem, viſcidum humorem, & per vrinam, arenulas minutiſſimas excreuit, & in eodem auxilio perſiſtens, cum vrinâ cruentâ, calculum purpureum, oblongum, aſperum, duriſſimum, nucleo Dactyli magni aſſimilem excreuit, liberéque iam vrinam reddens, maiorem quantitatem Amygdalini, vſque ad vncias tres, & Balſami vſque ad vnciam dimidiam aſſumens, decem dierum ſpatio 65. calculos emiſit, duros, ciceris formâ, & magnitudine. Tandem proſtratis viribus, ſenſim & ſine ſenſu conualeſcere cœpit. Huius ſolùm auxilij beneficio in poſterum præſeruatus: nam ieiuno ventriculo, dimidiam Amygdalini vnciam, ſex Balſami guttulis permixtam abſorbebat, cuius præſidij ope, ſabuloſam vrinam excernens in multos annos vitam produxit. Magna ergò eſt Balſami, pro hoc morbo, & aliis frigidis curandis vitiis, vis atque poteſtas, cuius vſu, ſe liberâſſe ſcriptorem qui erat in conditione mortis à lapide, gloriatur Auenzoar *lib. 2. Theizir, tract. 2. cap. 7.* Si verum Balſamum deſit, eius loco vtere Stacte, id eſt Myrrhæ pretioſiſſimâ guttâ, vel Orientali, aut eo quod ex Peruanis Inſulis afferri ſolet, quod mirabiles præſtare vtilitates, veterum & iuniorum diligentiſſimi literis commendârunt. Memini me pluries calculos magnos, renum cauo tenaciter impactos, vſu ſtillatitiæ aquæ ex *Nicotianâ viridi* extractæ, in potum exhibitæ, per vrinam deturbâſſe. Si ea deſit, eius decocto vtere cum vtilitate multâ.

OBSERVATIO LXVII.

Lithiaſis, Belzaartici lapidis vſu, curatur.

LApidem Belzaarticum ad calculum frangendum eſſe ex vſu, nullus hactenus explicuit, excepto Lacunâ Medico celeberrimo; is enim *in ſuis doctiſſimis commentarijs Hiſpano Idiomate conſcriptis ſuper Dioſcoridem lib. 5. in com. cap. 72.* hoc affirmat. Tanti viri doctrinam hoc exemplo veram eſſe deprehendi. Quidam in vrinæ ſuppreſſionem ſæpè incidebat, à craſſiuſculis arenulis, ſabuloſâque materiâ ſubortam, quæ in viis vrinæ ita tenaciter hærebant, vt nullis medicamentis abſtergi poſſent. Sed cùm variis medicamentis tractatus eſſet, aucto tamen malo quotidie, indies magis ac magis quatiebatur immaniter. At lapide Belzaartico duorum menſium ſpatio, octo granorum pondere deuorato cum auis iure, à tanto malo conualeſcere cœpit. Hoc ergo auxilium inter præſtantiſſima, & efficaciſſima huic vſui præſidia, Medici poſthac celebrent eſt neceſſe.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 829 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LXVIII.

Renalis, mirę formę, coloris & magnitudinis, lapis.

VSitatum, & quotidianum est, calculos è renibus excerni, in eis natos, & adauctos, magnos, & paruos, duros, & leues, oblongos, acuminatos, latos, angustos, rotundos, planos; tamen, vnum, ob singularem colorem, formam, & magnitudinem in fœminâ notaui, quæ septem diebus excruciata Ilium dolore sæuo, tandem expulso, præsidiorum ope, à calculo euasit. Forma illi erat rotunda, instar Auellanæ nucis, durissima, color nigerrimus, lapidis Gagatis instar. Pendebat grana 49.

OBSERVATIO LXIX.

Vrina micta tota fabulosa, 40. annis, citra incommodum vllum.

PRoponam exemplum rarum, quod semel conspexi in vitâ meâ. Vidi Germanum bilioso temperamento præditum, qui cùm parentes habuisset calculosos, ille quadraginta annorum spatio, vrinam minxit fabulosam, citra morbum aut incommodum vllum. Hic licèt vario victu vteretur, & interdum selecto, tamen totam quam excernebat vrinam, videres illicò in matulâ, postquam refrixerat, velut terram argillosam, calculis plurimis, sinapi instar, refertam. Collectam vno die iussi vt seruaret: ad Solem siccaui: remansit arena crassior, quæ posita ad stateram, libram & dimidiam pependit. Alium vidi Anglum, pituitoso temperamento præditum, qui similem vrinam reddebat, sed non in copiâ tantâ. Ex interuallis suppressione vrinæ vexabatur, quæ decem guttulis Olei terebinthinæ in vnciis tribus Vini Rhenani assumpti, cessabat.

OBSERVATIO LXX.

De Calculo Vesicæ.

Inuentus in Vesicâ, mirę magnitudinis, lapis.

VIr ingeniosus, & doctus, viginti annis calculo vesicæ laborans, tandem omnino suppressâ vrinâ, immani cruciatu vexatus vitam finiuit. Inuentus est in vesicæ capacitate lapis rotundus durissimus, albicantis coloris, pendens 18. vncias. Alium è dissecto corpore extractum mihi ostendit D. Antonius van der Linden, huius vrbis Medicus doctissimus, & expertissimus, 32. vnciarum pondere constantem, durissimum, compactum, silicis colore, triangularem, ex quo cum ferro, vt ex silice, eliciebatur ignis. Hic vndecim annis supprimens vrinam, ægrum tandem, eâ omnino retentâ, ad interitum perduxit. De altero lapide huic simili vide Paréum lib. de monstris, *cap.* 19.

OBSERVATIO LXXI.

Excrescentia carneâ in vesicâ enata, & inuenta, calculum ementiens.

MVlta monstrosa in vesicâ innasci, certum est, quæ lapidem sæpè ementiuntur, vt Membranæ neruęæ, Globi Crystalliformes, incredibilis quantitas pituitæ, & alia mira, quæ intus coërcita. deinde excernuntur cum vrinâ. Narrauit mihi per A litteras excellentissimus Doctor Ludouicus Nonnius, Medicus Antuerpiensis dexterrimus, & vir omnium peritissimorum calculo doctissimus, in quodam nobili Lusitano post grauissimos vrinæ cruciatûs, quùm omnes eum calculo laborare arbitrarentur, dissecto cadauere, in vesicâ repertam fuisse durissimam carneam molem, quæ vix nouaculâ dissecari potuit, simúlque iuxta vesicæ collum, inuentum fuisse tumorem instar oui anserini, viscidâ, tenacíque materiâ plenum. Totum verò vesicæ corpus erat adeò callosâ carne refertum, vt sex vncias vrinæ vix continere posset, vnde assiduus mictus.

OBSERVATIO LXXII.

De Morbo Pilari.

Trichiasis renum historia mira, eiúsque curatio.

NOn agimus hoc loco de morbo pilari, quem malum pili vocat Aristot. 7. *de histor. animal.* 11. putátque euenire, quando in poculo pilum hauserit mulier, quo hausto, dolor mouetur in mammis, qui non cessat, donec pilus exeat sponte, vel cum lacte sugatur. Cùm enim Mammillæ fungosæ sint, & raræ, ob sanguinis ad vbera confluxum, eò penetrat. Ita arbitrantur Alzarauius *tract.* 14. *cap.* 2. *pract.* Plin. *lib.* 31. *cap.* 18. Cardan. *lib.* 8. *de variet.* 44. & alij. Hanc opinionem ob multas causas esse vanam proclamat Rondeletius *lib.* 18. *aquatil.* 23. Sed disserimus de morbo pilari, quando cum vrinâ pili excernuntur, de quorum descriptione, generatione, causâ, & curatione, appositis historiis, pulchra pronuntiant Gal. 4. *aph.* 76. Actuarius *lib.* 1. *de caus. vrinar.* 21. Doctissimus Gregorius Horstius apud Hildanum *lib.* 5. *centur. Chirurg.* 50. Durantes Scacchus *lib.* 2. *de affect. Vesic. cap.* 12. Musa, & alij interpretes *ad cit. loc. Aphorismor.* Quidam in declinante ætate constitutus, octo annorum spatio, lentam pituitam per vrinam excernens, commodâ diætâ, vacuantibus, diureticísque vsus, vix præseruari potuit, quin filamenta longa, & alba (lumbricos diceres) per eandem viam sæpè cum mingendi difficultate excerneret. Adhibita præsidia vtilia plura, sed non profuêre: nam triduò, pilos palmi longitudine, crassos, & duros, (setas porcinas veriùs nominares) in multâ copiâ, præcedente Ischuriâ per vrinam detruśit, qui à mucoso humore, nimis tamen adusto, & rerorrido ortum ducebant. Visis his Balneum administratur, propinatur Serum lactis Caprini cum iulapio violaceo, vel Rosaceo permixtum. Chalybis succus in vinum solutus exhibetur ad semiunciam cum duabus vnciis aquæ Alkekengi. Quibus cùm nihil proficerer, ope aquæ stillatitiæ Terebinthinæ per mensem assumptæ in totum est leuatus, de cuius vi latè *infrà obseru.* 180. disseremus.

OBSERVATIO LXXIII.

De Suppressione vrinæ.

Ischuria Admirabilis.

PEr penem, è toto corpore, renibus, vesicâ, & aliis partibus, mira excerni, arenas, calculos mucosam pituitam, pilos, grumos, varia animalcula, eáque sæpe viua, auctorum obseruationibus sancitum est, quæ per vrinarios meatûs impacta, suóque corpore obturantia vias, supprimere vrinam, res est manifesta. Ego raram huius morbi causam enarrabo. Vocatus vt inuiserem causarum Patronum, ingluuiei deditum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 830 sur 927

©BIUM

deditum, Bacchi amantiſſimum. Is lumborum, Ilium, inguinúmque dolore, vnà cum omnimodà vrinæ ſuppreſſione afflictus, confeſſus eſt, ſe à pluribus annis, ter aut quater in menſe, filamentum, calami ſcriptorij craſſitie, dimidij palmi longitudine; his præcedentibus ſymptomatis per vrinæ viam ſummo labore expellere, & ſic nullis iuuantibus, ita miſerrimè traducere vitam. Hoc audito, ad præſeruationem accingor, bonâ victus cuſtodiâ illum guberno. Expurgo corpus, Fontanellas cruribus affigo, & alia præbeo, quæ vias vrinarias à ſabulo abſtergunt. Dum hæc molior, ecce vnâ nocte eadem apparuêre ſymptomata, filamenti latentis præſagia certa. Emollientia paro Vnguenta, fomenta, inſeſsûs, & Balnea Anodyna. Poſt ſeptem dies, omnino ſuppreſsâ vrinâ, filamenti cuſpis in ore virgæ viſa eſt, hanc antequam forcipe extraheremus, anticipauit mors; nam æger ſubitò conuulſione oppreſſus, fortè à vapore putrido retentæ vrinæ ſubortâ, repentè occubuit.

OBSERVATIO LXXIV.

Iſchuriæ ex grumo ſubortæ, auxilium optimum.

EX grumo vrinam ſupprimi, teſtis eſt Galenus *lib. 6. de loc. cap. 4.* Ex eo concitari ſymptomata veneno ſimillima, idem prodidit *lib. eodem, cap. 3.* dum ſic ait: *Ad grumos enim vocatos, qui vel in veſicâ continentur, Thorace, Ventriculo, Inteſtinis, animi defectio, & pallor ſequi ſolent; pulſus verò paruus, & obſcurus, frequénſque apparet; & laborans ipſe cum anxietate reſoluitur*, &c. Repetit *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap. 4.* firmat Auicen. *6. 4. tract. 3. cap. 20.* Nam ſanguis cùm ſit optimus, quando putrefit, mutatur in peſſimum, ob multas cauſas prolatas à Baptiſta Theodozio *epiſt. 23. in init.* & Thomâ à Veiga *in com. cap. 5. lib. 6. Galen. de loc. affect.* His perniciosis ſymptomatis, immedicabiliter ſuppreſsâ vrinâ correptos vidi, quos nec communia auxilia, nec Cardiaca iuuare poterant, quæ aduersùs corruptos halitûs, vires noſtras diuerſimodè proſternentes, ex hoc grumoſo ſanguine elenato, commendari ſolent ab Aëtio *Tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 27.* qui ſolo hoc ſunt reſtituri, & eſt ſtercus Bouinum, quàm recentiſſimè adhuc excretum, quo ſi pectinem, pudendum, & partes intra anum, & teſtes, pauco ſpatio perungas, manabit vrina, miteſcent ſymptomata. Si recentiſſimum deſit, vtere ſicco cum appropriatis Oleis ad ignem permixto. Hoc præſidium acri ſuâ vi naturam ad vrinæ excretionem proritat, caliditate obſtructas partes aperit, fundit, liquat grumos, & eos natiuâ quadam proprietate diſſoluit.

OBSERVATIO LXXV.

Lapis in fine virgæ impactus, lotij omnimodam retentionem efficiens, glandis inciſione, extrahitur.

EX lapide in virgæ extremitate impacto ſupprimi vrinam fatentur Auctor *lib. de Ren. dignot. & medicat. cap. 3.* Aëtius *Tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 4.* Quidam quùm Nephritico dolore cruciaretur immaniter, & Balnei emollientis vi, lapis ex renibus ad præputij extremitatem expulſus, ibi tenaciter impingeretur, nouem diebus, vrinâ ſuppreſsâ, malè habuit. Et cùm ingraueſceret malum, & Cachecticus, diſſeminato iam ſero per corporis molem, appareret, nec Balnea, fomenta, & emollientia, quæ ampliarent canalem, dolorémque lenirent, prodeſſe poſſent, ad ſectionem, ægro annuente, accedo: quùm enim eſſet animoſus, maluit ſemel dolorem pati, quàm turpiter ob ruſticum timorem occúmbere. Sectio à perito Chirurgo infernè facta celebratur, & lapis volſellâ extractus. Vrinæ tanta copia, & tam horribili odore infectæ effluxit, vt multas libras æquaret, & adſtantes inficeret. Poſt reſtrictum ſanguinem, ſciſſura præputij quàm diligentiſſimè fuit conglutinata. Lapidis forma erat ſicut nucleus Dactyli maximi, duriſſimus, aſper, conſtans pondere granorum 30.

OBSERVATIO LXXVI.

A lapide in virgâ impacto, mors ſubſequuta.

CHirurgus peritus impacto in medio virgæ lapide, 15. diebus habuit vrinam ſuppreſſam, quæ nullis vnquam auxiliis effluere potuit. Poſt mortem, ſecto pudendo, inuentus eſt lapis magnus, rotundus, duriſſimus, rubri coloris, aculeis vndique in orbem conſtans, pondere granorum 45. qui larga priùs ſequutâ Hemorrhagiâ, hominem iugulauit.

OBSERVATIO LXXVII.

Quidam ob lapidem in virgâ impactum, velut deſperatus, audaciâ curatus.

LAborauerat octo continuis diebus vrinæ omnimodâ retentione vir quidam ſatis robuſtus, & fortis, ita vt hoc malo perterritus, de ſalute, & vitâ iam deſperaret ipſe; cúmque plurima pro excernendo lapide eiúſque comminutione à Medicis exequerentur auxilia, quorum vi, cùm ad virgæ extremitatem lapis eſſet protruſus, ibíque tenaciter adhæreſcens, nullâ vi, aut medicamentorum ope educi poſſet, nec ad ſciſſuram, ob metum annueret æger, quam nos ſalubrem, & proficuam fuiſſe multis, illíque vtiliſſimam futuram prædiximus. Ille, pudendum, ob lapidis molem, tumidum valdè, ſuper ligneam tabulam in ſcamno ſedens imponit, & indignabundus, aut potiùs, ex vigiliis, & dolore veluti amens, vehementiſſimo pugno, pudendum concuſſit, & lapidem comminuit, cuius fruſtula parua cum vrinæ copiâ illicò excreta, illum à mortis faucibus liberârunt. Nec mirum: *Nam quos ratio non iuuat, temeritas ſanat*, apud Celſum *lib. 3. cap. 9.*

OBSERVATIO LXXVIII.

De Mictu ſanguinis.

Mictus ſanguinis, criticus.

QVidam gulæ meróque deditiſſimus, ſæpè in febrem ardentem incidebat. Hoc morbo ſexdecim annis afflictus, vel mictu meri ſanguinis, quantitate librarum duarum, magis aut minùs pro copiâ grauantis plethoræ, vel venæ ſectione, ſi mictus non erat copioſus, à cauſo immunis fiebat.

OBSERVATIO LXXIX.

De Vrinæ ardore.

Sæuus vrinæ ardor, ex glandularum vrethræ adiacentium ſiccitate nimiâ ſubortus, Balneo lactis curatur.

ASiccitate glandularum vrethræ adiacentium oriri ardorem vrinæ, firmat Galenus *lib. 14. de vſu*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 831 sur 927

©BIUM

vsu part. cap. 11. explicant Auicenna 18. 3. *tractat.* 2. *cap.* 3. acutissimus Duretus *in comment. cap.* 50. *lib.* 1. *de morb. intern. Hollerij.* & hoc exemplo fiet manifestum. In retorridam febrem incidit iuuenis quidam Veneris deliciis nimiùm incumbens. Hic cùm præ febrili æstu contabesceret valdè, reliquúmque corpus ita aridum haberet, vt nihil præter ossa, membranis & cute obducta cernerentur, & quasi sceleton videretur, vehementissimo vrinæ ardore corripitur. Medici, hoc vitium, ex crassis lentísque succis, ex imbecilli calore pronatis, cui biliosi salsíque humoris copia erat permixta, originem ducere arbitrantur. Sícque auxilia parant calida, extenuantia, cùm frigidis vrinam prouocantibus permixta, & alia etiam exhibent, quæ internum ardorem mitigare queunt. Sed omnia nulla: nam ferociùs exasperabatur malum, vigiliis, ac doloribus corpus tabidum consumens. Affines me vocant. Corpus totum, & præsertim partes genitales omni depopulatâ humiditate, corrugatas inuenio, pudendum & testes summè graciles contemplor. Præsidia celebrata inquiro. Hunc ex glandularum collo vesicæ adiacentium exsiccatione summâ, & humiditatis in eis sitæ, quæ lotium suapte naturâ mordax, & acre retundit, resolutione, in hunc morbum incidisse ratus sum. Quare semicupium paro his partibus humectandis accommodum, factum ex decocto Violarum, Maluarum, capitis, pedum, & intestinorum Castrati, cui libræ duæ Olei Violacei, & libra vna olei erant admixtæ. Ingressus in id, leuamen sensit. At Balneo ex lacte Vaccino tepido cum Amygdalini copiâ, quo partes pudibundæ fouebantur, omnino conualuit. Tandem lacte, & restaurante cibo renutritus, à tabe euasit.

OBSERVATIO LXXX.

De Diabete.

Diabetis historia mira, eiúsque curatio.

Diabetes, lethalis propemodum est affectus: in quo colliquatur corpus, vrina cum nimio ardore excernitur, viscera vri videntur, pertinax sitis super sitim inexplebiliter exercet, vt licèt potum assumere conentur, nunquam satientur, propterea quòd epotum per lotium citissimè excernitur. Rarus affectus. Gal. bis vidit, *lib.* 6. *de loc.* 3. Rabbi Moses nunquam. Alij semel viderunt. Ego quinquies. Tres periêre. Duo hac curati viâ, euasêre. Horum vnus ætate florens ita squallidos habebat Renes, vt folia Nymphææ illis imposita, momento temporis Chartæ Pergamenæ instar durissima redderentur. Alter meracioris vini potui nimium indulgens, paruo tempore, plures ingentésque calices exiccabat, clamosâ siti oppressus, sed quicquid bibebat, illicò odore, sapore, colore inalteratum mingebat, & quod omnem fidem superat, intra horæ spatium 20. libras aquæ ebibens, eundem potum, qualem hauserat, limpidissimum, per vrinam excernebat. Hos iam tabescentes curaturi, plura pro eorum salute doctè satis machinati sunt auxilia, phlebotomiam, purgationes ex refrigerantibus, & roborantibus medicamentis conflatas, Balnea, Potiones, Vnguenta, Cataplasmata, & Epithemata varia, quibus cùm nec tantillum leuarentur, ad fontanellas brachiis, & cruribus affixas accessêre, sed citra commodum vllum: nam malum ferociùs infestabat cum inextinguibili siti coniunctum. Quare Medici consilij inopes eos tanquam deploratos reliquerunt, qui deinceps lactis Asinini Chalybéati potu vnius mensis spatio nutriti, & Philonio Persico ex interualis assumpto, à tanto malo, me iubente, fuêre incolumes. Hæc enim medicamenta, viscerum, renúmque ardorem compescunt, humoris salsi, & biliosi acrimoniam retundunt, somnum conciliant, & vrinam retinent. Legendus in hanc rem Vidus Vidius Iunius *lib.* 10. *de curat. memb. cap.* 26.

OBSERVATIO LXXXI.

De Inguinum dolore.

Immanis inguinum dolor, saluatellæ sectione curatur.

Studiosus quidam Belga, cùm assiduis vigiliis, sedulâque librorum lectione corpus macerat, essétque calidissimi temperamenti, in febrem incidit ardentissimam, quâ curata, ita de inguinis dextri dolore immaniter questus est, vt nullis vnquam auxiliis leuari posset. Applicita Anodyna, imperati refrigerantes Clysteres, qui adustum calidúmque humorem ab Hepate confluentem mitigare, & leniter vacuare possent. Venæ tam superiores, quàm inferiores sectæ sunt. Impositæ in ano, & parte affectâ hirudines. Tandem in Balneum ex modicè discutientibus paratum ingressus nihil adiumenti persensit, sed dolore aucto duobus diebus inconniuis oculis, ob doloris sæuitiem perseuerans, veluti amens de salute suâ desperabat. De Narcoticis in potum assumendis consilium fuit inter medentes celebratum. Sed secta fuit primò saluatella dextra: post eius sectionem, ita incantamenti modo, à dolore leuatus est, vt Iecinore Epithematis roborato, post paucos dies à dolore omninò fuerit immunis. Mira ergò est in productis Hepatis morbis, saluatellarum vtilitas, assiduo experimento confirmata.

OBSERVATIO LXXXII.

De Hæmorrhoïdibus.

Hæmorrhoïdum doloribus diuturnis, fontanella in crure aperta, vtilissima.

De dolore Hæmorrhoïdum cæcarum querebatur quidam, qui eâ de causâ debilis, decolor, & extenuatus reddebatur. Cúmque dolor hic à copiâ sanguinis crassi, & nigri ad mariscas delati originem duceret, & venæ illæ atro sanguine turgerent, impositis hirudinibus, fomentis, lauacris, Anodynis ad tempus cessabat, sed cùm partes superæ fæculentum humorem natiuâ quadam sorte ad inferas detruderent, de nouo quasi in orbem rediens affectus exasperabatur. Administrata expurgantia, & ea quæ hepar, & lienem ab huius terrestris humoris sarcinâ exonerarent. Tandem nullo alio præsidio leuatus est, quàm fonticulo in crure adaperto; cuius vi cùm teter humor vacuaretur, dolor cessauit ab eodem humore pronatus, qui ad Hæmorrhoïdales venas defluere solebat, ex quo inflammationes, vlcera, fistulæ in posterum suboriri consueuerunt, vt inter omnes scitè notauit Andreas Alcacar *lib.* 5. *de morbo Gallico, cap.* 22. quæ, & alia miseranda mala eueniunt, quando consueta per has venas vacuatio cessat, quæ ex professo recensent Hippocrates 6. *aphor.* 12. & 6. *epid. sect.* 3. *text.* 36. repetit Gal. 2. *de facult.* 8. *lib. aduers. Erasistratum cap.* 5. *lib.* 4. *acut. comm.* 111. & alibi sæpè. Tunc si vacuantia non iuuent, neque sanguis extractus ab illis partibus leuamen afferre possit, miro quodam modo hanc vacuationem supplent fonticuli cruribus affixi: vt proprio experimento obseruauit Amatus 4. *centur.* 56. Nam *Fontanella supplet vicem purgationis, & phlebotomiæ,*

temie, vt doctiſſimè aſſeuerat Guido *tract. de cauteriis, doct.* 1. *cap.* 6. & probat Eruditiſſimus Thomas Fienus *lib.* 1. *de cauteriis*, *cap.* 5. explicat Hermannus Follinus eius interpres luculenter.

OBSERVATIO LXXXIII.

Vt venæ internæ ani ad hirudinum impoſitionem emineant, remedium præſtantißimum.

PHarmacopola ditiſſimus quùm de Hæmorrhoïdum dolore ex interuallis quereretur immaniter, ceſſarétque ſemper ad humoris huius excretionem. Ecce huius vacuationis defectu, in melancholiam incidit. Pro quâ curandâ, varia tentata ſunt, auxilia, quæ diminutam, aut retardatam vacuationem illam ſupplerent, vel prouocarent, inter quæ hirudinum ſuper mariſcas impoſitio primas tenet, quæ cùm ter citra vtilitatem iam eſſent applicitæ, propterea quòd ab externis ani venulis animalcula ſugerent. Superueniens ego, priùs benè penſatâ re, iterum eas affigere conſulo, admotâ tamen priùs cucurbitulâ, quæ totum anum comprehenderet. Tanti fuit momenti inuentio hæc, vt venarum orificiis, quæ intus latebant, eminentibus, hirudinum ope, largum ſequeretur ſanguinis effluuium, & ſic ratione talis humoris vacuati æger in poſterum pancraticè vixit. Hæc enim eſt cauſa, ob quam plures, ex huius auxilij pro melancholicis morbis curandis, laudatiſſimi, adminiſtratione non leuentur, quoniam Chirurgi extimæ ani ſuperficiei, & circumuicinis partibus, non internis venulis, ſed ori Hæmorrhoïdalium externo frequenter applicant, quare extracto tenui ſanguine ex carneis poris, non craſſo, lutulento, & tetro, qualem venæ internæ naturâ ſuâ effundunt, ægri, tantùm abeſt, vt commodum ſentiant, quin debiliores facti ſpirituoſo vacuato ſanguine recidant in peius. Eruditiſſimus Medicus Donatus-Sanctorus *lib.* 5. *epiſt.* 4. omnino legendus, qui de hirudinum vi mirabili pro hauriendo ſanguine fæcali, & melancholico, & curandis morbis ab hoc fœdo ſucco pronatis, pulchra edocuit.

OBSERVATIO LXXXIV.

De Hernia Aquoſa.

Hydrocele, immiſſo Siphone, curatur.

NEc teſtibus ſua deſunt mala. Aliquando enim humor ſeroſus, aquoſus, & lentus deſcendit in ſcroti membranam Erythroïdem, teſtem continentem. Latini, & Auicen. 22. 3. *tract.* 1. *cap.* 6. Ramicem aquæ appellant. In ætate conſiſtente conſtitutus quidam, à latente, & non manifeſtâ cauſâ in hoc incidit infortunium, & ſiniſtrum teſtem ita tumidum habebat, vt humani capitis magnitudinem ſuperaret. Hic erat natiuâ ſorte melancholicus, & nullum ordinem in victu obſeruabat, ſed frigidis & humidis cibariis nutritus, plurimam ſeroſi humoris copiam congeſſit. Humor cùm tenuis eſſet, & conſiſtentiâ vrinæ perſimilis, non ſubitò, ſed temporis proceſſu eò penetrauit. Venæ in ſcroto erant inflatæ, tumor ſplendebat cum luciditate, ac ſi per vitrum, aut cornu inſpiceretur candelâ ex oppoſita parte admotâ, aberat dolor. Conuocati Medici, & Chirurgi, hi in varias ſunt diſperſi ſententias. Primò repurgatum corpus. Sudorifica ex Ebeno deinde exhibita. Diuretica imperata. Infinita topica, digerentia calida & ſicca admota. Applicita Emplaſtra, & alia ſunt celebrata, quæ huic malo præterquam quòd ſæpè vtilia eſſe ſolent, eorum etiam beneficio habitualis frigida partium intemperies corrigitur, ſucci aquei reſoluuntur, & mucoſus humor in parte tumidâ contentus diſcutitur. Tandem cùm nec balneis artificialibus, carminantibus, & roborantibus, thermalibus aquis, & earum luto ſuper partem affectam impoſito leuaretur; de educendâ aquâ cogitârunt. Sed quo ingenio eſſet extrahenda, hoc opus, hic labor erat. Nam multoties extractâ aquâ, & ſubſidente tumore, teſtis ab acrimoniâ humoris intus detenti eſt corruptus, & vicinas partes facilè infecit, vnde vniuerſi ſcroti, ac penis oritur Gangræna, & ob doloris magnitudinem, febris, mors, vt proprio exemplo docuit Donæus *obſeruat.* 40. At, cùm ſalutis vnica via eſt, ea licèt cum periculo tentanda, monente Magiſtro *lib.* 10. *meth. cap.* 10. Idcircò Chirurgicâ manu aquam extrahere rationabilius omnibus viſum eſt: ne præmorâ, humore mordaciori reddito, teſtis corrumpatur, vel vnà cum aqua, carnoſa hernia adueniat, & & caro concreſcat. Quapropter Iunior eductionem aquæ cum ſcalpello propoſuit, munitus voto Pauli *lib.* 6. *cap.* 62. §. *Nos ſcalpello ſcrotum à medio iuxta longitudinem vſque ad pubem fere rectâ lineâ incidemus, &c.* quod priùs affirmauit Celſus *lib.* 7. *cap.* 19. Curatio ſuſpecta. Hæc enim ſectio periculoſa, multis Gangræna inde mota, aliis mors, vt hiſtoriâ celebri confirmat interpres Hollerij *ad cap.* 62. *lib.* 1. *de morb. internis.* Secundus Setonem conſuluit, filo transfixo in ſcroto, quo immiſſo, & diu retento vacuatur aqua, vt Guido iubet. Siniſtrè ſuccedit ſæpè curatio hæc. Nam ex diutino dolore, confluentibus in decliuem partem ſuccis, mortificatio contingit. Tertius, Cauſtica medicamenta, aut cauterium actuale ex Auro paratum approbauit, cuius ope clementer à parte humor educitur. At cùm ex horum vſu, pars ſuapte naturâ debilis eneruetur, Gangræna contingit, vt bis euenire cum morte notaui: nam hæc pars cùm ſit poſita in medio ſordium confluxu, fluxionibus valdè eſt obnoxia. Chirurgus ſenior præclarâ Galen. doctrinâ inſtructus Siphonem oſtendit, ſeu acum Canulatam Argenteam, intus cauam, in cuſpide perforatam, quâ immiſsâ fœliciter, ab ſcroto & hydropicorum ventre omnis aqua tutò emittitur. Et quoniam erubeſcimus, cùm ſine lege loquimur ex Iuſtin. *in authenticâ de trientib. & ſemiſſib. col.* 3. §. *Conſideremus*; ideò, inquit ipſe, Magiſtri non incelebris ſententiam eximiam recitabo, quæ ſcripta eſt *lib.* 14. *meth. cap.* 13. *Nunc illud dixiſſe ſufficiet, quòd humor qui in hydrocelis viſitur, alienus à corporis ſubſtantiâ totâ naturâ ſit, ſicut etiam, quæ in Aſcitis hydropibus continetur aqua. Quarum certè vacuationem vel medicamentis quæ digerant, molimur, vel Chirurgiâ. In hydrocele quidem immiſſo Siphone, &c.* Aſſentiuntur omnes. In partem decliuem immiſſa eſt acus. Omnis aqua, librarum quinque pondere, ſemel extracta. Æger à tumore liber euaſit. Ne verò in ſimilem morbum relaberetur, eſt præſeruatus extenuante victu, vomitu aſſiduo, ſudorificis iterum ex Smilace exhibitis. Tabellis roborantibus, paratis ex Diamoſcho, Diacinnamomo, Diagalangâ, Theriacâ, Aromatico, Mithridatio, & Zingibere, quibus, & fonticulis excitatis in cruribus in parte externâ, deriuationis cauſâ, per quos ſeroſa humiditas purgabatur, quæ in teſtes confluebat, in poſterum nullum malum perſenſit. Si acûs effigiem videre concupiſcis, eius figuram palàm fecit Antonius Crucius Luſitanus *tractat.* 2. *Chirurg. cap.* 18. qui optimè ſimul, & doctè de hac curatione ſcripſit idiomate ſuo. Legendus etiam Malachias Geiger *lib. de Kelegraphiâ, cap.* 12. qui nuperrimè de hoc negotio ſcitè diſſeruit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 833 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LXXXV.

De Vtero.

Sine vtero, vixit fœmina annis triginta.

FOeminæ post casum ab arbore altâ vterus extrà propendit pugni magnitudine. Et licèt plura præsidia, & manus Chirurgica præsto essent, nunquam potuit intus reduci; cùm paulatim procidens ità promineret, vt accedente acuto inguinum dolore, mali Cydonei figuram in infimâ prolapsâ parte repræsentaret. Hoc malum per plures durauit annos, excreto sanguine grumoso, cum ventris torminibus diris. Tandem vterus frigore ita obduruit, & liuidus est factus, cum mollitie summâ, & horribili fœtore, vt corruptionis manifestæ, & mortificationis futuræ argumenta præberet; Quare vocatis Chirurgis, vterum delapsum ferro exstirpandum prædixi. Annuunt. Ipsum præcîdunt, ne fortè in altiores partes serperet corruptio. Hoc opere celebrato ipsa à tanto malo est facta immunis. Hæc cùm esset 22. annorum, loco menstrui vsque ad 40. annum per vulvæ locum excernebat sanguinem grumosum, & multum. Rem veneream exercebat, sed citra voluptatem vllam. Sana superuixit vsque ad annos 52. res domesticas commodissimè exercens. Tandem Cholerâ acutissimâ prehensa è vita discessit.

OBSERVATIO LXXXVI.

De Vteri tumore.

Medici ignorantiâ; fœmina emortua.

RECtè quidem à Galeno inculcatum *lib. 9. meth. 16. & 5. de sanit. tuend. 15. malum Medicum omnes eodem Calopodio calceare, quùm præscribat ægrotis auxilia, perinde ac illi qui aleam jaciunt*, vt facere ipse prædixit *lib. 1. epid. sect. 2. com. 50.* His artibus instructus quidam Pseudomedicus pauperculam curauit intenso vteri dolore laborantem, cum interno ardore intolerabili coniuncto. Medenti apparuit spongiosa caro Amygdalæ magnitudine, quæ vterum in tumorem tantisper eleuabat. Illam corrodere volens citra totius prouidentiam vllam, oleo Vitrioli pertractauit; sed cùm nullum fructum ægra persentiret, forcipe carnem violenter resecuit. Post sectionem tanta Hæmorrhagia sequuta, vt exhaustis viribus, licèt ad compescendum sanguinis fluxum plura machinarentur auxilia, resoluta è vitâ discesserit. At in hunc nebulonem, scomma vulgò dictum benè quadrare poterat, prolatum à Galeno *lib. 2. ad Glauc. cap. 2. Morbus curatus est, sed æger periit.* Sed hos procaces homines, naturæ potiùs infensos hostes, & lethiferos Cerberos cum suâ insciticâ relinquamus, immò in vincula coniiciamus, quâ pœnâ esse puniendos hos Agyrtas inter omnes tradit Rodericus à Castro vir vndequaque doctissimus *lib. 3. de medic. politic. cap. 23.* Quorum Pseudochymicorum leoninos mores, contra fumiuendulum, ac infidum præstigiatorem, depinxit graphicè eruditissimus Benedictus à Castro Hamburgensis, eius filius, scientissimus Medicus *in suo flagello calumniantium, ferè per totum.*

OBSERVATIO LXXXVII.

Vteri Scirrho Gallico, Syrupus egregius.

SCirrhoso Gallicano tumore in labio vteri vexabatur trigenaria satis robusta & fortis, qui ad oui magnitudinem deueniens, dolore, & ardore percepto illam miserè noctu præsertim excruciabat. Tumor nec sudorificis ex Smilace asperâ, Mercurialibúsve Vnguentis, aut Topicis discuti potuit. Hæc, obseruatâ Diætâ, hoc solùm syrupo est curata. Syrupum assumpsit 30. dierum spatio, quantitate vnciarum quinque, post eius potum manè & vesperi se lentè exercebat, & stragulis in lecto cooperta per duas horas, per alvum, & vomitum excernebat mucosa, & nigra.

℞. *Ligni Indi, Smilacis asperæ, an. ℥ iiij. Radic. Chin. Sassafras, an. ℥ j. Cortic. Ligni Indi, ʒ ß.*

Infundantur per spatium 20. horar. in lib. xij. aq. Borrag. super cineres calidos, & bulliant ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ adde

Cortic. Ellebor. nigri, Turbith, an. ʒ ij. Hermodactylor. ℥ j. Fol. Sen. Sem. Cartham. ℥ ß. Epithymi, Polypodij, an. ʒ v. Agarici Trochiscat. ʒ iij. Rhabarbar. ʒ ij. Mechoacæ, ʒ ij. ß. Flor. Violar. Flor. Borrag. Flor. Naphæ, an. p. ij. Cardui Benedict. M. j. Radic. Scorzoner. Radic. Angelic. an. M. ß. Santalor. omnium, an. ʒ j.

Macerentur per spatium decem horarum, bulliant deinde ad tertias, colentur expressione forti, infunde per noctem.

Scammon. elect. ʒ ß. Stybij præparat. ℈ xij.

Cola iterum, & adde.

Syrup. fumar. maioris, ℥ viij. Syrup. de Sen. ℥ v. Syrup. de Epithym. ℥ iij. Syrup. de Polypodio. ℥ iij.

Cum Saccharo, quod sufficit, fiat syrupus longus, aromatizatus cùm ʒ j. pulueris Diamoschi, & ʒ ß. pulueris Aromatici. De Scirrhoso vteri tumore eloquenter disceptat Valleriola, *lib. 5. enarrat. 6.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Vterinus scirrhosus tumor miræ magnitudinis, Chalybis vario vsu, emollitur.

INter præsidia præcipua, quæ ad emolliendum scirrhum, priscorum & Iuniorum sagacitas adinuenit, vt ex multorum mente Monardus retulit *tract. de ferro*, Chalybs est, cuius vsu lapidosas durities prompte liquari vidimus. Fœmina quædam ex menstrui retentione male habens, in vteri regione tormina persensit, pro quibus leniendis Pharmaco vsa est, sed eius ope non ita leuata, vt aliquando sæuis cruciatibus non recrudescereret malum. Eo tempore apparuit in Pubis regione tumor aliqualiter durus, & indolens, qui ab oui magnitudine incipiens, ita quinquenniò excreuit, vt cucurbitam rotundam magnam repræsentaret, in cuius profundo, tactu murmur percipiebatur. Res deinde ostendit in vtero citra Hepatis noxam, aceruatam etiam flatuum copiam multam. Color, habitus corporis, operationum omnium integritas, venæ laudabili sanguine distentæ satis probabant, viscera minimè esse læsa, sed à solo vtero hæc omnia originem ducere. Expurgatum corpus sæpissimè. Sudorifica adhibita. Balnea naturalia administrata. Omnia hæc etsi vtilia, nullam commoditatem attulere. Sicut nec fotus, Vnguenta, & Cataplasmata varia. Tandem solo Chalybis vsu per duos menses, exhibiti omnino resolutus est tumor. Alternis diebus Syrupum de Chalybe exhibui, cuius descriptionem pete infrà lib. 3. obs. 11. Aliquando Conseruam Eryngij cum Chalybis puluere obtuli. Aquam, Vinum, aut quemlibet potum priùs decoctum Eupatorio & Cinnamomo, chalybéabat. Panem cum aqua Chalibeatâ subigebat. Demum aqua omnis candenti Chalybe priùs erat ferrata, in quâ alimenta, aut carnes incoquebat. Resoluto tumore, & euacuato syrupi beneficio multo lento humore, cum Ichoroso humoris, & flatuum copia multâ, meliùs habuit.

De

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 834 sur 927

De præseruatione biennio potu Chalybéato vsa est, fonticuli cruribus affixi, viscera Theriacâ roborata. Tanta est ferri, & Chalybis ad absumendos duros tumores efficacia, cuius vi animalia apud fabros ferrarios educata, exiguos lienes habent, auctore Celso *lib. 9. cap. 4.* quod ita esse eleganti historiâ comprobat Beniuenius *de Abditis cap. 105.* Pulchra de medicamentorum Chalybéatorum vario parandi modo, vide præter Mercatum *lib. 2. de morb. mulier. 6.* apud Iul. Cæs. Claudinum *in appendice lib. 2. de ingressu Medic. ad infirmos, sect. 2.*

OBSERVATIO LXXXIX.

Pseudohydrops vteri in grauidis pronatus, profundâ scarificatione, curatur.

VIdi quinquies exemplum mirabile in grauidis octimestribus, & nonimestribus. Hæ omnes quùm crura tumida, & aquoso humore plena haberent, & œdematosa: labia vteri simili inflatione ab ipso crudo, aquosóque sanguine pronatâ in tam grandem molem increuêre, & ex vtraque parte spongiæ modo ita prominebant, vt vteri Hydropem repræsentarent. Consulti Medici, ad diuertendum, sanguinem è brachio mittendum imperant; adstantes renuunt, me vocant, qui ne pars præ copiâ mucosi humoris obruta suffocaretur, scalpello scarificandam totam profundè prædixi. Factâ scarificatione, tanta humoris aquosi copia vacuata est, vt intra vnius horæ spatium, tota detumesceret pars, & in suum statum naturalem rediret, & citra aborsum, (hunc enim alij ex scarificatione certò præsagierant) ita leuatæ sunt, vt fœtum vsque ad maturum tempus reseruârint.

OBSERVATIO XC.

Tumore vteri flatuoso fœmina laborans, pluribus frustra tentatis auxilijs, sponte liberatur.

PRinceps Medicorum Aëtius memorabilem protulit sententiam, *Tetrab. 2. serm. 2. cap. 10. in fin.* dum sic ait: *Proinde operæpretium esse nôsse, quòd multi sic ægrotantes, in tempore curationis nihil commodi perceperunt, dimissâ verò curatione restituti sunt, naturâ ante curationem præualente contra morbos debiles ex medelâ factos. Quapropter naturæ remissionem dare oportet: videtur enim vnà cum curationibus affligi, in quiete verò inualescere, & superare morbos iam antea attenuatos*, &c. Hoc monuit præstantissimo elogio Hipp. *lib. 6. Epid. sect. 2. text. 26.* dicens: *Per adjectionem contraria adhibere, & interquiescere:* nam, vt grauissimus auctor Vallesius dicebat in com. *periculosius est incidere in Medicum, qui nesciat quiescere, quàm qui nesciat contraria adhibere: nam qui nescit quiescere, nescit occasiones contraria adhibendi. Qui nescit contrà adhibere, tamen si prudens est, scit quiescere: atque si prodesse non potest, tamen non obesse.* Hæc salubria artis præcepta ignorans quidam Medicus, toto anno fœminam medicamentis exagitauit sine intermissione, & quod peius est, citra vtilitatem vllam. Hæc vteri dolore ex interuallis quatiebatur immaniter, qui sensim cessabat, excitato in læuo vteri labio, flatuoso tumore, aliquando ita magno, vt mali Cydonei magnitudinem superaret, duro & insensili, vt Scirrhum diceres: quem non fuisse, resolutionis breuitas comprobabat manifestè: tota enim moles cùm ex flatu crasso esset suborta, duarum horarum spatio, excreto crepitu, euanescebat. Hæc iuuenis erat, & viri consortio vtebatur, menstrua suo tempore respondebant, partes naturales benè dispositæ, facies roseo colore suffusa. Ab vteri frigidâ intemperie vitium emanabat, ex quâ nebulosus flatus elatus tumorem concitabat. Viscera roborata. Exquisitissimè expurgatum totum corpus. Vterus à pituitosis humoribus absterſus vacuantium vsu. Sudorifica ex Ebeno imperata. Applicita Balnea naturalia, & alia præsidia, affixis in cruribus fontanellis, & obseruato regimine celebrata. Contumax affectus ob habitualem vteri intemperiem nullis auxiliis succubuit, quæ cùm verno tempore essent administrata, collega meus, iterum ardente Sirio esse reiteranda sibi persuasit. Ego contrarium sensi: quoniam vbi remediorum iteratio naturam exagitat, ac perturbat, tunc ex mente Aëtij quiescere oportet cum vtilitate summâ. Sic monebat Hippocr. *libro de locis in homine*, dicens: *Interdum nullo vti medicamento, optimum medicamentum est*, &c. Sic factum. Illa à remediis abstinuit, & post tres menses nullum vnquam malum persensit, naturæ solùm beneficio adjuta.

OBSERVATIO XCI.

De Nympha.

Nymphotomia.

QVando caro in vteri orificio progignitur, lædens coïtum, & impediens ingressum, & egressum seminis, prisci Caudam, seu caudatam ægritudinem nuncupârunt, quoniam caro hæc ab vteri ore ita propagatur, vt muliebre pudendum repleat, & foràs caudæ modo promineat, & virile membrum mentiatur, vt notat Paulus *lib. 6. cap. 70.* & inter omnes firmant Adrianus Spigelius *lib. 8. de fabric. corp. human. cap. 18.* Gaspar Bauhinus *lib. 1. Theatri Anatomic. cap. 40.* & alij. Horribilis affectio est, & odiosa: nam concubitum, & conceptionem impedit. Hac molestissimâ ægritudine erat affecta, illustrissima & honestissima virgo, quæ obortis lachrymis sæpè apud me conquesta est, vt illam à tantâ anguſtiâ liberarem. Nam solo vestium contactu, quidpiam in ore vteri mentulæ instar multoties inflari, turgere, atque erigi sentiebat, & lacessita, venereisque imaginationibus illaqueata, ad Venerem irritari cogebatur. Tanto malo obsita, quo anima vel septies in die, cum libidinis conceptu, Deum grauissimè offendebat, & metu perculsa ne in grauiora damna laberetur, meam pro hoc fœdo vitio propulsando opem, dato priùs fidei & silentij iuramento, obnixè expostulat. Accersitis parentibus, & vocatis duobus Chirurgis peritis, vterum Dioptrâ exploramus. Carunculam corrugatam inuenimus, ex Pubis ossis regione pronatam, & per pudendi rimam, digiti dimidij indicis longitudine, & aliquali circa basim crassitie erumpentem, in cuius extremo quidpiam aderat glandi simile, præputij instar, tenuissimâ cute contectum, rugosum, flaccidum & laxum, sine meatu vllo, qui in viris excernendo semini est dicatus. Hanc carunculam, quùm ipsa erat veneris stimulis agitata, ita extuberare fassa est, vt extra rimam penis instar penderet. Quare ab Arabibus dicitur *pudendum muliebre*, & ab Auicen. 21. 3. *tract. 4. cap. 23.* virga vocatur. Curationem à venæ sectione orsi sumus, quùm illa iuuencula esset, & bono corporis habitu prædita. Purgatum multoties corpus. Postquam ritè menstrua fluxerant, quo tempore, titillato vtero ob sanguinis calidissimi ardorem, pruritum sentiebat, & caro nimiùm excrescebat, Chirurgus forcipe leniter, curioséque carunculam apprehendens, nouaculâ radicitus resecuit. Vulnus adstringentibus curatum, & sarcoticis deinde, aprísque linamentis albo oui madefactis citra

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 835 sur 927

©BIUM

notabilem Hæmorrhagiam fœliciter persanatum. Ne verò in calidissimâ fœminâ iterum à toto ad vterum confluerent excrementa, & ob naturæ luxuriantis robur caruncula renasceretur, quater in anno vacuationem consulo præuiâ phlebotomiâ, parcum victum instituo, fonticulum in crure affigo. His per annum celebratis, & à malo immunis, viro locata rectiùs habuit. Solum ergò auxilium huius mali tanti in sectione consistit, ex mente Aëtij *tetrab. 4. serm. 4. cap. 103.*

OBSERVATIO XCII.

De Vteri pruritu.

Vteri pruritûs, curatio.

SVmmus Medicinæ dictator *lib. 3. aph. 31.* inter morbos seniles, pruritum connumerat: nam licèt hic affectus in iuuenibus mordacis humoris copiam aceruantibus, videatur esse peculiaris; tamen, vt doctè Galenus monuit *in com. senilis ætas prurigini est obnoxia, quoniam illæ, quæ pruritum operantur, superfluitates, difficilem habent per cutem euacuationem. Rationabile siquidem existit, & cutem in ipsis ex frigiditate densari, & superfluitates, plures ac crassiores existere, &c.* Licèt Auic. 7. 4. *tract. 3. cap. 6.* Senes esse pruriginosos arbitretur, quòd ob expultricis debilitatem nitrosos humores extra cutem nequeant expellere. Hoc symptomate vexabatur sexagenaria, quod, præterquam quòd totum corporis ambitum, etiam vteri partem internam miserè oppresserat. Malum difficile, & quod citissimè ob vteri sortem in Cacoëthica vlcera commigrat: nam vterus est vniuersi corposis cloaca, & in decliui parte positus, vbi excrementa, quæ ex lege naturæ in fœminis redundant, & confluunt, cùm per menstruas purgationes non excernantur, retenta putrescunt, & inficiunt vterum labe dirâ: maximè cùm hæc iecur haberet igneum, ex cuius intemperie, ichorosi, & salsi humoris copia in vterum confluebat. Hanc curaturus, sanguinis missionem instituo, potiones refrigerantes propino, ab adustis humoribus corpus sæpiùs expurgo. Serum lactis caprini exhibeo, Balneum ministro. His, vniuersalis pruritus omnino conquieuit. Vteri verò ardor, dolor, phlogosis, & prurigo ita increuit, vt timor esset, ne ex continuâ confricatione, dilaceratâ cute in vlcerosam dispositionem commigraret affectus. Tunc ad adustos, & acres humores contemperandos, Ptissanâ vtor, syrupum ex sero paratum offero, Cassiæ fistularis interaneum liquorem præbeo, seco venam in talo, hirudines marisci affigo. Intra vterum iniicio per Siphonem, lac, & lactis serum, cum Trochiscis de Camphorâ, aut collyrio albo Rhasis dissolutum. Pudibundas partes decocto Maluarum, Violarum, & hordei tepido foueo. Iecur & Renes vnguentis refrigerantibus, & robotantibus attempero. Omnibus his etsi vtilibus celebratis malum non succubuit; in mentem venit eximia doctrina Galeni *in lib. 2. prog. com. 23.* quâ affirmat, *triplicem causam prorogationis morborum esse, aut propter aliquam partem curatu difficilem; aut propter humores crudos, & crassos incoctósque; aut propter aliquod commissum.* Quare cùm hæc obseruaret ordinem in regimine, & crudorum biliosorúmque humorum copia toties expurgantibus esset exhausta, manifestum erat, ex parte curatu difficili, hoc est, vt interpretatur Christophorus à Vega *in com.* à Iecoris, aut alicuius partis præstantis calidâ intemperie emanare. Quapropter saluatellas in vtrâque manu ferio, Apozematis vtor refrigerantibus, & aliis quæ lienem, Iecur, & vterum ab acrium humorum spurcitie liberare queunt. Tunc expurgantium medicamentorum pertæsus, humorem istum necessariò ex partium debilitate gignendum ad latera deriuare intendo, & sic in vtroque femore in parte domesticâ sex digitis infra vterum cauteria impono. Non pertransierat mensis, quando vacuatis ichoribus virulentis à pruritu omnino sana euasit. Quo præsidio sæpè recordor hunc contumacem morbum persanâsse in salacibus fœminis, & virginibus, quæ pruritûs stimulis ita excruciabantur, & præ scalpendi partes pudibundas frequentiâ, adeò coëundi appetitu gliscebant, vt ob motum & calorem, confluente acrium humorum copiâ ad partem, ipsæ semine turgentes, & inuerecundæ in furorem vterinum inciderent. De hoc affectu pulchra prædixit Carolus à Petrâ Albâ, *lib. de nouâ medicinâ, cap. 13. de vteri pruritu.*

OBSERVATIO XCIII.

De Furore Vterino.

Vteri deliramenta, viri consortio conquiescunt.

HIppocrates Medicorum Semideus appellatus, *lib. de virginum morbis*, symptomata dira recensens, quæ à fœdo spermate in vtero occluso retento, prohibito difflari, atque in venenosam naturam ob putredinem abeunte, in virginibus, quæ maturæ sunt viro & nubiles, repullulare solent, sic horum omnium medelam proposuit *in fin. num. 4.* dum sic dicit: *Ego verò iubeo vt virgines, quùm huiusmodi patiuntur, quàm citissimè viris cohabitent, &c.* Virguncula quædam, colore nigella, macilenta, garrula, iracunda, inquieta, ad venerem maximè procliuis, & quæ solùm de amoris illecebris loquebatur, frequenter loca pudoris, quorum attactu maximè gaudebat, scalpens, vbi vri ac prurire incipiebat, virorum amplexu exardescens, irrigari humectarique postulans, inexplebili coëundi desiderio tenebatur. Quo cùm vti non liceret, subitò eam inuasêre vomitus ingens, horror, Cardialgia, Cephalalgia, difficilis respiratio, cordis pulsus, ventriculi subuersio, nausea, prostratus appetitus, timor, mœstitia, febris, horribiles imaginationes, vteri retractiones, cordis compressio, animi deliquium, Epilepsia, formido, desperatio, torpor, fatuitas, delirium, & alia quæ ex retento, & non vacuato semine scaturiunt symptomata formidanda, relata ab Aëtio *tetrab. 4. serm. 4. cap. 76.* Illud enim, eleuato spurcissimo vapore, crasso & humido, veneni præsentanei instar, superas partes premit, lancinat, ferit, ex Gal. *lib. 6. de loc. cap. 5.* Hæc fuit occulta vis morbi, aut furoris ad interitum præcipitio cogentis, quam obseruârunt Rhodiginus *23. antiq. 32.* Brodæus *lib. 5. miscel. 27.* Poliænus *lib. 8. Stratagemat. 10.* & Venetorum doctissimus notauit Hermolaüs Barbarus *ad cap. 15. lib. 36. Plinij.* Demum hæc quùm per multos dies his malis esset dilacerata, tandem subridens ad mentem redibat. Affines me vocant. Cùm origo mali esset certa, ad minuendum semen me accinxi. Refrigeraui Iecur tenui & humectante victu, sanguinem ex gibbero, & talo emisi. Leniter expurgaui. Enemata frigida indidi. Balneum applicui. Serum lactis exhibui. Semen minuentia præscripsi, & vt spiraret, vterus, cruribus fonticulos inussi, à veneris confabulationibus abstineret, commonui. Hæc etsi proficua, profuêre nihil. Nam post peractam præseruationem, in eadem mala reincidit, & quod peius est, in puteum sese præcipitare cogitabat. Nec mireris: hæc enim omnia naturali mulierum, & præsertim virginum tribuuntur affectioni; ob semen enim retentum, cor viciniorâque loca, tetro & nebuloso halitu

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 836 sur 927

halitu occupantur: maximè in iis quæ ſalaciores ſunt, in venerem pronæ, feruidæ, magiſque anidæ explendæ voluptatis; de quarum numero cùm hæc eſſet, nullis vnquam auxiliis leuari potuit, donec moniti parentes, vt eam viro locarent; quod cùm facerent, huiuſmodi furorem, validus & neruoſus coitus ſedauit: nupſit enim cum iuuene robuſto, atque officio connubiali ſtrenuè perfungente, cui tanquam ſanguiſuga adhærens, conuenientem adepta medicinam, effloruit, reuixit, & roſeo nitidóque colore perfuſa, priſtinæ ſanitati fuit reſtituta. De his anertendis damnis quæ ex retento ſemine oriuntur, legendus Martinus Panſa *lib. de prorogandâ vitâ, cap. 47.*

OBSERVATIO XCIV.

De Vteri ſtrangulatu.

Vteri ſuffocatio ex retento ſemine, eo excreto curatur.

QVi vterum motu locali ad ſuperas partes, & Diaphragma (potiſſimum reſpirationis organum) moueri poſſe exiſtimat, is ſuam in anatome fatetur inſcitiam, & Galeni, priſcorúmque edictis maximè repugnat. Clamitent quidquid velint Fernelius *lib. 6. de part. morb. 16.* Euſtachius *lib. 2. Praxis 51.* Laurent. *7. de re Anatomic. 9.* Augenius *tom. 1. Epiſt. lib. 12. Epiſt. vltim.* Hos carpit vehementer Galen. *lib. 6. de loc. cap. 5.* anatomicâ demonſtratione ſuffultus. Nam ſi diſſectâ muliere, vterum violenter manu, immò ferreis vinculis ſurſum ad ventriculum trahas, ad os ventriculi eum ducere, quin ligamenta diſrumpantur, vix poteris; tantum abeſt, vt ſuopte impetu, ad ſeptum tranſuerſum ferri poſſe, ſit credendum. Hanc affectionem ex retento ſemine, in viduis, ſalacibúſque fœminis oriri, celebri cuiuſdam viduæ hiſtoriâ Gal. *eo loco* confirmat, quæ cùm eſſet vteri ſuffocatione correpta, excreto ſemine, conualuit. Ex eâdem causâ illam patiebatur virginella, quæ ex interuallis paroxyſmo ita conuellebatur, vt accedente difficili reſpiratione, tota conuulſa, ſine ſenſu vllo, oculis diſtortis, nimio dentium fragore præcedente, cum linguâ tremulâ, animam efflare videretur. Cui, cùm plurima auxilia, quæ frequenter in hac acceſſione vtilia ſunt, non iuuarent, peſſaria ex Cyclamino, Cæpis, Alliis, cum felle Taurino confecta vtero applicanda curo, ex quorum admotione, titillatione, & feruore quodam in vtero concitato, copioſum ſemen excernens, ab acceſſione ſæuâ ſuperſtes remanſit. Num autem ex hac occaſione, liceat Medico timenti Deum, ſopitis pariter cunctis ſenſibus, & vnà abolitâ reſpiratione in fœminis quaſi animam agentibus, ſeu in maximo vitæ periculo conſtitutis, veneficum illud ſemen, foràs ab vtero, titillationibus, & frictionibus partium obſcœnarum elidere, diſſerunt eloquenter Raphaël Moxius *lib. 2. de curandis morbis muliebribus*, 17. & Carrerius *diſput. 69. ad lib. 6. de loc. affect. Galen.* Videnda in hanc rem eruditiſſima Apologia tertia Doctoris Didaci Morani Luſitani, Medici eximij, in quâ *de Epilepſiâ Hyſtericâ* egit luculenter.

OBSERVATIO XCV.

De Vteri procidentiâ.

Vterus prolapſus, miro artificio ad ſuum locum reductus.

GLorioſus Auenzoar, (quem mirabilem appellat Auerroës *lib. 4. collig. cap. 40.*) *lib. 2. Theizir, tract. 5. cap. 4.* De diſlocatione matricis ſic inquit: *In principio autem quando apparet hæc ægritudo, Medicus eam leuiter poterit curare, & reducitur omnibus iſtis modis, videlicet manu ſi vis, & ſi non, fac eam ſupinam iacere, & fac quòd aliquis ſedeat ſuper pectus ſuum, & alius ſuper crura, & fac eam terrere ponendo circa pedes eius aliqua reptilia, ſicut ſunt mures, & Lacertæ, aut Ranæ, vel his ſimilia, ex quibus multum terreſiat, & velit fugere trahendo pedes, & crura ad ſe, & inde omnia membra, & corpus totum ſimul contrahantur, & hac de causâ matrix intus redibit ad locum ſuum*, &c. Hunc locum legenti occurrit ad manum liber Andreæ Alcacaris Chirurgi præſtantiſſimi, *in cuius cap. 4. lib. 4. de vulneribus ventris inferioris*; inueni celebrem hiſtoriam mulieris, quæ per biennium, vterum à propriâ ſede tractum, foriſque pendentem habebat, vſque adeò vt vlcerosâ excoriatione afficeretur. Auenzoar docuit Alcacarem. Hic, mihi ad hanc curationem calcaria adhibuit: cùm enim accederem ad fœminam, quæ ab anno & dimidio vterum prolapſum habebat, cum duritie ſummâ, difficile videbatur ob tenſionem poſſe ad ſuum locum reduci: maximè cùm dicat Auenzoar, in principio hoc opus celebrandum eſſe, quum adhuc vterus non contraxit callum. Multa ſum præſidia pro hoc morbo curando machinatus, Inſeſſiones adſtringentes, Peſſaria, Emplaſtra, Confectiones. Tandem laborioſè luctatus, nihil profeci. Ad hoc præſidium accedo. Suppono mulieris cruribus mures filo alligatos; quibus poſitis, & per femora vagantibus, fœminæ metus ingens incutitur, & repentè (mirabile viſu) vterus in propriam ſedem reducitur. Hoc facto, Emplaſtro contra rupturam, vteri regioni, & inguinibus appoſito, à malo in poſterum tuta remanſit.

OBSERVATIO XCVI.

De Vteri Vlceribus.

Electuarium, vlceribus vteri Cacoëthicis præſtantiſſimum.

COrrodi, exulcerarique vterum, ob acres, virulentos, mordaces humores, nouum non eſt. Hi enim aliquando in vtero velut in ſentinâ retenti, ita ferinam induunt naturam, vt cancroſa vlcera committant, quæ cùm in humidiori, ſordidioríque loco conſiſtant, & vteri reconditas ſedes occupent, difficilem deinceps obtinent curandi viam: immò immedicabili ſequutâ Hæmorrhagiâ, iugi, puſilláque febri accedente, iugulant. Dum ſordidum vlcus curarem in fœminâ quadam, quod ſudorificis exhibitis ex Smilace non ſuccubuit, hoc Electuario fuit debellatum, quod præterquam quòd humiditatem abſumit, etiam humoris deleteriam vim coërcet, & infrænat, quo, matutino tempore aſſumpto, quantitate vnciæ vnius, & ſuperbibito decocto Smilacis, omnino curata eſt fœmina: nam mouebatur aluus, ciebatur ſudor.

℞. *Conſeruæ Roſar. Violar. Borrag. Bugloſ. an.* ʒ *ij, Mithridat.* ʒ *ij. Confect. Hyacinthor.* ʒ ß. *Pulu. Diarrhod. Abbat. Pulu. trium Santalor. an.* ʒ *ij. Margaritar. præparat.* ʒ j. ß. *Raſuræ Eboris,* ʒ ß. *Theriac.* ʒ *iij. Smilacis aſper.* ʒ *iij. Radic. Chin.* ʒ j. ß. *Fol. Sen.* ʒ ß. *Polypod. Hermodactylor. an.* ʒ *ij. Mechoac.* ʒ j. ß. *Epithym.* ʒ ß. *Turbith,* ʒ *ij.* ß.

Puluerisanda puluerisentur, & cum ʒ iiij. Syrup. Fumar. maior. & Saccharo fiat Electuarium.

OBSERVATIO XCVII.

Vteri doloſis Vlceribus, aqua Theriacalis eximia.

FOEminam inuiſebamus tres Medici diu in lecto decumbentem, quæ oſſis ſacri dolore miſerrimè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 837 sur 927

oppressa, cum fluxu purulento, & fœtido, de ardore interno querebatur. Nos, licèt in eâ nulla Gallicæ luis esset suspicio, eodem modo esse tractandam, ac si esset morbo Gallico infecta, vnanimiter asseruimus. Et sic sudores ex Smilace, priùs corpore benè expurgato, exhibuimus. Sed cùm post decem dies, in quibus sudores commouimus, febris acuta superueniret cum intensâ siti coniunctâ, à sudorificis abstinentes, ardorem internum temperauimus, venâ sectâ, ptissanâ, refrigerantibus syrupis, lactis sero. His refocillata, humectantíque victu renutrita, hac aquâ 20. dierum spatio diluculo exhibitâ, quantitate vnciarum trium, prouocato clementer sudore, sanata est: nam nimia vteri humiditas est absumpta, abstersum, & consolidatum vlcus.

℞. *Ligni Indici, lib. ß. Radic. Chin. ℥ iiij. Elect. de Gemmis, Latificantis Rasis, an. ℥ ß. Theriac. Mithridat. an. ℥ iiij. Confect. Alcherm. Confect. Hyacinthor. an. ℥ j. ß. Vini odoriferi, lib. j. Aquæ ex florib. Arantior. lib. ß. Ag. Rosar. Mellis, an. lib. iij. Aquar. fumar. Cichor. Borrag. an. lib. iij.*

Macerentur per noctem, deinde distillentur per balneum Mariæ.

OBSERVATIO XCVIII.

De Vteri profluuio.

Tabes ex fluxu muliebri suborta, Ebeno curata.

DIuinissimus Galenus *lib. 1. de humorib. com. 12.* in Medicos Romanos inuehitur, sic dicens: *Quo in loco par est attendere commune Medicorum erratum, quod in plurimis affectionibus plerumque committitur: nam quod superuacaneum est, euacuant illi quidem, sed tamen ne ei quod euacuatum sit, quid persimile gignatur, nullo modo sibi curandum proponunt*, &c. Hunc prauum curandi modum sequuti sunt duo, etsi celebres Medici in curatione cuiusdam fœminæ, muliebri profluuio albo & pituitoso laborante, quam cùm diu, & importunè, vario expurgantium medicamentorum vsu pertractâssent, nec viscera interna, frigidâ intemperie affecta, vnde fluxus oriebatur, roborarent, ne in posterum similis humor regeneraretur; ipsam hac de causâ in tabem, & extenuationem maximam, ob copiam spiritûs exhaustam deduxerunt. Deinde ob maciem, & febrim, lactis potum consulunt. At cùm ipsa flatu abundaret, tumidum haberet ventrem, faciem subturgidam, Cephalæâ ex interuallis quateretur immaniter, & partes naturales obstructionibus essent occupatæ, ab eius vsu abstinere iussi. Ipsam ergò victu refocillo; humorem aquosum sensim expurgo per vrinam, ad normam Galeni *lib. de præcognit. ad Posthum. cap. 8.* Historiam celebrem illustris Romanæ referentis, quam se hoc modo persanâsse gloriatur. Obstructiones leuiter aperio. Internas partes roboro Electuariis exhibitis. Potûs paucitatem impero. Aquam incoquo Eupatorio, & Chinæ Radice. Vinum pitissat iubeo. Crassiore ergo parte per vrinam excreta, tenuiorem humoris portionem per cutem discutere tento. Id fecit Galenus frictione ex melle multùm tosto celebratâ: cùm enim mel sit exiccantis facultatis, coctionéque aridius factum, maiorem exiccandi facultatem acquirat, abstergit, & discutit vehementiùs. Frictiones suppleuimus sudorificis ex Ebeno paratis; hoc enim auxilium non solùm discutit humorem per insensilem transpirationem, sed roborat, & obstructiones aufert. His exhibitis venter detumuit, minutus est fluxus, euanuit febris ex obstructione suborta, & ipsa pinguiuscula facta, sana euasit. Ne verò ex partium debilitate iterum recrudesceret malum, exiccante victu, potu continuo ex decocto radicis Chinæ parato, fonticulo cruri affixo, roborantibus tabellis, est præseruata.

OBSERVATIO XCIX.

De Vteri dolore.

Vteri dolori curando, syrupus laudatissimus.

AB Aceti vsu, neruosas partes, & præsertim vterum, neruosum ex Galen. *6. epid. sect. 1. com. 2.* & fibrosum ex ipso *lib. 6. de vsu part. 5.* lædi impensè, celebri elogio dictauit Hippocrates *lib. 3. acutor. sent. 39.* dum sic dicit: *Mulieribus autem longè magis, quam viris aduersatur Acetum; nam vterum dolore afficit*, &c. Et licèt ventriculus sit magis neruosus, quàm vterus, ab aceti vsu non ita læditur, inquit rectissimè Auenzoar *lib. 2. Theizir, tract. 5. cap. 1.* quoniam ob consuetudinem callum contraxit, & magis carnosus est, in quo præcipuè ex lege naturæ adsunt humores crassi, qui acrimoniam aceti infrænant, & retundunt. Quare fœmina quædam frigidi ventriculi, acetario ex herbis frigidis, & aceto parato satiata, lethales post duas horas solùm super pubem dolores pensensit. Curatio ad modum Colicæ flatuosæ instituta, quâ cùm perseueraret triduò, nihil est leuata. At cùm carminantibus clysmis, excreto flatu, aliquam sentiret opem, hoc syrupo, quo, quantitate vnciarum quatuor, diluculò exhibito, decem diebus vsa, prouocatâ aluo, & flatibus per aluum excretis, sanata est.

℞. *Hyssopi, Calamenth. Origani, an. M. j. Flor. Chamæmel. & Aneth. an. p. ß. Flor. Anthos, Meliss. Bugloss. an. p. j. Passular. ℥ j. ß. Sem. Anis. Fœnicul. Ameos, & Carui, an. ℥ iiij. Medul. Cartham. Semin. Cnici, an. ℥ ß. Polypody. Epithym. an. ℥ ß. Cinnamom. ℥ ß. Aloes, ϑ ß. Acori, ϑ j. Flor. Sulphur. ℥ j. Radic. Chinæ ℥ ij.*

Coque in lib. vj. vini generosi antiqui ad consumptionem tertiæ partis, in fine autem coctionis, dum vinum adhuc feruet, adiicito

Fol. Sen. ℥ ij. Agarici Trochiscati, ℥ ß.

Macerentur per diem & noctem, cola, & cum Sacchar. & mellis sufficienti quantitate, fiat secund. art. syrupus longus. Si aluus multùm responderit, propinetur alternis diebus.

OBSERVATIO C.

De Menstruis.

Menses per Gingiuas manantes.

MEnstruum sanguinem erumpere sæpè per oculos, os, nares, aures, vrinam, aluum, vberum Mamillas, digitos, auctorum testimonio sancitum est. Nos per Gingiuas emanantem vidimus. Nam Iuuencula ætate 18. annorum, tempore instantis menstrui, lumborum dolore cum ventris torminibus corripiebatur. Huic apparebant in ore vlcuscula, caligabant oculi, & quatuor diebus in gingiuis intolerabilem pruritum sentiebat. Cessantibus his, è gingiuis dentium inferiorum, riuuli sanguinei, sudoris instar biduò emanabant, & sic seruato ordine per menstruos circuitûs, sanguis per hanc partem lochiorum modo, quantitate librarum duarum fluebat. Finitâ vacuatione fœmina pancraticè viuebat. Medici, vt periculum suffocationis, quod sanguinolenta illa materia in ore concreta, & ad Trachéam delata, subitò spirandi difficultate oblatâ facere poterat, euitent; timentes etiam ex confluxu humoris ad partes superas, oris, thoracis, cerebríque

rebrique inflammationes, naturam deorsum diuertere studeant, vinculis, ligaturis crurum dolorificis, Chalybis vsu, Saphenæ sectione, Pessariis, Purgationibus, Cauterio, consortio viri, cuius ope, viis patentioribus factis, menstrua per naturalem locum cieri posse sperant, sed his omnibus celebratis natura consuetum ordinem haud mutauit vnquam. Hæc sterilis semper remansit.

OBSERVATIO CI.

Menses per vmbilicum exeuntes.

AVdi celebre exemplum. Vocatus vt curarem fœminam suppressione menstrui laborantem, cui nunquam menstrua per naturalem locum erumperant. Hæc singulis mensibus aliarum mulierum ritu, ventris tormina, & aliqualem vmbilici dolorem persentiebat. Deinde solutâ placidè vmbilici vnitate, sensim manabat, per dies octo sanguis ad libras tres. Cessante fluxu, viuebat alacriter, & si fortè ex minutâ per eam partem purgatione, recurrebat morbus, venæ sectio in talo præsidio erat.

OBSERVATIO CII.

Menses per inguina erumpentes.

NAturæ doctæ, aut vt Auicen. verbis vtar, 16. 3. *tract.* 5. *cap.* 1. factoris potentis, superfluum sanguinem excernentis, raram, admirandámque historiam in virgine quadam notaui. Hæc cùm succulenta esset, & plurimo, benéque cocto sanguine turgeret, ætásque ad menstruas purgationes adesset idonea, neque menses profluerent, natura excrementitium sanguinem per inguina expellere satagit, sícque placidè, ac lentè, foraminibus paruis, & vix sensui conspicuis apertis, quinque, sex, & interdum septem dierum spatio, sanguis ex inguinibus continuè emanabat. In hac, vt sanguis per vterum excurreret, plura sunt celebrata auxilia, quæ ad extenuandos crassos humores, & referandas vias à Medicis imperantur. Sed incassum omnia exequuntur: nam natura cursum suum non inuertit. Occludere foramina, cauterij & adstringentium ope, dubitatum fuit: timentibus multis, ne fortè sanguis in profundum restagnans dira mala pareret. At vincentibus aliis, cauterium inustum: quo facto cùm sanguis exitum non haberet, ad altas partes regurgitans, acuram febrim excitauit, quæ saphenarum sectioni succubuit. At in posterum, naturæ vi, quæ sola est medicatrix, & vel per ossis meditullium peccantem humorem excernit in animantis commodum, Gal. *com.* 7. *aph.* 54. maximè si vires sint valentes. 10. *meth.* 4. referatis foraminibus, suo tempore, typicè per inguina per multos annos sanguis profluxit.

OBSERVATIO CIII.

De Menstruorum stillicidio.

Nimiæ hæmorrhagiæ vteri, Emplastrum excellens.

Menstruis largiùs fluentibus, morbi contingunt, docebat Æsculapiæ familiæ Antesignanus *lib.* 5. *aphor.* 57. eos recensèt Galenus 2. *de facult. natural.* 8. nec mirum: nimiùm enim excurrens hæc vacuatio, exhaustâ sanguinis copiâ Hydropem creat. Cùm enim calor noster in sanguine perseuerantiam habeat, dubium non est, quin ex superfluâ nectaris viuifici, cuius præsentiâ recreantur partes, vacuatione, minuatur natiuus ignis, frigefiat iecur, & intercidat sanguificationis munus, enerruentur vires, vitietur concoctio, inappetentia contingat, oriatur Syncope, accidat totius fœdus corporis color cum tabe coniunctus, cutis cum virore albicet, molleſcat caro, ctura vacillent, oculi tumeant, laxetur facies, & alia signa accidant relata ab Auic. 21. 3. *tractat.* 31. *cap.* 2. & Gal. *lib.* 6. *de loc. cap.* 5. Hæc omnia diu passa fuit fœmina quædam, cui ex virium debilitate, & tenuitate sanguis, hic guttatim, & per longum tempus erumpebat per vterum. Cui cùm omnia celeberrima essent facta auxilia, quæ ad compescendum sanguinis fluxum ab vtero, & roborandas vires ab auctoribus commendantur, & ex his nullum leuamen sentiret, solo hoc Emplastro, anticæ, & posticæ partis vteri imposito, sanata est, quod inter cætera huic vsui præsidia est nulli secundum.

℞. *Olei Citoneor. Olei Myrtillor. cum decocto radicis Bistort. ablutor. an.* ℥ iiij. *Ceræ Rubræ,* ℥ vij. *Sang. Dracon. Boli Armen. Acaciæ, Hypocistidis an.* ℥ j. *Cortic. Mediano. Castaneær. Cortic. Arbor. glandium, Myrtillor. Sumach, Terræ Sigillat. Spodij, Rosar. Gallar. Cortic. Fabar. Vuar. Immaturar. Sorbor. Siccor. Mespilor. Immaturor. Coral. Rubri, Mastic. Radicis Bistort. Radic. Chelidon. Fol. Pruni Sylvestris, Trochiscor. de Carabe, Cineris Ossium cruris Bouis, an.* ℥ j. *Ceruse,* ℥ ij. *Terebinth. lotæ cum succo Bursæ Pastoris, quod sit satis.*

Fiat Emplastrum, extende super pellem arietinam.

OBSERVATIO CIV.

De Menstruorum suppressione.

Fœmina retentione menstrui laborans, spretâ Phlebotomiâ, concussa Apoplexiâ emoritur,

QVantam vtilitatem menstrua purgatio mulieribus adferat, oraculo quodam prædixit Hipp. *lib.* 1. *Coacar. Prænotion. text.* 158. sic dicens: *Salutare est muliebria non cohiberi: nam inde eueniunt Epilepsiæ, quibusdam longa profluuia ventris, & Hæmorrhoides*, &c. Firmat acutissimus Duretus *in com.* Repetit Gal. *lib. de ven. sect. aduers. Erasistratum cap.* 5. *&* 6. *& lib.* 6. *de loc. cap.* 5. & alibi sæpè. Hanc patiebatur fœmina quædam quadrata, robusta, tumore & vasorum distentione laborans, rubicunda, & venis prædita copioso sanguine plenis, quæ corporis grauitate ex menstrui retenti suppressione laborans, me vocat. Saphenæ sectionem consulo. Illa hoc auxilium spernens, consilio alterius Medici, Catapotia ex Aloë ter deuorat. Non pertransierat dies, quando sæuo lumborum dolore oppressa, ebulliente circa arteriam dorsi sanguinis copiâ, Vertigo, Aphonia, Ignorantia omnium rerum, Stupor mentis, Obliuio, delirium eam apprehendunt, & post duas horas Apoplexia, à quâ, auxiliis adhibitis, vix releuari potuit.

OBSERVATIO CV.

Pano inguinis ex retento menstruo suborto, saphenæ sectio remedio est.

FVit mihi habita quæstio cum Medico ignorante, ac superbo (hæc enim vitia indelebilia sunt apud Galenum *lib.* 13. *meth. cap.* 15.) qui cùm tumorem in inguine, quem Græci *Phyma*, Latiniores verò *Panum* appellant, tractaret, in fœminâ, cui menstrua, satis non respondebant, è gibbero venam esse secandam contendebat, ne fortè si saphena secaretur, accresceret tumor deorsum humore vergente, insciis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 839 sur 927

non attendens, ex menstruo retento hoc vitium posse oriri. Sic enim ait Galen. *lib. 6. de loc. cap. 5. Itaque si menses supprimantur, & nullam Medicus mulieri vacuationem adhibeat, tumor aliquis in inguine interdum exoritur, ostendens nimirum aliquam ex internis partibus inflammatam esse, &c.* Hoc audito ipse obmutuit, & sectâ venâ in talo sponte discussus est tumor. Dum hæc scriberem, in memoriam venit historia mulieris, in quâ hac de causa tumor in inguine cum febre exortus est sæuiente peste, cúmque duo Medici, qui ex conducto à Senatu erant propositi ad faciendum examen, ad eam accederent, citra delectum, in domum salutis, curandis peste correptis destinatam, adsportandam curârunt: non inuenti sunt vespillones qui eam deferrent, interim ipsa cùm rectè se haberet, & sanorum munia obiret, maluit antequam Medicorum iussa capesseret, venæ sectionis in talo beneficium experiri; quod auxilium ita contulit meo voto celebratum, vt resoluto ex tempore tumore, cùm recens esset retentio menstrua, omnimodam recuperauerit sanitatem. Ecce Vespillones ad eam accedunt, & ipsam in ostio domûs suæ lanam valenter carpentem cùm inuenirent, ridentes abiére.

OBSERVATIO CVI.

Fluxus Hæmorrhoidalis, menstrui retentioni superueniens, bonus.

MAgistri non incelebris in suis Aphoristicis commentariis, Cedro dignissima sententia est *lib. 5. aphor. 33.* quæ sic ait: *Neque enim quòd sola per nares vacuatio deficientibus menstruis bona sit, dixit, sed hanc simpliciter laudauit, non adiuncto quòd sola: si quispiam igitur alteram quæ fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus vtilem esse, hoc non aduersatur Aphorismo, &c.* Hoc priùs prædixerat Hippoc. *sect. 3. Coacar. sentent. 12.* dum sic ait: *Retentis menstruis laborantes, Hæmorrhoides pati, bonum, &c.* Nam vacuatio hæc præseruat illas à multis damnis, quibus ob retentionem menstrui sunt obnoxiæ. Venæ enim Hæmorrhoidales ob consensum cum vtero, ratione viciniæ, & communis trunci, sanguinem, qui ad vteri vasa non descendit, facilè suscipiunt, ac per sedem expurgant. Plures vidi in quibus Medici non audebant hirudinum ope ab his venis sanguinem exhaurire, quòd putarent, superis partibus vacuatis, inanitas venas ab inferis sucturas, & sic menstrua cohiberi: nam experientia contrarium ostendit. Illæ enim hac ipsâ de causâ pathematis melancholicis vexatæ, aliis tentatis præsidiis, solùm his venis reseratis, hirudinum ope, sanescere potuerunt.

OBSERVATIO CVII.

Ad prouocanda menstrua, pessulus mirabilis.

LVsitanæ virgines ita luto obdurato, testísque vasorum fictilium edendis sunt intentæ, vt nullum hoc dulcius pro continuo victu in deliciis habeant alimentum, & ita dentibus non minori appetitu frusta collisarum ollarum comminuunt, ac si panem biscoctum dulciarium, aut aliud suauissimum cibum manderent, & hac de causâ frequenter in febrem albam, vteri obstructionem, & menstrui retentionem incidere sunt solitæ. Noui quandam quæ grauissimè à matre obiurgata, de nocte, nemine aduertente, iuxta focum posita, adeò ingentem luti rubri copiam esitauit, vt manè cohibitâ penè respiratione, inflato ventre in lecto iaceret. Huic, & aliis, præter totius prouidentiam, & Chalybeata medicamenta, pessulus ex radice nucis inglandis tenerâ, & benè apparatâ, redactâ in pessarij formam, intra vterum immissus, summo est auxilio. Nam feruore quodam intra vterum excitato acrimoniam concitat, & ardorem, ita vt post paucas horas, placidè, & sine molestiâ vllâ sanguis per vterum stillet, quod auxilium, ad partum difficilem, fœtúmque mortuum extrahendum est etiam salutare valdè.

OBSERVATIO CVIII.

Carbonum vorax, suppressis per decennium menstruis, integrè curatur.

POst sex menses, menstruorum accisionem, curationem recipere testatur Galenus *6. epid. sect. 3. com. 29* quo loco affirmat se fœminam persanâsse, cui post octo menses purgatio erat retenta. Et Hippoc. *lib. 5. epid. num. 5. in historia vxoris Gorgiæ*, quæ per annos quatuor menses habuit retentos, *& lib. 4. epid. num. 21.* in exemplo cuiusdam ancillæ, cui per septennium suppressa fuit menstrua purgatio, quas fuisse restitutas ibi confirmat. Nam fœminas quasdam per triennium, quinquennium, septennium menstruis carentes curatas fuisse referunt Iacchinus *ad caput 66. lib. 9. Rhas.* Alexander Traianus *lib. 1. de morb. Gallic. cap. 9.* quas postea concepisse, confirmant. Sed quid respondebimus Hipp. dicenti *lib. 1. de morb. muliebrib. num. 4. mensium retentionem vsque ad sextum incurabilem esse?* Pete solutionem ab ingenuo Mercur. *lib. 4. de morb. mulier. cap. 1.* & Rorario *in 34. contradict. Hippoc.* Ego tantorum virorum illustribus sententiis fretus, olim dum iuuenis essem, in fœminâ, quæ per decennium menstruis omnino carebat, ea prouocaui. Hæc enim cùm esset in 35. anno constituta, & antea illi satis respondérent, Malaciâ laborans, ita carbonum esu, velut selectissimo alimento delectabatur, vt nihil aliud dentibus comminueret, ac esitaret nisi extinctos carbones. Hæc cum febri tenui, & liuido vultûs colore, patiebatur animi deliquium, Angorem, tristitiam, difficilem anhelitum, & metum. Medici curaturi sæpiùs talos secant, exhibent Cathartica, aperientia varia, serum lactis propinant; quibus, nec Chalybis conserua consanescere potuit. Hæc iam ferè Cachectica facta, vsa solùm conseruâ Arthemisiæ 30. dierum spatio, superbibitâ aquâ stillaritiâ Sabinæ, in quâ per noctem Rhabarbarum madebat, pristinæ sanitati fuit restituta, & post duos menses concepit; nam ante morbum iam quater pepererat.

OBSERVATIO CIX.

Ad prouocanda menstrua, pilulæ vtilissimæ.

ILlustris quædam fœmina quùm post duos à partu menses, vt vteri adstrictionem compararet, rectè fluentibus suo tempore lochiis, pessulum in os vteri immitteret, ex puluere nucis Cupressi, Balaustiorum, Aluminis, malicorij, Boli Armeni Sanguinis Draconis, Gallarum, radicis Consolidæ maioris, Bistortæ, Micletæ, & aquâ Plantaginis paratum, in tam diros inguinum dolores est redacta, vt restrictâ menstruâ purgatione, septem dierum spatio vigil in lecto iaceret, color ex albo in liuidum mutatus, venter intumuit, accessit fastidium, aluus restricta, adfuit febricula, tandem mœstitiâ oppressa, resoluta viribus, animam efflare videbatur. Medici in principio quùm vires erant liberales, & sanguinis restricti copia multa, totum in prouocanda menstruâ purgatione cardinem constituunt, in quem vsum vruntur crurum frictionibus, ligaturis, vinculis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 840 sur 927

©BIUM

lis, ſectione tali, cucurbitulis, hirudinibus ano affixis, peſſulis, lauacris, ſuffitu, & expurgantium vſu. Hæc ſolùm pilulis ex Chalybe, & puluere Calaminthæ cum ſyrupo de Arthemiſia paratis conualeſcere potuit, quarum drachmam in nouem globulos redactam diluculo cum exercitio aſſumebat. Hoc auxilio viginti diebus celebrato ægra ad ſanitatem tendit, vterus reddit penſum ſuum, febris euanuit, color roſeus adfuit, vires robuſtiores factæ, & concipiens, maturum ſuo tempore fœtum edidit in lucem.

OBSERVATIO CX.

De Pene virili.

Muſca per vrinam excreta.

ANimalia viua per penem excerni, vt Vermes, Cimices, nouum non eſt. Nos in viro Gonorrhœâ fœdâ laborante, & vrinæ difficultate correpto, vidimus excretam per penem Muſcam, quâ expulsâ, à dolore, quo antea in radice penis immaniter premebatur, leuatus eſt. Hic poſtea Ebeni decocto, & vrinam prouocantibus, conualuit.

OBSERVATIO CXI.

Vir patiens menſtrua mulieris inſtar.

IMberbem, & toto corpore depilem cognoui, effœminatum, mulieris aut ſpadonis inſtar, cui à 20. vſque ad 45. annum menſtruæ purgationes per pudendum, ſtatis quibuſque menſibus, quatuor aut quinque dierum ſpatio in non paruâ copiâ emanabant, & ſi fortè non rectè fluebant, ſuperueniente cum torminibus lumborum dolore, vena ſecta in talo illi remedio erat. Hic nunquam nupſit, immò ex pleuritide occubuit, ex retento menſtruo ſubortâ.

OBSERVATIO CXII.

Pudendum corroſum, vitâ ſuperſtite.

ELegantiſſimus Celſus *in præfat.* rarum morbum, & nouum deſcribit, cuiuſdam, qui ex naturalibus partibus carne prolapsâ, & arente, intra paucas horas expirauit, genus mali, atque remedium ignorantibus Medicis. Nos in quodam integrâ ſanitate fruente, & morbis minimè obnoxio, citra Gallicæ luis ſuſpicionem, pudendum totum corroſum vidimus intra duos dies; nam nigra puſtula ſtatim glandem occupauit cum ardore ſummo, ita vt totum penem ſerpendo arroderet. Hic, Chirurgi operâ vſus, amputatione Verêtri, & vſtione ſaluus remanſit, qui per paruum relictum foramen vrinam deinceps effundebat. Quid dubitandum? nonne humor innaſcitur in corpore ita deleterius, virulentus, ac mordax, vt in quamlibet partem labatur, illius ignem extinguat, & ſubiectam carnem depopuletur? Et ex multis exemplis vnum ſit ſatis apud Gal. *lib. 3. de vſu part. 5.* quo loco ſcribit: *peſtilentia ſæua putrefaciebat extremos pedes, prædo autem eos abſcindebat, vt ſine baculo ambulare non poſſent.*

OBSERVATIO CXIII.

De Priapiſmo.

Ad Colis palpitationem, pilulæ eximiæ.

PRiapiſmum à flatu craſſo, & nebuloſo in pluribus originem ducere, hiſtoriis confirmat Galenus *lib. 6. de loc. vlt. & 14. meth. cap. 7.* Ad hunc euacuandum, & reſoluendum multo tempore vſus erat generoſus quidam miles, colis palpitatione detentus, præſidiis multis: nam præter expurgantia varia, carminantia, ſudorifica, potum aquarum naturalium, & topica auxilia expertus, ſolo hoc auxilio, excreto multo flatu, & roboratis viſceribus, ſanatus eſt.

℞. Aloës Succotrin. ʒ j. Sem. Aniſi, Ameos, Carui, Dauci, Fœnicul. an. ʒ ß. Piperis Albi, Galang. Cinnamom. Zingiber. Caryophyllor. Nucis Moſchat. an. ϑ j. Spicæ, ʒ j. Flor. Chamæmel. Aneth. Melilot. Sambuci, Anthos, an. ϑ j. Calamenth. Origani, Satureiæ, Pulegij, Baccar. Lauri, Cymini, Seſeleos, Radic. Chin. an. ʒ ß. Agalloch. elect. ʒ j. Diacymin. Diamoſch. Diatrion Pipereon, an. ϑ ß. Aromatic. Roſ. Diamarg. Calid. Diarrhodon Abbat. an. ϑ ß. Theriac. Mithridat. an. ʒ j. Rhapontic. ʒ ß.

Puluerisanda puluerisentur tenuissimè, & excipiantur cum syrupo de corticibus Citri, melle Anthosato, & Balsamo, & fiat Magdaleon, ex quo fiant Pilulæ ad modum Ciceris, & decorentur. Dosis sit ʒ j. singulis noctibus, duabus horis post cœnam.

OBSERVATIO CXIV.

Ad Priapiſmum, præſidium celebre.

INdiæ Orientalis Prorex illuſtriſſimus, Priapiſmo diu laborans, infinitis propemodum auxiliis vſus eſt, quæ viſcera roborarent, flatûs abſumerent, qui ab Hepatis frigidâ intemperie emanabant, cum copiâ humoris pituitoſi coniunctâ. Ecce vno die de hoc infortunio cum eo loquutus, ſe habere aquam Stillatitiam Caryophyllorum Viridium, vitreis organis extractam enarrat, quæ ad conciliandum oris ſuauitatem, & coërcendos fœtentes halitûs ab Indis commendabatur. Ea è vaſe extractâ, mirâ odoris fragrantiâ, me, & adſtantes recreauit. Tento auxilium, quod ad ventriculi, & vteri frigidos affectûs, Aromatum ſcriptores ſummè collaudant. Mira ex eius potu, illi, ieiuno ventre, quantitate duarum vnciarum ebibito, per duos menſes, ſequuta vtilitas. Pudendum, quod vel centies in die arrigebatur cum tenſione ſummâ, & illicò flaccidum, & rugoſum fiebat, excreto per ructûs, & crepitûs, flatu multo, firmius eſt redditum, facultates vigoroſiores factæ, ita vt ſe ſanum exclamaret. Si deſit hæc pretioſiſſima aqua, loco eius vtere ſtillatitiâ ex floribus viridis Cinnamomi, aut ex ipſo Cinnamomo viridi per diſtillationem extractâ, quam ex Indiâ Mercatores in varias mundi plagas conuehere ſolent.

OBSERVATIO CXV.

Veretri, cornu inſtar facti, curatio.

ABhinc decem annis, ſi rectè recordor, inuiſi quinquagenarium, cui bienniò penis ita riguerat cum duritie ingenti, vt cornu diceres. Hic omnia tentauerat auxilia; at nec vniuerſalibus, nec localibus, niſi Balneo huic artificiali ceſſit pertinax malum, quod partem tenſam emollit, flatûs diſcutit nebuloſos, & craſſos, & mirè partem roborat. Primò Balneo emolliente vſus eſt.

℞. Radic. Ariſtoloch. Radicis Iridis, Iari, an. ʒ j. Radic. Lilior. albor. Radic. Althææ, an. ʒ ß. Flor. Melilot. Chamæmel. Sambuc. Violar. Aneth. Roriſmarin. an. p. j. Fol. Viol. Maluar. Althææ, Abſinth. Biſmalu. an. M. ß. Sem. Lin. Althææ, Fœnugræc. Aniſi, Aneth. an. ʒ ß. Cymin. ʒ iij.

Fiat omnium decoctio cum duabus partibus aquæ, & tertiâ vini albi potentis. Hoc decocto calido, cùm bis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 841 sur 927

bis in die, manè, & serò semihoræ spatio spongiâ per mensem pudendum foueret, penis rugosior factus: vt verò ad naturalem statum rediret, vltimis octo diebus decocto addidimus olei Lilior. albor. Aneth. Chamæmel. Amygdalin. an. ℥ iij. Deinde ad discutiendos flatûs hoc Balneo vsus, pristinam consequutus est sanitatem, & postea præseruationis causâ, potus aquæ decoctæ Ebeno, & Smilace per annum, remedio fuit, cum exiccante Diætâ, & Electuariis carminantibus coniunctus. Forma Balnei discutientis flatûs, hæc fuit:

℞. *Radic. Iridis, Bryoniæ, an.* ℥ ß. *Baccar. Lauri,* ℥ *iij. Absinth. Chamæmel. Saluiæ, Rorismarini, Stœchad. Pulegij, Origan. Thym. Calaminth. Satureiæ, an. M. j. Flor. Chamæmel. Melilot. Comar. Aneth. Stœchad. an. p. ij. Sem. Anisi, Dauci, Carui, an.* ℥ *iiij. Spicæ Nardi,* ℥ *ij. Radic. Pæon.* ℥ *ij. Acori,* ℥ *iij. Fol. Rutæ, Maioran. M. ij. Alumin. lib.* ß. *Salis commun.* ℥ *vj. Sulphur. viui,* ℥ *iiij. Nitri,* ℥ *j.* ß. *Furfur. p. j.* ß. *Stercor. Caprin.* ℥ *iij.*

Fiat omnium decoctio in lixiuio, facto ex cineribus quercûs, adde

Balsam. ℥ *j. Vini Potentis, lib. ij. Aq. vitæ, lib.* ß. *Olei Aneth. Olei Chamæmel. an.* ℥ *j. Olei de Castorio,* ℥ *ij.*

Bulliant benè omnia, & seruentur vsui.

OBSERVATIO CXVI.

De Nimio Coitu.

Ex nimio concubitu animo linquens, quomodo subitò refocillandus.

REctissimè à primo artis medicæ conditore promulgatum accepimus *in lib. de genitur. num. 1. aliquando sanguinem in concubitu emitti, &c.* Sanguine emanante, seminis loco, effusâ multâ spirituum copiâ, & ob motum, laborem, voluptatem, collapsis penè viribus, ex coitu multo, iuuenis quidam Hispanus in animi deliquium incurrens meam opem implorat. Intempestâ nocte vocatus, repentè accurro. Pulsum tango, eum submersum, & obscurum inuenio, cum difficili respiratione, extremorum frigiditate, Conuulsione tibiarum flatulentâ, cordis palpitatione, & faciei liuore coniunctum. Quid in præcipiti casu ex tempore exequar, anceps ignoro. Nam vacuantibus pugnare, absonum: morbus enim ex inanitione erat. Ecce in mentem venit vinum, ad reparandas vires citissimum auxilium. Huius haustum porrigo, & odorem illius naribus appono: vix deglutiuerat, quando ob languorem retentricis illicò euomuit. Perspectis his, ex 20. vitellis ouorum ius paro & cum guttulis vini, & modico Saccharo ad lentum ignem tantillùm calefacio; ne frigiditate perceptâ, ventriculi tonus lædatur. Hoc ius lentum, & crassiusculum, sensim ac sine sensu, lambitiui modo absorbens, somno se tradit, & quatuor horarum spatio obdormiscens, expergefit adeò robustus, & alacris, vt nullum debilitatis transactæ malum denuò persenserit. Hoc enim edulium est facile ad assumendum, citò concoquitur, non onerat naturam, celeriter distribuitur, exhaustos spiritûs celerrimè refocillat, & cùm sit ob temporis angustias facilè parabile, omni aliâ escâ suauius, velocissimè vires recreat, & refocillat, & cùm sit paucum, nutrit plurimùm, quod optat in hoc casu Auic. 20. 3. *tract. 1. cap. 35.* Legendus in hanc rem eruditissimus Santorellus *lib. 18. Antepraxis, capite 18.*

OBSERVATIO CXVII.

De Minutione Coitus.

Ad minuendum Coitum, Electuarium è Camphora præstantissimum.

QVidam in iuuenili ætate constitutus, quum esset gallo quouis gallinaceo salacior, puellarum amore inescatus, ita assiduè veneri indulgebat, vt ex eius conflictu, sæpè exhaustis viribus exanimis redderetur. Hic cùm esset diuitiis abundans, & potens, vnicáque parentum proles, horum, & amicorum consilia prorsus temnebat. Cùm autem timor esset, ne processu temporis in tabitudinem laberetur, & periret, me rogant, vt filio auxilium præstem. Ipse cùm de ventriculi debilitate quereretur semper, pro roborando stomacho præsidium expostulat. Ego nactus bonam occasionem, me pro eo propulsando malo egregiam habere Conseruam illi inculco, & sic loco Electuarij stomachici, aliud offero, quo veneris impetus, & concumbendi appetentia minuerentur, quo cùm per mensem vnciæ quantitate, superbibitis aquæ. stillatitiæ Nymphææ vnciis tribus post cœnam vteretur, omnino cessauit lasciuia, Veneríque irritamenta euanuerunt. Hoc paratur hoc modo

℞. *Conserua. Nymphææ, lib.* ß. *Conserua. Ros.* ℥ *iij. Conserua. Flor. Fabar.* ℥ *ij. Sem. Lactuc. Coriandri, Endiu. Portulac. Anethi, Cucumeris, an.* ℥ *iiij. Sem. Cannabis,* ℥ *v. Sem. Rutæ,* ℥ *iij.* ß. *Sem. Agni cast.* ℥ ß. *Laserpitij,* ℥ *ij. Flor. Violar.* ℥ *ij.* ß. *Cicutæ,* ℥ ß. *Sem. Hyoscyam.* ℈ *ij. Cinnamom.* ℥ *iij. Macis* ℥ *ij. Camphoræ,* ℥ *v. Rosar.* ℥ *ij. Pulu. Fol. Salicis,* ℥ ß.

Omnia pulueriscentur tenuissimè, & excipiantur Syrupo de Nymphæâ, & secundùm art. fiat confectio. Maxima ergo est ad Veneris delicias retundendas, coïtúmque minuendum, Camphoræ vis atque præstantia, miris in hunc vsum laudibus ab auctoribus commendata, renuat licèt Scaliger *exercit. 104. num. 8. contra Cardanum*, experimento edoctus: nam cani leporariæ quæ catuliebat, obtulit, in potu dedit, in offâ exhibuit, in nares indidit, & collo quotidie appendit. Omnia frustrà, coïuit, concepit, peperit. Irritum argumentum: quoniam adulterina erat, quâ vsus est non nimis credulus Scaliger, alioqui primæ notæ Philosophus. De cuius qualitate vtrinque certatum, scrupulum eximet Doctissimus Renodæus *lib. 1. de materia medicâ, sect. 9. cap. 9. de Caphurâ.*

OBSERVATIO CXVIII.

De Veneris abstinentia.

Ingens vmbilici tumor, vsu intermissæ Veneris, curatur.

SCitum est, ac memorandum, quod ab Hipp. viro prudentissimo, inque disciplinæ auctoritate graui, relatum aduertimus *in lib. 6 epid. sect. 6. Oraculo 4.* Veneris vsum modicum salubrem esse; *Labor*, inquit, *cibus, somnus, Venus, omnia mediocria.* exemplificat Galenus *2. de semin. 2. & 6. epid. 2. 26. & in art. medic. cap. 86.* & exemplis confirmat *lib. 6. de loc. cap. 5.* vidui, & viduæ. Quùm enim concubitu, quo antea creberrimè vtebantur, priuarentur, in grauissima damna incurrerunt, quæ omnia excreto semine leuata sunt. Similia mala euenerunt cuidam in otio, & mollitie educato, qui cùm antea, veneri nimis indulgeret, & tabi esset propinquus, à coïtu cessauit. Vixit biennio pulcher, roseóque colore suffusus, & valdè pinguis. Huic sensim & sine sensu vmbilicus intumuit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 842 sur 927

©BIUM

intumuit. Tumor erat Melonis magnitudine, renitens, dolorificus, colore ſubalbidus, in cuius cauitate exaudiebatur ſonitus. Medici œdema eſſe rati, pro hoc malo curando, præter vniuerſalia præſidia, carminantia machinantur plura. Accedens ad eum, inuenio pigritiâ, mœſtitiâ, torporéque inſolito prehenſum. Anteactam vitam inquiro. Olim illum veneris vſui impensè fuiſſe addictum ex parentibus certior factus, totum curationis cardinem poſitum eſſe ſtatuo, ſi ille ad priſtinam reuertatur, attamen cum modo multo conſuetudinem. Nam vt *in com. cap. 5. lib. cit. de loc. affect.* retulit inſignis Thomas à Veiga, licèt ex retento ſemine, fœmine Hyſtericis ſymptomatis ſint plus obnoxiæ, quoniam in illis innati caloris adeſt imbecillitas, putredinis cauſis non repugnans, quæ in vtero, tanquam in excrementorum ſentinâ ampliùs efferatur, & virile ſemen ſit magis calidum, & benè coctum; tamen in viris conſpicitur aliquando aliquid ob hanc cauſam Vterinis vitiis perſimile. Hæc in coronâ hominum doctorum latâ oratione cùm pronunciarem, inſiſto, & parentes cogo, vt filium matrimonio iungant. Illi cùm nullam aliam ſtirpis ſuæ, eámque vnicam lucem haberent (& ille pro indolis ſuæ merito valdè ab omnibus eſſet dilectus) hilari vultu conditionem accipiunt. Nuptus, & ad concubitum reuerſus, recuperauit ſanitatem: nam poſt paucos menſes tumor euanuit, ita vt quem operoſa medentium diligentia curare non potuit, blanda Veneris dulcedo, excreto ſemine & flatu vaporoſo retento, perſanauerit.

OBSERVATIO CXIX.

Ex intermiſſâ veneris aſſuetudine, Epilepſiâ & mors ſubſequuta.

NObiliſſimus quidam adeò erat coïtûs ſtudio deditus, vt laſſatus, & debilis cogeretur hac de causâ ad tempus lecto quieſcere, & reſtaurante cibo vires exhauſtas reficere. Ille huius fœditatis pertæſus, caſtitatem ſibi obſeruandam propoſuit ita rigidè, vt ieiuniis, abſtinentiæ, & orationi ſolùm eſſet intentus. Ecce poſt ſex menſes, nauſeâ correptus, Vertigine concutitur, & poſt paucos dies Epilepſiâ ſæuâ opprimitur. Ab acceſſione auxiliorum ope leuatus, Medicorum præſidia expoſtulat. Hi Idiopathicam Epilepſiam à vitio ventriculi ſubortam rati, totum, & ventriculum à vitioſis humoribus expurgant, & roborant, ſed fruſtra: nam malo ferociùs infeſtante in plenilunio, præcedentibus inordinato linguæ motu, capitis rotatione, pallore faciei, caligine oculorum, Epilepſiâ, cum valido dentium fragore miſerrimè detentus, poſt paucas horas velut ſideratus extinctus eſt. Diſſecto corpore quæſita cauſa mali. Nullum vitium in ſtomacho cerebro, reliquiſque partibus inuentum, præterquam in cauitate vaſis ſemen in penem deferentis, quæ licèt conſpectum quodammodo Anatomicis fugiat, & coïtûs tempore ſolùm aperiatur; tamen ea ſemine in virorem mutato oppleta viſa eſt, & vlceribus ſordidis ab hac virulentâ ſubſtantiâ retentâ, & corruptâ fortè contractis conſpurcata, è quibus aſcendebat indeſinenter aura noxia, quæ cerebrum lancinans excitatâ Epilepſiâ, ægrum ad interitum deduxit. A teſtibus enim, vaſis ſeminariis, tibiâ, & aliis inferis partibus excitari hunc morbum, latè ad mentem Galeni prædiximus *lib. 1. de Medicor. Princip. Hiſtor. in com. Hiſtor. 19. & 20.*

***

OBSERVATIO CXX.

De Ignauia partium Genitalium.

Electuarium ad excitandam tentiginem, nulli ſecundum.

EX pluribus compoſitionibus ad excitandam tentiginem probatiſſimis, hanc, tentatis plurimis auxiliis, fœliciſſimo euentu præſtantiſſimam ſemper inuéni. Alij enim præſente vxore non poterant membrum arrigere. Quibuſdam, dum concumbebant, illicò pudendum flaccidum detumeſcebat. Cæteri, ſolùm tenue, & aquoſum ſemen citra voluptatem emittebant. Hoc auxilio, ad coïtum incitati, & hilariter rem agentes, prolem habuerunt. Doſis vncia vna. Vtere eo diluculo, & poſt cœnam, ſuperbibito Falerno.

℞. Teſticulor. Satyrÿ recentium, ʒ iij. Radic. Paſtinac. recentis ʒ iij. Caudæ Scinci cum renibus, & Sumine, ʒ ij. Sem. Napi, Baucię, Vrticæ, Erucæ, an. ʒ ij. Trium Piper. an. ʒ iij. Sem. Aſparag. recent. an. ʒ ij. Sem. Maluæ, Sem. Dauci, an. ʒ ß. Pineor. mundator. ʒ ij. ß. Piſtacior. ʒ ij. Caryophyllor. ʒ j. Amygdalar. purgatar. ʒ ij. Vitellor. Ouor. num. iiij. Pyrethri, ʒ iiij. Priapi Tauri, aut Bouis, ʒ ij. Cerebellor. Paſſer. Cerebellor. Columb. aſſor. an. ʒ iij. Linguæ auis, ʒ iij. Zingiber. Been Albi, Been Rubri, Sem. Naſturtij, an. ʒ ij. Sem. Capæ, Sem. Porri, Sem. Scariol. Cinnamom. an. ʒ ij. Chryſocol. ʒ ij. Gallię Moſchat. ʒ ij. Ambar. Griſei, ʒ ß. Zibetti, ʒ j. Moſchi odorat. ϑ ij. ß.

Terenda terantur, & Confice cum Butyro vaccino recenti, & melle, ita vt butyri ſit pars vna, mellis duplex. Aromatiza cum ʒ iij. Aromatic. & ʒ ij. Diamargarit. calidi. Serua.

OBSERVATIO CXXI.

In Coïtu, loco ſeminis, flatus per penem emiſſus.

RES mira. Coëuntibus enim nonnullis ventris crepitûs emitti, primus omnium memoriæ prodidit Hipp. *lib. 6. epid. ſect. 3. text. 12. & 26.* dicens: *Aliquibus cùm venere vtuntur, inflatur venter, vt Damagoræ. Aliquibus verò in eo ſtrepitus. Arceſilao tumebat*, &c. Vidit Amatus 6. *Centur. 95.* notauit Schenckius *lib. 4. obſ. de pene, & præputio.* At per penem flatûs excerni, nouum eſt. Quidam eâ partium genitalium imbecillitate, vnà cum copia pituitæ multæ laborabat, vt cùm coïbat, non ſemen per penem, ſed loco eius flatûs emittere ſentiret. Sterilis factus præſidia quærit. Varij varia generantia ſemen præſidia conſuluerunt: at ineptè, nam hæc cùm flatuoſa ſint, flatûs generant, & affectum deteriorem reddunt. Tandem exquiſitè expurgato corpore à crudis ſuccis, Sudorifica, imperant, & Balnea naturalia miniſtrant, quibus celebratis, & oblato Electuario ſemen generante, abſtinens diu à venere, cùm concubuit, ſemen emiſit, & habuit prolem.

OBSERVATIO CXXII.

Ad Coïtûs ignauiam, pilulæ optimæ.

STeriles, & ignauos fieri homines ex membri vitiatâ figurâ, ſeminis vitio, excretionis celeritate, certum eſt; nam aliqui, ocyùs quàm par eſt ſemen emittunt, quo fit vt virili detumeſcente coïre minimè poſſint. Ex vitio totius, aut partis impotentiâ oritur, vt ob morbum, aut caloris defectum. Ex teſtium etiam contorſione, amputatione, & hi *Caſtrati, Eunuchi,*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 843 sur 927

©BIUM

Eunuchi, Spadones, Thlibiæ dicuntur. Ex fascino, quod vel animali vi, vel Cacodæmonis maleficio contingit. Ex his omnibus causis, vnam solùm habebat vir quidam, qui licèt in florente esset ætate constitutus, ex debilitate caloris, spiritûs ad tensionem necessarios non generans, iners erat, & piger ad concubitum, qui etsi pudendo arrecto aggrederetur fœminam, illicò laxato pene cessabat à coitu. Hic multa tentauit. His pilulis solùm ad Hymenæum robustus euasit. Illis vsus est toto mense, assumptis tribus, quatuor horis post cœnam.

℞. *Olei de liquidambar.* ℥ j. *Sem. Eruca,* ʒ j. *Boracis præparat.* ʒ j. ß. *Pulu. Cinnamom. elect.* ∋ j. *Agalloch.* ∋ ß. *Moschi, gran. viij. Diamargarit. calid.* ʒ ß. *Diasatyrion. ex 2. descripti. Mesues,* ℥ ß. *Theriac.* ʒ ij.

Cum scrupulo ß. pudendi Cerui, & melle Anthosato fiant pilulæ.

OBSERVATIO CXXIII.

Impotentiâ desperatâ laborans, quomodo curatus.

PRinceps quidam quùm de habendâ prole valdè esset sollicitus, nunquam genuit, quoniam cùm coïbat, illico laxato pudendo cessabat à coïtu, & si fortè pudendum erat tensum, semen emittere non poterat; aut si multoties excernebat, id erat fluidum, aquosum, & excretum sine voluptate vllâ. Aulici, & cubicularij illius Medici, hæc vitia à frigido viscerum intemperamento, debilitate caloris innati, partiúmque genitalium ignauiâ, vnà cum excrementitiâ humiditate originem ducere iure merito sunt arbitrati. In quem vsum, licèt illi vsu & experimento percelebres, varia medicamenta proponerent; ille cùm horum esset inimicissimus, malle se mori fatebatur, quàm per os illa assumere. Quare illi vnà mecum consilium ineuntes, ita curationem sunt exorsi. Loco præparantium assumpsit Conseruam Anthos superbibitâ stillatitiâ Cinnamomi. Purgatus multoties radice Mechoacæ in tabellas cum Saccharo redactâ. Cibariis vtebatur electissimis, carne, Columbæ, Caponis, & & præsertim Perdicis, Aromatis condîta, Pastinacâ in taleolas efformatâ, & Saccharo incrustatâ. Boracem assumpsit multoties quantitate granorum V. in Ouo sorbili. In fine mensæ offerebatur pinoleatum ex pineis, & Amygdalis mundatis cum Saccharo, & aquâ flor. Arantiorum paratum. Vinum erat generosum. Abstinebat à venere. Conchyliorum, & ostreorum assa Caro illi assiduò erat ex vsu cum Vino, Pipere, & Zingibere respersa. Aqua Smilace decocta. Somnus prolixior. Exercitium modicum. Equitationi erat intentus. Imperata Balnea naturalia, Sudorifica ex Ebeno assumpta. Vnguenta varia pudibundis partibus adhibita. Demum nihil non tentatum. Hoc tandem auxilio sanus est factus. Matutino tempore pastâ regiâ vtebatur, & interdiu bellariorum vice, Satyriones edebat Saccharo incrustatos, superbibitâ aquâ stillatitiâ Naphæ, cum Moscho, & Ambaro delibutâ. Pastæ forma erat hæc.

℞. *Sacchari albissimi, Farin. Oriza albissim. an. lib.* ß. *Cinnamom. Optimi,* ʒ ij. *Zingiber. Caryophyllor. an.* ʒ j. ß. *Piper.* ʒ ß. *Pulp. Capon. Pulp. Perdic. an.* ℥ j. *Cerebellor. Passer. Cerebel. Columbar. Vino generoso lotor. an.* ℥ ß. *Carnis Scinci,* ℥ ij. *Moschi,* ʒ ij. *Ambar.* ʒ j. ß. *Cum aq. Melissæ, fiat pasta.*

OBSERVATIO CXXIV.

Ad laxum pudendum roborandum, Vnguentum celebre.

QVidam Mercator ditissimus ad venerem procliuis, & ob flatuum copiam, concubitûs amans, quùm ad eam accedebat, post primos congressûs, ob calorem, & motum discusso flatu, à ludo cessabat laxato pudendo. Hic plura tentauit. Solo hoc Vnguento, penis factus est robustus, & benè firmus.

℞. *Succi Eruca,* ℥ iij. *Adipis Leonis, Columbæ, Passerculi, Vulpis, an.* ℥ j. ß. *Testiculor. Vulp.* ʒ iij.

Coquantur ad consumptionem succi, & colentur. Adde

Olei Formicarum, ℥ ij. *Angelic. Piperis, Castorei, Olei Lilior. Olei Cinnamom. Olei de Spicâ, Olei de Ebeno, Olei de nuce Indicâ, an.* ℥ j. *Pulu. Capæ, Castorei, Piper. Longi, Sem. Viticis, Pyrethri, Eruca, an.* ʒ j. *Agalloch.* ʒ ij. *Diambræ,* ʒ ß. *Gallia Moschat.* ∋ ß. *Pulu. Boracis,* ∋ j. *Pulu. Stellion.* ʒ ij. *Nucis Moschatæ, Caryophyllor. an.* ʒ ß. *Balsami,* ℥ j. *Olei de Liquidambar,* ℥ ß. *Zibetti,* ʒ ij. *Ambari,* ℈. *xij. Moschi odorat.* ℈. *vj.*

Cum Cerâ citrinâ quantum sufficerit, ad ignem lentum paretur ynguentum secundùm artem.

OBSERVATIO CXXV.

Alimentum ad prouocandam venerem perutile.

REctè quidem Hesiodus asseuerat, florente Cynarâ, hoc est Altili Carduo, qui in hortis cultus Mangonio domitâ feritate mitescit, Cicadas optimi cantûs esse, & mulieres libidinis auidissimas, virósque in coïtum pigerrimos, velut prouidentiâ naturæ hoc adiumento tunc valentissimo in venerem procliues esse. Nam Cynara huius desideriis mirè satisfacit. Altilis nemini non cognita qui ganearum cupediis, veneríque illecebris subscripsit. Carnem fructûs Cardui, ludi venerei irritamenta mouere, & belluinam illius cupidinem accendere testatur Lacuna *lib. 3. in Dioscor. in com. cap. 14.* His edoctus, cuidam genitalium ignauiâ laboranti post innumera auxilia consului, vt hoc fructu vteretur cum caule ipso apparato, ex quibus insperso vino, Pipere, & sale acetarium pararetur. Ita fecit, cum vtilitate summâ: At cùm hoc cibarium, humorem bilioſum, atrúmque generet, post decem dies, de debilitate stomachi, cum mœstitiâ coniunctâ conquestus est, quæ roborato stomacho illicò conquieuit. Cùm autem hoc auxilium Veneris stimulos nimium excitaret, & illius causâ pronus rueret in concubitum, ab eo cessare nolebat: vt autem nocere non posset, & palato magis arrideret, tam caulem à pelliculâ interiori purgatum, quàm carnem fructûs ab vnguibus, spinosâ lanugine, & cortice duro mundatam, in taleolásque redactam abstergo, sicco, & caulium lactucæ, aut Citriorum instar, saccharo albissimo per vnam, atque alteram ebullitionem percoquo: nam coctione, fructûs huius malitia mitescit, & hebetatur. Hoc condîto vtebatur toto anno, superbibito mero, & ad Veneris conflictûs factus est alacris. Pro impotentiæ curatione, rara præsidia lege apud Valler. 5. *enarrat.* 4. Fonsec. 1. *lib. consult.* 10. & *lib.* 2. *consult.* 47.

OBSERVATIO CXXVI.

De Gonorrhœa.

Gonorrhœa diuturna, Balneis naturalibus curatur.

NOn rarò ab inundante humiditate in vniuerso corporis ambitu, & venoso genere, Gonorrhœam concitari, laxatis, & imbecillioribus factis vasis spermaticis, compertum est. Hac de causâ laborauerat quidam hoc morbo biennio, cui, vt retineret

tineret ſemen (quod erat ſeroſum, tenue, & incoctum,) firmiùs & auidiùs, & excrementitia humiditas exiccaretur, plurima in hunc finem conſulta fuerunt auxilia. Purgationes, Emplaſtra circa lumbos, & Pubem, Fomenta, Cerata, & tandem imperatus vſus decocti radicis Chinæ, & Ebeni, & vltimò Cauterium in crure inuſtum. Tandem Balneis naturalibus aluminoſis omnino curatus eſt: hæc enim præterquam quòd in fluxionibus ad partes inferas accommoda ſunt, 1. *ad Glauc.* 14. roborant, ſuperfluum humorem abſumunt, diuertunt, aquoſum humorem in halitum digerunt, adſtringunt, fluentem ſuccum mirè compeſcunt, ex Galen. 1. *de ſanit.* 7. *lib. de tremor.* 5. & 1. *ſimpl.* 7. & 4. *ſec. gener.* 5. & 6. De quorum vi mirabili in hos vsûs ſat multa veteres, & Iuniores prædixerunt.

OBSERVATIO CXXVII.

De Gonorrhœa Virulenta.

Ex ſuppreſſâ Gonorrhœâ virulentâ, vlcus ſæuum ſub vmbilico exortum.

ADmirabilis Fernelius *lib.* 6. *Pathолog. cap.* 20. *luem veneream, miſerabile eſſe ſcortatorum flagellum* pronunciauit: nec immeritò. Nam morbus eſt immanis, deleterius, Herculeus, inſuperabilis, multiplex hydra, ad coërcenda humana delicta mortalibus à Deo optimo permiſſus, vt inquit Manardus 17. *epiſtol.* 3. qui adeò turbulentis, funeſtis, diriſque ſymptomatis mortales excruciat, vt hoc oppreſſi, & excarnificati, non ſolùm mortem oppetant, quin appetant. De huius morbi origine, & cauſis pulchra prædiximus *lib.* 1. *de Medicor. Princip. Hiſtor. in com. Hiſtor.* 73. De curatione, celeberrimi Medici diſceptârunt. Nos ſelecta auxilia proferemus in medium. Quinque ſunt mirabilia in hoc morbo notata à Doctiſſimo Monardo, *lib.* 2. *epiſtol.* 1. *in med.* quòd longus ſit ac vehemens; quòd noctu magis, quàm interdiu affligat; quòd rarò per alia membra in aliud transferatur; quòd in puſtulas oris deſinat; quòd ferè à pudendis incipiat. Per hanc partem, fœdam patiebatur Gonorrhœam miles, qui, excreto virulento pure, & ſummo ardore vrinæ excitato, huius immunditiei pertæſus, Chirurgi cuiuſdam conſilio requiem Nicolai cum aquâ Plantaginis ter aſſumpſit. Hoc facto omnino ſuppreſſa eſt fluxio, at dirus humor fluere aſſuetus, in ſuperiores partes reſtagnans, adſtringentíſque medicamenti vi coërcitus, tumorem durum ſub vmbilico excitauit, ita amplum, vt totam ventris regionem occuparet. Hic ſummo labore emollitus, tandem in abſceſſum abiit, ex hoc in vlcus ita doloſum, vt ſex menſium ſpatio emanante tetrâ illuuie ægrum fatigans, nullo vnquam quàm ſudorificis ex Ebeno, & tandem Mercurio ſuccubuerit.

OBSERVATIO CXXVIII.

Gonorrhœa Gallica cum tabitudine ſummâ, validiſſimâ febri, & omnium membrorum contractione, Ebeno curatur.

PEritiſſimus Luſitanus *lib.* 1. *de different. febrium, in comm. cap.* 8. *Gal.* in verbo, *Generatur igitur.* Hæc præfatur verba. *Sæpè verò creditur Hectica, quæ ab humore dependet, propter exiguitatem febris cum duratione, quod ſæpè accidit in habentibus morbum Gallicum, & interna vlcera & obſtructiones: quibus licèt tenues ſint, non eſt timenda purgatio, & ligni exhibitio, ſi creditur iuncta qualitas Gallica fouens febrem, frequentiſſimo curantium experimento: ceſſat enim febris, quæ Hectica credebatur, ablatâ cauſâ, aut humoris, aut deleteriæ qualitatis, &c.* Hæc aurea Thomæ à Veiga verba non perpendens quidam inſoleris Medicus, & magno faſtu cuncta ſibi aſſumens, in Gallicoſo iuuene, contracto, extenuato, valdè febriente, & virulentam Gonorrhœam diu experto, ſolùm ob febrim, ſudorifica auxilia ex Ebeno, & Smilace parata, cane & angue peiùs renuebat. At cùm febris, tabes, purulenti humoris per penem excretio aſſidua, ex venenatâ qualitate luis Gallicæ, tanquam à primâ origine ſcaturirent, ſatius eſſe duxi, non ſpretâ febri & emaciatione, illius efficaciam Cardiacis medicamentis, à totáque ſubſtantiâ operantibus retundere. Sícque refocillatis viribus, & refrigerantibus priùs exhibitis, alternis diebus tum emollientia Vnguenta contractis pedibus, & brachiiis impono, tum lenia expurgantia propino. His per Epicraſin celebratis ad ſudorifica accedo: primis tamen diebus decocto ligni in aquâ Endiuiæ parato, in poſtremis quùm minueretur febris, eam detraxi. Vix dici poteſt, quantam ex huius applicatione remedij æger ſentiret vtilitatem: nam cùm eſſet ſeptuaginta diebus, illo, meo conſilio, vſus, viginti diebus euanuit febris, quadraginta ceſſauit effluuium. Quinquaginta artûs mouere cœpit. Sexaginta, omnino contractio ablata. Septuaginta obeſior factus, totum negotium naturæ, & victui commiſit, & pro præſeruatione, vſus Ebeni decocto, ſaluus remanſit.

OBSERVATIO CXXIX.

Ad Gallicum Pilorum defluuium, præſidium expertum.

GAllicâ lue infectus, Mercurij ope euaſit. Poſtoà menti, & capitis Glabritie occupatus, multis celebratis, ſolùm hoc Vnguento conſaneſcere potuit.

℞. *Apes viuas, num.* 100. *Muſcas viuas, num.* 80. *Pilos Vrſi, Stercus Muris, Sem. Lin. Zingiber. Baccar. Myrt. Myrrh. Cortic. Pinear. Nucum Auellanar. Amygdal. Caſtanear. Stercus Capræ, Adianth. Abrotan. Abſynth. Sem. Apij, Spum. Nitri, Fol. Heder. Radic. Arundin. Lauendul. Lapath. acut. Pyreth. Roriſmarin. an. part. æquales. Polytrichi, ʒ ij. Piper. Albi, ʒ j. ß. Euphorb. ʒ ß.*

Comburantur omnia cum pinguedine Vrſi, & cum Oleo Maſtic. Myrtin. Ladano, & melle fiat vnguentum, quo partes depiles illinantur.

OBSERVATIO CXXX.

Cauſticum medicamentum ſuper Gallicos Tophos impoſitum, egregium auxilium.

TVmores Gallicos, Scirrhoſos, duros, Gummata, Talpas, Nodos, & alia tubercula, ex pertinaci, terrenâ, gypſeáque ſubſtantiâ pronatâ, ad ſanandum difficilia eſſe, eorum tenaciſſima ſubſtantia ſimul cum deleteriâ qualitate coniuncta, manifeſtè oſtendit. Hinc fit, vt hæc Medicorum operam deludant ſæpè. Plures vidimus hac de cauſâ ſæuis per multos menſes doloribus excarnificatos, debiles, tabidos, & morti propinquos, nî ſalutari manu Domini, aut quacunque operulâ meâ ab Orci faucibus euaſiſſent: Nam ſuper tumorem, aut Tophum, Cauſticum impono. Si non ſuffecerit, imponendum ferrum candeſcens, & immiſericorditer premendus ignis, inurendus Tophus, ita vt ſæpè os ſubiectum oculis exponi poſſit: ſic enim impatibiles cruciatûs, è centro, & profundo emanantibus ichoribus, quandoque leuantur. Si ita non feceris, mucoſa

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 845 sur 927

materia & virulenta in Periosteon sese dispertit, intûs cruciat, ossa terit, cariem, nigredinem, sideratio-
A nem denique minatur. Quare simile monstrum alio monstro debellandum.

OBSERVATIO CXXXI.

Fontanellis in inguine sponte apertis, quidam à sæuo morbo Gallico euasit immunis.

NOta infrequens exemplum. Dux Hispanus, sæuis, dolosisque miserabiliter quassus vlceribus, quæ totum corporis ambitum conspurcabant, sæpiùs vnctus Hydrargyro, & sudorificis auxiliis immaniter cruciatus, ex iis vix sensit commodum
B vllum. Apertis tandem sponte in vtroque inguine fontanellis, per quas, veluti per emunctoria, putores illi, corruptique humores paulatim vacuari cœperunt, omnino à tantis malis immunis euasit. Argumentum sanè optimum ab eis quæ vtiliter à naturâ fiunt, desumptum, quo probari potest in hoc morbo fonticulos adapertos summo esse ex vsu, quos fœlici experimento aperui, quando hoc malum inueteratur, aut aliquam regionem, aut partem prolixâ fluxione fœdat, & inquinat. Sic censent Capuacius *lib. de lue vener. 6.* Mercat. *lib. 1. de eodem morb. vlt. & lib. 2. cap. 1.* Alcacar *lib. 5. cap. 23. de morb. Gallico.*

OBSERVATIO CXXXII.

Cibus, morbo Gallico, laudatissimus.

SCribit Sennertus, alter Germanus Galenus *lib. 4. Instit. part. 1. cap. 3.* & retulit primò Cardanus *lib. 3. de sanit. tuend. cap. 9.* Perdicum carnem morbo Gallico laborantibus maximo esse ex vsu. Tantorum virorum auctoritate fretus, hoc edulium Gallicosis consului, qui cæteris Alexipharmacis non conferentibus, huius carnis assæ assiduo vsu, à tam dirâ lue euasêre: nam illa est temperata, facilis coctionis, probissimi succi, nutrimenti multi, excrementi pauci, & natiuâ quadam proprietate morbosis opitulatur, de cuius alimenti probitate, ex veterum penu facun-
D dissimè disseruit clarissimus Ludouicus Nonnius Antuerpiensis *lib. 2. de re cibariâ, 27.* & non siluit omniscius Vlysses Aldrouandus *lib. de Animalibus, cap. de Perdice.*

OBSERVATIO CXXXIII.

Mercurius in potum assumptus, gallicosis præsentaneum auxilium.

NOn solùm adultis, sed pueris Mercurium in potum esse exhibendum in variis morbis, ex aliorum mente dixêre Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 47.* Paulus *lib. 7.* Vigo *lib. 2. cap. 20. & lib. addit. cap. 1. & lib. 8.*
E *antidotar. cap. 13.* Plin. *lib. 38. cap. 6.* & Mathiol. *5. in Dioscorid. cap. 69.* Vidus Vidius *de curat. general. cap. 2.* & alij confirmant. Nos sæpissimè in contumaci morbo Gallico, cæteris non conferentibus, pilulas ex Mercurio cum Theriacâ paratas, vel ex Præcipitato cum Cardiacis pulueribus permixto, fœlici cum euentu propinauimus, quæ tenaces humores vomitu, & secessu expurgant. Sumat quotidie vnam pilulam, sex horis ante cibum, illisque triginta diebus vtatur.

℞. Pulu. Præcipitat. ℈ j. ß. Hydrargyri extincti, ℈ j. ß, Theriac. Magnæ, ʒ iij. Scammonij, ℈ ß. Diamargariton, Aromatici Ros. Margaritar. præparat. an. ℈ j. Moschi ℊ x. Ambar. ℊ v. Zibetti, ℊ iij.

Misce, fiant pilulæ triginta, & diligenter auro decorentur.

OBSERVATIO CXXXIV.

Morbus Gallicus, interdum contagiosus ad distans.

POstquam librum meum primum *de Medicor. Principum Historia* in lucem emisi, in cuius historiâ 73. Comprobaui Gallicum morbum esse contagiosum ad distans, fortè occurrit exemplum rarissimum. Quidam Ophthalmiâ Gallicâ laborans, (quam posse dari, suprà *lib. 1. obseruat. 58.* probauimus, & firmauit etiam Manardus *lib. 7. epist. 3. prope fin.*) inter sudandum, virum quendam curationis suæ habuit
B ministrum, qui solùm, & sudorem abstergebat, & victum parabat. Hic post ægrum curatum, eâdem Ophthalmiâ est oppressus, quæ adeò illum excruciauit, vt obortis Talpis in fronte, & in toto capitis ambitu duris excitatis nodis, nulli vnquam auxilio, nisi Mercurio succubuerit. Ne ergo dubites Gallicum morbum esse contagiosum ad distans: nam si Ophthalmia simplex ad distans inficit, cur virulenta id non efficiet, cùm habeat omnes contagij conditiones; Lege Aurelium Minadoüm *lib. de lue vener. c. 5.*

OBSERVATIO CXXXV.

Si non contingat vacuatio per Hydrargyricam Alipticam, quid faciendum.

VOcati duo Medici eruditi ad curandum ægrum, quem vnanimiter Vnguento Mercuriali esse persanandum rati sunt. Præparato corpore post 12. vnctiones, nulla per aluum, sudorem, vrinam, aut quod frequentiùs accidit, per sputum vacuatio est facta, immò nec Gingiuæ intumuerant. Hæc res visa illis est miraculosa, & certè accidit rarissimè. Æger tandem vsque ad 14. vnctionem perductus citra vacuationem vllam, animo linquitur, & cum anxietate & inquietudine, Syncope opprimitur. Iterum inter eos consilium initum. Quidam vltrà progrediendum. Alius cessandum ab Vnctione ob imminentia symptomata tenaciter contendebat. Exortâ hac quæstione, vt meum inter illos votum pronunciem ab affinibus in consilium vocor, & collatis inter se rationibus, stabiliui omnino ab Vnguentis cessandum, ægrum abluendum, & aliâ viâ curandum. Quùm enim hæc dira symptomata eueniunt, signum est quòd non penetrat Mercurius. Si eum vlteriùs præscribas, multum negotium naturæ facesses, & exhaustis spiritibus ægrum præcipitem dabis in mortem; Neque enim approbo Nicolai Massæ viri alioqui in hoc curando morbo disertissimi votum, qui *lib. 4. cap. 20.* cuidam hac labe fœdato, 37. continuis diebus vnctiones dedit. Sed nos ob dictas causas ab eis supersedentes, reiteratis sudoribus ægrum hunc ad sanitatem perduximus. Sed quomodo Hydrargyri in corpore relicti malitia esset retundenda, in dubium vertimus, & sequenti obseruatione fiet manifestum.

OBSERVATIO CXXXVI.

Vnguentum ex Auro, Mercurij antidotum.

DIoscorides totius naturæ interpres mirabilis *lib. 5. cap. 60. & lib. 6. cap. 28.* asseuerat *Argentum viuum epotum vim pernicialem habere: suo enim pondere intestina exedit, interna vulnerat, vrinam supprimit, plumbeam deformitatem corpori parit, ventriculo, & interaneis grauitatem cum magnis torminibus affert.* Hæc omnia patiebatur Serenissimus Princeps quidam, qui post Vnguenta mercurialia septem diebus admota, nullam per aliquam regionem humoris virulenti vacuationem

©BIUM

cuationem erat paſſus, & internâ viſcerum phlogoſi premebatur cum anxietate graui. Cubicularij eius Medici, plures alios celebres in collegium nuncupârunt: nam conſultatio optima eſt iuxta Hipp. *lib. de præceptionibus num.7.* ſic dicentem: *Nec verò indecorè ſe geret Medicus, qui in rei præſentis angustiâ circa egrum aliquem, & imperitiâ tenebras offundente, alios quoque accerſere iuſſerit, quo ex communi conſideratione, res circa egrum inquirantur, ac cognoſcantur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem. Nam in afflictionis aſſiduitate, augeſcente affectione, ob conſilij inopiam plurima ad rem præſentem effugiunt*, &c. Cuius mentem luculenter explanant Theodorus Zuuingerus, & Anutius Fœſius, viri arte Hippocraticâ digniſſimi. Quare iuxta mentem Senis, *nullus Medicorum in hac ſplendida perſonâ ſolus tentare auſus fuit, ne*, inquit Celſus *in præfat. occidiſſe, niſi ſeruaſſet, videretur.* Omnes ergo in causâ horum ſymptomatum agnoſcendâ, quòd ab Hydrargyri malitiâ eſſent ſuborta in corpore relicti, concordes fuimus, Mercurius enim etſi liquidus ſit, grauiſſimus tamen eſt, & cùm hoc ſit, facillimè in leuiſſimum vaporem, fumumve conuertitur, qui ſi exire impediatur à corpore ſolido, in liquorem grauiſſimum redit, veluti gelarus, & penetrat oſſa, in eiſque terribiles excitat dolores, & cùm ſit venenum rerum omnium ex Plin. *lib.33. cap.6.* non ſolùm metalla, ſed oſſa corrumpit labe dirâ, notante Scaligero *exercit. 105. in Cardanum.*

Debellanda ergò eſt Hydrargyri vis deleteria, ſed quo Antidoto? Iunior Medicorum aſſignauit lac caprinum multum epotum, & ſubindè reuomitum, cuius mulcebri temperie effrænis Mercurij vis retunditur, ac coërcetur. Secundus Vinum propoſuit, in quo Abſinthium, & Gentiana priùs bullierint. Sudorifica ex Ebeno alter aſſignauit, quorum vi vapor Mercurij reſoluitur, & exhalat. Quartus Theriacam, & aquas Theriacales notauit, vnâque Balſamum ſulphuris toti corpori illitum, cum Rulando *lib.1. centur.92.* Alius Coſtum cum vino puro aſſumendum dictat cum Conciliatore *lib.de Venen. cap.7.* Sextus Aridum palumbis fimum cum Nardo, & Vino viginti diebus potandum imperat. Quidam decreto Auic.6.4.*tract.1.cap.2.* Myrrham cum mulsâ aſſumendam monuit. Octauus ex Dioſcoridis ſententiâ, iterum bellè purgato corpore, Aurum Antidotum Mercurij proponens, citatis etiam Fallopio *lib.de foſſil.lib.cap.6.* Capiuacio *lib.de lue venereâ, cap.11.* Hollerio *lib.3. Inſtit.Chirurg.cap.3. in fin.* Pilulas aureas, ex Auri tenuiſſimâ ſcobe, hoc eſt, ſubtiliſſimis eius tamentis paratas, quæ ex eius limaturâ decidunt, aut ex puriſſimi Auri foliis conſtructas aſſumere, pro ſelectiſſimo Alexipharmaco conſuluit. Senior huius votum libenter amplexus, addens præter pilulas aureas exhibendas, partes Hydrargyro vnctas, Auri Vnguento eſſe per plures dies tractandas, quod præſtabimus, ſi artûs Tragacantho priùs liquefacto vngamus, deſuper folia Auri triplicata apponentes, ſic enim firmiter folia adhærent glutinis inſtar. Ne verò hic magnificus Dominus cum Adriano Imperatore, ſe turbâ Medicorum diſcordante periiſſe quereretur, decretum fuit inter nos, pilulas aureas, & ex foliis Auri paratum Vnguentum, ſaluberrima eſſe, contra Mercurij relicti in corpore ferina ſymptomata infrænanda, medicamenta. Nec irritum fuit conſilium: nam poſt aſſumptas pilulas, immò & folia Auri in iure, Vino, liquoréve aliquo diſſoluta, & ſuperpoſita folia ſuper dolentes artûs, à tam perniciosis pathematis ſecurus euaſit. Extracta Auri folia poſt tres horas, attracto ad ſe natiuâ quadam familiaritate Mercurio, Argenteo apparebant infecta colore, Hydrargyri colori ſimillimo (res mira, & à nullo hactenus notata.) Nec dubites. Mercurius enim cum Auro amicitiam ſeruat, & nec argentum difficiliùs amplectitur, purgátque abſque vllâ Ignis operâ. Alia verò metalla præter hæc duo, ac ſi hoſtis eſſet, rodit, & abſumit, quare in vaſis teſtaceis, ſeu pelliceis ſeruatur. Aurum verò domat illud, & ad ſe trahit; hoc ad illud præſens accurrit, & quaſi blandiens miteſcit, ac domatur. Hæc eſt cauſa cur epoto Auro ſe muniant foſſores, & inaurantes argentum aduersùs Mercurij perniciem; & ſcimus eos, quibus fuit iniectum ab hoſtibus clàm in aures, patientes damna relata ab Auic. *loc.cit.* liberatos inductâ Auri virgulâ in Aures ipſas, trahente illâ ad ſe paulatim Argentum viuum. At longior omnino ſum, quàm obſeruationis poſtulat ratio, quare de cæteris Argenti viui miraculis, te ad fide dignos Hiſtoriographos noui Orbis manuduco, inter quos palmam præripuit Ioſippus à Coſtâ, doctus vir *lib.8. de hiſtor. natural. Indic. cap.9. vſque ad 14.* De cuius in manifeſtis qualitatibus temperamento graphicè diſſeruit Alcacar *lib. de morb. Gallico cap.11.* & non ſiluit eruditiſſimus Rorarius *in explicatione 20. contradict. Galeni.*

OBSERVATIO CXXXVII.

Ad extrahendum Mercurium in corpore latens, nouum, nec ita vulgo cognitum auxilium.

VIuat, & vigeat in Argento viuo calamus in obſeruatione hac, cùm tam immania, & truculenta ſint damna, quibus Mercurio vncti mortales, & præſertim in Peruano Regno, vbi hæc lues ferociùs inualeſcit, concutiuntur. Nam ne exiguo quodam miraculo comprehendam prodigioſi huius metalli ſermonem, paleæ cuiuſdam Indicæ, hîc meminiſſe lubet, cuius flammâ, metalla quæ ab Argento viuo purgantur, facillimè liquantur, ac funduntur, quæ maximis lignorum ſuccenſorum cumulis vix cedunt, id quod etiam Plinius pro miraculo habuit *lib. 33. cap. 3.* ita ſcribens: *Præterea mirum, pruna violentiſſimæ igni indomitum, paleâ citiſſimè exardeſcere, atque vt purgetur, cum plumbo coqui*, &c. Colligitur hæc Indica palea ex Peruanis montibus, ſparti inſtar, & naſcitur iunci modo. Indigenæ Icho vocant. Hoc miraculum adeò Medicorum animos conturbauit, quùm viderent è flammâ huius paleæ attrahi Mercurium, vt eius fumum in gallicatis, in quibus poſt vnctiones, Hydrargyrum opus ſuum per ſputum non complens, dira ſymptomata intus coërcitum concitat, experirentur. Quare ægri intra Conopæum, huius paleæ fumo, ſenſim ac ſine ſenſu, ſudoris in modum, per totam corporis ſuperficiem Mercurium exudant. O vtinam! Mercatores hanc paleam in noſtras oras tranſportarent, ſicut & alia in vsûs Medicos nouiſſima medicamenta, quæ ob incuriam Medicorum, aurum ſolum, & Margaritas anhelantium, in obliuionis tenebris ſepulta iacent.

OBSERVATIO CXXXVIII.

Super caput aliquando Vnguenta Mercurialia imponenda.

GAleni diſertiſſima ſententia eſt *lib.10. Meth.cap. 10. quòd vbi ſemel moriendum, & vnica via ſalutis ſola reſtat, hanc eſſe, licet cum periculo, tentandam: quam multo ſatius ſit nos nonnullâ fiduciâ, vel cum periculo facere, quam ſpe adempta egrum certò perire.* Immani capitis dolore iuuenis quidam robuſtus noctu præſertim premebatur, vſque ad aurium radices penetrante, ita ſæuo, & diro, vt mortem ampliùs quàm tot tormenta appeteret: nam cerebro aures perforari

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 847 sur 927

©BIUM

inculcabat. Origo malí cùm esset notissima, cui impurus, obscœnúsque concubitus occasionem dedit, Medici, expurgantibus, sudorificis, & Hydrargyro morbum debellare conantur. Sed frustra: morbus enim Lernæus omnia contempsit. His perspectis in conclamato morbo satius duxi potentibus præsidiis pugnare, quàm nihil agere, & anceps remedium experiri, quàm nullum. Mercurialia ergò vnguenta super totum caput, & ad aurium radicem ter apponi impero. Dolores remissi, febris sedata, concocta vrina, pulsus alacrior factus, nulla visûs, aut auditûs sequuta noxa, vt contrarij priùs prædixerant cum Auic. *lib.2. cap.47. de Argento viuo*, æger viuidior, qui leuibus deinde applicitis præsidiis perfectam obtinuit sanitatem. Quamobrem licèt eruditissimi Medici de hoc morbo conscribentes, vnguenta ex Mercurio supra caput, membrum principalissimum imponenda vetent; tamen cùm eò miseriæ ventum est, vt cætera non iuuent; tunc coactâ necessitate, vetustiore morbo facto, ne humor virulentus in capite, Vlcera, Talpas, Ossium cariem, & alia damna pernicioſa efficiat, ad paulò rigorosa remedia accedere oportet, quæ si noceant, *melior est noxa quàm mors*, ex Gal. 1. *aph.24. & lib.12. meth.1. in med.*

OBSERVATIO CXXXIX.

In Bubone Venereo in grauidis, è talo mittendus est sanguis.

VTtero gerens, carnosa, & robusta, à marito, morbo Gallico infecta, bubonem passa est in inguine ingentem, quem vigilia, totius corporis lassitudo, sitis, & febris ardens comitabantur. Vocati Medici sanguinis missionem esse necessariam ex Saphena affirmârunt: sed quia septimestris erat, ex brachio esse celebrandam rati sunt. Renuunt Chirurgi; nam hic humor est veneficus ex Fernel. *lib.de lue vener. 13. & 2. de abdit. 14.* quare ad longinquas, ignobilésque partes trahendus, ex Fernelio 2. *meth. 7.* Vallesio *lib.5. epid. in com. sent.7.* Chalmetéo Vergesaco *lib.1. Enchirid. cap.50. de bubone venereo.* In varias sententias distracti, me conuocant. Libenter è talo cruorem exhaurio, quam vacuationem in hoc casu, & bubone pestifero, & in grauidis propinquis partui salubrem esse, vsus me docuit: sic enim detractâ humoris virulenti copiâ, & euocatis ad minùs præstantes partes venenosis vaporibus, fœtus alacrior redditur, fitque robustior, & causa tumoris coniuncta extrahitur. Hinc factum est, vt celebratâ hac vacuatione, & tumor subsederit, & natura superior facta humorem concoxerit, & in pus verterit, quare ab abscessu, & febri liberata est mulier, quæ pro continuo potu in octauo, & nono mense vsa decocto asperæ Smilacis, sana facta est, & peperit fœmellam nullâ labe fœdatam. Lege Poncium, & Petrum Vaëzium Lusitanum, eruditissimos *tract. de peste.*

OBSERVATIO CXL.

De Sterilitate.

Ad sterilitatem præ calore, auxilium laudatissimum.

VIros præ nimiâ caliditate steriles fieri firmat Galenus *in com. sent.62. lib.5. aph.* dum sic dicit: *Quare cùm testium temperatura nimio excedit calore, semen est paucum, & adustum, fitque tosto simile, & ob siccitatem quando primò excidit in vterum, extendi non potest, quod maximè est necessarium, si mulier debeat concipere, &c.* Vir erat fortis, & robustus, qui in 23. ætatis anno binam habuit prolem. Causone correptus auxiliorum ope euasit, sed ita squalidus, toto corpore pruriginosus, & phlogosi internâ oppressus, sitibundus, & vigil, vt nullis vnquam remediis perfectè conualuerit. Immò extima superficies, & volæ manûs, siccâ quadam scabie ex interuallis afficiebantur. Triennio miserè vitam traduxit, sed illud magis ipsum contristabat, quòd se esse sterilem arbitraretur: licèt enim hilariter cum vxore concumberet, non generabat, quæ omnia ex Hepatis, & testium calore euenire rati sumus. Multa applicita auxilia, purgationes, venæ sectio, Balneum, serum lactis Caprini, & alia quæ Hepatis excandescentiam retundunt, humoris calidissimi acrimoniam infrænant. Ex his nullum leuamen sensit. Hoc celebrato, & ab Hepatis calore, & sterilitate, prolem habens, tutus euasit. Tempore quo vuæ maturæ sunt, earum copiam diluculò ad satietatem vsque in vineâ suâ ingurgitabat cum rore ipso. Somno se tradens, procedente die, biliosa & retorrida per aluum deponebat. Viginti diebus hoc victu vsus, vacuatis noxiis humoribus meliùs habuit. Vuæ enim rore turgentes, roscidi, vel aërei mellis instar (mannam dicunt) refrigerant, & suauiter corpus expurgant. Quo auxilio productos etiam venosi generis morbos citatâ aluo fuisse extirpatos, frequenti experimento compertum habeo. Ob illam causam optabat Amatus *lib.1. in Dioscorid. cap.120.* vt syrupus solutiuus, loco aquæ, pararetur cum rore è cælo super rosas cadente; sic enim melior euadit, magis expurgat, & febribus est vtilior.

OBSERVATIO CXLI.

Ad sterilitatem præ frigore, pilulæ selectæ.

QVidam cùm antea prolem haberet, ex morbo, ob frigidum Hepatis intemperamentum sterilis est factus: cùm otiosus esset, inexercitatus, crapulæ deditus, quùm coïbat, semen aquosum, & liquidum excernebat. Multa expertus fuerat quæ suprà ad ignauiam partium genitalium proficua esse protulimus. Tandem his pilulis noctu assumptis per mensem, robustus est factus, & prolem habuit.

℞. *Ambar. Grisei, Mosch. Odorat. Agalloch. Electissim. an.ʒ j. ß. Rasuræ Eboris, ʒ ß. Gallíæ, ʒ j. Diamoschi dulcis, Galliæ Moschat. an.ʒ ß. Radic. Angelic. Radic. Pœoniæ, an.ʒ j. Carpobalsami, ʒ j.*

Cum Zibetto fiant pilulæ, & decorentur.

OBSERVATIO CXLII.

De Conceptione.

Puer Rosatus.

MAxima est in procreando fœtu, & in aliis agendis, imaginationis vis, atque potestas, ob quam fœminas, monstrosos fœtûs parere, veterum, & iuniorum doctissimi affirmant, inter quos rara exempla proponunt Hildanus 3. *Centur. Obs. Chirurg. 55. & 4. Centur. Obser. 55. & 56.* Paréus *lib. 24. de monst. cap. 7.* Septimestris Rosarum virentium esum duobus diebus omni conatu affectat, tempore quo rosæ non germinabant. Multo labore illarum ramus in priuato hortulo inuentus. Illa auidè binarum non explicatarum adhuc folia mandit, alia in sinu reseruat. Nono mense peperit fœliciter infantem candidissimum, cui in costis tria stigmata Rosarum valdè purpurea apparebant, in fronte, & facie vtrâque Rosarum trium imago puniceo colore infecta erat depicta, quare à vulgaribus puer rosatus vocabatur. De imaginatricis facultatis efficaciâ, mira proponit exempla Marcellus Donatus *lib.2. de hist. mirabil. cap.2.*

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 848 sur 927

OBSERVATIO CXLIII.

Incorrupta, naturaliter concepit, peperit.

AVicenna (Philoſophus ſanè eximius) 21.3. *tract.4.cap.*1. clauſam, & non deuirginatam concipere poſſe aſſeuerat, dum ſic inquit: *Et quandoque accidit, vt clauſa retineat conceptionem, & fiat prægnans, & hoc quidem non eſt poſſibile, niſi aliquo modorum, aut vt ſit illud quod opponitur ori matricis de clauſurâ rarâ contexturæ, aut ſit habens foramina plura, ita quod poſſibile ſit matrici attrahere de ſpermate aliquid; licet enim parum ſit, tamen ex illo paruo fit conceptio,* &c. Explicat Petrus de Peramato *in appendice de conceptu*, ſic dicens: *Poſſibile enim eſt fœminam non deuirginari, ſed conceptum fieri ex ſolo obſcœnarum partium attactu, vtriuſque ſemine effuſo ad os vteri externum: tunc enim contingit ex vteri auiditate trahi intus ſemen in roris formam ad cauitatem, & fieri conceptum, etiamſi penem ad vteri ceruicem non indat maſculus.* Seuerinus Pinæus *lib.* 1. *de notis virginitatis elegantiſſimo, cap.*5. florem virgineum conſiſtere in coïtu caruncularum quatuor, quæ ſub alis vteri apparent, valuularum inſtar, & membranulis quibuſdam coëunt, non tranſuerſim, ſed in longum ſitæ. Hæ florem virgineum Garyophyllo nondum planè explicato (ocellum noſtri vocant) perſimilem, clauſtrum virginale tantopere celebratum conſtituunt: membranis autem laceratis, & carunculis veluti attritis, perit flos, remanéntque eædem Caruncularæ, ſed ita diſiunctæ, contractæque, vt coïuiſſe aliquando neges. Ex quo probat auctor eruditiſſimus, virgines nubiles, primos venereos congreſsûs habere difficiles, & dolores pati, ob membranarum lacerationem, & orificij anguſti neceſſariam dilatationem, niſi menſtrua eo tempore fluant, vel duobus, tribus, quatuórve diebus antè fluxerint: in his enim nulla eſt ferè penis intromittendi viris, & admittendi virginibus difficultas, propter partium præhumidarum relaxationem, atque lubricitatem, ita vt membranæ carnoſæ caruncules interpoſitæ minimo cum negotio, & nullo ferè dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potiùs, quàm lacerentur. Quare fluentibus menſtruis, aut paulò poſt fluxum, virgines coëuntes, citra defloratione poſſe concipere idem probat auctor, duabúſque hiſtoriis confirmat. His, binas etiam addam. Quidam puellam octodecim annos natam in vxorem duxit, quæ nuptiarum tempore menſtrua patiebatur. Vir fluoris huius ignarus præ cupiditate æſtuans eam eſt aggreſſus, & vix ſalutato hymene compreſſit, ſubiit. Concepit illa. Subtriſtis ille ſuſpectam vxoris alioqui pudicæ habuit caſtitatem, eam deſeruit, in longinquas oras abiit, nec reuerſus eſt ante nonum menſem, quo tempore, dolore partûs miſerrimè oppreſſa fœtum præ vteri anguſtiâ excernere non poterat: nam obſtetrices vias arctiſſimas, anguſtiſſimas, & nimiùm ſiccas eſſe dicebant. Maritus nocte illâ, commiſeratione potiùs, aut fortè œſtro libidinis percitus eam inire tentauit, ſed fruſtra, propter anguſtius multò redditum, quàm antea ſinûs pudoris orificium. Miratur valdè, quòd ante conceptum, corruptam, & poſt conceptum, virginem inueniret. Sed alterâ vice eam ſubiens, voti compos eſt factus, & illa diſruptis virginitatis clauſtris poſt duos dies fœmellam peperit. Alia fuit, quam, ob cauſam dictam, maritus deſeruit, ſed cùm ob viarum anguſtiam in nono menſe parere non poſſet, languidúſque ſentiretur in vtero infantis motus, ipſiúſque ruinam pertimeſcerem, vocato Chirurgo perito, impero, vt membranas, & connatam carnem volſella leuiter apprehendat, & ſuauiſſimè ſecundum rectum incidat. Statim ſanguis aliqualis emanauit ruber. Dum vlcus curatur, poſt duos dies, dilatatis viis, fœliciter maſculum viuum edidit in lucem.

OBSERVATIO CXLIV.

De Grauidatione.

Fœmina in ſeptimo menſe vtero gerens, repetitâ ſæpiùs ex talo phlebotomiâ, fœliciter peperit.

MAla quædam fœmina, iuuenis, bilioſa, & gracilis, quùm ſeptimi menſis fœtum in vtero gereret, ob metum abſentis mariti aborſum procurat, plurima auxilia parat, aſſumit purgantia valida, applicat vtero fortiſſima Vnguenta, apponit peſſaria violenta, & alia fœtum enecantia medicamina per os deuorat. Demùm omni prorſus deſtituta auxilio, exactiſſimâ inediâ incaſſum tamen corpus macerat: tandem quaſi deſperata, viribus licèt inualidis, ad Saphenæ phlebotomiam terdecim celebratam, & hirudines in ſede ter applicitas ſe conuertit, ſed nunquam voti ſui compos euadere potuit, immò geminos in nono menſe obeſos, & ouantes (mirum dictu) edidit in lucem. At Chirurgorum teſtimonio apud Magiſtratum à marito accuſata, meritas, truncato capite, adulterij luit penas.

OBSERVATIO CXLV.

Grauida oppreſſa Anginâ, ſepties in die phlebotomata, à morte euaſit.

GRauida ſeptimeſtris Anginâ ſæuâ corripitur, ita vt nullo externo tumore apparente, in gutturis imo malum perſentiens, ſtrangulari videretur cum valida febri. Poſt multa tentata duarum horarum ſpatio præſidia, vix malum ſuccubuit, quin ter ex Cephalicâ ſanguinem emitteret corruptum, & fœdum. Noctu iterum recrudeſcit affectus. Vocatus, iterum bis cruorem exhaurio. Illâ iam ſpuere incipit. Sed licèt leuata eſſet aliquantiſper, diluculo iterum difficili reſpiratione correpta, ſibi antequam expectaret Medici aduentum, ſanguinem extrahendum bis iterum curat. His celebratis aperire oculos cœpit, fœtus qui antea non ſentiebatur, alacrior factus, ablatâ gutturis anguſtiâ, & excretâ per ſputum mucoris copiâ multâ, conualuit.

OBSERVATIO CXLVI.

Grauida Cauſone correpta, extracto ſanguine copioſè, ab arte, & naturâ, à morte euaſit.

HIſpanos vocant exteri ſanguinis extrahendi auidiſſimos, ſed citra rationem vllam; cùm eo terræ tractu, ob ſoli, cœlíque temperiem, corpora ſucculento ſanguine, & benè cocto ſint repleta, quo efferueſcente, ſi in ſanguine mittendo Eraſiſtrati more ſis auarus, ægros præcipites dabis in mortem. Septentrionalibus hominibus, frigidáſque regiones habitantibus accidit contrà, quùm crudo, aquoſóque ſanguine redundent, nec benè firmo, in cuius præſentiâ, parcè, cautéque ſecanda vena. Sed neque hoc exceptione carere videtur: & multoties experimur contrarium: nam grauida quinquemeſtris, cùm pro more patrio, poculis decertaret in Belgio, ſanguine adaucto, & efferueſcente in venis, igni correpta animam efflare videbatur. Accerſiti Medici, lege quadam ſancitâ ſemel venam ſecandam imperârunt, hócque auxi-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 849 sur 927

©BIUM

lium celebrârunt ob grauidationem cum præmeditatione multâ. At illa in varias se iactans figuras, vigil, sitibunda, cum febre validâ; aliorum Medicorum consilia spernens, me vocat. Illam conspicio quadratam, venis sanguine turgentibus plenam, rubicundam, & nimiâ sanguinis sarcinâ oppressam. Intrepidè aufero per interualla septies sanguinem imputrem, & syncerum. Deonerata natura, per sudorem, residuum peccantis humoris excreuit, sed non ita copiosa fuit vacuatio hæc, quin natura deinceps artis defectum fortè suppleus, per vterum, sanguinem merum excreuerit in copiâ tantâ, vt de aborsu suspicio esset: sed hac vacuatione ita conualuit, vt à febre eius ope immunis, fœtum obesum suo tempore fœliciter pareret.

OBSERVATIO CXLVII.

Catharticum, pro purgandis grauidis, securissimum.

EXscribentibus nobis ista, & elimatiùs, læuigatiúsque concinnantibus, digna Obseruatio est visa, quam hisce libellis insererem. Scitum est apud omnes Oraculum illud Hippocraticum *in lib. 4. aph. text. 1. Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & vsque ad septimum: sed hæ minùs; à iuniore autem fœtu, & seniore abstinere oportet.* Præter Hippocratem, classici illius filij hoc tempore in grauidis eam admittunt cogente morbo. Sic asserit Fernelius *lib. 3. meth. cap. 11. Prægnans quoque integris viribus licèt purgantium vim tolerare possit; quia tamen fœtui qui intus geritur, quem seruare volumus, vehementer obsunt, benignis solis est expurganda, &c.* Nam fortia, effrænia vehementer nocua, eáque condemnat Auerroës *lib. 7. collig. cap. 4.* ob rationes multas. Ob hanc causam *Vxor Antimachi cùm esset prægnans secundi mensis, exhibito Catapotio ex Elaterio mortua est,* apud Hipp. *lib. 5. epid. num. 9.* Nam medicamenta acutam febrem accendunt, (hæc autem fœtum occidit, ex Gal. *lib. 5. aph. com. 31.*) mouent humores ad vterum, prouocat vrinam, & menstrua, & acetabulis disruptis aborsum concitant. Et licèt hoc verum sit, etiam mitissima & leuia, quæ non solùm vacuare, sed roborare nata sunt, vt Rhabarbarum vario modo paratum, Agaricum, Sena, Casiæ fistularis interaneus liquor, mel Aëreum, Syrupus ex multiplici Rosarum, & Violarum infusione, serum lactis, Polypodium, & si quæ alia, periculo non vacant: adeò vt Petrus Salius doctissimus *lib. de affectib. particularib. cap. 22.* qui inter omnes rectiùs de morbis acutis mulierum vtero gerentium disseruit, nullo modo, nisi humore turgente, Pharmaca etsi benigna admittat: nam hæc etsi priuentur malignitate, agitant tamen humores, & eos conuocant ad partes vtero vicinas, sicque naturam deorsum præcipitant. Quare cogente necessitate, factâ priùs periculi prædictione sunt offerenda, non solùm in mediis, sed in aliis mensibus ex Auic. 21. 5. *tract. 2. cap. 10.* Explicant Conciliator *dif. 166.* Musa *4. Aph. com. 1.* & alij. Sed hoc opus celebrandum cum cautelâ summâ, & medicamentum porrigendum in minori quantitate, quàm affectus desiderat: nam aliquid relinquendum est fœturæ, quæ est species vacuationis, ex Gal. *lib. de ven. sect. aduers. Erasistratum cap. 5.* Sic enim matri, & fœtui prouidemus: *quoniam satius est hoc auxilium exercere, quàm morbo non victo, ac superato, matrem, & fœtum ex vi morbi perire,* vt rectè notauit Mercurialis *lib. 2. de morb. mulier. cap. 1.* Hoc auxilium vt celebres, medicamenta offeras suauia, est necesse: nam grauidæ ferè fastidibundæ sunt, & propter laborem morbi, præsidia metuunt.

Ex multis vnum facillimum ad assumendum, suauissimum, securissimum, proferam in medium celebre medicamentum, quod in grauidarum morbis expertus sum sæpissimè cum commodo summo. Vulgatum satis est apud Hispanos plurimis morbis rebellibus miro quodam modo prodesse puluercs Aureos Alexandri Quintilij, qui illos quintam essentiam Auri nuncupauit. His ergò pulueribus sex granorum pondere assumptis, omnes tam acutas, quàm chronicas ægritudines, excitatâ clementer vacuatione per vomitum, & aluum, me curâsse testor, atque profiteor, ex quorum purgatione nullum vnquam periclitari vidi; adeò enim suaue, & benignum medicamentum, vt propinari possit in quolibet sexu, ætate, temperamento, regione, tempore, delicatulis fœminis, debilibus senibus, tenellis puellis, fastidiosis grauidis, nauseabundis, & aliis, qui vel ob debiles vires, vel pharmacorum tædium, alia medicamenta assumere non possunt, nec volunt. Propinantur pulueres non in substantiâ ipsâ, sed eorum infusum: nam pulueres per noctem madescunt in iure auis, vino, liquore aliquo, & matutino tempore exhibetur dilutum vnciarum duarum quantitate. Et tanta est huius medicamenti efficacia, vt iidem pulueres, qui semel infusi sunt, possint bis, & ter, iterum ad similes vsûs infundi, quibus nunquam æger vacuatione frustratur. Purgat hoc medicamentum per vtrumque ventrem bilioſos, & tenues humores, & non solùm hos, sed crassos, tenaces citra molestiam promiscuè educit. Tanti fuit, & est æstimata apud Hispanos inuentio hæc, vt in vniuersam Europam, vtramque Indiam certatim libræ multæ singulis annis deferantur, eo tamen ordine, vt sex granorum quantitas singula, papyro sit vnicâ obuoluta, & ipsius Quintilij signaculo diligenter obsignata.

Et ne naturalium rerum indagatoribus scrupulus aliquis superesse possit, quærentibus num auro vis purgatrix insit? Respondet Plinius *lib. 33. cap. 1. in fin.* affirmatiuè §. *Aurum vmbilico illitum leniter aluum soluit, &c.* At cùm metalla plurimum in se habeant igneæ substantiæ, ex Gal. 9. *simpl. 26. explicat Alb. Magnus 3. de metal. tract. 2. cap. 4.* háncque ex Sulphuris, & Argenti viui permixtione obtineant, quæ sunt metallorum omnium communia principia, & ob hæc ventrem expurgent, & Aurum sit purius metallum, & minimum illorum sit cum illo commixtum, sit vt mitissimam, si Plinio fidem adhibemus, sortiatur expurgandi vim, & non tantam qualem promouent pulueres hi, quorum materiam auctor sibi soli reseruat. Quare cùm Auri vis sit leuis atque exigua, & horum puluerum infusio tam potenter expurget, non solùm primâ vice, sed si pluribus infundantur; hos, nec esse auream quintam essentiam, nec Aurum redolere certus sum: neque enim hoc metallum in tam paruâ quantitate ita valenter expurgat, cùm hoc sit effrænium medicamentorum indicium: neque Aurum in tam paruo venditur pretio, neque in tantâ quantitate è fodinis eruitur, ac ex domo eius in varias mundi oras emanat: nam singulis mensibus, 20. 30. libræ, & plures in multas orbis plagas transportantur. Vnde tanta Auri quantitas? sunt ergò hi pulueres ex Stybio rectè calcinato, & præparato (vulgò Antimonium dicunt) constructi, quod medicamentum in omnibus morbis, præcipuè melancholicis diuinam vim propè obtinere, docuêre Paracelsus, Mathiolus *lib. 5. in Dioscorid. cap. 59.* Massaria *lib. 9. de med. purgantib. cap. 30.* & plures alij. Quare si hi pulueres ex Hispania in alias Regiones, vt ferè solet, deueniant, hunc esse illorum vsum, & modum assumendi, certum est.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 850 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO CXLVIII.

De Ignorata Grauidatione.

Ignoratæ grauidationis exemplum ſtupendum.

MEdicus quidam ſtudioſus, & doctus, in populoſiſſimâ Luſitaniæ Ciuitate medicinam faciens, propriæ vxoris menſtruorum ſuppreſſione, vt ipſe dicebat, laborantis ſaluti conſulens, & grauidam non eſſe ex lotij ſignis certò ſciens, multoties illi venam ſecare iubet, alterantia propinat, deobſtruentia offert, & per triginta dierum ſpatium Chalybem cum valido exercitio aſſumendum iubet. Cerota, & deobſtruentia vnguenta vtero imponit. Demùm omnia miniſtrat proprio conſilio, quæ ad viſcerum, vteríque obſtructionem à Medicis factitari ſolent. Tandem cùm nihil proficeret (licèt vterus in maiorem molem quotidie accreſceret) ad humorem in vtero impactum vacuandum, & ad dolorem hac ipsâ de causâ contractum (vrgebat enim iam excalcitrante fœtu dolor) venam in talo ſecandam imperat, poſt quam ſectionem cùm grauida nonimeſtris eſſet, irritatâ naturâ fœtum cum tanto impetu in vas, aquâ, & ſanguine plenum, in ipſo ſectionis actu (res mira) eiecit, vt exeunte è venâ ſanguine, & fœtu aquâ veluti ſuffocato, infans, & mater ob timorem, & nimium ſanguinis fluxum exanimes periclitarentur, ſed conſtricto foramine, & fœtu ex improuiſo ab aquâ extracto, ipſa vini potu refocillata ad ſe rediit. Hic caſus vulgaribus riſum, Medicis verò ignominiam peperit, quùm circumforanei feſtiuo poëmate, per forum, vicos, plateas, & totam ciuitatem, facetas hiſtorias, cantilenáſque euulgauerint, ignorantes quàm ſint incerta, ambigua, fallacia conceptionis ſigna: nam mulier poteſt geſtare molam, ventum, aquam, pus, mucorem fœtidum, viſcoſam, lentámque pituitam, & vi caloris in vtero globi inſtar duratam, quæ omnia vterum eleuâſſe, & poſtea excreta fuiſſe, citra ſperatum fœtum, auctorum lectione comperimus: & doctiſſimi Medici vel etiam in propriis vxoribus decepti ſunt grauidationem ignorantes, quas, citra matris, aut fœtûs incommodum variis medicamentorum generibus excarnificârunt, de quorum numero ſunt Auenzoar *lib.2. Theizir, tract. 3. cap.1.* Rhaſius *9. ad Almanſ.* 29. Auic. 21. 3. *tract. 2. cap.* 18. Matthæus *in com. cit. loc.* Lege Amat. 1. *cent.*27. Valleriolam *lib.1. Obſ.*1. *&* 10. Sanctorum Sanctorium *lib.1. de euitandis erroribus. Medicor. cap.*28. & plures alios.

OBSERVATIO CXLIX.

De Falſa Grauidatione.

Immanis fera ab vtero excluſa.

MIrum, ſed verum narro. Non ignobilis fœmina, in vtero quidpiam ex interuallis ſubſultare ſentiens, me ad ſui curationem vocat. Huic nihil mali ex eo motu ſubſequi poſſe prædixi: nam flatus, qui in grauidis, & melancholicis ob multas cauſas colligitur in vtero, huic motui præberè poteſt occaſionem. Quare conſului, vt vinum aquâ decoctâ Aniſo, & radice Chinæ lymphatum potaret, & exiccante regimine vſa, nil aliud faciendum curaret. Annuit. Sed poſt decem dies, quùm ad quintum grauidationis menſem accedere arbitraretur, maiorem ſtrepitum in vteri regione ſentiens, fame vexata me iterum accerſere iubet. Accedo. Tactis viſceribus vmbilicum infra, tumorem inuenio, durum, dolentem, & tactui renitentem valdè. Emollientia impono, melancholicum ſuccum exhibitis Cardiacis infræno; nam inſolitâ mœſtitiâ contabeſcebat ipſa. His celebratis de vteri dolore vehementiùs cœpit affligi. Enema conſulo carminatiuum, cuius ope, putris, corruptáque materia fuit vacuata; ſed cùm non miteſceret dolor, validiorem clyſterem paro, quo, irritatâ naturâ, immani inguinum, & pubis dolore, enixarum inſtar, poſt depoſitam aluum, feram ab vtero excluſit, palmo maiorem, craſſitudine pollicis, cærulei coloris, pedibus quatuor innixam, capite paruo, piloſo, & rotundo, roſtro acuto. Hæc duobus diebus reuixit in Phialâ vitreâ aquâ plenâ, magnâ cum adſtantium, & Medicorum celebrium admiratione. Mulierem verò viſâ ſerpente exanimatam alimentis optimi chymi recreo, reficio. Quas beſtias, & alias huic ſimiles in vtero adnaſci, ob prauam inter coëundum imaginationem, firmat Ioannes Remmellinus *lib.2. Cæoptri Microcoſmici in fin.* & alij latè diſſeruêre, quos citat Schenckius *lib.4. obſeruat. de molis.* Quæ feræ, ſerpere, repere, diſcurrere, & volare quoque animaduerſæ.

Dum ad hæc ſcribenda calamum manu arriperem, acceſſit ad me Doctor Nicolaüs Fontanus, Medicus artis Hippocraticæ verus alumnus, & ex multis quæ ſemper rara refert, hoc propoſuit. Trigenaria poſtquam eſt enixa filiam, & à lochiis rectè purgaretur, incidit poſt duodecim horas in animi deliquium, cum febri acutâ, & delirio coniunctum. Viſis his vocatur Obſtetrix; hæc, tacto ventre, & ſedulò vteri regione totâ perſpectâ, iterum ægram parituram eſſe affirmat. At ego cùm horum ſymptomatum cauſam, à prauo humore in ore vteri contento, ſuáque vi dirâ, & deleteriâ, cor, cæteráque viſcera ſupera premente, ſcaturire putarem, potionem Cardiacam, vnáque aperientem præſcripſi, quæ ex decocto Dictamni, Capil. Vener. Flor. Cordial. Lupul. Cardui Benedict. Hord. & Aniſi erat parata, ſuperadditâ Confectione Alchermes. Vix huius potionis quatuor cochlearia aſſumpſerat, quando cum vehementi nixu, & inguinum ingenti dolore, parturientium inſtar, excreuit per vterum, rotundum globum, tenuiſſimâ membranâ albâ contectum, ex quo diſrupto, exiêre duo animalia longa, Anguillarum formâ, viua, rubra, dorſo purpureâ lanugine reſperſo, oculis viuidis, dimidij palmi longitudine, craſſitie digiti minimi, quorum caput, pro corporis proportione, erat ampliſſimum. Ambo poſt duas horas per domum repere viſa ſunt, quibus excretis, fœmina placidè obdormiuit, & ab anguſtiâ immunis remanſit.

OBSERVATIO CL.

De Mola Ventoſa.

Ter pariens ventum.

NOnimeſtris dolore partûs vexata, conuocatis obſtetricibus pariendi tempus expectat. At cùm vehementi nixu cogitur expellere fœtum, bombum, & ſtrepitum multum magnâ cum violentiâ per vterum elidit, ac ſi tonitruum exaudiretur. Aliquantiſper ſubſidente ventre, immanis dolor iterum eam apprehendit, vacuatóque per vterum flatu leniùs conquieuit. Tertiò lumborum dolore diro poſt tres dies afflicta, cohibitâ reſpiratione ad vacuandos flatûs ſummâ vi enititur, quos cùm fortè præ eorum craſſitie expellere nequit, fotibus, aliiſque carminantibus adiuta, vt in Coliçâ ventoſâ fieri conſueuit, ab omni tumore, & dolore immunis euaſit. Ipſa alacriter viuens, poſt vnum annum, & poſt duos, iterum in idem infortunium incidens, ſimiliter excreto flatu, & detumeſcente ventre meliùs habuit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 851 sur 927

©BIUM

Vt verò ab vteri Hydrope, aliisque grauissimis malis fieret incolumis, præseruata est præter vniuersalia, exiccante victu, sudorificis ex radice Chinæ, Electuariis roborantibus, potu aquarum mineralium, quibus, & applicito, vtero Vnguenti modo fomento ex luto Thermalium aquarum cum Theriacâ, Oleo Anisi, & Cinnamomi, in posterum saniùs vixit, & suo tempore pro sperato flatu, fœtum peperit.

OBSERVATIO CLI.

Pro præseruatione molæ ventosæ, auxilium egregium.

BAronis illustrissima vxor quùm vtero gestare opinaretur, in octauo mense, miro sonitu exaudito, flatum pro expectato infante excreuit. Acciti Medici ad discutiendos flatûs mira consulunt auxilia. His celebratis monent, vt habitet cum viro, hæc post mensem grauida putabatur, sed & procedente tempore crescente ventris tumore, grauidationis increuit suspicio. Sed in octauo mense, loco fœtûs, sonorum flatum dimidij quadrantis spatio per vterum excluſit, cum Albæ pituitæ colluuie multâ. Recreatis viribus pro euitando tanto malo expoſcit auxilium. Profuit nullum. Tandem hoc solo præseruata. Iussi vt ieiuno ventre per mensem vncias quatuor ebiberet aquæ stillatitiæ ex floribus viridibus Cinnamomi, drachmâ vnâ priùs Theriacæ assumptâ. Hic stillatitius liquor, vitreis, aut plumbeis instrumentis extractus, fragrantiâ, & odoris suauitate vires fouet, stomachum firmat, Coli dolores frigidos persanat, partes principes tuetur, ac roborat, animi deliquio, cardiacæque affectioni mirè opitulatur, venenis resistit, venenoſorum animalium ictibus medetur, prodest Suspiriosis, Resolutis, Conuulsis, Comitiali morbo laborantibus, & cùm sit gustui gratissimus, oris halitum emendat, pestiferæ lui summè reluctatur, menses prouocat, vteri frigiditatem corrigit, cuius flatûs mirâ quadam proprietate discutit, & absumit, fœcundat fœminas, semen prolificum generat. Demùm ad frigidas vteri, & neruosarum partium ægritudines diuinam propemodum obtinet facultatem. Hanc pretiosissimam aquam deferunt Mercatores ex Orientali Indiâ in Europam, cuius ope deploratos morbos fuisse curatos, sum expertus. Si ea desit, vtere aquâ Cinnamomi sicci vitreis organis extractâ, adiectâ stillatitiâ Rosarum, & odorifero vino. Lege Craton *lib.* 1. *Consil.* 20. qui de Molæ præseruatione egit luculenter.

OBSERVATIO CLII.

Molæ aquosæ exemplum admirandum.

FOemina quædam benè colorata, nullo infestante laxo in pedibus, aut manibus tumore, aut vitio interno, tumorem vteri magnum passa est mensibus septem. Menstrua sunt restricta, prægnantem se esse putabat, donec ad vndecimum perueniens, de conceptu desperans, mulierc ularum consilio syrupum factum ex decocto Nepitæ, Pulegij, & Cæpæ albæ cum Saccharo decem diebus assumit. Hoc facto, copiosa aquæ citrinæ quantitas pondo librarum octo per vterum est vacuata. Subsidente aliqualiter ventre auxilium idem iterum in maiori quantitate ebibit, dosi nempe quatuor vnciarum. Sed quo euentu audi: Nam 20. diebus per vterum velut per perennem fontem, tanta aquæ sero lactis simillimæ copia emanauit, vt iudicio suo quotidie, quinque, aut sex libræ profluerent; sine dolore, ardore pruritu, aut acredine vllâ. Hoc humore excreto, debilissima remansit, sed detumescente ventre, refectis viribus ad se rediit. Et ne in idem vitium laberetur, Diacucurma cum maluatico, miro fuit auxilio. Vide Hildanum *lib.* 2. *centur. Chirurgicar.* 53.

OBSERVATIO CLIII.

Mola carnea mirabilis.

MIrabilia, & penè monstrosa sunt, quæ in vtero humano gigni solent. Mulieri cuidam, quùm quatuor annis menstrua deficerent, super pubem accreuit durus tumor, insensilis, & rotundus (Scirrhum diceres:) illi nullum præter molestiam negotium facessens, quare mariti precibus præsidium expoſcit. Omnia ministrantur quæ ad Scirrhi curationem prodesse solent. Ecce vno die magno conatu, præcedentibus diris ventris torminibus, anguſtiâ multâ, nimiâ Hæmorrhagiâ, pallida facta, decolor, conuulsa, excreuit molam, seu carneum frustum durissimum, quod vix cultello secari poterat, rotundum, humani capitis magnitudinem superans, in cuius medio oculi tres viuidi conspiciebantur, circumcircà nigerrimis pilis duris, & longis, setarum instar, obsiti, cùm caro tota esset omnino rubra. Hæc in phialam aquæ iniecta, & mouens se Erinacei modo, duobus diebus superuixit. Mulier verò hæc satis lassata, & in summo vitæ discrimine velut exanimis posita, restaurantibus paulatim conualescere cœpit.

OBSERVATIO CLIV.

Ad eliciendam ab vtero molam, præsidium electum.

FAbricius Hildanus doctissimus *centur.* 2. *Obseruat. Chirurg.* 92. monet contra plurium votum, ne hamulis acutissimis, ad molam extrahendam, vtamur. Si enim hamulus excidit, non sine ingenti periculo matricem dilacerat. Hoc præsidio volebat vti Chirurgus quidam auctoritate Paræi *lib.* 23. *cap.* 35. in muliere quadam, quæ in vtero post tres annos, sentiebat paulatim carnosum corpusculum in maiorem molem accrescere. Quúmque sterilis esset, & tractu temporis facta decolor, animi deliquio per interualla premeretur, futurum damnum, aut Hydropem pertimescens, Medicorum opem implorat. Hi plura præscribunt, quæ menses mouent, secundinas excludunt. Sed non contulere. Quando aduocato Chirurgo nimis audaci, & futuram sanitatem pollicente, diductis mulieris obscœnis partibus, hamulo iniecto, nimiâ sequutâ Hæmorrhagiâ illam ab istâ curatione deterruit. Hæc post viginti dies, meo consilio, drachmam Euphorbij cum syrupo de Artemisiâ in pilulas redactam quater spatio duodecim dierum tribus horis post cœnam deuorauit, quarum ope, magno labore, & dolore, parturientium instar, excreuit octo molas, venulis, & membranis constantes, Oui gallinacei magnitudinem superantes. Quibus excretis, & vetno tempore expurgata, meliùs habuit.

OBSERVATIO CLV.

Mola membranosa.

ADmirabilia sunt naturæ nostræ arcana. Mulier quædam quater iam pepererat, & post suppressa menstrua quintum fœtum putabat in vtero habere. Cùm verò in nono mense ad pariendum se accingit, pro expectato fœtu, globulum, seu Sphæram excernit albam, mucore respersam, caput humanum magnitu

©BIUM

magnitudine suâ superantem. Cultro sphæra dissecta in præsentiâ eruditorum, solida tota intus apparuit, Cæpæ instar membranulis crassis, & albis fabrefacta, quibus sectis nullus ichor, humor, seroſáve substantia emanauit. Hæc cùm frigidi esset temperamenti, attenuante, & exiccante victu est præseruata.

OBSERVATIO CLVI.

Molarum incredibilis numerus.

COntendunt diuinatores quidam, ac malè feriati medicastri ex putidi lotij signis, non solùm de ægrorum morbis, sed de grauidatione plura certò præsagiri posse, & nescio quâ Auicennæ auctoritate praue intellectâ, commoti, perfrictâ fronte, immò temeritate quadam, multa pronunciare, & vel nugari non erubescunt, vt notat Paulus Zacchias *lib. 1. tract. 3. cap. 1. de notis conceptionis ex vrinâ*, quùm hoc signum sit fallax, ambiguum, incertum, & de quo Hippocrates toto ferè libro Aph. fusiùs, quàm pro more suo conceptionis notas inuestigans, nihil conscriptum reliquit, in cuius signi veritate confisi, Marsilius, & Petrus de Tusignano, Medici in Papiensi Academiâ celeberrimi, miserrimè decepti sunt. Quo pacto reprehendendi sunt Hypocritæ homines, qui de vrinâ certam scientiam profitentur grauiditatis quæ in conspectu est, tum etiam sexûs, & partûs futuri. Quæ ostentatio ignorantiæ soboles, fundamentum nullum habet, quàm aucupandi lucri, & inanis gloriæ cupiditatem. Et eò insaniæ deueniunt, vt propositis figuris mathematicis, certis circulis, & characteribus conscriptis super vrinam, posse grauidationem prædici, meris deliramentis irretiti propalare ausi sint, de quibus nugis non exiguum tomum emisit nuperrimè in lucem Robertus de Fluctibus *lib. de diuinatione per vrinam.* Et vt tibi hoc, merum figmentum esse constet, lege Bonaciolum *lib. 1. de morb. mulier. cap. 1. de virginum probatione*, Vallesl. *3. cont. 28.* Foresl. *lib. de incerto vrinar. iudicio*, Eruditissimum Roderic. à Castro *lib. 3. de morb. mulier. part. 1. cap. 7.* Ioan. Varandæum *lib. 2. de affect. mulier. 2.* Francisc. Ioëlium *tom. 1. vniuers. medicin. lib. 4. sect. 3.* & sequens exemplum audire ne graueris. Empiricus quidam, seu experimentator, & qui inflatis buccis se filium Galeni esse prædicabat, propriam vxorem concepisse ex lotij signis certò sciens, nihil pro anxietate summâ, de quâ ipsa conquerebatur, se effecturum cæteris Medicis inculcabat: maximè quoniam post quintum mensem increuit fastidium, accessit Mamillarum tumor, in vultu apparuere lentigines, adfuit Malacia, & venter vsque ad octauum mensem valdè intumuit. Tandem cùm prope partum esset, ingenti sequutâ ex vtero Hæmorrhagiâ, præuio inguinum dolore sæuo, & pondere in pube ingenti percepto, expellere cœpit molas sanguineas, duras, compactas, mediocris magnitudinis (ouum gallinaceum paruum diceres) in copiâ tantâ, vt 15. diebus 152. excerneret. His eiectis, vterus qui ad magnam molem erat adauctus, omnino detumuit: quod exemplum non idiotas, verùm doctos admonuit, ne fallaci vrinarum iudicio attenti grauidationem præsagientes, infamiam incurrant.

OBSERVATIO CLVII.

De Partu.

Ad facilitandum partum, remedium optimum.

DIoscorides, rei Herbariæ peritissimus Auctor *lib. 1. cap. 18.* Balsamum, partum facilem reddere constanter affirmat, de cuius efficaciâ mirâ pro expellendis calculis plura notauimus *suprà in hoc libro Obser. 66.* quam etiam in facilitando laborioso partu mirabilem semper inueni. Plures enim à Medicis destitutas, exanimes, deploratas, & pro quarum salute eximia præsidia erant celebrata, vidi hoc antidoto exhibito fœliciter peperisse. Propina vnciam vnam in auis iure cum multo Croco, vel aperienti decocto. Si desit verum Balsamum, vtere eius loco stacte, Myrrhæ stillatitiâ lachrymâ, quæ pretiosissima est, de cuius vi sat plura Ruellius *lib. 1. de natur. stirp. cap. 98.* vel Balsamo illo, quod Brasilienses vocant *De Capaivà*, vel artificiali, quod etiam est ex vsu, cuius varias ex diuersis auctoribus descriptiones proponit Ioan. Iacobus VVeckerus *lib. 2. antidotar. specialis, tit. de Balsamis destillatis.*

OBSERVATIO CLVIII.

Ad difficultatem partûs, remedium generosum.

NOn præteribo auxilium præstantissimum, cuius ope plures in agône positæ fœtus viuos, & vel mortuos fœliciter exclusérunt laborioso partu oppressæ. Hoc constat drachmâ ex vnâ Chrysocollæ (Boracem officinæ dicunt) tenuissimè pulueriſatæ, quam si cum vnciis tribus aquæ Artemisiæ stillatitiæ, aut sabinæ, aut generosi vini, decoctiue aperientis offeras, aut in pilulas cum syrupo de Artemisiâ efformes, miram inuenies vtilitatem. Non timeas medicamen, quod licèt Discorides *lib. 5. cap. 54.* inter ea numeret, quæ necem inferre queunt, de eo quod à fodinis extrahitur, est intelligendus. Nam præparatum, & miro artificio lucidum factum, splendidum, & Crystalli, aut Sacchari purissimi instar nitidissimum redditum, nullam iniuriam corpori infert, quoniam exustione, multiplicique lotione eius pernicioſa vis iam est refracta. Debilibus sufficit semidrachma, aut scrupulus.

OBSERVATIO CLIX.

De Abortu.

Pro præseruatione abortûs, fontanella adaperta, summè prodest.

ABortum ex vitiosis humoribus ad vterum à toto corpore confluentibus, suáque praua qualitate, aut copiâ fœtum enecantibus, aut Cotyledones relaxantibus frequenter concitari, res est manifesta. Fœminæ plures hac ipsâ de causâ sæpè abortiebant; ex iis quædam fœtum trimestrem, septimestrem, lacerum tamen, & omni putrilagine infectum multoties enixæ, celebratis validissimis auxiliis, nullo alio præsidio, quàm excitato cauterio in brachio, aut crure fœliciter pepererunt. Hoc ad originem fluxionis exerce. Huius enim ope ante conceptionem adaperti, illæ fœtûs sanos, nulláque labe fœdatos legitimo tempore in lucem edidere.

OBSERVATIO CLX.

Ad præcauendum abortum, aliquando venæ sectio è Saphena est ex vsu.

IN grauidis nullo præsente morbo solùm ad præcautionem abortûs, phlebotomiam summo esse ex vsu, nouum non est, præsertim si fœmina sit carnosa, quadrata, succulenta, venis turgentibus prædita, & assueta sanguinem excernere per os, nares, aut aliam regionem: tunc enim necesse est demere copiam,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 853 sur 927

©BIUM

copiam, quâ remanente fœtus suffocatur: vna enim ex causis abortûs, ingens plenitudo est apud Auicen. 21.3. *tractat.* 2. *cap.* 8. *iuxta princip.* nam sicut alimenti defectus, sic copia fœtum necat. Ita Fernelius 2. *meth. cap.* 2. §. *Multæ, nisi venæ circiter quartum mensem referentur, abortiunt, Fœtus enim copia obruitur*, &c. Syluius *tractat. de mensib. mulier. in initio*, Frambesar. *lib.* 1. *Canon. medic.* Peramarus *lib. de vacuandi rat.* 15. *Accorombon.* Eugubius *circa fin. part.* 1. *tractat. de vsu lactis.* Anton. Maria Bettus *in com. cap.* 20. 4. 1. Auic. Amatus 2. *cent.* 89. Salius, Sennertus, Claudinus, & plures alij. Renuat licèt Altomarus *tract. prop. de vtero gerentibus*, qui pluribus argumentis contendit phlebotomiam pro præseruatione abortûs inutilem esse, & nullius vsûs, quæ soluunt Augenius *tom.* 1, *epistol. lib.* 5. *epist.* 1. *cap.* 11. Moxius *lib.* 2. *de morb. mul. cap.* 28. At sanguinis missionem pro hoc complendo vsu è partibus inferioribus esse celebrandam, nouissimum est. Fœminæ binæ robustæ cùm per totum gestationis tempus menstruas purgationes paterentur, fœtum vsque ad maturum tempus reseruabant, sed cùm purgatio in aliâ grauidatione deficeret, aborsum fecere. Quæsita scaturigo mali, eam in sanguine menstruo suppresso, copiâ suâ fœtum obruente, acutie vasorum vteri oscula aperiente, & punctione naturam lancinante, vt ante tempus fœtum propelleret, firam esse vnanimiter rati sunt. Quare illis iterum grauidis factis, suppressâ menstruâ purgatione, sanguinem è cubito exhaurîunt. Sed neque ex hac parte celebrato præsidio voti compotes euasere: nam in quinto, & sexto mense abortiêre. His perspectis, dum iterum concipiunt, me vocant, à secundo vsque ad quintum singulis mensibus è talo sanguinem exhaurio, & sic demptâ particulari plenitudine vteri, vel copiâ sanguinis ad eum fluentis, ad originem fluxionis vacuati, fœliciter nono mense ter peperêrunt. Aliquando autem è saphenâ in grauidis esse mittendum sanguinem, fusè, sed pulchrè, nî fallor, comprobaui *lib.* 1. *de Medic. Princip. Hist. in com. Histor.* 32. & firmauit proprio exemplo postea Antonius Santorellus Medicus Neapolitanus doctissimus *lib.* 19. *antepraxis, cap.* 10.

OBSERVATIO CLXI.

Ad retinendum fœtum, auxilium rarum.

LIcèt Galenus *lib.* 3. *de præsag. ex puls.* 5. asserat, *quòd eorum qui nihil dicunt, proprium est ad proprietates quæ exprimi nequeunt confugere, quùm hoc ignorantiæ sit asylum.* Tamen & vel ipse pollicetur librum de iis quæ ab occultâ proprietate operantur, & firmat *Aeschrion* præceptor eius, quòd cancros vstos ad rabiem proprietate mirabili prodesse dixerit, quare occultæ proprietates concedendæ, vt tam multis exemplis probat Fernelius 2. *de abdit.* 17. Ruellius 1. *de natur. stirp.* 22. Hanc occultam proprietatem habere pro retinendo fœtu in vtero, corium Equi marini, certus sum, ex quo si fiat Zona, & toto gestationis tempore iuxta carnem cinguli modo feratur, aborsus non continget, quod auxilium, pluribus tentatis incassum, quæ in præseruatione abortûs à Medicis imperantur, præstantissimum semper inueni. Facilè reperitur venale hoc corium Olysipone, Venetiis, Neapoli, Hispali. Si desit,

vtere Zonâ ex lupino corio paratâ,
quam huic vsui esse mirabilem
fidissimo experimento
adinueni.

OBSERVATIO CLXII.

Ad excludendum fœtum mortuum, Vnguentum efficacissimum.

ASummo rerum conditore lege sancitum reperimus *in lib. Geneseos cap.* 3. in peccati intrepidæ Protoplastæ pœnam, hanc, vti & cunctas mulieres in dolore parere. Quare si in partu naturali tot repullulant ærumnæ, geminantur dolores, emergunt angustiæ, quantò magis in violento, ac præter naturam, à mordicatione, excrementorum putredine, odore fœtûs horribili, halitu menstrui sanguinis crassi relicti, & in vtero velut in cloacâ coërciti, partésque superas lancinantis, scaturient immania tormina, anxietas ingens, acerbi cruciatûs, delirium, & alia ferina symptomata, quæ sæpè inexorabilem mortem, & vitam amaritudine plenam repræsentant. Rursus si vnici medicinæ splendoris ope & auxilio, in Epidemiis, octo puerperæ (vnâ exceptâ Epicratis vxore, quæ post summos labores 80. die fuit absolutè iudicata) euadere haud potuerunt, symptomatum sæuitie, morborum grauitate, & causarum Cacocthiâ oppressæ, ac deuictæ, quid sperandum nos inferiores Medicos, qui summi illius parentis collatione, abortiui sumus, in truculento hoc affectu exercere posse? Sed cùm multa sint, quæ ille *in libris de morbis mulièbribus* pro excludendo fœtu mortuo proponit, hoc auxilium adiungam, quod in fœminis hoc agône prehensis summo fuit ex vsu, & maximè cuidam, cui à peruerso marito violentâ manu super vmbilicum vehemens illatus est ictus, post quem exanimis immobilem fœtum persensit. At pluribus celebratis, hoc solo Vnguento posito super ventrem, & in perinæo, fœtum excluſit.

℞. *Medul. Colocynthid. Succi Colocynthid. viridis, an.* ℥ j. *Succi Rutæ,* ℥ j. ß. *Euphorbij,* ℥ ij. *Vnguent. Arthanit. Maioris,* ℥ iij. *Myrrhæ,* ℥ vj. *Olei de Castor. Olei Rutæ, an.* ℥ j.

Coquantur ad succi consumptionem, & fiat Vnguentum.

OBSERVATIO CLXIII.

Fœtus mortuus, Pessario appositò foràs excluditur.

COnuenimus elapsis diebus in curatione cuiusdam nobilissimæ Comitissæ Medici octo, cui ob visa nocturna spectra stupefactæ repentè fœtus nonimestris est mortuus. Vocati vidimus grauium symptomatum turgentes fluctûs, difficiles syrtes, laborioſos angustiarum scopulos, vada querelarum impenetrabilia, durissima saxa. Obscuro hoc symptomatum intricati labyrintho Diuinum expostulauimus auxilium. Et dum Balneum parabatur Oleagineum cum decocto medicamentorum aperientium, & vias dilatantium, commixtum, tantoperè à Thaddæo Duno laudatum *lib. miscellaneor. cap.* 21. & Valleriolâ *lib.* 1. *obseru.* 1. quod suus Medicus doctè parauerat, in quod illa erat ingressura. Nos sic consultationem exorti sumus. Primus pro certo supposuit in hoc casu auxilia debere esse potentissima, & fortiora quàm quæ ad excludendos fœtûs viuos parantur: nam vt doctè ait Galen. *lib.* 5. *aphor.* 55. *ad bonum partum duorum corporum vigore opus est, & grauidæ mulieris, & infantis*, &c. Quare in mortuo facultas est sopita, quoniam non motu suo, sed pondere naturam stimulat. Sicque consuluit fortia sternutatoria iuxta senis edictum *lib.* 5. *aph.* 55. dicentis, *Mulieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio bonum.* Crurum ligaturas, vincula, cucurbitulas, fo-

tus,

©BIUM

tûs, & inſeſsûs, Vnguenta, ex violentis medicamentis conſtructa. Secundus. Suffumigia conſuluit fortiſſima vtero apponenda. Tertius. In potum aſſumendas eſſe prædixit pilulas ex Euphorbio cum Myrrhâ, Sagapeno, & Ammoniaco. Quartus. Peſſaria fœtum matinâ quadam vi extrahentia imperat. Quintus. Spretis violentis auxiliis manu ſuaui extrahendum eſſe fœtum inculcat, cuius ope fœtum mortuum excluſiſſe gloriatur Carolus Stephanus doctiſſimus *lib. 3. cap. 2 de diſſect. part. corp. human.* Sextus. Cultello excidendum eſſe fœtum in vtero matris ad mentem Hippocratis *lib. de exſectione fœtûs, & lib. 1. de morb. num.* 87. vt ſic in minimas partes diſſectus, meliùs poſſit extrahi, opinatur. Septimus. Vnco extrahendum ad priſcorum mentem contendit; nam cætera auxilia moroſa ſunt, & maximum in procraſtinatione periculum. His dictis quid in hoc opinionum portento Senior dicat, ignorat prorſus. At cùm fœmina exiiſſet è Balneo, cuius beneficio fœtus lapſus erat ad os vteri externum, dilatatis viis, & partibus laxioribus factis, vt per illam viam irritaretur natura, poſt iterum applicitum Balneum, quarti votum approbauit, & ſic fœmina Peſſario repentè parato, fœtum mortuum cum vehementi impetu excluſit. Peſſarij forma eſto hæc.

℞. *Ammoniac. Opoponac. Caſtor. Serapin. Ellebor. nigri, Staphiſagr. Ariſtoloch. rotund. Pulp. Colocynthid. Scammon. an.* ℈ j. *Euphorb.* ʒ j.

Cum ſucco Rutæ, Cyclamin. Cucumer. Aſinin. & felle Taurino fiat Peſſarium digitalis longitudinis, & filo alligetur.

OBSERVATIO CLXIV.

Fœtus mortuus, Saphenæ ſectione, excluditur.

SOlertiſſimus Magiſter *lib. 1. de morb. mulier. numer.* 100. ſic præfatur: *Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partûs doloribus laboret; ſit autem iuuenis, in vigore, & multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis, & ſanguinem detrahere, virium reſpectu habito*, &c. Hoc auxilium vnanimis Medicorum confirmauit opinio, ſi fœtus ſit viuus. At in mortuo nullus adhuc id celebrandum imperauit, quod ego fœliciſſimo euentu ſum expertus. Iuuenis erat in vigore ætatis conſtituta, lauto victui aſſueta, ſucculenta, & quæ in primis menſibus ſanguinem pro præſeruatione abortûs, pro antiquo more non emiſerat. Hæc ob copiam, emortuo fœtu, eum expellere non poterat, quoniam nonimeſtris erat. Plurima biduò ſunt tentata præſidia. Viſis his, & adſtante in vtero copiâ, fœtus per obſtructas vias cùm percolari non poſſet, è ſaphenâ ſanguinem exhaurio: nam ex hac parte facta phlebotomia naturam ad inferiores partes præcipitat, & plenitudinem particularem demit, quæ vias coarctat, & fœtui impedit egreſſum. Hoc auxilio celebrato, fœtus ad imum ventrem magis vergere videbatur, & illa à præcordiorum dolore, quo antea immaniter premebatur, erat immunis. Veſperi ad illam reuerſus, & de his omnibus certior factus, ex alterâ ſaphenâ, ſanguinem detraxi, poſt quam, ante diluculum, fœtum eiecit. Magna ergò eſt non ſolùm ad viuum, ſed ad mortuum fœtum excludendum phlebotomiæ vtilitas in actuali nixu, conſtantibus viribus, & in hoc truculento morbo neceſſaria. Conſule Mauricium Cordæum doctiſſimum *in com. cit. Hippoc. contextûs.*

OBSERVATIO CLXV.

Fœtus mortuus, vnco extrahitur.

IN malis erat primipara quædam, & duobus diebus afflicta parere non poterat. Cum ecce ex labore, vigiliis, & immani dolore, fœtus in vtero emoritur. At cùm ipſa præſidia reſpueret faſtidio preſſa, & aliis auxiliis externis, vnguentis, fotu, peſſariis, ſuffumigiis non leuaretur, illi prædiximus, vt permitteret, vti fœtus vnco extraheretur. Hoc audito perterrita in ſyncopen incidit. Quare vocatus peritus Chirurgus, qui fœtum ſuaui manu extracturum, illi bonâ fide pollicetur. Annuit ipſa ſpe ſalutis allecta. Ille reſupinam mulierem in lecto collocat decliui poſitu, cruribus valdè elatis, atque diſiunctis. Hanc mulieres fortiter continebant. Tunc Chirurgus denudatis brachiis, manibúſque multo oleo illitis, & ſenſim in oſtium vteri illatis, pueri ſitum, & formam diſquirens, vncum, quem iuxta ſe in lecto abſconditum habebat, in capite fœtûs infigit, benéque firmato vnco leniter trahit, ne diſrumpatur quod vncino arreptum eſt. Extracto fœtu lacero, & nimiâ iam putrilagine affecto, fœmina reſoluta, victu refecta vires recuperat. Quod auxilium in plurimis in agône poſitis feliciſſimè ſum expertus. Remedium antiquiſſimum eſt, prolatum ab Hippoc. *lib. de exſectione fœtûs.* Approbârunt Paulus *lib. 6. cap. 74.* Celſus *lib. 7. cap. 29.* Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 23.* Auicen. *21. 3. tract. 1. cap. 14.* Raſis *22. continent. tractat. 7. cap. 5.* Sequuntur Ioan. Ieſſenius *cap. 18. inſtit. Chirurg.* Iacob. Rueff. Paréus, Vidus Vidius, Beniuenius, & plures alij, & proprio experimento obſeruauit Valleriola *lib. 5. obſ. 2.* & nuper luculenter, & eleganter Doctor Nicolaüs Fontanus Medicus ſolertiſſimus, in eo tractatu cui titulum dedit, *de extractione fœtûs mortui Chirurgicâ manu, matre ſaluâ, cap. penultimo*, eruditiſſimè diſſeruit.

OBSERVATIO CLXVI.

Fœtus mortuus putridus fruſtillatim poſt duodecim annos excluſus.

MEdiocris ſortis fœmina, ætatis 16. annorum, quùm ob difficultatem partûs fœtum mortuum calidiſſimorum medicamentorum ope excluſiſſet, tanta humoris mordaciſſimi, ignei, ardentiſſimi per vterum copia per menſem eſt excreta, vt vtero dilaniato, & exulcerato, lentâ febri oppreſſa de vitâ periclitari videretur. Poſtea, poſt quatuor menſes vterus ita occalluit, vt minimo relicto foramine, vrinam tenuiſſimi fili modo expelleret, & menſtrua per anguſtiſſimum locum cum diris torminibus veluti coërcita erumperent. Hæc cum viro concubuit, & ſemen effuſum, per foramen exiguum ab auido vtero attractum. Itaque concepit, ſed dum pariendi tempus expectat, non potente fœtu per viam quaſi occluſam, & calloſam percolari, in animi deliquium incurrit. Monita vt ſectionem admittat, quam facilem futuram prædixerunt Chirurgi, velut in imperforatis, & clauſis fieri conſueuit. Illa renuit omnino. Sicque mortuum fœtum retinuit quatuor menſibus nullâ ſequutâ noxâ, qui per annum valdè computruit. Tandem poſt tres annos per vuluæ oſtiolum oſſicula minutiſſima excernere cœpit. Et paulatim vſque ad decimum annum, carnes corruptas, cranij fragmenta eiecit, quoüſque ob fœdam, virulentámque ſaniem, ore vteri putrefacto, hic dehiſcere, & paulatim in duodecimo anno, dilatari viſus eſt, & ſic reſidua oſſa fruſtillatim efflu-

xêre, & omnino detumeſcente vtero, vlceribus conſolidatis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 855 sur 927

©BIUM

solidatis conualuit mulier, & post plures annos redeuntibus statuto tempore menstruis, feliciter deinde concepit, & viuum enixa est puerum. Nec mireris: Nam Albucasis *lib.2.Chirurg.76.* Alexander Benedict. *lib.25.de curand.morb.33.* Rousſetus *2.cap.sect.2.de partu Cæsar.* Matthias Cornax, Langius, & alij, memorant se vidisse fœtûs mortuos putridos in vtero retentos, quatuor annis, 14. 28. & per aluum, vterum, vmbilicum, excitatis abscessibus fuisse excretos, saluis matribus, quæ deinde absque fœcunditatis noxâ conualuerunt.

OBSERVATIO CLXVII.

De Sphincteris Resolutione.

Sphincteris resolutio, Ebeno curatur.

ELeganter quidem Arabum Archiater docuit 1.4. *tract.2.cap.2. in fin. quòd à febribus acutis interficientibus rarò fit euasio absque contractione membri.* Laborauerat honesta matrona febre maleficentissimâ, à qua summi omnipotentis potentiâ, & Medicorum operâ euasit. Conualescens excrementa alui inuita effluere sentit, séque non posse coarctare anum, & musculum constringere confessa est. Hoc vitium è debilitate natiui caloris, ob prægressam febrim depopulati, frigidíque humoris copiâ ad Sphincterem delapsâ euenire ratus sum: nam ex præcedente lethali morbo vires erant inualidæ, coctiones minùs fausta: decolor enim, & exilis remansit, & vix incedere poterat. Remedia imperantur. Purgatio lenis, fomenta, lauacra, suffumigia fiunt super podicem. Malum nullis cessit auxiliis. Tandem sudoribus excitatis cum decocto Ebeni ad 20. dies, fœces per longius spatium retinebat. Demum hoc emplastro ossi sacro admoto integram consequuta est sanitatem.

℞. Emplastri Viperini, Confortatiu. Vigon. Gummi Tacamacha, an. ℥ ß. Olei Laurini, Olei Angelicæ, Olei Castor. Olei de Costo, Olei Anisi, Olei Terebinth. Olei Rorismarin. Olei de Piperib. an. ℥ ß.

Cum cerâ sec. art. paretur Emplastrum, extende super pellem vulpinam.

Memini me olim Balneis naturalibus persanâsse recti intestini resolutionem in quodam sene, cui excrementa alui inuitè fluebant, quæ ex sæuâ Epilepsiâ habuit ortum: nam hæc postquam illum per mensem miserrimè cruciâsset, grauissimis stipata symptomatis, in brachij, longanonísque Paralysim finita est. Neque hoc nouum putes. Id enim docuit Galen. 4. *aeur.* 27. firmauit Auicen. 1.3. *tract.5. cap.8. §. Et quemadmodum Apoplexia conuertitur ad Paralysim, similiter plurimùm Epilepsiâ conuertitur ad Paralysim,* &c. Confirmant Eraſt. *lib.* 4. *disput. cont. Paracelſ.* Salius, *Ad cap.19. Altom.* Licèt enim Apoplexia creberrimè in Paralysim finiatur, quoniam huius causa est multò maior, obstructio confirmata, difficilior, & cerebrum magis languet, & sic hoc, humorem crassiorem, nec discutere, nec ad loca excretioni destinata transmittere potest, & contrariæ causæ in Epilepsiâ contingant frequenter: aliquando, rarò tamen, si hæc grauis est, & accessionum frequentiâ affligit, & est finitima Apoplexiæ, in resolutionem finitur, vt Costæus *in com. Auic.* doctè explicuit. Quare frequenter Apoplexia, aliquando Epilepsia in Paralysim finitur. Hac distinctione soluitur contradictio, apud Galen. quem manifestè secum pugnare contendit Vallesius *lib. de loc. manifestè pugnantib. contrad.6.* quùm hoc modo 4. *de loc.* 2. intelligendus sit, dicens: solam Apoplexiam in Paralysim finiri. Lege Amat. 4. *centur.* 22.

OBSERVATIO CLXVIII.

De Coxendicis dolore.

Coxæ dolor, hirudinum supra partem affectam suctu, curatur.

IN coxæ doloribus, reprimentibus non esse vtendum, sed lenientibus, & Anodynis latâ oratione exponit Galen. 10. *sec. loc. cap.* 2. Coxendicis dolore intolerabili premebatur quidam, qui impositò lacte muliebri cum Rosaceâ permixto valdè fuit exacerbatus. Vocatus ego, cubiti, & tali venam seco, vomitum moueo. Foueo partem relaxantibus vnguentis, per aluum clementer expurgo. Applico mirabile Vnguentum Ebulorum descriptum à Lacunâ *lib.* 4. *in Dioscorid. cap.* 175. fitque ex succi rad. Ebulor. & fol. an. ℥ ij. coctis in ℥ vj. Olei Chamæmel. quoüsque absumantur succi, & cum guttulis Aceti ad maiorem penetrationem, & Cerâ fit Vnguentum. Cucurbitulam magnam ad priscorum modum super Ancham cum scarificatione appono. Caustica imprimo. Nulla profuêre. Tandem ex Pauli consilio *lib.3.cap.77.* Cœlij *lib.5.tardar.passion.cap.1.* Coxæ octo magnas hirudines impono. Tanta ab his animalculis sequuta vacuatio est, vt post decem horas sine dolore remanserit, quod auxilium in Chiragrâ, Podagrâ, & Gonagrâ sæpè post vacuatum corpus fœliciter sum expertus.

OBSERVATIO CLXIX.

Vstio venarum retrò aures, Ischiaticis vtilissima.

IN Ischiatico dolore sectionem venarum retrò aures vtilem esse Hippocrates sæpè admonuit. Iuniores rarissimè sunt experti, in quâ parte cur cauterium impressum tantopere prosit, ambigunt prorsus. Mihi non semel videre licuit cum vtilitate multâ; præsertim quando fluxio à capite irruit in coxam, à quâ parte hoc malum foueri docuit Hippoc. *lib.2.epid. sect.5.lib.de glandulis,num.10.* Cuius auctoritate motus Fernelius *lib.6. Patholog.18. & consil.12.* Arthritidis originem semper à capite emanare contendit, quam absurdam opinionem acriter plures refutant. Vocatus vt inuiserem Lusitanum illustrissimum, eum inueni coxæ dolore immani vexatum. Pro tanto malo auxilia paro, roborantia, calida; nam morbus ex pituitosâ defluxione à capite defluente ducebat originem. Purgantia propino, sudorifica ex Chinâ exhibeo, partem scarifico, vro. Non succumbit affectus. Ipse veluti desperatus, sagas, mulieres, fortilegos, incantatores consuluit, & à vulgari plebe multam remediorum farraginem acceptam coxæ imponit. Sed cùm viderem in hoc contumaci morbo Hippocratem venæ sectione retrò aures vsum fuisse, *tum 6. epid. sect.5. text.22. § cùm adsint fluxiones, venæ in auribus scindendæ sunt,* &c. Et *lib. de aere, loc. & aq. num.* 50. nam sic interceptâ viâ, per quam humor à capite ad coxam decurrit, leuantur ægri: eam celebrandam curaui, sed non inuentus Chirurgus qui eas scinderet, vt Auicen. 4.1. *cap.* 20. illas in morbis capitis secandas docet. Huius loco externam cutem retrò aures scarificaui, sed citra leuamen vllum. Ecce quidam ægroti satis amicus eum inuisit, quem supplex exorat, vt si fortè apud Iapones, vbi diutiùs fuerat commoratus, aliquod præsidium inuenerit, quod misero solatium afferre possit, pandat libenter. Ille, vt erat rei Medicæ studiosissimus, coxam affectam videre concupiscit. Tumorem in Ischio sinistro nullum notat. Vnum æger illi signum amplius

©BIUM

pliùs patefecit, quòd inuadentem paroxyſmum tinnitus aurium cum Hemicraniâ præcedebat ſemper, argumentum certum à capite fluxionem oriri. Tunc Fonticulus in ſiniſtro brachio aperitur, ex quo per menſem Ichor emanauit citra vtilitatem vllam. Nullis conferentibus, amicus ſolatur amicum, ſe matutino tempore facturum præſidium pollicitus, quod tanto malo ſubſidium ferat. Diluculo veniens, me præſente, retrò aures Cauterium inurit factum ex vitis ſarmento ignito, quo duarum horarum ſpatio, ex breuioribus interuallis cutem inuſſit. Poſt eſcharæ lapſum defluxit decem fere diebus, tenuis, aquoſáque humiditas, quæ excreta, poſt 20. dies, omnis doloris, & eiuſmodi morbi ceſſationem ægrotanti attulit, quod auxilium apud Perſas pro hoc morbo, cæteríſque ex capite fluxionibus ſubortis, eſſe vſitatiſſimum inculcabat. Ne verò in poſterum conſolidato vlcere, & ſuppreſsâ manante humiditate recrudeſceret malum, vlcus Cauſtico impoſito apertum diu reſeruo. Hoc exemplo edoctus ſimile auxilium in capitis affectibus, cæteríſque deſtillationibus ſæpius celebraui cum vtilitate mirâ.

OBSERVATIO CLXX.

Iſchiaticus dolor, ſaluatellâ in pede ſectâ, curatur.

AVicenna inter Arabes magni nominis auctor, 22.3.*tract.*2.*cap.*25. Sic alloquitur: *Et ex iis quæ phlebotomantur, eſt vena quæ eſt inter minimum, & ſecundum pedis, & dicitur quod hæc vena magis iuuatiua eſt, quàm vena Iſchiatica, ſicut ſaluatella magis iuuatiua eſt, quàm Baſilica in ægritudinibus Hepatis, & ſplenis,* &c. Acceſſere mecum quatuor non incelebres Medici luctaturi cum coxæ dolore, qui multoties eorum præſidia, etſi ſaluberrima contemſerat. Auicennæ voto munitus, Iſchiaticam venam, per latus externum pedis, inter minimum, & ſecundum digitum diffuſam ſecandam iuſſi, ſed quùm nouum eſſet auxilium, & noſtro ſæculo inuſitatum, reſpuunt omnino, *cùm parum referat venas in pede interiores ſecare, aut exteriores, ab vnâ enim venâ ambæ naſcuntur in poplite trifariam diuiſæ, quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, non ſicuti ad manum duæ,* vt *lib.*6. *aph.com.*36. docuit Galenus. Sed cùm rectitudo plurimum proſit in celebrandis vacuationibus omnibus, ipſo monente Magiſtro vbique paſſim, in eâ feriendâ contra illorum votum adhuc inſiſto. Affines annuunt. Extracto ſanguine craſſo, & multo, conualuit æger.

OBSERVATIO CLXXI.

Iſchiaticus, hirudinum vſu reſtitutus.

PAuli ſententia eſt ſingulari digna admiratione *in lib.* 3. *cap.* 77. *rubric.* 3. *in recenti artuum dolore venam eſſe ſecandam, quàm ſtatim quis morbum experiri primum cœperit: nam quos fluxio frequenter iam infeſtat, iy plus inde noxæ, quàm auxilij ſenſerunt, præſertim quibus corpus eſt naturâ frigidius, aut etiam imbecilliùs,* &c. Explicant ingeniosè ſatis Mercatus *lib.* 4. *de morb. intern.* 20. Ludouicus Septalius *lib.*7. *caution. medicinal. num.*179. Coxendicis dolore diuturno vexabatur quidam natiuâ ſorte melancholicus, quem Medici frequenti venæ ſectione, quoties inuadebat dolor, excruciauerant: ſed cùm eſſet reſolutus valdè, loco phlebotomiæ, mariſcis hirudines apponendas curo. His vſus per annum, omnino ſanus euaſit. Nam fluxio irruens in coxas, ad ſedem deriuata. Quoniam Hæmorrhoïdum apertio à coxendice præſeruat: ſic menſtruorum prouocatio hunc morbum ſanat, ſicut retentio creat, ex Hipp. *lib.*5. *epid. num.*33. §. *Polemarchi vxori in morbo articulari, coxæ dolor quidam vehemens, cauſa erat, quòd menſes non prodirent,* &c.

OBSERVATIO CLXXII.

De Gonagra.

Genu aperto, loco puris, egreditur ventus.

NIl eſt quod Medicos, atque Chirurgos magis decipiat, atque deludat, quàm genu flatuoſus tumor: Nam ſæpiùs dolor, pulſatio, & vel tactus ipſe, pus adeſſe internum repræſentant. Adfuimus diu in curatione cuiuſdam OEconomi, cui ex genu antiquo dolore, & tumore claudicanti plurima præſidia ſunt imperata. Purgationes variæ, fotûs, Vnguenta, emollientia Emplaſtra, Balnea naturalia, Sudorifica ex Smilace aſperâ, Balneum ex Sale, Tritico, Arenâ, Milio, Vinaceis, Muſto actu calidis. Tandem cum triennio nihil proficeret, ad Cauterium in brachio partis affectæ, & crure ſani lateris acceſſimus, ſed citra vtilitatem vllam. Ecce eum inuiſentes Chirurgi, ex tumoris tactu, interno ſtrepitu, pus adeſſe denunciant. Concordes omnes (vno ſeniore reluctante ſolùm) adſtantibus Medicis, cauterio actuali partem perforant, at genu aperto egreditur ventus. Illi rubore ſuffuſi ſæpè hoc accidere dictabant cum Galen. *lib.* 4. *com.*21. §. *Fuerunt ſanè qui aliquando tumores præter naturam in muſculis ſecuerunt, tanquam pus in eo reperturi, ſed nihil aliud præterquàm ſpiritum, qui totam per carnem minutatim diſſeminatus eſſet inuenerunt,* &c. Tranſtulit Auic. 3.4. *tract.*2. *cap.*19. *Et quandoque exiſtimat homo, quòd ſuper membrum eius ſicut genu ſit apoſtema indigens perforatione, quare perforat ipſum, & egreditur ventoſitas tantùm,* &c. Vtcumque ſit, æger tanquam deſperatus appoſito per menſem Emplaſtro Viperino, malaxato cum Ammoniaco, & Oleo Vulpino meliùs habuit, ita vt dilatato crure cum baculo incedere poſſet.

OBSERVATIO CLXXIII.

Balnea naturalia, articulorum doloribus vtiliſſima.

EXcellentiſſimus quidam Princeps, ex venere, & otio multo plurimam ſuccorum crudorum copiam in primâ corporis regione accumulans, eam vomitu quandoque reiiciebat. Cúmque lenti humores irruerent in artûs præ copiâ auctâ, aſſiduis articulorum doloribus opprimitur. Plura à ſuis doctiſſimis Medicis celebrata auxilia, quæ craſſorum humorum ſarcinam deponerent, vnáque robur affectis partibus conciliarent: nam monente Galeno *lib.* 6. *aph. com.* 28. *articularis morbi cauſa eſt artuum imbecillitas cum redundantium humorum copiâ coniuncta.* Sed cùm ex tam multis, rectè, & vt decet adminiſtratis nullum ſequeretur iuuamentum, plurimos in ſui ſubſidium Medicos conſuluit. Hi Balnea naturalia, aluminoſa præſertim, ſalutaria eſſe prædixerunt, profligandóque huic contumaci morbo opportuna: nam ea artûs roborant, ſuperfluam humiditatem exiccant, flatûs abſumunt, calefaciunt, & craſſum humorem attenuant, quorum mirabiles pro hoc morbo curando, dotes vnanimiter decantant auctores, de quorum numero ſunt Auicenna 22. 3. *tract.* 2. *cap.*7. §. *& non fiat balneatio niſi in aquâ thermarum,* &c. & *cap.* 25. §. *Verùm & aquæ Thermarum conferunt, & in horâ ægritudinis,* &c. Sequuntur Paulus *lib.*1. *cap.* 52. Aëtius *Tetrab.* 1. *ſermon.* 3. *cap.* 167. Oribaſius *lib.*1. *Synopſ.*29. Explanant Cardanus *lib.*2. *contrad. tract.*4. *cont.* 3. Hieronymus Sauanarola *tractat. de Balneis in*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 857 sur 927

©BIUM

princip. Fallopius *tract. de aquis thermalibus, in præfat.* His præfatis æger ad Balnea alacri animo se accingit, eâque admittit triginta dierum spatio cum vtilitate tantâ, vt in posterum nullum morbi vestigium remanserit. Causa est, *quoniam Balnea naturalia, quacunque ea sint, erea, ferrea, salsa, nitrosa, bituminosa, iuuant in doloribus articulorum, & Podagræ*, vt monuit Auicenna 2. 1. *doct. 2. cap. 19.* Si ergo hæc vera sunt, & ex facundissimâ Principum mente exhausta; quod infortunium contigit Mercato, in medendis morbis versatissimo, vt illa pro articulorum doloribus respuat, & perfrictâ fronte condemnet? *Lib. enim 4. de morb. intern. cap. vlt. prope fin.* ei se addixit opinioni, vt credat hoc præsidium siculneum esse, & nullus vsûs. Balnea, inquit, laxant, emolliunt neruos, debilitant, quo titulo Galenus *lib. 11. meth. cap. 20.* ea articulariis doloribus infestissima esse affirmat: *Nam plus potest humiditas ad relaxandum, quàm possit aquæ qualitas adstringens ad exiccandum, resoluendum, & roborandum.* Sed hunc virum dormiisse sub Mandragorâ, nemo non videt; nam *Galenus* de Balneo, hoc est, dulcis aquæ lauacro intelligendus est, quod eneruat neruos, fluxiones mouet, fundit, liquátque humores, artûs debilitat: nam præterquam quòd ibi de dulcis aquæ Balneo loquatur, cùm simpliciter profertur, Balneum, hoc subintelligitur, ex Gal. *eo loco, & 7. lib. sec. loc. cap. 1. in med.* Hoc significauit Auic. *loc. cit. cap. 13.* dum dixit, *Balneatio quidem cum aquis calidis, & humidis nocet, propter illud quòd liquefacit de humoribus, & dilatat de poris, nisi in aquis thermarum, &c.* Hæ enim licèt primo occursu ob actualem humiditatem aliqualiter relaxent, siccitate tamen potentiali deinceps adstringunt, exiccant, & roborant. Hac de causâ vidimus plures sanatos, qui antea articulariis cruciatibus immaniter erant oppressi, solius luti balneorum naturalium ope, quo cùm vnguenti modo artûs illinerent, omnimodam consequuti sunt sanitatem. De hoc instituto legendus doctissimus Spigelius *lib. de Arthritide, prope fin.*

OBSERVATIO CLXXIV.

Admoto Narcotico super genu, mortificatio, & mors.

QVantùm oporteat Medicos in Narcoticorum impositione supra dolentes articulos, esse sollicitos, prisci docuêre, & hoc exemplo ampliùs patebit. Quidam immani genu dolore vexatus, plurima, vel à nebulonibus, & medicastris relata auxilia tentauit. Hi doloris feritati solùm attenti stupefacientia protinus imponunt, nempe Emplastrum ex foliis Hyoscyami, radice Mandragoræ, cum Aceto & Opio constructum, nullo alio adiecto calido medicamento, quod frigidorum efficaciam corrigeret. Post applicationem dolor ferociùs inualescit, genu liuescit, & sic resolutis viribus, animo deficiens, superueniente Gangrænâ, è vita discessit.

OBSERVATIO CLXXV.

Sæuus genu dolor, Hydrargyri vnguento curatus.

IN multis morbis præter Gallicum, Hydrargyrum administrari, testatur Auicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 47.* Quadragenarius cùm immani genu dolore afflictus quateretur à frigido humore suborto, qui medicamentorum vim sæpiùs contempserat, Emplastro Ranino cum triplicato Mercurio partem inunxit. Aliquantisper remissus est dolor. Ego, vt certior fierem, num aliquando Gallicæ luis primordia esset expertus, ab eo inquiro, negat obnixè. Tamen alacrior factus non cessaui Hydrargyrum, extinctum priùs, & commixtum cum Oleo Laurino, Styrace, & Terebinthina Vnguenti formâ genu apponere. Mirum dictu, dolor conquieuit omnino. Ne ergo in eo in multis morbis aliis à Gallico, applicando, sis meticulosus: nam resoluit durities, dolorem sedat, flatûs discutit, & tenacem humorem mirâ efficaciâ absumit.

OBSERVATIO CLXXVI.

Immanis genu dolor, fonticulo infra inguen aperto, curatur.

MEdicus quidam ob assidua studia, & labores, defluente humore à capite, in dentes & ventriculum, harum partium per multos annos acerbos dolores tulit, at vacuantibus, & roborantibus præsidiis conualuit. Postea trunculento genu dolore oppressus ita contabuit, vt nec igne mitesceret malum. Tandem Lauacro hoc est leuatus.

℞. Sampsuc. Iuæ arthetic. Artemis. Absinth. Chamæmel. Maioran. Stœchad. Betonic. Rorismarin. Saluiæ, Nepitæ, Rutæ, Origani, Pulegij, Summit. Lauri, an. M. ß. Radic. Pœoniæ, Acori, an. ʒ iij. Radic. Ebul. ʒ j. ß. Mastich. Macis, Cinnamom. Caryophyl. an. ʒ ij. Sulphur. viui, Nitri, Alum in. Salis, an ʒ ij. ß. Stercor. Caprin. Stercor. Columbar. an. ʒ ij.

Coque in Vini potentis lib. viij. ad medias, colaturæ adde

Aq. Vitæ, lib. ij. Olei de Castor. ʒ iiij. Olei Vulpin. ʒ iij. Olei Lumbricor. ʒ ij. Balsami, ʒ iij.

Cùm verò post tres menses fluxio ex habituali capitis intemperie in coxam irrueret, pluribus applicitis, nullo alio potuit omnino consanescere, quàm fonticulo excitato infra inguen in parte domesticâ, cuius ope, humor, qui à capite in genu confluebat, est vacuatus, quare interceptâ fluxione in posterum alacriter vixit.

OBSERVATIO CLXXVII.

De Tibiæ dolore.

Super vlceratam tibiam medicamento styptico intempestiuè impositio, inflammatio ventriculi lethalis sequuta.

CEleberrima est historia illustris Romanæ, lata à Gal. *lib. 14. meth. cap. 17.* quæ quùm herpetem in malleolo haberet, & medicamento, ex Algâ, & Sandice, hoc est, Cerusâ vstâ, vsa esset, restricto humore, & ascendente ad bubones vsque, leuari non potuit, quoüsque causa fluxionis medicamenti purgantis ope esset exhausta: nam vt inquit Auic. 3. 4. *tract. 1. cap. 7. de curâ formicæ. Cùm non incipis in eâ cum euacuatione humoris secundùm quod oportet, immò medicaris vlcus cum eo quod sanat, redit ex alio loco propinquo, & ex loco ipso, & non cessat corrodere cutem, corrosione post corrosionem, &c.* Id ipsum proponunt Aëtius *tetrab. 4. serm. 2. cap. 6.* Oribasius *lib. 7. synops. cap. 33. Nam plerisque vlceribus purgatio competit*, ex mente Hipp. *lib. de vlcerib. num. 4.* repetit Gal. *4. meth. cap. 6.* Hæc non obseruans incautus quidam Medicus, qui dum ad curationem Herpetis exedentis, crura & tibias depopulantis esset vocatus, in iuuene robusto, tempore verno, naturâ ad extremas partes humorẽ bilioſum propulsante, citra totius prouidentiam exiccantia, & adstringentia, primò leuia ex Pompholyge, deinde fortia ex Alumine, & Sublimato vstis, parti vlceratæ imposuit. Vix ter remedium fuerat admotum, quando coërcito humore,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 858 sur 927

©BIUM

humore, ſubortо in regione ventriculi immani dolore, cum vomitu fœtido ſanguinis grumoſi, atrabilarij, & concreti, febricula apparuit tenuis, lenta cum anxietate, & extremorum frigiditate coniuncta. Huic miſero ventriculi inflammatione laboranti occurrens, anteacta inquirens, reuocandum humorem ad ſuam originẽ, nempe ad partes inferas conſului. Hoc præſtiti crurum lauacris, frictionibus, ligaturis, ſectione tali, hirudinibus ano affixis, & clyſteribus lenibus retorridum humorem vacuantibus. At omnia nullam opem attulerunt: nam aſſiduo vomitu, faſtidio ſummo, ſudore frigido, extincto veluti calore, occubuit.

OBSERVATIO CLXXVIII.

De Arthritide.

Olei ex oſſibus humanis, ad articularios dolores, vis eximia.

GVttam vocant Medici, quoniam humor guttatim in artûs ſtillat. Cum hac Hydrâ ſæpè luctatus, laborioſè, tanquam à Lernæo morbo, & inſuperabili victus, diſceſſi. Vnum exequendum ſupererat, & erat oſſium humanorum vſus, de cuius viribus ex aliorum mente ſat plura contra hunc morbum iactant Gal. 11. *ſimp. tit. de oſſibus*, Auic. 22. 3. *tract.* 2. *c.* 9. quorum oleum, vt rem pretioſam miris laudibus effert Crato *in conſiliis*, & Euonymus *in antidotario ſuo*. Plurimis eorum cinerem citra fructum exhibui. Quidam feroci artuum dolore vexatus, ſpretis multis, oleo ex oſſibus humanis extracto, non ſolùm à cruciatu eſt leuatus, ſed in poſterum à tanto malo immunis euaſit. Accipe oſſa humana, magna, fruſtillatim incide, pone in igne quoüſque excandeſcant, extingue in oleo vetuſtiſſimo, quibus contuſis deſtillat oleum ad omnes iuncturarum dolores efficaciſſimum. Legendus in hanc rem Hieremias Sachetus *lib. de morb. capitis, cap.* 10.

OBSERVATIO CLXXIX.

Auxilium ad præſeruandum à cruciatu Arthritico vtiliſſimum.

SEptuagenarius naturâ frigidus, & pituitoſus, quùm diu articulares dolores eſſet expertus, & multis tentatis præſidiis conualeſcere non poſſet, ad Terebinthinæ vſum accedere coactus eſt cum vtilitate mirâ, de cuius laudibus tam multa prædicat Galenus *lib.* 5. *de ſanit. tuend. cap.* 9. Interdum eam in mortario diſſolutam cum luteo Oui, adiectâ vnciâ vnâ aquæ ſtillatitiæ Apij cum Saccharo deuorabat. Aliquando in pilulas redactam deglutiebat. Sæpè olei eius Chymicâ arte extracti vnciam, adiectâ Amygdalini vnciâ in potum aſſumebat. Multoties Diaphœnico obuolutam ingerebat. At cùm inuitus ob eius horribilem odorem eâ vteretur, in puluerem redigendam curo, illâ priùs in teſtâ peruſtâ. Huius puluerис ſcrupulum vnum in iure auis, vel liquoris commixtum, quùm ſingulis annis, toto vere aſſumeret, optimo regimine vſus, ſenectam vſque ad octoginta annos mitioribus articulorum tormentis concuſſus, immò corpore vegeto, ſucculento, ingreſſu firmo tranſegit. Hoc enim præſidium non ſolùm aluum ſoluere citra noxam poteſt, corpus à mucoſâ pituitâ exonerans, ſed viſcera omnia, internas partes, Iecur, Splenem, Renes, Pulmones, Ventriculum, Vterum expurgat, cuius opem in harum partium, & articulorum doloribus ſemper efficaciſſimam ſum expertus. De cuius mirabili vi & aſſumendi modo, pulchra ſcripſit Lemnius *lib.* 1. *de complex. cap.* 9.

OBSERVATIO CLXXX.

Prophylacticum, contra articularem morbum, auxilium.

SIcut Cancamum (Luſitani *Animè* vocant) dentium doloribus à frigidâ causâ, gingiuiſque humore nimio madentibus extrà admotum mirè auxiliatur, vt Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 23. & Mathiolus docent; ſic, ſi cum aquâ decoctâ Ebeno, radice Chinæ, aut decocto aliquo roborante aſſumatur pluribus diebus, ternûm obulorum pondere, hoc eſt ſcrupuli vnius, & dimidij quantitate, Comitialibus, Lienoſis, Suſpirioſis ſummo eſt auxilio. Adde tu, & Articulariis doloribus à pituitoſo humore pronatis. Vidi enim plures his cruciatibus concuſſos, qui nullo alio præſidio à tam rebelli malo ſunt præſeruati: natiuâ enim ſorte articulos roborat, lentum, flatulentúmque ſuccum per halitum digerit caliditate ſuâ, ſi tribus horis poſt cœnam aſſumatur. Caue tamen ne Cancami loco, Laccam Serapionis propines: hæc enim rubea eſt, tinctoribus expetita, odoríſque expers: illud verò eſt odoratum, Arabici ligni Lachryma, Myrrhæ ſimilis, vt Dioſcorides, & Paulus *lib.* 7. confirmant. Nam verum *Dioſcoridis* Cancamum, gummi quoddam eſt odorum, ab Indiâ Occidentali, hoc æuo ad nos allatum, colore thuris ſubalbido, veſtium ſuffimentis dicatum.

OBSERVATIO CLXXXI.

De Podagra.

Podagricus materiâ ad ſtomachum conuersâ, reuocatâ fluxione ad artûs, præter omnium ſpem conualuit.

PLurium morborum, ſicut & Podagræ in varios morbos fieri metaſtaſim, docuere, Hippoc. *lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *text.* 8. Gabucinus *com. de Podagra*, Trincauellius *lib.* 12. *de curand. morb. cap.* 1. Et nuperrimè Caſtrenſis Luſitanus explicuit in aureo illo opuſculo, cui, *Quæ ex quibus*, titulum dedit. Omnes facundiſſimam imitantur Gal. doctrinam *lib.* 7. *Meth. c.* 11. dum ſic inquit: *Illud deinde perpendendum, an aliud membrum corporis certo temporum circuitu vexari ſolitum, nunc non vexetur. Alijs enim articularis morbus, aut coxendicus, aut Podagra: alijs Cephalæa, aut fluxio aliqua, quæ in oculos, vel aures procubuit, nunc migrauit ad ventriculum*, &c. Sexagenarius quidam viginti annis, doloribus podagricis ex interuallis cruciatus, excitatâ inflammatione in vno pede, decem, aut quindecim diebus lecto decumbens, illius declinationem, nullo vſus auxilio, expectabat. Suppreſsâ hac ſolitâ vacuatione per totum annum, de ventriculi dolore queri cœpit, ita immani, vt potum, cibúmque, retentrice debilitatâ protinus vomitione reiicere cogeretur. Medici à flatu omnia hæc euenire perſuaſi, in roborando ventriculo inſiſtunt. At quantò plura machinantur, tantò deteriùs ruebat affectus. Vocatus, dolorem ex ſuppreſsâ vacuatione fuiſſe ſubortum illis inculco, totúmque curationis cardinem eſſe repoſitum, ſi ad artûs reuertatur fluxio. Mirantur illi, ancipites, per quas vias eſſet reuocanda. Reſpondet Galen. *loc. citato. His igitur omnibus conſideratis; ſiquidem ex minùs momentaneis tranſlatio facta eſt, quod ſuperfluum eſt ad eas reuocabis*, &c. Repetit *lib.* 2. *de natur. human. com.* 5. *in fin.* dum ſic ait: *Aſpeximus enim ſæpè in iis qui Articulari morbo, aut Podagræ obnoxij erant, quòd repulſis ab artubus humoribus eò delatis, illi in principem aliquam partem contendentes, homini interitum attulerunt, cui eâ ſola relinquebatur ſpes ſalutis, ſi iterum poſſent*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 859 sur 927

©BIUM

possent ad artûs reuelli, &c. Hæc *Galeni* verba cùm attentâ mente perpendo, affectum pedem leniter perfrico, roborantibus decoctis, & attrahentibus non semel abluo, suauiter ligo. In talo venam seco, natibus, tibiæ hirudines impono, & quod plus est, cauterium in parte affectâ externâ, quatuor digitis infra genu inuro, ex quo fonte, cùm sordida, & virulenta emanaret illuuies, repurgato sæpiùs corpore, & à ventriculi dolore, & à Podagrâ, reuocato humore ad artûs, in posterum saluus remansit.

OBSERVATIO CLXXXII.

Balneum ex Arenâ, Podagricis vtilissimum.

AB annis aliquot generosus quidam vir Podagrico dolore laborauit, ita vt in pollice pedis dextri ingentes cruciatûs ex temporum interuallis pateretur, ob quorum sæuitiem lecto decumbens plures noctes insomnis ducebat. Hic cùm plurima sine vtilitate tentarer, ad Balneum arenæ accessit cum commodo multo. Nam ardente Sirio pedem sub feruentissimâ maris arenâ dimidiæ horæ spatio cùm leniter perfricaret, mense toto, in die semel, à Podagrâ conualuit. Si desit arena maritima, vtere fluuiali; nam vtraque, caliditate, & siccitate suâ excrementitiam absumit humiditatem, vt priscorum, & Iuniorum doctissimi confirmant. Vide plura de hoc præsidio apud Antonium Sceenebergum *lib. de remedijs ad omnes articulares dolores aptissimis, in init.*

OBSERVATIO CLXXXIII.

Atrox pollicis dolor, Narcoticis extrâ, & intus applicitis miteſcit.

VOcatus ad curandum iuuenem febrientem, qui cum linguâ nigrâ, & siti inexplebili, dolore pollicis dextri pedis, post triginta dies concutiebatur immaniter, à bilioso humore, subtilíque concitato. Huic Medici rectè præsidia inculcauerant, frigidam diætam, iteratas ex gibbero phlebotomias, cucurbitulas costis affixas, lenientia enemata, mitia expurgantia, Vomitoria, Topica Anodyna, hirudines ter parti admotas, Emplastra varia. Nihil leuatus, febri adhuc intensâ correptus. Serum lactis propino. De cauterio parti inurendo dissidium obortum: nam ob partis squallorem, humoris acrimoniam, bilem feruidiorem factam, affluxum nouæ materiæ, timor erat ne ingraueſceret dolor, quare ab eo receſſimus. Tandem conuenimus, vt parti affectæ mitius imponeretur Narcoticum. Eo admoto, quod ex farinâ Hordei, Santalor. Roſ. mixtis cum Oleo Nymphææ, decocto Hyoſciami, radic. Mandragor. Coriandri viridis, puluere Abſinth. cum gr. ſeptem Opij, & quatuor Croci, & vnâ parte populei Vnguenti conſtabat, adiecto lacte Vaccino, aliquantiſper leuatus eſt dolor. Deinde cùm fortiùs inualeſceret ex Opij gr. xij. cum farinâ Hordei diſſolutis, adiectâ niue, & Maſtichis puluere Emplaſtrum impono, & per os drachmam vnam Philonij Perſici in aquâ Plantaginis diſſolutam aſſumendam impero. His celebratis æger decem horarum ſpatio obdormiuit, expergefactus nullum ampliùs dolorem perſenſit. Iis ergò in calidâ causâ audaciùs vtere, ex preſcripto Galeni *lib. 12. meth.* 8. Nam non ſolùm torporem inducunt, ſed acris, & furentis humoris tenuitatem cogunt, atque incraſſant, & vehementem calorem refrigerant. Si verò lædunt, *magis eſt æſtimanda noxa, quàm mors.* Ex Gal. *loc. cit. meth. cap.* 1. Sic fecit Aëtius qui Podagricum opiatis perſanauit, vt appoſito exemplo ipſe confirmat, *tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 28.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Lactis equini potu, quidam à biliosâ Podagrâ, præſeruatus.

TVrpe eſt in omni arte, nec minùs etiam in Medicinâ *ſine vllo profectu magnam adhibere turbam, magnum ſpectaculum polliceri, & multa verba facere*, dicebat ſapientiſſimus ſenex *lib. 3. de articul. text.* 27. *Nam morbus non curatur eloquentiâ, ſed auxilijs*, teſte Celſo. Iuuenis quidam inexpertus, & velut ex commentariolo factus Medicus, ſe quadragenarium curaturum biliosâ Podagrâ diu affligtum, tumentibus criſtis, Antidoto quodam percelebri, altâ voce in coronâ vulgarium exclamabat. Æger cùm eſſet ſalutis auidiſſimus, illius falſis pollicitationibus ſeductus annuit. Sed cùm *imperitia pariat audaciam*, teſte Hippocrate, *lib. de lege, num.* 3. temeritate quadam ſuperbiens, nullâ de doloris causâ factâ præmeditatione, Sulphur cum Aniſo, & Nuce Moſchatâ in ouo ſorbili ter propinat; patiens cùm eſſet gracilis, excarnis, & temperamento calidiſſimus, ita excanduit, vt ſubſequutâ febri, immaniore recrudeſcente dolore, totum corpus ſcabie ſiccâ fœdaretur, & in regione Heparis ardorem, & Phlogoſim intolerabilem perſentirer. Spreto præſidio, Medici conuocantur. Hi, calidiſſimi medicamenti noxam corrigere nituntur ſectâ venâ, refrigerantibus iulapiis, leniter expurgantibus, Epithematis, & parti dolenti aptis Anodynis. At affligtus Podagrâ, vix incedere poterat. Exhibetur ſerum lactis per multos dies, naturales partes roborantur, imperatur Ptiſana, varia Topica tentantur. Tandem cùm eſſet aridus, & ardore viſcerum detentus, ita vt fæces, ſtercori caprarum ſimiles excerneret, combuſtis ſcilicet à viſceris phlegmone ſcybalis, vt docuit Galenus *lib. 4. acut. com.* 17. & priſtinum habitum vix recuperaret, lactis aſinini potum conſului, ſic enim iubet Galenus *lib. 6. de ſanit.* 11. quando curat gracilem, articulorum dolore vexatum. Hoc non inuento, equinum lac propino ſemel in die, diluculo cum ſacchari copiâ multâ, cuius auxilij ope non ſolùm ab ardore interno eſt leuatus, ſed à dolore artuum, vacuato ſenſim per aluũ humore, tutus euaſit.

OBSERVATIO CLXXXV.

De Tophis articulorum.

Grandines medicamenti vi, è podagricorum Tophis eductæ.

TOphus cùm ſit tumor durus, præter naturam, ex craſſo, terreſtríque humore pronatus, & in immedicabilem duritiem concretus, inſuperabilis eſt, nam hic lapideus tumor omnem vim emollientem reſpuit. Neceſſe ergò eſt auxilium quod molliat, fundat, diſſoluat, ſecet humorem, & tophum in minimas partes diuidat. In hunc vſum ſæpè vſus ſum Emplaſtro ex teſtis Cochlearum vſtis cum acri Zytho, ſi deſit hoc, vtere Oxycrato. Hoc præſidio grandines duriſſimas ex podagricorum tophis ſæpè extraxi.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Articulorum Tophi, zarsâ curati.

DVm hæc commentarer, eruditiſſimáque Manardi monumenta reuoluerem, incidi fortè in lepidiſſimam huius auctoris ſententiam in annotationibus Meſuë, *tit. de Oleo de Ranis*, quæ ſic habet. *Hoc vidi quoſdam vtentes in Podagrâ, ſed in eâ nullum maius præſentaneum auxilium vidi, & abſque periculo, quàm*

quàm vt eam homo æquo animo ferat, expectans Hipp. A *terminum*, &c. Hic enim *lib. 6. Aph. 49.* sic inquit: *Quibuscumque morbi podagrici fiunt, ij sedatâ in quadraginta diebus inflammatione finiuntur*, &c. Censet ergo vir hic haudquaquam ex triuio, patientiam, Podagræ esse præstantissimum auxilium, quùm gutta, & præsertim nodosa incurabilis sit, nunquámque vllis cesserit auxiliis. Me sæpè cum hoc Herculeo morbo citra fructum fuisse luctatum ingenuè confiteor. Hanc tamen nodosam aliquando debellâsse libenter contestor decocto Rubi Viticosi, quem nonnulli Smilacem asperam esse rentur. Nam vt doctè Fallopius *notat lib. de morb. gallic. cap. 43. & 95. Sarza est regina in hoc: Si enim absumit tophaceos tumores, quantò magis lardaceos.* licèt enim præsidium triuiale sit, est ta- B men nulli secundum, eodem auctore *lib. de tumorib. præter natur. cap. 2.* Nam mirificè duros tumores, & saxeos discutit, & emollit.

OBSERVATIO CLXXXVII.

Ad tophum, auxilium expertißimum.

ETsi Fernelius *lib. 6. de part. morb. cap. 18. Guttam* præsertim tophaceam, *Medicorum opprobrium* esse asseueret, cùm peruicax sit malum, nullíque industriæ cedat: quin vbi ad satietatem afflixit, suâ magis sponte euanescit: tamen aliquando auxiliis, licèt rarò succumbit. Cruciabatur grauibus tormentis, nunc C à manu, nunc à pede, decumbente de nouo materiâ in tophum, robustus quidam rusticus, qui varia tentauerat in vanum tamen auxilia. Tandem Bracteâ Plumbeâ subtilissimâ per mensem super tophum impositâ, ille omnino euanuit. Nam vt scitè dicebat Auerroës *lib. 5. collig. cap. 43. Et laminatum plumbum subtiliter, & superpositum neruo torto, & grosso dissoluit, & rectificat, & hoc quod dissoluit, significat quod habet virtutem dissolutiuam*, &c. Quam efficaciam prisci huic metallo vnanimiter concedunt. Nam tophos dissoluit, durities emollit, & absumit tenuitate sua ob multam Sulphuris, & Argenti viui portionem cum eo commixtam.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

De dolore Calcanei.

Cornu in Calcaneo enati; historia mira.

PAuperrimus quidam, naturâ suâ melancholicus, quùm diu ex interuallis dolorem Calcanei dextri pateretur intolerabilem, cum aliquali duritie coniunctum, me vocat. Vacuato corpore, Balnea Anodyna paro, roborantia, & resoluentia, quorum vsu quùm leniretur dolor, increuit deinde tumor Castaneæ paruæ magnitudine, durus, asper, liuidus, & cineritius. Iterum purgato per Epicrasin corpore euitari non potuit, quin octo mensium spatio in eam E molem excresceret, vt palmi longitudinem æquaret: & ita durities cum aliquali crassitie aucta est, vt verum cornu diceres, quod deinceps factum est durum, solidum, ac valdè densum. Huius extimam, & superficiariam partem aculei vestiebant durissimi, Tribulorum instar acuti. Medici curaturi in varias sunt dispersi sententias. Quidam purgato corpore, cornu amputandum rati sunt. Alij contrà, quùm plura incommòda subsequi possent, ob dolorem, commotionem, nouum ad partem humoris confluxum, ex quibus diræ inflammationes, maximè in præsentiâ humoris melancholici, oriri solent, quæ difficilem postea habent correctionem. Sed cùm maior medentium pars absciſſionem suaderet, à perito Chirurgo iuxta radicem præcisum est sine dolore, molestiâ, aut superueniente symptomate vllo, erátque compactum, ac benè firmum. Æger obseruatâ victûs ratione, & bis in anno purgatione celebratâ rectè valuit, biennióque integrâ poritus est sanitate. Ecce vno die intolerabilem dolorem, & punctiones validas in eodem calcaneo persensit, quæ Anodynis impositis ex toto remissæ. At cornu elapsis sex mensibus cum maiore duritie, & crassitie excreuit aculeis acutissimis circumseptum, quo tempore palmi & dimidij longitudinem superabat. Iterum accersiti Medici, qui ex priore curatione audaciores facti, illicò præcidendum imperárunt. Sed quo euentu, tene. Post incisionem in parte imâ celebratam cauerna relicta est (erat enim in parte infimâ cornu spongiosum, & valdè rarum) ex quâ ingens humoris nigri, ichorosi, & fœtidi copia emanabat assiduè, & adeò virulentus, & mordax, vt circumstantem carnem exederet. Quare ne ex his malis præsertim in parte extremâ, debili, decliui, & fluxionibus obnoxiâ, aliud sæuius repullularet, vt Gangræna, & cancrosum vlcus, quod parti, pedi, & toti corpori extremam ruinam concitaret, viscera esse roboranda, è quorum habituali intemperie, & debilitate, velut à primâ scaturigine fouebatur vlcus, suasi, rectè priùs expurgato corpore cum lactis caprini medicato sero, in quo per noctem medicamenta nigram bilem expurgantia madebant, vt Sena, Epithymum, Polypodium, Fumus terræ, & ex his medicamentis syrupi expur- C gantes sunt parati, tunc ad sudorifica ex radice Chinæ accessimus, citra vtilitatem vllam. Quare ad intercipiendum fluxum, & expurgandum humorem è supernis partibus confluentem, fontanellas in vtrâque parte aperiendas curauimus. Vnam in crure sano, quatuor digitis infra genu in externâ parte. Alteram in parte affectâ, octo digitis supra genu, seu in femore ipso, in parte internâ, ex quibus cùm corrupta sanies emanaret, bisque, & ter quolibet mense esset expurgatus, nec cornu iterum renatum est, & vlcus sponte cicatrice obductum. Lege elegantissimum Trincauellij Consilium 11. *lib. 1. consil. de vlceribus per tibiam, & summas partes grassantibus*, nam in eo pulchram doctrinam exhauries circa do- D cumenta, quæ in curandis vlceribus infernas partes infestantibus obseruari debent, quando ab humoribus mordacibus scaturiunt.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Dirus plantæ pedis dolor, cauterio curatus.

EX articulorum debilitate, & affluxu humoris, podagricos dolores tanquam à perenni fonte, oriri, vbique passim, veterum, & iuniorum clarissimi docuere. Sed à deleteriâ humoris maligni qualitate aliquando scaturire, est rarissimum. Illustrissimi cuiusdam Comitis Vxor, quinque annorum curriculo, dolore plantæ pedis sinistri, bis, & ter in die corripiebatur ita immani, ac sæuo, vt præ doloris vehementiâ in animi deliquium incurreret, exanimisque fieret. Hunc pertinacem dolorem, ex flatu crasso, cum pituitâ tenaci commixto, accedente partis debilitate, emanare, Medici celeberrimi sunt opinati. Nam febris erat nulla, aberant sitis, oris amaritudo, interna phlogosis, ardor viscerum internus. In plantâ, nec tumor, calor, durities, pruritúsve sentiebantur. Nulla erat Gallicæ luis suspicio. Menstrua recto ordine procedebant, & cùm esset in 37. anno constituta, quinquies fœliciter pepererat. Pro absumendo flatu, vacuando humore, roborandâ parte, plura, satis doctè, & ingenuè bienniò machinati sunt auxilia. Nam præter purgationes varias, crebrò repetitas, parti imposita sunt Anodyna. Imperatum est Balneum ex Musto,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 861 sur 927

Vinaceis, Vino, Arenâ, Sale, Tritico, Sulphure, & Iuniperino ligno. Oblatum ſerum lactis caprini. Hirudines parti dolenti, & aliquando præcedente ſcarificatione, admotæ. Demùm applicita varia Vnguenta, decocta, Emplaſtra. His cùm non cederet malum, & ipſa exilis, decolor, & ob vigilias aſſiduas, viribus penè exhauſta contabeſceret, iterum Medicos, & Chirurgos in conſilium vocat, in quo cùm eſſemus, ecce paroxyſmus doloroſicus eam inuaſit. Acceſſimus omnes, vt pulſum, aliquáſque ingruentis doloris notas penitiùs exploraremus. Illa repentè vociferari cœpit. Corpus irrequieto motu, pedem violenter, & temerè, huic illúcque iactabat, & diro dolore oppreſſa, caput miris inſultibus vibrabat, Epilepticam, aut à dæmone arreptam diceres. Durauit paroxyſmus horæ ferè dimidium, quo peracto, oborto vniuerſali ſudore ad mentem redibat. In acceſſione pulſus erat paruiſſimus, loquebatur, & in ratiocinando erat promptiſſima, quare Epileptici inſultûs nullum aderat ſignum. His in conſilio relatis, omnibus viſum eſt à malignâ humoris qualitate hanc immanem Hydram renaſci, quare hunc dolorem, fortiſſimis Alexipharmacis, ritu Gallici morbi eſſe debellandum, rati ſumus. Exhibentur ſudorifica, ex decocto Ebeni, & Smilacis Aſperæ ad multos dies. Imponitur in hunc vſum Vnguentum ex Mercurio ſuper affectam partem, immò Emplaſtrum Viperinum cùm triplicato Mercurio 15. dierum ſpatio admouetur. Pars dolens agglutinatâ priùs cucurbitulâ altioribus vulnuſculis ſcarificatur, vt vis veneni extrahatur foràs. Ad intercipiendam fluxionem fontanella aperitur quatuor digitis ſuper genu in parte domeſticâ. Offeruntur Cardiaca quæ virulenti humoris malitiam retundant. His celebratis morbus vehemen- A tiùs inſoleſcit. Iterum initum collegium. Maior medentium pars cauterium actuale dolenti loco affigendum ſibi perſuaſit. Sic factum. Poſt eſcharæ elapſum defluxit 20. diebus ſanies virulenta in copiâ multâ, & ægra ab omni dolore in poſterum leuata, quoniam venenatum virus ſoli ignis efficaciæ ſuccubuit.

Nec dubitandum: *Hæc enim preſidium contra virulenta eſt expeditiſſimum, cùm ignis cætera viribus præſtet, ſimul quòd virus domet, & ferri penitiùs non patiatur: ſimul quòd pars ignem experta, poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione*, vt eleganter edocuit Dioſcorides *lib.6.cap.36.* quod voluit Galen.2. *de Antid.* 11. *& lib.de Theriac. ad Piſon.*16. firmat Auic.6.4.*tract.*4.*cap.*9. Quare vſtio, ad venenatum humorem foràs extrahendum, efficaciſſimum eſt auxilium: Ignis facultas quauis aliâ eſt valentior, quapropter veneno potitur, illud domat, abſumit, & vaſtat. Nam, vt Cicero ſcripſit *lib.2. de natur. Deor. Hic noſter ignis, quem vſus vitæ requirit, confector eſt, & conſumptor omnium, idémque quocunque inuaſit, cuncta diſſipat, atque diſturbat.* cui Galenus *lib.*1. *ſimpl.*11. ſubſcripſit dicens: *Ignis vt qui omnium tenuiſſimus, ſimul & calidiſſimus, & in profundum facilè permeat, & comminuit, vincit, extenuat, atque tranſmutat, ac in ſuam denique naturam conuertit vndequaque ſcilicet contingens, & quod contigit, exuperans, &c.* Quo fit vt carnifex affectus, extremo ſolùm auxilio ſuccumbat: quoniam, vt ſcitè protulit Dioſcorides *loc. cit. ſatius multò fuerit, etiamſi in vanum recidat, medicamentorum inhumanos tolerare cruciatûs, quàm per inertiam, ac deſidiam in diſcrimen adduci.* Quoniam *ſi morbi ferro non miteſcunt, incurabiles ſunt*, iuxta ſenis oraculum *lib.*8. *Aphoriſm. text.* 8.

B

C

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 862 sur 927

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,

DE

PRAXI MEDICA ADMIRANDA,

LIBER TERTIVS.

De Febribus, & varijs affectibus.

OBSERVATIO I.

De Diariâ febri.

Ex potu nimio, Venere, Diariâ, & ex inſcitiâ Medici, mors ſequuta.

VINI magna eſt vis ad Venerem, quoniam parit libidines, & alios affectûs turbulentos excitat. Illius potum nimium Bigamus quidam vnâ nocte ingurgitans, ne veneris illecebris inescatus, in huius conflictu ſuccumberet, venereo ludo impensè indulſit. Ex his cauſis ſpiritûs excalfacti, & irrequieto motu agitati, febrim concitant. Me vocat. Diariam inuenio. Quieti, & ſomno ægrum committo, victu frigido, & roborante eum renutriens. Nocte increbuit febris citra vllum in venere delictum commiſſum. Diluculo alius Socius vocatur, qui licèt duodecim horæ tranſactæ non eſſent, ſolùm ob febrim, & ardorem internum, ſanguinem emittendum curat, vt monuit Auic. 1.4. *tract.* 2. *cap.* 42. *de febre Ephemerâ ex vino.* Affines me renuente ita faciunt. Sed cùm vino, alimento ſuperfluo, & copioſo, calor innatus eſſet obrutus, & ex venere multâ valdè minutus, extracto ſanguine, Palpitatione, Vertigine, & delirio tentatus, (hoc enim ex debilitate quandoque oriri teſtantur Hipp. 7. *aph.* 9. Fernelius 5. *pathol.* 2. Carterius *cap.* 7. *de loc. affect. diſpu.* 7.) me ex tempore nuncupat. Accurro. Iuſcula Caponis cum ſucco limonum propino, clyſteria reuellentia paro, cucurbitas ſiccas coſtis affigo, trementi cordi Epithemata applico. Tandem nihil proficientibus medicamentis, Syncope detentus, ſideratorum more extinctus eſt. *Caue ergò ne te decipiat impreſſio accidentalis*, dicebat Auic. 4. 1. *cap.* 2. *& caue ne poſt cœitum, maximè ſuperfluum, ſanguinem emittas*, dicebat idem auctor 4. 1. *cap.* 20. *prop. med.* Nam quadrageſies plus diſſoluit ſemen vacuatum ſanguine, eodem teſte *lib.* 3. *de animalib.* 3. ob multas cauſas, maximè ob corporis agitationem, æſtum, laborem, voluptatem, quæ proüt maior vel minor eſt, magis aut minùs vires eneruare poteſt.

OBSERVATIO II.

Ex varietate ciborum Diaria orta, fame curata.

DIuinus Plato *lib.* 3. *de Republicâ*, ſimplicem cibum, multiplici, & vario eſſe præferendum aſſeuerat ob multas cauſas expoſitas ab Hipp. *lib. de flatib. num.* 9. Plutarcho 4. *ſymp. quæſt.* 1. Diſario *apud Macrobium* 7. *Saturnal.* 4. Galeno *lib.* 1. *acut.* 18. nam varietas ciborum iucunda eſt, & ob hanc cauſam plus ingerimus, quàm concoquimus, & diuerſi cibi, repugnantes habent facultates, quæ ſtomachum, & naturam impensè perturbant: quare vnicum cibum edere, ſanitatis conſeruationi conueniens eſt, ex Galen. *lib. de priuator. victu, com.* 22. Auicen. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *in med.* Hanc viuendi legem non obſeruabat aulicus quidam, qui præpoſtero ordine victitans, carnes, & piſces, alimenta craſſa, & leuia, frigida, & calida citra delectum in eâdem mensâ ingurgitabat citra offenſam vllam. Quando vno die poſt prandium, de dolore capitis, Nauſeâ, Vomitu & gurgulatione ventris queri cœpit, quibus omnibus acceſſit febris ardentiſſima, quæ illum biduò macerauit, cum faſtidio coniuncta. Vocantur Medici, Hi in varias diſtracti ſunt claſſes; nam venæ ſectionem plures tenaciter ſuadebant: Curatus tamen eſt quiete, ſomno, vomitu, clyſtere, & diætâ, quibus omnibus imperatis, & incoctum cibum excreuit, & qui remanſit, ſomno, & victûs parcimoniâ eſt concoctus; nam *quod in corpore deterius eſt, eſt nutriens ſuper nutriens, quod non eſt digeſtum, mittere*, vt monuit Auincen. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *repetit.* 1. 4. *tractat.* 1. *cap.* 34.

OBSERVATIO III.

De Synocho imputri.

Puellus quadrimus, continenti imputri laborans, copioſâ phlebotomiâ leuatus.

IN pueris ante 14. annum vrgente morbo mittendum eſſe ſanguinem, certa res eſt, & ab omnibus apertè conceſſa: at ſecundùm Galen. mentem hoc eſſe celebrandum, latè, omnium nouiſſimus ex Veterum & priſcorum mente, *in com. hiſt.* 80. *lib.* 1. *de Medicor. Princip. Hiſtor.* comprobani. Acceſſimus tres Medici ad curandum puerum in quarto ætatis ſuæ anno conſtitutum, carnoſum, denſæ contexturæ, robuſtum, benè educatum, & in quo eminebant venæ ſanguine plenæ, quem ſitis vrgens, febris validiſſima, calor ad manum mordax, vrina rubra, rubor totius corporis, & phlegmonoſa laſſitudo comitabantur. Ex communi conſenſu præmiſſo clyſtere, eodem die, bis ſecta fuit vena, ex quâ ſanguis emanauit ſyncerus, & ruber. De tertiâ reclamant alij, & pro eâ, lenitiuum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 863 sur 927

nitiuum in tertio die propinandum contendunt. Sed quùm altiùs, in truncо corporis sanguis calidissimus lateret, velut in foco & minerâ coercitus, iterum sanguinem esse mittendum mihi persuasi: At puero ex grauante fortè copiâ in varias figuras se iactante, contra illorum votum, ita permittentibus parentibus, adhuc quinquies sanguinem exhausi purum, & nullâ labe fœdatum. Natura huius vacuationis ope, deonerata eo quo velut sarcinâ premebatur, residuum in septimo die humorem per sudorem criticè expulit, & puer præter omnium spem solâ phlebotomiæ ope, conualuit.

OBSERVATIO IV.

Qui ex debilitate extenuari videbatur, liberali sanguinis missione curatur.

VErsabamus nuper thesauros Galeni, pretiosis Regum gemmis anteponendos, ex iis veluti ex cellâ promâ, hæc conscripsimus, quibus Medicorum supellex instructior fiat. Et *in libro 6. epid. sect. 3. com. 29.* famatissimam historiam inuenimus nobilis Romanæ, quæ, licèt extenuatissima esset, solùm copiosâ phlebotomiâ, Medicis Romanis repugnantibus, à Galeno est curata, quùm ob menstruorum suppressionem malè haberet. Ad cuius mentem, aliam à se curatam hoc modo gloriatur Beniuenius, primæ notæ auctor *lib. de abdit. morbor. & sanat. causis cap. 44.* & opere ipso retulit Amatus *lib. 6. centur. 33.* & nos tantorum virorum voto edocti hoc exemplo obseruauimus. Quidam trigesimo ætatis anno constitutus, hirsutus, & niger, affectu Mirachiali diu corripitur, pro cuius curatione, Medici, varia, sed frustra machinati sunt auxilia, quoüsque temporis processu, excarnis, & velut tabefactus ad summam cum febri redactus est maciem. Illi ad reserandas obstructiones, Apozemata aperientia parant, serum lactis multiplici medicamentorum sylua præparatum, Cardiaca, Roborantia, & Chalybéata medicamenta propinant, quibus cùm nihil proficeret, me vocant. Huic cùm venæ turgerent nigro sanguine plenæ, primo accessu, ne copiosiori factâ vacuatione vires deiicerem, ad leuandam plenitudinem melancholicam, hirudines mariscis affigendas curo. Hac vacuatione celebratâ, cùm pulsus, qui antea erat pusillus, esset robustior factus, ter Basilicæ sectionem reiterandam iussi. Tunc pulsus firmior est factus, æger alacrior redditus, & detracto sanguine nigerrimo, qui purum alimentum antea vitiauerat, recreatis viribus à febri immunis, ad pristinam redactus est sanitatem. Ne ergo in præsentiâ sanguinis melancholici in mittendo sanguine sis auarus: nam hos pleniùs esse vacuandos monuit Galen. *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 10. quoniam sanguinem multum calidum habent, ex ipso *lib. 3. epid. sect. 3. com. 70.* Cuius mentem luculenter explicuit Hieronymus Nunnius Olysipponensis doctissimus *ad com. cit. cap. de sang. missione Galeni.*

OBSERVATIO V.

De Synocho putri.

Valdè annosus senex, ope phlebotomiæ, à febri euasit.

LIcèt in senibus, ob deiectas vires, exhaustúmque virium robur, sanguis cautè sit emittendus; tamen in robustis, vrgente affectu phlebotomiam esse celebrandam monuerunt prisci, explicat Galenus *lib. de curand. rat. per sang. mis. cap.* 13. quo loco in septuagenariis præsente pulsum vehementiâ, & æqualitate, robustarum virium signo minimè fallaci, sanguinem emittit: quùm *non annorum numero, sed uni virium robori, & corporis habitui sit attendendum.* Hoc celebri historia probat Valleriola *lib. 6. obseru. 7. & 10.* In hac ætate millies hoc auxilium pro curandis variis morborum generibus exercuisse recordor. In octogenariis multoties, in ætate 85. annorum septies, in nonagenariis bis solùm. Laborauerat senex quidam, de cuius ætate inter filios dubium erat, an annum nonagesimum excederet, febri sanguineâ cum putredine, & ex eâ duobus diebus malè habuit: nam lingua erat scabra, sicca, vrina ignea, sitis ingens, sæua Cephalalgia. Illius ætate perterriti Medici, clysteribus, & vacuantibus per sedem totum curationis negotium committunt, quibus cùm leuari non posset, esséтque in sexto morbi die, me vocat. Illum licèt in tanto senio constitutum, attamen validâ virtute, oculis viuidis, maxillis rubore suffusis, solido & benè compacto corpore cùm contemplor, licèt in sexto esset, sanguinem mittere volebam; nam nullo non tempore sanguis semper commodè emitti potest, ex Galen. 9. *meth. cap.* 5. & alibi passim. Verùm, ne ego *Occidisse, nisi seruatus esset, viderer*, vt ait Celsus *in præfat. suâ*, adstantibus periculum exposui. Illi meum lubenter amplectuntur votum. Quare ter ex interuallis sanguinem demo. Febris factâ euacuatione aliquantisper cessat. Sed cùm dolor capitis vehementer vrgeret, etsi Auicenna 4. 1. *cap.* 21. post sexaginta annos omnino non esse ventosas apponendas asseruerit, quoniam eæ sanguinem solùm subtilem educunt, qui in hac ætate rarò redundat; tamen scarificatas mediocriter cucurbitas, quæ ab scarificationibus leuibus, & profundis, quæ frigidum corpus valdè debilitant, æquè distant, 2. *ad Glauc. 7.* reuulsionis causâ scapulis applicui, quæ ita contulêre, vt leuato dolore, & remissâ febri, paucis applicitis, conaluerit.

OBSERVATIO VI.

Continens putrida, copiosissimâ sanguinis missione, curatur.

NOn cessant reprehendere Galenum Fernelius *consil.* 45. Augenius *tom. 1. epist. lib. 11. epist. vlt.* Christophorus Cachetus *in com. partic. 3. lib. 1. Aphor. quæst. 17.* quòd 9. *meth.* 4. æqualem fecerit euacuationem in vtroque iuuene, qui vtràque continenti laborabat; quùm contrarium esset exequendum: nam præsente putredine, & sanguis per putredinem abiit in Cacochymiam, & vires sunt minùs liberales. Nos qui Galeni abstrusa sensa rimamur, à sanguine vitioso, & corrupto sumendam esse indicationem ad sanguinis missionem asseueramus: Auicen. enim 4. 1. *cap.* 20. *in corporibus quæ prolixas perpessa sunt egritudines, à sanguinis missione cauendum monet, nisi sanguinis adsuerit corruptio, quæ te ad hoc perducat, quoniam tunc phlebotomabis ea.* Et Galen. 5. *meth.* 15. in Phthisi ob sanguinem vitiosum venam secat, quod facit *lib. 9. meth. 11. & lib. 11. cap. 15. & 2. Aph. 17. & in art. med.* 89. Tantorum virorum doctrinâ edoctus, vsque ad animi deliquium veluti, venæ sectionem exercui in Palæstritâ, & Athletâ quodam, quem cum intermittente pulsu ob grauantem copiam, tumore corporis, rubore venarum, febri validâ oppressum, multo sanguine plenum, oculis rubicundis, temporum immani dolore vexatum, quadratum, cum siti validâ, & tactu valdè mordaci, vrináque passeâ quum inuenirem, aufero de industriâ sanguinem quatuor librarum quantitate, putridum, & fœdarum labe dirâ. Eo extracto æger in animi deliquium incurrit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 864 sur 927

©BIUM

at fricatis cruribus, faciéque aquâ irroratâ ad ſe rediit. Hæc ſubitò facta euacuatio fuit momenti tanti, vt miteſceret febris, & ſic præparato, & expurgato corpore, ille qui in horas moriturus videbatur, ad vitam cum pulsûs æqualitate fuit redactus.

OBSERVATIO VII.

De febri Ardente.

Cauſus, gelidæ potu ad ſatietatem vſque, non præcedente coctione, curatur.

IN ardentibus febribus frigidæ potionem ad ſatietatem vſque præcedente coctione, & cæteris poſitis requiſitis, exhibendam eſſe, vnanimis priſcorum confirmauit opinio, vno ſolùm excepto Auerroë, Medico inter Arabes acutiſſimo, *qui lib.7.colliget, cap.* 8. quinque rationibus contendit hunc potum ante coctionem propinandum: nam, vt rectè admonuit Gal.10. *meth. cap.6. melius eſt phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominem in Hecticam febrim incurrere, &c. Quoniam febris quandoque tantæ eſt vehementiæ, & acuitatis, vt non liceat vti regimine cauſæ, immò neceſſe eſt vti infrigidatione multâ.* Ex Auic.1.4. *tract.2.cap.3.* Elapſis annis inuiſebamus iuuenem igne correptum, qui æſtate mediâ, calore ardentiſſimo oppreſſus, cum vrinâ paucâ, nigrâ, linguâ fuliginosâ, aridâ, aſperâ, voce clangosâ (hanc enim in cauſo fieri ob guttur valdè reſiccatum docuit Galenus *lib.* 7. *de vſu part. cap.* 14. *in fin.*) aluo duriſſimâ, ardore interno conflagrans, cum intenſiſſimâ ſiti, exuri videbatur. Hic cùm in tertio die eſſet, & humor eſſet indomitus, & crudiſſimus, gelidam vehementer expoſcit, ſiti clamosâ cruciatus, qui in varias figuras ſe iactans, veluti deſperatus à Medicis hunc copioſum hauſtum interdicentibus omnino derelinquitur. Hoc denegato, noctu inſciis miniſtris, vas arripit frigidiſſimâ plenum, ex quo quùm copiam ſatis multam vno hauſtu exhauriret, in lectum reuerſus, ſubitò obriguit, & pauco pòſt tempore, toto corpore madidus, à febri, & mortis periculo, concoctâ vrinâ tutus euaſit. Cæteris verò duriſſimis modis, quibus plures Auerrois dicta impugnant, faciles cunei imponi poſſunt. Lege Mercurialem *lib. de febribus, capit. de febri ardente.*

OBSERVATIO VIII.

Febris ardens, delirio curata.

PIſanæ Academiæ decus, Caſtrenſis Luſitanus, & inter claſſicos non poſtremæ notæ Medicus *lib.2. opuſculi, Quæ ex quibus, cap.9.* dum ſententiam illam Hipp.26. *lib.6. Aph.* explanat, *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur,* (quam omnes notham putant, & vel Galenus ſugillat in com. & eam Auicenna, Hippocraticæ doctrinæ addictus, alio modo explicat, 1. 4. *tract. 2. cap.*41.) aſſeuerat, per tremores, conuulſificos motûs eſſe intelligendos, ab humore acri, mordaci pronatos, qui in febribus, tempore criſis euenientes cum delirio febrim ſoluunt, ita vt tremor ſoluat febrim tranſmiſsâ materiâ à venis ad neruos, & delirium, ſoluat tremorem, & febrim, iſtud ſanè delirium, quod criſim antecedit: nam 2. *Aph.* 13. *Quibus criſis futura eſt, iis nox grauis ante acceſſionem.* Tunc enim formidanda accidunt ſymptomata, quæ latè recenſet 3. *criſ.* 2. 10. *& lib. de decretor. diebus.* quibus locis, delirium connumerat. Sic *à furore, difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum,* dicebat Hipp. 7. *Aph.* 5. Nam hic furor, mentis alienatio, ſeu delirium in criſi contingens, delirium ſanat. Galenus *enim in com.* ſic ait: *Quendam nouimus à furore mediocri, quo priùs detinebatur, fuiſſe liberatum: vnde ratiocinando perpendimus ex vehementi motu cauſarum efficientium furorem, ſolutionem fuiſſe ſubſequutam: quemadmodum in morbis acutis vehementiſſimi casûs ſolent aliquando bonas criſes operari.* Ex quibus patet furore ſolui, & hunc tremorem, & febrim iudicare, quod hoc exemplo fiet manifeſtum. Fœmina quædam cauſo oppreſſa, in quarto morbi die, conuulſiuos moûs ab humore mordicante, maligno pronatos paſſa eſt. Illicò ſuperueniente delirio, febris, & tremor ceſsârunt, ſed cum incoctâ vrinâ. Timui recidiuam, iuxta Senis edictum *lib.2. Aph.27. Iis quæ ſine ratione leuant, fidere non oportet, &c. Quæ enim ſine ſignis ſiniuntur, maligniùs retrocedunt,* ex Gal. 3. *criſ. cap.*2. & morbus debet finiri cum notabili abſceſſu, & præcedente coctione, quæ in ſtatu fit. Quare in ſexto, iterum rigore, & febri correpta, in ſeptimo ſuperueniente tremore, & delirio, liberata eſt cum vrinâ crudâ. Quamobrem in 11. 14. 17. & 20. eodem modo recidiuans, & ſemper ſequuto tremore, & delirio, ſoluta eſt febris. Tandem cocto iam humore in 24. in vltimâ, vt ſic dicam, criſi, præcedente tremore, delirium in criſi aduenies, ſoluit tremorem, & febrim, ſecundùm rationem causâ morbi ſolutâ.

OBSERVATIO IX.

De febri Purpurea.

Febris Purpurea, copioſâ venæ ſectione curatur.

QVærit Galenus Medicorum ſcientiſſimus, quâ ex causâ Hippocrates ſummo ingenio, ſummáque doctrinâ ornatus *lib.6. epid. ſect.1. ſent.29.* febres appellauerit valdè rubras, reſpondet illum eo loco ſolùm illas tractâſſe, quæ Medici, tactu, aut viſu percipiunt. Sic quando febris cum totius corporis rubore affligit, rubram, aut purpuream nominamus. Quæ ex ſententiâ Gal. *in com. inter Synochos numeratur, & venæ ſectione vſque ad animi deliquium ducente iuuatur, vt in voluminibus de arte curatrice didiciſti:* nam *lib.1. ad Glaucon. cap.* 13. ſic ait: *Sanguinem verò mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus rubor multò plus, quàm naturæ conueniat, & maior quàm pro conſuetudine totius corporis tumor, & venæ eminentes, atque extenſæ: his omnibus eſt auferendus, niſi vires, aut ætas, aut aliquid eorum, quæ ſuprà cõmemorauimus, prohibuerint, &c.* Nam *color ruber à ſanguine eſt,* ex Galen. 6. *epid. ſect.*5. *com.*14. *& in com. ſuprà.* Plures vidi in hanc febrem lapſos, quibus totum Eryſipelate veluti phlegmonoſo occupatur corpus, cum tumore, & venarum tenſione quadam, ita vt ſi digitum in cute impreſſeris, ſubterfugiente ſanguine caro alba remaneat; In quâ calidiſſimâ febre, à ſanguine tenui, & acri concitatâ, & ad naturam bilis tenuiſſimam accedente, nullum aliud præſtantius inueni remedium, quàm copioſiſſimè ſanguinem emittere: Hac celebratâ, omnibus propemodum, declinante morbo, cutis ab igneo calore exuſta eſt, & veluti ſpolium ſerpentis à corpore deciſa. Omnes tempeſtiuè, & copioſè venâ ſectâ, ferè euadunt.

OBSERVATIO X.

De febri Liuida.

Febris liuida, non ſemper lethalis.

FEbres liuidæ à colore ſanè & ipſæ nomen adeptæ, ſanguineum ſuccum deficere nunciant, & cum ipſo itidem ingenitum

©BIUM

ingenitum calidum: atque idcircò mortifera sunt, dicebat *lib.6. epid. sect.1. com.29.* Galenus. Si liuor ex hac secundâ causâ & ob ignis innati extinctionem, naturæque imbecillitatem summam eueniat, lethalis: Si verò ex affluxu, & miscellâ modicâ humoris melancholici cum sanguine contingat, interdum absceſſum, & spem salutis significat, ex Hippoc. *lib.2. prog.9.* Sic excreationes liuidas laudat *4. aphor. 47. si bene exeant*, hoc est excernantur cum conferentiâ, & coctione præuiâ. Signum enim est humorem nigrum, modicum, cum sanguine, & aliis humoribus permisceri, ex Galen. *2. prog.22.* qui per cutem, sputum, vrinam, aluum excerni potest cum vtilitate. Abhinc quindecim annis inuisi hominem, cui cum febri lentâ, totum corpus, pustulis liuidis, nigris tuberculis erat B conspurcatum. Aderat vrina, colore, & substantiâ laudabilis. Angustia multa, Vigilia, & animi defectus eum valdè cruciabant. Liuores in ambitu corporis in vndecimo die apparuêre. In 14. oculorum album liuore affectum, Vrina postea facta est nigra, quæ omnia ex conatu naturæ expellentis melancholicum succum eueniſſe, res est manifesta: nam postea ad oblata meliùs se habuit, symptomata sunt remissa, & in 27. die in vrina ad naturalem colorem mutata. Hic, Cardiacis, phlebotomiâ parcâ, hirudinibus ano affixis, lenibus clysteribus, scarificatis cucurbitulis, & clementium expurgantium vsu conualuit. In sententiis ergo prognosticis, licèt ex figurâ dictionis, liuidus color mortem denunciet; tamen *Lethale symptoma non ex necessitate, ac semper mortem affert, sed admodum crebrò*, ex Galen. *lib.5. aph.2. & lib.5. aph.58.* Legendus de morbo liuido Hippocrates *lib.2. de morbis, num.73.* Cuius mentem eius interpres doctissimus, Petrus Salius diligenter emedullat, & non siluit Clarissimus Duretus *lib.1. in Coac. Hippoc. in com. text.72.*

Potest etiam febris liuida vocari, quando ob obstructionem meatuum, qui à iecore tendunt ad lienem, sanguis ater, & niger, solitus à liene expurgari, interceptis viis regurgitat ad venas cum sanguine, & per vniuersum corporis habitum dispergitur, icterúmque nigrum concitat. Ab annis aliquot generosam, & inclytam Matronam quatuor Medici, docti D satis, & celebres pertractabant, quæ natiuâ sorte cùm esset candidissima, ex importunâ menstruorum suppressione, & lienis scirrhosâ obstructione in icterum nigrum adeò fœdum lapsa est, vt Æthiopem diceres. Quod malum cùm ex nimio farinæ semitostæ esu originem duceret, (vnde menstruorum suppressio, & obstructio emanabant,) quo, ipsa Malaciâ laborans impensè delectabatur, ideò ad auferendas obstructiones remedia parant. Sicque expurgatum sæpiùs corpus. Exhibita Apozemata deobstruentia. Serum lactis caprini exhibitum cum attenuantium medicamentorum syluâ præparatum. Oblatum ius Galli veteris, Rhabarbaro, corticibus radicum Tamarisci, & Capparum confectum. Potus erat aqua E cocta Eupatorio, & Absinthites vinum. Denique huic illustri fœminæ ad deobstruendum vterum, & lienem, arte, atque eruditione insignes viri, lapidem Belzaarticum, Conseruam radicis Scorzoneræ, Vinum Chalybeatum, & ipsum Chalybem in substantiâ, redactum in tabellas, & multas præsidiorum centurias conscripserunt. At peruicax malum, cum iugi febri affligens nullius industriæ cessit, quùm esset à pertinace, viscerib̃úsque contumaciter adhærescente obstructione pronatum. Tandem hoc Electuario, viginti dierum spatio, quantitate drachmarum duarum exhibito, superbibitis aquæ stillatitiæ ex floribus Marrubij, vnciis duabus, integrè sanata est. Cuius forma esto hæc.

℞. *Specierum Diacucurm. Dialaccæ, an.* ℥ j. *Trochiſcor. de Rhabarb. De Absinth. an.* ℥ ß. *Agarici Trochiſcat.* ℥ j. *Medul. Cartham.* ℥ ij. *Cortic. Radic. Rumic. Rubeæ, Sem. Dauci, an.* ℥ j. *Theriac.* ℥ ij. A

Cum syrupo de Eupatorio fiat Electuarium sec. art. Et licèt curato morbo, & ablatâ causâ facilè, & sponte suâ deformitas cutis euaneſcat: tamen in hac, ob humorem cuti tenaciter impactum, Balneo opus fuit, parato ex decocto Chamæmel. Absinth. Lupinor. Rumicis, Sulphuris, Nitri, Marrubij, Salis, & Amygdalar. Amarar. Cuius ope à tantâ fœditate immunis euasit.

OBSERVATIO XI.

De febri Alba.

Syrupus Magistralis de sero, & Chalybe, fœminis obstructis debilissimis, eximius.

DE febri albâ, quam alij pallidam, Virgineam, Amatoriam vocare solent, eiúsque causis, graphicè disceptat Langius *lib.1. epistol.21.* De curatione latè spatiatur Mercatus *lib.2. de morb. mulier. cap.6.* Nos hoc exemplo omnia in arctissimam redigemus summam. Virgo nobilissima postquam ex assiduo esu cretæ, testarum fictilium, menstruam pateretur retentionem, crurum, palpebrarum, faciei tumorem passa est. Aderat insolita mœstitia, cum timore, & C difficili respiratione coniuncta. Vrina erat tenuis, decolor. Arteriæ circa tempora pulsabant vehementer. Accessêre cibi fastidium, debilitas ventriculi, & ipsius subuersio assidua, cum nauseâ, & ructu coniuncta. Vultus, genarum, & labiorum color, ex roseo & purpureo in subalbidum mutatus. Febris erat continua, lenta, quam nec insuauitas tactus, aut cutis acrimonia comitabantur, ex vteri, Hepatis, & viscerum latente, & contumaci obstructione pronata. Vires erant imbelles, & languidæ, vt ne progredi quidem posset, & si ambulare conabatur, suspirio; & angore vexata, animo deficiebat. Corporis moles languescebat sensim, & Atrophiâ contabescens, Hecticam, aut hanc cum putrida coniunctam repræsentabat. In initio morbi à Medicis varia præscripta auxilia, quando copia erat maior, & vires magis liberales. Saphenarum sectio frequenter administrata. In partibus inferioribus internis scarificatæ cucurbitæ. Hirudines ano sæpiùs affixæ. Ad expurgandum humorem melancholicum retentum, purgationes iteratæ, Apozemata deobstruentia oblata. Fontanellæ in cruribus excitatæ. Imperata Cardiaca, crurum lauacra, insessûs, Vnguenta, quæ non solùm viscera roborarent, sed vnà deobstructis viis menstrua cierent. Tandem his diu celebratis, & Chalybe in substantiâ assumpto, triginta dierum spatio, nihil profecit. Affines quinque vocârunt Medicos, expertos, & doctos, omnes totum curationis cardinem, in remouendâ, E viscéribus pertinaciter adhærescente obstructione, versari, vnanimiter rati sunt. Quare primus in reiterando Chalybe insistit. Reclamat secundus: nam hoc metallum durissimum est, rude, ponderosum, & vt distribuatur, & penitissimas permeet partes, sumi debet cum valido exercitio: hoc enim excitat viscerum, & partium omnium calorem, & dilatat vias, quæ aperienti Chalybi iter parant. Exercitium vt prosit, debet esse validum, quod fœminas mutatâ respiratione sudare cogat. Sed cùm hæc sit debilis, extenuata, ad motum inepta, ad exercitium inhabilis est, & ad assumendum Chalybem, quod auxilium si tentetur, cum virium iactura multâ, ægram præcipitem dabit in necem. Quare sero lactis priùs chalybeato sæpè, & in quo Rhabarbarum per noctem madescat, diu vti, salubrius præ-

sidium

©BIUM

ſidium iudicauit. Tertius vtrique indicationi intentus, & virium robori, & obſtructioni, aquam Endiuiæ coctam priùs cum Rhabarbaro pro continuo potu conſuluit: nam, vt dicebat Gal. 8. *ſec. loc. cap.* 8. *Cichorium, frigidâ, ſubamarâ, moderatéque adſtringente facultate Hepatis intemperantijs calidis ſummè conuenit, cuius viſceris firmitudinem auget.* Quartus, ius extractum à pullis gallinaceis decoctis priùs cum aperientibus herbis imperauit: nam hoc auxilium connutrit, & deobſtruit. Vltimus extenuationem ſolùm reſpiciens, & ſiccitatis lapſum, quæ cum ſemel introducitur, ferè eſt immedicabilis, relictâ indicatione quæ ſumitur ab obſtructione, Balnea, & poſt hæc, lactis Aſinini potum prædixit, Tutius cum Gal. 10. *meth. cap.* 6. *obſtructiones in præſens augere, quàm ſinere fœminam in Hecticam febrem incurrere*, eſſe ratus.

Sed cùm indecorum ſit, & vulgo indocto odioſum, Medicos de eodem morbo conſulentes omnino eſſe diſcordes, licèt in eundem finem omnes colliment, idcircò quid parentes agant, hærent ancipites. Iterum conſultatio adhibita me præſente, & alio ſeniore Medico vocato. Hic pilulas ex Chalybe, cum Rhabarbaro, & lapide Belzaartico aſſumendas monet. Bonum ſanè conſilium, ſed cùm hoc remedium, ad actum in tenello debilíque ventriculo reduci non poſſit, niſi cum exercitio, & hoc, corpus ſquallidum, & excarne nimis debilitet, aliâ viâ incedendum eſſe palàm pronunciaui. Hunc ergo præſcripſi ſyrupum mirabilem, qui vnciarum quatuor quantitate, ieiuno ventre aſſumptus, exercitium non expoſtulat, & omnibus indicationibus mirè ſuccurrit, quo cùm 40. dierum ſpatio vteretur, menſtrua reſponderunt, pinguior eſt facta, roſeo colore ſuffuſa, febris euanuit, nupſit, concepit, peperit.

℞. Capil. Vener. Aſpleny, Eupatorij, an. M. j. Paſſul. ſine Acinis, p. ij. Aniſi, p. ij. Sem. Petroſelin. Sem. Fœnicul. an. ℥ ß. Cicer. Rubeor. ℥ j. Radic. Endiu. Petroſelin. Eringij, Graminis, Bugloſ. Scorzoneræ, Fœnicul. Ruſci, Aſparagi, Apij, an. ℥ 1. Sem. 4. frig. an. ℥ ß. Cortic. Radic. Capparum & Tamariſci, an. ℥ j. Radic. Rubeæ, Rumicis, an. ℥ j. Succi Pomor. redolent. ℥ iij. Lupulor. Fumar. an. M. j. Fol. Sen. ℥ ij. Flor. Cordial. ℥ iij. Polypod. Epith. an. ℥ ij. Cinnamom. ℥ ij. Hord. p. ij. Prunor. exacinator. num. xx.

Infunde per noctem in lib. viij. ſeri lactis caprini. Bulliant omnia lento igne ad medias. Colaturæ adde

Rhab. Elect. ℥ iij. Rhapontic. ℥ j. ß. Agarici Trochiſcat. ℥ ij.

Iterum factâ leuiſſimâ ebullitione, exprimantur. Tunc libra vna Chalybis præparati igniatur, & ſepties extinguatur in prædictâ colaturâ. Adde pulu. lapidis Belzaartici ligati, & infuſi per noctem ℥ ij. Colat. adde.

Syrup. Borrag. Syrup. Capil. vener. an. ℥ v. Syrup. Byzantin. ℥ ij. Syrup. Cichor. Nicolai cum duplo Rhab. Syrup. Endiu. Gentil. an. ℥ j. ß. Syrup. Fumar. Maioris, ℥ j. Theriac. Antiq. Mithridat. Confect. Hyacinthor. an. ℥ ij.

Cum Saccharo albiſſimo fiat ſec. art. iulapium, & aromatizetur cum ℥ iij. pulu. Diamarg. ſtig. Magna ergo eſt ſeri, ad obſtructiones, poteſtas & efficacia. De illius vſu inter tantos lege Garziam Lopium Luſitanum *lib. de variâ rei medicæ lectione cap.* 18. Claudinum *in appendice ad libros de ingreſſu ad infirmos ſect.* 9.

***

OBSERVATIO XII.

De febri Rheumatica.

Febris Rheumaticæ deſcriptio, & curatio abſoluta.

LIcèt Galenus medendi facundiâ clarus, de febre Rheumaticâ pluribus in locis meminerit: in eâ tamen deſcribendâ non ita pro more ſuo ſpatiatur, quùm hæc febris, quam *Catarrhalem* vocant, frequenter contingat. *Libro enim* 2. *de diff. febrium cap.* 11. in initio, de Rheumatico affectu verba faciens: *Hunc ex deſtillatione à capite ad inferiores partes, oculos, aures, tempora, labra, dentes, malas, palatum, Gingiuas, Gargareônа, pulmonem, fauces, ventriculum decumbente oriri aſſeuerat, quando nimirum cerebrum, vel aliquando caput aceruatam in ſe ſuperfluitatem ad partes inferiores expellit, qui affectus Rheumaticus à fluxionibus appellatur.* Et *in lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 8. ſic ait: *Quapropter partes inferiores omnium primæ excrementitiis morbis corripiuntur. Huiuſmodi quapiam ratione Rheumaticos vocatos affectûs prouenire ſcito, toto videlicet corpore infirmo, quæ vna eſt mali habitûs ſpecies, &c.* Et *in lib. 2. ad Glaucon. cap. 2. in fin.* ſic inquit: *Quæ verò ob materiæ influxum, ſiquidem benè temperata ſint, ſolam vacuationem deſiderant; ſi verò intemperata, euacuationem, atque vnà per contrarias qualitates expetunt alterationem, veluti quæ Rheumaticæ dicuntur diſpoſitiones, de quibus, vt noſti, vnum à nobis volumen eſt editum, in quo & hoc ſtatim ab initio oſtenſum eſt, quòd eâ quæ totum alit facultate debilitatâ huiuſmodi fiunt diſpoſitiones, cùm aceruata ſuperfluitas ad partes præcipuè deſluit imbecilles, &c.* Et *lib. 1. de compoſ. medic. ſec. gener. cap. 4. versùs fin.* contra rheumatiſmum faucium, oculorum, ſtomachi, & inteſtinorum plura proponit auxilia, *& cap.* 14. aduersùs Rheumaticum affectum, id eſt fluxionum vitia, varia deſcripſit medicamenta.

Fons, & origo mali cerebrum eſt, ab hac enim parte mandante humor defluit in partes infernas, in quas illud humoris pondere grauatum ſeſe exonerat; quæ autem ſint hæ, explicant luculenter Galenus *lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 4. & lib. 6. de ſanit. tuendâ cap. 9.* Fernelius *lib. 5. Pathолog. cap. 4.* Vidus Vidius *lib. 2. de curat. membr. cap.* 20. Cerebrum ergo ferè huius affectûs eſt cauſa, licèt etiam aliæ partes principes fomitem præſtare queant. Hoc manifeſtè edocuit Gal. cit. *de ſang. miſ. cap.* dum dicit: *Principibus verò partibus protrudentibus, grauari ſolitis, ſanguinem ad carnoſas cutis partes, potiſſimúmque glandulas excipiendis Rheumatis idoneas, &c.* Sita enim eſt huius affectûs Rheumatici natura in facto alicuius partis principis intemperamento, cuius occaſione cæteræ vtpotè infirmæ à robuſtis fluxionem ſuſceptant, & maximè à cerebro, quod ſedes eſt, & domicilium frigidi & glutinoſi ex Hipp. *lib. de carnib. num. 4. & eſt radix omnium morborum*, ex Hipp. *in epiſt. ad Demetrium num.* 40. Cùm enim ſit tectum domûs calidæ ex Gal. *lib. 9. de vſu part. cap.* 1. & veluti cucurbita corpori incumbat, ſítque cauum, & ſupernè ſitum, quùm ab alio fuerit calefactum, tenuiſſimam pituitam de corpore ad ſeipſum attrahit, vt *lib. 2. de morb.* Hippocrates docuit.

Ex cerebro in ſubiectas partes emanare omnis generis excrementa, oſtendunt plurima: illud enim cum omnibus noſtri corporis partibus per neruos, quorum eſt origo, mutuas operas exercet: quare ſicut ab eis promptè recipit, ſic illis tranſmittit. Hoc ſignificauit Galenus *cap. cit. lib. de ſang. miſſ.* cùm ſic inquit: *Porrò cerebrum plus excipiendo fluxui eſt habile: ceterùm hoc illi potius eſt, quod conſtructionem habeat reiiciendis*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 867 sur 927

©BIUM

reiciendis iis quæ accipit promptissimam: habet enim ingentes ventriculos qui pronis meatibus euacuantur, &c. Deinde, Cerebrum est molle, laxum, friabile, exangue, & ex spiritibus vitalibus animalium refectionem habens, & assiduâ operationum præstantium actione exhaustis animalibus spiritibus, ob tenuitatem resolutioni promptissimis flaccescit, & debilitatur, & sic exhaustum, mucosum succum progignit, quem vt onerosum in inferiores partes propellit. In hunc sensum dicebat Hipp. *lib. 4. de morb. num. 17. Caput, & splen maximè sunt morbis obnoxia, &c.* Insuper, Cerebrum ex figurâ, & situ, humores bilioſos ob eorum tenuitatem, pituitoſos ob similitudinem ad se rapit, quùm incalescit, vel dolet; maximè quùm ob magnam medullæ molem magnâ egeat alimenti copiâ, quam ob debilitatem cùm nequeat concoquere, eam vt superfluam à se repellit. Denique, si cerebrum glandularum substantiæ est persimile, & vapores, humiditatémque spongiæ instar ex toto corpore complectitur, & in se imbibit, eámque in caput, retrò aures, & per venas in spinalem medullam emittit, vnde innumeri morbi insurgunt, vt *lib. de glandulis, num. 6. 8. & 11.* Hipp. ait. cur ab hac parte Rheumatici affectûs non scaturient? in iis præsertim qui superuacuis excrementis abundant, otioſi sunt, inexercitati, pingues, crapulæ dediti, imbelles, in quibus mucosus humor, & lentus à cerebro, quod est mali fomes, & à quo distillatio irruit in Thoracem, Ceruicem, Scapulas, brachia, pulmones, dorsum, lumbos, coxendicem, crura, & in omnes denique articulos, de quo argumento sat Langius *lib. 2. epist. 53.*

Quare hic affectus Arthritidem, & morbum Gallicum æmulatur: verùm ab articulari dolore differt, quia in hoc affectu noctu præcipuè dolores ingraueſcunt; hic verò Rheumaticus affectus quùm artus occupat, quouis diei tempore inualescit. Gallicus dolor sensim, paulatímque ingruit; hic subitò, affatim, atque confertim. Deinde Gallicus semper habet comitem diuturnum capitis dolorem? Rheumaticus, rarò, aut leuem. Demùm Gallicus præterquam quòd noctu exacerbatur, accidit post venereos bubones, repercussos, vlcera penis, & alia symptomata, quæ luem veneream præcedere solent.

Causa huius affectûs aliquando est calida cerebri, Hepatis, venarúmque intemperies, quæ liquat, fundit, & humorem fluxiliorem reddit: interdum frigida, cuius vi excrementa deorsum exprimuntur, & cerebrum cùm sit frigidum, & humidum, 6. *Aphor.* 2. laxum, exangue, & debile, alimentum sibi demandatum nequit probè conficere. Distillationis materiam gignunt, & fouent intemperans, humidiórque victus, & capitis imbecillitas, intemperiéſque maximè frigidior, quæ omnium sunt causarum creberrimè, ac validissimæ. Frigidam intemperiem ostendunt excrementorum multitudo per os, & nasum, quæ minimè mordacia sunt, frigida præcessit victûs ratio. Ætas, tempus anni, regio, aëris constitutio Aquilonia, ac ægri temperamentum plurimùm iuuant: *Nam frigida cerebri intemperies cogens amplius, & comprimens, (velut manus spongiam aquâ imbutam) exprimit cerebrum ipsum, quo fit vt ad loca capite inferiora eius excrementa decidant*, vt docuit Galenus *lib. 3. aph. com. 12.* Licèt intellectus capere nequeat, quomodo cerebrum tantam frigiditatem viuente animali sustinere possit, vt partes præ congelatione condensatæ intra cranium expellant, quin totus calor extinguatur, aut grauiora cerebri damna eueniant: quare hæc expressio facta à frigore ab Hippoc. *in lib. de loc. in hom.* & Galeno prolata, valdè displicuit Mercato *lib. 2. de morb. intern. cap. 1.* Cuius tela contra Galen. ingenuè repulit Castrensis *lib. 4. de meteor. Microcosm. cap. 14.* Calidam intemperiem arguunt distillatio acris, & tenuis, quæ per os, narésque excurrit, facies rubescit, in naso adest pruritus, partes supra collum æstuant, & omnia adsunt quæ calorem atteſtantur, vt sitis, difficilis respiratio, tussis sicca, pertinax raucedo. Minores natu comitatur ferina tussis, quæ cum suffocationis, aut Epilepsiæ metu, aliquando stertore præuio subitò interficit. In adultis in initio adest febris Diaria, ex humoris motu, & succensis spiritibus excitata, qui tùm ob frigus condensans intus vniti conculcantur, & non ventilati incalescunt. Hæc febris ob vitioſa excrementa retenta, & putrefacta illicò in putridam commigrat. Demùm symptomata patiuntur continenti putridæ simillima intolerabili artuum dolore, & difficili motu correpti, qui morbus maximè Normannos, & eos qui regionem iuxta Sequanam flumen, incolunt, velut patrius, & vernaculus infestat.

Hæc catarrhalis, seu Rheumatica febris si minores natu diuexet, valdè periculoſa est: humor enim è capite confluens in spiritales partes, subitò eos suffocat, sæpè Epilepsiâ præcedente, ex cuius diris paroxysmis plures occumbunt. Adulti artuum dolore excarnificati vel pereunt, aut illorum diuturnos dolores perpessi sæpè in eorum incidunt resolutionem.

Infantibus in paroxysmo opitulandum hoc modo. Primò, lacte nutricis per debitam victûs rationem priùs correcto, & in sex rebus non naturalibus obseruato ordine, artûs fricandi, ligandi, cucurbitulæ natibus & scapulis admouendæ, & si fluxio sit calida, & vires constent, scarificandæ, clysteria reuellentia imperanda, hirudines marisci affigendæ, & si adsint conuulsiui motûs, exhibenda quæ à proprietate iuuant, vt syrupus de Pæoniâ, confectio Epileptica, cuius modum descripsimus suprà *lib. 1. obseruat. 25.* Theriaca Smaragdorum, & alia quæ propulsando Epileptico insultui à practicis vtiliter proponuntur. Super capis commissuram pulueres exiccantes inspergendi, vt Sandaracæ, Vernicis, Thuris, Mastichis, ex quibus cum puluere Rosarum, Mastic. Milij torrefacti: pileum capiti apponendum paro. Et si hæc non prosint, bimulis, & trimulis, cauterium actuale ad suturam coronalem, retrò aures, brachiis, & quod est vtilius, ad nucham affigo, cuius ope suffocationis paroxysmus mitigatur, & fluxione interceptâ, humoréque emanante, futuræ accessionis reuersio anteuertitur, de quorum vi mirabili pro hoc arcendo morbo pulchra notârunt Montanus *consil. 50.* Theodos. *epist. 45.* Iacchin. *9. ad Atmans. 14.* Mercur. *2. variar. 2. & alij.* Si fluxio sit calida, expectorantia incrassantia exhibemus, sicut si sit frigida, calida propinamus. Si Rheumaticus affectus adultos premat cum defluxionis suffocatiuæ vehementi impetu, & mortem repentinam minetur, eadem sunt peragenda: si verò febris adsit, & artuum dolores infestent, audacter secanda vena, & medicamenta purgantia exhibenda. Si tamen dolores adhuc vrgeant, monet Gal. *lib. de sang. miss. cap. 8.* vt roborentur infirmæ partes, sic enim ait: *Quibus ergò carnoso genere pulmo, lien, ac cerebrum natura robustiora sunt, in iis ad adenas, & carnes fluxiones perueniunt, vbi totus nimirum habitus infirmus fuerit, veluti in Rheumaticis affectibus accidere solet. Meritò ergo in his curandis scopus est, non euacuatio, sed corporis totius roboratio, quanquam tamen curationis initium illis à misso oriatur sanguine, si verò excrementa qualitate praua fuerint, purgationem adhibemus, &c.* Roborantur artûs Vnguentis, decoctis, velut in Arthritide facere consueuimus, quæ si non prosint, cauteriis priùs excitatis, commodissima sunt sudorifica ex radice Chinæ, & Smilace asperâ parata, quæ si declinante morbo, & remisso feruore imperentur, summo sunt ex vsu.

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 868 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO XIII.

De febri Puncticulari.

Febris punctícularis, cucurbitulis ſupra emunctoria ſcarificatis, ſolùm ſuccubuit.

FEbrem punctícularem à Galen. *lib. 5. meth. 12.* per exanthemata ſicca fuiſſe ſignificatam, & putaui, & puto. Eam agnouit Actuarius *lib. 1 meth. 23. §. Maculæ circa cutem exoriuntur, nonnullis rubræ, aut purpureæ, nonnullis nigræ emergunt, quales quotidie ex Pulicum, Cimicúmque morſibus apparent, &c.* Auic. 1. 4. *tract. 4. cap. 2.* de ſignis febris peſtilentis ſic ait: *Et quandoque accidit in eo Bothor ſubrubra, &c.* Bothor autem ex ipſo 7. 4. *tract. 3. cap. 5. eſt macula in cute apparens, quaſi punctum, ipſam non eleuans.* Iacobus *de partibus in com. illius loc. Auic.* has peſtiferas maculas deſcribit, quas non Culicum, ſed Pulicum morſibus eſſe ſimiles aſſeuerat, & hic author circiter trecentos annos ante nos vixit. Rixentur ergò Iuniores, qui hanc febrem recentiſſimam eſſe rentur, & ſolùm noſtro ſæculo deſcriptam. Hæc eſt continua, feruida, ardens, malè morigerata, venenoſa, & diris ſymptomatis inſignita, ex interno feruore, & prauâ humorum corruptione ſuborta. Hac febre torquebatur quidam, horrendis ſymptomatis affectus, animi deliquio, cordis palmo, pulſuum omnimodâ inæqualitate collectiuâ, vigil, delirus, faſtidioſus, & immorigerus. Huic oblata Alexiteria. Quintâ die expurgatio oblata mediocris, ſanguis emiſſus, cucurbitæ frequenter coſtis applicitæ, Epithemata, ſoporifera, extinctoria imperata. Tandem in 17. die comatoſus factus, præ debilitate, & ſæuitie veneni interni æſtuans, è lecto inquietus ſurgebat. Applicitis omnibus auxiliis in 20. leuari non potuit; tamen in inguinibus, & iuxta alas affixis cucurbitis ſcarificatis, remiſſa eſt febris, & paucis adhibitis omnino conualuit. Hoc enim auxilio ego ſoleo, quùm febris eſt laborioſa, & aliis non cedit, ad partes ignobiles maleficum ſuccum conuocare, ad quas natura ſæpè illum detrudere ſatagit cum vtilitate mirâ.

Quibus autem ſignis, hæ pulicares Maculæ, à Pulicum morſibus diſtinguantur, dubium eſt arduum, & à nullo, quem viderim, propoſitum, qui in aſperioribus huius morbi cluis explicandis indefeſsè inſudauit. Sæpè enim accidit, vt decipiantur vel periti Medici, dum ægros febri anxiosâ vexatos tractant Punctículis reſperſos, quæ aliquando non ab incendio, malitiáve internâ, vt illi falsò ſibi perſuadent, ſed ab immundo lecto Pulicibus ſcatente ortum ducunt. Nec dicas ex ſæuitie, & malitiâ ſymptomatum hoc cognoſci facilè poſſe, vt notant Argenter. *lib. de diff. morb. 16.* & Vallèſ. *lib. 4 meth. cap. 6. & lib. 6. epid. ſect. 2. com. 28.* qui morbum malignum dicunt, qui ſæuiora infert ſymptomata, quàm pro ratione propriæ eſſentiæ conueniat: nam punctícularia ſtigmata cum febri miti, & benignâ ſæpè apparent, & interdum citra febrim vllam, vt præter quotidianum experimentum, probat Marcel. Donatus *lib. 3. de Medicâ Hiſtor. Mirab. cap. vlt. in fin.* præſertim cùm hæc punctícularis febris non ſemper ſit maligna, nec ſæuis ſtipata ſymptomatis, nec venenoſa, ex mente Pet. Pauli Peredæ *lib. 2 in meth.* Ioan. Paſchal. *in ſchol. cap. 2.* & Ioan. Colle *lib. 1. de morb. contag. & malign. cap. 7.* Quare an hæ maculæ à causâ internâ, an à Pulicum morſibus oriantur, altiori indagine opus eſt. Tu altâ mente perpende. Ego hoc facili experimento vtor. Nam Pulicum morsûs, appoſitâ farinâ lupinorum cum Aceto, aut Oxymelite ſubactâ, ſtatim euaneſcunt. Peſtiferæ verò Maculæ, quùm à causâ internâ, eáque vehementi ortum ducant, at magis radicatâ ac fixâ, nequaquam. Inſuper, Color morsûs Pulicum, non eſt ſyncerè purpureus, ſed dilutus; Punctícularum verò color eſt merè ruber.

OBSERVATIO XIV.

De febri Culiculari.

Febris Culicularis, hirudinum ſuctu, curatur.

HVius febris idéam ſatis habemus deſcriptam apud Hippocr. *lib. 2. epid. ſect. 3. in init.* dum ſic dicit: *Fiebant autem in febribus æſtiuis circa ſeptimam, octauam, & nonam diem aſperitudines in cute Miliaceæ Culicum morſibus maximè ſimiles, non valdè pruriginoſa, &c.* Hæc etiam notat feruorem internum, & malignam ſignificat ſuccorum compurreſcentiam. Hac vexabatur piſcator quidam, qui poſt exercitium multum valdè obriguit. Reuerſus domum, febri ardente eſt concuſſus cum linguâ ſiccâ, nigrâ, ingente Cephalalgiâ. In octauo totum corpus puſtulis eſt refertum, ac ſi quis à Culicibus eſſet demorſus. In Papulis iſtis ingens aderat rubedo cum pruritu ſummo. Deinde veternoſus eſt factus, inquietus, delirus. Plenitudo depoſita phlebotomiâ, cucurbitis. Purgatio oblata. Sudorificum exhibitum ex aquâ Bugloſſæ calidâ, & ſcrupulis duobus veteris Theriacæ, cum granis ſeptem lapidis Belzaartici. His nihil ſudauit, immò habuit peiùs. Cùm verò in vndecimo eſſet, & humor rueret in cerebrum, & ille nec lenibus clyſteribus, purgatiunculis clementibus, aut cucurbitulis, alióve reuulſionis genere diuerti poſſet, ſolùm hirudinum ſuctu ſuper mariſcas, Coma remiſſum, febris decreuit, ceſsârunt anguſtiæ, & paucis applicitis in vigeſimo, ſanus eſt factus. Hæc enim animalcula ex profundo ſanguinem educunt ex Auicen. 4. 1. *cap. 22.* reuellunt à corde, & fæculentum, citra virium diſpendium ſanguinem, in quo magis radicatur venenum, promptiſſimè exhauriunt, ex Fernel. 2. *meth. 19. & aliis qui de hirudinum vi mirabili diligentiſſimè conſcripsêre.* Lege Mercat. *lib. de feb. maligna, tit. de Hirudinibus.* Vt verò tibi conſtet, quantoperè aberrent qui Culicularem febrim cum pulicari confundunt, vtriuſque animalis formam rimeris oportet. Nam inſecta notiſſima ſunt Pulices, qui nihil aliud eſſe videntur, niſi pelliculæ alieno furtiuo cruore, quod color etiam indicat, tumeſcentes: Culex verò eſt genus Muſcæ, valdè ſubtile, tenuiſſimis alis, paruâ aluo, prælongis cruribus conſtans, quod per æſtatem, tubâ ſuâ, ſeu fiſtulâ ſubtiliſſimâ & duriſſimâ, mirabili quadam naturæ affectione, corpora hominum olfaciens, ipſa pungit, tranſfigit, & carnem in tumorem eleuat, dolorem, & punctionem inferendo, dicitúrque Culex, quia aculeo ſuo ſonitum edens carnem lancinat, & ferit; quorum animalium effigiem *lib. de inſectis*, eleganter deſcripſit Aldrouandus, & poſtea delineârunt Ioannes Camara Buſthemantinus *in lib. de reptilibus Scripturæ ſacræ*, & nuper VVolfgangus Franzius *in lib. de ſacrâ Hiſtoriâ animalium part. 5. cap. 3.* qui de horum animalium notis peculiaribus diſertiſſimè, ex veterum, & Iuniorum mente diſſeruêre.

OBSERVATIO XV.

De febri Pemphigode.

Febris Ampulloſa, ſeu Bulloſa, Balneo curatur.

DE etymologiâ verbi Pemphigodes certant Recentiores, & adhuc ſub iudice lis eſt. Et licèt de nominibus non ſit contendendum: cùm tamen rerûm vocabula prauè intellecta, plurimis, præſertim in Medicinâ dubitandi anſam præſtiterint, & idcircò

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 869 sur 927

nominum inquisitio sit Medico necessaria, vt disertè Manardus *lib.2. epist.1.* satis confirmat, ideò, ego bullosam, seu ampullosam voco, in quâ totum corpus tuberculis effloreſcit, quæ ab ſpiritibus attenuatis, & excandeſcentibus, cum ſanguinis craſſi portione calidiſſimâ ad cutem tranſmiſsâ originem ducunt. Et ſiquid in tanto variarum opinionum portento circa hoc nomen *Pomphix* diuinare licet, hanc febrem comitari puſtulas illas, quæ à Græcis dicuntur *Ephanthiſmata*, mihi perſuadeo: ſic enim vocat Hipp. *lib.1. prorrhet. ſect.2. text.25.* & Celſus *lib.5. cap.28. de puſtular. generibus*, quo loco puſtulas dicit oriri vernis temporibus circa totum corpus, aſperas, modò rubentes, modò cutis colorem non excedentes, ſimiles illis quæ ex ſudore, vel ex vrticâ naſcuntur. Adde tu, quod repullulant in modum verberis in humano corpore remanentis, Hiſpani dicunt *Ronchas*, Luſitani *Bortoëia* vocant, priſci *Vibices* appellabant. His puſtulis cum febre ingenti affectus fuit quidam, cui ſanguis ter miſſus eſt; depoſitâ ſarcinâ, expurgatum corpus, refrigerantia adhibita. His celebratis remiſſa eſt febris, ſed Hepatis ardor ita increuit, vt de nouo, pruritu in cute concitato, vlcera renaſcerentur: quæ nec ſero lactis, nec ſaluatellæ ſectione, aliiſve applicitis præterquam Balneo ſuccubuêre. Sic *Simon cui latæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ per corpus eruperant, quùm calidâ lauabatur, iuuabatur*, apud Hipp.*6. epid. ſect. 2. text. 30.* Nam vt Galenus *ait in com. ſucci ad cutem vergentes per eam ſunt euacuandi: nam iterum ad intima corporis reuulſio ipſis valdè longinqua eſt, vt per aluum, aut vomitum vacuentur.*

OBSERVATIO XVI.

De febri Eſſeroſa.

Febris ſudaminoſa, nihil commune habet cum Variolis.

PVſtulas quas Græci *Epinyctidas* vocant, vt Celſus *lib.5. cap.28.* eas Arabes, *Eſſere, Sere*, vel *Saire* vocauêre, auctore Auic. 3. 4. *tract.1. cap.13.* Galenus 3. *Aph.21. Sudamina*, aut *Sudores* vocat, dicítque eſſe puſtulas in ſummâ corporis parte hærentes, quæ inſtar vlcerum, cutem exaſperant, fiúntque ob multos ſudores, vel biliоſiores, vel mordaciores, cutem mordentes, pruriginoſam reddentes, ac per modum vlcerum exaſperantes. Auicenna intimiùs explicuit. *Eſſere eſt puſtula parua, ſuperficialis, ſicut Veſica, & aliquantulum tendens ad rubedinem, & pruritum faciens, & anguſtiam, eueniens ſubitò, & accidit quandoque vt currat ab eâ humiditas, &c.* Vocati quatuor Medici ad curandos duos puerulos, quibus cum febre validâ, dolore totius corporis, & laſſitudine, vnâ nocte puſtulæ hæ in ſuperficie corporis affatim apparuerunt, & ita increuere, vt matutino tempore, pueri ſcalpentes eas diſrumperent, à quibus emanauit tenuiſſimus ichor. Quæſita origo mali. Omnes eſſe *Variolas* prædixêre, quas *inſanas* paſſim Vulgus appellat. Quare cubiculum obſerare iubent, pueros pannis rubris operire, & nullum auxilium præterquam frictiones in cute lenes celebrandas imperant. Demùm omnia miniſtrant, quæ in curatione Variolarum proficua eſſe ars edocuit. Poſt eorum diſceſſum pueruli febri calidiſſimâ detenti furiunt, exardeſcunt. Pruritu vexati per lectum inſiliunt, & nouâ materiâ ad cutem confluente, aliæ de nouo repullulant puſtulæ, aliis iam exiccatis. Denique quùm puelli in agône eſſent, præſentibus Medicis me vocant. Probaui neque eſſe variolas, neque ægros operiendos, immò eſſe puſtulas ex ichoroſo ſanguine, tempore æſtûs, in corporibus præſertim biliоſis ſubortas. Nam Variolæ non niſi poſt longum tempus ab ortu ſuo emittunt pus aut humiditatem. Subitò non fiunt, nec ſubitò ita accreſcunt: quæ omnia contrario modo obſeruantur in Eſſere. Deinde, in hac puſtulâ, & venæ ſectio in quolibet tempore morbi celebratur, & purgatio exhibetur, vt monuit Auic. In variolis ſolùm in principio phlebotomia conuenit, & purgatio non ita vtilis eſt, immò vt Arabes dixêre, in variolis oportet aluum eſſe adſtrictam. Illi euidentibus rationibus conuicti obſtupuêre. Ventilatum ergo eſt corpus ſanguine miſſo, iulapiis, Ptiſanâ, & leni ſolutiuo, vlcera ſponte ſiccata, & ſic puelli ſaniſſimè deinceps vixerunt. Tu verò in opere practico hanc Eſſere curationem benè obſerua, in cuius præſagio, & curatione non ſolùm ſecundæ, ſed primæ notæ Medicos miſerè deceptos ſæpè deprehendi.

OBSERVATIO XVII.

De febri Anxioſa.

Febris Anxioſa, purgatione curatur.

ANxioſa febris dicitur implacida, inquieta, laborioſa, 4. *acut.47.* in quâ, vt ait Galenus *lib.7. aph. 56. ægri accubitum non ferunt, ſed iacendi figuram euariant, quia ſemper præſens aggrauat eos. Sic Chartadi lethaliter habenti in lib.7. epid. num.9. iactatio multa, Anxietas, & ad dextera, & ad ſiniſtra tranſmouens ſeipſum, nullo tempore quieſcere poterat.* Hanc anxietudinem cum malitiâ coniunctam habebat quidam qui ob humorem turgentem, malignum, huc illúcque irrequieto modo, nunc pectus, ventrem, nunc præcordia vellicantem, febrem valdè malignam patiebatur cum anguſtiâ multâ: nam humor hic turgidus ægri quietem interturbat, cor pungit, quo concuſſo, totum animal commouetur, & anxiatur. Huic ægro præter Alexipharmaca, venæ ſectio adhibita: (Nam cum furente humore, multa ſanguinis portio erat in venis commixta.) Hac factâ, quùm cacochymia etiam iuxta ventriculum eſſet; quod à prauis mordebatur humoribus, ob quam cauſam oritur etiam anxietas ex Gal.1. *prorrhetic. ſect.2. com.* 44. & vomitus infeſtaret inanis. Idcircò attracto à primâ regione ad venas ichore, febris eſt exacerbata, quod timuit Auic.4.1. *cap.20. & caue ne ægrum ad cholericorum ebullitionem perducas.* Quamobrem lenibus clyſteribus pugnatum eſt, ſed cùm is humor in tunicis ventriculi immerſus non cederet, purgatione exhibitâ ſuccubuit. *Medicari ergo, in valde acutis ſi materia turget, eâdem die, tardare verò in talibus malum, priuſquàm robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas augeatur, vel ad aliquod principale membrum decumbant y qui per corpus vagantur humores*, dicebant Hipp. & Galen. *lib.4. aph. ſententiâ* 10. & vnanimiter interpretes approbant *in com.*

OBSERVATIO XVIII.

De febri Sudorifica.

Febris Elodes, vacuatione miteſcit.

DIcitur à Græcis febris *Elodes*, quaſi paluſtris, ſudans enim quaſi in palude immerſus videtur. Tripliciter fit, excretione, expreſſione, colliquatione. Hic vltimus modus reprobus: nam partium colliquationem ſignificat, in quâ claſſe ſudores ſyncopticos repono. Expreſſione, vt quando in magnis doloribus, ſpiritûs agitati incaleſcunt, qui tranſmiſſi ad cutem, & condenſati abeunt in ſudorem. Excretione, ferè ſudores emanant, optimi, boni, & morbum finientes.

finientes. In initio verò reprobi ex Galen. paſſim, præ- A ſertim 4. *aph.* 22. *nam tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſſibile* ob multas cauſas, latas *in lib.* 3. *epid. ſect.* 1. *com.* 5. *& lib.* 1 *eiuſd. ſect.* 2. *com.* 65. Nam ſiquæ tunc excernuntur, *decretoria ſunt, non decernentia, quæ aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicationis* apud Hipp. *lib.* 2. *epid. ſect.* 1. *in med.* Acceſſimus ad ægrum robuſtum febre vehementiſſimâ detentum, qui copioſiſſimo oborto ſudore, calido, vniuerſali, in ſecundo die morbi erat, cum æſtu, & incendio multo. Medici ſudorem promouere tentârunt, naturam imitantes. At perperam: cùm enim ſuccenderentur viſcera, & hæc acutiſſima febris, & pernicioſa, ex aliquâ internâ affectione profecta, grauaram, & irritataram à copiâ & humoris praua qualitate naturam, oborto copioſo ſudore, at- B tamen citra leuamen vllum, oſtenderet, ſanguinis miſſionem, ſalubrem eſſe prædixi. Reclamant ipſi, dicentes cum Gal. 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 30. Succos ad cutem vergentes per eam eſſe vacuandos, quare in ſudorificis exhibendis inſiſtunt. At quum peiùs haberet, affines in quarto ſectionem illis renuentibus admittunt. Quater in quarto, & quinto die ſanguis extractus, omni labe fœdatus. In ſexto purgatio adhibita. Quorum ope, natura leuata, regulato humore, & oborto ſudore morbum in ſeptimo finiuit. Lege Galen. *in com. cit. hiſtor. Simonis*, cuius ſententiam illi in ſui ſubſidium non rectè citabant. Sic enim ait: *Sed forſan me dicere putabis, nunquam purgatione per aluum in talibus vtendum. Ego verò non id dico:* C *nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia eſt, ijs vtiles eſſe purgationes dideriſti: priuſquàm ita redundantem materiam, aut venæ ſectione, aut purgatione quis eduxerit, ſi fouens, hoc eſt, calidis vtens ipſam diſcutere conetur, plus attrahet, quàm per cutem euacuabit*, &c. Quare hæ ſymptomaticæ euacuationes paruifaciendæ, quùm ſint casûs præter naturam earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum, vt *citatis locis* monuit Galenus.

OBSERVATIO XIX.

De febri Horrifica.

Febris Horripilatoria, continua, maligna, fallaciſſima.

EX qualibet putredine, rigores, horroréſve excitari, vbique tradidit Galenus. In ſuppurationibus rigores accidere fatetur ipſe 2. *prog.* 58. & 2. *Aph.* 47. ſic 2. *prog. cit.* malignis vlceribus, aut cuilibet putredinoſæ affectioni, rigere, & febricitare contingit. Nec verò humores ſolùm, ſed & vapores putridi, rigere faciunt, & horrere, ex Galen. 10. *Meth.* 4. Sic halitûs maligni, acres, mordaces, à materiâ venenosâ elati, partes neruoſas pungunt, lancinant, feriunt, quos vtpote à naturâ alienos, hæc expellere ſatagens, pugnam mouet, refugit, & contrahitur; hinc horror, & à fortiori causâ rigor. Quare ſæpè Medici acceſſionem horrificam putantes, in initio remedia prætermittunt, quùm hæc inordinata horripilatio à feruore, & putredine internâ profecta, etiam vigente febre affligens, illorum poſtea ignorantiam patefaciat, quo pacto huiuſmodi rigor in continuis accidens, humoris malitiam internam oſtendit, ideò auxilia in medio rigoris feruore adminiſtranda: Si enim ea prætermittas, ebullientibus ſuccis, venenatâ qualitate affectis, ægros, ſubortis venenoſis ſymptomatis certò perire eſt neceſſe. Sic multos mori vidi, quibus in initio morbi auxilia interdicta ob hanc cauſam, qui in augmento morbi, ſæuiente internâ putredine, & victo interno igne, occubuêre.

OBSERVATIO XX.

De febri Singultuoſa.

Febris ſingultuoſa, cucurbitulâ ſupra ventriculum ſcarificatâ, curatur.

FEbrem ſingultuoſam vocauit Galen. *lib.* 4. *acut.* 69. *quando per totum morbum ſimul cum febre ſingultus exacerbatur.* Eſtque ventriculi concuſſio, quâ tunicæ ipſius, id à quo pertinaciter moleſtantur, excutere laborant, ſitque vel à repletione, vel inanitione, conuulſionis inſtar, 6. *Aph.* 39. Materia igitur in ventriculi ore conſiſtens, acris, mordax, febrem excitat ſingultuoſam ob putredinem, & ſingultum ob irritationem. Hoc vexabatur quidam ita moleſto, ac continuo, vt nec edere, nec loqui quicquam poſſet: immò toto corpore algidus, frigido ſudore reſperſus, internâ tamen ſiti, cum febre lentâ oppreſſus, bilioſæ vomens, & toto ore Aphthis conſpurcatus, anxioſus, & inquietus animam efflare videbatur. Huic plurima pro virium tenore auxilia imperantur, quæ per ſedem inutilem vacuarent humorum copiam, & humoris bilioſi, & effrænis efficaciam, & pernicioſam vim refringerent. Poſt hæc, impoſita ventriculo toborantia, quibus non iuuantibus, Opiata obtulimus, à ſyrupo Papauerino, vſque ad ea quæ ex Opio componuntur, accedentes. Sed cùm omnia incaſſum eſſent celebrata, cucurbitulam maximam cum multâ flammâ ſupra regionem ventriculi imponere, & deinde ſcarificare iuſſi, quo auxilio celebrato, à tanto malo, mortis certæ prænuncio, immunis factus, paucis exequutis, à febre deinde liber euaſit. De febre ſingultuosâ lege elegantiſſimum Lupéum Cureleanum *lib.* 3. *Enchid. cap. de ſingultu.*

OBSERVATIO XXI.

De febri Laſſitudinaria.

Febris Laßitudinariæ, curatio.

MVltiplicem eſſe laſſitudinis ſpeciem docuit Ga- D lenus vbique. Earum cauſa varia, ſed manifeſta, quando à nimio labore excitatur. Tunc enim ſpiritûs incenduntur, attenuantur humores, & igneas fuligines cordi communicant. Ob exercitium validum incidit quidam in ardentem febrem, ob quam Medici multoties venam ſecandam imperârunt. Accitus Phlebotomiam renui. Refrigerantia obtuli, ſomnum, & quietem procuraui. His celebratis, febris ex toto remiſſa. Nam vt rectè Hippocrates ait, *lib.* 2. *de nat. human. text.* 1. *Morbos quos fecit labor, curat quies, & eorum contrarietas.*

OBSERVATIO XXII.

De febri Syncopali minuta.

E *Febris Syncopalis minuta, Tamarindorum beneficio, curata.*

GAlenus *in Meth. lib.* 12. *cap.* 4. Syncopen proponit, quæ ex flauâ bile ventriculum infeſtante ortum ducit, quam Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 54. febrem ſyncopalem minutam, ſubtilem nuncupauit, *& cap.* 57. curationem abſoluit. Syncope licèt ab innumeris cauſis oriri poſſit, quas Galen. *lib.* 1. *ad Glauc.* 14. expendit, minuta tamen, ex humore bilioſo, acri, ad os ventriculi confluente emanare ſolet, quod cùm admodum ſenſile ſit, ſtatim languet, & ob noxam illius ſuperuenit ſyncope, compatiente corde. Bilioſâ febri correptus eſt iuuenis, cum ſiti, oris amaritudine,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 871 sur 927

nauseâ, & bilioso vomitu coniunctâ, ob quas causas facilè in syncopen incidebat. Exhibiti clysteres refrigerantes. Purgantia clementia oblata. Apposita ventriculo roborantia Emplastra, & præsertim offa panis intincta succo Omphacij, Limonis, superaspersis Cardiacis pulueribus. Iulapia ad reprimendam bilis acrimoniam efficacia in potum imperata. Viscera Epithematis refrigerantibus roborata. Sed cùm nulla proficerent, Aquam decoctam cum Tamarindis bibendam impero, & eorum pulpam cum Saccharo in bolos redactam offero, ex quâ, cum refrigerantibus decoctis commixtâ, Clysteria ex interuallis immitto: His decem dierum spatio celebratis, febris est remissa, sitis euanuit, cessauit nausea, abiit vomitus, & euacuato humore bilioso per aluum, attemperatísque viscеribus, à syncope est factus immunis, qui squallidus, & veluti tabidus erat morti propinquus. Magna ergo est ad incendiosas febres Tamarindorum vis, & ab Arabibus tantoperè celebrata.

OBSERVATIO XXIII.

De Febri Syncopali humorosa.

Febris Syncopalis humorosa, mulsæ ope curata.

COnqueruntur de Galeno Medici, & maximè Trallianus *lib.12. cap.3.* Auerroës *lib.7. collig.2.* Rhasis *16. continent.cap.2.* quòd *12. Meth.c.3.* in febri Syncopali humorosâ nullo modo sanguinem emittat, sed totam curationis spem reponat in frictione, cuius ope crudi succi coquuntur. Sed perperam Galenum carpunt, & damnant: nam ipse cum Tralliano in humore semicrudo, vel crudo, cum præsentiâ sangninis, venæ sectionem non semel exercuit *lib. 4. de sanit.tuend.cap.4.§. Vbi paululum, vel citra sanguinem restitum, vel vltra processium,* &c. *& lib. de curand. rat. per sang. miss. cap.* 12. Si verò humor extremè est crudus, ab eâ abstinet, quia non adest virium robur: nam *eodem lib.cap.10. in copiâ succorum crudorum vires adesse non possunt*, quoniam cùm receptaculum pituitæ sit os stomachi, sæpè illius iungitur læsio, ob quam ob cordis viciniam sequitur syncope: nam à pituitâ putrescente halitûs eleuantur, qui innatum cordis ignem impensè exoluunt: & frigiditas pituitæ est valdè naturæ aduersa, & cùm copiâ suâ in vasis abundet, mole, crassitie, & lentore obstruit, prohibet accessum sanguinis ad membra, & impedit transpirationem, quâ denegatâ ignis internus marcessit, & perit: quare si sanguis emittatur in huius extremè crudi succi præsentiâ, ad frigidiorum cruditatem æger deducitur, quod tantopere timuit Auicen. 4.1. *cap.* 20. Hanc veram Galeni methodum respuebat olim Medicus quidam, qui pro curatione huius febris illicò venæ sectionem celebrandam imperabat: Sed ego accitus illam omnino interdixi: nam humor lentus, frigidus, crassus, pituitosus occupabat os ventriculi, vnde cruditates, obstructiones, putredines, & ex copiâ humoris pituitosi calor naturalis erat minutus valdè: quare, vt Fernelius *ait lib.2. de ven.sect.cap.4. pituitosa plenitudo minimè postulat venæ sectionem: quam enim impensè frigida sit, sanguinis missionem auersatur, quæ magis cruditatem refrigerans ita conduplicat, vix vt vnquam concoqui, emendarique possit.* Æger ergo præter Diætam, frictiones, calefactionem extremorum, ligaturas, cucurbitulas cum multâ flammâ, roborantia ventriculo imposita, somnum, & quietem, interdictam phlebotomiam, mulsæ vsu curatus est: huius enim ope crassi succi coquuntur, abstergunturque, & vacuantur: nam non adstringit, densat, exasperat, cùm non sit mordax, aut acris, immò meatûs aperit, flatûs dissipat, crudum humorem coquit, & in sanguinem vertit, & frigidis neruosarum partium morbis remedio est. Huius beneficio *lib. cit. Meth.* curat Syncopalem humorosam ortam ex succis crudis, in quâ Hipp. *4. acut. 47.* Oxymel propinat, quoniam est optimum iis qui crassis, viscosisque humoribus molestantur.

OBSERVATIO XXIV.

De febri Colliquante.

Febris colliquans, lactis Chalibéati potu curatur.

IN monumentis Hippocratis legimus *lib. 4. acut. text. 41. Si venter liquidus sit, & colliquans, sorbitiones frigidiores, crassioréque exhibendas esse, potúsque qui sistant.* In malis erat iuuenis quidam qui ob ardorem viscerum nimium, & adustionem humoris, febrem patiebatur cum extenuatione & liquidâ aluo coniunctam, quam colliquantem appellare Medici consueuerunt: nam excernebat biliosa, syncera, spumosa, pinguia, fœtida. Aderant cibi fastidium, incoctio alimenti, febris tenuis, vigilia, sitis. Ad hunc duo Medici accedentes, consulunt attemperantes clysteres, abstergentes, sistentes. Cùm verò internæ partes flagrarent incendio, illas ceratis, & Epithematis roborant. Cui veluti tabido, & valdè excarni, ob fluxum, febrim, maciem, lac Chalybéatum eorum vnus consuluit, renuente alio: nam si hic pernicio sissimus humor cum fœtore insigni cohibeatur, horrenda symptomata, & mortem inferet. Si autem Hipp. *lib. 4. cit.* sistentia propinat; hoc præceptum non esse magni Hipp. asseuerat. At hic cùm ignoraret quanto interuallo distent sistentia quæ Hipp. exhibuit, ab adstringentibus, meritò ad libitum doctrinam Hippoc. sic peierare ausus est: nam hæc *4. simpl. 78.* incrassant, adstringunt, contrahunt, meatûs densant, repellunt, partésque distantes colligunt, vinciunt, *4. sec. loc. 5.* & Mesuë *in canonib. theoremat. 1.* Sistentia verò dicuntur, quæ tam adstringendo, quàm attemperando, motûs humorum firmant, ac cohibent. His dictis Medicus obmutuit. Lac propinatur. Sed quoniam hoc, in corpore impuro oblatum, cacochymiam auget, exhibetur Ptisana ex Hordeo priùs tosto parata, adiecto succo Plantaginis, aut Rosarum. Expurgatur corpus Myrobalanis citrinis, & torrefacto Rhabarbaro, deinde aquâ Rosaceâ lotis: nam hæc medicamenta leniter deüsta, miram propemodum obtinent vim in roborando, & retinendo fluxu: renuant licèt Rondeletius & Hollerius *cap. de alui fluxu*, Amatus *2. centur. 44.* Quare maiori parte cacochymiæ vacuatâ, ex præscripto Galen. *2. simpl. 12.* ad lac Chalybéatum accessimus cum vtilitate summâ: nam eius ope internæ partes sunt attemperatæ, nutritum corpus, febris euanuit, restrictus fluxus: quod auxilium inter præstantissima, Epicerastica præsidia, seu temperantia succorum acrimoniam, non modò vt serium, sed necessarium approbauit multis in locis prisca vetustas.

OBSERVATIO XXV.

De febri Leipyria..

Leipyria vera ex ventriculi inflammatione orta, cucurbitulâ supra partem affectam scarificatâ, curatur.

LEipyriam Græcorum ad fortes subsequi internarum partium inflammationes, testatur non semel Galenus; & præsertim *lib. 4. aph. 48. Cùm enim fortis inflammationis calor ita vehemens fuerit, vt ad se trahat modo cucurbitulæ ex toto corpore sanguinem, ijs qui ita*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 872 sur 927

©BIUM

ita ſe habent, viſcera peruruntur, extremæ autem partes frigeſcunt, propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis, eorum plerique ne tegumenta quidem tolerant propter incendium, quod in viſcere ſentiunt, &c. idem aſſeuerat *lib.7.aph.1.* & *4.aph.16.* Sic ad Hepatis inflammationem Leipyria ſequitur 4. *de loc. affect. 8.* & *lib. 5. eiuſd.7.* & ad pulmonis phlegmonen 2. *de loc. 2.* & 4. *eiuſd. 4.* & ad ventriculi inflammatoriam diſpoſitionem 4. *acut. 1.* & *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 73.* & *lib. 2. criſ. 7.* & 2. *prog. 4.* & *lib. de inæqual. intemp. cap. 8.* (Num autem poſſint internæ partes extimis calentibus frigefieri, reſpondent affirmatiuè Hipp. *6. epid. ſect. 4. text. 30.* Auicen. 2. 4. *tract. 1. cap. 43.* & 48.) Hanc internam inflammationem in ventriculo patiebatur robuſtus quidam miles, qui ex potu generoſi vini, ſpiritûs, & humores inflammantis, adeò vehementi dolore in regione ventriculi cruciabatur, cum vomitu bilioſo, linguâ aſperâ, ſiccâ, ſcabrâ, nigrâ, pulſu duro, & totius corporis algore, vt ſyncope correptus in horas moriturus videretur. Exhibita frigida, Cardiaca, ſanguis emiſſus, clyſteres lenes imperati, Anodyna applicita, cucurbitulæ ſcarificatæ infra coſtas admotæ, hirudines ano, & ventriculi regioni affixæ, quarum vi multus exhauſtus eſt ſanguis. Sed cùm his omnibus malum non cederet, ſed ob conſenſum cum cerebro, eleuatis vaporibus putridis Paraphrenitide æger tentaretur: Tunc diuerſiones parantur per crurum frictiones, vincula, ligaturas, acriores clyſteres. At cùm malum ferociùs inualeſceret, ad reſolutionem humoris in parte affectâ contenti, cucurbitulam magnam cum multâ flammâ ventriculo impono, eámque mediocriter ſcarifico. Hoc præſidio leuatus eſt dolor, febris remiſſa, euanuit delirium, & omnino ſublato dolore, in declinatione expurgatus conualuit. Nec mireris ad tantum auxilium nos confugiſſe: nam præterquam quòd corpus iam erat exquiſitiſſimè vacuatum, & metus non erat de attractione humoris ad partem, ſupra cor, membrum princeps etiam cucurbitulam imponit Galen. *lib. de remed. facilè parabilibus, cap. 6.* & ſupra Hepar *lib. 13. meth. cap. 19.* & *lib. 11. eiuſd. cap. 17.* Approbant Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 68.* Auicen. 10. 3. *tractat. 5. cap. 2.* Raſis 9. *ad Almanſ. cap. 117.* quibus locis, in pleuritide, aliiſque inflammationibus internis, vacuato corpore, ad hoc præſidium tanquam ad ſacram Anchoram confugiunt; quod ego ſæpiſſimè cæteris priùs factis vniuerſalibus præſidiis, in internarum partium inflammatione fœliciter ſum expertus.

OBSERVATIO XXVI.

De febri Epiala.

Ad febrim Epialam, optimum auxilium.

GAlenus *lib. 2. feb. 6.* & *lib. de inæquali intemper. 11.* apertè fatetur *Epialam dici, cùm ægroti ſimul febricitant, & rigent, & vtrunque ſentiunt eodem tempore in quauis corporis parte.* Huius cauſam, eſſe pituitam craſſam, cuiuſmodi eſt vitrea, & amaram bilem, ibi conteſtatur: nam ſi frigidus ſuccus, & calidus abundent, & per ſenſibilia corpora moueantur, nihil mirum ſi vtrumque, hoc eſt frigus & calor ſentiantur. Sed cùm in hac febre adſit pituita vitrea mediocriter putrefacta, ratione cuius putridi vapores calorem accendunt, crudi verò, & imputres frigiditatem inducunt: vel ab hac ſimul cum flauâ bile hæc febris oriatur, inſtar tertianæ nothæ, curanda eſt. Laborabat homo quidam diues hac febre, & longo tempore adhibitis plurimis auxiliis conualeſcere non potuit, quæ frequenter in curatione tertianæ ſpuriæ auctores celebranda docent. Tandem cùm nihil proficeret, auxilium hoc generoſum conſulo, cuius ope, cocto humore, & vacuato corpore, in productis febribus citra viſceris inflammationem fœliciter ſæpè vſus ſum, & eſt decoctum Chamæmeli calidum cum Saccharo, cuius vnciæ quinque, aut ſex ſingulis diebus, ieiuno ventre poſſunt concedi. Exhibe in hunc modum.

℞. *Flor. Chamæmel. p. iij. Comar. Abſinth. Pontic. p. ij.*

Coque in lib. iij. aq. ad permanentiam lib. j. ß. cola, adde

Sacchari, ℥ *iiij.*

Hoc auxilium præſtantiſſimum eſt, nam auctore Galen. 3. *ſimpl. cap. 10.* eſt moderatè calidum, tenſa remittit, laxat, dura mediocriter emollit, conſtipata rarefacit, febres ſanat, humores diſcutit & reſoluit, & vt Auicen. *ait lib. 2. cap. 121.* aperit, ſubtilizat, abſque attractione vllâ, in quem vſum etiam conferre ait Dioſcorides *lib. 3. cap. 131.* cuius mentem inter omnes interpretes explanat Ioannes Antonius Saracenus. Hæc potio ſi faſtidio ſit, eius vice aqua ex ipsâ herbâ cum flore per balneum Mariæ vocatum elicita, bibatur, vt inter omnes eleganter aduertit Manard. 19. *epiſt. 4.* Lege de vi Chamæmeli, quod antiqui febrifugam dixerunt, Iacchinum *lib. de feb. cap. 39.*

OBSERVATIO XXVII.

De Tertiana exquiſita.

Ad Tertianam exquiſitam, auxilium peregrinum.

QVidam Mercator per totum menſem tertianâ exquiſitâ ſæpè vexatus, quæ ex Hepatis excandeſcentiâ biléque feruidâ emanabat, multis tentatis, ſolo ſero lactis conualuit. Deinde poſt quatuor menſes accedente tertianâ totum corpus vlceribus conſpurcatur, cum intensâ prurigine, ſiti vehementi, labiorum ſciſſuris, & phlogoſi internâ. Reiterato ſero, expurgato priùs corpore, ſanguine miſſo, refrigerantibus exhibitis, applicito Balneo leuari haud potuit, quin eâdem febre ex interuallis tentaretur. Sed cùm à Pernambuquo oriundus eſſet, & trienniò citra opem vllam leuari non poſſet, ſtatuit in patriam tranſmigrare iuxta Senis oraculum *lib. 6. epid. ſect. 5. text. 20. Patrium ſolum vertere in morbis longis conuenit.* Sic enim Copus legit. Accedens ad Braſilienſes oras, in villam, nemúſque ſe recipiens, quo loco variarum frugum, herbarum, plantarum mirifico odore recreatus, multiplicium fructuum, quæ ibi ſine vllâ culturâ proueniunt, ſapore dulciſſimo, & gratiſſimo refectus, & aëris temperie, ſalubritatéque reuiuiſcens meliùs habuit, minùs quàm antea, vlceribus, febri, & prurigine tactus. Tandem hoc vſus fructu, proſperam obtinuit ſanitatem, cuius vera eſt hiſtoria hæc. In toto Braſilienſi tractu, iuxta ciuitatem vocatam Pernambuquo, præſertim vbi terra fluuiorum curſu, & fontium ſalebris eſt irrigua, inuenitur arbor quædam quæ vitis viniferæ inſtar è terra in altum repullulat, & foliis Hederâ maioribus ita excreſcit, vt ſub eius vmbrâ plures homines Solis ardorem effugere poſſint. E virgulto germinat fructus, qui Braſilienſi idiomate vocatur *Maracujao Haſu.* Hic cùm maturus eſt, oui gallinacei magnitudinem ſuperat, in ſuperficie læuis, colorem habens viridem ſubobſcurum, Nucum iuglandium viridium colori perſimilem. Per medium ſectus, in centro habet mucoſum humorem, acidum, odorum, nucleis paruulis intertextum, qui dentibus facilè frangi poteſt. Cortex mollis eſt, & cucurbitæ, aut citri modo Saccharo condîtur. Mucilago intus reperta ieiuno ventriculo ſumitur Saccharo irrorata. Huius, ſicut & corticis ad viſcerum ardorem compeſcendum, demulcendum febrilem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 873 sur 927

æstum, tanta est vis, vt nullum hoc Antidoto excellentius, & huic vsui commodius possit inueniri auxilium: nam mirâ quadam proprietate, & aciditate suâ putredini resistit, contagiosis, malignísque febribus auxiliatur, cor roborat, iecur igneum attemperat, refrigerat renes, genitalium partium phlogosim compescit, & sic furori vterino miro est ex vsu, cutaneis affectibus auxiliatur, & ad sterilitatem præ calore est efficacissimum, & cùm in tantâ copiâ, in eo terræ tractu, ob soli, cœlíque temperiem, sponte suâ germinet hic fructus, ex eius mucilagine cum Saccharo syrupus potest parari ad incendiosas febres mirabilis.

OBSERVATIO XXVIII.

Annosus senex, tertianâ exquisitâ correptus, victu curatur.

SEnibus parum adsunt febres causodes, & quum accidunt eis, pereunt, quoniam non sunt in eis nisi à causa valdè forti; amplius eorum virtutes sunt debiles, dicebat Arabum princeps 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 41. Accepit ab Hipp. 1. *aph.* 14. *Hanc ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum est corpus, &c. Quare si quando rarenter talis his accidit febris, qualis iuuenibus, hæc ad interitum ægrotantis terminatur: indicio enim est immensam quandam esse causæ febrim facientis magnitudinem*, auctore Galeno *in com.* Octogenarius ardente Cane, tertianâ exquisitâ opprimitur. Inuadebat accessio cum rigore valido, pulsus in principio accessionis erat tardus, paruus, rarus, debilis, in incremento magnus, celer, frequens. Vrina erat subflaua. Aderat bilioſus vomitus in accessionis initio, sitis erat intensa. Omnia, oborto in declinatione febris sudore vniuersali, cessabant, quæ de tertio in tertium illum fatigabant. Pro curatione nihil præter frigidum, & humidum victum illi instituí: nam morbus suapte naturâ breuissimus, securissimus ex Hipp. 1. *epid. sect.* 3. *text.* 8. & 4. *aph.* 59. & 1.4. *tract.* 2. *cap.* 4. & periculo vacat 4. *aph.* 43. Quare licèt robustus hic esset: cùm tamen morbus ex se facilis, neminem iugulet, magno auxilio opus non fuit: nam seni febricitanti necesse est exhibere quæ morbo auxilientur, virtutem roborent: quoniam, vt scitè monebat Galenus 2. *acut.* 11. *melius est virtutem non exoluere, quàm sanguinem vacuare redundantem*, & eloquenter notârunt *Conciliator ex Auerroë differen.* 173. *Cardanus* 2. *cont. tract.* 5. *cont.* 18. Legenda historia Tralliani *lib.* 12. *cap.* 6. senis exquisitâ tertianâ laborantis, qui frigido, & humido victu, contra aliorum votum, conualuit.

OBSERVATIO XXIX.

De Tertiana notha.

Tertiana notha annis triginta perdurans.

ACutissimus Gentilis proponit *in extrauagantibus quæst.* 14. dubium quoddam illustre, quî fieri possit, vt tertiana notha sit longior quotidianâ, si illa sit ex miscellâ bilis, cum pituitâ, & ille humor pituitæ tarditatem accelerat, lentorem secat, eximit crassitiem, & morbum abbreuiat. Quotidianam autem esse breuiorem in temporibus vniuersalibus, & particularibus, testis est Auicen. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 46. qui docet quotidianam finiri intra 40. aut 60. dies, tertianam tamen notham durare medietatem anni, quod celebri historiâ confirmat Galenus *lib.* 1. *ad Glauc.* 8. Et paroxysmus tertianæ nothæ extenditur vsque ad 40. aut 48. horas ex Gal. 2. *feb.* 8. & Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 48. & accessio quotidianæ extenditur vsque ad 18. horas, ex Auic. *eodem cap.* Respondet nunquam satis Auicennæ laudatus interpres multis modis, sed vno præcipuo, quoniam bilis vitellina, quia tenuior est pituitâ, propter permixti onem flauæ bilis imbibitur meliùs in meatibus, & poris partium, quare difficilè educitur, quod non potest efficere pituita ob crassitiem, & lentorem. Est ergo tertiana longior quotidianâ, & suapte naturâ longissima. Eam vidi perdurare tribus annis, quinque, septem. Hominem noui, qui à 20. annis vsque ad 56. eâ fuit correptus. Vnum in eâ notabile, quòd tempore quo alios morbos patiebatur, nempe Pleuritidem, Phrenitidem, quibus morbis in intermedio fuit afflictus, tertiana cursum suum interrumpebat omnino, adeò vt eo sanitatem adepto, illicò inuaderet paroxysmus. Quare videbatur hic morbus illi iam connaturalis, cuius beneficio, rigore excitato, natura superfluum humorem absumebat, vt de quartanâ prædixit Galenus *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *text.* 4. & 4. *aph.* 73. & 7. *eiusdem* 42. Lege doctissimum consilium Reineri Solenandri *lib.* 1. *consilior.* 21. *de tertianâ.*

OBSERVATIO XXX.

De Quotidiana.

Quotidiana, Ebeni decocto, curata.

TIment Medici in febribus diuturnis, aliisque ex crassiore bile subortis, decoctum Ebeni, Smilacis asperæ, Chinæ propinare, quod in his productis morbis pro admirabili auxilio consuluere, qui de Indicis aromatis peculiares libellos conscribunt. Ego postquam bienniò cum quotidiana luctatus, plura pro roborando stomacho, mucosâ pituitâ vacuandâ celebraui, decoctum Chinæ, & Ebeni, 24. dierum spatio exhibui. Hoc antidoto, præter omnium spem æger conualuit, horum enim decoctum omnes complet intentiones, quæ in vacuatione humoris crudi expetuntur. Vt eleganter probant Petrus Pena, & Mathias Lobellius *lib. de plantar. historia, obser.* 605. *de Ebeno.*

OBSERVATIO XXXI.

De Semitertiana.

Semitertiana, horrida, anxiosa, maligna, lethalis.

INter febres compositas, Hemitritæus exitialis est. Eius illustre exemplum proponit Galenus *lib.* 2. *crisi. cap.* 9. Hæc febris monente Galeno 2. *feb.* 7. & firmat Auic. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 17. fit ex quotidianâ continuâ, & tertianâ intermittente, quarum vtraque simul inuadit, & altero die vnicam tantùm accessionem, altero verò die duas efficit. Affligit cum frequentissimis horroribus, Anxietate, Syncope, Ventriculi subuersione, Cardialgia, Sopore, Delirio, Vigiliâ, & neruorum resolutione ægros infestans, & maximè si sit exquisita, ex Hipp. *lib.* 1. *epid. sect.* 1. 23. & *sect.* 2. *com.* 25. Cùm autem ex bile, & pituitâ componatur, si illa exuperat, acutiem præ se fert; si pituita redundet, tunc fit morbus diuturnus, & chronicis morbis adiungitur, vt Gal. 1. *Aph.* 12. & Paulus *lib.* 2. *cap.* 34. docuerunt. Et licèt eam agnoscere difficile sit, ex Gal. *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *com.* 5. Hanc tamen in sene notaui, quam cùm primis diebus febrem esse tertianæ naturam habentem arbitrarer, vt verbis vtar Hipp. *lib.* 6. *epid. sect.* 2. *text.* 23. deinde Hemitritæum esse cognoui. Plura pro hoc domando morbo

©BIUM

morbo exercui, ſed ægrum à tanto malo, tandem A deiectum vidi, poſtquam biennio ipſum ita afflixit, vt ob obſtructiones, &, innato calore languidiore reddito, auctas cruditates, virium iacturam, ſummâ Atrophiâ correptus contabeſceret. Nam, vt *titatis locis* ait Hipp. *hæc febris eſt violentiſſima, longiſſima, laborioſiſſima, maligna, horrifica, exitialis.*

OBSERVATIO XXXII.

De Quartana.

In Quartanâ curandâ, cautio ſcitu digniſſima.

NVlla febris eſt notior quartanâ, nulla ſecurior, etſi longiſſima. Hæc ob humoris craſſitiem, & rebellionem, remediis vix ſuccumbit, quare coacti Medici in acceſſione purgantia exhibent, vt rigore, motúque hic terreſtris humor attenuatus facillimè per vtramque viam expellatur. Id expertus eſt ex mente Hip. Auic. & aliorum celebrium Medicorum Amat. 1. *cent.* 8. Ob eandem rationem fœlici cum euentu in hoc morbo, quùm aliis non cedit auxiliis, in plenilunio, ex Baſilicâ, aut ſaluatellâ læuâ, ſi vires non ita ſint robuſtæ, ſanguinem exhaurio: tunc enim ob Lunæ vim humor iſte terrenus ebullit, & fluxilior fit, promptiúſque venâ ſectâ educitur. Hoc remedio in hoc tempore celebrato plures leuati, alij C ab eo omnino immunes euaſere. Scitum autem eſt magnam eſſe Lunæ vim in hæc inferiora: nam ſicut annum integrum Sol diſponit, ita Luna menſem per ſeptimanas, & maximè quando plena fuerit: tunc enim ipſius opera inualeſcunt, ex Gal. 3. *de dieb. decret.* 2. *cùm ea ſit mortalium corporum & auctor, & conditrix*, adeò vt nonnulla corpora ſub luminis eius acceſſu patiantur augmenta, & hac decreſcente minuantur, vt Macrobius firmat *lib.* 1. *in ſomn. Scipion. cap.* 11. Explicat Cœlius *lib.* 1. *antiquit.* 18. Ob hanc cauſam Auic. 4. 1. *cap.* 21. *de ventoſis*, *in init.* ex aliorum mente, cucurbitulas non imponit niſi in Lunæ augmento, quoniam tunc ſunt humores commoti, & augmentatur cerebrum in Craniis, & aqua in flu- D minibus acceſſionem, & receſſionem habentibus. Legendi in hanc rem Leuinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis naturæ miraculis cap.* 41. Plin. *lib.* 2. *cap.* 41. Strabo *lib.* 3. *de ſitu Orbis*, Albumaſar *lib.* 2. *maioris introductor. ad Aſtronomiam*, Ottho Heurnius, Medicus celeberrimus, & Ioannis Heurnij Medici inſignis Filius, in Inclytâ Leidenſi Academiâ Profeſſor eminentiſſimus, *in ſuo aureo Barbaricæ Philoſophiæ libello cap.* 15.

OBSERVATIO XXXIII.

De febri Erratica.

Febris Erratica, Chalybis vſu curata.

FEbres errantes, ſingulas acceſſiones habent inordinatas, dicebat Galenus *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 17. & horrores inordinatos, & erraticos, ex Hipp. *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 25. Etiam vocatur Erratica febris quando nullo circuitûs ordine, verbi gratiâ, tertio, vel quarto quôque die febris inuadit, nunc quinto, vel ſexto: ſic Cleonactidem ignis corripuit erraticè, apud Hipp. *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 23. Has appellat Hipp. inconſtantes *lib.* 4. *acut.* 52. quæ auctore Galen. *in com. nullam certam Periodum obſeruant.* Celſus vocat errabundas, vagas, *lib.* 2. *cap.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 5. Fiunt ex humore melancholico ob aduſtionem facto, & ex cineribus aliorum humorum, qui difformes ſunt; ita vt in vnâ parte moueantur ad putredinem, in aliâ ad motum ſint inepti, quia craſſi, te- tres, & fæculenti. Febres hæ in quartanam tranſeu- ex præſcripto Hipp. *lib.* 3. *progn. text.* 27. maximè ſi au- tumnus ſit, fiunt enim tales hoc tempore ob eius inæqualitatem, vt 3. *aph.* 22. monuit Hipp. *cum Gal.* In his licèt ex præſcripto *Hipp.* nullùm ſit adhibendum auxilium donec conſtent, quia occaſio cathartici captari nequit, tamen quùm non ignoretur materia mali, præſtat humorem hunc craſſum è corpore eximere, quàm obſtructionibus adauctis, à quibus ferè dependent, ægros naturæ relinquere; ſi enim diu durant, quartanam, Scirrhum lienis, alui fluxum, & Hydropem ſæpè minantur. Quidam triennio hac febre oppreſſus, multis tentatis, quæ craſſum, & lutulentum B humorem expurgant, vias aperiunt, deobſtruunt, nihil eſt leuatus, & accedente œdemate pedum, Hydropis rudimento, ſolùm Chalybis vſu, à febri, & tumore liber euaſit: nam, vt optimè dixit Auic. 4. 1. *cap.* 31. *Vna agritudo cauſa eſt alterius, ſicut quùm accidit Oppilatio, & febris; medicamur enim Oppilationem priùs, deinde febrim, & ſi nobis neceſſarium fuerit Oppilationem aperire cum eo, in quo aliqua exiſtat caliditas, non curabimus de febre, &c.*

OBSERVATIO XXXIV.

De febri Decimana.

Decimana febris poßibilis.

VLtra quartanum circuitum, raros, & inſolitos eſſe febrium typos, quintanos, ſeptimanos, octonanos, nonanos, & longiores, priſcorum, & recentiorum obſeruationibus ratum eſt; quæ febres à pauco, ſed craſſiore humore generantur, ex quo oritur quartana, quare eandem expoſtulant curationem. Ego decimanum notaui in ſexagenario, qui duobus annis hoc typo vexatus, vacuatâ ſæpiùs viſcidâ pituitâ, & vaſis deobſtructis (aliquantiſper enim illi intumuerat venter) aſſiduo aperientium vſu conualuit.

Hæ licèt ab humore pauciori, & magis aduſto ortum ducant ex Haly *lib.* 3. *pract.* 19. Hieronymo Sauanarolâ *cap.* 15. *de feb. rubric.* 8. Petro Mercato *tract.* 9. *de feb. cap.* 3. Tamen, vacuantibus, reſerantibus, & extenuantibus tractandæ ſunt: Nam *appropinquant curæ quartanæ*, vt ſcitè notauit Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 69. & non ſiluit Cornelius Gemma *lib.* 1. *coſmocrit. cap.* 1. Nouimus quinquagenarium qui biennio nonanâ febri laborans, tentatis priùs multis, ſolùm, ſtybij vſu, & apertis, hirudinum ope, mariſcis conualuit. Illud enim auxilium in cunctis à craſſiore bile ſubortis febribus, omnium præſtantiſſimam vim habere expurgandi tenaciorem ſuccum à ſolis Neotericis eſt proditum. Sanguis è mariſcis exhauſtus pro melancholico vacuando humore Ellebori vires antecellit. Audi Hippocratem veritatis medicæ conſtantiſſimum præ- E ceptorem *lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 37. dum ſic inquit: *Mariſcis laborantes neque morbo laterali, neque Pulmonario, neque Phagedænâ, neque furunculis, neque Therminthis, fortaſſe neque lepris, fortaſſe neque aliis, &c.* Explanat graphicè Ioan. Raphaël Moxius *lib. de curand. morb. mulieb. acut. per ven. ſect. cap.* 45. Octonanam vidi ſpatio quatuor menſium durantem, quæ mitibus ſtipata ſymptomatis, ſponte tandem euanuit.

OBSERVATIO XXXV.

De febri Hectica.

Febris Hectica, Hydrelæo curata.

IVuenis quidam, gracilis, & excarnis ex ardente febre in Hecticam lapſus eſt, quæ ſiccitatem morboſam

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 875 sur 927

©BIUM

bosam habebat coniunctam. Hic infinita propemodum præsidia,immò lac caprinum, & dulcis aquæ lauacrum, diu, attamen citra opem vllam fuerat expertus. Tandem Balneo, admixtâ Olei quantitate, (Hydrelæum dicas) reiterato conualuit. Quæris causam? promit Galenus *lib.2. simpl.24. Aqua enim cùm fluida sit, & liquida, miniméque cuti possit adhærere, Olei lentore, ceu glutino quodam in cutis poris impingitur, sicque impensè penetrat, & per moram magis humectat.* Licèt enim de Balnei facultate pro curandis Hecticis mira prisci protulerint; id tamen, quod ex Oleo, & aquâ parari solet, est præstantius: nam si eo vtaris in quo Olei copia sit iniecta,mirabiles vires experieris:quoniam tensas partes emollit, siccas & arefactas humectat, & aperiendo obstructos, & præ siccitate conniuentes poros, attrahit alimentum ad extimas, maximéque distantes corporis partes. Insuper calorem iam ob aridıtatem exhaustum,& ob humidi inopiam veluti depopulatum, reficit & instaurat, & corpus ad pristinam symmetriam deducit, & vstas fuligines discutit, & sic innatus ignis qui veluti obrutus erat, transpirat, & alacrior redditus, ad proprias actiones obeundas fit promptissimus. Denique licèt hoc Balneum lentore suo cutis spiracula leuiter videatur occludere; & fuliginum transpirationem impediat, ob hoc sanè multò commodius est: nam hac ratione, caloris, & spiritûs cohibet effluxum, eorúmque prohibet resolutionem, & sic roborat. Oleum esto dulcissimum, defæcatum, pingue, viscosum, tenue, pellucidum, quod si sit Violaceum, aut Amygdalinum, præstantius erit.

OBSERVATIO XXXVI.

Hectica febris, Ranarum ope curata.

RAnas aquaticas,in limpidis aquis viuentes, abiectis interaneis,& summis pelliculis,frixas in butyro,elixatas aquâ,optimum præstare corpori alimentum, frigidum parum, sed humidum, lentum, & sic hecticis febribus vtilissimum,Auctores qui de pisculentâ materiâ conscripserunt, satis confirmant. Non ergo condemnandi sunt Hispani, qui illis pro selecto cibo vtuntur,permittúntque vt in foro piscatorio publicè vendantur. Cæteræ verò paluſtres, in cœnosis aquis habitantes, pernicioſæ, & ad rubetarum naturam malignam accedunt. Habui Hecticum, in curatione diu,qui siccatus & tabidus, nec balneo, nec lactis potu,aliisque innumeris humidis & reficientibus auxiliis vnquam potuit restitui. Tandem morbi peruicacis pertæsus, ad Ranarum vsum accessi. Stillatitiam aquam ex illis extractam in Balneo Mariæ,cum Syrupo violaceo permixtam,pro quotidiano potu bibendam obtuli. Eas elixas cum oleo, sale, saccharo, & salsamentis,in cœnâ & prandio degustabat. Interdiu illi erat pro frequenti vsu ius album, factum ex illarum contusâ carne, cum amygdalis, lacte, butyro, farinâ hordei, saccharo, vitellis ouorum: quæ omnia respersa cinnamomo, & rosaceâ irrorata, ad ignémque percocta, Condîtum faciunt suauissimum, quod optimè nutrit, humectat, impinguat, coquitur facilè, citò distribuitur. Hoc ergo modo gubernatus hic æger, trium mensium spatio pristinam recuperauit sanitatem.

OBSERVATIO XXXVII.

Hectica cum putridâ Complicata, Balnei ope curata.

HEcticæ complicationem cum putridâ esse possibilem, celeberrimâ historiâ confirmat Galen. *lib.10. meth. cap. 5. & lib.1. feb. cap.10.* probat Auic. *1. 4. tract. 3. cap.1.* peculiaria ex Galeno signa huius complicationis describens. Hanc cognoscere laboriosum, & maximè, si putrida ex continuarum genere existat. Curatio difficilis: nam Hectica refrigerantia, & humectantia; putrida, reserantia, & abstergentia expostulat. Difficilioris curationis est, quando cum febre pituitosâ complicatur: quoniam diuersæ indicationes insurgunt: hæc enim calefacientia auxilia efflagitat, Hecticæ summoperè contraria. Accessimus ad curandum ægrum tertianâ nothâ diu correptum, qui cum curis esset confectus, transactâ accessione, cæteræ corporis partes temperatiores erant, arteriæ verò loca calidiora conspiciebantur. Hic ob fixum, radicatum, & independentem in solidis partibus calorem; sensim ac sine sensu extenuabatur magis: calor enim Hecticus, de nouo introductus, ob durationem, & diuturnam actionem, adeò sese in solida insinuauerat, vt absumptâ, & depopulatâ humiditate corpus contabesceret. His perspectis, curauimus putridam, purgatiunculis, reserantibus, aperientibus, Ptisanâ, potionibus frigidis, & Epithematis, & hæc, accessione cessante, vel remissiori factâ semper propinauimus. Pro Hecticæ curatione, lac exhibuimus caprinum, obfuit multùm: nam ex eo in cacochymiam verso febris adaucta, Aphthæ in ore, guláque repullulârunt. Tandem ab eo abstinentes, Balneum consuluimus, & post hoc, interpositis duabus horis Ptisanam obtulimus. Huius ope in totum sanus euasit: quod auxilium putridis febribus etiam esse vtilissimum, ex innumeris Galeni locis eruditè probant Ludouicus Lemosius *in com. cap.10.* Galen. *lib.10. meth.* Donatus Santorus *lib.7. epistol.1.* Fuchsi.2. *paradox.10.* De cæterâ verò medicinali materiâ pro curandâ putridâ coniunctâ cum Hecticâ,videndus Baptista Theodosius *epist.35.*

OBSERVATIO XXXVIII.

De Peste.

Pestis horribilis.

DE pestilentiâ est in hoc loco sermo, morbo immani, Herculeo, insuperabili, miserabili sanè peccatorum flagello: in quo soli Deo permissa potestas medendi, non cuique mortalium data, vt præcognitam belluam, serpentem, quam venenatam feram *lib. de Theriac. ad Pison.16.* vocauit Galenus, & commune exitium minantem hominibus, brutis, plantis, (nisi pisces excipias cum Aristot.8. *de histor.animal.19.*) immò feras ipsas depascentem euitemus. Hæc horridâ inimicitiâ, mirabili, insigni, & extraordinario perdendi modo, cæcâ malitiâ, venenosissimâ qualitate, variis modis cor fatigat; corpus extinguit. Sic Thucydidis tempore in peste sæuâ, plures exectis genitalibus, excauatis oculis, pedibus, manibúsque truncatis, vitam redimebant, vt Fabius Paulinus *fol. 252. in comm.* explicat egregiè. Alias miras pestis species obseruârunt plures.Ego anno 1600.quùm hæc truculenta Hydra,totam ferè Europam, præsertímque Hispaniam deuastâsset, in pago quodam plures notaui dirâ peste correptos.Nam post morbi inuasionem, subitò omni sensu priuatis, pili ex capite defluebant. Pustula liuens in lepore nasi suboriebatur, quæ intra 20. horas totum nasum arrodens,ægros deinde cum extremarum partium algore,& mortificatione in mortem præcipitabat Nullus euasit.

***

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 876 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO XXXIX.

Peſtis bubonia lethalis.

IN hac verò de peſte mentione addamus Coi ſenis ſententiam, legentibus futuram non ingratam, quæ in hunc modum *lib. 6. epid. ſect. 2. text. 10.* ſic reſonat: *Abſceſſus veluti bubones, ſignum quidem ſunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè viſcerum: maligni autem ſunt hi.* Tanti auctoris mentem emedullant Valleſius, & Fuchſius *in com.* Conſueſcunt enim partes nobiles venenoſis humoribus afflictæ, eos in partes ignobiles, & emunctoria corporis, deponere, & hac de causâ in peſtilenti lue in his partibus frequenter repullulant, & viſcerum ſunt germina, & ſignificant affectionem earum partium, cum quibus rectitudinem habent, ſicque emunctorium Cerebri eſt retrò aures, Cordis ad Axillas, Hepatis ad inguina. In truculentâ peſtiferâ lue plures notaui, quibus bubones non ſolùm in his partibus, ſed in aliis, immò vniuerſo corpore ſimul multi, in capite, Nuchâ, Humeris, Thorace, Vmbilico, Femore, Tibiâ erupêre, hoc extremam perniciem, & conſummatam putredinem oſtendit. Omnes periêre. Tu verò de Antidotis contra hanc luem pretioſis lege eruditiſſimum Ludouicum Gardinium *lib. de peſte, prope fin.* qui de hoc argumento plura, ſatis doctè conſcripſit.

OBSERVATIO XL.

Peſtis mira.

IN anno 1604. plures ex eodem contagio peſtilenti infecti, hoc ſymptomate detenti intra quartum diem animam efflârunt. Omnino non poterant cibum deglutire, quod eum planè abhorrerent. Hoc ex inſtrumentorum deglutiendi, & appetitiuæ mortificatione, vt ait Galen. *6. aph. 3.* à malâ, & veneficâ qualitate inductâ, fuiſſe ſubortum, res eſt manifeſta. Plura pro roborando ventriculo, & retundendo veneno adminiſtrata. Profuêre nihil. Omnes ſublati. Lege de hoc ſymptomate admirando, ab aliis cauſis ſuborto, eruditiſſimum Conſilium Trincauel. 75. *lib. 2. conſilior.* Quo autem pacto, deplorato faſtidio, & morbo laborantes ad cibos ſint cogendi, duabus feſtiuis, ſed vtilibus Hiſtoriis explicat Ferdinandus Mena *lib. de medend. feb. cap. 15.*

OBSERVATIO XLI.

Sudor ſanguineus cum totius liuore in peſte.

QVidam in truculentâ lue toto corporis habitu liuido facto, biduò per totum corpus ſudorem ſanguineum ob debilitatem retentricis excreuerunt. Correptis ante mortem totum corpus nigerrimis tuberculis conſpurcatum. Hi, cum caſu virtutis, animi exolutione, frigidum expirantes, extincto calore à veneno interno è vita migrârunt. De ſudoris ſanguinei cauſis lege Marcel. Donat. *lib. 1. de hiſt. mirabili, cap. 2.* Syluaticum *controu. 5.* hoc lethale & prodigioſum ſignum retulit inter omnes Georgius Agricola *lib. 2. de peſte,*

nam hac Hydrâ correpti triduò
circa caput ſanguinem
excluſerunt.

***

OBSERVATIO XLII.

In peſte è cucurbitulis ſanguis emanans, compeſci non potuit.

MVltis in peſte ſanguis è cucurbitulis emanans, nec validis auxiliis, nec cauterio ipſo potuit compeſci. Omnes obiêre: nam facultas retentrix, à veneficâ qualitate, prorſus erat extincta.

OBSERVATIO XLIII.

Ex contagio Cadaueris peſte emortui, plures interfecti.

CAdauera peſte interempta contagioſa eſſe, nullus ignorat. Nam ſi res inanimes vaporem peſtiferum reſeruantes poſt multos annos contagium important, vt pluribus fide dignis hiſtoriis auctores ſatis confirmant; quantò magis corpora animalium, è quibus poſt mortem, per tranſpirationem aura peſtifera emanat, à non benè gubernatâ materiâ in corde, venis & arteriis putreſcente eleuata? Hanc oſtendit fœtor ingens non niſi ab effumante calore, plurimáque vaporum copiâ exurgens, ex ſordidâ circa viſcera putredine natus, quæ ad abſentiam natiui caloris, à quo antea coërcebatur, ſeſe inſolenter eructat. Exemplum tibi ſit peſtis illa Athenienſium tantoperè à Galen. celebrata *lib. quòd anim. mores, cap. 5. lib. 1. feb. 4. lib. 2. de ſympt. cauſ. vlt.* & alibi, in quâ, vt referunt Thucydides, & Lucretius, aues, & bruta, cadauera deguſtare non audebant, quaſi peſtiferam illam tabem mortuorum corporum penitus horrerent. At cùm nulla ſit tam proterua opinio, quæ ſuum non habeat defenſorem, contrariam ſententiam firmauit Fracaſtorius licèt primæ notæ Medicus, & cui totum etſi debeamus in hac materiâ de contagio, tamen *lib. 1. de contag. cap. 12.* ſic inquit: *Mortuum autem animal contagem eam non ſeruat, quâ tenebatur viuens, quoniam ſeminaria contagionis vnà cum calore innato extincta ſunt, &c.* Huic fortè addictus opinioni, Rondeletius, vir alioqui doctiſſimus ſic *lib. de feb. peſtilent.* eloquutus eſt. *Quare corpora illa mortuorum, quæ amplius non expirant, nullum venenum eiaculantur; quòd ſi aliquid contrahatur, id potiùs ab eorum pannis contrahitur, quàm vllâ re aliâ: ſiquidem diſſecuimus aliquando corpora mortuorum ex peſte, multis ſpectantibus ſtudioſis ſine aliquo damno, &c.* Et concludens ait, *propterea quòd mortuo animali perit omne venenum, &c.*

Sed parcant mihi tantorum virorum manes: non enim philoſophantur rectè. Nam mortuum animal id contagium ſeruat, licèt non ita promptum, ob defectum effumantis caloris, quo tenebatur viuens. Falſum enim eſt contagionis ſeminaria vnà cum calore innato extincta eſſe: quoniam Canis rabidi ſeminaria poſt mortem non ſunt extincta, qui enim eum mortuum tetigerunt, rabie capti ſunt, vt conſtat ex Palmario *lib. de morb. contag. fol. 266. & 267.* Nam *Venatores quidam*, inquit Fernelius *lib. de abdit. cap. 14. in lupum ſeuiorem irruerunt, trucidatum in varia obſoniorum genera apparârunt, & coxerunt. Omnes quicunque eſitârunt, non multo poſt tempore râbie correpti, perierunt; alij ſociorum morte prudentes ſibi proſpexerunt. In eâ carne tam diligenter apparatâ, vis lethifera, & venenata permanſit, quæ vix igne miteſcit, quemadmodum nec Cantharidum vis Deleteria vſtione tota perit.* Hæc tantus auctor. Similem hiſtoriam Surius attulit *in com. rer. in orbe geſtarum.* Quare ſi venenum rabidum peſtifero minùs vehemens, poſt mortem non perit, quare hoc, extincto calore naturali, peribit omnino? Si autem, quod objicit Rondeletius, adſtantes & ſtudioſi

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 877 sur 927

©BIUM

dioſi adhibitâ ſectione cadaueris peſte emortui, non ſunt infecti, nil mirum: nam non erant ad recipiendum contagium diſpoſiti, alioqui omnes qui ſub Sole commorantur, febrirent, vt 1. *feb.* 4. retulit Galenus. Ego vidi plures corpus peſte emortuum, ex agro vbi iacebat, per funes, ſuper tabulas deportantes, vnius diei ſpatio peſte arreptos occubuiſſe: tanti periculi & timoris plenum eſt, cadauer veneno peſtifero enectum pertractare. Sed cur in Germaniâ, quod conqueritur Rodericus à Caſtro, expertiſſimus Medicus *lib. de peſte, tit. de præſeruandi rat. in fin.* & apud Septentrionales homines pro more poſitum ſit, cadauera ex peſte emortua, inhumata triduò in domo retinere, quoüſque ſepeliantur, ipſi viderint viri prudentiſſimi, & ſalutis ſuæ amantiſſimi. Ego eorum votum reſpuo omnino contrariâ ratione, & diutino experimento permunitus: nam cadauer humanum citiſſimè ob multas cauſas corrumpitur, & inter omnia animalia promptiſſimè dirâ labe fœdatur. Conſule Sennertum *lib. 4. de feb. cap. 2.* Ioubert *lib. de peſte, cap. 3.*

OBSERVATIO XLIV.

Ex ſanguinis peſtiferi extracti, horribili fœtore, plures peſte infecti.

FOetidam adeſſe in peſte reſpirationem perſæpè Medicorum clariſſimi inculcant, quare ſi aër, & ſpiritûs putreſcunt, & fœtent, cur non ſanguis, qui illis eſt craſſior, & impurior? Sanguinem ſectâ venâ fluentem, totum cubiculum infeciſſe, bis ſe obſeruâſſe teſtatur ſolertiſſimus Caſtrenſis Luſitanus *lib. 3. de meteor. Microcoſm. cap. 4.* Nam ſi fœtidus, & grauiolens eſt, mortem præſagit, vt notat Foreſtus *lib. 1. de febrib. 16.* Vocatus tempore peſtis, vt inuiſerem ægrum febri arreptum, parùm febrientem inueni, cum aſpectu hilari, tactu miti, vrinâ bonâ. Iuſſi ſecare Baſilicam: nam plethoricus erat. Veſperi ad eum inuiſendum è mulâ deſcendo, ecce caſum mirum vicini enarrant, ex ſanguinis extracti fœtore horrendo, tres miniſtros infectos, veluti ſideratos, occubuiſſe ſubitò, & ægrum animam efflare inculcant. Hoc audito, diſcedo ab oſtio, velociter Euro. Dubitas? Adi Valleriol. *lib. 3. loc. com. c. 18.* Salium *lib. de peſte, cap. 5.* Gemmam *lib. 1. Coſmocritic. 13.* & alios, qui homines ex inſpirato aëre tabo infectos, ſideratorum inſtar, ſubitò occubuiſſe non ſemel inculcant.

OBSERVATIO XLV.

De febre Peſtifera.

In febre peſtiferâ, ſaphenæ ſectio vtiliſſima.

IN febre peſtiferâ phlebotomiam ex inferioribus partibus celebratam eſſe tutiſſimam, & vtiliſſimam ob multas cauſas, veterum, Galeni, & Claſſicorum teſtimonio ſancitum eſt. Extat elegans Hiſtoria apud Oribaſ. *lib. 7. collect. cap. 20.* qui conteſtatur, Galenum peſte affectum ſcarificatione crurum copioſâ, ab ea feliciter euaſiſſe; & adeò ex hac parte facta vacuatio commoda eſt, vt Manardus doctiſſimus *12. epiſt. 5. in reſponſione ad dub. primum*, in Pleuritide, cæteriſque inflammationibus internis peſtilentibus, eam, vt ſecuriorem admittat. Tantorum virorum votum hæc obſeruatio confirmat. Infinitos propemodum peſtiferis, & maleficentiſſimis febribus curaui, plures ſectâ Saphenâ, aut ſcarificatis cruribus euaſêre, quàm illi, quibus in initio morbi Baſilica ſciſſa: nam ex illâ parte celebrata vacuatio plenitudinem leua t, diſtrahit halitûs veneficos à corde, & ad diſtantiſſimas partes diuertit, viſcera tranſpirat, & citra multum virium diſpendium morbum leuat, quare crurum etiam ſcarificatio has vices cùm obtineat, phlebotomiæ vicem ſuppler, ex Gal. *2. aph. 17. & 2. ad Glauc. cap. 7. in med.* Legenda in hanc rem, ingeniosiſſima Epiſtola Valuerdæ Olyſipon. Luſitano ſermone conſcripta, in quâ de argumento hoc, pulchra reperient Luſitani idiomate ſuo.

OBSERVATIO XLVI.

Arſenicum Sublimatum in peſte ſupra Cor geſtatum, remedium ſuſpectum.

ARſenicum Sublimatum pro curandâ, præſeruandáve peſtilenti luè, ſupra cor in ſacculis geſtatum, aut placentulæ inſtar læuæ Mammillæ appoſitum, eſſe remedium factum à Deo, teſtantur Niddanus, Salius, Mercurialis, Fallopius, Simonius, Iordanus, Theodozius, Ioubertus, & alij celeberrimi viri, quibus non aſſentiri, nefas erit. Sed quùm hoc loco de ſalute hominis agatur, quâ nihil charius, ex Gal. *7. meth. 6.* vt in Hipp. laudem aſſeruit Celſus *lib. 8. cap. 4.* & nobis cura de veritate impoſita ſit, non de fabulis, vt cum Galeno loquar *lib. 3. de vſu part. 1.* idcircò altiùs negotium penſitandum. Illi putant Arſenicum, vim occultam habere necandi venena: hanc non oſtendent, immò Galenus *3. de præſag. ex pulſib. 5.* eos, qui ad illam confugiunt, ait nihil dicere. Alij ob ſimilitudinem, quam habet vnum venenum cum alio, in præſeruatione, & curatione conferre affirmant. Siniſtra ſolutio. Nam ſi in præſeruatione nullum adeſt in corde venenum extrahendum, Sublimatum cùm ſit calidum venenum à totâ ſubſtantiâ tale, ſpiritûs inflammat, cordis temperamentum peruertit. Si in curatione: cùm duo adſint venena, internum, & externum, cur illud, cùm peſtilens ſit, & agendo efficacius, externum priùs non attrahet? ſi verum eſt inter attrahentia familiaritate, & ſimilitudine ſubſtantiæ, illa potiùs attrahere, in quibus maior eſt actiuitas, & efficacia, ex Galen. *3. ſimpl. 24. & 25.* Quare ſicut calor peſtilens ab aliis differt caloribus per excellentiam putredinis, ex Galen. *lib. 6. epid. ſect. 1. com. 29.* ſic venenum peſtiferum, alia venena ſuperat, & excellit: Neque dicas cum Theodoſio corpus veneno aſſuetum, minùs lædi à venenoſo, peſtiferóque aëre; nam antequam cor aſſuetudinem contrahat, impensè lædetur. Si confugis ad experimentum, quo Lacuna deuictus *lib. 6. Dioſcorid. in præfat.* hoc auxilium approbat, referens Medicum Luſitanum in Romano Xenodochio peſtiferas febres curantem, ſolo huius auxilij vſu à periculo 24. annis fuiſſe immunem, quod de aliis ſcribunt Ioannes Rhenanus, & Petrus Droëtus *tract. de peſte.* Videndum num experientia ſit bona: cùm enim plura ſint, quæ tunc ad præcauendam luem aſſumuntur auxilia, conſiderandum, quibus attribuenda ſit ſalus. Noſtras partes acriter defendunt plures, qui in palæſtrâ medicâ primas tenuêre, quorum mentem explicat obſeruatio hæc. In peſtilenti lue, febribúſque peſtiferis ſæpiùs ſum expertus, plures hoc auxilio vſos, ſubitò peſte correptos, occubuiſſe. Alij, inflammatione oborrâ in parte læuâ thoracis externâ, febribus ſunt apprehenſi, quæ ex admoto Sublimato ortæ ſunt, qui ſummo labore deinceps conualuêre. Quidam inflammato corde, incenſiſque ſpiritibus in palpitationem incidêre. Securius ergo ſit multò, cardiacos ſacculos, immò cucurbitulam ex interuallis cordi apponere, vt roboretur cor, fœtidíque & venenoſi halitûs extrà euocentur, quàm hoc ſuſpectum, & calidiſſimum admouere auxilium, ex cuius vſu, noxæ ſæpè oriuntur inemendabiles. Lege Matth. Vrtzerum *lib. 2. Catoptri peſtilential. cap. 9.*

OBSER

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 878 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO XLVII.

De Variolis.

Grauidæ Variolis correptæ, historia mirabilis.

GRauida ſeptimeſtris, iuuenis, carnoſa, & rubicunda, firmâ, integrâque valetudine prædita, ex Caricarum aſſiduo vſu in tantum feruorem, & incendium lapſa eſt, vt totum corpus purpureo afficeretur colore cum inexhauſtâ ſiti. Hæc cùm plenitudine quoad vaſa premeretur, acutè febriebat cum anxietate multâ. Ter ex Medicorum præſcripto ſecta fuit mediana vena. Exhibita Cardiaca, oblati refrigerantes Syrupi, ſelectiſſimis alimentis, & carnium contuſis, quin & odoribus roboratæ vires. Fœtus Emplaſtris ventriculo admotis recreatus. In quarto delira, & Aphona facta, implacida, & veluti turgens ſe in varias in lecto iactauit figuras. In quinto cucurbitulæ humidæ ſcapulis è regione cordis affixæ: tunc ſudauit copioſè, ſed citra leuamen vllum: nam poſtea exacerbata eſt febris ſingultui aſſiduo coniuncta. Ecce horribili ſpaſmo corripitur, & tantâ violentiâ maxillas conuellebat, vt è propriâ ſede exilire viderentur. Poſtea dentium fragore, inuerſis oculis, intortis manibus, ſpinâ diſtentâ, difficili in faucibus ſtertore percepto, omnia membra agitabat. Fœtus in agône tanto, nec in latera, ſurſum, aut deorſum iactari, aut circumuolui (mirum dictu) viſus eſt. Accurrens ſternutatoria fortia naribus adhibeo, enemata acria paro, cucurbitulas per totum dorſum impono. Illa, Dei beneficio, viribus etſi exhauſta, ad mentem rediit. Poſt duas horas, horripilationes, & pruritum per totum corpus perſenſit, ita vt cutem dilacerare, ſcalpendo vnguibus vi nimiâ, cogeretur. Hoc tempore Miliaceæ aſperitudines, quæ miram hactenus tragœdiam excitauerant, per totum corporis ambitum apparere cœperunt cum anguſtiâ dirâ. Cucurbitulæ ad iuuandum naturæ motum iterum ſcapulis adhibitæ, optimis alimentis recreatæ vires, ſudorifica oblata. Increuêre papulæ, & ad maturitatem accedere viſæ ſunt, & pro exſpectato pure, vermiculorum emanauit agmen, qui ichori permixti, ſyronibus erant ſimillimi, viuidi, & valdè rubri. Poſt hæc corripitur Diarrhœâ, quæ in Dyſenteriam migrauit ſtatim, quæ Clyſmis ex lacte Chalybeato, & admotis adſtringentibus ceſſauit Emplaſtris. Demum cutis ita vlcerata, vt lacera, putrida, & corrupta in partes diuideretur cum fœtore horribili. His tantis malis in die 35. preſſa apparuit, vigil, & exanimis, refocillata tamen, in 40. conualeſcere cœpit conſolidatis vlceribus, & fœtus alacrior redditus in nono menſe exiit in lucem. Grauidas ergò variolis corripi nouum non eſt: nam licèt natura ferè vtero, cuti tamen ſuperfluum humorem, vitioſúmque ſanguinem ſæpè deſtinat.

OBSERVATIO XLVIII.

De Morbillis.

Morbillorum, ſymptomata admiranda.

LIcèt ex variolis pernicioſa ſymptomata emergant, quoniam malignus humor, ex quo conſtant, craſſiuſculus eſt, & magis lentus, & ſic viſceribus adhærens ibi impingitur, neque perfectè poteſt ad cutem demandari, & reconditis in trunco corporis excrementis, malignæ hoc modo eueniunt Dyſenteriæ, ferini abſceſsûs interni, diræ tuſſes tabem comitantes, & tandem vlceribus, & tabo ſuffocatus æger, inter fœtores, & dolores vitam finit, & ante mortem morticinium quoddam toto corpore exhibet, & vt ſcitè Fernelius *dictat 2. de abdit. 12.* corpus ſic affectum non aliter contabeſcere videtur, & macie, nigroréque torreri, quàm ſi menſes quatuor è furca pependiſſet. Nam multi oculis confoſſis, membris truncatis ab hac terrâ lue euaſêre. Et Morbilli licèt ferè benigniores ſint, quoniam eorum materia tenuis citò diſcutitur; tamen aliquando ſunt non minùs lethales, quàm peſtis ipſa. Hic enim bilioſus humor, malâ qualitate arteriam aſperam pungit, vnde tuſſis ſicca, ruptura venarum, Phthiſis, mors. Aliquando vellicat nares, & eas exulcerat, ita vt cancroſa vlcera euadant. Interdum ad inteſtina corriuat, & lethales creat Dyſenterias. Sæpè fauces apprehendit, & interno in tonſillis vlcere maligno ſuborto Gurgulionem rodit, cum faucium tumore inſigni. Hæc omnia mala in conſtitutione quadam, citra peſtem eueniſſe ex Morbillis notaui, quæ ſex menſium ſpatio perdurans, plurimos, quos apprehendit, iugulauit, quorum multi tabe conſumpti, obiêre. *Legendus de hac re Paræus lib. 19. cap. 1.*

OBSERVATIO XLIX.

De febre maligna.

In febre maligna cautè præſagiendum.

MEdicus *præſagiens culpâ vacabit*, dicebat Medicorum Coryphæus *lib. 1. prog. 3.* Sed cùm ars noſtra coniecturalis ſit, & *coniectura ſit ars inter omnimodam ignorantiam, & omnifariam ſcientiam* ex Gal. *2. de loc. 1. & alibi*, & ad veritatem licèt proximiùs accedat 1. *Aph. 12.* multoties tamen fallit nos, idcirco oportet, Medicum, quem naturâ prudentem, & in operibus artis ſummè exercitatum exoptat *Galenus lib. 8. meth. cap. 9.* cautè, & maximâ cum præmeditatione præſagire, & maximè in morbis malignis, & peſtilentibus, in quibus criſima ſigna, quæ ſalutem denunciant in aliis morbis, in illis incerta, fallacia ſunt, & ambigua. Comparat enim Galen. *lib. 6. epid. ſect. 6. com. 15. febrem malignam homini παλιμβόλῳ ac doloſo, qui aliud loquitur, aliud ſentit, & ſententiam ſuam facilè mutat, ſic morbus malignus in eodem ſtatu non manet, ſed modò quieſcit, modo malignus ſit.* Inuiſebamus tres Medici fœminam, quæ vix ab eis febricitare viſa eſt; calor erat ad tactum mitis, pulſus, & reſpiratio ordinem ſeruabant, & ipſa benè morigerata ad oblata benè ſe habebat. Maritus in ſeptimo inquirit à nobis, num morbus periculum haberet. Tacuêre duo. Alius mitem morbum, & naturâ ſuâ ſalutarem eſſe prædixit. Non pertranſierant decem horæ, quando delira facta, floccos carpere viſa eſt. Acceſsêre Anxietas, Inquietudo, Horripilatio, Syncope, Cardiogmos, & vrens ignis cum ſiti inextinguibili, & retorridâ linguâ coniunctus. Plura parantur, ſed eorum ope euitari non potuit, quin in octauo è vita diſcederet. Nam ſæpè prope mortem ægri meliùs habent, ex Galen. *3. epid. ſect. 1. com. 8.* quoniam 14. die erat à febri liber Hermocrates, & 24. defunctus eſt. Quare inquit ipſe *lib. 6. epid. ſect. 2. com. 43. Quicunque in periculoſis morbis pluſquàm deceat ægrotantes hilares, & bonæ ſpei plenos reddunt, in multò maiorem coniiciunt triſtitiam ſequentibus diebus, quàm aut in peius morbus cecidiſſe videtur, aut vltra promiſſa Medicorum producitur.* Sequendum ergo Celſi ſaluberrimum conſilium eſt *lib. 5. cap. 26. rubric. 1.* quod ſic habet. *Deinde vbi grauis metus, ſine certâ tamen deſperatione eſt, indicare neceſſarijs periclitantis in difficili ſpem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignorâſſe, vel fefelliſſe videatur.* In perniciosis ergò morbis præſagiendum cum cautelâ ſummâ, quoniam inopinati morborum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 879 sur 927

©BIUM

borum euentûs sæpè ob multas causas Medicos de- A ludunt.

OBSERVATIO L.

De Morbis Cutaneis.

Ad scabiem puerorum, suauissimum Vnguentum.

MOrbos hæreditarios accidere, certum est, & nos *lib. 1. huius operis, obser. 36.* illustri exemplo firmauimus, & priùs prædixit Hipp. *lib. de aëre, loc. & aquis, num. 36. & lib. de Morbo Sacro, num. 6.* Cùm enim semen genitale ab omnibus membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fit vt qui, & patres, & auos habuêre aliquo morbo infectos, in B quibus, auctore Galeno *lib. 6. Aph. 28.* semen erat vitiatum, posteris vehementiorem fecerint partium imbecillitatem. In semine enim residet vis formatiua, quæ omnium partium effigiem, & similitudinem retinet, iuxta quam in fœtu partes integras, aut vitiosas effingit. *Quare sunt ægritudines quædam, quæ in semine hæreditantur, sicut Vitiligo alba, Tinea*, &c. dicebat Auicenna *2. 1. doct. 2. cap. 1.* Sic ex Caluis Calui, ex Mutis Muti, ex Gallicatis Gallicati, ex Cæcis Cæci, ex Scabiosis Scabiosi, ex Pituitoso Pituitosus, ex Bilioso Biliosus, ex Lienoso Lienosus, ex Stranguriosis Strangurioſi generantur. Denique ex charactere, aut sigillatione impressâ in filiis, aut nepotibus, ij gignuntur similibus morbis obnoxij. Nobilissimus C quidam Comes, à pueritia, vlcerosâ scabie oppressus, nullis vnquam auxiliis consanescere potuit. Duxit hic vxorem saniſſimam, ex quâ filios habuit pulcherrimos, nullâ labe fœdatos, at nepotes omnes ferâ scabie inquinati exibant in lucem. Nec hæsites: nam character potest transire à patre in nepotes, illæsis filiis, vt eleganter probauit Mercatus *tractat. de morb. hæreditarijs, in med.* Consulti Medici, ij, in multis morbis huius naturæ, remedia esse proficua, cùm arbitrarentur (nam eorum plures sunt curabiles) curationem sic sunt exorsi. Præter prouidentiam totius pro tenore virium celebratam, Vnguenta adhibent styptica, quorum ope exiccanda vlcera, præcedente dulcis aquæ lauacro, rati sunt; at ferinum D malum tantûm abfuit vt succumberet, quin excitato in vlceratis partibus immani dolore, sæuiùs affligeret. Nec mireris: nam in pueris, cùm habeant carnem ceream, & facilè transpirabilem, humor in corporis profundum adstringentium vi promptè retrocedit. Vocatus ego, relictis communibus Vnguentis, hoc paraui vtilissimum, quo, in delicatulis fœminis, pueris debilibus, aulicis hominibus, pro rebelli scabie curandâ fœliciter semper vsus sum cum commoditate multâ, & est Vnguentum præstantissimum: nam præterquam quòd suauiter olet, non ita repercutit, immò abstergit, mundificat, modicè exiccat.

℞. *Ol. de Liquidambar.* ℥ j. *Olei Amygdal. Amarar.* ℥ ij. E

Misce, fiat Vnguentum. Si desit Oleum de Liquidambar, quod ab *Occidentali plagâ* affertur, illius loco Balsamum substitue, vel naturale, vel artificiale.

OBSERVATIO LI.

Scabiosus illitus Vnguento, subitò occubuit.

NOui quendam qui appropinquante vere; naturáque humorem noxium ad cutem transmittente, non vacuato corpore, quùm cacochymus esset, Vnguento illitus, parato ex Oleo Myrtino, Cerusâ, Lithargyro, intra noctem, represso humore, & ad viscera restagnante, veluti suffocatus, extinctus est.

OBSERVATIO LII.

Scabies contumax, maligna, Vnguento præstantissimo, sanata.

SCabiosum curaui bienniò, cui tota cutis vlceribus nigris, maculísque liuidis scatebat, ex quibus, putores, corruptique ichores continuò emanabant. Hic meo consilio sanguinem sæpè ex venâ extraxit, hirudines ano apposuit, tali venas aperuit, purgantia assumpsit, serum lactis caprini, succo Fumariæ, lupulis, foliis Senæ, & Myrobalanis nigris præparatum ebibit. Variis vnguentis vtens, peiùs habuit: nam scabie cum intenso pruritu adhuc infestante, per screatum humorem nigerrimum (atramentum diceres) excernebat. Visis his siniſtra saluatella incisa, Balneum applicitum, sed incassum omnia administrantur. Cùm enim habitualis adesset partium debilitas in nigro generando humore, hunc ad ignobiles conatus sum detrudere corporis partes, excitatis cauteriis in cruribus. Roboraui Hepar, & prauam humoris qualitatem infrænaui exhibitis sudorificis, & tandem ad Arabum mentem, Vnguentum adstringens paro, in cuius compositionem ingrediebatur Mercurius, quod sic fit.

℞. *Terebinth. Abietin. Butyri vaccini, an.* ℥ j. Abluantur benè aquâ decoctionis Maluarum, & Violar. adde

Succi Fumar. Succi Enul. Campan. an. ℥ j. *Aq. Ros.* ℥ ij. *Olei Ros.* ℥ j. *Aceti Ros.* ℥ ß. *Succi Nicotianæ,* ℥ j. C

Bulliant omnia, quoüsque absumantur Succi. Adde

Ceruſæ, ℥ ij. *Lithargyri,* ℥ ij. ß. *Pomholyg.* ℥ j. *Olei Violac.* ℥ j. *Vnguenti Ros.* ℥ ß. *Pinguedin. Porcin.* ℥ j. *Sulphur. viui,* ℥ ß. *Alumin. vsti,* ℥ j. *Sublimati vsti,* ℥ ß. *Styrac. liquid.* ℥ ß. *Vitellor. ouor. num. ij. Succi Limon. Succi Arantior. an.* ℥ j. ß. *Balsam.* ℥ ß. *Pulu. Thuris, Mastich. an.* ℥ ß. *Theriac.* ℥ iij. *Argenti viui extincti cum saliua humana.* ℥ j.

Misce, & semper agitando, & incorporando fiat Vnguentum, quo decies illitus ab scabie liber euasit. Quando ergò scabies diuturna est, & prauam naturam D induit, Hydrargyro tunc vtendum. Sic fecit Auicen. *lib. 2. cap. 47.* qui id vlceribus prauis plurimùm prodesse affirmat, *& 7. 4. tract. 3. cap. 7.* ad scabiem malam vtitur Vnguentis, in quæ ingreditur Hydrargyrum. Legendi de hoc instituto Arnaldus *2. breuiarij cap. 43.* Mercurialis *lib. 2. cap. 4. de morb. Cutan. in fin.*

OBSERVATIO LIII.

De Sanguinis missione.

Intempestiua sanguinis missio, commouet febres, mortem accersit.

MOdò relictâ peculiari ratione morborum omnium, transmittendum nobis est paulùm in morborum vniuersalia præsidia, quantum mediocris ingenij vires, eruditionísque suppetunt. Et inprimis ostentat sese Auicennæ locus, multiplici, variáque doctrinâ refertus, in cuius explicatione, tam multa scribunt interpretes, habeturque in *fen. 4. lib. 1. cap. 20.* hoc modo. *Et sanguinis missio multoties facit febrem, & multoties facit putrefactionem*, &c. Venæ sectio ob ebullitionem spirituum facit febres Diarias, & debilitando naturam, si nimia sit, putredinem excitat, quæ à debilitate oritur caloris innati, & alios morbos promouet, quos latè refert Galen. *lib. 9. Meth. 10.* explicat Valleriola *2. enarrat. 7.* generat Hecticam, quando celebratur in corporibus sanguine indigentibus, gracilibus, calidis, siccis: tunc

sine

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 880 sur 927

©BIUM

ſine vtilitate vires reſoluuntur, priuantur partes alimento, & exiccantur, ſiccitas autem non ſolùm caliditatem acuit, ſed facit vt caliditas tranſeat in habitum. Hoc conſilium ſpernens quidam Medicus fuit in causâ, vt æſtate vigente valetudinarius citra morbum, ſanguinem ſibi mittendum curaret, qui cùm gracilis eſſet, debilis, extracto ſanguine, febrire cœpit, & de Hepatis phlogoſi valdè eſt conqueſtus. Medicus virium defectum non aduertens, loco refrigerantium, & expurgantium, quæ illi neceſſaria erant, iterum atque iterum ſanguinem exhaurit. Hoc auxilio celebrato, & ſanguine, in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet, vacuato, magis excarnis eſt factus, & tabidâ febri arreptus nullis vnquam auxiliis leuari potuit, ſed vitio in vitium mutato è vita diſceſſit. Magna igitur debet eſſe Medicorum prudentia in curandis ægris, ne eorum indiligentiâ, illi, qui ipſis ſeſe committunt, periclitentur. De hoc argumento videndus Ioſterius de Ioſteriis *admiration.3. de ven. ſectione.*

OBSERVATIO LIV.

Sanguis arenoſus.

ERat vir quidam, & generis nobilitate, & opum copiâ abundans, qui grauatiuo lumborum dolore annis decem continuis cruciatus, innumerabilia remedia ad curationem tanti mali Nephritidem præferentis fruſtrà contulerat. Caſu itaque me inuiſentem ægros accerſit, intolerabili dolore afflictus, obnoxiè expoſcit, vt pro hoc leuando auxilium parem. Anodyna conſulo, clyſterem impero, Baſilicam ſecare iubeo, ex quâ, cum calidiſſimo ſanguine, arenulæ craſſiuſculæ in copiâ multâ emanarunt, figurâ ſeminis ſinapi, rubræ, duriſſimæ. His excretis, dolor qui tot remediorum Myriades contempſerat, nunquam ampliùs recruduit.

OBSERVATIO LV.

Septuagenarius phlebotomatus, fluente actu ſanguine, emoritur.

EXortâ inter duos Medicos lite, iunior ſenem ſeptuagenarium Cephalalgiâ laborantem, phlebotomiâ curandum eſſe altâ voce clamabat, pulſui magno, & inflatis venis animum adhibens. Senior pulſum flatu plenum, & ſic fallacem eſſe prædicabat. At adſtantes iunioris eloquentiâ forſitan ducti, conſentiunt. Apertâ venâ, iuniore pulſum tangente, quùm aliquantulum ſanguinis emanaret, in ipſo venæ ſectionis actu, æger ipſe animo deficiens emoritur. At Medicus, fuſtibus, & ſtimulis agitatus è domo pudibundus citò receſſit, ignorans quàm turpe vitium in Medico, contumacia ſit, & quàm indecorum cum ſene, præſertim prudente ad rauim contendere: nam vt rectè *lib.9.* Curtius monebat, *à forti viro vinci nullum eſt probrum.* Ne ergo excitatis rixis alterius acceſſioni inuideas, vt cum Plinio loquar *lib.29.cap.1.*

OBSERVATIO LVI.

Phlebotomia in acceſſione facta, ægrum iugulauit.

INuaſit ægrum acceſſio cum rigore tertianario, & ob motum, feruorem, ebulliente humore, magíſque liquato, in augmento ita increuit febris, vt ipſe exuri videretur cum linguâ ſcabrâ, & ſiti intenſiſſimâ oppreſſus. Conuocatus Medicus, ad ventilandum corpus, ſanguinem exhaurit. Hoc extracto, calor innatus qui erat ad partes externas expanſus, cùm in truncо corporis eſſet exiguus, accedente phlebotomiâ, puſillior factus, ex toto extinctus, & ſic miſer difficili reſpiratione arreptus, cum extremorum frigiditate, à febri, & ſiti perpetuò liberatus. Audi Galenum *lib.1.de humorib.com.12.* per med. *In febribus autem ſi continentes fuerint, & manifeſtam aliquam acceſſionem afferant, in quâ accedentes in eâdem permaneant magnitudine, & ordinatas, aut inordinatas acceſſiones faciant, erit ſummâ diligentiâ animaduertendum, ne increſcentibus inuaſionibus detractiones moliamur, ſed in temporibus placidioribus faciamus*, &c. Vt enim dicebat Celſus *lib. 2. cap.10. In acceſſione ſanguinem mittere, eſt iugulare ægrum.* Quare in declinatione præſtat ſanguinem vacuare, vt rectè monuit Galen. *lib.de curand.rat. per ſang. miſ.cap.21.*

OBSERVATIO LVII.

In ſummâ virium penuriâ, facta phlebotomia, mortem attulit.

CVm Galeni amœniſſimos campos perluſtro, huius viri doctrinâ delinitus inebrior, ita illi mihi videntur iucundi, & grati. Extat Axioma apud ipſum *lib.9. meth. cap.13.* in hunc modum. *Quippe ſi quem curare ſtudes affectum, is vacuationem requirit, vires autem extremâ imbecillitate laborant, toto illo tempore quo vires reſicimus, eorum quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotanti exhibebimus. Vbi verò eò roboris peruenìſſe eas coniicimus, vt nihil, aut parum ex vacuando ſint lædendæ, tum eſt ad affectûs curationem accedendum*, &c. Vides quomodo in extremâ debilitate omnino vetet phlebotomiam? Hoc non aduertit tyrannus quidam Medicus, qui ægro extenuato, & debili, contra aliorum votum, furtim ſanguinem exhauriens, illum interfecit: nam poſt horas duas immunis à febre, exhauſto calido, ſublatus eſt. Hoc multo antea præmeditauit Galenus *lib.12.meth.cap.1. §. Eſto autem terminus in ægrotantibus, quem non tranſibit is, qui ex arte morbos generosè oppugnat, vt tutò medicetur: ei verò qui dolorem mitigat, vt vires cuſtodiat. Vbi vltrà pergitur, crudelis hominis officium facit, qui ſimul cum morbo vitam quoque hominis aufert.*

OBSERVATIO LVIII.

In die purgationis, aliquando phlebotomia eſt ex vſu.

INgerit hîc ſeſe curatio haudquaquam ex triuio, & quam Lyncæi noſtrates, etiamſi trans parietes proſpectare ſibi videntur, non ſatis animaduerterunt, quæ frequenter in opere practico verſatur, quam hac obſeruatione deſcribere conamur. Iuuenis quidam ſanguineus, poſt venam ſectam, & præparantes potiones, leue pharmacum ex Rhabarbari diluto, & Diaphœnico cum ſyrupo Fumariæ maioris, & de ſenâ paratum diluculò aſſumpſit. Poſt duas horas immani ventris dolore oppreſſus eſt, quibus excreto per aluum humore, eſt lenitus. Poſt vnam horam quinquies depoſuit copiosè. Sed ita ardore interno conflagrans, vt viſcera ſibi exuri putaret. Acceſſit deinde febris ardentiſſima, ſitis inexhauſta, dolor ilium ſæuus, & ita truculentus, vt reſpirationem, & vocem interciperet. Vocantur Medici. Dolenti parti, Anodyna applicant, clyſteria lenientia imperant, cucurbitulas, & alias diuerſiones cruribus adhibent. Omnia fruſtra: nam dolor intenſus ſæuiùs vrgebat. Accedo ipſe, ſanguinem emittendum impero; nam vires vtcumque conſtabant. Reclamant omnes. Nam duo motûs contrarij in eodem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 881 sur 927

die non sunt celebrandi. Sed cùm dolor immanior inualesceret, coactâ necessitate, accersito Chirurgo, me iubente, sanguis extrahitur: hoc emisso dolor est mitigatus, & febris remissa. Audi Paulum *lib. 7. cap. 6. Si verò quocumque medicamento ad aluum emolliendam assumpto quis non purgetur, neque vacuetur, nullo accedente periculo, nihil moliendum est. At si magnitudo morbi urgeat, aut æger vellicetur, distendatur, & lancinationem expertus fuerit, clyster statim necessariò injicitur. Sanè, siquidem venter respondeat, corpore rosionem, & veluti euersionem sustinente, lauare liberaliter inungendo oportet; vbi repletum est, gravatúrque, sanguinis missio conducit, præsertim vbi multi compos sanguinis homo fuerit, oculos rubros habeat, & emissitios, non ex naturâ, sed acquisitò ex medicaminis potione.* Hæc Paulus. Firmat Auicen. 4. 1. *cap.* 8. §. *Quòd si enema non iuuerit, & mala superuenerint accidentia, extensiones corporis, & oculi exierint extrà, & fuerit motus ad superiora, necessaria est minutio.*

OBSERVATIO LIX.

Sanguis extractus si non concrescat, non semper malum portendit.

APud Hispanos frequentissimo experimento medentium sancitum est in morbis malignis, sanguinem extractum per phlebotomiam, non concretum, sed fluidum, & aquosum, signum esse lethale, & periculum ingens portendere: nam ex nimiâ putrefactione, sanguinis fibræ sunt corruptæ, & dissolutæ: quoniam proxima, & continens concretionis causa, fibræ sunt, vt Fernelius *ait lib. 6. physiolog. cap. 7.* quas cunctorum animantium sanguis confusas in se habet, quarum defectu, sanguis in Ceruis, & Damis non concrescit ex Aristot. *lib. 3. de histor. animal. cap. 19. & 2. de partib. animal. cap. 14.* Húncque sanguinem in malignis febribus ex venâ extractum, si fluidus persistat, exitium portendere certum est, à malâ enim qualitate totus sanguis vitiatur, & corrumpitur, & illius fibræ dissoluuntur. Contrà experimur in Septentrionali tractu: nam non solùm in venenatis morbis, sed in salubribus, & aliis valetudinariis corporibus, si sanguis per venam extrahatur, sæpè fluidus, & aquosus citra periculum persistit. In his enim terris, sanguis multus in corpore abundat, sed suapte naturâ, non benè coctus, nec elaboratus, immò serosus & aquosus: alimenta enim non ita succulenta sunt, nec ita in sanguinem consistentiâ mediocrem conuertuntur, sed præstant paucum, idque tenue alimentum: nam *debiles cibi, breuem vitam agunt*, dicebat Hipp. 6. *Epid. sect. 5. text. 21.* qui ergò eis vescuntur, debiliores sunt, & non ita robustum habent innatum calorem, respectu Hispanorum, quoniam apud hos alimenta omnia, ob soli, cœlíque temperiem vbertim nutriunt, sanguinem defæcatum, & laudabilem generant: Vnde fit: vt hi morbis sæpiùs tententur à sanguinis copiâ subortis, in quibus Medici iteratas, copiosásque phlebotomias exercent cum commodo summo. Contrà accidit in frigidis terris: nam in præsentiâ crudorum succorum caurè vena secanda, quia vires adesse non possunt. Quapropter in illis sanguinis inconcretio arguit maiorem causam, vehementiorem malignitatem, & corruptionem intensiorem significat: ob contrarias verò causas in Belgis, Gallis, Anglis, & frigidas regiones incolentibus, & aliis qui frigidum, & humidum Hepatis intemperamentum patiuntur: in quibus sanguis tenuis est, & non ita partibus crassis, & terrestribus constat, quarum absentiâ frigescens non concrescit. Hoc experimur in illis, quorum sanguis ob validam sanguificæ facultatis imbecillitatem, & internas obstructiones, per venam effusus omnino non coit, sed in medio modicè coagulatur, cui innatat multum seri expressi, vt è lacte solet, qui pessimus iudicatur à Galeno *lib. 3. de alimentor. facult. cap. 26.* hi enim debiliorem habent calorem natiuum.

OBSERVATIO LX.

De Hirudinibus.

Hæmorrhoïdes, hirudinum morsu, non scalpello aperiendæ.

INgenuus quidam iuuenis, melancholiâ ex suppressis hæmorrhoïdibus laborans, plurima expertus fuerat auxilia, ex quibus leuamen vix sensit vllum. Medicorum consilio hirudines ter ani venulis, applicandas curat, sed incassum. Chirurgi tamen consilio, vt sanguis crassus promptiùs purgaretur, has venas aperit lanceolâ. Sed quo euentu, expecta. Sectione factâ tantum sanguinis emanauit effluuium, vt nullis vnquam auxiliis, nec cauterio sisti posset, sed sanguine nimiùm fluente, viribúsque exhaustis exanimis æger occubuerit. Ex quo fit, vt cœcis hæmorrhoïdibus hirudines apponendæ, ex Actuario *lib. 3. Meth. cap. 3. & lib. 4. cap. 6.* hæ enim placidè, & sensim sanguinem exhauriunt.

Quamobrem Hæmorrhoïdes cœcæ, dolorem inferentes, tumentes, & inflammatæ, nec sunt scarificandæ, ne sequantur immedicabilia vlcera, fistulosa, nec phlebotomo aperiendæ, ex quo opere irreparabilis sequitur sanguinis fluxus, vt accidit D. Ioanni Austriaco, Duci strenuissimo, Caroli Quinti Imperatoris filio, qui plurium Medicorum consilio, cùm hæmorrhoïdibus laboraret, admoto scalpello, largâ sequutâ Hæmorrhagiâ, nullis proficientibus auxiliis, intra quatuor horas è vitâ migrauit, vt refert Dionysius Daca Chirurgus Hispanus famigeratissimus, qui *lib. 3. de apostematib. cap. 43.* de Hæmorrhoïdum curatione, scripsit eruditissimè idiomate suo. Renuat licèt Franciscus Frisemillica apud Baptistam Theodosium *epistol. 27.* cuius rationes hic auctor scitè dissoluit.

OBSERVATIO LXI.

Hirudo per anum casu ingrediens, auxilio quodam semimortua extracta.

NObilissimus quidam ex quartanâ diu malè habens, cùm verno tempore, Medicorum consilio, atri humoris vacuationem pararet, & hac de causâ ano hirudines sibi apponendas curaret. Ecce Chirurgi digitos hirudo subterfugiens, & per rectum intestinum ingrediens, altiùs penetrauit. Conuocati Medici obstupuêre omnes; præsertim cùm apud auctores, nullum huius exempli haberent scriptum vestigium. Accedens ego, nihil mali exspectandum fore prædixi. Sícque stercus bouinum siccum modicè calidum, irroratum priùs Cimicum puluere (vel loco huius Castorium est optimum) ano admouere impero, cuius fumo, & clystere ex solius cæpæ succo confecto, ipsa semimortua cum fæcibus est eiecta.

OBSERVATIO LXII.

Hirudo, incuriâ Chirurgi, nasum penetrans, hominem interfecit

NOn solùm in morbis diuturnis, sed acutis, & laboriosis, hirudinum vsus est mirabilis, quæ pro diuersâ parte affectâ, diuersimodè in variis corporis locis admouentur. Quidam Cephalalgiâ laborans,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 882 sur 927

©BIUM

rans, quum cætera non prodeſſent, hirudinem anteriori narium parti conſilio Medici ſibi admouere curat, ſed quum Chirurgus eam adaptat, hæc illius incuriâ per naſum ingrediens, ad cerebrum penetrans, biduò hominem interfecit, quùm vſque ad tunicas perreptans, nullo poſſet remediorum genere, nec extrahi, nec necari.

OBSERVATIO LXIII.

Cautio debet eſſe magna, in applicandis hirudinibus.

FOemina pauperrima, quùm antiquâ Ophthalmiâ laboraret, Medicorum voto in angulo maiori ſibi venam ſecandam curauit, ſed nullus huic operi artifex idoneus inueniri potuit, quùm hæc ſectio non ita frequenter celebretur; quare illos adiit, qui ſectionis loco hirudinem eâ parte imponendam imperârunt. Illam Chirurgus illo loco impoſuit, & cùm putaret eam adhæſiſſe, ipſe ad aliud cubiculum faciendæ venæ ſectionis causâ ſe contulit, tunc hirudo oculum perreptat, & morſu ſuo coniunctiuam tunicam dilacerat, & ſi præſtò Chirurgus non adeſſet, exhauſtis oculi humoribus in perpetuum cœca euaderet.

OBSERVATIO LXIV.

In longum tempus vt conſeruentur hirudines, poſtquam ſuxerunt, artificium certum.

IN terris frigidis, ferè riuuli, lacúſque in quibus hæc animalia viuunt, gelu concreſcunt, idcircò vigente brumâ ob hanc cauſam, hoc tam neceſſario caremus auxilio. Duo proferam quorum ope hirudines, poſtquam ſanguine ſaturæ, & turgentes extrahuntur, cruorem exſpuere ſolent. Earum venenum eſt ſal, hoc ipſæ irroratæ illicò per os ſanguinem euomunt. Super eas etiam cinerem combuſtorum lignorum inſperge, miraberis. Mox enim cinis, cauſtici inſtar, ſanguinem per totam corporis ſuperficiem attrahit, & exugit. Quare ipſas exiles, tenuéſque in vaſe iterum ad medicos vsûs reſerua. Et hoc toties facies, quoties ipſis vti opus fuerit. Hoc modo inanitæ in longiſſimum tempus perdurant: ſalis verò vi, flaccidiores, & debiliores redditæ poſt paucum tempus reuiuiſcunt, quare ſecundum præſidium eſt certiſſimum.

OBSERVATIO LXV.

De Scarificatione.

Ex Scarificatione profundè adminiſtratâ, Paralyſis ſequuta.

GAlenus, quem vt diuinum virum ſuſpiciunt, & admirantur omnes, cuius generi humano ſalubria ſemper fuerunt documenta, *lib. 2. ad Glauc. cap. 7.* triplicem facit ſcarificationis modum; leuem, quando ſanguis extrahitur ab eo loco vbi vlcuſcula facta ſunt; profundum, quando ſanguis exhauritur ita copioſè, vt animi ſequatur defectus; mediocrem, & in vſu præferendum, qui ab ambobus extremis æqualiter diſtat, & medium tenet. Quando humores ſunt craſſi, tenaces, compacti, aut in parte, aut in toto, profunda ſcarificatio neceſſaria eſt. Hoc documentum non obſeruauit incautus Chirurgus, qui abſceſſum ex humore tenui ſuper ſpinam dorſi enatum perſanans, ita profundam ſcarificationem celebrauit, vt illis inciſis, hominem à tumore liberârit, ſed Paralyticum reddiderit.

OBSERVATIO LXVI.

Ex profundâ ſcarificatione, mors ſubſequuta.

IMprudens quidam Chirurgus ita profundè nouacula acutâ, cùm ſcalpellum non eſſet ad manus, in coſtis ſcarificationem exercuit, vt ſequuta Hæmorrhagia, nullis vnquam auxiliis, nec cauterio ipſo coercèri poſſet, quare exanimis æger è viuis diſceſſit.

OBSERVATIO LXVII.

Ab ſcarificatione, Gangræna, mors.

IN corporibus impuris, & vitioſis humoribus refertis, malignas ſæpe fieri defluxiones ad plures partes, certum eſt. Cuidam Gallicato ob capitis immanem dolorem præcepi, vt natibus, & dorſo ſiccas applicaret cucurbitas, quod cùm feciſſet, vna iuxta lumbos in tantam molem excreuit, vt ob tumorem, & rubedinem ſummam cogeretur miniſter citra meum conſilium eam ſcarificare. Vlcus nunquam potuit ſaneſcere, immò virulento humore emanante, excitatíſque veſicis tetro ſanguine plenis, Gangræna oborta, altiùs per ſpinam ſerpens, accedente Conuulſione, hominem ad interitum deduxit.

OBSERVATIO LXVIII.

De Purgatione.

Purgatione emortua.

PRinceps claſſicorum Fernelius *lib. 2. de ven. ſect. cap. 4.* memorandâ quadam ſententiâ docuit, quanti periculi ſit, plethoricum corpus citra præuiam venæ ſectionem, medicamentis præſertim violentis exagitare: ſic enim ait: *In omni igitur impurâ plenitudine, à ſectâ venâ auſpicanda eſt vacuatio, ſine quâ vix tutò purgatio decernatur: etenim medicamentum quod præſertim validius ſit, tum calore, tum trahendi facultate humores exagitans atque perturbans, plethoricum corpus in grauius diſcrimen adducit. In vniuerſum autem, plenis turgentibúſque venis, ſi non proſit, obeſſe tamen non poteſt moderata ſanguinis detractio, &c.* Idem priùs prædixit Auctor *lib. de Ren. dignot. & curat. cap. 4. §. Sin quatuor humores abundauerint, potius vena incidenda eſt ante purgationem, quam purgandum ante venæ ſectionem: nam ſi vaſa ſanguine repleta ſint, & purgatiuum dederis, non poterit propter plenitudinem in corpus differri, vnde fit, vt ſubſtet, & nihil efficiat: aut ſi quicquam facit, malè faciat, &c.* Grauida quadrimeſtris quùm febri ardente premeretur, eſſétque euſarca, & robuſto corpore prædita, Medicum quendam doctum, at in operibus artis parùm exercitatum pro ſui curatione conuocauit. Hic velut ex commentariolo nauta factus, cùm Hippocratem videret à quarto vſque ad ſeptimum menſem purgationem conſulentem, & nullibi de venæ ſectione verba facientem, & fœmina eſſet phlebotomiæ timidiuſcula, vt huic morem gereret, & cederet auctoritati tanti viri, citra humoris præparationem vllam, Diaphœnicum cum Rhabarbaro, & decocto quodam infrigidante exhibuit. Vix pertranſierat hora, quando ſæuitie increſcente ſymptomatum, ſiti, febri ardentiori, anxietudine, anguſtiâ, & delirio, cum difficili reſpiratione, animam efflauit.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 883 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LXIX.

A syrupo solutiuo recenter facto assumpto, mors subsequuta.

ROsæ Persicæ cætera in purgando medicamenta multùm excellunt, quare Syrupus ex nouenâ earum infusione validissimè expurgat, vt experimento quotidiano comprobatur, & firmat celebri historiâ Lacuna *lib.1. in Dioscorid. cap.* 120. & magis si recenter sit factus: Tunc enim exhibitus, vehementer aluum proritat, humorum facit ebullitionem, caliditate suâ sanguinem inflammat, febrem excitat, & superpurgationem concitat. Hominem curabamus tres Medici præpotentem, & diuitem, qui ob pituitæ copiam innatantem in ventriculo, dolores huius partis citra febrem ex interuallis pariebatur immanes. Imperata purgatio, sed cùm ille fastidibundus esset, & medicamentorum impatientissimus, yncias tres Syrupi Rosarum Persicarum recenter facti, cum ynciis quatuor decocti fol. Sen. Anisi, flor. cord. & Polypodij se assumpturum solùm pollicitus est; annuimus. Vix quatuor horæ pertransierant post assumptum pharmacum, quando sequutâ superpurgatione, febri intensâ, torminibus diris, Apoplexiâ correptus, veluti sideratus repentè extinctus est. Nec dubites: nam hæ rosæ quæ vulgò Damascenæ vocantur, cætera in purgando excellunt, vt ait Manardus *in Mesuem cap. de Rosis.* Quare in hoc syrupo propinando, quando recens est, cautus sis oportet, & in minori semper quantitate eum propina, quoniam *turpis calamitas est, medicamento dato hominem occidere*, vt prædixit Hipp. *lib. de medicament. purgantib. num.*4.

OBSERVATIO LXX.

Ab intempestiuâ purgatione, Tabes, mors.

QVot pericula afferat purgatio intempestiua, oraculo quodam prædixit Hipp. *lib. 4. aeut.* 44. & firmat Galenus *in com.* Ego vidi sæpè ex intempestiuâ purgatione, ante coctionem humoris exhibitâ, febres fuisse adauctas, & ex simplicibus duplices, & ex intermittentibus factas continuas. Quidam gracilis, & excarnis, exhibito syrupo aluum subducente, ad refrigerandum Hepar, cùm antea non febriret, in febrim incidit ardentissimam, quæ adeò in viscera, & solida grassata est, vt nullum non medicamentorum exhibitum genus contempserit, immò ægrum colliquans, in tabem, & tandem in mortem deduxit.

OBSERVATIO LXXI.

De Excrementis.

Vrina alieno loco, continuo excreta.

NAtus est infans cum foramine paruo in radice penis, rotundo, in parte internâ, per quod vrinam continuò excernebat, & si magno impetu eam emittebat, etiam per pudendum excernebat. Adultior factus contraxit nuptias, sed prolem non habuit, fortè quia semen quod rectà in vterum debebat eiaculari, per foramen effluebat. At cùm esset ditissimus, hæredes filios auidissimè exoptabat. Vocauit Chirurgos & Medicos. Hi, in remedio applicando, hoc est, ampliando secundùm longitudinem foramine, inflicto vi scalpelli vulnere, & deinde instar vulnerum cæterorum curando, licèt concordes essent, (hoc enim præsidium solum, ad optatum comparandum finem, esse optimum sibi persuasere) tamen cùm originale esset vitium, artis ope suppleri posse desperârunt. Tamen vrgente ægro, & suadente nimis, cùm prolis habendæ esset amantissimus, ad opus se accingunt. Quâ sectione celebratâ, & occluso foramine, pudendóque satis remanente firmo, hymenæum celebrans, numerosam habuit prolem.

OBSERVATIO LXXII.

Ano imperforato, stercus per virgam excretum.

DVm hæc commentarer, remisit mihi exemplum dignissimum scitu, Doctor Caspar Arejes Franco Medicus Carmonensis peritissimus. Infans natus est ano membranâ obducto. Hic trium mensium spatio, excrementa aluina per vrinæ vias excreuit. Ruptâ nouacula membranâ, euasit fœlicissimè, & hodie viuit. Res mira nam quod per inferiorem aluum natura non potest detrudere, pellit per superiorem. Ita plures toto vitæ suæ tempore, vel pluribus annis, stercus per os excernere sunt soliti, vt notârunt Mercurialis *lib.2. de Excrementis, cap.*4. Solenander *sect.*5. *consil.*15. Quòd si fortè ab ortu acciderit, curatio dicta est facilis, ad mentem Pauli, *lib.6. cap.*81.

OBSERVATIO LXXIII.

De Sudore.

Represso sudore emortuus.

QVidam verno tempore, patentibus poris, toto die vel etiam sine exercitio, & motu, sudorem feruentissimum per corporis ambitum excernebat. Hac vacuatione sanus & alacris pancraticè viuebat. Sed cùm decennio, hanc molestiam, quatuor, & quinque mensibus in anno experiretur, illam vt euitaret, consilio Medicorum, venam secuit, purgantia admisit. His factis cùm sudor adhuc ex impetu naturæ sese deonerantis commotus non cessaret, fontanellam cruri dextro affixit, cuius ope, ventilandum iecur, & excrementitiam humiditatem ad inferas partes deturbandam sperat, quâ celebratâ, optimóque regimine vsus nullum commodum sensit. Huius malí pertæsus, sequenti vere, impetum aduentantis sudoris reprimere conatur frigidissimo Balneo, in quod ingressus per horam, ita obriguit, vt veluti gelatus in lecto cubare cogeretur. Sudor sponte cessauit, sed noctu subortâ angustiâ, Palpitatione cordis arreptus, post tres horas, prostratus, mortuus est.

OBSERVATIO LXXIV.

Sudoris fœtidi, curatio.

VIr elegans, & pulcher, temperamento calidus, & humidus, biennio ita horribilem sudorem fœtidum per totam corporis superficiem diurno præsertim tempore patiebatur, vt in coronâ hominum esse non posset, quin adstantes horribili fœtore inficeret. Mali causa cognitu facillima; vnica primaria, nimia putredo excrementorum. Interna, complexio calida & humida. Curatio difficilis, quia viscera habitualiter affecta. Ab excrementitiâ humiditate purgatis sæpissimè. Corpus totum ablutum decocto ligni Aloës, flor. Arantiorum, Rosar. Macis, Myrtillor. Cinnamom. Caryophyl. Nucis moschat. Maioran. Saluiæ, Roris marin. adiectâ Rosaceâ aquâ, & flor. Arantior. facto in vino odorato. Pulueres inspersi per totum corpus qui constant ex Moscho, Ambaro, Cypero, Amomo, Caryophyl. hoc enim

monuit

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 884 sur 927

monuit Auicen. 7. 4. *tract.3. cap.22.* Sed cùm his non proficeret, Balneum administratur. Sudores ex Ebeno, & radice Chynæ imperantur. Balnea naturalia consuluntur. Ex his nullum profuit auxilium. Tandem cùm diuturna adesset Hepatis, & ventriculi intemperies calida, & humida, vt excrementa hæc per aliam regionem diuerterentur, vsus fuit diu prouocantibus vrinam, quæ cùm non conferrent, fonticulos cruribus affiximus: quorum ope, cùm putores illi, corruptíque humores vacuarentur, bis quolibet mense expurgatus, à tantâ fœditate, superstes remansit.

OBSERVATIO LXXV.

Sudor sanguineus criticus.

ANimosus vir, quadratus, succulentus & benè educatus, aduentante vere, in febrim sanguineam incidebat: hanc natura, antequam expectaret artis opem, persanabat oborto sudore sanguineo, aliquando in quinto, sexto, aut septimo morbi die. Hic per diapedesim è toto calidissimus, & feruido, igneóque spiritu permixtus, biduò sensim, ac sine sensu emanabat: nam exeunte sanguine pruritus ingens per totam corporis superficiem sentiebatur. Eo finito æger vsque ad aliud solstitium Vernale salubriter vitam degebat. Causa est in promptu. Si enim ars hunc sanguineum sudorem prouocare potest, quantò magis natura, quæ superfluum, & redundantem sanguinem per omnem corporis regionem eliminat, maximo cum animalium commodo? Narrat miles apud Monardum *lib.2. Aromatum*, Medicos in Occidentali plagâ, in vrbe *Posto* vocatâ inueniri, qui Vnguento corpori appositio, ex succo cuiusdam herbæ incognitæ parato, in febrientibus merum sanguinem sudoribus eliciebant. Videndus Eruditissimus Syluaticus *controuers.5.*

OBSERVATIO LXXVI.

Sudor nigerrimus.

HOmo erat quinquagenarius, qui cùm dolore lienis vexaretur, & esset natiuâ sorte melancholicus, taciturnus, & tristis, venam sibi incidere curauit, deinde leniter expurgatus, multis vsus est cataplasmatis, & clysteribus, quibus publicè in eiusmodi doloribus leuandis Medici vti solent. Tandem excreto vomitu nigro, qui colorem lapidis Gagatis repræsentabat, corporéque toto tuberculis liuidis respersо, & in regione Ilium sinistrâ oborto sudore nigerrimo, (atramentum diceres) semihoræ spatio, tepido, & copioso, ab omni dolore saluus remansit. Nam sicut natura in animantis commodum, apertis hæmorrhoïdum tubis, nigrum sanguinem salubriter expellit, per vterum, aluum, vrinam, sputum, hæmorrhoïdes, præsertim in melancholicis retentis euacuationibus, cur non per cutem? æger verò cautionis causâ, vsu seri lactis, & fontanellâ in crure læuo affixâ, in posterum à melancholicis affectibus tutus euasit. Lege Auicen. 1. *part. cantic. tractat.* 2. *num.* 338. §. *Sudor niger significat semper melancholiam*, &c.

OBSERVATIO LXXVII.

De Excrescentiis.

Excrescentiæ carneæ, portentosæ magnitudinis curatio.

SExagenarius ad extremam paupertatem redactus, de lumborum dolore queri cœpit, qui cùm vehemens esset, nullis vnquam auxiliis, nisi tuberculo in eâdem parte excitato mitigari potuit. Tumor erat Auellanæ paruæ magnitudine, indolens, tactu durissimus, rotundus, immobilis, colore subalbidus. Hunc curaturus, corpus priùs ab humore melancholico, & pituitoso, à quo tumor ducebat originem, sæpiùs repurgaui, sudorifica ex Ebeno, & asperâ Smilace exhibui, fonticulum in crure aperui, dextrâ parte, quà magis inclinare videbatur, emollientia admoui. His factis spatio septem mensium meliùs habuit. Recrudescenti tumori, & vehementiùs indurato facta præsidia cùm opem non ferrent, ad Cydonei magnitudinem paulatim deuenit, ita vt præ grauitate rectè incedere non posset, & sensim ac sine sensu biennio ad tantam molem increuit, vt miser præ pondere cogeretur resupinus in lecto iacere. Huius lachrymæ, & preces me mouerunt, vt accersito Chirurgo perito curationem aggrederer. Crassitudinem resecare paulò maiorem, quâ veluti pediculo adhærescebat, ob metum futuræ Hæmorrhagiæ, maximè in homine annoso, debili, pertimui; quare filo serico triplicato, priùs cerâ oblito, & deinde aquâ Sublimati insuccato leuiter ligo, & bis in die horæ spatio circundo, & ita clam furtímque carnem exedo, quoüsque tota carnea moles duorum mensium spatio decideret, quæ ad stateram ponderata, septuaginta librarum pondus excedebat: nam caro solida erat, alba, & bene firma, quæ præcisa, & in varias partes cultello dissecta sanguinis guttam vix emisit vnquam. De his excrescentiis admirandis, legendi Langius *lib.3. epist.4.* Beniuenius *De abdit. cap.14. qui similem viderunt in coxâ, libras* 60. *ponderantem.*

OBSERVATIO LXXVIII.

Nattæ ab vteri labio pendentis, miræ magnitudinis, curatio.

AD consilium fœminæ honestissimæ vnà cum quatuor Chirurgis vocatus, accedo, cui à labro vteri dextro, caro mollis, flaccida, vberis instar, formâ oblongæ cucurbitæ, ad genu vsque pendebat, *Nattam*, seu *Naptam* diceres. *Apostema carnosum* vocant *Latino-barbari*. Tumor hic septem annorum spatio increscere cœpit, colorem habens naturali similem, dolorem nullum, at pediculo tenui vteri labio alligatus, vsque ad fastigium in latitudinem mediocrem erat extensus. Sed cùm ipsa hac de causâ concumbere non posset, quùm inter inguina tumor hic penderet, cuius medium femori ligabat, & prolem non haberet, essétque in ætate circiter 28. constituta, nos vocauit, vt tanto malo præstaremus auxilium. Horum quidam post prouidentiam totius, sectionem consuluit. Alius in tumore intestina aceruari arbitratus, resoluentibus esse tumorem tractandum ratus est. Alter nihil operandum esse consuluit, sed sinendam in eâ miseriâ mulierem viuere; nam si sectio fieret, quæ solùm huic malo erat necessaria, timendum, ne ex Hæmorrhagiâ nimiâ ipsa è vitâ discederet. Vltimus mecum impossibile esse prædixit, carneam molem, licèt pediculo tenui adhærescerent, carminantibus absumere. In diuersas partes sententiis distractis, periculum fœminæ & marito nunciatur. Illa intrepidè ad incisionem se parat, mallens illi se exponere, quàm in mediis calamitatum fluctibus vitam ducere. Expurgatur iterum corpus. Inciditur tumor circa cutem, à quo maxima aquosi humoris copia vacuata. Caro præcisa erat alba, spongiosa, cum quâ Tophacea substantia erat commixta. Pependit libras ciuiles duodecim. Ablato veneris impedimento, concepit, peperit,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 885 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LXXIX.

De Venenis.

Ex vapore Arsenici Icterus, & extenuatio tabifica.

QVanta sit Arsenici Sublimati pernicies,& vis dira doctissimorum historiæ satis commonstrant. Fœmina quædam cùm ex Arsenico Sublimato fucum muliebrem continuò pararet, in extenuationem totius corporis, vnà cum pallore icterico simili lapsa est, ex quâ ita languida, & eneruis remansit, vt tabidam diceres. Vrina bona. Febris non aderat. Sitim non habebat, respiratio æqualitatem seruabat, ad oblata benè se habebat, denique omnia erant simillima sanis, si macie non esset confecta, & fœdo vultûs pallore non inficeretur. Pro curatione huius multa sum rimatus, tandem recordor historiæ Galeni *lib.5. de loc. affect. cap.7.* in quâ tantus auctor enarrat Imperialium seruorum quendam, viperarum venationi destinatum, ab harum morsu in Icterum incidisse, epotáque Theriacâ curatum, quod firmat notabili exemplo Auenzoar *lib.1.tract.13.cap.6.* Quare cùm aliæ causæ non adessent, ex quibus morbus regius repullulat, ex fumo Arsenici Sublimati oriri hæc omnia sum ratiocinatus, maximè cùm illa appositâ multâ copiâ Sublimati fucos conficeret, ex cuius nidore testabatur, se vertigine veluti oppressam in solum casuram persæpè, nî caput manibus sustineret. Ex fumo autem venenoso, hæc, & alia oriri grauiora pathemata, res est manifesta: nam Nicolus *serm.4. tract.4. cap.23.* proponit exemplum cuiusdam, qui ex solo combusti Aranei nigerrimi, & magni, fumi nidore hausto,totâ nocte passus est Syncopen, Palmum cordis, pulsûs abolitionem, & curatum fuisse Diamoscho, Theriacâ, & puluere Belzaar. His ergo admonitus, ex hac causâ huic summam maciem,& pallidum colorem euenisse, malâ qualitate Hepati impressâ, ob quam rectè corpus non nutriebatur, & bilis plurima generabatur, quæ per corpus delata arquatum morbum excitabat, mihi persuasi, nec irritum fuit ratiocinium. Nam frigidis applicitis Hepati, & renibus, exhibitis sero lactis, Ptisanâ, potionibus refrigerantibus, simili victu, Cardiacis Electuariis paratis ex Theriacâ, Confect. Hyacinth. Mithridatio, Ebore, puluere Crystalli præparati, Santalis, Corallo, Margaritis, frigido Diamargaritône, lapide Belzaartico, exceptis cum syrupo de acetositate Citri & Nymphææ, meliusculè habuit, & tandem lactis caprini vsu ad duos menses exhibiti, pinguis facta, à prauo colore, & macie tuta remansit. Alium curaui hoc modo, qui solo illitus Arsenico, aquâ diluto, pro scabie curandâ in similia pathemata lapsus est.

OBSERVATIO LXXX.

Ex sanguinis Taurini esu, Vteri corrosio, & mors.

TAuri recenter iugulati sanguinem epotum venenosum esse, veterum, & iuniorum vnanimis sententia firmat, ex cuius esu difficultas spirandi, distentio neruorum, faucium præclusio, linguæ rubor, dentium nigredo, & alia sæua symptomata subsequuntur. Hæc fortè non ignorans Villica quædam, quùm vnâ die maritus Taurum ferocissimum interficeret, huius sanguine cocto, saléque respersо, vt de more est,quando aliorum animalium sanguis concretus comeditur, aliam vicinam, in quam odium, & rancorem in pectore fixum certâ de causâ seruabat,malo dolo appositis etiam aliis ferculis ad prandium inuitat. Innocens, cùm sanguinis cocti victui esset assueta, hunc auidissimè edit. Post horam, liuida facta, frigidum exudat, & tanta virulenti, acerrimi, calidissimíque Ichoris ab vtero copia emanat, vt corroso vtero, & in pelliculas dissecto, cum dolore, pruritu, & fœtore intolerabili, nimio sanguinis fluxu emanante, viribus exhausta, triduò anxietate oppressa, vigil, & delira animam efflaret. Altera à magistratu apprehensa, & confessa, rotæ affixa, meritas pœnas persoluit. Cur autem hic sanguis sit venenosus, percontaberis? Respondet Martinus Rulandus *lib.1.probl.medicophysicor.253.* quoniam est valdè fibrosus, quare non solùm illicò concrescit, sed reliquum sanguinem coagulat, venenatáque qualitate conspurcat.

OBSERVATIO LXXXI.

A semine Ricini assumpto ad prouocandum vomitum, mors subsequuta.

ORibasij summi Medici *in lib.8. collect. cap.12.* egregia sententia est, *facilitatem vomendi in mediocri repletione consistere, qui enim se nimis expleuerunt, ita ventrem quoque impleuerunt, vt eum contrahere nullo modo possint.* Animosus quidam rusticus, cùm pro more, grana decem, aut duodecim ex interuallis, Seminis Ricini (vulgò *Cataputiam* vocant *maiorem*) assumeret, purgata, & trita, quorum ope vomitu excitato corpus ab humorum sarcinâ leuabat: ecce vno die, vino, cibóque repletus, dolore capitis vehementer afflictus, consuetum, & familiare medicamentum ad concitandum vomitum assumpsit. Post dimidiam horam,tantâ cum violentiâ inanis vomitus est secutus, vt Lipothymiâ arreptus in veternum incideret, qui tandem crebrâ, validáque conuulsione agitatus, resolutis viribus, stertens emoritur.

OBSERVATIO LXXXII.

Ex potu sanguinis hominis rufi, perpetua fatuitas.

STudiosus quidam in philosophiâ satis versatus, cum alio condiscipulo pugnam iniens, eum pugnis,& contumeliis affecit.His non satisfactus adhuc de eo sumere vindictam satagit. Quare hac est industriâ vsus. Amicitiam simulans eum ad conuiuium pro amicitiæ redintegratione inuitat. Inter potandum offert illi poculum vini, vnciis duabus sanguinis hominis rufi, cui nuperrimè erat vena secta, adiecto etiam Saccharo, in omnium præsentiâ delibutum. Incautus in signum amicitiæ venenum lubenter exhausit. Post diem nihil mali persensit, sed post triduum,serpente veneno, delira loqui visus est.Demum fatuus in æternum remansit,quùm nullo remediorum genere posset hæc stultitia emendari.

Neque hoc solùm de sanguine hoc, iure affirmare possum, cùm viderim incautas fœminas viris suis, menstruum sanguinem, vino, aut liquori alteri commixtum sæpè obtulisse, vt ab aliarum mulierum amore eos vindicarent, cuius cruenti remedij vi, ac efficaciâ, ipsi deliniti, vxorum amore flagrarent, ac contabescerent. At licèt hæc dicantur magorum deliramenta, vel potiùs dæmonum præstigiæ, quos illi, horum antistites,humani sanguinis effusione delectari nouerunt; tamen sanguinem menstruum esse venenatum, & fatuitatem inducere, exemplo illorum fit manifestum, qui postquam menstruum epotârunt, totâ vitâ amentes, fatui, immemores, surdastri, euaserunt, nullis conferentibus Belzaarticis Antidotis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 886 sur 927

©BIUM

dotis, quæ Conciliator, Ponzettus, Sanctius de Arduinis, & alij, capite de ſanguinis menſtrui veneno proponunt.

Num verò ſanguis menſtruus ſit qualitate noxius, venenatus, & ex ſuâ naturâ tot maleficia concitet, quæ proferunt Plinius *lib. 2. cap. 15. & lib. 28. cap. 7.* Columella *lib. 11. rei ruſtic. cap. 11.* Ælianus *lib. de hiſtor. animal. 8.* Lacuna *lib. 6. in Dioſcorid. cap. 25.* Fernelius *7. phyſiolog. cap. 7.* Baptiſta Sylvaticus *lib. controuerſ. 91.* Caſtrenſis *lib. 4. de Meteor. Microcoſmi, cap. 6.* quem eſſe puriſſimum naturâ ſuapte, & eiuſdem naturæ cum eo, quo & viſcerum parenchymata coagmentantur, & fœtus in vtero alitur, & lac gignitur, validiſſimis machinis contra citatos contendunt Laurentius *lib. 8. de Hiſtor. Anatomicâ, quæſt. 8.* Otto Caſmannus *part. 2. pſychолog. cap. 8. diſput. 9.* Mercurialis *lib. 4. de morb. mulier. cap. 1.* Mercatus *lib. 1. de morb. mulier. cap. 3.* Heurnius *lib. 1. inſtit. cap. 6.* Riolanus *in compendio Medico ſect. 3. cap. 8. de ſanguine menſtruo.* Quòd ſi fatuitatem aliquando inducit, & alia terribilia concitat ſymptomata, ea potiùs huic ſanguini, vel poſt partum erumpenti, qui deterior eſt, & pernicioſior ex Gal. 3. *epid. ſect. 3. com. 73.* aut exeunti à muliere malè affectâ, & cacochymâ, non ſanguinis puritati, qui ſincerus effluit è venis, & arteriis, attribuenda ſunt; hic enim cùm ſit perfectus, & elaboratus, in vtero, veluti in ſentinâ retentus, præ morâ putreſcit, & quò purior, citò vitiatur, & abit in peſſima. Lege Leuin. Lemnium *lib. 1. de occult. natur. miracul. cap. 10.*

OBSERVATIO LXXXIII.

Ex morſu Apum, Gangrænæ curatio.

INcauti pueri ad ſolem circa aluearia Apum decumbentis, Apis aculeo punxit ſupercilium. Sequuto dolore, pars in tumorem, & inflammationem ingentem eſt eleuata. Vocatus illicò, auctoritate veterum, Cataplaſma ex coctâ maluâ cum lacte muliebri impono: nam illa præterquam quod lenit, natiuâ quadam ſorte Apum morſûs perſanat. Cúmque vehemens ardor, & color illum infeſtarent, cucurbitas coſtis admoueo, Lauri folia viridia parti impono, quæ à proprietate contra morſûs Apum vtilia ſunt, ex Conciliatore *lib. de venen. cap. de morſu Apum*, Raſi *lib. 8. ad Almanſor. cap. eodem.* Reuerſus ad domum conſulo auctores. Ad dilatandam partem, & venenum extrahendum eam ſcarifico cum Halyabbate *lib. 4. pract. cap. proprio*, & cum Alzarauio *lib. 29. pract. ſect. 2. cap. 29.* cinerem calidum ſuperpoſui, & cum Ponzetto, adieci fermentum. Ad retundendum venenum obtuli cum Chriſtophoro de Honeſtis, *in ſuis problematibus de venenis, probl. de morſu Apum*, Alexipharmacum ex ſucco Coriandri cum Saccharo concinnatum, quod à proprietate horum animalculorum venenoſam malitiam obtundit, & infrænat, quod etiam firmauit Auic. *6. 4. tract. 5. cap. 15.* Demum nihil non tentatum, at puer peiùs ſemper habuit: nam cùm Cacochymus eſſet, febríſque nimiùm vrgeret, & plethoricus eſſet, nec reuellentia auxilia, frigida, aut Cardiaca intus oblata, iuuamentum attulêre vllum, immò malo vſque ad tempora ſerpente, pars Gangrænâ eſt occupata, cui ſcarificatio profunda ſummo fuit præſidio. Quâ celebratâ, & Alexiteriis iterum oblatis, magno cum labore, euaſit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Ad eliciendum Venenum, remedium ſingulare.

ANtidota & Alexipharmaca ad ſe allicere Venenum, conſtanter affirmat Galenus 5. *Simpl.* 18. Cùm mala quædam fœmina maritum ſuum vellet interficere, vt cum alio nuptias contraheret, illi venenum obtulit cum vino permixtum. Poſt duas horas nigritie totius corporis afficitur, anxius, ſoporoſus, oculis toruis, & veluti fatuus in ſolum decubuit. Affines venenum ſuſpicantes, Iuſtitiæ negotium patefaciunt. Apprehenditur fœmina, & à Præſide illicò vexata tormentis, id ita eſſe palàm confeſſa eſt. Factâ inquiſitione de ſpecie veneni, reſpondit ſe â quodam Pharmacopœo (nomen eius, & plateam oſtendit) emiſſe iam paratum. At ille huius tragœdiæ conſcius, alas addens pedibus, abierat velocior Euro. Æger autem exanimis iacebat in lecto, & veluti ſine pulſu. Cúmque eſſet ſuſpicio de veneno frigido; nulla enim erant inflammationis, ardoríſve interni ſigna, nulla roſio in ventre percepta, nulla in ore, palato, & gingiuis vlcera apparebant, quæ omnia Veneni calidi manifeſta ſunt indicia: tamen accerſitus calorem exſuſcitare ſtudeo, cucurbitulis ſiccis per totum dorſum, tibias, plantas pedum affixis. Oleum copioſo butyro admixtum, tepidum bibendum offero. Vomitum paro ex decocto ſem. Raphani, aneth. camomill. cum Oxymelite, & Agarico diſſoluto. Ne venenum ventriculo & cordi officeret, procuro, iniectis acribus clyſteribus, factis ex decocto ſcordij, ſcabioſæ, tormentillæ, Cortic. citri, ſem. baſilici, Flor. dictamni, Zedoariæ, & baccarum iuniperi, Flor. citrangulor. Roriſmarini, & Meliſſophylli, cum aloë & hierâ Galeni, butyro, & ſale. Epithema impono cordi ex Theriacâ, Electuar. Alcherm. ligno aloës, oſſe de corde cerui, Diamargar. calido: Vnguento naphæ cum aquis meliſſ. florum arantior. Foliis auri, & generoſo Vino. Cardiaca exhibeo per os. Nihil tamen leuatus eſt; ſicut nec ſudorifico facto ex gran. xx. lapidis Belzaartici, ʒ j. ß. Confect. Alchermes, cum ℥ v. aquæ Cardui benedict. & ℥ ij. aquæ Papauer. rubri, & ʒ ß. Theriacæ. Quo hauſtu bis aſſumpto, nullam vtilitatem perſenſit. Tandem poſt octo dies, nutritus cibariis optimis, Vnguentum toti corpori admoueo, à plantâ pedis vſque ad ceruicem totam, calidum, quo ſudor fœtidiſſimus vbertim erupit, viſcidus & lentus. Cúmque quater vngeretur, recuperauit pulſum, color naturalis faciei eſt inditus, incaluêre extrema, dormiuit, & perfectam conſequutus eſt ſanitatem. Cùm autem eius fœmina eſſet in carcere detenta, & maritus mortuus non eſſet, verberibus publicè puncta, & in exilium relegata, meritas ab eius conſortio ſeparata, in perpetuum luit pœnas. Vnguentum alexipharmacum eſt huiuſmodi.

℞. *Olei nenuphar. & naphæ, an. ℥ iiij. Olei de ſcorpionib. Matthiol. ℥ j. Succi bugloſſ. borrag. ſcabioſ. ſcordij, & pentaphyll. an. ℥ j. Sem. citri, & acetoſ. an. ϑ j. Oſſis de corde cerui, ʒ j. Croci, gran. vj. Vini albi odoriferi, ℥ ij. Theriacæ, Electuar. de gemmis, Electuar. Alcherm. & Confect. hyacinth. an. ʒ j. ß. lapid. Belzaar, gran. x. Aceti odoriferi, parum.* Miſce, fiat linimentum.

OBSERVATIO LXXXV.

De Rabie.

Rabies, contagioſiſsimus, & venenoſiſsimus affectus.

NVllum eſt rabie magis præſentaneum venenum, nec peſtis ipſa, à quâ aliqui euadunt, à rabie rariſſimi. Canis rabidus hominem momordit. Hic rabidus factus, chordis deuinctus, in cubiculo ſeruatur. Ecce vnâ nocte, omnes, qui eum cuſtodiebant, dormientes, effractis vinculis adortus, morſu violenter trucidauit. Hi poſt duas horas rabidiores facti, concluſi in domo mutuis ſe morſibus dilacerârunt. Tandem latratu ingenti, & delirio perciti intra duos dies, omnes occubuêre. Lege Baptiſt. Codronchium *lib. 2. de rabie cap. 2.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 887 sur 927

©BIUM

OBSERVATIO LXXXVI.

Rabiei, contagium admirandum.

ILluſtris quædam fœmina incidit in febrim continuam, quam angor ſummus, ſitis inexhauſta, vigilia, oris amaritudo comitabantur. Vocatus Medicus, ex bilioſo humore eam ortam prædixit. In ſecundâ die pharmacum propinat, quo multa excrementa retorrida excreuit. Poſt ſyrupum oblatum refrigerantem, venam ſecandam imperat. In quinto intenſiſſimâ ſiti cruciata, aquam oblatam horret, immò ad omnis liquidi præſentiam contremiſcit. Accedens Medicus ad mentis læſionem omnia refert: nam phrenetici hac de causâ ſunt paucibibuli apud Hippoc. *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 34. & lib. 1. prorrhet. ſect. 1. text. 16.* & Gal. *in com.* vt notant Mercurialis *in com. hiſtor. 31. Epidemica*, & Thomas à Veiga *in com. cap. 8. lib. 4. de loc. affect. Gal.* Sed cùm in peius vergeret, me vocant. Ego, aquæ, omníſque liquoris pauorem admiratus, de causâ quæſiui. Multis vltrò, citróque, cum adſtantibus ratiocinatus, hi confeſſi ſunt, ipſam à multo tempore, rabidum canem iam ſuffocatum, quem in deliciis habebat, ter lachrymis obortis deoſculatam fuiſſe. Et ſic ſeptimo die rabie immani perculſa, furiíſque agitata è vita migrauit. Neque dubites: nam tanta eſt huius veneni pernicies, vt non morſu modò, ſed ſolo contactu, rabidi canis ſaliua rabiem excitare poſſit; quippe quòd adhæſu interimat ſolo, & externarum partium epidermidem quantumuis validam, ac denſam, & arctos corporis meatûs ſuâ efficaciſſimâ vi penetret, intróque penitus ſubeat, ac inde ſenſim, clam, furtímque in corporis penitiſſimas partes irruens inuadat. Cuius rei exempla legat qui velit apud Matthæum Gradium, *conſil. 82.* Palmar. *lib. de morb. contagioſ. pag. 267.* Fernel. *lib. 2. de abdit. 14.* Salium *lib. 19. de affect. particul.* Cardan. *lib. 9. contrad. tractat. 5. cont. 2.* Matthiol. *ad com. cap. 36. lib. 6. Dioſcorid.* quoniam rabioſum contagium per ſimplicem contactum corpori communicari poteſt, renuat licèt Fracaſtorius *lib. 2. de morb. contag. cap. 10.* cuius placitum Galen. & Cœlij auctoritas redarguit manifeſtè. Ille *lib. 6. de loc. aſſect. cap. 5.* ſic ait: *Tantam fieri in cane tunc humorum corruptionem, vt ſolum eius ſputum ſi humanum corpus tetigerit, rabiem excitare poſſit, &c.* Aurel. *lib. 3. acut. cap. 9.* refert hiſtoriam ſartricis chlamydem rabidis morſibus ſciſſam lambentis, & rabidæ factæ. Huius enim veneni eſt efficacia mira, de cuius vi dirâ, vel etiam poſt mortem non extinctâ, celebres, citati auctores protulere hiſtorias. Conſulendi de hac re Valler. *lib. 3. obſeru. 3.* Syluatic. *in com. hiſtor. Gal. 58.* Marcel. Donat. *lib. 6. de hiſt. mirab. cap. 1.* Hildan. *lib. 2. cent. Chir. 33.*

OBSERVATIO LXXXVII.

Rabiei exemplum ſtupendum.

GEneroſus quidam vir quùm fortè per plateam iter ageret, ecce oborto tumultu, aſpiciens retrò, vidit canem rabioſum ſuffocandum, quem plebeij funibus deuinctum deferebant vociferatione magnâ. Ille vt effugeret canis morſum ſtans circà, illum gladio circunfodit, & eo immiſſo in vaginam curſum ſuum peregit. Ecce poſt octo annos cùm irâ percitus tres inuaderet, eos grauiter gladio eodem percuſſit. Hi, vulneribus curatis, citra manifeſtam cauſam poſt tres annos renuere potum incœperunt, tandem verſi in rabiem, furiíſque agitati, miſerè vitam cum morte commutárunt. Noui binos pueros, qui in lecto decumbentes, à fele rabido in pede vnguibus dilacerati, poſt quatuor annos rabie vexati obiêre. Tanta eſt huius veneni vis, cuius præſentaneum venenum per annos non extinguitur. Quapropter feles in deliciis non habendi: nam præterquam quòd in rabiem aguntur ex Amato *7. cent. 65.* Andreâ Bacchio *in prolegomen. venenor. pag. 16.* etiam illis ferè vis tabifica ineſt, ex Auenzoare *lib. 1. theizir, in proœm.* Moſe Ægyptio *part. 22. Aph. num. 39.* Conciliator. & Bartholom. Euſtach. *in tract. de venenis, cap. de cerebro Catti,* Matthiolo, Ponzetto, & aliis.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Ex morſu hominis, mors ſequuta.

APud Græcos auctor famigeratiſſimus Paulus Ægineta inter cætera notatu digna vnum caput appoſuit, *lib. 5. cap. 26.* de hominis morſu, dum ſic dicit: *Non extra inſtitutum fuerit cum virulentis beſtijs, etiam hominis morſus conſcribere. Siquidem maligniores multò aliys vlceribus apparent, præſertim ſi ieiunus momorderit, priùs leguminibus vſus, & præſertim lenticulâ, &c.* Idem etiam affirmant Celſus *lib. 5. cap. 26.* Plinius *lib. 28. cap. 4.* Galenus *lib. 1. ſec. gener. cap. 13.* Iuxta horum eruditiſſimorum mentem non excuſabitur à ſupplicio homo, qui morſu ſuo alium hominem momorderit; nam cùm duo baiuli inter ſe hoſtiliter rixarentur, horum quidam alium humi iacentem ita morſu pluſquam canino ſupra genu decerpſit, & laniauit, vt miſer commorſus, obortâ in parte Gangrenâ, & vſque ad Bubonem ſerpente virulentiâ, quæ nullis vnquam auxiliis cohiberi potuit, vitam finiuerit. At mordens apprehenſus, patibulo affixus pœnam perſoluit. Vidi alium, cui, poſt iurgia, & contentiones, ab altero digitus index morſu violento intra dentes attritus, abſciſſus eſt, & ita vlcus venenoſum manum totam contaminauit, & putredine infecit, vt ſolùm eâ præcisâ ſuperſtes remanſerit. Hanc cladem etiam experta eſt meretrix quædam, quæ ab aliâ conſociâ ſuper ancham commorſa eſt ita immaniter, vt vlcus contractum cacoëthicum, diu affligens, ſolùm ſudoribus ex Smilace aſperâ ſuccubuerit. *Etiam hominum morſus aliys vlceribus admodum ſimiles ſunt, niſi qui momorderit, vitioſis humoribus abundet, aut diutiùs à cibo abſtineat, aut irâ correptus ſit, vt vniuerſum corpus, etiam dentes bile madeant,* inquit Galen. *loc. cit.* Quare cùm frequenter homo non mordeat hominem, niſi percitus irâ, fit meritò, vt huius morſus ſit virulentus, pro cuius curatione auxilia parat *lib. 5. ſec. gener. cap. 2. in fin. & lib. 6. eiuſd. cap. 2. rubric. 2.* fecit etiam Auic. *6. 4. tract. 4. cap. 3.* Lege Haly *4. pract. cap. 28.*

OBSERVATIO LXXXIX.

Ex Hydrargyri illitu, mors repentina.

QVidam ſordidus, & pruriginoſus totam cutem pediculis conſpurcatam habebat. Hic citra conſiderationem vllam vnâ nocte, mulierculam conſilio, totam thoracis regionem Hydrargyro vngit cum ſaliua permixto. Somno ſe tradens, perpetuò obdormiuit. Ad alium intempeſtâ nocte accerſor, qui hoc modo ad necandas lendes illitus, patiebatur Syncopen, vehementem cordis tremorem, anguſtiam, & pondus in corde ſummum ſe percipere referebat. Illicò cucurbitæ ad extrahendum venenum ad externas partes ſcapulis è regione cordis humidæ adminiſtratæ. Frictiones per totum corporis ambitum aſperæ adhibitæ. Cardiaca oblata. Theriaca exhibita in aquâ Cardui benedicti diſſoluta. Cryſtallum præparatum aſſumptum. Coſtum cum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 888 sur 927

©BIUM

cum vino imperatum. Quæ omnes potiones, foliis Auri, quod est Mercurij antidotum, erant irroratæ. Tandem Vnguento de Auro appositò supra thoracem, cuius in 2. *lib. hist.* 136. mentio fit, magno cum labore, morbum superauit.

OBSERVATIO XC.

De Alexipharmacis.

Febris maleficentissima, vsu lapidis Belzaartici in multâ copiâ exhibiti, curatur.

FOemina quædam calidissimi temperamenti in febrem incidit maleficentissimam, deterrimis comitatam symptomatis, adeò vt cum angore summo, tribus diebus continuis, viuos per os expelleret 62. lumbricos. Ex contagio clientes omnes eodem correpti sunt morbo. His ea administrata auxilia, quæ & inutilem vacuarent humorum copiam, vnáque maleficam qualitatem retunderent. At illi, quibus Belzaar in paruâ dosi est exhibitus, omnes periêre. Domina autem maximam assumens quantitatem, interdum vnico haustu, drachmam, licèt pernicioso ori esset oppressa morbo, fœlici euentu, salua remansit, & non solùm hæc, sed alij plures hac curati viâ euasere: nam vehementi veneno antidotum vehemens succurrit.

OBSERVATIO XCI.

Dysenteria venenosa, Smaragdi vsu, curatur.

SMaragdo Alexiteriam vim inesse memorabili historiâ in seipso veneno correpto confirmat Auenzoar *lib. 2. theizir, tract. 1. cap. 5.* plures post eum deinde testati, & hoc exemplo fit manifestum. Nobilis quidam Lusitanus in fluxum incidit ventris diuturnum, quo miserabiliter cruciatus, in tabem cùm esset pronus (erat enim gracilis, & excarnis) Medicorum opem implorat, narrátque se ab Amasiâ, pyratria deuorâsse, quibus assumptis, illicò aluî profluuium cum diris symptomatis fuisse expertum refert. Plurima ex abstergentium primò, deinde adstringentium syluâ medicamina parantur, extrà admota, intus assumpta, & per sedem infusa, quæ cum aliis veneni vim infringentibus essent commixta. Sed iis celebratis ipse, subortâ febriculâ, contabescebat magis. Tandem cùm de veneno suspicio esset, propinantur Cardiaca, & Alexipharmaca. At malum, solùm Smaragdo, ex Auenzoaris decreto, tenuissimè tritâ, & conseruâ Cydoniorum obuolutâ, conquieuit. Hanc alternis diebus ieiuno ventriculo assumebat, superbibitâ aquâ in qua tragacanthum priùs erat incoctum. Smaragdi quantitas erat pondus 12. granorum, quam quùm quinquies deuorâsset, à fluxu immunis euasit.

OBSERVATIO XCII.

Sanguis Rhinocerotis, ad venenosos affectûs mirabilis.

COrnu Rhinocerotis cum Monocerotis cornu plures confundant, quod contra venenum pollere illi testantur, qui ex Orientali, & Occidentali plagâ hæc cornua afferunt. De cornu Rhinocerotis nihil certi habeo quod describam. De sanguine illud verè referam, me præsente factum de eo experimentum à viro quodam qui 40. annis in *Indiâ Orientali* vitam duxit, in homine, qui cùm assumpto veneno liuidus totus morti esset propinquus, sanguinis huius animalis duobus granis exhibitis, in vino solutis restituturus est. De eo ad febres pestiferas propinato in eâdem dosi vidi mirabilia experimenta: nam huius Indici hominis cliens cùm febri esset venenatâ arreptus, qui subortis per totum corpus maculis liuidis, delirus penè erat extinctus, sanguine propinato in aquâ Bugloss*æ*, sudauit, & vixit. Sanguinem istum commendabat aduersùs virulentos venenosorum animalium ictûs, cuius ope, plures à Tigride commorsos, exanimatos ad vitam renocâsse affirmabat. Audio è Peruano orbe modò adferri: si ita est, hoc Antidotum pretiosis Regum thesauris est antèponendum; nam excellentius esse Alexipharmacum, omnibus aliis Alexiteriis præsidiis ipse non semel inculcabat. De cuius mirâ vi tam multa egit Gesnerus *lib. de quadruped. tit. de Rhinocerote.* Quomodo autem sit probandum explicat Iordanus *tract. de peste, in fin.* & refert Riolanus *in com. lib. de abdit. Fernel. cap. 17.* De cuius vi Cardiacâ multa prædixerunt Langius *lib. 1. epistol. 29.* Cardanus *lib. 10. subtilit. lib. 8. cap. 20.* Diodorus *lib. 3. cap. 7 rer. antiq.* Ælianus *lib. 17. cap. 44.* Isidor. *lib. 12. cap. 2.* Albert. *lib. 22. de animalib. tract. 2. cap. 1.* Solin. *cap. 55. polyhist.* & Sebastian. Meierus *sect. 2. selector. medicinalium cap. 4.*

OBSERVATIO XCIII.

Stercus humanum, celebre aduersus venena, Alexipharmacum.

ADuersùs certum, & determinatum cuiusque animalis venenum, prouida natura, certum, & appropriatum generauit Antidotum. Nobilissimus quidam Occidentalis plagæ dux strenuus, quùm esset naturæ arcanorum acerrimus indagator, mihi lubenter ostendit innumera Antidota, quæ nullus Aromatum Indicorum scriptor hactenus agnouerat contra venenorum efficaciam admiranda. Præter hæc, vnius Alexipharmaci vires solùm mirabatur, cuius vi, ab animali venenoso ictos omnes superstites euasisse bonâ fide commemorabat. In Prouinciâ Occidentali *Squilaque* dictâ, prope ciuitatem appellatam *Burgos*, adest animal quoddam paruum, sicut lacerta, in agris frequentissimum, nomine dictum *Guarit*, quod ictu suo, æstate præsertim, adeò venenosum est, vt illicò post morsum, dira, & terroris plena conciter symptomata, quorum sæuitie occubuere plures, eorum modo qui ex præsentaneo veneno perire solent. Post morsum nec auxilio erant Belzaartica epota, supra morsum locum ligaturæ arctissimæ, in ipsâ affectâ parte attrahentia Antidota, cauterium, aut membri præcisio præsidio esse poterant, sed omnes nec tantillùm adiuti, angore, animi deliquio, partis ictæ liuore, & omnimodâ virium iacturâ interibant. Inuentum Summi Omnipotentis beneficio, Alexipharmacum præstantissimum, & est, vt quis post venenosum ictum animalis, illicò stercus, vel suum, vel alienum recenter excretum, adhuc calidum, aquáque Cardiacâ, vel communi admixtum ebibat, & iam inuenti laboratores multi, qui ardente sirio, quùm aqua non esset inuenta, stercus, mortis certæ metu perculsi, auidissimè comederunt. Ex improuiso enim omnibus mouetur vomitus, & copiosè rumpitur alus. Stercus ergo Alexipharmacam vim obtinet, cuius aqua vitreis organis extracta, canis rabidi, & venenosorum animalium morsibus vehementer resistit, ex Mathiolo *lib. 2. in Dioscorid. cap. 73.* De vi mirâ stercoris humani legendus Plinius *lib. 1. cap. 27. & lib. 28. cap. 4.*

OBSER

OBSERVATIO XCIV.

Viperæ venenum, solo vrinæ humanæ potu mitescit.

DIoscorides, Medicus celeberrimus *lib.2. cap.73.* sic ait: *Humanam vrinam suam cuique bibere, contra viperæ morsus, ac venena incipientemque aquam intercutem proderit, &c.* Sic in Syriâ qui pestiferè ægrotârunt, humanæ vrinæ potione sanati, apud Gal. *lib.10. simpl. cap.15.* Probat inter multos Anic. *lib.2. tract. 2. cap. 725. §. Vrina hominis confert morsui viperæ, &c.* Vocatus vt curarem puellam quæ fortè in agro à viperâ in digito paruo pedis sinistri post tres horas fuerat commorsa. Malum repentè vsque ad genu penetrauerat cum tibiæ liuore, & puellæ angustiâ, & sitî, & ex interuallis animo deficiebat. Illicò vulnusculis locum scarificare iubeo, & tibiæ cucurbitulas adapto. Ægræ Theriacam propino, Cor Oleo de scorpionibus Mathioli illino. Succum Allij cum vino exhibeo. Caprarum stercus cum Theriacâ, & succo Cœparum parti, Emplastri modo, appono, succum foliorum Fraxini offero, quod aduersùs hoc venenum mirè iuuat, ex Paulo *lib.7. tit. de fraxino*, firmat Ruellius *lib.1. de natur. stirp. cap.82.* His auxiliis quindecim diebus reiteratis, & ichore à parte scarificatâ emanante, illa Syncope adhuc cotripitur, vigil permanet, ad oblata non benè se habet, immò anxiosa, & inquieta noctu præsertim persistit. Iterum Theriaca intus per os, & extrà parti affectæ admouetur, quæ viperinum venenum inter cætera antidota mirabiliter infrænat, ac donat, vt proprio exemplo docuit Galenus *lib.3. de loc. affect. cap.8.* Explicant Rasis *lib.8. ad Almans. cap. de morsibus*, Haly *4. pract. cap. de morsu viperæ medelâ*, Cardanus *lib.2. de venen. cap.10. & alij.* Hoc, & aliis præsidiis non adiuta, ad vrinæ potum accedo. Eam à puero impubi recenter emictam, vnciarum duarum quantitate, cum Saccharo ieiuno ventre calidam epotandam offero: quo potu, octo diebus assumpto, à symptomatis, quibus premebatur, superstes euasit. Non ergò contemnas auxilium, quod etsi sit abominabile, & execrandum apud Gal. *lib. cit. simpl.* eo in potum dato, cogente necessitate, in hoc, & aliis morbis vtitur ipse *libro 1. sec. loc. cap. 8. tit. de iis quæ Soranus ad Achoras conscripsit:* nam splenetico vrinâ suâ epota sanatus apud Auic. *loc. cit.* & firmat Plinius, allatis experimentis *lib.28. cap.6. Et extra morsui venenoso illita eximiè succurrit; trahit enim cum fortitudine venenum*, ex Auic. *6. 4. tract.4. cap. 9. de curâ morsus rabiosi*, & Rasi *35. cont. tract.2. cap. 2.* Lege Mercurialem *lib.5. de febrib. cap.28. de pestis præseruatione*, Georgium Vallam Placentin. *lib. 2. suæ medicin. cap.23. de vrinâ humanâ.* De cuius vi mirâ aduersùs venenum, aliósque morbos exitiales, pulchra edocuit Duncanus Bornettus in lib. suo *de Alchymiâ*, quem Daniel Mylius Chymicus celebris est interpretatus.

OBSERVATIO XCV.

De Monstris.

Puella barbata.

PVellam vidi ætatis trium annorum, formosam, & pulchram cum barba magna, cui totum corpus nimis hirsutum erat, & ex eius auribus, pili crassi, hirti, numerosi prodibant, ita oblongi, vt palmum & dimidium æquarent. Hoc monstrum circulatores luctandi causâ publicè ostentabant. Nam ex naturæ errore multa admiranda cernuntur, teste Philosopho *lib. 2. physicor. text. 82.* Lege Saxoniam *lib.4. praxis, cap.19. de monstris.*

OBSERVATIO XCVI.

Puella imperforata in virum versa.

FOemina quædam nobilis ad filiæ suæ imperforatæ curationem me vocat. Totam curam Chirurgis committendam prædixi. Hi, purgato bene priùs corpore, solùm Chirurgicâ ope, hoc est ferro, abscisâ vuluâ curationem celebrari posse rati sunt. Sed quo euentu audi. Aperitur vteri osculum me præsente scalpelli ope. Post incisionem, sequutâ Hæmorrhagia, ruptis veluti inuolucris, & vinculis, virile pudendum perfectum hucusque latitans prosiluit. At restricto sanguine, eam Chirurgis rei nouitatem admiratus curandam reliqui.

Licèt enim quæstio diu agitata veteribus & iunioribus sit, num viri in fœminas verti possint, & plures, vt Andreas Laurentius *lib. 7. controu. Anatomic. quæst.8.* Mercatus *lib.2. de morb. mulier. cap.10. & 11.* Seuerinus Pinæus *lib. 1. de notis virginitatis, cap. 9. probl. 2.* hunc euentum negent, quoniam mulieres ab ortu ita à natura sunt conformatæ, vt earum clitoris mentulæ formam referens ita promineat, vt quia penis instar distenditur, móxque flaccescit, virilem priapum mentiatur, vel eæ illâ affectione laborant, quæ ab Albucâsi *lib. 2. cap.71.* vocatur *Cauda*, de quo morbo, & eius curatione suprà *lib.2. obs.91.* memorabilem fecimus obseruationem: tamen horum rationes siculneæ sunt. Hi enim barbitium accidisse in fœminis ex menstrui retentione non inficiabuntur: cùm hoc verum sit apud Hipp. *lib.6. epid. sect.8. text.41. & 42.* posito exemplo in Phaëtusa, & Namysia, probant Auic. *21. 3. tract. 3. cap. 26.* Alexander Benedictus *lib. 26. de curand. morb. cap.4.* & ego memini vidisse effigiem rusticæ sexagenariæ, à maioribus meis fide dignis propriis oculis conspectæ, quæ olim vixit in oppido vocato *de Penheranda*, quod 30. milliaribus distat à Madrito, aulâ Regis Hispaniæ, cui à iuuentute in tantam molem barba excreuit, vt in senectâ os ventriculi attingeret, vocabatúrque *Brizida de Penheranda.* Quid ergo mirum, si sicut & Barbam, dentes in variis temporibus emittit natura, imò & nares, aures, & alios meatûs obturatos exteriùs processu temporis ipsa referare solet, vt in *com. 5. 6. & 7. cap.4. de generat. animal.* ex mente Arist. protulit Auicenna, sic mulieri membrum virile in primâ conformatione efficiat, quod temporis tractu staturo extrà perfectum prodeat: quod ita euenisse, fœminásque in viros versas fuisse celeberrimis historiis comprobârunt Raphaël Volaterranus *lib. 24. com. vrban.* Fulgosius *lib.1. cap.6.* Bertinus Campan. *lib. 4. cap. 10.* Anton. Liberalis *lib.2. alterator. Nicandri*, Iacob. Dalechampius *in com. cap.4. lib.7. Plinij*, Amat. *2. cent.39.* Martin. Del Rio *lib.2. tom.1. quæst.22. disquisit. Magicar.* huius euentûs causas quære apud Vvierum *lib.4. de præstig. dæmon. cap. 24.* Galeottum Narniensem *cap. 8. de promiscuâ doctrinâ.* Num autem viri in fœminas verti possint, agitat Marcel. Donat. *ex multorum mente lib.6. de histor. mirabili, cap.2.*

OBSERVATIO XCVII.

Homo Cornutus.

APud Lusitanos in regione vocatâ Transtaganâ, iuxta oppidum dictum *Villa amœna* habitabat in villâ suâ vir quidam ditissimus, cuius vxor cùm concepisset, suo tempore infantem edidit in lucem. Hic in fronte habebat nodum latum & durum, quem parentes ex Medicorum præscripto fecere parui. Procedente ætate in maiorem molem accreuit. Medici à recrementis melãcholicis, è quibus nodositates oriun-

tur,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 890 sur 927

©BIUM

tur, puerum ad quinque annos accedentem non semel expurgant, sed frustra insumptus est labor: nam nodus in fastigiatum cornu semper accreuit sine dolore, palmi dimidij longitudine, quod in radice erat crassum, in cuspide pollicis magni crassitiem æquabat. Huic monstroso partui, vt referebat mater, occasionem dedit, Vnicornu pictura, quam ipsa inter coëundum intentâ mentis acie fuerat contemplata. Monstrum verò iam ætate maturum nunquam voluit vt secaretur cornu, licèt Medici, & Chirurgi sectionem minimè futuram periculosam vnanimiter pollicerentur. Sed ita literarum studio se addixit, vt maximos fecerit in philosophiâ progressûs. Monstra ergo dantur in rerum naturâ. Puerum cum corniculo natum in capite vidit Amatus *lib.1. centur.51.* Hildanus doctissimus *centur.2. obseruat. Chirurg.25.* se vidisse refert hominem cornutum, cui in medio frontis, cornu simile arietino retortum ad sututam coronalem supernè ad verticem in vtero natum est: num tamen fuerit obortum ob matris imaginationem, ibi non explicat, cuius causâ monstra varia enasci referunt Fernelius *lib.7. physiolog.12.* Busthemantinus *lib.2. de reptilib. sacræ Scripturæ, cap.4.* Rhodiginus *lib.20. antiq. cap.29.* Plutarchus *5. de placit. philosoph. cap.12.* & alij.

OBSERVATIO XCVIII.

De Morbis nouis.

Morbus Brasilienſis, vermis dictus.

DAri nouos morbos, nouum non est. Gemursa apud Plin. *lib.25. cap.3. Scelotyrbe*, nostri *Scorbutum* dicunt, apud Balduinum Ronsseum *lib. proprio de Scorbuto*, Lang. *lib.2. epist.14. Sudor Britannicus* ex Cornelio Gemmâ *lib.1. Cosmocritic. cap.8. Dracunculus tibiarum*, de cuius curatione Auic.3.4. *tract.3. cap.21.* Auenzoar *lib.2. tractat.7. cap.20. Plica Polaca*, de quâ Saxonia *prop. lib.* & eruditissimè Fonseca *lib.1. consult.1. Noua lues Moraiæ*, de quâ Henricus à Bra *epistol.1. Morbus Vngaricus*, apud Balthaz. Conradinum *prop. tract.* de cuius essentiâ luculenter satis, & doctè egit Sennertus *lib.4. de febrib. cap.14. Morbus Deliorum* apud Mercurial. 3. *variar.18. Flatus furiosus* apud Albucasim *lib.2. cap.13. Caro è naturalibus arens prolapsa*, apud Celsum *in præfat.* omitto *morbum Gallicum, febrem Stigmaticam*, quos morbos, nouos esse plurimi falsò tamen sibi persuasêre. Inter noua morborum portenta, & monstra, illud potest annumerari, quod Brasilienses summâ cum clade frequenter experiuntur, de cuius naturâ, & origine, ieiuna est lectio auctorum. Vocatur morbus vernaculâ linguâ *Mahundo*, Lusitani, *Bicho* dicunt. Belgæ, qui sæpe oras illas frequentant *de Vvorm* nuncupant. Huius mali diri vera est origo hæc. Illi, quibus præsertim supprimitur aluus, primo morbi accessu spontaneâ lassitudine premuntur, ardor in podice oboritur, pruritus adest in eâ parte ingens. His citra febrim euenientibus, si præstò occurras, frigidâ podicem abluendo, & succo limonum lauando, quorum in toto terræ tractu est copia multa, nihil mali continget. Si per incuriam ardorem neglexeris, maiori superueniente ardore, vlcus superuenit cum putrilagine multâ: hoc si Limonum acidorum, aut Nicotianæ succo (vulgò vocant *Tabaco*) abluas, cessabit malum. Si adhuc per ignorantiam, vel inaduertentiam vlcus contemnas, serò iam medicina paratur: nam tunc licèt Limonem integrum detracto cortice, aut glandes ex viridis Nicotianæ foliis, adiecto sale intra podicem tumidum, inflammatum, vlceratum, nimisque laxatum, & apertum imponas, parum iuuabis: nam serpente vlcere, & sphacelato podice, (& quod magis mirum, sine febri, aut siti vllâ) ægri, viribus exhausti cum animi defectu è vitâ discedunt. Rarum profectò morbi genus, & solùm in Occidentali plagâ animaduersum, cuius clauа, & antidotum, succus acidi Limonis, aut Nicotianæ existit. Si velis ab eo te immunem reddere, quotidie anum cum frigida abluas, est necesse: huius enim ope partes illæ humidæ, & excipiendis excrementis assuetæ suapte naturâ putredini obnoxiæ, ab hac labe promptè præseruantur. Inuadit hic morbus tam æstate, quàm hyeme, senes, quàm iuuenes, viros, quàm fœminas. Denique facilis est ad curandum, si mox dicto Antidoto, quod illius efficaciam retundit euidenter, opem feras; difficilis, & periculosus, si auxilium, aut malum temnas & respuas, maximè in vere, quo tempore ob tepidum calorem putredo ampliùs efferatur, & inualescit.

OBSERVATIO XCIX.

Dolor furiosus, ex nouâ causâ, pronatus.

REcitabo historiam miram, sed veram. Familiaris quidam meus, herbariæ materiæ callentissimus, pinguis, obesus, & temperamento humidissimus, annis ferè quatuor Coxæ dolore correptus, cùm à Medicis, & Empiricis varia expertus esset, incassum tamen auxilia, deinde dolore furioso, vago, horrificas punctiones inferente per annum miserrimè excruciatus, omni præsidio destitutus, contabescere videbatur. Ecce vno die, immani dolore oppressus me vocat. Febrientem inuenio, Coxæ intolerabili dolore afflictum. Externam malleoli venam secare impero. Ex hac, vnà cum feruentissimo sanguine, vermis viuus prosiluit, longitudine palmari, teretum instar, quo excreto, qui anteactam tragœdiam excitauerat; dolor miraculo quodam in posterum conquieuit. Nec mireris: nam sæpè monstra fiunt in morbis, vt latè probat Paréus *lib. de monstris cap.19.*

OBSERVATIO C.

Cutis vniuersa, corticis arboreæ instar, durissima.

DVm hæc tractarem, in mentem venit morbus mirabilis, quem olim, dum iuuenis essem, in fœminâ quadam notaui. Huic viscerum obstructionibus scirrhosis laboranti, subitò cutis vniuersa ita induruit, vt corium bouinum, aut corticem arboream, crassitie, duritiéque repræsentaret, ob quam causam in lecto rigida decumbebat; nec enim manûs, aut pedes poterat contrahere, cum vultûs inflatione summâ. Hæc variis medicamẽtis expurgata, quæ crassum, terrestrémque humorem, à quo cutis duritiei ortum ducebat, vacuarent, assumptis deinde sudorificis ex Ebeno, & Chinâ ad discutiendum humorem in cute impactum, hæc tenuior est effecta, & minùs dura. Demum Balnea naturalia experta, & à duritie omni, & faciei tumore euasit incolumis, quæ fonticulis in cruribus excitatis, per annum attenuante diætâ vsa, & continuo potu aquæ decoctæ Asplenio, & Smilace asperâ, est præseruata.

OBSERVATIO CI.

Flamma volans, eiúsque curatio.

EXemplum admirandum. Decennis puer quinquies hoc malum per interualla est expertus. Repullulabat in tarso dextri pedis stigma Rosæ formâ, rotundum,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 891 sur 927

©BIUM

rotundum, purpureum, minimè asperum, nec cutem in tumorem eleuans, quod cum tanto calore partem affligebat, vt totus pes dimidiâ horâ exuri videretur. Hæc efflorescentia, velut res viua, ascendebat per genu, Ilia, Mammillam, vsque ad collum, & ibi fixa totam aurem retrò occupabat cum flammeo calore ita intenso, vt non solùm partes per quas transierat, vreret, verùm etiam aurem totam incendio conflagrâsse puer sibi persuaderet. In aure macula moratâ horâ vnâ, subitò delitescebat, nullo in partibus vestigio mali relicto. Si causam quæris, non alia esse poterat, quàm tenuis, calidúsque sanguis feruido spiritu commixtus, ex igneo Hepate in eam partem prosiliens. Si exposcis auxilia, ne hic humor ad corporis mineras detrusus, flammeam viscerum dispositionem progigneret, fuere venæ sectio ex gibbero, & talo celebrata, refrigerantes potiones, purgatio clemens, ex Tamarindis præsertim parata; Syrupus de Ribes, Granatorum, & succo Limonum, Ptisana, Saluatellæ sectio, serum lactis caprini, dulcis aquæ lauacrum, & alia extrà appositа Hepati Epithemata, quæ præterquàm quòd humoris istius furorem contemperant, & acrimoniam retundunt, squallidum iecur mulcent, & roborant. His factis secundum artem præsidiis, quæ suapte vi ferè prodesse solent, malum ferociùs increbuit. Tunc relictis expurgantibus, humoris mordacitatem frænaui Alexiteriis. Tragæam exhibui ex Confectione Hyacinth. Ebore, foliis Auri, Margaritis, lapide Belzaartico, Cornu Cerui, semine Angelicæ, Acetosæ, Citri, cum Syrupo de succo Limon. aquâ Rosaceâ, Cardui benedicti, & Scorzoneræ paratam. Hic potus licèt pro domandâ malâ qualitate, vtilissimus, profuit parùm. Visis his, Cor firmaui Antidotis, Ventriculum roboraui Vnguentis, Renes linimentis foui, hirudines marisci affixi, cauteria cruribus admoui; sed dum hæc celebrantur, repullulat in vltimâ accessione efflorescentia cum tam intenso calore, vt non solùm latus affectum, sed totum corpus, ardore, velut flammâ inextinguibili peruri videretur. Transacto insultu, per scarificatas cucurbitulas in multis corporis partibus cruorem exhausi, vt si quis inter cutem, & carnem fomes mali esset relictus, illarum ope excluderetur foràs. Sed cùm puer, nec siti, oris amarore, febri, linguæ scabritie, aut aliquo symptomate premeretur, ex quo calida viscerum intemperies posset deprehendi, à toto corporis habitu, nimio calore affecto, oriri hoc vitium, coniecto. Quare iterum Balnea consului, serum lactis obtuli, & puerum, in lacum, vbi hirudines viuunt, ad collum vsque immergo. Videres animalcula auidissimè ex ambitu corporis cruorem sugentia, ex quorum suctu, tanta fœdi, limosique sanguinis copia est exhausta, vt ingentem superaret phlebotomiam. Huius auxilij efficaciâ, tota corporis superficies est refrigerata, ita vt solùm relictis cauteriis, quorum vi virulenta sanies emanabat, omnino sanus euaserit.

OBSERVATIO CII.

Vnguium procidentia mira.

EX febri malignâ, miseranda mala in corpore oriri, res est manifesta: nam alij remanent cœci, surdi, Aphoni, Claudi, immemores, & mille aliis calamitatibus fœdati. Hac de causâ ægrum sine vnguibus remanere vidi: quoniam post superatam maleficentissimam febrim, ex confluxu acuti humoris ad vnguium radices, hi, tam in pedibus, quàm manibus foràs exiêre, & emanante per multos menses sanie, vlcera quæ in radice ipsorum repullulârunt, cicatrice nunquam fuêre obducta, licèt plurima auxilia essent celebrata. Ob hanc causam in duobus obseruaui omnium dentium casum, qui deinceps nunquam sunt renati. In alio notaui rem miram. Hic postquam è malignâ febri conualescceret, vlcera innumera per totum corporis ambitum est expertus, adeò profunda, & sordida, vt ex iis nimia saniei quotidie, non secùs ac ex fonte perenni, copia emanaret, acris, mordax, & virulenta, & è Canthis oculorum, retro aures, sincipite, labiis tanta quantitas fœtidissimi humoris prodibat, vt adstantes horribili fœtore inficeret, quæ omnia à corrupto, tetro calidissimóque humore, & viscerum Caumate originem ducebant. Huic consului venæ sectionem, attemperantes potiones, mitia expurgantia sæpius repetita, clysteres, saluatellæ sectionem, Balnea; Cauteria cruribus, & brachio affixa, exhibui Ptisanam, Cardiaca obtuli, partibus præcipuis Epithemata imposui, hirudines Hæmorrhoïdalibus venis admoui. Denique cùm ex febri, effluxu, & vacuatione multâ humoris per vlcera decurrentis esset extenuatus, lac Asininum exhibui. Tandem, ob vacuationem exusti humoris, serum lactis caprini imperaui, in quo Fumus terræ, & sena per noctem madebant, & vnciis sex seri, vnciæ duæ succi Fumariæ, cum Saccharo erant commixtæ, ex quo potu per mensem assumpto, vacuatis humoribus nigris, tanta vtilitas est sequuta, vt paulatim vlcera consanescerent, & sic æger citra febrim robustus euasit.

OBSERVATIO CIII.

De Consuetudine.

Consuetudinis potentia mirabilis.

QVantam vim, & potentiam in omnibus rebus habeat consuetudo, ostendit elegantissimè Galenus *in lib. de consuetudine cap.* 2. & 3. nam illa est altera natura, ex eo *lib.* 2. *de temp. cap.* 4. & *lib.* 3. *simpl. cap.* 18. & hoc exemplo fiet manifestum. Cùm intrepidus, at infelix Lusitaniæ Rex Sebastianus, ex Conimbricâ, nobili illius regni ciuitate, in Olysipponem iter faceret, in quodam oppido maritimo, tantâ pompâ, veneratione, & magnificentiâ exceptus est, vt eum, comitantibus Ducibus, Comitibus, aliorúmque nobilissimorum virorum innumerâ turbâ, & plateis omnibus expurgatis, & odoriferis frondibus instratis, ianuísque Aromatum suffimentis veluti ardentibus, ad arcem munitissimam, ornatissimâ etiam fœminarum illustrium Phalangâ aduentante, resonantibus Tympanis, personantibus campanis, modulantibus tibiis, vbique exultantium vocibus exauditus deductus sit. In hoc feruore, inualescente die, cum ingenti populorum multitudine sese immersit in mediam plateam piscator quidam, qui totâ vitâ in mari consenuerat. Non immiserat pedem, quando Vertigine præuiâ, sideratorum more in terram corruit, qui transeunte Rege ad vicinam domum est delatus, in quâ à duobus Medicis pro Apoplectico tractatus, celebratis omnibus auxiliis vix leuatus est, sed cadaueris instar sine sensu & motu iacentem eum ad sepulturam deferre volebant. Regrediens Rex, post triduum, de salute piscatoris, ob inopinatum euentum, inquirens, ministri, illum an adhuc sit in viuis, se ignorare respondent: nam pro mortuo à Medicis relictus est. Rex, pietate, & commiseratione commotus, iussit vt vocaretur Thomas à Veiga, Archiater suus, & in florentissima Conimbricensi Academiâ primarius Medicinæ Professor emeritus, artis Hippocraticæ summus Antistes, Medicinæ Phœnix, cuius rara monumenta, raram

ostendunt

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 892 sur 927

©BIUM

oſtendunt eruditionem, in quibus vix ſcias, an ſubtilitas ingenij, ſermonis puritatem; an hæc, rerum abſtruſarum ſcientiam antecellat, ob quæ in Rempublicam litterariam merita, Luſitaniæ eſt laudi, & exteris omnibus admirationi. Hic, vt erat ſolertiſſimo ingenio prædius, de vitâ hominis primò percontatus, & perſpectâ origine morbi, illum ex Aromatum odore inſueto, in repentinum hoc malum incidiſſe, ſibi perſuaſit; nec irritum fuit iudicium: nam poſtquam illum iuxta littus apponi, & algâ, limóque totum cooperire iuſſit, perceptâ, littoris, Phycíque marini aurâ, & vapore inſpirato, poſt quatuor horas oculos aperire, & adſtantes cognoſcere cœpit; & ſic poſt diem, pancraticè vixit.

OBSERVATIO CIV.

Quidam aſſuetus tepidæ potui, febriens, coactâ vi, gelidam aſſumens, ſingultiens emoritur.

MEdicorum fulgentiſſimum iubar *lib.2. Aph.50.* conſuetudinis potentiam enarrans; ſic ſcribit: *Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſint, inſuetis minùs moleſtare ſolent:* hanc in cibis, & potibus acquiri, probat *ipſe lib.2.de rat. vict.21.22. & 24.* dum ſic ait: *Atqui, quòd vitioſus victus cibi, & potûs ſemper ſibi ſimilis ad ſanitatem tutior omnino ſit, quàm ſi quis ſubitò ad alterum, vel meliorem ſe transferat, facilè diſcitur, intelligitúrque.* Nam conſueti cibi ſunt ſuauiores, & magis familiares, & *parum deterior potus, aut cibus, ſuauior tamen, melioribus quidem, ſed minùs ſuauibus eſt præferendus,* ex Hipp.2. *Aph.38. quoniam quæ cum voluptate aſſumuntur*, inquit Galenus in *com. iſta ventriculus amplexatur, & facilius concoquit; ſicut illa quæ diſplicent, refugit:* quoniam inter nutriens, & nutritum ſemper reperitur cognatio, & ſimilitudo, auctore Gal.3. *de temp.2.6. de valetud.tuend. cap.3. in med.* ob hanc cauſam, ſeu potiùs ſuauitatem erat aſſuetus iuuenis tepidam pro potu ſanitatis tempore aſſumere, cuius guſtu, & iucunditate delectbatur nimiùm, & ventriculus fœliciùs concoquebat. Hic incidens in tertianam, quæ æſtatis tempore illum miſerrimè per menſem excruciauerat, ſiti vehementi oppreſſus, coactus à Medicis, vt in declinatione paroxiſmi gelidam tantam ebiberet, quantam ipſe inſpirando haurire poſſet, vt docuit Galenus *lib. 1. acut. 43.* huius enim auxilij vi, cùm eſſet coctus humor, ſudorem promoueri, ignémque internum extingui poſſe perſuaſere ſibi. Æger in principio eſt reluctatus valdè, timens ne ob conſuetudinem aliquid ſiniſtri contingeret: tamen, vt curantium præceptis vitæ dulcedine allectus obſequeretur, illis licèt inuitus, & ab adſtantibus coactus obtemperauit. At frigidâ vſque ad ſatietatem, vt illi præſcripſerant, ebibitâ, poſt duas horas ſingultiens mortuus eſt, quapropter rectiſſimè à Celſo inculcatum *lib. 1. cap.1. vt ſanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debeat: ac neque Medico, neque Iatraliptæ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modò ruri eſſe, modò in vrbe, ſæpius in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, frequentiùs ſe exercere.* Hoc priùs prædixerat Hipp. *ſuprà* dicens, *ad inſueta igitur oportet pertranſire.* Nam, vt Galenus monuit *in com. eſt vniformis quæque conſuetudo periculoſa, cùm omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubiciantur. Ne igitur aliquando derepentè incidentes in nobis inſueta, magnopere ledamur, ſatius eſſe*, inquit, *omnia tentare.* De vi & efficaciâ conſuetudinis, lege elegantiſſimam obſeruationem apud Solenandrum *lib. 5. conſ.15. tit.16.*

OBSERVATIO CV.

Quidam, retentâ conſuetâ vacuatione per aluum, illicò emoritur.

COnſuetudo definitur ab Ariſt.21. *Probl.14.* quòd *ſit habitus, ſeu qualitas ex frequenti actione, & paſſione in rebus impreſſa, propter quam & promptiùs, & diutiùs, & cum delectatione operantur, & minùs patiuntur*, explicat Valleſius *lib.8. cont. cap.5.* Hunc habitum habebat à longo tempore contractum ſexagenarius, vt cùm è lecto reſurgeret diluculò, illico aluum deponeret, & in excernendis fæcalibus excrementis in hoc tempore, adeò erat aſſuetus, vt ſi fortè, aliquâ vrgente occaſione hæc vacuatio ſaltem per horam interrumperetur, mox dolore quateretur ventriculi immani, qui aluinis excrementis excretis mox ceſſabat. Ecce intempeſtâ nocte domus in quâ degebat igne conflagrat, incendio omnes diuitiæ comprehenduntur, Vxor, Filij, nepotes ignei feruoris metu perculſi ſenem adeunt, ipſe ſurgit è lecto velociter, & inopinato euentu perterritus, tanquam bonus paterfamiliâs ſupellectilia è domo per ſeruos tranſportare curat, & cùm eſſet diuitiis potens, & auarus, ſoli pecuniæ intentus, non ſolùm domeſtica inſtrumenta, ex Auro, Argentóve conflata detrahere iubet, ſed Subſellia, Scamna, Aquaria, Lecticas, Veſtes, Periſtromata, Pelues, Aquiminaria, Candelabra, Vitrea vaſa, Culcitras, Toralia, Mappas, præterea Eſcaria, & Potoria, in quo perficiendo opere, totum diem conſumpſit, in cuius fine iam ſæuo torquebatur ventris dolore: tunc conſuetæ vacuationis memor, voluit deiicere aluum, ſed non potuit, quin dolore truculento oppreſſus, voluulo correptus, poſt quinque horas, humi proſtratus, nullis iuuantibus auxiliis, vitam finiuit.

OBSERVATIO CVI.

Circa conſuetas vacuationes, exemplum admirandum.

CIrca vacuationes acquiri conſuetudinem teſtatur Galen. *lib. 7. meth.11.* explicat ingenuè Mercat. *tom.1. lib.3. part.3. quæſt.208. num.42.* nam reperiuntur homines qui ex temporum interuallis certis patiuntur ſanguinis fluxum per multas partes. Plures patiuntur Diarrhœam, Choleram: alij ſoliti ſunt ſuperflua corporis expurgare frictionibus, Balneis, vomitu, medicamentis deiectoriis, fiſtulis, Varicibus, Fonticulis, venæ ſectione. Quidam ex interuallis patiuntur vlcera, puſtulas, auctore Galeno 4. *de ſanit. tuendâ*, 4. quæ euacuationes magnâ ex parte cum vtilitate fieri ſolent, & ſi ceſſant, nocent: nam humor ille excerni ſolitus, retentus putreſcit, & in aliquam principem partem reſtagnat, ex Galen. *lib. de conſuetud. cap. vlt.* Fœmina quædam, humidiſſimo cerebro conſtans, annis ſeptem ex catarrhoſa defluxione, aduentante vere, in Pleuritidem incidebat, cuius ſæuitie penè deuicta, ad mortis fauces accedebat ſæpè. Conſilio Medicorum, ad deriuandum noxium humorem à cerebro ad pleuram debilem confluentem, fonticulum in brachio aperuit. Hoc emiſſario facto, vixit quinque annis ſequentibus incolumis. At fonticuli pertæſa, eum occluſit. Hoc celebrato, iterum Pleuritide corripitur immani, à quâ magno labore euaſit. Quare aperuit fontem, vt aſſueta natura ſuperfluum humorem per eum excerneret. Illa incauta poſt duos annos occludere adhuc inſiſtit. Repreſſo humore, poſt duos menſes eâdem Pleuritide concutitur, ortâ in parte ſiniſtrâ, at auxiliis adiuta reuocatur in vitam. Demum illa pertinaciâ quadam ducta,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 893 sur 927

©BIUM

cùm esset delicatula, & immorigera, septies occlusit, & septies est graui tentata Pleuritide, quoüsque mortem metuens, naturæ permisit, vt consuetâ vacuatione frueretur: quo humore expulso, & à Pleuritide libera euasit, & senectam traduxit, & salubriorem, & diuturniorem. Tantæ difficultatis est naturam à diuturnâ consuetudine distrahere. Num autem consuetudo euacuandi, necessitatem vacuationis inducat; & num indicatio quæ sumitur à consuetudine, sit dignior eâ quæ à morbo desumitur, Galenus agitat *lib.* 8. *meth. cap. vlt.* & citati auctores latè conscripserunt. Lege de consuetudinis potentiâ Christophor. à Vega *lib.* 2. *art. medic. sect.* 2. & elegantissimum Valleriolam *lib.* 1 *locor. commun. cap.* 6.

OBSERVATIO CVII.

De Idiosyncrasia.

Quidam, ab odore casei, in animi deliquium incurrebat semper.

DAri in omnibus rebus specificas proprietates miras, luculenter probat inter omnes Ruellius *lib.* 1. *de natur. stirpium cap.* 22. *de concordiâ, & discordiâ naturali rerum*: latent enim in naturâ multa adeò per se obscura, vt à nemine percipi possint, quas proprietates à totâ substantiâ Medici appellârunt. Has concedit cum Auic. *lib. de medicin. cordial. tract.* 2. *cap.* 10. Scientissimus Fernelius *lib.* 2. *de abdit. cap.* 3. Hæ virtutes dicuntur vires occultæ, seu à totâ specie, ex Auenzoar. *lib.* 1. *theizir*, *tract.* 10. *cap.* 4. quæ ita scitu sunt difficiles, & abstrusæ, vt Scaliger, subtilissimi ingenij vir *exercit.* 218. *num.* 8. harum indiuidualium, & specialium proprietatum causas ignorare ingenuè fateatur, qui sapientiam veram esse tradidit, nolle nimis sapere. Hinc fit vt Miluus Pullum Gallinaceum, Agnus lupum, Felis mures, Canis leporem odio mutuo prosequantur. Magnes attrahat ferrum, Electrum paleas. Pisciculus, Remora dictus, nauim plenis velis currentem, sistat, ac retineat. Sic Cantharides Vesicam lædunt, Rhabarbarum purgat bilem, Agaricus pituitam. Sic in hominibus variæ dantur Idiosyncrasiæ, & proprietates miræ. Alius ex Rosæ odore, animo linquitur, vt firmauit Amatus 2. *cent.* 36. Aliis mala fastidio sunt, ex Scaligero *exercit.* 274. Quidam abominantur Allium, ex Iulio Alexandrino *lib.* 2. *salubr.* 13. & plerique alia multa alimenta summè abhorrent. Habebam in iuuentute meâ, dum artis medicæ studio sedulam operam incumberem, quatuor scholares socios, vnus quorum, caseum, eúmque veterem ita odio habebat, vt vel per plateam incedens, percepto eius odore illico in animi deliquium incurreret, à quo magno labore euadebat. Socij, cùm iuuenes essent, per iocum, super bellaria & dulciarios panes, quorum copiâ arcam plenam habebat, facto paruissimo desuper foramine, & cerâ oblito, puluerem casei tenuissimum semel inspergunt, vt eo inuito potirentur escâ. Ille arcâ apertâ, dum odorem casei persentiscit, vix dici potest, quo animi pathemate fuerit arreptus, ita vt accedente liuore faciei, & labiorum, stertore superueniente, cum pulsu paruo, mortis imaginem repræsentaret, quo tempore iocularis audaciæ iam illos pœnitebat valdè. At spumâ excretâ ab ore, Epileticorum instar, ad vitam reuocatus est.

OBSERVATIO CVIII.

Mira Idiosyncrasia.

PVella per inscitiam, oleti sui paruam quantitatem degustans, ob assuetudinem ad magnam progressa est copiam, ita vt iam sibi totâ vitâ, esset suauissimum alimentum, cuius esu delectabatur valdè sine noxâ vllâ. Num autem hoc à consuetudine, an Idiosyncrasiâ fuerit profectum, illa quæsiti solutionem dedit. Respondens se non tantùm sui, sed alieni stercoris edendi desiderio flagrare, vt eo negato anxietate quadam vexari, & cor lancinari sentiret. Nec dubitandum: nam multi, rebus noxiis, immò venenis, venenatisque animalibus ex natiuâ proprietate innoxiè vescuntur. Exemplum habemus apud Cœlium Rhodiginum *lib.* 11. *antiq. cap.* 13. & Arnaldum de Villâ nouâ, *in speculo cap.* 77. de puella, quæ in parietibus Araneas venabatur, & affatim eas sine noxâ deuorabat, de quo argumento sat pulchra conscripsit Theophrastus, philosophus summus *lib.* 9. *de Histor. plantar. cap.* 18. Alij Elleborum, multi Scammonium, quidam Opium, aut Hydrargyrum, in magnâ quantitate deuorant. Celebratissima est Historia Gal. *lib.* 3. *simpl. cap.* 18. de Anu, quæ Cicutam sine vitæ incommodo, magnâ copiâ comedebat. Nam, vt refert Ioannes Iuuenis *in Epistola ad Brakelemium*; *Quodlibet indiuiduum humanum complexionem sibi peculiarem habet, atque indiuiduis eiusdem speciei specificas, atque proprias adesse hominum cordium formas, quarum calore insultum veneni sustineant.* Ita Auic. 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. refert fuisse quandam puellam nutritam Napello, per quam Reges cum eâ conuersantes inficiebantur, & animalia eius saliuam degustantia, necabantur, quam historiam esse veram, firmant Conciliator *tract. de venen.* Langius *lib.* 1. *epistol.* 69. Mortales enim educatione posse fieri veneficos, probant Mizaldus *centur.* 1. *memorabil. Aphor.* 69. Cardanus *lib.* 2. *cont. tract.* 2. *cont.* 7. Scaliger *exercit.* 175. Clusius *ad cap.* 25 *lib.* 1 *Garziæ de Histor. Aromatum*, Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 9. Contradicant qui velint, dicentes historiam esse fabulosam: nam Napellum est venenum calidissimum, ex Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 449. & calida venena nec in minimâ quantitate nutriunt ex Galeno 1. *de sem.* 12. & 5. *simpl.* 18. Quare Napellus Arabum, non est Aconitum, sed Cicuta Græcorum, vt ait Auerroës. 5. *colliget.* 24. vbi Sturnellos vesci Napello asseuerat, vbi per Napellum, Cicutam intelligit, quâ Sturnos nutriri firmat Galenus 3. *simp.* 18. Pro quâ tantâ dirimendâ lite consule eruditissimum Leonicenum *lib. de Plin. & Auicen. erroribus, cap.* 38.

DE

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 894 sur 927

DE MORBIS RARIS, OBSERVATIONES VARIÆ, APPENDICIS LOCO ADDITÆ.

OBSERVATIO CIX.

De dolore Vago.

Dolor Vagus, ex turbido ſpiritu natus, quomodo curatus.

DVM hæc typis ſubiicimus, acceſſimus ad ægrum, qui hoc infrequenti morbo immaniter premebatur, cuius idéam hoc loco ſubnectere operæpretium duximus, vt Medicorum ſuppellex inſtructior fiat. Vixit diu in agône multo vir quidam natiuâ ſorte melancholicus, & cui lien atri humoris copiâ turgebat valdè, quoniam ex ſiniſtro Hypochondrio, murmure, rugitu, & pulſu priùs perceptis, eleuabatur aura, quæ per vniuerſam corporis molem adeò irrequieto motu vagabatur, vt excitato ingenti dolore, horæ vnius ſpatio à plantâ pedis vſque ad collum, & rurſus ab hoc vſque ad brachia ſubitò veluti moueretur; quo tempore, æger nimio dolore, Arthriticorum inſtar, correptus, mœſtus erat, & triſtis. Hic dolor recurrebat multoties, ita vt vel ſepties in die affligeret. Malo originem dedit Hæmorrhois ſuppreſſa, ex quâ ex interuallis ſanguinem excernebat grumoſum, & nigrum, qui retentus, & ad lienem, tanquam ad ſuam originem reſtagnans, huius doloris cauſa erat materialis; ſicut efficiens, ſpiritus craſſus, ſeu flatus turbidus. Eſſe flatum conſtabat: nam morbus ſubitò fiebat, & illicò ceſſabat. A turbido ſpiritu fuiſſe ſubortum, ſumma triſtitia indicabat, quâ, dum malo opprimebatur, erat afflictus. Hunc ſi turbidum cum Hipp. *lib. 1. de humorib. ſect. 2. text. 24. & lib. 1. prorrhet. ſect. 2. ſent. 4. & in Coacis præſag. num. 49.* aut confuſum, caliginoſum, flatulentum, nebuloſum, tenebricoſum, opacum, obſcurum, atrum, tetrum, cum *Galeno* multis in locis appelles, non errabis. Sicut enim in naturali ſtatu, ſpiritus, qui eſt operationum primum inſtrumentum, cùm ſit corpus æthereum, & originis altioris, cœleſtis nempe, atque diuinæ, debet eſſe perſpicuus, lucidus, nitidus, & tranſparens, ex Gal. *lib. 6. de vſu part. 17. & 5. ſimpl. 9. & 12. meth. 5. & 7. de placit. 4. 7.* & ſexcentis locis, cùm ſit ex ſinceriſſimâ, nitidiſſimâ, ac magis defæcatâ, ſanguinis, ſeminis, ac aëris parte generatus; ſic in ſtatu præter naturam, hic tenebroſus ſpiritus, præſertim in melancholicis regignitur, qui in varias partes delatus, varios morbos concitare poteſt.

Hunc immanem morbum curaturus, plura exercui, quæ tetrum humorem vacuarent, diſſiparent flatûs, lætitiam inducerent. His factis, mariſcis hirudines affixi, poplitem ſiniſtrum copioſè ſecui, Balnea naturalia imperaui, ilio vnguenta flatûs abſumentia admoui, Chalybem in ſubſtantiâ per multos dies cum exercitio multo conſului. Tandem fontanellâ in crure ſiniſtro, in parte domeſtica excitatâ, cuius vi, natura, humorem ſuppreſſum quotidie excernebat, decocto radicis Chynæ exhibito, quo, in lecto copioſus ciebatur ſudor, vino Abſinthite, & conſeruâ ex ſpeciebus Aromatici, Diacymini, Diacinnamomi, Theriacâ, & ſyrupo de Abſinthio paratâ, omnino ſanus euaſit. Lege de conſimili dolore Albucaſim *tract. 2. cap. 25.* Marcel. Donatum *lib. 1. de Hiſtor. mirabili, cap. 6.*

OBSERVATIO CX.

De Liuore faciei.

Ad inſuetum liuorem faciei, ſyrupus De ſero, præſtantiſsimus.

SIcut frequenter conſpicitur faciei rubor, quoniam ſanguis in multâ copiâ abundat, & ille in toto corpore per venas excurrens, ſuâ caliditate, & tenuitate ſurſum aſcendit, hepárque igneum materiam ſubminiſtrat; ſic rarò, Medici notârunt liuidum colorem faciei, quoniam humor melancholicus in minimâ quantitate in corpore exuperat, ex Gal. *lib. 5. de vſu part. cap. 6.* §. Nam pauciſſimum quidem eſt melancholicum excrementum, copioſius autem bilioſum, &c. & Rabbi Moſſe 2. *partic. Aph. 30.* Renuant licèt Gentilis 1. 1. *doct. 4. in com. cap. 1.* Fernelius *lib. 6. phyſiolog. 8.* Riolanus *cap. 12. phyſiolog.* Ioan. Brauus 2. *de curand. rat. per medic. purgans cap. 1.* & alij, multiplicibus rationibus muniti, quas interim ſolue cum Peramato *lib. de humorib. cap. 5.* Deinde melancholicus ſuccus terrenus eſt, & ſuo pondere non ad faciem, ſed ad imas potiùs vergit corporis partes. Hoc licèt intelligendum ſit de frequenti euentu, contrarium tamen aliquando accidere, vſus oſtendit: nam Virago quædam ita hoc ſymptomate premebatur, vt quinquies in die illi facies tota, ex rubro colore, & roſeo, in liuidum, & plumbeum mutaretur, cum animi deliquio, & anxietate ſummâ, & quod magis mirum, menſtrua rectè reſpondebant. Aberant febris, ſitis, aut ſymptomata vlla, quæ internam cladem indicarent. Illa vt tantam turpitudinem effugeret, præſertim, quia aliquando, non ita euaneſcebat liuor, quin maculis plumbeis faciem conſpurcatam relinqueret, præſidia à Medicis expoſtulat. Et cùm malum à copiâ humoris melancholici ſcaturiret, à quo Lipothymia, & angor ducebant originem, ad vacuandum hunc fœdum humorem, eiuſque efficaciam retundendam ſe accingunt. Primò inſtitutus aër ad calidum, & humidum vergens. Cibus, eiuſdem facultatis imperatus. Potus fuit aqua radice Scorzoneræ decocta. Vigilia, & alia interdicta, quæ melancholicum humorem generant, quorum ſyluam latè proponit Galenus *lib. 3. de loc. cap. 7.* Tandem humor expurgatus Senâ, Polypodio, Epithymo, Diaſenâ, Syrupo de Polypod. & de Elleboro. His factis, Apozemata ſimilis facultatis offeruntur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 895 sur 927

©BIUM

alternis diebus, quorum ope contumaces melancholici humores cum facilitate excernebantur. Sanguis ex Basilicâ sinistrâ est exhaustus. Tali sinistri vena secta. Hæmorrhoïdalibus venis hirudines bis admotæ. Stibium præparatum ter exhibitum. Applicita Balnea, Fontanellæ cruribus affixæ. Cor Epithematis, & Sacculis firmatum. Conserua Cardiacæ oblatæ. Decoctum Galli veteris, priùs medicamentis Melanagogis saginati, exhibitum. Sed cùm his non succumberet affectus, hoc Syrupo facto ex sero lactis, integram sanitatem est consequuta, cuius beneficio alternis diebus ciebatur aluus, excretis etiam flatibus multis. Dosis erant vnciæ quatuor diluculò assumptæ.

℞. Seri lactis Caprini lib.viij.
Infunde in eo secundùm art. per noctem.

Capil. vener. recent. Polytrichi, Ceterac, am. M. ß. Vtriusque Bugloss. Vtriusque Cichor. Melissæ, Acetos. cum radicib. an. M.j. Sampsuchi, Lupuli, Fumar. an. M. ß. Passular. Pinguium, ʒ j. Glycyrrhiz. ʒ ß. Polypod. ʒ vj. Sem. Melon. ʒ iiij. Anisi, Sem. Fœnicul. an. ʒ j. Caryophyll. ϑ ij. Thymi, Epithym. an. ʒ ij. Flor. Violar. Borrag. Bugloss. Rorismarin. an. p.j. Sem. Cartham. ʒ iij. Fol. Sen, ʒ ß. Myrobalanor. Indor. ʒ iij. Melissophylli, Serpilli an. M.j. Cortic. Citri, P.j. Agarici, ʒ iij.

Fiat omnium decoctio ad consumptionem lib.iiij. colaturæ adde

Succi Borrag. Succi Pomor. redolentium, an. ʒ iij. Syrup. Borrag. de Pomis, Violar. an. ʒ ij. Syrup. de Epithym. de Senâ, Fumar. maior. de Polypod. an. ʒ iij. Syrup. Regis Sabor, ʒ ij.

Fiat omnium ebullitio, & adiectâ sufficienti Sacchari quantitate, fiat iulapium. Lege elegantissimum consil. 11. Reineri Solenandri *lib. 5. consilior. de maculis fuscis, & subnigris cutem fœdantibus.*

OBSERVATIO CXI.

De temporum Pulsatione.

Temporis sinistri pulsatio vehementissima, cum immani dolore coniuncta, arteriotomiâ solâ, sublata.

PRoponam historiam raram. Iuuencula erat in anno 28. ætatis suæ constituta, nigella, hirsuta, & tristis. Huic ob vteri obstructiones menstrua non satis respondebant. Octenniò, ob hanc causam, recurrente fortè sanguine ad partes superas, ita intolerabili premebatur temporis sinistri dolore, vt velut amens sæpè se strangulare vellet. Et quod mirum dixeris, ita arteria velociter & distendebatur, & contrahebatur, vt ossa temporis è propriâ sede, celeriter contracta, & distenta, exilire viderentur. Sed mirabilius est quod audies: nam hoc motu omnino cessante, cuius beneficio, crassus, flatuosúsque sanguis fortè absumebatur, in Apoplexiam fortem incidebat, à qua, nec copiosâ venæ sectione, præsidiis reuellentibus, cucurbitulis scarificatis, scapulis, collóque admotis, Errhinis, aliisve validis auxiliis ad se redibat, quoüsque remediorum ope leuatâ naturâ, iterum, lentè, sensim, ac sine sensu, aliquando post tres, interdum post quatuor dies expergefactâ, motus ille in tempore frequens repullulabat. At cùm sepries Apoplexiâ spatio trium annorum corriperetur, & morti esset propinqua, illáque esset inualida, aduentante vere, admisso plurium celebrium Medicorum voto, curationem sic est exorsa, sex rerum non naturalium ordinem obseruans. Primò, primæ viæ leui pharmaco expurgatæ. Secta Saphena sinistra, ter hæmorrhoïdalibus venis hirudines affixæ. Melancholicus, retorridúsque sanguis exhaustus medianâ tusâ. Varia Melanagogorum medicamentorum copia oblata. Imperatum serum lactis caprini multiplici expurgantium lege præparatum. Stibium exhibitum. Chalybs in substantiâ cum exercitio valido 30. dierum spatio, ad reserandas obstructiones assumptus, in cruribus, & læuo brachio fontanellæ apertæ. Ad demulcendum humorem melancholicum, Balnea celebrata. His, nec Cardiacis, roborantibus Epithematibus, cordi, sicut & vnguentis appositis ventriculo, & aliis reserantibus, vtero admotis conualescere potuit. Huius parens, quum esset liberalis admodum, & animi ingenui, septem Medicos doctissimos aduocauit. Illi ad roborandum caput, flatulentum humorem absumendum, decoctum radicis Chynæ, cuius vi proliciebatur sudor, ad multos dies propinant. Cauteria retrò aures inurunt, hirudines plures supra tempus applicant, corpore prius bellissimè expurgato; quúmque illi curando nihil profecissent, in eam opinionem deuenerunt, vt præstigiata esset, aut pessimarum fœminarum incantamentis irretita.

Spe igitur omni destituta ad me venit, & rogat supplex, vt miseræ meam opem feram. Iubeo vt sequenti die quiescat in lecto, vt motum, & subsultum temporis explorem, & sic aliis obseruatis, de præsidiis pronunciem. Omnibus pensatis, impero arteriam temporis per expertissimum Chirurgum per transuersum scindi, quâ parte magis illa tumebat. Eâ apertâ, quemadmodum in phlebotomiâ fieri solet, sanguis cum magno saltu, & impetu exiuit ad libram vnam. Hoc facto, arteriáque commodè ligatâ, & desúper consolidantibus Emplastris appositis, fœmina ab illo motu, dolore fero, futurâ Apoplexiâ in posterum secura euasit. Menstrua verò, exhibitâ conseruâ Chalybis, & vsu aquæ Chalybeatæ, in quâ Rhabarbarum per noctem madebat, recto ordine deinceps processêre. Magna ergo est Arteriotomiæ laus, & pro multis peruicacibus morbis curandis summa potestas, & à Galeno *lib. de curand. rat. per sanguin. miss. vltim. cap. & lib. 13. meth. cap. vltim. & alibi passim*, cæteríque antiquis, & iunioribus tantoperè celebrata, renuat licèt Hollerius, summi iudicij vir *lib. 1. de morb. internis in Schol. cap. 1.* cuius rationes soluit Theodorus Collado *lib. de errorib. Hollerij cap. 7. num. 5. & 6.* qui ad dolores hemicranicos hoc auxilium esse mirum, summâ cum ratione asseuerat: nam sanguis vaporosus, calidus, & multo spiritu plenus per arterias ascendit, & in iis magis ebullit, & feruet, vt *citatis locis* Galenus, & prisci docuêre. Num autem Arteriotomia vsque ad animi deliquium, venæ sectionis instar, aliquando sit celebranda, dubium est præstantissimum, soluendum ab eis solùm, qui in asperioribus artis cliuis indefessè insudant. Firmat Aëtius *tetrab. 2. serm. 3. cap. 9. de arteriarum sectione, §. conuenit autem secare non obliquè, sed transuersim vsque ad os; & membranam caluariam ambientem exactissimè radere, & sanguinis missionem vsque ad animi deliquium exspectare, in quibus videlicet, & vires robustæ sunt, & dolor vehemens, sic enim sopies accidens symptoma, &c.* Sed hoc dogma videtur durum ob rationes multas. Interim lege Franciscum Peccettum Cœlestinum *lib. 4. de ven. sect. cap. 14. de arteriar. sectione.* Nam nos *in lib. 2. de Medicor. Princip. Histor. in comm. Histor. 43.* tanti auctoris dicta explicabimus ad vnguem; modò ob temporis angustias, calamo habenas præstare, satius est.

OBSER

OBSERVATIO CXII.

De Obesitate nimia.

Prodigiosa corporis crassities, scarificatione, & Hirudinum suctu, curatur.

LAtinus Hippocrates *lib. 2. sui operis cap. 1. post princip.* corpus quadratum vocat, quod neque gracile est, neque obesum. Quod ergo ab hac mediocritate recesserit, morbis est obnoxium, & minùs longæuum, præsertim obesum, & pingue, iuxta Coi Senis edictum *lib. 2. Aph. 44.* sic dicentis: *Qui naturâ admodum crassi sunt, citiùs intereunt, quàm qui graciles.* Iuuenis quidam, ad tantam crassitiem accessit, & obesitatem, vt vix moueri quidem, nedum progredi posset, sed in sede semper consistens, multoties eâ premebatur anhelitûs difficultate, vt veluti suffocari videretur. Cúmque timeret ne subitò strangulatus periret, & aliquo morbo repentino, vt Apoplexiâ, conuulsione, priuatione pulsûs, Asthmate, Syncope oppressus, repentè occumberet, quibus morbis, & aliis, homines huius sortis esse expositos firmant Arabum Princeps 7. 4. *tract. 4. cap. 5.* Rhasius *lib. 5. ad Almans. cap. 61.* Rabbi Mosses 9. *particul. Aph. 97.* Nicolus *serm. 7. tract. 6. sum. 1. cap. 3.* Dinus Florentinus *in com. Auic.* Medicos liberali pactâ mercede in consilium vocat. Hi, doctè, & ingenuè selectissima spatio vnius anni exequuti sunt auxilia. De quorum genere fuêre, attenuans, & exiccans diæta, calidorum, & aperientium medicamentorum vsus, exercitium validum, quod æger, inuitè licèt, duobus stipatus clientibus, ante cibum peragebat, sanguinis missio, purgationes variæ, potùs abstinentiâ, frictio per totum corporis habitum asperis linteis ventre ieiuno celebrata. Balnea naturalia, sudorifica ex Ebeno ad multos dies oblata. Imperata vigilia, Laconicis, & Æstuariis vsus est domi paratis, quorum vi sudabat copiosè, Imperata Theriaca, & alia præstita, quæ suprà citati Auctores, sic monente Galeno *lib. 14. meth. cap. 5.* facienda monuere, & explicant inter omnes Bartholomæus Eustachius *lib. 3. de morb. intern. cap. 36. de nimiâ obesitate*, Trincauellius *lib. consilior. 1. cons. 19.* Mercurialis *lib. de decorat. cap. 6.* Fallop. *eodem tract. cap. 5.* Sed his auxiliis æger conualescere non potuit. Hic, alios in sui subsidium conuocauit, quorum plures, eum, ardente sirio, vigente meridiano solis calore, calidissimâ arenâ esse fricandum asseruêre. Alij, febrem calidissimis medicamentis esse excitandam cum Gal. *lib. cit. meth.* rati sunt. Laborans cùm non proficeret, Medicorum pertæsus, me vocat, remediorum myriades, quibus alij vsi sunt, seriatim citat. His visis, illum coëgi, vt vno solùm vteretur auxilio. Hoc subridens, maximè contempsit, quòd neque à quoquam de eo esset admonitus. Tandem ab affinibus persuasus, magnâ cum Medicorum admiratione, verum nos proposuisse expertus est; nam eo annuente, profundis scarificationibus, nates, coxas, dorsum, scapulas, & brachia in parte syluestri per dimidiam horam scarificare iubeo, & post copiosam vacuationem, totum corpus, cum sale, & Aceto fortissimo, actu calidis, asperrimè frico, cuius frictionis efficaciâ, non solùm sanguis, sed pinguedo multa liquata vbertim emanauit. Homine sic in lecto, biduò, collocato, iterum ad simile opus, ex interuallis bis accedo, & in postremâ curatione, ante frictiones, super scarificatas partes copiosum hirudinum numerum admoui, quarum beneficio, sanguinis, & adipis copia est exhausta. His factis, corporis moles detumuit aliquantisper, ita vt in posterum, exiccante victûs ratione, & sudorificis ex Smilace, & Ebeno paratis, menstruáque purgatione, liberè respiraret, & nulli innixus, incedere posset.

OBSERVATIO CXIII.

De Nodis.

Nodi per vniuersum corporis ambitum numerosi exorti, Cauterio in nuchâ curati.

COnueneram præteritis diebus cum quatuor doctis collegis Belgis ad curandum Mercatorem ditissimum, qui biennio, ob dolores, vigil, & insomnis, corpore ob inopiam alimenti iam absumpto, & veluti tabefacto, gradatim ad mortis fauces erat deductus. Huic per totam corporis molem renati sunt tumores paruissimi, lentis instar, duri, qui processu temporis, ad Ciceris, & deinde ad Auellanæ mediocris magnitudinem increuêre; cum tam sæuo dolore, noctu præsertim ingrauescente, vt Medicis Gallici morbi suspicionem induceret, licèt æger se hunc morbum nunquam fuisse expertum inculcaret, maximè cùm quinquagenarius esset, & veneris deliciis antea non incumberet. Non obstantibus his, priùs expurgato corpore sudorifica ex Ebeno, & Smilace asperâ parata, exhibenda ad 24. dies, imperant; & post duorum mensium interuallum, Mercurialia artubus, & tumoribus deinde applicant Vnguenta, & alia exhibent in potum, quibus hic peruicax morbus eradicari consueuit. Sed incassum omnia tentata: nam dolores ferociùs infestabant. His factis recedunt ab ægro, postquam cum ægritudine laboriosè luctati sunt. Æger cùm esset salutis amantissimus, alios mecum in consilium conuocauit. His, iterum expurgandum esse corpus affirmant Sribio, Trochiscis Alhandal, Hermodactylis, extracto Esulæ, Quintâ essentiâ Sulphuris, Pilulis ex Mercurio conflatis, & aliis, quæ hos viscidos, & terrenos humores vacuare nata sunt. Ego contrà nullum expurgans offerendum sum ratus; nam vires erant exhaustæ, sed ad originem, & originis principium deueniendum esse constanter adstantibus prædixi: cùm enim laborans esset humidissimo cerebro præditus, & mucosa per os, ac nares continuò emitteret, & capitis grauamine, tinnitúque aurium assiduè infestaretur, ex capitis partibus externis, & extra Caluam positis, tanquam à perenni fonte emanare fluxionem palàm feci, à quibus superuacaneus humor per summa corporis sub cute deorsum ruit, qui tumores illos fouet, & auget: quamobrem quum cætera non iuuarent, nec expurgantia, nec roborantia auxilia satis essent, necesse erat ad cauterium in occipite, vel bregmate excitatum coactâ necessitate tanquam ad sacram anchoram accedere, cuius ope, humor qui ex continuâ cerebri debilitate progignitur, extrà euocetur; sic enim interceptâ fluxione, & humore non defluente, tumores adhibitis auxiliis absumentur. Sic me docuere prisci, qui in catarrho, & assiduâ destillatione cauteria adhibent in bregmate, in nuchâ, circùm caput in hunc vsum, & ex multis vnus sit mihi mille instar Hipp. *qui lib. 8. Aph. 6.* ex versione Musæ, Adolphi Vorstij, in Leydensi illustri Academiâ Medicinæ celeberrimi Professoris, Fontani, & Rodolphi Magistri, sic est præfatus; *Morbos quos diæta non curat, medicamentum curat, quos verò medicamentum non curat, ferrum curat; quos ferrum non curat, insanabiles sunt, & lib. 2. de morb. num. 15.* morbos à capite curaturus, vstione vtitur (cauterium actuale vocant) circa aures, in occipite, in naso, in oculorum magnis angulis, in ceruicis vertebris: nam, vt Hollerius oraculo quodam prædixit *consil. 1. quem antiqua partium debilitas adest, frustrà*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 897 sur 927

pharmaca aut alia remediorum genera tentantur, quoniam tunc ferro, & igne pugnandum est: purgantia enim purgant, & inueterant, auctore Auicennâ 3.1.*doct.*2.*cap.*2. quoniam cum inutili, vtilis humoris portio vacuatur, ex Galeno 6. *Aph.*27.

Rectè quidem inquiunt, versatissime Zacute, hæc omnia proponis, at cauteria in nostris terris non ita esse vtilia, vsu, experimentóque assiduo didicimus: nam homines ob alimentorum non ita, vt in Hispaniâ, ac Italiâ, vberè nutrientium defectum, terræ frigidum tractum, vini penuriam, non adeò sunt robusti, licèt proceri videantur, & audaces; fœtent enim aquoso, & crudo sanguine, in cuius præsentiâ si liberaliter sanguinem emittas, aut Cauteriis assiduis corpus vexes, citra leuamen vires deijcies; quare cordatè dixit Romanæ eloquentiæ parens Celsus, *in præfatione, differre quoque pro naturâ locorum genera medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galliâ*, &c. His dictis in sequentem consultationem, responsionem expectantes, abiêre, quæ facilis erat; nam hæ rationes veræ sunt, si de frequentiâ sit sermo: cæterùm aliquando, coactâ necessitate, hoc anxilium ad euitanda maiora mala esse celebrandum, frequens euentus confirmat, & constabit hoc exemplo manifestè. Æger enim hac auditâ discordiâ, & iam tot medicamentorum expurgantium sylua copiosâ citra fructum exarnificatus, maluit meo, quàm illorum adhærere voto. Vocato Chirurgo in occipite imprimitur Cauterium, & ita feliciter, vt post duos menses vlcere fluido permanente, dolores mitescere inciperent, & post tres, per fonticulum, ichoroso humore sensim vacuato, qui à capite defluebat, perfectam consequutus fuerit sanitatem. Tumores verò, applicito Emplastro de mucilaginibus breuiter euanuêre. Ne verò recrudescerer affectus, singulo mense, Pilulis de Agarico expurgatus, bis in anno 20. dierum spatio, decocto Smilacis asperæ, Theriacâ prius assumptâ, vrebatur.

OBSERVATIO CXIV.

De Causo.

Causus, crisi mirâ, solutus.

DIuissimus Medicinæ Oceanus sic præfatur *lib.* 1. *Aph.*14. *Animalium natura nonnunquam ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per vrinas, vel vomitus, vel aluum inferiorem excernit, quosdam verò pellit ad cutem, sed cùm non potest euacuare, propter crassitudinem ibi reponit, atque hoc modo tubercula nascuntur in corpore*, &c. Dum huius admirandi auctoris verba perpenderem, & naturæ in animantis commodum prudentiam contemplarer, quæ est docta, iusta, diues & sibi sufficiens, sola morborum medicatrix, ex Hipp. & Galeno in locis multis, & oculis Bibliothecam meam lustrarem, accessi forte ad scrinium, in quo illustrium virorum erant reseruatæ Epistolæ, & vnam inueni D. Antonij Gomez, Medici clarissimi, olim in florentissimâ Conimbricensi Academiâ Professoris primarij, emeriti, in quâ cùm rarum exemplum esset notatum, id huc referre, visum est. Fœmina erat candida, & rubicunda, cui menstrua ad trigesimum annum rectè profluxerant. Hæc ab anno 20. vsque ad hanc ætatem aduentante verè, causo corripiebatur immani, quæ cùm moritura sperarentur; sudore copioso leuabatur, post quem, tubercula purpurea per corporis ambitum repullulabant, Amygdalarum formâ, mollia, & pruriginosa; quæ omnia cessabant. Hæmorrhagiâ excitatâ per porum iuxta radicem pollicis pedis dextri, in internâ parte, quo loco aperto exiguo foramine, spatio quatuor horarum, sanguis, ac ex incisâ venâ, riuuli instar emanabat, quantitate duarum librarum, quâ copiâ excretâ, illa à febri, & tumoribus immunis fiebat. Nec titubes: nam *conspiratio vna, confluxio vna, consentientia omnia*, dicebat Hipp. *lib. de alimento, num.*4. & natura inuenit sibi vias, ex Hipp. 6. *epid. sect.*5. *text.*2. ita vt quando valida est, etsi materiæ sint crassiores, per angusta foramina eas detrudat, quando & per ossa fiunt abscessûs, vt eleganter docuit Magister *lib.*7. *Aph.*54. Hæc, vt Causi inclementiam, & sanguinis fœditatem effugeret, plurima tentauit, sed citra fructum auxilia; nam natura cursum suum nunquam interrupit. Lege huic consiles historias apud Beniuenium *lib. de abdit. morbor. & sanation. causis cap.*4. *& supra lib.*1 *huius operis, obseruat.*51. Consule de variâ febris ardentis solutione peritum Nicolaum Pisonem inter omnes, *lib. de cognoscendis febrib. cap.*6.

OBSERVATIO CXV.

De Tabe.

Tabes annua, Vernalis caloris ope, persanatur.

QVantopere Vernalis calor, nostrum calorem innatum iuuet, quum cœlestis, & temperatus sit, & ad obeundas functiones proportionatus, ostendit Galen. *lib.* 3. *de caus. puls. cap.*6. *&* 3. *Aph.* 9. *&* 1. *de temp.*4. & alibi sæpe. Nam, vt dixit Philosoph. *lib.*2. *de generat. animal. cap.*3. *calor quo animantium vita continetur, neque ignis est, neque ab igne originem ducit, sed in spiritu cœlitus delapso insidet, & est proportione respondens elemento stellarum.* Quoniam hic est membris salutaris, mitis, benignus, naturæ promptissimum instrumentum, originis valde præstantioris, viuificans, cùm sit æthereus, atque diuinus, & supra elementorum naturam existens, qui concoquit, humectat, naturam reficit, roborat, & partes nostri corporis collapsas instaurat, ac refocillat, vt explicant eleganter Fernelius 4. *physiolog.*1. Bartholomæus Anglicus *lib.*3. *de proprietatib. rerum, cap.*1. & luculenter multo antea confirmauerat Auerroës *in lib. de substant. orbis, cap.* 2. *& lib.* 12. *Metaphys. com.*18. *ad fin.* Hinc factum est, vt ægri Hyberno tempore non sint cogendi, nisi valde vrgente necessitate ad curationem, quoùsque Sol, temperie suâ, accedente vere nos illustret.

Iuuenis erat in 35. ætatis suæ anno constitutus, qui cùm esset defluxionibus à capite in thoracem valde obnoxius, in tabem ex hac causâ subortam, vrgente hyeme incidebat, cum virium iacturâ summâ: nam sæuiente brumâ nec mouere poterat artûs præ debilitate, capitis grauedine tentatus, difficulter respirabat, inappetens erat, faciem virore quodam obsitam habebat, tussi continuâ premebatur, demum vigil, tristis, extenuatus, & tabidus, accedente febriculâ in horas moriturus sperabatur. Multa remedia tentata, quæ ad tabem auctores latè proponunt. Omnia nulla. Sed cùm adhærerent pellibus ossa, desertus à Medicis, appropinquante Vere appetitum recuperat, tussis est facta minor, omnia mitiora, ita vt medio vere respiret facillimè, velociter currat, auferatur febris, accedat placidus somnus, firmus euadat, & obesus omnia cum viuiditate multâ exequatur; denique qui facie Hippocraticâ hyeme iuxta lares semimortuus, veluti affixus habitabat, Vere, & æstate, carnosum, hilarem, & ouantem cerneres, instar animalium, quæ hyeme in cauernis extincto ferè calore natiuo præ frigiditate ambientis exanima latitare solent, & aduentante vere, huius calore vires suas recuperant. Durat hic gyrus abhinc decem annis, in quibus hyeme videtur morti propinquus, & vere reuirescens, sit alacris, fortis,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 898 sur 927

©BIUM

fortis, rubicundus, & veneris irritamentis percitus, prolem generat, & reuiuiſcit. Magna ergo eſt potentia Solis in hæc inferiora, cuius efficaciam decantant, Picus Mirandula aduersùs Aſtrologos *cap.* 3: Conciliator *diff.* 48. *&* 59. Caſſanæus 12. *part. Catalog. glor. mundi, conſiderat.* 8. Hic nos genuit, illuminat, calefacit, vberiorem acceſſu ſuo calorem ægroris, & ſanis præbet, eſt denique totius ignis noſtri fons, atque origo, quare nullus ſeſe poteſt à morbo expedire, & robur priſtinum recuperare, vſque *dum idem Sol ad nos redire incipiens, corporibus, ortùs naturalis, & ſalutis auctor eſſe incipiat*, vt profert Valleſius ſcitè *lib.* 4. *epid. in com. text.* 8.

OBSERVATIO CXVI.

De Pleuritide.

Annua Pleuritis, Saphenæ ſectione curatur.

QVidam aduentante æſtate, ſpatio 12. annorum pleuritide dextri lateris corripiebatur adeò immaniter, vt in periculo conſtitutus, adhibitis plurimis auxiliis, & iteratâ venæ ſectione, euaderet. Hic cùm iuuenis eſſet, biliosus, iracundus, gracilis, & temperamenti calidi, metus erat ne aduſtâ bile, alio etiam corriperetur ferociori morbo. Quare conuocati Medici, & de morbi cauſâ diſceptantes, ex anteactis facilè in huius morbi cauſam deuenerunt, nempe quòd eſſet à feruidiori Hepate, biléque calidiſſima ad pleuram debilem confluente pronatus. Sed quâ arte eſſet præſeruandus, ne in ſimilem laberetur morbum, in dubium verterunt. Alij enim in medio vere expurgandum corpus prædixere. Quidam pugnandum eſſe Amuletis, quorum contra hunc affectum eſt copia multa. Plures, Diætâ, & victus parcimoniâ minuendum eſſe ſanguinem rati ſunt. At maior pars exhauriendum eſſe ſanguinem imperauit, vt ſic huius ope, biliosus ſanguis fluere paratus, vacuatus, imminenti morbo fomentum ſubtraheret. Sed ex quâ parte eſſet emittendus, hæſitârunt. Nam alij, cùm fluxionis origo eſſet certa, nempe Hepar, internam venam dextram feriendam eſſe affirmârunt. Sed cùm *à parte ad quam fluxio delapſura eſt, quàm longiſſimè ſit reuellendus humor, nequaquam ad eam trahendus*, ex præſcripto Galeni *lib.* 13. *meth. cap.* 11. *& lib. art. med.* 95. & monuit primò Hippocr. *lib.* 2. *de natur. human. text.* 9. idcircò à parte diſtantiſſimâ ab eâ, in quâ dolores fieri, & ſanguis colligi ſolet, vacuandum eſſe ſanguinem plures aſſeuerârunt, nempe à Saphenâ partis oppoſitæ: nam auctores omnes qui in curatione pleuritidis ſanguinem à parte affectâ eſſe mittendum arbitrantur, in præſeruatione annuæ pleuritidis, è contrario latere eam admittunt, de quorum numero ſunt Mercatus *lib.* 1 *indicat.* 4. Capiuaccius *lib.* 2. *praxis* 13. Sic Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 19. ſectis venis crurum præſeruat ab Apoplexiâ, & Vertigine: nam inferiores venæ ſunt maximæ, & cùm à cauâ oriantur, non ſolùm à partibus thoracis, ſed à capite validiſſimè reuellunt: & tunc non adeſt humor impactus in pleurâ, ſed timetur irruens copia fluxuri humoris in eam. His dictis reſpondent cæteri, verum quidem id eſſe, & in annuâ Pleuritide venas eſſe ſecandas in parte infernâ; attamen ſi Hepar eſt cauſa mali, & ad meram reuulſionem neceſſaria eſt etiam rectitudo, vt patet ex Galen. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 11. *& lib.* 5. *meth.* 3. quibus locis ſi è nare dextrâ profluit ſanguis, ex dextrâ parte mittit ſanguinem, vel ilio dextro cucurbitulas admouet, & ſi ex nare ſiniſtrâ erumpat, ex læuâ parte reuulſionem moliendam cenſet, in hoc ægro cur dextra Saphena potiùs, quàm ſiniſtra non aperietur? Quare concluſum eſt ex Saphenâ pedis dextri in parte internâ, bis, in vltimâ parte veris ſanguinem extrahendum. Sic factum, & cum vtilitate tantâ, vt hac ſolùm annuâ vacuatione, annua pleuritis vſque in hunc diem euanuerit. Lege de futuræ pleuritidis curatione pulchra apud clariſſimum Montanum *in com. cap.* 88. *lib. art. medic. Gal.* & de vtilitate ſectionis venarum pedum pro curandâ, & præſeruandâ pleuritide Antonium Caſſalenum ex multorum mente *tract. do ſecand. venâ in pleuritide c.* 13. & 14. de quo argumento non adhuc capit diſcordia finem, tunc acceptura, cùm Ioue miſſus ab alto interpres Diuûm tulerit reſponſa, aut ſuperiore Dei numine afflata Sibylla panderit, nec dubita, nam vera fides. Vide Iulium Guaſtauinium *de loc. medicin. ſelect. c.* 23. Ioan. Argenter *lib. de colligiandi rat. cap. vlt.* & Renatum Morellum *in appendice Briſſoti in lib. de ſanguin. miſ.* & alios, qui omnium auctorum, varias, & diſcordes ſententias circa hoc negotium diſertè protulere.

OBSERVATIO CXVII.

De Pleuritide duplici.

Duplicata Pleuritis vehementiſſima, venæ ſectione vſque ad animi deliquium, curatur.

DIſcutiendum modò arduum inuolucrum eſt, & in cuius explicatione, tam Veteres, quàm Iunioniores, multiplicibus telis Hippocratis ſententiam oppugnant; quare neceſſe eſt feramus opem ſeni noſtro, cuius aurea verba, Sibyllinis foliis veriora tantoperè æſtimari debent. Nam inter multa quæ in libris de ratione victûs circa medelam Pleuritidis protulit Axiomata, hoc eſt præcipuum, & inter ſanctiones Hippocraticas numerandum. Sic enim fatur noſtræ artis ſplendor & gloria, *lib.* 4. *acut. text.* 74. *Sanguinémque auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore, ampliúſque non veritus, ſi dolor acutus fuerit, ad animi vſque defectionem detrahes, &c.* Galenus, licèt plurima in hoc libro prolata, ſpuria eſſe aſſerat, magnóque Hippocrate indigna, tum *in præfatione, & com.* 5. *huius libri, & lib.* 2. *com.* 38. tamen in *com. citat. ſent.* eam amplectitur, & vt partum Hippocrate dignum, & legitimum explicat, & defendit, dum ſic inquit: *Nempe quòd dolor acutus ſit, plus quidem ſanguinis vacuamus, ſed fluere ſinimus, non quia acutus ſit, ſed ob alia: vtpote ſi virtus robuſta fuerit, viguerit ætas, ſanguis abundauerit, & laborantis natura, tum denſior, tum durior, atque ægrè magis perſpirabilis, & ſanguinis copioſi fuerit: anni etiam tempus, & conſtitutio corporis bene temperata, ſic ſanè & regio. Nempe quòd ad animi vſque defectionem ſanguinem auferre non vereamur, nobis ex his accidit, &c.* ex quibus conſtat apertè, acuto vrgente dolore, poſitis requiſitis, in pleuritide eſſe vſque ad animi deliquium ſanguinem hauriendum.

Tantorum virorum voto intrepidè ſæpè in vehementiſſimis thoracis affectionibus cruorem extrahere impero cum vtilitate ſummâ; & vt tibi amplius hoc auxilium innoteſcat, paulisper attendas, rogo. Agitur trigeſimus annus, quo ad curandum ægrum fui vocatus cum collegis multis. Ille erat robuſtus, quadratus, ætatis florentis, & venas habebat cocto ſanguine plenas, benéque erat educatus. Incidit in pleuritidem duplicem, quæ ex nimio ad vtrumque latus ſanguinis affluxu ortum ducens, ita eum oppreſſerat, vt præ doloris punctorij acutie, & venarum interceptione, exanimis redderetur. Cùm enim antea in ſuburbio habitaret, tempore quo vindemiales fructûs pro annuâ ſolennitate leguntur, de expreſſo, vel ſponte fluente muſto, cùm eſſet Bacchi amantiſſimus, nimiam copiam ad ſaturitatem

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 899 sur 927

vsque exhausit, vnde sanguinis saburra in venis increuit in copiâ tantâ, vt sæuam, eámque duplicatam pleuritidem committeret, quam comitabantur tensiua lassitudo, rubor, & pruritus totius corporis, sitis ingens, linguæ rubedo, vigilia, & nihil screabat per sputum: nam natura grauata non audebat præ onere aggredi coctionem. His visis, cùm in secundo die esset, maximâ perseuerante febri, non solùm ab interna inflammatione, sed ab apparatu morboso concitatâ, (nam vrina erat valdè rubra) vsque ad animi deliquium ex vtraque Basilicâ sanguinem euacuandum prædixi: quoniam in vehementissimis internis inflammationibus nullum maius præsidium est, teste Galeno *lib.1. Aph. com.23.* & alibi sæpè.

Secundus renuit omnino, licèt enim in inflammationibus internis à sanguinis multitudine concitatis hæc simultanea celebranda venæ sectio sit, non tamen in iis quæ ad thoracem pertinent: quippe ad eas non satis est naturalis virtus, sed animali quoque indigemus: *Quandoque* enim, ait Galenus *lib.2. prog. 67. concoquitur morbus, screatio verò non satis excernitur, interdum propter debilitatem mouentis thoracem facultatis, interdum propter crassitudinem screationis, quandoque ob amborum concursum, tùm virium debilitatis, tùm etiam qualitatis puris: itaque necesse est, & concoctum esse morbum, & excerni rectè screationem per affectionem quæ in sanitatem itura est, &c.* Quare cùm hac copiosâ vacuatione facultas animalis ad humoris in thorace impacti concoctionem summè necessaria plurimùm debilitetur, debilis cùm sit naturâ suapte, ex Galen.2. *Aph.*29.quia vtitur spiritu animali, tanquam instrumento, qui cùm tenuissimus sit, facilè resoluitur, ob hanc causam puto cum Vallesio *in com. citat. sent. Hippoc.* Mercuriali *lib.2.praxis, cap.9.* non esse in pleuritide ad Lipothymiam vsque vacuandum sanguinem, etiamsi eam Hippoc. consuluerit. Quare in hoc ægro, licèt turgeant vasa, totáque corporis moles copioso sanguine sit referta, tam copiosam phlebotomiam non exercerem.

Tertius eandem firmauit opinionem, adiiciens, hanc vacuationem esse reprobam, & inutilem, præsertim in pleuritide: si verò Hippocrates eam commendauit, accommodauit se regioni suæ, vt inquit Vascus Castellus *in exercitationib. ad omnes thoracis affectus, tract.5. cap.10. difficult.9.* cuius loci homines validissimi erant.

Quartus cum Ambrosio Nonnio doctissimo *in com. sentent.23. Aphor.* eandem sententiam est amplexus. Quòd si hanc largam vacuationem Hippocr. consuluit, per eam non vsque ad animi deliquium, sed in magnâ quantitate celebratam intellexit, quæ ad mutationem coloris sanguinis dici solet ab ipso, *2.acut.10.*

Quintus partitam, & moderatam approbat, nam ea quæ ad lipopsychiam vsque imperatur ab antiquis, refrigerat totius corporis habitum, & sic refrigeratus humor, crassiusculus fit, & ampliùs incrudatur: quare Aëtius *tetrab.2. serm.4. cap.68.* sanguinem mittit in Pleuritide, sed non vsque ad animi deliquium: nam refrigerato valdè corpore, pulmo rarus, & calidus existens, lateríque vicinus promptissimè fluxionem susceptat, quare periculum est, ne in Peripneumoniam pleuritis permutetur. Quo factum est, vt non à plebe Medicorum vulgari modò, sed à priscis, Cœlio Aureliano *lib.2. acut. passion. cap.19. in fin.* immò Classicis omnibus, hæc doctrina Hippoc. tanquam mutila, & planè corrupta, & ab aliquo auctore adiecta, Hipp. magno indigna iudicetur, & à Lycæo Medico explodatur, & sic ego eam damno, vituperóque.

Senior vltimo loco sic est alloquutus. Pleuritis morbus est periculosus, & acutus, & ex cuius sæuitie plures intereunt, ex Hippoc. *lib.1. acut. text.8.* quapropter in eius curatione insudandum, & sic Hipp. libros de ratione victus sub exemplo pleuritidis conscripsit, & sub eodem titulo libellum de collegiandi ratione proposuit subtilissimus Argenterius, & sub eius modo acutorum morborum medelam Galenus proposuit *lib. de constit. art. med. cap.17.* & magis si duplex sit, quæ maiorem arguit humoris ad partem confluxum. Quare cùm hoc oraculum Hippocratieum, sit reconditum amplectendum omnino est: nec enim moror, vel magni Hippoc. vel cuiusque alterius sit sententia; nec enim à quo dicatur, sed quid dicatur; non dicentium numerus, sed dicti pondus, rationis momento, bilancéque librandum est, ex quo fit vt si solus ego hunc ægrum pertractarem, in eo, hanc copiosam, & vsque ad animi deliquium factam phlebotomiam exercerem, cuius vi cùm causa coniuncta, & humor fluens, & fluxurus sit vacuatus, deinde opus non habemus facultate animali ad screandum, neque pulmo rarus attrahet, aut incrudabitur humor, cùm totus semel sit exhaustus. Si verò Aëtius, & Cœlius eam non admittunt, intelligendi sunt de frequenti euentu: cùm rarò contrarium contingat, vel si eos in virium debilium præsentiâ intelligas, tutè hos auctores in veram amicitiam reduces.

Athleticum ergo huius hominis habitum statim vacuare conemini, ne suffocato calore ob copiam multam, hic subitò occumbat. Falsum autem est corpora nostro tempore non esse ita robusta, ac olim: non enim natura fatiscit, vt scitè probat Christoph. à Vega *lib.2. art. medic. in præfat.* & firmat eleganter ipse Vascus Castellus *loc. cit. diff.7.* velut palinodiam recantans.

Ne ergo pro curatione huius ægri hanc phlebotomiam auersemini, quam tutò in hoc robusto iuuene, velut in Hercule, aut Milone, aut Athletâ celebrare fas est: nam vehementi malo, non potest nisi vehemens auxilium succurrere, teste Celso *lib.2. c.11.* At cùm hic Medicus famâ esset celebris, illorúmque rationes ex tempore dilueret, tantámque Antinomiam, quæ hactenus scribentes cruciauit, explicaret, illius voto acquiescunt omnes. Vocato Chirurgo ex vtraque Basilicâ exhauritur cruor, qui cum tanto impetu è venâ exiuit, feruido spiritu plenus, vt cutem veluti exureret. In septem peluiculas coniectus est sanguis, quum verò octaua esset allata, pulsus tangentibus Medicis immutari incepit, & viridi in facie apparente colore, æger in animi deliquium incurrit, sed itroratâ facie, & aquæ Saccharatæ haustu ad se rediit. Tanti fuit momenti vacuatio hæc, vt semiputridi sanguinis tantâ copiâ extractâ, quæ vncias 42. ad Stateram pependit, intra quartum diem, nullâ sequutâ per sputum vacuatione perfectè fuerit sanatus. Ne ergo oracula Hipp. ad libitum temnas, sed ea bis, & ter lege, vt intelligas, vt monuit Galenus *lib. 4. acut. com.30. & in proœmio lib. de fracturis.*

OBSERVATIO CXVIII.

De Penis conuulsione.

Rarissima Penis Virilis conuulsio.

Audacissimus Belga, quum renuentibus amicis, post occasum solis, vigente Brumâ, dimidiæ horæ spatio, in flumine versaretur, post exitum ab aquâ, ita illi contortus, & tensus est penis, conuulsionis modo, vt quoties meieret, vultum lotio sparsisset, nisi manûs vmbilico prohibentes vrinam admoueret. Hoc vitium cùm à causâ externâ, nempe à frigiditate aquæ ortum duceret, citra totius prouidentiam, post mensem succubuit: nam post fomentum factum ex decocto Betonicæ, Rutæ, Saluiæ, Ocymi,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 900 sur 927

©BIUM

Ocymi, Pulegij, Calaminth. Stœchad. & Roriſmarini, & linimentum paratum ex oleo Aniſi, Terebinth. Lumbricor. terreſtrium, Vulpino, Caſtorij, Rutaceo, cum aquâ Vitæ, & generoſo vino, ſenſim in priſtinum ſtatum, virile redactum eſt membrum.

OBSERVATIO CXIX.

De Vomitu.

Menſtruus globiformis maſſæ concretæ vomitus perniciosiſſimus, quomodo curatus.

MOnſtroſa multa per vomitum excerni, auctores peritiſſimi confirmârunt. Nos in quodam pituitoſo homine vnum notauimus exemplum infrequentiſſimum, qui poſtquam eſſet aſſuetus quotidie per vomitum, mucoſam, lentam, albumineámque pituitam trienniò ieiuno ventriculo excernere, tandem debilitatis officinis nutritionis, calore diminuto, & expultrice infirmatâ, tota ea machina humoris viſcidi, quæ aliquando ſemel euomita, libram ſuperabat, retenta, intus coërcita, concreta, & denſata in globum migrauit coagulatum, qui Gallinacei oui magnitudinem æquabat interdum; quem ſingulis menſibus natura, præcedentibus animi deliquio, anxietate, torſione ſtomachi, immani ventris dolore, & Syncope, foràs per vomitum emittebat. Hic carniformis globus, extrà, & intus diſſectus, colore albumen oui repræſentabat. Per annum totum durauit hic gyrus, quoüſque vno die, dum expelleret globum, ita laborioſiſſimo vomitu eſt preſſus, vt occluſis reſpirationis viis æger penè ſtrangularetur. Plura, pro roborando ventriculo flaccido, à quo tanta pituitoſi humoris copia emanabat, ſunt celebrata. Purgationes variæ, emplaſtra, fomenta, culcitræ, potûs, fontanellæ cruribus affixæ, ſudorifica ex Ebeno, Balnea naturalia, Aquæ pretioſæ ex Cinnamomo, Naphæ, Angelicæ, Vitæ, Balſami, vſus: at omnia irrita. Demum aſſiduo Mechoacanæ radicis vſu, bis in ſeptimanâ, quantitate drachmarum duarum, exhibitæ; cuius ope per aluum mucoſum humorem ſenſim deponebat, & ante paſtum aſſumptâ vnciâ vnâ aquæ Thermalis Sulphureæ, cum guttulis mellis electi delibutæ, & continuo potu meri generoſi, in quo per noctem madebat Rhaponticum, medicamentum ſanè ad roborandum ventriculum præſtantiſſimum, ſi fidem adhibemus Dioſcoridi *lib.* 3. *cap.* 2. ad eum ſtatum reductus eſt, vt non, ſicut antea, globum, non mucoſi humoris tantam quantitatem, ſed minimam portionem, ſaniùs vitam ducens, ex interuallis ſolùm excerneret. Nam Rhaponticum, eſt mirum medicamen ad ſtomachi infirmitates, hoc eſt, vt interpretatur Marcellus Virgilius *in com.* ad ſtomachi debilitatem, ſeu languorem. Num autem Radis Pontica, à radice Barbaricâ, etiam roborante ſtomachum, naturâ, viribus, natali ſolo plurimùm diſcrepet, Botanicis diſceptandum relinquo; in quâ controuerſiâ inſudârunt Ruellius *lib.* 3. *de natur. ſtirp.* 2. Manardus *lib.* 5. *epiſt.* 5. Fallopius, & alij.

OBSERVATIO CXX.

De Pica.

Picæ infrequentis curatio.

PLures, tam viros, quàm virgines, aut graujdas, quibus Citta ob menſtrua retenta, & vitioſos humores, eſt propria, & vetulas, Malaciâ pertinaciſſimâ oppreſſas, indiſcretè, & auidè deuorare Arenam, Carbones, Triticum, Oryzam, Cicera cruda, Cineres, Farinam, Cretam, Calcem viuam, filamenta, Lapillos, terram, Goſſypium, lanam, fruſta colliſarum ollarum; hóſque omnes in lethales morbos incidiſſe, certa res eſt. Nos in huius rei veritatem, virginem vidimus, quæ in tantâ quantitate erat aſſueta deuorare ſalem, vt multoties in die duas eſitaret libras, ex cuius vſu diuturno, & aſſiduo, in Diarrhœam incidit bilioſam, cum tabe implicitam. At hæc à parentibus valde obiurgata, & à ſalis deliciis abſtinens, præter totius prouidentiam, lacte caprino Chalybéato, & frigidis Hepati applicitis, euaſit.

OBSERVATIO CXXI.

De Hydrocephalo.

Stupenda Hydrocephali ſpecies in Viro curata, cuius caput, bouis caput æquabat.

REfert Montuus doctiſſimus *lib. de infantium pragmatiâ pag.* 8. ſe curâſſe virum, qui furnariam exercebat, cui caput ad tantam magnitudinem auctum eſt, vt mole caput bouis ſuperaret, qui, omni diuerſionum genere, & tenuiſſimâ victus ratione ſeruatus eſt. Ego ſimilem caſum vidi ſemel in vitâ meâ, ſed meliori modo curatum: nam caput in ſummam magnitudinem adauctum cum naſo faciem occultabat. Peritiſſimi Chirurgi conſulti; Alij reſoluentibus; quidam, Cauteriis; cæteri, inciſione, aquam illam intra cutem & cranium, vel abſumendam, vel extrahendam, rati ſunt: nam priſcorum ſcientiſſimi, qui de Hydrocephali curatione conſcripſerunt, ſic affirmant. Annui eorum voto, hac tamen limitatione poſitâ, vt ſi aqua eſſet extrahenda, vteremur Siphone, ſeu acu argenteâ cannulatâ, cuius ope ab Hydropicorum ventre extrahitur aqua: nam hoc auxilium mînùs vires eneruat, & non ita vim infert naturæ, & ſic ſenſim ac ſine ſenſu aquoſus humor exhauritur. Salubre conſilium omnibus hoc viſum: quare relictis reſoluentibus, quorum ope non poterat tanta aquæ copia abſumi, & per vices impoſito Siphone, in parte anticâ, poſticâ, & ad latera, multæ aquæ libræ ſunt exhauſtæ: reliquus verò humor craſſior, & grumoſus ſanguis vnguento facto ex Olei Camomillæ vnciis decem, cum Sulphuris vnciâ vnâ; & puluer. Origan. Myrtil. Roſ. Rubear. Abſinth. Melilot. an. drachma vna, & dimidia, & cerâ, abſumptus eſt. Lege Antonium Chalmetéum Vergeſacum in Enchiridio Chirurgico, *cap.* 18. *de Hydrocephalo*, qui pro hoc tumore curando ſelecta auxilia proponit.

Memini me, dum iuuenis eſſem, curâſſe mulierem, cui ex Eryſipelate œdematoſo in capite excitato, ita caput in tantam molem accreuit, vt aures, occiput, naſum omnino contegeret, & videndi actionem impediret, quin caput alterum ſuperadnatum manibus eleuaret. Hæc ſæpiùs expurgata, ſcarificatione profundâ, per totum caput celebratâ, & Emplaſtris factis ex farinâ lupinor. Orobi, Hordei, Lentium, Fabarum, Erui, exceptâ cum decocto Roſ. Plantag. Melilot. Fœnugræc. Camomil. Origan. fol. Myrti, & Oxymelite, omnino, euaneſcente tumore, ſalua euaſit.

OBSERVATIO CXXII.

De Carbunculo peſtilenti.

Carbone affectus iuxta cubitum, ex ipſo cubito, ſanguine extracto, curatur.

CArbonis peſtilentis cauſam eſſe craſſum, retoridúmve ſanguinem, longè ab eo diuerſum qui phlegmone parit, cum Galeno *lib.* 14. *Meth. cap.* 10. confirmant

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 901 sur 927

confirmant omnes. Hic multoties est causa febris, aliquando ex febre oritur. Ex primâ causâ iuueni cuidam in constitutione pestilenti, in initio morbi circa cubitum dextrum pronatus est carbo, quem ingens Plethora, corporis iactatio, vigilia, inappetentia, sitis, & anxietas comitabantur. Hunc curaturi Medici, Cardiaca priùs Ministrant, Cor, Sacculis, & Epithematis firmant, & alia imperant celebranda, quæ ad retundendam pestiferam auram à Doctissimis sunt scripta. De vniuersali vacuatione, omnes mittendum esse sanguinem, vnanimi consensu rati sunt, & licèt ex auctorum decreto, in carbunculo vsque ad animi defectum sit exhauriendus sanguis, vt posteris tradidit Iordanus *tract. 3. de peste, col. 566.* tamen in pestilenti hoc minimè est obseruandum, quippe vi malignitatis lacessitæ vires, magnam vacuationem citra dispendium non sustinent. His dictis de loco venæ sectionis hæsitârunt: nam, si bubo esset in inguine dextro, ex pede dextro; si in sinistro, ex sinistro pede celebranda venæ sectio erat: pari ratione, si in collo, humero, retrò aures, scapulis, è Cephalicâ, vel Basilicâ, sectio exercenda: vt ex Galen. mente notauit Altimarus *lib. de feb. tract. de peste, cap. 9.* verùm quoniam carbones in cubito non ita frequenter repullulant, in hoc ancipiti casu, vel à talo partis affectæ, vel ab eadem summâ manu, vel ab altero talo, nequaquam ex eodem gibbero extrahendum cruorem constanter asseruêre. Collegio celebrium Medicorum in tam varias opiniones distracto, me, & alium seniorem Medicum conuocârunt. Hic eorum partes libenter est amplexus; Ego cane & angue peiùs ex dictis locis, sed ex ipso cubito iuxta carbonem exequendam esse constanter prædixi: minimè enim nobis est animus, sanguinis detractione aliò reuellere malignum sanguinem ad partem affectam fluentem, sed ad eundem locum attrahere, sic enim veneficum humorem educimus, & ad bubonis locum, & externa attrahimus. Nonne ex omnium voto, in hunc vsum frictiones exercemus in parte affectâ, cucurbitulas, hirudines, cauteria, vesicatoria, & alia attrahentia præsidia apponimus, vt virulentus humor, in viscerum penetralibus impactus, non solùm malignâ qualitate, sed putredine cor fatigans, extrà in emunctorium attrahatur? cur si hæc vera sunt, in hoc ægro ob euentûs raritatem, in eâdem parte venæ sectio non administrabitur, vt vacuetur, & attrahatur ad eam nocuus humor? & licèt confluat, & præcipiti lapsu copia humoris deleterij irruere possit, & alia exitialia damna repullulent (hoc enim omnes ex venæ sectione hoc in loco celebratâ præsagierant) *melior est incisio vnius membri, quàm mors totius*, vt cordatè asseruit Auicenna 7.4. & Dinus, illustris explanator *exponit in com.* quæ omnia, nî tædio essem lectori, ex facundissimis Hippocratis & Galeni principiis, fusè probarem. Sed ne excutiamus singula, placet in commodiorem locum differre: neque enim hoc placitum, aut difficile, aut terribile est quod propono, quod vos, non longâ, litigiosáque contentione dirimatis, rogo, neque diuerticula consectemini, neque enim res hæc nugatoria est, vt videtis.

Illi, vt erant ingenio ingenuo præditi, omnia, verborum prolixitate concisâ, breuibus, ac membratim cæsis sententiis emedullârunt. Bono, inquiunt, animo esto, Zacute, nam in tuam sententiam libenter imus. Quid porrò hîc ampliùs expectas? vocetur Chirurgus, & Basilica eiusdem lateris tundatur. Sic factum. Vix dici potest quo impetu sanguis eruperit. Quare celebratâ phlebotomiâ parcâ, Alexiteriis, & sudorificis exhibitis, cucurbitâ super locum affectum cum profundis scarificationibus admotâ, & clementi oblato medicamento expurgatus in quarto die, breuiter meliùs habuit.

OBSERVATIO CXXIII.

De Bubone pestifero.

Detegitur error Chirurgorum, in curando Bubone pestifero, & vera eius curatio proponitur.

Ægrotauerat in constitutione pestilenti Baro illustrissimus, bubone pestilenti in inguine dextro suborto, cum Anxietate, Cardialgiâ, Inquietudine, Porraceæ bilis vomitu coniuncto. Hic pro sui salute duos Chirurgos conuocauit expertos, qui in primo insultu sudorificum ex vnciis duabus aquæ Cardui Benedicti cum drachmâ Theriacæ conflatum, assumendum imperârunt. Vesperi, Buboni causticum medicamentum admouendum tentauere, ac reclamantibus ministris, & vxore, aliorum Chirurgorum, & Medicorum votum admittitur. Collegio celebrato primus sic fari incepit. Notissimum est, pestilentem humorem, vt malignum, semper esse euocandum ad cutem, frictione, cucurbitulis, sudorificis, nec debere ad viscera interna trahi licèt symptomaticè eò ducatur, ita sensit Leonardus Fuchsius, doctrinâ percelebris, in reparandâ scholâ Medicinæ quæ à Barbaris, & ineruditis Medicis in tyrannide tenebatur, dux strenuus; auctore Christophoro à Vega *lib. 3. prognost. in com. sent. 15.* dum *lib. 1. Aph. 23.* sic ait: *In febre pestilenti natura motus vniuersus ad cutem est: hunc Medicus per ea quæ sudorem proliciant, iuuabit: vnicè autem cauebit, ne per alium euacuet, quòd is motus naturæ instituto ex diametro repugnet, &c.* Sudorificis ergo & Cardiacis venenum debellare oportet, quorum ope natura robustior facta, subiectum humorem in Bubone impactum coquere possit.

Secundus pro se Fernelij auctoritatem patefecit *lib. 2. de abdit. rerum causis cap. 12. in medio*, dicentis: *In peste à venæ sectione, & validâ purgatione esse abstinendum, nam pernicies tota à venenatâ qualitate scaturit; quare imperanda, non quæ vacuent, sed quæ frigore, & adstrictione leui, spiritûs, sanguinem, & humores cohibeant, vt sunt acida, & quæ totius substantiæ proprietate veneni vires obterant, aut foràs sudore exterminent; hæc enim huius mali sunt Antidota, & antipathiâ veneno pestilenti sunt contraria.* Hæc sententia est multorum illustrium virorum, qui cane & angue peiùs, in pestilenti affectu venæ sectionem renuunt, quantò magis apparente Bubone externo, qui phlebotomiæ efficaciâ recurret ad intrà. Nostras partes defendunt Cardanus *lib. 2. contradict. tract. 4. contradict. 4.* Petrus Salius *lib. de febri pestilent. cap. 21.* Paréus *lib. 21. de peste cap. 24.* Rectè iste quidem, & breuiter ratiocinatus est, cuius votum, alij tres Chirurgi, & duo Medici, paucis prolatis verbis, sunt amplexi.

Penultimus tandem concluſit hoc modo. Si vultis curare hominem, audite Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, Anatomicum insignem, Chirurgum summum, Medicum dexterrimum, olim in celeberrimo Patauino Gymnasio in superordinario loco Professorem primum, & præceptorem meum obseruantissimum: sic enim ait *lib. 1. de tumorib. præter naturam cap. 17. de Bubone pestifero. Purgatio in hoc periculosa, quia medicamenta à principio valdè turbant naturam, vtilissimum tamen est, materiam veneficam attrahere ad illam partem Epispasticis validissimis, vt sunt Cantharides, succus Tithymali, Ranunculus contusus, & appositus, omnium maximè laudo Flammulam, quia admodum attrahit, & vesicas excitat, per quas venenum expurgatur, &c.*

Vltimum locum dicendi, humanissimi isti viri, mihi, iam senio confecto benigniter concessêre.

O Deum

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 902 sur 927

©BIUM

O Deum immortalem! quos mihi aculeos infixerunt, quàm dulci, & iucundâ iuuenilis ætatis recordatione animum exuſcitârunt; nam refricare videbantur purioris illius Medicinæ memoriam prope intermortuam, & nunc, proh dolor! vulgarium ſophiſmatum cauillis refertam. Agnoſco, inquio, quàm difficile ſit in tantâ celebrium Medicorum coronâ aliquid loqui, quod non ſit ex veterum monumentis exhauſtum, ſed cùm *inertis ingenij ſit*, monente Senecâ, *relictis fontibus riuulos inſectari*, & hoc loco *ſermo ſit de veritate, non de fabulis*, vt cum Galeno loquar *lib. 3. de vſu part. cap. 1.* idcircò eam ingenue proferre debeo, maximè, *quando de hominum ſalute agimus*, vt in Hippocratis laudem adſtruxit Celſus *lib. 8. cap. 4. in init.*

Licèt enim durum ſit, de auctoritate deiici, tamen Hippocratis, & Galeni ſententiis fretus, (ſunt enim duo Medicinæ coruſcantia ſidera) veritatem inquirere, & rimari conuenit. Hanc ſolus, opinor, nouit Deus, neque nos quid verum; ſed quid ſit veriſimile inueſtigamus. Vos vtrinque fautores eſtis opinionis, meæ omnino aduerſæ, quam tot annorum approbatione in pectore meo confirmatam habeo. Itaque iam ad vos redeo, viri optimi.

Deploranda calamitas eſt, vt dixi, ſpretis ſummorum Medicorum conſiliis, à turbidis, & cœnoſis locis aquam exhaurire, nam illorum doctrina clara eſt, limpida, & perſpicua. Hanc primus omnium prædixit Hip. cum Galeno *in locis innumeris* quos per otium expendunt ad Galeni mentem, Claudinus *lib. 2. de ingreſſu ad infirmos, cap. 6. de peſte*, Ludouicus Septalius *lib. 5. de peſte cap. 19.* Nam tantum abeſt, vt vi phlebotomiæ humor in Bubone impactus retrocedat, vt eum alacrior natura, deonerata eo quo velut ſarcinâ premebatur, ad externas partes detrudat. Sic inquiunt veſtræ opinionis patroni, Fernelius, & Paréus, tanti viri, nam ille *lib. 2. de ven. ſect. 7.* obſcœnis partibus inflammatis, vt alterutro inguine, è brachio venam ſecat, modò inflammatio non venenatæ cuiuſdam pernicici, hoc eſt peſtilentis, particeps ſit; tunc enim, vrgente neceſſitate ex talo cruorem exhaurit. Paréus poſtquam acriter obiurgauit Medicos, ſanguinem in peſte emittentes, in fine capitis palinodiam recantat in §. *non negauerim tamen, quin, ſi ingens aliqua in corpore plethora ſubſit, vtrique remedio locus eſſe poſſit, præſertim per initia, & ſi materia efferum habeat orgaſmum, vnde metus immineat irruptionis in partem aliquam nobilem, &c.* Sic in plenitudine ſummâ Auic. 1. 4. *tract. 4. cap. 10.* in Variolis, & Morbillis emittit ſanguinem, retroceſſum minimè timens.

Sed agè iam, inquiunt illi, de purgatione, cuius vi, humorem ad internas ſedes retrocedere, confiteri debes, nam electione quadam, & proprietate, à circumferentiâ ad centrum eum attrahit. In peſte in initio expurgandum eſſe, cùm humor & turgeat, & vrgeat, & venenatâ qualitate cor fatiget, à Galeno, & artis proceribus ſancitum eſt, renuant licèt Ioannes Crato *lib. de peſte*, Mundella *epiſt. 16.* Petrus Paulus Pereda *lib. 2. de method.* Ioan. Paſchal. *in Schol. cap. 9.* & alij, quorum rationes ſolutas lege apud Manardum *lib. 13. epiſt. 1.* & priùs prædixit Auicenna 1. 4. *tract. 4. cap. 4. §. Summa curationis peſtilentium febrium eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomiâ, & ſolutione ventris: & oportet, vt incipiatur in eâ ad euacuandum. Si autem materiâ vincens fuerit ſanguis, fiat phlebotomia; & ſi fuerint humores alij, euacuentur, &c.* Explicat fusè, & eleganter fidus interpres Gentilis *in com.*

Apparente tamen Bubone tutò poſſe purgationem exerceri, monuit apertè Hipp. *lib. 6. epid. ſect. 7. text. 1.* Nam in peſtilenti aëris conſtitutione, in quâ omnibus ferè abſceſsûs erumpebant in cute, primò ſecat venam, deinde expurgat, & Galenus *in com.* ſic ait: *Nihil enim Hipp. non fecit, vt remedium adhiberet, ac ſi totum corpus eſſe plenum inueniebat, vt ad affectum locum materiam tranſmitteret, vena ſectione vtebatur: ſi verò corpus qualitate peccantes ſuccos ad locum mandabat, purgatione ventrem perturbabat, & peracta communi curatione, ad loci propriam accedebat, &c.* ex quibus luce clariùs patet in principio priùs eſſe feſtinandum ad expurgationem redundante cacochymiâ in intimis, nihil obſtante ſymptomatico motu ad partes exteras. Neque timeas pharmaci attractionem ad interna: nam ſi benignum ſit, reuellit à corde, & à viſceribus præcipuis, quorum ſunt germina, bubones iſti, ex Hipp. *6. epid. ſect. 2. text. 10.* & malignum humorem clementer euacuat.

Deinde ſi Hipp. 2. *Aph. 15.* apparente Bubone externo, cacochymiâ redundante, quam adeſſe in corpore excrementa oſtendunt, purgationem conſuluit in præſentiâ humoris benigni, cur in humore maligno, & à gremio naturæ omnino alieno, *4. de ſanit. tuend. cap. 4.* ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Si iterum attractionem times, timorem excutient Manardus, Ficinus *in ſuâ Epidemiæ Antidoto*, qui purgationis tempore, ſiccas cucurbitulas ſuxta partem affigere tentant, quod in operatione clementis medicamenti non videtur eſſe neceſſarium.

Inſuper Galenus *in malignis exanthematis in hiſtoriâ Simonis lib. 6. epid. ſect. 2. com. 29.* Laudat expurgationem per inferiorem ventrem: nam ſi ſudores prolicientia, & alia rarefacientia præſidia celebrentur, nocua ſunt apud Galen. *lib. 11. meth. 9. & 15.* nam corpus plenum exagitant, & ſufficienter vacuare non poſſunt, vt inſolenter ſibi Fuchſius perſuaſit.

Auerroës *lib. 3. collect. 31.* de febri peſtilenti cum carbone aſſeuerat, non ſufficere medicinam, vnum tantùm purgantem humorem, ſed omnes, ſicuti ſunt pilulæ Cochiæ, &c. Nec immeritò, nam motus iſte ad externa ſymptomaticus eſt in principio peſtilentis febris eueniens, inuerſo ordine à naturâ oppreſsâ, & malignitate laceſſitâ factus, quo pacto non æſtimandus, cùm criticè, & legitimè non eueniat.

Audiamus Auenzoarem Arabicæ familiæ ſtrenuum ducem *lib. 3. theizir, tract. 3. cap. 1. de Epidemiâ quæ accidit ex corruptione aëris*, dum ſic ait: *Vidi iuuenem habentem Apoſtema perniciosum, & ſtudui circa ſalutem ipſius, & incepi primò vacuare eum cum phlebotomiâ, & poſui ſuper Apoſtema confortantia, eo quòd non erat ex vilibus membris, demum purgaui eum ab humoribus malis, qui peccabant in eo, & propinaui ex medicinis laudatis in Epidemiâ ſicut eſt bolum Armenium, & diſſolutum fuit Apoſtema, & ſic de bono in melius conualuit, donec fuit perfectè liberatus, &c.* Vos ergo met eſtote teſtes, num ſatius ſit, Iuniorum, quàm huius auctoris tanti voto adhærere, qui vt ait Auerroës *lib. 4. cap. 40.* ſummâ artis, & ſui nominis gloriâ, & per tot annorum curricula in praxi verſatus, vidit quanta videre, & cognoſcere potuit.

Vltimò Galenus *in lib. 4. meth. cap. 4.* in Cacoëthis, & maligni vlceris curatione, cum impetu malignæ Cacochymiæ ad externa, protinus à principio malignos humores redundantes expurgat; nam ſi protrahatur purgatio, ægri poſtea in peius ruunt. Hoc documentum exequimur in doloſis, & Gallicis vlceribus, aliiſve tuberculis malignis, morbis cutaneis, & aliis abſceſſibus, qui in extimâ corporis ſuperficie repullulant. Sic enim ait *in medio capitis* Galenus: *Ego Cacoëthes omnino id dico, & ob id, redundantem ſuccum medicamento protinus euacuo. Ordinem remediorum inuertere, & partis priùs remedijs vti, quàm totum corpus priùs purum ſit ab excrementis redditum, inſignis ſtultitiæ eſt*, &c. Quare Buboni cauſtica ex Cantharidibus, Sublimato, & aliis parata apponere in principio, prætermiſsâ expurgatione malignæ cacochymiæ,

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 903 sur 927

cochymiæ, absurdum est, & ab arte alienum. Hos Thessalicos Asinos, tanquam spiritu Galenico destitutos vehementer condemnat Galenus *loc.cit.* in hunc modum. *Thessalus malagmate quod ex semine sinapi fit, ruborem excitare contendit. Quid ais insane? etiamsi calidum & acre sit, quod influit, rubefieri Emplastro ex sinapi particulam iubes? vt quod in multo tempore contrahere ex defluxione debebat, id statim ex tuo medicamento obtineat, tota videlicet vlcerata, atque erosa? cùm contra, vt arbitror, tum ratione, tum experimento de ijs sit statutum, vt toto priùs corpore à superfluis liberato, tum calidum aliquod acréque medicamentum parti admouere sit audendum, quippe eiusmodi medicamenta omnia cucurbitæ ritu ad se trahere à toto corpore sunt habilia, atque nisi priùs id vacuaueris, materiam fluxionis acri medicamento relinques.* Hæc Claudius Galenus artis Chirurgicæ Coryphæus summus.

Nonne hæc ex facundissimo Galeni penu exhausta, veritatem vobis eam obseruantibus præ se ferre videntur? Eia agite, sine fuco, & fallaciâ respondete: vos enim de eorum numero non esse & putaui, & puto, qui sub capite consuunt puluinaria. Interim pro virili, vtens Laconismo, quomodo hic vir curandus sit, perspicuè aperiam.

Ex numerosâ classe Medicorum, qui de curatione pestilentis luis cum bubone, egêre luculenter, vnus est Ioannes Manardus, vir non satis pro meritis laudatus, qui *lib.5. epist.3. versùs fin.* sic rem determinat. *Factâ, ait, sanguinis vacuatione ex loco propinquiori Buboni, primâ die, veræ Smaragdi puluis, pondere granorum octo ex Rosaceâ & Guttâ boni Vini deglutiatur. Si tumor alicubi se ostenderit, ei rursus cucurbitula applicetur. Hæc primo die agenda. Secundâ die loca tumoris decocto Chamæmeli cum spongiâ foueantur; post quod cucurbitulæ apponantur, ipsisque permanentibus hoc medicamentum bibatur. Tamarindor. ʒ x. in aquâ ferueant, colato adde Rhab. ʒ j. Agaric. ʒ ß. fiat potio, hauriatur tepida. Tertio die resumenda Alexipharmaca. Quartâ die tumor phlebotomo aperiendus, etiamsi maturus non videatur; Epithemata cordi, & alijs locis crebrò apponenda.* Hæc Manardus. Cuius tanti viri sententiâ fretus, in hoc ægro è talo dextræ partis sanguinem exhaurirem; nam in hac parte apparuit tumor; leni medicamento, vacuante per aluum vterer ad priscorum mentem; Alexiteria, & prolicientia sudorem postea exhiberem, modicè calida, hæc enim præsidia in peste, de totius prouidentiâ priùs consideratione habitâ, primas tenent, quorum numerum inter tantos luculenter patefecit Anutius Fœsius Mediomatricus, *in suâ Pharmacop. sect.1. de Antidotis*, præcipua sunt, *Lapis Belzaar, Vnicornu, Armenia terra, lapides pretiosi, os de corde Cerui, Dictamnum, Tormentilla, Carlina, Ebur, Angelica, Scorzonera, Theriaca, Electuarium de Gemmis, Alchermes, Confectio Hyacinthor. Electuarium de sanguinibus; de Ouo, Oleum de scorpionibus Matthioli, Cornu Asini Indici*, de quo Ælianus *lib.5. variæ histor. cap.2. Cornu Camphurch*, cuius vires miras delineauit Theuetus *tom.5. Cosmograph. lib.2. cap.5.* Galega, de cuius admirandâ vi contra venenum pulchra edocuit Forestus *lib. 2. de incerto vrinar. iudicio. Ruta* de quâ Athenæus *lib.3. Dipnosoph.* & alia composita pretiosa, quorum descriptionem exactam ex multorum mente retulit eloquenter Ludouicus Gardinius *in tract. suo de peste eleganti.*

His ita repentè dictis, quæ altiori indagine probari poterant, putabam illos in meam sententiam attracturum: sed obstinatâ quadam pertinaciâ citra rationem vllam vnanimiter asseruerunt, suo modo ægrum esse curandum, & sic vincentibus illis, impositóque caustico supra bubonem, & sudorificis exhibitis, citra totius prouidentiam, æger, Cardiogmo, & delirio arreptus, post septem horas excessit è viuis. An verò ex vi morbi, an ex præposteromedio mors acciderit, tu iudica si catus es, adeò indelebile malum est, eluíque non potens, ista circa sectas ambitio, ac scabie quauis ad sanandum rebellius, monente Magistro *lib. 1. de naturalib. facultat. cap.13. in init.*

OBSERVATIO CXXIV.

De extenuatione summa.

Extenuatio tabifica, Olei vsu, curatur.

GAlenum vehementer miror, quòd de facultatibus alimentorum vsque ad minima descendens, de Olei nutrimento nihil literis commendauerit, neque Veteres, aut Neoterici, eum, Balantûm more sequuti, de hoc negotio quicquam conscripserint, cùm hic præstantissimus liquor, non solùm vitæ vsui, sed nutritioni sit valdè necessarius: nam in *lib.2. de aliment. facult.24.* oleum, tanquam alimentum nos calefacere, dubitanter, & ex aliorum mente asseuerat. Attamen oleum nutrit, quùm sit pingue, lentum modicè calidum, humidum, & sic humidum primigenium, radicale, quod est aëreum, pingue, oleosum, vt probat Fernelius *lib.4. physiolog.6.* refocillat. Has olei conditiones, & proprietates animaduertens acutissimus Auerroës *lib. 5. collect. 36. de ouis*, in hæc verba prorumpit. *Et propterea quando conquassatur cum oleo, & aceto, & fit tremulum, est valdè bonum: quia res quæ coquitur cum oleo, est multum nutritiua, dummodò oleum nouum sit, & dulce, & oleum oliuæ, quia natura illius est temperata, & declinans parum ad calorem, & impinguat Hepar, & augmentat ipsius substantiam, & generaliter dico quod est conueniens homini multum secundùm totam sui substantiam; propterea in terris nostris non coquimus carnes nisi cum eo, quia melior modus, & temperatior comedendi carnes, &c.* Nam ex assiduo eius vsu homines pinguescunt, cùm enim pingue sit, corpora renutrit, pinguedinis modo, cui nutriendi facultatem, *lib. 3. de alimentor. facult.11.* Galenus attribuit.

Tanti viri auctoritate munitus, accessi ad inuisendum elapsis annis iuuenem, qui ex nimio veneris vsu, in tabem inciderat. Huic plurima iam Medici ad exhaustam substantiam reparandam solerter consuluerant auxilia, quorum ope, solida, & spirituosa materia facilè reparari solet. Alimentorum nutrientium copia oblata, facilis digestionis, & distributionis. Vinum generosum, tenue, & odoriferum exhibitum. Partes principes Emplastris odoriferis, & Epithematis firmatæ. Lactis caprini potus imperatus. Applicita Balnea. Venus omnino interdicta, toti corpori admota vnguenta, quæ humiditatem deperditam restaurarent. Largus prouocatus somnus. Electuaria varia resumptiua, ex Testudinum nemoralium, Ranarum, Caponis, & perdicum pulpâ, multis aliis adiectis, longo temporis spatio assumpta. Demùm nihil non tentatum, quod spiritûs reficeret, carnosas, & solidas partes crassefaceret.

Hic cùm esset fortunæ bonis affluens, & abundans, & parum proficeret, Medicos iterum in consilium conuocauit. Plures, hæc dicta esse repetenda auxilia commonefaciunt iuxta Senis Oraculum *lib. 2. Aph. 52.* dicentis: *Omnia secundùm rationem facienti, si non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, supponente quod ab initio probaueris.* Nam vt scitè docuit Auicenna *4.1. cap.1. in fin. Caue ne à rectitudine recedas, licèt non appareat iuuamentum, quoniam quæ longo tempore attenuantur corpora, lentè reficere conuenit,* refert dictator summus *lib.2. Aph.7.* Alij, solum mutandum esse consuluerunt, sic enim prædixit Hippoc. *lib.6. epid. sect.5. text.20.* cum Auicen. *4.1. cap.1. in fin.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 904 sur 927

fin. 5. Ex eis præterea quæ huic modo medicationis sunt propinqua, est mutatio de terrâ ad terram, & de aëre ad aërem. Sed æger horum consiliis non acquiescens, eos iterum me præsente conuocauit. Hi cùm essent doctrinâ, experimentóque percelebres, dictum votum denuò confirmârunt, rogarúntque vt omissâ omni contentione, communi studio rem omnem in ægri vtilitatem indagarem, & in hunc vastissimum Medicinæ campum descenderem, & si aliquid noui cogitarem, in medium promerem.

Ego cùm à grauioribus laboribus, curísque essem immunis, & huius contemplationis flagrarem desiderio, liberè inquirens curationem totam, præsidia attentâ mentis acie sum rimatus. Rectè à Galeno 5. *de sanit. tuendâ, cap. 9.* dictum est vno solùm medicamento non esse vtendum in senum aluo prouocandâ: nam assuefacta natura eorum vim temnit. quoniam, vt inquit Auicen. 4. 1. *cap. 1. vnicuique corpori, immò omni membro, in vnâ horâ, & non in alterâ ineſt proprietas ab vnâ medicinâ pati, & non ab aliâ.* Firmat Paulus *lib. 3. cap. 78.* Repetit Haly 8. *pract. cap. vlt.* Quare licet immutare auxilia, dummodo in eis eadem virtus remaneat. Et hoc est quod dicebat Hip. *lib. de loc. in homin. num. 50. vno medicamento non conferente ad aliud transeundum.* Quare iamdudum animus erat alia præsidia tentare, ac periclitari, sed vt ingenuè loquar, citra vestrum votum aggredi, mihi indecorum visum est.

Extat celebris Historia apud Auenzoarem *lib. 1. theizir, tract. 11. cap. 2. post med.* quâ docet, se, & Auum suum curâsse Phthisicos valdè extenuatos cum pane bene fermentato cum Oleo Oliuarum, cuius vsu resumpti sunt, & humiditatem recuperârunt: nec dubitandum: Nam si Oleum sit dulcissimum, defæcatum, pingue, viscosum, tenue, pellucidum, hoc esse familiare partibus nutriendis, & nutrire, affirmat Auctor *lib. de Ren. dignot. & curat. cap. 6.* Nam partes viscidæ, solidæ, crassæ, lento, crasso viscido egent alimento: humidum enim vitale, permanens est, fixum, non dilabile. Quoniam tenue, friabile citò gelatur, quare Aquatilia minùs viuacia, & pedestribus & volatilibus, & inter pedestria, sanguinea viuaciora, inter insecta Apes, quibus humidum dulce, lentum est, non facilè resolubile, aptúmque calidi pabulum, & hac de causâ arbores quæ ex se resinam, Oleúmve effundunt, diutius durant: nam noster ignis amat humidum, fugit à merè siccis. Quare si vobis placuerit mutare auxilium, olei vsus vtilissimus erit, & ad impinguandum, & humectandum aptissimus.

Rursus. Hac de causâ frictio ex Oleo dulci ad impinguandum est vtilis valdè, quare non immeritò Galenus *lib. 5. de sanit. tuendâ, cap. 4.* ad producendam vitam, matutinam ex oleo frictionem, vtilem esse affirmat, cum Auicennâ 3. 10. *doct. 3. cap. 1.* Ex his apparet verissimum esse Axioma prolatum à Galeno *loc. cit.* senes, intus melle, vino, aut mulso, foris oleo esse vsuros; illis enim ad vitam vnus est victus appositissimus, excalfaciens, & humectans; qui ergo oleo vtetur, traducet senectam, & salubriorem, & diuturniorem, explicat ingenuè Langius *lib. 1. epist. 51.*

Præterea cùm tanta sit Balnei pro extenuatis, & Hecticis corporibus crassefaciendis vtilitas, quas ex professo citat Galenus *lib. 7. meth. cap. 7. & lib. 11. eiusd. cap. 20. & lib. 3. acut. à com. 44. vsque ad fin. & sexcentis locis*, & Medicinæ proceres confirmant. Hoc præstantius erit, si ex aquâ & oleo paretur (Hydrelæum vocant) quod pro curandâ siccâ intemperie, vt summum auxilium multis encomiis effert Galenus *lib. 2. de simpl. medic. facult. 25. & lib. 5. eiusd. cap. 5. & lib. 6. eiusd. tit. de oleo*: nam oleum impinguat, replet artûs, mollit viscera, reficit, discutit, coquit, lenit, maturat. *Aqua enim*, inquit Galenus, *cum fluida sit, & liquida, minimèque cuti adhærere possit, olei lentore, ceu glutino quodam in cutis poris impingitur, sicque diu morata impensè penetrat, & promptius humectat.* Quare Balneum ex aquâ & oleo paratum, excellentiores vires sortiri, quàm dulcis aquæ lauacrum, testantur Ioannes Michaël Sauonarola *tractat. de Balneis tit. de Balneo oleaginoso*, & non siluit expertissimus Metcatus *lib. 1. indicat. 13.* & nos suprà appositò exemplo prædiximus *obseru. 35.*

Ob hanc causam in hoc ægro, & præsidium commutarem, & olei vsu eum reficerem. Panem ex tritici duri, grauis, densi, pleni, mundi, cribrati, à cortice purgari, tenuissimè moliti, selectissimâ farinâ confectum, cui copia Sacchari, & olei purissimi, & modicum salis, & fermenti adiiciatur, aquâ clarissimâ subactum, & vitellis ouorum permixtum, & in Clibano coctum, pro continuo alimento offerrem, cuius recentis, & nuperrimè à furno extracti odore percepto spiritûs mirum in modum reficiuntur, vt probant Marsilius Ficinus *lib. 2. de studios. sanit. tuendâ cap. 18.* & Vallesius *in com. num. 10.* Hippoc. *lib. de alimento*, cuius olfactu Democritum quasi animam agentem triduò vitam prorogâsse fatetur Diogenes Laërtius *in eius vitâ.* Carnes in oleo coquerem, quarum succum per destillationem, aut expressionem extractum cum iure auium selectissimarum permiscerem. Balneum applicetur Oleagineum, & post hoc frictio fiat leniſſima cum oleo celebrata, cuius auxilij ope, impinguandum fore ægrum non despero.

Audiui, inquit Senior, acutissime Zacute, rem totam, eámque memoriter complector. Pulchra prædicis, quare in tuam descendam sententiam, si perspicuè ad duo, quæ propositurus sum, respondeas. Primùm, cur panem approbas fermentatum, si Celsus *lib. 2. cap. 28. panem* fermentatum facilè intus corrumpi, sine fermento verò intus minimè vitiari affirmat? Celsi dictum miratur Ronsæus *in com.* & vt extra rationem prolatum condemnant Bruyerinus *lib. 6. de re cibariâ cap. 6. de fermento*, Ioann. Baptista Syluaticus *controuers. 6. iuxta med.* At immeritò: quoniam Celsus panem superfluè fermentatum intus vitiari affirmat: nam panis nimis fermentatus apud Ishac *lib. diætar. partic. tit. de pane*, parum nutrit, & non confortat, causam lege apud Hippoc. *lib. de diætâ, num. 10.* Galen. 3. *alim. 26.* Paul. *lib. 7. tit. de fermento*, Auic. *lib. 2. cap. 573.* Auer. 5. *collig. 31.* Baptist. Theodos. *epistol. 7.* & variæ lectionis virum Mercurialem *lib. 6. variar. 5.*

Secundum me valdè suspensum tenet, inquit ipse, ex Auerrois oleum laudantis sermone desumptum: nam loc. à te citato panem cum oleo impastatum (sic enim loquitur) & decoctum, malum esse asseruit, & meritò, cùm oleum mali succi sit apud Celsum *lib. 2. cap. 21.* At, vt omnis ambigendi occasio desit, Auerroëm interpretator de pane nimiùm cocto, & veluti combusto, qui est reprobi succi, sicut Celsum de salito oleo, quod necessariò mordax est, ex Galeno *lib. 2. simpl. cap. 18.*

Adeò applauserunt huic eruditissimo viro, & aliis Collegis doctissimis, rationes meæ, auctoritate virorum spectatæ eruditionis comprobatæ, vt manibus, pedibúsque in meam iuerint sententiam, & maximè cùm æger tot præsidiis iam esset fatigatus valdè. Quare Balneo Oleagineo, spatio duorum mensium vsus, oleique ope renutritus, pulchrior, speciosior est factus, & pristinam recuperauit sanitatem. De olei vsu lege Scaligerum in Cardanum, *exercitat. 101. num. 5.* Marcellum Virgilium *lib. 1. in Dioscorid. in com. cap. 28.* Rhodigin. *lib. 6. Antiq. lection. cap. 7.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 905 sur 927

OBSERVATIO CXXV.

De frigido sudore.

Sudor diuturnus frigidus, Ebrietate curatus.

LIcèt nemo probet ebrietatem, vinolentiam non condemnet, quùm nulli morbo sit ex vsu, & à prudente Medico non sit imperanda, cùm ea parua sit insania, ex Chrysippo apud Stobæum *lib. 1. sentent. cap. 19.* & vini copia multa mentem tentet, vnde vinum, temetum appellatur, & detestanda vitia gignat; ob quæ ebrietatem vehementer exeeratur Sacra pagina in multis locis, quæ citant Dominicus Mannus in Polyanthæa, Iosephus Langius, & Andreas Eborensis, qui multis in ebrietatem inuehuntur argumentis, propositis ab ingeniosissimo Petro Andrea Canonherio Medico Antuerpiensi celeberrimo *lib. 2. de vini facultatibus admirandis*; tamen aliquando morbos casu curari probat ex multorum mente Marcellus Donatus *lib. 6. de histor. med. Mirabili, cap. vlt.* In hanc rem narrabo historiam veram. Quinquagenarius ingluuiei deditus, quadrienniò ob copiam humoris frigidi, & contumacis, bis, & aliquando ter in septimanâ, frigido sudore vniuersali citra febrim vllam, madebat per horas duas, ita vt se totum algere prædicaret. Hoc malum, cùm à frigidissimi humoris multitudine, & contumaciâ, quæ non facilè calorem concipit, scaturiret, iuxta Galeni mentem *lib. 4. Aph. 47.* & periculosorum morborum sit præludium, numerosam Medici præsidiorum syluam imperârunt; de quorum numero, sunt victus attenuans, purgationes variæ, roborantia partibus præcipuis admota, & cùm hic transacto paroxysmo nil ampliùs mali persentiret, & optimo esset corporis habitu (quod mirum erat,) ad humorem excrementitium absumendum, & ventriculum roborandum, varias potiones roborantes assumendas parant. Ex hac enim solùm parte debili emanare hoc rati sunt, nam aduentante sudore frigido, assiduè oscitabat, & saliuam copiosam emittebat excreto ructu. Demum cùm nihil proficeret, sudorifica ex Ebeno consulunt, Sulphurea Balnea ministrant. Ecce vno die in medio algoris impetu, merum generosum potat ad insaniam vsque, cuius vi per diem obdormiuit, à cuius potu ita roborata sunt viscera, superfluus humor est absumptus, vt in perpetuum sanus euaserit: nam vt ait Galenus *lib. 5. Aphor. com. 5. Substantiæ igitur copiâ vinum neruis conuulsionem conciliat, suâ verò qualitate neruos calefaciendo, & exiccando, rursus eam affectionem sanat, quam effecerat.* Quoniam exiccat, roborat, emollit, discutit ex Galeno *2. de fracturis 72.* & omnibus frigidis vitiis remedio est, ex Galen. *7. meth. 6.* Vnde Galenus *lib. 8. sec. loc. cap. 7.* sic cecinit: *Optimè enim in ipsis faciunt, quoniam cum hoc quòd intemperiem curant, etiam alere possunt, & ob id etiam vinum conuenientissimum est, modò non febricitent, aut sit Erysipelas, aut abscessus, aut calida intemperatura ægrotantibus; nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit, & si intemperies facta sit ex frigiditate, & humiditate, eam citra molestiam, & securè persanat, &c.* & licèt omnia de vino modicè sumpto sint intelligenda; tamen, multi humoris frigidi, & crassi congeries, multo vini calore solùm absumi potuit. Sic in maiori copiâ epotum vinum, Bulimum curat apud Hippocr. & Galen. *lib. 2. Aph. 21.*

***

OBSERVATIO CXXVI.

De Ebrietate.

Ebrietate subitò emortuus, alius conuulsus.

FAcetam Historiam recitabo, sed funestam. Vocatus præteritis annis vt inuiserem Cauponem. Ecce mihi descendenti ab equo, obuij facti sunt scholares duo, solertissimo ingenio præditi. Hi cùm me agnoscerent, non sese difficiles in colloquiis præbuerunt, immò garruli, pedibus torpidi, mente ligati, balbi, veluti fatui, & insani, ad bibendum, calice vini pleno oblato, meum seruum à pedibus inuitârunt. Hoc facto, eorum alter sedens in Cathedrâ sic nugatus est, erat enim in humaniotibus literis satis versatus. Vinum est suaue lac veneris apud Apuleium *in Asino aureo*, est lac senum, ex Auic. *2. 1. cap. 8.* subtristibus, melancholicis, & hominum consortia fugientibus miro est auxilio, ex sacris verbis *in lib. Iudic. num. 9.* nam lætificat cor hominum; quoniam nostræ naturæ simillimum cùm sit, citissimè splendidos spiritûs generat, quorum penuriâ qui laborant, tristes, & melancholici esse consueuerunt, quare sine fontis Caballini ope, nec bicipitis Parnassi beneficio, sed solius Bacchi auxilio, repentè Poëta euasi, & priùs exhausto calice sic cecinit.

Mihi bibendo vinum
Ærumna dormit omnis.
Ad me quid attinet labor?
Quid cura, quidve luctus?
Bibamus ergo vinum
Pulchri merum Lyæi,
Bibendo namque vinum
Ærumna dormit omnis.

Alter cùm esset in philosophiâ apprimè instructus, socio Poëtæ inuidens, sic fari incepit: Vinolentiæ fauent multæ conditiones bonæ: nam vinum firmitudinem corpori conciliat, coctionem, distributionémque humorum iuuat, vrinam, sudorémque mouet, sanguinem generat, spiritûs purificat, fouet, reficit, est citissimi alimenti temperat humores, audaces homines facit, suscitat innatum ignem, fœminis fœcunditatem inducit, est simillimum nobis, amicum naturæ, collapsas vires reparans, senum labores temperans, aduersus frigidos morbos vnicum leuamen, somnum procurat, bilis amaræ acrimoniam frangit, mœrorem pellit, mentem exhilarat, venenis omnibus aduersatur ex omnium auctorum mente, denique nullum est tam suaue edulium, quòd tum vices medicamenti, tum alimenti secum gerat: nam syncopticos, exolutos mirè iuuat, demum emortuas facultates reuiuiscere facit, præsertim quod cum modicâ, non tamen obscurâ dulcedine fragrantissimum ex se spirat odorem; quare vini pretium in pretio habe: mirabiles enim ex se promit vires; & omne animal quod quatuor ingreditur pedibus, vino vehementer delectatur. Ipsi quoque Serpentes, Sues, Simiæ, Corui, Vrsi, Elephantes, quum darur occasio, vinum præcipuè appetunt, monente Plinio *lib. 10. cap. 72.* Vnde exiccato poculo, sic sonorâ voce occinere cœpit:

Vt me subit Lyæus,
Tunc cura dormit omnis,
Crœsumque sperno præ me,
Volo cantare pulchrè.

Ego tantorum verborum pertæsus, ab eorum manibus, qui hactenus me vinctum tenebant, subitò aufugiens, per scalam ascendens, ægrum inuisi, & de morbi causâ cunctantiùs inquirens, dimidiam consumpsi horam. Descendens, cogitans, quomodo alas darem pedibus, ne fortè in eorum manûs incurrerem, ecce Scholasticos vino sepultos humi prostra-

tos

©BIUM

tos inuenio, pulsum tango, in quodam nullum reperio, in altero obscurissimus inerat. Ille perpetuò obdormiuit; hic conuulsione pressus, multis applicitis, magno tamen labore, leuatus est. Quare ex mente Hipp. *lib.2. de morb. num.28. & lib. 5. Aph. 5. & lib.3. de morb. num.28.* Gal.3. *de temper.2.* Auic.3. 1. *doct.1. cap.8.* ex ebrietate Aphonia, Conuulsio, Apoplexia, Paraplexia, Caros, Coma, Epilepsia, & exitialia damna contingunt: nam vinum immodicum imperat animæ facultatibus, velut tyrannus quidam. Ac ne vagemur in incerto, quæ noxæ attribuuntur vino, eæ vini sunt nimij; quæ ei assignantur laudes, ad vinum pertinent moderatè sumptum, & lymphatum: nam hoc modo res est vtilissima, pharmacum suauissimum, obsonium iucundissimum, de quo argumento lege Hipp.7. *Aph. 56.* & præter plurimos Barbaros, & politos Medicos, Mercurialem *lib. 1. variar.18.* Num autem aqua vino priùs affundenda, an vinum aquæ, in hac futili quæstiunculâ, otiosos Scaligerum, & Cardanum *exercitat. 101. num. 4. de subtilitate*, per otium lege.

OBSERVATIO CXXVII.

Ebrietatis, certum Amuletum.

PRoduntur nonnulla quæ cæcâ quadam, & latente vi ebrietatem arcent. Ex horum cateruâ sunt Allium, Brassica, Amygdalæ Amaræ; succus Acini Hederacei, Amethystus herba, ligustri flores, Croci, & Baccaris, Nuces, Porrum, Ari radix, Betonica, Raphani succus, & alia. Certissimum præsidium, si post crapulam, vnciam vnam olei Nucum deglutiat patiens: huius enim vi in superno ventriculi ostio innatantia impediuntur, ne cum noxiis vaporibus vndatim ferantur in cerebrum. Summum etiam est auxilium, Gummi in Orientali plagâ, in regione Martauam, enatum, quod ab Indis vocatur *Lakeka*: hoc enim si monilis vice in brachio gestetur, filo transfixum, ita vt carnem tangat, natiuâ quadam, & occultâ proprietate, temulentiam arcet, & sic apud illos magno est in pretio; expertum enim est illos, qui affatim & ad satietatem vinum ex Dactylis confectum sine modo epotârunt, licèt hoc præ calore, & crassitie magis caput tentet, nunquam hoc Antidoto munitos ebrietate fuisse concussos. Optimum auxilium est hoc ad arcendum malum tantum, ex quo funesta, & miseranda mala scaturire, omnes norunt, quæ palàm facit Homerus *lib. 4. Odyssea, versicul. 621.* & comprobat ingeniosissimus Ioan. Baptista Persona *in com. cap.3.* Gal. *lib. quod animi mores, &c.* & proposuit eloquenter Valleriola *lib.2. loc. commun. cap.7.*

OBSERVATIO CXXVIII.

Ad abhorrendum vinum, auxilium singulare.

OMniscius Conradus Gesnerus, à multis, & meritò, Plinius Germanus vocatus, *lib. 4.* Aqnatil. *histor. animal. pag. 953.* remedia proponit quæ potui exhibita, vini tædium, seu odium pariunt. Duo sunt præcipua, & à naturæ peritioribus magnis elogiis celebrata. Primum est Rana viridis ex iis quæ in fontibus salientibus reperiuntur; viua, in vini mensurâ (duarum librarum fortè) suffocata. Secundum est vinum in quo Anguilla suffocata sit. Ego hoc postremum sæpe sum expertus cum vtilitate multâ, & magis si libris tribus vini, vnciæ duæ sanguinis Anguillæ addantur. In quo remedio exercendo multo tempore perseueraui, donec Medicum quendam Lusitanum conueni, qui per plures annos in Orientali Indiâ, Proregum, & Magnatum curam gesserat, & ab eo dedici repertum esse apud Persas generosum medicamentum, quod collo, brachiisque certo modo gestatum, vini odium potenter inducit: quo solo, eius regionis, vini feracissimæ, incolæ, velut Cardiaco Antidoto muniti, vinum intestino odio abhorrent, vt ab eius noxis se defendant: in eo enim terræ tractu, vt Bellonius affirmat *lib.3. obseruat. 15.* Indi, Turci, & Mauri Amphyonistæ, opium in magnâ quantitate deuorant, vt in actu venereo diu persistant, & post Meconij frequentem vsum, vinum ad satietatem exhauriunt. Quare matres filiis ebriosis, & sæpius hac de causâ variis periculis tentatis, hoc auxilio, brachio appenso, fastidium vini procurant. Vocatur Linguâ Persicâ, *Aminil*, & est radix arboris similis castaneæ, quæ, quò è profundiori terræ loco sit eradicata, ampliores in hunc vsum dotes sortitur.

OBSERVATIO CXXIX.

De Contabescentia puerorum.

Puer, Hydrope, Marcore, & alijs sæuis morbis implicitus, lactis ope, curatur.

COmplutensis Academiæ ornamentum Vallesius, in suis eruditissimis commentarijs *ad lib.1. epid. in com. text.9. sect.2.* quærit causam, cur pueri ex grauissimis malis, & periculosissimis crebriùs euadant quàm alij homines. Res enim est miraculo similis, è quantis desperationibus illi effugiant. *Hoc fit*, inquit ipse, *quia habent vires naturales, quibus vincuntur morbi, robustissimas, nempe commutatricem, & expultricem. Nulla autem alia ratio pellendi morbum est, quàm commutando, aut pellendo materiam.* Nam apud Gal.2. *prog.36. & 3. prog.34.* in pueris facultates naturales, præsertim concoctrix, expultrix, & tractrix, magis robustæ sunt, quàm in reliquis ætatibus; si verò Gal.3. *Aph.27.* contrarium videatur asserere, intellige eum de retentrice, vt aduersùs Lacunam notauit Vallesius *lib. de loc. manifestè pugnantibus, contradict. 6.* nam retentrix gaudet siccitate, pueri verò humidissimi sunt. Sed his relictis ad historiam accedamus. Incidit puer 14. annorum in pleuritidem, ex destillatione subortam. Illa in suppurationem abiit. Post duos menses tumescit venter, sitis superuenit inexhausta, vigilia, tussis assidua, & importuna. Denique febris tenuis, & continuum alui profluuium bilioſum, ex partium debilitate, viscerúmque obstructionibus enatum, illum intra quatuor menses ita confecerunt, vt ventre, & pedibus in œdematosum tumorem vehementer inflatis, tota corporis moles languida sensim liquesceret, & lecto affixus, cadaueris instar, cum facie Hippocraticâ, se ab vno latere ad aliud mouere non posset, immò animam in horas efflare videretur. Cúmque à Medicis pro deplorato linqueretur, fortè me per plateam transeuntem obnoxiè parentes, vt eum inuisam, compellunt. Accedo, pulsum exploro, Ascíticum, & Suppuratum inuenio. Curatio difficillima: nam fluxus nimius diris torminibus corpus extenuatissimum exercens, incrassantia expostulat. Obstructio visceribus contumaciter adhærescens, aperientia efflagitat. Purulenta materia in magnâ copiâ per tussim excreta, requirit abstergentia, quæ omnia tam diuersa auxilia ab vnico, eóque pusillo hectici calore ad actum reduci non possunt, maximè cùm diuersas inter se sortirentur indicationes.

Visis his, ad abstergendum thoracem, & humorem bilioſum, à venoso genere, & Hepate igneo ad intestina confluentem repurgandum, ad leuandam sitim, deobstruendum, & adstringendum, serum lactis, vstulatum tamen ad normam Hipp. *lib.7. epid. num.3.*

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 907 sur 927

num. 3. per multos dies exhibui: & hoc iuxta suppurationis, & alui profluuij bilioſi indicationem eſt factum: nam vtendum eſt primò extergentibus, & expurgationem faciliorem reddentibus, quale ſerum eſt. Cùm verò extenuatio ſumma, humorum acrimonia, nutrientia, & temperantia expoſcerent, ad medicamentum acceſſi alimentoſum cum vtilitate multâ, inter quæ lacte Aſinino nullum præſtantius inueni, in quo interdum lapilli igniti, aut ferrum candens immergebantur, horum enim vi deponitur facultas expurgandi, & comparatur adſtrictio quædam. In hunc vſum multoties exhibitum Rhabarbarum torrefactum. Epithemata Cordi, Lumbis, & Hepati adhibita. Roborantia ventriculo admota, ventri Emplaſtra, & Vnguenta deobſtruentia applicita. Tumor pedum ablatus eſt Cataplaſmate ex farinâ lupinor. Orobi, Fabar. Hord. lentium, parato cum decocto Chamæmel. Aneth. Abſinth. Sem. Lin. Roſar. Melilot. Fœnugræc. Violar. & Oxymelite. Quoniam verò tuſſis multùm infeſtabat ex cerebri debilitate ſuborta, quod ita eſſe, teſtabantur grauamen capitis, Aurium tinnitus, mucoſi humoris per nares excretio, idcirco cùm lactis ope minores eſſent dolores, alui profluuium minùs infeſtaret, detumeſceret venter, & ipſe iam pinguior euaderet, potuit cauterium, ad deſtillationem tam neceſſarium, in brachio affigi, quo impreſſo, & ſanie emanante, à Catarrho, & tuſſi poſt menſem liber euaſit. Vt verò aridum adhuc corpuſculum fœliciùs nutriretur, Priſanam ex torrefacto hordeo cum portione Amyli dedi, in aquâ priùs Chalybeatâ diſſolutam. Vltimò, loco lactis Aſinini, Caprinum obtuli; & cùm abeſſet Diarrhœa, hoc vſtulare neceſſe non fuit. Quo ſanè auxilio menſes ferè tres vſus, integræ ſanitati fuit reſtitutus, pinguis, & nitidus effectus, viuitque adhuc, nutu, & beneficio præpotentis Dei, qui ſit benedictus in æternum.

OBSERVATIO CXXX.

De Orthopnœâ.

Orthopnœa ſæua, & diuturna, cauterio ad nucham indito, leuatur.

QVi pro curandis morbis, cauteria negat (vulgò Fonticulos vocant,) is Hippocratis, & veterum dicta irridet, & temnit. Hic enim in variis ſuæ doctrinæ locis, varia, in variis noſtri corporis partibus, pro variis morbis curandis, excitat cauteria, vt latè expendunt Terillus *lib. de Veſicantibus*, Michael Guauallſetius *lib. de natur. cauterij cap.* 15. Petrus Pichotus *lib. de Rheumatiſmo*, Amatus *lib. 5. cent.* & alij innumeri. Vir erat triginta ferè annos natus, temperamento ſanguineus, corde, & Hepate calido, cerebro frigido, & humido, catarrhoſis defluxionibus valdè obnoxius, qui ex temporum incertis interuallis, ob diſtillationem à capite deſcendentem, difficultate reſpirationis ita vexabatur, cum ſono, & ſtertore, vt accedente febri intenſâ, & linguâ ſiccâ, veluti ſuffocatus ſolùm recto thorace reſpirare poſſet. Paroxyſmus interdum quatuor, aliquando quinque durabat dies, in quibus cogebatur aduigilare: nam ſi vel declinante acceſſione, ſomnum captare volebat, iterum maiori cum impetu reuertebatur tuſſis, quæ excretâ craſsâ, crudâ, & viſcidâ materiâ, tum per tuſſim, tum per ſcreatum ſimplicem, ſenſim ceſſabat. Durauit hoc malum octodecim annis, maximè quoniam Medicus febri ſolùm, & interno feruori, qui ex conatu naturæ, & motu humorum oriebatur, attentus, in medio acceſſionis impetu, copioſè ſanguinem emittendum imperabat, quod profectò magnæ negligentiæ erat, (ne quid dicam grauius,) in ægro debili, vigiliis vexato, & in morbo, in quo animalis facultatis ad expectorandum tam neceſſariæ ope indigemus, nam tunc qui venam ſecare temerè audent, quantum ſanguinis detrahunt, tantum vires eneruant, & mortem accelerant.

Hic in intermedio tempore variis auxiliis vſus eſt. In acceſſione, frictionibus vtebatur extremorum, vinculis dolorificis, cucurbitulis tum ſiccis, tum humidis, ſcapulis, collóque admotis, acribus clyſteribus, expectorantibus, & nutrientibus. Extra acceſſionem recreatis viribus, multoties expurgatum corpus. Terebinthina vario modo exhibita. Adminiſtratæ expectorantes potiones. Sudorifica ex Ebeno oblata, roboratum caput. Demum linctus, tabellæ, confectiones imperatæ, & cùm ex Iecore calido, & ventriculo humido multa humorum copia in cerebrum confluëret, qui ibi denſati, in thoracis cauitatem, & pulmonum ramos iterum tanquam in partem debilem confluebant, neceſſe fuit reuulſionis, & vacuationis causâ, fonticulos in crure dextro, & brachio ſiniſtro aperire. At crudele malum nullis ceſſit auxiliis. Hoc tempore per proprietatem caput laborabat, quare me conuocat, qui ad originem, & fluxionis initium celebrare auxilium ſatius duxi, ſicque veſicatorium Bregmati impoſui, cuius vi licèt ichoris per duos menſes emanaret copia multa, nihil tamen ægrotum leuauit. Occluſo hoc, Cauterium in Nuchâ affixi, quod ita poſt annum contulit, vt vacuato ex propinquiori loco, nocuo humore, acceſſio ex rarioribus interuallis, & mitibus ſtipata ſymptomatis affligat, & minore temporis ſpatio his poſtremis decem annis eum nunc premat, & fatiget, ſpéſque ſit, vt deinceps huius auxilij beneficio, ſenectam traducat non ita huic vitio obnoxiam. Lege Brunnerum *lib. conſil. conſil.* 33. de huius morbi auxiliis doctè diſceptantem.

OBSERVATIO CXXXI.

De Pede ſummo.

Pedes ſummi cerei.

DVm *Galeni* monumenta verſarem, ecce occurrit mihi illius non vtique inamœna ſententia, quæ ſcriptoris huius genuinam ſapit facundiam, ingeniique præfert facilitatem non aſpernabilem, quæ *lib. 3. Aph. 3.* ſic ſe habet: *Eſt quidem totum corpus noüiter natis puerulis maximè humidum, adeò vt etiam oſſium natura in ipſis potiùs cerea, quàm lapidea videatur, &c.* Hanc doctrinam veram eſſe ſemper ratus ſum ob rationem dictam, ſed veriſſimam expertus ſum, dum ad puerum curandum vocatus, in quinto ætatis anno conſtitutum, qui cùm ab vtero exiret cum ſummis pedibus adeò mollibus, & flexibilibus, vt ceræ modo, facilè ſequerentur, quocunque torqueres, vſque ad eam ætatem factis pluribus auxiliis conſaneſcere non poterat. Huic, cùm ab inundante humiditate, oſſium, neruorúmque debilitate oriretur hoc vitium, Balneum artificiale roborans, & exiccans ſummo fuit auxilio, nam pedes firmi ſunt facti & ad motum habiles.

℞. *Betonic. Rutæ, Saluiæ, Stœchad. Roriſmarini, Abſinth. an. M. j. Balauſtiorum, ℥ iij. Myrtillor. ℥ j. Sang. Dracon. Boli Armen. Acaciæ, Spodij, Roſar. Gallar. an ℥ j. Meliſſæ, Iuæ Arthriticæ, an. M. ß. Scoriæ ferri limati, lib. ß. Aluminis puluerizati, lib. iij. Salis, lib. j. Sulph. ℥ ij. Hypociſthid. ℥ ij. Cortic. Medianor. Caſtanear. Cortic. Arbor. glandium. Sumach, Terræ ſigillat. Fol. Pruni Sylueſt. Radic. Biſtort. an. ℥ iij. Maſtich. ℥ ij. Sorbor. ſiccor. ℥ j. Nucum Cupreſſi, num. iiij. Radic. Chelidon. ℥ ij.*

Coque in ſufficiente vini ſtyptici quantitate, quoüſque remaneant lib. iiij. cola, ſerua, & cum vnâ libra

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 908 sur 927

©BIUM

libra decocti, actu calidi, ſingulis noctibus pedes ablue, & tege linteo, Maſtiche, & Roremarino priùs ſuffumigato. Huius præſidij ope, recordor multos perſanâſſe, qui in tenerâ ætate conſtituti, præ humiditate, & mollitie oſſium, ambulare non poterant, & ſi id facere tentabant, vacillantes in ſolum cadebant. Si non proſit hoc Balneum, vtere Aluminoſo, ferreo, quod ſponte è terra ſcaturit: nam mirabilem etiam eius vſum inuenies: quoniam aluminoſa, ferrea ſiccant, ſtrenuè calefaciunt, adſtrictione roborant, & humidis affectionibus ſummoperè proſunt, vt ex Veterum mente explanat Cardanus *lib.3. contradicent. tract.4. contrad.3.*

OBSERVATIO CXXXII.

Ex vlcere depaſcente in ſummo pede enato, mors repentina.

VEnenoſum humorem innaſci in corpore pluribus in locis affirmat Galenus. Hunc latere multo tempore in corpore citra noxam, 14. aut 20. annis, ipſe edocuit *lib. de Theriac. ad Piſon. cap.16.* nam conceptus tempore menſtruationis, elephanticus euadit, non modò poſt 12. aut 14. annos, ſed poſt quadrageſimum, vt teſtatur Alzaharauius *cap. de Leprâ:* quod in rabioſis palam fit, in quibus non illico à morſu detegitur venenum; neque aliquam ſui notam in corpore præbet: vel quia toto illo tempore non eſt inducta facta intemperies, quæ valdè lædit, & immedicabilis eſt, vel ob ignobilitatem membri, cuius virtus non valdè irritatur, vel quoniam pars continens paruo veneno aſſueta non læditur, vel in aliquâ parte viciſſim concoctrix, & retentrix roborantur infirmatâ expultrice: nonnunquam hæc robuſtior fit, & noxium expellere tentat. Sic ſenſit Galenus *lib. 2. prorrhet. com. 17. & lib. 3. epid. ſect. 3. com.75.* Ob hanc cauſam ſæpè euenit, vt plures ſanorum munia obeuntes, repentè, velut ſideràti concidant, & moriantur, quoniam veneno ſimilis in corpore genitus erat humor, qui ſuâ lethali vi, ex improuiſo cor premens, ſpiritus extinguit, ex Auic. 1. 3. *tract.5. cap.8.* & Gal. *lib.6. de loc. cap.5.* Ob hanc rem iuuenis quidam, benè temperato corporis habitu præditus, paſſus eſt in ſummo pede dextro dolorem per duas horas ingentem, quo aliquantiſper ſedato, in plantâ pedis vlcus eſt exortum ita Cacoëthicum, & doloſum, vt poſt paucas horas totum pedem depaſcendo exederit, nullâ præcedente liuedine loci. Chirurgi poſtquam totum pedem, ne vltrà ſerperet contagium, vt mortuum, & inſenſilem recidere tentant, dum, quâ parte inciſio eſſet facienda, an per corruptam, vel ſanam, inter ſe conſuluêre, æger Agône, Anxietate prehenſus, præcedente Syncope, animam efflauit. Pro quæſtione verò Chirurgorum, plures cum Celſo *lib.7. cap. vlt.* per ſanam partem eſſe celebrandam inciſionem contendunt, ſed quâ ratione defendant, pete à Clariſſimo Fabricio Hildano *lib. de Gangrenâ, cap.17.* qui, allatis, veterum, & Iuniorum illuſtribus ſententiis, te ab his labyrinthis extricabit.

OBSERVATIO CXXXIII.

De Alui fluxu.

Alui fluxûs lapidoſi, hiſtoria illuſtris.

IN variis noſtri, corporis partibus lapides generari, præterquàm in veſicâ, & renibus, vbi videlicet detur cauſa materialis, & efficiens, viſcidum humorem, paulatim exaſſans, torrens, & in formam lapidis indurans, veterum, & Iuniorum teſtimonio ſancitum eſt. Hac ratione in inteſtinis renaſci auctor eſt Auicenna 16. 3. *tract. 3. cap.3.* ſimant Fernelius 6. *Pathолog.9.* Matthæus 2. *part. in 9. ad Almanſ. cap.11.* Muſa *lib.4. Aph. 79.* Iuuenis quidam excarnis, caliditſimi temperamenti, ad venerem pronus, nullum ordinem in victu obſeruans, gulæ deditus, ex interuallis ſolùm fæcalia excrementa deponebat, ſicca, exuſta, citra noxam vllam. Poſt longum temporis ſpatium, quùm deiiciebat, in imo ventris dolorem experiebatur immanem. Vno die cum auctorem doloris, lumbricum ſuſpicaretur, aluinas fæces aquâ diluere tentauit, vt intimiùs mali cauſam inquireret. Ecce loco vermis deſiderati, inuenit quinque lapillos duriſſimos, quorum duo, lentis, tres, ciceris magnitudinem ſuperabant, ad albicantem colorem declinantes. Ceſſantibus torminibus, poſt tres dies, iterum delium; & ventris dolore queri cœpit, qui iterum exereris ſex calculis ex toto eſt mitigatus. Sed cùm nullum præter dolorem ſentiret incommodum, de ſalute ſuâ parùm ſolicitus, in eodem regimine victûs biennio inſiſtit, cum excrementis commixtos calculos excernens. At vno die auctâ affectione, ſæuiore oppreſſus ventris dolore, cohibitâ aluo, auxilia quærit, & Clyſtere iniecto, ingenti cum ilium dolore, per ſedem expulit calculos tres rotundos, Auellanarum inſtar, valde compactos, cineritij coloris, mucóque tenaci, vnde concreuerant, reſperſos.

Æger timidiuſculus factus Medicorum opem expoſtulat. Hi cùm eſſent tres, eorum primus aſſeruit, horum lapidum generationem, non eſſe calori inteſtinorum attribuendam, velut illorum qui frequenter à renibus deciduntur: nam renes, quidam, apud Gal. 3. *alimentor.12.* inter viſcera connumerant, quare calore igneo, velut in adultis, aut moderato, vt in ſenibus, mucoſum humorem, abſumptâ humidiori parte, ad tophi, & lapidis ſpiſſitudinem redigunt, auctore Galeno *lib.6. epid. ſect.1. com.6.* & alibi; in inteſtinis verò aliter ſe habet nam ob frigiditatem (exanguia enim ſunt, frigida, & membranoſa) tenax humor vertitur, & concreſcit in lapidem, ſic apud Gal. *lib. cit. epid. ſect.3. com.15. in veſicâ frigidâ, quippe quæ neruoſa ſit & pauci ſanguinis, & ampliſſimâ interius concauitate inanis, craſſitudo in ipſam tranſmiſſa, ibi iterum cogitur, & inſpiſſatur, & magis quando in ipsâ diutius immoratur.* Quare à frigore lapides in humano corpore concreſcunt, ex ſententiâ Galeni, quam defendunt Mercurialis *lib. 2. variar. cap. 11.* Cardanus *in com. Aph.79. lib.4. Aph. Hipp.* Valleſius *in cit. loc. Hipp. § eſt verò hic morbus Lithiaſis, ſeu lapidum in renibus congeſtio, quæ quidem fit ex ſuccis craſſis, calore, aut frigore intra renes duratis, &c.* Ob id neceſſe eſt propinare in hoc ægro quæ craſſos humores euacuent, incîdant, inteſtina calefaciant; in quem vſum, præter totius prouidentiam, ſunt Balnea naturalia, Sudorifica ex Ebeno, & alia quæ intus aſſumpta, & foris admota, inteſtina roborant, & excrementitiam humiditatem abſumunt.

Secundus contrariam omnino conatus adſtruere curandi viam in hæc verba prorumpit. Licèt *veritas non dicentium numero, ſed ſapientiâ ſit iudicanda* auctore Galeno *lib. 1. de dignoſcend. pulſ. cap. 1.* tamen *quando plures concordant, & vnus diſſentit, rationabilius eſt eſtimare vnum potiùs deerrare, quàm omnes alios,* monente Magiſtro *lib.2. de vſu part. cap.5.* Sic firmum eſt, & inconcuſſum apud illos, qui Galeni filios ſe eſſe gloriantur, lapidum generationem in corpore humano à calore proficiſci; hic enim viſcidum humorem exaſſat, ſiccat, qui licèt aliquando non ſit vehemens, ſed remiſſus, vt in ſenibus, per moram, eum indurat. Hoc docuit apertè Galenus *loc. cit. & 3. Aph.26. lib.1. de aliment. facult.15. & 3. eiuſd. cap.1. & 6.* Auic. 18. 3. *tract.2. cap.16. Ariſt. ſect.10. probl.42.* & vnanimis deinde Medicorum tum veterum, tum recen-

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 909 sur 927

recentiorum comprobauit opinio: *Neque enim tanta* A *in corpore frigiditas viuente animali esse potest, vt aliquid in ipso concrescere in duritiem queat*, monente Galeno *lib. 2. de temp. 3.* quoniam *partes ventris adeo rigere nequeunt, vt cibi, potúsque congelati indurentur, sicut alia extra corpus hyeme frigore concreta durescunt; prius enim quam ita frigeret homo, interiret*, inquit Galenus *lib. 6. epid. sect. 5. com. 27.* Si verò, quod obiiciebat ingeniosus collega, in epidemiis Galenus dicebat, vesicam frigido suo temperamento succos crassos condensare posse, per frigiditatem, non absolutam frigiditatem, sed calorem imbecilliorem intelligas oportet: sic Galenus cerebrum, vesicam, ad alias partes calidiores collatione factâ, frigidas vocat. Adde quòd intestina, tum suo, tum circumiacentium viscerum B calore chylificant, vt Galenus *inquit 4. de vsu part. 17.* probant Laurentius *lib. 4. de histor. Anatomic. quæst. 12.* Vallesius *lib. 8. contr. cap. 13.* quare amplius inflarendum sententiæ Galeni: cùm vel ipse Cardanus *lib. 7. de subtilit.* in multis animalibus, vt Bufone, Limace, Cancro, Lapides generari posse à frigiditate affirmet, in homine verò solùm à calore immoderato, sui immemor scribat. His ego ductus, in hoc ægro, calidissimo temperamento constante, temperarem calorem immodicum, à quo lapides concrescunt. Sic Trallianus Galenum diuinissimum incusat *lib. 5. cap. 4.* quòd *lib. 4. de loc. cap. 8.* ægros, calculum per tussim excernentes cutauerit Thériacâ, & extenuantibus medicamentis; contrariis calori, à quo concre- C uerant; ex Galen. *6. epid. sect. 3. com. 36.* Nam hæc humorem crassiorem reddunt, viscera inflammant, totum corporis habitum exiccant, maximè cùm Galenus in calculoso cum tophis solùm ob gracilitatem lac exhibeat *lib. 6. de sanit. tuend. cap. 11.* tam contrarium tophis, apud ipsum *lib. 6. epid. sect. 3. com. 15. & lib. 7. Aph. 76.* Demum licitum est spernere vnam indicationem, propter aliam vrgentiorem, vt monuit Magister *lib. 10. meth. cap. 1. & 6.* Exhibenda ergo erunt quæ Hepatis, & intestinorum calorem retundant, vnáque citra calorem crassos humores educere nata sint, quorum medicamentorum materiam noster socius differtè proponet, & hanc litem facundo suo iudicio acerrimè dirimet. D

Tertius cùm senio esset confectus, debilis, & occupatus, citra rixam, & iurgia, hanc controuersiam composuit, ad secundi votum penitus inclinans. Nam à calore concrescere lapides certum est, & præter citatos firmat Peripateticorum Princeps Aphrodisæus *lib. 1. probl. 110.* & plures alij. Idcirco calorem viscerum internorum exuperantem demulcerem humidâ diætâ, simili potu, refrigerantibus Clysmis, venâ sectâ, suauibus expurgantibus, sero lactis, Externis Epithematis, ventri, & hepati admotis, & tandem dulcis aquæ Lauacro per mensem exhibito. His dictis æger obediens omnia intra trium mensium spatium exequitur, at citra leuamen vllum. Nam hic carnifex morbus nullis sæ- E pe cedit auxiliis; ex quo accidit, vt exasperato malo, in ventris dira tormina cùm stercoris suppressione incurrerit, qui cùm in horas exacerbarerur magis, & pluribus auxiliis, nec clysteribus emollientibus & vacuantibus succumberet, factum est, vt ferociùs sæuiente dolore, æger exanimis occubuerit. Dissecto corpore, inuentus est calculus Castaneæ, & formâ, & magnitudine, Colo intestino tenaciter adhærens, qui anteactam tragœdiam hactenùs excitauerat.

Postquam huic obseruationi manum supremam imponerem, Legi Epistolam medicam Doctoris Acosta Lusitani Medici Rothomagensis clarissimi, in quâ narrat quendam ægrum habuisse Diarrhœam diuturnam, quæ cùm multis diu applicitis auxiliis non cederet, tandem omnino curata est, excreto lapide quadrato, & tenui, qui vnguem digiti pollicis repræsentabat, quo expulso, æger conclamatus, à fluxu euasit.

OBSERVATIO CXXXIV.

De Vrina.

Vrina nigerrima totâ vitâ, citra noxam excreta.

IN causône, aliisque adurentibus febribus, sanguine adusto, & nigriore reddito, ob vim ignis interni torrefacientis, vrinam nigram excerni, nouum non est, id docuere Hipp. *2. prog. 29.* Gal. *1. crisi. 11. & 12.* Aëtius *tetrab. 2. serm. 1. cap. 44.* Sicut apud illos passim est inculcatum, hanc, in febribus longis, in copiâ humoris melancholici, in cutaneis affectibus, in suppressis menstruis, hæmorrhoïdibus, maximâ cum commoditate excerni, testante Galen. *lib. de atrâ bile, cap. 8.* Sic mulier in Thaso cùm hac vrinâ euasit, apud Hipp. *3. epid. sect. 3. text. 73. & 82.* Firmant Auicen. *2. 1. doct. 3. cap. 3. & in primâ part. Canticor. tract. 2, text. 307.* Antonius Vallesius *exercit. ad cap. 40.* Holler, *de morb. intern.* Adolphus Scribonius *lib. de inspection. Vrinæ. pag. 51.* & alij. At citra has causas hanc vrinam diu emingi citra læsionem, est rarissimum. Septennis puer quùm in omnibus sanorum munia exequeretur, vndecim annis eminxit vrinam nigram atramenti scriptorij instar: & cùm nullum edulium sumeret, ob quod vrina nigredine conspurcaretur, vt sæpe contingit, vt notauit celebri quadam historiâ Actuarius *lib. 1. de iudicijs vrinarum, cap. 20.* rationabilius erat ex viscerum igneo calore humorem biliosum aduri, & in nigredinem verti; quare ne hic in aliquem lapsum immedicabilem ex siccitate subortum incideret, in 14. anno constitutus, remedia exposcit; multa fiere oblata; quæ secur, à quo tanquam à communi officinâ hoc vitium emanare Medici rari sunt, attemperarent, vnáque illius phlogosim, retundere nata essent. Expurgatum sæpius corpus præmissâ phlebotomiâ, serum lactis exhibitum; obseruata frigida & humida diæta. Imperatum Balneum, & alia innumera ferè oblata in potum, quæ igneam viscerum intemperiem corrigerent: Tandem cùm nullis auxiliis leuaretur, ipsa sanorum munia obiens; medicamentorum iam impatiens, ab eis destitit, &, quod mirum est, nullâ siti, aut oris amarore oppressus vitam sanissimè ducebat. Hic nupsit, & fœcundâ fuit factus prole beatus, & in multos annos hanc emittens vrinam, vitam produxit. Lege eruditissimum Henricum Petræum Manspurgensem, *disput. 5. de vrinis, num. 22.*

OBSERVATIO CXXXV.

Vrina lactea, toto vitæ decursu excreta: citra noxam.

VRinam simpliciter lacteam, ab humoris pituitosi copiâ euenire; calculum, paralysim, apoplexiámque præsagire, constans est Medicorum sententia, inter quos primi sunt Actuarius, *lib. 1. de iudicijs vrinarum, cap. 12.* Auicenna *2. 1. Doct. 3. cap. 2.* & alij, quos longum esset recensere. Quadragenarius, crassus, & rubicundus, toto vitæ decursu vrinam excreuit lacti, aut spermati similem: Erat sanus, aurificis officio fungebatur, & nullum vnquam sensit incommodum. Compellentibus affinibus, Medicorum votum explorat. Hi suppressionem vrinæ, vel calculum renum imminere illi inculcant, & ni sibi caueret, varios morbos euenturos pollicentur. Ille subri-

dens

dens medicamenta rennit, soli Deo confidens. Sic factum: nam ad octogesimum annum nullo morbo oppressus perseuerauit, quousque pleuritide occupatus vitam finiuit. At hæc rara sunt, & limites naturæ excedunt; Quare ab arte explodenda: frequentia enim pro perpetuis habentur, *lib. de Fœtûs format. cap. 2. & 6. Aphor. 58.*

OBSERVATIO CXXXVI.

De Vlceribus.

Vlcera manantia diuturna, in vniuersâ corporis mole exorta, quomodo curata.

VIr quidam ingeniosus, & doctus, habitu melancholico præditus, repentè pruritum passus est in corpore toto adeò pertinacem, vt cutem scalpendo vnguibus dilacerare cogeretur. Hoc malum quatriduò durauit. Cessante pruritu, totum corpus conspurcari cœpit vlceribus, ex quibus velut per manantes fontes ichor exibat serosus, flauus, tam acris, & mordax, & in copiâ tantâ, vt subiectam carnem per quam fluebat exederet. Malo huic ab exustis humoribus genito vt occurreret, consilio Medici pluries secuit venam, & sæpe ex talo, & ex marisci, hirudinum ope sanguinem extraxit. Expurgatum corpus. Serum lactis exhibitum, multiplici melanagogorum syluâ præparatum. Saluatellas secuit, & optimo regimine vsus Balnea admisit. At omnia frustra. Huic, cùm aliqua morbi Gallici indicia essent, sudorifica ex Smilace asperâ, decoctâ in aqua Endiuiæ ob viscerum calorem imperata. Admota Mercurialia vnguenta, & alia quæ siccitate suâ superfluum humorem absumunt. Demum lassatus iam, & ex diuturnâ applicatione medicamentorum debilis factus, Balnea aluminosa fuit expertus, à quibus nihil leuatus, sicut nec ab ingressu in riuos in quibus hirudines viuunt, quarum suctu ex totâ corporis superficie limosus eductus est sanguis in copiâ multâ. Tunc ex nimiâ per vlcera vacuatione veluti viribus prostratus, lecto continuò decubuit, victûs solùm ratione commodâ vsus. His destitutus à Medicis, fonticulos, meo voto, in crure dextro, & brachio læuo admisit, qui adeò contulerunt, vt totâ sanie, quæ per vlcera purgabatur, per cauteria vacuatâ, intra mensis spatium, consolidatis vlceribus, sanitatem, Dei misericordiâ, cuius manus effœta non est, fuerit consequutus.

OBSERVATIO CXXXVII.

De Ictero Nigro.

Ictterus Niger, ex infrequentissima causâ pronatus.

DIsceptatum diu inter eruditos arbitror, qui veterum fertilissimos campos studio indefesso colunt, & irrigant, super causas Icteri nigri. Omnes vnanimiter iurant cum Galeno in locis multis, triplici de causâ id euenire posse, vel vitio particulæ quæ excrementum ipsum expurgat, vel ratione viarum per quas expurgatur, vel ipsiusmet excrementi vitio. Horum virorum votum in hunc vsque diem sum amplexus, donec Doctor Gaspar Acosta Lusitanus, Medicus Rothomagensis celeberrimus, aliam infrequentem huius morbi causam, in quodam consilio, misso Antuerpiensi Canonico, & mihi postea communicato patefecit, cuius exemplum hoc loco subnectere visum est. Vxoris cuiusdam nobilis viri, atro colore cutis tota ita fuit tincta, atque fœdata, vt solummodò eius aspectus omnibus horrorem incuteret. Hæc absque febri mœsta perpetuò erat, nam vniuersa corporis superficies Æthiopis colore erat conspurcata. Inter Medicos de causâ morbi satis disceptatum, concluſumque hunc nigrum colorem, seu ictericiam nigram, à contumace lienis, & mesenterij obstructione esse suborram, (licèt nulla, aut saltem sensui conspicua reperiretur illam partium tensio, ac durities,) quare ad nigros humores vacuandos, & deobstruendas vias, selecta auxilia præscribunt, à quorum vsu ita malè habuit, vt ab eis, medentium consilio coacta abstineret. Tandem accedente assiduâ Lipothymiâ, & sequutâ continuâ febri, è vitâ discessit. Cadauer dissectum sine liene inuentum est, qui cùm sit receptaculum melancholici succi, nil mirum, si eo deficiente corpus totum redderetur nigrum; quoniam atro humore non attracto, huiusmodi humor per venas cum sanguine ferebatur, ex quo massâ sanguinaria infecta nutrimentum corpori cùm præstitisset, ipsum hoc nigro colore fœdauit.

OBSERVATIO CXXXVIII.

De Lapide Vesicæ.

Lapidis in Vesica inuenti, forma stupenda, & enormis.

LApides, diuersâ forma, quantitate, atque colore, in vesica vrinaria fuisse inuentos, vel ab eâ artis ope extractos, Veterum, & Recentiorum exempla satis confirmant. Sed huius forma est rarissima, & admirabilis, cuius historiam palam fecit Doctor Acosta Lusitanus, Medicus Rothomagensis incomparabilis, & in inuestigandis naturæ arcanis laboriosissimus. Ægrotauit diu immani, ac miserabili vesicæ tormento puer quindecim annos non excedens, qui omnibus membris saluis, tandem infando cruciatu excarnificatus animam efflauit. Secto cadauere, in capacitate vesicæ inuentus est lapis rotundus, magnitudine paruæ pilæ, pyramidibus politis, & acutis vndique circumseptus, (Solis instar) & ita humor hic ab assante calore erat dispositus, & induratus, vt inter pyramidem vnam, atque alteram essent fabrefactæ puncticulæ longæ, acus formâ (mirabile visu) à natura insertæ: ex harum aculeo, puer cùm ad eiaculandam vrinam ex longis temporum interuallis cogebatur, se, in pube, velut acubus, & acutissimis spiculis pungi, & lacerari, magno vlulatu ingemiscens conclamabat. Huius ergo calculi monstrosam, & inauditam effigiem in Lectorum gratiam ad viuum exprimere libuit.



OBSERVATIO CXXXIX.

De Morbis trans naturam.

Morbi trans naturam, remedijs trans naturam, curantur.

DÆmonis commercio, & pacto fieri fascinum, maleficium, incantationes, præstigiaturas, philtris, poculis amatoriis, verbis prolatis, orationibus, appensis, gestatis, coniurationibus, characteribus, figuris, annulis, carminibus, sonis, cantibus, numeris, potionibus, suffitibus, odoribus, & aliis mille modis, mille doctus experimentis, testimoniis certissimis

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 911 sur 927

©BIUM

tissimis confirmatus, verum esse non dubito, & latè A firmant ex nostris Baptista Codronchius *lib. 3. cap. 6. de veneficijs*, Langius *lib. 1. epistol. 38. & lib. 2. epist. 34.* Gemma *lib. 2. de diuinis Characterismis cap. 4.* Ioan. Hucherus *lib. 4. de maleficijs*, Cardanus *lib. 2. contradict. tract. 2. contradict. 7.* Rodericus à Castro *lib. 4. de medic. politico cap. 2.* & alij, ex alienis Petrus Tolosanus *I. C. lib. 34. Syntagmat. iuris vniuersi cap. 14.* qui ex multorum censu auctorum eloquenter probat, magicis artibus, certis ceremoniis, & actionibus incendi posse libidinem, elementa turbari, aquam de cœlo pluere, aërem mutari, homines in alia corpora transponi, & morbos ferinos, insuperabiles induci, transmutatis noxiis succis à partibus ignobilibus ad nobiles, vel instrumentorum figurâ vitiatâ, vel immediatè per B motum localem, vel illudendo sensibus, vel applicando actiua passiuis.

Harum omnium artium dæmon est auctor, aut adiutor, quas, fœdere initò cum illo, exercent mulieres præstigiatrices, quas, *Lamias*, seu *Striges* vocant, aut venefici homines, qui *Strigones*, *Alastores*, *Sicarij*, *Telchinæ* dicuntur. Quos, certis verborum, aut gestuum formulis mira perpetrare, certum est, quicquid contrà clamet ad rauim vsque Cornelius Agrippa *lib. aduersus lamiarum inquisitores*, futilibus quibusdam argumentis nixus, fascinationem ex pacto Dæmonum contractam pertinaciter denegans, quas esse ex iure diuino, & humano puniendas, legat qui velit in materiâ hac potiùs Theologicâ, C quàm medicâ, Sixtum Senensem *lib. 6. Sanctæ Bibliæ*, *adnot. 276.* quo loco, copiosè, & doctè contra eum efficacissimis rationibus disceptat, & multò antea, ornatè satis, & breuiter comprobauerat Cristophor. Landinus *in Virgilium, eo loco. Nescio quis teneros oculus, &c.*

Ex hoc perennni fonte scaturiunt morbi immanes, atroces, admirabiles, qui licèt naturalibus similes appareant, cùm tamen causam habeant, medendi arti haudquaquam obsequentem, iure à Fernelio *lib. 2. de abdit. rer. caus. cap. 16.* trans naturam appellantur; qui remediis naturalibus applicitis in peius ruunt, aliis verò trans naturam admotis consanescunt. In hanc rem apponam historiam admirandam, sed D veram.

Puellam, annum agentem ætatis decimum sextum, ex nobili prosapiâ oriundam, formâ non vulgari præditam, iuuenis quidam speciosus, & liberalibus artibus apprimè instructus ita miserè deperibat, vt illius amore irretitus noctes plures velut amens, insomnis duceret: at cùm illum ea vt ex infimo loco natum temneret, & irrideret, indignabundus, sagarum consilio de eâ magicis artibus vindictam sumere curat. Quare absentis puellæ imaginem cerâ confictam, verbis prolatis fortilegæ compungunt, quibus recitatis, insons sæuis doloribus in toto corpore excitatis est afflicta, iisque ita infandis, immisericorditer vexabatur, vt aculeis transfigi videretur. Quibus lenitis remanebat Aphona, & conuulsione mirabili arrepta, quâ pedibus antrorsum pectus contingebat, cum oculis toruis, nigricante facie, pinnis narium inuersis, linguæ tremore, lipothymiâ, omnimodâ virium iacturâ, fastidio summo.

His triduò perseuerantibus, conuocantur Medici, qui postquam vltrò citróque de causâ morbi disceptârunt, in eam vnanimes conuenerunt sententiam, vt crederent, hæc horrenda vitia, ab vtero, auráque veneficâ ad partes superas elatâ, tanquam à primâ origine emanare, quæ similem tragœdiam excitare nata est. Quapropter præsidia plurima adaptant in hunc vsum. Sed cùm iis appliciris, illa delira, furibunda, & omni conuulsionis specie premeretur immaniter, à Medicis tanquam spiritu malo apprehensa, aut veneficio vexata, deseritur.

Hoc ita esse confirmauit postea enormis vomitus, cuius violentiâ, nigerrimam materiam primò, postea glomeratos crines, Tribulorum fasciculum, acùs æneas, & tandem ouiformem massam atro colore conspurcatam reiecit, quâ dissectâ erupêre plures volantes formicæ, quæ adeò horrendum fœtorem ex se expirârunt, vt nullus in domo persistere posset. Visis his, omnibus patuit cuncta hæc ex veneficio esse suborta. At cùm in agône esset, Syncope oppressa, per vomitum laboriosissimè excreuit animal, pugni formâ, colore atrum, caudâ oblongâ, toto corpore pilosum, Muris instar, quod postquam in terram delapsum est, eximiâ pedum agilitate per domum obrepit, & emoritur.

Parentes rei nouitate, & periculo filiæ commoti consulunt ariolos, sagas, fortilegos, magos, & incantatores. Ex iis vnus, se eam sanaturum propositâ multâ mercede constanter pollicetur, dicens vt aduentante paroxysmo vocaretur. Sic factum; nam cùm accessio ferociter inualescit, conuocatur ipse, qui super caput ægræ priùs abrasum, me præsente, imposuit Papyraceam chartam albissimam, in quâ scriptæ erant literæ binæ, T. M. & imposita erat vngula Asini semicombusta, & ille nescio quæ verba ad aurem obmurmurans, illam ab insultu, & omni symptomate in posterum liberauit. Morbi ergo trans naturam remediis trans naturam curantur, vt graphicè post Fernelium disseruit Carrerius ad libros Galeni *de loc. affect. disput. 37.*

OBSERVATIO CXL.

De Incuria Ministrorum.

Pharmacopœi inscitiâ, æger emoritur.

CVm Hippocratis & Galeni monumenta reuoluo, horum auctorum dulci sapore, & illorum suaui lectione velut delinitus inebrior, tam mihi videntur eorum opera succulenta, affabréque composita. Dum ea perlegerem, occurrit laudatissima, & quasi per manûs à multis sæculis translata sententia in *lib. 1. epid. sect. 3. text. 51.* quâ ostendit hic diuinus auctor, artem nostram ex tribus constare, morbo, ægro, & Medico artis ministro. Hic vt naturæ rectè operantis vias sequatur, necesse est, vt habeat suos ministros promptos, & in arte satis versatos: famulantur enim Medico, inquit Galenus *lib. 6. epid. sect. 5. com. 1.* quinque artes, *Pharmacopœa, ars infundendi clysteres, ars aperiendi venas, ars obstetricandi, & Coquinaria.* At ab istis insciis sæpe mors emanat. Quare ab arte pharmaceuticâ incipiamus, in quâ multi adsunt Grammaticæ ignari, putant enim isti cùm in promptu habeant Dodonæum, Lobellium, E Fuchsium, ex Latinâ linguâ in Teutonicam, aut Germanicam translatos; & vel Lacunam, aut Matthiolum, Bauderonum, aut alios suâ vernaculâ linguâ conscriptos memoriâ teneant, ipsum Mesuëm, acutie, & componendi medicamina facundiâ superare. Nam oportet Pharmacopœum esse prudentem virum, diligentem, & artis suæ obseruantissimum, & quod plus est, Latino sermone instructum, vt probè dispensare medicamenta, & compositiones à Medico ordinatas intelligere, & componere, ne temerè, non intelligens, conficere queat. Hinc fit sæpe vt multos capitales errores committat, & pro multis vnum sit exemplum satis. Laborauerat æger toto ferè anno Dysenteriâ, quæ ex interuallis illum opprimebat immaniter, ob cuius sæuitiem totum intestinum rectum vlceribus cauis, & sordidissimis erat

conspur

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 912 sur 927

conſpurcatum, quæ vt Medicus abſtergeret, & exic- A
caret, ſuppoſitorium deſcripſit & dixit, fiat ſuppo-
ſitorium, filo, vno nexu ligatum; Pharmacopœus
Grammaticæ ignarus fecit tumultuariè glandem, &
cùm non intelligeret verba *filo vno*, putauit quod
erat Philonium, & neſcio quâ huius Opiati quan-
titate adiectâ, ſuppoſitorium conſtruxit. Impoſito eo,
cùm æger debilis eſſet, ob frigiditatem medicamen-
ti, ſomno profundo arreptus, perpetuò obdormiuit.
Dubitas? Audi Auicen. 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. §. *Etiam*
teſtati ſumus nos vidiſſe qui ſuppoſuit ſibi collyrium ex
Opio, & mortuus fuit: Nam & multi impoſito ſuppoſi-
torio opiato, ob vigilias, & fluxûs diuturnos, ſupre-
mo ſomno correpti ſunt, vt ſcribunt Marcus Gat-
tinaria *cap. de curâ ſodæ Cholericæ*; Nicolus *ſerm.* 2. B
cap. 11. & alij. Oportet ergo vt Pharmacopœus ſit
diligens, & Latino ſermone benè inſtructus, & ha-
beat miniſtros vigilantes, Latinos, peritos, & pro-
bos. At de horum incuriâ, & negligentiâ plura di-
ci poterant, ſed ſub vno exemplo cætera comprehen-
duntur, auctore Galeno *lib.* 1. *acut. com.* 33. *& lib.* 3.
com. 43. *&* 61. *& lib.* 5. *Aph.* 33.

OBSERVATIO CXLI.

Obſtetricis malitiâ, & fraude, plures fœminæ interfectæ, aliæ in grauiſſima pericula incurrerunt.

NOn celabo, per Deum immortalem, vnum facinoroſum ſcelus, ex quo, obſtetricis malitiâ, & dolo tot fœminæ interfectæ, aliæ in mortis fauces deductæ. Putant enim hæ inſciæ honorem maximum reportare, ſi ſalua pariat fœmina, & infans lucis vſurâ fruatur in manibus ſuis, ac ſi hoc opus, donum Dei appellari non mereretur: nam patiens ſimul, & naſcens ſtatim in ipſo vitæ limine Sacroſancti Archiatri opem miſerabili voce implorant. Quòd ſi partus difficilis ſit, & lachrymoſæ preſſuræ dolorum adſint, ingentes, & immanes hoſtiles partûs labores infeſtent, & viæ per quas labi infans debet, ſint vel ex morbo, aut ætate calloſæ factæ, neque partes pudibundæ dilatari poſſint, D
& acerba concitentur tormina, cruciatûs ſæui, ferina ſymptomata repullulent, fœminæ triſtes metuant, paueant, mœrore conficiantur, lancinentur, exoluantur, & agoniâ ferâ contabeſcant. Tunc neceſſe eſt priùs, diuinum, & deinde humanum, & medicum implorare auxilium, non ab obſtetricibus: nam hæ multa machinantur ſæpe, vi & violenter, vt infans intempeſtiuè, vel lacer, vel mortuus exeat in lucem. Vidi vnam maleficam, quæ fœminis in hoc agône poſitis, & præ nixu, & doloris ſæuitie nihil ſentientibus, acutiſſimo, ſed ſatis oblongo cultello, quod fortè in hos nefarios vsûs in carpo iuxta tunicam reſeruatum habebat, totum vteri os versùs anum reſecabat, & ſic dilatato vtero labebatur fœtus. At fœminæ obortâ Hæmorrhagiâ nimiâ, ſciſſo vtero, vel ano reſecto, excretâ deinde vrinâ per aluum, & ſtercore exeunte per vuluam, vel animam efflabant, vel deinde cum magno labore euadebant. At ab aſſiſtentibus apud Magiſtratum accuſata, in exilium perpetuum, cùm teſtes contra ſe non haberet ſufficientes, eſt relegata.

OBSERVATIO CXLII.

Ex Clyſtere actu calidiſſimo iniecto, mors ſubſequuta.

QVi debet iniicere clyſterem, attentus, & vigilans ſit oportet. In populoſiſſimâ quadam ci-
uitate vidi accidere inopinatam mortem ex clyſte-
re, qui cùm ob miniſtri incuriam, actu calidiſſimus
immitteretur, inteſtina adeò lancinauit, vt immani
ſequuto dolore, & confluentibus hac ipsâ de causâ
humoribus, generatâ inflammatione, & parte dein-
de occupatâ Gangrænâ, ſuperuenientibus febri, deli-
rio, ſiti, & vigiliâ, æger, qui antea ſanus erat, ani-
mam poſt duos dies efflauerit. Cuidam ex cœcis hæ-
morrhoïdibus laboranti, cùm præ illarum tumore
anus eſſet clauſus, & multis diebus, vt ſæpe in hoc
morbo contingit, non deiiceret, iniecto à quodam
inſcio, clyſtere, ita hæmorrhoïdales venæ ſunt dila-
ceratæ, vt ob dolorem, & affluxum humorum, totâ
inflammatâ parte ſphacelatâ, (hæ enim partes ſunt
valdè obnoxiæ corruptioni ob multas cauſas) biduò B
vitam cum morte commutauerit.

OBSERVATIO CXLIII.

Phlebotomi incuriâ, ægræ fluente ſanguine emoriuntur.

ACcedamus ad phlebotomos, qui in multis cùm peccent, tolerari non poſſunt: nam Medico multi ſapientiores æſtimantur, tantum ſibi placent, tantum ſibi aſſumunt. Erant duo, vnus incautus iuuenis, alius delirus ſenex. Ille vt ſcientiam ſuam oſtentaret, ſectâ venâ poplitis, reclamantibus aſſiſtentibus, hiſtoriis, & facetiis enarrandis ſolùm C
intentus, tantum ſanguinis in phialam aquâ calente plenam extrahi curauit, vt vix perſpecto ſanguine cum aquâ confuſo, fœmina delicatula, & ex morbo debilis, poſt dimidiam horam exanimis corrueret. Senex garrulus experimentum cùm haberet, vt ipſe inſolenter dicebat, audaciâ multâ confirmatum, ad ſenem Nephritico dolore laborantem, Saphenæ ſecandæ causâ cùm eſſet accerſitus, tusâ venâ, tantam quantitatem extrahere permiſit ſuo conſilio nixus (parcam enim in ſene debili, doloribus, & vigiliis vexato inſtituerat Medicus) quoüſque æger animi deliquio arreptus, poſt horam exceſſit è viuis. Et licèt plura poſſent prædici de argumento hoc, ea ſilentij tenebris inuoluere ſatius duxi, ne Lectori tædio ſim, & illis inimicitiæ: & ego Epilogum facio, non tractatum.

OBSERVATIO CXLIV.

Ob coqui ignorantiam, ſtoliditas ſuborta.

CRoco inſunt facultates mirabiles, quas priſci vno ore extollunt, & ob hæc in multa ingreditur Antidota, Theriacam, Mithridatium, confectiones Cardiacas, quæ noſtri corporis facultates mirè roborant, & eſt medicamen Cordiale, & in Catalogo medicamentorum quæ vires cordis tuentur, reponitur ab Auicennâ *lib. de viribus cordis tractat.* 2. *cap. de Croco*: attamen immodicè ſi quiſpiam eo vſus ſit, in pallorem, capitis dolorem, caliginem oculorum, & demum in inſaniam maximè alacrem, & lærabundam incurret; ſic enim habet Auicenna *in loco dicto*: *Multitudo verò comeſtionis eius ſuperfluè dilatat ſpiritum, & mouet ad extrà, donec accidat propter hoc vt diſcedat à nutrimentali materiâ, & ſequatur inde mors*, &c. *Et lib.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 129. Sic ait, *dicitur quòd tres aurei de ipſo interficiunt lætificando*, &c. Quam ſententiam omnes deinceps comprobârunt. Hoc non aduertens Coquus quidam, qui vt alimenta eleganter condiret, vt maiorem palato gratiam conciliarent, in auium iure tantam quantitatem Croci diſſoluti iniiciebat, vt fœmina illo vſa continuò, in riſum ex interuallis ita lætabundum repentè

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 913 sur 927

inciderit, à quo nunquam potuit leuari, quæ omnia ex Croci nimiâ quantitate esse suborta, non dubito. At si Crocum fuisse adulteratum instes, non repugno. Adulteratur enim sæpe inquit Dioscorides *lib. 1. cap. 23.* Argenti spumâ, atque plumbagine, ex quo æquè lethalia symptomata oriri, ac ex Argenti spumâ, verum est. Vnum certius quod ipse Dioscorides ibi adiunxit, exitiosum esse si tribus drachmis ex aquâ potetur. Pro salute ergo, quâ nihil charius, apud Galenum *lib. 7. meth. cap. 6.* ministri prudentes ad coquinariam artem eligantur, ne si forte ægri præfastidio alimentum abhorreant, ipsi ad irritandum palatum, noua condimenta, clàm imponant, quæ ægro nocere impensè queant: nam vidi fœminam illustrem, cui ab inscio Coquo in ferculis iniecto succo Coriandri viridis in copiâ multa, nausea superuenit, & ventriculi debilitas adeò eam oppressit, vt cogeretur cibos illico vomitione reiicere. Hæc curata, Aloës vsu in pilulas redactæ, vini Absinthitis potu, & roborantibus ventriculo admoris. Quibus autem dotibus debeat esse instructus Coquus, proponunt Varro, & Columella *in suis de re rustica libris elegantissimis.*

OBSERVATIO CXLV.

De Inscitia Medicorum.

Inscitiâ Medici, quidam emortuus.

SOlus Deus languores sanat, inquit Mesuë *in præfatione practicæ suæ; & de frugalitatis solio produxit in largitate medicinam, Benedictus, gloriosus, & excelsus Creator.* Huius solùm propium est nec fallere, nec falli: *mortales cùm homines sint, in multis peccant, quædam videlicet penitus ignorando, quædam malè iudicando, quædam negligentiùs scriptis tradendo,* dicebat Galenus *lib. 2. de sect. loc. cap. 1.* Nam *supra captum hominis est nunquam errare, solius artificis quàm minimum,* ex Galen. 3. *pag. 41.* quoniam *optimus Medicus aberrat aliquando 2. Aph. 29. & lib. 1. ad Glauc. 1.* præsertim in vitâ breui, & arte longâ, ad quam nec ipse Hippoc. peruenit, ex *ipso in epist. num. 31.* maximè cùm Medicus sit artifex coniecturalis, coniectura autem licèt ad veritatem proximè accedat, aliquando fallit nos, ex Galen. 1. *Aph. 12.* quoniam est posita in medio scientiæ, & ignorantiæ, *ex ipso lib. 1. de loc. cap. 1.* Ob hæc Hippoc. 5. *epid. 27. & lib. 2. epid. sect. 4. & lib. de ossium natur. num. 17.* se errâsse ingenuè fatetur, & remediis nihil contulisse affirmat 7. *epid. 40. 41. 62. 68. 69. 86.* Galen. 2. *de loc. 5.* in seipso ægrotante deceptus est, & alibi, sæpe se ignorâsse confitetur. Suos errores confessi sunt Auic. 6. 4. *tract. 4 cap. 22* Auenzoar *lib. 1. tract. 15 cap. 13. & lib. 2. tract. 5 cap. 13* Aretæus 4. *Chronion. cap. 1.* Alzaharauius *lib. 31. pract. sect. 1. cap. 15.* & alij Medicinæ Phœnices fatentur palàm, ne quis decipiatur eâdem ratione, quâ quis antea deceptus est. At hoc est rarissimum; errores verò quos proponimus, sunt crassissimi, & intolerabiles; in quos solùm gregarij isti Medici passim incurrunt.

Medicus quidam senex, garrulus, aue Picâ loquacior, & qui se ab Æsculapij familiâ oriundum, & Magnatum, Principúmque esse Medicum, per vicos, plateas, fora, vbique passim, & qualibet vel minimâ datâ occasione, iactabundus, & gloriosus, inflatis buccis proclamabat, cùm ad curandum mediocris sortis hominem esset vocatus, qui febriculâ, ventris gurgulatione, diuturno alui profluuio erat correptus, ventre subturgido, pedibus inflaris, cum futuræ tabis, aut hydropis metu, longo tempore decolor in lecto iacebat, de salute suâ desperans, me, annuente ægro inuitus consuluit. Consilium adhibitum. Cúmque alui fluxus ex debilitate, & hepatis obstructione pronatus, complicatissimus affectus, & difficilis curationis sit ob multas causas, non phlebotomiâ, vt ille prædixerat, sed aliis auxiliis esse curandum ægrum palam feci. Sed cùm ille non acquiesceret, excitans iurgia, & clamores, præfatus periculum, abij, discessi. At ille, extracto sanguine, solùm ob hepatis ardorem, ægrum exhausit, qui resolutis viribus post quatuor dies extinctus est. Rectissimè ergò à Galeno promulgatum *lib. de Theriac. ad Pison. cap. 4. Si quis miser in methodici tanquam in alterius bellua manus incidat, proculdubio morietur ex consequutione dogmatis ab eo interfectus, quoniam vt à secta non recedat, inuestigare causas non vult. At benè fortunatus ille qui ad rationalem Medicum accesserit, neque enim tam malis symptomatis facilè capietur, neque ob artem rationalis Medici mortem incurret, &c. Medicus ergò inscius ægrotanti altera fera, qui ita remedia ægris præscribit, ac illi qui aleam iaciunt, quorum inutilia præcepta magnum ægrotis afferre solent incommodum,* vt scitè docuit Galenus *lib. 1. epid. sect. 3. com. 50.* Consule de horum nebulonum inscitiâ, versutie, & temeritate Ioann. Freitagium *in suis noctibus Medicis cap. 20.*

OBSERVATIO CXLVI.

Medici errore, Podagricus obijt.

NVper in quadam celebri ciuitate, Medico cuidam seni, indocto, magnifico tamen titulo ob canos, & albicantes pilos superbienti accidisse vidi, qui, postquam alij, arte, & eruditione insignes viri, multas remediorum centurias, ægro calidissimo temperamento prædito, gracili, excarni, articulariis, doloribus vexato sine fructu præscripserunt, sua, gloriabundus, velut strepens inter Anser olores, præsidia, quæ manûs Dei vocitabat, ad sidera efferens, artubus dolentibus, Vnguentum ex Sulphure, Nitro, Euphorbio, cum succo Artemisiæ, & oleo de Piperibus paratum admouit. Hoc applicito, æger cùm esset calidissimus; sæuiente dolore, exacerbatâ febri, vigiliis afflictus, motu priuatus, sensim contabuit, qui paucis pòst diebus extinctus est. Sed hos ex Pædotribâ factos Medicos, tanquam ipsissimam pestem, quam semper habuit, & habebit ars medica, vt faruos, & stolidos, tanquam lapidem, non verberemus: nam citiùs tardus bos sentiet admotos stimulos, quàm isti, recta consilia obseruabunt. Nam illis hæc sunt superflua, ac si asino fabulam narres, vt cum Galeno loquar *lib. 1 meth. 1. & 3. de facult. cap. 3.* de quorum stupiditate legendi Petrus Talpa *in suo lib. de indocto Medico,* & Ioannes Aubrius *lib. de vendicandâ medicinæ dignitate,* & priùs prædixit Hipp. *lib. de lege, num. 3. § Imperitia malus thesaurus est, timiditatis, ac temeritatis nutrix.*

OBSERVATIO CXLVII.

Applicito caustico, Arthriticus occubuit.

MEdicus quidam contumeliosus, superbus, inscius, & audax, quùm diuitem inuiseret arthriticum, se remedio quodam parti applicito, morbum hunc importunum, & cum quo Medici docti antea luctauerant, superaturum haud ingloriùs pollicetur. Sermonis lenocinio, & spe salutis allectus æger, annuit illicò. Ille fermentum cum Cantharidibus parti afflictæ imponit, humorem parti tenaciter impactum, auxilij ope educturum sperans. Vix decem pertransierant horæ, quando ampullis excitatis, sequutáque nigredine loci, humerum Gangræna occupauit, quæ cùm profundis scarificationibus, aliisve medicamentis putrilaginem inhibentibus

non

non cederet, & vſque ad collum ſerperet corruptio, nec pars ſphacelata ſectioni eſſet opportuna, factum eſt, vt reſoluris viribus obierit miſer. Atque hanc laudem Theſſalicus iſte inter multos ſpectatores eſt conſecutus, oſtendens explicatum ab Arthritide hominem, intra tres, vt promiſerat, dies.

OBSERVATIO CXLVIII.

Medicus, ignorantiâ ſuâ, ſibi ipſi mortem acciuit.

VIx deſcenderat Medicus quidam ab equo, quando ab hoc, recalcitrone ſanè & refractario, illi in femore ſatis magnus illatus eſt ictus, quem tumor, & dolor poſtea conſequuntur. Ad eum curandum alij amici vocati, conſilio Galeni *lib. 4. acut. 19.* ad præſeruandam partem, ne inflammatione tentaretur deinceps, ſtatim ſanguinem emittendum imperant. Sic enim habet Galenus: *Nos autem, & eâ non exiſtente venam ſecamus, quùm dolor vehemens, hominem ſtatim prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulſum ſit, vel alius quiſpiam articulus contractus, reductuſque ſit, &c.* Sententiâ Galeni prolatâ, reclamat ipſe, qui ſemper multum ſibi aſſumpſit; & veluti furore percitus inſtat vehementer, & vt putabat argutulè, ex eâ non inferri rectè ipſum eſſe phlebotomandum: nam Galenus ibi non loquebatur de ictu facto à calcitrone equo. Omnes ſubriſimus: nam mouerat Cornicula riſum. At nos pacato animo illum ſic fuimus alloquuti: Galenus ſub vno exemplo cætera dolorem inferentia comprehendit, vt patet ex ipſo *lib. 3. acut. 42. 61. & 5. Aph. 55.* & in methodo *in lib. 4. cap. 6.* ſic ait: *Quippe ipſos Empiricos videmus, cùm lapſus ab alto quis ſit, aut aliàs plagâ aliquâ contuſas vehementer corporis partes habuerit, ad ſanguinis miſſionem confugere: quanquam idem homo paulò ante ſanus fuerat, prorſúſque redundantiæ ſanguinis expers, &c.* Nam venæ ſectio reuellit, inflammationem arcet, & ſanguinis impetum ad partem dolorificam, & imbellem ſuopte impetu decumbentis coërcet. Mihi, hæc & alia ratiocinanti neque aures præbuit, nec aliorum vota approbans, & immorigerus, ſibi vnquam venam ſecari permiſit. Quare factum eſt, vt confluente ob dolorem affatim ad partem ſanguine, inflammatione auctâ, & ſequutâ Gangrænâ, quæ nullis auxiliis ceſſit deinceps, poſt ſeptem dies animam efflauerit.

OBSERVATIO CXLIX.

Hydropicus, Medici pertinaciâ, ſubitò emoritur.

GEneroſus quidam vir Aſcite bienniò laborauit, quem clamoſa, & inextinguibilis comitabatur ſitis, cum iugi, tenuíque febriculâ coniuncta. Aderant obſtructiones internæ cum flatuum copiâ multâ, & alia, quæ huius claſſis Hydropicos ſequi ſolent. Multis præſidiis à ſuo Medico tractatus, ſemper ruebat in peius. Ille cùm vellet eſſe ſolus in præſepe equus, doctos in conſilium nunquam admiſit. At reclamantibus affinibus, vel renuente eo, alij conuocantur, re, & opere celeberrimi. Collegium initum. Varij variam, doctè tamen & eruditè, remediorum ſyluam propoſuere. Ea ſunt Hydragoga, Trochiſci, Emplaſtra, Vnguenta, Thermales aquæ, Sudorifica, Roborantia, Veſicatoria in cruribus excitata, Phœnigmi, vſtiones, ſcarificationes, & fontanellæ, demum imperatum exercitium, conſultus meri potus, cum exiccante diætâ coniunctus. Ex Vltimis, primus, ſolùm Paracentheſi vtendum eſſe prædixit, quod auxilium eſſe huic morbo præſtantiſſimum, cæteris non conferentibus, docuit Hippocr. *6. epid. ſect. 7. text. 11.* in hunc modum, *Tabeſcentes ſtatim vrere, Hydropicos citius ſecare oportet, & lib. 6. Aphor. 27.* id affirmat, & plures Galenus edocuit; quod præſidium etſi veterum aliqui condemnent apud Cœlium Aurelianum *lib. 3. Hodar. paſſion. cap. de ſectione Hydropicorum*, ob multas rationes, quas ſoluunt Valleſius & Hollerius *in com. Hippocr. loc. nuper citat.* tamen, eius efficacià & ope, plurimos ſalutem fuiſſe adeptos, narrant Pareus *lib. 7. cap. 12.* Muſa *in com. cit. Aphor.* Michael Ioan. Paſchal. *lib. 1. prax. cap. 44.* Laurentius *lib. 1. de re Anatomic. quæſt. 16.* & alij. Poſtremus qui pro curandâ ægri domo ſtipendium habebat, quùm ſenior eſſet, ſic eſt præfatus.

Rectè quidem à veterum ſcientiſſimis eſt proditum, ad ventilanda interna viſcera, ſitim incompeſcibilem mitigandam, nullum aliud eſſe præſtantius venæ ſectione auxilium, quâ de causâ, vt cætera in poſterum fœliciter eueniant, ad remittendum incendium internum, leuandam naturam, ad priſcorum mentem, ex Baſilicâ cruorem exhaurirem. Sic fecit Hippocrat. cum Galeno *lib. 4. acut. text. 11.* Sic ipſe *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. 12.* in crudorum humorum copiâ, bis in die ſanguinem emiſit. Sic in Priapiſmo *lib. 14. meth. 7.* Sic in Palpitatione, *5. de loc. cap. 1.* Sic in ſuffocatis præ gelidæ potu venam ſecant Dioſcorides *lib. 6. cap. 3.* Paulus *lib. 5. cap. vltimo.* Sic in Mirachiali affectu *3. de loc. cap. 7.* Si ergo in morbis, qui à flatuoſo, meréque frigido humore oriuntur, veteres ſanguinem extrahendum prædicant, cur in hoc ægro Aſcite laborante, in quo ob nimium calorem Iecur æſtuat, ſanguis aduritur, & natiui caloris ſubſtantia diſſipatur, ſecuriſſimè non administrabitur? vt commendat Auicenn. *14. 3. tract. 4. cap. 15.* qui in Tympanite ſecat venam. §. *& phlebotomia quidem non ingreditur in hoc capite, niſi rarò, &c.* & *4. 1. cap. 20.* in Hydropiſi ſanguinem emittit in parte dextrâ ſupra Hepar. Firmant Lupeus doctiſſimus, qui omnia opera Galeni eruditiſſimis Scholiis illuſtrauit, *in com. 89. lib. 4. de rat. vict.* Petrus de Peramato *lib. de vacuand. rat. cap. 29.* Mercatus *lib. 4. de morb. intern. cap. 6.* qui in Aſcite, quando ex Hepatis phlogoſi oritur hoc malum, ex ſaluatellâ ſanguinem euacuant.

Collegio in tam diuerſas ſententias diſtracto, exequenda auxilia in ſequentem diem Medici diſtulere, vt re bene penſatâ, præſidium ſecurius celebraretur. *Qui enim ad propoſita reſpondet velociter, vix Medicus putandus eſt*, dicebat ſententioſus Damaſcenus, ſic referente Nicolo *ſerm. 1. tract. 1. diſtinct. 2. cap. 11. prope fin.* quoniam *qui citò reſpondet, ceu facilè dubitabundus eſt*, ex Raſio *6. Aph. 40. quod enim paulatim fit, optimum eſt*, ex Gal. *lib. 1. de fract. 48. & 2. prorrhet. 17.* quieſcendo enim anima fit ſapiens, *quandiu enim cerebrum quieuerit, tamdiu homo ſapit*, ex Hippoc. *lib. epiſt. num. 30. epiſt. 19. & lib. de morb. ſacro, num. 22.* nam *qui reprehendit ſedulò, ſeipſum afficit contumelia*, dicebat diſertiſſimus Gal. *lib. 3. epid. ſect. 1. com. 4. prope fin.* Quare redintegratis viribus, in altero die, lunior ſic præfatus, omnem de hac re dubitationem, & veluti caliginem, dilucidâ oratione diſcuſſit.

Scitum eſt ab omnibus, qui vel prima Medicinæ limina deguſtârunt, paracenteſim non eſſe adminiſtrandam, ſi Hydropicus tabidus ſit, vires ſint languidiores, febris adiuncta, viſcera habitualiter affecta, interna putredo ingens, ex aquâ nimiùm putrefactâ contracta: hoc tempore, ſi interaneis corruptis ſectionem tentes, nihil aliud facies, quàm exhauſtis ſpiritibus, cum effusâ aquâ corpus moribundum citiùs interficere: quapropter temeraria eſt

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 915 sur 927

tunc curatio hæc, quo tempore nihil aliud fit, quàm quòd, quæ tempestiuè susceptæ contulissent, celebrata seriùs infamantur auxilia. Cùm ergo hæc omnia in hoc ægroto adsint, viréſque sint debiles, & morbus sit diuturnus, cane & angue peiùs fugienda paracentesis est.

Quare cùm ex morbo valdè progresso, vires in eo deficiant, explodenda venæ sectio est: si autem Galenus sanguinem emittit, id facit, quando ex retentis vacuationibus oritur hoc malum. Roborantia ergo salutaria sunt, parata ex speciebus Dialaccæ, Diacurcumæ, Trochiscor. de Rhab. Absinth. ex quibus, cum Conseruâ Zingiber. Anthos, Citri, Eryngij, additis Diacymino, Dianiso, Diagalanga, Diacinnamomo, cum Syrupo de Eupatorio fiat Electuarium cum Mithridatio, & Theriacâ. His dictis cæteri dedêre manus.

Sed cùm morbus iis non consanesceret, sitísque, & febris eum opprimerent, & nimio Caumate pressus, anxietate quateretur immaniter, suum Medicum vocat; hic, æstui solùm, & feruori interno attentus, sanguinem imperat emittendum. Æger cùm nullum ex celebratis præsidiis commodum sentiret, maluit illius pertinaciter contendentis opinioni, quàm aliorum peritorum eam obnixè reprobantium voto adhærere. At vocato Chirurgo, & extracto sanguine ex Basilicâ venâ, toto seroso, & aqueo, æger post dimidiam horam, illis adhuc præsentibus, syncope correptus, frigido sudore madidus, toto corpore liuidus, stertens citò occubuit.

OBSERVATIO CL.

Medici ignauiâ, æger vitam finit.

QVoniam in malè feriatorum Chymicorum torporem ignauum, ac turpiter desidentem ruditatem perducti sumus, in amœnissima, facundissimáque Galeni Pomœria ingressi, inuenimus sententiam laudatissimam, quæ est prima inter cætera, quæ scienter admodum ille, nec citra rationem, summámque scientiam protulit Axiomata; sic enim habet syncerioris Medicinæ instaurator diligentissimus *lib. 3. de facult. naturalib. cap. 10. Quisquis enim nôsse quid supra vulgum debebit, statim non naturâ modo, verùm etiam primis doctrinarum rudimentis, multùm cæteris præstet oportet. Idem vbi iam adoleuerit, veritatis insano quodam teneatur amore, veluti afflatus; tùm sine vllâ diei, noctisve intermissione properare, ac contendere, ea quæ à clarissimis veterum tradita sunt, discere: eademque vbi didicerit, iudicare: multóque tempore explorare, ac considerare, quæ rebus sensui patentibus consentiant, quæque rursus iisdem dissentiant: ac sic illa quidem suscipere, hæc respuere. Atque huic quidem admodum vtiles fore libellos nostros spero, (erunt autem huius generis omnino pauci:) reliquis opus hoc perinde fore superfluum, ac si quis asino fabulam narret, &c.* O sententia dignissima cedro! putant enim sciolí quidam non esse necesse studere, vt est in Prouerbio, sed studuisse. Hac sententiâ tantâ munitus, nihil vnquam ægris præscripsi, quod non esset priùs ex librorum lectione frequenti comparatum. Hæc salutaria præcepta senex quidam Paracelsicus, ignauus, & rudis, parui pendens, vocatus in primâ die ad curandam continentem febrem, quæ iuuenem eusarcum, & quadratum, sæuissimis stipata symptomatis, inclementer exercebat, exactâ diætâ, spiritu Tartari, & Sulphuris, solùm esse minuendum, & absumendum sanguinem imperauit. Accedens ego, quum ab efferuescentis sanguinis copiâ febrem scaturire agnoscerem, subitâ, & copiosâ venæ sectione, ad normam Galeni, vbique passim eam celebrantis, esse curandum illicò prædixi, nam *occasio præceps*, dicebat Diuinus senex *lib. 1. Aph. 1.* Superueniens ille, textûs & auctoritates Galeni flocci faciens, eas, argutulorum iuuenum tricas, & ineptas nugas appellans, assistentes in sui votum adduxit. At æger sanguinis saburrâ, velut sarcinâ pressus, in varias figuras se iactans, inquietus, & implacidus post 12. horas, superueniente exiguo sudore, occupatus delirio, vitam finiuit, cui post mortem, spatio quatuor horarum, sanguinis copia tanta per nares exiuit, vt libras tres æquaret. Tu verò hos Paracelsicos apage, quorum præstigiis, deliramentis, & fabulis scatet Europa, & præsertim Germania tota.

OBSERVATIO CLI.

Quidam febri vehementissimâ oppressus, inscitiâ Medici ad fauces mortis deductus, magnâ prudentiâ curatur.

INciderat in vehementissimam febrim quadragenarius satis robustus, quæ licèt imputris sanguinea esset, & mitibus stipata symptomatis; eum tamen vigiliâ, Cephalalgiâ, siti, & fastidio biduò malè confecerat. Vocatus Medicus, cum quo, tempore sanitatis, æger arctissimâ amicitiâ erat deuinctus. Hic, cùm pulsum, ob copiam grauantis plethoræ inueniret paruum, & debilem hac de causâ phlebotomiam in hoc morbo tam necessariam prætermisit, ignorans rarò accidere, vt primo, secundóve die morbi vires imbecilles cernantur, monente Galeno *lib. 10. meth. cap. 2. in fin.* Sed cùm æger in quarto die, ob ebullitionem humoris, conatum naturæ, & crisim, immani febri premeretur, cum linguâ scabrâ, & siccâ, nam in statu omnia fortiora apud Hipp. 2. *Aph. 29.* & concoctâ materiâ, & rarefactâ, quæ in genere venoso erat infixa, vires essent magis liberales, Medicus, vt prætermissæ venæ sectionis defectum resarciret, illicò sanguinem emittendum imperat. Parentes timent, renuunt, me vocant. Ego, re benè pensatâ, eam interdico: nam futuram crisim per sudorem præ foribus adesse coniecto. Rigore enim frequenti tentabatur æger, extima calebant, facies erat valdè rubra, in cute suauis quidam sentiebatur calor, & pulsus erat vndosus, mollis, & altus, qui teste Galeno *lib. 2. de præsag. ex pulsib. cap. 9.* ex humiditate arteriæ, facultate modicè affectâ, conatu naturæ, & virium firmitudine emanat, ex Gal. *lib. 3. de crisib. cap. vlt.* quare bono animo ægrum esse iubeo. Medicus enim generosus, & arte Hippocraticâ dignus in his inopinatis euentibus non debet perterreri, sed exitum morbi prædicere tenetur, *neque debet multùm timere mala quæ præter rationem eueniunt, talia enim stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueuerunt*, ex Hipp. 2. *Aph. 27.* Nam, vt doctè Galenus monet *in com. tantum abest vt hæc malum aliquod significent, vt nonnunquam bonum iudicium haud ita multo post futurum enuncient.* His dictis ministri nuntiant ægri cutem esse madidam. Tunc ad proliciendum sudorem grana quatuor lapidis Belzaartici cum vnciis duabus aquæ stillatitiæ papaueris rubri propino, cuius aquæ vires pro prouocando sudore sunt eximiæ. His factis post dimidiam horam emanauit sudor multus, calidus, vniuersalis, & cùm esset excretus in quarto die, qui est iudicatorius, febrim integrè sedauit, nam hic est optimus ex Hipp. *lib. 1. prognost. text. 22.*

Per transennam hîc notabis duo, quæ hunc triobolarem Medicum perturbârunt. Existimabat enim diem quartum decretorium non esse, cùm in crisimorum numero non reponatur ab Hipp. *lib. 4. Aph. 36.*

&

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 916 sur 927

©BIUM

& licèt eſſet iudicatorius, rarò decernit, ex Gal. *in com.* & firmat ipſe *lib. 3. criſ. cap. 4.* Sed hoc intelligendum eſt de biliosis morbis, non de ſanguineis, qui per pares mouentur dies, & frequenter in quarto iudicantur, vt adnotauit Amatus *in initio tract. de dieb. decretoriis.* Hoc modo apud Hipp. *3. prog. 2. ſimpliciſſimæ febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citiùs finiuntur.* Sic ſudore multo Pericles in quarto eſt iudicatus apud Hipp. *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 77.*

Deinde timenda eſſe multùm ſigna critica, veluti indignabundus contra me, ſtriatâ, perfrictáque fronte, inculcabat, quia non ſunt præter rationem, vt Galenus falsò prædixit *in com.* nam criſis à natura fit, quæ ſummâ cum ratione, & ordine operatur. Miratus ſum valdè, vnde hic tantum dubium hauſerit, tam arduum, aſperrimum, & à nullo propoſitum eorum, qui Aphoriſmorum ambages hactenus ſunt interpretati. Sed tu huic nodo, hunc cuneum impone: licèt enim hæc ſigna à naturâ excitentur, quæ certis legibus, & ratione procedit, non ſunt periculoſa, quia eueniunt præter rationem noſtram: ne ergo ea timeas, neque damna imminentia pertimeſcas; quoniam à conatu naturæ, à maiori ebullitione, & rarefactione humoris, ob pugnam naturæ cum morbificâ causâ originem ducunt: nam poſtea ſubſequitur ſalus. Sic *in ſtatu omnia fortiora* ex Hipp. *2. Aph. 30.* quoniam *vehementes ſunt tunc acceſſiones febrium, vigiliæ, dolores, faſtidium, ſitis, morbus tamen multò melior, quàm in principio*, ex Gal. *eodem lib. Aph. com. 29.* Coctio enim quæ in ſtatu fit, *3. criſ. cap. 5.* facit ceſſare putredinem, apud ipſum *in art. medicâ, cap. 84.* Quare ſi hac ſolutione Galeni mentem interpreteris, tutus incedes, dummodò circumforaneos iſtos Medicos contemnas, & profles, qui *quoties accedunt ad ægros, toties peccant*, monente ſit Galeno *lib. 1. de dieb. decretor. cap. 11.* Nec enim naturæ motum certum obſeruant, quæ ordinatis legibus vtitur ſemper in animantis commodum, quum ſit morborum medicatrix, & criſis auctor, dum robore ſuo vtile ab inutili ſeparat, & excernit, ſic monente Galeno *2. de vſu part. 17. & 2. Aph. 13.* De cuius prudentiâ, & prouidentiâ pulchra ſatis propoſuit ad Galeni mentem elegantiſſimus Ioubertus *lib. 1. pradox. 6.*

OBSERVATIO CLII.

Medicus inſcius, in præſagiendo aberrat ſemper.

ANnotatione dignum Theorema eſt, prolatum à primo artis noſtræ conditore, *in lib. 4. epid. text. 81.* Ægros prope mortem melius habere: nam puer in Hippologi villâ conuulſus, ceſſante conuulſione, mortuus eſt. Et Galenus *lib. 1. prorrhet. ſect. 2. com. 17.* narrat ægrum adſtante veneno interno, in quarto die, & ſequentibus meliùs habuiſſe, qui illico tabefactus interiit. Sic Hermocrates *lib. 3. epid. ſect. 1. text. 2.* lethali morbo correptus, ſine febri, cum ſomno, & ſanâ mente mortuus eſt, in cuius contextûs interpretatione, admiranda eloquentiſſimè protulit Galenus, repetit *in lib. 6. epid. ſect. 2. com. 43.* Ob hæc ſapienter admodum Auicenna *2. 4. tract. 1. cap. 92.* in hæc verba prorumpit: *Quum homo habet febrim incenſiuam, & inuenit alleuiationem, & quietem caliditatis ſubitò abſque criſi manifeſtâ, cum euacuatione, aut permutatione, & ſine extinctione vltimâ, & ſine permutatione de aëre ad aërem in regione vnâ, aut in duabus regionibus, & quieſcit quod eſt in pulſu de velocitate, & inuenitur ſicut tranquillitas, tunc iudica quòd morietur velociter, &c.* Huius euentûs multiplex eſt cauſa, quòd pereunte ſenſu, & ceſſante facultatum actione omnia miteſcunt ſymptomata, quia ceſſat naturæ conatus, & pugna. Deinde ceſſante coctione remittuntur dolores, & febres, vt incipiente Gangræná in parte inflammatâ ſæpe contingit. Et præ debilitate facultatum ceſſant excrementa moueri, & vapores eleuari ad partes principes. Demum quibuſdam abſcedunt excrementa ad tempus à partibus præcipuis, facultate extremos conatûs apponente.

Hæc veriſſima documenta in conſultatione cuiuſdam ægri propoſui, qui ex febri malignâ ſæuis ſtipatâ ſymptomatis decumbens, poſtquam preſſus anguſtiâ cum morbo laboriosè luctauerat, tandem illius feritate deuictus ceſſauit à pugnâ, & videbatur ab omnibus, & à Medico rectiùs valere, quia febri carebat omnino, & mente ſanâ ad oblata meliùs ſe habebat: quare vt de morbi ſtatu iudicium ferrem, vocatus, inuenio ægrum hilarem, & bonæ ſpei plenum, ſed ita languidiſſimo pulſu præditum, vt vix perciperetur, vrina erat crudiſſima, nulla præceſſerat concoctio, nullus abſceſſus, oculi ex interuallis perturbati. His viſis, mortem prædixi: *quæ enim ſine ſignis finiuntur, malignius retrocedunt*, ex Galen. *3. de criſib. cap. 6.* & prænunciauit Hippocr. *lib. 2. Aph. 27.* dum dicit: *Iis quæ ſine ratione leuant, fidere non oportet:* Ille contrà, ægrum ſanum eſſe prædicabat. At hic poſt duas horas, linguâ obtremiſcente, & ſequuto delirio, iuxta oraculum Hipp. *lib. 1. prorrheticor. text. 20.* animam efflauit, & præſens Medicus, habitus inſcius ac ignarus, rubore ſuffuſus, pudibundus è domo diſceſſit. O peſtis hiſce noſtris temporibus populariter graſſans! ô dolenda medicaſtrorum clades! ô abortiui Medici! immò in præſagiendo temerarij, fatui, præcipites, qui diuiniſſimum Galenum negligitis rectorem in dictis locis? ne deinde, dum mors contingit, vel fefelliſſe, vel ignorâſſe videamini, quod bellè docuit *Celſus lib. 5. cap. 26. in initio.*

OBSERVATIO CLIII.

Hecticus, ſuperbiâ, & dolo Medici, violenter occumbit.

LAborauerat Anglus quidam, gracilis, & raræ contexturæ, ad iram maximè propenſus, febri continenti biliosâ citra putredinem, quæ adeò illum maceráuit æſtatis tempore, vt nullum non adhibitum præſidiorum genus contempſerit. Hæc, ob ſubiecti calidum intemperamentum, & temporis exuberantem calorem citò in hecticam tranſmigrauit, ita vt æger extenuatus, & excarnis, tabe afficeretur euidenter. Huic, præter humectantem victum, & reliqua intus, & extrà applicita, quæ aridum corpus renutriunt, & viſcera ſqualida demulcent, Balneum conſului per plures dies. Cùm autem lapſus ex ſiccitate periculoſus ſit, & veluti immedicabilis, quia ſiccitas eſt multùm reſiſtiua, & corrigitur per humiditatem, quæ pigra eſt; & in agendo iners, idcircò ex eo nil leuatus eſt, quare lac aſininum ei conſului. At cùm *corpora quæ longo tempore extenuantur, lentè reficere conueniat*, iuxta ſenis edictum *2. Aph. 6.* Factum eſt, vt lactis ope proficeret, ſed perparùm. Affines acquirendæ ſanitatis auidi, me inſcio, alium ſeniorem conuocârunt. Hic miratur valdè, cur tam longo tempore, tantis applicitis auxiliis, æger non conualeſceret, & ſic iurgioſus, & in me ſtomachabundus plura incompoſita verba iactauit inſolenter. Illi reſpondi, Medicum omnes languidos ſanare, eſſe impoſſibile, ex præſcripto Hippocr. *in præfatione ad libros prognoſticôn:* nam vt diſertè ait Galenus *lib. 6. epid. ſect. 8. com. vlt. tunc denique officio noſtro functi ſumus, cùm omnia effecimus quæ ratio nobis ſuppeditat, & longus vſus, peritiáque conſtrauit*, quoniam, Hippocrate

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 917 sur 927

pocrate auctore *lib. 4. acut. 22. vbi corpus imbecille sit, morbus præualet, vbi autem morbus præualuerit, remedium non habet.* Repetit Galenus *lib. de totius morbi temporibus cap. 5.* Ille vt erat animi immorigeri, & refractarij, sermonem meum interrumpens, pedibus humum pulsans, & præ superbiâ, & irâ, velut amens factus, sic præfatur: Nisi multum tibi, etsi iuueni tribuerem, nihil horum tolerâssem: nam quæ Lippis nota sunt, mihi velut ignaro suades: cæterùm per duas septimanas sine me huic ægro ex meâ sententiâ prospicere, & sanum eum penitus conspicies. Sed cùm vnicuique suauis sit salutis spes, illico ei velut veraci, adhibita fuit fides, adeò vt me reiecto, illum amplecterentur, qui solùm febri attentus, quam ex humore crasso pronatam putabat, non alterantia, sed violenter purgantia sæpius consuluit, quibus iecur incanduit, spiritûs commoti, sanguis absumptus, caro liquata, & sic colliquante fluxu miser tabefactus, vitam cum morte commutauit. Caue ergo superbos, & insolentes, quibus solùm arrident sua: nam humilibus multa bona in medicâ facultate contingunt, vt Philosophorum sapientissimus protulit Seneca, *Epistolâ* 82. adeò *indelebile vitium est superbia, præsertim si cum ignorantiâ fuerit coniuncta*, auctore Galeno *lib. 13. meth. cap. 15.*

OBSERVATIO VLTIMA.

Medici imperitiâ, quidam interfectus.

ANnus agitur trigesimus quintus, si rectè recordor, quo ad quendam illustrem ægrum accitus, eum truculento ventriculi dolore, citra febrim, à crasso, terrestri, tenacique humore suborto cum flatûs nebulosi copiâ multâ, laborare conspexi. Ecce ingreditur pleno passu Medicus, qui primâ facie mihi bardus visus est, & ad arandum magis, quàm ad curandum natus, & erat ex eorum numero, qui ex conducto Medicinam apud Conimbricenses addiscunt. Nam illi erant patulæ nares, adstricta, rugosáque frons, demissum supercilium, venter subtumidus, turgidus vultus, miluini oculi, & retrogradi, pedes curti, quæ omnia stoliditatis manifesta A sunt indicia, si Philosopho fides est adhibenda, *in libris de Physiognomia.* Hic cùm esset ætate prouectus albicantibus pilis ornatus, inflatis buccis, perfrictáque fronte morbi causam indistinctè proposuit, & nescio quæ prauè prolata verba obmurmurans, altâ voce loquutus, concludit, ægrum Cathartico ad euacuandos crassos humores illicò esse expurgandum, parato ex Diaphœnico, Senâ, Epithymo, Agarico, Carthamo, & Hermodactylis. Hoc medicamentum, dixi ego, non approbo in primâ die, iuxta Galeni mentem, sed alia reuellentia priùs adhiberem auxilia, Anodyna, intus, & extrà oblata, enemata, quæ tum leniunt, tum ventriculum à mucosis humoribus suauiter exonerant; nam exhibito, B in initio doloris hanc partem infestantis, medicamento expurgante, humor à toto in dolentem confluet partem, vnde sæuior dolor, inflammatio, & mors sæpe contingunt. Sic enim habet Galenus *lib. 13. meth. cap. 11. Siquidem longissimè à tentatâ fluxione parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Hac itaque ratione, nec si ventriculus, aut intestina phlegmone occupari iam cœperint, medicamine quod aluum deiiciat, vti conueniet, &c.* Hac tántâ Galeni sententiâ non resipiscens, in propinando Pharmaco pertinaciter insistit, & cùm esset me senior, affines eius votum libenter admittunt, sed ab assumpto medicamento, post quatuor horas, exasperato dolore, æger miserrimè singultiendo vi- C tam finiuit. Sed hos præstigiatores, qui licere sibi putant impunè homines occidere, cum suâ inscitiâ relinquamus. Eorum fraudes, contumelias, Adulationem, Latrocinium, Superbiam, Audaciam vbique patefecit Galenus, & præsertim *lib. de præcognit. ad Posthum. ferè per totum, & lib. 1. meth. cap. 1.* & fusè retulit Plin. *lib. 29. cap. 1.* quorum stupiditatem nec Apollo cum Musis sanabit vnquam, aut Europa deteriorem sentiet pestilentiam, nec sensit ipse Cranon. Quare dum hæc contemplor, animi angore disrumpor,

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obstat;
Ingeniúmque meis substitit omne malis.
Non mihi respondent veteres in carmina vires,
Plectra dolore tacent, muta dolore Lyra est.

AD

AD LECTVM LECTOREM.

PERORATIO.

MVLTA quidem, Lector candide, ardua, mirabilia, Dædaléis Labyrinthis obscuriora, per vniuersam medicam materiam digressi, indagine, ni fallor, mirificâ sumus rimati, in quibus sapientissimi Medici, quos hucúsque clarissimos habuit ætas nostra, naturæ vberrimè luxuriantis, procellosum, latissimum, & scopulosum Oceanum ingressi, vix portum attingere potuerunt. Poterant & plura, sed nobis in vastissimâ rerum congerie, perpulchra solùm, vtilia, & abdita describentibus, seruare temperamentum quoddam, præstabilius visum est. Non ambigo plurimos esse, qui postquam legerint, ea Timoniano dente incessant, vel etiam Vatiniano prosequantur odio, inuidi, alienæ famæ detractores; quorum virulento morsu conuulnerata plerumque exarescunt omnia. At hos instabiles faciamus missos, qui tam pertinaciter in calumniando stabiles sunt, vt in suâ instabilitate, & malignitate iam consenuerint; sunt enim huiusmodi amœnitatum rudes, hoc est medicarum auscultationum exortes, & limo, cœnóque obluteſcentes, totum diem, ludis, dicteriis, facetiisque pertransigunt. Nos contrà soli litterarum studio addicti, non fucatam, non palliatam, sed præclaram Medicinæ scientiam affectamus, ex quâ, velut ex equo Troiano, innumera prodit sapientium Medicorum caterua, & veterum more omne scriptorum genus excutimus: maximè cùm in eorum lectione, omnium ferè parcamus famæ: nec enim infectam cruore gloriolam captamus semper, aut Satyram condimus. Quod reliquum est, si quæ è speculationum altitudine tibi dantur feriæ, peruelim altero saltem oculo hæc respicias quandoque, sed ita, vt ne virgulæ Aristarchi parcendum censeas, vt tantâ commonitus censurâ stylum vertere condiscam, Scripturus mox quæ cedro digna sint, lemniscóque ornentur. Hoc nil facere gratius poteris, nec quod grauissimo ingenio tuo ampliùs congruat, & hoc nomine gratias tibi testatura posteritas est: sicut enim ex attritu ferri, & silicis elicitur ignis, sic ex mutuâ disceptatione in Democriti puteo deliteſcens eruitur veritas. Si verò è litterarum penu quicquam fuerit depromptum, quo te vicissim promereamur; tuo voto nostra accrescent præsidia: nam infœlicis ingenij arbitror, non se publico natum bono credere. Hæc nimirum est ad æternam gloriam via. Hac in primis ratione Deum induimus, dum illius quà possumus, & fas est, exuperantem imitamur liberalitatem. Duo me solantur solùm, & quòd in arduis sat est voluntas sola, & quòd in his exemplis delineandis nihil finxi, mutaui, fálsò addidi, sed tantùm historiæ veritatem, sine fuco, & fallacijs expositam, vt meis oculis accidisse vidi, syncerè, sicut bonum virum decet, Deum timentem, & publicæ vtilitatis amantissimum, proposui. Nec obtrudas quòd in quibusdam recitandis extra obseruationis modum sim áliquando longiusculus; nam præterquàm quòd illustrium virorum auctoritas, quâ ornantur in causâ fuit, vnde celebrem doctrinam, haudquaquam ex triuio haurire poteris, etiam nos coëgit affectús, de quo sermo est, obscurissimi nodus implicitus, & à Iuniorum pauciſſimis dissolutus, pro cuius explicatione sæpe pluribus opus est machinis. Sed ne ego dum breuitatem præfero, sim prolixior, Valeas, opto, qui legeris, liuore deposito.

Pro

Pro corona præstabo summas gratias Immenso Deo, omnium bonorum vberrimo largitori, cuius ope & auxilio, hoc opus inchoatum, ad extremum fastigium deductum. Quare gratitudinis, & obseruantiæ ergò laudes in æternum canam Patri Pientissimo, Misericordi, Regi sæculorum inuisibili, Immortali, soli Sapienti, Excelso veritatis tutori, admirabili Seruatori, Sacrosancto Archiatro, in quo omnis medela reposita est, cui sit honor, & gloria in sæculorum sæcula æterna. Amen.

Libri Tertij, & Vltimi, de Praxi Medica Admiranda,

FINIS.

INDEX

INDEX LEMMATVM OBSERVATIONVM LIBRI PRIMI.

De Capitis, & Spiritalium partium affectibus.

OBSERVATIO I.

1 *AD regenerandos, & denigrandos pilos, auxilium peregrinum.* pag.1
2 *Porrigo, Anguium decocto curata.* ibid.
3 *Porrigo importuna, balneo ex vrina curatur.* ibid.
4 *Reſtricto, medicamentorum vi, humore ex capitis vlceribus emanante, recenter nati ſubitò occumbunt.* 2
5 *Sine cerebro vixit quidam tribus annis.* ibid.
6 *Cultelli dimidium octenniò intra cerebrum latens citra noxam.* ibid.
7 *Cephalæâ diuturnâ concuſſus, expulſo per nares verme miro, conualuit.* ibid.
8 *Sæuus capitis dolor, excitato fonticulo in ſummâ manu curatur.* 3
9 *Immanis temporum dolor cum eorum palpitatione coniunctus, hirudinibus temporibus affixis curatur.* ibid.
10 *Contumax Cephalea, ſectâ in cantho oculorum venâ, curatur.* ibid.
11 *Dira Cephalea, venâ ſectâ in fronte curatur.* ibid.
12 *Immanis Cephalea, cauterio in vertice capitis excitato, ſanatur.* ibid.
13 *Phrenitis ſæua, artificioſâ vacuatione curata.* ibid.
14 *Phrenitis confirmata, cucurbitulâ in ſyncipite ſcarificatâ, curatur.* 4
15 *Phrenitis vtiliter in Lethargum tranſmutata.* ibid.
16 *Phrenitis conclamata philonio curata.* ibid.
17 *Lethargus cauterio curatus.* ibid.
18 *Lethargus criticâ ſurditate ſolutus.* ibid.
19 *Apoplecticus pro mortuo habitus, poſt duorum dierum ſpatium reuixit.* 5
20 *Apoplecticus apparente eruentâ ſpumâ, conclamatus, ſanguinis miſſionis ope mirabiliter liberatur.* ibid.
21 *Epilepſia ſæua à ſanguine orta, copioſâ vena ſectione curata.* ibid.
22 *Epilepſia è pollice excitata, cauſtico pollici laboranti impoſito, curatur.* ibid.
23 *Epileptici Syrupo Nicotianæ curati.* ibid.
24 *Ab Epilepſiâ ſæuâ, vomitûs ope præſeruatus.* 6
25 *Auxilium contra Epilepſiam præſtantiſſimum.* ibid.
26 *Epilepſia poſt partum ſæua, hirudinibus, interna vteri parti admotis, curatur.* ibid.
27 *Epilepſiâ ab vtero grauidæ correptæ, ſectâ venâ in talo, tutò curatur.* 7
28 *Nonimeſtris Epilepſiâ apprehenſa, hirudinibus ſuper mariſcas affixis, conualuit.* ibid.
29 *Epilepſiâ grauiſſimâ frequenter concuſſus, ſectâ ex interuallis Saphenâ, ab ea præſeruatur.* ibid.
30 *Epilepſia actu fluentibus menſtruis, vena ſectione in lepore naſi, curatur.* ibid.
31 *Epilepſia fortiſſima, Stibij ope curata.* ibid.
32 *Epilepſia ex vlcere antiquo in lepore naſi occluſo ſuborta, apertâ fontanellâ in tibia, curatur.* ibid.
33 *Fœmina tres filias enixa, illicò poſt partum Epilepſiâ forti concuſſa, occubuit.* 8
34 *Ex ſubito, & inopinato bombardarum terrore, puer Epilepſiâ correptus, & mortuus.* ibid.
35 *Ex vrinarum Anadrome Epilepſiâ correptus, magno labore curatur.* ibid.
36 *Epilepſia aliquando hæreditaria.* ibid.
37 *Ad Paralyſim, vnguentum præſtantiſſimum.* ibid.
38 *Paralyſis poſt partum, venâ ſectâ in talo, tutò curatur.* 9
39 *Septuagenarius reſolutione affectus, ſolâ ſanguinis miſſione, curatur.* ibid.
40 *Ex decubitu ſub dio, ſtupor attonitus lethalis.* ibid.
41 *Vertigo, cauterio ad bregma indito, curatur.* ibid.
42 *Tremor diuturnus, Balnei artificialis ope curatus.* ibid.
43 *Conuulſio ſæua ex Zinariâ bile pronata, dextræ ſaluatellæ ſectionis efficaciâ, curata.* 10
44 *Conuulſio flatulenta, Ebeni decocto, curata.* ibid.
45 *Conuulſio flatulenta poſt partum ſæua, candentibus ferramentis perſanata.* ibid.
46 *Incubo ſubitò emortuus.* 11
47 *Noctambulus, Balneo curatus.* ibid.
48 *Melancholicus ingenio curatus.* ibid.
49 *Melancholicus miro artificio curatus.* ibid.
50 *Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus orta, excitato ſupra lienem fonticulo, curatur.* 12
51 *Inſania ex retentis hæmorrhoidibus orta, diuturnâ Hæmorrhagiâ factâ per inſenſilem porum in interfœmineo, curatur.* ibid.
52 *Ex Alapâ cœcitas.* ibid.
53 *Cœcitas repentina ex morbo Gallico contracta.* ibid.
54 *Lachryma ſanguinea diu per circuitus repentes.* 13
55 *Ex Encanthide malè curatâ, Rhyas, & perpetuus lachrymarum fluxus ſubſequuntur.* ibid.
56 *Gutta ſerena ex viſualium neruorum obſtructione, curatio.* ibid.
57 *Opthalmia diuturna dextræ ſaluatellæ ſectione curata.* 14
58 *Opthalmia Gallica Mercurij ope curata.* ibid.
59 *Opthalmia ſæua, copioſiſſimâ, venæ ſectione curata.* ibid.
60 *Ad Albuginem remedium expertum.* ibid.
61 *Strabiſmus laqueo ad nucham indito, curatur.* 15
62 *Epiphora mirabilis.* ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 921 sur 927

63 Palpebrarum morum, cauterio curatum. ibid.
64 Palpebris resolutis, remedium eximium. 16
65 Phthiriasi palpebrarum, optimum præsidium. ibid.
66 Auris dolore diro oppressus, impositio intra aurem opio emortuus. ibid.
67 Auris dolore inflammatorio ager concussus, impositio suppositorio Opiato extinctus. ibid.
68 Verminatio in auribus. ibid.
69 Auris dolor inflammatorius, cucurbitula scarificatâ retro aures, euanuit. ibid.
70 Pro Surditate antiqua præsidium certum. ibid.
71 Vstio in parotidibus salutaris. 17
72 Prodigiosa narium Hæmorrhagia, cauterio in planta pedis affixo, curatur. ibid.
73 Turundæ crassæ, & concretæ per nares excretæ curatio, quæ hominem tandem ad interitum deduxit. ibid.
74 Guttæ Rosaceæ curatio. ibid.
75 Gutte rubræ curatio. 18
76 Ad formicã faciei corrosiuam, celebre auxilium. ibid.
77 Pro nigredine faciei, præsidium exoticum. ibid.
78 Lapis supra mucronem linguæ enatus. 19
79 Verrucæ Gallicæ in mucrone linguæ enatæ historia, eiúsque curatio. ibid.
80 Linguæ portẽtosus tumor, hirudinum ſuctu curatus. ibi.
81 Ingens linguæ tumor, ipsâ scarificatâ sanatur. ibid.
82 Linguæ resolutio, sectis raninis, curatur. ibid.
83 Palati lacuna citra morbi Gallici vitium deperdita, à natura aliquando repletur. ibid.
84 Ad dentium dolorem remedium admirandum. 20
85 Dentiũ dolor sæuissimus, niue circumpositâ ablatus. ibi.
86 Quidam sæuo dentium dolore vexatus, impositio intra dentis cauum Philonio occubuit. ibid.
87 Pro oris fœtore optimum præsidium. ibid.
88 In oris Gallicis vlceribus Vnguenta Mercurialia imperanda. ibid.
89 Ad oris, & Genitalium vlcera deleteria, auxilium præstans. 21
90 Ex dente vi euulso, ingens Hæmorrhagia sequuta, facili remedio curata. ibid.
91 Immodicus ex Gingiuæ arteria sanguinis fluor, Emplastro Galen. suppressus. ibid.
92 Sanguinis ex Gingiuis profluuium criticum. ibid.
93 Ex Epulide, mors. 22
94 Angina canina, cucurbitulâ sub mento scarificatâ, curatur. ibid.
95 Angina acutissima, iugularibus venis sectis curatur. ibid.
96 Angina præfocatiua intra quatuor horas interficiẽs. ibi.
97 Ab angina annua quidam aperto fonticulo sub lingua præseruatur. ibid.
98 A præciso Gurgulione, tabes, mors. ibid.
99 Biennis infans faucium lethalibus vlceribus affectus triduò occubuit. 23
100 Gulæ resolutio febri ardentissimæ superueniens, vini potu curata. ibid.
101 Strumarum curatio admiranda. 24
102 Axillarum fœtor intolerabilis, fontanellis in cruribus apertis, euanuit. ibid.
103 Calculus magnus tussi proiectus. ibid.
104 Tussis Lapidosa. 25
105 Ex retentâ Gonorrhœâ virulentâ, Aphonia suborta, fonticulis in inguine apertis, curatur. ibid.
106 Aphonia ex recurrentium neruorum infrigidatione, curatur. ibid.
107 Vocis raucedo morbi Gallici signũ est manifestum. ibid.
108 Mutus ex morbo, ante mortem vocalis factus. ibid.
109 Pulmonibus destitutus. 26
110 Dimidiâ Pulmonum, & vasorum parte per sputum excretâ, quidam pluribus mensibus vitam sustinuit. ibid.
111 Hydrops pulmonis, sectione Thoracis, curatur. ibid.
112 Ex pulmonis tuberculo plerumque mors. 27
113 Pleuritis maligna in initio mitissimæ apparens, neglectâ phlebotomiâ, sauior facta, hirudinibus supra partem affectam impositis magno labore curatur. 28
114 Pleuritis, alui profluuio curata. ibid.
115 Pleuriticus in declinatione constitutus, epoto Philonio, cohibito sputo, occubuit. ibid.
116 Pleuriticus, procedente sputo, purgatione intempestiuâ, emoritur. ibid.
117 Pleuriticus in statu positus, copiosâ factâ venæ sectione, interijt. 29
118 Empyemate correptus, pure per vrinam vacuato, conualuit. ibid.
119 Suppuratio ex pleuritide, lactis potu curata. ibid.
120 Empyema sectione curatur. ibid.
121 Suppuratio Thoracis ex crudo, serosóque humore suborta, commodis præsidijs curatur. 30
122 Ad tabem Asthmaticam, fonticuli sub axillis excitati, mirè prosunt. ibid.
123 Pro Asthmate syrupus laudatissimus. ibid.
124 Cancer vlceratus, est contagiosus affectus. 31
125 Cancri memorabile exemplum. ibid.
126 Cancri super oculum nati Historia rarissima. ibid.
127 Nutrix menstruata non sit. 32
128 Ad sanguinis ex quacunqua parte profluuium, remedium rarum. ibid.
129 Phthisis, lacte muliebri, & eius vnguento, curata. 33
130 Phthisica vario Rhodosacchari vsu persanata. ibid.
131 Tabes dorsalis ex venere orta, lactis extracti ex caprâ nigrâ vsu, curatur. 34
132 Tabe laborans, elevatâ Xiphoïde cartilagine, reuixit. ibid.
133 Tabes infantilis, auxilio facili curatur. 35
134 Tabis Gallicæ curatio celebris. ibid.
135 Tabis Coxariæ Historia mira, eiusque curatio. ibid.
136 Atrophia, picatione curata. 36
137 Tabes pericardij, exitialis affectus. ibid.
138 Pericardij inflammatio funesta. 37
139 Vermis Cardiacus. ibid.
140 Anguis admirandus in læuo Cordis ventriculo repertus. ibid.
141 Calculi in cordis ventriculo reperti. ibid.
142 Cor marcidum factum. 38
143 Cordis valida palpitatio, cucurbitulâ scarificatâ, supra cor admotâ, curatur. ibid.
144 Criticè sudans vestibus nimiùm contectus, in syncopen incidit. ibid.
145 Syncope Cardiaca, copiosissimâ sanguinis missione curatur. ibid.
146 Ad animi deliquium, & Syncopen, remedium eximium. 39
147 Ex irâ emortua. ibid.

LEMMATA OBSERVATIONVM LIBRI SECVNDI.

De Naturalium, Genitalium, & Inferiorum partium affectibus.

OBSERVATIO I.

1 Entricvli dolor ex abditâ causâ pronatus. 40
2 Ventriculi Verruca lethalis. ibid.
3 Attritionis ventriculi curatio. ibid.
4 Ad ardorem ventriculi, remedium egregium. 41

5 Hectica

5 *Hectica ventriculi curatio.* ibid.
6 *Cachundè, ad imbecillitatem ventriculi, auxilium pretioſum.* ibid.
7 *Chocolate, ad roborandum ventriculum, medicamentum eximium.* 42
8 *Ructus moleſtiſſimus, ambari vſu curatur.* 43
9 *Mirachialis affectio, eboris vſu curatur.* ibid.
10 *Pro morbo Hypochondriaco, lapis Belzaar vtiliſſimus.* ibid.
11 *Mœſtitia melancholica, auri potabilis vſu, curatur.* ibid.
12 *Mortificatio ventriculi, Allij eſu præter omnium ſpem perſanatur.* 44
13 *Incredibilis ſanguinis vomitus, Saphænæ ſectione curatus.* ibid.
14 *Atrabilario vomitu ſingulis menſibus vexatus, ad multos annos vitam produxit.* ibid.
15 *Mirus atrabilis vomitus Chalybis vſu leuatus.* ibid.
16 *Choleræ ſæuiſſimæ curatio.* 45
17 *Cholera admiranda, lactis chalybeati, & ſyrupi de Meſpilis ope perſanata.* ibid.
18 *Ex adamante inpolito deuorato, cruenta deiectio, tabes, mors.* ibid.
19 *Dyſenteria ex ſuppreſſis menſibus orta, Saphænæ ſectione curatur.* ibid.
20 *In deſperatâ Dyſenteriâ, cauſtica aliquando ſunt ex vſu.* 46
21 *Diarrhœa ex obſtructione ſuborta, aperientibus curata.* ibid.
22 *Fluxus diuturnus cerebralis, cauterio ad bregma indito curatur.* 47
23 *Colicus dolor peſtilens, contagioſus, lethalis.* ibid.
24 *Colicus dolor animaduerſus Gallicus.* ibid.
25 *Colicus dolor ſæuiſſimus niue circumpoſitâ curatur.* ibid.
26 *Pudendum taurinum, colico dolori mirabile.* ibid.
27 *Colicus dolor, Vrinæ humanæ potu curatus.* ibid.
28 *Immani cruciatu Colico excarnificatus, ſibi ipſi cultello pectore confoſſo, mortem acciuit.* 48
29 *Colicus dolor ex æruginoſa bile ſubortus, remedijs præſtantiſſimis curatus.* ibid.
30 *Pro colico dolore curando, remedium expertum.* ibid.
31 *Colicus dolor, cauterio ventri affixo, ex toto ſuccumbit.* ibid.
32 *Colicus dolor ex opio aſſumpto pronatus lethalis.* 49
33 *Colicus dolor, ob vermem admirandum enatus.* ibid.
34 *Pila plumbea deuorata pro Iliaco dolore curando, præſtantiſſima.* ibid.
35 *In deſperato voluulo, Hydrargyri potus, & follis fabrilis ſummoperè iuuant.* 50
36 *Vmbilici dolor ſæuiſſimus, Opio epoto curatur.* ibid.
37 *Ex pugno in vmbilico illato, mors ſubſequuta.* ibid.
38 *Vermis mirus.* ibid.
39 *Vermes inguen perforantes.* 51
40 *Vermes viui per vmbilicum prodeuntes.* ibid.
41 *Correptus vermibus, Opiſthotono vexatur, in quo Calcanea capiti erant connexa.* ibid.
42 *Quidam ob vermes Apoplexia concuſſus, reuixit.* ibid.
43 *Aphonia ex vermibus admiranda.* ibid.
44 *Ad vermes necandos, bolus mirabilis.* 52
45 *Corpus ſine Hepate inuentum, cuius loco maſſa carnea admiranda.* ibid.
46 *Ad phlogoſim hepatis, auxilium mirum.* ibid.
47 *Ad internum Hepatis ardorem, præſidium laudatiſſimum.* ibid.
48 *Pro Hepatis ſcirrho, efficax auxilium.* ibid.
49 *Sæuus lienis dolor copioſiſſimâ venæ ſectione, curatus.* 53
50 *Scirrhus lienis cauterio ipſi indito, curatur.* ibid.
51 *In morbo regio diuturno, ſi ſanguis ex naribus effluat, cautè vena ſecanda.* ibid.
52 *Hydropis ſpecies rara.* 54
53 *Emplaſtrum ad Hydropem vtiliſſimum.* ibid.
54 *Hydropicus, ſcarificato ſcroto ſanatus.* ibid.
55 *Pro Hydrope curando, aquarum Spadanarum vis mirabilis.* ibid.
56 *Syrupus de Chalybe ad Hydropem eximius.* 55
57 *Vt venæ ſecandæ deliteſcentes, in Hydropicis, & obeſis emineant, artificium mirum.* ibid.
58 *Electuarium Hydropi proficuum.* ibid.
59 *Hydropicus fonticulo in ſcroto ſponte aperto, à morbo liberatur.* ibid.
60 *Hydropicus biennio ab aquæ potu abſtinens conualuit.* ibid.
61 *Hydropici ſummâ curâ cuſtodiendi.* 56
62 *Syrupus ad tympanitem probatiſſimus.* ibid.
63 *In Hydrope, morbiſque frigidis aliquando rubeſcit vrina.* ibid.
64 *Hydropis ſpecies rara.* ibid.
65 *Lumborum ſæuus dolor, impoſitis ſuper lumbos hirudinibus, curatur.* 57
66 *Lithiaſis, Balſami vſu curatur.* ibid.
67 *Lithiaſis, Belzaartici lapidis vſu curatur.* ibid.
68 *Renalis, miræ formæ, coloris, & magnitudinis lapis.* 58
69 *Vrina mitta tota ſabuloſa, 40. annis, citra incommodum vllum.* ibid.
70 *Inuentus in veſicâ, miræ magnitudinis lapis.* ibid.
71 *Excreſcentia carnea in veſica enata, & inuenta, calculum ementiens.* ibid.
72 *Trichiaſis renum hiſtoria mira, eiúſque curatio.* ibid.
73 *Iſchuria admirabilis.* ibid.
74 *Iſchuria ex grumo ſuborta auxilium optimum.* 59
75 *Lapis in fine virgæ impactus, loty omnimodam retentionem efficiens, glandis inciſione curatur.* ibid.
76 *A lapide in virgâ impacto mors ſubſequuta.* ibid.
77 *Quidam ob lapidem in virgâ impactum, velut deſperatus, audaciâ curatus.* ibid.
78 *Mictus ſanguinis criticus.* ibid.
79 *Sæuus vrinæ ardor ex glandularum vrinæ adiacentium ſiccitate nimiâ ſubortus, Balneo lactis curatur.* ibid.
80 *Diabetis hiſtoria mira, eiúſque curatio.* 60
81 *Immanis inguinum dolor, ſaluatellæ ſectione, curatus.* ibid.
82 *Hæmorrhoïdum doloribus diuturnis, fontanella in crure adaperta, remedium præſtantiſſimum.* ibid.
83 *Vt venæ internæ ani ad hirudinum impoſitionem eminent, remedium præſtantiſſimum.* 61
84 *Hydrocele, immiſſo Siphone curatur.* ibid.
85 *Sine vtero vixit fœmina annis triginta.* 62
86 *Medici inſcitiâ, fœmina emortua.* ibid.
87 *Vteri ſcirrho Gallico, ſyrupus eximius.* ibid.
88 *Vterinus ſcirrhoſus tumor, miræ magnitudinis, chalybis vſu curatur.* ibid.
89 *Pſeudohydrops vteri in grauidis pronatus, profundâ ſcarificatione curatur.* 63
90 *Tumore vteri flatuoſo fœmina laborans, pluribus fruſtra tentatis auxilijs, ſponte conualuit.* ibid.
91 *Nymphotomia.* ibid.
92 *Vteri pruritus curatio.* 64
93 *Vteri deliramenta viri conſortio conquieſcunt.* ibid.
94 *Vteri ſuffocatio ex retento ſemine, eo excreto curatur.* 65
95 *Vterus prolapſus, miro artificio ad ſuum locum reductus.* ibid.
96 *Electuarium vlceribus vteri cacoëthicis præſtantiſſimum.* ibid.
97 *Vteri doloſis vlceribus, aqua theriacalis eximia.* ibid.
98 *Tabes ex fluxu muliebri ſuborta, Ebeno curata.* 66
99 *Vteri dolori curando, ſyrupus laudatiſſimus.* ibid.
100 *Menſes per Gingiuas manantes.* ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 923 sur 927

101 *Menses per vmbilicum exeuntes.* 67
102 *Menses per inguina erumpentes.* ibid.
103 *Nimia vteri Hæmorrhagiæ, Emplastrum excellens.* ibid.
104 *Fœmina retentione menstrui laborans, spretâ phlebotomiâ, concussa Apoplexiâ emoritur.* ibid.
105 *Pano inguinis ex retento menstruo suborto, Saphenæ sectio remedio est.* ibid.
106 *Fluxus Hæmorrhoidalis menstrui retentioni superueniens, bonus.* 68
107 *Ad prouocanda menstrua, Pessulus mirabilis.* ibid.
108 *Carbonum vorax, suppressis per decennium menstruis, integrè curatur.* ibid.
109 *Ad prouocanda menstrua, Pilulæ vtilissimæ.* ibid.
110 *Musca per vrinam excreta.* 69
111 *Vir patiens menstrua mulieris instar.* ibid.
112 *Pudendum corrosum vitâ superstite.* ibid.
113 *Ad colis palpitationem, pilulæ eximiæ.* ibid.
114 *Ad priapismum, præsidium celebre.* ibid.
115 *Veretri, cornu instar facti, curatio.* ibid.
116 *Ex nimio concubitu animo linquens, quomodo subitò refocillandus.* 70
117 *Ad minuendum coitum, Electuarium præstantissimum.* ibid.
118 *Ingens vmbilici tumor, vsu intermissæ veneris, curatur.* ibid.
119 *Ex intermissâ veneris assuetudine, Epilepsia, & mors subsequuta.* 71
120 *Electuarium ad excitandam tentiginem nulli secundum.* ibid.
121 *In coitu, loco seminis flatus per penem emissus.* ibid.
122 *Ad coitûs ignauiam, pilulæ optimæ.* ibid.
123 *Impotentiâ desperatâ laborans, quomodo curatus.* 72
124 *Ad laxum pudendum roborandum, Vnguentum celebre.* ibid.
125 *Alimentum ad prouocandam venerem perutile.* ibid.
126 *Gonorrhœa diuturna, balneis naturalibus curatur.* ibid.
127 *Ex suppressâ Gonorrhœâ virulentâ, vlcus fœtum sub vmbilico exortum.* 73
128 *Gonorrhœa Gallica cum tabitudine summa, validissima febri, & omnium membrorum contractione, Ebeno curatur.* ibid.
129 *Ad Gallicum pilorum defluuium, præsidium optimum.* ibid.
130 *Causticum medicamentum super tophos Gallicos impositum, egregium auxilium.* ibid.
131 *Fontanellis in inguine sponte apertis, quidam à fœuo morbo Gallico euasit immunis.* 74
132 *Cibus morbo Gallico laudatissimus.* ibid.
133 *Mercurium in potum assumptum, Gallicosis præsentaneum auxilium.* ibid.
134 *Morbus Gallicus interdum contagiosus ad distans.* ibid.
135 *Si non contingat vacuatio per Hydrargyricam alipticam, quid faciendum.* ibid.
136 *Vnguentum ex Auro, Mercurij antidotum.* ibid.
137 *Ad extrahendum Mercurium in corpore latens, nouum, nec ita vulgo cognitum auxilium.* 75
138 *Super caput aliquando vnguenta Mercurialis imponenda.* ibid.
139 *In bubone venereo in grauidis, è talo mittendus est sanguis.* 76
140 *Ad sterilitatem præ calore, auxilium laudatissimum.* ibid.
141 *Ad sterilitatem præ frigore, pilulæ eximiæ.* ibid.
142 *Puer Rosatus.* ibid.
143 *Incorrupta, naturaliter concepit, peperit.* 77
144 *Fœmina in septimo mense vtero gerens, repetitâ sæpius ex tali phlebotomiâ, fœliciter peperit.* ibid.
145 *Grauida oppressa anginâ, septies in die phlebotomata, reuixit.* ibid.
146 *Grauida causone correpta, extracto sanguine copiosè, à morte euasit.* ibid.
147 *Catharticum pro purgandis grauidis securissimum.* 78
148 *Ignorata grauidationis exemplum stupendum.* 79
149 *Immanis fera ab vtero excluſa.* ibid.
150 *Ter pariens ventum.* ibid.
151 *Pro præseruatione à molâ ventosâ, auxilium egregium.* 80
152 *Molæ aquosæ exemplum admirandum.* ibid.
153 *Mola carnea mirabilis.* ibid.
154 *Ad eliciendam ab vtero molam, auxilium electum.* ibid.
155 *Mola membranosa.* ibid.
156 *Molarum incredibilis numerus.* 81
157 *Ad facilitandum partum, remedium optimum.* ibid.
158 *Ad difficultatem partûs, remedium generosum.* ibid.
159 *Pro præseruatione abortûs, fontanella adaperta mirè prodest.* ibid.
160 *Ad præcauendum abortum, aliquando venæ sectio è Saphena est ex vsu.* ibid.
161 *Ad retinendum fœtum, auxilium rarum.* 82
162 *Ad excludendum fœtum mortuum, Vnguentum efficacissimum.* ibid.
163 *Fœtus mortuus, Pessario appositò foràs excluditur.* ibid.
164 *Fœtus mortuus, Saphenæ sectione excluditur.* 83
165 *Fœtus mortuus Vnco extrahitur.* ibid.
166 *Fœtus mortuus putridus fruſtillatim post duodecim annos excluſus.* ibid.
167 *Sphincteris resolutio, Ebeno curatur.* 84
168 *Coxæ dolor, hirudinum, super partem affectam ſuctu curatur.* ibid.
169 *Vstio venarum retro aures, Ischiadicis vtilissima.* ibid.
170 *Ischiadicus dolor, saluatellâ in pede sectâ curatur.* 85
171 *Ischiadicus, hirudinum vsu restitutus.* ibid.
172 *Genu aperto, loco puris, egreditur ventus.* ibid.
173 *Balnea naturalia, articulorum doloribus vtilissima.* ibid.
174 *Admoto Narcotico supra genu, mortificatio, & mors.* 86
175 *Sæuus genu dolor, Hydragryri Vnguento, curatus.* ibid.
176 *Immanis genu dolor, fonticulo infra inguen aperto curatur.* ibid.
177 *Super vlceratam tibiam medicamento ſtyptico intempestiuè appoſito, inflammatio ventriculi lethalis ſequuta.* ibid.
178 *Olei ex ossibus humanis ad articularios dolores vis mirabilis.* 87
179 *Auxilium ad præseruandum à cruciatu arthritico vtiliſsimum.* ibid.
180 *Prophylacticum contra articularem morbum, auxilium.* ibid.
181 *Podagricus materiâ ad ſtomachum conuersâ, reuocatâ fluxione ad artûs, præter omnium ſpem conualuit.* ibid.
182 *Balneum ex arena, Podagricis vtiliſsimum.* 88
183 *Atrox pollicis dolor, Narcoticis, intus, & extrà applicitis, mitescit.* ibid.
184 *Lactis equini potu, quidam à biliosa Podagra præseruatus.* ibid.
185 *Grandines, medicamenti vi, è podagricorum tophis eductæ.* ibid.
186 *Articulorum tophi, Zarsâ curati.* ibid.
187 *Ad topham, auxilium expertiſsimum.* 89
188 *Cornu in Calcaneo enati hiſtoria mira.* ibid.
189 *Dirus plantæ pedis dolor cauterio curatus.* ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 924 sur 927

LEMMATA OBSERVATIONVM LIBRI TERTII.

De Febribus, & variis affectibus.

OBSERVATIO I.

1 EX potu nimio, & venere, Diaria, & ex inſcitia Medici, mors ſubſequuta. 91
2 Ex varietate ciborum Diaria orta, fame curata. ibid.
3 Puellus quadrimus continenti imputri laborans, liberali ſanguinis miſsione curatur. ibid.
4 Qui ex debilitate extenuari videbatur, copioſa phlebotomia leuatus. 92
5 Valdè annoſus Senex, ope phlebotomiæ, à febre euāſit. ibid.
6 Continens putrida, copioſiſsimâ ſanguinis miſsione curatur. ibid.
7 Cauſus, gelidæ potu vſque ad ſatietatem, non præcedente coctione curatur. 93
8 Febris ardens, delirio curata. ibid.
9 Febris purpurea, copioſâ venæ ſectione curatur. ibid.
10 Febris liuida, non ſemper Lethalis. ibid.
11 Syrupus Magiſtralis de ſero, & chalybe, fœminis obſtructis debiliſſimis, eximius. 94
12 Febris Rheumaticæ deſcriptio, & curatio abſoluta. 95
13 Febris punctcularis, cucurbitulis ſuper emunctoria ſcarificatis ſolum ſuccubuit. 97
14 Febris culicularis, hirudinum ſuctu curatur. ibid.
15 Febris ampulloſa, Balneo curatur. ibid.
16 Febris ſudaminoſa nihil commune habet, cum variolis. 98
17 Febris anxioſa, purgatione curatur. ibid.
18 Febris Elodes, vacuatione curatur. ibid.
19 Febris Horripilatoria continua, maligna, fallaciſſima. 99
20 Febris ſingultuoſa, cucurbitula ſuprà ventriculum ſcarificata, curatur. ibid.
21 Febris laſsitudinaria curatio. ibid.
22 Febris ſyncopalis minuta, Tamarindorum ope curata. ibid.
23 Febris ſyncopalis humoroſa, mulſæ beneficio curata. 100
24 Febris colliquans, lactis Chalybéati potu, curatur. ibid.
25 Lipyria vera ex inflammatione ventriculi obortа, cucurbitula ſupra partem affectam ſcarificata, curatur. ibid.
26 Ad febrem Epialam, optimum auxilium. 101
27 Ad tertianam exquiſitam auxilium peregrinum. ibid.
28 Annoſus ſenex tertiana exquiſita correptus, victu curatur. 102
29 Tertiana notha annis triginta fatigans. ibid.
30 Quotidiana, Ebeni decocto curata. ibid.
31 Semitertiana, horrida, anxioſa, maligna, lethalis. ibid.
32 In curanda quartana, cautio ſcitu digniſſima. 103
33 Febris Erratica, Chalybis vſu curata. ibid.
34 Febris decimana, poſſibilis. ibid.
35 Febris Hectica, Hydrelæo curata. ibid.
36 Hectica febris ranarum ope curata. 104
37 Hectica cum putrida complicata, Balneo curata. ibid.
38 Peſtis horribilis. ibid.
39 Peſtis Bubonia lethalis. 105
40 Peſtis mira. ibid.
41 Sudor ſanguineus cum totius liuore in peſte. ibid.
42 In peſte è cucurbitulis ſanguis emanans compeſci non potuit. ibid.
43 Ex contagio cadaueris peſte emortui, plures interfecti. ibid.
44 Ex ſanguinis peſtiferi extracti horribili fœtore, plures peſte infecti. 106
45 In febri peſtifera, Saphenæ ſectio vtiliſſima. ibid.
46 Arſenicum Sublimatum in peſte ſuper cor geſtatum, auxilium ſuſpectum. ibid.
47 Grauidæ variolis correptæ hiſtoria mira. 107
48 Morbillorum ſymptomata admiranda. ibid.
49 In febre maligna cautè præſagiendum. ibid.
50 Ad ſcabiem puerorum, ſuauiſſimum vnguentum. 108
51 Scabioſus, illitus vnguento, ſubitò occubuit. ibid.
52 Scabies contumax, maligna, Vnguento præſtantiſſimo curata. ibid.
53 Intempeſtiua ſanguinis miſsio commouet febres, mortem accerſit. ibid.
54 Sanguis arenoſus. 109
55 Septuagenarius phlebotomus, fluente actu ſanguine emoritur. ibid.
56 Phlebotomia in acceſsione facta, ægrum iugulauit. ibid.
57 In ſumma virium penuria facta phlebotomia, mortem attulit. ibid.
58 In die purgationis aliquando phlebotomia eſt ex vſu. ibid.
59 Sangis extractus ſi non concreſcat, non ſemper malum portendit. 110
60 Hæmorrhoïdes, hirudinum morſu, non ſcalpello aperiendæ. ibid.
61 Hirudo per anum caſu ingrediens, auxilio quodam ſemimortua extracta. ibid.
62 Hirudo incuria Chirurgi naſum penetrans, hominem interfecit. ibid.
63 Cautio debet eſſe magna in applicandis hirudinibus. 111
64 In longum tempus vt conſeruentur hirudines, artificium certum. ibid.
65 Ex ſcarificatione profundè adminiſtrata, Paralyſis ſequuta. ibid.
66 Ex profunda ſcarificatione, mors ſubſequuta. ibid.
67 Ab ſcarificatione, Gangræna, mors. ibid.
68 Purgatione emortua. ibid.
69 A ſyrupo ſolutiuo recenti aſſumpto, mors ſubſequuta. 112
70 Ab intempeſtiua purgatione, tabes, mors. ibid.
71 Vrina alieno loco, continuò excreta. ibid.
72 Ano imperforato, ſtercus per virgam excretum. ibid.
73 Repreſſo ſudore mortuus. ibid.
74 Sudoris fœtidi curatio. ibid.
75 Sudor ſanguineus criticus. 113
76 Sudor nigerrimus. ibid.
77 Excreſcentiæ carneæ, portenteſæ magnitudinis, curatio. ibid.
78 Nattæ ab vteri labio pendentis, miræ magnitudinis, curatio. ibid.
79 Ex vapore Arſenici Icterus, & extenuatio tabifica, 114
80 Ex ſanguinis Taurini eſu, vteri corroſio, & mors. ibid.
81 Ex ſemine Ricini ad prouocandum vomitum, mors ſubſequuta. ibid.
82 Ex potu ſanguinis hominis rufi, perpetua fatuitas. ibid.
83 Ex morſu Apum Gangrenæ curatio. 115
84 Ad eliciendum venenum, remedium ſingulare. ibid.
85 Rabies, contagioſiſsimus, & venenoſiſsimus affectus. ibi.
86 Rabiei contagium admirandum. 116
87 Rabiei exemplum ſtupendum. ibid.
88 Ex morſu hominis, mors ſubſequuta. ibid.
89 Ex Hydrargyri illitu, mors repentina. ibid.

Praxis historiarum, in qua morborum omnium internorum curatio ad principum ... - page 925 sur 927

90 *Febris maleficentissima, vsu lapidis Belzaartici in multâ copiâ exhibiti, curatur.* 117
91 *Dysenteria venenosa, Smaragdi vsu curatur.* ibid.
92 *Sanguinis Rhinocerotis aduersus affectus venenosos, vis mirabilis.* ibid.
93 *Stercus humanum, celebre aduersus venena Alexipharmacum.* ibid.
94 *Viperæ venenum, solo humanæ vrinæ potu mitescit.* 118
95 *Puella Barbata.* ibid.
96 *Puella imperforata in virum versa.* ibid.
97 *Homo cornutus.* ibid.
98 *Morbus Brasilienſis, vermis dictus.* 119
99 *Dolor furiosus ex nouâ causâ pronatus.* ibid.
100 *Cutis vniuersa, corticis arboreæ instar durissima.* ibid.
101 *Flammæ volans, eiúsque curatio.* ibid.
102 *Vnguium procidentia mira.* 120
103 *Consuetúdinis potentia mirabilis.* ibid.
104 *Quidam assuetus tepidæ potui, febriens coactâ vi, gelidam assumens, singultiens emoritur.* 121
105 *Quidam retentâ consuetâ vacuatione per aluum, illicò emoritur.* ibid.
106 *Circa consuetas vacuationes, exemplum admirandum.* ibid.
107 *Quidam ob odorem caſei, in animi deliquium incurrebat ſemper.* 122
108 *Mira Idioſyncraſia.* ibid.
109 *Dolor vagus ex turbido ſpiritu natus, quomodo curatus.* 123
110 *Ad insuetum liuorem faciei, ſyrupus de ſero præſtantiſſimus.* ibid.
111 *Temporis ſiniſtri pulſatio vehementiſſima, cum immani dolore coniuncta, arteriotomiâ ſolâ ſublata.* 124
112 *Prodigioſa corporis craſſities, ſcarificatione, & hirudinum ſuctu, curatur.* 125
113 *Nodi, per vniuerſum corporis ambitum numeroſi exorti, cauterio in nuchâ, curati.* ibid.
114 *Cauſus, criſi nairâ ſolutus.* 126
115 *Tabes annua, vernalis caloris ope curata.* ibid.
116 *Annua pleuritis, Saphænæ ſectione curatur.* 127
117 *Duplicata pleuritis, ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, curata.* ibid.
118 *Rariſſima penis virilis conuulſio.* 128
119 *Menſtruus globiformis maſſæ concretæ vomitus perniciosiſſimus, quomodo curatus.* 129
120 *Picæ infrequentis curatio.* ibid.
121 *Stupenda Hydrocephali ſpecies in viro curata, cuius caput, bouis caput æquabat.* ibid.
122 *Carbone affectus iuxta cubitum, ex ipſo cubito ſanguine extracto, curatur.* ibid.
123 *Detegitur error Chirurgorum in curando Bubone peſtifero, & vera eius curatio proponitur.* 130
124 *Extenuatio tabifica, Olei vſu curatur.* 132
125 *Sudor frigidus, ebrietate curatus.* 134
126 *Ebrietate ſubitò emorituus, alius conuulſus.* ibid.
127 *Ebrietatis certum Amuletum.* 135
128 *Ad abhorrendum vinum, auxilium ſingulare.* ibid.
129 *Puer Hydrope, marcore, & aliis ſeuis morbis implicitus, lactis ope curatur.* ibid.
130 *Orthopnœa ſæua, & diuturna, cauterio ad nucham indito, leuatur.* 136
131 *Pedes ſummi cerei.* ibid.
132 *Ex vlcere depaſcente in pede ſummo enato, mors repentina.* 137
133 *Alui fluxûs lapidoſi, hiſtoria illuſtris.* ibid.
134 *Vrina nigerrima, totâ vitâ, citra noxam excreta.* 138
135 *Vrina lactea toto vite decurſu excreta citra noxam.* ibid.
136 *Vlcera manantia diuturna, in vniuerſâ corporis mole exorta, quomodo curata.* 139
137 *Ictericus niger, ex infrequentiſſimâ cauſâ enatus.* ibid.
138 *Lapidis in veſicâ inuenti, forma ſtupenda.* ibid.
139 *Morbi trans naturam, remediis trans naturam curantur.* ibid.
140 *Pharmacopœi inſcitiâ, ager emoritur.* 140
141 *Obſtetricis malitiâ, & fraude, plures fœminæ interfectæ, aliæ in grauiſſima pericula redactæ.* 141
142 *Ex clyſtere actu calidiſſimo iniecto, mors ſubſequuta.* ibid.
143 *Phlebotomi incuriâ, agræ fluente actu ſanguine, emoriuntur.* ibid.
144 *Ob Coqui ignorantiam, ſtoliditas ſuborta.* ibid.
145 *Inſcitiâ Medici, quidam emortuus.* 142
146 *Medici errore, podagricus obiit.* ibid.
147 *Applicito cauſtico, Arthricus occubuit.* ibid.
148 *Medicus ignorantiâ ſuâ, ſibi ipſi mortem acciuit.* 143
149 *Hydropicus, Medici pertinaciâ, ſubitò emoritur.* ibid.
150 *Medici ignauiâ, ager vitam finit.* 144
151 *Quidam febri vehementiſſimâ oppreſſus, inſcitia Medici ad mortis fauces deductus, magna prudentia curatur.* ibid.
152 *Medicus inſcius in præſagiendo aberrat ſemper.* 145
153 *Hecticus, ſuperbia, & dolo Medici, violenter occumbit.* ibid.
154 *Medici imperitia, quidam interfectus.* 146

FINIS INDICIS.

ZACVTI

©BIUM

ZACVTI LVSITANI,

AD

PHILIATROS CANDIDISSIMOS

EXHORTATIO.

ARs nostra (donum Dei) omnium præclarissima, & summè necessaria, hoc nostro calamitoso sæculo, in quo solùm viget Mars, Bellona sæuit, & omnia armis, bellóque circumsonant, ob versutias Circulatorum, Empiricorum ruditatem, conuicia impostorum, à suo natiuo splendore, à pristina venustate, ab eius præterea gloria, in dies magis, ac magis emarcescit. O fors miseranda! ô deploranda calamitas! Hanc ergo iam iam labascentem, & maximum sui ipsius exitium minantem, oportet, vt viri scientissimi, medendi facundiâ clari, ingenio solertes, vsu dexterrimi, in praxi versatissimi excolant, iuuent, illustrent, exornent. Quamobrem vos omnes Apollineæ artis Mystas, & candidos Philiatros ad hoc negotium perficiendum compello, inuoco, vt hoc *Rararum Obseruationum* Opus, aliis admirandis exemplis pro virili locupletare conemini: sic enim augustam vestri nominis memoriam gratiosa posteritas concelebrabit. Enimuerò etsi in hac infœlice ætate videam regnare inuidiam, dominari calumniam, literas iacere, flocci fieri ingenia, parui pendi virtutem; tamen aduersus hæc reluctantur vsque adhuc eximij Medicinæ Professores, & alij famigeratissimi viri, qui sedulo labore, vigilanti industriâ, indefesso studio Medicæ artis actuosam partem exercentes, omni conatu, eam, scriptis suis politissimis exornare certatim contendunt, quibus inest literarum amor, studij genius admirabilis, & in scribendo acuties mira, quorum fama, longè latéque diffunditur. De horum numero sunt *ingeniosissimi Itali, acutissimi Galli, expertissimi Hispani, scientissimi Germani, doctissimi Flandri, solertissimi Angli, peritissimi Lusitani*; Hos omnes, & alios cuiuscumque nationis, & ordinis Medicos sacratissimo Æsculapij vinculo iterum obtestor, vt obseruationes vestras, raras solùm & memorabiles mihi communicetis, Latino sanè sermone descriptas, quæ circa humani corporis Anatomen, fabricam, morborum causas, signa, euentus, atque curationes versentur, quas, fidè, verè, nullâ auctâ, aut diminutâ literâ, vestris subscriptis glorioſis nominibus, in perpetuæ famæ immortalitatem operi huic inseram, quùm de nouo fuerit excusum. Viuo Dei Misericordiâ, & licèt senex sim, animo tamen consto ad subeundos labores in Medicæ Reipublicæ vtilitatem valdè alacri, in quo igniculi vigent, & viuunt inuitamenta à naturâ datâ, & ingenita ad virtutem. Habito Amstelodamo, inclyto Musarum Lycæo, celeberrimo totius orbis emporio, ad quod ex Europâ vniuersâ, mercaturæ maritimæ beneficio, citra dispendium vllum, cum mercibus, literæ fideliter conuehi possunt. Habet hæc populosissima vrbs Bibliopolas plures, inter quos eminet HENRICVS LAVRENTIVS, qui cùm in bonas literas, studiorúmque cultores beneuolentiâ, & humanitate sit præditus singulari, in commodum publicum nullis parcit sumptibus, & potissimùm in libris Medicis excudendis. Quapropter vobis patronis tantis, hócque prompto ministro, & aliquali operulâ meâ, (nam non intermittens diem sine lineâ, in eodem argumento amplificando enixè semper insudo) spero quòd liber hic ornatior, & quæstionibus etiam arduis, seu scholiis condecoratus illustrior exeat in lucem. Quotidie enim occurrunt quamplurima animaduersione dignissima in tractandis ægris: in morbis dignoscendis, atque curandis, quæ peculiarem obseruationem exposcunt. In hoc enim imitabor *Hippocratem*, Medicinæ tutelarem Deum, & primum artis nostræ conditorem, qui in libris Epidemiôn, de industriâ, singulatim exempla rara proposuit. Non fallam opinionem vestram, si fata velint. De his omnibus in calce huius operis vos commonefacere satius duxi; nam, vt *eloquentiæ parens* scitè prædixit *in Tusculanis suis: Aures orationis extremum expectant, in eóque acquiescunt.* Valete Medicinæ studiosi, & hæc, æqui bonique consulite.

FINIS CORONAT OPVS.

LAVS DEO.